D. N.

LEON. FVCHSII, MEDICI ILLVMINATI, SCHOLÆ TVBINGENSIS PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON PRINCIPVM WIRTENbergensium Protophysici,

Operum Didacticorum Pars I. & II.

Continens I. Institutiones Medecinæ, siue Methodum ad Hippocratis, Galeni, aliorumq; veterum scripta recte intelligenda.

II. Libros De Humani corporis fabrica.

III. Medicamentorum omnium, præparandi, componendi, miscendiq; rationem ac modum legitimum, & e natiuis fontibus petitum.

IV. Omnium morborum a capite ad calcem vsque medelam.

V. Paradoxorum Medecinæ Synopsin.

Ab Auctore ipso paulo ante mortem eius, resectis mendis & erroribus perniciosis, recognitæ, auctæ & locupletatæ, luculentißimisq; annotationibus illustratæ;

CVM MEDICIS TVM PHARMACOPOEIS LONGE vtilissimæ, & summe necessariæ;

Indice Rerum & Verborum satis locuplete donatæ.

PRODEVNT E COLLEGIO Paltheniano, Quod est in nobili Francofurto.

M. DCIV.



ORATIO DE VITA ET MORTE CLARISSIMI VIRI, MEDICI ET PHILOSOPHI PRÆSTANTISSIMI, D. LEONHARDI FUCHSII, ARTIS MEDENDI in Academia Tubingensi Professoris doctissimi,

A DOCTISSIMO VIRO GEORGIO HIZLERO, GRAEcarum & Latinarum literarum in eadem Professore habita & scripta.

MAGNOPERE vellem, vel cuperem potius: Rector magnifice, Comites & Barones generosi, clarissimi Doctores, Auditores nobilitate generis, eruditione & virtute ornatissimi: Maxime, inquam, cuperem, Deus Opt. Max. fecisset, vt clarissimum virum Leonhartum Fuchsium, Medicum & Philosophum præstantissimum, in inclyta hac Schola valentem potius videre, & de hoc loco sæpe multumque adhuc dicentem audire potuissemus: quam vt eundem mortuum desideraremus, & pro vetusto & iam olim recepto more oratione publice ornaremus. Ita enim nos, patrono & præceptore, summis animi & corporis dotibus ornatissimo, orbati non essemus: Respublica præsidio salutari & præclaro ornamento nō esset spoliata: Senatus haberet eum virum, qui annis triginta fuit collega consuetudine iucundissimus, officio amicus coniunctissimus, socius in dandis accipiendisque consiliis fidelissimus. Sed quia ab immortali Deo, omnia optime regente & gubernante, is nobis, Scholæ & Reipublicæ ereptus, & ex hac ærumnosa vita in cœlestem patriam euocatus est: nos miseriam nostram deploremus: felicitatem, qua iam in sempiterna vita, cum omnibus cœlestibus ciuibus fruitur, ei impeditam non velimus: ad res præclaras & egregias eius exemplo nos excitemus: memoriam denique sempiternam, cum summa pietate, obseruantia, & celebratione laudum & virtutum ipsius amplectamur, conseruemus, illustremus. Qua sane voluntate & consilio Senatus huius Scholæ, in hunc celeberrimum literatissimorum hominum conuentum sum progressus. Doleo autem, & doleo vehementer, orationem meam illius virtutibus nullo modo adæquari posse. Tot enim, & tam præclaræ fuerunt: vt vel optimus Orator, si eas non dico ornare verbis, sed pro dignitate enarrare conetur, defatigari posset. Ego vero libenter agnosco, libenter etiam fateor, ingenium in me admodum esse exiguum, exercitationem dicendi pene nullam: iudicium ita tenue, vt in hac clarissimorum hominum corona, de tanti viri laudibus, sine pudore dicere non possim. Veruntamen cum hoc imbecillitati meæ, non malitiæ sit tribuendum: vos humaniter de me iudicaturos: hanc meam qualemcunque operam pro vestra beneuolentia singulari in optimam partem accepturos: meque pauca quædam de præcipuis huius viri, de vniuersa re Medica optime meriti, ornamentis dicentem (in quo omnis hæc mea versabitur oratio) benigne audituros spero atque confido: præsertim cum me officiose, pie, & obedienter facere intelligatis. Porro, vt a principio omnia repetam; quo alios, qui præclarius id possunt, quam ego, excitem, illique habeant, in quo stylum suum exerceant: natus fuit Leonhartus Fuchsius Wendingæ, quod Rhœtię est oppidum, pulcerrimo loco situm, ad ditionem Ducum Bauariæ pertinens: anno salutis humanæ supra millesimum quingentesimum primo. Patrem habuit Ioannem, ex patre consulari eiusdem nominis generatum: Matrem vero Annam, e Dentenorum consulari etiam familia natam. Semper ea familia ab omnibus ciuibus honestatis studiosa est habita. Vterque parens amans virtutis, pietatis, & religionis fuit: inprimis mater, probatis moribus & nota atque testata prudentia omnibus fuit commendata. Ac quoniam similes sui filios, parentes boni esse volunt: filium etiam optime institui, & ad religiosam pietatem erudiri cupiebant. Nam, vt Philosophus testatur, οὐ μικρὸν διαφέρει, τὸ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ

πάμπολυ: μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν: non parum refert, hoc aut illo modo statim a pueris assuefieri: sed plurimum: imo vero in hoc sita est omnis vis. Itaque cum primum infantiæ anni præteriissent: & aduentare pueritia inciperet: mater honestissima mulier, ad literarum Magistros filium deduxit. Pater enim mortuus est, cum annum filius ageret quintum. Primum autem studiorum tempus in patria consumsit. Fuerunt illis temporibus inauspicati labores discentium. Cum enim illi, qui ætatem puerilem informabant, in docendo rationem fœdam, varietate vagam, obscuritate difficilem, sequerentur: fiebat, vt pueritia, docta, erudita, & eleganti institutione careret. In illa tamen conturbata docendi ratione, regularumque & præceptionum multitudine vasta, eiusmodi ingenii acumen in puero elucebat, vt magnam de se spem præberet omnibus. Quo magis reprehendendi sunt illi, qui hodie in tanta rerum omnium ad discendum occasione & facilitate, in summam negligentiam incurrunt: nec naturam suam artibus ingenuis erudiri patiuntur. Paulo post literarum studia aliquo modo a barbaris Magistris, & informatione fœda, vindicari cœperunt. Ideo cum literarum ludus Hailbrunnensis præ ceteris celebraretur: eique præesset vir bonus, bonarum artium Magister, Conradus nomine: ad pleniorem ingenii cultum, cura matris ac propinquorum, anno ætatis decimo missus est Hailbrunnum, quæ ciuitas est Imperii. Habebatur is Magister, pro illorum temporum conditione doctus: & certe eius integritatem, & in docenda iuuentute assiduitatem & fidem, multi prædicabant. Hic in ceteris auctoribus, quos explicabat; Terentii optimi Latinæ linguæ auctoris Comœdias, & Horatii odas in schola sua interpretabatur. Eo in loco ita se gessit Fuchsius: vt & Magister ingenium eius laudaret, & alii mirarentur. Annum versatus in Schola Hailbrunnensi, Erphordiam Turingiæ ciuitatem est missus: atque in ludo, qui a D. Maria virgine nomen habebat, quod literarum studia in eo florerent, dicendi artes, & varia Poetarum genera, magna diligentia & fructu audiuit. Sub hac disciplina cum annum & sex menses mansisset: ita ingenium & diligentiam suam omnibus approbauit: vt dignum iudicarent, qui ad præstantiores Magistros mitteretur. In hoc enim primo studiorum cursu, initio statim egregia quædam indoles in eo apparuit: acumen in percipiendo præclarum: ardor in dicendo talis: vt omnibus singularis & eximiæ virtutis & doctrinæ spem afferret. In publicam itaque eiusdem ciuitatis Scholam (Academiam vocant) se contulit: in qua exiguo tempore tantum in literis & pietate profecit: vt Baccalaureus (quo nomine honorum initia in Academiis appellantur) fieret: eamque de se opinionem commoueret, vt aliis quoque docendis idoneus haberetur. Quare in patriam reuersus: consilio amicorum & cognatorum ludum aperuit. Quod munus Fuchsio ideo demandabatur: vt studiis suis patriæ seruiret: sibi vero nomen compararet. Ac certe magna fide, diligentia, assiduitate, auditorum fructu, in patria officio suo annum cum dimidio est functus. Ceterum cum studium discendi ardens, & ambitio honesta, hortaretur eum, vt ad maiores dignitatis gradus contendendum sibi iudicaret (ad maiora enim natum fuisse euentus docuit) Ingolstadium ad ampliorem ingenii cultum capiendum est profectus: anno salutis humanæ supra mille quingentos decimo nono: quo anno Carolus Austriæ Princeps, & Hispaniarum Rex, Romanorum Imperator est electus, annos vndeuiginti natus: Mensis Iunii die vigesimo octauo: quo die Alexander Magnus a vita discessit Babylone, anno ætatis trigesimo secundo, ante Christum natum trecentesimo vigesimo tertio. Illo tempore totum se artium & Philosophiæ studiis addixit. Floruerunt eodem tempore Ingolstadii præ ceteris Ioannes Capnion: qui, quod vir bonus, pius, & trium principalium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, peritissimus esset: a Monachis & horum propugnatoribus grauissime vexabatur: itemque Iacobus Ceporinus, tribus etiam linguis vir eximie doctus. Hos præ ceteris audiebat, obseruabat, colebat: tum quod magnum horum nomen in viris doctis esset: tum quia intelligeret, eos recte de literarum studiis indicare. Sæpe hi de conturbata & fœda multorum docendi via dicere: errores longe lateque diffusos exponere & iugulare: ruinam diuini cultus demonstrare, temporum morumque vitia indicare: sæpe optare & monere, vt Scholæ & Ecclesiæ recte constituerentur & emendarentur. Horum consilio & auctoritate permotus: ad Latinam linguam & Philosophiæ studia, literas Græcas, Fabium & Ciceronem imitatus,

adiunxit. Volunt enim præstantissimi auctores vtriusque linguæ peritiam esse coniunctam. In his omnibus tantos breui tempore progressus fecit: vt Magistri liberalium artium titulum atque insignia assequeretur. Factum hoc est decimo septimo die Ianuarii, anno salutis humanæ supra millesimum quingentesimum vigesimo primo: quo Lincii Ferdinandus Austriæ Princeps, Ludouici Vngariæ Regis sororem, Annam duxit in matrimonium: Solimannus Turcarum Imperator Belgradum (olim Taururum, hodie alba Græca vocatur) Vngariæ propugnaculum cepit. Hisce temporibus maximus Theologus Martinus Lutherus, excitatus concionibus Pontificiorum declamatorum, cum scribere incepisset: Religio ad veritatem est reuocata. Fuchsius, quoniam optimum & salutare studiorum atque doctrinæ genus id esse iudicabat, quod suam industriam & progressus ad religionem & pietatē aggregaret: Lutheri etiam libros legere voluit. Ex his cum cognouisset: non quibuslibet hominum doctrinis habendam esse fidem: sed omnia expendi oportere: præterque eam doctrinam, quæ sit a Prophetis & Apostolis relicta, non esse recipiendam aliam: Pontificum præstigias animaduertere & odisse, & mature amore veritatis, & reflorescentis doctrinæ flagrare cœpit: cuius rei postea documenta præclara dedit. Factus bonarum artium Magister, medendi arti perdiscendæ operam dedit, cuius Doctorib. & Professoribus diligentem assiduumque auditorem atque discipulum se præbuit: ita tamen, vt Græcarum literarum studia, a quibus Medicinam originem desumsisse non ignorabat, coleret semper & amplecteretur. In hoc studio tantum breui tempore consecutus est: vt & hanc linguam optime calleret: & ne interpretes sequeretur, scriptores Græcos ipse legeret, vt sua lingua ipsos loquentes quasi audiret. Hac ergo diligentia, hoc instituto, hac assiduitate, magnam doctrinam paucis annis sibi comparauit: quam quotidiano labore, exercitatione, atque constantia ita auxit: vt solenni more honores, quos Doctorios vocant, anno supra mille quingentos vigesimo quarto, Calendis Martii, consequeretur. Atque ita paucis annis, per omnes Scholasticos honores ascendendo, omnibus est ornatus: & ita ornatus: vt non inane nomen haberet, sed doctrinam præclaram, eruditionem excellentem, laboriosissimo literarum studio comparatam. Porro cum magni ingenii excellentisque animi sit, studia sua ad vtilitates publicas & hominum salutem referre: Doctor noster, vt & ipse multos iuuaret, Monacum, Bauaricæ ditionis ciuitatem, est profectus: vbi maxima dexteritate, & multorum salute, artem medendi factitauit. Hoc tempore de vxore ducenda, quæ rei familiaris curam gereret, deliberare cœpit. Etsi enim ita inde ab adulescentulo vixisset: vt liber ab omni cupiditate & libidine semper esset visus: nec de eius temperantia & continentia boni viri dubitarent: tamen cum vitam cœlibem grauibus de caussis improbaret: amicorum consilio, primam vxorem, Annam Fridpergeram duxit: puellam virginem honestissimam, natam honesto loco, bene educatam, cum qua in matrimonio castissimo annis multis coniunctissime vixit: & vtriusque sexus liberos suscepit decem, filios quatuor, & sex filias. Paulo post Monaco relicto, rursus Ingolstadium se contulit: & quia cupidissimus literarum erat: & quia eius opera ad docendam medendi artem expetebatur. Venit Ingolstadium anno salutis nostræ millesimo quingentesimo vigesimo sexto: die vigesimo tertio mensis Maii. Hoc suscepto munere, cum biennium Ingolstadii docuisset summa cum fide ac diligentia: ab illustrissimo Principe, Georgio Marchione ad exercendam medicinam, honorifico salario Onoltzbachium accersitus fuit: anno supra mille quingentos vigesimo octauo, die decimo octauo mensis Maii. Vsus est multum eius opera & consilio, motus fama viri, & reipsa confirmatus, is, de quo dicimus, Marchio. In curando enim eam diligentiam & industriam adhibuit semper: vt Deo fortunante iuuaret plurimos. Non possum silentio hoc loco præterire, quod memorabile videtur: ex quo eius in curando industria apparebit. Anno salutis humanæ supra millesimum quingentesimum vigesimo nono, quo Turci Viennam Austriæ obsederunt: nouum genus morbi Germaniam inuasit. Homines enim sudore pestifero affecti, intra vigesimam quartam horam, aut ex hac vita demigrabant: aut, si virus exsudassent, valetudinem pristinam paulatim recuperabant. Ea grassante lue, quia remedium multis erat incognitum, multa perierunt millia. Illo tempore Medicus hic noster, Dei æterni propitio fauore, pro sua solertia, vitam multorum con-

seruauit. Ex quo, non tantum fauorem & charitatem multorum, sed laudem quoque & admirationem a præstantissimis ea facultate viris est adeptus. Morbus ille vulgo dicebatur sudor Anglicus. Nam Henrici septimi Britanni Regis primo, qui fuit salutis humanæ supra mille quadringentos nonagesimus sextus, eadem lues insulam illam inuaserat. Ita autem eo in loco medicinam exercebat: vt literarum studia nunquam intermitteret. Cum enim studiis & laboribus suis non solum Principi & præsentibus prodesse vellet: verum etiam alios iuuare cuperet: medicinam scriptis multis in lucem emissis, tum illustrare cœpit. Exstant eius lucubrationes vtilissimæ, annis illis quinque, quibus Onoltzbachii cum Marchione fuit, ab eo scriptæ, quæ valde probantur doctis: quas hic recensere non alienum videtur: vt intelligatis ipsum mature medendi artem illustrare cœpisse. Sunt autem hæc, dum Onolzbachii fuit, ab eo scripta: Compendiaria ac succincta admodum in medendi artem εἰσαγωγὴ siue introductio: Liber sextus Epidemiorum Hippocratis e Græco in sermonem Latinum translatus, cum commentariis luculentissimis: Apologia aduersus Hieremiam Triuerium Brachelium Medicum Louaniensem, qua monstratur, quod in viscerum inflammationibus, pleuritide præsertim, sanguis e directo laborantis lateris mitti debeat: Paradoxorum Medicinæ libri tres, in quibus multa, a nemine hactenus prodita, Arabum ætatisque nostræ Medicorum errata confutantur: & obiter Sebastiano Montuo Medico Riuoriensi respondetur. Sub idem tempus gubernatio Academiæ Ingolstadiensis, clarissimo Iurecõsulto Leonharto Eccio, a Guilhelmo Bauariæ duce, commissa fuit. Is quod Fuchsium Medicinæ virum peritissimum iam ante cognouisset, effecit: vt iterum ad docendam Medicinam vocaretur. Factum hoc est anno supra mille quingentos trigesimo tertio. Sed eo cum venisset: quod missarum nundinationes improbaret: & Euangelii doctrinam sanam, quam ex nostrorum scriptis didicerat, & in qua Onoltzbachii confirmatus fuerat, maxima constantia profiteretur: & Cœnam integram, vel, vt loquuntur, sub vtraque specie, omnibus communicandam iudicaret: docendi munere fungi non potuit. Etsi enim illis, qui Ingolstadii tum erant, hominis excellens eruditio cognita, isque ea institutus disciplina erat: vt bonorum gratias iam ante sibi conciliasset: habuit tamen prope omnes, quod humana potentia & pontificia tyrannide niterentur, & magnopere confiderent, importunos: præter Leonhardum Ecciũ Iureconsultum, qui eum defendebat: tum quia virum doctissimum esse sciret: tum quia iniustissimam caussam inimicitiarum vel potius odii, esse animaduerteret. Nihil enim aliud ipsos ad maleuolentiam prouocarat: quam quod firmus & immotus in doctrina Euangelii pura defendenda persisteret: eos summo studio & diligentia ad eandem hortaretur: ad correctionem vitæ morumque commoneret. Saluberrimum consilium hoc fuit. Sed plus apud eos superstitio & cupiditas ad odium valuit: quam ad amorem & obseruantiam, tanti viri eruditio & doctrina. Itaque cum turbulentis consiliis oppugnare optimum virum non cessarent: & seditiosis clamoribus rem agerent: Fuchsius mendacio atque adulationi, libertatem & veritatem magno etiam suo periculo ante posuit. Eodem ergo anno, quo redierat, iterum discessit Augusti mensis die nono. Prima namque viri boni laus est, mortem pro religione, si necessitas postulet, oppetere: proxima excedere iis locis, in quibus sine impietate consistere non licet, & emendatio vitiosæ disciplinæ atque doctrinæ præfracte recusatur. Sed vt reuertar, vnde nonnihil digressus sum, Fuchsius Ingolstadio cum discessisset, Onoltzbachium iterum, a Marchione vocatus, se contulit. Vnde quod oppido pestilentiæ malum esset infestum, mox Culmbachium, cum Friderico Marchione seniore, patre Georgii, reliquaque Marchionum familia, cum suis se conferre coactus fuit. Ibi vltra annum commoratus, rediit Onoltzbachium, anno supra mille quingentos trigesimoquarto: quo Rex Persarum (Sophum vocant) duplici clade Turcos in oriẽte affecit. Hactenus breuiter cõmemoraui, quæ Wendingæ, Hailbrunni, Erphordiæ, Ingolstadii, & apud Marchionem egerit Fuchsius: restat, vt reliquę vitæ, a qua maximarum & amplissimarum virtutum exempla peti possunt, cursum enarremus. De qua rogo vos, vt me pauca dicere æquo animo patiamini. Ad hoc ipsum fere tempus Illustrissimus Princeps D. Vlricus celeberrimæ memoriæ, nostri Principis pater, recuperata iam ditione sua, Pontificiam superstitionem repudiare & abole-

re,& Eccleſias iuxta verbi diuini præſcriptum conſtituere cœpit. Ac quoniam cognouerat, veram Religionem miris ſubinde artibus & machinis aduerſariorum oppugnari: ea, qua ſapientia fuit, facile vidit: ditioni ſuæ florentiſſimæ, niſi præcaueret, paulatim defuturos non Theologos modo, ſed Iureconſultos etiam, Medicos, ceterarumque diſciplinarum Profeſſores, quæ hominum genera ſemper neceſſaria ſunt Rebuſpublicis. Itaque vt aliquod eſſet remedium contra mala, quæ impendere videbantur accerſitis viris doctiſſimis, & conductis honorificis ſalariis, Academiam hanc noſtram auxit, cumulauit, ornauit. Illo tempore, cum Medici noſtri virtus & doctrina excellens, publica fama commendaretur: optimus Princeps eius quoque operam liberali ſalario conduxit: & ſuæ Academiæ adiunxit: a quo tempore ſemper eum benigniſſime eſt complexus Princeps. Patris veſtigiis filius etiam, illuſtriſſimus, & præſtantiſſimus pietate, virtute, ſapientia Princeps, D. Chriſtophorus, dominus noſter clementiſſimus, inſiſtens: propter viri doctrinam, multarum rerum experientiam, inque iudicando prudentiam, Fuchſium dilexit & magnifecit, neque ſolum in primis Medicis habuit, ſed eius etiam ſalarium amplificauit. Quo etiam tempore ſummus Theologus Ioannes Brentius Hala Sueuorum, vt de Academiæ conſtitutione, eo etiam præſente deliberaretur, ab eodem Principe Vlrico eſt accerſitus. Huius annua opera & Eccleſiæ & Scholæ vtilis & maxime ſalutaris fuit. Sed de illo hoc loco plura non dico: ne aliis dicere adulanter, aliis blandiuſcule videar, tametſi vere. Cum Tubingam veniſſet Fuchſius, (venit autem eo menſis Auguſti die decimotertio: anno ſalutis noſtræ milleſimo quingenteſimo trigeſimo quinto) & munus ſuum in Schola ſuſcepiſſet: celeriter conſecutus eſt multorum admirationem: & hæc Academia cœpit tunc mirabiliter frequentari & celebrari: tum propter alios doctiſſimos viros, (ex quibus nonnulli in hoc publico ſunt conuentu,) tum propter hunc Medicum noſtrum præſtantiſſimum. Nam, Deum immortalem, quam amans honeſtatis, religioſæ pietatis, & cœleſtis veritatis ſemper fuit? Qua animi magnitudine & conſtantia? Quo ſtudio, diligentia, aſſiduitate, in docenda iuuentute? Quam exquiſita optimarum literarum cognitione & doctrina? Quam ſtudioſus Reipublicæ? Qua mentis integritate? Qua fide, & conſiliorum prudentia in negotiis publicis? Si conarer omnia perſequi, me non ſolum tempus, ſed etiam vires deficerent. Xenophon, Plato, & alii cōmentarios quoſdam de illis, quæ Socrates egit, quæque dixit, confecerunt (ἀπομνημονεύματα vocarunt) vtilia profecto, & omnium cognitione digna. Sed ſi omnia Medici & Philoſophi noſtri dicta atque facta colligerentur: cum Socratis conſiliis componere vſu, prudentiaq́; religioſa pietate, non dubitarem. Sunt enim noſtris temporibus, & Eccleſiæ Chriſti accommodatiora. Etenim ſi virtutes, quæ in Philoſopho & Medico Chriſtiani nominis ineſſe debent, conſiderentur: an non tales illæ in eo exſtiterunt: vt non apud nos, & in Germania ſolum: verum etiam apud exteras gentes & nationes in regionibus remotis, ſint notæ? Vt enim a Religione & pietate erga Deum (vnde tanquam ex fonte, omnis veræ virtutis & ſapientiæ principium dimanat,) initium ſumam: Religione vera & pietate nihil habebat prius Fuchſius, aut antiquius: huius amore ſic flagrabat, vt ſemper eam admirabili conſtantia colendam ſtatueret: ab hac in omnibus actionibus principium ſumebat: huic primam, huic poſtremam diei horam tribuebat: Contrariam veræ pietati doctrinam, non verbis tantum, ſed reipſa etiam condemnabat, etiam tum, cum eſſet ſummum periculum. Præclare Metellus dixiſſe fertur: Improbe facere, proprium eſſe ſceleratorum hominum: Recte agere, ſi abſit periculum, aut vtilitas etiam inuitet, commune bonis cum malis: Laudabiliter autem facere, quando cum facto honeſto periculum aut incommodum coniungitur, peculiare eſſe bonis & fortibus viris. Laude digna Metelli oratio. Virtus enim iis exercitationibus niteſcere vult: quæ cum moleſtiis ſocietatem habent, atque cum periculo ſunt coniuncta. Eadem laus noſtro etiam Medico recte tribuitur. Non enim ſolum in pace, otio, & reipublicæ tranquillitate, veræ pietatis ſtudioſiſſimus fuit: ſed & in ſæuiſſimis tempeſtatibus & fluctibus, puram doctrinam, in qua inſtitutus, & ſacrorum librorum lectione confirmatus erat, palam eſt profeſſus, ac acertime propugnauit. Teſtis eſt conſtantia Ingolſtadienſis. Teſtes ſunt ſuperiorum temporum, poſt bellum ſociale, perturbationes & periculoſi motus. Teſtis eſt liber ille, neſcio, quorum

mercenaria opera confectus, vulgo Interim dictus: quod præscriberet, quid interim, dum Concilii decreta publicarentur, seruandum esset illis, qui falsam doctrinam, vitiosos cultus, atque ritus in suis Ecclesiis sustulissent. Hæc formula cum vrgeretur, tum minime clementer: multi, inprimis Ecclesiæ Doctores, qui eam, quod contraria veritati, & ex mendaciis, & horrendis nominis diuini contumeliis conflata esset, non approbabant, misere afflicti & vexati fuerunt: alii loco moti, alii eiecti, alii reuncti catenis in custodiam dati. In his quasi procellis, studiis hominum huc illuc inclinantibus, animisque formidine concussis & occupatis: Fuchsius noster, vt initio Euangelii doctrinam Ingolstadii maxima constantia professus fuerat: ita & tum, in ista, dico, tempestate, nullius periculi terrore vel metu induci potuit: vt de veritatis cœlestis & sanæ doctrinæ studio quidquam remitteret. Erat enim robore animi, & constantia singulari munitus: & tam in rebus aduersis, quam secundis, in syncera doctrina defendenda constantissime perseuerabat. Ceterum cum religionis amantissimus fuisset semper: tanta fuit in viro grauitas: vt nihil aut in verbis, aut in factis sentiretur: quod non vel morum disciplinæ & literis, vel aliorum commodis, vel publicis vtilitatibus inseruiret: nihil leue, nihil ineptum: prudentes & piæ cogitationes: profana omnia dicta & facta fugiebat. Quibus omnibus quantam auctoritatem sibi comparauerit, non attinet dicere. Sunt hæc magna. Quid cetera? In docendi munere, quanta sedulitas, fides, diligentia? Duabus autem maxime rebus in docendo necessariis, summam consequebatur laudem: tum illa artium via, quæ μέθοδος a Græcis dicitur: tum sermone puro, perspicuo, & aperto. Nam in explanandis Medicorum scriptis, primum expeditissimam & vtilissimam viam cognoscere & inire: nihil a re alienum afferre: verba sensumque genuinum diligentissime explicare: non diutius hærere & immorari, quam res, quæ ad cognoscendum exponebatur, requirere videretur: eorum, quæ necessaria ad explicandum erant, nihil omittere. Deinde tam pure, tam aperte, tam simpliciter omnia tradere, vt facilime omnes assequeremur. Itaque non tam ordine & modo, quem seruabat, optimo, quam orationis elegantia animos auditorum conciliare, ita vt cum fastidio ipsum audiret nemo. Huius rei inter multa alia, exemplum potest esse anatome: quam docuit dexteritate & perspicuitate singulari. Humani enim corporis partes, & singularum partium actiones & figuras ostendebat: omnium ossium, cartilaginumque naturam, musculos, venas, arterias, neruos, & cetera indicabat, & oculis subiiciebat: ac quasi contrario ordine, quam eo, quo factum est, corpus resoluebat. Quo nomine magni nominis Medicum, & anatomes illustratorem, Andream Vesalium Bruxellensem magnifaciebat: quod ante illa tempora nemo eo exquisitius, aut industria maiore, partes humani corporis, & singularum actiones, situs, figuras annotasset, & ante oculos posuisset. Vesalius non modo Fuchsium vicissim diligebat: sed tanquam annis superiorem colebat, obseruabat, verebatur. Natus enim est Vesalius anno humanæ salutis supra mille quingentos decimoquarto, calendis Ianuarii: quo anno Persarum Rex Turcas in maiori Armenia magna strage vicit. Verum vt ad Doctorem nostrum reuertar: tanta fide, studio, & diligentia, munere docendi fungebatur: vt, cum sæpe occasiones, quibus ad quæstum & opes via patefiebat, offerrentur, nunquam ab officio suo se auocari passus fuerit. In ætate etiam iam graui, cum Senatus permissu a docendo vacare ei licuisset, muneri & officio suo præfuit diligenter. Quid? Cum vltimis mensibus propter infirmitatem valetudinis abstineret a publico, auditores domi suæ instituebat. Habemus, auditores, in hoc Professore nostro exemplum diligentiæ, quod imitemur omnes. Neque vero solum ea virtute præditus erat, vt vellet suam pulcerrimam artem excolere & amplificare: sed doctrina etiam in eo fuit tanta, vt posset: Quam, pulcerrimis illis virtutibus, quæ studioso homini necessariæ sunt, consecutus erat: temperantia in voluptatibus, incredibili admirabilique studiorum constantia, & diligentia cum laboribus maximis coniuncta. Sine his etiam magna ingenia non longe progrediuntur. Nulla enim concordia studiis doctrinæ & sapientiæ, cum negligentia, mollitie & prauitate intercedere solet. Itaque in Bibliotheca, & inter libros, inquirendo perpetuo versabatur. Inprimis vetus illud & nobile præceptum semper sibi tenendum putabat: vt temporis

poris quam maximam rationem haberet. Vnde semper aliquid vel audiendum, vel legendum, vel scribendum, vel cogitandum, vel quærendum iudicabat. Quam ob caussam in literis labores suscipiebat, perferebatque incredibiles: in eo non priuatæ vtilitati consulens, sed publicam vtilitatem spectans. Quo etiam nomine omni laude est cumulandus. Alexander ille Magnus cum literarum laudem cum militari gloria coniungere vellet: discendi eas cupiditate inflammatus, sumtus magnos fecisse: & Aristoteli sexcenta talenta ad omnis generis animalia conquirenda, ex quibus multiplicis naturæ vis cognosci posset, dedisse fertur. Sed doctrinam hanc sibi peculiarem, neque cum aliis communicatam voluit. At in nostro Medico longe diuersum studium. Cum enim bonum tanto melius esse, quanto cum pluribus communicaretur, sibi persuasisset: laborum suorum fructus ad multos peruenire voluit. Itaque nihil præclarius esse existimauit, quam omne studium atque ingenium ad illam artem illustrandam conferre: quæ omnibus salutaris, & vsui mortalium maxime necessaria. Quare vt Onoltzbachii, ita & Tubingæ, edidit in lucem scripta plurima, spectatæ eruditionis atque scientiæ: quæ eum de vita hominum optime meritum esse declarant satis. Hi autem libri, dum in hac schola versatus est, ab eo euulgati, & in lucem emissi sunt: Hippocratis Epidemiorum liber sextus, recognitus & auctus plurimis in locis: Apologiæ tres, quarum prima aduersus Gulielmum Puteanum docet, Aloen aperire ora venarum: altera, aduersus Sebastianum Montuum, nonnulla Paradoxorum capita defendit: tertia in internis inflammationibus, pleuritide præsertim, e directo partis affectæ sanguinem mittendum esse ostendit: Explicationum difficilium aliquot quæstionum, & hodie controuersarum, libri quatuor aucti & locupletati: Medicinæ methodus seu ratio compendiaria perueniendi ad veram solidamque medicinam, mirifice ad Galeni libros recte intelligendos vtilis: item de vsitata huius temporis componendorum miscendorumque medicamentorum ratione libri tres, iis, qui praxin medicam exercent, maxime necessarii: Annotationes in libros Galeni de tuenda valetudine: De sanandis totius humani corporis eiusdemque partium, tam internis, quam externis malis, libri quinque, accurata diligentia conscripti: De historia stirpium commentarii insignes, adiectis earundem viuis plus quam quingentis imaginibus, nunquam antea ad naturæ imitationem artificiosius effictis: Accessit succincta vocum difficilium & obscurarum, passim in hoc opere occurrentium explicatio, idque latina & populari lingua: Apologia aduersus Gualtherum Ryffium: Hippocratis Aphorismorum sectiones septem, e Græco in Latinum sermonem conuersæ, & luculentissimis iisdemque breuissimis commentariis explicatæ: adiectis annotationibus, in quibus quotquot sunt in Galeni commentariis difficiles loci, explicantur: Apologia aduersus Cornarium: De curandi ratione libri octo, caussarum signorumque catalogum breuiter continentes: Nicolai Myrepsi Alexandrini, medicamentorum opus in sectiones quadraginta octo digestum, e Græco in Latinum conuersum, luculentissimisque annotationibus illustratum: Galeni aliquot opera latinitate donata, & commentariis exposita & illustrata: vtpote de inæquali intemperie libro primo de differentiis & caussis morborum & symptomatum libri sex: De iudiciis libri tres: De curatione per sanguinis missionem liber vnus: De temperamentis libri tres: De differentiis febrium libri duo: De laborantium locorum notitia libri sex: Tabulæ sex in Galeni libros de morborum caussis & symptomatibus: Tabula in librum de curandi ratione per sanguinis missionem: Tabulæ aliquot, vniuersæ medicinæ summam & diuisionem compendio complectentes: De compositione medicamentorum libri quatuor, aucti & diligenter recogniti, adiecto dispensatorio, vt vocant, qui liber antea desiderabatur: Libri quatuor de fabrica humani corporis: Institutionum medicinæ, ad Hippocratis, Galeni, aliorumque veterum scripta recte intelligenda, mire vtiles libri quinque: qui aucti, & summa cura & diligentia recogniti, iam iterum in lucem emittuntur: Libellus, num morbifica aliqua de Galeni sententia sit caussa continens. Post mortem in Bibliotheca reperti sunt hi libri, qui edentur ab heredibus: Commentarii illi, quos hactenus auidissime exspectarunt omnes de stirpium historia, in tomos tres, incredibili magnitudine digesti: ætate extrema a sene (mirum) propria manu scripti & confecti: stirpium icones continentes plures, quam mille

Leonhardi Fuchsii de historia stirpium opus insigne.

quingentas. Hoc opere ſolertius, ingenioſius, laborioſius, & præclarius, in hoc genere hactenus viſum eſſe nihil, confirmare non dubito. Sed plura de eo hoc loco non addo. Nam breui, vbi in lucem emiſſum fuerit: non modo exſpectationem diuturni deſiderii omnem explebit, ſed etiam longe ſuperabit. Item Paradoxorum libri tres, correcti & aucti: Commentarii in aliquot libros Galeni de ſimpl. medica. facultatibus: Libellus, quod iecur ſit ſanguificandi primarium inſtrumentum: Commentarii in libros Galeni de medendi ratione XIV. Commentarii in ſextum Epidemicorum, libri etiam de medendi ratione aucti & emendati: Annotationes in libros Galeni de Compoſ. medicamentorum localium, & id genus alia. Hæc & alia abunde ſatis demonſtrant: Fuchſium propter labores maximos, & hoc de genere humano bene merendi ſtudium ſummum, laude ſempiterna, & ampliſſimis virtutis præmiis, quibus ortus eſt, magnorumque virorum commmendatione fuiſſe digniſſimum. Veteres præclare de vita humana meritos in Deorum numerum referebant. Vnde etiam tam multiplex gentilium Deorum turba originem ſumſiſſe videtur. Sed quam pauci reperiuntur, quibus tam ſplendidum diligentiæ, laborum, eruditionis, virtutis, maximorumque in rempublicam meritorum teſtimonium tributum ſit: quale eſt hoc, quod noſtro Philoſopho eſt datum? Cum enim potentiſſimus Imperator Carolus V. tantam viri doctrinam magnifico teſtimonio dignam iudicaret: inſignia & ornamenta nobilitatis, non petenti, & recuſanti etiam, obtulit. Grauiſſimum hoc ſapientiſſimi Imperatoris de meritis Fuchſii in rempubl. præclariſſimis, iudicium fuit. Fuit tanta virtus, tanta eruditio, fuerunt tanta merita, tanti Imperatoris comprobatione digna. Hac multarum rerum ſcientia in nobilium & principum virorum notitiam peruenit, non in Germania ſolum, ſed etiam apud gentes exteras, in regionibus remotis. Hac a Tuſcorum Duce Coſmo Medice, oblato honeſtiſſimo & ampliſſimo annuo ſexcentorum coronatorum ſtipendio, vt in Piſana Schola publice Medicinam doceret, humaniſſime ſæpe inuitatus fuit: quod hactenus paucis admodum Germanis contigit: vt ex ſuperiori Germania, in Italiam eruditiſſimis in omni diſciplinarum genere hominibus, liberaliſſimiſque ſtudiis affluentem, in tantam ſpem vocarentur. Hac amicitiam cum doctiſſimis viris, qui vel noſtra memoria vixerunt, vel adhuc viuunt, coniunxit & coluit: quibus charus, gratus, & reuerendus fuit: omniumque ſeculorum poſteritas huius viri laudum immemor non erit. Neque ſolum in Bibliotheca, & inter libros, tantus erat: ſed & in publicis negotiis gerendis induſtria admirabili, & grauitate ſpectata. Hac de cauſſa gubernatio Academiæ ſemeſtris ei commiſſa fuit ſæpius. Quod munus quoties adminiſtrandum ſuſcepiſſet, ita ſe geſſit: vt grauiſſimi & ſapientiſſimi Magiſtratus auctoritatem tueretur. Ciues, vt filios, paterno amore complecti ac tueri: affectos iniuria ſubleuare: vim vlciſci: bonos laudare: negligentes excitare: officium facientibus præſidio & auxilio eſſe: contumaces cuiuſcunque eſſent ordinis, territare minis: pœnis afficere: omnes pari & æquiſſima iuris moderatione complecti: omnes in officio continere: omnibus ius ſuum tribuere. Ob hanc prudentiam, grauitatem, rerumque vſum, eius collegii, quod ab optimo Principe Vlrico conſtitutum, a filio, Duce ſapientiſſimo locupletatum, & liberaliter ornatum eſt, (in quo adoleſcentes egregia indole, maximis ſumtibus, quo Eccleſiis paſtores idonei non deſint, enutriuntur,) præ ceteris commiſſæ ſunt rationes: quod adminiſtraſſe ipſum ſumma cum fide ac diligentia, & ad tolerabilem mediocritatem reuocaſſe, nemo ignorat. Ob hanc eandem viri excellentem virtutem & induſtriam: Scholæ Senatus & illius contubernii (quod ab Auctore Martinianum dicitur) adminiſtrationem ei commiſit: cui ita præfuit, vt in ordinem redigeret omnes. In his occupationibus publicis ita verſabatur: vt ſemper literarum amor maneret, earumque ſtudia deſereret nunquam. Vt enim Vlyſſes (quem Homerus Græcorum prudentiſſimum fecit) in aſperrimis ſaxis Ithacam ſuam, in omnibus & laboribus & ærumnis cogitabat: ita Fuchſius ſemper ad Bibliothecam rediens, & in maximis occupationibus, doctrinæ ſtudia nunquam intermittebat: vt niſi in literis viueret, viuere haud poſſe videretur. Qua in re imitatores & æmulos habet non plurimos. Etſi enim permulti ingenii acumine præditi & celeritate ad intelligendum ſunt ornati: alii tamen inertiſſimum & deſidioſiſſimum otium ſectantur: alii voluptate molleſcunt: alii, ſi hæc euitare poſſunt, ad quæſtuoſas artes

ſe

se conferunt, antequam puerili disciplina & institutione sint enutriti & eruditi. Age vero, quanta omnibus in rebus mentis integritate erat? Sicut veritatis cultor, ita fraudis inimicus fuit: nihil simulabat prorsus. Fuit in antiquissima & prudentissima Athenarum vrbe Solon legislator: qui sapientiæ gloria maxime in Græcia floruit. Is tamen, vt id, quod cupiebat, sine periculo suo obtineret: stultitiam simulasse dicitur. Noster Philosophus nihil simulate, nihil astute, nihil insidiose: omnia syncera, simplicia, libera, aperta. Cuius ergo viri, Auditores, maior laus esse potest? Inter tot vigilias, labores, lucubrationes & occupationes quotidianas (de quibus hactenus, quam breuissime potui, dixi) valetudine ita commoda & integra est vsus: vt ante grauissimum illum morbum, quo sublatus est, nullum admodum corporis morbum senserit. Huic vxor Fridpergera cum summa diligentia & solicitudine inseruiebat: mores suos ad mariti ingenium accommodabat. Ex quo amor in matrimonio constans & firmus semper exstitit. Verum, quæ conditio est rerum humanarum, quo tempore Medici nostri valetudini, maxime vxoris diligentia & cura fuisset opus: Coniunx charissima, grauissima & optima fœmina, anno supra millesimum quingentesimum sexagesimo tertio, mense Februario, mortem obiit, sibi quidem felicem, (nam inuocatione filii Dei feliciter e vita demigrauit) suis autem, & potissimum seni nostro, acerbissimam. Quid mirum? vxorem amiserat, cum qua multis annis coniunctissime vixerat: eamque ob virtutes multas vehementer dilexerat. Sed tamen, quo erat animi robore, summum illum dolorem fortiter ferebat: mœrorique resistebat. Fortitudo enim in omni vita talis in eo fuit: vt in vultu, cogitationibus, in ore, & omnibus actionibus eluceret. Ceterum cum res domesticæ & familiares, senem, quam longissime, & latissime suam artem diffundere cupientem, impedire viderentur: quo minus lucubrationes suas, præcipue autem illud opus pene diuinum (de quo paulo supra mentionem fecimus) de stirpium historia, recognoscere & conficere posset: anno sequenti, valetudinis & occupationum suarum rationem habẽs, alteram duxit vxorem: in re domestica adiutricem: viduam, matronam honestissimam, admodum religiosam, matremfamilias bonam, senisque nostri valetudini accommodatam. Hancantea in matrimonio habuit optimus vir, Michael Gretterus, Pastor Ecclesiæ in Salinis Sueuicis, pietate præstantissimus. Fecit, ad quod eum non libido, sed necessitas impellebat. De temperantia enim, modestia, & continentia, testis est vita, a primis statim annis per omnem ætatem acta. A pueris namque ad modestiam, temperantiam, sobrietatem, diligentiam, & labores se assuefaciens: vt frugilitatem amauit, ita vitam delicatiorem, molliorem, & luxui deditam fugiebat: D. Basilii concionem secutus: δεῖ τῇ γαστρὶ τὰ ἀναγκαῖα ὑπηρετεῖν, οὐχὶ τὰ ἥδιστα. Nec imitabatur eos, qui in copia, & rerum affluentia sumtibus profusis viuunt, patrimonia profundunt, fortunas abliguriunt: sed cum aliquando in adolescentia, pecunia non abundasset: eam postea custodiendam, & ad necessarios vitæ vsus seruandam, non profundendam iudicauit: cui tamen ita semper pepercit: vt legitimos & honestos sumtus facere recusaret nunquam. Quid multis? Cum semper a voluptatum illecebris disiunctissimus fuisset: summa erat eius in victu temperantia. Vtinam mihi hac in parte, tanta dicendi facultas & copia esset: vt hanc pulcerrimam & maximam virtutem, (temperantiam & modestiam dico) ea commendatione, quæ potest esse diligentissima, omnibus commendare possem. Eius enim vis, natura, & vtilitas, ita se late explicat & diffundit: vt vix vlla virtus magis in vita humana necessaria videatur. Tenet enim modum in omnibus, quæ fiunt, quæque dicuntur: quem vltra citraque nequit illud, quod rectum appellatur, consistere. Quid, quæso magis commendat Christiani nominis homines, quam grauitas in vestitu? constantia in prætermittendis corporis voluptatibus? in edendo bibendoque frugalitas? In hac virtute summum decus & ornamentum consistit: hæc ad summa dignitatis fastigia euehere potest: hæc est, quæ ex infimo loco ad summum homines deducit: hæc ex obscuris nobiles reddit: hinc omnis pendet vitæ honestas: hinc actiones rectæ & laudabiles oriuntur omnes. Siquidem qui turpiori intemperantiæ, omnium perturbationum matri, dediti, immodicis epulis & potationibus indulgent: facultates suas absorbent: contrahunt æs alienum: bonitatem ingenii vitiis corrumpunt. Et quod maximũ est, religionẽ colere, diuini numinis misericordiam implorare nõ possunt. Quare

hanc virtutem anteponamus rebus omnibus: omni cura, studio, animi contentione, hanc apprehendamus, colamus, foueamus, reuereamur. Nisi multa propter breuitatis & tẽporis rationem prætermittenda existimarem, proferrem copiam exemplorum in vtranque partem, tam ex Græcis, quam ex Latinis Scriptoribus: quibus demonstrarem, non respublicas tantum, sed priuatos etiam, & inferioris ordinis homines, duce modestia, ad magnos honores, ad magnam potentiam peruenisse: contra, eiusdem neglectu periisse misere. Sed temperantissimi Medici nostri exemplum ob oculos nobis ponamus: qui huius virtutis cultu eo peruenit: quo ipsum peruenisse admiramur omnes. Idem adiutrice hac diuina virtute sibi corporis robur, & valetudinem integram, supra annos sexaginta conseruauit, eadem duce, corporis sui eximiam formam coluit & exornauit. Fuit enim, (vt de illo naturæ beneficio, quod a Philosophis in felicitatis partibus numeratur, egoque fere prætererieram, breuiter dicam) fuit Fuchsius egregia & liberali figura, & statura apposita ad dignitatem, cum aperta & venusta membrorum conformatione. Vox magno viro & Philosopho digna, grauis, clara, plena. Motus corporis & incessus, neque languens, neque concitatus, neque insolens: sed plane talis, in quo nullæ ineptiæ inessent. Magna hæc, magna esse fateor. Sed, quæ longe maiora, hanc corporis dignitatem, indolis elegantia ita cohonestabat: vt animi pulchritudo, ipsa corporis forma & elegantia, venustior esse crederetur. Gratior enim est (vt Poeta testatur) pulchro veniens e corpore virtus. Et sane ex eius vita per omnem ætatem acta facile apparet, singulari naturæ & ingenii bonitate, egregiaque & præclara indole, præditum fuisse: quam a parentibus secum in hanc lucem attulerat. Etsi enim apud Homerum Telemachus paucos parentum similes esse affirmat, inquiens: Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται: οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δὲ τε πατρὸς ἀρείους. Id quod interdum fieri solet: sæpenumero tamen, vt robur, forma, valetudo, aliaq; corporis commoda sunt hereditaria sic & sanctissimarum virtutum, hereditatem liberos a parentib. accipere sæpe videmus. Sic Polemarchus non solum bonorum, sed etiam paternæ virtutis κληρονόμος a Platone inducitur. Sic Fuchsius maiorum virtutem tutatus est: neque solum tutatus est: sed ita etiam auxit: amplificauit, & illustrauit, bonitate ingenii, industria, diligentia, doctrina, consiliorum prudentia, & omnis virtutis, sapientiæ, religiosæque pietatis studio: vt familiæ illius laudes intermorituræ sint nunquam. Atque hic cursus vitæ fuit. Reliquum est, vt de morte eiusdem quam breuissime exponamus. Cum in rebus optimis, de quibus hactenus est dictum, naturam suam vsque in sexagesimum quintum annum studiosissime & vehementissime exercuisset: eius valetudo infirmior, & natura imbecillior esse cœpit: tum quod per omnem superiorem vitam maximos labores, eosq; reipubl. caussa suscepisset: tum quod iam ætate affecta, & summa senectute esset. Quapropter cum superioribus diebus in morbum grauissimum & periculosissimum incidisset: facile is naturæ vim vigiliis, curis, & laboribus anteactæ vitæ exhaustam superauit. Ac licet amici initio bene sperarent: ipse tamen ex certis indicis morbum hunc, finem huius caducæ vitæ allaturum, præsagiebat. Neque propterea mortis metus ei iniiciebatur: non mortis aduentu exhorrescebat. Verum cum eam nihil aliud, quam ex hac mortali, ad sempiternam & felicissimam vitam, ad cœlestem ciuitatem, ad Christi regnum, demigrationem esse iam olim didicisset: pro religiosa, qua semper fuit, fortitudine: æquissimo animo se ab hac vita discessurum fortiter affirmabat: præsertim cum sibi Deum non tam ademturum longiorem vitam, quam maturum finem daturum intelligeret. Satis enim ipse sibi vixit. Omnia enim studia sua, omnes actiones suas, ad publicas commoditates, pietatem, & religionem retulit. Veræ etiam gloriæ, quam æternam consecutus est, vixit satis: si Scholæ maximopere eum requirenti, si nobis, eundem desiderantibus, satis diu superstes fuisset. Toto morbi tempore, vigiliarum somnique, nec die, nec nocte discriminata tempora habere potuit. Vnde permolesta ei fuit insomnia: & quoties somnus eum complecti cœpisset: facile e somno suscitabatur: & quoties excitabatur: cum diuini numinis inuocatione, se, & spiritum suum immortali Deo commendabat. Sermones similes fuerunt superiori actæ vitæ: pleni constantiæ, fortitudinis, religionis, pietatis. Memorabile hoc est in optimo nostro sene: quoties de religione, rebus Diuinis, Deo, æterna vita, cum amicis, ipsum quotidie officii & amicitiæ caussa inuisentibus, etiam in grauissimo mor-

mo morbo, conferebat, ita dilucide, pure, latine, eleganter, apte, pie, constanter, & fortiter animi sensa explicabat: vt ex morbo nullo infirmus esse videretur. Et fuit sanus animo semper, etiam in corporis ægritudine maxima. Christianæ enim patientiæ, religiosæ pietatis, omnisque virtutis, documenta dedit maxima. Euangelii doctrinam constanter ad extremum vsque spiritum profitebatur: in Christo Iesu, qui pro mundi delictis vitam & sanguinem profudisset: & solus ab æterna morte nos miseros liberasset: & vnicus ab æterno patre aduocatus, mediator, & seruator humano generi datus esset: se spem omnem collocatam habere testabatur: per huius mortem aditum se patefactum habere ad cœlestem ciuitatem, & æternam & felicissimam vitam, constantissime asseuerabat. Cum autem morbus quotidie magis inualesceret: tandem ad sextum Idus Maii intra septimam horam & octauam antemeridianam, hanc caducam & miseram vitam cum immortali & sempiterna permutauit, placide & omnino feliciter: inter amplexus charissimorum filiorum, & vxoris honestissimæ, summa cum testificatione constantiæ, Religionis, omnisque pietatis: & inuocatione eius, quem per omnem vitam coluerat filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, lenissimo mortis sopore. Corpus postridie ad eandem sepulturam est datū, ad quam, Annam, honestissimam Matronam, primam vxorem, dari vidimus. Atq; ita amisimus clarissimum virum, Leonhardum Fuchsium, Medicum & Philosophum præstantissimum: exemplum diligentiæ & laboris: decus atque ornamentum Scholæ nostræ singulare. O mortem detrimentosam Reipublicæ: nobis omnibus acerbam. Cui enim ista mors ob vtilitates publicas non esset acerbissima? Quis tam graui Reipublicæ vulnere imposito, quo superiora ex multorum doctorum hominum obitu accepta, quæ consenuisse iam videbantur, refricantur & recrudescunt, non doleret? Quis non lugeret mortem talis & tanti viri? Quis non lacrymas, officio & pietate plenas effunderet? Præsertim cum in ista paucitate talium virorum, maximæ sint & periculosissimæ metuendæ commutationes & inuersiones rerum publicarum.

Veruntamen in hoc communi luctu modum tristitiæ & doloris statuere debemus: ne, si nostra caussa eum lugere nimium pergamus, ei æternam felicitatem inuidere, idque velle, quod Deus nolit, videamur. Ergo recreemus nos, illoque solatio nos consolemur: quod iam particeps æternæ felicitatis, & cohæres Christi, cœlestibus commoditatibus & gaudiis fruitur: inter beatas animas versatur: Patriarchas omnes, sanctosque Apostolos intuetur: viuit felix atque beatus, cum Deo Patre, cum Christo Domino, cum diuino spiritu. Quod vt & nobis omnibus feliciter contingat: Iesum Opt. Max. precor, cuius laus & honos, gloria & potentia, in æuum sempiternum permanebit.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

Cur complura in paradoxorum libris cum posteriorib. scriptis non conueniant.

QVVM inter ingenii mei fœtus Paradoxorum libri primum propemodum locum sibi vendicent: siquidem anno ætatis meæ 34. in lucem editi sint: neminem eruditorum fore arbitror, imperitos enim ac rudes nihil moror, qui mihi vitio daturus sit, quod complura in ipsis reperiantur, quæ cum posterioribus meis scriptis parum conueniant, imo non raro ex diametro pugnent. Nam haud dubie secum initio expendent eius temporis, quo libri illi a me scripti sunt, statum & quod ars medica, tunc multis atque gra[ui]ssimis vulneribus, quæ partim a barbarie, quæ tum omnes bonas artes & pręcipue hanc ipsam misere afflixerat, partim a Mauritanorum lacunis, quæ illam totam conspurcarunt, acceperat, pene exanimata fuerat, considerabunt. Præterea, quod omnium fere rerum, quæ Medicum scire oportet cognitio, tum perierat, aut certe prorsus obscurata fuerat, in animum reuocabunt. Vt enim aliquas saltem commemorem, quotusquisque eo tempore inuentus est, qui tot cognitas habuit herbas, quot tenui prandiolo aut cœnula absumere rusticus potuisset? Quis tum fuit, qui dissectionem humani corporis a limine salutauerat, aut tenuiter saltem attigerat? Quippe omnes fere Mundini non vsque adeo boni scriptoris nugis contenti, nihil amplius requirebant. Quibus insuper Medicis morborum, symptomatumque differentiæ & caussæ perspectæ tum fuerant? quandoquidem in vniuersum omnes a Practicorum, vt vocant etiam hodie, qui hæc omnia ignorabant, & turpissime inter se confundebant, placitis pendebant. Quot denique fuerunt, qui notas laborantium locorum, & curandi indicationes eo tempore cognitas habuerunt? sine quorum tamen omnium exquisita notitia nemo vnquam feliciter curauit? Ad hæc quę nũc dicta sunt, accessit etiam ætas mea iuuenilis, in qua nondum satis maturescere iudicium potuit, & insuper etiam optimorum librorum penuria, qui ad hoc meum institutum summe erãt necessarii. Etsi autem inficiari non possum, nec Hippocrate, Galeno, Dioscoride & Paulo non caruisse, quum adornarem paradoxa, tamen quum hos auctores non ita pridem nactus essem, fieri profecto nõ potuit vt breuissimo hoc temporis curriculo, quod paradoxorũ editionem antecedebat, prout necessitas postulabat eos perlegerim, mihique familiares ac notos reddiderim. Quapropter cum illis temporibus medicinam sic deformatam fuisse constet, vt pristini sui nitoris fere nullum amplius superesset vestigium, adeoque plura admodum fuerint, quæ meos in eruendis ac detegendis Medicorum erratis conatus, tum remorabantur, nullos fore æquos rerum iudices spero, qui me [illegible] non dignum esse venia iudicaturi sint, & in optimam partem interpretaturi, quod quædam in iis meis paradoxis mihi inconsiderate exciderint, quæ posterioribus meis scriptis non per omnia consonant. Ne vero ea, quæ mihi tum parum recte ob iam commemoratas caussas dicta sunt in iis perpetuo hęrerent, nonnullisque vel errandi, vel calumniandi occasionem darent, consultissimum esse existimaui, vt hæc tandem corrigerem, emendarem, & in eam redigerem formam ac speciem, vt per omnia posterioribus meis scriptis consentirent. Confestim igitur priore editione in manus sumta, omniaque diligenter legendo percurrens, plurima in ea mutaui, non pauca induxi, & penitus e medio sustuli, aliqua etiam adieci, quod deprehẽdent omnes, qui hãc alteram cum priore editione conferre non grauabuntur. Neque hoc solum in iis Paradoxorum libris, verumetiam in aliis quibusdam meis lucubrationibus, commentariis nimirum in Hippocratis aphorismos, Institutionum medicinæ libris, & in iis quos de compositione medicamentorum conscripsi, qui partim nunc editi sunt, partim breui edentur, feci. Idem quoq; facturus sum, Deo permittente & adiuuante, in aliis omnibus meis scriptis. Siquidem pro virili annitar, vt in meis lucubrationibus vnus doctrinæ consensus, concentusque sit. Nec puto futurum quenquam, qui hoc institutum meum, studiosis medicinæ saluberrimum, sit improbaturus, quandoquidem nemo hactenus repertus sit, qui semper & quauis ætate exactam diligentiam præstiterit. Habet enim prima ætas suam imbecillitatem, suosque lapsus ac vitia, quæ facile nullus profecto cauere, vitareq; potest. Sunt præterea in literarum studiis, perinde atque hominum ætatibus, certi quidam progressus, vel, vt Quintiliani verbis vtar, est sua studiis etiam infantia, adeo vt nemo repente doctissimus euadat, imo omnes pedetentim & gradatim ad solidam eruditionem, rerumque perfectam cognitionẽ perueniant. Vt rectissime Gręcis di-

cis dictum sit, βροτοῖς αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. His igitur de caussis mihi certo persuadeo, meum hunc, quem in emendandis ac corrigendis iis Paradoxorum libris laborem suscepi, medicæ artis studiosis non solum gratissimum, sed & multis modis vtilissimum fore, cumque collaudaturos omnes veritatis amantes, & qui studio medicinæ consultum cupiunt. Quod reliquum nunc est, Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, & Ecclesię ac optimorum studiorum conseruatorem, toto pectore oro, propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, vt mihi vitam tantisper prorogare, viresque tum corporis, tum animi integras ac firmas conseruare clementer velit, donec in reliquis etiam meis scriptis id, quod iam in Paradoxis illis me fecisse spero, pari diligentia & alacritate in studiosorum gratiam & commodum præstare possim. Vale Tubingæ 10. Calend. Maii, Anno M.D.LXVI.

LEONHARDI FVCHSII IN LIBROS PARADOXORVM MEDICINÆ, AD STVDIOSOS VERITATIS,

PRAEFATIO.

NIHIL in vita humana periculosius, nihil tam pestilens, nihil denique magis detestandum, quam teneros iuuenilesque animos his imbui, quæ operæpretium fuerit aliquando dediscere. Nam ita natura comparatum est, vt aut nunquam, aut omnium certe difficilime eorum, quæ a tenera ætate hausimus, obliuiscamur. Siquidem natura, Quintiliano teste, tenacissimi sumus eorum, quæ rudib. annis percipimus, & hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Perinde namq; vt sapor, quo noua imbuimus, durat, lanarumq; colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui non possunt, ita ægerrime, ea quæ ab ineunte ætate, & a teneris, vt aiunt, vnguiculis auide didicimus, exstirpantur, & funditus tolluntur. Hinc quum in eluendis, quæ semel insederint vitiis, labor difficultasq; sit, grauiusq; dedocendi quā docendi onus exsistat, haud imprudenter Timotheū olim musicum fecisse constat, quod a discipulis ab aliis prius parum apte institutis, duplicem exegerit mercedem, vnam equidem vt bona artis doceret, alteram vt dedoceret ineptias. Proinde quum & huic, qui cum ipso ferme nutricis lacte errores sugit, inq; prauæ doctrinæ secta educatus est, Galeno auctore, geminum tempus necessariū sit, vnum in quo errores prauasq; opiniones dediscat, alterum in quo meliorib. se exerceat, cōsulto fecerint medicæ professioni nomina daturi, si iis non assueuerint, quæ olim rursus dediscenda erunt. Id quod eo magis conabūtur, quod, Hippocrate teste, vita breuis, ars vero medendi lōga sit. Quapropter minime committent, vt temporis occasionem, quæ pręceps admodū exsistit, in nullius momenti reb. iisdemq; deterrimis, addiscendis temere cōterant, sed optima sibi potius primum discenda proponant, ne ipsis olim in dediscendo multo maiori, quam discēdo opus sit opera: Multo namq; cōsultius est primū ea, quæ optima sunt, etsi minima etiam videantur, haurire, vt scil. deinceps quum peiora dediscēda essent, animum maioribus applicare integrū sit. Tum vero optimam discendi rationē sibi proposuerint, vbi a purissimis fontib. potius quam cænosis riuulis, lacunisue putidis, præstantissimæ artis medicæ rudimenta haurire voluerint. A fontibus autem haurient, si ex Gręcis, minime aūt Arabib. eius artis præcepta didicerint, quod in illis nihil non purum, nihil non eruditū, nihil porro, quod non summo iudicio excultū, depromtumq; sit, inueniri queat: in his vero contra nihil ferme, quod non rancidū putidumue sit, offendi possit: quamuis præter incōditam ac plane ineptam, adde etiam obscuram dicendi rationem, omnia pene, quę docent, quādoquidem plusquam δὶς διὰ πασῶν a veritate dissideant, Aristarchi virgula digna exsistant. Quod si n. quicquam in iis est, quod imitari mereatur, e Græcis certe sumtum esse putato: neq; n. alios Arabes quam reliquorū, Græcorum præsertim transscriptores fuisse cōstat. Licet in Græcorū referendis præceptis vim tractandi artisq; prudentiam neglexerint, omnia n. turbarunt, omnia peruerterunt, nullumq; sibi docendi

Iuueniles animi optimis imbuendi.

Lib. 1. cap. 1.

Timotheus clarus in arte tibiarum.

Lib. 7. the. meth. capit. 3.

1. Aph. 1.

Optima discendi ratio.

Medicinæ fontes.

Mauritanorū scripta qualia.

ſcopum propoſuerunt, verum modo hoc, modo illud attigerunt, adeo frigide, adeò leuiter & oſcitanter, vt reticuiſſe penitus ſatius fuiſſet. Quid multa? Arabes quotquot fuerunt, nihil aliud ſtuduerunt, quam vt fucorum inſtar alieno labore partis fruerentur, ſeque alienis atque adeo furtiuis veſtirent plumis. Id quod ſane tolerandum erat, ni ſuo fœdiſſimo contactu, harpyiæ ritu, omnia contaminaſſent. Itaque merito ab illorum lectione rudes adhuc medicæ artis tyrones auocandi ſunt, imo plane admonendi erunt, vt eoſipſos tanquam ipſiſſimas peſtes, vnde nihil niſi præſentiſſimum venenum ſugere poſſint, deuitent. Niſi enim prorſus ab illorum lectione arceantur fieri, nequit, quin falſa pro veris ingurgitent, eaq; ita illorum animis infigant, vt nullis ſubinde modis elui & euelli queant. Proinde vt olim tolerãdos nonnihil fore Arabes duxi, ita hodie ex omnibus ſcholis, tãquam ſeductores peſſimos, adde carnifices etiam ipſiſſimos, funditus tollendos & proſcribendos conſulo, quod bona, quæ in iis ſunt minime pernicioſis paria exſiſtant. Vnum enim hoc ſtuduerunt, vt librorum magnitudine ſe admirabiles redderent: ob id vniuſcuiuſque dicta, ſiue vera, ſiue falſa, ſeu vero ſimilia, aut etiam imaginaria fuerint, in ſuas congeſſere chartas. Et quid per Deum immortalem attinet habere Arabes, quum nihil in iis ſit veri, quod non apud Græcos recentiores fuſius clariuſque tractatum ſit? Non enim inficias ire poſſumus, pauca quædam eſſe in illis, quorum apud Græcos ſaltem veteres nulla plane mentio fiat: ea tamen talia ſunt, vt nec illi horum exactam cognitionem habuerint, tantum abeſt vt poſteris recte tradiderint. Quum itaq; nobis errorum monumenta reliquerint, præſtat certe eadem altiſſima obrui terra, aut vt nunquam poſthac in lucem prodire queant, Vulcano cõſecrari, quandoquidem poſteriores Græci, inprimis autem Actuarius, omnia fere, quæ ab illis inuenta creduntur, clarius ac plenius memoriæ prodiderint. Quare poſthabitis Arabibus, ad Græcorum, Hippoc. & Galeni præcipue, lectionem animum conferant ſtudioſi, quod ii ferme vni ſint, qui in auctorum cenſum aſciſſi meriti ſint: id namq; quod recta ratione ducti inuenerunt, & in monumenta retulerunt, omnia poſtmodum experientia comprobarunt. His itaq; ducib. inſiſtentes medicæ artis rudimẽta diſcant, nam ita miro quodam amore, vbi parum adoleuerint, ad ea, quæ a clariſſimis veterum tradita ſunt diſcenda properabunt, eademq; iudicio paſſim adhibito explorare multa diligentia ſtudebunt. Ad quã certe diſcendi rationem etiam Gal. inuitat, dum in hanc ſentẽtiam ſcribit: χρὴ τὸν μέλλοντα γνώσεσθαί τι τῶν πολλῶν ἄμεινον, εὐθὺς μὲν καὶ τῇ φύσει καὶ τῇ πρώτῃ διδασκαλίᾳ πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκεῖν. ἐπειδὰν γένηται μειράκιον ἀληθείας τινὸς σχεῖν ἐρωτικὴν μανίαν, ὥσπερ ἐνθουσιῶντα, καὶ μήθ' ἡμέρας μήτε νυκτὸς διαλείπειν σπεύδοντά τε καὶ συντεταμένον ἐκμαθεῖν ὅσα τοῖς ἐνδοξοτάτοις εἴρηται τῶν παλαιῶν. ἐπειδὰν δ' ἐκμάθοι κρίνειν αὐτὰ καὶ βασανίζειν χρόνῳ παμπόλλῳ, καὶ σκοπεῖν πόσα μὲν ὁμολογεῖ τοῖς ἐναργῶς φαινομένοις, πόσα καὶ δὲ διαφέρεται, καὶ οὕτως τὰ μὲν αἱρεῖσθαι, τὰ δ' ἀποστρέφεσθαι. quod eſt, neq; n. omnes Græca capiunt: Qui noſſe quid aliis rectius debebit, ſtatim non natura modo, verumetiam primis doctrinæ rudimẽtis multum ceteris præſtet oportet. Idem vbi iam adoleuerit veritatis inſano quodam teneatur amore, veluti numine aliquo afflatus, tum ſine vllius diei noctiſq; intermiſſione properare ac contendere ea, quæ a clariſſimis veterum tradita ſunt, diſcere, eademq; vbi didicerit iudicare, multoq; tempore explorare & conſiderare, quæ reb. ſenſui patentib. conſentiant, quæue diſſentiant, atq; illa quidem eligere, hæc vero repudiare. Atqui, proh dolor, videmus noſtra tempeſtate optimam hanc diſcendi rationem penitus inuerſam eſſe, ꝙ nimirum peſſima tantum primo loco diſcamus, optima a. vel prorſus contemnimus, vel tenuiter ſaltem, necnon niſi in poſtremis attingimus. Quo fit, id quod Hippo. quoq; cõqueritur, vt οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ, ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί. id eſt, Medici fama quidem multi, opere a. pauci admodum ſint. Et qui fieri poſſet, vt medicinę ſtudioſi hodie meliora ſectarentur, cum pauci, imo fere nulli ſint, q in Germaniæ noſtræ gymnaſiis prælegũt, quib, probatiſſimi medicinę ſcriptores, vel a limine tãtum ſalutati ſint, tantũ abeſt vt penitius cognitos habeant, atq; adeo reliquos docere poſſint? Linguarum namq;, ſine quarum cognitione omnium diſciplinarum manca ſit & cœca tractatio oportet, hoſtes omnium ſunt acerrimi, nec tantillum quidem ad exactam eius artis notitiam conferre putant: ideoq; cum illi optima ne primorib. quidem labiis deguſtarint, fieri minime poteſt, vt hęc ipſa alios docere queant. Linguarum enim inſcitiam, neceſſario diſciplinarum omnium ignorantia ſequitur. Proinde id vnum potiſſimũ ſtudent, vt a recto tramite in deuia quædam perducãt, ac ineptiſſimos quoſq;, eos nempe, quos olim nõ didicere tantũ, ſed & deuorarunt ẽt, auctores diſcendos proponant, quo ſibi ſimiles, hoc eſt, inertiſſimos producãt

Hippocrates. Galenus.

Libri 3. facul. natur.

Recta diſcendi ratio hodie inuerſa.

Linguarũ inſcitiam omnium diſcipli narum ignorantia comitur.

medi-

medicos. Neruis enim & facultatibus omnibus contendunt, quo ab optimis auctoribus suos auocent auditores, ne scilicet iisdem nonnihil degustatis, quam indoctis asinis hactenus aures præbuerint animaduertere, & paulatim magis atque magis persentiscere queant. Hinc quum τυφλοὶ τυφλοῖς ὁδηγοὶ sint, quid mirum si eorundem sequaces nullo prorsus adhibito iudicio non secus atque illi temere in pessimos irruant auctores, quæque in his falsa sunt, haud minori studio quam quæ vera deuorent? Tanta namque superstitione ac religione ea, quæ illi ipsi scribunt venerantur, vt piaculum putent vel latum vnguem ab his dissentire, præsertim, quum in eodem honore a suis illis ineptis ac barbaris præceptoribus habitos videant. Verum hoc potius veritatis studiosis persuasum sit, nihil esse perniciosius quam vulgarem hanc opinionem, qua maiorum placita absque iudicio & delectu pro oraculis habentur. Multo enim literis conducibilius est, de scriptis magnorum etiam auctorum iudicare, quam sola auctoritate acquiescere, & fide aliena quæuis accipere. Quamobrem Aristotelem, vniuersæ Philosophiæ principem, ea in re sequi secum constituant, qui aduersus Socratem & Platonem, quos tamen vt præceptores summo in honore habuit, scripturus ita dixisse legitur: ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. quod est, quum ambo amici sint, sanctum tamen est iis veritatem præferre. Quibus siquidem verbis veritate ipsa viro bono nihil antiquius esse debere innuit. Et hinc sane tritum hoc in scholis Philosophorum dictum dimanare cœpit, Amicus Socrates, amicus Plato, magis tamen amica veritas. Quo nimirum significare voluerunt, neminem, vtcunq; etiam eruditum, veritati anteponendum esse. Hoc quod diuinus etiam ille Plato faciendum suadet, dum πρό γε τῆς ἀληθείας οὐ τιμητέον ἄνδρα εἶναι censet. Hinc vt Luciani verbis vtar, ἴωμεν ἔνθ' ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν ἐκεῖσε ἄπιμεν, sed iudicium adhibentes singula diligentissime excutiamus, scientes nullius vel mortui, vel viuentis auctoritati tantũ, quantum rationi & veritati tribuendum esse. Quare in perlegendis Medicorum libris, Arabum potissimum, ita statuamus, non omnia, quæ omnes auctores dixerunt vera esse, sed nonnunquam, imo fere semper, insigniter hallucinatos fuisse. Neque est, quod miretur quispiam cur de Arabibus, quos velut numina quædam maxima hodie Medicorum pars colit, tam audacter pronuntiem, digni enim sunt quos ita tractes, ob multos scilicet capitales, quos passim inculcant, proque veris proponunt, errores. Et quum indies magis atque magis quam periculosa illorum errata sint intelligam, nec non quam plurimi exsistant, qui hos ipsos adhuc mordicus teneant, proque illorum tuendis placitis haud aliter quam pro aris & focis digladientur, multo certe acerbius quam antea vnquam a me tractabuntur, vt nimirum impudentibus illis impostoribus, ac grunnientibus gryllis ἀχάλινα στόματα obstruantur. Neque per me, modo Deus diutius superstitem velit, licebit ἀμυσοτάτοις illis nebulonibus, iuuentutem posthac inanibus nugis circumducere. Proinde merito, quod antea parcius fecimus, nunc hortantibus viris eruditis, animumque addentibus, vberius præstitimus. Non est autem, quod ideo me Arabibus, id quod Montuus facit, quis conuitiari arbitretur, quod ab iisdem dissentiam, aut lapsos esse indicem: quis enim nescit eruditorum iudicia esse debere libera? adeoque præter conuiciandi suspicionem non tantum ab Arabibus, nihil de re medica meritis, sed etiam Græcis aliquot his multo doctioribus, & ea de arte bene meritis, modo liuor, præcipitatio, impudẽtia, & dicacitas scurrilis absint, discedere licebit. Et quũ veritate ipsa vir bonus nihil prius neque antiquius habeat, cur conuicium dici mereatur si quis veri tuendi studio potius quam lędẽdi libidine agitatus, illorũ errata paulo acerbius insectetur non video, modo non maledictis solis, verum & rationibus atque probatissimorum auctorum auctoritatibus, id quod ego facio, eadem demoliri tentet. Sed fac esse conuitia, num non præstantius multo interdum conuitiis proscindere errantes, quam turpiter ad illorum errata conniuere, aut obstinate veritati, quemadmodum Montuus passim solet, obluctari? Silendum certe minime, ne scilicet veritatem diffiteri videamur, prohibeamusque ne simplices atq; rudes animi perniciosis ineptissimorum hominum dogmatibus impune imbuantur, Hos igitur vt redimas, constanter asinis illis conuitiari licebit, vtcunque delicatuli illi ringantur. Quis enim hos venia dignos putet, qui toties iam admoniti in erratis non leuiculis, sed capitalibus obstinate persistunt, ac monitorem, cui gratiam debebant, vltro rident & incessunt? Proinde quo veritatem ex animo sitientes, Arabum illosq; sequentium quorundam neotericorum Medicorum vo-

Maiorũ decreta cũ delectu legenda.

1. Eth. ca. 6

10. de Repub.

Montuo respondetur.

Conuitiorum interdum locus exsistit.

Paradoxa.

lumina infinitis referta esse erroribus clarius agnoscerent, Paradoxa hæc nostra, nihil quod non præter illorum dictum sit sententiam, complectentia, in publicum prodire volui, vt ex his tanquam leonem ex vnguibus, reliqua quoque illorum placita, quanti momenti sint æstimare queant, sibique caueant, ne temere in hos pessimos auctores incidant, horumque decreta veluti Delphica quædam oracula rata ac firma habeant. His qui totam iam ętatem in Arabibus contriuerunt, atque in illis tanquam ad Sirenios scopulos consenuerunt, nihil scribimus: quid enim iuuat, vt Nasonis verbis vtar, ad surdas si cantet Phemius aures? Bœoticas igitur has aures nihil moramur, quando probe constet senem psittacum negligere ferulam, canesque vetulos loris assuefacere velle temerarium esse. Studiosis itaque ac veritatis amatoribus hæc nostra legenda damus, non obstinatis illis veteris inscitiæ propugnatoribus, quorum aures ita obcalluisse scimus, vt nec nostra, nec aliorum admonitionibus molliri possint. Multa autem sunt apud Auicennam præsertim & Mesuen errata, quæ dedita opera præteriuimus, quod sciam futuros haud paucos, qui eadem maiori dignitate, quam ego queam, propalaturi sint. Nam vt nuper ad me ex Ferraria scripsit Ioannes Sinapius, vir singulari facundia & eruditione præditus, statim ex noua Academia Florentina prodibunt dialogi ac opuscula alia, in quibus Arabes, Auicenna potissimum & Mesue, pulcre suis pingentur coloribus. In his itaque nihil dubito quin bona etiam eorundem errorum pars erit, quos optimi illi viri in studiosorum gratiam propalare conabuntur. Ceterum quod ad Operis diuisionem attinet, vniuersum in tres digessimus libros. In primo, quæ ad medicam materiam spectãt tractamus paradoxa. Decet n. vt is, qui artem aliquam ratione quadam sibi tradi postulat, omnis materię vires primum addiscat. In altero, quæ ad caussas, morbos, eorundemque medendi rationem attinent, paradoxa attingimus, vt scilicet hinc, quantum a recta medendi methodo hodie deuient Medici, intelligere possint studiosi. In tertio perpauca, quæ ad anatomen corporisque humani sectionem pertinent proponimus, vt inde citra huius peritiam omnem medendi rationem esse mancam discant. Indicem quoque duplicem proposuimus: primum quid singulis opere toto capitibus contineatur explicantem: secundum, vocabula & quæ scitu digna visa sunt, complectentem.

Noua academia Florentina.

Operis diuisio.

INDEX

INDEX OMNIVM OPERVM Dn. LEONHARDI FVCHSII HOC VOLVMINE CONTENTORVM.

Capitum.

LIBER IV. SECT. V. DE SIGNIS MEDICIS.

SECTIO II. DE IVDICIIS.

SECTIO III. DE VRINIS.

SECTIO IV. DE PVLSIBVS.

LIBER V. SECTIO I. DE CVRANDI RATIONE.

Finis capitum libri Institutionum Medicinæ. Sequuntur Capita Anatomiæ.

LIB. I. DE OSSIBVS.

Liber II. De Ligamentis, & musculis voluntarii motus, instrumentis.

Liber III. De Instrumentis nutritionis.

Elenchus Capitum Secundæ Partis operum Leonhardi Fuchsii.

Liber I. De Vsitata Componendorum medicamentorum ratione.

LIBER II. MEDICAMENTARIUS dictus: De vsitata medicamentorum componendorum ratione.

LIBER II. DE MEDENDIS HVmani corporis malis.

LIBER III. DE MEDENDIS HVmani corporis malis.

INDEX BREVIS EORVM, quæ capitibus singulis Paradoxorum continentur.

CAPITA LIBRI PRIMI.

pellant,

CAPITA LIBRI SECVNDI.

Capita Libri Tertii.

AVGERIVS FERRERIVS, THOLOSAS MEDICVS, LECTORI.

Eteres omnes & recentiores, qui optimam studendi rationem nobis explicarunt, inter cetera præcepta hoc in primis dederunt, vt ab Institutionibus ac Isagogis auspicaremur, quibus tanquam manu duceremur ad disciplinas & artes, quas initio petendas nobis proposuerimus. Habent n. disciplinæ omnes in fronte obscuras quasdam nubes, & prædensas tenebras, quib. nondū initiati deterreantur, & sæpenumero desperent ad internam & remotissimam illam lucem peruenire: & nos primo animo concipimus artis eius, quam probamus & sequimur, ideam quandam re ipsa & amplitudine ac difficultate longe maiorem. Quo fit, vt quum omnes scientias collaudent, & rerum cognitione delectentur, pauci tamen sint, qui fruantur illarum possessione. Quippe repellūtur multorum ingenia primis illis obscuritatibus, & in ipso statim vestibulo confunduntur vasta illa idea, quam animo comprehenderunt. Quibus malis præsentissimum remedium est, compendiosis institutionibus, artificialibusque methodis totius artis summam exprimere, summariaque illa descriptione rudium animos informare. Sic enim fiet, vt portentosa illa idea paulatim deficiat, & tenebræ dehiscant, ipsaque iam propinqua lux appareat, quæ prius remotissima videbatur. Quod quum in omnibus artibus locum habeat, sic in medicina potissimum desideratur: quod nulla sit ars, quæ maiorem requirat rerum cognitionem, quæ circa magis difficilia versetur, quæ rudes animos celerius repellat, quæ methodos institutiones, introductiones & compēdia, tum discendi, tum memorandi caussa magis postulet. Sed in compendiis, isagogis & institutionibus, sicut & in rebus aliis, delectum adhibere conuenit. Circumferuntur enim Arabum & Barbarorum Medicorum introductiones, institutiones, & summæ, quæ caliginem potius inducant, quā lucem afferant. Sed nec introductio Galeno falso inscripta satisfacit: quod paucissima artis capita attingat, atque ea fere sine methodo. Vnus Leonhardus Fuchsius, quod quærimus, iis Institutionibus præstitisse videtur, tanta fide, facilitate, & diligentia, vt nihil iure desiderari possit, siue quod viam ad Galenum purissimum medicinæ fontem paret, spectes: siue etiam, quod eos, qui in Galeno satis diligenter versati sunt, confirmet, memoriam augeat, iudicium roboret, Vale.

VINCENTIVS OBSOPOEVS LECTORI

Εὖ πράττειν.

Sint licet hæc variis feruentia tempora turbis,
Plenaque luctificis sint licet illa malis.
Vt quoquo vertas tua lumina, tristis Erinnys
Sæuiat & secum fata timenda trahat.
Hinc belli rabies sæuis circumsonat armis,
Miscens immiti funera crebra manu.
Hinc miseranda lues agros populatur & vrbes,
Hinc subitæ mortes, hinc malesuada fames.
Præterea sancta discordia pectora lege
Atque tot hæretici dogmata praua gregis.
Et turbæ atrocis sacramentaria bella
Adde remersorum fœda lauacra quoque.
Vt taceam infames turpissima monstra Sophistas,
Nulla quibus pestis noxior esse potest.
Non tamen hæc quamuis feralia tempora prorsus,
In totum cuncta commoditate carent.
Sunt hæc ingeniis, sunt hæc fœlicia Musis,
Et studiis florent nobilitata bonis.
Vt plane veterum vincant hæc tempora seclum
Artibus egregiis, eximiisque viris.
Mittam doctrinæ lumen mirabile sacræ,
Illustrans sancta pectora cæca fide.
Purius hoc nullo quam nostro tempore visum est,
Obscurum crassis nubibus ante fuit.
Inclyta iam triplici loquitur Germania lingua,
Floret io miris Attica Musa modis.
Ipsos iam fontes legum iurisque peritus.
Scrutatur, cessat barbara glossa legi.
Hoc etiam Medici meliore sydere nati
Exemplo veterum iam monumenta terunt.
Incipit esse minor vetulis Auicenna lacunis,
Hippocrates summa dignior arce sedet.
Huius & interpres Graio sermone Galenus
Atque alii quotquot Cecropis ora tulit.
Horum etiam cultor non segnis Fuchsius ille,
Qui tibi de tanto protulit ista penu.
Magnum Pœoniæ thesaurum protulit artis
Exculta mentis sedulitate suæ.
Hunc tu viperea caueas percellere lingua,
Neue Theonino rodere dente velis.
Alterius si quem stimulis vaga gloria pungit,
Moliri potius dexteriora stude.
Talem te in campum, si qua est vis vlla, vocamus,
Hæcque sit ingenio strata palestra tuo.
At si non audes dubio te credere campo,
Quid iuuat inuidiam prodere liuor iners?
Ergo tuæ si quid censuræ assumere tentas,
Ne temere crepidam præteriisse velis.
Si non exspueris talem de pectore morbum,
Tum quod agis semper perdite liuor age.

Τέλος

CARMEN

CARMEN IN LAVDEM LEONHARDI FVCHSII, SCRIPTVM A IACOBO OETHOEO, NORTHVSANO.

Omnia quæ mundi vasto conclusa theatro
Corpora, naturæ vis generosa fouet.
Certa sui debent ortus primordia caussis,
Quis sine nil nasci, nilque vigere potest.
Has bene cui nouisse datum est, is munere diuum
Felix, æthereæ semina mentis habet.
Dignus & est memori qui laude vehatur ab æuo,
Præmiaque a sera posteritate ferat.
Ergo quis æthereum dubitet tibi inesse vigorem,
Fuchsi, Pæoniæ gloria magna scholæ?
Quis non deberi tibi famæ præmia dicat,
Perpetuo tituli laude manente tui?
Dogmata dum magni demonstrans clara Galeni,
Morborum caussas, seminaque ipsa doces.
Ostendisque artis ratio qua certa medendi,
Corporaque ægrorum quo releuanda modo.
Scilicet hæc quondam de te testata vetustas,
Virtuti tribuet præmia digna tuæ.
At tu Pæoniæ equeris qui castra cohortis,
Mollia tam docto fata precare viro:
Vt reliquos vitæ traducens molliter annos,
Amplificet medicas, vt bene cœpit, opes.
Sic tibi suppeditet Crœsus Epidaurius herbas,
Sic tua sit Phœbo dextra medela duce.

AD LECTOREM.

Abstulerant Arabes ducibus vexilla Pelasgis,
Et veterum e regno Pæona depulerant.
Fuchsius ast Arabum e castris vexilla redemit.
Et veterum in regnum Pæona restituit.

LEONHARDI FVCHSII ARCHIATRI ILLVSTRISSIMORVM DVCVM WIRTENBERGENSIVM,

Operum Medicinalium Pars I.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ, LIBER PRIMVS.

De Medicina generatim.

SECTIO I.

De Medicinæ origine, incremento, & perfectione. CAP. I.

A QVOTQVOT vnquam a condito mundo vixerunt homines, vno omnes ore ac cõsensu medicinæ initia Diis immortalibus asscripserunt. Nam vt a Mose, omnium eorum, qui exstãt, Hebræo scriptore antiquissimo, artiumque omnium principe, exordiamur, hic certe Geneseos *cap. 1.* Deum optimum maximum, herbas, stirpes, & arbores fructiferas, itemque animantia, & alias res vniuersas, quibus in hodiernum vsque diem ad tuendam sanitatem, & propulsandos morbos vtimur, e nihilo condidisse diserte scribit. Mosis verissimi vatis sententiam Iesus Syrach, inter Hebræos vir singulari pietate, prudentia, varia rerum cognitione, diuinoque præditus spiritu, cap. 38. sui libri cõfirmat, iis sane verbis: Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν κύριος. παρὰ γὰρ ὑψίστου ἐστὶν ἴασις, καὶ παρὰ βασιλέως λήψεται δόμα. κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς φάρμακα, καὶ ἀνὴρ φρόνιμος οὐ προσοχθιεῖ αὐτοῖς. ἰατρῷ δὸς τόπον, καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισε κύριος. Maluimus autem Septuaginta citare interpretationem, vtpote nobis notiorem, cuius is plane sensus est, *Affice medicum suis honoribus ac præmiis, vt necessitate vrgente vti illo possis: nam eum creauit dominus. Est enim à supremo medicina, & a rege stipendium accipiet. Dominus ex terra condidit medicamenta, & prudens homo non contemnit ea. Cede locum medico, dominus enim illum creauit.* Hæc ille. Statuendum itaque prorsus erit, medicinam Dei munus esse, ideoque creatam & in terras missam, vt virium nostrarum imbecillitatem aliquantisper huius ope sustentemus. Ea igitur, quum res poscit, ita vtamur, vt agnoscamus non humano consilio, sed diuino beneficio vitæ prorogandæ proposita esse remedia. Non solum vero sacræ literæ palam docent, Deum & remedia nobis proposuisse, & medicos condidisse, sed etiam prophanæ hunc honorem arti nostræ tribuunt. Siquidem Græci, apud quos primum exculta est medicina, Apollinem Deum inuentorem eius fuisse tradunt. Primus enim Apollo herbarum ac medicinæ vsum, antea prorsus neglectum, inuexit. Græcorum de medicinæ origine sententiam secuti sunt etiam Latini scriptores, qui itidem Apollinem eius fuisse inuentorem memoriæ prodiderunt. Nam inter Latinos poetas non contemnendæ auctoritatis Ouidius Apollinem ita loquentem, & inuentionem medicinæ sibi arrogantem, fingit, inquiens:

Medicina origo diuina. Moses. — *Iesus Syrach.* — B — *Medicina Dei munus.* — C — *Apollo medicinæ inuentor.* — *Lib. 1. Metamorph.*

Inuentum medicina meum est, opifexque per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

D Post Apollinem medicinam adhuc rudem & inertem, ab Apolline patre institutus, paulo subtilius Æsculapius excoluit. Qui quum & ipse multa subinde inuenerit, fa- *Æsculapius.*

ctum est, vt a nonnullis inter primos etiam medicinæ inuentores numeratus sit. Relatus vero & ipse propter insignem hoc tempore medicinæ peritiam, in Deorum numerum. In ea enim sic excelluisse fertur, vt mortuum Hippolytum, & Androgeum, Minois filium ab Atheniensibus, quod palæstra ceteros superaret, per inuidiam interfectum, ad vitã reuocauerit. Quod Propertius iis carminibus significare voluit, inquiens: A

Et Deus exstinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.

Necnon Q. Serenus Samonicus, qui de Æsculapio inter cetera sic scribit:

Tuque potens artis, reduces qui tradere vitas
Nosti, atque in cælum manes reuocare sepultos,
Qui colis Aegaas, qui Pergama, quique Epidaurum. B

Chiron Centaurus.
Centauriũ herba vnde dicta.
Lib. 7. ca. 56.

Iisdem quidem temporibus ob quarundam herbarum peritiam claruit Chiron Centaurus Thessalus. In Pelio enim Thessaliæ ciuitate habitauit, Saturni & Phyllirę filius, Achillis præceptor ac pædagogus. Hunc autem multarum stirpium habuisse notitiam, Centaurium herba abunde testatur, vt quæ ab ipso in hodiernum vsque diem nomen retinet. Proinde quum constet, illum aliquot herbarum ac medicamentorum habuisse peritiam, factum est, vt a Plinio, aliisque multis, medicinam inuenisse creditus sit. Sunt vero, qui non solum Æsculapio coetaneum, sed & eius fuisse præceptorem tradant.

Podalirius & Machaõ.
Iliad. B.

Porro Æsculapio duo fuisse filii perhibentur, ambo medici, Podalirius & Machaon, qui bello Troiano ducem Agamemnonem secuti, nõ mediocrem opem commilitonibus suis attulerũt, & ob id Homerico carmine laudati sunt. Ita enim de iis scriptum reliquit Homerus: C

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
Ἰητῆρ' ἀγαθὼ Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

Quos versus Eobanus Hessus, clarissimus & optimus Germaniæ nostræ vates, ita reddidit:

Quos duo ducebant fratres, Phœbique nepotes,
Matre Coronide præstantes arte medendi,
Belligerique ambo Podalirius atque Machaon.

Chirurgiæ inuentio.

Hos tamen Homerus, antiquissimus poeta, non in pestilentia, neque in aliis morborum generibus aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos asserit. Ex quo apparet, has solas medicinæ partes ab iis esse tentatas, easque esse vetustissimas. Illorum itaque temporum obseruatio Chirurgiæ magis initium dedisse videtur, vt quæ sensui sit propinquior, & proinde cognitu facilior, ac inuentu prior. Quemadmodum igitur Empiria plerisque aliis initium fecit, ita medicinam ab ea cœpisse par est, illamque varie primum exstitisse, dum alia e similitudine animalium sumta, alia casu ac fortuito deprehensa, deinde frequentata, & aucta subinde, initium huic parti artis fecerunt. Sic & ab oraculis multifariam petita medicamenta, idque ad tempora vsque Plin. vt metipse testatur, ab aliis postea vsurpata sunt: quibus postremo seruatis, ac in monumenta redactis in immensum creuit Empiria. Atque hinc est, quod medicinam Aristoteles in libro naturalium quæstionum, cuius index est de animalium proprietate, in ipso statim principio ait sparsim esse inuentam a diuinandi peritis in hominum conuentibus, & casu, vel somnio, vel vaticinio, vel dæmonum inuocatione, vel huiusmodi alio modo: quæ omnino de experimentatrice eius parte dicta fuisse oportet: Vnde non iniuria habita est primum hæc ars inconstans, vt quæ sæpius mutata sit, quod experimenta nulladum ratione stabilita, parum fida plerunque essent, & idcirco ab vno ad alium sese modum transferendi, sectatoribus suis occasionem subinde præberent. Hæc fuit antiqua medicina, quæ licet diues experimentis esset, nondum tamen omnibus morbis succurrere poterat, quod inquisitionis nouorum præsidiorum ratio nulladum haberetur, & caussæ rerum, initium illi præbentes, adhuc nescirentur.

Experimentatrix medicina incerta & incõstans.

Ceterum sunt, qui apud Ægyptios medicinam inuentam esse velint, imo ipsi a se primum profectam esse affirmant. Quod non alia de caussa fit, quam quod præter herbas, alia quoque medicamenta illic in vsu fuerint. Id quod iis versibus testatus est Homerus:

Cur apud Ægyptios reperta esse medicina credatur.

Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

D E F

A Quos quidam ita conuertit:

Fertilis Aegyptus rerum medicamina mista,
Optima multa simul deterrima plurima profert.

Hactenus itaque, quæ medicinæ fuerit origo, ac quis vetustatis eiusdem splendor, demonstrauimus. Nunc quæ illius fuerint incrementa docebimus. Satis constat incrementa medicinæ Asclepiadæ hanc ipsam non parum auxisse, ac posteris, veluti hereditario acceptam, tradidisse. Horum autem studio ea pars medicinæ inuenta est & accessit, quæ morbos intus latentes curat, quæq; inquisitionem maiorem difficilioremque, neque statim ita obuiam habet. Hanc quidem medicinæ partem, aliquousque in densissima nocte latentem, Hippocrates, genitus in Co insula, in primis clara & valida, B Heraclidæ Phaneretesque filius, omniũ quotquot ante se fuerunt, medicorum facile princeps, primus apud Græcos in artem redegit, ac fere consummatam in lucem reuocauit. Quo nomine diuinos meruit honores. Nam constat, eum ab Atheniensib. Eleusiniis sacris secundum ab Hercule monstrorum domitore initiatum fuisse. Maximam autem Hippocratis apud Græcos admirationem & existimationem fuisse, illud Nicomedis satis testatur, qui de eo ita cecinit:

Incrementa medicinæ Æsclepiadæ. *Hippocrates.*

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.

Hoc distichon Vincentius Obsopœus, cuius veteris amicitiæ ego lubens memini, olim ita conuertit:

C *Lux hominum Hippocrates, dum gentibus ille medetur,*
Copia per stygias raro petiuit aquas.

Ceterum quæ hactenus copiose a nobis dicta sunt, Soranus Ephesius in præfatione suæ Isagoges breuiter ac dilucide iis verbis expressit: *Medicinam*, inquit, *Apollo quidem inuenit, Aesculapius amplificauit. Hippocrates perfecit. Hippocratẽ secutus est Diocles Caristius, Praxagoras, Chrysippus, & huius discipulus Erasistratus, Aristot. filia genitus*, & alii, quorũ infra in c. de medicorum sectis mentionem faciemus. Post hos omnes ab Hippocrate quidem elapsis annis, ni fallor, sexcentis tantum Galenus, vir nedum in medicina, verumetiam in omnibus aliis disciplinis excellentissimus, optimusque Hippocratis interpres, secutus est. Nam vt eius monumenta, quæ multa & varia posteritati reliquit, palam testan-D tur, nullum penitus doctrinæ genus fuit, quod ille non exquisite tenuit. Præter ceteras tamen artes, quas omnes cognouit, medicinam vnice excoluit, eamque nondum plene a Coo illo Hippocrate elaboratam, perfectissime absoluit. Nam vt Apelles, insignis pictor, Veneris corpus, & summa thoracis politissima arte perfecit, reliquam vero corporis partem incoatam reliquit: ita Hippocrates in medicinæ principiis ac elementis, ceu capite, diligenter elaborauit, reliquum autem eius, tanquam corpus imperfectum ac rude, posteris expoliendum & perficiendum reliquit. Constat autem, vnum Galenum tot editis, omnium iudicio, doctissimis in arte medica libris, idipsum præstitisse, qui medicinam ita illustrauit ac perpoliuit, vt nullam eius partem prætererierit, E quam non excoluerit, atque absolutam etiam nobis reliquerit. Quare illam absolutæ medicinæ speciem, quam vix inueniri posse Hippocrates affirmauit, & in nullo se vnquam vidisse testatus est, medicorum omnium vnus expressit Galenus. Vt dubium non sit, quin a Deo excitatus, dissipatam iis temporibus medicinam reparare debuerat. Siquidem Plinio attestante, exorti erant impostores plurimi, qui artem deprauabant, non modo in facienda medicina, quod omnibus ætatibus accidit, sed multo magis in docendo nouas præstigias ostentabant. Quas enim ineptias non protulerunt Erasistratus, Asclepiades, Themison, Thessalus ille ineptissimus ac impudentissimus homo, & id genus alii Sophistæ. Quib. nisi se strenue, totisque viribus opposuisset Galenus, multis & iis quidem prodigiosis erroribus & mendaciis insignibus contaminatam, & omnino deprauatam hodie haberemus medicinam. Deus itaque quum hanc artem retinere, & ad posteros conseruare vellet, daturus orbi terrarum excellentem artificem, F Galeni ad hæc studia excitauit ingenium, vt esset qui præstigiatorum illorum, qui artis præcepta sophisticis nugis ac disputationibus labefactare contendebant, nugas refutaret, & funditus exstirparet. Hic igitur primus, ea quæ apud Hippocratem erãt obscura, dilucide explicare, quæ parum discreta ac limitata distinguere, quæ vero defece-

Diocles. Praxagoras. Chrysippus. Erasistratus. Galenus. *Simile.* *Galeni laudes.* *Galenus a Deo excitatus.*

runt, supplere studuit. Proinde vni Galeno acceptum referre oportet, quod hodie post A tot peruersorum ac plane monstrosorum dogmatum auctores, legitima ac vera artis præcepta, ex quorum præscripto medicinam facere liceat, habeamus. Quum itaque tantum in illustranda medicina elaborauerit, factum est, vt quum adhuc in terris ageret, primas in hac arte obtinere creditus sit. Postquam vero e vita hac mortali excessit, nullus vnquam liuor, nulla calumnia, nulla denique obliuio nomen eius obscurare potuit, adeo vt in hodiernum diem apud omnes gentes splendor & gloria illius vigeat, nec vlla eius laudibus æternitas finem est allatura: viuit enim omnium in animis, sempiternamque sibi tot extra omnem aleam positis scriptis, ac post se relictis monumẽtis, memoriam parauit. Quæ cum ita sint, in hanc curam & cogitationem medicinæ initiatos incumbere oportet, vt in vniuerso studiorum suorum cursu hos duos, Hippocratem B inquam & Galenum, longe valere iussis Arabibus, & id genus aliis ineptis scriptoribus, qui medicinam multis modis fœdarunt, ac infinitis propemodum erroribus, vt alibi monstrauimus, referserunt, duces & principes, quos sequantur, sibi proponant, & certo iudicio, quibus se formandos dent, deligant, ac in assidua eorundem lectione, optimæ frugis plenissima, omnes ingenii vires ac neruos intendant, seque plurimum in re medica profecisse sibi plane persuadeant, si Hippocrates & Galen. illis valde placent.

Studiosi medicinæ Hippocratem & Galenum sibi duces proponant.

De Medicinæ præstantia. CAP. II.

NOn temere Hippocratem dixisse, medicinam omnium artium præclarissimam esse, tum plane cognoscemus, vbi quam plurimarum rerum naturas hæc ipsa intueatur, & exquisite rimetur, doceatq; animo nostro expenderimus. Principio namque, C admirabilem hominis fabricam naturamque explicat, ossa nimirum omnia, cartilagines, musculos, ligamenta, partes item nutritioni famulantes, & propagandæ speciei inseruientes, cordis præterea structurã, & ipsius functioni ministrãtia organa, cerebrum denique & huius actioni destinatas partes, in summa corporis minutissima quæque, horumq; omnium vsus prosequitur. Nec ista tradidisse contenta est, sed & quomodo hæc omnia ex elementis nata sint, qualemque ex horum commistione consecuta sint temperaturam, ostendit. Postea caussas, quæ fabricam hanc & naturam conseruant, quæq; eandem destruunt ac demoliuntur, ob oculos ponit. Tandem præsidia, quibus ea, quæ elementorum concordiam turbant, & omnis generis morbos accersunt, propelluntur, edocet. Quapropter singularum stirpium, animalium, & quæ patefactis terræ fau- D cibus eruuntur, metallorum, lapidum, gemmarum, eorum etiam quæ ex mari & aquis extrahuntur, vires exponit. Et quis omnia, quæ medico sunt cognoscẽda, breui saltem in capite percenseret? Quum itaque tot & tantarum rerum peritia ornatum esse oporteat medicum, quid mirum omnis eruditionis Oceanum, rerumq; humanarum peritissimum vatem Homerum, in hæc prorupisse verba,

Medicina quæ doceat.

Iliad. Λ.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Quod carmen Eobanus Hessus optimus Germaniæ vates, ita conuertit,

Vir medicus, siquidem multis virtutibus vnus
Præualet, ante alios multos.

Et rursus alio in loco,

Odyss. Δ.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων E
Ἀνθρώπων.

Honores Medicis olim decreti.

Atque hinc est, quod veteres Medicis, propter artis quam profitebãtur præstantiam, amplissimos decreuerint honores. Quippe Hippocrati Abderas sanandi Democriti caussa proficiscenti, vniuersa ciuitas, non viri tantum, sed & mulieres, insuperque senes & pueri, obuiam ante portas processerunt, illumque summis & honoratissimis titulis prosequentes, seruatorem patriæ, patremque appellauerunt. Huic quoque a Senatu & populo Atheniensium is honor est habitus, eaque relata est gratia, vt propter seruatam a truculentissima peste Græciam ei ludi decreti sint, magnisque mysteriis ab iis initiatus, aureaque corona mille aureorum, regio plane insigni, donatus sit. Erasistrato Aristotelis filia genito, ob Antiochum regem sanatum, a rege Ptolemæo filio F eius centum aurea talenta, hoc est, *nostræ pecuniæ nummum aureorum sexaginta millia numerata sunt.* Q. Stertinius, summus in re medica, olim Romæ habitus, duodena millia, & quingentos aureos nũmos a Cæsarib. accepit, quũ priuato quæstu dena quina millia in singulos annos, numeratis domibus, cogere solebat. Romani pterea Cæsares medicis in singu-

A in singulos annos amplissimum stipendium, ducenta & quinquaginta sestertia, vt Plinius auctor est, pendebant: quum tamen reliquarum disciplinarum professoribus centena tantum in annum numerabant. Sed desino plura medicorum præmia referre, quod sciam discendarum artium finem non esse quæstum, aut mercedem, sed veritatis potius fruendæ ac inquirendæ studium, & vt quam plurimis prosimus. Tantos vero honores, ac tot præmia nullo alio nomine in medicos cōtulerunt veteres, quam quod immēsam esse illorum doctrinam perspectum habuerunt, & ad multorum vitam & valetudinem tuendam summe necessariam. Vt cœcos plane & iniquos fuisse iudices palam sit, qui inter professores Medicis postremum locum assignarunt. Sed hæc est perpetuo bonorum fortuna, vt ipsis pessimi quique præferantur.

B

Medicina quid? Cap. III.

MEdicina a variis varie est definita. Ab Hippocrate quidem *in libello de flatibus* sic finitur. *Medicina*, inquit, *est adiectio & subtractio. Adiectio quidem deficientium, subtractio vero eorum, quæ in corporibus hominum redundant.* Hanc definitionem Galenus *libr. 11. Terap. methodi, cap. 12.* & aliis plerisque locis citat & cōprobat: nec certe temere: nulla enim est medicinæ pars, quam ista finitione non sit complexus Hippocrates. Quum enim primæ ac maximæ eius partes sint duæ, quarum altera sanitatē tuetur, altera morbos profligat: præsentem certe sanitatem non nisi adiectione optimorum ciborum & potuum, & superuacuorum excrementorumve subtractione seruabimus: amissam vero eisdem quoque, nempe subtractione ciborum, vbi ex redundantia morbus natus est: adiectione vero eorundem vbi ex defectu morbum contraximus, recuperabimus. Subtractione itidem eorum medicamentorum, quæ redundantiam vacuant, & adiectione eorum, quæ corpori robur adiiciunt. Quid multa? Adiectio & detractio omnes res, quæ homini tam ad tuendam sanitatem, quam ad præcauēdum futurum morbum, & præsentem profligandum administrantur, continent, ac complectuntur. Idem in libello de arte, medicinam ait esse artem, quæ a morbis ægrotantes prorsus vindicat, & morborum vehementiam obtundit, atque iis, qui a morbis victi sunt, manum non admouet. In quibus enim desperata omnino salus est, *Galeno lib. 11. Terap. Methodi cap. 9.* teste, imprudentis consilio fuerit, apud vulgum infamare præsidia, quæ multis fuere saluti: Hic in *commentariis suis super Hippoc.* aphorismos rectissime, & de sententia Senis consuluit Galenus, *deploratos non oportere attingere, sed magis recedere, euentu morbi prænuntiato.* Herophilus in hunc modum medicinam definire voluit: *Medicina*, inquit, *est scientia salubrium, & neutrorum.* Nomen autem scientiæ communiter, & non proprie accipiendum. Cōmuniter namque sumta scientia est quædam notitia siue theorematum præceptionumque ordine sese consequentium: & ad vitæ vtilitatem conspirantium, *vt infra fusius dicemus*, collectio, adeoq; idem cum arte significat. Proprie vero accepta scientia, est certa, firma, & a ratione non declinans notitia, quæ firmis certisque principiis constat. Salubre autem, siue vt Græcis vocatur, ὑγιεινὸν dicitur, quod tum sanum est, & q. sanitatem tum præbet, tum indicat. Insalubre siue morbosum, seu vt Gal. sua lingua vocat νοσερὸν, itidem tria denotat, q. morbo affectum & obnoxium est, quod morbū affert, quodq; morbum indicat. Quod contraria hæc intercedit, quum proprium nomē non habeat, per negationem Græce οὐδέτερον, Latine vero *neutrum* dicitur, & triplex existit. Primum quidem est, quod neutrius extremorum affectuum: secundum quod vtriusq;: tertium, quod nunc huius, nunc illius est particeps. Vnumquodq; aūt horum trifariam dicitur. Aliquando quidem vt corpus, aliquando autem vt caussa, nonnunquā vero vt signum. Corpus enim quod continet sanitatē, & caussa quæ hanc tum efficit, tum conseruat, & signum q. eandem indicat, omnia inquā hæc salubria dicuntur. Eadem ratione corpora quæ morbos continent, & caussæ quæ hos tum efficiunt, tum fouent, & notæ quæ ipsos indicant, insalubria vocantur. Nec aliter corpora, caussæ, & signa, neutra appellantur. Ceterum corpus salubre trifariam nominatur: simpliciter scil. in præsentia, & magna ex parte. Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu simplicibus ac primis partibus probe temperatum est: & instrumentis, quæ ex illis constant, apte compositum. Hoc itaq; semper salubre est, q. scilicet temperatissimum sit, optimeq; compositum. Salubre vero in præsentia, q. in præsenti tempore sanū est, ipsumq;

Margin notes: *Hippocratis definitio.* — *2. aphor. 29.* — *Herophili definitio.* — *Scientia communiter sumta.* — *Salubre.* — *Insalubre.* — *Neutrum.* — *Salubria.* — *Insalubria.* — *Neutra.* — *Corpus salubre.* — *Simpliciter.* — *In præsentia.*

C D E F (section letters in left margin)

Magna ex parte. quo tempore valet, probe temperatum est, apteque compositum, non quidem summa illa constitutione, sed sibi peculiari & propria. Quod autẽ magna ex parte salubre est, haud longe abest ab optima constitutione. *Insalubre corpus.* Insalubre autem corpus pari modo quadrifariam dicitur. *Simpliciter.* Insalubre simpliciter corpus est, quod ab ipso ortu primis & simplicibus partibus intemperatum est, vel instrumentis male compactum, vel vtrumque. *In præsentia.* Insalubre vero in præsentia est, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat. Non obscurum autem est, id quo tẽpore insalubre dicitur, aut partibus simplicibus intemperatum aut instrumentis male compositum, aut vtrumq; esse. *Semper.* Insalubre semper, quod ab ipso ortu, aut simplicibus primis partibus vel omnibus, vel quibusdam, vel principibus intemperatissimum est: aut in instrumentis pessime compositum, iisque similiter, vel omnibus, vel quibusdam, vel præcipuis, hoc est, quod deterrimam habet cõstitutionem ab ipso ortu, quæ per totam vitam talis durat, perseueratque. A B

Magna ex parte. Insalubre magna ex parte corpus est, quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen in medio constitutum est. *Neutrum corpus.* Neutrum corpus trifariã appellatur. *Prima significatione.* Iuxta primum significatum neutrum corpus est, quod neutrius extremorum particeps, & exquisite medium est saluberrimi & insaluberrimi corporis, adeoque inter vtraque ambigit, æqualiter distans. Hoc proprie neutrum appellatur, vt est corpus senum & imbecillum. *Altera.* Iuxta alterum, quod ipso ortu contrariorum simul affectuum est particeps, siue in vna parte, siue in differentibus, vt est corpus, quod aliquam, vel aliquas partes probe temperatas, & compositas, exempli caussa iecur & pedes: alias vero male temperatas & constitutas, ventriculum nimirũ & cerebrum, obtinet. *Tertia.* Iuxta tertium, quod aliquando salubre, aliquando insalubre vicissim exsistit, vt est q̃ æstate salubriter, hyeme vero insalubriter degit. C Atq; hæc quidem est λεπτολογία, qua Galenus in explicatione definitionis Herophili subtilioris sectæ, vt Plinius *lib. 26. cap. 2.* ait, cõditoris, & ad verba garrulitatemq; descendentis, vti coactus est. *Herophilus subtilitatis ac garrulitatis studiosus.* Qua tamẽ nihil opus esse intelligunt omnes, quibus perspecta sunt ea, quæ cap. 4. libri de morborum differentiis tradit Galenus, vt in nostris Commentariis in eum librum exaratis, vt lib. 1. de simpli. medica. facult. cap. 19. abunde demonstrauimus. *Caussæ. Salubres. Insalubres. Neutra.* Ceterum caussæ sunt itidem triplices. *Salubres*, quæ sanitatem efficiunt. *Insalubres*, quæ morbum. *Neutra*, quæ neutrum affectum procreant. Signa sunt itidem triplicia. *Salubria*, quæ præsentem indicant sanitatem, futuram prænuntiant, & præteritam ad memoriam referunt. *Insalubria* vero, quæ morbum præsentem significant, futurum prædicunt, & præteritum in memoriam reuocant. D Ad eundem modum neutra sunt, quæ neutrum affectum ostendunt, prænuntiant, & memoriæ tradunt, & quæ nihil omnino de affectibus indicant: aut non magis salubrem, quam insalubrem, aut partim salubrem, partim insalubrem: aut aliquando salubrem, aliquando vero insalubrem. De quibus copiosius *libr. 4. cap. 2.* dicemus. Medicina itaque scientia est, non proprie presseque, sed communiter ac late sumto vocabulo, salubrium, insalubrium, & neutrorum. Porro quum proprie loquendo, vt sequenti cap. fusius docebimus, medicina scientia non sit, alii hanc sic definire maluerunt: *Medicinæ definitio alia.* *Medicina est ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata*, vel ita, *Medicina est ars vsu, atque ratione constituta, corporis humani bonam valetudinem custodiendi, perditamque recuperandi.* E Quæ itidem bonæ sunt definitiones, quod totius medicinæ capita contineant. Sed de medicinæ definitione satis.

Quod Medicina sit ars, non scientia. CAP. IIII.

QVVM in definitione medicinæ, quam præcedenti capite adduximus, diserte dictum sit, medicinã artem esse, & nequaquam scientiam, necessarium erit, vt hoc in capite eius rei caussam paulo copiosius explicemus. Quod vt ordine præstemus, primo, quid sit ars & scientia, perspicue exponemus. *Scientia.* Scientia proprie est, *quæ ex certis, indubitatis, firmisque principiis comparatur.* Vel, *est notitia vera, cui propter demonstrationem firmiter adsentimur.* Vel, *vt supra est definita, certa, firma, & a ratione non declinans notitia.* *Ars.* Ars autem est *ex multis notionibus, seu animi perceptionibus, vsu & exercitatione conquisitis, atque in vnum vitæ vtilem finem spectantibus, coaceruatio.* F Alii ita finiunt: *Ars est præceptio animi, quæ dat certam viam rationemque faciendi aliquid, quod vtilitatem, aut honestatem contineat.* *Medicina cur ars.* Proinde quum medicina, quæcunque ratione perlustrat, ad hominum vtilitatem

referat,

A referat, & accommodet, nec sit eorum, quæ necessario fiunt, sed finem suum contingenter nanciscitur, artis nomine hanc contineri par est. Neque enim medicina est nisi habitus, qui cum ratione vera in faciendo positus est, quod plane arti conuenit, *vt testis est Aristoteles, qui libr. 6. Ethic. capit. 3. & 4.* arti aduersus scientiam, singula hæc diserte adscribit, quum inquit: Πάντες γὰρ ὑπολαμβάνομεν ὃ ἐπιστάμεθα, μὴ ἐνδέχεσθαι ἄλλως ἔχειν. ἡ μὲν ἄρα ἐπιστήμη ἐστὶν ἕξις ἀποδεικτική· τέχνη δ' ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική. Hoc est, *omnes existimamus, quæ scimus secus euenire non posse. Est igitur scientia habitus, in quo vis quædam ad demonstrandũ est posita: ars vero habitus, qui in faciendo cum ratione vera est.* Non est igitur medicina, vt quispiam existimaret, partim scientia, partim ars dicenda, tametsi multis constat theorematis, quæ ipsa quidem per se continet scientia: verum quoniã omnium inter se quam

B aptissime cohærentium & concordantium ea est in medicina conspiratio, isque consensus, vt homo incolumis & saluus per eam seruari possit, æger autem in integrum restitui, ex ipso fine, vniuersa, artis nomen accipit. Quæ dicimus, confirmat auctor, introductorii seu Medici: qui Galeno *lib. 6. Epid. sect. 2. com. 31. teste*, Herodotus fuit: vbi in eum scribit modum: *Rationales aliqui, vt Erasistratus, medicinam partim scientiam, vt est ea pars, quæ caussarum & naturæ cognitionem docet: partim coniecturam, vt curationem & signa tradentes partes exsistũt, censuerunt. Methodici vero in vniuersum ipsam esse scientiam prædicant. Vtrique autem, potissimum vero Methodici, a veritate aberrarunt. Scientia enim est cõueniens, firma, & nunquam a ratione declinans notitia. Ea vero neque apud philosophos est, præsertim dum rerum naturas perscrutantur: multo sane minus in re medica, imo ne omnino ad homines venit.* *Introductorii seu Medici autor quis fuerit.* *Scientia.*

C *Quamobrem medicina merito ars dicatur. Siquidem ars est perceptionum animi & notionum certa qualitate & quantitate exercitatione conquisitarum ad finem quendam vitæ vtilem spectantium coaceruatio: Perceptiones igitur & ipsa humanas, & eas multitudine sufficientes habet, vt sit earundem coaceruatio, præcipue coexercitatarum, hoc est, sibi concordium ac consonantium connexarumq́. Quo fit vt propriissime ars nominetur, quod nimirum artis definitio ei conueniat, & quod animi perceptiones in ea ad aliquam vitæ commoditatem spectent. Quippe homines sanitati restituere, & in sanitate perdurare, ad vitam pertinet.* Hæc ille. Ars itaque est medicina, & nequaquam scientia. Verum mox aliquis ita secum cogitabit: *Si medicina, vti iam ostensum est, ars exsistit*, igitur *coniectatrix erit*. Si *coniectatrix*, igitur *nulla theoremata firma, stabilia, & perpetua habebit.* Pro hoc nodo dissoluendo animaduertendum, omne theorema pręceptumue Galeno *Ars quid.* *Obiectio diluitur.*

D in lib. de optima secta teste, esse generale & firmum. Erunt itaq; etiam singula præcepta medica vera, vtilia, & iactis principiis consentientia. *Quatenus enim sub animi perceptionem quodlibet præceptum cadit, eatenus verum esse oportet.* Falsi namque *nulla perceptio est*. Quatenus autem ad finem aliquem vitæ vtilem pertinet, eatenus vnumquodq; theorema siue præceptum vtile & necessarium esse opus est. Coaceruationem vero perceptionum ad præceptorum inter se, & ad præmissa principia consensum habere, necesse est. Quemadmodum enim sub vno principe subditorum multitudo concipitur: sic etiam præceptum ad ante iactum principium refertur. Ob id omne theorema præceptumue medicinæ, vt etiam aliarum artium, in primis verum esse debet: secundo vtile: tertio iactis principiis consentiens. Quæ vero talia non sunt, & quibus vnum ex tribus iam dictis *Theoremata & præcepta medicinæ firma.* *Tria ad præceptum medicinæ requisita.*

E deest, theoremata & præcepta medica dici non merentur. Quamobrem hallucinantur illi, qui medicinam artem coniectricem esse existimant, propterea quod theoremata coniectatricia habeat. Non enim a theorematis (hæc enim, vt comprehensum est, vera, atque adeo perpetua, firma, stabilia, & principiis consentientia sunt) sed ab actione, & medentium opera, quæ incertum habent euentum, ea coniectrix dicitur. Proinde vt omnium artium pręcepta firma & perpetua sunt, ita etiam medicinæ. Verum vt non omnium artium finis semper attingi potest, adeoque fit, vt illæ coniectrices sint & appellentur, quod scilicet incertum ancipitemue euentum habeant: sic quoque medicina coniectrix nominatur, quod finem suum non semper, sed plurimum attingat. Nihil autem æque medicinam, *Galeno cap. 12. libri de curandi ratione per sanguinis missionem teste*, in suis actionibus coniectricem efficit, atque cuiusque remedii quantitas. Nam etsi fre- *Medicina cur coniectrix ars dicitur.*

F quenter compertum habemus, tempus exhibendi cibi aut potus, eiusque aut calidi aut frigidi instare, tamen quantum dandum sit, certo haud scimus. Idem in purgantibus etiam medicamentis vsu venit. Siquidem quod ægrotanti præbendum sit medicamentum, quod aut bilem flauam, aut atram aut pituitam, aut serosa excrementa vacuet, ex-

quisite nouimus, ceterum quantum dari oporteat, ignoratur. Quantitas enim, *vt libr. 3. Ther. metho. c. 3. Galenus ait*, nec dici, nec scribi, nec omnino percipi potest, vt igitur coniecturis quibusdam colligatur, necesse est. Proinde medicinam ipsam coniectricem facit inprimis remediorum quantitas, quæ non nisi coniecturis quibusdam deprehendi potest, & dein medentium actiones & opera, quæ incertum euentum habent. Cardanus *tractatu 3. suarum contradictionum cap. 20.* more suo, mirifice in hac quæstione dissoluenda se torquet, sed ita vt rem magis inuoluat & obscuret, quam explicet. Quapropter omnes medicinæ studiosos hortor & moneo, vt tanquam pestilentissimum venenum libros contradictionum Cardani fugiant, modo nolint, se in eas coniici ambiguitates ac difficultates, vnde se perpetuo extricare nequeant. A

Cardani contradictionum libri studiosis medicina haud legendi.

Medicina ex quo artium genere. CAP. V. B

HActenus quid medicina, & quod ars, & nequaquam scientia sit, demonstrauimus. Reliquum nunc est, vt ex quo artium sit genere, inquiramus. Quod vt rectius fiat, initio animaduertendum erit, artes non ex materiis ipsis, quandoquidem materiam vnam constat pluribus artibus subiici, vt lignum, exempli gratia, nauium artifici, carpentario, machinarumque structori: sicuti & vnam eandemque artem permultis vti materiis, vt verbi gratia medicæ arti, cum vna sit, infinitæ materiæ subsunt, corpus nempe sanitatem suscipiens, cibi, ac potus, medicamenta omnia, & quæ ad victus rationem pertinent: sed ex fine. Propter hunc enim & communibus actionibus & propriis præceptis atque principiis differunt. Quapropter si a fine, vt decet, artes iudicemus, earundem quatuor erunt genera. Vna quæ Græcis θεωρητική, Latinis contemplatoria vocatur. Hęc est Galeno in *libro de optima secta ad Thrasibulum teste*, quę in sola rerum, quas inquirit, contemplatione, id est, cognitione & æstimatione, sine vlla corporis actione, finem habet, vt *Arithmetica, Astronomia, & Physica*. Siquidem nulla harum aliquam exigit actionem, sed ipso rei, cuius studium habet, intellectu, quæuis contenta est. Altera Græcis πρακτική, Latinis actiua dicitur, & est quę actiones aliquas efficit, vbi vero ab actione cessauit, nullum ex se opus ostendere potest, sed quamprimum ab agendo cessauerit, finis quoque vna desinit, vt saltatoria, citharistica, & quæuis alia ars musica. Nam nihil in saltatoria & citharistica præter ipsam actionem ostendere possumus. Tertia Græcis ποιητική, Latinis factiua, seu efficiens appellatur, quæ nimirum opificia postea indicat, vel quæ operis, quod in oculos incurrit, consummatione finem accipit. Est itaque id artis huius finis, quod quiescente artifice demonstrare valemus, vt in fabrili grabatum, in pictoria imaginem, in statuaria statuam, in ædificatoria domum, in medicina sanitatem. Ceterum factiuæ artes in tres digeruntur species. Quædam res ipsas creant, componunt, aut nouum opus, & ea, quæ non sunt, efficiunt, vt textoria, coriaria, & nauium structoria. Nonnullę, quę facta sunt conseruant, corrigunt ac reparant, vt nauium gubernatoria, & quæ laceras vestes, & disruptos calceos suit. Aliquæ vtrumque præstant, vt ædificatoria. Huius enim duplicia sunt opera, domus nimirum nondum existentis constitutio, & non factæ reparatio, & correctio. Quarta Græcis κτητική, Latinis comparans nominatur, quæ scilicet nihil efficit, verum res quasdam studio & labore venatur ac conquirit: vt piscatoria & ars fera canibus insectandi, & quæuis venatoria. His itaque præmissis, facilimum est scire, e quo artium genere medicina sit. Siquidem Galeno etiam *in lib. de optima secta*, & in eo quem de artis cōstitutione inscripsit, teste, ex earum est genere, quę faciunt, & quod iam factum est, conseruant, instaurant, ac corrigunt. Factiuam vero esse hinc constat, *habet enim aliquod opificium nempe sanitatem, quod finita actione ostendere possit:* Neque temere adiectum est, finita actione: In medendo namque nondum medicinæ finis innotescit, vtpote quæ aduersus morbos semper instet: At vbi curationem absoluit, tunc hominem sanitati restituit. Non solum autem medicina sanitatem efficit, sed & eam, quæ adest, conseruat. Quid multa? Medicina vitiatam corporis humani constitutionem emendat, corrigit, instaurat, atque adeo sanitatem facit, eamque iam præsentem conseruat. Eiusdem itaque artis est opus efficere, & vitiatum corrigere. Non est igitur, cur idcirco quispiam geminum esse medicinæ finem existimet. Quod tamē plerique faciunt, qui vnum esse eius finem putant id, quod non est efficere, vtpote sanitatem: & alterum, eam, quæ est, conseruare. Quum enim, inquiunt illi, per eadem præcepta ef- C D E F

Artes non ex materiis, sed ex fine iudicandas esse.

Artium quatuor genera. Contemplatoria.

Actiua.

Factiua seu efficiēs.

Factiua artes triplices. 1 2 3

Comparās.

Medicina est ars factiua.

Medicina non geminus, sed vnicus est finis.

A pta efficiat sanitatem, & eandem etiam conseruet, duplicem vtique finem habebit. Nisi igitur euidenter eadem essent præcepta ad vtrunq; finem ducentia, differentium etiam finium diuersæ vtique essent & artes, & duæ medicæ. At quoniam eadem sunt theoremata, scopi vero euariant, vna ars vtique differentes habebit scopos. *Hæc illi.* Sed mehercle qui ita colligunt, ii ignorãt artis medicę vnicum esse scopum propositumue, sanitatem scilicet: finemque vnicum, nempe sanitatis consecutionem: quãuis modi consecutionis ipsius sunt multiplices. Non mutatur autem neque scopus, neque finis, secũdum variũ consequendæ sanitatis modum. Quippe nos, quæ nocere solent cognoscentes, dum submouemus aduersa & noxia, sanitatem consequimur. Vbi vero vitamus illa, præsentem sanitatem tuemur. Ex iis igitur, quæ hactenus diximus, omnibus fit
B euidentissimum, medicinam neq; theoriticen, vel vt vulgus cõciso vocabulo nominat, theoricam, neq; practicam, siue neq; contẽplatoriam, neq; actiuam, proprie loquendo esse. Neq; enim in sola rerum naturæ contemplatione, quas sibi proposuit considerandas, finem suum obtinet, vt Arithmetica: neque etiam vbi ab actione cessauit, nullum ex se opus ostendere potest, vt Musica: sed contra potius postquam agere destitit, suum opus euidenter monstrare valet, adeoque, vt diximus, factiua est. Non recte igitur, & plane contra Galeni, cuius tamen se, si Diis placet, interpretem esse gloriatur, sententiam initio sui vasti Canonis medicinam partim esse theoriticen, partim practicẽ docet, quũ neutra harum sit, *vt iam ostendimus*, sed potius factiua. Non esse autem medicinam theoriticen, diserte *libr. 1. de placitis Hippocratis & Platonis*, iis testatur verbis Galenus: *Hippo-*
C *crates quidem theoriticen contemplatoriamue artem minime tractauit. Plato vero contemplatoriam philosophiam nobiliorem esse putauit.* Quinetiam Auerrhoes *libr. 6. collectaneorum cap. 1.* perspicue Auicennæ explodit opinionem, medicinam factiuam esse artem, ratione, & experimento inuentam, quæ tum sanitatem tueatur, tum morbum propellat, scribens. Proinde medicinam, Arithmeticam, Musicam, Astronomiam, Iuris prudentiam secare in Theoricam & Practicam, id est, contemplatiuam & actiuam, recentiorum est inuentum. Id quod non alia de caussa fecerunt, quam quod illi θεωρήματα, quæ Cicero præcepta interpretatur, huic vsum & accommodationem præceptorum ad exempla tribuerunt. Quo sane modo artes omnes in contemplatiuam, & actiuam diuidi possunt. Non itaque ad finem, ex quo artes omnes iudicandæ sunt, respexerunt, adeoque ambas
D voces improprie vsurparunt. Quapropter vt medicinæ studiosi errorem hunc perspicue cognoscerent, artium diuisionem paulo exquisitiorem a Galeno proponere voluimus.

Medicinā neq; theoricam, neque practicam esse.

Auicennę erratum.

Quot in vniuersum medicinæ partes. Cap. VI.

QVum abunde iam ostenderimus quid medicina, quodq; ars, & quidem factitia sit, restat, vt quot sint huius partes, explicemus. Sunt autem numero quinque, & vniuersæ Græcis appellationibus donatæ. Prima φυσιολογικὴ dicitur, & est, *quæ vniuersam hominis naturã & constitutionem indagat, ac perquirit, hoc est, quæ de hominis elementis, humoribus, spiritibus, temperamentis, partibus, earumq; facultatibus, & actionibus tractat.* Ad eam igitur medicinæ partem spectant Galeni libri, *de elementis*, *de temperamentis*, *de facultatibus natura-*
E *libus, de fœtus formatione, de semine, de placitis Hippocratis, & Platonis, de administratione anatomica, de vsu partium humani corporis,* & id genus aliis. Hos idcirco naturales vocat, quod scilicet de humani corporis natura tractent, & in iis caussæ constitutionis partium totius animalis, & humani corporis assignentur. Altera est, ὑγιεινή, *quæ sanitatem tuetur, & quo minus in morbos incidat, corpus præcauet.* Ceterum sanitatis custodia e quatuor rebus pendet, admouendis, educendis, faciendis, & extrinsecus incidentibus. Admouendorum autem nomine, *cibus, potus, & si quid medicamentorum intro sumitur, etiam aer attractus* intelligitur. Faciendorum vero, *frictio, ambulatio, vectio, equitatio, & omnis alia corporis exercitatio.* In hoc genere continentur *somnus, vigilia, venus, animi affectus.* Foris incidunt *aer nobis circundatus, vnguenta, lauacra.* Educenda, quæ in aluo, iecore, liene, venis, & arte-
F riis, reliquisque corporis partibus excrementa colliguntur. Hãc partem in libris, quib. de tuenda sanitate titulum indidit, & in iis quos de alimentorum facultatibus, ac in eo, quem de boni & mali succi cibis inscripsit Galenus absolutissime tradidit.

Φυσιολογική.

Naturales libri.

ὑγιεινή.

Tertia αἰτιολογικὴ, & alio nomine παθολογικὴ dicta est, *quæ caussas, affectus præter naturam, & symptomata inquirit.* Ad hãc medicinæ partẽ pertinẽt Galeni libri *de morborũ & sympto-*

αἰτιολογική.

παθολογική.

σημειωτική. *tum differentiis inscripti.* Quarta σημειωτική, indicia tradit, quæ & integram & aduersam valetudinem luculenter demonstrat; atq; adeo præteritorum cognitionem, præsentium inspectionem & futurorum prædictionem continet. Ad eam medicinæ partem spectat Hippocratis libri omnes, quibus titulum fecit *de præsagiis*. Item Galeni libri *de laborantibus locis, de iudiciis, de diebus decretoriis, de differentiis febrium, de prænotione, de differẽtiis pulsuũ, & de prædictione ex pulsibus.* Quinta θεραπευτική, *est quæ legitimorum præsidiorum admotione morbum propulsat, sanitatemque restituit, & in summa, medendi rationem docet.* Ad has itaq; quinq; partes, ex quibus medicina constituitur, & nequaquam ad finem medicinę respicientes nonnulli medicinam partim theoriticen, partim practicen faciũt. Nam eam partẽ quæ vniuersam corporis humani naturam & constitutionem inquirit: itemq; eam, quæ affectus præter naturam indagat, & eam etiam, quæ signa tradit, cum omnes in contemplatione & simplici rerum cognitione versentur, theoriticas appellãt. Eam vero, quæ sanitatẽ tuetur, & eam quæ morbos propulsat, quod in actione consistant, practicas. Verum quum artes ipsæ ex fine, vt dictum est, iudicandæ & distinguendæ sint, hæc sectio ab eruditis omnino, tanquam inutilis, & a veterum sententia euarians, contemnenda erit. A B

θεραπευτική.

Cur nonnulli medicinam in theoricã & practicam secant.

Quot medicatricis medicinæ partes. Cap. VIII.

HActenus quot sunt in vniuersum medicinæ partes, qua potuimus breuissime monstrauimus. Nunc quod postrema pars nempe θεραπευτική, in alias tres, easq; pręcipuas medicinæ partes digeratur scilicet διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικὴν, ostendemus. Διαιτητικὴ est, *quæ victus ratione morbis medetur.* Vel *quæ curandi rationem per victum tradit.* Victus vero nomine non solum cibus & potus, sed & exercitatio, somnus, vigilia, in summa, omnes res non naturales medicis vocatæ, de quibus paulo post ordine disseremus, intelliguntur. Hæc vtique potissima medicinæ pars est, sine qua reliquæ duæ partes, quæ curandis morbis præsunt, consistere suoq; munere fungi nequeunt. Hanc inprimis Hippocrates multis in locis suorũ monimentorũ, præsertim vero in Aphorismis, & in trib. de victus ratione morborum acutorũ libris, diligenter excoluit. Quæ eo accuratius nobis inquirenda & discenda erit, quod sæpenumero leuissimum etiam in victus ratione erratum in acutis morbis admissum, maximi incõmodi & irreparabilis damni, imo nõnunquam interitus ægri, caussa sit. Quod multis certe in locis Hippocrates & Galenus luculenter demonstrarunt, & idipsum quoq; quotidiana experientia confirmat. Quapropter mirari satis non possum quorundã nostri seculi medicorum oscitantiam dicam an temeritatem potius, ignoro, qui eius partis in profligãdis morbis nullam prorsus, aut perexiguam saltem rationem habent, præclare actum esse cum ægroto existimantes, si vnam aut alteram formulam illi, quã receptã nominant, ex qualibuscunq; medicamentis, sibi maxima ex parte ignotis, concinnatam corraserint, & ad Seplasiarios suos, æque imperitos, imo multo illis indoctiores, transmiserint, nihil curantes, qua æger victus ratione interim vtatur. Quam enim hoc damnosum sit ægrotantibus, & Hippocratis, Galeni aliorumque veterum medicorum instituto alienum, nemo sane qui monumenta illorum quæ posteritati reliquerunt, introspexit, ignorare potest. C D

Διαιτητική.

Victus nomen.

Notatur nostri seculi medicorum oscitantia.

Φαρμακευτική est, quę medicamentis intra & extra corpus admotis medetur. Sũt vero hæc ipsa duplicia, nẽpe simplicia & composita. Ad exquisitam igitur curandi rationem inprimis simplicium medicamẽtorum cognitio necessaria est. Nã vt ridiculũ, imo turpe prorsus est, fabrum lignarium serram aut asciam, sutorẽ subulam, sartorem forficem ignorare: sic etiam merito ab omnibus ridebitur ac contemnetur medicus, qui eius quã profitetur artis materiam, quæ illi in propulsando morbo instrumenti vice est, non satis perspectam habet. Quocirca merito reprehendendi veniunt nostræ ætatis medici, qui omnes propemodum curam cognoscendarũ stirpium in Seplasiarios, homines magna ex parte indoctissimos, aut stolidas certe mulierculas reiiciunt, cũ tamen, si modo recte mederi velint, harum non solum facultates, sed & faciem ac formam, ne scil. adulterinas pro legitimis vsurpent, cognoscere illos oporteat. E

Φαρμακευτική.

Simpliciũ medicamẽtorum cognitio medico necessaria est.

Ad quam sane cognitionem consequendam proderit, vt ex Græcis auctoribus legant Theophrastum, Dioscoridem, Galenum, Paulum, Aetium, Oribasiũ, Actuarium & Symeonem Sethi. Neq; enim veteres duntaxat Græci ad recte cognoscẽda simplicia medicamenta sunt adhibendi, sed etiam posteriores, recentioresque: quod scilicet illi multa protulerint, literisque mandarint, quæ prioribus incognita, & indicta prorsus fuerunt F

Qui scriptores ad simpliciũ notitiam consequẽdum necessarii.

A fuerunt: & quorum hodie freques est in officinis medicorum vsus. Inter Latinos, quem in hoc negotio consulant, præter Plinium, ex veteribus neminem habent. Is enim, quod plerique faciunt, iis, qui studio agnoscendarum stirpium tenentur, minime contemnendus erit, quod in eo multarum rerum, herbarumque historiæ reperiantur, quæ a nullo alio vel Græcorum, vel Latinorum, qui saltem hodie exstent, traditæ sunt. Habet tamē is in percensenda simplicium historia suos errores, quo nomine, vt cum iudicio & delectu pleraque illius legas, oportet. Neque etiam propter vetustatem omnino contemnendus erit *Apuleius, Platonicus Philosophus*, cuius de aliquot, nec iis sane paucis, stirpibus extat scriptum. Arabum *de stirpibus* Commentarii ideo legendi sunt, quod plerasque Græcis incognitas descripserint. In iis tamen legendis acri iudicio opus erit, quod non raro vnam pro altera pingant, nec satis diserte, quas tractandas susceperunt, explicare possint, & quod multis erroribus eorundem scripta referta sint. Inter hos vero vnus Serapion omnibus ceteris præferendus erit, vt qui in hoc genere reliquos omnes superarit. Is enim non solum ea, quæ a Dioscoride & Galeno sunt de stirpibus prodita, verum etiam ab aliis Arabibus, se vetustioribus, literis mandauit, & vno in volumine complexus est. Est vero & hoc etiam nomine præ aliis legendus Serapion, quod ex huius cum Dioscoride collatione, multa iniuria temporis, & librariorum culpa deprauata loca, pristino nitori restitui, ac emendari possint. Adhibendum vero in eo quoque legendo iudicium, ne falsa pro veris temere arripiantur. Nam in eo vbi Arabum de stirpibus, aliaque materia medica refert opiniones, mira rerum confusio est, vt certe iudicio exquisito iis, qui illas excutere volunt, opus sit. Porro ad recte cognoscendas stirpium tum effigies, tum facultates, non parum, vt speramus, adiuuabunt studiosos commentariorum nostrorum de stirpium historia tomi duo: in quibus non solum singularum quanta potuimus perspicuitate ac breuitate, historias exposuimus, verum etiam viuas & exquisita ratione expressas earundem imagines intuentium oculis subiecimus. Qui sane eo nomine gratiores esse debent, quod ad viuas herbas studiosos quasi manu ducant, & in inquirendis stirpibus eos plurimum dirigant, & quasi in rem præsentem perducāt. Quod vt plane præstare possent, vniuersas stirpium effigies maiori forma pingi curauimus. Nam quæ in angustum redactæ sunt, quod plagiarii plerique nostras deformantes ac deprauantes faciunt, singulas herbarum partes exprimere non possunt. Debent itaque multis nominibus maiores esse minutioribus cariores. Ceterum quum non omnes corporis præter naturam affectus simplices, sed ex iis non pauci compositi sint, atque adeo ad hos propulsandos, non simplicibus, sed compositis medicamentis opus sit, componendorum quoque medicamentorum rationem teneamus, necesse est. Quam certe optimam Galenus in libris *de compositione medicamentorum generalium, & localium tradidit*.

(Marginal notes: Plinius in cognitione simplicium non contemnendus, cum iudicio tamen legendus. — Apuleius. Arabes. — Serapion. — Autoris de stirpiū historia commentariorum tomi duo. — Magnarum picturarū quis vsus. — Compositorū medicamentorum vsus necessarius.)

Atq; optandum sane esset, vt illum hodie in componendis medicamentis potius quam Arabes sequeremur. Et e re quoque tum medicorum, tum ęgrorum esset, vt illius compositiones in vsum quotidianum reuocarentur. Nam etsi quædam in eius compositionibus reperiantur medicamenta simplicia, parum hodie cognita aut prorsus ignorata, tamen cogitandum idem etiam in Arabum nobis compositionibus vsuueni re, vt quam plurima scilicet in iis simplicia ignoremus. Et quod nobis succidaneorum libellum reliquerit Galenus, facile quid in eorundem, quæ nobis incognita sunt, nec haberi hodie possunt, vicem sit restituendum, ex eo cognoscemus. Verum quum constet Galeni compositiones multas iniuria temporum intercidisse, præstat illi adiungere recentiores Græcos, Paulum, Aetium, Actuarium, & præsertim Nicolaum Alexandrinum vnguentarium, quem hodie non sine multorum risu, præpositum nominant, μυρεψὸν vocē in hanc linguæ Gręcę ignorantia immutantes. Atq; hūc certe præ aliis confert legere, quod ex huius præscripto omnes hoc tempore Seplasiæ sua cōponant medicaméta. Quū vero de hoc auctore hactenus vix sextam partem, eamq; multis in locis deprauatam exstare intelligerem, vt hunc integrum haberēt deinceps tū Medici, tū Seplasiarii, nō piguit nos eius laboris, vt illū e Græco sermone in Latinū cōuerteremus. Et debet sane vtriq; nostra opera esse hoc saltē nomine grata, q̄ suas, quib. hactenus vsi sūt cōpositiones ex nostra cōuersione emēdare; & si qua in illis defuerunt, hinc restituere possint. Siquidē perspicue ex ea deprehēdent nullā fere esse in officinis medicorū Ni-

(Marginal notes: Galenus in componēdis medicamētis imitādus. — Galeno in compositionibus medicamētorum qui adiungendi. — Præpositus pro μυρεψὸς dixere ac Græcæ linguæ imperiti. — Nicolaus Myrepsus a Fuchsio couersus.)

Quæ ad recte componenda medicamenta requirantur.

Medicorum nostri temporis in componendis medicamentis stultitia & lascivia.

colai compositionem, quæ omni ex parte legitima sit, & in qua non aliquid vel desideretur, vel perperam adiectum sit. Quod vero ad nouas attinet compositiones, qui illas vaste componere studet, is principio curet, vt exquisitam simplicium habeat notitiam. Dein, vt nostratia & cognita, potius quam peregrina & ignota ad compositiones adhibeat. Quod si peregrina etiam ad medicamentorum compositionem accersere voluerint medici, vt legitima & nequaquam spuria sint, dent operam. Longissime vero ab hoc instituto absunt nostri temporis medici, qui suis compositionibus ea potissimum adhibent medicamenta, quæ nec ipsi, nec Seplasiarii, illorum ministri agnoscunt. Hi sane sunt, qui se nihil effecisse arbitrantur, nisi Indiam, Æthiopiam, Arabiam, & illos extrema orbis parte sitos Garamantas coniungant, & a tribus mundi partibus conquisita remedia corradant. Quorum profecto medicorum insignem stultitiam, & inanem ostentationem, Plinius *lib. 24. cap. 1.* eleganter admodum iis depingit verbis. *Postea*, inquit, *fraudes hominum & ingeniorum captura, officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita. Statim compositiones & misturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in medio æstimantur, vlcerique paruo medicina a rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quisque cœnet.* Hæc ille. Iam dictis similes sunt, qui suis compositionibus falsa & adulterina pro veris ac legitimis miscent. Quales certe sunt, *qui pro vero acoro, vulgari illo & palustri vtuntur.* Item, *qui adulterinis, eupatorio, serpentaria, scordio, endiuia, & id genus multis aliis, admoniti etiam sæpenumero, & erroris manifeste conuicti, vti non cessant.* In quos certe præfractos asinos magistratum animaduertere deceret, ne subinde illis impune in vitam hominum grassari pro arbitratu suo liceret. Redarguendi quoq; sunt huius ætatis medici quidam, qui in corradendis medicamentis simplicibus nullum plane modum faciunt. Nam dum componunt sua medicamenta, laudem aliquam sibi comparare student ex eo, quod infinita fere medicamenta miscent. Atque in hoc quidem studio alter alterum superare conatur, dum quisque se quidem eo doctiorem aliis esse putat, quo plura miscuerit medicamenta. Sed stulti mehercle homines, vt qui non quam bene, ac recte, sed quam copiose componant medicamenta, vnice student. Quapropter euenit, vt dum suis cupiditatibus temere indulgent, eruditionemque ostentare student, imperitiam suam potius prodant, ac doctis omnibus se ridendos exhibeant, proque sperata gloria, ignominiam non leuem ex monstrosis istis, nulloque artificio concinnatis, & a ratione abhorrentibus compositionibus consequantur. Præstat itaque pauca, & ea quidem cognita, legitima, & optima ratione inter se mista, quam infinita, nec omnia satis perspecta, & maxima ex parte adulterina, nullaque arte ac ratione inter se confusa, compositionibus medicamenta simplicia inserere. Quæ vero sit legitima componendorum medicamentorum, ac formularum ratio, & iis temporibus vsitata, *in tribus libris ea de re exaratis* tradidimus ita perspicue, vt ab omnibus intelligi, ac cognosci possint.

χειρουργικὴ.

Tertia medicatricis medicinæ pars χειρουργικὴ, dicta est, quæ manibus medetur. Hãc Galenus multis in libris magna cum laude docuit, nempe libris *Therap. methodi Tertio, Quarto, Quinto, & Sexto:* item in *Commentariis quatuor in librum Hippocratis de articulis, & in tribus aliis in librum eiusdem de fracturis, in Commentariis quoque in librum Hippocratis de vulnerarii medici munere conscriptis.* Deniq; *in Commentariis in librum Hippocratis de vlceribus, & vulneribus capitis*, & multis aliis libris, qui non exstant, sed vel temporis iniuria interciderunt, vel apud inuidos quosdam βιβλιοτάφους latent, & cum blattis & tineis egregie rixantur. Ad chirurgiam exercendam conducit etiam *sextus Pauli Aeginetæ liber, quem tamen ex Galeni libris, vt alios omnes, expilauit.* Discenda vero hæc medicinæ pars omnibus medicis erit, si non hoc nomine, vt illam exerceant, ideo saltem, vt adstantes chirurgis quid faciendum sit præscribere, & eorundem errata, quæ fere quotidie multa admittunt, reprehendere, corrigere, & prohibere possint.

Quot medicorum sectæ. Cap. VIII.

Secta quid.

CVM abunde iam de medicinæ partibus dictum sit, reliquum est, vt vnde hæc ars comparari queat, monstremus. Varia vero ea de re opinati sunt medici, ideoque in varias etiam sunt scissi sectas. Secta autem, vt hinc ordiamur, *est dogmatum coaceruatio, quæ se mutuo consequuntur, aut consequi apparent, vel putantur*, vel, *secta est multitudinis dogmatum artificiose constructorum, atque ad vnum finem relatorum consensus.* Celebres vero in me-

A in medicina sectæ tres fuerunt, nempe *Empirica*, *Methodica*, & *Rationalis*. Primæ sectæ auctores solam experientiam arti satis esse affirmabant, hacque de caussa non vt ceteri ab inuentoribus, sed ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας, hoc est, *ab experientia*, se *Empiricos* nominauerunt. Neque enim veluti *Rationales* seu *dogmatici* artem indicatione simul & experimento constare putabant, sed experientiæ totam inniti, quam & eorum obseruatione, quæ sæpe simili modo contigerunt, conflari affirmabant. Neque enim obseruatio est nisi experientia. Proinde τηρητικοὶ alio nomine, quasi dicas *obseruatores*, appellati sunt. Eadem itaque est, *Galeno etiam in lib. de optima secta teste*, obseruatio, quæ experientia. Quapropter experientia est eius, *quod sæpius, & eodem modo visum est, comprehensio seu obseruatio, & memoria*. Siquidem omnis generis experientias, communi nomine *memoriam* appellauerunt.

Tres medicorum celebres sectæ. Empirici. Obseruatio. τηρητικοί. Experientia quid. Memoria,

B Hinc etiam μνημονευτικοὶ, id est, *memores* sunt dicti. Memoriam autem eorum, quæ vt plurimum in iisdem malis idem efficere deprehenderunt, θεώρημα vocauerunt. Summa itaq; illius cautio fuit, ne quis vllo pacto ab indicatione quippiam inueniri opinaretur. Est autem indicatio, *vt Gal. in lib. de optima secta scribit*, comprehensio iuuantis vna cũ nocentis comprehensione cũ re indicante simul adueniens, sine obseruatione: aut ratiocinatione. Vel breuius & apertius, *Indicatio est cognitio iuuantis & nocentis, quæ cũ re, quæ iuuamento eget, cognita simul aduenit, absq; obseruatione & ratiocinatione*. Quod n. iuuat, primo cognoscendũ est, & eadẽ ratione postea ꝙ nocet, deprehenditur. Quæ itaq; per indicationem comprehenduntur, & inueniuntur, in natura rei sunt designata: percepta enim natura eius, quod nos ad agendum mouet, & moliendum aliquid impellit, protinus etiam vna

μνημονευτικοί. θεώρημα. Indicatio.

C cum eo quid agendum sit, & quid fugiendum sit, quasi digito ostendit. Vnde ἐνδείξεως, indicationisq; nomen ductum esse intelligitur. Exemplo res planior fiet: *Qui quid morbus sit, qualisq; eius natura cognoscit, is statim etiam nouit, quid faciendum sit*. Quũ n. morbi natura, corporis nostri naturę inimica & infesta sit, sui ablationẽ mõstrat, nulla interim adhibita nec obseruatione, nec ratiocinatione. Proinde ꝙ febricitantib. frigida cõueniant, ita indicãre febris natura cognoscimus. Cõtra calida illis obesse scimus, ꝙ hęc cõtraria sint iis, quæ prodesse morbus indicauit. Id nec obseruatio, nec ratiocinatio facit. Nã obseruatio seu experientia rerũ naturã nõ expẽdit, sed longo rerũ vsu se tuetur. Quapropter ea in omnib. vtunt Empirici. Ratiocinatione quoq; siue demõstratione non est opus: ꝙ rei natura proposita, statim quid cõferat, aut quid obsit, cognoscimus, nec vt ratione a-

D liqua abditas caussas inquiramus, oportet. *vt lib. 5. cap. 1. fusius dicemus*. Ceterum cognitio, quæ ex propria inspectione, quam αὐτοψίαν Græci dicunt, habetur, iisdem triplex erat, nempe *fortuita*, *consulta*, siue *ex instituto nostro apparens*, & *imitatrix*. Fortuita quæ Græce τυχικὴ nominatur est *quæ sine humano consilio, vel casu, vel natura euenit*. Casu, *vt si quis cui occipitium dolore afficiatur, ex alto deciderit, atq; inde vena frontis recta disrupta & incisa, sanguineque effuso iuuetur*. Natura, *vt si febricitanti sanguis sponte per nares effluxerit, statimque desinat febris*. Huius generis iuuantia & lædentia φυσικὰ, hoc est, *naturalia* vocabant. Eam quidem inspectionem, quæ fortuito, & inconsulto, neque ex instituto nostro accidit, περίπτωσιν quasi *incidentiam* dicas, aut *fortuitam occasionem*, appellarunt. Consulta vel ex nostro instituto apparens cognitio est, quæ ex proposito nostro accidit: vt si quis *in febre perdite*

αὐτοψία. Fortuita. περίπτωσις. Consulta.

E *sitiens, ad bibendam aquam, vel mala granata edenda coactus, febrem euaserit: vel in monte aliquis a serpente ictus herbam, quæcunque sibi oblata fuerit, vulneri adhibens, sanitatem inde recuperauerit: vel si quis somnis admonitus venam in morbo tundens, sanitatem consecutus fuerit*. Hæc quia præpropera est ac subita quasi, ideo αὐτοσχέδιον, id est, *subito factam*, vel ex tempore paratam nuncupauerunt. Tertia cognitio illis μιμητικὴ, id est, *imitatrix*, eo quod imitatione comparatur, dicebatur. Fit vbi quispiam imitatur, quod semel, aut bis, aut etiam frequenter effectum conspexit. Quæ quidem vltima cognitio, ipsorum artem maxime constituisse videtur. Quoniam vero Empiricis interdum morbi quidam incogniti occurrebant, vel quorum non habebant satis explorata remedia, instrumẽtum quoddam ad inuenienda remedia commenti sunt, nempe τὴν τοῦ ὁμοίου μετάβασιν, id est, *transitum transf-*

αὐτοσχέδιον. Transitus ad similia.

F *gressionemue ad simile*: quo vtentes idem sæpe auxilium a malo ad simile malum transferunt. Item a loco ad locum, a remedio prius cognito ad simile veniunt. A malo ad malum, *vt si ab erysipelate ad herpetem transferunt*. A loco ad locum, vt *si a brachio ad femur*. A remedio ad remedium, vt *si in diarrhœa a cotoneo malo ad mespilum se transferunt*. Deniq; experientia fit ex historia, vbi nimirum discunt, quod ab aliis est obseruatum. Quapropter

ab αὐτοψίᾳ differt. Sic enim appellant, quod ipsi viderunt: historiam autem quod ab aliis A
Historia. acceperunt. Historiam namq; vocant *rerum sæpius circa eadē probatarum narrationem.* Quū enim frequenter oriantur morbi quidam, ad quos nullum auxilium ab ipsis est obseruatum, vt in hac difficultate aliquibus etiam remediis abundarent, neq; fortuitum exspectarent euentum, historia vsi sunt. Neq; hac solum de caussa, verum etiam vt breuior esset traditio. Quum enim Empirici ad symptomatum συνδρομὴν respiciant, & conuenientē ex eis curationē accipiant & obseruēt, idq; nec malo cognito, nec caussa inquisita: fieri autem non possit, vt vnus in omnib. symptomatis obseruationem faciat, ne quis omne vitæ curriculum, discendo tantū consumat, sed & aliquādo arte vtatur, ad medicādum
συνδρομὴ Empirica. vtilem esse historiam asseruerunt. Ceterū συνδρομὴ Empirica, *vt lib. 2. Therap. methodi, multisq; aliis locis testatur Galenus,* non est, nisi symptomatum, quæ in laborante sunt loco, concursus, coaceruatio, & congeries. B

Hactenus quę fuerit olim prima medicorum, nempe Empirica, secta, quam potuimus breuissime adumbrauimus: reliquum est igitur, vt alterius sectæ, methodicæ nimirum, placita succincte quoque perstringamus. Huius itaq; sectæ medici sese *Methodicos* nominabant nulla alia de caussa, quam quod methodum seu rationem artis compendiariam sequerentur. Siquidem illi neq; longam, neq; difficilem esse medicinam dicebant, secus atq; Hippocrates: sed breuem, facilem, perspicuam, & quæ tota sex mensib. promtissime perdisci posset. Quare non verbotenus tantū cū reliquis sectis disceptabāt, sed etiam multa artis opera nouabant. Nam neq; laborantem locum ad curationis indicationem quicquam prodesse affirmabant, neq; caussam, neq; ætatem, neque tempus, C neq; regionem, neq; virium ægrotantis inspectionem, vel naturæ, vel ipsius habitus, neque consuetudinem, neque dissectionem. Neglectis enim iis omnibus, a solis pathematis remedii indicatione petita, eandem sufficere asserebant. Nihil autem ab iis speciatim, sed communiter generatimque statuebant, atque iam κοινότητας, hoc est, *communitates* nominabant, quæ vbique & in singulis pathematis sunt: vt communitas de Methodicorum sententia non sit, nisi res in pluribus eadem. Atq; horū sane quidam, Thessalii nimirum asini, morborum omnium, qui ex victus ratione proueniunt, alii simpliciter omnium, duas communitates, & tertiam quandam ex illis mistam ostendere nitebantur. Nominabant vero has ipsas στέγνωσιν καὶ ῥύσιν, vel στεγνὸν καὶ ῥοῶδες, id est, *adstrictionem & fluorem, vel adstrictum & fluens.* Adstrictionem autem dixerunt esse *meatuum densitatem, & necessariorum excrementorum suppressionem.* Fluorem vero *immodicam meatuum rarefactionem, & eorum quæ retineri debuerant, excretionem.* Quum autem simul supprimerentur & efferrentur, complexū mistionemue tum constitui affirmabant, quemadmodū in oculo, qui phlegmone simul & defluxione laborat. Siquidem phlegmonen, quæ illis adstrictū malum erat, quum non sola nunc, sed cum defluxione in vno eodemque loco orta est, *malum compositum mistumq;* esse dicebant. Ceterum indicationem eius, quod confert, in adstrictis quidem laxitatem esse, in fluentib. vero suppressionē asserebant. Verbi gratia, *si genu tumore laborabat, relaxandum esse aiebant: sin aluus aut oculus fluxione vexabatur, cohibendam atque comprimendam præcipiebant.* In mistis autem, ei quod vrgeret, vtpote magis infestanti, periculumque minitanti, resistendum. Hoc idem est, quod illi vehementiori E occurrendum esse potius, quam alteri, dicebant.

Methodici. — κοινότητες. Communitas quid — στέγνωσις. ῥύσις. στεγνόν. ῥοῶδες. Adstrictio. Fluor. Complexus mistio. — D

Rationales seu dogmatici. Tertia secta est eorum, qui se a ratione, cui innituntur, rationales & dogmaticos nominant. Hi sane naturam corporis, cui mederi conantur, diligenter perdiscunt, omnium signorum exquisita habita ratione, caussarū omnium, in quas quotidie corpus incidens, vel salubrius, vel insalubrius seipso efficitur, vires inquirūt. Pręter hęc aeris ēt, aquarum, locorum, regionumq; naturæ, vitæ, studiorum, ciborum, potuū, & consuetudinum medicum peritum esse oportere aiunt, vt morborum omnium caussas, & remediorū facultates inueniat. Insuper eū esse, q. cōiicere, & raticinari possit, medicamētum huiusmodi facultate præditum, si huic generi caussæ adhibeatur, certum aliquid effecturum esse. Negant enim illum inuenire remedia posse, priusquam in iis omnib. multifariam sit exercitatus. Curationis denique indicationes non solum ab ipso effectu, ve- F rum etiam ab ægrotantis viribus, necnon ab ætate anni, tempore, ægri natura, regione, partibus corporis, & aliis omnibus, quæ paulo ante commemorauimus, elicere, cōgruentiaq; morbis semper accōmodare præsidia, in summa, semper cōtraria affectib. præter na-

A ter naturam ministrare medicum debere affirmant. Ceterum non eunt inficias, expe-
rientiam quoque esse necessariam, negant tamen per eam omnia posse inueniri. Siqui-
dem duo sunt instrumenta apud omnes homines ad res inueniendas necessaria, & quæ
fidem faciunt iis, quæ recte sunt inuenta, nempe ratio & experientia. Quapropter ad
experientiam aditum commode fieri non posse, nisi per aliquam rationem conten-
dunt, quod alias incerta parumque sibi constans, &, *vt Hippocrates ait*, periculosa, fallax-
que sit. Atque hæ quidem tres præcipue medicorum fuerunt sectæ.

Experientia necessaria, atqui non sola.
Duo instrumenta ad res inueniendas necessaria.

Qui trium sectarum principes exstiterunt. CAP. IX.

PRioris sectæ, quam Empiricam vocarunt, auctor & princeps exstitit Philinus Cous,
qui primus eam a rationali separare ausus est, occasione ab Herophilo, cuius audi-
B tor fuit, accepta. Quum autem Empirici suam sectam primam esse vellent, & Rationali
vetustiorem, *Acronem Agrigentinum* ei dedisse initium finxerunt. Quam sane famam
secutus Plinius Empiricen in Sicilia a Creonte Agrigentino cœpisse tradit. A Philino
Serapion Alexandrinus in ea secta floruit. Cornelius Celsus *in præfatione libri septimi*
Empiricen in Aegypto quoque increuisse tradit, Philoxeno maxime auctore, qui plu-
ribus voluminibus hanc partem diligētissime comprehendit. Gorgias etiam & Sostra-
tus, & Hieron, & Hammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, singuli quæ-
dam repererunt. Ac Romæ quoque non mediocres professores, maximeque Tryphon
pater, & Euolpistus, & horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis, ali-
quantulū ei disciplinæ adiecerunt. Dein Apollonii duo pater & filius Antiocheni. Hos
C secuti sunt Glaucias, Menodotus, Sextus, Heraclides Tarētinus, & alii, quorū sæpe apud
Galenum fit mentio in ea secta floruerunt, illamque quasi corroborarunt. Alteram se-
ctam, Methodicen dictam, Themison Laodiceus Syrius incepit, qui ab Asclepiade ra-
tionali institutus, occasione nacta ad methodicę sectæ inuentionē se contulit. Hinc est,
quod Galenus illum multis in locis *communitatū repertorem* nominet. Hanc vero sectam
subinde Thessalus Trallianus absoluit, qui, *vt Plinius lib. 29. cap. 1. auctor est*, sub Neronis,
immanissimi Tyranni, & pessimi nebulonis principatu vixit, cunctaq; maiorum placita
deleuit, ac rabie quadā in omnes sui æui medicos perorauit. Tanta n. huius belluæ fuit
arrogantia, vt monumēto suo in via Appia sese ἰατρονίκην, hoc est, *medicorū victorē*, inscri-
pserit. Nec minor illius asini fuit impudentia, vt qui sex mēsium spatio se vniuersam vel-
D le tradere medicinam suis discipulis nullo suffusus pudore sit pollicitus. Post hūc Mna-
seus, Dionysius, Proclus & Antipater secuti sunt. In ea vero secta, de quibusdā dissense-
rūt Olympiacus Milesius, Menemach⁹ Aphrodisæus, & Soranus Ephesius, *vt liquido ex
iis, quæ lib. 1. Thera. Methodi scribit Galenus, omnib. cōstat.* Tertiæ vero sectę auctor & princeps
fuit Hippocrates Cous, medicorū omniū, citra controuersiam, summus. Post hūc Dio-
cles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Chalcedonius, Erasistratus Chius, Mne-
sitheus Atheniensis, Asclepiades Bithynus, Cienus, qui & Prusias dictus est, aliiq; multi,
quorum passim in Galeni monumētis mētio fit, floruerunt. Ceterū priorum duarū se-
ctarum principū placita, vtpote manifeste falsa & a veritate abhorrētia, Galenus *in libr.
de optima secta ad Thrasybulum* luculentissimis argumentis refellit, & explodit, quemad-
E modum etiam in eo, quem *de sectis ad eos, qui introducuntur*, inscripsit.

Empiricæ auctores & princīpes.
Philinus.
Acro Agrigentinus.
Libr. xxix. c. 1.
Serapion.
Apollonii
Glaucias.
Menodotus.
Sextus.
Heraclides.
Methodicę.
Themison Communitatū repertor.
Thessalus
Rationalis.
Hippocrates.
Diocles.
Herophilus.
Praxagoras.
Mnesitheus.
Erasistratus.
Asclepiades.
Cienus.

Vniuersæ medicinæ in tres ordines distributio. CAP. X.

MAiores nostri prudenter ac scite admodum vniuersam medicinam in tres ordi-
nes digesserunt, idq; non alio sane consilio, quam vt ad eos artis medicæ studiosi
diligenter respicerent, inq; illos quicquid vsquam apud probatos medicinæ scriptores
inuenissent, referrent, adeo vt si quid illis explicandum declarandumue occurreret, ex
istis statim, ceu communib. locis ac formulis peterent. Non parū itaq; hac ratione me-
moriæ studiosorum consulere voluerunt, ꝙ ex iis ordinib. facile quid illis vel dicēdum
esset, vel faciendum, statim suppeteret. Primus ordo earum est rerū, *quæ corpus humanum
compingunt, & constituunt.* Et placuit illis viris, eas res, ex quib. corpus nostrū compactū
F & constitutum est, appellare naturales, quod scilic. ad humani corporis naturā ac sub-
stantiam perficiendam concurrant. Siquidem natura, vt *lib. 3. de temp. cap. 4.* attestatur
Galenus, aliud non est, quam vniuersa substantia, & temperies ex primis elementis
conflata. Hinc est, quod Hippocrates librum suum, in quo e quib. elementis humanum
corpus fabricatū sit, inquirit, *de natura hominis* inscripserit. Secūdus ordo earū est rerum

Tres vniuersæ medicinæ ordines.
Primus ordo.
Res naturales.
Natura quid.
Secundus ordo.

quibus corpus humanum, vt sanum permaneat, fouetur ac conseruatur. *Has veteres medici*, non naturales nominauerunt: nō certe ideo, quod in vniuersum & simpliciter corpori nostro aduersentur, aut illius naturæ contrarię sint, sed quod sinistre adhibitæ, corpus humanum alterent, adeoque eius temperamentum ac constitutionem naturalem, sanitatemq; destruant. Atq; hinc est, quod rectissime Galenus *cap. 85. artis medicæ* eas nominet res nostrum corpus necessario alterantes, vt infra fusius dicemus. *Tertius ordo* earum est rerum, quæ humanum corpus lædunt ac corrumpunt. Has sane præter naturam nuncupauerunt, quod nimirum humani corporis naturæ omnino aduersentur, & contrariæ sint. Galenus *libro 2. Therap. Metho.* & multis aliis locis *affectus præter naturam* vocat, quod scilicet corpus nostrum præter naturam afficiant. Hos itaque iam commemoratos tres rerum, vt ita dicam, medicarum ordines, prout instituti ratio postulat, seorsum nunc prosequemur, a naturalibus nominatis orsi.

(Margin: Res non naturales. Res corpus nostrū necessario alterantes. Tertius ordo. Res præter naturam. Affectus præter naturam.)

De primi ordinis seu naturalium rerum numero. Cap. XI.

PRimi ordinis *res* veteribus *naturales* appellata, ea medicinæ pars docet, atq; complectitur, quā supra a Græcis φυσιολογίαν nominari diximus. Quippe hæc de iis tractat rebus, quæ ad naturam, adeoq; humani corporis substantiam ac constitutionem pertinēt. Merito autem harum rerum tractatio primum sibi vēdicat locum, quod nemo recte de ceteris reb. medicis disserere possit, nisi prius vniuersam corporis constitutionē ac naturam exquisite perspectā habeat. Quapropter qui recte & ordine medicā artē cognoscere, eamq; subinde cū dignitate & laude exercere volunt, ii plane strenuā dabūt operam, vt q̄ tum veteres tum recentes probati auctores de reb. naturalib. recte memoriæ prodiderunt, perdiscant. Res autem ad corporis nostri naturam & cōstitutionem concurrentes, quas naturales paulo ante dici ostendimus, septenario comprehenduntur numero, horumq; hæc, quę sequuntur, sunt nomina.

(Margin: φυσιολογία. Res naturales numero septem.)

1. *Elementa quatuor, Aer, Ignis, Aqua, Terra: vel qualitatum nominibus, Hippocratis more, vtendo, calidum, frigidum, humidum, & siccum.*
2. *Temperamenta, temperatum, calidum, frigidum, humidum, siccum.*
3. *Humores, sanguis, pituita, bilis, flaua, & atra.*
4. *Partes, caro, os, membrana, neruus, vena, arteria, cor, iecur, caput, manus.*
5. *Facultates, animalis, vitalis, naturalis.*
6. *Actiones, animalis, & naturalis.*
7. *Spiritus, animalis, vitalis, naturalis.*

Quas vtiq; res naturales septem pro instituti nostri lege, breuiter & ordine quoad possumus, optimo enarrabimus, ab elementis auspicati.

DE ELEMENTIS.

Sectio II.

Quid elementum. Cap. I.

Vm elementi vox ambigua sit, deq; multis rebus efferatur, sciendum principio erit, nobis hoc loco de communib. omnium rerum, & primariis elementis esse sermonem. Quorum vt exquisitam habeamus notitiam, *quid sit elementum*, initio nobis definiendū erit. Nam vt prudentissime in officiis Cicero monuit: *Omnis quæ a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, vt intelligatur quid sit, de quo disputatur.* Elementum itaq;, *Galeno lib. 1. de elementis auctore*, est minima rei, quam cūstituit portio. Vel, *vt idē lib. 8. de Hippocratis & Platonis placitis ait*, est *minima pars eius rei, cuius elementum exsistit.* Licebit & hunc in modum finire: *Elemētum, est prima & simplicissima portio, ex qua quidque primum constituitur.* Ceterum minimum est, *quod amplius suscipere sectionem nequit.* Simplex vero, *quod immistum intemperatumue, & qualitate summum exsistit.* Minima itaq; pars est elementum, non quidem sensu, quod multæ particulæ ob paruitatem sensum effugiant, sed reuera. Neq; n. vere elementorū sensus iudex exsistit. Nō igitur particula, quæ minima, simplicissima, & primaria videtur, sed q̄ natura talis exsistit, vere elementum est. Proinde Hippocrates humanæ naturę elemēta cōsiderans, ea sane, quæ sensu & simplicissima, & primaria sunt contemnit: quę aūt vere & naturaliter sunt elementa, inquirit. Hippocratem igitur imitantes, non eam q̄ minima primariaq; pars apparet, elementū esse dicamus: sic n. alia quidē aquilis, & lynceis, & si q. alii homines vel animātes acerrimi visus sunt alia nobis singulis elemēta apparebūt: sed

(Margin: Elementū quid. Minimū. Simplex. Sensus vere elemētorum iudex nō est. Hippocrates quæ elementa inquirat.)

A sed quæ natura & reuera prima, simplicissima sunt, & in alia dissolui amplius nequeunt. Proinde quemadmodum Grammaticorũ elemẽta seu literæ compositę vocis minimæ sunt partes: sic etiam Mundi elementa humani corporis. Quippe voces compositæ omnes hę sunt: *Iram pande mihi Pelida diua superbi.* Vnaquæque autem harum iterum in syllabas, syllabæ rursus in elementa seu literas secantur. I, namq; prima syllaba vno constat elemento, *ram*, tribus composita est, quorum nullum in alia minora partiri potest. Pari ratione humanum corpus quoddam est, cuius partes sunt caput, manus, pedes, & id genus aliæ: quarum vnaquæque iterum ex similaribus dictis partibus, de quibus suo dicemus loco, composita est: atque hæ quidem rursus ex quatuor humoribus & semine constant. Quæ tandem ex elementis, multis tamen interuenientibus mutationibus, gene- Exemplũ

B rantur. Vt hinc constet elementa esse, & dici merito *minimas, primas, & simplicissimas humani corporis partes*: Si minimæ sunt, non possunt igitur amplius sectionem suscipere, & in alias dissolui. Si primæ sunt, iis nullæ aliæ sint priores, oportet. Si simplicissimæ, immistæ minimeq; temperatæ, & qualitate summa sint necesse est. Rectissime igitur in *libro primo de elementis* Galenus tradit, *in solis elementis qualitates intemperatas mistura ve expertes inueniri, summam quidem in igne caliditatem & siccitatem, in terra summam frigiditatem & siccitatem, in aere summam caliditatem & humiditatem, in aqua summam frigiditatem & humiditatem.* Contra falso Philosophi alteram qualitatem in elementis esse remissam retusamue asserunt. Nam si vera illorum esset sententia, sequeretur, in igne non solam esse siccitatem, sed etiam aliquas humiditatis portiones, quæ nimirum illius siccitatem retunderent, adeoque non simplicissimam & immistam. In elementis vtræq; qualitates summæ.

C Siquidem, *vt recte libro tertio de simplicium medicamentorum, faculta. cap. 14.* dixit Galenus: *Contrariorum mistura qualitatum summitates frangunt.* Verum ea de re plura in commentariis nostris *libr. 1. cap. 2. de temperamentis* diximus, ad quem locum nunc lectorem ablegamus. Contrariorum misturæ qualitatũ summitates frangunt.

Quot numero elementa. CAP. II.

HActenus quid sit elementum, monstrauimus, nunc inquirendum est nobis, *num vnum tantum specie sit elementum, an plura potius & diuersa, sibique dissimilia.* Non esse autem hominis, aliorumque corporum primum elementum vnum, hinc maxime liquet. Si enim homo esset vnum, hoc est, vnico ex elemento conflatus, neutiquam doleret. Quippe vnum est immutabile, cum non sit ei, nec a quo, nec in quod permute-

D tur. *Quod non immutatur, id pati non potest. Impatibile rursus doloris expers sit oportet.* Verum *homo dolet, quia nimirum temperamenti alterationem, & continuitatis diuortium sustinet*, igitur *non est vnum.* Eadem quoque ratione licet Epicuri, Democriti, & Leucippi sententias conuellere, qui atomos, omnis prorsus qualitatis atq; alterationis expertes necnõ incõpactilia corpuscula introduxerunt vniuersæ generationis primordia. Siquidem homo haud doleret, si ex talibus corpusculis componeretur. Quippe necessum est, vt id quod dolet, tum sensus, tum etiam alterationis sit capax. Si enim ab omni penitus alteratione sit alienum, eũdem omnino statum, quem ab initio sortitum est, perpetuo seruabit, nec quicquam immũtabitur. Iam vero si transmutetur quidem, sed nulla sit illi innata sentiendi vis, nihil propterea magis affectus ipsos sentiet, quam lapides, dum calefiunt, refri- Hominis elementũ non est vnum.

E gerantur & finduntur. Quum itaque atomi neutrum sortiti sint, adeoque nec alterari, nec sentire possint, certe si ex eis, aut alia quapiam huiusmodi vniformi natura concreti essemus, non vtiq; doleremus: dolemus autem, *nequaquam* igitur *sumus ex simplici aliqua, vniformique substantia conditi.* Quapropter quum elemẽtum non potest esse impatibile, non erit etiam specie vnum. Quippe quod vnum est, semper est impatibile, cum nihil reliquum sit, in quod transmutari, aut a quo pati, vt diximus, queat. Quicquid enim trãsmutatur, in alterum transmutatur, & quod patitur, ab altero patitur. Quare plura esse elementa, necesse est. Quum autem quatuor sectæ omnes sint eorũ, qui in vniuersum de elementis differunt, *vt copiose libro primo de elementis ostendit Galenus*, ij certe, qui ex igne, aqua, aere, & terra inuicem transmutatis atque alteratis, & ad temperamentum, quod-

F dam reductis, corpora nostra gigni voluĩt, consentanea pronũtiant. Quatuor igitur sunt omnium rerum cõmunia & primaria, ex quibus, & in quæ simplicissima cuncta & constant & resoluuntur, elementa, *ignis, aer, aqua, & terra.* Vel certe de Hippocratis sententia, qui *in libro de humana natura inscripto*, & alias etiam, qualitatũ nominib. appellat elementa, *calidum, humidum, frigidum, siccum.* Calidum n. is appellat *neq; solam qualitatem, neque* Elementa quot.

Calidum quid Hippocrati significet. Frigidum. Humidũ. Siccum. Animantium corpora non ex qualitatibus duntaxat elementorũ nasci.

quod per excellentiam ipsi simile nomẽ sortitur, sed corpus summæ compos caliditatis: frigidũ, *in quo extrema frigiditas:* humidũ, *in quo suprema humiditas:* & siccũ, *in quo summa siccitas exsistit.* A

Proinde iuxta Hippocratis etiam assertionem, animãtia non ex qualitatib. tantũ: vt quib. sine corporibus ne esse quidem licet: sed ex ipsis corporibus, quæ summas qualitates receperunt, nasci constat. Atq; substantiæ quidem elementorum animali diem obeunte, abeunt, mundiq; seu vniuersitatis elementis permiscentur. Qualitates vero animante vita defuncta, corrũpuntur, ad propriam aũt naturam non redeũt. Quod plane Hippocrates *in libr. de humana natura* iis innuere etiam verbis voluit; *Homine,* inquit, *fato fungente, frigida in propriam reuertuntur naturam, siccum in siccum, humidum in humidum, calidum in calidum, frigidum in frigidum. Huiusmodi tum animantium, tum aliorum omnium natura est. Nam cuncta similiter oriuntur, atque similiter occidunt. Siquidem natura ipsorum & ex iis omnibus, quæ diximus, constituitur, & singula in idem, vt dictum est, vnde cõstituta sunt desinunt, igitur eodem etiã tandem recedunt.* Hæc ille. Quare non est quod quispiam putet illum ex qualitatibus, quæ ne seorsum quidem a corporib. consistere possunt, animalia gigni arbitrari, sed ex corporib. quib. summæ illæ qualitates insunt. Vt hinc omnib. perspicuum fiat apud multos iuniores puerilem vereq; inanem percrebuisse opinionem, qua ii vetere spreta Philosophia decreuerunt, non elementorũ substantias, sed qualitates, seu, vt ipsi loquuntur, vires duntaxat in nobis asseruari. B

Elementorum substãtiæ, non qualitates seu vires in nobis asseruantur.

Quod elementa in animalis constitutione non maneant pura. CAP. III.

CVm iam ostensum sit nobis, ignem, aerẽ, aquam & terram esse prima, communiaq; & simplicissima rerum omnium elementa, adeoq; ex iis tum stirpes, tum animalia omnia gigni, reliquum est nunc, vt inuestigemus, num hæc ipsa in animantis constitutione maneant pura, & impermista, aut inter se temperent? Quamuis itaq; corpora animantium non solũ ex qualitatib. sed & ipsis substantiis elemẽtorum, quib. qualitates illæ insunt, nascantur, non manent tñ in animalis constitutione pura & impermista, sed inter se confunduntur, & temperantur, ita sane vt vnũ aliquod ex iis procreetur, q; neq; ignis, neq; aer, neq; aqua, neq; terra dici possit, q; deinde a forma, quę iuxta elementorũ proportionem producitur, denominationem suam sortitur. Proinde simile quid in elementorum mistione accidit, quod in emplastro, quod τετραφάρμακον appellant, euenire solet. Huius enim exemplo, Galenum sequuti, vtemur. Quemadmodũ enim hoc neq; ceram, neq; picem, neq; resinam, neq; adipem, etsi ex iis compositum est, recte dixeris: ita quoq; id, q; ex quatuor elementis constat, neq; ignem, neq; aerem, neq; aquam, neq; terram, sed animal, verbi gratia, vel stirpem, nominabis. Non est igitur, vt cum Empedocle quis affirmet, elementa exiguarum partium sola appositione permisceri, cum illorum substantiæ, ita inter se misceantur, confundantur, ac temperentur, vt simplex, nõ temperatum, & immistũ in animantium corporib. elemẽtum nullum reperiatur. Quapropter maiorem in modum quispiam ineptiret, si propterea quod nullum ex quatuor elementis solũ syncerumq; cõspiciatur, inficiaretur ea omnia simul in eo reperiri. Esset n. hoc perinde, ac si quis credere nollet, tetrapharmacum ex cera, resina, pice, & adipe componi, quoniam eorum nullum integrum syncerumq; contineri in eo videat. Igitur tametsi nullum ẽt e quatuor elementorum numero integrum syncerumq; in animantium corporib. reperiatur, tñ non est propterea dubitandum, quin illa ex iis confusa & temperata sint. *Et cur quæso quis sibi in animantium corporib. terram ostendi postulat, quæ syncera sit, atq; impermista: cum eiusmodi ne in vniuerso quidem a se ostendi queat?* Quam cunque enim particulam eius acceperit, ea statim erit alicuius caloris, humorisq; cuiusdam, & aereæ substantiæ particeps: cum tamen terra ea, quam elementum esse opinamur, sit quã maxime densa, grauisq; & sicca, & præterea frigida. Quod si tu in mundo lapidem mihi ostenderis, ferreum sane corpus, ego tibi illi simile aliquid in animantium corporibus, ossium nempe cartilaginum, pilorum, testarumq; genus ostẽdam. Quare si cupis in animante terram intueri, eandem habes, qualem in vniuerso. Eam vero quæ sola sit, & cuiusq; misturæ expers, neq; in illo facile reperias, quemadmodum neq; aquam purã, quæ aliorum nulli commista sit, nec ignem, nec aerem. Sunt etenim hæc omnia quasi adulterata, & aliis quæ sunt diuersi generis, mista. C D E F

Emplastrum tetrapharmacum. Empedoclis opinio refutata. Elementũ purum in animaliũ corporib. nullũ reperiri. Terra elementaris eiusmodi.

Num alicubi sint pura elementa.

Quod non ita intelligas velim, quasi nusquã syncerę elementorũ naturæ habeantur. Nam tametsi, quæ apud nos exstant, quorumq; sensus iudex est, impura sunt omnia, syncera

A syncera tamen vspiam esse: quæ principia sint, & velut fontes, e quib. ista fluxerunt, necesse est. Horum tamen vere elementorum, sensus, vt diximus, iudex esse non potest. Desinas igitur in animalium corporibus in mistum quippiam disquirere, sed satis sit, si aliquam videris particulam frigidam, siccam, & densam, teræ meminisse: si vero humidam, raram, & fluxilem, in aquæ considerationem venisse. Calor autem in corpore animantis exsuperãs, ignem tibi repræsentet. Vbi naturã spiritus, citra quẽ animal constare nequaquam potest, perpẽderis, aer animo tuo occurrat. Proinde cum in animantium corporibus nihil sit syncerum, & impermistum, rectissime Hippocrates non hominis modo, sed aliorum quoque animantium naturam, ex calido, frigido, humido, & sicco inuicem commistis, ac temperatis constare tradidit. Nisi enim inuicẽ elementa B commiscerentur, homo, aut quoduis aliud animal, consistere haud posset.

Nam quamcunque corporis particulam summis suis qualitatibus præditam singulatim occuparent, eam haud dubio corrumperent. Nulla siquidem in summo calidum, aut frigidum, aut humidum, aut siccum, salua tolerare posset. Non igitur solum ex inuicem commistis, & sic qualia sunt remanentibus elementis, veluti in tritici, hordei auenæ, fabarum, & eruorum aceruo fit, sed alteratis, transmutatisque, & per tota commistis, animantium corpora generari Hippocrates statuit. Sed hic quæri solet, *num elementorum substantiæ, an qualitates solæ totis totæ misceantur.* Siquidem veterum ea de re duplicem fuisse opinionem constat. Aristoteles namque, ceterique Peripatetici, *vt libr. 1. Terap. metho. cap. 2.* attestatur Galenus, qualitates tantum in se mutuo transire, omnino- C que misceri: Stoici non has modo, sed etiam substantias ipsas, existimant. Quanquam autem hoc definire medico superuacuum est, *vt loco iam citato, & in fine libri primi, de elementis, Galenus docet*, hincque adeo factum est, vt nec Hippocrates de iis quippiam pronuntiarit: tamen præstat Aristotelis, & Peripateticorum amplecti sententiam, & qualitates virtutesque in mistis totas esse totis permistas affirmare. Id quod etiam Galenus loco paulo ante demonstrato facit, vbi elementa suis qualitatibus duntaxat tota totis misceri scribit. Fieri enim non potest, sed ne intelligi quidem, vt corporum substantiæ totæ totis misceantur, seque mutuo penetrent, & eodem prorsus situ constitutæ sint, & collatæ. Quanuis autem totæ totis non misceantur, mutantur tamen & alterantur elementorum in misto substantiæ. Si enim integræ & illæsæ manerent, nihil dissimile D sibi compositum redderent. Sed quod ex iis componitur, dissimile est, igitur substantię illorum immutatæ, & integræ haud manent. Negandum autem minime erit, substantiam per se totam alterari: hac namque ratione dolorem, voluptatem, sensum, memoriam, ratiocinationem, ipsamque adeo animam, in qua hæ alterationes fiunt, e medio tolleremus. Ceterum mutuæ inter se transmutationis elementorum caussæ non sunt nisi summæ, quas illa obtinent, qualitates subiectam substantiam alterantes. Siquidem hæ vniuersam substantiam transmutant, atque alterant, & natura primæ sunt, rerumque omnium communes, & elementorum constitutrices, ac opifices. Proinde recte Hippocrates non hominis modo, sed aliorum etiam omnium naturam, ex calido, frigido, humido, & sicco, esse constitutam pronuntiauit. Nam hæc vt in confesso est apud E omnes, mutuo in se agunt, & quod agunt id neque concretione secretioneque habent, sed quod ipsa substantia per se ipsam tota patitur, & alteratur. Iam igitur abunde constare arbitramur in mistis manere elementorum substantias, sed mutatas, ita sane vt libere, aut sui iuris non sint, vinctę scilicet, ac quasi interceptæ mutua qualitatũ pugnantia, vt pristinas vires exprimere haud valeant, neque ignis vrere, neque aqua impense refrigerare possit. Neque enim æque valentes vires retinent in mistis, vt antea, vbi syncera erant, vtpote suis actionibus a contrarii elementi actione oppugnatis, & fractis.

Vtrum elementorum substantiæ an qualitates solæ totis totę misceantur.

Substantia per se tota alteratur.

Qualitates transmutationis elementorum caussæ.

Elementi & principii discrimen. CAP. IIII.

F NOn prætereundum nobis hoc loco erit, *quod elementum a principio differat.* Elementa enim sunt corpora, *vt comprehensum est, simplicia, ex aliis se simplicioribus facta, quæ in partes diuersarum specierum diuidi nequeunt, ac plane eiusdem sunt generis cum iis, quorum sunt elementa.* Principia vero sunt, *quæ non fiunt ex se vicissim, neq; ex aliis, sed ex se omnia, quæ naturaliter fiunt, producunt, nec cum rebus, quarum sunt principia, eiusdem esse generis pos-*

Elementũ.

Principiũ.

Elementa non sunt qualitates.

sunt. Ex quibus sane notionibus liquet principio, quod elementa non sint qualitates, *vt nonnulli putarunt*, sed potius substantiæ, quibus quatuor qualitates insunt. A

Corpora namque cum sint, vt eorundem notio attestatur, substantiæ quoq; sint, & nequaquam qualitates, est necesse. Porro cum elementa sint corpora, mistionis tamen & temperaturæ expertia, constat etiam ea, quorum sunt elementa, esse corpora, non tamen simplicia, sed mista. Siquidem elementa cum iis, quorum sunt elementa, eiusdem generis esse oportet: vt igitur mista, quę ex elementis constant sunt corpora, ita etiam elementa. Porro principia non sunt nisi quatuor qualitates, nempe summa caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas, vna cum materia, quæ omnibus elementis subiecta est, quæque omni caret qualitate, & vt ortus, ita etiam interitus expers, atque a Philosophis prima dicitur. Siquidem ex iis elementa, & omnia alia sunt procreata. Nam quum summa caliditas ad materiam accedit, ignis procreatur: quum summa frigiditas, aqua. Simili modo aer fit, vbi materia in se receperit summã humiditatem: terra vero, quum siccitatem. Necesse est igitur hunc in modum subiici quiddam, in quo seruato, ac superstite, fiat rerum conuersio. Ex quo intelligitur, *materiam nec vllo ortu generatam, & indissolubilem ac immortalem seculis omnibus esse.* Præterea non sunt cum rebus, quarum sunt principia, eiusdem generis. Quippe hæc elementorum, quæ, *vt ostendimus*, corpora esse constat, sunt principia, adeoque diuersi generis, nempe qualitates. Quod vero ex iis principiis omnia alia naturaliter fiant, exemplo constitutionis hominis demonstrasse satis sit. Ex primis simplicissimisque elementis sensilibus, quæ similaria dicuntur, *fibra, membrana, carne, adipe, osse, cartilagine, ligamento, neruo, medulla, & omnibus aliis*, quorum vniuersæ particulæ eiusdem inuicem sunt speciei, eandemque omnino formam retinent, homo constat. Hæ rursus ex aliis quibusdam ipsis proximis gignuntur elementis, *sanguine* nimirum, *pituita, & vtraque bile, flaua scilicet, & atra.* Quæ iterum ex illis ortum habent, quibus vescimur, quæque bibimus. At hæc ex *aere, igne, aqua, & terra* gignũtur. Ipsa vero hæc ex nullo amplius corpore alio constituta sunt, sed ex materia & qualitatibus. Quapropter hæ, ignis, aquæ, aeris, & terræ principia erunt. Igitur expedit hanc principii & elementi probe tenere differentiam, vt hinc intelligamus, cur Philosophi secus ac medici a principiis potius quã elementis, ordiendum esse iudicauerint. Quippe caussas illi quærunt, cur inter se elementa misceri ac transmutari possint, quę non sunt, vt dictum est, nisi qualitates, vtpote quæ subiectam alterant substantiam, ac stirpes & animantia efficiunt. Medici autem id, quod a Philosophis est demonstratum, assumunt, atque ab elementis ipsis auspicantur. Quæ illis ideo sunt consideranda, vt cognoscant ex horum legitima & conuenienti temperatura sanitatem constitui: ex eorundem autem parum recta ac vitiosa mistione, morbos accidere. Atque hæc pro instituti nostri ratione de elementis dixisse sufficiat. Quod si alicui de iis plura cognoscere libet, Hippocratem *in libro de natura humana* inscripto, & Galenum *in suis cõmentariis*, quos in hunc Hippocratis librum exarauit, & librum eiusdem primum *de elementis* legat is.

Elementa cũ iis quorum sunt elementa, eiusdem sunt generis. Principia quæ. Materia prima. Materia prima perpetua. Elementa prima perpetua. Partes reuera similares. Cur principii & elemẽti differentia tenẽda. Philosophi cur a principiis exorsi. Medico elemẽta cur consideranda.

B C D

DE TEMPERAMENTIS SECTIO III.

E

Quid temperamentum? CAP. I.

POST elementa, vt de temperamentis disseramus, quandoquidem inter res naturales vocatas secundum obtineant locum, ordinis ratio exigit. Temperamentum autem non est, *nisi ex quatuor elementis, seu calido, frigido, humido, sicco, constans mistura*, vel, *est concentus quidam quatuor qualitatum principum, ex omnium elementorum permistione.* Nec temere adiectum est *ex quatuor elementis*: neque enim sine elementorum omnium mistione temperamentum induci potest. Non enim si quis aquam & ignem paribus, quodãmodo portionibus coire & coalescere statuat, hincque mutua repugnantiarum vi temperationem quandam inferri, ea protinus temperamenti rationem subit, ita vt neq; ex duobus illis facta perfusio, exacta mistio censeatur. Perfectum enim non est, sed incoatum, atque mancum, quod ex duorum triumue duntaxat elementorum connexione fit: cuiusmodi est plurimum genus eorum, quæ ex sublimi deturbantur, μετέωρα Græci nominant. Quapropter temperamentum *est quatuor elementorum permistio.* Per elementa vero non solum qualitates F

Temperamentum quid. Concretis mistisque corporibus gignendis vnius elementi materia satis esse nõ potest. μετέωρα.

A qualitates ipſas, ſed & ſubſtantias, quibus qualitates inſunt, eſſe inaudiendas ex præcedentibus notum eſt. Quippe clariſſimorum Philoſophorum imitatione, vt qualitates elementorum, ſic omnino etiam ſubſtantias in miſto compoſitoque retineri, harumque confuſione & miſtura temperamentum conſtare fatendum. Ridenda igitur eſt Auicennæ Fen. *prima Canonis primi, doct. 3. cap. 1.* inepta opinio, qui primarum qualitatum actione mutua quintam qualitatem, eamque ſimplicem, emergere putauit, quæ vna reliquis omnibus in congreſſu pereuntibus ſuperſtes maneat. Id enim quam abſurdum ſit, hinc in primis patet, quod fieri nequeat, vt omnes per actionem qualitates diſſolutæ euaneſcant, neque non ea tandem ſuperet, quæ validior quum eſſet (neque enim elementorum omnium par in temperatura) portio conflictus principia dedit. Præterea, B ſi plura, eaque contraria illi non inſunt, qui fiet temperamenti per ſingulas ætates immutatio? Quæ denique inſita erit illi cauſſa morbi, ſenii, & interitus? Adde, quod neque dum animal fato fungitur, poterunt ſubſtantiæ elementorum ſuis qualitatibus inſtructæ, recedere, mundique elementis immiſceri, quandoquidem iam qualitates earundem diſſipatæ ſint, nec in compoſito manſerint. Dictum enim ſupra eſt, elementorum ſubſtantias animante diem obeunte quidem recedere, mundique elementis immiſceri: qualitates tamen poſt animalis vitam vere corrumpi, nec ad propriam naturam redire. Quocirca nouam illam qualitatem pro temperamẽto inuehere, vanitas quædam opinionis eſt, ex omnium animis explodenda.

Non ſolum qualitates, ſed etiam ſubſtantiæ elementorum in miſtis manẽt.

Opinio Auicẽnæ qui quintam, adeoque nouam pro tẽperamento inuexit qualitatem exploſa.

C *Temperamentorum differentiæ quot qualeſque ſint.* CAP. II.

EX elementorum temperatura miſturaue nouem in vniuerſum temperamentorum differentiæ, quorum vnum temperatum, alia autem octo intemperata ſunt, emergunt, de quibus ordine diſſeremus, a temperato exorſi. Temperatum autem, quod Græcis εὔκρατον, id eſt, *bene temperatum*, & σύμμετρον, hoc eſt, *moderatum*, noſtræ ætatis medicis *æquale* dicitur, duplex exſiſtit: vnum temperatũ ſimpliciter & abſolute, alterum vero temperatum in ſingulis generibus. *Temperatum abſolute ſimpliciterue*, hoc eſt, *elementorum & contrariorum inter ſe collatione, eſt, in quo elementorum & contrariorum æqua prorſus portio exſiſtit.* Hoc ſane temperamentum optimum, exquiſitum, abſolutum, ſummum, & D ad vnguem mediocre, ac medium quoque appellatur. Siquidẽ ipſum in vniuerſa ſubſtantia vere, adeoque pondere medium exſiſtit. Hinc eſt, quod a noſtri ſeculi medicis *æquale ad pondus* nominetur, ꝙ nimirum in eo par & æqualis commiſtorum elementorum ſpectetur moles. Hoc Galenus *lib. 1. de tuenda ſanitate* cogitatione potius vſurpari, quam ſolide ſubſiſtere ſcribit. Proinde ſi alicui vnquam contingit, aut in animali corpore viſum eſt, ne momento quidem, vt idem ait, durauit. Temperatum vero in ſingulis generibus eſt, *quod a prioris profectione, abſolutaque illa, & exquiſita miſtione paululum abeſt, & in quo ea contrariorum elementorum mediocritas conſiſtit, quæ tum animantis, tum ſtirpis naturæ maxime conuenit.* Hoc itaque temperatum, moderatumue dicitur, non quidem ſimpliciter, vt præcedens, ſed in ſuo genere. Hoc igitur modo temperatum eſt, quod E generis ſui decoram illam & conſentaneam æquabilitatem eſt adeptum, qua tanquam numeris omnibus abſolutum, ſalubriter, integre, & naturæ ſuæ congruenter ſe gerit, omnibuſque muniis, ad quæ natura ſua ducitur, rite fungitur. Quapropter tum animal ac ſtirpem optime ſe habere dicimus, quum ſuam functionem optime & citra reprehenſionem obit. *equum*, verbi gratia, *quum velociſſime currit: Canem, vbi ad venationes & tutelas quam animoſiſſimus, ad domeſticos quã mitiſſimus eſt. Ficum, quum plurimos optimoſque ficus profert: Vitem autem, vbi optimas plurimaſque producit vuas*: Proinde omnia hæc, animalia dico & ſtirpes, optimam mediamue in ſuo genere temperaturã habere dicimus. Non autem abſoluto ſermone, quum paritas exacta contrariorum in iis non ſit, ſed ea potius mediocritas, quæ ad poteſtatem maxime refertur, id eſt, quæ maxime poterit, iis F adſit. Hinc eſt, quod iuniores medici hanc temperaturã æqualem ad iuſtitiam nominent, ꝙ nimirũ in illa cõmiſtorum elemẽtorum ea ſit mediocritas, q̃ animãtis ac ſtirpis naturæ conueniat, ac quaſi iuſtitiæ ritu temperata ſit. Siquidẽ iuſtitia, vt eã Iureconſul. *in l. 10. ff. de iuſti. & iur.* definit, *eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuiq; tribuẽdi.* Singulis itaq; ꝑ dignitate, ꝙ ſuũ eſt tribuit, veluti diis, parẽtib. cognatis, amicis, domeſticis, &

Nouem tẽperametorum differentiæ.

Temperatũ duplex.

εὔκρατον.

σύμμετρον.

Temperatum ſimpliciter.

Æquale ad pondus.

Temperatũ in ſingulis generibus.

Quando optime ſe animal aut ſtirps habeat.

Temperatura æqualis ad iuſtitiã.

Iuſtitia quid.

ciuibus. Proinde vt iustitiam esse dicimus, non eam quidem, quæ pondere & mensura, A sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat: sic etiam *temperamentum ad iustitiam* vocant, quæ singulis animantium & stirpium naturis conuenit, nõ quæ ex pari elementorum spectatur mole. Quod si vero alicui absurdum esse videtur, temperati, seu medii temperamenti nomine censeri, quod ad vnguem temperatum non sit, is quæso reliquorum in vita nominum vsum ad memoriam reuocet. Siquidem & potionem, & balneum *temperata* dicimus, non solum quando alterum huic, alterum illi tale est: sed etiam quum ad eundem hominẽ in latitudine tale est. Nam si auerso paululum eo, qui biberit, iniecerit quis in calicem calidæ frigidæve exiguum, nullam mediocris temperamenti mutationem deprehendet. Ad eundem modum, neque si quis in solium temperatum frigidæ pusillum iniecerit, temperaturã mediam protinus corruperit. Quin ambientẽ quoque nos aerem temperatũ dicimus, etiam si in alterutram partem paululũ est propensus. Et quid miri est, si εὐκρασία mediocritasve in satis amplam latitudinem extendatur? quando etiam in lyris consonantiam ipsam, quæ summa rectissimaque est, vnicam atque insectilem esse probabile sit, quę in vsus hominum venit, certe latitudinem habet. Sæpe namque quam percommode temperare videaris, alter superueniens musicus exquisite temperauit. Hactenus monstrauimus εὔκρατον siue *temperatum simpliciter* dici, *quod medium plane est in vtroque contrariorum genere, ita vt non magis sit calidum, quam frigidum, aut humidum quam siccum.* Temperatum vero *in animantium & stirpium genere, in quo ea est mediocritas, quæ tum animantis, tum stirpis naturæ conuenit.* Proinde in eo, quod primo loco posuimus, contraria quæ in illo sunt, inter se comparare & æstimare oportet, adeoque ad elementorum portiones temperiem referre, in altero vero ad actiones. Ceterum vbi quid a prædicta mediocritate recedit, intemperatum dicitur, & ab eo contrariorum, quod vincit ac superat, nomen accipit. Calidum enim vocatur, in quo calidum elementum frigido præualet: frigidum autem, in quo frigidum calido præstat: idem statuendum de humido & sicco. Atque quod ita in vna tantum oppositione intemperatum est, *simplex temperamentum* dicitur. Cuius quidem quatuor sunt differentiæ, nempe *calidum tantum, frigidum tantum, humidum duntaxat, & siccum duntaxat.* Quod si vero in vtraque oppositione alterum superet, siue calidum vna cum humido, siue calidum simul cum sicco, siue frigidum simul cum humido, siue frigidum vna cum sicco, vtique pro vincente sortietur id corpus appellationem. Hæc D itaque quatuor temperamenta, *composita* nominant: vt in vniuersum octo sint intemperies, *quatuor* nimirum *simplices, & totidem composita.* Ac quatuor quidem compositas intemperies omnes tum Medici, tum Philosophi nouerunt. Reliquas vero simplices, quæ ex dimidio harum, & altera tantum oppositione constitutæ sunt, plerique ignorauerunt: ita vt etiam Auerrhoes, vt fuit in omnes fere contumeliosus, hoc loco Galeno obgannire, illumque erroris insimulare quanquam falso ac temere, vt alias sæpe, voluerit. Siquidem esse temperamẽtum, quod in vna oppositione sit temperatum, in altera vero intemperatum, hinc abunde patet. Si enim necessarium omnino non est, siccam esse, quæ calida sit, sed licet eam & humidam esse, licebit vtique & mediam esse: propior namque siccæ intemperaturæ media est, quam humida. Ad eundem modum est & frigidũ, quoddam temperatum alterum, in quo nimirum frigidum pollet: hoc tamen nec humidum esse, nec siccum est necesse, sed potest inter hæc & medium esse. Rursus enim hic quoque eadem affertur ratio, nempe, si necesse non est frigidum temperamentum esse humidum, scilicet & siccum, id fieri manifestum est, medium quoque esse posse: quippe quod vicinius sit humido, quam siccum. Præterea, sicuti necesse non est, si quæ temperatura sicca est, hanc protinus calidam quoque esse, sed fieri potest, vt etiam frigida sit: ita fieri potest, vt quæpiam nec calida sit, nec frigida, sed in hac quidem oppositione media seu temperata, in altera sicca. Simili modo nec humidam temperiem necesse est calidam frigidamve esse, sed eam mediam esse inter huius oppositionis extrema licet. Si igitur necesse non est, vt vel intemperiem, quæ in calido F est & frigido, sequatur ea, quę est in altera oppositione intemperies, vel hanc, quæ in illa: licebit aliquãdo & naturam, quæ in caliditate & frigiditate temperata est, vel siccam esse, vel humidam. Ac rursus, quæ in siccitate & humiditate temperata est, vel calidam esse, vel frigidam. Quapropter mirum videri non debet, si aliquid ex dimidio sit temperatum,

Marginal notes: Obiectio diluitur. — Eucrasia in latitudinẽ extenditur. — Epilogus. — Intemperatum. — Simplex temperamentum. — Compositum. — Octo intẽperies. — Auerrhoes in omnes fere contumeliosus. — Temperamentum in vna oppositione temperatum, in altera intẽperatum.

A peratum, & ex dimidio intemperatum, adeoque octo in vniuersum esse temperamentorum genera intemperata.

Calidum, frigidum, humidum, & siccum multiplex. CAP. II.

CVm nouem esse temperamentorum differentias iam demonstrauerimus, reliquum est, vt ostendamus, quærenti, cuius sit temperamenti, *homo, equus, bos, canis*, aliudue quodlibet, non esse absoluto sermone respondendum. Non enim fieri potest, vt qui ad ea, quæ multis modis dicuntur, & inter se diuersa sunt, vno modo respondet, non coarguatur. Oportet igitur duorum alterum, aut omnes percensere differentias, aut percontatum prius, de qua rogauerit, illam solam dicere. Nam si vt in animalibus B cuius esset temperamenti rogauerit, ad id quod medio est inter omnia animantia temperamento hominem nimirum respicientes, respondere oportet. Si vero absolute, atque vt ad totam suam substantiam, sic contraria quæ sunt in eo comparare inter se atq; æstimare necesse est, haudquaquam ad functionem temperiem referentes, sed ad elementorum, ex quibus substantia constat, portiones. Proinde vt hęc rectius cognoscantur, & in respondendo minus aberretur, sciendum erit *calidum, frigidum, humidum, & siccum* multipliciter accipi. Primum absolute, *vt nimirũ ita syncerum, simplexque sit, & mistura careat, ac de nullo alio dicatur*. Hoc modo sola elementa calida, frigida, humida, siccaue dicuntur, quod nimirũ syncera sint, & a mistione aliena, id quod certe de nullo alio corpore dici potest. Neq; enim vllum aliorum corporum prorsus & absolute calidum, fri-C gidum, humidum, siccumue est, sed sola elemẽta. Quicquid enim præter hæc cœperis, ex horum mistura constat. Secundo modo calidum, frigidũ humidum, siccumue non absoluta ratione, veluti *syncerum & a mistione alienum, sed per excessum exsuperantiamue dicitur id, quod ex contrariis inter se mistis constat: ceterum ex pollentis superantisue in mistura nomine appellatur*. Atque ea sane ratione calidum vocatur, id in quo maior est caliditatis portio: frigidum, in quo frigiditatis. Ita etiam humidum nominatur, in quo humidum sicco præualet. Siccum vero, in quo siccũ humido præstat. Hoc modo pituita, adeps, vinum, oleum, mel, pilus, os, cartilago, vnguis, cornu, lignum, calida, frigida, humida, vel sicca nuncupantur. Quod autem ad eum modum calidum, frigidum, humidum, siccumue appellatur, iterum bifariam tale dicitur. *Primo* absolute, hoc est, nulli priuatim & seor-D sum collatum, sed vt ad totam suam naturam, vniuersamque substantiam. Ita sane canis simpliciter & absoluto sermone, prout videlicet, alteri, verbi gratia, formicę non comparatur, siccus dicitur. Altero modo non absolute, id est, alicui collatum. Idque rursus trifariam. Vel enim symmetro ac medio eiusdem generis confertur, vt *si leo cum homine collatus fuerit, vterque enim animal est*. Vel symmetro eiusdem speciei, vt *si homo ætate florens cum adolescente conferatur*. Vel vnicuiuis obuio, veluti *si Dion Theoni, Conradus Petro comparatur*. Vt in vniuersum sint calidi, frigidi, humidi, & sicci acceptiones septem, sequenti complexæ schemate.

Quærenti cuius sit temperamenti homo, non est absoluto sermone respondendum.

Calidi, frigidi, humidi & sicci acceptiones.

Absolute.

Per exsuperantiam.

Calidum per exsuperantiam bifariam dicitur.

Absolute.

Non absolute.

E



De temperamentis quatuor temporum anni. CAP. IIII.

F ANnum vniuersum a veteribus in quatuor esse digestum tempora, *Ver*, scilicet, *Æstatem*, *Autumnum*, *& Hyemem*, omnibus est notissimum. Qualia autem horum sint temperamenta, inter medicos non conuenit. Sunt enim qui quatuor temperamentorum coniugationes, quatuor anni temporibus adaptãt, adeoq; Ver *calidum & humidum*, Æstatem *calidam & siccam*, Autumnum *frigidum & siccum*, Hyemem *frigidã & humidam*,

Quatuor anni tempora.

esse, idque non sine magno errore, statuunt. Siquidem inter se conferunt anni tempora, Ver nimirum cum Autumno, Æstatem cum Hyeme, Autumnum cum Vere, & Hyemem cum Æstate, horumque inter sese mutua collatione eorum temperamenta colligunt: cum tamen horum quodlibet ex suapte natura æstimatum, non ex alterius collatione, calidum, frigidum, humidum, siccumve nominari debeat. Ad quam sane formulam, si hæc ipsa æstimes, apparebit tibi Ver esse, omnis excessus plane in medio: cum neque sicut in hyeme plus valeat in eo frigidum quam calidum, neque sicut in æstate minus. Ad eundem modum siccitatis humiditatisque æquabilitas in eo spectatur, neque scilicet in eo veluti in æstate præualente sicco, neq; sicut in hyeme exsuperante humido. Hinc rectissime Hippocrates *Ver esse saluberrimum, minimeque morbis, qui mortem afferant, obnoxium*, dixit. Quod enim saluberrimũ esse inquit, hoc ipso perspicue docet, *Ver esse temperatum, nequaquam autem calidum & humidum*. Siquidem calidum, humidum & temperatum inter se maxime pugnant. Calidum enim humidumque excessum indicant, temperatum vero omnis excessus plane in medio est: quapropter cum calido & humido statu non coincidit. Accedit, quod omnium aeris temperamentorum pessimum, id est, quod calidum & humidum exsistit, tãtum abest, vt saluberrimũ dici queat. Nam vbi totus annus calidus & humidus fuerit, magna succedat pestilẽtia, necesse est, quemadmodum copiose admodum ex Hippocrate *lib. 1. de temp. cap. 4.* Galenus ostendit. Quod itaque temperamentum in quatuor anni temporibus inueniri nequit, in vitioso & pestilenti aeris statu interdum incidit, temperatum igitur esse nequit. Verum opponet forte quispiam iis, quæ iam diximus, Hippocratis *in lib. 1. de natura humana*, & aliorum quorundam tum philosophorum, tum medicorum auctoritatem, qui vno omnes ore, *Ver calidum & humidum esse* dicunt. Cui quidem ita cum Galeno respondendum erit, *Quod Hippocrates, & nonnulli alii cum Medici tum Philosophi, Ver calidum & humidum esse statuerunt, id nulla alia de caussa factum est, quam quod quatuor anni temporibus quatuor temperamentorum coniugationes aptare voluerunt. Quod vt commode facerent, inter se conferre anni tempora coacti sunt, atque ex mutua inter se collatione horum temperamenta, vt paulo ante diximus, collegerunt. Quapropter sic in temporibus anni ver calidum & humidum dixerunt, vt in genere corporeorum animalia, hæc nimirum cum stirpibus conferentes. Hoc namque cum autumno, quem frigidum & siccum esse affirmabant, contulerunt. Quod tamen minime faciendum erat. Sunt enim per se, & ex sua natura, si recte de eorundem temperamentis statuere volumus, quemadmodum paulo ante dictum est, æstimanda anni tempora.* Sed, rursus alius in hunc modum instabit, Verisque temperamentum non esse temperatum ostendere nitetur: *Si Ver esset*, inquiet, *saluberrimum, adeoque temperatum, nulli profecto in eo morbi procrearentur, atqui in eo fiunt morbi*, igitur *non est temperatum*. Generari autem in vere morbos, ipsemet Hippocrates perspicue testatur, vt qui *sect. aphorismorum 3.* multos, ac quidem peculiares, verni temporis morbos, nẽpe furores, morbos comitiales, anginas, lepras, impetigines, alphos, pustulas vlcerosas, tubercula, & id genus, alia mala percenset. Quid vero illi respondeamus, in promtu est, nempe quod Hippocrates ipse abunde huic obiectioni satisfacit, vt qui in citata paulo ante sententia non dixerit, *Ver morbis prorsus vacare*. Nam ita sibiipsi contradixisset: sed esse ἥκιστα θανατώδες, id est, *minime mortiferũ*, aut rectius, *morbis, qui mortem afferunt, minime obnoxium*. Nam morbi, qui in eo fiunt, non alia ratione accidunt, quam quod profundum corporis hoc tempore expurgatur, & quod vitiosi humores a partibus principatum in corpore obtinentibus ad cutem detrusi perueniant. Proinde corpori, quod præcedentibus temporibus prauos humores coaceruauit, potius imputandum erit, si verno tempore quispiam ægrotet, quam tempori. Si enim aliquod corpus bonis humoribus refertum, vernum excipiat tempus, hoc saluberrimum conseruat, nihil ex propria eius natura nouans, aut immutans. Non sic vero Æstas, Autumnus, vel Hyems: hæc enim tempora etsi putũ corpus, & omni vacans reprehensione excipiunt, tamen hæc quidem flauam bilem, ille atram, Hyems vero pituitam generat, vt fusius *in lib. de humana natura Hippocrates docuit*. Verum alius quæ diximus de vere tẽperato, ita impugnare perget: *Initium & finis veris in frigus & siccitatem propẽsa sunt*, igitur, *temperatum esse nequit*. Cui ita respondendum erit: *Fatendum quidem est Veris initium, quod hyemi proximum est, ad frigus propensum esse: ac eiusdem finem, qui æstati proximus est, ad siccitatem inclinare: tamen haud immodice, perinde atque Hyemem & Æstatem, & citra omnem excessum*,

Margin notes: Veris temperamentũ, quando. — 9. apho. 9. — Ver non calidum & humidum. — Aeris temperamentũ calidum & humidum pessimum. — Obiectio diluitur. — Obiectio alia. — Apho. 20. — Responsio. Morbi cur in vere occidant. — Obiectio tertia. — Responsio.

Margin letters: A B C D E F

A *cessum, qui mediocritatis & εὐκρασίας, vt Græci loquuntur, latitudinem transiliat. Quod lauacri similitudine fiet clarius. Vt enim illud, non obstante quod in alterutram partem paululum sit propensius, temperatum dicimus: sic etiam nihil prohibet, quin Ver, etiam si eius initium & finis in frigiditatem & siccitatem paululum declinat, temperatum esse statuamus. Neque enim hæc declinatio, cum exigua admodum sit, leuisque momenti, & vix animaduerti queat, excessus nomine censeri meretur. Et certe medium tempus inter has declinationes, quod proprie Ver dicitur, vere temperatum exsistit.* Atque hæc de Veris temperamento dixisse satis sit. Ceterum, Æstas ipsa, extra omnem controuersiam, calida & sicca exsistit, quod in ea humiditas a siccitate, frigiditas a caliditate vincatur. De Autummi vero temperamento, medicorum variant sententiæ. Sunt enim qui absoluto sermone, & citra omnem limitationem hunc frigidum B & siccum esse, at minus recte asserant. Non enim frigidus est, si ipse per se spectetur, quod scilicet in hoc frigiditas non superet caliditatem, sed modo in eo frigus nos afficiat, modo calor vigeat. Quippe meridie est multo calidior, quam mane, aut vesperi. In calore itaque & frigore plane inæqualis esse deprehenditur, & ex ambobus mistus, vt hac ratione absolute nec calidus, nec frigidus dici possit. Atque ea caussa est, quæ maxime mortiferum, *vt ait Hippocrates,* Autumnum facit, inæqualis nimirum in calore & frigore intemperies. In altera itaque oppositione Autumnus inæqualis est. Porro quum in humido & sicco medium omnino statum, quemadmodum Ver, nō obtineat, sed ad siccius vergat, adeoque vincat in eo siccitas humiditatem, merito hoc nomine *siccus* appellatur. Hyems quidem, omnium consensu *frigida & humida* dicitur, non ta- C men ea de caussa, quod reliquis temporibus frigidior, humidiorque sit: sed quod frigiditas in eo superat caliditatem, & humiditas siccitatem.

Æstatis teperamentum. Autumni. Cur autumnus morbifer. 3. aphor. 4. & 9. Hyemis teperamentū.

De ætatum numero, & temperamentis. Cap. V.

EXpeditis quatuor anni temporum temperamentis, ordinis ratio exigit, vt de ætatum tum numero, tum temperamētis nunc agamus. Vt autem ex anni temporibus calor innatus immutatur, ita quoq; ex ætatibus. Eam vero mutationem, quam ætas affert, veteres annorum spatiis, & interuallis dimensi discreuerunt, atque ætates appellauerunt. Vt certe ętas non sit, nisi id vitæ curriculum, quo perspicue constitutio corporis per se immutatur. Cum autem alii aliter ætates digesserint, nos de Galeni sententia vni- D uersæ vitæ sex omnino ætates, suis temperamentis insignitas, statuemus, *nempe pueritiam, pubertatem, adolescentiam, iuuentutem, constantem mediamue, & senectutem.* Quæ Græcis, ἡλικία παίδων, id est, *puerilis ætas,* Latinis *pueritia* dicitur, primum inter ætates ordinem obtinet, & confestim ab eo tempore, quo vterum homo egreditur maternum, incipit, & ad decimumquartum vsque annum protrahitur. In ea constituti Græcis παῖδες, Latinis *pueri* appellantur, ac quadruplici differentia, *Hippocrate in 3. aphorismorum sectione teste,* constant. *Primo* loco parui sunt, & recens nati, Græcis νεογνὰ παιδία dicuntur. *Secundo,* qui ad dentitionis tempus accedunt, ac dentes iam edunt. *Tertio,* medii inter dentientes & pubertati proximos. *Quarto,* qui iam ad pubertatem accedunt. Hæc certe ætas temperamento calida, & humida exsistit, quod hinc maxime colligitur. Prima namque pueri E in vtero matris constitutio ex semine & sanguine, rebus calidis ac humidis est. Cum vero paritur, adhuc humidissimus est, non modo in sanguinis vasis, visceribus, & carne, quæ plane muccosa est, sed etiam neruis, ligamentis, imo & ossibus, quæ tamen omniū, quæ in nobis sunt, siccissima esse constat. Siquidem hæc ipsa tenera, flexibilia, adeoque quasi cerea sunt, vt facile sequantur, quocunque ducas. Hincque adeo fit, vt puerorum nutrices ea ad arbitrium suum fingant formentque. Huc accedit, quod corpora in alio quam calido & humido temperamento increscere nequeant. Calidi igitur & humidi pueri sint, necesse est. Eam ætatem nonnulli in binas partiuntur, nempe infantiam, & pueritiam. Infantiam *ad tertium quartumue annum* extendunt. In qua quidem ætate constitutus Græcis βρέφος ἢ νεογενὴς dicitur. Ab eo tempore pueritiam incipientes, ad deci- F mum protrahunt. Nos vno pueritiæ nomine vtranque complectimur. Altera ætas Grecis ἥβη, Latinis *pubertas* nominatur. Hæc, *vt sect. 3. aphoris. commento 27. & sect. 5. commento 7. auctor est Galenus,* initium capit anno decimoquinto, & ad decimumoctauum prouehitur. Tertia ætas Græcis μειρακεία, Latinis *adolescentia* vocatur, *eodemque Galeno sect. 5. aphorism. commento 9. attestante,* incipit anno decimooctauo, & ad vigesimum quintum

Ætas quid. Ætates sex. Prima Pueritia. Infantia. βρέφος. Secunda. Pubertas. Tertia Adolescentia.

durat. In hac constituti ætate, Græcis etiam ἔφηβοι, id est, *puberes, vel adolescentes*, nomi- A
nantur. Hippocrates *sexto Epidem. libr.* τράγους quoque appellat, quod tum vocem mu-
tent, & τραγίζειν incipiant, *vt fusius nostris in commentariis diximus.* Ceterum Hippocrates,
& Galenus etiam interdum, *vt loco paulo ante indicato*, adolescentiam sub pubertate
comprehendit, neque id quidem temere. Vtraque enim earum ætatum, pubertas sci-
licet & adolescentia, medii, adeoque optimi, sunt temperamenti, Galeno *sectio. prima,*
aphorismorum comment. 18. & in commentario super librum Hippocratis de victu priuatorum, te-
ste, vt hoc nomine facile pro vna eademque ætate haberi possint. Quarta ætas est νε-
ανίσκων & ἀκμαζόντων, id est, *iuuenum & vigentium*, hinc Latinis *iuuentus & iuuenta* dicitur.
In hac sunt νεανίαι, id est, *iuuenes*, sic, *Varrone teste*, a iuuanda Republica, Latinis dicti, mo-
do ἐξ ἐφήβων, hoc est, *annos pubertatis & adolescentiæ* egressi. Vnde illud Terentianum, B
Excessit ex ephebis. Hippocrates vocat νέους & νεωτέρους. Græcis hæc ætas ἀκμή, id est, *vigor, flo-*
rens siue *vigens ætas* appellatur. Orditur, *Galeno sectione Aphoris. tertia, commento trigesi-*
simo, & sectione quinta, Aphorism. commento nono, auctore, anno vigesimoquinto, & ad tri-
gesimum quintum extenditur. Hæc vtique ætas, *vt sect. prima, Aphorism. comment. vige-*
simo quarto, attestatur idem Galenus, calida & sicca exsistit. Hoc loco quæri solet, *num pueri,*
an ætate florentes sint calidiores. Ad quam quidem quæstionem ita de Galeni etiam sen-
tentia respondendum erit: Caloris æqualitatem in pueris & florentibus ætate esse: id
quod vnusquisque, qui sensum in multa particularium experientia exercuerit, manife-
ste deprehendet: differre tamen, quod qualitate puerorum calor magis sit halituosus,
& multus, suauisque: ætate autem florentium exiguus, siccus, nec similiter suauis, sed C
tristis, adeoque tangenti quasi molestus. Siquidem puerorum substantiæ, vtpote humi-
dæ, multum foras effluit: florentium vero ætate substantiæ, vt pote siccæ, parum. Pro-
inde neuter eorum simpliciter videtur calidior, sed alter multitudine eius, quod dif-
flatur, alter acrimonia. Dissimilis igitur cum in vtrisque substantia sit, in pueris quidem
humida & aerea: in ætate florentibus sicca & terrea, fit vt illorum calor tangenti blan-
dior, horum vere minus suauis, ac veluti tristis occurrat, quemadmodum copiosius id-
ipsum *libro secundo, de temperamentis, capit. tertio, & sectio. prima, aphorism. commen. 14.* Gale-
nus monstrauit.

Quinta ætas Græcis καθεστηκυῖα. Latinis, Ciceroni præsertim in dialogo de senectu- D
te, constans, & media, inter manifeste crescentes, & decrescentes, siue iuuentutem &
senectam scilicet, dicitur. Hippocrati *in Aphorismis* qui in hac ætate sunt, καθεστηκότες
nominantur, id est, *constantes & maturi, ac consistentes*, quod nimirum iam vires cõsistant,
subsistantve, nec amplius crescant, imo minui potius incipiant. Verum esse, quod dici-
mus, confirmat Galenus in Commentariis iam citati Aphorism. ita scribens: καθεστηκότας
λέγει τοὺς τὴν μέσην ἔχοντας ἡλικίαν, ἀκμῆς τε καὶ γήρως, ὡς πάντη μὲν ἤδη τὰ τῆς ἀκμῆς, μηδέπω δὲ μηδεμίαν αἰσθη-
τὴν σαφῆ γήρως ἔχειν. Quibus sane verbis Galenus diserte innuit, *consistentes aut subsistentes esse,*
qui mediam inter vigorem seu iuuentutem & senectam obtinent. Hinc est, quod ætas hæc μεσῆ-
λιξ, & in ea constituti μεσήλικες Græcis appellentur, vt iidem plane sint καθεστηκότες & μεσήλι-
κες, quod diligenter obseruandum erit. Habet autem hæc ætas & alias apud Græcos ap-
pellationes. Siquidem illis παρακμαστική, & παρακμή, hoc est, declinans, *Galeno sectione tertia,* E
Aphorismorum, Commento trigesimo, & libro quinto, de tuenda sanitate, capite vltimo, teste, vo-
catur. Hoc autem nominis illis datum est, quod in ea vires hominis decrescere inci-
piant. Appellatur etiam Græcis alio nomine ἀνδρία & ἀνδρῶν ἡλικία, id est, *virilis ætas.* Inci-
pit anno trigesimo quinto, & finitur quadragesimo nono. *Galeno sectione tertia Aphoris-*
morum, Commento 30. attestante. Præsens ætas, potissimum si ad præcedentes ætates con-
feratur, frigida & sicca exsistit. Hinc est, quod Galenus loco iam citato ita scriptum
reliquerit: *Omnium fere, inquit, ætatum, ea, quæ iam declinat, paucis indiget ad corporis re-*
sumtionem. Siquidem quod in ea resoluitur, paucissimum est. Neque enim corpus similiter ca-
lidum, sicuti prius, neque in augmentum amplius quicquam in ea absumitur. Frigidos aũt esse in
hac ætate constitutos, Hippoc. quoque *libr. 1. de victus ratione* perspicue docet, iis qui- F
dem verbis: *Vir vbi iam corpus eius constiterit, frigidus & siccus est, quod nimirum caloris excessus*
impetusue non amplius præpolleat, corpusq́ue quiescens augeri desinat, ac frigidius factum sit. Siccitas
etiã prioris ætatis inest. Hæc ille. Sexta ætas senectus nominat. In ea cõstituti Græcis γέροντες
ἀπὸ τοῦ γέρως, q. honorẽ denotat, deducto nomine: γερόντων. n. ætas est honore dignissima: &
πρεσβῦται

Marginal notes: ἔφηβοι. τράγοι. Pubertas & adolescẽtia temperata. — Quarta iuuentus. — ἀκμή. Florens ætas. — Num pueri an iuuenes calidiores sint. — Quinta ætas. καθεστηκότες. 1. aphor. 13. — μεσήλικες. — παρακμαστική. παρακμή. Declinans. ἀνδρία. Virilis ætas. — Temperamentũ huius ætatis. — Sexta ætas Senectus. γέροντες.

A πρέσβυται (neque enim inter hæc duo vocabula vllum est, *Galeno auctore*, discrimẽ) dicuntur, Latine autem *senes*. Horum Galenus *libro quinto, de tuenda sanitate capit. vltimo*, tres recenset differentias. Primam eorum qui ὠμογέροντες, hoc est, *viridi senecta præditi*, quod nimirum adhuc ad Rempublicam gerendam idonei sint, & ciuilia obire negotia queant, nominantur. Hæc incipit anno quinquagesimo, & ad sexagesimum vsque durat. Nec est, quod aliquem hoc loco perturbent Christophori de Vega, *libro primo prognosticorum, comment. 29.* rationes, qui ὠμογέροντας a constantibus consistentibusue nihil differre putat. Quod enim de consistentibus subsistentibusue *3. sect. Aphoris. Comment. 30.* Galenus dixit, *quod scilicet omnia vitæ munia æquè illi, qui in vigore sunt, possint peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficere*: non est idem cum eo, quod *in fine libri quinti, sanitatis*

πρέσβυται. 3. Aphor. Comm. 31. Tres senectutis partes seu differentiæ. Prima. ὠμογέροντες. Christophori de Vega calumnia detecta.

B *tuendæ*, de crudis senibus retulit. Nam ibidem simpliciter & citra collationem eos ciuilia posse obire negotia inquit. In Aphorismis autem non simpliciter, sed collatione cum iis, qui ætate vigent, & non priuatim ciuilia tantum, sed omnia vitæ munia peragere conari ait. Vt hoc nomine subsistentes a crudis senibus differre necesse sit. Siquidem illi omnia vitæ munia adhuc peragunt, hi vero ciuilia tantum. Præterea nobiscum non pugnat Galeni locus, quem ex *libro secundo Prognost. Comment. 49.* producit. Nam in eo, seniores vocat, qui in consistente ætate, & qui cruda viridiue senecta præditi sunt. Senes autem, qui annis iam multis prouecti sunt, adeoque qui secundam & tertiam senectutis partem attigerunt. Quare seniores, qui inter florentes ætate, & senes ætate medii sunt, duobus appellat nominibus: priore quidem, qui scilicet ætate iam subsistunt,

C μεσαιπολίους, id est, *dimidia parte canos*, posteriores autem, ὠμογέροντες. Quod vero μεσαιπόλιοι iidem sint, qui καθεστηκότες, confirmat abunde Phauorinus, qui ita scriptum reliquit: Μεσαιπόλιος, ὁ μεσῆλιξ, καὶ ὁ σφόδρα πεπολιωμένος, ἀλλὰ μέσος, ὕπω γέρων. Quibus certe verbis palam ostendit μεσαιπολίους non esse nisi μεσήλικας, hoc est, *in media ætate constitutos, & nondum senes*, vt necesse sit ὠμογέροντες ab iis esse diuersos, quandoquidem senes omnis generis a μεσαιπολίοις separet, vt hinc iterum manifestum sit, inter vigentes & senes duas interuenire ætates, nempe *subsistentem mediamue, & crudam senectam*. Quod iterum liquido Phauorinus demonstrat ita scribens, Μεσαιπόλιος ἐστὶν, ὁ ὑπερβὰς μὲν τὸν ἀκμαῖον, παραγγείλας δὲ καὶ εἰς ὑπεράκμιον, ἢ καὶ ὠμογέροντα, καὶ μέσως πῶς ἔχων τῶν πολιῶν. Quibus itaque verbis rursus inter vigentem & senectutem duas ætates interponit, ὑπερακμαῖαν, id est, *subsistentem & vigorem excedentem*, atque

D ὠμογέροντα, id est, *primam senectutis partem*. Vt Vegæ argumenta nullius esse momenti hinc intelligant omnes. Secundam differentiam senum facit eorum, qui ciuilia munia, propter virium imbecillitatem, obire non valẽt: & quibus hoc nomine iam debetur quies, ac delicatior vita, iuxta Laertem Homericum, ad quem ita filius ait:

Altera.

Τοιοῦτος δ' ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε
Εὑδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.
Isque videris, qui lotus, dapibusque refectus,
Molle cubile premas: namque hæc est vita senilis.

Odyss.

Eius initium est anno sexagesimo, & protenditur vsque in septuagesimum. Tertiam statuit eorum, qui appellantur πέμπελοι, παρὰ τὸ πέμπεσθαι εἰς τὴν ᾅδου πομπὴν, id est, *quorum iam*

Tertia. πέμπελοι.

E *quasi pompa funeris ducenda sit ad infernum orcumue*, vel *qui ad manes iam mittẽdi sint*. Silicernia Latinis dicuntur. Hæc est omnium postrema, vitamque claudens ætas, quæ decrepita nuncupatur. Orditur anno septuagesimo, & durat ad vitæ vsque finem, qui magna ex parte anno, vt sacræ testantur literæ, octuagesimo instat. Est autem senectus in vniuersum frigida & sicca. Siquidem solidæ senum partes, nempe ossa, membranæ, ligamenta, arteriæ, venæ, nerui, tunicæ, carnesque omnes siccæ sunt: vt merito Aristoteles senium marcescenti stirpi assimilauerit. Vt enim stirpes dum nouellæ sunt, molles, humidæque cernuntur, senescentes autem assidue magis siccescunt, postremum aridæ prorsus redduntur, idque ipsis mors est: ita quoque animal, quanquam vitæ ingressu,

Psal. 90. Senectus frigida & sicca.

F vt ostensum est, humidissimum exsistit, tamen in dies longius procedens, magis magisque siccatur & arescit, vt quum iam senectutem, extremam maxime, attigerit, non modo ossa arida sint, & humoris expertia, verum etiam caro. Eius rei vero caussam Galen. luculenter *in Primo de tuenda sanitate* exponit. Hinc veteribus vsitatum fuit, vt senes bis terue quotidie, temperamenti corrigendi gratia, lauarentur. Ceterum non est, quod

Obiectio diluitur.

quis propterea, quod superuacuis excrementis onerantur senes, hos humido temperamento esse præditos arbitretur. Non enim ipsæ senum particulæ humidiore sunt temperamento, sed potius capacitates, quæ inter corpora patent, superuacua humiditate implentur. Quippe serosis & pituitosis excrementis, ob viriũ infirmitatem, senes pleni sunt, in solidis autem partibus plane sicci, *vt libro secundo, de temp. capit. secundo, & libro quinto, de tuen. san. capit. sexto, & libro sexto eiusdem operis, capit. 3. & in Commentariis super Hippocratis libellum de victu priuatorum Galenus fusius monstrat.* Porro, quod hactenus a nobis de ætatibus dictum est, sic accipiendum erit, vt id, quod magna ex parte ita accidit. Neque enim ætates certo & exquisito annorum numero circumscribere licet, nisi forte in latitudine quadam: quod non sit vnus omnium certissimus pubertatis terminus propter temperaturæ diuersitatẽ. Siquidem calidi citius, frigidi vero tardius pubescũt. Pubescere namque aliqui incipiunt, vbi quartum decimum annum expleuerunt: quidam vno post anno, aut etiam amplius. Initium præterea remissionis habent nonnulli post quintum & trigesimum, *vt lib. 6. de tuen. sanit. cap. 2. & sect. aphor. 3. Comment. 27. Galen. copiosius docet.* Denique hæc ætatum ratio de præscripto medicorum, Hippocratis maxime & Galeni, *vt diximus*, excogitata est. Alii, qui ex professo medici non fuerunt, aliter ætates digesserunt, & constantem omnes fere præterierunt. Hinc est, quod Censorius ex Varrone ita diuiserit ætates: *Pueros vsque ad 15. quod sint puri & impuberes. Adolescentes ad annum 45. quod Rempublicam in re militari iuuare possint. Seniores ad 60. quod tum primum senescere corpus incipiat. Senes autem in quinto gradu ætatis vsque ad finem vitæ.* Verum quod hæc ętatum ratio a veritate abhorreat, abunde patet. Omnibus enim perspicuum est, corpus ante 60. annum senescere.

Aliorum, qui medici non fuerũt, de ætatibus opinio.

A B C

Hominis tactum solum, esse iudicem eorum, quæ actu calida sunt. Cap. VI.

Hominis tactus iudex est temperamentorum.

NE quis exemplo quorundam cum Philosophorũ, tum medicorum, sensibilium rerum cognitionem, laborioso consequi ratiocinio moliatur, animaduertendum erit id, quod ἐνεργείᾳ, id est, *re ipsa*, aut quod dicere solent *actu* calidũ, frigidum, humidum, siccumue est, tactu diiudicandum esse, non quidem leonis, aut equi, aut asini, aut alterius animantis, sed solius hominis. Qui enim equo aut asino potius quam homini, animantium prudentissimo ac sapientissimo, horum discernendi scientiam defert, præterquam quod ridiculus habetur, rerum cognitionem homini adimit, asinis vero largitur, a quibus nemo potest erudiri. Hominis igitur potius prudentiæ, præstantique naturæ, tactus id concedamus, vt reliquorum omnium sit veluti lex & regula. Nec tamen cuiusuis, sed eius potissimum hominis, qui optimi sit habitus, quique omnium iudicio temperatus, si non omnino, & quod dicitur *ad pondus*, saltem ad iustitiam censeatur. Is itaq; ignem omnium, quæ sub sensum veniunt, calidissimum, niuem aut glaciem, frigidissimam: quod vero paribus illorum portionibus confusum est, id vt in medio extremorum est situm, ita in calore & frigore temperatum esse pronuntiabit. Pari ratione aquam humidissimam, terram siccissimam: si quid vero pari horum portione componetur, id in humiditate ac siccitate medium ac temperatum esse statuet. Porro non quæuis temperatissimi hominis particula tactus instrumentum est, sed cutis, ac præcipue, quæ est in manu. Nam etsi tactus per totam cutem æquabiliter fusus est, tamen quum ea, quæ in manu est, ab omnibus extremis, calido, inquam, frigido, humido, & sicco, pari absit interuallo, adeoque omnis excessus expers, ac media sit, huic recte internoscendorum temperamentorum æqua æstimatio regulaue cognitionis & iudicii defertur, si modo ab iis, quę extrinsecus occurrunt, verbi gratia, a calore, a frigore, nihilo sit immutata, neque vti in remigibus & fossoribus callo obducta. Ergo calidi frigidiq; corporis solus tactus est iudex, humidi autẽ & sicci, vna cum tactu ipsa ratio. Siquidem quod siccum est, durum prorsus est, non tamen si quid durum est, idem statim & siccum erit, nisi mediocriter exsistat calidum. Nam & quod a frigore concretum est, durum cernitur, sicuti glacies. Quo vtique minus sicci humidique adeunda statim discretio est, ante scilicet, quam æstimatum sit, quemadmodum se in calore habeant & frigore. Neque enim si quid cum vehementi calore sit molle, idem statim est humidum: verum quum mediocriter calidum est, tum æstimare durumne an mol-

Cutis volæ manus tactus instrumentum.

Tactus quorũ solus iudex sit.

D E F

A an molle sit, oportet. Si enim molle sit, humidum est: sin durum, siccum. Quæ quidem si sic se habent, partium, quæ in humano corpore datæ sunt, nulla est humida. Sed de partium corporis humani temperamentis sequenti capite agemus. Non est itaq; adhibitis iam dictis distinctionibus de primis qualitatibus, quæ sub tactum recidunt, fides tactui abroganda. Quod si vero spretis sensibus, omnium, quæ sensibus obiiciuntur demonstrationes quispiam requirit, quibus olorem album, coruum nigrum, ignem calidum, glaciem frigidam sibi persuadeat, is profecto desperata cognitione certi, omnia in suspicionem, Pyronisq; hæsitationem trahet, *vt fusius lib. 2. de tempe. Galenus docet.*

De singularum partium corporis humani temperamentis.

CAP. VII.

B ORdinis ratio, vt nunc de partiũ corporis humani temperamentis breuiter disseramus, postulare videtur. Vt autem tactus æstimatione, sic demum essentia & compositione, partium corporis humani temperamenta discernuntur. Quum vero in excessibus iudicandis opus sit, vt mediocre aliquod habeamus, in quod, tanquam scopum aliquem, intenti simus, & ad quod omnia mediocria comparemus, cutis vero ipsa, vt ostensum est, media plane sit, & omnis excessus expers, vt hanc omnium animalium partium, tanquam normam, ad quam referantur, ac iudicem proponamus. Vt enim sensus iudicio, sic & essentia compactioneue cutis media temperie est prædita. Reliquarum itaque partium corporis temperamenta illius comparatione, in hunc quidem C modum sunt æstimanda. Spiritus omnium, quæ in corpore sunt, calidissimus, hoc ipso cor minus calidum, deinde sanguis, post hunc caro simplex. Hanc sequitur iecur, hoc lien, lienem renes, iis succedit cutis temperata. Ab hac in frigidum propensus est adeps & pinguedo, dein cerebrum, hoc frigidior spinæ medulla, qua frigidiores nerui sunt molles, deinde sequuntur duriores motibus accommodati, ab iis est vena, deinceps arteria, post hanc membrana, iis omnibus frigidior tendo, hoc rursus frigidius ligamentum, proximum cartilagineum ligamentum, quod Græcis χονδροσυνδεσμὸς dicitur, subsequitur *cartilago*, os ei finitimum, assidet huic pilus, vltimo loco est pituita, omnium quæ in corpore sunt frigidissima. Pilus omnium est siccissimus, quem suo quæque ordine, deinceps consequuntur os, *cartilago, chondrosyndesmos, ligamentum, tendo, membrana, arte-* D *ria, vena, nerui duri*: molles quippe humiditate & siccitate, mediam naturam, vt cutis, obtinent. Proxima itaque cuti est mollium neruorum natura. Hinc in humidum iam abit cor ipsum. Hoc humidiores sunt *renes, iecur, lien, caro simplex.* His succedit pulmo, post hunc est spinæ medulla, dein cerebrum, mox ossium medulla, proxime illi est adeps, subsequitur sanguis, postremo pituita, omnium quæ in nobis sunt vt frigidissima, ita humidissima est. Atque hæc partium temperamentorum series, tactus iudicio confirmatur. Cum enim in nobis quoad viuimus, tanta esse frigiditas nequeat, vt per eam aliquid in duritiem concrescat, quicquid tactu molle deprehenditur, id quoque calidum & humidum: quicquid vero durum, id statim frigidum & siccum videbitur. Cui & essentiæ compositio consentit. Ossium enim essentia, frigidum & siccum ipsorum E esse, vt diximus, temperamentum declarat. Idem facit pilorum, cartilaginum, tendonum, neruorum, ligamentorum, venarum, arteriarum, membranarumque essentia, vtpote quæ a colore cocta, & a frigore concreta est. In vno tamen, vt comprehensum est, magis quam in altero frigidum & siccum præpollent, *vt fusius lib. 1. de temperamentis, cap. vltimo, & lib. 2. eiusdem operis, cap. 4. Galenus prosequitur.* Ceterum indicia, quibus totius corporis eiusque partium temperamenta cognoscuntur, in arte medica exquisite tradit idem Galenus. Ea etiam, quæ ex pilorum ratione sumuntur, *lib. 2. de tempera. cap. 6.* Alias vere multas, quibus cum partium, tum totius corporis deprehendi possunt, notas, *capitibus 7. 8. & 9. vsque ad finem secundi libri iam citati* docet, quas sane omnes medicus, vt recte temperamenta diiudicare queat, ad vnguem teneat, necesse est.

In excessib. iudicandis opus aliquo mediocri.

Partium calidarum ordo.

Frigidarum ordo.

Siccarum ordo.

Humidarum.

Indicia, quibus totius corporis & partiũ eiusdem tẽperamẽta cognoscũtur.

F

De qualitatibus secundis. CAP. VIII.

CVm ex secundis vocatis qualitatibus temperamenta quoque cognosci aliqua ex parte possint, operæ pretium faciemus, si de iis quoq; breuiter disseremus. Secundæ autem qualitates sunt, quæ primas, nempe caliditatem, frigiditatem, humiditatem,

Secundæ qualitates quæ.

Secundarũ qualitatum differentię. & siccitatẽ sequuntur: vel, vt planius dicã, quæ ex cõmistione, temperaturaue primarum qualitatum procreantur. Sunt aũt harum quatuor differentiæ, nempe visiles, vt *colores*, olfactiles, vt *odores*: gustatiles, vt *sapores*, tactiles, vt *mollities, durities, grauitas, leuitas, densitas, raritas, crassitudo, tenuitas, asperitas, leuitas, & id genus alia.* A

Colores. Colores quidẽ, cutis præsertim & pilorum, non parum ad temperamenti corporis cognitionem conducunt, *quemadmodum libro secundo de temperamentis, & in arte medica Galenus docet.* De medicamentorum vero temperamentis ex colore certi nihil colligi potest. In singulis enim coloribus calida, frigida, humida, & sicca inueniuntur. Non est igitur necessarium, vt *quicquid rubrum exsistit, idem quoque calidum sit*: hac enim lege rosas calidas esse consequeretur, quod tamen a vero abhorrere in confessio est. Neque contra, *quicquid album est, frigidum exsistat necesse est.* Alias enim omnes flores candidos, frigidos esse fateri cogeremur, quod quam sit absurdum, omnes intelligunt: nam sunt quam plurimi eius coloris flores temperamento calidi. Quod cum omnibus, præsertim iis, quibus stirpium est aliqua cognitio, sit notissimum, nulla eget longiore demonstratione. B

Odores. Ex odore itidem de medicamentorum temperamentis colligere nihil licet, quod *libro secundo, de simpl. medic. facult. capit. tertio, & libro quarto, eiusdem operis, cap. vlt.* Galenus monstrauit. Nos tamen capita eius rei hic breuiter attingemus. Quæ odore carent, hæc crassam quidem essentiam obtinẽt: ceterum, quæ sit eorum in calore & frigore natura, non ita constat. At quæ odorata sunt, tenuia quodam modo exsistunt, & calida, verum eius tenuitatis caliditatisq; quantitas haud indicatur. Caussa vero pręcipua, maximaq; quamobrem ex odore nihil certi de temperamentis iudicari queat, inæqualitas est essentiæ. C Neque enim omnes eius partes æque euaporant, nec perinde vt in gustu sensum mouent. Quippe in gustu omnes similiter gustabilium corporum particulæ linguæ offeruntur: sensumque mouent pro sua natura singulæ, vt copiosius locis paulo ante indicatis Galenus docet.

Cur de tẽperamentis ex odore nõ sit pronuntiandũ.

Sapores. Porro genera differentiæve saporum numero sunt octo, nempe *adstringens, austerus, acerbus, acidus, dulcis, amarus, salsus, & acris:* quorum quatuor priores ob frigoris excessum eueniunt: tres posteriores propter caloris redundantiam. Medius inter hos omnes, ob temperatum, quem obtinet, calorem, est dulcis.

Adstringẽs. Acerbus. Adstringens sapor, qui Galeno στυφὸν dicitur, contrahit, obturat, densat, repellit, incrassat, & exsiccat, genusque est acerbi, & austeri, quod vterque adstringat, nec nisi in maioris minorisque ratione differant. Ceterum vbi in subiecto corpore frigiditate superante siccum terreum dominatur, adeoque actio caliditatis siccum conficere atque extenuare haud poterit, & probe cum humido commiscere, tanquam a frigoris excessu impedita, tunc, vt par est, in eo misto vires terræ exsuperant. D

Austerus. Quapropter vbi eiusmodi essentia terrea, parum a calore deuicta, accesserit, sapor in misto creabitur adstringens, constipans, desiccans, & in multam profunditatem vsque exasperans, qui Græcis στρυφνὸς, Latinis *acerbus*, Germanicis Herb dicitur, qualem pyra syluestria immatura in se habent. Quod si vero frigiditas haud summe excesserit, sed aliqua etiam facultas caloris, quanquam obscura in misto apparuerit, quæ secum parum aliquid humoris attraxerit, & cum sicco terreo quodammodo attenuato permiscuerit, non tanta vis adstrictionis & constipationis gustanti apparebit, sed tanto remissior, quanto & plus caloris & humoris concocti inuenietur in misto. E Sapor is, qui tum procreatur Græcis αὐστηρὸς, Latinis *austerus*, Germanicis Raud/appellatur. Hic etiã in profundum subit, & asperum quendam inæqualemque mouet sensum, tanquam resiccãs & humorem omnem corporum sensitiuorum depascens.

Acidus. Si autem subiecta materia plus habuerit humoris, quam terreæ essentiæ, calorque inceperit in humore concoctionem, quę ad perfectam mistionem tendebat, sed longe antea defecerit, & exhalarit, quam finem assequi potuerit, eoque exhalato frigiditas tanquam victrix in humore permanserit, tunc gignetur sapor, qui Græcis ὀξὺς, Latinis *acidus*, Germanis Saur nominatur. Quum vero ea essentia, in qua is sapor consistit, ob humoris redundantiam, tenuis sit, ad profundum penetrat, nec in superficie hæret exsiccans, & exasperans. F Quia vero calor, qui postea exhalauit, in humorem egit, adeoq; caloris in eo reliquit vestigia, subtiliorumq; partium adustionẽ, ideo quæ acida sunt, non solum in profundum subeunt, sed etiam incidũt, diuidunt, extenuant, obstructiones auferunt, & expurgãt, abstergũtve. Vt hinc omnib. palam fiat, *exquisite adstringẽtia,*

acerba,

A *acerba, austera, & acida omnia frigida esse.* Sic autem vocamus, quæ præter adstrictionem, acerbam, austeram, & acidam qualitatem, nulla alia sensu notabili qualitate prædita sunt. Exquisite adstringẽtia, &c. Atque ii sunt tres sapores, qui a medio temperamento ad frigidum declinant, quorum duo adstringentes, nempe acerbus & austerus, in terrea crassaque substantia consistunt. Tertius vero acidus in humida, quæ a calore, qui postea exhalauit, mediocriter attenuata fuit. Dulcis. Porro dulcis sapor fit, *vbi temperatus calor optime commiscet humidum cum sicco.* Proinde dulcia omnia mediocriter sunt calida, Salsus. laxant, concoquunt, emolliunt, & rarefaciunt. Quod si calor hos fines excesserit, & subiecta materia sicca fuerit, quam caloris redundantia adusserit, attenuaueritque, necessario fit substantia terrea in eo misto siccior & tenuior, magisque in pro-
B fundum penetrans. Quocirca primum hinc sapor nascitur salsus. Siquidem salsedo aliquod adhuc humiditatis vestigium retinet, quæ coniuncta est, & humanæ temperaturæ familiaris, vnde & salsedo in omnibus fere animantibus gustum acuit, & delectat. Salsa itaque calida & sicca, non tamen vehementer exsistunt, & quum linguam contingunt, eam neque contrahunt, neque constipant, imo contra plane agunt, nempe detergent, & abluunt, adeoque gustum, vt comprehensum est, acuunt. Amarus. At vbi tota pene humiditas nimia vi caloris exhausta fuerit, tunc ingratissimus sapor generatur, qui *amarus* nominatur. Amara cur non nutriunt. Hinc amara quatenus amara sunt, nullum nutriunt animal. Nulla enim in iis superest humiditas, vnde alimentum elici possit. Sunt itaque amara omnia admodum sicca, omniumque hoc nomine mi-
C nus putrescunt. Meatus quoque corporis expurgant, abstergunt, extenuant & humores crassos incidunt. Acris. Ceterum si subiectum, in quo validus & igneus calor ad mistionem agit, humorem satis copiosum habuerit cum sicco terreo commistum, attenueturque vi caloris & efferuescat tam humida pars, quam sicca, tunc ex huiusmodi commistione & temperatura oritur sapor, Arabes quem Græci *δριμὺν*, Latini *acrem*, Germani *reß & scharpff* dicunt. Huius saporis substantia vsque ad profundum linguæ, eo quod tenuis sit, deinde suo feruore, dilatat, exsiccat, mordicat, & erodit. Atque hæc de saporibus in præsentia dixisse satis sit. Quod si vero de illis quispiam plura cognoscere velit, is caput 37. libri primi *de simplicium medicamentorum facultatibus*, & caput sextum *libri quarti cum sequentibus omnibus, vsque ad finem libri, & 26. li-* Tactiles qualitates
D *bri 5. Galeni* perlegat. Quod ad tactiles qualitates attinet, hoc initio monendum erit, id quod siccum est, quod supra quoque diximus, durum prorsus esse. Non tamen si quid durum est, idem statim & siccum erit. Etenim inseparabile a sicco corpore durities est, non tamen eius vnius propria. Nam & quod a frigore concretũ est, durum cernitur, sicut glacies, siccum tamẽ non est. Vnde non statim sicci humidiq; adeunda, in rebus maxime externis, discretio est, ante scilicet, quam æstimatum sit, quemadmodum in calore & frigore se habeant. Neque enim si quid cum summo frigore, repræsentatur durum, id etiam siccum est. Nec si quid cum vehementi calore est molle, idem statim est humidum. Cera enim vehementer calefacta, mollis, ac liquida est, non tamen humida. Verum quum mediocriter est calidum, tum
E æstimare, durumne an molle sit, oportet. Si enim molle sit, humidum est, sin durum, siccum. Quid autem asperitas, læuitas, tenuitas, crassities, densitas, & raritas ad temperamentorum, ac medicamentorum facultatum dignotionem conducant, *libr. 2. de temperamentis, & in libris de simplicium medicamento. facultatibus*, abunde Galenus docuit. Quare hos libros, vnde harum rerum omnium cognitio petenda venit, studiosi adeant. Neque enim instituti nostri ratio fert, vt singula hæc vberius attingamus. Vnice autem ad temperamentorum totius corporis, & principum eiusdem partium conferunt, quæ Galenus in *arte medica a cap. 13. vsque ad 67.* tradit.

DE HVMORIBVS. SECT. IV.

De humorum numero. CAP. I.

F

CHYLVS, succusue, qui iam confectus e ventriculo per mesenterii venas, Humores quatuor. *vt suo fusius dicemus loco*, in iecur traducitur, non prorsus ex vna eademque substantia constat, nec simili caloris, & frigoris mensura tenetur. Quapropter in iecore non potest in vnius, ac simplicis humoris speciẽ cõ-

uerti, sed necessario quatuor inde nascuntur humorum differentiæ, qui tum substantiæ tum qualitatis ratione, primorum elementorum naturas quodam modo imitantur. Hinc eos Galenus *libro secund. de elementis*, animantium sanguine præditorum elementa nominat. Sunt autem hi humores numero quatuor, sanguis nimirum, pituita, bilis flaua, & atra, vel rectius melancholicus, vel niger humor, quod scil. atra bilis nondũ sit, sed ei vicinus, naturamque illius statim subiturus. Flauam autem bilem allicit, & in se recondit propria vesicula, atram lien, quemadmodum renes humorem eum, qui aquæ speciem gerit, atque hoc pacto ab eorum sordibus & squalore sanguis expurgatur, purusq; & integer redditur. Pituita autem cum sanguine manet, eique permiscetur, concoctioneque, *vt infra latius dicemus*, in sanguinem mutatur. Ceterum non vsque adeo diligenter potest sanguis a bile tum flaua, tum atra expurgari, & quasi elui, quin propterea vtriusque nonnihil derelictum sit, quo, sicuti & pituita, is perfunditur. Itaque sanguis, qui e iecore ortus est, maioribusque venis concluditur, exquisite vnus & purus esse non potest, sed ex pituitæ, bilis vtriusque, & puri sanguinis permistione conflatus. Atque hos etiam succos ex omnium consensione vsuq; dicendi, sanguinis appellatione designamus. Vt bilis in venis non sit, nisi sanguinis tenuissima & calidissima pars. Pituita vero altera sanguinis crudior pars, quæ frigida & humida est. Melancholicus autẽ succus crassior ea, quæ frigida & sicca est. Sola vero ea, quæ tum substantię, tum qualitatum mediocritate quadam continetur, *sanguinis puri* appellatione notatur. Hinc est, quod rectissime Galenus *in libello de plenitudine* scriptum reliquerit, immistum & ab aliis humoribus syncerum sanguinem nusquam in venis comprehendi. Igitur qui intra venas coercetur sanguis, quatuor iam dictis humoribus perfunditur, sed ea proportione, vt in temperata & mediocri constitutione purus sanguis multum antecellat, ceterisq; præstet: ab hoc dein pituita, quia dulcis est, potestq; in sanguinem conuerti, abundat. Tertio loco est melancholicus succus: omnium autem paucissima est flaua bilis, quod ad corpus alendum sit superuacanea. Quod autem Melancholicus succus bilem exsuperet, hinc maxime liquet, quod illius quam bilis receptaculum capacius & plenius in nobis sit. Præterea, quod ex vena secta sanguis si asseruetur, plus subsideat lutulenti, quam per summum innatet biliosi. Nec est cur absurdum alicui videatur, sanguinem ex tot conflari partibus, seu in vnam substantiam quatuor conuenire partes. Nam idipsum in lacte, musto, & aliis quoque succis liquido conspicitur. Atque, vt de reliquis taceamus, in musto certe est aliud, quod grauissimum exsistit, aliud quod leuissimum, aliud tertium quod toti musto permistum est, in eoque feruet, ad hæc quartum, ipsum videlicet purissimum ac syncerissimum, cuius reliqua tria excrementa exsistunt. Quippe posteaquam mustum recens ab vuis expressum coniectumque in dolia fuerit, ab innato sibi calore efferuescit, mutatur, ac coquitur, tumque excrementa, quæ prius quidem confusa inerant, comparere incipiunt, atque cum primum concoctionis vi secernuntur & secedunt: alterum quidem grauius magisque terrenum, quod in fundo subsidens fæcem appellant: alterum leuius, magisque aereum, quod per summa innatat, & flos vini dicitur. Porro vbi mustum a fæcibus & spuma fuerit expurgatum, tamen crudis adhuc partibus visum effugientibus perfusum est, quas tandem aliquot dierum numero vini calor euincit & concoquit, tumque syncerum & purum, quod remanet, vinum nominatur. Simili profecto ratione chylus in iecur transfusus, cum humidus quidam liquor sit, quodam modo feruet & concoquitur, tandemque in eo nonnihil crassum exsistit fæci respondens, nonnihil etiam tenue & leue flori consimile, hoc bilem flauam, illud melancholicum humorem appellamus. Hæc itaque quia superuacanea, & ad corpus alendum minus sunt idonea, idcirco sanguini puro corporis alimento illa permisceri par non erat. Quamobrẽ natura illa segregãs, flauam bilẽ in ꝓpriam vesiculã ad iecoris portam constitutam, melancholicũ vero succum in lienem reponit. Vtraque autem bile secreta, crudus quidam humor ei confusus permiscetur, qui est quasi dimidio coctum alimentum, quod manens cum sanguine vna rapitur in venas, vt per inedias, & cibi penuriam tempore mutetur, & integre coquatur, fiatque sanguis commodus, & salutaris, purusque. *Vt* hinc omnibus palam fiat, sanguinem purum in venis esse geminum. *Vnum*, qui a prædictis excrementis purgatus est. *Alterum*, qui sanguinis hoc modo expurgati purior est portio.

Elementa animantium sanguine præditorum.

Sanguis purus & syncerus nusquam in venis reperitur.

Quatuor humorũ in sanguine proportio.

Sanguinis appellatione, quid veniat.

Sanguinis quatuor partes.

In musto quatuor substãtiæ.

Fæx.

Flos vini.

Vinum.

Quatuor humorũ procreatio & secretio.

Sanguis in venis purus geminus.

A B C D E F

A *De humorum temperamentis.* CAP. II.

EX iam dictis facile humorum temperamenta colliguntur. Quippe sanguinem, quum substantia & qualitatibus mediocris sit, *temperatum* statuere oportet. Id quod etiam Galenus confirmat, qui *in Commento 36. libri primi Hippocratis de natura humana*, ita scriptum reliquit: Καὶ δῆλον ὅτι καὶ αἷμα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, οὐ θερμὸν καὶ ὑγρὸν ἀλλ' εὔκρατον, id est: *Atque constat, eadem etiam ratione sanguinem non calidum & humidum esse, sed temperatum.* Et clarius *Com. 39. eiusdem libri* in hunc modum scribens: Αὐτὸ γὰρ τὸ αἷμα τὸ δοκοῦν εὐκρατότατον, λέγεται τοιοῦτον, ὅτι μηδὲν ἐπικρατεῖ μεγάλως ἐν αὐτῷ τῶν ἐναντίων ἀλλήλοις, μήτε τὸ θερμὸν τοῦ ψυχροῦ, μήτε τὸ ψυχρὸν τοῦ θερμοῦ, μήτε τὸ ὑγρὸν τοῦ ξηροῦ, μήτε τὸ ξηρὸν τοῦ ὑγροῦ. ἐπεὶ τοίνυν δεῖται καὶ τὸ αἷμα αὐτὸ τῶν τεττάρων ποιοτήτων, ὑγρότητος, καὶ ξηρότητος, καὶ θερμότητος, καὶ ψυχρότητος, εὔδηλον ὅτι
B καὶ τῆς τῶν ἄλλων δεήσεται μίξεως· καὶ διὰ τοῦτο τὸ εὐκρατότατον αἷμα μετέχει τι καὶ φλέγματος καὶ χολῆς ξανθῆς, καὶ μελαίνης. Hoc est, *Sanguis ille, qui videtur temperatissimus, talis dicitur, quod in ipso nullum contrariorum aliis magnopere praecellit, neque calidum frigido, neque frigidum calido, neque humidum sicco, nec siccum humido. Posteaquam itaque & ipse sanguis indiget quatuor qualitatibus, humiditate, siccitate, calore & frigore, manifestum est, quod & cum reliquis humoribus misceri postulet. Quo fit, vt temperatissimus quoque sanguis sit pituitæ, flauæ, & nigræ bilis particeps.*

Sanguis temperatus.

Huc accedit, quod *libro 2. de facultatibus naturalibus*, sanguinem ex mediocri ac tẽperato calore, reliquos autem humores ex immodico procreari scribat Galenus. Qui sane Galeni locus non aliter intelligendus venit, *quam quod in eo corpore, quod mediocri*
C *calore præditum est, sanguinis pars purior, in eo autem, in quo calor redundat, vtraque bilis, in eo vero, in quo frigus exsuperat, pituita generetur.* Quippe per sanguinem intelligit *puriorem eius partem, quæ mediocritate, tum substantiæ, tum qualitatum continetur. Per bilem autem, tenuissimam vel crassissimam eiusdem partem, vt per pituitam, crudiorem*, vt fere id dicere voluerit Galenus, *mediocrem calorem puriorem sanguinis partem procreare, reliquas autem duas partes, tenuissimam nimirum & crassissimam, ab immodico generari calore. Crudiorem autem eiusdem partem a frigore exsuperante.*

Galeni locus explicatus.

Nemo enim ambigere debet, quin ab æstu, exercitio, balneis, in summa a calidiorum caussarum vehementi occursatione pars sanguinis tenuissima, adeoque flaua intra venas bilis, quemadmodum etiam reliquæ eiusdem partes persistente similium caussarum impetu, procreentur. Quod Galenus loco citato iis confirmat
D verbis, quæ a paulo ante productis mox subiicit inquiens: *Quando & ciborum qui natura calidiores magis sunt biliosi: qui frigidiores, magis pituitosi. Simili modo ex ætatibus, quæ calidiore natura sunt, has biliosiores esse constat: qui frigidiore, pituitæ magis obnoxias. Iam vitæ rationum, & regionum, & anni temporum, multaque priores his ipsarum quoque naturam, quæ frigidiores sunt, eæ magis cernuntur pituitosæ: quæ calidiores magis biliosæ.* Hæc ille.

Quæ vtique manifeste docent, Galenum non aliud sentire, quam quod a mediocri calore in humano corpore plus sanguinis: ab immodico contra, plus vtriusque bilis gignatur. Atque hinc est, quod ab vno eodemque alimento in diuersis
E corporibus, diuersi nascantur humores, quod mellis exemplo ibidem Galenus demonstrat. Hoc namque in eo, qui natura calidiore est, & ætate florens, vitamque laboriosam degit, totum in flauam bilem seu leuiorem sanguinis partem vertitur. Contra in senibus, non in bilem, sed in sanguinem, hoc est, puriorem sanguinis partem, mutatur. Vt hinc omnibus palam fiat, ex caloris vi in humorum, & partium sanguinis ex alimentis procreatione varietatis plurimum afferri. Sed redeundum nobis ad institutum erit. Sanguinem esse temperatum hinc etiam patet. Quippe Galenus *libr. 2. de Temper. capite quarto*, sanguinem *humorum optimum maxime, & proprium* esse scribit. Si *optimus est*, igitur *temperatus sit oportet*: Optimus enim in corpore humano humor nullus esse potest, nisi idem in qualitatibus quatuor medio-
F cris, adeoque temperatus sit: Proinde cum sanguis sit temperatus, errare plurimum necesse est, Medicos, qui hunc calidum & humidum esse affirmant. Nam si horum opinio constabit, fatendum erit sanguineum, quod ipsi appellant temperamentum, non optimũ, sed omniũ fere pessimum esse. Quippe corporis temperamentum, in quo calidum præualet frigido, & humidum sicco, in vtraque oppositione intemperatum est,

Sanguis non est calidus & humidus.

tantum abest, vt temperatum dici debeat, aut possit. Hinc est, quod omnium intemperierum (*vt libro 8. Ther. method. cap. 7. etiam attestatur Galenus*) putredinis morbis maxime exposita sit, propterea, quod per ipsam sanitatem proxime ad putredinem accedat, veluti tum ex sudoribus coniicere est, qui iis grauiter olent, tum vero ex vrinis, deiectione, atque etiam ipsa exspiratione. Etenim qualis est hircorum, talis est etiam illarum naturarum temperies. Ideoque promta est ex qualibet occasione tum aliis morbis, tum vero febribus corripi. Accedit, quod hoc temperamentum, *quemadmodum libr. 5. de tuenda sanit. cap. vltimo, testatur Galenus*, fluxionum vitiis maxime obnoxium sit. Idem quoque *libr. 6. eiusdem operis cap. 4.* naturas calidas & humidas in ætate puerili fluxionum & plenitudinis morbis maxime tentari tradit, itemq; putredinis. Proinde vt omnium aeris temperamentorum pessimum, id est, quod calidum & humidum exsistit, *vt libr. 1. de tempe. cap. 4. demonstrat Galenus*: ita etiam humani corporis temperamentum, quod eiusmodi est, pessimum sit, necesse est. Quod si itaque sanguineum temperamentum optimum est, vt reuera est, consequitur sanguinem non esse calidum & humidum, sed potius temperatum. Atqui hic sciolus quispiam statim nobis Hippocratis & Galeni auctoritatem opponet, quorum vterque sanguinem esse calidum & humidum, hic quidem *in libro 1. de temperamentis*, ille *in libro de humana natura*, diserte scriptum reliquit. Cui vicissim id reponimus, verum vtique esse, quod Hippocrates sanguinem appellet calidum & humidum, sed qua idipsum faciat ratione, diligenter considerandum erit. Non autem alia haud dubie ratione, Galeno etiam *com. 36. libri de natura humana Primi*, teste, quam qua Ver calidum & humidum esse ait, nempe non absolute, sed collatione ad aliud tempus, Autumnum scilicet. Per se enim, & ex sua natura æstimatum, temperatum est, *vt supra monstrauimus*. Sanguinem igitur collatione cum ceteris humoribus calidum & humidum esse Hippocrates recte statuit: pituita enim calidior, bile vero humidior. Pari modo Galenus quoque sanguinem conferendo ad ea, quæ maiorem frigidi portionem contraxerunt, pituitam scilicet, calidum esse inquit: collatione vero ad ea quæ maiorem sicci portionem sortita sunt, ossa verbi gratia, cartilaginem, & id genus alia, humidum. Verum instabit rursus alius hoc modo: *Galenus sanguinem non solum calidum, sed & in corpore calidissimum libr. 1. de tempera. capite vlt. asserit, tantum abest, vt illum temperatum dicere possis.* Respondeo, Galenum hoc loco non loqui de sanguine per se æstimato, sed cum cute collato. Huius enim respectu calidissimus est inter ea, quæ simul sunt humida, sanguis. Præterea non loquitur Galenus ibidem de eo sanguine, qui alieno calore vacat, sed eo potius, qui est a corde plurimum calefactus: id quod ex eiusdem verbis, quæ deinceps sequuntur fit euidentissimum. Ita enim paulo post ait: *Sanguis vero ipse a corde suum accipit calorem.* Quod etiam confirmat Hippocrates, qui *in fine libri de corde* sanguinem non esse natura calidum, sed calefieri diserte scribit. Proinde sanguinis temperamentum non posset commodius æstimari, quam in iis, quæ corde essent destituta, animantibus, in illis enim temperato plane calore præditus esset. Quod in libro de fœtus formatione, iis etiam verbis innuere voluit Galenus: *Nullum*, inquit, *animal exsangue est manifeste calidum, neque manifestum calidum exsangue. Nam sanguini, qui in venis est, absque cordis calore tepida quædam caliditas insita est, & propterea etiam in iecore. Cor vero quasi quendam ignis focum animalia sortita sunt. Sine corde enim animalium calor persimilis est calori, qui æstatis tempore in domibus sentitur. Sed quemadmodum domus incenso in ipso igne calidior redditur, ita & animalium corpus e corde calorem maiorem acquirit, quam is sit, qui venis & iecori insitus est, & sanguini videlicet in ipsis contento.* Hæc ille. Proinde vt sanguis per se æstimatus, prout in iecore & venis est, non a corde calefactus, temperatus est & dicitur, ita ille qui a corde calorem nactus est inter corporis partes, quæ simul humidæ sunt, calidissimus exsistit. Atque iam facile etiam diluuntur alia quædam Galeni loca, in quibus ille flauam bilem sanguine calidiorem esse affirmat: quorum sane vnus est *in lib. 2. de temp. cap. 4.* vbi non obscuris verbis sanguinem, flaua bile longe calidiorem esse ait. Alter *in capit. 5. libri de inæquali intemperie*, vbi ita scriptum reliquit: *Calidissima natura merito flaua est bilis, at frigidissima pituita: Reliquorum humorum sanguis, post flauam bilem maxime est calidus, sicut atra post pituitam est frigida.* Tertius *in libro 1. ad Glauconem de tertianæ exquisita curatione*, vbi flauæ bilis humorem inter omnes, qui in corpore sunt, θερμότατον καὶ ξηρότατον, id est, *calidissimum & siccissimum* esse tradit. Nam *in libr. 1. de temperamentis* de sanguine non per se æstimato

Marginalia: Obiectio prima. Responsio (beside "potius temperatum…"); Obiectio altera. Responsio (beside "nus alia, humidum…"); Sanguis calorem suum a corde accipit. (beside "verbis, quæ deinceps…"); Obiectio tertia. (beside "stit. Atque iam…"); A
B
C
D
E
F

A mato, sed cum cute collato loquitur, ibidemque quæ hac ratione in corpore humano sunt humidissima simul & frigidissima, calidissima simul & humida, siccissima simul & frigidissima inquirit. Qua vtique ratione rectissime pituitam humidissimam & frigidissimam in corpore esse ait. Nihil enim, *vt dictum est*, in humano corpore hac frigidius simul & humidius est. Pilum vero siccissimum & frigidissimum statuit. Nihil enim hoc siccius simul atque frigidius est. Sanguinem autem, a corde nimirum calefactum, calidissimum, quod scilicet eo in corpore nihil, quod simul humidum sit, calidius exsistat. Est quidem eo calidior flaua bilis, atqui ea etiam sicca, non humida simul est. Et cum in vtrisque sequentibus locis, secundo nimirum & tertio, inter se humores quatuor conferat, exque horum collatione eorundem temperamenta colligat, B merito flauam bilem calidissimam & siccissimam esse inquit. Quippe in ea maior calidi portio est, quam in omnibus aliis humoribus. Ceterum est etiam cor sanguine calidius, vtpote id, a quo sanguis suum mutuatur calorem, sed simul etiam sanguinis potissimum collatione, siccum. Id quod Galenus quoque confirmat, qui in *libr. 2. de tempera. cap. 4.* in hunc scribit modum. *Iam, inquit, cordis caro omnibus iis carnibus, nimirum lienis, renum, & iecoris, tanto est siccior, quanto est durior. Calidior vero non modo iis, sed etiam omnibus plane corporis particulis. Quod etiam sensu clare deprehendas licet in thoracis animalis dissectione, si digitum in sinistrum eius sinum immiseris. Inuenies enim locum hunc omnium, quæ in animali sunt, non paulo calidiorem.* Ex iis igitur omnibus, quæ diximus, abunde patere arbitramur, sanguinem per se & ex sua natura æstimatum, quod C certe in disquirendis temperamentis fieri debet, esse temperatum, minime vero calidum & humidum. Hæc fusius a nobis tractata sunt nulla alia de caussa, quam quod a nemine alio, quod sciam, sanguinis temperamentum recte sit explicatum, cum in vniuersum, omnes iam multis annis receptam sequantur opinionem. De reliquorum humorum temperamentis nulla est inter medicos recentiores dissensio: imo omnes vno ore fatentur pituitam esse frigidam & humidam: bilem flauam calidam, & siccam: atram vero vel melancholicum humorem, frigidum & siccum. Vt errare necesse sit eos, qui Prodicum in Opere suo de natura humana sequentes, φλέγμα (*sic enim Græci pituitam vocant*) a verbo πεφλέχθαι, quod *vstum, ac supra modum coctum esse* significat, dictum esse arbitrantur. Siquidem ignorant illi Græcis auctoribus φλέγμα duo significare, nem- D pe φλέγειν, id est, *vstionem, & humorem illum natura frigidum ac humidum*, quem Latini *pituitam* appellant. Animaduertendum autem, quum humores hos calidos, frigidos, humidos, siccosue dicimus, tales esse non nisi potestate dicimus. Quippe dissidet id, quod actu & secundum, vt ita dicam, apparentiam tale est, ab eo, quod potentia, seu facultate eiusmodi exsistit. Actu enim est, quod iam præsens est. Potestate autem, quod adhuc futurum est, atque vt fiat, quod dicitur, veluti habile, non tamen adhuc subsistens. Hac vtique ratione flauam bilem siccam appellamus, quantumuis aspectu humida sit. Potestate autem flauam bilem esse calidam & siccam, indicio est, quod vbi plurima in ventriculo continetur, perpetua siti infestamur. Contra si hæc euomitur, protinus a siti magis vindicamur, quam si plurimam hausissemus portionem. Si- E tim autem a calore & siccitate prouenire, notius est, quam vt multis a me ostendi debeat. Idipsum etiam *libr. 1. de simplic. medicamen. facult. cap. 30.* Galenus copiose docet. Pari ratione aquam marinam, non obstante, quod humida, prout apparet, exsistat, siccam esse affirmamus, quod nimirum potestate talis sit: siquidem carnes siccat, & incorruptas seruat. Sic atram quoque bilem, non obstante, quod actu humida sit: neque enim in humorum censum veniret, nisi talis esset: siccam potestate esse adstruimus. Verum hęc ex libris Galeni de simplicibus abunde patere omnibus arbitramur.

Pituitæ temperamentum. Bilis flauæ. Atræ. Humores quomodo calidi, frigidi, humidi, & sicci dicuntur. φλέγμα. Actu esse. Potestate esse. Flaua bilis potestate calida & sicca. Sitis caussæ. Aqua marina sicca est.

De secundis quatuor humorum naturalium qualitatibus, ac sedibus. Cap. III.

F Hactenus de primis qualitatibus, quæ quatuor humoribus insunt, abunde dictum est. Nunc de illis quæ has sequuntur, adeoque secundæ nominantur, nobis disserendum erit. Sanguini itaque, vt etiam Galeni in libello *de atrabile* inscripto est sententia, dulcedo inest. Nam quum a moderato calore, *vt libr. 4. de simplicium medi-*

Secundæ humorũ qualitates. Sanguis dulcis.

ca. facul. cap. 10. idem Galenus attestatur, cuique corpori dulcedo proueniat, sanguisque vt præcedenti capite demonstratum est, temperatus sit, vt idem quoque dulcis sit, necesse est. Dulcem autem esse gustus quoq; confirmat. Quum igitur dulcedo non nisi a moderato calore procreetur, illaque sanguini liquido insit, consequitur etiam illum esse temperatum. Pituita profecto naturalis qualitatis omnis secundæ, vt aqua, expers adeoque insipida est. Neque enim dulcedinem, neque amaritatem, neque acrimoniam, neque aciditatem præ se fert. Cum enim omnium, quæ in corpore sunt, frigidissima, adeoque minimum concocta & humidissima sit pituita, fieri non potest, vt aliquis iam dictorum saporum illi insit, quod horum nullus ab admodum frigida qualitate procreari possit. Vt errare maiorem in modum omnibus constet eos, qui pituitam naturalem dulcem esse affirmant. Porro flaua bilis, amara est, idque sane merito, quod calida admodum sit, quippe amarus sapor, quod multis argumentis *libr. 4. simpli. cap. 16. & 19.* Galenus demonstrat, calidis & siccis corporibus inest. Atra bilis naturalis, qui melancholicus, vel niger humor proprie dicitur, acerba est: siquidem sapor acerbus, non nisi in terreis & frigidis, qualis certe, *vt e præcedentibus patet*, atra bilis est, *vt idem Galenus eodem in loco cap. 7.* testis est, reperitur. Ceterum quæ diximus, ad humores naturales vocatos referenda sunt. Sic autem medici appellant eos, *qui sunt in animali, quod secundum naturam se habet, adeoque illos qui suas, iamque expositas qualitates seruant.* Hi certe omnes, vno duntaxat excepto, sua in quibus continentur in corpore loca obtinent. Sanguinis enim locus venæ sunt & arteriæ. In iis namque vasis sanguis naturaliter continetur, & in totum distribuitur corpus. Non solum vero in venis, sed etiam in arteriis, contineri sanguinem, Galenus in eo libello, cui titulum fecit, *an sanguis natura in arteriis contineatur, aduersus Erasistratum & eius sectatores* luculenter admodum demonstrauit. Distat tamen nonnihil sanguis, qui in arteriis est, ab eo, qui in venis habetur, vt *idem Galenus libr. 1. de laborantibus locis cap. 1. & libr. 6. de Hippocratis & Platonis placitis confirmat.* Quippe sanguis venarum colore ruber est. Arteriarum vero, vtpote calidior, tenuis subtilisque, flauior exsistit. Quanquam autem sanguis purus, & syncerus, *vt in superioribus ostensum est, & in lib. de plenitudine, & multis aliis locis attestatur Galenus*, nusquam in venis reperitur, sed semper pituitam, ac geminas biles sibi commistas habet: tamen quia is plurimus est, alii autem humores eo pauciores, ideo solus, tanquam is qui reliquos copia superat ex omnibus ex venis apparet. Porro generationi sanguinis, seu, vt ita dicam, sanguificationis officina, & instrumentum, iecur est, *quemadmodum idipsum Galenus lib. 3. de vsu par. corpo. humani. & libr. 6. de placitis Hippo. & Platonis copiose demonstrat.* Pituitæ, quæ in prima ciborum mutatione, *Galeno Comm. 39. lib. de natura humana teste*, generatur, ac colore alba exsistit, concoctioneque in sanguinem mutatur, expurgandæ natura nullum proprium instrumentum machinata est, quod segregari a sanguine, excludique non deberet. Est enim veluti dimidio coctum alimentum, quod manens cum sanguine vna rapitur in venas, vt per inedias, & cibi penuriam, tempore mutetur, & integre coquatur, coctumq; iam sanguis euadat. Desiderat itaque talis humor non vacuari, sed in corpore manens alterari. Quicquid vero pituitæ in intestinis relinquitur, a bile ex iecore in ea defluente abstersum, commodissime ac celerrime per sedem eiicitur, *quemadmodum lib. 5. de vsu par. corpo. humani fusius Galenus ostendit.* Porro excrementum, quod a cerebro destillat, & e naribus manat, *veluti idem Galenus libro 2. de naturalibus facul. cap. vltimo attestatur*, proprie non appellatur pituita, sed Græce βλέννα καὶ κόρυζα, Latine *mucus*. Flauæ pallidæue bili, quæ excrementum est, quæ a colore eius qui flauus pallidusue est, appellationem hanc accepit. Græcisque simpliciter χολὴ dicitur, natura propriam sedem destinauit vesicam, quæ iecori subest. Hæc enim bilem in iecore natam, ibidemque sanguini mistam proprio ductu & via, quæ ex iecore in se pertinet, attrahit, eamque synceram quidem, nec alio quopiam humore adulteratam, tum quod viæ meatusue angustia crassiorem illabi non sinit, tum quod eiusmodi attractio maxime ex humoris familiaritate, & conuenientia incitetur. Et quanquam hic humor mordax est, & acris, vesiculæ tamen proprioque receptaculo tristis aut infestus minime exsistit, sed ob mutuam cognationem iucundus & amicus, ex quo illa voluptatem & iucunditatis sensum aliquem percipit. Ceterum, eo haud quaquam alitur, quod vsquequaque amarus sit, nullo benigno succo perfusus, sed sanguine, quem per venam conspicuam ex iecoris porta in suam ipsius ceruicem insertam

Marginalia: Pituita qualitatis omnis secundæ expers est. — Flaua bilis amara. — Atra bilis acerba est. — Naturales humores qui. — Sanguinis locus. — Differt sanguis venarum nonnihil a sanguine arteriarum. — Cur solus sanguis in venis appareat. — Iecur generationis sanguinis officina. — Pituitæ reponendæ nullus a natura in corpore destinatus locus. — βλέννα. Mucus. — Flauæ bilis sedes. — Vt flaua bilis in vesiculam trahatur. — Vesicula a sanguine alitur.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A tam suscipit. Necessarium autem fuit, vt a bile sanguis purgaretur, ne scilicet vniuersi corporis color, perinde atque in iis accidit, qui ictero laborant, ab ea inficeretur contaminareturque. Atræ bilis naturalis, vel, *vt cum Galeno sect. 6. Aphor. Comm. 53.* exquisitius loquamur, melancholici humoris, qui est veluti fæx & sedimentum sanguinis, adeoque niger, sedes ac receptaculum, lien est. Is enim parte sua concaua venam habet a iecoris porta allatam, qua ille a crasso melancholicoque humore iecur expurgat. Hunc enim insita facultate, qua sibi gratus est, & suauis, attrahit, & in se recondit per venarum tenuitates diffundens, & dein assidua opera summaque administratione hunc elaborat, & in tenuiorem quoad licet succum commutat, vbi in illius venis & arteriis elaboratus fuerit, non vniuersus, neque crassior eius pars, sed tenuior duntaxat lienis fit alimentum, & in eius carnem sensim illabitur. Id autem quamuis tenue sit, nequaquam tamen rubrum est, sed subnigrum, lienis colore. Ceterum necesse admodum fuit, vt lien ad se melancholicum humorem alliceret: nisi enim ab eo expurgaretur iecur, inde impurior sanguis, totumque corpus decolor magis redderetur.

Atræ bilis naturalis seu melancholici humoris sedes.

B

Quis quatuor humorum naturalium vsus, & motus: quaque eorundem sequantur temperamenta. CAP. IV.

EX iam dictis facile quis sit prædictorum quatuor humorum in corpore animantis vsus, quique eorundem temperamenta sequantur in eodem effectus cognoscetur. C Nam sanguinis in corpore vsus est, vt nutriat; ex eo enim omnes corporis particulæ nutriuntur, nonnullæ quidem exigua interueniente alteratione, vt carnosæ, aliæ vero, veluti ossa, non nisi multa intercedente mutatione. Verum sunt, qui ventriculum ex sanguine nutriri haud concedunt, *vt qui hunc potius ex chylo, succoue illo, qui ex cibo, quem is concepit, procreatus est, nutriri contendant, quandoquidem ille famem & cibi appetentiam sedet, quod certe non posset, nisi ventriculum pasceret ac nutriret.* Sed hanc obiectionem pulchre diluit Galenus *libr. 4. de vsu partium*, vbi scribit, *ad perfectam ventriculi & intestinorum nutritionem, toti mesenterio & omento naturam plures intexuisse venas nutriendis illis dicatas, haudquaquam ab eis traiicientes ad iecur.* Quanquam reficiuntur etiam interdum ea cremore illo, quem ex cibis conficiunt: necnon in longiori inedia, per quas venas prius distributio ad iecur facta est, per easdem rursus aliquando sanguis benignus ad eorum nutri- D tionem retrahitur. Vnde omnibus certe perspicuum fit, refectionem eam, quam ex cremore e cibis profecto capessit ventriculus, veram nutritionem non esse, nec appellari a Galeno, sed potius oblectationem quandam & satietatem nutritionis æmulam. Quippe quod in cremore longe optimum habetur & congruens; id ad se rapit ventriculus, inque suas tunicas sugendo recondit, ex quo fructum voluptatemque, perinde atque vesicula iecori substrata ex bile, percipit, & quodammodo reficitur. Verum quum cremor ille vacua tunicarum spatia referciens, in vaporem fusus & extenuatus, ad extremum euanescit, isque sua qualitate conuenienti, cognata ac familiari potius q̃ substantia animalem appetentiam, nequaquam autem naturalem depellat, quæ ex eo E fit refectio, nutritio proprie dici non potest. Nam naturalem appetentiam, quæ vacuationem & dissipationem partium sequitur, vna duntaxat sanguinis substantia per ventriculi corpus & molem effusa, dum in eius naturam conuertitur mutaturque, satiare potest. Animalem vero non modo sanguis, sed & quicquid qualitatis cuiusdam suauitate, cognationeue, & conuenientia præditum in ventriculum ingeritur, compescit. Ceterum nemini absurdum videri debet aliquid voluptatem e re quadam capere, non tamen inde nutriri. Nam simile est, quod accidit iis, qui æstiuo tempore se in aqua frigida lauant. Quippe illi non leuem ex ista lauatione voluptatem sentiunt, ac qualitatis frigidæ suauitate mirum in modum delectantur, non tamen nutriuntur. Porro sanguinis in humano corpore abundantia temperaturaque efficit moderatos, ridibundos, blan- F dos, venustos, ac floridos. Quum enim sanguis temperatus sit, vt hæc omnia eius temperaturam sequantur necesse est. Ceterum pituitæ vsus est, vt quod eius in ventriculo generatur, ac cum humoribus, qui ex cibo & potu in iecur distribuuntur, perfertur, Galeno in libello de atra bile astipulante, dum cum iis vna concoquitur, sanguis euadat.

Sanguinis vsus.

Ventriculum, sanguine vere nutriri.

Ventriculus cremoris benignitate fruitur atque oblectatur.

Ingestus cibus animalem, sed nõ naturalem appetentiam sedat.

Sanguinis tẽperatura quid in corpore efficiat humano.

Pituitæ vsus.

Hæc vtique *segnes, somnolentos, carnosos, obesosue, ac cito canescentes facit.* Neque enim alios pituita, cum frigidus admodum humor sit, efficere potest. Ita, vt *rectissime Galenus commen. 49. libri de natura humana,* dixerit, *ad mores fingendos nihil conducere pituitam.* Segnes enim sunt perpetuo pituitosi, adeoque ad nulla officia, somno excepto idonei sunt. Flauæ bilis vsus est, vt intestina a pituitosis excrementis repurget & abstergat, atque eorundem excretionem adiuuet. Defertur autem hæc ipsa ad intestina per meatum duodeno insertum. Atque is meatus, per quem iecur bilem in ventrem, adeoque intestina euomit, magna ex parte, *Galeno etiam attestante, lib. 2. de temper. ca. 8. & lib. 5. de vsu par. corpo. humani,* vnicus est, in nonnullis, iisque paucissimis, geminus. Et vbi geminus est, maior in duodenum, minor in ventriculi fundum paulo supra ianitorem inseritur. Bilis vero iracundos, celeris ingenii, vel, *vt Galenus commen. 39. libri de natura humana scribit,* dexteritate animi, & prudentia præditos, agiles, leues mente, macilentos, & cibum confestim concoquentes. Atque hinc est, quod naturæ biliosæ cibos concoctu difficiles, verbi gratia, bubulas carnes, melius quam concoctu faciles, saxatiles nimirum pisces, conficere valeant. Cum enim ipsis calor acris & mordax insit, par est, vt isti cibos concoctu difficiles, melius quam eos, qui facile coquuntur, vincant. Quod enim facile concoquitur, facile item alteratur & corrumpitur. Contra quod difficile concoquitur, difficulter quoq; tum alteratur, tũ corrumpitur. Pisces itaque saxatiles alteratu faciles, in biliosis calidisque admodum ventriculis necesse est corrumpi. Bubulas vero carnes, vt pote alteratu difficiles, non corrumpi, sed potius concoqui, quod Galenus etiam *cap. 1. libri primi de alimentorum facultatibus* docet. Melancholici humoris portio, quæ lienis vi confici ac elaborari nequit, proprio ductu in ventriculum eructando eiicitur, *Galeno etiam libr. 5. de vsu part. corpo. human. attestante,* vt illius actiones iuuet, firmioresque ac validiores efficiat. Nam quum hæc sit acerba & acida, ventriculum certe intendit, constringit, & in seipsum contrahit, atque exquisite comprehendere cibos, ac retinere, quod plane concoquantur, cogit. In ventriculi itaque capacitatem hoc modo eructata, hinc tandem in intestina relabitur, ac vna cum reliquis excrementis foras propulsatur. Vt hinc palam fiat omnibus, Auicennam aliosque nonnullos eius viri placita mordicus tenentes, plurimum hallucinari, dum non alia de caussa melancholicum humorem in ventriculum euomi tradunt, quam vt famem ac naturalem appetentiam excitet. Quam enim hoc sit falsum, & a dissectionis ratione abhorreat, alibi, nempe *libro sexto Epidem. sectio. sexta Commento primo, & libr. 1. de symptom. caussis, cap. 7.* copiosissime demonstrauimus, vt necesse non sit hoc loco multis referre. Porro melancholicus humor, *Galeno quoque Commenta. 39. libri Hippocratis de natura humana teste,* constantes, firmos, auaros, morosos, tetricos, tristes, inuidos, & timidos reddit. Quorum omnium caussas, eius humoris natura satis perspecta, indicat. Non prætereundum silentio erit, quod de motu quatuor humorum naturalium Soranus Ephesius medicus scriptum reliquit: *Humorum,* inquit, *suis temporibus in corpore dominantur, nempe sanguis ab hora noctis nona, vsque ad horam diei tertiam: bilis flaua ab hora diei tertia, vsque in horam nonam diei: bilis nigra ab hora noctis tertia, vsque ad horam noctis nonam: Pituita ab hora noctis tertia vsque ad horam noctis nonam.* Hæc ille. Atque hanc rationem motus humorum Galenus quoque *lib. 12. Ther. method. c. 5.* probare videtur, quum accessiones ex crudis humoribus excitatas, præcipue ad vesperam, & noctu, non mane, nec vsque ad meridiem incidere scribat.

[Margin notes: Pituita quos efficiat. — Flauæ bilis vsus. — Meatus bilis ad intestina. — Bilis quos efficiat. — Cur aliqui bubulam carnẽ facilius quam saxatiles pisces concoquunt. — Melancholici humoris vsus. — Auicennæ & suorum sequaciũ erratum. — Melãcholicus humor quos efficiat. — Humorũ quatuor motus de Sorani sententia.]

[Margin letters: A, B, C, D, E]

De quatuor humorum non naturalium differentiis. CAP. V.

PRædicti quatuor humores haudquaquam eandem seruant formam seu speciem, *Galeno etiam libro secundo de libr. de natur. facult. astipulante,* quum animal præter naturam afficitur, qualem quum secundum naturam se habent, ac sana sunt, obtinent. Siquidem quum præter naturam afficitur animans, humores naturales suas qualitates amittunt, corporique noxam non leuem inferunt, ideoque tum insalubres & non naturales appellantur, & nequaquam simpliciter sanguis, pituita, bilis, flaua vel atra, sed cum adiectione, vt ex eorundem specierum differentiarumue commemoratione liquide patebit, efferuntur. Nam, vt a sanguine exordiamur, vbi is naturalis est, vitioque

[Margin note: Humores insalubres & non naturales.]

[Margin letter: F]

A que omni vacat, reliquis humoribus, qui illi in venis commisti sunt, dominatur, ac simpliciter & reuera sanguis est, & dicitur. Quum vero a pristina natura desciscens, vitio corruptelaque deprauatur, non naturalis, & cum adiectione, prout ab vno, aut pluribus sibi commistis humoribus superatur, sanguis biliosus, pituitosus, melancholicus, serosus vel putridus nominatur: vt de sanguine dictum est. *Sanguinis non naturalis differentiæ.* Ita etiam de reliquis humoribus sentiendum erit, eos nimirum naturales appellari, quum debita & conuenienti mensura & portione, suisque qualitatibus tum primis, tum secundis præditi, sanguini in venis commisti, aut suis sedibus contenti sunt. Non naturales vbi contra se habent. Pituitæ autem non naturalis, *Galeno libr. 2. de different. febr. cap. 6. auctore*, quatuor sunt species. *Pituitæ non naturalis quatuor species.* Vna quidem valde frigida, ita sane, vt neque excretionis

B violentia quum excidit, veluti *libr. 1. de laborantibus locis cap. 1.* Galenus scriptum etiam reliquit, calida euadat. Hæc pituitæ species vitro fuso tum colore, tum consistentia similis est, ideoque a Praxagora, *vt loco iam citato testatur idem Galenus*, vitreus est appellatus. *Vitrea.* Philippus Medicus, & alii iuniores simpliciter nullo alio adiecto nomine, crudum vocauerunt. Is humor ex crapula, desideque, ac otiosa vita, *Galeno cap. 10. libri de inæquali intemperie teste*, procreatur: &, *vt idem in lib. de plenitudine auctor est*, cibi fastidium, & inappetentiam efficit, inque calido loco obstructus, vehementissimos cruciatus excitat. *Crudus humor.* Altera pituitæ non naturalis species est, quam plerique cum screatu exspuunt sensilem obtinens dulcedinem, ideoque dulcis nominatur. *Dulcis.* Hæc, *vt eodem loco Galenus testatur*, somnolentos efficit, & exquisite frigida non est. Cum enim

C dulcis sit, vt aliquid etiam caloris habeat, necesse est. Siquidem dulce nihil est, nisi idem mediocriter calidum sit, *vt libr. 4. de simplicium medicament. facultatib. cap. 10. & 11. Galenus demonstrauit.* Tertia dictæ pituitæ species acida, quod exspuentibus eiusmodi esse videatur, vocatur. *Acida.* Hæc certe minus, quam vitrea, magis vero, quam dulcis, frigida est. Nam quum concoctione paucus admodum calor ei adiectus sit: neque enim acidus sapor fit, *Galeno libr. 4. iam citati operis, cap. 13. attestante*, nisi quando a calido mutatur subiecta materia, ita tamen, vt non superet: vt vitrea minus frigida sit, dulci vero frigidior, quandoquidem calor exiguus ille, a quo mutata est, facile & nullo fere negotio euanescere possit, necesse est. Hæc quidem pituitæ species famelicos facit. *Quarta* pituitæ non naturalis species salsa nuncupatur, quæ propter putredinem, *Salsa.*

D vel salsæ serosæ humiditatis mistionem fit. Quum enim dulcis pituitæ portiones quædam vi putredinis assæ, reliquæ dulci substantiæ permiscentur, salsum in ea saporem efficiunt, quemadmodum etiam in maris aqua fieri cernitur. Hæc *Galeno attestante*, sitibundos efficit. Iam dictis quatuor pituitæ non naturalis speciebus sunt qui quintam adiiciant, quam *Gypseam*, quod a Gypsi lapidis forma & duritia non procul absit, appellant. *Gypsea.* Hæc in digitorum articulis, ac pulmonibus non raro deprehenditur. Galenus hanc sub vitrea complexus est, & merito quidem, quod non sit, nisi vitrea, quæ ex concretione ita est indurata, vt in lapidis iam consistentiam abierit. Ceterum flauæ bilis a naturæ modo deficientis, *Galeno in libello de atra bile, aliisque locis teste*, quinque sunt species. *Flauæ bilis nō naturalis quinque species.* Prima Græcis λεκιθώδης, Latinis *vitellina*, quod ouorum crudorum vitellis

E tum colore, tum consistentia similis sit, vocatur. *Vitellina.* Hæc, *vt Galenus loco iam citato auctor est*, in iecore & venis procreatur, quando caloris vehementia summe coquitur, & quasi torretur, vt iam ex tenuis substantiæ dissipatione crassiorem, igneumque colorem consequatur, adeoque vitellorum crudorum ouorum, *vt diximus*, formam exhibeat. Plurimum itaque hallucinatur Auicenna, qui hanc fieri, *Fen. 1. Can. 1. doct. quarta, cap. 1.* contendit, *quando pituita aut melancholia portio, flaua bili permiscetur.* *Auicennæ error.* Hinc maioris & minoris famæ genera bilis comminiscitur, quæ quam plurimos hodie Medicos in designandis febrium differentiis mirifice implicatos & circumretitos tenent. Hac enim sua opinione Auicenna vitellinam bilem frigidiorem reddidit flaua & naturali, cum tamen constet illam multis partibus ardentiorem & calidiorem esse. Frigidior enim

F necessario propter frigidorum humorum, pituitæ scilicet aut melancholiæ, commistionem redderetur. Sed vt alia multa pro sua, qua ductus est, imaginatione homo ille fingere solitus est, quæ nusquam in rerum natura exstant: ita quoque hoc loco ex humorum permistione, noua quædam, & inaudita simplicium genera inue-

Porracea. Aeruginosa. Isatidis colorem referens.

here conatus est. Altera bilis non naturalis species Græcis *πρασοειδὴς*, Latinis *porracea*, A
quod porri colorem referat, dicitur. Tertia Grçcis *ἰώδης*, Latinis *æruginosa*, ab æruginis,
quam præ se fert, similitudine, vocatur. Quarta *ἰσατώδης*, *Isatidis colorem referens* Latinis
nominatur. Quæ sane omnes, *Galeno in libello de melancholia, & libr. 2. prognost. com.*
39. astipulante, in ventriculo ex vitiosis, & mali succi cibis, cuius generis sunt, allium,
porrum, cepa, nasturtium, & sinapi, gignuntur. Quum enim nequeunt a ventriculo
deuinci, neque in cremorem conuerti, ac colorem suum magna ex parte retinent,
primum ex illis fit porracea, quæ si infixa diutius illic hæreat ac commoretur, ventriculi
persistente incendio, in æruginosam mutatur: hæc rursum in eam, quæ Isatidis
aut Glasti colore tincta apparet, minus quidem viridis, quam superiores, sed tanto illis B
deterior, quanto propius ad nigrum accedit colorem. Procreari etiam nonnunquam
in iecore, & venis posse videatur, idque in grauibus & calidissimis morbis, qui
vehementi caloris incendio vitellinam bilem adurunt, & in has species commutant,
quæ tum prorsus perniciosæ & exitiales iudicantur. Porro alia bilis species a Galeno
libr. 10. de simplic. medic. facul. cap. de bile, recensetur, quam cœruleam nuncupat. Verum
hæc a quarta nihil distare videtur, cum constet omnibus, Isatidis aut Glasti colorem
esse cœruleum. Ceterum atræ bilis non naturalis humor, qui est omnium deterrimus,
duæ sunt, *Galeno libr. 2. de natur. facult. teste*, species. Vna ex melancholico succo
fit, qui putredinis, aut caloris feruore *εἰς ὀξεῖαν ποιότητα*, id est, *acidam qualitatem, Galeno
lib. 2. de natural. fac. attestante*, transmutatur. Nam ex vstione non naturalis caloris a- C
corem asciscit, eoque discrimine a melancholico succo, qui acerbus est, dissidet. Hæc
itaque reuera acida est, vt quæ ex acerba caloris vi exsoluta in acidam permutata transierit.

Cærulea nō differt ab ea, quæ Isatodes nominatur.

Atræ bilis non naturalis species tres.

2. Atra bilis radens.

Altera species ex vitellina vocata bile fit, quoties ipsa igneo percocta est calore.
Quippe ex vstione hæc primum in porraceam, dein in æruginosam, post in cœruleam,
nouissime in atram omnium perniciosissimam commigrat, quam veteres atram bilem
radentem appellauerunt, vt quæ caloris feruore veluti cinis quidam sit reddita. Hæc
certe a naturali, perinde atque fæx vsta a non vsta differt. Quippe calida admodum est,
& acris, adeo vt carnem vrat, liquet, & corrumpat, cum naturalis refrigerandi & desiccandi
facultatem habeat. Hincque adeo Galeno *libr. 14. Thera. metho. cap. 9.* *ὀξὺς*, id est, *a- D
cris propriissime* appellatur. Ibidem *ὀξεῖαν, vt etiam libr. 2. de natural. facul.* & *ὀξώδη*, hoc est, *in
aceti modum acrem* vocat, quod corpus animalis sua crassitudine partibus eius se affigens,
adhærescensque, arrodat, exulceret, & radat, terramque, si super eam fusa sit, fermenti
more, & quodam quasi æstu efferuescens, attollat, bullasque, quales feruentibus iusculis
innatare videmus, excitet: vt rectissime Hippocrates dixerit, *difficultates intestinorum,
quæ ab atra inceperunt bile, esse lethales, eo quod acris sit, & minime acida: fieri enim non potest, vt
ea, quæ ex flaua bile per assationem gignitur, atra bilis, vnquam sit acida.* Siquidem austerus, acidusque
sapor exsuperantis frigiditatis sunt indicia, & rebus primo insunt crudioribus,
& nondum a calore elaboratis, & percoctis. Quum enim percoquuntur, acida, dulcia,
amara, & salsa demum euadunt. Proin si amara sunt, vt in succedentem saporem acrem E
nimirum permutentur necesse est. Amarum namque nunquam acerbum, vel acidum
fit. Ceterum Auicenna, & alii, qui huius sectantur placita, tertiam atræ bilis speciem adiiciunt,
quæ ex pituita adusta procreatur. Quod si de omni pituita non naturali intelligunt,
illis concedendum haud erit. Neque enim de vitrea hoc recte affirmatur, vt quæ
propter immensam suam frigiditatem, superstite animali, nunquam eousque aduri potest,
vt in melancholiam, ac veluti in cinerem vertatur. Neque etiam de acida, eandem
ob caussam. Neque de dulci, quæ ex cerebro destillat, aut in pulmone, ventriculo aut
intestinis coaceruatur. Hæc enim vehementi calore concrescit quidem, sed in alterius
humoris speciem nunquam mutatur, sed in frigidioribus maxime locis concretione
durescit, & in vitream, aut gypseam abit. Reliquum igitur est, vt de salsa, & quæ in venis F
computruit, adeoque caloris cuiusdam præter naturam particeps est, idipsum intelligamus,
quam certe credibile est, si vehementius & prorsus torreatur, in quandam acrem,
atramque bilem commutari posse, quæ tertia eiusdem sit species. Quod Galenus
in libello de atra bile inscripto breuiter iis innuere verbis voluit, *Pituita*, inquit, *qualitatis*

4 Apho. 24.

3. An ex pituita, atra bilis procreari possit.

A *tatis expers est, vt aqua: sed naturali qualitate mutata, non tantum salsa, sed acris quoque redditur.*

De quatuor humoribus secundariis. CAP. VI.

AVicenna *Fen. 1. Cano. 1. doct. 4. cap. 1.* præter iam dictos alios adhuc quatuor humores recenset, quos *secundos* appellauit. Hunc deinceps multi alii medici sequuti, idem plane quod ille statuerunt, atque quatuor illis humoribus secundis, peculiaria nomina imposuerunt. Verum si quis horum naturam & essentiam paulo intimius rimetur, & penitius excutiat partium similarium potius substantias, quam humores esse deprehendet. Tamen quum non simpliciter humores, sed cum adiectione secundarii nominentur, non admodum reluctamur iis, qui clarioris doctrinæ gratia illos ita appellare volunt. Præstaret tamen eos similarium partium humores, quam *secundarios* nominaB re, vt ex eorundem procreationis modo satis liquet, qui est eiusmodi: *Sanguis simul atque e vasis amplioribus in angustiora, quæ vnicuique parti natura dedit, attractus exciderit, omni tum qualitate, tum proprietate circumstantis particulæ sensim perfunditur, eaque commutatione partis naturam assumens, fit primus humor ex quatuor secundarius nominatus.* Atq; is certe non est, nisi sanguis purior & multiplici concoctione exquisite elaboratus in exilibus arteriis venisque contentus, hinc mox ex earum finibus in vacua partium similarium loca influxurus, & ex quo partes similares proxime alentur. Hic certe cum nondum ad similarium substantiam pertineat, sed in propriis cuiusque particulę, vt dictum est, exsilibus arteriis & venis consistat, recte humor appellari potest. Huic nullum est peculiare a recentioribus medicis impositum nomen, ideoque humorem secundarium nomen non C habentem appellarunt. Alter secundarius humor est, *qui per oscula exilium vasorum iam excidit, & per media spatia similarium partium roris modo dispergitur, inque earundem substantiam diffunditur, atq; influit, illisq; adiungitur, apponiturue.* Adeoq; proprium est partium similarium, *Galeno* etiam *cap. 59. artis medicæ teste*, alimentũ quod ex appositione fit. Quippe id proprium est, *eodem Galeno libr. 3. de tempera. cap. 4. teste*, alimentum, quod iam nutrit, & appositum est. Hinc nonnulli humorem hunc *alimentarium* nominant. Galenus *libr. 7. Therap. metho. cap. 6.* ἔμφυλον, libr. vero 2. *de diffe. feb. cap. 13.* σύμφυλον ὑγρότητα, hoc est, *insitum humorem* appellat, non quod nobiscum natus sit, & substantiæ nostræ portio sita prima statim origine suscepta, sed quod partibus similaribus insitus est. Recentiores etiam non inepte *Rorem* vocant. Tertius humor est is, *qui crassior iam factus ac coactus con-* D *cretusue partibus agglutinatur & solidis fibris adhærescit, & in partis substantiam mutatur, illique perfecte iam assimilatur.* Hic non est, nisi carnosa & adipis substantia. Hinc est, quod a nonnullis carniformis nominetur. Recentiores autem medici huic vni & eidem, a statu vario, varia indiderunt nomina. Quatenus enim ille annectitur & agglutinatur, *Gluten* ipsis ab agglutinando, appellatur. Quatenus vero in partis substantiam mutatus est, & illi perfecte iam assimilatus, *Cambiũ* barbara voce nuncupatur. Nã etsi *cambire* elegans & antiquum sit verbum, quo Plautus, Priscianus, & Ennius vsi sunt, & idem quod permutare significet, tamen *Cambium* vox Latina non est, qua tamen barbari permutationem innuunt. Quartus humor est, *qui partibus similaribus ingenitus est, & a prima statim origine susceptus & insitus.* Hinc a quibusdam *primogenius*, & *natiuus*, ab aliis *humidum* E *radicale*, quod scilicet spiritus, & caloris, totiusque vitæ fundamentum sit, & pabulum, vocatur, Galenus solidam similarium partium substantiam, *libr. 7. Ther. method. cap. 6.* vocat, vt *infra fusius monstrabimus.* Porro quatuor humoribus secundariis iam ordine recensitis, absumtis & depastis, quatuor siccitatum genera seu differentiæ comitantur: de quib. ita loco iam citato Galenus disserit. *Quod, inquit, senium in sanis est, id sicca intemperies est in ægris. Itaque etiam insanabilis est, si prorsus sit consummata. Est autem prorsus consummata, vbi solida similarium partium substantia reddita est siccior. Nam est & altera siccitas, vtique quum ea, quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps, sunt liquata. Etiam tertia, quum propria humiditas, vnde partes nutriuntur, omnino absumta est. Continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas sparsus. Quarta ab iis diuersa siccitas est, quæ in pro-* F *priis cuiusque particulæ exilibus arteriis venisque consistit. Prouenit & hæc ex sanguinis penuria.* Hactenus Galeni verba recensuimus, e quibus perspicuum euadit omnibus, primam siccitatem esse, quando humidum, quod vocant radicale, absumitur. Nam quum solida substantia partium similarium Galeno non sit, nisi ea, quæ ex semine nata est, qualis est arteriarum, venarum, neruorum, ossium, cartilaginum, membranarum, ligamẽtorum,

Humores secũdarii, rectius similarium partiũ humores appellarentur.

Quatuor secũdariorũ humorum generatio.

Primus.

Nomen non habens.

Secundus.

Humor alimentarius.

Humor insitus.

Ros.

Tertius.

Carniformis.

Gluten.

Cambiũ.

Cambire.

Quartus.

Primogenius & natiuus.

Humidũ radicale.

Quatuor siccitatũ genera.

Prima.

Altera.

Tertia.

Quarta.

A & tunicarum, *vt metipse lib. 1. de naturalibus facultatibus testatur*, & humidum radicale a semine quoque deriuetur, vt idem sit dicere *solidam similarium partium substantiam absumi, aut humidum radicale*, necesse est. Solida igitur similarium partium substantia, non ad carnosam earundem substantiam, vtpote quæ ex sanguine nata est, sed ad humidũ primogenium seu radicale, quod a semine prodiit, pertinet. Proinde quamcunq; solidior illa substantia ab ortu conditionem acceperit, eandem totius vitæ cursu retinet. Nam fibræ ex humido liquidoque semine creatæ, quanquam diuturnitate magis magisque siccescunt, dum ad extremum senium, quod aridissimum est, veniant, semper tamen eius humidi, quod a semine contraxerunt, aliquid sibi in omnem vitam recõdunt: quod vt recens natis & infantibus plurimum est, senibus exiguum, ita interiectis ætatibus mediocre. Huius itaque humidi absumtio primam, & quæ sanari non potest, siccitatem B procreat. Vt autem quarti humoris secundarii absumtio primam, adeoq; pessimam siccitatem efficit; ita tertii consumtio secundam, secundi tertiam, & primi quartam, quæ curatu omnium facilima est, parit.

DE PARTIBVS CORPORIS HVMANI, SECT. V.

De partium humani corporis differentiis. Cap. I.

Similares partes quæ. ὁμοιομερῆ.

PARTIVM humani corporis prima differentia est, quod ex iis aliquæ sunt *similares*, aliquæ *instrumentales*. Similares autem partes, ὁμοιομερῆ Græcis dictæ, *quæ sibi vndique similes sunt, vnam parilemque omnino substantiam adeptæ, appellantur*. Ita enim *libr. 1. de hist. anim. cap. 1.* Aristoteles definiuit, *eas esse, quæ in similes sibi partes diuiduntur*, scribens. Nec aliter Galenus easdem *lib. 1. Thera.* C *Metho. cap. 6.* definit, vbi inquit: *Partes similares sunt, quæ vndiq; in similes diuiduntur*. Et *lib. 8. de placitis Hippo. & Platonis*, vbi in eum modum eas finit: *Similares*, ait, *partes sunt, quæ omnes tum sibi mutuo, tum toti similes partes habent, veluti arteriæ, venæ, nerui, ossa, cartilagines, membranæ, ligamenta, tunicæ, caro & id genus aliæ*. Atque hæ sane omnes veræ & legitimæ sunt similarium partium definitiones, quod singulas in se earũdem partium differentias, quæ quidem, vt *ex Galeno manifestissime colligitur*, geminæ sunt, complectũtur. Aliæ enim sunt,

Duæ partiũ similariũ differentiæ. Similares reuera. Primę partes.

quarum vniuersæ particulæ inuicem eiusdem speciei sunt. Et hæ quidem reuera, *hoc est*, vt ad vniuersas partes, quæ eas constituunt, similares sunt. Quippe in partes alterius naturæ, rationis, seu speciei, diuidi nequeunt. Primæ quoq; sunt, quod iis aliæ priores non D sint. De iis profecto loquitur Galenus *libr. 1. de elementis*, vbi inter cetera sic scribit: *Homo ex primis & simplicissimis sensilibus elementis, similaribus nominatis, constat fibris, membranis, carne, adipe, osse, cartilagine, ligamento, neruo, medulla, & aliis vniuersis, quorum particulæ omnes eiusdem inuicem speciei sunt*. E quo sane Galeni loco etiam palam fit, eius generis

Simplicissimæ partes quæ similares sensus iudicio. Venæ & arteriæ simplicissimæ & reuera similares non sunt.

similares, non solum primas, sed simplicissimas dici. Aliæ sunt similares partes, quæ non reuera vndique sibi similes sunt, & eiusdem naturæ, sed sensus duntaxat iudicio. Siquidem in partes alterius naturæ, & diuersæ speciei, diuidi possunt. Eius generis sunt venæ & arteriæ, quod simplicissimæ & reuera similares, vt ad vniuersas suas partes, non sint. Ex fibris enim & membranis, quæ certe diuersæ sunt naturæ & speciei, constant. Hinc est, quod Galenus *cap. 2. libri de inæquali intemperie*, rectissime arterias & venas e similarium numero submoueat: neque enim, *vt dictum est*, reuera similares existunt. E Sed præstat Galeni verba recensere: *Digitorum*, inquit, *particulæ sunt ossa, cartilago, ligamentum, arteria, vena, membrana, caro, tendo, vnguis, cutis, adeps. Has autem diuisisse in aliam speciem non est, sed sunt similares ac primæ, exceptis tamen arteriis & venis. Hæ namque ex fibris & membranis constant*. Hæc ille. Non sunt itaque venæ & arteriæ similares partes prima ratione, id est, *vt ad vniuersas suas partes, adeoque simplicissimæ*, sed altera duntaxat ratione, *hoc est*, sensus iudicio, & vt ad se totas. Omnes enim venæ & arteriæ partes, toti venæ & arteriæ, & mutuo sibi similes sunt. Non est igitur, vt *simplicissimas* appellemus *partes*, sed potius sensu simplices. Atque hinc est, quod Galenus *in libello de optima corporis humani constitutione*, vt etiam venas & arterias inter similares partes numerare commode posset, eam partium similarium finitionem afferre voluerit: ὁμοιομερῆ, inquit, καλεῖται δηλονότι πρὸς αἴσθησιν ἁπλᾶ, id est, *Similares partes vocantur, quæ scilicet sensu simplices sunt*. F

Galenus a pugnãtia vindicatur.

Abunde enim sufficit, vt in resolutione partium instrumentalium aliquid sensus iudicio simplex, & similare sit. Vt hinc omnibus palam sit, Galenum non vno simpliciter modo vbique de similaribus partibus locutum fuisse. Nam

vbi

A vbi venas & arterias inter similares recenset partes, hic ad sensum magis quam ad rei
naturam spectat. Quod nō obscuris verbis, *capite secundo, de differentiis morborum*, vbi ve-
nas & arterias inter similares partes recenset, & seipsum explicat, significauit inquiens:
Porro singulæ partes instrumentales, ex aliis, quæ sensus iudicio simplicia videntur, sunt constitutæ.
Et paulo post: *Itaque*, ait, *si vel ossium aliquod, vel caro, vel reliquorum corporum, quæ sensus iu-
dicio simplicia esse videntur, &c.* Contra, vbi e numero similarium partium venas & arte-
rias excludit, hic ad rei naturam potius quam sensus iudicium respicit. Siquidem altio-
ri indagine venarum & arteriarum naturam, essentiamque perquirens, sensusque iudi-
cio minime contentus, ex dissimilibus partibus, nempe fibris & membranis, coalitas
esse considerat. Quare cum duæ sint, *vt iam liquido monstratum est*, similarium partium
B differentiæ, inepte admodum a nonnullis partes similares in hunc finiuntur modum: Inepta similarium partium definitio.
Similares partes sunt, quarum omnes partes eiusdem inuicem speciei exsistunt, vel ita: *sunt, quarum
omnes particulæ eiusdem speciei cum toto exsistunt.* Quippe hæ finitiones alteram dun-
taxat similarium partium differentiam complectuntur. Vt igitur similaribus vtriusque
differentiæ partibus congruentem finitionem, adeoque absolutam & perfectam ha-
beas, primam, *quam nos ex Aristotele & Galeno produximus*, amplectaris necesse est. Sed
hæc alibi etiam copiose diximus. Ceterum similares partes multis quoque aliis nomi- Propria hominis elementa.
nibus a Galeno donantur. Nam *propria hominis elementa* eidem nominantur: idque non
temere. Quippe etsi hæ partes communes quoque brutorum quibusdam exsistunt,
equo nimirum, boui, cani, & id genus aliis: omnia enim huiusmodi arterias, venas, ner-
C uos, ligamenta, membranas, & carnes obtinent: non tamen hæc ad vnguem plane hu-
manis similia, sed nonnulla quoque genere diuersa, velut vngulas, cornua, calcaria, ro-
stra, squamas habēt. Dicuntur etiam ἁπλᾶ μόρια, hoc est, *simplices partes* ob caussam paulo
ante expositam. Vocātur etiam πρῶτα μόρια, id est, *prima corpora*, quod scilicet ex illis con- ἁπλᾶ μόρια.
stituantur aliæ partes, quæ *secundæ & compositæ* appellantur. Item ὁμογενῆ, hoc est, eiusdem πρῶτα.
generis, *propter caussam supra dictam*. Et στοιχειώδη, id est, *elementares*. Præterea αἰσθητὰ στοιχεῖα, ὁμογενῆ.
hoc est, *sensilia sensuiue obnoxia elementa*. Ex iis namque, veluti elementis, partes composi- στοιχειώδη.
tæ & instrumentales constāt. Quod autem sensui obnoxia sunt, hoc ipso a mundi ele- αἰσθητὰ στοιχεῖα.
mentis, vtpote quorum sensus minime iudex est, differunt. Denique eidem στερεὰ μόρια,
id est, *solidæ particulæ* nuncupantur. Ita enim *libro primo, de natu. facul.* scriptum reliquit: στερεὰ μόρια.
D *Vocantur autem sic solidæ corporis particulæ, arteriæ, venæ, nerui, ossa, cartilagines, membranæ, liga-* Partes solidæ.
menta, tunicæ omnes, quas elementares, similares, & simplices paulo ante nominauimus. Hæc ille.
Porro instrumentariæ partes sunt, quæ ex simplicibus similaribusue conditæ sunt. Ver- Instrumentariæ partes.
bi gratia, *capūt, manus, pes, cerebrum, cor, iecur, & id genus aliæ.* Sortiuntur autem & illæ alias
quoque apud Galenum, reliquosque scriptores appellationes. Siquidem Græce δεύτερα, Diuersæ partium instrumentariarum appellationes.
σύνθετα, ἀνομοιομερῆ, ἑτερογενῆ, καὶ ὀργανικὰ μόρια, id est, *secundæ, compositæ, dissimilares, & diuersi gene-
ris particulæ* nominantur. Quarum quidem appellationum caussæ, facile ex iis, quæ pau-
lo supra de similaribus dicta sunt, cuiuis innotescent. Animaduertendum autem hoc
loco erit inter se differre instrumentariam partem & instrumentum: vel vt Græci lo- Differunt pars instrumentaria & instrumentum.
quuntur, ὀργανικὸν μόριον, καὶ ὄργανον. Nam, *vt dictum est*, pars instrumentaria duntaxat ea no-
E minatur, quæ composita est. Instrumentum autem, *vt libro primo, The. Meth. capit. 6.* Ga-
lenus attestatur, quælibet animalis pars, quæ perfectam edere actionem potest, voca-
tur. Ita sane oculus instrumentum est, quia actionem perfectam, nempe visionem, Instrumentum.
edit: lingua itidem, quia loquelam: & crura, quia itionem perficiunt. Atqui simul
etiam partes sunt instrumentales, quod ex pluribus similaribus compositæ sint. Sunt
vero etiam instrumenta arteria, vena, & neruus: quodlibet enim illorum perfectam e-
dere actionem potest, distributionem nimirum spiritus vitalis sanguinis, sensusque
& motus in vniuersum corpus. Non tamen sunt instrumentariæ partes, sed potius si-
milares. Quid multa, quum a similaribus, vt Galenus *loco iam citato fusius docet*, fun-
ctiones edantur, instrumenta sint necesse est. Non sunt igitur instrumenta, quod cre-
F bro Galeni interpretes faciunt, cum partibus instrumentalibus temere confundenda,
nec promiscue pro instrumento pars instrumentaria Latino interpreti reddenda erit.
Licebit quidem instrumentum simpliciter appelles partem instrumentariam, eo quod
plures sint partes compositæ, quibus instrumenti nomen conueniat, & quæ perfectam
edere actionem possint, imo omnes partes instrumentariæ, sunt etiā instrumenta, atqui

non licet vice versa partes similares, quæ instrumenta sunt, partes quoque instrumentarias, voces. Hinc est, quod Galenus *ca. 3. libri de morborum diffe.* partes instrumentarias, ὄργανα, id est, *instrumenta*, vocat, at non viceuersa similares partes, instrumentarias appellat. Non est igitur ὀργανικὸν μόριον cum τῷ ὀργάνῳ temere cōfundendum. Porro iam dictarum partium variæ sunt differentiæ. Quippe ex iis tres sunt, quæ medicis principes vocantur, cerebrum, cor, & iecur. Sic autem dictæ sunt, quod ab iis vniuersum corpus regitur ac gubernatur. Sunt enim principia ac veluti fontes facultatum nostrū corpus gubernantium. Nam cerebrum animalem, cor vitalem, iecur naturalem facultatem suppeditat. Non desunt, qui iam dictis quartam adiiciunt principem partem, testes nimirum, *eo quod genitricem facultatem obtineant, & ad speciei propagationem ac conseruationem faciant.* Propterea, aliæ sunt partes, quæ iam commemoratis quatuor ministrant, nempe *nerui, arteriæ, venæ & vasa seminaria.* Nerui quidem cerebro, arteriæ cordi, venæ iecori, vasa seminaria testibus famulantur. *Per neruos* enim cerebrum, sensum & motum in totum animal transmittit. *Per arterias*, cor, vitalem calorem, & spiritum in vniuersum corpus distribuit. *Per venas*, veluti canales, iecur sanguinem in totum corpus spargit. *Per vasa seminaria* genitale semen testes in vterum deriuant. Sunt etiam quædam partes, quæ seipsas gubernant, verum a principiis vim quandam mutuantur, vt est *ventriculus, intestina, lien, & renes.* Ventriculus enim ex cibo ingesto cremorē propria & innata vi gignit, sed aliquid mutuatur. A cerebro enim sentiendi, a corde viuendi, a iecore nutriendi, altricemue facultatem accipit. Idem de reliquis iudicium. Sunt denique quarti generis partes, quæ nec aliorum gubernationi præsunt, neq; aliunde gubernantur, cum innatam facultatem habeant, *vt os, ligamentum, membrana, cartilago, glandula, pinguedo, & caro simplex.* Omnes enim hæ partes natiuas obtinent facultates, quas neque ab aliis mutuantur, nec aliis dispertiunt: caro quidem carnis procreandæ, os ossis, cartilago cartilaginis, & reliqua eodem modo. Omnes autem corporis partes venarum, arteriarum, & neruorum adminiculo ad essentiæ suæ conseruationem indigent. Venis quidem, vt nutriantur, arteriis autem ad insiti caloris moderationem. Neruis, vt quæ illis noxia sunt, sentiant. Atque hæ quidem sunt generales partium humani corporis differētiæ. Nunc reliquum est, vt speciatim de singulis disseramus, tamen quoad fieri potest breuissime, vt hinc medicinæ tyrones leuem saltem partium humani corporis notitiā consequantur, & ad dissectionem instructiores veniant. Exordiemur autem ab ossibus, vt quæ veluti fundamenta sunt vniuersum corpus sustinentia. Sunt autem numero sane multa, nempe *trecenta & quatuor.* Quæ vt ordine quodam commemorentur, vniuersam humani corporis ossium inuicem cohærentium compactionem, quæ Græcis σκελετὸς dicitur, in quatuor præcipuas partes, *caput, spinam, manus & crura*, digeremus, initioque capitis ossa succincte admodum percensebimus.

Partium corporis differentiæ quatuor. Principes partes. Ministrantes. Tertia differentia. Quarta. Ab ossibus cur exordiendum. Ossium humani corporis numerus. σκελετὸς.

A B C D

De ossibus capitis. CAP. II.

OS quoddam cerebro instar galeæ, rerum opifex circumposuit, quod Græcis κράνιον Latinis *calua & caluaria*, vulgo *testa* dicitur. Membrana vero, quæ caluariam craniumue extrinsecus ambit, περικράνιον appellatur. Ceterum caluaria octo constat ossibus, *duobus syncipitis, vtrinque nimirum vno frontis vnico, occipitis similiter vno, duobus infra, ad vtranque videlicet aurem vno cuneiformi, & ethmoide.* Syncipitis, quod Græcis βρέγμα vocatur, ossa duo, *vtrinque enim vnum est, in capitis lateribus, veluti quidam parietes, locata sunt,* vnde etiam Barbaris *parietalia* vocantur. *Frontis*, quam μέτωπον Græci nomināt, os, quod vnicum esse diximus, quodam modo orbiculare est. *Occipitis*, quod ἰνίον Græci nuncupant, vnicum dūtaxat os exsistit. *Temporum*, quæ Græcis κρόταφοι dicuntur, ossa bina sunt, vtrinque vnum ad suam aurem positum. Hæc, quia petræ speciem præ se ferunt, *vt Galeno visum est*, aut quod lapideam duritiem habent, λιθοειδῆ, id est *petrosa lapideaue* appellantur. Duobus vero temporum ossa donantur processibus: quorum vnus oblongus, tenuisque, styli scriptorii, acusue imaginem exhibet. Ideo Græcis γραφοειδὴς, στυλοειδὴς, & βελονοειδὴς, & a calcaris gallinacei effigie, πλῆκτρον vocatur. Alter processus vaccini vberis papillæ imaginem refert, ideoque Grǽcis μαστοειδὴς, Latinis autem mamillaris nominatur. His duobus alius adhuc processus accedit neutiquam infimus, qui mediam ossis iugalis, *de quo paulo post*, partem efformat. Atque hactenus sex caluariæ ossa numerauimus.

κράνιον. Caluariæ. περικράνιον. Octo caluariæ ossa. Syncipitis ossa duo. βρέγμα. Parietalia. μέτωπον. Frons. ἰνίον. Occiput. κρόταφοι. Tempora. Ossa petrosa. Processus ossium tēporis. γραφοειδὴς.

E F

Septimum

A Septimum eiusdem os Græci σφηνοειδὲς, Latinis *cuneiforme*, quod veluti cuneus inter capitis & maxillæ superioris ossa immittatur, dicitur. Hoc Galenus *in libris de vsu par. corporis humani*, os palati crebro appellat. Hoc, si quod aliud, insigniter varium est, proinde veteribus a multiplici forma πολύμορφον, est nominatum. Hoc, quia cerebro substratum, illiusque veluti basis est, aut quia alia caluariæ ossa ei innitūtur, vulgo *basilare* nuncupatur. Porro cuneiforme os in externa parte ad caluariæ basim, quatuor processus habet, vtrinque binos, & vespertilionum alarum modo prominentes, vnde etiam Græcis σφηκοειδεῖς nominantur. Octauum caluariæ os in frontis ossis basi locatum, multis foraminulis coli aut cribri instar, odorum gratia, peruium est, olfactusque instrumentorum sedes continet, cuius rei gratia Græcis ἠθμοειδὲς, nostris *colatorium & cribratum* dictū est.

B Hippocrati a spongiæ similitudine, & quod spongiæ ritu perforatum sit, σπογγοειδὲς vocatur. Prædicta caluariæ ossa suturis quibusdam, quæ Græcis ῥαφαὶ appellantur, distincta sunt, quæ pro capitis figuræ diuersitate variant. Siquidem naturalis capitis figura quinque obtinet suturas, quarum tres veræ dicuntur, serratiles enim sunt, dentatisque pectinatim compagibus coeunt. Atque harum quidem duæ transuersæ sunt, quarum altera in syncipite seu vertice est, & Græcis στεφανιαία, Latinis vero *coronalis*, quod scilicet coronæ in ea potissimum capitis parte collocentur, appellatur. Altera in occipitio est, quæ a maiusculæ literæ Λ effigie Græcis λαμβδοειδὴς, & ab υ forma, ὑψιλοειδὴς nominatur. Tertia a medio posterioris, siue eius, quæ in occipite cōsistit, per capitis longitudinem, ad medium vsque anterioris suturæ extenditur: hincque adeo Græcis ὀβελιαία, vulgo *Sa-*

C *gittalis*, quod veru sagittæve instar recta, & satis longe incedat. A virgæ quoque ductu, nonnullis ῥαβδοειδὴς vocatur. Harum trium suturarū figura fere H maiusculæ Græcorum literæ similis est. Præter iam dictas tres suturas, duæ aliæ occurrunt, quæ non sunt nisi duæ a sagittali sutura quodam modo æque distantes lineæ, per capitis longitudinem, vna vtrinque, supra aures porrectæ. Hæ fiunt duobus mutuo sibi incumbentibus cohærentibusque ossibus, quæ non suturarum speciem, sed veluti duarum inuicem incumbentium squamarum imaginem exprimunt, a quarum quidem similitudine Græcis λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, id est, *squamosæ conglutinationes* dicuntur. Vulgus medicorum *mendosas* nuncupat *suturas*. Galenus & alii quidam clarioris doctrinæ gratia suturas κροταφίας, hoc est, *temporales* vocant. Quomodo autem in non naturali capitis figura suturæ

D hæ variantur, *lib. 1. nostræ anatomes cap. 8.* diximus. Sufficiat enim hoc loco naturalis capitis suturas recensuisse.

Ceterum inter capitis ossa proximum locum obtinet, quod Græcis ζύγωμα, ζυγωειδὲς, & ζυγώδες, Latinis *Iugale* dicitur. Hoc vero nominis accepit, quod vtraque ossa (*sunt enim vtrinque singula*) boū, equorumue iugis similia sint. Constat hoc os ex duorū ossium processibus, inuicem transuersa sutura coeuntibus. Vnde vulgo *os paris* nominatur. Ossi temporis ampla & anfractuosa cauitas, instrumenti auditus gratia, insculpta est, quæ tortuoso foramine in capitis amplitudinem, cerebri sedem pertingit. Hæc, præter alia tria complectitur ossicula, quorum vnum incudi, aut rectius molari denti, alterum malleolo non inepte comparatur, quæ instrumentum auditus aperientibus ac scindentibus

E bus apparent. Quin etiam temporis os posteriori inferiorique ipsius parte simul cum occipitis ossis base eam caluariæ regionem efformat, quam præruptæ petræ aut rupi, non duritia modo, verumetiam imagine dissectionis periti conferunt. Ceterum superior maxilla, quæ Græcis ἡ ἄνω σιαγὼν, aut γένυς dicitur, præter tenuia quædam fungosa, & veluti membranea ossicula, quæ in narium amplitudinis summo, in exsiccatis caluariis impense cartilaginea obseruantur, & dentes, duodecim constat ossibus, vtroque scilicet latere senis. *Primum os*, alteram ossis iugalis partem constituit, & nonnihil temporis, superciliique ac sedis oculi, totum scilicet exteriorem angulum in se complectitur. *Secundum*, reliquis omnibus minimum, & squamæ modo tenue, in interno, siue magno oculi angulo, consistit, vbi foramē habetur, cui caruncula præest internum o-

F culi angelum occupans. *Tertium*, similiter vt præcedens, tenue & squamæ modo pellucidum cernitur. Paulo minus toto quadrangulum est, in interno latere oculi repositum. *Quartum*, reliquorum ipsius ossium longe maximum exsistit, superiorumque alterius lateris dentium alueolos sibi insculptos habet. *Quintum*, ex duobus nasi ossibus, alterum est, ossiculū videlicet durū, solidum, latū, tenue, oblongū, & quadrangulo po-

Os palati. σφηνοειδὲς. Cuneiforme. Basilare. Processus alis similes. Os ethmoides. ἠθμοειδὲς. Coatorium σπογγοειδὲς. Sutura. ῥαφαὶ Naturalis figura capitis. Veræ. Coronalis. Lambdoides. Sagittalis. ῥαβδοειδὴς. Fictæ & mēdosæ suturæ. Squamosæ conglutinationes aut cōmissuræ temporum. Suturæ tēporales. ζύγωμα. Os iugale. Os paris. Instrumentum auditus. Ossiculum incudi cōparatum. Ossiculum malleo simile. Os præruptæ petræ. Maxillæ superioris ossa. Primum. Secundum. Tertium. Quartum. Quintum.

Sextum. Inferior maxilla. Processus eius. Dentium numerus. Incisorii. τομεῖς. διχαστῆρες. κτένες. γελάσινοι. κυνόδοντες. Canini. Maxillares. γόμφιοι. μύλαι. μυλῖται. Molares. Genuini. σωφρονιστῆρες. ὀψίγονοι. κραντῆρες. Dentes sapientiæ. φάτνια. βόθρια. Foramina capitis. Os hyoides. ὑοειδὲς. ὑψιλοειδὲς. λαμβδοειδὲς. φαρύγγετρον.

tius, quam triangulo simile. *Sextum*, cum suo pari non minimam palati, & narium amplitudinis portionem constituit. Situm est ad palati extremum, qua nares in fauces, vel narium foramina ad palatum tendunt. Inferior maxilla, quæ Græcis ἡ κάτω σιαγὼν, ἡ γένυς nominatur. Homini vnico conformatur osse, ac in summo mēto lata est. Desinit vtrinque in duos processus, quasi bicornes, quorum alter infra latior, dein in mucronem desinens vertice ipso tenuatur. Alter in capitulum transuersum oblongum finit. Porro dentes, qui Græcis ὀδόντες dicuntur, plurimum numero 32. sunt, vna serie in vtraque maxilla sedecim. Priores quatuor, quia secant, Græcis τομεῖς τμητικοὶ. Latinis *Incisorii* appellantur. Sunt enim acuti & lati, vt oblatum ipsis cibum mordendo cultri instar prompte incidant, & confringant. Vocātur etiam διχαστῆρες, quasi *diuisores*, quod *scilicet cibum diuidant, & secent, atq; partiantur quicquid offertur*. Et κτένες, id est, *concisores*, quia cibū κτενίζουσι, id est, *conficiunt & comminuunt*. Aliis placet sic a pectinum similitudine esse vocatos. Et γελάσινοι, quod inter ridendum nudentur, & ostendantur. Deinceps horum lateribus vtrinque duo alii adiacent, Græcis κυνόδοντες, Latinis *canini* dicti, quod exsertis canū, qui hos insignes habent, dentibus similes sint. Post hos decem (ab vtroque enim latere, vt plurimum quini) Græcis γόμφιοι, Latinis *maxillares* nominati. Sic autem a loco, cui infixi sunt, vocatos esse constat. Alio nomine eosdem Græci μύλας, & μυλίτας, Latini *molares*, quod iis, veluti molis cereales fruges teruentur, & atterantur cibi. Postremi dentes, qui omnium sunt reconditissimi, ac propemodum gingiua operti, a Plinio *genuini* appellantur. Postremo nascuntur anno ætatis vigesimo, sed & in senecta quibusdam, anno nimirum octogesimo, *vt lib. 5. de genera. animal. cap. vltim. & tertio de partibus eorundem auctor est Aristoteles*. Quo circa Græcis σωφρονιστῆρες, quod scilicet eo tempore, quo sapere solemus, producantur: & ὀψίγονοι, id est, *serotini*, & κραντῆρες, *quasi ætatem perficientes ac complentes*, vulgo *dentes sensus & sapientiæ* nuncupantur. Sinus, quibus dentes continentur, & infiguntur, propter similitudinem, quam cum brutorum præsepibus obtinent, Græcis φάτνια, Latinis *præsepiola*: fossulæ vero siue alueoli, quos dentes subeunt, Græcis βόθρια, *a foueæ similitudine* vocantur. Ceterum foramina capitis, quæ multa & varia sunt, hoc loco referre nihil attinet, quod si tamen quispiam hæc ipsa cognoscere voluerit, is ea *ex capite 15. lib. 1. nostræ anatomes* petat. Porro supremæ laryngis gutturisve parti ad linguæ radicē, os vnitatis nomine donatum, sed variis pluribusque officulis contextum præponitur, quod Græcis a literæ υ figura ὑοειδὲς, & ὑψιλοειδὲς atque a Λ imagine nonnullis λαμβδοειδὲς appellatur. Sunt quibus, propterea quod in faucibus consistat, φαρύγγετρον dicitur. Constat, vt plurimum vndecim ossibus.

De spina, & quæ huic annectuntur ossibus. CAP. III.

Spina. ῥάχις. νῶτον. σπόνδυλοι. Vertebræ. ἄκανθαι. Transuersi processus. Ceruix. Dens.

Spina, quæ Græcis ῥάχις, & νῶτον dicitur, ex pluribus ossibus & varie inuicem articulatis & commissis efformata est, spinalique medullæ, quam Græci νωτιαῖον μυελὸν vocāt, iter præbet, ac corporis veluti carina quædam fundamentumque est, triginta quatuor ossibus, quæ Græcis σπόνδυλοι, Latinis *vertebræ*, quod *verticillorum, quibus mulieres fusos aggrauant, formam referant*, dicuntur. Harum vertebrarum processus in corporis posteriora exserti, aculeoque & spinæ persimiles, Græcis ἄκανθαι, Latinis *spinæ* nuncupantur. Habent etiam suos transuersos processus, qui tamen peculiari nomine donati non sunt. Vniuersa vero spina in tres diuiditur partes, *ceruicem, thoracem, lumbos, sacrum os, & coccyga*. De quibus ordine disseremus. Ceruix, siue collum, quod Græcis αὐχὴν καὶ τράχηλος dicitur, septenas continet vertebras, multis, & in omnibus non pari numero, processibus ornatas. In medio secundæ vertebræ, ex superiori mediaque sui corporis regione, processus quidam insignis, & altus, admodumque durus & solidus enascitur, quem quod denti, ac potissimum hominis canino, assimilatur, Græci priuatim ὀδοντοειδῆ, id est, *dentiformem*, & ὀδόντα, hoc est, *dentem* nominant. Alii hunc processum, quod turbinata sit figura, seu nucis pineæ formam referat, κωνοειδῆ: alii quod cuspidis seu nuclei pyramidisue modo extuberet, πύρηνον, & πυρηνοειδῆ appellant. Porro vertebrarum ceruicis processus vndecim numero sunt, duo in superiori corporis sede, vtrinq; scilicet vnus, ad latus sinus, cui incumbentis vertebræ oblongum corpus insidet. Duo item descendentes, qui incumbentem subeunt vertebram. Duo dein descendentes, quibus subditæ vertebræ ascendentes processus excipiuntur. Quatuor transuersi processus, vtrinque enim sunt

κωνοειδῆς. Processuū vertebrarū ceruicis numerus.

A singuli, at illi rursus gemini bifidique. Vndecimus, posterior processus, seu spina dorsi pars thoracem constituens, quam nonnulli simpliciter Dorsum vocauerunt, Græci vero, quod post septum transuersum consistat, μετάφρενον, in homine quidẽ magna ex parte duodecim habet vertebras. Aliquando tamen, quanquam raro, quibusdam vel deest vna, vel superest, sed deesse rarius quam superesse inuenitur. Homines vero plerunque a canibus vna thoracis vertebra superantur. Iam dictis subsunt lumborum, qui Græcis ὀσφύες, & ἰξύες & ψόαι dicuntur, vertebræ quinque. In canib. tamen & caudatis simiis plures lumborum vertebræ exsistunt. Dein succedit os Græcis ἱερὸν appellatum, Latinis *sacrum*, quod scilicet grande, magnumque sit. Quippe veteres Græci quicquid ingens, ac præclarum haberi volebant, *sacrum* vocabant. Dicitur etiam πλατὺ, hoc est, *latũ amplumque*, quod eius amplitudo facile reliquarum vertebrarum, quibus instar basis tutissimiq; fundamenti subiicitur, magnitudinem vincat. In homine plurimum sex propriis ossibus, inuicem valide nexis, in simiis autem & canibus, tribus tantum, compactum est. Os sub sacro osse locatũ Græcis κόκκυξ, *a formæ obliquitate, & in mucronem duct um, ac rubore* appellatur. Siquidẽ illi hoc ipsum ad Cuculi rostrum retulerunt. Sunt qui illud etiam ὀρροπύγιον, quod proprie *caudam volucrum* significat, nominare solent. In homine hoc os crebro ex quatuor exstruitur officulis, in canibus autem e tribus. Thorax Græcis medicis vocatur, *quicquid costis vtrinque interceptum* circumscribitur. Anterior autem thoracis pars iisdem στῆθος, & στέρνον nuncupatur. Thoracis autem ossa sunt ex spina duodecim dorsi vertebræ, totidem costæ, & os pectoris. Costæ, quæ Græcis πλευραὶ dicuntur, viris & mulieribus ab vtroque latere plurimum duodecim sunt. Rarissime enim decima tertia visitur, atq; hac rarius adhuc vndecima. Septem elatiores suis cartilaginibus pectoris ossi, & vertebris dorsi articulãtur, hinc Gręcis γνήσιαι καὶ ἀληθεῖς, Latinis *veræ, legitimæ, perfectæque* nominantur. Quinque autem inferiores solis vertebris annectũtur, ad pectoris vero os non pertingunt, sed in thoracis lateribus desinunt, ideoq; Græcis νόθαι καὶ ῥόαι, Latinis *spuriæ & tenuiores, illegitimæ, imperfectæ*, a recentioribus mendosæ vocantur. Harum costarum spuriarum cartilago mollis est, vnde χόνδροι etiam nuncupantur. Proinde factum est, vt partes supra vmbilicum vtrinque ad latera iam dictis spuriis costis subiectæ, Græcis & Latinis *Hypochondria* nuncupentur. Pectoris os, quod Græcis, vt dictum est, στέρνον καὶ στῆθος appellatur, aliã in quadrupedibus animantibus, aliam in homine constructionis rationem habet. Quippe in hoc tribus plurimum ossibus septẽ costarum vtrinq; articulationẽ excipientibus exstruitur, in illis vero septem cõstat ossibus. Primum pectoris os in homine superiori sede lunatũ cernitur, & veluti foueam ostendit, quã Græci σφαγὴν, Latini proprie *iugulum* nominant, vulgus *furculam* superiorẽ. Ossi pectoris ad finem subnata est cartilago, quæ quod obtuso ensis gladiiue mucroni similis est, Græcis ξιφοειδὴς, Latinis *ensiformis & mucronata*, barbaris *malum granatum*, quod scilicet vnius balustii apicis imagini accedat, item *scutum, clypeus oris stomachi, scutalis, cultralis*, & quod *laryngis operculi formam referat* appellatur. Officulum quoddã ad basim cordis inuenitur: vbi aortæ, venæ arteriosæ, earundemque membranarũ habentur radices. Scapula quę Græcis ὦμος, ὠμοπλάτη, ἐπινώτιον, & simpliciter πλάτη appellatur, Latinis etiã *Scoptulum opertum*, & simpliciter *Scoptulum*, vulgo & Barbaris *Spatula* dicitur. Trianguli quodam modo imaginem exprimit. Hæc duos obtinet processus, quorum superior, ac super humeri articulum pertingens, veteribus Græcis ἀκρώμιον Latinis *summus humerus* nominatur. Inferior siue interior processus, instar antiquæ Græcorum literæ σ cauus est, ob id σιγμοειδὴς nuncupatur. Aliis ab imagine, quam habet cum altera anchoræ parte, quæ terræ infigitur, ἀγκυροειδὴς vocatur. Nonnullis vero κορωνοειδὴς quod *corniculæ rostri modo incuruatur*, vocatur. In vtrisque lateribus cõsistunt claues seu clauiculę, quæ Græcis κλεῖδες, Latinis vero, *iugula & forculæ* nuncupantur. Pars clauiculæ pectoris ossi cõtermina, Græcis προσφαγὴς dicitur. Quæ autem superiori scapulę processui articulatur, ἐπωμὶς Gręcis vocatur.

[Margin: Thoracis vertebra. μετάφρενον. Lumbi. Os sacrum. Coccyx os. θώραξ. στῆθος. στέρνον. Costæ. Veræ. Spuriæ. Hypochõdria. Pectoris os. σφαγὴ. Iugulum. Os cordis. Scapula. Scoptulũ. ἀκρώμιον. σιγμοειδὴς. ἀγκυροειδὴς. Claues seu clauiculæ. προσφαγὴς. ἐπωμὶς.]

De ossibus manus. Cap. IIII.

F BRachii os, seu, *vt Celsus nominat*, humerus, est os id, q̃ scapulæ & cubito articulatur, ac Græcis βραχίων, Lat. *brachiũ*, Barbaris *adiutoriũ brachii* appellatur. In medio inferioris humeri sedis sinus cũ suis tuberib. talis prsus cõsistit, qualis in trochleæ rotula, ad q̃ funes voluunt cernit, q ob id humeris *rotula* vocat. Vniuersa vero pars inter brachiũ humerumue & brachiale sita, Gręcis πῆχυς, ὠλένη, & ὠλένον Latinis *cubitus* nuncupat Con-

[Margin: Brachium. Humerus. Humeri rotula. Cubitus.]

Vlna. Radius. Vlnæ processus duo. κορώναι.

ſtat autem duobus oſſibus inuicem incumbentibus, & coarticulatis, quorum inferius, A
quod & lógius eſt, Græcis priuatim πῆχυς, Latinis *vlna*, barbaris *focile maius* vocatur. Superius autem Græcis κερκὶς, Latinis *radius*, barbaris *focile minus* nominatur. In ſuperiori ſua ſede vlna, qua poſteriorem cubiti articuli regionem conſtituit, duos inſignes adipiſcitur proceſſus, quos Græci κορώνας, quod rotundi ſint (foris namque gibberoſi, intus vero caui exſiſtunt) vocant. Vnum ex anterioribus & ſupernis eius partibus, qui minor eſt, & ſinum in anteriori humeri ſede ad elatiorem rotulæ regionem exſculptum ſpectat, ſuiſque tuberibus illi exquiſite congruit. Alterum ex poſterioribus & inferioribus partibus ipſius, priore multo craſſiorem & ampliorem, quem Athenienſes ὠλέκρανον, Hippocrates vero ἀγκῶνα, Latini, *gibberum* nominant. In inferiori ſui parte vlna proceſſum alium obtinet, quem, quia in acutũ procedit, Græci a ſcriptorii ſtyli, aut columnæ B

ῥαφοειδής. Summa manus. κάρπος. Brachiale. Poſtbrachiale. Digiti manus. φάλαγγες κόνδυλοι. Primus digitus.

imagine ῥαφοειδῆ & στυλοειδῆ appellant. Extremæ ſummæue manus, quæ Græcis ἀκρόχειρ dicitur, & a cubito ad extremum vſque digitorum aciem progreditur, partem cubito articulatam, Græci κάρπον, Latini *brachiale*, barbari *Raſetam* vocant. Octo autem inter ſe forma & magnitudine differentib. oſſibus, ac duplici ordine diſtinctis brachiale exſtructũ eſt. Pars autem ſummæ manus a brachiali ad radicem vſque digitorum deducta, Græcis μετακάρπιον, κτεὶς, κτένιον, & ἄνδιεον, Latinis *poſtbrachiale* nominatur. Conſtat quatuor oſſibus, quæ reliquis digitorum oſſibus ſunt longiora. Digiti autem manus, qui Græcis δάκτυλοι dicuntur, numero quinque ſunt, terniſque ſeriatim, ac veluti in acie poſitis oſſibus cõſtant, q̃ ob id Grȩcis φάλαγγες, κόνδυλοι, & σκυταλίδες, Latinis *cateruæ*, *agmina acieſue*, *internodia & articuli* vocantur. Hȩc ſi ſingula coniungas, erunt numero quindecim. Primus ac maior digitus Græcis ἀντίχειρ, hoc eſt, *promanus*, quod reliquis quatuor ſibi oppoſitis æquiualeat, atque adeo pro tota manu ſit, dicitur. Hippoc. hunc μέγαν, id eſt, *magnum* nominat. Latinis *pollex*, quod vi ac dignitate ceteris polleat, appellatur. Eo enim amiſſo omnes reliqui poteſtate interciderunt, quod abſque eius ope & auxilio agere poſſint nihil. Secundus Grȩcis λιχανὸς a *lingendo*, quod meditabundus ori inſertus crebro lingatur. Latinis ab vſu *Index* nuncupatur. Tertius Græcis μέσος, Latinis, *medius*, *impudicus*, *infamis & verpus*, a verrendo podice dictus eſt. Quartus Græce παράμεσος, Latine *anularis*, quod veteres in eo anulos geſtabant, vocatur. Alio nomine ἰατρικὸς Græcis, *medicus* Latinis appellatur. Quintus Græcis μικρὸς, Latinis *minimus & paruus*, atque *auricularis*, quod nimirum eo aurium ſordes expurgentur, nuncupatur. Ceterum natura manuum articulis, D veluti auctarium, ſecuritatis gratia, vt ſcilicet implerẽt, ſtringerent, ac quo minus laxationi obnoxii eſſent, oſſicula quædam circumpoſuit, quæ a Seſami leguminis minuti ſpecie, Græcis σησαμοειδῆ, Latinis *Seſamina* nominantur. Ea vero in ſingulis manibus ſunt duodecim. Duo in ſecũdo pollicis internodio. Duo etiam, ſed multo minora, impenſiuſque cartilaginea, in primis quatuor digitorum internodiis habentur. Vnum quoq; in pollicis tertio internodio, vnumque ad exterius latus connexus oſſis poſtbrachialis paruum digitum ſuſtinentis ad brachiale interdum inuenitur. In reliquis vero digitorum internodiis rarius vnum, niſi in valde ſenibus inuenitur.

(Margin, beside the lines above: Pollex. Secundus. Index. Tertius. Medius. Quartus. Anularis. Medicus. Quintus. Minimus. Seſamina Oſſicula.)

De cruris, & huic connexis, oſſibus. CAP. V. E

Ilium os. Coxendicis os. Coxa. Pubis os. Pectinis os. Femur. Genua. Proceſſus femoris. Magnus rotator. γλουτὸς. Rotator minor.

SAcri oſſis lateribus vtrinque grande os connectitur, cui integro nullum nomen eſt inditum. Quanquam enim continuum eſt, tamen in tres veluti ſedes diſtinguitur. Ampla enim & lata, ſuperiorque ipſius pars, quæ ilia reſpicit, Græcis λαγόνων, Latinis *Ilium os* appellatur. Media alteraque eius ſedes femoris caput profundiori acetabulo admittens, Græcis ἰσχίον, Latinis *coxendicis os*, & ſimpliciter *coxa* nuncupatur. Tertia ſedes, anteriorq;, qua in pubis regione cum alterius lateris oſſe committitur, inſigniterque perforatum eſt, Grȩcis ἥβη, Latinis *pubis & pectinis os* appellatur. Femur, quod Græcis μηρὸς dicitur, os eſt, *quod a coxis incipit, & ad genua, quæ Græcis γόνατα vocantur, finitur*. Quippe rotundo capite coxa inarticulatur, duobus autem capitibus grandioribus in tibiæ oſſis ſinus intrat. Ad femoris oſſis ceruicem duo conſpiciuntur proceſſus: quorum alter ex- F ternum femoris latus occupat, quem Græci μέγα τροχαντῆρα, Latini *magnum rotatorem* nominant, quod ſcilicet omnium corporis proceſſuum nulli alteri oſſi commiſſorũ facile maximus ſit. Hunc etiam propter amplitudinem, & quandam cum natibus imaginem, Græci γλουτὸν vocant. Alter minor eſt, multoque inferius in interno femoris latere, non-

A re, nonnihil versus posteriora conspicuus, & modice oblongus est, hacq; de caussa *minor*, & interior *rotator* dicitur. Vniuersa pars cruris, quæ inter talum genuque posita est, Græcis κνήμη, Latinis *tibia* nuncupatur. In ea quemadmodum in cubito, bina sunt ossa, quorum alterum, nempe interius & grandius totius membri nomine κνήμη, id est, *tibia* vocatur. Alterum vero, quod exterius locatum est, & interiori crassitudine admodum cedit, Græcis περόνη, Latinis *fibula* vocatur. Anterior tibiæ pars tenuis, excarnis, & insigniter gibba, Græcis κρία, & frequentius adhuc προκνήμιον, & ἀντικνήμιον appellatur. Posterior vero pars, quæ tibiæ quasi pulpa est, quod hic obiter, sed extra institutum attingere placuit, γαστροκνημία Græcis, *Sura* Latinis nominatur. Ante tibiæ vero cum femore articulum os quoddam præponitur rotundum, & breui scuto non absimile, Græcis ἐπιμο-
B λὶς & ἐπιγονατὶς, Latinis *mola, patella, & genu rotula* nuncupatur. Porro tibiæ & fibulæ imæ partes talo commissæ, exterioreque suo latere gibbæ, & nulla prorsus musculi parte obtectæ, Græcis σφυρὰ, Latinis *malleoli* appellantur. Sunt enim duplices, qui enim in fibula eminet, *exterior*, qui in tibia, *interior* nominatur. Aliquot Latini interpretes, maximo errore σφυρὰ *talos* interpretantur. Pes Græcis πούς dictus, sex donatur ossibus. Primum Græcis ἀστράγαλος & ἄστριος, Latinis *talus*, vulgo *Balistæ os*, quod nucis balistæ formam referat, dicitur. Ab imis tibiæ ossis, & fibulæ appendicibus, magna sui parte comprehenditur. Huic alterum os, quod Græci πτέρναν, Latini *calcaneum, & calcem* vocant, omnium pedis ossium facile maximum subiicitur. Tertium os posteriori sede admodum profundo donatur sinu, cauitatemq; naui similem obtinet, vnde etiam *nauiculare & nauiforme*,
C atque a cymbæ imagine, σκαφοειδὲς Græcis, Latinis *os cymbam referens*, nominatur. Quartum os, quod Græcis & Latinis ταρσὸς appellatur, non est nisi quatuor ossium, ex quibus constat, series, quorum tria nauiculari aut cymbam referenti ossi coarticulantur: quartum vero exteriusque situm, quod tesseræ cuboue assimilatur, & ob id Græcis κυβοειδὲς vocatur, calci iungitur. Quatuor tarsi ossibus quinque plantæ, quæ Græcis πεδίον nominatur, ossa articulantur. His quinque pedis digiti sustinentur, e quibus pollex duobus tantum ossibus efformatur, reliquis interim tria internodia sibi vendicantibus. Quinetiam in pede totidem, ac in manu exigua occurrunt officula *Sesami semen* referentia. Adhæc in pede, non minus quam in manu, vngues visuntur. Porro vtrique palpebræ,
D quæ Græcis βλέφαρον, nuncupatur, vna adnata est cartilago, vtrinque mollis & longa, in palpebrarum extremo, qua illæ inuicem conniuent, locata. Hinc cartilagini palpebrarum pili, qui Græcis βλεφαρίδες, Latinis *Cilia* nominantur, infiguntur. Auris cartilago itidem mollis & tenuis, auris formam refert. Ab inferiori nasi ossium sede, qua hæc aspera, & latiora, quam superiori parte sunt, duæ nascũtur cartilagines, quæ deorsum in anteriora exporrectæ, inuicemque coniunctæ, sensim molliores euadunt, ac in nasi extremo veluti in cartilagineum ligamentum degenerant. Ab osseo item septo narium foramina dirimente alia exoritur cartilago, quæ a tota anteriori septi sede procedens, internæ duarum primarum cartilaginum regioni secundum ipsarum longitudinem adnascitur. His tribus cartilaginibus aliæ duæ, vtrinque singulæ, accedũt. Caput asperæ arteriæ, quod Græcis λάρυγξ, Latinis *guttur* dicitur, ex tribus constat cartilaginibus:
E quarum prima anterior maximaque, foris quidem gibba, intus autem caua, scuto quodam modo similis prælongo, hinc Græcis θυρεοειδὴς, Latinis *Scutiformis*, Barbaris *Scutalis, & peltalis* vocatur. Secunda prima minor est, & maior tertia, maximaque sui parte posteriorem laryngis sedem cõstituit, ac quantum scutiformis cartilago a perfecti circuli figura deficit, hoc ipsa adiicit, & superiori posterioríque eius parte supplet. Hæc nomine destituitur, ideoque *Innominatam* appellãr. Anulo autem, quem Turcæ sagittantes dextro pollici imponunt, vt eius ope arcus neruum robustius trahãt, similis est. *Tertia* cartilago Græcis ἀρυταινοειδὴς nuncupatur, quod scilicet quum integra est, & membrana tunicave asperam arteriam intus succingente adhuc obducitur, illi ollarum parti, qua aquam manus lauaturis affundimus, quam ἀρύταιναν vocant, simillima sit. Membranis
F autem suis liberata gemina esse videtur, duabusq; constituitur partibus. His tribus igitur laryngis cartilaginibus, alia quædam mollis, & substãtiæ tertiæ cartilaginis superiori parti prorsus similis accedit, quæ laryngis perelegans efficitur operculum, accurate prohibens, ne quid cibi aut potus in laryngem defluat. Hæc quidẽ Græcis ἐπιγλωττὶς nominatur, & quà palatum respicit, gibba est & mollis, qua vero laryngi innititur, caua si-

Tibia. κνήμη.
Fibula. περόνη.
κρία. προκνήμιον.
Sura.
ἐπιμυλὶς.
Mola.
Patella.
σφυρὰ.
Interpretũ Galeni error.
Pedis sex ossa.
ἀστράγαλος.
Talus.
Calcis os.
Nauiculare.
σκαφοειδὲς.
Tarsus.
κυβοειδὲς.
Planta.
πεδίον.
Sesamina.
Vngues.
Cartilaginis palpebræ.
βλέφαρον.
βλεφαρίδες.
Cilia.
Auris cartilago.
Nasi.
λάρυγξ.
θυρεοειδὴς.
Secunda cartilago.
Tertia.
Laryngis operculum.
ἐπιγλωττὶς.

Lingula. γλωττίς. Error medicorũ lingulam cum epiglottide confundentium.

maque, ac multo quam superiori parte durior. Porro tertia cartilago laryngis in medio A
rimam efferunt tibiarum seu potius fistularũ linguis, quas ori indimus, rimis similem, quæ Græcis γλωττίς, Latinis *lingula* nuncupatur. Nostræ ætatis medici maximo & pudẽdo errore, *lingulam & epiglottida* inter se confundunt, quum tamen dissectionis peritis liquido constet, esse diuersas plane corporis partes. Reliquæ asperæ arteriæ cartilagines, quæ ipsius caudicem & ramos in pulmones digestos constituunt, c vel σ Græcæ literæ imaginem exprimunt.

Quid ligamentum, musculus, cutis & cuticula. CAP. VI.

Ligamentũ quid. Vsus ligamenti. Musculus. Partes musculi tres. Caput. Venter. Finis. Cauda. ἀπονεύρωσις. Τένων. Tendo.

Ligamentum, quod Græcis σύνδεσμος dicitur, *corpus est similare, ex osse, aut cartilagine, aut quauis duriore membrana principium ducens, sensus omnis expers, durum, sed tamen cartilagine mollius, album, & exsangue, cauitatisque expers.* Varios autem in colligando, continendo, B
obtegendo, & musculis constituendis in homine vsus præstat. Musculus autem, qui Græcis μῦς appellatur *pars corporis est instrumentalis, voluntarii motus instrumentum, ex ligamento in fibras plures diuiso, & carne has continente & intertexente formatum, neruorum, venarum, & arteriarum in se recipiens surculos.* Constat musculus tribus partibus, principio, medio & fine. *Principium* quidem, quod caput musculi vocant, prima diuisio constituit. Id enim est, quod neruum maxima ex parte recipit, vel in quod inseritur neruus. *Medium* vero, in quo diuisionis series consistit, hoc est, vbi neruus & ligamentum multiplici diuisione sic confusa sunt, vt vix discernantur, ventrem appellant. Qua vero parte se tandem colligunt, atq; in vnum refluunt, neruorum, & ligamentorũ exiles fibræ, finis, cauda, & extremum dicitur, Græci ἀπονεύρωσιν, id est, *eneruationem*, quod fibrarum musculi citra carnis interuentum veluti coalitus exsistat, appellant. Alio nomine Græcis τένων, Latinis *Tendo* nominatur. Verum non omnis musculus in tendinem finit, sed in illis tãtum habetur, qui longo ductu feruntur. Atque ii sane modo in teretem, modo latum, & veluti membraneum, modo breuiorem, modo longiorem desinunt. Breues aũt tendine carent, & vndique carnosi sunt.

Cutis. Δέρμα. Cuticula. ἐπιδερμίς. Carnea membrana.

Porro cutis omnium partium corporis natiuum tegumentum est, ac Græcis δέρμα, eo quod δέρεσθαι, id est, *excoriari* queat, Latinis *corium* nominatur. Huic alia tenuis cuticula, & prorsus exsanguis obducitur supernasciturq;, cœparum propemodum tenuioribus ac pellucidis respondens inuolucris. Hæc quia cutis quædam velut efflorescentia est, Grẹcis ἐπιδερμίς, quasi *summa cuticula, aut extima superficies* vocatur. Cuti per vniuersum corpus membrana subiacet, quæ cuticula longe robustior D
crassiorque est, & fibris quibusdam raris, iis qui illi substernũtur musculis adhęret, connasciturque, cuti vero pertinacius committitur. Hanc dissectionis periti, quod carneis fibris adaugeatur, carneam appellant. Vulgo & barbaram sectantibus medicinam *Panniculus carnosus* dicitur. Inter hãc membranam & cutem pinguedo, seu adeps, qui Græcis πιμελή nominatur, plurimis nascitur. Nunc breuiter musculorum numerum, eo quo ossa ordine, a musculis in capite locatis orsi commemorabimus.

De musculis caput, & eas, quæ in capite sunt, partes, mouentibus. CAP. VII.

Frontis musculosa substantia. Musculi palpebræ superioris duo. Oculorum musculi septem.

Carnea mẽbrana sub frontis cute, q̃ μετωποπόδιον Græci vocant, carneis fibris aucta, musculosaque reddita pluresq; neruorum propagines mutuata, illam mouet. Palpebram superiorem duo tenues, lati, & membranei musculi hanc attollentes & deprimentes mouent. Vnus portionem maioris anguli, qui ad nasum est, amplectitur, palpebram ad superiora contrahens. Alter totum minorem angulum occupat, palbebram deorsum agens. Inferior palpebra plane immobilis est. Oculum septem agunt musculi, duo quidem in lateribus, singuli scilicet ad vtrunque angulum: alii autẽ duo, vnus quidem inferne: alter vero superne: quintus vero & sextus, vt circumactionis motui præessent, positione obliqui sunt. Septimus grandis est, & vndecunque a iam dictis occultatus, solusque neruum visorium in orbem ambit, ipsum cõstringens ac muniens.

Buccarum labrorũ & nasi alarum musculi duodecim.

Buccas & labra quatuor vtrinq; musculi agunt. *Primus*, membraneus & amplus ex vertebrarum ceruicis spinarum regionibus, deinde scapularum & clauicularũ, & pectoris ossis sedib. ortu, vsq; ad faciẽ protenditur. Cõstituitur a carnea membrana, carneis fibris aucta. *Secundus* similiter membraneus est, totamq; eam buccarum sedẽ, quam inflamus, complectit, a superiore maxilla ꝑnatus in inferiorẽ inserit. *Tertius* a maxillę superioris osse enascitur, inq; superioris labii latus implantatur. *Quartus* ab inferioris maxillæ humiliori parte ortus, in mediã humilioris labri sedẽ implantat. Ceterũ, *vt hoc quoq; obiter dicamus*,

A *dicamus*, Bucca, quæ Græcis γνάθος dicitur, *vtrunq; faciei latus est, quod spiritu detento infla-tur.* A malis iuxta tertium iam dictum musculus carneus quidam, sed tenuis membraneusque enascitur musculus, qui in ipso modice versus priora descensu, in duas portiones partitur, vnam nasi alæ radici, alteram superioris labii parti, quæ Græcis μύσταξ, Homero ὑπήνη, Latinis *barba superioris labri* nominatur, inserens. Alius denique in interna narium amplitudine habetur musculus, ad suæ cauitatis latus externum, sub tunica illam amplitudinem succingente, reconditus. Maxillam inferiorem mouentes musculi vtrinque quatuor exsistunt. Primus a mandendo Græcis μασητὴς, Latinis *mansorius vel mandibularius dictus*, ad posteriorem maxillæ inferioris sedem sub osso iuguli situs. Totus quodam modo triangularis est. vnumque eius latus versus iugalis ossis extremi-
B tatem porrigitur. alterum a malis, ad infimam maxillam retrorsum ducitur: tertium ab aure in anteriora deorsum fertur. *Secundus* Græcis κροταφίτης, Latinis *temporalis* appellatus, instar semicirculi primum a verticis ac frontis osse nascitur, dein in cauitatem ibi in capitis ossibus exsculptam descendit, tandemq; mansorio adeo continuatur, vt hos duos vnum esse musculum quis contendere posset. *Tertius* in ore delitescens vocatur, & ex tota cauitate sinuve exoritur, qui in ossis cuneum referentis processibus vespertilionum alias exprimentibus insculpitur, ac in internam maxillæ, vbi hæc latissima est, sedem inseritur. *Quartus* os aperiens dicitur, is sane gracilis & oblongus est, ex prominentibus temporum ossium processibus, qui styli imaginem præ se ferunt, originem ducens, inferioris maxillę parti, vbi exasperatur, & processulos inæqualiter extuberan-
C tes obtinet, implantatur. Ossis hyoidis octo sunt musculi. Duo ex summa pectoris ossis sede noti, & in anteriorem ac gibbam hyoidis ossis partem inserti, illud deorsum, si quando violentius tum a superioribus musculis, tū a scutiformi cartilagine sursum vellitur, retrahunt. *Duo alii*, qui iis opponuntur, ampli, breues, a maxilla inferiori sub summo mento enati, hyoidique ossi primis contermini inserti, illud sursum ducunt. *Duo item alii* admodum graciles, teretesq;, qui ab ossis temporis processuum stylum referētium radicibus orti, hyoidis ossi inseruntur, illud in latera sursum alliciūt. Præterea duo graciles longique ex elatiori scapulæ costa orti, in hyoidis ossis regionem, in quā prædicti inseruntur, idque deorsum vtrinque ad latera detrahunt. Musculi, qui linguam agunt, nouem. Duo quidem recti, & impense crassi, obscureque ad inuicem discreti, ex
D media superiorique hyoidis ossis parte orti, linguæ medio inseruntur. *Tertius & quartus* ex duobus superioribus ossis hyoidis ossiculis pronati, lingue laterib. inseruntur. *Quintus & sextus* a capitis processibus, styli imaginem referentibus enati, linguæ radici innascuntur. *Septimus & octauus* singuli a lateribus maxillæ inferioris iuxta molarium dentium radicem principium ducunt, linguæ per longitudinem implantantur, nō quidem prorsus in linguę medium, sed duorum primorum musculorum latera. *Nonus* ab interna inferioris maxillæ sede iuxta summum mentum prodit, inque linguæ radicem amplam insertionem molitur. Laryngis musculi proprii duodecim sunt, quorum quatuor primam laryngis cartilaginem secundæ committentes, & laryngis rimulam arctantes, breues sunt, sed lati, tenues, & carnosi, ab inferiori primæ cartilaginis sede originē du-
E cunt, horumque exteriores primæ cartilaginis parti priora laryngis spectāti: interiores vero primæ cartilaginis humiliori sedi inseruntur. Quatuor alii secundæ tertiam committentes, rimulamque aperientes, a secundæ cartilaginis sede enascuntur, tertiæ que cartilagini implantantur. Nonus & decimus tertiam primæ copulantes, rimulamque claudentes, ex media primæ cartilaginis sede oriuntur, & tertiæ cartilaginis partis anteriori sedi inseruntur. *Vndecimus & duodecimus* in basi tertiæ cartilaginis consistentes, lingulamque arctantes, ex radice tertiæ cartilaginis nascuntur & in tertiæ cartilaginis medium implantantur. *Communes*, & qui laryngem vicinis colligant, octo exsistunt: quorum primi duo rimulam reserantes ex tota propemodum inferiori hyoidis ossis sede principium ducunt, & singuli in sui lateris inferiorem primæ cartilaginis
F sedem implantantur. Duo alii a pectoris ossis interiori regione pronati primę cartilagini inseruntur, prioribusque contrariam actionem adipiscuntur, ac laryngem arctant. *Quintus & sextus*, a posteriori sede gulæ inuicem proximi principium ducentes, lateribus primæ cartilaginis inseruntur, lingulamque coarctant. Præter hos sex iam dictos alii duo propemodum teretes, ex media interiori ossis hyoidis sede explantati, in la-

[Margin notes: Buccę quid. — Quintus. — Sextus. — Maxillam inferiorem mouentes musculi octo. — Primus Mansorius. — Secundus Tēporalis. — Tertius, In ore delitescens. — Quartus, Os aperiēs. — Ossis hyoidis proprii musculi octo. — Musculi linguæ nouē. — Laryngis musculi. 1. 2. 3. 4. — 5. 6. 7. 8. — 9. 10. — 11. & 12. — Laryngis musculi cōmunes octo. — 1. 2. — 3. 4. — 5. 6. — 7. 8.]

Caput mouentes muſculi 14 Primum par. ringis operculi radicem inſeruntur, id ſurſum attollentes, atque a cibis & potibus depreſſum eleuantes. Caput mouentes muſculi in vniuerſum quatuordecim ſunt, ſeu ſeptem paria. *Primum* ex quinq; ſuperiorum thoracis vertebrarum ſpinis enaſcitur, ſenſimque extrorſum oblique aſcendens occipitis oſſi inſeritur. 2 *Secundum par*, quod non duobus, ſed plurimis efformari videtur muſculis, ex tranſuerſis quatuor ſuperiorum thoracis, & quinque inferiorum ceruicis proceſſibus ortum, itidem in occipitium implantatur. *Tertium*, ex ſecundæ ceruicis vertebræ ſpinæ extremo natum, in occipitii
3 medium inſeritur. *Quartum*, ſub tertio occultatum, a primæ vertebræ ſede, vbi aliæ in
4 ſpinam deſinunt, prodit, & ſimiliter occipitis oſſi inſeritur. *Quintum*, ab occipitis oſſis
5 medio tranſuerſum quodam modo deſcendens in apicem tranſuerſi primæ ceruicis
6 vertebræ proceſſus implantatur. *Sextum*, a ſpina ſecundæ ceruicis vertebræ exortum B
7 in tranſuerſum quoque primæ ceruicis vertebræ proceſſum inſeritur. *Septimum* par, inſignius eſt, atq; a pectoris oſſis media ſumma regione, & clauiculis qua illi articulantur, enatum, ſurſumque oblique ductum in mamillarē capitis proceſſum implantatur.

De muſculis thoracem, & eas, quæ huic concretæ ſunt, partes, mouentibus. CAP. VIII.

Thoracem mouentes muſculi octogeni. Primus. IN horum muſculorum numero primum occupant locū muſculi thoracem mouentes, qui ſunt octogeni vnus: vtrinque nimirum quadraginta, & vnus vtriq; lateri communis. *Primus*, qui breuis eſt, ſed amplus ac tenuis, a clauiculæ inferiori interioriq; regione enatus primæ thoracis coſtæ, qua pectori committitur, inſeritur. *Secundus*, ex tota ſcapulæ baſi interiori in parte pronatus, tanquam digitis quibuſdam octo ſuperioribus
2 coſtis, longe antequam in cartilagines degenerant, implantantur. *Tertius*, ex apicibus C
3 trium inferiorum ceruicis vertebrarum, ac primæ thoracis vertebræ ſpinis membraneum latumq; principiū ducit, ternis veluti digitis tribus quatuor ſuperiorū coſtarum interuallis ſub ſcapulæ baſi inſeritur. *Quartus*, ex poſteriore oſſis ſacri regione, & inte-
4 riore iliū oſſis ſede incipit, ſurſumq; ad ceruicem ductus duodecim coſtis, qua primum a vertebris diſcedunt, implantatur. *Quintus*, in poſterioris thoracis ſede ex ſpinarum a-
5 picibus duarum infimarum thoracis, & aliquot etiam primarum lumborum vertebrarum ſpinis, membraneus latuſque enaſcitur, ac 9. 10. & 11. coſtarum interuallis, ipſiſque coſtis, vbi in interiora reflectuntur, & multo ante, quam in cartilaginem degenerant, velut in aliquot diuiſus digitos implantatur. *Sextus* thoracis amplitudine repoſitus, ve-
6 rarum coſtarum cartilaginibus, vniuerſoq; pectoris oſſi lateri exporrigitur. Superſunt D
Intercoſtales muſculi. adhuc intercoſtales muſculi, qui in 12. coſtarum interuallis reponuntur. Horum quidem alii *Exteriores*, alii vero *Interiores* ſunt. Exteriores *in ſingulis coſtarum interuallis conſi-*
Exteriores. *ſtunt, & ſimul atque coſta a tranſuerſo vertebrarum proceſſu in anteriora oblique prorepit, princi-*
pium obtinent, ac fibris a ſuperiori coſta in inferiorem oblique in priora deorſum properantibus. In-
Interiores. teriores vero *contrario prædictis modo ab inferiori coſta ſurſum oblique in anteriora ad ſuperiorem coſtam fibras porrigunt, adeoq; ad χ literæ ſimilitudinem interſecant.* Hanc fibrarum ſeriem interiores muſculi per ſingula ſpuriarum coſtarū interualla retinent, & in verarū quoq; interuallis, ad eam vſq; coſtarum ſedem, vbi in cartilaginem degenerant. Ibidem enim ilico ac interni eo deuenerint, fibrarum ductum emutant. Nam a ſuperioris coſtæ cartilagine in inferioris, fibræ in priora deorſum oblique protendūtur. Proinde, ſi iſtum fi- E brarum ductum reſpicias in ſex legitimarum coſtarū interuallis, quaterni ſunt muſculi, adeoq; priori numero 12. accedunt. In ſuperiorum autem interuallis bini tātum numerantur. Quapropter hac ratione vnius lateris intercoſtales muſculi quatuor & triginta exſiſtunt. His vnus vtrique lateri cōmunis accedit, amplius & rotundus orbiculariſue,
Septū tranſuerſum. διάφραγμα. in medio nerueus, in circuitu vero ad inſertionē carneus, quē Græci διάφραγμα, & φρένας, Latini *Septum tranſuerſum*, Plinius *præcordia*, quod ſcilicet cordi prætēdantur, appellant. Græcam autem & Latinam appellationem hæc pars non alia de cauſſa accepit, quam
Præcordia. quod inſtrumenta ſpiritus ab alimenti organis diſtinguat. Ceterum dorſum mouentes
Dorſum mouentes muſculi ſedecim. vtriuſque lateris muſculi ſunt ſedecim, octo nimirum paribus complexi. *Primum par*, a quintæ thoracis vertebræ corporis lateribus incipit, & ſurſum oblique ad primam vſq; F ceruicis vertebram conſcendens pertingit, gulæ ſubiectum. Hinc eſt, quod veteres hos
2 duos muſculos ſub ſtomacho gulaue latitantes nominaſſe videantur. *Secundum par* a pri-
Muſculi ſub ſtomacho latitantes. ma thoracis coſta carnoſum amplumque pronaſcitur, ſenſimque arctatum internæ tranſuerſorum omnium ceruicis vertebrarum proceſſuum ſedi implantantur. *Tertium*, ex tranſ-

A ex transuersis sex superiorum thoracis vertebrarum processibus exoritur, & pertinaciter admodum externæ sedi transuersorum ceruicis vertebrarum processuum inseritur. *Quartum*, a septimæ thoracis vertebræ spinæ radice, & omnium succedentium vertebrarum spinarum radicibus oritur, & in totam inferiorē spinæ secundæ ceruicis vertebræ inferiorem sedem validissime implantatur. *Quintum*, ab ilium ossis cauitatis posteriori superiorique sede pronascitur, atque in transuersos lumborum vertebrarũ processus, & infimam thoracis costam inseritur, figuraque triangulum est. *Sextum*, ex longioribus totius corporis est musculis, ab infima sacri ossis sede incipiens, & deinde ex spinis quinque vertebrarum lumborum, nerueo validoque admodum principio enascitur. Hinc sursum conscendens, carnosius paulatim ad externum ipsius latus efficitur, B tandemq; longe arctius redditum, transuersis omnibus thoracis processibus innixum, singulis ex interna sua sede, tendinem instar ansulæ cuiusdam insertum dispergit. *Septimum*, sub sexto occultatum, a posteriori sacri ossis sede acutum principium ducens, ac sursum ascendens modice latius redditum, ad vndecimæ thoracis vertebræ spinam, in acutum finitur angulum. *Octauum*, ab vndecima thoracis vertebra ad primã vsq; ipsius protenditur, totam spinarum amplitudinem, quæ ab ipsarum radice ad apicem vsque consistit, amplexans, illis ita committitur, vt septimum par illis, quibus adnascitur, spinis. Scapulam mouentes musculi vtrinque quatuor existunt. *Primus*, ex secunda, tertia, quarta, quinta, & interdum sexta superioribus thoracis costis, paulo antequam in cartilagines finiant, enascitur, & tandem in latum nerueumque tendinem cessans, triangu- C li modo in internum scapulæ processum, ancoræ imaginem referentem, inseritur. *Secundus*, raram præter ceteros corporis musculos figuram sortitur. Ab occipitio transuersa linea, quæ ab eius ossis medio versus auris porrigitur radicem pronatus, in scapulæ spinam, summumque humerum, & clauiculæ portionem, eius nimirum partem latiorem, inseritur. *Tertius*, validus a transuersis superiorum quinque ceruicis vertebrarum processibus exortus, lata, sed carnea insertione in internam superioris anguli scapulæ basis sedē inseritur. *Quartus*, amplus & tenuis, sed omni ex parte carneus, a quintæ, sextæ, & septimæ ceruicis vertebrarum, ac trium primarum thoracis vertebrarum spinis principium ducens, toti propemodum scapulæ basi carneus implantatur. Abdominis, quod Græcis ἐπιγάστριον dicitur, musculi in vniuersum sunt octo. Obliqui quatuor: D in vtroque enim latere bini, qui inuicem incumbunt, & contrarias seque mutuo decussatim, seu ad similitudinem x Græcæ literæ intersecātes fibras obtinent. Superiores enim fibræ deorsum versus priora oblique procedunt, quem huius fibrarũ ductus gratia *Descendentem* vulgo nominant. Inferiores vero fibræ sursum oblique ad anteriora tendunt, qui ob id *Ascendens* vocatur. Rectorum ab vtroque latere vnicus est, qui cum fibras secundum corporis longitudinem extensas habeat, rectus appellatur. Transuersus similiter vtrinque vnus est, cui id nomen *quod eius fibræ secundum corporis latitudinem, aut a dextris ad sinistra ferantur*, inditum est. Penem quatuor mouent musculi, quorum duo carnei quidem, ab anteriori sede musculi rectum intestinum orbiculatim amplectentis enascuntur, sibi inuicem proximi, & internis lateribus mutuo committuntur, E rectaque sursum in priora ad vrinarii meatus, sub illis corporib. ad superiora reflexum ascendentes, eius meatus lateribus inseruntur. Alii duo vtrinque habentur, singuli ab appendice ossis coxendicis, paulo inferius quam penis corpora principium ducentes, quod carneum & gracile est, & vtrinque oblique sursum procedentem efficit musculum, qui carnosus permanēs sui lateris corpori non procul ab exortu implantatur. Ceterum ad vnumquenque testem singuli graciles admodum musculi pertingunt, ex ea vasorum seminalium, & testis tunica, quæ a peritonæo principiũ ducit, efformati. Hæc enim in posteriori ipsius sede in ipso a peritonæo exortu longis aliquot, rectisve, ac inuicem sibi proximis carneisque fibris adaucta, formam & naturã gracilium & oblongorum musculorum exprimentibus, qui tandem iuxta infimam semen deferentis va- F sis sedem inseruntur, Græcisque κρεμαστῆρες dicuntur, quod *scilicet horum ope testes viriles obscure ac modice sursum vellantur, ne plus æquo laxati & ad anteriora pendentes nimio oneri seminaris vasis sint*. Pari modo membranæ vterũ firmantes vtrinq; carneis augentur fibris, exilium regionibus deorsum oblique ad vteri latera perreptantibus, hacque ratione vterus vtrobique vnum possidet musculum, illis specie similem, quo viri testes donan-

Marginal notes: 3 — 4 — 5 — 6 — 7 — 8 — Scapulam mouentes musculi octo. — 1 — 2 — 3 — 4 — Abdominis musculi octo. — Obliqui. — Descendentes. — Ascendentes. — Recti. — Transuersi. — Penis musculi quatuor. — 1. 2. — Virilium testium musculi duo. — κρεμαστῆρες.

Musculi muliebris vteri. Vesicæ virilis musculus. Muliebris vesicæ musculus. Recti intestini musculi tres. σφιγκτής.

tur. Vesicæ virilis ceruici vnus orbiculatim obnascitur musculus, qui oblongi anuli, aut A
oblongi rotundique meatus effigiẽ exprimit, & iuxta glandosum corpus superius cras-
sior, quam inferius est. In mulieribus vero, quarũ vesicæ ceruici eiusmodi corpus glan-
dosum non adnascitur, musculus totum meatum ambit, qui a vesicæ corpore in supe-
riorem sedem ceruicis vteri non procul a pudẽdo subingreditur. Recti intestini extre-
mum finemue circulatim vnus ambit musculus, immaturæ inuoluntariæq; excremen-
torum egestioni præfectus. Siquidem eius intestini orificium stringit, ideoque Græcis
σφιγκτὴς, quasi *constrictor* nominatus est. Duo alii musculi a ligamentis ex pubis ossibus, &
coxendicis osse, & sacro exorti, ipsaque demum peritonæi infima sede enascuntur, qui
deorsum protensi rectum intestinum amplexantur, extimæ tertiæue ipsius tunicæ in-
serti, post egestionem protrusum recti intestini finem alacriter sursum reuellunt. B

De musculis manum mouentibus. CAP. IX.

Brachium mouentes musculi septem.

BRachium mouentes musculi vtrinque septem sunt. Primus, *in media claviculæ sede pe-
ctoris ossis proxima, & pectoris ossis latitudine, & ipsi insertis cartilaginibus enascitur, sensimq;
quodam modo in angulũ arctatus, in acutum tantisper procedit, donec amplo & nerueo, admodum-*
1. *que robusto, sed breui tendine humero secundum ipsius longitudinem inseratur.* Secundus *ex media*
2. *clauiculæ parte secundum ipsius longitudinem, quæ scapulam spectat, & summo humero, vbi is clavi-
culæ committitur, totaque scapulæ spina principium nerueum sumit, qui vix bene pronatus ilico car-
nosus efficitur, itaque permanens sensim in angustum, tanquam in trianguli verticem tantisper por-* C
*rigitur; donec humero tendine amplo robustoque ad humeri ossis latitudinem, non modice sub ipsius
ceruice implantatur. Vniuersus hic musculus trianguli imaginẽ p̃ se fert, adeoq; figura △ nõ absimilis*
δελτοειδής. *est, vnde Græcis* δελτοειδὴς *est nominatus.* Tertius *carneo principio ex humiliore scapulæ costa prodit,*
3. *modiceque sursum in priora tensus humerum accedens, in validũ breuemq; sed latũ, tendinem cessat.*
4. Quartus, *magnus latusque est musculus, qui a spinarum apicibus, quæ a sexta thoracis vertebræ spi-
na ad sacri ossis vsque medium habentur, principium sumit, dein vniuersus auctus in angustum tan-
tisper procedit, donec tendine lato, valido, sed breui, humero implantetur. Hic itidem musculus tri-*
5. *angularis est, sed plane inæqualibus costis conformatur.* Quintus *vniuersum sinum, qui inter su-
periorem scapulæ costam, & ipsius spinam est occupat. Procedit enim a scapulæ basi, & omnino car-
nosus totam scapulæ cauitatem implet, tandemque in amplum validumque cessans tendinem, arti-* D
6. *culum humeri ad scapulam superat, eiusque articuli ligamento pertinacissime inseritur.* Sextus *con-
cauam internamque scapulæ sedem opplet, ex basi totius scapulæ ortus, & in trianguli verticem tan-*
7. *tisper arctatur, dum amplo tendine interiori articuli regioni implantetur.* Septimus *vniuer-
sum scapulæ gibbum, quod sub ipsius spina habetur, implet. Carnosus ex scapulæ basi exoritur, dein*
1. *arctatur articuli ligamento amplo & breui tendine inseritur.* Cubitum duo vtrinque flectunt

Cubitum flectentes musculi duo.

musculi, quorum vnus & anterior, *duobus validissimis, & mutuo distantibus principiis exori-
tur: vno quidem nerueo, & ad amussim tereti ab elatiori ceruicis scapulæ sede: altero a radice in-
terioris processus scapulæ, qui anchoræ assimilatur: ex duobus autem illis principiis efformatus, paulo
supra cubiti articulum neruosior excarnisque redditus, in robustum, & crassum, & ad amussim tere-
tem finit tendinem, qui articulo expansus, in interiorem radii partem modice latescens implanta-* E
2. *tur.* Secundus siue posterior, *a brachii ossis exteriore latere carneo latoque principio, quod bicor-
ne est, enascitur, sensimque in priora humeri tendens, tandem anteriori vlnæ & radii sedi ampla im-
plantatione inseritur. Hic quidem musculus sua sede, qua cubiti articulum transcendit, montis spe-*

Cubitum extẽdentes tres.

ciem appositissime repræsentat. Extendunt autem cubitum tres musculi, quorum quidem
primus *valido, lato, ac nerueo principio ex humiliori scapulæ costa non procul ab eiusdem ceruice ex-*
1. *oritur.* Alter *a brachii ossis ceruicis posteriori sede enascitur. Hi certe musculi in descensu inuicem*
2. *connascuntur, vt integrum tibi sit vniuersum musculum, aut vnum dicere, aut duos statuere.* Ter-
3. tius *a media fere longitudine brachii exortus, duobus iam dictis ita commiscetur, ac coit, vt nullo*

Musculus vnus neruosa sua exilitate mediæ volæ, & internæ digitorũ cuti subnatus.

*prorsus pacto in hominibus discerni queant: simul autem cum illis tandem validissime in exter-
num latus posterioris vlnæ processus partim carneus, partim nerueus inseritur.* In interna cu- F
biti sede gracilis reponitur musculus, qui ab interno ossis brachii tuberculo prona-
tus, in latum degenerat tendinem, internæ summæ manus cuti magna ex parte
ad extremam vsque digitorum aciem subnatus. Huius beneficio ea cutis minus ver-
satilis, & circumactu pertinax, ac proinde ad tangendum aptior redditur. Radius
in

A in pronum duobus ducitur musculis. Vno quidem inferiore, qui ex tota amplitudine Radium
interioris vlnæ sedis enascitur, qua brachiali proxima est. Hinc carneus ad interiorem mouentes
radii regionem transuersim procedens ipsi adhuc carneus inseritur. Hic ad amussim musculi
quadratus est. Altero superiore, qui ex interiori vlnæ latere, qua humero articulatur, quatuor. 1.
carnoso validoque principio oritur. Hinc admodum oblique internam radii sedē con- 2.
scendens, carnea īnsertione ante medium ipsius longitudinis implantatur. In supinum 3.
vero radius aliis duobus musculis fertur. Vno quidem longe, ab externa humeri regio-
ne longe supra exterius eius tuberculum pronato, hinc deorsum expanso, radioque in-
strato, & ad eiusdem finem, cui brachiale articulatur, procedente, lato tendine radii ap-
B pendicis superiori regione inserto. Altero ab exteriore cubiti articuli regione ad me- 4.
diam radii longitudinē oblique exporrecto, ibidemq; inserto. Brachiale quatuor præ- Brachialé
cipuis vtrinq; agitur musculis, quorum primus *ab interno humeri tuberculo ex carnea neruea-* agētes mu
que substantia mistum principium assumit, tandemque in validum & quodammodo teretem tendi- sculi qua-
nem cessans, inferiori quarti brachialis ossis sedi implantatur. Secundus *itidem ex interiori humeri* tuor vtrinque. 1.
tuberculo enascitur, radio exporrectus in postbrachialis ossis, quod indici præponitur, radicem inseri- 2.
tur. Tertius *ab exterioris tuberculi humeri radice pronatus, ac vlnæ exporrectus in postbrachialis os* 3.
minimum digitum sustinens insertionē molitur. Quartus *longe supra exterius humeri tuberculum* 4.
oritur, & bifido tendine in postbrachiale amplis insertionibus implantatur. Vna quidem pars in radi-
cem ossis indicem sustinentis: altera in radicem, cui medius innititur digitus, inseritur. Digitos ma- Digitos
C nus mouētes musculi sunt vigintiocto. Primus *ab interiori humeri tuberculo principiū sumit,* manus
tandemq; ante brachialis radicē in quatuor exactos tendines discinditur, qui secūdis quatuor digitorū mouentes
internodiis inseruntur. Secūdus *ab eadem sede cū primo, sed magis decliuis originem ducit, primoq;* viginti octo. 1.
substernitur, ac in quatuor tendines dirimitur, qui primi musculi tendinib. subiecti ante secundi di- 2.
gitorum internodii radicē eos tendines findunt, ac perforant tandemq; in quatuor digitorū tertia ossa
insertionē moliuntur. Tertius *ex vlnæ sede, qua hac radii capitulum in proprium sinum amplecti-* 3.
tur, ac vbi radius ab vlna primum dehiscit, enatus, tandem tertio pollicis ossi articuloue inseritur.

Tertium musculum in serie alii tredecim numero subsequuntur, in extrema manu Tredecim
repositi. Horum octo, qui quatuor digitis seruiunt, *recta secundum postbrachialis longitudi-* post ter-
nem digitos addunt, ac lateribus interiori in sede primorum ossium inseruntur. Duodecimus ex tium ordines.
D *superiori transuersi brachialis ligamenti sede carneus enatus, primi pollicis ossi inseritur, perquam* 4.5.6.7.8.
obscure secundum pollicis internodium contingens. Decimustertius *ex transuerso quoque ligamen-* 9.10.11.12.
to, & osse brachialis pollicem fulciente pronatus, in primi pollicis ossis radicem implantatur. Deci- 13.
musquartus *ex postbrachialis osse, cui medius innititur, principium ducit, & membraneo tendine* 14.
secundi pollicis lateri, quod indicem spectat, se inserit. Decimusquintus *ex media sede postbrachia-* 15.
lis ossis, quod medio præponitur digito, originem ducit, & in medio interioris partis secundi pollicis in-
ternodii insertionem tentat. Decimussextus *ex postbrachialis ossis, quo anularis sustinetur, radice* 16.
principium sumit, & lateri interiori secundi pollicis internodii versus priora implantatur. Deci- 17.
musseptimus *ab elatiori sede externi humeri tuberculi enascitur, & in tres, vt plurimū aut quatuor*
tendines degenerans, tādem indici, medio, ac anulari præcipue implantatur. Decimusoctauus *gra-* 18.
E *cilis longusq; est, ab exteriori humeri tuberculo ortus, in duos partitur tēdines, quorū vnus ad paruū,*
alter ad anularem digitum contendit, ac illorum primo ossi inseruntur. Decimusnonus *duob. iam* 19.
dictis substratus, ab vlnæ osse vltra medium ipsius longitudinis enascitur, non procul a brachialis se-
de, & in duos inuicem cohærentes tendines diductus, vnum, nempe superiorem exteriori indicis, al-
terum medii lateri inserit. Vigesimus breuis, sed validus, *a quarto brachialis osse pronascitur, &* 20.
externo postbrachialis ossis paruū sustinentis digitū lateri exporrectus, primo eius digiti ossi, implan-
tatur. Vigesimusprimus ab *vlnæ exteriori sede, & iuxta medium longitudinis cubiti enascitur,* 21.
versus radium oblique repit, & in tendinem finitur, qui externo lateri exterioris pollicis regionis in-
dicem spectantis vsque ad tertium articulum inseritur. Vigesimussecundus *ab vlna paulo supe-* 22.
rius, quam iam dictus prodit, & oblique super radium conscendens illi insternitur musculo, qui bi-
F *corni tendine brachiali inseritur: vbi in duas portiones scissus, vna, eaque superiore, in tendi-*
nem quodam modo teretem cessat, exteriorique brachialis ossis pollicem sustinentis sedi implanta-
tur. Altera vero portio in duas dirimitur partes, quæ singulæ in tendinem finiunt, quorum vnus
in primi pollicis internodii radicem inseritur: alter vero in secundum & tertium pollicis os implan-
tatur. Vigesimustertius *ex anteriori sede ossis brachialis, cui pollex innititur, principium ducit, ac* 23.
deorsum protensus, primo pollicis ossi membraneo tendine inseritur. Vigesimusquartus *ex inte-* 24.

riore latere ossis postbrachialis inuicem suffulcientis enatus, toti externo lateri primi pollicis ossis inse- A
25.26 27. 28. ritur. Supersunt adhuc quatuor musculi teretes & graciles, singulis quatuor secundi digitos mouentium musculi tendinibus, qui quatuor digitorum tertium os flectunt, exporrecti. Enascuntur autem ex membraneo inuolucro tendines illos induente. Hinc simul singuli cum singulis tendinibus ad digitos procedentes, in digitorum radicem, primum nimirum os, inseruntur, ad internum eorundem latus versus interiora insertionem membraneam moliuntur.

De musculis crus mouentibus. Cap. X.

Femoris musculi decem.

FEmur decem propriis agitur musculis. Primus *ab ilium ossis extima sede, & coccygis ossis posteriore regione, velut ex semicirculo enascitur, tandem in latum validumq; finiens tendinem,*
1. *posteriori magni femoris processus sedi, & eius quoque radici ampla insertione innascitur.* Secundus B
2. *sub primo magna ex parte reconditus, ab anteriori superiorique ilium ossis spinæ regione pronascitur,*
3. *& membraneo, sed valido tendine elatiori magni femoris processus sedi implantatur.* Tertius, *secundo longe minor ac sub ipso prorsus occultatus, ab ilium osse iuxta posteriorem coxendicis acetabuli sedem, lato & semicirculari principio enascitur, ac lato robustoque tendine maiori femoris processui*
4. *inseritur.* Quartus, *a lateribus trium inferiorum sacri ossis vertebrarum, quibus ilium ossa non coarctantur, principium sumit, & tereti tendine posteriori maioris femoris processus sedi implantatur.*
5. Quintus *omnium corporis musculorum maximus, pluribus partibus a coxendicis ossis appendice oritur, qui in miram ventris amplitudinem dilatatus, deorsum recta per femoris posteriora fertur,*
6. *donec denuo gracilescens, teretem tendinem in internum femoris caput inserat.* Sextus *ex undecimæ & duodecimæ thoracis, & primæ, secundæ, & tertiæ lumborum vertebrarum lateribus principium ducit, tandemque in validum & teretem tendinem cessans, interiori seu minori femoris proces-* C
7. *sui implantatur.* Septimus *ex tota interioris ossis ilium regione, tanquam ex semicirculo carneus enascitur, & in teretẽ cessans tendinem minori femoris processu, prædicto nunc tendini proximus inse-*
8. *ritur.* Octauus *a pubis osse ortus, breui sed amplo tẽdine sub minori femoris processu inseritur.* No-
9. nus *totum pubis exterius foramen contegit, amploq; tendine in magni femoris processus sinum inser-*
10 *tionem molitur.* Decimus *posteriorem interioremue foraminis iam dicti sedem occupat, ac veluti alis musculis hinc pronascentibus auctus, maiori femoris processui implantatur.* Tibiam mouent musculi nouem. Primus *ab anteriori ossis ilium spinæ sede, aut ab ilium ossis appendicis anteriori extremo enascitur, & in anteriorem tibiæ sedem adamussim tereti tendine inseritur.* Secundus *a*

Tibiam mouentes musculi nouem.

1.
2. *pubus ossis pronascitur commissura, deorsumque per femoris interiora descendens, sensim gracilior* D
3. *euadit, in exactumque, ac teretem finiens tendinem, eadem sede cum primo inseritur.* Tertius *ab elatiori & posteriori ossis coxendicis appendicis sede nerueus, gracilisq; enascitur, tandemque in tere-*
4. *tem degenerans tendinem, eadem regione, qua prædicti insertionem molitur.* Quartus *ex eadẽ sede coxendicis ossis pronascitur, & portionẽ sui a femoris osse in descensu assumẽs, tibiæ cũ fibula articulo,*
5. *sed potißimũ fibulæ, inseritur.* Quintus *a coxẽdicis ossis appẽdice sub tertii & quarti musculi capitib. principium ducit, inq; teretem cessans tendinem in anteriorẽ tibiæ sedem cũ trib. primis, verũ minus*
6. *decliuis implantatur.* Sextus *ab iliũ ossis spina enascitur, membraneaq; modo musculis os femoris am-*
7. *plexantib. obducitur, tandemq; in anteriorem tibiæ sedẽ, & externũ illius latus inseritur.* Septimus *ab externo femoris ossis latere pronascitur, totam radicẽ magni femoris processus in orbẽ amplexus, ac paulo supra patellam in amplum tendinem desinens, qui octaui & noni tendinibus commistus, simul* E
8. *cum illis patellam apprehendit.* Octauus *a femoris ossis ceruice exoritur nerueus, a femoris quoque magni processus radice ipsius portio enascitur, tandemque in latum validumque cessans tendinem,*
9. *totam patellam amplectitur.* Nonus *ex ilium ossis tuberculo supra ipsius cum femore articulum originem sumit, & septimo, & octauo musculo instratus, ad anteriorem genu regionem fertur, ac in tendinem degenerans, cum tendinibus septimi & octaui musculi permistus validissime in anteriorem tibiæ sedem implantatur.* Qui in poplite latitat musculus, ab externi genu articuli ligamẽti posteriore sede pronascitur, & oblique deorsum versus interiora descendens, in tibię os ampla & prolixa insertione implantatur. Pedem mouentes musculi nouem sunt. Pimus *ab interno femoris capite iuxta genus articulum vnico enascitur principio.* Secundus *ab externo capite principium ducit. Vtrique musculi suo ventre posteriorem suræ molem, illic promi-* F

Musculus in poplite occultatus.

Pedẽ mouẽtes musculi nouẽ.

1. *nentes, efformant. Tendo autem ab vtrisque enatus cum quarti pedem mouentis tendine congredi-*
2. *ens, in posteriorem calcis sedem inseritur.* Tertius *insigniter gracilis est, ab externo quoque femoris*
3. *capite enatus, & in poplitis regione in tenuißimum tendinem desinens, calcis ossis interno lateri im-*
4. *plantatur.* Quartus *pedem mouentium, suramque constituentium, ac tibiam complexantium maximus*

A ximus est, a posteriori sede fibulæ cum tibia coarticulatione nascitur, & paulo supra calcis regionem in
validissimum tendinem desinens, cui duorum primorum tẽdo vnitur, simul cum ipso posterioris cal-
cis sedi inseritur. Quintus a tibiæ osse ac fibula, qua hac ossa inuicem dehiscere incipiunt, exoritur, 5.
& iuxta interioris malleoli posteriora tendinem educit in tarsi os, quod cubum tesseramque imitanti
ossi proximum est implantatum. Sextus in anteriori tibiæ sede positus, ab anteriori sede coarticula- 6.
tionis fibulæ cum tibia enascitur, tendinemq; in radicem ossis pedii pollicem sustinentis inseritur. Se-
ptimus a fibula principium ducens, externum tibiæ latus occupat, ac tendinem sub pedis inferiora re- 7.
flexum, pedii ossis pollicem sustinentis radici inserit. Octauus sub septimo excepta tendine ipsius an- 8.
teriori sede prorsus occultatur, atque ex fibulæ superiori appendice enatus, in teretem cessat tendinem,
qui radici ossis pedii paruum digitum sustinentis implantatur. Nonus portio est eius, qui in ante- 9.
B riori tibiæ sede locatus, quatuor pedis digitos extendit, iuxta medium tibiæ longitudinis externo
ipsius latere pronascitur, & ad medium fere longitudinis ossis pedii ante paruum digitum positi
inseritur. Pedis digitos mouentes musculi sunt decem & octo. Primus totam infernam pedis sedem seu plantam occupat, & infima parte membranam impense crassam, & lato in manu
tendini non adsimilem pertinaciter obnatam possidet, atque a calcis ossis inferna sede enatus, secun-
dis quatuor digitorum internodiis singulos tendines offert. Secundus posteriorem tibiæ sedem per- 1.
reptat, ab eoque osse pronatus, tendinem in plantam mittit, a quo exigua portio tendinibus com- 2.
miscetur indicis & medii tertium internodium flectentibus: reliquus autem totus in secundum pol-
licis os inseritur. Tertius itidem in tibiæ posteriori sede locatus, a fibulæ ad tibiam nexu pronascitur, 3.
& quum ad calcem fere descendit, atque adhuc latus conspicitur ab interno ipsius latere teretem pro-
C mit tendinem, qui modice dilatatus in alios quatuor tendines digeritur, singuli ad vnum quatuor
digitorum excurrẽtes, illisq; manus tendinibus, qui teniũ quatuor digitorum internodium flectunt,
respondentes. Decem musculi iam dictis succedunt, qui insigniter mutuo implexi sunt, 4. 5. 6. 7. 8.
ac pedii ossibus adnati, secundumque eiusdem longitudinem ducti, & illius quoque 9. 10. 11. 12.
interualla opplẽtes, vtrinq; ad primi internodii latus versus interiora insertionem mo- 13.
liuntur. Decimusquartus, cuius partem nonum pedem mouentium esse diximus, a tibiæ anteriori 14.
sede pronatus, & sub sexto pedem mouentium musculo occultatus, a tibiæ osse, qua fibulæ sub genu ar-
ticulo connectitur, nerueum sumit principium, ac tandem in quatuor tendines dirimitur, qui qua-
tuor digitis inseruntur. Decimussextus in superiori pedis sede reponitur, & huic regioni p̃ longitu- 16.
dinẽ obducitur. Carnea est moles in quatuor diremta tendines, quorũ vnus pollicis superioris sedis ex-
D terno lateri, secũdus indicis, tertius medii digiti, quartꝰ anularis inseritur. Decimusseptimꝰ in ex- 17.
terno latere pedis reponitur, ab externo calcis ossis latere nerueo principio ortus, & externo lateri pri-
mi ossis parui digiti implantatur. Decimusoctauus interno lateri secundum totam ipsius longi- 18.
tudinẽ protenditur, & tandem in teretem degenerans tendinẽ externo lateri prioris pollicis articuli
inseritur. Ceterũ in plãta pedis carnea cõsistit moles in quatuor graciles dissecta portio- 19. 20. 21.
nes tẽdinib. adhęrẽtes, quorũ ministerio tertia quatuor digitorũ ossa flectũtur. Quod si 22.
itaq; hãc molẽ vnius loco musculi numeraueris, decẽ & nouẽ tm̃ erũt omnes pedis digi-
torũ in homine musculi. Sin quatuor musculorũ loco hãc habueris, duo & viginti erũt.

De ligamentis. Cap. XI.

OMnibus articulis orbiculatim ligamẽtum ab vno osse in aliud, aut in cartilaginem,
E vel a cartilagine in os, aut cartilaginem priuatim insertum obducitur. Quibusdam
etiam, at paucis, articulis ligamenta accesserunt peculiaria. In capitis n. articulo teres quoddam
a dente secundæ ceruicis vertebræ in occipitis os ducitur, & secundum dentis posterio-
rem sedem in prima vertebra, vnum transuersim fertur vertebrarum corpora ligamen-
tis admodũ cartilagineis, quæ Galeno νευροχονδρώδη σύνδεσμα vocantur, cõmittuntur. Ascẽ-
dentes vero & descendentes earundem processus validis quoque, sed tantum ambien-
tibus colligantur. Deinde in spinarum interuallis membraneum consistit ligamentum,
sicut in cubito & tibia, vbi ossa inuicem dehiscunt. Præterea in pubis ossium foraminibus
huius generis occurrit ligamentum, seu potius membrana. In humeri articulo tria pe-
culiaria visuntur, quorum primum teres est, & ab interno scapulæ processu enatum in
F extremum humeri caput fertur. Alia duo ab elatiori ceruicis scapulæ sede pronata, in
idem caput pertinent, & vnumquodque hic ab interno scapulæ processu in summum
humerum ducitur. In brachialis ossium inter se & cum postbrachialis ossibus connexu,
vt & in pede, passim cartilaginea ligamenta interueniunt. A sacro osse duo teretia in co-
xendicis os pertinẽt. Ex femoris superiori ca. teres ligamentũ in coxendicis acetabulũ

Pedis digitos mouẽtes musculi decem & octo.

νευροχονδρώδη σύνδεσμα.

inseritur. In genu articuli medio cartilagineum consistit ligamentum, & deinde in po- A
steriore ipsius sede, & vtrinque ad latera vnum. Ex ligamentorum autem transuersim
tendinibus obductorum, tendinesque ne sua sede declinent continentium numero, in
interna brachialis sede vnum continuum habetur. Iuxta brachialis radicem in externa
radii & vlnæ sede sex occurrunt. In anteriori tibiæ sede iuxta talum vnum obseruatur.
Tria inter calcem internumq; malleolum: vnum inter calcem & externum malleolum.
Insuper in interna inferiorive pedis digitorum sede huius etiam generis ligamenta vi-
dentur.

De partibus nutritioni famulantibus. CAP. XII.

COmmune omnium instrumentorum nutritioni seruientium inuolucrum Græcis,
Peritonæum. & Latinis ab iisdem mutuato nomine *peritonæum* dicitur. Sic autem nominatum est, B
quod iam dictis partibus omnibus circumtendatur. Neque certe simpliciter περιτόναιον,
περιτόναιος, & περιτόνιον tantum appellatur, sed a nonnullis tota hæc appellatio inditur περιτό-
ναιος ὑμὴν. A quibusdam autem περιτόναιος χιτών. Sunt, quibus etiam περιτόναιον σκέπασμα nomi-
natur. Arabibus Ziphac, & Zimphac nuncupatur. Est vero peritonæum *membrana te-
nuis, latis araneorum telis simillima, nullis fibris intertexta, oblongum oui instar vtrem referens, nu-
tritionisq; organa, ventriculum nimirum, intestina, omentum, mesenterium, iecur, lienem, renem,
vtranque vesicam, vterum, & vasa demum quæcunque inter septum transuersum, & crura sunt,*
Omentũ. *amplectens.* Omentum Græcis ἐπίπλοον & ἐπίπλουν, quod scilicet *ventriculo, & intestinis incum-
bat, & quasi innatet*, dictum, membrana est *nullis fibris implicita, simplexque, sed multis venis,
rteriis, & neruis abundans, marsurpiique aut sacculi, aut peræ imaginem referens.* Ab errabundo C
σαγήνη. autem venarum ductu, quæ funiculi ritu implicantur, Græcis alio nomine γαγγαμὼν & σα-
Reticulũ. γήνη, *vulgo rete & reticulum.* Mauritanis & nostræ ætatis, qui illorũ placita sectantur, Medi-
Pancreas. cis, *Zirbus* vocatur. Inferior omenti membrana posteriori ventriculi sedi substrata, pri-
uatim glandosum quoddam corpus impense magnum obtinet: quod in carnibus ru-
καλλίκρεας. bet, simplicisque carnis speciem quodam modo refert. Græcis καλλίκρεας, quod scilicet *e-
sui sit iucundum:* & πάγκρεας, quasi *totum carneum*, quod ex carne glandulosa contextum sit,
appellatur. In homine autem hoc corpus album magis, quam rubrum cernitur. Via,
quæ cibum in ore effractum, ac potum ad ventriculum defert, Græcis proprio nomine
οἰσοφάγος. οἰσοφάγος, communi autem, στόμαχος dicitur. Quippe Græci omnem angustum ductum,
ὁ στόμαχος. seu collum isthmi instar alicui ampliori ventri cauitatiue præpositum, στόμαχον nominant,
Gula. Latinis *gula*, Arabibus *Meri* appellatur. Cicero & Celsus stomachi vocem, pro gula vsur- D
pant. Porro vt stomachi gulæue cauitas semper humecta, ac velut vncta esset, glandulas
natura adiunxit, alias quidem ad fauces, stomacho & laryngi communes, quæ Græcis
παρίσθμια. παρίσθμια, Latinis tonsillæ, *vt suo fusius dicetur loco*, vocantur: alias binas in medio prope-
modum stomachi ductus connexuit. Ventriculus, qui Græcis γαστὴρ, & κοιλία dicitur, quod
Ventriculus. ab ore delatum est, concoquit, ac velut in lacteum succum insita facultate permutat, *vt
suo in loco plenius docebimus*, & tãdem per alterum ac inferius eius orificium, ex elatiore se-
πυλωρός. de dextri ipsius lateris exortum, ad intestina transmittit, vnde etiam Græcis πυλωρὸς, no-
Ianitor. bis autem *Ianitor* nuncupatur, Barbaris *Portonarius.* Duo enim sunt ventriculi orificia.
καρδία. Intestina. Vnum, quod iam dictum est. Alterum quod in fine gulæ ac elatiore ventriculi parte est, E
Duodenum. & Græcis καρδία, Latinis *superius ventriculi os* vocatur. Intestina, quæ Græcis ἔντερα dicun-
tur, bifariam diuiduntur, in gracilia nimirum & grassa. Gracilia tria sunt numero. Pri-
mum ab inferiori ventriculi orificio recta quodammodo eousque descendit, vbi inte-
stina in anfractus orbesque primum conuolui incipiunt. Hoc intestinum, quia duode-
num digitorum longitudinem in viro, vt plurimum, æquat, ideo Herophilo potissi-
mum, & aliis Græcis δωδεκαδάκτυλον, Latinis, *Duodenum* dictum est. Sunt qui non intesti-
ἔκφυσις. num, quod in nullos anfractus ducatur, sed ἔκφυσιν, id est, *exortum seu processum potius inte-
stinorum* appellant. Huic intestino meatus flauam bilem ad intestina deferens, implan-
tatur. Secũdum illic incipit, vbi primum in anfractus gyrosue conuoluitur, & νῆστις Græ-
Ieiunum. cis, *Ieiunum* Latinis, quod inter dissecandũ reliquis intestinis inanius, & magis vacuum F
Tenue. reperiatur, vocatur. Tertium Græcis λεπτὸν, Latinis *tenue* aut *gracile* nominatur. Hæc tria
Lactes. gracilia intestina, Plinio *lib. 11. c. 12. auctore*, in homine & oue *Lactes* nuncupantur. Cras-
Cæcum. sa itidem tria a nonnullis numerantur. Primum est, in quod tenuioris terminus ces-
sat, omnibus ceteris in homine breuius, atque arctissima omnium intestinorum parte
multo

A multo angustius strictiusque, & crassiori lumbrico in orbes conuoluto, potius quam intestino simile exsistit, vt appendicis verius, quam intestini loco haberi possit, & vno tantum ore donatur, ideoque Græcis τυφλὸν, Latinis *cæcum*, aliis, barbaris nimirum medicis, *monoculum* appellatur. Alterum est, quod a dextro ilio super dextrum renem sub iecoris cauo, dein secundum ventriculi fundum ad lienem properat, & hinc rursus super sinistrum renem versus pubem fertur, ac alium anfractum supra internam ossis ilium sedem faciens, ad sacri vsque initium prorepit. Hoc Græcis κῶλον, ἀπὸ τοῦ κολάζεσθαι, hoc est, a *torquendo*, appellatur. Quippe immensi in eo, vbi pituita aut crasso spiritu obstructum fuerit, dolores excitantur. Tertium, quod ab osse sacro ad anum vsque recta deorsum fertur, Græcis ἀπευθυσμένον, & ἀρχὸν, Latinis *longaon*, vel *longanon*, *Rectum*, *anus*, & *podex* nomi-

Colum. Rectum.

B natur. Ad posteriorem intestinorum sedem locatum est vinculum, dura membraneaque substantia constans, cuius beneficio intestina ad dorsum colligantur, quod Græcis μεσεντέρειον & μεσάραιον nominatur. Mesenterium quidem a situ, *quod in medio intestinorum situm sit, adeoque illa veluti vinculum quoddam complectatur*. Mesaræum vero, *a propria substantia ac venis, quæ eius centrum subeunt*. Siquidem venæ, quæ ex iecoris porta veniunt, in eo coeunt, illisque iecur veluti manibus, quæ ei cibum ex ventriculo afferunt, vtitur, ideoque mesaræ, mesenteriacæ, & vulgo mesaraicæ vocantur. Viscus quod venarum omnium principium ac sanguinis officina est, in dextra hypochondriorum sede locatum, Græcis ἧπαρ, Latinis *iecur* appellatur. Hoc canibus, ac præsertim porcis, in quinas magna ex parte, nonnunquam in sex, aut quatuor diductum est magnas fibras, quas

Mesenterium. Venæ mesenteriacæ. Iecur. Fibræ iecoris.

C λόβους Græci nuncupant. Hominibus vero in tot & tam magnas fibras non discinditur, sed vnicum continuumque præcipua ipsius substantia corpus est. In caua iecoris parte vesica flauæ bilis conceptaculum, κύστιν χοληδόχον Græci nominant, sedem obtinet. Nonnulli *bilis folliculum*, *vesicam fellis*, & *vesicam bilis susceptricem* vocant. Meatus quo vesicula bilem allicit, rursusque alio depellit, πόρος χοληδόχος Græcis appellatur. Ceruix enim vesiculæ paulatim in angustum desinit meatum, qui in duos partitur processus, hunc quidem sursum, illum autem deorsum porrigens. Qui sursum fertur, iterum in duas digeritur propagines, quæ singulæ in ipso iecore rursus in alios surculos, & hi denuo in alios tantisper digeruntur, donec innumeram ramorum constituant seriem per iecoris corpus inter portæ venæ ramos & cauæ propagines diffusam. At processus meatus vesicu-

Vesica bilis. Meatus excipiendæ & emittendæ bili paratus.

D læ, qui deorsum porrigitur, inferiori membrana omenti suffultus, parumper oblique deorsum properat, ac duodeno intestino non procul a ieiuni principio implantatur. Hic expulsam e vesicula bilem ad intestina defert.

Meatus bilis duodeno infertus.

In cauo præterea iecoris series venarum, grandem & impense amplam constituunt venam, quæ Græcis στελεχιαῖα, Latinis *caudex* seu *truncum* referens, & nonnullis πύλη, id est, *porta* nominatur, quod per hanc veluti portam aliquam cremor in ventriculo & intestinis elaboratus, iecori inuehatur. Hæc ad eum modum in multos venarum surculos digeritur. Primum duos exiguos ramulos vesiculæ flauam bilem recipienti distribuit. Dein ventriculi posteriori sedi circa humilius eius orificium, ramum transmittit. Inde ventriculi fundi dextræ parti ramus offertur. A quo ramuli in ventriculum,

Venæ portæ. Venæ portæ extra iecur distributio.

E & superiorem omenti membranam sparguntur. Post in duos grandes partitur truncos, quorum alterum, qui dexter & grandior, humiliorque est, totum fere per mesenterium varie digestum intestinis offert, prius duodeno, & ieiuni initio, ramum exhibens. Sinister truncus inferiori omenti membrana intextus, ventriculi posteriori sedi paruam offert propaginem. Dein etiam omenti inferiori membranæ, mox glandulis, postea secundum posteriora ventriculi ramus ab illo ascendit, ventriculi dorsi medium spectanti sedi surculos primum exporrigens, & coronæ ritu superius ventriculi orificium amplectens, a quo præter propagines deorsum sursumque depromtas, vnus secundum posteriora ventriculi ad inferius eiusdem orificium prorepit. Ipse autem sinister portæ caudicis truncus sinistrorsum semper tendens, insignem hic

F quoque promit venam, omento, ac colo intestino implicitam. Ille vero in varios sectus surculos, & sobolem adhuc humiliori omenti membranæ spargens, lienis cauo inseritur, ab ipsius propaginibus antea, quam lienem subeant, ventriculi sinistro lateri ramulos offerens. Inter quos insignis occurrit, qui fundum ventriculi in sinistra sede perreptans, ventriculo & superiori membranæ omenti soboles deriuat. Postquam

ſiniſter portæ truncus commemoratus produxit propagines, ad lienem tranſuerſim accedens in duos ramos ſecatur, qui rurſus in alios partiuntur, atque ii tantiſper in alios dirimuntur, quouſque numeroſa ramorum ſerie in cauam ſimamue lienis ſedem recta linea ſecundum totam lienis longitudinem, inferiori omenti membrana perpetuo ſuffulti, implantentur, atque infinita ſobole venulas perquam graciles, inuicemque implexas, per vniuerſum lienis corpus digerant. A

Caua vena.

Ceterum, vt ex concaua iecoris ſede exiguæ venularum propagines prodeuntes, venæ portæ caudicem conſtituunt: ita quoque ex gibba ipſius ſede innumeræ venularum ſoboles exortæ in vnam coeunt venam, quæ ab inſigni amplitudine Græcis *κοίλη*, Latinis *caua* nuncupatur. Hæc per poſteriorem iecoris ſedem deorſum prorepens, illico ramum ex ſiniſtro latere in pinguem membraneamque ſiniſtri renis tunicam promit. B Dein caua vena ab vtroque latere ampliſſimam propaginem in renes diſtribuit, dextram quidem dextro reni, ſiniſtram autem ſiniſtro deriuans. Hæ ſeroſam aqueamue ex ſanguine humiditatem trahunt, ac veluti emulgent, ideo vulgo *emulgentes* nominantur. Ab humiliori ſede eius venæ, quæ ſiniſtrum renem petit iuxta ductus ipſius fere medium, vena in viris pronaſcitur, quæ in ſiniſtrum teſtem excurrit, *ſeminaliſque* ſiniſtra vocatur. Vena autem dextrum teſtem accedens, non a vena in dextrum renem protenſa originem ſumit, ſed a cauæ caudice aliquanto demiſſius, quam venæ renibus exporrectæ principium ducit. In mulieribus alia eſt harum venarum diſtributio, *quemadmodum alibi copioſe monſtrauimus.* Porro vbi caua vena vertebris lumborum innititur, geniculatim illis propagines dat in muſculos proximos, & ad abdominis vſque latera abſumendas. C Atque harum illæ ſunt præcipuæ, quæ a caua inibi pronaſcuntur, qua ſupra oſſis ſacri ad lumborum vertebras nexum, in duos æquales ſcinditur truncos, quorum ſiniſter, perinde ac dexter ſurculos quoſdam oſſis ſacri foraminibus offert: & in duos partitur ramos, quorum interior propaginem mittit in muſculos exhauriendam, qui oſſis ilium, & ſacri poſteriorem ſedem occupant: & aliam deriuat in veſicam, & penem, & mulieribus in vterum multiplici ſobole pertinentem. Quod reliquum eius rami eſt, ab externo ramo portiunculam aſſumens, per pubis oſſis foramen in femur ducitur, cuti & muſculis interna femoris occupantibus ſurculos exhibens, & ante genu articulum ceſſans, ſuoque termino cum alterius crus petentis venæ ramo, *vt mox dicemus*, coiens. Exterior namque ramus ſiniſtri cauæ trunci per inguina femur aditurus peritonæo propaginem offert, in inferiorem abdominis ſedem ad vmbilicum vſque abſumẽdam: in femur vero procidens pubis cuti, & pudendi muliebris ſobolem porrigit. D Verum inſignem venam per femoris, & genu, & tibiæ interiora, ſub cute ad pedis vſq; digitorum ſummum diffundit, in progreſſu ſparſim cuti ramuſculos depromentem. Aliam quoq; ſub cute ad coxendicis articuli anteriora deriuat. Ipſe autem penitus inter muſculos ſubmerſus, propaginem communicat muſculis, & cuti in externa femoris ſede locatis, & aliam offert muſculis internam, anterioremque femoris ſedem ſibi vindicantibus. Atque cum hac propagine extremum venæ eius coit, quæ per pubis oſſis foramen deſcenderat. Hinc grandis vena ſecundum femoris poſteriora retorquetur, propagines eius ſedis muſculis communicans, a quibus ramuli in cutem pertinent, tum ſurſum, tum deorſum ad ſuram vſque excurrentes. E Inter inferiora vero femoris capita grandis hæc vena in duos ſciſſa truncos, minorem exterioremque verſus fibulam deriuat, a quo præter ſoboles anteriorem genu ſedem petentes, ramus diſcinditur, ſub cute externam tibiæ ſedem verſus poſteriora obtegente, ad digitorum pedis vſque ſuperiora diſſectus. Quod vero reliquum altius inter muſculos externę fibulę ſedi attenſos occultatum eſt, vltra tibiæ longitudinis medium properat. Interior autem truncus inſigniter amplus, ramum diſpenſat ſecundum internam tibiæ ſedem verſus poſteriora ſub cute ad pedis vſque digitos diſperſum. Deinde alium depromit, per ſuram nonnihil reconditum, ad calcem vſq; pertingentem. Quod vero huius trunci præcipuum eſt, muſculos poſteriorem tibiæ ſedem occupantes ſubit, & ab anteriore ipſius regione ramum per ligamentum membraneum demittit, fibulam tibiæ alligans: atq; is ſub anterioribus tibiam integentibus muſculis abſconditus, ad pedis vſque ſuperiora pertingit. F Ipſa vero vena ſecundum poſteriora deſcendens, & hincinde cuti, & conterminis muſculis ramulos offerens, tandem inter calcem & tibiam pedis inferiora ſubit, inibi in *muſculos*, & digitos

Venæ cauæ infra iecur conſiſtentis diſtributio.
Emulgentes venæ.
Seminalis ſiniſtra.
Dextra.

in

A in eum modum distributa, vt duæ soboles singulis offerantur. Porro venæ cauæ pars, quæ supra iecur consistit, ita se habet. Sursum ascendens, ac septum transuersum cum cordis inuolucro perforans, duas propagines septo largitur, per vniuersam septi sedem multiplici serie excurrentes. Ad dextram cordis autem caua, ampliori orificio in dextrum cordis ventriculum dehiscit, quam cauæ orbicularis amplitudo vspiam visitur. A posteriori eius implantationis sede vena prodit cordis basim coronæ modo cingens, quæ ob id Græcis στεφανιαῖα, Latinis *coronalis* dicitur: & ab inferiori ipsius sede ramos deorsum per cordis superficiem digerens. Caua a corde sursum conscendens, ac cordis inuolucrum inibi prætergressa, venam promit, quam Greci, eo quod coniuge priuatur, neque in altero latere parem asciscit a caua propaginem, ἄζυγον, Latini *venam absque con-*
B *iuge, & paris expertam*, nominant. Ab hac vena vtrinque geniculatim pullulant propagines, singulæ ad vnum nouem costarum inferiorum interuallum perreptantes. In iugulo autem tota bipartito scinditur, ab ipsius anteriori sede pectoris ossi, & intersepientibus thoracem membranis venas offerens, abdominis superiora perreptantes. A radice vero alterius trunci factæ modo in iugulo bipartitionis, insignis deriuatur vena, super primam costam in axillam procurrens, sed prius in thoracis cauitate ramum promens, in tria superiora sui lateris costarum interualla absumendum, & alium in posteriora thoracis iuxta ceruicis radicem sparsum. Præsens vena thoracem egressa, interdum hic *humerariam, cephalicam* nostri nominant, venam, & ramum musculis anteriori thoracis sedi instratis: alium posteriori sedi thoracis, & cauo scapulæ, & lateri thoracis
C alium digerit, in axillam festinans. Trunci autem in iugulo factæ bipartitionis reliquum, in duos impares ramos discinditur, & horum *interior*, graciliorque internam iugularem constituens venam, duabus propaginibus duram cerebri membranam adeuntibus, caluariam subit. *Exterior* vero ab externo latere propaginem, ex qua humeralis vena constituitur deducens, sursum conscendit, superficiariam efformans iugularem varie ad fauces vsque excurrentem, & in linguam, laryngem, palatum, faciem, tempora, & verticem distributam, tribusque venis caluariam ingredientem. *Humeraria* vero priusquam sub clauicula, & summo humero in brachium fertur, ramum posteriori ceruicis sedi, & alium scapulæ gibbo, & alium summi humeri superiori sedi exporrigit, & secundum exterius latus musculi cubitum flectentium anterioris sub cute prorepens,
D surculosque graciles cuti depromens, supra cubiti articulum dissecta, aliquando vnum ramum penitius latentem, & mox absumtum, ad cubiti articulum defert. *Alium* sub cute oblique ad cubiti flexus medium cum axillaris venæ ramo coiturum, communemque venam constituturum. *Tertium* sub cute secundum radium in posteriora cubiti, ac tandem ad brachialis radicem iuxta vlnæ extremum mittit, qui axillaris propagini inibi commistus, parui, & anularis digitorum exteriora conscendit. *Axillaris* in axilla latitans, & cuti anteriorem brachii sedem versus interiora inuestienti ramum offerens, surculum præbet capitibus musculorum cubitum extendentium, & alium illorum mediæ propemodum longitudini, dein aliam propaginem cum quarto brachium petente neruo secundum brachii posteriora ad cubiti vsque exteriora ablegat. Mox in duas
E secta venas: toto prorsus ductu venam in profundo submersam, ac arteria semper comitatam, per cubiti articuli flexus medium deducit, quę ante cubiti longitudinis medium in duas secta propagines, vnam secundum radium, alteram secundum vlnam versus brachiales porrigit. Et hæc rursus in surculos diremta, in internam digitorum sedem ita digeritur, vt singulis digitis duæ offerantur soboles, & surculus quidam inter pollicis primum internodium & postbrachialis os indicem sustinens, ad manus externam sedem pertingat. *Altera* vero *vena* sub cute semper exporrecta iuxta cubiti articulum in duos partitur ramos, quorum alter oblique versus cubiti articuli flexum contendens, cum humeralis ramo commiscetur, simul cum illo communem efformans venã, quam vulgus medicorum *medianam*, & *nigram* vocat: quæ duabus illis mediis venis constituta
F oblique deorsum repens, radiumque tandem conscendens, in externa cubiti sede instar Y literæ in duas discinditur soboles: quarum altera medii digiti potissimum externam sedem petit: altera vero pollici & indici offertur, surculum in internam manus sedem spargens, ramulis montem Veneris implicantibus commiscendum. At alter axillaris iuxta cubiti articulum factæ diuisionis ramus, varias propagines in cubiti internã

Venæ cauæ supra iecur consistentis distributio.

Coronalis vena.

Vena paris aut cõiugis expers.

Cauę caudicis in iugulo bipartitio.

Humeraria.

Iugularis interna.
Externa.

Humeralis distributio.

Axillaris series.

Communis vena.
Mediana.
Nigra.

ſedem deponit, quibus crebro vena accedit, ab altero venam communem conſtituentium ramo, quem axillaris porrigebat enata. Hę propagines admodum varie modo coeuntes, modo rurſus inuicem direptæ, ac internam cubiti ſedis cutem implicantes, tandem in internam manus cutem prorepunt. Ceterum inſignior eius rami propago vlnæ exporrecta, & in cubiti exteriora etiam ſurculos promens, iuxta brachialis radicem humerariæ ramo commiſcetur, ad paruum digitum & anularem contendenti, qui Arabibus aliquot ac barbaris *Syelen*, & *Saluatella* nominatur. Pleniorem venarum hiſtoriam reperies *libro 3. anatomes*. Ad ſiniſtram ventriculi ſedem ſecundum inferiora magis ac poſteriora viſcus conſiſtit, quod Græcis σπλὴν, Latinis *Lien* vocatur, ac lutoſi & fæculenti ſanguinis in iecore confecti eſt receptaculum. Ceterum ſanguinem in cauam venam ex iecore miſſum, ſeroſa & aquea humiditate purgant colantque renes, Græcis νεφροὶ dicti, qui numero bini ſunt, & iecori quam fieri potuit, proxime allocati. A quei excrementi receptaculum natura veſicam, quæ Græcis κύστις & κύστη dicitur, creauit. Hoc vtique excrementum vrinam vocant, & a duobus meatibus, qui Græcis οὐρητῆρες, Latinis *vrinarii* nominantur, in veſicam defertur.

[Margin: Saluatella. Lien. Veſica. A B]

De instrumentis propagandæ ſpeciei famulantibus. CAP. XIII.

INter inſtrumenta generationi ſeruientia in viro teſtes primum occurrunt, qui Græcis ὄρχεις vocantur, & quod gemini ſint, δίδυμοι. Quanquam interdum vnus tantum nonnunquam etiam tres reperiantur. Teſtes autem pluribus inuolucris ſeu tunicis integuntur: ac aliis quidem vtrique teſti communibus, aliis autem priuatim ſingulos teſtes inuoluentibus. Duo enim vtriſque teſtibus communia ſunt inuolucra. Cutis quidem vnum effingit, quod reliqua corporis cute tenuius eſt, & veluti ſutura quadam, rugiſque interſtinguitur, Græciſque ὄσχεον, *ſcrotum* Latinis, & a nonnullis, tranſpoſitione literarum, *ſcortum* nominatur. Alterum vero commune inuolucrum, membrana carnoſa efformat. Vtrunque autem teſtem priuatim inuoluentes tunicæ duæ ſunt. Vna exterior, valida quidem, ſed tenuis, veniſque abundans. Hæc Græcis ἐρυτροειδὴς priuatim appellatur, quod ſcilicet velaminis, ſeu putaminis vaginæue formam habeat. Atticorum enim more ρ pro λ ponitur, vt idem valeat quod ἐλυτροειδὴς. Quæ vtique vox ἀπὸ τοῦ ἔλυτρου, quod *velamen, receptaculum, & putamen* ſignificat, & εἶδος, quod ſpeciem denotat, deducta eſt. Si quis tamen mauult apud Galenum legere ἐρυθροειδῆ, ad muſculum illi inuolucro adnatum referat, oportet. Is enim cum ruber ſit, vt reliqua caro, illi inuolucro aliquem ruborem conciliat. Altera intima teſtis tunica, dura, craſſa, & valida admodum eſt, teſtis ſubſtantiam vtrinque mollem & ſequacem inuoluens, Græciſque veteribus δαρτὸς vocatur. Primi autem anatomes profeſſores, qui teſtem δίδυμον nominauerunt, hanc quoque tunicam ἐπιδιδυμίδα, id eſt, *ſuperteſtem*: huic enim innititur, ac proximis incumbit, appellarunt. Et haud dubie Galenus caput teſtis, nihil aliud præter elatiorem huius intimæ teſtis tunicæ partem, nuncupauit.

[Margin: Teſtes. Teſtium tunicæ. Cōmunes. Scrotum. Priuatæ. Exterior ἐρυτροειδής. Intima teſtis tunica. δαρτός. ἐπιδιδυμίς. C D]

Ad ſingulos teſtes ſingulæ pertingunt venæ, & arteriæ ortu differentes, quæ medicis ſeminariæ nominantur. Vena *dextrum* accedens teſtem, a cauæ venæ caudicis anteriori ſede, ſub venarum in renes exporrectarũ exortu, pronaſcitur. *Siniſtri* vero teſtis vena ab humiliori ſede venæ ſiniſtrum renem adeuntis principium ducit. Vtræque autem arteriæ humilius, quam dextrum teſtem petentis venæ principium conſiſtit e directo, & ſibi proxime ex elatioris anterioriſue magnæ arteriæ ſedis medio promuntur. Simul atque vero prædicta vaſa peritonæi foramen ſuperarunt, ex dextro quodam modo latere, rurſus oblique deorſum in ſiniſtra ad dextri teſtis elatiorem ſedem ducuntur, arteria non amplius venæ duntaxat, vt in reliquo proceſſu accumbit, fibriſque membraneis tantum connectitur, ſed varia quadam peculiarique ratione vena cum arteria coit, & ambæ inuicem commiſcentur, corpuſque vnum pyramidis anterius poſteriuſque depreſſa inſtar efformant, cuius quidem conum vaſa, vbi primum inuicem permiſcentur, efficiunt, baſin vero ea ſede, qua elatiori teſtis parti committuntur. Per vniuerſum hoc corpus ramorum myriades inuicem complexi obſeruantur, non quidem omnes recta deorſum procedentes, ſed alii partim recta, partim orbiculatim, partim tranſuerſim, alii alio modo implicantur. Quapropter, cum corpus hoc multas varices exprimat, ideo veteres anatomici illud κιρσοειδῆ παραστάτην, quaſi *varicoſum ad teſtis aſſiſtentem* diceres, appellarunt. Ad externum varicoſi illius corporis

[Margin: Vaſa ſeminaria. Vena dextra. Siniſtra. Arteriæ. κιρσοειδὴς παραστάτης. E F]

A corporis latus, qua testi applantatur, aliud corpus album, & durioris nerui modo durum, extimæ testis tunicæ adnascitur, hincque incipit. Hoc exterius qua testi non committitur gibbum, & quodam modo teres est: qua vero tunicæ illi connatum est, secundum connexum testis cauum exsistit. Per totum autem ductum, quo testis tunicæ corpus id nectitur, propemodum æqualiter crassum, eiusdemque figuræ est, quam compacto vitis, aut cucurbitæ capreolo assimilare queas. Quanquam non in orbem, sed velut in latera huius corporis reuolutiones fiant, ad eum fere modum, quo angues, & anguillas ocyus repere cernimus. Huius namque corporis anfractus & inuolutiones admodum inuicem continuæ & connatæ conspiciuntur, vt lignorum vermibus eas assimilare integrum sit. Hoc vas sursum ad magnam peritonæi cauitatem via conscendens, qua seminalis vena & arteria descenderunt, nerui cuiusdam modo teres efficitur; & deorsum ad pubis os reflexum, posteriorem vesicæ sedem accedit, ad quam vas a sinistro teste deferens etiam properat, quod dextro vasi vnitum, simul cum illo in vesicæ ceruicis radicem inter glandulosum corpus ceruici obnatum, quod Herophilus ἀδενοειδῆ παραστάτην nominauit, inseritur, communisque semini & vrinæ meatus consurgit, qui deorsum modice ductus, denuo sursum ad pubis ossium commissuram foris reflectitur, corporibus penem efformantibus subnatus. Prodit enim vtrinque a pubis osse vnum nerueum teresque corpus, quod intus impense fungosum, ac crasso sanguine plenum cernitur. Vtrunque simul connatum vnitumque, penem, qui καυλὸς, Latinis *coles, penis, mentula, virga, & pudendum virile* vocatur, constituit. Eius certe substan-

Vas semē a teste ad vesicæ ceruicem deferens.

B (beside "scendens, qua seminalis vena…")

Glandosum corpus vasorū semen deferentium insertionem excipiens.

C tiæ beneficio, quum penis semen in vterum missurus est, erigi, augerique aptus est: alias quum nullus suæ proceritatis vsus est, flaccidus & gracilis exsistit. Hinc est, quod natura ipsum ita fabrefecerit, vt spiritu impletus, erigi, producique, & insigniter turgere possit, & rursus eodem spiritu dissoluto arctari, concidere, flaccescere, & breuior fieri. Penis ad commodum Veneris vsum summa sua parte & apice glandis modo tumet. Hinc Græcis βάλανος, & Latinis *Glans* appellatur & retegi. Cute quoq;, qua tegi queat, decoratur, quæ Gæcis πόσθη, Latinis *præputium* dicitur. Inferior autem penis per eius longitudinem vergens, & suturæ modo protuberans linea Græcis ῥαφὴ, Latinis *sutura* nominatur. Totam exporrectam extuberantemque ad anum vsque penis partem, Græci ταῦρον, Latini taurum nuncupant. Spatium inter testium inuolucrum, quod

Penis substantia. καυλὸς. βάλανος. Glans. πόσθη. Præputiū. ῥαφὴ. Taurus.

D *scrotum* nominatur, & anum conspicuum, Græcis περίναιον, *interfeminium* Latinis dicitur. Porro mulier sibi vterum vendicat, semini excipiendo, fœtuique continendo dedicatum, qui Græcis μήτρα καὶ ὑστέρα nominatur. Hic inter vesicam & rectum intestinum situs est, ac in fundum & ceruicem distinguitur. Fundi forma non prorsus rotunda, verum anterius posteriusque depressa, superius obtusa, & duos, vtrinque videlicet vnum, retusos ostendens angulos, quos Herophilus, oportunissime iam nascentibus boum cornibus assimilans, κέρατα & κεραίας appellauit. Quemadmodum enim, vitulorum capita vtrinque, qua pronascentur cornua, extuberant: ita etiam superior vteri pars vtrobique veluti in duos obtusos, vt diximus, angulos desinit, qui reuera veteribus anatomicis cornuum vice habiti sunt, vasorumque semen muliebre deferentium insertio-

Interfeminеum. Vterus. μήτρα. Cornua.

E nem recipiunt. Fundi simplex est sinus semen genitale suscipiens, fœtumque continens. In non prægnantibus viscido quodam & subalbo muco illitus, & læuis, & inconspicua propemodum sutura seu extuberantiori linea interstinctus. Hinc in orificium desinit, glandis penis modo in vteri ceruicis amplitudinem prominens. Ceruix vteri teres est, & in iis, quæ in vtero haud gerunt, alias non distensa, non multo minus ipso fundo ampla. In extremo ceruicis ore, vbi concidua labra rimam relinquunt, vtrinque vna prominens cuticularis coriaceaue caruncula, sed tenuis, & ex longa basi in mucronem desinens, Græcis νύμφη, μύρτον, ἐπιδερρὶς, & κλειτορὶς nominatur. Vteri lateribus, vtrinque vnus accumbit testis, non prægnantibus quidem paulo elatius, quam fundi superior pars consistit. Vtero autem gerentibus eandem certe sedem occupant. Ad hos vasa se-

Fundi vteri sinus. Vteri os. Ceruix. νύμφη. Testes muliebres.

F minaria, eodem prorsus modo, atque in viris, pertingunt. Verum hic id priuatim accidit, quod media tantum seminariæ venæ arteriæque pars testi offeratur, altera vteri fundum implicante. Vas semen tenue & impense aquosum paucumque a muliebri teste deferens, in obtusum sui lateris vteri angulum inseritur. Oscula vasorum ex vtero in secundam venientium Hippoc. & Galenus κοτυληδόνας, Latini *acetabula*, quod scili-

Vasa seminaria muliebria. Acetabula.

Tunicæ fœtum tegentes. Prima.

eet hæc vasa ab vteri finibus porrigantur, vocarunt. Ceterum fœtus, qui ex vtriusq;, fœminæ scilicet ac maris, semine procreatur, in vtero tribus inuolucris seu membranis integitur. Prima & extima χόριον Græcis, *Secunda* Latinis, & aliis *secundina* dicta, fœtum instar latioris tantum cinguli ambit. Haudquaquam enim superiorem, vti neq; etiam inferiorem fœtus partem contingit, sed tantum ita se habet, ac si quis a mucronata pectoris ossis cartilagine ad elatissimam vsq; ilium ossium sedem fascia impense laxa scinderetur. Insigniter crassa est, & lienis modo nigricans, quod vtero connatum, vasa in vterũ pertinentia excipit: quo illa in ipso postmodum collecta, duabus venis, & totidem arteriis in vmbilicum inserantur, & vna tandem vena iecori, duæ autem arteriæ grandis arteriæ propaginib. per pubis ossiũ foramina descensuris offerantur. Secũda fœtus membrana a farciminis imagine, quam refert, ἀλλαντοειδὴς appellatur. Fœtum vniuersum complectitur, venulis quibusdam & arteriis intertextum. Inter hoc & tertium inuolucrum fœtus vrina colligitur, quæ peculiari meatu, quem οὐραχὸν vocant, ex elatiori fœtus vesicæ fundi regione per vmbilicum in hanc amplitudinem perfertur, in hoc a natura formatus, ne vrina cuti eiusdem circumfusa, sua acrimonia & mordacitate obsit. *Tertia* fœtus tunica tenuissima est membrana, vnde ἄμνιος, quasi *agnina*, a mollitie & teneritudine agnellorum Græcis dicta est, alba quemadmodum & secunda, venulisque ac arteriis implicita, fœtui proxime & vndecunque obducta. Hæc fœtus sudorem inter se & fœtus cutem subflaua quadam ac lutosa substantia obductã asseruat, qui ante partum non minus, quam fœtus vrina profluens vteri ceruicem irrigãdo, fœtui faciliorem exitũ parat.

Altera. οὐραχὸς. Tertia. ἄμνιος.

Mammæ.

Fœtus in lucem editus lac familiare ipsius alimentum e mamillis, quas Græcis μαστοὺς, τιτθοὺς καὶ τίτθια nominant, a nemine edoctus sugit. Hæc ad ossis pectoris latera in thorace sibi sedem vendicant, & papilla, quæ θηλὴ Græcis vocatur, ornantur. Ceterum mamillæ glandoso corpore insita vi sanguinem per venas ipsi adductum in lac conuertente exstruuntur. Cutis mamillarum, quæ orbiculatim ad papillam nigricat, circulumque constituit, φῶς Græcis appellatur.

φῶς.

De corde & instrumentis ipsius functionibus ministrantibus. CAP. XIV.

ὑποζωκώς. Succingẽs

INter partes, quæ vitali spiritui ministrant, & intra thoracem sitæ sunt, primum sibi vendicat locum, tunica membranaue, quę Græcis ὑποζωκὼς, Latinis *succingens*, quod nimirum omnibus costis, demta duodecima, quæ a septi transuersi implantatione occupata est, ab interiori parte subtensa sit, ac vniuersam thoracis cauitatem succingat, sublinatque nominatur. Vulgus *pleuram* vocat. Ex hac nascuntur duæ aliæ membranæ, vtrinque singulæ secundum thoracis longitudinem procedentes, ac in duas præcipuas amplitudines eam distinguentes. Hic Græcis διαφράττοντες, Latinis *intercipientes* & *intersepientes*, vulgo *mediastinum* nuncupatur. Fistula, quæ a faucibus per collum deorsum in pulmonis vsque substantiam digeritur ac protenditur, Græcis βρόγχος & ἀρτηρία simpliciter, quod aerem contineat, primum est appellata. Temporis vero progressu, quum & vasa vitalem spiritum sanguinemque continentia, arteriæ etiam nomine donata sunt, hæ quidem leues arteriæ, illa vero τραχεῖα, hoc est, *aspera*, ab inæquali, qua constat substantia, nuncupata est. Caput huius arteriæ Græcis λάρυγξ, Latinis *guttur* nominatur, φάρυγξ autem, hoc est, *fauces*, Galeno teste *spatium oris internum, quod gulæ ac gutturi præiacet*, dicitur. Vniuersum itaque spatium, quod in profunditate ab interna mentis sede ad ceruicis vsque vertebras pertingit, in latitudine vero quicquid inter dextram inferioris maxillæ partem & sinistram habetur faucium nomine complectitur. Idem locus Galeno *3. apho. Com. 26. teste*, Græcis ἰσθμὸς, ab angustia dictus est: *quod scilicet nulla in vniuerso corpore sit regio æque angusta, & tot organis donata.* Triplex in faucibus glandularum genus reperitur. Sunt enim glandulæ alterutra parte singulæ ad radicem laryngis adnatæ, magnæ & fungosæ admodum, carnisque propemodum coloris, sed magis nigricantes. Deinde in spatio, quod nobis hiantibus medium inter narium foramina & laryngem apparet, vtrinque in lateribus vna reponitur glandula vtcunque insignis, & impensius fungosa in hocque propria, vt saliuam procreet, ac asperam arteriam, & stomachum quoque cum tota oris amplitudine humectet. Has glandulas Græci παρίσθμια, & ἀντιάδες, Latini *tonsillas*, barbari *amygdalas*, quod nimirum amygdalis assimilentur, appellant. Græci tamen, *vt libro 3. de sympto. caussis, cap. 11.* testis est Galenus, harum glandularum etiam inflammationes ἀντιάδες, partium vero illis adiacentium phlegmonas,

διαφράττοντες. Mediastinum. Læuis arteria. Aspera. Λάρυγξ. Guttur. φάρυγξ. Fauces. ἰσθμός. Glandulæ faucium. παρίσθμια Tonsillæ.

A phlegmonas, παρίσθμια nuncupant. Tertium genus, inguinū, & axillarum glandibus re-
ſpondens, ſub aurium radicibus, & vniuerſo ſpatio inferiori maxilla conſcripto conti-
netur, & cauitates omnes exquiſite implet. Hoc genus nullo peculiari nomine dona- Columella.
tum eſt. In externa oris & palati parte, vbi narium foramina ad os deſcendant, carnoſa
& fungoſa quædam particula in oris amplitudinem propendula ſuperius, vbi palato cō-
tinuatur, latior, inferius pyramidis inſtar acutior apparet, quę veteribus Græcis γαργαρεὼν, γαργαρεὼν.
hoc eſt, *gurgulio* dicta eſt. Quia vero inſtar columnæ extenſa eſt, ideo poſterioribus Grę-
cis κίων, Latinis *columella*, Barbaris *vuula* nominatur. Quum vero inſtar vuæ ſuperius an- κίων.
guſta, inferius autem ſphæræ modo rotunda aliquando, vbi phlegmone corripitur,
propendet, *vt libr. 6. de compoſ. medica. localium, cap. 3.* auctor eſt Galenus, σταφυλὴ appella- σταφυλὴ
B tur. Pulmo qui Græcis πνεύμων dicitur, quatuor fibris, quas Græci λόβους vocant, magna ex Pulmo. Fibræ pulmonis 4.
parte diſtinguitur. Ex vtraque enim parte duas habet. Membrana, quæ vniuerſum cor
cum ſuis auriculis, ac vaſorum initiis veluti arcula aut theca cooperit, Græcis περικάρδιον, περικάρδιον.
Latinis *inuolucrum & caſula*, vulgo *capſula*, quod veluti domus quædam cordis ſit, nuncu- Cor.
patur. Cor autem, quod Græcis, καρδία dicitur, in homine ſua baſi, quæ ipſius nobiliſſi-
ma pars eſt, cum vaſorum ſit origo, exacte vt in reliquis animantibus dextræ ſiniſtræ-
que ſedis medium obtinet. Vtraque ad baſim ipſius parte appendices obtinet, quas diſ- Auriculæ cordis.
ſectionum periti auriculas nominant, quod aurium proprie dictarum ſimilitudinem Cordis ſinus duo.
referant. Humanum cor intus duas inſigniter amplas cauitates, quas Græci κοιλίας, La-
tini *ſinus ventriculoſue* appellant in cordis lateribus ſitas habet, vnam dextram, alteram
C ſiniſtram. Dextra quidem ſiniſtræ amplitudinem vincit, ambæque forma plurimum
variant. Dextra enim magis deorſum ad cordis mucronem, quam ſiniſtra deſcendens,
cauitatem inſtar creſcentis lunæ paratam adipiſcitur. Siniſtra vero ampla etiam baſi in-
cipit, ſenſimq; in arctum verſus cordis mucronem deſinit, cauitatē inſtar coni obtinēs.
Vtriuſq; cauitatis ſuperficies perquam inæqualis eſt, & multis quaſi foueis in carneam
ſubſtātiam penitius impreſſis ſcatet. Ex iis foueis nullæ, quod ſenſu ſaltem cōprehendi
liceat, ex dextro ſinu in ſiniſtrū penetrant, adeo ſane, vt mirifica Dei induſtria per mea-
tus viſum effugientes ex dextro in ſiniſtrum ſanguis reſudet. Ceterū quatuor ſunt cor- Cordis vaſa quatuor.
dis vaſa in vtroque ſinu bina, *vena nimirum caua, vena arterialis, arteria venalis, & arteria ma-*
gna. In dextrum enim latus baſis dextri ventriculi ad humiliorem eiuſdem baſis ſedem Vena caua.
D vena caua amplo patentique orificio ingreditur, atque ex iecinore ſanguinem defert,
vt vena caua primum cordis vas ſit. Ex eodem ſinu egreditur aliud vas, quod vena arte- Vena arterioſa.
rioſa nuncupatur, & ſanguinem ex iam dicto ſinu in pulmonem defert. Venam autē ab
vſu appellarūt, quod venæ ſcil. vſum gerat. Arterialem vero, *quod arteriæ corpus, duplicem-*
que tunicam nacta ſit. Siniſtro cordis ventriculo vas tertium, quod arteriam venoſam no- Arteria venoſa.
minant, inſeritur, & ex pulmone aerem cordi communicat, fuliginoſaq; cordis excre-
menta educit. Arteria vero ab vſu, quod ſcilicet aerem continet, deducitque, dicta eſt.
A ſubſtantia autem venoſa, quod venarum corpori reſpondeat, & vnicam tantum tu-
nicam habeat, nominata eſt. *Quartum* vas magna eſt arteria, ἀορτὴ Ariſtoteli vocata. Nō- Magna arteria.
nulli Græcorum μεγίστην, alii παχεῖαν, alii ὀρθὴν appellant. Ex dextro elatiſſimæ ſiniſtri ventri-
E culi ſedis latere enaſcitur, aliquouſque recta ſurſum ſub venæ arterioſæ caudice tantiſ-
per prorepens, donec, cordis inuolucrum permeans, in duos ſcindatur ramos, quorum
vnus corporis ſuperiora, alter inferiora petit, *de quibus paulo poſt dicemus*, vbi prius mem-
branarum cordis numerū expoſuerimus. Membranę autem cordis, non ſunt, niſi cor- Membranæ cordis.
pora, quæ cordis vaſorum radicibus, ipſorumque exortibus adnata, colore, ſubſtantia,
craſſitie prorſus membranæ exſiſtunt, materierum regurgitationib. præfixæ. Sunt aūt
omnes cordis membranæ numero vndecim, ac tres quidem ſingulis trium vaſorum o-
rificiis, duæ autem duntaxat vni tertioq; adnaſcuntur. Caua vena ſeu primum dextri Cauæ venæ.
ventriculi vas, tres membranas obtinet, quæ quia quū clauduntur & inuicem conniuēt,
ſpiculorum ſulcis ſtructura quam ſimillimæ ſunt, Græcis τριγλώχινες, quaſi *triſulcæ*, aut
F *tricuſpides* appellantur. Venæ arterialis itidem tres ſunt membranæ, quæ quia ſemicir- Venæ arterialis.
culum ad amuſſim exprimunt, Græcis σιγμοειδεῖς, a Σ literæ imagine, nominantur. Vena- Venalis arteriæ.
lis arteriæ orificio duæ duntaxat membranæ pręficiuntur, quæ mitrę epiſcopali non in- Magnæ arteriæ.
epte aſſimilantur. In magnæ arteriæ oſtiolo tres ſunt membranæ, in nullo a tribus ve-
næ arterialis membranis diſtantes. Ceterum arteriæ magnæ caudicis truncus ſuperiora

Arteriæ magnæ diductio.

petens, statim a sinistro ipsius latere ramum promit oblique sursum ad primam, siue elatissimam thoracis sui lateris costam protensum, a quo primum propago superioribus costis offertur, & dein alia prius commemorata multo amplior, transuersis vertebrarum ceruicis processibus. Quod eius reliquum est, per foramē occipiti insculptum caluariam subit, atque in sinistrum duræ cerebri membranæ sinum exhauritur. Dein alia sinistro pectoris ossis lateri exhibetur, & verarum costarum cartilaginum interuallis ramos offert. Ab hac etiam propagine in sui lateris membranam, quæ thoracis amplitudinem intersepit, & in glandium iugulo repositum surculi mittuntur. Quod autem ipsius est reliquum, sinistrum mucronatæ cartilaginis latus thoracis cauitatem ingreditur, & recto hic abdominis musculo subnatum ad vmbilici quodam modo regionem procedit, in progressu vtrinque ad partes abdominis ramulos offerens. Vbi vero ramus ille thoracem superauit, surculum posteriorem ceruicis sedem occupantibus musculis transmittit, & similiter, vt axillaris vena ad digitorum vsque extrema digeritur, si axillaris ramos cutem subeuntes exceperis, ac in alto latitantes solum intellexeris. Ceterum insignior portio dicti paulo ante magnæ arteriæ trunci ad iugulum ascendens, in duos impares partitur ramos. *Sinister*, qui gracilior est, nonnihil oblique in læuum deflexus, sursum cum interiori iugulari iuxta asperæ arteriæ sinistrum latus per ceruicem exporrigitur, soporalisque sinistra censetur. *Dexter* vero ramus sinistro crassior, similiter sursum tendit, & simul atque primam thoracis costam contigit, ex dextro ipsius latere arteriam promit in easdem prorsus soboles discissam, quas a ramo, qui sinistræ manui offertur, pullulare constat: ad superiorum scilicet costarum interualla, ad transuersos ceruicis vertebrarum processus, ad pectoris os, ad posteriores in collo locatos musculos. Quod vero maioris dextrique rami adhuc reliquum est, secundum asperæ arteriæ dextrum latus sursum conscendit, ac huius lateris soporalem constituit arteriam. Hæc vbi ad fauces vsque pertingit, in duos finditur ramos: quorum grandior idemque interior surculum porrigit in faciem penitius, & in temporum cutem ad verticem vsque absorbendum. Ipsa vero laryngi & linguæ, & triplici hic reposito glandularum generi soboles offerens, caluariam adit: & in duas diuisa propagines, minorem in primum dextrumue duræ membranæ sinum exhauriendum mittit. Grandior absque venæ coniugio per proprium foramen ad narium amplitudinem versus nasi extremum contendit. Ipsa autem propago caluariæ basi instrata, & in nullum tamen plexum reticularem digesta, antrorsum fertur, & ramum cum secundo pari neruorum cerebri ad oculum depromens, sursum ascendit, duram cerebri membranam perforans, & partim in tenuem membranam hic absumta, partim vero in dextrum cerebri ventriculum repens, plexus eius in hoc ventriculo repositi, ac extimo fœtus inuolucro comparati portionem efformat, vitalemque spiritum cerebro offert, vt ex illo cerebri beneficio animalis præparetur. Porro magna arteria grandiorem truncum sinistrorsum ad spinam detorquet, a quo vtrinque rami ad octo humiliores costas exporriguntur. Quum vero is sub septo deorsum fertur, huic quoque propaginem vnam offert, quæ in plures secta surculos, in humiliorem septi iuxta vertebras sedem præcipue deperditur. Post commemoratas propagines ex elatiori sui corporis sede vnum promit truncum, ramos in ventriculum, iecur, bilis vesiculam, lienem, omentum, duodenum intestinum & colon offert, venæ portæ ramis comitatos. Dein aliam radicem truncus hic in superiorem mesenterii sedem in plurimas soboles diffusam dispensat. Post hanc inferius paululum ab vtroque magnæ arteriæ latere ampla educitur arteria in sui lateris renem transuersim prorepens. Præterea ab arteria sinistrum renem accedente, ac demissius plerunque quam ea, quæ sinistro reni offertur, vena principium sumente, seminalis arteria non enascitur, sed frequentissime, vt dextri testis arteria, ab arteriæ magnæ corpore originem ducit. Iam dictis propaginibus alia succedit inferius, quā seminales arteriæ, ab anteriori etiā magnæ arteriæ sede principiū ducens, & in humiliorē mesenterii sedē distributa. A posteriori autem seu inferiori magnę arteriæ sede, qua hæc vertebris cōmittitur, geniculatim vtrinq; ad singulas lūborū vertebras, ipsisq; accūbentes musculos surculi depromūtur. Ad sacri ossis initiū, etsi arteria prius cauæ in sinistro latere subiicitur, eā quo tutior prorepat, cōscendit, & eodē cū caua modo hic bipartito scinditur instar, Λ, parem cum illa ad extremum vsque pedis distributionem in pro-

Soporalis arteria sinistra.

Dextra.

Animalis spiritus procreatus.

Renum arteriæ.

Seminales arteriç

(Margin letters: A, B, C, D, E, F)

A profundo faciens. Quippe nullus huius arteriæ magnæ trunci ramus cutem subit. Verum id priuatim huius trunci propagini per pubis ossis foramen procedenti accidit, quæ illi arteria committitur, quę ab vmbilico secundum vesicę latus descendens, fœtui propria censetur. Exquisitiorem arteriæ magnę delineationem reperient studiosi *in cap. 13. & 14. lib. 5. nostræ anatomes.*

De cerebro, & instrumentis ipsius functioni famulantibus. CAP. XV.

Cerebrũ, quod Græcis ἐγκέφαλος dicitur, animalis ac principis facultatis sedes, in caluaria reponitur, formam cauitatis, quam occupat, concinne referens. Diuiditur in *anterius*, quod proprie *cerebrum*, & in *posterius*, quod *cerebellum* Latinis, παρεγκεφαλὶς Græcis B dicitur, decuplo aut vndecuplo minus cerebro exsistens. Anterius autem in *dextrum* & *sinistrum* diuiditur. In ipsius medio iuxta basim continuum est. Porro vniuersa caluarię cauitas cerebro excipiendo adaptata, quadam membrana subducitur, quæ propter crassitiem, qua ceteris, non modo cerebri, verum etiam totius corporis præstat membranis, Græcis παχεῖα μήνιγξ, hoc est, *crassa membrana*, & ab insigni duritie, vulgo *dura mater* nuncupata est. Præsens membrana quatuor sinus obtinet, qui non solum venarum, sed & arteriarum quoque vsum præstant. *Primus* ad latus dextrum maximi in occipitis osse foraminis, quo dorsali medullæ via præbetur, incipit, & sursum modice instar quartæ circuli partis protenditur, quousq; elatissimam cerebelli partem occipitis ossi contiguam attigerit. *Secundus* ad sinistrum latus iam dicti ossis initium sumit, & sursum eodem quo primus modo vsq; ad elatissimam cerebelli partem conscendit. Qua sane in parte dexter sinus cum sinistro coit, atq; ex ambobus vna cõmunis efficitur cauitas. Iste amborum iam dictorum sinuum congressus, Herophilo, *vt lib. 9. anat. admi. & de vsu par. cap. 6. auctor est Galenus,* ληνὸς id est, *torcular*, dictum est. Recentioribus *lacuna, puteus, fouea, & conductus sanguinis* appellatur. *Torcular*, quod cõcursus ille in primum & secũdum sinus, sanguinem tanquam vinum e torculari promit. Ex mutuo hoc amborum sinuum congressu alii duo exoriuntur sinus longitudine, & cauitatis forma inuicem variantes, tertius scilicet & quartus. *Tertius* longior est, & caluariæ, quemadmodum priores duo, contiguus, per capitis longitudinem antrorsum procedit: *Quartus* ab anteriori sede cõ-D munis primi secũdiq; summũ congressus recto tramite versus priora cerebri, nusquam deorsum neque sursum vergens, progreditur. Consistit enim in dura membrana, vbi per cerebelli longitudinem, id & cerebrum ad eas vsque cerebri sedes intercedit, quæ testium & clunium imagini assimilantur. Hic itaq; quartus sinus suo ductu cerebelli longitudinem, & duræ cerebri membranæ inter cerebellum & cerebrum implicationem haud excedit. Ac proinde id sibi priuatim vendicat, quod sit breuissimus, & nusquam caluariæ contiguus. Per suturas caluariæ, fibras dura membrana porrigit, quæ in peculiare inuolucrum, quod Græcis περικράνιον dicitur, degenerant. Altera membrana cerebri interior, & penitus cerebro coniuncta, Græce λεπτὴ μήνιγξ, Latine *tenuis membrana*, vulgo *pia mater* nominatur. Cerebri & cerebelli est inuolucrum, & ipsorum substan-E tiam proxime continet ac firmat. Dicta est alio nomine χοροειδὴς: *quod scilicet instar extimi fœtus inuolucri plurima vasa deducat suffulciatq;.* Pars cerebri in externa ipsius superficie ad elatissimam dextri & sinistri ventriculorum sedem se offerens, tenui membrana nõ obuoluta, subdurior & magis candicans, vetustissimis Græcis τυλλῶδες σῶμα hoc est, *callosum corpus* appellata est: Cerebrum vero tribus insignibus & impense albis donatur cauitatibus seu vẽtriculis, quorum vnus per cerebri longitudinem in dextra cerebri parte cõsistit, qui ex posteriori sede deorsum per cerebri substantiam reflexus, ad medium vsq; basis cerebri perfertur. *Secundus* huic prorsus respondẽs, in sinistra cerebri parte collocatur, & ambo qua internis lateribus se inuicem spectant, superiori sede, tenui quadam cerebri substantia mutuo distinguuntur, quam Græci διάφραγμα, Latini *septum* vocant. F Communis autem dextri & sinistri ventriculorum cauitas, tertius cerebri est ventriculus, quæ binos a se educit meatus, quorum vnus ex humiliori ipsius sede, vbi acutum angulum per totam sui longitudinem vallis cuiusdam ritu exprimit, recta deorsum versus grandem & peluim porrigitur, cerebri pituitam excipientem. Alter autem meatus, qui posterior est, tertii vẽtriculi nõ minima pars censendus venit, qui inter cerebri testes & nates, ac super dorsalis medullæ initiũ decliuis, ad quartum vẽtriculũ a nõnullis appella-

Cerebrum. Cerebellũ. Membrana crassa. Quatuor duræ membranæ sinus. Dura mater. Primus. Secundus. Primi & secũdi sinuũ congressus. ληνὸς. Torcular. Tertius. Quartus. περικράνιον. Membrana tenuis. χοροειδὴς. Callosum corpus. Cerebri vẽtriculi quatuor. Primus. Alter. Septum cerebri. Tertius.

Quartus a nonnullis appellatus cerebri ventriculus.
Fornix.

tum, contendit, qui communis est cerebello, & dorsalis medullæ initio. *Quartus* itaque A ventriculus, ad quem posterior meatus tertii ventriculi porrigitur, ex dorsalis medullæ, & cerebelli similibus componitur, non secus, quam si vtraque manu vnam cauitatem fingeres. Ex posteriori dextri & sinistri ventriculorum sede, qua hæc deorsum in priora reflectitur, statim in ipso reflexu, corpus quoddam ampla basi enascitur, similem prorsus substantiam cum cerebri ventriculorum substantia candidior duriorque visitur: dein sensim antrorsum procedens, veluti in acutum trianguli verticem coarctatur. Hoc quidem corpus eo, quod fornicis seu testudinis modo exstructum est, vel veluti domus tectum quoddam in sphæræ superficiem concauam circumactum Græcis καμάριον, & ψαλιδοειδὴς, hoc est, *testudo fornixue*, & *camera* nuncupatur. Nam eius generis ædificia, qui architecturæ sunt periti, καμάρας & ψαλίδας appellare solent. Iuxta posteriorem testudinis modo formati corporis sedem, glandulam natura condidit nuci B pineæ, aut turbinatæ figuræ similem, ac proinde veteribus anatomicis Græcis κωνοειδὴς, & κωνάριον dicta. Reponitur autem sub vasis venosi ex quarto duræ membranæ sinu in tertium cerebri ventriculum porrecti initio, mucrone suo sursum spectans, basi vero cerebri substantiæ incumbit. Pars quædam cerebri reponitur inter anteriorem cerebelli sedem, & posteriorem tertii ventriculi partem subflaua, quæ effigiem quandam exprimit duabus sibi commissis natibus quam similimam, quapropter hanc Græci γλουτὸν, & δίδυμον, Latini *nates, clunesue ac testes* appellant. Ceterum cerebelli pars vna a prioribus in posteriora veluti in orbem ducitur, eaque talibus implexa est reuolutionibus, vt vermis in ligno nascentis effigiem appositissime ostendat. Duo itaque huius partis apices, C quorum hic anteriorem ventriculi cerebello & dorsali medullæ communis sedem respicit, ille vero posteriorẽ a iam dicta similitudine veteribus Græcis σκωληκοειδεῖς ἐπιφύσεις, Latinis *excrescentiæ vermiculantes vel vermiformes* dicũtur. Neque enim aliud sunt, quam prominentior cerebelli substantia, σκώληξ, id est, *vermem referens*. Tenuis membrana cerebelli basin succingens orbiculatim a se educit sui portionem processumve, substantia prorsus cum reliqua tenui membrana similem, nisi quod gracilibus venis intertexitur. Eius processus initium, accurate refert elatissimam regionem infundibuli, quo in angustioris orificii lagenas vinum infunditur. Est enim amplum & orbiculare. Ab exortu vero sensim in arctum infundibuli instar cogitur, donec tãdem veluti in angustam oblongamque fistulam similiter, atq; infundibulum finiat, quæ deorsum protensa, per D peculiare sibi in dura cerebri membrana excisum foramen descendit, suo mucrone ad glandem, qua cerebri pituita excipitur, desinens. Hinc vniuersum hoc membraneum infundibuli corpus Græcis ab imagine χοάνη nuncupatur. Quanquam etiam a scyphi vel labri forma, quam superior huius corporis pars exprimit, πύελος, hoc est, *peluis* nominatur. Porro reticularis plexus, cuius multis in locis Galenus meminit, in boum, non hominum cerebro reperitur. In dextrum autem cerebri in homine ventriculum, similiter & in sinistrum per ipsius posteriorem inferioremque sedem soporalis arteriæ insignior ramus conscendens, plexum efformat, qui Græcis, quod extimum fœtus inuolucrũ refert, χοροειδὴς dicitur. Ex vitali spiritu in illo plexu cerebri muniis, *vt diximus*, aptato, ac ex aere, quem inspirantes in cerebri ventriculos allicimus, cerebri substantiæ E insita vis, spiritum animalem conficit, quo cerebrum ad animæ functiones principes partim vtitur, partim per neruos ad alias corporis partes transmittit. De olfactus organo abunde *lib. 6. nostræ anotomes, cap. 13. egimus. Et infra sect. 6. cap. 3. de hoc quoque dicemus.* Ad hunc igitur locum ablegamus lectorem, ne hic iusto longiores simus.

καμάριον.
ψαλιδοειδὴς.
Glandula. κωνάριον.
Nates cerebri.
Vermiculares excrescentiæ.
Infundibulum.
πύελος.
Reticularis plexus.
Plexus choroides.
Animalis spiritus generatio.
Olfactus organum.

Septem neruorum cerebri paria.
Primum par.

Ceterum neruorum e cerebro prodeuntium septem sunt paria, seu coniugia, quæ Græcis συζυγίαι appellantur. Primum par a cerebri basi, qua sinus innititur, cui glandula insidet cerebri pituitam excipiens, initium ducit, & antrorsum nonnihil oblique fertur, dextro quidem neruo sinistrorsum, sinistro autem dextrorsum protenso. In progressu moxque ab ipso ortu ambo inuicem coeunt, atque in eum permiscentur mo- F dum, vt dextrum a sinistro nulla prorsus ratione queas discernere. Hi sane nerui a congressu e caluaria ducendi inuicem mox dirimuntur, & per foramina ipsorum nomine insculpta, in oculorum sedes extra caluariæ cauitatem procidunt. In oculos vbi subierunt, in latam degenerant, expanduntur ue tunicam, quam a retis similitudine *Retiformem* vocant, *de qua paulo post fusius differemus.* Inter reliquos autem corporis neruos, ii soli

A soli meatu, qui sensu diiudicari possit, perforati credũtur, hincq; adeo Herophilo & Eu-
demo πόροι ὀπτικοὶ, id est, *meatus visorii*, aliis *nerui visorii* appellati sunt. Secundum par pau- Secundum.
lo posterius, quam visorii ex cerebri basis lateribus principium ducit, & ad foramen in
oculorum sedis radice sibi cum aliis quibusdam vasis commune prorepit. Simul atque
vero e caluariæ excidit amplitudine, dissectus in ramos septem oculi musculorum mo-
tibus præest. *Tertium* duabus radicibus inuicem distantibus vtrinque enascitur: vna qui-
dem crassiore, cui oportune tertii paris nomẽ accommodaueris, altera tenuiori, & du-
riori. Gracilior hæc tertii paris radix exoritur a latere basis cerebri, vbi dorsalis medulla
ab ipsa initiũ ducit. Hinc recto tramite sub cerebri basi antrorsum progrediens, duram
cerebri membranam perforat, & secũdo neruorum pari attensa cum ipso per cõmune
B foramen in oculi sedẽ procidit, in quatuor dissecta propagines, quarũ primã per pecu-
liare foramen ad frontis cutẽ, & musculosam huius sedis substantiam digeritur. *Altera*,
in anteriorem superioris maxillæ sedem prolabitur, ac multiplici serie in musculos su-
perius labrũ, & nasi alam extrorsum in suo latere mouentes, & demũ in ipsum labrum,
& incisoriorũ dentium gingiuas dispensatur. *Tertia*, narium adit amplitudinem, inibi in
narium tunicã degenerans. *Quarta*, ad internam temporalis musculi sedem contendit,
tota in eum musculum absumenda. Crassior maiorve a latere basis cerebri, anterius ta-
men, principium sumit. Hæc statim ab egressu propaginem diffundit, quæ vitis aut cu-
curbitæ capreoli instar inuoluitur, ac binos tandem quinti paris neruorũ cerebri ramu-
los in consortium admittens, ipsisq; vnitus in temporalem musculum inseritur, ac in
C mansorium ramulos porrigit, deinde & musculis buccas mouentibus, ipsiq; demum fa-
ciei cuti in buccis surculos offert. Postquã vero crassior hæc radix propaginẽ iã dictam
expromsit, nonnihil deorsum descendens surculum in gingiuas molarium dentiũ deri-
uat, ipsisq; adeo dentibus seriatim soboles distribuit. Dein priusquam decliuis linguam
contingat, ramum posteriori ex parte promit, qui musculo in ore delitescẽti, & maxil-
lam inferiorẽ attollenti insertus, inferioris maxillæ foramen adit. In foramen delapsus
tantisper antrorsum fertur, quousq; sui lateris dentium inferioris maxillę radicibus sin-
gulas offerat soboles. Non minima vero ipsius portio dextri sedi inferioris labri com-
plures surculos deriuat. Maior vero portio crassioris huius radicis, quando linguæ basi Instrumentum saporum.
committitur, cum alterius lateris neruo linguæ tunicam efformat, aptum saporibus di-
D gnoscendis instrumentũ. *Deinde* & exiguos quoq; surculos penitius in linguæ substan- Gustus instrumentũ.
tiam dispensat. Proinde vt primum pars visus, ita hoc tertiũ gustus censetur instrumen- Quartum.
tum. *Quartum* a dorsali medullæ principio posterius paulo quam tertium par exoritur,
sed antrorsum modice tensum posteriori tertii paris sedi committitur, atque vna cum
illo per commune ipsis foramen ex capitis amplitudine ad palatum elabitur, quo si-
mul atque peruenit, in surculos quosdam partitũ, in palati tunicam degenerat. Quin-
tum par nonnihil quarto crassius, ac veluti pluribus enatum surculis inuicẽ mox ab or- Quintum.
tu connexis principium ducit ex media propemodum dorsalis medullæ sede. Hoc par
vniuersum per foramen fertur impense tortuosum, & priuatim ipsi incisum, quousque
in cauitatem pertingat auditus organo præparatam: vbi naris scinditur, & propagines
E membranæ modo latas huius cauitatis sedibus offert, auditus organi non minimã par-
tem constituens. Præter has propagines, binos educit neruulos, qui seorsum per pro-
prium foramen elabuntur. Vnus non procul ab egressu tertii paris ramo commiscetur,
instar vitis capreoli inuoluto. Alter vero per foramen repit impense actum, & insigni- Cæcum foramen.
ter quoque tortuosum, & immissam illi setam non admittens, ob idque etiam cæcum
appellatum. Is neruulus transuersim super musculum ducitur, qui a iugali osse prona-
tus, inferiorem maxillam mouet. Vbi vero ad anterius vsque eius musculi latus antror-
sum prorepsit, dicto tertii paris ramo commiscetur, in genarum cutem, & musulos buc-
cę motuum auctores digerendus.

Ceterum iuxta quintum neruorum par interius paululũ alia exoritur radix, quin-
F ti paris radice multo gracilior, sed quodammodo durior. Hæc sursum versus priora ce-
rebri sub basi aliquandiu protensa, duram cerebri membranam perforat, ac per pro-
priũ foramen sub secundi paris foramine exsculptũ, e caluaria ꝓcidens in temporalem
musculum, illumq; digeritur, qui in ore delitescens maxillæ ad superiora motus auctor
censetur. Hanc radicẽ cum sua coniuge liceret peculiaris coniugii loco recensere. Ve-

Sextum. rum ne aliorum anatomicorũ numerus perturbetur, eam quinto pari, adscribemus. *Sextum* par paulo inferius quinto pari, aliquot distinctis, & a se inuicem diremtis surculis initium sumit, qui mutuo mox ab initio commissi vnum efformant neruum, qui non procul ab egressu in musculos posteriorem ceruicis sedem occupantes ramum diffundit, numerosa vtcunque serie in soboles digestum, quarum præcipue musculo exporriguntur scapulam mouentium secũdo. Ipse autẽ sexti paris truncus soporariæ arteriæ & septimo pari cohæret, & simul cum ipsis membranæ interuentu connexus, ad laryngis vsq; lacera protenditur, inibi portionem a septimo pari assumens, illaq; se augens. Dein quum hanc asciuit portionem, laryngis musculis ramulos transuersim exhibet. Hinc soporali arteria & interna iugulari concomitatum, ad thoracis vsque elatiorem sedem descendit, ac mox insignem vtcunque propaginem ad primæ thoracis vertebræ latus, seu potius ad anteriorem primæ thoracis costæ radicis sedem deriuat. Præter hãc propaginem iuxta superiorem thoracis sedem ramulos musculos offert, a pectoris osse, & clauicula ad mamillarem capitis processum deducto, & ab eo, qui capitis motibus inseruit, ac musculo, qui os υ referens, hinc a pectore accedit. Præterea, & illi, qui hinc ad infimam primæ cartilaginis laryngis sedem perfertur. Ita hactenus vterque sexti coniugii neruus priusquam cauitatem thoracis subeant, distribuitur. A B

Dexter neruus recurrens. Quum autem dexter sexti paris neruus thoracis cauitatem ingressus est, atque inter arterias & venas in iugulo repit, ab interiori ipsius latere modo tres, modo duos inuicem mox succedentes ramulos diffendit, qui ad arteriam, quæ in dextram alam exporrigitur, veluti ad trochleæ rotulam reuoluti simul coeunt, neruumque vnum efformant, ad dextrum asperæ arteriæ latus sursum excurrẽtem, qui ob id neruus dexter recurrens nuncupatur. *Sinister* iam thoracis cauitatem ingressus, arteriæ in sinistrum propagatæ ramulos, qui sursum reflecterentur de se porrigere nequit, quod ea oblique sursum, nõ autem arteriæ dextræ modo transuersim in aliam contendit. Proinde hic sinister neruus tantisper versus cordis basim descendit, quousque extra cordis inuolucrum arteriæ magnæ contingat truncum, qui deorsum ad spinam explicatur. Atque hic mox tres, aut etiam pauciores a neruo educuntur surculi, qui ad arteriæ truncum, qua is ad spinam deflectitur: reuoluti inuicem vniuntur, sinistrumque neruum recurrentẽ constituunt. Qui sursum properans membranæ beneficio asperæ arteriæ sinistro lateri attenditur: ac quum primum laryngem contingit, non minus quam dexter neruus in ramos deriuatur, qui omnes in sui lateris musculos deorsum capita, fines autem sursum habentes; cessant. Postquam iam reuersiuos exprompsere, sexti paris nerui, ac cordis basin spectant, ramulos duos notatu dignæ crassitudinis in pulmonum tunicas, cordisque inuolucrum dispergunt. Quod reliquum est, deorsum ad stomachum fertur, ac dexter dextero ipsius lateri attenditur, sinister autem sinistro. Mox vero atq; hi nerui stomacho membranæ interuentu laxe adnectuntur, singuli in binos partiuntur ramos, adeo oblique secundum stomachum conuolutos, vt dextri nerui rami sinistram ipsius sedem in progressu obtineant, sinistri autem rami dextram sedem amplexentur. Atq; ita quatuor præsentes rami septum trãsuersum vna cum stomacho permeant, ac sparsa admodum serie superius ventriculi os ambiunt, cõtexuntque, propagines in priora ac posteriora corporis ventriculi spargentes. *Deinde* propaginem inferiori omenti membranæ offerunt transuersim in iecoris, & lienis cauum porrectam. Item collo intestino, duodeno, ac ieiuno intestinis, item bilis vesiculæ, mẽsenterio, renibus, vesicæ, & vtero surculos præbent. C D E

Septimum. *Septimum* ac vltimum par, vt ceteris paribus durius est, sic quoq; ex duriori nascitur principio. Incipit enim aliquot inuicem distantibus surculis a dorsali medulla, vbi modo caluariam est egressura. Hoc præterquam quod sextum par impense auget, præcipue in linguæ, & ossis υ referentis, & laryngis musculos absumitur. Priusquam vero reliqua neruorum paria attingamus, oculi constructionem interseremus.

Oculi constructio, hoc est tunicæ & humores. Prima retiformis. Constituitur autem oculus ex septẽ tunicis, & tribus humoribus. Prima tunica, in quam visorius neruus degenerat, expanditurue, mediam oculi sedem in anteriora duntaxat, ambit, vitreique humoris posteriori sedi proxime obducitur, illum integens, & dilatatæ substantiæ admodum similis, ac proinde mollis, & veluti mucor aliquis e narib. procidens nihilque minus quam membranea exsistit: vt hoc nomine Anatomicorũ nonnulli hanc tunicam appellare haudquaquã voluerint. Hæc forma dimidiato tantũ ouo F

compa-

A comparatur, aut minori piscatorum reti, quod vni accõmodatur baculo, & ex ampla basi dimidiati globi modo in obtusum mucronem fertur. Ab huius itaq; retis imagine præsens tunica Græcis ἀμφιβληστροειδὴς, Latinis *retiformis* dicta est. Altera tunicula vniuersæ anteriori sedi crystallini humoris, instar tenuissimæ ceparũ pelliculæ obnascitur, durior tamen, nulla parte posteriorem ipsius sedem contingens, sed inibi finiens, vbi crystallinus humor amplissimus cernitur. Hanc a continuarum araneæ telarũ imagine, & quod tenuissima ac pariter pellicula sit, Græcis ἀραχνοειδὴς, Latinis *araneiformis* appellatur. Tertia tunica ex tenui procreatur membrana. Quippe hæc simulatq; cum neruo oculum subit, in tunicam degenerat ad omnes oculi sedes globi modo pertinentem. Nõ enim vti primam, posteriorem tantum oculi sedem occupat, verum & anteriori quoq; obdu-

Secunda arachnoides.

Tertia tunica.

B citur, & in tota posteriori oculi sede primam tunicam proxime inuestit. Qua vero anteriori oculi sedi obducitur, interna sua superficie vndiq; aqueum siue albugineum vocatum humorem contingit & complectitur. In anteriori regione nonnihil introrsum comprimitur, & in huius compressionis medio, foramine quodam peruia est, quod nobis *pupilla*, Græcis autem κόρη nominatur. Adeo vt hæc tunica vuæ folliculo, a quo pediculus, quo affirmatur, extractus est, quã similima exsistat. Hinc Græcis ῥαγοειδὴς, Latinis *vuea* dicitur. Quoniã vero a tenui cerebri membrana hæc tunica constituitur, & quod oculi venas & arterias sustinet, perinde atque tenuis membrana cerebri vasa suffulcit, aut quod multorum vasorum inuolucri fœtus instar est vinculũ, Græcis etiam χοροειδὴς, nostræ ætatis medicis *Secundina* nominatur. Atq; eam quidem partem, quæ posteriorẽ oculi se-

Quarta secundina.

C dem occupat, & nigra est, quartam esse tunicam recentiores arbitrantur. *Quinta* a dura cerebri membrana visoriũ neruum inuestiente nascitur. Quam primũ enim hæc membrana oculi posteriori sedi applantatur, dilatescit, & crassior ac durior euadens, orbiculatim vndiq; oculo obducitur, tam in anteriora, quam in posteriora pertingens. Hæc autem, perinde atq; prior, non simplici donatur nomine. Qua enim posteriorem oculi sedem constituit, & in anteriori sede ad iridẽ vsq;, quæ nõ est nisi maior oculi circulus, quo album oculi a nigro distinguitur, pertingit, crassa & dura est, vnde Græcis σκληρότης, Latinis *Dura* nuncupatur. Ea vero sede, qua oculi nigrum consistit, hæc tunica in cornu imaginem degenerat, quod in laminas diuisum, & exacte læuigatum, vitri alicuius lucernæ accommodatur, pellucidumq; est. Atq; hinc est, quod Græcis κερατοειδὴς, Latinis

Quinta dura.

Iris.

Sexta cornea.

D vero *Cornea* vocat. Septima tunica est ea, quæ anteriori quoq; duræ tunicæ parti ad Iridem vsq; obnascitur. Hæc quia oculum continet, & vicinis partibus committit, Græcis ἐπιπεφυκὼς, Latinis *adhærens*, Barbaris *coniunctiua* appellatur. Alba quoque a colore, quem obtinet, nuncupatur. Hactenus oculi tunicas enarrauimus. Inter tres eiusdem humores oculi centrum est humor, qui Græcis κρυσταλλοειδὴς, Latinis *Glacialis & crystallinus* vocatur, a similitudine, quam cum lucidissima glacie obtinet, non quidem in consistentia & duritia, verum in colore. Albus enim clarus, lucidus, splendens, & mediocriter durus est. Ab oculo exemtus nõ est exacte rotundus, sed anteriori & posteriori parte leuiter compressus, ad lentis fere similitudinem, vnde etiam Græcis φακοειδὴς dictus est. Alter humor in posteriore oculi sede reponitur: vulgari quidem albo vitro iam refrigerato

Septima adhærens.

Humores oculi tres. Crystallinus.

E colore & luciditate respondens, hinc Græcis ὑαλοειδὴς, Latinis *vitreus aut vitriformis* dicitur. Hic humor multis numeris copiam crystallini humoris superat, & quũ adhuc in oculo reponitur, semiglobo similis est, cuius plana superficies oculi interiora spectat, rotunda vero in posteriora protendit. Consistentia humore crystallino longe mollior visitur, & ab oculo exemtus suam formã neutiquã seruat, quamuis interim aquæ modo non defluat, sed ita consistat, quemadmodum vitrum in fornacibus fusum. Ceterum vniuersum spatium, quod inter anteriorẽ crystallini humoris sedem, & pupillã habetur, humore adimpletur, qui aquæ modo tenuis & pellucidus est, & ob id Græcis ὑδατοειδὴς, Latinis vero *aqueus* vocatur. Quanquam nonnulli hunc oui albo comparantes *albugineum* nuncupant. Iam reliquum est, vt alia quoque neruorum paria commemoremus.

Vitreus.

Aqueus.

F Nerui autem a dorsali medulla in vertebris conclusa principiũ ducentes triginta complectuntur paribus, quorum septem ceruicis a vertebris exsiliũt, duodecim a thoracis, quinque a lumborum, sex a sacri ossis nullo interim neruo a coccyge osse prosiliente. Quæ a ceruicis exsiliunt vertebris, in musculis ipsis adnatos proximosque digeruntur: & a quarto, quinto, & sexto, parium surculis vtrinq; vnus efficitur neruus, septo transuerso proprius. A quinto, sexto, & septimo paribus, varius neruorum consurgit tex-

Nerui a dorsali medulla orti.

A ceruicis Vertebris.

A thoracis. tus, *quemadmodum alibi fusius docuimus.* A iam dictis vero paribus, & dein a primo & secundo thoracis sex in brachium pullulant, præter varias soboles scapulæ cauo & gibbo dispersas. Ac *primus* brachium subiens neruus, eius quinti paris neruorum rami soboles est, qui in musculi brachium attollentis sedem a scapulæ spina pronatam digeritur. Atque hæc soboles impense gracilis in cutem brachii externæ sedi obductam diffunditur. *Secundus* per axillam brachium ingrediens, ramulosq; priori cubitum flectentium musculo præbens, insignem ipsius portionem tertio accedenti brachium neruo impartitur. Ipse vero in cubitum festinans, & ramulum primo radium in supinum ducenti musculo exhibens, cutem subit, ac in varias dissectus propagines, superioris interiorisque cubiti sedis cutem ad extremam vsq; manum implicat. *Tertius* per axillam quoque descendens, & anterioris brachii sedis cuti ramulos depromens ac secundi nerui portione adauctus, propaginemque communicans, posteriori cubitum flectentium musculo per interiorem sedem interioris tuberculi ossis brachii in cubitum properat, musculis hinc principium ducentibus surculos vna cum quinto neruo spargens, & secundum radium exporrectus, atq; in manus volam ductus, duas soboles pollicis internæ sedi & totidem indici quoque, & vnam tantū externo lateri interioris sedis medii clargitur, non infrequenter etiam medio binos ramulos, & vnum annulari offerens. *Quartus* brachii neruis ceteris multo crassior, per axillam ingrediens, & ramos musculis cubitum extendentibus disseminans, per brachii posteriora ad externum ossis brachii tuberculum contendit, in cutem prius duas diffundens soboles. Neruus ad hanc externam articuli cubiti sedem positus, ramum in cutem externæ cubiti sedis ad brachiale vsq; spargens, & mox in duos veluti truncos diuisus, musculisque ab externo brachii ossis tubere pronatis soboles dans, vnum truncum vlnæ exporrigit, a quo ramuli in musculos ab externa ipsius sede pronatos digeruntur, ipse autem truncus iuxta brachialis radicem cessat. Superior vero truncus radio exporrigitur, & præter surculos graciles, quos accumbentibus præbet musculis, brachiale petit, & duos ramulos externæ pollicis sedi, ac duos item indicis, & vnum medii digiti interno lateri impartit. *Quintus* neruus arteriæ brachii proximus in axilla latitat, & nullas omnino soboles in brachio a se deducens in cubitum per posteriorem interioris tuberculi ossis brachii sedem pertingit, ac musculis hinc pronascētibus vna cum tertio neruo ramos communicans, per vlnam ad brachiale excurrit, in medio ductu ramum diffundens, qui duobus surculis in externam parui digiti sedem, & duobus item in anularis, & vno in medii exterioris sedis externum latus absumitur. Quicquid vero quinti nerui internam brachialis sedem adit, anteriori parui digiti sedi, & anularis, & medii ramulos offert. *Sextus* neruus insigniter gracilis, per internam brachii sedem sub cute deducitur, & in progressu ramulos quosdam in cutem diffundens, ad cubitum pertingit, in cuius cutem per vlnam ad brachiale vsque crebris surculis disseminatur. Porro a neruis e thoracis vertebri prosilientibus præter ramos, qui retrorsum ad spinas vertebrarum, & hinc in musculos ab illis principium ducentes porriguntur, singula costarum interualla singulos sibi ramos vendicant, ad pectoris, & abdominis vsque medium orbiculatim pertinentes, & musculis thoraci instratis, abdominisque musculis, & demum cuti surculos dispergentes. Ad hæc ab intercostalibus neruis portiunculæ digeruntur, quæ sexti paris neruorum cerebri propagines costarum radicibus exporrectas adaugent. Ceterum distributio e lumborum vertebris progredientium, thoracis neruis magna ex parte respondent, quod e singulis rami retrorsum ducantur in musculos vertebris adnatos disseminati, & per ilia ad abdominis medium circulatim ascendunt, ramulos proximis musculis & cuti elargientes, verum a primo horum pari ad testes cū seminalib. arteriis propagines quā minime pertingūt. A quatuor autem humilimis paribus nerui in crus procidentes principium sumunt. Primum insuper sacri ossis neruorum par, similiter ac thoracis & lumborum paria e vertebris elabitur. Quinque autem humiliora sacri ossis paria non a lateribus prosiliunt, verum vna radice antrorsum, altera retrorsum egrediuntur, & posterioribus radicibus in musculos sacro ossi & ilium ossibus adnatos, & cuti sparguntur. *Anterior* vero primi paris ramus, vna cum anteriorib. trium succedentium parium radicibus omniū maximum neruum in crus disseminatum constituit. Humiliorum autem parium radices in vesicam, anum, & penem, aut mulieribus in vteri ceruicem, & pudendi coliculos deper-

Margin notes: Primus brachium subiens neruus. — Secūdus. — Tertius. — Quartus. — Quintus. — Sextus. — E lumborum vertebris. — A sacro osse.
Margin letters: A, B, C, D, E, F.

A deperduntur. Ceterum, quatuor nerui in crus progrediuntur. Primus per sextũ femur mouentem musculum deducitur, ac in externam femoris cutem ramum disseminans, in musculos absumitur externum femoris latus occupantes. *Secundus* simul cum grandiori femoris vena, & atteria femur subit, mox ramũ depromẽs per internum femoris & genus articulum, & tibiæ regionem ad summum vsq; pedis digitorumq; extrema sub cute simul cum vena descendens, huc illucq; ramos digerens. Quod vero secũdi nerui est reliquum, in musculos cessat anteriorẽ femoris sedem contegentes. *Tertius* neruus pubis ossis foramen perreptans, 9. & 10. femur mouentibus musculis ramulos offert, sobolemq; deriuat in internam femoris cutem aliquousq; sparsam: reliquum autem eius nerui in secundũ tibiã mouentem musculum, & quintũ femur mouentem spargitur, in interna femoris sede inibi locatus. *Quartus* omnium corporis neruorum, qui ex pluribus neruis construuntur, crassissimus, vbi coxendicis os a sacro dehiscit, in posteriora femoris ducitur, ramum in cutem femoris posteriorẽ spargens, qui paulo sub media femoris longitudine cessat. Humiliori enim sedi alius offertur ramus, a quarto propagatus neruo, qui etiam musculis a coxendicis ossis infima posteriorique sede pronatis, soboles exhibet, vti & musculis ab inferioribus femoris capitibus exortis. Dein in poplitis regione in duos dissectus truncos, graciliorẽ exterioremve ad fibulæ cum tibiæ osse iuxta genu articulum defert, a quo ramus ad externam tibiæ cutem dispergitur. Eius vero trunci reliquum fibulæ exporrigitur, vbi 7. & 8. pedem mouentium musculorum pendet origo. Porro grandior interiorue truncus ramum in internam tibiæ cutem, & C in suræ pariter cutẽ ad calcem vsq; porrigit. Ipse vero in musculis suram constituentib. occultatus, ramum per ligamentum membraneũ mittit, quo fibula tibiæ alligatur. Hic ramus musculis anteriorẽ tibiæ sedẽ obtinentibus reconditus, tandẽ in pedis superiora contendit, inibi digitis oblatus. Præcipua eius grandioris trunci portio secundũ tibiæ posteriora deorsum properans, & nonnullas soboles huc illuc musculis exhibens, inter calcem interioremque malleolum pedis humiliora adit, & exiguas admodum soboles musculis inibi repositis offerens, inferiori singulorum digitorum sedi duas propagines cõmunicat.

Quatuor nerui crus petentes.

2

3

B 4

DE FACVLTATIBVS, SECTIO VI.

D Quid facultas. CAP. I.

FACVLTAS, quæ Græcis δύναμις dicitur, *Gal. lib. 1. de naturalib. facul. teste*, non est, nisi caussa, a qua procedit actio. Vel, *vt aliis verbis lib. 1. de simpl. medica. facult. c. 1. idem definit*, caussa quædam effectrix. Ita quoque in libro de plenitudine, facultatem appellat *caussam effectricem*, nihilq; referre arbitrantur δραστικὴν, an ποιητικὴν dicas. Nec aliter definit facultatem in libello *de facultatum substantia*, item *in lib. 1. de caussis pulsuum*, multisq; aliis locis, quæ nihil attinet referre. Vt in promtu sit, Galeno nihil aliud facultatem dici, quam *efficientem rei cuiusque caussam, quæcunque tandem ea sit*. Facultas autem ideo est appellata, *Gal. in lib. de facul. essentia teste*, quod quę facit facere possit. Verbi gratia, *aloen tot facultates habere dicimus, quot res facit*. Itaque hanc purgare posse, & stomachum roborare, & vulnera glutinare, vlcera plana cicatrice inducere, & humentes oculos siccare cum omnib. constet, ideo aloen purgandi facultatẽ, & stomachũ roborandi, & vulnera glutinandi, & vlcerib. inducendæ cicatricis, & oculorum humores exsiccandi: in summa tot habere facultates, quot actiones, dicimus: Facultas vero hæc, siue caussa actionis, Galeno non est nisi naturalis constitutio, seu rerum natiua temperies. Quanquã enim alicubi, præsertim *lib. de caussis pulsuum 1.* diserte se ignorare facultatum essentiam fatetur: tamẽ *in lib. 1. de simplicium medic. facul. c. 1.* non aliud, nisi certam quandam elementorum temperiem, aut temperamenti proprietatem esse affirmat, quo nomine naturam *2. sect. aphor. Comm. 51. & lib. 2. de sympt. caussis. c. 1.* multisque aliis locis appellat. Et in *lib. 1. de præsagitione ex pulsibus*, idem asserit, vbi in hunc modum scribit: *Facultatis essentia in singularum partium cõmodo temperamento est posita. Nam tum demũ suum quæq; munus obit strenue, vbi est temperatissima, contra male fungitur, si intemperata est.* Præterea, *in lib. 2. eiusdem operis. Nihil*, inquit, *in illis cõmentariis attulimus de facultatis essentia: neq; enim prius hoc decretũ, quam vndique reperissem, constans pro-*

Facultas.

E Facultas cur dicta.

Essentia facultatis quæ.

F Natura.

nuntiare fuit ausus. Nunc vero essentiam facultatum addocti sumus, nihil esse præter qualitatem temperamenti. Hæc ille. Quæ sane verba ideo recitanda nobis esse duxi, quod Galeni ea de re sententiam perspicue ostendant, & caussam, cur de facultatum essentia aliis in locis dubitauerit, exponant. Denique in libro de plenitudine, manifestis verbis, *facultatum gubernantium corpus essentiam temperamenti proprietatem exsistere* asserit. Atque hæc plane de facultate loquendi ratio Medicis est accõmodatissima, vt qui in profligandis morbis, & tuenda sanitate alio non respiciunt, nisi ad hanc temperamenti proprietatem, quam si temperata est, omni studio sartam tectam conseruare nituntur: sin intemperata est, ad mediocritatem & conuenientem temperaturam reducere studẽt. Quod monendum esse putauimus, propter eos, *qui facultatem esse vim illam, & potestatem* dicũt, quam anima ex se profert, & tanquam de sinu suo promit, actionesque edit. Quorum certe sententia, facultas non est nisi insita & ingenita animæ proprietas, quæ ipsa quidem est accidens, & nulla essentiæ portio, sed intimum quiddam & ingenitum. Verum hic loquendi modus Philosopho magis, quam medico conuenit, ideoque Galeno neglectus.

Aliorum de facultate opinio.

A

B

Facultates corpus nostrum gubernantes tres. Cap. II.

Cum Galeno facultas non sit, *vt demonstratum est*, nisi effectrix caussa, *tot certe illi erunt facultates, quot efficientium caussarum propriæ insunt corpori differentiæ.* Sunt autem *efficientium caussarum tres differentiæ. Igitur tres quoque animal gubernantes facultates erunt diuersi inter se generis, & sedibus disclusæ, totique corpori ex suo quodam veluti fonte quaq; distributa, naturalis scilicet, vitalis & animalis.* Plato *in 4. de Repub. Gal. etiam libr. 9. meth. capit. 10. attestante,* animas nominat. Esse autem diuersi generis hinc maxime patet. Cum enim vnamquamque temperamenti proprietatem sua sequatur facultas, vnamquanque vero facultatem sua actio: vt diuersæ inter se cuiusque partis sunt actiones, ita diuersæ eius sunt etiam facultates. Et vt hæ ipsæ inter se sunt diuersæ, ita temperamenta quoque diuersa sint oportet. Animalis est, quæ ex cerebro per neruos, ceu canales quosdam, sensum & motum in vniuersum corpus transmittit, ac intellectum fouet. Hinc Galeno & aliis Græcis λογικὴ, hoc est, *ratiocinatrix* alio nomine dicta est. Ea quidem voluntariis actionibus vna cum sensibus præsidet, & in cerebro domicilium habet, & inter tres facultates primum & summum obtinet locum. *Vitalis* est, quæ ex corde, in quo sedem habet, ceu quodam insiti caloris fonte, per arterias, veluti canales, vitã toti corpori impertit. Hæc non modo vt stirpibus, aut vita præditis, sed etiam vt animantibus nobis insita est. Græcis tum Medicis, tum Philosophis alio nomine θυμοειδὴς, hoc est, *irascibilis*, seu *animosa* vocata est. Irascibilem autem facultatem in corde sedem obtinere multis veterum poetarum testimoniis Galenus *lib. 3. de placitis Hippo. & Platonis* confirmat, quæ breuitatis ergo præterire placuit. Atque hæc secunda, & quasi media, aut in medio corporis sita est facultas. *Naturalis* est, quæ ex iecore per venas omnibus partibus corporis alimoniam præstat. Græcis alia appellatione ἐπιθυμητικὴ id est, *concupiscibilis, seu appetitrix*, vocatur. Appetitricem autem hanc facultatem iecur pro fonte habere Homer. Odysseæ λ, & inter Latinos poetas Ouid. eleganter ostenderunt, vbi Tityi ꝓpter stuprum, quod Latonæ offerre conatus est, iecur vultures rodere finxerunt, vtpote in eam partem illato supplicio, vnde iniuriæ origo exstiterat. Hæc tertia & infima est facultas. Ceterum hæ facultates tres a Medico non solum in sanis, sed & ægris magno studio conseruandæ sunt. Nam has seruare, *vt Galeni lib. 9. Therap. metho. cap. 10.* verbis vtar, nihil plane aliud est, quam vitam seruare. Cum autem vita, *Galeno ibidem teste*, non sit nisi ipsæ vires, aut earum actiones, maxima me hercle virium erit dignitas, quando viuere ipsum nobis ex harum custodia constet. Virtus igitur omnium prima custodienda est, adeoque si in morbo aliquo extrema imbecillitate laborant vires, priusquam morbo medeamur, vires instaurandæ sunt. Proinde toto hoc tempore, quo vires ac facultates reficiuntur, eorum, quæ morbum sanent, nihil plane ægroto exhibendum erit, vt libro quinto fusius dicetur.

Tres facultates animal gubernantes.

C

Animalis.

λογικὴ.

Vitalis.

D

θυμοειδὴς.

Naturalis.

ἐπιθυμητικὴ.

E

Facultates corpus nostrum gubernantes a medico conseruandæ.

Vita quid.

F

Animalis facultatis genera. Cap. III.

Vniuersum animalium facultatum genus Galenus in tres partitur differentias, *sentientem sensusue effectricem, mouentem, & principem.* Sentiens, quæ Græcis αἰσθητικὴ dicitur,

Animalis facultatis tres differentiæ.

A tur, quinque in species distribuitur, nempe *facultatem videndi, audiendi, odorandi, gustandi, & tangendi.* Qua enim videt animal, ea ipsa facultate nec audit, nec odoratur, nec gustat, nec tangit, tanta scilicet est inter eas diuersitas, quam & instrumentorum, & subiectorum in quæ incumbunt, varietas peperit. Videndi facultas est, *quæ in oculo sita colores per medium excipit.* Consedit autem in crystallino humore, qui pellucidus, primum est videndi instrumentum, humoribus circumfusum, tunicisque, *de quibus suo diximus loco*, septum, quæ vsum ei conferunt, vt melior perfectiorq; sit visio. Audiendi facultas *in auribus sita est, sonos percipens, eiusq; discrimina diiudicans.* Audiendi autem instrumentum præcipuum est quinti paris cerebri neruorum alter, qui cauitatẽ temporis ossi incisam membranæ modo oblinit, non quidem vniuersam, at quibusdam tantum sedi-

Sentiendi. Videndi facultas. Audiendi. Instrumentũ auditus.

B bus, quasi ea nerui portio in plures diuideretur membranas, aliquot eius cauitatis regionibus obductas. Non temere vero dictum est *præcipuum*: non enim solum neruus ille membranæ modo dilatatus, sed & officula duo, quorum vnum incudi, alterum malleolo assimilatur, cum aere quodam prætenui auribus ingenito, & membrana obuoluto, ad aurium imam capacitatem posito, quo auditorii nerui extremum pertingit, auditus instrumenta sunt. Nec ab re dictum est, *cum aere ingenito seu interno*, exterior enim mediũ est, per quod auditio fit. Odorandi facultas *odores percipit, eorumq; discrimina diiudicat.* Eius proprium instrumentum extra caluariam non excidit, sed sunt processus quidam cerebri albicantes, neruis non absimiles in anteriori cerebri parte ducti, ad sinus octaui capitis ossis, qui horum gratia parati sunt, pertingentes. Oriuntur autem non ab anteri-

Odorandi facultas. Instrumenta olfactus.

C oribus ventriculorum cerebri sedibus, quod ventriculi cerebri, qua maxime in anteriori cerebri parte consistunt, antrorsumq; spectant, ampli & lati, neutiquã in angustum cogantur: sed a posteriori potius eorundem sede, cornu modo per cerebri substantiam deorsum descendentes, atq; antrorsum porrecti a cerebro abscedunt, neq; amplius tenui membranæ connati, in suum singuli porriguntur sinum: & adhuc antrorsum magis protensi ad sinuum finem, seu anteriorem ipsorum sedem desinunt, finibus suffulti ac cerebro interim proxime accumbentes. Illic itaq; constituta odorandi facultas per narium ductus, ossaque cribri modo perforata, vna cum aere haustos rerum odores comprehendit. Gustandi facultas *rerum sapores internoscit*, cuius quidem instrumentum esse

Gustandi facultas.

D linguam oris amplitudini ad amussim congruentem, medicis iuxta ac philosophis concessum est omnibus. Gustus enim occasione a tertio pari neruorũ cerebri, neruus linguæ offertur, qui hoc nomine gustatorius anatomicis appellat. Maior. n. portio crassioris radicis iam dicti neruorũ paris, simul atq; linguæ basi cõmittitur, cum alterius lateris neruo linguæ tunicam efformat, aptum saporibus dignoscendis instrumentum, vt suo quoq; loco mõstrauimus. Tangendi facultas *tangibiles qualitates differentiasue animaduertit, vt sunt durities, mollities, lentitia, friabilitas, leuitas, grauitas, densitas, raritas, asperitas, læuitas, crassitudo & tenuitas.* Vt autem reliquæ facultates propriis conclusæ sunt instrumẽtis, ita tangendi facultas nullo proprio coercet organo. Cum. n. tactus ad animantis vitam sit maxime necessarius, toto corpore æquabiliter, neruorum ope fusus est. Vt toto cœlo

Tangendi facultas. Tangibiles differentiæ. Aristotelis error.

E erret Arist. qui in libello *de sensu* organum tactus in corde locare videtur. Porro iam ordine cõmemoratas facultates, alii quinque sensus externos nominant, non certe q; foras expromti sint & ꝓmineant: id enim falsum esse vel vnus odorandi sensus satis ostendit: sed quod externarum rerum propriis instrumentis cognitionem capiant. Atq; hæc de prima animalis facultatis differentia dixisse satis sit. Mouens facultas vt vnum, idq; certum sibi vendicat instrumentum, musculum nimirum: ita & motionis modũ ipsum obtinet vnum, voluntarium scilicet. Hæc sane facultas, quæ voluntatis imperio mouet, alio nomine καθ' ὁρμὴν, & πρακτικὴ proprie vocatur, quasi *factricem* dicas. Tertia animalis facultatis differẽtia princeps, quod a principe parte prodit, triplex est, Galeno auctore, nempe *imaginatrix, rationatrix, & memoratrix.* Aristoteles, Theophrastus, Themistius, & Peripatetici fere omnes, quartam adiiciunt, quam *sensum communem* nominant. Hanc

Sẽsus quinque externi. Mouens facultas. πρακτική. Princeps facultas. Imaginatrix facultas.

F autem Gal. sub imaginatrice complexus est. Nam hæc imagines ab exterioribus sensib. oblatas apprehendit, & singulorum sensuum obiecta discernit. Quod dum facit, necesse est, vt formas & imagines, quas sensus præbẽt & renuntiant, retineat: adeo vt digressis iis, quę sensus ciebant, illorum tamen vestigia & effigies diutius hæreant, & cunctentur in nobis. Quapropter sub imaginatrice facultate id etiam, quod alii sensum cõmu-

Galenus sub imaginatrice facultate sensum communem quare complexus. Communis sensus cur dictus.

nem nuncupant, Galenus merito complexus est. *Communis* enim nulla alia de caussa vocatus est, quam quod externis sensibus ceu famulatu multiplici ac vario vtitur, ipseq; instar regis ac principis, & tanquam iudex pro tribunali sedens, vt Themistii vtar verbis, de omnibus, quæ quinque illi sensus suis quinque officiis perfuncti annuntiarunt, pronuntiet, censeat, & iudicet. Vt igitur Philosophi sensum communem veluti e suggesto rerum omnium imagines a ministris & nuntiis sensibus extrinsecus allatas, & ante sepositas contemplari, apprehendere, adeoque externarum rerum varietates discernere, internoscere, iudicare, continere, & recondere statuunt: ita quoque Galenus hęc omnia imaginatrici facultati tribuit. Altera principum facultatum est, quam Galenus διανοητικὴν, Latini *cogitatricem, & ratiocinatricem* appellant. Hæc vtique conceptas species & imagines sub censum & iudicium reuocat, ac quæ qualesque illæ sint, iudicat, adeoq; ratiocinatur aliud ex alio eliciens, componit denique & diuidit. Omnes vero ratiocinandi notiones ab imaginibus & spectris rerum externarum, & quæ sub sensum cadũt, proficisci hoc argumento colligitur: quod quem natura cęcum, surdumque progenuit, is non possit Geometriam edoceri: neque qui odoratu destitutus est, aut gustu, possit vllam de odoribus & saporibus cognitionem animo concipere, & qui non sentit, nihil discere, vel intelligere potest. Hæc facultas; quæ de singulis ratiocinatur, contemplatur, consultat, ac iudicat, Hippocrati γνώμη, hoc est, *mens*, Galeno διάνοια, id est, *ratio*, Philosophis intelligentia nominatur. *Memoratrix* facultas, quæ Galeno μνημονευτικὴ appellatur, quod a prioribus est receptum, & elaboratum, ceu fidissima tutrix, conseruat, retinet, ac veluti in horreũ condit, & quod firma contentione seruauit, in vsus tum expromit, quum ceterę iam cessant. Ceterum principes facultates totius sunt cerebri, in cuius toto corpore fusę sunt, ideoque suas actiones non certis ac diuersis cerebri locis exercent, sed in toto potius cerebro. Vnde palam fit, iuniores ab antiqua & veteri Philosophia, atque medicina prorsus defecisse, qui imaginatricem facultatem priore cerebri parte, ratiocinatricem media, memoratricem posteriore collocarunt: vel, vt ipsi loquuntur, imaginationem in anterioribus cerebri ventriculis, cogitationem in medio, memoriam in postremo ventriculo hætere putant. Hæc enim opinio ex Arabum factione *primum nata*, nullis rationibus stabilita, partim ficta pueriliter, partim effutita temere, ita demum iactationem habuit in populo. Siquidem non est necesse, principes illas, & interiores, vt alii vocant, facultates sedibus & instrumentis disiungere, quum vna eademque essentia contineantur, sede vna firmentur, similique vtantur instrumento corporeo, quanquam efficiendi ratio est diuersa. Hinc est, quod Galenus nusquam ista domiciliorum distinctione vsus sit, sed simpliciter principes facultates sedem in cerebro habere tradit, idque non solum de sua, sed & Hippocratis, atque Platonis sententia. Vt inde perspicuum fiat omnibus, librum de corde inscriptum, non esse ad Hippocratem auctorem referendum. Nam in eo manifeste docetur γνώμην, hoc est, *rationem in sinistro cordis ventriculo habitare*. Verum sunt etiam alia multa in hoc libello dogmata Hippocrate indigna, & a ratione plurimum abhorrentia. Vt hoc nomine nihil, aut parum illi libello fidendum sit. Si itaque Hippocratis, Platonis, & Galeni rationibus iuniores non cedunt, audiant saltem vniuersam Græcorum medicorũ familiam, qui omnes ad vnum iisdem principiis informati, læsa memoria non modo occipiti, sed toto capiti ac cerebro remedia adhibere præcipiunt.

Ratiocinatrix facultas. (B)

γνώμη. διάνοια. Memoratrix. (C)

Sedes principum facultatum.

Error iuniorum detectus. (D)

Liber de corde, non est Hippocratis. (E)

De vitali facultate. Cap. IIII.

Vitalis facultas cur dicta.

Altera facultas, cuius vnius sedes est in corde, vitalis, quod vitam in vniuersum diffundat & deriuet corpus, dicitur. Nam ceteras omnes, quum adhuc rudes & incoatæ sunt, perficit, easdemque quoad viuit animal tuetur, & ad agendum impellit. Id plane declarat syncope, in qua tantisper dum vitalis facultas corporis partes nõ gubernat, reliquæ quoq; facultates omnes pariter intermissionẽ faciunt. Mox autẽ vt ea excitata reuixerit, ac seipsam collegerit, omnes illæ quasi recreatæ recurrunt. Proinde tanta est vitalis facultatis necessitas, vt citra illius opem reliquæ ne minimum quidem efficiant. Hinc recte, vt comprehensum est, vitalis nomen ei impositum est, quod præstantiore magisque salutari vitæ genere corpora illustret, vnaque reliquarum omnium perseuerantiam, & firmitatem contineat. Est enim animantium vita, facultatum

Vitalis facultatis necessitas. (F)

A cultatum actionumque earundem conseruatio, a corde cum influente calore profecta. Est aût hæc facultas a reliquis, nempe animali & naturali, secus ac nonnulli arbitrãtur, diuersa. Ab animali, vtpote cuius motus omnis est ad arbitrium, qui orta defatigatione sensim ingrauescit, atque demum intermittit. Cordis aût & arteriarum motus non est in nostra potestate, vt nobis pareat, sed perennis, constans, & continuatus, nullius caussæ vi lacessitus, & qui nunquam interrumpi potest. A naturali, quod hæc corporis nutritioni duntaxat addicta sit & mancipata, nec tam apertos motus expromere soleat. Ab vtrisque vero esse diuersam vitalem, vel hinc etiam fit manifestum, quod hæc læda tur aliis illæsis. Quippe quum quis pestilenti febre male torquetur, affligiturque cordis dolore, vomitione, animi defectione, quumque pulsus obscurus & imbecillus depre- B henditur, quis tum ambigere potest facultati in corde vitali, cuius hæc sunt opera, negotii plurimum exhiberi, aliis quidem, aut nihil omnino, aut multo minus agitatis? Vt enim alia morborum genera, aliis solent facultatibus malum quoddam inferre, sic hoc maxime pestilens vitalem vim obsidet, oppugnat, atque demolitur. Vnde plane perspici potest, vitalem non modo cogitatione, &, vt dicere solent, ratione, sed reipsa ab aliis facultatibus differre.

Vitalis facultas a reliquis diuersa.

Naturalis facultatis genera. CAP. V.

NAturalis facultatis, vt multa sunt opera, ita quoq; variæ differentiæ, primariæ quidem ac principes tres, generatrix, auctrix, & altrix, quas Aristoteles *lib. 2. de anima,* C *cap. 4.* vegetatrices nominat. Generatrix, vel, *vt alii vocant,* procreatrix, est, *quæ substantiam commutat & conformat.* Dum enim quæuis substantia in alteram commigrat, vt semen in os, cartilaginem, aut neruum, ea propriæ essentiæ commutationem subeat necesse est: alioqui enim eadem substantia maneret: simul vero vt aptam & cõuenientem suæ naturæ figuram accipiat, oportet. Quapropter erunt sane procreatricis seu generatricis facultatis duæ partes, quib. illa absolute cõpletur, nempe imutatrix, & formatrix. Prior partis vniuscuiusq; substantiã qualẽ cernimus, ex semine, vel ex sanguine ꝑduxit. Posterior illi compagem, formã, & situm propriis vsibus idoneum contulit. Generatricis itaque proprium munus est, partes singulas, ipsumque adeo fœtum expromere. Auctrix facultas est, *quæ corpus quoquo versum porrigit, ac profert.* Quoquo versum autem por- D rigitur, dum in longitudinis, latitudinis, & profunditatis dimensiones dilatatur, & ampliatur. Auctricis itaque facultatis proprium munus est, in omnem partem proferre, quæ iam nata sunt, & integram formæ suæ absolutionem obtinuerunt. Altrix facultas Græcis θρεπτικὴ, & ὁμοιωτικὴ, id est, *assimilatrix* nominatur, est, *quæ adiectum alimentum in corporis substantiam conuertit, eique assimilat.* Quum enim corporis nostri substantia assiduo fluore variis ex caussis cõtinenter dissipetur, *vt lib. 1. de tuenda sanitate, Galenus fusius monstrauit,* proprium certe altricis facultatis munus est, nonnihil substantiæ pro disperdita sarcire, quod quidem vel par est ei, quod effluxit, vel eo vberius, vel parcius. Id quod efficit, vbi alimenta in corporis substantiam mutat & assimilat: vt palam sit, altricem facultatem ab auctrice non solum appellatione, sed & actionibus, & editis operibus plu- E rimum dissidere. Auctrix enim facultas, non quemadmodum altrix, circa alimentum versatur, sed circa corporis partes solidas. Has enim quoad sinunt, in omnem partem efferunt, atque dilatant, quibus diffusis tum deinde altrix alimentum nititur apponere, affigere, & assimilare. Ceterum auxiliares vel ministræ altricis facultatis sunt quatuor, attractrix, retentrix, alteratrix, seu concoctrix, & expultrix. *Attractrix* facultas, quæ Græcis ἑλκτικὴ dicitur, est, *quæ conuenientem particulæ succum appetit, & attrahit.* Conueniens autem & familiaris cuique particulæ succus est, qui maxime vt huic assimiletur, adeoque vt inde alatur accomodus est. Hæc itaque facultas materiæ copiam, ex qua quæuis particula nutritur, suppeditat, & alteratrici famulatur. Facultas vero ista non solum corporis partibus, sed & stirpibus, ac nonnullis medicamentis inest. Stirpes enim F congruentem e terra succum, magnes ferrum, purgantia medicamenta vnum quempiam humorem, aliqua etiam infixos corporis aculeos substantiarum similitudine illiciunt, atque attrahunt. Vim enim similitudo habet ad conciliandam amicitiam: amicita ad societatem consuetudinemque ineundam. Igitur hæc similium amicitia vna caussa est efficiẽs, vt non modo animantiũ particulæ, sed & stirpes omnes quicquid fa-

Generatrix facultas.
Generatrix duabus cõpletur partibus.
Immutatrix.
Formatrix.
Auctrix facultas.
Altrix facultas.
Altrix facultas ab auctrice diuersa.
Altricis ministræ.
Attractrix facultas.
Attractionis caussa.

miliare est, & salutare prolectent. Quicquid vero nocens, & aduersum aspernentur & A
respuant, & ab ipso, tanquam a pestiferis, nisi forte vtiliū premantur inopia, abstineant.

Retentrix facultas.

Retentrix facultas Græcis καθεκτικὴ vocata est, *quæ attractum succum eo vsque retinet, donec alteratrix eum in naturam partis, quæ nutritur, mutauerit.* Hæc manifestissime iis partibus inesse apparet, quæ magnam obtinent cauitatem, vt est ventriculus, vterus, & vesica. Euidentissimum vero est, hanc alteratrici ministrare.

Alteratrix.

Expultrix.

Alteratrix facultas Græcis ἀλλοιωτικὴ, est, *quæ id, quod attractum, & aliquandiu retentum est, alterat, immutat, concoquit, & parti, quæ alitur, apponit & assimilat.* Expultrix facultas, Græcis ἐκκριτικὴ vocata, est, *quæ a concoctione inutilia & aliena segregat, & excremēta singula ex corporis particulis pellit, ne si moram diutius in corpore trahant, putrescant.* Hæc itidē, vt retētrix, alteratrici ministrat. Commerata vero altricis facultatis genera vnicuique corporis particulæ inesse, tribus in libris B de naturalibus facultatibus inscriptis Galenus aduersus Asclepiadem, & Erasistratum acerrime disputans, copiose demonstrauit.

Naturales facultates quæ habeat instrumenta.

Fibræ triplices.

Porro iam dictæ facultates fibrarum opemunus suum perficiunt. Quanquam enim concoctrix facultas nullum fibrarum genus, sed innatum duntaxat nobis calorem ad concoctionem accommodat, tamen reliquæ tres munus suum per fibras exsequuntur, attractrix quidem rectis, expultrix transuersis, retentrix obliquis. Vt enim in musculis fibræ nutu nostro & arbitrio contractæ, & ad suam originem quasi reductæ motum efficiunt: ita & naturalibus instrumentis accidit, rectis fibris solius naturæ instinctu cōtractis, breuioribusque factis alimētum attrahi: transuersis autem adstrictis, subditam capacitatem in angustiam adduci, & quicquid ea cōtinetur expelli, & detrudi. Quia vero obliquæ fibræ intentæ nec breuiorem, C nec angustiorem partem reddūt, seruata quadam naturali æquabilitate & constantia, omnia plane continent, nihilque vel attrahunt, vel expellunt. Quibuscunque igitur naturalibus instrumētis triplex huiusmodi facultas accessit, triplex etiam fibrarum genus est concessum, vt ventriculo, & vtero. Quibus vero vnica data est, vt intestinis, simplex fibrarum genus obtigit.

DE ACTIONIBVS. SECTIO VII.

Quid actio & opus. CAP. I.

Actio quid.

Motus duplex. Actiuus. Passiuus.

ACTIO functione, quæ Græcis ἐνέργεια dicitur, *Galeno lib. 1. de natural. facultat. & libr. 1. Therapeut. Meth. cap. 6. attestante*, est motus actiuus siue efficiens, D qui a facultate procedit. Vel *motus efficientis.* Vt hinc palam sit, motum esse duplicem, nempe actiuum & passiuum. Actiuus est, *qui a se & propria natura editur.* Passiuus, *qui ab alio quopiam, extrinsecus posito, excitatur.* Verbi gratia. *volatio est actio animalis volatilis, & incessus animalis gressilis, eo quod a natura propria horum animantium excitatur.* Quod autem ab alio sic agitur, vt locum mutet, id vtique non agit, sed patitur. Egit igitur, qui ex Pireo Sunium commeauit, quippe motus est actiue, hoc est, ex seipso, & propria natura. Contra passus est, qui ex Pireo Sunium nauigauit, siquidem naue vectus est. Quum itaque necesse sit omne id, quod agit, moueri, is certe motus, qui ab agente efficitur, actio erit.

Opus quid.

Opus autem, quod ἔργον Græci nominant, est E id, quod iam per actionem factum & completum est, vt *sanguis, caro, neruus.* Ceterum licet quidem actionum opus quoddam naturæ appelles, ceu concoctionem, distributionem, & sanguificationem: non tamen contra licet opus actionem omnino voces. Siquidem caro naturæ opus est, non tamen est actio, patetque alterum eorum nominum bifariam dici, alterum non item. Nam opus interdum actionem, interdum etiam id, quod per actionem factum est, significat. Actio vero duntaxat motum efficientem denotat.

Actiones corporis esse tres. CAP. II.

Animalis actio.

CVm actio non sit nisi motus actiuus a facultate procedens, constat tot esse corporis nostri actiones, quot eiusdem sunt facultates. Sunt autem tres, *vt ostensum est*, F corporis facultates, animalis, vitalis, & naturalis: igitur totidem quoque eiusdem erunt actiones. Animalis itaq; actio est, *quæ ab animali facultate, interueniētibus neruis, & musculis, veluti instrumentis, procedit, vt est sensus, motus voluntarius, ratio, & id genus aliæ.*

Vitalis.

Vitalis est, *quæ a vitalis facultate ministerio arteriarum proficiscitur, vt pulsus cordis & aliæ.* Naturalis est,

quæ

A *quæ a naturali facultate ope venarum progreditur, vt concoctio.* Hæc Galeno *libr. 6. de tuen. va-le. cap. 2.* alio nomine σωματική, id est, *corporalis*, quod scilicet corpori animantis a natura insita sit, appellatur. Nec est, cur aliquem turbet, quod Galenus *libr. 2. de motu musculorum*, duas tantum corporis actiones recenseat, animalem & naturalem, præterita prorsus vitali. Nam illic sub naturali vitalem complexus est, quod ex definitionibus earundem, quas ibidem affert, omnibus sit notissimum. Animalem enim ita finit, est, quam, quum sit, sedare poteris, vbi velis, & quum non sit, excitare. Hinc quum ex nostro pendeat arbitratu, non immerito alio nomine voluntaria appellatur. Contra naturalis illi est, quæ non pendet a consilio, aut arbitrio animantis, sed sponte & naturaliter fit. Qua vtique finitione nō solū eas actiones, quas vulgus medicorū naturales vocat, sed & eas, quas vitales priuatim appellamus, comprehendit. Est namque hoc modo motus cordis & arteriarum, quem pulsum nominamus, actio naturalis. Quippe hunc neque sedare, neque excitare, neque celeriorem, neque tardiorem, neque crebriorem, neque rariorem efficere licebit. Hoc sane nomine factum est, quod Galenus *libr. 1. de spirandi difficultate* ζωτικὴν, id est, *vitalem actionem*, animali plane opponat, vt palam sit omnibus, nihil referre, vtrum tres, aut duas actiones corporis nostræ esse fateamur, modo instar Galeni has definiamus. Præstat tamen in actionibus recensendis facultatum numerum, quandoquidem ab illis proficiscantur, retinere.

Naturalis. Corporalis. Obiectio diluitur. Animalis actionis finitio. Naturalis. B

Animalis actionis differentiæ. CAP. III.

C FAcultas animalis in tres partitur, *vt suo expositum loco est*, species, sensificam, motricem, & principem, & quæuis illarum suas edit actiones. Sensifica enim quinq; actiones edit, visionem, auditionem, odoratum, gustum, & tactum. Has quidem actiones philosophi sensus exteriores appellant. Visio *autem est actio qua colores percipiuntur.* Auditio, *qua soni, & eorundem discrimina sentiuntur.* Odoratus, *qua odores apprehenduntur.* Gustus, *per quem sapores discernuntur.* Tactus, *qua quidem qualitates tum primæ, tum secundæ, itemque aliæ, quæ non sunt aliis sensibus propriæ, percipiuntur.* De quibus omnibus cum copiose Philosophi in libris, de anima tractent, non est, cur hic de illis longius agamus. Motrix facultas vnam obtinet actionem, quæ *Galeno lib. 2. de temper. cap. 3. & libro 3. de sympto. caussis, cap. 10. & lib. 12. Thera. meth. c. 7. teste*, πρακτική, id est, *factrix*, vel, vt alii interpretantur, *actuosa* proprie, quod scilicet omnium earum, quæ a cerebro prodeunt, efficacissima sit, & sola fere actionis nomen mereatur, dicitur. Hæc autem per musculos veluti instrumenta editur & perficitur. Nec abre dictum est proprie, siquidem generatim practica actio est, quæ cum motu locali fit. Qua sane ratione attractio, retentio, distributio, & expulsio, quæ tamen naturales sunt actiones, practicæ nominantur. Quippe hæ omnes non sine motu perficiuntur. Ceterum quum proprie vocata actio practica & voluntaria, per musculos obeatur, omnibus perspicuum esse arbitror, respirationem non compositam esse actionem, ita sane vt partim voluntaria, partim naturalis sit, quod plerique falso sunt opinati, sed meram voluntariam. Siquidem per musculos illi destinatos fit, adeoque ex arbitrio nostro pendet, quod Galenus *in libello de caussis respirationis & in 2. de motu musculorum* copiose demonstrauit. Ibidem enim historiam quandam refert de barbaro quodam seruo, qui respiratione retenta mortem sibi consciuit. Quod si non liceret vsquequaque respirationem cohibere, ne idcirco quidem aliquis negare posset, quin ipsa pro arbitrio fieret. Apparet enim earum actionum, quæ motu voluntario fiunt, alias quidem omnino liberas esse, alias vero affectibus corporis subditas esse, & seruire. *Priores* vtique perpetuo absque impedimento a nobis, quoties, & quantum volumus, nulla ad eas nos vrgente necessitate fiunt. *Posteriores* vero nō perpetuo, sed in tempore quodam, & cum mensura, a quibusdam corporis affectibus lacessitæ, fiunt. Nam ire ad aliquem, & alloqui, & capere aliquid, & recipere, absolute liberæ sunt. Egerere vero, & mingere, corporis affectuum sunt remedia, ideo non perpetuo libere, sed vrgentibus affectibus fiunt. Sic tacere nobis quidem liberum est. Sunt enim qui integrum annum, & eo amplius, quemadmodum Pythagorici, tacuerunt. Egestionem vero vel vrinam retinere, non modo annis aliquot, sed ne mensibus quidem, imo nec diebus paucis quisquam potuit, sed affectibus vrgentibus tum egerere, tum mingere cogitur. Adeo n. ii vrgent, ac sępenumero angūt multitudine grauãtes, vel acrimonia mordētes

Sensificæ facultatis actiones. Sensus exteriores. Visio. Auditio. Odoratus. Gustus. Tactus. Motricis facultatis actio πρακτική. D Practica actio generatur. Respiratio actio voluntaria tantū. E Actionū quæ motu voluntario fiūt duplex differētia. F Pythagorici.

vt quidam ne locum quidem consuetum adire valuerint. Quare quanquam liberę sunt A
& voluntarię actiones vrinæ & egestionum retentio, non tamen prorsus & absolute, sed
corporis affectibus seruiunt ac subditæ sunt. Similis profecto iam dictis est respirationis
actio, imo iis multo magis vrget, ac celeriorem necessitatem habet. Siquidem ne quis
moriatur ac suffocetur, periculum est, nisi assidue respiret. Nihil igitur mirum, si peni-
tus retinere respirationem arduum & difficile sit, neque enim omnes ad moriendum
Principis facultatis actiones. sint procliues, etiamsi infinitis conflictantur malis. Est tamen nihilominus ipsa anima-
lis ac voluntaria, vt *dictum est*, actio. Principis facultatis actiones triplices esse constat, i-
Imaginatio. maginationem, ratiocinationem, & memoriam. Imaginatio est, *per quam imagines ab ex-*
Ratiocinatio. *terioribus sensibus oblatæ apprehenduntur*. Ratiocinatio, *qua conceptæ imagines sub censum & iu-*
dicium reuocantur, ac quæ qualesque illæ sint iudicantur. Memoria est, qua id, *quod a prioribus a-* B
Memoria. *ctionibus elaboratum atque receptum est, conseruatur & retinetur*. De quibus omnibus cum co-
piose pertractent Philosophi, non est cur hic de illis longius disseramus.

Vitalis actionis differentiæ. Cap. IV.

A Vitali facultate, quæ etiam *irascibilis & animosa* dicitur, multæ proficiscuntur actio-
Pulsus cordis. nes, nempe arteriarum & cordis pulsus, de *qua suo diffuse tractabimus loco*, motus cor-
Motus cordis. dis, cuiusmodi sunt *lætitia, tristitia, spes, desperatio, confidentia, metus, amor, odium, misericordia,*
inuidētia, ira, iracundia, excandescentia, furor, verecūdia, pudor, cūctatio, præcipitatio, humanitas,
Lætitia. *& morositas*. Lætitia vero, *motus est, quo cor præsente fruitur bono*. Proinde eius veluti quædā
Tristitia. Spes. dilatatio est, qua præsens obiectum amplectitur. Tristitia *motus plane contrarius est, quo cor* C
quasi percussum constringitur, premitur, angitur, tremit, & languescit. Spes est motus, *quo cor fu-*
turum bonum appetit, seque ad illud accipiendum veluti aperit ac præparat. Et persimilis prope-
modum hęc motui lætitię est, propterea quod futuri boni cogitatione ita mouetur cor,
Desperatio. ac si præsens fere iam bono aliquo frueretur. Desperatio *est motus, quo cor de futuro bono*
Confidētia. *ac salute prorsus desperat, seque ad ea accipienda veluti auertit*. Confidentia, *est motus, quo cor vel-*
uti futurum bonū exspectat, vel futuri boni exspectatione aliquid audet. Metus *est motus, quo cor,*
Metus. *veluti futurum malum fugiens constringitur*. Estque similis tristitiæ, futuri enim mali cogi-
Amor. tatione mouetur cor perinde, vt præsenti aliquo malo. Amor *est motus, quo cor appetit ali-*
Odium. *quod seu vere bonum, seu quod videtur bonum, idque vt eo potiatur, quasi attrahere gestit*. Odium
Misericordia. contra *motus est, quo cor aliquod tanquam malum auersatur, idque depellere gestit*. Misericor- D
Inuidentia. dia *est motus cordis ex miseria alicuius iniuste laborantis ortus*. Inuidentia contra *motus propter*
Ira. *res secundas alterius concitatus*. Ira *est motus iniuria, vel indignatione aliqua concitatus, quo cor*
offensionem aliquam auersatur, eiusque auctorem pœna afficere conatur. Incalescit autem cor in
eo motu, & incendit spiritus, qui sanguinem etiam inflammant, vt rectissime Galenus
lib. 2. de tuenda sani. cap. 11. ex Platonis in Cratylo, & Aristotel. lib. 1. de anima sententia, iram esse
caloris feruorem in corde dixerit. Distat ab iracundia, vt quæ vitium sit hominis ira-
Iracūdia. cundi, id est, eius, qui parua, vel nulla caussa irascitur. Iracundiam tamen Latini sæpe
Excandescentia. pro ira vsurpant, iram contra nunquam pro iracundia. Excandescentia est *ira nascens, &*
Furor. *sine modo exsistens*. Hæc si acrius exardet, furor appellatur. Verecundia *est motus, quo*
Verecundia. *dedecus & turpitudo fugitur, lausque consequitur*. Pudor *est motus, quo conscius sibi ipsi propter*
Pudor. *admissam turpitudinem irascitur*. Cunctatio *est motus, quo quis magna deliberatione aliquid ag-* E
Cūctatio. *greditur*. Præcipitatio *contra motus est, quo quis omnia inconsulte, & temere, citraque deliberatio-*
Pręcipitatio. *nem aggreditur*. Humanitas *motus est cordis, quo quis se erga alios facilem, lenem, & comem ex-*
Humanitas. *hibet*. Morositas *contra motus est, quo aliquis se difficilem præbet*. Possem longe plures vitalis
Morositas actionis differentias, earundemque descriptiones recensere, sed has exempli gra-
tia commemorasse sufficiat, præsertim cum iis omnium philosophorum libri referti
sint.

Naturalis actionis differentiæ. Cap. V.

A Naturali facultate, quę etiam concupiscibilis & appetitrix nominatur, vt ostensum
est, multæ prodeunt actiones, vt sunt *generatio, immutatio, formatio, auctio, nutritio, al-* F
Generatio. *teratione, appetentia, attractio, retentio, concoctio, distributio, & excretio*. Generatio siue pro-
creatio, actio est, *quæ ad nouam substantiam perducit*. Quapropter simplex actio naturæ
Immutatio. non est, sed ex immutatione, formationeq; composita. Vt enim os fiat, item neruus, ve-
na & reliquarum quælibet, alteratam esse oportet, vnde animal fit, substantiam. Vt ve-
ro con-

A ro congruentem figuram & posituram, & caua quædam, & vel enata, vel adnata, aliaq; id genus habeat, effingi eam oportet, quæ alteratur, materiam. Auctio vero *solidarum animalis partium argumentum, ampliatioque in longum, latum, & profundum est.* Nutritio est *adiecti alimenti in corporis substantiam conuersio, & perfecta assimilatio.* Vt nutritio sit quædam appositio, & assimilatio, sed sine ampliatione. Quippe vt assimilatio fiat, agglutinatio, siue adhærentia, quam Græci πρόσφυσιν vocant, præcedat oportet: sicut etiam vt illa fiat, appositio, quæ Græcis πρόσθεσις nominatur. Postquam enim succus is, qui omnem animantis particulam nutriturus est, a vasis excidit, in totam eam primũ dispergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur. Appetentia *Galeno libr. 1. de symptom. caussis, cap. 7. attestante*, non est *nisi impletionis desiderium, estque duplex, animalis nimirum & naturalis.* Animalis est, *qua animal excitatum, ad quærendum sibi & capiendum cibum impellitur.* Atque hæc profecto recte animalis appellatur, quod scilicet ex arbitrio animalis pendeat tota. Id quod abunde comprobarunt, qui inedia sibi mortem consciuerunt. Naturalis appetentia *animalem præcedit, & est, qua tum stirpes, tum animalia postquam vacuata sunt, vt rursus impleantur, id quod illis familiare est, appetunt.* Et recte quidem naturalis nominatur, est enim voluntatis expers, & naturaliter fit. Appetentiam hanc naturalem statim attractio excipit, *qua id, quod illis congruit ac familiare est, attrahunt.* Quod vero ad animantia pertinet, *postquam* appetentia ventriculi attractionem incitauit, quæ sibi adduxit, sinu suo complexuque recipit, eaque retinendi facultate, & obliquarum fibrarum ministerio includit, complectitur, retinet, & arcet supra subterque, & omni ex parte adeo compresse, vt iis circumiici, & prorsus adhęrescere videatur, nec inane quicquam relinquat. Alioqui cibus in tanta capacitate huc illuc fluitans, neque lateribus ventriculi coarctatus, haud quaquam plene concoqueretur. Hæc itaque ratione accepta cohibet, nec ante legitimum naturæque præscriptum tempus effluere quicquam patitur, nisi quum aut magnę copiæ pondere, aut qualitatis mordentis acrimonia lacessitur. Vt in duabus plane rebus retentricis facultatis proba consistat actio. Vna, vt nullum inter ventriculum & cibos vacuum relinquatur spatium. Altera, vt comprehensionis tempus, concoctionis tempori æquetur. Vt legitimum comprehensionis ventriculi tempus, non sit nisi id, in quo plenam perfectamq; concoctionem absoluit. Non autem quæuis vel leuissima cibi alimentiue mutatio, qua id aut exteritur, aut mollitur, aut odore, saporeue mutatur, sed ea duntaxat, quæ a natiuo calore fit in alimento perfecta substantiæ conuersio *concoctio* dicitur. Hinc rectissime Galenus in *libro de symptomatum differentiis* definit concoctionem, *esse in peculiarem & propriam familiaremue eius, quod alitur, qualitatem conuersionem.* Quocirca eo duntaxat loci hæc fit, vbi alimentum diu multumque hæret, & facultas illa retentrix valida est, simulque concoquendi facultas copioso abundat calore. Hoc autem tribus tãtummodo locis concessum est, e quibus etiam triplex exsistit concoctio, quarum prima in ventriculo, secunda in iecore, tertia in singulis partibus fit. Sua vero cuiusque antecedit præparatio, suaque sequitur absolutio, suum cuiusque alimentum tanquam subiecta materia, suus genitus humor, suumque excrementum. Prima omnium est χύλωσις, quæ in ventriculo perficitur, mutaturque multiplex & varium alimentum in quippiam vnius substantiæ, quod candidum quidem est, & cremori ptissanæ persimile. Alimentum autem omne mutat & conficit ventriculus, nullis quidem fibrarum adminiculis, sed tum proprio ingenitoque calore & spiritu, tum eo, quem vt lebeti magno circumiectus ignis, ita & proximæ partes illi inferunt, iecur, lien, cor, septum transuersum, & omentum, quod illius calorem reflectit, & continet. Ceterum propria ventriculi substantia, & insita reconditaque quædam proprietas concoctionis illius absolutionem perficit. Sic Struthiocamelus ferrum concoquit & exterit, q; non potest leo calidissimus. Sic fruges aridas & præduras minutæ aues conficiunt, crudumque quippiam mutant, quod vix audeat homo attingere. Ita coturnix veratrum coquit & mitigat nobis prorsus inimicũ, inuictum, indomitũ, & q; omnẽ corporis nostri vim, omnes conatus respuit, & aspernatur. Porro alimẽti tamen, q; vẽtriculus subigit ac mutat, pręparatio quædam in ore prægressa est, qua non atteritur modo & mollitur cibus, sed & leuem subit conuersionem. Quippe qui ante durior & solidior erat, dentib. in ore cõstructis mansus extenuat, & mollior reddit, nec leuẽ inibi mutatio-

Marginalia: Formatio. Auctio. Nutritio. Agglutinatio. Appositio. Appetentia. Animalis. Naturalis. Attractio. Retentio. Concoctio. Triplex cõcoctio. Prima cõcoctio vẽtriculi. Caussa efficiens cõcoctionis vẽtriculi. Alimenti præparatio in ore.

nem accipit, admiscetque sibi quodam modo animalis qualitates, vt pristinam speciem & naturam vix retineat. Hunc autem tandem ventriculi facultas concoctrix mutat, conficit, & plenius concoquit, atque ex eo humorem procreat, qui proprio nomine Græcis χυλὸς, Latinis *cremor* nominatur. Quod vero in hoc cremore longe optimum & familiare habetur, id *Galeno libro 3. natural. facult. teste*, halitus specie ad se rapit, inque suas tunicas sugendo recondit, eis etiam adiungit & agglutinat, atq; ex eo demum fructum voluptatemque capit, & quodam modo saturatur, non tamen proprie nutritur. Neque enim pastio illa, quam ex cremore capessit, vera est nutritio, sed ex qualitatis cognatione, & conuenientia oblectatio quædam, & satietas nutritionis æmula, quod scilicet ventriculo non assimiletur. Hinc est, quod Galenus religiose vitet, ne dicat ventriculum sibi assimilare chylum, sed tantum reponere, & adiungere. Neque est, cur quispiam miretur appositionem, & adhærentiam fieri, quam non consequatur assimilatio. Quippe idipsum fit etiam in vitiligine, in qua certe adhærentia nutrimenti facta cernitur, non tamen assimilatio. Quapropter id, quod apponitur & agglutinatur, *Galeno etiam loco iam citato teste*, veluti nutrimentum est, non proprie nutrimentum. Ita ex chylo ventriculus nutritur quidem, at improprie, quia non assimilatur illi. Atqui instabit quispiam, & nobis ex *3. de naturalibus facultatibus libro*, locum obiiciet, in quo Galenus diserte dicat, *in tertia temporis portione ventriculum iam nutriri, iis quæ affixerat, plane sibi assimilatis*. Cui vicissim respondemus, verissima esse hęc Galeni verba, non tamē ad chylum esse referenda, vtpote qui non assimilari possit, quandoquidem non sit proprie, vt diximus, loquendo nutrimentum, sed ad id, quod ex oblato cibo ad se venæ ad ventriculum pertinentes traxerunt. Quippe id iam in sanguinem commutatum iis temporum vicibus apponitur, affigitur, & assimilatur, non chylus ipse. Nam cremor ille vacua tunicæ ventriculi spatia referciens, in vaporem fusus & extenuatus ad extremum vanescit. Quapropter famem siue appetentiam duntaxat animalem compescit. Quippe hæc a penuriæ sensu fit, quum venæ ex ipso ventriculo veluti emulgentes sugentesq; trahunt. Ventriculus vero huiusmodi suctionem non ferens, sed tanquam diuulsus, huius molestiæ remedium, cibum exquirit. Cibo autem oblato venæ ad ipsum conuertuntur, & ex eo, non ex ventriculo alimentum trahunt. Hoc vbi in sanguinem commutatum, appositum, affixum, & assimilatum fuerit, naturalem appetentiam sedat. Quippe hanc vna duntaxat sanguinis substantia per ventriculi corpus & molem effusa satiare potest, dum in eius naturam conuertitur. Animalem autem non modo sanguis, sed & cremor is in ventriculum demissus, compescit atque saturat. Vt igitur vtraque ventriculi tunica, interior nimirum & exterior ex qualitatis chyli, cognatione & conuenientia oblectationem quandam & satietatem nutritionis æmulam capessit, nec vere nutritur: ita ex sanguine, qui in venis est, quæ ad ventriculum pertinent, vere nutriuntur. Atque hinc est, quod Galenus *libr. 4. de vsu partium, cap. 19.* diserte scribat, *has venas a natura ad perfectam nutritionem ventriculi esse procreatas*. Quasi dicat, eam nutritionem, quæ ex chylo fit, quod is ventriculo non assimiletur, non esse perfectam. Neque est necesse, vt is chylus in iecore primum in sanguinem conuertatur, quandoquidem, *vt Galenus libr. 4. de vsu par. corp. humani*, auctor est, venis, quæ ad ventriculum & intestina pertinent, virtus quædam sanguifica inest, qua chylum in sanguinem, priusquam ille ad iecur perueniat, permutare solent. Præterea, assertionem nostram esse veram, nempe ex sanguine proprie nutriri ventriculū, hinc fit manifestissimum, ꝙ dū fœtus vtero continetur, totus ventriculus puro & syncero sanguine alitur, nullo nimirum tum in eius ventriculo exsistente chylo. Quia igitur nunc cumulatius atque perfectius is ali postulat, optima ratione similiter ex sanguine nutrietur, & incrementum suum capesset. Porro vt huius concoctionis excrementum est, quod Græcis ἀποπάτημα, Latinis stercus vocatur. Hoc excrementum in ventriculo vtili substantiæ confusum erat, sed ventriculum egrediens, postea e superioribus gracilibusue intestinis vniuersus cremor syncerus ac purus in iecur rapitur. Reliqua crassior, impurior, & fæcis æmula materia, in colum intestinum, mox in rectū irruit, illicq; donec expellat, hæret. Secūda cōcoctio in iecore perficitur, & priuatim Græcis αἱμάτωσις appellatur. Hac n. cremor e ventriculo haustus, propria iecoris vi, quę in eius potissimum substantia insidet, in verā sanguinis speciē conuertitur, quam a cremo-

re

Primæ cōcoctionis humor. Ventriculus cremoris benignitate fruitur. Totus vētriculus sanguine nutritur.

B

C

Ingestus cibus famem dūtaxat animalem sedat.

D

Primæ cōcoctionis excremētum. Stercus.

E

F

Secunda concoctio iecoris.

A re non modo colore, sed etiam vniuersa substantia plane diuersam esse constat. Hic sane adumbrationem quandam in venis mesenterii accepit. Præparant enim hæ cremorem iecori, conferuntque quasi rudimentum sanguinis, quale in eis per dissectiones deprehendi solet, idcirco sane quod a iecore initium ducunt, cuius proinde naturam referunt & æmulantur. Vires enim habent venæ non solum continendi, distribuendiq; sanguinis, sed etiam concoquendi, hasque a iecore originis suæ principio & quasi fonte, quemadmodum a ventriculo intestina mutuantur. Nam cibus in ipso etiam per intestina transitu elaborationem etiamnum & absolutionem completam adipiscitur, quod iners & otiosa nunquam esse possit, quæ in eis est commutandi facultas. Ceterum cremorem ope venarum mesenterii præparatum, & rudi quadam sanguinis forma adum-

Venæ mesenterii præparant iecori cremorem.

Venæ coquendi ac sanguificandi facultatem obtinent.

Intestina cibum concoquunt.

B bratum iecur accipit, & vera & expressa sanguinis specie ornat, & perficit. Vt alterius concoctionis vtilis humor non sit, nisi sanguis, aut, si vniuersa complecti velis, humor omnis, qui Græcis χυμὸς nominatur. Quo quidem nomine non modo purus syncerusque sanguis, sed illi etiam, qui cum sanguine gignuntur naturales, & nutritioni accommodati, humores notantur, atque designantur. Excrementum autem eius aliud est, quale quod florem in vino appellant; e tenuissima enim cremoris portione assa & torrida natum, quasi flammeam acrimoniam assumit, quocirca excrementum vere est, omnino præter naturam, nec alendo corpori accommodatum, & flaua bilis nominatur, atque in vesiculam, quæ iecori subest, reconditur, ac in priorem tenuium intestinorum partem, siue duodenum, *vt suo loco fusius monstratum est*, excernitur. Quanquam igitur mordax

Secundæ concoctionis humor. χυμοί.

Secundæ concoctionis excrementa.

Primum.

Vesicula bilis alitur sanguine.

C est & acris hic humor, vesiculæ tamen proprioque receptaculo tristis non est, aut infestus, sed mutua cognatione iucundus & amicus, ex quo illa voluptatem, & iucunditatis sensum percipit. Eo autem haudquaquam alitur, quod vsquequaque amarus sit, nullo benigno succo perfusus, sed sanguine, quem suscipit per venam ipsius ceruici insertam. Alterum est, quale quod fæcem in vino nominant, ex crassa terrenaque cremoris portione factum, quod naturæ concoctionem subterfugit, neque iecoris vi mutari potuit. Hoc a liene insita facultate, qua sibi gratus est, & suauis, attrahitur, & subinde in ventriculum euomitur, a quo exiens vna cum sicciori alimenti excremento per omnia intestina permeat. Postquam enim in illius venis & arteriis, quæ illic multæ sunt, & ingentes, elaboratus fuerit, non vniuersus, neque crassior illius portio, sed tenuior duntaxat

Alterum.

Lien quomodo alatur.

D lienis fit alimentum, & in eius carnem sensim illabitur. *Tertium* excrementum, quod e iecore, venis, & arteriis profunditur, eiusmodi plane est, quale in lacte concreto serum. Hoc renes a sanguine trahentes, & ad se rapientes, ad vesicam transmittunt, vrinaque nuncupatur. Hæc autem vesicam non alit, sed sanguis, qui per peculiares venas vtrinq; in illius ceruicem insertus influit. *Tertia* concoctio in singulis partibus fit, qua appositus adiectusq; sanguis iam a priore natura deficiens, in idoneam alendæ partis substantiam conuertitur. Hæc rudimentum quoddam & primordium capit in venis exilibus, in quibus sanguis a partis natura & calore mutatur. Eius autem absolutio est perfecta assimilatio, atque nutritio, omnium concoctionum finis. Huius vtilis succus est vniuersum eorum humorum genus, qui secundarii appellantur, *de quibus supra diffuse egimus*. Eorum

Tertium.

Tertia concoctio in singulis partibus.

Præparatio tertiæ concoctionis.

E vero excrementorum, quæ in singulis animalis nascuntur partibus, ex ipso vnde aluntur succo, aliud quidē ceu semicoctæ quæpiam reliquiæ, quæ assimilari nutriendæ parti nequiuerunt: aliud, quod transmittendi alimenti vehiculum fuit. Tenuissimum autem huius generis excrementum facile sane eiicitur, partim in speciem vaporis ab insito calore solutum, partim violento motu confertim erumpente. Nominant vero, quod ita excernitur, *sudorem*. Alterum vero, quod vulgo est incognitum, vt quod conspectum præ tenuitate effugit, a Græcis ἄδηλος αἰσθήσει διαπνοὴ, Latinis *insensilis sensumue latens transpiratio*. Ab hoc excremento, iis sordibus, quæ extrinsecus cuti adhærescunt, origo est. Atque ex iis, quæ iam diximus, qua ratione in singulis concoctionibus, tum distributio, tum excretio fiat, palam fit omnibus, nec vt de singulis verba faciamus est ne-

Tertiæ concoctionis humores.

Excrementa.

Sudor.

Insensilis transpiratio.

F cesse. Vnum tamen adiiciendum prioribus erit, nempe attractionem, retentionem, distributionem, & excretionem, quum non sine loci mutatione fiant, practicas quoque dici, vt supra etiam est monstratum, actiones.

Naturalium actionum e numero quæ practicæ dicantur.

Actiones corporis a medico cur considerandæ. Cap. VI.

DVabus potissimum de caussis actiones corporis a Medico accurata opera sunt cōsi-

Ex actionibus corporis constitutio dignoscitur.

Actio læsa laborantem partem prodit.

Num actio nulla lædatur, nisi pars quæ ipsã efficit laboret.

siderandæ. Vna, quod ex illis, quæ, qualisque corporis sit constitutio promte, cognosci possit. Eam enim constitutionem, quæ intra sanitatis limites consistit, illæsæ & inculpatæ actiones sequuntur. Morbosam vero vitiosæ, & culpabiles. Altera, quod ex actionibus læsis laborans pars dignoscatur. Siquidem nulla actio læditur, *Galeno etiam lib. 1. de laboran. locis, cap. 2. teste*, nisi pars, quæ ipsam efficit, laboret. Id quod tamen non de omnibus actionibus, sed de naturalibus duntaxat intelligendum erit. Nam naturales actiones, perinde atque facultates, a quibus illæ prodeunt, omnibus corporis partibus sunt insitæ & cognatæ, vt Magneti lapidi vis trahendi ferrum, vt nihil mirum sit actionibus iis læsis, partes quoque, quibus illæ insunt, necessario lædi. Quapropter non est simpliciter concedẽdum, nullam actionem lædi posse, nisi etiam pars, quę ipsam efficit, laboret: sed prius de actionibus, ac earundem instrumentis distinguendum erit. Quippe si hæc verba ad animales actiones transferas, nihil iis magis absurdum dici posset. Cum enim illæ ipsæ partibus non sint insitæ, sed aliunde, nimirum a cerebro, vbi animæ sedes est, in eas deriuentur, sæpenumero certe impediuntur, etiam si nulla in partibus, quarũ actiones sunt, noxa exsistit. Non leuis itaque inter naturalia & animalia instrumenta vocata differentia est, quam luculenter admodum lib. 1. *de laborantibus locis cap. vlt.* iis docuit verbis: *Plurimum differunt*, inquit, *naturalia ab animalibus instrumentis. Siquidem naturalibus connata actionis vis est, animalibus vero instrumentis a principio, veluti lumen a sole, ipsa defluit. Quapropter accidit, vt ipsis interdum haudquaquam læsis, nihilominus eorum pereat actio. Id quod naturalibus instrumẽtis accidere non solet: quoties enim horum actio læditur, semper ipsa prius laborant*. Hæc ille. Quid multa? quum animalia instrumenta cognatum sensus & motus principium non habeant, sed iis aliunde velut lumen a sole suppeditetur, nihil mirum si solis partibus, quæ & sentiendi & mouendi vim obtinent, accidat, vt ipsis interdũ haudquaquam laborantibus ac læsis, eorum nihilominus pereat actio. Contra vero in naturalibus eueniat, vt quoties horum actio læditur, semper ipsa priora laborent. Innatam namque & insitam, qua actiones suas perficiunt, omnia facultatem habent.

Differentia inter naturalia & animalia instrumenta.

A

B

C

DE SPIRITIBVS. SECT. VIII.

Quid spiritus. Cap. I.

CVM de humanis spiritibus hoc loco disserendum sit, initio, vt implicatam huius nominis rationem expediamus, necesse est. Spiritus autem propria significatio omnibus in linguis ventus est. Cum vero ventus præpotens sit, mirabiliaque efficiat, & oculorum nostrorum obtutum effugiat, affinitate quadam & similitudine factum est, vt spiritus nomen ad rem omnem, quæ sub aspectum non cadit, transferet, siue corporea ea sit, siue incorporea. Hinc fit, vt quæ in nobis inest substantia auræ tenui persimilis, spiritus appellationem subeat. Non est igitur spiritus nisi pertenuis, vaporosa, aerea, aut si mauis ætherea substantia, per quam facultas a partibus principatum in corpore obtinentibus in reliquas corporis partes defertur, vt proprias actiones edere possint. Vt hinc etiam palam fiat, spiritum esse facultatum veluti vinculum, primumque obeundæ actionis instrumentum. Est autem a corpore & humoribus quippiam diuersum, quod Hippocrates *6. Epidem. 8. sectione, aphor. 8.* impetum faciens nuncupauit, non a substantiæ tenuitate, sed quod eius, vt venti, vis & incursio magna sit, & vndiquaque momento temporis corpus facile penetret. Qua igitur ratione istos ciet impetus, intelligitur affinitatem habere cum corpore: qua autem videri non potest, ad incorpoream substantiam accedit, ex quo fit, vt amborum medius sit, & vtriusque particeps. Quod si vero quispiam spiritus substantiam & statum nondum plene assequitur, is corporis nostri structuram contemplatus arterias adeat, inque cordis sinus & in cerebri ventriculos introspiciat, quos dum inanes ac nullius prope humoris participes, videbit, neque tamen frustra ac temere tantos a natura conditos, mox, opinor, cogitatione apprehendet prætenuem auram, eos, tum impleuisse, dum in viuis fuit animal, quæ tamen eo animam agente leuissima quum esset, sine sensu euanuit. Esse autem spiritum substantiam aeream, hinc maxime liquet, quod huius fouendi gratia inspiratione aerem introducimus, qui non modo corpori refrigerationem (hæc enim satis posset aliunde comparari) sed pabulum quoque ministrat. Corporis autem densa moles eiusmodi subsidio haudquaquam indiget, vt quæ crassiore recreatur alimento, omnium elementorum permistione concreto. Quapropter necessum est, aerem hauriri

Spiritus quid.

Impetum faciens.

Spiritus est substãtia aerea.

D

E

F

& at-

A &attrahi, vt finitimæ in nobis sui generis substantiæ, nempe spiritui, iungatur, eique velut in pastum cedat. Quod confirmat Hippocrates, qui in libello de Alimento ita scriptũ reliquit: ἀρχὴ τροφῆς πνεύματος, ῥῖνες, στόμα, βρόγχος, πνεύμων καὶ ἄλλη διαπνοή: id est, *Principium alimenti spiritus, nares, os, aspera arteria, pulmo & reliqua perspiratio.* Minime itaque absurdum est dicere, *vt Argenterius censet*, spiritum seu spirituosam substantiam ex aere inspirato ali & nutriri. Quanquam enim verum est, nihil nutriri proprie loquendo, nisi quod solidum sit ac viuit: tamen καταχρηστικῶς & improprie sæpe etiam ea, quæ non viuunt, nec solida sunt, ali dicuntur a rebus, a quibus conseruantur & recreantur. Et vt alia omnia omittamus, habemus Hippocratem eius loquendi rationis auctorem, maximæ auctoritatis virum, qui aerem, vt dictum est, spiritus esse alimentum memoriæ prodidit, & disertis verbis in iam citata sententia affirmauit.

Spiritus ex aere nutritur.

B

Quot sint spiritus. Cap. II.

DE spirituum numero inter medicos non cõuenit. Sunt enim, *qui triplices*, & hi quidem numero superiores: sunt etiam, qui *duplicem tantum esse* affirmant: est quoque Argenterius, qui *vnum duntaxat esse* contendit. Sed si quis ad ea, quæ præcedenti Capite diximus, diligenter respexerit, promte se ex ista sentẽtiarum varietate explicabit. Nam de Galeni sententia, duo sunt primarii spiritus, *insitus & influens.* Insitus est, quem multis in locis sua lingua σύμφυτον nominat. De quo in eo, quod præcessit capite, abunde dictum est. *Influens*, qui a principiis, corde nimirum & cerebro, prodit, & in vitalem & animalem, naturali, qui illi sua lingua φυσικὸς appellatur, in dubio relicto, ab aliis prorsus excluso, digeritur. Nam *lib. 12. Thera. method. cap. 5.* in eum scribit modum: *Quod si naturalis quoque aliquis spiritus est, vtique is quoque in iecore & venis continebitur.* Nihil aũt mirum, Galenum de φυσικῷ, hoc est naturali spiritu, dubitasse. Nam spiritu naturali, qui nutriendi facultatem ad corporis partes deferat, non esse opus videtur, quod ea omnibus corporis partibus, haud secus atque magneti lapidi vis attrahendi ferrum, & succino paleas, *vt in libris de naturalibus facult. demonstrauit Galenus*, insita & innata sit. Proinde naturali spiritu, qui hãc facultatem a iecore ad alias partes deferat, haud indiget. Accedit, quod iecori desit materia, ex qua naturalis spiritus procreari possit. Si enim vlla materia, vnde naturalis procrearetur spiritus, esset, certe vitalis, vnde etiam animalis, *vt infra latius dicetur*, generatur, esset spiritus. Non est autem rationi consentaneum, ex vitali, ac eo perpauco, naturalem constitui posse, & postea in totum corpus longe lateq; diffundi. Quum enim vitalis spiritus generatio in corde sit, & ab eo per arterias in vniuersum corpus diffundatur, necessarium esset, magnas arterias ad iecur peruenire, spirituum vitalium tantos riuos suppeditantes, qui pro naturalis spiritus materia sufficerent. Ex dissectione vero ipsa satis constat, ad cauas duntaxat iecoris sedes, arterias, & eas quidem exiguas, exporrigi, vt huius calorem euentilarent, temperarentq;. Hæ autem non tantam spiritus vitalis copiam illuc deferunt, vt inde naturalis gigni queat, quando palam sit, plures esse corporis partes, quæ naturali, quam quæ animali egent spiritu. Omnibus enim, vt nutriantur, opus est, at non omnes sensu & motu indigẽt. Præterea nulla est in iecore tanta cauitas, quanta in corde & cerebro exsistit, in qua naturalis spiritus tanquam in officina aliqua generatio cõmode fieri posset. In corde enim sinister est ventriculus, spiritus vitalis officina: in cerebro autem ventriculi illius effatu digni. Sed nec canales aut meatus suppetunt, per quos vbi iam genitus esset, ad partes corporis deferretur: nisi quispiam dicat per venas vna cum sanguine spiritũ naturalem transire, quod tamen absurditate non vacat. Neque enim corpus venarum vnica dũtaxat tunica contextum patitur, vt per illud spiritus meare possit. Huc accedit, quod iecoris sanguis, vtpote crassus ac turbidus, necdum ab excrementis emundatus, ad spiritus generationem non sit idoneus. Denique quum quæuis particula calorem de corde iugiter manantem concipiat, quo conseruato enutritur & generatur, animalem vero spiritum a cerebro habeat, e quo mouetur & sentit, superuacaneus certe sit naturalis necesse est. Proinde quũ nec finis adsit, ob quem spiritum naturalem gigni oporteat, nec materia, vnde procreari vel conseruari possit, nec locus idoneus, in quo gignatur, nec via, per quam ad corporis partes deriuetur: merito ille omittendus videtur, præsertim quum citra eius famulitium iecur suum principatum tueri valeat, distributo nimirum per ve-

Spirituum numerus.

Galeni sententia.

σύμφυτος.

C

φυσικὸς.

Cur Galenus de naturali spiritu dubitauerit.

D

E

F

Epilogus dictorum.

nas omnibus corporis partibus alimento. Vt iis motus rationibus Galenus, non immerito an aliquis sit spiritus naturalis dubitauerit. Galeni sententiæ subscribit Auerroes, *primo collectaneorum lib. cap. decimoquarto*, inquiens, *Spiritus duo sunt, spiritus apparens in corde, & spiritus apparens in cerebro: sed spiritus in hepate non apparet per viam sensus.* In errore igitur versantur Argenterius & Montanus, qui Galenum aliquot ex eo productis locis naturalem statuere spiritum contendunt. Nam omnia hæc loca, quæ ipsi ad naturalem, quem ille φυσικὸν vocat, detorquent, de συμφύτῳ, id est, insito eidem nominato loquuntur: *vt ex superioribus satis patuit.* Sed iam, q̃ sit Galeni de vitali & animali influentibus spiritibus sententia, exponemus. Inter partes corporis principatum obtinentes, cor & cerebrum, tum natura, tum spiritu præpotente valent: hincque adeo fit, vt non seipsa duntaxat gubernent, sed alios de se spiritus, tanquam iugi de fonte, promant, in totum corpus propriis ductibus deriuatos. His namque quicunque sunt singulis partibus insiti spiritus, aluntur & conseruantur. His quoque ad functiones suas cõcitati, perpetuam operum functionem, *vt dictum est*, edunt. Vt hinc etiam intelligatur, præter insitum spiritum, qui stabilis & in vnaquaque parte fixus est, duos, minimum, insuper errantes, vagos, & influentes esse spiritus: vnum vitalem, quem cor assidue per arterias emittit: alterum vero animalem, qui in cerebri ventriculis genitus, hincque per neruos profectus partibus sensum & motum suppeditat. Neq; enim necessarium fuit spiritum innatum esse mobilem, quod per se ad edendas actiones potens non sit, sed sufficiebat influentem talem esse, vt scil. mobilis, singulis partibus insitum spiritum ad edẽdas functiones excitaret. Vitalis autẽ spiritus generatur a cordis natura & proprietate, ex sanguinis vaporibus depuratis, & aere attracto & inspirato, *Galen. lib. 12. Thera. meth. cap. 5. auctore.* Hic corpori vitam suppeditat, ac vitalibus functionibus ministrat, mutuato sane a facultate cui seruit nomine. Vitalem autem spiritum generationis suę materiam ex humorum exhalatione siue euaporatione, & aeris inspiratione sumere, *Galen. lib. 7. de Hipp. & Platonis placitis, cap. 6. testatur.* Vt igitur spiritus vitalis nutritur & conseruatur, tum ex sanguine, tum ex inspirando: ita vicissim perit suffocatione materiæ tota essentia contrariæ admistione, nutrimenti defectu, vacuatione immodica, impedita inspiratione, & transpiratione. Suffocatur autem obstructione, & redundantia, non solum partium principum, sed etiam vniuersi corporis. Oppletis enim venis, aut obstrictis, vel principum partium, vel totius corporis, natiuus calor, adeoque spiritus opprimitur, & suffocatur. Admiscetur vero aliena substantia inspiratione aeris pestilentis, aut vaporis alicuius tetri odoris, qualis ex stagnis, paludib. & cadauerib. non crematis, aut alia corrupta substantia exhalare solet. Spiritus igitur vitalis in corde domiciliũ habet, & per arterias in omnes corporis partes defertur. Portio aũt vitalis spiritus, quæ per arterias sursum ad cerebrum fertur, vna cum aere, qui per nares inspiratur, in implexu in dextro & sinistro cerebri vẽtriculis constituto, quiq; ab extimi fœtus inuolucri imagine nomen inuenit, & χοροειδὴς dicitur, ob frequẽtes eius anfractus ad cerebri vsus magis magisq; adaptata, & a cerebri facultate perfectius cocta & elaborata, spiritus fit animalis clarissim⁹ ac tenuissimus, ad motũ sensumq;, & ad omnes denique animales actiones apte cõparatus. Animalis igitur spiritus ex vitali pfectius cocto orit. Proinde quũ oporteret ipsum exquisitissimam omnium immutationẽ adipisci, natura illi diuturnã cõcoctionis moram, non quidẽ reticularẽ illum extra cerebrum plexum, *vt Gal. censuit*, q̃ nullus huiusmodi in homine reperiatur, sed potius plexum illum, qui, vt cõprehensum est, choroides dicitur, & quasi labyrinthus varius, in cerebri ventriculis fabricauit. Spiritus itaq; vitalis vi ac proprietate, spiritus, qui cerebro insitus est, mutatione iam dicta accedẽte, spiritus fit animalis. Hic vero, vt *Gal. quoq; loco supra citato auctor est*, primum cerebri in actionib. tum sensilibus, tum voluntariis edendis instrumẽtum est. Quo respiciens Hippoc. illum animæ essentiam esse dixit. Paratum autẽ a cerebro spiritum nerui iis, quib. hunc mãdari oportet partibus, communicant. Aere quoq; per nares inspirato, & vndequaque vbi aditum reperit, & maxime per foraminula odorum gratia in octauo capitis osse exsculpta, & per ea etiam, quæ palatum & fauces spectant, ad cerebrum perlato, ac ibidẽ elaborato, fomentũ incrementumq; recipit. vt rectissime Gal. hunc nũc ex vitali, nunc ex aere inspirato, nũc ex sanguine gigni & nutriri dixerit. Vt mirari habeat Argẽterium, qui fieri nõ posse putat, vt aer inspiratus ad plexũ ferri possit. Non fert quidẽ ad plexum

Argẽterius & Montanus Galenũ nõ recte naturalem statuere contendunt.

De influentibus spiritibus, vitali & animali.

Vitalis spiritus procreatio.

Spiritus vitalis quibus de caussis perit.

Animalis spiritus generatio.

Argenterii opinio improbata.

A B C D E F

A plexum reticularem, qui in homine, vt cõmemoratum est, nullus reperitur, sed ad plexum choroidem, per loca vtique iam ostensa. Gignitur etiã & nutritur ex sanguine, sed intercedẽtibus antea aliquot mutationibus. Imo fieri potest, vt etiam ex euaporatione eius sanguinis, qui in cerebri venis exsistit, augeatur & nutriatur. Quare non raro Argenterius nodum in scirpo, dum præter rationem veterum scripta parum candide interpretatur, quærere videtur. Ceterum vitalis & animalis spiritus, calidum & spiritum innatum insitumue membris augent. Nulla namq; in nobis pars aut calorem, aut insitum spiritum, aut vires ab ortu datas potis est retinere, citra influentium horũ spirituum vires: sed breui omnia tempore cõciderent, a principiorũ virib. destituta, nisi omnium insitæ vires influentibus a corde & cerebro facultatibus & spiritibus augerentur. Facul- B tates quoq; excitant, redduntq; aptas amplioris caloris beneficio ad propria exercenda officia. Quod innuere quidam volentes, spiritus esse facultatum vehicula dixerunt; & recte quidem: Nam facultates vitalis & animalis per spiritus, veluti sua vehicula, e suis quæque fontibus, per propria instrumenta, quæ etiam ab illis fontibus enascuntur, in omne corpus distribuuntur. Naturalis autem facultas, quum omnibus partibus insita sit, eiusmodi vehiculo, *iuxta Galeni sententiam*, non eget. Atqui hoc loco iis, quæ diximus, Argẽterius multis modis reclamat. *Quis enim*, inquit, *animo concipere posset, per neruos densa corpora, dura & solida, substantiam aliquam promte subire, vndique penetrare subito accedere, & recedere posse?* An non Argenteri, radii solis per vitrum, substantiam neruis multo den- C siorem, duriorem ac solidiorem penetrãt? Quid igitur mirum, spiritum, qui omnium, quæ in corpore nostro sunt, leuissimus & tenuissimus est, neruos penetrare posse? Quod si humor crassus ita interdum neruos penetrat & infarcit, vt facultatis transitum, quod ipse fateris, impediat: cur non multo promtius per eosdem spiritus meare posset? Sed pergit, inquiens: *Quod si motus voluntarius, & sensus prorsus desiderant spirituum immissionem in neruorum substantiam, cur non idem fit in motu arteriarum: & quare non mouentur arteriæ, nisi per tunicas illarumque substantias feratur vitalis spiritus?* Respondeo: Verisimile est etiam vitalem facultatem recipi a corde in arteriarum tunicas & corpora, tãquam ab eo ortam: atqui illa aliis partibus, tanquam exigua, non impartitur, nisi spiritus, qui in illarum cauitate, tanquam in canali cõtinetur, beneficio, arteriarum ad easdem partes deferatur. D Siquidem is spiritus, perinde atque calor a corde influens, facultatem a corde arteriarum substantiæ immissam, & aliis quoque partibus communicatam excitat, mouet, & ad agendum aptam facit. Quapropter arteriæ facultatem quam sumunt a corde, absq; spiritus ope & immissione non exercent, nec ad alias partes deferunt. Vt autem arteriæ absq; spiritu vitali facultatem suam exercere, & aliis partibus communicare non valẽt: ita etiam nerui vim suam a cerebro exceptam sine spiritu animali, eam excitante, & ad agendum aptam reddente, partibus aliis impartire nequeũt. Sed iterum instat Argenterius, dicens: *Si natura voluisset per neruos transire aliquod corpus, vtique cauitatem, vt venis & arteriis illis, dedisset aptam ad suscipiendam & continendam huiusmodi substantiam.* Respondeo, Nequaquã: quod enim venæ & arteriæ cauitatem habent, non ob spiritũ factum est, sed ob sanguinem, qui per has in totum corpus defertur. Spiritus enim insitus par- E tes etiam solidas promte penetrat, quod tenuis admodum sit. Si itaq; insitus per solida corpora penetrare potest, igitur etiam animalis, vt qui eiusdẽ cum insito, *vt ostendimus*, naturæ exsistit. Quare nihil mirum est, spiritum animalem solida instrumenta, neruos nimirum, permeare posse, etiamsi cauitatem non habent. Verum rursus vrget: *Si*, ait: *animalis facultas spiritu eget per neruos transmisso, quomodo fient opera principum facultatum? quas in cerebro absque neruis fieri credimus?* Opera principum facultatum non fiunt sine spiritu, quod ipse etiam fatetur Argenterius; sed sine neruis. Quum enim propria sint cerebri opera, in ipso cerebro fiunt, adeoque sine instrumentis, haud secus quã in iecore accidit, in quo sanguinis generatio fit sine instrumentis. Nam quum illæ actiones iam dictis F partibus a proprietate substantiæ insint, non egent instrumẽto, quod facultatem hanc ad eas deferat. Spiritus itaq; animalis facultati animali in cerebro vim suam præstat sine neruis: reliquis autem partibus, quæ a cerebro distant, per neruos, qui veluti instrumẽta ipsum ad eas deferunt. Quomodo enim vim suam exereret, vbi nõ esset? Nec metuendum est, ne ob vasorum & instrumentorum vicinitatem hi spiritus, quod suspicatur Argenterius, inter se misceantur & confundant. Nam ita inter se arteria & neruus distant,

Partes omnes tum insitis, tum influentib. facultatib. ac spiritibus gubernati.

Spiritus vehicula facultatum.

Argenterii obiectiones.

Opera principũ facultatum vt fiant.

vt neutra pars alteri confusa sit. Vt igitur inter se distinctæ sunt hæ partes, ita quoq; vitalis & animalis spiritus harum ministerio ad corporis partes delati, inter se confusi & misti nequaquam sunt. Deniq; quod inquit, *Sicut vnum est calidum innatũ, ita sufficit etiam vnum esse spiritum a corde duntaxat emanantem:* minime illi concedendum erit. Nam quum duæ sint facultates diuersis fontibus insitæ, vitalis nimirum substantiæ cordis, & animalis cerebro, q̃ peculiares & inter se differentes edunt actiones, necesse etiam fuit, vt duo spiritus ab iisdem fontibus promanantes, & has facultates in functiones suas concitantes essent. spiritus itaq; a corde promanans, nõ nisi vitalem facultatem excitat. Quapropter vt vitalis facultas modum & sensum in corpore efficere nõ potest, ita quoq; vitalis spiritus easdem actiones excitare nequit. Vt igitur necessario ad has functiones obeundas alia facultate opus est, ita quoq; alio spiritu, animali nimirum, qui eandẽ facultatem ad suas actiones concitet, opus erit. A B

Quomodo spiritus sursum, deorsum, & in omnes partes feratur.

Porro si quispiam dubitet, quo pacto spiritus tenuissima alioqui substãtia sursum, deorsum, & in omnes partes feratur, huic statim in mentem veniat: illud Hippocratis in libro de alimento, ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπάθεια πάντα, id est, *Confluxio vna, cõspiratio vna, consentientia omnia.* Quã quidẽ sententiam Galenus etiam multis in locis suorũ monumentorũ inculcat, præsertim vero *in lib. 1. de Medendi ratione*, vbi totum corpus σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, id est, *conspirabile & confluxile*, esse ait, idq; propter eum, qui est ab vna in alteram partem continuum transitum.

Totum corpus cõfluxile & conspirabile.

Nam ita ab opifice rerum corpus nostrum constitutum est, vt ad vniuersas eius partes nõ modo spiritus, sed & sanguis ac nutrimentum, eo multo crassiora corpora, permeare possint. Et si aer corpora nostra ingrediens, per vasa citra impedimentũ transire potest, quãto magis idipsum posse spiritum sibi aliquo modo congenerem putabimus? C Quũ itaq; suo impetu ad singulas corporis partes influens spiritus ferat̃, & per se mobilis, haud secus atq; calidũ innatum, sit, recte ab Hippocrate impetum faciens nominatus est. Atq; ita ẽt argumentum a crassitudine neruorum petitum, concidere sit necesse. Sed satis de Galeni sententia, qui duos tantũ influentes spiritus statuere videtur, iam diximus.

Opinio eorũ qui tres influentes statuunt spiritus.

Qui tres influentes esse spiritus censent, ii supra vitalem & animalem, tertium, nempe naturalem adiiciũt: de cuius quidem procreatione ita sentiunt. *Alimenti purior, inquiunt, magisq; aerea portio, concoctione in eam transit sanguinis tenuiorẽ substantiam, quæ vaporis calidi speciem exhibet.*

Naturalis spiritus.

Ea tum a facultate iecori insita vim accipiens, eiusq; vbertate perfusa, spiritus fit naturalis, reliquo sanguine tanto præstantior, quãto iecoris molem facultas ei naturaliter insita pręcellit. D Vaporem igitur hunc calidum ac crassiusculum, quem sanguis, qui ad alendas partes in iecore confectus est, defert, lata quadam significatione spiritũ naturalem vocant.

Vitalis.

Huius spiritus, quãtum per venam cauam vna cũ sanguine effert̃, & in cor inuehitur, illic denuo caloris innati vi accuratius elaboratũ attenuatumq;, in aeris prope speciem mutatur, atque decedit: & ex dextro cordis sinu per cõmunes, eosq; arctissimos aditus, in sinistrum sinum viam capessit ac permeat: vbi hausto per pulmones aere tẽperatum, materia quędam fit, cui calor & vis cõcessa vitalis, spiritum profert vitalẽ per arterias in totũ corpus diffusum atq; consertum.

Animalis.

Quæ portio vitalis spiritus per arterias sursum ad cerebrũ fert̃, eo, quo diximus paulo ante modo, spiritus fit animalis. Proinde iuxta illorum sentẽtiam vapor ille sanguinis in iecore natus, e quo spiritus fit naturalis, vitali primũ, deinde & animali sese materiam, & quasi alimentũ exhibet. E Quanto autem vitalis naturali tenuior est, tanto animalis vitali. Quum itaq; in substantia spirituum varietas insit, efficit profecto hæc ipsa, vt non vnius eiusdemque ii sint naturæ, quandoquidem etiam ipsorum diuersa sint officia. Huius igitur opinionis assertores præter insitam innatamque naturalem omnibus partibus facultatem in iecore communem & influentem statuunt aliam, ideoq; illinc quoque naturalem spiritum dimanare, qui eius distribuendæ sit vehiculum, necessario affirmant. Non enim, *dicunt illi*, sanguis ad id muneris satis est accommodatus, vt qui crassiore mediam inter corpus facultatemque substantiam est sortitus. Ergo tandem inferunt, *Vt vniuersum animal gubernant principes facultates tres: ita quoque totidem spirituum vehiculis, ex propriis fontibus, per suos canales in vniuersum corpus distribuuntur.* F Atque hæc quidem sententia, quæ spiritum naturalem quoque aliquem esse statuit, nihil absurditatis habet. Nam etiamsi nulla prorsus e iecore influens facultas esse conceditur, tamen verisimile est, aliquem saltem esse vapo-

A vaporem calidum, siue spiritum naturalem, qui facultatem hanc insitam vna cũ calore innato ad suas functiones excitat. Atque hinc est, quod Galenus nõ diserte spiritum naturalem negauerit, sed dubitabũdus tantũ dixerit: *Quod si naturalis quoq; aliquis spiritus est, vtique is etiam in iecore, tanquam fonte, & venis veluti instrumentis, continebitur.* Postremo ex iis, quæ diximus facile cognoscitur, an vnum tantum nobis esse spiritum influentem dicere liceat. Si enim ad materiam, vnde is generatur, nempe sanguinem ac humorum massam respexerimus, vnus dici potest. Siquidem vnus est sanguis, vna humorum massa, vnde per euaporationem omnes spiritus influentes procreantur. Quapropter vt vnus est sanguis, vnaq; humorum massa, quæ ad generationem & mutationem vniuersi corporis sufficit: ita vnus quoq;, qui ex eo sanguine per euaporationẽ fit, spiritus dici potest. Sin ad principes partes, in quibus ab illarum viribus & spiritibus insitis hæc euaporatio ita alteratur, vt ad vehendas hinc in alias partes earundem facultates idonea reddatur, tot certe spiritus esse fateri cogemur, quot sunt sedes ac fontes, in quibus illi continentur, & vnde in alias partes emanant. Vt enim e diuersis promanant fontibus, ita quoque eorundem diuersa sunt officia, adeoque ea de caussa nobis vnum tantum esse spiritum influentem dicere non licebit.

Cur Galenus de spiritu naturali dubitabundus loquitur.

An vnus sit spiritus influens.

B

Spirituum custodia qualis esse debeat. CAP. III.

QVum hactenus, quid sit spiritus, & quotuplex nobis, cõmemoratum sit, reliquum est vt nunc, *qua de caussa medicum hoc cognoscere necesse sit*, exponamus. Quippe quum sine spiritibus corpus nostrum viuere nequeat, nec facultatum essentia citra hos consistere possit, vt illorum rationem habeat, eosque diligenter cognoscat Medicus, & eorundem custodiæ maxime attentus sit, oportet. Custodiet autẽ, si curabit, vt spirituum substantiæ tum qualitate, tum quantitate, quoad fieri licet, naturaliter se habeant. Naturaliter autem se habebunt, si neque alterascant, aut immutentur, & si nihil substantiæ eorum vacuetur, aut defluat. Quum itaque in corpore generabili fieri non possit, quin quotidie aliquid de substantia spirituum defluat, atque adeo immutetur, id plane Medico agendum erit, vt quæ substantiæ portio defluit, hanc apponendo sarciat: quod vero alterascit, in iustum temperamentum per cõtrariam alterationẽ vindicet. Et si tum vacuatio, tum alteratio sensim paulatimque fiant, etiam correctio vtriusq; sensim administrabitur. Sin confertim, vel magna aliquando vacuatio, vel etiam adiectio incidat, & morbus ita efficitur, medendi quoque methodus ad eius curationem requiretur. Quæ qualis sit, Galenus *lib. 12. Thera. metho. cap. 5.* copiose admodum, & ex professo docet, vt necesse non sit, illam hoc loco inserere. Nunc igitur sermoni, de humani corporis constitutione, rebusque naturalibus vocatis, finem imponentes, ad rerum non naturalium explicationem progrediemur.

C

D

INSTITVTIONVM MEDICINAE LIBER SECVNDVS.

E

PROOEMIVM.

EXPEDITO primo ordine, qui fuit earum rerum, quæ corpus humanum constituunt & componunt: reliquum est, vt ad alterum transeamus, qui eas complectitur res, quæ corporis eiusdem cõstitutionem, modo recte ac commode vsurpentur, conseruant. Has certe Galenus, *cap. 85. artis medicæ*, eam ob rem caussas sanitatis cõseruatrices nominauit. Quippe legitimam corporis constitutionem, adeoq; sanitatem, qualem acceperunt, seruant. Nostri temporis Medicis res non naturales appellantur: quod scilicet naturam & constitutionem corporis nostri non ingrediantur, nec eiusdem essentiam compleant: tamen illud necessario alterent & immutent, & nisi oportune & salubriter adhibeantur, sanitatem & naturam hominis destruant. Hinc est, ꝙ etiam a nonnullis caussæ immutatrices nominentur. Siquidem vbi non recte adhibentur, sanitatem immutare possunt. Proinde duplici nomine res non naturales dictæ sunt, & quod nobis a natura non insint, sed forinsecus adueniant: & quod, nisi oportune, vt corporis cõstitutio exposcit, adhibeantur, ita corpus alterent, vt sanitatem etiam sæpenumero destruant. Sunt autem caussa-

Caussæ cõseruatrices.

Res nõ naturales.

F

Caussæ immutatrices.

Caussarum, quæ corpus nostrũ mutant ac destruũt, duo genera. Internæ. Externæ.

tum corpus nostrum mutantium ac destruentium duo genera. *Alterum* earum, quæ nobiscum sunt congenitæ, ideoque internæ dicuntur necessariæ quidem, atque ineuitabiles. Suntque numero tres, *siccitas* nimirum, quæ ætatis cursu ad interitum ducit, *assidua substantiæ fluxio, & excrementorum prouentus, vt fusius libr. 1. de mutenda sanitate Galen. demonstrat.* Alterum earum, quæ extrinsecus incidunt, quæ ob id externæ nuncupantur. Quæ iterum duplices sunt: *aliqua enim* non necessario corpus nostrum immutant, afficiuntque, adeoque vitari possunt: cuiusmodi sunt quæ contundunt, diuellunt, vulnerant, & alia permulta, de quibus nulla ars constitui potest. *Aliqua* vero corpus nostrum necessario immutant, quarum sex esse genera constat, nempe:

Numerus rerum non naturaliũ.

1 *Aerem siue ambientem.*
2 *Cibum & potum, seu ea quæ assumuntur.*
3 *Motum & quietem tum vniuersi corporis, tum singularum eius partium.*
4 *Somnum & vigiliam.*
5 *Exscretionem & retentionem.*
6 *Animi perturbationes.*

In earum caussarum genere, q̃ Galenus etiam loco paulo ante citato testatur, ars versatur, q̃ corpori tuẽdo dicata est. Sunt enim eiusmodi, vt corporis constitutionẽ incolumem, vbi probe, & vt necessitas corporis exigit, cum opportuna mensura & qualitate adhibentur, conseruare possint. Siquidem aere, cibo & potu substantia deperdita restituitur, adeoque senectus & siccitas, remoratur. Motu, quiete, somno & vigilia, aliisque modo comprehensis multa alia incõmoda, quibus sanitas destruitur, declinamus, & excrementa, quæ ex cibo & potu in corpore coaceruantur, vacuamus. Vt hoc nomine merito ad eam medicinæ partem referantur, quæ sanitatem tuetur, ac præcauet ne in morbos incidamus, Græcisque ὑγιεινὴ vocatur. Quapropter quum a rebus non naturalibus nominatis corpus nostrum non modo alteretur ac mutetur, sed & sanitas ipsa, vbi sinistre ac perperam adhibentur, destruatur, danda omnibus opera erit, vt illis sic vtantur, ne inde sanitas ipsa noxam vllam contrahat, sed per illas magis tueatur, foueatur, conseruetur. Vt igitur vitam morbis minime obnoxiam degamus, adeoque valeamus, quum, vt Martialis inquit, non viuere, sed valere vita sit: quis harum rerum rectus & legitimus sit vsus, solicite & accurata diligentia, exorsi ab aere, ex veterum monumentis iam demonstrabimus.

ὑγιεινὴ.

DE AERE. SECTIO I.

Aer quis optimus, & contra quis pessimus. CAP. I.

Aer cur Medico considerandus.

AEr duabus potissimum de caussis Medico attenta obseruatione considerandus venit. *Vna*, quod eius euitandi nulla sit ratio: sed inuitis etiam nobis, quod eo priuatum animal viuere nequeat, hauriendus, adeoque quouis tempore præsentis cœli statu vtendum sit. *Altera*, quod natiuus calor, ac spiritus eo ad sui conseruationem egeant. Vt rectissime a Galeno *lib. 9. Ther. method. cap. 4.* dictum sit, aerem eum plane esse, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas possit. Nisi enim assiduo bonus inspiretur, quo calor natiuus refrigeretur ac ventiletur, eius moderatio, in qua sanitas consistit, turbatur. Cum autem aer corpora nostra, vt experientia constat, mutet, adeoq; rationẽ modo materiæ sanãtis modo, caussæ morbum fouẽtis habeat: perspicuum euadit, sine illo morbũ tolli non posse, quod necesse sit ægros perinde ac sanos præsenti aere vti. Sedulo igitur agẽdum est, vt aerem habeamus, qualem esse expedit: hoc est, talem, qui præsentem sanitatem tueri, & morbum ingruentem abolere possit. Sanitatem autẽ tuebitur, qui optimus & saluberrimus est: morbũ aũt profligabit, qui illi contrarius est. Optimus vero aer est, qui tota sua substãtia exquisite purus est, nitidus, tenuis, patẽs, & liber, nullis inquinamẽtis obsitus, nulla putredine affectus, aut corruptela ꝑfusus, ventisq; difflatus: eiusmodi fuerit, qui nec stagnorũ, nec paludis halitu est infectus, nec ex ꝓfundo specu pestilentem auram spirat. Nec qui ex cloacis, quæ vastum aliquod oppidum, aut numerosum exercitum purgant, vitiũ contraxit: nec qui ex animalium, olerũ, aut leguminũ putredine, aut fimo coinquinatur: nec qui ob stagnum aut flumẽ vicinũ nebulosus est: nec qui editis vndiq; montibus in cauo loco & valle inclusus, nullum perflatum recipit. Contra pessimus est aer, qui turbidus & nebulosus existit, & qui æstatis maxime tempore

Pessimus.

A pore lacuum & paludum exhalationibus corrumpitur, & inficitur. Vnde in maritimis ad Oceanum magnum vrbibus accidit, vt ad finem æstatis, & sub autumnum appetentem, singulis fere annis pestis se ostentet. Eiusdem classis est, qui ex profundis specubus erumpit: quales sunt, quos Galenus *commentario primo libro Epide. in principio, & alibi* χαρωνίους βαράθρους nominat. Nam ita legẽdum, & non χωρωνίους, *vt habent nonnulli codices.* Quod ex Plinio fit manifestum, qui *lib. 2. cap. 93.* in eum modum scribit. *Spiritus lethales alibi, aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi volucribus tantũ, vt Soracte vicino vrbis tractu: alibi præter hominem, ceteris animantibus: nonnũquam & homini, vt in Sinuessano agro, & Puteolano sunt, quæ spiracula vocant, alii Charonias scrobes, mortiferum spiritum exhalãtes.* Hæc Plinius. Strabo in 14. Charonium antrũ vocat, & in Asia non procul ab vrbe nomine Acharaca

B situm scribit. Sed forte non ingratum erit eius subiecisse verba: *In via inter Tralles,* inquit, *atq; Nyssam, vicus est Nyssaensium, non procul ab vrbe Acharaca, vbi Plutonium est, luco sumptuoso circumdatum. Item Plutonis ac Iunonis delubrum, & antrum Charonium natura admirabile, quod luco imminet. Tradunt ægrotos, qui horum deorum curis vacant, eo proficisci, atq; in vico specui vicino apud sacrorum peritos immorari, qui pro eis indormientes curas ex insomniis captant. Hi Deorum remedia inuocantes, sæpe illos in antrũ ducunt: vbi tanquam in cauerna manẽtes, multos dies & ieiuni & quieti exsudant: nonnunquam ægrotantes propriis insomniis intendunt: ductu & cõsilio sacerdotum. Locus hic ceteris pestifer est, & inaccessibilis.* Hactenus Strabo: cuius verba, etsi prolixa, ideo recensere voluimus, vt Galeni loco aliquid lucis afferemus. In genere pessimus ac pestilens aer is est, q ex cloacis oppida magna & numerosum exercitũ expurgantib. ex-

C halat. Itẽ, qui ex cadauerũ insepultorũ putredine corrumpitur & inquinatur: q in bellis, & ingenti fame, vbi præ multitudine eorũ, qui moriuntur, nõ sint aut sufficiant vespillones. Cuius rei memorabile exemplũ est, quod anno a Christo nato 1438. in Thuringia accidit. Nam quum eo tempore tota regio immẽsa fame premeretur, factum est, vt panis inopia tot morerẽtur quotidie homines, vt omnes per totam regionẽ viæ, omnesq; in vrbibus, vicis ac villis plateæ mortuis corporibus refertæ essent, ita sane, vt non tantũ fame, sed & mox sequuta peste, multa hominum millia perierint. In cuius quidẽ rei memoriam Erfordienses pistores singulis annis, die diuo Marco sacro, in quo Papistico ritu institutę supplicationes celebrãtur, panes minutos, quos ob id *Marcesios* appellãt, pinsunt, ac venum proponunt: quorum vnus exigui orbiculi, qualibus catenę nobiliũ ador-

D nantur, magnitudinem referens, tum tribus nummis eius regionis vsitatis coemtus fuit. Quos certe panes ipse olim, quum illic tyrocinia facerem, non sine multorum admiratione, mecum in patriam attuli, vt illis, qui parum creduli essent, eius rei fidem facerem. Sed ad institutum redeamus: vt purus, tenuis, adeoq; optimus aer nulli non ætati, adeoque puero, iuueni, seni, & omni temperamento conducit: ita impurus, crassus, nebulosus, ac vitiosus, ex æquo omnib. ętatibus, omniq; temperaturę noxius est. Cauendus igitur omnibus modis aer impurus, intẽperatus, fœtidus, occlusus, venenatus, ac pestilens, vtpote qui spiritus, vitales præsertim, vitiet. Grassante igitur pestilentia, aer venenatus ac pestifer iis maxime, qui neque publici officii necessitate constricti sunt, neq; liberos, aut alios sanguine iunctos habent, quorum caritate deuincti manere coguntur, fugi-

E endus erit. Siquidem non solum Galenus & Hippocrates, verumetiam experientia ipsa testatur & confirmat, multo maximam partem eorum, qui in pestifero aere hærent, contagione infectorum oppetere mortem, & perpaucos euadere. Quare caussis iam dictis non obstantibus, Christiano etiam homini, cui medicina omni in morbo, tanquam Dei dono, vti licet, peste grassante, veluti præsidium Medicorum omnium testimonio laudatissimum, fugam arripere minime prohibitum est.

Lib. 7. de vsu par: cap. 8.
Gharonii specus.
Galeni locus emendatus.
Charoniæ scrobes.
Charoniũ antrum.
Thuringica fames memorabilis.
Grassante peste fugiendum.

Aer vitiosus vt emendandus. CAP. II.

QVÆ ex calore, frigore, siccitate, humiditate, diuersitas aeris contingit, nõ perinde se ad omnes homines habet: sed corporib. quę optimo tẽperamento sunt, etiam optime tẽperatus aer est saluberrimus. In quib. vero aliqua exsuperans qualitas dominatᵣ,

F iis vtilissim⁹ est aer, qui ei qualitati maxime est cõtrarius & aduersus, frigidus calidæ, calidus, frigidæ, humidiori siccus, sicciori quã par est, tanto humidior, quanto siccitas ipsa modũ excessit. Quapropter si accidat, vt ambientẽ contraria qualitate præditũ habere non liceat, sedulo agendum, vt talem, quoad fieri potest, qualem esse expedit, præpares. *Verbi gratia,* in calido & sicco morbo, qualis est febris, aerem frigidũ & humidũ esse conuenit.

Aer frigidus & humidus vt parandus.

uenit. Quod si talem habere nequeamus, arte nostra moliemur, vt morbo aduersetur, A adeoque sanantis materię non caussæ morbum fouentis rationem habeat. Humidiores itaque frigidioresque domos, in quibus æger decumbat, tum deligemus, tum vero præparabimus. Ac deligemus quidẽ, quæ ex seipsis eiusmodi sunt. Præparabimus vero, subterraneis inuentis domibus, quæ & frigidissimæ sint, & maxime perflatæ, & ad Septentriones versæ, tum auris quibusdam, quæ ipsis sint suaues, opera nostra paratis: alias ex euripis aliquibus, in quos multi aquarum fontes cum impetu incidant, aura, vt inspiret machinantes: alias aqua frigida de vasis in vasa transfusa. Præterea domus pauimento assidue aqua, quæ prorsus gelida sit, asperso. Floribus denique ac germinibus, quæ frigidæ humidæque facultatis sint, per aream proiectis: verbi gratia, *violis, nymphaea, rosis, vitium capreolis, ruborũ summitatibus, aut lentisci ramis.* Turba quoq; hominum ingredi prohibeatur: nam id quoque habitationem calefacit. Contra vbi frigidus & humidus fuerit morbus, curãdum certe erit, domos vt eligamus ac præparemus, q̃ calefaciant & exsiccent, floribus & germinibus humi fusis: verbi gratia, *chamæmeli, maioranæ, lauẽdulæ, spicæ nardi, & id genus aliis.* Quid multa? frigidis morbis calid⁹ aer opponẽdus calidis frigidus, humidis siccus, siccioribus humidus. Cum igitur aer caussæ sanantis rationem obtineat, non temere Hippocrates in Epidemiis scripsit: *In diuturnis morbus terram mutare expedit.* Siquidem verisimile est, aerem huic parum conuenire, qui in eo degens longo tempore ægrotat. Transferendus igitur in alium, sibi magis congruentem, & morbo plane cõtrarium aerem, erit. Atque hinc est, quod idem Hippocrates scripserit, *pueros, qui morbo comitiali laborant, mutatione potissimum ætatis, locorum, & victus a morbo liberari.* Ita quoque C Galenus *libr. 5. Ther. method. cap. 12.* testatur, eos, qui Romę, quod is locus destillationibus assiduis obnoxius esset, pulmonis vlcere laborauerunt, se ad Tabias, quod illic aer esset siccior, & ad curandum vlcus aptior, ablegasse. Est & hodie obseruatum, iuuenes aliquot vehementi tussi lancinatos, iamque tabis in periculum vocatos, quum nullis medicamentis subleuari potuerant, in patriam remissos, nullis aliis adhibitis remediis ob patrium haustum aerem sanatos esse. Verum, vt loci mutationem recte præscribere, ægrumque eo, vbi sibi congruentem aerem inueniat, ablegare medicus possit, primum locorum notitiam habeat, adeoque Geographiæ peritus sit, necesse est. Locorum autem notitiam consequetur, si vel ipse crebris peregrinationibus locorum situm ac diuersitatem perlustrando inquisiuerit: aut ex assidua lectione eorum, qui de iis aliquid D memoriæ prodiderunt, didicerit. Ex omnibus autem aliis vel vnus Strabo, plurimum ad id institutum adiumenti afferet Medico. Dein, vt ventorum quoque rationem cognitam habeat Medicus, oportet. Ad quam consequendam, plurimum conferet Hippocr. *sect. 3. Aphorismorum, aliisque in locis*: præterea Aristoteles, aliique, qui hanc rem ex professo tradiderunt, Philosophi. Postremo ad loci mutationem recte præscribendam, non parum astrorum ac syderum ortus & occasus cognouisse conferet, quod aeris & cœli constitutionem, quod experientia ipsa confirmat, mirifice immutent. Vt hinc etiam palam fiat, Medico necessarium esse, vt eam partem Astronomiæ, quæ astrorum ac syderũ ortus occasusue tradit, perspectam habeat. Eam vero, quæ superstitiosa quadam obseruatione ex astris nescio quæ portenta, & mendaciorum prodigia prædicit, ac fu- E turorum euentum vaticinatur, & ob id *Astrologia* ac *diuinatoria* nominatur, Medicus veluti certissimum artis impedimentum audacter contemnere debet. Quam enim superstitiosa rerum vanitate sit contaminata, adeoque Christiano homine indigna, & nefandissimis anilibusque figmentis ac deliramentis conspersa, ab aliis doctrina excellentibus viris abunde est monstratum. Et certe omnium odio digna est, quod libertatem animi actionesque nostras siderum necessitati perperam obstringit. Sed de aere hæc dixisse satis sit.

Aer calidus & siccus vt parandus.

6. Epide. sectio 5. Aphor. 20.

2. Apho. 45.

Medicus Geographiæ notitiam habeat oportet. Strabo.

Medicum Astronomiæ peritum esse oportet. Astrologiam Medicus contemnere debet.

DE CIBO ET POTV. SECT. II.

Quis cibi & potus vsus, & quot in illis assumendis consideranda. Cap. I.

Cibi & potus quis vsus.

QVoniam de cibis & potibus nunc differendum erit, initio, quis eorundem sit vsus, F explicabimus. Siquidem quum tota animantium moles in perpetuo fluore sit, nec vllum sit temporis momentum, quo non in aera dissipentur corporis spiritus, humores, ac solidæ partes, nisi altera similis substantia pro ea, quæ defluxit, restituatur, qua detrimentosum istud corporis defluuium expletur, breui tempore euaporabit atque dissipabitur

A sipabitur vniuersa. Contra hoc necessarium ac natiuũ miserę mortalitatis malum, Conditoris ꝓuidentia cibum & potũ vberrima benignitate dedit. Cibo igitur, quicquid sicciores substantię effluxit, restituitur & sarcitur: potione vero, quicquid humidioris. Hęc cũ ita se habeant, summo studio annitẽdum erit, vt illos tm̃ cibos assumamus, qui nos sic alant, vt quoad fieri potest, nos non lędant. Id vt consequamur in cibis assumendis nouẽ consideranda veniunt: nempe cibi bonitas, mensura, qualitas, consuetudo, delectatio, ordo, tempus, hora & ætas. De quibus omnibus ordine agemus. Nouem in cibis assumendis consideranda.

De cibi bonitate & malitia. Cap. II.

QVi corpus morbis minime obnoxium circumferre cupit, huic in hanc curam vnice incumbendum erit, vt cibis boni succi perpetuo vtatur. Siquidem ad procreandos morbos maximam vim obtinet B κακοχυμία: quæ nõ aliunde magis, quam ex mali & vitiosi succi cibis conciliatur. Boni autem succi cibus est, e quo bonus procreatur sanguis: bonus vero sanguis est, qui neq; iusto calidior, neq; humidior, neq; frigidior, neque siccior, non tenuis, non crassus, non pinguis ac lentus, non acris mordaxue, amarus, salsus, acidus, breuiter, perfectã adeptus mediocritatem. Mali cõtra succi cibus est, e quo malus generatur sanguis. Malus autẽ sanguis est, qui a descriptione boni sanguinis recedit. Non est autem, quod in mali succi cibis statim habeatur, quisquis a summa perfectione vel tantulum excidit: imo boni succi cibus erit, qui sanguinem faciet non tantum illum optimum, sed notabili atq; euidenti vitio carẽtem. Nam vt omnib. aliis in rebus aliquid omni ex parte absolutũ proponitur, quo se mens nostra, velut ad ideam referat, quum C de iis rębus cogitandum erit: ita in ciborum quoq; ratione nobis optimus aliquis cogitatione vsurpatur, ad quem in eorundẽ delectu perpetuo nos, veluti in scopũ aliquem, intentos esse oportet. Quem etsi raro ad plenum consequi nobis sit integrum, annitendum tñ nihilominus, vt is nobis contingat, qui paruo momento ab eo, qui optimus est, declinat. Neque paruæ rei magna hic habenda ratio: atq; in bonis adhuc locus ei relinquendus, qui proxime ad optimũ accedit, & notabili vitio vacat. Qui vero particulatim huius vel alterius naturę cibi sint, Galenus *in libello de cibis boni & mali succi*, breuiter & luculenter admodũ docuit. Est n. veluti compẽdium quoddam eorum, quæ copiosissime *in trib. libris de alim. facultatibus* tradidit. In quorũ sane 1. & 2. de panum & frumentaceorum generibus: in altero, de fructibus & stirpibus: in 3. de cibis, qui ex animalibus, carne D scil. lacte, & id genus aliis sumuntur, tractat. Vt non sit necesse hoc loco de singulis particulatim disserere, cum idipsum affatim & perspicue locis iam ostensis præstiterit Galenus. Ad alia itaq; explicanda, q̃ in ciborũ assumtione expendenda sũt, progrediemur.

Cibus boni succi. Bonus sanguis. Cibus mali succi. Malus sanguis. Liber Galeni de cibis boni & mali succi.

De cibi mensura. Cap. III.

SI vsquam locum habeat, quod ille dixit, *Ne quid nimis*: certe in ciborũ ratione habet. Proinde qui sanitati studet, huic præ omnibus aliis danda opera est, ne vllo tempore plus cibi, quam natura exigit, ingerat. Vbi enim plus cibi, quã pro natura ingestum est, *Hippocrate attestante*, hic morbum facit. Alta igitur mente omnibus reposita maneat hæc non minus vtilis quam breuis Hippocratis in Epidemiorum libris sententia, vbi ita inquit, ἄσκησις ὑγιείης ἀκοείη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων: *Sanitatis studium est, nõ satiari cibis, & impigrum esse ad* E *laborem.* Si enim quis ad satietatem vsq; ingerat cibum, cum iam vires grauet, fieri nõ potest, vt illum perfecte natura concoquat. Si vero non concoquitur, morbum pariat, adeoque pristinam sanitatem destruat & aboleat necesse est. Si vero mediocritate in assumendis cibis vsus fuerit, nũquam aut raro periculosum morbũ incurret. Lex igitur hęc præcipua sanorum esto, *ne immodice cibos ingerant: tantumq; cibi & pot⁹ assumant, vt hinc vires conseruẽtur, nõ opprimantur.* Ceterum non tm̃ sanos, sed & ægros hæc lex adstrictos habet. Siquidẽ & illic vnice confert, imo necesse est, vt in cibis assumẽdis legitimã mensurã teneant. Vt n. morbi sunt diuersi, ita aliã atq; aliã cibi mensurã postulant. In diuturnis nãque morbis pleni⁹, in acutis aũt tenuius cibandũ erit. Cui⁹ rei rationẽ reddit Gal. *lib. 1. ad Glauconẽ*, iis quidẽ verbis: *In acutis morbis, & qui ad vigorẽ celeriter perueniũt, si tenuiter omnino* F *cibare velis, haud magnopere lædes. In longiorib. vero, nisi per initia liberalius cibaueris, aut vna cum morbo hominem necabis, aut intempestiue victus ratio mutanda erit. Neque enim accedente vigore vberior victus, quam prius, sed contra omnium, qui per morbum exhiberi debent, tenuissimus in id tempus reseruandus est.* Quæ singula Hippocrates breui admodum sententia complexus est, inquiens: *Vbi morbus peracutus est, statim summos labores obtinet, & summe tenuissimo victu vtendum. Vbi vero non, sed pleniorem victum adhibere licet, tantum a tenuissimo victu*

2. Apho. 17. 6. Epide. sectio. 4. Aphor. 20. Lex præcipua sanorum & ægrorum. 1. Apho. 7.

declinandum, quantum morbus ipse summis leuior fuerit. Et iterum eodem loco. *Quando morbus in suo vigore fuerit, tunc tenuissimo victu vti oportet.* Vt hinc palam sit, quanto acutior est morbus, tanto illum vigori viciniorem esse, adeoq; in eo tenuiori victu vtendũ. Quanto autem contra diuturnior est, tanto illum a vigore magis abesse, & tenuem victum respuere, plenioremq; expetere. Proinde non temere dixit Hippocrates: *Victus tenuis & exquisitus in diuturnis quidem morbis semper, in acutis autem, vbi non competit, periculosus.* Vt itaque medicus in pręscribenda legitima cibi mensura non erret, ad duo, a quibus potissimum cibandi consilia petuntur, nempe morbi summum vigorem, & ægrotantis vires ille respicere debet. Id quod etiam Hippocrates faciendum esse iubet, dum ait: *Coniicere oportet, num æger possit cum victu ad vigorem vsque morbi perdurare: & nunquid ille prius deficiat, nec cum eo victu durare queat: aut morbus antea deficiat, & retundatur.* Hæc ille. Si itaque Medicus diligenter morbi vigorem, & vires ægroti expendat, haud facile neque in tenuis, neque in plenioris victus vsu errabit. Cum vero vtriusque error sit periculosus, alter tamen altero est deterior. Si diligenter inter se eorundem errores conferuntur, perspicuum euadet, deterius esse, si quis se a tenuiore victu ad pleniorem intempestiue transferre cogatur, quam si e pleniore in tenuiorẽ mutationem instituat. Nam vbi morbi ratione, qui iam versus vigorem properat, detrahendum maxime esset, ibi virtutis conseruandæ gratia adiicere cogitur Medicus. Atque id est, quod ab Hippocrate est dictum: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit, vt maiore afficiantur detrimẽto. Omnis enim error, qui committitur, maior fit in tenui, quam paulo pleniore victu. Propterea etiam iis, qui sani sunt, periculosus exsistit admodum tenuis, status, & accuratus victus, quod nimirum errores grauius subinde ferunt. Quapropter tenuis & accuratus victus, maxima ex parte periculosior est eo, qui paulo plenior exsistit.* Hactenus Hippocrates. Non autem ab re adiectum est ab Hippocrate, *Maxima ex parte.* Nam iis verbis quorundam imperitorum Medicorum erroneam sententiam explodere voluit, qui affirmant, Medicum quouis tempore in pleniorem, quam tenuiorem victum, proniorem esse debere: cum tamen tenuem non perpetuo esse periculosum, sed maxima tantum ex parte, Hippocrates asserat. Est enim, vbi pleniore victu in morbis non sine grauissima noxa vti liceat. Quippe in acutis morbis, qui celeriter ad vigorem perueniunt, si quis pleniore victu vsus fuerit, inemendabiles noxas afferet, eo quod naturam, quæ tum in coquendo morbo est, in suo munere impediat, & ad conficiendos cibos auocet. Quod autem noxæ non contemnendę e pleniore victu accidant, adeoque eo nomine non quouis tempore in pleniorem victum proniorem esse conueniat, in nostris super paulo ante citatam Hippocratis sententiam commentariis copiosissime demonstrauimus, vt necesse non sit, id hoc loco pluribus agere. Ad eius itaque Aphorismi enarrationem lectorem nunc ablegamus, ne in immensum præsentis libri moles accrescat.

[Margin notes: 2. Aphor. 8 — Duo sunt a quibus cibandi consilia petuntur. — 2. Aphor. 9 — Erratorũ tenuioris & plenioris victus inter se collatio. — 1. Aphor. 5 — Non perpetuo periculosus tenuis victus. — A — B — C — D]

De qualitate cibi. Cap. IV.

POst mensuram cibi, eiusdem etiam qualitas, tam in sanis, quam in ægris, a Medico accurata diligentia expendenda venit. Quippe in sanis, simili qualitate prædíti cibi: in ægris, contrarii sunt assumendi. Qui enim naturaliter se habent, adeoque sani sunt, eos in hoc statu seruare ac custodire oportet. Qui vero præter naturam afficiuntur, & cum morbis conflictantur, eorum statum immutare est necesse. Nihil autem seruatur, nisi per similia, neq; immutatur tolliturque quicquam, nisi per contraria: ideoque sani similes semper postulant cibos, ægri contrarios. Proinde temperamentum eorum, qui recte valent, per similes cibos conseruandum erit. Quod vero tale est, vt iam actiones offendat, id per contrarios demoliendum erit. Quorum itaq; temperamentum, verbi gratia, natura humidum, quale vtique puerorum, est, iis cibus humidus maxime conuenit. Qui vero sicco aliquo morbo, qualis febris est, laborant, iis cõtrarius cibus, nempe humidus, vtilis est. Qui vero humido correpti sunt morbo, qualis est anasarca, iis siccus: qui calido, frigidus: qui frigido, calidus competit cibus. Quod, vt alia omnia, breuissime quoque Hippocrates docuit, vbi in Aphorismis, ita scriptum reliquit: *Victus humidus omnibus febricitantib. prodest, præsertim vero pueris, & aliis, qui hoc genere victus vti consueuerunt.* Et in Epidemiis, vbi in eum scribit modum: *Calidæ naturæ refrigeratio, aquæ potio, & quies confert.* Per calidam namq; naturam, vt in eius sententię enarratione fusius monstrauimus, non eam in qua natiuus, adeoque mediocris: sed eam potius, in qua

[Margin notes: Sani similes cibos requirũt. Aegri cõtrarios. — 1. Apho. 16 — 6 Epide. sect. 4. Aphor. 13. — Calida natura Hippocrati quæ — E — F]

A acris & mordax calor, atq; adeo præter naturam & immodicus abundat, Hippocrates intelligit. Et rursus eodem in lib. vbi ait: *Calidum corpus per id, quod comeditur, intus refrigeratur contrarium, contra.* Possem complures alias eius auctoris sententias ad institutũ nostrum facientes producere, sed quia satis est paucas has citasse, ad ea potius, præsertim cum res per se plana sit, quæ reliqua sunt, progrediemur. Reliquum autem est, vt Medicus, qui cibi calidi, frigidi, humidi aut sicci sint, cognoscat. Quum vero hoc ipsum Galenus in iis libris, quos *de alimentorum facultatib.* posteritati reliquit, perspicue tradiderit, sufficiet in præsentia locum indicasse. Neq; enim consilium est singula particulatim in iis libris referre, quod ita in immensum ac molem magnam crescerent

6. Epide. sect. 5 Apho. 35.

De consuetudine ciborum. CAP. V.

B QVantùm in victus ratione momẽti habeat consuetudo, in primis hoc a veterib. celebratũ satis indicat, ἐπίκτητοι φύσεις εἰσὶ τὰ ἔθη: *Consuetudines esse acquisititias naturas.* Vt igitur natura ipsa similium ciborũ assumtione conseruanda est: ita quoq; consuetudo, quę, vti dici solet, altera est natura. Hinc non temere Hippocrates dixit: *Quæ longo tẽpore consueta sunt, etiamsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent.* Consuetudo vero in victus ratione non solũ in sanis, sed & in ęgrotantib. accurate obseruanda erit. Quapropter Hippocrates non temere *in 1. Aphoris. sect.* vbi ex professo de victus ratione agit, aliquid cõsuetudini dandum esse præcipit. Et clarius *lib. 2. de ratione victus acutorum morborũ*, vbi inter alia ita de consuetudine inquit: *Quod vitiosus tum cibus, tum potus, semper sibi similis, ad sanitatem tutior sit, quam si quis subito ad alterũ vel meliorẽ se transferat, facile intelligitur. Nempe,*

Consuetudo acquisititia siue altera natura. 2. Aph. 50. Aphor. 17.

C *tum iis, qui bis die comedũt, tũ iis, qui semel, noxam imbecillitatemq; pariunt repentinæ mutationes: & qui prandere non consueuerunt, tamen prandent, statim ægre habent, toto item corpore graues redduntur, imbecilles, & segnes. Quod si præterea cœnauerint, ructus acidus, & alui leuitas subsequitur. Grauatur enim præter consuetudinem ventriculus, qui antea aridus esse, neq; bis intumescere, neq; bis cibos concoquere consueuit.* Hæc ille. Quæ etsi prolixa sunt, tñ referre placuit, vt inde, quantam vim, tam in sanis, q̃ in ægris habeat consuetudo, cognosceretur. Sed dicet hic quispiam: *Si tantũ momenti consuetudo in victus ratione habet: igitur hæc ipsa, etiamsi praua est, nunquam mutanda erit.* Respõdeo, nũquam subito esse mutandam: q; Hippocrate teste repẽtinæ mutationes omnes cauendæ sint. Et idẽ *libr. 2. Vict. acut. morb. Aphor. 18.* ait. *Repentinæ mutationes noxam imbecillitatemq; pariunt.* Cum itaq; oẽs subitæ mutationes periculo haud

An praua consuetudo mutanda sit, nec ne.

D vacent, a cõsuetis quoq; cibis nemo repente transferẽdus erit, sed si omnino prior vict[9] ratio mutationẽ requirere videt, fiat paulatim & sensim, iuxta illud Hippo. *Plurimum & repente vacuare aut explere, aut aliter quomodocunq; corpus mouere periculosum. Et omne quidẽ nimium naturæ inimicum est. Quod vero paulatim fit, tutum, præsertim vbi quis ab altero ad alterum progreditur.* Vt iam perspicuũ euadat, subitam mutationẽ omnem, vt quæ de extremo in extremũ absq; medio fit, naturę, q̃ in mediocritate consistit, esse aduersam: contra eam, quæ sensim & paulatim fit, amicam: vt nõ temere Hippocrates in paulo ante citata sententia dixerit, vitiosum tum cibũ, tum potũ semper sibi similem, ad sanitatem tutiorem esse, quam si quis subito se ad meliorem transferat. Ceterũ, nõ satis est mutationem cõsuetudinis non esse repentinam, nisi legitimo ẽt fiat tempore. Legitimum vero tempus

6 Epide. sect. 3. Apho. 21.

Quo tempore mutatio consuetudinis fiat.

E est sanitatis, quũ optime scilicet valemus. Nec tñ quoduis sanitatis tempus: sed id duntaxat, quo a reb. ciuilib. immunes sumus, & nullis aliis negotiis distringimur. Quod certe confirmant ea, quæ *lib. 5. de tuend. sani. c. 8.* scribit Galenus, vbi inquit: *Consuetudines ipsæ, tametsi prauæ sunt, displicentibus sibi adhuc corporibus mutandæ haud sunt. Quin nec per summam sanitatem, semper id tentandum, sed tum, quum is, cui mutanda sunt, a ciuilibus maxime negotiis vacat.* Et paulo ante iam citata verba: *Quin etiam,* inquit, *intemperies ipsas, quæcunque adhuc intra sanitatis fines subsistunt, si corrigere studebis, contraria quodam modo victus ratione curabis: quod tamen per multum fit otium. Nam si in negotio sint, similibus vteris, potissimum, quum ita fuerint corpora assueta.* Idẽ plane testantur, quę ille scribit *lib. 6. eiusdem operis, c. 3.* vbi inter cetera, ita ait: *Porro alimenti species, si quis temperamentum vertere in melius studet, contraria esse tem-*

F *perantiæ debet. Sensim vero id fiet citra noxam, si & præsit Medicus: & qui curatur, ita sit a negotiis liber, vt omnia suo tẽpore peragat. Nam qui in reb. ciuilib. versatur, & multis negotiis distringitur, huic tutius est, vt nec tentet temperamentum suum mutare.* Nec discrepant, quæ *lib. 8. Ther. method. c. 9.* scribit, inquiens: *Satius arbitror est, quũ plane valent, non quum ægrotant, vel de se queruntur, intemperatis naturis victus rationẽ mutare. Gaudent enim natura consuetis semper.* Proin-

2 Vict. acut. 18. Ad consuetudinis mutationem tria requiruntur.

de verissime dixit Hippocrates: *Mutatio ipsa quidem non parum conducit, si eius recta sit translatio*; hoc est, *si fiat sanitatis tempore, & per otium, nec sit repentina.* Nam, *vt ex iam dictis liquet*, tres illæ conditiones ad consuetudinis mutationem requiruntur. A

De cibi Delectatione. CAP. VI.

PORRO in cibis præscribendis Medicus diligenter consideret, quibus æger maxime delectetur. Nam qui cum voluptate assumuntur cibi, eos ventriculus auidius amplectitur, promtiusque & expeditius concoquit. Contra, eos qui displicent, auersatur, refugit, nec auide amplectitur, neq; expedite concoquit. Hinc fit, vt sæpenumero suauiores cibi, etiamsi deteriores sunt melioribus, minus tamẽ suauibus præferantur. Id quod Hippocrates quoque faciendum esse præcipit in Aphorismis, vbi ita scriptum reliquit: *Paulo deterior cibus & potus, qui tamen sit suauior, melioribus quidem, sed minus suauibus anteferendus.* Verum non deerunt Medici, præsertim qui assentationib. sese potius, quã eruditione vendere studẽt, quiq; aurum magis, q̃ salutem ægri sitiunt, qui hinc sui erroris patrocinium arripient, sibiq; licere putabũt, vt nunquã ægro exhibeant, nisi quibus maxime delectetur. Sed q̃ fallantur, quamq; scelerate Hippocratis sententia abutantur, perperamq; ad tuendos suos errores eandẽ detorqueant, alia eiusdẽ sententia demonstrat, in qua quantũ ægrotantib. in cibo & potu sit gratificandum, diserte exponit. Ea vero est in 6. Epidemiorum *lib.* vbi in eum scribit modum: *Hæc sunt, in quib. ægrotantib. est gratificãdum, vt scil. cibus & potus pure conficiantur. Grata etiam sint, quæ viderint, & mollia, quæ attingũt, sed non admodum lædant, & facile reparabilia sint, veluti, frigidæ exhibitio, vbi ea opus fuerit, & alia.* Hæc ille. In qua sane sententia Hippocrates perspicue, in quibus potissimum rebus ægrotantib. sit gratificandũ, & in quib. iisdem obsequendum sit, ostendit. Quippe in eo maxime ægrotãti obsequendũ erit, vt tam cibus, q̃ potus, qui illi offeruntur a ministris, puri, & a sordib. repurgati sint: Sic enim maiori cũ voluptate eosdem assumet, tumq; eos ventriculus auidius amplectetur, & expeditius concoquet. Dein obsequendũ etiam interdum ægris, vt illis permittantur ẽt ea, quæ non quidem plurimum, sed parũ admodũ nocent. Quod significare volens Hippocrates, dixit: *Non admodũ lædant, & facile sint reparabilia.* Et in Aphorismis *paulo deteriorem* laudauit *cibum, non omnino prauũ, eiusmodiq; inferentem noxam, quæ corrigi nequeat.* Sic certe aquæ frigidæ interdum potum ægrotanti concedimus, vbi scilicet ea opus est, & noxa, quam infert, reparari facile potest. Quod de aqua frigida diximus, idipsum de omnibus aliis, tum potibus, tum cibis intelligendum venit, vt non sit necesse de singulis particulatim verba facere.

2. Aphor. 38. Num perpetuo qui delectant cibi ægris exhibendi. B

Sectio 4. Aphor. 7. C D

De ordine ciborum. CAP. VII.

Legitimus assumendorum ciborũ ordo.

IN cibis assumendis, non solum ea, quæ hactenus dicta sunt, obseruanda erunt: sed & hoc vnice curandum, vt legitimo ordine cibi ingerantur. Legitimus autem assumendorum ciborũ ordo est, vt concoctu facilia, iis, quę difficulter cõcoquuntur, præmittantur. Nam si is ordo turbatur, tũ illa, quæ concoctu difficilia sunt, ea quę iam cõcocta sunt, quo minus descendere, & e vẽtriculo egredi possint, impediunt. Debent quoq; ea, quæ liquida sunt, solidis & aridis antecedere, q, alias liquida in superficie ventriculi natent. Pręterea, edulia, quæ deiectionem moliuntur, iis, quæ tarde cõmeant, lubrificantia, adstringentib. celeriter subsidentia, iis, quę in ventriculo morata corrumpuntur, citius sumenda sunt. Verbi gratia, oua sorbilia, & id genus alia cõcoctu facilia, iuscula, olera, carnibus assis, cotoneis, aut punicis malis præmittenda sunt. Vt autem Medicus omniũ horum exquisitam notitiam habeat, adeoq; quis sit legitimus assumendorũ ciborũ ordo, perspectum habeat, diligenter illi Galeni, quos *de alimentorum facultatibus* libros conscripsit, euoluendi erunt, e quibus certe singulorum ciborum facultates cognoscet, quemque ordinẽ in assumẽdo obtinere debeant, clare admodũ discet. Ceterũ quæ de ordine ciborũ hactenus diximus, ea ad ventriculum naturaliter se habentem referenda erunt. Nam si cui ventriculus iusto laxior sit, huic certe præstiterit quouis tempore adstringentia lubrificantibus præposuisse: quod alias fieri nequeat, vt tantisper cibus, donec perfecte concoquatur, in ventriculo retineatur. Robur etiam aliquod ex iis ventriculo accedit, si ea, quæ assumsit, rectius conficere potest. Quid multa? ventriculus præter naturam affectus non eam victus rationem, nec cum ingerendorum ciborum ordinem, quem sanus, requirit: sed potius victum contrarium, & qui illum ad mediocritatem quandam reducere queat. E F

A De tempore assumendorum ciborum. CAP. VIII.

CVrandum quoq; nobis erit, vt tam sani, q̃ ægri, non intempestiue, sed conuenienti tempore cibũ ingeramus. Quod fiet, si statas certasq; horas prandio cœnæq; destinemus. Sani vtiq; solita & consueta hactenus hora, postquã hesternus priorue cibus descenderit, & iam confectus fuerit, ac ipsi modice antea exercitati fuerimus, iamq; illiciente appetitu prandium sumemus, & cœnabimus Si enim cõsueta hora idipsum fecerimus, naturam ipsam ad cõficiendos cibos alacrem ac promtam experiemur, vt quæ statis horis suum facere officium didicit. Quod si vero priore nondũ cõfecto cibo, necdum in aluum demisso, aliũ ingeramus, hic profecto perinde, atq; is, qui prior assumtus est non cõcoquetur, adeoq; maximæ cruditatis caussa erit. Cauendũ quoq; erit, ne varia eadem in mẽsa edulia, nec varie apparata, nec culinæ artib. gulam irritantia sumantur: sed simplici ac vnico cibo ad necessitatem, non ad satietatem, cõtenti simus. Quod sane Hippocrates ẽt monuit loco iam crebro citato, vbi *sanitatis esse studiũ* ait, *non satiari cibis.* Recte igitur Martialis & Horatius præcipiunt, *vt conuictus sit facilis, & sine arte mẽsa.* Quum n. diuersorum ciborum diuersa sit natura, accidit, vt ciborũ eadẽ mensa varietate, copia & productione in lõgas moras, nihil nocẽtius homini ad salutem esse possit. Proinde mirum nõ est, quod ii, qui gulæ ac vẽtri toti seruiũt, deditiq; sunt ac sese a summo mane ad summam vsq; noctem multo varioq; tum cibo tum potu nõ implent solũ, sed ẽt distendunt, cũ cibus cibum assiduo excipiat, & cõpotationib. studeant, magnam sibi cruditatem comparant, nec vllus eorum ad iustam senectã perueniat. Nam dum ex intẽperantia illa maximam crudorũ ac vitiosorum humorũ copiã coaceruãt, fit vt podagra, calculo, coli dolore, carcinomate, febribus, & id genus aliis malis prius annis aliquot misere torti, tandẽ vitam cũ morte cõmutent. Ceterũ prodest plurimum, vt ante cibũ exercitemur, quod ita calor natiuus augeatur, cibusq; assumẽdus dein expeditius immutetur ac conficiatur, nutritioq; felix succedat. Quod quũ intelligeret Hippocrates, non ab re in Epidemiis ita scriptum reliquit: *Labor cibũ præcedat.* Sed ea de re suo loco fusius Deniq; fames optimum condimentum, ad mensam afferenda, & iã illiciente appetitu cibus assumẽdus; nec eo ad edẽdum instigãte cibus differendus est. Quippe si ventriculus iam vacuus alimẽtum postulat, nec eius copia est, excremẽtis impletur. Ea sunt, sanies quædam biliosæ, pituitosę, & serosæ, quas solas trahenti illitum, quũ nutrimento indiget, iecur remittit, & cõcedit. Vt nõ temere hactenus hoc in scholis Medicorum sit vsurpatum: *Diutius tolerare famem, ventriculum malis complet humorib.* Plurimum igitur ad sanitatis cõseruationem cõfert, si legitimis hora & tempore, cibus assumatur. ita, n. cruditas, sanitatis corruptela, vitabitur. Contra vero, infirmum, morbosumq;, ac Deo & hominib. odiosum corpus reddet assidua crapula, ciborũq; ac potuũ ingestio, vt eo maiori studio nobis adnitendũ sit, ne per sanitatem intempestiue cibum ingeramus. Tam prandium vero, quam cœna semper a cibo, nunquam a potu, auspicetur, q̃ alias in venarum inedia, vinum adhuc crudum ad eas rapiatur. Cauendum aũt vnice ne matutino tẽpore, vẽtriculo adhuc vacuo & ieiuno, vinũ forte, aut offæ vino maceratæ, quod magnates tñ facere consueuerunt, ingerãtur, quod inde maxima corporis mala, ac grauissimi morbi oriantur. Interuallo pręterea eo, q̃ inter pandiũ & cœnam interiectũ est, a potu abstinendum erit, q̃ cõcoctioni ciborum id plurimũ cõferat. Cœna vero prandio plenior sit sanis quidẽ & iuuenibus. Aegrotis autem, iis præsertim, q nocturnis morbis & destillationib. laborãt, ac senibus, cœna prãdio minor congruit, vt alias fusius mõstrauimus. Cœna præterea tunc maior ac largior sit, quando interstitii tantum ab ipsa ad somnũ intercesserit, vt vapores a copiosiore indigesto cibo elati discutiantur atque difflentur: id n. quatuor horarum spatiũ fuerit. Quod si minus, parciori cœna vtendum. Si n. copiosior tũ foret cœna, ob somnũ imminentẽ caput multis vaporib. replebitur, & animales spiritus lædent. Quum vero cõsuetudinis, q̃ naturæ loco habenda est, magna vis sit, & ipsius hoc loco habenda ratio erit, dandaq; opera vt sensim, non subito, a praua cõsuedudine trãsferantur homines. Nõ solum vero p sanitatẽ, sed & per morbos cauẽdũ erit, ne intẽpestiue cibus assumatur. Siquidẽ in morborũ accessionib. a cibo prorsus est abstinẽdũ, q̃ hoc tpe natura circa morbi materiã occupata sit, ideoq; cibi oblatione, a suo munere haud auocanda. Hinc est, q̃ Hippoc. prudendissime dixerit: *In accessionib. a cibo abstinere oportet, siquidẽ cibũ dare nocet. Et si per circuitus morbi accessiones habẽt*

[Margin notes:]
Tempus assumendorũ ciborum in sanis.
Crapula quorundã notatur.
6. Epide. sect. 4. aphor. vlt.
Diutius tolerare famem, ventriculum prauis humoribus implet.
In accessionibus morborum a cibo prorsus abstinendũ.

[Section letters in left margin: B, C, D, E, F]

2. Aphor. 19. *in ipsis accessionibus cibum subtrahere oportet.* Et paulo post: *His quibus per circuitus accessiones fiunt, nihil dandum, neq; vt quicquam assumant cogendi, sed adiectionibus ante iudicationem subtrahere cōuenit.* Idē ēt faciendum esse alibi præcepit, inquiens: *Quū a vacuatione sorbitiones* 4. vict. ac. 34. *exhibere volueris, obserua febriū accessiones, vt neq; quū adsunt, neq; quum venturæ sunt, eas ingeras sed quum iam finitæ sunt, aut quieuerūt, & quum maxime a principio distare videntur.* Verum ne quis iā citatis Hipprocratis locis motus, in omnib. accessionib. morborū a cibo esse abstinendū existimet, adhibenda in febrium potissimum accessionib. distinctio erit, neq; n. quod diximus, in omnib. febribus, sed in quibusdā dūtaxat, obseruandū erit. Quippe in earū febriū accessionib. q̄ ob plenitudinem, vel obstructionē, vel phlegmonem, vel humoris cuiusdā putredinē, excitant, cibus in accessione oblatus maximo malo est: adeo sane, vt ii quidem, quib. hac ratione febris accēditur, nec in inclinatione febris citra magnam noxā nutriantur, nedū ipsa accessione iā inuadēte. Quū vero excitatur febris, ꝑpter mordentē acrimoniam excalefacti extenuatiq;, ex Sole, inedia, & laborib. succi, maximū eius remediū est, humidum nutrimētum. Proinde sic laborantes, omni certo tpe, sed potissimū per inclinationes accessionum sunt nutriendi, vt ex ꝓlixa & venusta quadā historia copiose admodum *lib. 10. Ther. meth. c. 3. & 5.* Galenus monstrat. Cur aūt ægrotātes nōnulli interdum in ipsa accessione imo in accessionis inuasione nutriendi sint, hæc est ratio. Quippe qui calido & sicco tēperamento, vel a primo statim ortu, vel certe illo tempore quo laborant, prȩditi sunt, iis vires necessario imbecilliores existūt. Neque n. fieri potest, vt abunde calidum & siccum corpus, quum febricitat, viribus sit valentib. ideoq; quum inuasura adhuc est, & quum incipit febris, cibandi sunt. Vt hoc nomine audacter nobis contemnenda sit diatritos, id est, *tridui inedia*: & æger, vbi idipsum vires postulant, protinus primo secundoue die, idque in accessione cibandus.

Non in omnium febrium accessioni. bus a cibo abstinendū

ὧραι

De cibis, qui temporibus anni congruunt. CAP. IX.

IN cibi potusq; ratione præscribenda, anni quatuor tpa, quȩ Græcis ὧραι dicuntur, minime sunt negligenda, q̄ alii cibi Veri, alii Æstati, alii Autūno, & alii Hyemi conueniant. *Hyeme* namq; plurimum comedere, minimum bibere conducit. Cur autem hoc tempore plus q̄ aliis temporib. esse, minus autem bibere expediat, temperaturæ eius acceptum referendum erit. Frigida n. admodum, quum sit & humida, plurimos sane cibos exigit, & paucam potionem. Nam quum alimentum perpetuo cum natiuo calore, a quo vnico cōficitur, sit cōparandum, & is hyeme sit plurimus, plurimum ēt alimentū, vt hoc tpe dandum sit, consequitur. Quod ēt confirmat Hippo. qui in Aphorismis ita inquit: *Ventres hyeme natura calidissimi sunt.* Quocirca hoc tempore alimenta copiosiora dari debent. Siquidem innatum calorem copiosiorem habent, plurib. igitur alimentis egent, parum aūt bibendum q̄, tēpus hoc corpꝰ nostrum plurimum humectet. Vtēdum aūt ꝓpotu vino meracissimo, q̄ id calefacere & exsiccare, adeoq; temporis excessui valide repugnare possit. Cibi itidem, tum sint calefacientes & exsiccantes, nempe panis, carnes assæ, pisces itē assi, brassica & id genus alii, a quib. corpus hoc tpe frigidū & humidum existens, calidum & siccum euadit. Vere aūt iā ineunte paululum cibo demendū, q̄ aeris nos ambientis tum frigiditas nō sit tāta, quanta in hyeme fuit: adeoq; calor fere laxatur, & minus potest cōcoquere. Nā quum vernum tempus, ꝑsertim in medio sui, sit tēperatum, paulatim ad eā mediocritatē ciborum, q̄ huic tpi cōueniens est, veniendū erit. Hinc est, q̄ potioni ēt aliqd adiiciendum sit & plus q̄ hyeme bibendum. Nam eadem ratione paulatim ad mediocritatē huic tpi congruentē transeundum erit. Vt perpetuo verū sit, *Subitas mutationes cauēdas esse.* Quapropter paulatim quoq; ab assis ad elixa progrediendū. Magis vero carne, q̄ piscib. hoc tempore vescendum. Cum n. ver summorum, nempe hyemis & æstatis, in quorum medio versatur, mediā temperaturā habeat, *vt suo monstratum est loco*, mediam etiam victus rationē requirit. Non igitur verno tēpore, vt hyeme calefacientib. & exsiccantib. cibis, nec refrigerantib. & humectantibus, vt æstate, vtendum. Piscium vero alimentum esse frigidum & humidum, adeoq; veri minus aptū, nulli non constat. Carne igitur magis verno tempore, ꝑsertim vitulorū & hœdi vtendum. In summa, quū verno tempore corpus mediocriter sit affectum, atq; adeo temperatum, in eo sane statu, mediocri victu conseruandum erit. Quare hoc tēpore, quod Soranus etiam *c. 5. suæ Isagoges* monuit, minime est ieiunandum, imo cum ventres, tum, *vt Hippocrates attestatur,* natura calidissimi sint, somniq; lōgissimi, plura alimenta

Hyemis victus.

1. Apho. 15.

veris victus.

Piscium vsus verno tempore parum aptus.

1. Apho. 15.

A menta sunt exhibenda. Si enim calorem innatum habent multum, igitur plurib. etiam alimentis egent. Ceterum æstate cibis magis demendum, potioni vero adiiciendum. Quippe cũ hoc tempore, vtpote calido & sicco, corpus exuratur, squalidumq; euadat, multa sane potione, eaq; diluta eget. Cum autẽ plurimum caloris innati æstate dissipetur & exhalet, cibo etiam magis, quã Vere, demendũ. Cibis etiam, non nisi elixis, ac frigidis vtendum, ac vnice studendum, vt a calore & siccitate corpus vindicemus, quod certe cõsequemur, si illud molle & frigidum reddemus. Per autumnum cibo paulo pleniore ac ficciore vtendum, minus tamen, sed meracius bibere conuenit. Nam paulatim a victu æstatis, in eum, qui autumno conuenit, est veniendum. Paulo autem, quam in æstate, pleniore vtendum victu, quod iam caloris feruor remittatur, pauloq; validior natiuus calor fiat. Quo sane nomine minus etiam, sed meracius bibendũ. Vt scil. paulatim ad id, quod meracissimum est, vinum, quale hyemi, *vt dictum est*, congruit, veniamus. *Aestatis victus.* *Autumni victus.*

B

De cibis, qui ætatibus conueniunt. Cap. X.

QVemadmodum in cibo & potu, anni temporum habendam rationem ostendimus, ita quoq; ætatis aliquis in iis respectus esse debet. Quippe puerorum victum frigidum & humidum esse cõuenit, iuxta id Hippocratis: *Victus humidus omnibus febricitantib. prodest, maxime vero pueris.* Cum n. temperamento calidi sint pueri, adeoq; in cõfesso sit, illis plus caloris innati inesse, frigida victus ratione, præsertim ꝙ ad potũ attinet, ipsis vtendum erit. Vinũ itaq; pueris inimicũ est, ꝙ scil. haustum, *Galeno lib. 1. de tuen. sanit. c. 9. teste*, eos nimiũ calefaciat, caputq; illorũ halitu repleat. Proinde prudenter admodũ Plato *in 2. de legibus* præcepit, ne pueri vsq; ad duodeuigesimum annum, omnino vinum gustarent. Eiusq; rei rationẽ mox subiungit, inquiens: *οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν: non oportet ignem igni adiicere.* Humidi vero cibi, illis duab. de caussis competunt. Vna, quia quum in hac ætate corpus plurimum crescat, & augeatur, non oportet exsiccantib. cibis illud incrementum inhibere. Altera, quod puerorum substantia omnium facillime discutiatur: vt igitur humido alimento reparetur, est necessum. Puberum & adolescentiũ ætas, quum in optimo temperamento, vt suo monstrauimus loco, consistat, victũ plane similẽ, hoc est, temperamento mediũ illis esse adhibẽdum liquet. Temperamento aũt medius est, qui neq; calidius, neq; frigidius, neq; humidius, neq; siccius ipsorum corpus efficit. Iuuenibus certe, quoniam impense calidi & sicci sunt, cõtraria, hoc est, frigida & humida victus ratio cõfert. Vnde omnibus perspicuum euadit, quod neq; illis, etiam de sententia Platonis, vinum conueniat. Quippe furiosum horum habitum adauget. Platoni subscribit Galenus loco paulo ante citato, vbi ait, *vinum iuuenes ad iram & libidinem præcipites facere, & partem animi rationalẽ, hebetem turbidamq; reddere.* Vt hinc facile ratio reddi possit, cur nostra ætate, in hac veritatis luce, & disciplinarũ omniũ rectitudine, doctrinarumq; incremẽtis, pauci admodũ iuuenes ad frugẽ perueniant. Quum n. ex æquo fere omnes vinũ non modice, vt illos deceret, bibant, sed affatim ingerãt, in eoq; immodice hauriendo noctes diesq; cõsumant: quid mirũ tã feroces reddi, vt a nemine coerceri queant? Sed nedũ hoc vitiũ illis cõciliat, vini immodici vsus: verumetiam ingenii vires, & animi vigorẽ eneruat, ac hebetem reddit. Vt preclare luserit olim Eobanus noster iis versibus: *Puerorũ victus.* *1. Aph. 16.* *Vinum pueris inimicum.* *Puberum & adolescentium victus.* *Iuuenum victus.* *Vinum iuuenibus non conuenire.* *Cur pauci iuuenes hodie ad frugem perueniãt*

C

D

E

Immodici sensus perturbat copia Bacchi:
Inde, quis enumeret, quot mala proueniant?
Corporis exhaurit succos, animique vigorem
Opprimit, ingenium strangulat atque necat.

Optarem autem vestibulo, ac singulis parietibus locorum, vbi studiosi habitãt, hos versiculos inscriptos esse. ita enim crebra horũ lectione & inspectione forte fieret, vt ebrietatem, tanquam immanissimam bestiam, & certum illis exitium afferentem, euitarent. Senibus porro cibi & potus, qui solidas eorũdem partes frigidas & siccas iam factas, calefacere & humectare possunt, cõducit. Proinde calefacientes & humectantes maxime cibi, & balneæ, præterea vini calidi potio & somnus liberalior illis competunt. Quam sane victus rationem senum quidam hoc etiam versu innuere voluit: *Senum victus.*

F

Vt lauit, sumpsitque cibum, dat membra sopori.

Paucos tñ cibos requirũt senes, vt Hippoc. quoq; attestatur inquiens: *Senes facillime ieiuniũ tolerant, secundo loco, qui constantẽ ætatem agũt, nullatenus adolescentes, omnium vero minime pueruli, præsertim illi, qui inter ipsos sunt alacriores.* Atq; eius rei rationem statim in sequenti *1. Aph. 13.*

Aphorismo expressit, in eum scribens modum: *Quæ crescunt corpora, plurimum caloris in-* A
nati obtinent; itaq; plurimo alimento indigent, alioqui corpus absumitur. Senibus vero parum caloris
inest, propterea paucis alimentis indigent, siquidem a multis exstinguitur.

De potu. CAP. XI.

CVM abunde satis de cibo dictum sit, reliquum est, vt de potu etiam nũc disseramus. Cum vero tria potus apud Germanos sint præcipua genera, aqua nimirum, vinum, & cereuisia, de singulis ordine, breuiter tñ, agemus. Qui itaq; per bonam valetudinem aquæ potu vti consueuerunt, iis annitendum erit, vt aquam, non nisi optimã bibant. O-
Aqua optima. ptima vero est, *Galeno etiam lib. 1. de tuenda sanitate, c. 9. teste*, quæ limpidissima, purissimaue, gustuiq; non modo, verumetiam olfactui iucundissima, hoc est, quæ omni tum odoris, tũ saporis vitio carere, omnisq; qualitatis expers esse videtur. Qualitatis aũt omnis ex- B
pers est, quæ nec salsedinis, nec amaritudinis, nec aciditatis, nec cœni, nec sulphuris, in summa, nec alterius rei vllam significationẽ præbet. Virtutes quoq; optimæ aquæ præcipuæ sunt, si leuissima & tenuissima est, si hypochondria celeriter transit. Leuissima ve-
5. Aph. 26. ro est, *Hippo. attestante*, q̃ cito tũ incalescit, tũ refrigeratur. Quod si ad Orientem fons eius excurrit, & ꝑ meatum aliquẽ mundum, aut puram terrã percolatur, omnes optimæ aquæ notas habebit, atq; hoc nomine, omni ætati vtilissimam esse, existimandũ est. Non n. sicuti vino, escis, exercitatione, vigiliis, somno, ac Venere, aliis alias vti pro ratione expedit, ita de aqua quoq; statuendum est: sed q̃ nũc optimam indicauimus, hac vti puero,
Aqua vitiosa quæ. iuueni, seni, conducet. Cõtra, vitiosa aqua erit, q̃ turbida, quæ ex stagnis & paludib. hauritur, q̃ male olet, quæ salsa est, deniq;, in qua qualitas aliqua gustu deprehẽditur, adeoq; C
potu insuauis est, & quæ circa hypochondria hęret; qualis est, cuius fons contra Septentrionẽ fluit, solemq; auersum habet. Hæc igit aqua pessima est, ꝗ in hypochondriis diutissime moret, ægre concoquatur, fluctuationes excitet, in flatum mutetur, & corrum-
Quibus aquæ potio conueniat. patur, adeoq; vẽtriculi robur resoluat. Ceterũ hominibus, q̃ feruentib. temperamentis, siue natura, siue ætate, præditi sunt, aquæ potio vtilis est, quod Hippoc. quoq; *in Epidem.*
6. Epide. sectio. 4. Aphor 13. confirmat. Quod ad vini rationẽ attinet, de eo in præsentia, non vt est medicamentum, sed potius, vt est alimentum, agemus. Qua ratione consideratũ, quintuplicem differen-
Vinorum ratio. tiam habebit. *Prima* in colore est posita, quatenus nimirum album, fuluum, flauum, ru-
Vinorum in alendo differentiæ. brum, nigrumue vinũ dicit. *Altera* in sapore, quatenus dulce, austerũ, acidũ, acerbumq; est. *Tertia* in odore, quatenus iucundo, graui aut nullo odore est. *Quarta* in consistentia, D
quatenus tenue, & crassum. *Quinta* in ætate, quatenus scil. recens, aut vetustum exsistit. Vinorum itaq; omniũ rubra, simul & crassa sanguini generando sunt accõmodatissima, & q̃ minima egeant mutatione, vt sanguis fiant. Post ipsa sunt nigra, crassaq;, & dulcia, tũ q̃ colore quidẽ rubra sunt & nigra, consistentia vero crassa, vna cũ adstringendi qualitate. His aũt minus sua natura alunt, q̃ alba sunt simul ac crassa, & acerba: Omniũ aũt minimum nutriunt, q̃ colore quidẽ sunt alba, cõsistentia autem tenuia, & aquis hydromeliti faciendo appositis quodammodo similia. Dulcia vero conficiuntur in vẽtriculo, ac distribuuntur facilius, q̃ austera, vt quæ facultate sunt calidiora. Quæ autem admodum sunt crassa, tardius quidem perficiuntur, ac distribuuntur: si tñ in ventriculum adeo ro- E
bustum incidant, vt cõfici recte ab eo possint, alimentũ copiosius corpori exhibebunt. Constat pręterea, ꝗ quemadmodũ hæc corpori alendo tenuib. sunt pręstantiora, ita ad
Quibus vinum cõueniat, & quib. non. vrinam ciendã sunt deteriora. Ceterũ vt biliosis calidis tẽperamentis ꝑ sanitatem aquæ potio, de Hippoc. ẽt sententia, maxime conuenit: ita vinum, pręsertim vinosum, obest. Summe autẽ calidis naturis absolute potio aquæ confert. Aliis autẽ, q̃ summe calidæ nõ
6. Epide. sectio. 4. Apho. 13. sunt, vinũ dilutũ, aquosumue & exiguum prodest, vt fusius in fine *libri quinti de tuen. sanit.* Gal. docet. Contra pituitosis ac frigidis temperamẽtis, crudorumq; humorũ magna vi pressis, vinum maxime fuluum ac dulce, qualia sunt ex nostratib. Rhenensia, conuenit.
Vetusta. Recentia. Vitanda sunt, q̃ nimis vetusta, nimisue recẽtia: namq; illa præter modũ, hæc nullatenus, donec recẽtia fuerint, calefaciunt: q̃ vt aliquẽ vsum cibis cõcoquendis afferant, tñ ab- F
est, vt ipsamet sint difficilis concoctionis. Præterea nec cõmode ꝑ aluum transeunt, nec digerunt, nec vrinã mouẽt, nec sanguinis cõfectioni, nutritioniq; idonea sunt. Mustum ægre coquit, crassumq; succum & inflationes facit: aluum tñ mouet, idq; boni duntaxat
Cereuisiæ ratio. in se habet, ꝗ si interdum efficere non potest, mirum in modũ nocet. Quod ad tertium potionis genus, nempe cereuisiam attinet, qua ad septentrionem sitæ gentes maxime

vtun-

A vtuntur: sciendum quidem erit, hanc e tribus confici rebus, aqua, hordeo, & lupo salictario: quarũ priores duæ naturæ frigidæ, tertia vero calida exsistit. Dũ vero conficitur, *Cõfectio.* semper plus aquæ, quam hordei, & huius quidẽ plus quam lupi salictarii sumitur. Quale *Temperamentum.* autem sit cereuisiæ tẽperamentum absolute, vix explicari potest: quod illius nõ exigua sit pro harum rerum, ex quibus conficitur, mistura, differentia. Possunt n. illa ita inter se temperari, vt fere ex harum cõmistione temperata potio conficiatur, qualis est cereuisia dulcis & perspicua. Cũ vero magna ex parte in cereuisiis nõ leuis sentiatur, amaritudo, non dubium est, has omnes esse temperamento calidas. Et quo quęuis amarior, eo quoque calidior exsistit. Quare iis populis, qui Aquilonares regiones incolunt, potus est nõ ineptus. Præter autem nutriendi facultatem, quam ex hordeo aut tritico nanciscitur, etiam medicamẽtosam facultatem ex lupo salictario obtinet. Quapropter iis, qui ea mo- *Facultas cereuisiæ.*
B dice vtuntur, vires corporis auget. Quod verũ esse, Septentrionalium locorum incolæ abunde testantur, quos robustissimos esse constat. Nec ita facile, vt vinum, lędit neruos, nec articulorũ dolores, nec alia vitia, quę vini potionem comitantur, creat. Medicamẽtosam vim a lupulo vocato, habent omnes cereuisiæ admodum amaræ, adeo, vt vrinã ẽt moueant, & aliquid bilis ẽt per aluũ educant. Quare si quis exacte de cereuisiarũ facultatibus pronunciare voluerit, is diligenter earundem cõsistentiam, & saporẽ cõsideret.

DE MOTV ET QVIETE SECT. III.

De exercitiorum generibus ac differentiis, CAP. I.

MOTVS voce, hoc in loco, omnis generis exercitia intelligenda veniunt, *Motus quid.* quod ad motum ceu genus quoddam, omnes exercitiorum modi referẽdi
C sint. Exercitiorum autem veterib. multa ac varia fuerunt genera. Atq; eorum quidem duo sunt præcipua. Quædam enim exercitia tm̃ sunt, quædã vero nõ exercitia solum, sed & opera. Exercitia tantũ sunt, lucta, pugillatus, pancration, *Exercitia tantum.* cursus. Luctam aũt q̃ Græcis πάλη dicitur, esse ludi genus, *quum duo sese mutuo apprehendentes ad terram nituntur affligere*, notius est, quam vt a me pluribus explicari debeat. Pugila- *Lucta. Pugilatus* tus Latinis, Græcis πυγμὴ, certaminis genus fuit, *quod cæstibus, quibus aduersarium feriebant, exercebatur.* Hinc Cic. *lib. 2. Tusc. Pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem.* Et iterum: *Pugiles etiam quum feriunt aduersarium, in iactandis cæstibus ingemiscunt.* Cæstus autem erat *Cæstus.* claua, habens pilas plumbeas loris bubulis appensas, aut certe bubulis pellibus insutas. quod *lib. 5. Aeneidos* Vergilius iis innuere videtur versibus:
D

Sic deinde locutus.
In medium geminos immani pondere cæstus
Proiecit, quibus acer Eryx in prælia suetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo:
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroque rigebant.

Pancration certaminis genus fuit, quod omnibus corporis aduocatis & intentis virib. *Pancration.* omniumq; neruorum contentione transigebatur. A πᾶν quod omne, & κράτος, q robur significat. Vnde παγκρατιασαὶ manibus pedibusq;, quasi totius corporis conatu, omnibusque virib. connixi certabant. Ita Suidas & Phauorinus παγκρατιαστὴν interpretãtur ταῖς χερσὶ
E καὶ ποσὶ πυκτοπαχόντα: id est, *manibus & pedibus in pugilatu pugnantem.* Lucianus in Anaharse, *παγκρατιασαί.* παγκρατιάζειν, inquit, τὸ παίειν ἀλλήλους ὀρθοστάδην: hoc est. *ferire vicissim stando in erectum*, id est, *quũ alter cum altero luctabant erectis pedum digitis.* In quo sane certaminis genere omnibus corporis virib. opus fuit. Vt hinc omnib. palam fiat, Hermolaum Barbarũ & Volaterranũ, *Hermolai Barbari & Volaterani error.* viros alioqui doctissimos, nõ recte Pancratiastẽ interpretari pro eo, qui quinq; generib. nempe saltu, cursu, disco, iaculo, & lucta certauit, & vicit. Et sic quidem opinãtes carpit etiã Nicephorus Gregorias, Synesii in libellum de insomniis interpres: ὀλυμπιακοὺς ἀγῶνας πέντε φασὶ, πυγμὴν, πάλην, δρόμον, ἀκόντιον, καὶ δίσκον. τὸ μέντοι παγκράτιον ἕτερόν τι ἦν, σύνθετον γὰρ ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης ἦν: id est, *Olympiaca certamina quinque esse ait, pugilatum, luctam, cursum, iaculum, & di-*
F *scum.* Ceterum pancratium diuersum quidpiam erat. Compositum enim ex pugilatu & lucta erat. Plutarchus etiam *sympos. β.* Pancration ex pugilatu & lucta mistum fuisse testatur. Aristotel. quoque *libr. 1. Rhetoric. cap. 5.* idem confirmat iis quidem verbis: Ἀγωνιστικὴ δὲ σώματος ἀρετὴ σύγκειται, ἐκ μεγέθους καὶ ἰσχύος καὶ τάχους. καὶ γὰρ ὁ ταχὺς ἰσχυρός ἐστιν. ὁ γὰρ δυνάμενος τὰ σκέλη ῥιπτεῖν πως καὶ κινεῖν ταχὺ, καὶ πόρρω, δρομικός. ὁ δὲ θλίβειν καὶ κατέχειν, παλαιστικός. ὁ δὲ ὦσαι τῇ πληγῇ, πληκτικός.

ὁ δ᾽ ἀμφοτέροις τούτοις παγκρατιαστικὸς. ὁ δὲ πᾶσι τούτοις πένταθλος: hoc est, *Certatoria corporis vis magnitudine, robore, & celeritate constat. Celer namq; robustus est. Qui vero crura proiicere quodammodo, & celeriter longeq; potest, cursor. Qui premere ac retinere, luctator. Qui vero pulsando plagisue inferendis propulsare, percußor. Qui vtrisq; valet, pancratiasticus. Qui omnibus iis, pentathlus.* Hæc Aristotelis verba adiicere placuit, quod prioribus lucem non exiguam afferant, & doceant pugilatum esse, quum quis plagas, tum cæstibus, tum pugnis infert. Præter iam dicta exercitia sunt Græcis ἀκροχειρισμὸς, ἐκπλεθρισμὸς, πιτυλισμὸς, σκιαμαχία, *saltus, disci iactus, follis, pilæ vel parua, vel magna, & corpus per alteres fatigare.* Ακροχειρισμὸς exercitii genus est, vbi quis cum altero circa complexum, vel omnino summis manib. certat, & pugnat. Εκπλεθρισμὸς, cum in Plethro, id est, in sexta stadii parte, quæ est cubitorum sexagintaocto, quis prorsum retrorsumq; vicissim, idq; sæpe in vtranq; partem sine flexu cursitans, vnoquoque cursu breue quiddam de spatio demit, quoad deniq; in vnico vestigio constiterit. Πιτυλισμὸς, vbi quis summis pedib. ingrediens, tensas in sublime manus, hãc antrorsum, illam retrorsum, celerrime mouet. Σκιομαχία non est, nisi vmbratilis armorũ meditatio: Sic dicta, quod sub tecto & in vmbra pugnę simulachra fingebantur, quum vera pugna in sole & puluere peragebatur. *Discus* autẽ lapis est rotundus, quem exercitaturi accipientes in longum, atq; in auras proiiciunt. *Follis* vero, qui Græcis κώρυκος dicitur, pilæ genus est, ex pelle factæ & vento inflatæ. Hęc etsi reliquis crassior est, tamẽ non admodũ grauis. Hoc in loco me præter omne meum meritũ, pungit Franciscus Valleriola, ꝙ instrumentũ ad ludendum aptum, Galeno, aliisq; Græcis κώρυκον dictum, idem esse cũ eo, quod *follem* Latini appellant, existimem. Cõstanter n. affirmare audet, Galenum *corycum* a *folle*, quoties amborum mentio incidit, perpetuo discriminare. Verũ initio quidẽ a Valleriola maiorem in modum peto, vnum mihi ex omnib. Galeni monumẽtis proferat locum, vbi ille vtriusq; instrumenti, coryci scilicet & follis, seorsim mẽtionem faciat, illaq; inter se differre dicat: & si diuersa sint, quo tandem nomine ipse *follem* Latinis nominatum, lusoriũ instrumẽtum appellauerit. Atqui sat scio, ipsum neutrũ præstare posse, quandoquidem quod Latini *follem* nuncupant, id Græcis sit *corycus*, nec vllo vsquam in loco Galenus hæc duo ab inuicẽ distinxerit. Quod enim Valleriola, pro erroneæ suæ opinionis confirmatione duos ex lib. 2. *de Tuen. sanitate*, Galeni locos adducit, nostræ sententiæ ne tantillum officit, quod in illis corycũ non a folle, sed tãtum a pila parua diuersum faciat. In primo namq; loco Galen⁹ sic ait: καὶ διὰ κωρύκου, καὶ διὰ τῆς σφαίρας μικρᾶς. Quæ verba metipse Valleriola sic vertit: *Tum coryco, tum pila parua.* In altero autem ita inquit: καὶ τὸ διὰ τοῦ κωρύκου τε, καὶ τῆς σφαίρας σμικρᾶς γυμνάσιον: hoc est, eodem Valleriola interprete: *Tumq; per corycum, & paruam pilam exercitatio.* Vt ex vtroq; iam citato loco luce meridiana clarius sit, Galenum corycũ non a folle, sed a pila duntaxat parua, de qua peculiarem cõscripsit librũ, discriminasse: id quod, inuitus licet, Valleriola etiam fatetur, iis quidem verbis: *An non, ait, conceptis explicatisq; verbis, coryci exercitationem, ab ea, quæ pila parua perficitur, distinguit Galenus, quũ duas faciat & coryci, & pilæ lusoria exercitationes?* Non est igitur vt productis ab eo duobus Galeni locis, nostram sententiam confutauerit. Verum, quia parum, imo nihil plane iam dictis locis effecerat, ideo mox ad aliam se confert rationem, hanc nimirũ: *Follis pila genus est, corycus vero, vt Hesychius, & Phauorinus suis in dictionariis aperte testantur, non pilæ genus sit, sed vter, vel sacculus, aut pera ex pelle, corioue confectus.* Iam dictorum auctorum testimonia mox subiicit, quę referre nihil attinet, quod ei lubens concedam, corycum Gręcis quoque tum vtrem, tum sacculũ significare. Sed mox instat inquiens: *Si igitur corycus instrumentum est quoddam, instar peræ, aut marsupii, vtrisue conformatum, constat profecto corycum follem non esse, quum follis sphæricus sit: vter autem, vel marsupium, oblonga.* Mirari autem subit, qua fronte Valleriola omnem vtrem, omneq; marsupium oblonga esse dicere audeat, quum experientia vtrunq; esse falsum testetur. Constat n. vtriculariorũ vtres esse rotundos, multaq; hodie inueniri exquisite rotunda marsupia. Sed demus & vtrem & marsupium omne esse oblongũ, nihilominus tamẽ per similitudinẽ Græcis follẽ etiam, κώρυκον nominare licuit, quod ille ex pelle, instar vtris & marsupii, conficiatur. Atq; hinc est, ꝙ veteres follẽ, pellem & vtrẽ, vt infra plenius dicetur, appellarint. κώρυκον aũt Gręcis significare etiam follem, hoc est, vt Valleriola ẽt exponit, pilã vento inflatam, aereq; incluso turgidam, & non tantũ vtrem coriaceum, atq; marsupium, hinc maxime constat, quod κώρυκον vocarint omne id, ꝙ ab aere aut vento incluso inflatur, turget, attollitur, & augetur,

Margin notes and section letters (in page order):
A
Acrochirismus.
Ecplethrismus.
B
Pitylismus.
Sciomachia.
Discus.
Follis.
Francisci Valleriolæ de coryco opinio falsa reiecta & explosa.
C
D
E
F
κώρυκον vnde dictũ.

A tur, a verbo κορύσσεσθαι, quod attolli denotat. Iam dictis accedit, quod Latini omnes interpretes, & ii quidem doctissimi, κωρυκὸν follem interpretati sint. Vt omnib. iam palam sit, Valleriolam me falso erroris insimulasse, quũ ipse potius a Cælio Rhodigino in errorẽ deductus sit, qui *lib. 11. antiquarum lectionum, c. 6.* ita scriptum reliquit, *Corycum aliqui intelligunt follem.* Exstat verbũ apud Gal. quoq; *lib. sanit. Tuend. 2.* Verum a folle disparare videtur & pila: sic enim scribit: *Tum corito, folle, pila.* E quibus sane Cælii verbis cõspicuum omnibus fit, ipsum nulla alia de caussa in falsam hanc venisse opinionem, quam quod putarit Galenum a folle & pila corycum distinxisse. Igitur in eum errorem nullo alio nomine lapsus est, quam quod illam sententiam non ex Græcis Galeni verbis, quod facere debuerat, sed ex Latina Linacri interpretis conuersione, a typographo deprauata, B collegerit, vtpote in qua corycũ manifeste a folle, vt Cælii verbo vtar, disparatur: quum Græce sit, καὶ διὰ κωρύκου, καὶ διὰ σφαίρας σμικρᾶς: id est, *tum corico, tum pila parua.* Linacri igitur interpretatio legitima sic habuit: *Tum coryco, hoc est, folle, tum parua pila.* Atque sic olim nos etiam in nostris super citatum Galeni librum annotationibus locum hunc emendauimus. Igitur ex iam dicto Cælii loco, Valleriola suam de coryci & follis differentia absurdam, & ex diametro a veritate aberrantem, hausit opinionem. Vt autẽ sole clarius meridiano nemo non intelligat, vtrunque, Cęlium nimirum & Valleriolã, turpiter lapsum & hallucinatum fuisse, non pigebit nos follis & pilæ rationem copiosius explicare. Pila itaque instrumentum lusorium est rotundum, ad sphæræ similitudinẽ confectum. Quo quidem ludi genere magni & graues viri impendio olim delectati sunt. Siquidẽ Augu- C stus, *vt in eius vita auctor est Suetonius*, post ciuilia bella exercitationibus campestribus, equorumq; & armorum dimissis, ad pilam primo, folliculumq; transiit. Scæuola insuper optime pila lusit, atq; ad hoc diuerticulum, animum forensibus negotiis fatigatũ, transferre solitus est. Pilarum aũt veteribus, q; e Martiale omnibus liquet, quatuor fuerunt genera. Prima, dicta est trigonalis, a trigone loco thermarũ, q; ad huiusmodi pilæ vsum ædificatus fuit, paruoq; calore tepidus per hyemẽ teneri solitus est, ne exuti ad ludendum homines, statim frigus conciperent, & rigore concuterentur, neue ludendo exerciti nimis æstuarẽt. Locus igitur hic Græcis τρίγων, a triquetra, hoc est, triãgulari figura, quam Græci τρίγωνον vocant, dictus, pilæ huic, quod in eo iactaretur, atque illa ludere illic D solebant nomen dedit. Hæc ad vnum mittebatur angulum, ita vt vtrunque parietem contingeret, reddebaturque non minus sinistra quam dextra manu, miramque corporis agilitatem requirebat. De loco Mart. ita lib. 14. canit:

Qui lentum ceroma teris, tepidumque trigona.

Et rursus lib. 12.

Captabat tepidum dextra, læuaque trigonem,
Imputet exceptas vt tibi sæpe pilas.

Et lib. 14. de pila trigonali:

Si me nobilibus scis expulsare sinistris,
Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam.

Porro pila hæc omnium minima erat, prædura, firmo pilo plena, a quo nomen habet. E Atq; hanc esse arbitror, quam Galenus σφαίραν σμικρὰν, id est, pilam paruã, alii palmarem, nominãt, q; reliquæ omnes ea sint maiores. Eius mentionẽ facit *lib. 2. de sanit. Tuend. c. 10.* Vbi tamẽ perperã legit' καὶ διὰ κωρύκου, καὶ διὰ σφαίρας ἢ μικρᾶς, ἢ μεγάλης, pro σφαίρας μικρᾶς tantũ. Qđ ex alio eiusdẽ ibidem loco fit manifestum, vbi tantũ paruæ pilæ mentio fit, iis quidẽ verbis: καὶ τὸ διὰ τοῦ κωρύκου τε καὶ σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον, omissa penitus magnæ pilæ commemoratione, Et quid opus fuisset Galeno magnæ pilæ meminisse, quum κωρύκου, quæ non est nisi magna pila, antea mentionem fecerit? Quinetiã Paul. Ægineta *lib. 1. c. 17.* vbi ad verbũ Gal. sententiã descripsit, μεγάλης vocẽ penitus omisit, inquiens: καὶ τὸ διὰ κωρύκου τε, καὶ τῆς σμικρᾶς σφαίρας γυμνάσιον. Accedit, quod Gal. peculiarem librum ediderit, de exercitio paruæ pilæ inscriptum, vt eam omnibus aliis maiorib anteferret, veluti eam quæ vniuersas corporis F partes exerceat: Siquidẽ illa, vt in eo libello metipse scriptũ reliquit, crura, brachia, ceruicem, caput, oculos, dorsum, lumbos, & omne ex equo corpus cõmode exercet, & animum voluptate mira afficit, vegetumq; & alacrẽ reddit, vt fusius in libello nominato, legẽtes cognoscere possunt. Quo sane nomine factũ est, vt veteres viri p̃stantissimi, hoc genere ludi vnice delectati sint. Altera pila, paganica nominata est, a pagis, hoc est, vi-

Cælii Rhodigini lapsus.

Pila quid.

Parag. 83.

Pilarũ genera quatuor.

1. Trigonalis.

Pila parua Galeni. Palmaris pila.

Paruæ pilæ commoda.

2. Paganica.

lis, quod pagani ea vterentur. Hæc crassior, laxiorque, & pluma plena fuit, nec ad vsum A
tam agilis, vt quæ nec tam lenis est, nec iactata facile resilit. De qua quidem Mart. libr. 14, ita scriptum reliquit:

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

3. Follis. Quasi diceret, *est laxior quàm pila trigonalis, & arctior firmiorque quàm follis.* Tertia pila, Græcis κωρυκὸν, follis Latinis dicitur. Hæc ex pelle siue aluta fit, spirituque ac vento inflatur, Pila maxima. ceteris crassior, imo omnium maxima, atqui non multo grauior. A flatu nomen apud Latinos habet, quia spiritu ventoue ac flatu, vt dictum est, impletur: siue quod follem Folliculus veteres pellem appellabant, & per diminutiuum folliculum, & vtrem. Nihil enim aliud est, quam pellis vterue flatu impletus. Hoc pilæ genere ludentes, minus fatigãtur, ideoque imbecilliori ætati conuenit, quod Mart. lib. 14. maxime confirmat: B

Ite procul iuuenes, mitis mihi conuenit ætas.
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Agitatus follis lętius fert, magisq; resilit, ac tardius descendit, veluti ex industria per- Follis pugilatorius. cussorem expectãs. Quoniam vero hoc pilæ genus pugno excutitur, follis pugilatorius quandoque nominatur, vt a Plauto in Rudente: *Extemplo hercle ego te follem pugillatorium faciam, & pendentem incursabo pugnis perturissime.* Ceterum veteres Græci saccos ex corio κώρυκοι. factos, & item Marsupia, vtrasque ex pelle confectos κωρυκοὺς, quemadmodum Latini *folles*, appellarunt, quod hæc omnia instar pilæ vento inflatæ, follisue, ex pelle corioue constent, & si re aliqua impleantur, tumeant & turgescant. Vt mirari subeat tum Cœlium, C
tum Valleriolam, cur affirmare audeant, κωρυκὸν & follem esse res diuersas, quum κωρυκὸν Græcis, & *follis* Latinis proprie hoc tertium pilæ genus, de quo hic agimus, significet, adeoque inter se non differant, vt iam a nobis ostensum est. Reliqua vero, similitudine potius quadam ab ea pila sumta, κωρύκου & *follis vel folliculi* nomen acceperant. Porro, ne id silentio inuoluamus, Hipp. *lib. 2. de Diæta*, exercitii eius, quod διὰ κωρύκου, id est, per follem Κωρυκομαχία. fit, meminit, & κωρυκομαχίην nominat. Siquidem κωρυκὸς καὶ κωρυκὸς Gręcis pila illa appellatur. Sed præstat verba Hipp. de hoc exercitii genere subiicere. ἀκροχειρίη ἰσχναίνει καὶ τὰς σάρκας ἕλκει ἄνω· καὶ κωρυκομαχίη, καὶ χειρονομίη, τὰ παραπλήσια διαπρήσσεται. Hoc est: *Summis manibus concertatio attenuat, & carnes sursum trahit. Follis lusus exercitatio, & manuum ad rythmum motio, siue gesticu-* D
latio, similia faciunt. Quid multis opus est verbis? κωρυκὸς, siue κορυκὸς Græcis, & follis Latinis, pila fuit magna, vento plena, & leuis, quam veteres exercitii gratia per aera varie, & alternis exagitabant, modo recta altum, modo oblique & in transuersum. Eo ludi genere hodie etiamnum nõ solum in Italia, & Gallia, verumetiam in aliquot Germaniæ locis, 4. Harpastum. Norinbergæ potissimum, vtuntur. Quarta pila est, quam *Harpastum*, a verbo ἁρπάζω, quod rapio significat, eo quod plures proiectum harpastum conentur arripere, & extra ludi limites eiicere, nominant. Nam hoc pilæ genus non repercutitur, sed quum multi ludentes, in duas partes diuisi sint, ita vt vtrique e regione sibi inuicem opponantur, quisque annititur pilam arripere, & ad suos, qui post se sunt viciniores, limitib. transmittere: eiusque partis victoria est, quæ pilam extra limites eiecerit. Laboriosum genus ludi est, grandioribusque tantũ conueniens. Siquidem sæpe in terram decidit pila: ad quam E
cateruatim accurrentes, se inuicem prosternunt, puluere ac sudore infecti flauescunt: Vnde hoc Martialis 14.

Seu lentum ceroma terit, tepidumque trigona,
Siue harpasta manu puluerulenta rapis.

Et rursus: *Nec rapit Antei velox in puluere Draucus,*
Grandia qui vano colla labore facis.

E panno fere fit hęc pila, aliquãdo etiam ex pelle, lana tomentoue implet. Talis est, qua nostri maxima ex parte hodie ludunt. Alio nomine φαινίδα, Cælio *lib. 20. cap. 14 teste*, appellant, a Phenestio eius inuẽtore: vel a verbo φενακίζω, quod *decipio* sonat. Fit enim in hoc ludo, vt quum alteri sæpe ostendant, se velle pilam proiicere, alteri tamen iaciant F
ad decipiendum aduersarium. Sed, vt hoc etiam prædictis addamus, pila hæc, maior est paganica, & quam follis tenuior. Hæc quidem a nobis copiosius sunt dicta, vt non solum nos ab iniusta Valleriolæ reprehensione assereremus, sed etiam vt veram & legitimam rationem pilæ, quæ veteribus vsitatissima fuit, quæq; pila, quam Galenus par-

uam

A uam nominauit, fuerit, indicaremus. Digressi igitur longius, ad aliorum quæ restãt exercitioru explanationẽ redeam⁹. Ceterũ alteres massæ & moles lapideæ, aut plumbeæ, aut ex aliis metallis conflatæ fuerũt, ita prorsus efformatæ, vt manuũ digitis insertis cõmode leuari possent. Fuitque harum geminus vsus. Vnus, quum summis manibus, vtraque tamen seorsum, apprehenso altero, porrectis iis, aut in sublime erectis, eodem habitu persistebant. Alter vsus apud saltantes erat, qui illos in gymnasio circumferentes saltabant, vt maiore nixu corpus in longiora spatia saltu proiicerent, vt alibi fusius diximus. Gymnasium autem fuisse locum in publica aliqua vrbis regione exstructum, quo vngendi, fricandi, luctaturi, discum iacturi, aut tale quippiam facturi confluxerunt, notius est fere, quam vt hic dici debeat. Porro exercitia simul & opera sunt, quæ exercendo opus relinquunt: vt quum quis fodit, remigat, arat, vites putat, onus gestat, metit, equitat, armatus pugnat, iter facit, venatur, piscatur, & id genus alia in vita vsus caussa exercet. Est & vociferatio *thoracis & vocalium instrumentorum exercitium*. Venatio principum propria, exercitatio esse solet, quam mirificis laudibus Xenophon extulit. Exercitiorum generibus gestatio quoque annumeratur, cuius quidem mirum modum Asclepiades exhibuit. Is enim, *vt lib. 26. cap. 3. Plinius auctor est*, supra nauicularum, lecticarum, ac curruum vectationem, lectum pensilem excogitauit, cuius iactatu aut morbos extenuare, aut somnos allicere conabatur. Atq; hæc fere fuere apud veteres, quantum e Galeni scriptis colligi potest, exercitiorum genera: e quibus nonnulla vsque ad nostra tempora durarunt. Differunt autem inter se, quod quædam sunt velocia, in quibus scilicet est mouendi celeritas: quædam tarda, in quibus est mouendi tarditas: quædam valentia, vel, *vt Graci vocant* εὔτονα, quæ nimirum violenter robusteue citra velocitatem fiunt: alia imbecillia, quæ iam dictis plane contraria sunt: alia vehemẽtia, Græcis σφοδρὰ vocata, quæ violenter & cum celeritate exercentur: alia lenia, mitiaue, iis contraria. Exempla singulorum refert Gal. *lib. 2. de Tuend. valet. c. 11.* ad quem locum, ne in immensum excrescat caput, lectorem ablegamus.

Gymnasiũ. Exercitia & opera. Vociferatio. Gestatio. Differentię exercitiorum. Velox. Tardum. Valentia. Imbecilla. Vehementia. Lenia.

Quis sit exercitiorum vsus. CAP. II.

EXercitiorum sane qui sanitatis studio tenentur, præcipuam curam habere debent, quod illorum, modo quis ipsis recte vtatur, maxima sit cõmoditas, vt contra, temere neglectorum, summa incõmoditas. Quod innuere volens Hipp. dixit: ἄσκησις ὑγιείας, ἀοκνίη D πόνων: *Sanitatis studiũ est, impigrum esse ad labores*. Et Gal *lib. 2. de Sanit. tuen. Sanitatis*, inquit, *tutela, a labore auspicanda est*. Libro præterea *de boni & mali succi cibis*: *Ad sanitatem tuẽdam*, ait, *maximum quidem malum est, omnimoda corporis quies, perinde atq; maximum est bonum, motio moderata, hoc est, si corpora moderate exerceantur*. Tria vero potissimũ sunt cõmoda, quæ corpora sese exercitando consequuntur, nempe instrumentorum ex mutuo ipsorum attritu durities, insiti caloris augmentum, & spiritus citatior vehementiorq; motus. Sequuntur vero hæc, reliqua etiam particulatim commoda. Instrumentorum quidẽ duritiem, tum vt minus ex labore afficiantur, tum ad actiones robur. Caloris aũt augmentum, tum deducendorum in corpus validus attractus, tum immutatio magis expedita, tum nutritio magis felix, tum singularum corporis partium fusio, cuius beneficio solida E mollescere, humida tenuari, meatusq; laxiores fieri accidit. At ob spiritus valentiorem impetum motumue, expurgari meatus necesse est, & excrementa expelli. Priuatim vrobustæ ac violẽtæ exercitationes, musculos & neruos validiores reddunt. Aliæ quoq; brachia, aliæ spinã totam, aut pulmonẽ tantum, aut thoracem tantum, aliæ lumbos, aliç crura magis exercẽt. Quippe acrochirismi & sciamachiæ brachiorum & manuũ ꝓpria sunt. Rectas spinæ partes magis exercent, qui depositis ante se alteribus vlnæ interuallo distantibus, postea medii ipsi stantes, inclinant se atq; attollunt, dextra quidẽ eum, qui ad sinistrã iacet: sinistra, qui ad dextrã: tum rursum vtrunq; in suũ locũ referunt. Transuersas, qui hoc identidem deinceps faciunt, iisdẽ vestigiis insistentes. Thoracis vero & pulmonis maxime respirationes, ꝓprie exercitationes sunt. Vociferatio quoq; supra has F addit, q̃ vocis instrumenta ꝓmouet, adeoq; asthmaticis, necnõ nisi recta ceruice spirãtib. cõfert. Lumborũ exercitatio est, assidue se inclinare, ac rursus erigere, idq; aut põd⁹ aliq̃ a terra tollẽtes, aut assidue in manib. sustinentes. Itatio aũt cursusq; crurũ exercitationes sunt Ceterũ gestatio maxime iis, q̃ ex diuturno morbo cõualescunt, & vires recolligunt, confert. Somnũ itẽ allicit, multisq; aliis morbis, *vt lib 3. c. 6.* Aet. monstrat, auxiliat. Eq̃tationis, q̃ inter gestationis species numerat, vsus modic⁹ est in ęgrotis. Habet

Exercitiorum tria præcipua commoda. Singularũ partiũ exercitationes. Vociferationis vsus. Gestationis vsus. Equitationis.

tamen aliquid vtilitatis in valentibus. Supra enim alia exercitia stomachum, & intestina, *Celso lib. 4. cap. 19. teste*, mirifice confirmat. A

De Præparatione ad exercitationes. CAP. III.

Corpus ante exercitationes ab excrementis vacuandum.

Præparatoria frictio.

PORRO cum exercitatio ipsa prædicta commoda haud præstet, nisi quis sese ad eas recte præparet, & legitimo tempore ea vtatur, principio cur præparatione opus sit, & qualis hæc esse debeat, dicemus. Sciendum itaque, si quis protinus ad valentiores motus exercitationesque accedat, priusquam totum corpus molliatur, & excrementa extenuentur, & exigui meatus laxentur, metus est solidarum quampiam ruptum, aut cõuulsum iri. Timendum præterea est, ne excrementa spiritus impetu impulsa, prędictos meatus obturent. Vt ergo hæc fiant, oportet linteolo totum corpus mediocriter fricando prius calefacere, mox oleo fricare. Neque enim protinus ad oleum accedẽdum, aut videlicet quam cutis incaluerit, & meatus laxentur. Ei rei satis omnino sunt pauci manuũ circumactus, qui nullo cõpressu sint graues & mediocriter celeres, huc demum directi, vt corpus citra compressum calefaciant. Siquidem peractis iis cernere licebit floridum ruborem per totam diffundi cutem. Tum igitur oleum inducẽdum, & nudis manibus, quæ medium inter mollem durumque modum seruant, infricandum. In pręparatoria namque ante exercitationem frictione, quæ huc spectat, vt corpus molliat, mollis dureq; mediam qualitatem dominari oportet. Quod, vt rectius intelligatur, animaduertendum triplicẽ esse frictionem, duram, mollem, & mediocrem. *Dura* est, quæ corpus cogit atq; constringit. *Mollis*, quæ idem laxat & soluit. *Mediocris*, quæ in qualitate carnem non alterat, sed plane duræ ac mollis medium modum seruat. Id quod Hipp. *lib. 3. κατ' ἰατρεῖον*, hoc est, *de Medici officio, tex. 26.* iis verbis significauit: *Dura frictione, ait, corpus ligatur: molli vero soluitur.* Ligare enim Hippocrati idem, quod coactum reddere ac constringere: quemadmodum soluere, molle reddere, & laxare denotat. Harum certe frictionum quæuis trifariã dicitur. Est enim dura, pauca, multa, mediocris. Mollis, pauca, multa, mediocris: Mediocris, pauca, multa, mediocris: vt sint in vniuersum frictionis differẽtiæ nouem, Multa vero frictio extenuat ac minuit. Pauca; nec auget, nec minuit carnem, nec omnino quid euidens efficit, sed parum duntaxat calefacit. Mediocris augendi vim obtinet. Proinde quæ supra modum exsoluta sunt corpora, frictione dura: quæ contra adstricta, molli fricanda sunt. Si vero æqualiter habeant, palã est, quod neq; molliter, neque duræ, sed quantum eius fieri potest, vtroq; excessu vitato. Atqui de exquisita ratione frictionis, nemo Gal. *lib. 2. de tuend. sanit.* diligẽtius scripsit: vt igitur illum accurato studio legant, medicinæ initiatos, hortor. Etsi autem frictio desuetudine abolita est, tamen veteribus, senibus potissimum, & qui sedentariam vitam degebant, vsitatissima fuit. Maximam vero quum offerat vtilitatem, optãdum vtiq; esset, vt in nostros vsus reuocari posset. Ceterum qui exquisitam hanc, quæ per frictiones fit, præparandi rationem vsurpare recusant, quod in Germanis solenne est, ii id saltẽ præstare debent, vt ante exercitia vniuersum corpus, singulasque eiusdem partes, eas præsertim, quæ vacuandis superuacuis destinatæ sunt, ab excrementis repurgent: ita enim cauebũt, ne excrementa, spiritus impetu impulsa, cutis meatus obturẽt, aut ab internis in omnes animalis partes rapiantũr. Sed de præparatione ad exercitationes satis.

B C D E

Frictionis differentię. Dura. Mollis. Mediocris.

Ligare. Soluere.

Multa. Pauca.

Mediocris.

Galenus de Tuenda sanit. accurate legẽdus.

De Tempore exercitationis. CAP. IV.

Tempus exercitii.

SI quis exercitationis commoda consequi velit, huic necesse est, vt ea legitimo vtatur tempore. Nam cum distributionem in corpus adiuuet, non debet quando administratur, crudorum & non coctorum aut ciborum, aut humorum multitudo, vel in venis, vel in vasis contineri. Periculum enim est, ne priusquam per maturam concoctionem vtiles fiant, in omnes animalis partes rapiantur. Quoniam vero exiguos meatus expurgat, & excremẽta expellit, vtilius ac melius est, vt ante cibos adhibeatur. Nã si a cibo corpus labore exagites, crudis omnino implebis humoribus. Distribuit.n.tum cibus ex ventriculo antequam concoquatur. Non est etiam exercitatio adeunda, nisi expulsis prius excrementis, quæ vel in vesica, vel in feriore aluo continentur. Verendum namque est, ne quid ex iis in habitum corporis, vi caloris, qui per exercitationem accenditur, rapiatur. Igitur ad exercitationem optimum tempus est, quum hesternus F

cibus

A cibus fuerit tum in ventriculo, tum in vasis perfecte concoctus, ac probe elaboratus, atque iam denuo cibandi tempus institerit. Quod si vero aut prius, aut posterius exercitatione vsus fueris, aut crudis humoribus corpus impleueris, aut flauæ bilis prouentum in eo auxeris. Quare Germanorum nostrorum scholasticorum mos reprehensione dignissimus est, qui nunquam se, nisi statim a cibo sumto exercitare solent, aut salientes, aut currentes, aut pilam excutientes, aut discum proiicientes, & id genus alia exercitia obeuntes. Vt nihil mirum sit, cum hac ratione magnam crudorum humorum copiam accumulent, illos perpetua scabie, aliisque morbis, e vitiosis humoribus natis, conflictari. Idem enim illis accidit, quod euenire solet iis, qui in cacochymia & humorum vi-

Scholasticorum Germanorum mos reprehensus.

B tio se exercitant. Nam & iis ad cutem euocatur malorum humorum copia, vnde vlcera & scabies procreantur, iuxta illud Hippocratis: *Si impurgatus laborauerit, vlcera erumpent.* Præstaret itaque eos non vulgi opinionem, sed Medicorum potius præcepta, & diuini Hippocratis consilium, veluti oraculum quoddã, sequi ac obseruare, qui in Epidemiis ita scriptum reliquit: *Πόνοισι σῖτοι ἡγεέσθωσαν: Labores cibis antecedant:* per labores non nisi exercitia intelligens. Sed sanitatis tutelam a labore esse auspicandam, quem excipere debent cibus, potio, deinde somnus, mox Venus, in iis videlicet, quibus Venere est vtendum, eodem etiam in libro significauit iis verbis: *Labor, cibus, potio, somnus, Venus, omnia mediocria.* Quibus certe verbis non solum tempus, ipso nimirum sermonis ordine, sed & modum ipsum, addito ad finem dictionis epitheto, *mediocria definiuit*, de quo sequen-

6. Epid. sectio 5. Aph. 33.

6. Epidem. sectio 4. Apor. vlt.

Sectio 6. Aphor. 5.

C ti mox capite dicemus. Vt autem corporis, ita quoque animi exercitia tempestiua esse debent. Intempestiua enim studia incredibiliter valetudinem frangunt, ac labefactant Aurora itaque studiis amica est, & horæ antemeridianæ omnes, & ex pomeridianis tres, aut summum quatuor, quæ cœnam antecedunt, seriis studiis dandæ sunt. Qui nocturnis lucubrationibus impallescunt, ac se macerant, ii & corporis & ingenii vires breui eneruant.

Studiorum tempus.

Quæ exercitationis mensura. CAP. V.

EXercitationi esse adhibendam mensuram, ex paulo ante citata Hippocratis sententia satis constat. Quantisper autem sit exercitandum, Galenus *in fine libri de Tuen. valetudine*, quatuor notis posse cognosci docet, dum ita scribit: *Exercitetur dum & corpus intumescit, & color illi floridus apparet, & motus prompte, æquabiliter, & concinne edit, ac sudor cum calido vapore mistus manans cernitur.* Inhibenda vero exercitatio tum primum est,

Quãtisper exercitandum quatuor notis cognoscitur.

D quum aliquid horum immutatum fuerit. Quippe si contractior paulo corporis moles videbitur, desistendum illico est. Si enim vltra quid pergat, etiam boni succi nonnihil educetur, atq; ita tum gracilius corpus fiet, tum aridius, atque ad incrementum minus habile. Non minus profecto, & si coloris gratia vanescat, cessandum est. quando si exercitationem continues, frigidum corpus efficies, & nimium exhauries. Iam motuum alacritas, æquabilitas, vel concinnitas si remitti, collabique cernitur, vtique statim desinere conueniet. Itidem si in sudore accidat vlla qualitatis eius quantitatisue mutatio. Quippe quem & copiosum magis, & magis in calentem edi par est, prout motibus vehementiæ plus accesserit. Quum igitur is aut minor intelligitur, aut frigidior, tum scias

Inhibendæ exercitationis notæ.
1.
2.
3

E discuti, exhauririque corpus: præterea refrigerari, & plus iusto siccari. Quo magis solicite attendendum exercitando corpori est, vt quum dictarum iam notarum quælibet apparet, protinus cessetur. Sudorem vero & tumorem corporis inter exercitandum præcipue esse consideranda, Hippocrates etiam in Epidemiis iis hortatur verbis: *In exercitationibus signum extenuationis est sudor guttatim emanans, quique tanquam a riuulis egreditur: aut a tumore contractio.* Qua sane sententia Hippocrates duo potiora inhibendæ exercitationis signa memorat, nempe sudorem, & molis corporis contractionem. De quibus quum multa in huius sententiæ enarratione dixerimus, non est cur hic multum legentium magno fastidio repetenda sint.

6. Epidem. sectio 3 Aphor. 4.

F *De Apotherapia.* CAP. VI.

AB exercitatione, quod veteres studiose obseruarunt, apotherapia vocata vtendum erit. Sic autem Galenus & alii veteres, omnis exercitationis probe peractæ postremam partem nominauerunt. Hæc vero duplici consilio suscipitur, nempe, vt excrementa expurget, & vt corpus a lassitudine tutum reddat. Prior caussa etiã exercitationi communis est, quando eius quoque duplex omnino, *vt diximus*, propositum est, & vt

Apotherapia quid

Apotherapia cur suscipitur.

solidas animalis partes firmet, & excrementa expurget. Proprius tamen apotherapiæ scopus est, vt lassitudinem, quæ succedere immodico exercitio solet, submoueat, atque prohibeat. Quanquam autem qui tantum bonæ valetudinis caussa exercitantur, iis nec necessum, nec vtile plane est, immodicos labores adire, adeoque nullus etiam lassitudinis metus instat; nihilo secius tamen iidem apotherapia vtentur, etsi nullo lassitudinis timore, at certe excrementorum purgandi caussa. Tutissimum itaque est, apotherapia semper vti. Quæ autem qualisque adhibenda, sit: ipsa finium, ad quos tēdimus, demonstrabit natura. Nam quoniam id petimus, vt solidarum animalis partium excrementa, quæcunque ex calefacta extenuataque per exercitationem in corpore adhuc manent, prorsus eiiciantur, & frictiones, quæ per alios administrent, adhiberi oportebit, & cum iis vna tum ipsarum, quæ fricātur, partiū tensionem, tum etiam spiritus cohibitionem. At quoniam nec frictionum vnica ratio est, nec spiritus cohibendi, deligendū ex vtroque genere, quod vtilissimum est. At ex frictionibus quidem eam, quæ dura est, cogere corpora, hoc est, densiora simul durioraque reddere, traditum iam est. Itaque hęc ad apotherapiam parum est accommodata, siquidem quod densatur, intra se claudit: quod laxum fit, liberum excrementis exitum præbet. Ad eundē modum quod durat, iis quæ tensa sunt, maxime est aduersum, vt quod eorum affectum magis adauget. Cōtra quod mollit, id est vtilissimum. Si igitur simul & excrementa discuti, & quæ tensa sunt, molliri conuenit, duræ certe frictiones omnino sunt fugiendæ, nec iis minus a lendis cauendum. Nam postquam a se corpus non amplius di mouetur, periculum est, ne frigescat ac densescat, dum nulla ope externa calefit. Hac igitur de caussa, non solum cum celeritate est fricandum, sed etiam quoad fieri potest, plurium manibus, quo nulla corporis pars nuda maneat. Ac si nec tardam esse frictionem oportet, nec duram, oleum nimirum fricando corpori largiter circumfundi debebit: id enim ad velocitatem simul & mollitiem frictionis multum conducet: & alioqui aliud secum non mediocre commodum affert: quando & quæ tensa sunt remittat, & quæ inter vehementius laborandum fatigata sunt emolliat. Atq; iis quidem de caussis, dura vitanda est frictio. Ob alias vero mollis: quippe ea nec alte dimittitur, sed circa cutē ipsam, & ei vicinas carnes deficit, nec ea quæ in augustis meatibus contenta sunt, excrementa elicit. Cuius profecto caussa, tum ipsam fricandarum partium tensionem, tum spiritus cohibitionem iniungimus. Media igitur mollis duræque, quæ eadem mediocris est, ab vtriusque incōmodo abest, & mollis in efficacia, & duræ violentia noxaque. Ea vero perficietur fricantis quidem manibus valenter iniectis, ita vt earum impressio ad duram frictionem proxime accedat, ceterum pinguitudinis copia & velocitate mouendi eatenus remissis, vt plane euadat mediocris. Nam & pinguitudo ipsa, valentioris contractionis non leue præsidium est, & breuitas ipsa contactus tantum demit de violentia, quantum etiam de tempore. Porro tendendæ obiter, dum fricantur, partes sunt, quo quicquid inter cutem & subiectam illi carnem excrementorum residet, per cutem expellatur. Quippe ambabus iis laxis, non magis foras, quam intro ferri excrementa continget. Distentis vero iis, quæ sub cute sunt, omnia foras eliduntur, ceu gemina manu expressa, vna foris eius vtique qui fricat, altera intus, ipsis scilicet, quæ tenduntur particulis, manus vicem supplentibus. At propter hæc quidem excrementa, nón exigua portio apotherapiæ est spiritus detentio, & cohibitio. Appellant vero ita, vbi omnibus thoracis musculis, qui circa costas habentur, intentis coactisque exspirationem continemus. Accidit namq; tunc, vt spiritus, qui a costis premit, dum efflari per larynga prohibetur, vniuersus pessum ad transuersum septum detur, atq; vt cum hoc quæ ipsi subsunt omnia simul attollantur, iecur, lien, ventriculus, & quædam alia. Oportebit autem interim musculos, quę in abdomine sunt, leuiter contrahere, vt ab iis vna cū septo, ceu gemina manu pressis, quæ intersunt partibus, excrementum, si quod intra se habent foras elidatur. Sed de apotherapia, quod ad institutum nostrum pertinet, satis multa. Neque enim hodie obseruatur, & Gal. qualis hæc esse debeat, *in 3. de Tuend. valetud. lib.* copiosissime docet. Ad eum itaque locum, qui plura de spiritus cohibitione scire vult, ablegamus.

[Margin notes: A; Tria ad apotherapiā necessaria 1 2 3; B; C; Apotherapiæ frictio qualis esse debeat.; D; Mediocris frictio vt perficienda; Curtendendæ partes in apotherapia.; E; Spiritus cohibitionis vtilitas; Spiritus cohibitio quid.; F]

De quiete & otio. CAP. VII.

QVemadmodum exercitium commode ac suo tempore administratum, ad tuendā sanitatem plurimum momenti habet, ita quies immodica & perpetua non solum

corporis

A corporis, sed & animi vigorem obtundit. Quod enim ad corporis rationem attinet, quietem & otium immodicum cruditatem parere, & vitiosorum humorum copiã, cõstat. Nam vt per exercitium calor innatus augetur, adeoq; ciborum concoctio fit expeditior: ita per otium exstinguitur, & ciborum concoctio impeditur. Hinc est, quod Galenus *cap. 3. libri de Morborum caussis*, rectissime otium inter frigidorum morborũ caussas recenset. Et inter Poetas certe Ouidium haud latuit, otia plurimum bonæ valetudini obesse, qui in primo de Ponto ita cecinit: Otii immodici incommoda.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus?
Vt capiant vitium, ni moueantur, aquæ?

B Cum itaq; otium sanitati nõ parum officiat, ideo natura mouẽdi studiũ nobis adhuc pueris inseuit, vt quãuis ea in ætate cõstituti occlusi circumseptiq; simus parietibus domus, discurrimus tamen, & brutorum more lasciuimus. Qui igitur sanitatis studio tenetur, is otium immodicum, tanquã ipsissimam pestem, fugiat. Est autẽ nõ solum hoc nomine otium immodicum detestandum, quod sanitati plurimũ officiat, sed & q̃ animi torporẽ inducit. Id q̃ inter Poetas Ouidius iis versib. pulcre indicauit, inquiens:

Adde quod ingenium longa rubigine læsum 5. Trist. Eleg. 12.
Torpet, & est multo quam fuit ante minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.
C *Tempore qui longo steterit, male curret, & inter*
Carceribus missos vltimus ibit equus.
Vertitur in teneram cariem, rimisq; dehiscit,
Si qua diu solitis cymba vacabit aquis.

Proinde quum immodicum otium & corpus & animum deprauet, prudentissime Draconem, celebrẽ apud Athenas legumlatorem, fecisse fateamur oportet, q̃ eos, qui otii damnati forent, capite mulctãdos censuerit. Neq; n. talium hominũ vsus aliquis in republica esse potest, vt quibus pulcrũ est in medios, vt ille dixit, dormire dies, nec aliud illorum studium est, nisi vt edant, bibant, dormiant, & fruges consumãt. Accedit quod *variam semper*, vt præclare Lucanus dixit, *Dant otia mentem.* Quapropter ad quæuis per-
D petranda flagitia dediti otio proni sunt. Vt non temere Ouidius ita cecinerit,

Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter? Lib. 1. de Remedio amoris.
In promtu caussa est, desidiosus erat.

Hinc illa fuit olim Areopagitarum quoq; functio, vt vnde quis se aleret, accurrate scrutarentur, inq; desidia compertos, non citra mulctam transmitterent.

Verum habet etiam otiũ mediocre, suoq; tempore vsurpatum sua commoda. Nam si quis ex multa motione corpus defatigauit, huic otio & quiete vtendum erit, de Hippocratis etiam sententia, qui ita in Aphorismis scriptum reliquit: *In omni corporis motu, quũ fatigari quispiam cœperit, quies confestim lassitudinis remedium est.* Notũ etiã hoc est Ouidii, Otii mediocris commoda. 2 Apho. 48.

Quod caret alterna requie, durabile non est: 4. Epist.
E *Hæc reparat vires, fessaq; membra nouat.*

Animo deniq; curis & studiis fesso, sua relaxatione ac remissione opus est. Quam nisi concedas, non est, cur diu vigorem eius cõseruare possis. Vt rectissime dixerit Ouidius:

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis: 1. de Ponto
Immodicus contra carpit vtrunq; labor.

DE SOMNO ET VIGILIA, SECTIO IV.

Quid somnus, & quæ eiusdem caussa. Cap. I.

Somnus naturalis (*de eo enim hic agitur*) vt *lib. 1. de Symptomatum caussis*, testis est Galenus, nihil aliud est, quam animalium facultatũ quies. Nec temere
F dictũ est, *Animalium*: quippe facultates naturales ac vitales in somno haud quiescunt. Hinc cõcoctiones in somno magis perficiuntur, cordisq; motus validior est. Aristot. *in lib. de Somno*, impotentiam sensuum somnũ esse definit: quod in idem recidit. Impotentiam a. non omnimodam sensus amissionem, sed difficilem tantum sensum appellamus: Siquidem non sensus expertes penitus sunt dormientes, *vt Galenus etiam lib. 2. de Motu musculorum* testatur, sed difficulter sentientes. Nam illi

interdum loquuntur, mouentur, ambulant, equitāt, imaginātur, aliasq; animales & voluntarias actiones exercent. Quies igitur harum actionum in somno non est perfecta cessatio, sed quasi intermissio vigoris quædam. Immobilitatem igit ac impotētiam sensuum somnum esse Aristoteles dixit, quod neq; visus colores, nec sonos auditus, nec odores olfactus, nec sapores odoratus, nec tangibiles qualitates tactus, toto hoc tēpore, quo somno sopiti & oppressi sumus, discernere queunt, vt non immerito vincti tum esse sensus omnes, & ad obeundas functiones impotentes dicantur. Nec aliter Paulus Æginata *lib. 1. cap. 97.* somnum describit, quum illum facultatum animalium esse quietem scribit, ab vtili humore cerebrum madefaciente prouenientem. Caussam tamen vnam somni explicat, nempe *cerebrum.* Quando enim vtiles vapores ex alimēto mediocri sursum feruntur, atq; in cerebrum exhalant, tum a cerebri frigiditate in humores coacti, & liquescentes, suauiterq; defluentes, meatus sensuum & neruorum obstruūt, somnumq; accersunt. Non est tamen, vt cum Aristotele *lib. 2. de Partibus animal. cap. 7.* cerebrum actu frigidum putemus: fieri enim non potest, vt vlla interna corporis pars, etsi aliarum collatione partium frigida est, in viuente corpore actu frigida sit. In somno autem necessario animalis facultas a suis muniis quiescit. Quippe per somnum, animalium spirituum ab instrumentis sensus & motus ad suum principium fit regressus, ideoq; vt in eo regressu facultas animalis quiescat, est necesse. Vnde liquido constat, *cerebrum esse somni caussam, quod eo per vaporum delationem occupato, facultas sensifica membris tum mitti desinat, & dormire statim animal cogatur.* Hinc est, quod spirituosa omnia, & quæ vaporem ex se multum fundere possunt, vt vinum, lac, & quæcunq; humectant, aut insigniter refrigerant, somnum concilient. Huic rei fidem quoq; facit, quod fere nunquam magis nos, quam statim a sumto cibo, quum plurimi vapores ad cerebrum ferūtur, somnus infestet. Atq; hęc quidem de somni ratione, & eius caussa, Medicorum est constans sententia, nempe quod is ex benigna quadā vtiliq; cibi exhalatione sursum lata cerebrumq; imbuente ac aggrauante fiat. Cui quidē Aristoteles quoq; subscribit, vbi caput impletum somnum afferre tradit. Nam *cap. 3. libri de Somno & vigilia*, diserte scribit, *somnum maxime post cibum fieri, quod tum copiosus humor & corpulentus sursum commeet. Qui quum consistit, caput aggrauat, & dormiscere facit.* Atq; hactenus Aristoteles cum Medicis sentit. Dissentit autē ab iisdē, vbi definitionem somni enarrans, cor primum esse sensorium statuit, atq; idem somni esse caussam affirmat. Quam falsa vero hæc sit sententia, & quam a veritate abhorreat, hinc abunde liquet. Neq; enim somnus fit impedito aut cessante corde, cum omnibus constet, in somno, vtpote natiuo calore tum ad interiora reuocato, motum cordis esse validiorem, tantum abest, vt tum quiescere illud dicamus. Proinde quum cor in somno non sit impeditū, nec in eo cesset ipsius actio, fieri non potest, vt cum Aristotele somnū esse cordis, quod ipse πρῶτον αἰσθητικὸν, id est, *primum sensorium* appellauit, quietem esse dicamus. Non parum vero errat Aristoteles etiam in eo, quod *cor* esse *primum sensorium* affirmat. Siquidem sectio ipsa, & ocularis inspectio abunde docent, cerebrum, nō cor, esse primum sensorium. Quippe nerui, sensus, & motus instrumenta, a cerebro, non a corde oriuntur. Vt mirari subeat hodie etiam reperiri, qui friuolis nulliusq; momenti rationibus, & argutiis, falsum hoc Aristotelis dogma tueri studeant. Sed iis præteritis ac contemtis, verum & rationi consentaneum potius dogma sectemur.

Caussa somni. | Somnum conciliantia. | Aristoteles non recte cor somni caussam esse statuit. | Cor non est primū sensorium.

Quæ somni commoda. Cap. II.

CVm Aristotelis etiam testimonio ἀδύνατον ἀεὶ ἐνεργεῖν, hoc est, vt semper agamus fieri non possit, liquet somnum animantibus ingentium vtilitatum caussa additum esse. Siquidem quum diurnis assiduisq; laboribus ac motib. defatigata nostra corpora (multa namque partium eorundem per labores dissolutio) virium resolutionem sentiunt, admirabili ac summa Dei prouidentia factum est, vt somno, ceu salutari laborum, viriumque collapsarum remedio ac instauratione nos vti voluerit. Hinc tot eius apud Poetas exstant encomia, e quibus hoc est Virgilii:

Fessos sopor irrigat artus.

Et illud Ouidii:

Somne quies rerum, placidissime somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasq; labori.

A Sed ex Medicorum placitis, quę somni sint commoda, audire præstat. Cōfert autem initio, qui mediocris est. Iuxta id Hippocratis: *Labor, cibus, potio, somnus, venus omnia mediocria.* Is n. *vt lib. 1. de Sympto. caussis, c. 9. attestatur Galenus*, cibū optime concoquit, q; toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas, vt dictum est, quiescit, naturalis v. validius agit. Quocirca tum ciborum cōcoctio fit optima. Concoquit a. non solum cibos, sed & humores, animi ægritudines obliuione delet, mentis insaniam corrigit. Ceterū per somnum cibos optime confici, nō solum in ventriculo, verum etiā in totius corporis habitu, Hippocrates *in Epidem.* breuissima, pro antiquo more, sententia indicauit, inquiens: *Labor articulis & carnibus, cibus v. & somnus visceribus.* Præterea optimā cibi concoctionem per somnū fieri, hinc certissime colligitur, q; vitium robur a somno mirifice au-

B ctum, in vniuersum fere oēs sentiūt. Quippe a somno experrecti robustiores, & ad quidnis agendum aptiores nos esse animaduertimus, familiari vtiq; alimēto nobis apposito. Vt hinc etiā palam fiat, somnum esse cunctis animalibus necessarium, illumq; ad incolumitatē, salutem, & quietē datū, vtpote sine quo vires corporis durare, & sufficere corpori nō possunt. Vt rectissime ille dixerit: *Quod caret alterna requie durabile nō est.* Somnus igitur id præstat, vt & vires roboret oēs, & corpus reficiat, cōcoctionesq; confirmet, ac meliores efficiat. Ad hæc internas corporis partes humectat, visceribusq;, vt functionibus suis obeundis sufficiant, & ad omnia naturæ opera plurimum confert. Senibus vero adeo conducit, vt nihil fere aliud æque senectutis siccitatem ac duritiam humectet, de-

C perditamq; in ipsis humidam substantiā magis reparet, ac emolliat. Vnde illud Homeri a Galeno *lib. 5. de Sanit. cap. 3.* ex Odysseæ vltimo citatum:

Vt lauit sumsitq; cibum, det membra sopori,
Namq; hæc senibus iusta.

Porro vt somnus mediocris sua, quæ iam retulimus, cōmoda habet: ita immodicus præter alia incōmoda, hanc potissimū noxam affert, quod ne excremēta oportune expellant, adeoq; iusto longius in corpore detineant, efficiat. Proinde ii, q; in magnam partē diei stertunt, & fere dormiēdo cū gliribus certant, raro ad iustā senectutē perueniunt, quod hac ratione magnā excrementorū copiam nō solum in cerebro, verumetiā in aliis corporis partib. coaceruent. Quantisper v. sit dormiendū, ex alimentorū perfecta conco-

D ctione æstimat. Ea a. rursus ex ventris contractione, & vrina deprehenditur. Quæ enim aquæ speciē profert, crudum adhuc in venis succum esse indicat eum, qui a ventre submittitur. Quæ rufa & biliosa, iam dudum concoctū esse huiusmodi succum portendit. Quæ modice pallet, peractæ modo secundæ cōcoctionis est signū. Imperfectæ v. cōcoctionis, *vt sect. 6. Aphoris. Cōmen. 1. Galenus attestatur*, acidus ructus certū indiciū est. Vt hinc perspicuū euadat a somno desistendū esse, vbi mediocriter rufa, aut mediocriter pallida vrina est. Nec pōt etiā omniū vna & eadem esse somni quantitas, q; ii citius, illi tardius concoctionem perficiant. Magna tamē ex parte septem, octo, vel ad summū, *Gal. lib. 6. de Tuen. vale. c. 5. teste*, nouē horarum spatio finitur ac circumscribitur somni duratio. Fugiendus igitur omnino immodicus somnus erit, quod, vt dictum est, excremēta detineat,

E caput grauet, multoq; vapore impleat, partesq; omnes ad motū pigriores reddat. Quapropter quiuis curare debet, ne somno immodico deditus, bonam vitæ partē perdat, & dormiendo plus satis excrementorum in corpore copiam coaceruet.

Somnus mediocris quid conferat.

6. Epido. par. 3. Apho 10.

Somni immodici incommoda.

Quātisper dormiendum.

Somni tempus quod. Cap. III.

TEmpus somni cōuenientissimū est nocturnum, vna aut certe duabus a cœna horis. Quippe nox propter suam humiditatem ac trāquillitatē ad somnum est aptissima. Præterea satis tēporis, quoad absoluta fiat ciborū cōcoctio, habet, ita vt somnū interrūpere negotiorū gratia noctu nō sit necesse. Diurnus cōtra, maxime nō assuetis, & cubātibus nocentissimus, primū q; cerebrum nimia humiditate oppleat, q̄ potius vigiliis exsiccātibus absumere ac dissipare oportet. Dein, quia tēpus quo quis interdiu dormit, ad

F perfectam concoctionem non sufficiat. Hinc est, q; diurno vtentes somno meridie excitati a somno, ob interruptam ante horā suā concoctionē, subinde acidos edant ructus crebro quoq; flatibus impleātur. Accedit, quod somnus diurnus nimia humiditate cerebrū implens, capitis grauedines, aliosq; frigidos procreet morbos. Impleta. ideo humiditate caput, q;, vt dictū est, nox cerebrum abunde satis humectarit, vt nō necesse sit, illud per somnum interdiu denuo humectare, imo per vigilias potius desiccādum erit.

Nocturnus somnus laudatur.

Diurnus noxius.

a. Præf. 11. Atq; hinc est, quod non temere in præsagiis ita scriptum reliquerit Hippocrat. *Interdiu vigilare, noctu vero dormire oportet.* Vt autē somnum a prandio arceamus, *Aetius lib. 9. cap. 39.* deambulationibus indulgendum esse, & animi laxamenta adhibēda suadet, nec vlla ratione diurnos somnos admittēdos censet, nisi lassitudinis sensus adsit, aut præcedente nocte quis nihil, aut parum admodū dormierit. His igit' de caussis nocturnum somnum nos amare, diurnū cōtra fugere decet: breuissimus tn̄ somnus, qui calorē solū colligit ab externis partib. reuocatq; ad cōcoctionē alimēti obeundā, nō nocet. Is n. quū minimo tēporis spatio duret, vaporib. caput replere nequit, interim vires recreat, & si quæ erat in capite & sensib. grauitas euanescit. Introcedit n. non solū calor, sed & humores, qui grauitatē stupiditatemq. afferebāt. Dormiendū ergo a prādio, si nequit euitari somnus, minimū, aut plurimū. Minimum, vt calor solū colligat, & vires recreentur ex negotiis & vigiliis dissolutæ. Plurimū, vt perficiatur concoctio. Is n. qui eā incoat, nec absoluit, illa parit incōmoda, q̄ paulo ante cōmemorata sunt. Sedente v. corpore captatus meridianus somnus minus nocet, q̄ decumbēte, q ita facilior ascendenti vapori exitus pbeatur. Non a. statim a prandio, vt noctu etiā non confestim a cœna, dormiendū est, sed exspectandum, donec cibus prius probe misceat', & in ventriculū descendat: id q aliquā morā, & motionem, qualis in leui deambulatione fit, postulat. Duabus tamē minimū a cœna horis vigilandū est, priusquā nos quieti mandemus. Sed vt nocturni somni commodis vti liceat, necesse est, ne vesperi immodico ingesto cibo vētriculū grauemus. Qui enim vesperi multum cibum ingerunt, ventriculumq; huius copia onerant, ii noctu nec pbe dormire, nec recte cōcoquere possunt, quod nimia copia facultas aggrauetur, nimioq; pondere assumtorū ciborū pressa, inquietudinē parit, somnumq. interturbat. Nec huic sententiæ aduersatur, q Galen. *lib. 7. Ther. method. cap. 6.* vesperi valentius alimentū esse dandum præcipit. Quippe aliud est dicere, valentius esse exhibendum alimentum, & aliud, plurimū cibum esse offerendum. Nam immodicus & plus iusto copiosior cibus, qui ingerit', siue validus, siue imbecillus fuerit, perpetuo naturę inimicus est, morbūque facit, iuxta id Hippocratis, *Omne nimiū, naturæ inimicū.* Et iterū: *Vbi plus cibi præter naturā ingestum est, morbum id facit.* Quocirca immodici cibi sumtio nec in prandio, nec in cœna laudem vllā meretur, sed perpetuo, tanquā noxia damnat'. Mediocris v. contra, vtpote naturæ familiaris, & qui a facultate nullo negotio, & perfecte vinci potest, quouis tempore sumtus, pbatur. Mediocris v. est, qui vniuscuiusq; ventriculi facultatē minime grauat. Vt mediocris nullus dicatur cibus, nisi collatione ad vētriculi facultates. Valētiores a. cibos, & multū alimenti corpori pbentes, Galenus vesperi exhibendos esse recte consulit, quod huius administrationē non solū somnus & quies, sed & lōgius, donec alius ingeratur cibus, tēpus excipiat. Sed & ii tamen ea ingerēdi sunt copia, q̄ facultatem haud grauet. Vt hinc palam fiat, tam in prandio, quā in cœna mediocritatē esse seruandā. Si v. mediocritas in assumendo cibo exceditur (quod tn̄ si accidat, probare non possumus) præstat liberalius in cœna ingerere cibum, q̄ prandio, iisdem de caussis, quibus valētior hoc tempore sumitur cibus. Multa enim sunt, quæ cœnæ concoctionem iuuant: noctis frigiditas, quæ, vt hyems, vētres calidiores reddit: somnus & quies, tum animi, tū corporis, q̄ calorem & animā non distrahunt a functionibus naturæ, sed intus circa confectionem alimentorum sinunt versari: deinde spatium temporis, q multo maius est, quā q est inter prandium & cœnā: exceptis tamen iis, qui senes admodū sunt, & morbis, maxime nocturnis, & destillatione affligunt'. Liberalius dicimus, non immodice: nolumus enim patrocinari iis, qui hodie gulę seruiunt, & genio admodū indulgent, quiq; vesperi nullo nō ciborum & potuum genere se infarciunt, ac grādissimis poculis viscera ac ventrem distendunt. Id n. non est liberalius cœnare, sed cibum ac potū affatim & supra modum ingerere. Vt igit' in elargienda pecunia prodigalitas dānatur, cōtra laudatur liberalitas: ita quoq. liberalitas in sumendo cibo, haud immoderatio nunc a nobis pbatur. Quod autem plerosque cœna magis q̄ prandium grauat, partim pter cōsuetudinem accidit, qua solemus liberali' prandere, partim propter prandii reliquias crudas, quæ cœnam corrumpunt, & euidentius mane sentiunt', partim etiam quod vapores noctu plures ad caput ferantur, & minus discutiātur: ideoq. qui morbis nocturnis, vt diximus, laborant, & destillationibus capitis affliguntur, liberaliorem cœnam fere nequeunt. Galenus tamen vetusto more, quum priscis & prandium, & cœna eadem perpetuo hora tum æstate, tum hyeme pararetur, quod illi diem, quicunq. fuisset, aut æstiuus,

Somnus diurnus quando admittendus.

B

Vesperi nō multum cibi ingerendum esse.

Obiectionis solutio.

C

2. Aphor. 51
2. Aphor. 17.

Mediocris cibus qui. Valentior.

D

An cœna prandio liberalior esse debeat.

E

F

A aut hybernus, in duodecim horas diuidentes, tertia prandebant, nona vero cœnabant, cœnam prandio maiorem fore consuluit: quod tunc interstitii tantum a cœna ad somnum intercesserit, vt vapores a copiosiore ingesto cibo elati ad cerebrũ discutiantur atq; difflentur: id enim quatuor horarũ spatium fuerit, quod ventriculo ad concoctionem ingesti cibi adscribitur. Liberalius igitur copiosiusq; veteres cœnabant, haud veriti vapores, qui a largiore cœna efferuntur ad cerebrum, quum iam discussi fuissent, antequam dormiendi instaret necessitas. Actuarius autem, vt qui morem hodiernum in exhibendo seruabat, in quo per horam, aut duabus maxime horis a somno abstinemus, minorem prandio cœnam esse voluit, quod ob somnum imminentem caput multis vaporibus repleatur, ac spiritus animalis lædatur. Sed ea de re satis.

B

Quæ sit conueniens in somno forma decubitus. Cap. IV.

IN somno capessendo legitima decubitus forma obseruanda erit. Ea vero est, si primũ in dextrum latus fiat: ita enim cibus promtius per stomachum gulamve in ventriculum descendit. Nam etsi gula exacte supra mediam ceruicis vertebrarum, & quatuor primarum thoracis sedem, in neutram partem inclinat, ad principium tamen quintæ thoracis vertebræ, vt ampliori magnæ arteriæ trunco secundũ dorsi vertebras interiora corpora petenti cedat, nonnihil in dextrum latus a media vertebrarum regione abscedit. Vbi autem probe iam descendisse cibum coniecerimus, in sinistrum latus decumbendum erit: ita namque a iecore ventriculo magis incumbente, ventriculi calor augebitur, eiusque concoctio adiuuabitur. Est etiam grata ista laterum vicissitudo, quod vnũ latus non sufficiat tanto totius corpori oneri diu sustinendo. Fatigationem itaque non parum leuat, ab vno in alterum latus per vices decubitus. Supinus autem decubitus in vniuersum damnatur ab omnibus, quod grauissimorum morborum incubi, apoplexiæ, stuporis, resolutionis neruorum, & id genus aliorum, occasio sit. Nam quum in eo defluxus ad posteriora corporis, adeoque neruorum exortum fiat, facile illic obstructionem nasci posse, omnibus perspicuum euadit. Accedit, quod in eo decubitu non queat iusta per oculos, nares, & palatum excrementorum cerebri fieri expulsio. Pronus decubitus in iis maxime damnandus venit, qui oculorum defluxione laborant. Siquidem in eo superuacua capitis promtissime ad oculos decumbunt. Atque hæc, quæ hactenus de somno diximus, in sanis maxime obseruanda & consideranda veniunt.

Legitima forma decubitus.

C

Supinus decubitus.

Pronus decubitus.

D

Somni ratio in ægris quæ. Cap. V.

IN ægrotantibus, quod ad somni rationem attinet, initio diligenter a medico expendendum erit, num illi a somno melius, aut peius se habeant. Cuius rei rationem Hippocrates in Aphorismis ita scribens reddit: *In quo enim morbo somnus laborem affert, lethale est. Si vero iuuat, lethale nõ est.* Laborem autem hoc loco significare noxam, notius fere est, quam vt pluribus dici debeat. Si itaq; somnus lædit, indicio est, calorem natiuum esse imbecillum, nec caussas morbum efficientes posse superare. Contra vbi iuuat, noxios humores probe concoqui per somnum significat. Vtcunq; autem somnus ægrotantes iuuet, tamen non est omnibus ex æquo, nec quouis tempore illis concedendus. Si enim viscerum aliquod phlegmone laborare cœperit, somno nihil ægris magis noxium esse potest. Nam quum per somnum, *vt Hippocratis testimonio confirmatur*, sanguis interiora petat, cauendum vnice erit, ne inter initia phlegmones, sanguine ad laborantem locũ adhuc confluente, somnum ægris permittamus, modo ne increscat phlegmone prohibere, quo nihil e re ægrotantis magis esse potest, velimus. Arcendi itaque, quoad fieri potest, in principio phlegmones viscerum, quum adhuc sanguis superuacuus ad laborantem locum confluit, a somno ægri sunt, & ad vigilias potius transferendi, vt scilicet sanguinis ad interiora confluxus, adeoq; phlegmones incrementum, prohibeatur. Pari ratione inter initia pestiferi morbi somnus vnice fugiendus erit, vtpote in quo cum sanguine veneni vis ad cor & interiora corporis defertur. Sic superioribus annis, quum febris sudorifica, quam *Anglicum sudorem* nominarunt, Germaniam inuasisset, experientia comprobauit, ei generi febris somno nihil fuisse nocentius. Cauendum denique diligenter erit, ne in principiis accessionum ægris somnum permittat Medicus. Nam cum hoc tempore vel horror, vel rigor, vel externarum partium refrigeratio accidat,

Somnus iuuet, an lædat ægros, considerãdum.

2. Aphor. 1.

Somnus nõ semper cõcedendus ægrotantibus.

E

Somnus in principio phlegmonum obest.

6 Epidem. sectio 5. Aphor. 29.

F

In principiis accessionũ haud dormiendum.

sanguisq; ac calor naturalis, humoresq; omnes in profundum tum abeant, expedit magis per vigilias eorundem ad exteriora tractionem moliri: quod alias febres vix dissoluantur, ac difficulter ad consistendi tempus perueniant, fluxionesq; ac cruditates multiplicentur. Neq; enim tum, vt in aliis somnis, humores ad vētriculum confluentes concoquuntur, sed adaucti crudi potius permanent. A

De insomniis. CAP. VI.

6 Epide. sect. 8. Aphor. 16. NOn tantum somni Medico habenda ratio erit, sed & insomniorum. Id quod verum esse in Epidemiis Hippocrates confirmat, vbi sic scriptum reliquit: *Quæ per somnum accidunt, nec non ipsa insomnia consideræda.* Quibus vtiq; verbis oculorum suspectiones, oris hiatum, decubitum, & alia, quæ in prognosticis recensentur, Hippocrates expendenda esse innuit. Nec illa tātum, sed & ipsa insomnia, quod ex illis interdum corporis affectū, corpusq; infestantes humores deprehendere liceat. Si enim quis ignem ardentem per insomnium videat, eum flaua bile infestari significatur. Si vero fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, ab atra bile. Pluuia vero, frigidi humoris abundantis index est. Nix, glacies, & grando, frigidam pituitam portendunt. Porro in iis tempori ac alimēto sumto mentem adhibere conuenit. Nam qui niue conspergi se putat, si hoc in accessionis inuasione cum rigore, aut horrore, aut refrigeratione fieri imaginatus fuerit, tēpori potius, q̄ corporis affectui tribuendum est. At qui in declinatione huiusmodi somniauerit, firmiorem humorum redundantium frigiditatis indicationem nobis præbebit: idq; adhuc magis, si nihil pituitosorum ciborū assumserit, quibus in ventriculo contētis huiusmodi quædam imaginatio fieri potest, etiamsi in toto corpore similis affectus nō exsistat. Quod vero corporis affectum insomnia interdum declarent, Galenus in libello *de Insomniis* aliquot historiis confirmat. Quidam enim somniauit, crus alterum lapideū euasisse, ideoq; paulo post crus hoc resolutionem neruorum incidit. Pugil quidā in sanguinis vase se stare putabat, vt vix emineret, quapropter Galenus sanguinis copia ipsum laborare, & vacuatione egere coniecit. Nonnulli qui decretorie sudaturi erant, lauari, & in aquę calidę lauacro natare se opinati sunt. Sic inexplebilis bibendi imaginatio, vehementer sitientibus accidit: sicut insatiabiliter edendi famelicis. Veneri indulgere, semine genitali repletis. Videtur namq. in somno anima profundum corporis ingressa, externis sensilibus neglectis, corporis affectum sentire, & omnium quæ concupiscit, tāquam iam præsentium imaginationem arripere. Quapropter qui vix se mouere posse graui onere onusti per somnium imaginātur, iis animalis facultas a multitudine humorum molestatur. Contra, qui volantes se, aut citissime currentes somniant, iis corporis affectus leuis, & expers superuacuorum exsistit. Qui in sterquilinio & cœno versari se imaginantur, ii vel humores prauos, & graueolentes. ac putridos habēt: aut intestina copia stercoris oppleta. Contra, qui in odoriferis locis se versari arbitrātur, bonis humoribus abundant, & contrarium plane corporis affectum obtinēt. Verum de somniis satis.

Insomnia cur medico expendēda. B

C

Lapidea somnia.

Lauare. Natare. Bibere. Edere. Venere vti.

D

Grauari.

Volare. Currere. Versari in stercore. Locis odoriferis.

De vigilia. CAP. VII.

VT somnus mediocris confert, immodicus a. noxa non vacat: ita quoq; mediocres vigiliæ prosunt, immodicæ autem obsunt. Quod Hippocrates etiam confirmat in Aphorismis ita scribens: *Somnus atq; vigilia vtraque, si modū excesserint malū.* Quemadmodum enim somnus immodicus cerebrum plus æquo refrigerat & humectat: ita vigiliæ, vbi modum excedunt, cerebri bonam temperaturam corrumpunt, sensus debilitant, virtutem deiiciunt, cruditatem pariunt, adeoq; cibi potusq; concoctionem impediunt. Id Hippocrates etiam affirmat, qui *lib. 2, de Victu acut. morbo. apho. vltimo*, in eum scribit modum: *Vehemens vigilia, tum cibi tum potionis cruditatem efficit.* Nam per vigilias natiuus calor, adeoq; sanguis & spiritus ad exteriora mouentur, iuxta id Hippocratis: *Vigilans circa exteriora manifeste calidior, circa vero interiora frigidior. Dormiens contra: vt mirum nō sit, tum concoctionē impediri, ac cruditatem nasci.* Vt hoc nomine vnice cauendum sit, ne vigiliæ modum excedant, quod idipsum sine maxima corporis noxa fieri nequeat. Vigiliæ enim si immodicæ fuerint ac intempestiuæ, vires corporis labefactant ac perdunt, cruditatem, vt comprehensum est, pariunt, cerebri & sensuum functiones debilitant, naturales autem imbecillas reddunt, vniuersum deniq; corpus resoluunt, & siccant.

Aphor. 3. E

6. Epide. sect. 4. Aphor. 12. F

A DE REDVNDANTIA ET INANITIONE SECTIO. V.

Quot redundantiæ genera & differentiæ. CAP. I.

Edundantia, quæ Græcis Medicis πλεονεξία dicitur, *de Galeni sententia duplex est*. Vna qualitatis, in qua nuda qualitas elementaris citra humoris affluxũ iustam mensuram excedit. Sic certe Galen. *lib. 8. Ther. method. cap. 1.* febrilis intemperantiæ excessum, caloris πλεονεξίαν, id est, *redundantiã*, nominat. Eius autem tot sunt species, quot sunt intemperies simplices, nempe quatuor, *calida, frigida, humida, sicca.* Altera quantitatis est, vbi cibi potusve, aut humoris in corpore tanta est quantitas, vt nobis molestiam pariat, aut morbum aliquem conciliet. Quare duplex est eius generis redundantia: vna cibi, quæ Græcis proprie πλησμονή, Latinis *satietas* proprie appellatur. Quocirca non satis recte, nec proprie nonnulli Hippocratis & Galeni interpretes, πλησμονὴν repletionem interpretantur, quod in *explicatione Aphorismi vigesimisecundi primæ sectionis Aphorismorum* diffuse admodum monstrauimus, vt hic repetere non sit opus. Et hoc quidem loco Valleriola mihi malam gratiam refert. Quũ enim is locos suos communes fere totos ex meis Institutionibus compilarit, tamen facere nõ potuit, quin huius officii immemor, me nihilominus satis acerbe, præter tamen omne meum meritum, perstrinxerit. Iudico autem illum paulo magis a me fuisse offensum, quod rationes suas, quas pro caussæ continentis in morbis assertione attulit, ita refutauerim, vt quod ad illas responderet, plane nihil reliquum haberet. Reprehendit autem me in præsentia, quod vni ciborum satietati, Græcorum vocem πλησμονὴν accommodauerim: *quandoquidem, vt ille ait, Græci in more habeant, eam non tantum vni ciborum satietati, vt perperam Fuchsius, vir alioqui doctissimus, arbitratur, sed & humorum in vasis plenitudini accommodare. Etsi enim Hippocrati 2. Aphoris. 20. πλησμονὴ vox satietatem proprie significat, tamen aliis in locis ea non pro satietate, sed potius pro plenitudine vsum fuisse constat.* Hæc ille. Pro confesso autem accipio, quod ait Valleriola, Hippocratem loco præcitato vocem πλησμονὴν propria in significatione, nempe pro satietate vsurpasse. Si enim verũ est, quod πλησμονὴ vox proprie satietatem significat, cur igitur mox in eadẽ sectione, *Aphorismo nimirũ eius 20.* Hippocrates eadem voce alia in significatione vsus est, & confusionis auctor esse voluit? Si enim vna voce binas redundantiæ species, *vt Valleriola somniat*, diuersis quidem in Aphorismis Hippocrates intellexit, euitare certe haud poterit, quin fateri cogatur, illum vna voce, non sine magna legentium confusione, pro diuersis rebus vsum fuisse. Necesse etiam est, vt redundantiæ diuisio, quam ibidem Valleriola præmisit, & in qua singulas eiusdem species & differentias distinxit, sit falsissima. Quare euadendi locus nullus ei relictus est, imo necesse est aperte fateatur, se in prædictæ sententiæ Hippocratis expositione hallucinatum fuisse. Sed age reliqua ipsius verba, vt plenius eius error detegatur, expendamus. Aphorismo *profecto*, inquit, *22. sectionis 2.* πλησμονὴ *vox non pro satietate, vt male Fuchsius interpretatur, sed magis pro plenitudine humorum sumitur. Quod indicat Hippocrates eo in Aphorismo verbis expresse. Vult enim morborum per contrarium curandorum generalem, vt in eius partis commentario testatur Galenus, tradere methodum. Quumque plenitudini euacuatio contraria sit & habeatur, nimirum si morbos a plenitudine factos euacuatio sanet, & ab euacuatione prognatos, plenitudo, & refectio. Nec vero ea Hippocratis eo loci mens fuit, de satietate loqui, vt intellexerit, morbos tantum a satietate factos, euacuatione sanari. Nam satietas cibi, plenitatis in genere vna est differentia. Voluit autem eo Aphorismo Hippocrates, non vnius tantum plenitudinis differentiæ comminisci, curandique rationem tradere, sed ex æquo omnium plenitudinis differentiarum, atque adeo generis in vniuersum, vt aperte in commentariis docet Galenus.* Hæc ille. Nemo vero est, qui non videat, Valleriolam iis verbis meam partim cõfirmare sententiam, partim falsissima, sibiq; ex diametro pugnantia, dicere. Meam enim sententiam in eo confirmat, quod altera Aphorismi huius parte ait, Hippocratem per contrarium curãdorum morborum methodum tradere. Siquidem hæc mea, imo Hippocratis mens est, vt priore Aphorismi parte, satietatem per contrarium, nempe vacuationem, & vice versa, vacuationem per refectionem, sanandam esse doceat. Vt autem ex particulari hoc, generalem sententiã colligeret, nimirum contraria cõtrariorum esse remedia, illud ad reliquas redundantiæ quoq; species transferret, mox su-

Marginal notes: Redundantia duplex. Qualitatis. — Quãtitatis. — πλησμονή. Satietas.

iicere voluit: καὶ τῶν ἄλλων ὑπεναντίωσις, hoc est, *& aliorum contrarietas.* Firma igitur & sta- A
bilis adhuc mea stat sententia, nimirum πλησμονὴν ciborum tantum satietatem significa-
re, nec, *vt Valleriola mihi falso & per caluminam affingit*, Hippocratem male interpretatus
sum. Falsum autem principio est, quod morbos ab euacuatione genitos, curari plenitu-
dine inquit. Quum enim plenitudo sit, Valleriola etiam testante, vbi humores æquali-
ter inter se adaucti fuerint, nunquã ꝓfecto inter remedia morbos sanãtia, numerari po-
terit. Nam siue hæc ad vasa, siue ad vires fuerit, tamen neutra morbos sanabit. Si n. ad va-
sa fuerit, qualis est athletarum, hæc ipsa, *Hippocrate etiam 1. aphorism. 3. teste*, curatione, &
ea quidem veloci ac celeri, egebit, quod alias periculum sit, ne vasa ipsa rumpantur, aut
calor natiuus suffocetur & exstinguatur. Sin ad vires fuerit, metuendum erit, *Galeno ca. 5.
de Curatione per sanguinis missionem auctore*, ne in putredinem promte ea laborãs incidat, B
& nonnunquam etiã in partes quasdam impetu aliquo decumbat, inibiq; tumores præ-
ter naturã efficiat. Et quomodo is, qui ab euacuatione factus est morbus, ab eo, ꝙ virtu-
tem grauat sanari poterit? Sed vt Valleriola hanc euitaret absurditatem, statim adiecit:
Et refectio: non animaduertens, se iterum meam confirmare sententiam, qui πλησμονὴν
hoc loco pro ea satietate, quæ vacuationi factæ satis fit, & Galeno ἀνάθρεψις proprie dicit,
interpretatus sum. Præterea falsam mihi affingit sententiam, quasi dixerim, Hippocra-
tem docuisse morbos tantum a satietate factos, euacuatione sanari, quum id ne per so-
mnium quidem vnquã mihi in mentem venerit: vt qui sciam, morbos omnes a plenitu-
dine tum cibi, tum humorum progenitos, vacuatione curari, quandoquidem idipsum
in altera aphorismi parte disertis verbis Hippocrates innuat. Falsissimum insuper est, ꝙ C
satietatem cibi, plenitudinis vnam esse differentiam inquit. Siquidem pueris etiam, qui
prima medicinæ fundamenta iecerunt, notum est, plenitudinis differentias esse duas
tantum, eam nimirum, quæ ad vasa, & eam quæ ad vires nominatur. Satietas igitur cibi
non plenitudinis, quæ, *vt Valleriola quoq; in sua diuisione docuit*, πληθώρα Græcis dicitur: sed
redundantiæ, quam iidem πλεονεξίαν nominant, species siue differentia exsistit. Ita sane
in iis, quæ manifestissima sunt, Valleriola turpiter labitur, & sibi passim pugnantia, liuo-
re forte occœcatus, scribit. Deniq; quod ait, Hippocratem voluisse eo aphorismo non
vnius tantum plenitudinis differentiæ comminisci, curandiq; rationem tradere, sed ex
ęquo omnium differentiarum: eiusmodi plane est, vnde omnibus liquidissime apparet,
illum contra suam distinctionem, quam paulo ante attulit, speciem cum genere, nem- D
pe πληθώραν cum πλεονεξίᾳ, id est, *plenitudinem cum redundantia*, confudisse. Quid multis
opus est verbis? si Hippocrates ex æquo omnium redundantiæ differentiarum curan-
di rationem in prima & altera aphorismi parte tradere voluit, necesse est, vt Valleriola
etiam fateatur, Hippocratem elementaris qualitatis redundantiam, vacuatione quo-
que sanandam esse docuisse, quo absurdius dici potuisset certe nihil. Pergit Valleriola
inquiens: *Adde, quod si de satietate intellexisset Hippocrates, falsi crimine culpandus veniret:
quum non omnis satietas vacuatione ad sui curationem opus habeat, sed plerunque vel longa quies,
vel prolixior somnus, aut inedia absque vllo sensibili vacuationis genere, mederi illi possint, vt plu-
ribus in locis testatur Galenus. Non ergo de satietate tantum locutus fuisse eo in loco Hippocrates vi-
detur, sed congruentius profecto de plenitudine, cui euacuatio tanquam oportunum auxilium de-
betur.* Hactenus ille. Proh pudor, Valleriolam virum alioqui doctum, tam pueri- E
liter ineptire, vt qui ignoret satietati semper mederi vacuationem. Nam etsi proli-
xior somnus, aut inedia interdum satietati medentur, tamen id non præstant, nisi tan-
quam vacuantia remedia. Quod autem tum somnus, tum inedia vacuet, *libro secundo
harum Institution. sect. 5. capite 35. & 37.* plenius docuimus, vt opus non sit hic pluribus
monstrare. Ceterum quod per longam quietem, eam, quæ post satietatem fit, & in
qua prolixus adhibetur somnus, intelligat, notum esse omnibus arbitror. Ridiculum
autem est, quod generalem morborum per contrarium curandorum methodum, F
quam altera huius Aphorismi parte tradit Hippocrates, ad sensibile vacuationis genus
restringit, quum sole clarius sit, Hippocratem in iam dicta Aphorismi altera parte, o-
mnem curandorum morborum ὑπεναντίωσιν, id est, contrarietatem, intelligere. Vt igi-
tur illic de omni generatim redundantia, ita quoque de omni vacuatione tam sensili
quam

A quam insensili locutus est. Quis enim tam stupidus esset, vt διαπνοὴν καὶ διαφόρησιν, id est, insensilem siue latentem perspirationem, & euaporationem, inter vacuantia non recenseret auxilia? Quod v. ad Galeni testimonia, quæ Valleriola citat, attinet, hæc quidem sententiæ nostræ nihil incommodant. Nam Galenus *capitibus 4. & 10. libri de Curan.* ratione per sanguinis missionem, nequaquam negat, omnem plenitudinem vacuatione esse curandam: sed id potius docet, quod non omnis plenitudo sanguinis missionem requirat, sed sufficere interdum purgationem, frictionem, ambulationes, motus, & inunctiones discutientes. Omnia vero hæc, quæ a Galeno nominatim ibidem recensentur vacuare, notius est, quam vt a me demonstrari debeat. Porro Hippocratem neque de satietate tantum, vt falso mihi Valleriola affingit: neque de plenitu-
B dine solum, veluti Valleriola putat, locutum esse, sed generatim de omni redundantia, paulo antea nobis dictum est. Verum autem esse quod affirmamus, Galenus etiam in commentariis suis satis confirmat. Nam in illis expressis verbis tum πλησμονῆς, tum πλήθους meminit, inquiens: οὐδ' εἴ τι οὐκέτι γινόμενον ὑπὸ τῆς πλησμονῆς, οὐδ' οὐκ ἔτι οὔσης αὐτῆς εἴ τι μένοι τοῦτο ἰάσεται κένωσις, ἀλλ' ὅσα κατὰ τὸν αὐτὸν γίνεται χρόνον ἐπιχειροῦμεν ἰᾶσθαι. ὅτι μὲν οὖν πλῆθος ἐργάζεται νόσον ἔμπροσθεν εἴρηται. ὅτι δὲ ἡ ἴασις αὐτοῦ κένωσις ἐστὶν, οὐδὲ λόγου δεῖται, καθάπερ οὐδ' ὅτι πάντων τῶν ποιούντων τὰς νόσους ἡ ἐναντίωσις. Id est: *Neque si quid non amplius a satietate fit, neque si ipsa non amplius exsistente aliquid remanserit, hoc curabit vacuatio: sed quæcunque eo, quo fiunt tempore curare aggredimur. Quod quidem plenitudo morbum efficit, antea dictum est. Quod vero curatio eius vacuatio sit, dicere non est opus, sicuti neque quod omnia ea, quæ morbos creant, contrarium sanet.* Ne autem
C quispiam putaret, Galenum vocem πλησμονὴν pro πλῆθος vsurpasse, vt Valleriola somniat, ideo paulo post hæc subiecit verba: οὕτω δὲ οἱ διὰ πλησμονὴν νόσοι συνίστανται, τὸ τηνικαῦτα κενῶσαι χρὴ τὴν πλησμονὴν ὥσπερ γε καὶ εἰ ὑπὸ κενώσεως, ἀνατρέφειν ὅτι τάχιστα προσήκει. Id est, *Sic vero vbi propter satietatem morbus consistat, statim satietatem vacuare oportet: quemadmodum si ex vacuatione fit morbus, quam celerrime reficere conuenit.* Quid v. apertius est, quam Galenum hoc in loco per πλησμονὴν non plenitudinem, sed potius satietatem intellexisse? Nemo enim sanæ mentis, plenitudine vacuationem curabit, sed vt hoc loco Galenus docet, ἀνατρέψει, id est, *refectione.* Vt sole meridiano clarius sit, πλησμονὴν hoc etiam in Aphorismo, non nisi satietatem denotare. Et quid opus est multis testimoniis? quum metipse Galenus, quid hæc vox significet, *sect. 2. Aphorism. comment. 17.* disertis doceat verbis, sic scribens:
D ἡ γὰρ πλείων τροφὴ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, ὀνομάζεται πλησμονή. Hoc est: *Plus enim cibi, quã corporis naturæ conuenit, satietas nominatur.* Vt nihil certius sit, in præfato Hippocratis Aphorismo, πλησμονὴν cibi satietatem denotare, tam eam, quæ præter naturam est, quam eam, quæ naturalis est, & alio nomine refectio proprie dicitur. Igitur iniuria me maxima afficit Valleriola, quod inepte ac perperam Leonicerum & Plantium, doctissimos atque fidelissimos Hippocratis interpretes, a me notatos & reprehensos dicit, quod pro satietate, plenitudinem conuerterint. Quod enim ad Hippocratis, neque ad Galeni mentem iam nominati viri πλησμονὴν dictionem pro plenitudine interpretati sint, puto me luce meridiana in iis, quæ præcesserunt, demonstrasse. Quare falso & per calumniam interpretationem meam sugillauit Valleriola. Iudico etiam nunc eruditis omnibus ex
E hac mea refutatione innotuisse, vtrum ego, an Valleriola propius ac penitius Hippocratis mentem attenderit? Occinendum igitur Valleriolæ potius, quam mihi, hoc quod est in prouerbio, *Et bonus quandoque dormitat Homerus.* Præterea quum me iam tertio in suis locis communibus falso & per calumniam, *vt dictum est*, ne quid grauius dicam, reprehenderit Valleriola, hortandus mihi venit, vt cautius deinceps mecum agat, & me temere toties non carpat, modo non velit aliquando, vbi mihi plus satis stomachũ mouerit, audire quę nolit. Et q̃ hęc est insania, vt docti doctos, nulla plane necessitate, & conuiciis etiam aspersis, vt hoc loco Valleriola fecit, sugillent ac lacerent? An non vero hoc est conuitium addere, si quis Valleriolæ instar dicat, Fuchsius inepte, ac perperã
F calumniatur & carpit prænominatos interpretes? An calumnia est, si quis alterius interpretationem, nullo dicto conuitio improbet? Sed Valleriolam non tam male habuit, quod Leoniceri & Plantii interpretationem notauerim, quam quod ipsius de caussa in morbis continente opinionem ita confutauerim, vt non habeat, quod mihi reponat. Quare vt se aliqua saltem ratione vindicaret, me falso

Duplex satietas, vt etiam πλησμονή.

& mehercle ineptissime carpere non est veritus. Porro ex iis quæ hactenus a me dicta A sunt, euidentissimum est, me πλεσμονὴν vocem in citato Hippocratis Aphor. rectissime interpretatum fuisse. Valleriolam autem ineptissime ac turpiter eorum, qui manifeste errarunt, patrocinium suscepisse. Faxit Deus, vt Valleriolæ hunc animum largiatur, ne deinceps doctorum virorum tam ineptis ac nullius momenti argumentis conuellere sententias velit.

Satietas duplex. Ad vasa.

Ceterum ciborum redundantia satietasve, *Galeno sect. 2. Apho. Coment. 17. teste*, gemina est, ad vasa scilicet, atq; ad virtutem. Satietas ad vasa est, vbi tanta ciborum ingesta copia est, vt hinc ampla ventriculi capacitas distentat. Quam nunquam nō gulosi & voraces homines incurrunt, vt qui cibum ingerere nunquam desinunt, nisi illis ita distendatur ventriculus, vt amplius aliquid capere nequeat.

Ad virtutē.

Satietas vero ad virtutē, facultatemve est, vbi plus cibi ingeritur, quam natura aut facultas, corpus nostrum gubernans, superare possit. B Atque hæc sane non est, nisi vt Græci dicunt, πρός τι. Sæpe enim accidit, vt magna cibi copia non grauet facultatem robustam. Contra vero imbecillam exigua admodum & mediocris alimenti copia non raro grauat. Altera quantitatis redundantia humorum est, quando humores naturalem suam in corpore proportionem excedunt.

Redundantia humorum gemina.

Quæ autem sit illa proportio, *lib. 1. sectione 4. cap. 1.* est expositum. Huius autem redundantiæ duo sunt genera. Aut enim omnes ex æquo humores, aut vnus duntaxat ex illis redundat. Nihil autem refert, siue ex æquo omnes humores, siue sanguinē redundare dicamus.

Sanguis venarum non est simplex.

Siquidem sanguis venarum non est simplex & vnius modi, sed ex pituitæ, bilis vtriusque, & puri sanguinis permistione conflatus. Proinde ii humores omnium consensu, vsuque dicendi, sanguinis appellatione designantur. Quod si itaque C humores omnes ex æquo, seruata tamen qualitatis mediocritate, supra iustam mensuram, quantitatemve, vel, *vt Galeni verbis vtamur*, supra veterem proportionem, & naturæ congruentem crescunt, atque augentur, vt bonis athletarum habitibus contingit,

πολυαιμία. πληθώρα. πλῆθος. Multitudo. Plenitudo.

proprie πολυαιμία Græcis, *sanguinis copia* Latinis vocatur. Aliis nominibus Galeno πληθώρα & πλῆθος, id est, *multitudo, plenitas, & plenitudo* nominatur. Nam ita *lib. 13. Therap. metho. cap. 6.* scriptum reliquit, inquiens: *Vbi ὁμοτίμως, hoc est, æquabiliter inter se adaucti fuerint humores, πλῆθος & πληθώραν nuncupant.* Quum autem æquabiliter, siue ex æquo adauctos in plenitudine cum Galeno humores dicimus, non ita accipiendum erit, quasi æqualis sit

Æqualiter esse auctos humores quid.

horum omnium in ea copia, & quantitas, alterque alterum non excedat: sed quod secundum suam, & naturalem proportionem omnes simul aucti sint, & increuerint. Pro- D inde nihil obstat, quo minus plenitudo dicatur, si illorum vnus, verbi gratia, sanguis, reliquos superauerit, modo omnes in vasis supra iustum modum, pro sui quisq; ratione,

ὁμοτίμως.

adaucti sint. Verum esse quod affirmamus, & vocem ὁμοτίμως idem plane significare quod proportione, metipse Galen. *lib. 2. de Compo. medicam. local. cap. 1.* confirmat, vbi in hunc modum plenitudinem, siue multitudinem describit: πληθώρα, inquit, γίνεται τῶν τεττάρων χυμῶν ἀνάλογον αὐξηθέντων, ἢ τοῦ αἵματος μόνου. *Plenitudo fit quatuor humoribus proportione auctis, aut solo sanguine.*

Obiectio diluitur.

Neque est, cur aliquem turbet, quod hoc loco plenitudinem etiam esse tradat, vbi solus sanguis supra modum, aut proportionem augetur. Nam, *vt paulo ante est commemoratum*, sanguinem venarum intelligit, qui purus non est & simplex, sed alios sibi permistos humores obtinet, qui omnes æquabiliter inter se aucti sunt. Quod plane E confirmant, quæ metipse Galenus *in libro de Plenitudine scribit*, vbi inquit: *Fieri haud potest, vt vnquam in venis tam exquisitus synceruſque sanguis contineatur, vt nihil vel bilis, vel pituitæ, vel serosæ humiditatis inseratur, vnde & ego in superioribus idem intelligendum esse volui, siue humores, siue sanguinem abundare dicerem: quippe immistus, & ab aliis humoribus syncerus sanguis nunquam in venis continetur.* Hæc ille.

πολυαιμία ab εὐαιμία distat.

Ceterum ex iam dictis omnibus perspicuū euadit, πολυαιμίαν ab εὐαιμία non parum distare. Nam in πολυαιμία qualitatis tantum mediocritas seruatur, in εὐαιμία vero sanguis, qui ex quatuor humorum naturalium æqualitate constat, & qualitate, & quantitate, *vt in libro de Plenitudine testis est Galenus*, naturalis existit, adeoque excessus omnis expers. Quod de πολυαιμία diximus, id etiam ad πληθώραν & πλῆθος transferendum erit, quod in iis etiam seruata qualitatis mediocritate, F in quantitate duntaxat excessus fit. Galenus tamen *sect. 2. Apho. com. 17.* πλῆθος etiam interdum vocari scribit exiguam sanguinis corruptionem, quæ ad naturalem habitum redire potest. Porro *in libro de Plenitudine* Galenus πληθώραν siue multitudinem fieri scribit

A bit, quum aut cuncti pro veteri proportione aucti fuerint, aut vnus ex iis exiguũ quendam excessum acceperit. Prior quidem simpliciter plenitudo siue multitudo appellatur: altera autem cum adiectione eius, qui excessum illum accepit, humoris, vel sanguinea, vel pituitosa, vel biliosa, vel melancholica nominatur. Quod satis confirmant, quæ a Galeno *lib. 2. de Compo. medica. local.* scribuntur, quum inquit: *Quando alius quispiam humor auctus fuerit, veluti est pituita, & flaua bilis, itemq́ nigra, eiusmodi auctionem non simpliciter multitudinem & plenitudinem, sed cum adiectione pituitæ, aut flauæ bilis, aut nigræ plenitudinem dicimus.* Atque hinc est, quod Galenus *in libro de Plenitudine*, quatuor eiusdem esse species diserte statuat, nempe sanguineam, biliosam, pituitosam, & melancholicam. Sanguinea itaque est, in qua sanguis purus reliquos humores auctos vehementer, aut magnopere excedit. Nam quum is sanguis secundum etiam naturalem proportionem reliquos in venis humores semper exsuperet, necesse est, si exiguum supra eã, quæ ex æqua facta est, auctionem in sanguinea plethora excessum accipiat, magnopere excellat. Idq́ Galenus loco paulo ante citato iis innuere verbis voluit: *Potest igitur,* ait, *sanguis in plethoricis affectibus vehemẽter præcellere, aliorum humorum nullus.* Nam si illorum aliquis plurimũ auctus fuerit, cacochymia, non multitudo, aut plenitudo nuncupatur. Sed de cacochymia post fusius. Sanguinea quidem plenitudo, corpus rubicundum efficit. Biliosa est, in qua bilis ceteros adauctos humores parum superat. Hæc subpallidum corporis colorẽ reddit. Pituitosa, in qua pituita alios humores proportione sua inauctos excedit. Hæc albescere corpus facit. Melancholica, in qua ceteros, qui exæquo increuerunt, melancholicus humor superat. Hæc nigrius corpus efficit. Multitudo autem siue plenitudo simpliciter dicta, gemina exsistit, vna ad vasa, ad virtutem altera. Ad vasa est, in qua humores adeo exsuperant, vt venas quoquouersum inflent, ac distendant. Cum igitur amplam vasorum capacitatem prorsus hæc plenitudo impleat, rectissime, & apud omnes peruulgato nomine, plenitudo ad vasa nominatur, vasorumque apertiones & rupturas molitur. Ad virtutem plenitudo, est ea, quæ ad vires comparatur. Etsi enim in ea vasa nec tument, nec copia distenduntur, plus tamen in illis est reconditum, quam vt a natura regi gubernarique possit. Quapropter fit, vt facultatem aggrauet, & eius actionibus noxam inferat. Accidit igitur hoc nomine, vt mediocris sæpenumero plenitudo infirmiori naturæ ac facultati molesta sit, & grauis, ideoque merito plenitudo ad virtutem dicitur. Vtraq; autem plenitudo humores, si diu duret, ad corruptelam ducit, & fluxionem particulis in corpore imbecillioribus transmittit. Quippe necesse omnino est, humores, qui regi ac gubernari a viribus nequeunt, putrescere & corrumpi. Hinc est, quod nonnulli recte admodum plethoram siue plenitudinem duplicem esse statuunt, puram scilicet & impuram. Puram vocantes eam, quæ ex optimorum humorum pari portione constat. Impuram, quæ cacochymiæ particeps est, vt est ea, quæ febrem continentẽ putridam efficit. Siquidem in ea humores omnes redundant, & putrescunt æqualiter, *quemadmodum fusius lib. 9. The. meth. c. 3. Galenus docet.* Impuriore itaque sanguine tum venæ implentur, estq; ex plenitudine & cacochymia permistum vitium. Nam, *vt sect. 2. Aphor. com. 17. testatur Galenus*, potest quidem absq; corruptela incipere ad vires plenitudo, verum vtilis & benigna manere nequit. Nã ipsam in qualitate mutari, atq; adeo spatio tẽporis corruptelã subire est necesse. Verũ licet hoc accidat, tantisper tamen plenitudinem ipsam appellamus, donec vacuato superuacaneo, reliquũ vtile & benignum reddi possit. Nam q; vinis acescentibus accidit, eiusmodi quiddam & in sanguinis alteratione fieri solet. Id vero tale est. Vbi plane acida facta sunt, ad vini naturam rursus nõ redeunt: verum si leui momẽto ad id vergant, vt acescere quidẽ, nondũ tamen acetum esse videantur, ex iis cõplura pristinam recepisse naturã visa sæpius sunt. Idẽ etiã in sanguine euenit. Nã si ipsius magna facta est corruptio, nõ iam ad suã naturã redire potest: parum v. si degenerauerit, vacuato superuacaneo, qui restat, naturã suã recuperare põt. Atq; talem affectũ, non corruptionem, sed plenitudinem appellãdi Medicis moris est: solã eam corruptelã nominantibus, quæ tam magnã præter naturã sortita est mutationem, vt a natura amplius vinci ac regi nequeat, vt pbus & vtilis humor fiat. Quod a. plenitudo ad vasa, si vires grauet, necessario putrescat, *Galenus etiã li. Thera. meth. 9. c. 5.* claris verbis docet. Vt valde ineptos esse oporteat, q plenitudinẽ saltẽ ad vires vna cũ cacochymia cõsistere haud posse arbitrãtur. Porro si vn⁹ in toto corpore humor tãtum abundat,

Marginal notes: Plenitudo simpliciter. Plenitudo cum adiectione. — Sanguinea. — Cacochymia vnius humoris in vasis. — Biliosa. — Pituitosa. — Melancholica. — Plenitudo ad vasa. — Ad virtutem. — Plenitudo pura. impura.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

κακοχυμία totius corporis.

verbi gratia, pituita, vtraque bilis, aut serosus humor, κακοχυμία, Latinis *vitiosus humor succusve* appellatur. Quod satis testatur Galen. *lib. 13. Ther. cap. 6.* vbi cacochymiam ita describit: ὅταν ἤδη ξανθῆς χολῆς, ἢ μελαίνης, ἢ φλέγματος, ἢ τῶν ὀρροδῶν ὑγρῶν μεστὸν γίνηται τὸ σῶμα, κακοχυμίαν καλοῦσι: *Vbi flaua, vel atra bile, vel pituita, vel serosis humoribus corpus refertum fuerit, cacochymia vocatur.* Sic etiam *in lib. de Plenitudine*, vbi vnus tantū in corpore humor plurimum abundat, cacochymiam appellari scribit. Vnius itaque humoris tantum exsuperantia, vt verbi gratia in arquato morbo flauæ bilis, non plenitudo, sed vitiosus humor, quam Græci κακοχυμίαν vocant, dicitur. Rectissime vero hoc genus redundantiæ, *cacochymia* Græcis dicta est. Cum enim fieri non possit, vt vnus aliquis in corpore plurimum redundet humor, quin idem prauam etiam induat qualitatem, vtrunque excessum, tū in qualitate, tum quantitate Græci hoc nomine significare volentes, κακοχυμίαν appellauerunt: hoc quidem nomine humoris non tantum redundantiam, sed & prauā quoq; qualitatem innuentes. Hinc Galeno alio nomine διαφθορά, id est, *corruptela* nuncupatur. Quanquam *sect. 2. Aph. Com. 17.* ita nominari scribat vitium ita magnum, vt non possit iterum per naturæ concoctionem ad pristinam bonitatem humoris redire. Quare non inepte deterior cacochymia, nonnullis hæc corruptela nominatur. Quando autē humores maligna & peruersa sunt præditi qualitate, vt in pestilentia maxime accidit, κακοηθία peculiari nomine appellatur. Quod autem in cacochymia non solum in quantitate, sed & qualitate vitium sit, ex eiusdem generatione abunde patet. Nam, *vt Galen. lib. 3. de Temp. cap. 3.* scribit, cacochymia multis fit ex prauis & vitiosis cibis, aliis vero ex corruptela, & putredine. Si itaque ex iis, quæ iam diximus, fit cacochymia, in illa sit qualitatis vitium oportet. De corruptela namq; & putredine, quin qualitas in iis praua sit, nemo dubitat. In prauis autem & vitiosis cibis inesse prauam qualitatem, horum denominatio satis docet. Sole igitur meridiano clarius est, toto cœlo errare Recentiores, ac Barbaros Medicos, qui cacochymiam esse definiunt, vbi in qualitate duntaxat peccant humores. Constat enim ex iam dictis, in cacochymia non solum prauos, sed etiam immodice auctos & accumulatos esse, adeoq; etiam quantitate peccare, humores. Atq; hinc est, quod Gal. *lib. 12. Methodi medendi, cap. 7.* cacochymiam nominet, quam alias intemperiem cum affluxu humoris vocare solet. Ceterum, si in habitu corporis eius generis redundantia, quæ cacochymia dicitur, fit, peculiaria consequitur nomina. Quæ enim a bile per vniuersum corpus sparsa fit, icterus, & a Latinis morbus regius: quæ ab atra bile, elephantiasis: quæ a pituita, leucophlegmatia dicitur. In partis alicuius substantia inhibito humore, a bile flaua, herpes, & erysipelas: ab atra, cancer, vel scirrhus: a pituita, œdema: a seroso humore in ventre collecto, ascites: in testiculis, hydrocele generatur. Hæc certe est legitima generum ac specierum redundantiæ partitio, quam pauci admodum tenent, quod magna pats medicorum, etiā in ista veritatis luce, Arabum & Barbarorum commenta mordicus adhuc teneant, illisque toti, spretis & contemtis Galeni aliorumq; optimorum Scriptorum monumentis, addicti sint, & e turbidis lacunis, quam purissimis riuulis medicinæ principia haurire malint. Sed permittamus hos suo more insanire & ineptire, nos vero prędictas redundantiæ differentias memoriæ gratia breue in schema aliquod congeramus.

Cacochymia cur dicta.

διαφθορά. Corruptela.

κακοηθία.

Recentiorū Medicorū error.

Icterus.

A B C D E



F

Quid

A *Quid vacuatio, & eiusdem genera ac differentiæ.* Cap. II.

CVm hactenus redundantiæ genera & differentias retulerimus, reliquum est, vt nũc quoq; vacuationum, quæ illis contrariæ sunt, genera & differẽtias exponamus. Vacuatio vero, vt hoc initio expediamus, non est nisi humorum in corpore sua quantitate molestantium excretio. Cuius quidẽ duo sunt primaria genera: vna enim vniuersalis, particularis altera. Vniuersalis seu generalis est, quæ suapte natura totũ vacuat corpus: aut quæ ab vniuerso corpore humores & excremẽta educit. Huiusmodi sunt, sanguinis quouis modo profusio, purgatio, vomitus, per vrinã excretio seu mictio, sudor, balneũ, præsertim aquarum discutientium, & aereũ appellatũ, hæmorrhoides, Venus, insensi- B lis transpiratio, medicamenta discutientia toti corpori admota, somnus a vacuatione admissus, vehemẽs exercitium, multa frictio, & pter hæc omnia inedia. Atqui prædicta per se quidem totum vacuant corpus, inedia vero ex accidente, *vt suo fusius loco dicemus.* Particularis vacuatio est, quæ partem duntaxat aliquam excremẽtorum onere pressam vacuat leuatq;. Quo in genere est cerebri per palatum & nares expurgatio quidẽ euidens, per aures & oculos obscurior: excretio, q̃ pulmonis & thoracis vitia excussit: ventriculi per vomitum, & aluum. Intestinorum per solã alui deiectionem. Iecoris & lienis, per vrinam & aluum. Renum & vesicæ, per vrinam: muliebriũ locorum, per menstruas purgationes, & quæcunq; aliæ vacuationes, quæ vnicam duntaxat partem excrementis suis leuant. Danda igitur opera, vt harum partium excrementa singulis temporibus expurgentur: atq; inprimis studendum, vt venter quotidie bis semelue pro consuetudine C eat. Qui si naturæ beneficio laxus fuerit, id in magnã felicitatis partẽ est numerandum. Quippe qui aluum natura apertam habent, haud facile morbis corripiuntur. Qui cõtra adstricta sunt aluo, ii perpetuo cum morbis conflictantur. Singulis præterea dieb. mane sensuum instrumenta omnia, lingua, oculi, nares, aures, totaq; facies frigida abluenda, capillis capitis prius leuiter pexis. Ceterũ iam dictorum vacuationum generum vnumquodq; alias per se suaq; sponte, alias arte completur. Sponte facta vacuatio est, q̃ citra vllam medicationem quippiam e corpore profundit. Atque id quidẽ interdum natura duce, quæ dum nos recte moderatur, & integre valet, quicquid vitiosum est aut redundat, id omne e corpore excludit, estq; ac dicitur tum naturalis, & opportuna vacuatio. D Interdum vero natura imbecillior ignauiorque humores non valens in corpore regere atque cohibere, eos prorsum diffluere sinit: imo etiam quum robustior validiorq; constat, tanta plerunq; copia vel acrimonia lacessitur, vt infesti humores e vasis receptaculisq; suis proprio impetu foras exsiliant, naturæ aspernantes imperium. Vtriusq; generis symptomatica, irrita, præter naturam nulliusque vsus est vacuatio, quod benignus atque salutaris humor pariter cum pernicioso promiscue nullo delectu erumpat. *Artificiosa vacuatio* nominatur, quę externi subsidii ope excitatur. Ea rursum bipartito scinditur. Vna quippe legitima exsistit, quæ quod qualitate, vel quantitate negotium facessit, duntaxat educit. Altera huic aduersatur extraordinaria, qua vtilis & qui in nullo vitio est humor exigitur. Hæc medentium culpa vel inscitia, qui neque, quod iustum, neque ꝙ idoneum est, perspectum habẽt, decernitur. Hæc sunt vacuationũ omnium genera, E quibus redundãtes ac noxii omnes e corpore eiiciuntur humores. Quoniã vero in vsu exercitationeq; medendi vniuersales vacuationes particularib. anteferunt, operępretium fuerit de vniuersalib. hic primũ sermonẽ nos instituere, a venæ sectione exorsos.

Vacuatio quid.

Vniuersalis.

Particularis.

Sponte facta vacuatio.

Naturalis & opportuna.

Symptomatica.

Artificiosa.

Legitima.

Extraordinaria.

DE VENÆ SECTIONE.

In quibus morbis secanda vena. Cap. III.

CVm per venæ sectionem, *Galeno etiam suffragante*, vniuersa humorum multitudo, ab vniuerso corpore æqualiter vacuetur, satis constat, hanc morborum omnium, quicunq; ex sanguinis affluentia & vbertate, vel ex quauis illius eruptione ortũ acceperũt, propriam cõuenientemq; medelam esse, siue præsentes ii sunt, siue duntaxat iminent. Quocirca educendæ plethoræ plenitudiniue vnicum ac ꝓprium remediũ statui debet F venę sectio, eius præsertim, q̃ ad vasa ducit. Ex ea namq; plenitudo ad mediocritatẽ redit, dolores ex tensione placant, corpus graui onere leuatum erigitur, & quasi recreatum alacrius expeditiusq; fit ad functiones omnis generis obeundas. Eadẽ quoq; innatum calorem liberalius ventilans, arctioresque vias & meatus reserans, morbos arcet, in quorum idipsum discrimen adducebatur. Quod si forte ii morbi per incuriam insede-

Plenitudini cur venæ sectio cõpetat.

rint, venæ sectio immodicam plenitudinẽ subtrahens efficit, vt natura iam dominatrix A
& expedita pondere, reliquis humorum vitiis deinceps imperet, idque concoquat, quod sibi reddere potest familiare, expellat quod prorsus inutile nunquam post hac futurum est idoneum. Quinetiam si quis morbus ex plenitudine in quampiam partem inuasit, illa influentem etiamnum humorem in diuersum reuellit: eum vero, qui iam influxit, deriuat in latus, & vacuat, hocq; modo prorsus morbũ depellit. Si vero plenitudo, quæ ad vires refertur, infestat, non semper sanguis mittendus est. Fieri enim potest, vt crudus per corpus sit coaceruatus humor, quo præsente, secta vena bonum duntaxat sanguinem vacuat, malum vero, qui in primis maxime venis circa iecur & mesenteriũ colligitur, in vniuersum trahit corpus, *vt fusius lib. 3. de Tuen. sanit. c. 5. Gal. ostẽdit.* Virtus etiam prius ab eiusmodi affectu exsoluta, per sanguinis missionẽ in extremũ malum recidet, B
vt nequaquam subinde reparari queat. Neq; enim parum in vena secta dissoluitur virtus, *vt c. 6. lib. de Curandi ratione per sanguinis missionem plenius Gal. docet.* At quia in plenitudine ad vires, imbecilla facultas opprimitur, ne qua illinc putredo, aliaue humorũ corruptela emergat, confert quidem & cõducibilis est interdum modica sanguinis missio. Veruntamen si morbus necdum adest, nec instat, ea plenitudo minuetur commodius inediis, moderata exercitatione, atque iis, quæ ad concoquendum iuuant. Qua sane ratione in pestilenti cœli constitutione, alias tenui victu, alias venæ sectione sanguis infra modum adducendus est, vt paucum, natura purius conseruet, nec tam facile a putri contagione labefactari sinat. Quapropter diligẽter in sanguine mittendo plenitudinis non solum species, sed & eius tum quantitas, tum qualitas distinguendæ erunt. Plenitudinis autem ad vasa, tensio nota est. Ideoq; quantum tensionis sensus augetur, tantum C
etiam ea plenitudo crescit. Eius autem, quæ ad vires refertur, grauitas indicium est. Et quanto grauior sibi homo videtur, tantum etiam hæc ipsa plenitudo aucta erit. In priore itaque copiosius, in altera parcius sanguis mittendus. Quod ad qualitatem attinet, considerandum certe erit, num plenitudo sanguinea, biliosa, pituitosa aut melãcholica sit. Id quod ex colore dignosces, memor colorem humorum esse, siquidem vniuersum corpus in externo tum calore, tum frigore mediocriter se habeat, indicium. In sanguinea namque plenitudine abundantius, in aliis tribus, pro humoris exsuperantis specie, parcius sanguis mittendus. Ceterum in vtraq; plenitudine, vbi opus est, celeriter vacuandum erit. In ea quæ ad vasa nominatur, antea quam in partes corporis, maxime D
nobiles, decumbat, & in iis phlegmonem, aut alios præter naturam tumores excitet: imo priusquam sua copia subito suffocet, venarumq; ruptiones afferat. In ea, quæ ad vires refertur, priusquam in putredinẽ incidat, aut cum impetu in partes corporis irruat, & in iis tumorem, præter naturam excitet, *vt plenius c. 5. lib. de Curandi ratione Galen. docet.* Ceterum vena secanda etiam in omnib. morbis, qui ortus sui caussam ex sanguine habent, vt sunt continens febris, & omnis generis phlegmones, item febres putridæ tum continuę, tum intermittentes, in quibus obstructionis & putredinis præcipua, aut certe adiuuans concomitansque caussa est immodica plenitudo, & alii qui ex sanguinis copia & illapsu procreantur.

In plenitudine ad vires nõ semper vena secanda.

In plenitudine ad vires sanguis modice mittendus.

Plenitudines vt distinguendæ.

Qualitas plenitudinis.

In vtraque plenitudine celeriter vacuandũ.

In quibus morbis secãda vena.

Scopi mittendi sanguinis quot. CAP. IV. E

QVi de missione sanguinis consilium inire tentat, huic decẽ præcipue accurata diligentia expendenda veniunt, vt quæ non solum quando sit mittendus sanguis demonstrant, sed & mittendi sanguinis quantitatem præfiniunt. Proinde recte a Medicis mittendi sanguinis scopi nominantur, quod in illos venam secare volentes intẽtos esse, & eo vniuersa consilia sua dirigere oporteat. Primus & maxime proprius mittendi sanguinis scopus est, magnitudo morbi. Si n. magnus vehemensq; fuerit morb⁹, sanguinem mittemus, etiãsi nulla plenitudinis nota adest. Sic incipiente phlegmone, aut pp ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatem, citra plenitudinem sanguinẽ mittere expedit. Quippe ex ictu, aut casu ex alto loco, partes corporis afflictæ sanguinem ad se F
præter naturã trahunt, adeoq; phlegmones in iis excitãdæ occasionẽ prębent. Proinde ne id fiat, sanguis quem alliciunt per venã sectam auertendus erit. Dolorem aũt attrahere, & fluxiones concitare, notius est, quã vt plurib. dici debeat. Ad partes autẽ imbecilliores reliquas sua superuacua reponere itidẽ notum est, & nos hæc omnia copiose

Scopi mittendi sanguinis decem.

1 Magnitudo morbi.

in c. 8.

A *in c.8. libri de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem* tradidimus. Alter ſcopus in ſecanda vena, priore nõ minus proprius ac neceſſarius, eſt virium robur & imbecillitas. Nam non ſolum in ſanguinis miſſione, verum etiã in omni alia vacuatione maximi refert, lãguidas & imbecillas vires a robuſtis internoſcere. Hæ ſiquidem largam, illæ vero nullã vacuationem ferũt. Quod ſi itaque robur validum fuerit, & mittendi ſanguinis neceſſitas incubuerit, ſanguis audacter detrahẽdus. Sin inualidum fuerit, aut nihil, aut parum ſaltem ſanguinis auferẽdum. Et ſub hoc altero ſcopo ætatũ quoq; ratio, ſenum præcipue, complecti poteſt. Nam, *vt c.9. lib. de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem Galenus inquit*, nulli, qui in ea ætate conſtitutus eſt, robur ineſt. Viribus autẽ maxime imbecillis eſt ſenectus, quæ decrepita nuncupatur, quapropter nullam venæ ſectionẽ tolerat. Qui igi-

2. Virium robur & imbecillitas.

Ætatum ratio.

Senes.

B tur reliquum vitæ calorem ſecta vena cum ſanguine profundit, moribundum præcipitat ſenem. Hinc Gal. poſt 70. annum, modo vires parum validæ ſint, & ſanguine haud abundent, ſenibus venam tundendam eſſe prohibet. Quod ſi vero in hac ætate conſtituti, multi ſanguinis fuerint, vireſque robuſtas habuerint, ſi ita morbus iubeat, iis etiam ſecandam eſſe venam præcipit. Puerorum autem ætas viribus quidem abundat, ceterum quia corpus calidum & humidum, molle, tenerum ac patens obtinet, multo tenui humore confertum, quod ſponte ſua aſſiduo diſcutitur ac defluit, ſanguinis miſſionem tuto non feret: quantũ enim ex incidenda vena moliendum fuerat, id vltro ex corporis natura præſtatur. Cum itaq; puerilis ætas ex ſeipſa habeat, vnde naturaliter vacuetur, vacuãtis præſidii haud eget. Quapropter Galenus pueris ante 14. ætatis annum venam

Pueri.

C ſecandã eſſe non putat. Quod profecto non ſimpliciter de omni venæ ſectione, & ſanguinis miſſione, ſed de pleniore illa, veteribuſque conſueta audiendum erit. Nam moderatam & hodie vſitatam, quę tum viribus, tum plenitudini aliqua ex parte reſpondet, non tantum pueri, ſed & ſenes etiam ferunt. Sic noſtra tempeſtate in decrepita ætate, quæ graui vrgenteq; pleuritide, aut peripneumonia torquetur, ſanguinem mittimus. Sunt etiam, qui 5. aut 6. ætatis anno 3. ſanguinis, aut 4. vncias emittentes, pleuritidem & alios grauiores morbos ſanarunt. Et Auenzoar Arabs filio ſuo trimo ſe vtiliter venam tudiſſe commemorat. Nonne ſponte inſtinctuq; naturæ pueris ſanguis interdum abunde prodit e naribus, nulla corporis, aut virium iactura? Cur igitur qui graues morbos experiuntur, nõ illorum etiam remedia ſuſtinerent? Sed ea de re alias plura. Quæ inter

An pueris ante decimum quartum annũ tundenda vena.

D ſenectutem & pueritiam mediæ interueniũt ætates, quoniam firmis viribus & corpore bene conſtituto tenentur, nulla vacuandi præſidia, adeoq; nec venę ſectionẽ metuunt. Prædictos tres ſanguinis mittendi ſcopos Hippocrates pro antiqua loquendi ratione breuiter admodum hac complexus eſt ſententia: In acutis morbis ſanguinẽ mittes, vbi magnus fuerit morbus, & æger ætate florẽs, & virium robur affuerit. Tertius ſcopus ſecandæ venæ, eſt *natura corporis*. Natura aũt non eſt niſi temperamentum, ꝙ ex quatuor elementorum cõmiſtione conſtat. Qui enim natura calidiores ſunt, amplas obtinent venas, Gal. *etiam lib.2. de Temp. c.5. atteſtante*, multoq; abundãt ſanguine, ideoq; copioſam ferunt vacuationẽ. Contra, qui frigidi ſunt natura, anguſtas venas habent, & exigui ſunt ſanguinis, proinde ſanguinis miſſionem largam haud tolerant. Sic humidi natura, iis

3 Temperamentũ corporis.

Natura quid.

E qui ſicci ſunt, venæ ſectionem magis ſuſtinent. Quartus ſcopus eſt corporis habitus, qui ſi mollis, tener, & rarus eſt, imbecillus ſit, & diſſolutioni obnoxius, oportet. Proinde cũ prompte diffluat, & ex ſe reſolutioni idoneus ſit, vacuationem ferre nõ poteſt. Contra, qui dẽſus, firmus, ſolidusq; eſt, pauca e corpore diſſipari ſinit, ideoq; largã vacuationem ſuſtinet. Qui præpinguis, & obeſus exſiſtit, quanquam minimum diſcutitur, tamẽ quia anguſtis eſt venis, parumq; ſanguinis habet, difficile venæ ſectionẽ ſuſtinet. Qui mediocriter graciles ſunt habitu, *Galeno loco paulo ante citato teſte* cum venarum laxitate coincidunt, idcirco copioſam venæ ſectionẽ ferre poſſunt. Nec temere dictum eſt, *Mediocriter graciles*. Si enim admodum graciles ſunt, copioſam ſanguinis miſſionẽ haud tolerant. Habent namq; & illi ſanguinẽ exiguum. Nulla enim alia de cauſſa, tam vehemen-

4 Habitus corporis.

F ter graciles euaſerunt, quam ꝙ ſanguinis copia, adeoq; alimento deſtituti, & plurimum extenuati atq; exſiccati ſunt. Quintus in tundẽda vena ſcopus eſt anni tẽpus, ꝙ num calidum an frigidum ſit, expendendũ medico erit. In calido enim tempore improbe vacuati, *Gal. lib.1. ad Glauc. teſte*, ſyncope & reſolutione intereunt. Quippe calor ambientis e corpore foras euocatum ſpiritum diſcutit, reſiccatq; corporis habitum, & imbecillio-

5 Tempus anni.

tem reddit. Proinde tum omnino a ſanguinis miſſione abſtinendũ erit. In frigido tempore corpus refrigeratur, idcirco ſanguinis miſſionem impedit. Quid n. attinet corpus antea abunde ſatis refrigeratum, ſanguinis detractione magis refrigerari? Igitur accõmodatiſſimum tempus mittendo ſanguini Ver ipſum, ꝙ plane temperatũ eſt, adeoque neque nimis calidum, neq; ſupra modum frigidum, & ſucci viriumq; plenum. Atq; hoc certe nomine Vere ſecta vena præcauendis morbis idonea eſt. Quod Hippoc. etiam *in Aphor.* confirmat inquiens: *Quibus ſanguinẽ mittere confert, iis Vere detrahere prodeſt.* Gal. quoq; *c. 7. lib. de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem*, ſeſe multos podagricos aliiſq; morbis obnoxios ſanguinis miſſione principio Veris facta curaſſe, & ne ſubinde in eos morbos inciderẽt, ꝑcauiſſe teſtatur. Et ſtatim quidẽ incipiẽte Vere ſanguis iis eſt mittẽdus, qui Verno temore morbis capiuntur. In extrema vero eius parte, iis eſt mittendus, qui in æſtate corripi morbis ſoliti ſunt. Atq; hæc ſane diſtinctio prodeſt ad recte intelligẽdos Galeni locos, qui prima facie inter ſe pugnare vidẽtur. Is n. interdum κατὰ τὴν ἀρχὴν τ̃ ἦρος, id eſt, *incipiente iam vere*: nonnunquam πρὶν ἄρξασθαι τὸ θέρος ἐν τοῖς τελευτίοις τ̃ ἦρος, hoc eſt, *priuſquam æſtas incipiat in poſtrema Veris parte*, ſanguinem ad præcauẽdos futuros morbos mittendum eſſe hortatur. Poſt ver autumnus, dein hyems, omnium vero minimũ æſtas ſecandæ venæ apta. Sextũ, ꝙ in ſecanda vena cõſideratur, eſt regio. Ea namq; ſi feruens & arida fuerit, multum calidi innati viriumq;, multum etiam peccantis humoris e corpore haurit ac diſcutit, hincq; adeo vires comminuunt', paucior q; ſanguis in venis manet. Qui igitur in ea degunt, parciores in mittendo ſanguine eſſe conuenit. Regio aũt frigidior, & humidior, innatum calorem, humoreſq; intus coercet, horumq; minimum diſſoluit, quocirca ſanguinis miſſionem melius tolerare poſſunt. Porro in extreme frigida regione, vt eſt quæ in Aquilonem deuergit, ſanguis frigore veluti conglaciatus vacuationi vix cedit: ſed & partes interiores ſi ſuo calore, aut ob ſectã venam, aut aliam ob cauſſam, deſtituantur, ambientis frigoris iniuria exſtinctionis periculũ ſubibunt. In hac igitur regione conſtituti, ſanguinis miſſione abſtineant. Quæ vero inter illas intercedit regio temperatior, largam ſanguinis profuſionem tolerat. Proinde eadem eſt regionis, quemadmodum etiam cœli ſtatus, quæ temporis ratio. *Septimo loco* in ſanguinis miſſione victus ratio, q̃ præceſſit, cõſideranda venit, num ſcil. plurib. cibis, & potionibus, iiſq; multum nutrientib. vſus ſit æger, aut contra. Si n. largo eſt vſus cibo, & ſic per intemperantiã crudorum humorum copiam congeſſit, huic certe ſanguis mittendus non eſt. Id ꝙ etiam confirmat Gal. qui *c. 7. lib. de Curandi ratione per ſanguinis miſſionem* ita ſcribit: *Incontinentes*, inquit, *ebrios, ac gulæ deditos, neq; purgatione, neq; ſanguinis miſſione magnopere iuuabis. Nam per victus intemperantiam crudorum humorum copiam celeriter coaceruãt. Sin mediocri cibo contentus fuit, & vacuationẽ tolerare poteſt, huic intrepide re ita poſtulante, ſanguinẽ detrahes.* Octauo loco, qui venam ſecare cupit, eius conſuetudinẽ cõſideret, neceſſe eſt. Siquidem habet hæc ipſa plurimum momẽti, Gal. *lib. 1. c. 13. ad Glauc. teſte*, tum ad alia omnia, tũ maxime ad vacuationis indicationẽ. Alii n. nunq̃ ſunt vacuationẽ antea experti, neque integrã pertulerunt, largoq; cibo vſi ſunt. Quaptopter ſanguinis miſſionem, inediamque citra noxã non ferent. Quũ n. conſuetudo procliuitas quædã ac facultas ſit eodẽ modo ſemper agendi aut patiendi, in reb. naturæ tã amicis q̃ aduerſis vſu cõparata, ſi qd ægro inſolitũ, iniucundum, quodq; extimeſcat, obiiciat', id ſine magno detrimento, ſæpe etiam ſine graui periculo, ſubire haud poterit. In quo genere cum ſit ſanguinis miſſio, hanc vacuationem ſine metu, ac plerunque animi deliquio, ſi meticuloſus ſit, & vacuationem nunquam ante expertus, ſed liberali cibo ſemper vſus, non ſuſtinebit. Alii contra vacuationibus ſunt aſſueti, & parco cibo vtuntur: hos itaque modo reliqua cõſentiant, intrepide vacuare conuenit. Igitur qui venę ſectionem iam experti ſunt, modo vires crebra vacuatione nondum læſæ ſint, alactius ac leuius eam perferent, q̃ inexperti. Conſiderandum etiã in mittẽdo ſanguine erit, num is, cui tundendã venã ſuſcepimus, exercitiis, aut otio vſus fuerit. Quippe qui crebro exercitiis vtuntur, ꝙ eam ob cauſſam pauca in corpore ſuperuacua congerant, parcius ſunt vena ſecta vacuandi. Contra, qui hęc ipſa prorſus negligunt, & in otio vniuerſam ſuã tranſigunt vitã, aut exercitiis ſaltem raro vtũtur, largius ſunt vacuãdi. Deniq; in ſecãda vena expendendum erit, num conſuetæ excretiones ſupprimantur, aut nõ: verbi gratia, in viris accurate ſcrutandum, num hæmorrhoides ſolito profluant tempore, aut in vniuerſum cohibeantur. In mulieribus autem, num ſtatis temporibus menſes erumpant, aut prorſus ſupprimãtur. Quibus cum

Margin notes: Ver ſanguini mittẽdo accommodatiſſimum tempus. 7. Aph. 54. — Quando in Veris principio, & quando in vltima eius parte ſanguis mittendus ſit. — 6 Regio. — 7 Victus præcedens. — 8 Conſuetudo. — Conſuetudo quid. — 9 Exercitia. — 10 Excretionũ ſuppreſſio. — Side letters: A, B, C, D, E, F.

A enim tum viris, tum mulieribus solitæ excretiones præter naturam retinentur, sine noxa omnes sanguinis missionem ferre possunt. Quod si vero illis mediocriter exeant, vbi per eas corpus abunde purgatum fuerit, aliam vacuationem non requirent.

Quæ vena incidenda. CAP. V.

IN mittendo sanguine accurata diligentia expendendum erit, quę vena in quouis partium affectu secanda sit, interna scilicet, media, humeralis poplitis, an ea, quæ iuxta malleolum est: tot enim hodie tundi consueuerunt venæ: id quod ex laborantis partis situ maxime indicatur. Non enim ratio solum, verumetiam vsus ipse ostendit, aliam alii parti vacuationem congruere. Situs itaq; eam venam incidendam commonstrat, quæ in laborantem partem inserta, cum ea societatem cognationemq; habet. Quippe hæc humorem a laborante sede prolicit. Interna itaq;, quam iecorariam in dextro brachio, B in sinistro autem lienarem, hodie facientes medicinam basilicam vocant, secanda, vbi partes, quæ infra ceruicem sunt, verbi gratia, *latera, pulmo, cor, iecur, lien, aut ventriculus laborant*. Externa vero, quam humeralem & cephalicam nominant incidenda, vbi partes, quæ supra collum sunt, facies, nimirum, aut caput, affliguntur. *Media*, quam alio nomine cõmunem, nigram, funem brachii, matrem, & medianam, barbaram sectantes medicinam appellant, tum secanda erit, vbi interna vel externa parti laboranti propria obscurior fuerit, ab vtrisque enim iam dictis venis diducitur. Vt autem omnes prædictæ partes venæ sectione in gibbero facta iuuantur: ita quæcunq; iis inferiores sunt, earum, quæ in poplite, aut malleolis inciduntur. Prædictis vero inferiores exsistunt, quæ iuxta coxam, vesicam, & vterum sunt. Renes autem ambigunt, siquidem inferiores sunt iis, C quas prius recensuimus, collo nimirum ac thorace: superiores autem iis, quas secundo commemorauimus loco, coxa scilicet, vtero, & vesica. Quapropter venæ sectionibus in gibbero factis interdum auscultant, quando vtiq; phlegmone recens fuerit, ac sanguinis copia, siue plenitudo aderit. Qui vero affectu illo laborãt, quem proprie Nephritim nominãt, hos eam, quæ in poplite est, incidere oportet, aut omnino eas, quæ in malleolis sunt. Ceterum, non indiscriminatim quæuis prædictarum venarum secanda erit, sed in mittendo sanguine semper τὸ κατ' ἴξιν, *vt Hippocrates nominauit*, obseruandum erit. Hac autem loquendi ratione nihil aliud innuere voluit, nisi τὸ κατ' εὐθὺ, hoc est, *quod in rectum, aut e directo est*, vel εὐθυωρίαν, id est, *rectitudinem, vt alibi fusius ostendimus*. Rectitudinem autem non mathematico more, sed vere Medico, rectam lineam intelligimus, quæ in di-D cto eius venæ processu cernitur, per quem est humorum cursus. Alii rectitudinem secundum fibrarum, quæ in venis sunt, rectum ductum æstimant, quod in idem recidere videtur. Nam horum sententia illæ corporis partes e directo sitæ sunt, in quas rectæ fibræ diriguntur. Qua quidem ratione sinistrum crus e directo dextri, & cõtra dextrum e directo sinistri situm intelligitur, quod ex hoc in illud vena rectis fibris concedit: Estque necessaria consideratu hæc fibrarum rectitudo, non certe, quod trahendo iuuent, quandoquidem sanguinis redundantis expulsio solarum transuersarum fibrarum munus sit: sed quod excretrix facultas in ista fibrarum rectitudine actionem suam expeditius obeat. Proinde etsi rectas fibras nihil trahendo in sanguinis missione conferre concedimus, tamen plus sanguinis & expeditius ab iis partibus, in quas diriguntur, aut re-E ctæ fibræ perueniunt, quam ab aliis prolicitur. Siquidem ex fluxionis conditione & procliuitate, humores recto fibrarum ductu promtius & facilius currunt ac fluunt. Quare non temere in morborum iudiciis humorum cursus omnes, qui hoc modo per directum fiunt, laudantur. Contra vituperantur, qui ordine inuerso oblique in transuersum feruntur. Rectitudo igitur partium, & venarum inter se consensus, societas quædam & communicatio est, quæ nusquam reperitur, nisi simul etiam fibrarum rectitudo adsit. Hæc itaq; perpetuo Medico obseruanda erit, siue reuulsione, siue deriuatione, siue vacuatione vtendum sit. Nam in reuulsione humorum nec dextrum, nec sinistrum, nec sursum, nec deorsum, nec foras, nec intro contraria sunt, nisi & in venarum fibrarumq; F recto cursu collocentur. Sic quidem sinistrum latus dextro contrarium non est, nisi ab hoc in illud communis & directa sit venarum societas, per quam sinistrum latus incisum e dextro euocare potest. Quod diserte Galenus multis in locis suorum monumentorum testatur, præsertim vero *lib. 13. Ther. method. cap. 11, & lib. 2 ad Glauconem, cap. 7.* vbi ita scriptum reliquit: *Influentium adhuc humorum retractio reuulsione, obsidentium vero iam lo-*

Quot venæ hodie secentur.

Interna vena quãdo tundẽda.

Externa.

Media.

Venæ poplitis, & malleoli.

Renes ambigunt.

τὸ κατ' ἴξιν In sanguinis missione rectitudo semper obseruanda.

Rectitudo quid.

L 3

Cõmunes venæ.

cũ deriuatio, medela est. Vtrunque autem vacuationis genus per communes venas fieri debet. Communes autem vocat venas, quæ cum laborante parte communicantiam & societatem quandam obtinent. Caussam vero, cur per communes venas tum reuellendum, tum deriuandum sit, Galenus *in libello* de Artis constitutione hanc sane reddit: *Ex proximioribus enim*, inquit, *& communibus laboranti parti venis, vacuatio optima & facillima fit.* Quin etiam rationi consentaneum est, eam potissimum incidẽdam esse venam, quæ cum ea, quæ in afflictam partem inseritur, societatẽ cognationemq; præcipuam habet. Quippe per illam ipsam a laborante particula humor perniciosus nõ modo promtissime, sed etiam celerrime & potentissime detrahitur vacuaturq;. Cum itaq; propter cõmunicationem illam societatemue expeditior eius, qui ad ægram partem iam confluit, aut fluxurus est, sanguinis fiat reuulsio, & eius, qui iam confluxit, a parte laborãte deriuatio, & vacuatio, debet certe hæc ipsa summo studio in omni sanguinis missione ac vacuatione a Medico obseruari, quæ certe quadruplex esse solet. Vna est, quæ sanguinẽ in aliquam corporis partem procubiturum & illapsurum duntaxat retrahit & reuellit, hoc est, in contrariũ trahit. Neque enim reuulsio, quæ Græcis ἀντίσπασις dicitur, aliud est, *quã humorum in contrarium tractus.* Contrarium autem est, quod e contrario fluxionis in recto venæ processu situm est. Eius certe missionis sanguinis vsus esse debet, quũ a futuro morbo tueri Medico consilium est. Siquidem tum sola cõfluxuri sanguinis reuulsio sufficit, quod nihil adhuc humoris in vllam corporis partem confluxerit. Atq; hæc quidem ad maxime longinquas partes fieri debet. Id quod Hipp. *in lib. de Ossium natura*, iis cõfirmat verbis: *Danda*, inquit, *opera est, vt quam longissime a locis, vbi dolor & sanguis cogi didicit, venarum incisiones fiant. Sic enim haud magna repente mutatio fiet, & consuetudinẽ mutaueris, ne amplius eo loci sanguis coeat.* Loqui vero Hippocratẽ de ea venæ sectione, quæ a morbo tuetur, & præseruat, hæc verba, *Vbi dolor & sanguis cogi didicit:* & item hæc, *Consuetudinem mutaueris:* satis indicãt. Sic Gal. etiam *c. 11. de Curandi ratione per sang. missionẽ*, ad reuellendam menstruam purgationem mulierum venam in gibbero secandam esse præcipit, nulla alia de caussa, quã quod tum satis sit medico, profluxurum ad vterum sanguinẽ, in contrariũ, & ad maxime longinqua trahere. *Altera* sanguinis missio est, qua iam illapsi humoris tractus ad vicina & in latus fit. Hæc Græcis παροχέτευσις, Latinis *deriuatio*, quod sanguinem e laborante parte in vicinum locum deriuet, dicitur. Fit, verbi gratia, in pleuritide, quando sanguis a venis costas phlegmone obsessas alentibus in cauam trãsfertur venam. Per has enim & costæ & alimẽtum capessunt, & noxii humores præter naturam in easdem influunt. Eius vsus est, quando humorem laborantem partem iam obsidentem in latus & vicina trahere loca Medicus studet. *Tertia* sanguinis missio est, qua procumbens iam & illabens sanguis reuellitur simul & deriuat. Quare eius vsus tum maxime erit, quando phlegmone in generatione adhuc est, quod scil. in ea pars sanguinis adhuc ad laborantem locum confluat, & pars iam ei influxerit. Is. n. qui nunc in partem irruit & impetũ facit, reuulsionem: is aũt, qui iam substitit, atq; in ea hęret, deriuationẽ requirit. *Quarta* sanguinis vacuandi species est, quæ ex ipsa laborante fit parte. Ea vtendũ, quando vsq; adeo fluxio infarcta est parti laboranti, vt omni fluẽdi remeandiq; habilitate sit orbata, quod in diuturnis & inueteratis phlegmonibus frequẽs est, in quib. scirrhosæ quædam reliquiæ inhærẽt. Hæc cucurbitularum maxime ope completur, & cõmodissime simplex, quod scil. duntaxat vacuet, citra id, quod reuellat aut deriuet, appellatur. Fit enim ex ipsa tantum laborante parte, adeoq; nec ad contraria, nec ad propinqua trahere potest. Ex iis igitur, quæ hactenus dicta sunt, perspicuũ euadit, quæ vena in quouis partium affectu secãda sit. In plenitudine n. cui nulla partis phlegmone assistit, illinc plurimum detrahere sanguinẽ par est, vbi fons & origo est eiusdem. Proinde cõmodissime vsuq; maximo tundet vena dextri gibberi interior, quæ a iecore, vtpote sanguinis, fonte, plurimum prolicit. Eadẽ prorsus ratione in febribus citra phlegmonẽ, continentibus, tam simplicibus, quam putridis, continuis & omnib. aliis, in quibus venæ sectio cõuenit, interior dextri gibberi vena incidi debet, demta quartana, quę interiorem sinistri brachii flagitat. Quod si vero phlegmone pars aliqua corporis obsessa fuerit, eã venam, quæ rectitudinẽ cum laborante particula habet, incidere oportet: verbi gratia, in dextra pleuritide, interior dextri gibberi vena tundenda venit, quod huic cum dextris costis rectitudo, communio, & societas sit, adeoque promte, quod ab ea parte simul reuellat, deriuet, atque va-

Margin notes: Quadruplex sanguinis missio, atque vacuatio. — Reuulsio quid. — Contrariũ. — 1 — Deriuatio. — 2 [3] — 4 — Vacuatio simplex. — Quæ vena in quouis partium affectu secanda. — In plenitudine. — In febribus. — In phlegmonibus partium.

Margin section letters: A B C D E F

A que vacuet, pleuritim hanc adiuuat. Reuellit namq; quia sanguinem ad costas procumbentem in contrarium trahit. Deriuat, quod sanguinem ægram partem obsidentem ad vicinam, nempe cauam venam transfert. Hunc reuulsum & translatum tandem extra corpus educit, & vacuat. Secta autem in sinistro brachio vena, dextram pleuritidem nõ adimit: sed cum illi nulla sit, cum ægra particula rectitudo & societas, bonum duntaxat sanguinem educit, noxio in laborante particula relicto aut puro sanguini venarum permiscet, &, quod frequentissime accidit, sinistram pleuritidem inuehit. Dextræ autem pleuritidis non ab re exemplo vsi sumus, quia sinistræ alia est ratio, vt alibi copiose monstrauimus. Verum obstabit huic rationi sciolus quispiam, & dicet: *Quomodo a dextro latere in sinistrum transferetur sanguis noxius, quum, te etiam auctore, illis inter se nulla sit societas, ac* Obiectio diluitur.
B *rectitudo?* Respondeo, Duabus de caussis. Vna, quod vacui ratio hoc ipsum requirat. Necesse enim est, in vacuati sanguinis locum, vicinis præsertim venis vehementer inanitis, alium succedere. Trahentibus itaq; propter inopiam venis in aduersa & sinistra parte ægræ partes promte concedent, vtpote quibus sanguis iam non tantum sua copia, sed & vitiosa qualitate molestus est. Quod si tamen sua sponte partes ægræ non concederent, aut a se propellerent, tamen vt trahentibus partibus, vtpote fortioribus se & adhuc integris, aliquid concedant, necesse est. Trahit enim perpetuo ab imbecilliore pars robustior. *Altera*, quia expultrix facultas, quę suum munus per transuersas fibras, vt dictum est, obit, a noxio & redundante in afflicta parte sanguine irritata, ocyssime in oppositum latus iam vacuatum, atque adeo, tum vacui ratione, tum quia validior est, ad se tra-
C hens, transfert. Quod si vero aduersarius elabi cupiens dicat, latus sinistrum non a dextro, in quo vitiosus sanguis est, sed a reliquis potius partibus, in quibus bonus est sanguis, trahere: reponendum illi, fieri, quod imaginatur, non posse. Hę namq; partes, in quibus probus hæret sanguis, vtpote validiores, sinistro lateri iam vacuato, adeoq; imbecilliore nonnihil, harum saltem collatione, reddito, nihil cõcedent. Nisi fateri velint, imbecillius ab eo, quod se fortius est, quod tamen fieri nequit, trahere posse. Ergo cum in phlegmonibus omne Medici cõsilium eo spectet, vt a loco phlegmone obsesso plus sanguinis celerius ac potentius, quam a reliquis partibus hauriat, vena certe incidẽda erit, quæ in directo situ partis laborantis est. Sic enim & naturam vna cum ratione, & Hippocratem, summum virum, imitabimur, qui in pleuritide interiorem manus venam secare iu- Alia.
D bet ab eo latere, quod e directo est. Idem quoq; præcipit grauissimus auctor, & post Hippocratem maximus Galenus, qui non solum in pleuritide dextra, verumetiam in iecoris phlegmone (cui tamen venæ omnes societate iunguntur) interiorem dextræ manus aperiendam iubet, *lib. 13. Ther. meth. c. 11.* iis quidem verbis: *Cum iecur iam phlegmonem contrahere cœpit, pariter tum reuellẽdus, tum vacuandus, qui ad iecur fluit, sanguis est, interna in dextro gibbero insecta vena, propterea quod e directo est, & ampla via cum vena, quæ caua dicitur, societatem habet.* Quibus sane verbis primam eam venę sectionem, quę e directo est, non solum reuellere, sed & deriuare, ac vacuare diserte docet. Vacuationis enim voce hic, *vt sæpe alibi*, quemadmodum *c. 16. libri de curan. ratione per sang. mis.* ostendimus, deriuationem intelligit. Atq; iis certe venis, quæ sunt in directo situ, tãtam vim attribuit, vt non compa- 4. Victus acut 67. Vacuationem pro deriuatione Galenus sæpe vsurpat.
E rente interna, mediam secandã iubeat, & si nec ea se profert, ad humeralem confugere malit, quam ad eam, quæ est in aduersa manu. Non solum aũt in iecoris, sed & omnium aliarum partium phlegmonib. in summa, perpetuo, ibidem eam, quæ e directo est, tundendam venam esse docet. Atq; eius rei rationem alibi exponit, nempe *c. 15. lib. de curan. ratio. per sang. missio.* vbi inquit: *Reuulsio n. e directo facta, euidentẽ vtilitatem celeriter affert: at e transuerso, nequaquã. Si reuulsionis caussa*, inquit ibidẽ, *venã incidas, e directo quidẽ sanguine profluente, euidentẽ protinus cõmoditatem percipies: si vero contra venã seces, nihil omnino proficies.* Et paulo post: *Si pleuriticis, quæ e directo laborãtis lateris est vena, incidatur, euidentissimũ sæpenumero subsidiũ ostendit: sin ex manu aduersa: aut omnino obscurũ, aut longo post tempore.* Quippe, quæ per finitimam amplam, & e directo sitam venam fit reuulsio, validissime, plurimũ, & ce-
F leriter a phlegmone obsessa parte deducit & reuocat, priusq; putrẽ & inquinatũ, quam ex reliquo corpore benignum & salutarem sanguinem educit. Dein Galenus maiore vsu & emolumento venam e directo sitam secari non solum, quum fluxio substitit, sed & statim inter initia, vbi iam inuadit phlegmone iecoris & lateris, prędictis verbis innuit. Nam ea venę sectio omnia confert & impertit, reuulsionem, deriuationem, & vacuatio-

nem. Quippe humorem, qui ex vena caua fluebat in iecur, vel in latus, retro in cauam reuellit venam: impactum iecori aut lateri in eam ipsam venam cauam trãsferendo deriuat: vtrumq; vero foras vacuat, necnon iecur latusue, adiacentesq; illis amplas venas exhaurit. Quumq; hac ratione pars laborans magis, quam ceteræ exinanita fuerit, si ad penuriam vsque detractum sit, vix denuo pars ea alia humorum fluxione conflictabitur, nisi forte nouo viuẽdi errore peccetur. Distantes enim indigentia auidæ, proprium sanguinem elabi non sinent, nec pars ægra, nisi dolor aut calor restet vehemens, ab illis eripiet: imbecilla quippe est nec multo eget alimẽto. Vbi mox ab emisso sanguine phlegmones dolor placatur, tamen postea nullo ægroti aut assidentium errore recrudescit, signum hoc esto, nec ad indigentiam, nec satis detractum fuisse. Quare quod defecit, supplendum erit, eadem vena de integro incisa: sed tantisper tamen a priore sectione intermittendum est, dum aliquid humorum corporis remigret in venas, quod non ante quartam horam fieri potest. Quæ diximus, nihil cum iis pugnant, quæ *libr. 13. Ther. method. cap. 13.* Galenus scribit, vbi reuulsionem ad distantissima fieri, præcipit, iis quidem verbis: *Siquidem longissime a tentata fluxione parte, quod redundat, reuellere, nequaquam ad eam trahere, conuenit.* Nam venæ sectio non trahit ad ægram partem, sed ab ea reuellit, deriuat in latus, & vacuat, vt dictum est. Quare hoc Galeni præceptum ad venæ sectionem detorqueri, nec potest, nec debet, sed ad ea potius præsidia, quæ ad laborantem partem humorum defluxum reuellunt, qualia sunt purgatio, vomitus, cucurbitulæ, vrinam mouentia medicamenta, & id genus alia, *de quibus eo loci Galenus nominatim mentionem facit.* Quanquam autem venæ etiam sectione interdum vtimur, quæ ad maxime longinquas partes reuellit, tamen hoc nõ fit, nisi vbi a futuro morbo, vt diximus, tueri Medici cõsilium est. Vbi autem partes iam phlegmone laborare cœperint, vena in distantissima parte aperienda minime erit. Nam hæc ipsa noxium humorem ignauius tardiusq; concitat, neque hunc a sede laborante abducit, sed benignum duntaxat tollit, & si copiosa fuerit, hæc sanguinis missio, vitiosum e propria sede raptum sanguinem cum vtili salutarique confundit. Est autem in phlegmone celerius & validius ab ægra sede, *Galeno libr. 2. Vict. acut. com. 10. etiam attestante*, tum reuellendum, tum vacuandum: & vt ibidem Hippocrates quoque docet, sanguis eousq; detrahendus, quoad colorem mutauerit, quorum nullum certe consequemur, nisi quum amplam venam e directo loci laborantis sitam tundimus, vtpote, quæ hæc omnia commodissime præstare queat. Non est igitur vlla in phlegmone ex distantissimis partibus sanguis reuellendus: sed tum solum, quando futuram fluxionem prohibere studemus, vt scilicet ea fluxio in tractum nouæ viæ longiorem conuersa, sensim a pristina consuetudine citra virium offensionem desciscat. Ex quibus promte iam intelligi perspicique potest, quanto in errore versentur Arabes, & qui eorum præceptis instituti sunt, propterea quod arbitrantur in phlegmonibus non eam, quæ in rectum, sed potius eam, quæ ex aduerso est, venam incidendam esse. Nec huius sui dogmatis aliam rationem prætexunt, nisi quod eiusdem lateris venam fluxionis impetum augere dicunt: quod tamen nos constanter negamus, & a veritate, qua nihil antiquius esse debet, quod asserũt, omnino abhorrere dicimus. Fiunt enim internæ phlegmones, de quibus hic potissimum nobis sermo est, vbi sanguis præter naturam in aliquam corporis partem, verbi gratia, in pleuritide in latus, irruit. Secta itaq; interiore eiusdem brachii vena, sanguis e latere in cauam venam reuocatur, hincque per gibberum foras profunditur. Quapropter aperta hac vena, fluunt quidem humores, minime tamen in partem ægram, sed foras, quod ægrotanti vtile est. Sed instant: *In vacuatorum locum, vt alii succedant humores est necesse, igitur augetur fluxus.* Respondeo: Neutrum fieri oportet. Si enim solus humorum excessus tollatur, in eorum locum non fluent alii, quod neque in sanis, adeoque transmittentibus partibus, vt pellant, est excessus: neque in recipientibus seu ægris, vt eius ratione attrahant, est defectus. Detur tamen, quoniam, venis vehemẽter vacuatis, fieri potest, alios in vacuatorum succedere locum humores, iam fluent humores: fatemur, sed non præter naturam: quoniam neque vitiosi (deteriores enim vacuati sunt) neque multi, cum in aliis corporis partibus, vtpote sanis, nulla sit humorum redundantia. Trahent itaque, tum partes vacuatæ, ac viciniores venæ sectæ alimentum a distantioribus, ac plenioribus, propter totius corporis consensum, sed ea duntaxat quantitate, qua tenuiter refici possunt. Minus igitur attrahent, quam reliquerunt

Margin notes: Eadem de integro vena quãdo cædenda. — Obiectio diluitur. — Quando ad maxime distantia loca reuellendũ. — In distantissima parte, vbi viscera phlegmone laborant, vena non tundenda. — Arabum & qui eorum præcepta sequuntur Medicorum immẽsus error. — Obiectio diluitur.

Section letters in right margin: A B C D E F

A runt naturalis proportionis comparatione, alias vis minor traheret maiorem, quod absurditate non vacaret. Et quid multis opus est verbis? Præstat certe in partibus morbo vicinis esse tam modicum alimentum, vt aliunde trahant, quam esse tam multum, vt vel in alias partes pellant, vel trahentibus concedant. *At saltem*, inquiunt, *quum ingens erit plenitudo, ne fluxio geminetur, copia primum, vel ex inferiore pedis vena, quam Saphenam vocant, vel ex aduersi brachii interiore subtrahenda, mox vero reliquiæ ex eodem latere sectione demendæ erunt.* Verum quid hoc quæso consilii est, ægrum toties torquere, ac veluti de industria excarnificare, quem semel possis hoc e morbo leuare? Sectio enim venæ e directo laborantis partis, qua ad indigentiam profunditur sanguis, copiam e plenissimo fonte haurit, simulque phlegmone obsessam partem releuat, nullum metum nouæ fluxionis afferens. At ex aliis venis, quæ e directo nō sunt, aut in distantissimis locis, detractus sanguis solam copiam imminuit, nec quicquam tamen deprauati elicit sanguinis, adeoque oppressæ parti leuamento non est. Etsi casu eueniat præuacuationis multitudine ægrā partem exinaniri, putris tamē eius partis humor puro venarū sanguini permiscebitur, redderurq; malum, quod corrigendum fuerat, pristino deterius. Vt hanc vnam mehercle ob caussam omnibus iis, qui ad Arabum, ac ineptorum quorundam hominū doctrinam impuram, scabram, præposteram, barbaram, fucum lectori facientem, malæ fidei, vacillantem, garrulam, intricatam, sibi non cōstantem, breuiter bonorum ingeniorum scopulum, defecerunt, ad castissimam illam ac purissimam Græcorum scholam sit redeundum, nisi operę oleiq; amissione, laborumq; omnium iactura, in iis sentibus, vnde exitus illis nullus subinde patebit, tanquam ad Syrenios scopulos consenescere velint. Verum vt ii, qui mordicus Arabum præcepta tenent, errori suo patrocinium aliquod quærant, non verentur profecto nobis obtrudere Galenum, inter Græcos summæ auctoritatis, Medicum, quem manibus & pedibus in Arabum concedere sententiam dicunt, *lib. 13. Ther. meth. c. 5.* vbi altero crure male habēte, reliquum esse scarificandum præcipit. Quasi vero is locus illorum errori patrocinari quicquam possit, quum tn̄ constet, illum iis verbis aliud non docere, nisi iis membris, q̄ læsa sunt, nō esse adhibenda eius generis remedia, quæ fluxionem ad ea concitare possunt, vt sunt cucurbitulæ, tum leues, tum cū scarificatione adhibitæ. Quanquā & ipsa scarificatio per se, eo quod dolorē excitet, fluxionem ad ægram partem trahit. Quapropter rectissime dextro crure laborante sinistrum esse scarificandū, vt q̄ longissime a tentata fluxione parte, ꝙ redundat, reuellat, Galenus hortatur. Ita n. esse faciendum alibi etiam suadet, nempe *ca. 95. Artis medicæ*, vbi ita scriptum reliquit: *Si vniuersum corpus plus æquo plenū fuerit, per ægram partem minime vacuandum. Nam si scarificationibus, aut sectionibus sensibiliter vacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus.* Sed dices, *Cur non crure laborante manum potius, quam reliquū crus, quandoquidē ibidem manu laborante crus scarificandū esse non obscuris verbis innuat, scarificandum esse docuit?* Respondeo, Quod nulla sit rectitudo manus dextræ cū sinistra, aut contra sinistræ cum dextra, sed potius cū crurib. manus rectitudinem obtineant, vt ex processu venarū, & earūdem fibris manifestissimum fit. Præterea diuersitatis non exigua subest ratio, hæc nimirum: *Crurib. laborātibus, non facile sursum humores trahuntur. Qui enim fieri posset, vt id quod graue est, expedite sursum traheretur? promtius n. in partes scarificatione vacuatas, e vicinis & superne deorsum, quam inferne sursum, humores ferentur.* Accedit, *quod manus magis distent a cruribus, quam vt facile eo aliquid a cruribus trahi & reuelli queat. Nam manus scarificata, aut in ea vena secta, prius vniuersus, qui est in ea vena, & vicinarum partium, sanguis vacuandus erit, quam sequatur is, qui in crure est.* Hinc est, quod in phlegmone crurum, *de qua hic Galeno sermo est*, non in manu, sed in altero, quod sanum adhuc est, crure venam secemus. Longior enim a cruribus ad manus distantia est, quam vt ab iis reuellere & vacuare celeriter, quod in phlegmone requiritur, possis. Alterum vero crus laboranti multo vicinius est, & cum eo quoq;, vt antea ostensum est, rectitudinem & communitatem obtinet. Quapropter ex eius venis, vtpote vicinioribus & ægræ parti communibus, vacuatio fit optima & facilima, *Galeno etiam in libello de artis constitutione teste.* Verum iterum instabunt aduersarii dicentes: *Si crura inter se rectitudinem, propter venæ cauæ circa lumborum vertebras diuaricationem habent, qui fit, vt Galenus cap. 19. libelli de curan. ratio. per sanguinis missionem in podagra ex gibbero detrahendum esse sanguinem, & nequaquam ex cruribus iubeat?* Respondeo, Duabus de caussis: vna, quod in podagra vtrunque crus, etsi non semper vno & eodem tempore, tamen per vi-

Margin notes: Obiectio alia. — Arabum doctrina qualis. — Obiectio dissoluitur. — Cur altero crure laborāte, reliquum scarificādum sit. — Alia obiectio. — Alia.

Section letters: B (at "rens. At ex aliis venis"), C (at "illis nullus subinde"), D (at "esse scarificandū"), E (at "expedite sursum"), F (at "etiam in libello").

ces, neque ex longis temporum interuallis, laboret. Non potest itaq; nec etiam debet, A in ægris cruribus reuulsionis caussa incidi vena, aut scarificatio adhiberi, sed in partibus distantibus, vt scilicet illabentium humorum tractus in contrarium fieri possit. Altera, quod in podagra sanguis sua duntaxat copia, quæ præter naturam ad crura decumbit, peccet & minime, vt in phlegmone, putris ac vitiosus sit. Quapropter licet tum, imo necessarium est, ad prohibendum ad crura defluxum, minuendamq; partium transmittentium copiam, in distantiore parte secare venam, quod tum sola sufficiat reuulsio, secus atque in phlegmone cruris, vbi etiam vacuatione ex laborante parte opus est. Quocirca tum venam in altero crure, vtpote quod cum laborante rectitudinem habeat, incidere oportet. Atque hæc copiosius a nobis dicta sunt, vt Arabum perniciosum sane, hodie tamen vsitatum errorem, non solum detegeremus, sed & confutaremus. B

Quando ad animi defectionem vsque sanguis mittendus. CAP. VI.

QVum in virium constantia & firmitudine morbus inuadet magnus & periculosus, vasa immoderatiore copia, vt in bono athletarum habitu, aut continentibus febribus accidit, distendens, vberior certe sanguinis missio, quæ affectus magnitudini vsquequaque respondet, eumque lenire potest, requiritur. Imo in eo quicquid præponderat, & mediocritatis limites transcendit, summouere maiorum & præstantissimorum Medicorum institutis conceditur, expeditque, Hippocrate & Galeno primariis Medicis testibus, vsque ad animi defectionem ducere, si ęger tolerare possit. Et Galenus quidem *sectio 1. Aphor. commen. 23.* multisque aliis locis firmissime asseuerat, in ardentissimis febribus, in maximis phlegmonibus, & in vehementissimis doloribus, experientia se didicisse, maximo ægrorum commodo huiuscemodi vacuationem conferre, modo vires C sint validæ. In ardentissimis vtique febribus, quod earundem feruor statim exstinguatur, habitusq; corporis refrigeretur, plurimis etiam aluus citetur, aut sudores emanent, conducit. In maximis phlegmonibus, quod hoc pręsidio feruentis sanguinis copia educatur, & obsessa phlegmone pars refrigeretur, atque ne in aliquam partem principem feruentis sanguinis multitudo ingruat, prohibeatur. In vehementissimis dolorib. quod sanguinis affluxum ad partem quam dolor vexat inhibeat. Cum enim dolor omnis attrahat, & fluxiones commoueat, necesse est, vt e vena, quę societatem cum dolente parte obtinet, sanguinem mittamus, ne scilicet in hanc super uacuus sanguis decumbat, & in ea phlegmonem excitet. Sæpe etiam excretoria facultas caussam, quæ dolorem excitat, eiicere dum properat, phlegmonem in particula excitat. Quum enim primis suis D conatibus nihil profecit, vehementius aggressa, Galeno etiam *libr. 13. Ther. method. cap. 3. teste*, quod infestat expellere sanguinis aliquid ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atque hinc fit, quod ex dolore particula proportione confluentis in eum humoris, in tumorem attollitur. Atqui hic nobis forte quispiam alium Galeni locum, cum iis, quæ diximus ex diametro pugnantem, obtrudet, in quo diserte prohibet, in doloribus confertim vacuandum esse. Is autem est in *libr. 1. ad Glauconem cap. 13.* vbi ita inquit: *Quum vehemens vigilia, dolorque grauis ægrum infestat, subitas & multas vacuationes vitare oportet.* Sed si recte commemorati iam loci expendantur, & E diligenter quid vtrobique doloris nomine intelligatur, consideretur, nihil pugnare videbuntur. Siquidem vbi in vehementissimis doloribus ad animi defectionem vsq; vacuandum esse hortatur Galenus, illic certe dolor pro affectu dolorifico, aut in quo dolor excitatur accipitur. Quo sane modo sępe ab Hippocrate, Galeno *sectio 2. Aphor. Commen. 6.* attestante, vsurpatur. Vbi vero cauendas esse subitas ac multas vacuationes in doloribus iubet, hic quidem dolor pro symptomate, non pro affectu dolorifico sumitur. Loquitur autem eo loci potissimum de dolore, qui febris symptoma est. Nam illic Galenus ex professo de continuarum febrium, quæ cum symptomatis consistunt, curationibus agit. Vera esse, quæ dicimus, confirmant ea, quę ibidem scribit Galenus, quum rationem reddit, cur non affatim confertimque vacuandum sit, inquiens: *Sed & aliquid* F *symptomati relinquẽdum est.* His enim verbis nõ vniuersam copiam noxiorum humorum vacuandam esse, sed aliquid dolori, qui vires mirifice deiicere solet, relinquendum esse innuit. Parcius itaque, tum vacuandum, ne dolor in febribus excitatus vires omnino prosternat. Ceterum veteres, quando dicunt ad animi vsque defectionem mittendum esse sanguinem, vacuandumue, non, vt nonnulli existimant, defectionem excludunt, sed

In ardentissimis febribus quare ad animi defectionem mittendus sanguis.

In maximis phlegmonib. In vehementissimis doloribus.

Obiectio diluitur.

Ad animi defectionem vsq; vacuandũ esse, quomodo intelligendum.

A sed volunt, vt hæc ipsa vberiorem vacuationem consequatur, quemadmodum fusius *in enarratione aphorismi tertii primæ sectionis aphorismorum* monstrauimus. Hanc enim defectionem in malis enumeratis tanquam legitimum vacuationis modum statuunt. Verum nõ simpliciter, nec sine iudicio sanguinem vsq; ad lipothymiam animiue defectionem mittere permittũt, sed quum iam vires præ vacuatione manifeste ingrauescunt, & initium patiuntur defectionis animi, atq; lipothymiæ, cohibendum esse, neq; vnquam vacuationes ad extremum, & vsque ad syncopen deducendas iubent. Syncope enim omnium virium præceps lapsus est, adeo, vt qui illa opprimuntur, nec audiant, nec videant, nec sentiant, nec moueantur, &, vt vno verbo expediam, omnes functiones quasi interceptas habent. Lypothymia autem mitior est, vtpote in qua etiamnum ægrotus loquitur, audit, videt, agnoscitque præsentes. Nam in ea spirituum influentium tãtum exsolutio fit, remanẽtibus viribus principibus partibus insitis ac congenitis. Hinc alio nomine Græcis ἔκλυσις, id est, *exsolutio* dicitur. Etsi igitur in λιποθυμίᾳ siue animi deliquio spiritus iam dicti exsoluuntur, & vires aliquo modo dispereũt, attamen ex insitis atq; congenitis aliæ denuo suscitantur, e quibus facile æger recreari ac pristinas vires recuperare potest. Si itaq; vires illæ, quæ principibus partibus insitæ sunt, languent, ægerq; hoc nomine imbecillis est, tum nequaquam ad animi deliquium vacuandum erit, etiamsi hoc morbus requirit, quod scil. si illud obrepserit, instauratio nulla fiat, sed hoc mox syncope, & eam ipsa mors sequatur. Tentandũ igitur est, exsuperantem humorem educere, quoad vires tolerãt, *vt infra latius dicetur*. Quoniam igitur syncope mortis imago est, quę

Lipothymia.

B

C assidentes perterret, & ægrum in maximum vitæ discrimen adducit, in eam nunquam Medicus vacuatione ęgrotum pręcipitet, modo existimationem suam inuiolatam tueri, neq; in vllas obtrectatorũ reprehensiones incurrere velit. Conducibilius itaq; est ægrũ diutius torqueri, quam vna cũ morbo vitam omnẽ profundere. Nec recte morbum demit, qui cum illo ægrum de medio tollit. Atqui dices, *quid igitur faciendum, si cũ virium imbecillitate magna redundabit humorum copia, cuius ratione vt morbum depellamus, multa certe vacuatio necessaria erit? Tum enim semel & vniuerse facta vacuatio citra maximum periculum adhiberi non potest, vtpote quam vires tolerare nequeant*. Respondeo: Si per virium imbecillitatem nequit vniuersa vacuatio compleri, cum præstantior virium, quam morbi sit obseruatio, partitione vtendum, idq; summo iudicio, summaq; prudentia adhibitis. Partitio

Quando partienda & iteranda sit venæ sectio.

D autem fit ex modicis interuallis, atq; vel dissoluto vinculo, vel digito indito vulneri intermittatur tantisper, dum cibis boni succi, & morbo minime aduersis vires reficiantur. Interdum autem hora vna, interdum plures ad virium instaurationem necessariæ sunt. Optimũ vero, non vltra diem prorogare: ac bis sanguinẽ, si vires sinunt, eodem die mittere, præsertim in vniuersalib. hoc est, totius corporis morbis, qui certe nullã cunctationem ferunt, siquidẽ properandum, priusquã putredo, aut alia inualescant mala, quãtum expedit educere. In partiũ aũt morbis, præsertim earundẽ phlegmonib. partitas vacuationes longiore interuallo seiũgi oportet. Nam cũ harũ materia e vasis in partiũ molem cõfluxerit, vtile est repetitam sectionẽ in posterum, quandoq; in perendinũ differre, vt hoc tpis spatio, corrupti humores ex ægra sede in exhaustas remigrẽt venas, quos exin-

E de repetita sectio promtius eripiet. Nec humores illi, quos pars laborãs sensim vno alteroue die eo deposuit, ꝑpterea ꝙ corrupti sunt, illic relinqui debẽt, etiamsi dolores conquieuerunt. Venenatã aũt materiam, vt in pestilẽti bubone, vel carbunculo euenit, non in posterũ diẽ relinques, sed eo ipso die festinãter, plenitudine totius corporis pręsente, iterata vacuatione demoliaris, ne pestilẽs & venenata contagio diutius in venis hęreat.

Quo tempore, qua die, quaque hora sanguis mittendus. CAP. VII.

NON temere de tempore, quo vena secanda venit, inquiritur. Quippe vena intempestiue secta, spiritũ pariter cum sanguine exhaurit, innatum calorẽ eripit, & dissipat, principes partes refrigerat, ac earundem calorẽ adeo exstinguit, vt quasi eneruatæ ac debilitatę languescant. Quapropter iis, qui nulla necessitate pluries in anno venas se-

Venæ intempestiue sectæ noxa.

F cant, plurima incommoda incidunt. Etsi n. frequens venæ sectio, detracto quasi pondere corpus leuare videt, quoniam tñ non parum spiritus calorisq; demit, maturam senectutem, & hanc grauiorib. morbis obnoxiam reddit: cuiusmodi sunt cachexia, hydrops, arthritis, tremor, paralysis, apoplexia, & id genus alii. Impensius enim refrigerato natiuo calore, primogenioq; humido imminuto, viscera languescunt, cruditas dominatur,

quæ tot malorum caussa sit, atque origo. Dein, si iusta occasio secandæ venæ a Medico neglecta fuerit, tum parum aut nihil prodest, imo sæpenumero obest, si sanguinem deinceps mittat. Debet itaque venæ sectio administrari, mox & ineunte morbo. Hoc enim pacto quicquid morbi in posterum gignẽdum est, prohibebitur: quicquid vero genitum & procreatum iam est, profligabitur. Sic in febribus, priusquam sanguinis moles feruoris incẽdio torreatur, aut valida putredo inualescat, maturanda est sanguinis missio. Sic si phlegmonum initio hoc genus præsidii tentetur, proculdubio ipsarum incrementum arcebitur, plerunque & hæ omnino sanabuntur. Qui enim in partem confluit humor, nondum hæret, & profluentis sanguinis impetum cursumque promte sequitur. Accedit, quod vires per initia firmæ sint & constantes, nec admodum iis dissimiles, quæ pridem erant integra valetudine. Si quo igitur tempore, ipso maxime initio hoc auxilii genus ægri tolerabunt. Præterea, venæ sectio morbis, quibus conuenit, incipientibus, si decernatur, sublata multitudine, quod reliquum erit, facilius natura concoquet atque euincet. His igitur de caussis acceleranda venæ sectio, si modo ventriculus, primæque venæ nulla humoris corruptela, vel cruditate, vel cibo semicocto refertæ sunt, *vt infra latius dicetur.* Vt merito explodenda veniat Auicennæ opinio, qui incipienti morbo prorsus inutilem ac plane aduersam venæ sectionem nugatur, & concoctionem exspectandam censet. Quum vero sciam ab aliis peruersam hanc opinionem pluribus & validissimis argumentis confutatam esse, lubens mihi tempero, & ad alia, quæ restant explicanda, festino. Vt autem vniuersalium temporum, ita particularium, & dierum, quibus morbi recurrunt, ratio habenda erit, nec vena, nisi mitescente iam & remittente, aut intermittente morbo secanda. In accessionibus itaque ab ea omnino temperandum est, quandoquidem neque natura, tum sanguis excretionem vllam moliatur. Si quæ vero forte excretiones tum incidunt, solius morbi feruore impetuque fiunt. *Præterea*, cum in accessionibus humores maxime quodam quasi æstu incitati efferuescant, obturbatique permisceantur, nulla tum iusta eorum fieri potest secretio: quapropter in ea vena resignari haud debet. Quandocunque etiam vel præcautionis vel curationis gratia potestas datur sanguini mittendo horam deligere, conuenientior erit matutina, *Galeno etiam cap. 21. libri de curandi ratione per sanguinis missionem suffragante,* quam pomeridiana. Siquidem a Solis exortu sanguis suscitatur, viget, atque dominatur, ipsoque diei lumine tenuis, serenus, fluxuique fit aptior, maxime secunda tertiaque diei hora. Proinde non statim a somno excitis, sed antea horam circiter vnam vigilantibus, & postquam hesternum cibum probe concoxerint, corpusq; ab excrementis, tum per vrinam, tum per aluum expurgauerint, sanguis mittendus erit. Astrologica etiam obseruatio tum tenenda erit. In morbis autem vehementibus, quique nimium præcipites sunt, nihil istiusmodi delectus habendus, sed quacunque hora ii vehementer prement, & instabunt, hac ipsa venam incidito. Quinetiam in febribus, aliisue morbis, qui circuitibus affligunt, quietis aut remissionis animaduersio multo præstantior, quam matutini temporis. In quacunque igitur diei noctisue hora remissio inciderit, ceteris rite administratis, vena secetur.

Ab initio secanda vena.

Fen. 4. Cap. 1. ca. 20. Auicennæ ingens erratum.

Quo die secãda vena.

Qua hora secanda vena.

A · B · C · D

Quæ ante venæ sectionem necessaria sit præparatio. Cap. VIII.

E

AD venæ sectionem maxima potissimaque præparatio est partium, quæ in prima corporis regione sunt, puritas & expurgatio, vt nihil insit in illis vitii, quod opus impediat, aut certe remoretur. Vitia ea sunt ventriculi primarumque venarum, earum scilicet, quæ iuxta iecur & mesenterium sunt, cruditas, noxiorum humorum colluuies, aluus fæcibus adstricta, os ventriculi impense sentiens, vel imbecillum. Hæc certe non omnino prohibent & excludunt, sed duntaxat retardant venæ sectionem, donec arte sint sublata. Si enim, quum ventriculus cibi copia tumet, quem nondum confecerit, sanguinem mittas, necessario plurimũ crudi succi in sanguinis locum succedet, quem venæ exinanitæ indigentesque rapient. Eadem ex caussa, si adstricta aluo venam aperueris, iecur exhaustæq; venæ sordidum quiddam & impurum e fæcibus exsugent. Qua ratione Galenus, vel in continente febre, quæ omnium maxime accelerato hoc præsidio gaudet, quum ciborum cruditas est, tantũ moræ in secanda vena interponit, quantum satisfacere, tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant videbitur. Hæc sponte, nisi succedant, clystere vel balano prolicienda sunt, aut prunis cassiaue

Primæ venæ

F

aluus

A aluus emollienda. Si corruptus noxiusq; humor in ventriculo, aut in vicinis illi partibus exsuperat, multo magis differenda est venæ sectio, donec sit expurgatus, quod scilic. is humor multo maiore detrimẽto, quã cruditas, rapiatur in venas, hasq; impuritate multa polluit. Præstat igitur, vt antequam vena resignetur, vitiosus humor deturbetur. Quibus eximius est oris ventriculi sensus, iis ante venæ sectionem consulendum est, osque ventriculi muniendum iis, quę corroborant, quę humorum morsum retundunt; & quæ humoris influxum arcẽt, vt est mali cotonei vel punici succus, & id genus alia. Atq; hęc q̃dem præparatio omni venæ sectioni præmittenda est, quũ morbi clementia cõcedit. At nonnunquam morbus tam immanis & importunus est, vt nulla præparatione præmissa, nullaq; interposita mora ad venæ sectionem festinandum sit: velut in bono habi-
B tu athletico, a quo præsens aut suffocationis, aut ruptionis vasorũ periculum impendet: in vehementissimis phlegmonibus, in ardentissimis febribus, in casu ex alto, aut in graui collisione. Sæpe etiam, quum crassior est sanguis, vt fere spes nulla sit, eũ facile per venæ sectionem posse educi, extenuantibus illum medicamẽtis tribus vel quatuor ante venæ sectionem diebus vtendum erit, vt est mulsa, cui aliquid hyssopi, nepetę, origani, aut pulegii incoctum est. Interdum & balneæ necessariẹ sunt, veluti quum venę procul a viscere distantes, in cruribus nimirum aut summa manu, secantur, & in iis, qui crassiorem in venis sanguinem obtinent. Siquidem balnei calore sanguis liquatur & attenuatur, adeoq; vt effluat magis idoneus reddit. In corpore tamẽ plethorico, & in phlegmone suspecta, balnearum vsus, tanquam nocentissimus, fugiendus. Proderit etiam hoc nomi-
C ne, vt scilicet corpus incalescat, deambulatione vti.

In balneo quando secanda vena.

Quid sectionis venæ tempore faciendum sit. Cap. IX.

CVm venæ sectio non raro ad animi defectionem deducat, præsertim eos, qui antea nunquam venam aperuerunt, præstat tam illis, quam ægris decumbentibus, in maxima tum corporis, tum animi tranquillitate venam incidere. Idq; faciendum erit maxime, vbi imbecillæ vires fuerint, aut syncopes metus subsit. Sit pars, quæ inciditur, prona, & in hanc facilis directusq;, *vt dictum est*, sanguinis cursus, ex corporis ea sede, quam plurimum exinanire proponimus. Artus quoq; cõfricentur, dum incalescant, & proxime supraq; eum locum, in quẽ scalpellus adigetur, arctius vinciatur, vt sanguine prolecto vena tumẽtior in conspectum se det. Infra etiam illigetur, quũ tremula inconstans-
D que vena ad scalpelli quẽuis impulsum subterfugit, aut e sua sede dissilit. Constat autem, quib. densa & squallida cutis est, & quib. angustæ venæ aut in altũ demersæ, multa carne, vel adipe obductæ, iis multo arctius vinculum iniici debere, quam quib. est diuersa constitutio. Minores manuũ pedumq; venas, quia hę non satis implentur, in calentẽ aquam demittimus, quæ & profluenti sanguini impetũ facit. Si ne sic quidem vena in apertum promatur, eam quo loco inesse solet, digitorũ impulsu percontare, dum sanguinis fluxu & incursione, illius sit explorata sedes. Hancq; signatam, scalpello industrius artifex feriat, sedulo etiam prospiciat, ne vel arteriam, vel neruum, tẽdinemue pro vena petat. Aperta vero arteria, sanguis emanat tenuis, rubicundus, igneus, & saltu quodam exsiliens. Ex neruo aut tendine puncto dolor ingens, stupor, resolutio, & brachii conuulsio cum
E tumore interueniunt. Ceterum, vena vt decet aperta, vinculum a superiori parte laxandum erit, quo inde sanguis vberius defluat. Si ex crassitie sanguinis, aliaue ex caussa sanguis minus abunde & segnius fluat, æger pugnum arcte vehementerq; adducat, neruos, musculos & latera, tussi ac voce valida contendat: vulnus vero aquæ calidæ fomento proritetur. Vtile denique est, etiamsi pro ratione sanguis dimanat, medio cursu digitum vulneri imponere, tum vt vires reficiantur, minusque dissipentur, tum etiam vt deterior spurciorque sanguis, ex intimis in sectionem confluat.

Decumbẽtibus vena secanda.

Partis in qua inciditur vena, situs.

Minores manuum & pedum venæ.

Apertæ arteriæ signa.

Quantum sanguinis detrahendum. Cap. X.

EManantis autem sanguinis quantitas æstimanda est, vt is demum oportune sistatur. Æstimatio autem ex morbi necessitate, magnitudineue, & ex viribus maxime su-
F mitur, vt quantum morbus exigat, & quoad vires tolerent, educatur, adeo vt quocunq; tempore dissoluuntur, etiamsi restant superuacua, a vacuatione nihilominus desistendum cessandumque est. Tribus autem maxime notis, quo tempore sanguinis effluxus sit cohibendus, cognoscimus, mutatione scilic. sanguinis, labascente effluxionis impetu ac robore, & pulsus commutatione. Mutatio vero sanguinis & in colore, & in consi-

Tribus notis, quãdo sanguinis effluxus sit cohibendus, cognoscitur.

Mutatio sanguinis.

stentia, tum potissimum exspectanda est, quum vehemens dolor, aut ingens phlegmone est in locis venæ sectę finitimis, *vt lib. 2. Victus acutor. Apho. 10.* exemplo pleuritidis mõstrat Hippocrates. Siquidem sanguis, qui iuxta phlegmonem hæret, alius est ab eo, qui in ceteris corporis partibus, quæ secundum naturam se habent, continetur, vt qui a vehementi, & præter naturam phlegmones calore supra modum est calefactus. Quapropter si sanguis, qui in totum spargitur corpus, antea pituitosior ac crudior erat, rubicundior & magis flauus euadet, qui in ea, quę phlegmone obsidetur, parte cõtinetur. Quod si vero in vniuersum corpus diffusus sanguis rubicundus fuerit, haud dubie, qui ad phlegmonem est, adustus assatusq; in nigrum permutabitur. Coloris itaq; mutatio index est, sanguinem ex phlegmone obsessa sede, in qua is est a reliquo dispar, euelli. A

Coloris sanguinis mutatio nem non semper esse exspectandam.

Etsi autem coloris mutatio modum & mensuram vacuationis indicat, tamen non semper exspectanda est, sed interdum antequam appareat, a sanguinis detractione erit desistendum, idq; duabus de caussis. *Vna*, quod virtus sit imbecilla, nec tantam vacuationem, quam coloris sanguinis mutatio sequitur, ferre queat. *Altera*, quia phlegmone maligna est, nec quicquam de se sanguinis concedit, quod vehementer impactus humor sit. Hæc itaque cogũt intempestiue cessare, ac potius iterato, quod reliquũ est, detrahere, alias quidem eodem die, alias vt dictum est postero. B

Labascẽs fluxionis impetus.

Pari modo & labascens fluxionis impetus ac robur, sanguinem esse cohibendum monent. Si enim sanguis minori impetu, quam antea, effluat, vires iam defecturas præmonstrat, maxime si accedat pallens faciei color, & oculorum caligo.

Pulsus mutatio.

Omnium tamen certissima & minime fallax est, pulsus mutatio. Si enim ex cerebro rarus euadat, aut ex magno paruus, ex vehemẽti debilis & obscurus, ex æquali inæqualis, vires collapsuras præsagit. Hæc igitur tria si ex vacuationis sanguinis quantitate incidant, protinus intermittendum, ne imbecillitas progressa, vel mortem inferat, vel iacturam, quæ nullo pacto resarciri possit. C

Emissi sanguinis obseruatio. CAP. XI.

SAnguis e vena effluens mundis tersisque peluiculis, terrenis, vitreis, plumbeisue excipiendus, non item æneis, ne ab iis vel propriæ substantiæ, vel coloris, vel alterius qualitatis conuersionem subeat, quæ Medici de corporis affectu iudicium peruertat. Sint & peluiculæ multæ, in quibus sanguinis varietas conspici & distingui possit. Seponantur loco mundo, quo nec puluis, nec fumus, nec ventus, nec Solis radii pertingant.

Iudicium de sanguine emisso ex substãtia.

Omnium prima in iis obseruabitur sanguinis substantia. Viscosus est, qui lente fluxit, & tanquam glutinum digitis obhæret. Crassus est & densus, qui multas fibras habet, qui ocyus concrescit, atq; conglaciat. Vterq; obstructionum aliorumque inde morborum fit auctor. Qui tardius cõcrescit ac durescit, tenuis est: qui vero iam refrigescens minime durescit, is omnino vel aquosus vel putridus est, cuius omnes fibræ direptæ atq; corruptæ vanuerunt. D

Serum.

Serum multum tanquam aqua citrina concreto sanguini innatans, vel potum liberaliorem, vel iecur infirmum, vel imbecilles renes, vel eosdem obstructos ostendit.

Spuma.

Spuma innatans, nisi fluoris impetu nata sit, incendium atq; feruorem eius humoris monstrat, cuius colorem præ se fert: rubra quidem sanguinis: flaua, bilis: alba, pituitæ: liuida, melancholiæ.

Color.

Durescentis sanguinis color per summa rubicundus, boni vtilisq; sanguinis est index. Color pallidus, bilem: albus, pituitam: viridis, bilem retorridam: liuidus aut plumbeus, atram bilem, cum pernicie, vt disparium colorũ permistio, varios humores exsuperare commõstrat. E

Pingue.

Sanguini innatat nonnunquam pingue quiddam & adiposum, instar telæ aranei cohærens. Hoc, si admodum pingue & obesum est corpus, ex ipso sanguine caussam habet, qui est in adipem pronus. Sin corpus strigosius fiat, minusque obesum, idipsum colliquari & marcescere portendit.

Grana.

Si diffisso sanguine grana quædam arenularum æmula offendantur, aiunt vel Elephantiasin, vel ad hanc propensionem notari: quanquam obseruantib. nihil tale deprehensum est. Quare qua facilitate affirmatur, ea quoq; contemnitur.

Graueolentia.

Si sanguinem graueolere, quod rarum est, contigerit, putredinis corruptionisque immensæ est indicium.

Quid a venæ sectione faciendum. CAP. XII. F

SAnguine, vt morbi magnitudo viresq; ferebant, emisso, æger supinus decumbat, vt omnibus partibus in spinam dorsi tanquam in corporis basin reclinantib. summa sit quies, & in quiete partes exhaustæ repleantur resarcianturq; spiritus. Neq; igitur ad cõsueta munia ꝓperet, neq; celerius inambulet, neq; vllo exercitationis genere se fatiget,

neq;

A neq; vtatur Venere, neq; in balneũ descendat. Quippe sanguis & spiritus vehementius incitati, ne dissipentur aut incalescant, sedandi cõprimendiq; sunt. Venæ tamen sectioni non cõtinuo indormiendum est, ne aut languidior intro repens calor exstinguatur, aut imminuti spiritus obruantur. Itaq; vigilans conquiescat, absitq; omnis, tum animi, tum corporis contentio. Hora vna aut altera a sanguine misso, alimentum licet offerre, exiguum quidem, quodq; boni sit succi, quod promte alat, & quod sit profligando morbo accõmodatum. Duab. ab hinc horis, aut etiam minus, nihil vetat obdormiscere, modo assidentes prospiciant, ne vel laborãs in brachiũ cęsum se deuoluat, vel vinculum dissoluat, quo sanguis dimanet, vel aliud sibi incommodum ferat. Reliquus cibus sensim increscet, neq; temere aut auide ad pleniorem properandum est, vt quem natiuus calor B imminutus non plene sit confecturus, & quẽ crudum multumq; exsuctæ venæ rapient, quo demũ omnem corporis molẽ referciant. Etsi aũt integra sit omnis alimenti cõcoctio, quid tñ iuuat ilico se succis largius implere, quos animus est venã sectã demere? A misso itaq; sanguine exquisitior victus ratio tenenda erit, neq; protinus æger ad pristinã diætã, perinde vt canis ad vomitũ, redeat. Vt maiorem in modũ detestandus sit Germanorum mos, qui fere nunquã lautius comedunt, aut largius bibunt, quã a venę sectione.

Quando a venæ sectione alimentum offerendũ

Detestandus Germanorũ mos.

De Cucurbitulis. CAP. XIII.

QVartum vacuationis genus per cucurbitulas fit. *Cucurbitas* autem & *cucurbitulas* a forma Latini appellant instrumentum, quo sanguis a profundo corporis attrahitur & elicitur. Has vulgus Medicorum ventosas, quod spiritibus ac ventis e corpore proliC ciendis sint accommodatæ, nominare solet. Ex quo illud Satyrici natum:

Cucurbita quid.

Iam dudum caput hoc ventosa cucurbita quærit.

Ceterum earum omnis ratio actioq;, ex vacui in rerum natura odio fugaq; proficiscitur. Aere enim, ac vento ipsarum intus vel igni consumto, vel ore exsucto, vi magna & necessaria, qua parte cuti applicantur, scarificatæ quidem sanguinem, integrę vero spiritus flatusque vehementer cito proximos quosq; primum, tum & remotiores euocant. Earum olim, *Celso lib. 2. cap. 11. auctore*, duo fuerunt genera, a materia desumta. Ænea altera tantum parte, quæ corpus attingit, perforata, igni comprehendendo apta. Altera cornea, eadem illa parte æque ac superior patens, summa vero tenui foramine, quo exsugebantur, pertusa. In æneam linamentum ardens coniicitur, ac sic os eius corpori aptatur, D imprimiturq;, donec inhæreat. Atq; hic mos apponendarũ cucurbitularũ in hodiernũ vsq; diem durat. Cornea per se corpori imponebatur, deinde vbi ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus erat, superq; cera cauum id claudebatur, æque inhærescebat. Non vero ex iis tantum materiæ generib. sed etiam ex aliis, ligno nimirum, vitro, plumbo albo, & argento, hodie parantur cucurbitulæ. Sed e vitro facta facile omniũ & læuissima & tutissima est. Nam si fixius adhęserit, haud difficile abrumpitur, quum reliquæ, nisi maiore molimine detrahi nequeant. Porro cucurbitulis nõ quouis tempore, sed tũ, vbi vniuersum corpus ante fuerit vacuatum, vtendũ erit. Siquidẽ alias locum, cui adhibitæ fuerint, totum replebunt. Quod certe generatim in omnibus localibus remediis, quæ certæ alicui particulæ ita adhibentur, vt a ceteris nihil perinde eliciant, perpeE tuo obseruandum erit. Maximopere itaq; cauendũ, ne in plethoricis, ac cerebri eiusq; membranis phlegmone, quã priuatim Græci *phrenitim* nominãt, in principio mali cucurbitulis vtamur, quemadmodũ nec vlla alia in parte phlegmone obsessa. Quippe tũ a laborantib. partibus humorum influxus magis auertẽdus erit. Verum, vbi iam nihil influit, totumq; corpus antea vacuatũ est, atq; aut mouere, aut amoliri, quod in laborante phlegmone particula exsistit, aut foras trahere necesse est, cucurbitas admouere optimum erit. Quũ vero vitia adhuc fiunt, nõ iis partibus, q̃ laborare incipiunt, sed iis potius, quæ eis coniunctæ sunt, & continuæ, reuulsionis gratia cucurbitulæ affigẽdæ. Ceterum gemina est cucurbitularum admouendarum ratio. Quædam n. citra scarificationem, & cute adhuc integra corpori adaptantur, & hæ quidẽ leues nominari consueuerũt, nulF la alia, vt arbitramur, de caussa, quam q; minori molestia, quã illę quibus scarificatio accedit, adhibeantur. Harũ vsus primum est, vbi ab aliqua particula reuellere, aut fluxionem quampiam restringere annitimur. Sic sane mensib. supra modum promanantibus, cucurbitas sub mammis affigimus, Hippocrate etiam monitore, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: *Mulieri si velis menses cohibere, cucurbitulam quam maximam mammis ap-*

Cucurbitularum ratio actioque.

Cucurbicularum genera.

Cucurbitulis quãdo vtendum.

Cucurbitularum admouẽdarum ratio duplex.

Cucurbitulę leues.

Cucurbitularum leuiũ vsus 5. Aph. 50

pone. Pari ratione sanguine supra modum e narib. erumpente, leues cucurbitulas hypochondriis affigimus. Infigēdæ autē super iecore, si ex dextra nare promanat sanguis: sin ex sinistra super liene. Si vero ab vtraque nare profluit, super vtroque viscere sunt ponendæ. *Deinde*, vt flatus intus abditus, doloremq; excitās, foras eliciatur. Nam ad tollendum hunc dolorē vnice confert cucurbitulæ appositio. Quod in primis confirmant ea, quæ *lib. 12. Therap. metho. cap. vlt.* scribit Galenus, inquiens: *Dolor, qui spiritum flatuosum comitatur: propriam quādam curationem sortitus est ex cucurbitula cum flamma copiosa multoties admota. Videbiturq; tibi præsidium hoc in huiusmodi malis incantamenti cuiuspiam simile quid efficere, siue ii in intestinis, siue in quauis corporis particula sint exercitati. Illico enim cucurbita admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum a dolore liberi, tum omnino sani redduntur.* Tertio, vt pars aliqua in locū suum, vnde excidit, reducatur, vti dum ventri applicātur cucurbitulæ, vt intestina euoluta recipiantur. *Quarto*, vt appetentiam excitent naturalem. Nam attractis humoribus, penuriæ sensum & suctionem in ventriculo concitant. *Quinto*, imbecillum ventriculū roborant, quod scilicet naturali eius appetētia excitata, vt statim nutritio sequatur, efficiant. Nutritas autem partes reddi robustiores, omnibus notum est. *Sexto*, vt animi deliquio, sanguinem & spiritum ad exteriora reuocando, liberent. *Septimo*, vt fluxiones ex alto corporis ad eius superficiem transferant, & resiccent. Octauo, vt facultates, quæ menses corrumpunt extrahant, id est, vt caussas, quo minus menses statis temporibus effluant, impedientes tollant, & e corpore eliciant. Atq; ii sunt leuium cucurbitularum vsus. Quædam sunt cucurbitulæ, quæ cum scarificatione admouentur. Harum quis sit vsus, sequenti capite exponemus.

De scarificatione. Cap. XIIII.

Cucurbitulæ cum scarificatione.

CVM scarificatione cucurbitulas applicamus, quum e propinquo leuiter ac blande vacuare consilium est, virtute, aut ætate, aut corporis teneritudine venæ sectionem non admittentib. Hæ n. minori, tum vi, tum præsidio e minutis venulis aliquid dūtaxat exsugunt, nulla virium, aut natiui caloris iactura. Quod in pueris, in grauidis, in senib. in morbo longinquo fractis, aut acuto prostratis, quādo alio præsidio vti non licet, attētamus. Atq; ad eū modū admouemus cucurbitulas, vbi phlegmone iam dicti corripiunt, idq; statim morbi initio. Particulæ vero ipsi, q̄ phlegmone laborat, inter initia, quū humores adhuc cōfluunt, cucurbitulæ cū scarificatione nō adhibendę, sed tū potius, vbi in parte firmati sunt. Si n. scarificationib. aut sectionib. sensibiliter vacuabimus, plus excitati doloris ratione ad partē laborantem attrahemus. Nō est aūt initio phlegmones ad laborantē partem trahendū, sed ab ea magis, & quidem q̄ longissime, auertendū. Phlegmonæ itaq; factæ, vt humores iam impacti & hærentes educant, cucurbitæ sunt applicandæ. *Præterea* cucurbitulas cū scarificatione admouemus partib. tensis, vt tensionē efficientes humores eliciant. *Tertio*, partib. quib. acris adiacet fluxio, vt ea euocata, partes vt antea, deinceps nō irritent ac molestent. *Quarto*, vt venenū, q̧ a rabido cane, aut scorpione iniectū est, extrahatur. *Quinto*, vbi materiā ab vna parte in aliā trāsferrre animus est: vt si cap. laborante crura scarificamus. *Sexto*, qn̄ materiā in corpore redundantē minuere nobis placet: præsertim si redūdantia ipsa a materia, q̄ statis temporib. vacuari cōsueuerat, prouenit: veluti si hæmorrhoides in viris, ac mēses in mulierib. supprimantur, crura scarificamus, prius tn̄ balneo vsi, aut calida per spongiam ea imbutā fouētes, vt sc. ab eius calore sanguis tenuatus & solutus, ad tractum & vacuationē aptior fiat. Et affigūtur cucurbitulæ fere crurib. tanquam partib. corporis ignobilioribus, quo nobilioribus opem ferant. Hinc est, q̧ Galenus *in libello de scarificatione* ita scriptum reliquerit: *Scarificatione crurū crebrius alias etiam vtendū, quod sæpius per annū incidere venam non expediat: quippe cum sanguine copioso vna vitalis excernitur spiritus.* Eo aūt copiosius absumto, vniuersa corporis moles refrigeratur, omniaq; naturalia opera deterius fiunt. Quapropter ab ignobiliorib. vtpote crurib. detractionem fieri cōuenit. Prodest ēt scarificatio, *Galeno eodē in loco teste*, oculis diutina fluxione vexatis, & capitis affectib. thoraci & dorso accidentibus malis. Adhæc anginis, & multis aliis morbis. Item ad hęmorrhoidas aut mēstrua prouocanda, cucurbita cū scarificatu poplitib. & crurib. applicata cōfert: idq; sæpe vtilius, q̄ si vena malleoli tūderetur. Renib. appressa, infernis benefacit partib. Natibus admota laterib. ac lumbis, ipsisq; ēt thoraci subuenit. Mēto applicata, maxillarū & faciēi malis sanitatē pollicetur. Inter vtrasq; scapulas in ipso dorso apposita, q̧ hodie vsitatū est, thoracis malis auxiliat. Inter collū & scapulas spinæ admota faciei morbis, vt impetigini succurrit. In

Ante crurum scarificationē cū balneo vtendum. Vbi affigendæ.

A rit. In summa, cuicunque particulæ cum cutis scarificatione affixa fuerit, huius sanguinem elicit, exsugit, vacuatque, & quicquid ad sequendum est promtissimum.

De Hirudinibus. CAP. XV.

INter præsidia sanguinis vacuatoria hirudines quoq; commemorantur. Hæ veteribus crebro in vsu fuerunt, hodie fere iis vti desierũt, præsertim in Germania, Medici. Præstat tamen nihilominus propter veterum scripta recte intelligenda harum vsum habere perspectum. Hirudines itaq; captæ, aliquot diebus includantur, vt cicurẽtur: ita enim famescentes, carnes quibus admouentur, facilius & auidius apprehendunt. Eas autem, quæ recens captæ sunt, propter suam virulentiam apponere non satis tutum est, sed vno die exiguo pastæ sanguine asseruandæ sunt. Sic enim, quod in iis virulentum est, exprimitur, propterea quod sanguini, quem hauserunt, cedat. Pars autẽ, cui hirudines admouebimus, nitro prius est perfricanda, vt incalescat, & sanguis ex alto in summum euocetur. Aut certe inungenda aliquo calorifico, & ex profundo in summam trahente medicamento. Aut si prædictis fueris destitutus, saltem vnguibus scalpenda erit. Ita namque promtius apprehẽdent. Priusquam vero adhibeantur hirudines, in vas purum aqua tepida plenum, & amplum iniicere eas oportet: dein spongia comprehensas & abstersas, sordibusq; purgatas, manibus applicare. Purum autem debet esse vas, vt sordes rectius extergi possint. Eadẽ de caussa vt aqua sit tepida oportet, quod ea, quã frigida, ad abstersionem sit commodior. Amplum, vt manibus cõmode attingi, atq; adeo sordes spongia comprehẽsæ expeditius abstergi queant. Vbi admotæ fuerint, iamq; adhæserint, oleum tepidum particulæ infundendum erit, ne refrigeretur. Hac n. refrigerata, nõ facile sanguis ad hirudinũ suctũ sequitur, vt qui a frigore crassescat, & ad interiora pellatur. Quod si ex manib. & pedibus earundem suctu aliquid trahendum erit, vt manib. applicentur, non est necesse: sed partem aquæ, cui innatant hirudines, immergere oportet: ita n. sua sponte citra manuum nostrarũ operam, eam apprehendent. Vbi aũt parti iam adhærẽt, nec sanguinem ad sese satis trahunt, forfice caudæ earundem pręcidendæ sunt. Quippe sanguine effluente, trahere nõ desinent, donec ipsę sua sponte decidãt. Si vero sua spõte haud deciderint, salem aut cinerem ori ipsarum inspergere oportet, ita n. mox decidẽt. Posteaquam vero deciderunt, cucurbitula apposita virulentiam earundem elicere necesse est. Aut si cucurbitularum vsus displicuerit, spongiæ pars, cui admotæ sunt, fouẽda erit. Hæc n. præsertim vbi noua fuerit, manifeste desiccat, adeoq; virus quod relictum est, discutit & dissipat. Quod si vero e foraminibus cutis cruentæ effluxerint lacrymæ, cuminum, quod illi desiccandi & fluxiones compescẽdi insit facultas, aut farinam, quæ emplasticam obturandiue vim obtinet, inspergere cõuenit. Dein partem lana, quę exiguo oleo est imbuta, inuoluere ac circumdare oportet. Lana enim, *Dioscoride attestante*, vulneribus commodissime imponitur, vt sanguinis eruptionem compescat. Oleo tamen, vtpote, cui obturãdi facultas inest, imbuta efficacior fit. Si vero sanguis cũ impetu erumpat, linteum aceto imbutum iniiciendum. Acetum namque, vt testis est Dioscorides, adstringit, & vndecunq; promanantem sanguinem, in succidis lanis, aut spongia impositum, sistit. Aut certe galla vsta, aut spongia pice liquida madens, & dein vsta imponenda. Habent enim hæc omnia glutinandi facultatem. Ceterum, hirudines, non eum, qui in profundo hæret, sanguinem eliciunt, sed eum duntaxat, qui carni adiacet, ideo cucurbitularum vicem supplent. Detrahendæ autem, vbi dimidiam vitiosi ac redundantis sanguinis partem esse extractam coniicimus. Prohibemus enim nec permittimus effluere, donec, quod satis est, excretum fuerit, quod particula ipsa, tum ab hirudinibus natura frigidis, tum ab ambiente refrigeretur. Retinendum igitur aliquid sanguinis, vt hinc pars incalescat. Sed de hirudinibus abunde satis.

Quibus hirudinibus vtendum.

B

Quomodo pars, cui admouebuntur hirudines, sit præparanda.

Quo pacto parti iam præparatæ sint adhibendæ.

C

Quid post admotas hirudines faciendũ.

Quid faciendum, vbi iam parti adhærent.

Qua ratione efficiendum sit vt decidant.

D

Spongia noua.

Cuminũ.

Farina.

Lana.

Oleum.

Acetum.

E

Galla.

Quem sanguinẽ hirudines eliciant.

Quando detrahendæ.

DE PVRGATIONE.

Quid purgatio, quibusque conueniat, aut non. CAP. XVI.

F EXPEDITO primo vacuationis vniuersalis genere, ad alterũ transeundum nobis erit, nempe purgationem, quæ, *vt sectione prima Aphoris. comment. 2. testatur Galenus*, non est, nisi humorum sua qualitate molestantium vacuatio. Hoc est, purgatio est vitiosorum, & eorũ, qui corpus infestãt & molestant, humorũ vacuatio. Quippe qualitas hoc loco, *vt fusius in enarratione iam citati Aphorismi Hippocratis diximus*, non nisi differentiam, aut speciem corruptorum humo-

Purgatio quid.

Qualitas.

rum contracte quidem significat. Nec temere dictum est, contracte: siquidem generatim ποιότης siue qualitas, *Galeno libr. 4. de tuen. sanit. teste*, non nisi ἰδέαν, id est, *speciem seu differentiam*, cuiusque humoris denotat. In purgationis autem definitione, potius κακοχυμίαν significat. Purgatio autem duplex est, nempe spontanea, & non spontanea. Spontanea est, quæ a natura fit, quæ sua sponte corpus a noxiis humoribus purgat. Non spontanea est, quæ per medicamentum purgante facultate præditum perficitur. Cum itaque purgatio non sit, nisi vitiosorum humorum vacuatio, palam hinc fit omnibus, sanos, & qui inculpata sanitate fruuntur, non esse purgandos, quod prauorum humorum copia, qui sani sunt, haud premantur. Constat autem, medicamentum purgans peculiarem & proprium humorem trahere, flauam nimirum bilem, aut atram, aut pituitam, aut serosam humiditatem, qui vbi non adsunt, necesse est, vt sanguinem & carnes colliquet, vt scilicet ex ipsis proprium attrahat humorem. Quapropter sani a medicamentis non purgantur, sed potius contabescunt. Vt non temere Hippocrates dixerit: *Qui sano sunt corpore, per medicamenta purgati, celeriter exsoluuntur.* Et mox: *Qui corpore bene se habent, hos purgare periculosum est.* Et iterum: *Veratrum iis, qui sano sunt corpore, periculosum est: quippe conuulsionem efficit.* Quapropter plurimum errant nostræ ætatis Medici, qui sanis etiamnum singulis fere septimanis pilulas, & id genus alia medicamenta purgantia propinant. Nec ad tuendum hunc errorem satis est, quod dicunt, varia excrementa, quæ in ipsis quotidie procreantur, purgationem requirere. Siquidem hanc rationem pulcre diluit Galenus *sectio. 3. Aphoris. Commen. 15.* inquiens: *Valde indigentibus, & ex longis temporum interuallis purgatio vtilis est. Eorum vero, quæ quotidie procreantur in corpore, excrementorum vacuatio minor est, quam vt exigat purgantis medicamenti efficacitatem. Si vero quispiam voluerit bis mense, aut semel omnino, saltem ea vti, veritus ne excrementorum multitudo aggregetur, præter id, quod nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem trahet.* Hæc ille. Fatemur quidem excrementa illa, quæ singulis diebus in corpore coaceruantur, esse vacuanda, si modo integram sanitatem conseruare velimus: atqui non per purgationem, sed alia vacuationum præsidia, vt sunt ea, quæ aluum leniter subducunt, aut quæ vrinam sudoremue moderate proliciunt. Purgatio igitur iis tantum conuenit, qui cacochymia laborant, & prauis succis referti sunt, modo alii ad purgationem necessarii scopi purgandum esse non dissuadeant.

[Margin: Purgatio spontanea. Non spõtanea. Sani non sunt purgandi. 2. aph. 36. 2. aph. 37. 4. aph. 16. Error nostræ ætatis Medicorum. Obiectiõ diluitur. Purgatio quibus cõueniat.]

[A] [B] [C] [D]

Qui purgationis scopi. Cap. XVII.

Idem fere purgationis, qui sanguinis missionis, sunt scopi. In ea enim principio qualitas humorum est consideranda, hoc est, quod genus humoris vitiosi sit vacuandum & educendum. Non enim aliud, nisi quod corpori nostro prauitate sua molestum est, humoris genus vacuare oportet. Quod si igitur pituita supra modum aucta est, corpusque infestat, hanc omnino vacuare oportet. Si vero flaua bilis, vel atra corpus molestat, a pituita abstinendum, & bilis potius vacuanda. Sic vbi serosa humorum pars abundauerit, & hanc vacuare oportet. Id quod Hippocrates etiam iis verbis innuere voluit: *In perturbationibus ventris, & vomitibus sua sponte factis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt. Sin minus, contra.* Et iterum: *Quæ vacuantur, non sunt æstimanda copia, sed quod talia vacuantur, qualia vacuari oportet, & quod æger facile fert.* Proinde vt in omnibus aliis vacuationibus, ita etiam in purgationibus, secundo loco ægrotantis vires diligenter sunt expendendæ. Quum enim immodicæ purgationes vires lædant, & eo magis quo fuerint copiosiores, donec tolerant, & nondum laborant, tentandum vt exsuperans humor expurgetur. Quum vero dissoluuntur, etiamsi restant superuacua, ab eorundem tamen vacuatione desistendum erit. Hinc non temere Hippocrates dixit, *vacuationes, quæ ad extremum ducunt, esse periculosas.* Et rursus inquit: *Plurimum & repente vacuare, periculosum.* Quocirca vehementes purgationes, quibus tamen hodie plerique vtuntur, magno studio vitandæ sunt, quod maximo periculo haud vacent. Nam extra hoc, quod ex ea vires supra modũ debilitantur demoliunturque, ventriculo etiam noxam inferunt haud leuem. Siquidem

[Margin: Qualitas humorũ. 1. aph. 2. 1. aph. 23. Vires ægrotantis. 1. aphor. 3. Vehemẽtes purgationes periculosæ.]

[E] [F]

eum

A eum non raro ita lædunt ac turbāt, vt subinde parum recte per vniuersum vitæ spatium officio suo fungi possit. Vt hinc perspicuum euadat omnibus, quanto cum errore ægrotantiumq; discrimine recentiores & barbaram sectantes medicinam, nonnunquam eradicatiue (sic enim loquuntur) vacuandum esse præcipiant. Nam ne vnum quidem ex omnibus veterib. proferre possunt auctorem, qui vnica vice radicitus humores, quantumuis malignos, purgandos esse suaserit. Præterea nulla necessitas, nulla denique ratio est, quæ eos tam absurdum opinari coegerit. Quod vero eorundē opinio sit non solum absurda, sed & perniciosa, hinc prompte dignoscitur. Quum enim in sanguinis missione (quæ tamen in nostris est manibus, vt ipsam nobis p arbitrio nostro inhibere liceat) etiam ea, in qua vsque ad animi defectionē sanguis detractus est, vniuersum, q noxium B erat, haudquaquam vacuetur, quandoquidem, *vt Gal. lib. 8. Ther. meth. c. 4.* testatur, nonnullis alui deiectio, quibusdā bilis vomitus, aut sudores, interdū omnia tria superuenire compertum sit, quæ certe haud secuta fuissent, si copiosa illa sanguinis missio, quod noxium erat totum & radicitus vacuasset: quanto minus per purgans medicamentum id, q noxium est, totum vacuare licebit? Cum enim in nostra potestate nō sit, vt purgantis medicamenti vim inhibeamus, in nullo certe affectu vsq; ad animi defectionē purgare conuenit: tantum abest, vt radicitus vacuare per purgantia medicamenta audeamus. Metus enim est, ne etiam animi defectione inuadente, vniuersam suam actionem medicamentum obierit. Si itaq; iā deficiente animo plus purgarit medicamētum, certum est syncopen, & hanc ipsam mortē, comitaturam. Non est igitur radicitus, aut, vt *Hipp.* C *loquitur*, ad extremum vacuandum, aut purgandum. Ceterum in purgatione ætas minime prætereunda erit, q hæc interdū, quo minus purgantia medicamēta propinemus, obstet. Pueri enim cum nondum iustam incrementi perfectionem sint consecuti, purgationibus plane inepti exsistunt. Quapropter si aluus ipsorum adstricta fuerit, mel, si nihil aliud impediat, cibo adiiciendum, aut resina terebinthina, quæ ciceris quantitatem æquet, *Paulo libro primo, capit. septimo, auctore*, exhibenda. Casia quoque fistularis dicta ad eam rem, quod vi leniente & emolliente prædita sit, satis commoda exsistit. Senes autem, potissimum vbi viribus admodum destituti sunt, quod natura sicciores sint, purgantibus medicamentis parum idonei sunt. Est etiam ideo ætas Medico in purgationibus expendenda, quod hinc non raro infestantem corpus hu- D morem deprehendere liceat. Cum enim quæuis ætas suos habeat morbos, quemadmodum sectione tertia Aphorismorum palam attestatur Hippocrates, facile quales eosdem procreauerint humores, inde Medicus cognoscet, qualiaque purgantia medicamenta in illis sint exhibenda, intelliget. In purgatione quoque tempus anni præsens, minime negligendum erit. Sunt enim quædam anni tempora, in quibus purgationem adhibere prorsus temerarium est. Ex quorum vtique numero est æstiuum, maxime id, in quo caniculæ sydus exoritur. Exusta enim tunc natura, eam, quæ a medicamentis purgantibus fit, acrimoniam non fert. Natura etiam ipsa æstu iam imbecilla reddita, ex purgatione magis dissoluitur. Quocirca plures hoc tempore purgati incidunt in febres, & viribus plane destituuntur. Accedit iis omnibus, quod hoc E tempore calor aeris ambientis in corporis superficiem & partem externam trahat humores, contrariam ei, ad quam medicina ducit, vt hoc nomine prauam admodum hanc purgationem esse oporteat. Proinde non temere dixit Hippocrates: *Sub cane, & ante canem, medicamentorum vsus molestus atque difficilis est.* Accommodatissimum autem tempus ad purgationem est Vernum, quod nimirum omnis excessus in medio sit, adeoque temperatum. Quapropter in eo non est calor, qui corporis efficiat dissolutionem, neq; frigus humorū concretionem afferens, non inæqualitas vires perturbans. Atq; hinc est, quod Hipp. in Aphorismis sic scriptum reliquerit: *Quibus medicamentum purgans confert, hos verno tempore purgare conuenit.* Porro anni temporum obseruatio non modo in molienda purgatione vtilis est, sed & ad noxii humoris dignotionē nō parum F conducit. Hyeme namq; *vt in lib. de humana natura Hippocrates attestatur*, in homine pituita auget, Vere sanguis, Æstate flaua, Autumno vero atra bilis. Quare si hyeme morbi inuaserint, magna ex parte pituitosi erunt: sin æstate, biliosi. In hac itaque, quæ bilem ducunt: in illa vero, quæ pituitam vacuāt, potius sunt exhibēda medicamenta. Pari ra-

Eradicatiue haud vacuandum vllo tempore.

Ætas.

Puerorum aluus vt lenienda.

Senes.

Tempus anni.

Æstate purgationes vitandæ.

4. Aphor. 5.

Vernum tempus purgationi accommodatissimum.

6. Aph. 47.

Regio. tione regio quoque ipsa, in qua degunt, qui purgatione indigent, a Medico consideranda erit. Hæc enim si supra modum calida fuerit, purgationem impedit, quod ad exteriora humorum motum, contra quam purgans soleat medicamentum, concitet. Præterea nonnihil etiam ad infestantis humoris notitiam confert. In calida enim regione, calidi plerumque humores exsuperant, quemadmodum in frigida, frigidi. Morbi denique species in purgationibus contemplanda Medico erit, quod ex ea, quamcunq; tandem ætatem morbus inuaserit, humor noxius, morbumque excitans promte agnosci possit. Exempli gratia, si e febrium genere tertiana hominem inuaserit, quod a bile modũ & debitam mensuram excedente infestetur ęger, constat. In ea igitur bilem purgans medicamentum esse dandum, hinc Medicus colligit. Quod si quartana febris hominem corripuerit, atram bilem corpori facessere negotium, nulli non perspicuum euadit. Hæc igitur purgans medicamentum requiret. Sin quotidiana afflixerit, pituitam molestare corpus omnibus patet. Hanc itaque educere potens medicamentum propinabimus. Quapropter singula iam ordine commemorata Medico, quo firmiorem ac magis stabilem noxii humoris notitiam habeat, accurate consideranda erunt. Neque enim vllo tempore alius humor extra eum, qui in corpore præter naturam redundat, illudque infestat, purgante medicamento vacuandus erit. Atqui dixerit forte quispiam: *Quid igitur Medico faciendum erit, si cum humoris alicuius dominio alii quoque redundauerint omnes, estné simul vtroque vacuationis genere, nempe venæ sectione, qua omnes, & purgatione, qua vitiosus tantum vacuatur humor, vtendum?* Minime gentium, quod simul & eodem tempore duabus vacuationibus, sibi quodammodo contrariis, quales illæ quidem sunt, vti sine maximo tum sanorum, tum ægrorum dispendio non licet. Nam venæ sectio humorum cursum & impetum ad exteriora reuocat: purgatio contra ad interiora. Non parum etiam duę vacuationes, nulla interposita mora adhibitæ, vires ipsas debilitarent. Accedit, quod vacuandorum quantitas hac ratione a Medico metiri haud possit. Proinde vbi vtroque vacuationis genere opus erit, alterum præcedere, alterum sequi debet. Et præstat quidem venæ sectionem purgationi præmittere, quam venæ sectioni purgationem. Id enim vt faciamus, non solum veterum, Hippocratis potissimum, Galeni, & aliorum Græcorum nos hortatur auctoritas, sed & ratio ipsa. Quod vero vno consensu idipsum veteres docuerint, alibi, nempe, *libr. 2. Paradoxorum, cap. 3.* monstrauimus, vt non sit necesse hoc loco repetere. Ratio vero, cur venæ sectio purgationem præcedere debeat, hæc est: *Summota aut imminuta plenitudine, qui redundant praui & noxii humores, expeditius a medicamento purgante trahuntur.* Siquidem hoc venas, arterias, inanesq; corporis regiones inueniens minime oppletas, nullo negotio in totum dimanat corpus, humoresque per lata vasorum spatia fusos & attenuatos trahit, vacuatque. Sin præpostero ordine purgationi primæ concedantur, medicamentum purgans propter plenitudinem & vasorum angustiam in totum corpus deferri nequit, sed substat, & nihil efficit: aut certe id, quod efficit, male efficit. Nam agitationem aliquam humorum excitat, at propter viarum angustiam, aut immodicam copiam eosdem attrahere nequit. Præstat itaque, si par inest vtriusque remedii necessitas, vt a sanguinis missione ordiamur. Siquidem melior deinde exinanitis vasis humorum attractio fiet, & natura ab eo, quod ipsam premebat, onere leuata, ac purgantis medicamenti vi iam excitata, quicquid noxium & inutile est reliquum, facilius segregabit, impelletque, ipsumque medicamentum, etiamsi minime vehemens ac debile est, minori negotio, quod restat, trahet, & educet, omniaque ex sententia succedent.

Morbi species. Duabus vacuationibus simul eodémque tempore minime vtendum. Vena sectio purgationi præmittenda.

Qua diei hora medicamentum purgans exhibendum. CAP. XVIII.

QVI purgans medicamentum est sumturus, is curet, vt idipsum conuenienti hora faciat. Neque enim omnis hora ad eius sumtionem idonea exsistit, sed ea sola, qua ventriculus a cibis maxime vacuus est. Quod si namque ea hora, qua ille cibis refertus est, purgans medicamentum dederis, vis eius a ciborum copia obruetur, nec leue periculum imminet, quin ipsi a medicamẽto sumto corrumpantur, aut semicocti cum medicamenti viribus in venas & totum corpus deferantur. Proinde ad purgantis medicamenti sumtionem aptissimum tempus est matutinum, quod tum concoctiones omnes perfectæ sint, ventriculusq; nihil in se ciborũ contineat. Cuius sane rei optimus est testis Paulus Ægineta, qui *lib. 7. c. 6.* ita scriptum reliquit: *In vniuersum in omnib. efficacibus purgationibus*

Matutino tempore purgationes sumẽdæ.

A *tionibus medicamẽtum homini, quem certa prius victus ratione alueris, ieiuno, & ei, qui probe concoxit, exhibere oportet.* Quapropter recentiorum, & eorum, qui hodie medicinã faciunt, modis omnibus explodẽda opinio erit, propterea quod quum caput maxime purgare conantur, catapotia, ſeu, vt vſitatiori illis vtamur vocabulo, pilulas poſt cœnam, aut certe paulo ante cœnam deuorandas præbent. Quippe is mos non ſolum aduerſus ea, quæ diximus, ex diametro pugnat, ſed etiam a veteribus prorſus damnatus eſt. Siquidẽ Paulus Ægineta *lib. paulo ante citato, c. 4.* eos, qui aloen veſperi exhibent, aut a cibo, noxã inferre, diſerte affirmat, quod ſcil. alimentum cibumue corrumpat, & flauam bilẽ minus vacuet. Si igitur aloe, quæ ex toto corpore trahere nequit, & grata eſt ventriculo, a cibo exhibita tantam noxam inferre poteſt, quid futurum eſt, ſi vehementia catapotia, quorum compoſitionẽ ſcammonia, colocynthis, & id genus alia medicamenta ingrediuntur, exhibentur? Verum dicet forte quiſpiam: *Cum is recentiorũ mos cum veterum placitis & ratione ipſa tantopere pugnet, quid igitur eos impulit, vt illũ omnes propemodũ ambabus, quod fertur, vlnis amplexi ſint?* Peruerſa meherele imaginatio, quæ etiam alias illis crebro impoſuit. Arbitrantur namq;, quum cibus adhuc in ventriculo hęret, fore vt pilularum facultas vna cũ vaporibus a cibo elatis permiſta, recta ſurſum ad caput feratur, & eã ob cauſſam humores noxios ex capite promtiſſime deorſum in vẽtriculum trahat. Quaſi vero per fauces & gulam noxii in capite contenti humores a medicamẽto hauſto mox recta deorſum trahantur, & non potius per venas ad ventriculũ & inteſtina deducantur. Per quas n. venas purgantis medicamenti vis a ventriculo in caput diſtribuitur, per eaſdem certe ex capite & vniuerſo corpore in ventriculum & inteſtina proprios & ſibi familiares humores trahit. Sed & ſenſus, & ratio ipſa, quam abſurda & erronea ſit, recẽtiorum Medicorũ opinio, abunde teſtantur. Senſus quidem, quod nihil noxiorum humorum per fauces, ii qui ſumſerunt medicamentum purgans, deſcendere ex capite percipiant. Ratio, quia ſi ex capite per fauces in ventriculum humores traherentur, multo ſane expeditius ſcreatu vacuarentur, quam per aluum. Quum itaque oſtenſum iam ſit, cõmentum eorum eſſe plane frigidum, & cum anatomes ratione pugnare, vtpote quæ doceat purgantis medicamenti in ventriculum aſſumti vim per inteſtina & meſaraicas venas ad iecoris portam, ab hac ad iecur, ab illo rurſus ad concauã vocatam venam, ab ea mox ſurſum ad iugulares, & ab illis ad cerebrum diſtribui, ac ſubinde per eãdem viam attractos humores a cerebo ad inteſtina & ventriculum deſcendere: neque enim: *vt teſtis eſt lib. 3. de Naturalib. facult. Gal.* alia diſtributionis, & alia tractionis vaſa ſunt: debent deinceps hunc morem tanquam noxium, & a veritate abhorrentem omnes, quotquot veritatis amantes ſunt, Medici deſerere. Atqui non deerunt, ſat ſcio, qui pro tuendo veteri errore, nobis Galeni locum ex *c. 8 lib. 14. Thera. meth.* proferent, vbi ille ſexagenario cuidam, qui tumefactam linguam habebat, catapotia ex aloe, ſcammonia, & colocynthide compoſita veſperi exhibuit, adeoq; hoc facto recentiorum morem haud dubie confirmauit. Sed facile quod nobis obiicitur, refutari poteſt ab eo, qui vniuerſam hiſtoriam paulo attentius expenderit. Etſi enim veſperi exhibuiſſe pilulas Galenum negari non poteſt, non tamen a cœna, ſed vacuo plane ventriculo illas hunc exhibuiſſe ſatis cõſtat. Si enim cibi aliquid ingeſſiſſet æger, Gal. idipſum ſilentio non tranſiiſſet. Quod vero nihil cibi veſperi ſumſerit, hinc primũ colligitur, quod homines hoc ſeculo temperantiores quam hodie fuerint, ita vt non ſolum ægri, ſed & ſani maxima ex parte in cœna nihil ciborum aſſumſerint. Quod dicimus, confirmat etiam morbi ratio, quem acutum, imo peracutũ fuiſſe conſtat, vt hoc nomine tenuiſſima vſus ſit victus ratione. Et dato quod nihil talium acciderit, tamen quia Galeno metuendum erat, ne aucta linguæ inflatione deinceps nihil medicamentorũ deglutire poſſet æger, feſtinatione opus fuit, nec matutinum tempus exſpectari potuit. Quare ex hoc loco ſuæ opinionis patrocinium nullum inuenire aduerſarii poſſunt.

Pilulas a cœna non eſſe exhibẽdas.

Occaſio prauæ opinionis recentiorum.

Obiectio diluitur.

(Margin letters B, C, D, E beside the text.)

Quæ ante purgationem neceſſaria ſit præparatio. CAP. XIX.

F QVi purgans medicamentum conuenienti hora eſt ſumturus, is vnice ſtudeat, vt ad purgationem ſit idoneus. Idoneus autem erit, ſi humores redundantes, & a medicamento purgante trahendi, tenues fuerint, omniſq; tenacitatis lentoriſue expertes, & meatus omnes, per quos huiuſmodi humores trãſire debẽt, aperti. Ineptus contra erit, vbi redũdans vitioſus ſuccus craſſus & lentus exſiſtit, meatuſq;, per quos noxius ille ſuc-

Duo præparationis modi. cus purgandus erit, haud patent. Qui igitur ad purgationes inepti sunt, hos Medicus A paratos & idoneos reddere debet, id quod bifariam fieri potest. Vno modo, vt humores crassi & tenaces extenuentur, & incidantur, adeoq; fluxui parati reddantur. Vtendum igitur in hoc tum cibis, tum medicamentis, quibus extenuandi & incidendi facultas inest, de quibus Galenus peculiarẽ librum exarauit, & *lib. 8. Ther. meth. c. 4.* de iisdem copiose tractat. Non vero simplicibus tantum medicamẽtis, vt sunt *hyssopum, origanum, calamintha, pulegium*, & similia, sed & compositis, *oxymelite, & serapiis e calamintha, hyssopo, marrubio, & similibus*, quorum hodie magna in officinis medicorum est copia, vtendum esse abunde constat. Alter præparationis modus est, vt meatus corporis, per quos humores, qui purgandi sunt, transibunt, reserentur, & aperiantur, adeoque corpus fluidum fiat. Si enim illi minime pateant, & obstructi fuerint, per eos transire noxii humores nequeunt. Reserandi itaque erunt per ea, quæ illos detergent, & obstructione liberant medicamenta, corpusque cibis humectantibus, ac balneis meatus corporis laxiores efficientibus fluidum faciendum, iuxta Hippocratis in Epidemiis consilium, in quientis: *Si volueris vt is, qui Elleborum bibit, celerius purgetur, vt lauet, aut comedat præcipe.* Et iterum: *Qui ad Ellebori sumtionem non facile sursum purgãtur, horum corpora ante potionem præhumectanda sunt, vberiore cibo atque quiete.* Et vno verbo: *Corpora, vbi quispiam purgare vult, fluida faciat oportet.* Id quod efficiet, vbi humores tenues, nulloque lentore præditi, & meatus corporis aperti fuerint. Quod satis in Commentariis huius aphorismi testatur Galenus ita scribens: *Erit fluidum corpus, omnibus quidem meatibus reseratis, humoribus vero incisis, detersis, & extenuatis, si quis modo humor in corpore crassus ac lentus fuerit.* Quum itaque duo in vniuersum sint præparationis ante purgationem necessarii modi, nempe crassorum & lentorum humorum attenuatio, abstersio, & incisio, meatuumq; apertio, omnibus perspicuum euadit, vbi meatus corporis, per quos humores purgari debent, aperti sunt, & humores tenues, nulla opus esse præparatione. Quapropter biliosi humores, cum suapte natura tenues sint, adeoque ad vacuationem maxime, quæ per medicamẽta purgantia fit, faciles & expediti, modo viæ & meatus, per quos transire debẽt, reclusi sint, præparationem nullam requirunt. Hinc est, quod Galen. *lib. 14. Ther. meth. cap. 17.* inter cetera sic scriptum reliquerit: *Flaua bilis vacuatio facilis est: pituitæ vero, ac potissimum eius, quæ crassior & glutinosior est, item nigræ bilis difficilior.* Hippocrates quoque in D libro de Humana natura, bilis vacuandæ facilitatem satis innuit, dum *quoduis medicamentum purgans post familiarem & cognatum sibi humorem, flauam bilem statim trahere*, scribit, quod scilicet ductu facilima sit. Galenus denique *lib. 3. Progn. comm. 25.* humores corporis calidiores tenuioresque, quales sunt biliosi, paratissimos esse ad excretionem tradit. Quod si vero meatus, per quos bilis duci debet, obstructi sint, certe ea præparatione, quæ illos aperit ac reserat, opus erit. Ad eam vero parandam non adhibenda sunt vehementer calida, quod illa bilis copiam augerẽt: sed ea potius, quæ facultatem habent extenuandi, & abstergendi, ac reserandi citra vehementem calorem: vt est in ciborum genere ptisana, in medicamentorum, cichorium, intybum, semina peponum, & cucumerum, item serapium acidum simplex, oxysaccharum, & id genus alia. Non parum etiam ad relaxandos corporis meatus balneum aquæ dulcis conducit, vt comprehen- E sum est. Ex iis omnibus perspicuum fit, Auicennæ verba *Fen. 1. Canone 4. tract. 2. capit. 7. de Intentione ad curationes vniuersales febrium putredinis*, docẽtis, *subtilem seu tenuem humorem esse incrassandum, & lentum incidendum, neque simpliciter ad præparationem, neque etiam ad concoctionem noxiorum humorum ac morbi posse referri*, adeoque merito, *tanquam a veritate abhorrentia, ab Auerroe & aliis quibusdam esse reprehensa.* Ad concoctionem morbi non posse referri, sequenti capite monstrabimus. Nunc de præparatione tantum dicemus, quę solius est crassi & tenacis, vt ostendimus, humoris. Nam is vt commode purgari possit, extenuantibus & incidentibus tum cibis, tum medicamentis est præparandus. Humor autem tenuis, cum suapte natura ad vacuationem sit facilis & expeditus, vt facilius ac promtius purgetur, nunquam a Medico incrassandus erit. Quanto enim subtilior est, F tanto facilius a purgante medicamento trahitur, quod tum ratio ipsa, tum experientia satis confirmãt. Quum itaque Auicenna in purgationibus quoque opus esse dixerit, vt tenues humores incrassentur, merito ab Auerroe est reprehensus iis quidem verbis: *Auicenna iubet in morbis a tenuibus humoribus genitis, concoctionem præcedere, quam hoc pacto definitam*

Marginal notes: 6 Epidem. sect. 5. — Aphor. 18. — 4. Aphor. 13. — 2. Apho. 10. — In bilis redundantia quibus medicamentis meatus reserandi. — Auicennæ error detectus. — Præparatio solius crassi humoris. — 7. collect. ca. 9.

A *definitam tradidit. Concoctio tenuium, est eorum incrassatio, crassorum vero extenuatio. Verum enimuero facilius humores tenues purgabuntur crassis. Vnde a nonnullis scriptum est Medicis, se nunquam purgans medicamentum exhibuisse, quin flaua bilis prior vacuaretur. Leuissimam enim & tenuissimam esse, ceteros autem humores sequi. Quod idem sensus tibi indicat, tenuiora scilicet crassioribus promtius purgari.* Hæc Auerroes. Maximo igitur errore Auicenna retulit in vniuersum ad omnem vacuationem, adeoque ad eam etiam, quæ per purgantia fit medicamenta, quæ ad peculiares, eas nimirum, quæ per sternutamenta, aut tusses fiunt, duntaxat pertinent. Nam cum sternutamentum & tussis non fiant, nisi per plurimum & vehementem spiritum celerrime foras erumpentem, qui impetu suo explodit ea, quæ in naribus & respirationis meatibus cõtenta sunt: necesse est, vt ea, quæ per illa vacuan-
B tur, neque lenta & crassa, neque tenuia admodum sint. Quæ enim lenta & crassa sunt, adeo naribus & arteriæ inhærẽt, & impacta sunt, vt ab iis facile auelli & abstergi nequeant. Quæ tenuia sunt, hæc subleuata, inter sternutandum & tussiendum a spiritu diuisa retro fluunt, *vt copiosius lib. 4. de Laborantibus locis. c. 9. Gal. docet.* Cum itaq; ea, quæ sternutamentis aut tussi expellenda & vacuanda sunt, crassitudine quadam participare necesse sit, vt ea, quæ supra modum tenuia sunt, aliqua ex parte etiam incrassentur, oportet. Non etiam pellenti omnino obsistere, adeoque violenter ac tenaciter inhærere debẽt: quocirca si lentore ac crassitie participant, extenuantib. & incidentibus medicamẽtis attenuanda & incidenda veniunt. Quid multa? quę hac ratione vacuanda sunt, essentię mediocritatem habeant necesse est. Quapropter rectissime de iis Auicennæ dictũ, quo
C præcipit, tenues humores incrassandos, & crassos ac lentos extenuandos esse, intelligitur. Male autẽ ad eam expulsionem vitiosorum humorum, quæ per medicamenta purgatoria fit, torquetur. Hæc enim non aeris impulsu, ad quem debita eius, quod patitur, resistentia requiritur, quæ in mediocritate certæ essentiæ consistit: sed attractoria purgantis medicamenti, & expultrice facultate perficitur. Quanto itaque humor tenuior ac mobilior fuerit, tanto facilius a medicamento purgante per angustos meatus trahitur, ac subinde expeditius expellitur. Errandi autem occasionem Auicennæ haud dubie Galeni locus, ab eo parum recte intellectus, præbuit, qui est in libello de *Constitutione artis Medicæ*, vbi non obscuris verbis inquit, *crassum & lentum humorem esse attenuãdum, tenuem vero incrassandum.* Verum si locum illum Galeni intentis oculis conspexisset A-
D uicenna, non de iis, quæ e corpore per medicamenta sunt vacuanda, sed de iis potius, quæ in eo manere debent, adeoq; in statum naturalem redire possunt, intelligendum esse animaduertisset. Nã Græce sic habet: τὸ δ' ἐπανελθεῖν δυνάμενον εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἀλλοιοῦν διὰ τῶν ἐναντίων: τὸ μὲν παχὺ καὶ γλισχρὸν λεπτύνοντα: τὸ δὲ λεπτὸν, παχύνοντα: *Quod in naturalem statum redire potest, contrariis alterare oportet: crassum quidem & lentũ, attenuando, tenue vero incrassando.* Verbi gratia, vbi humores in capite præ nimia sua tenuitate in thoracem destillant, incrassari debent, & in naturalem statum, vt deinceps destillare non possint, reduci. Pari modo, si pituita plus iusto crassior fuerit, attenuari debet, & in naturalem statũ reduci, vt subinde cocta in sanguinem mutari possit. Atque hæc de præparatione, quæ arte fit, adeoque a concoctione, quæ à natura perficitur, vt sequenti ostendemus capite, dixisse
E se satis sit.

Auicennæ errandi occasio.

Galeni locus enarratur.

Quid concoctio, & quot eius differentiæ. Cap. XX.

PVrgans medicamentum a Medico temere nunquam est propinandum, nisi vbi humores vitiosi morbumq; excitantes fuerint concocti. Siquidem post cõcoctionem naturam ipsam vacuationi habemus adminiculantẽ, vtpote, quæ tum humores discernit, & redundantias excernit. Vt non abre Hipp. in Aphorismis ita præceperit: *Concocta purgante medicamento educere, & ea, quæ non sunt cruda, mouere oportet, neque in principiis morborum, nisi humores turgeant.* Magna vero ex parte non turgent. Vt igitur quæ cruda, quæ item concocta sint, cognoscamus, quid concoctio sit, & quot differentiis constet, ostendamus necesse est. Concoctio itaque *Aristot. lib. 4. Meteor. c. 2. auctore*, est
F perfectio, *quæ a naturali proprioue calore ex oppositis fit passiuis, quæ sua cuique materia exsistũt.* Vel breuius ac clarius: Concoctio est *actio quædam natiui caloris in qualitates quæ patiuntur.* Galenus & eum sequentes Medici, concoctionem definiunt *esse alterationem ab innato corporis calore factã.* Atque hæc perspicua plane est definitio, & perfecta, vt q̃ singulas dif-

Crudi humores non purgandi.

1. Aph. 22.

Concoctio quid.

Concoctio duplex. ferentias complectatur, quæ certe, *eodem Galen. lib. 1. Epidem. sect. 2. constitut. 3. comment. 41. teste*, gemina exsistit. Vna, quæ est alimentorum, & eorum, quæ secundum naturam se habent. Hanc Galen. *lib. 3. de naturalibus facult.* ita definit: *Concoctio est alteratio in propriam eius, quod nutritur, qualitatem.* Et *in lib. de Sympto. differentiis, cibi alimentiue in qualitatem animanti familiarem, permutationem esse tradit.* Libro autem *1. Epidem. Comment. 2. apho. 44. concoctionem in coquentis eius, quod concoquitur, substantiam quandam esse deductionē* scribit. Quæ πέψις. quidem definitio cum prioribus in idem recidit. Hæc Græcis proprie πέψις, & Latinis priuatim *concoctio* nominatur. Eius autem tres sunt species. *Vna*, qua cibus in ventriculo concoquitur: *altera*, qua inibi generatus succus in iecore & vasis in sanguinem mutatur: *tertia*, qua sanguis in singulis partibus corporis, in idoneam alendæ partis substantiam mutatur, *vt fusius libr. 1. sect. 6. capit. 5. diximus.* Quæ in ista concoctione, alteratione ue in ventriculo & iecore exquisitam elaborationem non sunt adepta, & citra sanguinem substiterunt, cruda vocantur. In habitu autem totius corporis cruda sunt, quę elaborationem nullam: semicocta, quæ imperfectam consecuta sunt. Sanguis itaque pituitosus & lentus reuera crudus ac semicoctus exsistit, quod caro ex eo tumida, aquosa, flatulenta, in summa, alba & pituitosa procreetur, ac species hydropis, quam ob id λευκοφλεγματίαν appellant. Cruda itaque sunt, quæ in ventriculo nullam prorsus alterationem, aut imperfectam, quæ tamen proprie semicocta nominatur, acceperunt. Crudi sunt, qui in iecore aut habitu totius corporis nullam alterationem sunt experti, aut perfectam elaborationem non attigerunt, humores: qui tamē proprie semicocti appellantur. Crudi igitur omnes sunt generatim humores, qui citra sanguinem bonum subsistunt: *vt lib. 4. de Tuenda sanitate, cap. 4. fusius monstrat Galenus.* Tales autem sunt frigidi & crassi seu pituitosi, vt loco iam citato, & multis aliis locis Galenus ostendit. Vnde perspicuum euadit, biliosos humores non esse hac ratione crudos, quod nimirum excessu caloris, atque ex sanguine supra iustum modum percocto, adeoque asso & exusto fiant: non igitur hanc concoctionē primam, de qua nunc loquimur, requirunt, sed solus sanguis, & humor, vt in sanguinem mutetur, idoneus. Ceterum cruda, quæ in ventriculo hærent, quod illis non sit per angustas vias transeundum, etiam priusquam concocta fuerint, educi possunt. Et præstat etiam illa, priusquam in habitum totius corporis traducantur, educere. Hinc est, quod Galenus vnicum cruditatis esse remedium *libr. 1. de Alimentorum facultatibus*, ait, si ea, quæ cruda sunt, per aluum secedant. Cruda vero, quę in primis venis, iecore, & aliis vasis hinc in vniuersum corpus distributis, & in habitu totius corporis sunt, medicamentis purgantibus vacuanda non sunt. Cuius quidem rei caussam recenset Galenus *libr. 4. de Tuenda sanitate, cap. 5.* in hunc scribens modum: *Deiectio*, inquit, *in iis, quibus plurimi crudi humores in venis sunt, tormina cruciatusue circa vmbilicum, & rosiones creat, animique deliquia, cum eo quod nec notatu dignum quippiam educit: quando crudi omnes humores, pigri atque ad motum inepti, propter crassitiem frigiditatemque sunt. Quo fit, vt etiam omnes angustas vias obstruant, per quas id quod medicamentum deiicit, ferri ad aluum debeat: itaque nec ipsi educūtur, & alii sunt impedimento. Id quod sane Hippocrates illo oraculo præcauit, quo breuissime præcipit: Concocta medicamentis tentanda esse, non cruda. Eadem de caussa nec exercitare, nec omnino mouere, sed nec lauare expedit eos, qui in primis venis crudorum copiam habent: siquidem omnes id genus motus, succos illos in totum corpus agunt. Seruandi igitur hi sunt in omni quiete, dandaque ipsis cibus, potio, medicamenta sunt, singula eius generis quæ attenuent, dissecent, & conficiant succorum crassitudinem, idque citra manifestum calorem. Nam qui excalefacti vehementius sunt succi, hi in omnem corporis partem feruntur. Ergo nutries hos maxime oxymelite, aliquando etiam ptisanæ & mulsæ exiguo quopiam. Sustinent enim ij victum, si modo vlli alii, tenuem, ipsa nimirum crudorum humorum copia, quos paulatim concoquunt, ad corporis alimētum abutentes.* Hæc ille. Atque hæc quidem de prima, quæ proprie concoctio nominatur, dixisse, satis sit. Altera est eorum, quæ præter naturam sunt. Et hęc quidem non est, nisi humorum morbum efficientium alteratio, atque Hippocrati in Epidem. & Galeno πεπασμὸς, Latine *maturatio*, discriminis gratia nominatur. Cocta itaque de hac ratione Hippocrati & Galeno appellantur, quæcunque a natura ipsa euicta sunt. Cruda vero, quæ non sunt euicta. Verum esse quod affirmamus, testatur Galenus *lib. 1. Epid. Comm. 2. aphor. 46.* inquiens, *Vt concoctiones fiunt natura morbosas caussas euincente: sic non euincente contraria. Et lib. 2. de Vict. acu. morb. Com. 44.* vbi ita scriptum reliquit: *Concoctio est, vbi natura caussis*

[Marginalia: Cruda quæ. Semicocta. — λευκοφλεγματία. — Crudi humores. — Cruditatis remedium. Cruda purgantibus medicamētis non vacuanda. — Altera concoctio. πεπασμὸς. Maturatio. Cocta. Cruda. Lib. Epid. 1. Com. 2. Aphor. 44.]

A B C D E F

A *caussis fortior fuerit, eisque suo robore permutauerit.* Ibidem quoque diserte docet, *cocta esse, quæ a natura ipsa euicta sunt: cruda cõtra, quæ minime.* Hac ratione pus in phlegmone, quod a natura euictum est, concoctum vocatur, etsi pars nulla ex pure alatur, quemadmodum ex crudis & pituitosis, vbi concocti fuerint, humoribus aluntur. Eadẽ ratione & vrinas crudas concoqui dicimus, etsi corpus ex coctis vrinis ali non possit. Ita sputum quoque crudum vel coctum appellamus. Ad hunc quoq; modum destillationem grauedinem, ichores, & humiditates, quæ in lippitudine emanant, aut crudas, aut concoctas esse dicimus. Hoc deniq; modo biliosos humores crudos, vel coctos esse pronunciamus. Et Gal. quidẽ loco paulo ante citato, crudam bilem suis notis pingit, quemadmodũ etiam concoctã, inquiẽs: *Cruda quidem bilis flaua est, & acris, & male olens: Cocta vero & pallidior, &*
B *minimum male olens.* Vt hinc palam fiat, hanc alteram concoctionem nihil aliud esse, nisi dominatum & victoriã naturæ in humorem noxium, siue putridum, siue nõ putridum. Ex hac itaque concoctione id consequitur natura, vt humorem illum, qui antea parum obsequens fuit, nunc gubernare, ac pro suo arbitratu excernere possit. Proinde omnis humor, qui excernendus venit, antea concoctus sit, oportet, quod tantisper dum crudus est, & a natura nondum euictus, vacuari commode non queat. Concoctus autem, & tanquam subactus ac domitus, nullo, aut saltem minore negotio a vacuante medicamento profligatur & exhauritur. Hanc igitur concoctionem non solum pituitosi, vt priorem, sed & biliosi exigunt humores. Quapropter libẽter admodum concedimus, flauam bilem, non obstante, quod natura tenuis sit, concoctionem hãc alteram requi- *An flaua bilis concoctione egeat.*
C rere. Nisi enim prius a natura euicta sit, medicamẽtis purgantibus, & vacuãtibus etiam aliis commode educi nequit. Hac vero ratione cocta, & veluti subacta & edomita, naturæq; obsequens reddita, absque vlla molestia, minoriq; negotio ad conuenientia vacuationis loca, a purgãte medicamento trahetur. Nam nisi in eum edomita fuerit modum, sua acrimonia erodet, atq; excoriabit, fœtoreq; suo, & feruore molesta erit. Atqui aduersus ea, quæ dicimus, forte quispiam ita instabit: *Flaua bilis ex tali concoctione crassior euadet, & sic ægrius expelletur.* Crassiorem autem euadere, in primis testatur Aristot. *lib. 4. Meteor. c. 2.* vbi non obscuris verbis ea, quæ concoquũtur, crassiora aridioraq; reddi scribit. Item Alexand. Aphrodiseus in vniuersum omnia, quæ concoquuntur, ex tenuibus crassiora euadere testatur. Quinetiã Gal. *lib. de Totius morbi temporibus* asserit, tũ saniem *Obiectio.*
D ipsam, tum vrinã, tum sputum, item lippitudinẽ, humoresq;, qui e cerebro in palatum & nares destillant, denique omnia excrementa initio atque dum cruda adhuc sunt, aquea & tenuia esse: quum vero processu temporis concoquuntur, crassiora & pauciora euadere. Quibus omnibus & ratio & experientia ipsa subscribit, quæ omnia, quæ concoquuntur, & a calido patiuntur, humido nimirum euaporante, & quod tenuius est absumto, aliquo modo crassescere docet atque testatur. Fatemur itaque ea, quæ a natura euicta concoctaue sunt, necessario crassiora & pauciora euadere, quandoquidem concoctio ipsa, *vt etiã Gal. lib. 4. de ratione victus in morbis acutis fatetur,* cogat, & incrasset. Adeo vt recentiores Medicos plurimum hallucinari constet, propterea q̃ concoctionem, vel, vt ipsi loquuntur, digestionem, quum id, q̃ crassum est, attenuatur, fieri statuãt. Er- *Quæ concoquuntur, crassiora & pauciora euadere.* *Recentiorum Medicorũ error.*
E randi autem occasionem iis, qui crassi concoctionem, cum eius subtilatione (*ita enim loquuntur*) fieri censent, Auicenna præbuit, qui, vt præcedenti capite ostensum est, Galeni locum male intellectum, ad concoctionem eorum, quæ præter naturam sunt, adeoque in habitum corporis redire nequeunt, perperam detorsit. Nam etsi concedimus concoctionem tenuium esse incrassationem, tamen falsum erit, eandem crassorũ attenuationem esse, cum omnes humores natura etiam crassi in ea immutatione, qua a natura euincuntur, *vt monstratum est,* crassiores aliquo pacto reddantur. Atque hac quidem ratione bilis flaua concocta, mitiorque facta, aliquo modo crassescit, propterea quod id, quod in eo nimis subtile fuit, ad quandam æqualitatem moderatam redactũ est. Verum inferet aliquis confestim: *Igitur bilis & alii humores, qui ex tali concoctione crassiores eua-* *Obiectio diluitur.*
F *dunt, ægrius deinde expelluntur.* Respondeo, *Nequaquam.* Nam cum eam crassitudinem ab innato calido, & nequaquam ab immodico, neque etiam a frigore adepti sint, fieri non potest, vt hæc ipsa exscretioni vacuationiue obsistat, & aduersetur: imo cum hãc crassitudinem nõ, nisi quia a natura euicti sint, consecutos esse constet, multo promtius iam ac tutius expellentur. Quippe cum natura ordinem & morem, *Galeno etiam teste,* ob- *Nõ omnis crassitudo exscretioni aduersatur.* *I. Aphor. Com. 22.*

A seruat, vt primo concoquat, dein discernat, & postea vacuet. Quum itaque post concoctionem naturā ipsam vacuationi adminiculantē habeamus, exspectandū erit, quoad ab ipsa natura euicti, adeoq; crassiores redditi fuerint humores noxii. Nō igitur omnis crassitudo vacuationi obsistit, sed ea duntaxat, q̄ non fit a natura. Nec cuncta, quæ crassiora reddunt̄, ea quoq; concocta sunt, ꝗ nimirū duæ sint crassitudinis caussæ, calidum videlicet, & frigidum. Calidum quidē, euaporando, frigidum adstringendo incrassat. Quæcunque igitur ab innato calido crassiora redduntur, ea concocta sunt, non q̄ a frigido, seu nō naturali calore. Cū aūt ea, quæ crassiora sunt, a calore natiuo facta sint cōcocta, necesse est, vt crudis sint contraria. Si crudis, quæ im̄oderata sunt, contraria exsistūt, mediocria sint oportet. Quapropter rectissime Hipp. vrinā crassam appellat eam, *quæ mediocris est, collatione nimirum ad tenuem, quæ immoderata exsistit.* Quæ contra a frigore, B aut immodico calore crassiora redduntur, hæc cruda sunt, & vacuationi aduersantur.

Nō omnia crassa, etiā cocta.

4. Aphoris. 76.77.

Concoctiones a calidis externis iuuantur.

Ceterum etsi vtraque concoctio, vt monstratum est, ab innato calido fit, tamen ab externis auxiliis, quæ hunc robustiorem reddunt, augent & fouent, iuuatur. Idipsum vero possunt omnia, quæ temperatum & mediocrem calorem obtinent, adeoq; caloris natiui substantiam, non qualitatem augent. Cuius rei testis est Gal. qui *lib. 5. de simpl. medic. facult. c. 5.* diserte naturales alterationes concoctionesue ab innato fieri calore, ab externo autem iuuari, scribit. Qualis autem esse debeat is externus calor, in fine libri de *Constitutione artis Medicæ* explicat, vbi quietem, calefactionē moderatā, boni succi ciborum mediocrem esum, & vini moderate calidi potionem ad concoctionē deducere tradit. Non efficere, quia id munus solius est natiui caloris, sed εἰς πέψιν ἄγειν inquit. Nec obstat, C quod *sect. 5. aphoris. Comm. 22.* idem Gal. calorem externum concoquere scribit. Concoquit enim, non quia concoctionem efficit: ea enim a solo natiuo, vt comprehensum est, fit calore: sed quia calorem natiuum concoctionem efficientem iuuat, fouet, & auget. Aut certe concoquit, non quidem primo & per se, sed secundo, & ex accidente, natiuo nimirum calore interueniente. Nam quando de iis, quæ aliquid efficiunt, sermo est, diligenter, Gal. etiam ipso *lib. 1. de simpl. med. facul. c. 2. & 3.* monitore, discernendū erit, num per se ex propria facultate, an ex accidente, & aliquo alio interueniente, idipsum præstent. Proinde quum Gal. *lib. 1. Epidem. sect. 2. constit. 3. Com. 41.* scribit, omnia, quæ mediocriter calefaciunt, tum cibaria, tum fomenta, tum cataplasmata, frictionē item mediocrem, ac balnea concoctiones efficere: ἐργάζεσθαι enim verbo vtitur: intelligendum erit, D cuncta hæc non primo, & per se, sed secundo, & aliquo alio, nempe natiuo calore, quæ singula hæc fouent, augent, & iuuant, interueniente cōcoquere. Atq; locos hos ita esse intelligendos, alius eiusdē auctoris, quem paulo ante ex *lib. de Simpl. med. fac.* citauimus, palam euincit. Ibidem enim diserte inquit, *concoctiones ab innato calore fieri, ab externo aūt iuuari.* Simili ratione certe explicādus venit Hipp. locus, qui est *in sect. 5. Aph. 21.* vbi aquæ frigidæ perfusionem, curare distentionem scribit. Non enim per se & primo: alias hoc tritum Medicorum axioma, contraria contrariorum sunt remedia, euerteretur: sed ex accidente, reuocādo nimirum calorem natiuum, distentionem aqua frigida sanat. Calor aūt per se, *metipso Hipp. teste*, curat. Vt iam abunde pateat, calorem natiuum per se, & primo concoctionem efficere: externum autem ex accidente, quia nimirum natiuo o- E pituletur, illumq; foueat, & augeat. Quod manifeste etiam Arist. *4. Meteor. c. 2.* iis significare verbis voluit: *Quum quid concoctum est, perfectū est ac genitum, atq; perfectionis exordium a natiuo calore prouenit: quamuis aliquo externorum adminiculo ad calcē vsque perduci soleat; quomodo alimentum per balnea, & id genus alia concoquitur.* Et idem quoq; ibidem testat̄, quum humoris concoctionem, quam maturationem vocat, natiuum calorem efficere scribit.

Galeni locus enarratus.

Concoctio nulla a frigidis fit.

Error recentiorum medicorum.

Porro cum ex iam dictis omnib. sit manifestum, concoctiones a calidis tantum, neq; iis quidē omnibus, sed duntaxat tēperatis ac mediocrib. iuuari, hallucinari cōstat omnes nostræ ætatis medicos, qui bilis concoctionem a frigidis serapiis, violaceo, rosaceo, & nymphea, intybo, & id genus aliis, fieri dicunt. Constat enim frigidū concoctioni perpetuo aduersari. Nam calorē natiuum, qui concoctionem efficit, refrigerando exstin- F guit. Hinc est, quod Alex. Trallian. *lib. 1. ca. 10.* biliosum humorem non per frigida, sed mediocriter calida concoquendum esse docet: idq; ex Gal. *lib. 2. de Comp. med. localium cap. 11.* sententia, qui itidem balneis temperatis, & vnctionibus, & potu diluto bilem esse concoquendam hortatur. Sed præstat verba Tralliani subiicere, quæ sic habent:

Εἰ μὲν

A Εἰ μὲν οὖν ἕνεκα τοῦ πλεονάζειν τὸν χολώδη χυμὸν πολλάκις ἡ κεφαλαλγία γίνεται, ποιεῖν ταύτης τὴν θεραπείαν διὰ τῶν καθαιρόντων, καὶ ὑποκλέπτειν δυναμένων τὸν χολώδη χυμόν. ἀλλὰ ἵνα τοῦτον δυνηθῇ κενῶσαι καλῶς, ὑγροτέρας δεῖται τροφῆς πρῶτον, εὐκράτοις τε λουτροῖς, καὶ ἀλείμμασι, καὶ ὑδαρεῖ ποτῷ πλείονι. οὕτω γὰρ διαχυθεῖσα καὶ οἷον ἀσθενεστέρα γινομένη εὐχερέστερον ὑπὸ τοῦ ἕλκοντος αὐτὴν κενωθήσεται φαρμάκου: *Si igitur capitis dolor subinde propter biliosi humoris redundantiam nascatur, curatio eius medicamentis, quæ biliosum humorem purgent & subducunt, perficiatur. Verum vt probe hunc vacuare possit, humidiore prius victu opus est, balneisque temperatis, vnctionibus, & potione diluta liberaliore. Ita enim diffusa bilis, & veluti imbecillior facta, facilius a medicamento ipsam trahente vacuabitur.* Atqui obiiciet quispiam, *frigida serapia biliosos humores alterare, crassioresque reddere, ideoque etiam concoquere.* Respondeo, Alterant quidem, sed cum hæc alteratio non fiat a calido natiuo, concoctio nec dici, nec esse potest. Incrassant quoque, sed non euaporando, vt calor innatus, sed adstringẽdo. Quapropter humores biliosi a frigidis serapiis crassiores redditi, crudi adhuc sunt, & a natura nondum euicti, nec substantiæ mediocritatem consecuti: igitur etiam ad excretionem & vacuationem inepti sunt. Sed instabit rursus alius, *frigida concoquere, si non per se, saltem ex accidente, nempe reuocando calorem.* Respondeo, verum esse, si idipsum de iis frigidis intelligatur, quæ extrinsecus admouentur. Hæc enim cutem constringendo & caloris euaporationem prohibendo, auctiorem calorem natiuum reddunt, qui subinde per se concoquit. Frigida vero serapia, & id genus alia medicamenta, quæ intra corpus assumuntur, calorem natiuum imbecilliorem efficiunt, aut prorsus, si frigida admodum fuerit, quale est e papauere cõpositum, exstinguunt. Vt hinc manifestissimum sit, *Serapia frigida concoctionem iuuare non posse.* Quapropter Actuarius *in lib. de comp. medic.* zulapia frigida non exhibet, vt bilem concoquant, sed vt eius feruorem potius exstinguant, adeoque alterent, vt natura illam subinde euincere & concoquere possit. Hinc diserte inquit, si bilis incandescat, & hominem exurat, & calefacientia respuat, frigida zulapia ante bilis purgationem esse danda, donec in vrinis decens apparuerit concoctio. Sed de concoctione satis.

Obiectio prima.

B

Altera.

C

Quo morbi tempore purgandum. Cap. XXI.

HActenus de concoctione, & quod a purgationibus Medico abstinendum sit, donec humores concocti fuerint, diximus. Vnde omnibus palam fit, in morborum principiis, quod tum omnia adhuc cruda sint, nec nisi vigoris tempore, *Galeno libr. 3. de Iudiciis, c. 5. teste,* exquisita cõcoctio fiat, non esse purgandum. Nam nec natura ipsa, cuius Medicus minister & imitator est, vnquã in morbi principio, & dũ humores adhuc crudi sunt, vllam vacuationẽ instituit. Neq; enim hoc tempore vel naturæ, vel purgantibus medicamentis obediunt, eaq; de caussa grauissima symptomata excitant. Quapropter eo tempore, quo natura superuacua vtiliter expellit, si imperfecte ipsa mouet, purgante medicamento Medicus vti debet, ac id quod deficit medicando supplere, vt ex vtroq; noxii humoris vacuatio recte fiat, natura quidem expellente, medicamento vero attrahente. Idq; perpetuo faciendũ, nisi humores turgeant: tum n. in principio etiam morbi, & humorib. nondũ coctis, medicamẽto purgãte vti licet, ne scil. humores parũ stabiles, & ab vna parte ad aliam sine ordine defluentes, in principẽ aliquam partẽ decumbant. Nam turgere, vel, vt *Hippocratis verbo vtamur,* ὀργᾶν, *Galeno lib. 8. de comp. medic. local. ca. 3. auctore,* nihil aliud est, nisi humores motu impetuosiore, ac cõcitatiore ab vna parte in aliã defluere, idq; statim morbi initio hominem irritantes, quiescere nulla ratione permittentes. Hos itaq; humores, eo q̃ agitentur, & de vno ad alium locum transfluunt, purgãte medicamento in morbi principio vacuare conuenit. Eos vero, qui aliqua in parte firmantur, ac fixi hærent, ante concoctionem neque purgantibus medicamentis, neq; aliis præsidiis mouere oportet. Siquidem naturam tum vacuationi adminiculantẽ Medicus non habebit, vt quæ illos hoc tempore non vacuare, sed concoquere studeat. Cuius rei certissimum est indicium, quod humores quiescunt. Nam quiete, non motu, fit concoctio. Motus contra significat, quod natura eosdem vacuare cupiat, vtpote partibus corporis omnibus molestos & infestos. Quod Hippocrates innuere voluit, dum *concocta purgante medicamento vacuanda tantum censet, & ea, quæ cruda sunt, nequaquam mouenda, neq; in principiis morborũ, nisi humores turgeãt.* Et rursus, vbi *in acutis morbis raro, & in principiis medicamẽtis purgantib. esse vtendũ præcipit.* Et iterum, *vbi medicamentis purgantib. vtendum in valde acutis morbis, si materia turget,* eadem die hortatur. Vt hinc omnibus perspicuum e-

In principiis morborũ non purgandum.

D

Humoribus turgẽtibus in principiis etiã purgare licet.

E

Turgere. ὀργᾶν.

F

1. Apho. 22

1. Aph. 24.

4. Aph. 10.

Imminuentibus materiam medicamentis purgantib. inter initia vti non licet.

uadat, *inter morborum initia non esse purgandum, modo humores non turgeant, neque validis, neque iis, quæ materiam morbum excitantem imminuunt, & ab iis, qui hodie faciunt medicinam, minoratiua appellantur, medicamentis.* Siquidem Hippocrates crudos humores, ne mouēdos quidem vllis remediis esse præcipit, tantum abest, vt purgādos esse permittat. Non aūt ab re dictum est, *Materiam morbum excitantem minuentibus.* Non enim prohibemus, quin initio morborum, nulla adhuc apparente concoctione, mitiora illa medicamenta, quæ vulgo *benedicta* vocātur, exhibeantur, quod eorundē vires primas venas, vel etiam loca, in quibus crudi humores morbumq; excitantes hærent ac firmati sunt, non attingant, sed duntaxat materias in viis illis, per quas morbifici humores ducendi sunt hęrentes, educunt. Quib. plane vacuatis, natura subinde nonnihil exonerata, ad reliquos morbificos humores tū concoquēdos, tum expellendos expeditior & alacrior fit. Eam certe ob caussam Galenus non raro exhibet inter initia morborum medicamenta, quæ humores in ventriculo & intestinis hærentes vacuant, etiam crudos exsistentes, quod scilicet illis non sit per angustas vias transitus futurus. Sic surditate a crassis humoribus nata, nondum apparente eorundem concoctione, totum corpus de Galeni etiam consilio, purgamus, non profecto vt crudos adhuc in auribus humores vacuemus, quod eo vis medicamenti purgantis non perueniat, aut si etiam perueniret, quum non cedant, nec tractioni obsequantur, nihil tamen educeret: sed potius vt inhibeamus ne alii humores in venis, aut in aliis corporis partibus fluctuantes ad laborantem partem confluant. Quinetiam idem Galenus *libro primo, de compositione medicamentorum localium* inter initia Alopeciæ nulla præcedente concoctione, aut præparatione purgat, non tamen eos humores, qui in capite firmati sunt, sed alios, qui per vniuersum corpus sparsi sanguinem vitiant, *vt in nostris super Hippocratis Aphorismos Commentariis copiosissime demonstrauimus.* Atqui dicent aduersarii, si non nisi concoctis iam humoribus medicamentum purgans Medico exhibere licet, certe nullo vnquam morbi tempore dandum erit. Quia non in principio, in quo humores omnino crudi sunt. Non etiam in augmento, quia nondum integre concocti sunt. Exquisita namque concoctio, *vt paulo ante ex Galeno ostensum est*, non fit, nisi vigoris tempore. Non licet autem in vigore purgante medicamenro vti, quod tempore hoc, quo morbi consistunt, & vigent, *Hippocrate monitore*, quiescendum sit, corpusque nullatenus mouendum. Quippe præter id, quod tum natura concoctioni noxiorum humorum intenta ab opere suo distrahitur, adeoq; illa, ne eos euincere possit, impeditur, etiam per quam viam molitura sit iudicium non facile dignoscitur. Quomodo igitur operi naturæ fauebit, quando nondum ad quam partem sese vertet sciat? Quum itaque Medico perito cauendum vnice sit, ne contrarium naturæ motum moliatur, & vigoris tempore, quo hæc ipsa tendat, ab illo ignoretur, nullis prorsus vacuationibus, nedum purgationibus, quum morbus viget, vtendum erit. Non etiam in declinatione, quia tum non est opus, quandoquidem tum vis morbi decrescat, hominemque interimere amplius nō possit. Quibus ita respōdendum esse puto: *Verum esse, quod perfecta iam concoctione, & morbo inclinante non sit purgandum, si natura per iudicationem vniuersum id, quod noxium fuit, expurgauerit, iuxta id Hippocratis: Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, non mouere, neq; nouare vel medicamentis, vel aliis irritamentis, sed sinere oportet.* Si vero post exquisitam concoctionem ad id, quod noxium est, expellendum natura satis potens non fuerit, Medici officium erit, vt declinante iam morbo illud, quod deficit, suppleat, ne scilicet recidiuam, quod reliquum est, efficiat. Quæ enim in morbis a iudicatione, *ait Hippocrates*, relinquuntur, recidiuas facere consueuerunt. Quapropter rectissime Galenus loco paulo ante citato inquit: *Experientia testatur, neminem vnquam vi morbi in declinationibus periisse. Sed adhuc magis ratio. Neque enim contingit, vt postquam caussæ morbosæ iam coctæ sunt, ac natura euicerit, æger moriatur, modo recta curatio a Medicis adhibeatur.* Ceterum rectam curationem adhibebit Medicus, si quod imbecillior natura vacuare non potuit, ipse vacuet, & ne recidiua, quæ plerunque ipso morbo deterior est, accidat, prohibebit. Vt sole meridiano iam clarius sit, ante perfectam concoctionem, in morbis eam admittentibus, nunquam esse purgandum, cum eo tempore, quo concoctionem absoluit, quod noxium est, natura per iudicium expurget, vt hoc nomine importunis remediis a concoctionis munere non sit distrahenda, nec in suo opere impedienda.

Non

[Margin notes: A; B; C; 1. Aphoris. comm. 22. Obiectio diluitur.; 4. Apho. 29.; D; 2. Aph. 20.; E; 2. Aph 12.; F]

A Non autem temere dictum est a nobis, non esse purgandum, aut purgantibus medicamentis vtendum. Siquidem iis verbis non esse medicamenta validiora, & e longinquo trahentia, adeoq; quę reuera sunt & dicunt purgantia, vsurpanda innuere volumus. De iis enim Hippocratem, vbi cruda non esse purganda monet, locutum esse cōstat. Proinde mitioribus, & quorum vis vltra iecur non transcendit, vt sunt casia nigra, manna, oxyphoenicum, hiera picra, & id genus alia, ad alui subductionem in principio etiam morbi, quemadmodum paulo ante dictum est, vti medico licebit: quod ea tantum, quę in ventriculo & intestinis sunt, vacuent. Nonnunquam etiam, quæ in primis venis continentur, modo illis non sint impacta, educunt.

Quid purgationis tempore, & a purgatione sit faciendum. Cap. XXII.

B QVi purgans medicamentum est sumturus, is calidū hauriat oportet, non tepidum, aut frigidum. Nam ita medicamētum ventriculum minus offendet, & citius suam exseret facultatem. Tepida namq; ventriculum relaxant, frigida vero nō parum offendunt. Quum vero promte admodum, iis præsertim, qui ad vomendum proniores sunt, vomitus post medicamenti sumtionem excitetur, præstat odoris vehementiam aliquo iucundo & odorato obtundere, ne ei, qui hausturus est, a medicamenti odore parū grato nausea cōcitetur, quam mox vomitus excipiat. Aut nares obstruere, ne ad illas odor medicamenti attingere queat. Porro medicamento sumto assum panē aceto imbutum odorare conuenit, & calidis pannis ventriculū fouere oportet: ita enim vomitus arcet. Prodest etiam os colluere statim, vbi haustum fuerit, vino odorifero, aut mandere aliquid suaue & iucundum, q; horribilem medicamenti saporem obscurare possit. Dein horam vnam quiescat, qui sumsit medicamētum, nec somnum admittat, vt vis medicamenti ad vniuersas corporis partes pertingere possit, & ne ab immodico calore, præsertim si lene fuerit medicamentum, dissipetur. Omnium autem maxime a somno arcendus erit, vbi iam purgare cœperit, quod ita medicamenti actio intercipiatur. Quod si tardius actionem suam medicamentū purgans exserat, vt inambulet, & se moueat, modo per morbum integrum sit, præcipiendum erit, iuxta id Hipp. *Eum, qui Elleborū bibit, ad corporis motus magis, ad somnos vero & quietem minus ducere oportet. Corpora aūt motu turbari, nauigatio indicio est.* Et statim post hæc, *Quum volueris vt Elleborus magis ducat, corpus moue: vbi vero sistendum esse censueris, somnum conciliato, & haud moueto.* Ceterum ab assumto medicamento, ne eius actio impediatur, nihil est offerendum, nisi os ventriculi natura admodum sensile ac imbecillum, purgantis medicamenti acrimoniam sustinere non possit, adeoq; syncopen minetur. Tunc enim ptisanæ cremor, aut etiā cicerum ius cum saccharo, vt quæ gulam, & os ventriculi vellicant, detergeantur, exhiberi potest. Quod si vero prospere & citra vllius symptomatis accessionem purgatio pcedit, nihil penitus attentandum; sed satis erit, si ęger ab immodico tum calore, tum frigore se tueatur. Absoluta tandē purgatione, æger mediocri & boni succi alimento reficiendus erit. Satius autem fuerit humidum, vt sit potius, quam siccum, & concoctu facile. Id enim promtius in ventriculo, iam imbecillo aliquo modo a medicamento facto, transmutabitur, atque ad expellendas purgantis medicamenti, & humoris ab eo attracti reliquias, pręsertim si illi aliqua insit abstergendi facultas, aptius erit, vt sunt iuscula saccharo condita, aut ea, quibus cicer, aut hordeum incoctum fuerit.

Medicamētum purgās calefactū bibendum.

C

4. Apho. 14.

4. Aphor. 15.

D

Quid a purgatione faciendum.

E

Quousque purgandum, & quomodo impeditæ & immodica purgationi sit occurrendum. Cap. XXIII.

QVæ sit absolutæ & iam peractæ purgationis nota, Hipp. in Aphor. ostendit, ita scribens: *Qui medicamentorum potionibus quum purgantur haud sitiunt, ii non desinant prius, quam sitiant.* Sitis itaque, q; humiditatis indigentiam nuntiet, abunde esse purgatū corpus, noxiosq; humores perfecte vacuatos ostendit. Quanquam non semper exspectanda est sitis, q; interdum minori quantitate oblatum medicamentum non satis purget, nec noxios omnes humores educat: neq; enim facile conueniens cuiq; quantitas sciri F potest. Ne igitur longiori, quam par sit, inedia crucientur, præstat vt iis, qui propterea, q; non satis purgati sunt, sitim haud sentiunt, a medicamenti sumtione 6. aut 7. horis cibus exhibeatur, eo nimirum tempore, quo aliis, qui abunde purgantur, offerri cōsuetum est. Porro si eueniat, aut haustum medicamentum sua actione frustretur, nec quidquam educat, sed vētriculi morsum, aut tormina, aliaq; grauissima symptomata excitet,

4. Apho. 19.

Peractę purgationis nota.

Quando purgatis cibus sit offerendus.

Si medicamentū sua frustretur actione.

Si immodice purget. 4. Aph. 14. & 15.

adnitendum erit Medico, vt protinus eos, quos medicamentum attraxit, humores, emolliente & aluum subducente clysteri, aut glande subiecta vacuet. Sin contra accidat, vt immodice purget medicamentum, somno indulgendum erit, ac quiescendum. Ita enim esse faciendum Hipp. in præcitatis Aphorismis monet. Præterea impetus humorum intro confluentium ad alias partes frictionibus, vinculis, balneis aquæ dulcis, & id genus aliis præsidiis reuellendus. Aer etiã, in quo æger versatur, temperatus esse debet. Iusto namq; calidior, vires dissoluit: frigidior autem ad internas partes humorum impetum propellit, adeoque purgationem auget. Prodest etiam exhibere theriacam, vt quæ humorum impetum ad exteriora ducat, ac purgatoriam medicamenti vim hebetet atque obtundat. Confert etiam *diacydonium* vocatum medicamentum, & similia, quibus adstringendi facultas inest, offerre. Perdurante vero adhuc purgatione, inanes cucurbitulas ventriculo admouere, & adstringentia vnguenta, emplastra, & cerata imponere, vtile est. In summa omnia ea sunt admouenda, quæ ad sananda alui profluuia vsurpantur, de quibus in medendi ratione nostra diffuse tractauimus, vt necesse non sit hoc loco de iis copiosius differere.

Expurgatorum humorum obseruatio. Cap. XXIV.

Alui excrementa vt medico sint cõsideranda. 2. Aphor. 23. Qualitas. Consistentia. Color.

PVrgatione peracta, alui excrementa, & quæ vacuata sunt, a Medico accurate sunt cõsideranda. Initio aũt quæ vacuantur; vulgi more, non multitudine sunt æstimanda, *Hippocrate etiam suffragante*: sed si talia vacuata sunt, qualia vacuari oportet, & æger facile toleret. Talia vero vacuantur, qualia oportet, vbi noxii ac vitiosi humores vacuantur, vtiles autẽ in corpore retinentur. Id certe quod accidit, quando æger vacuationem hanc leuiter fert. Non solum vero qualitas excrementorum alui, sed & consistentia eorundem, num scil. solida, an liquida sint, expendenda venit. Deniq; color eorundem, num pallida, rufa, liuida, aut nigra sint. Ex eo namque varia dignosci & pręcognosci etiam possunt, *vt copiosissime lib. 2. Prognost. Aphor. 13. & seqq. aliquot Hippocrates, nec non ibidem in Cõmentariis suis, & lib. 1. de Iudiciis Galenus monstrarũt*, & nos *infra lib. 4.* ne quid lector desiderare possit, hæc omnia breuiter perstringemus. Ceterũ præter iam dicta, excremẽtorum quoq; mutationes diligenter Medico sunt contemplandæ. Nam si in spõtaneis & a natura factis alui profluuiis varię humorũ species vacuãtur, laudabile est, propterea, quod corpus exquisitius expurgent. Quod confirmat Hipp. qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: *In profluuiis ventris mutationes excrementorum iuuant, nisi in praua cõmutentur*. In praua aũt commutantur, si nigra aut liuida fuerint, aut colliquationẽ & putredinem præ se tulerint. Quo itaq; plures deteriores in alui profluuiis fuerint colores, eo peius erit. Siquidem multorum & prauorum in corpore affectuũ sunt signa. A purgante vero medicamento hausto melius est plures & deteriores etiam excrementorũ ac deiectionũ esse colores. Et certe quãto plures fuerint colores, tãto minus mali erũt. Quod Hippo. in Apho. iis significare verbis voluit: *Nigræ*, inquit, *deiectiones, veluti sanguis niger, sua sponte exeuntes, & cũ febre & sine febre pessimæ: & quo plures deteriores fuerint colores, eo peius. A medicamento autem si tales egerũtur, melius est & quo plures colores fuerint, eo minus mali erunt.*

Mutatio excrementorum. 2. Aph. 14. 4. Aph. 21.

De vomitu. Cap. XXV.

HActenus de purgatione disseruimus: nunc ad vomitum, tertiũ vacuationis genus, accedemus. Vomitus autem est vacuatio per superiora eorum, quæ in ventriculo continentur, illumq; grauant & molestant. Hunc præcedit nausea, quæ non est nisi inanis vomendi conatus. Vomitus autem non temere in cõsiderationem Medici venit, q̃ eius non contemnenda sint commoda. Qui enim frequenter vomunt, magna ex parte semper sani esse consueuerunt. Siquidem vomitus non bilem modo, sed & pituitã molestantẽ ventriculum educit, adeoq; ne ille malis ac vitiosis humorib. impleatur, efficit. Cùm vero a prauis humorib. vapores sursum ad caput ferant, præsertim vbi biliosi fuerint, non parum a vomitu etiã caput ipsum subleuatur. Vtilis vero præ aliis est vomitus omnibus biliosis, q̃ bilis, vtpote tenuis humor, facile sursum vergat. Præterea iis, qui cibis & potibus se nimium impleuerunt, vel parum recte concoxerunt. Si enim plus iusto quam vt concoqui possit, ingestum est, periculum iminet, ne in ventriculo corrumpatur. Nihil igitur conducibilibus, nisi vt priusquam quod assumtũ est, corrumpatur, qua via commode expelli potest, nempe per gulam, eiiciatur. Quanquam ne tum quidem quum corruptum est, intus sit relinquendum, quod ingestum est, sed quo cõmode potest

Vomitus quid. Nausea. Vomitus commoda. Quibus vtilis vomitus.

A test expellendum. Ceterum singulis mensibus vomendum esse Hippoc. præcipit. Nam libr. 1. *de ratione victus* ita scriptum reliquit: *Consultius est, vt is qui singulis mensib. vomere consueuit, continuo biduo hoc agat, quam interpositis quindecim diebus: ita enim secundus dies prioris reliquias extrudit.* Quæ quidem sententia etiam *in libro de salubri victu* repetitur. Hanc Galenus *lib. 5. de vsu partium, cap. 4.* confirmat iis verbis: *Recte igitur:* inquit, *veteres Medici vomitus a cibis in singulos menses repeti præcipiebant, alii quidem semel, alii vero bis. Omnes autem hi qualitates ipsas eo casu comedendorum acres atque abstersorias diligere consulunt, vt pituita omnis e ventriculo purgetur, neq; prauo succo corpus afficiatur.* Cauendum itaq; omnibus, qui recte valere & senescere volent, magnopere erit, ne vomitum prorsus negligant, sed illũ, modo fieri possit, ex præscripto Hippo. adhibeant, singulis nẽpe mensibus, & duob. continuo diebus. Nec minori diligentia cauendum iis ipsis erit, ne quotidianum vomitum habeant. Quippe eius frequentia assiduusue vsus surditatem inducit, vsui obest, thoracis pulmonisque venas disrumpit, dentibus nocet, & capitis dolores, modo ex ventriculi vitio nõ sint orti, offendit. Non autem ab re paulo ante diximus, vomitum, si fieri potest, suo tempore adhibendum esse. Nam in ciendo vomitu magno studio Medico considerandum erit, qui ad vomendum faciles, quiq; difficiles sint. Qui enim nõ nisi difficulter vomunt, ad vomitionem nequaquam cogendi sunt, sed per inferiora potius purgãdi: difficulter namq; vomentib. vbi eos ad vomendum quispiam vrserit, venarũ, quæ in thorace sunt, ruptionis periculũ imminet. Porro difficiles & inepti ad vomendũ sunt, mediocriter carnosi ac pingues, angustoq; thorace præditi. Cõtra faciles & idonei, qui natura tenues gracilesq; sunt, & amplũ obtinẽt thoracem. Priores n. plurimũ pituitosi aut melancholici humoris habent, ideoq; per inferna, quandoquidem eo maxime iam dicti humores tendant, vacuandi sunt. Posteriores autem natura calidi & sicci, atq; adeo biliosi sunt, plurimum itaq; bilis coaceruãt: quare per superiora, quo maxime natura repit, vacuare eos oportet. Quæ singula Hippoc. in Aphorismis quoq; iis docuit verbis: *Graciles, & ad vomendũ faciles, per superiora purgare conuenit. Qui vero ad vomendũ difficiles sunt, & mediocriter carnosi, hos per inferiora purgare oportet.* Non temere autẽ dictum est, *Natura graciles:* Nam qui vi morbi tales sunt, veluti tabidi, iis vomitus inutilis est. De quibus sane locutus est Celsus *lib. 1. c. 3.* vbi inter cetera in eũm scribit modum: *Vomitus inutilis est gracilibus, & imbecillum ventriculum habentibus:* Qui n. hac ratione graciles sunt, iis thorax angustus est, & vasa ruptioni obnoxia. Qui vero imbecillum habent ventriculum, ii vomitum, quod ipsum præcipue mirum in modum lancinet & conuellat, sustinere non possunt. Ceterum tempus vomitui aptissimũ est æstas, vtpote in qua biliosi maxime procreantur humores, qui suapte natura, quod tenues admodum sint, sursum feruntur, & nullo negotio vomitu reiiciuntur. Quod Hippocrates etiã cõfirmat, qui in Aphorismis inquit: *AEstate quidem superiores magis ventres, hyeme autem inferiores medicamentis purgare cõuenit.* Neq; obstat, quod Hippocrates, aut potius Polybius, in libello *de victu salubri* contrariũ adstruere videatur, dum sex hybernis mensib. vomendum esse tradit: & hunc etiã secutus Cor. Celsus *loco paulo ante citato*, vomitum vtiliorem hyeme, q̃ æstate esse scribant. Nam vterque in iis locis de pituitæ vacuatione, quæ citra purgantia fit medicamẽta, loquitur. Nemo vero est, qui nesciat, hyberno tempore pituitam, potissimum in ventriculo, magis q̃ alio tpre generari. Vt igitur vomitu expurget, necesse est. Vbi vero in vniuersum corpus medicamẽtis purgare consiliũ est, æstate ꝑ vomitũ, atq; superiorem ventrẽ: hyeme ꝑ deiectionẽ, ac ventrem inferiorẽ, *vt in Aphor. relatum est*, purgandum erit. Quid multis opus est verbis? Quum non vniuersum corpus exonerare constitutum est, sed ventriculum solum a pituita in eo coaceruata vindicare placet, vomitu illam eiicere licebit, imo plurimum conferet. Sin vniuersum corpus expurgare animus est, æstate per superiora, & vomitum, hyeme vero per inferiora purgandum erit. Deniq; ea, quæ per vomitum quouis tempor eiiciuntur, accurata opera Medico sunt consideranda, quod ex his, perinde atq; ex alui excrementis, multa prædicere possit, *quemadmodum libr. 2. prædict. Aphoris. 38. & sequentibus aliquot Hippocrates, & post eum in suis Commentariis Galenus luculenter & perspicue docuerũt.* Quib. vero reb. & medicamẽtis vomit⁹ ciẽdus sit, alibi ostendimus.

Quoties vomendum.

Creber ac quotidianus vomitus cauẽdus.

Facilitas & difficultas vomẽdi.

Difficiles & inepti ad vomẽdum.

4. Apho. 6

Celsi locus enarratus.

Tempus vomitioni aptissimum.

4. Apho. 4

Obiectio diluitur.

Quæ per vomitum eiiciũtur, Medico consideranda.

De vrina excretione. Cap. XXVI.

VRinæ excretio etiam inter vacuationum genera censetur. Quippe nõ raro accidit, vt corporis superuacua per vrinã vacuentur, potissimũ in laboriosis, hoc est, in qui-

Natura superuacua corporis per vrinam vacuat.

Laboriosæ febres

bus lassitudinis sensus inest, febrib. quemadmodũ in Aphorismis iis verbis testatur Hip- A
pocrates: *Quibus spes est ad articulos futurum abscessum, eos liberat ab abscessu vrina multa, crassa,*
& alba prodiens, vt in laboriosis febribus quarto die nonnullis exire incipit. Et in Epidemiis id-
ipsum exemplo quodam confirmat, inquiens: *Vrina crassa & alba, qualis Amphigenis famulo*
prodiit, in laboriosis febribus, quando quarto die exit, ab abscessu liberat. Cum itaque natura in-
terdum corporis excrementa noxiosque humores in morbis per vrinæ excretionem
expurget, debet & ipse Medicus, qui huius minister est, & simia, in plerisq; morbis vri-
næ prouocatione vti. Hoc vero præsidio, tum potissimum vtendum Medico erit, vbi
obstructio, vel humorum redundantia circa iecur, eius præcipue gibba, item renes, &
vesicam fuerit. Nam anatomes ratio monstrat, quod ea, quæ in iam dictis partibus con-
tinentur, per nullũ corporis locũ commodius & expeditius, quam per vrinarios mea- B
tus vacuari possint. Non autem temere adiectum est paulo ante, *Eius potissimum gibba.* Si
enim in cauo iecoris fuerit obstructio, tum per aluum potius, quæ obstructionẽ efficiũt,
purgare oportet. Nam & id dissectionis ratio probat, & multis in locis, præsertim *lib. 7.*
Therap. meth. cap. vlt. & 13. eiusdem operis, cap. 13. & lib. 2. ad Glaucon. cap. vlt. Galenus docet in
hanc sententiam prorumpens: *Sicut iecoris cauum per aluum purgatur, ita gibba eius per ea, quæ*
modice vrinas mouent. In elicienda vero & prouocanda vrina, accurata diligentia inqui-
rendum erit, num phlegmone, aut exulceratio aliqua sit in renibus, vesica, & aliis vrinæ
instrumentis. Quippe si aliquid horum adsit, vrinam mouẽtibus, nequaquam vtendum
erit: quod tum a laborante particula longissime auellere, nequaquam ad eam trahere
conueniat. Id quod *lib. 13. Ther. meth. cap. 6.* Galenus, vt alia omnia, prudenter & docte ad- C
modum iis verbis etiam admonuit: *Præceptum,* inquit, *in contrarium auersionis, in omnibus*
commune est. Neque igitur, quum vel circa sedem, vel aliquam huic vicinam partem initium, phleg-
mones incidit, aluum deiicies: neq; quum in vesica, vel colo, vel renibus cœpta, medicamenta, quæ v-
rinas prouocent, bibenda dabis. Nec si mulieri in vtero, vel pudendo insedit, menses huic mouebis: sed
ad partes, quæ maxime longinquæ sunt, semper auersionem moliaris. Ceterum, quando vrinam
prouocare Medico consilium est, conuenientius ante cibum id efficiet, & eo magis, si
quæ vrinam proliciunt, admodum calida fuerint. Nam cum vrinam mouentia in censu
eorum sint, quæ valde distribuunt, nequaquam a cibo offerri debent, ne illum adhuc
crudum ad venas deducant. Quæ vero sint medicamenta vrinas mouentia, alibi dixi-
mus, & idipsum ex professo Galenus *lib. 5. de simplic. medicament. facult. cap. 13.* docet. D

6 Epidem. sectio. 4. apho. 2.

Quando vrinę prouocatione, vtendum.

Quando ab vrinæ prouocatione cauendum.

Vrinã prouocantia quo diei tempore danda.

Prouocãtia vrinã medicamenta.

De sudore. Cap. XXVII.

IN genere eorum, quæ corpus nostrum vacuant, sudor etiam commemorandus
venit. Cuius sane prouocatio, tum potissimũ vtilis & necessaria est, vbi noxius aliquis
humor interiora corporis infestat, vt in febribus, præsertim pestilentialibus euenit. E-
licitur vero sudor variis modis, principio, sicco calore laconici, de quo sequẽti dicemus
capite, ignitorum lapidum, arenæ calidæ, solis, & exercitiorum. Commune n. omnium
est istorum, humorem corpori immersum, atq; redundantem, præsertim aqueum fri-
gidumque excoquere, elicere, consumere. Quare nonnulli feruentissima arena, maxi-
meq; marina, quæ & salsedine & ariditate ceteris præstat, corpus defodiunt, quæ & sic-
citate & leuitate sua sitientissima humiditatem, & calore frigus corporis absumit. At E
ita, vt adsint ministri, qui continuo nouam æstuantemq; corpori accumulent, priore re-
frigerata deiectaque. In qua & corpus circumuoluitur, & certis interuallis inuertitur, vt
vndiq; arenæ commodis fruatur. Verum sicubi maritima arena desit, fluuiali pro ea vti
licebit, sed corio denso instrata: propterea quod & hæc ipsa sit, & eius aer, ab euapora-
tionibus humectior, & corio subiecto, tum incalescit, a sole acrius, tum a vicino alueo
minus commadesit. In quibus tamen hoc studiose obseruandum erit, non aridis cor-
poribus, siccis morbis, febribus, humoribus exsiccantibus & calidis, imo ne frigidis qui-
dem omnibus, nisi vitio iam inclinante, aut certe, neq; cum crassis, neq; cum lentis hu-
moribus coniuncto, quicquam horum, quæ arido calore opem præstant, congruere. Id
quod monendum esse duximus, ne arida vitia nimium exsiccarentur, & ne calida in- F
flammarentur, atq; ne crassa lentaq; absumta tenui parte, admodum inspissarẽtur. Qua-
propter declinantib. iam frigidis humidisq; noxis, aut plane aqueis a caussis ortis, tuto
commodeq; superiora, & sicco calore opitulantia, vsurpabuntur. Alii sunt, qui se soli æ-
stuanti obiiciunt, atq; ita sudores eliciunt, quę res hydropicorum maxime humores ex-
sugit.

Sudor quando prouocãdus.

Sudoris eliciendi modi.

Feruenti arena vt eliciẽdus sudor.

Quibus sicco calore sudor non est eliciendus.

A fugit. Sudor præter ea, quæ hactenus exposita sunt, et fomentis prouocatur. Quæ multis modis ipsa quoq; institui possunt. Simplicissima vero sunt, quũ linteis calefactis sudor elicitur. Calor n. laxat, aperit, euocat, attrahit, discutit, post quæ plerunq; sudor sequit. Proxima sunt, quũ linteo aliquid retinẽdo calori, mouendoq; accommodatũ inuoluitur. Quæ, si arida expetas, milium facile est omnium suauissimum, aut defrixi furfures, deinde arena, tũ sal quoq;. Quæ & torreri omnia, & linteis sacculisue includi arida, calidaq;, vel aquæ cuipiã aptæ calidæq; immergi, corporiq; identidẽ applicari possunt. Duriora fortioraq; sunt lateres, æra, ferraq; pannis linteisq; similiter inuoluta. Sin min⁹ arida desiderent, oleo calido, aut aqua calida vtrem, aut vasculũ æneũ, testaceũ fictileue, vesicamq; implere, & corpori adhibere conuenit. Sudorem quoque elicit chamæmelum aridum tritumque, & oleo inspersum, si summæ cuti valide infricetur. Item *Seseli, pyrethrum, anisum, similiter oleo inspersa.* Nitrum etiam tostum, & non omnino tenue, cum oleo infricatum, efficax est. Si humectiora expetantur, lana, aut spongia mollis in aquã simplicem calidamq;, aut herbis, radicibus, seminibus, aliisq; idoneis reb. incoctis permutatam, aut in oleum quoduis rei præsenti aptum immersa competit. Adhæc salis flos oleo tẽperatus, & liquor Cyrenaicus aqua dilutus corporiq; infricatus, aut ciceris magnitudine epotus. Pari modo calamintha & pota cũ mulsa, & extrinsecus cum oleo infricata. Ceterum, fomenta illa in morborũ declinatione ante omnem cibum, veteriq; esca iam probe cõcocta, nec excrementis vllis intus abditis securissime, & cõmodissime applicantur. Sic Arthritidi iam inclinanti, sic colico dolori, sic pleuritidi magno compendio succurritur. Sic alias manibus, pedibus, lateribusq; calefactis, sudor toti corpori excitatur. Sic deniq; cruciatus viscerum discutiuntur. Porro in eliciendis sudorib. vt in omnib. etiam aliis vacuationum generibus, vnice cauendum erit, ne is immodicus sit, & vires plane deiiciat. Atque hinc est, quod Hippocrates *in Epidemiis* non temere monuerit, vt in sudore prouocando Medicus consideraret, ne nimium hunc eliciendo, & immodice vacuando vires deficerent, adeoq; æger in summum vitæ discrimen perduceretur, quemadmodum accidit, quum sudorificæ febres, Anglicum sudorem vocabant, per omnem Germaniam anno Christi 1529. Autumno potissimum, grassarentur. Quippe tum imperitorum Medicorum, aut, *vt rectius dicam*, carnificum opera non solum plebeii, sed & potentes multi, & episcopi aliquot immodica sudoris prouocatione interempti sunt. Quæ autem & qualia ex sudoribus prædici possint, suo dicemus loco.

[Margin: Fomentis quomodo sudor prouocetur. | Fomenta quo tempore morbi adhibenda. | In eliciendo sudore virium ratio habẽda. | 6. Epide. sectio. 4. Aphor. 21. | Medicorum inscitia in Anglico vocato sudore curando.]

B C D

De Balneis naturalibus. Cap. XXVIII.

IN genere eorũ, quæ vacuant, esse etiam recensenda balnea, nemo est, qui nesciat. Sunt autem hæc ipsa duplicia: quædam n. naturalia, quædam vero arte confecta seu artificialia nominant. Naturalia, de *quib. hoc capite disseremus*, sunt, *quæ per se & sponte sua nascũtur naturaliterue proueniunt ac scaturiunt.* Hæc vsitato nomine, quod omnia propemodũ calefaciendi vim obtinent, *therma* vocantur. Horum certe multa sunt genera, & Paulo quidem Æginetæ *lib. 1.* octo quidem præcipua recensentur: alia enim nitri, alia salis, quædam aluminis, quædam sulphuris, nonnulla bituminis, aliqua ferri, aliqua æris, alia auri naturam & qualitatem resipiunt. Nec temere diximus. *Præcipua*, sunt enim aliqui fontes medicati, qui ex nullo horum fiunt. Nam aliquas sponte natas mistas atramento sutorio, chalcitide, misy, & id genus aliis recenset Galenus. Sunt igitur aquæ etiam atramentosæ, ærugine fossili infectæ, & auripigmento, item cadmia fossili, chrysocolla, & melanteria. Præterea, quæ argenti viui venas lambunt, quas omnes Georgius Agricola, singulare Germaniæ ornamentum, & qui in iis rebus describendis omnem antiquitatem longe superauit, in libris de *natura eorum, quæ ex terra fluunt*, percensuit. Quædam ex pluribus horum mistis constant. Est autem in vniuersum omnium aquarum, quæ medicam præ se ferunt vim, *Galeno lib. 1. de Tuen. sani. cap. 6. attestante*, facultas exsiccatoria: atqui sunt ex iis, quæ cum exsiccatione egregie calefaciunt, quædã exsiccando constringunt: Atq; idcirco prosunt intemperiei frigidæ & humidæ, & morbis ex pituita natis. Specia-tim vero, quæ nitrosæ sunt, potæ aluum turbant, & pituitam trahunt. Vuluas præterea, quoniam eas abstergunt, faciunt conceptioni habiles, & strumarum tumores minuunt. Earum balnea malum corporis habitum, qui est ex pituita, emendant. Prosunt neruorum vitiis, thoraci, qui destillationibus infestatur: omninoque easdem facultates habent, quas salsæ, sed multo efficaciores. Attamen non adstringunt, sed abstergunt. Qua-

[Margin: Balnea duplicia. | Naturalia. | Balneorũ naturaliũ genera. | Vniuersalis eorundem facultas. | Nitrosæ.]

E F

propter cutem emendant,& scabiem sanant. Adhæc instillatæ medentur purulẽtis auribus,earumq; inflationibus,& tinnitibus. A

Salsæ. Salsę multum,potæ,itidem,vt priores,aluum turbant,pituitam trahunt,& sanguinem concretum. Corpus præterea minuunt,& ad maciem ducunt. Sed pituita consumta,ventriculũ lædunt,intestina corrodunt,& exulcerant,pruritũ,& scabiem,quia sua salsedine inficiunt sanguinẽ,gignũt. Sin parũ fuerint salsæ,& tardius eadẽ efficiunt,& non adeo offendunt ventriculũ & intestina,atq; omnino minus totius corporis valetudinẽ perturbant. Tepidæ vero iniectæ pituitã extenuant:calidæ tollunt tormina. At balnea earundem malum habitum,qui est ex pituita,emendant: prosunt neruorum vitiis, thoraci, qui destillationibus infestatur, ventriculo frigido & humido. Scabiem ex pituita natam sanant. Si nulla est,pruritũ excitant,quem post aliquot dies rursus sanant. Feruẽtium vapor capitis grauitatem, & aurium dolores corrigit. B Sed infusæ,tumores,tam eos,qui ex morbis remanserunt,quã ex pituita ortos, discutiunt. Prosunt hydropicis,liuentia reducunt ad calorem.

Aluminosæ. Aluminosæ adstringunt in vniuersum omnes. Potę,ventriculũ vomere solitũ,reficiunt. Vlcera vesicę curãt. Prosunt mulierib. quæ nullo ordine,aut immodice purgantur,& iis,quę non concipiunt,& sine manifesta caussa crebro abortire cõsueuerunt. Parum n. tenacem vterum roborãt, & claudunt. Ore retenta,sanant eius vlcera,& tumorẽ gingiuarum sedant. Gargarizatę, tonsillas tollunt. Sed earũ balneæ etiam vitiis supradictis medẽtur,in primis vero externis vlcerib. quæ fluxionibus abundant. Sunt etiam neruis resolutis, & iis, qui tardius cõcoquũt, vtiles. Sanguinis eruptiones ex thorace & ano compescunt,nimium sudorẽ reprimunt. Veruntamẽ noxiæ sunt propensis ad febrem.

Sulfureæ. Sulfureæ neruos molliũt & calefaciunt, C igitur resolutis,tensis,contractis,tremulis,per quam vtiles sunt,& eorũ dolores sedant. Artuum tumores euocant & discutiunt. Medentur ergo podagræ,chiragræ,coxendicum aliorumq; articulorũ morbis. Pellũt ẽt dolores iecoris,lienis,vteri,& eorundem tumores discutiunt. Sed ventriculũ euertũt. Scabiem insuper & vlcera sanant,lentigines tollũt, impetigines & vitiligines emendant.

Bituminosæ. Bituminosæ potæ interioribus corporũ vitiis medentur. Earũ balnea neruos sensim calefaciunt, & tp̃is spatio emolliunt. Sed caput implent,& sensuũ instrumenta,oculos potissimũ lædunt.

Aeratæ. Æreę seu eratę ori, tonsillis,vuæ,& oculis excellẽter prosunt. Repurgant n. ea, q̃ claritati ipsorum officiũt.

Ferratæ. Ferratę vtiles sunt vẽtriculo,lieni,renib. Prosunt colicis dolores articulorũ pellũt,auxilium afferunt in exulcerationib. vesicæ. Vnde in Tuscia ad quinquagesimum ab vrbe lapidem ferratæ appellabantur vesicariæ. D

Atramentosæ. Atramẽtosæ,siue q̃ ipsum atramentũ sutorium cõbiberunt, siue misy, siue chalcitida,siue sory,siue melanteriã,easdẽ vires habẽt,quas aluminosę,multo tñ efficaciores,ꝙ multa acrimonia cum adstringendi vi sit coniuncta. Qua de re vlcerib. quę pascendo serpũt,prosunt. Sed si nimiũ fuerint acres,necant.

Cœruleo, ærugine, & chrysocolla infectæ. Cœruleo,ærugine,& chrysocolla infectæ,potæ vomitiones mouẽt. Earũ balneę medentur vlcerib. quæ pascendo serpunt.

Auripigmento. Auripigmento infectę,calefaciũt & adstringũt.

Sandaracha. Itẽ Sandaracha,sed hæ ipsæ vocẽ purgãt, & suspiriosis prosunt.

Per silices fluentes. At q̃ fluunt p̃ silices aliosq; lapides frigore cõcretos,quia parũ admodum inficiuntur,aut nihil, simplicis aquæ pene vires habent:plerunq; tñ minus frigidæ & crudæ sunt.

Per calcarium. Quæ vero alios lapides lambunt, si duri & macri fuerint,parũ infici possunt:sin molles & pingues,multũ, qualis est calcari⁹ E lapis,eũ in primis calidæ molliunt, deq; eo nõ parũ abradunt. Quod genus aquæ exsiccat,nec tñ mordet.

Plumbeæ. Plumbeæ lædũt neruos & artus. Hos n. pituita implẽt,& inflant:illos autẽ indurant,contrahũt,ac tendunt.

Acidæ. Acidæ siue acidulę,q̃ etiam ignẽ senserũt, vrinam potę mouent,& calculosis medent̃,ebrietatemq; discutiunt. Earũ balneæ idem præstãt, febresq;,ꝙ calorem restinguant,discutiunt.

Argenteę & aureæ. Aquę argentum aurumue purum lambentes,cor reficere traduntur. Atq; hactenus de aquis & balneis vnius dũtaxat rei qualitate imbutis diximus. Nũc ad eas progrediemur,quæ duab. tribus,pluribusue rebus permistæ sunt.

Mistæ aquæ & balneæ. Hæ omnino certe earum rerum,ex quib. sunt compositæ,vires habent. Verbi gratia:est aqua mistura salis & aluminis, ea pota calefacit & exsiccat: id n. vtrisq; cõmune est. Quod si plus in ea salis inest, q̃ aluminis,aluum quidem turbat,sed nec eam,nec F intestina multũ lædit,ꝙ alumẽ eius vim reprimat. Sin plus aluminis,adstringit & aluum sistit. Ad eum modum de reliquis mistis iudicandum erit. Iam facilimum erit cuiuis omniũ thermarũ,vt vocãt,modo misturas earũ cognitas habeat, vires diiudicare, q̃ quidẽ in orbe terrarũ multæ sunt. Nos in studiosorũ gratiam eas tm̃, quæ Germanis nostris sunt

A sunt hodie cognitæ, & ab omnibus valetudinis tuendæ aut consequendæ caussa petunt, nominatim percẽsebimus, ac earundẽ, tũ misturas, tum facultates breuiter perstringemus. Principio aũt, q̃ in Lotharingis sunt calidæ Plumbariæ nobis occurrũt, ita a copiosa plũbi mistura appellatæ. Quo respicientes Germani nostri, *Plũbersbad* vocant. Ferũt eas plũbi, aluminis, & sulphuris mistura cõstare. Quapropter malignis vlcerib. cancro, phagedænis, fistulis, elephãtiæ recẽs cœptæ, & omnib. cutis vitiis opitulatur. Quippe vlcerũ curatio omnib. tribus, e quarũ mistura cõstat, cõis est. In Curiensi diœcesi, nec longe a Curia Rhetiæ sitę balneę secundũ sibi vendicant locũ, a Germanis nostris Pfefferbadt / hoc est, *piperina* nominantur. Hæ quidẽ auro, sulphure, & nitro infectæ dicũtur. Capitis B doloribus mirifice conferunt, memoriam confirmant, visum auditumque acuunt: cerebri, neruorũ, aliarumq; partium obstructiones nitri ratione, q̃ abstergit, auferunt: articulorum doloribus, vlceribus, fracturisq; ossiũ, sulphuris caussa opitulantur. Harum aqua non continuo & perpetuo, vt aliarũ, manat, sed certo tempore, nempe tertio Maii quotannis erumpit, ac subinde iterũ stato tempore, nimirũ 14. Septembris die, sese recondit, & in penetralia terræ subducit. Haud procul ab arce, quam Heluetii Badensem vocãt, aliæ salubres thermæ habentur, quæ ob id *Badeniæ* appellãtur. Hæ copiosi sulphuris, & exigui aluminis mistura constant. Quapropter frigidis & humidis capitis ac cerebri vitiis, lethargo, nimirũ, amissæ memoriæ, & id genus aliis prosunt. Calefaciunt & exsiccant ventriculum, eiusq; concoctionem aluminis ratione iuuant, iecoris & lienis obstructiones tollunt, detentos menses euocant, & sterilitatẽ adimunt. Mulieribus magis C quam viris, q̃ sulphuris copia calidiores sint, conueniunt. E feruentium n. sunt numero. Quippe earum aqua nõ modo coquit oua, sed ẽt de alitum cute plumas eximit, de suilla setas, siue immergantur animantes, siue ea perfundantur. In finib. lacus Podamici, supra Constantiam thermæ sunt *Emsebadæ* dictę, aluminis & nitri mistura participantes. Quocirca capitis dolorib. destillationibus in thoracem, & suspitiosis, item neruorum resolutionibus a coli cruciatibus factis, & vlcerib. malignis conferunt. In Alsatia prope *Gebersueilum* balneæ sunt aluminosæ, nitrosæ & ferratæ: quod maxime alumen, reпræsentent, deinde nitrum, postremo ferrum. Succurrunt lienosis, quartana laborantibus, vlceribus sordidis, & omnibus cutis vitiis. In ditionis Marchionis oppido *Bada*, quod ab ipsis nomen duxit, balneę mirę sunt efficaciæ, quæ olim M. Aurelii Antonini dictæ, quarum D mistura ex sulphure, sale, & alumine exsistit. Conducunt difficile spirantibus, & asthmaticis, doloribus articulorum, anasarcæ, ictero, & podagræ a frigidis humoribus enatis, vteri morbis, albo potissimum fluori. Conceptionem iuuant, quod salis gratia vterum abstergant, ac sterilitatem remouent, & in summa, vteri vitiis frigidis & humidis, prę ceteris fere omnibus balneis, conueniunt. Vlceribus deniq; & cutis vitiis mirifice medẽtur. In ditione & ducatu Wirtenbergensi, non longe, ad vnum lapidem nimirum, a Chalbo oppido thermę sunt, quę Latine *Bildebadæ*, Germanice Wildbadt / hoc est, ferinæ balneę, & a Martiana sylua (sic autẽ Romani superiorem Hercinii nemoris partem vocãt) Germanis Schwartzwaldbadt / id est, *nigræ syluæ balnea* nominantur. Harum mistura ex copioso sulphure, & exiguo alumine constare fertur. Sunt tamen, qui æris, salis, & nitri mi- E sturam accedere priori censent, atq; hi recte iudicant. Nam quum plurimum balneæ hę oculis prosint, vt æris aliquid habeant, est necesse. Vnice capitis vitiis frigidis, resolutioni nimirum neruorũ, cõuulsioni, stupori, & similibus auxiliantur. Instrumenta sensuum roborant, ea quæ oculorum claritati officiunt, repurgant, tinnitum aurium, iecoris & lienis obstructiones tollunt, malo habitu corporis, & ictero laborãtibus, item anasarca seu leucophlegmatia correptis, renũ & vesicæ calculis, ventriculoq; frigido succurrunt. Appetentiam deniq; excitant, & propemodum omnia, quæ Badeniæ Marchionis, prę stant, nisi quod viris magis, quam mulieribus, quod non ita feruentes sint, competant. In ditione Marchionis Badensis, non ita procul a Phorcena appellato oppido, sitæ sunt balneæ *Cellenses*, ab oppidulo *Cella* paucis passibus ab illis distante, dictę, quarũ mistura ex F alumine, ęre, & exiguo sulphure: vel, vt quidam censent, ex alumine & ære tantũ cõstat. Succurrunt vlceribus diuturnis & malignis, articulorum doloribus & caninæ appetentiæ. Prosunt quoq; febribus ex pituitosis simul & biliosis humoribus natis, adeoq; iis, qui calido & sicco temperamento sunt prædití, conueniunt: id q̃ mirũ non est. Quippe ex illis effectib. intelligitur esse acidulas. Nã hæ calorẽ restinguere possunt, q̃ in acidis ca-

Plumbariæ calidæ.

Piperinæ balneæ.

Badeniæ Heluetiorum.

Emsebadæ.

Balneæ Gebersueilanæ.

Badeniæ Marchionis.

Bildebadæ.

Balneæ Cellenses.

lore exhalato frigiditas tanquã victrix permanet. Quum vero acida nõ tm̃ in profundũ penetrent, sed etiam abstergant & mordicẽt, nihil mirũ has balneas calculorum quoq; vitia discutere. Similis fuit aqua fontis Tungrorum, cuius meminit Plin. *lib. 31. c. 2.* ferruginei saporis, quæ corpora purgabat, tertianas febres discutiebat, & calculorum vitia. In ditione wirtenbergensi prope Geppingam vrbem ad fluuium Vilsum, fons est alter acidus, quem Germani etiam Sawrbrunnen vocant, quod aciditate iam dictum longe superet, & ob acidum suum saporẽ, in potum hominum illic degentiũ magno studio hauritur & expetitur. Vt plurimũ errent, qui fontem illũ chalcanthi siue atramẽti sutorii venam habere putant. Aquæ n. sic infectæ, magnã acrimoniam habent, nec potui hoc nomine aptæ sunt. Ventriculũ & iecur propter insignẽ adstrictionẽ iuuant, & corroborãt, hocq; nomine luxatis corporis partib. prosunt. Cum vero acidulis penetrandi & abstergendi vis insit, iecoris lienisq; obstructiones soluunt, adeoq; ictericis & malo corporis habitu laborantib. succurrunt. Febres tertianas, propter caussam paulo ante expositam, partim refrigerant & exstinguunt, partim discutiunt, & calculos frangunt. Vomitum biliosum restringunt, & vlcerib. medentur. Fons acidus tertius ad vnum ferme lapidem supra Rotenburgum ad Nicerũ situm in pago *Au* reperitur, qui certe plus sulphuris obtinet, ideoq; minus est acidus, ac magis calidus. Efficaciori vi ea, quæ in partium cauitatibus delitescunt, exsiccat, & ad sananda vlcera vtilis est. Prope Tubingam ad torrẽtem *Stainachium* balneę sunt *Blasianæ*, ab excelso illic a missariis sacrificis exstructo, & diuo *Blasio* dicato, appellatæ, non quidem celebres, sed ob præclaras virtutes nobis silentio non prætereundæ, quarum mistura haud dubie ex alumine, ferro, exiguo sulphure, & nitro, aut certe calcario lapide exsistit. Nam earũ aqua igni admota turbida fit, postremo rubescit, quod de fonte ferruginei saporis, Plin. quoq; scriptum reliquit, vnde aluminosam & ferratam esse coniicimus. Alias misturas ex facultatibus deprehẽdimus. Destillationibus namq; in thoracem, & asthmaticis, articulorũ item dolorib. & tumorib. mirifice prosunt. Scabiem & vlcera curatu difficilia sanant, & ea, q̃ fluxionib. infestantur, facile exsiccant, vt hinc partim aluminis, partim nitri & sulphuris mistura eluceat. Ad Venetũ lacum in suburbio *Vberlingo* balneæ sunt, quarum mistura e plumbo, ære, & sulphure est: Sunt qui sulphur omittunt. Ventriculũ roborant, & artus labore admodum debilitatos cõfirmant. Renũ & vesicæ vitia calculosq; pellũt. In ipsa Martiana sylua iuxta *Oppenauam* oppidulum balneæ sunt, quæ nominãtur *Anthegastæ*, aluminis, nitri & sulphuris mistura constantes. Cerebrum, neruos, & renes purgant, corpusq; vniuersum excrementis vacuũ reddunt. Vlcerib. sordidis ac diuturnis prę ceteris balneis medentur. Appetentiam tamen deiiciunt, ac supra modum siticulosę sunt. In magna Germania sunt *Visebadæ* feruentes admodũ, a veterib. Plinio præsertim *lib. 32. c. 2.* Mattiaci fontes appellati, quorum haustus triduo feruere tradit. Harum balnearum mistura e sulphure, alumine, & exiguo nitro exsistit. Easdem cũ Badensib. Marchionis vires obtinent. In Norico siue Baioaria sunt thermæ *Gasteniæ* nominatæ, quibus vehemens adstrictoria & exsiccatoria inest facultas, quo nomine corporis excrementa dissipant & absumũt, q̃ partim exprimendo, partim exsiccando efficiunt. Vterum humidum plurimum iuuant, ideoq; mulieribus imprægnandi facilitatem conciliant, atq; ne grauidę abortiant, efficiunt. Vt harum misturam alumine copioso & exiguo sulphure constare sit verisimile. In Vindelicia ad Abudiacum castellũ Danubianũ, supra *Rheginoburgum* balneæ sunt. *Abudiacæ* vocatæ, quæ sulphuris copiosi, aluminis, &, vt quidam volunt, nitri mistura cõstant. Odorem n. insignẽ sulphuris efflant, adeo vt fere oua frixa referant. Neruorũ vitiis articulorũ dolorib. podagræ, & chiragræ medentur. Hinc est, quod Carol. 5. Romanorum Imperator superiorib. annis harum vsum expertus sit. Scabiem & vlcera sanant. In *Elboga* Sliconum oppido acidula est, quam *furiosam* appellant, quod tanto sonitu feratur, vt ad passus centum, aut amplius resonet, non secus ac tonitru aliquod remotum. Sulphure, alumine & exiguo nitro constat. Sunt qui nitrum silentio inuoluant. Idem q̃ Cellenses fere balneę potest: Calefacit n. exsiccat, & robur partibus corporis conciliat. Ceterum, q̃ ad vsum thermarum & aquarũ sponte natarũ attinet, eas certe sensim & paulatim ingredi oportet, nec nisi corpore prius vacuato. Cuius rei caussæ e superioribus patent. Nec certum & statutum tempus, quantisper illis vtendum sit, omnibus ex æquo est constituendum, imo virtutis maxime habenda hic, vt in omnibus aliis vacuationibus, est ratio. Tantisper

Marginalia (left): Fons acidus ad Geppingam. — Fons acidus in Au. — Balneæ Blasianæ. — Balneæ Vberlingenses. — Balneæ Oppenauenses, siue Anthegastæ. — Visebadæ. — Mattiaci fontes. — Gasteniæ. — Abudiacæ. — Elbogana acidula. — Balnearũ calidarũ vsus.

Marginal letters (right): B C D E F

A ſper enim iis vtendum, donec virtus ferre commode poteſt. Nec nobis probatur, quod horis certis dimetiuntur Medici balneandi moram. Nam ita fit, vt pleriq; properent, non ſine maximo corporis & virtutis incõmodo, præſcriptas ſibi horas abſoluere. Præſtat enim dierum aliquem, intra quem balneandi finem faciunt, numerum præſcribere, nempe vigeſimumquintum, aut trigeſimum, aut trigeſimumquintum, aut ad ſummũ; quadrageſimum diem. Ita enim paulatim ac ſenſim vis balnearum laxo & ſoluto corpori occurrere poteſt.

De balneis arte confectis. CAP. XXIX.

Balnearum artificialiũ quinq; partes.

HActenus qua potuimus breuitate ſponte natarum balnearum miſturas, ac vires enarrauimus. Nunc reliquum eſt, vt earum etiam, quæ arte paratur, rationem expo- B namus. Vt autem veteres balnearum ſummum vſum habebant (quotidie enim, quo vel puluerem ſordesq; abluerent, vel ſudorẽ prouocarent, valetudinis, voluptatiſve cauſſa, ſe lauabãt) ſic quoq; quinq; ordine poſitas partes. Prima Græce ἀποδυτήριον, ἀπὸ τοῦ ἀποδύειν, quod eſt exuere, dicebatur. In ea enim balneaturi ſe exuebant, atq; nudabant. Latine *tepidarium* vocabatur: tepebat enim hac in parte aer, vel ex calidis ac ſiccis vaporibus ab igne delatis: vel calidis ac humidis ab herbis & ſtirpibus decoctis tranſmiſſis: vel ab aqua in ignitos lapides, aut candentes laminas infuſa excitatis. Altera balnei pars Græcis πυριατήριον & ὑπόκαυστον, Romanis *calidarium*, Senecæ *ſudatorium*, aliis *Laconicum*, a *Laconibus* & *Spartanis*, quibus in vſu frequens fuit, appellabatur. Quod indicat lib. 6. Epigrammatum de Hetruſci thermis Martialis iis verſibus:

Prima: Apodyterium. Tepidariũ. Altera: πυριατήριον. Calidariũ.

C *Ritus ſi placeant tibi Laconum,*
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, martiaq; mergi,
Quæ tam candida, tam ſerena lucet,
Vt nullas ibi ſuſpiceris vndas,
Et credas vacuam nitere Lygilon.

De virgine & martia aquis, Plin. li. 31. cap. 3.

Ceterum virgo appellata eſt, vt obiter id etiam dicamus, quod quærentib. aquã militibus puella virguncula venas quaſdã monſtrauerit, quas ſecuti qui foderunt, ingentem aquæ modũ inuenerunt. *Martia vero* ab Anco Martio rege, qui primus omnium eam in vrbẽ ducere eſt auſpicatus, nominata eſt. Galenus hanc partem multis in locis ξηρὸν θόλον, D hoc eſt, *ſiccam teſtudinem* nominat. Siquidem fornicem habuit concameratum, ſeu locũ in ſe recuruum, in quo ſuccenſus ignis calidos atque ſiccos vapores emittebat, ad ſudorem eliciendum. Tales certe fornices & teſtudines hodiernis etiam temporibus in noſtris balneis conſpicimus, e quibus vapor ſiccus ad ciendos ſudores egreditur, corporib. interim in tabulam quandam ſudorem illum excipientem proſtratis. Eãdem certe partem *lib. 3. de Tuen. ſanit.* idem Galenus βαλανεῖον vocauit. Hodie facientes medicinã, *aeriũ* nominant *balneum*, quod eo vtentes in aere degant calefacto. Tertia pars erat ſolium calidum. Solium autem nihil aliud fuit, niſi ciſterna, aut piſcina, aut vas, aut cupa, in qua homines conſidentes abluebantur. Vnde Latinis & *labrum*, & *lauacrum*, vulgo etiã *tina* vocatur. Galenus ab inſcenſu & deſcenſu ἔμβασιν, κολυμβήθραν, καὶ δεξαμένην nuncupare ſolet. E Poſterior appellatio Homero quoque familiaris fuit. Quarta pars, frigidum ſoliũ erat, in quo corpus prioribus balnei partibus exhauſtum, nimisq; laxatum & calefactum, refrigerabatur, denſabatur, ac firmabatur. Veteribus Græcis λουτρὸν ſimpliciter vocabatur. Quinta ac nouiſſima pars, detergendo corpori dedicata fuit. Nam poſtquã cuncta iam rite peracta eſſent, poſt frigidi ſolii vſum iterum ſudabant, vt omnia excremẽta citra refrigerationis noxam vacuarentur. Proinde vt tãdem ſudorem iterum detergeret, opus fuit, quod quidem in poſtrema hac parte factum eſt. Ceterum Galen. *lib. 10. Therap. method. cap. 10.* quatuor duntaxat balnei partes, apodyterio præterito, recenſet. Plinius tamen *lib. 5. epiſtola ſexta*, huius, & etiam aliarum omnium diſerte meminit. Noſtra quidem F balnea aliqua ex parte antiquorum referrent, ſi prima & vltima partes diſtinctæ, ac aliis continuæ eſſent. Tepidarii enim vicem ſupplet ea pars, modo continua alteri ſit, in qua nos nudamus, & veſtes exuimus. Calidarium, in quo ſudamus, veterum prope modum per omnia refert. Non deſunt nobis ſolia, calida maxime. Frigidis enim hodie vti deſierunt. Æſtiuo tamen tempore Germani noſtri non tantum ſe in frigida mergunt, ſed multas horas fluuiis innatantes conſumunt. Pars vltima itidem deſideratur, cui tamen,

βαλανεῖον. Aeriũ balneum. Tertia. Solium calidum. Tina. ἔμβασις. κολυμβήθρα. δεξαμένη. Quarta. Solium frigidum. λουτρόν. Quinta.

Balnei partium facultates. vbi continuũ est, tepidarium in quo denuo vestimur, aliquo modo respondet. Atq; hactenus balnei arte parati partes enumerauimus, nunc quæ sit earundẽ facultas breuiter commemorabimus. *Prima*, quasi quædam est ad alteram præparatio. Neq. n. satis tutũ est, a frigido aere statim in calidum admodum se transferre. *Secunda*, materias per totũ corpus tum calefacit, tum fundit liquatue, & quę inæqualia sunt æquat, & cutem laxat, & sub ea detenta vacuat. Quare nobis nõ raro exercitii neglecti vices supplet. *Tertia*, quã in aquam calidã descenditur, *Galeno lib. 3. de Tuenda sanitate, cap. 3. teste*, si media temperie sit, calefacit & humectat: sin tepida fuerit, humectat & refrigerat. Vtraq; igitur in sicco corporis affectu madorem vtilem solidis partibus immittit. Quod si vero iusto calidior fit, calefacit quidem, sed nõ perinde humectat: quippe horrere corpora, contrahique & densari exiles eorum meatus cogit, ita vt nec madescere ab extrinsecus accedente humore queant, nec excrementi, quod intus latet, quicquã vacuare & emittere. Quæ itaq; moderate calida fuerit, madorem vtilem solidis partib. vt diximus, immittere potest, fatigationem ac lassitudinẽ soluere, plenitudinẽ discutere, dolorẽ mitigare, discutere, duras densasq. partes mollire, excrementũ liquamẽtum ve, si quod intus ad cutẽ hęret, euocare, flatus diffundere, somnumq; allicere. Tepidum vero febribus exsiccantibus, & præsertim iis, quæ immodicam sitim excitant, vehementib. solis exustionibus, & scabiosis pustulis confert. Vt rectissime dixerit Galenus, *nihil esse, quod valido æstu occupatos præsentius refrigeret, aut magna affectos frigiditate promptius calefacere queat, quam balneum aquæ dulcis moderate calidum*. Porro inutile est quibuscunque vel crudi humoris multitudo in primis venis continetur, vel viscus aliquod, *vt iecur, ventriculus, pulmo, renes, mesenterium, colum imbecille est:* adde pedes, manus, coxas, artus, & quamlibet, sine vitæ tamẽ pari periculo, similiter infirmã particulam, vel deniq; quibuscunq; horrorem aut cutis densitatẽ adfert, vt fit in iis, qui acribus humoribus abundãt, maxime si cutis etiam aliunde densata est. Nam & liquata balneo excrementa in membra qualiacumq; infirma decumbunt, & cum impetu quodam irruũt, & cruda in corpus distribuuntur, deniq; horror vel præsentem febrem intendit, vel sæpe, quæ ante fuit, magis incendit. Quarta balnei pars, qua in frigidam immerguntur, vniuersum corpus firmat, ac robustum reddit, cutẽ densat, & vires firmat. Quod sane optimum ad externa nocumenta arcẽda præsidium est. Quare si quis stagnis atq; fluminibus vti consueuit, minus habet periculi, præsertim si non intempestiue adhibeatur. Sane tẽpestiuum fuerit, *Galeno lib. 3. de Tuẽd. valetud. teste*, si iis assuefactus, firmisq; viribus præditus, vbi in sole feruente fecerit iter, vel diu sub eo versatus fuerit, iam aridus & squalore obsidus, vel in frigidũ solium descendat, vel in flumen aliquod se præcipitet. Nam is dicto citius omnem tum cũ æstu ariditatem exstinxerit. Si vero quis minus assueuit, iam multiplici cautione summaq; prudentia opus erit. Quippe nõ omnibus cõueniunt: neq; enim iis, quorum corpora adhuc augentur, quod horum incremento aduersent, sed iis, qui inculpate sani sunt, & qui exacta victus ratione, ac laboribus, cibisq; commodissime vtuntur. Nõ sit etiam eorum corpus eo die, nec nocte ea, quæ præcessit, vlla re vires debilitante commutatum, non Venere, non vigilia, non crapula, nõ fatigatione, nõ in edia, nõ deniq; vllo exscretionis genere: sed pristinã integritatem ad vnguẽ habeat, & bonis ac salutarib. cibis vtatur, sit iuuenis, animo præsente, tum plane hilari, eo præcipue die. Prius etiam frictionibus præcalefaciendũ corpus erit, *vt fusius Galen. & lib. 3. ca. 178.* Aetius docent. Solis itaq; iuuenibus ac robustis, nõ mulieribus, & mediocriter carnosis, assuetis, nec omni tempore, sed æstiuo tantum, & die ab omnibus ventis silente, & quoad tempus fert calidissimo, atq; meridie. Cum itaq; tanta cura ac cautione, vt quis tuto frigida se lauet, opus sit, nihil mirum, hodie innumeros lædi, qui sine consilio ac discrimine sese in flumina coniiciunt, ac toto illic die se lauant. Porro potest interdum Medicus coniectis nõnullis in aquam dulcem rebus, verbi caussa sale, nitro, sulphure, alumine: aut in ea decoctis herbis, balnea, quibus discutiendi vis insit, parare. Quorum tum præcipue vsus erit, vbi habitum corporis attenuare nobis consilium est, vt in pinguibus & obesis: vel vbi totum corpus, vel pars eius aliqua in tumorem attollitur. Item, vbi humores in coxam, aliasque corporis partes decubuerunt. Sed præstat horum formulam aliquam subiicere, ad cuius præscriptum alia parari possunt. Ad coxæ dolores hoc vti licebit balneo, quod habet *meliloti, chamæmeli, anethi herbarum, seminum fœnigræci, lini, singulorum manipulos duos. Absynthii vulgaris, menthæ,*

Margin notes: Primæ. — Alterius. — Tertiæ. — Lib. 5. de Vẽ sanã. — Balneum quibus inutile. — Quarta. — Balnea quo modo hodie a Medicis parentur. — Formulæ balnei.

Section letters: A — B — C — D — E — F

A *menthæ, pulegii, calaminthæ, abrotani, chamæpityos, stichadis Arabicæ vocatæ, betonicæ, sampsuchi, verbasculi odorati, saluiæ, chamædryos, singulorum manipulum vnum cum dimidio. Bulliant in cacabo aqua fontana, quoad tertia eiusdem pars dissipetur, dein colentur. Aquæ colatæ adiiciatur sulphuris viui lib. semis. Nitri vnc. 4. salis communis vnc. 6. Iterum ferueant vnica duntaxat ebullitione, ac colentur, & colata aqua vsui seruetur.*

De hæmorrhoidibus. CAP. XXX.

HÆmorrhoides Venarum, quæ anum ambiunt, sunt explicationes, per quas natura fæculentum ac melancholicum sanguinem statis temporum interuallis expurgat. Venæ vero illæ partim à vena porta nominata, partim à caua, vt alibi copiosius monstrauimus, oriuntur. Maior tn̄ copia fæculentioris sanguinis per ramū, qui à porta nascitur B vena, expurgatur, q̄ per eum, qui a caua exoritur: quod a liene facillime ac breuiori cōpendio is humor deorsum profluat. Proinde quum natura magnam fæculenti humoris a liene non elaborati & confecti partim per hæmorrhoidas appellatas venas statis temporibus excernat, omnibus perspicuum euadit; harum mediocre profluuium a multis nos morbis tutos securosq; reddere. Hinc nō temere Hippocrates in Epidemiis de Hęmorrhoidibus ita scriptum reliquit: *Quib. hæmorrhoides profluunt, ii neq. pleuritide, neq. pulmonis phlegmone, neq. phagedena, neq. furunculis, neq. terminthis, pariter neq. lepra, neque vitiliginibus albis corripiuntur.* Ceterum non solum ea vis est hęmorrhoidum promanantium; vt a morbis imminentibus tueantur ac præseruent, sed etiam ab iis, qui iam inuaserunt, prorsus liberent. Quod palam quoq; in Epidemiis Hippocrates iis confirmat verbis: C *Hæmorrhoides ab atra libeant bile, eo quod per has simile profluat.* Et in Aphorismis, vbi in hūc scriptum reliquit modum: *Melancholicis & renum malo laborantibus hæmorrhoides succedentes bonum significant.* Et ibidem rursus: *In insanientibus si hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.* Cum itaq; hæmorrhoides non modo a futuris morbis tueri, sed & a præsentibus ac iamiam infestantibus liberare queant, diligenter ac sedulo Medico cauendum erit, ne temere easdem supprimat. Quod nisi fecerit, multorum certe, & eorum sane non leuium morborum, quibus ille, cui intempestiue & nulla vrgente necessitate suppressit, corripietur, auctor erit. Quod dicimus, Hippocrates suo testimonio confirmat, qui in Epidemiis ita inquit: *Multi intempestiue ab hæmorrhoidibus sanati, prædictis morbis mox correpti sunt, & fuerunt perniciosi.* Et in Aphorismis: *Sananti diuturnas hæmorrhoidas, nisi vna relicta* D *fuerit, periculum est aquam intercutem, aut tabem succedere.* Nec dissentit Cornelius Celsus, qui lib. 6. cap. 18. sic scribit: *Atque in quibusdam parum tuto supprimuntur, qui sanguinis profluuio imbecilliores non fiunt. Habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quū sanguinis exitū nō haberēt, inclinata in præcordia ac viscera materia, subitis & grauissimis morbis correpti sunt.* Porro emanantibus hæmorrhoidibus Medicus caueat, ne immodicum sit earundem profluuium. Siquidem vt omnes aliæ vacuationes, ita quoq; hæmorrhoides, vbi plus iusto profluxerint; virtutem vehementer deiiciunt; atque interdum aquæ inter cutem, propter iecoris refrigerationem, quæ comitatur, caussa erunt. Quod cum omnibus sit manifestum, non est cur ea de re copiosius disseramus, præsertim cum *in libris nostris de Medendi ratione* id plenissime tractauerimus.

Hæmorrhoides. Hæmorrhoidum ortus. Hæmorrhoidum commoditas. 6. Epidem. sectio 3. Aphor. 29. 6. Epidem. sectio 5. Apho. 25. 6. Apho. 11. 6. Apho. 15. Hæmorrhoides nō temere supprimendæ. 6 Epidem. sectio. 3. Apho. 29. Cauendum ne hæmorrhoides immodice promanent.

E

De Mensium profluuio. CAP. XXXI.

VT virorum corpora per hæmorrhoidas, ita mulierum, statis etiā temporibus, per menses expurgātur. Quo fit, vt iis moderate & legitimo tempore exeuntibus, sanæ permaneāt mulieres. Cōtra, vbi p̄ter naturā supprimunt, hic haud dubie morbū pariūt. Nec temere a nobis dictum est, *Præter naturam.* Si enim naturaliter retinētur, nulla inde molestia aut noxa mulieri accidit. Naturaliter autē retinentur, vel ætatis ratione, q̄ scilicet iuniores aut seniores sint mulieres; quam vt illis emanare menses possint. Neq; n. vt plurimum, ante quartumdecimum annum mēses erumpere solent: desinunt a. aliis quinquagesimo, aliis quinquagesimoquinto, paucissimis sexagesimo. Naturaliter etiam F supprimuntur menses iis, quæ vterum gestant ac conceperunt: & extra conceptionem iis, quæ lactant. Item saltatricibus, calidioris temperaturæ mulieribus, exercitiis vtentibus, & agrestibus. Nam quicquid in iis est excrementi, hoc totum validus calor, & exercitationis vehementia absumunt. Non est igitur, cur in prędictis, & omnibus aliis, quibus menses naturaliter supprimūtur, Medicus de euocādis iis ipsis sit solicitus.

Mensium profluuii vtilitas. Naturaliter quando retineantur menses.

Præter naturam quibus menstrua detineantur. Neq; enim si admodum conetur, euentus conatibus vnquã respondebit. Præter naturam autem detinentur iis primum, quæ iusto pinguiores, aut graciliores sunt. Pingues enim ceteris mulierib. magis exsangues sunt, minimasq; & angustas valde venas habẽt. Graciliores autem, & ob diuturnum aliquẽ morbum admodum extenuatæ, nihil superuacui sanguinis obtinent, imo vix vnde alantur corporis partes, satis habent. Dein non profluunt menses, quibus sanguis crassus ac lentus est. Siquidem is ob suam crassitiem & lentorem vteri venas permeare non potest. Deniq; iis, quibus per alia loca delatus vacuatusq; fuit, veluti per nares, aut sedem, aut thoracem, aut sectam aliquã venam. Sunt etiam aliæ multæ suppressorum mensiũ caussæ, quas libens prætereo, quod *lib. 3. de Medendis morbis, cap. 53.* eas omnes ordine percensuerimus. Ceterũ menses non modo præter naturam suppressi, bonam corporis valetudinem destruunt: sed & vbi plus iusto promanant, *vt testis est in Aphorismis Hippocrates*, ita scribens: *Si*, inquit, *menstrua immodice fluunt, morbi accidunt: & si supprimuntur, ex vtero morbi eueniunt.* Quocirca si immodice manant, cõstringenda erunt: sin præter naturam diutius quam par sit retinentur, euocanda veniunt. In supprimendis & euocandis mensibus prudentem sese exhibeat Medicus necesse est, ne scilicet citius aut tardius quam cõueniat, supprimere conetur. Sunt enim ex mulieribus, quibus natura etiam diutius menses profluentes quam ceteris durent. Quod diserte Hippocrates in Epidemiis iis significauit verbis. *Menstrua*, ait, *humidis mulieribus diutius durant. Quum vero non cito prodeunt, intumescunt.* Caueat etiam, ne vbi non oportet, euocare tentet. Ita enim non tantum ludet omnem operam, sed se etiam aliis doctioribus ridendum exponet. Atqui de mensibus in præsentia satis: plura enim de iis loco iam citato in *Medendi nostra ratione* inuenient studiosi.

5. Apho. 57.

6. Epi. sect. 1. Aphor. 6.

A B C

De vacuatione per nares. Cap. XXXII.

Per nares vacuantur ea, quæ in capite ac cerebro continentur, excrementa, idq; sternutationem cientibus, & errhinis vocatis medicamentis, de quibus copiose *lib. 2. de Compo: medic. hodie vsitata, cap. 25.* diximus. Sæpe etiam sanguis per nares profluit. Quo quidem vacuationis genere natura multos corporis morbos curat, & iudicat, *quẽmadmodum in Prognosticorum, & Epidemiorum libris Hippocrates, & lib. 3. de Iudiciis, ac multis aliis locis Galenus docent.* Sanguinis autem ex naribus profluuium cerebri maxime obstructionibus, & a capite factis destillationibus confert, quod eum, qui in capite redũdat, sanguinem potissimum vacuet. Vt vero in omnibus aliis vacuationibus Medico vnice obseruandum est, vtrum nimium, aut parcius educatur: ita quoq; in narium profluuio diligenter contemplandum erit, quando idipsum sit constringendum, & quãdo minus. Cũ enim ex sanguine omnes corporis partes alãtur, & is veluti vitæ, q; dicitur, thesaurus sit, non committendum, vt illum immodice vacuari etiã ex naribus sinat Medicus. Quapropter vbi immodicum esse sanguinis ex naribus profluuium cognouerit Medicus, ad ea, q̃ illud restringere possunt, medicamenta, se confestim conferat. Vbi vero propter vitiosi sanguinis multitudinem ꝓfluuium sanguinis excitatum fuerit, minime cohibendum erit. Non n. sine magno incõmodo eius, cui e naribus sanguis ꝓmanat, noxii sanguinis vacuatio impediri potest. Proinde iuuanda potius natura in expellendis noxiis humoribus erit, quam in suo, quem recte instituit, motu impedienda. Cõstringendum autem sanguinis ex naribus profluuium, etiamsi mediocre est, quando sanguis, qui vacuatur, bonus fuerit, virtusq; laborantis imbecilla. Nec etiã perpetuo ei, per quẽ vitiosus vacuatur sanguis, acquiescendum, sed tantisper dum noxia vacuantur, & virtus ferre potest. Quæ singula fere Hippocrates breuissima sententia in Epidemiis cõplexus est, vbi ita scriptum reliquit: *Sanguinis ex naribus profluuia, quibus parum acquieuimus, sicco medicamento obstruere oportet. Aliis autẽ obstruentibus non est opus.* Vbi vero alba e naribus profluxerint, sicco, vt galla, & alumine, obturare conuenit. Reliqua quæ ad hoc institutum pertinent, ex medendi nostra ratione petenda sunt.

Sanguinis ex naribus ꝓfluuium quib. maxime cõferat.

Quando cõstringendũ, quãdo minus.

6. Epidem. sectio. 3. Aphor. 18.

D E

De Venere. Cap. XXXIII.

Rectissime inter vacuationum genera Venus & concubitus recẽsetur. Est autem huius, si legitimus, iustus ac moderatus fuerit, ita vt ex eius vsu exsolutio viriũ non sentiatur, ad prosperam valetudinem magna vis, & efficacia. Cõtra, si immoderatus fuerit, multorũ malorũ occasio erit. Recte itaq; & vti decet, vsurpata Venus plenitudinem exhaurit, corpus agile, auctum, & virile magis reddit. Durum corporis habitum emẽdat.

Veneris moderatæ & legitimæ commoda.

F

Emol-

A Emollit enim instrumenta, meatus dilatat, atque à pituita expurgat. Quod ad animum pertinet, mentis ac rationis vim implicatam & impeditam explicat, ac soluit; ingentes iras & furorē remittit & mitigat. Proinde melancholicis, si quid aliud, opitulatur; alioq; modo insanientibus sensuum integritatem, modestiam, ac sapientiam restituit. Conuenit etiam tristibus, & iis, qui hominū consortia ac cōuersationes oderunt, μισανθρώπους Græci vocant. Morbis denique à pituita ortis magna efficacia succurrit, quod Hippocrates in Epidemiis iis confirmat verbis: *Venus morbis e pituita natis vtilis est.* Aristoteles *sect. problem.* 15. rationem eius rei hanc affert, quod *feruor coeundi calefaciat, & exsiccet, multumque pituitæ detrahat.* Quin & cibi, præter ea, quæ dicta sunt, appetētiam erigit, & eius cupiditatem recuperat. A crebris denique rei Venereæ imaginationibus, insomniisq; parum pudicis, liberat. B Veneris igitur oportunæ & moderatæ tot tantaq; sunt cōmoda, *Aetio lib. 3. cap. 8. & Paulo lib. 1. cap. 35. testibus.* Accedit, quod nisi congressu semen excernatur, *Gal. lib. 6. de laborant. locis teste*, multa & grauia mala & incommoda homines comitentur, quæ apud illum legant studiosi. Vt autem iam dictæ Veneris multa sunt commoda, ita vicissim immoderatæ nō pauciora sunt incommoda. Nam immodicus, & assiduus, ac intempestiuus vsus oculis plurimum nocet, omnibusque sensuum instrumentis, capiti, neruis, thoraci, renibus, lumbis, coxis, pedibus denique & artubus, præsertim si debiles fuerint. Omne namque hominis robur per immodicum concubitum debilitatur. Calorem quoque innatum exstinguit, senectutemq. & mortem accelerat. Hincque adeò fit, vt ii, qui nimium Veneri student, libidinique immodice indulgent, & C male concoquant, & pallidi fiant, & neq; visu, neq; auditu, nec vllo prorsus sensu quicquam satis integre percipiant. Obliuiosi præterea sunt, tremuli, articulorumque doloribus, coxendicum maxime, renum & vesicæ vitiis laborant. Porro ex anni temporibus Veneri aptissimum Ver exsistit. Æstate autem & Autumno minus est vtilis Venus. Tolerabilior tamen per Autumnum. Æstate enim, si fieri potest, Celso astipulante, in totū abstinendum est, ne æstu debilitatum corpus, & sudoribus, & multis transpirationibus imminutum solutumq;, concubitu frangatur, rarefiat, magisque exhauriatur. Sed neque hyems, propter immodicum frigus, cōueniens est Veneri tempus. Minus tamen q̄ Æstate & Autumno hoc ipso concubitu, præsertim mediocri, vti nocet. Hora vero ad D concubitum, *Galeno ca. 86. Artis Medicæ, teste*, optima est, quum in excessuum mediocritate corpus fuerit constitutum, vbi scilicet neque plenum, neq; vacuum exstiterit, neq; in calore, aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit. Ideoque in Venerem congressurus vitare debet recentes satietates ac cruditates, ebrietatem, famem, fatigationem, vomitum, purgationem, & id genus alia corporis robur dissoluentia. Optimū autem de Pauli & Aetii sententia est *congredi cum vxore a cibo, & ante somnum*, quoniam ad robur sic conducit, & quia frigiditas, quæ euenire solita est, minus accidit, & quia mulier conceptum semen, subsequente quiete, ac somno, melius retinet. Hi igitur noxæ, quam adferre coitus solet, prospicere voluerunt. Minor namque, si quis a cibo concumbat, & ante somnum, moxque se quieti & somno det, viriū resolutio sequitur. Hippocr. E *lib. 6. Epid. sect. 6. Aph. 5.* & Galenus *loco paulo ante citato, ac lib. 2. de Sanit. tuenda, cap. 1.* concocto iam cibo post somnum Venerem exercendam esse docent. Hippocrates namq; inquit: *Labor, cibus, potio, somnus, Venus, omnia mediocria.* Galenus vero mox subiicit: *Nam & modum ipsum singulorum definiuit, addito ad finem dictionis epitheto, mediocria, & tempus æque signauit ipso sermonis ordine: Quippe sanitatis tutela a labore auspicanda, quem excipere debet cibus, potio, deinde somnus, mox Venus.* Præstat igitur non à cibo statim, & ante somnum, sed cibo iam confecto, ac iam fere sub auroram Venere vti, atqui vt mox nos iterum somno & quieti demus. Ceterum Venus non omnibus ex æquo conuenit. Inutilis enim senibus, ac omnibus frigidis; iustamque ætatem nondum adeptis. Deinde æstate & autumno, parce ac sobrie admodum viuentibus, vel nunquam, vel raro ante coitum F expertis. Nullis tamen æque atque iis, qui exsucco sunt corpore, exitialis, præsertim æstiuo tempore. Tutissima vero est temporibus & naturis calidis simul & humidis, & in primis, *vt dictum est*, Vere, ac Iuuentute.

[Margin notes: μισάνθρωποι. — 6 Epid. sect. 3. Aphor. 23. — Veneris immoderatæ incommoda. — Tēpus Veneri aptū. — Hora concubitus. — Quibus Venus conueniat, & quibus non.]

De exscreationibus. Cap. XXXIV.

Exscreatione vacuantur, quæ a capite in fauces destillant, & quæ in thorace redundāt excrementa. In iis autem vacuandis diligenter Medico, quæ sit eorundem consi-

ſtentia, conſiderādum erit. Si enim admodum tenuia fuerint, expelli per exſcreationē atq; tuſſim facile, quod a ſpiritus impetu diuiſa retrofluant, haud poſſunt. Sin lenta & tenacia fuerint, adeo vt violēter inhæreant, pari ratione, ꝙ auelli ab iis, quibus adhærent, nequeāt, exſcreationi reſiſtunt. Quapropter ſi ea, q̄ a capite in fauces deſtillant, iuſto tenuiora & aquea fuerint, exſcreari, & ꝑ tuſſim educi nequeunt, niſi aliqua ex parte per naturā, aut Medici opera incraſſent. Non a. temere adiectū eſt, *Aliqua ex parte*. Quia non ſupra modum ſunt incraſſanda, ſed cōſiſtentia mediocria eſſe oportet. Vt hinc conſtet, quæ hac ratione craſſa ſunt, re vera eſſe conſiſtētia mediocria, quod media ſint inter ea, quæ admodum tenuia, aut ſupra modum craſſa ſunt. Quo ſane modo, Hippocrates in Aphoriſmis vrinam craſſam ſæpenumero appellat eam, *quæ mediocris eſt conſiſtentia*. Quę autem in thorace continentur lenta & craſſa, adeo vt mouentis aeris ac ſpiritus impetu pelli non poſſint, ea a Medico medicamentis, quibus extenuandi & incidendi facultas ineſt, attenuanda & incidenda veniunt. Proinde ad hanc vacuandi ſpeciem Auicennæ præceptio, qua iubet, tenues humores eſſe incraſſandos, & craſſos extenuandos, referri commodiſſime poteſt: minime autem ad eam, quæ per purgantia medicamenta efficitur, *vt cap. 19. huius libri quoque dictum eſt*.

De ſomno vacuante. Cap. XXXV.

QVum a veteribus Medicis inter vacuantia præſidia etiā ſomnus numeretur, operępretium nos facturos exiſtimauimus, ſi hoc loco, de quo ſomno idipſum accipiēdum eſſet, explicaremus. Neq; n. quiuis ſomnus, nec quocumq; tempore factus, ſed is principio, qui fameſcente iam corpore fit, vacuare poteſt. Siquidē natiuus calor per ſomnum interiora corporis petens, quū non inueniat cibū, quem conficiat, vtilē ſolidarū partium corporis humiditatē abſumit, adeoq; corpꝰ ipſum neceſſario ſiccat, extenuat, vacuat. Id quod Hippocrates *lib. 2. de Victus ratione*, iis confirmat verbis: *Somni, inquit, ieiunum attenuant, & refrigerant, humidum quod ineſt vacuantes. Qui vero plus calfaciunt, carnem colliquant, & corpus diffundentes exſoluunt, ac imbecillum reddunt. Saturum autem calfacientes humectant, & alimentū in vniuerſum corpus diffundunt.* Hæc ille. Dein vacuat & is ſomnus, qui ab exercitiis & matutinis deambulationibus fit, eadem plane ratione, qua in fameſcentibus, pſertim vbi multus fuerit. Vacuant n. corpus exercitia, ideoq; natiuus calor ꝑ ſomnū interiora perēs, ꝙ cōcoquat & cōficiat, haud inueniēs, in ſolidas corporis partes graſſatur, eaſq; depaſcēs, corpus attenuat, & tabefacit. Quod idē etiā Hippocrates in Epidemiis iis verbis innuere voluit: *Somnus, inquiēs, multus, immodice vacuatū exſiccat.* Et in *lib. 2. de Victus ratione*, vbi ait: *A matutinis deambulationibus ſomnus omniū maxime ſiccat.* Præterea ſomnus a balneo vacuat. Quippe balneum ſuo calore cutem laxat, & quæ ſub hac contenta ſunt, vacuat: ideoq; reuocato per ſomnum ſtatim ſubſequētem calore natiuo ad corporis interiora, ea q̄ illic ſunt, is ipſe abſumit, & diſſipat. Quid multa? Somnus corpus noſtrum immodice vacuatum, ſiue id factū ſit medicamentis, ſiue inedia, ſiue exercitiis, ſiue balneis, exſiccat, & attenuat. Quare obeſis ea ratione admiſſus ex vſu eſt, minime v. exhauſtis, emaciatis, aut gracilibus. Hinc eſt, quod Galenus *lib. 14. Ther. method. cap. 15.* vbi ex profeſſo obeſorum curationem tradit, cibum illis nō ſtatim a balneo, ſed interpoſito ſomno exhibendum eſſe doceat. Id ꝙ etiam facit *lib. 6. de Tuenda ſanitate*, vbi eandem rem pertractat, vt non ſit neceſſe pluribus, quod dicimus, demonſtrare.

A fame ad miſſus ſomnus vacuat.

Ab exercitiis factus ſomnus vacuat.

6 Epide. ſect. 5. Aphor. 31.

Somnus a balneo vacuat.

Cap 7.

De inſenſili perſpiratione. Cap. XXXVI.

EGenere vacuationum eſt inſenſilis perſpiratio Latinis nominata, Gręcis ſimpliciter διαπνοή, vel cum adiectione ἄδηλος διαπνοή. Hanc interpretes aliquot Latini tranſpirationem, ſimpliciter quoq;, vel cum additione latentem tranſpirationem conuertunt. Hæc v. *vt cap. 7. libri de Differentiis morborum teſtis eſt Galenus*, non eſt niſi aeris per totum corpus introitus, & exitus. Fit a. ex naturæ nunquam quieſcentis potentia. Nam q̄ medicamentis fit, Græcis διαφόρησις, Latinis interpretibus nonnullis *digeſtio*, ab aliis *euaporatio* & *diſcuſſio* appellatur. Siquidem διαφορεῖν Græcis, & Latinis *digerere*, aut rectius *diſcutere*, non eſt niſi σκεδάζειν, hoc eſt, *diſpergere*, idq; per medicamenta calida & exſiccantia, quæ humores in aliqua corporis parte præter naturam accumulatos citra ſuppurationem ſoluunt, diſcutiunt, ac diſſipant. Proinde digeſtio aut euaporatio nihil aliud eſt, quam humorum partem aliquam pręter naturam obſidentium, vi medicamentorum per inſenſiles corporis meatus euaporatio, aut diſſipatio. Quæ idipſum præſtare poſſunt, Græcis nomi-

διαπνοή.

Tranſpiratio quid.

διαφόρησις

διαφορεῖν.

Digeſtio.

A nominantur διαφορητικὰ, Latinis *discussoria, digerentia, dissipantia, & euaporantia*, quod illis discutiendi, digerendi, & per insensiles corporis meatus dissipandi facultas insit. Quapropter Cælius Rhodiginus, vir alioqui doctissimus, & de bonis studiis optime meritus, maiorem in modum errat, quum *lib. Antiquarum lectionum 14. cap. 61.* διαφορητικὰ medicamenta ea, quæ aluum leuigant subducuntq;, esse scribit. Ceterum vt aliorum localium medicamentorum nullum plethorico seu pleno exsistente corpore adhiberi debet, ita etiam nullus discutientium medicamentorum tali in corpore vsus esse debet. Nam *Galeno cap. 95. artis medicæ teste*, si calefacientibus corpore plethorico exsistente dispergere tētabimus, plus erit id quod vi caloris ad partem attrahetur, quam quod dispergetur. διαφορητικὰ. Cælii erratum.

De inedia. CAP. XXXVII.

B INter ea, quæ corpus nostrum tam sanum, quam ægrum vacuant, inedia a veterib. recensetur. Non certe, quod primo & per se vacuet, sed ex accidente. Siquidē nullo in eius locū, quod fuit vacuatum, accedente alimento, fit vt inedia vacuet, *quemadmodum fusius sect. 2. Aphoris. Comment. 17. & sect. 4. Comment. 2. docet Galenus*. Inediæ autem duplex genus exsistit. Vna, in qua nihil prorsus cibi aut potionis assumitur, quam priuatim, certioris discriminis gratia, Græci ἔνδειαν, Latini *inediam indigentiamq.* vocant. Altera, in qua non nisi id, quod conuenit, & ad virtutis conseruationem satis est, ingeritur, quam proprie abstinentiam dixeris. Vt in vniuersum inedia non sit, nisi ex cibi potusq; defectu esuritio, aut sponte suoq; arbitratu suscepta abstinētia. Hippocrates vno nomine vtramque, nimirum λιμὸν, hoc est, *famem* appellauit. Est autem vtriusq; non contemnendā vtilitas. Inedia ex accidente vacuat. Inediæ genus duplex. Indigentia. Abstinētia. 2. Apho. 16. Fames.

C Nihil enim est, quod tum sanos, tum ægros magis iuuet, quam tempestiua inedia & abstinentia. Sani namq; non facile morbos incurrunt, si abstinentia commode vtant. Quod Hippocrates, vt omnia alia, breuiter & concinne admodum in Epidemiis iis innuere quoq; verbis voluit: *Sanitatis studium est, non satiari cibis*. Plinius etiam *lib. 18. c. 5.* longe vtilissimam esse ad sanitatis conseruationem in cibis temperantiam, scriptū reliquit. Vt autem tempestiua abstinentia summas in secunda valetudine partes sibi vēdicat, ita quoq; in aduersa plurimum momēti obtinet. Sanat enim plenitudinem, nimiū obesos, pituitosos, vitiaq; ex pituita nata, apoplexiam, epilepsiam, commata, vertigines, cruditates, & id genus alia multa. Sed & ipsa nonnunquā plurimum incommodat. Incaute 6. Epidem. sect. 4. Aphor. 20.

D enim & stulte si adhibeatur, ventriculum pessimis humoribus, *Galeno etiā lib. 3. de Naturalibus facultatibus suffragante*, biliosis ac serosis succis implet, fastidia creat, ventriculi robur dissoluit & labefactat, appetentiam eripit, & deniq; atrocibus morbis totum corpus obnoxium facit. Siquidem biliosis & siccis corporibus animi defectiones, syncopes, tabem, & marasmos conciliat. Sic vt non minus grauia abstinentiæ, quam intemperantiæ incommoda exsistant. Quapropter Medicus in præcipienda inedia prudens, ac cautus sit oportet, atq; diligenter, qui hanc ferre, & qui minus possint, cōsideret. Nam exiguo sanguine præditi, sani etiam, diuturnam inediam ferre haud possunt, *quemadmodum libri secundi de Temperamentis cap. 5. Galenus testatur*, vbi ita scriptum reliquit: *Qui angustas venas habent, exigui sunt sanguinis, nec longam inediā ferunt. Quibus latæ, iis copia sanguinis est, & citra* Abstinētia incaute adhibitæ incommoda. Qui inediā ferre haud possunt.

E *noxam cibo abstinent*. Est præterea in præscribenda inedia, ætatum habenda ratio. Nam, *vt Hippocrates attestatur*, qui in prima senectutis parte constituti sunt, facilime inediam ferunt: secundo loco, qui consistunt ætate: nullatenus adolescentes: omnium v. minime pueruli, præsertim qui inter ipsos fuerint alacriores. Qui vero in extrema senectutis partē constituti sunt, inediam ac famem tolerare nequeunt, ideoque crebro, paucis tamen cibis, sunt reficiendi. Inediā præterea non ferunt, vt comprehensum est, biliosi, & qui calorem ad igneam naturam propensiorem habēt. In iis enim febres accendit, succosq; biliosiores ac amarulētiores reddit, frequētes item cordis stomachiue morsus, inquietudinem, omnia deniq. corporis excrementa acriora maligniorаq; efficit. Contra inediam facile tolerant, qui crudis humoribus referti sunt, quod ex iis, vbi concoquuntur, 1. Aphor. 13. Qui inediā tolerans facile.

F corpus ali possit. Cum enim sint veluti ex dimidio cocti, parum alterati & in sanguinem transmutati, corpus nutrire possunt. Ceterum inedia non imperanda nisi iis, qui valentibus sunt viribus. Vires enim inualidæ, inedia adhibita, prorsus deiiciūtur. Vt iam Solclarius sit, inediam tempestiue, & iis, quibus conuenit, adhibitam, mirifice conferre. Contra plurimum incommodare, si intempestiua fuerit, & iis, quibus non confert, imperata.

Quid generatim in vacuationibus sit Medico considerandum.

CAP. XXXVIII.

HActenus particulatim de singulis vacuationum generibus, prout instituti nostri ratio tulit, disseruimus. Nunc quæ generatim de vacuationibus Medico sint consideranda, breuiter exponemus, & vna sermoni, quem de vacuationibus instituimus, finem imponemus. Initio autem Medico accurata diligentia expendendum venit, tam in sanis, quam in ægris, vtrum vacuatione opus sit, an non. Siquidem sunt affectus corporis complures, qui, quod ex defectu nati sint, adiectionem potius, quam detractionem, quæ per vacuãtia fit præsidia, postulant. Verbi gratia, si gracile admodũ fuerit corpus, aut atrophia laborauerit, nutrimentis potius reficiendum erit, quam vacuationibus exhauriendum. Quod si sanum etiam corpus sit eiusmodi, vt eius substantia facile discutiatur, quale est infantium & puerorum, minime vacuationib. est diuexandum, sed potius humorum generationi studendum. Non raro accidit, vt humor aliquis bonus vacuetur: tum constringendum sane, non vacuandum erit. Quæ singula Hippocrates, suo more, breuissime in Epidemiis iis verbis etiam edocuit: *Dilatare, constringere oportet, hæc quidem, illa vero non. Humores hos quidẽ expellere, illos vero siccare, alios generare, huic quidem, illi vero non.* Contra sunt alii corporis affectus e plenitudine aut vitiosorum humorum redundantia orti, in iis certe vacuantibus remediis Medico sine mora vtendũ erit, modo nihil illius conatibus obstet. Non solum vero Medicum vacuare oportet, sed sæpenumero naturam, sua sponte vacuantem noxia, ille iuuare debet. Naturam vero in vacuandis noxiis esse adiuuandam, Hippocrates etiam loco iam ostenso docet, ita scribens: *Alium humorem non exeuntem educere conuenit, exeuntem vero simul effundere, & simile operari oportet.* Ceterum, si vacuatione opus esse Medic⁹ cognouerit, magno studio, quo vacuationis genere sibi vtendum sit, & ex qua corporis parte sit vacuandum, item quale, quantum, & quo tempore, dispiciat. Quæ cum singula in curandis morbis plurimum momenti habeant, Hippocrates quoque, qui nullum præceptum Medico ad curãdos morbos vtile & necessarium silentio transiuit, breuissima admodum sententia cõplecti voluit, dũ in Epidemiis ita inquit: *Meat⁹ apertos esse cõuenit, veluti nares, & alia, quæ oportet, & vt oportet, & qualia, & qua parte, & quãdo, & quantũ oportet, veluti sudores, ac alia sane omnia.* Cuius quidem sententiæ vberiorem enarrationem, & huic instituto conuenientem, ex nostris in hunc Hippocratis librum editis commentariis studiosi petent. Nam in præsentia hæc de vacuatione dixisse satis sit. Porro vt hoc adiiciamus, posset quispiam ad redundantiam & inanitionem vniuersam Medicinam referre, vt quæ, de Hippocratis sententia, non sit, nisi adiectio & detractio.

Num vacuatione sit vtendum, Medicus cõsideret.

6. Epidem. sectio. 2. Aphor. 1.

Natura in vacuandis noxiis iuuanda. Aphor. 2.

Quo vacuationis genere sit vtendum Medico.

6. Epid. sect.

DE ANIMI PERTVRBATIONIBVS. SECTIO VI.

QVAS nos, Ciceronem secuti, perturbationes animi vocamus, Galenus & alii Græci πάθη καὶ παθήματα simpliciter, & cum adiectione παθήματα τῆς ψυχῆς nominant. Interpretes aliquot Galeni Latini, *affectus animi*, appellant. Non sunt autem nisi turbidi concitatique, & auersi a recta ratione, vel rationi non obtemperantes, animorum motus. Diligenter vero animi perturbationes, siue contra naturam animi commotiones Medico sunt considerandæ, quod scilicet earundem magna vis sit, propterea quod corpus alterent, *Galeno cap. 85. Artis Medicæ teste*, & a naturali statu euertant. Nihil autem mirum, easdem corpora nostra alterare posse, cum in iis omnibus insignes natiui caloris ab anima motiones fiant. Per timorem namque spiritus & sanguis intro & ad scatebram suam reducitur contrahiturque: quo fit, vt partes algeant, corpusque pallescat, tremor incidat, vox interrumpatur, & vires denique omnes conuellantur. Contra, in ira concitatior est caloris motus, qui in extimas tandẽ partes cum impetu effunditur. Ira itaque intendit, & fundit calorem natiuum. Atque hinc est, quod in ira corpora fiant rubicundiora, concitatiora, calentiora, confidentiora, & ad omne patrandum facinus promtissima. Rectissime igitur Aristoteles, & Galenus *lib. 2. de Tuen. sanitate & cap. 1. de Morborum caussis*, iram caloris, qui circa cor est, feruorem esse dixerunt: veluti contra, timorem, ob subitam reuocationem metu impendentis mali factam, caloris exstinctionem. Hinc est, quod iratis cordis & arteriarum pulsus

Perturbationes animi. παθήματα. Perturbationum animi magna vis.

Timor.

Ira.

Ira quid. Timor quid.

pulsus sint maximi ac validissimi, contra vero in timentibus, minimi, & perquã debiles. Quemadmodum vero in horum altero refugit, in altero se pandit calor: sic certe in verecundia vtrunq; patitur: ita vt modo ad interna confugiat, modo sese foras diffundat. In primis n. ad interiora caloris motio fit, sed rursus affatim ad exteriora cedit. Quod si non redierit, iam non verecundia, sed timor censeri debet. Quippe verecundia derepente fit, animali facultate nihil mali sperãte: vnde fit, vt recedat duntaxat ad interiora, veluti subterfugiens: idq; citra refrigerationẽ, excitante impellẽteq; ratione patibilem animæ partẽ. Redit vero, ferturq; foras eo maxime motionis modo, quo calor reuocat iis, qui frigida se lauerunt. Hincq; adeo fit, vt verecundia suffusis, etiãsi maxime pallent, repente admodũ genæ rubescant: q̃ certare secũ calor videatur, & secum ipse cõtrario motu collidi. Quod a. in timore confertim, id in mœstitia paulatim patiunt homines, magnitudine duntaxat & vehementia, nõ toto genere differentibus pathematis, tanto sane interuallo, quanto quod citatius est, & confertius, ab eo q̃ remissius & lentius, distare creditur. Quocirca ob timorem & immensum mœrorẽ nõnulli sublati sunt, q̃ sc. debilis suapte natura animula, sub valido affectu oppressa, cõfertim exstincta, & suffocata sit. Exstincta quidem, ob ꝑturbationis, q̃ a refrigeratione oritur, naturã: suffocata a. eo quod vniuersus sanguis ad principium cõfluxit delatusq; est. Hac ratione Plinius P. Rutilium, nuntiata fratris in consulatus petitione repulsa, illico exspirasse memoriæ prodidit. Idem M. Lepidum vxoris caritate, adeoq; mœrore nimio post repudium, mortẽ obiisse tradit. Heli quoq; Iudæorum pontifex, ac iudex, vt sacræ testantur literæ, accepto tristi nuntio de clade, qua Palestini hostes capta arca, occisisq; ipsius filiis Iudaicum exercitum affecerant, magno subitoq; mœrore oppressus, quum a regio solio supin⁹ caderet, effracta ceruice statim periit. Nihil vero tale in minori mœstitia accidisse legim⁹; vtpote in qua lentior ac mitior motus est. Neq; etiam in ira, vt per q̃ neq; refrigeratione calor exstinguatur, plus æquo nimirum accẽsus: neq; animæ dissoluatur robur. Prę gaudio vero multos pusillanimes exspirasse; variis auctorum monumentis proditum est. Non enim perinde atq; in ira, cum valido feruore ad exteriora fertur animata facultas: quin e contrario, si quid antea ei fuit roboris, id nunc exsoluitur, laxaturq;. Quum n. nimio gaudio laxata petit exteriora, discutit, atq; dissipatur. Hoc modo Polycritã, nobilẽ e Naxo insula fœminã, exstinctam esse refert Aristoteles. Nã quum ob eximiã formam prudentiamq; Diognito atq. Erichthonio persuasisset, vt Naxi obsidionẽ soluerent, ab exercitu in vrbem reuertẽs, vbi publico honore atque omniũ lætitia exciperet, patrięq. liberatrix appellaretur, ac vrbis partem ingrederetur, repente mortua cõcidit. Philippides quoq; Comœdiarum scriptor haud ignobilis, quum in certamine poetarũ præter spem vicisset, & lætissime gauderet, præ gaudio subito mortuus est. Diagoras etiã Rhodius, *vt refert Gellius*, qui tres filios adolescentes habuit, vnũ pugilẽ, alterũ pancratiasten, tertium luctatorem, eosq; oẽs eodem Olympię die vincere & coronari vidit: quumque eum tres filii amplexi, coronis suis in patris caput positis suauiarentur, & quum populus gratulabũdus flores vndiq; in eũ iaceret, ibi in stadio, inspectante populo, in oculis atq; manibus filiorum animã efflauit. Plinius insuper Chilonem Lacedæmonium illũ Philosophum, insignib. sapientię titulis non intermoritura famã nobilitatum, dũ victorem in Olympia filiũ conspexisset, præ gaudio e vita descessisse scribit. Idem Sophoclem & seniorẽ Dionysium Siciliæ tyrannum, qui magna felicitate potitus modeste semper antea fortunã tulerat, accepto nuntio de victoria inter tragœdos parta, gaudii exuberãtia obiisse testatur. Valerius deniq; Maxim⁹ de mortibus nõ vulgaribus, præ gaudio mortuas esse geminas mulieres scribit, quarũ vna nuntiata clade, q̃ ad Trasimenũ lacũ inciderat, sospiti filio ad ipsam portã facta obuia, cõplexu eius exspirauit. Altera, quũ mœsta domi sederet, ad primum conspectũ redeuntis filii exanimata est. Pudore etiam nõnullos esse exstinctos, literis mandatũ est. Plinius namq; loco paulo ante citato, Diodorum quendã Dialecticæ sapientię professorem, quod lusoriã quæstionem a Stilbone propositam non protinus dissoluere potuerat, mortuum esse testatur. Valerius quoq;, eodem quo antea loco, Homerum, quia quæstionẽ a piscatorib. propositã soluere haud potuit, absumptum pudore tradit. Ex iis itaq; quæ commemorauimus, repentinis animi & natiui caloris motionib. sæpenumero vitã auferri, dissolutis vtiq;, quæ in natiuo calore cõsistunt, animę viribus, iisdemq; nimia refrigeratione exstinctis, perspicuũ fit omnibus.

Marginalia: Verecundia. — B — Mœstitia. — Mortui præ mœrore vehementi & repentino. — Lib. 7. c. 36. — C — Præ gaudio mortui. — D — Lib. 3. c. 15. — E — Lib. 2. c. 53. — Lib. 9. c. 12. — Pudore mortui. — F

Proinde cum tanta sit perturbationum animi vis, debent a Medico, quibuscunque artibus possunt, arceri ac corrigi. Ceterum sunt Medico animi perturbationes ideo diligenter considerandę, quod nō raro ex eis futuros prædicere, aut iam præsentes cognoscere morbos liceat. Si enim metus & mœstitia, *Hippocrate auctore*, longo tempore perseuerent, melancholiam significant. Et in Epidemiis ita scriptum reliquit: *Animi perturbationes perpendendæ, num scilicet ipse sponte sua sine instrumentis & caussis tristetur, lætetur, timeat, confidat, speret, desperetque*. Quorum quidem longiorem explicationem e nostris commentariis studiosi petent. Atque hactenus de *Animi perturbatione* sat nos dixisse arbitror. A

6. Apho. 23.

6. Epidem. lectio. 8. Aphor. 18.

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER TERTIVS. B

LEONHARTO FVCHSIO AVCTORE.

DE REBVS PRÆTER NATVRAM. SECTIO I.

De tribus affectibus præter naturam. CAP. I.

Res præter naturam.

IN eo, qui hunc præcedit, libro, de iis rebus, quæ corpus nostrum alterare possunt, egimus. In hoc tertio, de iis, quæ corpori nostro aduersantur, & naturam eiusdem destruunt, ac naturæ fines excedunt, naturalemve corporis statum labefactant, ac perdunt, atque ob id res præter naturam dicuntur, disseremus. Galenus quidem *lib. 2. Therap. method. cap. 3. & cap. 1. libri de Symptomatum caussis*, affectus præter naturam nominare potius voluit, vocabulo affectus proprie pro omni in id, quod præter naturam est, mutatione accepto. Quod non abre a nobis adiicitur, quum affectus vox multa significet, adeoque varie ab auctoribus vsurpetur. Principio enim affectus, qui Græcis διάθεσις appellatur, generatim accipitur pro omni eo, a quo corpus nostrū quomodolibet afficitur. Qua quidē ratione affectus ad oēs tum sanos, tum ægros, tum neutros pertinet. Nam quicquid est, id affici quodam modo dicitur, si modo quidpiā ab altero patiatur. Atq; ita nomen διάθεσις, id est, *affectus* a verbo διαθεῖναι, hoc est, *affici*, quodammodo deriuatur: quod similiter atque affectus, de multis dicitur rebus, nempe sanis, ægris, neutris, & inanimis, cātu nimirū, harmonia, & oratione. Afficiunt n. secundum naturam sani, præter naturā ægri. Afficitur etiā corpus senum & imbecillū, q; reuera neutrū exsistit, vtpote neutrius extremorū particeps, adeoq; saluberrimi & insaluberrimi corporis exquisite medium. Affectus sunt, cantus quoq;, harmonia & oratio. Siquidē illis miris modis mortales afficiuntur. De cātu nihil attinet dicere, vt quē afficere homines nemo vnquam negauit, & quotidiana idipsum cōfirmat experiētia. Harmonias, Phrygiam furorem & pugnas excitare: Lydiā, lamentationem: Doriā, honestatem: Ionicā, iucunditatem, testimoniis auctorū abunde comprobatum est. Oratio quid possit, quantumq; animos hominū afficiat, oratorū, Ciceronis maxime, satis cōprobant orationes, & historiæ multifariam testantur. Deinde affectus magis contracte, sumitur p omni in id, q; præter naturam est, mutatione. Qua quidem ratione tres sunt in vniuersum corporis nostri affectus pter naturā, caussa, morbus, & symptoma. Singula enim horū fiunt, dū in corpore nostro mutationes eueniunt pter naturam, adeoq; illud etiā præter naturam afficiunt. Caussæ exemplū est plenitudo, vel corruptela. Morbi, phlegmone, vlcus. Symptomatis, malus color. *Tertio* loco, pprie, sic enim maioris perspicuitatis ac doctrinæ gratia loquimur, affect⁹ accipit pro eo, q; factū est, ac permanet in re aliqua, q̄ patitur, postquam alterans quieuit. Qua in significatione crebro a Galeno vsurpatur, *vt videre licet cap. 2. libri de Sympto. differētiis.* Et tum διάθεσις siue affectus idē atq; κατασκευή, hoc est, quod cōstitutio, significat, atq; ad ea tātum trāsfertur, q̄ ex permanentium cōstantiumq; numero sunt. Ex iis perspicuum esse omnibus puto, affectum proprie acceptum, Galeno esse quicq d factum est, postq̄ alterans iam quieuit, & agere desiit, non curando num idipsum quod iam factum est qualitas sit, an substantia. Quapropter Galenus aliter ac Aristot. διάθεσιν vocem vsurpat. Hic enim pro qualitate tantum, quæ facile subiecto dimouetur, διάθεσιν accipit: Galenus vero pro constitutione, seu pro re permanente, firma, ac stabili, aut permanentem habente essentiam vsurpat. Differt itaque affectus ab eo, quod Græcis πάθος vel πάθημα speciatim dicitur. Nam

Affectus trifariam sumitur. C

Generatim.

Harmoniæ quatuor.

Contracte. D E

Proprie.

F

Pathos qd speciatim.

A Nam pathos, *Platone etiam in Timæo astipulante*, est motus rei, quæ afficitur, vel omnis alteratio circa materiam: aut motus, qui adhuc fit. Proinde pathos non habet essentiam suam, nisi dum cõuertitur, alteratur, mutatur, mouet. Igitur pathos est in motione, affectus autem est permanens: illud fluxum, mobile, imperfectum, ac veluti ad affectum via: hoc fixum, stabile, perfectum, & illius finis. Differt itaq; pathos ab affectu, tanquam finis a medio; tanquam mobile ac temporarium ab eo quod stabile est ac permanens; tanquam perfectum ab imperfecto. Vt hinc perspicuum euadat, pathos siue pathema proprie loquendo non esse nisi id, quod alii morbũ fientem nominãt. Cum enim is non sit, nisi qui adhuc fit, suamq; in fieri essentiam habeat, a pathemate nihil differat necesse est, quod scilicet sit alteratio siue motus, qui adhuc fit, vt alibi fusius mõstrauimus. Atq; hic B sane est harum duarum vocum; pathematis nimirum & affectus, legitimus vsus; quem nisi in legendis Galeni libris, præsertim iis, quos de laborãtibus locis inscripsit, diligẽter quispiã obseruet, multis se difficultatibus inuoluat necesse est. Quod si igitur ad eum modum iis vtaris vocibus, intelliges sanitatem, morbũ, & caussas internas, q̃ nõ sunt motus, esse proprie dictos affectus. Sanitatẽ quidem secundum naturam, morbũ autem præter naturam, vt caussam ẽt internã, q̃, vt comprehensum est, motus non exsistit. Sanitas n. est affectus, qui actiones incolumes conseruat & tuetur. Morbus cõtra, affectus, qui eas impedit ac lædit. Caussa, qui morbos præcedit. Nec temere paulo ante dictũ est, *Caussa interna*: externæ enim non sunt affectus proprie sũmti, quod in fieri essentiam suam habeant, & post morbi generationem a corpore rursus separentur, vt vulneratio, seu gla-C dius vulnerãs. Hinc est, quod Gal. *lib. 2. Ther. method. cap. 3.* non omnes etiã caussas morbificas ex pmanentium & cõstantium numero esse scriptũ reliquerit, sed eas duntaxat, q̃ affectus vel habitus sunt. Nam internæ quoq; caussæ non omnes affectus proprie dicti sunt. Siquidẽ motus expultricis facultatis osculorum vasorũ apertionẽ efficiens, caussa quidem eiusdem est interna, minime tñ affectus proprie sũmtus, q̃ scilicet ex cõstantiũ numero nõ sit. Vt v. non omnes caussæ morbificæ affectus sunt, ita quoq; nõ omnia symptomata. Quæ n. actionum offensæ sunt, pathemata, eo q̃ essentiã suam in fieri obtineant, & alterationes adhuc fiẽtes sint, non affectus dici possunt. Eodẽ modo & immodicæ vel inanitiones, vel retentiones, pathemata, minime a. affectus nominantur, q̃ sc. D non sint ex cõstantium & permanentiũ numero, sed eorũ, q̃ essentiam suam habent, dũ adhuc fiunt. Quæ vero symptomata, sublatis morbis aliquantulũ, adhuc durãt, vt vitiosus in ictero color, affectus sunt & dicunt. Ceterum πάθος & πάθημα interdum generatim sumitur, p omni eo, q̃ præter naturam in corporibus nostris generatur: *vt lib. 1. Epid. cõstit. 1. Com. textus 23. auctor est Galenus.* Sic morbus, & alii affectus proprie etiã sumti, Hippocrati & Galeno non raro *pathemata* vocantur. Hinc est, quod in libro aduersus Iulianum phlegmonem *pathos* appellare voluerit Galenus. In libro etiam de *Laborantib. locis* inscripto, sæpe pathematis vocabulum generatim vsurpat. Quod monendũ esse duximus propter imperitiores, ac parũ in lectione veterũ assuetos, qui hac distinctione recte animaduersa, e multis sese difficultatibus extricare possunt, cum promiscue nunc hoc, E nunc illo modo pathematis vocem veteribus vsurpatã esse constet. Pathematis a. generatim accepti duo esse genera, animaduertendũ erit. Vnũ, quũ per se, & nullo alio interueniente, pars aliqua corporis patitur. Verbi gratia, si caput propter humores in ipso contentos affligitur. Græci hoc ἰδιοπάθειαν, id est, *proprium pathos* appellant: aut πρωτοπάθειαν, hoc est, *primarium pathos*, sed minus proprie vocant. Alterum, quum alio interueniente pars aliqua patitur: vt si caput, vbi vapores aut humores vitiosi a ventriculo sursum feruntur, dolet. Hoc Græci συμπάθειαν, id est, *pathos per consensum* nominant. Non ab re autem diximus, ἰδιοπάθειαν improprie vocari etiam πρωτοπάθειαν. Nam proprie loquẽdo ἰδιοπάθεια opponitur τῇ συμπαθείᾳ, πρωτοπάθεια autem δευτεροπαθείᾳ ὑστεροπαθείᾳ, *vt lib. 1. de Laborantibus locis cap. 2. Galenus testatur.*

Pathos & morbus fiens idem.

Cap. 1. libri de Sympt. differ.

Sanitas.

Morbus.

Caussa.

Non omnes internæ caussæ affectus sunt.

Nõ omnia symptomata affectus sunt.

Pathos q. d. generatim.

Pathema generatim acceptum duplex.

ἰδιοπάθεια.

συμπάθεια.

F

De caussis morborum. Cap. II.

HActenus generatim de tribus affectibus præter naturam disseruimus. Nunc de singulis speciatim verba faciemus, a caussa morbifica exorsi, de qua itidem generatim tractabimus. Cum autem generatim caussa sit, quæ ad rei constitutionẽ quoquo modo aliquid confert, caussa morbi recte sic definiri potest: *Caussa morbi est, quæ quocumque*

Caussa q. d. Caussa morbi.

modo aliquid ad morbi constitutionem confert. Nam hac definitione tam caussa per se, q̃ per A
accidens complectitur. Galenus *cap. 1. libri de Symptomatum differentiis* caussam morbi ita definire voluit: *Caussa morbifica est, quæ suapte natura et, qui fit, morbo aliquam suæ generationis partem confert.* Quæ sane in idem cum priore recidit. Quippe quum inquit, *Suapte natura,* vel, vt suis verbis vtamur, ἐκ τῆς ἑαυτοῦ φύσεως, nihil aliud significat, quam quod caussa morbifica sit, quæ propriis insitisque viribus morbum efficit. Quocirca hæc ipsa definitio, perinde atq; prior, non solum per se, sed etiam ex accidente & secundario, vt ita loquar, morbum efficientē caussam complectitur. Verbi gratia: aqua aluminosa caussa est desiccatis cutis, hæc vero febris: vtraq; igitur morbifica, hæc quidē per se & primo, illa vero ex accidente & secundo. In eodem quoq. loco caussam morbificā definit esse affectum B
ꝑter naturā morbum præcedentē, eundemq; efficientē. Quæ quidem cū priorib. in idē non recidit, quod vtrumq; genus caussæ iam dictæ in se haud complectatur, sed tantum

Caussa morbi gemina.

præcedentem, & immediate efficientem. Ceterū caussa morbifica, seu morbū efficiens aut a qua morb. efficit̄, *Galeno libro de Morborū caussis, & primo Ther. method. & lib. 2. de Natura humana attestante,* duplex est. Vna q̃ Græci προκαταρκτικὴν & προκατάρχοντα, Latini *præincipientem,* vulgus Medicorum *primitiuam* appellant. Sic a. est vocata, *Galeno lib. 2. de Natura humana teste,* quod pręcedentes vocatæ ab ea fiant, & originem trahant. Galen *li. 1. Ther. meth. & lib. de Morb. caussis* ἔξωθεν προσπίπτουσαν αἰτίαν, hoc est, extrinsecus aduenientem, nominat. *Lib. 4. de Tuend. sanitate,* μηδ᾽ ὅλως ἐνυπάρχουσαν, id est, *eam quæ omnino non inest,* vocat.

Præincipiēs primitiua quare iunioribus vocata.

Recentiores externam nuncupant. Veteres Græci interdum etiam, vt *infra clarius dicemus,* πρόφασιν, id est, *manifestam* appellauerunt. Extrinsecus autem aduenientem incidentemve, aut externam vocarunt hanc caussam, non quod perpetuo extra corpus sit, sed quod a rebus externis, hoc est, a substantia corporis alienis, & diuersis rebus proueniat: aut quod ab anima, quæ alia est a corpore, oriatur. Ita enim Auicenna *Fen. 2. Can. 2. doct. 2. summa 1. ca. 1.* caussam primitiuam definit. Animā itaque Auicenna, non inter ea enumerat, q̃ sunt extrinseca, *vt nonnulli censent,* sed inter ea, q̃ alia sunt a corpore. Sic rectissime ira, mœror, tristitia, & timor inter caussas externas recensent̄, quod nimirū ab anima, q̃ a substantia corporis diuersa est, ꝓueniant. Verū præstat, vt dicamus præincipientes, interdum Galeno extrinsecus incidentes, vel omnino in corpore non existentes, ideo vocari, vel quod plurima illorum pars ab externis rebus proueniat: vel quod ita patent, vt non solum Medicis sint perspectæ, sed etiā plebeiis, quasi extrinsecus essent positæ. Hinc Celso rectissime euidentes vocantur. Vt hinc omnib. pateat, Galeno *præincipientem procatarcticamve caussam* proprie esse, *vt metipse lib. 1. de Differ. feb. cap. 7. attestatur,* q̃ est recens, & simul euidens, & quæ subinde præcedentem appellatā parit. Sic cruditatē, inter caussas præincipientes numerat *lib. 2. de Nat. humana,* quæ tn̄ intra corpus est, quod a reb. externis, cibo & potu nimirum oriatur, & quod sit recens, simul & euidens, quod ab ea rursus alia, quæ præcedens nominat̄, excitetur. Quanquam Galen. *in lib. de Morb. caussis,* vbi proprie de caussis illis loquitur, non omnes extrinsecus aduenientes procatarcticas seu præincipientes morbificas vocat, sed eas tantum, q̃ vehementer corpus alterant, & mutant: idq; veterum Græcorū imitatione, qui alias caussas externas, q̃ suapte E
natura morbum inferre nequeunt, sed tum solū, vbi imbecillū, vel alio modo paratum ad suscipiendos morbos inuenerit corpus, quemadmodū metipse lib. 4. de Victu acu. morb. testatur, proprie προφάσεις, id est, *occasiones,* appellarunt. Non proprie autem hanc vocem vsurpantes, omnes caussas manifestas, *vt supra dictum est,* προφάσεις nominauerūt.

Externa caussa cur nominata.

πρόφασις proprie quid.

Non sunt igitur omnes caussæ procatarcticæ externæ, sed plurima ex parte: nec omnes externę sunt pręincipientes, sed illæ duntaxat, q̃ vehementer alterant, ac mutāt corpus, adeoq; morbos pariunt. Atq; si ad hunc modū de caussa ꝓcatarctica differas ac statuas, nihil pugnantiarū, quas tn̄ multas temere in Galeni definitionibus, quib. passim hanc caussam explicat, pleriq. hodie temere cōfingūt, repies. Altera morbifica caussa Gręcis προηγουμένη, Latinis *præcedēs,* iuniorib. *antecedēs & interna,* q̄ in animalis corpore consistat, F
appellat̄. Quapropter hæc suapte natura est occulta, & nō nisi Medicis cognita, adeoq. merito Celso *abdita* vocata. Hęc ꝑterea, *vt testis est in libello aduersus Iulianū Galen⁹,* nō solū principio morbos gignit, sed eos ēt auget, & cōseruat. Verbi gratia, sanguinis calidioris cōflux⁹, phlegmones caussa pręcedēs, hāc veluti materia gignit, genitā auget, & auctam cōseruat. Galen⁹ itaq. præcedentē morbi caussam vocat eam, quæ in animalis corpore hæret

Quorundā studiū improbatur. Præcedens.

Abdita.

Caussa morbi ꝓxima, antecedens vocatur Galeno.

A hæret ac consistit, affectuiq; ipsi functionẽ lædenti proxima, &, vt sic dicam, immediata, adeoq; coniuncta est, ita nimirum, vt inter hanc, & morbum nihil interueniat. Quod phlegmones exemplo fit manifestissimum, quippe inter hanc, & caussam suam præcedentem nihil interuenit. Siquidem inter sanguinem confluentem, & tumorem, quem ille excitat, quiq; phlegmone nominatur, nihil est, quod interueniat. Quod autem Galenus caussam morbo proximam & coniunctam nominet antecedentem, vno & item altero loco in præsentia demonstrasse satis sit. Primus est in cap. 88. Artis medicæ, vbi ita scriptum reliquit: *Iam factum atque exsistentem morbum curare oportet: sed qui nondum quidem adest, at futurus est, eum ne fiat ab illo, qui est in corpore, affectu, probibere conuenit. Eius autem, qui adhuc fit, quod quidem factum est, curare: quod autem futurum est, ne fiat, prohibere. Prohibetur*
B *vero sublatione eius affectus, a quo fieri consueuit. Huiusmodi autem affectus, caussa pracedens seu antecedens vocatur.* Hæc ille. Si igitur sublatione antecedentis caussæ fieri prohibetur affectus, qui functionem lædit, siue morbus, vt inter hunc & illam nihil interueniat est necesse. Si nihil interuenit, proxima morbo sit caussa antecedens oportet. Alter locus est in libello aduersus Iulianum, paulo ante etiam a nobis productus, qui itidem conuincit, caussam antecedentem ab ea, quę est proxima morbo, & immediata, quod Iuniores tamen aliquot faciunt, non esse separandam. Si enim caussa antecedens, *quod diserte Galenus affirmat*, efficere morbum incipit, eundemq; auget, igitur huic sit proxima, & coniuncta oportet. Quomodo enim augeret, si alia huic proximior, magisq; coniuncta esset? Quum itaq; iam demonstratum sit, caussam præcedentem morbo esse proximam
C & coniunctam, plurimum hallucinari eos est necesse, qui contra Galeni sententiam, tertium genus morbificarum caussarum, quam continentem & cõiunctam nominant, statuere conantur. Quippe quum Galeno, *vt seq. cap. fusius docebimus*, morbus non sit, nisi affectus præter naturam, actionem vitians, omnem profecto caussam continentem respuet. Affectus namque est morbus, non contracte duntaxat voce illa sumta, sed & proprie, ita sane, vt ex permanentium & constantium sit numero, *quemadmodum lib. 2. Ther. method. cap. 3. aperte admodum testatur Galenus*. Si vero morbus est ex permanentium numero, eius essentia a sua caussa non pendet, nec continetur, ideoq; continens esse nequit. Siquidem caussa continens est, *quæ essentiam rei a se productæ continet*. Vel, *vt auctor Introductorii & libri definitionum hanc definit, qua præsente, eius quoque effectus adest: & qua desinente,*
D *etiam effectus eius euanescit*. Quare hæc plane est caussæ continentis natura, vt ea sublata, simul etiam, quod ab ea productum est, e medio tollatur. Cum vero nullus sit morbus, quin idem sit permanens, hoc est, manere possit, sua sublata etiam caussa, consequitur caussam continentem nullam in morbis esse posse. Morbos autem manere sublatis suis caussis, vno aut altero exemplo monstrasse sufficiat. Phlegmone iam facta manet, etiamsi caussa sua desiit, & non amplius ad phlegmone obsessam partem sanguis confluit. Ideo vel suppurantibus, vel discutientibus medicamentis ad curationem eius, quæ facta est, phlegmones opus erit. Pari ratione obstructio, morbus quidem instrumentalis, manet sublata etiam sua caussa. Quanquam enim facta iam obstructione aliqua in corpore, plenitudo omnis per venæ sectionẽ, aut crassi & viscidi humores affluentes per pur-
E gationem tolluntur, nihilominus tamen adhuc obstructio manet & perdurat. Hinc est, quod Galenus *lib. 8. Ther. meth. c. 4 1.* vbi ex professo de obstructionis curatione agit, post sublationem plenitudinis, & crassorum humorum obstructionem efficientium, ad detergendas obstructiones Medico esse accedendum, hortetur. Quod illi faciendum non erat, si summota caussa vna tolleretur obstructio, quod sane necessarium erat, si caussa illa continens fuisset. Præterea, *libr. iam citato 8. Ther. method. cap. 1.* idem Galenus docet, primum submouendam, quæ febrem accendit caussam, deinde vero exstinguendam, quæ ab hac caussa accensa est, febrem. Quod sane nunquam fecisset, si caussam aliquam continentem febris esse statuisset. Tum enim satis erat monere, vt Medicus caussam e medio tolleret, vtpote cum qua vna febris tolleretur. Quinetiam *lib. 11. Ther.*
F *method. ca. 10.* initio putredinem esse curandam, qua sublata, febrem tãdem exstinguendam, manifestis verbis docet. Quod nũquam fecisset, si putredinem febris esse caussam continentem, vt Auicenna, & eum sequentes hodie maxima Medicorũ pars censent, existimasset. Nam tum satis erat putredinem sustulisse, vtpote cum qua vna febris necessario submota fuisset. Siquidem ea est continentis caussæ conditio, vt eius, quod pro-

Nulla caussa cõtinens in morbis.

Caussa cõtinẽs quæ.

Morbi sũt e numero permanẽtiũ & constantium.

Auicennę error Fen. 2. c. 1. doct. 2. sum. 1. cap. 1.

duxit, essentiam ita contineat, vt ipsa sublata non possit amplius superesse, id quod ab ea A
productum erat. Et vt tandem finem faciamus, aduersarios nostros hoc vnum tantum rogatos velim, dicant nobis, si caussam in morbis continentem statuit Galenus, qui fiat, *vt multis in locis Therap. Methodi* moneat tam diligenter, vt Medicus in omnium morborum curationibus initio consideret, num morbi caussa adsit, an desierit. Certe si vlla est in morbis cōtinens caussa, frustra hæc monet Galenus. Quippe hæc perpetuo morbo cōiuncta erit, nec ab eo separari vllo modo potest. Præsente igitur morbo, & hæc ipsa adsit necesse est. Si aūt perpetuo adest, quid opus fuit Gal. vt moneret Medicum, consideraret, num hæc adsit, an desierit? Nō possunt se hic, sat scio, explicare aduersarii, imo necessitate compulsi fateri cogentur, Galeno nullam esse in morbis cām continentem. B
Proinde vnus is locus ad conuincendam proteruitatem aduersariorum nobis sufficiet, nec plures proferre est necesse. Vt Valleriolæ stupiditatē mirari satis nequeā, qui post omnium suorum a me confutatorum argumētorum ruinam, tamen adhuc audet caussam in morbis esse continentem affirmare. Sed hæc est mentis humanæ peruersitas ac pertinacia, vt errorem semel cōceptum, Satanę consiliis adiuta & obcœcata, exspuere nolit. Quare quum toties a me monitus Valleriola resipiscere recuset, per me deinceps ei licebit, vt tandē induratus in eo perpetuo hęreat errore. Et mirū mehercle est, quum Valleriola aperte fateatur, curationem propriē morbo conuenire, quandoquidem si aliqua eius sit caussa continens, non morbi, sed caussæ continentis potius curatio erit. Caussæ nanq; continentis amotione, etiam morbus vna tollitur, quo certe sublato nulla amplius eius curatione opus erit. Quapropter caussam in morbis continentem, tanquam commentum quoddam Auicennæ, & aliorum Arabum medicorū, a Galeni placitis alienum, imo medicinæ inutile, hodie etiam constanter reiicimus. Nec mouent me cur ab ea sententia discedam, quorundam argumenta, de quibus hoc potissimum loco agemus: aliorum enim alibi dissoluimus: vtpote quæ partim ridicula, partim languida valde sunt. Principio enim, inquiūt, Gal. passim caussę continentis mentionē facit, *vt in lib. de caussis pulsuum, & de Diff. & caus. sympt. & sect. apho. 7. atq; etiam in lib. contra Iulianum. & secundo Methodi medendi, & infinitis aliis locis*. Quasi vero ita colligere liceat: Gal. caussæ continentis mentionem facit, igitur caussa continens est in morbis. Cui plane respondebit, si in eum modum colligas: Ioannes mentionem facit mille coronatorum, D
igit. Leonhartus mille coronatos suo habet in marsupio. Nō inficias ire possumus, imo lubentes fatemur, Gal. in productis ab aduersariis locis caussæ continentis facere mentionem: negamus tamen illi inter morbos relinquere locum, vt qui iis rebus duntaxat, quæ in generatione ipsa essentiam suam habēt, caussam continentem assignet, non iis, quæ absolute & simpliciter esse dicuntur, adeoq; ex permanētium sunt numero, vt esse morbum paulo ante monstrauimus. Quod in libello aduersus Iulianum iis innuere verbis voluit: *Nos quidē multoties hos sequentes, ne de nominibus contendere videremur, caussas quasdam sic vocari concedimus, non mehercle eorum, quæ absolute sunt. sed eorum, quæ in fieri essentiā habent. In hoc sane sophismatis est dissolutio*. Hæc ille. Pergunt deinde aduersarii, & συνεκτικὴν, id est, *continentem caussam*, Galenum *primam*, siue *proximam*, *& immediatam* appellare dicunt. Id quod plane concedimus. Nam *lib. 2. Ther. method. cap. 4.* actionis primam caus- E
sam continentem vocat, & *lib. 10.* eiusdem operis *vnam continentem caussam* horroris esse inquit. Atq; hac quidem ratione antecedens caussa, q. effectui quem produxit proxima & immediata sit, morbi caussa cōiuncta, atqui haud continens nominari posset. Verum Galenus hanc appellationem in morbis, vt non satis propriam, *libr. 2. de Humana natura* notat. Proprio vero si quis vti nomine velit, προηγουμένην vocandā esse docet. Tertio loco
3 pro suæ opinionis confirmatione locum Galeni *ex lib. 6. Epid. sect. 3. comm. 17.* citant, vbi morbificas caussas in procatarcticas, antecedētes, & coniunctas diuidit. Hunc vero locum quidam etiam, qui libellum de Caussa continente, sed more suo satis obscurū, edidit, pro caussæ continentis confirmatione producit. Quare non pigebit illū paulo fusius enarrare. Galeni verba sic habent: Δέδεικται δ' οὐδὲν ἧττον ἃ χρὴ περί τε τῶν πεπονθότων τόπων, καὶ τῶν συμπαθούντων αὐτοῖς ἐπίστασθαί τε καὶ διαγινώσκειν ἀκριβῶς ἐπὶ τῶν νοσούντων. ὥσπερ γε καὶ περὶ τῶν αἰτίων ὅσα γε προκατάρχοντα καλοῦσι, καὶ ὅσα προηγούμενα, καὶ ὅσα συνεκτικά. Quibus sane verbis Galenus innuit, se F
aliis in locis demonstrasse, quæ scire & exacte cognoscere oporteat Medicum in ipsis ægrotantibus, de laborantibus locis, & iis qui cum ipsis per consensum afficiūtur: veluti

Quorundā argumenta diluuntur.

A etiam de caussis, quas præincipientes, & præcedentes, & continentes vocant. Verum quum Galenus diserte dicat ἐπὶ νοσούντων, & nequaquam ἐπὶ νοσημάτων, id est, in ægris, non in morbis, nihil hinc patrocinii ad aduersarios redire potest. Siquidem non in morbis cognoscendam esse caussam continentem, vtpote qui nullam eiusmodi habeant, Galenus docuit, sed in ægris. In quibus certæ caussæ cõtinentis, etiam proprie dictæ cognitio necessaria admodum erit. Nam quum ægrotare incipiunt, & in generatione adhuc sunt morbi, & pathemata duntaxat adsunt, caussas plane cõtinentes cognoscere oportet, ꝙ illis sublatis prohibeatur ne morbus fiat. Nam vna cum caussis, pathemata quoq; ipsa tolluntur. Posteaquam vero ægros iam morbi inuaserũt, statim symptomata succedunt, quæ & ipsa, modo sint actiones læsæ, & imodicæ vel inanitiones, vel retentiones,

Caussæ cõtinentis in ægris necessaria est cognitio.

B caussas continentes habẽt morbos ipsos, ꝙ illis summotis vna etiam symptomata summoueantur. Vt hoc nomine in ægris caussæ continentis cognitio necessaria sit, vel ratione pathematum, vel ratione symptomatũ, quæ vtraq; cum non nisi in fieri essentiam obtineant, caussas habent continentes. Has enim ita vt appellemus, *Gal. in libello aduersus Iulian. vt paulo ante dictum est*, nobis cõcedit. Quod quarto loco aduersarii Galenum sub antecedentibus, vbi duarum duntaxat caussarum mentionẽ facit, cõiunctas complecti scribunt, concedimus quidem, si per coniunctas intelligunt proximas, & immediatas. Sin cõtinentes proprie dictas, nequaquam. Nam nullas esse eiusmodi in morbis, *de Gal. sententia*, supra ostensum est. Proinde falsum est, quod aiunt, Galen. *in libro contra Iulian.* plenitudinem continentem, & simul antecedentem caussam esse, scriptum reliquisse:

C imo ibidem diserte dicit, morbi esse caussam duntaxat antecedentem. Id ꝙ etiam facit *lib. 2. de nat. hum. Com. 1.* vbi negat, illam esse caussam continentẽ, & recte quidem, ꝙ non raro plenitudine sublata morbus tamen maneat, ꝙ supra quoq; phlegmones exemplo demonstrauimus. Falsum itidẽ est, ꝙ inquiunt, ex antecedentibus non omnes esse coniunctas seu immediatas. Nam inter antecedentẽ caussam & morbum nihil interuenit, vt antea ostendimus: coniuncta igitur sit, seu ꝓxima, est necesse. Proinde non sine errore, & certe contra Galeni sententiam, caussas mediatas cum antecedentib. confundũt. Quæcunq; n. mediatæ sunt caussæ, hæ Galeno ꝑincipientes, minime aũt antecedentes seu præcedentes vocantur. Reprehensione præterea dignum, ꝙ caussæ continentis nomine non vna, sed diuersa ratione vtunt͛, nunc pro prima, proxima, seu imediata: nunc

D pro inhærente ipsis effectibus, seu effectus essentiam continente, ita sane, vt positis effectibus, illæ etiam ponantur, & iis remotis, illi quoq; euanescant. Nam prima quidem in significatione caussas in morbis continentes admittimus, in altera nequaquã. Quarto 4
loco, caussam continentem in morbis esse, ex *lib. 1. de Sympt. caussis, c. 2.* ostendere conantur, vbi Gal. *amplitudinis vueæ tensionẽ, esse caussam continentem*, non obscuris verbis scribit. Quasi vero amplitudinẽ pupillæ morbum esse concederemus, quũ potius sit symptoma, quod aliud symptoma, nẽpe tensionem, sequitur, a morbo, sicca, nimirum vel humida intemperie, procreatum. Non esse aũt amplitudinem pupillæ morbum, copiose in commentariis nostris super hunc Galeni locum demonstrauimus, vt non sit necesse hic repetere. Quod si vero rogat nos quispiam, *ex quo genere symptomatum sit vueæ amplitu-*

Amplitudo pupillæ nõ est morbus, sed symptoma.

E *do*: respondeo, *Ex eorum numero, quæ affectus corporis per immoderatas vacuationes & retẽtiones sequuntur.* Quippe quando vueæ natiuus humor absumitur & exsiccatur, tensio sequitur, quam vueæ amplitudo excipit. Id ꝙ etiam accidit, vbi ad hanc humores præter naturam confluunt. Prior itaq; amplitudo inanitionem, altera retentionẽ humoris sequitur. Vtraq; igitur symptoma est, ꝙ affectus corporis per immodicas inanitiones, vel retentiones comitatur. Quinto loco Galenum pro continentis caussæ confirmatione 5
ex *lib. de Caussis pulsuum* afferunt, vbi scribit, non solum in pulsibus, sed in aliis omnib. tria esse caussarum genera. Sed qua fide hunc locum citent, facile deprehendes, si Galeni verba expendas, & hæc ipsa ad præcedentia, vt debent, referas. Nam intelliges plane Galenum hic loqui de cunctis alterationibus, quæ, vt metipse *lib. 2. Ther. metho.* testatur,

F essentiam suam nõ habent, nisi in fieri. His enim quæ in generatione ipsa essentiã suam duntaxat habent, veluti sunt pulsus omnes, caussas etiam continentes, vt paulo ante ex libro aduersus Iulianum ostendimus, Galen. assignat. Atq; in eo certe, vt is ibidẽ inquit, sophismatis explicatio consistit. Tandem aduersarii multis ostendunt, medico necessarium esse, vt caussam immediatam, & morbo coniunctissimam dignoscat, ꝙ alioqui

Pulsus caussam continentem habet.

P 2

fieri nequeat, vt morbum propulset. Id quod ipsi quoque affirmamus, nec Gal. diuersum docet. Nam cum caussa antecedens, quæ, quod inter hanc & morbum nihil interueniat, morbo coniunctissima est, principio morbum faciat, & eundem simul adaugeat, fieri non potest, *vt loco iam citato Gal. etiam ait*, vt si illa remaneat, quod factum est morbi persanetur. Quare non animaduertunt hic aduersarii, quam confuse de caussa continente disputent, vt qui iam improprie pro proxima & immediata, iam proprie pro inhærente vsurpent. Qua certe in re aduersarii crebro delinquunt. Sed de continente caussa in præsentia satis. Plura qui de ea scire volet, nostros *in libros Gal. de Morb. & sympt. differen. & caussis* Commentarios adeat, & libellum nostrum *de caussa continente* legat. Ceterum inter caussas Gal. *lib. de sympt. differ.* recenset caussam, sine qua non, eamque definit esse, quæ nihil perfectionis addit rei, quæ fit, ab illis tamen, quæ conferunt, seiungi non potest. Breuius ita finiri posset: *Est sine qua res fieri nequit.* Hæc omnibus fere in reb. inuenitur, & non raro etiam in morbis. Sic in vlceris curatione, puritas eius rationem habet caussæ, quæ, sine qua non, nominatur. Nequit enim curari vllo pacto vlcus, nisi prius purum, & ab excrementis mundum fuerit. Habet & ipsa cauitatis impletio, ad vlcus rationem caussæ, sine qua non. Siquidem nisi cauitas prius impleta sit, vlcus cicatrice induci non potest. Et vt etiam morbi exemplum afferamus, phlegmones caussa efficiens, & plane immediata est confluxus sanguinis, vtpote, quæ materiam, ex qua phlegmone nascitur, augetur, & conseruatur, suppeditat. Hæc tamen interdum caussam, sine qua non, dolorem obtinet. Siquidem sine eo, phlegmone in corpore sano, & plenitudine vacante, fieri haud potest. Quapropter etsi dolor perfectionis nihil addit phlegmonæ, tamen a confluxu sanguinis illam perficiente seiungi haud potest. Id quod Gal. *lib. 13. Ther. metho. ca. 3.* iis verbis significare voluit. *Porro, inquit, in doloribus incipit quidem caussa ab ea particula, quæ affligitur: sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes efficiunt.* Hipp. caussam, sine qua non, concaussam appellare consueuit. Hæc enim talis est, vt etsi vi sua non queat generare morbum, alteri tamen, quod illum procreare potest, cohæret: quod doloris exemplo iam monstrauimus. Alio nomine non inepte adiutrix caussa nominabitur. Atqui finem tandem morborum caussis imponemus, vbi prius monuerimus eas, præsertim præcedentes, proximas, seu immediatas vocatas, diligentia summa medico esse perscrutandas, quod sine harum cognitione, modo adhuc in corpore hæreant, morbus sanari non possit. Principio itaque caussas simplicium morborum in partibus similaribus euenientium calidorum, frigidorum, humorum, & siccorum inquirat. Dein compositarum earundem partium calidorum & siccorum, calidorum & humidorum, frigidorum & siccorum, frigidorum & humidorum cum affluxu humorum, & citra materiæ affluxum. Posthæc caussas etiam simplicium & compositorum morborum in partibus instrumentalibus natorum, conformationis nimirum, numeri, indecentis magnitudinis, & compositionis situsue perquirat. Postremo caussas eorum morborum, qui tam similarium, quam instrumentalium partium communes sunt, scrutetur, quemadmodum Gal. in eo lib. quem *de Morborum caussis* inscripsit, breuiter & luculenter edocuit. Ad quem recte intelligendum nostros commentarios plurimum adiumenti allaturos studiosis speramus. Ex eo itaque libro, reiectis practicarum, vt vocant, ineptiis, morborum caussas perdiscant medicinæ studiosi, quod illic methodum, in iis vero confusionem & immensas nugas sint reperturi.

Caussa sine qua non.

Concaussa

Adiutrix caussa.

Medico morborum caussæ cur perscrutandæ.

De Morbi definitione. Cap. III.

Morbus quid.

MOrbus, *Galeno lib. 2. Ther. Meth. c. 3. & c. 1. de Sympt. differentiis teste*, est affectus, præter naturam, a quo primum vitiatur actio. Quæ vtique definitio ab omnibus vsque in hunc diem Medicis, paucis admodum demtis, viris quidem eruditis, at nouitatis plus satis studiosis, recepta est, adeo sane, vt ne Auicenna quidem hunc aliter definierit. Siquidem *Fen. 2. can. 1. doct. 1. cap. 1.* affectum esse præter naturam, a quo primo læditur actio, tradit. Sed videamus, quibus rationibus morbi definitionem a Galen. allatam aduersarii Gal. conuellant. In primis, inquiunt, ambiguo vtitur genere, in quo etiam sibi auctor consentire non videtur. Etenim *in lib. de differen. symptomatum*, scribit ille, *non solum morbum ipsum, sed etiam symptomata, & caussas affectus esse præter naturam.* Miror profecto aduersarios, viros alioqui doctos, non animaduertere eius generis argumenta non esse tanti momenti, vt receptam hactenus definitionem morbi labefactare saltem, tantum abest, vt euertere possint. Quis enim est, qui ignoret Galen. affectus vocem interdum generatim

Aduersariorum obiectiones diluuntur.

1

A ratim vsurpare, pro omni eo, a quo corpus nostrũ afficitur: & item magis contracte, pro omni in id, quod præter naturam est, mutatione? Qua quidem ratione tres esse affectus præter naturam constat, morbum, caussam, & symptoma. Atqui dicent, *quanquam ista ratione euiceris, caussas & symptomata posse recte appellari affectus, tamen Galenum excusare haud poteris, quin nobis illum in morbi definitione, quandoquidem varie accipi affectus vocem fatearis, ambiguo vsum fuisse genere concedas.* Minime gentiũ: cum enim reliqua sit adhuc tertia acceptio, in qua affectus proprie sumtus, id quod iam factum est, & permanet in re, quæ alterationem perpessa est, denotet, quod sperant, nequaquã concedimus. Quippe cum Galeno affectus in definitione morbi idem quod constitutio significet, non possunt a B nobis quod postulant impetrare. Idem autem significare affectum, quod constitutionem, ipsemet Gal. *c. 2. lib. de Morborũ differ.* scriptum reliquit. Et in *c. 1. de differ. Symptomatum*, morbum definit esse constitutionem præter naturam, a qua actio læditur. Quod si igitur idem, quod constitutio, significat affectus vox in definitione morbi, & ad ea tantum transfertur, quæ ex permanentium & constantium sunt numero, iam non amplius esse ambigua potest, sed ad certam aliquam significationem contracta, quæ rebus constantibus ac permanentibus, e quarum numero morbus etiam exsistit, conuenit. Dein 3 reprehendunt aduersarii, quod Galenus nomen affectus alteratiōnē significare tradit stabilem. Quod cur faciant, non video. Nam iis verbis nihil aliud innuere voluit, quam quod id, quod in subiecto corpore alteratione absoluta permanet, adeoq; stabile est, af- C fectus sit, vt alteratio permanens, siue, *vt Galeni verbis vtar*, ἀλλοίωσις ὑπομένουσα, non sit, *vt metipse lib. 1. de laborantibus locis, c. 3 interpretatur*, nisi ἀλλοίωσις εἰς μόνιμον ἀφικνουσα διάθεσιν, id est, *alteratio ad stabilē perueniens affectum*, vt scilicet ab alteratione simpliciter dicta, quæ in ipso fieri, vt iam sæpe dictum est, essentiam suam possidet, discernatur. Quare affectus recte stabilis, permanensque alteratio dicitur, quod nimirum cessante eo, quod alterauit, alteratio ad stabilem iam peruenerit affectum. Atque hinc est, quod Galenus *lib. 2. Meder. method. c. 3.* morbum disertis verbis ex permanentium numero esse scribit. Vt hinc omnibus perspicuum euadat, διάθεσιν Galeno aliter, quam Aristoteli vsurpari, quod illi sit constitutio, seu stabilis iam & permanens alteratio, seu affectus: huic vero contrarium significet, nempe qualitatem, quæ a subiecto facile dimoueri potest. Quapropter vox D διάθεσις Galeno non pressa & adstricta significatione, quemadmodum Aristoteli, vt scilicet ab habitu disiungat, sed larga & ampla, pro omni corporis affecta cōstitutione ue, siue ea facile, siue difficulter amoueri queat, siue qualitas, siue substantia sit, vt alibi fusius monstrauimus. Gal. itaq; διάθεσις idem quod ἕξις denotat, quod e multis Galeni locis liquet, in quibus vtraque voce vna in significatione vtitur. Sic *lib. 2. Ther. metho. cap. 3.* sanitatem & morbum διαθέσεις, ἢ ἕξεις esse inquit. Verum pergunt aduersarii dicentes: *Eam solum alterationem, quæ stabilitatem quandam acceperit, morbum vocare, rationi artique nostræ non apparet consentaneum, cum diariam febrem leuioraque alia corporis vitia, atque adeo etiã grauiora, vt apoplexiam, morbos nuncupemus, etsi minimo solum temporis spatio perdurent.* Atq;, inquiunt iidem, in hoc omnino sibi repugnat Galenus, quippe cum scribat *1. & 2. libr. Methodi medendi*, eos errare, qui morbum stabilem contumacemq; affectum esse definie- E bant, contenditq; permanentiæ nomen ab eius definitione penitus subtrahendũ esse. Hactenus aduersariorum argumenta retulimus, quibus ostendere conantur, Galenum non recte affirmare morbũ esse stabilem alterationem, cum multi sint morbi, qui non diu durent, & metipse permanentiæ nomen a definitione subtrahat. Sed ludunt lectorem aduersarii, atque homonymia illi imponere student. Nam Galenus stabilitatem ad morbi essentiam refert, vtpote quam talem esse dicit, vt sublata etiam sua caussa, manere possit. Aduersarii contra permanentiam ad tempus transferunt, quasi Gal. hunc solum affectum esse morbum diceret, qui multis horis aut diebus duraret, cum tamen illi nihil tale vnquam, ne per somnum quidem, in mentem venerit, vt liquet ex iis, quæ *lib. 1. Ther. method. c. vlt. aduersus Olympicum* scribit. Quapropter aduersarii omnia Galeni di- F cta captiose ad suum institutum torquẽt, & ἀνομολογίας illum temere insimulāt. Siquidem Gal. vbi morbum stabilem alterationem, aut permanentem affectum vocat, illi permanentem inesse essentiam innuit. Quapropter Gal. permanentiam, quæ temporis duratio est & circumscriptio, recte a definitione morbi excludit, vt qui id vnum tantũ contendat, morbum esse ex permanentiũ numero, hoc est, eorum, quæ sublatis suis caussis

Alteratio stabilis.

Alteratio permanens.

διάθεσις vox aliter Galeno ac Aristoteli vsurpatur.

manere & durare possint, non obstante, etiam si intra semihoræ spatium, aut citius desinant. Atque hactenus nos euicisse arbitror, Gal. in definitione morbi legitimo, & nequaquam ambiguo genere vsum fuisse. Verum pergunt subinde aduersarii, & quæ reliqua sunt in definitione morbi sugillant. Nam initio Gal. parum memorem suæ definitionis, non solum inter morbos censere ac reponere ea vitia, quæ propter suam magnitudinem euidenter hominis actiones labefactant, sed & morbum statuere ipsum, *libr. 1. de Labor. locis*, quum primũ corpus a naturali statu vel minimum egreditur, inquiũt. Sed non animaduertunt aduersarii, se ad morbum falso torquere, quod Gal. de pathematis dixit, quæ cum stabilem & permanẽtem essentiam nõ habeant, nihil mirum, cur actiones labefactare nequeant. Siquidẽ, *Galeno metipso. c. 1. lib. de sympt. diff. teste*, duo hæc, quo morbus sit, necessario exiguntur, vt sit in genere affectus, & lædat actionem: quorum certe neutrum pathemati adest, ideoque merito inter morbos a Galeno haud numeratur. At instant aduersarii: *Illud etiam non esse verum putamus, quod morbus actionem primo lædat. Nam inter eum & actionẽ mediat vis corporis, vt intemperies primo caussa est facultatis agendi, facultas autem ipsius actionis, hæc vero operis, quemadmodum ille lib. 1. de Naturalib. facultatibus, & alibi passim ostendit: corruuntq; hoc modo omnes libri, quos de facultatibus nostrum corpus regentibus conscripsit, si illæ inter morbum & actionem non ponantur.* Hæc illi. Sed quis vnquam veterum Medicorum intemperiem caussam facultatis agendi dixit? cum hæc ipsa potius, ne facultas agere possit, impediat. Quod si temperiem facultatis agẽdi caussam esse aduersarii Galeni affirmassent, excusari potuissent. Cum vero contrarium asserant, ac intemperiem primo caussam esse facultatis contendant, nullam hæc absurda loquendi ratio excusationem admittit. Vt autem plane cognoscãt studiosi, quam parum, quid dicant calumniatores illi, studio nouitatis omnino excœcati, intelligant, sciẽdum erit, facultatem Galeno non esse, *veluti metipse libr. 1. de Simplic. medic. fac. cap. 1. & lib. 1. de Natur. fac. ostendit*, nisi certam quandam ac conuenientem quatuor elementorum temperaturam. Est igitur hæc ipsa operis siue actionis prima seu proxima, vt ille multoties affirmat, caussa. Hanc autem facultatem, non raro naturam vocat. Sic enim *sect. 2. aphoris. Com. 51.* scriptum reliquit: *In elementorum cõmoderatione natura consistit.* Vt natura nõ sit nisi naturalis constitutio, seu partium corporis natiua temperies, & structura. Nihil igitur refert, siue facultatem, siue naturam, siue constitutionem naturalem, siue temperiẽ actionis caussam dixeris. Vt autem temperies caussa est actionis probæ, seu non impeditæ, sic intemperies caussa est actionis læsæ, quã primo & nullo alio interueniente, lædit. Quod iis vtiq; verbis Gal. quoq; *lib. 1. Ther. meth. c. 8.* innuit: *affectus*, inquiens, *cum actione vna consistit, nec potest vsquam aut proba actio esse sine corporis naturali affectu: aut vitiosa, nisi quum corpus sit læsum.* Progrediuntur in cõuellenda morbi definitione aduersarii dicentes: *Præterea non separat Gal. hac definitione morbos a caussis & symptomatis. Lædunt enim nõnullæ caussæ suas actiones nullo interueniente morbo: veluti concoctio alimenti exsuperãte illius copia labefactatur, nullo morbo interim affecto ventriculo, eo etiam auctore, sed euicta quodã modo statim ipsa facultate, quemadmodũ per partis morbos contingit. Quamobrẽ si pari distantia cũ morbis nonnullæ caussæ actiones corrũpunt, eas quoq; inter morbos collocare oporteret.* Hacten⁹ aduersarii. Quis vero est, q ex hoc etiã loco nõ cognoscat, studiũ nouitatis aduersariorũ animũ demẽtasse? Nemo n. est vnquam, qui alimentum concoctionis ventriculi caussam esse, aduersariis illis exceptis, dixerit: cũ in confesso sit apud omnes, facultates esse actionũ caussas. Neq; enim facultas aliud est, quã efficiẽs rei cuiusq; caussa, vel breuius, actionis caussa. Si itaq; facultas est actionis caussa, quomodo exsuperans alimentum concoctionis caussa dici possit, non video. Non esse aũt exsuperans alimentum concoctionis caussam, ex caussæ definitione satis liquet. Cũ n. caussa, *vt Gal. in lib. de caussis procatarcticis, & lib. de Diff. sympt.* est auctor, nõ sit nisi quæ ad generationem rei conducit, non conducat autem ad concoctionem exsuperans alimentũ, igitur non sit eius caussa oportet. Sed demus esse cõcoctionis caussam, q tamen absurditate haud vacat, quomodo caussa posset suã ipsius labefactare actionem? Perinde enim esset, ac si quis diceret, facultas concoctrix lædit aut labefactat concoctionẽ, qua certe loquendi ratione nihil portentosius aut mõstrosius excogitari posset. Non itaq; facultas, multoq; hac minus exsuperãs alimentũ actionem labefactat, sed facultas ipsa ab exsuperãte & imodico alimento præfocat & obruit, haud secus, quam a multis lignis cõfertim impositis, ignis: adeoq; ab illo impeditur, quo minus

Duo ad morbum requisita.

Facultas quid.

Natura eadem cũ facultate.

Exsuperans alimentum nõ est caussa concoctionis.

Facultas quid.

A minus actionem suam obire possit. Quod igitur facultas suam non exserit actionem, id non imputandum erit alicui morbo, qui illius actionem labefactaret: cum ventriculus nullo interim affectus sit morbo: sed exsuperanti alimento, q; tanquã externũ aliquod erratum, vt *Galenus etiam appellat*, impedimento est, quo minus facultas agat, haud secus atq; solidum corpus interiectum inter fabrum & lignum impedimento est, quo minus artifex operari queat. Cum itaq; facultas, quæ actionis, vt ostẽdimus, caussa est, illabefactata sit, extraq; omnẽ noxam posita, vt integra & illabefactata caussa, actio eius lędatur, fieri non potest. Si actio seu concoctio nõ est læsa, quomodo exsuperans alimentũ eam lędat, quæ nihil noxæ habet, non video. Exsuperans igitur alimentũ, veluti quidã externus error, perinde atq; intẽpestiua alimenti sumtio, breuis somnus, & id genus alia, quæ B *lib.3. de Sympt. caussis cap.1.* recenset Galenus, impedit, quo minus facultas, quę tamen nullam in sua essentia noxam obtinet, agere queat. A scopo itaq; aberrat, & sua frustratur actione facultas concoctrix, non certe, quod vlla in eius, aut etiam ventriculi essentia noxa sit, sed quod ab externo aliquo, nempe alimẽto exsuperante, impediatur. Nihil vero mirum, facultatem illabefactatam & integram alimẽtum copiosius euincere nõ posse, cum Galeno quoq; suffragante *in lib.1. de diffe. feb. c.4.* caussa nulla sine patientis aptitudine agere possit. Ineptũ igitur cũ sit largius alimentũ, vt a facultate cõcoquatur, quid mirum, cur in illud non agat? Proinde exsuperans alimentũ concoctionem per se, primo & nullo interueniente non lædit, quod aduersarii Galeni cõtendunt. Id n. si faceret, caussam huius actionis, nempe facultatem cõcoctricem, q̃ prima est concoctionis caussa, vt C labefactaret, adeoq; huic noxam aliquã inferret, necesse esset. Nullã vero illi infert noxam, igitur vt eius quoque actio noxa vacet, oportet. Perspicuum itaq; euadit, alimentum exsuperans, cũ nullam facultati noxam inferat, actionẽ labefactare nõ posse. Illæsa namq; caussa, illæsa quoq; maneat actio oportet. Impedit̃ tñ ab eo facultas, perinde atq; artifices ab externis reb. quo minus operentur, impediri solent. Neq; tñ ita impedit, vt vẽtriculi, aut alterius partis morbi actiones earundẽ impediunt. Nam morbi impediũt, quia noxam aliquã, etiamsi sunt instrumentales, facultati inferunt. Quod Galen. etiam ostendit *lib.3. de Symyt. caussis c.1.* vbi ita scribit: *Facultatis noxa bifariam accidit, aut propter suã essentiam, aut aliquem instrumentalem morbum. Quæ in propria facultatis essentia noxæ eueniũt, intemperies quædam sunt effectricium qualitatum. Quæ vero ab instrumentalibus morbis oriuntur,* D *sunt erysipelata, œdemata, phlegmone, scyrrhus, abscessus, carbunculi, & id genus alii. Per hæc vero omnia ventriculus male concoquit, facultate eius, quæ concoquit, læsa.* Hæc ille. Alimẽtum autem impedit concoctionem citra id, q; vel ventriculum, aut eius facultatem concoctricem lædat. Non esse autem læsam, hinc fit manifestum, q; hæc ipsa alimentum ea, qua decet, mediocritate oblatum, exquisite cõcoquere possit. Impedit igitur tanquam externum aliquod erratum, q; nullam ventriculo aut eius facultati noxam infert. Impedimentum tamen hoc subinde cruditatis caussa est, quæ varios parit morbos, quod in caussa sit, cur vitiosi humores in corpore procreentur, *vt in fine libri de Cibis boni & mali succi Galenus ostendit.* Cruditas itaq;, quæ exsuperans alimentum comitatur, caussæ, non symptomatis rationem habet. Nam nullo præcedente morbo, perinde atq; illa, quæ ex vitiosis ci- E bis efficitur, in corpore excitatur. Vitiosi namq; cibi, etsi ab eo, qui optime valeat, concoctricemq; facultatem robustissimam obtineat, assumantur: tamen alterari in familiarem animanti qualitatem, adeoque concoqui nequeunt. Longior forte fui, quam par erat, atqui aduersariorum hac in parte mirificæ argutiæ breuibus dilui haud potuerunt. Pergunt aduersarii, & a definitione morbi, quam Galenus attulit, *non excludi quædã symptomata aiunt. Nam corneæ tunicæ præter naturam color, affectus est, læditq; primo actionẽ.* Hęc illi. Affectum esse corporis visilẽ hunc colorẽ, negare haud possumus. Lædere aũt eundem actionẽ primo, & immediate, id est, q; cõstanter negamus. Non n. color actionem lędit, sed morbus, cuius hic color pręter naturã symptoma est. Morbus aũt est humor ille, qui præter naturam ad corneã affluit, quiq; visum lædit, facitq; vt talia appareant visa, quale F est mediũ, per q; cernimus. Atqui non licet in præsentia singula aduersariorũ argumẽta excutere: si n. hoc conaremur, in iusti voluminis molem hoc caput exiret. Differemus itaq; horum pleniorem cõfutationem, donec cõmodiorem nacti fuerimus occasionẽ, q̃ nobis offeret, si Deus permiserit, *vt nostrorũ in libros Galeni de morborũ & symptomatũ differentiis cõmentariorũ alterã editionẽ adornemus.* Porro quũ iã euicerim⁹, morbũ esse affectũ

Corneæ tunicę color præter naturam, non lædit primo actionem.

Galenus non tantum qualitatem, sed & substantias morbos appellat.

præter naturam proprie sumtũ, id est, stabile quippiam & alterationem post actionem derelictam, liquido constat, Galeno non tantum qualitatem, vt Aristoteli, sed & substantias morbum appellari. Nam Galenus morbum nominat omnem affectum præter naturam, qui naturalem corporis temperaturam & structuram immutat ac destruit, siue is qualitas, siue substantia fuerit. Sic certe *ca. 8. libri de diffe. morb.* lapidem in vesica, suffusionem, & pterygium morbos expressis verbis nominat. Nemo autem erit, qui lapidem vesicæ structuram labefactantem qualitatem nominabit. Neque erit, qui suffusionem humoremue lentum & glaciei modo inter corneam & crystallinum humorem concretum, visumque remorantem, adeoque morbum exsistentem, qualitatem esse dicet. Et quis eo stuporis perueniet, vt pterygiũ, siue neruosam in adnata tunica procreatam visumque impedientem membranam, qualitatem nuncupare audeat? Non solum vero in eo, quem iam citauimus, loco Galenus substantias morbos nominat, sed & *libr. 14. Ther. method. cap. 18.* vbi inter morbos commemorat atheromata, steatomata, meliceridas, ascarides, lumbricos, in articulis & pulmonibus procreatos callos, inq; renibus & vesica calculos, & in hæc verba prorumpit: *Quippe in omnibus his morbis communis est substantiæ generatio, quæ ante non fuit.* Verum hic aduersarii iterum Galeni placita impugnant, & *lapidem in vesica, vnguem in oculo, imo calorem præter naturam, nõ esse morbos*, sed morbi caussas contendunt. *Nam*, inquiunt, *si hæc morbi sunt, quænam, quæso, erit caussa proxima morbi? Esse autem morbi caussas, non morbos ipsos, satis constat. Caloris enim excessus, temperiem vitiat, & lapis in vesica, vnguis in oculo, & sextus digitus in manu, eo quod pars vna addatur superflua, numerum partium, & inde structuram corrũpit. Quod si calor ipse morbus est, quid erit ipsa intemperies, quæ ob calorem exsuperantem committitur? Si lapis, vel vnguis morbus esse creditur, quid erit ipsa structura partis naturæ contraria?* Hactenus bona fide aduersariorũ verba retulimus, e quibus iterum perspicuum euadit, studium nouitatis ita præstrinxisse aciem oculorum eorundem, vt quid dicant, videre nequeant. Quod vt clare cognoscant studiosi, breuiter ipsorum verba excutiemus. Quum quærunt, *si hæc morbi sunt, quænam erit caussa proxima?* Respondeo, si caussam proximam vocant eam, quæ proprie *continens* appellatur, nulla prorsus eiusmodi in illis erit caussa, quod præcedenti capite ostẽdimus. Sin proximam appellant immediatam, caloris præter naturam lædentis actionem, siue febris, putredo erit caussa. Lapidis in renibus & vesica, humores crassi & lenti. Vnguis in oculo, vtilis alicuius materiæ redundantia, vnde membrana illa procreatur. Sexti digiti, itidem vtilis materiæ abundantia est caussa. Nam inter has plane caussas, & iam dictos morbos, nihil interuenit. Sed esse caussas morbi, quos nos, Galenum secuti, morbos esse affirmamus, quo pacto aduersarii ostendant, videamus. Caloris enim excessus, inquiunt, temperiem vitiat. Quid audio? quis vnquam vel veterum, vel recentiorum Medicorum ita locutus est, vt diceret, caloris excessum temperiem vitiare? imo caloris excessus est ipsa temperies vitiata, siue, vt vno verbo efferam, intemperies. Neque enim intemperies, nisi calor exsuperans exsistit. Id quod certe innuere voluit Galenus *lib. 8. Therap. method. cap. 1.* vbi ait: ἔστι δ' ἡ ἀμετρία τῆς τῶν πυρεττόντων δυσκρασίας, ἐν πλεονεξίᾳ θερμότητος: *Excessus intemperiei febricitantium, est in abundantia caloris:* hoc est, *intemperies febrilis immoderata, non est, nisi exsuperans calor, seu caloris abundantia.* Non autem vt aduersarii interpretantur, *febris est intemperies excessu caloris facta.* Nam si aliquid tale significare voluisset Galenus, non ἐν πλεονεξίᾳ, sed ἀπὸ τῆς πλεονεξίας, aut ὑπὸ πλεονεξίας dixisset. Sed ita torqueant in suam sententiam veterum dicta necesse est, qui noui dogmatis auctores esse cupiunt. Quum quærunt deinceps, *si lapis, vel vnguis creditur esse morbus, quid erit ipsa structura partis naturæ contraria?* Respõdeo, morbus quiuis actionem vitians. Nam sicut Galenus *lib. 2. Therap. methodi* docet, vt *constitutio, siue structura, affectusue secundum naturam est caussa probæ actionis, ita structura seu constitutio vitiosa læsæ actionis est caussa.* Quod igitur cõstitutionem naturalem vitiat, morbi caussa est: constitutio autem vitiata, morbus. Verbi gratia, quicquid temperiem & legitimam partium corporis structuram vitiat, est caussa morbi: constitutio autem & temperies vitiata, siue intemperies actiones lædit. Cum itaq; lapis in vesica, & vnguis in oculo toto genere præter naturam substantiæ sint, ideo caussæ, quæ illas procrearunt, structuram naturalem, tum vesicæ, tum oculi labefactarunt, & quæ ab illis nata est substantia, lapis nimirum, cum actionem vitiet, morbus rectissime dicitur. Quod autem sextus digitus non sit morbus in numero, aduersarii hac ratione monstrare nituntur. *Si*, inquiunt, *par-*

Aduersariorum opinio cõfutatur.

A *tem ipsam numero excedentem morbum esse contendas, vt sextum digitum, concedas etiam oportet eam, quæ a naturali numero ablata est, vt digitum abscissum, inter morbos reponi.* Respondeo, nequaquam: neq; enim, id quod e corpore sublatum est, actionem lædere potest, cum non amplius adsit: sed refertur rectissime morbus ad eam partem, vnde digitus ille abscissus est. Nam sectio eius partem ademit, adeoque structuram vitiauit, quæ & ipsa nunc illius partis actionem labefactat. Secto igitur digito in corpore, relinquitur pars, vnde ademtus est digitus: huius igitur iam morbus exsistit, haud secus, atq; abolito gurgulione, palati & spatii oris, quod remanet, est morbus. Proinde cum ad probam partium instrumentalium compositionem requiratur iusta conformatio, magnitudo, numerus, & cōiunctio similarium, vt aduersarii quoq; fatentur, igitur in iusta conformatione, magni-B tudine, numero, & positu sanitas consistit, vt contra morbus in indecenti conformatione, magnitudine, ac numero obseruatur. Sed hic desinam, nec plures aduersariorum rationes attingam, quod ex iis facile, quid de ceteris eorundem argumentis sentiendum sit, studiosi cognoscent, nec fert instituti nostri ratio, nisi in maximam molem excrescere velim has institutiones, vt in iis diluendis progrediar.

De morborum partium similarium generibus, & differentiis. CAP. IV.

POstquam morbi definitionem abunde in eo, quod præcedit, capite enarrauimus, vt eiusdem genera & differentias nunc ostendamus, reliquum est. Sunt autem tria in vniuersum prima morborum genera. Vnum, *quod in similaribus consistit partibus, ob id similare appellatum*: alterum *in instrumentariis, instrumentarium dictum*: & tertium, *quod vtriusq; commune est.* Primi generis morbus, qui in similaribus consistit, Græcis νοσώδης δυσκρασία, Latinis *morbosa intemperies* dicitur. Neq; temere fit, quod ita Græcis appelletur: est enim alia, quę ὑγιεινὴ δυσκρασία, id est, *salubris intemperies* vocatur. Cū enim intemperies sit, vbi qualitates primæ, seu elementa ipsa a legitima symmetria commoderationeue deflectunt, duplex certe sit intemperies, necesse est. Vna salubris, seu sanitatis, quæ a media & optima temperie paululum abest, ita certe, vt nulla adhuc animalis functio manifeste sit læsa. Vt hinc pateat, sanitatis magnam esse latitudinem. Quantum enim interuallum est inter id, quod perfectissime functionem suam obit, & inter id, quod manifeste aliquam oblæsam actionem habet, tanta est profecto & sanitatis & intemperiei, quæ salubris est, & intra sanitatem consistit, latitudo. Quapropter si sanus quispiam imbecillius altero, D qui secunda etiam valetudine præditus est, functiones obeat, nondum vero læsas obtineat, intemperantior, hoc est, maiori intemperie præditus sane est, sed nondum ægrotat. Quod si vero ex sanis alios temperatos, alios intemperatos dicere alicui minus placebit, is alterum duorum fateatur necesse est, vel omnes perpetuo ægrotare, vel vnam esse omnium temperiem: quorum certe vtrunque absurdum, & a veritate alienum exsistit. Proinde non absoluta ipsa tantum, & quæ insectilis, simul est & dicitur sanitas, sed etiam ea, quæ ab hac deficit, modo vsibus nostris adhuc non sit inepta. Et profecto, nisi in eum modum de sanitate statuamus, ἀειπάθειαν, hoc est, *perpetuam inualetudinem* inuehemus, *vt fusius lib. 1. de Tuen. sanitate. cap. 5. & aliis quibusdam locis Galenus docet.* Altera intemperies morbosa nominatur, estq; ea, in qua animal intēperiei vitio ægrotat, adeoq; quæ E longissime ab optima temperie recedit. Suntq; huius aliquæ differentiæ. *Vna* est, in qua corpora similaria nudis qualitatibus alterantur, vt est ea, per quā caput a sole plurimum incalescit. *Altera*, in qua cum qualitatibus iam dictis substantia quædam vitiosa humorue aliquis ad ipsa confluit, vt euenit in omnibus præter naturam tumoribus. Primam nostri temporis Medici intemperiem sine materia, immaterialemue, alteram intemperiem cum materia vel materialem vocant: Galenus intemperiem cum affluxu humoris, & *lib. 12. Ther. method. cap. 7.* κακοχυμίαν appellat. Vt admirationem nō leuem mereatur, quod Valleriola *in suis locis communib.* scribat, omnem intemperiem, siue ea nuda sit, siue cum affluxu humoris, similaris partis morbum esse, nihilominus tamen neget, humorem morbi appellatione non venire. An nō hæc sibi maxime pugnantia esse omnes F fatebuntur? Prior distribuitur in quatuor simplices, calidam tantū, frigidam tātum, humidam tantū, & siccam tantū. Simplices autē appellantur, quod in singulis vna duntaxat qualitas a modo naturæ recedit. Totidē quoq; compositas, *calidā scil. & humidā, calidam & siccam, frigidam & humidā, frigidam & siccam.* Compositæ aūt sunt dictæ, quod in singulis plures qualitates a naturali habitu & symetria aberrāt. Est itē alia intemperiei morbo-

Tria sunt prima morborū genera.

Intemperies quid.

Intemperies duplex.

Salubris.

Sanitatis quædā est latitudo.

ἀειπάθεια.

Morbosa.

Intemperiei morbosæ differentiæ.

Nudę qualitatis.

Cū affluxu humoris.

Simplex.

Cōposita.

Æqualis. sæ differentia, quod vna sit æqualis, altera inæqualis. Æqualis intemperies est, *vbi omnes corporis particulæ æquabiliter ad aliquam intemperiem versæ, aut iusto calidiores, aut frigidiores, aut sicciores, aut humidiores, vel per coniugationem quædam calidiores simul & sicciores, quædam humidiores pariter & frigidiores, quædam humidiores & calidiores, quædam sicciores & frigidiores redditæ sunt.* A

Inæqualis. Inæqualis contra intemperies est, *vbi non omnes corporis partes æquabiliter ad aliquam intemperiem versæ sunt.* Vel breuius, *est, quæ non omnibus intemperanter affectis corporis particulis inest.* In vniuerso corpore. Atque hæc nonnunquam fit in vniuerso animalis corpore, veluti in ea hydropis specie, quæ *anasarca* dicitur: & febribus iis, quas *hepialas* vocant. Nam in anasarca crudus & pituitosus, aut certe aquosus sanguis per vniuersum corpus distribuitur, vnde solidæ corporis partes, ab aduentitio frigore alteratæ, in aquæ naturam resoluuntur, totumque corpus inæquale redditur. In hepialis febribus vno & eodem tempore in toto B corpore æger frigescit, & calescit, maximaque inæquali intemperie vexatur. Nec est, cur quispiam miretur, *qui fieri possit, vt vno & eodem tempore, in quauis corporis parte, calidum simul & frigidum sentiatur.* (Num vno & eodem tempore, in quauis parte corporis calidũ simul & frigidũ sentiatur.) Cum enim calidum & frigidum contraria sint, nequaquam in eodem subiecto simul esse possunt. Suapte namq; natura circa idem subiectum se inuicem expellunt contraria. Quippe calidum & frigidum in hepialis febribus eodem sentiuntur tempore: atqui non velut contraria graduum excellentium, sed sicut contraria in remissis gradibus, adeoque alterantia, quæ adhuc in sensilem partem agere videntur. Non igitur a vero alienum est sensibilem partem eodem tempore & loco, & a contrariis qualitatibus alterari. Simile. Quemadmodum enim oculus eodem tempore album & nigrum expedite videt: ita & in sensibili parte calidi & frigidi alterationem simul esse ap- C paret. In vna qualibet parte. Fit vero & in vna qualibet parte, quum ea vel tumore aliquo præter naturam laborat, vel supra modum, aut calefit, aut frigefit, aut siccatur, aut humectatur. Ceterum æqualis intemperies nullo dolore affligit, quod nimirum particulæ laboranti iam veluti acquisititia natura adsit. (Æqualis intemperies cur nullo dolore afficiat.) Nullum autem corpus a sua ipsius natura infestatur. Quippe, vt *Hippo. ait, in lib. de homine,* dum mutantur, & a sua natura recedunt, corrumpunturue corpora, dolore afficiuntur, non quum iam natura mutata, aut corrupta est. Atq; hinc est, quod in Aphorismis etiam scriptum reliquerit: *Dum pus conficitur, dolores accidunt magis, quam iam confecto.* (4. Aph. 47.) Inæqualis contra intemperies, quum in ea partes non sint æque excalefactæ, aut refrigeratæ, adeoque ex illis nonnullæ adhuc mutentur, & alterentur, necessario dolorem inducit. (Inæquales intemperies dolores secum inducunt.) Atq; hactenus de similarium partium morbo intemperie, de D Galeni & aliorum Medicorum sententia, diximus. Non me latet autem esse hodie Medicos, qui nimium philosophantes, vsitatam hanc loquendi rationem, nouitatis studio ducti perturbant, & non vnum esse in similaribus partibus morbi genus, sed præter intemperiem duo alia esse contendunt genera, quorum vnum ad materiam partium similarium, alterum ad formam earundem referunt. (Eorũ sententia, qui plura esse in similaribus partib. morborum genera statuunt.) Quasi vero Galenus sub nomine intemperiei non hęc omnia, maxime formam, complexus sit. Quippe materiam partium similarium esse dicunt, qua illæ laxæ aut adstrictæ, molles aut duræ, crassæ aut tenues, raræ aut densæ, adeoq; exactiore vel obtusiore sensu præditæ sunt. (Materia.) Proinde si pars aliqua laxior, adstrictior, tenuior, crassior, rarior, dẽsior, mollior, duriorue efficitur, materiam vitiari contendunt, eaq; vitiata, partis robur atque valetudinem infringi, adeoq; morbo E corripi, qui non ad intemperiem, quę ex primis qualitatibus prouenit, sed ad materiam potius refertur. Forma. Formam partium similarium vocant earundem essentiam, totamue substantiam, a materia & temperamento diuersam, illamq; a semine & diuiniore principio nasci, quod Auicenna quoq; existimauit, & actionum caussam esse, statuunt. Totam hanc substantiam perfectionem esse & integritatem, qua res vnaquæque consistit, dicunt. Quare quoties hæc immutatur, & de perfectione decedit, morbum esse totius substantię asserunt. Sed Philosophorum hæc ἀκεἰολογία est, quam studio Galenus, & qui huius sectantur dogmata Medici euitare voluerũt, vt qui tum materiam, tum formam, vt illi nominant, sub temperamento complecti maluerunt. (Galenus ab iniuria defensus.) Nam cum Galeno, vt met- (2. Aph 34.) ipse multis in locis testatur, temperamentum idem significet, quod natura, eaque ipsa (3. Apho. 2. 3. de tempera.) F non sit, nisi vniuersa essentia ac temperatura ex primis elementis, calido, frigido, humido, & sicco conflata, necesse est fateamur, temperamentum similarium partium nõ solum esse elementorum qualitates, sed eorundem etiam substantias siue essentias. Atque hinc est, quod in *lib. 1. de vsu partium cap. 9.* temperamenta propriam particularum essentiam

tiam

A tiam complere dicat. Nemo autem est, qui nesciat, essentiam partium non solum ex qualitatibus, sed etiam solidis & carnosis compleri. Et *libro 1. de elementis*, non solum ex qualitatibus, quæ seorsum sine corporibus consistere nequeunt, gigni animalia, sed ex corporibus potius, quibus illæ qualitates summæ insunt, scribit. Quod vero interdum asserit Galenus, primas qualitates esse stirpium & animalium opifices, aut essentiam singulis a temperie quatuor primarum qualitatum accedere, id non alia de caussa fit, quam quod solæ illæ in caussa sint mutuæ inter se elementorum transmutationis. Neq; enim quum ex elementis animalium aut stirpium corpora generantur, talia, qualia sunt, remanent elementa, sed alterantur, & permutantur. Quod igitur partes quædam similares sint laxæ, aut adstrictæ, seu raræ aut densæ, id non fit, nisi ratione temperaméti, quod
B certe eiusmodi est, vt in hac plus sit terreę, in illa plus aereæ naturæ. Hinc accidit, vt cordis, renum, & iecoris substantia sit densa, ac dura, pulmonis vero rara ac mollis. Quanquam autem eleme̅torum corpora maxime efficiant, vt nonnullæ corporis partes raræ & molles, quædam vero densæ & duræ sint, tamen id non fit sine actione calidi & frigidi. Siquidem Aristoteles, & eum sequentes Philosophi, raritatem, densitate̅, leuitatem, grauitate̅, mollitiem, duritiem, & id genus alias qualitates, nō nasci statuu̅t, nisi ex varia commistione humidi & sicci per actionem calidi & frigidi. Omnia namq; mista varias formas, variosq; essentiæ modos ex parte ipsius materiæ recipere tradunt, prout humidum & siccum, quæ ob id Aristoteli passiua dicuntur, in mistione per actionem calidi & frigidi patiuntur. Atq; hinc est, quod omnes illæ qualitates ab iisdem secu̅dæ nominen- (2. de Ortu & inter. cap. 2.)
C tur, quia ex primis, quę mutuæ elementorũ inter se, vt comprehensum est, actionis caussæ sunt, procreentur. Quippe calidum non solum calefacit, sed & corpora eiusdem speciei & cognata congregat, diuersarum vero specierum separat: quod in metallis conspicuum euadit, quorum quæ cognata sunt, a calore congregantur: quæ autem inter se diuersa sunt, ab eodem dissoluu̅tur ac separantur. Idem rarefacit, attenuat, discutit, laxat, aperit, incidit & attrahit. Frigidum non tantum refrigerat, sed & congregat, adstringit, densat, obstruit, indurat, & incrassat. Cum itaque Philosophorum veterum etiam testimonio raritatis, densitatis, & id genus aliarum qualitatum procreatio non sit, nisi temperamento, vt iam ostendimus, accepta refere̅da, minus recte, nec satis candide faciu̅t, qui hoc nomine Galenum accusant, quod raritate̅, densitatem, mollitiem & duritiem, (Secundæ qualitates. Calidi effectus. Frigidum.)
D non ad materiam, sed temperamentum retulerit. Atq; ii etiam vt Galenum reprehendant, & suę opinioni fidem faciant, falsis coguntur vti hypothesibus. Siquide̅ permultos videas præditos, inquiunt, optimo temperamento, qui neq; calorem, neq; frigus, neq; laborem, neq; vllam exsuperantiam perferunt hac sola ratione, quod molli, raro, laxoq; sunt corpore. Sed non concedimus illis, quod assumunt. Neq; enim mollis, raraq;, corporis constitutio sola in caussa est, cur corpora illa nullum excessum ferre possunt, sed vniuersum potius temperamentum, quod optime temperatum est, adeoq; excessus omnis expers. Quare si in ista mediocritate perdurare debet, ab omni excessu sibi caueat est necesse. Inficias præterea imus, quod corpus optime te̅peratum possit dici molle & laxum: quod enim tale est, omnis excessus expers est, quare nec molle, nec laxum, nec
E gracile, nec crassum dici potest: sunt enim hæc omnia excessus nomina. Esse aute̅ excessus nomina, notius est, quam vt demonstrari debeat. Et si non sunt excessus, qui fit, vt in genere medicamentorum sint, quę indurent, constringant, rarefaciant, & condensent? Sed quod mollis & rarus corporis habitus sit vitiosus, adeoq; cum optimo te̅perame̅to co̅sistere nō possit, ex ipsorũ verbis euincemus. *Tale autem euasit*, inquiunt, vel *ex pauco imbecilloq; semine*, *vel ex molliore delicatioreq; vita, ex qua e̅t molles solent appellari.* Quomodo vos quæso, ex pauco imbecilloq; semine temperatum potest procreari? An nō extremæ est dementiæ, hoc ipsum affirmare, quod nemo sanæ me̅tis concedet? Annon mollior delicatiorq; vita adscititii te̅peramenti caussa erit? ꝙ certe id, ꝙ præcessit, optimũ etiam si fuit, labefactat & perturbat. Falsum itide̅ est alterũ, quod assumunt, nempe videri pluri-
F mos intemperatos, vt rusticos, qui tamen validi sint. Nam vt is validus sit, qui intemperatus est, rationi co̅sentaneum non est. Concedimus quidem facilius ferre externas iniurias, qui partes similares firmas & densas habe̅t, modo ita se habeat illorũ e̅t temperamentum, vt actiones non impediat. Quapropter rectissime Galenus imbecillitate̅ inte̅periei sobolem esse co̅tendit. Nō est igitur, vt aduersariis nostris concedamus raritate̅ &

densitatem partium robur & valetudinem infringere, adeoq; morbos esse cum sint potius morborum caussæ. Siquidem raritas, vt *Galenus c. 2. libri de morborum caussis ait*, si modum non seruat, discutiendo & dissipando natiuum calorem, corpus frigidius reddit. Nõ itaq; raritas actionem lædit, sed frigida intemperies, quę illam necessario comitatur. Sic densitas corpus, eo quod transpirationem prohibeat, & fuliginosa excremēta intus retineat, calidius efficit, adeoq; febrē excitat. Iam cõcidunt etiã ea, quæ de exsuperante & deficiente, seu exquisito & hebeti sensu afferunt. Quum n. eius caussam in raras, laxas, & molles, densas, adstrictas, & duras partes referant, quæ hoc nomine dissolutæ atq; imbecilles, aut solidæ, firmæ, & robustæ sint, in partium simul referunt temperamenta, quæ in caussa sunt, cur raræ aut densæ, quemadmodum ostendimus, in cõstitutione sua sint redditæ. Hinc Galenus verissime *in libello de constitutione artis medicæ* dixit, *ex quatuor elementis simul contemperatis, corpus vnum similare gigni, quod pro varia temperamēti ratione, aut particeps sensus, aut illius expers euadit*. Monstratum est nobis hactenus, Galenum sub temperamento complexũ esse materiam, nunc in forma idem accidisse docebimus. Totius corporis formam, temperaturam, & non minime animam, Galenum statuere, e multis eiusdem monumentis est conspicuum. Id quod non alia de caussa illum fecisse constat, quam quod tēperaturæ immutatione, actiones mutari, atq; etiam animam ipsam a corporis temperatura vario affici modo, conspexit. Vt autem totius corporis, ita etiam singularum partium formam esse temperaturam dixit, nõ quidē solarum primarum qualitatum, sed & primorum corporum vi qualitatum trãsmutatorum, ex quorum quidem commistione proprietas quædam temperamenti, *vt libr. 3. de Temp. cap. vlt. appellat, nascitur*. Hanc alio nomine totam rei substantiam crebertime vocare solet, alii occultam aut specificam qualitatem. Et metipse etiam Galenus eam temperamenti proprietatem sępenumero qualitatis nomine donat. Hinc est, quod *lib. 3. de simpl. med. facult. cap. 20.* medicamenta purgantia substantiarũ similitudine, lib. vero quinto eiusdem operis, *c. 10.* qualitatum familiaritate, attrahere ait. Nihil autem referre hoc vel illud dicas, ibidem non obscuris verbis innuit, inquiens: *Aliud est attrahentium medicamentorum genus, quod qualitatis familiaritate attrahit: id quod aliud est nihil, quam totius essentiæ similitudine.* Proinde quum tota rei substantia perfectio est & integritas, qua res vnaquæq; consistit, ac quoties illa immutatur, & de perfectione decedit; res tota cõtinuo perfringitur, nihil prohibemus illius decessionem, morbum totius substantiæ appellari modo interea Galenus non reprehendatur, qui illum ad intemperiem retulit. Nam & ille intemperiem duplici modo essentiam rei corrumpere statuit. Vno, quum idipsum manifestarum qualitatum fit occasione. Alio modo, quando id abditæ cuiusdam caussæ ratione accidit, quæ illam proprietatem temperamenti ex cõmistione primorum corporum natam corrumpit. Atq; hinc est, quod primum genus intemperiei, quam nos clarioris doctrinæ gratia, manifestam vocabimus, per medicamenta, quę manifestis qualitatibus illam oppugnãt, curandam esse docet. Alteram vero intemperiem, quam occultam nominabimus, per ea, quę tota substantia, & temperamenti proprietate illi aduersantur, curandam tradit. Cum itaq;, tum morbi, tum eorundem medicamenta nulla ratione cõstent, ac inueniri possint, sed sola experientia cognoscantur, ideo in lib. de morborũ differentiis, vbi methodo & ratione morborum etiam similarium numerus docetur, occultæ intemperiei nulla facta est mentio, nõ certe quod nullas eiusmodi esse putaret: quomodo n. alias medicamenta esse docuisset, quæ substantiæ aut temperamēti proprietate, & non manifestæ qualitatis alicuius ratione prodessent: sed quod eas methodo nõ subiacere existimaret. Ceterum non negamus aliquas qualitates, vt vocant, specificas, & vires peculiares corporib. a Deo Opt. Max. esse inditas, quas commistioni primorum corporum acceptas referre nõ possumus. Voluit enim Deus haud dubie remedia certis rebus contra certos morbos indere, vt in iis diuinæ prouidentiæ essent testimonia, & hinc immensam erga nos illius beneficentiam agnosceremus, quod vitam nostram tot remediis datis tueri, & a morbis vindicare voluit. Hanc tantam Dei misericordiam ac clementiam erga nos homines cum Galenus, vtpote nulla Christi cognitione donatus, ignorauerit, nihil mirum omnia misturæ primorum corporum tribuisse, præsertim, quum id suæ professioni maxime conueniret. Sed vt finem tãdem huic disputationi imponamus: cum Galenus diserte scribat, *temperamenta partium essentiam complere, & mistorum essentia non constet, nisi ex materia*

Forma corporis de Galeni sententia.

Forma partium.

Tota rei substantia

Intemperies manifesta.

Occulta.

Qualitates specificæ.

Epilogus.

A *materia & forma, quod Philosophi vno omnes ore affirmant rectissime, vtraq; sub tẽperaturæ nomine complexus est, vtpote quo non solum primarum qualitatum, sed & primorum corporum, quibus illæ insunt, mistionem intellexit.* Ideoq; & eos, quos alii ad materiam & formam referunt similarium partium morbos, ipse ad vnam retulit intemperiem. Proinde *in libri de morborum different. cap. 4.* ita scriptum reliquit: Nullus primorum morborum, qui similaribus partibus proprii sunt, ratione curari potest, sine primorum elementorũ contẽplatione.

De generibus & differentiis morborum instrumentariarum partium. CAP. V.

EXpedito primo morborum genere, quod in similaribus tantum fit partibus, ad alterum, quod in instrumentariis duntaxat consistit, transeamus oportet. Hoc certe a nostræ ætatis Medicis mala constitutio seu compositio & morbus officialis nominatur. Mala cõpositio.
B Vt autem domum recte constitutam iudicamus, quum omnes suas partes iusta magnitudine donatas habet, omniumq; earum iustam connexionem ac posituram est consecuta: ita quoq; partes corporis instrumentarias recte se habere dicimus, si probam conformationem, magnitudinẽ, numerum, & positum nactæ fuerint. Quatuor igitur sunt instrumentariarum partium morbi proprii, quorum vnus in indecenti cõformatione, alter magnitudine, tertius numero, quartus positura non conuenientib. cõsistit. Quam conformationem dicimus, Galenus sua lingua διάπλασιν nominat. Tria autem hac voce significantur, *figura, cauitas & soliditas, asperitas & læuitas.* Cum itaq; eas partes male efformatas dicamus, quæ vel indecentem figuram sunt cõsecutæ, vel solidiores iusto, vel perforatæ præter naturam, vel asperiores, vel læuiores effictæ sunt, tria certe morborum Genera quatuor morborũ propriarũ instrumẽtariarum partium. Conformationis. Figuræ.
C genera in cõformatione consistent. Vnum in figura connata, vel aduentitia: alterum in cauitate meatuue immodice patente, aut solida obturataue, & tertium in asperitate & læuitate. Ac in singulis generibus alii nascuntur. Nam figura multis modis variatur, vt si partes, quæ natura recte esse debent, curuantur, quemadmodũ in valgis & vaciis accidit. Item si curuæ eriguntur, si rotundę, quadratę redduntur, si distorquentur, si dirrumpuntur, luxantur, aut quocunq; modo legitima earundem figura deprauatur. In partib. quas natura cauitatibus & meatibus quibusdam donauit, multiplices fiunt morbi. Vel enim prorsus perditæ sunt cauitates, vel angustiores, vel latiores, vel pauciores, vel plures sunt, vel in iis partibus reperiuntur, quas solidas esse oporteret. At in asperitate & læuitate vnicum solum genus statuitur morbi, exasperatis scilicet partibus, quas læues esse Cauitatis. Asperitatis & læuitatis.
D conuenit: & illis læuigatis, quas asperas esse oportet. Quæ cum omnia Galenus in *lib. de morb. differ.* exemplis aptissimis illustrauerit, non est, cur de illis longius disseramus. Numero partium iusto corrupto, duæ nascũtur morborum differẽtiæ: aut enim pauciores sunt partes, aut abũdant. Exempla horum sunt sextus digitus, vnguis in oculo: item detruncatio auriũ, digitorũ ablatio, & eius generis alia. In magnitudine itidem duo morborum consistunt genera. Vel enim supra modum excrescit partium moles, vel minuitur plus, quam ratio postulat. Incrementum vero duplex, nempe vel connatum, vel aduentitiũ: quale erat, quod Nicomacho Smyrnæo accidisse refert Galenus. Connatũ est, vbi quis magno admodum capite nascitur. Minuitur in atrophia & alimenti defectu. In compositione, vel, vt nonnulli vocant, coniunctione partiũ bifariam morbi accidunt. Numeri. Magnitudinis. Compositionis.
E Primo, quum positus mutatur: id quod fit, si partes suo minime stent loco, & a suis sedidus recedunt: quemadmodum in luxationibus, ramicibus intestinorum & omenti articulorumq; commotionibus euenit. Secundo, quũ perperam connectũtur, vt si vincula fuerint laxa, aut intenta, aut abrupta, & vbi partes præter naturam coalescunt. Atq; hi sunt simplices corporis partiũ morbi. Cõpositi eatundẽ morbi sũt, vbi cõplures ex simplicib. iã dictis particulã aliquã simul infestãt, vt si in oculo simul sit vnguis, & lippitudo. Compositi morbi.

De continui solutione, similaribus & instrumentariis communi morbo. CAP. VI.

COntinui vnitatisue solutionem tam similaribus quam instrumentariis partibus esse cõmunẽ, Galenus *in lib. de morborum differentiis,* hac ratione probat: *Si quum secundum naturam se habent, aliquid similaribus & instrumentariis partibus inest commune, quod actionem* Cap. 4.
F *præstat, omnino vtiq; si idipsum corrumpitur, communis quidã ipsis morbus statuetur. Atqui cõmunis singulis partibus vnitas, qua vnaquæq; si prædita fuerit, vna esse, & vnam actionem, vel vnum vsum perficere dicitur. Si vero hæc ob aliquam occasionem soluatur, ipsa illius partis morbus est.* Hæc Galeni ratio plane euincit, continui solutionem esse vtrisq; partibus communẽ morbũ. Quippe nemo sanę mentis inficias ibit, vnitatẽ esse id cõmune, quod animal functionẽ

præstat, quod in confesso sit, hac corrupta, confestim quoq; actionem partium labefa- A ctari. Ceterum instrumentariarum partium actionem lædi earũdem vnitate corrupta, notius est, quam vt demonstrari debeat, nec est hodie qui idipsum in dubium vocet. Similarium vero non eadem est ratio: sunt enim, quorum sententiam nonnulli hodie Galeni aduersarii magno conatu tueri student, qui vnionem & continuitatem partium similarium actionibus nihil prodesse, nec solutam obesse contendunt. Atqui huius opinionis assertores initio meminisse oportuit, omnem substantiam, quæ generationi & corruptioni subiecta est, vnitam esse, adeoq; alterari posse, quod Hippo. certe affirmat, & Galenus aduersus Epicurum, Asclepiadem, Democritũ, & Leucippum, qui vacuitatibus quibusdam hanc interceptam esse asserebant, in *libr. de morborũ, & tertio de Pulsuum differentiis* ostendit. Non est autem similariũ partium vnio, *vt Galenus in libello de constitutione artis medicæ etiam testatur*, nisi a natura, vel, vt ibidem etiam ait, ab elementorũ commoderatione. Si itaq; vnio similarium partium corrumpitur, necesse est earundẽ commoderationem, adeoq; partium similarium essentiam, constitutionemq;, quam ex primis elemẽtis consecutæ sunt, vitiari. Hæc enim ita in similarium partium procreatione mista & contemperata sunt, vt vnitam earum substantiam effecerint. Neq; enim negare poterunt, similares partes ex quatuor elemẽtis simul contemperatis esse procreatas. Si vero soluta vnione corrumpitur earundem essentia constitutione, *vt iam ostendimus*: igitur *actionem quoque illarum, vtpote quæ constitutionem necessario sequitur, adeoque ab ea veluti a sua caussa pendet, labefactari est necesse*. Quum autem corrumpi similarium partium essentiam per continui solutionem dicimus, nõ intelligimus eam ita corrumpi, vt in alteram speciem transferatur, & abeat: nam id solius est primæ qualitatis opus: sed quod vnita substantia separetur. Sed aduersus illa quæ diximus, aduersarii ita instant: *Actiones similarium partium sunt, quæ naturales a medicis dicuntur, attractio, retentio, concoctio, & expulsio. Pars autem vulnerata, nisi intemperies accedat ex affluxu humoris, attrahet, retinebit, concoquet, & expellet, & denique nutrietur, & augebitur, non minus profecto, quam antea, dum omnino erat integra, quemadmodum videmus in carnis procreatione fieri, vbi non solum proba perficitur nutritio, sed etiam quod ex vulneris concauitate est deperditum, actione partium diuisarum restituitur*. Hęc illi. Fatemur quidẽ naturales actiones vocatas omnibus similaribus adhuc integris inesse: vulneratas autem & diuisas easdem actiones illabefactatas seruare, hoc est quod cõstanter negamus. Quod enim caro in vulneratis partibus procreatur, id non partibus diuisis acceptum referendũ erit, sed subiectæ potius carni adhuc sanę & integrę. Ex ea enim carnis generatio, *Galeno lib. 3. & 4. Ther. Method. teste*, ortum habet: ibidem namq; inter alia sic scriptum reliquit: *Subiectæ carnis affectus caussæ rationem obtinet ad id, quod efficitur, Quippe ex hac, & per hanc, tum quæ dissident, glutinantur: tũ quæ caua sunt, carne implentur*. Quare falsum est, quod in sua probatione assumunt aduersarii, id quod deperditũ est, actione partium diuisarum restitui. Hę nanque, vtpote quarum constitutio iam corrupta est, nihil vnquam sanguinis, vnde caro procrearetur, boni attraherent, quod constitutione labefactata tum communes, tum proprias partium actiones lædi sit necesse. Sed iterum instant aduersarii, inquientes: *Si pertinacius contendas impediri actiones similarium a solutione continui, idem nobis concedis de aliis prædictis oportet, nempe figura, conformatione, magnitudine, & connexu. Nam contortum os, aut alia pars male conformata, similes noxas experietur ob peruersam conformationem iis, quas solutam vnionem inferre posse putas. Sic sane non minus, occlusis, aut patefactis, aut alio modo vitiatis suis meatibus, pars similaris proprias obire actiones prohibebitur, quam si diuisionem aliquam patiatur*. Respondeo, Minime gentium, siquidem a figura, conformatione, magnitudine & connexu, similarium partium essentia ac constitutio nõ labefactatur: ideoque earundem quoq; actionibus nullam inferunt noxam. In partibus igitur similaribus, quatenus similares sunt, qui in magnitudine, numero, & connexione consistunt morbi haud generantur, quandoquidem nihilominus similares partes sanę sunt ac integrę, quum male figuratæ sunt, aut iusto maiores, aut minores. Ad has igitur ea solum ratione pertinent, qua ad instrumentarias componendas requiruntur, quarũ certe cõpositio vitiatur, nisi debita a cõuenienti figura, magnitudine, numero, & cõnexu illas constituant. Hinc nõ temere Gal. in libello de Artis cõstitutione ita scriptũ reliquit: *Cõstat igitur, ligamenta magnitudinẽ quandam, figuram, numerũ, & cõpositionẽ requirere. Siue n. minora, aut maiora, plura, aut pauciora, quã oportet, fuerint, siue aliam figurã habeãt, alio loco inhærescant,*

Margin notes: Aduersariorũ Galeni sententiam improbantium argumenta diluuntur. — Similariũ essentia vt corrũpatur. — Obiectio. — Solutio.

Margin letters: B, C, D, E, F

A *scant, non amplius inculpabilis articulorum motus perficitur.* Vitiata itaq; figura & magnitudo, non ipsis similaribus, sed instrumentariis, quæ ex eis constituuntur, accidit. Nihil enim refert os, quatenus est pars similaris, esse contortum, rectum, rotundũ, quadratum, magnum, aut paruum, propterea, quod omnis generis talia in corpore humano reperiantur: quatenus autem instrumentariam constituit partem, necesse est, vt in thorace sit reflexum & incuruum, in brachio & tibia rectum, in brachiali, quartũ maxime rotundũ, in pede cubiforme quadratum. Quam certe figuram, nisi in iam dictis partibus obtineat, earundem constitutio deformatur. Pari ratione in femorum constitutione magnum sit os oportet, in brachialis exiguum. Vt hoc nomine rectissime morbi, tum in figura, tum in magnitudine ad instrumentales dũtaxat partes a Galeno, & aliis veteribus relati

B sint. Quemadmodum autem nihil refert partes similares, quatenus similares sunt, hac vel illa forma esse præditas: sic etiam nihil refert, cauitatem habeant, necne, quatenus similares sunt. Quod neruorum exemplo demonstrasse satis sit. Nam neruus quatenus est pars similaris, neque solidus, neque cauus necessario exsistit: quia vtriusque generis nerui in corpore animantis reperiuntur, & inter omnes forte, non nisi vnus visorius scilicet appellatus, perforatus exsistit. Sic venę & arteriæ, quatenus sunt partes similares, non necessario cauitate donatæ sunt. Venæ enim, & arteriæ sunt, quod tunicis suis & membranis cõstent, quæ certe nutrirentur, perinde, vt aliæ partes solidæ, etiamsi non essent cauæ. Quatenus autem instrumentarias constituunt, necessario cauæ exsistunt. Neq; enim ad eas, quibus hoc nomine insertæ sunt, partes spiritum & sanguinem, nisi

C cauæ essent, perferre possent. Quod si igitur obstructio in iis, ex crassis humorib. nascitur, non ipsarum certe, sed instrumentariarum partium, quibus illæ insertæ sunt, morbus exsistit. Hinc est, quod Galenus *libr. 2. Therap. method. cap. 6.* obstructionem venarum, quæ in cauo iecoris habentur, ex lentis & crassis succis ortam; non venarum, sed ipsius visceris morbum esse dicat. Atque eius rei quoque caussam subiicit, quia, inquit, nulla similarium eius pars ægrotat. Obstructio namque venarum essentiam, quatenus scilicet membranæ quædam, aut tunicæ sunt, non lædit, sed manent integræ, & illæsæ, non obstante, quod in illis obstructio iam dicta sit orta. Obstructio igitur earundem actiones, quatenus cauæ sunt, lędit. Pari modo *lib. 1. de Sympt. caussis, cap. 1.* obstructionem accidere neruo visorio, vt est pars instrumentalis, inquit: nõ certe, quod reuera

D sit pars instrumentalis (omnib. enim constat similarem esse) sed quod instrumentalibus sit inserta, illisq; inseruiat. Quasi dicat Galenus, *obstructio in neruo visorio fit, non quatenus est similaris, sed quatenus instrumentariam constituit, aut quatenus cerebri caussa est perforatus, aut quatenus ad instrumentales pertinet.* Quare non est eadem ratio vnionis, conformationis, & magnitudinis. Nam vnio, *quod etiam Auerrhoes sect. 1. de sanitatis functionibus attestatur*, similaribus partibus, quam instrumentariis magis conuenit. Hæ enim proprie loquendo non vnitæ, sed contiguæ potius, illæ vere continuæ & reuera vnitę sunt. Vt hinc Sole clarius sit, solutionem continui partibus similaribus verius, quam instrumentariis tribui, adeoque toto cœlo errare, qui pruritu nouorum dogmatum laborantes, hanc partibus similaribus non esse communem, sed instrumentariis duntaxat propriam temere contendunt. Verum pergunt aduersarii. *Si*, inquiunt, *solutio continui similarium actionem lædit, adeoq; earundem morbus est, sequeretur nunquam posse reperiri morbum ex solutione continui in parte instrumentali, quin similares etiam ipsa morbo affligantur. Non enim potest solui vnio partis instrumentariæ, manente integra, & sibi continua similari, quæ ad instrumenti compositionem assumitur. At Galenus ipse* ἀποσπάσματι *morbos organicarum partium, & non similarium esse censet, nimirum, quod quæ relinquuntur partes similares, non minus exerceant sua officia, quam quum essent antea integræ: alioqui idem illud etiam similarium morbus esset.* Hæc illi. Sequelam haud agnoscimus. Nam in auulsione, quæ Græcis ἀπόσπασμα vocatur, partium instrumentariarum vnio soluitur, similaribus manentibus integris, & nullo morbo afflictis. Siquidem similares, quæ prius instrumentali cohærebant parti, iam ab ea auulsæ, nec vt antea parti instrumentariæ contiguæ sunt, & vniuntur, adeoque ipsius vnio, quæ non est, nisi partium similarium coalitus, diuisa est. Similares vero partes manent integræ, nec quicquam illarum patitur essentia. Quapropter Galenus rectissime auulsionem ad instrumentarias partes retulit, vtpote per quam earundem vnio soluitur, similarium vnitate illabefactata: vt hinc iterum perspicuum euadat, instrumentariarum vnionem ve-

Solutio continui partib. similaribus verius quam instrumentariis cõuenit & tribuitur.

ἀπόσπασμα.

E

F

rius contiguitatem dici: quod si vera vnio esset, ab ea partes eius auelli non possent, nisi ipsæ vna diuiderentur. Arteriarum autem vel ligamentorum omnimodam diuulsionē dilaniationemue Galenus recte & totius instrumenti, & diuulsæ particulæ commune esse pathema dixit, quod vtriusq; in ea soluatur continuitas. Totius quidem, quod partes eius amplius sibi inuicem, neq; cohęreant, neq; vniantur, adeoq; ipsum in se diuisum, & vnum nō sit. Partis diuulsæ, quia non maneat vna, sed in duas dissecta sit. Sin ligamentum ex toto diuulsum non fuerit, totius instrumenti morbus non est, quod videlic. eius partes adhuc instrumentali cohæreant & vniantur: sed solius, quę perpessa est continuitatis solutionem, partis. Quare par in vtroq; ratio, quod putant aduersarii, non est. Cum itaq; vnionis solutio, tam similarium, quam instrumentariarum partium cōstitutionem labefactet, adeoq; eandem vitiet actiones, morbus sit, non caussa morbi oportet. Ceterum, continuitatis solutio in similaribus facta, varias habet appellationes. Quippe in osse Græcis κάταγμα, Latinis *fractura* dicitur. Nam ea, *Aristotele etiam libr. 4. Meteo. cap. 9. teste*, proprie frangi dicuntur, quæ in magnas partes diuidi, distrahiq; possunt, quæque essentiam solidam & duram consecuta sunt. In carnosis partibus communiter Græcis ἕλκος, Latinis *vlcus* nominatur. Proprie autem vnitatis solutio in carnosis partibus ex vulnerando facta, *Galen. lib. 3. Ther. Metho. cap. 1. suffragante*, Græcis τραῦμα, Latinis *vulnus* vocatur. Ea vero, quæ citra vulnerationem ex humorū malitia & acrimonia accidit, Græcis proprie ἕλκος, Latinis *vlcus* nuncupatur. Quæ in carnosis musculorum partib. ex distentione prouenit, Græcis ῥῆγμα, Latinis *ruptio* vel *ruptura* nominatur. Quum vero fibræ similiter tensæ rumpuntur, Græcis σπάσμα, Latinis *conuulsio cum ruptione* dicitur. Si acutum & tenue fuerit id, quod vulnerat, Græcis νύγμα καὶ νύξις, Latinis *punctura* & *punctio* vocatur. Quod si carnosæ partes, & mollia ossa, qualia sunt puerorum, a valido & graui aliquo ac duro corpore colliduntur, Græcis θλάσμα & θλάσις, Latinis *collisio* & *contusio* appellatur. Si cauitas aliqua in parte, quæ collisa est, a re, quæ ferit, inducta est, Gręcis ἔνθλασις, Latinis *illisio* nuncupatur. Ossium ab acribus humoribus *erosio*, Græcis τερηδὼν, Latinis *caries* vocatur. Solutio continui in capitis ossibus Græcis ῥωγμὴ, Latinis *fissura*. Si vero caluariæ diuisio ab acuto aliquo irruente & incidente fit, Græcis ἐγκοπὴ, διακοπὴ, & ἕδρα, Latinis *incisio, intercisio, & sedes* dicitur. Solutio vnitatis in ligamento Gręcis διάσπασμὸς καὶ διάσπασμα, Latinis *diuulsio* nominatur. Vt hinc pateat, in Galeni codicibus excusis *in principio quarti libri de Medendi ratione*, mendam esse, vbi vnionem solutam in ligamento vocari ἀπόσπασμα scribit. Nam, *vt paulo post dicemus*, ἀπόσπασμα ad instrumētales perpetuo, nunquam ad similares, refertur partes. Cum itaque ligamentum sit pars similaris, fieri non potest, vt ἀπόσπασμα eius diuisio appelletur. Quare pro dictione ἀπόσπασμα substituenda venit διάσπασμα. Hinc Galenus *cap. 11. libri de Morborum differentiis*, vbi de ligamenti diuisione loquitur, ait: ὅπου διασπᾶται σύνδεσμος, non ἀποσπᾶται. Quod certe illi faciendum erat, si ἀποσπάσματα ad ligamenta tantum referre voluisset. Mirum autem a nullo interprete hoc ipsum hactenus esse animaduersum. Tot igitur talesque differentiæ solutionis vnitatis sunt, quatenus similaribus partibus accidit. In instrumentariis autem partibus, non perinde vt similaribus, propria habent nomina, sed omnia vocantur ἀποσπάσματα, id est, auulsiones. Testis eius rei Galenus, qui in libello de *constitutione artis medicæ*, ita scriptum reliquit: Ἐν ὀργανικοῖς δὲ κατὰ τὰς τῶν ἑτερογενῶν γίγνεται συμφύσεις καὶ καλεῖται πάντα ἀποσπάσματα. Quibus sane verbis innuit, omnia morborum solutæ cōtinuitatis genera in instrumentariis partibus fieri per cohærentias partium, quæ sunt diuersi generis, & vocari auulsiones. Nam partes similares, quæ sunt diuersi in instrumentariis generis, vt in capite sunt membranæ, ossa, venæ, arteriæ, & aliæ diuersi generis & naturæ sibi cohærent, quantisper vnitas instrumentalis seruatur. Quum vero, quæ prius cohærebant partes similares ab instrumentariis auelluntur, earundem vnio corrumpitur, ideoque auulsiones illæ merito, vt comprehensum est, ad instrumentales pertinent.

[Margin, A–E: Differentiæ solutionis cōtinuitatis in similaribus euenientis. Fractura. Vlcus. Vulnus. Ruptura vel ruptio. Conuulsio cum ruptione. Punctura. Collisio, seu contusio. Illisio. ἔνθλασις. Caries. Fissio vel fissura. Incisio. Intercisio. Sedes. Diuulsio. Galeni locus emendatus. διάσπασμα. ἀποσπάσματα quæ. Auulsiones.]

De Differentiis morborum generatim. Cap. VII.

Ex iam commemoratis tribus primis morborum generibus, alii breues, alii lūgi sunt. Breues duplici constant differentia: quidam enim *peracuti*, quidam *acuti*. Ex peracutis rursus alii exquisite vel simpliciter peracuti nominantur, qui vltra quartum diem non extenduntur. Hos barbaram sectantes medicinam perperacutos appellant.

[Margin: Breues morbi. Peracuti. Exquisite vel simpliciter.]

Rectius

A Rectius autem peracutissimos hos omnes, qui intra quartum abeunt diem, morbos vocarent. Alii non exquisite, vel non simpliciter peracuti sunt, qui quartum excedunt, & ad septimum non raro producuntur. Acuti trifariam diuiduntur. Nam quidam simpliciter, id est, sine adiectione aliqua, acuti dicantur, qui *Hippocrate sect. 2. Aphor. Com. 23. auctore*, intra decimumquartum diem iudicantur. Quidam non simpliciter acuti, sed qui ad vigesimum vsque progrediuntur, vel intra vigesimum finiuntur. Alii vero sunt, qui acuti nominantur, hoc adiecto, quod quadraginta diebus iudicantur. Horum Hippocrates quidem *lib. 1. Progno. 28.* mentionem facit. Hi a Galeno alio nomine ἐκ μεταπτώσεως, id est, *ex degeneratione, & mutatione in aliam speciem*, & a Galeni quibusdam interpretib. ex decidentia acuti dicuntur: quod scil. per imperfectas iudicationes ab vna morbi specie in aliam mutentur, vt si pleuritis in suppurationem abit.

Non exquisite vel non simpliciter. Acuti. Simpliciter. Non simpliciter. Ex mutatione.

B Longi seu diuturni morbi sunt omnes, qui acutorum terminum transcendũt. Vt autem breues a calidis magna ex parte humoribus, sanguine nimirum & flaua bile: sic diuturni a frigidis, pituita, & atra bile, nascũtur. Quod Hippocrates in Epidemiis, suo more, breuissime iis innuere verbis voluit: *In cranone antiqui dolores frigidi, noui vero calidi*. Præter has muliæ aliæ quoq; morborũ sunt differentiæ, quidam enim sunt communes, qui multos vno in loco inuadunt, hos Græci παγκοίνους & simpliciter κοινοὺς appellant. Contra alii sparsi, σποραδικοὺς Græci nominãt, qui non multos vniuersim & communiter, sed separatim sparsimq; vnumquemque apprehendunt, vel, *vt Galenus li. 1. Epidem. præfatione*, inquit, qui vnumquemq; priuatim inuadunt, vt quum hunc pleuritis, istum nephritis, illum tabes corripit. Communiũ mor-

Longi morbi. 6 Epide. sect. 1. Aphor. 7. Communes. Sparsi.

C borum quidam ἔνδημοι, id est, *patrii & vernaculi* dicuntur, qui semper locum quẽdam occupantes tenent. Alii ἐπίδημοι siue ἐπιδήμιοι, hoc est, *vulgares, qui anni tempore aliquo, in regione aliqua grassantur*: quorum qui perniciossimi sunt, multosq; occidunt, pestilentes vocãtur. Differunt autem Endemii ab epidemiis, quod illi perpetuo eandem regionem obsideant, & caussam habeant ambientem aerem ab inferioribus terrenisq; caussis infectum: hi vero minime, & quod caussam habeant aerem, non ex loci ratione, sed potius ex cœli statu infectum. Sunt etiam dicti morbi πάνδημοι, id est, *plebeii*, quod plebem tantum, seu vulgi fæcem corripiant. Est & morbus alius malignus, Græcis κακοήθης dictus, qui grauia infert symptomata, vel, vt *Galenus definit lib. 1. de Iudiciis, cap. 16.* cui adsunt grauia indicia. Cui opponitur is, qui Græcis εὐήθης, hoc est, *benignus, mitis, seu placidus* vocatur,

ἔνδημοι. Patrii. Vulgares. Pestilentes. πάνδημοι. Malignus. Benignus.

D qui leuia infert symptomata: vel cui securitatis signa adsunt. Quidam *magnus* est, qui vehementer corpus affligit & infestat, quiq; vim magnam obtinet: id quod accidit tribus potissimum de caussis, quod scilic. in nobili & præstanti aliqua parte consistat, aut quod plurimum a naturali statu recedat, & periculosus sit, aut quod suapte natura, & propter suam essentiam magnus. Hic alio nomine veteribus Græcis σφοδρὸς, id est, *vehemens, &* ἰσχυρὸς, hoc est, *validus* noncupatur. Grauis autem, quem iidem χαλεπὸν appellãt, est idem cum vehementi, quamuis proprie periculosum significet. Nam qui vehemens est & difficilis, is etiam periculosus exsistit. Quare veteres Medici iis nominibus promiscue sunt vsi. Ceterum inter morbos, quos humoris vitium committit, quidam sunt *exquisiti*, qui scilicet in suo genere synceri sunt, & mistione humorum non adulterantur. Hinc

Magnus. Vehemẽs. Validus. Grauis. Exquisiti.

E *legitimi* alio nomine dicuntur. Sic *tertiana exquisita & legitima* vocatur, quæ ex pura bile gignitur. Pari ratione *exquisitum erysipelas* nominatur, quod non est cum phlegmone, aut alio genere tumorum præter naturam commistum & adulteratum. His contrarii nothi spuriiue, non exquisiti, illegitimi & impuri nominantur, qui scilicet alterius humoris mistione adulterati sunt. Sic tertiana, quæ cum pituita miscetur, non exquisita, & notha vocatur. *Exquisitum* nomen etiam in compositis vsurpatur morbis, vt quum exquisitam semitertianam appellamus, quæ ex æquali mistione tertianæ & quotidianæ continuæ nascitur. Morborum quoque alii Græcis ἐν ἕξει, hoc est, *in habitu* dicuntur, qui difficile discutiuntur ac remouentur. Contra ἐν σχέσει, qui facile abiguntur, ac discutiuntur. Ex morbis nonnulli simplices, quidam vero compositi sunt. *Simplex* autem

Legitimi. Nothi. Spurii. Non exquisiti. In habitu. ἐν σχέσει. Simplices.

F morbus, apud Galenum non vno dicitur modo. Nam aliquando simplicem pro miti, placidoque vsurpat, idque Hippocratis exemplo, qui *in 3. Prognosticorum* placidissimas & mitissimas febres, simplicissimas vocauit. Nonnunquam pro vno capitur, vt simplex sit morbus, in quo simplex & vnicus sit affectus. Hoc modo ei, qui compositus est, opponitur. *Compositus* vero est, quem σύνθετον Græci vocant, qui cum alio coniungitur mor-

Compositi.

Cōplicati. Confusi. bo. Ex compositis autem alii complicati siue implexi, Græcis ἐμπλεκόμενοι sunt dicti, qui ita coniunguntur, vt eorum natura distincta sit, & diuersis horis inuadant. Alii confusi sunt, qui ex mutua commistione ita coniunguntur, & inter se temperantur, vt illorum natura minime distincta appareat, & iisdem horis inuadant, atq; ob id Græcis κεραννύμενοι nominantur. Inter morbos etiam est, qui ordinatus appellatur, qui statis certisque temporibus affligit: *vt tertiana, quæ tertio quoque die inuadit.* Contra inordinatus est, qui incerto tempore, & minime secundum circuitum recurrit. Hic alio nomine errans, & erraticus, incertusque nuncupatur. Is vero, qui ordinem certum seruat, stabilis, & constans vocatur. Sunt etiam ex morbis, qui *recurrentes, redeuntes siue* Latinis appellantur, Græcis ἐπανερχόμενοι, qui parum quidem remittuntur, moderatioresque euadunt, sed rursus postea exacuuntur. Hippocrates ὑποστρέφοντα νοσήματα alio nomine vocat, Latini *recidiuam* facientes. Morborum quidam sunt *primarii*, qui aliis non succedunt, nec ab aliis excitantur, sed a suis caussis primo gignuntur. *Secundarii* vero, qui ab aliis nascuntur morbis. Hi Græcis per συμπάθειαν, nobis per consensum, *& per* δευτεροπάθειαν constare dicuntur: sicut priores per πρωτοπάθειαν. Ex morbis aliqui per se dicuntur, qui primo & immediate partem occupant. Ex accidente alii, qui secundo loco vel secundario, vt hodie loquuntur, ad aliam pertinent. Sunt etiam salutares vocati, in quibus certo speratur salus, aut qui, vt plurimum ad salutem finiuntur. Lethales vero, qui vel semper, aut magna ex parte perimunt. Possunt etiam multæ aliæ morborum differentiæ a tempore humoribus, & id genus aliis rebus desumtæ statui, quas nominatim percensere nihil attinet. Atque hactenus generatim morborum differentias enumerasse ad eum, quem proposuimus, modum sufficiat. Nunc ad tertium præter naturam affectum, nempe symptoma, vt progrediamur, ordinis ratio postulat.

(Margin: Ordinatus. Inordinatus. Errans, Stabilis. Recurrentes. Recidiuā facientes. Primarii. Secundarii. Per se. Ex accidente. Salutares. Lethales.)

De symptomatis definitione. CAP. VIII.

CVM de caussis morbificis, morbisque ipsis abunde pro instituti nostri ratione egerimus, reliquum est, vt de symptomatis verba faciamus. Symptomatis vero vox, vt *in lib. de Symptomat. differentiis auctor est Gal.* bifariam vsurpatur, generatim scilicet, ac speciatim. Generaliore significatione pro omni eo, quod præter naturam in corpore accidit. Qua sane ratione & morbus, & morbi caussa interna, symptomata dici possunt. Speciatim, seu proprie, quicquid præter naturam, morbo, & eius caussa exceptis, in corpore reperitur, symptoma vocatur. Atq; hoc modo sumtum symptoma, nihil aliud est, quam affectus præter naturam, qui morbos, veluti vmbra corpus, necessario sequitur, illisque succedit. Hinc est, q; idipsum nonnulli Græci Medici, non symptoma, sed ἐπιγέννημα, hoc est *succedens*, scilicet morbum, appellare maluerint. Quanquam σύμπτωμα quoq; nomen illi pulcre quadrat, quod ei a verbo συμπίπτω, *quod simul cado denotat*, est impositum, nulla alia de caussa, quam quod simul cum morbo eueniat. Interpretes aliquot *Galeni casum*, alii *accidens* vertunt. Priorum interpretatio, modo in hac significatione satis perspicua & Latina esset, tolerari posset, posteriorū nequaquam. Nā Galeno σύμπτωμα diuersum est ab accidente, quod ille συμβεβηκὸς vocat. Siquidem, *vt primo lib. meth. medendi. cap. 9.* ille testatur, proprie loquentibus, ea, quæ sanorum constitutionem sequuntur συμβεβηκότα, id est, *accidentia*: quæ vero ægrotantium, symptomata dicuntur. Nec studiosos turbare debent hoc loco quorundam cauillationes, qui aliter vocem symptomatis Galenum *in libro de optima secta* vsurpasse aiunt, vbi symptomata quædam esse secundum naturam, vt nigrum colorem in Indis, diserte tradit. Nam non animaduertunt, aut certe dissimulāt, Galenum eo loci non ex sua, sed potius Methodicorum, contra quos ibidem disputat, sententia loqui, qui symptomatis vocem ad omnia ea, quæ in corpore nostro accidunt, accommodarunt. Miror autem vehementer, eiusmodi calumniis delectari hodie viros eruditos, quorum certe erat veterum dicta potius candide, quod faciendum esse certe studiose Galenus ipse iam pridem monuit, interpretari, quam ita insidiose & hostiliter ad suas cogitationes parum recte institutas detorquere. Sed accipient haud dubie parem mercedem, habebuntque, olim qui ipsos pro meritis tractabunt, & qui eorum etiam optime dicta aliter ac ipsi dixerint, interpretabuntur. Non solum vero hoc nomine reprehendunt generalem symptomatis apud Galenum acceptionem, sed etiā his verbis, Symptoma generatim est, *quicquid animanti præter naturam accidit*: falsam affingunt, inter-

(Margin: Symptoma bifariam vsurpatur. Generatim. Speciatim. ἐπιγέννημα. Interpretes Latini Galeni notantur. συμβεβηκὸς. Quorundam cauillationes diluūtur.)

A interpretationem. Nam præter naturam interpretantur, quod plurimũ a naturali statu recedit: quum tamen Galenus, quicquid a naturali statu recedit generatim symptoma nominet. Sic *pandiculatio, palpitatio, sternutamentum, & tussis* inter symptomata, cum sint motus præter naturã, rectissime ab eo numerantur. Nam etsi parũ admodũ corpus, vel partem molestant: tamen quia præter naturam & a morbis actiones lædentibus eueniunt, symptomata sint oportet. Ceterum, quę de sanguinis excretione, vomitu, & aliis excretionibus, quæ toto genere præter naturam sunt, & a symptomatum tamen consortio seiunguntur, adferunt, in nostris comentariis super librum *de symptomatum differentiis*, diluimus. Cum enim non morbi impetu, sed naturæ potius robore fiant, actiones naturæ, non symptomata sint, neque præter naturam accidant, oportet. Fiunt autem B robore naturæ, si tempestiue fiunt. Tussis autem, rigor, horror, singultus, sternutamentum, & id genus alia, perpetuo sunt actionum noxæ, & a morbis excitãtur, ideoq; symptomata sint, est necesse. Nec verum est, quod iidem Galeno affingunt: nihil eorum, quæ ad animalis commodum in corpore peraguntur, Galenum inter symptomata reputare. Nam, *vt recte colligunt*, hac ratione tussim, rigorem, sternutamentum, & id genus alios præter naturam motus, inter symptomata temere collocasset. Galeno itaque ne per somnium quidem in mentem venit, inter symptomata non reputari, quæ ad animantis commodum in corpore excitantur. Constat enim omnibus, nullum esse motum præter naturam in corpore, per quem non noxia expurgentur. Cum vero illi a morbis excitentur, adeoque actionum noxæ sint, rectissime symptomatis annumeran-C tur. Quod si vero robore facultatis & naturæ, animalisque præmeditatione, nõ vi morbi, ac inuito animali fiunt, non symptomata, sed naturæ actiones rectissima ratioẽ appellantur. Quod si animaduertissent aduersarii, non eo absurditatis prolapsi fuissent, vt symptoma pressius sumtum non solum a morbis, sed etiam a morborum naturaliumque rerum caussis fieri dicerent. Verum de symptomatis definitione satis.

De Symptomatum generibus differentiisue. CAP. IX.

SYmptoma proprie sumtum in tria partitur genera. Alia enim sunt functionum noxæ, alia corporis nostri affectus, alia quæ ad vtraque per immodicas excretiones & retentiones sequuntur. Qu propter promiscua plane sunt, vt quæ modo ad affectus D corporis, modo ad functionum noxas sequuntur. Porro noxæ functionum nomine intelligimus debilitatem, deprauationem, atq; etiam abolitionem, cuius duæ primæ sunt differentiæ. Vel enim animalium, vel naturalium functionum noxæ exsistũt. Rursus animalium functionum noxę trifariam secantur. Vel enim sunt sensilium actionum, vt *visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus prorsus amissus, hebes vel deprauatus.* Vel motricum, vt est, *partis immobilitas, & difficilis motus.* Vel principium actionum, *vt imaginationis, ratiocinationis, & memoriæ abolitio, debilitas, & deprauatio* Naturalium functionum noxæ sunt, *appetentia, concoctio, distributio, pulsus, attractio, alteratio, retentio, & expulsio abolita, imbecilla, vel deprauata.*

Noxæ functionum, Animaliũ. Sensiliũ. Motricum. Principum actionum. Naturaliũ.

Affectus nostri corporis, hoc est, symptomata, quæ ex genere sunt permanen-E tium & constantium, neque amplius in ipso fieri suam essentiam possident, atque adeo vere subsistunt, quadruplici genere complectuntur. Sunt enim visiles affectus, vt colores præter naturam totum corpus, partem vnam, vel plures occupantes, vt est color in morbo regio, & vitiliginis generibus, aliisque partium malis. Nam ii colores aliquãdiu manent, nec ita subito cum morbis, a quib. procreati sunt, abeunt, imo interdũ difficulter amouent. Olfactiles seu odorabiles, vt fœtores aurium, narium, maxillarum, & aliarum putrescentium partium, ructus fumosi & fœtidi. Gustabiles, *vt sapores præter naturam, amarus nimirum, salsus & acris.* Tactiles, *vt cutis durities, tensio, ariditas, flacciditas, & rugositas.* Ea vero, quæ præter naturam vel a corpore excernuntur, vel in eo detinentur, in tres quidem, & primas secantur differentias. Vel enim tota substantia, vel qualitate, vel F quantitate a naturali habitu recedunt. In censu eorum, quæ tota substantia præter naturam sunt, sanguinis excretio, quæ Græcis αἱμοῤῥαγία dicitur, numeratur, neque temere, siquidem per eam excernitur, quod corpori maxime familiare est, & quod in vasis, vtpote naturæ vsui futurum, retineri debebat. Quæ qualitate a naturali statu recedunt, sunt ebrum, quæ excernuntur, colores, & odores præter naturam. Quanti-

Affectus nostri corporis, Visiles. Odorabiles. Gustabiles. Tactiles. Quæ præter naturã vel excernuntur a corpore, vel in eo retinentur. Quæ tota substantia præter naturam. Quæ qualitate.

Quæ quantitate. tate prȩter naturam sunt, sudor, qui immodice excernitur, aut indebite retinetur. Item A vrina, & muliebre profluuium. Igitur iam dicta symptomata, vt comprehẽsum est, modo ad affectus corporis, modo ad functionũ noxas sequuntur. Vt sanguinis profluuium immoderata excretio exsistens, læsam venarum actionẽ, nempe retentionis imbecillitatem, aut immodicum expultricis facultatis motum, sequitur. Idem etiam corporis affectum comitatur, puta calidam intemperiem, vel vulnus, & id genus alios affectus. Tussis præterea affectum interdum corporis, frigidam nimirum intemperiem sequitur. Atque hæc est recepta hactenus symptomatum in sua genera & differẽtias diuisio, quam tamẽ, vt omnia fere alia, aduersarii Galeni labefactare multis rationibus conantur. Quas certe, nisi instituti nostri ratio prohiberet, ordine confutaremus. Quod vero nunc præstare nobis non licet, id Deo annuente, tum cumulatius præstabimus, quum B aliquando Commentarios nostros in hos Galeni *de Symptomatum differentiis & caussis* libros recognoscemus. Id q; vt faciamus, partim typographi negligentia & cerebri errores, partim illorum, qui noua dogmata spargunt, temeritas nos coget. Quum autem hactenus generatim morborum & symptomatum rationem exposuerimus, superest, vt iam eorundem nomenclaturas, iuxta partium corporis, in quibus excitantur, ordinem, propter eos, qui linguæ Grȩcȩ imperiti sunt, exponamus, exorsi a febribus, vt quæ totum occupent corpus.

Febrium breuis & dilucida explicatio. Cap. X.

Febris quid. CVm in hoc capite febrium rationem simus explicaturi, initio *quid febris sit*, ostendamus necesse est. Febris itaque, *est calor præter naturam, qui a corde prodiens, per arterias & venas in vniuersum corpus diffunditur, actionesque eiusdem lædit.* Quæ quidem extrema definitionis pars necessario addita est. Nam quantumuis homo nunc quam antea calidior sit redditus, nondum tamen febri correptus dici potest, nisi calor eousque auctus sit, vt C hominem plurimum offendat, & actiones iam manifeste lædat. Ceterũ, etsi variæ sunt febrium differentiæ, partim ab essentia earundem, partim ab accidentibus sumptæ, vt patet ex iis, quæ *libr. 1. de Febrium differentiis* tradit Galenus: tamen illa, quæ e materia, in qua calor præter naturam accenditur, peti solet, omnium est vsitatissima. Quapropter vt tria sunt, *Hippocrate in Epidemiis teste*, quȩ corpus nostrum constituunt, continentia nimirum, contenta, & impetum facientia: hoc est, solidæ partes, humores, & spiritus: sic etiam tria sunt prima simplicium febrium genera. Quippe si immodicus & præter naturam calor in spiritibus accenditur, febris hæc Grȩcis ἐφήμερα, Latinis *diaria* nominatur. Hæc assimilatur vento vtri calido incluso. Vt enim ille vtrem, cui includitur, calefacit, sic quoque spiritus plus iusto calefactus vniuersum in quo continetur, corpus accendit. *Diaria* vero nomen hoc primũ febris genus, quod in spiritibus accenditur, consecutum est, quod vnicam tantum habeat accessionẽ, vno plurimum die, ex ipsius saltem natura, circumscripta. Desistit enim post primam accessionem, nec vltra vnum diem naturalem appellatam, hoc est, viginti quatuor horas, porrigitur, si quis eam recte tractet. Et hæc profecto vere, exquisite, simpliciterue, ac citra adiectionem diaria nominatur. Est enim altera, quæ cum adiectione plurium dierum diaria nuncupatur, quod scilicet in tertium vsque diem, & interdum longius, *Galen. lib. 2. de Differ. febr. cap. 11. attestante*, nempe ad quartum, vel quintum, sæpius etiam ad septimum vsque extendatur. Hæc certe alio nomine *Synochus* non putrida vocatur. Neque est, cur quispiam miretur, hanc febrem a Galeno & aliis veterib. diariam esse dictam, cum de substantia eius diariæ vocabulum non sit, quandoquidem vltra vnum diem duret ac protendatur. Nam etsi nomen illi aduersatur, tamen quia huic eadem est, quæ aliis diariis, natura: vnam enim accessionem ab initio ad finem perpetuo manentem, in multos porrigit dies: ideo clarioris simul breuiorisque doctrinæ gratia, potissimum cum proprio & conuenienti nomine destituatur, *diaria* rectissime dicitur. Aut igitur aliud, præter tria iam dicta, genus esse in prima febrium diuisione, dicendum est: aut appellatione pro nihilo habita, diariam ipsam nominare oportebit. Alterũ febrium genus est putrida, quando in humoribus putrescentibus calor immodicus accenditur, & ob id putrida appellatur. Hæc similis est aquæ calidæ, vasi alicui infusæ. Vt enim hæc vas frigidum cui infunditur calefacit, ita etiam humores præter naturam calefacti, corpus. Ceterum putrescunt humores, vel

Marginalia: Differentiæ febrium. — 6. Epid sect. 8 aph. 8. — Tria prima simplicium febriũ genera. — ἐφήμερα. — Diaria simpliciter. — Dies naturales. — Plurium dierum. — Synochus nõ putrida. — Putrida. — D — E — F

A intra, vel extra vasa. Intra vasa vero bifariam putrescunt: nempe vel omnes simul, vel vnus duntaxat. Si omnes æquabiliter in omnibus maximis potissimum, vasis putrescunt, *synochus* seu *continens putrida* nominatur. Siquidem Græci σύνοχον *febrem omnem*, in qua vna accessio ab initio ad finem perpetuo manens in multos porrigitur dies, *Galeno libr. 9. Ther. Meth. cap. 7. auctore* appellant, vel breuiter, eam quæ omni mutatione magna vsque ad iudicationem caret. Hanc Latine proprie *continentem* nominare licebit, est que eius gemina natura. Quædam enim nullam prorsus putredinis notam obtinet, atque hæc ex diariarum febrium, vt paulo ante monuimus, est genere. Quædam vero manifestam putredinis notam habet. Prior Latinis dilucidioris doctrinæ gratia, *synochus siue continens non putrida*: posterior autem *synochus seu continens putrida* vocatur. Neque e- B nim imitandi sunt hac in parte barbaram sectantes medicinam, qui hanc *synochum*, illam vero fœminino in genere *synocham* nominant, cum Græci vtrumque genus vno nomine *synochon* appellauerint. Ceterum earum febrium, quæ Græcis *synochi* vocantur, tres sunt differentiæ. Nam quædam illarum a principio ad finem æquali magnitudine ac vehementia perdurant, quas ob id illi ὁμοτόνους & ἀκμαστικοὺς, hoc est, in eodem robore ac vigore permanentes, nuncupant. Quædam vero semper augentur, & exiguum aliquid adiiciunt, quas propterea ἀναβατικοὺς & ἐπακμαστικοὺς, id est, *incrementum accipientes, & inualescentes* appellant. Aliæ contra paulatim minuuntur & decrescunt, ideoque Gręcis παρακμαστικοὶ, hoc ost, *decrescentes* vocantur, *vt fusius lib. 9. Meth. c. 4. & lib. 2 de differ. febrium c. 2. & lib. 2. de iudiciis, cap. 6. Galenus docet*. Porro si intra vasa vnus duntaxat aliquis humor pu- C trescit, febris excitatur, quæ Græcis συνεχὴς, Latinis vero *continua* dicitur. Sic vero est nominata, quod ad quietem, & integritatem, vel, *vt hodie loquuntur*, ad infebricitationem non desinat, remissionem tamen in singulis accessionibus obtineat. Vt hinc pateat, quam inter se σύνοχος & υνεχὴς febres differant. Nam in synocho seu continente nulla fit feruoris remissio: syneches vero siue cõtinua in singulis accessionibus sensilem habet declinationem siue remissionem. Præterea synochus vnicam duntaxat accessionem ad finem vsque durantem obtinet: syneches autem plures. Quemadmodum vero iam dictis rationibus differunt, ita certe in eo conueniunt, quod neutra illarum ad infebricitationem perueniat, *veluti copiosius lib. 2. de iudicius cap. 6. Galenus monstrat*. Ceterum, vt recentiores Græcorum medici, qui Hippocratis secuti sunt ætatem, aliquam D inter has duas febres statuerent differentiam, solœcismum committere maluerunt, quam formam ipsarum febrium sine nomine relinquere. Nam Græce vtraque febris appellanda fuisset συνεχὴς, & neutra σύνοχος. Ideoque, *vt in fine suorum Commentariorum, quos in secundum Hippocratis de Natura humana librum exarauit, Galenus testatur*, neque Hippocrates, neque alius veterum Græcorum vsquam continentem nobis dictam febrem σύνοχον nominauit. A iunioribus itaque Medicis hæc vox excogitata est, cum veteres vtrunque genus febris, nempe & id quod nullam vsque ad iudicium habet mutationem, & eam quæ multis particularibus circuitibus continentur, & remissionẽ aliquam obtinet, sub συνεχέος nomenclatura complexi sint, *vt clarius libr. 2. de differ. febr. capit. 2. & lib. 2. de Iudiciis. cap. 6. fusius ostendimus*. Febrium autem, quæ priuatim Græcis συνεχεῖς, La- E tinis *continua* vocantur, tres sunt species. Quum enim flaua bilis intra vasa putrescit, *tertiana continua*, & priuatim Græcis καῦσος, Latinis *ardens* appellatur *febris*. Vbi autem pituita hac ratione putrescit, quotidiana continua nominatur. Si atra bilis, vel potius melancholicus humor putredinem inter vasa contrahit, quartana continua vocatur. Habent itaque continuæ febres idem genus cum intermittentibus, de quibus paulo post dicemus. Siquidem tertiana continua conuenit cum exquisita tertiana intermittente, quod perinde atq; illa tertio quoq; die accessionem habet. Quotidiana continua, cum quotidiana intermittente, q. scil. singulis diebus accessionem obtineat. Differunt tamen etiam inter se continuæ & intermittentes, non obstante quod humore, qui vtrasque efficit, communicent, idque duplici ratione. Primum, quod in cõtinuis putrescens F humor intra vasa continetur: in intermittenib. autem extra vasa contentus, per sensiles corporis partes dispergitur. *Secundo*, quod intermittentes, eo quod dilationis impetu ipsi per se expurgentur, & ad quietem, vel *vt Græci dicunt* ἀπυρεξίαν, id est, *infebricationem* desinant: continuę autem nequaquam. Hactenus genera febrium, quas humor intra vasa putrescens excitat, commemorauimus. Reliquum est, vt nunc eas febres, quas hu-

Humores bifariã putrescunt.
Continens putrida.
Continens.
Non putrida.
Putrida.
Barbaram sectantium medicinam ineptiæ.
Synochorũ differensia tres.
ὁμοτόνοι.
ἀκμαστικοί.
ἀναβατικοί.
παρακμαστικοί.
παρακμαστικοί.
συνεχὴς.
Continua.
σύνοχος & συνεχὴς.
Febres vt differant.
In quo conueniant.
Solœcism. recentiorũ medicorũ Græcorum.
Continuæ tres species.
Tertiana.
Ardens.
Quotidiana.
Quartana.
Continuæ idem genus cum intermittentibus obtinent.
Continuarum & intermittentium differentia.

Intermittens. Interpolata. Deficiens. Tertiana exquisita, Spuria. Quotidiana exquisita. Hepiala. Hepialos cur dicta. Quintana. Sextana. Septimana. Nonana. Pestilentialis febris.

mores extra vasa putrescentes accendunt, exponamus. Quando autem humores extra A vasa putrescunt, *intermittens* vocata excitatur febris. Hæc vero sic est appellata, quod eius accessio non perpetuo duret, sed remissionem habeat, & vt comprehensum est, ad quietem, & integritatẽ desinat. Latinis alio nomine *interpolata* dicitur, quod nimirum suo tempore accessiones repetat, ac renouet. Sunt qui *deficientem* appellent. Huius tres sunt præcipuæ differentiæ. Vna enim *tertiana*, altera *quotidiana*, & tertia *quartana* nuncupatur. Tertiana rursus bifariam diuiditur, in *exquisitam, synceram, puramue, & notham, spuriamue*. Tertiana exquisita fit, *quando flaua bilis syncera, nullique alteri humori permista, extra vasa putrescit*. Tertiana vero notha fit, *vbi bilis maxima ex parte pituita commista extra vasa putrescit*. Tertiana vero vtraque est dicta, *quod vnum diem intermittant, & tertio redeant*. Quotidiana exquisita est, vbi pituita dulcis extra vasa putrescit. Hæc Græcis priuatim ἀμφήμερος est nominata, quod singulis diebus reuertatur, & accessionem habeat. B Quod si vero vitrea pituita non tota æqualiter, sed ex dimidio ipsius putrida fuerit, aut aliquæ ipsius partes putruerint, aliquæ vero nequaquam, Græcis ἠπίαλος, Latinis Hepiala *febris* dicitur. In hac febre simul ægrotantes febricitant & rigent, atque eodem tempore per vniuersum corpus, & in omnibus eiusdem partibus, Gal. *lib. 2. de Diffe. feb. cap. 6. & cap. 10. libri de Inæquali intemperie teste*, ambo, nempe calorem & frigus immodicum, sentiunt. Partes enim humoris eius putredinem necdum expertæ, omnibus venis, vel etiam reliquo corpori communicatæ & sparsæ, rigorem creant: putrefactæ vero calorem accendunt. Nihil igitur mirum, pituitam hanc, vbi modice putrescit, per omnes sensiles corporis partes, per quas mouetur, calorem & frigus inducere posse. Hepiolos C autem dicta est, *Paulo lib. 2. cap. 25. auctore*, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν ὅπερ ἐστὶ θερμαίνειν, hoc est, quod blande & leniter calefaciat. Quartana intermittens, ab humore melancholico extra vasa putrescente nascitur. Sic vero nominata est, quod duos integros intermittat dies, & quarto quouis die reuertatur. Præter iam dictas febrium intermittentium species, sunt etiam quintanæ, sextanæ, septimanæ, & nonanæ, quarum Hippocrates *lib. 1. Epidemiorum* meminit, ita nominatæ, quod quinto, sexto, septimo, & nono diebus inuadant, & reuertantur. Hæ rarissimæ sunt, adeo, *vt Galen. lib. 1. Epid. Comment. 3.* diserte scribat, se inde vsque ab ipsa adolescentia septimanum vel nonanum circuitum omnino non vidisse, nec clare nec obscure: quintanos certe conspexisse obscuros, sed non exquisite D aut aperte, vt quotidianos, tertianos, & quartanos. Ex putridarum genere est pestilentialis febris, quæ sic dicta est, quod a venenata qualitate, adeoque a pestilentis ac venenati aeris inspiratione oriatur. Nam, *vt lib. 1. de Differen. febr. cap. 5. attestatur Gal.* ambiens aer a putrescibili euaporatione vitiatus, humores etiam corporis putrescere facit. Ceterum pestilentialis febris non ex simplici putredine nascitur, sed accedit etiam caussa alia, id est, venenata, vt iam dictũ est, adeoq; totius substantiæ ꝓprietate ꝑniciosa qualitas, quæ totã corporis substantiã, seu, *vt Gal. alias appellare solet*, tẽperamenti totiusue substantiæ proprietatẽ offendit ac corrumpit. Quod certe confirmant ea, quæ *lib. 2. de Natura huma. Com.* scribit Galen. inquiens: Ἐλλιπῆ τὴν ἴασιν ἔγραψε τῶν κοινῶν νοσημάτων, ὅταν ὑπὸ τοῦ περιέχοντος γίγνηται. Πολλάκις μὲν γὰρ ἀναθυμιάσεις τινὲς ἐξ ἑλῶν, ἢ λιμνῶν, ἢ τελμάτων, ἢ γῆς τοιαύτης αἰτίαι γίνονται τῶν τοιούτων νοσημάτων· ἔστι δ' ὅτε μόνη τῶν ὡρῶν ἡ κρᾶσις. ἐπὶ μὲν οὖν τῶν ἀναθυμιάσεων ἰδιότητι μᾶλλον ὅλης τῆς οὐσίας, E οὐχ ἁπλῶς ποιότητι λυμαινομένων τοῖς σώμασιν, ὀρθῶς ἔγραψε τὴν θεραπείαν, εἰς διττοὺς ἀνάγων σκοποὺς, ἀμοιβήν τε τοῦ χωρίου, καὶ χρείαν ὀλίγης τῆς εἰσπνοῆς. ὑπὸ δὲ τῶν ἀπὸ ποιότητος βλαπτομένων, οὐ μόνον ἡ θεραπεία τῶν γεγονότων ἤδη νοσημάτων, ἀλλὰ καὶ ἡ προφυλακὴ τοῦ μηδ' ὅλως συστῆναι, διὰ τῶν ἐναντίων ἔσται ποιοτήτων: *Morborum communium imperfectam sanationem scripsit, vbi ab ambiente aere nascuntur. Frequenter enim exhalationes, ex paludibus, aut stagnis, aut lacubus, aut eiusmodi terra, talium morborum caussæ fiunt. Accidit vero interdum, vt sola temporum anni temperatura caussa sit. Igitur in exhalationibus proprietate magis totius substantiæ, quam qualitate corpora lædentibus, curationem recte tradidit, in duos redigens scopos, loci scilicet mutationem, & exiguæ inspirationis vsum. In iis autem, qui a qualitate offenduntur, non solum iam factorum morborum curatio, sed & præuisio ne omnino consistant, per contrarias qualitates fiet.* E quibus sane verbis palam fit omnibus, Galenum non obscuris F verbis confiteri, exhalationes pestilentes excitantes febres, proprietate totius substantiæ magis, quam qualitate seu intemperie corpora nostra lædere. Quapropter ex aere quoque maxime fiunt pestilentes febres. Quanquam n. contactu mutuaq; hominum cõmunitate & vitæ societate contaminent: prima tamen illorum origo, visq; maxima & validissima in aere, quem inspiramus, inest, illincque processit. Et certe venenum aeris hau-

A ris haustu nos feriens, omnium præsentissimum est & efficacissimum, nec humore, nec
crassiore materia, tanquam vehiculo indigens, vt in nos agat & commigret: sed tenuis-
simum quum sit, spiritum haustum celerrime, per pulmonẽ in cor, viscus vitæ nobilissi-
mum, & in arterias, in omne deniq; corpus obrepit, primumq; spiritus, deinde humo-
res, postremo ipsam partiũ substantiam labefactat. Quod si venenata ac perniciosa hæc
qualitas primum in spiritibus hæserit, eosque deuastauerit, ac coruperit, erit tum febris
pestilentialis diaria, quales fuere quæ in lue illa, quam sudorem Anglicum vocant, an-
no 1529. per vniuersam Germaniam grassabantur. Sin humores occupauerit, erit pesti-
lentialis humoralis dicta febris. Nam facicilime hanc venenosam ac pestilentem qua-
litatem putredo, corruptionis opifex, sequitur. Si vero in substantiam cordis prædicta
B qualitas insilierit, eiusq; corpus putrefacit, hectica pestilẽtialis erit. Pestilẽtiales autem
febres, vt plurimum carbunculis, vel bubonibus se insinuant, & cor, iecur, cerebrum in
furiam vertunt. Quæ singula commemorauimus, primum vt inde intelligant se nihil
noui afferre, qui pestilentiales febres hodie magno fastu inter morbos totius substan-
tiæ collocant. Dein, vt non solum iis, quæ putredinem sanant, sed & iis, quæ totius sub-
stantiæ proprietate contraria sunt, febres pestilentiales abigendas sciremus. Postremo,
vt in iis febribus per os & nares valida excitetur exspiratio, quæ & pulmones, partesque
cordi vicinas venenato aere refertas, exinaniat, mox aer igni expurgatus, aut odoratus
inspiretur. Sed ea de re alibi forte plura proferemus. Hæc autem in præsentia de febri-
bus, quæ putridorum humorum duntaxat occasione, citra partem aliquam laboran-
C tem, accenduntur, dixisse satis sit. Sunt enim aliæ febres putridæ, quæ occasione labo-
rantium quarundam partium ac viscerum excitantur. Siquidem quæ propter phleg-
monem internarum partium ac viscerum excitatur febris, *vt lib. 2. Prognost. commen. 4.* Lipyria.
autor est Galenus, Græcis λειπυρία nominatur. In ea quidem, *vt idem cap. 10. libri de Inæquali
intemperie, testatur*, intus & in ipsis visceribus calor sentitur, in externis vero partibus vni-
uersis frigus. Phlegmones nanque vehemens calor, instar cucurbitæ, ex vniuerso cor-
pore sanguinem ad se trahit, ideoque iis, qui ita se habent, viscera peruruntur: extremæ
autem partes, propter sanguinis ad viscera se recipientis defectum, frigescunt. Quæ ve-
ro ex pulmonis, ventriculi, aut iecoris erysipelatibus nascitur, *eodem Galen. lib. 2. de Iudi-
D ciis cap. 7. attestante*, proprie καῦσος κακοήθης, ἢ κακοηθέστατος, hoc est, ardens perniciosa, vel per- Ardent pernitiosa.
niciosissima vocatur. Aetius febrem ex iecoris erysipelate ortam, typhodem appella-
uit: secus atque Galenus, *vt paulo post clarius ostendemus*. Est itaque lipyria genus ad omnes,
quæ ex viscerum phlegmone excitantur, febres. Quod si vero etiam huius generis re-
censere velis species, eam quæ ex capite nascitur phreneticam, eam vero quæ ex mem-
brana succingente costas pleuriticam, ex pulmone peripneumonicam, ex iecore ieco-
rariam, & ita deinceps vocare licebit. Inter putridas continuas etiam numeratur fe- Typhodes
bris, quæ Græcis τυφώδης, *Galen. sect. 7. aphor. com. 43 & in lib. aduersus Lycum teste*, alio nomi- febris.
ne ἑλώδης, hoc est, humida vocatur, non alia quidem de causa, quam quod perpetuo ἑλώδης.
madore sudoreque corpus exsoluat. Typhodes enim febris, *Galeno iam citatis locis autore*,
est in qua a prima statim die ægri sudant, sudore ipso aut parum aut nihil iuuante. Vt
hinc omnibus palam sit, typhodem febrem ab ea, quæ helodes nominatur, non esse di-
E uersam. Sed præstat Galeni verba ex libello aduersus Lycum, quibus idipsum clarissime
confirmat, referre, inquientis: πυρετοὶ δ' ἐσχάτως ὑγροὶ, καθάπερ οἱ τυφώδεις, ἢ ἑλώδεις ὀνομαζόμενοι. Quare
præter rationem Cardanus *lib. 2. contradictionum, tract. 5. cap. 29.* me erroris insimulat, Cardani ca-
quod typhoden & helcoden vnũ & idem esse febris genus statuam. Facit autem id ob- lumnia re-
scure admodum, vt solet, vt vix quid dicat assequi possis. Assuit autem interim multa futata.
quoque mendacia, de quibus principio dicam necesse est. Nam me febrem helcoden
& typhoden vnam eandemque facere scribit, quasi vero ego mendosam Aldini codi-
cis lectionem secutus, ἑλκώδη pro ἑλώδη dixerim. Et satis hinc apparet, Cardanum
ignorasse falsum illic ἑλκώδη scriptum esse, & forte hac voce febres, quę vlcera comitan-
F tur, significari putasse, ideoque in hanc venisse sententiam, vt eam a typhode diuersam
esse affirmare voluerit. Dein non puduit illum constanter asserere, *me in cõmentariis meis
in Hipp. Aphoris. scriptis*, vigesimiquarti primæ sectionis textus omnino oblitum fuisse,
eiusq; enarrationẽ omisisse. Quã impudẽter aũt & mendaciter hãc mihi negligentiam

adscribat Cardanus, omnes horum meorum cõmentariorum editiones palam testan- A
tur, in quarum nulla hic Aphorismus, nec eiusdem etiam enarratio desideratur, vt ad
conuincendum apertum mendacium non sit opus pluribus testimoniis. Quis vero est
qui hinc non colligat, Cardanum omnem deposuisse pudorem, vt qui non veritus est
constanter affirmare, quod res ipsa manifeste falsum & confictum esse loquitur? Potuis-
set igitur, imo debuisset hoc loco sibi & mihi parcere Cardanus, nec mihi negligentiæ
notam inurere, qua me vacare, nisi cœcus tum fuerit, ignorare haud potuit. Sed simili
quoque ratione Manardum, aliosq; bonos & eruditione claros viros tractauit, vt nihil
mirum sit mihi idem ab illo etiã euenisse. Sed ad typhoden reuertamur febrem. Quum
differre inter se thyphoden & helodem febrem contendat Cardanus, decuit certe illũ,
vt qua ratione inter se distarent, exponeret: sed tantum abfuit vt id faceret, vt potius se B
ignorare num typhodes & helodes febris, vnum febris genus, an diuersum esset, fateri
coactus sit. Nam inter alia sic scribit: *Seu igitur typhodes, atque helodes vnũ febris genus sit, seu
diuersum, non nisi humidarum febrium typhodes genus est.* E quibus vtique verbis satis liquet,
Cardanum non recte tenuisse, quale genus febris esset helodes & typhodes. Atque id-
ipsum abunde confirmant quæ ibidem scribit, inquiens: *Febres typhodes ex multa materia
pituitosa gignuntur, sudorque qui in initiis earum apparet, longitudinem morbi significat.* Si ex pi-
tuitosa materia procreatur, humida igitur sit oportet. Et humidam profecto esse copio-
sus sudor declarat. Paulo tamen ante prædicta verba testimoniis e Suida, & Hesychio
productis ostendere conatus est, typhodes febres esse incendentes, & igneas. Quod si
verum est, humidę vt sint fieri nequit, vt rectissime suos libros Cardanus *contradictionum* C
titulo ornarit, siquidem multis modis in iis sibi contradicit, ac ita se & alios contradi-
ctionibus inuoluit ac implicat, vt ex illis neque se, neq; alios explicare sciat. Nihil igitur
certius est, quam Cardanum prædictarum febrium rationẽ prorsus ignorasse, & tamen
interea illum nihil puduit alios earundẽ naturam recte explicantes erroris insimulare.

Typhodes febris gemina.

Hoc quidem lubens concedam Cardano, *Typhoden febrem apud Græcos non vna ratione ex-
plicari.* Sunt enim qui hanc vocem, pro febre quæ erysipelas iecoris comitatur, vsurpẽt.
Quo vtique modo ab Aetio *lib.5.c.89.* accipitur. Galenus cõtra, *vt iam ostendimus*, rectius
pro humida febre vsurpat. Eam autem quæ iecoris erysipelata sequitur, *libr.2. de iudiciis.
c.7.* καῦσον κακοήθεα, ἢ κακοηθέστατον, hoc est, *ardẽtem, perniciosam, malignamue, aut perniciosissimam,* D
nominat, vt dubium nullum sit, Aetium ab immenso ardore & incendio, quo hac fe-
bre laborantes correpti sunt, Typhoden ipsam secus, quam veteres Græcos, appellare

Hippocratis locus enarratus.

voluisse. Pergit deinceps Cardanus, & magno supercilio Hippocratis locum, qui est *in
lib.2. Epidem. sect.5.* interpretatur, vbi ita inquit: ᾧ ἂν ἡ φλὲψ ἐν ἀγκῶνι σφύζῃ, μανικὸς καὶ ὀξύθυμος, ᾧ
δ' ἂν ἀτρεμέει, τυφώδης. Principio igitur Latinos Hippocratis interpretes, Bartholomæum
Syluanum & Cornarium reprehendit, quorum hic vocem τυφώδης *stupidus*: ille vero suc-
censo *stupori obnoxius* conuertit. Meliorem igitur illis, si Diis placet, interpretationem
allaturus, ita ait: *Sciens eos qui in fumo obuersantur, sensibus detineri, atque hebetudine quadam,
huic similem affectum patientes, mente Typhodeos appellauit.* Bella mehercle interpretatio, &
Cardano digna, vtpote cuius animus ac sensus perpetua caligine ac fumo obducti, non
nisi obscura & densissimis tenebris inuoluta depromere possunt. Quis enim facile in- E
telligeret, quinam essent, quos ille mente typhodeos vocat, nisi eos, quorum sensus de-
tinentur, quique hebetes & stupidi sunt, hac loquendi ratione inaudiret? Atqui hanc
interpretationem in Cornario, quem nominis qualitatem omnino seruasse inquit, re-
prehendere ausus est. Quum itaque Cardani interpretatio ceterorum conuersionibus
multo sit obscurior, breuiter quæ sit legitima Hippocratis verborum expositio, indi-
cabimus.

Τυφώδης contrarius ei qui μανικὸς dicitur.

Ad verbum igitur præcitatum Hippocratis locum ita conuertere licebit: *Cui vtiq;
vena in gibbero pulsarit, furiosus & iracundus est. Cui vero quieuerit, mutus.* Vt autem studiosi
cognoscant, cur τυφώδης nobis *mutus* sit dictus, sciendum erit, quod τυφώδης Hippocrati
plane contrarius sit ei, qui μανικὸς dicitur. Nam, *vt Galenus in libello de interpretatione anti-* F
quarum vocum Hippocratis auctor est, τυφώδης vox idem quod ἐνεὸς καὶ καθεζόμενος, id est, *mutus*

ἐνεὸς.

& sedens denotat. Neque enim ἐνεὸς, *Phauorino teste*, Græcis est, nisi ἄφωνος, καὶ ὁ ἠλίθιος, id
est, *mutus, & stupidus.* Mutum vero in præsentia non intelligas eum, qui voce destitu-
tus est, & loqui non potest, sed eum potius, qui ob morbum, quo iam infestatur, silet, &
sedet,

A sedet, nec furiosi instar vociferatur, consurgit, ac exsilit, vt sunt ii qui lethargo correpti sunt. Quapropter τυφώδης a lethargico fere diuersus non est, vtpote qui somnolentus, desidiosus, ignauus fit, & vix, aut tarde admodum quocunq; interpellatus modo respondet, contrarius autem furioso, ac phrenitico. Hinc τυφωμανία malum Græcis dicitur e lethargo & phrenitide mixtum & cõpositum, vt infra latius docebimus. Sed longius, vt Cardani impudentiam retunderem, ab instituto digressus sum. Maluissem autem hic & alibi continua orationis serie docere, quæ ad institutũ pertinebant: sed tanta est quorundam petulantia & malitia, vt non patiantur me in proposito hærere, sed calumniis suis potius alio me traducunt. Quos si interdum acerbius excepero, non est cur quispiã miretur. Neq; enim fieri potest, quin tandem tot calumniis irritatus, immodestius re-
B spondeam. Nemo enim tam patienti est animo, quin mendaciis motus, interdum acerbius aduersario occurrat, præsertim vbi mendaciis eiusmodi doctrinam & dogmata vera lectori suspecta facere studet.

τυφωμανία

Porro quum apud Hippocratẽ & Galenũ crebro quoq; mẽtio fiat febriũ τριταιοφυέων, præstat hoc etiam loco, quales hæ sint, breuiter exponere. Sunt igitur, *Galeno li. 2. de Different. feb. cap. 4. auctore*, quæ tertio quoq; solum die accessionem habent. Quibus quidẽ de febribus quum copiose *libro sexto Epidem. sect. 2. comment. 11.* disseruerim, non est cur nunc repetenda esse putem. Cæterum ex commemoratis putridis febribus, aliæ sunt typicæ seu ordinatæ, aliæ vero errabundæ seu inordinatæ. *Typicæ* sunt, in quibus accessio & remissio statis accidunt vicibus. *Erraticæ* iam dictis contrariæ sunt. Neque enim sta-
C tum tempus, neq; vllum accessionum & remissionum ordinem seruant. Quales sunt, quæ ex atra bile in quibusdam partibus mota, in quibusdam vero immota manente, in aliis putrescente, aut feruere incipiente, *Galeno libro tertio prognost. Commen. 29. auctore*, oriuntur. Tertium primarium febrium genus fit, quãdo in solidis humani corporis partibus calor præter naturam accenditur, Græcisq; & Latinis Hectica, quod nimirum habitum totius corporis corripiat, nominatur. Hæc profecto calido vasi adsimilis est. Vt enim hoc aquam illi infusam calefacit, ita quoque hectica solidis inhærens partibus, ac quasi infixa, omnes corporis humores calefacit. Quod si febris illa sic increuerit, vt vniuersum corpus, omnesque solidas eiusdem partes colliquet atque consumat, *marasmus*
D dicitur. Si id per ætatem accidit, marasmus senectutis vocatur. Hactenus simplicium febrium genera summa, qua potuimus, breuitate perstrinximus. Restat igitur, vt compositas ac mistas pari breuitate percurramus. Bifariam vero compositæ febres constituuntur. *Primum*, quando tertiana, quotidiana, & quartana citra aliquam partẽ laborantẽ, inuicem commiscentur. *Secundo*, quando febres ob partiũ phlegmonem accensæ inter se miscentur. In vtraq; autem harum differentiarum alteram rursus sectionem fieri cõtingit. Quæ circa alicuius partis phlegmonem consistunt, febres dupliciter commiscẽtur. Vel enim cõplicantur, vel per se in totum confundunt. Priorem mistionem Græci ἐπιπλοκὴν, Latini *complicationẽ*: alteram v. κρᾶσιν Greci, *confusionem* Latini nominant. Est a. ἐπιπλοκὴ seu complicatio, *quando horis diuersis febres commistæ inuadunt*. Confusio, *vbi eadem*
E *occurrunt hora, adeoq; ita inter se confunduntur, vt eas discernere non sit facile*. Porro tertianæ & quotidianæ febris, quatuor sunt complicationes. *Vna*, quando tertiana & quotidiana intermittentes commiscentur. *Altera*, cum tertiana intermittens quotidianę continuæ coniungitur. Atque hæc peculiari nomine Græcis ἡμιτριταῖος, Latinis *semitertiana* vocatur, quod scilicet tota ei⁹ natura dimidia parte tertianam, altera vero *dimidia quotidianam continuã* habeat. *Tertia* complicatio, quando quotidiana intermittens tertianæ continuæ permiscetur. *Quarta*, vbi quotidiana & tertiana continuæ miscentur. Non solum vero febres differentes specie, vt quotidiana tertianæ, & huic quartana: aut etiam genere, vt intermittentes cum continuis miscentur: sed etiam febres eiusdem tum generis, tum speciei complicantur, vt continuæ cum continuis, intermittentes cum inter-
F mittentibus: item tertiana cum alia tertiana, quartana cum alia quartana, quemadmodum fusius *lib. 2. de Diffe. febrium cap. 7. & 8.* nec non *li. 2. de Iudiciis* Galenus docet, & nos *in nostris super hos libros Commentariis* ostendimus. Vt autem febres, ita etiam laborantes partes mistionem recipiunt, vel quia diuersæ propriam singulæ febrem accendant, veluti lien, si ita accidat, & iecur: vel quia affectus, vnde oriuntur, mistus est, vt phlegmone erysipelatosa, aut erysipelas phlegmonosum. Cum itaque multifariam componantur

Febres τριταιοφυεῖς

Typicæ. Erraticæ.

Hectica.

Marasmus.

Cõpositarũ febrium ratio.

ἐπιπλοκὴ. κρᾶσις. Cõplicatio. Confusio. Tertianę & quotidianę complicationes. Semitertiana.

febres, in omnibus iis dignoscendis mistionibus Medicum exercitari oportet. Quod A
fiet, si primum omnium, idq; accurata diligentia, simplicium febrium species perdiscat.
Nã nisi illas exquisite teneat, fieri nõ potest, vt vnq̃ cõpositas probe assequatur. Atqui cũ
cõpositarũ cognitio sit plane difficilima, adeo vt in iis recte discernẽdis nõ raro ẽt periti
Medici fallant, operæpretiũ erit, vt Medicinæ studiosi diligenter, q̃ de febriũ differẽtiis
duob. in libris a Galeno scripta sunt, perlegãt. Qui etsi cognitu difficiles sunt, tñ a nobis
ita sunt cõmentariis illustrati, vt ab omnib. fere intelligi possint. Ceterũ vt studiosorum
memoriã iuuaremus, simplicium febrium genera sequẽti schemate complexi sumus.



B

C

D

Vitiorum capitis breuis enarratio. CAP. XI.

Alopecia. Ἀλωπεκία Græcis vitium est capitis, in quo deciduus capillus areas efficit. Sic a. appel-
latũ est, q vulpi, q̃ Græcis ἀλώπηξ dicitur, crebro accidat. Latini ꝓpria destituti no-
Ophiasis. menclatura cũ Græcis *alopeciam* vocãt: Barbari, vt freqũter alias, vni⁹ immutatione li-
teræ vocẽ deprauãtes, *alopeciã* nominãt. Ὀφίασις Græcorũ Medicis vitiũ est, q læsam capi-
tis partẽ serpẽtis modo, q̃ iisdẽ ὄφις dicit, glabrã ostendit. Latini haud secus atq; Græci *o-*
Tyria. *phiasim* appellãt: Barbari Medici Arabũ doctrinã sectãtes *Tyriã* nuncupãt. Tyri n. voce
Caluitium. oẽs serpentes, potissimũ a. viperas, intelligunt. Φαλάκρωμα & φαλάκρωσις vitiũ est, in quo vni- E
Porrigo. uersi caluæ pili defluunt. Latinis *caluities* & *caluitiũ* dicit. Πιτυρίασις vitiũ est Græcis, in quo
tenues ac furfuraceæ squamulæ ex capitis cute citra exulceratione decidũt. Latinis, Cel-
Furfures. so potissimũ, *porrigo* nominat. Barbarã excolẽtes Medicinã, *furfures* vocãt. Φθειρίασις pedi-
Pediculatio culorũ in capite aceruatim facta ꝓcreatio est. Latinis *pediculatio*, & *morbus pedicularis* nũ-
Achores. cupat. Ἀχῶρες vlcuscula sunt capitis, tenuissimis foraminib. cutẽ ꝑforantia, e quib. gluti-
Tineæ. nosa excernit sanies. Plini⁹ *manãtia capitis vlcera* appellat. Nostræ ætatis Medici, a tinea-
rũ in vestib. similitudine, capitis tineas nominãt: vt n. hæ multo eoq; tenui morsu ac e-
rosione vestes ꝑforãt, sic ẽt capitis cutẽ achores. Auicẽna *Saphacũ* nuncupat. Pueros hoc
Fauus. malũ maxime exercet. Simile huic aspectu & figura vitiũ est, q Græci κηρίον, Latini *fauũ*
nominãt, maiora tantũ foramina habẽs, in quib. humor melli similis continet, perinde F
Cephalalgia Soda. atq; in fauis apũ, vnde ẽt nomẽ suũ traxit. Κεφαλαλγία, *capitis dolor* ẽ recẽs factus, haud diu-
Cephalæa. turnus & inueteratus, nõ curãdo, an per se accidat, aut alteri⁹ affectus symptoma, & co-
Hemicrania. mes sit. Barbarã sectantes medicinã Sodã vocare Arabũ more solent. Κεφαλαία v. diuturn⁹
& ægre cedẽs, ac cõtumax capitis dolor est. ἡμικρανία, vitiũ est in dimidia capitis parte dolorẽ inferẽs, nunc
σκότωμα. dextra, nũc sinistra ortũ, q satura per cranii lõgitudinẽ extẽsa distinguitur. Σκότωμα vitiũ est, in quo obte-
Vertigo. nebrationes hebetudinesq; oculis obuersãtur, & omnia circũagi ac rotari putãtur. Latinis vertigo tenebri-
σκοτόδινος cosa dicitur. Alio nomine σκοτόδινος dicitur, *vt sect. 4. Ap. com. 17. Galen. testatur*, dũ ait, hoc vitiũ fieri, quũ

A simul quæ cernuntur circumagi putantur, & derepētè sensus, qui fit visu, perit, existimātibus, qui id vitii patiuntur, sibi offusas esse tenebras. Latinis propriè *vertigo tenebricosa* nominatur. Idem vitium etiam Græcis, Hippocrati maxime ἴλιγγος appellatur, *vt testis est sect. 3. apho. com. 18.* idem Galenus, dum ἴλιγγον interpretatur σκοτοδινίαν. Differt a. ab eo vitio quod simpliciter δῖνος nuncupatur. Nam, *vt lib. 4. de Victu acut. morbo. com. 37. attestatur Galenus*, δῖνος est, quum caput circumagi videtur: vbi vero tenebricosa simul visio fuerit, σκοτόδινος appellatur. Quare δῖνος non est nisi vertigo simpliciter. Qui barbaram colunt Medicinam, deprauata voce Scotomiā nominant. ἔγκαυσις, vstio est circa caput perseuerans a sole facta. Latinis vstio solis appellari potest. Σειρίασις, *Paulo lib. 1. c. 13. auctore*, phlegmone est partium, quæ circa cerebrum & eius membranas sunt. Proinde a phre-

Vstio solis. Σειρίασις. Phrenitis.

B nitide nihil distare videtur. Φρενῖτις enim Galeno *lib. 2. de Symptom. caussis cap. 11. teste*, cerebri aut eius mēbranarum est phlegmone. Sopor malum est phrenitidi contrariū. Quū vero soporis vox ambigua sit, ac Latinis vtrunq; somnum, & eū scilicet, qui naturalis, & eum, qui præter naturam exsistit, significet, non rectè faciunt Latini Medicorum interpretes, quod hanc vocem ei duntaxat vitio, quod Græcis κῶμα dicitur, accommodant. Præstat enim vt Medici ad euitandam cōfusionem, somni vocabulum naturali, soporis vero non naturali somno accommodent. Sopor igitur nobis non est, nisi somnus exsuperans, aut ꝓfundior q̄ par sit, a quo animal difficile excitatur. Cuius quidē quinq; sunt species, nempe coma siue cataphora, catoche siue catalepsis, carus, lethargus, & apoplexia. Quomodo vero inter se differāt, ordine explicabimus, & longius quidem, quam Insti-

Sopor q. d.

Soporis species.

C tutionum ratio ferat: quod scilicet nemo, quod sciam, fere sit hodie, qui harum vocum significationes legitimas teneat. Κῶμα igitur, vt auctor est *lib. 3. Epidem. cōment. 1.* in textus septimi explicatione Galenus, non est nisi καταφορὰ, id est, delatio in somnum.

κῶμα quid. καταφορὰ. quid.

Delatio autem in soporem, *eodem ibidem teste*, est quū ægri vigilare nequeunt, oculosq; minime apertos, sed cōniuentes potius habent: & vel profundo, vel tenui leuiq; sopore, vel vigiliis detinentur. Coma igitur reuera somnus non est, sed somni quoddā præter naturam desiderium. Quapropter Græcis a verbo κωμαίνειν, quod illis somnum appetere significat, κῶμα deductum est. Comatosi autem sunt, qui præter naturam dormire cupiūt, quanquam diuersa ratione. Alii enim in profundos aut leues tenuesve somnos incidūt: alii vero desiderio dormiendi frustrantur, & vigiliis detinentur. Vt hinc palā sit, Coma

κῶμα vnde dictum. Comatosi qui.

Coma duplex.

D Hippocrati & veteribus aliis Græcis duum esse generum, nempe, ὑπνῶδες, id est, *somniculosum*: & οὐχ ὑπνῶδες, ἄγρυπνον, hoc est, *non somniculosum, aut vigilans.* Commune quidē vtrisq; est, non posse attollere oculos: statim enim grauantur, & dormire cupiunt: hincque adeo est, vt vtrunq; comatis nomen sortitum sit. Priuatim autem somniculosum id obtinet, vt in eo ægri dormiant, idq; nonnunquā profunde diuq., vt difficile expergisci possint. Hoc Hippocrati *li. 3. Epidem. comment. 3. textu 64.* κῶμα βαρὺ, id est, *coma graue, siue profundum* appellatur. Fit, *Galeno textu septimo cōment. 1. libri tertii Epidem. auctore*, ob multam cerebri humiditatem, vt nonnullis euenit inebriatis, sæpius autē ob solum eiusdem frigus, & interdum propter vtrunq;: præterea ob virtutis imbecillitatem ita iam exstinctæ, vt palpebras sublatas seruare ægri non valeant. Interdum vero in somniculoso co-

Somniculosum.

Graue seu profundū.

E mate somni leues, tenues, paruive sunt, vnde coma leue, tenue, siue leues aut tenues somnos obtinens dicitur. Hoc non a pura pituita, vt præcedens, nascitur, sed, *vt Galenus li. 3. Epidem. comment. 3. testatur*, vbi tenuis humor, flaua nimirum bilis, cum pituita coniuncta est. Non igitur a puro humido & frigido, sed cum aliquo calore coniuncto, cuiusmodi est bilis cum pituita mista, vt diximus, aut putrescens pituita, procreatur. Quod autem id coma a calore frigori permisto fiat, attestatur idem Galenus, *cap. 29. Artis medicæ*, vbi de calidi & humidi cerebri notis agens, ita scribit: ὕπνῳ τ' ἐπιτρέψαντες ἑαυτοὺς ἅμα τε κωματώδεις εἰσὶ, καὶ ἄγρυπνοι: id est, *Ad somnum autem conuersi, simul inclinationem ad somnū habent, & vigilant*, Quippe cerebri calor vigiliam, humiditas a. ad somnum inclinationem

Leue, tenue siue leues somnos habens.

F inducit. Alterum coma, quod Galeno οὐχ ὑπνῶδες, καὶ ἄγρυπνον, id est, *non somniculosum & vigilans, nuncupatur*, fit, quando inclinatio ad somnum inanis est, ægerq; vigiliis detinetur. Eo correpti, *vt Galenus lib. 3. Epid. com. 3. textu 40.* testatur, apertis oculis vigilare nequeunt, sed conniuentes claudentesve oculos spe dormiendi, vigiles tamen permanent. Hi deniq;, *vt idem in libello de Comate auctor est*, vigiles se versant, alia post aliam imaginatione accedente, mentemque mouente, ac somnum intercipiente: vnde semper qui-

dem vigilant, verum exsurgere non possunt, nec vigilantium obire munera, habentque deterius, quam si exquisite vigilarent. Graui namq; & ponderoso sunt corpore, obdormiscuntq; , ita vt si somnum illis permittas, speres facile dormituros, quum tamē neque dormiant, neq; se dormituros sperent. Hi, *eodem Galeno lib. 3. Epidem. commen. 3. textu 40. teste*, in medio sunt tum exquisite vigilantium, tum dormientium: partim enim vigiles sunt, nec tamen vigilantium munera obeunt: partim etiam inclinationem in somnum habent, non tamen dormiunt. Ceterum ex iis, quæ diximus, abunde constare arbitror, Coma perpetuo esse præter naturam, quod nimirū soporis, adeoq; somni præter naturam sit species, & ex morbosa caussa excitetur, nec nisi iis, qui præter naturā affecti sunt, accidat. Proinde plurimum errat Argenterius, quod coma non semper esse præter naturam dicat. Fallitur enim, quod putat Galenum *in loco paulo ante ex Arte medicinali producto*, signa cerebri sani hominis docere, quum illic potius agat de cerebro, in quo calor & humiditas plurimum excedunt. Id quod e verbis Galeni fit manifestissimum, q̄ sunt eiusmodi: *Si vero calor & humiditas plurimum excesserint*, νοσῶδες, id est, *morbosum erit*, *& excrementosum*. Hęc ille. Morbosi igitur etiam sint, qui ea de caussa comatosi & vigiles sunt, necesse est. Si enim caussa morbosa est, ideo etiam id quod ex ea procreatur, morbosum sit oportet. Præterea Galenus *cap. 3. libri de Sympto. Differ.* coma siue cataphoram inter symptomata & vitia primi sensorii recenset, & postea definit esse imaginatricis facultatis motum infirmum. Quod sane vtrunq; recte dicitur. Quatenus enim coma sopores, & vigilias inducit, primi sensorii symptoma est. Quatenus autem in comate somniculoso, graui præsertim, imaginatrix vis patitur, eatenus principis facultatis, nēpe imaginatricis, symptoma est. Nam propter assiduum & profundum somnū, itemq; frigidū humorem cerebrum opprimitur, & intemperanter afficitur, ideoq; omnes eius vires ac sensus, adeoq; etiam imaginatio, imbecilles fiunt, ac male administrātur. Quocirca non recte Galenus hoc nomine, tanquam sibi contrarius, ab Argēterio accusatur. Atq; hactenus de comate & cataphora proprie dictis, hæc retulisse satis sit. Sumuntur autem hęc vocabula interdum generatim pro omnib. vitiis, in quibus homo in somnum p̄ter naturam καταφέρεται, id est, delabitur. Hac quidem ratione Galenus *2. commen. i. Prorheticorum textus 29. explicatione*, vt coma appellemus carū permittit, q̄ scilicet vtrumq; vitiū sit profundi, & excitatu difficilis somni genus. Et idem *lib. 13. Thera. Method. cap. 21.* inter καταφορὰς βαρείας, id est, *profundas in somnum inclinationes, apoplexiam, carum, & catochem numerat*. Libro deniq; *11. de Simpl. Medicam. facul. capite de castorio*, cataphoricos & lethargicos affectus pro iisdem accipit, nempe pro soporoso affectu profundo, & excitatu difficili, qui cum febre consistit. Generis itaq; vox καταφορὰ omnibus soporibus cōmunis, lethargi adiectione eo loci apud Galenum ad eum tantū soporem, quo cum febris coniuncta est, contrahitur. Non recte igitur Argenterius Galenum accusat, quasi hæc duo inter se cōfuderit nomina. Nō enim cōfundit, qui nunc p̄prie, nunc generatim vtitur vocibus, quod scilicet id Galeno, & aliis etiā auctoribus solenne admodū sit. Quare Argenterius suā orationē ad veterū potius rationē accōmodare, atq; ad illorū p̄scriptū loq., aut certe eorundē scripta cādide interpretari, nō ita illis p̄petuo cōtemptim insultare, debuisset.

Κατοχὴ καὶ κατάληψις Græcis, *detentio*, *apprehensio*, vel *occupatio* Latinis dicta, vitium est in quo tum mens, tum corpus sensu & motu priuatum detinetur, ægerq; in ea corporis permanet figura, in qua fuit correptus, siue sederit, siue iacuerit: siue clausis, siue apertis oculis persttiterit. Sopor itaq; est, qui nunc apertis, nunc vero clausis fit oculis. Quum vero hoc laborātes vitio, eo modo, quo qui a frigore congelantur & cōcrescunt, afficiunt, recentioribus cōgelatio vocata est. Catochen autem & catalepsin idem significare, nec quicquam inter se differre, Galen. multis in locis suorum monumentorum docet, præcipue vero *lib. 3. de Labor. locis, ca. 4.* vbi inter cetera sic scribit: τῆς ὀνομαζομένης ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἰατρῶν κατοχῆς τε καὶ καταλήψεως: id est, nominatæ a iuniorib. Medicis catoches, & catalepseos. Et iterum *lib. 4. eiusdem operis, cap. 3.* κατὰ καὶ τὰς καταλήψεις τε καὶ κατοχὰς ὀνομαζομένας τὰ ὀπίσω πάσχει. hoc est, *In catalepsi & catoche nominata posteriora patiuntur*. Multo autem clarius in Isagoge siue introductorio in pulsus, vbi ita scriptū reliquit: κατόχους γὰρ κατεχομένους ἐκάλουν αὐτοὺς οἱ παλαιοί. κατοχὴν δὲ καὶ κατάληψιν οἱ νεώτεροι τὸ πάθος ὀνομάζουσιν. Hoc est: *Catochos namq;* & catechomenos veteres ipsos appellarunt: iuniores autem vitium ipsum cathochen & catalepsin.

Coma perpetuo præter naturā.

Argenterii lapsus.

Galeni loci conciliati.

Coma seu cataphora generatim.

Galenus ab Argenterii reprehensione assertus.

κατοχὴ καὶ κατάληψις. Detentio.

Cōgelatio. Catoche & catalepsis non differunt.

A B C D E F

Sed

A proferre, & coaceruare. Et subscribit etiam Aetius, qui *libro 6. cap. 4. sic scribit*: μέσον τῆς φρενίτιδος καὶ ληθάργου πάθος εὑρήσεις, ὅ ἐστιν εἶδος παρανοίας, ἢ παρακοπῆς. καλεῖν δὲ τοῦτο εἰθίσθησαν οἱ ἰατροὶ κατοχὴν καὶ κατάληψιν, ἐπὶ χυμῷ συμβαίνοντα μᾶλλον μελαγχολικῷ. καὶ ὅτε μὲν δοκοῦσιν ὑπνώττειν. ὅτε δὲ ἀνεῳγότα ἔχουσι τὰ βλέφαρα, ἢ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἢ ἀκινήμους. Id est: *Medium inter phrenitidem & lethargum vitium inuenies, quod species est delirii siue amentiæ. Medici autem hanc catochen, & catalepsin vocare consueuerunt, ex melancholico humore magis contingentem. Et aliquando dormire videntur, aliquãdo autem palpebras apertas habent, aut instant, aut intente vident, & veluti fixos immobilesve obtinent palpebras, aut oculos.* Ex omnibus igitur iis quæ hactenus diximus, perspicuum euadit, catochen & catalepsin idem esse Græcis Medicis vitium. Non est autem surda aure prætereundum quod Aetius dixit, catochen a melancholico magis fieri humore. Nam iis B verbis tacite innuere voluit, hanc ipsam interdum ab alio quoque humore, pituitoso nimirum, fieri posse. Quod confirmat etiam Galenus, qui *libro 13. Therap. Method. capite 21.* ita scriptum reliquit: *In vitiis quæ cum vigiliis coniuncta sunt, sopire ac stupefacere cerebrum oportet, quod supra modum incaluit refrigerando. In contrariis autem vitiis excitare, ac noxii humoris, qui citra putredinem, & citra febrem cataphoras graues inuehit, crassitudinem incidere atque calefacere.* Tales Græci *apoplexiam, carum, & catochum* appellant. Et Paulus *libro 3. capite 6.* idem paulo clarius significauit, dum ita inquit: τοῦ δ' αὖ φλεγματώδους κατακρατοῦντος χυμοῦ, κωματώδως αὖθις καταφέρονται. οἱ δὲ παλαιότεροι τοῦ Γαληνοῦ, κάτοχον τοῦτο προσηγόρευον. Hoc est, *Pituitoso rursus dominante humore, iterum in profundum delabuntur somnum.* Vetustiores autem Galeno hoc vitium catochum appellarunt. Per vetustiores autem Æginera Archigenem & Philippum intelligit. Hi enim catochum improprie eum quoque nomi-

Vetustiores qui.

C narunt, quem pituitosus humor procreat, & in quo oculi conniuent, & clausi sunt. Cuius rei testis est Galenus, qui *libro 3. Epidem. comment. 2. textu penult.* sic inquit: *Nihil referre aiunt, vel catochum dicas, vel coma, non cognoscentes Hippocratem distinguere profundum coma, a comate vigili. Profundum igitur coma communitatem habet quandam cum vocata ab Archigene & Philippo catoche, non tamen cum vigilante.* Hæc ille. Habet autem coma profundum, vt id obiter etiam dicamus, & catoche Archigenis & Philippi communitatem, quod ab eadem caussa, pituita scilicet, ambo vitia proueniant. Hinc igitur palam fit, Galeno & veteribus duplicem fuisse catochen. Vnam proprie dictam, quod scilicet in ea oculi aperti detineantur. Hæc ex melancholico, hoc est, frigido & sicco D humore, generatur. Alteram improprie appellatam, quod nimirum in ea oculi clausi sint. Hæc e pituitoso nascitur humore. Quod dicimus, comprobat Galenus *libro secundo Prænotionum, textu 56.* ita dicens: τοὺς γὰρ ἰδίως κατόχους καλουμένους, καὶ οἱ περὶ τὸν Ἀρχιγένην καὶ Φίλιππον ἴσασιν ἀναπεπταμένους ἔχοντας τοὺς ὀφθαλμοὺς, οὐχ ὡς κωματώδεις, καὶ οἱ καταφορικοὶ κεκλεισμένους. ἐπ' ἐκείνων μὲν γὰρ ὑγρότης αἰτία τοῦ παθήματος ἐκλύουσα τὸν τόνον τῶν νεύρων. ἐπὶ τούτων δὲ διὰ ξηρότητα τάσις γίνεται. Quod est, *Proprie vocatos catochos seu detentos Archigenes & Philippus sciunt esse eos, qui habent oculos apertos, non, vt comatosi & cataphorici, clausos. In iis humiditas caussa est vitii, quæ robur neruorum dissoluit. In illis autem propter siccitatem tensio fit.* Ex iis igitur palam fit, Argenterium non recte confusionis & pugnantiæ accusare Galenum, quod *lib. 4. de Labor. locis, cap. 3.* catalepsin apertis palpebris fieri scribat, alibi vero dicat, eorum qui hoc malo laborant, oculos nunc apertos, nunc clausos esse. Quippe *in libro de Laborantibus* E *locis* de catalepsi proprie dicta tantum loquitur. Alibi vero de vtrisque illi sermo existit. Hinc quoque perspicuum euadit, in errore versari eos, qui Archigenem & Philippum catochen appellasse vigilantem soporem seu coma vigilans arbitrantur, quum ex iam dictis constet, eos ita potius nominasse coma profundum, quod quidem ex pituitoso tantum fit humore, non id quod ex mixto cum bilioso nascitur, & coma vigilans vocatur. Quod non animaduertens Paulus Ægineta, auctorem vtiq; definitionum secutus, contra Galeni & veterum aliorum Græcorum mentem, triplicem *lib. 3.* facit catochen. Vnam *cap. 6.* a pituitoso humore natam, quæ non est nisi Archigenis, & Philippi catoche. Alteram *cap. 10.* a melancholico ortam humore, quæ non F est nisi catoche proprie dicta. Tertiam compositam, hoc est, ex pituitoso & bilioso humore procreatam. Hæc non est nisi coma vigilans, id quod capitis inscriptio satis testatur, quæ est eiusmodi: περὶ κατόχου, ἤγουν ἀγρύπνου κώματος: id est, *de catoche, siue vigilante comate.* Paulo, *vt modo dicere cœpimus*, astipulatur auctor definitionum, qui in hunc modum scribit: εἴδη κατόχου τρία. ὁ μὲν ὑπνώδης, ὃς παράκειται ληθάργῳ. ὁ δὲ ὕπνος

Duplex catoche veteribus
Proprie dicta.
Improprie vocata.
Galenus ab iniuria Argenterii defensus.
Error quorundam.
Pauli Æginetæ lapsus
Catoche triplex.

ἐγρηγορὼς, ᾧ παράκειται τέτανος· τρίτον εἶδος κατόχου, ὃν οὐκ ἄν τις ἀσυνέτως κάτοχον ὀνομάζοι φρενιτικόν. γίνεται A
γὰρ ἐκ μίγματος ἀῤῥωστημάτων κατόχου τε καὶ φρενίτιδος. Quod est: *Tria catochi sunt genera. Vnus quidem*
somnolentus, qui lethargo accedit. Alter vero vigilans, distentioni similis. Tertium genus catochi,
quem quispiam non inusitate phreniticum dixerit. Fit enim ex mixtis vitiis catoche & phrenitide.
Quum vero obscuritate haud vacet, quod catochen vigilantem tetano accedere dixe-
rit, sciendum erit id ideo fecisse, quod in catocho, proprie dicto oculi tensi, aperti, & im-
mobiles manent, haud secus atq; ceruix in tetano riget, & immobilis permanet. Vt ex

Amati Lusitani error.

iis quæ iam diximus, omnibus perspicuum euadat, Pauli & definitionum auctoris erro-
rem secutũ esse etiam Amatum Lusitanum, qui itidem catochen cum comate vigilãte
cõfundit. Hinc magna temeritate Centuria secũda, curatione decimaquinta me erro-
ris insimulare ausus est, q in medendi mea ratione de catalepsi & catocho eodẽ in capi- B
te, tanquam de vno tantum morbo, egerim. Quasi v. vt ille cæcutiens sentit, diuersi sint
morbi, qui iis duabus vocibus significantur. Vtinam vero vnus tantum Lusitanus hoc in
errore versaretur, & non alii quoq; multi doctissimi viri, huic implicati essent. Idem n.
quod ille Budæus, Copus, Iacobus, Syluius, Fernelius, & Langius in suis Medicinalib.
epistolis sentiunt. Ita sæpe vnius error, multos etiam alios in errorem pertrahit. Quare
haud facile cuiusq; sententia amplectenda erit. Periculum enim est, ne crebro falsum p

Caussæ catalepsios variæ.

vero arripiamus, si aliis plus æquo credamus. Ceterum, ne id silentio inuoluamus, cata-
lepsios generationis multæ sunt caussæ. Fit enim interdum, *Galeno lib. 1. de Sympto. caussis*
cap. 7. auctore, per consensum cerebri cum ore ventriculi; quod minime quidem mirum
est. Si enim hac quoq; ratione, *vt ibidem tradit Galenus*, melancholia fieri potest, & ea ma-
xime melancholiæ species, quæ Græcis φυσώδης καὶ ὑποχονδριακὴ, id est, *flatuosa & hypochon-* C
driaca nominatur, quemadmodum *lib. 3. de Labor. locis cap. 6.* Gal. etiã testatur, nẽpe aura
exhalationeve quadam maligniore ac melancholica a ventriculo laborante sursum ad
cerebrum transmissa: quid mirum, si etiam humore pituitoso, aut crasso vapore a ven-
triculo sursum delato & cerebrum refrigerante, coma, & catalepsis impropria, aut certe
etiam propria, si siccus halitus, aut humor cerebrum desiccãs, sursum feratur, procreet?
Quum n. neruorum a sexto pari cerebri ortorum interuentu ventriculus cerebro iun-
gatur, eisq; hoc nomine maximus sit consensus, facilimus profecto hinc ad illud est trã-

Galenus ab Argenterii calumnia assertus.

situs. Vt immerito ab Argenterio hoc nomine reprehensus sit Galenus. Nec reprehen-
sionem etiam meretur, q idem sect. 2. Apho. comm. 3. frigiditatem cerebri cũ siccitate
coniunctam caussam catalepsios facit. Nam metipse Argenterius ab iisdem caussis hoc D
vitium procreari scribit. Nec notari debuit Galenus, quod *lib. 2. Prænotionum* a sola sicci-
tate vitium hoc fieri memoriæ prodiderit. Siquidem & ipse Argenterius a sola cerebri
frigiditate catalepsin proprie dictam, nõ semper ex aliquo humore fieri, fateatur. Quũ
itaq; a diuersis caussis catalepsis nascatur, minime vitio Galeno ab Argenterio vertendũ
erat, quod variis in locis catalepsim a variis & differẽtibus caussis procreari scribat. Im-

Aetius defensus.

merito quoq; Aetium erroris insimulare videtur Argenterius, quod is catalepsin nunc
ab humore melancholico, nunc a sanguine copioso in caput irruente nasci pronunciat.
Nam si a frigido & sicco fit humore, *vt dictum est*, igitur etiam a melancholico sanguine,
quod ille scilicet natura humor frigidus & siccus sit. Sed instat Argenterius: *Si melancho-*
licus humor id vitium parere potest, cur igitur ij qui melancholia laborant, nõ omnes fiunt catalepti- E
ci? Recte vtiq; facit Argenterius, quod non prorsus negat melancholia laborantes fieri
catalepticos. Siquidẽ id non solum absurdum fuisset, sed & manifeste falsum. Cur a. non
omnes melancholici fiant cataleptici, epilepsiæ exemplo *lib. 6. Epid. sect. 8. Aph. 44.* Hip-
pocrates monstrat, inquiens: *Melancholici magna ex parte epileptici fieri consueuerunt, & cõtra*
epileptici melancholici efficiuntur. Horum vero vtrumlibet magis euenit, prout vel in hanc, vel
in illam partem infirmitas repit. Si enim in corpus, epileptici: si vero in mentem, melancholici. Hæc
ille. Quibus vtique verbis Hippocrates docet, cerebrum a melancholia bifariam affici.
Vno modo, vt est pars instrumentalis, seu *vt Hippocrates vocat*, corpus. Id quod certe
accidit, si in eius cauitatibus melancholicus humor obstructionem excitat. Atque hac F
quidem ratione epilepsiam creat. Altero modo, vt est pars similaris. Id quod fit, vbi ce-
rebri temperamentum læditur ac mutatur. Hac quidem lege in mentem seu rationem
repit, & melancholiam efficit. Simili modo etiam catalepsin proprie dictam efficit, vbi
sc. melancholicus humor cerebrum supra modum exsiccat, eiusq; temperamẽtum im-

A mutat. Quod autem a sanguinis copia hoc vitium fieri Aetius scriptum reliquerit, non
simpliciter esse intelligendum existimo, de quouis nimirum sanguine. Siquidem is qui
vitio omni caret, nihil tale creare poterit. De melancholico igitur locutus est sanguine,
qui quum frigidus & siccus exsistat, nihil mirum si catalepsim efficiat. Sed de catalepsi & catoche satis. Κάρος proprie dictus Græcis a capite, quod illis κάρη dicitur, parte nimirum in qua fit, & a verbo καρῶσθαι, quod iisdẽ aggrauari significat, nomẽ accepit. In hoc namq; vitio caput aggrauatur. Est autem Carus is, *vt Galenus lib. 4. de Labor. locis, cap. 3. auctor est*, vitium, in quo sensus & motus perit; respiratione tamẽ illæsa permanente. Qui igit' caro laborant, *vt lib. 6. ca. 5. ex Posidonio testatur Aetius*, somno profundo detinentur: at si sti-

Κάρος.

B mulentur, sentiunt quidem, non tamen loquuntur, neq; oculos aperiunt. Vnde perspicuum euadit, Carum Græcis vocatum vitium, Razi Mauritano *Subeth* appellari. Nam is *in lib. 9. Almansori inscripto, cap. 5.* Subeth iis describit verbis: *Est Subeth, vbi aliquis quasi dormiens iacet, & tamen sentit, mouetur q; , sed oculos vtplurimum habet clausos, quos tamen, vbi cum clamore vocatur, aperit, quanquam statim iterum claudat.* Hæc ille. Quum vero inquit, Tamẽ sentit & mouetur: intelligẽdum erit, vt omnes eiusdẽ expositores interpretant', si scilicet stimuletur. Mouetur preterea, non tamen vehementi, sed leui admodũ motu. Razis sententiam secuti sunt et Mõtanus, & Syluius, qui itidem Carum cũ Subeth eundem esse statuunt. Quare nõ erat cur Argenterius me reprehẽderet, quasi nulla ratione motus scripserim Subeth Arabibus idem esse vitiũ quod Carum. Eius n. rei in ea familia

Subeth.

C Razem habui auctorem, quẽ in morborum appellationib. Medici recentiores barbari magis sectantur. Nõ ignoro auctorẽ Subeth Auicennæ & Serapioni nõ minus coma seu *cataphorã*, quã *Carum* significare. Imo interdũ Subeth nomine Arabibus etiã Lethargus intelligit'. Vt hinc quoq; liqdo appareat, doctrinã Arabũ esse cõfusam. Ceterũ non temere a nobis paulo ante dictũ est, Carus proprie sumtus. Siquidẽ Carus Galeno, & aliis veteribus geminus exsistit, morbosus, & non morbosus. Carus nõ morbosus est somnus profundus, qui nullũ morbosum sequitur affectũ, qualis certe est qui ex vini immodici potione fit, & in pueris aliquando ꝓpter maiorẽ vaporum copiã oritur. Atq; is quidẽ improprie Carus nominatur. Hinc est ꝙ Gal. ꝑmittat improprie loquentib., vt *Carũ* etiam simpliciter appellent. Proprie a. loquentibus, ꝙ a bono fiat humore, *Carus* simpliciter

Arabũ doctrina confusa.

Carus duplex.

Non morbosus siue bonus.

D haud dicitur, sed potius profundus somnus, aut cum adiectione *Carus bonus*. Morbosus contra est, qui morbosum aliquẽ affectũ sequitur. Atq; is iterũ duum est generũ, mitior nimirum, & perniciosus. Mitior, est somn⁹ ꝓfundus, & excitatu difficilis. Atq; is a comate seu cataphora non distat, imo proprie loquẽdo nõ est, nisi coma. Perniciosus est, quãdo immobilis & insensilis homo tẽpore aliquo iacet, etiamsi hunc stimules, ferias, aut clames. Hic quidẽ solus est, ꝙ ꝓprie *Carus* dicit'. Porro vt varia est appellatio & acceptio Cari, ita quoq; variæ sunt eius caussæ. *Prior*, bonus dict⁹, fit a copia bonę humiditatis grauantis corpus. *Alter* morbosus mitior vocatus, a pituita humectãte & refrigerante cerebrum. *Tertius* morbosus pernitiosus nominatus, fit, quando caput iuxta temporales musculos vehemẽter affligitur ac contunditur, & nonnunquã in accessionibus morborum

Morbosus.

Mitior.

Pernitiosus

Caussę Cari

E febrilium, in quib. neq; eos q pungunt, aut cõtundunt, & multo minus eos, qui clamãt, ægri sentiunt, aut audiunt. Quæ diximus cõfirmat Galenus *li. 2. prænotionũ, textu 29.* vbi planissimis verbis Cari tum differentias, tum caussas explicat. Quare immerito ab Argenterio reprehenditur, & cõfusionis insimulatur. Quod n. Carum interdũ cõprehendere somnũ non morbosum ait, id de Caro improprie dicto intelligendũ erit. Siquidẽ hunc metipse proprie somnum profundũ appellandum esse affirmat. Quod vero Carũ cum comate eundem esse ait, id ex aliorum sententia facit, quibus permittit vt somnũ profundum, & excitatu difficilẽ, improprie Carum nominent, quum proprie loquẽdo *Coma* vocetur. Preterea quod *li. 3. de Temper. c. 3.* Carum frigidũ vitiũ nũcupat, de secundo Cari genere, nempe morboso mitiore, inaudiendum erit. Siquidem illic de immodica

Galenus ab Argenterii reprehensione defensus.

F vini potione loquitur, ꝙ quia ab innato calore non vincitur ac superatur, crudum manens, frigida vitia merito procreat. Quod autem Carũ *cap. 3. libri de Differen. Sympto.* imaginatricis facultatis symptoma esse, ac veluti quandam illius resolutionẽ statuit, reprehensione omni vacat. Nam Carus hãc ipsam facultatem quasi resoluit. Quum n. sit sensus priuatio Carus, igitur etiã imaginationis, vtpote q imaginatricis facultatis obiecta sua & imagines a sensibus nullas amplius recipientis actio exsistit, priuatio & resolutio

sit oportet. Vere etiam idem Gal. *libro.4. de Labor. locis, capite tertio*, in Caro corpus neque sentire, neque moueri scribit. Nam illic de tertio Cari genere, siue de eo, qui proprie Carus dicitur, loquitur. Quare vt illum redarguēdi occasionem haberet Argenterius, Galeni verba nonnihil immutare voluit, & pro eo quod Galenus dixit, *In Caro*: ipse, *In omni caroso affectu, substituit.*

Cari caussæ variæ.

Reprehēditur quoq; ab Argenterio Galenus, q̧ Caro diuersas assignet caussas, nēpe grauissimas aliquas, leues alias, nonnullas vero leuissimas, atqui minus recte. Vt n. tria sunt Cari genera, ita etiā eius triplices esse caussæ possunt. Grauissimæ, vt est ictus capitis vehemens, frigiditas morbosa calorē innatū ad interna reuocans, & cerebrum grauans atq; opprimens in pituitosarum febrium accessionum initiis, cōtusio musculorum temporalium, ossis perforatio, & ventriculi cerebri attritio. Quæ quidē omnes caussę Carū grauissimum & proprie dictum creant. Leuiores vero, vt est affectus musculorum oculi, vsusq; hyoscyami. Hæ Carum improprie nominatum siue coma excitant. Leuissimę a. vt est vini potio, & in pueris nimia humiditas, Carum bonum appellatum, efficiunt.

Λήθαργος.

Λήθαργος vitium est phrenitidi contrarium, nomenq; suum deducit ἀπὸ τῆς λήθης, καὶ ἄγρης, id est, *ab obliuione & captura*: quanquā alii malunt id nominis deriuare ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργὸς id est, *ab obliuione & inertia*: nonnulli ἀπὸ τῆς λήθης καὶ ἀργίας, hoc est, *obliuione & otio*, nullo certe discrimine, quod scilicet eos qui hoc vitio laborant, omnium rerum obliuio capiat, & inertes ac otiosi iidem decumbant. Siquidē Lethargus proprie dictus, sopor est pter naturam, continuus, inexpugnabilem dormiendi necessitatem, ac obliuionem cum lenta febre pituitam in capite putrefactam comitante, inducens. Latinis *Veternus* appellatur. In hac quidem significatione sumitur *lib. 13. Thera. Method. capite 21.* vbi eius curationem ex professo Galenus docet. Idem *libro quoq; 2. de Labo. locis, capite 5.* vbi memoriæ & rationis vitium esse scribit: quod intelligēdum erit de eo, quo ægroti adhuc laborant tempore. Perit enim in iis tum ratio & memoria, sanato tamen ac profligato morbo rursus nōnunquam restituuntur. Habent etiā, qui lethargo correpti sunt, deficiētes & infirmos motus, *vt cap. 3. libri de Sympto. differ. testatur Galenus.* Et *cap. 10. libri de Sympto. caussis*, practicas, id est, motrices actiones, in Lethargo esse torpidas scribit. Sentiunt etiam Lethargici, atqui ægre. Neque enim prorsus in Lethargo sensus & motus abolent, alioqui ab Apoplexia non differret. Etsi igitur, *vt Paulus lib. 3. c. 10. attestatur*, Lethargici, somnolenti semper sunt, & ægre excitari possunt, tamen respondent quum interpellātur, & oculos nonnunquam aperiunt ad vociferationes, q̧ indiciū est eos sentire, suosq; motus seruare. Proinde quū Galenus alicubi scribit, lethargicos nec sentire, nec moueri, intelligendum est, ægre eos sentire, & infirmos habere motus, *vt iam dictum est*. Atq; hactenus de Lethargo proprie vocato. Sumitur etiam interdū generatim & improprie, pro omni somno, qui difficilem habet expergefactionem. Sic nō raro cū comate generatim sumto coincidit. Lethargus præterea, *Galeno com. 1. libri Prbnotiorum textu 1. auctore*, interdum simplex, aliquando mistus exsistit. Simplex est, qui fit ex vno humore, nēpe pituita cerebrum humectante & irrigante. Mistus, ex phrenitide & lethargo proprie dicto est cōpositus, qui alio nomine Græcis, maxime Hippocrati, τυφομανία appellatur. Vnde perspicuum fit, Galenum non recte ab Argenterio reprehendi, q̧ de Lethargo parum conuenientia prodiderit, & in eius referendis caussis varius fuerit, easq; negligēter, & confuse explicarit. Quod enim *lib. 1. Epidem.* Lethargum periculosum morbū esse tradit, id, *vt ex iam dictis patet*, de Lethargo proprie dicto inaudiendum erit. Quum enim in eo putrescat in capite pituita, periculo vacare nequit. Quod autem infirmū facultatis imaginatricis motum *in libro de Sympto. differ.* esse scribit, id recte ab eo dictum est. Nā vt in comate & caro, ita etiam in Lethargo propter assiduum soporem, quo ægri opprimuntur, imaginatrix facultas, quę sensilium rerum imagines continet, deficit, & imbecilla est. Oppresso enim & intēperanter affecto a pituita cerebro, necesse est eius actiones quoq; impediri. Quod vero *lib. 3. de Labo. locis. cap. 6.* scribit, Lethargū a vehementi frigore fieri, & intemperie frigida, id verum est, & hoc ipsum etiā affirmat Argenterius, qui aliquando ex phrenitide male curata, pręterq; modū refrigerato capite, hunc nasci ait. Verū etiam est, quod *comment. 1. libri Pranotionū text. 1.* scribit Galenus, *Lethargū fieri quum pituita locum, in quo princeps animæ pars residet, humectarit, & irrigarit* Non enim ab eius humiditate tantum, sed etiam frigiditate fieri lethargum innuit. Pituita enim

Lethargus proprie. Veternus.

Lethargus generatim.

Simplex. Mistus.

τυφομανία

Galenus ab Argenterii calumnia defensus.

A nulla est citra frigiditatem. Etsi interdum a sola humiditate, *vt li. 1. & 3. de Sympto. caussis testatur idem Galenus*, lethargus generatim sumtus fiat. A nimia namque humiditate, vt metipse Argēterius fatetur, calor innatus intus veluti suffocatur, ac prodire ad exteriora impeditur. Quod *sect. 2. Aphor. comment. 3.* tradit, vehementem frigiditatem cerebri cum humiditate mistam efficere lethargum, non differt ab eo, ꝙ ante ex lib. *Pranotionū* produximus. Intelligit enim pituitæ humiditatē, quemadmodū seipsum *in libello de Atra bile explicat*, vbi disertis verbis, *humorem lethargum procreantem esse lętum & crassum affirmat.* Quod *lib. 13. Therap. method.* humorem in lethargo vult putrescere, de proprie vocato lethargo inaudiendum erit. Ceterum quum postremo loco me quoq; erroris insimulet Argenterius, committere non potui, quin me etiam ab ipsi⁹ reprehēsione vindicarem. B Reprehendit vero in me, quod lethargi caussam esse dixerim pituitam nimio frigore & humore cerebrum imbuentem. Quasi vero non idem fecerit Galen. *lib. 1. Pranotionum com. 1. tex. 1.* vbi lethargum fieri ait τῆς ψυχῆς ἡγεμονῦ ὑγραίνοντές τεχ̀ διαβλέψαντ φλέγματ: id est *quando pituita principem animæ partem humectat & irrigat.* Et comment. 3. eiusdem operis tex. 31. expressis verbis ait: φλεγματῶδες τὸ πλῆθ λήθαργον ἐργάζεται, hoc est, *pituitosa plenitudo Lethargum efficit.* Quod si itaq; hæc verba ad Lethargum proprie dictum referuntur, satis ex aliis Galeni locis constat, illa non esse de pituita simpliciter dicta, sed de putrefacta potius intelligenda. Vt minime necesse sit, id semper expressis significari verbis. Neq; ego in Medēdi ratione mea, simpliciter pituitā lethargi esse caussam scripsi, vt mihi falso affingit Argēterius, sed statim subieci: *Putrescit n. in hoc malo pituita.* Vt hinc facile le- C ctor candidus quid voluerim intelligere potuerit. Sed Argenterio hoc vnicū est studiū, vt non tantum veteribus contradicat, sed etiam vt per aliorum ruinam emergat.

Auctor ab Argēterii reprehensione asseritur.

Ἀποπληξία vitium est, vbi laborante communi neruorum principio, subito omnes corporis particulæ motum simul, & sensum amittunt. Aut est priuatio sensus & motus in vniuerso corpore, cum functionum a voluntatis imperio prodeuntium lęsione subito superueniens. Latini *attonitum morbum* vocant. Ἐφιάλτης vitium est, vbi aliquis noctu se grādi mole opprimi, inuandieq; ab alio credit. A Themisone πνιγαλίων, a suffocando nuncupatum est, quod in eo malo ægrotantes suffocari videntur. Latini *incubum* & *incubonem* appellant. Ἐπιληψία nihil aliud est, *vt lib. 3. de Laborantibus locis, cap. 5, auctor est Galenus*, quā D vniuersarum corporis partium, non quidem perpetua, sed quæ ex temporum fit interuallis, cum mentis & sensuum læsione, conuulsio. Hoc vero nomen huic vitio a Græcis est inditum, quod sensum capitis, atq; mentem pariter apprehendat. Latini *morbum comitialem* appellant, quod in comitiis, vt in aliis etiam concionibus & hominum cœtibus, eo correpti maxime infestabantur, frequenterq; detergebātur: quodq; eo quo quis cōcidisset die, comitia interrumpebant. Alio nomine sacer nuncupatur morbus, propter suam magnitudinem & grauitatem, quandoquidē eo correptus homo subito concidat. Siquidem Græcis familiare est, vt ἱερὸν, hoc est, *sacrum* pro magno vsurpent, vt dum sacrū os, & sacrum piscem, pro magno osse, & magno pisce efferunt. Et Virgilius imitatione Græca, *sacram auri famem*, pro magna dixit. Atq; hinc est, quod Hippocrates *in Epidemiis* E μεγάλην νόσον, id est, *magnum morbum* nominet. Dicitur Herculeus, vel quod Herculi familiaris fuit: vel quod Herculis instar immēsus & magnus sit. Idem caducus, a crebro lapsu & casu vocatur. *Lunaticus* quoq; a nonnullis appellatur, vel ꝙ Lunæ circumactionē sequatur: vel quod eum, qui interlunio natus est, hoc malo fere affici cōpertum sit. *Puerilem* denique & *Infantilem* nuncupant, quod teneram præcipue ætatem infestet, & pueris, quoad pubertatem accedant, peculiaris sit.

Apoplexia. Attonitus morbus. ἐφιάλτης. Incubus. Epilepsia. Morbus comitialis. Sacer. Magnus. 6. Epid. sect. 6. Aphor. 9. Herculeus. Caducus. Lunaticus. Puerilis. Infantilis.

Παράλυσις & πάρεσις, est malum, vbi alterum duntaxat latus, aut dextrum aut sinistrum, sensum simul & motum amittit. Alio certo nomine, & proprie quidē ἡμιπληγία & παραπληγία, Hippocrati & aliis Græcis dicitur. Nam sic tantum appellatur, *Galeno lib. 4. Victus acut. morbo. comment. 23. teste*, resolutio, quæ apoplexiam sequitur. Ceterum παράλυσις non F raro generatim pro omnī resolutione, & ex quacunque occasione facta sumitur. Sic membrorum resolutio ex colico dolore etiam paralysis nominatur. Σπασμὸς, vitium est, in quo nerui atq; musculi præter voluntatem conuelluntur, inq; eum veniunt affectum, quem in motibus secundum arbitrium factis assumserunt. Vel, *vt lib. 2. de Sympto. caussis, cap. 2. definit Galenus*, malum est, quod neruos, musculosque ad eundem cogit affectum, in quem animali facultate, quum naturalem seruarent habitum, ducebantur.

Paralysis. ἡμιπληγία παραπληγία. Conuulsio.

Τέταν☉. Latini *conuulsionem* vocant. Eius autẽ tres sunt species seu differentiæ. Vna Græcis τέταν☉, A Latinis nonullis interpretibus simpliciter *distensio*, vel cum adiectione *distensio erecta*, Cornelio Celso *rigor* dicitur. Hæc accidit, vbi ceruix vna cum reliquo corpore immobilis manet, & in neutram partem inflectitur, sed iuxta in vtramq; partẽ recta intendit. Εμπροσθότον☉. Altera ἐμπροσθότον☉ Græcis, *distensio ad anteriora* Latinis nominatur. Fit, vbi caput, ceruix, & reliquum corpus in pectus & anteriora conuellitur. Tertia ὀπισθότον☉ Græcis, *distensio ad posteriora* Latinis appellatur. Ὀπισθότον☉. Accidit, quãdo caput & ceruix in dorsum & scapulas cõtrahitur. Mania. Μανία vitium est, quod Latinis *insania & furor* vocatur. Hoc enim correpti ferarum modo redduntur effrenes, ac furere consueuerunt, ita sane, vt non raro eos qui imprudentius illis occurrunt, aut cum iis versantur, male tractent. A phrenitide distat, vt- B pote cui adiuncta sit febris, cum mania citra febrem cõsistat. Μελαγχολία Græcis est mentis alienatio desipientiave sine febre, ex melancholico humore cerebrum occupãte, ac Melãcholia temperaturam immutante, orta. Παραφροσύνη vero iisdem delirium appellatur, q̃ propter consensum cerebri, vaporibus nimirum acribus sursum elatis, accidit. Paraphrosyne. Λυκανθρωπία vitiũ ẽ, quo correpti sese in lupos esse conuersos imaginant̃. Proinde noctu egressi domo, lupos per omnia imitantur, & donec dies illucescat, circa defunctorum monumẽta vagantur. Lycanthropia. Quocirca minime fabulosum videri debet, quod Plin. *lib. 8. c. 22.* homines in lupos mutari tradidit. Est p̃terea furor ex amore natus, qui Græcis ἐρωτικὸς nominatur. Eroticus furor. Quo fere oẽs per adolescentiam correpti iuuenculas depereunt. Furor a. quem Musæ & literarũ studia pariunt, qui tamen hodie apud Germanos nostros rarus admodũ est, προτρεπτικὸς Protrepticus. Græcis nũcupatur. Tremor. Τρόμ☉ vitium Græcorum Medicis ex duob. perficitur motibus, vno C quidem, dum cogit̃ mẽbrum ob morbum & grauitatem ad inferiora repere: altero, dũ sursum a facultate fertur. Latinis *tremor* nuncupatur. Catarrhus. Κατάῤῥο☉ & κατάῤῥυς contracte Græcis malum dicitur, vbi ex capite humor ad os & fauces, *Galeno lib. 3. de Sympto. caussis cap. 11. auctore*, defertur. Latini *destillationem* nominant. Destillatio. Κόρυζα vero vitium est, in quo humor ad nares decumbit. Grauedo. Latinis *grauedo* vocatur. Raucitas. Βράγχ☉ malum est, vbi ad guttur humor destillat. Latinis *raucitas*, nonnullis *raucedo* appellatur.

Vitiorum oculi succincta explicatio. CAP. XII.

Oculi totius vitia. QVæ in oculis nascuntur vitia, vel ad totum oculum, vel ad eius duntaxat partes pertinent. Quæ ad totum oculum spectant, hæc sunt: D Ἀτροφία. Ἀτροφία vitium est, *quod totum oculum minorem depreßioremq́; reddit*. Celsus *imminutum oculum lib. 6.* vocat. Auicennæ interpres *fen. 3. canonis tertii, profunditatem oculi* appellat. Ἐκπιεσμὸς. Ἐκπιεσμὸς cõtrarium est priori malum. Siquidem in eo sic exprimuntur oculi, vt exserti perseuerẽt. Interpres Auicennæ *exitũ oculi* nominat. Strabismus. Latine *expreßio oculi* nuncupari posset. Στραβισμὸς conuulsorius est musculorum oculum mouentium affectus, per quem aut sursum, aut deorsum, aut in obliquũ torquentur oculi. Distortio oculi, vel obliquus aspectus dici posset. Auicennæ interpreti Strabositas nuncupatur. Strabones. Qui hoc vitio laborãt, Strabones Latinis vocantur. Μυωπίασις. Μυωπίασις ἢ μυωπία, malum est, quo fit, vt ab ineunte ætate pusilla quidem prope videantur, remota vero, etiamsi magna sunt, nõ itẽ. Lusciosi. Hoc correpti vitio lusciosi Latinis dicuntur. Νυκταλωπία. Νυκταλωπία vitium est, quo quis interdiu quidem videt, sole autem occidente obscurius, noctu vero E penitus nihil. Latinis *nocturna cæcitudo* nuncupatur. Nũscitiosi. Eo autem laborãtes malo, *Nuscitiosi* nominantur: ἀμβλυωπία. Ἀμβλυωπία est visus obscuritas, Latinis *hebetudo* appellatur: fit, vbi spiritus crassescunt, vel tunicæ densantur, vel oculorum humores lentiores fiunt. Ἐπιφορὰ. Ἐπιφορὰ, est omnium humorũ ad oculos impetuosior fluxus. Ῥῆξις. Celsus *pituitæ cursum seu impetum*, vulgus autem Medicorum lacrymam vocant. Ῥῆξις est ruptura ab ictu, vel alia quapiam caussa, in alto subinde integras membranas diuidens, vt etiam humores, quib. videndi facultas administratur, effundat. Παράλυσις, est vbi obliquæ motiones, & quæ sursum ac deorsum Resolutio oculi. fiunt, expediri non possunt, Latinis *oculi resolutio* nuncupatur. Atq; hactenus vitia ad vniuersum pertinentia oculũ percensuimus. Adnatæ tunicæ vitia. Nunc reliquũ est, vt de iis malis, q̃ oculi mẽ- F branis tunicisve accidunt, disseramus, exorsi ab iis, quæ in adnata fiunt. Τάραξις. Τάραξις est humiditas oculi cũ rubore & calore p̃ter naturã, non ex corpore, sed forinsecus adueniente Perturbatio oculi. caussa aliqua, fumo, verbi gratia, puluere, aut oleo oborta. Latinis *perturbatio oculi*, Auicennæ interpreti *conturbatio & vacillatio*, item *ophthalmia leuis*, vel non vera dicitur. Ὀφθαλμία. Ὀφθαλμία, membranæ, tunicæve adnatæ phlegmone est, q̃ Latinis *Lippitudo*, Auicennæ

vero

A vero interpreti *opthalmia vera* appellatur. Χήμωσις est, vbi vtraque palpebra ex vehementi phlegmone distorquetur, vt vix oculos operiant, & album oculi nigro sublimius fit, & rubrum, ac multam nigri partem occupat. Auicenna *Alguadenegi* vocat. Πτερύγιον neruosa est adnatę membranæ eminentia, quę ab angulo maiore quidem orta, vsq; ad coronā seu irim oculi progreditur. Vbi vero augescit, pupillam etiam obtegit. Celsus *in septimo vnguem* appellat. Barbaram excolentes medicinam *vngulā* nominant. Quæ autem in cornea tunica fiunt mala, hæc sunt: φλύκταιναι priuatim exiguæ sunt pustulæ, veluti quędā bullæ supra corneam eminentes, quales iis potissimū accidunt, qui exanthematis laborant. Sic dictæ ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc est, *ab ebullitione & feruore, quem in oculi tunica excitāt.* Celsus *pustulas*, Auicennæ interpres *vesicas*, vocat. Βόθειον, cauum, angustum, purumq; in cornea natum vlcus est. Latini interpretes *fossulam*, Auicennæ interpres *annulum* nuncupat. Κοίλωμα latius est botrio vlcus, sed minus altum. Cauitas interpretibus Latinis dicitur. ἄργεμα καὶ ἄργεμον, *vlcus est quod in iridis circulo nascitur, vndiquaq; illum occupans, sic vt circa exteriorem iridis partem rubicūdum, circa vero interiorem album appareat.* Επίκαυμα, vlcus est sordidum, impurum, & crustosum, Latinis *inustio* vocari posset. Interpres Auicennæ adustiuum nominauit. Αχλὺς vlcus est superficiarium in nigro oculi apparens cæruleum, caliginoso aeri simile, nigri maximam partem occupans. Caligo latinis appellatur. Νεφέλιον eiusdem generis vlcus est, sed caligine profundius & angustius, colore candicās. Latinis *nubecula* vocatur. Πύωσις & ὑπόπυον est, vbi pus sub cornea nunc altius, nunc in summa superficie coaceruatur, humani vnguis specie. Atque hinc est, quod idem vitiū Græcis ὄνυξ etiam appelletur. Auicennæ interpres *saniē in siphac* nominat. Καρκίνωμα priuatim malum est corneæ tunicæ, immensum dolorem & ruborem, punctoriumq; cruciatum ad tempora vsque protensum excitans. Latinis *cancer corneæ* nuncupatur. Et hæc corneæ sunt vitia. In vuea vocata tunica hæc eueniunt mala. Πρόπτωσις *vueæ* est *procidentia*, ab erosione ruptioneve corneæ accidēs. Hæc si exigua adhuc fuerit, vt muscæ capitis formam præ se ferat, Μυοκέφαλον Græcis nuncupatur. Auicennæ interpreti *formicalis ruptura* dicit. Vbi vero amplius & eousque succreuerit, vt acinum vuæ representet, Græcis σαφύλωμα appellatur. Sunt qui vuationem dici posse putant. Auicennæ interpreti *vua* nominatur. Si autem sic augetur, vt extra palpebras emineat, μῆλον Græcis, Auicennæ interpreti *clauulis ruptio* vocatur. Vbi vero obducta cicatrice obduruerit, & occalluerit, Gręcis ἧλος, Latinis *clauus*, Auicennæ interpreti *claualis ruptio* dicitur. Foraminis vueæ, quod Latinis *pupilla* nominatur, hæc vitia sunt. Μυδρίασις, vitium est, in quo pupilla colore quidem nihil euariat, sed multo quam consueuit latior fit, adeo vt interdum iridis circulo appropinquet. Latinis *pupillæ dilatatio & effusio*, Auicennæ *Alintisar* nuncupatur. Φθίσις priuatim contrarium priori malum est. In eo enim pupilla angustior, obscurior, rugosiorque fit. Latinis *tabes & imminutio pupillæ*, interpreti Auicennæ *cōstrictio pupillæ* dicitur. ὑπόχυσις & ὑπόχυμα est, vbi humor lentus & glaciei modo inter corneam & crystallinum concretus circa pupillam subit. Latinis *suffusio*, Auicennæ interpreti *aqua*, vulgo Medicorum *cataracta* vocatur. Γλαύκωμα, est crystallini humoris vitiū, in quo is ex humiditate in glaucum colorem mutatur. Angulorum oculi hæc sunt mala. Αἰγίλωψ, est abscessus inter maiorem oculi angulum, & nasum factus, qui ruptus si negligatur, in fistulam ad os vsq; progredientem abit. Nostri fistulā lachrymalium angulorū appellant. Αγχίλωψ idem est abscessus, sed priusquā disruptus in vlcus abit. Vtrumq; Auicenna *Garab* nominat. ἐγκανθὶς, est naturalis circa maiorem oculi anglum carunculæ supra iustum modū excrescentia. Auicennæ interpres additionem carnis lachrymalium vocat. Ροιάς, vel potius ῥυάς, eiusdē carunculæ imminutio & decrementum est. Auicennæ interpreti diminutio carnis lachrymaliū dicitur. Επινυκτὶς, *Plinio lib. 20. cap. 6. auctore*, vlcus est aciē hebetans, & in oculi angulo perpetuo manans humore. Palpebrarum vitia sunt huiusmodi: Εφύσημα palpebrę laxus est tumor, & dolore vacans, atq; adeo œdematodes, Latini *palpebræ inflationē* nominant. Qua certe appellatione Auicennæ quoq; interpres vsus est. Σκληροφθαλμία duricies est, & difficilis cū dolore ac rubore, citra humiditatē oculi & palpebrarū, motus. Auicēnæ *Cresse* appellatur. Ξηροφθαλμία est pruriginosus sine fluore palpebrarū affectus. Latinis nonnullis interpretibus ariditas, siccitasve oculi & palpebrarum, aliis, & quidē rectius, arida lippitudo. Ψωροφθαλμία pruriginosa palpebrarū scabies est. Auicēnę interpres scabiem, & pruritum vocat. Πτίλλωσις crassities est palpebrarū callosa rubicunda, quibus

Χήμωσις. Πτερύγιον. Vnguis. Corneæ vitia. Phlyctęnæ. Βόθειον. Fossula. Κοίλωμα. Αργεμα. Επίκαυμα. ἀχλὺς. Νεφέλιον. Nubecula. Πύωσις. Καρκίνωμα. Vueæ vitia. Πρόπτωσις. Μυοκέφαλον. σαφύλωμα. μῆλον. Clauus. Pupillę vitia. Μυδρίασις. Φθίσις. Suffusio. Glaucoma. Angulorū oculi vitia. αἰγίλωψ. ἀγχίλωψ. ἐγκανθὶς. ῥοιάς. ἐπινυκτὶς. Palpebrarū vitia. ἐφύσημα. Σκληροφθαλμία. Ξηροφθαλμία. Ψωροφθαλμία. Πτίλλωσις.

[Ἐκτρόπιον.] ſæpe etiam pilorum accidit defluuium. Auicennæ *Silac* nuncupatur. Ἐκτρόπιον palpebræ A
eſt inuerſio propter cicatricem, aut carnis excreſcentiam nata. Auicennæ interpres in-
[ἀγκυλοβλέφαρον.] uerſationem palpebræ nominat. Ἀγκύλωσις & ἀγκυλοβλέφαρον vitium eſt, in quo palpebræ cũ
Albo vel nigro, vel inter ſe ita coaleſcunt, vt aperiri oculus non poſſit. Latinis interpre-
[Λαγωφθαλμοί.] tibus *agglutinatio*, vel *coalitus palpebrarum* dicitur. Auicennæ interpreti, inuiſcatio palpe-
[Τράχωμα.] brarum. Λαγωφθαλμοί ſunt, qui ſurſum retracta palpebra, oculis apertis perinde atq; lepo-
res dormiunt. Interpres Auicẽnæ *leporinos oculos* appellat. Τράχωμα, interna eſt palpebra-
[σύκωσις.] rum ſcabrities & aſperitas. Celſo *aſpritudo palpebrarum* dicitur. Eius duæ ſunt ſpecies. Nã
vbi ſic augetur & intenditur, vt veluti inciſuras habeat, σύκωσις Græcis, quod ſcilicet gra-
[τύλωσις.] norum ficus ſimilitudinem referat, nuncupatur. Latini *ficoſam palpebrã* vocant. Vbi vero
[ὑδάτις.] inueterata iam in callũ abierit, Græcis τύλωσις, Latinis *calloſa palpebra* appellat. Ὑδάτις, pin- B
guis quædã ſuperioris palpebræ ſubſtãtia eſt, pondere ſuo ſic grauans, vt vix attollere o-
culum ſinat, eoq; aſſiduas fluxiones excitat, palpebræq; in hoc vitio aquam intercutem
[Χαλάζιον.] repræſentant. Hinc a quibuſdã interpretibus Latinis *palpebrarum aquoſitas* dicitur. Aui-
cenna *Alſarnac* nominat. Χαλάζιον rotundum & translucidum, huc atque illuc mobile in
[Κριθή.] palpebris eſt tuberculum. Latinis *Grando* vocatur. Κριθή, abſceſſus eſt exiguus & oblongus,
iuxta palpebræ cilium marginemve ortus. Latinis *hordeolum* nuncupatur, q. ſcilicet for-
[Ποσθία.] ma grano hordei ſimilis ſit. Græcis alio nomine ποσθία, quod præputio, quod iiſdẽ πόσθη
[Φθειρίασις.] dicitur, ſimilis ſit, appellatur. Φθειρίασις priuatim eſt, quando palpebrarũ pilos exigui pe-
[Τριχίασις. Μαδάρωσις.] diculi infeſtant. *Pediculationem palpebrarum* nonnulli vocant. Τριχίασις eſt, vbi pili inutiles,
[Μίλφωσις. Διστιχίασις.] & oculos pungentes in palpebris enaſcuntur. Μαδάρωσις καὶ μίλφωσις pilorum palpebræ eſt
defluuium. Latinis *glabrities* palpebrarum, Auicennæ interpreti *caſus capillorum* nomi- C
natur. Διστιχίασις eſt, vbi ſub naturali pilorum palpebræ ordine, alius ſuccreſcit ordo. La-
[Φαλάγγωσις] tinis *prauitas aut turbatio ordinis* dici poſſet. Auicennæ interpres additos pilos vocat. Φα-
λάγγωσις vitium eſt, in quo pilorum duplex triplexq; acies, vel in ſuperiore, vel inferiore
palpebra prouenit. Hoc euenit, quando ciliũ introſpectat, pilorum acie ſimul cum eo
inuerſa. Phalãgoſis etiam interdum dicitur in palpebris relaxatis, vbi naturales pili bul-
[Λιθίασις.] bum oculi compungunt. Λιθίασις eſt, vbi in palpebris gignuntur candicantia quædam &
[ἵππος. Nerui viſorii vitia.] aſpera, lapidis inſtar, oculum prementia. Ἵππος, vitium exſiſtit ab ortu ipſo naſcens, pro-
pter quod inſtabiles ſemper ſunt palpebræ. Nerui viſorii vitia hæc ſunt. Ἀμαύρωσις nerui
[ἀμαύρωσις.] viſorii obſtructio eſt, in qua omnimoda vel maxima ex parte viſus interceptio, abſque D
vlla manifeſta cauſſa circa oculum apparente, accidit. Pura enim & incolumis vndique
[ἀπόρρηξις.] pupilla cõſpicitur. Latinis *obfuſcatio*, aut *obſcuritas viſus* appellari poteſt. Ἀπόρρηξις eſt, quã-
do meatus a cerebro in oculum deſcendens ex ictu capitis, vel caſu ex alto diſruptus eſt.
[Παρέμπτωσις.] Παρέμπτωσις eſt, vbi in meatum qui in oculum videndi facultatem defert, humor aliquis a-
perto vel rupto vaſe incidit, eundemque obturat. Latine forte *concidentia* dici poſſet.
[Σύμπτωσις. Adnatæ & corneæ ſimul vitia.] Σύμπτωσις eſt, quando meatus ille ex tabe vel imbecillitate arctior fit, ac concidit. Latinis
Concidentia forte non inepte nominaretur. Adnatam & corneã ſimul hæc infeſtãt vitia:
Ὑπόσφαγμα & ὑπόπυον malum eſt, in quo propter ictum quendã fractis aut contuſis vaſis, in-
[ὑπόσφαγμα Suggillatio.] tra tunicas oculorũ ſanguis coaceruatur, & in extima oculi parte velut ſanguinis pun-
cta apparent. Latinis *ſuggillatio* & *ſuggillata*, recentiorib. *macula oculi*, Auicennæ *Altarſati* E
[Cicatrices. Νεφέλια.] vocatur. Οὐλαί, hoc eſt, cicatrices oculi ſunt duplices. Nam quæ in ſumma oculi conſi-
ſtunt ſuperficie, Græcis νεφέλια, Latinis *albugines tenues* dici poſſent. Auicennæ interpreti
[Λευκώματα] ſimpliciter *nebulæ* nuncupantur. Quæ altius radices agunt, Græcis λευκώματα, Latinis *al-
bugines craſſæ* appellantur. Interpres Auicennæ albugines ſimpliciter nominauit.

Vitiorum auris breuis enarratio. Cap. XIII.

[Ὠταλγία.] ΩΤαλγία aurium in vniuerſum dolor eſt, qui vel ex phlegmone, vel vlcere, vel abſceſſu,
[Βαρυηκοΐα. Syriſmus. Surditas. Vermiculãtes aures.] vel alia quadam occaſione fit. Δυσηκοΐα & βαρυηκοΐα eſt difficilis auditus, ἦχος & συρισμὸς
Græcis *aurium ſonitum* ſignificat, qui recentioribus tinnitus nuncupatur. Κώφωσις, vitium F
eſt, in quo æger non ſolum grauius, ſed prorſus nihil audit. Latinis *ſurditas* dicitur. Σκωλη-
κῶντα ὦτα Græci vocant aures vermiculantes. Fit enim in auribus tam tetrum malum, vt
[Παρωτίς. Φῦμα. Κυψελίς. Marmorata.] haud ſecus quam ex corrupto cadauere illic prodeuntes vermes videre liceat. Παρωτίς,
phlegmone eſt, quæ in glandulis prope aures conſtitutis accidit. Φῦμα, ſunt prominẽtes
& oblongæ in glandulis eminentiæ, *vt alibi fuſius monſtrauimus*. Κυψελὶς & κυψέλη ſordes au-
rium

quæ grauiorem auditum reddit. Has quidem aurium sordes Latini *marmorata* nominant, iuniores *Cerumina*. Θλάσις priuatim contusio & compressio foraminum, quæ in auribus sunt, appellatur. Cerumina. Θλάσις.

Vitiorum narium explicatio. Cap. XIIII.

Ὀζαίνα vlcus est narium profundum ac putridum, ex quo ingratus & fœtidus exhalat odor. Sic vero a graueolentia & fœtore dicta est. Πολύπους tumor est præter naturam in naribus ortus, polypodis carni substantiæ proprietate assimilis. Σάρκωμα, est carnis præter naturam in naribus incrementum. Μύξα, humor e naribus fluens, Latinis *mucus*, *& pituita narium* appellatur. Αἱμοῤῥαγία simpliciter & citra alicuius partis adiectionẽ posita vox, sanguinis ex narib. profluuium significat. Alias enim fere semper cũ partium, vnde sanguis promanat, nomenclaturis cohæret. Ὀζαίνα. Πολύπους. Σάρκωμα. Mucus. αἱμοῤῥαγία.

B

Vitiorum faciei explicatio. Cap. XV.

Ἔφηλις, est aspredo & nigrities in facie, ex ardore solis pronata. Φακὸς, mascula est faciei nigra, lentis similitudinem obtinens. Latinis *lentigo* nuncupatur. Ἴονθος tumor in facie paruus & durus, ita quidem dictus, quod instar ἰόνθου, id est, fimi, faciem conspurcet, ac fœdet. Latinis *varus* nominatur. ἔφηλις. Lentigo. Varus.

Vitiorum dentium explicatio. Cap. XVI.

Ὀδονταλγία, omnem dentium dolorem Græcis denotat. Ὀδαξισμὸς, est pruritus is, qui conceptis iam intra gingiuas dentibus, & erumpere festinantibus sentitur, quo

C solent infantes relatis ad os digitis identidem eos mordere, & ipsi gingiuas suas confricare. Ὀδοντοφυΐα puerorum est dentitio, vbi scilicet iam e gingiuis prorumpunt dentes. Αἱμωδία stupor est dentium, malum sane quotidianum, in quo acerbitate aut aciditate cibi alicuius, præsertim nondum maturi pomi, stupent dentes, nec alios cibos sine dolore commanducare ac conficere possunt. Παρουλὶς, est phlegmone, Aetio *libr. 8. cap. 24. auctore*, partis alicuius gingiuarum, quæ nõ soluta suppurat. Ἐπουλὶς est carnis excrescentia a phlegmone iuxta intimum molarem dentem facta. ὀδονταλγία. ὀδαξισμός. ὀδοντοφυΐα. αἱμωδία. παρουλίς. ἐπουλίς.

Vitiorum oris expositio. Cap. XVII.

Βάτραχος tumor est phlegmonodes sub lingua consistens, pueris potissimum acci-

D dens. Ranulam hodie facientes medicinæ vocant. Ἄφθαι vlcera sunt oris non adeo profunda, sed in eius superficie consistentia, igneæ caliditatis quippiam obtinentia. Barbaram excolentes medicinam, *Alcolam* appellant. Παρίσθμια Græcis, *tonsillæ* Latinis, *Galeno sect. 3. Aph. Comm. 26. teste*, tumores ac phlegmones sunt iuxta Isthmum locorum. Isthmus autem, *Galeno ibidem attestante*, pars est, quæ os & guttur interiacet. Sic vero per metaphoram nominatus est ab iis, qui proprie *Isthmi* dicuntur, ac terræ inter duo maria sitæ angusti quidem transitus sunt. Ἀντιάδες glandularum, quæ in fine oris vtrinque linguæ appositæ sunt, e defluxu ex capite nati tumores ac phlegmones exsistunt. Vt inter paristhmia & antiades sit differentia, quam diserte Galenus *lib. 3. de Sympt. caussis, c. 11.* iis explicat verbis: *Si in glandulis*, inquit, *quæ in fine oris vtrinque sibi inuicem apponuntur, flu-*

E *xio deriuatur*, ἀντιάδας *efficit. Si vero in partes illis adiacentes*, παρίσθμια. Σταφυλὴ. *Gal. lib. 6. de Comp. medi local. cap. 3. teste.* non columellam, neque eiusdem phlegmonem, vt nonnulli putant, significat, sed quoddam illius vitium, in quo tota columella laxata, extrema sui parte maior est, & liuida, superna vero tenuis, vt similitudinem fructus vuæ, vnde nomen accepit, præ se ferat. Latini *vuam* vocant. Συνάγχη & κυνάγχη Græcis, proprie loquendo, non est nisi phlegmone, quæ in faucibus vel gutture fit. Ita vero dicta est, ἀπὸ τοῦ συνάγχειν, id est, suffocando, quod exitiosum & acutissimum malum sit, strangulatu præsentaneum vitæ discrimen inferens. Latinis *angina*, barbaram sectantibus medicinam *Squinantia* nominatur. Hippocrates tamen & alii quidam veterum medicorum, omnia vitia, quæ in iam dictis locis accidunt, & quæ spirandi comitatur difficultas, anginæ

F nomine complexi sunt. Ceterum anginæ quatuor sunt differenti. *Vna*, quum fauces phlegmone afficiuntur. *Altera*, vbi neque fauces, neque reliquæ oris partis, neque etiam extremarum partium vlla phlegmone laborare videtur, æger tamen suffocationis periculum in gutture sentit. *Tertia*, quando gutturis partes cum internæ tum externæ iuxta phlegmone infestantur. *Quarta*, vbi ad anteriorem ceruicis regionem vertebræ

Ranula. ἄφθαι. Alcola. παρίσθμια. Tonsillæ. Isthmus. ἀντιάδες. Σταφυλή. Vua. Συνάγχη. Angina. Anginæ quatuor differentiæ.

luxantur, indeque cauus apparet locus ac dolorem, quum extra tangitur, sentit. Ex re- A
centioribus Græcis Paulus Ægineta inter synanchen & cynanchen, item parasynan-
chen & paracynanchen discrimen facit, quod alibi etiam indicauimus. Verum Gal. *lib.*
quarto de Laborantibus locis, cap. quinto, & lib. 3. progn. Comm. 20. hanc differentiam, vt ine-
ptam ridet atque conuellit. Et qui anatomes periti sunt, facile animaduertent hoc di-
Canina cõ- scrimen temere esse excogitatum. Κυνικὸς σπασμὸς, oris resolutio est, quam in vtramlibet
uulsio. partem faciei deprauatio sequitur. Nostri seculi Medici torturam oris appellant, quod
Tortura oris. scilicet in hoc malo os cum quodam motu peruertatur. Αγκυλόγλωσσον, vitium est, quod
Αγκυλό- interdum in vtero adhuc materno degentibus accidit, membranis nimirum linguam
γλωσσον. continentibus, durioribus & breuioribus statim a prima origine factis. Interdum ex
acquisito, ob quampiam cicatricem duriorem sub ipsa ex Vlcere contractam. Qui hoc B
Blæsitas. malo infestantur, tarde sermonem explicare incipiunt. Τραυλότης Latinis *blæsitas* dici po-
Blæsi. test. Qui hoc vitio laborant, τραυλοὶ Græcis, *Blæsi* Latinis dicuntur. Sunt vero, qui certam
Balbi. aliquam literam exprimere nequeunt. Ψελλοὶ vero sunt, qui pronuntiando literam vel
syllabam, prætermittunt. Latinis *balbi* vocantur. Κατάῤῥους vide *c. 11. huius sectionis.*

Vitiorum Thoracis enarratio. CAP. XVII.

Ασθμα, vitium est, in quo ægrotantes citra febrem crebro respirant, vt solent, qui ci-
tatiore cursu fatigati sunt. Qui eo laborant malo, Græcis ἀσθματικοὶ, Latinis *anhelosi,*
Ορθόπνοια. *& suspiriosi* appellantur. Ορθόπνοια, vitium est, in quo nisi recta ceruice, propter suffoca-
Δύσπνοια. tionis periculum, ægrotantes spirare nequeunt. Δύσπνοια omnis spirandi est difficultas: C
proprie tamen, *vt lib. septimo, de Compo. medica. local. cap. vltimo, Galenus testis est*, ea spiran-
di difficultas, quæ propter crassos & lentos humores pulmonis bronchia obstruentes
Πλευρῖτις. accidit, dicitur. πλευρῖτις, proprie membranæ costas, & latera intrinsecus succingentis
phlegmone est, Latinis *lateris dolor* interdum appellatur. Neque temere adiectum est
Proprie, quia, *vt Aetius libro octauo, capit. 68. attestatur*, nonnunquam etiam ex crudis,
crassis, & lentis humoribus oritur, qui se repente in vacuum thoracis locum ingerunt,
atq; sua multitudine latera succingentem membranam distendentes, dolorem infe-
περιπνευμο-νία. runt. περιπνευμονία pulmonis phlegmone est, cũ febre acuta. αἱμοπτόης vel rectius αἱμόπτυσις,
αἱμοπτόης. nihil aliud est Græcis, quam sanguinis reiectatio, aut cruenta sputio. Latini sanguinis
ἐμπύημα. sputum, & cruentum sputum nominant. Εμπύημα non nisi purulẽtam exscreationem D
significat. Latini *suppurationem* vocant. Hoc namque in malo in vacuo inter thora-
cem & pulmonem spatio pus consistit. Qui eo laborant, Græcis ἔμπυοι & ἐμπυικοὶ Lati-
Φθίσις. nis *supp urati & purulenti* appellantur. φθίσις, etsi Græcis omnem corporis maciem & di-
minutionem significet: tamen Hippocrati & aliis Medicis eam tantum extenuatio-
nem denotat, quæ pulmonis insanabilia comitatur vlcera, quam proprie φθόην Athe-
φθόη. Tabes. nienses, *Galeno sect. 7. Aphoris. Comment. 16. auctore*, nuncupant. Latinis *tabes* dicitur.
παλμὸς. παλμὸς Græcis, *cordis palpitatio, & tremor* Latinis, motus est cordis deprauatus, in quo
præter naturam dilatatur. Medici recentiores haud recte cardiacam nominant. Nam
καρδιακή. καρδιακὴ Græcis ad stomachum galamue, quam veteres καρδίαν, *vt paulo post fusius ostendê-*
mus, vocarunt, refertur, nec aliud est, quam eiusdem morsus & erosio. συγκοπὴ καρδιακὴ, *vt* E
συγκοπή. *lib. 12. Ther. method. capit. quinto, auctor est Galenus*, princeps omnium virium lapsus cor-
λιποθυμία. dis vitio eueniens exsistit. Quare ab animi deliquio, λιποθυμίαν Græci appellant, distat.
Siquidem in eo non fit omnium virium lapsus, sed tantum spiritus exsoluuntur, ma-
nentibus illæsis in iis viribus, quæ cerebro, cordi & iecori sunt congenitæ. Atque hinc
est, quod æger in animi deliquio seu lipothymia etiamnum audiat, videat, loquatur, a-
gnoscatque præsentes, in syncope minime. Nec diutius animi deliquium durat, nisi
quoad noui spiritus fuerint procreati. Ita autem inter se differre syncopen & lipothy-
miam, loco iam monstrato etiam confirmat Galenus, vbi crudos humores syncopen
inferre scribit, quando obstruunt ac onerãt. Lipothymiam vero, quando nihil tale ef-
ficiunt, sed duntaxat in caussa sunt, vt ægrotantes resoluantur. Vt hinc pateat lipothy- F
miam spirituum esse resolutionem: syncopen aũt virium lapsum, eo ꝙ spiritus corrum-
puntur, aut quia meatus obstruuntur: quorũ alterum fit a putridis humoribus, malignis
σπαργάνω-σις. qualitatib. ac venenatis: alterũ, quũ spiritus concludunt, atq; ne ad partes corporis de-
riuari possint, impediũtur. σπαργάνωσις malũ est, in quo propter lactis redundantiã mam-
mæ tu-

A mæ tumefactæ ita distenduntur, vt copiam hanc vix ferre queant. Θρόμβωσις vitium est, in quo lac in mammis grumescit, & in casei formam transit. Latinis *grumescentia lactis* dici potest. *Grumescẽtia lactis.*

Vitiorum ventriculi explicatio. Cap. XIX.

Καρδιακὴ & καρδιαλγία, Græcis *oris ventriculi dolor, morsus, & punctio* exsistit. Siquidem prisci os ventriculi, *vt sect. 2. Aphoris. Com. 17. & lib. 5. de Laborantibus locis cap. 5. & lib. 2. de Placitis Hipp. & Plato.* multisque aliis locis testatur Gal. καρδίαν, id est, *cor* nominarũt, quod nimirum in cõsensum cor ipsum rapiat. Vitium hoc Hippocrati alio nomine καρδιωγμὸς, id est, *cordis morsus* dicitur. Vt errare plurimum constet medicos recentiores ac barbaram sectantes medicinam, qui *Cardiogmon* pro *cordis palpitatione* vsurpant. *καρδία. καρδιωγμός.*

B ὀξυρεγμία Græcis non est, nisi id, quod *acidum ructum* Latini vocant. Acidus autem ructus is est, qui acidum præ se fert saporem: qui, *vt lib. 3. de Symptomatum caussis, cap. 1. auctor est Galenus*, fit, vbi cibi a frigore, aut pituitosis humoribus in vẽtriculo corrumpuntur. ἔγκαυσις τοῦ στομάχου, vitium est, quod Latinis ab ardore quem excitat, *ardor stomachi* nũcupatur. Sentit namque is, qui hoc malo laborat, *Galeno lib. 8. de Compo. medica. local. c. 3. teste*, multum in gula & ventriculi ore ardorem & calorem. Germanis der Sodt / vocatur. Καῦμα, *Galeno sect. 4. aphor. Comm. 17. auctore*, æstus est ventriculi: is vero accidit, vbi flaua bilis in ventriculi tunicis efferuescit. Differt itaque ab ardore, quod is ad gulam & os ventriculi, illud autem ad ventriculum pertinet. Ἀνορεξία ciborum est incommoda auersio, quam Latini *appetentiæ amissionem, & abolitam appetentiam* appellant. Hippocrati alio nomine ἀποσιτία *ὀξυρεγμία. Ardor gulæ stomachique. Sodt. ἀνορεξία. ἀποσιτία.*

C nominatur. Κυνώδης ὄρεξις contrarium abolitæ appetentiæ malum est, eo namque laborantes, appetentiam cohibere nequeunt. Quapropter in cibis ingerendis modum excedentes, eorum copia grauati, illos paulo post euomunt, atque sic leuati rursus se explent, ac iterum ad vomitum, perinde atq; canes, reuertuntur, vnde Latinis haud secus atque Græcis *canina appetentia* dicitur. Βούλιμος, Græcis nihil aliud, nisi ingentem vehementemque famem significat. βου enim particula aliis adiecta vocibus, earum significationem auget. Κίττα, vitium est, quod mulieres vitiosis refertas humoribus infestat, grauidas præsertim. Appetunt vero per hoc maxime acida & acerba, nonnunquam etiam acria, interdum cimoliam terram, cretam, testas, exstinctos carbones, aut alios vehe- *Canina appetentia. Βούλιμος. κίττα.*

D menter absurdos cibos. Latinis *pica* nuncupatur, a varietate huius auis plumarum, vel quod hæc ipsa hoc malo sæpenumero laboret. Ἀπεψία, vitiũ est, in quo nulla penitus ciborum fit alteratio, sed secundum omnes qualitates, tales permanẽt, quales assumpti sunt. Latini *cruditatem* vocant. Δυσπεψία fit, vbi in alienam qualitatem cibi permutantur. Deprauatam alterationem & concoctionem Latini nominant. Βραδυπεψία est, quando cibi in qualitatem animanti familiarem, sed longiori tempore, & vix permutãtur. Latinis *tarda concoctio* dicit̃. Ναυτία, irritus ad vomitiones conatus exsistit, Latinisq; *nausea* vocatur. Λυγμὸς, motus exsistit ventriculi deprauatus, qui est veluti eius conuulsio, ab expultrice facultate noxia extrudere cupiente excitatus. Neque temere adiectum est: Veluti eius conuulsio: non enim absolute conuulsio est, quod hæc solis musculis accidat. Verum neq; ventriculus ipse, neq; ipsius ostiolũ musculus est, igitur cõuulsione corripi nequit. La- *Pica. Cruditas. Δυσπεψία. Βραδυπεψία. Nausea.*

E tinis *singultus* nuncupatur. συγκοπὴ στομαχικὴ virium est lapsus, vitio oris ventriculi eueniens. Χολέρα imodica est ventriculi perturbatio, supra infraq; erumpens, vel clarius, est excretio inferne per ventrem, superneq; per os euomitio. Plinio aliisq; Latinis *Cholera* dicitur. Barbaram sectantes medicinam, *cholericam & cholyricam passionem* appellãt. Qui hoc afficiuntur malo, Græcis χολερῶντες, Latinis autem *Cholerici* nominantur. Per cholericos itaque nequaquam, vt solet vulgus medicorũ, biliosos, sed eos potius qui iam dicto malo laborant, Latini intellexerunt. Κοιλιακὴ, non omnis fluxio ventris Græcis proprie vocatur. Neque enim vbi crudi cibi inferne prodeunt, neq; si corrupti, & in alienam qualitatem mutati exeunt, cœliace nuncupatur: sed quũ læuia liquidaque admodum egeruntur, ventriculo præ imbecillitate cibos concoquere nequeunte. Cornel. tamẽ Cel- *Singultus. Syncope stomachica. Cholera. Κοιλιακή.*

F sus *libr. 4. cap. 12.* secus atque Græci hanc vsurpat. Nam in hoc vitio ventrem indurescere, doloreq; cruciari, aluumque adeo nihil reddere scribit, vt ne spiritum quidem transmittat.

Vitiorum intestinorum enarratio. Cap. XX.

Διάρροια, copiosius est sine exulceratione & phlegmone alui fluor. Latini *Diarrhœam* *Diarrhœa.*

Linteria. pellatione a Græcis mutuata, nominant. Interpretes aliquot Latini *profluuium alui* vocant. Λειεντερία Græcis, vt nomen ipsum satis indicat, vitium est, in quo propter intestinorum leuorem cibi non retinentur, sed priusquam permutationē & perfectam concoctionem admittant, dilabuntur, eaque qua assumti fuerunt forma, eiiciuntur. Hinc Latinis rectissime *leuor intestinorum* appellatur. A

Dysenteria. Tormina. Δυσεντερία, proprie intestinorum exulceratio dicitur. Latini *difficultatem intestinorum* vocant. Celsus *lib. 4. c. 15.* tormina, non alia haud dubie de caussa, quam quod in eo malo intestina vehementissimo torqueantur dolore, nominat.

Cruēta dysenteriæ quatuor species. Cruentæ autem dysenteriæ Gal. *lib. 3. de Sympt. caussis. ca. 8.* quatuor recenset species. Prima, in qua sanguis, propter aliquam partem corporis præcisam, verbi *gratia*, crus, aut prioris vitæ exercitationem intermissam, certis circuitibus excernitur, *vt fusius in Commentariis nostris super lib. Gal. de Labor. locus quintum ostendimus*. Altera, in qua sanguis aquosus, hoc est, aquæ, in qua cruentæ ac recens mactatæ carnes sunt ablutæ, similis, deiicitur. *Tertia*, in qua & nigrior & splēdidior eo, qui naturalis est sanguis, excernit. *Quarta*, in qua paulatim & breuib. interuallis syncerus, nonnunquā etiā grumosus cum pure sanguinis, vel ramentis intestinorū, sæpenumero etiam densum stercus cruentis guttis respersum, deiicitur. Atque ea est, quæ proprie, vt diximus, dysenteria nominatur. B

Τεινεσμός. Τεινεσμὸς assidua est, & quæ differri euitarique nequit, desidendi seu egerendi cupiditas, qua tamen nihil præter modica cruenta, vel mucosa, egeritur. Sic dicta ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, quod est conari. Latinis *tenesmus*, barbaris nostri temporis Medicis tenasmus nuncupatur.

Colicus dolor. Κωλικὴ ὀδύνη, dolor est, qui in laxiore intestino, quod Græcis κῶλον dicitur, excitatur. C

Conuoluulus. Εἰλεὸς vitium est, per quod in tenuibus intestinis grauissimi & lethales dolores nascuntur. Ita a doloris circumactione vocatum. εἰλεῖσθαι enim circumuolui & circumagi significat. Hinc rectissime Latinis *conuoluulus & voluulus* nominatur.

Χορδαψός. Alio nomine Græcis χορδαψὸς appellatur, quod chordæ instar in hoc malo intestina cōuolui videantur. Barbaram excolentes medicinam, *iliacam passionem* vocant.

Lumbricorum tria genera. Lumbricorum, quos Græci ἕλμινθας nuncupant, tres in vniuersum sunt differentiæ. *Vna* teretum seu rotundorum: *altera* latorum: & *tertia* eorum, quos *ascarides* nominant.

Rotundi. Teretes lumbrici a forma, quæ omnibus perspicua est, dicti sunt. Nam secundum crassitudinem rotundi sunt, longitudine vero palmares, & nonnunquā longiores, aliisque frequentiores. Græcis ἕλμινθες στρογγύλαι appellantur. In gracilibus plerunque intestinis consistunt, & ventriculum subeunt, ideoque crebro per eos reiiciuntur, quibusdam etiam e naribus redduntur. Atq; hoc quidem lumbricorum genus infantibus & pueris, atq; iis, qui ad pubertatē iam accedunt, peculiare est. D

Lati. Institæ, Fasciæ. Lati, qui Græcis ταίνιαι & κειρίαι, quod instar fasciarum & institarum lati & longi sint, appellantur. Hinc Latinis *institæ & fasciæ* vocantur. Teniæ etiam nominatæ sunt, quod per tota circumuoluti extenduntur intestina, ac veluti corona, quæ itidem Græcis ταίνια dicitur, in seipsas ducuntur. Incredibilis interdum sunt longitudinis. Nam, *vt lib. 11. c. 33. testis est Plin.* tricenum aliquando pedum visæ sunt, aliquando etiam plurium.

ἀσκαρίδες. Ἀσκαρίδες tenues & breues, vermibusque similes lumbrici sunt. In recto intestino, & in ani extremo magna ex parte inueniuntur. Hæc animalia ventris Hippoc. vno nomine θηρία appellauit.

Hæmorrhoides. Αἱμορροΐδες venarum in sede partim a porta, partim a caua vena ortarum explicationes ac dilatationes sunt, a crebro sanguinis defluxu sic nominatæ. E

Cæcæ. Apertæ. Harum quidem aliæ sunt cæcæ, quæ nimirum intumescunt, & nihil aut parum admodum sanguinis excernunt. Aliæ apertæ, quæ scilicet certis quibusdam temporibus panduntur, & sanguinem emittunt.

Ῥαγάδες. Ῥαγάδες scissuræ sunt, quæ in musculo anū claudente, quem σφιγκτῆρα Græci nominant, aut in circulo & extrema ani corona fiunt, similes iis, quæ in labiis ob Boreæ asperiorem flatum accidunt. Latinis *rimæ sedis* dicuntur.

Κονδυλώματα. Κονδυλώματα nodi sunt, & callosæ excretiones, vel verius eminentiæ siue excrescentiæ sedis in callum coactæ: vel vel sunt rugæ circa anum intumescentes. Reduplicatis enim ani corpusculis, ruga quædam præter naturam insurgit, & intumescit. Cum enim sinuosus sit anus, rugas annexas habeat necesse est.

Ficus. Marisca. σῦκον, tuberculum in ano est vlcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum, & dolorificum. Latini *ficum & mariscum* nominant. Hinc est illud Iuuenalis, F

Cæduntur rumidæ medico ridente mariscæ.

Proinde plurimum errant interpretes Latini, qui hæmorrhoidas mariscas interpretantur.

Vitiorum

A

Vitiorum iecoris expositio. CAP. XXI.

IEcinorosi, quos Græci ἠπατικοὺς vocant, *Galeno libro 5. de laborantibus locis, capite 7. teste*, dicuntur, qui iecoris facultates imbecillas habent. Vt non sint iecinorosi, nisi quibus iecur amissa aut languente facultate sua irritas proprias functiones obtinet, etiamsi nullus neque dolor, neque tumor illis adest. Καχεξία, Latinis *malus habitus corporis* appellatur. Is vero est, in quo alimenta omnia corrumpuntur. Hic aquarum cutem subeuntium principium exsistit. ἴκτερος bilis modo flauæ, modo nigræ, per vniuersum corpus effusio est. Sic vero Græcis hoc vitium est appellatum ab aue, quæ illis ἴκτερος, Latinis vero *galbula* nuncupatur. Hæc enim si spectetur, malum sanari, & auem mori tradunt. Vel, vt aliis placet, ab aue, quæ ἴκτινος Græcis, Latinis *miluus* vocatur. Quippe oculi hoc vitio laborantibus miluinis oculis similes, hoc est, auricolores, videntur. Vel a mustela syluestri, quæ itidem auricolores habet oculos, & Græcis ἴκτις, Latinis *viuerra* dicitur. Atqui parum refert, vnde icteri appellatio deducatur, modo res ipsa cognita sit, perspectumque habeamus, icterum non esse, nisi bilis suffusionem. Latinis alio nomine regius vocatur morbus, quoniam mulso, quod genus potionis in regum deliciis erat, curabatur. Vel, quod eo correptos malo, & lecto & conclaui cultiore, ludis & lasciuia vti perutile sit, per quę mens ægrotantis exhilaratur. A Cornelio Celso *aurigo* nuncupatur, ab auri haud dubie colore, quem bilis per vniuersum corpus diffusa refert. Sunt quibus *arquatus* nominatur, quod cœlestis arcus similitudinem, si colorem eius respicias, habeat. ὕδρωψ, malum est, quod Latini *aquam intercutem* appellant. Eius tres sunt species. Vna Græcis ἀσκίτης vocatur, & fit, vbi inter peritonęum membranam & intestina, plurimus aquosus humor coaceruatur. Ita vero Græcis nominata est, quod ἀσκοῦ, id est, vtris modo locus, qui inter peritonæum & intestina est, aquoso humore impletus sit. Latini *aquam intercutem vtricularem* nuncupare possent. Barbaricæ medicinæ cultores corrupta vnius literæ adiectione voce, *Asclitem* appellant. Τυμπανίτης & τυμπανία, hydropis species est, qua flatus & spiritus superuacuus plurimus in prædicto ventris loco coaceruatur. Hoc autem modo a tympano, omnibus notissimo instrumento, nominata est. Si enim venter pulsetur, tympani instar sonum edit. Tertia species ἀνασάρκα, σαρκίτης, ὑπόσαρκα, & λευκοφλεγματία dicitur. Fit quoties per vniuersam corporis molem humor pituitosus disseminatur, adeo vt instar spōgiarum aut papyri vniuersa caro permadida & laxa appareat. In hac itaq; totum corpus intumescit, ac mortuo simile euadit. Σπληνικοὶ Gręcis proprie nominantur, quib. lien, obstructo, obseptoq; in eo melancholico excremento, aut propter phlegmonem induruit. Latinis *lienosi* appellantur.

Iecinorosi. | καχεξία. | Icterus. | Regius morbus. | Aurigo. | Arquatus. | Hydrops. | Ascytes. | Tympanites. | Anasarca. | Lienosi.

B | C | D

Vitiorum renum & vesicæ enarratio. CAP. XXII.

NΕφρῖτις vox Græcis bifariam accipitur. *Vno* modo generatim, pro quouis renum vitio. *Altero* priuatim, pro renum cum vehementi dolore phlegmone, quandoq; vero etiam difficili vrinæ transitu, in qua fibrosa & arenosa cum modico sanguine excernuntur. Pari modo nephritici sunt, qui vel ex renibus quomodolibet laborant, vel qui phlegmone renum afficiuntur. Διαβήτης, diuturnum est circa renes consistens malum, in quo supra modum ægrotantes sitiunt, atq; subinde bibunt, exuberanter, id quod biberunt, a sua qualitate non mutatum per vrinam reddentes. Aliis ὕδρωψ ὑδερος εἰς ἀμίδα, id est, aqua inter cutem ad matulam: nonnullis vero διάρροια εἰς οὖρα, hoc est, *vrinæ fluor profluuiumue* nuncupatur. Latini instar Græcorum *diabetem* vocant. Λιθίασις, priuatim renum, aut vesicæ calculus Græcis exsistit. Στραγγουρία, vitium est, in quo paulatim & guttatim vrina destillat, atque assiduam ad mingendum irritationem excitat. Latinis *stillicidium vrinæ* dicitur. Δυσουρία vitium est, in quo vrina ægre & difficulter excernitur, Latini *difficultatem vrinæ* nominant, ἰσχουρία malum est, in quo ægris in totum vrina supprimitur, ac cohibetur. Latinis *suppressio vrinæ* appellatur.

Nephritis. | Diabetes. | Lithiasis. | Stranguria. | δυσουρία. | Difficultas vrinæ. | ἰσχουρία. | Suppressio vrinæ.

E

Vitiorum genitalium explicatio. CAP. XXIII.

Φῖμος & φίμωσις, vitium est quoddam masculorum, *Celso lib. 7. cap. 25. auctore*, in quo colis glans ita cutis inuolucro tecta est, vt nudari non possit. Contrarium huic malum est, quando videlicet propter cutem decurtatam, aut retro abactam glans tegi nequit. Gręcis περιτίμωσις, imo rectius παραφίμωσις dicitur. Πριαπισμὸς, *Galen. lib. 6. de labor. locis cap. 6. teste*, est quum genitale, membrum & in longitudine & in latitudine augetur, nullo stimulante ad libidinem aut desiderio, aut acquisito calore. Deducta vero est denominatio a

φίμος. | παραφίμωσις. | Priapismus.

F

Satyrasis. Priapo, quem suapte natura huiusmodi pudendum habentem finxerunt & pinxerunt A
homines. σατυρίασις & σατυριασμὸς varie a Græcis medicis vsurpatur. Primo, pro elephantia, quod nimirum hoc malo correpti Satyris similes sint, *vt cap 5. lib. de caussis morborum testatur Gal.* vbi inquit, *In elephantia nasus simus, labra crassa, aures extenuatæ, atque in totum, qui sic laborant. Satyris similes exsistunt.* Et multo clarius in libello de Tumoribus præter naturam, vbi ita scriptum reliquit: *Hoc malum quum incipit (elephantiam intelligit) satyriasmum vocant, quia Satyris similes facie redduntur.* Dein Satyriasmus, *Galeno loco iam citato auctore,* pudendi extensionem haud remittentem, accedente quadam palpitatione, denotat. Hoc vero, vt præcedens, a Satyris in Venerem pronis nomen suum obtinuit. Tertio satyriasmus, *Galen. ibidem attestante,* pro ossium circa tempora eminentia & extuberantia sumitur. Postremo Galenus *in libello de Antiquarum vocum Hipp. interpretatione,* satyriasmum prominentem glādularum iuxta aures tumorem esse scribit. B

Gonorrhœa. Γονόῤῥοια, est seminis præter voluntatem, citraque pudendi lentiginem excretio. Vulgus medicorum deprauata & ridicula admodū voce *Gonorrheam* appellare cōsueuit: Latini *seminis profluuium.*

ὀνειρωγμὸς. Ὀνειρωγμὸς, libidinis & rei Venereæ in somno imaginatio, seminisq; per somnum profusio est.

Ramex. Κήλη Græcis, *ramex & hernia* Latinis, Barbaris medicinæ auctoribus *ruptura* dicitur. Fit vero variis modis, perque adiectiones rerum opplentium varias etiam appellationes accipit. Si enim peritonæo rupto intestina in scrotū deuoluuntur, ἐντεροκήλη Græcis, *ramex intestinorum* Latinis nominatur. Vbi vero intestina supra in inguinibus hærēt, βουβωνοκήλη Græcis, *inguinalis ramex* Latinis vocatur. Quod si otiosus & aquosus humor in parte aliqua membranarum scrotum implicantium colligitur, ὑδροκήλη Græcis, *aquosus ramex* Latinis nominatur. C Quum vero intra testiū tunicas dura increscit caro, σαρκοκήλη Græcis, *carnosus ramex* Latinis appellatur. Si autem omentum in scrotum delabatur, ἐπιπλοκήλη, hoc est, *omenti ramex,* nuncupatur. Si simul cum omento intestinum quoque descendat, ἐπιπλοεντεροκήλη Græcis, *omenti & intestini ramex* Latinis vocatur. Vbi venæ, quę testiculos nutriunt, varicum modo repletę glomerantur, Græcis κιρσοκήλη, Latinis *varicosus ramex* dicitur.

Vitiorum vteri expositio. CAP. XXIIII.

Fluor muliebris. Ῥοῦς γυναικεῖος, fluor muliebris diuturnus, quo totum corpus sese per vterum expurgat, D dicitur. Talem vero speciem id, quod per eum vacuatur, repræsentat, qualem humor ipse in corpore superās. Πνὶξ ὑστερική, vteri ad superiora retractio est. Latinis *strangulatus seu præfocatio* vteri appellatur.

Præfocatio vteri. Mola. Μύλη, *Aetio & Paulo testibus,* induratus est tumor, interim in vteri ostiolo, interim in ipso vtero prominens, ad tactum fere lapidosus: Galeno autem *lib. 14. Therap. meth. cap. 13.* caro informis in vtero consistens ita nuncupatur. Latini *molam* nominant.

Præclusio vteri. Μύσις ὑστέρας malum est, in quo margines ostii muliebris coeunt, inuicemque cōniuent. Latinis *præclusio vteri* dicitur. φίμος & φίμωσις osculi aut ceruicis vteri obturatio, coarctatio, compactioue est, ab exulceratione vel phlegmone indurata præcedente eueniens, qua ea loca tam angusta redduntur, vt virile semen amplius non admittant, vel si admiserint, tamen non retineant. Præter iam commemorata, multa alia vteri sunt vitia, vt est phlegmone, cancer, scyrrus, condylomata, rhagades, & id genus E aliarum partium communia mala, de quibus non est cur hoc loco priuatim dicamus, quod nimirum de iis in superioribus sit dictum: vel saltem in iis, quæ sequuntur, capitibus abunde tractabitur.

Vitiorum quæ in articulis accidunt, enarratio. CAP. XXV.

Arthritis. Ἀρθρῖτις, proprie est, vbi imbecillitas in omnibus corporis articulis consistit, humorque a natura alienus ad eosdem confluit. Generatim tamen pro omni articulorum dolore vsurpatur.

Podagra. Ischias. Ποδάγρα, est vbi imbecillitas atque humoris a natura alieni defluxio pedes occupant. Ἰσχίας, grauissimus est dolor, qui iuxta articulum Græcis ἰσχίον, Latinis *coxam* vocatam, euenit. Latinis perinde atq; Græcis *ischias* dicitur. Iidem tamen vna co- F xendicis appellatione interdum & locum, & dolorem nominant. Barbari decurtata & & deprauata dictione *Sciaticam,* hoc quoque vitio correptos *Sciaticos* nuncupant. Rectius facturi, si Ischiadicos vocarent.

A *Tumorum præter naturam, & vlcerum explicatio.* CAP. XXVI.

Φλεγμονὴ, vox Græcis bifariam sumitur. Generatim pro omni calido & dolorifico cum feruore tumore. Qua quidem in significatione idem Græcis, quod φλόγωσις denotat, quam Latine licet inflammationem aut efferuescentiam appelles. Hac sane ratione *erysipelas, herpes, & carbunculus phlegmones* dici possunt. Eo in significato ab Hippocrate, & aliis veteribus hanc vocem esse vsurpatam constat. Proprie autem phlegmone, supra efferuescentiam & inflammationem, tumor est rubens, dolens, tendens, & tactui renitēs, *vt libr. 13. Ther. meth. c. 1. Galenus docet.* Vt itaq; Latini interpretes hanc differentiam exprimant, præstat φλόγωσιν inflammationem interpretari, & alterum tumorem, a Græcis mutuata nomenclatura, phlegmonem vocare. ἕρπης, malum est, vbi tenuior flaua bilis sola & B pura nulloq; infecta alio humore, excreta in aliquā particulam decumbit. Latinis, itidē vt Græcis *Herpes* generis nomine, & simpliciter appellatur. Quod si bilis hæc substantia crassior acriorq; fuerit, totam cutem ad subiectam vsq; carnem exulcerat, nominaturq; Græcis ἕρπης ἐσθιόμενος, Latinis *Herpes exedens.* Si vero tenuis, & minus acris calidaq; fuerit, exiguas pustulas milioq; similes per summam cutem excitat, ob eamque similitudinem Græcis κεγχρίας ἕρπης, Latinis *Herpes miliaris* dicitur. Ἐρυσίπελας Græcis, *Ignis sacer* Latinis, *Galeno lib. 2. ad Glauconem teste,* geminum exsistit, non exquisitum, & exquisitum. Non exquisitum quidem tumor est ex feruente tenuiq; sanguine conflatus: vel ex sanguine & flaua bile calidiori, quā oporteat, mista fluxio. Quod si vero ex biliosa fluxione, vel sola bile nascatur, & parū infestet, ac per solam cutem diffusum fuerit vitium, nihil subiectam C carnem molestans, quod quidem sæpius euenire solet, exquisitū erysipelas nominatur. Quod igitur subiectam carnem attingit, neq; ex tenui solum bile consistit, non simplex erysipelas, sed iam affectus permistus ex erysipelate & phlegmone exsistit, atque ab eo, quod in mistura exsuperat, nomen accipit. Si enim propria erysipelatis symptomata in eo exsuperant, ἐρυσίπελας φλεγμονῶδες, hoc est, *erysipelas phlegmonosum* nominat̄. Si vero phlegmones symptomata superant, φλεγμονὴ ἐρυσιπελατώδης, id est, phlegmone erysipelacea vocatur. Quod si neutrius symptomata exsuperauerint, sed æqualia fuerint, tunc erysipelas & phlegmone mista esse dicuntur, *vt fusius in nostris annotationibus super librum 14. Galeni de medendi ratione, cap. 1. & 2. monstrauimus.* ἄνθραξ est, vbi sanguis crassus & feruescens in aliquam corporis particulam decumbens, cutim excusserit. Latinis carbunculus ap-D pellatur. Errant itaque plurimum recentiores & barbaram excolentes medicinam, eo quod anthracem & carbunculum diuersa esse corporis vitia tradant, *vt copiose admodum lib. 2. Parad. cap. 18. monstrauimus.* Qui Arabum sectantur placita, idem malum prunam & ignem Persicum nominant. Incipit plerunq; a pustula, interdum vero sine pustula. Qui hoc vitio corripiuntur, particulam laborantem omnino scabunt, vnde mox orta pustula quædam rumpitur, eaq; rupta vlcus cum crusta gignitur. Οἴδημα, proprie laxus quidam mollisue & dolore vacans tumor est, ex pituitoso humore in particulam aliquam influente exsurgens. Latinis similiter ac Græcis *Oedema* dicitur. Barbari corrupta, vt solent, voce *vndimiam* nuncupant. Hoc quidem modo a Galeno & aliis, qui hunc ætate sequuti sunt, Medicis vsurpatur. Generatim autem œdema, omnem præter naturam tumo-E rem, adeoque idem, quod ὄγκος, significat. Quo quidem modo ab Hippocrate sumitur, *quod multis etiam in locis suorum Commentariorum testatur Galenus.* Σκίῤῥος, *Galeno auctore,* duplex est. Exquisitus, verus, legitimusue, tumor est durus, sensus & doloris expers. Hicq; omnem respuit curationem. Non exquisitus tumor quidem est perdurus, non tamen sensus omnino expers. Καρκῖνος & καρκίνωμα inæqualis, liuescens, aspectu teter, & perpetuo fere dolore affligens est tumor. *Cancer* Latinis vocatur. Hanc autem nomenclaturam, tam Græci, quam Latini huic vitio a cancro fluuiali indiderunt. Siquidem in eo implētur, & intenduntur venæ, cancrorum pedibus a glomere illo corporis descendentibus persimiles. Nonnulli vero inde sic dixerunt, quod difficilime ab iis partibus, quas obsedit, euellatur, quemadmodum cancer fluuiatile animal. Constat n. hunc a loco, quem F semel apprehendit, quod illi pertinaciter adhæreat, facile auelli non posse. Quod si in partibus corporis in conspectu positis, vt sunt mammæ, & id genus aliæ, eueniat cancer, Medicis euidens ac manifestus nominatur. Si in penitioribus & latentib. corporis partibus, sede nimirum, palato, & sinu muliebri nascitur, occultus appellatur. ἐλέφας & ἐλεφαντίασις, vniuersi corporis cancer est, Latini *elephantiam* vocant. Sic vero malū hoc nomina-

Phlegmone generatim. Phlegmone proprie. Herpes. Herpes exedens. Herpes miliaris. Erysipelas. Erysipelas exquisitū. Erysipelas phlegmonosum. Phlegmone erysipelacea. Anthrax. Carbunculus. Recentiorum Medicorum. Pruna. Ignis Persicus. Oedema proprie. Oedema generatim. Scirrhus. Exquisitus. Non exquisitus. Cancer. Cancer euidens. Occultus.

tum est, quod in eo cutis corio elephanti persimilis videatur. Nam maculis quibusdam A
ad atrum colorem vergentibus inficitur, inæqualiterq; aspera, crassa, & veluti squamis
fœda, liuens, ferinaq; redditur. Dicitur alio nomine Galeno, *vt supra est expositum, Saty-*
Leontiasis *riasis*, aliis *Leontiasis*, a buccis & superciliis protuberantibus & flaccidis. Vnde omnibus
perspicuum euadit, elephantiasin Græcis non esse aliud vitium, nisi id, quod Arabibus
Lepra Arabum. *lepra* nuncupatur, *vt li. 2. Parad. c. 16. demonstrauimus.* Nec temere dictũ est Arabũ, quippe
Lepra Græcorũ. Græcorũ λέπρα malum multo mitius est, nec a scabie multum dissimile. Nam lepra pro-
Psora. fundius circularibusque erosionibus cutem depascitur, & piscium modo squamulas ex
Lichen. se remittit. ψώρα vero superficiem tantum & summam corporis cutem variis figuris ex-
edit, & furfuracea magis ex se corpuscula edit. λειχὴν vitium cutis est, quod celeriter in le-
pram & scabiem, Paulo attestante, transit, asperitudinem in ea quandam pariens. Lati- B
Impetigo. nis impetigo nuncupatur, Germanice *Flecht*. Cornelius Celsus *lib. 5.* lichenas papulas, &
lepram impetiginem conuertit, quod euitandæ confusionis ergo hoc loco monendum
esse duximus. Fusius autem eadem de re *lib. 2. Parad. cap. 17.* scripsimus. Ceterum Galen.
lib. 5. de composi. medi. localium, cap. 7. fœdissimæ cuiusdam menti impetiginis meminit, quę
pruritum excitat & laborantes affligit, atque in discrimen non mediocre adducit. Nam
interdum per vniuersam faciem serpit, & ad oculos vsque procedit, & fere supremæ de-
Mentagra Plinii. formitatis caussa efficitur. Quæ quidem impetiginis descriptio, mentagræ Plinii per
omnia conuenire videtur. Vt hinc palam fiat, feram impetiginem a mentagra non esse
Morbus Gallicus a mentagra diuersus. diuersam, quæ tamen a mitiore impetigine plurimum differt. Nõ parum autem errant,
qui fœdissimam hanc impetiginem, *mentagram* a Plinio appellatam, morbum eum esse C
arbitrantur, quem hodie vulgo *Gallicum, Neapolitanum*, aut *Hispanum*, vel, vt alii, *citra na-*
tionum odium & iniuriam, Venereum nominant, vt *fusius lib. 2. Paradox. cap. 17. diximus.* Et
Vitiligo. quum hoc loco in vitia cutis inciderimus, pręstabit singula alia subiecisse. *Vitiligo*, fœdus
cutis color est, ex malo cuiusdam particulæ habitu proueniens, quæ nutrimentum sibi
Leuce. probe assimilare nequit. Huius quidem duæ sunt species. Vna Græcis λεύκη dicitur, quod
scilicet in ea color cutis ad candidius mutetur. Hęc non tantum cutem inficit: sed altius
descendit, adeo vt carnem quoq; ipsam contingat, ac pilos coloret, qui in ea cani & la-
nugini similes enascuntur. Latinis haud secus atque Græcis *leuce*, & *alba vitiligo* nuncu-
patur. Quare errore non vacat, quod Latini Galeni & aliorum Medicorum Gręcorum
interpretes, λεύκην speciem passim generis voce *vitiliginem* conuertunt. Auicennæ & a- D
liis Punicis fere omnibus hæc species *Alboras* nominatur. Altera vitiliginis species, Grę-
ἀλφὸς. cis ἀλφὸς vocatur: cuius quidem generatio, etsi eiusdem cum leuce modi est, tamen car-
nem non attingit, nec in profundum descendit, sed summam tantum cutem inficit, cui
veluti squamulæ quædam vitiligines ipsæ infixæ adhærent. Latinis *alphos* perinde atque
Græcis dicitur. Et sunt quidem Alphi duplices: albi, qui ex pituita: & nigri, qui ex me-
lancholico humore oriuntur. Sic autem hoc vitium appellarunt Græci, quod cutis co-
lorem immutet. Quippe ἀλφαίνειν iisdem immutare significat. Hinc recte a Phauorino
Morphea. scriptum est, ἀλφὸν πάθος παρὰ τὸ ἐναλλάσσειν τὴν χροίαν, dici. Auicenna & reliqui Arabes Mor-
Stigmata. pheam vocant. Στίγματα Græci inter vitia cutis numerant, & sic nominant non puncta,
sed maculas punctorum quantitate & forma, hominis cutem & superficiem decoloran- E
Gangræna. tes ac variantes. Vulgo *vermicata* appellantur. γάγγραινα, malum est, in quo pars laborans
propter magnam phlegmonem emoritur, nondum tamen prorsus mortificata est. La-
σφάκελος. tini instar Græcorum *Gangrænam* nominant. σφάκελος autem Græcis malum dicitur, in
quo pars laborans, ob phlegmones magnitudinem, in totum & perfecte emortua, ac
sensu vitaque destituta exsistit. Latini *Syderationem* nuncupant. Præterea, *vt in libello de*
tumoribus præter naturam, Galenus auctor est, syderatio solidarum partium corruptela est,
adeo vt nedum carni & vasis, sed etiam ossibus innascatur. Gangræna vero solidorum
Δοθιὴν. corporum mortificatio est, sed ossibus non aduenit. Δοθιὴν, phlegmonosus est tumor, e
crassis humoribus in carnosis partibus consistens, mitis quidem, quum in sola cute coie-
Γάγγλιον. rit: malignus autem, vbi in altum radices fixerit. Latinis *furunculus* dicitur. Γάγγλιον est F
neruorum concretio seu tumor, ex ictu aut lassitudine, in pluribus quidem corporis
partibus, præsertim motui dicatis, nempe summis manibus & pedibus obortus. Auicen-
Bubôn. na glandulam vocat. Βουβὼν, tumor seu phlegmone est glandularum indiscriminatim o-
mnium. Quare perperam faciunt nonnulli Latini interpretes, qui hanc vocem ad in-

A guinum tantum glandulas tumefactas ac phlegmone affectas cōtrahunt. Latinis vitium hoc perinde, atque Græcis *bubon* dicitur. Vacat periculo, vbi propter ictum aut vlcus, quod in ceruice, capite, manus aut pedis digitis, vel vicina aliqua parte natum est, oritur. Periculosum vero, si per pestilentiam ingruit. χοιράδες, sunt glandulæ induratæ, vel, *vt Galenus lib. 13. Ther. method. cap. 5.* definit, duriores glandularum phlegmones sunt. In collo, alis, & inguinibus præcipue consistunt, vbi glandulæ vasis substratæ collocantur. Latini *strumas* nominant. Barbaram sectantes medicinam scrofulas a suibus multiparis a- Strumæ.
nimantibus (numerosæ enim sobolis exsistunt, vt sues) atque eo vitio frequenter laborantibus mutuato nomine appellant. Scrofæ etenim, id est, sues colla habent glandulosa & magna ex parte strumosa. Φῦμα Græcis, *tuberculum* Latinis vocatum, bifariam ac- Phyma.
B cipitur. Generatim pro omni præter naturam e quacunque corporis parte erumpente tumore, *quemadmodum lib. 6. Epid. sect. 1. Comm. 12. Galenus testatur.* Quo vtiq; modo a Paulo *libr. 4. cap. 22.* vsurpatur. Speciatim pro glandularum phlegmone, quæ cito augetur, & ad suppurationem accelerat. Qua in significatione a Galeno *libr. 2. ad Glaucon. cap. 1.* accipitur. Φύγεθλον, *Celso lib. 5. c. 28. auctore*, tumor est glandularum nō altus, sed latus, in quo Φύγεθλον.
pustulæ quiddam simile est, panis similitudinem habens. Hinc est, quod tumorem illum Latini, Plinius maxime, *Panum* nominent. Galenus loco paulo ante citato phy- Pannus.
gethlon in glandulis phlegmonodes erysipelas aut phlegmonem erysipelatosam esse, scriptum reliquit. Vt hinc pateat, aliud illi phygethlon, quam Celso, esse vitium. Ἀπόστημα & ἀπόστασις, est vitium, in quo ab inuicem distant, quæ prius se contingebant, cor- *Apostema.*
C pora. Spatium enim vacuum in medio relinquitur, quod substantiam quampiam vel flatuosam, vel humidam, vel ex vtrisque mistam comprehendit. Excoriat itaque hæc circumposita corpora, spatium videlicet sibi moliens vel inter duas tunicas, vel sub certis membranis. Latini *abscessum*, vulgus *exituram* appellat. Ceterum inueni- Abscessus.
untur in abscessibus, vbi aliquamdiu perdurauerint, quum scalpello diuiduntur, pro- Exitura.
prietates, quædam non paucæ, non humorum modo, sed etiam solidorum quorundam corporum. Siquidem vnguibus, pilis, ossibus, testis, lapidibus, carbonibus, arenis, lignis, pororum fragmentis, limo, & sorditiei balnei, fæci, & amurcæ similia inuenta esse, Galenus etiam memoriæ prodidit. Quod quia vulgus ignorat, ideo incantamentorum vi, ac nescio quarum magicarum artium potentia hæc omnia esse procreata iu-
D dicat. Quapropter superstitione impulsum, ad magicas quoque curationes concurrit. Porro abscessus duplex genus est. *Vnus*, vbi phlegmone in pus conuersa, pus ipsum tan- Abscessus
quam in sinu aliquo collectum continetur. *Alter*, quum nulla præcedente phlegmone, duplex ge
humor aliquis statim initio in parte aliqua coaceruatur. Ἀπόσκημμα, est, vbi humores loco nus.
quem prius infestabant relicto, ad alterum confluunt. Latini interpretes nonnunquam Decubi-
decucitum, interdum illapsum humorem ab vno in alium locum appellant. Ἀθέρωμα, ab- tus. ἀθέρωμα.
scessus est concolor & indolens, in membrana, seu neruosa tunica, lentū humorem pulti similem continens. Neq; enim ἀθήρα vox Græcis aliud, quam pultem, quæ ex farina de- ἀθήρα.
cocta conficitur, significat. Μελικηρὶς, abscessus est, in quo humor tenuis, & mellis substan- μελικηρίς.
tiam referens continetur. Nonnullis Latinis *mellifauium* nominatur. Στεάτωμα, abscessus στεάτωμα.
E est, in quo humor seuo persimilis, membrana inclusus subest. Ἐμφύσημα, est flatuosus spi- ἐμφύσημα.
ritus alias sub cute, alias sub membranis, quæ ossibus circumfundūtur, aut musculos, viscerumq; aliquod ambientibus coaceruatur. Porro colligitur aliquando non parum ēt in ventriculo & intestinis, itemq; in medio spatio horū & peritonæi. Latini *inflationem*, Inflatio.
vulgus Medicorum *apostema ventosum* vocat. Ἐπινυκτίδες, Paulo *lib. 4. cap. 9. teste*, sunt vlcus- ἐπινυκτίδες.
cula sua sponte erumpentia, pustularum specie, & subrubra, quib. apertis cruenta sanies defluit, per diemq; non magnopere excruciant, per noctē vero graui magis, q̄ pro ratione vlceris dolore torquent. Celsus lib. 5. c. 28. *Epinyctides*, inquit, *pustulæ sunt pessimæ, colore vel sublíuido, vel subnigro, vel albo fabæ magnitudinem non excedentes in eminentibus partib. veluti tibiis, & pedibus, maxime nascentes.* Circa has vehemens inflammatio est, & vbi apertæ
F fuerint, intus reperitur exulceratio mucosa, color est humori suo similis, dolor vero ex eis, supra earum magnitudinē est. Nomē acceperūt a nocte, vel quod interdiu nō multum, noctu vero grauiore dolore torqueant, vel, *vt Celsus voluit*, quod noctu fere oriantur. ἵδρωα Græcis, *sudamina* Latinis, Plinio *papulæ sudorum*, *Galeno sect. 3. aphor. Comm. 21. teste*, ex Sudami-
genere sunt pustularum in summa corporis parte hærētium, quæ instar vlcerū cutē ex- na.

asperant, proueniuntque, vt & nomen ipsum indicat, ob multos sudores, vel biliosio- A
res, vel mordaciores, qui cutem mordent, & pruriginosam reddunt, ac per modum vl-
Φλύκταιναι. cerum exasperant. φλύκταιναι & φλυκτίδες generatim, exiguæ sunt pustulæ, veluti bullæ, si-
Φλύσεις. miles iis, quæ in corpore a feruida aqua torrefacto contingunt. Hippocrati φλύσεις dicun-
Ψύδρακες. tur. Singulæ vero appellationes ἀπὸ τοῦ φλύζειν, hoc est, *ab ebullitione & feruore sunt facta*. Ψύδρακες
& ψύδρακα, pustulæ sunt parum supra summam cutem eminentes, bullis, quæ ab igne ex-
ἐξανθήματα. citantur, persimiles. Hæc in capite præcipue nascuntur. Ἐξανθήματα Græcis generatim o-
mnes sunt pustulæ siue eruptiones sponte in cute florentes, sic dictæ, quod turgentium
ἐκθύματα. ad florem in stirpibus gemmarum modo tumeant. Hippocrates *3. Epid. libro* ἐκθύματα, ἀπὸ
τοῦ ἐκθύειν, hoc est, ab erumpendo, quod scilicet sua sponte a cute erumpant, in eaque flore-
Papulæ. ant, vocauit. Plinius *papulas*, & interdum *pituita eruptiones* nominat. Interpretes aliquot B
Pituitæ eruptiones Latini *pustulas* appellant. Sunt autem duplicia exanthemata: præstat enim maioris per-
Exanthemata duplicia. spicuitatis gratia, Græca vti nomenclatura. Quædam enim sunt sublimia, a calidiore ac
tenuiore humore facta, pruritumque excitantia. Eius quidem generis sunt, quæ in pue-
Sublimia. rili ætate, maxime eueniunt atque erumpunt, & quas vulgus Medicorum, & barbaram
Variolæ. excolentes medicinam, variolas, Germani Kindtsblatern nominant. Quædam sunt lata
Lata. & humiliora, a frigidiore ac crassiore humore orta, neque pruritum concitantia. Cuius
vtrique generis sunt, quæ itidem in pueris maxime erumpunt, ac recentioribus & bar-
Morbilli. baris Morbilli, Germanis die Kindtsflecken appellantur. Τέρμινθος, tumor est præter natu-
Terminthus. ram, siue enascentia nigri coloris, in tibia maxime consistens. Sic autem Græci hoc ma-
lum dixerunt, quod in figura, colore ac magnitudine cum terebinthi fructibus similitu- C
dinem habeat. Paulus ex Oribasii sententia, Terminthum tuberculi speciem esse asse-
ria, cui pustula nigra supra infraque adiacet, qua rupta, id quod subiacet, desquamato
simile apparet, quo quidem dissecto, pus deprehenditur. Dioscorides autem Alexan-
dreus terminthum esse tradit eminentiam in cute consistentem rotundam, nigrouiri-
Thymus. dem, terebinthi fructum referentem. Θύμος turgida quædam est excrescentia, aspera,
subrubra, oblonga, nunc in glande, nunc in præputio, nunc in ipsa sede consistens. Sic
autem Græcis vitium hoc nominatum est, quod thymi corymbis simile sit. Celsus *Thy-
mion* appellat, sicque vocari scribit, quod super corpus, quasi *Verrucula* eminet, ad cutem
tenue, supra latius, subdurum & in summo perasperum. Idque summum colorem thy-
mi floris repræsentare, & ei nomen inde esse tradit. Thymorum autem alii mites, alii D
maligni sunt. Mites exiguæ sunt carnes, inæquales, eminentiis sensum latentibus, sca-
bræ, colore candidæ, aut subrubræ, dolore carentes. Maligni autem siue feri, scabriores
ampliores que sunt, fæculenti, liuidi, dolorem inferentes, manuum præsertim attactu.
μυρμηκία. De quibus fusius Aetius *lib. 14. cap. 4.* tractat. Μυρμηκία & ἀκροχορδὼν, tumores sunt exigui, seu
ἀκροχορδὼν. humiles excrescentiæ, callosæ, & magna ex parte rotundæ, quæ instar monticulorum
Verrucæ. quorundam in cute eminentes, conspiciuntur. Latini apposite *verrucas* appellant. Ver-
ruca enim proprie editiorem montis partem significat. Μυρμηκία tamen, proprie verru-
ca est ampla radice, seu latiore basi, & coacto capite constans, & quasi sessilis, similem
vellicantis formicæ sensum, dum attrectatur, inducens. Latinis *formica* nominatur. Ἀκρο-
χορδὼν autem pensilis, & tenui angustioreque prope cutem basi est verruca, vt chordæ E
nexu suspensa esse videatur. Hoc est, rotunda quędam in cute eminentia seu excrescen-
tia, quæ basim, id est, partem imam ad cutem & radicem angustam habet. Latini inter-
pretes, *verrucam pensilem* vocant. Ἧλος verruca est rotunda, alba, clauorumque capiti si-
Clauus. milis. Hinc Latinis *clauus* nuncupatur Germanis Hüneraug. In calcaneis & pedū plan-
tis maxime nascitur, in gradiendo dolorem atque impedimentum afferens. A clauis
non magnopere differunt calli, quos Græci τύλλους nominant: nisi quod per se dolore va-
cant, eodem quo cutis colore. Neque sponte, sed ex labore obturata cute gignuntur.
Πτερύγιον. Πτερύγιον, carnes iuxta vngues, tum manuum, tum pedum, partem eorundem operiens
Παρωνυχία. incrementum est. Παρωνυχία, tumor circa vnguium radices consistens est, quem Barbari
Reduuiæ. nostræ ætatis Medici corrupta voce, vt alia multa, *Panaritium*, Latini *reduuias* nominant. F
Κιρσὸς & ἰξία tumor seu dilatatio venarum a crasso sanguine facta, Latine *varix* appella-
tur. Fit aliquando in temporibus, nonnunquam in ima ventris parte sub vmbilico, in-
Θλάσμα. terdum etiam circa testes, frequentissime autem in cruribus. Θλάσμα fit, quum caro vel
ossium aliquod molle sub irruente extrinsecus aliquo violento, valido, & duro corpore
colliditur.

A collidit, vt partis læsæ externa facies integra permaneat, & in profundo sint multæ par-
uæ diuisiones. Latinis *cõtusio* & *collisio* dicitur. Ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσις sanguinis est subter cu- Collisio: Contusio.
tem effusio & coitus, Latini *effusionem* nominare possunt. Plurimum vna cum contusio- Ecchymo
ne & ruptione incidit. Ecchymomatis species sunt ὑπώπια, quæ Latinis *sugillata* nuncu- ma.
pantur: & liuores, ex ictu prouenientes, Græcis ὑποσφάγματα, Latinis *vibices* vocantur. Ecchymomatis species.
Ἀνεύρυσμα, tumor tactu blandus est, digitisq; cedens, e sanguine & spiritu contractus. Vel,
vt Galenus definit, tumor ex vulnere arteriæ, tum oriens, quum incumbens ipsi arteriæ Sugillata. Vibices.
cutis ad cicatricem peruenerit: verum arteriæ vlcus, neque concreuit, neq; cicatricem Ἀνεύρυσ-
recepit, neque carne obductum est. Barbaris deprauata admodum voce *Emborisma*, & μα.
mater sanguinis nominatur. Apud Græcos nomen ab arteriæ dilatatione accepit. Χείμετλα, Emborisma.
B vlcera sunt, quæ hyberno tempore in manuum pedumq; digitis, nec minus in posterio- Mater
ri calcaneo oriuntur, Latinis *perniones* appellantur. Νομὴ, vlcus est, cuius malitia adeo in- sanguinis. χείμετλα.
crescit, vt non modo vlceratas, atq; corruptas carnes, sed etiam sanas absumat depopu- Νομή.
leturue. Latinis interpretibus *vlcus depascens* nuncupatur. Φαγέδαινα, vlcus est, quod huc at- Φαγέδαινα
que illuc serpendo cutim ac subiectam illi carnem, sed extimam tantum & in superficie
constitutam depascitur ac rodit. Κακοήθη ἕλκη, vlcera sunt ægre sanabilia, dolosa, malefica, Κακοήθη ἕλκη.
contumacia, rebelliaue. Hæc si inueterata fuerint, & vix curationem receperint, cica-
tricemque difficilime contraxerint, χειρώνια, quod propter suam malitiam Chirone me- χειρώνια.
dicinæ olim peritissimo, & Achillis præceptore indigeant, dicũtur. Τηλέφια, vlcera sunt Τηλέφια.
tãtæ malignitatis, vt salutarem Achillis manum requirãt. Quippe Telephus Midorum
C rex huiuscemodi vlcere consenuisse fertur, nec nisi noua medendi ratione ab auctore
vulneris Achille sanari potuit. Quod Ouidius iis versibus pulcherrime expressit:

Vulnus Achillæo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Θηριώδη vlcera sunt, quæ asperius sæuiunt. Latinis ferina a feritate vocantur. Κόλπος, vlcus Θηριώδη.
est profundum & cauernosum, quod Latini *sinum* appellant, fit, quum adiacens vlceri- Sinus.
bus cutis multo spatio a subiectis corporibus separatur, vt coalescere ei nequeat. Σύριγξ, Σύριγξ.
arctus, oblongus, & callosus sinus exsistit. Latinis *fistula* nominatur. Sic vero metaphora Fistula.
a fistulis ex arundine, aut alia quapiam materia confectis sumta, dictam esse nemo igno-
rat. Nam in ea cauitas quædam deprehenditur arundinum cauitati similis. Magna ve-
D ro ex parte accidit, quando pus in abscessibus sic particulam excoriat, vt continentia a
subiectis separet, & diducat. Ὑπόνομα, vlcera sunt, quæ pluribus transuersisq; itineribus, Ὑπόνομα.
quasi canalibus per latitudinem putrescunt. Latini *cuniculosa* vocant. Παρατρίμματα, quę Pli- Cunicu-
nius attrita nominat, fiunt atterentibus, & vrentibus in itinere pedes angustis calceis, losæ. Attrita.
confricatisq; longa equi vectione feminibus, & in summa, ex mutuo partium inter se af-
frictu nascuntur. Latini *intertrigines* nuncupant. Atq; hęc de vocibus, quibus vitia cor- Intertri-
poris significantur, dixisse, sufficiat. gines.

INSTITVTIONVM MEDICINAE LIBER QVARTVS.

LEONHARTO FVCHSIO AVCTORE.

E

DE SIGNIS MEDICIS SECTIO I.

De vtilitate signorum. CAP. I.

PRIORE libro eam medicinæ partem, quæ res præter naturam appellatas,
inquirit, & a Græcis αἰτιολογικὴ & παθολογικὴ vocatur, absoluimus. Nunc
ordinis ratio exposcit, vt eam partem, quam iidem σημειωτικὴν nomi- σημειωτική.
nant, breuiter percurramus. Sic vero appellant, *vt lib. 1. etiam est dictum*,
quæ signorum rationem tradit, quibus præterita cognoscimus, præsentia
inspicimus & futura prædicimus. In qua quidem medicinæ parte perdiscenda, Me-
F dicus strenuam nauare operam debet, quod nimirum nulla propemodum alia medici-
næ pars ea dignior vtiliorque sit. Siquidem latentes affectus præsentes dignoscere, & Signorũ
quæ præcesserunt tanquam præsentia essent, commemorare, ac quæ post longum tem- dignitas.
pus futura sunt, prædicere, est quasi diuinam artem profiteri. Vtilis quoque multis mo-
dis est signorum cognitio, & ad omnia Medici officia summopere necessaria. Quip-

Signorũ vtilitas. pe ea medicinæ pars, quæ signorum rationem docet, tum sanitatis, tum morborum notas tradit, quę Medicum, quasi in rem pręsentem ducunt, illiq; omnia iam dicta ob oculos ponunt. Cum itaq; sine iis notis, nec ea, quæ secundum naturam in nobis sunt conseruare ac tueri liceat, nec imminentes morbos præcauere, aut præsentes profligare liceat, summo studio adnitendum Medico erit, vt eam Medicinæ partem recte perdiscat. Ad hanc vero ipsam consequendam vnice conducent Galeni libri, quos de *laborantibus locis* inscripsit. In iis enim, qua ratione cuiusq; corporis partis, eius potissimum, quæ in alto corporis latet, adeoq; sensum fugit, vitia dignoscantur, methodo certa ac ratio- A
2. ne docet. Atque hæc prima eius medicinæ partis, quæ signa tradit, vtilitas est. Altera, quod quum homines, quæ illis eueniunt Medico præcognita vident, non solum artem extollunt, illiusq; professores vnice admirantur, & inspiciunt: sed etiam huic libentius parent, &, *vt inquit Hippocrates*, audentius se illi committunt, ad omniaque sustinenda paratos se exhibent, & illum in oppugnando morco strenuo iuuant. Quapropter si vna cum Medico ægrotantes morbis fortiter reluctantur, fieri non potest, quin salutaris se- B
3. quatur curatio, atq; e corpore omnis propulset morbus. *Tertia* est, quia Medicus huius partis peritus multo ante tempore, vt imminentibus malis corporis, obuiam eat, se parabit, adeoque ne quædam vitia prorsus accidant, prohibebit, nonnullorum autem magnitudinem arcebit: in summa, singulis periculis, perinde atq; peritus nauta futura tem-
4. pestate, rectissime prospiciet. *Quarta*, quod remediorum auctoritatem conseruabit ac retinebit, dum illis vtetur in iis solum, quibus ea profutura præuidet. In illis autem, quos morituros prænoscit, ne ipsa infamet, haud vtetur, memor optimi istius Galeni consi- C
11. Ther. meth. c. 9. lii, qui in quibus desperata omnino salus est, imprudentis esse consilii inquit, apud vul-
2. Aph. 29. gum infamare præsidia, quæ multis, qui sanari potuerunt præsidio & saluti fuerunt. Atque hina est, quod idem etiam alibi monet, deploratos non esse curandos, sed ab iis po-
5. tius abstinendum, & morbi finem prædicendum. *Quinta*, quod vulgi infamiam & calumnias mortisque crimen, quod illi ab imperitis imputabitur, facile euitabit Medicus, qui in hac parte medicinæ probe instructos, omnes euentus mortemq; prænuntiabit. Cum itaq; ad consequendam laudem atq; admirationem Medico multum conferat, aliasq; non paucas ea vtilitates afferat hæc pars medicinæ, quæ *signorum* rationem docet,
1. Prog. 1. præclare dixisse Hippocrat. constat, optimum esse, vt Medicus prouidentia vtatur, & prædicendi scientiam sectetur: debetque hoc nomine in hanc curam incumbere, vt illam exquisite discat. Id quod fiet, nisi Galeni libros de *arte medica*, *Temperamentis*, *Pulsib.* D
Prognosticis, *laborantibus* locis, supra indicatos, & eos quos de *Iudiciis* inscripsit, diligenter euoluat ac perlegat. Nam quamuis sparsim alibi signorum rationem explicet, in iis, tamen libris de signis ex professo tracta. Et præ ceteris eiusdem monumentis plus ponderis habet ad prædicenda futura opus de *Iudiciis* posteritati relictum. Quod metipse *libr. 3. Prognost. comment. 1.* iis verbis testatus est: *Cui libet exquisita ratione futura præsentire, huic Commentarii de iudiciis reuoluendi sunt.*

Quid signum, & signorum genera. Cap. II.

Signum quid. SIgnum, vt a nominis explicatione auspicemur, est, quod rem aliquam significat: vel quod rei alicuius est significantium. Nihil autem refert, siue signum, siue dignotionem, siue notam appelles: nam iis omnibus vocib. id quod Gręcis σημεῖον significat, reddi potest. Quicquid igitur aliquid eorum, quę in corpore fiunt, ostendere potest, signi nomine continetur. Differt autem, *Galeno 1. Prognost. com. 41 auctore*, signum ab indicio proprie loquendo. Siquidem signum ex obseruatione, indicium autem ex demonstratio- E
Indicium: τεκμήριον. ne sumitur. Indicium igitur, quod Gręcis τεκμήριον dicitur, perpetuo eorum, quorum est, naturam declarat, nec fallit vnquam: ideoq; certa Medicis dicuntur. Habent itaq; se tãquam genus & species, signum & indicium. Omne namq; indicium, signum recte habetur: non autem signum omne, indicium dicitur. Quæ n. sæpenumero fallunt: nec idem
Signorũ tria prima genera: Salubria. Insalubria Neutra. semper declarant, signa quidem, sed non indicia censeri debent. Signorũ autẽ tria sunt prima genera, nempe salubria, insalubria, & neutra. Salubria sunt, quæ præsentem indicant sanitatem, futuram prænuntiant, & pręteritam ad memoriam reuocãt: Insalubria, quæ morbum præsentem significant, futurum prædicunt, & præteritum in memoriam reuocant. Neutra, quæ neutrum mediumq; inter sanitatem & morbum affectum ostẽdunt, F

A dunt, prænuntiant, & memoriæ tradunt. Ceterum, quæ ex iam dictis præsentia demonstrant, Græcis δειγνωστικὰ, Latinis *demonstratiua* nominantur. Quæ vero futura prænuntiant, Græcis προγνωστικὰ, nobis prædictiones, præcognitiones, præsagia, vel præsensiones dici possunt. Quæ autem præterita commemorant, Græcis ἀναμνηστικὰ, Latinis *memoratiua* vocantur. Atq; is est proprius harum rerum vsus. Veteres tamen, *vt cap. 7. artis medicæ auctor est Galenus*, προγνωστικῶν siue prædictionum nomen, etiam præsentia & futura significare posse, tradiderunt. Prædicere enim idem est, quod præcognoscere. Vnde cum ea, quæ præsentia sunt, vel præterita, quibusdam signis præcognoscimus, quasi videantur, antequam sint patefacta, ea præsagire ac præsentire dicimur. Sunt etiam quædã signa, quæ morbum, eiusq; naturam declarant: adeoq; vna cum illo inuadunt & desinũt, quæ

δειγνωστικὰ. διαγνωστικὰ. ἀναμνηστικὰ.

B Græcis παθογνωμονικὰ, Latinis *vitium*, seu *morbum significantia* nũcupantur. Vt sunt in pleuritide acuta febris, spirãdi difficultas, tussis, punctio lateris. Hæc itaq;, vt vmbra a corpore, a morbo separari nequeunt. Quæ autem incipientis vitii indicia sunt, propriè γνωρίσματα dicuntur. Quæ vero non simul cum morbo inuadunt & incipiũt, sed subinde apparent & succedunt, ἐπιφαινόμενα, id est, succedentia aut superuenientia appellantur. Quæ autem morbi naturam veluti circumstant, non autem penitus coniuncta sunt, & inseparabilia, Græcis συνεδρεύοντα, id est, *circumstãtia* nominãtur. Opponũtur itaq; iis, quæ morbi naturam patefaciunt, eo quod illa semper cum morbo sint coniuncta. Hæc autem aliquãdo cum morbo, nonnunquam post genitum morbum, modo ne omnino quidem conspiciuntur, tantum abest, vt necessitate aliqua morbo coniuncta sint. Plerunq; tamẽ

παθογνωμονικὰ. γνωρίσματα. ἐπιφαινόμενα. συνεδρεύοντα.

C incidunt. Huius generis, vbi pleuritis torquet, sunt dolores, vel ad iugulum vsque, vel ad hypochondria pertingentis. Sunt præterea cruditatis & concoctiones signa. Cruditatis, quæ materiæ in morbis cruditatem significant, adeoq; vel omnino nullũ iudicium futurum, aut prauum, aut dolores, aut diuturnitatem, aut recidiuam, *vt primo Epi. sect. 2. constit. 3. testis est Hippocrates.* Concoctionis, quæ materiæ morborũ concoctionem ostendunt, vtraq; iam dicta signa ex alui excrementis, vrinis, & sputis maxime colliguntur. Atq; excrementa quidem alui, inferioris ventris vel concoctionem, vel cruditatẽ significant. Vrinæ autem venosi generis aut sputa, excreationesue eorum, quæ in respirationi seruientibus instrumentis sunt, humorum coctionem aut cruditatem monstrant, *vt lib. 1. de Iudiciis Galenus copiosius docet.* Proinde duo hæc signa stabilem propriamq; potestatem semper habent, quocunq; morbi tempore apparuerint. Præterea sunt signa, quæ

Cruditatis. Concoctionis.

D salutem demonstrant, salutaria ob id nominata. Contra alia, quæ mortem portendunt, lethalia dicta. Ea ex iis maxime, quæ cum vrinis, alui excremẽtis & sputis excernuntur, colligi possunt, quemadmodum in prognosticis Hippocrates docet. Quædam insuper sunt signa, bona vocata, quod scilicet bonum aliquid præsens, præteritum, aut futurum ostendunt, vt est facilis spiratio, leuis tolerantia, pulsuum bonitas, facilis somnus, facies simillima sanis, decens decubitus, totius corporis æqualitas, & alia, quæ tum in prognosticis, tum aphorismis recenset Hippocrates. Quædam contra mala, quæ malum aliquid præsens, præteritum, aut futurum indicant, vt difficilis spiratio, præsertim quæ fit frigido efflato spiritu, difficilis tolerantia, pulsuũ malitia, & in summa prędictis cõtraria.

Salutaria. Lethalia. Bona. Mala. Optima.

E Ac rursus inter bona, quædam optima, quæ semper bonum significant. Quædam valde bona, quæ raro non indicant bonum. Inter mala quædã pessima, quæ semper mõstrant malum. Nonnulla valde mala, quæ raro non malum portendunt. Sunt alia iudicatoria nominata, quæ quidem duplicia sunt. Quædam enim horum veluti caussæ & signa sunt, hoc est, significant & efficiunt iudicium, vt est vomitus, alui deiectio, vrinarum multitudo, sudor, sanguinis e naribus profluuium, parotis, & abscessus. Aliqua vero signorum tantum rationem habent, vt pulsuum inæqualitas & ataxia, deliriũ, vigiliæ, comata, inquietudines, difficilis spiratio, obtenebrationes, difficilis sensus, dolores capitis, colli & stomachi, temporum grauitas, aurium sonitus, splendores, lacrymæ inuoluntariæ, vox absq; ratione molesta, labrum inferius agitatum, obliuio, astantium ignorantia, ve-

Valde bona. Pessima. Valde mala. Iudicatoria.

F hemens rigor, accessio anticipans, facies vna cum oculis & naso rubescens, hypochondriorum retractio, nausea multa, fastidiumue, æstus, & sitis vehemens. Omnia quæ iam commemorauimus, quatenus subitam mutationem ac turbationem ostendũt, Græcis κρίσιμα, Latinis *indicatoria signa* vocantur. Quatenus vero morbos sequuntur, & secundũ propriam suam substantiam considerantur, symptomata iudicatoria nominantur. Ha-

κρίσιμα. Symptomata nominatur.

Symptomata iudicatoria. bentq; iudicatoria appellata signa nō semper stabilē ac firmā, vt cruditatis & cōcoctionis, potestatem, quocunq; morbi tempore apparuerint. Siquidem bona sunt, vbi post concoctionē morbi, & in vigore apparēt. Mala vero, quū in morbi principio, & ante cōctionē. Quod vt plenius intelligamus de temporib. temporū nūc disseramus oportet. A

Quid tempus morbi & tractationis de temporibus morborum vsus. CAP. III.

Morbi tēpus quid. MOrbi tempus, Græce καιρὸς, non est nisi pars, aut ætas morbi, quę successionis vicissitudine progressuue in alium atq; alium morem mutatur metaphora ab animantibus sumta. Quemadmodum enim hæc ipsa genita ad vigorem vsque augentur, inde iam contabescere incipientia, ad extremam vsque corruptionem declinant, si omnes ætates pertransierint: ita quoque singuli morbi a prima eorum constitutione, ad vigorem vsque increscunt, dum pro augmenti prioris portione decrescentes omnino dissoluantur. Tempora itaq; appellantur, quod successione quadam, vt tempus suas partes morbus acquirat. *Vel*, quod sint progressus quidam, quibus ab initio ortus sui, ad finem vsq; varie ęgrum afficiunt. Ætates vero, quod quemadmodum ętatum cursu animal, sic morbi temporum vicissitudine immutentur. Atq; horum temporum cognitionis vtilitas varia & multiplex est. Nam quum curationem morborum in primis ob morbi tēpora variari contingat: alia enim in principio morbi, alia in eius incremento, alia deniq; in aliis morbi partibus remedia conueniūt: nemo morbos recte curabit, nisi horū tempora perspecta habeat. Neq; enim temere in aphorismis dixit Hippocrates: *Quū morbi incipiunt, si quid mouendum videtur, moue, quum vero consistunt ac vigent, quiescere melius est.* Et alio loco: *In acutis morbis raro, & in principiis purgantib. vtendū medicamētis.* Sanguis pręterea non mittitur pari vtilitate vigente morbo, vt incipiente. Quum autē morbus declinat, nō solū superflue, sed ēt inutiliter extrahitur. Pari modo inter initia phlegmones reprimētia, in augmento aūt tepida & mediocriter adstringētia, in vigore, q̄ moderate calefaciunt & discutiūt, adhibemus medicamēta. In declinatione vero, quæ valenter tū calefaciūt, tū discutiunt. Confert etiam hæc cognitio ad futurorum prædictionem. Nam quo tempore mori possit, aut sanari, & quando periculū effugerit æger, prouidebit, qui morbi tempora nō ignorabit. Neq; n. in quacunq; morbi parte finiri possunt morbi, aut vita exstingui: cum nemo inuadēte, aut inclinante morbo pereat. Quinetiam victus rationem in nullo morbo recte instituet, qui eius tēpora, præsertim vigorē, a quo cibandi consilium petitur, ignorauerit. Quod abunde patet ex iis, quę sectione secunda ab Hippocrate scribuntur. Postremo, quod inde iudiciorum bonitas aut malitia cognosci possit. Nam vigor morbi, iudiciorum omnium regula est, quod in eo, non nisi optimum iudicium fiat. Proinde quanto iudicium vigori proximius, tanto melius est. Cōtra, quanto magis ab eo distat, peius, *vt lib. 3. de Iudiciis, cap. 5. Galenus fusius docet.*

Vtilitas cognitionis tēporū morbi. 1. 2. Aph 29. 1. Aph. 24. B C 2. 3. D

Quot sint morborum tempora. CAP. IV.

Vniuersalia tempora. VNiuersalia morborum tempora quatuor esse, tū veteres, tū recentiores Medici omnes vno consensu statuunt, principium, augmentum incrementumue, vigorem & declinationem. Non temere autem Græcis ὅλου τοῦ νοσήματος καιροὶ, Latinis *vniuersalia tempora* vocantur: hac enim appellatione a particularib. in quæ singulæ morbi accessiones diuiduntur, discernere voluerunt. Ceterum, vt de singulis ordine agamus, Principiū varie a Medicis vsurpatur, nempe trifariam. Vno modo, pro primo exquisite insultu, seu prima morbi inuasione, quam Græci ἐπισημασίαν nominant, quæ quidē simplex est, & omni latitudine caret. Id enim momentū insectile est. *Secundo*, pro eo, quod latitudinem obtinet, & ad tertium vsq; prorogatur & extenditur diem. Neutro autem horū modorum sumitur in præsentia. *Tertio* modo, pro totius morbi parte prima, quæ non dierum numero, sed concoctionis signis finitur, & determinatur. Duæ primæ significationes a vulgari opinione desumtæ sunt. Vulgus enim vocat eos in principio morbi esse, quos a primo morbi insultu correptos videt. Itē eos, qui in primis tribus diebus laborāt, adhuc in principio esse putat, etsi nonnunquam eo tempore incremētum excesserunt. Tertia solis Medicis nota est, cum per multos menses morbus sæpenumero duret, & nihilominus adhuc in principio sit, cuius quidem finis, tum certo adest, vbi cōcoctionis manifestæ notæ apparent. Alterum tempus, quod principium statim excipit, & ad vigorē vsq; durat, Græcis αὔξησις, ἐπίδοσις, & ἀνάβασις, Latinis *incrementum*, *augmentum*, & *ascensus* dicitur. Tertium, vehementissima morbi pars est, Græcis ἀκμὴ, Latinis *vigor*, & *status* ap-

Principiū. ἐπισημασία. E F Incremētum. Vigor.

A *tus* appellatur. Quartum & vltimum Græcis παρακμὴ, Latinis *declinatio* & *inclinatio* nominatur. Atque hæc sunt vniuersalia morbi tempora, siue maiores morbi partes, in quas vniuersus morbus primum diuiditur. Particularia vero tempora sunt minores partes, in quas singulæ accessiones diuiduntur. *Accessio* autem Græcis παροξυσμὸς dicta, non est, nisi tempus deterius totius circuitus, quod e prima inuasione vsq; ad intermissionem exsistit. Hoc itaque tempus quatuor partibus seu temporibus particularibus, principio nimirum incremento, vigore, & declinatione definitur. Febrilis accessionis exemplo res clarior fiet. Huius certe principium est, quod extremis partibus refrigerationis sensum præbet. Incrementum, vbi frigus desinit, corpus autem incalescere incipit, non tamen exquisito calore. Vigor, vbi calor æqualiter in totum diffunditur corpus, minimasque B eius obsidet particulas. Declinatio, vbi calor imminuitur. Porro circuitus, qui Græcis περίοδος vocatur, non est nisi repetitio, siue reditus ab eodem ad eadem per ordinem & circulum quendam factus. Vel breuius, similis ad idem reditus: hoc est, vniuersum temporis spatium a primo statim insultu vnius, vsq; ad insultum alterius accessionis. Cuius quidem temporis duæ sunt partes. *Vna*, quæ deterius eius tempus comprehendit. *Altera*, quæ remissionem siue declinationem, & quietis tempus cõplectitur. Primam quidem partem veteres Medici Græci παροξυσμὸν, id est, *accessionem* priuatim nominauerunt. Qua quidem ratione in se accessio, non nisi principium, incrementum, & vigorem continet. Hac in significatione accessionis vox ab Hippocrate sectione prima aphorismorum vsurpatur, quum inquit: *In accessionibus a cibo abstinere oportet.* Veluti fusius in nostris C super hanc Hippocratis sententiam commentariis ostendimus. Nec aliter in mox ibidem sequente aphorismo duodecimo accipitur, quod in Commentariis suis iis verbis Galenus etiam cõfirmat, inquiens: *Per accessionem te oportet inaudire deterius totius circuitus tempus, quod est a primo insultu, vsq; ad tempus vigoris.* Quod certe accurate considerandum erit, quod alias Medici, præsertim recentiores, accessionem vocant, quæ non solũ in se principium, incrementum, vigorem, sed & declinationem, quã Græci proprie παρακμὴν, *vt diximus*, nominant, complectitur. Alteram circuitus partem, id est, omne id tempus, quod priorem partem siue accessionem vigoremq; vsque ad secundam accessionem sequitur, *Galen. in lib. de Temporib.* & alii veteres Græci παρακμὴν, ἄνεσιν, ἔνδοσιν, ὕφεσιν, ἀφαίρεσιν, vel διάλειμμα, id est, *declinationem, remissionem, submissionem, ablationem, vel interuallum appellant.* D Proprie tamen, *vt lib. 1. de iudiciis, cap. 3. auctor est Galenus*, διάλειμμα, id est, interuallum, tempus est, quo in quietem febre vacantem accessio desiit: aut breuius quietis, tempus, quod in febribus peculiari nomine ἀπυρεξία, id est, *infebricitatio*, si ita loquitur, dicitur.

Declinatio. Particularia tempora. Accessio. Exemplũ. Circuitus. Circuitus duæ partes. Prima. Altera. Accessionis vox, bifariam sumitur. Aphor. 12. Διάλειμμα ἀπυρεξία.

Quot tempora vniuersalia vnusquisq; morbus habeat. CAP. V.

VT non omnia animantia ad extremam & constitutam vsq; senectutem perueniũt, adeoq; omnes ætates pertranseunt: ita nec omnes morbi, propter suam malitiam, & ægrotantium imbecillitatem, singula sua tempora attingere possunt. Sunt n. morbi, qui duo duntaxat tempora habent, vt qui incremẽti tempore interficiunt. Sunt etiam, qui tria tantum obtinent tempora, vt qui in vigore iugulant. Ex lethalibus vero morbis E nullus quatuor tẽpora habet. Siquidẽ fieri nequit, vt vigore elapso diminutoq; morbo, victaq; illius vehementia, homo in declinatione eius pereat, *vt fusius lib. 3. de iudiciis, capite 5. Galenus ostendit.* Quanquam enim interdum morbus, quum moritur homo, leuior esse appareat, non tamen, tum vera est declinatio, sed falsa potius & ficta, vtpote quæ a natura vincente nequaquam accidat. Neq; enim alia de caussa, tunc declinare videtur morbus, quam quod virtus iam euicta, non amplius morbosis caussis reluctetur. Et sunt certe ex lethalibus morbis nonnulli, qui breui tempore & principium & augmentum percurrunt, vt fere augmentum habere nullum videantur. Atque hinc est, quod Galen. *in libro de optima secta*, scribat, nonnullos morbos acutos, vt apoplexiam, simul atque inuadunt, vigorem assumere. Quod certe non ita intelligendum venit, vt quidam F hodie, qui omnia dicta Galeni malitiose peruertunt, & summo studio deprauant, interpretantur, quod eiusmodi morbi nullum habeant incrementum, quando fieri nequeat, vt ad summum aliquid, nisi ascendendo perueniat: sed quod tam celeriter ab inuasione ad vigorem perueniat, vt vix animaduerti possit augmentum, adeoque propemodum insensile sit. Atq; hoc ipsum sensile Galenum, alius eiusdem locus plane cõuin-

Nemo in declinatione morbi moritur. Galeni locus enarratus.

cit qui est *in libello de totius morbi temporib.* in quo manifeste apoplexiã incremẽtũ habere inquit, atq; adeo quid senserit in lib. de optima secta, diserte exponit. Sed eiusdẽ verba subiiciamus: ἔνια δοκεῖν τῶν νοσημάτων εὐθὺς εἰσβάλλειν ἀκμάζοντα, καὶ τοῦτο μὲν αὐτὸ τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. ὅτε γὰρ τὸ μάλιστα ἐξαίφνης εἰσβάλλον ἀκμάζον εἴποι τις ἂν τὴν ἀποπληξίαν, οὐδὲ γὰρ ἀκριβῶς ἐστὶ τὸ τοιοῦτον, ἀλλ' ἐν μὲν βραχεῖ χρόνῳ διεξέρχεται τήν τε ἀρχὴν καὶ τὴν ἀνάβασιν, οὐ μὴν ἄναρχόν γε ἐστὶ, οὐδ' εὐθὺς εἰσβάλλει τελεώτατα, ὥσπερ ὁ τῆς ἐπιληψίας παροξυσμός. οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἁλίσκεται ἐξαίφνης τῷ συμπτώματι, καθάπερ οἱ τὸν τράχηλον ἀφαιρούμενοι, καίτοι καὶ τούτων ἡ τομὴ πρῶτόν τινα χρόνον ἔχει, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον, καὶ τέταρτον, ὥσπερ ἂν καὶ χειρουργός τις ὁποῦν τέμνει. Quod est: Quidam morbi statim simul atq; vigent, inuadere videntur, quod ipsum quidem ex numero eorum est, quæ fieri nequeunt. Neq; enim repente inuadentem in vigore esse apoplexiam quispiam dixerit, quoniam talis exquisite non est, sed breui tempore & principium, & augmentum percurrit, non tamen absque principio est, neque statim absolutissime inuadit: quemadmodum nec comitialis morbi accessio. Nemo enim tam subito symptomate corripitur, vt ii quibus cervix aufertur: quanquam horum quoq; sectio primum aliquod & secundum, & tertium, & quartum tempus habet, veluti etiam si chirurgus quamlibet partem incidat. Quæ verba Galeni etiam in propria lingua referre volui, vt hinc plenius lector eius cognosceret sententiam, & quam inique a sycophantis hoc tempore flagelletur, qui singula propemodum eiusdem verba in diuersam, quam ille putauerit, partem interpretantur. Ceterum, qui salutares sunt morbi, quatuor interdum tempora obtinebunt, principium nimirum, augmentum, vigorem, & declinationem: idque accidit, si soluantur. Si enim adhibitis remediis curentur, pauciora habebunt tempora. Qui enim antequam crescant per conuenientia præsidia soluuntur, augmento & vigore mutilantur. Si per iudicationem perfectam terminantur, non pauciora quam tria habebunt.

A B C

Tempora morborum vt dignoscenda. CAP. VI.

CVM quatuor temporum vniuersalium morbi cognitio ad iudiciorũ prædictionem vnice, *vt dictum est*, conferat, vt quomodo quispiam horũ, quoad fieri potest, exquisitam consequatur notitiam, nunc monstremus, necesse est. Exorsi igitur a principio, de illis ita statuemus: Principii morbi finis adhuc futurus quinq; deprehenditur modis.

Principiũ morbi vt dignoscẽdum.

Ex morbi natura. *Primo*, ex morbi ipsius natura & differentia. Quippe febres ardentes, pleuritis, viscerum phlegmones, & id genus alii morbi acuti, breuis temporis principium habent. Nam vt ipsi non sunt diuturni, ita neq; principium longo durans tempore obtinebunt. *Contra*, epilepsia siue morbus comitialis, coxendicũ & renum dolores, quartana & similes morbi diuturni longioris temporis principia habebunt.

E temporib. anni. *3. Aph. 25.* Secũdo, e temporibus anni, in quibus morbi exoriuntur. Qui enim æstate accidunt morbi, breuius: qui vero hyeme inuadunt, longius principium habent. Hinc est, quod Hippocrates non temere in aphorismis dixerit: *Æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales vero longæ, præsertim, quæ hyemem attingunt.* Quanto enim breuior morbus est, tanto etiam breuius principiũ obtinet.

Ex ætate & natura ægrotantis. Tertio ex ætate & natura ægrotantis. Nam si calidæ fuerint, morbi eas corripientes breuius principium habebunt. Citius enim in iis concoctionis signa apparent. Cõtra si frigidæ fuerint ætates, longius principii tempus obtinebunt.

E regione. *Quarto*, e regione, in qua æger decumbit. Hæc enim, perinde atq; ætas & natura ægrotantis, vel breuius, vel longius principii tẽpus efficiet.

Ex victus ratione. *Quinto*, ex victus ratione, quæ antecessit. Is enim si calidior & siccior fuerit, biliosus adeoq; calidius & siccius corpus reddet. Contra, si frigidior & humidior fuerit, pituitosum corpus efficiet. In bilioso autem corpore calidos procreari morbos, & in pituitoso frigidos, nemo est, qui nesciat. Habẽt autem calidi morbi breuius, vt frigidi contra longius principium. Ceterum perfecti & iam absoluti principii euidentissimum ac firmum admodum signum, concoctio manifesta exsistit. Atq; hactenus principii breuioris aut lõgioris, signa vnde petẽda sint indicauimus.

Augmentũ cognitũ e trib. pẽdet rebus. Porro augmẽtum morbi trib. cognoscitur rebus, nempe hora, in qua fit accessio, eiusdẽ lõgitudine & magnitudine siue vehementia. Nihil enim refert magnitudinem aut vehementiam dicas. Duo enim hæc nomina, *vt sect. 1. aphor. Com. 12. testis est Galenus*, apud veteres Medicos vsitata, sæpius de vna eademq; re pronuntiantur.

Ex hora. Ex hora quidem, in qua fit accessio, ita agnoscitur augmentum: Si accessio maturius inuadit, & plus quam proportio postulat anteuerterit, certissimum hinc augmenti indicium colligitur.

Longitudine. Ex lõgitudine hoc modo: Si accessio anteuertẽdo in lõgius extenditur, tẽpus augmenti notam esse nemo nõ animaduertit.

D E F

A maduertit. Ex magnitudine seu vehementia hac ratione. Si accessio vehementius afflixerit manifeste augmentum morbi adesse coniicimus. Proinde accessio plurimo tempore anticipans, hoc est, consuetam inuasionis horam anteuertens, & longius, & multo etiam vehementius affligens, effatu dignum ac certum morbi habentis accessionem, & per circuitus redeuntis incrementum indicabit. Aliorum morborum augmentum facile ex illorum vehementia seu magnitudine iam increscente cognoscitur. Vigor autem indicatur, vbi hæc omnia in vtrisq; accessionibus æqualia, & sibiipsis perquam simillima fuerint, ac in eodem statu manserint, perseuerauerintq;. Declinatio autem cõtrariis augmento signis cognoscitur, nempe si tardius, quam cõsueuerunt antea, accessiones inuadant, si breuiori tempore durent, & prioribus, mitiores fuerint, minusq; af- Magnitudine. Vigoris indicia sunt Declinationis.

B flixerint. Possunt autem alii morbi, qui per circuitus non inuadunt, ex symptomatum vehementia, vel remissione, num in vigore aut declinatione sint, cognosci, iuxta illud Hippocratis: *Quum incipiũt & finiunt morbi, symptomata omnia leuissima sunt, in vigore autem vehementissima.* Quapropter ex symptomatum vehementia, non morbi malignitas, sed tãtum vigoris tempus argui debet. Siquidem symptomatum magnitudo & leuitas non perpetuo morbi malitiam, aut bonitatẽ indicant. Interdum n. aut nullis, aut leuissimis conspectis symptomatis, grauissimus tamen morbus existit, vt in quibusdam pestilẽtiis accidit. Nonnunquam vero vehementissimis & maximis symptomatis apparentibus, morbi tamen salutares sunt, vt quibus naturæ conatu salutares crises accidant. Vnde omnibus perspicuum euadit, non raro euenire, vt etsi in vigore symptomata sunt vehe- 2. Aph. 30.

C mentiora, morbum tamen in iis, qui seruari debent, magis salutarem ac mitiorem esse: & contra symptomata, si sunt mitiora, morbum tamen exitialem esse. Symptomatum igitur magnitudo vigoris potius signum sit oportet.

Vigor morbi medico præ aliis temporibus potissimum dignoscendus. CAP. VII.

HActenus quo pacto vniuersalia morborum tempora sint cognoscenda Medico, & quod illorum notitia ad futuram crisin iudicationemq; prænoscendam sit necessaria, ostendimus. Nũc vero, quod præ omnib. aliis temporibus vigor potissimum Medico sit precognoscendus, tribus de caussis docebimus. *Primo*, quod sine vigoris precognitione, vtrum iudiciũ futurum sit, necne, & quum fit, quale sit, scire nequeat. Nam quum futura bona iudicatio, nisi ex præcedentibus exquisitis concoctionib. precognosci non Vigor morbi tribus de caussis Medico cognoscẽdus.

D possit, & hæ quidem, non nisi vigoris tempore appareant, consequitur hunc veluti, normam quandam esse iudiciorum, adeoq; vt Medico precognoscatur, summe est necessarium. *Secundo*, vigor hoc maxime nomine præcognoscẽdus venit, quia nisi in vigore iudicium morbi obtinuerint, vt in declinatione habeant, fieri nequit. Quicunque enim morbi vigoris tempus semel præterierint, si certe sine iudicio perseuerant, & paulatim soluuntur, nullum præterea elapso vigore mortis est periculum: quandoquidẽ experientia testetur, nullum vnquam in declinatione, vi morbi periisse, vt antea quoque dictum est. Sed magis ratio ipsa. Neq; n. accidit, vt simul atq; morbosæ caussæ iam euictæ ac concoctæ sunt, adeoq; natura superauerit, æger moriat̃. Quapropter, si qui sunt, quos in declinatione interiisse cõstat, ii certe vel suis ipsorum, vel Medicorum errorib. mor- Nullus vnquam in declinatione mortuus.

E tui sunt. *Tertio*, vigoris tempus Medico, ideo præcognoscendum, quod si moriturus est æger aut non, nemo sciet, nisi vigoris tempus præcognouerit. Tunc n. primum mori ægrotantem est necessarium, vbi vires præ morbi violentia succubuerint. Vtrũ vero prius superabitur, scire non potest, si vigoris tempus incertum fuerit. Nam si iudicium intra vnum diem esse debeat, seruabitur æger antequam a morbo vires prosternantur. Si vero ante viginti dies, si sic accidat, nequeat aduenire iudicium, fieri potest, vt interim natura fatigetur, adeo vt si iidem appareant ægrotantes, alter quidem seruetur, alter ob futuri vigoris tempus moriatur. Quare cum ex vigoris tempore Medicus sciat, nunquid ægri vires sufficiant necne, non potest etiam conueniens victus ratio institui, nisi quales vires ægrotantis sint, præcognoscatur. Nequ enim temere ab Hippocrate dictum

F est: *Conicere oportet, num æger possit cum victu perdurare ad vigorem vsque, & nunquid ille prius deficiat, nec cum victu perdurare illo possit, aut morbus ante deficiat, ac retundatur.* Duo namque sunt, a quibus potissimum cibandi cõsilia petuntur, nempe morbi vigor, & ęgri vires. Ratio itaq; ipsa docet, Medico in nullo sic esse exercitandũ ac laborandum, atq; in futuri vigoris præcognitione, quod fusius *lib. 3. de iudiciis, cap. 5.* Galenus monstrat. Cete- 1. Aphor. Duo sunt, a quibus cibandi petuntur consilia.

T 5

rum, cũ iam sæpenumero iudiciorum sit facta mentio, ordinis ratio postulare videtur, A
vt tandem, quid sit iudicium, quot eius differentiæ, quibus notis quum præsens vel futurum est deprehendatur, & quæ tandem sit dierum Iudicatoriorum natura & vis, exponamus. Quæ singula in secunda, quæ sequitur, sectione ordine docebimus.

DE IVDICIIS. SECT. II.

Quid Iudicium. CAP. I.

κρίσις. Iudicium varie ab auctorib. vsurpatur.

QVod Latinis Medicis iudicium vocatur, hoc Græcis κρίσις dicitur, varieq; Galen. *lib. de iudiciis, cap. 1. teste, ab auctoribus vsurpatur.* Primo pro repentina & subita in morbo mutatione. Sic sane a Gal. *libr. 3. Progn. Com. 1. sect. & aphoris. 2. Com. 13. & 23. & lib. 1. Epidem. Com. 3.* definitur. Nam in omnib. iam citatis locis crisin seu iudicium subitam & præcipitẽ in morbis mutationem esse tradit. Quapropter eas, quę paulatim fiũt mutationes, non crises seu iudicia, sed peculiari nomine λύσεις, hoc est, *solutiones* Galenus appellare consueuit: vnde palam fit, morbos tm̃ magnos & acutos iudicio terminari, exiguos aũt & diuturnos sine iudicio. *Secundo*, iudicium a nonnullis sumitur pro inclinatione in melius, quæ tamen proprie loquendo non simpliciter iudicium, sed cum adiectione, deficiens iudicium, *Galen. lib. 3. de iudiciis attestante*, dicitur. *Tertio*, pro turbatione corporis, quæ excretionis & abscessus antecedit. Nam priusquam morbus per excretiones & abscessus finiatur, non mediocris in ægri corpore fit turbatio. Hic namq; subito spiritum difficilius trahit, vel delirat, vel caliginem, vel splendores ob oculos sibi versari putat, vel lacrymas fundit, vel oculos rubentes habet, vel tẽpora grauia, vel in ceruice dolores percipit, interim vel caput dolet, vel nigra quædam oculis offundi quæritur, vel stomacho laborat, vel inferius labrum, quasi tremulum ac intro contractum obtinet, vel rigore vehementi concutitur. Hanc itaq; turbationem subitam Gal. quoq; *lib. 1. de diebus indicatoriis, ca. 2.* crisin iudiciumue vocat. *Quarto*, crisis pro omni morbi solutione, siue subito, siue paulatim fiat, accipitur. *Quinto*, pro solutione, quæ ad bonum terminatur. Etsi aũt variis modis a veterib. iudicii, vox est vsurpata, *Galeno tamen, vt ex c. vlt. lib. 1. de Iudiciis abunde liquet*, non nisi pro subita in morbo mutatione, & multo magis pro ea, quæ hanc antecedit, turbatione sumitur. Porro vox κρίσις translata est eodem Gal. *libr. 3. de iudiciis, c. 2. teste*, a iudiciali foro. Vt enim in illo inter eum, qui accusat, & alterum, qui accusatur, atrocissima exsistit pugna, vnusq; tandem vincit, alter vero vincitur: sic etiam in iudicio morbus & natura corporis acerrime inter se pugnant, vt ægro nihil aliud, quam illis, qui in iudicio de morte aut vita audiunt sententiam, sit exspectandum. Non igitur est, vt diximus, iudiciũ, nisi subita ac præceps in morbo vel ad sanitatem, vel ad mortem mutatio. Et fit quidem natura separante a bonis mala, & ad excernendum properante. Quare ob talem, quæ iudicationem præcedit, perturbationem, ægri grauiter se habent. Interdum autem non solũ subitam, sed & magnam Galenus permutationem crisin vocat, & merito quidem, quod non sine certamine, *vt libr. 3. de Iudiciis cap. 9. ait*, & cum magnis symptomatis, quæ Medicum terrent, iudicium fiat. Quapropter etsi febris tertiana magnus morbus ac vehemens non est, tamen quum subito per vomitum, aut sudorem, aliamue excretionẽ iudicatur, vt nihilominus magna in ea fiat mutatio oportet. Siquidem vomitũ illũ biliosum nausea, dolor stomachi, ac capitis, pulsus interdum carentia, animi deliquiũ, & id genus alia symptomata, non certe leuia, præcedũt. Quod adiiciendum erat propter eos, qui hac etiã in parte Galenũ sugillare, ac flagellare, suo more solẽt.

Solutiones.

Turbatio excretiones & abscessus antecedens.

Vnde vox crisis trãslata sit.

Galenus iudicium interdum magnam mutationem vocat.

B C D E

De Iudicii differentiis. CAP. II.

IVdicii, quod iam definiuimus, *Gal. lib. 1. de diebus indicatoriis teste*, multę sunt differentię. Absolutum & perfectum, siue optimum proprie & simpliciter iudicium est, quod ex morbo nihil reliqui facit, sed subito ab eo ægrum liberat. Vel breuius, quod morbosum nihil relinquit. Græcis κρίσις τελεία dicitur. Imperfectum seu deficiens, quod ex morbo quippiam relinquit: vel, *vt tertio de Iudiciis definitur*, quod effatu dignam in melius mutationem efficit, non tamen integre morbum soluit. Græcis ἀτελὴς & ἐλλιπὴς appellatur. Fidum, firmum, certumue est, quod nunquam reuertitur. Græcis πιστὴ & βεβαία & ἀσφαλὴς nominatur. Infidum seu incertum, quod cum morbi recidiua fit. Græci ἄπιστον vocant. Alii fidum definiunt esse, quod naturæ beneficio paratur. Infidum, quod morbi ratione cõtingit. Id quod certe in idem recidit. Nam quod naturę beneficio paratur, & secundum ratio-

Absolutũ perfectũue iudiciũ

Imperfectum. Fidum. Firmum. Certum. Infidum. Incertum.

F

A rationem fit iudicium, id non accidit, nisi postquam omnia in animantis corpore, *Galeno etiam libr. 3. de dieb. decretoriis attestante*, concocta fuerint, ideoq; cum copiosa excretione fit, vel cum insigni abscessu. Natura enim euictis iam ac concoctis noxiis humoribus, eos discernit, & superuacua excrementaue expellit. Quapropter iudicium hoc, sine recidiua sit necesse est. Contra, iudicium quod morbi ratione fit, non nisi natura irritata, vel ab aliquo externo, vel ab iis, quæ in ipso corpore detinentur, accidit. Hoc alio nomine intempestiuum vocatur, quod non congruo tempore, ante vigorem, & nondum cocto morbo fiat. Hippocrates eiusmodi iudicium disruptionem nominat, quod scil. natura intempestiue ad excretionem irritata, ob morbi malignitatem, moueatur, *vt lib. 3. de iudiciis Galenus ca. 10. fusius docet*. Quocirca natura hoc modo incitata, crudis adhuc existentibus humoribus, excretiones tentat, adeoq; vtilia simul cum iis, quæ lædunt, expellit. Quæ quidem excretiones, etsi morbũ minuere videntur, tamen postea violẽtius morbus insurgit, & recidiua fit. Vt temere faciant, qui productas a nobis Galeni definitiones sugillare audent. Periculosum iudicium est, quod vehementibus & grauissimis symptomatis contingit. Græcis κινδυνώδης nuncupatur. Tutum securumue, quod sine illis euenit. Græci ἀκίνδυνον appellant. Manifestum siue euidens, quod excretione aliqua, aut insigni & conspicuo abscessu fit. Græcis σαφὴς nominatur. Obscurum, quod citra excretionẽ, vel euidentem abscessum accidit. Græcis ἀσαφὴς κρίσις nuncupatur. Indicatum siue cum bonis indiciis eueniens, quod a contemplatorio die prius est ostensum. Græci εὔσημον dicunt. Non indicatum, quod absq; signis factũ est, vel a nullo priore die indicatum. ἄσημον Græci vocant. Bonum, quod ad sanitatem desinit. Græcis ἀγαθὴ κρίσις nominatur. Malũ, quod in ægri perniciem, & ad mortem terminatur, Græcis κακὴ dicitur. Prius salutare etiam vocari posset, sicut posterius perniciosum, & lethale. Atq; hæ sunt in vniuersum omnes iudicii differentiæ, quas Hippocrates *libr. 1. Epidem. sect. 3.* quaternario complexus est numero, ita scribens: δεῖ θεωρέειν τὸν νῦν καὶ εἰδέναι ἐν τοῖσι χρόνοισι τούτοις κρίσιας ἐσομένας ἐπὶ σωτηρίην, ἢ ὄλεθρον, ἢ ἐπὶ ῥοπὰς τὸ ἄμεινον, ἢ χεῖρον. Animaduertere ac cognoscere oportet, quę iis temporibus futura sint, iudicia ad salutem, aut perniciem, aut mutationes ad melius vel deterius. Sub primo enim genere absolutũ, fidum certumue & bonum: sub altero malum, perniciosum, & lethale: sub tertio imperfectum, tutum, manifestum, indicatumque: sub quarto incertum, periculosum, obscurum, non indicatum & malum comprehendit.

(Margin letters B and C stand beside "sistentibus humoribus" and "ci vocant. Bonum".)

Periculosum. Tutum. Securum. Manifestum. Euidens. Obscurũ. Indicatũ. Non indicatum. Bonum. Malum. Salutare. Lethale.

D

Quæ sint iudicii boni iam instantis notæ & indicia. CAP. III.

IVdiciorum differentiis expeditis reliquum est, vt nunc notas, quibus bonum iudicium iam instans præcognoscitur, exponamus. Sunt autem boni iudicii iam instantis signa præcipua quatuor. Primum quidem & omnium maximum sunt concoctiones, quæ in vrinis, deiectionibus & sputis considerantur. Concoctionem autem esse maximum signum hinc colligit Galen. *lib. 3. de iudiciis*, quod neminem vnquam, etsi millies iudiciis interfuit, qui præcedentibus concoctionibus iudicatus est, mortuum esse viderit. Ceterum non est tamen omnibus concoctionis signis in cunctis morbis eadem dignitas. In morbis enim thoracis & pulmonis, sputa potissimum consideranda sunt. E Non oportet tamen vrinæ contemplationem, & egestionum inspectionem negligere. Si vero æger solum febricitat, citra alicuius visceris, verbi gratia, iecoris, lienis, renum, aut vesicæ, phlegmonem, vrinas maxime intueri conuenit. Sin ventriculus laboret, alui deiectionibus primum, deinde etiam vrinis animum attendere oportet. Nunquam enim, si febris, vel ex sola humorum putredine accensa, vel in parte phlegmone obsessa excitata, affuerit, vrinarum inspectio posthabenda erit. *Alterum* iam imminentis boni iudicii signum est, vt antea ab aliquo indice contemplatorioue die sit ostensum. Quid autem sit index dies, infra explicabitur. *Tertium*, vt in aliquo die iudicatorio fiat. Qui autem sint dies iudicatorii, itidem in sequentibus docebimus. *Quartum*, vt iudicium fiat per modum seu excretionem morbo competentem. Nam morbi speciem nouisse, ad F iudicii dignotionem plurimum conducit. Pro varia namq; morborum specie, alia atque alia iudicia fiunt, alii naturæ motus, excretiones omnino diuersæ. Competet igitur, si in ardente febre, vel sanguis e naribus plurimus profluat, vel post vehementem vigorem sudor multus & calidus per vniuersum corpus emanet: aut per vomitum, vel per aluum aliquid biliosum æger excernat. Cum enim ardens febris non fiat,

Boni iudicii præcipua signa quatuor. 1.

2.

3.

4. Quæ conueniens cuiq; speciei morbi excretio.

Ardentis febris.

nisi ex flaua bile intra vasa putrescente, vt omnes iam dictæ excretiones, per quas vel biliosus sanguis expurgatur, vel biliosa excrementa vacuantur, illi conueniant necesse est. Pari ratione & febris tertiana per vomitum & deiectionem biliosam, & sudores biliosos e toto corpore manantes iudicari solet. Quotidiana vero febris, vtpote non ex bile, sed ex pituita nata, cõmodissime per crebras pituitæ vacuationes, & sudores multos e toto corpore excretos iudicatur. Phrenitim sudor bonus, præsertim vbi e capite multus & calidus fluxerit, iudicat, sudante simul reliquo corpore. Non autem ab re diximus Bonus sudor: malus enim si fuerit, phrenitim non iudicat. Bonus est, si fit in die iudicatorio, & e capite, tanquam parte laborante, non frigidus, sed calidus, neque paucus, sed multus, vt dictum est, profluxerit. Accidit autem, vt interdum etiam per sanguinis narium profluuium phrenitis iudicetur, quod hæc non fit nisi cerebri, aut eius membranarum phlegmone. E sanguine vero procreari phlegmonem, notius est, quam vt multis ostendi debeat. Nihil igitur mirum, si sanguinis excretione e naribus finiatur. Porro lethargus sanguinis ex naribus profluuio non delectatur. Peripneumonia raro quoque per sanguinis narium profluuium iudicatur, crebrius per alui deiectionem, aut puris per vrinam excretionem. Inter iam dicta mala, nempe ardentem febrem, phrenitim, lethargum, & peripneumoniam, pleuritis medium obtinet locum. Quippe minus quam ardens febris & phrenitis, magis vero quam lethargus & peripneumonia, profluuio sanguinis finitur. Iecoris vero & lienis phlegmone sanguinis narium profluuio abunde iudicatur, quod scilicet horum viscerum phlegmones, febres quoque acutæ, quibus hoc genus excretionis familiare est, concomitantur. Omnes denique calidæ & acutæ hypochondriorum phlegmones, profluuio sanguinis ex naribus iudicantur. Oportet autem tum sanguinem e directo effluere, ex dextra quidem nare, iecore laborante, vel iis quæ in dextro hypochondrio sitæ sunt partibus. Ex sinistra vero, liene, & quæ in sinistro sunt hypochondrio locis laborantibus. Porro, iecoris gibba phlegmone obsessa, tribus maxime excretionis modis obediunt, nempe profluuiis sanguinis e dextra nare, sudoribus bonis, vtpote reliquis etiam phlegmonis communibus, & multis vrinis. Caua vero eiusdem, egestionibus biliosis & sudoribus, nonnunquam etiam vomitibus, humoribus scilicet ad ventriculum transmissis, parent. Multo autem magis per vrinas expurgari expetunt, quam gibba iecoris, omnes partes quæ iuxta renes & vesicam, vtpote præcipua vrinæ instrumenta, sunt: quemadmodum quæ iuxta thoracem & pulmonem sunt per sputa, quod nimirum hæc sint loca, per quæ harum partium excrementa commodissime vacuentur. Sudores autem omnibus febribus, præsertim ardentibus, sunt proprii. Hinc illud Hippoc. *Sudores febricitantibus, si euenerint tertio die, & quinto, & septimo, & nono, & vndecimo, & decimo quarto, &c. boni sunt.* Hi enim sudores morbos iudicant. Iudicant vero etiam quotidianam, & quartanam, accedentibus tamen vomitibus & deiectionibus pituitosis in illa: atris vero & variis in hac ipsa. Semitertianas autem iudicant deiectiones, per quas biliosa & pituitosa vacuantur. Lethargos vero, & omnia capitis vitia, parotides iudicant. Nam impetus totius mali ad glandulas illas, quæ auribus adiacent, vtpote spongiosas rarasue, & ad suscipienda superuacua habiles, conuertitur. Alii decubitus quoque omnes, diuturnas febres iudicare consueuerunt. Ceterum vt rectius, an iudicii modus morbo cõueniat, intelligamus, præter hæc quæ dicta sunt, ægrotantis quoque ætas & natura, necnon præcedens victus ratio, locusque in quo æger degit, item tempus anni, & præsens temporis constitutio, consideranda erunt. Si enim perinde atque morbus est biliosus, hæc etiam singula biliosa fuerint, bilem in iudicationibus expurgari oportet: quemadmodum vbi pituitosa fuerint, pituitam vacuari est necesse. Variis autem humoribus in corpore abũdantibus, variam quoque esse excretionem oportet. Cum vero hæc vniuersa Medico fuerint explorata & cognita, tunc ex euentu reliqua assequentur. Si enim æger, qui iudicatus est, a febre, aliisque symptomatis liberatus fuerit, & meliuscule pro vacuationis ratione fuerit coloratus, cum melioribus quam antea pulsibus, & ad surgendum robore haud dubie optimum iudicium fuit. Si vero ex iam dictis aliquid desit, tantum ab optimo deficit, quanta eius quod deest vis & potentia fuerit.

Febris tertianæ. Quotidianæ. Phrenitidis. Lethargi. Peripneumoniæ. Pleuritidis. Iecoris lienisue phlegmones. Sanguinem per rectitudinẽ effluere oportet. Sudores omnibus febribus sunt proprii. 4. Apho. 36.

Futurum iudicium quibus notis præcognoscendum. CAP. IIII.

Iudicium. HActenus quomodo sit præcognoscendum iam imminens iudicium ostendimus: nunc

Iudiciū futurum quatuor prænoscitur modis.

A nunc igitur qua ratione id, quod futurum est, præcognosci possit, breuiter exponemus. Quatuor autem modis idipsum dignoscitur. *Primo*, ex morbi natura considerando scilicet num hæc biliosa, aut pituitosa, aut melancholica, aut ex iis mista fuerit. Si enim biliosior ac calidior fuerit, tanto velocius mouebitur morbus, adeoque celerius iudicabitur. Contra, si frigidior fuerit, tardius mouebitur, & iudicabitur. 1 *Secundo*, ex anni tempore, ægrotantis temperamento, & ætate, regione præsentis temporis cōstitutione, victu præcedente, & id genus aliis. 2 Hæc enim si ad calidius declinauerint, morbum eo citius iudicatum iri, sicuti contra, vbi ad frigidius tetenderint, tardius, ostendent. *Tertio*, ex accessionum circuitibus, siue ii tertio quouis die, aut quarto, aut singulis diebus, 3 B aut nunquam fiant, veluti in continentibus febribus euenit. Siquidem hæ vnicam duntaxat accessionem habent, ab initio ad finem perpetuo durantem. Si enim festinauerint, ac semper consuetam anticipauerint anteuerterintue horam, aut multo vehementius infestauerint, & per tertium occursarint, cito iudicium subsecuturum denuntiant. Si vero lente moueantur, atque eadem inuadant hora, ac singulis diebus reuertantur & affligant, tardius futurum morbi iudicium ostendent. *Quarto*, quod præcipuum certe est, ex concoctionibus ipsis. 4 Si enim in diebus indicibus apparuerint, tūc ægrum sequenti iudicatorio a morbo liberari denuntiabunt.

Optimi Iudicii cognitio est certa, mali vero contra incerta. CAP. V.

Optimum iudicium certe prænoscitur.

OPtimum iudicium, quod solum simpliciter & absoluto sermone iudicium dicitur, C vt comprehensum est, non coniunctura artificiosa, quemadmodum reliqua, sed certa firmaque cognitione assequitur. In huiusmodi enim morbis statim ab initio omnia signa periculo vacant, ac securitatem pollicentur. Cum itaq; omnino secura fuerint signa, in primo quaternario futurum iudicium nuntiabunt. Quod Hipp. in Progn. 3. Progn. iis annuere verbis voluit, inquiens: *Mitissimæ febres, & quæ cum securissimis signis fiunt, quarto die finiuntur, vel prius.* Neque enim fieri potest, vt febris quæ signa omnia securissima habet, non primo quaternario finiatur. Quod si vero hæc a maxime salubribus ac securissimis signis parum declinauerint, huiusmodi febres septimam non transcendent diem. Accedit, quod in bonis iudiciis natura valida admodū & robusta est, ac materiæ noxiæ dominat, propriaq; ratione agit, atq; suo modulo operatur, neq; vllo casu inter- D turbatur. Proinde vt tum definiti ac ordinati sunt eius motus, ita prænotiones etiam de iis motibus certæ sint oportet. Contra malorum iudiciorum prænotiones minus certæ ac stabiles sunt. Siquidem in iis natura est imbecilla, & a noxia materia vincitur, adeoq; motus eius sunt incerti, & inordinati, atque incogniti. Quapropter prudente artifice, & exercitato medico mala iudicia indigent, qui sciat primum nunquid futura sint: secundo, quo die: & tertio, vtrum confestim ægrotantem interficiant, an duntaxat noceant.

Indicii mali cognitio incerta & instabilis.

Quapropter cum in bonis iudiciis multum scientiæ ac certitudinis sit, contra in malis plurimum coniecturæ & incertitudinis, prius exercitari in optimorum iudiciorum prænotione medicum oportet, deinde in eorū, quæ etsi nō sunt optima, bona tamen exsistunt, atq; tandem ad malorum prænotionem progrediendum erit. Ceterum E optima iudicia in vigore morbi, in augmēto aūt, si salus sit subsecutura, aut imperfecta, vel non secuta, fiūt. Neq; temere dictum est, *Si salus sit subsecutura*: in exitialib. enim morbis magna ex parte ægri in augmento, vel in principio moriuntur. Si igitur dies aliqua index futurum esse iudicium præostendit, simul etiam malum fore ostendit. Fac enim quarta die visam esse primum in vrina nebulam nigram, aut sublimamentū nigrum, aut aliud aliquid aliud huiusmodi: sint vero & alia omnia signa ac symptomata perniciosa, morietur quidem omnino ægrotus ille, eo quod singula iam commemorata perniciem portendant, *vt ex sectione tertia, vbi de Vrinis agetur, patebit.* Verum si in imparibus diebus accessiones fiant, septimo die malum iudicium futurum est: si vero in paribus, sexto. Certiorem vero exspectationem faciet tibi morbi motus. Si enim celeriter moueatur, F iudicium accelerans fore contestabitur, hoc est, sexto die futurum esse iudicium significabit. Sin tarde moueatur, ad septimum differetur iudicium. Quum vero index dies nullum mali iudicii futuri signum dederit, eius quoque prænotio difficilis erit.

In optimorū iudiciorum præcognitione primum exercitandū. Optima iudicia quando fiant. Mala.

Quæ ostendant quem finem sit habiturus morbus. CAP. VI.

NVnquid æger seruabitur ex morbo, aut morietur, e tribus potissimum reb. dignosci

Exitus morbi e tribus cognoscitur. Ex specie morbi.

potest, nempe ex specie, magnitudine, & more morbi. Ex specie, dum consideramus num salutaris sit morbus, adeoque a natura, vel arte vinci possit: aut lethalis, qui naturæ vires, & artis præsidia separet. Sic e diaria febre, tertiana intermittente, aliisque omnibus eius generis febribus, quod salutares sint morbi, ægros seruari facile est præsagiri. Contra, mori, ex vehementi apoplexia, hydrope, peripneumonia, phrenitide, & id genus aliis morbis, quod suapte natura letales sint. Species autem morbi quælibet ex iis cognoscetur symptomatis, quę propriam cuiusq; naturam complent. Verbi gratia, sufficiet enim exemplo rem declarasse, pleuritis ex dolore lateris pungente, spirandi difficultate, tussi, pulsuque duro & serratili, ac febri, quæ tamen illi est cum ceteris phlegmonibus communis, deprehenditur. Quare qui speciem morbi e propriis, vt iam pleuritidis exemplo monstratũ est, symptomatis cognouit, is facile iudicabit, num hominem exstinguet, vel potius propelletur. Ex magnitudine seu vehementia etiam exitus morbi dignosci põt. Nam etsi interdum morbus suapte natura salutaris est, tamẽ vbi ingẽ magnitudinẽ assumit, lethalis fit. Sic vulnera, q̃ tamen suapte natura salutaria sunt, propter magnitudinẽ fiunt lethalia. Quod de vulnerib. diximus, id ad reliquos etiam morbos propemodum omnes transferri potest, vt qui ob vehementiam ac insignem magnitudinem lethales euadant. Cognoscitur autem hæc ipsa e multitudine & vehementia propriorum symptomatum. E morbi more quoque, num æger seruabitur aut morietur, cognosci potest. Morem autem siue modum, ἦθος enim & τρόπος Græcis dicitur, non vocamus nisi essentiam, aut differentiam morbi, prout scilicet mitis placidusue aut malignus est: vel in summa, qualisnam futurus sit. Atque mos vtique morbi plurimum momenti habet in prædicendo morbi exitu. Hinc si quis cancro, præsertim in membro nobili, laboret, quod sit malignus morbus, lethale esse dicimus. Pari ratione elephantiasim, phagedænam, thelephiaque vlcera, lethũ afferre propter suam malitiam pronuntiamus. Quid multa? morbi maligni fere omnes vitam adimunt, nisi eam partium ignobilitas tueatur.

Species morbi vnde cognoscatur. — Ex magnitudine. — Ex more. Mos quid.

Num iudicabitur morbus, aut minus, vnde cognoscendum. Cap. VII.

NVnquid per iudicium, aut sine iudicio morbus finiatur, quinque e rebus maxime cognoscitur, nempe ex motu, magnitudine, & specie morbi, anni tempore, & aliis quæ eiusdem sunt ordinis, & huic cognata, veluti regio, ætas, victus antecedens, & huiusmodi, atque iis quæ morbo succedunt. Ex motu vtique morbi, quod vel tertio, vel quarto, vel quinto fiet, iudicium sperari potest. Si enim is celeriter moueatur, tertio: si vero quodammodo tardius, quinto. Si continens fuerit febris, in quarto. Habet enim vnam accessionem, quæ ad quartum, magna ex parte, diem protenditur. Motus celeritatem adiuuat magnitudo, adeo vt si magnus fuerit morbus, & plurimum afflixerit, per iudicium finietur. Sin exiguus, solutione. Item anni tempus calidum, ætas, regio, & alia quæcunque natura biliosa sunt. Tarditatem autem motus contraria, anni nimirũ tempus frigidum, ætas, regio, natura, & victus ratio præcedens frigida, iuuant. Verbi gratia, si æstas fuerit, & laborans ætate adolescens, natura calidior, & vsus sit inedia, labore, cibis & potibus biliosis, tunc omnia hæc iuuabunt, vt tertio die iudicium fiat: præsertim si quæ præcessit temporis constitutio, & regio in qua ægrotat, natura fuerint calidiores. Quod si vero omnia contraria fuerint, & motus morbi tardior, neq; magnitudo morbi tardior, neque magnitudo morbi effatu digna, hybernum tempus, æger autem natura biliosus, aut ætate declinans, in quinti diei accessionem peruenturum esse iudicium sperabis: idque magis, si etiam regio frigida & humida fuerit, & temporis præsens constitutio similis, & iudicia, quæ passim fiunt, in quintum inciderint diem, & alia, otium scilicet, satietas, & victus præcedens pituitosus, accesserint, *vt fusius lib. 3. de Iudiciis. cap. 4. Galenus docet.* Ex morbi præterea specie. Quippe cum iudicium non sit nisi repentina, vt comprehensum est, mutatio, acutis tantum conueniat morbis necesse est. Non iudicantur igitur, nisi acuti morbi. Diuturni autem sensim & paulatim, non repente ac subito mutantur. Postremo, ex iis quæ morbo succedunt signis, non quidem omnibus, sed iis tantum, quæ cum iudicio iã incipiente inuadunt, aut parum ipsum anteuertunt, & proprie iudicatoria signa vocantur. Si enim illa appareant, necesse est morbũ illum iudicari, & in propinquo certe esse iudicium.

Ex motu. — Magnitudine. Anni tempore. — Specie morbi. Acuti tantum morbi iudicantur. Ex iis quæ morbo succedunt.

A *Num per excretionem, aut abscessum futurum sit iudicium, vt cognoscendum.*

CAP. VIII.

CVm ex iis, quæ dicta sunt, quod iudicium futurum sit Medicus prænouerit, deinceps quale hoc erit, hoc est, num per excretionem, aut abscessum, siue per translationem humoris ex vna parte in aliam fiat, hoc modo dignoscendum erit. Primum quidem, si acutus & calidus est morbus, & iudicium fit in primis circuitibus, necesse est, vt tale iudicium non per abscessum, sed potius excretionem fiat. Morbus enim calidus, & concoctu facilis, *vt lib. 2. Prognost. testis est Galenus*, eo quod ex calidioribus ac tenuioribus, adeoque ad excretionem paratissimis constet humoribus, per excretionem merito iudicatur. Facile enim eiusmodi humores expelluntur, & vias per quas extra corpus ferantur, inueniunt. B Si vero diuturnus, ac tardus fuerit morbus, id est, concoctu difficilis, & ex crassiore, frigidioreque humore, qui nec vinci, nec expelli facile possit, per abscessum iudicabitur, quod scilicet ad excretionem humor ille sit ineptus. Id quod tum maxime accidit, quum æger plurimo tempore, *Hippocrate loco paulo ante ostenso attestante*, tenuem & crudam vrinam minxerit. Docent id ipsum quartanæ, & quotidianæ febres, & nónunquam etiam tertiana spuria, quę, reiecto ad pedes humore, per abscessum finiuntur. Si autem vrina multam & bonam, hoc est, albá, leuem, & æqualem subsidentiam habuerit, adeoque tenuis haud fuerit, sed crassa, consentaneum est morbum paulatim coctum iri ac solui, & minime per abscessum finiri. Quod Hippocratis testimonio confirmatur, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: C *Quibus spes est ad articulum futurum abscessum, liberat ab abscessu vrina multa, crassa, & alba exiens.* Ceterum iis ita definitis, deinceps considerandum, si per excretionem morbus iudicabitur, nunquid profluuium sanguinis narium, vel vomitus, vel sudor, vel deiectio futura sit. Si vero per abscessum, qualis particula, vel quis articulus abscessum illum excipiet, exsequendum. In iis quidem morbis, qui per excretionem iudicabuntur, bifariam de excretione, quæ futura est distinguere ac definire oportet: nempe ex propriis futuræ excretionis signis, si modo affuerint, & ex aliarum excretionum notis, si propriæ nó adsunt. Certius namque sperabis eum, qui semper a suis præostenditur, iudicii modum, vbi nullus aliorum exscretionum modorum te in diuersum distraxerit. Futuræ vero exscretionis certissimum indicium est rigor. D Cum enim is expultricis facultatis validus sit motus, vt eo excitato aliquas subsequi excretiones putemus necesse est.

Quale iudicium futurum sit quo modo dignoscendũ.

Comm. 34.

4. Aph. 47.

Rigor futurę excretione nota.

Quæ propria sint vnius cuiusque excretionis signa. CAP. IX.

CVm hactenus, quę in vniuersum omnium excretionum sint indicia ostenderimus, reliquum nunc est, vt proprias vniuscuiusque excretionis notas, a sanguinis ex naribus profluuio exorsi, recenseamus. Primum igitur profluuii sanguinis e naribus signum sunt splendores ante oculos obuersantes. Hi enim propter humorem profluxurum, qui flauus est, excitantur. Flauus enim color ad splendidum vergit, *vt lib. 1. de Iudic. c. 12. fusius monstrat Galen.* Alterum est oculorum hebetudo, quod humor multus sursum elatus spiritus meatus obturet, adeoque visus hebetudinem conciliet. *Tertium*, oculi lacrymantes, propter fluxionis copiam. *Quartum*, oculi rubicundi. *Quintum*, malæ rubicundæ. E *Sextum*, nares rubræ. Siquidem hæc omnia humorum ad caput partesque iam dictas motum & inclinationem denuntiant. *Septimum*, hypochondriorum sine dolore tensio. Hæc enim haud exiguum est sanguinis ad speriora vergentis indicium. Non autem ab re dictum est, *Sine dolore.* Tensio enim hypochondrii cum dolore, non profluuii sanguinis, sed phlegmones potius ibidẽ excitatæ indiciũ est. *Octauum*, spirandi difficultas, quod sanguinem sursum per thoracem ferri monstret. *Nonum*, dolor capitis, non quidem omnis, sed qui grauis est, distendit, pulsat, & calefacit. Hic enim sanguinis ad caput confluentis copiam portendit, vtpote quæ grauet, distendat multitudine sua, qualitate aũt pulset ac calefaciat. *Decimum*, viscerũ in hypochondriis phlegmones. F Hæ vero non solum signa, sed & simul caussæ sunt, vbi scilicet per excretionẽ morbus iudicetur. Caussæ quidem sunt, q; sanguinem sursum tendentem suppeditẽt. Signa, quod hæ plerunque per sanguinis e naribus eruptionem iudicentur. Quod si ad hęc nares pruriãt, iam statim sanguis erumpet, præsertim vbi vehementior circa faciẽ & tempora dolor affuerit. Et si sano quoq; fluere cõsueuit, iam spem propemodum certã con-

Profluuii sanguinis nariũ notę.
1. Splendores oculis obuersantes.
2 Oculorũ hebetudo.
3. 4 Oculi lacrymãtes & rubicũdi.
5. 6. Malę & nares rubicundæ.
7. Hypochondriorum sine dolore tensio.
8. Difficultas spirandi
9 Dolor capitis.
10. Viscerũ phlegmone.
11. Nares prurientes.
12. 13. 14. 15.

cipere oportet. Præter hæc omnia ætas florens, anni tempus, ver nimirum & æstas, regio temperata, aut calida, ægrotantis natura similis, futurum esse sanguinis profluuium prodere possunt. Vomitus autem signa sunt eiusmodi: Primum, *cordis siue oris ventriculi (hoc enim prisci cor, vt alibi ostendimus, nominarunt) morsus.* Nam biliosus ac mordax humor os ventriculi mordendo infestat, ideoque hunc natura per vomitum eiicit. Alterum signum est *capitis dolor, qui partim propter consensum, qui est cerebro per neruos quosdam satis magnos cum ventriculo, partim etiam ob biliosi humoris exhalationem nascitur.* Tertium est *vertigo, quæ itidem propter biliosorum humorum ad cerebrum exhalationem oritur.* Quartum, *tenebrosa & atra oculis obuersantur: flaua namque bilis plenius calefacta, ac vehementer assata, atram exhalationem ceu fumum quendam exhalat, quæ ad oculos translata, turbulentiorem reddit in eis humorem, natura purum ac splendidum. Hanc igitur exhalationem sentiens a cerebro ad oculos permeans visorius spiritus, perinde atque per suffusiones, tenebricosorum atrorumue visa efficit.* Quintum *est labii inferioris agitatio, quæ accidit, propterea quod bilis flaua internam ventriculi tunicam mordicans, intro gulam totam, & ad inferna conuellat. Constat enim ex dissectione, vnam esse omnem hanc tunicam vniuersam continuam per omnia sibi, & toti ventriculo, gulæ, linguæ, palato, & ori. Hæc igitur est, quæ labia agitat ac commouet, quoties ab acriore bile collecta in ore ventriculi gula mordetur ac conuellitur.* Sextum est, *quod saliua multa & tenuis per os defluit. Bilis enim præ sua leuitate in superficie fluitat, eamque ob caussam ad gulam ascendit, & os, fundum ventriculi, eiusque cauitatem relinquens: vt mirum non sit, si tum crebro saliua tenuis & plurima ex ore effluat. Num vero per sudorem, aut vrinæ excretionem morbus iudicetur, ita dignoscendum erit. Vbi iudicio imminente vrina præter rationem supprimitur, vigorem initio iudicatorium exspectare oportet. Quod Hippocrates iis confirmat verbis: Ante vigorem vrinæ suppressiones.* Quod si itaque ex iam dictis signis sciamus, vigorem esse iudicatorium, definiendum subinde erit, qualis ipsum secutura sit excretio, sudor nimirum, aut vomitus, aut alui deiectio, aut horum aliqua, aut omnia. Si enim vrina & aluo suppressis, rigore æger correptus est, sudor multus necessario consequetur. Nam cum serosæ humiditatis in corpore collectæ tria sint vacuationis loca, quia vel per vrinam, vel per aluum, vel per sudorem vacuatur: vt duobus prioribus locis suppressis, per tertium, nempe sudorem, copiose admodum vacuetur necesse est. Si vero sola vrina ante vigorem suppressa fuerit, considerandum tum erit, nunquid ante iudicium plura alui excrementa, aut pauciora prodierint. Si enim multo magis quam antea consueuit fieri, aluus excreuerit, vigor exspectandus non erit, sed cognoscere oportet inclinationem serosi humoris ad aluum factam esse, adeoque vniuersum hunc humorem naturam per aluum excreuisse, vt mirum non sit superuacuis omnibus per aluum eiectis, retentam esse vrinam. Sin pauciora per aluum excreta sunt, inclinationem serosi humoris ad sudoris loca, adeoque cutem factam esse coniiciendum erit, ideoque iudicatorium vigorem sudor subsequitur. Quod si vomitus etiam signa, quæ paulo ante recensuimus, affuerint, per ambas excretiones, hoc est, sudorem & vomitum, æger iudicabitur. Et magis vtique per earum alteram, cuius indicia magis præualuerint. Verbi gratia, per vomitum magis, si illius indicia, sudoris signis præualuerint. Per vtramque æque, si notæ harum æquales quodammodo fuerint. Si autem vomitus indicia haud aderint, tunc post vigorem exspectare tantum sudores oporteret: præsertim si ægrotantes increscente accessione vaporibus sursum elatis delirauerint: exterioresque corporis partes calidiores ac rubicundiores fuerint. Tūc enim humorum ad eas fieri inclinationem ac motum certo monstrabunt, & multo quidem certius, si vapor quidam calidus, qui antea non aderat, per eas partes exhalet. Siquidem is vapor subsequentis sudoris, quasi certus quidam nuntius esse solet. Quod si vero pulsus etiam vndosus fuerit, & insigniter mollis, adhuc magis sudores exspectandi sunt. Quid autem pulsus vndosus, & mollis sit, suo monstrabimus loco. Nihil autem mirum, vndosum pulsum, cum non nisi propter humorum copiam fiat, quemadmodum etiam mollis, sudoris esse certum nuntium. Porro, si humorum ad interiora motus & inclinatio præualuerit, vbi nulla vomitus signa affuerint, per alui deiectionem æger iudicabitur. Si vero vomitus etiam signa affuerunt, & venter insigniter excreuerit, tam per vomitum, quam per deiectionem iudicabitur. Quapropter eius, quæ per aluum fit, excretionis nec manifesta, nec propria signa exsistunt: sed ex eo, quod iudicii quidem adsunt indicia, desunt autem vomitus, profluuii sanguinis narium, & sudoris, colligere licebit

Marginal notes: Vomitus indicia. 1 Cordis morsus. 2. Capitis dolor. 3. Vertigo. 4 Tenebrosa oculis obuersantia. 5. Labii inferioris agitatio. 6. Saliua multa & tenuis. 6. Epidem. sect. 1. Aphor. 9. Sudoris signa. Deiectionis alui signa.

Margin letters: A B C D E F

A licebit. Obseruandum præterea, an plura egerantur, quam ante iudicationem consue- rint. Sic enim significatur illac potius impetum fore, detenta præsertim vrina. Quanquam autem nullum horum signorum adest, potest tamẽ non solum per alui deiectionem, sed per hæmorrhoides, & in mulieribus per menses fieri iudicium. Non est autem difficile, præsertim in mulieribus, definire vtrum per menses, aut alui deiectionem iudicium sit futurum. Si enim insignis lumborũ grauitas, & tensio, & dolor fuerit certum est humorum inclinationem ad vterum esse, ideoque tum iudicium per menses, & minime per alui deiectionem fiet. Quibus hæmorrhoides promanare certis & statis consueuerunt temporibus, in iis non ita facile est distinguere, num per alui deiectionem, B aut hæmorrhoides iudicium fiat, quod scilicet per eundem locum vtraque excretio prodeat, adeoque in ambabus humorum motus ad anum fiat. Aliis autem omnibus, quibus per consuetudinem hæmorrhoides non profluunt, vbi concoctionis & excretionis notæ affuerint, vomitus vero, vel profluuii sanguinis nariũ, vel sudoris defuerint, per ventris deiectionem omnino futurum est iudicium. Num vero ad abscessum vertatur morbus, duplici signorum genere, communibus nimirum & propriis, cognosci potest. Communia autem vocamus, quæ in quamuis partem futurum abscessum ostendunt, quæ quidem triplicia sunt. *Primum*, si æger salubriter se habet. *Secundum*, si sensim & paulatim non soluitur morbus. *Tertium*, si vrina neque multa, neque multam subsidentiam habens, sed cruda ac tenuis mingitur. Cuius rei testis est Hippocrates, qui in C Prognosticis ita scriptum reliquit: *Qui tenuem ac crudam multo tempore mingunt vrinam siquidem alia ipsis salubria signa adsint, iis abscessum ad loca quæ sub hypochondriis sunt, exspectare oportet.* Propria vero appellamus, quæ abscessum ad certam aliquam partem futurum esse denuntiant, quę quidem quatuor sunt numero. *Primum*, spirandi difficultas celeriter incipiens, mox autem rursus desinens, quæ humores quidem sursum versus tendere, adeoque abscessum in supernis sedibus erupturum denuntiat. *Secundum*, capitis dolor & grauitas. *Tertium*, coma, & grauis sopor. *Quartum*, surditas. Hæc enim omnia humorum motum ad superiora significant, & in glandulis post aures futurum abscessum demonstrant. Si vero morbus diuturnus fuerit, neque vllum ex iam dictis quatuor signis apparuerit, sed grauitas, vel tensio, vel inflammatio, vel dolor in infernis corporis par- D tibus fuerit, motum humorum deorsum fieri, adeoque in illis partibus futurum abscessum nuntiabunt.

[Margin: Mensium indicia. — Hæmorrhoidum. — Abscessuũ notæ. — Cõmunia. 1 2 3 — 2. Prog. 34. — Propria. 1 2 3 4]

De diebus decretoriis. Cap. X.

CVm iam abunde, quid iudicium, ac qua ratione prænoscendum, qualeq; futurũ sit, ostenderimus, reliquum est, vt quo die illud sit exspectandum, etiam explicemus. Quod vt præstemus, dierum tum indicum vocatorum, tum decretoriorum, de Hipp. & Galeni sententia rationem & naturam exponamus necesse est. Hippocrates igitur & Galenus decretorios dies ideo nominarunt, quod in iis quid de morbo futurum sit decernatur, in queiis morbus iudicetur. Ex vsu autem & experientia, quod etiam Galenus constantissime affirmat, horum dierum ratio ab Hippocrate inuenta est. Diuturna namque obseruatione, *vt ex Epidemiorum libris constat*, certisque quibusdam diebus E aduersus morbum insurgere naturã explorauit. Ex iam dicta igitur obseruatione Hippocrates tres esse statuit septimanas, quarum duæ priores a se inuicem sunt seiunctæ ac separatæ, tertia contra cum secunda cohæret, & coniuncta est: quapropter postrema secundæ septimanæ dies, tertiæ quoque initium exsistit, adeoque instar duarum priorum integra non est, sed vt integros habeat septem dies, *vt infra fusius dicemus*, sexta maxime diei parte indiget. Quamobrem tres septimanæ non vnum & viginti dies integros, sed minus fere vnius tota dimidia parte cõsequuntur. Atq; hæc septimanarum ratio perpetuo ita est obseruanda, vt semper tertia septimana sex duntaxat integros obtineat dies. Necessarium enim est, vt prima septimana seiuncta sit a secũda, secunda contra cum tertia cohæreat. Si enim prima cum secunda coniungeretur, *xplus* iudiciumue F in decimumnonum: si rursus omnes inter se disiunctę essent, in vigesimumprimum incideret. Hanc vero esse septimanarum rationem ac ordinem, Hippoc. iis verbis in Aphor. diserte docet: *Quartus*, inquit, *dies septenorũ est index. Octauus alterius septimanæ principium exsistit. Est vero & vndecimus cõtemplabilis, ipse enim quartus est alterius septimanæ. Contemplabilis rursus decimusseptimus, quippe quartus est a quartodecimo, septimus vero ab ii.* E qui-

[Margin: Septimanarum in iudiciis morborum ratio. — 2. Aph. 24.]

bus sane verbis perspicuum fit, primam septimanam, diem quartum in duo æqua partiri spatia, ac ostendere quid in septimo futurum sit. Patet itidem, quod alterā septimanam, quæ perinde atq; prima integra est, & cuius initium dies octauus exsistit, vndecimus in duo æqua diuidat, & quid in decimoquarto futurum sit, monstret. Siquidem quartus est alterius septimanæ, adeoq; ita se habet ad postremum secundæ septimanæ diem, qui est decimusquartus, vt quartus ad vltimam primæ septimanæ. Palam deniq; fit excitata Hippocratis sententia, tertiam septimanam sex tantum integros, vt cōprehensum est, dies a prioris septimanæ diebus diductos & separatos, habere. Quare non est per se integra, sed secundæ, vt diximus, copulanda erit: idque nisi faciamus, per quaternarios, vt priores, digeri nequit. Quod innuere volens Hippocrates dixit: *Cōtemplabilis rursus decimusseptimus, quippe quartus est a quartodecimo.* Nam quum inquit, *decimumseptimum diem quartum esse a quartodecimo*, palam fit omnibus, postremum secūdæ septimanæ diem esse tertiæ initiū. Vt igitur in prima septimana dies quartus index est septimi, & in altera septimana vndecimus decimiquarti: ita decimusseptimus, qui est quartus a decimoquarto, index erit vigesimi, qui tertiæ septimanæ vltimus est dies. Etsi itaque Hippocrates manifestis verbis vigesimi diei nullam fecit mentionem: tamen tacite huncipsum esse iudicatorium insinuat, quum a decimoseptimo illum indicari ait. Ad hunc igitur modum in quaterniones Hippocrates primus, & post illum Galenus *libr. 3. prognost. Cōment. 1. & in libris de diebus decretoriis* singulas septimanas digessit. Quaterniones autem illos seu quaternarios sua lingua ἐπιδήλους & θεωρητὰς, hoc est, indices, & contemplabiles, nominauerunt, quod scilicet dies decretorios iudicatorios ue indicēt: & quod in iis, qualis illi futuri sint, Medicus contemplari possit. Ceterū vt studiosi intelligant, qua ratione ceteri indices & decretorii dies vsque ad centesimum digeri queant, schema quod subiiciemus intueantur oportet, in quo septimanarum, quaternionum, indicum, & decretoriorum ordinem vsq; ad centesimum diem perspicue expressimus. Ex eo enim deprehendent, quartum diem ab initio morbi computando, finem esse primi quaternarii, initium vero secundi. *Octauus* autem tertii quaternarii initium est, qui tandem vndecimo die finitur. Is quarti quaternarii initium est, cuius finis decimusquartus est. *Quintus* quaternarius a quartodecimo inchoatur die, eiusque finis decimusseptimus est. Qui itidē sexti quaternarii initium exsistit, cuius certe finis vigesimus est dies. Constat igitur vigesimum diem tertii septenarii, & sexti quaternarii nouissimum esse. Sextæ autem septimanæ quadragesimum, nonæ sexagesimum, duodecimæ octogesimum, & decimæquintæ centesimum. Qui volet, simili ordine ad ducentesimum vsque progredi poterit. Nobis hic subsistere placuit.

Quaternariorum nomina. ἐπίδηλοι. θεωρηταί. Indices. Contemplabiles.

Schema septimanarum, quaternionum, & dierum iudicatoriorum partitionem luculenter complectens.

Septimanæ tres.

Prima IIII. III.	*Secunda* IIII. III.	*Tertia.* III. III.	Quaternarii 1	2	3	4	5	6	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.	Indices.	Decretorii.
4	5	6	7	8	9	10	11	12	4	7	11	14	17	20
7	8	9	13	14	15	16	17	18	24	27	31	34	37	40
10	11	12	19	20	21	22	23	24	Dies 44	47	51	54	57	60
13	14	15	25	26	27	28	29	30	64	67	71	74	77	80
									84	87	91	94	97	100

Ceterum acuti morbi omnes intra quadragesimum diem iudicantur. Qui vero quadragesimum excedunt morbi, omnes sunt diuturni. Iam itaq; dictis dieb. iudicatoriis indicantur morbi, si non quidquam externū, nec internum interuenerit, quod naturam vel concitat, vel in suis motibus impedit. Externa sunt, Medicus, ægrotus, famuli, domus, vicinia, incendium, venti, tonitrua, & alia id genus non pauca. Interna, morbus, eorum caussa, & accessiones. Medicus autē interturbat iudicia, dum ne nihil agere videatur, semper aliquid agit, iam clysterem iniiciens, iam sanguinem mittēs, aut cucurbitulam admouens aut serapia, aut purgationem ministrans, aut vomitum ciens, aut fricans, aut vrinam eliciens: in summa, naturam non quiescere, vt suos motus recte instituere possit, sinens. Turbat etiam naturę ordinem non raro ægri mollities, atque indulgen-

Iudicium turbantia. Externa. Interna.

A indulgentia, aut etiam ferox natura, ac plane rebellis: sicut & ministrorum inscitia, vel negligentia, vel superbia. Sed & alia externa supra commemorata, plurimum in inturbandis iudiciis momenti habent. Præterea, morbus & morbi caussa, sæpenumero prædictum decretoriorũ dierum ordinem subuertunt, ac vt aliis diebus iudicium incidat efficiunt, qui quod indices & iudicatorios intercidant, a medicis intercidentes nominantur. *Intercidentes dies.* Et ii quidẽ a decretoriis natura & vsu distant. Natura, quod decretorii naturæ suæ ratione sint perfecti, & quod omnibus recte factis, nullisq; interuenientibus erratis, solius naturæ motu, nulloque alio impellente, in iis iudicia fiant. Proinde decretorii illi dies, qui per quaternarios ac septenarios digeruntur, maximam vim habent. Contra, intercidentes minus perfecti sunt, nec in iis naturæ motu & impulsu, sed morbi malitia,
B & morbificarum caussarum vehementia, aut aliquo extraneo impellente, iudicia eueniunt. Hinc non inepte a quibusdã prouocatorii, quod scil. in iis natura non sua sponte, sed prouocata & irritata pugnam aduersus noxios instituat, & adoriatur humores, sunt appellati. *Prouocatorii.* Quapropter multo minorem, quam decretorii nominati, vim obtinẽt. Differunt etiam inter se vsu. Nam quaternionum circuitus ad futuri vigoris & iudicii notitiã conducũt. Ad iudicium vero iam factum discernendum, num fidũ aut infidum fuerit, intercidentium cognitio confert. Scire autem fidum, aut infidum fuisse iudiciũ ad victus rationem iis, qui iam iudicati sunt, probe præscribendum non parum momenti habet. Porro naturam quoq; stimulant, & veluti prouocant, adeoq; iudicia prærumpũt (*ita enim Hipp. appellat.*) accessiones ipsæ, efficiuntque vt in imparib. quoq; diebus, tertio *Accessiones. 4. Aph. 36.*
C nimirum, quinto, nono, & id genus aliis diebus iudicia accidant. Cum itaque iudicia plurimum in accessionibus fiant, nihil mirum Hipp. sudores in febribus in imparibus diebus ortos, iudicatorios & bonos esse statuisse. Ita enim in Aphoris. inquit: *Sudores febricitantibus si euenerint tertio die, & quinto & septimo, & nono, & vndecimo, & decimoquarto, & decimoseptimo, & vigesimoprimo, & vigesimoseptimo, & trigesimoprimo, boni sunt. ii enim sudores iudicant morbos.* Hæc ille. Ceterum nõ est hoc loco nec Asclepiadi, nec Celso *lib. 3. c. 4.* assentiendum, qui Hipp. aliosq; veteres Pythagoricis numeris falsos esse tradũt. *Asclepiadis & Celsi error.* Neque enim id priuilegii elogiiq; iam dictis diebus Hippocrates & post hũc Gal. Hippocraticæ sectæ acerrimus defensor, numerorũ quodam studio & amore ascripserunt, vt illi existimauerunt: nec quia pares imparesue sint: sed quia non modo id vsu, qui plu-
D rimum hic valet, iis diebus ita respõdere, verum etiã ratione ab astris cœloq; dimanare compertum habuerũt, vt alii morbi paribus, alii vero imparibus salubriter & mouerentur, & finirentur. Quare tantum abest, vt Pythagoricos numeros sectati sint, vt Gal. subinde mirari se dicat, Pythagoram virum alioqui tam sapientem, numeris tãtum tribuisse. *Lib. 3. de diebus decretor. c. 8.* Quod si Celsus nõ ignorasset, nec Hipp. nugari, nec sui dissimilem esse, nec a numeris Pythagoricis deceptum asseuerasset: nec Asclepiadem, quem paulo ante dixerat vicem exhibuisse tortoris, Hippocrati, quem postea omnis medicinæ parentem esset appellaturus, temere ante tulisset. Sed vt intelligant studiosi, quod non numerus, sed potius Luna, quæ terrena immutat, auctor sit iudiciorum, & quod motuũ circuitus ad hos numeros veniant, nõ pigebit ea de re breuiter Gal. *in tertio de dieb. decretoriis lib. c. 2. 3. 5. &*
E *6.* exponere sententiam. *Ratio decretoriorũ dierum e lunarii cursu desumpta.* Prima omnium, quæ fiunt, principia duo sunt, nempe q. Græcis ἄτακτον, Latinis *inordinatum*, dicitur, & quod ordine ornatuq; semper procedit, ἐν τάξει καὶ κόσμῳ φερόμενον ἀεὶ, Gal. nominat. Illud ex hac mundi materia proficiscitur, hoc e cœlestibus originem ducit. Cœlestium autem Sol veluti rex quispiam maximus est, qui hunc orbem exornat, & concinne disponit, qui & presens diem, & absens noctem, & altus æstatem, & humilis hyemem, & mediocriter obliquus vtrunq; solstitiũ efficit. *Sol.* Luna vero vt princeps non mediocris, inter illum & nos medius constitutus, terrestrem regionem merito gubernat, reliquos planetas non potentia, sed vicinitate superans, & cuiusque mensis dies disponit, ex Solis aspectu mutandi facultatem consecuta. *Luna.* Cum n. suapte natura opaca sit, nouum sortitur lumen, quum sole primum fruitur, tantaq; eius portio il-
F lucescit, quantam Sol aspicit. Quapropter suo ad Solem accessu & recessu varias accipit figuras, & nunc surgat in cornua seu falcata sit, nunc æqua portione diuisa, διχότομον Græci appellant. nunc gibbosa, nunc plena, πανσέληνον vocant Græci. *Lunæ figuræ octo.* Dein iterum gibbosa, æqua portione diuisa, surgens in cornua seu falcata sit, coiens tandem sub solis lumine fertur, quæ & *Silens* dici solet, quod tum tota obscuretur, ac lumine vacua sit. Omnia ve-

ro, quæ facere nata est, vbi falcis figurã repræsentat, languida fiunt: inualescunt, quum A
plena fuerit. Surgit autem in cornua, vbi sexaginta partes abest a Sole: diuisa æqua por-
tione, quum nonaginta gibbosa, cũ centum & viginti plena, vbi centum & octoginta.
Rursus fit gibbosa, vbi centum & viginti: diuidua, quum nonaginta: surgit in cornua,
1 cum sexaginta: tandem coit cum sole. Vt in vniuersum Lunæ figuræ sint octo. *Prima* est
in sexangulo mundi schemate, siue vt hodie loquunt, in aspectu sextili, die fere quar-
2 3 to *Secnnda* in quadrangulo schemate, siue aspectu quadrato, die septimo. *Tertia* in trian-
4 gulo schemate, siue aspectu trino, die vndecimo. *Quarta* in diametro siue oppositione,
5 6 die decimoquarto. *Quinta* in eodem cum tertia schemate, die decimoseptimo. *Sexta* in
7 8 eodem cum secũda schemate, die vigesimo. *Septima* in eodm schemate cum prima, die
vigesimo quarto. *Octaua* in coniunctione, die 27. vt ex sequenti figura liquet. B



C

Ex hoc schemate perspicuum euadit, quod Luna signiferi circulum, quem zodiacum nominãt, totum diebus vicenis septenis, & triente, hoc est, tertia vnius diei parte, quæ constat horis octo, pertransit. Hoc quidem spatium in se complectitur quatuor septimanas, hincq; adeo mensis peragrationis dicitur, quarum tamen nulla integros septem dies habet, sed vnicuique quatuor desunt horæ, hoc est, sextans diei. Singulæ itaque senos dies cum horis viginti continent. Qua quidẽ ratione tres septimanę pariunt dies viginti cum horis duodecim. D Quum igitur Galenus animaduerterat, tres mensis peragrationis septimanas diebus viginti & media alterius diei parte hoc est, horis duodecim, compleri, adeoque non magis ad vicesimum, quam vicesimum primum, referri posse, hoc mense relicto, ad eum qui illuminationis aut apparitionis nominatur, confugit. Quia vero hunc quoq;, quod Luna non semper æquali dierum numero, post coitum cum sole delitesceret atque occultaretur, parum certum ac stabilem reperisset, & eo repudiato tertium mensem ex duobus prioribus compositum, quem ob id medium nominauit, confingere coactus est. Præter iam dictos est etiam alius mensis, quem coitionis siue coniunctionis appellat, qui itidem vt priores quoq; tres, nihil ad intelligendam Hippocratis de diebus iudicatoriis sententiam, eorundemq; rationem reddendam confert, E *vt plenissime sect. 2. Aph. com. 24. demonstrauimus*, vbi etiã ordine & perspicue quatuor horum mensium rationem explicauimus. Optimum igitur erit, vt dierum iudicatoriorũ rationem Hippocratis, quam Galeni & aliorum veterum obseruatio & experientia comprobauit, ac certam esse deprehendit, sequamur. Multo enim commodius est, in expultricem noxiorum facultatem, in morborum impetum atq; motum, in noxiorum humorum substantiam, modum, qualitatem, copiam, in naturæ morborum medicatricis vim ac potestatem, deniq; in arcanam & abditiorẽ quãdam sympathiam & consensum, hos decretorios naturæ incertis & statis dieb. motus, quam in astrorum aspectus & influxus referre. Quod quũ docte & copiose Franciscus Valleriola *lib. 3. suorum locorum communium, cap. 7.* ostenderit, F rationibus firmissimis Astrologorum vanas ac futiles nugas confutauerit, non est cur longior hic esse velim aut debeam. Quæ sane omnia nobis pluris facienda sunt, quam ea quæ e lunari cursu sumta est ratio, præsertim cum non sit admodum exquisita, & hodie etiam ab Astrologis multis cauilletur: quanquam

Mensis peragrationis.

A quanquam neque ea, quam ipsi afferunt, eiusmodi sit, quæ nõ fallat ea vtentes. Præstat itaque, reiectis omnino incertis iis rationibus, vni Hippocratis aliorumq; veterum medicorum obseruationi & experientiæ fidem habere, quam vanis Astrologorum commentis aurem præbere, quæ diutinam illam obseruationem peruertunt, & legitimum dierum decretoriorum ordinem perturbant, medicosque ad falsissimas & superstitiosas supputationes, a certissima obseruatione & experientia ipsa traducunt. Quum potius eam iudicatoriorum dierum rationem, quæ in schemate ab hinc altero a nobis est expressa, veram & legitimam esse, contra autem vana esse de iis Astrologorum dogmata, & cum experientia prorsus pugnantia, sibi persuadeant. Nobis valde hoc Leonidæ Astrologorum vanitatem notantis arridet: Astrologorum de iudicatoriis diebus figmenta fugienda.

B

Μάντιες ἀστερόεσσαν ὅσοι ζητεῖτε κέλευθον.
Ἔρροιτ᾽ εἰκαίης ψευδολόγοι σοφίης.
ὑμέας ἀφροσύνη μαιώσατο, τόλμα δ᾽ ἔτικτε,
Τλήμονας, οὐδ᾽ ἰδίην εἰδότας ἀκλείην.

Vatum sidereos quisquis scrutare meatus,
Dispereas, mendax non nisi vana sonas.
Obstetrix tibi stultitia est, audacia mater;
O miser, & proprii non bene gnare probri.

Quæ sint notæ mortis citra iudicium futuræ. Cap. XI.

C HActenus de iudiciis pro instituti ratione satis multa diximus. Nunc quæ sint mortis citra iudicium futuræ indicia exponemus, quorum sane hoc primum & maximum, præsertim in lethalibus morbis, signum est, virium imbecillitas. Neque enim natura ita prostrata, viribusque suis destituta, ad pugnam aduersus morbum consurgit. *Alterum*, si nullum, vel minimum saltem concoctionis adsit indicium. *Tertium*, si magnus ac malignus fuerit morbus, celeriterque mouebitur. Fieri enim nequit, vt si malignus sit morbus, viresque imbecillæ, vt morbus concoquatur, adeoque iudicium sequatur. Tres autem sunt omnes eorum, qui citra iudicium moriuntur, modi. *Primus* quidem in accessionum inuasionibus fit. Siquidem plurimi tum moriuntur, idque propter magnitudinẽ phlegmones principem aliquam partem obsidentis: vel humorum multitudinem, crassitiem ac tenacitatem, qui spiritus meatus veluti obturant: vel propter repentinum humorum ad interiora motum, qui naturam veluti suffocãt & exstinguunt, haud secus, quam si quis viridium lignorum copiam confertim flammæ iniiciat. *Alter*, in vigore accidit, natura a vehementia accessionis, & morbi violentia superata. Qua quidem de caussa etiam in augmento accessionũ, quod tamen rarius accidit, moriuntur. Quippe tum quoque a vehementissimo morbo natura vincitur, & plane succumbit. *Tertius* modus in declinationibus accessionum accidit. Plurimi namq; in particularibus accessionum declinationibus moriuntur. Quod quum nonnulli vident, fieri etiã posse, vt in vniuersali declinationis tempore aliquis moriatur, arbitrantur. Quod tamen minime verum est, quandoquidem vigore præterito natura morbosas caussas iam concoxerit ac deuicerit, alioqui morbus non declinasset: vt itaque quis, vbi natura

Mortis citra iudiciũ notæ. 1 2 3 Tres modi mortis eorum qui citra iudiciũ moriuntur. 1 2 3

D

E morbum superauit, vi morbi moriatur, fieri nequit. Moriuntur tamen interdum in vniuersali declinatione ægrotantes, atqui erroris, non morbi ratione. Quod vero in declinationibus accessionum moriantur, nequaquam mirum videri debet. Imbecilla enim virtus tempore principii, augmenti, & vigoris ipsius accessionis sufficere potest, quod tum adhuc sit veluti compressa, constricta, & vnita. Declinationis autem tempore, quum calor rursus a medio corporis ad extrema mouetur, discutitur ac dissoluitur habitus corporis, haud aliter quam vbi virtus nimio gaudio laxata exteriora petens dissipatur.

Mortis dies & hora vt præcognoscenda. Cap. XII.

F MOrtis quidem dies præcognoscitur, vbi quando morbus naturam superet, considerabimus, & grauiores accessiones inspexerimus. Si enim morbus plurimum superauerit, & parum admodum vis naturæ resistere videatur, mors haud diu aberit. Si vero contra acciderit, vt morbus quidem virtutem superet, non tamen plurimum, & virtus admodum resistat, tardius mors sequetur. Sed demus excessum illum, quo morbus naturam superat, esse satis magnũ, quomodo tũc scire poterit Medicus, num mors Mortis dies vt prænoscenda.

Mortis hora. vnum diem, vel duos prorogetur? Ex accessionum vtique circuitibus. Nam quo die futura est accessio, eo etiam morietur æger. Porro qua diei hora mors eueniet, facile dignosces, si quo morbi tempore moriatur æger memineris. Nam qui per accessiones affligunt morbi, in principio, quando materiæ multitudo, & crassities ad interiora mouetur, occident, quod scil. hoc tempore natiuus calor suffocetur. Si vero eo tempore magis infestent accessiones, quo iam ad exteriora morbus vergit, in augmento, vel vigore, nempe quando morbus vehementissime molestat, ægrotus morietur. Quod si ex dissolutione mors continget, ea in declinatione exspectanda. Quapropter eos, quos deterius afficit prima accessionis pars, per febres, quæ cum rigore infestant, in ipso frigore mors excipit. Qui autem grauius habent, quum calor affligit, in ipso augmento, vel vigore accessionis moriuntur. In quibus vero emanant sudores perniciosi, aut per insensilem transpirationem corpus discutitur ac dissipatur, in illis vbi calor se remittit, mors accidit. Quod si accessionis tempora obseruentur, quonam die quaue nocte accessio grauior ac maior fiat, & qua eiusdem hora grauius molestet, facile mortis hora prædicetur. Ea enim die aut nocte, qua maior est accessio, ægrũ perimet, & in ea accessionis hora, in qua antea per alias accessiones illum grauius afflixit. At si morbi per accessiones non vrgent, certius nihil sciri potest, nisi quod ea hora exspectanda mors est, in qua æger grauius se habere consueuit, & deteriora illi affuerunt symptomata. Sed de iudiciis satis. Cum vero in hoc tertio libro tractentur ea maxime, quæ ad prædictionẽ pertinent, nihilque sit, quo hodie magis ad præsagiendum vtantur Medici, vrinæ inspectione, vt de ea quoque, quantum instituti ratio fert, disseramus, necesse est.

DE VRINIS. SECTIO III.

Quid vrina, & quis eius vsus. CAP. I.

Vrina quid. CVm de vrinis tractandum hoc loco sit, principio *quid vrina sit*, vt explicemus oportet. Vrina itaque *non est nisi sanguis aut humorum serum in caua vena contentum, & a renibus attractum, atque hinc per vrinarios meatus in vesicam delatum.* Vel breuius, *vrina est sanguinis colatura, siue seriosior eius pars a renibus attracta.* Vt hinc omnibus perspicuum euadat, de iis quæ in iecore, vasis, renibus, vesica, ac meatibus vrinariis sunt, nullum plane neq; manifestum, neq; euidẽs haberi signũ, præter solam vrinam. Proinde ad iudiciorũ dignotionem & prædictionem, quandoquidem cõcoctionem aut cruditatem eorum, quæ in vasis continentur, ostendat, summe conferre solet. Vt non temere Galen. *de Vrinis lib. 1.* iudiciorum tractationem instituerit. Quapropter reprehensione digni sunt, quotquot in vniuersum vrinarum inspectionem atque cognitionem tanquam incertam & inutilem damnant. Hac enim ratione non tantum Hippocratem & Galenum, qui multis in locis harum mentionem faciunt, tanquam eos, qui rem nullius vsus toties attigerunt, & interdum ex professo tractarunt, irrident, sed & rationi ac experientiæ aduersantur, quæ vrinarum inspectionem plurimum in nonnullis morbis momenti habere testantur. Atqui iam dictis non minus reprehensionem merentur magna nostri temporis medicorum pars, qui nullum non morborum genus ex vrina cognosci posse censent. Nisi enim hanc peruersam & risu dignam opinionem induissent, non ex vrina, tanquam olim ex tripode, de singulis corporis malis respondere in animum induxissent. Valde autẽ inepti sunt, qui ex vrinæ inspectione omnia prædicere conantur, quod scilicet inscitiam aut verius stultitiam suam hac ratione omnibus planam faciant: eruditis primum & intelligentibus, vt qui eorum duntaxat quæ in iecore, vasis, renibus, vesica, & vrinariis meatibus sunt, vitiorum notam esse vrinam sciant. Vt itaque merito ridentur, qui ex sputo de iis malis, quæ renes vel vesicam infestant, pronuntiant: ita certe ii quoq; risu omnium digni sunt, qui ex vrina de thoracis vitiis certi aliquid prædicere nituntur. Plebeis etiã pulcre se ridendos exhibent, dum non raro ea ex vrinæ inspectione diuinent, aut certo etiam affirment, quæ sciunt esse vanissima. Proinde qui pertinaciter hodie etiã sibi persuadẽt, nihil non ex lotii inspectione cognosci posse, adeoq; imperitæ multitudini hac ratione spe lucri, parum certe liberalis, imponere in delitiis habent, ii certe digni sunt, vt nouo etiam aliquo elogio ornentur, & nõ vt olim ab Aristophane σκατοφάγοι: hoc enim epitheto auaros & indoctos olim medicos ille dignatus est: sed potius οὐροπόται appellent, & rectissime etiã in hos ipsos torquebitur vsitatũ vulgò cõuitium:

Quorũ vrina nota sit.

Error eorũ, qui vrinæ inspectionem prorsus cõtemnunt.

σκατοφάγοι. οὐροπόται.

Stercus & vrina, Medicorum fercula prima.

Quare

A Quare eos qui veritatis amantes ſunt, artemq; ſine ignominia exercere volũt, hortamur, vt legitimum vrinæ inſpiciendæ vſum iterum introducere adnitantur, nec aliorum more illa ad ſordidum quæſtum abutantur. Quod facient, ſi ex illa tanquam tripode deinceps vaticinari deſinent, & pro nota duntaxat vnica, & non quidem omniũ, ſed eorum, quæ in iecore & vaſis ſunt, malorum corporis, vtantur. Reliquos impoſtores ac ſtupidos aſinos, qui pluris ſordidum quæſtum, quem quotidie ex lotii inſpectione ac diuinatione, cum ſumma ignominia coniuncta, faciunt, quam veritatẽ ipſam æſtimant, nihil moramur, vtpote quos ne Muſæ ipſæ, vt alicubi Galenus dixit, ſanare poſſint. Ad coruos igitur eant, qui ex lotio de omnibus omnium partium affectibus ſeſe certa pronuntiaturos temere iactitant, & hac impoſtura præſtantium Medicorum nomen ſibi

B falſo arrogant, miſeriſque ac ſimplicibus hominibus fucum faciunt, quum venoſi tantum generis, partium iecoris, renum atque veſicæ, vrinam indicium eſſe certiſſimum conſtet, aliorum minime. Quod autem seroſi humoris pars, ὄχημα τροφῆς Hippocrates, id eſt, *vehiculum nutrimenti*, vocat, ſanguinem craſſiorem in anguſtiora loca deducat, Galenus *lib. 4. & 5. de vſu par.* fuſiſſime docet.

Quot in vrina conſideranda, & qua ratione illa ſit inſpicienda. CAP. II.

CVM in vrina inſpicienda quatuor potiſſimum ſint conſideranda, nempe color, cõſiſtentia, quantitas, & contenta, danda opera erit primum ægrotanti, vt hanc legitimo tempore colligat, perfecta nimirum iam concoctione. Citius enim ſi colligatur, nulla in ea contenta, vtpote quæ tertiæ concoctionis ſint excrementa, erunt. *Dein*, vt v-

C niuerſum colligat, vt ſcilicet de ſingulis perfecte Medicus iudicare poſſit. *Tertio*, vt illam deferri primo quoq; tempore ad Medicum curet, nec vltra ſex horarum ſpatium id facere cunctetur: alias enim eius ſignificatio minus certa erit, color enim mutabitur, ſubſidentia diſſoluetur, conſiſtentiaq; immutabitur. Medico autem hæc cura incumbit, vt matulam, in qua vrina colligitur, aptam & idoneam habeat. Talis vero eſt, quæ non e viridi, ſed vitro potius albo & tenui conſtat, quod nimirũ in ea colores cum conſiſtentia vrinæ exacte appareant, quod in viridi haud fit. Non nimium quoq; pateat, ne quem locum altitudinis contenta obtinuerint, non recte diſcernatur. Præterea non ſit inferna eius pars nimium lata & plana, ſed deorſum extumeſcens, vt in ea commode contenta ſubſidere poſſint: nec minus arcta, vt ſcilicet contenta in ſe recipere queat. Dein Me-

D dico de vrina pronuntiandum prius non erit, quam in matella integre reſederit. Citius enim de illa iudicare ſi perrexerit, de cõtentis nihil erit quod cognoſcere poſſit. Quin etiam priuſquam omnia quæ in vrina conſideranda veniunt, contemplatus fuerit, vrinam vehementer non mouebit. Hoc enim niſi cauerit, multa in ea tranſponentur, & contenta concuſſa vi, proprias ſedes deſerent, ac bullæ rumpentur. Locus præterea, in quo vrinam inſpiciet Medicus, nõ ſit obſcurus, aut nimis lucidus. Hic enim vt remiſſiores ſint colores efficit, ille vero non parum de coloribus tollit, neq; vt plene intueri queant, prohibet. Magno deniq; ſtudio cauebit, tum Medicus, tũ ęger, ne vrina vento perturbetur, aut frigore congeletur, aut ſaltem immutetur, donec ſeparatio contentorum in vrina fiat. Vt vel hinc etiam pateat, quam imperiti ſint, & impoſturæ prorſus dediti,

E qui hodie ex vrinis aliunde allatis, ſæpenumero triduanis, & inclementia aeris, ac crebra motatione vehementiſſime perturbatis, tamen proterue nullaque pręmiſſa eius rei præfatione atq; admonitione, iudicare, & tanquam in ea omnia, veluti in ſpeculo quodam appareant, magno ſupercilio pronuntiare audent.

Vrina quãdo colligenda.

Quando ad Medicum deferenda.

Qualis eſſe debeat matula.

Quando Medico de vrina pronuntiandum.

Vrina non vehementer mouenda.

Vrina quo in loco inſpicienda.

Vrina ne ab ambiente immutetur.

Vrina in omnibus mediocris Medico primum cognoſcenda. CAP. III.

QVI in vrinarum iudicio & inſpectione ſe exercitari cupit, huic neceſſarium erit, vt primum omnium mediocrem & optimam vrinam, ad quam omnes reliquæ, tanquam ad regulam & normam atque amuſſim, ſunt comparandæ, ſæpenumero intueatur. Niſi enim quis initio ſaluberrimam & optimam vrinam, veluti ſcopum quẽdam in quem perpetuo intentus ſit, & ad quam omnes reliquas exigat, ſibi ob oculos ponat, vt

F de reliquis, quę a mediocri illa recedunt, recte iudicet, fieri non poteſt. Optima itaq;, & hominis in omnib. temperati vrina eſt in ſubſtantia mediocris, ac quantitate potioni, q̃ aſſumta eſt reſpondet, colore ſubrufa, & ſubflaua, ſedimento albo, leui, & æquali. Nulla in ea innatat bulla, nihil ineſt capillis aut ramentis ſimile, & huiuſmodi generis. Quẽadmodum igitur regula & amuſſis quũ adhibetur, vt ligna, curua, obliqua, & diſtorta ſunt

Optima & ſaluberrima vrinæ quæ.

ostendit: ita vrina, quæ ex omni parte mediocris est, eam, quę magis vel minus a mediocritate declinauerit, demonstrat. Sæpius igitur, vt commemoratum est, vrina hæc optima, & per omnia mediocris, vrinæque sanorum simillima, nouitio Medico inspicienda erit, vt scilicet, quum aliquam ab hac ipsa declinasse viderit, statim ab optima & exquisita sanitate hominem hunc cecidisse statuat ac pronuntiet. Non temere vero adiectum est, *ab optima & exquisita*: quod nimirum hic non de ea, quæ latitudinem habet, sed de ea, quæ summa & inculpabilis est, sermo fiat, quæ vtique vrina ceterarum veluti scopus aut norma est, ad quam perpetuo sunt referendæ. A

De colorum in vrina differentiis. CAP. IV.

CVM quatuor potissimum esse, quæ in vrinarum inspectione consideranda sint, ex iis quæ paulo ante diximus, satis constet, ac inter ea primum occupet locum color, ordinis ratio postulare videtur, vt hoc loco colorum differentias exponamus. Præcipuorum autem in vrina colorum sex sunt differentiæ, *albus* scilicet, *pallidus*, *rufus*, *flauus*, *ruber & niger*. Si qui vero reliqui sunt, sub iam dictis comprehenduntur. Alba enim vrina varias alias sub se cōplectitur species. Inter albas enim est, quæ crystallina, quod crystallo similis sit, dicitur. Item niuea, quæ fere niuis candorem refert. Aquea, quæ aquæ similis est. Atque hæ quidem tres vrinæ intensæ sunt albedinis. A summe alba parum recedunt lactea, glauca, & charopa. Lacteam vero appellant Medici, quæ lacti assimilis est. Glaucam, quæ veluti cornu pellucida exsistit. Charopam, quæ subalbidis cameli pilis, aut vngui vocato lapillo similis est. Post albam vrinam *subpallida*, quam nonnulli *subspiceam* nominant, subsequitur. Cuius color similis est aquæ, cui spicei aut subpallidi humoris aliquid admistum est. Proxima huic est pallida, quam alii *spiceam* appellant. Hæc apparet, vbi plus bilis serosæ humiditati misce-tur. Quum autem concoctio processerit, tum plus tincturæ accedit, & fit subrufa, quæ non puro auro similis est. Post hanc vrina est rufa, quæ auro puro similis est, alioque nomine aurea dicitur: Græci πύῤῥον nuncupant. Rufam sequitur subflaua, quæ aquam repræsentat, in qua cnici seu cartami flos dissolutus est, aliisque subcrocea vocatur. Post eam est *flaua*, quam Gręci ξανθὸν, Latini nonnulli *croceam*, quod referat aquam, in qua croci Corycei flos dissolutus est, appellant. Hanc subrubea comitatur vrina, quæ Armenici boli, aut verius Lemnii sigilli colorem exprimit. Deinde rubea, quā Græci ἐρυθρὸν, quod colorem rubeum, qui in malis, cerasis, & id genus aliis fructibus est, præ se ferat, nominant. Iam memoratæ succedit vinea appellata vrina. Hæc nomen a vino nigriore accepit, iecorisque plane colorem refert. Passea seu cyanea intensior est vinea, passoq;, quod ex vua nigra decocta fit, maxime similis est. Vel certe cerasi fructus, qui ad nigrorem declinat, colorem præ se fert. Veneta siue fusca est, cuius color ex puro albo & nigro æqualiter confusis natus est, qui *brunus* vulgo dicitur. Et si plane qualis venetus color sit, sensu nosse velis, cerussam, vel lectissimam calcem, vel aliud simile atramento, vel pici, vel bitumini æquis partibus misceas. Viridis vrina est, quæ colorem brassicæ, aut graminis, aut Smaragdi lapidis repræsentat. Liuida, quæ plumbi colorem refert. Nigra, quæ exstincti carbonis colorem obtinet. Oleacea, quæ colore oleo similis est.

B — Colorum vrinæ sex præcipuæ differētiæ. Alba vrina. Crystallina. Niuea. Aquea. Lactea. Glauca. Charopa. Subpallida. Pallida. Subrufa. Rufa. — C — Subflaua. Flaua. Subrubea. Rubea. — D — Vinea. Passea. Veneta. Viridis. Liuida. Nigra. Oleacea.

De iis, quæ vrinæ colorem mutant. CAP. V. E

HActenus omnes vrinæ colores breuiter admodum exposuimus: nunc ne quis de illis temere iudicando erret, quandoquidem in sanis etiam non raro de caussa leuissima mutentur, mutationis eorundem caussas, quæ sane multæ sunt, percensebimus.
1. Prima est cibus ingestus. Is enim si corpori oblatus non probe transmutatur & conficitur, nec in sanguinem vertitur, similem sibi colorem vrinæ reddit: idque iis euenire solet, qui præter naturam sunt affecti. Nonnunquam etiam iis, qui secundum naturam se habent, idipsum accidit, vbi scilicet cibi aliquo adscititio colore infecti similem sibi colorem vrinæ efficiunt, quemadmodum fit, vbi oleribus vescuntur. Idem contingit, si
2. medicamenta colore aliquo infecta assumantur, quale est rheum barbarum vocatum. *Altera* caussa, cur vrinæ color mutetur, potio exsistit. Retinet enim magna ex parte vrina eorum colorem, quæ in potione hausimus. Si enim aquam, aut vinum album & tenue affatim biberimus, alba quoq; & tenuis vrina erit: sin crassum & nigrum fuerit vinū, F
3. nigrior & crassior erit. Tertia caussa mutationis coloris, qui in vrina apparet, colliquatio eorum est, quæ in corpore sunt. Siquidem vrina nunquam non earum partium, quæ

Mutationis colorum vrinę caussæ.

A in corpore liquescunt, pinguedinis præsertim, adipis & similium colorem monstrat. Id quod iis verbis in Epidemiis significare voluit Hippocrates, inquiens: *Vrina eiusdem cũ cibo & potu coloris, & veluti colliquatio est humoris, qui in corpore continetur.* Quartum est sexus & ætas, quæ nõ parum vrinæ colores immutant. Iuuenum enim vrina est subrufa & subflaua. Senum tenuis & alba cum exigua subsidentia ad cruditatem declinante, q senum ætas, quantum procedat, tantum ad frigidum declinet. Quapropter innatus calor in iis marcescit, coctioque minuitur. Puerorum vt parum recedunt a subrufis & subflauis, ita substantia parum excellunt iuuenum vrinas, plurimamq; subsidentiam habent. Nam horum calor natiuus multus est, multa quoq; ingerunt. Quantũ procedit ætas, tantum color intenditur, subsidentia vero minuitur. Mulierum, quę temperatę sunt, iuuentæq; B vigentis, parum a subrufa & subflaua versus albam declinant, consistentia tenues sunt, & subsidentiam coactam magis quam virorum habent. Calor enim iis natiuus, virorum respectu exiguus, debilis in illis concoctio & excrementorum copia. Labore præterea & otio vrinam mutari accidit. Nimio enim labore & exercitio vrina subflaua, & demũ flaua fit, propter motum, qui calefacit, & bilem in corpore procreat. Otium & quies, albam reddunt vrinam. Somnus quoq; & vigilia, vrinæ colorem mutant. Qui enim per naturam dormierunt, minus albam vrinam mingunt, & subpallidam exsistentem. Nec temere adiectum est, *Per naturam*: qui enim ex affectu aliquo dormiunt, lethargo nimirum aut comate, eorum vrina albicat. Eorum, qui vigilant, vrina ad album, & aqueum vergit. Vigilia enim cruditatem, *teste Hippocrate*, efficit. Inedia quoq; vrinæ colorem mu- C tat. Nam qui ieiunarunt, horum vrina fit flammea & flaua. Contra eorũ, qui plurimum comederunt, adeoq; cruditatem contraxerunt, vrina est alba. Coitus certe vrinam pinguiorem reddit. Sunt & alia præter ea, quæ iam dicta sunt, quæ vrinam immutant, vt vacuatio, timor & alia, quæ commemorare nihil attinet.

6. Epid. sect. 5. Aphor. 15. Sexus & ætas vrinę colorem mutant. Iuuenum vrina. Senum. Puerorũ. Mulierũ. Laboris & exercitii. Otii & quietis. Somni. Vigiliarũ. 2. vict. acu. aph. 59. Ieiunii. Coitus.

De consistentia vrinæ. Cap. VI.

EXpedito primo, quod in vrina contemplanda consideratur, alterum, nempe consistentiam, aggrediamur oportet: quæ quidem triplex est, crassa, mediocris, & tenuis. *Mediocris*, quæ neq; crassa, neq; tenuis, sed in harum medio exsistit. *Tenuis* aũt, quæ a mediocri crassitudine discessit, & nõdum in liquoris naturam abiit, necdum reuera vrina, D sed potius aqua est, dicitur. Hæc enim reuera vrina est, quę concoctionis eius, q̃ in venis fit, excrementum exsistit, adeoq; substantiam, & colorem conuenientem obtinet. Eius autem duæ sunt differentiæ. Quædam n. tenuis, & pura excernitur, ac posthac semper talis permanet. Altera vero tenuis quidẽ mingitur, at paulo post perturbatur. Est autem vtraq; cruda, ac concoctione vacat. Differunt autem, q prior nondũ cœpisse cõcoctionem, atq; adeo summã cruditatẽ significet, altera vero iam cœpisse denotat. Nec n. alia de caussa conturbatur, nisi quod flatuosi cuiusdam spiritus copia seroso liquori permisceatur, veluti musto iam feruenti accidit. Nam idipsum feruens iam perturbatur, adeoque concoqui incipit. Quapropter praua quoq; hæc altera vrina exsistit, quoniam longiori tempore, & forti virtute ad concoctionem indiget. Crassa vrina est, quę iusto crassior est, & a mediocri crassitudine recedit. Eius itidem duplex est differentia. Quædam E enim crassa & perturbata mingitur, paulo post autem residet, ac tenuatur. Hæc quidem bona est, propterea quod parum adhuc perturbationis superesse demonstrat. Quippe quando flatuosus spiritus humorẽ perturbans separatur, tunc humor ipse clarus redditur, vt necesse sit in ea vrina, quę statim postquã micta est, subsidet, non multum perturbationis inesse. Quædam vero contra, vt micta est crassa, talis subinde permanet. Hæc quidem bona etiam exsistit, sed non perinde atq; prima. Nam vigere adhuc eam, quę in sanguine est, agitationem & perturbationem ostendit. Vtraque igitur bonam significationem de se præbet. Prima, quod non ita multo post morbum concoctum iri ostendit. Siquidem crassiorum humorum quidem ebullitionem, & agitationem, sed tamen na- F turam incipere iam eorum secretionem indicat. Secunda, quia non omnino cruda est, quandoquidem ex vigente perturbatione fiat.

Triplex vrinæ cõsistentia. Mediocris. Tenuis. Eius differentiæ. Crassa. Differentia eius.

De differentiis locorum contentorum in vrina. Cap. VII.

COntenta vrinarum, quæ Græcis παρυφιστάμενα dicuntur, propterea quod in qualibet altitudinis corporis vrinæ parte consistant ac contineantur, trifariam diuiduntur: Contẽta.

vt enim altitudo corporis vrinę trifariam diuiditur, in fundum scil. matulę, superficiem, A
supremamue regionem, & vtrarumq; harum extremitatum medium: ita etiam tria cõ-
Nubecula. tentorum genera exsistunt. *Primum*, quod in summa vrinæ superficie natat, Græcis νεφέ-
λη, Latinis *nubes* & *nubecula* vocatur: metaphora a terra desumta, a qua nubes & nebulæ
Subsidentia. summe secedunt. *Alterum*, quod in fundum matulæ concedit ac descendit, Græcis ὑπό-
στασις, ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, hoc est, *subsici*, Latinis *subsidentia*, *sedimentum* & *subiectum* nominatur.
Sublime. Tertium, quod æquis spatiis ab vtrisq; extremis discedit, & in medio altitudinis consi-
stit. Græcis ἐναιώρημα, Latinis *sublatio*, *suspensio*, *sublime*, *sublimamentum* vocatur. Iam enu-
merata, hæc figura clarius oculis subiiciet.

B



C

D

Fundum matulæ.

Expeditis iã vrinę colorib. cõsistentia, & cõtentis, reliquũ est, vt singulorũ significa-
tiones ostẽdamus, quo illis ad p̃dicendũ Medicus cõmode vti possit, a colorib. ordiẽtes.

Quid ex vrinæ coloribus sit prædicendum. CAP. VIII.

Albæ vrinæ significationes. ALba vrina cruditatis nuntia exsistit, ac cõcoctricis facultatis imbecillitatem signi-
ficat. Quod si multa sit, maxime in sanis, multam vini, præsertim exilis, tenuisue, &
oligophori, potionem indicat. Alba præterea vrina, frigidam iecoris intemperaturam,
& magnam in vrinariis meatib. obstructionem nonnunquam ostendit. In acutis febri-
bus, non raro delirium, aut phrenitim, bile nimirum ad cerebrum delata, portẽdit. Hu-
mor siquidẽ tingẽs, vrinamq; inficiens, nõ est, nisi bilis: ea itaq; ad cerebrum transmissa, E
4. Aph. 71. alba fit vrina est necesse. Hinc est, quod Hippo. in Aphorismis scriptum reliquerit. *Qui-
bus vrinæ perspicuæ & albæ sunt, malæ, præsertim vbi in phreniticis apparẽt. Quo vero magis albus*
Crystallina. *color intenditur, eo peior est existimandus*. Porro vbi est crystallina & aquea, omnimodã na-
turæ cruditatẽ a frigiditate ortam, aut obstructionẽ maximã, præcipue meatuũ vrinam
sequestrantiũ: aut bilẽ quæ tingit, alio trãsfluere, indicat. Quæ vero albedinẽ remissam
ostendit, præsertim quæ vergit ad glaucũ & charopum colorem, non ita facile ob flauæ
bilis absentiam, & alio migrãtis apparet, sed potius ob debilitatẽ virtutis alterãtis, & cõ-
coquẽtis humores, p̃ducit̃. Albę variantes nihil longo tp̃e, capitis morbos frigidos, ver-
bi gratia, vertiginẽ, morbũ comitialẽ, & id gen⁹ alios, ciborũ præterea fastidia, artuũ do-
lores, neruorumq; resolutionẽ, prænuntiant. Hæc n. omnia sequũtur continuam crudi- F
tatem, vel frigiditatẽ, vel obstructionem, vel humorũ trãspositionem. Albæ remissæ, vt
lactea, glauca, charopa, in febriũ initiis & incremẽtis, laborem significant. Nã multitu-
Subpallidæ & pallidæ. dinẽ materiæ putrefactæ præ se ferũt. In febriũ vero declinatione, salutẽ ostendũt. Sub-
pallida & pallida vrina, mancam adhuc concoctionẽ, sed minus tñ, q̃ alba, significat. Nã
natu-

A naturam, quasi iam indulgere concoctioni monstrat. Subrufa & rufa, item subflaua, & flaua vrinæ perfectam concoctionem, & corporis totius certam sanitatem pollicentur, idq; in iuuenibus maxime. In senibus enim & mulieribus si eiusmodi vrinæ apparent, vt maiores caussæ præcesserint oportet, nempe æstus, vigilia, labor, ciborum aliarumq; rerum acriũ vsus, quę bilem in corpore adaugent. Subrubra & rubra apparet propter multorum ciborum, & acrium oblationem, item ob sanguinis ebullitionẽ & iram, ob iecoris calidam intemperiem, & id genus alias caussas. Vinea vrina sanguinem assari, atq; in flauam vel nigram bilem transmutari indicat. Interdũ etiam in sanis hominib. qui multum laborarunt, aut longum iter cõfecerunt, talis vrina, eo quod sanguis assetur, spectari solet. In vehementib. febribus sanguinis saniem abundare, putrescere & bilescere in-
B sinuat. Passea bilis adustionẽ notat. Hęc si diutius permanserit, arquatum morbũ adesse significat, cũ multitudine & crassitudine corruptioneq; accumulatę in iecore bilis. Viridis aũt, biliosum humorem tm̃ ceteros humores antecedere ostendit, quantũ ipse magis intensus fuerit. Quapropter prauissimæ bilis quantitate & qualitate exauctæ excessum monstret. Hęc si diu eiusmodi perseuerauerit, sitisq; assidua & æstus affuerint, haud exiguus metus est, ne conuulsio a siccitate ægrum corripiat. In summa, viridis vrina exustam esse omnem natiuam humiditatem a calore febrili, demonstrat. Oleacea vrina caloris præter naturã signum est, eoq; magis quo fuerit intensior. Pingui enim a calore caliquefacto, huiusmodi vrina apparet. Quod Hippo. 2. progno. 35. iis confirmat verbis: *Pinguedo telis aranearum similis innatans vrinæ damnanda est, colliquationis enim nota est.* Quod
C si igitur paulatim eiusmodi vrinę color processerit, multoq; tempore durauerit, ac confirmetur cum calore toto corpore diffuso, totius corporis colliquationem hecticamq; ostendit. Sin breui atque cumulatim appareat cum calore in renibus tãtum excitatum, renum duntaxat colliquationis indicium est. Veneta melancholici humoris fusionem, vel frigiditatem vehementem vel mortificationem quandam, potissimum vbi nulla præcesserit concoctionis significatio, & a prauis coloribus ad peiores mutata sit vrina, monstrat. Liuida eadem ostendit, interdum etiam plagas & verbera homini incussa. Alias semper frigiditatis, adeoq; caloris natiui mortificationis signum est. Nigra interdum caloris ad extremum profecti indicium est, & hoc quidem si viridis præcesserit. Interdum extremam frigiditatem portendit, idque vbi liuida antecesserit. Semper au-
D tem mortalis est, vitæq; periculum præsagit, nisi vbi vitia, quæ ab atra bile excitata sunt, præcesserint. Tum enim salutaris exsistit, quippe hunc humorem a natura expurgari significat. Quapropter si talis vrina in melancholico, lienoso, aut quartana, præsertim in febris declinatione visa fuerit, solui morbum notat.

[Margin: Subrufæ & rufæ. Subflauæ & flauæ. Subrubrę & rubræ. Vineæ. Passeæ. Viridis. Oleaceæ. Venetæ. Liuidæ. Nigræ.]

Quid ex vrinæ consistentia prædicendum sit. CAP. IX.

VRina tenuis innati caloris imbecillitatem, & frigiditatem dominantem, cruditatem item, iecoris, renum & vasorum vrinariorum, propter caussas paulo ante ostẽsas, obstructionem prænuntiat. Quapropter in quartanis febribus, in quib. melancholici humores crassitie sua meatus obstruũt, huiusmodi vrina sæpenumero apparet. Quod si vrina non solum tenuis, sed & alba fuerit, extremam cruditatem significat. Si itaq; te-
E nuis vrina diuturna fuerit, symptomata morbi increscere, virtutẽ superari, nec morbũ posse cõcoqui, vitæq; discrimẽ notat. Nonnunquã tenuis vrina abscessum in iis partib. q̃ infra septũ trãsuersum sunt, portẽdit. Cui⁹ rei testis est Hip. qui in Prognosticis ita scriptum reliquit: *Qui vrinã tenuẽ crudamq; diutius mingũt, si reliqua vt in conualituris indicia fuerint, in iis abscessum ad partes, quæ infra septum transuersum sunt, exspectare oportet.* Crassa vrina excessum abundantiamue materiæ, & humorũ ventriculum, intestina, & iecoris cauas partes implẽtium ostendit. Hæc si in febre spectetur, vbi tenuis præcesserit, statim futuram declinationẽ monstrabit. Namq; hoc casu videtur natura superasse materiam. Proinde eo melius ac tutius, quo citius vel plus crassitudinis inerit, symptomata dissoluentur, naturales excretiones augebuntur, vrinæ ad proprium colorem & consistentiam
F reuertẽtur. Si vero vna cum febris accessione vrinæ crassæ apparuerint, quæ aut semper aliquid crassitudini addant, aut saltem non attenuentur, coniicere oportet virtutis imbecillitatem & humorum multitudinem, ita vt metus nõ exiguus sit, ne natura penitus superetur & occumbat. Si vero iterum tenuetur, cum melioribus coloribus, remissio exspectãda erit. Ceterum crassa & alba vrina maximam crudorũ humorũ copiam indi-

[Margin: Tenuis vrinæ significationes. 2. Progno. 4. Crassæ.]

cat. Atq; hęc aliquando in laboriosis febribus apparens ab abscessu liberat, quemadmodum historia quadam *in Epidemiorum libro 6.* Hippocrates confirmat, inquiens: Vrina crassa & alba, qualis famulo Amphigenis erat in laboriosis febribus, quãdo quarto mingitur die, ab abscessu liberat. Crassa & lactea in fine veniens, calculos in vesica vel renibus ostendit. Crassa charopos, & vt iumentorum turbida, dolorem capitis portendit, *Hippocrate attestante*, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit. *Quibus in febribus vrinæ perturbatæ sunt veluti iumentorum, iis dolores capitis aut adsunt, aut aderunt.* Crassa & subrubea, maxime si talem subsidentiam habuerit, longos portendit morbos, & a periculo immunes, vt in Prognosticis iis verbis testatur Hippocrates: *Si*, inquit, *vrina subrubea fuerit, & sedimentum subrubeum & leue habuerit, diuturnior hic morbus quam primus, sed tamen salubrior. Indicat enim optimi humoris, nempe sanguinis, nõ exquisita ratione confecti abundantiam, adeoque sine periculo est. Tamen quia ad concoctionem longiori temporis spatio eget, ideo diuturniorem quoq; fore morbum significat.* Crassa & rubea sanguinis copiam monstrat, veluti in continentibus febribus. Crassa & nigra, melancholici humoris vacuationem, præsertim si, vt dictum est, in declinatione quartanæ & melancholiæ apparuerit, ostendit. A B

Sectio 4. Aphor. 1. — 4 Aph. 70. — 2. Prog. 27

Quid ex vrinæ quantitate prædicendum sit. CAP. X.

Multæ vrinę in sanis caussę.

VRina si maior sit visa exiisse, quam pro ebibitorũ portione, in sanis quidem corporibus multam vini, maxime aquosi, potionem aut liquidorum ciborũ vsum significat. Multum quoq; redditur vrinę propter vsum medicamentorum vrinam cientium. In ægris vrina copiosior exit, quando intemperies quædam aucti caloris circa renes exsistit, vt accidit in diabete. In eo enim malo propter vehementem calorem renes serosam substantiam a iecore, omniq; venarum genere celerrime attrahunt. Multa etiam vrina erit, si aluus natura sicca fuerit. Nam si aluus, præ malo quod illi accidit, excrementa, quæ alias, secundum naturam se habente homine, ad eam deferuntur, vacuare haud poterit, ad vrinæ meatus, tanquam vicinum illi locum, impetu facto transferuntur. Atque hoc est, quod Hippoc. in Aphor. iis innuere verbis voluit, inquiens: *Mictio noctu copiose facta, exiguam deiectionem significat.* In hydrope, præsertim anasarca, multa quoq; vrina redditur, quod habitus totius corporis aquoso sanguine refertus sit. Multum deniq; mingitur, vbi reliquarũ corporis vacuationũ, maxime ventris deiectio nulla præcessit. His enim omnib. impeditis, vt ad vrinę loca detrudantur est necesse. Contra, pauca vrina mingitur ob cibos sicciores, potus paucitatẽ, vehemẽs exercitiũ, & id genus alia, quæ corpus quomodolibet exsiccare consueuerunt. Item, propter cibaria & medicamẽta, lentore participantia, atq; vrinæ meatus obstruentia. Præterea, propter humorũ crassitiem & tenuitatem obstruere potentium alui multam deiectionem. Cum enim natura omnia totius corporis excrementa per consueta vacuationis loca excernat, si forte alter alterum vacuatione superauerit, vt per alterum minus vacuetur necesse est. Febris etiam vehementia in caussa est, cur paucior exeat vrina. Hæc enim omnem corporis humiditatem absumit, vt hoc nomine per vrinam multa excerni possit. Postremo, ob excretricis, quæ in renibus ceterisque vrinæ excretioni famulantibus vasis est, facultatis imbecillitatem, quæ functionem suam obire nequit. C D

4. Apho. 8 — Paucæ vrinæ caussæ.

Quid ex contentorum consistentia prædicendum. CAP. XI. E

IN contentis haud secus atq; in liquore vrinæ tria sunt consideranda, nempe substantia, color, & quantitas: de quibus, a substantia orsi, ordine disseremus. Contentorum autem quorundam substantia mediocris, aliorum tenuis, nonnullorum crassa. Vrinarum namq;, quæ secundum naturam sunt, contenta consistentia sunt mediocria, alba, leuia, & æquabilia. Leuia contenta sunt, quæ sibi continua sunt, & vnum veluti continuum & coactum corpus, neq; aliquo modo rugosum, huc & illuc compulsum, neque dissolutum aliqua in parte. Quæ vero illis contraria sunt, aspera dicuntur. Leuia vero continuaue contenta, nihil noui adferunt. Sin aspera ac veluti dispersa fuerint, non exigua quædam in profundo corporis perturbatio significatur, quam violentus spiritus, iustam concoctionem impediens, efficit. Quod si cum eiusmodi contentis aliquod valde crudũ complicatũ fuerit, nõ parui doloris subesse sensum indicat. Si vero constricta sint contenta, crassitudinem partium materiæ, attestante lentoris qualitate, significant. In quo igitur liquoris vrinæ loco immorantur, in eo corporis loco vitium morari ostendunt. Tenuia contenta, quæ pura sunt, nec facile matula commota assurgunt, magnam F

Leuia cõtenta. — Tenuia.

naturæ

A naturæ in secunda cōcoctione imbecillitatem indicant. Fere enim cum albis & aqueis vrinis apparent. Præterea, tenuia contenta crudos etiam humores, sed attenuatos mōstrant. Siquidem natiuus calor roboratus omnem intra venas ex cruditate crassitudinem attenuat & dissipat. Crassa vero contenta, crassorum atq; crudorum humorum in venis copiam denotant. Talia quoq; interdum a iudicatione apparent: atqui a priorib. differunt, quod scilicet nullum malum colorem habeant, & a vigore morbi appareant. In principio namq; & augmento tanquā praua suspecta esse debent, præsertim si colores male accesserint. Priora autem contenta viscida & mucosa sunt, quapropter in vrinariis instrumentis quandoq; detenta, non paruum homini dolorē afferunt. Quinetiam puri similia sunt, viscositate tamen, & quod male non oleant, a purulentis distant. Crassa.

B Pus quū & ipsum viscidū aliquid habeat, dignoscitur tamen, quod dolor laborantis loci præcesserit, sanguinemq; prius mingi contigerit.

Quid ex colore contentorum sit prædicendum. Cap. XII.

QVod ad contentorum, quæ a mediocritate recedunt, colorem attinet, alia sunt vehementer alba, alia suppallida, alia pallida, alia flaua, subrubea, cruenta, veneta, liuida & nigra. Quæ vehementer alba sunt, hæc aut pituitosi humoris ramenta sunt, aut pus summe concoctum, quod ab aliqua parte interna laborante secretū est. Distingues autem illis notis, quæ paulo ante de puris, & crudorum humorum differentiā diximus. Quæ autem mediocriter alba sunt, hæc sanguinis probe concocti excrementa exsistūt. Alba.

C Subpallida & pallida minus bona sunt, veluti ea q̄ a colore, qui secundum naturā est, declinant. Flaua etiam mala sunt, vt quæ exauctam esse in secunda cōcoctione flauā bilem indicant. Subrubea & rubea cruditatē quandā, & defectum cōcoctionis, adeoq; morbi diuturnitatem innuunt. Visuntur etiā interdū propter sanguinis multitudinem: aut q̄a retentrix facultas præ imbecillitate optimos humores effluere sinit. Cruenta nō elaboratū omnino esse a iecore sanguineum humorem, præsertim si copiosa sint, significant. Veneta, liuida, & nigra omniū pessima sunt. Mortificationem facultatis vitalis, aut melancholicū humorē, qui vel aliunde in venas cōfluxit, vel in ipsis genitus est, significant. Orobea, hoc est, eruo ex coriato similis, tū apparet subsidētia, vbi absumto iā adipe caro Suppallida & pallida. Flaua. Subrubea & rubea. Cruenta. Veneta. Orobea.

D consumi cœperit. Significat itaq; vel vniuersi, vel renū duntaxat colliquationē. Si n. in febribus talis apparuerit subsidentia, vniuersum corpus: sin citra febrē, renes tantum liquescere indicat. Furfurea, q̄ videlicet furfur tritici bene moliti refert, p̄dicta peior est. Hæc namq; vbi febris vniuersum adipē, & maiorē partem carnis absumserit, atq; iam p̄funditatem carnis & vasorū obsederit, solidasq; corporis partes attigerit, apparet. Nonnunquam tamen solius vesicæ laborātis signum est, quemadmodū Hippocrates iis verbis in Aphorismis testatur inquiens: *Quibus in vrina crassa furfurea simul prodeunt, iis vesica scabie laborat.* Discernuntur autem in eum modū. *Quæ totius corporis vitio eueniunt, cum febri & vrinæ cruditate minguntur. Contra, quæ laborante vesica prodeunt, sine febre, & cum vrinæ concoctione, non tamen absq; laborantis loci dolore, excernuntur.* Laminea, πεταλώδης Græcis dicta, squamis similis est. Laminæ enim appellantur, quæ latitudinem & longitudinem, Furfurea. 4. Aph. 77. Laminea. Laminæ.

E citra tamen euidentem aut magnam altitudinem obtinent, adeoq; foliorum, stirpium similitudinem gerunt. Vt laminea subsidentia non sit, nisi quæ foliorum stirpium squamarumve piscium, aut laminarū instar lata & tenuis exsistit. Quæ certe fit, vbi aucta febris solidas corporis partes attingit. Apparent quoq; vesicæ ratione, veluti in Aphorismis Hippocrates testatur inquiens: *Si sanguinem, & pus, & squamulas mingat æger, grauisq; odor fuerit, vesicæ exulcerationem denotat.* Sed an vesicæ tantum, aut totius corporis ratione eueniat, febre, cruditate, & dolore, quemadmodū in superioribus dictū est, distinguendum. Similacea, hoc est, ea quæ furfuris ex male molito tritico cribratæ speciē exhibet, omnium pessima exsistit: fit enim vbi febris obsessa profunditate, longe lateq; substantiam incendit, adeoq; sanguinis assationem, vel solidarum partium colliquationem si- 4. Aph. 81. Similacea.

F gnificat. Si itaq; candidæ fuerint, solidarum partium colliquationem: sin rubræ, sanguinis assationem monstrant.

Quid ex quantitate contentorum prædicendum sit. Cap. XIII.

SI contenta quantitate mediocria fuerint, probantur. Sin multa, vt multū nutrimentum corpori distribui, ita robur quoddā alteratrici facultati adesse monstrant. Nam Mediocria. Multa.

quãdo multa est elaboratio naturæ circa alimentũ, multa quoq; fieri excremẽta est necesse. Sæpe etiã accidit, vt q̃ per cutis aliosq; corporis meatus excrementa trãseunt, consuetis viis præclusis, ad vesicam regurgitent, augeantq; excrementa. Pauca v. contenta, vel ob inediam, vel exercitia, vel obstructiones, vel tardas concoctiones reddunt. Si n. alimenta deficient, quod per inediam accidit, excrementa quoq; deficere oportet. Exercitia vero excrementa attenuant, ac vt per latentem transpirationem dissipent efficiunt, vt hoc nomine pauca esse contenta necessarium sit. Obstructiones autem, vt tenuia tantum transeant, & crassa remorentur & adhæreant, efficiunt. Per tardas autem concoctiones pauca fieri contenta, notius est q̃ vt multis doceri debeat. Tenuia cõtenta quantacunq; sint, caloris natiui debilitatẽ, vt contenta hoc nomine ad mediocritatem peruenire nequeant, indicãt, aut crudorum humorũ, roborato natiuo calore, attenuationem. Vbi enim materię crassitudinem attenuauerit dissipaueritq;, eiusmodi cõtenta apparere est necesse. Quod ita cognosces. Nam si modice matulam vacuaueris, ipsa cõtenta cito eleuãtur, atq; leuitas dissimilis redditur. Non facile a. eleuãtur, quę ex caloris debilitate fiunt. Contenta multa aut crassiora in morborum initiis atq; augmentis, præsertim si febris non contemnenda adsit, humorum copiam arguunt, q̃ ad cõcoquendũ firmitate virtutis, tempore, & fortuna bona indiget. Conicies autem inde angustias meatuũ esse circa thoracem, vtpote arctato a multitudine humorum septo transuerso. In vigore autem febris atq; declinatione, contenta illa salutaria & bona sunt.

Pauca. *Tenuia.* *Crassa.*

Quid ex locis contentorum sit prædicendum. CAP. XIIII.

SVbsidentia quę ad fundum matulæ sedere videtur, bona quidem & moderata, nihil noui significat. Cruda vero atque diuersa specie, prauitatem naturæ. Diuersa vero partium positione, ostendit segnitiem ipsius minus assurgentis aduersus rebellionẽ humorum nocentium, ita vt opus sit & tempore, & robore. Quod vero leue tenueq; tertiũ contentorum locũ occupauit, non mediocrem capiti lęsionem adesse significat, habẽs rationem inter contenta nubium. Sublimia si praua sint, loci tamen differentia modestiora sunt, quam quæ ipsis subsident. Sin aliis rationibus bona fuerint, tum loci ratione sola recedunt a perfecta bonitate, quod a spiritu adulterino leuia redduntur. Nubium q̃ bonæ sunt omnino qua nubes sunt, nõ parum si recesserũt versus distantiã a loco, qui est secundũ naturã, multo quoq; indigent tempore. Quę vero prauę sunt, eo modestiores videnť reliquis, quo magis abstiterunt a loco, qui secundũ naturã est, quiq; subsidentiis secundum naturã debetur. Bona contenta, quo inferius descenderint, fundo tamen excepto, eo meliora. Praua cõtenta, & q̃ ipsis insunt, quo superius cõcesserint, eo minus mala. Vbi contenta, quæ secundum naturam se habẽt, fuerint ad superficiẽ vrinę multo spiritu euecta, prauus in capite, neq; is quidem exiguus, affectus continetur. Sic in sublimibus affectũ nõsces adesse ꝑ partes corporis simili positione habẽtes, habita ꝓportione totius altitudinis vrinæ ergа corporis altitudinẽ. Hæc autẽ sunt Hypochondria, viscera, & thorax. Spiritus, qui cum vrina excernitur, circa primam cõcoctionem genit', si tenuis fuerit, & quantitate mediocri, bullas quasdam inflat in vrinæ superficie, mox a. refrigerata vrina dissipantur. Sin crassior & maior spiritus sit, bullæ non statim dissoluuntur, spirituum potius in ventre generatorum signa. In crudis & incoctis humoribus, si contenta apparuerint concocta, multis spiritibus generatis sublimãtur, multo calore multam materiam densatam dissoluente. Vbi vero iam a natiua caliditate domita fuerit materia cruda, paulatim descendunt contenta. Spiritus alienus quo fortior fuerit, eo magis versus sublimes partes materiam propellit. In summa, altitudo vrinæ corpori ꝓportione respondet, ideoq; ad quas partes latitudinis vrinę declinauere contenta, eas in corpore affici indicio sunt.

Quid ex innatantibus in vrina ramentis, capillis, & aliis corpusculis in vrina sparsis prædicendum sit. CAP. XV.

Ramenta.

NOnnunquam ramenta quædam cum contentis conspiciuntur, quę ad colorem aut rufum, aut album vergunt. Quæ si multa fuerint, semicoctam materiam indicant, illum vero humorem in profunditate corporis abundare, ac cõcremari, cuius ramenta videnť cõtentis connatare. Si vero pauca sint, mitiorem huius humoris malitiam, atq; malorum ciborum vsum producere talia demonstrãt. Quo maiora fuerint ramenta, eo minorem esse concremationem humorum inuenis: quo minorem calorem arguunt.

Caussa

A Caussa horum ramentorum est nimius calor, qui humores ad spissitudinẽ, & veluti ossis naturam redigit, vbi per meatus aliquos diu immorati, neq; dissoluti & extenuati, neq; cito per vrinas expulsi fuerint. In vrina quoq; interdũ capillis similia natare solent, q̃ renum vehementem calorem, aut crassorum ciborum, casei nimirum, & neruorũ vsum significant. Capilli autem illi in iis vasis potissimum procreantur, quæ a renib. ad vesicã descendunt, adeo vt quanta vasorum internorũ longitudo est, tãta humoris spissitudo, & assatio fiat, q̃ capillis similiter extenditur. Aliquando veluti carunculæ in vrina natãt, quæ, *vt lib. 6. de Laborantibus locis c. 3. Galenus attestatur*, renum exulcerationem ostendũt. Id quod Hippocrates *in Aphorismis* quoq; iis cõfirmat verbis: *Quib. cũ vrina crassa exigua carunculæ, aut veluti capilli vna exeunt, iis a renibus excernuntur*. Plura ad institutũ facientia in
B nostris super Hippocratis Aphorismos cõmentariis reperient studiosi. Si furfurea quædam exeunt cũ vrina, vesicæ, vel venarũ, vel vrinariorũ meatuũ scabiẽ indicãt. Quæ ita distingues: Si tenuis fuerit vrina, venarũ scabies notat, quarũ certe tunica ob febris vehementiã laborat. Si v. crassa, vesicæ tunica significat. Hinc Hippocrates loco iã citato scriptum reliquit: *Quibus in vrina crassa furfurea simul prodeunt, iis vesica scabie laborat.* Qui sanguinem repente, & sine caussa manifesta mingunt, iis venulam in renibus ruptã esse ostenditur. Quibus in vrina arenosa subsident, iis renes, aut vesica calculo laborat. Qui sanguinem aut pus mingunt, aut squamulas, & grauis odor fuerit, vesicæ exulceratione indicat. Quæ certe singula Hippocrates in Aphorismis loco paulo ante ostenso, memo-
C riæ pdidit, & post hunc *li. 6. de Laborantib. locis* Galenus mõstrauit. Ceterũ fœtidus vrinæ odor, & graueolentia, putredinẽ maiorem aut minore proportione significant. Pus a. vbi fuerit, euidẽs alicuius internæ partis exulcerationis signum exsistit. Et si progressu temporis fœtor ac pus minuãtur, bonũ est: sin augeãtur; malum. Si fœtori pus nõ fuerit coniunctũ, alicuius particulæ mortificatio portenditur. Quod si praua simul in substantia & contentis vrinarum signa apparuerint, mortificationem totius corporis præ se ferunt. Vrinæ interdum innatant veluti aranearum telæ, nonnunquã etiam in superficie feruntur puncta, tanquã ex oleo iniecta, quæ quidem colliquationis totius corporis, aut solorum, vt dictum est supra, renum signa sunt. Quod si parumper apparuerint, nihil graue: sin diu, principium colliquationis ostendunt.

Capillis similia.

Capillorũ generatio vbi fit.

Carunculę.

4. Aph. 76.

4. Aph. 77.

Sanguinea. Arenulæ. Pus. Squamulæ.

Odor fœtidus. Pus.

Telæ aranearum.

D *Quid ex vrina corona prædicendum sit.* Cap. XVI.

COronam in vrina vocant lineã vmbra depictam, quæ ambitum superficiei vrinæ circumcurrit. Circulum alii appellant. Quod si noxii humores fuerint virtuti pares, & pari mensura vrinas tinxerint, nulla corona euidens spectari potest. Verum si virtus vicerit, aut victa fuerit; coronæ etiam colores hoc vel illo modo apparebunt. Si humoris vrinæ color prauus sit, color autem in corona benignior appareat, signum est salutare. At si vrinæ quidẽ color rufus, rubeus, vineus, aut nõ dissimilis fuerit colori, alba vero, vel albæ similis corona fuerit, bonum; nempe quod natura iam humorib. dominari incœperit, portendit. At in viridi & passea vrina, si corona peioris sit coloris, contrarium & malũ significat, nimirũ iam prauos humores dominari, ac naturam superare. Si spumea
E fuerit corona, sensuum internorũ perturbationẽ, tenaces ac lentos humores, ac in ventriculis cerebri flatũ ostendit. Sæpius coronę colores ab vrinæ colore variãt, & declinãt; interdum cum illo conueniunt. Si variant, & declinant ad bonos, vrinę colore exsistẽte malo, bonũ indicant. Si vero deteriores sunt, quã vrinæ colores, mali existimãdi sunt. Si igitur boni, natura humoribus cœpit dominari: sin mali, humores vincunt.

Corona quid.

Quid ex bullis vrinæ prædicendum sit. Cap. XVII.

BVllæ, quę adulterini spiritus signa sunt, aliquãdo per omnem superficiem vrinæ apparent: aliquando vero in sola corona. Bullæ item singulæ, aut binę, aut ternæ, aut alio numero sociatæ innatant. Bullæ igitur, quæ in sola corona integra serie circumsistunt, si colore humoris vrinæ tantę sint, affectum doloremq; capiti inesse nõ mediocrẽ
F denuntiant: toti quidem, si per omnem circumferentiam ferãtur: medietati duntaxat, si per dimidiã coronã innatent. Quæ v. sparsim in corona manẽt, hæ a debiliori caussa generãtur, atq; similiter dolorẽ, sed mitiorẽ mõstrant. Verum quo magis rufo aureove colore imbutę cõspiciuntur, tanto vehementiores capiti dolores adesse ostẽdunt. Albæ vero in ambitu coronę cõsistentes bullæ, nullum aut exiguum capiti dolorẽ adesse indicant. Quod si tales in vrina tenui, & absq; subsidẽtia apparuerint, renum potius obstru-

3. Aph. 34. ctionem arguunt. Id quod Hippocrates confirmat, qui in Aphorismis ita scriptum reliquit: *Quibus in vrinis superstant bullæ, iis renum morbum, eumq; longum fore significant.* Bullæ A autem, q̃ a corona versus medium vrinæ concedunt, remissionem doloris capitis ostẽdunt. Aliæ etiam per vrinæ superficiem dispersæ, nihil eiusmodi super capite indicant, sed solum multam naturę imbecillitatẽ, obstructiones, & crudorũ humorũ abundantiã. Sæpenumero bullæ visæ, cũ pridem non apparuerint, iam naturam cõcoctioni indulgere monstrant. Proinde in febre, declinationem eius ex iis cõiiciemus: nisi initio statim visæ apparuerint, processerintq;. Tum n. capitis non exiguos dolores portendunt, & si in tenui vrina seu corona innatauerint, etiã periculosos. Cum crassa vero vrinæ substantia bullæ modestiores apparent, & minus grauia significant. Interdum pro bullis nõ apparentibus sufficiunt crassæ spumulæ, idemq; signant, præsertim in febris solutione. Bul- B læ versus mediam superficiẽ concedentes, remissiones doloris capitis, & fluxum ad pulmonem in sanis & ægris portẽdit, materia scilicet iam euaporata, quæ dolorem excitabat, aut iam ad pulmones defluxa. Bullæ maiores & absque ordine per matulam diffusæ, dolores qui præcesserunt, diminui arguunt.

Quid ex vrina contentis priuata prædicendum sit. CAP. XVIII.

TEnuissima vrina, & vehementer alba sine subsidentia, aut obstructionem non contemnendam, aut immoderatam frigiditatẽ & cruditatẽ demõstrat. Si vero illa minora fuerint, etiam horum significatio modestior erit. Pallida & subpallida minorem obstructionem, non autem minorem cruditatem indicãt. Similiter rufa & flaua. Nam in ipsis adulterina caliditas superare videtur. Possunt tamen eiusmodi vrinæ ob ingẽtes C dolores, immensa exercitia, longas vigilias, & materiæ defectum cõtingere. Quæ etiam vlterius quam superiores colorantur, humorum dominantiũ suis coloribus qualitatem, putredinem aliquã, & cruditatem in genere venarum significant. Est quando abscessus quispiam calidus principes partes obsidẽs, huiusmodi vrinas fundit, attracta illuc materia ab adulterino calore, tanquam a cucurbitula. Nunquam tñ bonum est subsidentiam abesse, minus vero damnatur, si color & substantia parum a mediocritate abfuerint. Licet n. segnis in p̃sentia natura sit, subsidentia tamen paulo post apparebit. Quod autem in cruditate nulla visantur contenta, caussa est, q̃ secunda concoctio nõ fiat. Sic etiã obstructio contenta, cum crassiuscula sint, per angustum nõ transmittit. Inediæ ciborum D defectus, aut cibi concoctioni inepti, multæ ventris vacuationes, phlegmone alicuius loci, aut nimia caliditas accumulãs sibi materiã, imbecillitas alicuius partis, ad q̃ natura superuacua propellit, hæc inquam omnia cõtenta vrinis vt absint efficere possunt. Atq; hæc quidẽ de vrinæ inspectione, & ex ea p̃dictione, hactenus nos dixisse satis sit. Quod si vero quispiam vberiorem, & exquisitam plane eius rei tractationẽ desiderat, is Actuarium, inter recentiores Græcos non postremæ notæ auctorem, legat, qui nihil quod ad vniuersam hanc rem spectat, prætermisisse videtur.

Quæ ex egestionibus sint prædicenda. CAP. XIX.

CVm ex egestionib. multa & varia prædicere posit Medicus, quoad fieri potest breuissime earundem significationes exponemus. Principio autẽ egestio naturalis, & E optima, vt de vrinis quoq; iam antea dictum est, veluti regula quædã, penes quam reliquæ omnes iudicentur, nobis noscenda venit, quæ quidem in vtram partem deflexerit, concoctionis vitium declarat. Optima igitur egestio est mollis, compacta concretave, eodem tempore, quo in secunda valetudine assueuit, reddita, & quæ iis q̃ ingesta sunt, p̃portione respõdet, vt in prognosticis testis est Hippocrates. Egestio itaq; optima tribus iudicatur, nempe cõcretione siue consistentia, modo, & tempore, quo reddi solet.

Egestio optima quæ. 2 Progn. 13.

Consistentia naturalis. Consistentiã secundum naturam habẽt, quæ nec prorsus duræ, vt lapides: nec admodũ liquidę, vt diffluere posint: sed eatenus molles sunt, vt compactæ permaneãt. Esto a earum modus iis, q̃ assumta sunt, conueniẽs, ac tẽpus etiam quo æger excernere cõsueuit. Adsint quoq; & color, & odor, qualis secundum naturã esse solet.

Mala. Contra mala & præter naturam egestio, dura, liquida, aspera, nec ea hora, qua sanitatis tẽpore cõsueuerat, F excreta existit.

Rufa. Mala quoq; exq̃site rufa, vel nullo modo rufa, sed alba, aut colore similis cibo ingesto. Hæc n. cruda est, & nihil bilis in intestina defluere, sicut in iis cernit, qui regio morbo laborãt: illa v. plurimũ bilis in ventrẽ cõfluere denũtiat. Quod si itaq; circa initia rufa vehementer fuerit, biliosiorẽ morbũ indicat. Sin in declinatione talis excer-

A natur, corpus probe expurgari significat. Viridis egestio, æruginosæ bilis nota est: sicut nigra, vel atra bilis, vel sanguinis in eo loco adaucti. Si vero liuida fuerit, internarũ partiũ validũ frig⁹, ac veluti mortificationẽ mõstrat. Pinguis, vbi nihil pingue fuerit assumtum, colliquatæ pinguedinis ab igneo calore, & cõsumtionis totius corporis indiciũ est. Viscida & glutinosa, nisi & hæc ex cibi natura talis sit, colliquationis indicium est. Sed q̃ quidem pinguis est, ex adipe fit liquato: quę vero viscida, ex ipsis solidis animantis partibus cõtabescẽtibus, adeoq; priori deterior exsistit. Nimis fœtida haud exiguã putrefactionẽ denuntiat, modo id illi ex cibo assumto nõ accidat. Quippe in iã dictis omnibus egestionib. attendendum, num vel cibi talis naturæ & qualitatis eas inficientes fuerint: vel intestina ob innatã sibi imbecillitatẽ defluxione laborare cõsueuerint. Stridẽs egestio, q̃ sic a sono seu crepitu, q̃ inter egerendũ excitat͛, dicta est, flatuosi spiritus in eo, q̃ egestũ est, copiam cũ tenui aliqua humiditate, instrumenta v. in vnũ coacta, & quodam modo cõpressa, atq; in angustiã redacta ostendit. Hinc est, q̃ Hippocrates dicat: *Optimũ est flatum absq; sono & crepitu exire.* Sed eum tamen p̃stat cum sono prodire, quã ibi reuolui. Et sic quidem ꝓdiens hominẽ vel dolore affligi, vel delirare arguit, nisi ipse fortassis de industria crepitum emittat. Siquidem doloris magnitudine adiguntur, vt ea, q̃ nolint, faciãt. Delirium in caussa est, vt ad ea, quę faciunt, non aduertant. Ceterum, si flatus nec minimum abũdat, & vasa per quę fertur admodũ ampla sunt, in iis sine crepitu egredit͛. Spumosa fit, vbi aliquid quod feruet, vel flatuosus spiritus cum humiditate pugnat. Id q̃ manifestum fit ex iis, quæ elixantur, & ex mari quod a vento violenter agitatur. Nam in hoc vehemens ventorum flatus, aquam in multas tenues partes illam cõcutiendo atterit: in illis nimius calor spumam excitat. Varia egestio, corpus variis ac multiplicibus affectibus obnoxium esse, & iis quidem diuturnis & malignis, significat. Quare temporis spacium ad concoctionem requirunt, *vt fusius lib. 1. de Iudiciis c. 11. Galenus docet.*

Viridis. Nigra. Liuida. Pinguis. Viscida. Fœtida. Stridens. B 2. Prognost. 24. Spumosa. C Varia.

Quid e sputo prædicendum sit. CAP. XX.

CVm ea, quæ in thorace & pulmone cõtinẽtur superuacua, non nisi per sputum commodissime, vt anatomes ratio mõstrat, vacuentur, omnibus palam fit, sputa tum potissimum Medicis esse consideranda, vbi pulmo aut thorax morbis infestatur. Non solum vero in ægris, sed & in sanis sputa expendenda veniunt. Si enim sputum exquisite illi, quod secũdum naturam est, simile fuerit, tunc integram instrumentorũ, quib. spiratio ipsa perficitur, sanitatẽ significat. Si vero aliqua ratione impediatur, & a naturali recesserit habitu, tantum ea læsa esse demonstrat, quantum de naturali forma amiserit. In morbis vero thoracis & pulmonis sputum ideo maxime consideratur, q̃ præter alia morbi tempora ex eo dignosci possint. Quippe si nihil omnino in iis exspuitur, summæ cruditatis nota est. Sin humida educi incipiunt, exquisite tamen cruda, subobscura adhuc & inconstans est trãsmutatio, desinitq; tunc prima morbi pars, q̃, vt supra ostensum est, principiũ dicitur. Vbi v. pauca concoctaq; exspuunt͛, continuoq; subinde plura, & facili⁹ leuiusq; educuntur, tum morbi incrementum instat. At vbi iã plane cõcocta plurima & facilime exscreantur, ad vigorem morbum peruenisse iudicãdum erit. Vbi tandẽ simili modo exquisite cocta sine omni molestia exscreãtur, sed pauciora, amoto ẽt dolore, ægerq; facile spiret, leuiterq; morbum ferat, tum manifesta declinatio adest. Porro sputũ subflauum, subrufum, leniter spumãs, & tenue, solã cruditatem, malum v. insigne nullũ denuntiat. At syncere flauum, rufum, spumosum, pallidum, viscidum, rotundum, atque iis adhuc magis nigrum, prauum est. Nã syncere flauum fit ꝓpter flauã bilem puram & syncerã. Omnis a. humor purus, excepto sanguine, vitium quoddã subesse testat͛, quippe qui ab inflammato calore ducat originẽ. Flauum itaq; purum sputum fit, humore ipso syncere bilioso existente. Syncere rufum itidẽ a bile fit, cui plurimũ serosi humoris torrefacti admistũ est. Si vero plus ei⁹ bili mistũ fuerit, pallidũ apparet. Spumosum, viscidũ, & rotundũ, a pituita adusta fiunt. Atq; hinc est, q̃ Hippoc. *6. Epid. sectio 3. Aphoris. 28.* rotundũ sputũ delirium portendere dixerit. Neq; enim tale fit, nisi vbi a nimio calore humor lentus assatur, aduriturq;. Nimium autem calorẽ delirium efficere posse, demonstratione nõ est opus. Nigrum vero bilioso supra modũ torrefacto humore, qui sane tũc nigra bilis pessima, & exedentissima euadit: aut crasso sanguine æque resiccato: aut propter excretionẽ atq; frigiditatẽ prouenit. Ceterũ nõ solũ color, sed & excretionis sputorum modus Medico attendendus erit. Nam si cito & leuiter exscreantur, liquido

Sputa quando Medicis expendẽda. D Morbi tẽpora ex sputo dignosci. Sputi colores quid significent. E F Rotundum sputum. Modus excretionis sputorum.

1. Aphio. 12. constat talia salubria esse. Quæ enim cito educuntur, morbi breuitatem indicãt. Quod in Aphorismis confirmat Hippocrates inquiens: *In pleuriticis sputum si cito appareat incipiente morbo, eũ breuem fore ostẽdit*. Quod leuiter, i. prompte & facile educitur sputum, quod neq; dolor thoracem vllus vehemens affligat, & quod neq; imbecilla sit facultas, ostendit. Siquidem dolor impedit, quo minus thorax actionem suam perficere possit. Quod igitur album, leue, æquale, & consistentia neq; tenue liquidumve, neque crassum fuerit, absolutæ & perfectæ concoctionis nota est. Contra, quod nigrum, tenue, aut crassum est, malum portendit. Nam tenue liquidumve cruditatem portendit summam, & ægre circum spiritum diffluens, exspuitur. Crassum, non nisi magna difficultate attollitur, adeoq; longiorem affectum necessario inducit, inq; angustis quibusdam viis sic intercluditur, vt quosdam suffocauerit. Lentum ita partibus adhęrescit, vt inde non possit eximi, ac sępe sublatum intra pulmonis fistulas glutinis modo adhærẽs detinetur. Sed de sputis satis.

Quid ex sudore prædicendum sit. CAP. XXI.

SVdorem esse excrementum eius, quæ in singulis animalis partibus fit, concoctionis, Galenus *lib. 1. de Tuenda sanitate* demõstrauit. Quapropter is humorũ, qui in vniuerso corporis habitu abundant, nota est, atq; eos, qui illic sunt, affectus demonstrat. Duplicẽ autem esse sudorem, initio sciendum erit. Qui cum signis iudicationis excernitur, iudicatorius nominatur. Qui vero citra iudicationis signa educitur, symptomaticus dicit. Prior bonus est, alter vero malus. Qui autem bonus, qui contra malus, in prognosticis Hippocrates luculenter monstrauit iis quidem verbis: *Sudores in omnib. acutis morbis optimi sunt, si in diebus decretoriis proueniunt, & febrem prorsus auferunt. Boni quoq;, qui e toto corpore manant, faciuntq; vt homo facilius ferat morbum. Qui vero nihil eorum effecerint, haud quaquam commodi videntur. Pessimi autem sunt frigidi, & qui circum caput tantum, & faciem, & ceruicem oriuntur. Isti enim cum febre quidem acuta mortem, cum mitiori vero morbi longitudinem denuntiant*. Hęc ille. In qua vtiq; sententia omnes sudorum differentias complexus est Hippocrates, nempe optimum, pessimum, bonum, & malum. Ad hos enim alii omnes referuntur. Prædictas autem differentias distinguit penes diem, in qua fiunt, locum a quo excernuntur, qualitatem eorundem, & tolerantiam. Penes diem, quod optimi sint, qui diebus decretoriis eueniunt, & integre febrem finiũt. Atq; has duas optimi sudoris notas, tertia, quam Hippocrates, quod necessario priores consequatur, prætermisit, vt toto e corpore manet, necessario sequitur: fieri enim non potest, vt sudor iudicatorio fiat die, & ęgro febrem prorsus adimat, nisi e toto exeat corpore. Penes locum, quod boni sint sudores, qui toto corpore prodeunt, & partem aliquam morbi adimunt, adeoq; vt æger facilius ferat morbum efficiunt. Mali, qui nihil eorum effecerint, id est, neq; e toto corpore profluxerint, neq; vt æger postea morbum facili⁹ ferat, effecerint. Vt perspicuum sit, sudores illos, quibus nihil tale acciderit, deteriores esse: quibus vero alterum tantum, meliores. Ex iis rursum meliores esse illos, qui morbum reddunt tolerabiliorẽ, quamuis toto corpore non diffluant: deteriores vero, a quibus ingrauescit morbus, etsi toto corpore sudetur. Atq; ita penes tolerantiam sudores distinxit. Ceterum, omnes ii sudores calidi sunt, eamq; ob caussam, dum tres eos ordines statueret Hippocrates, idipsum nõ expressit: quippe qui ea, quæ necessario aliqua consequuntur, quæq; facile ex eorum, quę subiiciuntur, oppositione intelligi possunt, prætermittere consueuerit. Pessimi autem sunt, qui prioribus opponũtur, frigidi. Atq; ita penes qualitatem distinguit. Porro simul cum pessimis sudoribus malos etiam commemorat, qui circum caput tantum, & faciem, & ceruicem oriuntur, etiamsi frigidi non sint. Hi namq; animi deliquiũ minitantur. Qui sane in partibus istis, si frigidi videantur, omnium pessimi sunt. Neque enim amplius futuram syncopen, sed iam incipientem ostendunt. Ceterum ex febris vehementia etiam distinguuntur sudores. Nam si febris acuta est, tam frigidi illi sudores, etiamsi toto corpore prodeunt, quam alii qui ceruicem tantum atq; caput, quamuis forte calidi, occupant, perniciem adferunt. Sin mitis est, tandem vires vitiosos humores spatio concoquere poterunt, modo ne prius vehementia febris pessundentur.

Marginalia: Sudor duplex est. — Iudicatorius. — Symptomaticus. — 1. Progn. 29. — Optimus sudor. — Bonus. — Malus. — Pessimus.

DE

A DE PVLSIBVS, SECTIO IV.

Quod pulsus rationis partes, quidque pulsus, & quot eiusdem genera.

CAP. I.

QVVM pulsus perinde atque vrina, sit e numero rerum, e quibus Medici futura in morbis præsagiunt, operæpretium me facturum arbitror, si breuiter quæ ad pulsus rationem attinent, perstrinxero. Eius autem rationis quæ de pulsibus tractat, quatuor sunt partes. Vna quæ φυσιολογικὴ Græce nominatur, ea quidem est, quæ pulsuum genera & differentias ordine percenset. Altera διαγνωστικὴ dicta, quæ qua ratione singuli pulsus cognoscendi & discernẽdi sunt, docet. B Tertia αἰτιολογικὴ vocata, quæ singulorum pulsuum caussas rimatur, & inquirit. Quarta προγνωστικὴ, quæ ex pulsibus futura præsagire docet. Has ordine prosequemur, vbi primũ quid sit pulsus, & quis eius vsus, exposuerimus. Pulsus itaq; vt nõnulli definiunt, est motus cordis & arteriæ sensilis, quo attolluntur, & submittuntur. Alii pulsum finiunt esse cordis & arteriæ indiuisibilem sublationem & submissionem. Veteres optime & perfectissime pulsum ita finire voluerunt: Pulsus est actio propria, primo cordis, secundo arteriarum sublatione & submissione motarum, a vitali facultate, propter natiui caloris commoderationem conseruandam, & animalis spiritus in cerebro ꝓcreationem. Quę quidem definitio, *iuxta Dialecticorum præceptiones*, genere & differentia constat. Genus a. est actio. Nihil autem refert, motionem, an actionem dicas. Siquidem hæc actio non C est nisi cordis & arteriarum motus. Differentia, quod in definitione sequitur, cordis & arteriarum, quæ sublatione & submissione mouentur. Hæ enim propriæ cordis & arteriarum sunt actiones. Etsi enim alias in corde & arteriis reperire licet actiones, nempe alimenti attractionem, retentionem, & id genus alias: hæ tamẽ illis non sunt ꝓpriæ, sed aliis partibus corporis quoq; communes. Ceterum sublatio siue dilatatio is motus siue ea actio est, quæ Græcis διαστολὴ dicitur, quando nimirum cor & arteriæ attolluntur ac dilatantur. Submissio autem, Græcis συστολὴ, est motus, in quo cor & arteriæ submittuntur ac contrahuntur. Non abs re autem in definitione additur: *Primo cordis, secundo arteriarũ.* Cordi enim & arteriis facultas vitalis, quę prima siue effectrix pulsus caussa est, non eodem modo inest. Quippe cordi insita, arteriis nequaquã, sed in tunicas earũdem a corD de dimanat. Caussę etiam in hac definitione exprimuntur. Effectrix, dum ait pulsum a vitali facultate fieri. Instrumentales duæ, cor & arteriæ. His enim duobus, veluti instrumentis, ad sublationem & submissionem vitalis facultas in efficiendo pulsu vtitur. Finales itidem binę, nempe aeris frigidi attractio, & fumidi excrementi expulsio. E quibus manifestum fit, geminum esse pulsus vsum. Quippe per sublationẽ, aer frigidus attrahitur, qui vitale robur excitat & recreat. Submissione autem seu contractione arteriæ, quod ex humorum deustione in toto animante veluti fumidum excrementum cõtractum est, expellitur. Nihil autem mirum, arterias, quum se aperiũt ac dilatant, ad se vndiq; trahere: quum vero contrahuntur, in omnem partem expellere. Nã vis in ipso cordis corpore, vnde contrahitur & dilatatur, in omnes arterias ex eo ortas, per tunicas eaE rundem influẽs, sic eas cogit, aperitq; quemadmodum etiam ipsum cor. Vt igitur illud, quum dilatatur, ea quæ osculis suis appropinquant, trahit: quum contrahitur, expellit: sic quoq; arteriæ, quum se aperiũt, ad se vndiq; trahunt: quum contrahuntur, in omnẽ partem expellunt. Numerosi namq; meatus in arteriis partim veluti spiramenta in earũ sunt tunicis, partim osculorum specie in intestina, ventriculum, & externam hanc cutem finiuntur, per quæ aerem frigidum attrahunt, & fumidum excrementum expellũt. Vt hinc pateat, vnum respirationis & pulsuum vsum finemq; esse, nempe caloris natiui in quaq; parte custodiam. Quod autem ex respiratione vni cordi præstatur, id ex pulsu calori, qui est in toto animali accedit. Vt enim in respiratione per immissum & inspiratum spiritũ natiuus, qui in corde est, calor refrigeratur, idemq; per emissum & exspiratũ F purgatur, fumido scilicet excremento expulso: ita dilatata in pulsu arteria, calor qui est in toto animante natiuus, refrigeratur: submissa autem & contracta, fumidum recrementum eiusdem expellitur. Cuiusmodi igitur respirationis instrumentis est inspiratio, eiusmodi arteriis est dilatatio. Et cuiusmodi est illis exspiratio, eiusmodi arteriis est contractio.

Pulsus rationis quatuor partes. Physiologica. Diagnostica. Aetiologica. Prognostica. Pulsus quid. διαστολή. συστολή. Caussę pulsus. Effectrix. Instrumentalis. Finalis. Vsus pulsus duplex. Vnus respirationis & pulsus vsus.

Pulsus diuisio. CAP. II. A

Simplices. PVlsus alii sunt simplices, alii cõpositi, aliæ sunt pulsuum relationes. Simplicium pulsuum prima genera sunt quinq;, nempe quantitas diastoles seu sublationis, qualitas siue tempus motus, quantitas temporis quietis, qualitas siue robur virtutis, qualitas seu corpus arteriæ. Adiiciunt quidam quantitatem infusionis, & qualitatem caloris. Quantitatis autem sublationis species sunt, pulsus magnus, mediocris, paruus, prout arteria, quæ mouetur, dũ distenditur, magnũ occupat, secundum omnes demẽsiones, spatium, vel minimum vel moderatum. Rursus autem, quia omnis magnitudo triplicẽ habet dimensionẽ, longitudinis scilicet, latitudinis ac ꝓfunditatis, quidã ex hac putãt nouẽ exsurgere specificas differẽtias, ab istis trib. distẽsionis specieb. acceptas. Sũt autẽ

Longus	*Breuis*	*Moderatus* B
Altus	*Humilis*	*Moderatus*
Latus	*Angustus*	*Moderatus*

Ex his vero nouem ad inuicem mixtæ 27. prodeunt, quas studio omittimus. Qualitatis siue temporis motus, celer, mediocris, tardus. Temporis quietis, creber, mediocris, rarus. Roboris virtutis, vehemens, mediocris, languidus. Corporis arteriæ, mollis, mediocris, durus. Vt hac ratione singulis quinque generibus in ternas species dissectis, simplicium pulsuum species seu differentiæ sint numero quindecim. **Compositi.** Compositi autem pulsus sunt, qui ex simplicibus constant, quorum plurimæ sunt differẽtię ex simplicibus speciebus compositæ. **Relationes pulsuum.** Relationes pulsuum intelligere oportet, dum pulsus alii ad alios, vel partes eorum ad alias partes referuntur, quarum quidem C quinq; sunt genera, æqualitas, inæqualitas, rhythmus, ordo, & ordinis perturbatio. Relationes autem vocantur, quod de numero eorum sunt, quæ ad aliquid dicuntur. Quod a. aliqui quindecim tantum simplicium pulsuum differentias esse statuunt, nullo alio fit nomine, quam quod ii vtiles tantũ Medico sint, & ab eo cognoscant. Plenus igitur & vacuus, quia tactu putant esse imperceptibiles, ideo omittunt. Pari modo calidus & frigidus, ꝙ ex iis nihil cognoscatur, neq; illis ad prædicendũ vtantur Medici, itidẽ ꝓtereunt.

De pulsuum generibus, & differentiis. CAP. III.

Primũ pulsuũ genus. PVlsuum genera seu differentias nunc ordine explicabimus. Primum quidem genus quantitate diastoles siue sublationis dilationis seu arteriæ, hoc est, motus quantitate, metitur. Vt enim cuiuslibet corporis tres sunt dimensiones: ita & arteriæ, nempe D longitudo, latitudo, & profunditas. Huius itaque generis differentiæ octo erunt, longus, latus, altus, magnus, breuis, angustus, humilis, paruus. **Longus.** Longus pulsus est, qui longitudine mediocritatem excedit: vel qui præter naturam in longitudine auctus inuenitur. **Latus.** Latus est, qui latitudine mediocritatem excedit. Vel qui naturali pulsu latitudine maior reperitur. **Altus.** Altus, qui profunditate mediocritatem excedit. **Magnus.** Magnus est, qui in omnibus mediocritatem excellit: hoc est, longitudine, latitudine, & profunditate auctus est. Contrarii secundum diminutionem cuiuslibet dimensionis appellantur. **Breuis.** *Breuis* igitur est, cui decedit longitudo infra mediocritatem: vel qui in longitudine naturali minor est. **Angustus.** *Angustus*, cui latitudo mediocris decedit: vel qui in latitudine præter naturam minor est. **Humilis.** *Humilis*, cui altitudo naturalis decedit. E **Paruus.** *Paruus*, qui omnibus tribus dimensionibus imminutus est. **Similitudo.** Ceterum magnum & paruum pulsum Medici rectius haud deprehendent, quam vesicarum, follium fabrorum, vtrium, vterorum, ventrium, & omnium corporum, quæ aliqua cauitate prædita sunt, inspectione. Magnas eorum esse dilatationes distensionesve censemus, quando nimium extenduntur, ita vt nulla partium laxitas in eis deprehendatur. Paruas contra, quando partes laxæ supersunt, quæ adhuc distendi possunt. **Figura arteriæ.** Reliquæ differentiæ ex arteriæ figura, quæ teres & rotunda, fere semper, hincque adeo Græcis κύκλος τῆς διαστολῆς, id est, *circulus dilatationis*, nuncupatur, eo quod circuli circumferentiam repræsentat, cognoscuntur. **Circularis.** Interdum tamen arteria est acuminata siue **Angularis.** angularis. **Depressa.** Nonnunquam etiam iam dictis dissimilis, depressa scilicet, vel plana. F Exprimuntur autem hæ tres arteriæ figuræ iis tribus characteribus & notis:

1. *Circularis*, 2. *Angularis*, 3. *Depressa*, Circulus igitur dilatationis si multis partibus tactui se offerat, altum & latum significat pulsum. Eodẽ autẽ modo profundus, quo latus, cognoscitur. Si vero figura angularis ad tactũ multũ se extulerit, altum & angustũ indi-

A cat pulsum. Sin parum emineat, humilem & angustum. Depressa a. arteriæ figura, latum & humilem mõstrat. Alterum pulsuum genus ex motus arteriæ tactui nostro occurrẽtis tempore, quo arteria mouetur, sumptum, tres differentias obtinet, nempe celerem, tardum, & mediocrem. Celer igitur pulsus est, quũ modico tempore arteria mouetur: Vel qui breui tempore motũ suum finit ac perficit. Dum igitur ad tactum senseris arteriam quũ mouetur non diu morari in locis suis, sed celeriore impetu ferri a superficie in superficiem, q̃ pulsus fit naturalis, is celer erit. Tardus vero est, quando lõgo tempore arteria mouetur. Vel qui multo tempore motũ suum perficit. Dum igitur lentus ꝑmutat superficies, ac diutius in locis suis remoratur, tardus dicetur. Atq; hic notandum venit, modicum seu paucũ & multum tẽpus non simpliciter esse inaudiendũ, sed collatione ad spa- B cium, per q. fit motus. Paucum sc. tempus ad magnum spaciũ, dum celer fit motus: multum vero tempus ad paruum spaciũ, dum tardus fit motus, comparando. Vt verbi gratia si equus vnus vno die octo miliaria itineris conficiat, alter vero viginti, vtrumq; quidem pauco tempore cursum suũ peregisse dicimus, nempe vno die. Celerem tamẽ iudicam⁹ eum, qui tantillo tẽpore viginti miliaria cõfecit: tardum vero, qui octo. Moderatus siue Mediocris est, qui medio modo se habet. Tertiũ genus pulsuum est, quod quantitate tẽporis quietis metitur. Quies autem Græcis ἡσυχία, ἠρεμία, ἀκινησία, & διάλειμμα, i. *interuallum* & *immobilitas* dicitur. Est autem motus priuatio, siue id tẽpus quod inter duas arteriæ percussiones siue duos ictus intercedit. Huius tres sunt differẽtiæ, creber, rarus, & inter hos C mediocris. Creber siue densus aut frequens: nam omnib. iis nominibus Latinis appellatur: est cui breue quietis tempus est, vel quum paruum interpositũ est interuallũ. Vel in quo arteria crebro distenditur. Vel quando breui tẽpore quiescit arteria. Rarus, quũ diuturnum est quietis tempus. Vel quum lõgo tempore quiescit arteria. Mediocris est, qui in medio horum cõsistit. Vt a. huius generis differentiæ rectius cognoscantur, animaduertendum erit duplicem esse quietẽ: vnam veram, quum s. motus nõ fit, nec sentitur: alteram apparentẽ, dum motus quidẽ fit, sed a sensu non ꝑcipit᾽. Est itẽ quies altera supera seu externa, altera infera siue interna. Supera est q̃ post distentionem, antequam incipiat cõtractio, exsistit. Infera vero quies est post cõtractionẽ, antequã incipiat dila- D latatio seu distentio. Vt a. duplex est quies, ita etiã duplex varietas & crebritas, altera sc. secundum quietẽ superã, altera secundum inferã. Si n. arteriæ tunica moratur in vltimo loco, in quem distensione ingressa est, antequã contractionẽ incipiat, diutius q̃ pulsus naturalis, rarus pulsus: sin breuius moratur, creber secundũ externã quietẽ erit. Si diutius v. deserit tactus quam in naturalibus pulsibus, rarus: si vero breuius, creber secundũ inferã quietem erit. Quies a. vera infera seu interna, q̃ sc. inter dilatationis principium & finem cõtractionis intercedit, ac media est, nunquã syncera sentiri potest. Ceterũ ad quietem externã cognoscendã applicatio manus suspẽsa aptissima est: nullã enim motus partẽ impedit. Contra interna cõprimente applicatione manus melius percipitur, suspensa nequaquã. Tantũ autẽ comprimendũ, quantũ per pulsus præsentẽ vehementiam licet, tactu sc. ꝓsequendo contractionẽ quoad possis, vt scias vbi deferatur. Quartũ E pulsuum genus in robore virtutis consistens, treis differentias obtinet, nempe vehemẽtem, languidum, & inter vtrumq; medium. Vehemens est, qui tangentis Medici manũ valide ferit ac pulsat. Nihil autem refert, validum, robustum, aut fortem eundẽ dixeris. Languidus, debilis, remissus, resolutus, siue imbecillis, est qui inualide, & imbecilliter manum pulsat. Mediocris siue medius, qui in horum medio consistit: vel qui mediam quandã ad vtrumq; proportionẽ seruat. Alii vehementem potius ita definire malunt, vt sit qui in comprimente applicatione euertat tactum nostrũ, i. cutim in pulpis digitorũ Medici. Languidũ, qui a tactu in eiusmodi applicatione euertit᾽. Medius est, vbi neutrũ fit, vt scil. nec euertat tactũ, nec ab eo euertatur. Quinti generis a corpore arteriæ sumti differentiæ sunt tres, durus, mollis, & moderatus pulsus. Durus est, quũ durior ac veluti F siccior, coriiq; modo rigidior in occursu apparet arteria. Mollis, quando arteria in occursu mollior, ac veluti carnosa sentitur. Mediocris, qui medio modo se habet. Porro de numero relationũ prima & secũda est æqualitas, & inæqualitas, q̃ aut simpliciter seu absolute, aut certi alicuius generis dicuntur. Æquales absolute seu simpliciter pulsus sunt, qui nullã habent in suis differentiis inæqualitatẽ, adeoq; magnitudinẽ, neq; celeritatẽ, neq; frequentiã, neq; vehementiã, neq; mollitiẽ immutarunt, sed in iis sunt perseuerãtes. Vel breuius, qui serie continua sibi sunt æquales. Illi vero, qui iis omnibus immutati

Secundum pulsuum genus. Celer. Tardus. Paucum & multum tempus. Tertiũ pulsuũ genus. Quies. Interuallũ. Creber. Rarus. Quies duplex. Vera. Apparens. Supera. Infera. Duplex varietas & crebritas. Vera quies infera. Quartũ pulsuũ genus. Vehemens. Languidus. Mediocris. Medius. Quintũ pulsuũ genus. Durus. Mollis. Mediocris. Relatio prima & secũda. Æquales simpliciter siue absolute pulsus.

Inæquales ſimpliciter. Æquales certi alicuius generis. Inæquales certi alicuius generis.

ſunt, & diuerſi a prioribus, non perſeuerãtes in priſtino ſuo ſtatu, inęquales abſolute ſeu ſimpliciter dicuntur. Æquales certi alicuius generis, qui vel magnitudinẽ, vel celeritatem, vel vehementiã ſeruant, appellantur, verbi cauſſa, magnitudine æquales, celeritate æquales, vel in alio quouis genere. Qui vero nõ in iis omnibus ſimul, ſed aliquo ex iis vel duobus, vel tribus generibus variantur & immutantur, cũ nomine eiuſdẽ generis inæquales nominãtur, verbi gratia, magnitudine inæqualis, celeritate inæqualis, vel in alio quouis genere. Vtraq; autem harũ inæqualitatũ, & hæc q̃ eſt certi alicuius generis, & illa q̃ abſoluta dicitur, in duas partitur differentias, nempe in ſingularẽ, & collectitiam ſiue congeſtitiam. De poſteriore hac, veluti manifeſtiore, primo dicemus. Collectitia itaq; vel vt Græci nominant συστηματικὴ, id eſt, accumulata, vel congeſtitia inæqualitas eſt, quæ in congerie ſeu agmine multorum pulſuũ reperitur. Hæc duas primas obtinet ſpecies, æqualem, & inæqualẽ. Æqualiter inæqualis eſt, in qua pulſus æqualiter inæquales ſunt, vt ſi primo pulſu ſecundus ſit paulo minor, & tanto tertius ſecundo, & quartus tãto etiã tertio, & pari modo reliqui, donec ad plures ventũ ſit. Eiuſmodi autem pulſus Græcis Medicis μύουρος, quaſi dicas *cauda muris*, & μυουρίζων; Latinis *decurtatus* & *mutilus* dicitur. Alii nullo tamen diſcrimine hunc pulſum μείουρον vel μειουρίζοντα, id eſt, imminutum, q̃ cõtinuo minor ſpectetur, quandoquidem primo pulſu ſecũdus paulo minor, & tertius ſecundo, & quartus tertio minor ſit, idq; ad plures vſq; perueniat, nominant. Nomẽ hoc accepit, quod eius magnitudini continuo aliquid detrahitur, quemadmodũ caudæ muris craſſities magis ac magis quanto longius protenditur, minuitur. Eius autem generis pulſus iterum bifariam diuiduntur. Alii enim ſunt, qui non ceſſant diminui vſq; ad defectionẽ, id eſt, donec ad quietem ac immobilitatem prorſus finiunt ac recidunt: & ii Græcis μύουροι ἐκλείποντες, Latinis *Myuri* ſeu *decurtati* deficientes, appellantur. Alii ſunt, qui ceſſant diminui ante defectionem, priuſquam ſcilicet arteria moueri deſiſtat. Et hi in duas iterũ ſecantur differẽtias. Alii enim ſunt qui perſeuerant in eadem paruitate, ad q̃ ſenſim deciderunt. Hi proprio deſtituuntur nomine. Alii non perſeuerant in eadem paruitate, ſed denuo augentur. Hi μύουροι παλινδρομοῦντες Græcis, *decurtati reciproci recurrenteſve* Latinis vocantur. Redeunt aũt aut ad priſtinã magnitudinẽ, aut ad minorẽ aut ad maiorẽ. Atq; hæ ſunt inæqualium æqualiter fientium pulſuũ differentiæ. Nec eſt cur quiſpiam miretur, quod pulſus inæquales fieri æqualiter dicamus. Quatenus enim æqualitatem mutant, inæquales dicuntur: quatenus autẽ æqua mutatione alter ab altero ſenſim & gradatim decedit, æqualiter fieri dicuntur. Inęqualiter inæquales pulſus ſunt, qui inæquales exſiſtentes, inæqualiter etiam fiunt, id eſt, non ſenſim gradatimve, nec ſeruata ad inuicem æqua diſtantia. Hi ſæpiſſime ægrotis accidunt, & multæ ſunt eorum differentiæ. Alii enim magnitudine dilatationis inæqualitatem efficiunt: alii celeritate & tarditate: alii crebritate & raritate: alii vehemẽtia & debilitate: alii duritie & mollitie. Atq; ii ſunt ἀνώνυμοι, id eſt, proprio nomine deſtituti. Quidam v. p̃pria nomina habent, qui numero quatuor ſunt, intermittẽs, intercidẽs, intercurrenſve, deficiens & deficiẽs reciprocatus. Intermittens, qui Græcis διαλείπων dicitur, fit quando non ſolum in vno, aut pluribus etiam magnis vnus minor apparet, ſed nonnunquam totus quoq; motus aboletur. *Inæqualis* igitur eſt propter raritatẽ, quia deeſt pulſus ictuſve vnus, vel duo, vel tres, vel plures. *Intercidens* vel *intercurrens*, Græcis παρεμπίπτων vocatus, iam dicto plane contrarius eſt: fit enim quando exſpectata quiete in medio tanquam ſuperuacaneus aliquis ictus intercidit. Inæqualis igitur eſt crebritate ac frequentia, quia inter duos ictus intercurrit tertius, veluti ſuperuacaneus. Deficiens, qui Græcis ἐκλείπων nominatur, eſt quando arteria motu deſtituitur, ac immobilis manet. Deficiens reciprocus recurrenſve, Græcis ἐκλείπων παλινδρομῶν appellatus, eſt in quo iterum agitari & moueri arteria incipit. Hic affinis eſt intermittenti, hoc tamen diſcrimine, quod deficiens reciprocus poſt longius fit temporis interuallum, quo arteria immobilis permanet. Intermittens autem vno, vel duobus, vel tribus, ad ſummum quatuor pulſibus, raro quinq; omiſſis, alios repetit. Atq; hæ ſunt collectiuæ ſeu ſyſtematicæ inæqualitatis veræ differentiæ. Supereſt inæqualitas ſingularis, quæ in vno fit pulſu. Hæc ſiue abſoluta, ſiue certo aliquo in genere, vt exempli cauſſa, in celeritate & tarditate, duas primas habet differentias. Nam altera eſt in vna parte arteriæ, altera in pluribus partibus, quas plures digiti attingunt. Quæ in vna parte, ſub vno ſcilicet digito, tres gignit differentias. Prima eſt, quando motus fit inter-

Marginal notes: Collectitia. συστηματικὴ. — Æqualiter inæqualis. — μύουρος. μείουρος. Decurtatus. — μύουροι ἐκλείποντες. Decurtati deficientes. — Decurtati reciproci recurrenteſve. μύουροι παλινδρομοῦντες. — Inęqualiter inæquales. — Intermittẽs διαλείπων. — Intercidẽs. παρεμπίπτων. — Deficiens. ἐκλείπων. — Deficiẽs reciprocus. — Intermittẽtis & deficientis reciproci diſcrimen. — Inęqualitas ſingularis, & eius differentiæ.

A intercisus, seu interruptus quiete interpellante. Hæc facit pulsus, quos Græci διαλείποντες διαλ' ἕνα σφυγμὸν, Latini *intermittentes in vno pulsu*, nominant. Secunda, quando motus est continuus, nulla intercisus quiete, transiens a celeritate in tarditatem, aut contra. Hic pulsus Græcis ἀνισοταχὺς, Latinis *impar citatus*, aut simpliciter impar dicitur. Tertia est, cũ motu retrocedente, & redeunte. Hæc facit pulsus qui Græcis δίκροτοι, ἀπὸ τοῦ δικροτεῖν, a bis pulsando, & Latinis *bis pulsantes*, appellantur. Nam a dilatatione recurrunt, & antequam perfecte submittuntur, secundo pulsant, id est, nondum perfecta distensione contractio fit, & mox dilatatio & ictus alius sequitur. Differunt ab illis, qui Græcis δὶς πλήττοντες, Latinis *bis ferientes*, quod duos ictus ad digitum faciant, nuncupantur. Nam etsi omnis bis pulsans, etiam est bis feriens: tamen non omnis bis feriens, est bis pulsans. Nam bis B pulsans facta dilatatione, tactum primo ferit, mox submissione exigua facta, iterum post illam dilatatus secundo pulsat: licet igitur bis pulset, non tamen vlla est media cõtractio inter primum & secũdum ictum. Bis feriens autem post vnũ ictum, paucula interposita quiete, quę motum dilatationis dirimit, iterum tactum secundo afficit, complens dilatationẽ. Vt bis feriens non sit nisi is, qui a dilatatione recurrit, & antequã perfecte submittatur, secundo tactum ferit. Exemplo res planior erit. Sint duo qui femur punctim vulnerẽt, quorũ alter quidem primo statim impetu ense ad os vsq; intruso pungat, eoq; mox modice retracto, nõ tñ exemto & educto, secũdo eo quo prius modo pungat: alter autem itidem ense impacto, atqui eius mucrone ad mediũ tantum femoris penetrante, pungat, paucula vero mora interposita ense haud retracto, secundo profundius, & ad os C vsq; pungat. Hic quidem vterq; istorum bis feriendo pupugit, sed ille contrariis motib. est vsus, pupugit enim bis, sed retractione interueniẽte: hic quoq; bis pupugit, atqui citra vllam retractionẽ, modice in medio vulnere remoratus. Galenus simile affert de incude & malleo, quod minime quadrat, ita ab Archigene deceptus. Quare illud *lib. 2. de Præcognitione ex pulsibus* damnat, & sui erroris palinodiam canit. Atq; hactenus de ea inæqualitate, q̃ in vno pulsu fit, & in vna parte arteriæ, diximus. Nunc de ea inęqualitate, quæ in vno fit pulsu, sed in diuersis arteriæ partibus, id est, quas plures contingunt digiti, duo videlicet, vel tres, vel quatuor, disseremus. Hæc bifariã primo fit, nunc quidẽ quũ motus continuus manet, & arteria iuxta quosdam digitos citius, iuxta quosdam v. tardius mouetur. Cuius quidẽ multæ sunt differentiæ. Nũc vero motus interciditur, seu p D quietem interrumpit, vt scilicet nonnulli digiti motum apprehendãt ac sentiant, nonnulli vero non. Atq; hic iterum multę exoriunt differentiæ, quas nominatim recensere nihil attinet. Vt in qualitate motus sunt inæqualitatis differentiæ, ita etiam in qualitate virtutis, nempe in vehementia, debilitate & mediocritate. Nam aut vnam occupat partem, aut plures. In qualitate etiam arteriæ, in diuersis arteriæ partibus inæqualitas esse potest. Idem etiã in qualitate diastoles seu sublationis accidit, in qua in diuersis arteriæ partibus secundum magnitudinem & paruitatem inæqualitas accidit. Ex quo genere sunt qui μύουροι, i. decurtati in vno pulsu vocant, & illi qui Græcis ἐπινενευκότες καὶ περινενευκότες, Latinis eminuli & prominuli, siue nutantes & circumnutãtes dicunt. Si enim sub digito tangentis fit pulsus magnus, sub secundo autem minor, sub tertio qui est ad ægrotan- E tis pollicem adhuc minor, æqua proportione imminutus, myur' siue decurtatus in vno pulsu, ob muris caudæ similitudinem, quod scilicet eius modo minuat, dicitur. At si iuxta medios digitos magnus, & qui in gibbum eleuetur occurrẽs pulsus, vtriusq; minuat minor apparens, Archigeni nutans & circumnutans, aut eminulus & pminulus appellat, manifeste significare volens distentionis dilatationisve paruitatem, cũ vtrorumque extremorũ nutatione ac depressione. Nõ n. vt abscissis confertim vtrinq; partibus, sed veluti inflexis in arcũ angustumq; cõtractus est, decurtatus magnitudine in vtrisq; partibus existens. Porro in tempore quoq; quietis inæqualitas est, q̃ in aceruo multorum pulsuũ cõsistit, dum qetes partim sunt maiores, partim minores, & singulares, in vno sc. F pulsu in diuersis arteriæ partibus: dum sc. non omnes simul mouent, nec simul quiescũt sed aliæ prius, aliæ posterius motum incipiunt aut desinũt. Huius inæqualitatis quatuor sunt differentiæ recens a Galeno excogitatæ, quas veteres, vtpote inutiles, omiserunt. Neq; n. ad tactũ prõpte & exacte percipi possunt, sed tantũ cogitatione. Nec si percipiantur, aliquid ex iis serii pdici potest. Quare nõ est cur in illis indagandis multũ operæ ponam'. Iã simplices omnes inæqualitates pulsuũ, in omnib. quinq; eorũ primis generi-

Intermittẽtes in vno pulsu.
2. ἀνισοταχὺς
Bis pulsantes. δίκροτοι.
Bis feriẽtes. δὶς πλήττοντες.
Simile.
Galenus sui erroris palinodiam cecinit.
Inæqualitas vnius pulsus, sed in pluribus partibus arteriæ.
Inæqualitas pulsus in reliquis generibus.
Decurtatus in vno pulsus.
Nutans, & circumnutans Eminulus & prominulus.
Inæqualitas in tempore quietis.

Inequalitas in situ arteriæ.
Pulsus tēsi.

bus absoluimus. Præter has vero est adhuc alia in situ arteriæ, vbi scilicet partes eius nō- A nunquam sursum, nonnunquam deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum trahuntur. Quod vbi fit, efficiuntur pulsus, quos Græci τείνοντας, Latini *tensos*, alii *contortos* vocant. Præter iam dictas pulsuum inæqualitates simplices, quæ quidem Medico vtiles sint, aliæ non reperiuntur.

Infusio quid.

Galenus tamen extra prædictas esse quandam inæqualitatem ab infusione arteriæ sumptam refert. Infusionis autem nomine non intelligit, nisi arteriæ infusam substantiam, id est, humorem in ea contentum, propter quem fit vt plenæ sint aliæ partes, aliæ vacuæ, idq; nulla alia de caussa, quā vt eius ætatis Medicis gratificaretur, inter quos tum magna de pleno & vacuo pulsu contentio erat.

Plenus pulsus.

Plenum autē, *vt Archigenes illum definiuit*, esse dicebant eum, qui solidiorem exhibet arteriā, & occursum ipsius humore refertum, adeo vt is non sit nisi qui multum remittitur, ita vt si prematur etiam arteria a manu, non moueatur. B

Vacuus.

Vacuum, ꝗ bullosam arteriæ sublationem efficit, ita vt digitorum impressioni per vacua ingressus occurrat. Vel clarius, eū qui parum renititur, ita vt si premat arteria a manu moueatur.

Mediocris.

Mediocris est, quū vas mediocriter se in infusione habet.

Pulsus plenus & vacuus perperā a sectatoribus Herophili introductus.

Galenus quidem in eo libello cui titulū fecit, *Introductiones in pulsus*, hoc genus pulsus omisit, quod falso ab Herophili sectatoribus sit introductum, sicut alia multa, quod tactu a Medico dignosci nequeat, idq; tribus de caussis. *Vna*, quoniā arteriæ tunica crassa admodum est. *Altera*, ꝗ cutis eam tegens, itidē crassa sit. *Tertia*, quia motus arteriæ perpetuus est, qui omnem in ea contentorum notitiā ꝑturbat & obscurat. Non potest igitur quod in arteriæ cauitate continetur tactu dignosci, quod tunica eius compressione, ob suam crassitiem, cauari nequeat, nec sonitum vllum percipiamus, nec vllam fluctuationem sentiamus. C

Inequalitas calidorū & frigidorū.

De inæqualitate autem calidorū & frigidorū pulsuum, non est cur multa dicā. Quippe hos pulsus cognoscere Medico parum cōfert, imo eos scire operæpretium non est. Nam ad calorē & frigus cognoscendū magis Medico conducit tangere ægri thoracem, dorsum, axillas, hypochondria, volas manus, & plantas pedum, q̄ arteriam. Sed de inæqualitate simplici hactenus. Nunc cōpositas pulsuum inæqualitates, & eas præsertim, quibus Medici nomina indiderunt, quæ decem differentiis cōplectuntur, quas ordine explicabimus, persequemur.

1 Vndosus κυματώδης

Primus pulsus Græcis κυματώδης, Latinis *vndosus fluctuosus ve* dictus est, quem duæ potissimum inæqualitates simul iunctæ faciunt, magnitudo scilicet dilatationis diuersa in diuersis arteriæ partib. D & crebritas diuersa. Fit enim, vbi non vniuersa simul dilatatur arteria, sed initio pars ei' prima, deinde secunda, mox tertia, ab hac quarta, motu non continuo, sed interrupto, manente, in modum vndarum fluctuum ve sese eleuantium. Vt enim semper altera vnda priorem excipit, sic etiam in vndoso pulsu aliquarum partium arteriæ altitudo, aliarum humilitas est. Adest illi & remissionis in virtute inæqualitas, ꝗ aliæ partes validius, aliæ debilius feriunt. Nec celeritatis par est progressus, sed aliæ celerius, aliȩ tardius cientur.

2. Vermiculans. σκωληκίζων

Si vndosus totus in paruitatem delabatur ac tarditatem, Grȩcis σκωληκίζων, Latinis *vermiculans*, quod vermis gressui adsimilis sit. Nam vermes, quos lumbricos terrȩ nominant, in modum vndarum mouentur ac progrediuntur, rependo, nō currendo. Vt vermiculans non sit, nisi quando arteria reptantem vermem, atq; vndȩ instar subsilientem E nobis reprȩsentat.

Differentia vndosi & vermiculantis.

A vermiculante igitur vndosus differt dilatationis magnitudine. *Vndosus* enim cum magna, vermiculās autem cum parua & exigua dilatatione accidit.

3. μυρμηκίζων. Formicans

Formicans, qui Græcis μυρμηκίζων dicitur, ex iisdem inęqualitatibus, ex quibus vermiculans, constat. Fit vbi multis motibus abolitis & amissis, in vnum eumq; plane exiguum terminatur. Nomen inuenit a similitudine, quæ sibi cum animāte formica exsistit, tum ob paruitatem, tum ob motus speciem. Est enim is pulsus omniū minimus, creberrimus, similiter & languidissimus, non tamen, vt Archigeni visum est, celer.

Archigenes deceptus.

Deceptus est autē eius crebritate, & paruitate. Nā sicut formica crebro pedes mouet, sed parū promouet, quoniam exile spatium vix iusto tempore transcurrit: sic pulsus formicans paruum motum egre, licet crebro conficiens, falsam celeritatis speciem præbet. F

4 Caprisans δορκαδίζων.

Is vero qui Grȩcis δορκαδίζων, Latinis *caprisans* dicitur, ex duobus quoq; cōpositus est inæqualitatib. Vt enim sit caprisans, sola celeritatis inæqualitas non sufficit, nisi accedat & vehementia secundi motus maior priore. Est enim quiete intercisus, ac deinde velocior apparet. Sic autem a caprea, quæ Græcis δορκὰς vocatur, nominatus est. Quippe quemadmodum illa inter saliendum, sublimis hæret, atque secundum motum inopinatum priore celeriorem

moli-

A molitur: ita hic pulsus, quum aliquantulum intercisus videtur, deinde multo citatior apparet. Pulsus vero is, qui Græcis ἐμπρίων, Latinis *serratus* vel *serrans* nuncupatur, illam in primis inæqualitatem sortitur, quæ in vno est pulsu, sed in diuersis arteriæ partibus, motu interciso. Fit enim, vbi alia arteriæ pars dilatata, alia vero minus propter ipsius duritiem esse videtur. Sic dictus vero est, quod is, qui huiusmodi pulsum tangit, imaginem cuiuspiam rei, quæ tactum serrat, percipit. *Conuulsorius*, qui Græcis σπασμώδης dicitur, est, qui vtrinq; ab extremis retractus, & protensus, conuulsusq; videtur, instar chordæ alicuius tensæ sensum præbens. Sunt qui illum retortum nominent. *Turbulentus* seu *vibratus*, Græcis κλονώδης vocatus, est in quo nihil tale reperitur, sed maior in eo est sublatio: vt partium arteriæ hæ quidem sursum, hæ vero deorsum vno eodemq; tempore ferantur.

5. Serratus ἐμπρίων.

6. Conuulsorius. σπασμώδης. Retortus.

7. Turbulentus. κλονώδης. Vibratus.

B Quod ita accipiendum erit. Arteria in vibrato pulsu exsilit supra, ad cutem scilic. quam & secum affert ex sede sua, iterumq; intro retrahitur, quod nec constituto tempore seruat, nec interpollatim, sed vno eodemq; momento, alia pars eius fertur supra ad cutem, veluti circulata: alia intro ferri videtur, veluti a quopiam retracta, atq; validius ferit, alia remissius, alia tardius, alia celerius. Quid multa? pulsus conuulsiuus similis est, dum dilatatur, lineis incuruatis modice, vtrinq; tẽsis, hoc modo ⁀ Vibratus vero lineis multum inflexis in altum, & acuminatis hac lege. ⋀ Pulsus hecticus est, qui semper sui similis manet. Quemadmodum enim hectica febris semper sui similis est, ita quoq; pulsus hecticus, qui mutationem nullam subit, sed constanter idem manet. Vt igitur hecticus sit, constantia & perseuerantia opus est. Nihil autem refert cuius generis, vel speciei,

8. Hecticus.

C vel differẽtiæ sit. Ceterum cor & arteriæ in sanis nullo alio cientur motu sensibili, quam distentione & contractione. In ægrotis autem sæpenumero tremere & palpitare videtur. Quum itaque ad motum cordis & arteriarum proprium, qui pulsus dicitur, accedit vel tremor, vel palpitatio, erit tum motus ex vtrisq; compositus, qui a Græcis παλμώδης ἢ τρομώδης, a Latinis *palpitans*, aut *tremulus* appellatur. Hic inter inæquales compositos numerari potest, quod tremor & palpitatio inęquales variationes magnitudinis, vehemẽtiæ & crebritatis efficiant. Meminit Galenus & strepentis pulsus. Hic maior & vehemẽtior est, cum quodam veluti strepitu sub digitis, fitque interdum cum tensione arteriæ, interdum sine tensione, non tamen absq; duritie. Atque hæc de primis duabus relationibus dixisse satis sit. *Tertia* relatio rhythmus appellatur. Est autem rhythmus geminus:

9. Palpitans ac tremẽs.

10. Strepens.

Relatio tertia. Rhythmus.

D vnus Herophilius, sic dictus, quod illum Herophilus excogitauerit, Philosopho magis quam Medico aptus. Alter Galenicus, a Galeno repertus, Medico vtilis. Rhythmus autem Herophilius, est eorum quæ in pulsu sunt temporum ad inuicem proportio. Proportio vero, Euclide teste, est duarum eiusdem generis quantitatum, vnius ad alterum habitudo. Quum autem tempus sit e genere quantitatis, si conferas quantitatem vnius temporis ad quantitatem alterius, ex illa collatione constabit, vtra alteram excellat, an vero sint pares. Fuerunt autem de iis temporũ proportionibus, quæ ex collatione vnius ad alterum noscuntur, tres apud veteres opiniones. Vna erat eorum, qui contractionem pulsus se percipere posse negabant: altera eorum qui contractionem sentire se dicebant: tertia eorum, qui etiam contractionem prædicabant. Pro quibus rectius intelli-

E gendis sciendum erit, in quouis pulsu esse quatuor tempora. *Primum* est tempus dilatationis, id est, tempus quo arteria dilatatur. *Alterum* tempus contractionis, id est, quo arteria contrahitur. *Tertium* tempus, quietis superæ. *Quartum* tempus, quietis inferæ. Quę autem sit supera & infera quies, supra ostensum est. Primæ opinionis asseclę tempus dilatationis conferebant, cum tempore interualli, quod Græcis διάλειμμα vocatur. Hoc aũt erat tempus omne post dilatationem, quod in se tẽpus quietis superæ, cõtractionis, & quietis inferæ complectitur. Igitur de horũ sententia proportio tẽporis dilatationis, ad reliqua tria tempora, quę illi vno vocabulo interuallum vocabãt, rhythmus erat. *Alterius* opinionis homines tempus dilatationis cũ tẽpore cõtractionis cõparabant, & iuxta hos ipsos rhythmus erat proportio temporis motus dilatationis, ad tempus motus contra-

Quatuor in quolibet pulsu tempora. 1. 2. 3. 4.

1. Interuallum. διάλειμμα.

2.

3.

F ctionis. *Tertiæ* opinioni addicti conferebant tempus dilatationis cum tempore contractionis adiuncto vtrique motui tempore quietis, quę ipsum sequitur, ita vt quies supra simul in tempore dilatationis pars vna in collatione fuerit: quies vero infera cum tempore contractionis pars altera. Celebriores autem præ ceteris erant ii, qui secundam tuebantur opinionem, & proportionem temporis dilatationis ad tempus contractionis

Rhythmus æqualis. Inæqualis. rhythmum esse censebant. Hi eius duas differentias faciebant, alterum pari proportione constantem: alterum impari. *Pari*, quando tempus dilatationis æquale est tempori contractionis. *Impari*, quando alterum excedit alterum. Hic igitur vocatur *Rhythmus inæqualis*: ille *vero æqualis*. Æqualis sane rhythmus, qui sanis hominibus competit, magnam latitudinem habet: alius enim longorum temporum, alius breuium, alius plus, alius plurimum, omnes tamen æquales, quoniam neutrum tempus alterum excedit. Varius est igitur rhythmus in pulsu secundum varia temperamenta, sexus, ætates, anni partes, regiones. Quod si temperamentum, sexus, vel ætas rhythmi proportionem suam seruauerint, εὔρυθμον, hoc est, *concinnum* seu *bonum rhythmum* pulsum habere dicetur. Si vero labefactat rhythmum proprium ætas aliqua, vel sexus: vel temperamentum, desciscendo scilicet, & deflectendo a proprio rhythmo, ἄρυθμον pulsum habere dicetur, id est, malum rhythmum, non qui omni orbetur rhythmo. Fieri enim non potest, vt sit ætas vel sexus, vel temperamentum omnino sine rhythmo. Quilibet enim pulsus, qualiscunque sit, alicuius rhythmi sit necesse est. Vt igitur ἄφωνον dicimus esse eum, qui a propria desciuit voce, & malam nactus est: ita arythmus vitium est natiui pulsus, non absoluta abolitio. Eurhythmus igitur vnus & indiuisus manet, quum sit secundum naturam: Arhythmus autem in tres partitur differentias. Alius enim est, qui destruit suæ ætatis rhythmum, alium tamen vicinæ ætatis mutuatur, qui *Pararhythmus* dicitur. Alius est, qui non vicinæ ætatis, sed cuiusuis alterius rhythmum mutuatur, & heterorhythmus vocatur. Alius, qui nullius ætatis rhythmum retinet, & hic ecrhythmus nominatur. Alius autem est cum manifesto & certo excessu, alius cum occulto & incerto. Si est cum manifesto excessu, id fit aut cum proportione, quam musici Græci πολλαπλάσιον, Latini *multiplicem* appellant, cuius species sunt, dupla, tripla, quadrupla, quintupla. Aut cum proportione, quam Græci ἐπιμόριον, Latini *superpartialem*, quam etiam numeri ad numerum appellant: cuius species sunt hemiola, sesquitertia, sesquiquinta, sesquisexta. Occulto autem excessu trifariam fit. Aut enim tempus dilatationis, aut contractionis, aut vtrunque occultum est. Occultum tempus seu incertum est, quod Græci ἄῤῥητον vocant, quod adeo est diminutum, vt nulla nota musica, ne minima ♪ exprimi possit. Herophilo tempus primum vocabatur. Iam vero singulatim quodq; tempus, contractionis scilicet ac dilatationis, occultum vel adauctum aliquantulum vel diminutum, plus vel plurimum. Sed satis de Herophili argutiis, quæ parum fructus, at multum laboris lectori afferunt. Nam Galenus *in libro de dignoscendis pulsibus tertio*, manifeste ait, *rhythmorum Herophiliorum rarissimum, aut nullum fere esse posse vsum apud Medicos, proinde suos longe faciliores, & vtiliores ad cognoscendum plurima, quæ in morbis scire expedit*. Qui quales sint, iam dicemus, modo quid ille rhythmum vocarit, prius exposuerimus. Rhythmus, de Galeni sententia, est qualitatum modus dilatationis & contractionis ad inuicem proportio. Qualitates autem motus intelligit celeritatem, tarditatem, & inter vtrasq; mediocritatem. Non n. solum certæ sunt quantitatum, de quarum genere tempus est, proportiones, sed etiam qualitatum ipsarum. Quippe sic dicimus ex calidi, frigidi, humidi, & sicci proportione conuenienti, constare sanitatem. Sic dulcem saporem ex certa proportione qualitatum, sic acrem ex alia, amarum ex alia. Sic denique & in viridi colore, cæruleo, puniceo, diuersa dicuntur albi & nigri, ac luminis in mixtura proportiones. Nihil igitur absurdi est, si celeritatem & tarditatem dilatationis & contractionis ad inuicem, ac earum collationes seu aptitudines varias, proportiones seu rhythmos nuncupemus. Cuius quidem rei testis est Galenus, qui *lib. 1. de spirandi difficultate* ita scriptum reliquit: *Quum inspirationem exspirationi conferimus, vt in pulsibus dilatationem contractioni, rhythmum appellamus*. Distant igitur inter se tempus motus, & qualitas motus. Hæc enim ex loco arteriæ, illud vero ex figura eiusdem, *vt supra dictum est*, cognoscitur. Rhythmus igitur seu proportio qualitatis motus distensionis dilatationisue & contractionis, alia est par seu æqualis, alia impar siue inæqualis. Æqualis tres sunt differentiæ. *Primus* est, in quo dilatatio celeris, & contractio celeris est. *Alter*, in quo dilatatio & contractio moderata existit. *Tertius* rhythmus æqualis, in quo dilatatio & contractio tarda est. Inæquales rhythmi sex sunt. *Primus* est, in quo dilatatio moderata, contractio autem celeris. *Alter*, in quo dilatatio tarda, contractio celeris. *Tertius*, in quo dilatatio celeris, contractio moderata. *Quartus*, in quo dilatatio tarda, contractio moderata.

Marginalia: Eurhythmus. — Arythmus — Pararhythmus. — Heterorythmus. — Ecrhythmus. — Proportio multiplex. — Proportio superpartialis. — Occultũ tempus. — Tempus primum Herophili. — Rhythmi Galenici. — Qualitates motus — Qualitas motus. — Rhythmi differentiæ. — Æqualis. 1. 2. 3. — Inæqualis. 1. 2. 3. 4.

A moderatæ. *Quintus*, in quo dilatatio moderata, contractio tarda. *Sextus*, in quo dilatatio celeris, contractio tarda, atq; hactenus de rhythmo Galenico. Restat, vt de ordine, & ordinis perturbatione dicamus. Pulsib. æqualib. semper est ordo adiunctus: inæquales vero alii sunt ordinati, alii inordinati. Ordinati sunt, qui in multis pulsationib. suā diuersitatem obseruant. Inordinati sunt, qui non seruant diuersitatē suam. Diuersitas vero est vel magnitudinis, vel celeritatis, vel crebritatis, vel vehemētiæ, vel omniū, vel aliquorū ex iis. Vt verbi gratia, sunt octo pulsus continuo vehementes, nonus sit debilis: si rursus post nonū sequant octo vehementes, & nonus iterū debilis, & sic ordine deinceps alii; is pulsus in vno genere, vehemētia nimirum inæqualis est, sed ordinatus, quoniā seruat eandē diuersitatem. Post octo enim pulsus vehementes sequit continuo nonus debilis.

De ordine, & ordinis perturbatione. *Ordinati. Inordinati.*

B At si hæc diuersitas variet, & perturbetur huiuscemodi pcessus erit, tū quoad vehemētiam inæqualis, & inordinatus. Eadē ratione si pulsus sint vndecim magni, duodecimus paruus: & iterū vndecim magni, duodecim⁹ paruus: ac tertio vndecim ex æquo magni, & duodecimus paruus: erit hic pulsus inæqualis magnitudine collectitia inæqualitate, sed ordinatus. Quod si confundatur iste pulsuum progressus, ita vt sint quidem nōnulli magni, & aliquis inter eos paruus, nunc octauus, nunc sextus, nunc quartus, erit hic pulsus inæqualis, & inordinatus. Simili modo & in aliis pulsuum differentiis, in quibus omnib. simul si sit inæqualis nō seruata continuo eadem diuersitate in processu, erit pulsus absolute inordinatus, sicut & absolute inæqualis. Porro inter omnes pulsus oppositos omnium generum, de quibus ante egimus, sunt alii medii, qui mediocres nuncupā-

C tur: æquali autem & inæquali nullus est medius, neque etiam inter ordinatum & inordinatum medius exsistit, nisi eum qui circuitib. ordinatus est, medium dicere velimus. Est vero huiusmodi pulsus, quando, exempli caussa, quatuor magnitudine continuo impares sunt, quatuor alii sequentes proportione pares prioribus, ita vt quintus primo, sextus secundo, septimus tertio, octauus quarto respōdeat, & æquetur. Tales enim pulsus, quatenus ordine continuo destituuntur, inordinati sunt: quatenus vero circuitus similes obseruant, eatenus ordinati circuitibus dicūtur, qui medii quodammodo sunt inter ordinatos & inordinatos. Talis etiam est, si accidat, vt fiant duo magni, & duo parui, deinde tres magni, & tres parui, & quatuor magni, & quatuor parui: & rursus tanquam reflectentes, duo magni, & duo parui, tres magni & totidem parui, & deinceps

D similiter. Nam is quoq; pulsus, quatenus ordine continuo destituitur, inordinatus est: quatenus autem circuitum quendam obseruat, ordinatus secundum circulum dicitur.

Pulsus circuitibus ordinatus

De pulsuum caussis. CAP. II.

CAussæ pulsuum aliæ sunt primariæ seu generationis, aliæ secundariæ, siue alterationis, & mutationis. *Primariæ* seu Principes sunt tres, facultas, instrumentum & vsus. Alio nomine continentes dicuntur, quod pulsuum essentiam contineant. Hæc n. vis & natura est caussarum continentium, quod nulla mutari potest, quin etiam effectus immutetur. Facultas, a facultate efficiendi pulsus, ita nominatur. Instrumentū, est arteriæ corpus, quod densis ac spissis constat tunicis, & intus cauū est. Vsus, finis est, gratia cuius

Caussæ. Primariæ. Continentes. *Facultas. Instrumentum. Vsus.*

E pulsus fit. Fit aūt tū propter natiui caloris conseruationē, quæ efficit dilatatione refrigerante ac flagellante, contractione vero quod fuliginosum est, excernente, tū propter spiritus animalis nutritionem, ad cuius generationem dilatatio idoneam materiā, *id est*, aerem trahit. Facultatū autem alia est robusta, alia imbecilla. Instrumētorū aliud molle, aliud durū, aliud mediocre. Vsus alius est auctus, alius diminutus, alius mediocris. Ceterum e numero caussarū secundariæ sunt, q̄ non generationis, sed mutationis siue alterationis iam genitorum pulsuum caussæ exsistunt. Vel q̄ pulsus efficere nō valent, alterare possunt. Alterandorum itaq; pulsuum nō generandorum, secundariæ dictæ sunt caussæ, veluti ætas, sexus, anni, tempora, regiones, balnea, cibi, potus, exercitationes, somnus, vigilia, & alia id genus, quas Medici res nō naturales vocāt, itē morb⁹ & sympto-

Secundariæ caussæ

F ma. Has pulsuum caussas Galenus in externas, & præcedētes digerit. *Externas* vocat, q̄ extra corpus positæ, aliquid eorum, quæ in corpore sunt, alterāt, vt frigus, calor, vinum, cibus, & iis similia: præcedentes, quæ corporis affectus sunt, & caussas continentes mouent, vt cutis densitas, retētio euaporationis, & febris, quia hę omnes alterāt vsum pulsuum. Porro caussæ primariæ aliquæ edūt pulsus, Græcis ἰδίους καὶ ἀχωρίστους, Latinis *proprios & inseparabiles* dictos: & præter hos etiam familiares, quos Græci οἰκείους vocant. Aliquæ

Externæ. *Præcedentes.*

Pulsus proprii, inseparabiles. Familiares. Facultatis. Magni, vehementisq; puri, celeris, crebri, horumq; contrariorum caussæ. Instrumenti. Vsus.

autem familiares tantum edunt. Proprii & inseparabiles sunt, qui ab vna & eadẽ caussa primaria proficiscuntur. Familiares vero, qui a plurib. primariis caussis nempe duab. vel tribus nascuntur. Facultas robusta proprium & inseparabilẽ pulsum edit vehementem: cũ hoc vero alios familiares magnũ, celerem, rarum. Imbecilla facultas proprium efficit pulsum languidum: cũ hoc vero alios familiares, paruum, tardum, crebrũ. Instrumentum molle, proprium edit pulsum mollem: cum hoc alios familiares, magnum, celerem, rarum. Durum instrumentum generat proprium pulsum durũ: familiares vero, paruum, tardũ, crebrũ. Vsus auctus, id est, calor in corde exsuperans & increscens nullũ proprium edit pulsum: familiares tñ habet magnũ, aliquãdo magnũ & celerẽ, nonnũquam magnum & celerem simul & crebrum. Vsus diminutus, proprium nullũ itidem obtinet: sed ei familiares sunt paruus, interdũ paruus, simul & tardus, aliquãdo paruus simul & rarus. Dum itaq; vsus augetur, primũ quidem magnus fit pulsus: vbi vero magnitudo vsus non suffecerit, mox etiam celeritas ei accedit. Quod si nec hæc cum magnitudine satis fecerit, statim frequẽtiam assumit. Decrescente vsu, primum recedit crebritas, secundo celeritas, postremo magnitudo. Contrarius enim est recessus pulsuũ familiariũ aduentui. Primũ igit erit perspicua raritas, deinde si magis adhuc imminuatur vsus, tarditas apparebit: sin adhuc maior, paruitas succedet. Hæc aũt accidunt, vbi per solum vsum auctũ vel imminutũ pulsum fit alteratio, nulla alia caussa primaria vel continẽte a pristina natura suá desciscente. At vbi non solũ vsus, verum etiam facultas mutatur, & a mediocritate recedit, quatuor tum in vniuersum differentiæ siue coniugationes diuersæ erunt. Prima, si facultas admodũ imbecilla sit & vsus multum auctus, parui & tardi pulsus creberrimiq; fiunt, & languidi. In modico excessu, in magnitudine & celeritate moderati, crebri, & languidi. Secunda, vbi facultas est imbecilla, & vsus diminutus, pulsus parui & tardi, sicut prioris cõiugationis, sed nõ æque vt illi, creberrimi fiunt. Quod si facultas omnino prostrata sit, pulsus minimi, intermittẽtes, & deficientes prodibũt. At si modice infirma sit, validaq; refrigeratio, seu admodũ imminut⁹ vsus, creber minime euadit pulsus, vtiq; quod sufficiat eiuscemodi facultas vsui. Tertia cõiugatio est, si facultas valida cũ diminuto vsu coierit, pulsus, magnitudine moderati, sed tardiores & manifeste rari, maxime vbi ꝑpollet refrigeratio, fiũt. Nã quũ sit paruus tũ pulsuũ vsus, vniuersumq; magnitudo dilatationis facile tueat, recte sane diutissime quiescit arteria. At nec tarditas multũ eadẽ de caussa pollet. Siquidẽ valẽs facultas, naturalẽ motus mensurã seruat, etiã si nõ postulat vsus. Omnino n. vt manifeste pulsus minor euadat, magnopere dissolutũ oportet vsum esse, frigore admodũ superãte. Quarta coniugatio, quũ simul robusta facultas, & vsus auct⁹ est, pulsus magni, celeres, crebri, & vehemẽtes comitantur. Quod si plurimũ calor increscat, maximi, celerrimi, qm̃ crebri cũ magnis nõ satis faciũt tãtę necessitati, pulsus fiũt. Porro vbi vsus cũ instrumẽto a statu naturali mutat, quatuor ẽt cõiugationes diuersæ fiũt. Prima, vbi vsus est auctus, instrumentũ molle, fiũt pulsus magni & celeres, non statim tñ crebri, verũ vbi generãdorũ eorum vsus superet magnitudinẽ dilatationis. Si mollitudo præstet, magnitudo ẽt vincet celeritatẽ Si abundet calor, vt vsum actio cõplere nequeat, celeriores vt fiãt necesse est, q̃ maiores pulsus, simul ẽt crebri. Vbi vero naturæ satis faciat vsus, ęque magni ac celeres fiũt. Secũda, qñ vsus diminutus, instrumentũ durũ est, fiũt pulsus minores & tardiores. Si superat durities, minores q̃ tardiores. Sin refrigeratio, tardiores, q̃ minores. Ad eundẽ modũ crebriores, si durities refrigeratione superior sit. Sin vincat refrigeratio, rariores. At si par fuerit vtriusq; a natura recessus, tãto reddet minores, quãto tardiores, a raritate vero & crebritate naturali non abducet. *Tertia* coniugatio, vbi vsus auctus instrumentum durũ, in modico a natura recessu facit pulsus magnitudine moderatos, celeres, crebros. In magno vero vtriusq; recessu, celerrimos, creberrimos, & minores iusto, non minimos, nisi facultas simul laboret: sed hic de trium caussarum concursu non agitur. Si immodicus calor sit, & instrumentum non magnopere durum, erũt pulsus maiores, celerrimi, creberrimi. Si n. verũ est, ꝗ antea ostendimus, duro instrumento familiarẽ esse paruum pulsum: ægre n. dura dilatantur corpora: aucto vero vsui familiarẽ esse magnũ, merito maiores in isto statu fiũt pulsus: sicuti quum præpollet durities parui. Semper n. pulsus similior est caussa in cõiugatione vincẽti. Quarta cõiugatio est, vbi vsus imminutus instrumen-

Duarum caussarum, nempe facultatis & vsus mutatio quos faciat pulsus. Prima coniugatio. Secunda. Tertia. Quarta. Instrumẽti & vsus mutatio quos habeat pulsus. Prima. Tertia. Magni & celeris. Secunda. Minoris & tardioris. Rariores.

strumentum molle, in ea pulsus fiunt magnitudine moderati, rari, & tardi. Quando facultas vna cum instrumento a natura recedunt, quatuor erunt coniugationes. Prima facultas robusta cum instrumento molli, pulsus facit maiores, tardiores, rarioresque. Secunda, facultas imbecilla cum instrumento duro, paruos pulsus, tardos & crebros concitat. Tertia, facultas robusta cum instrumento duro, immodico & æquali vtriusq; caussæ recessu, facit pulsus in omnibus generibus moderatos, hoc excepto quod sint duriores. At si excellat durities, parui, celeriores, crebri. Quarta, facultas, imbecilla cum instrumento molli, in paruo vtriusque caussæ recessu, facit pulsus in omni genere moderatos, præter hoc, quod sint molles ratione arteriæ. In recessu vero immodico paruos, tardos, crebros. Quod si mollities præpolleat, pulsus proxime ad moderatos accedent. Facile enim est paulo imbecilliori facultati molle vas vndiquaque extendere, & cito loco mutare. At si durities vincat, impeditur distensio, & necessario sunt crebriores, propterea quod paruitas dilatationis non sufficiat vsui. Restat, vt iam dicamus de recessu a natura omnium trium caussarum continentium. Harum quidem octo sunt coniugationes. Prima, facultas robusta, vsus auctus, arteria mollis: hæc facit pulsus magnos, celeres, crebritate mediocres. Ceterum, etsi non diximus vehementes & molles, hoc tamen semper statuendum est, a facultate robusta edi pulsus vehementes, a tunica arteriæ molli, molles. Quod si immodicum sit vsus incrementum, crebri quoq; pulsus fiunt. Secunda trium continentium caussarum coniugatio, facultas robusta, vsus auctus, instrumentum durum. Parua si durities est, pulsus nascūtur maiores, celeriores, crebriores. Si autē æquo vtraq; caussa interuallo deflexerit a natura, eoq; modico, fiunt magnitudine naturales, celeriores, crebriores. Tertia, facultas imbecilla, vsus imminutus, instrumētum molle, facit pulsus minores, tardiores, crebritate moderatos. Quod si facultas magnopere sit læsa, & plusquam aliæ, erunt pulsus parui, tardiores, crebriores. Quarta, facultas imbecilla, vsus diminutus, instrumentum durum, edunt pulsus paruos, tardos, crebros. Non tamen horum pulsuum paruitas, tarditas, & crebritas perpetuo similis est, sed pro excessu vnius caussæ vario, vel duarum, vel trium erunt variæ alterationes intensiores, vel remissiores. Si n. duæ caussæ, vel tres plurimū a natura aberrent, in hoc quidem casu nihil mirum est, si pulsus sint minimi, tardissimi, creberrimi. Fiunt aūt tales etiam pulsus, si facultas sola summe lædatur. Nam per vnam caussam, quæ prorsus læsa est, pulsus sæpe extrema alteratio accidit, quod copiosius libr. 1. de caussis pulsuū Galenus monstrat. Quinta coniugatio, facultas robusta, vsus imminutus, instrumentū molle, pulsus efficit magnitudine moderatos, tardiores, rariores. Si vero admodum sit remissus vsus minores, tardi, rari fiunt pulsus. *Sexta*, facultas valida, vsus diminutus, instrumentum durum, facit pulsus minores, celeritate & crebritate moderatos. In magno vero vsus & instrumēti recessu minores tardiores, rariores, duritie vero instrumēti superāte magnū vsus a natura recessum erūt parui tardiores crebriq;. Crebri autē ideo, quod paruitas necessitati non satisfacit. *Septima*, facultas imbecilla, vsus auctus, instrumentū molle, præeūte vsu ante alias duas caussas, creat pulsus maiores, celeriores, crebriores. Mollitie vero superāte reliquas duas caussas, moderatos, magnitudine, celeritate & crebritate. Facultate vero præ ceteris laborante, paruos, tardiores, crebros. *Octaua*, facultas, imbecilla, vsus auctus instrumentum durum, pulsus efficit paruos, tardos, crebros. Insigniter omnibus tribus caussis læsis, minimi, tardi, creberrimi. Tardi, ob imbecillam facultatem: minimi eandem ob caussam, & propter instrumenti duritiem: creberrimi, quia necessitas vrget. Vsu vero ante alias duas caussas modice aberrantes præeunte, pulsus fiunt maiores, aut moderati magnitudine, celeriores, crebri. Maiores, & nō magni, propterea, quod durities instrumenti magnitudini multum resistit. Celeriores vero, quoniam facultas paulo imbecillior, cogente vsu celeriores facit motus, prout potest, non tamen celeres. Crebri, ideo vt necessitati satisfiat. Et quanto maior imminet necessitas, labascit autem facultas, tanto magis viget crebritas. Paruitas autem tanto insignior nascitur, quanto instrumentum est durius, & facultas imbecillior. Hactenus magni, vehementis, duri, celeris, crebri, horumq; contrariorum caussas exposuimus. Superest igitur vt alti, humilis, lati, angusti, longi, & breuis pulsus caussas explicemus. Caussæ igitur horum singulorum sunt vnius, vel duarum continentiū a natura recessus, cum aliquibus concaussis. Concaussæ autem sunt, quæ non faciunt, nec constituunt effectum, sed sine

Facultatis & instrumenti mutatio quæ faciat pulsus. Prima. 2. 3. 4.

(Margin letters: B, C, D, E, F; margin numbers of the eight coniugationes: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.)

Concausæ quin. . .

illis tamen effectus non fit. Tales autem caussæ in generatione iam dictorum pulsuum sunt quinq;, nempe crassities & gracilitas corporis, locus seu spatiū circa arteriam, grauitas superiacentium, & formationis proprietas. Alti igitur pulsus caussa est facultas robusta, vsus auctus: concaussæ crassities corporis mediocris, locus circa arteriam strictus. Quippe dum spatiū in quo mouetur arteria, fuerit ob corporis crassitiem exile, necessitas autem cogat magnam fieri dilatationem, facultate non refragante, arteria quum non habeat, quo se libere dilatet, nisi cutem versus, pars eius, quę cute tantummodo obducta est, liberius præ ceteris extendetur, aliæ autem adnata carne vel adipe impediuntur. Quare quatenus est arteria soluta, & cute duntaxat obducta, nō poterit illius motus non præstare ceteris, quod nihil aliud est, quam altū fieri pulsum. Quod si igitur facultas robusta, vsus etiam auctus, locus vero circa arteriam cōtra amplus fuerit, pulsus non altus, sed magnus, quoniam libera est arteriæ in lōgum & latum distensio, nascetur. Humilis pulsus caussa continens est facultas imbecilla: concaussa crassities corporis. Adeps enim & caro profunde demergunt arteriam se debiliter attollentem. Fit etiam sępius is pulsus & in macilentis & obesis corporibus ex naturali formatione, quia natura profunde inseruit arteriam, vt extima eius pars vix attingatur, obliqua nequaquam. Lati pulsus caussa est facultas non vltra modum languida. Concaussæ vero locus amplus, & grauitas superiacentium partium. Quum enim facultas robore suo destituatur, & amplum sit circa arteriam spatium, sublimis vero pars arteriæ deprimatur pondere cutis incūbentis, quia rugosa est, vt in senibus: vel tunicæ arteriæ, quæ supra modum irrigua est, ac madet, & copioso humore imbuta est, vt accidit in hydropicis: oportet vt partes arteriæ sublimiores delabātur demittanturq;, partim in cauitatē arteriæ, partim in obliquum. Quatenus igitur deorsum demittuntur, eatenus ascensu prohibentur. Quapropter augetur latitudo, diminuitur autem altitudo. Angusti & longi caussæ facultas infirma durities instrumenti: concaussæ vero gracilitas corporis, subtilitas cutis, & siccitas, languida enim facultas non potest distendere arteriam duram in latum: angustus igitur & longus instar fidis, fit pulsus. Gracilis autem corporis habitus, & cutis subtilitas longitudinem eius detegit. Breuis, fit propter pinguedinem, & corporis carnium que crassitiem. Restat, vt q̄ sunt inæqualitatis caussæ exponamus. Collectitiæ igitur inæqualitatis caussæ continentes sunt facultas, imbecilla, instrumentum læsum, vel ineptum, vel vtrunq;. Vsus vero alteratio nūquam caussa eius est. Fieri enim nō potest, vt tam subito vsus pulsus varietur, quam subito inæqualitas pulsuum tactu percipitur, quemadmodum copiose ab initio libri secundi *de caussis pulsuum* Galenus monstrat. Porro instrumentum trifariam ineptum redditur. Primo propter compressionem seu adstrictionem, quę fit, dum loca, in quibus mouentur arteriæ, occupantur humoribus, quos vt molestos facultas studet vehementibus, magnis & celeribus motibus propellere: aut propter tumores præter naturam. Si enim loca arteriæ circumiecta, quæ in hoc creata sunt, vt eam dilatatam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud arteriæ restrictæ & cōpressæ satis dilatari. Quapropter iam violenter & vehementer agere facultas cogitur, reiicere & propellere student illa, quæ suum instrumētum obsederunt, ac motu prohibuerunt. *Secundo*, propter obstructionem a crassis & viscidis humoribus, qui arteriis ac magnis oris earundem insignibus, qualia sunt in illis locis, vbi ex magnis arteriis diuersi rami propagantur, impacti sunt, factam. Tum enim liber transitus spiritibus per suos canales haud datur, proinde variam inæqualitatem nasci est necesse. *Tertio*, propter plenitudinem siue sanguinis copiam in venis, aut arteriis contentam. Nam copia illa in venis contenta, arterias, vtpote venis adiacētes, haud secus ac tumor præter naturam, premit & constringit. In arteriis autem contenta, spirituum liberum transitū impedit. Tunc n. quia nec allicere spiritum, nec reddere valent, diuersas simul ac difficilimas faciunt imbecillitates. Facultas autem inualida ad suum opus redditur tribus modis. *Primo*, quia in omni onere grauatur, adeoque plenitudine ad vires vocata oneratur, licet ex se sit satis robusta. Atque tum facit pulsus inæquales anonymos. *Secundo*, quia est distracta seu irritata. Distracta vero fit per duplicem cordis intemperiem, vel alios diuersos affectus, quos moleste fert facultas. Reperiuntur enim nonnunquam partes cordis, vel aliorum membrorum, alię calidiores, aliæ frigidiores: illę magnos, celeres, crebros, vehementes exposcunt: hæ vero paruos, tardos, raros, languidos. Fit itaq; vicissitudo omnium pulsuum

Marginal notes: Alti pulsus caussa. — Humilis. — Angusti & longi. — Collectitiæ inæqualitatis caussæ. — Instrumētum trifariam ineptum redditur. — Compressione. — Obstructione. — Plenitudine. — Facultas trifariam imbecilla & inualida fit ad opus suū.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A suum,& inæqualitas. Prodeunt & dicroti. *Tertio* in firma facultas efficitur, propterea quod temperamentũ vel cordis,vel membri, cuius pulsum attrectas, dissoluitur intemperie. Quod si igitur modica sit intemperies, fiunt pulsus parui,tardi,rari, languidi. In maiore,myuri reciproci:in maxima,myuri non reciproci. Vltra quam si adhuc recedatur,prodibunt intermittentes:in longinquiore recessu deficientes:vltimo asphyxia, id est,pulsus priuatio,vel vera,vel apparens. Vera aũt est, quando motus arteriarum perit. Hæc in viuũ animal non cadit. Apparens, quando tactui nostro nusquam arteriæ motus offertur,imo omnis in omnibus membris occultatur. Inæqualitatis singularis duo esse genera diximus,alterum q̃ fit in vna parte arteriæ,alterum in plurib. partibus. Quod in vna parte arteriæ fit,tres habet species intermittentes in vno pulsu, impares citatos, & B dicrotos. Caussæ omnium intermittentium sunt eædem genere, quæ & inæqualiũ collectitiorũ,sed efficaciores multo, & deteriores. Nã si quæ cõpressiones, obstructiones, aggrauationes,multiplices intẽperies,& infirmitates ipsis adsunt,oportet esse maiores. Nam hę nõ sinunt nedũ integros pulsus, quales videre est inter intermittẽtes collectitios,confici,sed ne partes quidẽ eorum integras:dilatationes n. ipsorum quietib. admixtis intersecantur. Quamuis aũt praui sint omnes intermittẽtes singulares, sunt tamen eorum prauitatis excessus intensiores ac remissiores. Quorũ enim motus vterq;, ante quietẽ scilicet,& post quietem,fiunt celeres,optimi sunt:pessimi,tardi: medii,bonitate moderati. Qui vero intercedunt inter medios & extimos vtrosq; tantum bonitate vel prauitate pollent,quantum cum eis participant. Nã posterior pars motus si fuerit tar-C da,prior celer,indicat plus grauari facultatem humorum abundantia, si hæc fuerit eius caussa,quam si vterque motus fuerit celer, qui attestatur facultatẽ reniti & repugnare, ac sese attollere aduersus copiam humorum. Additur aũt ad bonitatẽ bonorum,si non solum fuerint celeres,sed etiam magni, & vehementes. Præterea si quies,quæ eos dissecat,fuerit exigua. Hæc enim declarãt facultatem strenue contendere cũ morbo & eius caussis. Prauitatem vero auget paruitas,debilitas,& diutina quies eos dissecans. Hæc n. omnia si affuerint vni pulsui intermittenti,ab humorũ diluuie prosterni facultatem denuntiant,si caussa fuerint eius inæqualitatis:vel obstructionem insignẽ prope cor esse, vel compressionem maximas vel plurimas arterias obsedisse. Hoc vero intermittentib. singularibus additur, q̃ vsum seu necessitatem vrgentem semper comitem habent. Nisi D enim vsus adauctus vrgeret ac cogeret,facultas multitudine humorũ onerata, aut obstructione impedita,aut cõpressione obsessa,aut ex resolutione languida, nunquã conaretur secundũ motũ post intersecantem quietẽ aggredi. Pulsus inæquales singulares in vna arteriæ parte, absque quiete intersecante, dum scil. priores partes motus sunt celeriores,posteriores vero tardiores: vel econtra priores tardiores,posteriores aũt celeriores motu continuo perseuerante, non intersecto per intermediã quietem ἀνισοτάχεις, id est,impares citatos,appellari diximus. Atq; horum alii æqualiter suã inæqualitatem conficiunt,alii inæqualiter. Hi omnes easdẽ caussas,quas intermittentes singulares obtinent,sed nõ tot numero, nec tam sæuas & insignes. Oriunt̃ n. ex obstructionibus, vel cõpressionibus,sed minus difficilibus,q̃ intermittentes:ab onerata etiam facultate,sed E minus quam intermittentes. Non enim æque malũ est alterari motũ, & interrumpi vel dissecari quiete media. Non temere aũt dictum est,easdẽ istorum esse caussas,sed non tot numero, quot intermittentiũ. Nam a re soluta seu debilitata facultate sępe intermittentes fiunt,aut impariũ citatorum nullus: siquidẽ omnes magni sunt. Quoniã vero ex imparium citatorum numero quidã sunt, qui motũ dilatationis subito ad contrarium mutant,vbi scil. prior pars motus fuerit celer, secunda tarda: vel e diuerso,prior tarda, posterior celer:scire oportet,eiusmodi pulsus nõ simplices inæqualitatis caussas habere,sed compositas. Id est, nõ tantum a grauata facultate proficisci, sed adesse simul obstructionem vel adstrictionem instrumẽtorum, non equidẽ fixam, sed facile permutabilem. Qui n. fieri posset tam magna & subita mutatio ex solo grauamine facultatis, q̃ F paruo momento temporis reiici non potest? Dicrotorum pulsuum caussa est, inæqualis cordis intemperies: vel arteriarum, non qualiscunq;: siquidem eius est magna varietas. Partes præterea cordis quædam sunt multum calidæ, mundæ tamen: quædã vero multis fumosis vaporibus refertæ, id est, immundæ. Atq; tum ad oppositos fit prouocatio. Calidæ enim partes mundæ, refrigerationis indigæ, cordis dilationem appetunt. Im-

Pulsus priuatio. Vera. Apparens. Inæqualitatis singularis caussæ: Intermittẽtium singularium.

Imparium citatorum caussæ.

Dicrotorũ caussa. Inæqualis intẽperiei cordis varietas.

mundæ vero, vt se expurgent, eodem tempore contractionem desiderant: fiet igitur dilatatio & contractio diuersimode, pro diuersa alterutrarum partium victoria. Vincentibus enim calidum partibus mundis conficitur dilatatio: sed conceditur nihilominus aliquantula etiam contractio immundis partibus. Tum autem dicuntur vincere partes, dum vel plures sunt, vel intemperatiores multo. Contractio autem vel retrahit dilatatam arteriæ tunicam antequam perfecte distendatur, vel dum non perfecte dilatata est, vel toto dilatationis tempore: aliæ partes tunicæ nituntur dilatari, aliæ eodem tempore contrahi, superantur tamen a dilatantibus contrahentes, quæ remorantur dilatationem. Sic igitur diuersæ partes cordis diuersimode affectæ dilatant & contrahunt sese, arteriarumque tunicas dilatari ac contrahi cogunt, prout refrigeratione vel expurgatione indigent. Sed præter caussam calidam mundam, & calidam immundam, reperitur alia, quæ non simplex, sed duplex est, dum scilicet partes cordis aliæ sunt calidæ, aliæ frigidæ. Hæ moliuntur paruos, tardos, raros pulsus: illæ vero maiores, celeres, & crebros. Quæ igitur plures sunt, & potentiores multo, cogunt totum cor & arterias pro sua ratione moueri. Est & tertium genus inæqualis intemperiei cordis, quæ etiam duplex est, non vnica, dum scilic. substantia cordis est calida, contenta vero in ventriculis eius materia frigida: vel econtra, substantia cordis frigida, contenta vero in eo materia calida. Quando igitur tanta est caliditas substantiæ cordis, quanta frigiditas contentorum: vel econtra, tanta est frigiditas substantię cordis, quanta caliditas cōtentorum, fiet pulsus, magnitudine, celeritate, & crebritate moderatus. Si vero intemperies substantiæ cordis & contentorum non æquos gradus habeant contrariarum qualitatum, sed excellat, modice tamen, vel cor, vel ea, quæ in corde continentur, nascentur pulsus inæquales, collectitii & singulares. Sin supra modum excellat, fiet pulsus cōtinuus, pro ratione vincentis. Eadem ratio est vicinorum cordi, nempe pericardii, pulmonis, arteriæ magnæ, & membranarum, quæ in corde contentorum. Ceterum inæqualitatis singularis in diuersis arteriæ partibus caussæ sunt vel facultas imbecilla, vel copia humorum, vel extrema instrumentorum mollities, vnum ex iis, vel plura. Facultas enim imbecilla ex corde in arterias deriuata, & promanans, nō potest pari firmitate totum vas attollere, sed propinquiorem scaturienti fonti, id est, cordi partem magis & citius attollit, ac vehementius: remotiorem autem tardius & minus, & debilius, donec vis, quæ in priore parte erat, permeet etiam ad posteriorem: quę aucta robore ex minore in maiorem, ex tardiore in celeriorem, ex debiliore in fortiorem motum prosilit. Copia autē humorum impedit facultatem remorando, detinendo, dirimendo, & scindendo continuū eius progressum. Non enim sinūt æqualem esse motum pulsus humores, ac eo potissimum loco quo affluunt. Quapropter fit, vt in quibusdam partibus motus maior, celerior, & vehemētior: in quibusdam minor, tardior, languidior: in quibusdam etiam minimus, vt sensu percipi nequeat, ac veluti quiete interruptus appareat. Instrumētum autē supra modum molle, quod tunicæ arteriarum, tum multa humiditate sint imbutæ, non potest æqualiter omnibus partibus dilatari, propterea quod flaccidum corpus ineptum sit ad motum æqualem. Partes enim eius cordi proxime attolluntur, aliæ vero interim flectūtur, non attolluntur. Pulsus myuri singulares caussam habent imbecillam facultatē, quę remotioribus partibus a corde parcius affunditur, propiorib. vberius. Quapropter ꝓpiores cordi magis distenduntur, remotiores minus: & quanto partes longius distant a principio, tanto minores motus edent. Atq; hęc quidem caussa eorū continens est. Cōcaussa vero gracilitas est corporis, quæ in longum detegit arteriam, alioquin caudā muris non repræsentaret. Eminulorum seu prominulorum caussa est aliquando inæqualis intemperies partiū arteriæ. Facultas n. a corde diffusa in arteriarum tunicas, temperatis quidem partib. melius & expeditius ad motū vtitur: intemperatis vero deterius. Nam ab eadem & æqua facultate pars arteriæ temperata, q̄ debitum calorē & humiditatem retinet facilius & magis mouetur: quæ vero supra modum est sicca, vel humida, vel calida, vel frigida, difficilius & minus. Quando ergo pars arteriæ inter attrectantes digitos media, fuerit melius temperata, vtrinque vero partes intemperatæ, maior erit dilatatio mediæ, quam partium vtrinq; adiacentium. Est & altera eminulorum pulsuum caussa, quæ sæpius competitur in ægrotis quam prior: facultas scilicet imbecilla, & macies partium, quæ ambiunt arterias. Qua igitur in parte est tenuissima cutis, propter eaq; leuissima:

Vincere quando dicantur partes.

Inæqualitatis singularis in diuersis arteriæ partib. caussę. Facultas imbecilla.

Copia humorū.

Instrumētum supra modum molle.

Myurorū singulariū caussæ.

Eminulorum seu prominulorū caussæ.

A B C D E F

A fima: est autem hæc media, cui nulla caro ad nascitur: vbi plus se arteria exserit: in partibus autem vtrinque mediæ parti adiunctis, quia non sola cutis est, sed caro etiam, licet marcida, necesse est, minorem fieri dilatationẽ. Ægre enim ferunt debiles arteriæ onus superiacentis carnis. Tenduntur arteriæ, quoniam tunicæ earum trahuntur. Trahunt autem partes sibi vcinas, non solum arteriarum tunicas, tumores omnes præter naturã, phelgmones, scirrhi, apostemata, & cruda tubercula. Sicut enim chordæ dum exarescunt, sic & arteriæ trahuntur. Frigus quoque immodicum, instar gelu contrahit: item conuulsio, & calida ac sicca intemperies. Ceterum æqualitas semper habet ordinem adiunctum sibi comitem: inæqualitas vero, aliquando sibi adsciscit ataxiam, nonnunquam ordinem. Ordo igitur in qualibet æqualitate fixa, stabilita, & firma caussa inæqualitatis fit, quæcunq; illa sit ex numero earum, quas huc vsq; recensuimus. Ataxia vero fluxilem, mutabilem, & infirmam comitatur. Reliquum est vt vndosorum, vermiculantium, & formicantium pulsuum caussas exponamus. Hos autẽ procreat facultatis imbecillitas, vel humorum copia, vel summa instrumentorũ mollitudo. Quia vero vndosus maior est, & celerior, quam vermiculans, idcirco vndosum a copia humorũ enasci certum est: vermiculantem vero ab imbecilla facultate, quæ arteriam vno eodemq; tempore totam attollere nequit, sed attollit partem post partem, eamq; exiguam, non sicut in vndoso magnam. Dum aũt vndosus in vermiculantem degenerat, hoc euenit, quia facultas, quæ prius erat grauata in vndoso, nũc & grauata, & dissoluta est in vermiculante. Non semper tamen vndosus degenerat in vermiculantem: sæpe enim transmutatur etiam in intermittentem, & in variam inæqualitatem. Fit quoque vermiculans sæpe, licet eum vndosus nõ præcedat. Quum vero vermiculans cõmutatur in formicantem, tanto magis dissolutam facultatem esse coniiciendum erit quanto formicans est minor. Formicantis igitur eadem est caussa, quę vermiculantis, sed auctior. Caprisantis caussa est facultas valida, impedita aut copia humorum, aut compressione, vel obstructione arteriarũ, vt continuum motũ efficere nequeat. Cogit n. paulisper remorari ac cõsistere in ipso motu sed recollectis viribus, dũ conatur obstaculũ suũ superare ac eiicere, vehementiorẽ adhibet motũ secundũ q̃ primum. Comitatur etiã caprisans pulsus interdũ inæqualẽ cordis intemperiẽ, quæ distensionẽ impedit. Serrantis pulsus caussæ sunt facultas onerata, instrumentũ durum, vsus auctus. Si n. facultas grauata non esset, nec ipsa inæqualitas singularis, q̃ in serrante pulsu reperitur, adesset. Instrumentũ vero durum in eo est, non ex siccitate arterię, sed ex tensione. Tendi n. oportet arterias in hoc pulsu ob phlegmonem, quę partes neruosas obsidet: partes vero neruosæ magnã cum arteriis cõmunionem habent pp fibras, quę ex neruis ad arterias enascũtur. Quia vero alię partes arteriarum magis sunt appositæ phlegmoni secundum rectitudinẽ, alię minus, idcirco aliæ plus, aliæ minus tendunt. Vsus vero auctus, id est, calor augmentatus, cogit arteriam multum attolli, q ob duritiẽ fieri nequit, partim etiam ob affectam facultatem. Proinde aliquę partes attolluntur plus, aliquę minus. Quoniam aũt eodem redduntur tempore vniuersæ, prodit illa imago serrati tactus. Conuulsiui pulsus caussa est neruorum conuulsio. Nam dum nerui cõtrahuntur, contrahunt & arteriæ. Magna enim est neruorum & arteriarum societas, non solum q fibras arteriæ a neruis accipiãt, sed etiam q singuli ramuli arteriarum & neruorum inuicẽ sint coniuncti. Fere n. cuilibet arteriæ infra, vel supra, vel ad latus neruus adhæret. Vibratum pulsum tres caussæ simul efficiunt, facultas valida, instrumentum durum, necessitas ingens, id est, vsus auctus. Vsus autẽ auctus non est, vt diximus, nisi caloris augmentum, vel animalis spiritus exhaustio. Quum enim alterũ horum adsit, vel vtrunq; maxima distensione opus est: dum vero nihil aliud repugnat, quo minus magna distẽsio fiat, præter duritiem arteriæ, modo valida facultas sit, necesse est vt flectatur in altũ, & veluti frangatur arteria dura: ac qua in parte frangitur, eatenus acuminatur. Iam vero acumen aliud attollitur, aliud demittitur, quia facultas potens, vrgente necessitate, loco maximæ & æqualis distensionis, quam in molli arteria facile præstaret, nunc hanc, nunc illam partem arteriæ duræ, in acumen flexæ, sursum eiaculatur. Palpitantis pulsus caussa est flatuosa. Siquidem palpitatio non fit, nisi a flatu in membro occluso, qui exitum quærit, & agitat secum continentia membra tamdiu, donec vel resoluatur, vel violenter explosus in cognatum sibi aerem exspiret. Trementis pulsus caussa, est facultatis imbecillitas. Hectici

Margin notes: Inæqualitatis in situ. (A) — Ordo. Ataxia. (B) — Vndosorũ, vermiculãtium, & formicantium caussæ. — (C) Formicant. tis. Caprisantis. — (D) Serrantis. — (E) Conuulsiui. Vibrati. Vsus auctus. — (F) Palpitantis. Trementis. Hectici.

pulsus caussa, est affectus in solidis partibus fixus, qualis est marasmus, tabes, pulmonisue A
vlcus, & hectica febris. Strepentis pulsus caussa est durities arteriarum, vacuitas eius, &
Strepentis. facultas valida: concaussa vero est spatium, in quo mouetur arteria, aere, non humore
refertum. Quemadmodum enim fides, si molles sunt & vuidæ, nō sonant ad citharam:
sic & arteriæ molles. Sunt vero arteriæ repletæ spiritibus, aere & sanguine tenuissimo,
sed aliis plus, aliis minus. Quod si parum sanguinis in se habeant, amplum erit spatium
spiritibus, & aeri interno. Facultas autem valida ictum faciens vehementem, aut saltem
non languidum, quatiens aerem, & spiritum, strepitum excitat. Atque hactenus caus-
sas pulsuum continentes, ac concaussas qua potuimus breuitate percensuimus. Resta-
ret nunc, vt caussas secundarias commemoraremus. Quum vero has ipsas Galenus
Iosephus Struthius. *lib. 3 de caussis pulsuum*, ordine & perspicue admodum tradiderit, & Iosephus Struthius (e B
quo, vt ingenue fateor, multa mutuatus sum, quod in compēdium ea quę Galenus dif-
fuse docuit, redegerit) librum hunc commentariis illustrarit, non est cur hic de iis verba
De prouidentia ex pulsibus. faciamus, sed ad eam partem, quæ ex pulsibus futura prædicit, accedamus. Duplex au-
tem est prouidentia ex pulsibus. Vna secundum genera pulsuum, dum docetur,
quid quilibet pulsus singulorum generum significet: altera secundum loca, qua do-
Magnus. Pulsus. cemur, quem pulsum edere solet quilibet locus affectus. Magnus pulsus permanens
ac perseuerans, morbum inesse calidum significat. Vbi ex robore facultatis profici-
Paruus. scitur, magnus est simul & vehemens. Si ex mollicie instrumenti, magnus & mollis
Paruus. existit. Si ex aucto calore, magnus, sed caret vehementia, & mollitudine. Paruus pulsus C
si a facultatis imbecillitate prodit, erit paruus simul & languidus. Si ab instrumento du-
Celer. ro, erit paruus simul & durus. Si neutrum adsit, nec durities, nec languor, caloris immi-
nutionem significat. Celer in sanis sine magnitudine, significat exercitia immoderata,
Tardus. vel balnea immodica, vel quampiam aliam nimis calefacientem caussam, quæ vires at-
triuit. In ægrotantibus vero morbum calidum, qui iam vires labefactauit. Tardus pul-
Creber. sus imbecillā esse facultatem, si simul est languidus, significat. Simul durus est, si instru-
mentum durum fuerit. Visum vero diminutum, si tardus duntaxat fuerit, indicat. Cre-
ber in sanis calidas temperaturas: in ægrotis vero morbos calidos. Sæpe etiam imbe-
cillam facultatem, quæ magnos & celeres pulsus edere nequit. Nonnunquam etiam in-
Rara. strumentum durum, quod distensioni ineptum est. Rarus pulsus in sanis frigidius tem- D
peramentum: in ægrotis aūt frigidos morbos significat. Ingentē igitur cordis frigidita-
tē, vel spirituū & sāguinis, qui in sinib. cordis cōtinentur, p̄ se fert: qui si diutius duret,
vna paruus efficit. Vehemēs pulsus robur facultatis significat: & quo est vehementior,
Vehemens. eo meliora speranda erūt. Si tamen vehemētiæ limites excedas naturales, non vigorem
virtutis, sed irrationē annuntiat. Languidus contra, debilitatem facultatis demonstrat:
Languidus. & quanto est languidior, tanto maiorē virium defectum ac destitutionem esse attesta-
tur. Mollis pulsus, arteriæ humiditatem significat. Durus vel siccitatem, vel congelatio-
Mollis. Durus. nem, siue adstrictionem ex frigore, vel tensionem præ se fert. Rhythmus æqualis mo-
Rhythmus. deratus significat corpus bonis succis refertum, ac temperatum. Præter hunc vero alii
rhythmi tanto impuriora & minus temperata indicant corpora, quanto ab eo magis E
desciscunt. Intermittens systematicus debilem facultatem denotat. Qui duorum pul-
Intermittēs systematicus. suum tempora intermittendo transigit, est perniciosissimus, & vix quisquam liberatur
ex huiusmodi discrimine. Deficiens pulsus altiorem gradum, & periculosiorem debi-
Deficiens. litatem facultatis indicat. Asphyxia, & omnimoda priuatio pulsus, omnium sympto-
Asphyxia. matum est horrendissimū, & certus mortis nuntius, modo a momentaneis caussis non
enascatur. Intercurrens pulsus omniū ex systematica classe securissimus est. Fit autem,
Intercurrens. dum a copia humorum oneratur cor, vel arteriæ: aut dum hæc obstruuntur, vel com-
primūtur. Promittit intercurrēs bonas iudicationes in morbis, & affuturæ salutis fidus
est testis, si alia consentiāt. Intermittens singularis proximam denuntiat mortem, præ-
Intermittens singularis. sertim qui prauior est. Myurus, defectum virium, & gracilitatem corporis. Dicrotus
Myurus. impuritatem & putredinem humorum, a qua fuliginosorum vaporum plurimum ef-
Dicrotus. fertur, denotat. Ordo certus index est boni, vel mali. Boni quidē, in bonis pulsibus, vel
Ordo. bonis inæqualitatibus. Mali vero, in contrariis. Ataxia siue ordinis perturbatio incer- F
Ataxia. tus est index boni & mali. Omnis enim eius reputatio ex bonitate eius, cui adest, vel
Vndosus. malitia pendet. Vndosus pulsus morbos nimio humore solidas partes irrigantes: quales
sunt

A sunt febres pituitosæ, quotidianæ, & typhodes, id est, madidæ: hydropes, præsertim anasarcas, in quibus nullo scyrrho induruerunt viscera, indicat. Vermiculans corpora spiritibus esse inanita ac destituta, ex nimia aliqua vacuatione, denotat. Significat & pulmonem nimia scatentem humiditate, non ab inito, sed attritis iam viribus, atque putrescente pulmonis substãtia. Formicans multo vermiculante est perniciosior. Nam in febribus quæ diuturnitate temporis exhauserunt vires, certus est mortis nuntius. In febribus igitur lentis ac paruis formidabilis omnino est. Caprisans superiorem esse naturam morbo indicat, & victoriam de ipso promittit. Serrans quanto est manifestior, tanto deterior. Manifestiorem autẽ ipsum faciunt, nimia tensio, & durities. Hęc ambo ingentem tumorem phlegmones esse testantur, quæ longa coctione indiget. Conuulsiuus, qui a nimia vacuatione euenit, deterior est: qui repente & statim ab initio morbi fit, minus malus. Vibratus in sanis nõ est incommodus. Inuadit subito a somno expergefactos, vel perculsos, & a quopiam terriculamento irritatos. In ægris vel magnam phlegmonem, vel tenacissimam obstructionem, vel conuulsionem portẽdit. Palpitans, in pituitosa febre laborantibus, sine tamen omni periculo, apparet. Tremens, syncopes, & postea mortis omen est. Hecticus morbi longitudinẽ significat, vt nomen ipsum prodit. Strepens semper durus est, inanitionem, & vacua vasa demonstrat. Ceterum nunc restaret, vt quos quilibet singularum corporis partium affectus, quibus cor consentiens miris modis pulsum immutans, edat pulsus, explicaremus. Verum quia hoc perspicue Galenus *lib. de Prædictione ex pulsibus* tradit, non est cur hic actum agamus. Satis autem erit, si breuitatis ergo, qui in febribus pulsus sint, commemoremus. Distinguuntur autem febres caloris subiecto. Nam aut in spiritibus consistit, & vocatur diaria: aut in solida cordis substãtia, & hectica nominatur: aut in humoribus, & putrida dicitur. Diariæ pulsus sunt magni, celeres & crebri. Febris igitur omnis a magnitudine pulsus incipiens, est diaria. Hæc quia facultati parum incommodat, vehementiã motus a pulsu non adimit, nisi ex accidenti, dum scil. vel in stomacho humor aliquis mordax exsistit, vel copiosus cibus, aut mœror facultatem debilitans. Hecticæ pulsus sunt parui, celeres, crebri, languidi, hectici. Nam in hectica facultas ob intemperiem cordis ægre valet, & vsus augetur. Quare vt aucto vsui satisfiat, celeritas præsto est, laborãs aũt facultas magnum & vehementem pulsum fieri non sinit. Putridæ febri proprium & inseparabile est, Galeno teste, vt arteriæ submissio siue contractio celerior efficiatur. Quũ itaque in diariis & hecticis febribus, dum simplices sunt, & solæ, purus sit calor, ideo solum exposcit refrigeriũ, quod distensio dilatatione suppeditat. At putridarũ calor, quia fumosus est, qui & refrigerium requirit, & fumosorum ac fuliginosorum excrementorũ expulsionem, ideo distensionem facit quidem celeriorem, sed cõtractionem longe celeriorem, adeoq; rhythmum in pulsu destruit, eumq; inæqualẽ reddit. Multo enim contractio celerior est, quam distensio. Proinde rectissime Galenus impares citatos pulsus in febribus putridis nasci, quos sæpius propriam febrium inæqualitatẽ esse scribit. Quid multa? Inæqualitas rhythmi, & externa crebritas proprium est signum, & inseparabile putridarum febrium. Impares vero citati pulsus, proprium etiam earundẽ signum, sed separabile: quoniam nec semper, nec omnibus inest. Licet aũt omnes putridæ febres, propter auctum calorem, vt in augmento accessionũ magnos, celeres, & crebros edant pulsus necesse est: tamen pro humorum putrescentium diuersitate nõ ex ęquo eiusmodi sunt. Biliosæ enim febres habent pulsus magnos, celerrimos, creberrimos, aliarum comparatione. Melancholicæ minores, tardos, rarissimos, respectu aliarum. Pituitosæ minimos, æque tardos, vt melancholicæ, sed non æque raros, molles. Magnitudine igitur & celeritate excellit alias febres biliosa, paruitate ac mollitie pituitosa, raritate melancholica. In omnibus autem febribus pestilentialibus propter ferocitatem spiritalis efficaciæ, quæ infringit vires, necessario fiunt pulsus parui, languidi: tantum vero celeres & crebri, quantum vrget auctus calor, & permittit facultas. In diariis tamen & humoralibus febribus pestem redolentibus, pulsus minus languidus, imo sic aliquando robustus, vt det spem bonam salutis. Atque hæc hactenus pro institutionũ ratione sufficiant. Qui plura desiderat, is Galenum, qui omnia ad pulsus rationem spectantia accuratissime tradidit, consulat.

[Margin: Vermiculans. — Formicans. — Caprisans. — Serrans. — B — Conuulsiuus. — Vibratus. — Palpitans. — Tremens. — Strepens. — Febrium pulsus. — C — Diaria. — Hectica. — D — Putridæ. — E — Pestilentialium. — F]

INSTITVTIONVM MEDICINÆ LIBER QVINTVS, DE CVRANDI RATIONE. A

LEONHARDO FVCHSIO AVCTORE.

Quid indicatio, coindicatio, & contraindicatio. CAP. I.

ABSOLVTA ea medicinæ parte, quæ præteritorum, præsentium, & futurorum prædictionē tradit, atque Græcis σημειωτικὴ appellatur, ad vltimam eiusdem partem, quæ θεραπευτικὴ iisdem nominatur, eo quod curandi methodum seu rationem doceat, nobis progrediendum erit. Cum autem omnis B medendi ratio ac methodus per indicationes fiat, & ab indicationibus initium sumat, principio, quid sit indicatio, trademus. Est igitur indicatio, *vt lib. 2. Methodi medendi, c. 7. docet Galen.* sequentis, siue agendi insinuatio: aut breuius, ordinis repræsentatio, vel explicatio rei agendæ. *In lib. de optima secta* indicationem definit esse comprehensionem seu cognitionem iuuantis, vna cum comprehensione nocentis, cum re iudicāte simul aduenientem, idque sine obseruatione & ratiocinatione. Quo vero pacto hæc definitio sit intelligenda, *lib. 1. harum Institutionum sect. 1. cap. 8.* copiose a nobis mōstratum est. Ad hunc igitur locum, ne de vna & eadem re bis nobis disserendum sit, lectorem ablegamus. Differt itaque maxime indicatio ab obseruatione & ratiocinatione: quod ea, quæ per indicationem comprehenduntur, in præcedente aliquo, *vt lib. 2. Methodi me-* C *dendi testatur Galenus*, nempe in natura rei sunt designata. Percepta enim natura eius, quod nos ad agendum mouet, protinus etiam vna cum eo quid agendum sit, & quid fugiendum, ex consequenti quodam intelligimus, quasi digito ostēderetur, quod quærimus. Vnde certe indicationis nomen deductum est. Vt enim qui digito quid agendum, & qua via sit incedendum ostendit: sic etiam natura rei cognita, cuius gratia ad aliquid faciendum impellimur, quid eligendum, quidue vitandum sit, & quid primo, secundo, tertio, & sic deinceps moliendum sit, demonstrat. Ergo ex ipsa rei natura ordiri, atque ab ipsa, quod sequens sit, citra obseruationem siue experientiam, & ratiocinationem inuenire, id est, indicatione inuenire. Verum experientia siue obseruatio, rerum naturam non expendit, sed longo rerū vsu se tuetur. Ratiocinatio tum superuacua est, quod D rei natura proposita, statim quid conferat, aut quid obsit, citra mediam vllam ratiocinatinatioem agnoscamus. Analogismo autem id quod iuuat percipitur, quando caussa quidem ignoratur, nullaque obseruatio habetur, sed affectus quam similimus ex symptomatis est. In huiusmodi enim ab indicatione quod confert, colligi nequit, caussa enim ignoratur. Obseruatione autem nulla facta, symptomatum similitudinem intuentes, ad simile transire coguntur. Per analogismum igitur quid iis expediat, de quibus agimus, ex aliorum similitudine colligitur. Neque enim analogismus, *Galeno in libr. de Optima secta auctore*, est nisi comparatio & perceptio caussarum iuuantium per similitudines. Vt analogismo inuenire, non aliud sit, quam ex aliorum similitudine inuenire. Sic profecto quum Gallicus morbus primum grassari cœpisset, & propria eius natura atque E vis, propter rei nouitatem, Medicis ignota, nec propria pręsidia adhuc illis perspecta essent, ea experiri, quæ morbis ex humorum corruptione ortis conueniunt, quibus hic similimus esset, voluerunt, adeoque eius morbi remedia initio per aliorum affectuum similitudinem, & analogismum inuenerunt. Coindicatio est, quæ simul aliquid cum ea, quæ a rei natura sumitur indicatione, indicat. Coindicant itaque vires, temperies corporis, ætas, anni tempus, regio, consuetudo, & si qua sunt id genus alia, Gręcis συνενδεικνύμενα, id est, coindicantia vocantur. Siquidem nō primo indicant remedia, sed quatenus cum morbo sunt coniuncta. Non igitur per se, sed cum morbo simul indicant, & quasi modum & quantitatem demonstrant, vt ex iis, quæ deinceps dicemus, patefiet. Contraindicatio est, qua impeditur fieri, quod ab indicante primo suggeritur. Et contraindicantia, vel, vt Græci nominant, ἀντενδεικνύμενα sunt, quæ cōtrariam indicationem F habent. Verbi gratia, plethora seu humoris multitudo indicans est, quod esse vacuandum ostendit: virtus autem imbecilla contraindicans, vt quæ vacuationi repugnat & reluctatur. Recte itaque quæ talia sunt contraindicantia dicuntur, quippe horum indicationes

Indicatio quid.

Indicatio vnde dicta.

Indicatione inuenire.

Experientia.

Analogismus.

Coindicatio.

Coindicātia.

συνενδεικνύμενα.

Contraindicatio.

A cationes primis indicationibus repugnant. Ceterum quum Galenus interdum scopum curationis, nonnunquam vero etiam indicationem curationis appellet, quæ natura & differentia indicationis & scopi sit, explicandum quoque nobis erit. Est itaque σκοπὸς id quod sibi quisque proponit, seu quod cuique est propositum. Scopus igitur non est nisi propositum, quod primo intuemur, aut id quod nobis proponimus assequendum, vel quod nos ad agendum mouet, vel terminus in quem dirigitur actio. Proinde quod hortatur medicum vt agat, scopus est, vel, vt Latini appellant, propositum, vulgus medicorum intentionem nominat. In summa, scopus est id quod sibi Medicus assequendum proponit. Scopus igitur ab indicatione nonnihil differt. Indicatio enim ratio agendi est, siue ratio quæ quid agendum sit, insinuat. Scopus autem propositum in artificis mente B ad quod actio omnis dirigitur exsistit, quodque indicatio tandem consequitur. Proinde indicatio ex scopi contemplatione oritur. Tot igitur erunt indicationes, quot nacti erimus scopos, vt non multum referat indicationem curationis, an scopum dicas. Finis autem est terminus, in quo omnis acquiescit actio. Finis igitur medicinæ, *vt in lib. de Sectis, Gal. testatur*, est sanitatis possessio fruitioue: scopus autem sanitas. Proinde prima indicatio, quæ ex rei sanitatem perturbantis natura sumitur, quid agendum sit, vt scopum, id est, sanitatem, consequamur, ostendit. Hac vero consecuta, in ea, tanquam in fine, omnis acquiescit actio. Quid multis opus est verbis? Scopus est, quod primum sibi proponit Medicus, licet id perpetuo non assequatur. Finis autem est, id in quo omnis actio Medici acquiescit, sanitatis nimirum adeptio.

Scopus quid. Propositũ. Intentio. Scopus ab indicatione quomodo differt. Finis.

C *Tres esse Rationalis curationis indicationes simplices, & quibus vniuersalis methodus constet.* Cap. II.

QVum triplex sit omnium morborum curatio, empirica scil. quæ experientia constat, & imperfecta est: methodica, quæ communitatibus perficitur, adeoq; manca & impossibilis est: & rationalis, quæ ex indicationibus e natura rei sumtis petitur, atque perfecta exsistit: duabus primis præteritis, de tertia tantum dicemus. Huius itaque indicationes simplices quidem tres sunt. Prima, quid agendum sit, insinuat. Altera, an id quo tendimus sperari possit, docet. Tertia, remedia inuenit, quibus assequi possimus id ꝙ prima postulat, & secũda docet. Prima itaq; indicatio a natura rei, quæ vel præter naturam est, vel secũdum naturam, sumit. Præter naturã vero res sunt tres, caussa, morbus, D & symptoma. Secundum naturam duæ precipue exsistunt, temperamentũ tam congenitum, q̃ vsu partum, & virtus, q̃ aduersus morbũ certat. Atq; hæ duæ res sui custodiam, vt priores tres sui ablationem indicãt, caussa quidẽ præcautione, morbus & symptoma curatione. Secunda indicatio, quæ insinuat an id ꝙ prima docuit sperari possit necne, cuiusque particulæ substantiã, actionẽ, vsum siue officiũ, & situm æstimat. Substantiam, quatenus scil. est æqualiter, vel inæqualiter intemperata. Quæ n. æqualiter intemperata est, hæc non, aut certe vix posse præstari ꝙ speratur, insinuat. Quę vero inæqualiter, hęc posse præstari quod speratur, indicat. Item substantiam quoq; æstimat quatenus est solida, carnosa, aut spiritalis. Solida enim, si sit insigniter læsa, sanitas restitui nequit, præsertim si neruosa fuerit. Hinc est ꝙ neruosa septi trãsuersi pars, intestina tenuia, ventri- E culus, præputium, tenuis buccarũ pars scopum quem indicant non recipiant. Ceterum actio, per quã vitam habemus, si perierit, aut vehementer læsa fuerit, restitui non posse indicat. Actio aũt sine qua vitam habemus, si perierit aut vehemẽter læsa fuerit, itidẽ ꝙ restitui non possit, monstrat. Vt vox ademta vitã non tollit, tamẽ prorsus amissa restitui haud potest. Actio, per quam meliorem vitam habemus, si perierit, aut vehemẽter læsa fuerit, quamuis præstari posse ꝙ speramus insinuat, tamen noxam maiorẽ futuram successu temporis pollicetur: vt excisi testes vitam non tollunt, deteriorem tamẽ reddunt. Vsus & officium partis ad vitã necessaria si perierint, non posse præstari id ꝙ speramus, monstrant. Si non necessaria perierint, potest præstari id ꝙ speras. Situs partiũ ad quas remedia peruenire nequeunt, præstari id quod speramus non posse indicat. Earũ vero F ad quas remedia peruenire possunt, præstari posse quod speramus, monstrat. Præterea, an perficere liceat id quod indicatio a rei natura petita, etiã ex natura ipsa siue temperamento, magnitudine, more, ac duratione morbi, vt omnibus liquet, intelligi potest. Tertia indicatio inueniẽs remedia quibus assequi possumus quod prima indicat, & secunda sperat, latissime patet, & omnium longe difficillima est, ꝙ scilic. remedia quibus

Triplex omniũ morborum curatio. Indicatio simplex prima. Secunda. Substantia. Actio partium. Vsus & officium. Situs. Tertia indicatio.

Medicina tota adeoque remedia omnia in 4. versatur.

morbus abigitur, ostendat. Omnia vero remedia, imo tota medicina in quatuor rebus A versatur: admouendis, educendis, faciendis, & extrinsecus incidentibus. Admouendorum nomine intelligitur cibus, potus, & si quid medicamentorũ intra sumitur. Faciendorum vero, frictio, ambulatio, vectio, equitatio, denique motus. Quod si non quiuis motus exercitatio est, sed solũ qui valẽtior, adiiciatur motui exercitatio, vt sint facienda tum motus, tum exercitatio. Referuntur ad hũc ordinem somnus, vigilia, & Venus. Educendorum nomine inaudiuntur omnia corporis excrementa, tam ea quæ in ventriculo, quam ea quæ in iecore, arteriis & venis, & quæ in singulis corporis partibus cõtinentur: in summa, quicquid præter naturã in corpore continetur. Foris incidentium e genere primus est ambiens aer, deinde quæcunq; lauantium vngentiumue cuti propinquant: vt sunt aquæ sponte natæ & calẽtes, item omnia quæ extrinsecus illita corpus B ingrediuntur. His itaq; remediorũ quatuor generibus, quicquid ad morbi curationem adhibetur, complectitur. Principio namq; vt singulis morbis conueniens victus ratio adhibeatur oportet. Nisi enim cibis & potionibus, quæ morbi ratio exigit æger vtatur, nulla sanitatis consequẽdæ spes erit. Dein aut motu, aut quiete, prout morbus postulat, ægrum vti oportet. Somno præterea, vigiliisue pro morbi diuersitate ægro vtendũ erit. Medicamentis insuper vel alterantibus, incidentibus, vacuantibus, constringentibus, prout morbus exigit, vti oportet. Excremẽta quoque corporis, quouis tempore expurganda erunt. Aere quoque conuenienti, balneis, & vnguentis pro morbi ratione vtendum erit. Quatuor igitur iam dictis, omnes res a iunioribus dictæ nõ naturales cõplectuntur: quibus quum non solum corpus a morbo vindicetur, verum etiam ne in vllum C morbum incidat prohibeatur, rectissime a nobis dictũ est, vniuersam artem in ipsis versari: vniuersa enim medicina digeritur in eam quæ incolume corpus conseruat, & in eam quæ morbos demolitur. Porro quum iam abunde satis quæ sint primæ & simplices rationalis curationis morborum indicationes, indicauerimus: reliquum est, vt quibus rebus vniuersalis methodus constet, explicemus. Constat autem vt Galenus *lib. 1. de Curan. ratione ad Glauconem auctor est*, ex recta remediorum adhibendorum ratione: quæ eorundem qualitate, quantitate, modo vtendi, & occasione, quæ omnium difficilima est, perficitur. Qualitas igitur ab affectus specie sumitur. Si enim morbus est calidus, refrigerare: si frigidus, calefacere: quemadmodũ si siccus, humectare: si humidus, siccare eum oportet. Ad eundẽ modum de aliis qualitatibus q̃ ex primis nascuntur, sentiendũ erit: D vt scil. iis q̃ præter naturam emollita sunt, ea quæ indurãt rarefactis, quæ densant, & reliquis pari modo adhibeantur, contraria curando contrariis. Non sufficit aũt hæc tantum scire, sed quantitatẽ eorum quæ adhibẽtur præsidiorum, metiri oportet. Nã si quis nouerit, verbi gratia, refrigerandũ esse, nec sciat quantũ refrigerandum sit, falli eũ circa curationem est necesse. Quotquot .n. quantitatem ignorant, & maiorem q̃ conuenit præsidiorum copiam adhibent, hi in contrariam intemperiẽ corpus imprudentes ducunt. Sin præsidiis imperfectius vtunt̃, excessum nõ tollunt. Quantitatẽ aũt definiunt magnitudo affectus, propria corporis aut particulæ natura, viriũ robur, & partis laborantis conditio. Oportet etiã vt vtendi modum præsidiorũ sciamus. Verbi caussa, ventriculo laborante cognoscendũ erit quomodo præsidia sint adhibẽda: intrinsecus scil. E an extrinsecus. Sepenumero .n. ventriculus ita est cõparatus, vt nullũ intus adhibitum medicamentũ sustineat, & admittat. Tum .n. bene cum ægrotante agitur, si extrinsecus remedia adhibeantur. Pari ratione in dysenteriæ curatione, si vlcus est in tenuib. intestinis, per præsidia quę superius ingerunt̃, curationem molimur: vbi in crassiorib. est, iis quæ per inferna iniiciũtur vtimur. Ceterũ vtẽdi modum ostẽdunt humoris natura, via per quam educitur humor ipse, locus cui medicamenta adhibent̃, medicamenti vehementia, & morbi cõditio, quorum omnium, vt etiã prædictorum, exempla particularis curandi ratio suppeditat. Verum præ omnib. iis occasio, id est, temporis pars, quæ in se rei alicuius idoneam faciendi aut non faciendi oportunitatẽ habet, q̃ momentanea sit, sicuti in Aphoris. Hipp. pronũtiauit, cognitu necessaria est. Quum enim semper fluant F nostra corpora, & variis subinde modis se habeant: præsidia etiam in ipsis diuersa esse, & alia singulis occasionibus necesse est: Verũ quũ de occasione in enarratione iam citati loci Hipp. multa diximus, nõ est cur hic longiores nos esse oporteat. Quũ ergo quatuor sint in vniuersum, quib. vniuersalis methodus subfiguratur: duo ex iis quidẽ communia sunt,

Admouendis. Faciendis. Educendis. Foris incidentibus. Vniuersalis methodus quibus constet. Qualitate. Quantitate. Vtendi modo. Occasione.

A sunt, tum idiotis etiam cognitu facilia, modus scilicet vtẽdi, & qualitas. Quis enim nescit calidum refrigerandum esse, & frigidum calefaciendum. Quin & vtendi modus, quamuis difficilius percipitur quã qualitas, tamen non omnino captu difficilis est. Reliqua duo tum propria medicorum, tum difficilia sunt: quantitas nimirum, & occasio. Nec affectum illum præter naturã amoliri poterit, qui hæc quatuor iam dicta neglexerit: ꝙ scil. per ea necessarium sit fieri curationem, neq; sanatio sine iis perfici possit.

Contrarietas indicatio curationum maxime generalis est. CAP. III.

COmmunis curationis indicatio, *Gal. lib. 9. de Med. meth. auctore*, est contrarietas. Hæc enim qua ratione & affectibus sit medendum, & ad symmetriam sanitatisq; medio B critatem perueniendum, indicat. Nam cum perspicuum sit omnibus, sanationem non esse aliud quam præsentis in corpore vitiosi affectus in naturalem habitũ mutationem, atq; horum quidem vnum alteri esse contrarium: vt per contraria fiat eorum alterius in alterum translatio, est necesse. Si n. verbi gratia, calidior aliquis fuerit affectus, refrigerandus erit: sin frigidior, calefaciendus. Pari modo, si quis ad siccius inclinat, humectãdus: sin ad humetius, siccãdus. Rursus quoq; is ꝙ humidus & frigidus est, pariter siccandus & calefaciendus erit. Siccandus pariter & refrigerandus, qui humidior & calidior euadit, & in reliquis duabus coniugationib. ad portionẽ. Semper n. pro eo ꝙ exsuperat, inducendum eo vsq; contrarium est, quoad particulam in symmetriam, & naturalẽ habitum vindicauerimus. Vt rectissime ab Hipp. dictum sit, hodieq; in Medicorũ scholis C celebretur, contraria contrariorum esse remedia. Verum non satis est, scire, contraria contrariorum esse remedia, nisi in contrariis quoq; inueniatur modus. Neq; enim satis est calido affectui admouisse frigida, nisi id debita fiat mensura: quum alioqui metus sit, si intra modum id fiat, ne morbi reliquũ quippiam relinquatur: sin modus excedatur, contrarium genus morbi inducatur. Quippe qui calidum morbum supra quam par est refrigerat, is sanitatis mediocritate transgressa, alium excitabit morbũ, qui sit frigidus. Ceterum contrarietas non tantum indicat, qua ratione morbis & affectibus præter naturam sit medendum, & ad symmetriã perueniendum: sed quum generalis & cõmunis sit, ad alia quoq; referatur oportet. Est itaque contrarietas communis tum morbo, tum temperamento, tum aeri ambienti indicatio. Morbus namq;, vt comprehensum est, q̃ D sibi contraria sunt adhibenda esse indicat, aut sui ablationem per cõtraria esse moliendam insinuat. Morbus igitur præcipue curationẽ, quæ per contraria fit, indicat. Temperamentum autem laborantis, vna cum morbo cõtrarietatis mensurã definit, adeoq; contrarium eo vsq; esse adhibendum in morbi curatione indicat, donec ad symetriam & sanitatis mediocritatẽ sit peruentum. Ambiens vero aer vna quoq; cum ipso morbo indicat se vel esse vtendũ, vel amoliendũ. Si enim cõtrarius est morbo, se esse vtendum, quod ad morbi abolitionem conferat, indicat: adeoq; contrarietatis nomine, quæ non est nisi id ꝙ contrarium morbo adhibendũ esse indicat, rectissime complectit᷑. Si vero similis est, morbum potius auget, & non præsidii, seu caussæ sanantis, sed potius morbificæ rationem habet, nec contrarietatis nomine comprehẽditur. Atq; in hanc quidem E sententiam, contrarietatem Galenus communem & generalem curãdi indicationem esse docuit. Verum hic obganniunt quidam Galeno, contrarietatem ipsam nec indicare, nec indicationem aliquam esse dicẽtes: modo verum sit, quod ille *initio 3. lib. Medendi methodi* scribit, absurdum esse, aliud constituere quod curationem indicet, aliud vero quod curetur. Nihil autem indicare poterit eorum quæ ad curationem pertinent ipsa contrarietas, quod morbus non sit: & plane ridiculũ erit, si contrarietatem curari dicamus. Et certe tantum abest, inquiunt illi, vt curationem indicet contrarietas, vt nihil aliud quicquam indicare possit. Nam si indicare est inuenire, quod iuuet, aut lædat ea quæ indicant: quid quæso ipsa indicare poterit contrarietas? Qua enim re opus habet vt iuuetur, vel lædatur? In hunc sane modum Galeni de contrarietate communi F curandi indicatione præcepta illi conuellere conantur. Sed mehercule quum ita ratiocinantur, non nisi fucum faciunt lectori, ꝙ scil. contrarietatẽ secus atq; Gale. vsurpent, adeoq; non nisi λογομαχίαν hic & multis aliis in locis instituant. Quippe cõtrarietatis nomine ipsi intelligunt id ꝙ morbo est contrarium, adeoq; indicatur. Gal. contra appellat contrarietatem id, quod contrarium indicare potest, quemadmodũ paulo ante est

Contrarietas quid indicet.
Sanatio quid.
Contraria contrariorum remedia.
Contrarietas communis tum morbo, tũ temperamento, tum aeri ambiẽti indicatio.
Morbus.
Temperamentum.
Contrarietas quid.
Galenus ab iniuria quorundã vindicatus.
Indicare quid.
Contrarietas quid.

Morbus est contrarietas. dictũ. In hac itaq; significatione morbus erit cõtrarietas, propterea φ contrariũ indicat, A
vel quia curandi rationem per contraria præscribit. Atq; in hũc sensum recte dicitur curari contrarietas, id est, morbus. Recte etiam indicare, id quod iuuat, vel lædit. Contrarietas quoq; temperamentum laborantis erit, quia cõtrarii, quo morbus curatur, mensuram indicat. Temperamentũ. Contrarietas etiam hac ratione aer ambiens erit, quia contrariũ se morbo esse indicat. Aer ambiens. Proinde communis sit contrarietas, tum morbo, tum temperamento, & aeri ambienti oportet. Similitudo quid. Vt igitur hæc tria contrarietatis nomine accipiuntur, quod contraria affectui præter naturam esse adhibenda ostendunt: ita similitudinis nomine complecti possunt consuetudo, ætas, natura, regio, anni tempus, & status cœli, vbi temperata sunt, eo quod similia semper præsidia indicent, siue valeant homines, siue ægrotent. Sed de contrarietate abunde satis. Nunc vt ad particulares indicationes propius accedamus, ordinis ratio postulat. B

Tria esse in vniuersum, circa quæ omnis medendi opera versari debet. Cap. IV.

PRiusquam ad indicationum particularem tractationem accedamus, sciendum erit, tria esse in vniuersum, circa quæ omnis eius, qui medetur, opera versatur, & in quæ perpetuo fixis oculis intueri debet: morb⁹ nimirũ, subiectum & natura. Morbus autem profligandus, subiecto sanitas inducenda, natura tutanda iuuandaq; erit. Depellitur aũt morbus contrariis, iuxta tritum hoc Medicorum axioma: Contraria cõtrariis curãtur. Sanitas similibus conseruatur. Natura. Hæc tamen frustra tentabit Medicus, si natura ipsa non adiuuerit, atq; cum primis officia sua exercuerit. Vt præclare & sapienter Hippocrates dixerit: 6. Epide. sect. 5. aph. 1. τῶν νόσων φύσιες ἰητροί, φύσιος δ' ὑπηρέτης ἰητρός, *Morborum Medici naturæ sunt, naturæ autem minister Medicus*. Natura itaq; est, quæ in corporibus nostris omnium functionum auctor exsistit. C Quapropter vt sciat Medicus quid, quando, quantumq; agere conueniat, ad naturam illi respiciendũ erit. Tantum enim a Medico eodemq; modo agẽdum est, quantum quoq; modo a natura agitur. Si enim naturam fortiter morbo reluctari cernit, reluctandum quoq;, vbi videbitur, illi erit: eoq; nitendum quo natura fert, & victoriæ spes erit, tantumq; alterationi, vacuationi, alteriue alicui motioni mutationiq; indulgendũ, quantum natura probe perficere possit. At si naturam miseris modis afflictã ac morbo pressam, nullo conatu se mouere conspicit Medicus, nec illi mouendũ quicquam erit: præterquam n. quod operam luderet, subiret quoq; speciẽ eius vt occisi, quẽ sors ipsius interemit. Quocirca naturã semper ob oculos, quoties mederi consilium est, habeat oportet Medicus. D Subiectũ. Post naturã et subiecti, hoc est, humani corporis ratio habenda est, φ id non eiusdem semper, sed diuersissimi sit temperamenti, quod variis animi motibus perturbetur, varios mores, cõsuetudines, atq; vitæ instituta habeat: quod varias item regiones sortitũ sit, ac pro variis anni temporib. cœli, soliq; diuersitate, varie affectũ alteratumq; sentit: cuius membra laborantia quandoq; ea sunt, quæ in abdito ac profundo sui, quandoq; ea, quæ in summo posita sunt. Nec minus affectus, pro caussæ maioris minorisue ratione, plus minusue a sani eius temperamento recedunt. Quapropter non omnibus eodem modo, ne si eodem morbo laborauerint quidem, eodemq; gradu a temperamento recesserint, medendum est: quanto magis, si modo gradu q; morbi variauerint, varianda medicina est. Nec cum varii locorum laborantium, vt dixi, positus sint, E eidem semper loco remedia applicanda: sed pro circumstantiarum affectusq; ratione variis modis, variisque locis & occurrendum & admouendum præsidium. Morbus. De morbo, qui inter ea, quæ semper præ oculis habenda admonuimus, tertium occupat locum, cuius naturæ, quarumq; partium sit, considerandum. Est enim affectus præter naturam, vt suo loco plenissime monstrauimus, a quo primum vitiatur actio: ideoq; vt illa restituatur, quoad eius fieri potest, citissime e corpore profligandus. Morbi tria genera. Eius autem tria sunt genera: id quod suo quoq; loco ostensum est: intemperies, mala compositio, & solutio continuitatis. Igitur intemperies, siue simplex, siue composita, si sicca fuerit, contrariæ qualitatis modis atque rebus pro ratione curanda venit. Pro ratione dico, quod simplex sicca, quæ duobus gradibus, verbi gratia, a naturæ modo recesserit, duum medicamento contrariæ qualitatis simplicis retundenda est: composita duarum qualitatum ex aduerso respondentium præsidio restringẽda. F Vt si cui decem quidem numeris a naturali constitutione calor auctus fuerit, septem vero siccitas: ex salubribus caussis aliquid, quod decem numeris frigiditate, & septem humiditate par sit, adhibendum erit. Fluxionũ diuersitas. Sin cum affluxu materiæ, videndum est, sanguisne sit, quod affluit, an pituita, flaua

A bilis, an atra: fluxeritne tenue, crassum, mordax, putridum, flatulẽtum, an tenax? deniq; num redundantia tanta sit, vt aut vasa distendat, aut virtute grauet? cõsiderandum præterea, num ad partem imbecilliorem aut copia sui, aut facultate membri mandantis, & exonerantis se, nec copiam, nec qualitatẽ molestam ferẽtis vi, aut parte laborante prolectante atq; ad se trahente humor defluere cogatur? Vbi iam ex signorum indiciis humorem elicueris, exempli caussa, bilem esse qualitate tenuem atq; fluidam: reliquũ est, vt membri recipientis & mãdantis naturam æstimes, sitne extra, an intus positum. Si intus, primum cuius substantiæ sit, disquire, laxæne, vt pulmo: an solidæ, vt membrana, os, neruus, cauę, vt renes, vesica, an secus, vt neruus, cartilago, copiosi sanguinis, vt iecur, an exigui, vt intestina, vesica, multorũ vasorũ, vt iecur: an paucorũ, vt vesica: aut nullorum, B vt neruus. Dein, cuius actionis, largientisne aliis, vt cerebrũ, cor, iecur, vẽtriculus: an accipientis, vt intestina pleniora, vesica, caro, cutis: nobilisne, vt cor, iecur, cerebrum: an ignobilis, vt cutis. Postremo cuius situs, vt in summo ne fluitet, an in imo residat: mẽbrone aut ignobili adhæreat? Quæ omnia vt in membro fluxum excipiente ac mandante, ita in quauis laborante parte peruestiganda sunt, si curandi indicationes recte inuenire cupias. His cognitis, cum fluxio nulla sit, quæ non aut per vasa, aut meatus atq; vias quasdam, quæ materiam fluentem acceptã alio transmittant, fiat: sintne eæ amplę, an angustæ, rectæ an obliquæ, venæ, an arteriæ, an nerui, vastæ cauitates, an exigua foramina, peruidendum. Etenim pro horum varietate, medẽdi indicium variatur. Ergo vbi morbum profligare vis, hæc quinq; capita potissimum animo versanda sunt: *quid agendũ, quãtum, quo modo, tempore, & loco.* Sed priusquam hæc ordine exponamus, an agendũ sit, paucis ante ostendemus. Sæpe enim vsu venit, vt tũ vel maxime agendum videatur, quum tamen citra graue periculum agere non conceditur, ac proinde nę agendum quidem. An igitur agendum sit, natura formaq; naturalis ægri indiciũ facit. Nam si natura facultatib. instrumentisq; suis integra & illæsa fuerit, si attrahere, retinere, conficere, expellere, assimilare, ceteraq; vitæ munia obire valeat: nulla in re de natura solicitus, ad medendum recta progreditor. At si natura laborat, & fracta fuerit: non tñ deplorata: prima ratio curaq; naturæ succurrendæ esto, sine qua ne agere quidem omnino licet. Tantum n. agendum, quantum viribus concessum est. Ad hunc modum an agendum sit, vbi assecutus fueris, proximum est, vt quid, quantum, quo modo, loco, & tempore agẽdum sit, D inuestiges. Ad quam rem indicationes particulares, quæ indicia quædam sunt omnia recte exsequendi, & veluti statuæ mercuriales ad scopum omnia dirigendi, plurimum faciunt. Hæ autem ex iis fere locis sumi consueuerunt, natura morbi, temperamento, ægri viribus, consuetudine, vitæ proposito, regione, anni tempore, ætate, cœli constitutione atq; loci laborantis natura. Quam rursus diducimus in tẽperaturam, substantiam, functionem, dignitatem, sensum, positum, situm, & figuram. De quibus ordine, breuiter tamen, differemus.

Partium corporis diuersitas.

Profligandi morbi quinq; consideranda, an agendum sit.

Indicationes particulares quæ, & quot.

Morbi natura, & temperamentum quid indicent. CAP. V.

HActenus generatim, quomodo curandi indicationes inueniendę sint, ostendimus: nunc particulares excutiemus, orsi ab ea, quæ a morbi natura sumitur. Hæc n. quid E agendum sit in curatione, indicat. Quippe cum morbus sit ex eorum numero, quę præter naturam sunt, se pellendum esse ostendit. Nihil vero pellitur, nisi p contraria: igitur morbus, qui calidus est, frigidis medicamẽtis: frigidus contra calidis se pellendũ esse indicat. Idẽ sane de altera oppositione intelligendũ erit. Pari ratione si ex humorũ redundantia natus est morbus, vacuatione se demoliendũ esse ostendit: sin ex eorundẽ defectu excitatus est, refectione esse opus indicat. In summa morbus perpetuo contrariis se esse oppugnandum insinuat. Non tñ satis est id scire, contraria contrariis pelli, nisi ẽt ad quem modum, quantitatemq; ea adhibenda sint, perpulchre nouerimus. Nihil n. iuuat, morbis calidis frigida admouisse, nisi conuenienti aptoq;, pro re nata, modo id faciamus. Etenim si infra modũ ea adhibeamus, periculũ est, ne remaneant morbi reliquiæ F quædã: sin vltra, ne nouũ morbi genus priori contrariũ importune inducamus. Nã qui morbum calidum nimium refrigerat, q sanam symmetriam & commoderationem excedit, morbum frigidũ gignit. Quod ne fiat, corporis, q morbo laborat, naturam probe callere vel in primis oportet: vt cognito quantum a vera symmetria morbus declinarit, medicamento q refrigerando erit, modum cõstituas. Sed fieri nequit, vt recessus decli-

Morbi natura quid indicet.

Modus & quantitas contrariorum noscenda.

Corporis laborãtis natura cognoscẽda.

clinationem inueniamus, ignorato ad quem vsq; modum, quum sanum esset, corpus calidum frigidum, humidum, vel siccum fuerat: quantumq; iam in morbo cōstitutum, ab eodem in se sano variauerit. Quo cognito, expedita est curatio. Nam si morbus a naturali corporis habitu longe abscessit, validis intensisque contrariis indiget: ꝙ non ita multum, imbecillis remissioribusq;: quippe eatenus redeat ad naturam eorum quodq; necesse est, quatenus a natura recessit: ac veluti quadam via retro feratur, quæ in diuersum agat ei, quæ facta est in ipso, transmutationi. Multum aūt recessit a corporis partisq; eiusdem symmetria morbus frigidus in corpore parteq; calidis: contra calidus in frigidis: minus calidus morbus in corpore ac partibus calidis, aut frigidus in frigidis. Quæcunq; igitur calidiores natura partes ex frigore laborant, hæ & liberalius & diutius calefieri postulant: sicut etiā quæ frigidiores natura sunt, si ex calore laborent, refrigerari: & sicciores, si ex humiditate male habeant, siccari. Ad eundem modum, & humectari, quæ humidiora naturaliter sunt, vbi ex siccitate laborant, tum vberius, tum diutius postulant. Contra vero, pars quæ calidior natura est, si calido morbo ægrotat, exigua breuisque temporis refrigeratione eget: sicuti quæ frigidior est, calefactione. Ad quē modum in humidis quoq;, & siccis se habet. Siquidem breuis est eiusmodi, in id quod præter naturam est, lapsus: & rursus, in id quod secundum naturam, reditus. Vt rectissime dixerit Hipp. *In morbis minus periclitantur, quicunq; cognato naturæ suæ morbo laborāt.* Ergo si morbus intemperies fuerit calida & sicca, nuda seu sine materię affluxu, frigidis & humidis pro ratione obsistendū. Sin cum affluxu, & illa quidē ex redundantia, vacuatione leuandum. Nam quicunq; morbi, *vt Hipp. dixit*: ex redundantia fiunt, eos vacuatio sanat. Si vero ex cōpositione vitiū sit, idq; ex obstructione, extergētibus, & obstructionem demolientibus medicamentis curandum. Sin ex asperitate, lenientibus: si ex magnitudine, minuentibus morbo obuiandum. Si autem in solutione continuitatis, & ea quidem ex dissectione sit, vnione & consolidatione subueniendum. Quam si quid, vt affluxus, vel humor aliquis redundans impediuerit, ꝙ affluxum est, vacuandum: humor autem iis, quæ siccandi potestatem habent, absumendus. Atque hactenus, quomodo priores duæ indicationes, quæ a morbo & temperamento petuntur, sint tractandæ, exposuimus.

2. Aph. 34. 2. Aph. 22.

Vires quid indicent. CAP. VI.

Indicatio a viribus petita, omniū prima.

VIres etiam paulo ante inter ea, quæ indicāt, commemorauimus. Siquidem hæ non solum suam conseruationem, verumetiam *quid, quantum, quomodo agendū*, sed etiam, *an omnino sit agendum*, monstrāt. Quapropter prima omnium est, quæ a viribus sumitur indicatio, non ita tamen prima, vt quæ curationem doceat: cū ex numero curatricium indicationum non sit, verum vitalium. Nam neque vt valeamus, nec vt a morbis liberemur, ab ea quicquā primum sumimus, sed vt viuamus. Maxima igitur dignitas ipsarum est virium, quando viuere ipsum nobis ex harum custodia constet. At vita ipsa nihil esse prius in corpore potest, propterea quod nec sanos esse citra vitam licet. Virtus ergo omnium prima custodienda est hominibus, quando hæc morbo ceu aduersatrix sit opposita. Vires autem num omnino agendum sit indicare, vnico argumento monstrasse satis sit. In febribus namque continentibus primum omnium sanguinē esse mittendum, in confesso est apud omnes, & quidem vsque ad animi defectionem. Verum an ita omnino in iis febribus sit agendum, vires maxime indicant. Validæ namq; si fuerint, audacter aget quod indicatur Medicus: si imbecilles, nequaquam. Quantum præterea sit agendum, ægri vires indicabunt, siue rerum mole, siue gradu agas. Nam virtus quantum mole exhibendum sit monstrat, *an vncia, an drachma, vel cibi, vel medicamenti.* Sæpe enim copioso cibo, multisque medicamentis opus foret, nisi virium infirmitas reclamaret, nisi moli quantitatique demere præcepissent. Hinc nō temere in aphorismis monet Hipp. *diligenter considerandum esse, quibus semel aut bis cibus sit offerendus, & plura ne an pauciora particulatim sint exhibenda.* Idem quoque in vacuationibus quantum vires ferre possint, perpetuo esse expendendum hortatur. Qua de caussa pro virtutis viriumq; ratione moderandus tum cibus, tum medicamentum est. Verbi gratia: si duobus gradibus calefaciendum sit, ne virtus laborantis corporis ex tanta calefactione exsoluatur, seruato quidem contrarii gradu, medicamenti moles minuenda est. Item, si bilis libræ duæ scammonii scrupulo vno educendæ essent, viribus ægri id non ferentibus, bilis vncias

Virium maxima dignitas. Vires indicant num agendum sit. Quantum agendum. 1. Aph. 17.

A vncias tantum sex, totidem scammonii granis recte eduxeris. Satius enim est, repetita vacuatione, ac minuatim agendo virtutem conseruare, quam semel & confertim eandem prosternere.

Consuetudo quid indicet. Cap. VII.

CVM maxime a consuetudine petatur indicatio, non erit vlla ratione a Medico prætereunda. Quippe hæc victus medicamentorumq; inuentionem & in morbis, & in conualescentibus indicat. Gaudent enim naturæ consuetis semper: *vt & Hippocrates euidentissimis argumentis in libro de acutorum victu adstruxit*: & in omnibus, qui se secundum naturam habent, manifeste apparet. Consuetudinis enim cum natura tanta est consensio, vt earum altera in alteram transeat. Quod enim consuetum est, idipsum iam natu-

Naturæ consuetis gaudent, aph. 18. & sequentib.

B rale euasit. Vt commodissime a veteribus dictum sit, consuetudinem acquisititiam esse naturam: hoc est, vim quandam & facultatem, non quidem ingenitam, sed vsu comparatam, quæ naturæ nostræ perinde est familiaris, vt ea ipsa esse videatur: nisi quod hæc ab externo principio, illa ab interno & ingenito manauit. Victus autem rationem ostendere consuetudinem, vnus Hippocrates satis monstrat: qui ea, quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare, scriptum reliquit. Consuetudo igitur, quum ægrotant homines, semper similia indicat. Siquidem consuetudo, tametsi praua est, tamen non est, nisi per summam sanitatem, & quum a negotiis maxime vacat, *vt fusius lib. 1. de tuenda sani. cap. 8. Galenus docet*, mutanda. Non parum etiam ad remediorum inuentionem, veluti quoq; ad sanitatem tuendam consuetudo condu-

Consuetudo victus rationem ostẽdit. 2. Aph. 50. Consuetudo quãdo mutanda.

C cit. Nemo enim est adeo stupidus, vt magnopere ex frigidæ potione læsus, hanc in diutinum duxisse vsum velit: propterea q; læsus interim atq; ægrotans ab ea desistet. Quod si vero quis frigidæ potioni insueuerit, nec aliud, quo minus bibatur, obstiterit, audacter illam febricitantibus Medicus exhibebit. Ergo sicut alia nõ pauca quidam Medici præter communes notiones, ita illud quoq; effuderunt, quod nulla nec salubris inueniendi victus, nec ægrorum curationis ex consuetudine sumatur occasio. Videtur enim non sicut alia quædam exiguam leuemq;, sed plane maximam, ac maxime principalem potestatem habere, vt quæ singulorum corporum naturam ostendat. Est enim ipsa consuetudo, altera, vt dicitur, natura. Præterea non parum momenti etiam in assumendis medicamentis consuetudo obtinet. Si enim æger medicamentis assueuerit, quiduis ci-

Consuetudo singulorum corporũ naturam ostendit.

D tra nauseam facile admittit. Sin minus, mille artibus agendum, mille fucis commendandum medicamentum est, ne alioqui æger Medicum aut oderit, aut fugiat. Sed de consuetudine, de qua antea quoque diximus, satis.

AEtas, regio, anni tempus, & cœli constitutio quid indicent. Cap. VIII.

EOdem autem modo & ea, quæ ab ætate præbetur, quo ea quæ a consuetudine sumitur, tractanda. Nam, cum ex iis sit quæ natura nobis insunt, similem sibi victum postulat. Quod Hippocrates in aphorismis iis innuere verbis voluit: *Humidus victus omnibus febricitantibus est idoneus, potissimum autem pueris, & aliis qui ita cibari sunt assueti.* Ipsa quoq; temperamenti interuentũ indicationem præstat. Nam quæ calida est & humida, veluti puerorum, hæc promptius discutitur atq; exhalat: quo minus vacuantis præsi-

AEtas. 1. Aph. 16.

E dii eget, cum habeat ex seipsa vnde naturaliter vacuetur. Fit autem profecto & propter calidam siccamq; regionem, & tempus æstiuum ob constitutionem cœli impense calidum & siccum, notabilis per cutim vacuatio. Itaq; huius etiam caussa, iis qui sanguinis detractione egent, aut prorsus non secamus, aut parum detrahimus. Pari ratione de aliis quoque vacuationibus sentiendum erit, vt horum occasione vel plane nullas, aut parce saltem adhibeamus. Verum cum ea de re in præcedentibus quoq; libris a nobis abunde dictum sit, non est, cur nunc longiores simus. Porro interdum necessarium est, vt si regio, anni tempus, constitutio cœli calida sint, ita morbo postulante, frigidis: & contra si frigida, calidis demulceantur. Quod qua ratione possit consequi, supra aeris exemplo est ostensum, vt non sit opus nunc de iis copiosius disserere: præsertim cum Galenus de

Regio. Tempus. Constitutio cœli.

F iis omnibus copiosissime in *medendi ratione* scripserit.

Laborantis loci natura quid indicet. Cap. IX.

LAborantis loci natura quo modo agendum sit indicat: a sua temperatura, substantia, functionũ nobilitate, sensu, positu, situ & figura. A tẽperatura: vt si calida & sicca naturaliter fuerit, earundemq; qualitatũ aduentitiarũ tantã accessionẽ habuerit, vt iam

Temperatura laborantis partis.

a naturali temperamento discesserit, hominemq; ægrum reddiderit, medicamenta tot gradib. frigida, humidaq; esse exhibēda, quot calorem siccitatemq; supra naturale temperamentum membri aucta esse coniectura erit: addita etiam re aliqua, quæ pro membri temperamento facit, secundum que sit. Ita enim & medicamentum efficacius feliciusque vires suas proferet, & a membro, quam si nullo prorsus secundo adiecto admoueretur, facilius admittetur. Exempli caussa, vbi cor supra modum calefactum refrigerare velis, nonnihil calidi præsidii admisceto: vbi cerebrum calefacere, aliquid de frigido. Frigidum enim cerebro, calidum cordi secundum amicumq; est. A substantia: vt si durum solidumque membrum sit, quo aditus penetratioque detur, medicamento aliquid, quod tenuis substantiæ sit, adiungemus. A functionum nobilitate: vt si pro corde aut ventriculo aut iecore medicamentum componas, quorum hęc concoctionis, nobilissimæ sane functionis, illud vero spiritus quo viuimus, & caloris, quo fouemur auctor est: memineris cordis medicamento semper odora, ventriculi & iecoris adstringentia adiicere, etiamsi morbus horum nihil postulauerit. Nam odores ad calorem innatum, spiritusq; vitales fouendum recreandumq;, adstrictio ad continendum roborandumque, adeoque concoquendum, maxime conducunt. Præcipue autem adstringentibus vtendum est, vbi in iecur aut ventriculum superuacuum profluit: quando & e primoribus admodum hæ partes sunt, & munus suum obeant, vel in ipsis morbis, est necessum. Non est autem exiguum eorum munus, qualeque est reliquarum partium, quibus illud modo negotium est, vt id quo nutriantur conficiant: verum quod tantopere animalis intersit, vt si neq; in ventriculo probe alimentum fuerit concoctum, nec in sanguinem in iecore mutatum: vtique quod in fame nobis accidit, vt cibi penuria exigere in abstinentia cogamur, idem tum omnibus animalis partibus accidat. Non enim ex iis, quæ deuorarit quis, sed ex iis, quæ in iam dictis visceribus confecerit, alimentum toti corpori suppeditatur. Atq; ob hæc nimirum impensius quam cetera membra, ventriculus & iecur adstringentia desiderant. Ergo quum ea, quæ iam infixa sunt, euocandi tempus est, tum quoque modice adstringi postulant. Quod enim adstrictionis in principio longius iis, quam ceteris partibus adhibetur, id seruandum assidue est, nimirum manente, qui id indicet, vsu. Vsus vere est, vt diximus, nutrimenti confectio, quemadmodum fusius *lib. 11. Ther. meth. cap. 15.* Galenus ostendit. A sensu. Nam quæ acuti sensus pars est, eam quam maxime citra dolorem, mitioribusque curare tentandum. Quæ vero parum acri & obtuso sensu est, hęc si affectus ita suadet, valentiora remedia recipit: quippe quæ facile sentiunt partes, acria medicamenta non tolerant, sicuti neque humores. Verbi gratia: quum acris humor in ventriculi ore continetur, sæpius animi defectionem accersit. Quod si mediocriter afficiatur, anxietate & nausea premuntur: aliquando infestū quidem humorem vomentes: aliquando vero frustra enitentes: quod in iis potissimum affectibus accidit, quibus ventriculi os vitioso imbuitur humore. Eodem vtique modo, quum in oculos eiusmodi humor influit, maximum affert dolorem, vlcerosasq; pustulas, & curatu difficiles excitat. Quapropter neq; oculi acrium medicamentorum contactum, ob sentiendi præstantiam sustinent, quemadmodum nec os ventriculi. Neque vero quod degrauet, si foris imponas, eiusmodi partes tolerant, minusque ventriculo oculus, vtpote qui nonnunquam ab iis, quæ illinuntur, medicamentis molestatur. Partes vero, quæ hebetioris sunt sensus, tum grauia cataplasmata, tum mordentia medicamēta ferunt. Quid multa? omne medicamentum contemnunt, quæ tardi sunt sensus, etiamsi non leuiter mordeant. At quæ acuti sunt sensus, eorum vires dolore resoluuntur. Expedit igitur has, nec confertim, nec semel valentibus remediis mederi tentes, sed tuto potius in tempore. At vbi tardus est sensus, in iis etiam celeriter obire quod iustum est licet, semel vsis remedio, quod sit idoneum. A positu indicatio est Medico quidem chirurgico, quo modo ligandum, incidendum, inurendumue sit: medicamentario vero, quemadmodum, inungendum, fouendum, & medicamentum exhibendum. Veluti vbi morbus membrum, quod alte positum est, occupat, quo id medicamenti, cetera tum re, tum qualitate pro morbi ratione confecti, vis penetrare facile possit, deligenda sunt ea, quæ tenuium partium sunt: aut admiscendum est aliquid, quod substantiæ tenuitate, id quod crassiusculum est, in intimas partes deducat, vt pro eo esse possit, ac si tenuium partium esset. Nec minus indicio situs profundum,

Substantia. Functionum nobilitas. Ventriculus & iecur impēsius quam cetera adstringentia desiderant. A sensu. A positu. Situs.

A dus est medicamento: ne eundo iustas vires amittat, tantum ex auctario est adiungendum, quantum in itinere discessurum coniicimus. Quæ igitur in superficie constitutæ partes intemperie laborant, medicamēta efflagitant, qualia affectus ipse requirit. Quæ vero in imo latent, iis non, qualia nūc sunt medicamenta, adhibenda sunt, sed quæ affectui profutura sunt, dum ad eum peruenerint. Pari modo externis phlegmonib. abunde faciunt, quæ solū laxare possunt. Internæ vero, qualis est membranæ, quæ costas cingit, acriora desiderant. Lienis vero & iecoris, omniumq; peritonæi partiū phlegmones eadem ratione curantur. Pulmo autē omniū poscit vehementissima medicamēta. Considerare namq; oportet, quot numero partes permeat medicamentū, quod ad pulmones fertur. Primū quidē per os transit, deinde fauces, & stomachum, postea ventriculū ipsum,
B & quædam ex graciliorib. intestinis, deinde ad mesenterii venas, post ad iecoris partiū simarum, a quib. ad gibbarum seu cōuexarum venas, ab iis vero ad cauā, post quā ad cor, tandem ad pulmones peruenit. A situ & figura partiū: vt si quas vias pars habeat, p quas in alia membra pertinētes, iisdem fluxu molesta esse possit, si in principes partes hæ ducunt, intercludendę sunt, atq; ad ignobiles auertendę. Itidem si longa & præceps fuerit, vt gula: hic, si illam exulceratio exercet, nō semel, nec tota simul medicamēta adsumenda, sed sensim & assidue. Siquidē ex transitu & contactu exulcerationi, quæ hic est, vtilitas accedit, nō ex circumeundo, & diutius adhærendo, sicut huic, quæ est in ventriculo. Quinimo & quod crassiora hæc, & magis lenta sint adhibenda, id quoq; a positu figuraque indicatur. Nam quoniam gula, transitus quidem comestorum bibitorumq; est, id-
C circo remediorū eget, quę adhærere, & vndiq; quasi concrescere & agglutinari possint, non aūt quæ elui ac defluere sint promta. Ac circa partes eius veluti concrescunt, quæ crassa sunt: agglutinantur, quæ lenta sunt. Quæ vero vlcera in crassis sunt intestinis, iis q̄ per sedem iniiciuntur remediis magis egent, quippe cui magis sunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur, quoniam & longinquiora sunt, & medio situ posita, ambo requirūt, & quæ superne sumuntur, & quæ per sedem infunduntur. Iam ad vacuationes quoque nonnihil figura & situs indicant, dum societatem laborantis particulę cum aliis docent. Nam nisi illud compertum haberemus, quod cauo iecinoris subiicitur ventriculus & ieiunum, tum quod ieiuno ipsi tenue intestinum succedit, id vero colon excipit, ac colon quod appellant rectum: vtiq; inuenisse illud nō licuisset, quod iecur & per aluum, & per
D vomitum expurgari possit. Ceterum aptior est prior vacuatio, tanquam vsu iam callentibus intestinis iecoris superflua tolerare. Si igitur in crassiore intestino vitium fuerit, vt caussam elidas, clysterem subter iniecisse prodest. Si vero in tenuiori, medicamēto ore assumto: si in vētriculo, itidem, ac propterea vomitu: si in iecoris parte gibba, vel renib. vrinam mouēdo malum auferes: si in capite, vel per palatū, vel per nares, vel per vtrunq;: si in thoracis spatiis latioribus, per fauces simul cum tussi. Quæ in vesica, per vrinam.

Margin notes: A situ & figura partium.

Contrariæ indicationes vt tractandæ. Cap. X.

QVando contrarię indicationes coeunt, diligentissime expendendum Medico erit, quæ magnitudine præstant, & quæ dignitate excellunt. Perpetuo namq; eligendæ eæ indicationes erunt, quas digniora maioraq; indicantia præscribent. Magnitudo aūt
E eorū bifariam æstimatur, nempe vel propriæ substantiæ ratione, vel declinationis a naturali habitu. Dignitas vero eorundem vel vitæ, vel sanitatis respectu. Nisi n. quis ita indicationum potestates examinet, nequeat sane victus mensuram, neq; alia ad curandi rationem inuenire. Verbi gratia: quum refrigerandum & humectandum esse febris perpetuo indicet, reliquorum si itidem cōcors indicatio est, nullum exhibetur negotium: vbi discors, pro pluribus ac potioribus formari victus ratio debebit. Siquidem ex eo, quod aliquis febricitat, communis refrigerantium & humectantiū indicatio præstatur, non tamen ex ceteris: sed cuius tum ętas, tum temperamentum vna cum cōsuetudine, tum regio, tum anni tempus, & cœli constitutio, humectantia refrigerantiaq; exhibēda indicant: hunc haud dubium est, nō solum humectandum refrigerandumq; esse, sed et-
F iam nec leuiter hæc, nec vtrunque facienda esse: imo plane magnopere ac vehementer, omnibus scilicet indicationibus idem dictantibus. Cuius vero reliqua omnia refrigerantem quidem humectantemq; victum, quemadmodū febris, nō indicant, sed contrarium ipsi, calefacientem scilicet ac siccantem: vtiq; ambiguitas pugnaq; indicationum inter se oritur. Quo casu magnopere opus est, tum numerum indicationum, tum

Margin notes: Magnitudo bifariā æstimatur. Dignitas. Exemplū.

magnitudinem simul conferat Medicus. Quippe quæ a febri sumitur, ea reliquis, quando omnes contrarium faciendum præscribunt, numero quidem inferior est magnitudine tamen, quæ ex dignitate, aut potestate, aut quomodocunq; appellasse libet, spectatur, vtiq; superior est, potissimum si longe a natura recessit. Quippe duplex tum magnitudo illi accedit, & quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus communis, & quæ propria, suaq; ipsius est. Siquidem & quia febris plus ceteris omnibus solicitos nos habet: & quia præterquam quod febris est, etiam magnitudo illi notabilis accessit: idcirco contrarias indicationes inducit atq; obumbrat. Sin parua fuerit, fas est reliquas omnes vna coniunctas cum ea conferri, atq; expendi. Ac si quidem pares videantur, neq; febris indicatio præferatur, sic vt humectandum & refrigerandum sit: neq; etiam reliquorum, sic vt calefaciendum ac siccandum sit: imo media victus ratio, vbi ita se corpus habet, eligenda erit. Sin altera indicatio exsuperet, tantum recessisse a temperato & medio victu par est, quantum ea, quæ pollent, sua contraria superant. Ergo tum exercitatum in iis omnibus, tum natura prudentem esse Medicum conueniet: quo cuiusq; indicationis potestate diligenter considerata, omnibusque inter se collatis, vnam idonei victus summam, quæ laboranti sit commoda, comparet. Pari ratione, si accidat, vt cum viribus imbecillibus corruptela humorum incidat, statim duæ, & hæ quidem contrariæ orientur indicationes. Vna, quæ a corruptela petitur: altera, quæ a viribus sumitur. Prior esse vacuandum dictat, propterea quod quicquid corruptum est, id a natura alienum sit, adeoq; se auferendum indicet. Quapropter affectus ipse vacuandum esse præcipit, idq; vel vena secta, vel purgatione. Posterior autem iis remediis, quæ affectus indicat non esse vtendum docet, quod cum virtutis custodia pugnent. Neutram enim duarum vacuationum imbecillæ vires ferent. Quapropter in eiusmodi indicationum repugnantiis incerta, aut perplexa saltem est succurrendi ratio. Oportet autem, vbi indicationes ita aduersantur, & paulatim quod vitiosum est vacuare, & paulatim vicissim quod salubre est pro eo reponere. Nam hac ratione vtrisque indicationibus satis fit, quod ita vires imbecillæ reficiantur, & quod corruptum est, citra noxam vacuetur. Atq; hinc perspicuum fit, magni quidem fieri indicationes sumtas tum a morbi natura, tum etiam viribus: sed multo pluris æstimari, quæ ab iis, quam quæ ab hoc ducuntur: neque id quidem temere. Morbi namq; dignitatem sanitate metimur, virium autem vita ipsa: qua nihil est, neque dignius, neque homini carius & antiquius. Quapropter quando accidit, vt indicationes inter se ex aduerso pugnent, committendum non est, vt dum alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris, sed vtriusque memor, quoad licet vtrunq; misceas. Sed de indicationibus satis.

A — B — Aliud exemplum. — C — Corruptelę curatio. — D

Medendi præcepta vnde discenda. CAP. XI.

CVM multos esse constet tum Græcorum, tum Arabum, Mauritanorumue, tum etiam recentiorum, qui de curandi ratione præcepta continentes Cõmentarios post se reliquerunt, in illis certe delectus aliquis habẽdus erit, ne scil. deteriores pro optimis, vt ferefieri solet, arripiamus: adeoque ex iis ea, quæ ad ægri potius interitum quam salutem conferunt, pręcepta hauriamus. Fuerũt ante paucos annos, & sunt hodie proh dolor, Medici haud exiguo numero complectendi, qui in eam dementiam sunt prolapsi, vt sine Arabibus Mauritanisue, praxim frigidiuscule exerceri credant: & medendi præcepta ac rationem curandi morbos e nullis aliis auctoribus, quam Arabibus, disci posse credant: nullis aliis adducti rationibus, quam quod illi rem hanc perspicue, & ordine sane optimo tradiderint. Quantum vero, qui ea in opinione versantur, cæcutiant, quamque nihil eorum, quæ vel Græci, vel quos ipsi vnice admirantur ac in oculis ferunt, Arabes scripserunt, intelligant, eruditi satis perspectum habent: omnibusque perspicuum euadet, si quæ illi blatterant, paulo diligentius examinent, & cur hoc aut illud inter medendum faciant, ab ipsis requirant. Nam tum eos vel piscibus magis mutos fore deprehendent: aut si quid dicent, consuetudinem saltem, aut experientiam, quam tamẽ nullam omnino habent, illis obtrudent. Quasi vero errantium multitudo, aut diuturna consuetudo, illorum errori patrocinari possit: aut statim audito experientiæ nomine, a nobis impetrarint, vt illis concedamus, quod se esse consecutos sibi falso persuaserunt. Quod si enim, quæ ad experientiam veram, quam perpetuo iactitant, requiruntur, e Galeno didicissent, nihil minus quam experientiam sibi vendicare auderent. Quam

Medendi præcepta non ex Arabibus discenda. — E — F

A parum vero teneant ea quæ scripserunt Arabes, quorum se æmulos esse gloriantur; expedite cognosces, si vt controuersos, qui in iis reperiuntur locos tibi explicent, ab ipsis postulaueris. Nam ibi senties eos plus, quam pueros fore, & non habituros, quod dicant, aut respondeant. Neque mirum, quod scilicet Arabes nunquam, vel per transennam tantum inspexerint: & quisque sibi ex recentioribus aliquem, cuius placita præ ceteris sequatur, delegerit. Et cum fontes suos, Arabum intelligo lacunas, non degustauerint: quid est, quod in iis enarrandis, eos præstare posse speres? Sed fac quosdam etiam abunde degustasse: quid aliud inde haurient, quam pestilentissima, & ægris certissimũ afferentia exitium præcepta? Cum enim quem Principis nomine dignantur, infinitis erroribus refertum fateri cogantur: quid ex aliis, qui omnia sua ex illo ad verbum trans-
B scripserunt, haurire possint, quiuis coniiciet. Refertum autem esse Auicennam multis & capitalibus plane erroribus nos alibi, & pleriq; etiam alii viri doctissimi satis demonstrarunt, vt non sit opus nunc illos nominatim percensere. Vnum saltem in præsentia, & hunc certe omnium maximum, ceteris adiecisse satis sit: quod ex vnico illo, quantum in reliquis ei fidendum sit, quiuis facile cognoscet, & inde qualis is scriptor sit, veluti leonem ex vnguibus æstimabit. Siquidem is *Fen. decima canonis quarti, tractat. 1. cap. 40.* vbi asthmatis curationem ex professo docet, Arsenicum ex aqua mellis in potu dandum esse manifeste præcipit. Nemo vero est e numero eorum qui vel leuiter medicinam degustarit, quem lateat, Arsenicum toto genere naturæ nostræ aduersari, adeoq; præsentissimum esse venenum, ita vt ne halitus quidem, qui ex eo trito spirat, innoxius *Auicennæ immensus error.*
C nobis sit. Quotidiana quoq; experientia attestatur, perditos quosdam homines, tum sibi, tum aliis Arsenici vsu consciuisse mortem. Auicenna tamen iis nihil motus, illud bibendum in sanando asthmate esse hortatur: vt mirum sit, hũc carnificem, Medicorum paulo ante ab omnibus fere principem nominatum esse. Cum itaque principem eiusmodi habuerint Medici, quales fuisse putemus, qui sub eo stipendia facere voluerunt? Non alios certe, quam is fuit, quem hoc nomine dignati sunt, & cuius singula verba instar oraculorum habuerunt. Verum non ignoramus, quid pro hoc capitali errore tuendo allaturi sint eius patroni ac defensores. Nam quod alias solent, ita nunc quoq; in interpretem culpam transferent: atq; illum, locum hunc parum fideliter cõuertisse caussabuntur. Atqui quam belle illi principem suum excusent, & ab errore vindicent, eiusq; *Obiectio diluitur.*
D auctoritatem asserant, ii quibus scripta eius paulo melius quam illis patronis cognita sunt, norunt. Hi enim sciunt, quod Auicenna *cap. 49. canonis secundi*, vbi Arsenici facultates omnes percenset, idem quod loco iam producto doceat: nempe quod Arsenicum ex hydromelite siue aqua mulsa potum asthmaticis, tussientibus, sanguinemq; exspuentibus conferat. Vt mirum sit, illum immemorem plane fuisse eius, quod in eodem capite paulo ante hæc verba dixerat: nimirum omnibus Arsenicis putrefaciendi, & erodendi vim inesse. Si itaque erodendi facultas inest, cur tussientibus, & sanguinem exspuentibus bibendum exhibet? Cur intra corpus, cum venenum sit præsentissimum, assumendum hortatur? Non est igitur cur in interpretem culpa transferri possit, vt qui vtrunq; locũ optima fide transtulerit. Atqui fidem in interprete hoc loco non posse desi-
E derari, hinc omnib. perspicuũ euadit, ꝙ Mesue, qui & ipse Mauritanus, & Auicennæ simia fuit, in curatione asthmatis ad verbum, vt alia multa, hũc locũ transscripserit: & perinde ac Auicenna, Arsenicũ cũ aqua mulsa, vel melle asthmaticis in potu exhibendũ esse, nõ obscuris verbis hortat᷑. Quod si n. secus in Auicennæ codice scriptũ fuisset, haud dubie Mesue non iis, quib. nũc legitur, sed aliis plane verbis in suos libros locũ hunc retulisset. Vt meridiano sole clarius sit, interpreti nõ esse hũc errorem imputandũ, sed ipsi potius Auicennæ: quẽ quidam verissime dixit iugulare, nõ curare homines. Sed demus aduersariis, & veteris inscitiæ propugnatorib. Auicennæ aliorumq; Arabũ, Mauritanorumue scripta vacare erroribus, ꝙ tñ in ꝑpetuum nõ docebunt: nihilominus tñ illis cõmode ad faciendã medicinã vti haud possent, ꝙ scil. barbare, inepte, spurce, & fœde, ꝙ
F metipsi fatent᷑, atq; hoc nomine errata omnia in interpretes transferunt in Latiũ traducta sint: quodq; nullis neruis, nullis demonstrationũ legib. sed puris nudisq; verbis singula persequant᷑, vt quãuis multa dicãt, ꝑ pauca tñ doceant. Verũ fac optime esse in Latinã linguã conuersos Arabes: tñ ꝓdigiosum hoc & horridũ sermonis genus, quo illi vsi sunt, eiusmodi est, vt Latini sermonis ꝓprietatẽ respuat, atq; etiamsi maxime adnitaris, tñ vt intelligas fieri nõ potest. Etsi igit᷑ optimũ interpretẽ nacti fuerint, tñ is Arabismos *Arabũm prodigiosum & horridũ sermonis genus.*

nunquam recte Latina oratione exprimet. Cui rei fidem facit maximam Mahometi A
Alcoranus: in quo tam prodigiosa & distorta est oratio, vt hunc legens non hominem,
imo ne bouem quidem, sed Plutonem ipsum ex infernalibus tenebris boare, ac feralem
edere vocem putes. Nec sane melior est Auicennæ oratio, sed immensa quoq; caligine,
ac pene Cimmeriis tenebris inuoluta & obscurata. Quæ certe caussa est, vt eius senten-
tia multis in locis vix accipi & intelligi possit, vt merito ingenia ad melius doctrinæ ge-
nus assuefacta, isto obscuro ac monstroso plane sermone offensa, ab eius lectione resili-
ant. Neq; mirum sane, hominem hūc præ ceteris etiam Mauritanis magis balbutire, &
prodigiosa oratione vti: quū constet, illum (hoc n. qui ipsum vnice admirātur, & in deli-
tiis habēt, inter præcipuas eius laudes referunt) decimo ætatis suæ anno, sui Mahometi
Alcoranum memoria tenuisse vniuersum. Quid n. aliud sonaret, aut quo alio sermonis B
genere vteretur, q̃ ille, cuius lectione tātopere est delectatus, vt hunc dignū æstimaret,
cuius singula verba ita animo infixa haberet, vt eorum obliuisci non posset? Cum igitur
Arabes, & horum maxime principem Auicennam, neq; mentē, neq; linguā satis puram
habuisse constet, (cōmuniter n. fit, vt cum erroribus, & phanaticis opinionibus coniun-
cta sit orationis confusio, & deformitas) præstat certe hos prorsus non attingere, quam
sine iudicio in eorundem lectione versari. Imo, si quid iudico, non est permittendum
iis, qui artem medicam addiscunt, necdum sibi solidum ex optimorū auctorum lectio-
ne pararunt iudicium, vt vel leuiter attingant Arabes: quod metuendum sit, ne errores
quibus illorum scripta referta sunt, ita imbibant, animisq; suis infigant, vt posthac nulla
ratione elui ac eximi possint. Tenaciter enim hærent, quæ rudibus annis hauriuntur: & C
hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt. Vt n. odor quo recens testa se-
mel imbuta est, elui non potest: ita ægerrime ea quæ a teneris, vt aiunt, vnguiculis auide
didicimus, exstirpantur. Nec melior est conditio barbarorū, & recentium Medicorū:
vt qui sua omnia ex Arabib. transscripserint, adeoq; ab exquisita veterum docēdi & me-
dendi ratione plurimū absint. Igitur præter summam barbariem, quæ lectori fastidium
parit, ēt immensus est detestandorū erratorū in eorundem scriptis aceruus, quæ illi ab
Arabibus, perinde atq; infans ex matris mammis lac vitiosum, suxerunt: q̃ singula lecto-
ri sermonis impuritatē fastidienti, & veritatem cōsectanti, parū iucunda, & inutilia plā-
ne sunt. Quanquam ēt hoc hominum genus, propter rerū quarūdam inutiliū tractatio-
nem lectori, præsertim rudi, magnas remoras obiiciat. Cū itaq; res ita cōparata sit, præ- D
stat vt reiectis plane & posthabitis Arabib. barbarisq; prioris ætatis scriptorib. ex Græco-
rum Medicorū, qui syncere, pure, & exquisitissima methodo artē tradiderunt, scriptis,
veluti limpidissimis fontibus, ea, q̃ ad medicinā faciendam necessaria sunt, discamus. Vt
n. in Arabū doctrina, omnia sunt impura, barbara, scabra, intricata, fœdissimisq; errorib.
conspurcata: ita contra Græcorū omnia sunt pura, tersa, nitida, politaue, aperta, nullisq;
erratis contaminata. Et vt in cōfesso est apud omnes, è fontib. potius quā lacunis esse bi-
bendum: ita nulli dubium esse debet, e Græcis potius, quam Arabib. medicinę pręcepta
haurienda esse. Nihil n. habent Arabes, quod non vel ex veterib. vel posteriorib. Græcis
descripserint, demptis tantum erroribus qui illis proprii sunt. Verum quod dicimus, es-
se deprehendet, qui scripta Arabum cum Græcorum monumentis contulerit. Nam is E
comperiet, eos omnia e Græcis, etiam Galeno posteriorib. quos magis imitati sunt, cō-
pilasse: vtpote qui casiam nigram, moschum, nucē vnguentariam, ambrā, caphurā, la-
cham, Santala, & id genus alia veterib. indicta, longe verius & exquisitius quam Arabes
descripserint: ita vt neq; horū medicamentorū cognoscendorum gratia, Arabum ope
egeamus, cum abunde hæc ipsa Græci posteriores depinxerint. Quū vero aliorū Græ-
corum Medicorū scripta omnia ceu riuuli quidā ex Galen. tanquā vberrimo fonte pro-
manarint, ex hoc magis quam aliis præcepta de *tuenda ac restituenda sanitate* petēda erūt:
vtpote in quo nihil est perplexū aut sophisticū, sed omnia aperta, cādida, & optima me-
thodo tradita. Prę reliquis aūt suis libris vnice ad recte curādos morbos cōducūt ii, quos
de medendi ratione inscripsit: in quib. indicationes curandi perfectissime docuit. Nam F
principio curandi rationē morbi similarium & instrumentaliū partium cōmunis, nem-
pe vnionis solutæ, libris tertio, quarto, quinto, & sexto eius operis absolutissime tradi-
dit. Dein eius qui in solis similarib. consistit, intemperiei nimirum, medendi rationē in
septimo, octauo, nono, decimo, & vndecimo, perspicue & copiose tractauit. quod si vero
quis-

Barbarij ac recentiores medici.

Ex Galeno præcepta de tuenda & restituenda valetudine petēda.

A quispiam eorum quæ in iam dictis libris docet, compendium affectat: is primum, quem idem Galenus scripsit *de Curandi ratione ad Glauconem*, diligenter legat. Quo vero pacto symptomatis sit prospiciendum, in duodecimo eius, quod de Medendi ratione edidit, libro monstrauit. Quæ denique ad tumorum præter naturam curationem cognitu necessaria sunt, ea omnia in decimotertio & decimoquarto eiusdem operis, & altero de *Curandi ratione ad Glauconem*, exquisitissime ostendit. Etsi autẽ non desint hodie qui hos libros calumniari ac sugillare audeant: tamen si quæ illi aduersus hanc methodum afferunt, diligenter expendas, nihil aliud quam quod ille in iis libris docuit, eos afferre deprehendes: nisi quod sophistica quædam admiscent, quibus illius ordinem, si diis placet, lectori suspectum reddere conantur. Non solũ vero Galenus curandi indicationes B docere contentus fuit, sed etiam præsidia quibus morbi abiguntur, multis in libris mõstrauit. Nam etsi obiter præsidia illa in medendi libris attigerit, plenissime tamen eadem in libris, quos de *Simplicium medicament. facultatibus, & de compositione medicamentorum tum generalium, tum localium* inscripsit, edocuit: ita vt nihil ab eo, quod ad hanc rem recte intelligendam facit, requirere possis. Galeno tamen si quis adiungat Paulũ Aetiũ, Actuarium, & Alexandrum Trallianum, non est cur nobis reprehendendus veniat: cũ in iis nonnulla, quæ illi ex Galeni libris, iniuria temporum amissis, transcripserunt, inueniet. Non est etiam contemnendus Nicolaus Myrepsus, quem nos Latio donauimus. Nam is multum ad componenda medicamenta momenti afferet. Iam dicendi finem C faciam, quod vniuersæ Medicinæ capita quam potui breuissime & perspicue, quinque iis libris perstrinxerim, & aditum quẽdam, qui vnicus meus fuit scopus, ad recte legenda & cognoscenda veterum scripta parauerim.

Aduersus Galeni calumniatores.

FINIS.

LEONHARTI FVCHSII DE

Humani corporis fabrica Epitomes Pars Prima.

D LEONHARTVS FVCHSIVS CANDIDO LECTORI S. P. D.

SEMPER optaui aliquam exstare Epitomen quæ nobis partium corporis humani rationem ita explicaret, vt cuiusq; partis functionem & vsum, ipsius quoq; situm, figuram, magnitudinem, colorem, substantiæ naturam, & ad ceteras partes connexum, breuiter & perspicue nobis ob oculos poneret, hocq; nomine in scholis Medicorum adenarrandum recte proponi posset. Atq; vt id ardentius cuperem me in primis impulit, quod hanc Medicinæ partem, quæ tamen ad artis tractationem summe est necessaria, ab omnibus fere Germaniæ nostræ Medicis neglectam esse perspectum haberem.

Anatome a Germaniæ Medicis cõtemta, & neglecta.

Constat enim omnibus paucissimas hactenus fuisse in Germania publicas scholas, vbi tamen præ- E *cipuum tenere locum debuisset, in quibus anatomes doctrina tradita sit. Cuius quidem rei nullam aliam fuisse caussam arbitror, quã quod tũ pauci admodũ, aut fere nulli fuerint in scholis illis professores, quos eius rei cura tetigerit, aut qui partes humani corporis, quod harum nullam plane cognitionem haberent, enarrare potuerint: aut certe quod idoneo scripto, quod suis auditoribus explicandum proponerent, fuerint destituti. Nam omnibus palam est ante paucos annos nullum in hoc genere scriptum, præter id quod Mondinus parauerat, exstitisse. Hoc enim etsi initio ab omnibus ambabus, quod dicitur, manibus, maximoque plausu exceptum est, & dignum quod omnibus in scholis enarraretur iudicatum, tamen quum paulo post a nonnullis clare sit deprehensum, illud non paucis erroribus esse refertum, nec vllam in eo velossium, vel musculorum, itemque neruorum historiam haberi, sensim existimationem suam amisit, & despicatui duci cœptum est. Nec quo minus id fieret, Carpus* F *cauere potuit, qui prolixissimis commentariis illud Mondini scriptum illustrare conatus est. Nam tantum abfuit, vt a contemtu illud vindicaret, vt prolixitatis nomine plus odii & contemtus ei conciliarit, præsertim quum multa parum necessaria, & nihil ad institutum facientia admiscuisset, nec errorum rationes satis detexisset, sed hos potius tueri voluisset. Nec compendium suum, quod post commentarios hos suos edidit, propter eosdem admissos errores, in magno honore habitum est, sed a plerisque neglectum. Atque extra hos duos, Mondinum nimirum & Carpum, multis*

Mondini de anatome scriptũ.

Carpi in Mõdinum cõmẽtarii.

An e Galeno dissectio commode peti possit?

subinde annis inter Medicos nemo fere qui ex professo tractaret anatomen, repertus est. Quum autem A *ob caussas iam expositas illorum scripta parum idonea vt publice in scholis explicarentur visa sint. Non ita multo post exorti sunt nonnulli qui dissectionem ex Galeno, vt qui omnium iudicio, inter eos qui tum extabant, optimus ac veluti anatomicorum κορυφαῖος esset, potius discendam esse putarent.*

Galeni anatomica qui in Epitomẽ redegerint. Andernacus Vuillichius

Ceterum quum is non vno in libro, sed sparsim in multis, idq; prolixe admodum, dissectionis rationẽ tradiderit, nec illum qui in scholis ad enarrandum proponeretur satis aptum esse iudicauerunt. Quo nomine factum est, vt hunc in Epitomen plerique redigere conati sint. Atq; in eo præstando primus, quod sciam, Ioannes Guinterius Andernacus sudauit, nec sine diligentiæ laude. Et hunc suum laborem non parum commendat ordinis, quem secutus est, ratio satis concinna. Post hunc saxum B *hoc Iodocus Vuillichius voluere cepit, nec defuere complures alij, quos nominatim recensere nihil attinet, qui idem præstare sunt annixi. Verum quum nemo illorum integram humani corporis historiã sit complexus, & singula sua ad verbum fere ex Galeno omnes descripserint, parum attenti quid homini, quid ceteris animantibus competeret, vtcumque breuitatis ac ordinis nomine laudem non mediocrem eorundem scripta mererentur, mihi certe vt in scholis ijs ad docendam hinc anatomen vterer satis apta visa non sunt.*

Vesalii de fabrica humani corporis commentarii.

Quapropter, vt ingenue dicam quod sentio, quum demptis Vesalij nostri de fabrica humani corporis commentarijs, plane doctis, & singulari industria elaboratis, nullum reperirem scriptum, quod mihi per omnia satisfaceret, & quo commode ad docendam humani corporis historiam & dissectionem vti possem, diu multumque cogitaui quid mihi faciendum esset, vt & hæc artis pars in Germa- C *niæ scholis prorsus neglecta postliminio rediret, & passim publice in scholis etiam nostris doceretur. Videbam enim Vesalij de fabrica humani corporis libros esse prolixiores, & exquisitiores, quam vt ab omnibus intelligi, & in scholis ad enarrandum, præsertim in ista paucitate professorum qui anatomen callent, proponi possent. Epitomen autem, quam ille conscripsit, succinctiorem, quam vt ab ijs qui iam nominatos eiusdem libros non probe tenent, assequi queat. Ne itaque scholam nostram hac commoditate recte discendi humani corporis historiam, & dissectionem perpetuo fraudarem, cœpi ipse ex Galeni & Vesalij scriptis concinnare Epitomen, quam subinde aliquot annis auditoribus hãc excipientibus dictaui, vt leuem saltem aliquam inde anatomes consequerentur notitiam. Quum autem scribendi & excipiendi prouincia plerisque molesta esset, eamque ægerrime sustinerent, vt quæ concinnaram excudenda curarem maiorem in modum rogauerunt.* D *Non potui itaque crebris horum efflagitationibus non concedere locum, sed quæ mihi pro auditorio paraueram, in horum gratiam typographo nostro imprimenda dedi, non quidem vniuersa, sed initio duos duntaxat primos libros, quorum vnus ossium, alter vero musculorum historiam tradit. In secundo certe Vesalium per omnia sum secutus, vt qui solus inter omnes qui hactenus Anatomen scripserunt humani corporis musculos descripserit. Et ne calumniatores furti nos insimulare possent, passim in marginibus loca vnde quæuis excerpsimus nominatim indicauimus, & expressimus. Vt itaque æquus lector hos duos libros æquo & hilari animo suscipiat, oramus, daturi etiam paulo post, Deo annuente, reliquos. Et speramus hoc saltem nomine futuros gratos, quod horum in scholis, saltem docendo, aliquis esse vsus possit.*

Epitome Fuchsii.

Vesalius vnus humani corporis musculos descripsit.

Cõpendiorum scribendorum ac legendorum ratio.

Nemo tamen velim existimet nos hanc Epitomen ideo exarasse, vt abiectis Vesalij commentarijs, E *ea tantum anatomes studiosis vtendum esse censeam. Si enim hoc animo nostram hanc Epitomen, aliasque omnes quispiam excipere voluerit, sciat his nihil esse posse nocentius. Quando constet eos qui hac lege compendia sectantur, nunquam ad absolutam & perfectam rerum cognitionem peruenire posse. Nam ijs duntaxat addicti, nihil præterea degustant, sed perpetuo in ijs hærent, tanquam ad Caucasum alligati. Quare si hæc compendiorum ratio esset, nihil ijs in omnibus scientijs plus dispendij afferre posset.*

Sunt itaque alio plane nomine legenda Compendia, hoc nimirum, vt nobis adminiculo sint, & ad perfectam rerum consequendam cognitionem nobis quasi viam quandam struant, & ad maiora, adeoque ea in quibus omnia perfecte traduntur discenda nos veluti manuducant. Nec alia de caussa hanc nostram Epitomen concinnauimus, quam vt lectori ad facilius intelligendos Vesalii com- F *mentarios viam aliquam pararent. Cuius anatomica tantum abest vt contemnenda putem, vt illum omnibus aliis, Galeno etiam ipsi præferam. Nihil enim dubito hunc diuinitus excitatum, vt hanc Medicinæ partem pene exstinctam, & infinitis erroribus contaminatam in lucem reuocaret illustraretque.*

Vesalii laus eximia.

Quam

A *Quanquam enim Galenus non parum hanc partem iuuit, tamen constat illum simiarum & canū potius quam hominum texuisse historiam, id quod quiuis deprehendet, si oculos in testes adhibere, & suis manibus sectionem exercere voluerit. Vesalius autem vnus inter eos qui nostra æt. te scripserunt hominis fabricam exquisita diligentia, & concinno ordine descriptam literis mandauit. Et nisi huius commentarij exstarent, multarum partium humani corporis vera historia destitueremur. Vt mirari satis non queam quorundam insolentiam, qui huius viri conatibus tam perdite obstrepere audent, eumque multis & mendacibus conuitijs proscindere non verentur, lacerantque nullo alio nomine, quam quod Galeni anatomica parum quadrare humano corpori ostendit. Quin potius laudandum hoc eius in eruenda veritate studium erat, illique gratiæ agendæ,* B *quod in hac artis parte restauranda tantum sudare voluerit. Abstineamus itaque hortor omnes deinceps ab eiusmodi conuitijs, & mutuas potius tradamus operas, vt artem nostram ab omnibus erroribus repurgemus, efficiamusque hac ratione vt pristinum tandem nitorem illi restituamus. Quo sane instituto longe maiorem gloriam consequemur, quam si conuitijs mutuo nos exagitemus. Interea vale, & nostrum studium boni consule. Tubingæ quarto Idus Ianuarij.* ANNO M.D.LI.

Galenus simiarum & canum historiam descr psit.

LEONHARTI FVCHSII MEDICI DE HISTORIA HVMANI CORPORIS, siue dissectione singularum hominis partium, Liber primus ossibus dedicatus.

C

Quid anatome, & quis eiusdem vsus. CAP. I.

NATOME est *singularum partium corporis tam interiorum, quam exteriorū scientia contemplatrix.* Quippe substantiam, magnitudinem, figuram, situm, connexum, functionem, numerum, & vsum harum omniū vestigat. *Substantiam,* quando carneane sit, an membranea, an ossea, an cartilaginea, tenuis, an crassa pars corporis inquirit. *Magnitudinē,* dum quantū in corpore spacium occupat, considerat. *Figuram,* quum qua sit forma prædita, expēdit. *Situm,* quādo quo in loco corporis collocetur, obseruat. *Connexum,* quum quę illi sit cum aliis com- D munio & societas attēdit. *Functionem,* quum quodnam sit illius munus, & officium, perspicit. *Numerum,* vbi totius mēbri partes perquirit. *Vsum* vero, quando eius ad vtendum aptitudinem quærit. Vt hinc omnib, perspicuum sit immensam esse huius partis Medicinæ tum vtilitatē, tum necessitatem. Neq; enim Medicis & philosophis tantum, sed & Theologis, Iurisc̄ōsultis, Historicis, Poetis, deniq; omnibus qui eruditionis ac sapiētiæ laudem affectant, honesta, pulcra, vtilis, & omnino necessaria est. ¶ Nā anatome sciētiæ dux est, aditumq; ad Dei agnitionē prębet. Dum n. huius ductu & adminiculo admirādam humani corporis texturam rimamur, singulasq; eius partes propius intuemur, ac oēs huius angulos perreptamus, & illustris illius ædificii admirabilem structurā & compagem oculis contemplamur, ibiq; apte & concinne omnia disposita admiramur, confestim ex ipsa opificii ratione, hominem nō casu exstitisse, sed ab ęterna quadam mente E conditum esse, quæ singulas partes mirando consilio distribuit, & ad certos fines destinauit, coniectamus. Quapropter mira quædam summi opificis Dei ꝓuidentia sese tum ostentat, dum intelligimus hanc non frustra in formando homine adeo esse occupatā voluisse, sed hoc ipso significasse, hominū gen⁹ sibi curæ esse. Vt rectissime a Galeno *lib. 2. de vsu par.* ita scriptum sit. *Si vnquam alius quiuis opifex æqualitatis & proportionis magnam habuit ꝓuidentiam, certe natura habuit in formandis & cōstruendis animantiū corporibus, adeo vt hanc Hippocrates nō temere iustā nominauerit.* Quū itaq; nusquam certius quam in humani corporis structura sese expresserit Dei prouidentia, debet hoc potissimū nomine anatomes studiū nobis esse commendatū, ac gratum, quod nos in Dei cognitionē, primo statim eius aditu, ducat rapiatq;. ¶ Porro quum ad vitam recte instituendā ꝑcipuum sit F nosse seipsum, ꝑfecto in anatome cognoscenda multū operæ ponendū erit. Hæc enim efficit vt veluti in speculo teipsum cōtemplari, & domiciliū illud animæ, quem admodū Plato dixit, prorsus introspicere queas. Præterea ad formādos mores summe v t. lis est anatomes cognitio: quippe plurima ū virtutum imagines impressas ipsis partib. humani corporis ostendit, dum sic vicissim vnā alteri consentire ac inseruire cernimus. Quātus n. est cerebri cum ventriculo & corde, vt alia omittamus, consensus? Tantus nimi-

Anatome quid.

Anatomes vsus & necessitas.

Dux ad Dei cognitionē

Ad sui ipsius cognitionem.

Ad mores formādos.

rum vt etiam minima propemodum eius mala, vtrumq; principium sentiat. Sed partiũ A humani corporis inter se cõsensum, atq; cuiusq; ministeria, suo loco fusius docebimus. ¶ Ceterum vt vno atq; altero exemplo quomodo ad formandos mores anatomes cognitio cõducat, plenius intelligas, primũ instrumẽtorum concoctioni famulantiũ modum expendito, vt is ad temperantiam hortetur. Quemadmodũ enim quum hæc immodice cibo ac potu ingesto onerant, suas functiones parũ recte obeunt, atq; adeo concoctio ipsa impeditur, & subinde corpus vitiosis impletur humoribus: sic ad functiones omnes ciuiles ineptos facit assidua crapula, & immoderatus cibi & potus vsus. Quapropter qui se ad ciuilia munia obeunda, & ad seruiẽdum reipublicæ aptum exhibere vult, is temperantiæ studeat: quod vt faciat, instrumentorum cõcoctioni famulantiũ diligẽs B inspectio hortatur. Dein si membra atq; vasa generationi destinata contẽplamur, eaq; tanta diligentia & arte cõstructa & munita esse, variosq;, vt in iis quoad perfecte sit mutatũ semen cõseruetur, anfractus habere cõspicimus, ad ꝓcreandos liberos nos cõditos esse, & ad continentiã, qua vagi vitãtur cõcubitus, monent. Vt hoc nomine detestandũ hoc & modis omnibus exterminandũ sit hominum genus, q̃ castitatem simulat, & interim nullo nõ libidinis & vagi cõcubitus crimine se polluit. Insuper quũ videmus fœtũ in vtero materno tanta cura, sedulitate, ac solicitudine ali & tot inuolucris muniri, magno furore percitos esse discimus eos, qui temere nocẽt hominib. eosq; leuibus & nulli momenti, imo non raro nullis de caussis, interficiunt, quos tanto studio architectrix natura fouit & ꝓuexit. Ipsa deniq; partium humani corporis distributione Deus imaginẽ C quandam politiæ ac ciuitatis proposuit. Nam vt tres sunt in vniuerso corpore p̃cipuarũ functionum ventres, quorum quidem infimus nutritioni & generationi seruit. Medius, in quo cor est, motus & defensionẽ ciet, tertius in quo cerebrum continetur, maximarũ rerum continet notitiã: sic in ciuitate bene cõstituta prima cura esse debet moderatoris reipublicæ vt ciues victum habere possint. *Deinde* vt defendãtur aduersus iniustã vim. *Tertia* vt etiam ad sapientiam, & notitiam Dei, & aliarum honestarum rerũ instituantur. ¶ Ita sane hominis partes monstrant, q̃ res præcipue expetendæ sint, queq; actiones suscipiendæ, & illustrẽ imaginem legitimi imperii, seu recte cõstitutæ ciuitatis continẽt. ¶ Quare quum nos ipsos intuemur, ad quæ actionum genera, & priuatim & publice destinati simus discimus. Vt hinc omnib. palam sit doctrinã de partibus humani corporis, D & earũ vsu & officiis præcipuã partẽ esse philosophiæ, eius etiam q̃ de moribus formandis tractat. Quã quũ Galenus in diuinis illis quos de vsu partium corporis humani inscripsit libris plenissime tradiderit, debent hoc nomine non solum Medicinæ studiosis, sed omnib. et philosophię amãtibus in delitiis esse, ac perpetuo manib. illorum teri. ¶ Porro quũ passim apud veteres tum poetas, tum historicos, aliosq; omnis generis scriptores partiũ humani corporis mentio fiat, cõfert & hoc nomine plurimũ ad eorundẽ scripta plenius intelligenda anatomes cognitio. ¶ Præ omnibus a. aliis Medico certe nõ solum vtilis, sed & necessaria est. Quod enim intelligere singularum partiũ naturas, actiones, officia, & vsus, plurimum ad tuendam valetudinẽ cõducat, notius est, q̃ vt pluribus, a me ostendi debeat. ¶ Ad rectã v. curandi rationẽ anatomes peritia ita est necessaria, vt sine E hac nihil vnquam laude dignũ in arte sua efficere possit Medicus. Quippe quũ Galeno etiam ipso libro primo de laborantibus locis, capite primo, teste, curãdi ratio pro laborantium partium natura variet, quo quæso pacto illas probe curabit qui earundem substantiã, figuram, magnitudinẽ, numerum, actiones, vsus, ac mutuũ inter se connexum ad amussim non perspectũ habuerit? ¶ Qua deniq; ratione aculeos, telorumq; cuspides extrahet, ossa exscindet, luxata reponet, abscessus incidet q̃ nõ omnium corporis partiũ motus, situs varios & connexiones exacte tenuerit? Nõ raro certe is tẽdinem magnum, aut neruum insignem, aut arteriam, aut venam aliquã subiacẽtem dissecabit, interdum quoq; partis sensum, nonnunquam motum, aliquando vtrunq; abolebit. ¶ Quapropter F quum veteres in rebus agendis prudentissimi anatomen ad diuini opificii admirationẽ ad morũ temperandorũ iudiciũ, ad humanę naturę penitiorem contemplationem, ad tuendã bonã valetudinẽ, ad curãda corporis mala, deniq; ad scriptorũ exquisitiorẽ cognitionẽ vtilẽ & necessariã esse intelligerent, pueros domi apud parentes vti lectione & scriptura, sic etiã cadauerũ cõsectionibus exercebãt, quo sc. subinde instructiores ad artis discenda præcepta venirent. Neque enim fieri posse putabant, vt non tenacissime hære-

Libri Galeni de vsu part. diligẽter legendi.

Medico anatomes cognitio & vtilis, & necessaria est.

Veteres pueros in cõsectionibus exercuerunt.

A hærerent quæ a primis, & teneris annis didicissent. ¶ Optimo igitur consilio vt anato-
men haud secus atque prima literarum elementa, mox ab ineunte ætate addiscerent,
censuerunt. ¶ Eisdem quoque rationibus impulsi veteres philosophi in ea perdiscenda
curam & industriam non vulgarem posuerunt. Quam enim anatomes studiosus fuerit,
vt vnum & item alterum producam, Plato ille diuinus, ad Hippocratis philosophandi
genus proxime accedens, Timæus eiusdem palã testatur. In eo namq; qua ratione cor-
poris singulę partes digestę sint diligentissime enarrat. Aristotelem etiã huius discipulũ
in libris quos de animalium historia edidit, partium humani corporis prolixam cõme-
morationem, earumq; prope omnium nomẽclaturas ex professo legentium oculis sub-
iicere non puduit. ¶ Neq; vero philosophi tantum, vt quibus forte magna est cũ Medi-
B cis studiorum societas & cõiunctio, anatomes studio incensi fuerunt, verũ etiã reges, ac
principes aliquot viri. Siquidem literis proditum est Ægyptiorum reges mortuorũ cor-
pora, quo abditos plane scrutarentur morbos, suis etiam ipsorũ manib. dissecuisse. Mar-
cus præterea Antoninus, optimus Imperator, ex corporum sectionibus, vt erat vir
prudens, corporis sui constitutionem ac temperamentũ adamussim intellexit. Flauius
etiam Boethius Romanorũ consul, *vt Galenus testatur*, anatomicæ speculationis amore
ita flagrauit, vt nemo mortaliũ qui vixerunt vnquam magis. Hinc est quod oẽs nõ mo-
do Hippocratis, sed etiam Galeni de anatome libros inexplebili legendi desiderio per-
lustrauerit. Id q; Paulum quoq; Sergium Romanorum pfectum, virum tum rebus, tum
disciplinis philosophicis per omnia pcipuum fecisse, idem Galenus auctor est. Constat
C etiã duos hos viros, doctrina, & rebus bellicis clarissimos, Galeno dũ dissectiones admi-
nistraret, non raro adfuisse. Quum itaq; tantum habeat tũ in tuenda valetudine, tum in
pfligandis ac curandis morbis momenti anatome, & sit veluti totius Medicę artis fun-
damentũ, quo sublato cetera quoq; omnia collabi necesse sit, valde iniqui, imo amẽtes
prsus sunt, quos immẽsa eius vtilitas ac necessitas, addẽ etiã tantorũ virorũ exempla, ad
huius studium non inuitant, pertrahunt, & inflammãt. Sed cur eam artis partẽ nõ con-
temnerẽt, q nullã ẽt aliarũ probe ne dicã didicerint, sed ne a limine quidẽ salutauerint?
His itaq; relictis, ad partiũ corporis curationẽ progrediamur, ab ossib. exordio sumto.

Philosophi veteres anatomes studiosi.

Reges & principes viri anatomes studio incensi.

Cur ab ossibus humani corporis historia sit auspicanda. Cap. II.

D QVemadmodum bonus ac peritus architectus totius ędificii fundamenta in primis
ponit, postea parietes, tabulata, tigna, & reliquas q illis innitũtur partes: sic in texen-
da humani corporis historia initio ab ossibus auspicandum erit. Quippe hæc sunt veluti
fundamenta quædam ad vniuersam corporis substantiam sustentandã ac suffulciendã
subiecta, quibus omnia adnascuntur stabiliunturq;. Quod n. in tentoriis præstãt pali, &
in ædibus parietes, id certe in animantibus ossium substantia. Nam ad horum imitatio-
nem cetera in animante solẽt effingi mutariq;: vt si animali caluaria sit rotunda, neces-
sario cerebrum tale fuerit: quemadmodũ etiã si oblonga sit, talem quoq; figurã huic ipsi
animali cerebrum induet. Iam v. si maxillæ paruæ, faciesque tota exsistat rotundior, ne-
cessario quoq; ipsarũ musculi parui erunt. Pari ratione si longæ, longa statim huiusmodi
animali erit tota facies, eiusq; musculi tales apparebunt. Hi n. ossibus foris adhærent, p-
E tensiq; sunt: quare etiam tum magnitudinem ipsorũ, tum figuram imitãtur. Hos rursus
arteriæ, venę, & nerui sequunt: & hæc sane ossium, sibi similium formã referunt. Quod
Hippocrates etiam iis verbis innuere voluit, *Ossium naturam ex capite æstimare oportet, dein-
de neruorum, venarum, carnium, & reliquorum humorum, supernorum & infernorum ventrium,
mentis ac morũ.* Quoniã igitur corporis forma ossibus assimilatur, & iis aliarum partiũ na-
tura respondet, exactam in primis ossium cognitionem peritiamq; indipisci, nec obiter
ea spectare conuenit. Præterea nisi ex ossibus singula per se qualia sint, tum q inuicem
structuram habeant, Medico perspectum sit, nunquam ea quum vel franguntur, vel sua
F sede dimouentur recte curabit. Necesse enim est, quod pluribus tamen *lib. 2. methodi
medendi, cap. 4.* Galenus monet, vt in omnibus quæ ad medicinam pertinent, id quod
secundum naturã est, primum cognoscatur. Nam cui id ignotum est, is neque vbi a sua
natura læsa loca distrahuntur, neque qua ratione ad id, quod secundũ naturã est adduci
debeant, intelliget. Huc accedit q Medicus nullius partis, præsertim musculorũ, vena-
rum, arteriarũ, & neruorum historiã, nisi singula prius ossa nota habeat, exacte discere

Galenus libro primo de anatomicis administrationibus.

6. Epi. par. 6. apho. 26.

ὁμοιοῦνται τοῖς ὀστοῖς.

In pœmio libri de ossibus.

possit. Neq; enim exortus, neq; insertiones musculorum vnquã assequetur, nisi cui vniuersa ossium structura perspecta est. Quomodo a. processus neruorum intelliget, nisi capitis & vertebrarum exquisitam habeat notitiã? Nec venarum, nec arteriarum, in caluariam distributionem vnquam recte cognoscet, nisi prius singula, per quæ ingrediuntur foramina capitis in numerato habeat. Quũ itaq; sine ossium absoluta cognitione historiam humani corporis nemo assequi possit, iustissimo ordine ab eorundẽ descriptionib. hãc ipsã ordiemur, pri⁹ tñ obscuriorib. quib. in hoc libro vsuri sum⁹ nominib. explicatis. A

Obscuriorum nominum passim in hoc libro occurrentium explicatio. CAP. III.

Obscuriora nomina cur initio explicanda. Ex prœmio libri de ossibus.

OPortet de iis nominib., quibus in hoc libro vsuri sumus, initio disserere, ne dũ ossiũ historiam enarramus nominibus sine declaratione vtẽtes, imperito lectori caliginem offundamus, vel seriẽ doctrinæ interrumpere, quicquid occurrerit explicare semper volẽtes, cogamur. Hinc a. quam optime initium sumemus. Humani corporis ossiũ inuicem cohærentium vniuersa cõpactio Græcis σκελετὸς, hoc est, *Cadauer assicatũ* dicitur. Hinc nonnulli qui de ossibus disseruerunt libros suos περὶ σκελετοῦ, id est, *de arida assicataq; ossiũ cõpositione*, inscripsere. Alii v. ὀστεολογίας, hoc est, *ossiũ interpretationes* vocarunt. Quidam simpliciter, vt nos fecimus, de ossibus inscribunt. Nomina vero, quibus in ossiũ descriptione ꝑpetuo vtendũ est, hæc fere sunt. Ἐπίφυσις, quam Latini *appendicem, additamẽtum, & adnascentiam* reddunt, est vbi os cum osse ad vnionem coit: vel est os alteri ossi adnatum, & peculiarem obtinens circumscriptionẽ, neq; illius ossis cui committitur, vera portio. Hæc qualis sit facile vbi vituli, aut hœdi, aut agni, aut alterius iunioris animalis pars aliqua cocta mensæ apponitur, disces. Nam a carne emundato femore, humero, tibia, aut vlna, aut alio iis simili osse, & validius attrectato, ab illo veluti aliud os decidere cõspicimus, appendicis nomine donatum. Atq; appendices in iunioribus duntaxat intuemur. In prouectis siquidem ætate hę adeo pertinaciter suis ossibus adnascũtur, vt ab iis auelli haud possint, vixq; coniunctionis lineam exprimant, & veræ suorũ ossiũ portiones esse videantur: cum interim in nuper natis magnam cartilaginis portionẽ inter appẽdicem & os cui ea adnectitur intercedat, quę appendicem glutinis modo ossi cõnectit. Coalitus hic non leui planaq; superficie perficitur, verum os cui appendix committitur, sinibus quibusdã & asperitatib. abũdat, quibus appẽdicis tubercula sinusq; mutuo ingressu validius accommodantur.

Σκελετὸς. σκέλλω, σημαίνει τὸ ξηραίνω. σκελετεύω assicco. ὀστεολογία. Ἐπίφυσις. Appendix. Vesal. libro primo, capite tertio.

B C

Ἀπόφυσις. Processus

Ἀπόφυσις, quem Latini *processũ* vertunt, est ossis pars nihil a suo osse differens, quam quod tuberculi seu gibbi instar ex osse procedit, quemadmodum ex arboris trunco radices ramiq; extuberare ac procedere videntur. Eiusmodi ꝓcessus in ossibus sunt quamplurimi, *vt suis locis docebimus*. Longum enim esset singulos in præsentia recensere. Conferunt autẽ processus præcipue ad commodam articulationẽ, & ossium commissuram, deinde ad multarum partium exortum, aut insertionẽ. Quin etiã processus propugnaculi vice esse, scapularum & vertebrarum processus testabuntur. D

Vsus processuum.

Κορώνη. Cornix. Libro de ossibus, & primo de motu muscul. Galen. Κεφαλή.

Κορώνη seu κορωνὸν, & κορωνὶς, Latinis quibusdam *cornix* aliis *corona* dicta, *Galeno in prœmio libri de ossibus, & aliis veteribus & Græcis*, est acutus, & in mucronem desinens processus, qualis vtrinque in inferiore maxilla habetur. Similitudinem autem sumserũt ab arcus cornu, cuius summum, & incisionem vbi neruus sedet, κορώνην etiam appellant. Κεφαλὴ & Κεφάλιον, Latinis *caput*, est *ossis extremum siue tuberculum crassum & orbiculatum, quod alterius ossis cauũ articulationis motusq; arbitrarij occasione subintrat, quale est femoris, quod coxendicis ossis sinui inseritur*. Depressa vero capita, quæ adeo obscuro tubere gibbove prædita sunt, vt num caput, num sinus ea vocari debeant, non satis constet, dissectionum periti κονδύλους, Latini *nodos* vocant, qualia sunt femoris inferiora & iuxta genu capita. Atque id κόνδυλον significare *Galenus libro primo de motu musculorum quoque testatur*. Τράχηλος & Αὐχὴν, Latinis *ceruix*, tenuis est ossium processus, quorum extremum crassiũ redditum in ossis caput finitur. Talis conspicitur in femore iuxta elatissimum ipsius caput coxẽdicis ossi inarticulatũ. Κοτύλη, Latinis *acetabulum*, vulgo *Pyxis*, sinus est, qui altius profundiusve descẽdit, ac ossiũ capita excipit. Eiusmodi sinus obseruatur in coxa, vbi femoris caput admittitur. Γλήνη autem, quæ vox Latine reddi nequit, ab ocularis sinus forma, dicitur sinus, qui leuiter & superficie tenus tantũ cauatus est, ac talis occurrit, vt ignores num aliud os admittat, aut aliud os subeat, haud secus quam si duo plani leuigatique asseres inuicem imponerentur. Atq; sic glene depresso respondet capiti, quod κόνδυλον, vt comprehensum est, dicitur. Tales habentur in tarsi ossibus qua pedis ossa ipsis coarctantur. Porro vt sinus & capita

E

Τράχηλος. Αὐχὴν. Ceruix. Κοτύλη. Acetabulũ. Γλήνη. Glene.

F

A capita articulorum gratia constituuntur, ita quoq; ἴτυες, ὀφρύες, ἄμβωνες & χείλη, quæ Latinis
supercilia, & *labra* nominantur. Non sunt autem nisi processus ad sinuum orbē, instar la-
brorum, prominentes, & sinus profunditatem augentes. Quominus enim ossa promte
luxentur, supercilia in primis conducunt. Hinc in coxendicis ossis sinu, cui femur in-
articulatur maxime prominentia videntur supercilia, vt sinum impensius cauum red-
derent, femorisq; luxationem accuratius prohiberēt. Βαθμίδες sinus sunt, qui basis firma-
mentique ritu, vltra quam animanti ex vsu sit, os moueri haud quaquā sinunt. Tales in
anteriori humeri, & in posteriori sedibus, singulos vlnæ processus excipientes inueniū-
tur. Anterior namq; sinus priorem vlnæ admittit processum, quando cubitus extreme
flectitur, posteriorem autem sinum posterior vlnę processus in cubiti extensionibus in-
B greditur. Quoniam vero posterior in anteriorem non est peruius, hi vlnam vltra quam
expedit nequaquam moueri sinunt.

Ἴτυες. ὀφρύες. ἄμβωνες. χείλη. Supercilia. Βαθμίδες. Libr. 2. de vsu par. c. 15.

De commissuris ossium. Cap. IV.

HActenus nomina, quibus in ossium descriptionibus vtendum erit, percensuimus.
Nunc eadē breuitate voces quib. cōmissurarum ossium differētiæ indicant, expli
cabimus. Cōnectuntur a inuicem ossa primū quidem voluntarii motus gratia per arti-
culum. Articulum autē quem Græci ἄρθρον, & ἄρθρωσιν, hoc est, *articulationem* nomināt, Ga-
lenus *in libro de ossibus*, naturalem ossium cōpositionem esse tradit. In libro autē duode-
cimo de vsu partium, capite primo, articulationem ossiū esse compositionē, ꝓpter mo-
tum voluntarium cōparatam, scribit. Vt articulus non sit nisi ossiū commissura ad mo
C tum parata. Ab Hippocrate v. alterius ex cohærentib. ossibus extrema pars, articul⁹ fre-
quēter nuncupatur: ea scilicet q̄ orbiculata est, ac in proximū cauum inseritur, capitisq;
nomine dicitur. Ceterum motus in omnib. articulis non eadem est ratio. Alius n. mani-
festus & euidens est, atq; neminem latet, vt capitis super collum, femoris in osse coxen-
dicis, extremæ manus ad cubitū. Hæc articulationis species Græcis διάρθρωσις, id est, *laxa
dearticulatio* dicitur. Hippocrates eam ἀπάρθρωσιν, quasi *abarticulationē* appellauit. Alius ar-
ticulorum motus neq; validus, neq; manifestus, sed obscurus & obseruatu difficilis est,
adeo vt is neutiquam a singulis promte deprehendi possit, vt post brachialis ossium ad
brachialis ossa coarticulatio, calcis cum talo. Harum namq; commissurarum ne obscu-
D rissimum quidem motū, nisi mente sedulo adhibita, animaduertes. Vocata v. est hęc ar-
ticulationis species Græcis συνάρθρωσις, quasi *coarticulationem* dixeris, solius motus quanti-
tate a dearticulatione discrimen recipiens. Porro vtriusq;, eius nimirum quæ manife-
stum, & eius quæ obscurum edit motum structuræ triplex est species seu forma a vetu-
stissimis Græcorum, qui libros suos a pueris dissectionis rationē docebant, triplici voce
donata, enarthrosi videlicet, arthrodia, & ginglymo. Ἐνάρθρωσις autem est articulationis
species, in qua excipientis ossis cauum sinusve altus & profundus admodum est, caputq;
quod in id inseritur oblongum & extuberans, vt est ea qua femur cum coxa, & humerus
cum scapula, & postbrachiale cum primis digitorum ossibus, & tali caput cum nauifor-
mis ossis sinu inarticulatur. Ἀρθρωδία articuli species est, quæ cauum sinumve leuiter & in
E superficie exsculptum, & caput ossis depressum adipiscitur, & veluti planarū superficie-
rum connexu fit. Qua quidem specie prima vertebra ad secundam, & tarsi ossa cum pe-
dii ossibus connectuntur. *Tertia* dearticulationis species γίγγλυμος dicta, fit quando ossa
sese inuicem ingredientia cōiunguntur: ita vt vnius gibba, alterius ossis caua subintrent,
& rursus vnius ossis sinus alterius gibba admittant. Sic autem appellata est, quod admo-
dum cardinis fenestrarum aut ostiorum fiat. Nam veluti ostiorū cardines, etiam gingly-
mi aliquas quidem cauitates, aliquas vero eminentias obtinentes, cauitatib. eminētias
eorum q̄ sibi applicantur excipiunt, eminētiis a. in illorum cauitates ingrediuntur, fe-
nestrarum instar in genu occurrit. Tibiæ n. os duobus donatur sinibus, in quorū medio
tuberculum prominet, femoris autem pars inferior duo exigit capita, tibiæ ossis sinus
F ingredientia. Dein in capitum medio sinus visit, tibiæ ossis tuber excipiens. Ostiorum
a. ad imaginem fit ea q̄ in humero & vlna est articulatio. Vlnæ enim tubera humeri sinus
subeunt, & rursus vlnæ sinus humeri tubercula excipit. Eorum autē ossium quæ nullum
penitus habent motum, connex⁹, quadruplex est species, nēpe gomphosis, sutura, har-
monia, & symphysis. Γόμφωσις est cum instar claui os ossi infigitur. Hac dentes ad vnum
oēs maxillarum alueolis impinguntur, vt ne tantillū quidem moueantur. Ῥαφὴ Latinis

Differentię commissurarū ossiū. Lib. o de ossibus Gal. Articulus In libr. de fracturis & articulis. Διάρθρωσις Lib. de articulis. Συνάρθρωσις. De articulationis & coarticulationis species. Gal. li. 2 ana. admi. Ἐνάρθρωσις Ἀρθρωδία. Γίγγλυμος. Connexus ossiū quæ nulliū motum habēt. Γόμφωσις. Ῥαφή.

Sutura.

sutura, compositio est ad consutarum rerum similitudinem facta. Hanc nonnulli quum explicare student serratam compagem structuramq; , alii in vnguẽ commissurã esse definiunt. Sed illi in memoriã reuocant, mutuũ serrarũ contrario occursu ingressum, quo dentatæ alterius serræ partes, in alterius sinus inseruntur. Hi vero quæ in vnguem committi dicuntur, quum gibbæ videlicet partes ad vnguium figuram structæ, in sinus quibus apte excipi possunt subeunt, qua connexus serie, arcarum asseres subinde inuicem compinguntur. Eiusmodi suturis ossa capitis magna ex parte, & nonnulla maxillę superioris cõpinguntur. Ἁρμονία ossium structura est per simplicem lineam, citra omnẽ tuberis, sinus & asperitatis mutuum ingressum cõmissa. Ad hunc modũ quædam maxillæ superioris ossa, & præsertim nasi inter se veluti simplices lineæ mutuo cõpactæ iunguntur. Σύμφυσις nõ est nisi naturalis ossiũ vnio. Qua sane commissuræ forma humiliora pectoris ossa inter se & appendices suis ossibus connascuntur, *vt paulo post fusius dicemus*. Ceterum omnes iam dictæ ossium structuræ species, aut alicuius, aut nullius corporis interuentu cõmittuntur. Nullius partis beneficio, in natu grandioribus, vbi ossa iã sicciora sunt reddita & induruere, appendices ipsorum ossibus coalescunt. Nam adeo illis vniunt, vt coalitus lineã vix coniicere queas. Omnes quoq; suturæ, quemadmodum etiã harmoniæ absq; corporis alicuius auxilio connectunt. Alicuius v. corporis ope & interuentu cõmittuntur ossa trifariã. Aut n. cartilaginis medio cõnectuntur, vt pubis ossa, & in minoribus natu humiliora pectoris ossa. Præterea appendices in prima adhuc ætate cartilagine glutinis modo interueniente suis ossibus vt capite præcedenti dictũ est, connascunt. Hæc a. connexus species a cartilagine συγχόνδρωσις dicitur. Aut ligamentorum beneficio cõmittuntur, vt in vniuerso ossiũ qui motu voluntario pollent, & vertebrarũ corporum nexu. Hic ossium connexus ligamẽtorum auxilio cõmissus, Græcis συνεύρωσις appellatur: nerui interim voce ad ligamenta proprie dicta, & ad tẽdines, neruosq; qui a cerebro, & dorsali medulla prodeunt, deducta. Hæc namq; omnia veteres nerui nomine intellexerunt. Aut carnis & musculorum ope connascuntur, vt omnes articuli musculis obducti. Musculi n. quum ab vno osse, aut alio corpore principiũ ducentes alteri inserantur, vinculorum ẽt loco iure habentur, ossaq; inuicem connectunt. Quia vero musculi veterib. quibusdam, præsertim Aristoteli, carnis nomine appellant, cõnexus qui per musculos fit, συσσάρκωσις merito Græcis nominatur. Atq; hæc est legitima, & q̃ nihil habet calumniæ commissurarum ossium distinctio, a Galeni tamen sentẽtia in proœmio libri de ossibus, nonnihil discedens. Nam is synarthrosi, perinde atq; nos, obscurum & nõ manifestũ tribuens motum, non debuit suturam, gomphosin, & harmoniã inter eius differentias numerare, vtpote quæ nullum penitus habeãt motũ, nisi cum auctore libelli introductorii seu Medici inscripti, συνάρθρωσιν ad stabilitatem factam esse dicere voluisset, quod tamen pugnasset cum iis quæ insequentibus, aliquot capitibus, *libri de ossibus* scribit, præsertim *cap. 13.* vbi connexionem costarum cum pectoris osse συνάρθρωσιν, quod harum sit exiguus, adeoq; obscurus motus, diserte appellat, vt ante nos Vesalius, summus noster amicus, *ca. 4. lib. 1. de fabrica humani corporis*, animaduertit. De Symphysi quoq; Vesalii rationẽ secuti sumus, vt quæ sit expeditior, & minus calumniis pateat. Quanquã enim Galeni sentẽtia de symphysi in *libro de ossibus* defendi potest, si dicamus eum vocem illam improprie, pro quauis cohærentia, vsurpasse, tamen quum σύμφυσις proprie loquendo non sit nisi vbi partes natura distantes in se inuicem coalescunt, non recte quæ ligamenti ope perficit συνεύρωσιν, neq; musculorum auxilio factam συσσάρκωσιν sub symphysi seu coalescẽtia complecti potuit. Neq; enim qui per ligamentum connectuntur, aut per musculum cõmittuntur articuli, coaluerunt. Quare multo rectius σύμφυσις inter species commissurarum q̃ nullum penitus habent motũ recensetur, & tres, quas illi Galenus affinxit differentiæ ad vniuersas ossium structuras, vt nos fecimus referuntur. Quod nõ animaduertisse Carolũ Stephanum in suis de dissectione partium corporis humani libris plurimum miror. Mihi sane, quod sibi pugnantia in hoc exiguo de ossibus libro Galenus manifeste scripserit, suspicio haud exigua oritur, hunc nõ esse legitimum, aut saltem multis in locis deprauatum, quod mihi persuadet locus e Gręco codice de ginglymo a Ioanne Caio Britanno citatus, qui in Latinis longe aliter se habet.

Margin notes: Instar vnguium commissura. — Ἁρμονία. — Σύμφυσις. — Structuræ ossium bifariam cõmittuntur. — Συγχόνδρωσις. — Συνεύρωσις. — Neruum quid veteres dixerint. — Caro veteribus quid. — Συσσάρκωσις. — Cur a Galeni sentẽtia recesserimus. — Andreas Vesalius. — Carolus Stephanus.

Quid os, Quisq; ossium vsus, differentia & numerus. CAP. V.

A OS est *pars corporis similaris durissima & siccissima, maximeq; terrestris & frigida, ac sensus,*
(Os quid.)
demptis solis dentibus, expers. Nō temere a. Summus rerū Opifex tali substātia ossa do-
(Ossiū vsus.)
nauit. Nā quū hæc vniuerso corpori tanq̃ fundamēta q̄dam subiicienda erant, vt solida
& dura essent cōueniebat. Quomodo n. alias q; in tentoriis pal., & in ædib. parietes, id in
animalib. pstaret ossiū substantia, nisi dura & sicca esset? Ossium a. alia roboris nomine,
(Ossium differentia ab vsu.)
vt essent sc. tanquam corporis fulcra ac stabilimenta, pcreata sunt, vt tibiarū ac femorū
ossa. Alia reliquis partib. veluti ppugnacula ac muri a natura obiiciunt, vt caluaria, tho-
(Lib. 16. de vsu partium, cap. 2.)
rax, & vertebrarum spinæ. Alia quorundā ossium articulis præficiuntur, ne illi plus satis
laxe moueantur. Hoc nomine ossicula *Sesami* seminis magnitudinē referentia formata
sunt. Verū cuiusq; ossis vsum & officiū, singulorum priuatim capita mōstrabunt. Variāt
B vero inter se ossa etiā magnitudine, quod nonnulla sint magna, vt femur, os tibiæ, & hu-
(Differentia a magnitudine.)
merus: nōnulla parua, vt brachialis ossa, dentes, & sesamina. *Alia* rursus ampla, vt *ossa sacri*
ossis laterib. coarctata, & scapulæ. Alia angusta, gracilia, & longa, vt *fibula, radius, & vlna.* Pre-
(A substātia & constitutione.)
terea euariant etiā substantia & cōstitutione. Sunt n. quædā plane solida, neq; vllo pacto
effracta, cauernulis tn̄ sinibusve intus referta, vt duo nasi ossa. Aliqua vero extrinsecus,
quasi cōtinua crusta aut lamina obducerentur solida apparent: effracta a. quædā exiguis
tantum cauernulis cōpactissimæ spōgiæ, aut leuissimi pumicis foramina referētibus, in-
tus oppleta vident, quandā fungi speciē exprimentes, vt brachialis, tarsi, pectoris, & ver-
ticis ossa. Quædā v. præter cauernulas, nulla serie aut numero positas, amplū aliquem &
insigniter cauū obtinent sinū, vt femur, tibię os, humerus, & alia nōnulla. Maiores vero
(Sinuum & cauernularum ossium vsus.)
C isti sinus, & cauernulę illæ ossib. cōtigerunt, tū vt motus gratia leuiora redderent, tum vt
medullā pprium ipsorum nutrimentū, *quemadmodū plenius lib. 3. de naturalib. facultatib. ca.*
vltimo, & li. 11. de vsu par. c. 18. Galenus docet, illis cōtinerent: aut priuatim aerē, vt frōtis os,
præter medullā amplecterentur. Neq; solū in maiorib. iis ossium sinibus medulla repo-
nitur, verū spōgiæ etiā modo exstructæ cauernulæ, nō minus q̃ insigniores maiorum os-
sium sinus, medulla infarciuntur. Præter cauernulas & sinus, quib. ossa intus scatent, nō-
(A foraminibus.)
nulla quoq; amplis foraminib. sunt peruia, vt occipitis os, vertebræ, & pubis ossa. Alia v.
exiguis perforant foraminib. vt pleraq; capitis ossa, venis, arteriis, & neruis viā pbentia,
& os odorum nomine cribri instar perforatū. Aliqua exterius & in superficie nullum q;
sensu dignoscitur foramē præ se ferunt, vt brachialis ossa, & dentes. Non paucis a. ossib.
D foraminula accidunt, q̄ exterius ac in superficie sunt cōspicua, non tamen vniuersum os
penetrant, sed tantum venis & arteriis crassiora ossa subeuntibus præparant. Eiusmodi
foramina in calcis osse & talo, & osse sacro passim occurrunt, q; scil. hæc crassiora sint, q̃
vt a vasis ipsorum duntaxat superficiem perreptantibus, nutrimentū cōmode assumere
possint. Ab osium sensu leuis admodum sumitur differentia. Dētes n. soli sensu præditi
(A sensu.)
sunt, reliqua vero omnia ossa sensus expertia, *quemadmodū in libello de instrumento odora-*
tus, & multis alijs locis Galenus attestatur. Quod vero reperiuntur qui non omnem sentien-
(Obiectionis solutio.)
di vim adimunt osibus, id non alia de caussa accidit, quam quod omnibus propemodū
osibus membrana quædam obducatur, quā περιόστεον ob id Græci, quasi ambientem ossa:
(Περιόστεον.)
vocarūt, cuius quidem gratia ossa nonnullis sensu prædita esse visum est. Quapropter q;
E alia a dentibus ossa sentiant, id non ppria, sed membranæ potius hæc ipsa ambientis ra-
tione euenit, vt abunde testantur quæ *lib. 2. de labo. locis cap. 2.* scribit Galenus ita inqui-
ens. *Membranarum quæ osibus obducuntur dolores & profundi sunt, id est, in intimo corpore sen-*
sum excitantes, & ossium ipsorum veluti dolentium, imaginem inducunt. Hinc est quod ij a quam
plurimis ὀστοκόποι, *hoc est, osium dolores laboresve nominantur.* Libro quoque *3. de tuenda sani-*
tate cap. 4. ὀστόκοπον dictum esse Græcis scribit, non quod in eo ossa doleant, sed ob penitio-
rem potius sensum, ad partes scilicet, quæ in alto maxime corpore sunt positę, nomen
transferentes. Quippe summum locum cutis occupat, secundum ab ea musculi habēt,
vtriq; circum ossa positi, at tendones ipsis osibus adhærent. Quare consentaneū est, quū
F hi quicquā patiuntur, in imo, & circa ipsa ossa affectū hærere videri. Lubens iā prætereo
eas q̄ a forma, appendicibus, processibus, capitibus, superciliis, finibus, tuberibus a co-
(A forma, appendicibus processib. &c. Numerus ossium.)
missurarū specie, & cartilaginib. petunt differētias, vt q̄ partim pri⁹ sint expositæ, partim
q; sine integra osium historia recte assequi nequeant. Numerus osiū, quę Galenus *lib. 9.*
de placitis Hippocratis & Platonis, plura esse trecentis tradit, facilime e singulis huius libri
capitib. ab vnoquouis colligi potest, vt propemodū nō sit op⁹ hūc in præsentia recēsere.

Tamen vt illum omnes statim in promptu habeant, nõ pigebit nos singula ordine, a capite, tanq̃ parte omnium longe nobilissima, exorsi, cõmemorare. Caluariæ quidẽ ossa viginti sunt numero, octo capitis, superioris maxillæ duodecim: præteritis tamẽ & priuatim nõ enumeratis iugalib., vt q̃ quorundã illorũ viginti ossium partes tantũ sint: auditus instrumẽti quatuor, dentes triginta duo, inferioris maxillæ magna ex parte vnicũ, ossis Hyoidis siue υ referẽtis ossicula fere sunt vndecim. Vertebræ viginti quatuor, sacri ossis plurimum sex, coccygis quatuor. Costę viginti quatuor, pectoris tria, Galeno septẽ recẽsentur. Scapulæ duæ, totidem clauiculæ, humeri duo, vlnæ duæ, radii duo, brachialis sedecim, vtriusq; sc. manus octo: post brachialis octo, in vtraq; manu quatuor. Digitorum ossa triginta, in vtraq; scil manu quindecim, sesamina ossicula viginti quatuor, in singulis enim, vt minimum, manibus sunt duodecim. Ossa sacri ossis lateribus cõmissa duo, femora duo, tibiarum duo, fibulæ duæ, totidem patellę, duæ calces, totidẽ tali, nauicularia ossa duo, tarsi octo, in vtroq; enim pede quatuor, pedii decem, in vtroq; pede quinq;, viginti octo digitorũ pedis ossa, cuiusq; videlicet pedis quatuordecim, pedis sesamina ossicula, perinde atq; in manibus, viginti quatuor. Quod si hæc omnia cumulata in vnum conieceris numerum, vniuersa erunt trecẽta & tria, aut si Galenum in pectoris ossis diuisione imitatus fueris, trecenta & septẽ. Non vero sine caussa ac temere humani corporis ossa non instar vnius continuiq; ossis, lapideæ cuiusdã statuæ modo, Summus rerum Opifex efformauit. Nam etsi ita quidem hominis structura iniuriis min⁹ erat obnoxia, & ipsius ossa firmiorem ac stabiliorem sedem adepta erãt, neq; luxari, neq; excidere, ac distorqueri potuerant, tamen quia homo motu: qui animanti maxime, si quid aliud, ꝓprius censetur: neutiquam destitui debuit, & quum motus citra ossiũ diuisiones, commissurasq; fieri nequeat, hominem e multis ossibus cõstrui plurimũ conduxit. Nõ autem motus tantum gratia, sed & perspiratus, aut transitus cuiusdam, aut partium discriminis, aut securitatis, aut patiendi difficultatis, ipsorum cõstructio exstitit. Propter motum quidem digitorum ossa inuicem connectuntur, vlna & radius cum humero, humerus cum scapula, & in summa, omnes aliæ dearticulationes. Perspiratus autem, nẽpe fuliginosorum cerebri excrementorum, aut transitus alicuius corporis, scilicet vasorũ quorundam, caussa, capitis suturas factas fuisse commemorabimus. Quinetiam & patiendi difficultatem quandam ac securitatem, omnibus iis quæ ex multis constantur, tũ in iis quæ de suturis prodemus, tum in aliis plerisq; demonstrabimus. Ob discrimẽ vero seu differentiam partium, verticis ossa vtcunque mollia duris temporum ossibus committi, in eorum osium commissurarum sermone docebimus.

Homo cur pluribus ossibus cõstat. Lib. vndecimo de vsu partiũ cap. decimo octauo.

Capitis structuræ ratio, & eiusdem varia figura. CAP. VI.

Caput qua de caussa factum. Libr. 8. de vsu part. cap. 5.

QVum caput pars corporis omnium longe sit nobilissima, vt comprehensum est, ab eo potissimum nobis exordiendum erit. Humanum a. caput oculorum caussa esse factum, cancrorum, scarabeorum, & quorundam aliorum quæ capite destituuntur animalium oculi manifeste demonstrant. His n. oculi ceruicibus prælongis insunt, neque imi, quemadmodũ os, nasus, & aures ipsis in pectore absconduntur. Nam illorum actio æditum locũ postulabat: q̃ caussa etiam fuit, vt qui hostiũ aut prędonum infestos incursus a longe speculantur, muros aut altas turres, aut montes quosdã conscendant. Nautæ quoq; qui nauium malos ascendunt, terram prius intuentur, quam vectores, quanq̃ ii in eadem sunt naui. Nam qui in excelsum aliquem locum conscendit, plura loca prospicit, quam qui in loco est humiliore. ¶ Prædictis igit animantibus testacea & dura cute obtectis, non difficile factu erat, oculos in prælongis ceruicibus tuto reponi, vt qui duriores essent futuri, & tunica extrinsecus obduci poterant, quæ ab illorum animalium cute ꝓcreata, simul durissima, & testacea esset. Homini vero, propter corporis substantiam, & mollem tenuemq; qua oculi inuestiũtur membranam, æque ac reliquã cutẽ, totos oculos necessario molles habituro, prælõgis ceruicibus ꝓminentes oculi, citra periculum, imponi nequierunt. ¶ Postq̃ igitur in imo hominis oculos locare eorum functioni non erat cõmodum: nudis autem ceruicibus imponere haud erat tutũ, nolebat sane Natura neq; vllũ oculorum vsum impedire, neq; securitatẽ tollere, ideoq; partẽ exstruxit altã, & oculos ab iniuriis pulcre vindicantẽ. Supra enim supercilia, os frõtis, & cilia collocauit, infra vero præter palpebras, malas, internis autem partib. nasum muri instar, externis, ossis

A ossis processum, quod ζύγωμα Græci, nos iugale appellamus, *de quo suo dicemus fusius loco*, apposuit, adeo vt excelsis & prominẽtibus vndiq; partibus oculi sepiantur, vtiliterq; veluti in sinuosa valle latitent. At horũ congeries nondũ est caput, possuntq; esse alicubi sine capite. Cur igit̃ fuit necessarium hic quoq; alias partes poni, quarũ cõpositio caput nominat̃? Singula sensus instrumenta, neruũ postulant mollẽ: neruum quidẽ, ꝙ is sensuum sit instrumentũ: mollem a. quia vt sensus fiat, ab extrinsecus occurrente sensoriũ ipsum afficiatur quodam modo necesse est, ac patiatur. Porro ꝙ molle est, ad patiendũ: quod a. durum ad agendum est aptius. Proinde sensoria mollibus, reliquæ v. partes voluntario præditæ motu, duris neruis indiguerunt. Quum itaq; oculi mollib. cerebri neruis indigebant, molliaq; omnia si vlterius procederẽt diuulsa facile frangerent, offenderẽturq; B iure cerebrum non procul ab oculis poni debuit. Nunc itaq; quod principio de capitis structuræ ratione inquirebamus, inuentum est, nempe cerebrũ in capite locatum esse, propter oculos, reliqua vero sensoria omnia, propter cerebrũ.

Capitis naturalis figura.

¶ Ceterũ capitis, ꝙ Græcis κεφαλὴ dicitur, *naturalis figura*, Galeno *cap. 1. de ossibus, & lib. 9. de vsu partiũ cap. 17. & cap. 11. artis Medicæ teste*, est veluti sphæra quædam oblonga, & vtrinq; leuiter in anteriora & posteriora compressa, ita sane vt synciput & occiput aliquantulũ emineãt. Quum n. cerebro cerebellum posteriori in parte subiiciatur, & dorsalis medulla illac e capite procidat, priori autem cerebri sede processus ad oculos, & ad odoratus instrumẽta progrediantur, rectissime caluaria, vtpoteq; cerebri est receptaculũ & ꝓpugnaculũ, prælongam sphærã refert.

Lib. 9. de vsu par. c. 17. Prima non naturalis capitis figura. Thersites. Iliad. β.

¶ Oẽs a. reliquæ ab hac euariantes figuræ, nõ naturales, & indecẽtes C censentur. Galeno a. auctore, capitis non naturalis figuræ potiores, quatuor exsistũt. Prima ei q̃ naturaliter se habet plane contraria est, in qua ambæ capitis eminẽtiæ, prior sc. frõtis, & posterior occipitis, amissæ sunt, caputq; ad amussim instar exquisitæ sphæræ rotũdum est. Hac figura Thersites ab Homero donatus fuisse tradit̃, vbi ait φοξὸς ἔην κεφαλήν, *Acuminato erat capite*. Nihil itaq; mirum hunc omniũ aliorum qui Troiam venerant fuisse, vt idem ait Homer⁹, αἴσχιστον. Nam eiusmodi figura capitis, vtpote naturali prorsus cõtraria, ineptissimæ etiam mentis indicium, propter impeditam omniũ virtutum functionem, erat. Pleriq; tamen, omnes capitis acuminata figura præditos φόξους, & ὀξυκεφάλους appellant. Ita Pericles, qui *vt Quintiliani verbis vtar*, non loqui & orare, sed fulgurare ac to- D nare visus est, oblongiore & acuminatiore capite fuisse dicitur. Hinc a capitis mensu parum congruo & longiore, Atticis poetis κυνοκέφαλος, & σχινοκέφαλος, quod nimirum *Scillam* quæ illis σχῖνος vocatur, referret, est cognominatus.

Libr. 2. ca. 7. Pericles.

Secunda.

¶ Altera non naturalis capitis figura est, quæ in syncipite fronteve nullam habet eminentiam, posteriore, & quæ in occipite est seruata.

Tertia.

¶ Tertia, q̃ huic omnino contraria est, nullam in occipitio eminentiam obtinet, anteriore tamen manente.

Quarta.

¶ Quarta species est, quando caput ad vtramq; aurem prominentius, quam in fronte & occipite, efficitur. Hæc quidem rarissima, adeo vt Galenus hanc excogitari quidem, non tamen in rerum natura consistere posse affirmauerit. Hoc ipso sane eius figuræ raritatem, ac quam sit plane monstrosa, & humanæ vitæ inutilis innuere volens, quando constet tali capitis figura præditos præter formam nihil E habere cũ reliquis hominibus commune. Atq; hinc est quod Vesalius noster puerum Venetiis multis partibus deformem, & admodum amentem hac figura conspici testet̃, *vt rectissime huiusmodi capitis specie donatos Galenus*, quum illis ratio desit, quæ sola homines a brutis differre facit, monstra esse putauerit.

Libro 1. cap. 5.

De caluaria, & cur donata sit suturis. Cap. VII.

Li. 8. de vsu part. cap. 9. Κράνος, Galea. Κράνιον. Caluaria. Lib. 9. de vsu part. ca. 1. Caluaria cur cauernosa. Ibidẽ ca. 2.

QVum cerebrum sit rationis sedes ac domicilium, ideo summus rerum Opifex illud tuto quodam munimento custodire voluit, & vndiq; os ipsi instar galeę circumposuit, quo Gręcis nomine κράνιον, Latinis *calua, & caluaria*, vulgo testa dicitur. Verum quum omnibus partibus corporis velut tectum quoddam calidę domui caput sit superpositũ, atque hac de caussa omnia quæ a subiectis partibus sursum efferũtur fuliginosa ac vapo- F rosa excrementa excipiat, adeoq; largiore vacuatione egeat, galeam siue caluariam cerebro inductam non ex omni parte solidam, sed cauernosam, suturisq; intertextam idẽ parens rerum effinxit. ¶ Cauernosam quidem ac fistulosam ideo, quia si vniuersa densa solidave simul ac tenuis fuisset, nihilo plus securitatis ex ea constructione subiacentes partes fuissent assecutæ: quũ q̃ os illud vulnerãt, ob viæ breuitatẽ, intro prõte penetrare potuissent. Si v. crassa simul ac dẽsa creata fuisset, homini oneri esset, haud secus q̃ si quis

nunc capiti suo sarcinam aliquam alliget, perpetuoque illam gestet. ¶ Reliquum igitur A
erat tertium, vt neq; tenuis, neq; densa, sed crassa, rara tamen & cauernosa esset caluaria.
Hoc enim modo neq; grauatura erat, neq; viam in cerebrũ breuẽ ipsam vulnerantibus
Suturarum vsus. datura. Suturis autem intertextã efformauit principio securitatis gratia, ne quãdo mota
1. vehementer diducatur & dissiliat. Ne igitur si capiti vehemens aliquis ictus incutitur,
Ibidem ca. 17. ꝓtinus rumpatur, ipsiusq; ruptura in longiores rimas ducatur, ac veluti per fictile vas in
totam caluariã procedat, sed inhibeatur, illicq; cesset, vbi & sauciũ ipsum os suturis terminatur ac desinit, caluariam ex multis ossib. compingi, & crebris donari suturis, vtile
2. fuit. Necessaria insuper visa est huiusmodi suturarum ratio ad fuliginosorum ac vaporosorum excrementorum transpiratum. Quum itaq; suturarũ beneficio fiat, vt caput prę- B
dictis excrementis, & noxiis vaporibus sursum elatis exinaniatur ac liberetur, eas non
parum corporis valetudini cõferre perspicuum est. Quod sane Hippocratis etiam cõfirmat testimonium, qui in *libro de hominẽ* ita scriptum reliquit: *Saniores capite sunt, qui plu-*
Cornelii Celsi error detectus. *res suturas habent*. Vt in maximo versari errore Cornelium Celsum necesse sit, qui *lib. 8. cap. 1.* capita suturis carentia a dolore esse tutissima, atq; eo capitis valetudinem esse cõ-
2. modiorem, quo pauciores sunt suturæ, scribit. Quo etiã errore se contaminauit Carolus Stephanus, vir alioqui doctus, dum libro *1. cap. 8. suæ dissectionis*, hæc Celsi verba tan-
Carolus Stephanus.
3. quam a veritate nequaquam dissidentia producit. ¶ Conducit quoque suturarum in
caluaria ratio, vt per eas crassa membrana cerebrum vestiens ossi capitis alligetur, vasaque excidant, alia quidem intro, alia vero extra, vt suis locis latius patebit. ¶ Constructę C
4. Li. 8. de vsu par. ca 9. deniq; fuerũt suturæ pericranii ꝓducendi gratia. Quippe crassæ seu duræ mẽbranę vincula seu fibrę vna cũ vasorum quorundã finib. ꝑ suturas foras excidẽtes, mutuo sibi occurrunt, & coaptant, ac coalescunt, communemq; ex se ipsis mẽbranam ꝓcreant, quæ
Περικρά-νιον. Græcis, eo quod extrinsecus cranion ambit, περικράνιον appellatur. Horum autẽ vinculorum ope accidit, ne cerebri ventriculi, aliaq; nonnulla corpora, quæ distendi & eleuari oportuit, in se collabantur ac concidant.

Quales sint, & quot numero suturæ. Cap. VIII.

Lib. 9. de vsu par. c. 1. Quales suturæ. Ossium quæ ad suturæ generationem adaptantur, vtrumq; eminentiam habet & cauitatem, non vna serie, sed situ alternantes. Est a. eminentia quidem figura vnguibus digitorum potissimum adsimilis: cauitas vero sedes est, huiusmodi figuræ, vt dictũ D
est capite quarto, cõmensurata. Vtrumq; igitur os suis cauitatibus alterius eminentias
Suturarum numerus. excipiens, totã figuram articulationis efficit duabus serris dentes pectinatim, & certa compositione in mutuas cauitates immittentibus simillimam, ꝙ Græci ῥαφὴν, Latini *su-*
Naturalis figuræ capitis suturæ. *turã* dixerunt. Capitis a. suturæ pro eiusdẽ figuræ diuersitate variãt. ¶ Quippe naturalis capitis figura suturas quinq; obtinet, quarũ quidẽ tres veræ dicuntur, serratiles n. sunt,
Ca. 1. lib. de ossibus & li. 9 de vsu par. ca. 17. Coronalis sutura dentatisq; pectinatim cõpagibus coeunt, & harũ duę vtiq; trãsuersæ, quarũ altera in syncipite est, Græcisq; στεφανιαῖα, Latinis autem *coronalis*, ꝙ coronæ in ea potissimũ capitis parte collocent, vocatur. Altera in occipitio est, quæ a maiusculæ literæ Λ. imagine Grecis
Λαμβδοει-δής. λαμβδοειδὴς; & ab υ similitudine ὑψιλοειδὴς nominatur. Tertia a medio posterioris, siue eius ꝙ E
in occipite consistit, per capitis longitudinẽ ad mediũ vsq; anterioris suturæ extẽditur:
Sagittalis. hincq; adeo Græcis ὀβελιαῖα, vulgo *sagittalis*, ꝙ vetu sagittæ ve instar recta, & satis longe in-
Ὀβελιαῖα. cedit. A virgæ quoq; ductu ῥαβδοειδὴς nonnullis appellari cepit. Harũ vtiq; trium suturarũ
Ῥαβδοειδής. figura, *Hippocrate quoq; in libro de capitis vulneribus teste*, fere H maiusculæ Græcorũ literæ
Aristotelis error lib. 1. & 3. de hi sto. animalium ca. 7. similis est. Nec vlla, etsi secus Aristoteli in suturarũ enarratione prorsus aberranti visum est, viris ac mulieribus hac in parte differentia apparet. Non vacat etiam errore, quod idem Aristoteles eodem in loco scribit, canibus continuam, nec vllis suturis distinctam
Libr. 1. de histo. animalium ca. 7. Lib. 9. esse caluariam, quum diligenter horum capita intuenti commemoratas iam suturas, & quas deinceps enumerabimus omnes propemodum, canum caluarię eleganter exprimant. Ceterum minime mirandum est quod Herodotus scriptum reliquit, inuentum F
esse inter cadauera Persarum caput nullis prorsus suturis interstinctũ, ac ex vno osse solidum, & quod Aristoteles caput viri sine vlla sutura visum esse tradit. Nam valde senum
caluariæ suturarum duntaxat situm, idque per quam obscure referunt, nulla interim suturæ imagine conspicua. ¶ Præter iam dictas tres suturas, sunt aliæ duæ, quas *fictas* siue
Fictæ seu mendosæ suturæ duę. *mendosas* nonnulli iuniorum anatomicorũ appellant. Non sunt autem nisi duę a sagittali
sutura quodã modo ęque distantes lineæ, per capitis longitudinem vna vtrinque supra

aures

A aures porrectæ. Principium harum ab humilima suturæ Λ referentis sede est, qua hæc prope occipitii inferiora vix amplius suturæ imaginem satis refert. Hinc nonnihil præsentes lineæ recta, quodammodo feruntur, & mox sursum ascendentes, instar semicirculi quodã modo ad coronalis suturæ finem prorepunt. Hæ aũt fiunt duob. mutuo sibi incumbentib. cohærentibusq; ossibus, non p suturam quidẽ, sed paulatim syncipitis os descendens, instar squamæ attenuatur, atq; in id os, ꝙ infra ab aurib. ascendit, similiter in squamam attenuatum, subintrat, vtrisq; ossibus qua inuicem compinguntur, asperitatem quandam mutuam nanciscentibus. Vnde quum non suturarum speciem, sed veluti duarum inuicem incumbentium squamarum effigiem referant, neq; Hippoc. neq; aliquis aliorum qui accurate rem expenderunt, suturarũ nomine eas dignatus est, sed a squamarũ similitudine λεπιδοειδῆ προσκολλήματα, id est, *squamosas conglutinationes* nominauerũt. Galenus & alii nõnulli euidentioris doctrinæ studio suturas κροταφίας, hoc est, *temporales* vocarunt. Porro, hoc loco monendũ erit, esse quosdam, in quorũ etiam numero est Carolus Stephanus, qui coronalem suturam inter fictas mendosasq; falso numerent, nulla sane alia de caussa, quam quod Galeni locum qui est *in cap. 1. de ossibus* nõ recte intelligãt, vt qui non vniuersum syncipitis os, sed tantum fines eius qui cum temporum osse compinguntur in squamam attenuatos esse tradat. Hactenus quinq; peculiares, nulliq; alteri ossi quam capitis naturalis figura prediti ossib. communes suturas duas quidem transuersas, coronalem scilicet, & eam quæ Λ imaginem exprimit, ac vnam quæ recta per capitis longitudinem fertur: duas item ab hac æque distantes, quas *squamosas conglutinationes* nuncupant dissectionum periti enumerauimus. In capitũ vero figuris a naturali structura euariantibus ad hunc modũ. Galeno teste, se habent. Vbi anterior capitis eminẽtia abest, sutura coronalis perit, seruata ea quæ Λ refert. Vna cũ sagittali, quæ tunc ad medium vsq; superciliorum porrigitur. At posteriori eminentia deficiente, sutura Λ exprimens deperditur, manente coronali, & sagittali interim per occipitii mediũ ad caluariẹ vsq; basim ducta. Quapropter si hanc capitis figuram occipitio inniti finxeris, vtraq; remanentium suturarum effigies T. literæ similis erit: quemadmodũ & primæ quoq; non naturalis figuræ capitis, suturæ T. referunt, quũ illa fronti innitit. Vtraq; vero eminẽtia deperditæ geminæ, q̃ sole seruantur suturæ bifariam se inuicẽ intersecantes, X. literæ similitudinẽ referunt. Nã altera quidẽ transuersa ab vnius auris ad alterius auris regionẽ p mediũ caput deducitur. Altera vero a parte posteriore, nempe foramine in occipitis osse dorsalis medullæ gratia inciso, p capitis longitudinẽ ad summũ vsq; nasi pertingit, illius ritu q̃ sagittalis appellatur. Hæc n. semper seruatur: reliquæ aũt duæ cum totius capitis figura variantes intercidunt. Quarta non naturalis figura capitis omnino pugnantes cum non naturali suturas obtinet. Transuersæ namque seu coronalis, & illa quæ Λ refert per capitis longitudinem procedunt, recta interim seu sagittali transuersim lata.

Cap. 1. libr. de ossib. Squamosę conglutinationes. Temporum suturæ. Carolus Stephanus. Epilogus. Nõ naturalium capitis figurarum suturæ. Secundæ. Lib 9. de vsu partiũ cap. 17. Et cap. 1. de ossib. Tertiæ. Primæ. Quartæ.

B C D

De ossibus capitis. Cap. IX.

Reliquum est vt capitis ossa quæ suturis circumscribuntur, simulq; capitis amplitudinem, qua cerebrum continetur, efformant, separatim percẽseamus. Sunt autem hæc Galeno septem numero, duo syncipitis, vtrinq; nimirum vnum, frontis vnicũ, occipitis similiter vnum, duo infra, ad vtranq; videlicet aurem vnum, septimum cuneiforme. Nos clarioris doctrinæ gratia octauum adiiciemus. ¶ *Syncipitis*, quod Græcis βρέγμα dicitur, ossa duo in vtroq; capitis latere posita sunt, veluti quidam parietes, vnde etiam parietalia vulgo dicta. His ea sutura cõmunis est, q̃ recta per capitis longitudinẽ ducta, illa ossa inuicem dirimit. In anteriori autẽ sede, coronali sutura: in posteriori Λ referente ab aliis discernuntur. In inferiori vero, squamæ similibus conglutinationibus terminantur. Hęc quadrilatera sunt, vndiq; sibi similia, nisi vbi instar squamæ attenuantur, tẽporumq; ossa subeunt. Hic n. tenuissima sunt, sed solida, ac neutiquã, quẽmadmodũ reliqua ipsorũ parte, qua temporalib. non obtegũtur musculis, fistulosa cauernosaq; inter suas squamas cernuntur. Dein qua frontis ossis cõmittuntur, tenuiora q̃ iuxta occipitii os apparent. Inter omnia vero capitis priora sex ossa, syncipitis, eo ꝙ cauernosa & rara sunt, infirmissima esse solent. ¶ *Frontis*, quam Gręci μέτωπον appellant, os coronali sutura, & ea quæ octauum capitis os terminat, circumscribitur, & illa quæ frontis ossi cum superiori maxilla communis est. Incipit autem hæc a temporum cauo, ac per medium oculorum ducta ad superciliorum vsq; congressum fertur, ac frontis os a maxillæ superio-

Ca. 1. li. de ossibus & lib. 11. de vsu part. cap. 19. & 20. Syncipitis ossa duo. Parietalia. Frontis os vnum.

E F

ris ossibus separat. Est vero frontis os quodam modo orbiculare, nullibi tenuius quam A vbi superiorem oculorum sedis regionem constituit, & octauo capitis ossi committitur. Hic enim veluti duobus tenuibus efformatur squamis, in medio vacuis, & aere oppletis, vbi etiam cauitatis gratia reliqua ipsius parte crassissimũ est, ac veluti protuberat. In temporibus id tenue quoq; est, ac solidum, minimeq; cauernosum, præterquam vbi cũ syncipitis osse inibi iungitur. In fronte aũt paulo supercilia, & reliquam dein ipsius sedem, quæ excarnis est, nullam cauitatem ostẽdit notabilem, & multo crassius spissiusq; quam syncipitis ossa esse conspicitur. Qua tamen illud iis cõmittitur, & sagittalis sutura in coronalem incidit, frontis os tenuius infirmiusq; est, quã in ipsa fronte. Atq; hæc pars qua dictæ iam suturæ inuicem committũtur, totius caluariæ pars mollissima ratissimaq; existit. Quippe ea plane est quæ in nuper natis infantibus adhuc membranea, ac recenti B caseo similis tangentibus occurrit, & quæ in puerulis quũ manducant, & respirant, moueri & palpitari videtur. Neq; mirum certe nondum exacte firmatis & resiccatis iis ossibus, cerebri pulsum ac motũ ostendi. Ceterũ quoniam hæc sedes inter capitis excarnes partes tenuissima est, & suturæ nusquã laxius hærent, ideo merito ad hanc maxime partem applicant omnes Medici capiti irrigationes, celeriter n. horum præsidiorum vis intro penetrat, veluti fusius Galenus *lib. 13. methodi medendi, cap. 20.* ostendit. Parum tamen tuto huic loco quidam cauteria vulgo dicta adhibent. ¶ Occipitis quod ἰνίον Græci vocant, os sutura Λ simili, & eiusdem suturæ additamentis, & linea hæc additamenta iungente terminatur. Additamenta vero hæc non sunt, nisi prædictæ suturæ extrema, quæ iuxta occipitii humiliora non amplius exactam suturæ compagem exprimunt, versusq; C capitis basim protenduntur, ac per mediam basis sedem, quæ præruptæ rupi, & imagine & duritia similis est, & qua caput primæ ceruicis vertebræ articulatur, in anteriora prorepunt, mutuo sensim appropinquantia. Proinde occipitis os quinque quodam modo lateribus constat. Duobus quidem a Λ referentis suturę cruribus efformatis, & aliis duobus, quæ ab eiusdem suturæ additamentis sepiuntur, ac demum quinto a linea quæ occipitis ossi & cuneiformi communis habetur, descripto. Hoc os in crassitie inæquale admodum est, neq; omni ex parte sibi respondet. Quicquid n. ipsius in occipitio excarne, & a musculorũ exsortibus insertionibusq; liberum est, insigniter crassum cernitur, tanto scilicet osse frontis crassius, quanto illud syncipitis ossium crassitiem vincit. Neq; enim tota excarni parte, æqualem adipiscitur crassitiem, sed ad eius partis radicem in medio D longe crassissimum est, ea videlic. regione, qua duos maximos duræ cerebri membranæ sinus, sanguinem & spiritum vitalem venarũ arteriarumq; instar, cõtinentes, iũgi, aliosque duos sinus educere, libr. 6. dicemus. Quippe apparet naturam ossis crassitie huic sinum concursui prospexisse, tum quod ex ipsius læsione summum homini impenderet periculũ, tum quod hanc occipitii sedem oculis destitutam, subinde percutiendam, ac crebro in terram variis casibus illidendam non ignoraret. Crassissima occipitis ossis pars intus cauernulis est oppleta, vtrinq; valida obductis squama. Reliqua vero occipitii pars, solida admodumq; densa, sed perquam tenuis, neq; cauernulis donata est. Hanc aũt partẽ cerebellũ implet. Ne vero propter insignẽ illam tenuitatẽ ossis robori male consultum esset, in huius partis medio, oblongum & lineę instar exporrectũ eminet tuberculũ ossis E robur inibi plurimũ adaugẽs. Quoniam vero id in internã caluariæ amplitudinẽ vergit, duos quasi sinus, vtrinq; videlic. vnum efformat, quos *cerebellum* implet. Ceterum habet hoc ẽt os maximum, quod sunt in capite foramen dorsalis medullæ gratia exsculptum, *vt suo in loco latius dicemus.* Ab anteriori aũt parte eius foraminis occipitis os maxime in angustũ cogitur, atq; id sensim ita crassescit, vt insigniter quoq; crassum videatur, qua cuneiformi ossi cõmittitur. Ad latera vero huius foraminis duo habet capitula, quæ primę ceruicis vertebræ articulantur, quorum ope caput flectitur & extenditur. Occipitis deniq; os intus læue, minimeq; asperum est, perinde ac extrinsecus tota ipsius parte excarni. Parte aũt huic subiecta, & vbi nõ minimam capitis basi portionẽ constituit, id egregie asperum inæqualeq; se offert, vt cõmodius ab ipso ligamenta & musculi quidam pronascerentur, & rursus alii quidam tutius firmiusq; illi insererentur. ¶ Temporũ, quæ Græcis κρόταφοι dicuntur, ossa in superiori sui parte circumscribuntur squamosis conglutinationib. F In anteriore vero parte, suturę quæ cuneiforme os terminat interuallo. In posteriori suturæ quæ Λ refert additamentis. Hæc bina esse constat, vtrinque enim vnum ad suam aurem

Vesalius libr. 1. ca. 6.

Mollissima caluariæ pars.

Cui parti capitis remedia adhibenda.

Occipitis os 4. Gale. ca. 1. lib. de ossi.

Additamenta suturæ Λ imitantis.

Vesalius vbi supra.

Temporũ ossa 5. 6. Gal. cap. 1. lib. de ossi.

A aurẽ positum. Porro quia petræ speciem præ se ferunt, vt Galeno visum est, aut quia lapideam duritiem habent, λιθοειδῆ, hoc est, *petrosa lapideaue* nominantur. Donatur aũt temporis os tribus processibus quorum vnus oblongus, tenuisque, & per quam solidus est, qui ab acus similitudine Græcis βελονοειδὴς, styli vero scriptorii specie γραφοειδὴς, & στυλοειδὴς, ac dein a galli calcaris imagine πλῆκτρον vocatur. Vt errare toto cælo necessarium sit Carolum Stephanum, qui *lib. 1. suæ dissectionis cap. 9.* hunc processum pollicis crassitudinem æquare, contra Galeni etiam, omniumq; aliorum anatomicorum sententiam, & manifestum visus iudicium, affirmat. Hic processus etsi solidus est, tamen quũ tenuis existit, & admodum prominet, leuissima de caussa abrumpitur. Alter processus qui in osse tẽporis habetur, vaccini vberis papillæ imaginẽ refert, ideoq; Græcis μαστοειδὴς, Latinis autem B *mamillaris*, appellatur. His duobus alius adhuc in temporis osse accedit processus neutiquam infimus, qui mediam ossis iugalis partem efformat, de quo sequenti cap. latius dimus. Ad huius processus radicem ante auditorium meatum, qui huic ossi, *vt suo fusius loco docebimus*, insculptus est, sinus imprimitur, cui inferioris maxillæ capitulũ inarticulatˀ. Reliqua ossis amplitudo syncipitis os spectans, ampla & tenuis admodum, sed solida & cauernulis destituta est. Exterius læuis, intus vero inæqualiter extuberans. Ad basim vero capitis asperum & insigniter inęquale videtur. Septimum os Gręcis a cunei similitudine σφηνοειδὴς, Latinis *cuneiforme*, quod veluti cuneus inter capitis, & maxillæ superioris ossa immittitur, nominatur. Hoc vnicum ac cõiugis expers est, a nõnullis inter capitis, ab aliis inter superioris maxillæ ossa, quum inter vtraq; mediũ sit, numeratur. Multo aũt C rectius ossib. capitis, quam superioris maxillæ ascribitur, quum non minimam caluariæ amplitudinis, qua cerebrum reponitur, partẽ cum reliquis ossibus, quæ ab omnib. anatomicis capiti attribuuntur, constituat. Sed cuiusnam id formæ sit, ac quantæ magnitudinis, quibusq; suturis circumscribatur, nũc recensebimus. Extrema Λ referẽtis suturæ, quæ non amplius exactã suturæ cõpagem exprimũt, ab vtroq; latere versus capitis inferiora basimue protenduntur, ac per mediam basis sedem, & qua caput primæ ceruicis vertebræ articulatur, vt comprehẽsum est, in anteriora prorepũt, mutuo sensim appropinquãtia. Quum vero iuxta nariũ foramina oris amplitudinẽ spectantia peruenerint, exigua quadam transuersa linea simul iunguntur. Ab hac vtrinq; in latera per tẽporum caua, obliquis anfractibus sursum ducitur versus anteriorem squamosarum conglutina- D tionum sedem. Hanc postquam attigit in priora modice deorsum ad coronalis suturæ extrema ducitur. Hinc rursus parumper deorsum repit, quousq; superioris maxillæ cõtingat os, ꝙ extremum oculi angulũ constituit. Hinc decliuis ꝑ caua quoq; temporum incedit, inde ad postremos dentes ducta, ad palatum vsq; procedit, & ꝑ totam nariũ amplitudinem transuersum fertur. Proin Galenus *lib. 11. de vsu partium, cap. 19. & 20.* os palati crebro appellat. Hoc si quod aliud, insigniter varium. Proinde veteres merito idipsum a multiplici forma πολύμορφον nominauerunt. Ad latera n. & in temporum cauis, tenue, & perquam solidum est. In medio autem capitisq; basi qua occipitio hęret omnium caluariæ ossium longe crassissimum apparet, & intus paruis cauernulis tenuissimi pumicis modo oppletur. Vnde vulgo *Basilare* dictum est, quod scil. cerebro substernatur, illiusq; E veluti basis sit, aut ꝙ alia caluariæ ossa ei innitantur. Præterea cuneiforme os in vacuitatis suæ parte duo grandia ostẽdit antra, tenui quopiam osseo septo interstincta, in cuius inferiori etiam sede, exiguum conspicitur antrum. Duo hæc antra singulis foraminib. in narius amplitudinem pertinẽt, inter spirandum aerem ex narium amplitudine assumentia. Cuneiforme deniq; os vbi ita crassum est, & internam caluariæ partem respicit, sinu quodam donatur, cui natura glandulam, de qua lib. 6. latius dicemus, defluxum pituitæ excipientem, imposuit. Ab hoc quidẽ sinu vtrinq; duo leues meatus, pituitã deferentes, vt copiosius cap. 15. & loco iam citato ostendemus, deducuntur. Habet quoq; cuneiforme os in externa parte ad caluariæ basim quatuor processus, vtrinq; binos, & vespertilionum alarum modo prominentes, vnde etiam Græcis πτερυγοειδὴς appellantur. F In duarum alarum medio cauitas conspicitur, a qua validus enascitur musculus, qui in ore delitescens, maxillam inferiorem sursum trahit. Huius itaq; musculi exortus gratia hi processus extuberant, tum vt is aptum ex illis duceret principium, tum etiam vt principium ab illis tuto custodiretur. *Octauum* capitis os in frontis ossis basi contentum, sutura illa circumscribitur, quæ id a frontis osse, & *Cuneiformi* terminat, & illa etiam quæ

Processus tres ossis temporis. βελονοειδὴς. Primus. βελονὴ. Acus. Stylus pęna. Στυλὸς, columna pertica. Mamillaris. Secundus. Tertius. 7. Cuneiforme. Os palati. Vesalius. Os basilare. Sinus cuneiformi ossi insculptus. Processus alis similes Galenus cap. 1. libri de ossibus. Octauum os Ethmoides.

in humiliori narium septi parte ducta, hoc os a maxillæ superioris ossibus dirimit. Hoc os præter narium septum ab ipso eductum, olfactus instrumentorum sedes constituit, & multis foraminulis odorum gratia peruium est, cuius rei gratia Græcis ἠθμοειδὲς, quod scil. *cribri modo perforatum sit*, nostris Colatorium, & cribratum, dictum est. Satius autem fuisset ipsum a spongiæ similitudine, quemadmodum Hippocrates cõparauit σπογγοειδὲς appellasse. Varia enim habet foramina, quomodo & spongia, neque ea, vt cribrum, recta. Quippe dura membrana, quæ cerebrũ contegit, instar cribri est perforata, at præpositum ipsi os magis adhuc varie, & quemadmodum spongiæ foramina, neque ex directo sibi ipsis respondent, neque recta plane sunt omnia. Neque solum odorum gratia præsens os foraminibus iam dictis peruium est, sed etiam excrementorum aliquando cerebri, vbi scil. idipsum nimia pituita infestatur, expurgandi caussa, *veluti lib. 6. fusius docebimus*. Porro hoc os tenue interim substantiaque solidum se spectantibus offert. Dein in caluariæ amplitudinem oblongũ educit processum, septi ritu sedes interdiuidẽtem, quibus olfactus organa reponuntur. Ad hunc itaque modum capitis ossa se habẽt. Ceterum os ἠθμοειδὲς Galen. *lib. 9. de vsu partium c. 3.* non inter capitis, sed nariũ ossa enumerat. Vt hinc omnibus palam sit, locum Galeni in eodem capite esse plane deprauatum, vbi ita scribitur: ἐνδέχεται δὲ τοῦτον ἠθμῷ τινὶ προσεοικὸς ὀστοῦν, εἰς τὴν ὑπερῴαν περαῖον. Αὕτη μὲν ἡ τῶν παχέων περιττωμάτων ὁδός. Scribendum enim non ἠθμῷ, sed σφηνὶ, atque in hunc modum conuertendum. Excipit autem hunc scil. adenem cuneo cuidam simile os, in palatum desinens, Hoc enim est crassorum excrementorum via. Atque sic plane esse legendum ac conuertendum hunc Galeni locum res ipsa cogit. Nam adenem siue glandulam, vt paulo ante dictum est, non os cribro, sed cuneo potius simile excipit, q̃ in hoc peculiari quodã sinu donatum est. Præterea quod Galenus hoc in loco de ossa cribro simili non sit locutus, hinc maxime patet, quod os cribro simile in nares, & non in palatum desinat, ideoque ab ipso inter narium ossa, vt dictum est, numeratum. Huc accedit, quod idem Galenus *lib. 11. eiusdem operis, cap. 19.* cuneiforme os durum & densum esse a natura factum scribit. ¶ Si itaque densum, quo pacto foraminibus peruium esse potest? Deniq; quo pacto Galenus cuneiforme os, & id quod cribro simile est idem faceret, quum hoc ad nares, illud vero ad basim totius capitis, quæ sane loca sibi non parum distant, situm esse locis iam citatis tradat. Quod autem ἠθμοειδὲς os Galenus non in palato ac basi capitis locatum esse voluerit, alius etiam eiusdem locus, qui est *in libr. 2. de symptomatum caussis, cap. 7.* demonstrat, vbi manifeste scribit, ossa ἠθμοειδῆ ad nares esse sita, & per hæc cerebrum vaporosum emittere spiritum. ¶ Nec obstat quod Galenus ex infundibulo, χοάνην Græci vocant, *excrementa cerebri per palati foramina excidere* scribit. Nam in aliis tribus libris, quæ illa sint foramina manifeste ostendit, nempe non talia qualia in cribro & spongia exsistunt, adeoq; osse ipso narium, quod ἠθμοειδὲς ob id nominatur: sed potius sunt duo vtrinque ad glandis latera sinu ossi cuneiformi insculpto deriuati ductus, sinuum modi exsculpti, per quos pituita expurgatur. Decumbit enim pituita per foramen secundi neruorum paris sextumue vt *cap. 15. clarius docebimus*, ad oculorum sedis radicem constitutum, & per ea quæ palatum spectãt foramina. Quod innuere etiam voluit Galenus dum ait, *palatum esse crassorum excrementorum viam*. Et iterum, vbi ita scriptum reliquit. *Sunt autem præter hæc alii duo canales, qui per palatum in os totius cerebri excrementa expurgant, qui duo meatus soli purgando cerebro sufficiunt, quando animal omnino recte habet, alimentumque belle vincit, ac percoquit. Quo fit, vt prima vtilitas ipsorum a cerebro in nares foraminum, propter quam potissimum facta sunt, non superfluorum sit excretio, sed ea quidem ex abundanti cerebro laborante subsidium. Ante enim superfluorum excretionem est ipsa odorum dignotio.* Hactenus Galenus. Ex quibus sane verbis, & iis etiam quæ sequuntur, nulli non perspicuum sit, os instar cribri, aut spongiæ pertusum, illi non esse id quod cuneo assimilatur, & in basi capitis situm est, sed id potius quod ad nares locatur, & per quod odorum fit dignotio. Quæ singula ideo copiosius a me sunt dicta, quod sciam Vesalio nostro locum hunc quem nunc castigauimus, in omnibus tum Græcis tum Latinis codicibus deprauatum, occasionem dedisse, vt Galenum multis in locis suorum quos de fabrica humani corporis inscripsit commentariorum, præsertim autem *cap. 6. libri primi*, reprehenderit, quasi is perperam cuneiforme os cribri aut spongiæ modo perforatum, & per illa foramina cerebri pituitam

ἠθμοειδὲς, ἠθμός, colum.

Gal. lib. 8. de vsu partium, cap. 7.

Σπογγοειδὲς.

Galenus vbi supra cap. 6.

Galeni difficilis locus emendatus & explicatus.

Lib. 9. de vsu partium, cap. 3. Lib. 8. cap. 6. & libr. 11. cap. 19.

Lib. 8. de vsu part. cap. 6.

Galenus ab iniuria vindicatus.

A B C D E F

A tuitam transmittere scriptum reliquerit, quum tamē idipsum ne per somnium quidem, vt ex iis quæ diximus satis liquet, ipsi in mentem venerit. ¶ Quin error ille magis in imperitum librarium transferendus erit, qui quum vocem σφηνὶ parum forte manifeste exaratam legere haud potuisset, in ἠθμῷ dictionem nulla alia de caussa mutauit, quam quod paulo post ibidem ossis ἠθμοειδοῦς fieret mentio. ¶ Atque hanc nostram coniecturam esse veram hinc patet, quod in Aldino Græco codice non ἠθμῷ, sed ἠθμώδει scriptum sit, quā tñ lectionē, omnes Græcę linguæ leuiter ēt periti, non esse grammaticā sciunt. Sed desino.

De osse iugali, & ossibus quæ rupi præruptæ assimilantur. CAP. X.

INter corporis ossa quædam propriis circumscriptionibus terminisq; destituta, non secus quam si peculiaria essent ossa dissectionum peritis describuntur, inq; ossium numerum cum reliquis referuntur. Cuius quidem generis est os, ꝙ Græcis ζύγωμα, ζυγοειδὲς & ζυγώδες, Latinis *iugale* nulla alia de caussa nuncupatum est, quam *quòd vtraq; ossi, sunt enim vtrinq; singula: boum equorumue iugis a dissectionis professoribus assimilantur.* Constat autem os iugale ex duorum ossium processibus inuicem transuersa sutura coeuntibus. Posterior autem eius pars tēporis ossis, quod iuxta aures habetur processus est: anterior vero pars illius ossis processus exsistit, quod partem supercilii extremam, ac vniuersum oculi externum paruumue angulum efformat, ac superioris maxillæ primum os numerabitur. Vt hinc omnibus palam sit, iugale os propriis destitui terminis, aliudq; nihil esse quam duorū processuum mutuo suturæ adminiculo commissorum regionem. Quare vulgus anatomicorū nō ita inepte os paris appellat. Medullæ præterea expers est, solidū, durū, C atq; instar lapidis ad patiendū pertinax. Huiusmodi n. a natura efformari decuit, ꝙ temporali musculo propugnaculū futurum erat, & illi operimenti ritu proponendū fuerat. Quippe ne ab extrinsecus ipsi incidentib. quæ scil. contundere atq; incidere solent, læderentur, natura ossa dura in orbem, quasi septum quoddam, circumiecit. Natura vero hoc propugnaculo minime cōtenta, temporalē musculū in capitis ossib. magna ex parte occultauit, sinū ossib. insculpens musculo recipiendo apprime idoneū, cauumq; hūc receptū velut antrum cōparans, & hunc vndiq; adiacentium partium tuberib. tanquam promontoriis quibusdam, circūsepiens, vt nimirū hac ratione, quoad maxime liceret, conseruaret, exiguaq; ipsius pars supra ossiū septū extaret. Neq; aūt temere omnia hæc natura molita est. Nā inter omnes musculos hic potissimum si læsus fuerit, cōuulsiones, D febres, caros, & deliria infert: eo ꝙ neruorum principio est proximus, solumq; ipsum os a cerebro, membranisq; eius dirimit. Huc accedit ꝙ plures ēt neruorum surculi quinq; nimirum vt suo dicemus loco, temporali musculo inseruntur. Si igitur veluti Hippo. dixit, quæ propinqua, quæ cōmunia, & quæ prima sunt, maxime lædūtur: nihil aūt propinquius cerebro quā temporales musculi, neq; quiuis alius musculus per plures neruos cerebro communicat, consentaneum est principium quam celerrime sentire ipsorū mala. Ob eam igitur caussam Hippoc. recte dixit *lethales plagas, & caros in temporibus fieri.* Ceterum veteribus, vt *c. 1. libri de ossib. testis est Galenus,* λιθοειδῆ ossa vocabantur, quæ petram & effractam rupem non duritia modo, verumetiam imagine referunt. Huiusmodi autem in basi inferioriue capitis sede sunt, qua dorsalis medulla e caluaria delabitur, ac vbi E mammillares, & stylum scriptoriū referētes temporum ossiū processus exoriuntur. Pręterea hæc ossa omniū vniuersi corporis durissima & solidissima exsistunt, atq; commodi musculorum exortus & insertionis gratia, præruptæ asperæ rupi ac petræ quam simillima, vt hoc nomine merito veteribus anatomicis petrosa lapideaue appellata sint.

Ζύγωμα. Nomina. Numerus. Forma. Galenus capite 2. libri de ossibus.

Gal. lib. 11. de vsu partium cap. 3. Vsus.

Quomodo natura temporali musculo prospexerit.

Ossa præruptæ rupi similia.

De organo auditus, & ossiculis huius constructionem ingredientibus. CAP. XI.

AMpla & anfractuosa cauitas temporis ossi auditus organi gratia insculpta est, quæ tortuoso foramine in capitis amplitudinem, cerebri sedē, pertingit: & alio longe ampliori minusq; tortuoso, in externam capitis partē versus aurē exporrigitur. Deinde ab hac cauitate alia duo deducūtur foramina, quorū alterū cœcū nuncupatur, alterum vero eodem quoq; nomine appellari posset, verum nō similiter ipsi cæco anfractuosum F angustumq; est, *vt cap. 14. huius libri fusius docebimus.* In foramen itaq; quod capitis amplitudinem spectat, quinti paris alter neruus subintrat, ac præter ramos per angusta illa tenuiaq; foramina ab ipso digestos, insigniori sui portione cauitatem temporis ossi incisam membranæ instar vestit, non quidem vniuersam, at quibusdam duntaxat partibus, perinde ac si ea nerui portio in plures diuideretur membranas, aliquot eius cauitatis re-

Organū auditus. Vesalius lib. 1. ca. 8.

gionibus obductas. Atque inter ceteras cauitatis sedes, quæ variæ sunt, & alicubi planæ, A
alicubi pumicis modo foraminulētæ, vna est orbicularis & plana, osseo circulo parum-
per extuberante circumdata. Ad huius circuli quinti paris neruo obducti exteriorem,
atq; auri proximam sedem, officulum exsistit, quod duob. tenuibus acutisq; processib.
tanquam cruribus, huic osseo circulo stabilitur, superius, vbi crura ipsius coeunt, spissius
crassiusq; incudis instar effectum. Quod si vero hoc ipsum, quia binis tantum donatur
cruribus, incudi assimulare minus placuerit, molari denti duab. tantum radicibus orna-
to, id conferre licebit. Ceterū inter bina quib. firmatur hui⁹ officuli crura, exterius & au-
ri vicinius, est breuius, & crassius, latiusque, ac in acutum desinit apicem. Alterum crus
quod interius consistit, & membranæ orbicularem illam cauitatis sedem succingenti
magis quam exterius crus innascitur, longius nonnihil & tenuius visitur, ipsiusq; extre- B
mum quasi in vinculum cessat, quo membranæ cauitati temporis ossis obnatæ implica-
tur, firmiusque innectitur. Officuli huius pars extra membranam prominens, superius
partim plana, partim rotunda, cernitur, veluti minores incudes effingi solent, quarum
amplior pars plana est, altera, quæ quasi in mucronē desinit, instar coni rotunda. Gran-
diores n. incudes omnino planæ depressiuæ, & quadrangulæ sunt. Alterum officulū au-
ditus instrumenti constructionem ingrediens, a priori plurimum variat, & alteri mem-
branæ innascitur. Foramen enim cauitatis in temporis osse incisæ quod aurem spectat,
ea parte qua amplitudini cauitatis vicinum est, membranula tenuissima & pellucida ad-
modum obtegitur. Huic membranulę aliud officulum, vti comprehensum est, innasci-
tur, quod vt validius firmaretur, oblongū tenuemq; processum obtinet. Hoc officulum C
a membrana introrsus abscedens, in rotundū caput desinit, q̃ læue est, & superiori parti
alterius officuli, quod incudi assimilamus, aut molari dēti, ita tenuissimarum membra-
narum interuentu committitur, ac si malleus incudi laxe alligaretur, idq; non secus, q̃ si
officulum, postremo enarratum malleoli præstaret munus: alterū vero incudis vicē ge-
reret. Horum ossium delineationem, vt alia multa, Vesalio nostro, inter dissectores pri-
mario, debemus. Nusquam enim in iis libris, qui hodie exstant, Galenus horū officulo-
rum mentionem facit. Quod si tamen hoc sermone prædictorum ossium effigiem non
assecutus fueris, vituli, aut agni, aut alterius animantis cap. in mēsam posito, temporum
os diuidito, vt illorum officulorum constructionem plenius cognoscas. Præstat aūt hæc
in crudo capite, quam cocto examinare, & in homine potius quam alio quouis animali. D

Officulū incudi comparatum.

Officulū malleo simile.

Vesalius anatomicorum facile princeps.

De maxillæ superioris ossibus. CAP. XII.

SVperior maxilla, quæ Græcis ἡ ἄνω σιαγὼν, aut γένυς dicitur, *Galeno etiam teste*, non vni-
co, sed pluribus constat ossibus, idq; sane non temere, vt nimirum ad patiendum fiat
pertinacior, ne statim vna eius particula laborante, vniuersa affligatur, sed quo malum
ipsum vna cum osse, vt capite 5. huius libri dictum est, desinat. Insuper quum non omnes
eius partes ęque solidas, densas ac duras fieri oportuerit, illam quoq; ex pluribus consti-
tui ossibus fuit necesse. Sunt aūt hæc, præter tenuia quædam fungosa & veluti membra-
nea officula, quæ in narium amplitudinis summo in exsiccatis caluariis impense cartila-
ginea obseruātur duodecim, vtroq; scilicet latere sena. ¶ *Primum* maxillæ superioris os,
alteram ossis iugalis partem constituit, & nonnihil temporis, supercilijq; ac sedis oculi, E
totum scilicet exteriorem angulum, in se complectitur, & ad eam vsq; partem, quæ mala
vocatur, procedit. Committitur autem hoc os temporis ossi, interuentu suturæ, q̃ duos
processus os iugale efformantes iungit. Dein committitur ossi cuneiformi, eius suturæ
beneficio, quæ per caua temporū decliuis ducta, etiam in oculi sede conspicitur, huicq;
primo maxillę ossi, & cuneiformi communis est. In superiori parte nectitur frontis ossi,
ea sede qua supercilii extremum habetur. Inferiori aūt parte insigni amplitudine quar-
to ossi compingitur, sutura quæ tribus locis conspicitur: in cauo nimirum temporū sub
osse iugali, in anteriore maxillæ regione iuxta malam, & in oculi sedis inferiori sede. Ad
hunc igitur modum primum os circumscribitur, quatuor, vt cōprehensum est, ossibus
commissum, temporis scil. ossis processui alteram iugalis partem constituenti, dein cu- F
neiformi, & frontis, & quarto maxillæ ossibus. ¶ *Secundum* maxillæ os reliquis omnibus
minimum, & squamę modo tenue, in interno, siue magno oculi angulo consistit vbi fo-
ramen habetur, cui caruncula præest internū oculi angulum occupans: quę in hoc crea-
ta est, *Galeno teste*, ne quid pituitosi excrementi a cerebro ad oculos expurgati, in genas
defluat,

Libri de offi. cap. 3. Et lib. 11. de vsu par. cap. 19.

Cur maxilla superior pluribus constet ossibus.

Numerus ossiū maxillæ superioris.

Primū os. Vesal. lib. 1. cap. 9.

Secundū os. Gal. cap. 3. de offib. lib. 10. de vsu par. cap. 11.

A defluat,sed totum per id foramen in narium amplitudinem procumbat. Ossiculum hoc superiori parte modico interuallo suturæ terminatur, frontis os a superiori maxilla distinguentis. Hinc suturæ illius interuentu idipsum frontis ossi committitur. Ab hac sutura alia per posterius ossiculi latus descẽdit,quæ per ipsius ossiculi inferiora repens,per anterius ipsius latus sursum in eandem suturam quæ frontis os a superiori maxilla dirimit,denuo ascendit,ac in orbem pene fertur. Contingit itaq; præsens ossiculum superiori parte os frontis,posteriori tertiũ maxillæ os,inferiori vero,anteriorig; quartũ maxillæ os. ¶ *Tertium* superioris maxillæ os similiter ac secundum tenue, & squamæ modo pellucidum cernitur. Quum effringitur intus sinibus aere oppletis amplisq; scatere videtur. Paulo minus toto quadrangulum est,in interno latere oculi repositum. Superius B terminatur sutura frontis ossi,& superiori maxillæ communi. Anterius communem suturam cum secundo maxillæ osse adipiscitur. Posterius cum cuneiformi osse suturam communem obtinet. Inferiori parte cum quarto maxillæ osse cõmuni sutura donatur. Vnde quatuor ossibus tertium hoc os connectitur,superius nimirũ frontis ossi, anterius secundo maxillæ ossi, posterius cuneiformi,inferius quarto maxillæ ossi, Galenus secũdum & tertium iuncta pro secundo numerauit. Vnius itaq; ossis loco duo illa de Galeni placito recensentur. Fuerũt nonnulli anatomici qui tria hæc ossa,vt ibidem Galenus testatur,vnum esse os tradiderunt: q scil. varias quibus distinguuntur suturas vel omnino non viderint,vel tãquam exiguas dedita opera prætermiserint. *Quartum* superioris maxillæ os reliquorum ipsius ossium longe maximum,superiorum alterius lateris dentium C alueolos sibi insculptos habet,ac variis suturis circũscribitur. Primum n.terminat sutura illa,q̃ primum os a quarto discernit, hoc est, ea q̃ simul in cauis temporum & in anteriore maxillæ regione,& in oculi sede conspicitur. ¶ *Deinde* suturis secundum & tertium maxillæ superioris ossa ab ipso separantibus, quæ per vniuersam oculi sedis longitudinem in inferiori eius sedis parte, & anteriore regione secundi maxillæ ossis ducuntur. Supera iuxta superciliorum medium quartum os sutura finitur, superiorem maxillam a frontis osse dirimente. Hæc ducitur ab anteriori sede secundi ossis, ad exterius latus ossis nasi. Per longitudinem vero ductus foraminum nasi, quartũ maxillæ os ab illorũ foraminum septo sutura interstinguitur,per humilimam septi partẽ prorepente. In posteriori aũt sede præsens os a cuneiforme disiungitur, tum in oculorum sede, tum etiã iu- D xta intimum dẽtem,vbi sutura cuneiforme os a superiori maxilla finiens cõsistit. In palati siue versus interiora quartum os transuersa sutura a sexto osse distinguitur. His suturis alia accedit per palati longitudinem prorepens, nõ solum in palato, sed & in narium amplitudine conspicua. In anteriori quoq; maxillæ sede hæc sutura sub naribus ea parte videtur,vbi superioris labri sulcus consistit. Præsens os magna ex parte latera,& inferiorem sedem narium constituit, & ad hæc latera admodum cauum est, & neutiquam solidum, sed cereis imaginibus intus vacuis persimile. *Quintum* maxillæ superioris os ex duobus nasi ossibus alterum est, ossiculum videlicet durum, solidum, latum, tenue, oblongum, & quadrangulo potius,quam triangulo simile. Superiori enim parte non in acutum desinit angulum, verũ adeo obtusum est, vt inibi duob. donetur angulis. ¶ Ter- E minatur autem illic sutura quæ frontis os a superiori maxilla dirimit. Externum ossis latus communem suturam nanciscitur cum quarto maxillæ osse, quæ secundũ nasi latus tantum decliuis pertingit, quanta quinti huius maxillæ ossis est longitudo, q̃ in homine multo quam canibus & simiis breuior exsistit. Internum autem ossis latus quo coniugi suo committitur, suturam obtinet harmoniæ nõ admodũ dissimilem, ac vtrisq; nasi ossibus communem. ¶ Hæc a medio superciliorum ex sutura frontis ossi & superiori maxillæ communi incipiens, decliuis per ossium nasi longitudinẽ porrigitur. Inferiori aũt parte hoc quintum os sutura non intercipitur, neq; alteri ossi iungitur, sed vna cum suo coniuge asperum inæqualeq; est,& in cartilaginem finit deorsum progredientem eoq; molliorẽ,quo longius ad nasi apicẽ defertur, quas quidẽ cartilagines suo priuatim loco F prosequemur. ¶ *Sextum* maxillæ superioris os, cum suo pari, non minimam palati & nariũ amplitudinis portionẽ cõstituit. Situm n. est ad palati extremũ, qua nares in fauces, vel (vt Galenus ait) nariũ foramina ad palatũ, tendũt. Estq; os tenue, sed solidũ, latumq;. Id posteriori sede partim cuneiformi cõmittitur ossi, partim liberum est semiparenthesis (formam referens. Vbi cuneiformi ossi committitur illa circumscriptum est sutu-

Tertium os.

Cap.3. lib. de ossibus.

Quartum

Quintũ.

Sextum.

cap 3 libri de ossib.

ra, quę iuxta poſteriorem intimi dentis ſedem fertur, maxillamq; ſuperiorẽ a cuneifor- A
mi oſſe dirimit, ea potiſſimũ parte vbi cuneiforme os ſuos educit proceſſus veſpertilio-
num alis ſimiles. Anteriori parte & externo latere ſutura terminatur ipſi & quarto ma-
xillæ oſſi communi, ac tranſuerſim in palato ductæ. Interiori autem latere quo ſe con-
iugi ſuo iungit, ſutura quadam dirimitur, quæ vtriuſque lateris ſexto oſſi dũtaxat com-
munis eſt, portioque illius eſt, quæ per palati longitudinem prorepens, quarta maxillę
oſſa inuicem ſeparat. Hactenus ſex alterius lateris maxillæ oſſa deſcripſimus, quę ſi ſenis
alterius lateris cõnumerentur oſſibus, in vniuerſum maxillæ ſuperioris oſſa duodecim
erunt. Atq; hæc eſt maxillæ ſuperioris in capite humano deſcriptio, quæ ei nequaquam
per omnia reſpondet, quam *c. 3. libelli de oſſibus* Galenus, vel quiſquis tandem huius ſcri-
pti auctor fuit, refert, vt pote quæ partim canino, partim humano capiti congruit. Nam B
vt cetera omnia prætercam, hoc certe omnibus eſt manifeſtiſſimum, nõ eſſe in huma-
no capite peculiaria oſſa, quibus inciſorii dentes, vt auctor iam citati libri diſerte affir-
mat, infiguntur. In canibus autem, ſimiis, porcis, aliiſque animantibus quibus cani-
ni vocati dentes validi exertique contigerunt, duæ manifeſte videntur ſuturæ, aut po-
tius harmoniæ, quæ ab ea parte qua quintum maxillæ os, quod naſi alterum vt dixi-
mus, exſiſtit, a quarto diſtinguitur, oblique deorſum inter caninum & inciſorium ca-
nino proximum dentem deducuntur. Quod cur non animaduerterint Carolus Ste-
phanus, & alii quidam, valde miror, niſi quod putẽ anatomica ſua ſine *αὐτοψίᾳ* ex alio-
rum commentariis magna ex parte contexuiſſe.

> Carolus Stephanus.

C

De inferiori maxilla. Cap. XIII.

> Lib. 4. de admi. anatomi.

> Maxilla homini cur breuiſſima.

> Lib. 11. de vſu par. c. 20.

INter omnia animantia, Galeno etiam atteſtante, homo inferiorem maxillam, quæ
Græcis *ἡ κάτω σιάγων, ἡ γένυς* vocatur, pro totius corporis mole breuiſſimam adipiſcitur.
Homini namque facies obtigit rotunda, non longa, vt ceteris animantibus, quæ quo-
niam manibus carent, cibum ſumtura inclinantur. Duram vero vt ceteris animantibus
fieri decuit, quod ſola mobilis ſit, & varios ac fortiſſimos in mordendo, mandendoque,
ac corpora dura comminuendo, motus ſuſtineat. Ceterum ne ſic dura ſolidaque nimio
pondere ipſam mouentibus muſculis incõmodo foret, ſinus & cauitates notatu dignas,
medullaque infarctas obtinet. Sinus hi non adeo in poſteriore maxillæ parte, veluti in
quadrupedibus exſculpuntur, ſed antrorſum magis verſus menti, quod Græcis *γένειον* di- D
citur regionem, & ad maxillæ latera. Plurimis animalibus maxilla inferior duob. con-
ſtat oſſibus, in ſummo mento, vbi maxilla illis in acutum deſinit, mutuo per vnionem
nexis. Homini autem, vnico conformatur oſſe, ac in ſummo mẽto lata, neq; vt in cete-
ris animantibus, acuta cernitur. Nullaque parte maxilla difficilius, quam in mento di-
ſcinditur. Quod vero auctor libri *de oſſibus*, tradit, *maxillam inferiorem non eſſe os ſimplex,*
quod coctum in ſumma menti extremitate laxetur ac diſſoluatur, de aliorum animantium ma-
xillis intelligendum erit. Canum enim boumque, & aſinorum maxillis, etiam citra co-
ctionem inuicem modico conatu nonnunquam diuelluntur. Niſi quis cum Galeno,
diuiſionem illam, propterea quod hæc duo oſſa in adultis per coalitum ac ſimphyſin
firmiſſime annexa ſint, non eſſe perſpicuam dicere velit. Quo haud dubie reſpexerunt, E
qui geminum eius eſſe os in homine ſtatuerunt. Deſinit inferior maxilla vtrinque in
duos proceſſus, quaſi bicornes, quorum alter infra latior, deinde in mucronem finiens,
vertice ipſo tenuatur, muſculi temporalis tendinis inſertionem validiſſime excipit, to-
tus ab illo tendine complexus. Alter, qui poſterior eſt, in capitulum trãſuerſim oblon-
gum finit, quod ſibi correſpondenti ſinui inarticulatur, qui ad iugalis oſſis radicem, &
anteriorem auditus inſtrumenti ſedem in temporis oſſe inciſus eſt. Huic ſinui, vt etiam
capitulo maxillæ, cartilago cruſtæ modo obducitur. Verum præter hanc cartilaginem
omnibus articulis pariter communem, inter ſinum capitulumque alia reponitur carti-
lago læuis, tenuis & mollis, ligamentiq; naturæ, quod ad ſubſtantiam pertinet, nonni-
hil compos. Hæc oſſibus nuſquam adnaſcitur, ſed tantum ligamentis articulum in or- F
bem cõtinentibus, iſtius cartilaginis ope, durorumq; præſentis articuli oſſium impetus
exſoluitur, & quo minus mutuo affrictu inualidis aſſiduiſque maxillæ motib. oſſa rum-
pantur, pulchre præſtat, vna cum cartilagine ſinui & capitulo obnata. Inſuper inferior
maxilla duobus vtrinque donatur foraminibus, atq; alterum quidem in interiori ipſius
regione,

> Numerus oſſium maxillæ inferioris c. 6.

> Lib. 11. de vſu part. cap. vlt.

> Duo vtrinque maxillæ inferioris proceſſus. Galenus ibidem.

> Veſal. c. 10. lib. 1.

> Peculiaris in maxillarum articulo cartilago.

> Maxillę inferioris foramina.

A regione, non procul a nunc commemoratis processibus, cernitur: alterum vero, in exteriori sede ad labri inferioris radicem, latusque. Interius quidem, quod & amplius, & inæquale seu asperum est, per longitudinem maxillæ tendens, viam præbet portioni nerui tertii paris neruorum cerebri ad dentium radices dispersæ, vna cum venula & arteria, quæ dentibus & inferiori maxillæ nutriendis, hoc foramen subeunt. Exterius vero, eius nerui sobolem ex maxilla in humilius labrum sinit procidere, estque longe minus interiori. *Porro* si setam exsiccatæ maxillæ interno foramini indideris, eam ab hoc foramine ad externum vsque leui opera ferri conspicies. Et vbi maxillam effregeris, continuum iter ab vno foramine in alterum canalis modo cælatum obseruabis. Præter iam dicta foramina in maxillæ externa superficie alia prorsus nulla reperies, nisi forte
B alueolos, præsepiolaue, quibus dentes infiguntur, illis annumerare velis. Ceterum maxilla vbi dentes ipsi non infiguntur, eaque sede qua commemoratos nuper educit processus, latissima, & si latera spectes, tenuissima, intusque ac exterius quasi amplo & in superficiei tantum cauato sinu insculpta visitur, quo aptius musculi maxillã, præter temporalem musculum attollentes, insertionem molirentur, isque qui illorum in ore delitescit, minus sua crassitie ac mole faucium angustiã infarciret, ita vt intus magis quam foris, maxilla merito insinuetur. Quinetiam huic latiori maxillæ, sed id separatim accidit, quod aspera inæqualisque cernitur, idque potissimum iuxta huius sedis inferiorem posterioremque regionem. Quod etiam musculorũ insertionis occasione rerum opifex machinatur, non ignorans asperis inæqualibusque locis promptius aliquid ad-
C hærere, adnascique, quam planis & glabris. Hac etiam gratia interior maxillæ sedes ad mentum aliquot tuberculis asperitatibusue extuberat, vt musculi, quorum ope ipsa deorsum trahitur, suam insertionem validius conficerent, ac deniq; nonnulli linguæ peculiares musculi hinc aptius enascerentur. Tale quid etiam vsu venit in externa inferioris maxillæ sede, ad summi menti regionem, vt hac ratione labri humilioris musculi commodius illinc, pronascerentur.

De Dentibus. Cap. XIIII.

Dentium, qui Græcis ὀδόντες dicuntur, substãtiam esse osseam, adeoq; eos in numero ossium esse habendos, notius est, quã vt demonstrari a nobis prolixe debeat. Horum tamen durities, sicut in molari lapide, maior est, quam in ceteris ossibus, vt ad con-
D terendos cibos sufficerent. Hi vero, ne nudi magis horrori, quam ornamento essent, gingiuis mollibus, ac dein labiorum tegminibus honestati sunt. Inter ossa autem solos dentes natura sentiendi facultate, *vt multis locis Gal. præsertim vero lib. 5. c. 8. de compos. medicamentorum local* attestatur, præditos esse voluit. Quippe eorum radicibus applantantur molles quidam neruuli, a tertio neruorum cerebri pari, vt præcedẽti capite dictum est, propagati, quorum gratia euidenti inter ossa sentiendi facultate donãtur. Nouerat enim rerum Opifex hos crebro occursuros iis quæ secant, vel frangunt, vel rodunt, vel valide excalefaciunt, aut refrigerant, vel alia quauis occasione alterant. Quapropter si nulla sentiendi vi præditi essent, a dolore homo neutiquam admoneretur, neque denti succurreret, quod infestat amoturus, priusquam molestati dentes vitiarentur. Dentes
E præterea ne continuo ciborum attritu consumantur, perpetuum fere incrementum accipiunt, possuntque de Galeni sententia vsq; ad quintum & quadragesimum annum crescere & enutriri, mutarique fere intra septimum annum solent. Sunt autem plurimum dentes numero triginta duo, vna serie in vtraque maxilla, tam superiore, quam inferiore, sedecim. Priores quaterni, quia secant, Græce τομεῖς, Latine *incisorii* appellantur, sunt enim acute ac lati, quo oblatum ipsis cibum mordẽdo cultri instar promte incidant, & confringant. Vocantur etiam διχαστῆρες, quasi *diuisores*, quod scilicet cibum diuidant. Item κτένες, id est, concisores, quia comminuunt cibum. Et γελάσινοι, quod inter ridendum nudentur ac detegantur. Horum vero lateribus adiacent in qualibet maxilla duo alii, Græcis κυνόδοντες, Latinis *canini* dicti, quod exsertis canum, qui hos in-
F signes habent, dentibus similes sint, inferiore quidem basi, gingiuis proxima, lati, parte autem superna acuti, vt si quid propter duritiem ab incisoriis non scinderetur, hoc illi frangerent. Post hos sunt Græcis γόμφιοι, Latinis *maxillares* dicti, quin ab vtroque latere plurimum, asperi, duri, ampli, & magni, vt incisa ab incisoriis effractaque a caninis in læuorem exactum terere queant. Si enim læues prorsus

Dentes esse ossa.
Cap. 5. libr. de ossibus.
Dentes sensu prediti.
Dentes crescunt, & nutriuntur.
Dentium numerus.
Lib. 11. de vsu partium, cap 8.
Incisorii octo.
Διχάζω. Diuido.
Γελάσινοι.
Canini 4.
Maxillares 20.

creati fuissent, munus suum obire minime potuissent, ab asperis enim, & inæqualibus A
omnia melius comminuuntur. Hinc est, quod molæ etiam, quibus fruges moluntur progressu temporis diuque minuendo ac terendo læuigatæ, rursus incidantur, & asperentur. Neque si asperi essent, non autem duri plus commodi ex iis esset, vt qui prius cōtererentur quam cibos in læuorem comminuerent. Quinetiam si asperi & duri essent, non autem ampli, neque tales plus commodarent, siquidem ea, quæ leuissime comminui debent, lātir & amplis basibus, firmata esse oportet. Incisoriis enim & caninis nihil, propter strictam & angustam eorum aciem, comminuitur. Quod si hæc omnia molares haberent, parui autem essent, nonne & in hoc solo reliqua quoque ipsorum vtilitas labefactaretur? quod longissimo tempore ad atterendos comminuendosque cibos

Molares cur dicti.

nobis opus esset. Hos sane non solum a loco cui infixi sunt maxillares, verum etiam B
Græce *μύλας*, & *μυλέτας*, Latine autem *molares*, quod videlicet iis cibi veluti cereales fruges molis tenuantur & atteruntur, appellare consueuerunt. Ceterum dentes ad vnum omnes in vtriusque maxillæ sinibus clauorum ritu infiguntur, adeoque per gomphosim illis committuntur, qui sane sinus, siue ossa quibus continentur propter similitudinem quam cum brutorum præsepibus obtinent, Græcis *φάτνια*, Latinis *præsepiola* nuncupantur. Singulos namque dentes *præsepia* hæc circundant, hosque stringunt, atque adeo exacte continent, vt non facile vel tantillum concutiantur, ac commoueantur. Neque paribus radicibus omnes suis inseruntur præsepibus. Quippe paruis vna radix, maiorib. vero duæ, maximis tres, & quatuor obtigerunt. Incisorii enim singulis nituntur radicibus. Canini quoque radices singulas habent, qui incisorum radicibus multo altius in- C

Quo pacto dentes maxillis infiguntur.

Dentium radices. Lib. de Ossibus c. 5.

figuntur, tantoque maiores sunt, quātum caninorum robur excedit. Quanquam & inter incisorios duo medii insignioribus hæreant radicibus, quam duo laterales, caninis proximi, nimirum quod medii latiores grandioresq; sint. Molares radicib. inter se variāt. Nā qui inferiori maxillæ infixi sunt, binis radicibus: qui superiori, ternis subinde infigūtur. Differunt tamen & hi interdum. Qui namq; supra sunt, quaternis, qui infra, ternis radicibus niti aliquando deprehenduntur, præsertim duo, denti intimo proximi. Dein frequentissime duos molares superiores canino denti succedentes, duabus tantum infigi radicibus spectabis, tres reliquos ternis, sic & duos inferiores canino proximos vna radice tres reliquos duabus. Porro incisoriorum & caninorum dentium numerus, raro D
in hominibus, vt molarium, mutatur. Interdum enim in vtroque latere quinque molares occurrunt, interdum quatuor, nonnunquam quatuor a sinistris, quinq; vero a dextris, vel contra in sinistris quinque, ex dextris ue quatuor: vel infra quatuor, supra autem quinque. Hanc differentiam potissimum pariunt postremi dentes, quos quia sero gigni solent, omniumque vltimi & nouissimi sunt, *Genuinos* nominarunt. Hi omnium sunt reconditissimi, ac propemodum gingiuis operti. Hinc illi, qui clanculum obtrectant, lacerantque, *Genuino mordere*, aut *Genuinum infigere* dicuntur. Post pubertatem, Venerisq; vsum hominibus, ac maximis cum cruciatibus emergunt. Vel, *vt Aristoteles lib 2. de historia animalium cap. 4. & lib. 5. de generat animalis. cap. vlt. ac Plinius lib. 11. cap. 37. auctores sunt*, circa vigesimum annum, multis etiam octogesimo anno, non sine maximo dolore, vt dictum est, prodeunt. Quo circa Græcis *σωφρονιστῆρες*, quod scilicet eo tempore quo sapere solemus producantur, vt *libro 2.* Iulius Pollux testis est, & *ὀψιγόνοι*, hoc est, serotini, & *κραντῆρες*, quasi *ætatem perficientes, ac complentes*, appellantur. Vulgo *dentes sensus & sapientia* dicuntur. Ceterum fossulæ siue alueoli, quos dentes subeunt Græcis *βόθρεια*, a foueæ E

Genuini dentes.

Κραίνω & Κρανέω, perficio Auicenna. Fen. 1. cap. 1. Vsus dentium.

similitudine vocantur. Præter vsus paulo ante dictos, ad vocis etiam modulationem iuuant dentes. Ad literas enim exprimēdas plurimum conferunt primi & incisorii dentes, *vt lib. 3. de partibus animalium, cap. 1. Arist. fusius monstrat*. Dentes præterea puerorum imperfectis & mollibus, ac quasi medullosis constant radicibus, dentiumque pars extra gingiuas conspicua, dentis radici appendicis modo committitur. Quare diligentissime expendendum est, ne pueris effracti alicuius ex casu dentis reliquam portionem vnquam eruamus, sed duntaxat appendicem, in cuius locum alia, modo radix seruetur, promte succrescet. F

De ossium capitis, & maxillæ superioris foraminibus. CAP. XV.

QVum in venarum, arteriarum, & neruorum historia foraminum capitis ignorantia non parum obscuritatis pariat, ideo, vt hoc loco prius quam a capite digressi, alias partes

A partes attingamus, de iis accurate disseramus operæpretium erit. Vt autem in vasorum,
& neruorum, quarundamque membranarum cerebri enarratione dissectionis, studio- Vesalius
si huc recurrentes singula foramina, quorum tum mentio incidet, prompte inuenire lib.1.c.12.
queant, ea ordine quodam complectentes percensebimus. *Primum* foramen ad me- Primum foramen.
dium supercilii incisum est, quo ramus minoris tertii paris neruorum cerebri radicis
ex oculi sede ad frontis musculosam cutem dispergitur. Hoc in vtroq; latere non sem-
per perfectum orbiculareq; exsistit, sed subinde sinus duntaxat semicirculi ritu excul-
patus apparet. Aliquando in vno quidem latere foramen, in altero autem semicircula-
ris tantum sinus, cernitur. Foramen hoc frontis ossi proprium est. *Secundum* foramen Secũdum.
est, quo dictæ minoris tertii paris neruorum cerebri radicis soboles, ex oculorum sede
B in genas ad superioris labri, & alarum nasi musculos procidit. Præsens foramen instar
oblongi meatus in quarto superioris maxillæ osse insculptum est, & in anteriori maxil-
læ sede foraminis huius ductus penitius in osse cælatur. Per oculi vero sedem, tantum
tenui ac squamæ simillimo osse tegitur. *Tertium* nunc dicto amplius, quod ex magno Tertium.
internoue oculi angulo in narium cauitatem recta deorsum pertinet, secundo superio-
ris maxillæ ossi, & quarto pariter commune. Istud portiunculæ minoris tertii paris ner-
uorum cerebri radicis viam præbet, & nonnihil pituitę ex cerebro ad oculi sedem con-
fluentis, ad nares transmittit. *Quartum* foramẽ omnium, quæ in oculi sede conspiciun- Quartum.
tur facile maximum, commemoratæ iam sæpius minoris tertii paris neruorum cerebri
radicis ramulo, in temporalem musculum & mansorium ex oculorum sede porrecto
C viam præbet. Neque huius duntaxat neruuli nomine patens illud, oblongumque fora-
men exsculptum est, sed musculi temporalis exortui hinc quoque robur accedit. Pi-
tuitæ etiam, ad grandius in narium cauitatem pertingẽs foramen, defluenti, viam dat.
Ceterum quum hoc profundius latitet, & haud facile in conspectum veniat, ideo pe-
culiarem illi numerum assignare noluimus. Rima hæc, seu oblongum foramen, ad Cu-
neiforme, & quartum superioris maxillæ os pertinet. *Quintum* foramen in sedis oculi Quintum.
radice seu vertice elatissimum, & in cuneiformi osse incisum, quod foris qua oculi se-
dem spectat, prorsus orbiculare cernitur, neruo visorio, cuius gratia exsculptũ est, am-
plitudine respondens. Verum interius vbi cerebro propius accedit, iuxta externum i-
psius latus, exiguum eundemq; acutum angulum obtinet, qui venulæ cum visorio ner-
D uo hac excidẽte paratur. Huic sinui cuneiformi ossi inciso, visoriorum neruorum coi-
tus immittitur. *Sextum* cuneiformi ossi insculpitur, ac humiliori sui parte, paulo minus Sextum.
toto orbiculare est, elatiori vero in acutum longumque & angustum angulum desinit,
foramen hoc nerui visorii foramen amplitudine vincit. Celatur gratia secundi paris
neruorum cerebri, in oculi sedem ad mouendos oculi musculos progredientis. Dein
caussa minoris tertii paris neruorum cerebri radicis, quæ frontis cuti, superis maxillæ
in facie musculis, in nares & musculos inferiorem maxillam attollẽtes, digeritur. Hæc
quidem per humiliorem foraminis sedem procidunt, vna cum insigni soporalis arte-
riæ, quam reticularem plexum in homine quidam efformare comminiscuntur, ramo.
Verum per elatiorem foraminis sedem, quæ in angustum longumque cogitur angu-
E lum, vena ex oculorum sede, ab illis quæ temporalem adeunt musculum, duræ mem-
branæ hic distribuitur. Neque neruis his duntaxat, & venæ, & paulo ante dicta insigni
arteriæ amplum id foramen excauatur, verum etiam pituitæ ex cerebro in oculi se-
dem, & hinc in narium amplitudinem promananti. *Septimum* foramen orbiculare, & Septimum.
in osse longius quam duo proxime commemorata procedens, & arctius quoque, in cu-
neiformi osse cum reliquis neruuli gratia exsculpitur, qui non procul a præcipua ma-
ioriue quinti paris radice pronascitur. In *octauo* capitis osse multa, sed exigua spe- Foramina
ctantur foramina, odorum, & aeris inspirationi ad cerebrum ingressus nomi- odorum & aeris ingres-
ne, incisa. Hæc non vt hactenus ducta, ampla sunt, sed cribri, spongiarumque fo- sus nomine incisa.
raminibus similia. Inter reliqua tamen vtrinque vnum est rectum & grande satis, quod
F primum quodammodo est, & anticæ frontis ossi sede proximum, venam ad duram
cerebri membranam ex narium amplitudine exporrectam transmittens. His certe Lib. 8. de v-
nunquam nisi oppleto cerebro, *quod Galenus etiam abunde testatur*, pituita excolatur, su partium
& leuissima pituitæ copia hac defluente, ea foramina obturantur, aliaq; grauedinis cap. 6.
symptomata inducuntur. Hæc quia varia ac multa sunt, vt comprehensum est, ideo in

numero eorum, quæ vno in latere vnica sunt, haud comprehenduntur. Cauitas præterea quædam est inter duas frontis os constituentes, squamas reposita, aerem adoratui mirifice necessarium in se concludens plurimũ. Hinc est quod iis quibus Gallico morbo anterior frontis ossis squama eroditur, aut vulnere perfringitur tanto impetu in exspiratione aer ex cauitate illa propellatur, vt etiam is candelæ lumen promptissime exstinguat. Qam itidem in foraminum numero non censebimus. Rima denique talis formæ, qualem vnguis apice quis ceræ imprimeret, duræ cerebri membranæ hic formandæ exstruitur. Necessum enim erat, non hic solum, vbi ea membrana multis foraminibus peruia est, verumetiam aliis compluribus locis caluariæ alligari, & duram membranam, fibras, vinculaque per caluariam transmittere. Et hanc quod foris nusquam compareat, in foraminum numero nõ recẽsemus. Sinus quoq; illic in cuneiformi osse incisus, ac glandulam, cui ex cerebro defluens pituita instillat, continens, apparet. Ab hoc quidem sinu vtrinque duo deriuantur ductus, sinuum modo exsculpti, quorum prior superiorue ad sextum foramen in oculi sedis radice constitutum tendit, & pituitam in oculi sedem, & hinc per foramen tertium, & aliud cuius in quarti foraminis enarratione mentionem fecimus, defert. *Inferior posteriorue* sinus ad asperum inæqualeque foramen seu rimam potius deorsum porrigitur, qua pituita ori palatoue potissimum influit, & aer quoque inter spirandum caluariã petit. Rima hæc temporis ossi & occipitii communis est, & in capite nostro N notata. Hæc itidem, quia foraminis ritu rotunda nõ est, in foraminum numero nobis non compreheuditur. *Octauum* foramen ad latus inæqualis asperæque rimæ versus anteriora magis occurrens, ac cuneiformi ossi incisum, læue est, & non adamussim orbiculare, sed circulo vtrinq; modice in longum compresso respondet. Hac enim in effigie foramen insinuari decuit, quod duo rotunda corpora, inuicem membranis connexa: erat transmissurum. Tertii namque paris neruorum cerebri crassiori, & præcipuæ radici, simul cum quarto pari, viam præbet. *Nonum* ad externum foraminis iam dicti octaui latus in cuneiformi osse exsistit, multo priori minus, & exacte orbiculare, quo internæ iugularis venæ portio a soporali abscedens arteria, caluariam subintrat. *Aliquando* exiguum foramẽ ad internum latus foraminis octaui, duo paulo ante commemorata neruorum paria transmittentis, obseruatur, eiusdem venulæ ramo paratum. Verum id in vno caluariæ latere raro visitur, atque adhuc multo rarius in vtroque. Atq; hoc ordine *decimum* erit. *Vndecimum* foramen in externa caluariæ basis parte obuium, & oblique versus exteriora protensum, in auditorii instrumenti cauitatem temporis ossi insculptam desinit. Efformatur autem id, vt viam porrigat quintæ coniugationis neruorum cerebri ramulo, ab auditus organi cauitate hac ad musculos inferiorem maxillam attollentes excurrenti. Hoc quoque foramine iugularis interna soboles, auditus instrumentum petit. Ac aer etiam in temporis ossis antrum auditus instrumento proprium, per id foramen fertur. *Duodecimum* insigne foramen est, maiori soporalis arteriæ ramo caluariam ingredienti excauatum, quod non recta caluariam perforat, sed instar oblongi meatus ex posterioribus oblique introrsum in priora temporis ossi insculpitur. Ossis pars hoc foramine peruia, vbi deorsum ad fauces spectat, instar pumicis aspera inæqualisque visitur. Hunc vero obliquũ & in osse longo tramite procedentem ductum, natura effinxit longioris obliquiorisque arteriæ soporalis progressus gratia, nimirum vt vitalis spiritus hoc errabundo ductus itinere, cerebro exquisitius præparatetur. Galenum, hoc foramen latuisse videtur, vt qui per foramen octauum soporales arterias caluariam ingredi *in suo de Simiæ venarum arteriarumque dissectione libro* scriptum reliquerit. Quæ res illi etiam occasionẽ dedit, vt mirabilem illum reticularem plexum in hominibus quoque esse putauerit. *Decimumtertium* a regione foraminis iam dicti, ac finis qui caluariæ amplitudinem respicit, inchoatur, recta, antrorsum in narium vsque amplitudinem, meatus oblongi modo protensum in narium vsque amplitudinem, meatus oblongi modo protensum, & arteriæ ramo viã exhibens, qui soporalis arteriæ maiori portione caluariam ingrediente, ad nares vsque exporrigitur, inibi cum aliis eo porrectis arteriæ surculis pulsum edens sensibilem. Hoc foramen cuneiformi ossi peculiare est. *Decimumquartum* quinti neruorum cerebri paris meatus, auditoriusq; porus, cuius principium interius in caluariæ amplitudine exsistit. Exteriorem autem eius partem auris excipit. Meatus iste etsi intus, in medio presertim sui, am-

Marginal notes: Sinus glandulam continens. (B) — Octauum. (C) — Nonum. — Decimum. — Vndecimũ. (D) — Duodecimum. — Decimumtertium. (E) — Decimumquartum. (F)

A sui, amplus cauusque est, adeo tamen tortuosus & anfractuosus, ac impense varius inuenitur, vt nonnisi rarissime impulsam transmittat setam, vt non parum erret Aristoteles, qui *libr. 1. de histor animal. cap. 11.* ab aure ad cerebrum nullum esse meatum, sed in oris palatum vsque semitam pertingere, & venam de cerebro eodem descendere, scribit. In caluariæ enim amplitudinem auditorius meatus pertingit, & venam quoque admittit, non quidem illam a cerebro deducẽs, verum ab interna iugulari caluariam ingredienti ad auditus instrumentum assumit, & vti ante monuimus, quinti paris neruorum cerebri ramulo viam præbet. *Decimumquintum* foramen ex auditus instrumenti amplitudinis medio exoritur, ac illinc in posteriora porrigitur. Hoc anfractuũ & labyrinthorum occasione, & quia in internam caluariæ sedem non penetrat, immissam non B transmittit setam. Vocatur vero omnibus dissectionis professoribus Græcis τυφλὸν, Latinis autem *cæcum & monoculum*, non quod verus peruiusque meatus non sit, sed quod vix ad auditus instrumenti amplitudinem vsque funiculum, aut porcinam setam per ipsum traiicere queas. Præparatur autem hoc foramẽ ramulo nerui quinti paris, quem quum natura indurescere voluerit, admodum callide hunc per durissimi siccissimique ossis anfractuosum foramen deduxit. *Decimumsextum* foramen occipitis & temporis ossibus commune, ac sexto pari neruorum cerebri, & maiori internæ iugularis ramo, minorique soporalis arteriæ soboli exsculptum est. Istud quia hac transeuntia instrumenta grandiora sunt, amplum visitur, transeuntium corporum formæ respondens. Non enim adamussim circulare est, sed quodam modo geminũ intortumq;, & ipsius vna pars C quæ interior est, neruo ex caluaria antrosum quodammodo elabenti paratur, altera vero quæ exterior est, venæ & arteriæ caluariam ad posteriora ingredientibus subseruit. *Decimumseptimum* in occipitii osse gratia nerui septimi paris neruorum cerebri incisum, quod quidem orbiculare est, sed ductu oblongum obliquumque. Ex posterioribus enim internaque caluariæ parte decliue fertur, quo citius septimi paris neruus hoc ductus foramine, sexto pari committeretur, vnaque ambo simul hærentes, deorsum tuto descenderent. *Decimumoctauum* vnicum cæterisque omnibus facile maximum, quod occipitis ossi insinuatur, gratia dorsalis medullæ ex cerebro pronatæ. *Decimumnonũ* non insigniter amplum foramen, quod ab externa caluariæ sede, ex posteriori nimirũ parte capitis occipitii ossis, quod primæ ceruicis vertebræ articulatur, incipiens, in internam D caluariæ sedem longo ductu per os fertur, in elatiori parte foraminis sexti paris neruorum cerebri, hoc est, decimisexti cessans. Hoc venæ & arteriæ gratia cælatur, per transuersos vertebrarum ceruicis processus sursum conscendẽtium. In quibusdam vero caluariis id foramen in altero latere nonnunquam deficit, interdum etiam in vtroq;. Verum tunc huius foraminis vices gerit decimumsextum foramen, quod nõ adamussim orbiculare cernitur, sed oblongum, neruo simul cum vena arteriaque transmittendo idoneum. *Vigesimum* foramen ad posteriorem regionem processus mamillaris, iuxta suturæ Λ referentis latus in temporis osse cælatur, & transuersim caluariam ingrediens, viam externæ iugularis venæ ramo hac caluariam petenti, offert. Hoc quoq; foramen interdum in altero latere, modo in vtroque deest. *Vigesimumprimũ* amplum est narium E foramen, septo quodam insigni ab altero interstinctum, & in faucium amplitudinem e naribus tendens. Hoc etsi homini ad plurima conducit, tamen præcipue naturali inspirationi vocique idoneum est. *Vigesimumsecundum* foramen iuxta posteriorem dentium incisoriorum sedem ex palato in narium amplitudinem desinit, quartisq; max l'æ superioris ossibus commune habetur. Hominibus vnicum adest, equis vero & canibus geminum. Paratur autem gratia connexus consensusque tunicę palatum succingentis, cum illa quæ narium amplitudini obducitur. Portiuncula enim illius tunicæ simul cum venula, & item arteriola id pertransit. *Vigesimumtertium, & vigesimumquartum* ad palati finem iuxta maxillæ superioris sexta ossa, vtrinque duo videntur foramina, vnum quidem altero prius & amplius. Prius enim & anterius notatu dignæ est amplitudinis, ex F palato sursum in posteriore ad oculi sedis verticem radicemue properans. Posterius autem est exiguum omnino, & sursum ascendens, aliquando in idem foramen cum anteriori terminatur. Interdum vero peculiarẽ terminũ in sutura cuneiformi ossi & quarto superioris maxillæ communi adipiscitur. Præter foramina hactenus exposita, si caluariam in manus sumseris, alia quã plurima, sed exilia, esse obseruabis, venis trãsmitten-

Aristotelis erratum.

Decimumquintum.

Gal. libr. 9. de vsu partium. c. 10.

Decimumsextum.

Decimumseptimum.

Decimumoctauum.

Decimumnonum.

Vigesimũ.

Vigesimum primum.

Vigesimum secundum.

Vigesimum tertium, & vigesimum quartum.

dis, & membranarum nexibus exsculpta, quæ lubens prætereo, vtpote nullis neruis emittendis parata. Satis itaque sit potiora, & quæ alicuius momenti sunt dixisse. A

De osse hyoidi. Cap. XVI.

Situs. Nomina.

Forma.

SVpremæ laryngis gutturisq; parti ad linguæ radicem, os vnitatis nomine donatum, sed variis, pluribusque ossiculis cõtextum, præponitur, quod Græcis à litera υ figura, ὑοειδὴς qua voce delusus Andernacus *lib.4. de anatomicis administrationibus Galeni* non sine risu os suem referens conuertit: & ὑψιλοειδὴς appellatur. Aliis a Λ imagine, *vt lib.3. cap. vlt. testis est Theophilus*, λαμβδοειδὴς nominatur, vt *lib.2. Iulius Pollux attestatur*, id os quoque παραστάτην, id est, adstitem, quod linguæ, aut laryngi, aut faucibus apponatur, vocauit. Non desunt qui propterea quod in faucibus consistat, φαρύγγετρον nuncupauerint. B Ceterum homo hoc os longe aliter, quam quadrupeda exstructum obtinet. Maximum eius ossiculum est latiusculum, & foris gibbum, priuatoque tubere prominens, intus autem, seu posteriori parte, cauum. In anteriori sede superius quasi in trãsuersum sinum deprimitur, pro figuræ nimirum ipsi idoneæ, & musculorum ligamentorumque illi commissorum ratione. Superiori enim sinui tertius & quartus huius ossis peculiares musculi, *vt suo loco fusius dicemus*, inseruntur. Ad tuberis vero hac in parte conspicui latera, quæ quodammodo in gibba sede sinuantur, duo primi huic ossi proprii musculi implantantur. Ex posterioris autem partis cauo, musculi duo priores linguam mouentes præcipue enascuntur. Grandius id ossiculum supra laryngem paulo consistens, tangẽtibus, occurrit, C ipsius interim lateribus penitu fere latitantibus. Huic enim latiori grandiorique ossiculo vtrinque alia duo vniuntur. Atque horum alterum humilius est, alterum elatius. Humilius ossiculum nonnihil breuius latiusque superiori est, nullique alteri committitur, quam lateri medii ac latiusculi hyoidis ossis ossiculi, ad quod cartilaginis ligamentique cartilaginei interuentu valide, & notatu digna amplitudine nectitur. Verum extremum ipsorum superiori processui cartilaginis quæ scuti imaginem exprimit, colligatur. Inferius hoc ossiculum seu latus vna cum suo coniuge, qui in altero consistit latere, humilius hyodis ossis latus merito appellamus, aliquot musculis admittendis & producendis aptum. Atque hæc humiliora latera simul cum medio grandioreue ossiculo, υ imaginem pulcre conficiunt. Superiori ossiculo seu lateri, quod magis teres visitur, D alia rursus oblonga rotundaque ossicula tantisper continua serie vniuntur, quousque ipsorum fines propter radicem processus temporis ossis, qui scriptorii styli formam ostendit, temporis ossi inserantur. Hæc ossicula superioribus hyoidis ossis lateribus commissa, non pari semper obseruantur numero, plurimum tamen terna quaternaq; vtrinque cernuntur. Vt magna quidem ex parte ossis hyoidis cum tribus ossiculis, superioribus lateribus vtrinque commissis sint ossicula vndecim. Interdum tamen, idque in mulieribus maxime, ossicula cum superiorib. ossis hyoidis lateribus commissa, simul cum ipsis superiorib. lateribus omnino desunt, & ipsorum vices teres quoddã, validũ & oblongum ligamentum gerit, hyoidique ossi, & stylum referenti processui colligatur. Preterea os hyoides non adeo firma basi, vt reliqua ossa, nititur, propriis tamẽ musculis idipsum E in omnem positionis differentiam ita trahitur, vt neque in latera, neque sursum aut deorsum, neq; prorsum, aut retrorsum, prompte ex sua sede dimoueri queat, *quemadmodum lib.2. cap.16 fusius dicemus.* Porro quamuis os hyoides homini minimum obtigerit, maximos tamen & oportunos, Gal. *lib.7. de vsu partium. c.19. attestante*, vsus præstat. Quippe musculorum linguæ bona pars, *vt lib.2. cap.17. dicemus*, ab ipso enascitur, linguæque fundamenti tutissimæque basis modo subiicitur. Hincque adeo fit, vt hoc os nonnullis linguæ fulcimen appelletur. Musculorum etiam laryngis quædam principia, vt *lib.2. cap.18. demonstrabimus*, porrigit.

Vesalius lib.1.c.13.

Latera hyoidis ossis. Humiliora.

Superiora.

Numerus ossium hyoidis.

Vsus.

De spina. Cap. XVII. F

Spinæ vsus & nomina.

SPina, quæ Græcis ῥάχις, & νῶτον nominatur, *vt libro duodecimo, de vsu part. cap. decimo testatur Galenus*, homini velut carinã quandam fundamentũq; corporis & instrumentorum ad vitam necessariorum natura rerum parens molita est. Eius enim ope & beneficio recte ambulare, & erecti consistere valemus. Non eum vero solum huius vsum esse vo-

A esse voluit, sed vt illa alias vna constructione partis ad multos variosque alios simul vsus abuti consueuit, ita hic quoque industriam suam ostēdit. Primum enim vertebras, quas Græci σπονδύλους vocant, omnes intus excauauit, idoneam & opportunam viam spinali medullæ per ipsam descensuræ præparans. Secundo autem osseam, atque non ex vno simplici atque incomposito osse vniuersam spinam constituit, quanquam ad spinalis medullæ sedem tutam ac firmam id vtilius fuisset, quū neque luxari, neque distorqueri, neque eius generis affectum quemuis incurrere, nisi ita varie esset articulata, potuisset. Verum si tantum, vt difficulter pateretur rationem habuisset, neque in partibus construendis alium scopum spectasset digniorem, haudquaquam aliter quam prorsus simplicem, aut prorsus incompositam ipsam effecisset. Quippe si quis lapideum, aut ligne-B um animal effingit, non aliter spinam quam vnica continuaque parte fabricat. Satius enim est stabilimentum vnum osse per totam spinā porrectum, quam plurima exigua, & ea articulatim diuisa. Homini vero qui partibus suis esset vsurus, pedibusque suis ambulaturus, ac manibus apprehensurus, dorsumque inclinaturus & erecturus, non erat melius totam spinam vnico osse fabrefieri. Quinimo quum spinæ ope hominem multis ac variis motibus vti oporteat, satius fuit hanc ex pluribus ossibus constitui, vtcunq; etiam hoc nomine iniuriis magis redditur obnoxium. Quapropter natura, actionis potius, quam securitatis rationem habens, spinam non ex vnico, sed pluribus efformauit ossibus. Nam si vnicum totius spinæ os fecisset, iis partibus animal immobile fuisset velut veru quodam traiectum & confixum, aut palo affixum. Cur autē spina non ex dua-C bus, vel tribus, vel quatuor, sed ex pluribus, & varie mutuo articulatis & commissis sit efformata vertebris, nunc dicemus, a parte omnium quæ sunt in spina præcipua narrationis initio sumto. Est autem hæc quam Græci νωτιαῖον μυελὸν, Latini *spinalem medullam* vocant. Eam vero exsistere fuit necesse, neque positionem meliorem ac tutiorem ea quæ est ad spinam habere potuit. Si enim omnino non extitisset, duorū alterū accidisset, aut enim partes omnes animalis, quæ sunt sub capite, immobiles omnino fuissent, aut in earum singulas neruum a cerebro deduci oportuisset. Verū si immobiles omnino fuissent, quod antea diximus, verum esset, nempe quod animal non amplius esset animal, sed velut lapidea, aut lutea statua. Quod si a cerebro neruus exiguus in partes singulas esset deductus, opificis id esset, securitatis eorum rationē prorsus nullam haben-D tis. Neruum enim tenuem qui frangi, ac contundi potest, magno interuallo deducere non erat tutum. Proinde satius erat spinalem medullam veluti fluuium quendam, ex cerebro tanquam fonte manantem, locis omnibus quæ præterit, neruum semper immittere, tanquam sensus ac motus riuulum. Quod sane ita manifesto accidit. Semper enim propinquis quibusque partibus ex parte spinalis medullæ propinqua productus neruus immittitur. Quum itaque spinalis medulla velut alterum quoddam cerebrum partibus omnibus quæ sunt sub capite exstiterit, eamque non aliter quam cerebrum septo ac munimento quodam duro, atque ad patiendum difficili muniri oportuerit, satius fuit spinam, quæ instar carinæ humano corpori subiecta est, atque sane ossea, eam parte interna exsculpi, ac cauam fieri, vt iter simul ac firmum spinali medullæ esset præ-E sidium ac veluti vallum quoddam. Quid multa? quū veluti carina sit, & totius animantis stabilimentum, spina ob eam caussam ex ossibus conflata est, & iis duris. Quia vero spinalis medullæ est iter, ob id intus est caua. Quod vero illi instar valli ac muri est, ideo multis propugnaculis in orbem est munita. Quia autem motus est instrumētum, propterea ex pluribus ossibus per articulos inter se commissis constitit. Ceterum quum spinalis medulla magnam, eamque subitam, & angularem flexionem perferre nequeat: spina vero ipsa per magnos ac laxos articulos, multumque dissitos moueri sine noxa & molestia haud possit, melius fuit ex multis paruis, quæ singula paulum ad motum conferunt, quam ex duobus, aut tribus ossibus longis æque ac in manibus quidem est brachium & vlna, in cruribus autem tibia & femur, totam spinam conflari. Sic enim flexio F non angularis, sed circularis fiet, noxamque ex spinali medulla compressa, aut contusa, aut rupta effugit. Porro vertebris non par adest magnitudo, neque omnibus foramen spinalem medullam trāsmittens æqua amplitudine exsculpitur. Coordinationis enim occasione melius fuit superiores vertebras semper fieri minores. Siquidem quod gestatur minus esse oportet eo quod gestat. Quæ caussa fuit cur natura omnium spinę ossium

Gal. libr. 12. de vsu partium. c. 11.

Spina cur ex multis vertebris constituta.

Spinalis medullæ necessitas.

Gal. vbi sup. c. 12.

Spina cur non ex duobus aut tribus longis ossibus.

Spinæ vertebris non par magnitudo.

Gal. vbi supra c. 25.

infimum, quod sacrum dicitur, fecerit maximum, ipsum veluti basim fundamentumue A
quoddam viginti quatuor vertebris subiiciens. Secundum vero magnitudinis locum
habet, si a sacro osse sursum ascendas, vertebra sacri ossi coarticulata, quarta quidem &
vigesima post primam sita, ipsarumque in lumbis ordine quinta. Reliquæ quantum situ
ab infima discedunt, tantum a magnitudine cedunt. Atque hæc magnitudinis diminu-
tio vsque ad ipsum caput fit, præterquam si quando vertebra paulo maior adiacentibus
non sine magno vsu interueniat, vt est prima, quæ reliquis ceruicis vertebris latior est,
Galen. loco citato c. 14. — quemadmodum etiam secunda, quæ tertia est validior & grandior, vt paulo post fusius
Spinalem medullam transmittentia foramina cur inæqualia. — dicemus. Ceterum vt hoc etiam obiter moneamus, vertebra, quæ Græcis σφόνδυλος, vo-
catur, quoduis spinę os est, quod verticilli, quo mulieres fusos aggrauãt, formam refert.
Quia vero natura nullius occasione, vertebras in posteriori suorum corporum, sede ex- B
sculpsit, quam vt iter spinali medullæ pararet, oportuit sane internam ipsarum capaci-
tatem spinalis medullæ crassitiei esse æqualem: quæ quum in singulis vertebris sit im-
par, & inprimis maxima: gignendis enim neruis, *Galeno etiam ca. 8. libri de ossibus teste*, sen-
sim constringitur & attenuatur: optimo iure superiorum vertebrarum foramen infe-
riorum foramine amplius est. Iam vero si amplo foramine donari has ob spinalis me-
dullæ, quę illic est, crassitiem, læues autẽ, quod omnibus superiaceãt & innitantur, effi-
ci par erat: perspicuum est, quod statim tenues quoque esse necesse erat. Nam qui fieri
Foramina neruis emittendis parata. — posset vt læues essent, si latæ simul ac crassæ fuissent factæ. Primæ igitur vertebræ pro-
pter hunc vsum, amplæ quidem internis suis cauitatibus, tenues autem corporis mole
exstiterunt. Ceterum spinali medullæ non duntaxat via in vertebris exsculpitur, ve- C
Vertebrarũ spina. Gal. vbi supra. cap. 15. — rumetiam triginta neruorum paribus in homine a spinali medulla principium ducen-
tibus tutissimæ viæ foraminaque in vertebræ lateribus cælantur, vt fusius libro sexto,
docebimus. Quum igitur spinalis medulla velut alterum cerebrum partibus omnibus,
quæ sunt sub capite, esset futura, & spina simul facilis via, & firmum tutumque præsi-
dium ei esset parata, propterea natura alia permulta admirandaque circa vertebras
machinata est. Quippe ex medio posteriorum partium spinam produxit, quam Græ-
*Ἄκανθα. — ci priuatim ἄκανθαν nominant, quæ esset veluti vallum quoddam & propugnaculum to-
ti spinæ opposita, quæ prius ipsa frangeretur ac contereretur, modisque omnibus pate-
Gal. c. 8. lib. de ossi. — retur, quam vlli vertebræ noxa inferatur, & spinalis medulla lædatur. Vertebrarum ita-
que processus in corporis posteriora exserti, aculeoq; & spinæ persimiles Græcis ἄκανθαι, D
Latinis vero *spinæ* priuatim nuncupantur. Atque hinc est, quod totam etiam vertebra-
rum compagem ἄκανθαν, & spinam nominemus. Posterioribus iis processibus in pluri-
Cartilago spinarum apicibus obnata. Gal. lib. 12. de vsu partium. c. 15. — mis vertebris appendice donatis cartilago obnascitur, idoneum subiectorum propu-
gnaculum, vt quæ nec frangi, nec rumpi, quemadmodum dura & friabilia, neque inci-
di & contundi, perinde ac mollia, & carnosa queat. Præterea singulorum processuum,
qui spinæ modo extuberant, magnitudo in omnibus vertebris æqualis non est, id quo-
que natura admirabili quadam prouidentia fabricante. Nequaquam enim in iis locis,
in quibus eundem situm cum spinali medulla pars quædam princeps habebat, neglige-
re ipsarum spinarum magnitudinem & dignitatem æquum erat: neq; in locis, in quibus
medulla erat sola, prælongas efficere spinas iustum erat: sed neque e paruis vertebris E
longam producere spinam, neque e magnis breuẽ. Merito igitur quum in thorace cor
esset locatum, magnaq; arteria spinæ incumberet, natura longissimas in iis dorsi partib.
qui spinam constituunt, fecit spinas, in aliis vero partibus omnibus breuissimas. Verte-
brarum quidem lumborum corpus grande est, illisq; intus magna arteria & caua vena
suffulcitur. Sed ossis sacri moles est maior & insignior, nullum tamen interim præci-
puum ei subiacet instrumentũ. Par igitur erat posticos processus in vertebris thoracis,
maximos in lumbis educi, in sacro autem osse breuissimos. Ceruicis vero vertebræ
quum omnium tenuissimæ sint, non potuere nancisci longos simul, & innoxie iniu-
riis ferendis aptos, quum ii leui occasione propter tenuitatem rumperentur. Recte igi-
tur natura molem vertebrarum, atq; instrumentorum spinæ adiacentiũ discrimen in- F
tuita, inæquales ipsarũ in spina fecit processus. Quemadmodum autem prædicti pro-
Transuersi processus. Gal. ibidem cap. 16. — cessus spinam efficientes propugnaculi vsum præstant, ita & alii processus trãsuersi ver-
tebris sunt duo, qui simul quidem lateralibus ipsarum partibus simile præbent præ-
sidium, simul autem velut sedes quædam sunt musculis spinæ internis & externis.

Omnibus

A Omnibus enim iis vertebrarum processibus musculi incumbunt cum arteriis, venis, ac neruis, ad ipsos & per ipsos delatis. Est alius quoq; tertius vsus transuersorum thoracis vertebrarũ processuum, ad aptam videlicet costarum articulationem, quæ maxime ad respirationis actionem est necessaria. Quia vera dorsum instar vnius corporis ex vertebris efformari debuit, quod simul firmum, & forte, & ad motus promtum esset, naturam, ob id par est admirari, quæ artificiosissime ad vtrumque vsum, tametsi cõtrarium, spinam rite construxerit. Omnes enim vertebræ ad sacrum vsque os, si duas priores exceperis, in anterioribus quidem sedibus, sibi mutuo amplis corporibus tuto colligantur, posteriori autem sede duplicibus articulis coarctantur, vbi etiam robur propter anteriorem compagem nanciscuntur. Moueri itaque vertebræ non prohibentur, quod B corporibus mutuo non connascantur, & postica sede nõ obscuris articulis sint distinctæ. Ob eam sane caussam antrorsum valde inclinari possumus, retrorsum vero nequaquam. Rumpes enim, si coegeris membranea, quæ vertebrarum corpora colligant, anteriora ligamenta, cum alio cartilagineo ligamento inter vertebrarum corpora reposito, itaque corpora connectente, vt vertebræ non admodum a connatis differant, laxamentumque in spinæ posteriora reclinantibus exiguũ indulgente. Sed de ligamentis *in sequenti libro* tractabimus. Quoniam vero nõ æque tutum erat dorsum antrorsum retrorsumque flecti, ita enim infirmũ, ac instabile, & laxum penitus esset, natura quod melius erat elegit. Ad vniuersas enim actiones vitæ commodius est dorsum in priora flecti. Dein hæc quoque flexio vasis dorso ibidem incumbentibus, magnæ scilicet arte- C riæ, & cauæ venæ, minus molestiæ infert. Rumperentur enim, si extẽsa plurimum, dum spinam totam retrorsum flecteremus, fuissent. Quia igitur oportuit dorsum anteriori sede ad amussim stringi, merito vertebræ in posteriore sede laxius articulantur. Ceterum spinæ partes sunt quinque, nempe ceruix, thorax, lumbi, os sacrum, & coccyx. De singularum itaque vertebris ordine differemus.

Vertebrarũ coarticulatio.

Cõmodius fuit dorsum flecti antrorsum.

Spinæ partes.

De ceruicis vertebris. Cap. XVIII.

CEruix siue collum, quod Græcis αὐχὴν καὶ τράχηλος dicitur, pulmonisque gratia, vt *lib. 8. de vsu partium, cap. 1 Galenus monstrauit*, homini creatum est, capiti adnectitur, septenasque vertebras continet. *Prima* reliquis omnibus dorsi ossibus solidior, densior, D sed per longitudinem tenuior est, & forma a ceteris plurimum differt. Foramen namque ipsi spinalis medullæ gratia incisum habet maximum, quod & eo loci sit spinalis medulla crassissima Deinde ipsius corpus interiori sede exsculpitur, & sinum in posteriori sui corporis sede leuiter incisum ostendit, qui cartilagine incrustatus secundę vertebræ dentem excipit. Corpus enim primæ vertebræ hac ratione cauatur, vt dens ille in primam vertebram inibi reponi queat. Ceterum ne prima vertebra hoc modo in suo corpore exsculpta, & corpore propemodum destituta, plus æquo imbecillis, inualidaque redderetur, processu quodam, & tuberculo in anteriori sede exiguo augetur, cuius beneficio illa crassescit, robustiorque euadit, præterquam quod ipsum etiam tuberculum accommodum est suscipiendæ insertioni primi dorsum mouentium mu- E sculorum paris. *Porro* prima vertebra ad latera cauitatis, qua secundę dentẽ admittit, est validissima & crassissima, ac vtrobiq; vnum ostendit sinum, quo sui lateris occipitii ossis capitulũ excipitur. Sinus hi vtrinque singuli, vt prędictis capitulis exquisite responderent, oblongi sunt, & exterioribus lateribus sursum educti, internis vero profundi. His primæ vertebræ sinibus occipitis capitula excipiuntur, atque in illis flectuntur & extenduntur, seu antrorsum retrorsumq; rectissimo ducũtur motu. Ad exteriora sinuum occipitis ossis capitula excipiẽtium latera, prima ceruicis vertebra vtrinq; vnum exserit transuersum processum, procerius multo quam ceteri vertebrarum ceruicis processus eductum, ac latiusculum, non tamen æque in hominibus, ac canibus, caudatisque simiis instar alæ cuiusdam latum. Educuntur autem illi processus insignius, vt opportu- F nam præter reliquos transuersos ceruicis processus, duorum, quinti nimirum & sexti musculorum caput mouentium paris insertionem acciperent. Hi processus magno perforantur foramine, per quod arteria & vena hic caluariam petentes feruntur. Ad posteriorem sinuum, quibus caput inarticulatur, sedem, sinus vtrinq; in prima vertebra exsculpitur illi respondens, qui in occipitii osse ad posteriorem capitulorum se-

Ceruicis vertebræ septem.

Prima.

Vasalius lib. 1. c. 15.

Gal. lib. 12. de vsu partium. c. 7.

Gal. c. 8. lib. de ossibus.

Vasalius ibidem.

dem cælatus est. ¶ Ambo enim sinus, occipitis ossi nimirum & primæ vertebræ, simul A
viam prębent primo pari neruorum quod e spinali medulla elabitur. Canib. vero in pri-
ma ceruicis vertebra non sinus, sed propriũ foramen hac elabenti neruo insculpitur, quod
illis prima vertebra admodum ampla, lataq; sit. Porro hic hominis vertebrę sinus, etiam
ad posteriorem foraminis partem pertinet, quo transuersus perforatur processus, ita vt
sinus ille non neruo dũtaxat, sed venæ arteriæq; ẽt cedat, quas per foramen ad radicem
capitulorum occipitii ossis exsculptum, caluariam adire capite decimoquinto diximus.
Præterea posteriorem processum quum *spinam* vocant, omnes vertebræ, prima dunta-
xat excepta, obtinet, idque ideo, quod is aliquot musculorum paria aculei modo vulne-
rasset, neque illis & præcipue tertio musculorum caput mouentium pari, aptum iter aut
sedem tribuisset. Ea tamen parte, qua aliæ vertebræ in spinam desinunt, hæc aspera est,
& veluti acuta linea extuberat, quo facilius quartum caput mouentium musculorum B
par hinc principium duceret. In inferiore primæ ceruicis vertebræ regione, sub duobus
quibus caput excipitur sinibus, alii duo insculpuntur sinus leuiter ac in superficie caui
γληνοειδῆς ob id ab ocularis sinus similitudine vocati. Horum circumferentia orbicularis
est in medio vix aliquid, quod diiudicari possit, caui obtinens, sed exteriora sinuum su-
percilia longe inferius, quam interiora descendunt, idque si hanc vertebram in erecto
corpore secundæ inniti fingas. ¶ His sinib. cartilagine ob crustatis, duo secũdæ ceruicis
vertebræ excipiuntur tubercula, quæ ad latus corporis eius vertebræ habentur mini-
mum prominentia, vti & sinus primæ vertebræ leuiter excauantur. In medio autem tu-
berum secundæ vertebræ, ex superiori mediaque sui corporis regione, processus qui-
dam insignis & altus, admodumq; durus & solidus enascitur, quem, quod denti, ac po- C
tissimum hominis, canino, assimilatur, Græci ὀδοντοειδῆ id est, *dentiformem* & ὀδόντα hoc est,
dentem vocant, quo etiam nomine in *libro de articulis* Hippocrates totam secundam ver-
tebram nuncupauit, non autem primam, vt *lib. 2. Iul. Pollux, & post eum lib. 2. c. 32. antiqua-
rum lectionum Cælius, putauit.* Hunc processum alii quod turbinata sit figura, seu nucis pi-
neæ imaginem referat, κωνοειδῆ, alii quod cuspidis, seu nuclei, pyramidisue modo extube-
ret, πύρηνον & πυρηνοειδῆ appellarunt. ¶ Hic processus primæ vertebræ cauitatem subit, quæ
illic est, vbi primæ vertebræ corpus deberet consistere, & vbi eiusdem sinus insculpitur,
qui cartilagine oblitus, anteriorem dentis partem læui & lubrico tubere prominulam
excipit. Posterior dentis pars, e regione tuberis, quod est in anteriore sede corporis pri-
mæ vertebrę posita, magis extuberat, crassiorque est quam vbi primum is a secunda ver- D
tebra producitur. Hic enim vtrinque ad latera sinus singulos, & tertium in posteriori
sede obtinet. Qui in lateribus conspiciuntur, inter dentis radicem, & secundæ vertebræ
tuber consistũt, vnaque cum primæ ceruicis vertebræ sinibus, qui iis respondent, fora-
men vtrinque parant, neruulis transmittendis aptum, quos interdum hac in musculos
ceruicem flectentes procidere contingit. Sinus autem in posteriori dentis sede conspi-
cuus in hoc exsculpitur, vt ligamentum validum transuersum ei circumdatum ipsi fir-
mius obuoluatur, dentem accurate in cauitatem primæ vertebræ alligans, ac stringens,
ne a sua sede aberrans, hic spinalem medullam comprimat. Porro vt ligamentum id a-
ptius enasceretur, prima vertebra ea sede qua id originem ducit, siue inseritur, aspera E
inæqualisque est, & foramen quoque non alte penetrans habet, quod firmius ligamen-
tum explantari inseriue sinit. Nihil enim interest, siue ligamenta inseri, siue enasci di-
cas, quum ligamentum pariter ad vtrunque os pertineat. Superior dentis pars, seu ipsius
apex in mucronẽ testudini capitis modo exacuitur, vt altius extra primã vertebrã pro-
minens, ex se robustum teresque ligamentum educeret, quod occipitis ossi ad eam se-
dem alligari possit, quæ in anteriori foraminis spinalem medullam transmittentis aspe-
ra, leuiterque extuberans conspicitur. Atque eiusmodi certe primæ vertebræ cum se-
cunda contextus perficitur, duobus nimirum latis secundæ vertebræ tuberibus, toti-
demque primæ sinibus, & vno rursus primæ sinu, cui dentis tuberculum committitur.
Præterea secunda ceruicis vertebra in posteriori tuberum quibus illa primæ vertebræ F
committitur sede leuiter exsculpitur, vt commune cum prima vertebra foramen vtrin-
que constituat, quo secundum spinalis medullæ par neruorum in posteriora elabitur.
Verum huius foraminis maiorem portionem prima efformat vertebra, insigniter satis
ad posteriorem sedem sinuum quibus secundæ articulatur sinuata. Reliqua in secunda
ceruicis

Gal lib. 13. de vsu partium ca. 3.

Gal cap 8 libri de ossibus.

Secunda vertebra. Vesalius ibidem.

Dens. Galenus ibidem & lib. 12. de vsu partiũ cap. 7. Pollucis & Cælii erratum. Κῶνος nux pinea. πυρὴν nucleus. Gal. lib. 12. de vsu partium cap. 7.

Foramen secũdum par spinalis medullæ transmittens.

A ceruicis vertebra commemoranda, ceteris etiam quinque inferioribus magna ex parte sunt communia. Hæc enim similiter atque illæ posteriori donatur processu, qui hoc priuatim in ceruicis vertebris sibi vendicat, quod suo mucrone bipartitur, ac præcipue secundæ vertebræ triumque sibi subiacentium. *Sexta* enim vertebra admodum obscure sui processus diuisionem ostendit, atque adhuc multo minus septima; quæ priuatim hoc cum sexta sortitur, quod ipsius processus plerumque donetur appendice, ac procerius educatur, quodammodoque ad superiorem thoracis vertebrarum processuum imaginem suo mucrone accedat, nisi quod ille his obtusior ampliorque relinquatur. Ceterarum vero ceruicis vertebrarum processus appendicibus carent, & lati, inæquales, asperi, & quodammodo ramosi, inferiorique sede caui, ac superius gibbi cernuntur, ac

Vesali us ibidem. Spina sex humiliorum ceruicis vertebrarum.

B vtrinque modice depressi. Quod extuberans linea facit, quæ per processus longitudinem porrigitur: quemadmodum etiam inferiori processus parte, quæ caua est, quidam lineæ instar ductus, per processus longitudinem ferri videtur. Prominet autem in gibba sede, linea, vt ligamentum ab hac in cauæ sedis medium perducatur, quod secundum processus seu spinæ longitudinem porrectum, vnum spinam alteri colligat, dextrosque musculos a sinistris dirimit, *vt libr. 2. fusius dicemus.* Vt autem musculi in posteriori ceruicis sede repositi promtius principium ducerent, & validius quoque in vertebrarum spinas insertionem molirentur, hæ spinæ in processulos dirimuntur. Atque id natura in iis colli vertebris peculiariter machinata est, quia non adeo longas spinas a paruis illis vertebris, atque a thoracis lumborumque vertebris producere tutum erat. Deinde ma-

C ior musculorum copia in ceruicis posteriori sede, quam in aliis dorsi partibus collocantur, *vt 2. lib. clarius docebimus.* Porro transuersi processus in reliquis ceruicis vertebris non admodum exporriguntur, & in primis secundæ vertebræ, cui breuis & simplex vtrinque transuersus obtigit processus. Hi processus semper perforati sunt, septima eademque vltima excepta, quæ in canibus & simiis frequenter absq; foramine inuenitur. Huiusmodi foraminibus solæ ceruicis vertebræ ornantur, in hoc perforatæ, vt venam arteriamque sursum ducant, quæ spinali medullæ, ac tandem ipsi cerebro sanguinem spiritumque deriuant. Præterea quatuor vertebræ, quæ statim secundam sequuntur, hoc etiam peculiariter sibi vendicant, quod illarum transuersi processus ampli & bifidi sunt: non tamen interim, vt earundem spinæ, asperi & inæquales. Transuersi enim processus

Trāsuersorum ceruicis vertebrarum processuū natura. Gal. cap. 8. lib. de ossi. Vesal. ibi.

D forma inuicem respondent, & interior ipsorum pars semper latior est, elatiusque ipsa posteriori effertur. Spinæ autem partim impar in omnibus quasi vertebris est forma, & illæ perpetuo variis modis protuberant, atque exasperantur. Hæc transuersorum processuum amplitudo & bipartitio, eadem ratione accidit, quia spinas bifidas esse diximus, nimirum musculorum ortus, insertionisq; gratia. *Septima* vero ceruicis vertebra transuersos processus latos quidem exserit, sed obscure admodum bipartitos. Quum enim ampli, procerique sint, nulla incumbit necessitas, eosdem quoque bifidos fieri, præcipue quando musculi collum in latus ducentes, non adeo valide septimæ ac ceteris committantur, quod hæc illis veluti basis in dicto colli motu subiaceat, atque obscure perinde atque thoracis vertebræ in latus moueatur. Ascendentes & descendentes pro-

E cessus quibus vertebræ mutuo articulantur, in omnibus ceruicis vertebris secundæ subiectis similes sunt, & secunda quoque descendentes processus obtinet aliarum processibus non dissimiles. Qui itaque deorsum spectant, & subditæ committuntur vertebræ, orbiculari sinu nihil minus quam alte inciso & ab anteriori sede insigniter oblique deorsum in posteriora ducto, ornantur. Ascendentes autem processus qui incumbenti articulantur vertebræ, tuberculum orbiculare habent, quod adeo leuiter superficietenusque extuberat, vt ignores sinuumne id, an capitum numero ascribere debeas. Hoc tuberculum ascendentium processuum sinui congruit, & cartilagine haud secus quam sinus incrustatū, ab anteriori sede deorsum in posteriora admodū ēt oblique fertur. Id q; nō obiter considerandū est. Nam obliquus ille ductus in ceruicis vertebris, q̄ thoraci

Ascendētium & descendētium processuum natura.

F propiores sunt, minor semper, ac secundum corporis longitudinē rectior euadit, q; illæ vertebræ nō adeo laxæ ac superiores moueri, atq; ob id ēt non tam laxæ articulari debeant. Ascēdētes itaq; processus suo tuberculo sinū descendentiū processuū subingrediuntur, atq; id secunda ceruicis vertebra, tertię duplici articulo alligat, vt tertia quartę, & sic reliquę oēs ad thoracē vsq; cōsequentes. Septima n. ceruicis, primę thoracis ascēdē-

Corporũ ceruicis vertebrarum contextus.

tes processus excipit. Natura autem non solum ceruicis vertebris laxiores communicauit articulos, sed vt commodius aptiusque quam reliquæ dorsi partes collum insigni, & quo maxime indigemus vsu moueri possit, ipsa aliud quoq; propriũ colli vertebris adhuc elargitur. Quum enim vertebrarum thoracis & lumborum corpora inuicem planis minimeque extuberantibus committantur superficiebus, ad eumq; modum, quo duo læuigati, ampliq; asseres mutuo incumbant, natura inferiorem ceruicis vertebrarum corporis partem oblongam, capitisque alicuius articuli ad motum euidentem facti ritu extuberare voluit, ac superiorem corporis vertebrarum partem amplo sinu ita excauauit, vt oblongum superioris vertebræ corpus in hunc subditæ vertebræ sinum ingrediatur, vertebrarumque compago ad mouendum promtior consurgat. Atque hæc compactionis species in secundæ vertebræ cum tertia, & deinde aliquot subiacentiũ vertebrarum nexu magis est conspicua. Colli autem septima, primæ thoracis quasi omnino plana innititur superficie, ac etiam ipsius corpus elatiori sede non adeo atq; superiorum vertebrarum excauatur: quod præcipue accidit, quia superiores laxius inferioribus moueri, ex vsu fuit. Porro vertebrarum ceruicis processus vndecim numero sunt, duo in superiori corporis sede, vtrinq; scilicet vnus ad latus sinus, cui incumbentis vertebræ oblongum corpus insidet. Duo item ascendentes, qui incumbẽtem subeunt vertebram. Duo dein descendentes, quibus subditæ vertebræ ascendentes processus excipiuntur. Quatuor transuersi processus, vtrinque enim sunt singuli, ac illi rursus gemini, bifidiq;. Vndecimus itaq; erit ipse posterior processus, seu spina. Quam tuto autem vertebræ inuicem ligamentorum ope colligentur, quamque studiose laxis his ossium cõnexibus prospexerit natura, musculi, & vertebrarum ligamenta in *2. libro abunde monstrabunt.* ¶ Ceterum foramina in vertebrarum lateribus neruis a dorsali medulla transmittendis, & venis quoq; ac arteriis ad illam admittendis parata, eadẽ serie sub secunda ceruicis vertebra ad sacrum vsque os constituuntur. Inter latus enim posterioris sedis corporis vertebræ, & ascendentes, descendentesque processus, sinus quidam supra infraque in ambobus lateribus exsculpitur, qui cum proximæ vertebræ sinu commune foramen, quo prosilit neruus, efformat. Isti sinus in omnibus vertebris nõ pari se habent modo. In ceruicis enim vertebris semicirculus in superiori vertebra, & semicirculus in inferiori exsculpitur, vtraq; vertebra parem operam ad foraminis constitutionem præstante. Aut si quis ad amussim singula excutiat, inferior vertebra in ceruice paulo maiorem portionem foraminis constituit, ipsa superiori. ¶ In lumborum vertebris prorsus contraria est ratio. Superior enim vertebra superiorem foraminis sedem, lateraque efformat, inferiori interim vertebra inferiorem foraminis illius partem, seu veluti tertiam circuli partem duntaxat constituente. Sinus enim in illis vertebris inter corpus ac descendentem processum exsculptus, multis numeris eius cauitatem superat, qui in superiori vertebræ parte inter corpus & ascendentem processum cælatur. Thoracis autem vertebrę medio se habent modo. Quæ enim in illis ceruici propius accedunt, ceruicis vertebris hoc neruorum foramine respondent. Quæ iuxta lumborum vertebras consistunt, lumborum etiam vertebris in foraminis forma assimilantur.

A B C D

Processuũ numerus. Gal. lib. 13. de vsu partium ca. 2.

Foraminum neruos in latera transmittentiũ ratio.

In ceruicis vertebris Gal. li. 4. de la bo. locis cap. 6. & libr. 13. de vsu part. cap. 3.

In lumborũ vertebris.

In thoracis vertebris.

De thoracis vertebris. Cap. XIX.

E

Nomina. Galen. lib. 13. de vsu par. cap. 7. Gal. cap. 9. lib de ossibus.

Gal. lib. 13. de vsu partium cap. 2. Vesal. lib. 1. cap. 16.

DOrsi pars thoracem constituens, quam nonnulli simpliciter *Dorsum* vocauerunt, Græci vero, quod veluti post septum transuersum consistat, *μετάφρενον*, in homine quidem magna ex parte duodecim habet vertebras. Aliquando tamen, quanquam raro, aliquibus vel deest vna, vel superest. Sed deesse rarius, quam superesse inuenitur. Homines vero plerumque a canibus vna thoracis vertebra superantur. Neque etiam lumborum ceruicisque vertebrarum numerus tam crebro, atque thoracis variatur. Est autem in iis vertebris non mediocris differentia. ¶ Primum enim thoracis vertebrarum corpora tantum magnitudine inter se discrepant, quantum vna, alia ceruici vicinior exsistit. Deinde corpus primæ superiori sua sede, qua septimæ ceruicis connectitur, non omnino planum est, sed modice vtrinque ad latus extuberat, ceruicisq; vertebrarum corpora obscura imitatur. Inferior autem huius corporis pars, plana constat superficie, quemadmodum & inferior, superiorque omnium thoracis vertebrarum corporum superficies. Adhæc primæ secundæque thoracis vertebræ corpus non adeo anteriori parte rotũdum, seu orbiculare prominet, atq; reliquarum thoracis vertebrarum F

corpora

A corpora, quæ multo magis quam supremarum corpora ad circuli seu C literæ conuexi imaginem accedunt proceriusque in thoracis amplitudinem protuberant. Videntur enim duæ superiores thoracis vertebræ, ceruicis vertebrarum modo, in anteriori corporis sui sede depressæ, multoque ampliores quam profundiores. Quod ipsis priuatim cum articulationis laxo motui aptæ gratia, tum musculorum collum flectentium occasione accidit. Musculi enim illi, ita vtrinque primarum thoracis, omniumque ceruicis vertebrarum corporibus insternuntur, vt liquido constet, ea corpora ab illis comprimi. Reliquarum autem vertebrarum corporibus huiusmodi musculi neque adnascuntur, neq; etiam incumbunt. ¶ Præterea omnib. thoracis vertebrarũ corporib. hoc cõmune accidit, quod vtrinque sinus habeant, quibus duodecim costarum capitula inarticulantur. Verum vt costarum capitula in illo articulo variant, ita etiam iisdem omnino sinibus non omnes vertebræ donantur. Vbi enim prima thoracis secundæ committitur, & secunda tertiæ, atque ita deinceps ad nonæ vsq; cum decima connexum, sinus quidam in ambobus lateribus iuxta foramina neruorum nomine parata insculpitur, qui vtrarumque inuicem colligatarum vertebrarum corporibus communis exsistit, ac partim in superioris vertebræ corpus, partim inferioris exscinditur. Quanquam interim huius sinus grandior portio ad inferiorem vertebram potissimum pertineat. ¶ Ceterum prima thoracis vertebra hoc proprium cum vndecima & duodecima habet, quod vtrinq; peculiarem ostentet sinum aliis vertebris non communem in ipsius duntaxat corpore incisum. Ad superiorem enim sedem corporis primæ thoracis vertebræ, sinus vtrobiq; C exsculpit rotũdus, & satis insigniter cauus, ac deniq; cartilagine oblitus, cui primæ thoracis costæ radix rotundo capitulo inarticulatur. ¶ Deinde ad inferiorẽ huius sinus sedem alius insigniter profundus conspicitur, asper & inæqualis, & foraminibus quibusdam oppletus, neque cartilagine incrustatus, a quo validissimum prodit ligamentum costam in suo sinu robustissime stringens. Pari ratione sinus in duodecima vertebra duodecimę costę gratia insculptus, ad inferiorem ipsius sedem alium quoque asperum, sed minus quam primæ vertebræ sinus, profundum adipiscitur, qui ligamenti duodecimam costam firmius vertebræ adnectenti nomine cælatur. ¶ Postremo thoracis vertebrarum corporibus etiam substantiæ ratione quædam accedit differentia. Quanto n. cuiusq; vertebræ corpus grandius est, tanto etiam minus apparet solidum, sed fungo-D sum, & multis inæqualibus variisque foraminibus incerta serie interstinctum, in quæ venæ arteriæque corpus vertebrarum enutrituræ subintrant. Nisi enim vasorum surculi crassorum ossium substantiæ insinuarentur, impossibile esset mediam, intimamque & a superficie remotissimam ossis substantiam sibi nutrimentum allicere. Inter cetera huius generis foramina, nullibi insigniora se offerunt, quam in posteriori corporis vertebrarum sede spinalem medullam respiciente. Vbi in plurimis vertebris vnum peculiare cernitur foramen, pro vertebræ mole magnum & asperum, ac in multa desinens foraminula. ¶ Insuper omnibus thoracis vertebris vtrinque vnus transuersus obtigit processus, qui magnitudine in nouem superioribus vertebris vix quicquam differt. *Decima* vero vertebræ transuersi processus minus quam superiorum vertebrarum extuberant, E vt etiam decima, quæ ipsi committitur costa, admodum parua, spuriaque est. *Vndecimæ* autem vertebræ transuersi processus minores, breuioresque adhuc decimę sunt, & duodecimæ processus adhuc minores ipsius vndecimæ, quod scilic. non tantus horum processuum vsus, atque superiorum vertebrarum processuum sit. Ceteris enim omnibus costæ articulantur, quarũ gratia thoracis vertebræ validissimos crassissimosq; processus transuersos sibi vendicant. *Duodecimæ* vero & *vndecimæ* transuersis processib. costæ non articulantur. Duæ enim infimæ vtriusq; lateris costę, vnica tantum ad vertebrarum corpus articulatione committuntur, reliquis interim ad vertebrarum corpora, & transuersorum processuum apices dearticulatis. Ad apices namq; transuersorum processuũ nouem superiorum thoracis vertebrarũ sinus cartilagine incrustati videntur, quib. costa-F rum capitula articulantur. In transuersis aũt decimæ vertebræ processib. eiusmodi sinus aut nulli aut interdum obscuri conspiciuntur. In duarum vero infimarum processibus nulli prorsus occurrunt. ¶ Præterea sinus in transuersorũ processuum apicibus sculpti, omnes quidem anteriori processuũ sede habẽtur, verũ alii superiorem, alii inferiorem, alii mediam magis occupant. Primæ enim vertebræ deorsum spectant, nonæ vero

Vesalius ibidem.

Ex sinibus quibus costæ articulantur differentiæ.

Ex corporum substantia.

A diuersis vertebris.

Sinuum transuersorũ processuum diuersitas.

sursum, mediæ autem medio se habent modo. Insuper omnes transuersi thoracis processus qui supra decimã sunt, prima excepta, deorsum spectant: qui infra sursum. A

A spinæ differentia. ¶ *Porro* natura omnibus thoracis vertebris spinam toto ductu simplicem minimeque bifidam largitur. Atque huius spinæ in omnibus vertebris non eadem forma esse videtur. Nouem enim superiores longissimas exserunt spinas, non admodum amplas, attamen ex ampla basi in mucronem sensim desinentes, triangulique imaginem referentes. *Decima* thoracis vertebra non ita longam atque superiores vertebræ spinam exserit, neque hæc triangularem illam imaginem adeo scite commonstrat. Præterea spinæ huius mucro obtusus amplusque est, non vt superiorum vertebrarum spinæ acutus, & strictus. *Vndecimæ* vertebræ spina, adhuc minus quam decimæ exporrigitur, & vtrinque magis deprimitur, ampliorque efficitur. Deinde inferior ipsius superficies in lineam insigniter exB tuberat, neque amplius depressa, sed arcta & aspera visitur, huiusq; spinæ mucro admodum obtusus est ac spissus. *Duodecimæ* spina, adhuc magis a superiorum vertebrarum spinis variat, ad lumborum vertebrarum spinæ imaginem magna ex parte accedens, quæ vtrinque admodum depressa est, & si summum, imumque spectes, valde lata & ampla.

Spinarũ ductus. ¶ Ceterum vt omnibus vertebris non eadem spinarum forma accidit, sic etiam spinæ ductu inuicem discrepant. Nouem namque superiorum thoracis vertebrarum spinæ, vt etiam ceruicis sexta & septima, insigniter decliues feruntur seu a summo ad imum tẽdunt. Decimæ autem thoracis vertebræ spina minus superiorum spinæ deorsum conniuet, magisque recta retrorsum fertur. Vndecimæ spina adhuc rectius erigitur, & huius rectitudinem duodecimæ spinæ vincit. Verum interim harum nulla adeo recta fertur, C quin ipsius mucro semper magis deorsum quam sursum vergat. Quod etiam omnium in lumbis vertebrarum spinis accidit, deorsum magis quam sursum spectantibus. Atque hæc in hominis dorso subaudienda sunt.

Galenus cap. 9. de ossibus. ¶ Canibus & simiis, aliisque fere quadrupedibus contraria est ratio, Galeni dogmatibus pulchre quadrans. His enim vndecimę thoracis vertebræ spina neque deorsum, neque sursum vergit, & duæ deinceps quæ statim decimæ subiiciuntur, spinam habent obscuræ superiora suo mucrone spectantem. Reliquę vero has subsequentes spinas exserunt ab imo sursum porrectas, longe profecto secus quam homo, cui ne vnius quidem vertebræ spinam sursum magis, quam deorsum inclinare, nemo vere asserturus est.

Transuersorum processuũ ductus. Vesalius ibidem. Transuersos enim in homine ceruicis processus, si non perfunctorie consideraueris, externo seu posteriori eorum latere, deorsum respicere: interno autem seu anteriore latere, quod posteriori latius est, sursum tendere, dices. D Transuersi autem nouem superiorum thoracis vertebrarum processus, toto ipsorum corpore retrorsum & sursum magis, quam deorsum ferũtur. Verum superior pars gibba videtur, inferior caua, & nonnihil sinuata, quasi hac ratione descensus ad inferiora speciem processus illi referrent. Transuersi autem processus duodecimæ thoracis vertebræ non solũ sursum conniuent, verum etiam egregie retrorsum ducuntur, quemadmodum & vndecimæ, & decimæ processus nonnihil sursum spectant. Lumborum transuersi processus admodum obscure sursum ducũtur, quanquam vertebra sacro ossi cõmissa paulo manifestius suos processus sursum efferre cernitur. In canib. autem transuersi processus ceruicis perquam conspicue & manifeste deorsum tendunt. Thoracis E autem processus, aut non deorsum feruntur, aut admodum leuiter. Verum lumborum, insigniter in altum oblique porrigũtur, & Galeni descriptionibus ad amussim quadrant, si modo vertebrarum numerum exceperis. Nam plures lumborum vertebræ canibus & caudatis simiis obtigerunt, quam hominibus, qui etiam plerunq; a canibus vna thoracis vertebra, vt comprehensum est, superantur. Ad eum igitur modum transuersi posterioresque thoracis vertebrarum processus constituuntur. Illi vero qui ascendentes descendentesq; vocantur, ea quæ iam subiicietur serie disponuntur.

Differentia ab; ascendentibus & descendentibus processibus. ¶ Omnis vertebra quæ supra sacrum os habetur, duabus tantum demptis, vna parte suscipit, altera suscipitur. Prima enim ceruicis vertebra, & superiori & inferiori sede suscipit. Superiori quidem occipitis ossis capitula, inferiori autem secundum ceruicis vertebram. *Duodecima* F vero thoracis vertebra vtrinq; suscipitur, nullam interim suscipiens. Ascendentibus enim suis processibus vndecimæ thoracis vertebræ descendentes subit, ipsaque ab vndecima excipitur. Descendẽtibus autem sinus ascendentium processuum primæ lumborum vertebræ subit. Quapropter quum & hæc duodecimam excipiat, liquet hinc duodecimam

A decimam, vt dictum eſt, ſupra infraque ſuſcipi. In omnibus itaque vertebris hac ſuperioribus ad primam vſque ceruicis, ſuperior ſemper inferiorem excipit, vt decima thoracis vndecimam. ¶ Quæ autem ſub vtrinq; ſuſcepta ſeu duodecima locantur, ſuperiori quidem ſui parte ſuperiacentem excipiunt, inferiori autem parte ſubiacentem ingrediuntur, atque ita prima lumborum vertebra a ſecunda excipitur. Thoracis vertebræ ſupra vtrinque ſuſceptam repoſitæ, eandem in aſcendentibus deſcendentibuſque proceſsibus ſpeciem cum ceruicis vertebris obtinent. Sunt autem hæ thoracis vertebræ, de Galeni *in lib. de oſsibus ſententia*, nouem ſuperiores aut alicubi in libris de vſu partium decem. Is enim hic vndecimam, illic vero duodecimam thoracis ſuſcipi tradit, vti in ſimiis & canibus vidit. Nunquam vero aut rariſsime ſaltem, decima vtrinque ſuſcipi in ho-
B mine cernitur, ſed plurimum duodecima. Aliquando namque vndecima vtrinque ſuſcepta occurrit. ¶ Ceterum vndecim thoracis vertebrarum proceſſus aſcendentes in homine protuberant, ac in exteriori poſterioriue ſede notatu digna, ac propemodum orbiculari circumferentia cartilagine incruſtantur. Atque horum proceſſuum tuber adeo leuiter ac in plana ſuperficie extuberat, vt num ſinus, num tuber cenſendum ſit, vix internoſcas. ¶ In canibus autem omnes, quę ſub decima locatæ ſunt vertebrę, quod etiam loco iam citato teſtatur Galenus, aſcendentes proceſſus cauos, deſcendentes conuexos habent. Ob id planis quidem a ſubiectis vertebris ſuſcipiuntur, aſcendentibus autem ſuperiores excipiunt. Vt hinc etiam omnibus palam fiat Galeni in libris de vſu partium deſcriptiones vertebrarum canib. potius quam hominib. quadrare. ¶ De-
C ſcendentes autem proceſſus interna anterioriue ipſorum ſede, qua foramen ſpinalis medullæ gratia cælatum reſpiciunt, ſinum quoque adipiſcuntur amplum, & quodam modo orbicularem, & cartilagine incruſtatum. Porro inter vtriuſque lateris aſcendentem & deſcendentem proceſſum, inſignes nobis obſeruandæ ſunt aſperitates, inæqualiterque protuberantes proceſſuli, in hoc ſane parati vt valida hinc pronaſcerentur ligamenta, tanto robuſtius firmiuſque thoracis vertebras colligantia, quanto obſcuriori motu thoracis vertebras, quã ceruicis moueri ex vſu fuerit. Omnes autem thoracis vertebræ ſeptem donantur proceſsibus, duobus nimirum tranſuerſis, duobus aſcendentibus, totidemque deſcendentibus, & vno poſteriori, ſeu ſpina.

De lumborum vertebris. CAP. XX.

D LVmborum, qui Græcis ὀσφύες, ἰξύες, & ψόαι dicuntur, vertebræ in hominibus numero quinque ſunt, omnium maximæ & craſsiſsimę, ob quod etiam ipſarũ corpora multis opplentur, quæ non peruia ſunt, ac duntaxat vaſorum nutrimentum afferentium occaſione parata. In canibus vero & caudatis ſimiis plures lumborum vertebræ exſiſtunt. Foramen vero dorſali medullæ in iis exſculptum tanto minus eſt incumbentium vertebrarũ foraminib. quanto iam toto progreſſu ſpinalis medulla gignendis neruis tenuior, graciliorq; euaſit. Quo n. ſpinæ medulla in gignẽdis neruis magis cõſumitur, & attenuatur, eo inferiorũ vertebrarũ foramina magis ẽt minuuntur, quorũ vnumquodq; medullæ q̃ complectitur craſſitudini æquale eſt. Foramen emittẽdo neruo, & admittendæ venæ arterięq; in ambobus vertebrarum laterib. cęlatũ fere vniuerſum ad ſuperiorẽ refer-
E tur vertebram, q̃ eius foraminis ſuperiorẽ ſedẽ ac latera cõſtituit, quũ interim ſubiecta, inferiorue vertebra duntaxat humiliorẽ foraminis ſedẽ efformet. ¶ Lumborũ aũt vertebræ in hominib. ſeptem donantur proceſsib. vno ſcil. poſteriore ſeu ſpina, q̃ iis eſt valida & craſſa, at ꝓ ipſarũ mole, nõ admodũ procera, aũt longa. Si dextrũ, ſiniſtrumq; in ea ſpectes, ipſa tenuis eſt. Si aũt ſuperiora inferioraq; cõſideres, latiſsima. Spinæ mucro appendice, vt & thoracis vertebrarum ſpinæ donat̃, & valde obtuſus eſt, ac quodammodo triangulũ refert. ¶ Duob. præterea tranſuerſis: vtrinq; nimirũ & multo tenuiorib. dorſi vertebrarum tranſuerſis proceſsib. conſtat. At interim admodũ procere educũtur, quaſi coſtarũ vſum in lumbis eſſent præſtaturi. Prima quidẽ & quarta lumborum vertebræ breuiorib. tranſuerſis donantur proceſsibus, q̃ aliæ. Præterea nullius vertebræ tranſuer-
F ſi proceſſus ſic ſurſum manifeſte aſſurgũt, vt quintæ, quib. quo minus trãſuerſum aliorũ modo porrigantur, iliũ oſſa obſtant, q̃ illius vertebræ corpori vicinius accedũt, quã mediarum in lumbis vertebrarũ tranſuerſorũ proceſſuum eſt longitudo. Deinde duob. aſcendentib. & deſcendentib. proceſsib. lumborũ vertebræ donãtur. ¶ Aſcendẽtes ꝓceſſus interno latere, quo ſe inuicẽ e regione ſpectãt, ſinũ adipiſcunt̃ ſatis ꝓfundũ, & veluti oblongũ. Deſcendẽtes ꝓceſſus inſigniter decliues ferunt̃, & externo ipſorũ latere in ob-

Gal. cap. 10. de oſsibus.
Corpora vertebrarum lumborum.
Foramina.
Gal. vbi ſup. cap. 8. Veſa. lib. 1. cap. 7.
Lumborũ vertebrarum proceſſuũ numerus.
Spina.
Trãſuerſi proceſſus.

longum tuberculum desinunt, quod magis vertebræ anteriora, quã posteriora respicit. A
Tubercula hæc in subiectæ vertebræ ascendentes processus subeunt, adeo vt in lumborum vertebris inferior vertebra suis finibus superioris admittat capitula, secus quam in ceruice, & thorace, vbi superior suis finibus inferioris vertebræ tuberculo excipit. Simię adhuc duos, vnum vtrinq; acutos processus ex abundanti habent, ad inferiora vergentes, iuxta foramen sitos, quo neruus a spinali medulla principium ducens prolabitur. Canibus quoq; duæ humiliores thoracis vertebræ, quemadmodum etiam lumborum superiores quinque, eiusmodi processibus ad transuersorum processuum radicem consistentibus donati sunt. Quorum certe Galenus *in cap. 10. libri de ossibus*, iis meminit verbis: *Lumborum*, inquit, *vertebræ processu quodam abundant ad inferiora vergente: isque iuxta nerui ortum situs est. Hunc nonnunquam vertebræ lumborum omnes habent, in postremis aliquando vel* B
pusillus admodum, vel nusquam cernitur. Idem supra positis vertebris, non secus ac duabus dorsi postremis semper inest. Hæc ille. Quæ quidem verba, ideo citanda esse nobis duxi, vt hinc clare omnes intelligerent descriptiones libri de ossibus, simiis, & canibus magis, quam hominibus conuenire. In homine enim ne signum quidem eius processus vlla in vertebra, nisi in duabus thoracis postremis, reperitur.

De sacro osse. Cap. XXI.

Gal. li. 12. de vsu partium c. 12. Nomina.

OS Gręcis ἱερὸν appellatum, Latinis *sacrum*, quod scilicet grande magnumque sit, dicitur. Quippe veteres Graeci, quicquid ingens ac pręclarum haberi volebant, sacrum vocare consueuerunt. Sic sane Homerus ἱερὸν θάλασσαν, ἱερὸν ἰχθὺν, καὶ ἱερὸν ἴλιον, *sacrum mare, sacrum piscem*, & *sacrum Ilium*, pro magno dixit. Quinetiam Latini *sacrum* nominant, quod C
magnum est. Ita Virgilius *sacram auri famem*, hoc est, magnam cupiditatem, appellauit. Sunt qui *sacrum* ea ratione nominari putant, quod partus tempore diuinitus, citra musculorum auxilium, huius cum ilium osse connexus reseretur, ac denuo occulto naturæ artificio committatur, quod tamen falsum esse constat. Vocatur etiam πλατὺ, hoc est, *latum amplumq;*, quod eius amplitudo facile reliquarum vertebrarum, quibus instar basis tutissimiq; fundamenti subiicitur, amplitudinem vincat. ¶ Ceterũ in homine plurimũ sex partibus, seu ossibus, inuicem valide nexis, in simiis, & canibus, tribus cõstruitur. In canibus enim & simiis, quibus Galeni descriptio eleganter & scite congruit, sub infima lumborum vertebra os quoddam reponitur tribus efformatum ossibus, ita inuicẽ commissis, vt in anteriori sede iuxta eorũdem medium talem connexus speciem ostendant, D
qualem vertebrarum corpora mutuo compacta exhiberent, si quando ita coaluissent, vt ne tantillum quidem moueri possent, & ex ipsorum medio omnis cartilago tẽporis progressu iam euanuisset. ¶ Tria hæc ossa inuicem ad hunc modum coalita sacrum, seu *amplum, & latũ os*, Galeno dicuntur. Sunt n. hæc a laterib. ampla, continuaq;. Nam quum vertebrarum imaginem quodammodo exprimãt, hic amplos, latosq; transuersos efformant processus, qui inuicem continui in se insignem & inæqualem asperum; sinum in externo latere leuiter cauũ & excisum gerunt, in quem ilium ossa ingrediuntur. In posteriori parte hoc os tres exiguas efficit spinas, non admodũ sursum spectantes. Sacrum præterea os superius inferiusq; magna ex parte lumborũ vertebris proportione respondet. Superior namq; pars, superiori etiam vertebrarum sedi: inferior autem inferiori assimilatur. Superior enim ossis sacri pars tanta amplitudine protuberat: & appẽdice donatur, quanta est inferior corporis infimæ lumborum vertebræ pars, quæ sacro ossi eadem prorsus ratione committitur, qua lumborum vertebræ inter se coarctantur. ¶ Pręterea sacri ossis superior pars duos obtinet ascendẽtes processus, eodem modo insinuatos, quo ascendentes in lumbis vertebrarum processus cælantur. His excipiuntur infinitæ lumborum vertebrę descendentium processuum tubercula. ¶ Porro inferior sacri ossis pars, quæ tertii & angustissimi trium ossium sacri ossis humilior sedes est, descendentes habet processus, quibus sibi subdito ossi coarticulatur, orbiculari quoque protuberat corpore lumborum vertebrarum corporib. forma admodum simili. Nulla enim ratione illud ab iis variat, quam quod sacri ossis corpus lumborum vertebrarum corporibus tanto minus sit, quanto hoc corpus mole ab illis vincitur. Præsens sacri ossis corpus vni committitur ossiculo, quod ex tribus ossis coccygis ossibus, sequenti capite, primum enarrabitur. Quinetiam foramina neruis transmittendis incisa, Galeni in libro de ossibus descriptioni pulchre quadrant. Tria enim neruorum paria ab ipso sacro ossi tribu-

Gal. ibid: cap. 15. Numerus.

Canis simiæq; ossis sacri descriptio Vesa lib. 1. cap. 18.

Gal. ca. 11. libri de ossibus. Transuersi processus.

Ascendentes.

Foramina neruis transmittendis incisa.

A tribuuntur, quorum primum id censetur, quod inter primum ipsius os & infimam lumborum vertebram elabitur, cui foramina ad eum modũ inciduntur, quo in lumborum vertebris ea haberi iampridem proditũ est. At secundum & tertium par non a laterib. primi paris ritu, exsiliunt. Quum n. sacri ossis latera articulatione cũ ilium ossibus præpedirentur, impossibile fuit & hic quoq; per latera neruos excidere. Quocirca in anteriori & posteriore ossis sacri sede foramina in ossium compage cæsantur, vt hac naturæ industria, ab illis neruorum paribus, quemadmodum & a ceteris fere omnib. antrorsũ retrorsumq; soboles oportune dirigerentur. Atq; hoc est, quod Galenus ait, *nõ ab vtroq; latere, sed intrinsecus & extrinsecus prosilire neruos.* Ac secundo quidem pari foramina in primi ossis cũ secundo compage exscinduntur. Tertio autem pari via paratur, qua secundum ossis sacri os tertio coalescit.

B ¶ In homine v. sub lumborum vertebris quinq; vel sex plurimũ ossa sacrum os nominatum constituunt, quæ inuicem ita committuntur, quẽadmodum tria ossa canis sacrum os efformantia. In medio n. anterioris sedis connexũ ostendunt, qualem vertebrarũ constituerent corpora, si ita coaluissent, vt nihil cartilaginis in horum ossiũ vnione viseretur, nisi forsitan in infantibus, quib. ossa adhuc prorsus non coaluerunt. ¶ In lateribus quoq; anterioris partis, vbi transuersi horum ossium processus inuicem vniuntur admodum obscura cõnexus apparet species. In posteriori autem sede, vnio prorsus in adultis aboletur, vnumq; os ex illis sex efformatum cõspicitur. Nulla enim hic vnionis se offert linea, nisi interdum in primi ossis cũ secundo coalitu. *Hominis sacri ossis descriptio Vesal. loco citato.*

C ¶ Quippe non raro primũ os secundo posteriori sede ea articulationis formá cõmitti spectatur, qua ascendentes descendentesq;, in lumbis vertebrarum processus articulari solẽt. Verũ etsi illi processus ita iunguntur, trãsuersi tñ eius ossis processus, omni ex parte secũdi ossis ꝓcessib. coalescũt, & oẽs isti cõnex⁹ adeo sunt validi, vt primũ os ne tantillũ quidẽ super secundũ moueri queat. ¶ Aliquãdo tñ sacra ossa in cœmeteriis obuia, primũ os abruptũ ostendũt, idq; ac si lumborũ esset vertebra seorsum reperitur. Nisi n. id primũ os crassis & amplis donaretur trãsuersis processib. a lumborũ vertebris forma vix discerni posset. ¶ Porro in pueris quinq; vel sex horum ossium coalitus etiam in posteriori sede conspicuus est, quemadmodũ in anteriori parte est spectatissimus. Deinde vt in nullis hominibus in anteriori sede coalitus omnino obliteratur, ita etiã perpetuo in posteriori sacri ossis sede ea coalitus species se offert, quæ ossium corporib. perficit.

D Si enim foramini spinali medullæ in sacro osse inciso, animum accommodaueris, per foraminis progressum ossium corpora ita liquido coaluisse cernes, atq; in anteriori sede. Præterea quinq; vel sex horum ossium series tribus ossibus, q̃ canis sacrum os efformant, respondet. Quemadmodum enim his supremum maius est medio, & medium maius est infimo, ita quoq; hominis ossa tanto minora videntur, quanto humiliorẽ in sacro osse sedẽ occupant. Hinc est, quod primum etiam os inter reliqua ossis sacri ossa amplioib. crassioribusq; & antrorsum retrorsumque magis prominentib. transuersis constet processibus. Primi præterea seu supremi ossis superior pars, omnino superiori sedi cuiuis lumborum vertebræ respondet. Vt enim hæc appendice donatur, & amplitudine protuberat, ascendentesq; processus obtinet, ita etiam sacri ossis pars superior.

E Et corpus etiam quintæ lumborum vertebræ ita primo ossi adaptat̃, vt lumborum vertebræ superioris vertebræ processuum tubercula suscipiunt. Sexti v. seu postremi ossis humilior pars insigniter ab inferiori sede tertii canum ossis differt. Hominis enim os nullos descendentes adipiscitur processus, quibus sibi subdito ossi coarticularetur: sed duntaxat in orbiculare, sed paulo latius, definit tuberculum, ꝙ primo ossi coccygis in homine ossis, eo modo committitur, quo vertebrarum corpora inter se, aut potius quo caudarum ossa mutuo coarctantur. Quinetiam transuersis humani ossis sacri ossium processibus in externo latere, parumper versus posteriora sinus exsculpit̃, cui alterius lateris iliũ os validissime coarctat̃. Est a. hic sinus admodũ asper, & inæqualis, ac primum *Sinus in lateribus sacri ossis.*

F quidẽ per ipsi⁹ longitudinẽ in medio extuberantẽ habet lineã, aut amplioris lineæ modo ꝓminens tuberculũ, ꝙ sinũ rursus in anteriorẽ & posteriorẽ sinus dirimit. Anterior vtrinq; simplex est, asper tamen, & inæqualiter admodũ incisus. Posterior alti⁹ cauatur, verũ in medio processum ostẽdit trãsuersum, extuberantẽ, ꝙ sinũ posteriorẽ denuo in superiorẽ & inferiorẽ intersecat. His sinib. aptissime respõdent iliũ ossa, mutuis tuberibus sinibusq; donata. Sinus hi & tubera cartilagine aliorũ sinuũ modo non obducuntur.

Quum enim alia tubera & sinus læui continuaq; & plana cartilagine incrustentur, isti A
sacri ossis sinus nihil præter cartilaginea educunt ligamenta, sacrũ os robustissime ilium
ossi connectentia. Hi sinus preterea ad tria potissimũ superiora ossa sacri ossis referũtur.
Inferiora n. processus transuersos habẽt tenues, at amplos interim, & inter se cõtinuos,
ex quibus musculus ille ꝑnascitur, qui femoris motorũ quartus est. Verum transuersus
quinti ossis processus ea parte, qua transuerso sexti ossis vnitur processui, tuberculũ exserit, vtrumq; prominens & crassum, in hoc formatũ, vt oportune duo ligamenta hic sacro ossi implantarentur, *de quibus lib. 2. fusius agemus.* ¶ Foramina neruis transmittendis in sex aut quinq; istis ossibus exsculpta, imagine, non numero, illis omnino conueniũt, q̃ tribus canis ossibus incidũtur. In anteriori enim sede quatuor aut quina vtrinq; iuxta B
corporum compagem foramina cælantur, & totidẽ in posteriori sede, adeo vt hæc ossa quinq; vel sex neruorum paribus viã prębeãt. Primum namq; inter primum os, & quintam lumborum vertebrã perinde egreditur, ac reliqui nerui ex lumborũ & thoracis vertebrarum laterib. prosilientes. Secundum par inter primũ ossis sacri os, & secundum, & alia hac serie deinceps ita elabuntur, vt excidẽs par ad subditum os perpetuo referatur. Præter hæc foramina neruis exsculpta, in posteriori sacri ossis sede alia apparent, inter spinas ossium, in viam quæ spinali medullæ parata est spectantia. Hęc foramina ligamẽtis opplentur, perinde ac interualla, foraminaq; inter spinas reliquarum vertebrarum conspicua. ¶ Ceterum hæc inter sacri ossis spinas interualla, interdum continua apparent, neq; vllis foraminibus perinde ac in canibus fere peruia. Verum interim ossis sacri C
ossibus spinæ obtigerunt, tanto in singulis ossib. proceriores, quãto os ipsum vnde prodeunt grandius superiusq; est. Tota v. sacri ossis posterior sedes gibba est, & curua, quo ita tutius propugnaculi modo eas, quibus præest, partes tueretur, & ab occursantib. muniret. Anteriori autem sede læue est, neq; asperum, sed simum, cauumq;, quo aptiorem illis organis quæ cum aliis ossib. instar peluis cuiusdam complectitur, sedem efformet. Ad hũc sane modum hominis sacrum os se habet, quod interdum, vt dictum est, quinq; tantum ossibus constat, & tunc in anteriore sedẽ duo desunt foramina, in posteriori tamen perpetuo sex neruorum coniugiis iter paratum cernitur.

Foramina neruos in sacro osse transmittentia.

Anterior & posterior sacri ossis pars cuiusmodi.

De osse coccyge. CAP. XXII.

OS sub sacro osse locatum veteribus anatomicis Græcis κόκκυξ, *a forma obliquitate, & in* D
mucronem ductu ac rubore, appellatum fuit, quod illi hoc ipsum ad cuculi rostrũ pueris suis, quos anatomen docuerũt, referrent. Sunt qui illud etiam ὀῤῥοπύγιον, quod proprie *caudam volucrum* significat, nominant. Vulgus Medicorum *caudam* vocat. Hoc itaq; os sub sacro locatum osse in canibus tribus ordine inuicem succedẽtibus, & lumborũ vertebris in conformatione non dissimilibus ossibus concinnatur. In nullo namque ab illis imagine differunt, nisi quod transuersos processus deorsum magis quam sursum cõniuentes habent, deinde spinam aut nullam, aut perquam exiguam a se porrigũt. ¶ Corporum quoq; forma penitus illis respondet vertebris, nisi forte pro ossiculorum modo hæc aliquis ampliora esse adstruat. In ascendentibus autem & descendentibus processibus ne minimum quidem differunt. Horum enim trium ossiculorum supremum suo E
corpore tertio sacri ossis ita coarctatur ossi, vt lumborũ vertebræ inter se. Quippe suis ascendentib. processibus, descẽdentes sacri ossis processus excipit. ¶ Igitur tria hæc ossicula Galeno haud dubie coccyx appellant. Nam inter hæc tria ossicula, & inter horum supremũ, & sacri ossis inferiorẽ partẽ, non minus interuenit cartilaginis, aut potius cartilaginei ligamenti, quã inter lumborũ vertebras, quũ inter tria sacri ossis ossa nihil cernat cartilaginis, pſertim in ætate ꝓuectioribus. Præterea in canibus & simiis a tribus illis ossibus musculus femur mouentium quartus, quem Galenus *lib. 2. de anatomicis administrationibus* a coccyge osse enasci scribit, principium sumit.

Coccygis canini descriptio.

Cap. 12. de ossibus.

Ceterum tribus a coccyge osse in canibus pullulãtibus neruorũ paribus foramina perinde ac in lumborum vertebris exsculpunt. Quum enim horũ ossium latera, vt ossis sa- F
cri ossium, articulatione non occupentur, satius fuit eandem hic foraminum seriẽ obseruare, quæ in aliis vertebris laterali articulatione nõ præpeditis fit. *Primum* itaq; par in vtroq; latere vno inciso foramine inter tertium sacri ossis os & primũ coccygis prodit. *Secundum* vero inter primum coccygis os, & secundum. *Tertium* autem par inter secundũ & tertium os egredit. Iuxta tertii ossis extremitatem q̃ reliquum est dorsalis medullæ,

Galenus ibidem.

simplex

A simplex coniugisve expers, & nulli associatum excidit. Singulis enim ossibus sacri ossis & coccygis ossis dorsali medullæ via exsculpit, medullæ hic crassitiei respōdens. Extremo tertii ossis coccygis ossis in canibus & caudatis simiis solida & non perforata ossa, oblonga, & superius inferiusq; crassiuscula, in medio autem tenuia quadam continua serie annectunt, caudamq; constituunt. Interdum v. neq; id frequenter, in multis canum & simiarum speciebus etiam plura trib. videntur ossis coccygis ossa, eiusdem prius cum tribus superioribus formæ. Atq; ita quoq; illis tunc plura neruorum paria ab illorū ossiū lateribus psiliunt. Non caudatis simiis infimo ossis coccygis ossi cartilago tantum adnascit. Vt hinc omnibus pateat Galeni in libro de ossibus descriptionem canibus perB belle conuenire. ¶ Porro in homine Coccyx os crebro quatuor exstruit officulis, quorum supremum sinū habet, quo sexti ossis sacri ossis tuberculū excipitur, quod ipsi corporum vertebrarum modo, ligamenti ad modum cartilaginei interuentu committit, nulla interim alia accedente articulationis specie, nisi forte quinq; tantum ossibus sacrum os constituatur. Tūc enim ad foraminis cuiusdam in posteriori sede constitutionem neruumq; sexti in sacro osse coniugii deducendum ac defendendum primū hoc os coccygis in posteriori sede duos acutos educit pcessulos, qui sursum spectātes, quinti ossis sacri ossis procesib. valide coalescunt. Porro primū coccygis os, quando sex sunt ossis sacri ossa, quod frequentissime, vt dictum est, accidit, eiusmodi nullos educit processus. Verū ad sinus ei⁹, quo sexto sacri ossis coarctatur, latera superiori ipsius sede lati⁹ C ad transuersa extuberat: inferiori autem parte sensim angustat, ac rursus secundo ossi, ita omnino committitur, vt id sexto ossis sacri ossi committi dictum est. Huic deinde tertium & quartum succedūt, eodem penitus modo inuicē commissa, tantoq; minora quanto vnumquodq; in ipsa serie humiliorem locū obtinet. Quatuor iis ossiculis nullū foramē, quo spinalis medulla prepat, aut ex quo vlli exsiliāt nerui, insciditur. In sexto enim osse sacri ossis spinalis medulla terminatur, neq; ipsius extremum in coccygis os descendit. Hæc ossicula fungosa sunt, & pectoris modo rubicantia, ac in pueris admodum cartilaginea, vniuerso contextu ex ampliori basi in mucronem desinunt, cuculiq; rostri modo introrsum curuantur. Infimum ossiculum suo mucrone, quo recti intestini posticam infimamq; sedem contingit, in cartilaginem degenerat, eiusdē vsus occasioD ne qua vertebrarum spinis cartilagines obnasci cap. 17. retulimus.

Coccygis ossis in homine delineatio. Vesalius ibidem.

De thoracis ossibus, CAP. XXIII.

Θώραξ Græcis Medicis dicitur *quicquid costis vtrinque interceptum circumscriptumque est*, secus atque Aristoteli, qui *libro primo de historia animalium ca. septimo*, vniuersum corporis truncum a ceruice ad pudēda vsq; protensū ita nominauit, inquiens. τὸ ἀπὸ αὐχένος μέχρι αἰδοίων κύτος ὃ καλεῖται θώραξ. Anterior v. thoracis pars iisdē στῆθος, & στέρνον, Latinis *pectus* appellatur. Quare cauendum diligenter erit, ne, quod non raro Latini Galeni interpretes faciunt, has tres voces inter se confundamus. Est autem thorax veluti septum aliquod præualidum tutelæ gratia cordi & pulmoni circundatum.

Galenus li. 6. de vsu partium ca. 1. & libro 8. admi. ana.

Pectus quid.

Atque in eo creando admirabilis Summi Opificis rerum elucet industria, propterea E ꝙ non totus osseus, neq; carnosus ab eodem factus sit, sed os cū musculis vicissim alternatimq; commutatum. Si enim ex solis ossib. factus fuisset, motū penitus amisisset. Sin contra ex musculis solis, inciderent pulmoni & cordi, nemine eos expellente. Vt igitur simul quidem spatium quoddam amplum intus esset, simul autem totum instrumentum moueretur, musculi ossibus alternatim fuerunt interpositi. Quæ res etiam ad cordis ac pulmonis securitatem momentum habet non mediocre. Magis n. nunc muniuntur, ꝙ̄ si soli musculi facti fuissent. Quum itaq; neq; respiratio neq; vox absq; thorace fieri possit, ac dein thorace primum quidē cor, insuperq; cum ipso pulmo muniri debeant, in thoracis constructione rerum opifex ad quatuor veluti scopos attendere F voluit, vocem nimirum, quæ absq; thorace fieri nō potuit, respirationem, cordis & pulmonis magnitudinem. ¶ Thorax enim, qui quodammodo ouali cōstat figura, tam amplus est, quantam pulmonis molem esse oportuit. At pulmo interim thoracis sequitur formam, non autem thorax pulmonis. ¶ Ceterum thoracis ossa sunt ex spina duodecim dorsi vertebræ, costæ totidem, & os pectoris. Quum vero vertebras eiusdē antea descripserimus, reliquum est, vt a costis nunc exordiamur sermonem. ¶ Costæ igitur, quæ Græcis πλευραὶ dicuntur, viris & mulieribus ab vtroq; latere plurimum duodecim

Naturæ in creando thorace industria. Gal. 7 de vsu part. cap. 21.

Figura. Thoracis ossa. Galc. cap. 13. libr. de ossib. Gal. lib. 8. ana. admi.

sunt. Rarissime siquidem decimatertia visitur, atq; hac adhuc rarius vndecima, adeo vt inter mille vix vnum tali costarum numero reperias. Singulis enim thoracis vertebris, singulæ in ambobus lateribus costæ inarticulantur. Vt ridiculum plane sit, ac quorundam male feriatorum hominum, monachorum nimirum cõmentum, viros costa quapiam in altero latere destitutos, atq; vnius costæ numero a mulieribus superari. Aristoteles *lib. 1. de historia animalium, cap. 15.* haud dubie ex aliorum relatu, homini octo tantum costas tribuit, concessurus etiam quosdam gentis Turdulorum, cuius illic meminit, septem costis creari: si modo id alicuius probati auctoris testimonio ipsi cõstitisset. A

Aristotelis erratum.

Costæ veræ.

¶ Sunt itaq; plurimum vtrinque, *vt dictum est*, duodecim costæ, ac septẽ superiores pectoris ossi & vertebris dorsi articulantur, ideoq; Græcis γνήσιαι, Latinis *veræ, perfectæ, & legitimæ* dicuntur. Quinque autem inferiores solis vertebris annectuntur, ad pectoris vero os haud pertingunt, sed in thoracis lateribus desinentes, suarum cartilaginum finibus inuicem committuntur, duodecima duntaxat excepta, quæ ab vndecima penitus dehiscit, neq; aliqua ex parte ipsam contingit: id quod & vndecimæ nõ raro viu venit, decimæ cartilaginem tunc non attingenti. Quum itaque istæ costæ pectoris ossi, vt comprehensum est, non articulentur, fit vt Græcis νόθαι, καὶ ψοαὶ Latinis *spuriæ, & tenuiores, illegitimæ, imperfectæ, ac mendosæ* vocentur. B

Spuriæ.

Costarum substantia. Vesal. libro primo c. 19.

Omnibus costis commune est quod ossea cartilaginosaq; substantia cõstent, quodq; appendice ea sede, qua vertebrarum corporibus connectuntur, & in capitula protuberant, donentur. Ossea vero costarum substantia non omni ex parte sibi similis est. Vbi enim costæ vertebris articulantur, ac vbi dorsum efformant, solidiores, multoq; duriores sunt, quam in thoracis laterib., & iuxta pectoris regionem, vbi magis fungosa exstruuntur substantia, quę tenui squama seu lamina obducitur, atq; hæc illic demum tenuissima est, vbi in cartilaginem degenerat. ¶ Cartilago quoq; non parum vndique ostendit speciem. Inferiorum enim costarum cartilago mollior est, vnde etiam fortassis nõnulli illegitimas costas χόνδρους, quasi cartilagines dicas, vocari tradunt. Proin partes supra vmbilicum vtrinq; ad latera iam dictis spuriis costis subiectæ, Græcis & Latinis *Hypochondria* nominantur. ¶ Superiorum autem costarum cartilago durior est, solidiorque, ac in senibus intus ossea efficit. Id quod in canibus, simiisq; adeo est manifestum, vt Galenus verarum costarum cartilagines osseas, spuriarum vero exquisitas cartilagines dixerit. C D

Cartilaginea substãtia.

Hypochõdria.

Lib. octauo admi. ana. & cap. 13. de ossi.

Costis omnibus nõ par longitudo. Vesal. ibidẽ.

¶ Prętcrea non est omnium costarum par longitudo. Prima namq; & duodecima breuissimæ sunt, mox secunda & vndecima, quæ omnes breuibus donantur cartilaginibus. Sexta v. septima, & octaua longissimæ sunt, ac longissimos etiam obtinent cartilagines. ¶ Primæ costæ cartilago amplissima est, quemadmodum & prima costa ceteras quoque amplitudine superat, mox hanc secunda, & deinde tertia subsequuntur. *Duodecima* vero, & vndecima omnium sunt tenuissimæ, & in tenuissimas quoq; terminãtur cartilagines. Mediæ autem medio se habent modo, quarum cartilagines subinde in progressu ab ossea costæ substantia latiores efficiuntur. Quum enim cartilagines sex superiorum costarum interualla efforment, totoq; ductu ab inuicem æque distẽt, sextæ, septimæ, octauę, & nonæ interdum costarum cartilagines variè in progressu latescunt, inuicemque continuatæ interualla ipsarum suamet substantia implent. ¶ Ad hæc quinque spuriarum costarum cartilagines in acutum mucronem desinunt. Verarum autem haud item. Primæ enim costæ cartilago suo fine, qui pectoris ossi valide connascitur, amplior fit, quam qua primum ab ossea costæ substantia educitur. Secundæ ac tertiæ, triumq; subsequentium costarum cartilagines modice in progressu arctantur, & singulæ in tuberculum finiunt, quo pectoris ossi articulantur. E

Non par amplitudo.

Costarum lęuitas & asperitas. Costarum sinus. 4.5.6.7.8.9.

Costis non omni ex parte eadem adest lęuitas. Interna enim sede, qua membranam ipsam succingentem spectant, omnes læues, minimeq; asperę apparent. Tertia tamen, & q̃ illam ad decimam vsq; subsequuntur, in interna ipsarum sede versus humiliora sinũ ostendunt, ipsis secundum earum longitudinẽ exsculptum, non quidem per vniuersam costæ longitudinem conspicuum, sed maxime ea sede qua primũ a vertebris abscedũt, atq; in thoracis latera ferri incipiunt. Sinus iste paraẗ venę cauæ ramo, quẽ vena cõiugẽ carens costis exporrigit, deinde etiam hac vehitur arteriæ magnæ soboles, & neruus a spinali medulla p̃natus. Verum quia hæc vasa in mediis costis grandia sunt, ac pari semper feruntur serie, in tribus autem superioribus minima & errabunda dicuntur, non F

mirum

A mirum est medias costas iis sinibus ornari, superiores vero non item. Porro tres costæ humiliores, etiam si magna illis attenduntur vasa, quum tamen tenues & interna sede depressæ cernantur, etiam citra huiusmodi sinuum operam, illis vasis tutum iter præbet. Hic sinus vasis deducendis cælatus, inferiorem costæ partem acutiorem, tenuioremq; efficit, quam sit superior, quæ obtusior, magisque teres videtur. ¶ Externa costarum sedes, quæ gibba est, non omni ex parte læuis occurrit. Ea enim parte qua costæ vertebris alligantur, præterquam quod tubercula & capitula efformant, quibus vertebrarum inarticulantur sinibus etiam asperæ inæqualesque sese offerunt, quo aptius hinc ligamenta educantur costas vertebrarum corporibus, & transuersis earundem processibus colligantia. ¶ Præterea in hac externa costarum sede, vbi primum a transuersis vertebrarũ B abscedunt processibus, tuberculum quoddam asperum inæqualeq; visitur, tendinibus vndecimi dorsum mouentis musculi excipiendis paratum. ¶ Deinde qua costæ adhuc magis a transuersis vertebrarum abscedũt processibus, in hac posteriori externaq; ipsarum sede, asperæ inæqualesq; sunt, ac etiam veluti tubere quodã modice prominẽti donantur, vt in illas apta insertionis sedes eius musculi efficeretur qui in homine thoracem mouentium quartus est. Dein hęc asperitas non duntaxat illius musculi insertioni idonea est, imo etiam externi intercostales musculi hinc enascunt, qui hac iuxta vertebras regione non solum ab inferiori sede superioris costæ in humilioris costæ elatiorẽ enascuntur partem, verum etiam ab externa vnius costæ sede ad externam alterius hic exporriguntur. ¶ Reliqua vero regione costæ leues æqualesq; sunt, nisi forte quispiam eas C modice asperas in superiori & inferiori parte esse contenderet, a qua intercostaliũ musculorum pendet origo, in quamq; eorundem etiam insertio perficitur. Prima costa superiori sede, qua latissima est, priuatim aspera inæqualisq; cernitur, vt musculis dorsum mouentium quartus hinc principium opportune sumat. ¶ Costis omnibus non par ad vertebras obtigit articulatio. Nouem enim superiores duplici coarctantur articulo, vndecima autem & duodecima simplici, quemadmodum & decima quoque rarissime duobus articulis suæ committitur vertebræ. ¶ Ceterum costæ duobus nodis articulatæ duo habent tubercula, vnum quidem, quo sinui vertebrarum corporibus inciso inarticulantur: alterum autem, quo internæ sedi apicis transuersi processus firmantur. Atque D hæc tubercula sinibus qui vertebris insculpti sunt respondent. ¶ *Prima* igitur costa rotundo tuberculo primæ thoracis vertebræ corpori inarticulatur, ac deinde trãsuersum eiusdem vertebræ processum tantisper ascendit, quousque ipsius apici alio capitulo tuberculove articuletur. ¶ *Secunda* vero costa & septem subsequentes communi semper duarum vertebrarum corporum sinui non rotundo, sed instar obtusi anguli protuberante capitulo inarticulantur. ¶ Transuersis autem processibus pari modo cum prima coarctantur costa. Quanquam & hic quædam in articulis, propter sinus nõ eadem sede in transuersis processibus exsculptos differentia consurgat. ¶ Superiorum enim vertebrarum transuersi processus, suos sinus in humiliori parte internæ illarum sedis incisos gerunt. Inferiorum autem, in superiori parte. Mediarum vero vertebrarum sinus me- E dio se modo habent. ¶ Porro trium inferiorum costarum articulatio, quæ ad vertebrarum duntaxat corpus perficitur, sinibus quoque non admodum alte cauatis, neque valde protuberantibus capitulis fit. Atque hac ratione costæ vertebris committuntur. ¶ Ceterum pectoris os, quod Græcis, vt comprehensum est, στέρνον & στῆθος dicitur, aliam in quadrupedibus animalibus, aliam vero in homine constructionis rationem habet. ¶ Quippe in canibus, simiis, & aliis quadrupedibus pectoris os septem constat ossibus, non admodum inter se forma differentibus. In canibus tamen porcis, & ouibus inuicem conueniunt: in simiis vero & sciuris, propter clauicularum articulationem, primũ supremumque os aliquantulo ceteris amplius videtur. ¶ Septem hæc ossa latiora, quã profundiora crassiorave sunt, & qua inuicem committuntur nonnihil latiora, quam in F ipsorum medio exsistunt. Horum connexus cartilaginis interuentu interdum tã laxe perficitur, vt a vertebrarum compage modice differat. In harum commissurarum lateribus sinus vtrinque exsculpitur, cui cartilaginis, in quam costæ degenerant, tuberculum aliquod inarticulatur. Ad primi enim ossis cum secundo contextum, secundæ vtriusque lateris costæ cartilago articulatur. Ad secundæ ossis cum tertio commissuram, tertiæ vtriusque lateris costæ cartilago ipsius serie suorum ossium commissuris

Costarum asperũ tuberculum.

Costarum ad vertebras articulatio.

7. 8. 9.

Pectoris ossis descriptio. Quadrupedum.

coarctatur. Verum primi ossis lateribus primæ costæ cartilago adarticulatur, aut potius adnascitur. *Septimum* autem os, quod reliquis gracilius, magisq; teres est, in cartilaginē exacuitur, ipso osse latiorem, ensisq; mucroni quam simillimam. Atque huiusmodi sane pectoris ossis in canibus & simiis ratio est, quam Galenus spectauit. Neque est cur quispiam hoc loco aures præbeat Carolo Stephano, qui Galenum conficta quadam ratione excusare conatur, hac nimirum. Galenus antiquo more os pectoris totum in longū ad mucronatam vsq; cartilaginem in duas partes dissecuit, ideoque tria ossa in homine iam sex erant, quibus septimum adiecit, quod *ensiformem cartilaginem* appellauit. Nam si hac ratione ossa numerare licebit, ex vnoquoq; in corpore humano osse, duo, tria, vel plura etiā efficies, prout scilicet singula vel in duas, tres, aut quatuor partes dissecueris. Sed hanc numerandi ossa pectoris rationem Galeno ne per somnium quidem venisse in mentem, satis conuincit locus, qui est *in capite libri de ossibus iam citato*, vbi inter cetera sic scriptum reliquit. *Ossa pectoris, sunt numero septem, sicuti costæ quæ cum ijs articulantur.* Quibus verbis diserte innuit septem ossibus pectoris, septem quoq; costas articulari, quod fieri non posset, si tria tantum, vt Carolus putat, essent. Tres namq; cum tribus illis ossibus duntaxat costæ articularentur. Quare de ossibus simiarum ac canum loquutum esse Galenum fateamur oportet, in quib. vt sunt septem a se inuicem distincta pectoris ossa, ita etiam illis septem costæ articulantur. ¶ Verum si humanum pectoris os intuitus fueris, quemadmodum id cum aliorum animalium ossibus collatum breuissimum est, ita etiam multo aliter se habet. Nam in adultis tria fere tantum conspiciuntur ossa, prorsus inter se varia. ¶ Primum quidem insigniter amplum est, & nonnihil etiam crassum, ita tamen vt ipsius crassities ab amplitudine plurimum vincatur. Os id interna seu posteriori sede, qua thoracis respicit amplitudinem, modice cauum est, in anteriori autem gibbum, & in medio per ipsius longitudinem longe crassius, quam in lateribus. Videtur enim in anterioris sedis lateribus depressum, atq; vt apte primæ costæ cartilaginis crassitiei responderet extenuatum. In medio autem roboris gratia trianguli modo protuberans. Superior etiam ossis pars crassior ampliorque est inferiore, & vtrinque vno sinu longo, ac versus posteriora inciso, & cartilagine incrustato donatur, cui clauiculæ caput inarticulatur. In horum sinuum medio, prope extuberantia illorum interiora latera, hoc primum os in superiori hac sede lunatum cernitur, & veluti foueam ostendit, q̄ Græci σφαγὴν, Latini proprie *Iugulum* vocāt, vulgo autem *furculam superiorē*. Inferior ossis pars vtcunque aspera est, & secundo ossi cartilaginei ligamenti interuentu adeo laxe committitur, vt nunquam horum ossium lateat connexus, imo & ipsius quoque motus in magnis respirationibus interdum animaduertitur. ¶ Secundum os multo amplius est, quam crassum, superiori sede qua primo connectitur ossi, strictius est, quam prope inferiorem. At nullibi interim ęque amplum cernitur, atq; primi ossis elatior sedes. Qua vtiq; parte hoc os primo committitur, in vtroq; connexus latere sinus insculpitur, ambobus ossibus communis, & cartilagine incrustatus, cui secundæ costæ cartilago instar obtusioris trianguli verticis ꝓtuberans inarticulatur. Præter hunc sinum, præsens os vtrinque alios multos obtinet pari modo, instar obtusioris anguli insinuatos. Verum hi paribus interuallis ab inuicem nequaquam distāt. *Primus* enim in altero latere huic ossi propius sinus, qui tertiæ costę cartilagini paratur, a sinu secundæ costæ gratia inciso lōgius distat, quam secundus huius ossis peculiaris sinus, quartæ costæ gratia cælatus. Rursus plus interualli consistit inter secundum sinum & tertium, quam inter tertiū & quartum. Adeo vt sinus sextæ & septimæ costarum nomine in hoc osse sculpti, se inuicem contingant, vixq; mutuo remoueantur, & non tam alte, atq; superiores excauātur. Suscipit enim hoc secundum os priuatim tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, & septimæ costarū cartilagines, secundæ costæ cartilaginis modo protuberantes.

Præsens os in pueris ex plurimis efformatum videtur ossibus inuicem symphisi seu vnione, cartilaginis interuentu cōtextis. ¶ In cœmeteriis secūdum os integrū, & a primo disiunctum fere semper effoditur. Et si fortuito in secundo osse aliquam cōpaginis speciem, ac si ex pluribus constaret, obseruabis, ea potissimū apparebit, vbi tertiæ costę cartilago ossi articulatur, & deinceps vbi quartarum costarū cartilagines pectoris ossi adiunguntur. ¶ *Tertium* v. os exiguum est, & inferioris secundi ossis sedi interna parte eadē ratione committitur, qua primum secundo iungitur, illicq; secundo ossi nectitur, qua septimæ

Lib. 7. ana. admi. & ca. 13. libri de ossib. Caroli Stephani commentū exploditur.

Humani pectoris ossis descriptio. Vesa. ibi.

Primum os.

σφαγὴ. Iugulum. Furcula superior.

Secundum.

Tertium.

A septimæ costę cartilagines infimæ secundi ossis sedi articulantur. Hoc os modice amplũ est ac tenue, humilioriq; sede in mucronatã cartilaginẽ degenerat. Verum id nõ infrequenter deesse reperies, & mucronatã inde cartilaginẽ enasci cõspicies, vbi septimarũ costarũ cartilagines mutuo coeũt, secũdoq; pectoris ossis articulãt ossi. Tria hęc pectoris ossa simul iuncta manubrii alicuius gladii imaginẽ repręsentãt. *Primi* namq; ossis superior pars, quæ lata admodũ est, illi manubrii parti respõdebit, quæ sub paruo digito in apprehensione consistit. *Secundum* autem os illi parti congruet, quam manus tota intus complectitur, in qua sinus costarum cartilaginibus parati instar fouearum erunt, quib. digiti firmari possent. Atque huiusmodi foueæ cum pstarent vsum, quem in gladiis ex manubrii asperitate quærimus, quoties intortis nodosisq; funiculis, aut scabra piscis cute, manubriũ obduci curamus. *Tertium* os vna cũ cartilagine, reliquæ gladii parti posset assimilari. Hinc est quod nonnulli vniuersam hanc ossium struem ξιφοειδῆ, ab ensis imagine vocarint. Alii, qui canes potius, ac simias, quam homines spectarunt, mucronatam cartilaginem duntaxat hoc nomine dignati sunt, quod hæc scilicet gladii mucronis formæ accedat, ipsumq; canum pectoris os, ensis imagini non ita apte ac humanum os, cõferri queat. Barbaram sectantes medicinam *malum granatum*, quod scilicet vnius balaustii apicis imagini accedat, item scutum, clypeum oris stomachi, scutalem, cultralem, epiglottalemque, quod speciem laryngis operculi referat, appellant. ¶ Pectoris ossis substantia admodum fungosa mollisq; est, & anteriori sede magis continuą squama, q̃ posteriori obducit. Posterior enim sedis squama multis, inęqualibusq; donat foraminibus, quæ haud peruia sunt, sed vasis solum viam præbent, quibus id os nutrit. Atque hęc foramina in primo osse tanto magis sunt conspicua, quanto huius crassities secũdi crassitiem vincit. ¶ Est autem pectoris os illis costis, quæ orbiculatim thoracis amplitudinẽ efformant, stabiliendis pcreatum. Propugnaculi etiam vicem habet, eosq; vsus homini præstat, quos thoracis ossa. ¶ Cartilago v. in quam pectoris os exacuit, oris ventriculi, & partis septi transuersi, quæ illic est, postea quoq; cordis propugnaculũ exsistit. Porro costarum ossa quum primum a vertebris abscedunt, in posteriora deorsum obliquãtur, & hinc ad thoracis latera deorsum semper oblique versus anteriora declinant, quousq; in cartilaginem desinunt oblique ac circulatim sursum in anteriora porrectam: adeo vt costæ vbi cartilaginem primum educunt arcuatim, & in angulum quodammodo sursum flectantur.

Tertiũ os interdum desideratur. Forma. (margin B) Gal. ca. 13. li. de ossib. ξιφοειδῆς. Barbaræ appellationes. (margin C) Pectoris ossis substantia. Vsus. Mucronatę cartilaginis Gale. lib. 7. de vsu partium ca. 21. Costarum ductus. (margin D)

De osse cordis. Cap. XXIV.

OSsiculum quoddam ad basim cordis inuenit, vbi aortæ, venæ arteriosæ, earundemque membranarum habentur radices. Quare si quis detecto sinistro cordis sinu, & in longum toto arteriæ magnæ pcessu aperto, radices, aortæ & membranarum sequat, facile ipsum reperiet. Hoc tamen non vniuersis animantibus exactum os est, sed cartilago. In minutis enim leuiter cartilaginosum est, in grandioribus exacta cartilago, in valde grandib. cartilago ossea. Et quanto animantis genus corporis mole grandius vastiusq; fuerit, tanto plus osseæ substantiæ cartilago sortita est. Atq; in maximis vbi plus osseæ substãtię gignit, conuenit ipsum tunc appellare os cartilagineũ, nõ cartilaginem osseam. Eximiæ quidem magnitudinis os Galenus a corde elephantis Romæ iugulati se exemisse tradit. ¶ Vesalius noster hoc os nihil aliud esse censet, quam magnæ arteriæ, & arterialis venæ radices, a corde principium ducentes. Hæ enim vasorum radices perinde ad se mutuo sunt contermine, ac si duos circulos in puncto inuicem committeres cõtinuaresq; ita vt dexter circulus venæ arterialis esset radix, sinister v. qui amplior esset magnæ arteriæ. Vbi a. circuli mutuo committerent, is locus esset, quo hæc vasa suis orbibus simul connascuntur vniunturq; ac vbi optima cartilaginis consisteret portio, quæ oblonga & veluti teres esset, tota nimirum sede qua illæ radices inuicem committunt, & reliquæ interim circulorum portiones essent resectæ. ¶ Vt toto cœlo errent, qui cordis os instar ʌ aut ᴠ efformatum esse sibi persuadet. Proinde officulum illud quod e ceruorum cordibus exemtum officinæ seplasiariorũ iactitãt, aliud nihil esse Vesalius noster putat, quam grandius agni hyoidis ossis ossiculum, quod continuum est, & ʌ simillimum nisi quod dextrum crus etiam transuersim in hunc modum χ sinistrũ decussatim secet, & alterum crus altero breuius sit. ¶ Nostra ætas in cordis malis tanquam eximio aliquo medicamento ceruini cordis osse vtitur, idq; nullo veterum Græcorum exemplo.

Gal. libr. 7. ana. admi. Os cordis vt inuestigandum. (margin E) Vesal. li. 2. cap. 20. Dexter. Sinister. Figura ossis cordis, & anatomicorum lapsus. (margin F) Os cordis officinarũ quale. Vsus Medicus ossis cordis.

¶Posteriores autem Graeci. Actuarius praesertim, & Nicolaus Myrepsus, crebro in suis A
compositionibus ceruini cordis mentionem faciunt, perinde atq; Arabes ipsi, qui oēs
vno ore cor humanum, totius substantiae similitudine, os illud roborare fatentur.

De scapulis. Cap. XXV.

Scapulae nomina. Situs. Numerus. Nexus. Galen. cap. 14. lib. de ossibus. Vesal. ca. 21.

QVae Graecis ὦμος, ὠμοπλάτη, ἐπινώτιον, & simpliciter πλατὺ, Latinis *Scapula*; plerumque
etiam humerus; Celso *scoptulum apertum*, & simpliciter *Scoptulum*, vulgo & Barbaris
Spatula dicitur. Scapulę autem vtrinque singulę posteriori thoracis regioni versus supe-
riora innituntur, & occipitis ossi, ceruicis, thoracisque vertebris, costis, & ossi hyoidi,
musculorum duntaxat interuentu copulantur. ¶Occipitis quidem ossi beneficio se-
cundi scapulam mouentium musculi, qui etiam hanc multarum vertebrarū spinis cō- B
mittit. Tertii vero scapulam mouētium ope, ceruicis vertebris nectitur. Quintus vero
scapulam mouentium illam aliquot thoracis, & ceruicis vertebrarum spinis firmat. Co-
stis scapulam committit primus illam mouentium musculis, & thoracem mouentium
secundus. Ossi autem hyoidi, septimi eius ossis peculiarium musculorū ope scapula co-
pulatur. In hominibus, simiis, ac sciuris, & si quae alia clauiculis donantur, ex abundanti
ligamentorum auxilio, scapula clauiculis coarticulatur, clauiculaeque contermina est.

Forma. Galen. ibidem.

¶Porro scapula inaequalis admodum est, omniq; ex parte sibi dissimilis. Quippe pręter
varios ipsius processus, sinus, tubera, appendices, eiusq; generis reliqua, e quibus ossium
sumuntur differentiae, trianguli differentibus lateribus efformati imaginem quodam-
modo exprimit.

Primum latus. Vesal. ibidem.

¶Primum namq; ipsius latus, quod basim scapulae vocabimus, ea sca-
pulę sedes est, quę secundum dorsi longitudinem thoracis vertebrarum spinis proxime C
exporrigit. Basis haec obliqua constat linea, quae superius & inferius, versus corporis la-
tus oblique veluti in circuli connexum inclinata, in medio autem crebro paululum lu-
nata cauaque visitur.

Basis appēdices.

¶Huic basi plerunq; duae adnascuntur appendices, vna quidem q̄
grandior, crassiorq;, & longior est, ac perpetuo apparet, ad basisq; inferiorem consistit
angulum insigniter obtusum, ac veluti orbicularem. Altera vero appendix aliquantulū
sub superiori habet angulo, illiq; basis sedi coalescit, a qua scapulae spina principium du-
cit.

Spinae scapulae. Basis cartilago. Inferioris superiorisq. laterū differentiae.

¶Praeter has appendices etiam basi mollis quaedam cartilago adnascitur, eius carti-
laginum generis, quo ossium extrema nulli ossi commissa augeri solent. Atq; ita primū
scapulae latus basisve se habet. Duo autem reliqua, inter se variant. Inferius enim ab hu-
miliori basis sede admodū obliquo sursum in anteriora ducitur: superius vero deorsum D
nonnihil in exteriora fertur, quodammodo transuersim procedens. Duo haec latera in
angulum coeunt, & latiusculam scapulę partem suis extremis finibus continent, in qua
ceruix scapulae sinusq; conspicit', humeri caput excipiens, adeo vt haec sedes tertius sca-
pulae angulus futura sit: quandoquidem primum angulum superiorem basis angulum
numeramus, secundum vero humiliorem.

Tres scapulae anguli. Inferius latus.

¶Ceterum duo haec latera suis finibus tertiū
angulum constituentia, non solum ductu & breuitate inter se discrepant, verum etiam
crassitie. Inferius enim latus quo altius a basi sursum conscendit, eo crassius & insigniter
spissum efficit'. Natura enim huius lateris beneficio scapulae alioquin tenui & infirmae
magnum robur additum voluit, ac deinde secundario quibusdam musculis commodi
exortus locum pręparauit. Praeter id enim quod musculorum quorundam gratia huius E
lateris crassities internam scapulae sedem cauiorem reddit, & in externa sede seu gibbo,
veluti sinum efformat, ipsum quoq; in sua externa sede prope inferiorem basis scapulae
angulū compresione obtinet, ac deorsum quadantenus educit', vt musculus illic prin-
cipium sumeret, cuius ope brachium veluti a pectore reflexū, retrorsum ducitur. Quin-
etiam interna huius inferioris lateris sede iuxta ipsius elatiorem partem, qua id scapulae
ceruicem terminat, etiam oblongus aliquantulum asper, inęqualisq; conspicitur sinus
musculo principium porrigens, qui a scapula enatus cuti extēsionis auctor est.

Inferior costa. Superius latus.

¶Ceterū
inferius scapulae latus, inferiorem costam veterum Graecorum more appellabimus, qui
superius inferiusq; scapulae latera, πλευρὰς vocauerunt. Superius autem scapulae latus te- F
nue, minimeq; crassum est, ad eam vsq; sedem, qua scapulae ceruicis superior regio con-
sistit, interiorq; processus scapulae exoritur. Hac namq; sede superius scapulae latus im-
pense crassescit. Deinde priuatim huic lateri iuxta interioris scapulę p̄cessus radicem,
sinus quidam seu mediū foramē instar semicirculi insculpitur, viā porrigēs nerui quinti
paris

A hac vna cum venula arteriaq; posteriorem scapulæ sedem adeunt. ¶ Porro scapulæ ceruix, quæ inter superioris & inferioris scapulæ costarum fines habetur, crassa est, ipsaque scapula ex ampla tenuique sede inibi coarctata, & per latitudinem incrassata cernitur. Insignius adhuc extrorsum ducta ceruix, dilatatur, & vt ipsa oblonga est, ita etiam oblongum efformat sinum, inferiori parte circulari circumferentia terminatum, superiori autem parte in acutum magis exporrectum. Atq; id propter impressionem accidit, hic internæ ceruicis sedi factam, tendinis eius musculi ducendi gratia, qui intro antrorsumq; brachium circumuertit. Præterea sinus ceruicisq; scapulæ superior pars, in hoc pcerius extuberat, quo aptius hinc duo validissima huius articuli pronascerentur ligamenta, & externum quoq; caput eius musculi commode hinc principium duceret, qui cubitũ flectentium anterior censebitur. Hic scapulæ sinus cartilagine reliquorum articuli sinuum modo incrustatus, non admodum alte celat. Neq; etiam huius longitudo, & amplitudo respondent humeri capitis, q ipsi inarticulatur, longitudini & amplitudini. Quod sane in hoc articulo natura peculiariter machinatur. Quum autẽ natura hunc scapulæ sinum satis leuiter, laxorum motuum gratia, exsculpsisset, illumque non valde amplum longumque creasset, præter peculiaria huius articuli ligamenta, *de quibus suo dicemus loco*, & quosdam scapulæ processus, quos paulo post explicabimus, cartilaginem quandam ligamenti substãtiæ compotem in hoc sinu crebro effingit, qua sinum auget, profundioremq; efficit, nimiamque luxandi promptitudinem multum corrigit, parum interim laxissimos differentesque brachii motus, quibus maxime indigemus præpediens, in ambitu enim huius sinus ea cartilago ponitur, scapulæ interim, neque etiam humero connata, sed tantum ligamẽtis articulũ in orbem amplexantibus adnexa. Huius itaq; cartilaginis quotiescunq; reperitur, beneficio, sinus scapulæ profundior euadit, & interim cartilago impetui compressioniq; ossium facile cedit, laxum huius articuli motum minime cohibẽs. ¶ Processus vero quibus præsenti articulo Natura prospexit, duo censentur: quorum superior veteribus Græcis ἀκρώμιον, Latinis *summus humerus* appellatur. Siquidem Græci, procul dubio brachii ossis cum scapulis articulum, ὦμον nuncuparunt. Ac proinde ἀκρώμιον hunc processum, quod articuli superiorem constituat sedem, vocarunt. Superior hic processus a scapulæ spina pronascitur, atque ab ea discedens sensim magis magisque augetur ac tandem a scapulæ dorso iuxta scapulæ ceruicem abscedens, teresque quodammodo apparens, modice antrorsum fertur, insigniterque supra scapulæ cum humero articulum latus fit, & ampla donatur appendice. Eius pars omnis anterior, & posterior, & humilior, læuis, minimeq; aspera cernitur: superior autẽ ipsius sedes neutiquam læuis est, sed rudis, & foraminulis quibusdam non peruiis donata, musculorum quorundam, qui inibi inseruntur gratia. In anteriori pcessus sede sinus adeo leuiter & superficietenus insculpitur, vt num capitulum, num sinus sit ægre diiudices. Huic sinui modice prominens claiculæ tuberculum articulat, validissimisq; ligamentis cõstringitur. Interueniente hic plerunq; peculiari cartilagine illi prorsus simili q in maxillæ inferioris cũ superioris articulis inuenit. Is sane pcessus humeri ad superiora luxationem prohibet, & tutissimum humeri articulo operimentum ac propugnaculum est. Si enim ibi nihil ante articulationem esset locatum, nullo negotio a quouis extrinsecus incidente læderetur: facile quoq; caput brachii seu humeri ad scapulæ ceruicem transcenderet, vt quod nec profundam in se habet concauitatem, nec supercilia magna. Præterea musculorum insertioni & exortui eleganter famulatur. In hoc etiam iuuat, vt accedente clauicula humeri articulum a thoracis lateribus & costis quam longissime deducat, illumq; in eo situ conseruet, quo maxime ad suos motus, quos varios differentesq; admodum molitur, indiget. Inferior interiorve & minor processus, qui ampla radice ex superiori sede ceruicis scapulæ principiũ ducit, & hinc in latus antrorsum fertur, anteriori articuli parti versus superiora magis opposit⁹. Inferior huius pcessus pars exacte leuis est, ac instar antiquæ Græcorũ literæ C cauus, ob idq; σιγμοειδὴς illis appellatus. Alii vero ab imagine quam obtinet cum altera anchoræ parte, quæ terræ infigitur, ἀγκυροειδὴς est nominatus. Nonnullis autem, quod corniculæ rostri modo inclinat κορακοειδὴς vocatur. In superiori vero parte asper & inæqualis est. Nã in elatissima sui principii sede crassior est, & inæquali tubere prominet, cui clauicula fere incumbit ac innititur, & valide alligatur. In apice vero vbi appendicem habet, etiam asper est,

Ceruix scapulæ. Sinus humero excipiendo paratus.

Cartilago scapulæ sinũ crebro augens.

Scapulæ pcessus duo. Gale cap. 14. libri de ossi

Superior Ἀκρώμιον.

Σιγμοειδὴς

Ἀγκυροειδὴς.

Κορακοειδὴς

vt aptius internum anterioris cubitum flectentium musculi caput ab ipso exoriretur, & ligamentum humeri articulo peculiare hinc principium obtineret. Inter apicem vero & tuberculum, quo clauiculo pene suffulcitur, hæc superior processus sedes quoq; aspera exsistit, quo rectius ligamentum educeretur: hinc ad superiorem scapulæ processum ptinens. Quemadmodum autẽ hæc superior ꝓcessus sedes in hoc aspera est, vt oportune ligamenta illa, & hoc musculi caput ꝓduceret, ita etiam scapulæ ceruix orbiculatim foraminula quædam non peruia obtinet, ex quibus commoda validorum huius articuli ligamentorum pendet origo. ¶ Porro scapula interiori internave sede sima cauaq; est, vt commode costarum conuexis respondeat, ac super ipsas stabilita debite moueatur. Deinde etiam, vt oportuna hic sedes aptaretur musculo, qui totam anteriorẽ scapulæ sedem implens, intro antrorsumq; brachium circumuertit. Caua hæc scapulæ sedes leuis quidem est, sed non ex omni parte æqualis. Nam iuxta inferiorem ipsius sedem tubercula quædam habet, modice instar obliquioris lineæ extuberantia, quæ quodammodo sinus constituunt, ac si thoracis costæ, quibus scapula hac sede incumbit, temporis successu in scapulam comprimerentur, ipsaq; scapula illarum effigiem cedendo assumeret. Hi enim sinus, tuberaq; in senibus apparent magis, quam aut in pueris, aut iuuenibus, quibus omnia minus conspicue protuberant, excrescuntq;. Adhęc scapulæ anterior sedes ad radicem elatioris anguli basis scapulæ nonnihil ꝓtuberat, aptamq; regionem efficit, cui alter scapulam attollentium musculorum valide inseritur. Preterea scapulæ anterior sedes, qua summi humeri radici scapulęve spinæ respondet, insignius quã alibi excauatur. Inter reliquas interim scapulæ cauitatis sedes, ea maxime caua se exhibet, quę iuxta scapulæ ceruicem exsistit. Præter id enim, quod in posteriora a scapulæ spina extracta colligitur, hic etiam scapulæ collum impense crassum & introrsum protuberans, hanc cauitatem insigniter auget: quemadmodum & inferior scapulæ costa, q̃ quum crassa sit, huius quoque sedis cauitatem profundiorem reddit. ¶ Posterior seu externa scapulæ sedes insigni processu, veluti spina, adornata, si obiter videatur, gibba est; ꝙ hãc figuram iniuriis citra noxam ferendis accommodatiorem Natura haud ignorauerit. Verum si pressius hoc scapulæ gibbum contemplemur, duæ in ipsa cauitates occurrunt, musculis suscipiendis aptissimæ. *Vna* sub scapulæ spina inter spinæ inferiorem sedem, & extuberantiorem, crassioremq; inferioris scapulæ lateris partem cõsistit. *Altera* vero inter superiorem scapulæ spinæ sedem, & superius scapulæ latus habetur. Atque hanc quidem musculus occupat, qui brachium circumuertentium tertius est. Inferiorem cauitatem musculus, qui brachium circumducentium secũdus est, opplet. Porro etsi hæc externa posteriorve scapulæ sedes, tum scapulæ spinæ, tum ipsius laterum gratia, duas has cauitates ostendat, nihilominus vniuersa, quoniam extuberare videtur, scapulæ dorsum a veteribus, similitudinem a vero hominis dorso sumentibus, nuncupata est. Processum autem qui ab hoc scapulæ dorso enascitur, spinam vocarunt, ad vertebrarum posteriorum processuum siue spinarum imaginem respicientes. Hos itaque sequentes, externam scapulæ sedem dorsum nuncupauimus. Summi vero humeri radicem, seu processus scapulæ superioris partem quæ a scapulæ dorso enascitur, Spinam scapulæ vocabimus. ¶ Ceterum in omnibus animantibus brachii os seu humerus scapulæ articulat. Proinde si scapulas ex animali exemtas animo finxeris, neq; amplius esse, nullam rationẽ inuenies, qua humeri articulũ constituas. Nam necesse omnino erat, si brachium erat futurum, ipsius caput cauitatem ingredi, cuius cauitatis gratia & ceruix scapularum est enata, & quidam in eius extremo insculptus est sinus, magnitudine tãta, quanta capiti brachii articulãdo esset aptissima. Atq; hic sane primus ac præcipuus vsus est, ꝓpter quẽ natura scapulas fecit. Ex abundanti v. alius quidam accedit, nec ipse quidem exiguus, thoracis videl. q̃ illic sunt ac costis intectarum partium munitio & custodia. Nam partes ipsius anteriores tuemur, multo ante quæ occursura nocituraq; sunt ꝓuidentes, & anticipantes vel transilire, vt id quod ingruit declinemus, aut propugnaculum aliquod ante pectus obiicere, aut manibus quippiam quo defendamur assumere. Plerunq; autem solas ipsas vel nudas periculo obiicimus, satius esse rati ipsas parte quauis vulnerari, aut frangi, aut conteri, aut abscindi, quam q̃ læsurum sit ad pectus pertingere concedamus. Porro quum posteriori thoracis sedi, & anteriori æquale ab occursantib. periculum impẽdeat, eorũ v. quæ obesse possunt præcognitio in anteriori & posteriori regio-

Anterior seu costis proxima scapulæ sedes.

Posterior scapulæ sedes, seu dorsum. Spina.

Dorsum scapulæ. Spina.

Scapulæ vsus. Gal. li. 13. de vsu partiũ c. 10.

A regione nequaquam par sit, quum illic oculi non essent: oportuit sane & hic quoq; Naturam artificium quoddam machinari, posterioremq; thoracis sedem neutiquam negligere. Quocirca primum quidem quasi multiplex vallum vertebras thoracis ac dorsi compegit, & scapulas dein tanquam duos clypeos & scuta, firmissimosq; muros obiecit, quemadmodum fusius Galenus loco monstrato docet.

De clauiculis. Cap. XXVI.

IN vtrisq; lateribus *claues* siue *clauiculæ*, quæ Græcis κλεῖδες, Latinis vero *furculæ*, & *iugula* nominantur, singulæ consistunt, pectoris ossi & summo humero, seu superiori scapu- *Gal. cap. 15. li. de ossib. Nomina.*

B læ processui coarctatæ. Clauiculæ autem dicuntur, quod pectori & scapulæ vtrinq; iunctæ, brachia clauium instar confirmant, claudunt, ac retinent, ne motu quodam inordinato facile dissilire, ac loco moueri possint. ¶ Pectoris vero ossi in illis articulant sinibus, quos in primi ossis summæ sedis lateribus exsculptos capite 23. diximus. Ac quemadmodum sinus illi oblongi sunt, ab anterioribusq; partibus deorsum in posteriora ducti, & antica sede quam postica latiores, internoq; latere profundiores quam externo cernuntur, ita quoque se habent clauicularum capita pectoris ossi connexa. Hæc enim sinuum modo oblonga sunt, ac depressa. Et si quis accuratius eorum circumscriptionē animaduerteret, illam quodammodo triangulam iudicaret. *Vnus* enim angulus in anteriori capitis parte ad humiliora consistit vtrinq; obtusus. *Secundus* etiam obtusus est, *Clauicularum ad pectoris os articulatio. Vesal. li. 1. cap. 22.*

C in superiori capitis parte nonnihil versus posteriora cōspicuus. *Tertius* acutior, longiorq; est, in posteriori sede repositus, deorsumq; declinans. ¶ Porro clauiculæ caput multa cartilagine incrustatur, læueq; est, cartilagine tamen vna cum tenuissima appendice effracta, caput asperum inæqualeque cernitur. Verum etsi caput cartilagine non minus, quam & pectoris ossis sinus abundet, nihilominus tamen Natura hic cartilaginē effinxit, qualis priuatim in inferioris maxillæ ad superiorē articulis reponitur. Inter pectoris enim ossis sinum, clauiculæq; caput cartilago quædam adeo ampla interuenit, atque capitis & sinus est amplitudo. Hæc tenuis vndiquaq; est, atque æqua omni ex parte cōstat crassitie, & qua sinum respicit, admodum læuis est & vnctuoso humore perfusa, sinuiq; seu pectoris ossi nusquam connata. Item qua cartilago clauiculę contingit caput, *Peculiaris cartilago articulationis clauiculæ cum pectoris osse.*

D pariter læuis est, & lubrica, capiti interim non connata, sed tantum ligamentis articulū in orbem amplexantibus: adeo vt hæc quoq; cartilago non minus triangula sit, quā clauiculæ caput pectoris ossi articulatum. ¶ Clauicula ab hoc cum pectoris osse articulo, non recto tramite ad alterum ipsius porrigitur articulū, quo scapulæ superiori processui cōnectitur. A pectoris enim osse ꝓcedens, extrorsum sensim curuatur, & anteriori parte gibba, posteriori vero concaua efficitur. Verum ilico post medium ipsius longitudinis contrario ductu procedit. Introrsum namque curuatur, & gibba fit, anteriori autē sede concaua videtur, in anteriora insigniter illic prominens, vbi superiori scapulæ ꝓcessui proxima est, adeo vt bis gibba, bisque caua reddatur. Pars enim ipsius pectoris ossi contermina, & παρασφαγὶς Græcis dicta, retrorsum seu ad thoracis interiora magis pertinet. *Clauiculæ curuitas & figura. Gal ibid. Παρασφαγὶς.*

E Quæ autem superiori scapulæ processui articulatur, ac ἐπωμὶς Græce, *Iulio Polluce auctore*, nuncupatur, antrorsum vergit, & ab interna thoracis sede extrorsum remouetur, clauicula interim in medio ductu obliquata. Est itaque gibba anteriori sui parte, in anteriori nimirum pectoris sede, non procul ab ipsius cum pectoris osse articulo, cauaque est parte sua interna. Non procul vero a summo humero anteriori parte insigniter, breuique flexu caua cernitur, posteriori autem parte, gibba & conuexa. Sed animaduertendum hoc loco erit, nos paulo ante, quum de Epomide ageremus, non temere adiecisse, *Iulio Polluce auctore*. Is enim citato loco ait, κλειδῶν τὸ μὲν πρὸς ὠμοπλάτας, ἐπωμίς: *Clauicularum pars quæ scapulæ articulatur, epomis dicitur*. Galenus vero *lib. 1. de articulis, comment. 4.* *Επωμίς. lib. 2. onomasticon.*

F non clauicularum, sed scapulæ partem superiorem ad ceruicē protensam ita nominat. Verba eius sic habent, ἐπωμὶς δὲ τὸ ἐπάνω τοῦ ὤμου μέρος ἐπιτεινόμενον ὡς ἐπὶ τὸν τράχηλον. Iulius autē Pollux eodem in libro eminentē quoq; brachii partē *epomida* vocat. Sed pręstat eiusdē verba subiicere, τὸ μὲν ὑπερέχον, inquit τοῦ βραχίονος ἐπωμὶς λέγεται. Iudico a. illū per eminentē brachii partē scapulę superiorē partē intelligere. Quare si nō fallor, idē per epdomida, q̃ Galenus intellexit. Id q̃ monendū esse duximus, vt lector in Epdomidis descriptione nō per omnia veteres cōuenire sciret. ¶ Porro horum, quæ diximus, nullum temere &

Curuitatis vsus. Vesalius ibidẽ.

frustra a rerum opifice factum est. Vbi enim clauicula iugulum spectat, merito posteriori seu interiori parte caua est, quum hac asperam arteriam, stomachum cum sexti paris neruorum cerebri neruis, & in primis insignes neruorum series a spinali medulla axillã petentes ferri oporteret: quibus potissimũ neruis clauicula viam porrigit: & propugnaculi etiam loco præfigit. Quia v. a iugulo, aut potius a suæ longitudinis medio clauicula in posteriora porrigit, neq; alicuius vsus gratia hæc in anteriori sede gibba esse debuit, necessario rursus iuxta superiorẽ scapulæ processum antrorsum vergit, vt scil. processus illius partem cõtingat, & eidem apte coarticulet. ¶ Tantum autem hic antrorsum porrigit, quantum retrorsum abscesserat ipsi⁹ gibba parte in illius posteriore sede, quæ non procul a summo humero distat. Si enim clauicula a suæ longitudinis medio duntaxat in posteriora tenderet, ad colli latera prorepens, neque elatiori scapulæ processus apici articularet, nihil profecto prohiberet, quo minus os latum scapularum nusquam stabilitum ac firmatum thoraci incideret, coarctaretque ibi humeri articulum, multosq; brachii motus impediret, quod varie ob id potissimum potest moueri, quod a thorace plurimum ipsius cum scapula articulus distet. Si enim articulus ille thoracis costas contingeret, vel quauis ratione ipsis proxime, quemadmodum in quadrupedibus, locaret, ipsas manuum circulationes & iactationes ad pectus, dorsum, collum, & ilia nequaquam moliremur: sicuti accidere nouimus, quum luxatus humerus in costas procidit, vel scapula instar alæ ob effractam clauiculã dependet. Ne igit adeo necessariis destitueremur muniis, Natura humeri articulũ a thorace plurimũ distare voluit. Quod sane pstitit superiori scapulæ pcessu, qui ita producit, vt clauiculæ beneficio a pectore detrusus, sustẽtet ac stabiliat, ipseq; articulus hac occasione procul a thorace disiungit. Articulatur v. clauicula huic pcessui nimium extuberanti tuberculo latiori q̃ longiori, & nonnihil obliquo: talisq; hic cõsurgit articulatio, vt quodnã os suscipiat suscipiaturve, diiudicare vix queas. Clauiculę pars, q̃ superiori scapulæ pcessui cõnectitur, latiusculaẽ, veluti & pcessus quoq; lat⁹ amplusq; cernit. Præterea hæc clauiculæ pars, vt & illa, q̃ pectoris ossi committit, intus fistulosa, magisq; rara est, quam reliqua clauiculæ portio: q, videlicet hę partes etiam crassiores spissioresque sint, & ossa intus tanto semper fungosiora, quanto crassiora, & ampliora cernant. Ipsa enim clauicula in suæ longitudinis medio solidissima est, q etiã hic sit tenuissima, quodammodoq; teres. In humiliore n. ipsius parte veluti lineam ptuberat, q̃ incipit non procul a clauiculæ capite, quod pectori articulat, iuxta medium posterioris & anterioris eius capitis angulorũ. ¶ Pertingit a. hæc linea paululũ vltra clauiculæ longitudinis mediũ, in hoc parata, vt musculus thoracẽ mouentium primus ab ipsa principiũ duceret. Iuxta huius lineæ principium prope caput clauiculæ asperitas sinuosa cõspicitur vnde validũ pgnascitur ligamentũ clauiculã pectoris ossi illic colligãs, qua ipsi primæ thoracis costæ cartilago cõnascitur. Quinetiã ad aliud huius lineæ extremũ altera occurrit asperitas, & veluti asper sin⁹ quidã, quo clauiculę tuberculo radiciq; interioris scapulæ processus pene incũbit, ac a quo ligamentũ promitur clauiculã illi tuberculo pertinaciter colligans. Porro inferior hæc clauiculæ sedes, vbi linea illa definit, clauiculaq; ampla visitur, sinuosa fit, & aspera, idq; potissimũ iuxta cõnexum clauiculæ ad superiorem scapulæ processum, vbi ligamenta articulũ hunc continentia validiora quam superiori sede enascũtur. Superior clauiculę totius regio læuis omnino est, pręterquam iuxta ipsius articulos, vbi ligamentorum & musculorum producendorum gratia, nonnihil aspera est. Adhæc in anteriori clauiculæ sede, vbi retrorsum inflectitur, & vbi non procul ab ipsius cum superiori scapulę processu articulatione caua visitur, etiam asperitas notatu digna consistit musculo brachiũ attollenti parata, cuius principii magna pars hinc pronascit. In posteriori clauiculę sede nihil q nõ dictũ sit, inæquale occurrit, pter quoddã tuberculum hic protuberans vbi clauicula inibi maxime gibba est, idq; tuberculũ veluti illi⁹ gibbę sedis angulum constituit, ligamentumq; ad anteriorem scapulæ processum educit. Porro interdum duo, interdum tria in maxime solida clauiculæ parte, & potissimum in posteriori ipsius sede videntur foraminula, in hoc parata, vt venulas transmittant clauiculam enutrientes.

A B C D E F

Cur clauicula scapulæ superiori processui connexa.

Gal. libr. 13. de vsu par. ca. 10.

Clauiculę ad summũ humerum nexus. Vesalius.

Clauiculæ substantia.

Capita.

Asperitates

Læuitates.

Foraminula.

De humero, seu brachij osse. Cap. XXVII.

Lib. 8. ca. 1. Nomina. Superior humeri pars.

HVmerus, *vt Celsus nominat*, seu Brachii os, est id os, quod scapulæ & cubito articulatur. Græcis βραχίων, Latinis brachiũ, Barbaris Adiutoriũ brachii appellatur. Summa eius

A eius pars, qua id scapulæ articulatur, admodum magna constat appendice, quæ in duo dirimitur capita. Quippe hæc interna ipsius sede amplum, & in ambitu orbiculare, & paulo minus quam medii globi modo protuberans efformat caput, quod læue æqualeque est, & cartilagine incrustatum scapulæ sinui articulatur. Hoc caput appendicis internum latus constituit. ¶ Ceterum appendicis externum latus, quodammodo in aliud asperum & inęquale protuberat caput non quidem articulationi cuipiam erectum, sed duntaxat collis modo prominens, in quem valida multaq; ligamenta humerum scapulæ nectentia implantantur. Caput itaq; internum articulationi subseruit, externum autem ligamentis excipiendis adaptatur. Hæc vero duo capita amplus quidam, patulusq; sinus orbiculatim ab inuicem dirimit. In quem vtique sinum orbiculatim ductum, & in anteriori humeri sede magis, quam in posteriori patulum, seu amplum profundumque tanquam in vallem ligamenta inseruntur. In caput vero externum, quod hoc sinu ab interno distinguitur, ligamenta veluti in collem & promontorium aliquod insertionem moliuntur. Quemadmodum autem omnium ossium sedes, in quibus aliquid inseritur, aut principium ducit, asperæ inæqualesq; sunt: sic quoque & præsens sinus vna cum externo capite asper inæqualisq; cernitur. ¶ Porro præterquam, quod hoc externum caput inæqualiter prominet, variumq; est, alio quodam sinu veluti in duo rursus capita diuiditur, in anterius nimirum, & posterius, quod anteriori multo grandius est. Sinus iste paululum versus exteriora in anteriori appendicis sede cælatus, insigniter profundus, longus, & secundum cauitatem ad amussim teres perinde est ac corpus cuius gratia insculpitur, quod externum caput est musculi cubitum flectentium anterioris. Ceterum hic oblongus sinus non tantum ad appendicem pertinet, verum etiam ad eam humeri ossis sedem, cui appendix coalescit, & quæ humeri ceruicem perquam breuem, & impense crassam constituit. Atque ita superior humeri pars scapulæ contermina se habet.

Vesal. libr. 1. cap 23.

B

C

Inferior humeri pars.

Inferior autem eiusdem pars, quæ duobus in cubito exsistentibus ossibus vlnæ nimirum & radio articulatur, longe magis varia est, tum sinuum, tum capitum, ac tuberum copia, & imagine. Quippe primum in medio inferioris humeri sedis, sinus cum suis tuberibus talis prorsus conspicitur, qualem in trochleæ rotula est cernere, ad quam funes voluuntur. ¶ Quemadmodum enim rotula trochleę rotunda, orbicularisque in ambitu est, in lateribus autem plana & lata: sic etiam in hac humeri sede orbicularis rotundaque conspicitur pars, quam nullæ imagini propius, quam rotulæ assimilaueris. Deinde vt rotula in ambitu, cui chorda, funisue aduoluitur, sinu quodam tereti & læui, ac lubrico exsculpitur, & sinus huius latera vtrobique protuberant, funemq; in se quo minus aberret amplexantur: ita etiam hæc humeri pars in medio sinuata est, & vtrinque protuberat. In hoc tamen ab exquisitæ rotulæ tuberibus differt, quod perpetuo fere sinus rotulæ latera æqualiter exporriguntur. Hæc autem humeri pars interno latere admodum insigniter prominet, & ad amussim rotulæ respondet, externo interim latere multo minus educto. Ad externum enim latius aliud caput constituitur, cui radius inarticulatur, quod muri vice censeri potest, prohibentis vlnam extrorsum a sua orbita luxari. Est & aliud humeri rotulæ cum veris discrimen, quod non ad omnem ipsius partem vlna similiter ac funis ad rotulam circummoueri queat. Etsi enim in superiori medioq; orbitæ sede humeri os insigniter sinuatum sit, longeq; tenuissimum, & squamę modo pellucidum, tamen nequaquam est peruium, idque magni vsus gratia. Summus enim rerum Opifex ad hanc humeri orbitam vlnam flecti & reflecti voluit, ita sane rotulam parauit, & ipsi etiam vlnæ sinus, tuberaq; & processus elargitus est, vt cubitum flectere & extendere possimus, & tamen in iis motibus robore non destituamur: quod sane periret si in superiori rotulæ sede humerus esset peruius, nihilq; esset in quo vlna in extrema extensione firmaretur, sed funiculi modo citra renixum, basimq; & obstaculum obuolueretur. Exsculpsit itaq; natura in superiori rotulæ huius sede duos insignes sinus, vnum quidem anteriori in parte, alterum vero in posteriori, qui multo amplior, profundior, & quouis modo insignior est anteriori. Sinus ii quasi squama duntaxat dirempti, vlnæ acutos processus, quos κορώνας Græci, *quod* scilicet *rotundi sint*, vocant, excipiunt. Atque horum anteriorem, quum cubitus flectitur, anterior sinus admittit, cum vero extenditur cubitus, posterior sinus posteriorē vlnæ processum excipit. Quia vero præsentes sinus in cubiti motibus, veluti bases, & obstacula sunt, quæ

D

E

F

Gal. lib. 2. de vsu partium cap. 14.

Gale. cap. 16. libr. de ossi.

Gal. lib. 2. de vsu partium, cap. 15.

vlnam non vltro ferri sinunt, Hipocrates eos βαθμίδας nuncupauit. Humeri vero orbita a quadam cardinum imagine eidem γιγλιμοειδὴς dicta est. ¶ Ad externum humeri orbitæ latus rotundum & oblongum quodammodo habetur caput, quod similiter atq; orbita, cartilagine incrustatum & læue, radii cum humero articulationi subseruit, & in radii superiorem sinum subintrat, radiusq; ad id caput in pronum & supinum mouetur. *Deinde* capitis longitudo, quæ a superiori ipsius parte ad inferiorem secundum humeri longitudinem metitur, in caussa etiam est, quod in cubiti extensione ac flexione, caput id a radii sinu, qui rotundus, non autem oblongus est, haud elabatur aberretue. Atq; hac etiam occasione tota capitis pars cartilagine obducta, anteriorem humeri sedem spectat, nihil prorsus in posteriora erectum, quod in nulla cubiti extensione radius posteriorem humeri sedem adeat. Verumtamen ad externum huius capitis latus, humerus insigniter protuberat, montis rupisq; imaginem ostendens, in hoc paratam, vt quam plurimi musculi hinc opportune principium ducant. Ab hac enim humeri sede, & acuta linea quæ ab hoc tubere sursum aliquo vsque secundum externum humeri latus conscendit, sex enascuntur musculi, qui suis locis in secundo recensebuntur libro. In posteriori huius externi humeri tuberculi seu tuberis sede iuxta externũ latus orbitæ humeri sinum obtinet, qua quartus brachium adeuntium neruus vehitur. ¶ Ceterũ vt externum hoc humeri latus protuberat, ita quoq; & internum latus musculorum quoq; & neruorum ratione insignem acutumq; processum seu tuberculum adipiscitur, nullius articulationis gratia, veluti externum cui radius articulatur, prominens. Nam præter musculos, quorum suis in locis mentionem faciemus, duobus cubitum adeuntibus neruis hoc tuberculum internum idoneam efformat sedem, ipsisque propugnaculi loco censendum est. In anteriori enim ipsius sede iuxta humeri orbitam, sinum leuiter exsculptum ostẽdit, quo tertius brachium petentium neruus dirigitur. In posteriori autem ipsius sede, alio sinu, quintum brachii neruum deducit. ¶ *Porro* mediæ humeri partes secũdum longitudinem teretes quodammodo sunt, verum posteriori sede magis, quam anteriori ampliores & depressę. Anterioris enim sedis medium, quodammodo secundum longitudinem protuberat, & vtrinq; hæc anterior sedes compressa videtur. Latera vero humeri magis, vt & anterioris sedis medium, protuberare quam deprimi conspiciuntur: idq; accumbentium musculorum ratione. Ex abundanti autem, in posteriori humeri sede iuxta ipsius longitudinis medium, quædam apparet compressio, ad quam neruus manum adeuntium quartus ab interno brachii latere per posteriora in externum latus oblique deorsum repit. Asperitas autem, quæ in anteriori humeri sede versus exteriora, & supra medium ipsius longitudinis consistit, in hoc parata est, vt validior musculorum brachium mouentium hic succederet insertio, & posterior cubitum flectentium musculus hinc idoneum educeret principium. Præter hanc asperitatem alia occurrit iuxta sinum quo externum musculi caput vehitur, qui cubitum flectentium anterior est. Foramina notatu digna in humero nulla occurrunt, præter pauca iuxta sinuum & tuberculorum supercilia, in hoc facta, vt hinc ligamenta validius educerentur, aut eadem hic implantarentur. Sunt etiam nonnulla, sed rara foramina, in humeri longitudine conspicua, & venis admittendis potissimum in ipsius interno latere cælata, atq; in amplum medullæ asseruandæ gratia sinum, & ossis leuitatis occasione paratum, pertinentia.

Inferioris humeri capita. Vesalius.

Mediæ humeri partes.

A B C D E

De cubiti ossibus, vlna, & radio. CAP. XXVIII.

Galenus cap 17. libri de ossibus.

Cubitus. πῆχυς.

VNiuersa pars inter brachia, humerumue, & brachiale sita Græcis πῆχυς, ὠλένη, καὶ ὤλενον, Latinis *cubitus* nominatur. Hæc duobus ossibus, inuicem incumbentibus & coarticulatis constat, quorum inferius, quod & longius est, Græcis quoque πῆχυς, Latinis *cubitus* vocatur. Ne autem homonymia nobis aliquid obscuritatis pariat, præstabit integram e duobus illis ossibus exstructam partem *cubitum* appellare, priuatim vero inferius quidem os *Vlnam*, superius vero, quod κερκὶς Græcis dicitur, *Radium*. ¶ Vlna barbaram sectantibus medicinam *focile maius*, contra Radius, *focile minus* vocatur. Duo hæc ossa longa sunt, & omni propemodum ex parte inter se varia. Vlna enim ad humeri orbitam rotulamue aptis in hoc exsculpta sinibus, & idoneis donata processibus articulatur. In superiori namque ipsius sede, qua admodum crassa, solidaque est, duos insignes adipiscitur processus, quos κορώ-

Vlna. Vesal. li. 1. cap. 24.

Vlnæ ad humerum articulatio.

Vlnæ processus duo

F

ναι

A ναι Græci, vt comprehenſum eſt, vocant, gibberoſos quidem foris, cauos vero intus. Galenus ibidem & lib. 2. de vſu partiū cap. 14.
Vnum ſane ex anterioribus & ſupernis eius partibus, qui minor certe eſt, & ſinum in anteriori humeri ſede ad elatiorem rotulæ regionem exſculptum ſpectat, ſuiſque tuberibus illi ad amuſſim congruit. ¶ Alterum vero ex poſterioribus & inferioribus partibus ipſius, priore multo craſſiorem & ampliorem, ſinum in humeri poſteriori ſede ad elatiorem rotulæ regionem exſculptum profundiorē & ampliorem ſubintrantem. Quem quidem Athenienſes ὠλέκρανον, Hippocrates vero ἀγκῶνα, Latini nonnulli interpretes *gibberum* nominauerunt. Quas certe omnes diligenter conſiderare oportet voces propter Latinos Galeni interpretes quoſdam, qui magno horum conuerſiones legentium incommodo, illas mirifice confundunt, dum vnica cubiti voce non ſolum hunc maio-
Minor ſeu anterior. Maior ſiue poſterior.

B rem proceſſum, ſed & vlnam, & totam inter brachium & brachiale repoſitam partem, & humeri cū radio articulationem, reddunt. Ceterum in horum vlnæ proceſſuum medio, qua ſe inuicem e regione ſpectant, grandis exſculpitur ſinus humeri rotulam excipiens, ſimilis literæ Græcorum C, aut noſtræ C, imaginem referens, qui ob id veteribus Græcis σιγμοειδὴς eſt nuncupatus. ¶ Sinus autem iſte non obiter tantum C, modo exſculpitur, verum ad amuſſim humeri rotulæ vt reſponderet, in ipſius medio tubere obtuſo amploque protuberat, quod ſecundum ſinus illius longitudinem fertur, & vtrinque ad latera ita comprimitur ſinuaturque, vt funi chordæue, quæ ad trochleæ rotulam voluitur, poſſit conferri. Quemadmodum enim teres chorda, rotulę ſinui pariter ſecundum concauum tereti inuoluitur, ita quoque hoc vlnæ ſinus tuber ſinui rotulæ conuenit, &
Sinus Sigmoedes. Veſalius.

C depreſſa ſinuataq; rurſus tuberis latera, rotulæ ſinus extuberantibus ęquantur lateribus. Vniuerſus hic vlnæ ſinus læuis eſt, & cartilagine incruſtatus, & vna cum ſuis proceſſibus rotulę ita comparatus, vt ſi vel minimum quid, aut magis extuberare, aut profundius inſculpi, aut ampliari, aut ſtringi illum finxeris, ilico vniuerſam læſeris articulationem, in hoc duntaxat affabre conſtructam, vt eius ope ac beneficio cubitus flectatur, & extendatur, citra luxationis periculum. Ad quod non ſolum ſpectatu iucundiſſimus ille qui mutuo ingreſſu perficitur oſſium contextus opitulatur, verumetiam ligamentorum articulum ſtringentiū robur. Vt enim valida articulum ambirent ligamenta proceſſuum ſedes ſinum non reſpiciens, aſpera inæqualiſq; eſt. Quanquam non ligamentorum tantum, ſed & muſculorum nomine proceſſus aſperi cernantur, qui quales ſint, libro ſecun-
Proceſſuū aſperitas.

D do exponemus. Ad hæc vt validioribus ligamētis hic articulus amplexaretur, in infima vlnæ ſinus C, literam referentis ſede, vtrinque ad latera ſinulus inſtar anguli cuiuſdam imprimi cernitur, & ipſe ſinus a ſua circumferentia inibi deſinit, aſperque redditur, non alia ſane occaſione, quam vt ex hac vlnæ parte foraminulis non peruiis obſita, ligamentorum fortium pēderet exortus. Atq; in hunc modum vlna humero articulatur. ¶ Radius autem, vtrinque tenuis eſt, & ex oblonga tenuiq; ceruice in amplum orbiculatumque porrigitur capitulum, quod ea parte qua humerum ſpectat, ſinum habet rotundum, & non ample cauum, quem humeri caput ſubintrat. Ad hoc caput radius in pronum ſupinumque agitur, atque interim quo minus cubitus flectatur, extendaturque radii cum humero articulus nequaquam obſtat: quinimo radii ſinus ad id humeri caput
Radii ad humerum articulatio. Galenus cap. 7. libri de oſſibus.

E quoq; inflectitur, & extenditur, ad quod præcipue iuuat humeri capitis longitudo: amplaq; ipſius ſedes cartilagine incruſtata, quæ nunquam a radii ſinu in cubiti motibus abſcedit. Ceterum vlna a ſuo cum humero articulo deorſum recta quodammodo verſus brachiale fertur, ſenſim gracileſcens, tenuiorque tantiſper facta dum ad brachiale vſq; pertingat. Illic enim ex tenui longaque ceruice rurſus nonnihil aucta, appendice donatur inſtar capituli cuiuſdam rotunda, ſed interim varia. Hæc namq; inferiori ipſius parte proceſſum obtinet, quem quia in acutū procedit, Græci diſſectionis periti, a ſcriptorii ſtyli, aut columnæ imagine γραφοειδῆ, & στυλοειδῆ nominãt, in hoc formatum vt ſinum adaugeat, quo brachiale ad cubitum articulatur, vtq; ab ipſo ligamentum articulum continens pronaſcatur. ¶ Inferior igitur vlnæ appendicis ſedes brachiale reſpiciens, ad in-
Vlnæ ad brachiale ductus. Galenus ibidem. Γραφεῖον ſtylus. Στῦλος, columna Veſalius.

F ternum latus acuti illius proceſſus inæqualem quēdam nanciſcitur ſinum, in quem cartilago firmatur, quæ a radio pronata magna ex parte ita inter brachiale & vlnam repoſita eſt, vt neque brachiali, eeque vlnæ adnaſcatur, eiuſque generis cartilago eſt, quæ priuatim in maxillæ inferioris ad ſuperiorem articulis, & in clauicularum cum contermínis oſſibus nexu continetur. *Porro* ſi ſinum illum adpendicis vlnæ exceperis, tota ſedes

brachiale spectans, ad eum modum cartilagine incrustatur, quo sinus capitaque articulorum obduci læuigarique solent. ¶ Præter hunc sinum appendix vlnæ, in externa ipsius sede sinum sibi insculptum gerit, qui oblongus, & teres est, tendini paratus, eius musculi qui postbrachiali ante paruum digitum insertus, brachialis extensionis auctor habetur. A

Qui vlna per ipsius longitudinem se habeat.

¶ Ceterum præter hanc appendicem, vlna per ipsius longitudinem impressiones quasdam, musculorum gratia factas & trium linearum instar tubera, quæ ligamentorum ergo hinc pronascentium creata sunt, obtinet, de quibus omnibus in secundo libro differemus. Studio autem nunc omisimus, quod breuibus explicari nequeant. His igitur præteritis, ad radii enarrationem accedamus.

Radii obliquitas.

¶ *Radius obliquus* est, quatenus vlna recta. Is namque supra infraque vlnæ committitur, in medio autem, ac per reliquam longitudinem ita arcuatim obliquatur, vt admodum ab vlna dehiscat. Quod partim motus ratione perficitur, vt obliquo scilicet ductu radius vlna suffultus, in pronum supinumque prompte ageretur: partim quo apta sedes & fundamentum musculis cōstitueretur, quos necessario internam externamque cubiti sedem occupare oportuit. B

Radii ad vlnam articulatio.

¶ Articulatur autem radius vlnæ supra infraq; differenti omnino articulo. Supra enim vlna radium excipit, infra vero a radio vlna excipitur. Ad externum itaque latus anterioris vlnæ iuxta humerum processus, sinus quidam instar quartæ circuli partis transuersim exsculpitur, læuis & cartilagine incrustatus. Huic sinui internum latus capitis radii, cui sinus insculpitur humeri externum caput excipiens, apposite congruit, ac læue & orbiculatum sic factum, in illo sinu voluitur. Infra autem iuxta brachiale, vbi radius crassescit dilataturque & insigni appendice donatur, huius appendicis humillimæ sedi sinus insculpitur, illi non absimilis, quem paulo ante in vlnam incisum retulimus. C ¶ In hunc sinum cartilagine incrustatum superior appendicis vlnæ sedes capituli modo protuberans, cartilagineque obducta, reuoluitur: hacque ratione radius vtriusque articuli beneficio tantummodo in pronum supinumque agitur. Non procul a superiori articulo, vbi radii ceruix consistit, radius asperum abruptumque educit processum, qui internam cubiti sedem respicit, & insertioni anterioris cubitum flectentium musculi aptam sedem parat.

Radii per ipsius longitudinē læuitas & asperitas.

Rursus reliquo ab humero versus brachiale ductu, radius nō omnino teres & læuis est. ¶ Verum per ipsius longitudinem humiliori sua sede acutam & insigniter extuberantē producit lineam, quæ tertiam vlnæ lineam respiciens, ligamentū admittit membranæ validissimę ritu ambo cubiti ossa, qua inuicē dehiscūt, colligans. Externum huius lineæ latus perinde ac internum quoq; compressum sinuatumq; est, vt hoc internam cubiti sedem occupantib. musculis: illud vero iis, qui externa cōsistunt cedat. Porro internū lat⁹ externo asperius est, quod priuatim musculus tertium pollicis os flectens, non infimam sui exortus portionē ab illo latere sibi asciscat. Deinde superior radii sedes e directo dictæ nuper lineæ consistens, pene teres est, & iuxta medium suæ longitudinis aliquousq; aspera occurrit, vt in hanc duo musculi validiorem molirētur insertionem: quorū alter radium in supinum agentium breuior est: alter vero radium in pronum ducentium superior, cuius potissimū occasione asperitas illa cælatur, ꝙ ipse nerueam potius q̄ carneā insertionem efficiat, longiusq; in osse producatur. D

Inferioris radii partis historia.

¶ Iam radii sede brachiali contermina, quam crassescere dilatariq; dictum est, considerandum venit, quod hanc partem ita augeri oportuit, vt tādem apta cōstitueretur sedes cui brachiale articulari queat. Necessum etenim erat, brachialis cū cubito articulum, in hominib. paulo minus toto ad radicem referri: si modo quiescente ad humerū vlna summa manus radii beneficio & secūdario in pronū supinumq; agi debuit. Si namq; in radio & vlna sinus, cui brachiale articularetur, æqualis portio exsculperetur, & ipse interim sinus superiorē brachialis sedē imitatus necessario transuersim oblōgus esse deberet, impossibile profecto fuisset & radiū, & summam manum in pronum supinumue ferri, vlna interim ad humerum quiescente, ac veluti huius motus basi ac fulcimento. Pars enim brachialis quæ vlnæ sinui insereretur, inarticulareturue, claui modo obstaret, quo minus vel tantillū radius immota vlna moueri posset. Operæpretium igitur fuit, inferiorem radii partem adeo crassescere, vt efficiendo sinui, cui brachiale articularetur, apta esset. Verum quia tenue os nimiū crassescere nequaquam expediebat, natura ēt brachialis portionē ab vlna sustineri voluit, at ita vt vix puncto vlna brachiale contingeret. ¶ Contingit autem acuto ipsius processu quem stylo dissectionum periti assimilant. Ne enim vlna reliqua sui appēdicis E F

sede

A sede, brachiale citra alterius corporis interuentum contingeret, natura ab inferiori sede sinus in radice appendice brachialis gratia exsculpti cartilaginem deduxit: quæ vlnæ appendicem ascendens, illam a brachiali dirimit. Itaq; articulum hûc aptat, vt vlna brachiale quiddam sustineat: verum proxime non cõtingat, totusque sinus ad radium spectet. Radii præterea pars, cuius appendix ipsius coalescit, ipsaq; appendix interna parte sinuata, & leuiter caua videtur, tum vt musculo cederent radium in pronum ducẽtium inferiori, tum vt exactum iter tendinum seriei apparetur, qui cubito exporrecti digitorum flexui famulantur. Externa autem huius radii sedis pars gibba est, quod ita iniuriis ferendis pertinacior reddatur. Ne tamẽ musculorum cubito exporrectorum tendines summam manum hac petentes, & gibba illa sede deducti, hinc inde aberrarent, implicarenturq; sinus multi huic sedi insculpuntur, quibus tendines transuersis obducti ligamentis, tanquam per annulos traiiciuntur. Sunt autem huiusmodi sinus numero quatuor. Ac primus quidem amplus est, tendinibus paratus, qui indicem, medium & annularem extendunt. *Secundus* tendinem transmittit, indicem & medium a pollice in latus abducentem. *Tertius* quodammodo geminus, bicornẽ transmittens tendinem alterius musculi brachiale extendentium, vna cum tendine musculi pollicem versus indicem euertentis, extendentisue. *Quartus* sinus leuiter admodum exsculptus est, vixque sinus nomen meretur: asper tamen locus est, qui ligamentum transuersim tribus tendinibus obuolutum educit, quorum vnus brachialis ossi pollicem sustinenti inseritur, secundus primo ossi pollicis, tertius autem tertio pollicis ossi. Verum quarti sinus sedes, ligamenti illlius gratia non duntaxat aspera est, protuberatq;, verumetiam vt tendo illi validius implantetur musculi longissimi radium in supinum ducentis. Et præter hos sinus, etiam in externa articuli, quo radii appendix iuxta brachiale appendici vlnæ articulatur sede, sinus consistit, quo musculi tendo vehitur, cuius potissimum beneficio paruus digitus extenditur. Atque is sinus & vlnæ & radio communis censetur.

Cartilago brachiale ab vlna dirimens.

Sinus radii deducendis locandisque musculis & ipsorũ tendinibus apti.

B (margin) — C (margin)

De Brachiali. Cap. XXIX.

Extremæ summæue manus, quæ Græcis ἀκρόχειρ dicitur, partem cubito articulatam iidem Græci καρπὸν, Latini *Brachiale*, Barbari *Rasetam* appellant. Extrema vero manus, vt obiter id quoque explicemus, ea pars dicitur dissectionum peritis, quę a cubito ad extremam vsq; digitorum aciem progreditur. Ceterum brachiale ex octo duplici ordine
D distinctis ossibus construitur. Quæ quidem in natu grandioribus dura sunt omnia & minuta, intusque parum fungosa. Haud parem omnia sortiuntur magnitudinem, vt nec formam etiam, neque situm: quum ex omnibus nullum sit, quod alteri omnino respõdeat, & singula priuatim aliquid adipiscentur, quo prõmte ab inuicem discerni queant. ¶ *Porro* vtcunque sint varia, nihilominus mutuo tam concinne adaptantur, ad tantamq; compositionis harmoniam accedunt, vt eorum numerus non admodum inuentu facilis sit. Nisi enim validissima cartilagine atque ligamenta, quibus obducuntur, simul cum membranis resecueris & accurate abraseris, vnum esse tibi omnia videbuntur, aut cum Celso ipsa incerto constare numero opinaberis. ¶ Ceterum cuncta nerueis his cartilaginosisque nexibus simul constricta, non autem, vt nonnulli putant,
E connata, duas integras superficies vna efformant, exteriori quidem regione, quantum manui ex vsu est, gibbam: interiori autem sinuatam, quantumque & hoc manui expedit, concauam. Atque hæ tantum superficies ligamentis obuinciuntur. Superius enim qua ossa cubito committuntur, læuia sunt, & cartilagine incrustata quemadmodum & inferius, qua postbrachialis ossibus, & primo pollicis ossi coarctantur. ¶ Quinetiam vbi ossa se inuicem contingunt, non vndique aspera & inæqualia, ac ligamentis oppleta visuntur, verum omnibus apti læuesque sinus incisi sunt, qui cartilagine læui & lubrica illiti, aliorum ossium tubercula capitaue similiter læuia, cartilagineque obducta excipiunt. In medio enim contactu nullorum brachialis ossium ligamenta membranæue interueniunt, nisi in inferioris ordinis ossium connexu, vbi nonnihil,
F sed vix animaduersione dignum, ligamenti cartilaginei veluti in puncto intercedit, & vbi ossa inferiora non adeo contermine inuicem atq; superiora sunt compacta. ¶ Quod etiam merito natura molitur, in hoc potissimum duos brachialis ossium ordines confingens, quod superior cubito, inferior autem alia prorsus ratione postbrachiali & primo pollicis ossi debuerit committi. His namque vt distinctis diremptisque coarticula-

Nomina.

Extrema manus.

Gal. ca. 18. libri de ossibus.

Idem libr. 2. de vsu partium cap. 8.

Vesl libr. 1. cap. 25.

lib. 8. ca. 1.

Gal. ca. 17. li. de ossi.

Brachialis ossa quibus sedibus, ligamentis, & cartilaginibus obducantur.

Cur duo Brachialis ossium ordines.

tur ossib. cubito autem vnius ossis modo: sicut iure superioris ordinis ossa, vicinius propinquiusq; ac nullius corporis interuentu inuicem coarticulentur, quam inferioris ordinis ossa. ¶ Ceterum in superiori brachialis sede, aut ordine, qui cubitum spectat, quatuor reponuntur ossa, quibus ex ipsorum qua ordinantur serie, nomina non ab re imponuntur. *Primum* est, quod superioris ordinis internum constituit latus: *secundum* vero, quod huic subsequitur, atque magis ab interno abscedit latere: *tertium*, quod secundo ad externum latus proximum est: quartum vero, quod externum latus iam omnino occupat. Quatuor pariter inferioris ordinis ossa, ac postbrachiali contermina existunt, quintum, sextum, septimum, & octauum. Tria prima ossa inuicem validissime proximeque committuntur, & vno ordine iuncta, ac si vnum essent os, superiorem brachialis sedem ita efformant, vt instar vnius alicuius ossis lati, oblongique capitis, in radii vlnæque sinum, ea concinne articulentur. Tria igitur prima brachialis ossa, superiori sede ita simul iunguntur, protuberantque, vt veluti vnum brachialis caput læue & cartilagine incrustatum constituant, quo id cubito articulatur, multisque & vehementibus motibus, ac si vno grādi esset efformatum osse, agitur. ¶ *Primum* autem os, præterquam quod radio articulatur, etiam secundo brachialis coarticulatur ossi, amplo vtrunque tuberculo in secundi ossis sinum subiens. Dein alio tubere multo ampliori, atque ab inferiori sua sede protuberante communem sinum ingreditur, quem quintum brachialis os cum sexto efformat. Insigni præterea, quem in ipso cælauit natura sinu, quo vna cum secundo brachialis osse, cui is sinus quoque communis est, septimi ossis omnium facile maximi grande, rotundumque caput excipit. ¶ *Secundum os* connectitur primo ossi, & septimo, vt iam dictum est. Tertio autem amplo connexu per arthrodiam constringitur. ¶ *Tertium os* modice protuberante, sed amplo tuberculo, in sinum octaui ossis subit. ¶ *Quartum brachialis* os vlnam haudquaquam contingit, at superiori sua sede eam huius articuli ligamenti portionem admittit, quæ ab acuto vlnæ appendicis processu enascitur. Hoc os id sibi etiam peculiare vendicat, quod vni tantum brachialis ossi iungatur, quodque omnium brachialis ossium minimum sit, reliquisq; minus protuberet, sinueturque. Est enim quodammodo rotundum, sed paulo longius quam crassius. ¶ *Quintum os*, quod inferioris ordinis primum est, superiori sua sede in sinum sibi exsculptum primi brachialis ossis capitulum excipit, & externo latere sinuatum quoque sexti ossis capitulum admittit, primumque pollicis os sustinet. In inferiori namque ipsius sede sinum adipiscitur patulum & oblongum, ac in interna externaque sede magis, quam lateribus ac medio exsculptum, cui primi pollicis internodii capitulum ea articulationis specie committitur, quæ motum edit omnibus manifestum, aliter multo quam brachialis ossium inter se connexus, cuius motus ita latet, vt vix diiudicari queat. ¶ *Sextum brachialis os* duobus committitur postbrachialis ossibus, illi nimirum quod indici preponitur, & obscure illi quod medio digito subiicitur. Brachialis autem tribus committitur ossibus. ¶ Primum enim os suo sinu excipit, & suo tubere in quinti ossis sinum subintrat. Dein septimo ossi leuissime protuberante capitulo, aut potius plana superficie articulatur, estque inferioris ordinis minimum, quemadmodum septimum maximum: quintum autem & octauum medio se habent modo. ¶ *Septimum os* suo capite rotundo ac impensius protuberante, in communem primi & secundi ossis sinum subit, hacq; ratione duobus illis ossibus committitur. Ab interno autem latere sexto ossi articulatur octauo ossi ampla admodum articulatione, quæ depresso fit capite, sinuq; in superficie tantum cælato. Septimum in summma os quatuor brachialis ossibus, connectitur, primo nimirum, secundo, sexto, octauo, & postbrachialis ossi medium sustinenti digitum. ¶ *Octauum* os cunei quodammodo ritu septimum & tertium subintrat, illisque duobus committitur. Præter hæc duo brachialis ossa, duobus etiam postbrachialis coarctatur ossibus, quæ annulari & paruo subiiciuntur. ¶ Quibus subinde paruulum accedit ossiculum ex illorum numero, quæ *Sesami* seminis imagini assimilantur, ideoque σησαμοειδῆ Græcis nuncupantur, *de quibus fusius capit. 32. dicemus.* Ad externum enim latus coarticulationis postbrachialis ossis paruum sustinentis digitū cum octauo brachialis osse, eius generis reponitur ossiculum, sedem quasi oppleturum: quæ ideo hic quodammodo vacua relinquitur, quod hoc postbrachialis os sua superiori parte totum octauo brachialis osse inniti nequeat, atq; in externum latus abscedat. ¶ Videtur

Marginal notes: Brachialis ossa octo. — Primum. — Secundū. — Tertium. — Quartū. — Quintū. — Sextum. — Septimū. — Octauum. — Sesamoides.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A tur itaque id ossiculum, quando adest priuatim hanc articulationem firmare, ac postbrachialis os paruum sustinens digitum nonnihil suffulcire. ¶ Quinetiam hoc adhuc octauum os sibi proprium vendicat, quod ipsius interna sede, qua manus volam quodammodo spectat, notatu dignũ educit processum, ab externo latere versus internum latus inclinantem, & interno suo latere C modo exsculptum, vt aptam constitueret sedem, qua tendines musculorum digitos flectentium, qui ex cubito procedunt, opportune vehi, contnerique possent. ¶ Vt vero tanti tendinum moli sedes hæc aptior redderetur, etiam quintum brachialis os interna sua sede processum educit, versus externum latus vergẽtem, & in externo latere pariter exsculptum, eiusdem omnino vsus, quo octaui ossis processus gratia, nimirum vt tendinibus illis via exhiberetur, ac postmodum ex processuum illorum apicibus validissimum ligamentum enasceretur, quod B transuersim tendinibus circumdatum, ipsos ne a sua sede aberrent exsurgantue, contineret, amplecteretur que.

Octaui ossis processus.

Quinti ossis processus.

De postbrachiali. Cap. XXX.

PArs summæ manus a brachiali ad radicem vsque digitorum deducta Græcis μετακάρπιον, κτεῖς, κτένον, & ἄνδρων nominatur. Nõnullis interpretum Galeni *palma*, aliis *pecten*, ac *manus pectus* appellatur. Verum quia palmæ vocabulum latius patet; & brachiale quoq; in palma Celso & plerisque aliis complectitur, ac reliquis rursus palma idem quod *vola* denotat, & quum pedis pedio, pectinis & pectoris seu ςῆθυς vox etiam accommodetur, ad euitandam confusionem præstat μετακάρπιον postbrachiale interpretari. Ce- C terum brachiale quatuor ossibus constat, quæ reliquis digitorum ossibus longiora, & magna ex parte rotunda. Longissimum indici præponitur, atque ita sensim fiunt breuiora, vt omnium facile breuissimum, tenuissimumque paruo præponatur digito. Omnia supra, infraq; appendice donantur, & superiores quidem brachialis ossibus coarctantur, ipsaque ossa hic externa sede nonnihil latiora, quam interna sunt, vt postbrachiale vna cum brachiali superficiem exterius gibbam, intus vero cauam aptius hic efformaret. Quinetiam appendices hæ lateribus se inuicem contingunt, & cartilaginei ligamenti interuentu inuicem alligantur. Inferiores vero appendices grandes quoque sunt, & in rotundum, ac ab externa manus sede in internum oblongum caput desinunt: quod car- D tilagine obductum, primi digitorum ossis sinum subintrat. Hæ appendices lateribus etiam se contingunt, sed non adeo pertinaciter atque superiores, quæ brachiali coarctantur. Nihilominus tamen qua inuicem respiciunt, sinuatæ sunt, ligamentaque cartilaginea educunt, quorum opera valide connectuntur. In medio autem ductu, & secundum postbrachialis longitudinem quoniam ossa suis appendicibus multo tenuiora sunt, inuicem dirimuntur, & digno notatu interuallo inuicem dehiscunt: atq; id magni cuiusdam vsus gratia. In quolibet enim trium interuallorum, quæ quatuor postbrachialis ossa constituunt, duo reponuntur musculi ex octo illis, qui primum quatuor digitorum os flectunt. De quibus suo dicemus loco. ¶ Porro postbrachialis ossa per lõgitudinem angulosa, & lineis quibusdam pulchre extuberantia videntur. Superiori quoque sede exasperantur, vt trium brachiale flectentium musculorum opportunam insertionem ex- E cipiant. Sinum etiam intus oblongũ medullæ respondẽdæ aptum sibi vendicant. *Porro* postbrachiale iustissime quatuor ossibus efformatum esse, quatuor qui ipsis stabiliuntur digiti liquido demonstrant, quibus quintus veluti opponi debuit, si modo manus commodum futura erat apprehendendi instrumentum. Quod vero Celsus *libr. 8. cap. 1.* quinque ossibus efformari postbrachiale scribit, contra quam Galenus fecerit, minime mirum. Quippe is pollicis primum os, quod quinto brachialis ossi, *vt præcedenti cap. dictum est*, articulatur, postbrachiali adnumerat, Galenus autem digitorum ossibus adscribit.

Nomina.

Galenus lib. 2 de vsu partium, cap. 8 & 9.

Appendices.

Vesalius lib. 1. ca. 26

Mutuus in lateribus connexus.

Gal. lib. 2. de vsu partium. ca 9.

Obiectionis solutio.

Gal. cap. 19. lib. de ossibus.

De digitis manus. Cap. XXXI.

F OMnes manus digiti, qui Græcis δάκτυλοι dicuntur, & numero quinque sunt, ternis constant ossibus, quæ Græcis φάλαγγες, κόνδυλοι, σκυταλίδες, Latinis *agmina, aciesue, internodia, & articuli* nominãtur. Quæ si singula coniungas erunt vtiq; numero quindecim. Atque hæc ossa dura sunt ac densa, non tñ medullæ, *vt Galeno visum est*, prorsus expertia. In singulis n. sinus est oblõgus, medullę asseruãdæ gratia, vt in postbrachialis ossib. paratus.

Nomina.

Numerus.

Vesalius lib. 1. c. 27.

Lib. 1 de vsu part. ca. 15.

Gal.lib.1.de vsu par.c.14. Quod vero neque plura ossa, neque pauciora trib. fieri digitis omnino ex vsu fuerit, vel hinc promptissime colligitur, quoniam si illum excederent numerum, præterquam quod nulli auxiliarentur functioni: abunde enim omnes trium ossium ope obimus: perfectam, validamque digitorum extensionem vitiaret, hanc minus firmã, quam nunc sit, efficientia. Quæ enim ex pluribus construuntur partibus, leuiori negotio fatigantur, lassantur, & a suo robore exsoluuntur, quam quæ paucioribus efformantur. Verum si paucioribus ossibus digiti constituerentur, in tot tamque varias & pugnantes figuras digitos agere nequiremus. Vt igitur varie mouerentur, patiendique promptitudiuem declinarent, trium ossium numerus sufficit. Quandoquidem autem prælocatum os postposito, aut vehens vecto maius esse operę pretium sit, merito natura quoq; primum cuiusque digiti os grandius secundo, & secundum rursus tertio maius fabrefecit, non solum inferiora ossa longitudine, sed & crassitie & latitudine minuens, hacque ratione potissimum digitos ex ampliori basi sensim in mucronem coarctans, & digitorum formam exstruens. Non tamen eandem formam digitorum ossibus, & digitis adhuc vnguibus ac cute obductis largitur. Totos enim fere digitos teretes Natura efformauit, quod eiusmodi figuram reliquis omnibus iniuriis minimum obnoxiam sciret: vt quę nulla extuberet eminentia a foris occursantibus frangenda collidendaue. Quod enim digiti extrinsecus quidem exquisite gibbi sunt, intus autem & in lateribus magis compressi, alicuius etiam vsus gratia factum est. Interna namque sua regione digiti molliunt, terunt, subigunt, & apprehendunt: quæ omnia deterius fierent, digitis inibi gibbis exsistentibus. Quum vero externa digitorum regione neq; horum aliquid tentemus, neque alio quouis munere fungamur, rationi consonum fuit, digitos ad solam patiendi pertinaciam ad amussim gibbos construi. Quum autẽ digiti in lateribus minus essent iniuriis obnoxii, quumque inuicem adducti, constringi, ac in ipsorum medio nullam sedem vacuam relinquere debebant, ipsos in lateribus gibbos fieri haudquaquam ex vsu erat. Nullum autem digitorum os se offert, quod non supra infraque crassius & spissius sit, quam secundum ipsius longitudinem. Quod non temere factum esse putabis. Si enim vndique pari constarent crassitudine, homini pondere, moleq; admodum incommodarent, ipsique articuli, nisi amplioribus basibus concinne adaptarentur penitus infirmi essent. Si vero digitus in lateribus ossium imitaretur imaginem, quemadmodum in macilentis ac parum obesis videre est, inter digitorum latera, vacua consisteret sedes, quæ liquorem digitis complecti non mediocri incommodo prohiberet. Ceterum vnumquodque digiti os externa sede teres & gibbum est, si modo primum os pollicis hinc exceperis, quod externa sede amplum magis planumque & depressum, non autem aliorum ritu gibbum videtur. Ad hæc tertia digitorum ossa, sede externa quidem gibba sunt, sed ab ipsa articulatione qua secundis articulantur ossibus deorsum ducta, non ita atq; reliqua ossa extrorsum protuberant, sed vngui quodammodo cedunt. Interna cuiusque ossis sedes depressa prorsus, & sinuata est, multo aliter quam externa digitorum sedes: dummodo & hinc quoque primum pollicis os secluseris, quod brachialis ossibus interna ipsius facie respondet, adeoque gibbum est, magisque intus quam foris acutum. Quod certe natura haudquaquam fortuito, casuq; machinatur. Secundi enim & tertii pollicis ossis internæ sedi, quemadmodum & tribus quatuor digitorum ossibus teretes tendines exporrigi debuerunt, qui profecto nisi ossium interna sedes ampla depressaque & veluti sinuata esset, in ossibus nequirent subsistere: non magis quam teretia corpora inuicem nunquam inniti cernimus. Neque etiam teretes illi tendines ipsis duntaxat applicari debuere, imo operæpretium fuit, & ex hac ossium sede ligamentum enasci, per longitudinem osium tendines illis osibus committens, ipsosque ne ab osse exsurgant declinentue complectens. Latera etiam ossium nequaquam digitorum ritu compressa lataque sunt, neque vlla pollicis paruique digiti ac indicis osium, hac ex parte cum reliquorum digitorum osibus est differentia. Respondẽt enim osium latera, teretis corporis dimidiæ partis lateri. Quamuis interim ab hac figura primum pollicis os tantum discrepet, quanto minus reliquis digitorum osibus interna sede compressum amplumque cernitur. Porro digiti numero quinque sunt, quorum primus ac maior Græcis ἀντίχειρ, id est, promanus dicitur, quod scilicet reliquis quatuor sibi oppositis æquiualeat, atque adeo pro tota manu sit. Hippocrates

Marginal notes: Gal ibdem. Iusta osiũ digitorum magnitudo. — Decens integrorum digitorum & osium forma. — Cur digitorum ossa supra infraq; crassiora. — Digitorum numerus. Pollex.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A pocrates hunc μέγαν, id est, *magnum*, nominat. Latinis *Pollex*, quod *vi ac dignitate polleat*, vocatur. Eo enim deperdito omnes ceteri potestate interciderunt, quum absque huius ope nihil agere possint. *Alter* digitus Græcis λιχανὸς, Latinis ab vsu *Index* appellatur. *Tertius* Græcis μέσος, Latinis *Medius, impudicus, infamis, & verpus*, a verrendo podice dictus est. Hinc illud Martialis, Gal. lib. 1. de vsu par. c. 12. Index. Medius.

Ostendit digitum, sed impudicum,
Alconti, Dasioque, Symachoque.

Et Persei Satyra secunda.

Frontem atque vda labella,
Infami digito, & lustralibus ante saliuis,
B *Expiat.*

Quemadmodum vero ii duo situ post pollicem, ita etiam vsu secundi sunt. Parua enim corpora iis apprehendimus, omniumque artium opera ipsis præcipue conficimus, & si quid violentum agere oportet, illos potissimum in opus adsciscimus. *Quartus* Græcis παράμεσος, Latinis *annularis*, quod nimirum veteres in eo digito annulos gestarent. Hunc Græci etiam ἰατρικὸν, Latini *medicum* nuncupauere. *Quintus* Græcis μικρὸς, Latinis *minimus & paruus*, atque auricularis, quod scilicet eodem aurium sordes expurgemus, dicitur. Hi duo digiti minorem quidem vsum aliis præbent, sed is tamen manifeste in iis apparet, in quibus amplectendum corpus circulo comprehẽdimus. Si id enim humidum & exiguum fuerit, digitos ad amussim constrictos, ipsi circumflecti expedit. Annularis. Minimus. Galen ibid. cap. 23.

C Quo in opere paruus quoque est accommodus, operculi modo aliis adiectus. Si vero durum & magnum fuerit apprehensibile, digitis a se inuicem quamplurimum distantibus, ita illud comprehendatur oportet. Adde quod id pluribus digitis apte comprehenditur, pluribus suis partibus digitis accedentibus commissisque. Quam ob rem autem digiti omnes inæquales sunt facti, & medius longitudine reliquos vincit, Galenus loco citato copiose tradit, ideoque vt hoc loco longius narremus nõ est opus. Ceterum iure exstructos esse quinque digitos, cuiuis palam fit, qui ad quæ officia illi nobis ex vsu sint expendere voluerit. Si enim pauciores essent, permultæ actiones imperfectius obirentur. Pluribus vero in nullos vsus indigemus. Atque hinc est, quod artificiosa Natura non concedat homini senos digitos, nisi prodigiose quandoque nobiscum iocetur, vt Digiti cur inæquales. Cap 24. Quinque digiti iure exstructi.

D fecit in Volcatio egregio vate, qui ob id *Sedigitus* est nominatus.

De ossiculis sesaminis extremæ manus. Cap. XXXII.

Natura manuum articulis, veluti auctarium, securitatis gratia, vt scilicet implerent, stringerent, ac quo minus luxationi redderentur obnoxii, ossicula quædam composuit, quæ a Sesami leguminis seminis minuti specie, Græcis σησαμοειδῆ, Latinis vero *Sesamina* vocantur. Sunt autem in singulis manibus duodecim. Primum in interna sede secundi pollicis articuli, quo primum ipsius os secundo articulatur, duo reponuntur ossicula vtcunque rotunda & solida, & non multum ab orizæ seminis forma discedentia. Sunt enim paulo quam semen ipsum breuiora. Verum vt orizæ semen vna parte depressum visitur, sic & horum ossiculorum pars depressa, modiceque cauata, & cartilagine ea parte incrustata est, qua primo pollicis ossi ambo incumbunt. Vnum vero ossiculum latus externum interioris sedis primi ossis capitis, alterum vero internum latus eiusdem occupat. Adhunc sane modũ inprimis reliquorum digitorũ internodiis duo quoque ossicula reperiuntur, eodem situ posita, tantoq; pollicis ossiculis minora, quanto ad paruum digitum propius accesseris. Illius enim primo articulo, aut potius capiti postbrachialis ossis paruum sustinentis minima & quodammodo cartilaginea adnectuntur ossicula. Ceterum hæc omnia coniuncta numero octo exsistunt, quibus si primum quod descripsimus adiunxeris, vniuersa nouem erunt. Præter tamen ea, quæ iam dicta sunt, in senibus, &, vt sic dicam, osseis hominibus, vnicum aliquando in interna Gal. libr. 2. de vsu partium, c. 12. Vesal. libr. 1. cap. 28. Numerus.

E (margin letter beside "pressum visitur")

F tertii pollicis articuli sede collocatum ossiculum animaduertitur. Eiusmodi quoque ossiculũ nonnunquã in singulis digitorum secundis & tertiis internodiis occurrit, sed adeo exiguum vt vix milii seminis magnitudinem æquet. Huius etiam generis ossiculum notatu dignæ magnitudinis illic plerunq; obseruatur, vbi postbrahialis os paruum digitum suffulciens octauo brachialis ossi articulatur.

Sunt igitur extremæ manus officula sesamina, vt comprehēsum est, vt minimum A
Ibidem. duodecim, interim enim plura reperiuntur. Sensim namque & temporis progressu illa obseruare oportet. Atque hinc est, quod Galenus eorundem numerum ab anatomicis esse præteritum scribat. Vt hoc nomine nostrum seculum plurimum Andreæ Vesalio debeat, qui vnus inter omnes anatomicos horum ossium numerum obseruare voluit.

De ossibus sacri ossis lateribus commissis. CAP. XXXIII.

Gal. cap. 20. lib. de ossi. Ossis sacri transuersis trium superiorum ossium processibus, vtrinque vnum connectitur os, cui integro nullum nomen inditum est. Quanquam enim cōtinuum est, tamen a dissectionis professoribus in tres veluti sedes distinguitur, ac peculiari nomine donatur. Lata namque ipsius, & superior ac posterior, sacroque ossi commissa pars Græ- B cis λαγόνων, Latinis *Ilium os* appellatur. *Ilium os.* Altera eius sedes mediaq; ad femoris ingressum posita. Græcis ἰσχίον, Latinis *coxendicis os*, aut simpliciter *coxa* vocatur. *Coxēdicis.* Tertia sedes anteriorque qua in pubis regione cum alterius lateris osse committitur ampliterque perforatum est, Græcis ἥβης, Latinis *pubes*, & *pectinus os*, nuncupatur. *Pubis.* Adeo vt vnius lateris os non secus denominetur, quam si tribus propria circumscriptione terminatis ossibus exstrueretur. *Ossium sacri ossis lateribus cōmissorum vsus. Vesal. c. 29. lib. 1.* Hæc ossa in hoc præcipue sunt accommodata, vt fœmora ipsis articulentur, horumque ope humo erigatur & sedeat. Est etiam horum ossium nequaquam infimus vsus, quo communi ossium modo, reliquis corporis partibus instar fulcrorum subiiciuntur, reliquasque corporis partes continent & amplexantur. Duo enim hæc ossa simul cum sacro osse veluti peluim quandam efformant, quæ intestina concinne susti- C net, & vesicam, & in fœminis vterum elegantissime continet, ac demum eas, quas amplectitur partes tuto munit. *Ilii ossis sedes sacro ossi cōmissa qualis.* Porro ilium ossis sedes sacri ossi commissa egregie varia est. singulis namque processuum sacri ossis finibus, ilium ossis tubera, & eorundem processuum tuberibus, ilium ossis sinus correspondent, vt variis partibus mutuo ingressu ilium os sacro committatur. Vt enim transuersi processus sacri ossis primum oblongo sinu donantur, ita etiam ilium os oblongum tuber sinui congruens obtinet. Et quia processuum sinus anterior pars, sinusue supercilia, satis insigniter protuberāt, porriguntur que, ilium etiam ossi ad anteriorem oblongi sui tuberis sedem sinus insculpūtur, quos protuberantes illæ processuum partes subeunt. Vbi autem humilima eorum sinuū sedes conspicitur, ilium os quasi in cultri modum exacuitur, vt eandē cum quarti D ossis sacri ossis transuerso processu superficiem constituat. Rursus oblongo sacri ossis tuberi, quod instar spinæ in processuum finibus eminet, oblongus etiam ilium ossis sinus conuenit, tuber id adamussim suscipiens. Porro duobus processuum finibus ad posteriorem dicti nunc tuberis sedem consistentibus, & tuberi transuersim in illorum sinuum medio prominenti, ilium os non æque concinne respondet, quum scilicet non adeo procere extuberet, atque illi processuum sinus alte celantur: Atque vt semel dicam, sacrum os ilium ossi non admodum hac sede, vbi duo illi sacri ossis processuum sinus conspiciuntur, conterminum est, sed plurima cartilago ligamenti natura participans, hęc ossa intercedit, totam amplitudinem, qua inuicem ossa dehiscunt, infarciens. Vniuersa igitur ilium ossis sedes sacro commissa, aspera est, ac inæqualis, & insigniter E crassa: quemadmodum & reliqua ossa illis sedibus, quibus inuicem compingūtur ampla crassaque ideo sunt, vt validiorem ampliorem que connexum efficerent. *Ilium ossis pars retrorsum magis quam sacri ossis transuersi processus exporrecti.* Atq; hæc crassa ilium ossis pars in posteriora longe magis quam transuersorum sacri ossis processum amplitudo porrigitur, prominetque tum quod ilium os amplissimum latissimumque scapulæ modo esse oportuit, vt femur mouentes & alios plerosque musculos a se pronasci sinat: tum ad posteriorem sacri ossis sedem aptum constitueret locum, a quo quartus hominis thoracem mouentium musculus principium duceret: vna cum dorsum mouentium vndecimo, & alii suo loco a nobis commemorandi. *Ilium ossis appendix.* Porro reliqua ilium ossis amplitudo plane semicirculari figuræ non absimilis, superiori sua sede per totam semicirculi circumferentiam appendicem obtinet, quæ aspera inæqualisque F est, & interno externoque latere compressa, ideoque veteribus *Spina.* spina ilium ossis dicta. Ipsi namque *Dorsum.* dorsum *ilium ossis* vocarunt, externam suæ amplitudinis sedem, quia hæc ampla est, & si cum interna conferatur, quodammodo gibba. Appendicis autem semicircularis sedes quæ extrorsum prominet, veluti illius dorsi spina iure censetur. Compingitur

A primitur autem interna sede appendix, vt hæc inibi amplior euadat, & carnosam transuersi abdominis musculi partem, illinc aptius educat. Externo vero latere cõprimitur, ampliorq; fit, vt potissima oblique ascendẽtis abdominis musculi carnea pars hinc principium sumat, & oblique descendẽs musculis illi inseratur. Adhunc sane modum ossis sacro ossi commissi ampla, & quæ ilium os dicitur, pars se habet. Media vero parte, quã coxendicis os appellatur, hoc os crassius validiusq; fit, vt vniuersum corpus vni innitens cruri, fortius sustineat, aptaq; sedes fiat, cui sinus articulãdo femore idoneus incidatur. Quippe huic coxendicis ossis sedi amplus rotundusq;, & omnium corporis sinuum cui ossa articulant profundissimus sinus, qui vt ceteri quoq; acetabulum dicitur, insculpitur, non omni ex parte læuis, lubricaq; cartilagine incrustatus. In anteriori n. ipsius se-
B de non modica portio altius quam reliqua illius circumferẽtia inciditur, ac aspera cæcisq; foraminulis quibusdam oppleta cernitur, ligamenti producendi gratia, q teres in medium, seu verticem femoris capitis inseritur. Deinde præsentis sinus supercilia in anteriori ipsius sede leuius, quã in posteriori protuberant, quod scilicet femur sedentibus magis in angulum flecti oportebat, quam stantibus, aut aliud quid agentibus extendi, aut in posteriora duci. Præterea in humiliori coxendicis acetabuli sinusue superciliorum sede, supercilia non continuo ductu orbiculatim feruntur, sed inciduntur ac intermittuntur, vt scilicet iter pateat venulæ hac in asperam & cartilagine non obductam acetabuli sedem exporrectæ, articuloque alimentum suppeditanti, a quo viscidus humor, quem in hoc articulo plurimum coaceruari decet, adaptetur, cuius demum au-
C xilio articulus promte mobilis euadat. Ne tamen sinus huius in supercilio incisi ratione articulus luxationi obnoxius redderetur, natura validum cartilagineumque ligamentum orbiculatim superciliis adnexuit, quod nullibi intermissum apparet, sinumque adhuc magis quam supercilia adauget, & venulæ illi viam præbet, inter os & posteriorem ipsius ligamenti sedẽ prorepentis, vt vena simul tuto feratur, & sinus ille luxandi promptitudinem non adiuuet. Atque hinc est, quod passim in coxendicis ossis acetabuli superciliorum externa sede cœca foraminula sint parata, vt scilicet validissimũ ligamentum orbiculatim femur coxendicis ossi colligans, educant. Qinetiam in hoc osse sinus inter ilium ossis anteriorem partem, quæ sacro ossi committitur, & posteriorẽ coxendicis regionem conspicitur, in hoc exsculptus, vt neruo viam præbeat, qui crus adeun-
D tium quartus, omniumque corporis neruorum ex pluribus compositus maximusque exsistit. ¶ Est quoque hic obseruandus coxendicis ossis acutus processus, qui ligamentum educit, in transuersum processum quinti sacri ossis pertinens. Neque prætereundus venit sinus coxendicis ossis posteriori internæque regioni sub dicto iam processu exsculptus, ad quem naturæ solertia veluti ad trochleæ rotulam decimus femur mouentium musculus reflectitur. Insuper non perfunctorie coxendicis ossis appendix indagabitur toti infimæ ipsius sedi, cui sedentes innitimur, adnata. Appendix hæc ossis, cui coalescit, amplitudinem seruat, quod tum roboris gratia, tum musculorum exortus caussa insigniter crassum, & vtcunque amplum visitur. Ab hac enim appendice, vt nimium, quatuor grandes exoriuntur musculi, nempe tibiam mouentium tertius, quar-
E tus, & quintus, ac femur mouentium quintus, vt suo loco ostendemus. ¶ Præterea in elatori coxendicis ossis sede sinus inciditur amplus, qui in mundato osse foraminulis quibusdam in hoc oppletus cernitur, vt is ligamentum educat, cuius beneficio os inibi læue lubricumque, ac veluti inunctum videtur, vt recte adhunc sinum septimus ille femoris musculus, vna cum sexti musculi tendine, reflecti & conuolui possit. Vtrinque ad huius sinus latera, vnum insigne quod externum dicitur satis prominet tuberculum hunc sinum augens, ac quo minus hac descendentes musculi ex sinu declinent, prohibens. *Alterum* vero tuber, internum iam dicti sinus latus constituens, plurimum ad coxendicis ossis robur confert, quod necessario crassum validumq; esse oportuit, tum articulationis roborisque nomine, tum etiam quod id totius corporis altissimo sinui
F cui femur semper articulatur, celandum fuerat. Atq; huius vsus quoq; occasione, ilium os interna ipsius sede ad elatiorem sui cum sacro osse connexus regionem, crassum validumque redditur, & veluti ad secundi tuberculi internam sedem continuo tubere porrigitur. Atque in eum modum media eius quod describimus ossis pars, quam coxendicis os nuncupauimus, se habet.

Coxendicis os.

Acetabulũ femori articulando paratum.

Sinus quo crassissimus corporis neruus fertur.

Coxendicis ossis acutus processus.

Sinus ad quem decimus femur mouentiũ musculus voluitur.

Appendix coxendicis ossis.

Sinus coxẽdicis ossis superiori sedi insculptus.

Sinus tubera.

Pubis ossis historia.

Anterior vero pars, quæ *Pubis os* dicitur, tenuis vtcunque cernitur, & dextrum os sinistro cartilaginis interuentu quasi vnionis modo committitur. Quo enim homo ætate fit prouectior, eo semper connexus iste minus cartilagine oppletur, minusue cartilaginis ostendit. Atque id viris pariter ac mulieribus commune est. Neutiquam enim ob vulgi opinionem arbitrandum est, pubis ossa viris esse continua, mulieribus autem in hoc cartilaginis interuentu compacta, vt partus tempore remitti, atque inuicem disiungi queant. Parturientibus namq; mulierib. hæc ossa inuicem haud disiungit. Verum id mulierculæ in hoc ossium coalitu peculiare sibi vendicant, quod ipsis non tam longa linea, atque in viris, committũtur. Deinde coxendicis ossiũ infimæ partes, dextram dico & sinistram, in mulieribus mutuo longe magis distant, quam viris. Præterea infimæ pubis ossium partes inuicem sub ipsorum connexu diremtæ, multo etiam magis mulieribus quam viris seiunguntur ac distant. Adeo vt in mulierum ossibus vacua sedes inter coccyx os & internas regiones infimarum partium coxendicis ossium, multo amplior quam in viris occurrat. Hæcque differentia tam est insignis, vt vel ipsa abunde doceat, pubis ossa in partu non recludi. Quo autem minori negotio leuiusque vterum gererent, ilium ossa mulieribus multo ampliora sunt, ipsorumque spina in latera longe magis quam viris educitur, & etiam illa ossa extrorsum insignius cauantur, & commodam gestando fœtui sedem efformant. Ceterum pubis os maximo totius corporis ossium foramine, quod propter magnitudinem ab ostii imagine, Galeno teste, θυρεοειδὲς nuncupatur, peruium est, ne interim frustra grauaret animal, sed vt leue esset, quandoquidem hoc os amplam & aptam sedem educendis musculis fieri oportuit. Neque est, quod per hæc foramina aliquis vasa seminaria, aut maximas crurũ venas & arterias, aut etiam neruos deduci arbitretur, quemadmodum multi credunt. Quippe hæc instrumenta aliã nanciscuntur viam. Maxima enim crus petens vena, arteriaque, simul cum secundo crus adeunte neruo, proprium sinum obtinent in superiori pubis ossis sede insinuatum e regione elatioris sedis dicti foraminis. Seminariis autem vasis elatius quam pubis os prominet, in abdomine iter paratum esse suo dicemus loco. Porro ingens illud pubis ossis foramen valida membrana impletur, quæ musculum internæ foraminis sedi proximum ab illo dirimit, qui externam foraminis sedem occupat. Neque profecto aliquid foramen hoc transit, præter venam, & arteriam, neruumque non ad genu vsque ramorum serie digestum. Præterea hæc vasa non per foraminis medium feruntur, sed in elatiori foraminis sede sinus celatur, illis vasis deducendis paratus. Quod vero superior pubis ossium pars, qua inuicem committuntur aspera est, ideo contingit, quod rectos abdominis musculos hinc enasci naturæ visum fuerit. Deinde anterior quoque ossium sedes inibi aspera est, vt neruosum caput secundi tibiam mouentium musculi hinc rite pronasceretur. Adhæc in anteriori pubis sede a coxendicis ossis acetabuli interno latere, ad pubis ossium commissuram vsque, tuber & veluti quædam prominentia conspicitur, a qua octauus femur mouentium musculus principium ducit. Quemadmodum vero hæc anterior pubis ossis sedes protuberat, ita quoque posterior acutã ostendit lineam, a qua musculus femur mouentium decimus sui exortus portionem assumit. His omnibus accedit pubis ossis crassities, iuxta infimam pubis ossium cõnexus sedem, & magni illius foraminis internum latus, vbi pubis os quodammodo teres crassumque ob hoc visitur, vt ipsius ossis robur adaugeatur, vtque hinc præter quosdam penis musculos alterum corpus eorum quæ penem constituunt, originem duceret.

Ossium sacro ossi cõnexorum in viris & mulieribus differentia.

Cur pubis os maximo foramine peruium. Libr. 3. de adm. ana. in fine.

De femore. Cap. XXXIIII.

Nomina. Gal. ca. 21. de ossibus. Femoris superius caput. Vesalius li. 1. cap. 30.

FEmur, quod Græcis μηρὸς dicitur, os est, quod a coxis incipit, & ad genua finitur. Magnitudine autem cunctis humanæ fabricæ ossibus præstat. In auibus vero, & omnib. fere quadrupedibus tibiæ ossi & fibulæ longitudine cedit. Hoc supra coxendicis ossi, infra vero tibiæ ossi articulatur. Superiori parte, qua similiter atque inferiori appendice donatur, robustissimum caput obtinet, prolixæ quidem ceruici ad interiora inclinatæ adnatum, coxendicisque ossis acetabulo exquisitæ congruens. Vniuersum hoc caput læue & cartilagine incrustatum visitur. At in sui medio nonnihil inferius quam ipsius verticis centrum exsistit, angustum profundumque & inæqualem commõstrat sinum, cui teres ligamentum a coxendicis ossis acetabulo enatum, validissime implantatur.

A tatur. ¶ Inferiori autem sede femur insigniter crassum est, & in duo capita omnium totius corporis ossium capitum maxima dirimitur, quæ in posteriorem femoris sedem, longe magis quam in anteriorem porriguntur, quemadmodum ipsorum cum tibiæ osse cuius sinus subeunt, articulo ex vsu fuerat. Hæc namque ossi tibiæ mutuo ingressu ad eum modum articulantur, ne tibia duntaxat flecti extendique possit. Quamuis autem hæc in anteriori eorundem sede sinum ostendant, vtriusq; capitibus cōmunem, & impense patulum, leuique cartilagine incrustatum, tamen is aliquo tibiæ ossis tubere excipiendo paratus non est. At os orbiculare & breui scuto non absimile apto tubere sinum illum, *vt capite ab hoc altero fusius dicemus*, subit. In posteriori femoris sede capita hæc magno interuallo inuicem dirimūtur, atque in ipsorum medio amplum, profundúmque sinum vtcunque asperum, & cartilagine nequaquam obductum habent, qui asperum inæqualeque tibiæ ossis tuber excipit. Iuuat etiam sinus iste, deducēdo totius corporis maximo neruo hac simul cum vena & arteria in tibiam contendenti. Humiliora enim femoris capita, quum tibiæ motuū gratia adeo in posteriora ducantur, etiam id præstant, vt in illorum medio neruum illum simul cum vasis tutissimo deorsum repere sinant, atque etiam processuū modo aliquot musculorum pedem mouētium, de quibus suo dicemus loco, principia porrigant. Atque ita anterior & inferior posteriorque horum capitum sedes se habent. Latera vero eorundem multis cœcis foraminibus opplentur, vt validissima genu articulum continentia ligamenta hinc apte pronascantur.

Duo femoris inferiora capita.

B (margin letter beside "quenque sinum")

C Porro externum exterioris capitis latus, priuatum sinum obtinet oblique ipsi iuxta posteriorem eius lateris regionem insculptum, ac quarti tibiam mouentium musculi tendini paratum, quo minus scilicet hac oblique reflexus, a suo ductu aberret. At internum latus interioris capitis, etiam si ad id plures reflectantur tendines, tamen nullum eiusmodi sinum adipiscitur. Verum iuxta posteriorem lateris sedem compressio apparet, qua tuto tendines deferri queant, a sua sede tuberis beneficio, quod in medio dicti nunc lateris late protuberat, non reclinantes. ¶ Ad femoris ossis ceruicem, cui superius femoris caput adnascitur, duo cōspiciuntur processus, quorum alter externum femoris latus occupat, ac omnium corporis processuum nulli alteri ossi commissorum facile maximus est, insigni quoq; donatus appendice, externa sui sede gibbus, interna autem qua femoris caput respicit, sinuatus, quatuor compressiones sedesq; habens. Qua-

Duo femoris processus, seu rotatores. Gal. c. 21. de ossibus. Maior.

D rum *prima* ampla & gibba in posteriori processus sede primi femur mouentis musculi insertioni seruiens, apparet. *Secunda*, in anteriori ipsius consistit latere, magis quam prima aspera & inæqualis. Secundi femoris motum auctoris musculi insertioni famulatur. *Tertia* ad superiorem processus sedē visitur, inter primæ & secundæ elatiores sedes consistens, tertii femur mouentis musculi insertionem excipit. *Quarta* in apice processus se offert, reliquis tribus longe arctior, quarti femur mouentis musculi tendinem admittens. Alter minor est, multoque inferius in interno femoris latere nonnihil versus posteriora conspicuus, & similiter appendice adauctus, modice oblongus, neque admodum inæqualis. Ambos Græci τροχαντῆρες, quasi *rotatores* appellant. Hunc autem priuatim interiorem, & minorem rotatorem nuncupant, illum vero exteriorem

Minor.

E ac magnum, quem etiam propter amplitudinem, & quandam cum natibus imaginem Græci γλουτὸν nominant. Hi duo processus in hoc parantur, vt collis ritu musculorum insertionem probe admittant, aliisque musculis eleganter sui principii sedem præbeant. Quod vero ad reliquam femoris formam spectat, vniuersum femur anteriori ipsius parte, & in lateribus teres & leue est. In posteriori autem sede femur in acutum quodammodo fertur, & lineam insigniter protuberantem & asperam, inæqualemque ostendit, quæ a femoris processuum radice aliquo vsque vltra medium longitudinis femoris prorepit. Ad inferiorem huius lineæ sedem, ac iuxta inferiorum femoris capitum radicem, femur amplum depressumque cernitur, quo tutius hac maxima tibiam petens vena, cū arteria, & neruo fertur. Ceterum femoris ductus non recto a tramite

Vsus processuum.

Femoris per ipsius longitudinē forma.

F coxendicis ossis acetabulo deorsum tenditur. Verum ceruix eius a capite ipsius valde extrorsum oblique, & quasi trāsuersim fertur, & hinc femur rursus reliquo ipsius corpore oblique versus interiora ad genu descendens procedit. Quæ quidem figura laudatissima est, adeo sane, vt omnes quibus a prima conformatione femur rectius, quam homini ex vsu est, *contigit*, *vatii seu valgi ad genu* redduntur.

Gal. lib. 1. de vsu partiū, ca. 9. & ca. 8. li. de morb. caussis.

De tibia. Cap. XXXV. A

Gal. c. 22. li. de ossi. Nomina. Vesalius lib. 1. c. 31. Tibia. Gal. lib. 3. de vsu part. c. 9.

VNiuersa pars cruris, quæ inter talum genuque posita est, Græcis κνήμη, Latinis *tibia*, *focile maius* dicitur. In ea perinde atque in cubito bina reponuntur ossa, quorum alterum, nempe interius & grandius, totius membri nomine κνήμη, id est, *tibia* vocatur. Alterum vero quod exterius locatum est, & interiori crassitie admodum cedit, Græcis quidem περόνη, Latinis autem *fibula*, vulgo *focile minus* nuncupatur. Ad euitandam itaque confusionem, & clarioris doctrinæ gratia crassius os, *tibiæ os*, appelletur, vt hac ratione a tibia, id est, toto membro, quod prædictis ossibus, musculis, venis, arteriis, neruis, & cute hæc omnia ambiente constituitur, distinguatur.

Fibula.

Gracilius autem os *fibula* nominetur.

Crea.

¶ Ceterum anterior tibiæ pars tenuis, excarnis, & insigniter gibba, Græcis κρέα, B
& frequentius προκνήμιον & ἀντικνήμιον dicitur.

Sura. Tibiæ ossis & fibulæ appendices. Vesal. ibid. Sedes cui femur ad tibiam articulatur.

Posterior vero pars, quæ tibiæ quasi pulpa est, Græcis γαστροκνημία, quod scilicet veluti tibiæ venter sit. Latinis vero *Sura* dicitur. Tibiæ autem ossi & fibulæ supra infraque appendix coalescit. Ac superior quidem tibiæ ossis appendix admodum crassa lataque est, ac in anteriori tibiæ regione magis quam in posteriori deorsum ducitur. Huic duo oblongi insculpuntur sinus, inuicem aspero inæqualique tubere distincti, & lubrica cartilagine incrustati. His sinibus inferiora femoris capita excipiuntur. Tuber autem sinus distinguens, grandem sinum subit, femoris capita posteriore in sede dirimentem. Porro tuber hoc ex superiori mediaque ipsius sede, quæ aspera & sinuata, neque vlla cartilagine iuncta visitur, validissimum emittit ligamentum, iam dicto femoris capitum inueruallo sinuiue insertum. Adeo sane C
vt media huius tuberis sedes in hoc aspera sinuataque sit, quo felicius ligamenta in femur porrigat, hæc e maxime protuberante sua sede, & deinde ex posteriori ipsius regione educens. Ab anteriori namq; tuberis regione, quæ minimum prominet, etiamsi illa similiter est aspera, ac late sinuata, nullum tamen ligamentum femori inseritur, sed ligamenta inibi producuntur, quæ cartilagines anteriori huius tuberis sedi colligant.

Cartilagines quibus tibiæ ossis sinus augentur.

Quum enim duo tibiæ ossis sinus femoris capita admittentia quodammodo superficietenus insculpantur, Natura mirabili artificio sinuum profunditatem adauxit. Quippe præter lubricas cartilagines tibia ossis sinibus, & fœmoris capitib⁹ crustæ modo obductas, vtrique sinui vnam adhibuit cartilaginem, neq; femori, neq; tibiæ ossi aliter quam ligamentorum beneficio connexam. Hæc namque orbiculatim ligamentis genu arti- D
culum amplexantibus solum connascitur, & præterea ligamenti interuentu anteriori posteriorique sedi tuberis sinus tibiæ ossis dirimentis, connectitur. Harum cartilaginum figura lunaris, quemadmodum interioris sinus internum latus, & exterioris sinus externum. Atque hoc sane modo tibiæ os femori articulatur.

Fibulæ ad tibiæ os nexus.

Fibula vero non adeo alte conscendit, vt femur contingat, verum superior ipsius appendix in interno illius latere sinum gerit leuiter admodum insinuatum & amplum, cui minime protuberans tibiæ ossis appendicis tuber coarticulatur, quod ad externum tibiæ ossis latus versus posteriora consistens, cartilagine, similiter atque sinus fibulæ, incrustatur. Porro ima sede fibula tibiæ ossi diuersa articuli ratione, quam supra coarctatur. Externum enim tibiæ ossis latus, oblongum habet sinum, cui protuberans inter- E
num fibulæ latus immittitur, quod asperum nonnihil est, quemadmodum & tibiæ ossis sinus asper quoque, & cartilagine neutiquam incrustatus cernitur. Sinus enim ille fibulam lęui contactu non excipit, verum qua hæc ossa inuicem committuntur, validum intercedit ligamentum, non solum in circuitu ipsa connectens, verum etiam vbi mutuo se contingunt.

Vbi fibula a tibiæ osse dehiscat.

¶ Porro per reliquam tibiæ longitudinem fibula a tibiæ osse plurimum dehiscit. Non quidem, quod hæc radii modo oblique ducatur, ac veluti a tibiæ osse foras obliquetur, sed quod tibiæ os supra infraque adeo crassum sit, & in reliqua ipsius longitudine gracile, vt fibula illis tibiæ ossis sedibus, quibus crassum cernitur, cōmissa, facile a tota tibię graciliori sede multum distet. ¶ Quamuis tanto adhuc minus fibula a tibia dehiscat, quanto minus recta cōspicitur. Fibula n. paulo sub medio longitu- F
dinis tibiæ introrsum ac versus tibiæ os nonnihil curuatur, externoque ipsius latere sima, seu concaua redditur. Superior itaque tibiæ ossis appendix, ad eum quem diximus modum femori ac fibulæ coarctatur. Anterior autē eiusdem appendicis sedes vtcunque depressa asperaque cernitur.

A Inferioris tibiæ ossis & fibulæ appendices, simul sinum sedemque efformant, cui talus mutuo quasi ingressu articulatur. Sed de talo suo dicemus loco. Sinus autē in infimæ tibiæ ossis appendicis sede amplus admodum est, & quodammodo geminus. In medio enim amplo, sed modice prominente tubere interstinguitur, liquidoque altius ad tuberis latera excauatur. Ad internum huius sinus latus inferior tibię ossis appendix, valido magnoque processu deorsum fertur, qui externo ipsius latere, quo sinum respicit, cauus & similiter, ac sinus ipse læuis & cartilagine incrustatus est: interno autem latere alterum crus respiciente gibbus est. ¶ Et quum excarnis sit, nullisque musculorum partibus obtectus, in nobis tactu facile percipitur, estque interior malleolus, quem Græci σφυρὸν nominant. Processus hic in infima ipsius sede versus posteriora B sinum obtinet, ex quo ligamentum prodit, cartilagineum tibiæ os talo colligans. Atque eiusmodi etiam ligamenti producendi gratia, anterior appendicis inferioris tibiæ ossis sedes, in humilima ipsius parte etiam sinum obtinet transuersim oblongum & asperum, & inæqualem, a quo ligamentum prodit, tibiæ ossi ceruicem tali nectens. Posterior etiam huius appendicis sedes, vbi primum internum educit malleolum, depressa est, sinusque ostendit, qui transuersis obducti ligamentis musculorum tendines hac pedem adeuntes, ne suis finibus aberrent, ferri sinunt. Sunt autem numero tres, quintus scilicet pedem mouentium, & duo digitorum flexui famulantes. ¶ Externum autem inferioris appendicis tibiæ ossis latus nullum educit processum interno malleolo respondentem. Verum appendix fibulæ externo tibiæ ossis lateri adnexa, C impense hic crassescit, deorsumque magis quam interior malleolus fertur. Tāto enim fibula hic decliuius ipso tibiæ osse descendit, quāto altius tibiæ os ad femur supra porrigitur: adeo vt fibula ne minimum quidem longitudine a tibiæ osse vincatur. Inferior hæc fibulæ appendix, externum latus sinus constituit talum excipientis. Verum appendix interno ipsius latere adeo protuberat, & cartilagine incrustatur, vt eam a talo verius suscipi, quam eundem excipere merito quis dixerit, etiam si tali externum latus apposite tegat, atque in eum modum vna cum interno malleolo talum comprehendat, vt nusquam in integris hominibus talus contingi, vt paulo post clarius dicemus, possit.

Tibiæ ossis & fibulæ sinus ac tubera quibus talo articulatur.

Interior malleolus.

Fibulę cum talo articulatio.

D Porro vna fibulæ pars talo commissa, externoque suo latere gibba, & nulla prorsus musculi parte obtecta, exteriorem constituit malleolum, quem simul cum interiori permulti, *Galeno quoque teste*, perperam talum appellant. Nam si iis vtrinque talus continetur, & vndiquaque contegitur, vt ne eum quidem tangere in integris hominibus & ante dissectionem, (*vt dictum est*) queas. Tibiæ enim ossis appendix superiorem ipsius sedem tegit, & internum quoque ipsius latus. Fibula vero inferiori sua appendice externum tali latus occupat. Anterior tali sedes, quæ in nuda ossium cōpage oculis subiicitur tendinibus occultatum per pedis superiora ad digitos deductis. Ita etiam posterior ipsius sedes non minus in nudis sceletis conspicua tendinibus in calcem insertis, & quibusdam hac pedis inferiora subeuntibus. Porro error confundendi talum cum malleolo ad nostra vsque tempora durauit. Nam sunt non pauci Galeni Latini inter- E pretes, quibus familiare est, vt σφυρὰ, hoc est, malleolos, subinde talos interpretentur. Externum itaque exterioris malleoli latus gibbum excarneque est, similiter atque interioris malleoli internum. Posterior autem exterioris malleoli sedes amplum ostendit sinum, qui transuerso obductus ligamento, sexti & septimi pedem mouentium musculorum tendines deducit, illos quo minus a sua sede reclinent continens. Internum eiusdem malleoli latus in infima ipsius sede versus posteriora profundum asperumque ostendit sinum, ex quo ligamentum prodit cartilagineum hic fibulam talo validissime connectens. ¶ Ceterum si fibulam examinaueris, eam secundum ipsius in longitudine ductum triangulam esse conspicies, atque id potissimum iuxta ipsius longitudinis medium. In anterioris enim fibulæ sedis medio, acuta & insigniter protuberans linea ap- F paret, primum fibulæ angelum constituens. In posteriori autem ipsius sede, depressa est & plana, atq; vtrinq; ad posterioris sui sedis latera vnā demonstrat lineam, quæ insigniter satis protuberans, alium fibulæ angulum efformat, adeo vt ea quæ internum latus posterioris fibulæ sedis occupat, secundus fibulę angulus appellari possit: quæ vero externum eius sedis latus habet, tertius. Atque iis tribus lineis angulisue, tria fibulæ conti-

Exterior malleolus.

Cap. 22. lib. de ossibus.

Talum ante dissectionem tactui non occurrere.

Fibulæ per ipsius longitudinem figura triangula.

Tibiæ ossis per ipsius longitudinem forma. Spina tibię.

nentur latera. ¶ Tibiæ quoque os similiter ac fibula in suæ longitudinis medio quadantenus triangulare est. Prima enim ipsius linea in anteriori ossis sede consistit, insigniterque prominet. Vnde etiam *Spina* anatomes professoribus appellatur. Secunda & tertia tibiæ ossis lineæ posterioris suę sedis latera constituunt. Ac tertia quidem internum eius sedis latus efformat, parũ acute educta, sed obtusa admodum, & quasi teres. Secunda vero paulo est acutior, ac externum posterioris tibiæ ossis sedis latus efformat. His tribus lineis, tria tibiæ ossis conficiuntur latera. Ac primum quidem prima secundaque linea terminatur, sinuatumque est ac planum. Secundum vero latus prima tertiaque linea terminatur, & insigniter gibbum est, nulloque prorsus obtectum musculo, Græcisque vt dictum est, *κνήμη* appellatur. Tertium tibiæ ossis latus, secunda & tertia circumscriptum lineis, non valde depressum est. A B

De Patella. Cap. XXXVI.

Situs & forma. Gal. c. 23. li. de ossibus. Idem lib. 3. de vsu partiũ cap. 15. Vesl. lib. 1. cap. 32.

ANte tibiæ cum femore articulum os quoddam præponitur orbiculare rotundum, & breui scuto non absimile, quod Græcis *μύλη, ἐπιμυλὶς* & *ἐπιγονατὶς*. Latinis *mola, patella, & genu rotula* vocatur. Hoc posteriore sua sede, qua femur spectat, læui, lubricaque cartilagine, magna ex parte obductum visitur, apto tubere sinibusque anteriori interiorum femoris capitum sedi affabre congruens. Secundum namque ipsius longitudinem tubere amplo & mediocriter prominenti extuberat, quod patulum femoris capitum sinum in anteriori illorum sede exsculptum subit. Vtrinque ad tuberis huius latera vnius habetur sinus, prominentis & cartilagine incrustatas femoris capitum sedes excipiens. Verum vt exterius femoris caput antrorsum magis, quã interius caput porrigitur, & ampliori sede læui cartilagine obducitur: ita sane exterior patellę sinus ad tuberis sui externum latus consistens longe amplior, latiorque interiori sinu occurrit. C

Patella igitur illa parte, qua femoris os contingit, leuis & lubrica cernitur. Anteriori autem ipsius, & in lateribus aspera, & cœcis quibusdam foraminulis obsita spectatur: quemadmodum etiam in posteriori ipsius sede, vbi infima sui parte tanquam acuto quodam processu deorsum ducitur, tibiæque ossis elatiorem partem respicit, aspera etiam & foraminulis illis ornata est, quo aptius firmiusque tendinibus tibiam extendentibus innascatur. Vniuersa enim patella, tota ipsius amplitudine sedeque, vbi lubrica cartilagine non obducitur, tendinibus illis innascitur, nec femori, nec tibiæ aliter quam tendinum beneficio commissa. Hoc enim priuatim patella sibi vendicat, quod alteri ossi ligamentorum ope non alligetur, sed tendinibus illis genu articulum transcendentibus innata, ad femoris os validissime constringatur. ¶ Patellæ substantia in natu grandioribus impense dura & solida est, idque non solum in hominibus, verum etiam in bobus, ouibus, & ceteris quadrupedibus, quorum etiam genu articulo rerum opifex patellam præposuit, multo quam in hominibus lõgiorem & angustiorẽ, quemadmodum in plerisque auibus latiorem & breuiorem. Data est patella, vt prohibeat, ne in tibiæ flexu femur ex tibiæ ossis sinibus in anteriora luxetur. Non exiguam quoque ne cadamus, præsertim quum per decliuia loca & gradus descendimus, ac vbi totum corpus nutat, commoditatem præbet. D E

Patellę substantia.

Patellæ vsus. Gal. lib. 3. de vsu partiũ cap. 15.

De pedis ossibus. Cap. XXXVII.

Numerus.

PEs Græcis *πὺς* dictus, sex donatur ossibus, talo nimirum, calce, nauiculari osse, tarso planta, & digitis, quæ singula ordine describemus, a talo exorsi. ¶ Talus, qui Græcis *ἀστράγαλος*, & *ἄστειος*, vulgo *Balistæ os* vocatur, quod nucis balistæ formam referat, ab imis tibiæ ossis, & fibulæ appendicibus, magna sui parte, *vt dictum supra est*, comprehenditur. Elatior namque tali pars, quæ sursum quoties totus pes terræ innititur, spectat, insigni admodumque læui prominet tubere, lubrica cartilagine incrustato, ac denique quartæ rotulæ cuiusdam parti non absimili. Est namque hoc tali tuber rotulæ illius partis modo orbiculare ac leue, & quatuor lateribus seu costis terminatum. Ac prima quidem & secunda, ad tuberis latera secundum ipsius longitudinem, veluti in orbem ducuntur, tertia, secundum anteriorem tuberis terminum, quarta vero, secundum posteriorem terminum feruntur. ¶ Quum itaque hoc orbiculare tuber quadrangulare quodammodo sit, ob id Galeno, aliisque Græcis *τετράγωνον*, Latinis *quatria* nuncupatur. Neque vero lateribus duntaxat præsens tuber quartæ illi rotulæ parti correspon- F

Tali historia. Gal. cap. 24. lib. de ossib. Vesalius ca. 33. lib. 1.

Ibid. Τετράγωνον.

A correſpondet, ſed rotulæ modo, ad quam funis reflectitur, ſinu quodam in ipſius medio donatur, qui læuiter admodum cælatus, ad latera vtrinque magis protuberat, illi ſedi exactiſsime congruens, quam in ima tibiæ oſſis appendicis ſede talo excipiendo paratam diximus. Præſentis tali ad tibiam nexus ope pedem flectimus, & reflectimus, ac nimis quam obſcure in latera ducimus. Ad hæc tali tuber ad latera quibus malleolus contingit, comprimitur, læuique cartilagine incruſtatum cernitur, quamuis non pari modo vtrinque. Siquidem in interno latere parua amplitudine & ſuperficietenus tantum comprimitur, quod ſcilicet inferioris tibiæ oſsis appendicis proceſſus interiorem malleolum conſtituens, & hoc tali latus comprehendens, non admodum amplo ſpatio læui cartilagine incruſtetur. Externum vero tuberis tali latus ampliter ſinuatum, & ma-
B iori interuallo cartilagine incruſtatum apparet, vt aptam ſedem conſtituat, cui internum exterioris malleoli latus concinne congruat, qui magis deorſum, quam interior malleolus exporrigitur. ¶ Quemadmodum vero internum interioris malleoli latus aſperum ſinũ habet, ex quo ligamentum cartilagineum talum tibiæ oſſi colligans pronaſcitur: ita quoque eius ligamenti recipiendi gratia internum tali latus aſpero ſine inſculpitur, perinde ac externum ipſius tali latus ſimiliter cælatur, vt ipſi ligamentum inſeratur ab interno exterioris malleoli latere eductum. Huiuſmodi quoque ligamentorum ratione poſterior tali ſedes ad tuberis ipſius, ſeu quatrionis radicem conſiſtens aſpera eſt, vt inibi ligamenta admitteret a tibia principium ducẽtia, & rurſus alia in calcem porrigat. At præter eiuſmodi aſperitatem poſterior quoque tali ſedes, ſinus oſten-
C dit, muſculorum tendinibus qui hac pedis inferiora ſubeunt, vehendis parati. Atque ad hunc modum talus tibia articulatur, & tali quoque ſuperior ac poſterior ſedes, lateraque ita ſe habent. Ab interiori vero ipſius tali ſede, idque magis ab huius ſedis interno latere oblonga producitur ceruix, quæ aliquouſque progreſſa, in caput rotundum, lubricaque cartilagine incruſtatum deſinit, quod nauicularis oſsis alto ſinui inarticulatur inferior tali pars duplici articulo calcis oſsi articulatur, illiq; totus inſternitur. Ac vnus quidem articulus in poſteriori conſiſtit regione, vbi calcis os amplo latoque prominet tubere: amplum profundumque tali ſinum ingrediente. *Alter* vero articulus anterior eſt. ac verſus internum pedis latus vergens, ſecus atq; poſterior articulus ſe habet. Calcis enim os oblongo ſinu exſculpitur, qui cartilagine incruſtatus humiliorẽ tali
D capitis ſedem excipit. ¶ Tali namque caput nauiculari oſſi articulatũ inferiori ſua ſede qua calci innititur, depreſſo tubere, dicto iam calcis ſinui adamuſſim adaptatur. In horum articulorum medio talus & calx pariter exaſperantur, profundoſque obtinent ſinus; ex quibus cartilaginea pronaſcuntur ligamenta talum calci validiſſime cõnectentia. Atq; iſti aſperi horum oſſium ſinus ita profunde cælantur, vt in repurgatis oſſibus, & deinceps inuicem commiſſis, magnum inter talum calcemq; inibi pateat interuallum, in viuentibus prædictis cartilaginoſis ligamentis oppletũ, quæ adeo pertinaciter talum calci colligant, vt vix tantillum is ſupra calcem moueatur, ac ſua inferiori ſede tam ſit immobilis, vt ſuperiori, qua tibiæ articulatur, verſatilis volubiliſque obſeruatur. ¶ *Calcis os*, quod Græci πτέρναν, Latini *calcaneum & calcem* vocant, omnium pedis oſſium facile ma-
E ximum eſt, parique cum talo conſtat ſubſtantia. Ea parte qua ingredimur leuiter teres, ſed tutæ formationis gratia quoque latiuſculum exſiſtit. Verum interim aſperum & inæquale inibi cernitur, idque quorundam muſculorum occaſione. Primum enim in inferiori ipſius ſede tranſuerſim iuxta poſteriora prominet, ac aſperũ educit proceſſum, qui terræ propinquius, quam reliquum calcis corpus, accedit, quo minus muſculorum illic ortorum capita inter calcandum cõprimantur. ¶ Superior calcis ſedes, quæ a poſteriori tali parte, ad poſticam vſque ipſius ſedem ducitur, teretis corporis ſpeciem refert, priuatim nihil præter exiguam aſperitatem commonſtrans, in quam tibiæ oſſis & tali ligamenta inſeruntur, quæq; a muſculorum exortu & inſertione, & articulatione libera eſt. ¶ Poſterior hæc calcis ſedes, tibiæ oſſis rectitudinem admodum excedens, in
F hoc in poſteriora educitur, vt tibia oportune inſtar perpendicularis lineæ in pedem, tanquam in aliam lineam tranſuerſim ductam fulciri poſſit, vtq; totius corporis robuſtiſsimus tendo poſteriori calcis parti inſeratur. Huic enim depreſſa & vtcunq; aſperæ calcis parti tendo implantatur ex primo, ſecundo, & quarto pedẽ mouentibus muſculis conflatus. In quadrupedibus autem, vt canibus, ouibus, & equis, poſterior hæc calcis

Tali cum oſſe nauiculari articulus.

Ceruix tali.

Tali ad calcem cõnexus.

Sinus inter tali cũ calce commiſſuras apparens.

Calcis oſſis ſedes terrã aſpiciens. Galen. ibid. Veſa. ibid.

Superior calcis ſedes extra tibiæ rectitudinẽ retrorſum ducta.

ossis sedes ex abundanti sinum quendam oblongum sibi vendicat, quo tuto tendo is vehitur, qui in illis animantibus secus ac in homine latum tendinem plantæ cuti subnatum procreat. ¶ Ceterum calcis laterum, quæ ampliter sunt depressa lataque internum latus læue & insigniter sinuatum cõspicitur, vt aptam constituat sedem musculorum tendinibus hac pedis inferiora petentibus, atq; ad internum hoc calcis latus tutissimo reflexis. Hi tendines potissimum ad posteriorem processus calcis sedem conuoluuntur, cui natura sinum insculpsit tali caput excipientem, & anteriorem tali cum calce constituentem articulum, adeo vt processus in internum pedis latus protuberans, internum calcis latus impense sinuatum efficiat, quemadmodum & protuberans, posterioris calcis sedis internum latus hunc quoq; sinum ampliter auget. Externum autem eius latus non sinuatur, sed asperum & inæquale ac excarne est, si modo humiliorem ipsius sedem exceperis, quę musculum educit paruum digitum a ceteris in externum latus abducentem. Dein anterior huius lateris sedes aliqua ex parte læuis, modiceq; admodũ in superficie sinuata cernitur, vt tendinibus septimi & octaui musculorum pedem mouentium cedat. Anteriorum eius partium ea, quæ e regione magni digiti habetur, & processus modo in internum calcis latus excedit, talo articulatur, vt comprehensum est, nulli interim alteri ossi contigua. ¶ Ac calcis anterior pars minimo digito situ respondens, in anteriori sua facie læuis est, & lubrica cartilagine incrustatur, depresso amploq; prominens capite, quod ossis tesseram imitantis sinui articulatur, qui similiter lubrica obductus cartilagine dũtaxat superficietenus insculpitur. ¶ *Nauiculare* seu *nauiforme os*, posteriori quidem sede admodum profundo donatur sinu, cauitatemque naui similem obtinet, vnde etiam a cymbæ imagine Græcis σκαφοειδὴς, Latinis *os cymbam referens*, &, vt dictũ est, *nauiculare* nominatur. Sinus iste tali caput excipit. Anterior ossis cymbam referentis sedes lubrica cartilagine incrustatur, & tres admodum leuiter prominentes commonstrat superficies, tribus tarsi ossibus, quæ ipsi articulantur, paratas, adeoque modice protuberantes, vt num sinus, num capita sint pene diiudicare nequeas. Harum superficierũ intima & interno pedis lateri proxima, reliquis duab. amplior est, & insignius quam illæ, ideo prominet, quod tarsi os ipsi coarticulatum maius & amplius sit, & profundius quoque sinuetur, aliis duobus tarsi ossibus, quæ reliquis duabus ossis nauicularis superficiebus committuntur. Læues has, adeoque obscure protuberantes superficies dissectionum periti cubos vocant, quoties tria tarsi ossa cubis eius ossis quod cymbam refert coarctari docent. Superioris huius ossis sedes gibba, & quodammodo rotulæ modo orbicularis est, & vtrinq; aspera, quo felicius ligamenta educat id os talo & tarsi ossibus connectentia. Inferior pars vtcunque sima visitur, vt hac parte cauitatem pedi magnopere necessariam adaugeat. Verum hæc ossis pars superiori parte asperior & inæqualior cernitur, quod hinc validiora, quam ex superiori ligamenta enasci debuerint. Præterea inferior hæc sedes iuxta internum ipsius latus sinum obtinet ad quem sexti pedem mouentis musculi tendo appositissime reflectitur. ¶ Nauiformi itaque ossi, vt neque etiam calci, neque talo, in manu nullum proportionale os consistit. Quæ vero adhuc in pede recensenda supersunt, extremæ manus partibus aliqua ex parte correspondent. ¶ Ceterum Græcis ταρσὸς dictus, Barbaris autem *Raseta pedis*, non obscuram ad brachiale proportionem habet. Ex quatuor enim ossibus tarsus constat, ex duplicatis autem brachiale. Ex pluribus namq; comprehendi organum componi debuit, ex grandioribus autem paucioribusq; gradiendi instrumentum. Tarsus itaq; non est nisi quatuor pedis ossium series, quorum tria nauiculari coarctantur, quartum vero quod tesseræ assimilatur, calci. Quamuis Græci interim, vti etiam Galenus in libris de administrandis sectionibus facit, frequenter tarsi nomen nõ iis solum ossibus accommodant, verum etiam vniuersam pedis superiorem partem eo nomine intelligunt. ¶ Tria igitur tarsi ossium interiora planis quodammodo superficiebus nauiculari ossi coarctata, proprio carent nomine. At nonnullis simul omnia χαλκοειδῆ vocantur. Quartum autem extrinsecus situm, a cubi seu tesseræ forma: quum quasi octo habeat latera: κυβοειδὴς appellatum est. Atque *vnum* ipsius latus posterius est, quo calci committitur. *Secundum* anterius, quo continua superficie duobus pedii ossibus coarctatur. *Tertium* interius est, quo ipsi proximo tarsi ossi coarticulatur. *Quartum* pedis exterius respicit latus, vixque lateris nomen meretur, quum admodum obscure planum sit. *Quintum* superius est, nulli etiam nexum ossi, sed

pedis

Marginalia: Internum calcis latus quale. — Externũ latus. — Anterior calcis pars. — Os nauiculare. Gal. ibid. & lib. 3. de vsu part. cap. 7. Vesa. ibid. — Anterior nauicularis ossis sedes. — Superior. — Inferior. — Quibus pedis ossibus nullũ in manu respõdet. Tarsus. — Tria tarsi ossa interiora. — Quartum & extimũ os. Κύβος tessera.

Right margin letters: A B C D E F

A pedis superiora spectans. *Sextum* terram respicit, nulli similiter ossi commissum, ceterisque lateribus longe inæqualius, & priuatim oblongo sinu donatum, ad quem maxima naturæ solertia septimi pedem mouentis musculi tendo reuoluitur. Quia vero aliquot huius ossis latera obscura & inæqualia sunt, adeoque non ad amussim tesseræ imagini accedit, Arabes ab inæquali effigie, & quadam grandinis imagine, id grandinosum nuncupauerunt. Alii rursus a multiplici forma illi idem nomen cum *Cuneiformi* osse capitis indiderunt, id πολύμορφον nominantes. Hoc tarsi os, vt comprehensum est, calci coarticulatur, terræq; innititur. Reliqua vero tria ossa simul cum nauiculari sursum a terra subleuantur, vt pedem hac sede cauum altumq; constituant. ¶ Tarsi ossa, vt & brachialis, figura & quantitate inter se discrepant, nec superiori, nec inferiori parte æqualiter porri- B guntur. Os enim cubum referens, & primum os interius pedis latus occupans, duobus quæ in medio habentur multo maiora sunt. Atque illorum duorum rursus grandius est quod cubum referenti nectitur, quemadmodum & cubum referens intimo osse grandius quoque videtur. Quin etiam os cubum referens posterius, ad calcem scilicet, vergit: intimum vero os antrorsum versus pollicem multo magis quam cetera eminet. ¶ Ex mediis, quod intimo ossi proximum est, breue cernitur, non adeo antrorsum, atque id quod cubum referenti committitur productum. Omnia simul iuncta superiorem eorum superficiem gibbam orbicularemq; efformant, inferiorem vero cauam. Duo media cunei accedunt imagini. Qua enim pedis superiora spectant, lata orbiculataq; nonnihil sunt, qua vero plantam constituunt, non secus acuta videntur, quam si cuneorum C ritu inter intimum & extimum tarsi ossa iniicerentur. Deinde tarsi os ossi cubo simili coarctatum, priuatim acutius & demissius in pedis inferiora porrigitur, quam secũdum tarsi os intimo commissum, quod ipsius huc deducto processui tendo quinti pedẽ mouentis musculi validissime inseratur. Tarsi ossa, vbi lateribus inuicem committũtur, tota connexus amplitudine læui lubricaque cartilagine non obducuntur, sed duntaxat in posteriori laterũ sede ossi cymbam referenti proxima. Quippe in reliqua parte nõnihil mutuo distant, cartilaginosorum ligamentorum interuentu inuicem copulata. ¶ Planta, quæ Græcis πεδίον, id est, *planum*, Hippocrati a costarum fortassis serie στῆθος appellatur. Latini nonnulli *pecten vestigiumque* vocant. Planta vero quinque ossibus conformatur, quæ postbrachiali respondent, ac pari articuli connexu tarsi ossibus vna serie commit- D tuntur. Siquidem pedi ambulandi organo, stabilitatis securitas maxime conuenit, quæ in vno ordine locatis indiget ossibus. ¶ Plantæ quidem ossa tarsi ossibus læuibus & in superficie tantum protuberantibus capitibus coarctantur. Et pedii quidem os pollici præpositum intimo tarsi committitur ossi, quod indicem suffulcit secũdo, quod mediũ sustinet tertio ossi articulatur. Duo autẽ reliqua ossi cubum referenti coarctãtur. Quemadmodum autem articuli, quo postbrachialis os minimum digitum sustinens brachiali nectitur, externo lateri ossiculum quoddam apponitur: ita etiam in pede ossiculum visitur, ad externũ latus articuli positum, quo quintũ pedii os cubiformi ossi articulatur. Porro vt tarsi ossa non eadem linea anteriore parte finiunt, sic etiam pedii ossium aliud alio magis in posteriora porrigitur. Pedii ossa illic vbi tarso committuntur lateribus sibi E proxima crassaque sunt, & aliqua ex parte planis læuibusque superficiebus inuicem coarctantur. Qua vero a tarso ad digitos abscedunt, tenuiora sunt, atque in illorum medio interualla efformant, quibus musculosa reponitur substantia, cuius auxilio primi digitorum articuli flectuntur. Atque vt pedii ossa illi substantiæ aptiorem sedem porrigant, non adeo acuta tenuiaque superiori parte, atque ea quæ qua terram spectant, visuntur. Vbi autem digitis articulantur, omni ex parte postbrachialis ossibus respondent, & appendice donata in rotundum desinunt caput, sinum primi digitorum ossis subiens. Pedii os pollici præpositum ea parte, qua tarso articulatur, in ipsius inferiori sede terræ contermina processum obtinet, cui septimus pedem mouentium musculus inseritur. Ita quoque pedii os minimum sustinens digitum, qua tarso articu- F latur, insignem ostendit processum in externum pedis latus excedentem, in quem octaui pedem mouentis musculi tendo insertionem molitur. ¶ Pedis digiti pedii ossa subsequentes ex tribus ossibus omnes ad eorum, qui in manu sunt, similitudinem exstructis constant, pollice tantum excepto, qui inter alios duplici tantum osse exstruitur, vt anterior pedis concauitatis sedes firmius terræ innitatur, ad quod et-

Grandinosum.

Tarsi ossium forma & quãtitas varia

Pedii historia. Planta quinque ossibus constat.

Plantæ ad tarsum articulatio.

Pedii ossium interualla.

Ad digitos articulatio.

Pedis digiti. Gale. cap. 25. libr. de ossib.

Sesamina ossa. Vesl. lib. 1. cap. 28.

iam plurimum iuuant ossicula sesamini semen referentia, quæ itidem, vt in manu, in pede quoq; reperiuntur. Vnum quidem, vt plantæ os paruum digitum sustinens tesseram imitanti ossi coarctetur. In primis vero pedis digitorum articulis huiusmodi ossicula difficulter præterquam in pollice obseruantur. In senibus tamen, quod maiuscula sint, promtius se offerunt. In secũdis autem & tertiis articulis rarissime inueniuntur, præterquam in secundo pollicis internodio, cui grande satis ossiculum subiicitur. Quanquam quæ primo pollicis internodio subiiciuntur, multo insigniora ossicula sunt, & horum internum externo longe grandius est, quod magi & occultæ philosophiæ sectatores nulli corruptioni obnoxium esse affirmant, & tantisper in terra asseruandum nugantur, cum id resurrectionis tempore instar seminis hominem producat. Est sane vtrunq; os, sed potissimum, exterius mundato ciceri perquam simile, si modo ad mediam ciceris partem referas: aut si vtrunque os iunxeris integrum cicer effeceris, quantum scilicet ad imaginem pertinet. Deinde in grandioribus hominibus internum id ossiculum etiam tantum est, vt tessera ex ipso promte paretur. A B

Magorũ commentum.

De Vnguibus. Cap. XXXVIII.

Gal. libr. 1. de vsu partium, cap. 7. Cur digiti vnguibus donati. περὶ ὀνύχων μήκους.

MAnuum pedumque digiti vnguibus ideo a Deo rerum omnium opifice decorantur, vt ipsis firmamenti vice apponerentur. Digiti enim suis ipsorum solis partibus carneis mollia corpora apprehendunt: dura vero, & propter hoc carnis naturam pellentia, violenter a se cognita, sine vnguium adminiculo apprehendere digiti nequeunt. Ipsorum enim caro reflexa subuersaque firmamento eget. Præterea si vngues summitatibus digitorum, *vt testatur etiam Hippocrates libr. 1. κατ' ἰητρεῖον, id est, de Medici officio, aphorismo 20.* neq; longiores fuerint, neque breuiores, commoderatam magnitudinem habebunt, ideoque ea, quorum gratia facti sunt, tunc maxime præstant. Siquidem multa alia ad res agendas commoda ex iis homini accedunt, veluti si radere quid, aut scalpere, aut excoriare, aut euellere oporteat. Nam in tota prope vita, omnibusque artibus, & iis potissimum, in quibus sunt exquisitæ manuum operationes, quæ Græcis χειρουργίαι appellantur, iis nobis opus est. ¶ Porro vnguium duritiem natura effinxit mediocrem. Si enim duriores, quam nunc sunt, instar ossium facti fuissent, ita quidem ad apprehendendum minus essent idonei, vt qui ne minimũ quidem flecti possent, rumperentur enim promtissime, sicut & alia dura vniuersa. Eorum igitur securitati ac robori natura prouidens, illos mediocriter duros effecit, vt neque vsui, cuius gratia facti sunt, quicquam incommodaret, neq; ipsi, quum eorum, quę extrinsecus incidunt, vim exsoluunt obtunduntque, promte patiantur. ¶ Rotundi vero sunt, & gibba superficie constant, quod sola hæc figurarum ad vix patiendum comparata sit, vt quæ nullum expositum angulum frangi potentem obtineat. ¶ Verum quoniam scalpendo, vel aliud quid vnguibus agendo, exteri debebant nobis eorum extremitates, solas has animalis particulas semper augeri potentes natura construxit, quamuis iam totum corpus augeri desierit. Augentur autem non vt aliæ partes in longum & latum, & profundum, sed pilorum ritu in longum solum, subnascentibus aliis semper vnguibus nouis, & veteres propellentibus. Neque hoc otiose natura instituit, sed vt in locum eius, quod assidue in ipsorũ extremitate exteritur, sit aliquid, quod sufficiatur. Sic igitur ad summam naturæ prouidentiam pertinet vnguium constructio. C D E

Vngues cur mediocriter duri. Galenus ibidem, cap. 11.

Vngues cur rotũdi.

Vngues quare augentur.

De Cartilaginibus. Cap. XXXIX.

Cartilago quid.

CArtilago, quæ Græcis χόνδρος nominatur, particula est similaris, aliarum omnium durissima, solo autem osse mollior, alba, læuis, molliter flexilis, nullis foraminibus cauernulisque ossium modo intus oppleta, & sensus ac medullæ expers. Huius vsus perquam varius est. ¶ *Primum* namque idem præstat, quod ossa, quum velut fulcrum quoddam sit, cui proximæ partes adnascantur, & adstabiliuntur. Pari modo multæ cartilaginum ossium vicem subeunt, vbi nullo osse locato in eas músculi suam insertionem tentant. ¶ *Alter* cartilaginis vsus in articulis est, vt hæc ossibus occasionem præbeat, quo minus in continuis, frequentibusque motibus attritu vitientur. Ossium namq; commissuræ motus gratia exstructæ, propter ossium siccitatem ex mutuo contactu, leui opera rumperentur, nisi vtraq; commissuræ ossa tota sede, qua se inuicem contingunt, articulumque formant, cartilagine quadam veluti crusta seorsim obducerentur, & hæc suo in duritie, mollitieque temperamento ossium impetui resisteret, & vna incidentis vim cedendo F

Cartilaginum vsus. Vesalius libr. 1. ca. 2. Primus. Alter. Galenus libr. 1. de vsu part. cap. 15.

A dendo leuiter exsolueret, ac suo læuore ac planitie efficeret, vt promtissime ossis caput in suo voluatur sinu, nullaq; asperitas motus promtitudinem impediat, accedente huc viscido lubricoq; humore, & veluti vnctione quadam quo rotulas, vt ad reflectendum fiant aptiores, oblinimus. ¶ *Tertius* vsus est, vt in plerisque ossium commissuris non ad motum institutis, cartilago quasi glutinis vice interueniat, vt in pubis ossium commissura fit. ¶ Præterea rerum Opifex nudas & prominentes corporis particulas, & ossium fines alteri ossi non commissos cartilagine adauxit, vt tali constarent substantia, qualis neque frangi propter mollitiem, neque rumpi propter siccitatem queat. Variæ autem sunt cartilaginum differentiæ pro partium ad quas pertinent ratione, quas singulas, *quemadmodum in ossibus hactenus fecimus*, ordine describemus.

Tertius.

B

De palpebrarum Cartilaginibus. CAP. XL.

PAlpebris, quæ Græcis βλέφαρα, παρὰ τὸ φάρος, καὶ ἱμάτιον εἶναι τοῦ βλέπειν, id est, *quod oculi sint indumentum*, dicuntur, vtrisque tam inferiori nimirum, quam superiori, vna adnata est cartilago, vtcunque mollis & longa, inq; palpebrarum extremo, qua illæ inuicem conniuent, locata, & inter cutem & membranulam palpebras intus succingentem reposita. Huic cartilagini palpebrarum pili, qui Græcis βλεφαρίδες, Latinis *Cilia* nominantur, infiguntur, in illaq; tanquam in durius quoddam solum inserti eriguntur. Nam hæ cartilagines quas ab illa pilorum serie, remorumq; in lõgis nauibus, seu vt vocant galeris, similitudine, ταρσοὶ nominantur, ideo potissimum creantur, vt pilos illos erectos, neque ceterorum pilorum modo flaccidos dependentesque contineant. Deinde vt musculo-

C rum palpebras mouentium insertioni inseruiant.

Palpebræ vnde dictæ.
Vesalius libr. 1. c. 35.
Cilia.
Βλεφαρίδες.
ταρσοὶ.
Gal. libr. 10. de vsu partium, cap. 7.

De auris cartilagine. CAP. XLI.

AVris cartilago, quæ auris formam refert, in hoc formatur, vt cute vestita auris corpus instar vanni constituat, deniq; commode sustineat, ac erectum seruet. Est autem hæc cartilago mollis & tenuis, tanto semper a capitis osse versus auris extrema mollior euadens, quanto auris orbiculo propius accedit, & quo minus sustinere aliquid debet. Ac proinde etiam in auris pinnula seu fibra huius cartilaginis nulla exporrigitur portio, quod scilicet hanc propendentem, neque erigi, neque suffulciri oporteat. ¶ *Porro* ad temporis os hæc cartilago durior sentitur, & vt firmiori radice hæreat, crassior. Enascitur enim ex orbiculo foraminis auditus meatui in temporis ossis celati, cuius cir-

D cumferentia ideo exasperatur, vt promtius auris cartilaginem educat. Non temere autem natura ex huiusmodi cartilagine aurem constituit. Nam quum mollis sit mediocriter, facile occursantium impetui cedit, eorumque violentiam exsoluit. Si vero dura omnino esset, æque ac ossa, vel mollis instar carnis, duorum sane alterum necessario fieret, aut enim frangeretur, ac omnino rumperetur, aut omnino contunderetur.

Vesalius ibidem cap. 36.
Galenus libr. 11. de vsu part. cap. 12.

De nasi cartilaginibus. CAP. XLII.

AB inferiori nasi ossium sede, qua hæc aspera & latiora, quam superiori parte sunt, duæ enascuntur cartilagines, quæ deorsum in anteriora exporrectæ, inuicemque coniunctæ sensim molliores euadunt, ac in nasi extremo veluti in cartilagineum ligamentum degenerantes, totam anteriorem nasi regionem cõstituunt, quæ a nasi ossium

E inferiori sede ad nasi terminum apicemque pertinet. Ab osseo autem septo narium foramina dirimente, alia enascitur cartilago, mollis quoque, ac ligamenti naturæ compos, quæ a tota anteriori septi illius sede antrorsum procedens, internæ duarum primarum cartilaginum regioni, per ipsarum longitudinem adnascitur. ¶ Hæc pari ratione in ea nasi parte, quæ veluti ex faciei planitie porrigitur, nasi foramina interdiuidit, quẽadmodum ossium illud septum ipsa foramina inibi disiungit, qua super palati regionem a naso ad fauces vsque ducuntur. His tribus nasi cartilaginibus aliæ duæ, vtrinque nimirum singulæ accedunt, quæ magis adhuc aliis cartilaginibus ligamentorum naturæ participant, & orbiculatim singulæ vnum nasi foramen constituunt. ¶ Cartilagines hæ internis suis lateribus inuicem colligantur, & aliarum nasi cartilaginum extrema integũt,

F solæque motu donantur voluntario, cuius ope sursum deorsumq;, & introrsum extrorsumque velluntur, propriis in hoc donatæ musculis. Harum cartilaginum latiores mollioresq; partes in nasi lateribus consistunt, ac *nasi alæ pinnulaue*, Græcis πτερύγια nominantur: quod quasi alarum modo nares occludant, referentque, ita homini inter respirandum insignem vsum præbent.

Vesalius ibidem cap. 37.
Gal. libr. 11. de vsu partium, cap. 17.
Alæ.
Πτερύγια.

A

De laryngis gutturisue cartilaginibus. CAP. XLIII.

Galenus lib. 7. de vsu part. cap. 11.

Prima gutturis cartilago

Θυρεοειδὴς

Vesal. libr. 1. cap. 38.

CAput asperæ arteriæ, quod Græcis λάρυγξ, Latinis *guttur* dicitur, ex tribus magnis cōstat cartilaginibus: quarum prima anterior maximaque & amplissima est, foris quidem gibba, intus autem caua, scuto quodammodo similis, non rotundo vndiq;, sed prælongo, quod scilicet proprie *scutum* appellatur, qualique veteres in prælíis vsos, & Turcarum aliquot adhuc, in nauibus præsertim, vti cernimus. Vnde hanc cartilaginem dissectionum periti θυρεοειδῆ, id est, *scutiformem*, seu *scuto similem*, vocarunt. Quippe θυρεὸς, Græcis *scutum* dicitur. Vulgus autem Medicorum *scutalem*, & *peltalem* nominat. ¶ Cartilago hæc in homine superiori sede amplior, quam inferiori conspicitur, secus multo quam in bobus & porcis, quibus inferiori sede latior, superiori autem multo strictior est, minusque in acutum, quam hominis larynx antrorsum exporrigitur. Quod tamē ad imaginis speciem spectat, hominis cartilago superiori & inferiori sede sibi respondet. Supra enim infraque ex suis lateribus binos educit processus, vtrinque singulos. Ac horum quidem duo superiores procerius inferioribus educti, membraneis vinculis ossis hyoidis humilioribus lateribus alligantur. Inferiores autem lateribus secundæ cartilaginis versus posteriorem ipsius sedem vniuntur. Tam viris denique, quam mulieribus antrorsum magis prominet, tactuique magis exponitur, & subinde gemina, idque potissimum in viris obseruatur. In ipsius enim medio, vbi cartilago homini breuissima est, maximeque antrorsum extuberat, secundum suam longitudinem crebro linea ducitur, quæ ad amussim a membranulis emundata, duas cartilaginis partes mutuo commissas etiam ante sectionem fuisse arguit. Boum autem cartilago plurimum ab hominis cartilagine variat, ac propugnaculi, quod bombardarum ictibus retorquendis comparatum est, formæ accedit.

Secunda laryngis cartilago Gal. ibid. Vesa. loco citato.

¶ *Secunda* cartilago minor est prima, & maior tertia, maximaque sui parte in posterioribus laryngis sedibus reponitur, qua stomachus gulaue deorsum a faucibus fertur. Porro quantum scutiformis cartilago a perfecti circuli figura deficit, hoc ipsa adiicit, & superiori posteriorique eius parte supplet. Ima enim ipsius parte perfectū conficit circulum, cuius anteriorem partem sub scutiformis radice, tactu in anteriore laryngis sede percipimus. Interna eius amplitudo læuis est, posterior autem ipsius sedes stomachum spectans, longa extuberat linea, secundum cartilaginis longitudinem, quasi spinæ modo exporrecta. Superior huius cartilaginis sedes, qua posteriorem laryngis regionem efformat, in duo desinit tubercula oblonga, vtrinq; singula, quæ tertiæ cartilaginis finibus inarticulantur. Inferior vero eius cartilaginis pars, vbi laryngis posteriora constituit, nonnihil tenuis visitur, deorsum magis quam reliqua ipsius inferioris partis sedes porrecta.

Innominata.

Huic cartilagini nullum nomen est inditum, idcirco peculiari nomine Innominata vocari potest. Si quis tamen sedulo eius effigiem inspexerit, atq; alicuius rei formæ illam conferre, tandemq; huic ipsi appellationem indere voluerit, haud aliud ei magis conforme inueniet, illo Turcarum annulo, quem sagittantes dextro pollici imponunt, vt eius annuli ope arcus neruum robustius trahant.

Tertia laryngis cartilago. Gal ibid. Vesal. loco citato.

¶ *Tertia* cartilago Græcis ἀρυταινοειδὴς dicitur, quod quum integra est, & membrana, tunicaue asperam arteriam intus succingente adhuc obducitur, illi ollarum parti, qua aquam manus lauaturis affundimus, simílima sit, quam ἀρύταιναν, id est, *gutturnium*, appellant. Hæc cartilago membranis suis liberata gemina esse videtur, duabusque constituitur cartilaginibus, quarum vna dextro secundæ cartilaginis lateri, altera vero sinistro innititur, sinum læuem, & alte satis cælatum obtinens, quo secundæ cartilaginis tuberculum excipit. Vtriusque cartilaginis basis ampla est, & anteriori sede in longum processum finit, in interiora laryngis exporrectum. Superiores vero harum partes sensim a basi inuicem dehiscentes, ac dein molliores tenuioresq; & adiposæ redditæ, mutuo vniuntur, & dextræ cartilaginis superior pars sinistræ cartilaginis parti coniuncta, eam laryngis sedem construit, quæ illi vasorum parti congruit, qua aquam manibus affundi paulo ante commemorauimus.

Gal. ibid. cap. 16.

Atque hæc laryngis sedes adeo mollis flexilisque est, vt vomentibus in internam laryngis amplitudinem antrorsum reclinetur, asperamque arteriam ita exquisite integat, vt ne minimum quidem ex vomitu arteriæ ipsi illabatur.

Epiglottis.

¶ His tribus igitur laryngis cartilaginibus alia quædam mollis, & substantia tertiæ cartilaginis superiori parti prorsus similis accedit, quę laryngis perelegās efficitur operculum, accurate prohibens, ne quid cibi aut potus in laryngem defluat. Hoc quidem Græcis ἐπιγλωττὶς

non

A non alia de caussa nominatur, quam quod *laryngis rima*, quæ Græcis γλωττὶς, Latinis *lingua* Γλωττὶς.
dicitur, incumbat. Enascitur autem hoc laryngis operculum ampla, & antrorsum cur- Vesalius.
uata basi ab interiori scutiformis regione iuxta partem ipsius elatiorem. Hinc intror-
sum procedens, trianguli imaginẽ exprimit, cuius basim operculi a scutiformi cartila-
gine exort⁹ aut ipsius cũ ea cartilagine cõnexus efformat. Trianguli vero vertex ea pars
est, q̃ introrsum veluti ad stomachi regionẽ ꝑducitur. Corpus hoc, qua palatũ respicit,
gibbũ est ac mollius: qua vero laryngi innitit̃, cauũ, sinumq; , ac multo q̃ superiori parte
durius. In extremo autẽ ipsius, quo stomachũ spectat, insigniter molle est, pinguiq; ob-
ductum membrana ligamenti quodammodo naturam refert. Qua vero scutiformi cõ-
mittitur cartilagini, etiam multa abundat adipe, neq; , inibi adeo durum atq; in sui me-
B dio cernitur. ¶ Proinde ἐπιγλωττὶς non est Galeno, & aliis Græcis, nisi *laryngis operculum*
lingulæ impositum, ne quid inter edendum & bibendum in eam decidat prohibens. Lin-
gula vero, quam iidem γλωττίδα vocant, laryngis rima est, quam duo tertiæ cartilaginis Lingula.
processus in media laryngis amplitudine pingui membrana obducti constituunt. Sic
vero dicta est ab ea lingularum similitudine, quæ ex arundinum laminis inuicem com-
pactis tibiis accommodatur. Atq; hæc sane primum ac maxime proprium vocis instru- Lib.7. de
mentum, *Galeno etiam teste*, exsistit, nequaquam vero epiglottis, vt plerique Medicorum vsu part.
falso existimant. Qui sane error aliunde natus non est, quam quod non sine maxima cap.13.
inscitiæ nota γλωττίδα & ἐπιγλωττίδα confuderint, quum tamen hæc duo vocabula Galeno Error medicorum
& aliis veteribus anatomes professoribus diuersas corporis partes significent, vt iam o- nostri téporis.
C stensum est, nempe ἐπιγλωττὶς operculũ laryngis, γλωττὶς autem eiusdẽ rimam. ¶ Atq; hoc Celsi error libr.4.
loco Celsi auctoritatẽ plane contemnere oportet, qui illud laryngis operculum *lingulam* cap.1.
appellauit nulla alia de caussa, quam quod humanæ linguæ imagini satis accedat, quum
tamen cõstet veteres non ad humanam, sed fistularem magis linguam in eius partis no-
menclatura respexisse. Atq; hunc quidem errorem non solum Latini Galeni interpre-
tes secuti sunt, sed & Græci codices, librariorum vitio deprauati, creberrime ἐπιγλωττὶς
pro γλωττὶς legunt, vt *plenius nostris in Commentariis libr. 1. de laborantibus locis demonstrauimus.*
Quinetiam Celsi errore, doctissimus etiã vir Theodorus Gaza delusus est, eo ꝙ in Arist. Theodori
ἐπιγλωττίδα lingulam est interpretatus. Porro reliquæ asperę arteriæ cartilagines C nostri Gazæ lapsus.
formam exprimũt, *vt suo loco fusius dicemus*. De cartilaginibus costarum, & aliarũ quarũ-
D dam partium antea est abunde dictum, vt non sit necesse hic denuo de illis verba facere.

DE LIGAMENTIS ET MVSCVLIS VOLVNTARII MOTVS INSTRVMENTIS, LIB. II.

Quid ligamentum, & quis eius vsus, ac differentia. CAP. I.

PRIORE libro vniuersam ossium & cartilaginum humani corporis stru-
cturam explicauimus. Presens ligamenta, quibus ossium articuli cõtinen-
tur ac constringũtur, & ea mouẽtes musculos enarrabit. Ligamentũ itaq; ,
ꝙ Græcis σύνδεσμος dicitur, nonnullis Latinorũ *vinculum* corpus est simila- Quid ligamentũ.
re ex osse, aut cartilagine, aut quauis duriore membrana principium ducens sensus ex- Gale.l.br.
pers, durum, sed tñ cartilagine mollius, album & exsangue, cauitatisq; expers. ¶ Varios 1.de vsu
E autem in colligando, continendo, obtegendo, & musculis constituendis homini vsus par.ca.17.
præbet. Nisi n. ossium & cartilaginum articuli ligamẽtis tenerentur, nihil sane prohibe- Et lib.6.
ret ossa, aut cartilagines in quolibet motu luxari, & a sua naturali sede dimoueri, modõ the. meth.
huc, modo illuc a sua naturali situ deflectentia. Quod ne accideret, natura omniũ ossiũ cap.4.
cartilaginumq; articulationem in orbẽ ligamẽtis circũdedit validis quidem, sed q̃ laxa- Vsus ligamenti.
ri possent, non minimũ quoq; extendi. ¶ Et sane admirabit̃ hic quispiam Summi Opifi- Id.lib.1.de
cis industriam, ꝙ corporis substantias ad vsus multum discrepantes inuenerit idoneas. adm. ana.
Vt n. ossa simul ad amussim, tutaq; colligarẽtur, & articulata cõtinerentur, neq; facile in
vehementioribus motibus a se abrumperentur, ligamentum ꝙ maxime potuit durũ, atq; Ligamentorũ substantia.
ab iniuriis remotissimũ efficere oportuit. Vt aũt ossibus cartilaginibusq; a musculis tra-
F ctis prompte obsequerent̃, molle rursus esse oportuit, atq; ob id ipsũ imbecillũ. Atqui for-
te contrariũ est valido, & duro imbecillũ ac molle. Quænam igit̃ fuerit Opificis rerũ so-
lertia, q corp⁹ quoddã fabrefecit, ꝙ cõmoditatẽ vtranq; , ꝙ satis esset, haberet, idemq; ab
iniuriis tutũ esset, ex ipsa anatome discas licet. Inuenies n. ligamentũ omne durũ, adeo
vt valide simul colliget, neq; motũ, quantũ suo articulo ex vsu est, impediat, neq; facile

abrumpatur, molle vero eousque quoad non frangatur. Atq; hic præcipuus primariusque ligamenti vsus est, a quo etiam nomen mutuatur. Alter ligamenti vsus est, vt tendines suis quibus vehuntur, sinibus contineat, ne ex ipsis declinent, aut ab illis eleuentur. Huius autem generis ligamenta, quia transuersim tendinibus obducuntur, vel potius orbiculatim annuli instar amplexantur, Græcis ἐγκάρσια fuere nuncupata, Latinis autem *transuersa* & *annularia* appellari commode possunt. ¶ Hæc quoq; ligamenta non solum tendinibus extrinsecus obducuntur, verumetiam velut stratum ipsis fiunt. Quippe ossis duritiem correctura inter os & tendines sese insinuant, vndiquaque in orbem tendines, citra omnem prorsus connexum, amplexantia, & vt annulus habenam transmittentia. *Tertius* ligamentorum vsus est, quod illa instar indumenti & propugnaculi corporibus quibusdam, nempe tendinibus secundum ipsorum longitudinem, obducuntur. *Quartus* vsus ligamentorum est, quo septi aut interstitii alicuius vice illa musculos intercedunt, & iisdem durum ossis modo renixum præbent. *Quintus* est, quo musculorum constitutionem subeunt, eisque non infimam substantiam suppetunt, *vt sequenti ostendetur capite.* ¶ Ceterum ligamentorum differentiæ sumuntur ab vsu, qui omnium non est idem. Etiam in ortu variant, quod alia e solis cartilaginibus principium ducant, vt laryngis ligamenta: alia a solis ossibus vt genu, cubiti, humeri, & reliqua fere corporis ligamenta. Alia vero & cartilagini & ossi communia sunt, vt quę pectoris os illi insinuatis cartilaginib. adnectunt. ¶ A partibus, quas connectunt, sumuntur differentiæ, quod quædam solas nectant cartilagines, vt *laryngis, & nasi*, quædam ossa duntaxat, vt *humeri, coxendicis, genu, & reliquorum fere articulorum.* Quædam cartilaginem ossi committunt, vt costarum cartilagines pectoris ossi nectentia. Alia aliam partem quampiam ossi aut cartilagini committunt, vt corporis membranæ ad vnam fere omnes, atq; hęc semper duabus sunt partibus communia. Alia vni duntaxat ossi priuata censentur, vt sex cubiti exteriorum ligamentorum, quæ transuersim ducuntur quinque. Primum enim quod vlnæ radioque commune est, non ad vnicum tantum os refertur. ¶ Substantia denique alia constant molliori, magisque membranea, vt omnia fere quæ in orbem articulos ambiunt, alia vero dura sunt, mediamque inter ligamenta, quæ articulos ambiunt, & cartilagines naturam sortiuntur, vnde etiam Græci hæc νευροχονδρώδη σύνδεσμα, quasi *cartilaginea ligamenta* dicas, appellant, vt sunt generatim omnia, quæ inter ossa latent. ¶ A situ quoque sumitur differentia. Alia enim extrinsecus ossibus obducuntur, vt molliora illa: alia autem inter ipsa ossa vbi se inuicem respiciunt & contingunt, sita sunt, vt cartilaginea propemodum vniuersa. ¶ A forma quoque differentiam mutuantur. Sunt enim quædam prorsus lata, membranea, & tenuia, vti illud, quod secundum cubiti longitudinem inter vlnam radiumque conspicimus, & alia quædam: alia vero crassa sunt, & ex iis quædam teretia, vt ligamentum ex dente secundæ vertebræ in occipitis os procedens. Alia ampla, lataq; sunt, vt tertium peculiarium humeri articuli ligamentorum. Rursus quædam continua, & nullo foramine peruia cernuntur, quorum magna est in corpore multitudo, quædam aũt aliquid transmissura perforantur, vt ligamenta annuli modo ligamenta transmittentia. ¶ Commune autem omnibus ligamentis est, quod nullo, aut saltem obtuso sensu prædita sunt, ne propter crebrum frequentemque motum, & continuum affectum dolore vexentur. Eadem fere ratione, quum scilicet natura sicca sunt, ne ocyus exsiccētur, ligamenta quæ articulis sunt peculiaria, mucoso quodam lentoque humore, vt etiam articulorum cartilagines oblinuntur.

Gal. lib. 1. ana. adm. Ves. lib. 1. cap. 1. | Ἐγκάρσια. Annularia. | Gale. ibid. | Ligamentorum differentiæ. Ves. ibid. Ab ortu. | A partibus quas nectunt. | A substantia. | Galenus lib. 2. de tempe. cap. 4. A situ. | A forma. | Ligamentis communia.

A | B | C | D | E

Quid musculus, vnde dictus, de eius partibus. CAP. II.

MVsculus qui Græcis μῦς dicitur, *pars corporis est instrumentalis, voluntarii motus instrumentum ex ligamento in fibras plures diuiso, & carne has continente formanteq; fabricatum, neruorum, venarum, & arteriarum in se surculos recipiens.* Ligamenta, ad robur, neruos, vt animalem spiritum non secus quam ad sensuum organa continue deferat, venas, vt nutriatur, arterias autem, vt calor ipsius natiuus recreetur, ad eumq; vita deferatur. ¶ Non temere autem natura musculos ex ligamentis, & neruis creauit. Quippe per solos neruos nulla particula mouetur, neque per ligamenta. Neruus enim sensitiuus quidem est, quatenus mollis: inualidior autem, quam vt moueret, & transferret totum membrum. Ligamentum vero tuto quidem colligare, & interim membrorum motibus non obstare poterat, ipsum tamen motus voluntarii organum per se nequiuit produci, quum originem

Musculus quid. Gal libr. 1. de motu musc. Ves. lib. 2. cap. 2. | Ligamenti & nerui in musculo necessitas.

F

A riginem ex osse aut cartilagine, non autem nerui modo, ex voluntarii motus fonte, obtineat. Nemo enim ambigit huiusmodi principii corpus molle oportuisse fieri, quandoquidem neque ex molli perfecte durum, neque ex duro molle quicquam enasci possit. Ea igitur de caussa natura neq; solis ligamentis vti ad motus voluntarios potuit, quoniam neque sensu, neque motu prædita sunt, vt quæ animæ principatus sedi non continuentur. Neq; neruis etiam solis, quum ii propter mollitiem tenuitatemque transferre tam magna pondera minime valerent. ¶ Permistum itaque ex ambobus oportuit aliquod creari motus instrumentum, quod omnino neruo esset durius, & ligamento mollius, & ideo quoque participare sensu, minus quidem quam neruus, magis autem quam ligamentum. Insuper decuit & id quoque in medio roboris & imbecillitatis, aliorumq; Musculū inter ligamentum & neruū natura medium.

B contrariorum, quæ ligamentis & neruis insunt, existere. Atq; hac occasione motus instrumentum, vtrisque ipsum componentibus substantiis communicat, non tamen exacte alteram, neque solam, neq; eam impermistam obtinet, sed ex ambabus commiscetur. Verum quum nihil alicui per totum confundi potest, non confractum prius in minimas particulas, necessarium fuit vtrunq;, neruum scilic. & ligamentum, in fibras quasdam exiles discindi, deinde sibi inuicem eas copulari ad voluntarii motus instrumenti generationem. Perficitur autē nerui ac ligamenti in fibras distributio in hunc modum. Neruus accedit ligamentum, ac simul commista in fibras duas quodam modo digeruntur, illæ rursus singulæ in alias, & hæ iterum in plures tantisper diuiduntur, donec in tenuissimas membraneasq; fibras procedant. Postquam hæ ad extremum diffusionis per- Ligamenti & nerui permistio. Galenus ibidem.

C uenerunt, rursus vt diuisæ fuerunt, mutuo concursu coalescentes, & commistæ in vnum colliguntur. ¶ Ceterum musculi tribus partibus constant, *principio, medio, & fine*. Principium quidem, *quod caput musculi vocant, prima diuisio constituit*. Id enim est, quod neruum maxima ex parte recipit, vel in quod inseritur neruus. Neque temere adiectum est, maxima ex parte. Non enim omnes musculi nerui insertionem, etiam si quādo in ipsorum substantiam neruus porrigitur, in capitis exortu adipiscuntur. Sed subinde multo inferius, quam caput habetur, & in medio sui quodam modo ductus & lōgitudinis, *vt in progressu historiæ musculorum abunde patebit*. Medium vero carnosius, in quo diuisionis series consistit, hoc est, vbi neruus & ligamentum multiplici diuisione sic confusa sunt, vt vix discernantur, ventrem vocant. Qua vero parte se tādem colligunt, atq; in vnū refluunt Musculorum partes tres Caput. Venter. Finis.

D neruorum ac ligamentorum exiles, fibræ, finis, cauda, & extremum dicitur, Græci ἀπονεύρωσιν, id est, *eneruationem* appellant. Alio nomine iisdem τένων, Latinis *tendo* nominatur. Mutuati autem sunt hæc nomina a mure & lacerta, quibus pellem & pedem demseris. Quippe musculi caput muris lacertæque capiti contulerunt, ventrem autem, hoc est, crassum & carnosam partem, ventri, & tendinem, id est, partem carne destitutam, caudæ. ¶ Ceterum tendines & eneruationes, seu nerueæ tenuitates illæ quas caro destituit, non in omnibus musculis reperiuntur, sed in illis tantum habentur, qui longo ductu feruntur. Hi enim modo in teretem tendinem, modo latum, & veluti membraneum, modo breuiorem, modo longiorem desinunt. Breues autem tendine carent, & vndique carnosi sunt. ἀπονεύρωσις. Τένων. Tendines quando musculis dentur.

E *De musculorum differentiis*. Cap. III.

Differentiæ musculorum primo a substantia eorundem petuntur, quæ sane ex venis, arteriis, neruisq; in primis pendent. Nullum enim in corpore musculum reperies, qui non aliqua ligamenti portione in fibras, desecta & carne illas cōtinente firmanteq; constituatur. Verum præter hæc alii neruum, arteriam, & venam in suum corpus quoq; diffundi sinunt. In alios neruus nullus, neq; vena, neq; arteria inseritur. Qui vero solam nanciscitur arteriam, nullus occurrit. ¶ Ceterum adeps, qui interdū musculorū fibris ꝑ carnē digeritur, in macilentis nō reperitur. In ortu magis adhuc musculi variant. Nam nō omnes ab ossib. suum principium mutuantur, vero alii ab osse ipsorū ligamenti originem sumunt. *Alii* a cartilagine ipsorum ortum obtinent. *Alii* a membrana quapiam ena- Vesalius lib. 2 ca 3. A substantia. Ab ortu.

F scuntur. *Alii* a membrana tendines obuoluente prodeunt. *Alii* ab alio quouis ligamento originem ducūt. *Alii* veluti ex altero musculo prodeunt. *Alii* rursus ex nullo principium ducūt, verū membraneæ partes aliqua sui sede carneæ, ac musculosæ, seu musculi fiunt. Ceterum non omnes musculi ab vna duntaxat parte originem sumunt, permulti enim ex pluribus ossibus nascuntur. *Alii* ab eiusdem pluribus processibus oriuntur. ¶ Ab in-

sertione item petuntur differentiæ. *Alii* enim in os inseruntur. *Alii* in cartilaginem. *Alii* in cutem. *Alii* in aliud in quoduis. Præterea quidam a pluribus partibus enati in vnicam inseruntur. *Quidam* vero ex vno osse exorti in plura inseruntur. *Quidam* etiam a pluribus enati ossibus in plura quoque inseruntur. ¶ Forma quoque omnium musculorum haud eadem est. *Quidam* enim sunt, quos muri aut lacertæ apposite conferre liceat. Nõnulli sunt, qui illorum animalium effigiem nulla ex parte referant. Sunt enim *alii* figura triangulari. *Alii* quatuor constant angulis. *Quidam* etiam quinque angulos exprimunt. Sunt qui pyramidem & turbinem referunt. Annulis alii respondent, & orbiculares sunt. *Alii* latum obtinent principium, & sensim coarctati in acutum feruntur. *Alii* ortum insertioni æqualem nanciscuntur. Quidam longi & graciles sunt. *Alii* breues & ampli. Quidam instar simplicis lineæ principium obtinent. *Alii* rursus non simplicis lineę modo, sed latæ superficiei ritu enascuntur. ¶ Porro ad formam quoque foramina spectare videntur, quæ quibusdam musculis insunt. Alii foramine nullo sunt peruii. ¶ In magnitudine quoque musculi variant, quod alii maxima constent mole, alii magni sunt, alii minimi. ¶ Omnibus musculis fere communis obtigit color, vbi enim carne vacãt, neruosorum corporum modo albent, quod in principiis & eneruationibus præcipue accidit, vbi autem carne abundant, carnis quoque modo rubent, cui fibræ nerueæ permiscentur. Porro ea parte qua rubent, interdum candorem vna obtinent, quod illis musculis vsu venit, qui tendinem prius, quam caro desinat, in sui etiam ventris medio educere videntur. Alii musculi aliqua sui parte prorsus liuidi plumbeiue conspiciuntur. Liuor autem iste musculis accidit, peculiaris ipsorum membranæ gratia, quæ interdum adeo crassa est, vt prorsus non videatur pellucida, vnde quum crassa nerueaque sit, & caro subtus rubeat, aut nigricet potius: facile color ex nigro & albo permistus consurgit. ¶ Par etiã situs omnib. musculis nõ contigit, quoniam alii ad corporis habentur superficiem, cutique accumbunt. Alii penitus reconditi delitescunt. Alii rursus secundum membri longitudinem locantur. ¶ A fibrarum ductu etiam petuntur differentiæ, quum aliæ deorsum in priora feruntur, alię sursum oblique in priora, aliæ recta, aliæ orbiculatim trãsuersimque. *Præterea* fibræ nõ in omnibus musculi partibus æque collectæ, & tenues sunt. Aliis enim tenuissimæ sunt. Aliis in principio & origine plures, & magis dissitæ, laxioresque obtingunt fibræ, quam in fine. Aliis in ortu magis constringuntur, quam in ipsa insertione. Aliis propemodum æqualis vndecunq; fibrarum est ratio. ¶ In musculorum capitibus exortibusq; q̃ plures consurgunt differentiæ, quarũ prima a forma crassitieq; musculorũ desumitur. Altera a substãtia, ꝙ alii penitus carnei in exortu appareant, fibris duntaxat raris & incompactis interstincti. *Alii neruei* in ortu conspiciuntur, & rursus in ipsius ossis contactu carnei euadunt. Quidam longo ductu neruei permanent. *Alii* vnico quidem capite oriuntur. Alia namque principii pars aliquo vsque neruea apparet, alia prorsus carnea. *Alii* duo habent capita, vnum nerueum, alterum vero carneum. A ventribus ita sumuntur differentiæ, quod quibusdam musculis in ipso exortu ventres habentur. *Alii* ad finem, ac ad insertionem magis, quam ad caput. *Aliis* venter longius ab ortu conspicitur. *Aliis* per vniuersum musculi corpus permanet. *Aliqui* ventrem ad ipsam vsque insertionem seruant. *Aliorum* ventres longe admodum ab insertione distant. *Alii* rursus geminum ventrem ostendunt. Sunt nonnulli quibus ex abundanti quædam transuersim ductæ impressiones insunt, quæ illos musculos ita exornant, ac si pluribus ventribus efformarentur. ¶ Huiusmodi vero impressiones seu lineamenta, & circumscriptiones, quas Greci περιγραφὰς vocant, sunt veluti albæ quædam lineæ, in musculi alicuius substantia impressæ. ¶ A tendinibus quoque sumuntur differentiæ. Quidam enim in tendinem eneruationemue prorsus non desinunt. *Alii* tendines habent. Tendinum autem quidam lati, membraneique sunt. *Alii* omnino teretes: *Alii* paulo minus teretes, & nonnihil latiores, quam profundiores. Et alii tendines breues sunt. *Alii* autem longissimi. Rursus vnus musculus plures educit tendines, singulos quasi ex priuatis sui ventris carnosis propaginibus educens. *Alii* vnum quidem educunt tendinem. At is postmodum in plures discinditur. Præterea plures musculi vnum efficiunt tendinem. ¶ Sic etiam a musculorum officio differentiæ petuntur, quum alii rectis præsint motibus. *Alii* duntaxat obliquis subministrant motibus. *Alii* vtrinq; præstant motum. Sed hæc de musculorũ differentiis in præsentia dixisse satis sit. Si quid enim ex iis omissum est, id perspicue ex singulorum historia in progressu sermonis discetur.

A forma. A foraminibus. A magnitudine. A colore. A situ. A fibris. A musculorum capitibus. A ventribus. Impressiones musculorum. A tendinibus. Ab officio.

A B C D E F

De

De cute, & cuticula. CAP. IV.

A QVum cutis omnium corporis partium sit veluti operculum quoddam, ac natiuum tegumentum, præstat de ea hoc loco verba facere prius, quam ad musculorũ historiam perueniamus. Cutis itaq; non duntaxat omniũ hominis partium, sed vniuersę substantiæ quæ generationi corruptionique subiecta est, duritie ac mollitie media exsistit. ¶ Est enim cutis veluti sanguine præditus neruus, qui inter neruũ & carnem quiddam plane medium est, perinde ac si ex mistis vtrisq; constitueretur. Ceterum neruus omnis exsanguis est & frigidus. Caro multo sanguine prædita, & calida. Media inter vtrunque est cutis, nec plane exsanguis, vt neruus: nec sanguine abũdans, vt caro. Cutis hæc in homine, boum & equorum tergoribus, ex quibus coria adaptantur, respondet, hincq; ad-

Galenus in libr. de morborũ caussis. Idem libr. 1. de temper. cap. 8. Cutis substantia.

B eo Græcis δέρμα, eo quod δέρεσθαι, hoc est, excoriari queat. Latinis *corium* dicta est. ¶ Porro cutis non pari ratione omnibus ipsi subiectis partibus adhæret. Secus enim in manus vola, & pedis planta subditis partibus adnascitur, aliter rursus in fronte sibi subditæ musculosæ substantiæ, & aliter in labris, palpebris auribus, naso, ano, ac pudendo, & aliter per vniuersum corpus, substratis partibus cutis committitur, ac inter secandum, diuersa ratione a subditis aufertur. ¶ Deinde in omnes cutis regiones non æqualis est neruorum distributio, nec cutis etiam vndecunq; eadem est crassities. Internæ enim manuum cuti, plurimæ neruorum fibræ porriguntur, verticis vero cuti paucissimæ. ¶ Quinetiam faciei cutis mollior, & tenuior, verticis autem, & plantę pedum durior visitur. Quæ internam summæ manus sedem inuestit: nisi labore callosior euaserit: ex-

Δέρμα. Idem lib. 2. de vsu partium, cap. 6. Cutis differentiæ. Vesal. libr. 2. cap. 5. A connexu. A neruorum copia.

C quisitissime in duritie mollitieque inter reliquam cutem, & omnia prorsus corpora, media est, quam proxime æquali ad pondus tẽperamento accedens. Vtcunq; vero sit, cutis homini pro magnitudine corporis tenuior, q̃ animantibus quadrupedibus obtigit: quanquam etiam homini in vertice, dorso, cruribus, & pedis planta admodum crassa est, sed non omnib. æqualiter. ¶ Quinetiam aliæ cutis partes prorsus immobiles sunt, & circũactu pertinaces, vt volæ & plantæ cutis. Aliæ versatiles quidem sunt, sed nullo aguntur voluntario motu, vt totius corporis cutis, ea excepta quæ mouetur, vt est frontis & faciei vniuersa, & quæ anteriorem colli sedem, lateraq; cõplectitur. Atq; hæc motu participat, aut propriis in hoc famulantibus musculis, vt frontis, colli, genarũ, & labiorum: aut vicinæ ipsius cutis gratia, vt malarum cutis, q̃ musculis destituta, simul cũ proxima cute

A mollitie. A motu.

D mouetur. ¶ Præterea alia cutis sedes pilosa, vt verticis, axillarũ, pudendorũ, in viris mẽti. Alia vero pilis orbata, vt interna manus, & plantæ cutis. ¶ Porro cutis perpetuo cõtextu efformata est, nisi quod tenuibus foraminulis ad fuliginosorum excrementorum expulsionem, & pilorum generationẽ paratis peruia sit. In palpebris deniq;, naso, auribus, ore, ano, pudendo, & vbi vnguibus, viam præbet, interpellatur, & perforata, cõspicitur. Ex cetera cutis regione, interna summæ manus cutis, vt & pedis plantã vestiens, maxime cõtinua, minimeq; perforata visitur. ¶ Ceterũ cuti alia tenuis cuticula, & prorsus exsanguis obducitur, supernasciturq; ceparum propemodũ tenuioribus ac pellucidis respondens inuolucris, nisi quod alicubi, & præsertim in vola, & pedis planta, crassior duriorq; visitur. Hæc quum cutis quædã velut efflorescentia sit, Græcis ἐπιδερμὶς, quasi sum-

A pilis. A foraminibus. Gal. lib. 2. de tempe. cap. 6. Cuticula. Gal. lib. 14 the meth. cap. 2 & 4. aph. com. 77.

E ma cuticula, aut extima superficies vocatur. Quod si aliquando attritu in scabie, aut ignis admotione, aut feruentis aquæ infusione, aut alia quadam de caussa auferatur, & interdum vesiculæ instar a cute abscedat, promtissime, secus ac vera cutis, renascitur. ¶ Ceterum vera intimaue cutis sola sanguinis & vitalis spiritus compos est, ob quod venarum arteriarumque alicubi, & neruorum tenuissimæ partes, finesque ad eam confluunt, sensum illi suppeditantes. Neque enim quemadmodum in singulos musculos neruus peruenit, ita & ipsius cutis proprius aut definitus est, sed ex partibus subiectis fibræ quædam ad ipsam perueniunt, quæ simul ipsam cum subiectis partibus connectunt, simul etiam sensum ei suppeditant. ¶ Non est itaque audiendus Aristoteles cutem sensu destituens, ac si carnis cuti subditæ duntaxat beneficio sensus tactus perficeretur: quum

Ἐπιδερμίς. Cuti venas, & arterias, ac neruos porrigi ipsamque sensus esse compotẽ. Idẽ li. 16. de vsu part. ca. 2.

F quotidiana experientia diuersum doceat: nempe cutem a subiectis musculis, quos carnem Aristoteles appellat, aut ossibus quoque auulsam, & postea scalpello ictam vnguibusque compressam etiam sentire. Verum quum Vesalius copiose hunc errorem confutauerit, non est cur plura adiiciamus.

Aristotelis error libr. 2. de anima. ca. 11 lib. 2. cap. 5.

De membrana carnosa, & adipe inter hanc, & cutem reposita. CAP. V.

Vesl. libr. 2. cap. 5.
Cur carnosa dicta sit.
Panniculus carnosus.
Ves. ibid.
Adeps seu pinguedo.
Pinguedinis generatio.
Gal. libr. 2. de temp. cap. 5.
Vesalius ibidem.

CVti per vniuersum corpus membrana subiacet, quæ cuticula longe robustior crassiorque est, & fibris quibusdam raris, iis qui substernuntur illis musculis adhæret, connasciturque, cuti vero pertinacius committitur. Hanc quam plurimæ venæ, & paucissimæ tenuissimæque arteriæ, cutem nutrientes, & neruorum propagines cuti sensum (vt dictum est) communicantes, permeant. Hæc non eandem in vniuerso corpore crassitiem obtinet, verum quibusdam corporis sedibus, carnosis adaugetur fibris, & crassior reddita, addo carnosa efficitur, vt musculi nomine donetur. Huiusmodi regio in tota colli amplitudine habetur, & in fronte, vt *sequenti patebit capite*. ¶ Porro hæc membrana, quam aliarum membranarum nomine Græci ὑμένα vocant, non temere carnosa Arabibus dicta est. Nam inter reliquas corporis membranas, hæc sola carnosa apparet. Hinc vulgo & barbaris non inepte panniculus carnosus nominatur. ¶ Sunt itaq; tria vniuersum hominis corpus perpetuo cingentia, nimirum cuticula, cutis, & membrana hæc carnosa. Quibus & quartum hominem ambiens accedit, ipsa scilicet pinguedo seu adeps, πιμελὴ Grecis dictus, qui nisi extreme homo emacietur, vndique propemodum inter cutem & carnosam membranam copiosissime continetur. Etenim propter complures venas & arterias e quibus plurimus resudat sanguis, membranam perreptantes, atque inter illam ac cutem propagatas, membranæ frigiditate, calorisque inopia concrescit, & in pinguedinem degenerat. ¶ Natura vero accuratissime cauit, ne pinguedo nasceretur vbi noxia, inutilisque esse potest. Non enim cerebri membranis illam obduxit, non testium inuolucris, non internæ sedi cordis inuolucri, quamuis cor hac non destituatur, non internæ ligamentorum sedi, quæ tendinibus transuersim obuoluuntur, neq; etiam palpebrarum, aut frontis, aut penis cuti pinguedinem subiecit, neque adeo multum quoque summæ manus pedisque externę sedi. Copiosissimam autem clunibus obduxit, vt illa adipe, puluinaris vice vterentur. ¶ Ceterum pinguedo frigidis, humidisque animantibus, vt homini, & porco, plurima colligitur: siccis vero & calidis, vt leonibus & venaticis canibus, nulla, aut perquam exigua. ¶ Albet autem pinguedo, quod membranæ cutisque, & alia quibus adhæret, corpora alba, neque carnis instar rubra sint. Omnia enim quæ in nostro corpore ab aliquo emutantur, mutantis alterantisque colorem quoque sortiuntur. Adfusa pinguedo siccis ac tenuibus corporibus, vt illa perpetuo natiua pinguedine humectet, quæ alias in diuturnis inediis, ac vehementibus exercitationibus, & caloribus immodicis exsiccantur, atque indurescunt. Ea vero quæ inter cutem membranaque collecta est, eundem quem vestis caroque simplex vsum præbet. Siquidem frigoris tempore calefacit, & si Soli exponitur homo, vestis quoque instar refrigerat, calorem quo minus penetret inhibens. Vt rectissime dicatur a Germanis nostris, eodem præsidio & frigus, & calorem arceri.

Quibus copiosior pinguedo.
Color.
Vsus.
Galenus libr. 16. de vsu part. cap. 2.

De musculosa substantia frontis cutem mouente. CAP. VI.

προμετωπίδιον li. 2.
Gal. lib. 2. de vsu partium c. 14.
Frons cur voluntario motu prædita.
Frontis musculosa substantia.
Idem libr. 9. de vsu par. ca. 15.

CArneam membranam vniuersæ cuti subiectam in nonnullis corporis partibus carneis fibris augeri, & in musculi naturam degenerare, præcedenti capite dictum est. Nunc itaq; *cur, & quonam pacto, id sub frontis cute, quam* Græci προμετωπίδιον, *Iulio Polluce teste, nominant, accidat*, monstrabimus. Siquidem hanc motu voluntario esse preditam propter oculos necesse fuit. Oportebat enim eos multum posse aperiri: id quod fit superciliis sublatis, quum externa multa vno tempore intueri conantur, ac rursus dum clauduntur, cogi ac constringi ad vnguem ab omnibus circumiacentibus, quum alicuius incursum contra sese metuunt. Ad vtrosque igitur vsus natura cuti omni ipsi circumfusæ, tum ei quæ supra in fronte est, tum ei quæ infra est ad malas, motum voluntarium adhibuit, vt alternis extensa, tum rursus in seipsam replicata, aperire oculos, & claudere queat. ¶ Quum autem fieri haud possit vt sine musculo pars quæuis voluntario agatur motu, musculosam quandam substantiam, cuius beneficio mouetur, frontis vniuersæ cuti, quæ depilis est, & nasi cuti, natura subiecit. Carnosa namque membrana totius frontis, & nasi cuti subtensæ carneis fibris (vt dictum est) quam plurimis aucta, musculosaque reddita, plures neruorum propagines mutuatur. Præterea frontis, nasique cuti membrana hæc tenacius, & citra alicuius adipis, aut perquam modici, interuentum, quam per reliquum corpus cuti adnecti consueuit, connascitur, haud secus, quam si vnum corpus

membra-

A membrana cum cute esset efformatura. Quod nonnullis Anatomicis ita imposuit, vt
arbitrati sint frontis cutem, carnosam musculosamque substantiam esse. ¶ Porro huius
Vesl. lib. 2. cap. 8.
Fibrarum series.
musculosæ compaginis fibræ mutuo ad latera accumbentes, a nasi summo vsque ad mediam frontis sedem, quæ inter primas capillorum radices, & supercilia consistit, & ad
huius quoq; loci latera carnosiores videntur, omnes sursum recto tramite procurrētes,
si modo interim perquam raras exceperis, obliquo ductu exporrectas. Atque hæc quidem recta fibrarum series, non obiter a Medicis est expendenda, ne in fronte transuersas potius, quam rectas moliantur sectiones. ¶ Fit enim quum transuersim quandoq; sectionem inibi & maxime iuxta supercilia, vbi carnosiores fibræ sunt, vt comprehensum
In fronte sectiones transuersæ non tētandæ.
est, aliquis tentat ad palpebrarum radices, tum supercilia, tum contiguam ipsis cutem
B deorsum conuolui & oculos, quibus incumbant, aggrauare, vt neque aperiri ex sententia valeant, neque libere suo fungi officio. ¶ Non temere autem depilis est creata frontis cutis, duabus nimirum potissimum de caussis. Vna, *quia frons a pilis capitis quantum volumus tegitur, vt ea certe de caussa propriis pilis ipsi non sit opus.* Altera, *quod si pilos produxisset,
tondere ipsam assidue nobis necesse fuisset quod pili alias oculis incumberent.*
Frōtis cutis cur depilis.
Gal. lib. 11. de vsu par. ca. 14.

De musculis palpebrarum. CAP. VII.

PAlpebras vtrasque tam inferiorem scilicet, quam superiorem, βλεφαρὰ Græcis, dicuntur, efformat membrana, quæ a caluariam ambiente membrana, quam Græci περικράνιον & περιόστιον vocant, principium ducit, & vnum continuum cum adhærente albæue
oculi tunica corpus exsistit, dein & cutis quoq; cum carnea membrana. ¶ Atq; hæc si-
Palpebrarum constitutio.
περικράνιον καὶ Περιόστιον.
C mul ad palpebrarum fines, & vbi cartilago cilia erigens consistit, firmissime vniuntur,
adeo sane vt quatuor hæc, cutis nimirum duæ membranæ, & cartilago illa, quam ταρσὸν
nominauimus simul vnita, palpebram, corpus quoddam rarum, & nulli alteri in homine parti respōdens, constituant. ¶ Ceterum per reliquam palpebrarum regionem, cutis carnosæ membranæ, vt in ceteris fere omnibus corporis partibus, quod ad connexū
Vesl. lib. 2. cap. 10.
Duo palpebræ superioris musculi.
attinet, cōmittitur, & nullus interim adeps, sed vnctuosus duntaxat quidam humor, inter cutem & membranam iacet. In superiori quoque palpebra per vniuersam ipsius amplitudinem ex abundanti, carnea membrana musculosis adaugetur fibris, ac velut duos
efficit musculos, in medio cutis, & eius membranæ quam adhærēti albæue oculi tunicæ
continuam esse diximus, repositos. ¶ Moueri enim oportebat motu voluntario supe-
Gal. ibid. cap. 9.
D riorē palpebram, alioqui nullus ipsius erat vsus. Quippe frustra nobis esset a natura largita, si quum vis quædam extrinsecus in oculos irrueret, quæ ipsos læsura esset, claudere
volentes, non possemus. Quum autem partes omnes, quæ motu voluntario sunt præditæ, duobus vt minimū indigent musculis, sibiipsis oppositis, altero scil. extendente & altero flectente, duos quoque musculos tenues, latos, membraneos, ac substantia prope-
Vesa. ibid.
modum omni ex parte sibi similes, natura miro quodam artificio in palpebra superiori, inferior n. prorsus est immobilis, produxit: *Vnum* quidē in maiori oculi angulo, qui
ad nasum est, alterū in minore, qui iuxta tēpora est. Qui portionē maioris anguli occu-
Vnus musculus.
Gal. ibid.
pat, ex media anguli sede inibi ad nasi latus incipit, suo principio ēt superciliorū partem
naso proximam cōtingens. Huius finis amplus, quemadmodū totus ēt musculus, car-
E tilagini, in quā pili firmantur, applantatur, mediam ipsius sedē, quæ maiorē respicit angulum, vniuersam occupans. *Alter* vero musculus totū minorem angulum amplectitur,
Alter.
ductū quodammodo circularē obtinens. A medio namq; inferioris palpebræ ortus, per
minorem angulū circumducitur: & in superiorem palpebram ascēdens, in reliquā cartilaginis dimidiam sedē sese inserit, prioriq; musculo, non ad cartilaginem tantū, sed ēt
per reliquam superioris palpebrę longitudinē cōmittitur, adeo sane, vt nisi fibris ambos
disiunxeris, vterq; vnus esse apparebit. Fibræ n. secūdi nostro C, quum palpebra sursum
ducta est, respondent: ea vero conniuente acutum magis efficiunt angulū. Prioris vero
musculi fibræ minus obliquæ conspiciuntur, & velut ex duplici ducuntur principio, nimirum ex angulo maiori, & supercilii parte naso cōtermina. ¶ Horum musculorū be-
Vsus.
F neficio superior palpebra & attollitur, & deprimitur. Prior n. qui interiorē maioremue
angulum sibi vendicat, ipsam ad superiora contrahit: posterior qui minorem perreptat
angulum, ipsam deorsum agit. Quod si vterq; musculus eodem tempore tendant iuxta
palpebram, sursum quidem ea pars, quæ ēst ad magnum angulū trahetur: quæ vero paruo vicinior est, ea deorsum trahetur. Quare accidet, vt oculus non magis sit apertus quā

a Praes. 15. clausus, eaq; palpebræ figura est, quam Hippocrates καμπύλην, id est, *curuam, reflexam, aut retortam* appellauit: quam in morbis magni mali signum numerat. Fitq; affectus is vtroq; musculorum conuulso, partemq; tarsi sibi continuam ad seipsum trahente. Quod si alter quidem musculus agat, ad seipsumq; palpebram trahat, alter aũt prorsus cesset aperiri, tunc ac claudi totam palpebrã contingit. Trahit n. semper pars altera tarsi quæ mouetur, vna secũ & reliquam. Caussa aũt huius rei est durities tarsi. si n. esset membranosus, aut carnosus, aut quouis alio modo mollis, nõ vtiq; partẽ motã altera sequeretur. Id quod præuidens natura, durum ac cartilagineũ tarsum ipsi palpebrę innexuit, in quem vtriusq; musculi fines insererentur. Quemadmodum enim, si baculum quendam obliquum & retortum vtra voles parte apprehensum attraxeris, totus sequitur: ita etiam tarsus totus vtriusuis musculi tractum sequitur. Porro cur inferior palpebra immobilis sit, copiose *libro iam commemorato* Galenus exponit. A B

Lib. 10. de vsu partiũ cap. 10.

De oculorum musculis. CAP. VIII.

Oculi cur mobiles.

QVum neque ex obliquis ac lateribus, neque ex posterioribus, neque superioribus, vel inferioribus sedibus, neque omnino aliter quam secundum pupillæ rectitudinem, oculorum visio perficiatur, paucissima sane cerneremus, si oculi penitus immobiles exstitissent. Ob eam sane caussam ab opifice rerũ ita conditi sunt, vt possent plurimũ circumagi, & cũ ipsis totum ẽt collum ad motus habile reddidit, qua etiam potissimũ de caussa duo facti sunt oculi, a sese notabili interuallo dissiti. Ceterũ si eos motu volũtario oportebat esse præditos, ipsis quoq; musculos, eius motus instrumẽta largiri necessum fuit. ¶ Postquam igitur oculorũ motus sunt tres, vnus quidẽ quo intro versus nasum adducuntur, & quo extra ad paruum angulum aguntur, alter quo sursum versus supercilia tolluntur, & quo deorsum versus malas trahuntur, tertius quo obscuro admodum motu circumuertuntur: cõsentaneum fuit & musculos qui motuũ illorum duces essent totidem, creari, atq; singulis motib. qui in geminos partiri possunt, binos adaptari musculos. Duos quidem in laterib. singulos scil. ad vtrunq; angulum: alios autem duos, vnum quidem inferne, alterũ vero superne, quintũ vero & sextũ vt circumactionis motui pręessent, positione obliquos effecit, singulos in singulis palpebris versus minorẽ angulum supra & infra extensos. ¶ Porro ex iis sex numero musculis primi quatuor, quemadmodum rectis oculi motibus præsunt, ita quoq; rectum situm obtinent, & omnes omni ex parte sibi similes sunt. Capita n. ipsorum, velut ex dura cerebri membrana neruum visorium obtegente, & e neruo secundi paris neruorum cerebri statim in visorii nerui e caluaria elapsu, originem ducunt. Dein ipsorũ venter amplior, quam profundior, attamen teres propemodum visitur, & posteriori oculi regioni, visorioq; neruo, secundũ ipsius a caluaria in oculi vsq; radicem ductus longitudinẽ, incumbit, & vbi prope mediam oculi sedẽ, vbi is latissim⁹ est, venter pertigerit, in latã membraneamq; eneruationẽ finit. Quę vltra mediam oculi sedẽ terminat̃, & duræ oculi tunicæ tanquã in mouendo osse, recta: sed secundum corporis lõgitudinem ducta, linea inseritur, iuxta iridẽ, maioremue oculi circulum, in anteriori oculi parte conspicuũ & nigrum ab albo dirimentem. ¶ Porro musculi circumductionis oculi opifices forma quidẽ ac ortu priorib. illis respondent, at minores & ductu insertioneq; ab illis euariant. Prior namq; a dura cerebri membrana, visorium neruũ ambiente, e regione minoris anguli originẽ ducit, & in humiliorẽ oculi sedem neruosa sua tenuitate inserit̃, obliqua linea iuxta iridẽ reliquorum quatuor modo. Alter vero a visorii nerui membrana, e regione maioris anguli nascitur, & durę oculi tunicæ neruosam ipsius tenuitatẽ, obliquiori linea, ad superiorẽ oculi sedem inserit. Atq; hinc fit sex istos oculi musculos solo situ, & in durã oculi tunicã insertione, idq; adhuc modice variare. Primi n. quatuor (vt dictũ est) prorsus recti sunt rectaq; linea inserũtur: alii duo obliquiores vident̃, obliqua linea insertionẽ molientes: q etiamsi circũuersioni cõducant, attamen & sursum deorsumq; oculum agunt. Atq; omniũ neruosarum tenuitatũ ductus, inter durã oculi tunicam, & adhærentẽ medius consistit. Efformant itaq; simul oẽs musculi, dũ propriũ adhuc sitũ seruant, turbinatã figurã, cui⁹ conus ipsorum est exortus, basis vero eorundem insertio. Breuissimo n. ductu neruo cõnectuntur visorio, quum in illorum, quam vna conformant capacitate multus contineatur adeps duriusculus, & albus admodũ, atq; is rursus alteri cuidã obuoluitur musculo. Quid multa? iam C D E F

Galenus ibidem, cap 8.

Oculi cur duo facti.

Oculorũ motus.

Vesalius lib. 2. c. 11.

Musculi oculorũ primi ex Galenus ibidem. Vesalius ibidem.

A taliam dicti sex musculi ex cerebri dura membrana neruum visorium obtegente pronati, in anteriorem duræ oculi tunicæ sedem iuxta iridis latera orbiculatim membraneis tendinibus inseruntur. Atque primus, qui est in magno angulo, intro versus nasum trahit. *Alter* qui in paruo est, versus eundem angulum abducit. *Tertius*, qui infra est, deorsum versus malas. *Quartus* qui supra, versus supercilia. *Quintus & sextus*, oculum quoquo versus circumagunt. ¶ Præter commemoratos sex oculi musculos, alius est quidam musculus magnus, vndecunque ab illis occultatus, & eo quem diximus adipe circundatus, constringens ac muniens visorium neruum, solusque similem figuram, quam priores sex simul efformant, constituens. Nam musculus iste principium quoque a dura membrana, neruum visorium inuoluente assumit, at paulo anterius, quam sex B priores. Estque id principium carnosum, vt etiam reliquū totius musculi corpus, quod orbiculatim visorium ambit neruum, ac a principio in priora porrectum, instar turbinis tantisper dilatescit, dum posteriorem oculi sedem contingat, illique circuli modo implantetur. Atque hanc insertionem molitur, non quidem visorio neruo proximam, sed fere vbi oculus amplissimus ferri incipit. Oculum distendit, ac leuat hic musculus sursum & deorsum, & vna conuertit.

Septimus Galenus ibidem.

Vsus.

De labiorum, buccarum, & nasi alarum musculis. Cap. IX.

Labiorum labrorumue substantia sola eius modi extitit, vt eam vt musculum pro cute, aut cutem musculosam iuste vocites. Nam & moueri ipsam motu voluntario oportebat, multoque aliis musculis esse duriorem, vnde ex cute ac musculo ipsam temC perauit. ¶ Bucca vero quæ Græcis γνάθος dicitur, vtrumque faciei latus est, quod spiritu retento inflatur. Quum autem labiorum & buccarum motus dicimus, illi intelligendi veniunt, quos, quiescente etiam inferioris maxillæ osse, obimus. Aliis enim musculis maxillæ os, aliis vero buccæ, labiaque motu voluntario agūtur. Quatuor vero vtrinque labia & buccas agentes musculi sunt. Duorum autem primorum in vtroque latere, singuli membranei & ampli admodum sunt. Hi enim ex omni via vertebrarum ceruicis spinarum regionibus, deinde scapularum, & clauicularum, & pectoris ossis sedibus originem ducunt, vsque ad faciei medium protensi. Sunt vero hi aliud nihil omnino, prætertquam carnea membrana, carneis fibris in anteriore potissimum colli parte, & facie D ad malas vsque adaucta musculosaque facta. Fibræ autem hæ carnosæ a pectoris ossis sede, mediaque clauicularum regione pectoris os spectante sursum, versus faciē conscendentes secundum colli longitudinem recto tramite protenduntur. Quæ autem ex reliqua clauiculæ sede, & summi humeri, & scapularum sedibus ad ceruicis vsque spinam incipiunt, obliquæ sursum contendunt, tantoque obliquiores videntur, quanto ceruicis spinæ sunt propinquiores. Omnes enim fibræ a ceruicis vertebrarum spinarum sedibus prorepentes, vna cum eius partis neruorū surculis transuersim feruntur, atq; ideo magis, quo musculus occipitio vicinior exsistit. ¶ Porro eiusmodi fibrarum ductus, in ceruice admodum cōspicuus est, nullaq; fibrarū intersectio, vt neq; etiam in summo mento, & in inferioris maxillæ iuxta aurem regione sese offert. Verum vbi iam labia contingunt, fibræ inter se adeo confunduntur, vt rectas & obliquas, & transuersas iam amplius E distinguere prorsus arduum & impossibile sit, atq; id præcipue secundum totam inferioris labri regionem accidit. Labri enim superioris lat[illegible] ad alas vsq; narium duntaxat fibræ porriguntur. ¶ Posterius itaq; huius musculi initiū a spinæ ceruicis sede omnino promitur, deinde secundū occipitii ossis basim fertur, mox sub aurem, vt ipsius radicem perreptando contingat. Imo interdū hic adeo ascendit, vt & auris huius beneficio quibusdam hominibus, non etiam stupidis, aut asinis, moueatur, *vt nobis in nobili quodam a* Gumpenberg *videre licuit*. Porro præsens musculus ab aure in faciē ductus, illum quem masseter a vocant, *de quo seq. dicemus cap.* musculū contingit, & paulo validius ossi in malis, quam alibi in reliquo ipsius ductu connascitur, hinc ad nasi vsque radicem pertingens.

Labiorum substantia: Gal. lib. 11. de vsu part. cap. 15.

Bucca.

Numerus musculorū.

Primus alterius lateris, vel simul omniū primus & secundus. Vesalius li. 2. c. 13.

Ceterum hi musculi buccas, & totum inferius labrum deorsum retrahunt, & ad F latera simul cum superiori labio abducunt, aut reliquam faciei cutem, quæ a musculosa frontis & nasi substantia, & palpebræ musculis non mouetur, circumagit. ¶ *Secundus* musculus similiter membraneus, & varia fibrarū specie intertextus, totamq; eam buccarum sedem complectens, quam inflamus, & a tota fere superioris maxillæ longitudine in inferioris longitudinem ad gingiuarum radicem inseritur. Huius musculi

Vsus.

Secundus alterius lateris seu omnium 3. & 4.

internam superficiem oris amplitudinem succingens tunica oblinit, ipsique adeo connascitur, vt nullo prorsus modo illacera a musculo, aut musculus ab illa auferri queat. Imo secundus hic buccarum musculus, vix aliud est quam carnosarum fibrarum implexus admodum tenuis, ac quodammodo membraneus. ¶ Is ad buccarum motum, quo nunc in oris amplitudinem voluuntur, nunc autem extrorsum, nunc sursum, nunc deorsum, nunc prorsum, nunc retrorsum ducuntur, conducit. *Tertius* a maxillæ superioris osse, vbi mala consistit, carnoso principio enatus, deorsum oblique in priora quousque se in superioris labii inserat latus, fertur. Sedes autem ad nasi latera mali in modum prominens ac rubens, Græcis μῆλον, Latinis *mala & gena* vocatur. *Quartus*, ab inferioris maxillæ humiliori parte ad menti quasi latera carneus exoritur, hinc sursum oblique in priora protensus, in mediam humilioris labri sedem implantatur. ¶ Sunt itaque omnes iam dicti musculi quatuor lati, ac quodammodo, quod ad fibras attinet, duplici donati initio, ipsorumq; fibræ circa insertionem X literę modo sese intersecant pertinaciter. Quatuor aũt iis musculis duodecim motus vt minimum obimus, quatuor quidem obliquos, in vtroque labro duos, & alios octo rectos, in vtroque labro quatuor. Duo sane ad amussim recti fiunt, quando labra plurimum a se inuicem diducũtur, hoc quidem a duobus musculis sursum agentibus ad nares tenso, altero autem deorsum ad mentum ducto, dum duo inferiores musculi laborant. Dein quando ad se labra retrahuntur, & inuicem coeunt, vno ex superiore loco deorsum, altero ex humiliore sursum protenso. ¶ Ceterum ab internis horum musculorum fibris, labia introrsum conuertuntur, & subimplicantur, ab exterioribus vero foras euelluntur, vt ita & duo alii in singulis labiis recti consurgant motus, qui paulo minus toto ad obliquos quasi referendi sunt. Quatuor vero obliqui motus, vnico duntaxat laborante musculo, reliquo interim laxato, celebrantur. Si enim dexter superioris labii musculus remisso sinistro contrahitur, dextra labii pars obliquo motu, sinistra dependente, attollitur. Vt vero validius adhuc superius labrum moueretur, atque secundum totam ipsius substantiam musculis participaret, illi alia portio musculi elargita est, qui narium alas extrorsum sursumque agit. A malis enim iuxta proprium superioris labii musculum carneus quidam, sed tenuis membraneusque enascitur musculus, qui in ipso modice versus priora descensu, in duas portiones partitur, vnam nasi alæ radici, alteram superioris labii parti, quæ Græcis μύσαξ, & Homero ὑπήνη, Latinis *barba superioris labri* vocatur, inserens. ¶ Verum præter hunc alæ musculum alius in interna narium amplitudine habetur, ad suæ cauitatis externum latus, sub tunica illam amplitudinem succingente, reconditus. Est autem hic tenuis & membraneus, interiori alæ regioni insertus, illamque intro trahens. Sunt itaq; enumerati in hoc capite musculi duodecim, si omnes vtriusq; lateris iunxerimus, duo quidem lati ex carnea constantes membrana, duo admodum varii ex vna maxilla in aliam pronati, & quatuor labiis proprii, & totidem alarum nasi.

[Marginalia: Vsus. — Tertius alterius lateris, vel omniũ 5. & 6. — Mala. — Quartus in altero latere, vel omniũ 7. & 8. — Vsus. Gal. ibidem cap. 16. — Alarũ nasi musculus alterius lateris 5. aut omnium 9. & 10. Vesalius, ibidem. In altero latere 6. aut omnium 11. autta. — Musculorũ epilogus.]

A B C D

De musculis inferiorem maxillam mouentibus. Cap. X.

NOn homini tantum, sed reliquis etiam animantibus ad vnum omnibus, *excepto Crocodilo*, cui vnico superior maxilla mobilis visitur, inferior, quiescente interim, immotaq; superiori, motu agitur voluntario. ¶ Ceterum inferior hominis maxilla tribus ducitur motibus, quorum vnus quidem in mandendo perficitur, quo ad latera, & antrorsum, & retrorsum maxilla agitur, ac circumfertur: alius in ore aperiendo fit. Motus autem ii omnes propriis obeuntur musculis, qui vtrinq; habentur quatuor. Primus a mandendo Græcis μασητὴρ, Latinis *mansorius*, *vel mandibularius* dictus, est *ille quem ad posteriorem maxillæ inferioris sedem, sub osse iugali manu amplecti possumus.* In equis spectatissimus est, quem crebro in illis complectuntur, qui num carneus, aut nerueus equus sit obseruaturi sunt. ¶ Nerueo & amplo validissimoque principio ab ea malarum sede exoritur, qua infima pars suturæ illius cõsistit, quæ maxillæ superioris os, totum minorem oculis sedis angulum occupans, mediamque ossis iugalis sedem efformans, maximo eiusdem maxillæ ossi contingit, quod dentium præsepiola continere, ac narium amplitudinem magna ex parte constituere præcedenti libro diximus. Deinde a malis principium hoc in posteriora ducitur, e tota inferiori, interiorique ossis iugalis sede ad aurem vsque pronatum. Ex tota enim longitudine ossis iugalis, quæ a malis ad aurem vsq;

[Marginalia: Inferior maxilla superiori quiescente mouetur. — Gal. lib. admini ana. 4. — Maxillæ inferioris motus. — Maxillæ musculorũ nomina. Ves. ibidem cap 15. — Mansorius alterius lateris 1. aut omnium 1. & 2.]

E F

pertinet

A pertinet, huius musculi principium enascitur, quod nerueũ in malis esse diximus. Hoc enatus principio deorsum tendit, totamque inferioris maxillæ amplitudinem, in externa posterioríque ipsius sede conspicuã amplectitur, illi validissime partim carneus, partim nerueus latissima insertione implantatus. Totus quodamodo triangularis est? vnum enim ipsius latus versus iugalis ossis extremitatem porrigitur: alterum a malis ad infimam maxillæ sedem retrorsum ducitur: tertiũ ab aure in anteriora deorsum fertur. Vnde etiam ilico fibrarum ipsius ductum variare necesse est. Quæ enim ab anteriori principii sede prodeunt, oblique deorsum in anteriora feruntur: quæ autẽ a posteriori principii sede prodeunt, oblique deorsum in anteriora repunt. Variis motibus maxillam circumagit, & antrorsum retrorsumque mouet, adeoq; ad mandendũ molendumque cibum præcipue cõducit. Neq; enim alia ratione dictus est mansorius, quam quod sibi ita applicent & committant dentes, vt quicquid inter hos medium adiacet, frangatur, & tanquam a mola ad læuorem comminuatur. Secundus Græcis κροταφίτης, Latinis *temporalis* appellatus, a verticis, & tẽporis, & frontis, & *cuneiformi ossibus*, & eo osse, quod minorẽ sedis oculi angulum amplectitur, seu maxillæ superioris osse primo principium ducit. Instar semicirculi enim primum, & præcipue a verticis ac frontis osse multo elatius enascitur, quam commissura squamæ formis consistit, temporis os verticis ossi cõmittens. Hinc sensim crassescens, & carnosior redditus arctatusque, in cauitatem ibi in capitis ossibus exsculptam descendit. Quum vero ad iugale os vsque pertingit, admodumq; crassus, sed angustus interim euasit, superiori quoq; iugalis ossis sedi adnascitur, massetteri adeo continuus, vt vix immerito temporalem & mansorium vnum esse musculum quis contenderet. Vniuersum autem temporalis musculi corpus ad iugale vsque os carneum est, exteriori sede, propter membranæ propriæ crassitiem perquam liuidum, idque potissimum ad exortus sui initium & ipsius os iugale connexum. Interna vero sede, qua ex ossibus ampla illa lataque explantatione enascitur, carneus est, & acutum inferioris maxillæ processum contingens in breuem, sed insigniter validum, nerueumque finit tendinem, sua amplitudine acutum illum maxillæ processum amplectentem, illique validissime insertum. Ad tendinem hunc omnes temporalis musculi fibræ, ex semicirculo velut ad circuli centrum procurrunt. Hic os potissimum claudit, & dentes inter se vehementer committit.* Eius certe ingens robur est, quoties aliquid vi mordemus, & aliquid impetu dentibus confringere adnitimur, aut ingens aliquod onus histriones quosdam leuare conspicimus. Vtcunque tamen temporalis musculus sit validus, multisq; neruorum propaginibus donatus, ac suæ nobilitatis gratia ossuosis vallis interceptus, aptisque finibus inclusus, nihilo minus tamen illi alterum quoque musculum, similiter robustum & neruosum, ac in ore delitescentem Natura associauit, tertium ordine, eiusdem cum musculo temporali functionis auctorem. Huius principium perquã neruosum, ex tota cauitate sinuue exoritur, qui in ossis cuneum referentis processibus vespertilionum alas exprimentibus insculpitur, quem vbi excesserit, carneus, amplus, & crassus efficitur, ac in internam maxillæ, vbi hæc latissima est, sedem implantatur. Hic sane musculus, vt duo præcedentes, sursum maxillam inferiorem trahit, illamque superiori iungit, & in latera prorsum retrorsumque agit. Verum mandibulario id priuatim committitur, vt mandibularium anterioribus principii partibus contractis inferior maxilla prorsum ducatur, mentumque in anteriora promineat. Posterioribus vero principiis sedibus tensis, retrorsum ac velut ad aures maxilla retrahatur, adeo, vt duo hac ratione motus mandibulariorum beneficio peragatur, quibus manducantes indigemus. Atque huic etiam motui suppetias fert temporalis musculus, prout has, illasue sui principii fibras tendit, aut remittit. Deinde mandibulariorũ, & in ore delitescentium musculorum opera, in latus maxilla ducitur. Dextro enim mandibulario duntaxat, & sinistro in ore delitescente musculo contractis, maxilla in dextrum latus agitur. At sinistri lateris mandibulario, & dextri lateris in ore delitescente musculo, vna contractionem molientibus, inferior maxilla in sinistrum latus fertur. ¶ Quartus os aperiens vocatus cum suo coniuge, sunt enim vtrinque singuli, maxillam deorsum trahit, gracilisque, & oblongus est, ex prominentibus temporum ossium processibus, qui scriptorii styli imaginẽ referunt, originem ducens. Hinc vtiq; membraneo, latiusculoq; capite exortus statim car-

Gal. libr. 11. de vsu part. cap. 4.
Ves. loco citato.
Galen. ibid.
B
Temporalis seu alterius lateris secundus.
Ves. ibid.
C
Gal. lib. 4. ana. adm.
D
In ore delitescens seu alterius lateris tertius.
Ves. ibid.
E
F
Os aperiẽs alterius lateris quartus. aut omnium 7. & 8.

Gal. libr. II. de vsu part. cap. 4. nosus, teresque fit, ac versus priora maxillæ, vbi summum mentum habetur, procurrẽs, A interiori eius parti adnascitur, & dexter musculus sinistro hic ad insertionem vnitur, in ea sane inferioris maxillę parte, vbi vel horum musculorum gratia maxilla exasperatur, & processulos inæqualiter extuberantes obtinet. Hic musculus vbi in se colligitur, os aperit, quemadmodum præcedens claudit, & ductus maxillæ (vt dictum est) ad inferiora auctor exsistit.

De musculis ossis hyoidis. Cap. XI.

Ossis hyoidis duplices musculi. Gal. lib. 7. de vsu partium cap. 19. Propriorũ munus. Vesa. libr. 2. cap. 17. Propriorũ numerus. Propriorũ primum par. seu lateris primus.

MVsculorum, qui ossi hyoidi, quod in faucibus superiori laryngis sedi prælocatur, & radici linguæ fundamenti vice, super quod eam moueri oporteat, exsistit, vt *libro 1. cap. 16.* dictum est, committuntur, alii quidem ipsi sunt proprii, & solius huius ossis B gratia creati, qui omnes ex aliis ossibus principium sumentes, huic ossi inseruntur. Alii autem ex hoc osse prodeuntes, aliis organis famulantur. Qui igitur ossi hyoidi proprii ac peculiares sunt, hoc potissimum præstant, ne hyoidis os non admodum stabili firmatum basi, hinc inde ad latera, vel sursum, aut deorsum, vel antrorsum aut retrorsum, conuellatur, & ex sua sede promte dimoueatur. Sunt autem ii ad minimum redacti numerum, septem, ad maximum autem octo, vtrinque nimirum quatuor, vt vniuersi quatuor constituant paria. ¶ *Primus* ceteris validior & crassior, bifidus aut geminus est, scutiformi laryngis cartilagini, & asperæ arteriæ in collo exporrectus. Lato namque & carneo principio ex summa pectoris ossis sede, ad partem magis internam exoritur, rectaque sursum tensus, ac parem semper ipsi origini latitudinem seruans, in anteriorem C & gibbam hyoidis ossis partem inseritur, carnoso innexu totam amplitudinem medii officuli, cui hyoidis ossis latera firmantur, apprehendens. Huic musculo secundum ipsius longitudinem in medio linea incisa est, cuius occasione, ex duobus musculis ille constare non inepte dicitur, ac duorum musculorum, seu vnius paris vice enumeratur.

Galenus ibidem. Hi os hyoides deorsum, si quando violentius tum a superioribus musculis, tum a scutiformi cartilagine sursum vellitur, retrahunt, simulq; propugnaculum sunt, & asperam arteriam coarcent, & dirigunt. ¶ *Tertius & quartus*, vtrinque enim vnus est, iis duobus opponuntur, ampli, breues, ac omni ex parte carnei, a maxilla inferiori, sub summo mento interius enascuntur. Hinc procedẽtes, ac modice arctiores redditi, & deorsum protensi, hyoidi ossi duobus primi contermini inseruntur, eandem prorsus insertionis D latitudinem, in anteriore ossis sede cum illis exigentes. Hi os hyoides sursum, opposito duobus primis seu inferioribus motu, deinde & modice in exteriora, protrahunt.

Secundum par. Vesalius ibidem.

Tertium par. *Quintus* vero, ac *sextus*, ab vtroque enim latere singuli, admodum graciles, teretesque sunt musculi, qui ab ossis temporis processuum radicibus, quos stylum & galli calcaria libro primo, diximus referre, explantati, hyoidis ossi inseruntur, ad latus amplitudinis, quam primi quatuor musculi occuparunt. Est autem hæc regio, vbi ossis latera cum medio officulo coeunt. Musculi hi toto ductu illis musculis exterius attenduntur, qui maxillam inferiorem deorsum trahunt, qui etiam ab eisdem stylum imitantibus processibus, sed paulo humilius, quam ii ossis hyoidis musculi oriuntur. Porro iis duobus musculis, ne os hyoides in dextrum, aut in sinistrum reuellatur, mu- E nus concreditũ est. Præterea illud quoque sursum nonnihil, introrsumq; contrahunt.

Quartum par. ¶ *Septimus & octauus* huius ossis musculi, vtrinque enim singuli, graciles longique visuntur. Nullus enim vniuersi corporis iis simul & gracilior & longior occurrit. In medio ipsorum ductu carnei esse desinunt, tendinis aliquousque naturam ostendentes, a qua denuo carnei euadunt, ac veluti duos musculi ventres nanciscuntur. Principium enim carneum ex elatiori scapulæ costa, iuxta ipsius ceruicem, & processus anchoram referentis radicem obtinent, & sub musculo scapulam ad occipitium trahenti occultati, sursum oblique protenduntur, sub musculo a pectoris osse & clauicula, in mammillarem capitis processum inserto, qui hos hyoidis musculos adeo comprimit, vt carnosi sub illo esse desinant, tendinisque speciem ostendant, perinde ac si digniori illi caput F mouenti musculo cederent. Vbi illum superauerunt, rursus carnei apparent, quousque in eam hyoidis ossis regionem implantentur, in quam sextus & septimus inseritur. Hi musculi deorsum & vtrinq; ad latera hyoides os detrahunt. His musculis neruulus applantatur, vbi scapulæ committuntur, nequaquam autem vbi hyoidi inseruntur. Sunt

itaque

A itaque octo muſculi ſolius hyoidis oſſis occaſione efformati, in hoc ſcilicet, ne hinc inde ex ſua ſede id turbaretur, fundamentumque plus ſatis infirmum linguæ, & ipſi quoque laryngi efficiatur. Muſculorum vero qui hyoidi oſſi proprii non ſunt, ex ipſo originem ſuam mutuantes, quatuor quidem laryngi, alii vero linguæ porriguntur, de quibus mox dicemus.

Muſculi hyoidi oſſi nõ proprii.

De linguæ muſculis. CAP. XII.

Linguæ q̃ Græcis γλῶττα dicit̃, *caro eſt rara, fiſtuloſa, & mollis*. Eius moles ori ad amuſſim adaptata cõgruit. Quippe in omnem eius partem pertingit, quod ſane ſi minor eſſet, haudquaquam potuiſſet. Neque rurſus præ oris anguſtia impeditur, quod facilime B ei accideret ab immoderata magnitudine. ¶ Ceterum quũ ipſam in omnem partem promte & ex noſtra voluntate moueri conueniebat, qui enim alias maſticatio, tranſglutitio, ac ſermo perficerentur? hanc muſculoſam fieri neceſſe erat. Quoniam vero ipſam ſurſum ad palatum attolli oportebat, & deorſum ferri, & ad latera circumagi, poſtremo antrorſum, retrorſum, & hinc inde reflexam ac in ſe collectam moueri, operę pretium fuit multos illam habere muſculos, qui variorum motuũ auctores exſiſterent. Linguam autem fortem & magnam ad baſim ſtabilitatis ac firmitudinis gratia, tenuem vero ad extremitatem mucronemue, vt celeriter moueretur, facta eſt. ¶ Muſculi autem linguam mouentes numero nouem ſunt, paria nimirum quatuor, & vnus pro motus differentia datus, quo in omnem partem lingua ipſa promte mouetur. Duo quidem C ſunt recti, & impenſe craſſi, obſcureque ab inuicem, ac ſi plures duobus eſſent aliquot locis diſcreti, qui maximam linguæ radicis partem conſtituunt, & ex media, ſuperiorique oſſis hyoidis parte, carnei, ſed vtcunque fungoſi principium ducunt, ac ſecundum linguæ longitudinem protenſi, ipſius medio recta inſeruntur, quam contracti recta intro, & velut ad poſteriora ac deorſum trahunt. ¶ *Tertius & quartus*, ex duobus ſuperioribus oſſis hyoidis oſſiculis oriuntur, quæ ad ipſius latera habentur, & ad proceſſus capitis ſtylum referentes deſinunt. Quanquam etiam interdum ii muſculi ab humilioribus oſſis hyoidis lateribus, quæ ſuperioribus ſcutiformis cartilaginis proceſſibus colligantur, principium ſumant, tunc nimirum, quum ſuperiora oſſis hyodis latera non plane D oſſea, cum ligamentorum natura aliquid commune nanciſcuntur, quod frequenter, & potiſſimum in mulieribus obſeruatur. Muſculi igitur illinc enati, & oblique quodammodo procedentes, linguæ lateribus inſeruntur. Si horum alter vno remiſſo laxatoque tendatur, lingua, & potiſſimum ſua radice, in latus deorſum trahitur. At ſi ſimul vterq; agat, lingua in neutram partem inclinans deorſum, verſus interiora quoque mouetur. *Quintus & ſextus*, ſimiliter carnoſi & vtcunque craſſi, duobus iam dictis opponuntur, atque a temporum oſſium proceſſibus qui ſtyli imaginem referunt, enati, linguæ radici ad iam dictorum fines innaſcuntur. Hi quoties ambo contrahuntur, verſus interiora linguam ſurſum agunt. At ſi alter duntaxat in ſe colligatur, lingua ſurſum tracta ad alterum latus inclinatur. *Septimus & octauus*, intorquentes & reſupinantes nonnullis nominati, quod ſcilicet linguam ad inferiora contrahant, & ad latera inuoluant, a lateribus E inferioris maxillæ iuxta molarium dentium radicem vtrinque lato, & vtcunque mucoſo principio exoriuntur, linguæ per longitudinem vſque ad ligamenti finem quo illa faucibus colligatur, ſeſe inſerunt, non quidem prorſus in linguæ medium, ſed duorum primorum muſculorum latera. Horum altero tantum ſuas fibras colligente, conſpicua ante ſectionem linguæ pars in contracti muſculi latus conniuet. At vtroque latere laborante, pertinaciter lingua faucibus recto motu adigitur. *Nonus* carnea quædam moles eſt, ab interna quoque inferioris maxillæ ſede iuxta ſummum mentum enata. Præſens moles ſurſum retrorſumque ad fauces ducta, in linguæ radicem amplam inſertionem molitur, quemadmodum etiam lato principio originem ſumit. ¶ Hæc moles linguam extrorſum agit. Iam enarratorum muſculorum hiſtoriam, vt alia mul-F ta in anatomicis, Veſalio noſtro acceptam referre oportet. Nam pars librorum Galeni *de adminiſtranda ſectione*, in qua linguæ muſculos proculdubio recenſuit, vna cum libris de *muſculorum ſectione* temporum iniuria, & hominum incuria periit, aut ab inuidis hodie ſupprimitur. ¶ Porro vniuerſum linguæ corpus ante ſectionem nobis apparens, ex duob. muſculoſis corporibus, ligamẽto, accurrentib. venis, arteriis, & neruis

Linguæ ſubſtantia. Magnitudo. Gal. libr. 11. de vſu part. cap. 10. Lingua muſculis eget. Figura. Muſculi linguæ. Veſal lib. 2. cap 19. Duo primi. Tertius & quartus. Quintus & ſextus. Septimus & octauus. Nonus. Veſalii induſtria.

Membrana linguæ duplex. conformatur, quæ omnia integit duplex membrana, vna quidem quæ interior est, omnibus musculis communis, altera vero, quæ eius tunicæ pars est, vniuersam oris amplitudinem succingens, & eadem continuaque cum interna asperæ arteriæ, ac stomachi tunica exsistens, priuatimque tertii paris neruorum, *vt lib. 6. clarius dicemus*, cerebri præcipuas portiones sibi insertas vendicans, quarum beneficio lingua gustatorium instrumentum efficitur. ¶ Quum autem ceteri corporis musculi vnicum fere fibrarum (A)

Fibræ linguæ. genus, aut rectum scilicet, aut obliquum aut transuersum duntaxat obtineant, duo certe hæc musculosa corpora ante sectionem conspicua, triplex fibrarum genus, rectas nimirum, obliquas, & transuersas, adepta sunt, quæ inuicem adeo permiscentur, vt eas internoscere sit quam difficilimum. Inter has tamen obliquæ transuersæque plurimæ in corporum iam dictorum medio reperiuntur, rectę vero pauciores sese offerunt, omnes (B)

Ligamentum. propemodum in externa eorum superficie excurrentes. ¶ Ceterum ligamentum eius est id, quod ad palatum reflexa lingua, apertoque ore sub ipsa conspicitur. Magni autem vsus gratia efformatum est. Hinc enim fibræ linguæ firmantur, adeoque ossis vice datum est. Præterea nisi id esset ligamentum, lingua nimium aliquando retrorsum in se

Galen. ibid. colligeretur, nec facile exserta intro retraheretur. ¶ Non obtineret etiam stabilem & firmam sedem, vt quæ vndique esset soluta. Vtroque igitur munere fungitur, nimirum vt basis linguæ sit firma, & linguæ finis promte, ac libere quoquo versum perueniat. ¶ At si ligamentum hoc paulum progrederetur, & in modicam linguæ portionē procederet, minus quidem, sed æque fere ac si factum omnino non fuisset, linguæ incommodaret. Sin idem longissime progrederetur, & ad plurimum linguæ spiritum perueniret, haudquaquam ad palatum, neque ad superiores dentes, neq; ad alias multas oris partes lingua extenderetur. Tam igitur exacta & certa est istius vinculi seu ligamenti commoderatio, vt si vel tantillum adieceris, aut ademeris, totius instrumenti actionem vitiaueris. (C)

De laryngis musculis. CAP. XIII.

Gal. lib. 7. de vsu par. c. 11. QVum larynx siue guttur (*vt lib. 1. dictum est*) ex tribus sibi mutuo copulatis, vt apte claudatur, aperiaturque, constructa sit cartilaginibus, & quia inspirationis atque exspirationis, totiusque respirationis, inhibitionis, & efflationis, vocisq; occasione motu voluntario hoc moueri oporteat, merito musculos cartilaginum motores rerum opifex ipsi communicauit, quorum quidam laryngi duntaxat proprii sunt, quidam vero (D)

Proprii laryngis musculi 12. aliis partibus communes. Proprios humana larynx duodecim obtinet, quatuor qui primam cum secunda cartilagine connectunt, laryngis rimulam seu lingulam arctantes: alii quatuor qui secundam tertiæ copulant, rimulam aperientes: & alii duo, qui primam tertiæ committunt, rimulā claudentes: & alii duo in basi tertiæ cartilaginis, qua secun-

Vsus propriorum. dæ coarticulatur, sedem habent, rimulam coarctantes ac constringentes. Vt omnibus hinc palam sit, proprios hos musculos nullo alio nomine ab Opifice rerū esse procreatos, quam vt lingulam laryngis aperiant, claudantue. ¶ Porro propriorum quatuor pri-

Propriorū 1.2.3.4. Vesalius lib. 2. c. 20. mam cartilaginem secundæ iungentium, ad inferiora laryngis vtrinque duo habentur, in priore ipsius parte versus latera locati. Atque ii breues sunt, sed lati, tenues, ac carnosi, vnusque alteri incumbit, ac vtrique se inuicem fibris ad X literæ imaginem intersecant. Exterior namque ab inferiori primæ cartilaginis sede fibrarum originem ducit, quæ deorsum oblique in priora procedentes, secundæ cartilagini parti, priora laryngis spectanti inseruntur. Interior huic subiectus, ac in ortu fibrarumque ductu exteriori omni ex parte similis, a secundæ cartilaginis sede, quæ primæ subiicitur, originem ducit, primæ cartilaginis humiliori sede insertus. Huius fibræ ex postica parte oblique in anticam ascendunt. Quatuor isti musculi, vtrinque enim duo sunt, intercostalibus musculis, de quibus suo dicemus loco, apprime respondentes, primam, secundamque cartilaginem inuicem adducunt, laryngis rimulam (vt comprehensum est) clausuri. Ad hunc sane modum quatuor ii musculi frequenter locantur. Interdum tamen vnicus dunta- (E)

Propriorū 5.6.7.8. xat vtrinque reperitur. ¶ Ex quatuor vero musculis secundæ tertiam committentibus, duo quoque vtrinque habentur: ac vnus quidem exacte in tota posteriori secundæ cartilaginis sede, secundum ipsius longitudinem, qua stomachum spectat, locatur, qui carneo principio ab infima secundæ cartilaginis parte enatus, ac deinde recta sursum procedens, tantisper latescit, donec tertiæ cartilaginis radici, qua secundæ articulatur, nerosa (F)

A uosa vtcunque insertione implantetur. ¶ Huic musculo per secundæ cartilaginis longitudinem, qua fertur, sinus exsculpitur, tantus quidem, vt musculo vtriusque lateris ablato, secunda cartilago in acutam lineam, & veluti dorsi vertebrarum spinam, inibi desinere videatur. Alter musculus nũc dicto contiguus, & omnino carneus, a secundæ cartilaginis sede enascitur, quæ primæ cartilaginis internam regionẽ respicit, primæq; cartilaginis inferiorem processum admitit. ¶ Ex hac itaque sede ortus, carnosum, latumque principium ducens, ac sursum oblique protensus tertiæ cartilagini inseritur, totam sui lateris tertiæ cartilaginis radicis sedem occupans, a priori musculo non amplexam. ¶ Hi quatuor musculi, tertiam cartilaginem vtrinque ad exteriora laryngis retrorsum euertunt, lingulam aperientes. Atque duo quidem primi posteriorem cartilaginis secundæ sedem occupantes id recto motu præstant: reliqui autem, vt obliquo
B situ præditi sunt, ita quoq; tertiam cartilaginem in posteriora oblique reuellunt. ¶ *Nonus & decimus*, qui tertiam primæ copulant, etiam vtrinque sunt singuli lati, &, vt ceteri laryngis, carnei. Enascuntur autem inuicem continui ex media primæ cartilaginis sede, secundum totam ipsius internę sedis longitudinem. Hi velut triplex sui principium ostendũt, propter quasdam ipsorum inscriptiones adeo illis impressas, vt harum occasione quisque eorum triplex esse musculus videatur. ¶ A principio oblique sursum ascendunt, & tertiæ cartilaginis partis anteriori sede implantantur. Duobus iis tertia cartilago primæ adducitur, illorumque beneficio duæ tertiæ cartilaginis partes, contractis nimirum musculis conniuent, ipsaque lingula horum potissimum auxilio comprimitur. ¶ Hi sane musculi omnium totius corporis cum temporalibus, pro ipsorum mole, validissimo funguntur munere, quum tot musculis exspirationem molientibus, in spiritus retentione opponantur, quanquam & huc quoque reliqui laryngem arctantes musculi faciant. ¶ *Vndecimus & duodecimus*, in basi tertiæ cartilaginis cõsistunt, ea nimirum regione qua stomacho larynx committitur, tertiaque cartilago secundæ coarticulatur. Sunt autem ab vtroque latere singuli, qui ex radice tertiæ cartilaginis, qua hæc primæ proxima est oriuntur, & secundum basim tertiæ cartilaginis modice sursum protensi, ad tertiæ cartilaginis medium, vbi duæ inuicem partes colligantur, finiunt, se mutuo inibi contingentes. Sunt etiam breues, & exterius quodammodo pyri
D modo rotundi, intus vero omni ex parte cartilagini tertiæ cõnati, & vbi se inuicẽ contingunt, latiores, crassioresque sunt, quam statim in ipsorum exortu. Ambo musculi tertiæ cartilaginis basim constringentes, atque duas eius cartilaginis partes inuicem comprimentes, lingulam claudunt arctantque. ¶ Ex duodecim itaque laryngis propriis musculis octo laryngem claudunt & arctant, quatuor scilicet primam secundæ cartilagini nectentes, & duo primam tertiæ committentes, ac demum duo in basi tertiæ repositi: quatuor vero ipsam reserant & aperiunt, illi nimirum qui tertiam secundæ nectunt. ¶ Ceterum communes sex musculi, qui laryngẽ ipsam corporibus quæ sunt in circuitu colligant, alterius motus duces sunt, per quem totus spiritalis meatus lingulaue amplificatur, & comprimitur. Horum primi duo, vtrinque enim singuli, ex tota propemodum inferiori hyoidis ossis sede principium ducunt, ac lati & carnei, & in-
E ternis lateribus inuicem proximi, contiguique videntur. Hinc deorsum protensi, & mutuo internis lateribus abscedentes, singuli in sui lateris inferiorem primæ cartilaginis sedem implantantur, tanta latitudine atque ipsorum originum est latitudo. Hi musculi primam cartilaginem a posterioribus sursum quodamodo abducentes, meatum rimulamue dilatant. ¶ Ad præsentium musculorum insertiones, quæ non minus quam eorum origines carneæ exsistũt, alii duo musculi æque propemodum ampli primæ cartilagini implantantur, ab interiori regione ossis pectoris in iugulo carneis, sed non latis principiis pronati, qui sursum secundum anteriorem asperæ arteriæ partem protensi, ac sensim latiores redditi, primæ cartilagini inseruntur. Hi prioribus contrariam functionem adipiscuntur. Nam primæ cartilaginis humiliores partes contra-
F hunt, easdemq; deorsum vellũt, nonnihil vna cõtrahentes, ac constringentes asperam arteriam, ne quicquam in ea re dupliciter, neque etiam plurimum dilatetur, quam animal vocem edit.

Quintus & sextus communium laryngis musculorum transuersi sunt, & ipsorum vtrinque singuli habentur gulã amplexantes. Hi enim ex stomachi, gulæue posterio-

Propriorũ 9. & 10.

Propriorũ 11. & 12.

Propriorũ epilogus. Galen. ibid. cap. 12.

Cõmunes musculi 6.

Communium 1. & 2.

Vesalius. ibid.

Galen. loco citato.

Communium 3 & 4. Vesalius.

Communium 5. & 6. Vesalius.

re parte vertebras ceruicis respiciente, secundum gulę longitudinem enascuntur, adeo inuicem continui, vt vtrorumque musculorum idem vnumque principium esse propemodum dixeris. Hinc ampli & carnosi versus priora protensi, lateribus primæ cartilaginis secundum ipsorum laterum longitudinem inseruntur, tota amplitudine qua gulam contingunt, impense ipsi cõnati, & continui. Hi quidem ad posteriora contrahunt primæ cartilaginis latera, secundæ eam ita applicantes, vt lingulam quoque coarctent. Præter hos sex alii duo sunt propemodũ teretes, ac ex media interiori ossis hyoidis sede explantati, & vtrinque singuli, radici eius corporis quod laryngis censetur operculum inserti. Munus illorum est, vt epiglottin, seu laryngis operculum cibis potuque depressum denuo eleuent. ¶ Quippe ipsorum principiis versus os hyoides tractis operculum illud erigi videtur. Galenus horum musculorum nõ meminit. Quanquam enim hos octo esse dixerit, tamen interim sex tantum descripsit. ¶ Ceterum musculos qui duobus iam dictis opposito munere fungerẽtur Natura nullos creauit, eo quod cibus & potus sua mole euersum eleuatumque laryngis operculum facile comprimant. Quinetiam ipsummet pondere suo grauatum, laryngi prompte applicatur. ¶ Porro *larynx* peculiare ligamentum prorsus nullum obtinet, præter membranea articulos orbiculatim cingentia. Deinde in ipsius etiam medio lingula, rimulaue, seu fissura consistit, quæ Græcis (*vt cap. vlt. prioris libri dictum est*) γλωττὶς appellatur, quæ ex cartilaginum articulatione, & præcipue tertiæ cartilaginis partibus, quę primam cartilaginem acutis processibus spectant, mox & eas colligante ligamento, & pingui totam laryngem succingente tunica.

Galenus.

Duo musculi laryngis operculi. Vesalius.

Laryngis ligamenta. Lingula.

A B C

De musculis caput mouentibus. CAP. XIIII.

Vesa. lib. 2. cap. 28.

In numerum caput mouentium musculorum illi quoq; reiiciuntur, qui primam ceruicis vertebram priuatim mouent. Vt enim eleuato brachio cubitus vna attollitur, ac eques cum equo promouetur: ita quoq; motã ceruicem caput necessario subsequitur. Ac proinde quot propriis motib. ceruix agitur, totidẽ etiam secundariis caput mouet. ¶ Sunt aũt vniuersi musculi iam dictis motib. seruientes: paria septem, ꝙ nimirum vtrobiq; totidem enumerantur musculi. Sex vero horum musculorum paria in posteriori ceruicis sede locata, partim capitis, partim primæ ceruicis vertebræ motib. famulantur. Duo postrema in anteriore sede collocantur. ¶ *Primum* itaq; capitis musculorũ par, vtrinque n. singulis constat musculis, ex quinq; superiorũ thoracis vertebrarum spinis enascitur, sensimq; extrorsum oblique ascendens, occipitis ossi inseritur. ¶ Ceterũ illius musculorum ab inuicẽ recessus, forma triangularis exacte visitur, si modo vnam lineam transuersim ad occipitium, ab interno vnius musculi latere, ad internum latus alterius duxeris, & deinde alias duas ab eius lineæ terminis, secundũ vtriusq; musculi internum latus ad tertiæ ceruicis vertebræ spinam veluti trianguli verticem porrexeris. ¶ Rursus singuli musculi triangulari forma cõstant, si lineã secundum spinæ longitudinẽ ad occipitium vsq; ductam vnius lateris loco habueris, & secundi lateris vice lineã secundum externũ musculi latus exporrectã, & tertii lateris loco lineã q̃ transuersim musculi insertionem ad occipitium describit. Fibræ horum musculorũ a spinis vertebrarũ sursum oblique, quasi ad transuersos superiorũ vertebrarum processus tantisper ducũtur, dum simul omnes in occipitium finiant. Præsentes n. musculi modicam prorsus & exiguam in transuersos vertebrarum processus insertionem moliuntur. ¶ *Secundũ* musculorum par, ꝙ non duobus, sed pluribus efformari videtur musculis, variumq; admodũ conspicitur. Apparent enim quam plurimi vtrinque musculi, serie multiplici inuicem commisti, & occipitio inserti. Non tamen eodẽ omnes modo principium ducunt, & insertionem moliuntur. Ilico enim atq; primum musculorum par subducitur, musculus occurrit, qui acutum principium ex medio transuersorum quartæ & quintæ thoracis vertebræ processuum educit, & statim ab exortu carneus apparens, muris & latereæ formam adipiscitur. Quum vero sursum ad ceruicis initium perreptat, carnosus esse desinit, ac veluti in teretis tendinis naturã cessat. Qua vero ceruicis radicẽ superat, carnosus denuo esse incipit, quousq; in occipitii medium inseritur. Verum priusquam inseritur, cum ipso alius coit musculus ex septimæ ceruicis vertebræ spina nerueo tereti que principio enatus, qui sursum ascendens, carnosus quoque euadit, dictoq; musculo ante ipsius in occipitium insertionem cõmiscetur, vna cum illo in occipitium implantatus,

Primũ par musculorũ, aut caput, aut primã vertebram mouentiũ. Gal. lib. 4. ana adm. Forma huius paris triangularis.

Secundum par admodum variũ.

D E F

Atque

A Atque in hac insertione dextri lateris musculi sinistri lateris musculis contigui sunt, neque ab inuicem, vt primum par, remouentur. Alius deinceps occurrit, qui veluti alterius lateris tertius esse possit, ac ex apice transuersi secundæ thoracis vertebræ, & primæ etiam processus, partim carneus, partim nerueus, enascitur, & sursum versus exteriora oblique exporrectus carneusue, ac latior redditus, occipitio ad radicem mamillaris processus valide inseritur. Sub iis magna moles carnea consistit, quæ a transuersis vertebrarum processibus oblique sursum ad spinas exporrecta occipitio inseritur, fibras obtinens ab exterioribus sursum intro oblique repentes.

Atque huiusmodi secundum musculorum par in homine exsistit. Nunc autem cuiuis integrum erit vtrinque in hoc pari quatuor musculos collocare, primum B scilicet, secundum & tertium, tres illos ante carneam molem enarratos, & quartum, ipsam carneam molem. Præstat tamen vt vnicum tantum ex iis omnibus, & vnum duntaxat vtrinque musculum statuamus, quum cetera paria duobus duntaxat conformentur musculis, & omnes huius secundi paris musculi eiusdem functionis gratia procreati sint. Hoc enim par, vt primum quoque capitis, & obscure admodum, ceruicis quoq; extensionem, aut in posteriora ductum perficit. Si itaque musculi vtriusque lateris tendantur, caput rectissime extendent. At si alternatim, seu ex altero duntaxat latere egerint, circumuersionis capitis motui famulabuntur. ¶ *Tertium par* duobus gracilibus constat musculis, neutiquam prædictis mole respondentibus, qui ex secundæ ceruicis vertebræ spinæ extremo enascuntur non admodum neruei, sursumque extorsum parumper oblique porrecti, in occipitii medium teretes inseruntur, in ipsa insertione C minus, qam in ortu inuicem contigui, ab ipso enim nonnihil oblique sursum (*vt comprehensum est*) ducuntur, sensim mutuo abscedentes. Hi simul tendantur, caput quoque in posteriora solum agunt. At si alter tantum in se colligatur, ductus ratione, circumuersionis capitis, vt duo priora paria opifex erit. ¶ *Quartũ par* sub tertio occultatur, illi quod ad substantiam, formam, ductumq; attinet simile. A posteriori n. primæ vertebræ sede, vbi aliæ in spinam desinunt, vtrinque ad tuberculi processusue eius latera vnus enascitur musculus gracilis, & omnino carneus. Ambo huius paris musculi in exortu contigui sunt, at sursum porrecti, modiceque ab inuicem remoti occipitio inseruntur. Hoc par extensioni capitis præfectum est. ¶ *Quintum par* forma & substantia duobus prædictis D paribus respondens, iuxta externum latus tertii paris ab occipitii osse principium obtinet, atque illinc deorsum oblique descendens in apicem transuersi primæ ceruicis vertebræ processus inseritur, dexter quidem musculus in dextrum processum, sinister vero in sinistrum. ¶ *Sextum par* a spina secundæ ceruicis vertebræ exoritur, & oblique sursum procedens, in transuersum quoque primæ ceruicis vertebræ processum implantatur, pari prorsus cum quarto pari ratione & forma. Sunt enim vtriusque paris musculi oblongi, carnei, & paulo minus toto teretes ac graciles. ¶ Porro *quinti & sexti* parium munus est, vt primam ceruicis vertebram vna cum capite supra secundam circumuertant, & in gyrum ducant. Vtriusque enim paris dextris musculis ad suum principium cõtractis, prima vertebra in posteriora sinistrorsum circumuertitur: sinistris autem laborantibus, in posteriora dextrorsum motus perficitur. Atque adhunc modum posteriores E capitis musculi, qui numero duodecim sunt, nisi in plures duobus musculis secundum par diuiseris, habẽt. Anteriores vero hac ratione. ¶ *Septimum par* insignius est, vtrinque enim a pectoris ossis media summa regione, & clauiculis qua illi ibidem coarticulãtur, vnus amplo & neruoso, membraneoq; capite musculus prodit, quod oblique versus superiora procedens, carnosum densumque & paulo latiorem, quam profundiorem efficit musculum, qui carnoso admodum fine, mammillari in temporis osse processui inseritur, illum sui amplitudine vniuersum amplexus. Ambobus iam dictis musculis tensis contractisq;, caput in anteriora, siue rigida, siue inclinata ceruice flectitur. Quum autem alternatim laborant, circumuersionis auctores efficiuntur. Si enim dexter dun- F taxat contrahitur, caput in anteriora sinistrorsum circumuertitur. Sinistro autẽ solum laborante, caput in anteriora dextrorsum circumagitur.

Munus primi & secũdi parium. Tertium par. Quartum par. Quintum par. Sextum par. Septimum par.

De capitis & primæ secundæque ceruicis vertebrarum ligamentis. CAP. XV.

QVandoquidem primam ceruicis vertebram capiti copulari necessum fuit, merito vniuersum articulũ ambiens ligamentum; quod & ceteris articulis cõmune censetur:

Ligamentũ primam vertebram

capiti committens. Gal. libr. 12. de vsu part. cap. 4. Secundam vertebram capiti connectens ligamentũ. Gal. lib. 4. ana. adm. Ligamentũ trãsuersim denti obductum.

validum robustumque Natura procreauit, rarum tamen nihil, aut peculiare, præter robur crassitiemque, idipsum adipiscitur. Quod vero secundam ceruicis vertebram capitis ossi committit, teres ac validissimum est, & cartilaginis naturam participat. Hoc ex vertice secundæ ceruicis vertebræ seu dentis ortum, occipitis ossi inseritur, qua anteriorem foraminis regionem, quo dorsalis medulla elabitur, constituit. Id ligamentum firmissime secundam vertebrã occipitis ossi colligans, vna cum dẽte veluti axem efformat, secundum quam caput primæ vertebræ interuentu in gyrum ducitur. ¶ Verum ne dens ille internam primæ vertebræ sedem occupans, & dorsali medullæ ibidem prælocatus, quandoque ex suo sinu in vehementioribus capitis motibus deuiet luxeturue, atque tunc dorsalem medullam comprimat, aut frangat, aliud ligamentũ egregie robustum, neruosumq; rerum Opifex creauit, quod ex vno latere interioris regionis primæ vertebræ prodiens, alteri lateri inseritur, posteriori dentis sedi transuersim obductum. Hoc certe ligamentum quod inter dentem, dorsalemq; medullam locatum est, aptissime dentem in sibi priuatim exsculpta cauitate, ne vacillet, luxeturque, continet, dorsalíq; medullæ firmissimum & tutum propugnaculum efficitur, & interim quo minus prima vertebra simul cum capite super secundam circumuertatur, haudquaquam prohibet. Reliquum est aliud adhuc ligamentum primam vertebram secundæ colligans, membraneum quidem, & eiusdem cum ambientibus ceteros articulos ligamentis naturæ & vsus. Necesse enim erat primã secundæ articulari. Si enim vna hæ vertebræ capitis osse ad nascerentur, prohiberẽt sane motus mutuos. Ea namq; quæ quiescit, velleret ac detineret agentem, nunc autem vicissim vtraq; potest suo motu agi, alia interim sua sede firmata.

A B C

De musculis dorsum mouentibus. Cap. XVI.

Quot motibus dorsum agatur. Vesl. lib 2. cap. 38. Sedecim dorsum mouentes musculi. Primum par.

QVatuor in vniuersum simplices sunt dorsi totius motus, flexio scilicet, extensio, ad dextrum & sinistrum latus inclinatio. Ad hos autem obeũdos motus musculorum operam requirit, qui omnes vtriusque lateris simul in minimum numerum redacti sunt sedecim, octo nimirum Paribus cõplexi. ¶ *Pimum par* a quintæ thoracis vertebræ corporis lateribus, vbi ipsis costis coarticulantur, principium sumit, quod carneum, tenueque, & acuti instar anguli visitur, & sursum oblique ad primã vsque ceruicis vertebram conscendens pertingit, gulæ subiectum. Hinc est quod veteres hos duos *musculos sub stomacho, gulaue latitantes* appellasse videntur. Hi in exortu tantum ab inuicem distant, quanta corporis vertebræ est latitudo. Atque hanc seriem, vt scilicet ex inferioris vertebræ corporis latere, principium seu explantationem ducant, atque magis versus medium superioris vertebræ corporis insertionem moliantur, perpetuo seruant, quousq; sensim mutuo appropinquantes, ad anteriorem primæ ceruicis vertebræ sedem vsque conscẽderint, cuius ibidem extuberanti processui neruosa insertione simul ambo coeuntes, tanquam trianguli vertice inseruntur, non admodum manifeste in occipitis ossi, ad anteriorem dorsalis medullæ foraminis sedem implantati. Duobus iis musculis ceruix proprio motu, & obscure caput ipsum, dorsique superior pars flectitur. Si enim vtriusque musculi partes simul omnes egerint, recta efficietur ceruicis flexio, vertebris scilicet mutuo sese succedentibus. At si alteruter tantum in se colligatur, in cõtracti latus ceruix inclinabitur. ¶ *Secundum par* a prima thoracis costa carnosum, amplumque pronascitur, sensimque arctatum internæ transuersorum omnium ceruicis vertebrarum processuum sedi inseritur, fibras sursum oblique intro producens. Triangularum autem figuram hoc par musculorũ plane refert. Huicque pari id priuatim obtigit, quod foramine peruium sit, quo axillari venæ, & arteriæ in brachium excurrentibus, iter exhibet. Huius functio est vt ceruicem in latus, sed magis antrorsum inclinet. ¶ *Tertium par* principium in dorso assumit ex transuersi sextæ thoracis vertebræ processus radice, ad primum eius vertebræ posterioris processus seu spinæ exortum. Hinc ascendens ex reliquarum quinque superiorum thoracis vertebrarum transuersis processibus enascitur, sensim crassior validiorque redditus, quousque admodum pertinaciter in externam sedem transuersi processus septimæ ceruicis vertebræ inseratur. Huic enim primum implantatur, & deinde reliquarum omnium ceruicis vertebrarũ transuersis processibus, ad exteriorem eorundem sedem, etsi inualidam, insertionem molitur. His duobus musculis ceruix in posteriora ad latus magis inclinatur, recto quidẽ ductu, vtrisque mu-

D E F

Secundum par.

Tertium par.

A que musculis, vna laborantibus: obliquo autem, alterutro duntaxat se colligente. *Quartum par* a septimæ thoracis vertebræ spinæ radice, deinceps & a reliquarum succedentium vertebrarum spinarum quoq; radicibus, vbi inuicem vertebræ articulantur oritur. Vbi sensim ad ceruicem exporrectum, infimam ceruicis vertebram contingat, a reliquorum subinde transuersorum processuum radice noua semper initia educens, perpetuo fibras, spinæ superioris vertebræ tantisper inserens, donec validissime in totam inferiorem spinæ secundæ ceruicis vertebræ sedem inseratur, dexterq; musculus sinistro coniungatur, vti & toto per ceruicem progressu mutuo accumbunt, hærentque, duntaxat vertebrarum spinis inuicem diremti. Horum musculorum fibræ, non prorsus recta sursum cōscendunt, verum ab exterioribus sursum modice intro feruntur, quare etiam B obliquis motibus præsunt. Si enim vterque contrahitur, recta ceruicis peragitur extensio. Sinistro autem laborante, & quiescente dextro, sinistrorsum extēsio fiet, & vice versa. Atq; hi omnes musculi, ceruicis potissimum famulantur motibus, ac inter musculos caput mouentes subinde recensent, etiamsi caput secundario duntaxat mouent. *Quintum par* vtrinque etiam habet musculum, ab ilium ossis cauitatis posteriori, superiorique sede, quę e regione superioris sedis primi sacri ossis transuersi processus est, deinde ēt ex tota illa ossis sacri quoq; parte, carneo crassoq; admodum principio pronatum, in transuersos lumborum vertebrarum processus, & infimam thoracis costam inseritur, figuraque quadrangulum exsistit. Hi musculi ex illorum musculorum numero habentur, qui Græcis ψόαι, & νευρομήτραι, & ἀλώπεκες dicuntur. His inferioris dorsi partis, lumborum scilicet C vertebrarum flectendi munus concreditum est, ipsiq; ambo duntaxat illius motus auctores sunt. Sed quum horum vtrinque (*vt comprehensum est*) vnus consistat, & is obliquis donetur fibris, præsentes musculi obliquam quoque flexionem molientur, prout hic, ille ue solus in se colligitur. Sola itaque inferior dorsi pars, proprios musculos flexionis opifices habet. *Sextum par* ex longioribus totius corporis musculis est ab infima sacri ossis sede incipiens, & deinde ex spinis quinque vertebrarum lumborum, nerueo validoque admodum principio enascitur. Hinc sursum ascendens carnosius paulatim ad externum ipsius latus efficitur, transuersis lumborum vertebrarum processibus insertum, ac veluti teretis musculi imaginem exprimens. ¶ Externa ipsius sede læue, æqualeue est, interna autem parte, propter suæ carnosæ partis crassitiem, & neruosæ tenuita- D tem, secundum ipsius longitudinem sinus quodammodo illi incisus videtur, quo decimotertio musculo cedit, & locum porrigit. Vbi vero ad vndecimam thoracis vsque vertebram conscendit arctius longe redditum, neq; reliquis superiorum vertebrarum spinis adeo connatum, sensim ad primam vsque thoracis angustius efficitur, transuersis omnibus thoracis vertebrarum processibus innixum, quibus singulis ex interna sua sede, tendinem instar ansulæ cuiusdam insertum dispargit. Huius paris ambobus musculis contractis, tota illa dorsi pars, cui præsentes musculi inseruntur, in neutrum latus vergens, extenditur. At alterutro tantum protenso in ipsius latus spina mouetur. *Septimum par* sub sexto occultatum a posteriori sacri ossis sede acutum principium ducens, ac sursum ascendens modice latius redditum, ad vndecimæ vsque thoracis vertebræ spinam E conscendit, omnibus intermediis spinis assertum, & gracilius tenuiusque factum, inibi ad vndecimæ thoracis vertebræ spinam in acutum finitur angulum. ¶ Præsentes duo musculi inuicem contigui sunt, inuicemque committuntur. Vtriq; enim sese inter spinarum interualla insinuantes internis lateribus inuicem committuntur, tantum ab inuicem dehiscentes, quanta est ligamenti crassities, quod inter spinarum interualla reponitur. Horum musculorum fibræ ab inferioribus sursum versus interiora oblique assurgunt, & ex inferiorum vertebrarum transuersis processibus, & spinarum radicibus enatæ in totam superiorum vertebrarum in posteriori sede amplitudinem perpetuo sese inserunt. Quotiescunq; igitur vtriusque lateris musculus in se colligitur, suasq; fibras contrahit, lumborum vertebrarum, etsi quę thoracis sub vertebra vtrinque suscepta re- F periantur, spinæ ad se inuicem conniuent, earundemque interualla constringuntur adeo, vt simul contracti musculi totam illam spinæ partem cui committuntur, appositissime extendant. At altero in se tantum collecto, in obliquum hæc dorsi pars extenditur. *Octauum par* ab vndecima thoracis vertebra ad primam vsque ipsius protenditur, totam spinarum amplitudinem, quæ ab ipsarum radice ad apicem vsque consistit, amplexans,

Quartum par, vel 7. & 8.

Quintum par, vel 9. & 10.

Gal. lib 4. anato. administ. Iulius Pollux. libr. 2.

Sextum par vel 11. & 12.

Septimū par vel. 13. & 14.

Octauum par vel 15. & 16.

illis ita committitur, vt septimum par illis quibus adnascitur spinis. Hi duo musculi ad duodecimam thoracis vertebram tenues sunt, ad sursũ exporrecti paulatim crassescũt, quousque ad quintæ thoracis vertebræ spinam ascendunt. Hic enim tota sua mole crassiores euadunt, & sursum tensi, denuo extenuantur. His quoque musculis interualla spinarum opplentur, & inuicem ibi contigui sunt, quum inter illos nihil mediet, præter membraneum ligamentum a superiori spina, in inferiorem porrectum. A

Functio horum musculorum præcipua est, spinas quibus inseruntur mutuo colligere, atque ita eam dorsi partem cui adnascuntur cum reliquis musculis extendere. Sed vt præsentes musculi inter reliquos dorsi motuum auctores rectis fibris magna ex parte donantur, ita quoque ipsi admodum modice obliquis motibus præsunt. B

De vertebrarum ligamentis. Cap. XVII.

Ligamenta vertebrarũ corpora cõmittentia. Vesalius li. 2. cap. 40. Cap. 8. libri de ossibus.

LIgamenta primam vertebram capiti, & secundam primæ, & secundam rursus capiti colligantia supra enarrata sunt. Quæ autem reliquas vertebras inuicem committunt, nunc ostendemus. Inter secundæ itaque & tertiæ vertebræ ceruicis, ac deinceps inter reliquarum omnium vertebrarum corpora cartilagineum quoddam ligamentum, quod Galenus *cartilaginem* vocat, vertebrarum corpora interueniens exsistit, quod a veteribus dissectionis proceribus νευρχονδρώδες σύνδεσμον appellatum est, cuius interuentu vertebrarum corpora colligantur. Sed & aliis adhuc ligamentis vertebrarum corpora committuntur. Per totam enim dorsi longitudinem validissima ligamenta toti vertebrarum corporum ambitui obuoluuntur, quæ etsi vndique crassa spissa, & robusta, sed mucoso interim humore oblita sunt, attamen in anteriori corporis sede ad vtrunque latus, ob sui crassitiem conspectiora euadunt. Hæc quidem obstaculo sunt, ne in extensione dorsum nimium porrigatur incurueturue. ¶ Si enim dorsum plurimum reflecteretur, gulæ, arteriæ magnæ, & cauæ venæ fuisset summe noxium, plerunque enim hæc extensa frangerentur. Et si plus satis laxa, & ad extendendum prompta hæc Natura creasset, in dorsi flexu in se complicarentur. Est itaque ligamentum hoc, si vnius nomine omnia complecti velis, ita in duritie temperatum, & suo mucore imbutum, vt tantum extendi dorsum permittat, quantũ homini sit ex vsu, & vt toto simul vertebras colliget, & spinam ex tot ossibus conformatam vnius corporis modo efformet. ¶ Rursus ex singulis transuersis processibus in singulos, membraneum ligamentum tota interualli amplitudine porrigitur. ¶ Sic etiam in spinarum interuallis, ab vna spina ad alteram, membranea ligamenta continentur, spinas inuicem colligantia. At in vertebrarum apicibus hæ membranæ adeo crassescunt, vt ad apicem simul coeuntes quasi toti dorsi spinæ ligamentum constituant, cartilaginis etiam Naturæ compos. Deinde vbi ascendẽtes vertebrarum processus descendentibus coarticulantur, membranea quoque ligamenta articulum vndique ambiunt. C D

Galenus li. 12. de vsu par. c. 15. ligamenta aliis sedib. quã ad corpora vertebrarum posita. Vesalius ibid.

At priuatim quoddam, idque subflauum ligamentum, omnibus corporis ligamentis si non robustius, profecto saltem non inualidius, inter singulas vertebras habetur. Ex interna enim sede foraminis vertebræ quod spinali medullæ exsculptum est, ad radicem spinæ posterioris ue vertebræ processus inter duos ascendentes, aut descendentes processus ligamentum exoritur, quod semper in subsequentis vertebræ eandem inseritur sedem. E

De musculis brachium mouentibus. Cap. XVIII.

Brachii motus quot. Vesalius li. 2. cap. 23. Primus brachium mouentium.

BRachium antrorsum ad pectus, & retrorsum versus dorsum, & sursum ad ceruicem caputq;, & deorsum ad thoracis latera mouetur: & præter hos motus quodamodo in gyrum quoq; agitur. Ad hos itaq; obeundos motus septem Natura creauit musculos. ¶ Horum primus a media claiculæ sede pectoris ossis proxima, & pectoris ossis latitudine, & ipsi insertis cartilaginibus, deinde quoq; ex septimæ & octauæ costæ cartilaginibus enascitur, ac quodammodo in angulum arctatur. ¶ Principii pars a clauicula procedens omnino carnosa apparet, quæ vero ex pectoris ossis secundum dextrum sinistrumq; medio ꝓnascitur, alteriusq; lateris musculi initio cõtigua est, neruosior, membranosiorq;, & minus crassa visitur. Quæ vero ex ossis pectoris latere, ipsique innarticulatis cartilaginibus enascit, penitus iam carnosa exsistit. Quæ vero priuatim ex septimæ F

octauæq;

A octauæque costarum cartilaginibus iuxta mucronatam cartilaginem exoritur, membranea, & tenuis aliquousq; conspicitur. Ex iis principiis prodiens, & paulatim crassior redditus, sensim arctatur, atque in acutum tantisper procedit, quousque amplo & nerueo, admodumque robusto, sed breui tendine, humero seu brachii ossi secundum ipsius longitudinem inseratur. Fit vero tendinis huius insertio subter humeri capitis ceruicem, in interiore ipsius regione, nonnihil interim in priora vergens. Huius musculi fibræ inuicem variant, & paulo ante tendinis productionem, adhuc in carnea musculi parte, deinde & secundum totam tendinis amplitudinem ad X. literæ similitudinẽ sese decussatim intersecant. Hic certe musculus aliis atque aliis pectoris regionibus brachium admouet. Si enim superioris ipsius fibræ a clauicula, & superiori pectoris ossis sede
B eductæ contrahantur, versus pectoris superiora, & clauiculam brachium adducitur. Si vero inferioris fibræ tendantur, humilioris brachii ad pectus adductionis fit opifex. Siquidem ad mucronatam cartilaginem, & spurias costas brachium allicietur. Sin vtræque laborauerint fibræ in neutram partem brachium inclinans pectori adigent. ¶ *Ceterum* quum hic musculus amplum, atque ex variis natum ossibus principium obtineat, & fibras sese intersecantes, contrariaque serie ductas, & adhæc motus etiam differentes adipiscatur, nihil obstat, ipsum geminum pronuntiare, ac duorum loco cum aliquot anatomicis enumerare, quanquam vnius duntaxat vice nobis recenseatur. Et præter hunc musculum nullus alius brachium pectori admouet. Nam quem Galenus inter brachii musculos primum enumerat, & brachium ad pectus adducere scribit, in simia
C abundat, atqui in homine neutiquam reperitur. ¶ *Secundus brachium mouens musculus* ex medio clauiculæ parte secundum ipsius longitudinem, quæ scapulam spectat, musculo pectori adducenti brachium contiguus, & dein, ex summo humero vbi is clauiculæ committitur, & tota quoque scapulæ spinæ regione principium nerueum sumit, quod vix bene pronatum ilico carnosum, crassumque admodum, & extuberans efficitur. Mox a principio carnosus permanens sensim in angustum, tanquam in trianguli verticem tantisper porrigitur, donec humero tendine amplo, & ex carne neruosaq; substantia misto robustoq; ad humeri ossis latitudinem non medice sub ipsius ceruice implantetur. Totus quidem hic musculus, si quis illum obiter intueatur, trianguli imaginem præ se fert, ac proinde a Δ similitudine Græcis, Δελτοειδὴς est appellatus. Quem-
D admodum etiam ob id quod humeri, brachiiue ad scapulam articulo, quem ὦμον Græci nominant, insternitur, illumque quodammodo tegit, Ἐπωμὶς idem musculus a dissectionum peritis vocatur. Hic brachium ad superiora attollit. Si enim musculi pars quæ a clauicula principium ducit tensa fuerit, brachium sursum ad anteriora colli, & faciem attolletur. Si vero fibræ a summo humero, & clauiculæ sede ipsi commissa originem ducentes contrahantur, brachium recta, & in neutram partem vergens assurget. Atsi posterior musculi pars, ex scapulæ spina prodiens in se colligatur, ad posteriora ceruicis, ipsumque occiput brachium agetur. ¶ *Tertius* carneo principio ex inferiori scapulæ costa prodit, ex medio enim costæ illius longitudine, basi scapulæ propinqua, & ab externa gibbaue humilioris basi eius anguli sede, continua, carnosa-
E que origine pronascitur. Ad medium igitur longitudinis inferioris costæ, a scapulæ osse hic musculus secedit, & modice sursum in priora tensus humerum accedens, in validum breuemque, sed latum tendinem cessat. Is musculus brachium recta ad dorsum agens, contrario munere illius musculi fungitur, qui omnibus suis contractis fibris brachium pectori admouet. ¶ *Quartus* magnus quidem est, admodumque latus musculus, qui a spinarum apicibus, quæ a sexta thoracis vertebræ spina ad ossis sacri vsque medium habentur principium sumit. Quod vbi musculos dorsum mouentes perreptauit, eamque costarum regionem contingit, quæ maxime in dorso, versus posteriora extuberat, carnosum, densumque efficitur, & vniuersus musculus ad eum modum auctus in angustum tantisper procedit, donec tendinem latum, validum, sed breuem
F humero, inibi vbi tres commemorati musculi insertionem longe sub ossis capite scapulæ articulato moliuntur, inserat. ¶ Hic musculus itidem triangularis est, sed plane inæqualibus conformatur costis, ac duas quidem longissimas habet, vnam quæ secundum dorsi longitudinem porrigitur: alteram quæ ab osse sacro per ilia, & inferiorem thoracis partem, sursum ad tendinis insertionẽ cõscendit. Tertia costa a sexta tho-

Lib. 5. anat. administ. & libr. 13. de vsu par. cap. 3.

Secundus. Vesalius ibidem.

Δελτοειδὴς.

Ἐπωμὶς.

Tertius.

Quartus.

racis vertebræ spina super angulum scapulæ, quem basis humilior pars ostendit, ad insertionem tẽdinis vehitur. ¶ Atq; hæc transuersim quodammodo repens, reliquis duabus costis multo breuior est. Musculus iste motus brachii deorsum opifex est, nõ quidẽ id simplici motu, sed cõposito, pro fibrarũ varietate, præstans. Quippe prout superiores fibræ, aut inferiores in se colligunt, contrahũturue: ita quoq; deorsum, nũc ad superiora, nunc ad inferiora, brachiũ versus dorsum deprimitur. ¶ Ceterũ inferior primi musculi brachiũ adducentis ad pectus pars, & inferiores fibræ præsentis quarti deprimentis brachium, axillæ cauitatẽ efformant. Atq; has duas partes Hippocrates *in lib. de articulis* tendinũ nomine nuncupauit, quemadmodũ & veteres, qui ẽt tendines vocarũt musculos occipitis ossi connexos, ac in medio foueam efformantes. ¶ *Quintus* vniuersum scapulæ sinũ, qui inter superiorẽ scapulæ costam, & ipsius spinam, seu magni illius processus radicem, visitur, occupat. Procedit n. a scapulę basi, & omnino carnosus totam scapulę cauitatem implet, ossi semper valide ac si ab ipso toto processu pronasceretur, connatus. Quum vero ad superiorẽ ceruicis scapulæ sedẽ pertingit, sub ligamẽto validissimo, summum humerum interiori scapulæ processui, qui anchoræ assimilat, colligante, in anteriora cõtendit, & in amplũ validumq; cessans tendinem, articulum humeri ad scapulam superat, eius articuli ligamento pertinacissime, obliqua quodammodo insertione implantatus. Estq; hic musculus oblongus, & exterius gibbus, intus aũt illi respondet cauitati, quam implet: deinde fibras secũdum sui longitudinem exporrectas habet, q̃ si brachium attollentis musculi secundiue fibris conferantur, transuersæ prorsus existunt. ¶ *Sextus* admodum est carnosus, ac concauam internamq; scapulæ sedem opplet, ex basi totius scapulæ carneam originem deducens, & in trianguli verticem, ad scapulæ formam tantisper arctatus, dum in interiorem articuli regionem pertingat: cui amplo tendine, quasi in semicirculũ implãtatur. Huius musculi superius latus quinto musculo admodum continuũ existit, adeo sane vt nisi diligenter animũ adhibueris, vterq; vnus tibi esse appareat. ¶ *Septimus* vniuersum scapulæ gibbum, q̃ sub ipsius spina habet implet. Carnosus enim ex scapulæ basi exoritur, deinde arctior ad scapulæ formam redditus, tandem articuli ligamẽto tendine amplo & breui inseritur. ¶ Porro hi tres musculi amplis insertionibus in ligamenta humeri articulum ambientia implantãtur, ita vt horum tendines in orbem quasi vniuersum articuli ligamentum amplexentur. Brachii autem circumactus opifices sunt, quamuis sextus ad brachii eleuationem aliquid auxiliari videatur. Hi igitur septem sunt musculi brachium mouentes, quibus si alterius lateris septem coniunxeris, numero erunt quatuordecim.

Axillarũ cauitas, seu vallũ. Quintus. Sextus. Septimus.

A B C D

De ligamentis humeri ad scapulam articuli. Cap. XIX.

QVÆ humerum in scapulæ acetabulum connectũt robusta ligamenta, præter commune omnes articulos instar membranæ, nunc tenuioris, nunc crassioris ambiens vinculum, tria sunt. Quod amplũ & membranosum est, omnibusq; articulis cõe orbiculatim ex superciliis ceruicis scapulæ principium assumit, ac totum articulũ ambiens, in radicẽ interni capitis humeri q̃ articulationis gratia creatũ est, primum inseritur: & deinde totius exterioris capitis, quod insertionis ligamentorũ caussa factum est, amplitudini, ac vtriusq; ceruici implãtatur. ¶ Aliorũ vero trium, duo quidem ad amussim instar neruorũ rotunda visuntur, tertiũ vero nonnihil amplũ. ¶ Enascitur aũt primum ex apice interioris processus scapulæ, & hinc procedens, internis anterioribusq; partibus exterioris humeri capitis circumtẽditur, validissime huius capitis sedis impressioni adnatum. ¶ Alterum vero, quod crassius maiusq; isto est, ex ceruicis scapulæ superiori parte, vbi summo humero submittitur, ortũ ducit, & interius humeri caput superans, inseritur toti illi exterioris capitis regioni, quæ ad externum latus eius sinus extuberat, qui exterius caput musculi, cubitum flectentiũ, anterioris viam præbet. Huius ligamẽti anterius latus, posteriori primi ligamenti connascitur lateri, ac simul ambo velut transuersum ligamẽtum efformant, caput eius musculi in suum sinũ seruans. ¶ Reliquũ vero tertium, ex eadem cũ secundo regione principium nanciscitur, ac oblique hinc porrectum inseritur, in totam posteriorem exterioris capitis humeri sedem, adeo vt præsens ligamentum posteriorem articuli ambiat insertionem. ¶ Ceterũ præter hæc tria, quæ præcipue humerum, ne deorsum, extrorsumq; ab acetabulo scapulæ labatur continent, aliud est adhuc ligamentum, humerum sursum & in anteriora, ad mediam nimirum inter summum

Vesa. libr. 2. cap. 25. Reliquis articulis cõmune. Gal lib. 13. de vsu par. cap. 12. Tria propria. Primum. Secundũ. Tertium.

E F

A mum humerum, & interiorem scapulæ processum sedem luxari prohibens: quod similiter validum, ab interiori quoque processu scapulæ, sursum oblique ad summum humerum porrigitur, articulum humeri cum scapula nusquam contingens.

De musculis scapulam mouentibus. CAP. XX.

SCapula iisdem cum brachio agitur motibus, si illum tantum exceperis, quo brachiũ circumuertitur. Mouentes autem hanc musculi numero quatuor sunt. ¶ *Primus* ex secunda, tertia, quarta, quinta, & interdum sexta, superioribus thoracis costis, paulo antequã in cartilagines finiant, enascitur. Hinc ad exteriora porrectus angustior, sed crassior efficitur, quousq; ad humeri cum scapula articulum in latum nerueumq; tendinem, B carne mistum cesset, quo trianguli modo in internum scapulę processum anchorę imaginem referentem inseritur. Huius musculi fibræ sese non decussatim intersecant. Si vtiq; altiores eius fibræ contrahantur, elatius scapulam pectori admouent. Inferiorib. vero in se cõtractis, versus pectus demissius scapula adigitur. At totius musculi fibris vna laborantibus, scapula in neutram partẽ declinans, pectori adducitur. ¶ *Secundus* rarã præter ceteros corporis musculos figuram sortitur. Ab occipitio transuersa linea, q̃ ab eius ossis medio, versus auris porrigitur radicem, pronascitur, & dein secundum ceruicis lõgitudinem ad octauæ vsq; thoracis vertebræ spinam a vertebrarũ spinarum apicib. principium sumẽs, in scapulæ spinam, summumq; humerũ, & claiculæ portionem eius nimirũ latiorẽ partem, inseritur. Hic tota sua parte, q̃ in ceruice consistit scapulam sursum C trahit, ea vero quæ sub ceruice in posteriore thoracis sede habetur, monachorumq; cucullis respondet, scapulam deorsum vellit. ¶ *Tertius* validus a transuersis primæ, secũdæ, tertiæ, quartæ, & quintæ ceruicis vertebrarũ processib. exoritur, quasi disiunctis constaret principiis, vno nimirum, q̧ primæ ceruicis vertebræ debetur, altero autem, q̧ tribus secundæ vertebræ proxime subiectis asscribitur. Quanquam ẽt interdum a transuerso secũdę quoq; vertebræ processu musculus hic, sed parua origine nasci visus sit. Principia hęc simulatq; ex reliquis ceruicis vertebras amplexantibus musculis emergunt, vna coeunt, & validũ efformant musculum nonnihil latiorem, q̃ profundiorem, qui lata, sed carnea in insertione in internam superioris anguli scapulæ basis sedẽ inseritur. Hic quidẽ scapulã sursum versus anteriora ceruicisq; latera trahit. ¶ *Quartus* amplus & tenuis, D sed omni ex parte carneus visitur, qui a quintæ, sextæ, & septimæ ceruicis vertebrarũ, ac trium primarum thoracis vertebrarum spinis principium ducens, toti propemodũ scapulæ basi carneus, & æque vt in exortu latus inseritur fibras obtinens non prorsus transuersas, at nonnihil oblique a dorso deorsum ad scapulæ basim ductas. Quadrilateris est hic musculus, & scapulam retrorsum ad dorsi spinam, versus superiora nonnihil agit.

Vel.lib. 2. cap. 26.

Primus scapulam mouentium.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

De musculis thoracem mouentibus. CAP. XXI.

THoracis siue respirationis motus minime est naturalis, sed voluntarius, ideoq; musculis perficitur, qui in hominibus, extra abdominis musculos, de quib. sequẽti agemus capite, octoginta vnus, vtrinq. scilicet quadraginta, & vnus vtriq; lateri communis. ¶ *Primus* qui breuis est, sed amplus ac tenuis, ac omnino carneus, ex inferiori interioriq; E clauiculę regione, secundum ipsius longitudinẽ, qua primam respicit costam, exoritur, principiũ carnosum obtinens, & carnoso quoq; termino primæ costæ, qua pectoris ossi cõmittitur, anteriori parte inseritur. Fibras sortitur impense obliquas, propemodumq; trãsuersas, quæ a clauicula antrorsum procedentes, supremæ thoracis costæ & nonnihil pectoris ossi, qua eius costæ cartilaginem excipit, implantatur. Huius ope prima costa sursum versus exteriora retrahitur, hacque ratione ibidem thorax dilatatur. ¶ *Secundus* musculus grandis est, carnoso principio ex tota scapulæ basi interiori in parte pronatus; hinc carnosus perpetuo procedens, admodũ latescit, tenuior tantisper redditus, donec primæ, secũdæ, tertiæ, quartæ, quintæ, sextæ, septimæ, & octauæ, aliquãdo, & nonæ thoracis costis, tanquã digitis quibusdam lõgis antea q̃ in cartilaginẽ degenerent, inseritur. F Huius musculi fibræ, si qñ ad suum principiũ tendant, versus exteriora vellũt thoracem dilatantes. ¶ *Tertius* ex trium inferiorũ ceruicis vertebrarũ, ac primæ thoracis vertebræ spinis, membraneum latumq; principium ducit. Dein vbi primam thoracis costã contingit, in latera sensim oblique ductus, ternis veluti digitis, tribus quatuor superiorum costarum interuallis sub scapulæ basi inseritur, quas sursum oblique ducẽs, thoracẽ di-

Thoracis motus voluntarius. Gal. lib. 2. de motu muscul.

Primus thoracem mouens.

Secundus.

Tertius.

Quartus.

stendit. ¶ *Quartus* ex posteriore ossis sacri regione, & interiore ilium ossis sede incipit, A
sursumq; ad ceruicem ductus, tam pertinaciter toto per lumbos ductu vndecimo dorsum mouenti musculo cõmistus connatusq;, vt merito ipsius pars censeri queat. Quum primum vero vterq; duodecimam thoracis respicit vertebram, costis qua primũ a vertebris discedunt, inseritur. Infimas thoracis costas, & omnes reliquas deorsum trahit, easque comprimit, ac deniq; thoracem arctat. ¶ *Quintus* in posteriori thoracis sede, secũdum inferiora collocatur, ex spinarum apicibus duarum infimarum thoracis, & aliquot etiam primarum lumborum vertebrarum spinis, membraneus, latusq; enascitur. Principiũ hoc musculis dorsum agẽtibus, & quarto thoracis substernitur, transuersum recta in priora porrectum. Vbi hos musculos transcendit, costarumq; ossibus cõmittitur, statim carneis adaugetur fibris, & tandem velut in aliquot diuisus digitos, nonæ, decimæ, B
& vndecimæ, & duodecimæ costarum interuallis, ipsisq; costis vbi in interiora reflectũtur, & multo ante, q̃ in cartilaginem cessant, sese inserit. Musculus iste retractionis earũ, quibus inseritur, costarum opifex est, vnde etiam thoracem dilatantium numero merito adscribitur. ¶ *Sextus* in thoracis cauitate repositus, per vniuersum pectoris ossis latus, sub tota verarum costarũ cartilaginum regione exporrigitur, propemodum costarum os, exteriori ipsius latere cõtingens. Est autem musculus iste triangularis, ex duob. longissimis lateribus, & vno breui constructus, & tenuis, omniq; ex parte carnosus. Thoracem arctat & cõstringit, costarũ cartilagines inuicem colligans. ¶ Supersunt adhuc intercostales dicti musculi, qui in duodecim costarũ interuallis vtrinq; duo & viginti sunt. In singulis enim costarum interuallis, quę vndecim in altero latere sunt, bini producuntur musculi, vnde & intercostalium musculorum nomen mutuati sunt. Horum quidem C
alii exteriores, alii vero interiores sunt. ¶ Exteriores in singulis costarum interuallis, simulatq; costa a transuerso vertebrarum processu, in anteriora oblique prorepit, principium obtinent, ac fibris constant ex superiori costa, in inferiorem oblique in priora deorsum proreptantibus. Hunc fibrarum ductum per vniuersa spuriarum costarum interualla, tam quæ inter ossa, q̃ quæ inter cartilagines consistunt, exteriores illi musculi seruant, & verarum costarũ partem qua in cartilaginem finiunt, eam quoq; retinent. Vbi autem verarũ costarum ossa in cartilaginẽ degenerant, mox fibrarum ductus variat. Ab inferioris namq; costæ cartilagine sursum in priora oblique versus superioris costæ cartilaginem fibræ inibi procedunt, donec in hac parte exterior musculus pectoris ossi cõmittitur. Externis iis intercostalibus musculis id priuatim accidit, q̃ longe magis neruosi, excarnesq; visuntur in ea costarum sede, quæ a vertebris primũ abscedit, q̃ per reliquam interualli lõgitudinem. Deinde non solũ ab inferiori sede superioris costæ, in superiorem humilioris costæ sedem ducuntur, verum ẽt ab externa superioris costæ incipiunt sede, & in externam inferioris inseruntur. ¶ Internorum intercostalium musculorum fibræ, prædictis contrarium obtinent situm, & exteriores ad X literæ similitudinem intersecant. Hi enim qua vertebrarum corporibus proximi sunt, ex inferioris cõstæ superiori sede, ad superioris costę inferiorem sedem fibras oblique in priora protensas mittunt. Hãc fibrarũ seriem interiores musculi per singula spuriarum costarũ interualla retinent, & in verarum quoq; interuallis, ad eam vsq; costarũ sedem, vbi in cartilaginem degenerant. Ibidem illico ac interni eo deuenerint fibrarũ ductum emutant. Nam a superioris costæ cartilagine in inferioris, fibræ in priora deorsum oblique protẽduntur. Quod si itaq; istum fibrarum ductum respicias, in sex legitimarum costarũ interuallis quaterni sunt musculi, adeoq; priori numero duodecim accedunt. Quod animaduertentes Arabes, vt *Auicenna*, in singulis interuallis nõ duos, sed quatuor esse musculos, veterum quorundam anatomicorum modo tradiderunt. Quanquam de sex tantum verarũ costarum interuallis id vere affirmant. ¶ In spuriarum n. costarum interuallis bini tantũ musculi numerari possunt. Quapropter vnius lateris intercostales musculi hac ratione quatuor & triginta, ad vnum omnes arctando, & *de Galeni sententia*, laxando thoraci præfecti. Atq; numeratis hactenus in vno latere thoracis quadraginta musculis, F
alii totidem in altero latere congruunt, vt sint in vniuersum octoginta. ¶ His vnus vtrique lateri communis accedit, quem Græci φρένας, & διάφραγμα, & ἄνω κοιλίαν, Latini vero *Septum transuersum*, Plinius, & illum sequentes nonnulli alii præcordia vocant. Hic quidem neque situ, neque forma vlli totius corporis musculo respondet, siquidem amplus, & or-

Quintus.

Sextus.

Intercostales musculi vtrinque viginti duo.

Exteriores intercostales.

Interiores intercostales.

Gal. lib. 5. anat. ad- mini.

Fen. 1. primi doct. 5. summa 2. cap. 16.

In libello de caussis respiration. s.

Musculus vtriq; lateri communis, seu septũ transuersum.

A & orbicularis est, & in ipsius medio caput suum, principiumue gerit. Hic enim ad amplam latitudinem exquisite membraneum exsistit, ex quo fibræ instar linearum ex centro ad circuli circumferentiam excurrunt, iis quibus septum inseritur partibus exporrectæ. Hæ carne simplici adauctæ, reliquam musculi partem carnosam efficiunt, quæ paulatim in progressu densior, carnosiorq; pro fibrarum ductus longitudine redditur. ¶ Infimæ pectoris ossis, & spuriarum costarum cartilaginibus, & vertebris lumborum excarnibus inseritur. Est autem in medio (*vt comprehensum est*) nerueum in circuitu vero ad insertionẽ carneum, vt sanguificationi, nutritioniue, ac generationi subseruientia organa a cordis & partium ipsi subministrantium sede dirimat, thoracemq; proprio munere dilatet. ¶ Vniuersum itaque septum transuersum paulo minus toto orbiculare

Insertio septi trāsuersi.

B est, situm vero obliquum habet. Nam a pectoris osse per spuriarum costarum extrema ad lumborum vertebras excarnes (vt dictum est) protenditur, situmque ob id a prioribus deorsum ad posteriora vergentem obtinet. ¶ Quinetiam duos sortitur circulos, vnum membraneum, qui caput ipsius putatur, alterum hunc succingentem, qui carneus est. Verum quemadmodum hic semper quo costis propinquius accedit carnosior efficitur: ita ille quo septi centro vicinior est, membranosior euadit, non tamen ambo exacti circuli imaginem referunt, sed talem, qualem quis latum esse diceret, & vna parte in acutum angulum cessare. Membraneus enim sursum, atq; in anteriora acutum porrigit angulum, carneus autem deorsum. ¶ Ceterum vniuersum septi transuersi corpus duabus vestitur membranis, quas Galenus *indúmenta* nominat, totam inferiorem ipsius

Septi figura. Galenus lib. 13. de vsu partiũ cap. 5. Septi circuli. Septi mẽbranæ.

C amplitudinem, qua nutritionis organa spectat, peritonæum succingit. Superior vero vniuersa latitudo cor pulmonemque respiciens, tunica costas succingente obducitur. ¶ Quinetiam contra aliorum musculorum fere omnium naturam septum transuersum natura tribus foraminibus est peruium. ¶ Vnum, vbi ab inuicem deducuntur ligamentorum aut tendinum principia, quæ arteriam transmittunt, & finem venæ paris carentis, quæ costas enutrit, & ramos deinde sexti paris neruorum cerebri, qui ad costarum radices, sub membrana costas succingente propagantur, ac postea iecori, lieni, renibus, intestinis & omento numerosa serie inseruntur, Galenus iis vertebras adnumerauit, quanquam improprie admodum vertebris septum præbere viam videatur. Imo vix apposite via qua arteria fertur foraminis nomine donatur, quum hæc potius semicircu-

Septi foramina. Primum.

D lum in septi transuersi circumferentia exsculptum, quam foramen referat, septumque vertebratum corporum superiori seu anteriori parti, non autem lateribus committatur. ¶ *Secundum foramen* ad septi transuersi medium est, versus dextrum tamen consistit, & venæ cauæ in thoracem reptanti exstructum, cuius corpori septum firmissime membranarum ipsi obnatarum beneficio connascitur. ¶ *Tertium* foramen paulo inferius, quam media septi sedes est, ad sinistrum latus modice vergens habetur, quo gula, & sexti neruorum paris rami, ad ventriculi osculum dimittuntur. ¶ *Septum* transuersum inter musculos thoracem mouentes ad respirationem, & ad propellenda ventris excrementa in primis conducit. Non autem nisi naturalis inspirationis & exspirationis auctor septum transuersum est. Abunde enim ipso contracto, tensoue thorax dilatatur, inspira-

Secũdum. Tertium. Septi vsus.

E tioq; perficitur. Rursus vbi laxatur, thorax sua grauitate promte concidit, exspiratioque fit. Naturalem vero vocamus respirationem, quæ non est violenta, quæque nulla fit, nisi naturali vrgente necessitate. Quæ vero vehemens, ac violenta, huicque contraria est, Græcis ἐκφύσημα, Latinis *efflatio* dicitur. ¶ Naturalis itaque respiratio citra intercostalium musculorum opem perficitur. At si aut cordis caloris qualitas increscat, aut ad vocem, aliudue munus maiori indigueris aere, mox primus, secundus, tertius & quintus, & interiores, intercostales musculi vtrinque cum septo operabuntur. Si vero maioris exspirationis efflationisue ad vocem, clamores, tibias ac tubas, & id genus instrumenta inflanda necessitas ingruerit, exteriores intercostalium musculi agent.

Naturalis respiratio. Efflatio. Galenus in libello de caussis respira. & de motu musculorum.

De musculis abdominis. Cap. XXII.

F MVsculi abdominis, quod Græcis ἐπιγάστριον dicitur, octo, vtrinque nimirum quatuor, exsistunt, quatuor quidem obliqui, duo recti, & totidem transuersi. ¶ Obliqui in vtroque latere bini sunt, qui inuicem incumbunt, & contrarias, seque mutuo decussatim, seu ad similitudinẽ X Græcæ literæ intersecantes fibras obtinẽt. Superiores n. fibræ deorsum versus priora oblique procedunt, quę huius fibrarũ ductus gratia descendentẽ

Numerus. Gal. lib. 5. anato. admin. & lib. 5 de vsu part. cap. 14. & de la- b.. l.cis cap 6.

Obliqui. Descendentes. Ascendẽtes. Recti. Transuersi. Oblique descendentis ortus. Vesalius libr. 2. c. 31.

vulgo nominant. Inferiores vero fibræ, sursum oblique ad anteriora tendunt, qui ob id ascendens vocatur. ¶ Rectorum ab vtroq; latere vnicus est, qui quum fibras secundum corporis longitudinem extensas habeat, rectus appellatur. ¶ *Transuersus* similiter vtrinque vnus est, cui id nomen, quod eius fibræ secundum corporis latitudinem, aut a dextris, ad sinistra, nullo obliquo ductu ferantur, inditum est. ¶ *Oblique descendens* ceteris abdominis musculis superstratus est, & ex sexta, septima, octaua, & nona costis, priusquam in cartilaginem finiant, carnosum principiũ sumit, prope musculum qui ex scapulæ basi pronatus octo elatioribus thoracis costis inseritur, secundusq; est eorum qui thoracem mouet. Ille enim musculus costis quasi digitos singulos porrigẽdo inseritur, ex quorum interuallis prominentiores oblique descendentis musculi partes digitorum ritu enascuntur, non secus quam si sinistræ manus interuallis, dextræ manus digitos inseras, & musculum thoracis motibus famulantem sinistræ manui, dextræ vero oblique descendentem assimilares. ¶ Verum musculus sensim carnosior, crassiorq; euadens, deorsum in priora fertur, ilia, quæ quasi inania inter ilium os & infimam costam, κενεῶνας, & λαγόνας Græci appellant, carnosa ipsius parte amplectens, quousq; ad ilium os prorepserit, cuius summitati secundum totũ ipsius appendicis spinæue ductum carneus inseritur. ¶ Quũ vero carnosa ipsius pars ex ilium regione ad anteriora, mediaque secundum abdominis longitudinem properat, in neruosam exilitatem membranæ quam similimam degenerat, quæ sextæ & septimæ cartilaginibus, & pectoris ossis mucroni, & rectis musculis expanditur, firmissimeque superioris ossis coxendicis, & pubis regioni implantatur, tota illa nimirum sede, quę ab ilium ossis appendice, seu spinæ anteriori parte, ad pubis vsque ossium cartilaginem protenditur. ¶ *Obliquus* huic substratus ex superiori ossis ilium regione pronascitur, ac simul tenuem membraneamq; originem a lumborum vertebrarum, & ossis sacri spinis assumit, quæ in musculi progressu, carnosis fibris tandem adaugetur. Musculus iste sursum tendens, ilia carnosa sui parte integit, & quatuor inferiorum costarum, quas spurias vocant, finibus carnosus & hic quoque inseritur. Vbi autem abdominis priora & medium conscendit, in neruosam desinit exilitatem, quæ inter rectum musculum, qui ipsi subiicitur, & oblique descendentis membraneum tendinem media intercedit, pubisq; ossi, & mucronatæ pectoris ossis cartilagini inseritur, per reliquam vero abdominis longitudinem cum alterius lateris oblique ascendentis musculi tendine sic vnitur, vt ex vtriusque lateris musculo, simul quoq; toti abdomini tegumentum quodammodo efficiatur. ¶ Sub obliquorum neruosis tenuitatibus recti musculi reconduntur, singulique ex media ossis pubis regione duplici quodammodo principio nati, vno quidem superiori interioriq;, altero inferiori atque exteriori, non quod hæc principia, singulis musculis disiuncta incontinuaue sint, sed ipsa musculi origo, diuersam substantiam ad hunc modum exprimit. Superior principii pars introrsum nonnihil vergens, exquisite carnea est, ac ex lato in angustum desinens. Inferius vero, quod & extrorsum paulo magis prominet, neruosum est, carnis omnino expers, verũ sursum porrectum sensim dilatescit, totumq; rectum musculum producere conspicitur. ¶ Recti itaque musculi, duobus eiusmodi principiis singuli ex pubis osse nati inuicem contigui sunt, recta sursum porrecti, donec ad vmbilicum peruenerint, ibidem n. nonnihil mutuo distantes, modiceq, ampliores facti, ad pectus vsq; feruntur, cui supra mucronatam cartilaginem, ad ossis pectoris latera, illiq; connexas cartilagines, lati carnosiq; implantãtur. Musculi hi non vno fibrarũ ductu secundũ totam lõgitudinẽ ferri videntˀ, sed singuli in abdominis regione diuersa delineamenta seu inscriptiones, Græci περιγραφὰς vocant, transuersim, & incurua albaq; linea, ipsis inductas exprimunt, non sane aliter, q̃ si rectorum singuli pluriũ numero essent habendi. Non n. recta ab osse pubis ad pectus fibræ nusquam inclinantes feruntur, sed ad nũc dictas circumscriptiones, impressionesue nonnihil implicatę obliquantur, atq; ex aliis aliæ produci quodammodo apparent. Istarum impressionum duæ plurimũ supra vmbilicũ consistunt, & interdũ vna sub vmbilico, aliquando ẽt tres supra vmbilicũ. ¶ Distinguuntur aũt recti musculi linea candidiore, quæ a mucronata cartilagine per medium vmbilicũ vsq; ad pubem apparet. Hæc aũt merito ambientibus candidior videtur, q̃ illi nulla subsit caro. ¶ Omnib. nunc cõmemoratis musculis transuersi subsunt, vtrinq; vnus, qui ex transuersis lumborũ vertebrarũ processib. tenui, membraneoq; principio enascitˀ, deinde in progressu ex dorsum mouen-

Ilia. Κενεῶνες. Λαγόνες.

Oblique ascendentis ortus.

Recti musculi origo

Candidior linea. Transuersi musculi ortus.

A movẽtibus emergens musculis, & carnosis adauctus fibris, superiori ilium ossis regioni, & spuriarum costarum finibus exacte carneus connascitur, carnosa ipsius parte vniuersa inuestiens ilia. Vbi vero versus abdominis medium ad exteriora rectorum musculorum latera vsq; prorepsit, in neruosam exilitatem finit, quæ pubis ossi & mucronatæ cartilagini implantatur. ¶ Per reliquam inter hæc extrema longitudinem, iste mẽbranosus tendo, neruosæ exilitati alterius transuersi musculi continuatur, ac simul ambo tunicæ instar vniuersum abdomen circumcingunt. His quidem musculis Peritonæum membrana subnascitur, de qua *lib. 3. cap. 2.* agemus, cui certe transuersi musculi adeo connascuntur, vt difficile sit illos ab hac in homine illaceros liberare. ¶ Octo abdominis musculi præter communem omnium musculorum vsum, quo corpori calefaciẽdo auxiliantur, & propugnacula ac munimẽta quædam sunt partiũ subiectarum, primario vsu thoracis motibus præsunt. Obliqui enim descendentes si tendantur, admodum humiliorem thoracis sedem comprimentes, thoracem arctant. Recti vero cum oblique ascendentibus costas deorsum trahunt, thoracemq; non parum cõstringunt. ¶ *Trãsuersi* autem costas intro adducentes, ad arctandum thoracem faciũt. Deinde homini ad durorum excrementorum expulsionẽ aptissime subseruiunt. Quãdo n. omnes simul tensi laborarunt, septo transuerso interim ex spiritus retentione depresso, ita intestina simul cõprimunt, vt ex angusto loco in ampliorem, qui inferior est, fæces ꝓtrudãt, expellãtq; & rursus ad ventriculum superiorave illas deferri præcauent haud secus, quam si duabus C ad brachiale tantum iunctis manibus, & semper magis magisq; sensim ad extremam vsque digitorum aciem distantibus, madentem spongiam imponeres, & manibus paulatim coeuntibus, aquam exprimere niteteris. Abutitur etiam iis Natura ad magnæ efflationis, & vocis generationem. Denique ad partum edendum, fœtumq; propellendum conferunt, atq; ad spiritus cohibitionem.

Peritonæũ.

Abdominis musculorũ vsus. Galenus li. 5. de vsu partium, cap. 14.

B

De musculis cubitum flectentibus, & extendentibus. Cap. XXIII.

MVsculi cubitum flectentes duo sunt, quorum vnus & anterior, duobus validissimis & mutuo distantibus principiis exoritur: vnum quidem exacte nerueum, & ad amussim teres, ab elatiori parte ceruicis scapulæ, seu ex superiori ipsius acetabuli supercilii sede, enascitur. Alterum a radice interioris processus scapulę, qui anchorę cõparat̃, duplex quodammodo exorit̃, non quidem disiunctum, sed duplicem substantiæ speciẽ exprimens, & dicto iam principio multo latius. Principii n. pars ab apice processus initium ducens, exquisite, vt exterius musculi principiũ, nervea est, & crassa, & propemodum teres. Pars autem huic continua, ac ex reliqua processus sede prodiens, carnea, lataq; visitur. Neutrum istorum principiorum statim ab exortu deorsum tẽdens, humeri ossi adnascit̃. Verum aliquantulo sub humeri capitis ceruice, vbi ambo inuicem coitura vnum efformare musculũ incipiunt, carnosa pars interioris principii ab interno scapulę processu enata, humeri ossi lata & vtcunq; carnea insertione adnascitur. Postquam vero hic anterior cubitum flectentium musculus, ex duobus illis efformatus principiis, hanc insertionem in humerum molitus est, ab humero iam abscedens, & ad amussim teretis carnosiq; musculi effigiẽ, ante resectionem in macilentiorib. conspicuam prę se ferens, alium conscendit musculum, ipsi toto progressu subtensum, non amplius enim primus hic muscul⁹ brachii os cõtingit. Ceterũ paulo supra cubiti articulũ, neruosior, excarnisq; redditus, in robustum & crassum, & ad amussim teretẽ finit tendinẽ, ꝗ articulo expãsus, & subdito ipsi musculo suffultus in interiorem radii partẽ modice latescens inserit̃. ¶ *Secundus* flectentiũ posterior huic omnino succumbit carneus, & nusquam insigniter nerueam ostendens substantiam, longe quoq; primo breuior, multoq; iuxta humiliorem ipsius partẽ latior exsistit, a brachii ossis exteriore latere carneo, latoq; principio, quod bicorne est, & in sui medio obtusum angulũ exprimit, enat⁹, sensim obliq; in priora humeri tendẽs, crassior, carnosiorq; efficit̃, deorsum recte ꝓtensus, & humero validissime adnatus, ex ipsoq; exortus sui robur toto descensu tantisper assumens, quousq; cubiti articulum contingat, quem sua amplitudine, carneaq; substantia in tota anteriori sedẽ integens, validissime articuli ligamento, & anteriori vlnæ & radii sedi ampla insertione implantatur, sua sede qua articulum transcendit, montis speciem appositissime reprę sentans. ¶ Ceterum vt huius musculi ductus recto perficitur tramite, ita quoq; prorsus

Primus flectentium. Vel. lib. 2. cap. 46.

D

E

Secundus flectentiũ posterior.

F

Extendentiũ primus. rectas habet fibras, quemadmodũ etiam primus. Sunt autem vtriq; flexionis cubiti au- A ctores. ¶ Porro extendunt cubitum musculi, si hos in maximum numerum redigas tres, quorum quidem primus valido latoq; & nerueo principio, ex humiliore scapulæ costa non procul ab eiusdem ceruice exorit, peculiarem illic, vnde prodit, sinum obtinens. Is paulo post exortum carne adauctus, recta deorsum ad internũ posterioris sedis humeri latus fert, medio interni lateris humeri & medio posterioris sedis humeri tantisper adnatus, dum partim carneus, partim nerueus amplissime in internũ latus posterioris vlnę processus inseratur. Integrum igitur est, hunc musculũ vniuersum, aut vnum dicere, aut duos. Vt vnus quidem a scapula enascatur, alter vero ab humero, qui cum illo confunditur, cui scapula principium præbet. Hi itaq; musculi in descensu inuicem connascuntur.

Carnea pars qua primus extendentiũ augetur, quem secũdum constituere licet.

Tertius extendentiũ. ¶ *Tertius* extendẽtium, qui in vniuersa cubiti musculorum serie quintus est, a posteriori B sede ceruicis humeri, ad capitis ipsius radicem neruosus enascitur, & sensim recta deorsum descendens, externamq; sedem posterioris humeri regionis occupans, carnosus euadit, & pertinacissime humero adnatus ab ipso sui principii vigorẽ mutuatur. Priusquã v. medium longitudinis brachii hic musculus superauit, duobus paulo ante dictis ita cõmiscetur, & cum ipsis adeo coit, vt nullo prorsus pacto in hominibus discerni queant. Quamuis interim terti⁹ musculus suum, quem a principio habebat, ductũ obseruat, atq; validissime in externum latus posterioris vlnæ ꝓcessus partim carneus, partim nerueus inseritur. Vtcunq; v. inter se musculi hi concurrant, nullus tamen ab initio inceptum fibrarum ductum deperdit, sed recte oẽs deorsum, nusquã implexæ, neq; sese decussatim intersecantes ferunt, & eandem omnes functionem obtinent, qua cubitũ in neutrũ la- C tus inclinantem extendunt. Liquet igitur, tres hos musculos vnius loco recenseri posse, qui ex tribus principiis esset conformatus: aut duorum, si videlicet primum & secundum vnius loco habueris.

De musculo, neruosa sua exilitate mediæ volæ, & internæ digitorum cuti subnato.

CAP. XXIV.

Gal. libr 2. de viu partium ca 4. Ves. lib. 2. ca. 41.

TOti ꝓpemodũ depili, nudæq; manus regioni, dilatescente neruosa ipsius exilitate, musculus quidam subtẽditur, q neruoso teretiq; principio ex interioris humeri tuberculi apice enascitur, medio duorum brachiale flectentiũ musculorũ, qui ex eodem tuberculo prodeunt, incumbens adnatusq;, nõ tñ in illorũ capitũ medio, vt nõnulli tra- D dunt, repositus. Principium hoc illico carnosum, crassiusq; redditũ, musculi ventrẽ non impense crassum cõstituit, q priusq̃ ad medium lõgitudinis cubiti obliq; nõnihil, versus mediã cubiti amplitudinẽ ductus ꝓrepserit, rursus tenuis, gracilisq; factus, in tendinem angustũ, sed ampliorẽ quã ꝓfundiorem, & neutiquam prorsus teretẽ cessat. Hic ad brachialis vsq; radicẽ pertingẽs, sensim in brachialis interiori sede latescere incipit, ac summæ man⁹ cuti ad extrẽmã vsq; digitorũ aciẽ subnascitur. Atq; id fibrosis nexib. adeo validis continuisq; perficitur, vt internã manus cutem a neruosa tendinis tenuitate, vel ẽt acutiori nouacula liberare arduum sit. Hic a. toti depili manus summæ cuti in hominib. non subnascitur. Siquidem tendo mediæ volæ cuti in palma tantum subnascitur, non a. cutem contingit, quæ obducitur musculo, qui paruum digitum a ceteris in obliquũ ab- E ducit, neq; etiam cuti subtenditur inuestienti musculosam carnem, q̃ primo pollicis articulo incumbens, ex plurib. musculis, de quib. suo dicemus loco, constituitur. Adhæc nullæ huius tendinis portiones in digitorum latera excurrunt, quinimo perquam obscure internæ etiam digitorum regioni obnasci visitur.

Vola quid. ¶ Ceterum vt id nõ prætercam⁹ silentio, interior sedes manus caua, ac variis mõticulis septa, multisq; lineis interstincta, Græcis κοῖλον τῆς χειρὸς, Latinis *vola* dicitur. Musculus tendinem hunc producens gracilis est, atq; in cubiti medio super reliquos huius regionis, *vt dictum est*, exporrigitur, nulloq; peculiari ligamento vlla ex parte amplexus, in summa tantum manu dilatescit. Huius beneficio cutis versatilis & circumactu pertinax depilisq;, ac proinde ad tangendum, & accuratius sentiendum aptior efficitur. Decebat namq; vt manus comprehensoriũ in- F strumentũ existens, hanc internam ipsius cutem adipiscent, non modo ægre versatile, tum ob alia quædam, tum maxime ob exactiorem tutioremq; paruorum corporũ comprehensionem: sed & cutem totius corporis reliqua cute sensu exq̃sitiori præditã internæ manus sedi merito obduci decuit. Non n. aliud quidẽ oportebat esse apprehensoriũ, aliud autem tangens instrumentum: neque aliud quidem externa corpora, leuando &

Gal ibid. cap. 6.

trans-

A transferendo, & omnino pertractando assumere, aliud vero posthæc de apprehensorũ calore, frigore, duritie, & mollitie, ac aliis quæ tactu percipiuntur qualitatibus iudicare ex vsu erat. Sed mox vbi manus quiduis apprehendit, satius fuit hanc apprehensi vna naturam cognoscere, idque internis duntaxat partibus, quibus quoque est apprehensorium instrumentum, iure manus eisdem partibus tangens, quibus apprehendens exstructa est. Quanquam non huius tendinis beneficio manus exquisitum tactus sensum nanciscitur, sed plurimum neruorum auxilio, ex quibus ad singulos digitos quatuor surculi propagantur, vt suo monstrabimus loco. ¶ Confert autem non parum ad exquisitam tactilium qualitatum dignotionem, depilem esse interiorem manus cutem. Si Cur de pilis cutis manus.
B enim admodum pilosa & hirsuta esset, sibi appropinquantia nequaquam tãgeret, quod nimirum pili tangendo corpori ante cutem occurrerent, illiusque contactum prohiberent. Quoniam autem tendo iste huius etiam regionis cutem duram efficit, manifestum est omnibus, & id ad plurimos vsus nobis conducere. Ob eas itaq; caussas tendo internæ manus summæ cuti subnatus est.

De carnea substantia interiori digitorum regioni, ipsorumq; radicibus, & media volæ manus superstrata. Cap. XXV.

INter tendinem prædictum, & cutem in manu, veluti etiam pede adeps plurimus continetur, quem anatomici *carneam substantiam* vocant. Per vniuersam enim quatuor digitorum, & secundi tertiiq; articuli pollicis longitudinem, ac quatuor manus monticu- Carnea substantia. Ves. lib. 2. ca. 42.
C los, quos Chiromantici ad quatuor digitorum radices reponunt, & ad volæ medium, carnea quædam substantia inuenitur, quæ inter latum tendinem & cutẽ partim interiacet, partim tendini, sed minori portioni, subiicit. ¶ Ceterum hæc substãtia non quidẽ quemadmodum in musculorum ventribus, exacta, simplexve caro exsistit, sed substãtia quædam subalba, & duriori neruosoq; vt sic dicã, adipi respondens. Præterea pinguedo hæc frequentibus neruorum fibris, venarumq; terminis adaucta, medium quippiam inter carnem & induratam pinguedinem adipiscitur. ¶ Ceterum Arabes hallucinantur, hanc substantiam extra musculi corpus, simplicem immistamq; carnem esse affirmantes illorum modo, qui simplicem carnem in gingiuis ac pene collocant. Non enim expenderunt innumeras neruorum fibras, & capillorum modo tenues venas, hanc substãtiam intercurrentes, illamq; nec colore, vel substantia, nec æqualitate continuitateve Arabum error.
D etiam musculorum carnem q̃ alioquin tot fibris implicatur, referre. ¶ Rerum Cõditor, huiusmodi substantiam, quam rectissime duriusculæ conglobatæque pinguedini, ad amussim assimilaueris, tanquam stratum aliquod, aut terram præparauit, cui apte infiniti neruulorum surculi implantentur, quos ob exquisitum tactus sensum, a maioribus neruorum propaginibus, internam manus sedem adeuntibus diffundi vndiq; oportuit. ¶ Ceterum etsi hæc pinguedo durior, admodumq; neruea sit, nihilominus in rerũ substantia mollis est, ac proinde occursantibus cedit, & ad aliud quippiam, neq; id minimũ conducit. Media n. inter digitum flectentes tendines, ne aut premãtur, aut contundantur munit. ¶ Ossium quoq; rectitudinem tunc corrigit, quando in circulum manus quippiam est comprehensura. Vsus. Galenus li. 1. de vsu part. ca. 13.
E Proinde externę digitorum regioni hanc Natura minime communicauit, vt q̃ ibidem inutile pondus afferret, adeoq; onus fuisset superfluum, quũ hæc regio neq; illo absolutissimo indigeat tactus sensu, neq; quicquã in obliquũ apprehendat, neq; toties subulas, aliaq; id genus artium instrumenta propellat. Quinetiam in interna manus sede, ipsis quidem articulis minimũ, in partibus vero inter articulos mediis: plurimum huiusmodi substantiæ rerũ Opifex ꝑduxit. Neq; enim carnis adiutorio tali, quale ossibus est necessarium, aliquis articulus indigebat: quũ flecti natus sit, & carnea substantia præterq̃ quod nihil commodi pręstaret, impedimento motui fieret, tum grauans vt superflua, tum etiam internũ articuli spatium excludens, occupansque. Lateribus autem digitorum tantum eius substantiæ adnasci fecit, quantum mediũ inibi spa- Galenus ibidem.
F tium vacuum explere potuit, vt & inde manus, nõ solum vt diuisum in multas partes instrumentum, sed etiam vt omnino indiuisum agere possit. ¶ Adductis enim ad se inuicem digitis, ita eorum totum mediũ spatium ab hac substantia oppletur, vt si quid etiam liquidorum corporum manu supina continere volueris, id effluere nõ permittat. Quãtum vero huiusmodi substantia ad corpora summis digitis apprehẽdenda auxilii ꝑstet, nemini nõ perspectissimum est, quẽ haud latet, si ossiũ finib. nihil ꝙ cederet appositum

fuisset, ea facile rumpi debuisse, nec illis potuisse plurima corpora eleuari quod modo huius substantiæ, & renitentiũ illi vnguium opera felicissime obuius. Atq; eiusmodi sunt huius substantiæ proprii vsus. Communis vero quem cum carne adipeq; parẽ habet, is censetur, vt propugnaculum sit aduersus æstum & frigora, *vt fusius loco citato ex Platone Galenus docet.* A

De musculis radium pronum & supinum constituentibus. CAP. XXVI.

Quatuor radiũ peculiariter agẽtes musculi. Gal. lib. 1. ana. admi. & libr. 2. de vsu part. c. 4. Primus. Vesalius li. 2. cap. 45.

MVsculi radium peculiariter agentes, per quos prona, supinaq; manus efficitur, sunt vtrinq; quatuor, duo quidẽ superiori radii extremo subseruientes, reliqui autem duo inferiori: atq; ex iis duo cubiti internam sedem, alii duo externam occuparunt. Interiores radium in pronum mouent, exteriores eundem ad supinum conuellunt. Interior & inferior, qui radii partem brachiali proximam in pronum mouet, secundũ vlnæ longitudinem, ex tota amplitudine interioris ipsius sedis enascitur, qua brachiali proxima est. Hinc carneus ad interiorem radii regionem transuersim procedens, ipsi adhuc carneus inseritur. Habet itaq; hic musculus, si cum reliquis secundum cubiti longitudinem expansis conferatur, fibras transuersas, ex vlna nimirum in radium recta conscendentes. Præterea secundum cubiti amplitudinem, totam interiorem radii vlnæq; sedẽ cõplectitur, & ad amussim quadratus est. Tantam enim obtinet longitudinem, quanta est latitudo interioris cubiti regionis, quam simul cum radio vlna constituit. Deinde tã latus visitur, quam longus, instarq; puluinaris ipsum transcendentibus ad digitos tendinibus substratus. Fibræ huius musculi, radii partem quę brachiale spectat introrsum trahentes, radium in pronum agunt. ¶ Exterior ac longior musculus cõtrarii motus auctor ab externa humeri regione principium lõge supra exterius humeri tuberculũ incipiẽs, ducit, hinc deorsum expansus, & latus, validusq; apparens, radio insternitur, superiori lateri musculi bifido tendine brachiale extendentis contiguus. Vbi vero ad radii finem cui brachiale coarctat̃ ꝓcessit, in exquisitum finit tendinem, qui membranæ modo latescens, radii appendicis superiori regioni inserit̃. Musculus iste inferiorem partem, q̃ brachiali committitur, in exteriora trahens, radium supinum efficit. Porro musculi superiorem radii finem humero proximum in pronum, supinumq; ducentes, ita se habẽt. B C

Tertius.

Interior & superior, ex interioris humeri tuberculi radice, & ex interiori vlnæ latere, qua humero articulatur, carnoso validoq; principio pronascitur. Hinc admodum oblique internam radii sedem conscendit, carnea insertione ante medium ipsius longitudinis insertus. A carnea hac insertione, neruea implantatio ad medium vsq; radii lõgitudinis exporrigitur, radiiq; superiori regioni hic validissime inserit̃, peculiarem inibi in radio asperitatem, cui inherat̃, sibi vendicans. Musculus iste quoties contrahitur, intro radium ducens, illum constituit pronum. ¶ *Exterior*, qui peculiarium radii musculorum quartus est, ductu figuraq; iam dicto propemodum par, oritur ab exteriori articuli cubiti regione ab articulum ambiente ligamento, valide etiam ex vlna in posterioris sui processus, quem ὠλέκρανον Græci vocant, *externum latus, principii sui portionem sumens.* Hinc ad radium in priora conscendit, & radio prope interioris musculi insertionem applantatur. Huius tamen insertio non æque atque interioris neruosa est, neque adeo in radii longitudinem producitur. Attamen ductus breuitas hos duos exacto tendine destituit. Musculus hic superiorem radii partem extrorsum oblique conuellens, radium ad supinum agit. Ex iis igitur constat totum radii os, internorum musculorum beneficio pronum, exteriorum autem supinum effici, ac deinceps radii ope, summam manum eosdem ostendere motus. D E

Quartus.

De musculis motuum brachialis opificibus. CAP. XXVII.

Primus brachiale mouens musculus. Vesalius li. 2. ca. 44.

BRachiale quatuor ꝓcipuis agitur musculis, quorum primus ex interno humeri tuberculo ex carnea nerueaq; substantia mistum principium assumit, hinc totius vlnæ longitudini adnatus, internam huius sedem magna ex parte amplectit̃, quemadmodum & medium quoq; sedis ipsius inferioris, toto fere vlnæ ductu occupat, quo scribentes innitimur. Vbi ad vlnæ vsque finem prorepsit, paulo ante cubiti cum brachiali articulum, in validum & quodammodo teretem tendinem cessat, carniformi semper substantia ad brachiale vsq; auctum, qui dum articulum transcendit, prorsus excarnis est, validissima insertione, inferiori quarti brachialis ossis sedi implantatur. F

Secun-

A *Secundus brachiale mouentium musculus*, ex interiori quoq; humeri tuberculo enascitur, & obliquo ingressu ad elatius primi digiti flectentis musculi latus cõtendit, ipsi magna ex parte instratus, & radio exporrectus. Ante brachialis autẽ radicem in exquisite teretem degenerat tendinem, qui simulatq; brachialis internam sedem præterit, latescens in postbrachialis ossis quod radici præponitur, radicem inseritur. ¶ Duobus autem internis iam dictis alii duo externi respondent, vnus, qui tertius est brachialis musculus, ab exterioris tuberculi humeri radice principium capit, atq; hinc prodiens, humiliorẽ exterioremq; vlnæ regionem amplexatur. Quum vero brachiali appropinquat, in teretem finit tendinem, qui sinui in appendice vlnæ ad ꝓcessus stylum imitantis internum latus exsculpto, innititur transuerso ligamẽto, quod vnicum vlna proprium nanciscit, obductus. Quum primum ligamento superato, brachiale superuehitur, latior factus postbrachialis ossi minimum sustinẽti digitum non procul a brachiali inseritur. ¶ *Alter* exteriorum, qui ordine quartus est, latiusculo principio lõge supra exterius humeri tuberculum enascitur, vbi humerus velut in oblõgam acutiem prominet. Hinc carnosus, & longa vtcunq; linea prodiens, radio insternitur, & prope illius longitudinis medium, in robustum definit tẽdinem, qui bicornis bipartitusve statim ab ortu visitur, & progrediens tandem in postbrachiale amplis insertionibus implantatur. Vna quidem pars in radicem ossis indicem sustinentis: altera vero in radicem eius cui medius innititur digitus, insertionem tentat. Duo primi interioresve simul brachiale flectunt, alii duo externi, tertius nimirum & quartus, si ambo tendantur, id extendunt. Verum primo simul cum tertio tenso, brachiale in internum latus agitur. Secundo autem & quinto vna laborantibus, id in externum latus inclinatur.

Secundus. Tertius. B Quartus. Vsus. C

De musculis manus digitos mouentibus. CAP. XXVIII.

DIgitos manus mouentes musculi sunt viginti octo. *Primus* horum principium teres, & statim ab exortu grande, ac excarne, nerueaque substantia mistum ex interiori humeri tuberculo nanciscit, ilque a crasso alioquin suo exortu latior efficitur, atque versus vlnæ radiiq; medium perreptans, perquam obscure ab ipsis principii sui portionem assumit. Hinc exacte carnosus & teres, in amplitudinem tamẽ modice depressus, ad brachiale prorepit. Antequam vero brachialis radicẽ contingat, notabili satis a brachiali interuallo, ipsius vẽter in angustum magis coactus, in quatuor carnosas partes diuiditur, quæ singulæ neruosiores angustioresq; factæ, illico in exactos tendines, q secũdis quatuor digitorum internodiis inserunt, cessant. Hi ad amussim teretes simul communi mẽbrana vtcunq; & mucosa inuoluti, brachialis cum cubito articulum, ipsumq; brachiale transcendunt, communi oẽs ligamento in brachialis sinu obducti. Est autem id ligamentum validum, & transuersum, ex vna brachialis parte in alteram pronatum, annuliq; formã, ꝙ ad eius cauitatem spectat, præcipue referens, & totam brachialis amplitudinem, qua ex ipsa originẽ ducit, succingẽs. Munus autem ipsius est, secundũ quatuor digitorum os flectere, illud brachialis medio vbi inuicem adhuc ipsis colligantur tendines, quam potest proxime admouens. ¶ *Secundus* musculus primo subiectus ab eadem sede cũ primo, hoc est, ab interiori humeri tuberculo, sed magis decliue, sub primi nimirum capite, originem ducit. Hinc prodiens, exquisite carnosus & teres, nonnihil tamen latus, & vt primus modice depressus, euadit, & mediam cubiti sedem comprehendens vlnę adhuc adnascitur. Vbi vero parum vltra mediam cubiti longitudinem descendit, aliquanto angustior redditus, in quatuor carnosas portiones similiter ac primus finditur, quæ ante brachiale in teretes cessant tendines, qui primi tendinibus subiecti, ante secundi digitorum internodii radicẽ eos tendines findunt ac perforant, tandemq; in tertia quatuor digitorum ossa insertionem molientes, ea flectunt. ¶ *Tertius* carneo tereti; principio pronascitur, ex vlnæ sede, qua hæc radii capitulum in proprium sinũ amplectitur, ac vbi radius ab vlna primum dehiscit. Hinc vniuersæ radii propemodũ longitudini adnatus & expansus vbi ad brachiale properat, in teretem cessat tendinem peculiari membrana, quam mucor imbuit, obtectum, qui tandem tertio pollicis ossi, articulove inseritur, ipsius flexus auctor euadit. Neque enim prædicti musculi non nisi suorum, quibus inseruntur, ossium flexionis opifices censendi sunt. Tres itaque nunc dictos musculos ex dissitis regionibus, per totam nimirum cubiti longitudinẽ Natura

Primus. D Secundus. E Tertius. F Naturæ in musculis digitos flectentibus industria.

produxit, ne si forte in extrema manu principium assumerent, eam carne obruentes, A magnam ponderosamque redderent, quod ad varia quæ manu obeuntur munia valde incommodum futurum erat. Deinde robur in flexione maius requirebatur, quã quod breuibus musculis pręstari valebat, qui ex proximis iis quæ mouenda erãt ossibus principium ducerent. ¶ Porro tendinibus transuersa ligamenta secundum digitorum ossa obducuntur, ne quoties secundum aut tertium digitorum os inflectimus, tendines tanquam recti, protensiq; funiculi, & virgulæ secundum ossium flexionem non incuruatæ, a flexo iam osse ad cubitum tensæ exsurgerent, & cutem in miram altitudinem eleuantes, manus volam turpiter implerent. ¶ In vola vero & brachialis sede mucosis membranis tendines induuntur, quo tutiores procederent, easq; membranas tanquam propugnacula & muros sortirentur. Quum itaq; secundum quatuor digitorum internodium B a primo musculo flectatur, tertium autem a secundo & tertium pollicis a tertio, oportunum erit vt musculos prima quatuor digitorum ossa, & primum secũdumq; pollicis flectentes aggrediamur. ¶ Sunt autem ii omnes numero tredecim, ad singulos nimirum quinque digitorum primos articulos bini, & ad secundum pollicis terni. Omnes vero ii musculi in extrema manu reponuntur. ¶ Horũ octo, qui quatuor digitis seruiũt, recta secundum postbrachialis longitudinem digitos adeunt, omni propemodum ex parte carnei, ac postbrachialis ossibus connati. Inseruntur autem lateribus interiori in sede primorũ ossium. Duorũ igitᵘ paruum digitũ flectentiũ vnus ab exteriori latere superioris partis postbrachialis ossis quod paruo digito prælocatur, carnoso principio oritur, et C nonnihil inibi adnatus brachiali. Hinc recta digitum accedens, ad primum vsq; os digiti carnosus manet. Vbi vero os contingit, latiusculo tẽdine exterioris ossis lateri, versus interiora tamen inseritur. Alter ex interiori eiusdem postbrachialis ossis latere, ad superius iuxta brachiale extremum, originem ducit, & inter id os & sibi proximum ad digitum tendens, carnosum quoque permanet, donec membraneo tendine interiori lateri primi ossis parui digiti implantetur. Quando vtriq; musculi colliguntur, primũ digiti os, in neutrum latus vergens flectitur. Si vero exterior egerit, interiori quiescente, digitus in exteriorem partem nonnihil inclinans flectitur. At solo interiori laborante ad interiora conniuens digitus flexionem experietur. Ad hunc sane modum aliorum D trium digitorum musculi habẽt, adeo vt bini in singulis postbrachialis ossium interuallis, quæ tria sunt, reponantur. ¶ Duo autem ex iis qui pollicis primum internodium flectunt, vna cum musculo qui pollicem a ceteris digitis abducit, carneam molẽ constituunt, quæ ad pollicis radicẽ reposita, montem quem Chiromantici modo *Veneris*, modo *Martis* appellant, effingit. ¶ *Primus* itaque & maior pollicis musculus ex superiori transuersi brachialis ligamenti sede carneus enascitur, & toti primi pollicis ossis longitudini interna regione attensus, perpetuo carneus illi inseritur, perquam obscure secundum pollicis contingẽs internodium. ¶ *Secundus* iam dicto prorsus occulitur, longeq; minor est, ex transuerso quoq; ligamento, & osse brachialis pollicem fulciẽte pronatus, in primi pollicis ossis radicem implantatur, non vltra medium longitudinis primi eius ossis pertingens. Sunt itaque ii duo pollicis musculi inter digitorum motores duodecimus E & decimustertius.

Transuersorum ligamentorum vsus.

Muscosarũ mẽbranarũ vsus.

Tredecim post tertiũ ordine in numero succedẽtes.

Octo qui quatuor digitis seruiũt.

Duo qui pollicis primo ossi famulantur.

Mons Veneris vel Martis.

Porro tres qui secundum pollicis os flectunt quodammodo transuersi cernuntur. ex vola enim e quarta circuli parte principia sortiuntur, nimirum ad eius lineæ circumscriptionẽ, quæ *Vitalis* & *cordis* Chiromanticis appellari solet. ¶ *Primus* itaq; musculus obliquum, latumque principium ducit, ex postbrachialis osse, cui medius innititur, modice subter ipsius capitulum, ꝙ sinũ primi ossis digiti subingreditur. Hinc carnosus prępens nonnihil angustior redditur, & membraneo tendine, secundi pollicis lateri, ꝙ indicem spectat versus interiora se inserit. ¶ *Secundus* superiori suo latere iam dicto musculo contiguus, ex media sede postbrachialis ossis, quod medio præponitur digito, originẽ ducit nonnihil tamen & os, quo annularis fulcitur contingens. Origo huius tenuis lataque F est, & statim carnea ad insertionem vsque conspicitur, quam in medio interioris partis secundi pollicis internodii tentat. ¶ *Tertius* huic inferiori ex parte contiguus, ex postbrachialis ossis, quo annularis sustinetur radice, quæ brachiali coarctatur, originem pariter latiusculum sumit, & oblique pollicem accedens, lateri interiori secundi pollicis internodii, versus priora implantatur. Isti tres musculi dum vna tenduntur for-

Tres qui secũdo pollicis ossi famulantur.

Linea vitalis.

Primus.

Secundus.

Tertius.

A fortissime secundum pollicis internodium flectunt. Primo autem duntaxat agente, ad superiora versus indicem pollex dirigitur. Dū vero secundus solus cōtrahit, ad medios digitos pollex flectitur, quemadmodum infimo ad suū principiū contracto, pollicis ad inferiora, & magis versus paruum digitum flexio perficitur. Atq; hactenus sedecim digitos mouentes musculos recensuimus. ¶ *Decimusseptimus*, qui digitos extendentium primus erit, principio ex carne nerueaq; substantia misto, & vtcunq; lato, ab elatiori sede exterioris humeri tuberculi enascitur, & per mediam cubiti sedem magnus & carnosus, & paulo minus toto teres porrigitur, nullo alteri connatus ossi. Quum v. prope radii extremum, cui brachiale inarticulatur, pertigerit, arctior redditus, in quatuor breues carnosas portiones, in musculi substantia non procul diremptas, finditur, q̃ simul cōmuni membranea indutæ, fibrisq; tenuibus inuicem cohærētes, atq; in tendinē illico ab ipsorum a musculi ventre deductu degenerātes, per sinū in radii exteriore sede exsculptum, ad brachiale cōtendunt. Huic itaq; sinui vtcunq; amplo, quatuor ii tendines incumbētes, transuerso ligamento ipsis peculiari obuoluuntur, ne aliquando ex sinu declinent. Quod vbi transcenderunt, brachiali iam incumbentes, latescentesq; ab inuicē deducti, singuli ad vnumquemq; quatuor digitorum, indicem, medium, ac annularem pręcipue prepunt, eosq; extendunt. Tres n. tantum tendines, vt plurimū, exhibet hic musculus, etsi quatuor Galeni nomine illi largiti simus. ¶ *Decimusoctauus*, musculus gracilis lōgusq; est, inferiori lateri decimiseptimi secūdum cubiti longitudinē exporrect⁹. Ab exteriori enim humeri tuberculo principiū sumit inter decimiseptimi caput, & principiū alteri⁹ musculi, qui post brachialis ossi, quo minimus digitus fulcit, insertus, brachialis extēsionis dux censetur. A principio secundum latus decimiseptimi carnosus fertur, quousque cubiti finē attigerit, vbi in duos tendines bipartitus, cōmuni radio & vlnæ sinu, & ligamento vtit. Tendines statim atq; brachiale superarunt, inuicem dirimuntur, & vnus ad paruum, alter annularē frequētissime contendit digitū, ac singuli in suo digiti primum os inseruntur. Frequentissime tamē vnicum duntaxat tendinem in paruum digitū ferri cōspicies. Parui digiti extensionis primarius auctor est hic musculus, abductioni etiam versus exteriora nonnihil subseruit. ¶ *Decimusnonus* duob. vltimo iam enarratis substratus, obliquo ductu donatur. Ab vlnæ osse vltra medium ipsius longitudinis, versus brachiale exquisite carneus pronatus, obliq; radii appendicem petit, ac priusquā hunc cōtingit, in duos inuicem cohærentes tendines finitur, qui proprio sinui in radii appēdice incumbentes, & peculiari ligamento transuersim obuincti, super brachiale expandunt. Atq; hic dirempti, illorum superior indici, inferior autē medio exporrigitur, exteriori, inferiorive digitorum lateri versus posteriora inserti. Quod v. præsens musculus a pollice abductionis eorū quib. inseritur digitorū auctor sit, situs ipsi⁹, insertioq; liquidissime commōstrant. Ceterum is non semper in indicē & medium digitos, sed duntaxat in indicē, tēdines porrigit. Horū iam enarratorū trium, nēpe decimiseptimi, decimioctaui, & deciminoni musculorum tendinib. vbi post brachiali membranulis & fibrosis nexib. committuntur, priuatim id accidit, vt singuli latescentes velut in plures diuidantur, vt iam latiores multo, & tenuiores redditi, ad digitorū radices, mirabili neq; semper eadē serie inuicem misceant, vnius digiti tendinis portione etiam cōspicua ad alterius digiti tendinem pertinente. ¶ *Vigesimus* breuis, sed validus, a quarto brachialis osse pronascit, & per lunæ monticulum ad paruum digitum pergēs, toto ductu carneus visit, muris seu lacertæ formam eleganter exprimens. Quippe musculus iste in exortu vtcunq; tenuis, in medio teres, crassusq; est, in insertione autem, q̃ in externo primi ossis parui digiti latere molitur, gracilis, tenuisq; & nerueus euadit. Hic quidem paruum digitum in latus abducit. ¶ *Vigesimusprimus* ab vlnæ exteriori sede, iuxta ligamentum membraneum inter cubiti ossa, qua inuicem dehiscunt, consistens, & iuxta medium longitudinis cubiti enascitur, versus radium oblique properans. Priusquam vero radii inferiorem cōtingit appendicem, in paulo minus toto teretem cessat tendinem, qui externo lateri exterioris pollicis regionis indicem spectantis ad tertium vsq; articulum inseritur. Hic pollicis versus indicem extensionis auctor est. ¶ *Vigesimussecundus* ab vlna paulo superius quam nuper dictus principio vtcunqueamplo prodit, longaque satis linea enatus, & oblique super radium conscendens, illi insternitur musculo, qui bicorni tendine brachiali inseritur, Simulatque vero parte sua qua iam dictum musculum integit in duas portiones

Decimus septimus.

B

Decimus octauus.

C

Decimus nonus.

D

E

Vigesimus.

Vigesimus primus.

F

Vigesimus secundus.

scinditur, a sese nullo interuallo distantes, sed mutuo incumbentium musculorum situ inuicem hærentes, superior portio aliquamdiu carnea permanés, in tendinē quodammodo teretē cessat, insertū exteriori brachialis ossis sedi, q̧ pollicem sustinet. Inferior a. principii portio, statim ac aliquousq; in anteriora ꝓrepsit, in duas rursus carneas partes distinguit, q̄ singulæ in tendinem finiunt, ac cum superioris portionis tendine, proprio sinu in radii appendice leuiter inciso insidēt. Postquam v. inferioris portionis tendines brachiale superarunt, vnus in primi pollicis internodii radicem implātatur, illic in externam ipsius regionem iuxta internum latus finiens. Alter tendo membranoso tantum nexu primi pollicis ossis longitudini adhærens, in secundi ossis radicē exteriori sede, versus internum latus inseritur, neq; is inibi totus desinit, verum ad summum vsq; pollicis apicē, secundo & tertio pollicis ossibus pertinaciter quoq; adnascitur. Horum tendinum beneficio pollex introrsum versus extenditur. ¶ *Vigesimustertius* ab anteriori sede ossis brachialis, cui pollex innititur, nerueo principio, quod statim carneum euadit, enascitur, ac deorsum protensus, primo pollicis ossi membraneo tendine inseritur. Hic musculus vna cum duobus primum pollicis internodium flectentibus, quibus iste insternitur, carnosam volæ partem efformat, quæ ad pollicis radicem consistit. Musculus iste quam maxime pollicem ab indice remouet, & abducit. ¶ *Vigesimusquartus* ex interiori latere, versus posteriora tamen, ossis postbrachialis indicem suffulcientis, initiū ducit carneum, & secundum totam eius ossis longitudinem enatum. Carnea vero implantatione toti externo lateri primi pollicis ossis inseritur, membraneum tendinem radici quoq; secundi ossis porrigēs. Huius musculi auxilio pollex indici proxime adducitur, & accommodatur. ¶ Supersunt adhuc quatuor musculi graciles & teretes, singulis quatuor secundi digitos mouentium musculi tendinibus, qui quatuor digitorum tertium os flectunt, exporrecti. Enascūtur enim ex membraneo inuolucro, tendines illos, quum brachialis sinum, & transuersum ipsius ligamentum perreptant, induente. Hinc simul singuli cum singulis tendinibus ad digitos ꝓcedentes, ac interiori tendinis lateri attensi, in digitorum radicem primum os inseruntur ad internum eorundem latus, versus interiora insertionem membraneam moliti. Præsentibus musculis hoc sane rarum, perinde ac oculi musculis obuenit, quod nō ex osse aut cartilagine, sed ex membraneo tendinum inuolucro originem sumserint. Iam dicti quatuor musculi digitos in latus ad pollicem adducunt reclinantque.

Marginal notes: Vigesimustertius. — Vigesimusquartus. — Vigesimusquintus 26. 27. & 28. — A — B — C — D

De ligamentis manus. CAP. XXIX.

Manum appellat Hippocrates, *quicquid a scapula ad extremam vsq; digitorum aciem protenditur, cuius nunc ligamenta nobis enarranda veniunt.* Horum igitur alia inuicem ossa colligant, alia subditis corporibus munimenta exsistunt, instar tunicarum musculis obducta. Alia adhæc, tendines in suis finibus ita continent, vt quocunq; modo tracti fuerint, sua sede ne tantillum quidem vagari queant. Quippe singulis tendinibus per brachiale, & volam ad digitos reptātibus obuolutæ sunt membranæ, mucore quodam imbutæ, & ligamentorum ritu tendinibus obductæ. ¶ Quæ v. subditis corporibus munimenta, & ne ex ipsorum cauitatibus declinent vincula censent, trāsuersa sunt ligamēta, tendines in suis finibus cōtinentia. Siquidem vniuersę interiori sedi quatuor digitorum vnum exporrigitur, & pollicis etiam secundo & quasi tertio internodio vnum eius generis expandit. Atq; hæc omnia eundem præstāt vsum, quo tendines digitos flectentes amplexantur, & annuli modo continent. ¶ In interna brachialis regione vnū conspicit oēs digitorum tendines, qui hac ꝓrepunt, cōstringens. Atq; hoc latum est, & ceteris omnibus huius generis robustius, sed interim neq; postbrachiale, neq; cubitū cōtingens. Ceterum in externis cubiti partibus qua brachiali articulatur, sex transuersa ligamenta sese offerūt, quorū beneficio tendines in ossiū finibus reseruant. At hæc si in superficie tantum spectentur, vnicum esse videbunt, totius cubiti latitudini expansum, q̧ dissectū sex spectandos offert annulos, transeuntibus tendinibus obductos. *Primum* ex vlna in radium procedit, atque ad communem vlnæ radiique sinum refertur. ¶ *Secundum* ad externum primi ligamēti latus repositum, soli vlnæ, illiq; musculo peculiare est, qui ante paruum digitum insertionem tentans, brachiali extensionis opifex exsistit. ¶ *Tertiū* ad internum primi ligamenti latus habetur, solique radio proprium est. ¶ *Quartum* ad internum latus tertii positum, angustissimum efficit annulū, vt & tendo, que trāsmittit, gra-

Marginal notes: Manus qd. Vesa. lib. 2. cap. 47. — Ligamenta annulorum modo tendines continentia. — E — F

A gracilis est. ¶ *Quintum* bicorni tendini, quo brachiale extenditur, & illi qui pollicem versus indicem euertit, viam largitur. ¶ *Sextum* tres tendines transmittit, quorum vnus brachialis ossi ante pollicem, alter primo pollicis ossi, tertius autem secundo, & tertio inseritur: Interdum tamen pollicis musculo priuatum quoq; ligamentum obducitur, & tunc septem ligamenta in externa cubiti sede reponuntur. ¶ Præter hæc ligamenta per vniuersam cubiti longitudinem, omnibus musculis valida membrana obnascitur, musculos inuicem committens, atq; ne sua sede illi dimoueantur, atque inter sese implicentur, transuersi alicuius ligamenti ritu continens. ¶ Porro ligamenta quæ ossa inuicem colligant, in omnibus sunt articulis, nullam nisi paucissima, peculiarem naturam a ceteris articulos ambientibus ligamentis sortita. Membraneis enim & articulum so-
B lum circundantibus ligamentis digitorum nectuntur internodia.

Membrana musculis obnata.

Ligamenta ossa inuicē committētia.

Postbrachiale autem brachiali, validis ligamentis per exteriora etiam ductis colligatur. At postbrachialis ossa, qua mutuo in ipsarum radice iuxta brachiale se spectant, cartilaginis naturam referentibus ligamentis inuicem committuntur, quæ non orbiculatim tantum ambiunt, verum & in ipsorum medio habentur, qua ossa se inuicem respiciunt. ¶ Brachialis ossa validissimis ligamentis cartilaginis naturam referentibus, simul vnita hærent, atq; hæc ligamenta ipsis vndiq; obducunt, & quibusdam etiā sedibus illa intercedunt: idq; potissimum in illorū ossium interuallis q̄ in secundo ordine reponuntur, quibusq; postbrachiale coarctat. Quæ cubitum, seu radium, vlnamq; brachiali colligant, membraneis reliquorum articulorum ligamentis respondent. Radius v. & vlna,
C prope brachiale & cubiti cum humero articulum, ligamētis validis, in circuitu ossa ambientibus alligatur. Per totam longitudinem, qua inuicem radius & vlna dehiscunt, validum & membraneum habetur, ab acutiori vlnæ linea in radii lineam insertum. Radius humeri exteriori capiti validis, sed membraneis ligamentis, perinde ac ceteri articuli, alligatur.

De peculiaribus penis virilium testium, & muliebris vteri musculis. CAP. XXX.

PEnem quatuor mouent musculi, quorum duo carnei quidē enascuntur ab anteriori sede musculi rectū intestinum orbiculatim amplectentis, *de quo suo dicemus loco*, inuicē sibi proximi, & internis lateribus mutuo committuntur, rectaq; sursum in priora ad vri-
D narii meatus sub illis corporibus ad superiora reflexum ascendentes, eius meatus lateribus inseruntur, & inuicem dirempti, corpora penis nonnihil digitorū modo amplexātur. Alii duo vtrinq; habentur singuli, ab appendice ossis coxendicis paulo inferius, quā penis corpora principium ducentes, quod carneum est, & gracile, & oblique sursum p̄cedentem efficit musculum, qui carnosus permanens, sui lateris corpori non procul ab exortu inseritur. ¶ Quatuor iis musculis penis radix voluntario impetu trahitur, hinc & eiectionis quandam vim præter naturalē ipsi facultatem insitam, obtinet. Quanquam priores duo musculi in vrinę, seminisq; excretionibus communē illum vrinæ, seminisq; meatum veluti digitis quibusdā aperire videnť, ne meatus in obliquo hoc reflexu restrictus, eiusmodi humorum expulsionem prohiberet, & potissimum seminis, cuius eiacu-
E lationem Natura impetu perfici voluit. Nisi enim ii musculi inferiorem meatus sedem in hoc reflexu deorsum vellerent, in penis tentigine totus meatus occluderetur, quod ipsius pars superior a distentis corporib. adeo pertinaciter huc illuc alliceretur. ¶ Porro ad vnumquemq; testem singuli musculi graciles admodum pertingunt, ex ea vasorum seminalium & testis tunica efformati, q̄ a peritonæo principium ducens, vasa simul cum teste continet. Hæc enim in posteriore ipsius sede illico, in ipso a peritonæo exortu, longis rectisve, ac inuicem sibi proximis, carneisq; fibris ita adaugetur, vt fibræ illæ graciles oblongiq; musculi naturam exprimant, qui illi testis tunicæ semper innatus deorsum protenditur, ac tandem iuxta infimam testis sedem, vna cum illa tunica vasi ei seminario applantatur, quod a testibus iam paratum semen assumit, idque sursum in peri-
F tonæi amplitudinem deducens, in vesicæ ceruicem se profundit. Neque al.qua prorsus parte, testibus, aut seminariis vasis tunica illa pertinaciter adnascitur, quam vbi simul cum musculosa ipsius substantia insertionem ad semen deferentis vasis inflexum molitur, qui ad infimam testis sedem reflectitur adeo, vt musculus ipse nusquam testem contingat. ¶ Horum quidem musculorum ope, testes viri obscure ac modice sursum velluntur, ne plus æquo laxati, & ad anteriora pendentes, nimio oneri

Penis musculi. Ves. lib. 2. cap. 50.

Vsus.

Viriliū testium musculi. Vesalius ibidem cap 33.

Gal. lib. 2. de semine. seminariis vasis sint. Hinc est quod Græcis κρεμαστῆρες sint dicti. ¶ Prædictum vero vsum musculi illi in coitu potissimum præstant, si enim testes vasis seminariis oneri semper essent, atq; hæc ad inferiora protracta perpetuo arctarentur, non adeo commode semen eiacularent atque modo, quum testium a musculis iam attractorum pondere subleuata, magis patescunt. ¶ Ceterum ii musculi nullum sortiuntur musculum, contrarii motus auctorē. Nullus enim qui testes ad inferiora reuellat exstructus est, quandoquidem testes, quos non nisi recta deorsum, nec in vllam partem inclinantes prolabi decebat, abunde a naturali ipsis indita grauitate dimittuntur, idq; subinde adeo, vt ne minimum quidem sursum ægris, senibusq; allici possint. Vt errasse Arabes hinc euidētissimū sit, qui binos in viris cuiusq; testis musculos, in mulieribus autem vnicum haberi scriptū reliquerunt. ¶ Porro mulierib. Natura similiter musculos largitur, quos in peritonæo, vt reliqua ipsarum generationis instrumenta, recondidit. Ea enim peritonæi pars seu processus, qui vtinq; a lateribus ad vterum instar mesenterii pertingit, venasque & arterias vtero deducit, & demum cum alterius lateris peritonæi processu, exteriorē vteri tunicam procreat, carnosis quoq; adaugetur fibris, ex ilium regionibus deorsum oblique, ad vteri latera perreptantibus, adeo sane, vt & mulieribus vtrinque singuli sint musculi, illis specie similes quibus viri testes donantur. Et plerunque sunt graciles, neque admodum carnei. His leuiter vterus ad superiora versus ilia contrahitur, quod mulieres tunc facile percipiunt, quum ilia trahere, colligereq; conantur, & vteri ceruicis os, totumq; vterum, penitius in peritonæi amplitudinem allicere student.

Arabum error.

Musculi muliebris vteri.

A B C

De ceruicis vesicæ musculo. CAP. XXXI.

Virilis vesicæ musculus. Vesalius li. 2 cap. 50. Gal. lib. 5. de vsu part. cap. vlti. Muliebris vesicæ musculus. Vsus. Galenus ibidem.

AD virilis vesicæ finem vbi in ceruicem finitur, glandosum quoddā corpus ipsi obnascitur (*de quo tertio agemus fusius libro*) inter quod & reflexum, quem vesicæ ceruix sub pubis osse primum molitur, musculus vnus, totam fere hanc meatus sedem orbiculatim ambiens, nascitur, qui oblonga annuli, aut oblongi rotundiq; meatus effigiē exprimit, fibris transuersim circularibus intertextus, & superius iuxta glandosum corpus crassior, quam inferius. ¶ In mulieribus vero, quarum vesicæ ceruici eiusmodi corpus glandosum non adnascitur, musculus totū meatum ambit, qui a vesicæ corpore in superiorem sedem ceruicis vteri non procul a pudēdo subingreditur. Et quanto hic musculus in mulieribus prolixior est, tanto etiam tenuior visitur. ¶ Eundē vsum in viris & mulieribus præstat. Siquidē primario a rerum Opifice conditus est, vt meatui vesicæ præficeret, obstaculo futurus ne transuersæ vesicæ fibræ motu suo naturali vrinam præter voluntatem excernant. Necesse enim fuit egerendis e corpore excrementis motus præesse voluntarios. Si enim naturali duntaxat motui excrementorum expulsio committeretur, continuo promanarent, atque id præterquam quod fœdissimum censeretur, ad plurimas actiones, quas tota vita subimus, insignes noxas inferret.

D

Quo minus igitur circulares vesicæ fibræ, vrinā quoties ipsa aut copia, aut mala quapiam qualitate hominem grauat, etiam citra hominis imperiū, ꝑpelleret, Natura meatui vesicę hunc musculum præfecit: quo laxato vrina transuersarum vesicæ fibrarum vi pressa excernitur, interdum etiam huic functioni auxiliantib. abdominis musculis, & septo transuerso spiritus compressu ad inferiora (vt suo diximus loco) depulso. Quum vero vrina defluxit denuo musculus constringitur, quicquid ex vrina reliquum meatui adhuc inhæret propellens. Relinquūtur autem tres quatuorve guttulæ, quæ emissa iam vrina promanare solent. Atque ita constat duos esse præcipuos præsentis musculi vsus, vnum quidem, vt ori vesicæ claudendo opituletur: alterum vt nihil in vrinario meatu relinquatur. *Tertius* vsus est, *Galeno attestante*, vt ad excretionis promtitudinem, velocitatemque, nō quidem eius vrinæ quæ est in vesica, sed illius quæ est in vrinario meatu, cōferat. Neq; enim tam velociter vt nunc vrina mordax vrinarium meatum pertransiret, nisi hunc musculum extrinsec⁹ ei meatui, qui abunde obliquus est, Natura circūposuisset. ¶ Atq; hanc quidem Galeni fuisse sententiam verba eiusdem palam testantur. Ait enim, *Ne vero id omne, quod ex vesica comprimente hoc musculo, in meatū vrinarium tortuosum admodum inciderit, diutius ibi insideat, musculum hunc qui ex fibris trāsuersis conflatus est, extrinsecus ipsi circumiecit, qui protinus & ori ipsius vesicæ clausioni subsidio futurus esset.* Et paulo post inquit. *Porro quæ ipsam iniectionem excipit eius quod reliquū est guttatim expressio, ac potissimum*

Ibidem.

E F

quum

A *quum vrina mordax admodum fuerit, a nullo superiorum instrumentorum, sed ab hoc solo perficitur musculo.*

De recti intestini musculis CAP. XXXII.

NAtura recti intestini extremo finive, anum vocant, tres musculos largita est. *Vnum*, qui immaturam inuoluntariamq; excrementorum egestionem prohibet: & alios duos, qui post egestionem protrusum recti intestini finem alacriter sursum reuellunt. Hi itaq; lati & tenues, neq; admodum carnosi aut rubentes sunt. A ligamentis ex pubis ossibus, & coxendicis osse, & sacro exortis, quæ huius regionis musculis obducuntur, ipsaq; demum peritonæi infima sede, vtrinq; singuli enascuntur musculi, qui deorsum protensi, rectum intestinum amplexantur, extimę tertiæve ipsius tunicæ inserti. Præ- B sentes musculi cum lati admodum sint, & suis finibus totā intestini latitudinē ambiant, ipsorum portio radici quoque penis, mulieribus vero vteri ceruici adnascuntur. Anus. Vesalius li. 2. cap. 51. Musculi sedē sursum vellentes. Galenus li. 6. anatom. adminis.

Horum vtiq; musculorum (*vt comprehēsum est*) munus esse solet, vt sedem illico ab excretione sursum reuellant, quæ deorsum in musculorum abdominis, & septi transuersi, auxiliantibus etiam subinde omnibus thoracem arctantibus spirituмq; continentibus musculis, propellebat. Nullus autem illis, qui anum sursum ducunt e regione opponitur contrariæ functionis opifex, qui nimirum deorsum trahat, *quemadmodum in multis alijs partibus musculi opponi consueuerunt*. Sciebat enim Natura interdum a musculis abdominis vna cum septo transuerso, sedem adeo protrudi, vt ne a relatis quidem duobus musculis promte queat retrahi, sed manibus egeat auxiliatricibus. ¶ Ab horum fine tertius præ- C terea musculus exsistit, qui orbiculatim extremum recti intestini ad cutem vsque amplectitur. Hic prædictis similiter non admodum carneus est, & mucore quodam oblitus, fibras tamen transuersas adipiscitur. Elatiori parte qua dictis musculis connascitur crassior, quam inferiori est: qua vero cuti permiscet, peculiare cū ipsa corpus efformat. ¶ Cohæret autem fibrosis nexibus meatui vesicę in viris, in mulieribus v. ceruicis vteri principio. Quanquam etiam duorum musculorum, quib. in viris principium porrigit, interuentu, peni committitur. Ceterum posteriori sua regione, quatuor coccygis ossiculis adnascit. Ex lateribus connectitur teretibus ligamentis a sacro osse in coxendicis os pnatis. ¶ Præsens musculus non adeo, vt pleriq; arbitrantur, breuis est, sed longus, & secundum magnum recti intestini longitudinis interuallum exporrectus visitur. Quod D non perfunctorie ab illis venit expendendum, qui sedis fistulas, & excrescentias, quas σαρκώματα, καὶ κονδυλώματα Græci appellant, subinde præscindere verentur, huius musculi muneris abolendi metu. Licet enim musculi portio aut ferro diuidatur, aut quauis alia occasione diuulsa laceretur, tamen quum latior secundum intestini longitudinem sit, eius munus non ita promte aboletur. ¶ Musculus iste circulatim intestinum rectum ambiens, eius orificium stringit, ne præter voluntatem intestina naturali suo motu excrementa assidue egerant, sed vt tempestiue, dum aut mole, aut vitiata qualitate hominem molestāt, laxatus instar fidi ianitoris ea transmittat. Hinc rectissime Gręcis σφιγκτήρ, quasi dicas *constrictor*, nominatur. Vsus. Galenus li. 5. de vsu partium ca. 14. Musculus orbiculatim recto intestino obductus. Connexus. Vesalius ibidem. Vsus.

De musculis femur mouentibus. CAP. XXXIII.

E FEmur decē, aut si in maximū redigant numerū, quatuordecim ppriis agit musculis, qui id extendunt, flectunt, introrsum alteri cruri adducunt, extrorsum in latus amouent, & circumagūt. Flectitur itaq; femur ad inguina, quū ipsum attollimus, & sursum ferimus. Extēditur a. quū id deorsum, & ad terrā deprimimus. Summā v. extensionē habet, quū stamus. Proinde Natura iure optimo fortib. multis ac magnis musculis actionē hāc, nēpe extensionē, cōmisit. ¶ *Primus* igitur femur mouentiū muscul⁹, sub summa cute cōsistens, alteriusq; lateris natem pręcipue efformās, ab iliū ossis posteriore parte lato & carnoso admodū principio, & sacri ac coccygis ossis posteriori sede, velut ex semicir- F culo enascitur, & in corporis lat⁹ nōnihil obliq; deorsum perreptat, toti coxendicis articulo superuectus. Vbi v. articulo insternitur, gracilior, angustiorq; tātisper efficitur, donec in latum & validum finiat tendinem, quo exteriori magni femoris processus sedi, & eius quoq; radici ampla insertione innascit. ¶ *Secundus* magna ex parte sub primo recōditus, ac admodū liuidus, pſertim in musculosis, & nō valde obesis, ab anteriori superioriq; ossis iliū spinæ regione lato quoq; & carneo exortu enascitur, totam fere ilium ossis Vesalius li. 2. ca. 50. Galenus li. 15. de vsu partiū ca. 8. Primus femur mouentium. Vel. ibid. Secundus.

spinæ sedem occupans, a qua primus initium non mutuauit. Hinc deorsum obliq; nonnihil ad latus descendit, vt sensim arctior redditus, primum musculum totum subeat, articulū quoq; coxendicis integens, e cuius regione in membraneum, sed validum tendinem cessat, q elatiori magni femoris ꝓcessus parti implātatur, anteriorē quoq; ꝓcessus regionem aliquantulum comprehendens. ¶ *Tertius* secūdo longe minor, tanto scilicet quanto secundus primo, ac sub ipso penitus occultatus, ab ilium osse iuxta posteriorem coxendicis acetabuli sedem, lato & semicirculari, & vt duorum priorum carneo crassoque initio pronascit. Dein in priora modice deorsum procedens, coxendicis articuli ligamentis fibrosis nexibus hæret, & arctior redditus, in latum, robustumq; cessat tendinem, qui maiori femoris processui expansus, anteriori ipsius parti, atq; adeo apici inseritur. Hic musculus admodum liuidus apparet, præcipue in musculosis, & non valde obesis, in quibus secundus etiam (vt dictum est) qua tertio incumbit, liuet. ¶ *Quartus* musculus magna ex parte liuidus quoq;, & paulo minus totus teres, non autem dictorū modo amplus exsistit, a lateribus trium inferiorum sacri ossis vertebrarum, quib. ilium ossa non coarctantur, carneo latoque principio exoritur. Hinc in latus seu extrorsum ab osse sacro scilicet ad femoris magnum processum transuersim excurrens, carneus aliquousq; permanet, & tandem arctior redditus, priusquam femur contingat in teretē cessat tendinem, posteriori maioris femoris processus sedi implantatum, iuxta ipsius summum & apicem. ¶ *Quintus* omnium corporis musculorum maximus, pluribus partibus a coxendicis ossis appendice ad pubis ossis vsq; regionem principium partim neruеum, partim carneum ducit, & deinde statim parui, internive femoris ꝓcessus radicē ad posteriorem ipsius regionem amplectit, & ab hac in acutam, asperamque femoris lineam continuo inseritur, quæ in posteriori femoris sede secundum ipsius longitudinem deorsum a parui processus radice protenditur. Quemadmodum autem musculi huius principii continuus est ortus, ita quoque continua eiusdem visitur insertio, si modo posteriorem musculi partem excipias. Hæc enim a coxendicis appendice nerueo exortu pronata, musculum quodammodo per se efformat, qui in miram ventris amplitudinem dilatatus, deorsum recta per femoris posteriora fertur, donec denuo gracilescens, teretē tendinem in internum femoris caput inserat. Quapropter potest hic musculus aut vnius, aut duorum, aut trium, prout cuiq; visum fuerit, numerari. Nā etsi duas habere partes, interiorem nimirum, & posteriorē videt, tamen quia hę sibi adnatæ sunt, licebit vnum esse dicas musculum. Aut si placuerit vtrasq; partes duorū musculorū vice numerato, vt sc. vnus sit qui femoris interno capiti tendinem porrigit: alter v. quia acutæ femoris lineæ implantatur. Aut si maiori adhuc numero delectaris, anteriorem partem in duos musculos subdiuidito, ꝓpter nimirum fibrarum ductum, & insertionē diuersam. Atq; sic quidem tres erunt musculi. Portio namq; anterioris partis, quæ pubis ossium commissuræ proxima est, admodum obliquas, & fere transuersas habet fibras, q̄ ab exortu retrorsum ad radicem parui femoris processus contendunt, & superiori parti acutæ femoris lineæ inseruntur. Reliqua v. anterioris partis portio quæ ad infernā magis coxendicis ossis sedem principium ducit, obliquas obtinet fibras, sed propemodum rectas, & inferiori asperæ prominentisq; lineæ sedi continuo implantatas. ¶ Hactenus cōmemoratis quinq; musculis tensio femoris primario cōcredita est, iidemq; motui eiusdem qui in latus, & in circumactu fit seruiunt. ¶ *Primus* n. validam, & in neutram partem vergentē extensionē efficit, amplo ipsius principio, & lato tendine femur reuelliēs. Si v. elatiorem duntaxat sui principii partem tetenderit, aut humiliorem, non quidem in neutrum latus inclinantem efficit tensionem, verum in hoc illudve latus vergentem. ¶ *Secundus* autem extendit simul, & sursum versus exteriora trahēdo femur, ipsius caput intro in coxendicis ossis acetabulū adigit. ¶ *Tertius & quartus* femur quoq; modice sursum trahentes tendunt. ¶ Dein & quartus foras etiam circumagit, tertius autem femur circumuertit, paulo magis in posteriora tendens, quam sursum trahens. At vtriq; multo infirmius motui qui in gyrum fit subministrant, quam musculi, quibus hoc propriū munus delegari paulo post dicemus. ¶ *Quinti* musculi fibræ posteriores, seu musculi illius posterior pars rectis donata fibris, crus firmum stabilit, ac terræ affigit, femur extendens. Anterioris autem partis posterior portio, non minus idipsum suis fibris præstat, cum modica tamen femoris ad interiora adductione. Altiores vero fibræ, quæ ossis

Margin notes: Galenus ibidem. — Tertius. — Quartus. — Galenus ibidem. — Quintus. — Quinque primorum femoris musculorū munus.

Margin letters: A B C D E F

A ossis pubis cartilagini vicinæ sunt, aut potius anterioris musculi partis prior portio, introrsum ducit femur, & fibræ huius portionis altiores, ita femur ducentes, illud quoque sursum reuellunt, flexionisq; quodammodo auctores euadunt. Nunc enarratis quinq; musculis flectentes opponuntur, qui illis pauciores sunt, nempe tres duntaxat proprii, sextus nimirum, septimus, & octauus. ¶ *Sextus* ex vndecimæ, & duodecimæ thoracis, & primæ, secundæ, & tertiæ lumborum vertebrarum lateribus, carneo enascitur principio quod simulatque prodiit, musculum teretem constituit, deorsum oblique versus exteriora descendentem. Vbi ad eam ossis pubis regionem deuenit, qua coxendicis ossis nomen assumit, in validum & teretem tendinem cessans, tandem interiori, seu minori femoris processui inseritur, elatiorem processus partem occupans. ¶ *Septimus* ex tota interioris ossis ilium regione tanquam ex semicirculo carnosam quoq; originem accipit, & hoc eductus principio, paulatim arctior, crassiorq; redditur, deorsum in priora corporis procedens. Hic per altiorem ossis coxendicis regionem vectus, adhuc carnosus ad minorem femoris processum descendit. Vbi vero processui vicinius appropinquat, in teretem quoque cessat tendinem, qui humiliori eius processus parti, prædicto nunc tendini proximus implantatur. ¶ *Octauus* musculus ex tota pubis ossis linea ab anteriori coxendicis ossis acetabuli sede ad ossium pubis vsq; commissuram extuberante principium ducit, quod ad posteriora admodum oblique descendens, atque amplum tantisper asseruatur, donec breui, sed amplo tendine, femoris ossi inseratur. Fit vero

Sextus.

Septimus.

Octauus.

C ipsius insertio e regione parui femoris processus in interius femoris latus, oblique deorsum versus posteriora tendens. Tribus iis musculis natura vt simul femur flecterent, & introrsum versus alterũ crus admouerent, commisit. *Sextus* enim sursum valide femur attrahit, flectitque ad interiora id agens. *Septimus* similiter femur sursum attollendo flectit, & paulo insignius sexto, versus interiora admouet. *Octauus* modice sursum femur contrahit, infirmæque flexionis auctor censetur, verum adhuc magis septimo introrsum vellit. Ita profecto vt flectentes & extendentes musculos, duobus quoq; reliquis ad interioraq; motibus Natura præfecerit. Porro tribus flectentibus, musculus quem inter tibiæ motores nonum enumerabimus, aliquid auxilii suppeditare videtur. ¶ Ceterum duo adhuc supersunt musculi femur contorquentes, quos nonum & decimum numerabimus. ¶ *Nonus* itaque liuidus, & vt ceteri huius articuli, carnosus visitur, & transuersim in exteriora protensus, totum pubis ossis foramen exterius contegit. Deinde per exteriorem ceruicis femoris sedem productus, valido satis & vtcunque amplo tendine insertionem molitur in magni femoris processus sinum, qui femoris ceruicem, & caput ossis coxẽdicis acetabulum subintrans e directo respicit. In anteriora femur circumagit, & circumuertit. ¶ *Decimus* posteriorem, internam ve dicti iam foraminis sedem occupat, nono longe validior. Huius principium, quod latum & carnosum est, & veluti tribus lineis seu inscriptionibus insignitur, a linea exorit quæ ab interna iliũ ossis sede, qua primi ossis sacri transuerso processui committitur, per internam coxendicis ossis & pubis regionem, ad pubis vsq; ossium commissuræ elatiorem partem protenditur, sensim tamen adeo arctatur, vt eius amplitudo coxendicis interuallum non vincat, quod inter acutum ipsius processum, & posteriorem suæ appendicis sedem habetur. Ad hoc enim interuallũ, ꝙ amplũ sibi insculptum gerit sinum, musculus iste reflectitur extrorsum, magnum femoris accedens processum. Atque hunc sane reflexum magna conditoris industria molitur musculus. Qua enim ad sinum hunc circumuoluitur, externa parte carnosus est, ea vero parte qua sinum tangit, omnino neruosus conspicitur, & veluti tres teretes commonstrat tendines, serie quadam ad sinum reflexos. Vbi sinũ superarunt inuicem collecti in vnum finiuntur tendinem, qui sinui maioris femoris ꝓcessus inseritur. Porro vt solo rotulæ sinui funem non committimus, sed rotulam in trochleo aut furcula, ne ex sinu funis labatur, firmamus: ita hic quoq; Natura ossium sinu non contenta, a superiori sinus parte vnum, & ab inferiori alterum eduxit musculum, qui ambo vna cum decimo porrecti, illum quo minus sua sede declinaret, asseruant, & & cum decimo in sinum magni femoris processus insertionem moliuntur.

D Nonus.

E

Decimus.

F

Ceterum ab interna regione, vbi iam flexus non amplius obliquatus ad femur ducitur, carnosa etiam substantia a coxendicis osse pronascitur. In tuo igit est arbitratu, aut hos musculos, aut carneam molem tendines excipientẽ decimo iungere, atq; ita ꝓprios

Quot femur mouẽtes musculi constitui possint.

femoris musculos decem enumerare. Aut si mauis, vtrunq; distingues, & duodecim recensebis. Quod si quintum in tres digesseris, omnes erunt quatuordecim. ¶ Decimus autem in nostro numero vna cum duobus illis gracilib. femur in posteriora circumagit. A

De musculis tibiam mouentibus. CAP. XXXIV.

Primus tibiam mouentium musculorũ. Ves. lib. 2. cap. 53.

TIbiam mouentes musculi nouem sunt, quorum quidem primus ab anteriori ossis ilium spinæ sede, aut ab ilium ossis appendicis anteriori extremo, nerueo & modica carne commisto principio enascitur. Hic nõ procul ab origine totus carneus euadit, ac modice dilatescens gracilis permanet, hancq; formã ad tendinis vsq; productionem retinet, qui ab ilium spina deorsum obliq; versus interiora sensim prorepit, vt internum femoris latus tandem iuxta mediam femoris longitudinẽ exquisite occupet. Hinc adhuc magis in interiora retrorsum paulatim procedens, e regione interni femoris capitis iuxta genu consistit, ad quod veluti obliquo ductu reflexus, antrorsum descẽdit, tendinem in anteriorem tibiæ sedem, ad internum latus acutæ illius lineæ secundũ ipsius longitudinem exporrectæ, adamussim teretem inserit. ¶ *Secundus* amplo, & prorsus nerueo principio ex pubis osse enascitur. Vbi enim pubis ossa inuicem cartilagine cõmittuntur, secundum commissuræ longitudinem duo sibi contigua oriuntur musculorum principia, quorum alterum ad dextrum crus, alterum vero ad sinistrum defertur, secundum hunc musculum constituens. Non procul ab origine strictior, crassiorq;, & carnosus prorsus hic efficitur musculus, vt eius latitudini crassities vix cedat, & paulo minus toto teres euadat deorsumque per femoris interiora descendens sensim gracilior tantisper euadit, vt iam inter femoris caput non procul a genu articulo contingens, in exactum, teretemq; tendinem finiat, eadem sede qua primi musculi tendo tibiæ innatum, sed tanto interius, seu posterius, quanta primi musculi est crassities. ¶ *Tertius* ex infima coxendicis ossis sede oritur. Ab elatiori enim & maxime posteriori eius appendicis sede nerueus, gracilisque enascitur, hinc deorsum descendens aliquantulum sub origine carneus, teresq; quodammodo fit. Postea deorsum per femoris posteriora prorepit, aliquantulum oblique tantisper ducitur, donec ad posteriorem sedem interni femoris capitis prope genu pertingat. Ibidem enim attenuatus, & in teretem tendinem degenerans, in tibiæ anteriora reflectitur, eadem regione tibiæ qua prædicti insertionem molitur. ¶ *Quartus* ex coxendicis ossis appendice, non ita lato vt tertius principio, exoritur, ac paululum sub exortu primum carneus efficitur, exacti musculi formam multo quam tertii crassiorem referens, ac per femoris posteriora sensim deorsum, versus exteriora descendit. Vbi vero femoris mediam longitudinem superauit, tenuior reddit, & externa sua sede nerueus admodum, quasi tendinem educturus, apparet. In interna autem sede, alia pars carnosa hic ex femore pronata ipsi vbi tendinem videtur producturus, ita adnascitur, ac si alius hic oriretur musculus qui quartum augeret: atq; simul ex ambobus vnus efformaretur musculus, qui denuo crassescens carnei cuiusdam musculi imaginem exprimit, & deorsum protẽsus exterioriq; parte admodum neruosus, insigni tendine fibulæ implantatur, validam insertionem in processum superioris appendicis fibulæ pertinaciter molitur. Ceterum siue quartum hunc musculum vnius loco, aut duorum enumeres, nihil interest. Ordinis tamen gratia, vnicum oportunius statues.

Secundus. Tertius. Quartus. B C D E

Quintus.

¶ *Quintus* a coxendicis ossis appendice sub tertii & quarti musculi capitibus, neruosum principium ducit. Vbi tamen ad mediam femoris longitudinem musculus iste descendit, exacte carnosus efficitur, delatusq; per femoris posteriora, secundum posteriorem interioris femoris capitis sedem reflectitur, & simulatque elatissimam tibiæ partẽ pertingit, in teretem cessat tendinem, interiori lateri anterioris tibiæ partis insertum, in ea nimirum regione, in quam primum, secundum, & in tertium tibiam mouentes musculos ipsorum tendines porrigere relatum est. Verum huius quinti musculi tendo non æque deorsum atque tertii musculi tendo in tibiam prorepit. Huic musculo ex abundanti sinus quidam oblongus accidit, in posteriori ipsius sede statim ab exortu ad mediam femoris vsque propemodum longitudinem ipsi insculptus. Totus hic sinus liuidus admodum est, & musculi tertii gratia incisus. Is enim sinui incumbit, ipseque sinus illius moli accurate congruit. ¶ *Sextus*, qui rariorem inter reliquos musculos naturam adipiscitur, a latere primi musculi externo, ab ilium ossis spina enascitur, intus acutum, carneumque caput obtinens, quod muris, lacertæve modo latescens, deor- F

Sextus.

A deorsum ad regionem coxendicis articuli fertur. Vbi rursus caput id seu musculus angustior redditur, & priusquã magnũ exterioremq; femoris processum perreptet, non amplius carneus conspicit. Adeo vt hic musculus nihil aliud erit, q̃ longissima & latissima membrana tendinis naturam referens. cui nũc descripta & carnei, exactiq; musculi formam repręsentans pars innascitur. Statim enim ab initio in exteriori parte instar latæ membranæ in conspectum venit, aliquousq; coxendicis articulũ amplexantib. musculis obductæ. Quum vero membrana magnum femoris processum superauit, totam anteriorem femur amplexantium musculorum sedem, deinde & posteriorem, & exteriorem cutis quasi modo tantisper integit, quousq; ad genu articulum descendat, quem B vbi similiter quoq; membrana obuoluit, ipsa in anteriorem tibiæ sedem, & externum illius latus inserit. ¶ *Septimus* neruea lataq; & ampla origine ab externo femoris ossis latere pronascitur, totam radicem magni femoris processus in orbem amplexus. Origo hæc statim ab initio crassa carnosaq; efficitur, & illico a femoris osse abscedens, octauo insternitur musculo. Is namque aliqua sui portione huic septimo subtensus in caussa est, quo minus septimus tota femoris longitudine ipsius ossi, quemadmodum octauus, adnascatur. *Septimus* itaque musculus sua amplitudine totum externum femoris latus citra omnem, præterquam in exortu, ad os connexum amplectitur, magnam etiam anterioris & posterioris sedis femoris partem occupans. Hic toto descensu carnosus visitur, paulo supra molam aut patellam in amplum tendinem desinens, q̃ octaui musculi C & noni tendinibus commistus, simul cum illis patellam apprehendit, atque tandem in anteriorem tibiæ sedem inseritur. ¶ *Octauus* totam propemodum femoris ossis amplitudinem succingit, a femoris ossis ceruice exorit̃ nerueus, sed sensim carne adauctus, a femoris quoq; magni processus radice ipsius portio ita enascitur, ac si eius obliqui ductus gratia, duo principia obtinere non inepte diceretur, ac vnum femoris ceruici, alterum magno illius processui acceptum ferendum esset. Obliqua & ampla hac origine pronatus deorsum descendit, femoris os adeo ambiens, vt duo ipsius latera in posteriori femoris regione paulo min⁹ toto sint contigua. Quo v. magis descendit, crassior semper, carnosiorq; efficitur, quousq; ad internum latus anterioris in femore regionis, quodammodo in crassum & admodum semicirculum prope patellã extuberat, ex quo D latus, validusque enatus tendo patellam amplectitur. Hinc musculus tota ipsius longitudine e directo semper carnei illi⁹ semicirculi, & ceruicis femoris carnosior, crassiorq; apparet, quam qua septimo musculo substernitur. Sub illo enim tenuior euasit, attamen carnosus inibi quoque permanet. Quum vero secundum femoris longitudinem in anterioris ipsius sedis interno latere octau⁹ muscul⁹ procerius extuberat, & septimi quoq; anterior pars e directo lateris femoris exterioris eius sedis femoris quæ anterior est, exporrigitur, in medio anterioris femoris sedis septimus vna cum octauo sinum efformat impense liuidum, cui tota femoris longitudine musculus nonus innititur. ¶ *Nonus* autem musculus ex ilium ossis tuberculo in anteriori ipsius regione super coxendicis ossis acetabulum prominente, principium nerueum, acutumq; assumit, quod deor- E sum recta in femoris anteriora descendens, lacertæ, murisque formam adipiscitur carnea substantia auctus, & illi sinui incumbens quem septimus cũ octauo efformat. Priusq̃ vero medium longitudinis femoris descendendo superarit, arctior, graciliorque sensim efficitur, vt multo supra genu articulum in tendinem finiat, vtcumque amplum, sed tenuem qui recta patellam accedens in anteriori ipsius sede denuo dilatatur, tendinibus septimi & octaui musculorum permistus. Atq; hic ex tribus postremo iam enarratis musculis vnus tendo conflatur, cui patellæ corpus vniuersum innascitur. Nihil enim ipsius patellæ tendine non obducitur, præter interiorem ipsius superficiem, quæ leui cartilagine incrustata, sinum inferiorem femoris capitum respicit, mutuoq; ingressu cum illo respondet. ¶ Quum vero tendo iste ad eum modum patellã amplexus, & in- F terna ipsius sede quã femoris ossi non connascitur, multo adipe, & mucoso, viscidoq; humore imbutus, genu articulum transcendit, arctior, & crassior efficitur, validissime in anteriorem tibiæ sedem, non procul sub articulo implãtatus. ¶ Primus, sextus, septimus, octauus, & nonus tibiæ extensionis opifices habentur. Secundus interim, tertius, quartus, & quintus tibiam liquido flectunt.

Septimus.

Octauus.

Nonus.

Vsus prædictorum musculorũ.

De musculo in poplite occultato. CAP. XXXV. A

Vesalius lib.2.ca.55.

EX ligamentis femur tibiæ connectentibus, de quibus suo dicemus loco, vnum in externo genu articuli latere habetur, admodum validum, & crassum. Ab huius itaque posteriori parte nerueum musculi principium exoritur, quod sua amplitudine in exteriori latere posteriorem genu articuli sedem contingit, atq; ex tota hac ligamentorum regione prodit. Hinc carnosis adauctum fibris admodum obliq; deorsum versus interiora descendit, musculum efformans paulo longiorem quam ampliorem. Finis enim huius seu insertio, iuxta radicẽ appendicis tibiæ ossis consistit, in ipsius posteriore parte adeo ampla, atque totius musculi visitur latitudo. Deinde vt musculus hic obliquus est, obliquam quoq; molitur insertionẽ. A posterioris enim tibiæ, sedis interno latere, deorsum versus internum latus oblique ita descendit, vt minima huius musculi pars genu ligamentis, maxima vero tibiæ committatur. Neq; solum huius insignior pars in tibia consistit, sed tibiæ quoq; ossi prolixa & ampla (vt dictum est) insertione implantat. Femoris autem ossi nullibi connatus est, multoq; minus ab hoc originem ducit. Præsenti musculo alius nullus, aut in exortu, aut in insertione subiicitur, sed articuli ligamentis & ossibus proxime attensus, sub illis musculis occultatur, qui ab inferioribus femoris capitibus enati, suram cum tertio quodam musculo efformant. Adeo vt nõ iniuria hunc in poplite occultatum & latitantem Galenus vocauerit. Is etiam arbitratur hunc præcipuum flexionis tibiæ auctorem esse. B

Lib. 2. ana. adminis.

De musculis pedem mouentibus. CAP. XXXVI.

Vesalius ibidem, ca. 59. Primus pedem mouentium.

PEdem quem perinde ac extremam manum flectimus, & extendimus, & deinde in latera ducimus, mouentes musculi nouem sunt, quorum primus ab interno femoris capite iuxta genu articulum vnico enascitur principio, si modo ipsius continuitatem spectes. Si autem substantiæ animum attenderis, id principium duplex apparebit. Vnũ quidem superius, & magis iuxta femoris medium interius: alterum vero inferius, & nõnihil exterius. Superior autem huius musculi principii pars carnea, lataq; est, & deorsum protensa, paulo sub genu articulo cum reliqua initii parte confunditur, quę exacte neruea liuidaq; in exortu erat, & recta deorsum per genu articuli posteriora descendẽs, valde carneum, crassumq; efformat musculum. Priusquam vero ad medium tibiæ longitudinis iam angustior redditꝰ pertingit, carnosus esse desinit, & ex suæ inferioris partis amplitudine tendinem latum educit, in cuius mediũ aliquandiu adhuc carnosa musculi pars porrigitur. Et hic sane musculus in interno latere posterioris tibiæ sedis ducitur. ¶ Secundus autem musculus in externo latere consistit, qui ab externo femoris capite pronatus deorsum fertur, omni ex parte primo musculo similis. Quum vero vtriq; musculi iam dicti a femoris capitibus deorsum tendentes, non procul ab exortu sese contingunt, inuicem fibrosis nexibus hærentes. Et quo magis deorsum prorepunt, eo validius connascuntur, vt iam tendo quem singuli producũt, vnus omnino fit ab vtrisque enatus musculis. Interior tamen, seu primus musculus nonnihil diutius carneus, quam secũdus deorsum ducit. Duo autem in supra ꝓminentes musculorũ ventres, carneæ partes sunt præsentium musculorum. Tendo autem ab vtrisq; enatus paulo angustior redditus, non multo sub carnosa musculorũ sede, cũ quarti pedem mouentis tendine congrediens, in posteriorem calcis sedem inserit. ¶ *Tertius* insigniter gracilis est musculus, ab externo femoris prope genu articulũ capite teres enascitur, iamiam in ipso exortu carneus, & gracilis. Ab ortu tamen non ita procul dilatescit, exacti musculi ventrem vtcunq; crassiusculum referens. Verum mox sub poplite venter iste gracilescens, summe gracilem, tenuemq; educit tendinem, qui sub duob. iam commemoratis musculis occultatus, & super quartum expansus, sensim obliq; deorsum ꝑrepit, quousque ad internum duorum primorũ musculorũ tendinis latus elabatur, vbi is quarto musculo validissime connecti incipit. Hinc deorsum ad internum vsq; calcis latꝰ fertur, iuxta posteriorem eius sedem ipsi implantatus. ¶ *Quartus* pedem mouentium suramq; constituentium, ac tibiam amplexantium maximus est, ex posteriori sede coarticulationis fibulæ ad tibiam, nerueo & valido initio pronatus nascitur, quod deorsum ductum adeo dilatescit, vt latitudinem tibiæ ossis & fibulæ vincat. Præsens tamen musculꝰ non æque crassus, ac latus amplusve est. Ex hac vero amplitudine priusquam medium tibiæ longitudinis superauit, sensim arctatur, & paulo supra calcis regionem in validissimũ, & crassum C D E F

Secundus.

Sura.

Tertius.

Quartus.

A &crassum tendinem desinit, cui duorum primorum tendo vnitus, simul cum ipso vniuersæ posterioris calcis sedi implantatur. ¶ *Quintus* in posteriori etiam tibiæ sede locatus, sub duobus musculis adhuc occultatur, digitorum pedis flexui famulātibus, quos simul cum quatuor cōmemoratis iam pedis musculis priusquam ille in conspectum veniat ademptos esse oportet. Principiū itaq; quinti musculi a tibiæ osse, & fibula, qua hæc ossa inuicem dehiscere incipiunt, exorit, & statim ab exortu carneus, latusq; visit, eadē prorsus latitudine ad inferiorem vsq; tibię ossis appendicē ꝓgrediens. ¶ Ceterum illico atq; hanc appendicem contigit, & propemodum æque latus adhuc atq; in media tibiæ sede conspicitur, ab interno ipsius latere teretem profert tendinem, q. iam aliquousque B in musculi carniformi substantia incipere videbatur. Vbi igit tendo is prorsus excarnis est, deorsum fertur, sinui incumbens in posteriori sede appendicis tibię ꝓcessus, qui interiorem malleolum constituit, exsculpto. In hoc sinu transuersum ligamentum tendini obducitur, hinc obliq; pedis interiora subeunti. Sub omnibus enim musculis inferiorem pedis sedem occupantibus præsens tendo tantisper prorepit, dum in inferiorem tarsi ossis sedem valide inserat, q. cubum, tesseramq; imitanti ossi proximū est. ¶ *Sextus* in anteriori tibiæ sede positus, omniū hui⁹ regionis anterior, ab anteriori sede coarticulationis fibulæ cum tibiæ osse ꝓnascitur, illicoq; dilatatus suum ostendit ventrem, nonnihil latiorem, quam profundiorem. Priusquam vero medium longitudinis tibiæ superat, sensim arctat, & multo supra pedem in teretem finit tendinem, qui deorsum per ti-C biæ anteriora prorepens in transuersum ligamentum a tibiæ osse in fibulam pronatum subit, & simul atque id ligamentum superauit, deorsum in pedis interiora descendit, & tantisper vehitur, quousque ad internum latus pedii ossis pertingat, quod pollici præponitur. ¶ Illi enim ossis peculiari processui inseritur valida sane applantatione ossis pedii tarsi commissuram apprehendens. *Septimus* a fibulę appendicis externo latere, & ligamentis ossa hic connectentibus neruеum, validumque principium ducit, totiusque fibulæ externo fere lateri attendit, nec ita multo ab origine carneus factus dilatescit, exacti musculi formam exprimens. Ad hunc modum ita carnosus paulo vltra medium longitudinis fibulæ recta decliuis fertur, in exteriori ipsius sede non exquisite carneus. Quandoquidem hic musculus istud sibi priuatim vendicat, quod in externa ipsius sede D etiam supra medium lōgitudinis tibię vtrinq; ad latera carneus sit. Verum inter duo illa latera validissimum tendinem commonstrat interna sede, & a lateribus carne enutritū. Vbi vero digno notatu interuallo musculus medium longitudinis fibulæ superauit, tot⁹ excarnis efficitur, teretem procreans tendinem, qui sensim obliq; retrorsum versus fibulæ posteriora contendit. Is posteriorem inferioris fibulæ appendicis sedem adit, hic sinum proprium & transuersum quoq; ligamentum obtinens. Ligamento itaque hoc q. a fibula in calcem procedit inuolutus, deorsum in priora versus pedis plantā ducit, adeo sane inflexus, vt in radicem pedii ossis inseratur, quod pollici præiacet, quod in externo ipsius latere processum obtinet, cui septimi huius musculi tendo apte implantetur. Aliquando tamen nō in hoc pedii os septimus musculus insertionem molitur, sed in radi-E cem pedij ossis medium digitum suffulcientis. ¶ *Octauus* sub septimo, excepta tendinis ipsius anteriori sede, prorsus occultatur, atq; ex fibulæ superiori appendice totus quoq; prodit, ad amussim carneus deorsum prorepens. Quum autem medium longitudinis fibulæ aliquousque superauit, in teretem etiam cessat tendinem, qui tandem processui ossis pedii validissime inseritur, quod tesseram referēti ossi adnexum, paruum pedis digitum sustinet. Verum hic tendo aliorum hactenus dictorum ritu, nō simplicem insertionem perficit, sed nonnihil ante insertionem ipsius tendo bicornis redditur, duplici insertione dicto ossi implantatus. ¶ *Nonus* portio est eius qui in anteriori tibiæ sede locatus quatuor pedis digitos extendit carnosa, iuxta medium tibię longitudinis externo ipsius latere enata. Quæ deorsum ducta in tendinem degenerat, qui transuersum ante-F rioris tibiæ sedis ligamentum subit, & superiori pedis regioni exporrectus, fibrosisque nexibus subditis musculis commissus, in duas portiunculas bipartitur, quas pedii ossi ante paruum digitum positi inserit. ¶ Ex iam dictis musculis primus, secundus, & quartus qui suram seu tibiæ ventrem (vt diximus) præcipue efformant, atque in posteriori tibiæ sede locati, validissimum fere corporis tendinem simul constituunt, robustissimi pedis motus auctores sunt. Calcem enim sursum in posteriora trahunt, pedemq; terræ

Quintus. Sextus. Septimus. Octauus. Nonus. Nouem musculorū pedem mouentium vsus.

firmant, seu in posteriora deorsum reflectunt. His certe quintus suppetias fert, pedem quoque terræ admouens, & interdum vt summis tantum digitis erigi queamus, in posteriora ducens. Tertius musculus inualide pedem extendit, illumque in obliquum versus interiora agit. Sextus, septimus, octauus, & nonus, contrarii motus, quũ simul tenduntur, duces sunt. Pedem enim sursum ad tibiæ anteriora flectunt; motu sane non æque atque posteriores digno ac valido. Si vero alternatim cum posteriorem tibiæ sedem occupantibus musculis contrahuntur, in hoc, illudve latus pedem agent. Atque ita qui flexionis, extensionisque auctores sunt, etiam motus in latera appositissime obeunt. A

De musculis pedis digitos mouentibus. CAP. XXXVII.

Vesa. lib. 2. cap. 60. Primus pedem mouentium.

PEdis digitos mouentes musculi sunt decem & nouẽ, vel si ad maximum numerũ redegeris, duo & viginti. Primus totus infernam pedis sedem seu plantam occupat, vniuersæ ipsius carnosæ substantiæ pertinaciter subnatum ligamentum habens, quod lati in manu tendinis (*vt infra dicemus*) vices gerit. Ab inferna itaque calcis ossis sede & anteriori illius calcis tuberculi parte, quod terrę innititur partim nerueus, partim carnosus pronascitur, ab exortu tamen illico carnosus euadens sensim dilatatur, multo latius, quam crassius redditum. Quum vero mediã pedis longitudinem ad digitos repens superauit, in quatuor carnosas portiunculas dirimitur, quæ inuicem diductæ, & æquales constituentes angulos, singulæ vnũ producunt tendinem, ad sibi præpositum digitum excurrentem. Huius quidem beneficio musculi, secundũ quatuor digitorũ flectimus articulum, eum quam possumus proxime ad calcem recta linea protrahentes. B

Secundus.

¶ *Secundus* non in pedis planta reponitur, sed in tibiæ posteriori sede locatus, totam illius longitudinẽ perreptat. A posteriori enim sede connexus fibulæ ad tibiam enascitur, statim ab ortu carnosus, & latus vtcunque versus tibiæ extremũ prepens. Toto hoc progressu, maximo surã efformante musculo contegitur: anteriori autẽ parte qua tibiæ posteriorem sedẽ respicit, fibulę posteriori parti attenditur, ipsi etiam aliquandiu adnatus: deinde qui ordine tertius futurus est, externo suo latere ipsi secundo hic quoque subiicitur. Illico vero atque ad infimã hic secundus musculus tibiæ sedem descendit, ab interno ipsius latere tendinem edit teretem, qui prius aliquandiu in carne pronasci videtur. Hunc sinus qui ad internum calcis latus vbi talum excipit, insculptus est, & transuerso ligamento obductus, tutissime deducit. Postquam tendo ligamentum id superauit, pedis inferiora oblique subit, a quo vtique exigua portio tendinibus commiscetur indicis & medii tertium internodium flectentibus, reliquus autem totus in secundum pollicis os inseritur, illius inflexionis auctor. C D

Tertius.

¶ *Tertius* qui quinto pedem mouentium insternitur, cui etiam forma perinde atque secundus similis est, pari ratione cum secundo in tibiæ posteriori sede locatus, totam illius longitudinem perreptat, ad internum tamen latus magis quam secundus respicit, longe enim magis tibiæ ossis, quam fibulæ innititur. Externo autẽ suo latere, secundo musculo subiicitur. A fibulæ autem ad tibiam nexu enascitur, & quum ad calcem fere descendit, atque adhuc latus conspicitur, ab interno ipsius latere teretem promit tendinem, qui plantam pedis subintrans secundi musculi tendini versus plantæ cutem magis subiectus, & cum illo X literæ imaginem efformans, modice dilatatur, ac in quatuor alios tendines digeritur, quos singulos quatuor digitorum tertiis ossibus inserit, primi musculi tendines, perinde atque in manu fit perforantes, atque ossa flectentes. Atque ita sane tres digitorum pedis primi musculi habent, quorum primus secundum quatuor digitorum flectit internodium. Secundus vero & tertius musculi, tertii quatuor digitorum & secundi pollicis articuli flexionis opifices sunt. E

Musculus 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.

¶ Decem musculi iam dictis succedunt, qui insigniter mutuo implexi sunt, ac pedii ossib. adnati. Quare in pede ita exacte vt in extrema manu distingui nequeunt. Rudis enim, indigestaque moles in planta conspicitur, quæ ad amussim carnea est, & fibris rectis interstincta. Deinde secundũ pedii longitudinem ducta, & illius quoque interualla opplens, in quinque digitorum radicem implantatur, vtrinque ad primi internodii latus versus interiora insertionem tendens. Integrũ tamen exit propter obscuras impressiones, & quandam cũ manus musculis imaginem, & parem quoque functionem, hic decem musculos quinque digitorũ primos articulos flectentes enumerare, vt nimirũ bini ad singulos digitos referantur. F

Decimus quartus.

¶ *Decimusquartus* musculus in anteriori tibię sede collocatus, & sub sexto pedem mouen-

A mouentium musculo occultatus, a tibiæ osse qua fibulæ sub genu articulo connectitur nerueum sumit principiū, quod illico ab ortu carneū euadens, recto tramite deorsum versus pedē descendit, in medio propemodū ductu carnosam sui portionē ab externo latere diffundens: quę deorsum ꝓtensa, ea est quam nonū inter pedem mouentes musculos recensuimus. Postquam vero hanc eduxit portionem carnosus adhuc deorsum fertur tantisper, dum transuersum ligamentū a tibia in fibulam pronatū, anterioremq; tibiæ sedē occupans, contingat. Ibidem enim in tendinem degenerat, qui per id ligamentum veluti per annulū prorepit, & priusquam ligamentū prætergredit, in quatuor alios tendines dirimitur, qui quatuor digitis inserti, eorundē extensionis auctores sunt.

Decimusquintus. *Decimusquintus* ad pollicem spectat, & in anteriori tibiæ sede collocatus, partim iam cō-
B memorato musculo subiicitur, partim vero illius interno lateri exporrigitur. A tibiæ enim ossis externo latere, vbi membraneū ligamentum tota tibiæ longitudine fibulam tibiæ ossi colligens, ab ipsa educitur, hic musculus principium sumit, quod carnosum in ea sede incipit, qua iam tibiæ os a fibula dehiscit. Hinc deorsum protensus, anteriorem tibiæ ossis sedem adit, ac in tendinem finiens per transuersum ligamentum in anteriori tibiæ regione consistens ducitur. Dein per pedis superiora ad pollicem prorepens, toti ipsius longitudini inseritur. Huius musculi ope pollex in neutrum latus insigniter vergens extenditur. ¶ *Decimussextus* in superiori pedis sede reponitur, huic regioni secundum longitudinem obductus. Iuxta latus enim tali, vbi calcis ossi tesseram referens os coarticulatur, ab huius sedis ligamento ampla moles carnea enascitur, quæ antrorsum
C oblique versus digitos porrecta, in quatuor carnosas partes dirimitur, quæ singulæ teretem efformant tendinem. Horum quatuor tendinum vnus, isque intimus externo lateri superioris sedis pollicis inseritur. Secundus ab hoc, indicis externo lateri implantatur, tertius vero medii digiti, quartus autem annularis, adeo vt solus paruus huiusmodi tendine destituatur. Horū tendinum beneficio, quatuor digiti illis donati, in externum latus abducuntur. ¶ *Decimusseptimus* in externo latere pedis reponitur, ab externo calcis ossis latere, vbi id tuberculū quoddam gerit, nerueo principio pronatus, quod non procul ab exortu carnosum efficitur, exquisiti musculi formam exprimens. Priusquam vero ad primum parui digiti articulū pertingit, in teretem finit tendinem, externo lateri primi illius ossis insertum. Hic musculus quū validus admodū sit, etiam si par-
D uus digitus a decimo sexto nullum tendinem recipit, eius digiti abductionem a ceteris plus satis perficit. ¶ *Decimusoctauus* interno lateri secundū totam ipsius longitudinem protenditur, muris quoq; effigiem proxime exprimens. A ligamentis calcem talo connectentibus nerueum assumit principium, quod crassius, carnosiusq; effectū, tandem in teretem degenerat tendinem, externo lateri prioris articuli pollicis insertum. Huius musculi beneficio pollex introrsum a ceteris digitis abducitur.

Decimus sextus. Decimus septimus. Decimus octauus.

Ceterum post decimum octauū in homine quatuor tantum adhuc musculi, quatuor digitos in internū latus ducentes, qui similiter atq; in manu, illis tendinibus exporrigūtur, qui tertium digitorū flectunt internodium. Nam in planta pedis carnea consistit moles & substantia, a ligamentis ossa tarsi posteriorib. pedis ossis colligantib. enata, inq; quatuor graciles dissecta portiones tendinibus adhærentes, quorum ministerio tertiæ
E quatuor digitorum ossa flectunt. Hæ portiones interno quatuor digitorum lateri ad primum articulum insertæ, eorum ad pollicem adductionis auctores habentur. Si itaq; carneam hanc molem quatuor musculorum loco habueris, omnes pedis digitorum in homine musculi duo & viginti erunt. Si vero vnius loco id corpus numeraueris, tantum erunt decem & nouem.

Quatuor musculi digitos quatuor pollici adducētes, seu 19. 20. 21. 22.

De ligamentis ilium ossa sacro colligantibus, & coxendicis ac genu articuli, deque reliquis omnibus quæ in tibia & pede habentur ligamentis.

Cap. XXXVIII.

F Ligamentum ilium os sacri ossis lateri colligans robustum est, & membraneum, vniuersam commissuram ambiens. Portio tamen ipsius in medio, vbi inuicē ossa committuntur sese inserit, ac ita valida, crassaq; efficitur, vt cartilaginei ligamenti naturam prorsus representet, cuius beneficio, & demum cartilaginis quoq; interuentu ilium os sacro validissime nectitur. Præter hæc sacri ossis ligamēta, aliud ex latere cōnexus quinti ossis sacri cū sexto quodammodo teres enascitur, atq; in acutū processum coxendicis

Ligamenta sacri ossis cum ipsis adnexis. Ves lib. 2. cap. 61.

ossis inseritur. Quinetiam ab eodem sacri ossis latere, in ossis coxendicis appendicem aliud ligamentum enascitur, quod vna cum prædicto ossa hæc firmius connectit, & prę-terea recti intestini, & musculorum ipsius fulcrum exsistit. ¶ Postremo in pubis ossis foramine membrana visitur illi omnino similis, quæ secundum cubiti longitudinem radium vlnæ colligat. Substantia enim huic adamussim respondet, & fibris constat deorsum in latus oblique procurrentibus. ¶ Ligamenta femur coxendicis ossi adnectentia duo magis præcipua censentur, vnum orbiculatim articulum amplectens, cuiusmodi etiam aliis articulis est commune. Ceterum ne aliquando femoris caput luxaret, quoties variis motibus femur magnam corporis molem, sustentans mouetur, ligamentum hoc crassissimum, & robustissimum euasit, nulli ligamento ex iis quæ articulos circundant, crassitie secundum. Et tanti momenti vsusq; id ligamentum Græci esse putarunt, vt etiam totius articuli nomine illud ἰσχίον appellare non dubitauerint. Adhæc, præterq̃ quod coxendicis ossis sinus admodum cauatus est, aliud adhuc ligamentum orbiculatim sinus supercilio adnascitur, quod sinum non solum adauget, sed etiam in caussa est, cur minus ossis supercilium in vehemētibus femoris motibus, quum fragile sit, abrumpatur, & eorum ligamentorum naturæ participat, quæ cartilaginea sunt. ¶ Porro aliud coxendicis articulo peculiare ligamentum teres est, & adeo durum, vt cartilagine⁹ neruus merito ab aliis appellatus fuerit. Hoc ex medio capitis femoris enatum, non in acetabuli centrum inseritur, sed in humilimam ipsius sedem vbi adeps, non autem cartilago sinui oblinitur. ¶ In genu autem articulo, præter commune ligamentum omnibus obductum articulis, alia quædam valida, robustaque rerum Opifex creauit. Quum autem quinq; genu articuli sint regiones, anterior, posterior, interior, exterior, & media, singulis peculiare quippiam Natura præposuit. Anteriori enim quæ membraneo ligamento prorsus destituitur, mola patellave simul cum illam continentibus tendinibus p̃tenditur. Quæ quum abunde articulum stringit, nullo hic opus erit ligamento. Posteriori similiter laboraturæ robustum, neruosumq; ligamentum præponitur, q̃ ex media posterior, tibiæ regione originem capiens, recta sursum fertur, & bifidum vtrorumque femoris capitum posteriori sedi, qua maxime illa dehiscunt, implãtatur. Mediæ regioni Natura validissimum & cartilagineum largita est ligamentum, quod ex tota prominentiori inter duos tibiæ sinus parte enatum femoris posteriori parti, qua ipsius capita maxime inuicē distant, cum paulo ante dicto inseritur. Exteriori regioni iniuriis magis quam interior patenti, teres quoq; obductum est ligamentum, femoris & fibulę tibiæq; os inuicem colligans. Interior genu regio, quæ ceteris omnibus, & minus erat motibus famulatura, & iis quæ cruri lædendo occursant minus obuiatura, ligamentum nanciscitur iam dicto tum gracilius, tum mollius. ¶ Ligamentum fibulam tibiæ iuxta genu articulum colligans, forte quidem est, sed vt in aliorum ossium commissuris, ab exteriori tantum parte ossium connexum circundat. Qua vero tibia, fibulaq; inuicem dehiscũt, per totam ossium longitudinem ligamentum membraneum habet, illi par quod in cubito repositum est. Atq; id a tibiæ osse in fibulam porrigitur fibris intertextum a tibiæ osse deorsum obliq; in fibulam excurrentibus. ¶ Pedis ligamenta transuersa quæ tendinibus obducuntur, tria exsistunt. ¶ *Primum* in anteriori tibiæ sede ad ipsius cũ pede articulum consistit, & ad tibiæ os & fibulam refertur. Hoc ossa connectit, & plurimos tendines transmittit. ¶ *Secundum* ab interno malleolo in calcis os inseritur, atq; ossium alligationi auxiliatur. ¶ *Tertium* transuersum pedis ligamentum, a fibula in calcem fertur, atq; ad ossium ita colligationem iuuat. Adhæc in interna pedis digitorũ regione trãsuersa ligamenta, perinde consistunt, ac in manu. ¶ Verum præter transuersa hæc ligamenta in pede permulta alia habentur. ¶ Primum ex tibiæ osse in fibulã procedens inferius tibiæ ossi fibulam colligat, membraneum similiter ac aliorum articulorũ ligamēta exsistens. ¶ Deinde & aliud quoq; reliquis articulorum ligamentis respondet, quod vniuersum articulum tibię cum talo amplectit. ¶ Post hæc quatuor sunt ligamenta cartilaginosa, ex quibus alia in alto conduntur, alia exterius ossa ambiunt, quæ simul omnia talum quatuor quibus firmatur ossib. connectunt. ¶ *Primum* ex internis tali partibus originem ducit, tibiæ os talo nectens. ¶ *Secundum* exterius est, fibulam talo colligans. ¶ *Tertium* ceteris robustius ab inferiori tali sede principium ducit, & calci inter duas quibus talo coarticulatur commissuras innascitur. ¶ *Quartum* tali caput ossi nauiformi con-

Membrana pubis ossis foramen occupans. Femoris ad coxendicis os.

Cartilagineus neruus.

Ligamenta genu articuli.

Ligamenta fibulam tibiæ ossi cōmittentia.

Pedis ligamenta trãsuersa.

Alia pedis ligamenta ossa tantũ cōmittẽtia.

A connectit. Ex tali enim ceruicis termino originem ducens, iam dicto ossi inseritur, vniuersumque ambit articulum.

Verum præter cartilaginea hæc, membraneum aliud ligamentum omni ex parte calcis cum talo obducitur articulo. Et validũ quoq; aliud a tali ceruice in tesseram imitans os implãtatur. Quemadmodum vero in manu brachialis ossa inuicem durissimis, cartilagineisq; ligamentis colligantur: ita quoq; tarsi ossa tum inuicem committuntur, tum etiam ossi cymbam imitanti adnectuntur. Validissimum autem & peculiare vinculum in inferiori parte tarsi ossa obtinent, quod non solum extrema vincit, imo penitius singulis insertum, ossium quoq; media inuicem constringit. ¶ Pedii vero & digitorum pedis ligamenta, iis quæ in manu sunt ligamentis respondent. Sunt enim omnia membranea, iis tantum exceptis quæ superiori pedii ossis interuallorum parti immittuntur.
B Illa siquidem cartilaginea sunt, & in profundo articuli genu repositi ligamenti naturam referunt. Atq; hæc pro epitomes ratione de ligamentis ac musculis dixisse hactenus sufficiat.

LIBER TERTIVS DE INSTRVMENTIS NVTRITIONI, QVÆ CIBO POTVQVE PERficitur, famulantibus.

C *Nutritionis, instrumentorumque nutritrioni famulantium, quæ in corpore triplicia sunt, necessitas.* Cap. I.

CVM tota moles hominis, *vt Lib. 1. de tuend. sani. cap. 1. testatur Galenus* propter insitum ipsi calorem in perpetuo fluore sit, nisi altera similis substantia pro ea quæ defluxit, restituta sit, euaporabitur certe & dissipabitur vniuersa. Quare factum vt summus rerum Opifex, non homini duntaxat, ceterisq; animantibus, verumetiam stirpibus insitas quasdam vires eius quod deficit & desideratur semper appetentes, ab initio statim indiderit. Non enim sugere, vesci, bibere, aut respirare a quopiam vsquam discimus, sed statim a principio facultates in nobis habemus, quæ hęc omnia citra docentem perficiant. Hinc *li. 6. Epid.* D *par. 5. Aph. 1.* Hippocrates eleganter admodum dixit: *Ipsamet natura non per rationem ad suas actiones instinctum inuenit: siquidem a nullo est edocta, neque ea quæ conueniunt efficere didicit.* Cibo autem quicquid siccioris substantiæ effluxit restituimus, potione quicquid humidioris: atque ita ad pristinam commensurationem ambo reducimus. Ita vero & aereæ igneæque substantiæ commoderationem respiratu arteriarumque pulsu tuemur. Porro quum id quod singulis partibus defluit, tale natura sit, qualis ipsa est particula, nihil autem eorum quæ eduntur bibunturve eiusmodi prorsus est: necessarium naturæ fuit, prius ea mutare & concoquere, & quam maxime fieri potuit corpori alendo restituendoque similia efficere, ac demum recrementa quæ Græcis περιττὰ & περιττώματα dicuntur, quorum generatio necessario has mutationes subsequitur, expel-
E lere. Hac quidem potissimum ratione, Natura nutritionis instrumenta, vt testis est *lib. 6. de anatom. administra. & libro primo de naturali facul. capite decimo* Galenus, in corpore triplicia instituit. Quædam prima ratione ad concipiendum alimentum elaborandumque, & in totum corpus deferendum. Alia secunda ratione, quæ excrementorum sunt receptacula. Reliquas autem particulas tertia ratione struxit, quæ horum exscretionibus transmittendis, & ne intempestiue profluant cohibendis, suoque tempore expellendis subseruiunt. E priorum numero sunt, ventriculus qui alimentum recipit, iecur, quod maximam alimenti in ipsum permeantis mutationem molitur, & venæ
F quæ confectum alimentum in totum corpus deriuant. E secundorum censu sunt intestina, quæ siccius excrementum excipiunt, vesicula bilis, quæ tenuius & leuius, lien, qui terrestre & crassius, renes, & vesica, aquosum excrementum excipientia. E tertiorum, musculi: ii enim excrementis egerendis subseruiunt. De his quidem omnibus eo ordine, quo ipsa nutritioni famulantur dicemus, orsi a peritonæo, quod etiam horum instrumentorum commune sit inuolucrum.

Nutritionis necessitas.

Instrumentorum nutritioni subseruientium necessitas.

De peritonæo. CAP. II. A

Nomina.

LAtini peritonæi vocem a Græcis mutuantur, quibus equidem varie, nẽpe περιτόναιον, vel περιτόναιος, & περιτόνιον, quod circuntendatur, nominatur. Neque ita absolute tantum, sed a nonnullis tota hæc appellatio, *Galeno lib. 6. ana. admi. attestante*, inditur, περιτόναιος ὑμὴν, id est, *peritonæos membrana*, nomine videlicet a substantia eius ducto: a quibusdam autem περιτόναιος χιτὼν, id est, *peritonæos tunica* nominatur. Sunt qui etiam illud περιτόναιον σκέπασμα, hoc est, *peritonæum tegumentum* ab vsu, scilicet appellant. Arabes cõmuni membranarum nomine *Ziphac*, & *Zimphac* idipsum nominant. Peritonæi vero nomen inde sumsit, quod omnibus nutritionis instrumentis, *Galeno loco citato teste*, quæ inter septum transuersum & crura habentur, obductum obtensumq; sit, eaque conceptaculi ritu amplectatur. Membrana autem est tenuis substantiæ, latis & continuis araneorum telis similima, nullis omnino fibris intertexta. Quapropter ex simplicium & primorum corporum, quæ similaria etiam nuncupantur, numero censetur. Estque inter ceteras corporis simplices membranas amplissima & maxima. Ex ligamentis vero, quæ lumborum vertebras connectunt, & quæ sacrum os ilium ossibus committunt, peritonæum vtrinque principium ducit, membranæ latæ modo ab illis enascens. Mox ab vtroque latere ascendens, lumborum musculis, & ijs qui internam ossis ilium sedes occupantes, femorum motibus præsunt obducitur: & fibris, quibus inuicem musculos committi videmus, illis adhærescit. At vbi musculos, qui ternario numero vtrinque complectuntur peritonæum superauit, internæ transuersorum abdominis musculorum, & vniuersæ inferiori septi transuersi sedi subtenditur, pertinacissime ipsis, potissimum vero neruosis illorum tenuitatibus connatum. Quod si igitur seorsim peritonæum absque omnibus iis quæ id contingunt inspicere voles, oblongum oui instar vtrem sphæram aliquam, cuius longitudo pertinet a septo transuerso ad humilimam amplitudinis sedem, quam sacrum os cum ossibus ipsius lateribus commissis efformat. Est etiam peritonæum externa ipsius parte, vt aptius musculis vndiquaque hæreat, asperum & inæquale. Interna autem parte impense læue & tersum, ac veluti aqueo humore oblitum secantibus occurrit, adipis interdum copiam sibi adnatam obtinens. Præterea interna hæc peritonæi sedes portiones quasdam seu processus iis quæ continet instrumentis porrigit, illisque ea inuicem colligat, & sibi quoque adnectit, ac singulis præter peculiares ipsorum tunicas, aliud etiam inuolucrum obducit. Atque hinc est, vt iis instrumentis quæ duas peculiares sortiuntur tunicas, ternæ attribuantur: quę autem vnam duntaxat tunicam peculiarem habent, binæ, verum instrumenta nulla peculiari donata tunica, vt iecur & lien ea quæ ipsis obducitur a peritonæo adipiscuntur. Quonam pacto autem, quibusque ex locis hosce processus peritonæum educat, in cuiusque instrumenti enarratione oportune recensebimus. Præterea non omni ex parte peritonæum æque crassum & robustum est. Qua enim ex vertebrarum ligamentis pronascitur, crassissimum est: deinde qua lumborum incumbit musculis, crassum quoque cernitur. Anteriori vero parte, quæ a mucronata pectoris ossis cartilagine ad pubem vsque pertinet, peritonæum tenuius, gracilius, & inualidius reperitur, quam in lateribus, & lumborum regione. Crassius autem merito circa instrumenta ea quæ aliquando repleta in tenuiorem attollunt creatum est. Necesse enim erat vt ipsum cum iis simul extenderetur. Atque hinc est quod viris iuxta mucronatam cartilaginem Peritonæum crassius validiusq; quam iuxta pubis sedem sit. In mulieribus vero ad pubem crassius validiusque. Ceterum peritonæum in viris ad inguina vtrobique seminariis vasis viam præbet, foraminibus enim peruium est, & tunicam vtrique testi priuatim offert, quo is & ipsius vasa seminaria tuto obuoluuntur. In viris deinde pariter & in mulieribus Peritonæum qua septo subducitur, tria cum septo quoque communia obtinet foramina, primum quo venam cauam, secundum quo gulam cũ ipsi hærentibus neruis, tertiũ quo magnam arteriam vena coniuge experte, & aliquot sexti paris neruorum cerebri ramis concomitatam, deducit. Præterea vmbilici quoq; vasorum gratia, & in mulieribus finis vteri ceruicis: in viro autem ceruicis vesicæ, in vtrisq; vero podicis nomine Peritonæum perforatur, ac demum multis venis, arteriis & neruis crus petentibus, deinde illis, quæ maxima portione in rectos abdominis musculos sursum tendunt, & aliis nonnullis quæ dorsi & abdominis musculis, & cuti a vasis lumborum

Ziphac: Peritonæũ vnde dictũ.

Substantia peritonæi. B

Nonũ dorsum, & 6. ac 7. femur mouentes intelligit.

Ortus.

C

Forma.

Ipsius superficies cuiusmodi.

Peritonæi processus.

D

Peritonæi non eadem vbiq; crassities.

E

Quib. partibus peritonæũ peruium sit.

F

A borum vertebris incumbentibus distribuűtur, Peritonæum iter præbet, ab iisdem vasis sibi surculos assumens. Ceterum Peritonæum vna cum illis quæ transmittit organis, frequentibus quoque neruis viam offert, a quibus etiam surculos adipiscitur, ab iis potissimum qui abdominis exporriguntur musculis, vt hoc nomine sensus expers, quemadmodum nonnulli putant, non sit. Porro Peritonæi vsus complures Galenus *lib. 4. de vsu par. cap. 9.* enumerat. *Primus* quidem vt omnes subiectas partes, ventriculum nimirum, intestina, omentum, mesenterium, iecur, lienem, renes, vtramque vesicam, vterum, & quæ sub septo sunt vasa contegat. *Secundus*, vt omnia quæ amplectitur ab extrinsecus ambientibus musculis interstinguat, ne quando tenuium intestinorum aliqua in media inter ipsos spatia incidunt, & dum musculos premunt, aut ab illis premuntur,
B arctant aut arctantur, dolore afficiunt, aut afficiuntur, *intestina motum* illorum impediant, ac recrementa intestinis complexa difficilime deorsum *transmittantur*. *Tertius*, vt sicci *alimenti* excrementa septi transuersi accedente opera, propellat. Nã peritonæű superioribus extremitatibus ad pectus, & spurias costas eodem, quo septum trãsuersum perueniens, nonnihil compressorio ventriculi & intestinorum motui auxiliatur. Siquidem a Peritonæo & septo, veluti a duobus quibusdam manibus, superne quidem coniunctis & vnitis, inferne autem distantibus, arcte quæ in medio sunt comprimuntur, pelluntur q; deorsum cibi excrementa. *Quartus*, quo veluti tegmen seu inuolucrum exquisite circundatum constringat omnia, ne leui occasione laxior ventriculus, aut intestina etiam flatibus infestentur. Nam quum hæc imbecilliora & infirmiora fiunt, quam
C vt facile circunfundantur contrahunturve, ex quibuslibet cibis vaporoso flatuosoq; spiritu implentur. Constat quoque cibum necessario interea concoctione destitui, & distributionem eius in corpus tardari. Quum vero robusta sunt omnia, & ventriculus, & intestina, & peritonæum contrahuntur, cibus etiamsi flatulentus admodum ingestus est, concoquitur tamen, & facile distribuitur. *Quintus* & postremus præcipuusq; peritonæi vsus est, vt omnia, quæ sunt sub septo transuerso, viscera & vasa, ab eo contineantur, & veluti a pelle quadam singula priuatim tecta tuto colligentur, suisque sedibus fixa hæreant. Nam si eius continuitas violatur, non parum affert periculi, potissimum si quid interiorum vna sit vulneratum. Solo autem rupto, malum quod Grecis κήλη, Latinis *Ramex* dicitur, consequi solet.

Peritonæi vsus.

Ramex.

D

De omento. Cap. III.

Omentum quod Græcis ἐπίπλοον & ἐπίπλοουν, quod scilicet ventriculo & intestinis, *Galeno lib. 4. De vsu par. capite vndecimo teste*, incumbat, & veluti innatet, Arabum interpretibus, & nostræ ætatis Medicis *Zirbus* dicitur: membrana est nullis fibris implicita, simplexque: sed multis abundans venis, arteriis, neruis, & aliqua sui regione glandosum sibi innatum habens corpus, & multum quoque adipem. Eius figura proxime marsupii, aut sacculi, aut peræ imaginem refert, quæ orbiculatum habet orificium, posteriori sua parte elatius quam anteriori ascendens. Ad eum namque modum vnam
E Omenti partem superiorem anterioremve membranam, & alteram rursus inferiorem seu posteriorem dicimus. Etiamsi Omentum reuera duntaxat vnica est membrana, atque id potissimum in canibus anteriorque pars posteriori incumbit, & continua est, & Omentum quoque sacculi modo cauitatem, quæ repleri potest, constituit. Id autem sic habere euidentius deprehendes, si ipsum a spinæ partibus & fundo vesicæ abscissum, & nulla alia parte vel perforatum, vel diuulsum cupias implere aut liquida, aut solida substantia: ab ea siquidem totum si integrum sit, & sibi continuum marsupiorum modo replebitur. Omentum in peritonæi amplitudine positum, mox anteriori illius sedi subiicitur, & super intestina extensum, ad lienem quoque & iecoris cauum,
F ac posteriorem ventriculi sedem propemodum vniuersum eiusque fundum exporrigitur, illisque sedibus perpetuo attensum proximumque reperitur. At non ita omnibus obductű intestinis ad pubis vsq; os, vt in canibus propemodű semper in homine reperit. Nam ipsius quæ intestinis obuolui debeat portio raro vltra vmbilicű descẽdere conspicit, sed maxima sui parte sinistrorsum lienẽ versus retrahi & cõuolui. Magnű tñ inter animãtia omentű sortiunt homines *Galeno li. 6. an. adm. teste*, vt inde nõnulli

Nomina.

Substantia.

Figura.

Situs.

Ortus & connexus. ἐπιπλοκομισταὶ, quasi dicas Omenti gestores appellentur. Porro instar circuli orbicularis A a dorsi medio sub ventriculi posteriori sede incipiens, per iecoris cauum seu portas secundum fundum ventriculi, a cuius tertia tunica inibi pronascitur, ad lienis cauum, & sic ad dorsi medium suo veluti initio defertur. Totus igit. semicirculus inferior a lienis cauo per dorsum ad ventriculi vsq; dextrum latus perueniens inferiorem Omenti membranam constituit. Superiorem vero ea circuli pars, quæ a ventriculi dextro latere per fundum ipsius ad cauam lienis sedem ducitur, format. Hinc ambæ mutuo sibi incumbentes deorsum super intestina subque Peritonæo ducuntur, atque ea anteriori parte ac in lateribus obtegunt, & ad pubis vsque os humiliori suo extremo pertingunt. Si vero intestinorum duntaxat sedem quæ supra vmbilicum consistit operiant, illæ sese reuolutæ admodum, & veluti in spiras collectæ visui offerunt. Membranæ hæ nullis nexibus intestinis connascuntur præter inferiorem membranam, quæ in hominibus colo intestino pertinacissime continuatur per totam eius intestini sedem, quæ secundum ventriculi fundum prorepit. Neque id segniter in homine obseruandum venit, quum inferior Omenti membrana mesenterii loco ipsi colo fit, qua id ventriculo exporrigitur. Colum enim toto illo ductu nullam exigit mesenterii partem, secus multo quam in canibus & simiis. Omentum namque canibus nulla ex parte colo alicuive alteri intestino adnascitur. Simiis autem medio se habet modo, licet illæ adhuc ad canis constructionem potius quam hominis accedant. Venæ Omento implicitæ, & retis imaginem facientes, solius venæ portæ sunt soboles. Nulla namque a caua in Omentum pertinet. Ab eo autem portæ trunco disperguntur cuius præcipua portio in lienem exhauritur. Ab illo igitur venarum innumeræ soboles in Omenti membranam, non quidem recto prorsus tramite, sed obliquo quodammodo & errabundo, vbi retium funiculi implicari cernimus, excurrunt. Proinde etiam Græcis Omentum γαγγαμὼν σαγήνη, vt & vulgo, rete, & reticulum dicitur. Arteriæ omenti ab illis pendent, quæ ventriculo, lieni, iecori, & bilis vesiculæ distribuuntur. Has namque omnes haud secus ac venas Omentum tuto deducit, ac ab illis suarum peculiarium venarum coniuges adeo numerosas adipiscitur, vt quam paucissimi venarum surculi, citra arteriæ consortium, ipsum perreptent. Sic neruis quoque illis Omentum intertexitur, qui a sexti paris cerebri neruorum portionibus secundum costarum radices exporrectas iecori, lieni, & ventriculo implantantur. Ceterum adeps quo Omentum abundat, in obesis & præpinguibus hominibus plurimus, in macilentis modicus inuenitur, præter adipem qui ambabus Omenti membranis communis est inferior ipsius membrana posteriori ventriculi sedi substrata, priuatim glandosum quoddam corpus impense magnum habet: quod q. in canibus rubet, simplicisque carnis speciem quodammodo exprimit, Græcis *vt lib. 4. De vsu par. cap. 11. & in libello De diss. vena. Galenus attestatur*, καλλίκρεας & πάγκρεας appellatur. In homine autem hoc corpus magis album quam rubrum cernitur, venæ portæ, arteriarum & neruorum ramis inibi attensum, vt scilicet illorum diuaricatio inferiori membrana Omenti duntaxat suffulta, reddatur securior, vtque ventriculo etiam instar substerniculi ac puluinaris subiiciatur. Quippe omnia vasa, *Galeno lib. 5. de vsu par. cap. 2. teste*, qua diuaricantur diuiduntur ve facile læduntur, ita vt si eorum quoduis mali quidpiam propter violentum motum esset incursurum, id vbi diuaricatur scinditurve, potissimum incurreret. Magno igitur indigebat locus hic præsidio, quo vasa in ipso distribuenda ac diuaricanda munirentur. Proinde natura glandosum hoc corpus, vt diximus, fabricata substrauit, ac in orbem omnibus circumdedit, diuaricationesque repleuit, vt nullum ipsorum facile iam findatur, aut sine fulcimento sit: sed quum in molli & mediocriter cedente corpore conquiescant, si motu cieantur paulo vehementiore, quia tamen corporibus minime duris ac retinentibus, sed leuiter ea excipientibus paulatimque ob id violentiam motus exsoluentibus occurrunt, illæsa, inconcussa, infractaque perpetuo conseruarentur, *vt in capite De mesenterio latius dicemus.* Ceterum πάγκρεας dictum est hoc corpus, quasi totum carneum, quod ex carne glandulosa contextum sit. καλλίκρεας vero quod esui sit iucundum. Hinc vulgo *dulcem morsum* seu bolum, *& buccam saporitam*, Barbari *Eucarum*, inepta voce, quasi *suauem carnem* nominant. Omenti non postremus vsus est, vt secure ramos portæ

Margin notes: Venæ omentum implicantes. — γαγγαμὼν Omenti arteriæ. — Nerui omenti. — Adeps. — Pancreas. — Vsus glandosi corporis. — Pancreas vnde dictũ. — Vsus Omẽti.

Section letters: B, C, D, E, F.

A portæ in lienem, ventriculum, & duodenum intestinum, ac coli non infimam partem exporrectos suffulciat, ac ipsi implexos deducat. Neque vero hos duntaxat ramos, verumetiam vt arterias quoque & neruos iam dictis partibus inserendos sustentet & tueatur. Deinde Omentum dorso ventriculum colligat, & rursus iecur lienemque ventriculo vna cum vasorum neruorumque interuentu connectit. Ex accidente vero velut quoddam intestinorum inuolucrum tegumentumq; efficitur, ipsorum calorem instar penicilli cuiusdam fouens ac continens. Quocirca quibus Omẽtum aut pars eius aliqua abscissa est. Si omnes frigidiorem sentiunt ventriculum, minusq; concoquunt; ac pluribus operimentis extrinsecus egent, & maxime quando B insigni fuerit magnitudine, quod abscissum est, vt ex historia gladiatoris vulnerati, quam recitat Galenus *lib. 4. de vsu par. cap. 9. patet.*

De intestinis. CAP. IIII.

INtestinorum, quæ Græcis ἔντερα dicuntur, nomine, ductus ab inferiori orificio ventriculi ad podicem vsque perueniens, qui vlnas, vt plurimum, Italicas quatuordecim & dimidiam longitudine æquat, nunc comprehenditur. Hæc substantiam habent membraneam, verum non vndiquaq; pariter aut crassam, aut tenuem; talẽ tamẽ quæ facile ea quæ continet amplectitur; & rursus quæ a contentis distendi apta est. Duas quoque peculiares tunicas, & tertiam ad has a peritonæo ortam obtinent, vt iniuriis innoxiæ ferendis magis sint idoneæ: Nam interior aliquando in dysenteria, *vt* C *testis est in fine lib. 4. De vsu par.* Galenus, aliisque diuturnis malis putrescit; exteriore salua: vnde & ægroti nonnulli euadunt. Porro interior intestinorum tunica durior membraneaque est, *Galeno lib. 4. Aphor. com. 26. teste*, verum interiori ventriculi tunica mollior, quod nulla aspera intritaue illa, sicut hic, recipiant. Exterior vero intestinorum tunica tenuior, magisque carnea, tamen interiori ventriculi tunica minus carnosa est, quoniam distributionis potius quam concoctionis instrumenta sunt. Cæterum tunica crassorum intestinorum tanto gracilium intestinorum tunica interiore durior est, quanto illa materiam continet duriorem, & a succo magis liberam: Quę enim gracilibus continentur intestinis, liquida, fluida aqueaq; adhuc sunt: quæ vero crassis, dura. ¶ Intestinorum vtraque tunica transuersas seu orbiculares sortitur fi- D bras, vt ocyus quod in illa defluit propellant, & ita cito vniuersus succus ad iecur exsugatur. At externa recti intestini & coli tunica, rectas quoq; fibras obtinet, vt hæ velut vinculũ circulariũ fibrarũ efficerentur, ne forte quum illæ dura excrementa crebrius protrudunt, inuicem abscedant diuellanturq;. Atque hac potissimum de caussa recto intestino, vt quod sicciora excrementa amplectitur, eius generis quam plurimæ tribuuntur. ¶ *Tertia* intestinorum tunica secundæ veluti propugnaculum est & copula, cuius beneficio intestina mesenterii interuentu dorso connectuntur. Oritur autẽ hæc, vt cõprehensum est, a peritonæi membranis vasa ad intestina secure deferentib. Hæ namq; vna cũ vasis ad cauã intestinorũ sedem pertingentes dilatantur, tertiaque tunica intestina induunt. Cauam autem partem intestinorum vocant Anatomici, E quam vasa primum attingunt, seu quæ intestina respicit, gibbam vero huic contrariã. Forma autem tereti in hoc intestina creantur, vt sint capaciora, minusq; iniuriis occursantibus exposita. Cæterum venæ arteriæq; nõ omnibus pari numero ac frequẽtia distributæ sunt, quod non in omnib. intestinis eadem exsugenda succorum copia sit. Quo enim intestina ventriculo in cõtinuitate viciniora sunt, eo plus optimi cremoris continent, ac proinde frequentiora vasa gracilioribus deferuntur, pauciora crassis intestinis. Neruis autem intestina donantur, vt infestantes humores dignoscant. Nam si sensus penitus expertia essent, nihil obstaret, quin ex flaua bile aut alio mordaci humore intestina penitus subinde corroderentur, priusquam homo sentiret. ¶ Porro etsi intestina continuum idemque sunt corpus, tamen quum in varios ac multiplices F & figura differentes anfractus spirasque circunducantur: neque omni ex parte eandem situs, substantiæ & formæ naturam sortiantur, ac denique alia alii hominis parti contigua efficiantur, neque præcipuus omnium vsus par sit, ac si plura essent, dissectionis periti hæc enumerant, primumque in tenuia & crassiora ipsa diuidunt, atq; ex ijs singulis ternarium numerum, vt sex sint vniuersa, cõstituunt, nempe duodenũ, ieiunum, tenue, cæcum, colum & rectum, de quibus ordine dicemus, vbi prius quod

Intestinorum nomine quid cõplectitur.
Substantia.
Tunicæ
Fibræ.
Figura.
Venarum arteriarũq; ratio.
Neruorum ratio.
Caua intestinorum pars.
Intestina duplicia.

Tenuium intestinorũ vsus.

sit tenuium & crassiorum intestinorum munus explicauerimus. Tenuia enim intesti- A
na in hoc potissimum, *Galeno lib. 4. de vsu par. c. 17. teste*, sunt efformata, vt horum benefi-
cio quicquid est succulentum in cibo ventriculi opera elaborato, id ad iecur, sangui-
nis officinam, ducatur. Dein vt fæces, & quæ vt sugantur inepta sunt, debite excernan-
tur. Postremum etiam coquendi alterandiq; vi modica nonnihil intestina prosunt, vt
scilicet a ventriculo prius confecta absolutius paulum mutarentur. Negandum enim
non est, quod cibus in ipso per intestina transitu magis concoquatur, sicut & in venis
omnibus sanguis. Quemadmodum igitur venis, quas distributionis instrumenta na-
tura fecerat, facultatem sanguinis generatricem indidit, ne lationis per ea tempus
frustra periret: eadem ratione & intestinis tenuibus, distributionis eius quæ in venas B
est gratia factis, facultas quædam concoctrix, ciborum inest. Idcirco pluribus etiam
flexuosis orbibus ac anfractibus variis intestina tenuia implicauit, vt si quid alimenti
in transitu primi anfractus vasorum ora in internam intestinorum sedem hiatia effu-
gerit, in secundo contingat. Sin hunc quoque præterlabatur, tum omnino tertio aut
quarto, aut quinto, vel alio eorum anfractuum, qui frequentes numerosiq; subsequũ-
tur. Quocirca ob angustos & longos transitus, pluresq; anfractus & orbes, quælibet ci-
bi pars tandem vasis ori appropinquare cogitur. Siquidem totum intestinum passim
in orbem innumerabili quadã multitudine orificiorum intro peruenientiũ pertusum
est, a quib. rapitur quod ex prætereunte alimento vtile est. Vnde fieri nequit, vt succ[us]
vllus nutriendo animali idoneus fallat, atq; ex animali elabatur. C

Orbium & anfractuũ intestinorũ vsus.

¶ Orbes itaq; & anfra-
ctus intestinorũ ideo facti sunt, vt quidquid alimẽti concoctũ esset, ad vnguem distri-
bueretur, ne scil. alimento celeriter permeante, atq; subinde exeunte, corpus extem-
plo, fame vrgente, in necessitatem sumendi de integro alimentũ adigeretur, adeoque
semper animum in patinis habentes, ἀφιλόσοφοι καὶ ἄμουσοι, vt *Plato dixit*, vitam ducant homi-
nes. Nam animantia quib. nulli sunt anfract[us], sed intestinum a ventriculo vsq; ad anũ
simplex ac rectum ꝑtensum habent, insatiabilia omnia ac gulosa, & in perpetua edẽ-
di cupiditate sunt. Prudentissime igitur ea anfractib. circunduxit natura, vt succo quẽ
ex ventriculo permanãtem excipiunt, in mora essent, eumq; tantisper complexu suo
retinerent, quoad venæ mesaraicæ exsugerent, & ad iecur conueherent.

Crassorum intestinorũ vsus.

¶ Crassa vero
intestina etsi ipsa quoq; ad succorum distributionem conducunt, peculiariter tamen D
quia magna est illorũ amplitudo, adeoq; multa colligere possunt, eo conferunt, ne cõ-
tinuo, sed ꝑ longa interualla egeramus. Hæc n. tanquam venter aliquis siccis excre-

Venter inferior. Situs.

mentis subiiciuntur. Vnde etiam *inferiorem ventrem* ea nonnulli appellarunt. Proinde
si tenuium intestinorum suctionem aliquid præterfugerit, quum longiore mora ex-
crementa in crassis intestinis resideant, ipsorum vasa id exugunt. Nunc seorsim breui-
ter tamen, de singulis intestinis, initio a supremo sumpto, differemus.

De Duodeno. Cap. V.

Situs.

PRIMVM quidem tota ea intestini pars est, quæ ventriculo substrata, ab inferio-
ri ipsius orificio recta quodammodo eousque descendit, vbi intestinum in anfra-
ctus orbesque primum conuolui incipit. Hoc intestinum quia duodenum digi- E

Nomen.

torum longitudinem in viro, vt plurimum, æquat, ideo Herophylo potissimum, &
aliis Græcis δωδεκαδάκτυλος, Latinis *Duodenum* dictum est. Sunt qui non intestinum,
sed ἔκφυσιν, hoc est *exortum seu processum intestinorum* appellant. Duodenum autem et-
iamsi id fuisset vtile, in nullos tamen anfractus ducitur, quod sub ventriculo, qua fer-
tur, nullam omnino vacuam sedem obtineat, in qua apte in gyros flecti queat. Dein-
de quod portæ venæ a iecoris caua prodeunti cedere oportuerit, *vt fusius libr. 5. De vsu
partium, cap. 3. Galenus monstrat.* Oritur itaque ex inferiori ventriculi orificio, quod
pyloron, *vt capit. 12. dicemus*, vocant, ab eoque diuersum est. Hinc rectissime Gale-
nus *libr. 4. de vsu part. capit. 7.* ait, *duodenum seu exortum intestinorum non esse ventriculi par-*

Duodenum a pyloro diuersum.

tem, sed aliquid aliud illi connexum. ¶ Quare errant plurimum qui duodenum a pylo- F
ro nihil differre censent, *vt libro 3. paradox. cap. 1. fusius monstrauimus.* Duodenum venam
& arteriam peculiares habet, secundum ipsius longitudinem recta deorsum ductas.

Vena. Arteria. Nerui.

¶ Ac vena quidem a portæ vena priusquam mesenterio inseratur, principium ob-
tinet. Arteria autem ab ea quæ iecori offertur. Neruos, si quos habet, ab illis, qui infe-
rius ventriculi orificium, & dexteram fundi sedem adeunt, accipit. Præterea duode-
num

A num intestinum priuatim id sibi vendicat, quod meatus bilem flauam ad intestina deferens, illi implantetur, vt scilicet bilis suo influxu intestina stimulans, eorum actionem vehementer adiuuet, ac pituitam ipsis insidentem, *vt infra latius dicemus*, expellat. ¶ Errant itaque barbari Medici qui in alia intestina hunc inseri tradunt *quemadmodum copiosissime lib. 3. para. cap. 3. ostendimus.* Idem intestinum in hominibus, & adhuc magis in canibus glandosum corpus, de quo in capi. vndecimo fusius disseremus, peculiariter sibi substratum possidet, ad suffulcienda vasa ei intestino propria ac amplitudinem eius lento humore irrigandam.

Meatus bilem deferētis insertio.

De Ieiuno. CAP. VI.

B SECVNDVM intestinum illic incipit, vbi primum in anfractus gyrosue conuoluitur, & νῆστις Græcis, *Ieiunum* Latinis, quod inter dissecandum reliquis intestinis inani⁹ & magis vacuum reperiatur, dicitur. Galenus tamen *lib. 6. ana. admi.* ideo sic esse dictum tradit, *quod perpetuo inane & vacuum cibo inueniatur.* Nam suum quem recipit cremorem ocyssime transmittit. Quippe dum bilis adhuc cremori non mixta intestina lateribus affluit, sua acrimonia id magis stimulans; ad ea quæ in eo continentur velocius propellenda inuitat. Aliæ inanitatis ieiuni caussæ, vt succorum optimorum copia, frequētes venæ, proximus iecori situs, & ante hæc omnia deorsum recta tendens intestini ductus, duodenum magis ieiunum esse, vti sane etiam reperitur,
C documento sunt. Ieiunum mediā ventris sedē iustissime occupat, q̃ inibi mesenterii centro sit proximum, breuissimoq; ductu & venæ portæ rami, & arteriæ magnæ propagines illi hic diffundi possint. Ex iam dictis palam fit Rhazen, Mundinum, Alexandrum Benedictum, & quosdam alios Medicos toto errare cœlo, quod ieiunum intestinum, vt postremum omnium, quod *Rectum* appellatur, nullis anfractibus implicitū esse scribant, *quemadmodum lib. 3. para. cap. 4. abunde monstrauimus.* ¶ Ieiunum frequentes venas & arterias suas nanscisscitur ab illis quæ mesenterio a portæ vena, & ab arteriæ radice supra renum arterias a magna originem ducente exporriguntur. Pauci enim rami in graciliora intestina ab arteriæ propagine diffunduntur, quæ a magna arteria post seminalium arteriarum ortum originem sumit. Neque etiam vasa, quemadmo-
D dum in duodeno, secundum ieiuni longitudinem sub ipso deducuntur, sed velut ex mesenterii centro ex alto sursum tendant, rectaq; antrorsum in illud pertingunt, in quod numerosa sobole arboris radicum modo, in cauā præcipue ipsius partē implantantur, osculis suis in internam intestini sedem hiantia. Ieiunum neruos quoq; obtinet deriuatos a ramis sexti neruorum cerebri paris, qui costarum radicibus exporriguntur. Duæ enim ab illis propagines vtrinque singulæ ad mesenterium, & dehinc ad intestina frequenti vtcunq; sobole discinduntur. ¶ Cæterum hic eorum meminisse oportet qui temere meatum bilem deferentem in hoc intestinum inseri nugantur. E quorum numero est Auicenna *Fen. 16. tertii tract. 1. cap. 1.* Valescus, & alii hunc imitantes. Videntur autem huius erroris occasionem sumpsisse ex loco Galeni
E non satis intellecto. Quare operæprecium me facturum puto, si breuiter quis sit eius loci legitimus intellectus exposuero. Locus vero iste est *in libr. 13. Thera. method. capit. 13.* vbi in hunc modum scriptum reliquit Galenus. ¶ *Expelli e iecore oportet quicquid in eo tum amaræ bilis; tum saniei, quæ ex phlegmone prouenit; est collectum. Id vero fieri nequit nisi & vasa quæ sunt in viscere detergeantur,* τοῦ εἰς τὴν νῆστιν καθήκοντος τὸν χολώδη ἀναπεπταμένου, *id est, & meatus qui in ieiunum bilem demittit sit apertus.* Linacer quidem satis obscure conuertit, *ad ieiunum pertinet.* Galenus enim non vult hunc meatum ad ieiunum ita pertinere, vt ei inseratur, sed illi tantum suppeditare aut depromere bilem. Nam καθήκει hoc loco idem quod ἐμβάλλω, hoc est, *suggero, suppedito, immitto, inicio*, aut ἐκβάλλω, id est, *promo, profero* significat. Hoc ipsum autem significare, verba Galeni de alica statim
F sequentia euidentissime conuincunt. Ait enim κωλύει τὴν τε χολὴν εἰς τὸ ἔντερον ἰέναι: Hoc est *prohibet bilem in intestinum descendere.* Quomodo vero descenderet, nisi ex altero quod eo superius est, & cui meatus bilem deferens inseritur, deflueret? Porro per intestinum Galenum intelligere ieiunum, aperte monstrat locus qui est *in lib. 6. de laborantib. loc. c. 2.* vbi ita scriptum ab eodem est: *Omnia intestina a ventriculo ordine quodam descendunt, atque omnium supremum ieiunum est: deinde quod tenue vocatur, &c.* Loquitur n. hoc

Nomina.

Ratio nominis.

Situs.

Rhazis. Mundini & aliorum quorundā erratum.

Venæ & arteriæ.

Nerui.

Galeni locus enarratus.

Καθήκει.

loco ex eorum sententia qui Duodenum, quod in orbes & anfractus non conuolua- A
tur, inter intestina non connumerant. Non connumerari etiam inter intestina a nō-
nullis duodenum, *lib. 6. ana. admi.* diserte scribit. Quod vero prædictorum verborum
Galeni is sensus sit quem diximus, ex alio eiusdem loco euidentissime conuincitur,
qui est *in libr. 2. de temp. c. 8.* vbi meatum bilem euomentem, duodeno nequaquā ieiuno
insertum esse tradit. Et paulo post, hæc verba subiicit. *Quibus autem vnicus est meatus, iis
tota bilis κάτω ῥέπει id est, deorsum fluit in ieiunum.* Accedit quod *li. 5. de vsu par. cap. 3.* manifestis
verbis scribat *meatum bilem deferentem ex orto seu duodeno inseri, quod verum esse etiam αὐτοψία
& dissectio ipsa monstrat.*

De Tenui. CAP. VII.

Nomina.

TERTIVM intestinum Galeno, Iulio Polluci, & aliis Græcis λεπτὸν, hoc est, *tenue aut* B
gracile vocatur. In sinus orbesque flexuosos varios, perinde atque ieiunum impli-
citum est hinc alio nomine εἰλυμένον Græcis, quasi *obuolutum* dicitur, εἰλύειν enim illis *circum-*

εἰλύεσθαι. εἰλεὸς quid.

uoluere significat. Sunt qui hoc intestinum εἰλεὸν nominari Græcis etiam putent, quod
quam recte faciant ipsi viderint. Phauorinus certe nomen morbi, nempe *intestinorum
vellicationem*, significare tradit. Hippocrates etiam *in aphorismis, & passim aliis in locis*
pro morbo vsurpat. Constat etiam Galenum vbiq; *potissimum etiam libr. 6 de laborantib.
locis cap. 2.* εἰλεὸν non intestinum, sed malum quoddam quod grauissimos & lætales sub-
limioribus intestinis excitat dolores, appellare. Atque ita quidem dictum est, a cir-

εἰλεῖσθαι. Conuolulus. Situs.

cumactione doloris. Quippe εἰλεῖσθαι *circumagi & conuolui* significat. Ideo *conuolulus* etiā C
Latinis hoc malum nominatur. ¶ Mediam ventris sedem, vt ieiunum iisdem de cau-
sis occupat & in crassi intestini principium desinit. Vbi vero principium suum obti-
neat, vix certo explicari potest. Neq; enim a ieiuni intestini initio, ad tenuis vsque fi-
nem, manifestum aliquod indicium obseruatur, quo ieiuni fines, ac tenuis initium

Vasa. Lactes.

internosci possit. Tamen ieiuni initium rubicundius est, tenuis finis magis albicat.
Venas, arterias, & neruos hinc nanciscitur, vnde duodenum. Atq; hæc particulatim
de gracilibus intestinis, quæ, *Plinio li. 11. c. 12. auctore*, lactes in homine & oue tantum ap-
pellantur, dixisse satis sit. Sic dicta forte propter mollitiem, aut suauitatem. Plautus ta-
men aliorum quoq; animantium gracilia intestina *lactes* vocat. Et Persius hæc etiam
intestina, quod pinguia admodum sint *lactes vnctos* dixit. Accedit quod Sueto. quoq; D
in Vitellio, lactes murenarum vocat: sicut Spartianus luporum. Quod ideo nobis cō-

Error lactes Mesenteriū putantium.

memorandum fuit, vt inde error eorum deprehenderetur, qui lactes esse mesenteri-
um putant. In quo errore quidem Theodorus Gaza, vir alioqui doctissimus, etiam
fuisse cognoscitur.

De Cæco intestino. CAP. VIII.

Nominis ratio.

QVARTVM intestinum, inter crassiora quidem primum hactenus numeratum,
Græcis τυφλὸν Latinis *cæcum* nominatur, Sic vero a veteribus dissectionum pro-
fessoribus est appellatum, quod vno tantum sit donatum ore. Et Celsus quidem ita
esse dictum tradit, quod in sinisteriorem partem peruium sit, in dexteriorem mini-
me. Hinc est quod Auicen. *16. tertii tract. 1. cap. 1.* & recentioribus etiam aliquot Medi- E
cis rectissime sit nominatum orbum & monoculum. Plurimum igitur errant, qui non
vnum cum veteribus Græcis in cæco orificium esse, sed duo sibi proxima asserunt.
Hæc enim duo quæ imaginantur orificia non sunt in cæco vocato intestino, sed in co-
li initio extuberantiore. Hoc enim in sinistro suo latere duo habet orificia, quorum v-
num altius tenui intestino continuum eiusq; termin⁹ est: alterum vero humilius eius
quod cæcum dicitur initium.

Forma.

Cæcum itaque intestinum in homine ceteris omnibus intestinis est breuius, at-
que arctissima omnium intestinorum parte multo angustius strictiusque, & crassiori
lumbrico in orbes conuoluto potius quam intestino simile: adeo vt vix intestinorum
appendicis loco ac proinde minus in crassorum intestinorum numero habendum
esse videatur. Hinc Iulius Pollux optime hoc intestinum cognouisse videtur, F
quod *libr. 2.* ita scriptum reliquerit. *Tenue intestinum in duos desinit fines, quorum alter
Colum vocatur. Qui vero ex altera parte tenui intestino desinenti annexus est, cæcum vo-
catur intestinum.* Eo enim quod συνῆπται, hoc est, *annexus est* dicit, appendicem verius
quam intestinum esse innuit. Quapropter toto cœlo errant, qui cæcum intesti-
num

A num veluti ventrem quendam amplum & crassum, excrementis excipiendis idoneum esse aiunt, eaque de caussa *Sacci* nomine donant. Hi sane Galeni nostri freti auctoritate idipsum asserunt, sed nescii quod ille ad suas caudatas simias, quæ hac appendice destitutæ sunt, potius quam ad hominem respexerit. Canibus etiam cæcum intestinum multo quam homini contigit amplius. Quinetiam sciuri cæcum intestinum hoc adeo amplum habent, vt amplitudini ipsorum ventriculi, facile respõdeat, fæcibusque turgidum in dissectione obseruatur. Quocirca prædictorum animalium intestinum cæcum, Sacci nomen recte accipit. Secus vero in homine, in quo quidem gracilis illa intestini portio & appendix mesenterio non annexa, sed sibiipsi in orbes
B conuoluta, & fibrarum beneficio hærens, cæcum intestinum exsistit, quod scilic. ductu, situ, & forma, licet non amplitudine, prædictorum animalium cæco intestino cõgruat, vnumq; vnde etiam, vt comprehensum est, cæcum primo dici cœpit, nanciscatur orificium. ¶Sed dicet forte quispiam, qui præfatos Medicos a calumnia vindicare conabitur, hos non tantum appendicem illam, sed crassioris intestini etiam initium, quod instar globi cuiusdam præmagni extuberat, adeoq; recte saccus dicitur, cæcum appellare intestinum. Verum videatis quomodo illi deinceps cæci nomenclatura accommodari queat, quum si ita consideretur, non vnum, sed duo, imo tria obtinebit orificia, vnum tenui intestino continuum, & alterum in appendicem seu cæcum tendens, & tertium quod cum reliqua parte coli continuum est, vt certe hac ratione illi ab errore vindicari non queant. Objectionis solutio.
C Cæcum intestinum in homine ex sinistra magis coli initii sede, quam dextra, principium ducit. Porro coli initium, de quo mox dicemus, in homine cæci intestini vsum abunde supplet. Nam idipsum sinu suo tanquam altero ventriculo, alimentum ad futuram necessitatem continet, idque vicinis partibus in ieiunis ex diutina fame, distribuit. Situs.

De Colo intestino. CAP. IX.

QVINTVM intestinum Græcis κῶλον, ἀπὸ τοῦ κολάζειν, hoc est, a *torquendo*, *vt Iulius Pollux testatur*, dicitur. Quippe dolores immensos in ipso fieri constat, vbi pituita, aut crasso spiritu obstructum fuerit. Sunt ex Medicis qui simpliciter crassum & laxius intestinum nominant. Nomina.
In dextro autem ilio ad humiliorem dextri
D renis sedem instar globi cuiusdam præmagni extuberans illud amplum & rotundum coli principium habetur, quod hinc sensim recta ad iecur sursum contendit, iecorisque cauæ parti nonnihil substernitur, ac bilis vesiculam in homine contingit, cuius etiam contactu flauo colore hic quandoq; tingitur. Situs.
Hinc Mundinus & illum imitatus Valescus *lib. 5. cap. 1. Alexander Benedictus lib. 2. cap. 7. & alii sumpta erroris occasione*, colum peculiarem meatum e bilis vesicula prodeunte excipere falso admodum tradiderũt. Erroris enim eos conuincit αὐτοψία, & ocularis inspectio. Recentiorũ medicorũ error.
Colum a bilis vesicula ex dextro latere secundum inferiorem ventriculi sedem in sinistrum fertur, ventriculi fundo attensum, haud tamen, vt quibusdã visum est, eũ conscendens. ¶ Hinc accidit, vt noxius huius intestini humor sit Galeno *lib. 2. De labo. lo. c. 3. teste*: in consensum ventri-
E culũ rapiat, vt & appetentia, & cõcoctio deterior euadat. Et interdũ etiã ita afficit vẽtriculũ, vt sæpe animi defectione cõcidunt ægri in sella dũ aluũ deiicere conãtur. Cur colici in sella aluum deiecturi animi defectione incurrant.
Quũ primum vero ad sinistri ventriculi latus pertingit, sup demissiorem lienis partem anfractus quosdã leuiter inflexos obtinet, ac paulatim supra sinistrum renẽ p ilium sinistrum decliue fertur, secundum peritonæi latus ad pubis vsq; os descendens. Quum itaq; sinistrum renẽ pertingat, nihil mirũ dolorem eius interdum imponere Medicis, ita vt dolorem ipsius non ad colum, sed ad renes potius pertinere putent, & contra renum cruciatum ad colum referant, *vt fusius li. 6. de laborantib. locis c. 2. Galenus docet*. Hinc rursus colum ad sinistrum latus quasi ad vmbilici sedem, ac anfractum hic constituens, ad ossis vsq; sacri initium prorepit. ¶ Cæterum vt grandior dexterue venæ portæ
F truncus breuiori ductu gracilib. intestinis insereretur, ac succinctiori via cibum ad iecur transferret colum intestinum gracilib. cedit, ac veluti per distantia maxime a mesenterii centro loca procedit, atq; hanc etiam ob caussam id præcipua sua portione sinistram corporis sedem occupat. ¶Colum præterea in hominib. secus ac in canib. nõ ad amussim teres est, verum per vniuersum ipsius ductum superius inferiusq; depressum visitur, ad latera vtrinq; quadam serie, velut in medios globos cellulasq; extube- Forma.

rans. Colo quidem intestino toto progressu, qui a dextro ilio ad sinistrum fere renem A
Vasa. pertinet, venæ & arteriæ, quemadmodum ieiuno & ileo, implantantur, ex alto scilicet sursum seriatim conscendentes: ac parti ipsius inferiori a sinistro rene ad rectum vsq; intestinum ductæ venæ arteriæq;, quemadmodum duodeno porriguntur. Neruos colum, vt alia crassiora intestina, cum gracilibus communes habet.

De recto intestino. CAP. X.

Nomina. SEXTVM & omnium infimum intestinum Græcis ἀπευθυσμένον & ἀρχὸν, Latinis *Longaon* vel *Longanon Rectum*, & *Princeps* dicitur, *Rectum* vero vocatum est, quod nullis or-
Situs. bibus implicitum sit. Quicquid est crassioris intestini ab initio ossis sacri in viris sub vesica, in mulieribus autem sub vtero ad anum vsque & podicem, sedemue, B quam Græci ἕδραν nominant, descendens recti intestini nomine comprehenditur. Inferior huius intestini ora a musculis in orbem circunfusis σφίγγεται id est, *constringitur clauditurue*, quapropter nomen ei, *Galeno lib. 4. de vsu part. cap. 19. teste* σφιγκτῆρα, id est,
σφιγκτὴρ. δακτύλιος. στεφάνη. *compressorem* nonnulli imposuerunt. Nostræ ætatis Medici & corrupta & barbara voce *Phicterim* vocant. Porro σφιγκτῆρος nomen etiam sibi vendicat musculus orbi-
Vasa. cularis sedem claudens, *eodem Galeno lib. 6. ana. admin. autore, vt lib. 2. dictum est.* Postrema huius intestini pars Iulio Polluci δακτύλιος καὶ στεφάνη nuncupatur, quod inuersa coronæ speciem exhibeat. Venas & arterias a portę & magnæ arteriæ ramis accipit. Neruos cum aliis intestinis communes habet. Rectum intestinum musculos voluntariæ excrementorum excretioni pręfectos sibi priuatim vendicat, quos secundo libro enarrauimus. C

De mesenterio. CAP. XI.

Nomina. CORPVS Græcis μεσεντέριον & μεσάραιον nuncupatum, quod Theodorus Gaza, *vt dictum est capit. 7.* non recte lactes vocauit, & Cicero *in tertio de Deorum natura* medium intestinum non satis recte conuertit, commodissime instar Gręcorum nobis etiam *Mesenterium* & *Mesaraeum* nominabitur. Vtrunque autem nomen ei ab accidentibus est inditum. Mesenterium autem a situ dictum est *Galeno lib. 7. de ana. admi. teste*, quod medium inter intestina situm sit, adeoque illa quasi vinculum complectatur. Mesaræum vero a propria substantia, omnes enim venas ex iecore in ipsum descendentes, vna cum vicinis arteriis & neruis in orbem complectitur. Vnde venæ D illæ dictę sunt mesaraę, & mesaraicę. Ciceronem secutus Macrobius, & Alexander Benedictus falso inter intestina Mesenterium retulerunt, *vt lib. 3 paradox. cap. 7. fusius*
Situs. Substantia. *demonstrauimus.* ¶ Ad posteriorem itaq; intestinorum sedem locatum est vinculum, cuius beneficio intestina inuicem vt ad dorsum colligarentur, futurum. Vt vero id tantũ homini vsum securius præstaret, dura membraneaq; constat substantia. Ex duabus e-
Forma. nim mutuo attensis & accumbentib. membranis a peritonæo originem ducẽtib. mesenterium conformatur. Non tamen ex vna eademq; peritonæi sede iis membranis origo est, verum ex varia pro mesenterii ipsius nimirum forma, quam fere intestina fingunt, a mesenterio colligata. Nam vt non intestinorum omniũ par anfractuũ ductus
Tria mesenteria. est, ita quoq; non eadem vndecunque mesenterii effigies. Quam certe Galenus in libello, *de venarum dissectione* videtur animaduertisse. Nam etiam si omnino conti- E nuum est mesenterium, nihilominus tamen tria mesenteria recensuit, vnum quidem
Medium. dextrum, alterum vero sinistrum, tertium autem medium. ¶ *Medium* vero appellare illum apparet, mesenterii partem, ieiunum tenueq; intestina dorso colligantẽ, quæ
Dextrum Sinistrum. angusto orta principio, in miram amplitudinem latitudinemq; ducitur, vt omnibus ieiuni tenuisque intestini connasceretur anfractibus. ¶ *Dextrum* vero & *sinistrum* nominauit fortassis, quod colon intestinum, & rectum dorso alligat, dextrum quidem in dextri ilii regione, sinistrum vero in sinistri, collocans. Mesenterii itaq; pars gracilibus intestinis peculiaris, similem omnino cum inferiori membrana omenti sortitur exortum. Ex magnæ enim arteriæ & venæ cauæ tunicis, quas ea vasa secundũ F vniuersum suum per lumborum vertebras ductum a peritonæo obtinent, membraneæ fibræ admodum frequẽtes exsurgunt, statim in duas degenerantes membranas, dextræ quidem in dextram, sinistræ autem in sinistram. Hisce membranis mutuo adnexis mesenterii pars gracilia intestina dorso colligans efformatur: partes autem colon rectum dorso connectentes, ab illis peritonæi regionibus principium ducunt, secundum

A cundum quas hæc intestina exporriguntur, peritonæo semper fibras quasdam, quæ in mesenterii membranas degenerent, illic emittente. ¶ Neque profecto mesenterii substantia in hoc solum quo validius intestina dorso adnecteret, membranea est; verum etiam alterius magni cuiusdam vsus gratia, quo venas omnes ex iecoris porta, & arteriæ propagines a magna arteria ad intestina excurrentes tuto colligaret, ac ne illæ dum homo salit aut cadit, contundantur & disrumpantur, tuto secureque admodum suffulciret, *vt latius Galenus lib. 4. de vsu par. cap. vlt. docet.* Grandior enim venæ portæ truncus, qua mesenterium iuxta renum regionem a dorso pronascitur, inter duas mesenterii membranas ducitur, arteriam habens comitem, quæ a magna arteria priusquam hæc ad renes ramos dispergat, in hoc vt in intestina diffundatur, originem B ducit. Huc quoque pertingunt duo nerui, vtrinque nimirum singuli, ab illis pronati ramis, qui a sexto neruorum cerebri pari costarum radicibus exporriguntur. Adeo vt ingens is venæ portæ truncus, & dicta nuper arteria cum duobus illis neruis simul mesenterii centrum subeant; atque inter duas ipsius mesenterii mutuo cohærentes membranas ingrediantur, ac tuto postmodum per vniuersam mesenterii sedem numerosa sobole ad intestina perferantur. At præter commoratam arteriam, aliæ quædam magnæ arteriæ propago eam mesenterii partem ingreditur, quæ sub renum regione a dorso principium obtinet. Atque huius propaginis exortus paulo sub seminalium arteriarum principio a magna pendet arteria. ¶ Porro vt homo copiosa vndecunque abundat pinguedine, sic mesenterium quoque præpingue adipiscitur, C sanguine hic ex vasis resudante, membranarumque vi in adipem mutato: quum enim id quod in sanguine pingue est, *Galen. lib. 2. de tempe. ca. 5. teste*, extra se venæ transmiserint vbi in frigidas particulas incidit, quod genus membranæ sunt, in iis concrescit, ita vt præter vasa & neruos, multũ adipem mesenterii membranæ in sui medio contineant. Sed extra adipem aliud quoque mesenterio accedit. Præter enim frequentem illam vasorum sobolem, natura glandosum corpus, quod Græcis πάγκρεας, *vt dictum est supra cap. 3.* singulis vasorum scissionibus ita vndiquaque substruxit simul & circumposuit, vt nulla ipsarum inualida fieri, aut per motum quassari posset. ¶ Ac proinde ad mesenterii centrum, vbi prima fit vasorum distributio corpus hoc glandosum exstruitur, insigniores, ac primos vasorum ramos secure admodum deducens. Per reliquam ve- D ro mesenterii sedem, singulis prope vasorum diductibus natura glandulam quoque aliquam interiecit, diuisionis robur simul ac firmamentum futurum. Adeo vt simul glandulis illis accedentibus, mesenterii membranæ vasa versus intestina tutissime deferant, intestinaque omnia dorso quam aptissime colligent, ac demum tertiam intestinorum tunicam efforment. Quum enim mesenterii membranæ vasa ad cauam intestinorum partem deducunt, ipsis intestinis simul cum vasis adnascuntur, atque hic inuicem abscedentes singulæ per suum in intestina latus ascendunt, ac in tertiam intestini tunicam degenerant, hac occasione fortius intestina ligantes, & validius vasorum propugnaculum constitutæ.

Substantiæ mesenterii ratio & vsus.

Mesenterii adeps.

Pancreas.

De stomacho & ventriculo. Cap. XII.

E VENTRICVLVS, quem Græci γαστέρα & κοιλίαν vocant, pars est corporis in quam animantia cibum recipiunt. Proinde veluti promptuarium quoddam est, quod esculenta poculentaque suscipit, eaque primum concoquit ac mutat. Sub thorace & septo transuerso inter iecur & lienem medius statim ponitur, viamque ab ore cibos ad se deferentem obtinet, quæ *Galeno lib. 4. de vsu par. cap. 1. teste*, ab vsu οἰσοφάγος nuncupatur & etiam illis communi nomine quo omnem angustum ductum, seu collum isthmi modo alicui ampliori ventri præpositum vocitant, στόμαχος dicitur, Latinis vero *Gula*. Hæc via linguam ad radicem eius hærens excipit, ac vtraq; parte tonsillas attingens, a palati extremo principium sortitur, ac agitatione motibusque linguæ depulsum, & quasi detrusum cibum suscipiens, illum deorsum pellit partibus ipsius quæ sunt infra F id quod deuoratur dilatatis, quæ vero supra contractis. Neruosa enim membraneaque, vt facile dilatetur, prompteque rursus concidat, effecta est: & fibris suo numeri fabulantibus intertexitur, ac reliquorum denique corporis ductuum modo, teres & intus accurate læuis lubricaque cernitur. Duabus enim, *Galeno lib. 3. de natural. facul. & lib. 4. de vsu par. cap. 8. teste*, propriis constat tunicis, substantia, duritie, crassitie, & fibra-

Nomina.

οἰσοφάγος.
στόμαχος.
Gula.

Substantia.

Tunicæ.

rum specie variantibus. Harum quidem interior neruosior, durior, & paulo tenuior, ac totius oris palatique tunicæ continua est, & rectis fibris manuum instar ciborum attractioni subseruientibus, donatur. Exterior vero crassior, mollior, propemodumque musculorum natura participans carnosior visitur, & transuersis duntaxat circularibusue abundat fibris. ¶ Duabus itaque iis solum fibrarum differentiis stomachus gulaue indiguit, vt rectæ quidem cibum, & potum attraherent, transuersæ autem astantes pellerent. Nam si obliquæ accessissent, cibus in stomacho longiori mora hæreret: quod non solum homini inutile, sed & importunum ac molestum esset, quod stomachus cibo plenus, ita prolixius distenderetur, asperæque arteriæ ac pulmonibus, & magnæ itidem arteriæ, dum ea dilatantur, diutius obstaculo esset. Natura enim stomachum tuto, & illa quæ iam nominauimus organa minus molestaturum, per ceruicem thoracemque ad ventriculum porrigens, exacte supra mediam ceruicis vertebrarum & quatuor primarum thoracis sedem, in neutram partem inclinantem asperæque arteriæ subtensum deducit. Ad principium vero quintæ thoracis vertebræ stomachus vt ampliori magnæ arteriæ trunco secundum dorsi vertebras inferiora corporis petenti cedat, nonnihil in dextrum latus a media vertebrarum regione abscedit, arteriæ illi proximus ad nonam vsque thoracis vertebram repens: quo simul atque pertingit, ab eius vertebræ eleuatus corpore arteriam elatius, ne illa forte a deuorato cibo comprimatur, ascendit neruosam septi transuersi partẽ versus sinistrum latus penetrans. Non enim stomachus eodem cum arteria magna hic ad inferiora prolabenti foramine vtitur, verum peculiari, quod ipsi neruisque cum illo descendentibus *lib.2.* dum septum describeremus, præparatum esse diximus. Porro ad nonæ thoracis vertebræ initium stomachus vertebrarum a corporibus interuentu membranularum ex ligamentis vertebrarum originem ducentium committitur, atque ab illis membranulis tertiam tunicam nullis omnino fibris interstinctam, & velut secundæ ipsius inuolucrum possidet. Quod vero iuxta quintam thoracis vertebrã ad dextra potius arteriæ quam ad sinistra stomachus explicetur, in caussa ipsa est arteria, non adeo tyranni ritu dorsi mediam sedem occupans sed quum a sinistro cordis sinu ortum ducat, & per reliquum ipsius ductum versus sinistrum cauæ venæ subiiciatur, sinistrorsum maiore sui parte necessario vergens, ac proinde aliquantulum stomacho cedens, communicatorem, ac velut socium sedis vertebrarũm admittit, adeo vt stomachus & minus obliquetur, & firmiorem adhuc sedem quam in sinistro latere reperire posset, obtineat. ¶ Porro stomachus non dextram septi perforat sedem, rectaque in ventriculum ex dextro dorsi latere porrigitur, sed arteriæ superuectus, obtusoque obliquatus angulo sinistram petit, ne stomachus ventriculum adeundo, iecur vniuersam dextram sedem inferioris regionis septi occupans, perforare cogatur, sed eam septi partem adinueniat, quia minor iecoris pars ipsi facilem aditum præbitura consistit. Talis sane est tenuior totius iecoris portio sinistræ septi sedi hic subtensa, cui in posteriori regione qua stomachus septum permeat, sinus instar semicirculi insculpitur, stomacho, cuius anteriorem sedem inibi amplectitur, proportione congruens.

Incessus stomachi.

Glandulæ stomacho crebro adnatæ.

¶ Cæterum non sufficiebat naturæ stomacho in eum modum obliquato ad velocem ciborum transitum eas quas diximus tribuisse fibras, verum vt ipsius concauitas semper humecta ac velut vncta esset, glandulas adiunxit alias quidem ad fauces, stomacho & laryngi communes, quæ saliuam humoremque illis organis ne exsiccentur, præparantes, Latinis *tonsillæ* appellantur ¶ In medio itidem propemodum stomachi ductu, qua is asperæ arteriæ in duos truncos ad pulmones diuisæ subiicitur, binas alias sæpe stomacho non opponit modo, sed & in posteriori ipsius sede & ad latera adnectit, illis plane respondentes, quas vesicæ ceruicis initio in viris natura circundedit. Quemadmodum vero hæ vrinæ seminisq; genitalis meatum irrigant & humectant, sic etiam glandulæ stomacho adnatæ illius amplitudinem irrorant, ac ne ob siccitatem difficilius in ventriculum cibus prolabatur saliuali quodam humore imbuunt.

Tonsillæ.

Ventriculi situs.

¶ Cæterum de stomacho hæc dixisse satis sit, nunc ventriculi historiam persequemur. Statim ac stomachus septum in sinistra neruosæ ipsius partis sede penetrat, continuum cum ventriculo corpus efficitur, quod in sinistro latere amplam septi sedem contingens, totam regionem inter iecur & lienem vacuam complectitur. In dextro autem

A autem latere ventriculus nusquam septum attingit, sed iecoris duntaxat concauo subtensus, tota ipsius parte superiori, & ex dextro item latere a iecore occultatur, tantumque a dextra septi sede passim abscedit, quanta iecoris est crassities, quum interim magnam septi sedem sinistro suo latere contingat. Quid multa? ventriculi forma in homine talis cernitur, vt maxima ipsius quoq; portio in sinistro collocetur.

Ventriculi forma.

¶ Ventriculus figura rotundus, & a dextro in sinistrum oblongus, aut secundum latitudinem quodammodo teres est. Rotundus quidem, quoniam rotunda omnia sint capacissima, & iniuriis minime obnoxia. Oblongus vero, quod id sedes qua continetur, & deinde bina ipsius orificia, exigere videantur. In sinistro etiam latere multo amplior rotundiorque, & ad inferiora prominulus cernitur, ac dein hinc versus dextra
B vergens, paulatim in angustum cogitur, & superiori quidem sui parte descendere, inferiori autem ascendere conspicitur, adeo vt in dextro latere multo quam in sinistro gracilior euadat. Sic quoque superiori sui parte, quæ ab vno orificio ad alterum pertinet, strictior angustiorque est, inferiori latior, ampliorque. Anteriori parte æqualiter vndique gibbus occurrit, nulla ex parte deformatus. Posteriori sede duos quodammodo gibbos commonstrat, vnum sinistrum eundemque magnum proceriusque extuberantem: alterum dextrum, minorem depressumque magis. Atque hos gibbos sinus quidam impressione parat, secundum corporis longitudinem posteriori ventriculi sedi impressa. Qua enim ventriculi dorsi vertebras, ipsisque exporrectos venæ cauæ & arteriæ magnæ descendentes truncos respicit; ac sedi quam
C sortitur vtcunque sese adaptat, posterior ipsius regio introrsum quasi ad eius amplitudinem nonnihil imprimitur. Quamuis ventriculus e corpore auulsus inflatusque, eiusmodi sinum non ostendat.

Duo ventriculi orificia.

¶ Duo ventriculus orificia habet e quibus vnum quo cibus & potus assumitur; in elatissima sinistræ ventriculi partis sede ob hoc consistit, quod stomachus inibi septum commode perforans; illic primum ventriculo connasci, communeue cum ipso corpus fieri potuit. Hoc Græci veteres καρδίαν, Latini *superius os ventriculi* nominant. In sinistra vero etsi parte habetur, propinquius tamen mediæ ipsius sedi quam sinistro lateri accedit. Hinc Galenus *lib. 7. de vsu parti. cap. 21.* sub mucronata cartilagine hoc ipsum situm esse veluti sub quodam propugnaculo & munimento scribit. Alterum ventriculi orificium cibos in cremorem mutatos

Καρδία.

D ad intestina transmittit. Vnde Græcis πυλωρὸς, nobis autem *Ianitor*, & *inferius os ventriculi*, barbaris *Portonarius* appellatur. In dextra eius sede consistit. Hoc orificium intestinorum principium constituit explantatque. Hinc est quod primum intestinum duodenum vocatum, exortum plerique *vt capite 5. huius libri dictum est*, nominarunt. ¶ Porro ventriculi orificia non situ duntaxat inuicem variant, sed inferius quoque superiori arctius est, quod rudes, non tritas, duras, magnasque moles, *vt ait Galenus*, subinde deuoret homo, ad quarum ingressum amplam ventriculi viam esse oportuit. Infra e contrario nihil magnum, durum, non versum in succum, crudumque transit. Quanquam non adeo sane angustum sit inferius ventriculi os, vt solum cremorem transmittat, quandoquidem non pauci quam plurima fructuum ossa, impense etiam magna, crebro deuorata innoxie excernunt.

Πυλωρὸς.

E ¶ Ceterum in plerisque animantibus in inferiori illo orificio Galeno *lib. 4. de vsu par. ca. 7. auctore*, velut glandulosa quædam caro sita, angustiam auget, præsertim vbi ventriculus retentoria facultate vtitur, concoctioni intentus. Tunc enim vtrunque ostium arctissime coactum commissumque clauditur. Porro non solum in inferiori ventriculi orificio, sed & in superiori substantia ventriculi crassior spissiorq; est, ac orificia velut in interiora extuberantiorem instar circuli partem obtinent, ventriculi substantiæ penitus respondentem: quæ quidem inter dissecandum integro adhuc ventriculo tactu percipitur, aperto autem inuersoque in conspectum venit, ac manifeste ventriculi initium stomachive finem, & duodeni intestini originem commonstrat.

Glandulosa caro.

F Videntur enim stomachus, & duodenum ex ipso ventriculo enasci, aliæque omnino quam vetriculus ipse, partes esse. Hæc autem crassior ventriculi portio in hoc potissimum facta est, vt ora ipsius robustiora densioraque, quam reliquus eius corpus euadat, ne forte a trāseuntium impetu diuellātur, rumpāturq;. ¶ Quemadmodū vero exterior ventriculi superficies læuis & plana vndique est, sic & magis adhuc interior

Ventriculi superficies.

ipsius concauitas, modo duo iam dicta tubera circulatim prominentia excipias: ventriculus enim inibi nihil præter rugas quasdam, si vehementer constrictus reperiatur, ostendit: quamuis interim obfuscum, & quasi nubeculis intense rubentibus interstinctum colorem exprimat, quum tamen exterius omnino pene albicet. ¶ Quātitas autem ventriculi varia admodum est. Nam si vesicæ modo infletur, haudquaq; miraberis tantam ciborum vim, viniq; copiam vno tempore posse absumi. Porro quum is cōstrictoria vi vtitur, quamlibet exiguum multumve sit quod continet, totum id vndiq; complectitur, nullam vacuam sedem relinquens, *vt cap. 5. libri de diffe. simp. Galenus exponit*. Huic quidem actioni ipsius congruit substantia, quæ membranea est, vt commode vsu postulante dilatari, & rursus vbi opus est, constringi queat. Constat enim ventriculus duabus latis tenuibusque tunicis sibi inuicem iunctis, perinde ac gula, sed nonnihil dissimilibus. Nam interna ventriculi, similiter atque interna stomachi, nervosa membraneaque est, & totius stomachi, oris & labiorum, vti sane & intestinorum internæ tunicæ continua, duritie tamen ab oris stomachique tunica modice differt: quod duriores asperioresque cibos, priusquam in ventriculum decidant, ore conficiamus, a quibus oris amplitudo contunderetur & raderetur, nisi dura densaque eiusmodi tunica euasisset. Atque idcirco tunica ori, & stomacho, & ventriculo communis, sensim ad ventriculi fundum accedens, mollior efficitur. ¶ Fibris hæc duplicibus intertexta est, quo etiam ab interna stomachi variat. Interior enim tunicæ pars ventriculi cauitatem respiciens, rectis iisdemque plurimis donatur fibris. Attrahat namque ventriculus cibos & potus per stomachum oportet, huiusmodi fibris, ceu manibus alliciens: quæ quum contrahuntur, stomachum ventriculumque breuiant, adeo vt inter deglutiendum larynx descendente stomachi initio, sursum conscendat, quod mutuus stomachi & laryngis sit connexus, & interior vtriusque tunica continua cernatur. At secundum fibrarum huius interioris ventriculi tunicæ genus obliquarum est, in externa tunicæ sede, qua secunda illam amplectitur, situm. Quemadmodum enim cibi potusque attractio, eorundem necessario præcedit retentionem, ita rectas fibras interius obliquis natura coordinauit. Deinde vt retentionem ciborum iam confectorum succedit expulsio, ita quoque secunda exteriorve ventriculi tunica transuersas fibras obliquis exteriores merito nanciscitur, nonnullis interim obliquis fibris etiam implicita. Exterior enim tunica, quæ interiore crassior & mollior, minusque compacta est, transuersis fibris abundat, secundæ stomachi tunicæ respondens, nisi quod paulo minus quam hæc carnosior est, & aliquot etiam obliquis intertexitur fibris. Duabus iis ventriculi tunicis tertia accedit instar operimenti & propugnaculi cuiusdam tunicæ exteriori circumdata, & a peritonęi, qua id septi partem stomacho iter præbentem integit, pronata. Huic enim peritonæi portio primum elatiori ventriculi orificio, deinde vniuerso ipsius corpori ad duodeni vsque intestini originem obducitur. Atque hæc a peritonæo procedens tunica, omnium quas id reliquis exporrigit organis, facile crassissima cernitur, superiorique membranæ omenti, *vt capite tertio dictum est*, originem præbet. ¶ Hæc tunica primum omnes ventriculum petentes venas, arterias & neruos excipit, firmatque. Ac istæ quidem venæ omnes a sola portæ vena originem ducunt. Nulla enim vel quantumuis exilis a caua, ventriculo substrata, ventriculum adit. Arteriæ autem vniuersæ ab illis oriuntur, quæ a magna arteria in humiliorem omenti membranam primum digeruntur, ac in id & iecur, & bilis vesiculam, & lienem, & in ventriculum denique ipsum deriuantur. ¶ Ac *prima* ventriculi vena a portæ vena priusquam in duo grandes ipsius truncos discindatur, principium habet, ad inferius ventriculi orificium conterminaque ipsi ad posteriorem eius sedem loca excurrens. Arteria autem huic venæ coniunx, propago eius est arteriæ, quæ secundum portæ ductum iecoris cauum adit. ¶ *Secunda* vena coniugem vndecunque habent arteriam toti dimidiæ inferiori ventriculi parti subtenditur, a qua & anterior & posterior fundi ventriculi dextra sedes surculos mutuatur. Oritur ex dextra venæ portæ regione, qua in duos grandiores ipsius truncos finditur. Arteria vero ab illa pronascitur, quæ in iecur deriuatur. ¶ *Tertia* ventriculi vena impense gracilis est, comite arteria carens, & a venæ portæ graciliori sinistrove trunco enata, in posteriorem ventriculi sedem pauca ramulorum serie dis-

Margin notes: Ventriculi quantitas. — Ventriculi substantia quibus formetur tunicis. — Fibræ ventriculi. — Ventriculum petentes venæ & arteriæ.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A rie dispergitur. ¶ *Quarta* vena ab eodem trunco prodiens, toto progressu arteriam sibi coniugem asciscit, omniumque ventriculum ascendentium venarum, vt & arteria arteriarum, facile præcipua, atq; in numerosos ramos diuisa. Ab hac vena dextrum oris ventriculi latus ambiente propago editur, secundum elatiorem ventriculi sedem ad ipsius humilius vsque orificium pertingens. Porro arteria præsentis venæ coniunx ab ea depromitur, quæ per inferiorem omenti membranam in lienem contendit. ¶ *Quinta* vena comite arteria non priuata, sinistram ventriculi fundi sedem ambit, & superiori membrana omenti suffulta ramos elatiori sua sede in ventriculi anteriora posterioraque emittit. Huius principium dependet ab ampliori venæ portæ ramo, lienis infimæ sedi inserendo: & arteria, venam eam concomitans, ab arteriæ ramo pu-

B lulat lienem hic accedente. Galenus *lib. 4. de vsu par. cap. 15.* hanc venam maluit vocare *venosum quendam meatum:* vel, *vt in lib. 5. de vsu par. capit. 4. ait,* vas breue per quod melancholicum humorem lien in ventriculum eructet, vt suo loco latius dicemus. ¶ *Sexta* ea demum vena est, quæ ab illis quæ lieni exporriguntur, pronascitur, sinistrique ventriculi lateris sedem lieni proximam accedit: inter quas ea solet esse præcipua quæ a maiori venæ portæ ramo altiori lienis parti inserto principium ducit, a qua minus quam rana surculi pilorum modo graciles, quasi ad superius ventriculi orificium pertingunt. Quanquam, vt ex anatome obseruatur, non vnica, sed plures venæ sint, quæ a liene ad sinistram ventriculi sedem deriuantur. Ceterum prædictis venis; sinistrum ventriculi latus accedentibus comites perpetuo iunguntur arteriæ. ¶ Com- Venarum ventriculi officium.

C mune autem omnium ventriculi venarum munus est, vt & alimentum ipsi adferant, & succulentioris ab illo confecti cremoris ad iecoris cauum non aliter ac intestinorum venæ, deducant. Quintæ autem & sextæ potissimum venarum officium est, vt per illas lien in ventriculum melancholiam eructet ac fundat, quo omnes ventriculi functiones, quæ amplexu quodam consistunt sua saporis qualitate, quæ acerba & acida est, adstringendo, & in seipsum contrahendo roboret; ac proinde ne priusquam plene confectus sit a ventriculo cibus elabatur, prohibeat. Atque hic sane melancholici humoris ad ventriculum legitimus ac verus vsus est, *Galeno etiam lib. de vsu part. teste.* Vt hinc omnibus palam fiat errare Auicennam, & complures alios nostræ ætatis Medicos, eius placita mordicus tenentes, qui prædictum humorem hoc Melancholici humoris vsus.

D potius nomine ad ventriculum deriuari tradunt, vt famem & appetentiam naturalem excitet; quemadmodum *in nostris in sextum Hippocr. Epide. librum commentariis, & annotationibus in librum primum Galeni de tuen. sani. & aliis locis copiosissime demonstrauimus.* ¶ Porro frequentes ventriculi arteriæ; innatum ipsius calorem recreant. Præter iam dictas venas & arterias ventriculo nullum aliud vas implantatur, & si forte meatuum bilem deducentium aliquis in ventriculi fundum venit id sane quam rarissime fit, id *quod etiam lib. 2. de temper. cap. 8. Galenus testatur.* ¶ Neruorum haud exilium par ex cerebri coniugatione sexta ad ventriculum defertur. Postquam enim recurrentes, de quibus suo loco, diffuderunt neruos; ramulosque cordis inuolucro, & pulmonibus communicauere; deorsum ad stomachum properant, dexter quidem ad dextrum latus, Arteriarum vsus. Nerui ventriculi.

E sinister autem ad læuum. Simulatque vero aliquantisper nerui cum stomacho descenderunt, fibrarum duntaxat interuentu illi commissi, vterque neruus bipartito scinditur, & dexter quidem suis ramis obliquis in sinistrum fertur: sinister autem in dextrum, atque ambo stomachum concomitati septũ transuersum permeant, nullam interim septo sobolem offerentes. Vbi autem quatuor duorum neruorum rami elatius ventriculi orificium cõtingunt, multiplici propaginum serie id amplexantur; surculos notatu digno interuallo recta deorsum promentes. A sinistro sexti paris neruo dextram ventriculi oris regionem implicante, insignis vtcunq; ramus secundum elatiorem ventriculi sedem ad ipsius vsque inferius orificium deducitur, qui & si in progressu aliquot diffundat propagines, ventriculique inferius orificium surculis quibus-

F dam implicet, non tamen inibi absumitur, sed in iecoris cauum prorepit. Ceterũ humiliorem ventriculi partem alii duo accedũt nerui, a sexti neruorũ cerebri paris propaginibus, secundũ costarum radices deorsum deductis principium obtinentes, ac illarum arteriarũ cõiuges, quæ superiori mẽbrana omenti suffultæ, in vẽtriculi fundum digeruntur. Inter hos tam varios neruorum quos ventriculus exigit surculos, nulli Neruorum ventriculi vsus.

profecto Naturæ tantam ostendunt prouidentiam, atque superiori ipsius orificio inserti. A Non enim duntaxat id vt noxam a bilioso eiusue generis humore aliquo inductam sentiat, adeo frequentibus scatet neruis, sed vt per illos veluti riuos & ductus, animalis vis ipsi inprimis dispensaretur, ac cibi potusque indigentiam ventriculus sentiret, ad sumendaque cibaria incitaretur, quemadmodum copiosissime Galenus *lib. 4. de vsu par. cap. 7.* ostendit. ¶ *Connexus ventriculi.* Ventriculum vndiquaque, velut lebetem ingentes foci, circundant organa excalefacientia, vim ipsius concoctricem non parum iuuantia. Totam enim superiorem eius regionem versus anteriora & dextrum ipsius latus, & in posteriori sua sede dextrum gibbum, iecur complectitur. Elatior vero ipsius pars ad superioris sui orificii posteriorem sedem consistens, & sinistrum eius latus vniuersum, septo ambitur, excepta solum ea regione quam lien ad sinistrum ventriculi latus B humiliori posteriorique parte occupat. In posteriori autem sede ventriculus inferiorem omenti membranam, & quæ in illa excurrunt vasa proxime subtensa obtinet. Dein sub hac posteriori eius sede septi transuersi pars, & vena caua, & magnæ arteriæ truncus, præter dorsum ipsiusque musculos consistunt. Magna vero anterioris ventriculi sedis regio, neque iecore, neque septo transuerso, neque omento, neque liene obducta, aliud hic obtinet subsidium, in calefaciendo omento haud dissimile. *Vena vmbilici.* Præter enim peritonæum, & octo abdominis musculos, vena ab vmbilico iecori deducitur, qua fœtus alimentum accipit, quæque post partum exanguis inutilisque efficitur. Huic quidem venæ qua peritonæo nexa ventriculo insternitur, in circuitu adeps multus adnascitur, qui vt & ventriculus suo in coquendo munere alacrius laboret, aliquid auxilii præbet. C

De iecore. Cap. XIII.

Nomina. IECVR, quod Græcis ἧπαρ dicitur, *facultatis appetitricis seu concupiscilis,* quam iidem ἐπιθυμητικὴν, Galeno *lib. 4. de vsu par. cap. 13. teste,* sedes, venarumque omnium principium, ac primum sanguinis generandi instrumentum. ¶ *Situs.* Sub septo iecur statim collocatur, maximam inferioris septi sedis regionem occupans. Etenim totam dextram septi partem contingit, parum admodum illius partis intactum relinquens, qua septum vndecimæ duodecimæque costis adnascitur, suaque ligamenta quibus vertebris colligatum porrigit. Media autem septi parti vniuersæ iecur subtenditur. Sinistræ vero parti non itidem: quanquam huius quoque magnam sedem teneat, totam videlicet D anteriorem ad eam vsque partem, qua sinistrum septi latus costarum medio, quod ab ipsarum radicibus ad finem vsque eorundem metitur, incumbere incipit. Maiorem autem sui partem humanum iecur in dextro latere extensam habet, propter lienem qui ipso dignitate multo inferior, sinistram sedem erat occupaturus. Vt igitur corpus redderetur æquilibre, sagax Natura minorem iecoris partem in sinistra deduxit. ¶ *Forma.* Iecoris forma varia est, & suis quibus accumbit organis respondens. Nam & supra & retro omni ex parte qua septum spectat, gibbum læueque admodum visitur, nullis omnino extuberans processibus, & cauitati septi, quæ in inferiori ipsius sede necessario constituitur, ad amussim, congruens. Ne vero venæ caudex secundum posteriorem iecoris sedem protesus, aut huius grauitate, aut septi transuersi motu comprimeretur, tantus sinus posteriori iecoris sede exculptus est, quantus amplectendo E innascendoque cauæ caudici sufficiat. ¶ Cæterum inferiore sede iecur admodum amice ventriculo cedit, ac ab illo cauum efficitur, & læue quidem hic exsistit, sed non vndecunq; processibus tuberibusq; & sinibus liberum. Quemadmodũ enim organa quibus iecur caua sui parte incumbit, simplici quadam superficie neutiquam gibba sunt: ita quoq; iecur vnica superficie haud sinuatũ est, sed rupis præcipitio, vel vt Gal. *lib. 6. ana. admi.* ait, distantibus a se inuicem montium rupibus aliqua ex parte accedit. Qua namque duodenum exporrigitur intestinum, & vena portæ a iecore prodit, iecur quodam tubere prominet, sedem quam hic vacuã reperit adimpleturum. Præterea vbi bilis vesicula cauæ iecoris regioni innascitur, sinus in illa exculpitur, mediũ F eius vesiculæ corpus eleganter excipiens. Adhæc iecur quoq; ea parte sinum adipiscitur, qua stomachum tangit, ipsiq; septum transeunti, & superiori orificio ventriculi continuãdo, locum præbet. Adeo sane vt iecur nullam peculiarem formam obtineat, sed eam, quæ a conterminis partibus ipsi imprimitur. Iecur itaque superius posteriusq;

A riusque qua septum spectat, præter sinum venæ cauæ caudici paratum, exacte gibbum & læue, sed qua ventriculum amplectitur, omni propemodum ex parte cauum cernitur. Rursus vbi posteriori ventriculi sedi & dextro ipsius lateri attéditur, crassissimum est: qua vero superiori orificio ventriculi eiusque sedi superiori versus sinistrum incumbit, tenue apparet, & sensim illic in acutum fertur angulum. In dextra vero parte rotundum quodammodo & orbiculare obseruatur, & nusquam tenuius est, quam in ambitu, & præcipue in anteriori ipsius sede, vbi sane tenuissimum visitur, interdum inibi impressiones quasdam obtinens, sed omnes exiguas, præter vnam patulæ sectionis modo anteriori ipsius parti inductam, ac a mucronata pectoris ossis cartilagine parum in dextrum iecoris latus vergentem; & veluti foramine quodam ad eam ie-
B coris sedem penitus pertinentem a qua portæ venæ caudex principium ducit. Atque hæc sectio seu foramen est, quo vmbilici vena iecori implantatur. ¶ Et hactenus quidem humani iecoris formam descripsimus; quod in tot & tam magnas fibras λόβους Græci vocant; vt porcinum non discinditur, sed vnicum continuumque præcipua ipsius substantia, corpus iecur hominis est. Hinc rectissime Herophilus *vt lib. 6. Ana. admi. auctor est Galenus*, in quibusdam animantibus ne fibras quidem habere, sed ex toto rotundum esse, minusque rectum: in quibusdam duas, in aliis plures, in multis etiam quatuor obtinere scripsit. Porro quum Græci λοβοὺς omnia ἄκρα, hoc est, extrema dixerint, factum est vt iidem iecur etiam humanum fibras habere scripserint. Nam duplicem fibram ista ratione iuxta scissionem qua vena ex vmbilico pro-
C ficiscens excipitur, statuerunt. Propter portiunculam etiam iecoris sub ortu venæ portæ extuberantem fibris constare prædicta ratione nonnulli dixerunt. Item iuxta sinum quo iecur stomacho cedit, & in sinistra maxime eius parte qua iecur septo connectitur fibram fortasse quis non inepte constituere potest. Habet itaque fibras ista ratione iecur etiam humanum, sed longe alias, & multo minores quam porcinum. Atque huc respexisse puto Hippocratem dum in *lib. de ossium natura* iecoris quinque esse fibras tradit. Et *lib. 6. Epide. par. 8. aph. 41.* vbi cuidam iecoris fibram complicatam fuisse commemorat. ¶ Ceterum in hominibus, si ad alia quædam animantia conferas, perquam magnum est: maius gulosis & timidis, *vt loco antea citato Galenus auctor est.* ¶ Iecoris substantia rubra mollisque nuper concreto sanguini quam simillima, nisi
D quod durior, & potissimum in iecoris gibbo cernatur. Hanc Erasistratus παρέγχυμα, hoc est, *effusionem* vocat, quod sanguinis instar ex venis effusi vasis circumfundatur. Præsens substantia iecoris vasa, de quibus postea dicemus continet, & amplectendo suffulcit, totam propemodum iecoris molem constituens. Hæc perquam tenui obuoluitur tunica seu membrana, a ligamentis pronata, quibus iecur peritonæo, qua id septo subditum est, affirmatur. ¶ Sunt autem hæc duo præcipua, vnum quidem densum & insigniter validum, sed membranæ modo tenue, quod peritonæi pars inferiorem septi sedem succingens paululum a latere dextro mucronatæ cartilaginis educit, recta ex anterioribus in posteriora protensum. Alterum vero, qua iecoris sinistra pars in acutum desinit angulum, a peritonæo nascitur. Hic enim fortissimo & quodammodo
E tereti ligamento iecur peritonæo alligatur. Dein qua cauæ venæ caudex septum permeat, & dein secundum cauæ per iecoris posteriora deductum peritonæum iecori adnascitur, ipsumq; peritonæo iecur colligat. Quinetiam cauæ iecoris sedi vbi portæ est principium, omenti quoq; portio adnascitur. Præterea iecur anteriori peritonæi sedi connectitur beneficio venæ ab vmbilico in ipsum iecur pertinentis. Hæc enim fœtu e matre excluso arescit ac instar validi efficitur vinculi, ipsum, *vt iam dictum est*, peritonæo colligãtis. Porro ex iis omnibus vinculis quibus iecur peritonæo adnectitur, tenuem suam & sibi peculiarem sortitur tunicam, in quam duo quoq;, ne stirpis modo sensus expers esset inseruntur nerui. Vnus quidem a sexti paris cerebri neruorum ramis, elatiori orificio ventriculi implantatis. Alter vero a sexti eius cõiugii pro-
F paginibus discinditur, quæ costarum exporrigũtur radicibus. Hic in iecoris tunicam raris modicisq; surculis dispergitur, priore in iecoris quoque substantiam pertingente. ¶ Arteriæ autem cauæ duntaxat iecoris sedi exiles & in corpus iecoris excurrentes, ab ea diffusæ, quæ dextræ sedi inferioris omenti membranæ a magna arteria offertur exporriguntur, vt huius calorem temperent. Ceterum vt sanguis diutius in iecore

Fibras num iecur habeat.

λόβοι.

Magnitudo.

Substantia. Παρέγχυμα.

Iecoris ligamenta.

Connexus.

Nerui iecoris.

Arteriæ.

Venæ. moram traheret, ac perfectam elaborationem experiretur, vtque totus iecoris substantiæ appropinquaret, non vnum ventrem illi veluti lagenam quandam rerum opifex indidit, verum venas illas omnes infinita ramorum serie & in arctissimos ductus A
Meatus bilis. digessit. ¶ Meatus autem bilis, de quibus postea fusius, inter vtrasque venas locum obtinent, vt commodo ipsorum situ prius expurgatus sanguis, in venæ cauæ ramos absumeretur. ¶ Per vniuersum autem iecoris corpus ad humiliorem eius sedem venę portæ propagines diffunduntur. In superiorem vero ipsius partem venæ cauę sob..les numerosæ sparguntur, quas omnes suo describemus loco.

De venis generatim. Cap. XIV.

Vena quid. VT recte quæ nobis de venis dicenda sunt intelligantur, primum quid vena sit exponemus. Est itaque vena pars instrumentaria, teres, fistulæq; instar cauata, & vniuerso corpori sanguinem partes enutriturum deferens. Hæc vnica peculiari propriaque constat tunica, quæ colore, crassitie & forma membranis respondet, sed alias ab illarum natura plurimum discrepat. Membrana namque simplex ac similare corpus exsistit, & omni ex parte quomodocunque discerpatur, perpetuo membranæ nomen retinet. Venæ autem tunica, quod ex membranis & fibris, *Galeno etiam cap. 2. libri de inæquali intempe. teste*, constet, corpus est instrumentarium. ¶ Triplici autem genere fibrarum quæ Græcis ἶνες dicuntur constituitur, rectis nimirum, obliquis & transuersis. Rectæ quidem attractioni conducunt, obliquæ autem retentioni, transuersæ expulsioni. *Rectæ* sunt, quæ secundum organi longitudinem expanduntur. *Obliquæ* autem quæ secundum obliquum ducuntur. *Transuersæ*, secundum latitudinem corporis locantur. Rectis itaque fibris sanguinem in ipsius cauitatem vena allicit. Quia vero sanguis ad subsequentem venæ partem tanquam per riuum propulsione opus erat transuersis quoque fibris donata est. Ne vero statim vniuersus sanguis in proximam venæ partem citra moram ex alia assumeretur propelleretur ve, obliquæ etiam fibræ venarum corporibus implicitæ sunt. Ex tribus itaque fibrarum generibus venæ corpus instar albæ membraneæque seu nerueæ tunicæ conflatum est, distendi & rursus in se collabi aptum. Præter hanc peculiarem tunicam, vena aliam subinde ascíscit, plerisq; etiam corporis partibus communem. Quandoque enim venæ longo tramite aliquo ducuntur, aut ossi, aut duriori cuipiam corpori incumbunt, aut alicubi suspenduntur, tum membrana illis veluti alia peculiaris tunica obtenditur. Huiusmodi tunica venæ per vniuersum corpus induuntur, quoties extra viscus aliquod, aut musculi corpus eminent, nec visceri aut musculo intexuntur. Tunc enim semper ex cõterminis membranis alia quædã tenuis tunica ipsis obuoluitur, tum tutioris ductus, tum ad vicinas partes firmioris nexus gratia. Ceterum venæ corporibus quibusdam insertæ, ac in illis propagatæ, huiusmodi tunica nequaquam indigent, quod abunde in illis corporibus firmentur quodq; ea tunica impedimento esset, quo minus prompte sanguis ex venis sudaret, aut sanguis in venis collectus, substantiæ alicuius visceris vim tardius experiretur. ¶ Hoc quidem nomine in nulla corporis parte, venæ neq; tenuiorem adipiscũtur suam peculiarem tunicam, neq; in plures diffunduntur soboles, quam in iecoris substantia, quæ succũ in venis contentum in sanguinẽ mutatura, suisq; recrementis liberatura erat. ¶ Omnes venæ primaria ratione vt sanguinẽ singulis corporis partibus deferant, creatæ sunt: quanquã quibusdam earum ramis, vt portæ venæ propaginibus ad cibi in ventriculo elaborati ad iecoris portas attractionẽ, ceu aliis ad excrementorũ expugrationem, vt sunt quæ in renes seorsum deferunt sanguinem, abutatur, quas omnes suo loco recensebimus. Porro in natis absolutisq; hominibus omnes, vt plurimæ venæ quaternario numero comprehenduntur, quæ ceterarum omnium radices sunt.

Ascititia venarum tunica. (B, C, D, E: marginal letters)

Venarum vsus.

Venarum numerus.

1 ¶ *Vna* ex caua iecoris sede prodiens in bilis vesiculam ventriculum, lienem, intestina,
2 mesenteriũ & omentum excurrit. ¶ *Secunda* ex gibbo iecoris, in reliquum corpus, solis
3 exceptis pulmonibus, innumera ramorũ serie dispergitur. ¶ *Tertia* e dextro cordis sinu enata, frequenti admodũ propagine in pulmones digeritur. Verum hæc vena id sibi peculiariter vendicat, quod arteriarũ constet corpore, vnde etiam *Arterialis, vt suo* F
4 *loco dicemus*, vena nuncupatur. ¶ *Quarta* ab vmbilico in iecur producitur, ac ad fœtus nutritionem dũtaxat animali famulatur. Ab iis itaq; venis reliquæ omnes quæ in corpore occurrunt originem mutuantur, eisq; continuæ sunt.

De ve-

A *De vena portæ ortu eiusque propaginum serie.* Cap. XV.

ORBICVLATIM ex omnibus extremis iecoris partibus infiniti venarum surculi, capillorum modo tenues prodeunt; quæ versus iecoris medium porrectæ, sensim in maiores soboles, & inde in grandiores adhuc tantisper coeunt, donec omnes in quinque, interdum etiam in pauciores ramos colligantur, qui in caua iecoris regione versus eius medium, ad interiora tamen & posteriora iuxta dorsum magis vniti, grandem & impense amplam constituunt, venam quę Græcis στελεχιαῖα, hoc est *caudex seu truncum referens* appellatur. Ingressum etiam & ascensum in hanc regionem ex multis angustis iam dictis viis vnum factum, veterum quidam, *Galeno lib. 4 de vsu par. cap. 2. teste*, naturæ operum peritus ante Hippocratem πύλην, id est, *portam* nominauit, non alia sane de caussa, quam quod per hanc, veluti portam aliquam, succus in ventriculo, & intestinis elaboratus iecori inuehatur, a quo in hunc vsq; diem portæ venæ nomen ad nos manauit. Ideoque, *vt Galenus lib. 6. de placitis Hipp. & Pla.* a nonnullis *porta iecoris*, ab aliis *Ianitrix* vocatur. Portæ vena a quibusdam etiam iecoris manus nuncupatur, quod iecur ea ad elaborati in ventriculo cibi attractionem tanquam manu vtatur. Dicitur etiam Galeno *lib. 5. de vsu partium ca. 2.* vena magna. Hæc ad eum modum ex iecoris cauo enata, versus sinistrum procedens, in multos venarum surculos, ad bilis vesiculam, ventriculum, intestina, lienem, mesenterium, & omentum, vt dictum est, sparsos, digeritur. Primum duos valde exiguos ramulos ex superiori, seu anteriore sui corporis parte bilis vesiculæ ceruici distribuit, qui tandem in surculos capillorum modo tenues diducti; in vniuersum vesiculæ corpus excurrunt. Post hos aliquanto inferius ab anteriore quoque venæ corporis sede, versus dextrum tamen latus magis, alius emergit, ramus iam commemoratis insignior, qui humilius ventriculi orificium, & ventriculi portionem huic iuxta dorsum proximam, aliquot ramulis adit.

Portæ ramorum in iecoris substantia series. *Nomina.* *Portæ venæ vnde dictę.* *Portæ caudicis extra iecur distributio.*

¶ Dein venæ portæ caudex deorsum magis protensus, postquam hos diffudit ramos; in duos maximos bipartitur truncos, quorum elatior & sinister propemodum vniuersus in ventriculum, & omentum, & quandam coli regionem, quæ secundum humiliorem ventriculi sedem fertur, deinde & in lienem absumitur. Alter humilior, grądior & dexter, totus pene in mesenterium & intestina exhauritur. Ab huius namque dextro latere iuxta ipsam caudicis portæ in duos truncos distributionem, vtcunque insignis vena ventriculo exporrigitur, quæ omenti membrana superiori suffulta, & sub dextra ventriculi fundi sede transuersim producta, exiguas frequentesque venulas ventriculo diuaricat, quæ & anteriorem & posteriorem fundi ventriculi regionem multa sobole intertextum, dextro quoque latere venæ portæ caudicis, vena quædam originem ducit, quæ duodenum numerosa sobole implicat, & paulo vltra renum principium exporrigitur.

Portæ caudicis in duos præcipuos ramos truncosve diuisio. *Dextri trunci series.*

¶ Sinister portæ truncus inferiori membrana omenti intextus, ab elatiori ipsius regione venam germinat, quæ in dextram regionem gibbi ventriculi qua, id dorsum respicit, aliquot surculos diffundit. Ab humiliori autem eius sede, alia diducitur vena, iam dictæ quodammodo in ortu respondens, quæ deorsum in dextram inferioris omenti membranæ regionem, & colum intestinum, qua hac omenti membrana id continetur, ramulos aliquot deriuat. Porro vlterius in sinistri trunci versus lienem progressu, præter exiguas soboles quas priuatim glandoso corpori inferiori membranæ omenti innato elargitur, ab elatiori sua sede venam promit omnium ventriculum adeuntium facile capacissimam. Hæc obliq; sursum prorepens ventriculo duos communicat ramos, vtrinq; singulos, multis surculis in ventriculũ dispersos. Reliquũ venæ sursum ad elatius ventriculi orificium per ventriculi posteriora exporrectum, ad dextrum orificii latus ad anteriora ipsius orificii emergit, & totam anteriorem sedem ambiens, secundũ sinistrum eius latus denuo in posteriora reflectitur; ac coronæ modo ventriculi orificium superius perreptat. Ab hac quidem vena vtcunq; insignis pronascitur, quæ a posterori ventriculi regione secundum dextrum orificii latus antrorsum cõtendit. Hæc inferius ventriculi adit orificium, id frequentibus vtcunq; venis amplexans. Iam commemoratæ venæ multis propaginibus in ventriculũ pertingẽti, alia respondet, ab humiliori sede sinistri venæ portæ trunci prodiens, ac inferiori omenti membranæ implicita, quæ non ita longe ab initio in duos plurimum ab inuicem discedentes bipartitur ramos

Sinistri trunci series.

(Section letters in left margin: B, C, D, E, F.)

ex quibus denuo plures surculi deorsum prorepunt, & in coli partem excurrunt. A
¶ Ceterum postquam sinister portæ truncus commemoratas produxit propagines ad lienem transuersim accedens, in duos ramos secatur, qui rursus in alios partiuntur, atque ii tantisper in alios dirimuntur, quousque numerosa ramorum serie in cauam simamve lienis sedem recta linea secundum totam lienis longitudinem inferiori membrana omenti perpetuo suffulti implantentur, atque infinita sobole venulas perquam graciles inuicemq; implexas, per vniuersum lienis corpus digerant. Ab infimo ramo lienis inferiora petenti priusquam sinister portæ truncus in frequentissimas soboles illas dispergatur, interdum tenuis vena prodit, quæ in sinistram inferioris omenti membranæ sedem vno atq; altero surculo dispensatur. Præterea a ramo quopiam ex illis qui ad superiorem lienis regionem repunt, quum is iuxta lienem consistit, vena exoritur, quæ dextrorsum lata, atque omenti membrana superiori intertexta, in eam ventriculi sedem pertingit, quæ elatiori lienis sedi propinquior visitur. Hæc quandoque, sed rarius, in ventriculi tunicas adeo excurrit, vt non admodum procul a sinistra sede superioris orificii ventriculi distet, nunquam vero illud contingit. B
Quemadmodum vero hæc iuxta eminentiorem lienis partem principium ducit, sic a maiusculo ramo imam lienis sedem accedente, alia exsurgit vena vtcunque insigni amplitudine donata. Hæc perinde atque prædicta dextrorsum retorquetur, & sinistram ventriculi fundi sedem perreptat, vt per eam lien in ventriculum melancholicum succum eructet. Atque ad hunc modum frequentissime sinistrum portæ venæ truncum absumi videbis. Nonnunquam autem ex singulis venis concauæ lienis regioni iam inserendis, singulas venas in ventriculum ad eum modum digeri, ac lieni pertinaciter colligari comperies, quo duas iam commemoratas a venis lienem accedentibus propagari diximus. C

Dextri caudicis portæ trunci series.

¶ Dexter venæ truncus, qua primum mesenterio a dorso nascenti committitur, in tres præcipuos discinditur ramos, qui in alias denuo innumeras venarum soboles diuaricati, inter duas mesenterii membranas producuntur, atque inferiorem posterioremve intestinorum partem quæ mesenterio alligatur, & quam cauam vocant, amplectentes, in ieiunum, tenue, cæcum & dextram coli partem, qua id dextro reni & iecori adiacet, finiuntur. Quot vero ab iis discindantur soboles, nemo facile, quum prorsus innumeræ sint, explicabit. Neque etiam omnibus eandem distributionis seriem exhibent. Priuatim vero a tertio dextri portæ trunci ramo, qui in sinistram partem medii mesenterii potissimum discinditur, insignis vena in sinistrum mesenterium, quod colon a liene ad rectum vsque intestinum dorso alligat, porrigitur, atque nunc dictis venis in intestina diffusis similiter in plures deriuata surculos, eam coli regionem, quæ a ventriculi sinistra sede ad rectum vsque intestinum pertinet adit. ¶ Inter omnes sinistri mesenterii venæ ramos, vnus insigni magnitudine inter duas sui mesenterii membranas intertextus, secundum coli finem deorsum sub recto intestino prorepit multas venulas ex superiori anteriorive ipsius sede ad eam intestini partem, qua porrigitur depromens. Præsens ramus quum ad recti intestini extremum vsque contendit, non amplius recta sub intestino deducitur, sed in plures vtcunq; exiles diffusos ramulos, finem recti intestini orbiculatim amplectitur. D E

Hæmorrhoides e portæ vena ortæ.

Hunc certe ramum, ad fœculenti sanguinis per ani venulas, hæmorrhoidas dictas, sanguine interdum manantes, expurgationem plus conducere quam eos ramos qui a caua vena orti in minores tandem ac capillares venas distributi, in sedis cutem & musculum σφιγκτῆρα vocatum inseruntur rationi consentaneum est. ¶ Quum enim lien melancholicum succum expurget, ab eo facillime & breuiori compendio ad sedem deorsum is succus perfluet. Nam si per cauam vniuersus vacuaretur, per portam in iecoris sinum regurgitare ipsum necesse esset. Dein per angustissima orificia venæ portæ in minimos cauæ ramulos, modo ad gibbum iecoris illi rependũ esset, ascendere. Insuper ex cauæ principio iecorisq; gibbo, longo tramite ad os sacrum confluere deberet, hinc in alias venulas paulo minores, donec per sedem excerneretur. F
Attamen expurgatur etiam per ramos a caua ortos quicquid est eius sanguinis fœculenti quod a liene non est attractum, & expurgatum. Etsi autẽ frequentissimi sunt trium nunc dictorum dextri portæ trunci ramorum soboles, tamen plures numerosioresque in gracilia quam crassiora intestina distribuuntur. Quo enim intestina

A testina ventriculi fundo sunt magis continua, eo pluribus venarum implicantur surculis quoniam ex illis plus succi quam ex sedi vicinioribus sit exsugendum. Quemadmodum vero nonnullis venæ portæ ramis corpora quædam glandulosa atque ad amussim quodammodo carnea attenduntur circumducunturque: sic etiam ramorum per mesenterium ad intestina diffusorum sectionibus, glandulæ quædam interiacent, proportionem in magnitudine cum distributis propaginibus seruantes. In grandioribus enim propaginum diductibus magnæ reponuntur glandulæ, in subsequentibus vero horum ramorum diuaricationibus graciliores minoresq;. Huiusmodi quoque glandulæ capillorum modo prætenues venulas, a venis quas interiacent mutuantur.

¶ In has igitur propagines portæ vena digeritur, quæ omnes aut ad nutritionem, aut Venæ portę ramorum vsus.
B excrementi alicuius expurgatione, aut in ventriculo excocti cibi in iecoris portas diductionem propagatæ sunt. Quippe quę bilis vesiculæ offeruntur alimentum illi subministraturæ ad eam excurrunt. Pari modo propagines numerosa sobole in omentum diffusæ duntaxat, vt illud enutriant, a portæ vena deriuantur. Propagines lienem petentes factæ sunt, vt simul lieni alimentum deferant, atq; ex iecore fœculentum sanguinem seu melancholicum succum in ipsum expurgent. Quippe lien per venas ab illis quam lieni inseruntur in ventriculum profusas, quod ipsi ex fœculentiori sanguine reliquum est, neque sibi concoquere ac adaptare valet, in ventriculum eructat. Attamen non, vt dissectionum professores aliquot censent, in superius ventriculi orificium diffundens, sed ad fundum præcipue, quo maior vena a venis lienem ad-
C euntibus exorta in ventriculum, *vt diximus cap. 12. huius libri pertinet.* ¶ Surculi capillorum modo tenues ad glandia in hoc a rerum opifice deducuntur, vt illa a portæ ramis alimentum colligant. Reliquæ omnes portæ propagines in ventriculum & intestina digestæ, duplici nomine exstruuntur, partim vt illis nutrimentum subministrent, partim vt suis finibus, & osculis in ventriculum, & intestina hiantibus confectum a ventriculo cibum ex ipso, & intestinis exsugant, atque ad iecur tanquam sanguificationis officinam toti corpori communem transferant. Nunc ad *Caua vena* seriem est accedendum.

De caua venæ ortu & eius partis quæ supra iecur consistit distributionis ordine. CAP. XVI.

QVEMADMODVM ab extremis iecoris partibus orbiculatim ex ipsius concaua Cauæ in iecore series.
D sede exiguæ venularum propagines paulatim ad iecoris medium versus posteriora contendentes inuicem coeunt, maioresque venas constituunt, & deinde ex maioribus illis rursus grandiores tantisper efficiuntur, quousque omnes illæ soboles in venæ portæ caudicem finiunt: ita ad cauæ venæ generationem ex summis orbicularibusq; iecoris finibus, in gibba ipsius sede, innumeræ venularum propagines exoriuntur, quæ sensim versus medium posterioris sedis, iecoris prorepentes, in insigniores venas coeunt, atque hæ rursus in ampliores eousq; colliguntur, donec tandem in elatiori iecoris parte, qua dextram vertebrarum sedem respicit, in vnam congrediantur venam, quæ ab insigni amplitudine Græcis Κοίλη, Latinis *caua* nuncupatur. Porro Nomina.
venæ cauæ rami per iecoris corpus exporrecti portæ ramis incumbunt, & vtriusque
E venæ ramulorum extrema osculis inter se conniuent, vt cauæ propagines optime citissimeque sanguinem iecoris beneficio in portæ ramis elaboratum, ac bile flaua fœculentoque sanguine expurgatum, transsumant, & postmodum vniuerso corpori ad partium enutritionem deducant. ¶ Venæ autem cauæ pars quæ supra iecur consistit Venæ cauæ quæ supra iecur consistit distributionis series.
ita habet. Neruosam septi transuersi partem in dextro ipsius latere peculiari foramine vena caua permeat, vna etiam cordis inuolucrum perforans, quod insigni amplitudine tum alibi septo continuatur, & connascitur, tum potissimum vbi caua septum transit, ac septo duas non vulgares propagines offert per vniuersi septi sedem multiplici serie excurrentes, & ramulos quoque cordis inuolucro, qua id septo committitur, diffundentes. Quum primum vero caua septum superauit, modice versus
F sinistrum cordisque basis dextrum latus procedens, sinistro ipsius latere adaperitur, atque in dextrum cordis sinum pertinet. Non quidem aqua propagine aut ramo quopiam, verum duntaxat foramine quodam seu scissione ampla. Anteriori cauæ venæ parti hic dextra cordis auricula connascitur. A posteriori vero cauæ ad cor connexus sede, insignis vena promitur, quæ secundum cordis posteriora, & sini-

Coronalis vena.

strum latus ita porrigitur, vt cordis basim coronæ modo succingat, adeoque στεφανιαῖα, A hoc est, coronalis dicta sit, ac ab inferiore ipsius sede ramos deorsum ad cordis vsque mucronem dispergat, quorum præcipui sunt qui cordis substantiam illic petunt, vbi hæc est crassissima. Hæc vena interdum gemina visitur, grãdiore quidem a posteriori sede orificii cauæ initium ducente, minori vero ab anteriori sede. Vena caua a cordis basi sursum ascensura gracilior fit, & cordis inuolucrum perforat, & versus corporis medium sensim ducta magnæ arteriæ innititur.

Qui venam coniugis expertem a vena caua educi oportuerit.

¶ Quum vero septum transuersum impedimento sit, quo minus caua vbi sub iecore exporrigitur, ac renibus soboles dispensat, vertebris costisque propagines tribuere queat, & deinde quum cordis basis adeo vt vertebris eleuetur, & vasa in pulmones diffusa cauam a vertebris ita subleuent, vt etiam hinc ad ipsa caua nullos deriuare ramos possit, rerum Opifex a caua magnam eduxit propaginem, postquam hæc cordis inuolucrum transcendit, atque pulmonis dextræ partis cum sinistra connexum, qui vasorum pulmonis interuentu perficitur, superauit. B Hæc propago a dextro cauæ latere pronata deorsum ad quartæ propemodum thoracis vertebræ corpus contorquetur, & decliuis secundũ dextrum vertebrarum latus porrecta suo fine vna cum magna arteria sub septo transuerso ad aliquot lumborum vertebras pertingit. Hæc vena cauæ vicem toto progressu gerit, quo ipsius caudex vertebras ita atque in lumborum regione nequiuit contingere, ac geniculatim ramos ad vertebras ipsasque adeo dorsi partes offerre.

Vsus venæ coniugis expertis.

Nominis ratio.

¶ Porro caua, hanc sine coniuge, & pari venam a se tam grandem deprompsit, vt arteriæ magnæ ritu vtrinque ad costarum interualla ramos germinare C posset, quos quidem a lateribus non diffudit, sed ex media regione posterioris ipsius sedis, quæ vertebris innititur. Quia vero coniuge priuatur, neque in altero latere parem asciscit a caua propaginem ἄζυγον Græci, Latini *venam absque coniuge, & paris expertem* nominamus. Ab hac vena vtrinque geniculatim pullulant propagines, singulæ ad vnum nouem costarum inferiorum interuallum perrepantes, quæ in verarum quidem costarum interuallis ad eam vsque sedem contendunt, vbi hæ in cartilaginem degenerant, ac postmodum in dorsalem medullam & in musculos vertebris ipsisque costis instratos, ac etiam membranas thoracis amplitudinem intersepiens surculos depromit. ¶ Ceterum ex ortu illius venæ cuiuis perspicuum fit, in Pleuritide quæ in tribus superioribus, & inferioribus nouem dextri lateris costis D consistit, ex dextra axillari mittendum esse sanguinem. Si vero in tribus superioribus sinistri lateris pleuritis fuerit, ex sinistra. Contra ex dextra, si in inferioribus costis phlegmone constiterit, eo quod hæ costæ a coniuge carente vena, quæ cum axillari dextra rectitudinem habet, nutriantur, *vt copiosius capit. 16 libri de curatione per sang. missio. diximus.* Vena caua postquam sine pari venam a se diduxit, ad iugulum recta sub pectoris osse conscendit, membranis thoracem intersepientibus eleganter suffulta, molleque & glandosum corpus hic in iugulo passim adstratum obtinens, quod Græci θυμὸν, Latini vero communi glandularum nomine *Glandium* vocant.

Θυμός. Glandium.

Est autem glandium id in elatissima thoracis sede exstructum, vt ab omni noxa frequentissimas vasorum distributiones hic suspensas immunes seruaret. E

Cauæ caudicis in iugulo bipartitio.

¶ Vena enim caua inibi primum in duos insignes truncos discinditur, a quibus omnes venæ cauæ partis ad elatiora corporis porrectæ soboles pendent. A sinistro namque trunco, quemadmodum & a dextro, grandis vena promitur, quæ primæ thoracis costæ innixa, postquam aliquot a se dispersit ramos, sub clauicula in axillam properat. Ab huius radice exilis vena enascitur, deorsum per costarum radices ad tertiam vsque costam exporrecta, & exiguas soboles tribus superioribus costarum interuallis, aliquando duntaxat duob. deriuans.

Venæ sub pectoris osse deorsum repentes.

Ab anteriori vt plurimum sede illius magnæ in iugulo bipartitionis, duæ prodeunt venæ, quæ introrsum ductæ, ad elatiorē pectoris ossis sedem contendunt, & sub pectoris osse deorsum perreptantes numerosas a se diffundunt soboles. Sinistra, quod & de dextra intelligendum erit, se- F cundum læuum pectoris ossis latus, vbi costarum cartilagines ipsi coarctantur, decliuis ad abdominis superiora tendit, in progressu ad sex superiorum septem costarum interualla singulas propagines & demum thoracem intersepientem sui lateris membranam distribuens, quæ ad terminos ossis costarum vbi venæ coniuge

caren-

A carentis rami finiunt. A venis ad cartilaginum interualla disseminatis, ramuli notatu digni in musculos pectori incumbentes, ipsasque adeo mammillas propagantur. Quod ex venis sub pectoris osse deductis reliquum adhuc est, ad latus mucronatę cartilaginis deorsum in carnosam rectorum abdominis musculorum partem distribuitur. ¶ Venæ enim e thoracis amplitudine prolapsæ, sub rectis musculis ad mediam vsque abdominis sedem feruntur, ramulos quosdam in proximas partes vtrinque transmittentes. Quorum præcipuus ad abdominis cutem subit, atque oblique secundum costarum cartilaginum terminus propagatus, in gracillimas, & capillorum modo subtiles venulas exhauritur. ¶ Ceterum insigniores venarum rami, sub rectis musculis exporrecti, in plures surculos supra vmbilici sedem cessant; qui re-
B ctorum musculorum substantiæ implexi, illarum venarum terminos finesq; spectant, quas in progressu sermonis ab imo prope genitalia sursum sub rectis musculis conscēdere dicemus, per quas vtero cum mammis est communitas. ¶ Porro vena axillam accedens, quanto humeraria grandior ampliorque visitur, tanto etiam in frequentiores numerosioresque soboles dispergitur. Nam priusquam e thorace procidit, non ita procul ab ipsius initio ex elatiori sede venam vtcunque amplam promit, quæ sursum oblique in posteriora tendens, ad transuersos vertebrarum ceruicis processus deducitur, & per foramina illis priuatim exsculpta sursum conscēdens in musculos vertebris proxime adnatos, soboles spargit. At præter illas, certo ordine & veluti geniculatim singulas soboles vnicuiq; foramini neruorum exortibus in ceruicis vertebris Axillaris vena.
C inciso deriuat, dorsalique medullæ ipsisque adeo vertebris alimentum suppeditat. Quod vero eius venæ reliquum est, in caluariam contendit, peculiare sibi cum coniuge arteria foramen obtinens, quod ad posteriorem occipitis ossis capitis sedem excauatum est. Vbi vero vena in caluariæ amplitudinem pertingit, in sinistrum duræ cerebri membranæ sinum, *vt suo latius dicemus loco*, exhauritur. Præter hanc venam aliam adhuc ab illa quæ ad axillam contendit priusquam e thoracis cauitate elabitur, ex ipsius posteriori regione oritur, quæ in musculos humilioribus ceruicis, & thoracis elatioribus vertebris adnatos, ac capitis dorsique & thoracis motibus famulantes, dispensatur. Simulatque vero axillam petens vena inter primam thoracis costam & clauiculam ex thoracis cauitate progreditur, musculumque perforat
D qui secundi paris dorsum mouētium alter est, non semel humeralem dictam venam promit & ilico atque decliuis ducta glandulas ad firmam vasorum distributionem a natura procreatas contingit, aliquot propagines a se emittit. ¶ Primum vtrinq; singulas promit venas, ad thoracis quidem anteriora vnam, ad posteriora vero alteram. Quæ antrorsum exporrigitur, in musculos a pectoris osse & costis, ad brachii os, & scapulum pertingentes diffunditur, & pectoris cutem simul & mammillas frequenti admodum ramorum serie in mulieribus adit. Vena autem retrorsum proficiscens in musculos cauam scapulæ sedem occupantes, vicinasque sedes multiplici etiam sobole digeritur. ¶ Ceterum nonnunquam a priori, & quæ pectus accedit vena interdum vero ab ipso qui in axilla consistit trunco alia grandis vtcunque vena exori-
E tur, quæ deorsum secundum thoracis latus exporrecta, potissimum absumitur in musculum cuius beneficio brachium in decliue dorso admouetur. Præter hos ramos, maior vena quæ in axilla habetur, exiguos ablegat surculos glandulis & membranis, quæ inibi vasorum distributionib. eorundemq; colligationib. præsunt. Duæ itaque venæ a caua in manus propagantur. Vna quidem quæ, quod sub summo humero ipsaque adeo clauicula in externam brachii sedem procedat, humeraria, & gibberi exterior dicitur. Altera autem quæ, quod per axillam internamque brachii sedem prorepat, axillaris internaque gibberi vena nuncupatur. ¶ *Humeraria* itaque ab externo latere iugularis exterioris, & interdum a communi cum axillari trunco, qua is primam thoracis costam superat, principium ducens, ad posteriorem clauiculæ se- Humeraria
F dem contorquetur, ac sub summo humero prorepens, inter internum latus musculi brachium attollentis, & validum tendinem musculi brachium ad pectus ducentis in brachium procedit. Dein carnea membrana sub cute suffulcitur, deorsumq; porrecta etiam ante sectionem in omnibus euadit conspicua, nisi forte graciliores omnino venas homo habeat, obesiorue sit. Porrigitur itaque recto tramite per ante-

riorem brachii regionem ; secundum exterius latus musculi cubitum flectentium anterioris. In descensu vero ad cubiti vsque articulum, graciles duntaxat ramos vtrinque in cutem sibi proximam anterioremque musculi cubitum flectentium prioris sedem dispensat, qui partim recta, partim oblique & transuersim in cute prorepunt vt interdum versus internam brachii sedem ad axillaris venæ soboles in cutem digestas pertinere, cumque illisque coire videantur. ¶ Quando humeraria cubiti attingit, articulum, iuxta exterius humeri tuberculum in tres diducitur venas amplitudine interdum æquales, nonnunquam vero vna cæteris ampliore. ¶ *Prima*, quæ frequentissime in hominibus deest, penitius obliqua deorsum ad medium flexus cubiti articuli defertur, atq; sub musculorum secundos tertiosque digitorum articulos flectentium, hincque ab humero & vlna originem sumentium capitib. in aliquot ramos digesta cessat. ¶ *Secundus* humerariæ ramus cæteris plerunq; crassior est, & obliqu^9 quoq; sub cute ad cubiti cum humero articuli flexus medium descendit ; ac cum axillaris venæ ramo coit, vnaque ex ambobus ramis vena conflatur. ¶ *Tertius* humerariæ ramus, eum musculum, qui radio iuxta brachiale insertus, radii in supinum motus auctor est, conscendit, & paulatim deorsum prorepens, obliquus per radium iuxta medium, ipsius longitudinis in externam cubiti regionem perfertur, quam vbi attigit, surculos quosdam in proximam sibi cutem depromit. Ceterum hic ramus sensim oblique versus vlnæ appendicem, brachialis radicem prorepens, tandem alteri cuipiam inibi commiscetur venæ, hacque adauctus externam brachialis sedem conscendit, & in aliquot surculos errabundo ductu sparsos dissectus, regionem intercurrit, quæ ante paruum digitum & annularem habetur, externa etiam illorum digitorum sede soboles quasdam sibi vendicante. ¶ *Axillaris* autem quum primum axillam superat, brachiumque subingreditur, inter musculos brachii os amplexandos delitescit, præcipue vero inter anteriorem sedem primi seu interioris cubitum extēdētis, & posteriorem sedem tendinis musculi, quo brachium rectori admouetur, & dein iuxta cubitum flectentium musculorum posteriorem. Hæc primum capitib. musculorum, quorum ope cubitus extenditur propaginem offert, illis venulis e regione eductam, quæ ab axillari in glandulas hic repositas digeruntur. Post hanc sed demissius ex posteriori ipsius sede venam iisdem musculis dispensat a qua mediocris etiam magnitudinis soboles in externæ brachii sedis cutem disseminatur. Ab externo latere auxillaris venæ, alia notatu dignæ amplitudinis ꝓpago diffunditur, obliq; deorsū sub humero ad externum vsq; ipsius tuberculum descendens, ac sub musculis cubitum extendentibus occultata, musculorumq; capitibus ab externo humeri tubere ꝓnascentibus, ramulos quosdam exhibens, ac demum aliquousq; in externam cubiti sedē simul cum neruo qui brachium petentium quartus est prorepens. Has propagines axillaris adhuc in alto latitans edit, ipsaq; in duos quodammodo partes truncos discinditur, quorū alter interius atq; in profundo toto suo ductu submergitur, ac arteriæ in manum exporrectæ perpetuo attensus, eadem fere cum ea distributionis serie digeritur, simul etiam cum neruo brachium adeuntium tertio concomitatus. Inter duos enim cubitum flectentes musculos deorsim ad mediam sedem flexus articuli cubiti porrigitur, illis musculis, & dein membranis quibus nerui induuntur ramulos spargens. Quando autem cubiti articulum superauit, atq; inter musculos digitorum flexus auctores in alto reconditus ferri incipit, in duos dirimitur ramos, qui modice ab inuicem recedentes, ac musculos quos perreptant surculis implicantes, vna cū tendinibus internam summæ manus sedem petunt, qui per ligamentum in interna brachialis regione annuli modo conspicuū porriguntur. Rami inibi in alias soboles partiti sub tendine feruntur, qui latescens volæ cuti subnascitur, atq; hinc ita in internam digitorum sedem digeruntur, vt binæ soboles pollici, & totidem indici, & vna medio offerantur, a ramo qui secundum radium per cubitum porrigitur. Ab illo autem qui vlnæ exporrigitur binæ soboles anulari & minimo, & vna medio exhibentur, ab illoque ramo surculus musculos adit, qui externam volæ sedem occupant, atq; ita ab altero ramo surculus, in musculos penitius pertinet, qui primo pollicis ossi connascūtur. In hunc igitur modum axillaris truncus sub cute nusquam prodit, totusque in altis & delitescentibus sedibus absorbetur. ¶ Alter truncus sensim ex alto ad internæ brachii

Humerariæ series iuxta cubiti articulum.

Axillaris in brachio cōsistentis series.

A B C D E F

A brachii sedis cutem emergit, versus humeri interius tuberculum properans,
ac ante sectionem sub media cubiti longitudinis sede non minus quam humeralis
supra cubitum conspicua. ¶ Vbi autem anteriori tuberculo humeri incumbit, ad e-
latiorem eius tuberculi sedem paulo elatius quam cubiti cum humero articulus con-
sistit, in duas magnitudine propemodum æquales partitur venas, quarum anterior cuti
substrata, oblique deorsum ad mediam cubiti articuli flexus sedem repit, ac cum se-
cundo humerariæ ramo ad humiliorem mediamque flexus illius sedem coit, vnaque
inibi ex ambabus consurgit vena, quam *Communem*, quia ex axillari & humeraria con- *Communis*
stituitur, merito appellamus. Vulgus Medicorum *Medianam* vocat, & *nigram*. Poste- *venæ constitutio.*
rior autem vena huius axillaris iuxta interius humeri tuberculum bipartitionis, fre- *Nigra, mediana.*
B quentes ramos deriuat inferioris cubiti sedis cuti, & interioris itidem exteriorisque
sedis humiliorum, ac secundum vlnam sitarum regionum cuti inter præcipuos ra-
mos huc excurrentes, vnus secundum vlnæ inferiorem sedem, ad exteriora tamen
magis declinans, versus brachiale porrigitur. Huius rami soboles cum humerariæ
ramo huc contendenti coiens, simul cum illo, digeritur, & Arabibus aliquod ac bar-
baris *Syelen* & *Saluatella* nominatur. Præter hunc ramum posterioris illius axillaris trū- *Saluatella.*
ci venæ primarium, alius ex illa cutem adit, qua posterior cubiti articuli sedes indui-
tur, atque is ramus in externam cubiti sedem non admodum procul perreptat. Ve-
rum alii etiam rami ab hac posteriori vena in internæ cubiti sedis cutem digeruntur,
qui vario & admodum incerto implexu permiscentur & coeūt, surculos ab insignio-
C ri illo ramo qui vlnæ exporrigitur assumentes, aliosque rursus ipsi surculos impar-
tientes. His surculis & propaginibus in eum modum per cubiti interiora reptanti-
bus, alia frequentissime accedit non contemnenda, quam axillaris venæ ramus com-
munem venam cum humerariæ ramo efformans, ab humiliore sede & medio ductu
emittit. Hæc interdum recta ad brachiale contendit, interdum vero errabundo du-
ctu perfertur, aliisque huius sedis propaginibus commiscetur, quæ adeo graciles sunt
varieque inuicem implicantur, vt interna cubiti regio non minus frequenter quā ti-
biæ venter seu sura varicibus molestetur. Propagines hæ neutiquam ad brachiale ter-
minantur, sed partim oblique, partim recta, partim transuersim, & modo inuicem
commixtæ, modo rursus diremtæ totam summæ manus internam cutem perreptāt,
D ipsi cuti passim connatæ, & inter cutem carneamque membranam consistentes. Por-
ro harum propaginum quæ pollicis radicem accedunt, priuatim id sibi vēdicant, quod
ipsis ramus ab illis venis permiscetur, quæ a communi vena in externam pollicis re-
gionem diffundi iam dicemus. ¶ Communis enim vena ilico atque duabus illis axil- *Communis*
laris & humerariæ propaginibus conflatur, oblique deorsum ducitur, ad elatiorem *venæ series.*
cubiti sedem paulatim contendens quousque radium paulo vltra ipsius longitudinis
medium hinc inde transcendat: neque id eodem semper modo ramos diffundens, &
interdum aliunde ab interna cubiti sede alios assumens, ac tandem in externam cu-
biti sedem peruenit, perpetuo cuti substrata. Vbi itaque hanc sedem euicit, priusquā
mediam radii appendicis sedem accedit, supra radium aliquanto ante illius cum bra-
E chiali articulum, in duos ramos communis vena diffunditur. Quam quidem sectio-
nem alii Græcorum Γ, alii vero Υ & Λ referre scripserunt. Alter istius sectionis ramus,
qui elatior est, portiunculam ad internam brachialis sedem versus pollicis radicem
dispensat, quæ dictis nuper hanc sedem perreptantibus surculis commiscetur. Quod
vero elatioris rami reliquum est, exterius inter pollicem & indicem sursum ascendit:
atque hic in varias soboles inuicem aliquando vnitas, aliquādo autē rursus seiunctas
dispergitur. Alter ramus qui inferius Γ aut Υ caput constituit, indicis & medii, & ali-
quousq; annularis sedem petens, in varias quoq; soboles exhauritur, vocaturq; Auicē-
na *Syelen*. ¶ Vnde omnibus perspicuū fit, nostri temporis Medicos recentiorum placi- *Auicennæ*
ta sectantes, plurimum errare, qui quoties venam inter pollicem & indicem aperiunt *Syelen.*
F humerariam: & axillarem vbi venam inter annularem & minimum, aut vt aliis pla- *Error Medicorum*
cet, inter medium & annularem, se incidere existimant: quum tamē ramus pollicem *nostri temporis dete-*
& indicem accedens a communi vena & is qui minimum & annularem petit ab axil- *ctus.*
lari & humeraria simul oriatur. Iam ad iugulum rursus sermone conuerso, ceteros
truncorum magnæ illius in iugulo diuisionis ramos aggrediamur. Vena itaq; caua ad
eum

eum quem diximus modum priusquam pectoris ossis summum transcendat in duos deducitur truncos, ac statim a diuisione illa axillaris; & nonnunquam etiam humeraria, principium obtinet. Quod autem alterius diuisionis illius trunci adhuc superest, a media primæ thoracis vertebræ corpore sede modice recedens; sursum extra thoracem protenditur, & simulatque clauiculam pectorisque ossis summum superauit, in duos impares ramos scinditur, quas Græci σφαγίτιδας Latini *iugulares*, Arabes *Guidez*, barbari *iuueniles. subeticas*, *apopleticas & somni venas appellant.* Interior namque exteriori gracilior, & secundum asperæ arteriæ latus ascendens, nonnullas venas in speciem capillorum, *Galeno libro primo, de laborantibus locis capite primo teste*; exiles asperæ arteriæ conterminisque membranis communicat. Hæc interior iugularis, quæ cum sui lateris soporali arteria versus cerebrum fertur, ac in ascensu graciles ramulos membranulis sexti neruorum cerebri paris in collo, & in faucibus etiam septimi paris neruos colligantibus digerit, vniuerso ductu soporariæ arteriæ ad caluariæ vsque basim commissa. Quo cum peruenit, in duos inæquales amplitudine ramos discinditur, ac amplior oblique retrorsum, secundum caluariæ basim ductus, caluariam simul cum quodam soporalis arteriæ ramo ingreditur, foramine vtens sexti neruorum cerebri paris gratia exsculpto. Ab ampliori hoc iugularis internæ ramo quum is in posteriora secundum caluariæ basim contendit, propago diducitur, in elatiorem sedem musculorum pertinens, qui anteriorem ceruicis vertebrarum regionem occupant, stomachoque subiacent. Gracilior vero internæ iugularis ramus soporali arteria penitus relicta, priuato foramine caluariam subit, quod iuxta foramen tertio & quarto pari neruorum cerebri commune celatum diximus. Priusquam vero ramus ille in duram cerebri membranam digeratur, totusq; in caluariā mergatur, sobolem non admodum insignem ad auditus organum depromit, eam per foramen quoddam transuersum mittens, quod huic soboli & neruulo cuidam quinti paris neruorum commune est. ¶ Porro exterior idemque grandior supra clauiculam factæ diuisionis ramus, ab exteriori ipsius latere postquam musculorum dorsum mouentium secundi paris alterum perforauit, insignem a se diducit venam, quæ deorsum versus clauiculam reuoluta ad summum humerum ipsumque adeo brachium contendit. Antequam tamen huc pertingat, non procul ab ipsius ortu ramum edit, qui in cutem posteriori ceruicis sedi obductam, & externos eius sedis musculos, numerosa serie digeritur. Præter hunc vena sub clauicula brachium petens, alium quoque grandiorem depromit ramum, in gibbum scapulæ sedem frequenti etiam sobole dispersum. Deinde quando ad summum pertendit humerum, atq; sub illo in brachium prorepit priusquam penitus demergitur, in summi humeri cutem propagines deriuat: quarum præcipue in cutem digeruntur, quæ musculum integit, cuius ope brachium attollimus. Eiusmodi propagines interdum, idq; potissimum in mulierib. ad mammillarum vsq; cutem excurrunt, deorsum in priora secūdum clauiculam errabundo progressu deductæ, & ante sectionem in plerisq; mulierib. virescente quodammodo, aut cerulæo colore apparentes. Qua autem serie eius venæ brachium adeuntis reliquum quod humerariam venam constituit, in manum digeratur, paulo ante dictum est. Ceterum maior ramus, quem supra clauiculam haberi, atque ab externo suo latere humerariam germinare diximus sub cute ac lato buccas mouente musculo, secundum colli latus ad fauces porrigitur. Quum vero ad fauces vsq; iuxta inferioris maxillæ humiliorem sedem sub auriū regione contendit, sui portionem ad oris interiora & duram cerebri membranam transmittit, reliquū vero ipsius in faciei cutem & illius musculos, & ad tempora post aures & vniuersam breuiter capitis cutē transfunditur. Portio interiora oris subiens in primis suis scissionib. glandulas quæ sunt in faucibus inferiores, *de quibus quinto dicemus libro, exigit.* His itaque glandulis ab interiori externæ iugularis portione ramuli dispensantur, mox notatu digni in laryngem & glandulas ipsi proxime adnatas, & musculos ossis hyoidis, & linguæ, & ad omnes faucium sedes surculi deriuantur, quorum insignis sub lingua per ipsius longitudinem prorepit, in multiplices & errabunda serie prorepentes ramulos scissus, qui subleuata lingua conspiciuntur. Quinetiam ab hac iugularis portione præter grandem ramum qui in caluariam per foramen subit, ad posteriorem mam-

A millaris processus sedem cœlatum, rami etiam in palatum & tunicam amplitudini obductam digeruntur, a quib⁹ postmodum non negligendæ soboles caluariam petunt. Vna per foramen quod secundo cerebri neruorum pari insculpitur, caluariam accedens, in duram membranam aliquot surculis excurrit. Quemadmodum & altera soboles duræ membranæ offertur, caluariam ingrediens per grandius foramen illorum quæ in octauo capitis osse odorum gratia exsculpuntur. Hæ soboles quum caluariam ingrediuntur, surculos quosdam oculo elargiuntur, in frontis cutem interdū disseminatos. Exterior externæ iugularis portio per capitis exteriora passim repēs, perindeatque interior mox glandulas suis distributionibus præfectas obtinet, quæ inibi reponuntur, vbi inferior maxilla superiori articulatur. Præsens portio inter
B has glandulas bipartitur, & vno ramo in buccas, narium alas, & ad frontem varie exporrigitur: altero autem tempora, & aurium sedem adit. Hic enim ramus rursus in duos præcipuos surculos diuisus, vnum in sui lateris tempus admodum errabundo & inuoluto ductu digerendum offert: alterum vero post aures & ad occipitis cutem diffundit. Adhæc per exigua verticis ossium foramina & suturas gracillimæ venulæ in caluariam procidunt, de quibus *lib. 6.* vbi cerebri vasorum seriem priuatim persequemur dicemus.

Venæ cauæ portionis ad partes infra septum transuersum locatas distributæ series. CAP. XVII.

C POSTQVAM caua vena per posteriorem iecoris sedem deorsum prorepens, non amplius iecori connascitur, nonnihil obliqua ex dextris quodammodo corporis partibus introrsum, ad medium videlicet dorsi fertur, ilico ramum non admodum grandem ex sinistro latere promens, qui potissimum numerosa venularum serie in pinguem membraneamque sinistri renis tunicam digeritur, quæ a peritonæo pronata, renem inuestit, eundemque dorso colligatum continet. Hic ramus raro ex dextræ caudicis latere venam coniugem adipiscitur, Quandoquidem vena dextri renis pinguem tunicam conterminasq; peritonæi sedes accedens, non a cauæ caudice principium ducit, sed ab elatiori regione eius venæ qua dextro reni serosus sanguis deportatur. Caua enim vena ab vtroq; latere amplissimā ꝓpaginem, vbi iam mediæ vertebrarum sedes innititur, in renes distribuit, dextram quidem propaginem dextro reni, si-
D nistram autem sinistro deriuans. Hæ serosum sanguinem ad renes deferunt serosusq; humor quodammodo ab ipsis emulgetur, ideo vulgo *Emulgentes* nuncupantur. Atq; vt situs renum varius est, ita quoque harum propaginum exortus e directo sibi neutiquam respondet. Quum enim dexter ren, vt plerumque accidit, sinistro elatius locatur, dextri lateris propago altius quam sinistri renis principium ducit. Si vero sinister ren dextro superior sit, quod etiam nonnunquam accidit, propago quoque in ipsum a caua transuersum quodammodo repens, elatius quam dextra propago principium ducit. Venæ autem hæ ad vtrunq; renem protensæ grandes admodum sunt, ac quam primum concauam renum sedem contingunt, hominibus in duos ramos partiuntur; ac dein in renum substantiam admirabili quodam artificio digeruntur, vt suo loco
E clarius exponemus. Ceterum priuatim ab humiliori sede venæ eius, quæ sinistrum renem petit, iuxta ductus ipsius fere medium, vena pronascitur in viris ad sinistrum testem tota excurrens præterquam quod graciles exiguosque surculos in peritonæum, qua porrigitur, ac in membranas tunicasue sinistrum testem, & seminaria ipsius vasa ambientes, producat. Hæc enim vena peritonæo, qua id lumborum carnib. insternitur adnata, deorsum super pubis os fertur. Quod quum superauit, atq; ex magni peritonæi amplitudine elabitur, in varios anfractus gyrosq; conuoluitur, quorum basis superior testis sedi connata, ramulos in tunicam testis substantiam proxime continentem, digerit, & aliis frequentioribus ramis in testis substantiam passim disseminantia. Vena hæc sinistrum testem accedens, aliquando propaginem a cauæ caudi-
F ce sub vena ad sinistrum renem exporrectæ principio enatam asciscit quam nō ꝓcul ab exortu sinistrorsum decliuis prorepens cū illa coit, vnaq; seminalis vena ex ambabus consurgit. Vena autem dextrum accedens testem, non a vena in dextrum renem protensa originem sumit, sed a cauæ caudice aliquanto inferi⁹, quam venæ renib. exporrectæ principium ducunt. Huius seminalis venæ exort⁹, non vt reliquarū fere pro-

Ad sinistri renis membranā venæ.

Ad dextri renis membranam.

Ad renes venæ.

Emulgētes. Dexter ren magna ex parte elatior.

Sinistræ seminalis venæ series.

Seminalis dextræ ortus.

paginum in cauæ consistit latere, verum ex ipsius eminentiori seu anteriori sede, versus dextrum latus hæc seminalis vena extuberanti, ac veluti rotunda origine enascitur, præsenti venæ ramulum quoque ex ea quam in dextrum renem procurrit accessisse ac simul cum ea coiuisse, Galenus *in libr. de ven. sect.* sibi semel obseruatum testatur. A

Mulieris seminalium venarum series.

In mulieribus alia est harum venarum distributio. Quamuis enim illis par cum virorum venis sit exortus, ipsæ tamen magna ex peritonæi amplitudine haud elabuntur, neque ad pubis ossa pertingunt. Verum ad mulierum testes pinguibus membranis suffultæ porriguntur, non vniuersæ in seminaria vasa degenerantes, aut totæ in testes exhaustæ. ¶ Nam priusquam ad testes deueniunt, vtriusq; lateris vena bipartitur, ac vna portio venæ virorum testi implicitæ modo, seminarium vas efficitur. Altera vero in membranas quoque pingues intertexta, in vteri latera digeritur, elatiorem ipsius fundi sedem potissimum implicans. B

Cauę rami lumborum vertebris carnibusq; oblati.

¶ Præter seminales venas caua vbi lumborũ vertebris ipsique magnæ arteriæ colligatur, ab ipsius inferiori sede qua vertebras spectat, venas geniculatim diffundit, per foramina neruis in vertebrarum lateribus exsculpta ad dorsalem medullam digestas, & ramos dein a se spargẽtes in musculos vertebris adnatos, a quibus rursus aliæ soboles in abdominis musculos orbiculatim ad abdominis vsque latera conscendentes, & illis quas perreptant sedibus alimentum suppeditantes.

Quomodo caua arterię magnæ supra sacri ossis initiũ subiiciatur.

¶ Quum primum vero caua ad sacri ossis vsq; ad summum descendit, atque iam magnæ arteriæ quæ ipsi prius ad sinistrum subiiciebatur, tanquam digniori organo cedit, ac quo minus arteria ossis sacri duritia in dorsi motibus molestaretur, caua ipsi arteriæ se substernit, in duas æquales partitur truncos, quorum hic dextro cruri, ille sinistro offertur. C Sinister truncus, quod de dextro etiam intelligendum erit, statim in ipsa partitione, aut potius vbi caua in duos truncos supra os sacrum diuiditur ab exteriori ipsius latere venam ꝓmittit maiorem iis quæ ad lumborum vertebras & abdominis musculos disseminantur, transuersim in peritonæum, & lumborum carnes abdominisq; musculos distributam. Postquam hanc deriuauit venam, obliq; deorsum versus exteriora fertur, figuram cum dextri lateris trunco λ literæ aut χ aut v inuersi constituens, & aliquod surculos superioribus sacri ossis foraminibus offerens. Deinde mox in progressu in duos impares ramos finditur: interior nanque gracilior est exteriore: ac mox duas edit propagines, quarum alteram interiorem, alteram exteriorem manifestioris doctrinæ gratia appellabimus. Exterior propago tota quodammodo inter sacrum & coxendicis os, qua maximus neruorum crus petentium ducitur, in exteriora transuersim fertur, & numerosa serie in omnes musculos ab ilium ossis externa sede pronatos, femorisque motibus famulantes, *de quibus lib. 2. diximus*, dispensatur. D Interior autem propago ab interiori ipsius latere exiguas soboles sacri ossis quoque foraminibus dispensat, & alias his maiores in recti intestini musculos, cutemque orbiculari sedis musculo obnatam digerit, quæ fœculentum sanguinẽ per anum purgant, si quando is per venam portæ non integre fuerit expurgatus, & subinde per cauã venam huc decumbat.

Hæmorrhoides e caua ortę.

Deinceps hæc interior propago notatu dignũ diffundit ramũ, qui in viris dextrum vesicæ latus amplectitur, & in plures scissus surculos, vesicæ ceruicem, seu penẽ adit, in eumque numerose digeritur. ¶ In mulieribus vero præsens ramus ab interna diductus propagine pingui membrana suffulcitur, ac quibusdam surculis vesicam quidem adit, verum frequentioribus inferiorem fundi vteri sedem intercurrit, ramulos quoq; spectabiles in vteri ceruicem dispergẽs, per quas virginibus, & nonnullis mulieribus quæ primis mensibus vtero gerunt, *Galeno libr. 6. de laborantibus locis c. 5. & sect. 5. apho. com. 60. teste*, menstruæ purgationes colantur. E Porro Arabum nonnulli quinque numero venulas in medium longitudinis vteri ceruicis diffundi affirmant, & dextrarum venarum ora cum sinistrarum oris conniuere committique, ac in illis puellarum hymen, Latini interseptum virginale vocãt, constitui docent.

Hymen quid.

Quod vero interioris rami sinistri trunci eius supra os sacrum factæ diuisionis adhuc reliquum est, ad pubis os contendit, & ab externo ramo trunci venæ cauæ sobolem assumit, quæ cum eo interioris rami reliquo congressa, vnã cum ipso venã efformat, quæ primum peritonæum, ac dein decimum femur mouentium perforat musculũ, & ossis pubis foramen permeans in crꝰ emergitur, ꝓprium sinum in elatiori eius foraminis sede sibi vendicans, quo simul cum sua coniuge arteria ac item F

A nervo fertur, ac foraminis eius membranam & nouum femoris motus auctorem musculum transiens, illis quos perreptat musculis ramos porrigit. ¶ Quando autem in crus pertendit, in musculos a pubis osse principium ducentes digeritur, in elatiorem videlicet secundi tibiam mouentis musculi sedem, qui a pubis ossium commissura enascitur. Humilior enim eius musculi pars a maiori crus petenti vena ramos sibi asciscit. Dein ab hac pubis ossis foramen transeunte vena, rami in quinti femur mouentis musculi partem a pubis osse pronatam, ac postmodum in octauum femur mouentem musculum, & penis etiam musculos digeruntur, a quibus surculi nimis quam exiles in femoris internæ sedis cutem in inguinum regione prodeunt. ¶ Præter ramos autem illis musculis & cuti exporrectos, vnus etiam articulum coxendicis accedit, proprio sinu coxendicis ossis acetabulum priuatim subiens. Et vtcunque multifariam hæc crus petens B vena digeritur, rarius medium longitudinis femoris superat, sed interdum præcipuus ipsius ramus quinto femur mouenti musculo dispensatus, propagini commiscetur, quæ huc pertinet a maiori vena in crus deducta. ¶ Exterior venæ cauæ trunci ramus, quum oblique crus accedit, priusquam peritonæum perforat, ab elatiori ipsius sede venam mediocri magnitudine expromit, quę sursum ad abdominis anteriora per peritonæum ducta, ipsi ramulos quosdam vtrobique communicat. Vbi hæc ad istum modum, peritonæo connexa ad rectum abdominis musculum conscendit, peritonæum perforans in internam posterioremue recti abdominis musculi sedem inseritur, & vtrinque varias soboles in transuersum abdominis musculum, & ipsi incumbentes obliquos reliquasque C proximas sedes distribuit, recto tramite sursum sub recto musculo protensus. Vbi vero ad abdominis medium paulo supra vmbilici regionem prorepsit, ipsius extremum in plures surculos disseminatur, qui ramulos spectant, quos a vena sub pectoris osse ab elatiori thoracis sede delata diffundi commemorauimus. Huius venæ interuētu mammillis cum vtero communio est. Nam eius beneficio ex mammillarum venis in vterum quum fœtus enutritur, sanguinis retractio: quum autem mulier lactat, ex vteri venis in mammillarum venas menstrui sanguinis reuulsio perficitur. Vena autem ab imo sursum conscendens non ita procul ab vteri venis originem ducit. Deinde alteram venam in ortu quasi coniugem sortitur, ad pudendum excurrentem. Exterior enim venæ cauæ sinistri trunci ramus, quando supra coxendicis os in femur procidens peritonæum D transit ab interiori ipsius regione aliam promit venam, quæ ad pubis ossium medium, qua inuicem cartilaginis interuentu hæc vniuntur accedens, viris in penis inuolucrum & scrotum, mulieribus autem in pudendi colliculos seu prominentes & coriaceas, cuticulares ue carunculas, quas νυμφὰν vocant, vicinasque sedes numerosa ramorum serie digeritur. Porro vena sub recto abdominis musculo sursum exporrecta, nullam parem adipiscitur, quæ in vterum descendat, sed illa ab iis, quæ in vterum distribuuntur non ita multum, vt dictum est, distat. Nam ipsius principium ab exteriori ramo sinistri trunci venæ cauæ pendet, illis ab interioris eius trunci rami interna propagine originem ducentibus, atque in vteri ceruicem ipsiusque fundi humiliorem sedem diffusis. ¶ Præter cauæ propaginem per posteriorem coxendicis ossis sedem in femur, aliquousque pro- E pagatam, ad crus duæ descendunt venæ. Vna quidem angustior, quam per pubis ossis foramen ad quosdam interiorem femoris sedem amplexantes musculos perrepentem, supra femoris medium cessare diximus. Altera vero maior, ceterarumque venarum in crus sinistrum excurrentium caudex, ab externo ramo sinistri trunci venæ cauæ supra os sacrum partitionis pendet. Præsens vena simulatque a peritonæo elabitur, elatiorem coxendicis ossis sedem ad internum latus sedis qua sextus & septimus femur mouentium musculi descendunt, in inguina labitur, ac anteriorem femoris regionem subit, & nullo occultata musculo sinui insidet, qui in inguine efficitur a longo gracilique musculo tibiam mouentium primo, vna cum octauo femoris motuum auctore. Vena itaque huic sinui seu cauitati incumbens, in plures ramos discinditur. Quo F autem iniuriis minus redderetur obnoxia, primis suis distributionibus natura frequentes glandulas, vt in axilla fit, hic circumposuit, quam firmam stabilemque venæ propagationem redderent. Prima vero huius venæ crus petentis propago insignis est, ac ab interiori venæ latere principium ducens, ad interiorem femoris cutem properat, atque in internam femoris sedem deorsum per genu quoque interiora, & hinc rursus,

Mammillarū cum vtero cōmunitas.

Hippo. 5. apho. 38. Si mulieri grauidę mammæ repente extenuantur, abortit.

Venæ cauæ soboles in crus digestæ.

Cauitatē in inguinib. glandulæ explent.

per internam tibiæ regionem versus malleolum interiorem sub cute exporrigitur, & deinde in pedis superiora descendens, varie inibi digeritur, aliis huc pertinentibus venis commixta. Hæc qua interiori exporrigitur malleolo, vniuersim non eundem seruat ductum. Interdum enim ab interna tibiæ sede secundum anteriorem malleoli regionem ad pedis superiora excurrit: aliquando vero, sed rarius, sub malleolo contorquetur, illac pedis superiora conscendens. Deinde in ramorum ad pedis digitos & supra pedion serie, plurimum variat. Aliquando enim aliis quibusdam ramis hic commixta, ad minimum digitum ipsique proximum præcipue deducitur, aliquando versus pollicem & indicem excurrit. Breuiter in eodem homine, vix parem vnquam reperias huius propaginis ramorum in vtrisq; pedibus seriem. Rami quoq; quos in descensu profert, rarissime inuicem aut numero, aut amplitudine correspondent, si quidem inordinate ad cutem permeant. Vt plurimum autem in superiorem internæ femoris regionis cutem, non procul a suo ortu, vtrobique vnam emitttit sobolem, ac interior quidem femoris interiora & inguina, ipsum que *Perinæum* seu *interfæmineum* accedit. Sic autem vocatur *sedes*, quæ inter anum & testes aut pudendum muliebre consistit. Exterior autem soboles, quæ & crassior est, femoris anteriora & exteriora sub cute perreptans, similiter ac interior in surculos digeritur. Quum grandis hæc propago ad medium femoris longitudinis quasi deuenit, notatu dignos ramos hic etiam in cutem spargit, & inter ceteros vnum gracili longoque musculo porrigit, qui tibiam mouentium primus est. Ceterum quando ad genu articulum velut ad posteriora orbiculatim ea propago nonnihil conuoluitur, duas quoque emittit soboles mutuo quidem mole pares, sed exiguas. Vna in anterioris genu sedis cutem secundum patellam dispergitur: altera interioris genu sedis versus genu flexum, cutem accedit. Ad interioris sedis tibiæ cutem a magna has propagine, & antrorsum & retrorsum ramuli diffunduntur, qui impari numero sparsi, rursus cum proximis venis varie coeunt, inuicemque rursus dirimuntur. Atq; hæc propaginis per internam cruris cutem diductæ distributio est. Præter hanc maxima in crus subiens vena e regione iam dictæ propaginis, venam promit, quæ extrorsum ducta in anteriorem articuli coxendicis cutem, & eius sedis musculos distribuitur. ¶ Postquam vero maxima vena has edidit propagines, penitius inter musculos femoris os amplexantes immergitur, & insignem ramum septimo & nono tibiam mouentibus musculis communicat, a quo etiam tenues surculi in cutem deriuantur. Deinceps aliam magis in profundum distribuit venam, iam commemorata ampliorem, quæ per quintum femur mouentem musculum digeritur, ramosque in octauum tibiæ motuum auctorem musculum dispensat. Ab hac etiam plures venarum soboles in vniuersos propemodum os femoris ambientes musculos propagantur: inter ceteras autem præcipua finem eius venę, quam per pubis ossis foramen in femur delabi dictum est, ad se assumit, ideoque adaucta, deorsum magis ad genu vsque quodammodo inter musculos occultata descendit. ¶ Ceterum maxima vena sensim ad femoris os versus posteriora contorta, dein aliam emittit propaginem, quæ in posteriorem femoris cutem excurrens surculos, etiam sursum cutem subeuntes deriuat. Huic propagini frequenter a ramo, quem in quintum femoris musculum dispensari diximus, soboles quædam accedit, quæ vna cum ipsa commiscetur, & vena ex duabus confluens cutem adit. ¶ Crebrius tamen duę a grandi vena enascuntur propagines, vna humilior altera. Hæ in progressu inuicem vnitæ, eam constituunt venam, quæ hic in cutem promitur, ac vbi ramulos sursum in posteriorem femoris cutē germinauit, recto tramite deorsum per mediam flexus genu sedem seu poplitem ad suræ cutē descendit, ipsi numerosam ramulorū seriem porrigens, q̄ sibi in omnib. minime correspondet. Verū ramulorū alii recte, alii oblique, alii transuersim in cutē excurrūt, & denuo nonnulli inuicē coeuntes permiscentur ac vniuntur. ¶ Atq; vt semel dicam, huiusmodi hic venarum implexus digestioq; conspicitur, vt cutem suræ varicum affectu crebrius implicari mirum nō sit. Præsens vena per genu flexus cutem in suram descendens, aliquando ad calcem vsq; prorepens inibi cessat, aliquando aliis ramulis per tibiæ exteriora huc pertinentibus commiscetur, & secundum exteriorem malleolum porrecta pedis superiora adit, nonnunquam vero & inferiora nullibi interim in altum a cute demersa. Ceterum grandis vena femoris ossi accumbens, adeo ipsi aduoluitur, vt iuxta genu articulum mediam inter duo humiliora

Perinæū. Interfœmineum.

Poples.

Varicum ortus.

A liora femoris capita sedem occupet. Hic in duos impares ramos deducta, interiorem: qui exteriori multo gracilior est, ad suræ musculos, præcipue vero ad pedem mouentium primum & secundum, deorsum mittit, surculis quibusdam horum superficiem implicans, & subinde etiam surculos in progressu ad internę tibiæ sedis cutem dispergens. Quum vero interior hic ramus ad tibiæ humiliorem vsque appendicem perrepsit, atque in dictam iam cutem surculos diffudit, sub interiori malleolo reflexus, internum pedis latus ad pollicem vsq; accedit, inibi in cutem vt plurimum absumtus. Exterior ramus magnæ illius in poplite latitantis partitionis nō procul ab exortu in binas rursus diducitur propagines, quarum maior eademque interior penitius inter musculos posteriorem tibiæ sedem occupantes immergitur. ¶ In hoc descensu interior hæc propago
B illos quos perreptat musculis ramulos offert, a quibus nulli, aut profecto longe paucissimi in cutem subeunt. Iuxta medium fere longitudinis tibiæ præsens interiorque propago in duos partitur ramos, quorum interior tali cum tibia articulo ramulum offert, ac totas quodammodo vna cum tendinibus a posteriori tibiæ sede ad pedis inferiora reflexus inter calcem & tibiæ os pedis inferiora subit, & sub musculo secundos quatuor digitorum articulos flectente propagatus, duos surculos pollici & item indici, medio autem digito vnicum præbet, itaque absumitur. Quanquam frequentissime hic interioris illius propaginis ramus in omnes digitos digeritur, nullo ramo inter fibulam & calcem huc pedem accedente. Verum alter ramus qui eius diuisionis exterior est, quam paulo ante ad medium longitudinis tibiæ fieri diximus, fibulæ exporrigitur: &
C quum ad infimam tibiæ sedem pertingit, atque ligamento membraneo, quod tota tibiæ longitudine fibulam tibiæ ossi committit, proximus est, sobolem a se dispergit, quæ ligamentum perforans, vna cum tendinibus per tibiæ anteriora pedis superiora adeuntibus in pedem fertur, ac musculis pedis digitos in exteriora abducentibus surculos offert, quibusdam etiam ramulis in cutem sparsos. Quod autem alterius rami illius reliquum est, cum septimi & octaui pedem mouentium musculorum tendinibus in pedis humiliora proficiscitur, atque in minimos digitos dispensatur: nisi forte interior ramus inter tibiæ os calcemque pedis inferiora petens, omnibus digitis surculos exhibeat. ¶ Reliqua est adhuc exterior propago exterioris rami magnæ in poplite diuisionis quę ad superiorem fibulæ appendicem fertur, a qua interdum ramus inter sextum & septi-
D mum pedem mouentium musculos prorepit frequenti sobole digestus in musculos anteriorem tibiæ ossis sedem occupantes. Alias in exterioris tibiæ sedis cutem potissimum frequentibus surculis dispergitur, & præcipuo ipsius surculo vnus nunc antrorsum nunc retrorsum ad interiorem malleolum reflexo, pedis superiora accedit, & potissimum externum pedis latus perreptat aliisque huc pertinentibus venis commiscetur, nusquam in altum mergens. ¶ Ceterum quum iam constet omnes pedis venas, quæ numero quatuor sunt, ab eodem trunco, qui scilicet per inguina crus subit, principium ducere, parum certe refert vtram incidamus. Tamen quum longe grauiori periculo in pedis superiori sede, tum neruorum, tum tendinum occasione venæ secentur, præstat eas quæ in interna regione genu atque malleolos consistunt incidere.
E Galenum quoque & alios Græcos venam, quæ internam genu regionem perreptat, poplitis nominatam, & quæ malleolos ambit, secuisse constat.

De bilis flauæ vesicula. CAP. XVIII.

VEsicula flauæ bilis conceptaculum, Græcis κύστις χοληδόχος dicta in caua iecoris parte sedem obtinet. Iecori enim qua dextrum ventriculi latus amplectitur, sinus insculptus est, *vt cap. 13. diximus*, qui mediæ bilis vesiculæ portioni exquisitæ congruit. Illi namque sinui media superior eius vesiculæ portio secundum ipsius longitudinem innascitur. Inferior autem extra iecoris substantiam deorsum prominet a nullo cui innititur corpore grauius pressa. ¶ Forma eius oblonga rotundaque est, sensim ad ipsius fundi vsque apicem longioris cuiusdam pyri modo dilatescens, adeoque angusto ore
F & fundo ampliore constat. Quum enim, vt reliqua corporis receptacula, capax esse debuerit, neque tum globi modo ad amussim rotunda fieri potuerit ipsius cauitas sua longitudine adaucta fuit: ita nullo a ventriculo affecta incommodo, ipsoque iecore non nimis insinuato. Vt autem inanita apposite subsidere, ac impleta vicissim extendi possit, membranea nerueaque constituitur substantia. Quippe simplici & vnica peculiari

Nomina. Forma. Substantia.

constat tunica, tenui quidem, sed densa & firma, ac triplici fibrarum genere intertexta. A Rectas quidem fibras intimas habet, quibus succedunt obliquæ, sed rectas multo pauciores, extimæ vero orbiculares transuersæue sunt. Huic tunicæ alia a iecoris tunica, non toti vesiculæ, sed illius duntaxat parti, quæ extra iecoris corpus propendet, obtenditur, solaque propugnaculo, & inuolucro indiguit. ¶ Vesicula etiamsi iecori sanguificationis officinæ innascatur, a portæ venæ tamen caudice, duas graciles admodum assumit venulas, ea serie in ipsius tunicam diffusas, qua in adhærentem oculi tunicam venulas digeri conspicimus. Ab arteria quoque caua iecoris exporrecta, ramus admodum gracilis vesiculæ illi offertur, ad ipsius vsque fundi extremum excurrens. Neque neruulis destituitur ne sensus sit expers. Nam iecoris neruus per humiliorem omenti membranam a dextra sexti neruorum cerebri paris propagine B costarum radicibus exporrecta, diductus, etiam huic vesiculæ surculum promit, in macilentis vix minus quam ipsius arteria conspicuum. Meatus quibus vesicula bilem allicit, rursusque alio depellit, πόρους χοληδόχους Græci vocant, ita se habent. Ceruix vesiculæ fundo ipsius durior paulatim in angustum desinit meatum, ad eam iecoris partem protensum, vnde vena portæ principium ducit. Quo quum peruenit, in duos diducitur, hunc quidem sursum, illum autem deorsum porrigens. Qui sursum fertur, anteriori venæ portæ sedi innitens, in iecur conscendit, & in duas primum dissectus propagines, vnam dextrorsum, alteram sinistrorsum in iecur porrigit. Hæ propagines singulæ in ipso iecore rursus in alios surculos: & hi in alios rursus tantisper digeruntur, donec innumeram ramorum constituant seriem, per iecoris corpus inter portæ C venæ ramos & cauæ propagines diffusam. Atque hi surculi sunt, quorum ope bilis in vesiculam defertur. At processus meatus vesiculæ qui deorsum porrigitur, inferiori membrana omenti suffultus, parumper oblique deorsum properat, ac duodeno intestino non procul a ieiuni principio, *vt dictum est, capit.* 5. implantatur. Hic processus expulsam e vesicula bilem in intestina defert, interim nihil ab illis neque cremoris, neque flatus ipsius denique quam deduxit bilis regurgitantis quippiam admittens. Quod nō solum tortuosi in intestinum ingressus, sed & duarum membranarum beneficio fit, quæ vtrinque ad orificii latus laxæ propendent, influentis bilis ponderi facile cedentes, & ne quid in meatum regurgitare possit, iter præpedientes, quod scilicet collectæ, ac primum meatus os subeuntes id occludant. ¶ Ceterum is meatus intestino D insertus magna ex parte simplex vnicusue est, in paucissimis vero geminus seu bipartito scissus. Vbi vero in duas dissectus fuerit propagines, maior duodeno, minor autem graciliorue ventriculi fundo, *Gal. libr. 2. de temp. capit. 8. teste*, paulo supra pilorum seu ianitorem inseritur. Inuenitur etiam, atqui in paucissimis, superior maior, inferior, vero minor. Quibus equidem maior est, cum iis infœliciter admodum agitur. Quippe illis in ventriculum quotidie non exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibum oportet, & nisi idipsum faciant, læduntur, quemadmodum liquet ex historia quam *cap. 74. artis medicæ* Galenus refert. Errare itaque plurimum abunde constat Razem, Mundinum, Valescum, Carpum, & id genus alios Arabicæ E factionis auctores, qui meatum euomentem bilem perpetuo, & in omnibus esse geminum tradunt. Nam si ventriculo bilis influeret, tum ille, *vt Galenus libr. 5. de vsu par. cap. 4. affirmat*, huius mordacitate perpetuo ad excernendum irritaretur: neque tantisper dum cibus probe confectus esset, retentrice sua facultate fungeretur: & bilem illam respuens, eiusque occasione nauseabundus, quod sibi offerretur, minus quam decet ambiret amplectereturque, *vt copiosius etiam libr. 3. paradox. cap. 10. docuimus.* ¶ At quo minus in intestina bilis influeret, nihil omnino obstitit. Hæc namq; pituitã, quę in gracilibus illis ductibus ex intestinorum munere coaceruatur plurima, incidit, detergit, atque expurgat. Deinde intestina irritans, & mordicans ad fæces excernendas inuitat, ac stimulat, & ipsa quoque vna cum excrementis nullam noxam, sed vti liquet, summum vsum præstans, e corpore tandem propellitur. Merito igitur intestinis, & non F ventriculo meatus ille bilem deferens implantatur, neque obiter cuiuis intestinorum sedi sed fere duodeni termino, quod id primum intestinorum sit, quodque in eo bilis citius suum, quem intestinis præstat vsum conferat, *vt fusius libro 5. de vsu par. cap. 4. Galenus monstrat.*

Venæ arteriæ & nerui.

Meatus excipiendæ & emittendæ bili parati

Meatus duodeno insertus an propaginem ventriculo offerat.

Error Razis, & recentiorũ Medicorum.

Bilis in intestina fluxus vtilitas.

A *De Liene.* CAP. XIX.

Lien, qui Græcis σπλὴν dicitur, ad sinistram ventriculi sedem secundum inferiora magis, & posteriora consistit. Innititur sinistræ parti septi transuersi medius fere inter sinistram vertebrarum corporum sedem, & spuriarum costarum cartilagines. Formam adipiscitur sedi suæ proportione respondentem, ac iecoris modo a vicinis partibus sibi impressam. Qua enim septum contingit, vt id leniter inibi cauum est, ita etiam lien leniter gibbus cernitur. Qua ventriculus lieni quodammodo innititur, vt amplius ille & instar grandioris globi hic extuberat, sic quoque lien humanus modice ac in superficie duntaxat, cauus occurrit. Porcis enim, canibus, ac bubus, quum longior, sed arctior lien obtigerit, ac ventriculi gibbo longiori interuallo in iis obtendatur magis quoque Situs. Forma.
B cauus magisque quartæ circuli partis modo ventriculum complectitur. Homo autem crassum & magnum & latum, sed breuiorem quam vllius generis animantia lienem habet, non tamen exacte quadratum. Longitudo namque latitudinem ipsius impense superat, humilior quoque eius pars ad corporis anteriora magis protensa, in obtusum desinit angulum: superior autem in obtusiorem adhuc angulum comprimitur. Sinistrum latus leuiter gibbum est, dextrum vero duabus quodammodo leuibus impressionibus modice sinum lienis cauum profundiori linea secundum eius longitudinem ducta, quę recta quidem ducitur & inæqualiter extuberans sinuataque lienis vasa admittit. Præterea in homine hoc viscus atro quodam & perquam obscuro colore nigricat, in cane autem splendidius plerunq; ipso iecore rubet. Sues albicantem magis lienem obtinent. Lienis color. Substantia.
C Substantia lienis crasso nigroque admodum, sed solidioris spongiæ atque leuioris pumicis modo, raro concretoque sanguine constat, frequentibus vasorum fibris filamentisque non insigniter validis duntaxat implicita. Rara autem & instar spongiæ laxa est, vt succos crassos ex iecore facile trahat & excipiat. Hisce itaque vasorum tenuibus & cauitate carentibus ramis seu fibris vndecunque implexis, fœculentus, crassusque admodum sanguis obducitur, quem Erasistratus παρέγχυμα, quod vasis quemadmodum in iecore circumfundatur, appellauit. ¶ Porro venæ, & arteriæ neruique lienis sic se habent. Minor seu sinister venæ portæ truncus, interiori omenti membrana suffultus transuersim ad lienem, ad eum qui *supra cap. 15.* expositus est modum tendit. Arteriæ itidem frequenti serie lieni implicitæ ortum ab illa ducunt arteria, quæ a magna arteria supra re- παρέγχυμα. Venæ.
D num regionem pronata, inferiori omenti membranæ innascitur, ac sinistrorsum lieni potissimum offertur, pari prorsus serie cum venis in lienem pertinentibus. Nerui lienis a sexto neruorum cerebri paris sobole pendens, quæ sinistri lateris costarum exporrigitur radicibus, & surculum humiliori membranæ omenti mittit in lienis potius tunicam quam substantiam spargendum. Lien præterea non minus quam iecur tenui quadam & simplici obducitur tunica ab omenti membranis, quæ lienis rectæ lineæ innascuntur, orta. Hæ namque membranæ lienis cauo insertæ, in ipsius degenerant tunicam. Et quia a peritonæo originem ducunt, eorundem beneficio interuentuq; peritonæum ipsum lieni tunicam offerre merito dicimus. ¶ Sed præter lienis ad dorsum & ad ventriculum omenti auxilio nexum a peritonæo qua septum succingit, tenues interdum fi- Nerui. Tunica. Nexus.
E bræ impari numero lienis gibbo adnectuntur, ipsi quoque septo lienem ita colligantes. Interdum etiam accidit, vt lienis gibbus exteriori renis sinistri inuolucro, quod multa abundat adipe, fibrarum quarundam medio firmetur, potissimum si ren lieni, vt frequenter fit, magna ex parte substernatur. Hoc autem nomine a natura factus est lien, vt lutosi & fœculenti sanguinis in iecore confecti esset receptaculum. Quemadmodum enim tenuiori leuioriq; recremento bilis vesicula reficitur, ita lien limoso, crasso & melancholico humori suscipiendo exstructus est. Hunc autem lien ad se per portæ venæ truncum, multiplici sobole, vt comprehensum est, eum adeunte tanquam familiarem sibi allicit exsugitque. Ceterum attractum non confestim excernit, sed prius multa cura studioque elaborat, conficit, ac suæ nutritioni aptum, rarum & spongiosum effici- Vsus lienis.
F ens reddit. Ad quod præcipue opitulantur frequentes in lienem insertæ arteriæ suo calore ad exactam sanguinis illius elaborationem strenue auxiliantes. Si quid tamen elaborationem refugit & nutritioni illius ineptum est, suæque substantiæ adaptari nequit, in ventriculum magni vsus cuiusdam gratia *vt supra 12. cap. 15. abunde diximus*, euomitur. Quippe quum acerbum & acidum sit melancholicum excrementum functiones illius Melancholici excrementi vsus.

omnes quæ in amplexu consistunt, adstringendo & contrahendo iuuat, adeoque cibos A
exquisite comprehendere cogit, ac proinde ne inconfecti a ventriculo elabantur, prohibet. Atque hic quidem vnicus & præcipuus est humoris melancholici ad ventriculum confluentis, *Galeno lib. 5. de vsu par. cap. 4. attestante, vsus.* Vt hinc euidentissimum sit Auicennam & huius asseclas plurimum errare, qui hunc humorem ideo ad ventriculum deriuari, vt vim eiusdem appetitricem, adeoque famem excitet, huiusque præcipue vsus gratia venam aut meatum a liene in superius ventriculi orificium inseri, imaginatione solum, non sectionibus ita edocti, tradunt, *quemadmodum copiose in commen. nostris in 6. Hippo. Epid librum, & annotationib. in lib. 1. de tuen. sanit. demonstrauimus.*

Auicennæ error.

De renibus. Cap. XX.

Numerus

Renes qui sanguinem in cauam venam ex iecore missum serosa aqueaque humiditate, quæ bilem ipsam, & fœculentum sanguinem copia superat, colant, Græcis νεφροὶ B
dicti, bini sunt a natura facti. Quo ocyus autem humorem hunc serosum, quem vrinam & lotium vocamus, sanguini adimant, quam fieri potuit proxime ambo iecori allocati sunt. Dexter enim superiori sua parte humilimam iecoris portionem contingit. Sinister vero adeo altam sedem occupat, vt & lieni aliqua ex parte substernatur. Vterque autem iuxta vertebrarum corporum latera, humiliori septisedi incumbit, qua id decimæ & vndecimæ, & duodecimæ costis obducitur ea potissimum parte, qua costæ in posteriora impensius obliquantur. Is enim costarum in posteriora flexus, opportunam renibus sedem offert, vt & tuto vallentur, & ne in anteriora vel minimum prominentes, ceterorum nutritionis organorum sedem occupent. Ceterum C
quum lien demissius quam iecur descendat, vterque autem ren venæ cauæ, qua sub iecoris corpore ducitur, vicinus esse contendat, merito dexter sinistro plerunque elatior est. Non raro tamen etiam sinister dextro esse elatior obseruatur, in iis præcipue quibus lien minor, & iecur maius obtigit. Contrarium autem hunc renibus non tam loci, quo apte locari possent occasione, quam ne e directo vtriq; serosum sanguinem attrahant, ac alter in contrarium reuellens alterius munus prohibeat, accidisse videtur. Vtcunque autem renes situ inter se discrepent, neuter tamen alterius latitudinem, quanta media est illorum longitudo, superat vnquam. Sunt enim humani renes oblongi, & minus lati, omnique ex parte æqualiter crassi. Anterius namque & posterius comprimuntur renes, & in latere exteriori ad amussim orbiculares & gibbi: in interiore autẽ, quod exteriori breuius est, partim caui. In media enim interioris lateris sede sinum sibi profundius impressum habent, superius inferiusque velut in acutum angulum desinentem, in medio autem extuberantem. Superiori parte paulo quam inferiori latiores sunt renes, & parum admodum exterius, quam interius crassiores. ¶ Magnitudine ea donantur, qua probe quantum sanguini ex vsu est, seroso humore illum emundant. Superficiem iecoris gibbo similiter impense læuem & lubricam sortiuntur, vt & colorem intense rubrum & resplendentem. Substantia namque constant carnea, densa, admodumque solida & dura, parumque a cordis substantia variante, præterquam quod nullis omnino fibris intertexitur. Renum enim substantia fibrarum, vt & iecoris pulmonumque substantia, expers est, vasorum per ipsam diffusorum fibris ad attractionem, retentionem E
& expulsionem famulantibus. Quum enim sanguinis serum renes excolare oporteret, neque commode venæ cauæ magnæque arteriæ corporibus, vti iecur ad cauam venam adnasci potuerint, insignes rami a vena & arteria in ipsos deducti sunt. Ac a caua quidem duo grandes rami, vtrinque nimirum singuli ad singulos renes enascuntur, qui non e directo inuicem prodeunt, sed pro renum situ, origine variant, dexterque ramus elatius sinistro principium possidet, siquidem ren dexter altius collocetur. Si vero sinister superiorem dextro sedem sibi vendicet, sinister quoque ramus elatius dextro a caua pronascitur. Has venas emulgentes vulgus appellat. Et par quidem arteriarum est ratio, quæ sub venis protensæ vna cum illis transuersim ad renum sinus, quos in interno ipsorum latere gerunt perferuntur. Quam primum in hominibus ad illum alterius re- F
nis sinum vena & arteria peruenerint, in duos ramos priusquam renem subeant, ambæ diuiduntur, vnum ramum superiori eius sinus angulo, alium inferiori offerentes. In ipso autem vasorum ad renes progressu, admodum raro a se ramulos arteriæ diffundunt, sed totæ in renes absumuntur, quum interim a sinistri renis vena, seminalis vena si-

Situs. Renes cur situ discrepent. Forma. Magnitudo. Venæ renibus oblatæ. Arteria.

A vena sinistrum petens testem depromatur. Ab ea aût quæ dextrum renem adit, ramus in pinguem membraneamque renis tunicam numerosa sobole spargitur, quod & sinistra interdum vena imitatur, dum ren sinister elatiorem dextro sedem occupat. Nunc vasorum ductus, ac per renis corpus distributionẽ, vna cum renis sinibus explicabimus. ¶ Ceterum duos in renibus sinus, secus multo quam nostri arbitrantur Medici, Natura formauit. Vena enim & arteria in renis corpus subeuntes in vnum degenerant corpus, arteriarum tunicis duritia crassitieque respondens. Hoc cauum & venæ arteriæue modo per renis corpus distributum cernitur. Primum enim paulatim latescens, in duas quodammodo partes diducitur: quarum vnam quidem anteriorem, alteram vero posteriorem vocabimus. Anterior vna serie vnoq; ductu, modo sex, modo septem, modo B plures etiam æque crassos producit ramos, in quos etiam anterior hec membranei corporis siue primi sinus pars finitur. Præsentes rami per anteriorem renis partem æqualiter a se inuicem secundum renis formam abscedentes, versus exterius renis latus properant, non quidem ad externam vsque lateris eius superficiem, sed interius multo in renis corpore permanent. Hic in aliquot propagines rursus dissecti, corporis membranei posterioribus ramis commiscentur. Posterior enim corporis eius pars eodem modo quo & anterior in ramos digeritur, ad externum renis latus cõtendentes. ¶ Quum vero hi eousque quo anteriores deuenerint, mutuo posteriores rami cum anterioribus coeunt, ac singuli singulis, ac si vnum idemque corpus essent, vniuntur, mutuamque cauitatem constituunt. Elegans iste ramorum coitus instar semicirculi ad exterioris C renum lateris formam perficitur. ¶ Porro membraneum cauumque istud cum suis ramis corpus, non vndecunque renum adnatam habet substantiam. Corpori enim ipsi priusquam in ramos digeratur, anterius posteriusque, & ad internum ipsius latus, non autem ad externum, renis substantia adnascitur. Ramis vero anterioribus duntaxat anterius, posterioribus autem posterius renis substantia adnascitur, quousque ad mutuum coitum rami ducantur. Hic enim vbi in plures ramos singuli diuidũtur, ac interiores cum posterioribus coeunt, renis substantiam adnatam vndiq; habent. Quanquam inter ramos ipsos qua nihil adnascitur ad renis interiora, velut septum quoddam procedit, ramis non connatum, & ab illa renis substantia prodiens, quæ ramis dum coeunt cõnascitur. Adeo vt hic inter anteriores posterioresq; corporis illius membranei D ramos, alter quidã renis sinus exsurgat, quodamodo bipartitus. Qua n. is exterius membranei corporis latus, vbi primum ramos germinat, respicit, vnicus esse apparet: quum aût secundum septum ex renis substantia pronatum, velut ad exteriora fertur, geminus conspicitur. Vna n. eius pars inter septum & ramos anteriores, altera inter idẽ septum & posteriores ramos porrigitur. Sinus hic inter dissecãdum subhumidus exsanguisque omnino occurrit, corpus aût illud membraneũ cum suis ramis omnibus, aut primus sinus, si ita corpus id appellare visum est: sanguine plenus semper inuenitur. Homines vt passim pinguedine scatent, secũdum sinum quoq; adipe duriusculo, & quasi seroso humore enutrito oppletum habent, qui non solum humanorum renum speculationem dissecantibus obscurauit, sed quibusdã accurate sectionẽ aggredientibus ita imposuit, vt hunc adipem vrinarii meatus operculum quoddam esse, & vrinæ in renibus excre- E tioni seu excolationi præfici, & quoddã velut colatoriũ esse scriptum reliquerit, *quemadmodum fusius And. Vesal. summus noster amicus in suo de humani corporis fabri. lib. monstrauit.* ¶ Porro initium vrinarii meatus ex altero renis sinu pendet, non quidem ex humiliori ipsius sede, sed ex interni lateris secundi istius sinus medio. Incipit enim meatus ille ab externo latere membranei corporis, vbi primum in ramos scinditur. Deinde per eius corporis medium pręcedens, ex renum medio in internum renis latus venæ cuiusdam instar procedit. Ceterum serosus sanguis renum substantiæ vi, & fibrarum membranei corporis rectarum beneficio attrahitur. Non tamen vniuersum renes alliciunt, sed vt sanguis ad fluxum per venarum cauitates aptior sit, eius humoris portio cum eo per reF liquum adhuc corpus ducitur, ideoq; Hipp. *vt testis est lib. 4. de vsu par. c. 5. Gal.* ὄχημα τροφῆς nominatur. ¶ Quinetiã manifestum euadit, renum substantiam a sanguine non solum in vena caua, sed & in arteria magna contento aqueũ illum humorẽ, & si quid biliosi excrementi adhuc ipsi sit admixtum colare, atq; in alterum illum sinũ protrudere, eumque inde per vrinarium meatum ad vesicam huic humori instar lagenæ subditam sen-

Sinus renũ duo.

Secundus.

Vrinarii meatus initium & explantatio.

Renũ munus.

ὄχημα τροφῆς.

sim defluere. Renibus præterea binæ sunt tunicę, ortu substantiaq; variantes. Prima quæ A
exterior est, renum corpori pertinaciter non adnascitur, nihilominus ipsi instar inuo-
lucri circumquaque obducitur, & hinc etiam renis fascia vulgo nuncupatur. Hæc a pe-
ritonęo humiliorem septi transuersim sedem succingente principium ducit. Qua e-
nim ipsi renes incumbũt membraneas quasdam fibras producit, in membraneam tuni-
cam, quæ renes ipsi colligat, degenerantes. Præsens tunica frequentibus venis instar o-
menti intertexitur, multa pinguedine, vt & illud, abundans, renumque actionem peni-
cilli, hoc est, tegumenti cuiusdam ritu fouens. Dextri quidem renis tunica a vena ad i-
psum renum pertingente propaginem exigit, in membranam freqūẽti ramorum serie
excurrentem. Sinistri autem renis tunica venam adipiscitur a sinistro venæ cauæ late-
re, elatius quam renis vena enatam: aliquando etiam contraria est in eiusmodi tunicas B
implicantium venarum exortus ratio. ¶ Porro altera renum tunica tenuior est, & nullis
venis, neq; etiam pinguedine obsita, & vt iecoris & lienis tunica rerum substantiæ con-
nata. Hanc procreat tertia renem petẽtis arteriæ tunica, & venæ item altera. Nam dum
hæc vasa reni implantantur, hæ tunicę ab eis ascendentes, in præsentis renis tunicam di-
Renum nerui. latantur. ¶ Ceterum renis neruus gracilis est, neque venæ, neque arteriæ renis propor-
tione respondens. Ille enim alterius vsus quam nutriendi calorisq; insiti recreandi gra-
tia reni offeruntur. Neruum autem sensum dũtaxat obtusum præstare oportuit, ac pro-
inde a sexti paris ramis, qui costarum exporriguntur radicibus, natura singulos ad v-
trunque renem diffudit, in internam ipsorum tunicam potius, quam in corpus illos di-
spergens. C

De vesica & meatibus vrinariis. CAP. XXI.

VEsica quæ est aqueæ superfluitatis receptaculum, in quo sensim a renibus id cola-
tum, ne frequenter & perpetuo, sed raro & repente ac simul vrina nobis reddenda
Vesicæ situs. sit coaceruatur, Græcisque κύστις & κύστη dicitur, eam sedem merito obtinet, qua commo-
de, dum vrinæ copia aut qualitate molestatur, eam excernere possit: quem locum non
decuit ab eo quo sicca excrementa emittuntur procul abesse. Deinde elatiorem sedem
alia nutritionis organa, vesica longe nobiliora, altamq; sedem expetentia sibi occupa-
runt, adeo vt iure quodam vesica non minus quam intestinum rectum humilius loca-
ta sit. Ad posteriorem enim pubis ossis sedem vesica reponitur, elatiori sui parte supe-
riorem pubis ossis sedem modo plus, modo minus prout vrina distenditur, excedens. D
Forma. Est namque oblongæ sphærę instar aliquantulum rotunda, & elatiori parte, quam fun-
dum ipsius proprie vocamus, apparet amplior, id quod situs occasione accidit. Quan-
quam enim vt capacior iniuriisq; ferendis minus obnoxia redderetur, figura ad amus-
sim globi modo rotunda, magis ipsi conuenisset, attamen oblongiorem, suoque fundo
ampliorem natura machinata est, non quod eiusmodi commoditatem negligeret, sed
ne pubis os rectumque intestinum posteriori vesicæ sedi in viris, vt & vterus in mulieri-
bus attensum, eius distensionem nimium arctarent. Quod sane necessario accidisset, si
quam ex longitudine sortitur capacitas etiam in latitudine inter pubis os & rectum in-
testinum adiecta fuisset. Sed & fundo quoque tanto est humiliore ipsius parte, quæ in
ceruicem angustumue meatum desinit, amplius, quanto commodius id pubis os exce- E
Vesicæ substantia. dens, propter cedentes abdominis musculos, distendi dilatarique potest. Vesicam e-
nim amplam & extendi promtam fieri oportuit, quo rarius, vt dictum est, vrina nobis
reddenda sit. ¶ Proinde membraneo nerueoque constat corpore, quod dilatari possit
commode, & rursus cum nihil cõtinet, subsidere. Etenim vesica leui, dura valida, mem-
braneaque constat tunica, quæ modo crassior, modo tenuior visitur, prout nimirum
aut impensius distenditur, aut arctatur. Peculiariter hoc sibi vendicans, quod in elatissi-
ma sui fundi parte, & qua in ceruicem desinit, ob meatuum quorundam implantatio-
Fibræ. nes & explantationes durior crassiorq; fit. Hanc triplici fibrarum genere intertextam,
vel pueri nouere, vnguibus dum vesicam inflant, vt promtius distendatur, illam frican-
tes, ac eiusmodi fibras diuellentes. Etenim nulla corporis tunica occurrit triplex hoc fi- F
brarum genus exactius ostendens, quam si vesica infletur. Ceterum vesicam implican-
tes fibræ eadem qua fibræ ventriculi & bilis vesiculæ collocantur serie. Rectæ enim inti-
mæ sunt, extimæ transuersæ, mediæ vero obliquæ, pro functionum ordine situs seriem
adipiscentes. Expulsionem namque præit retentio, & hanc rursus attractio. Duram ve-

A ro & crassam vesicæ tunicam fieri oportuit, quod hanc in magnam sæpe molem distendi sit necesse, quodque vrinæ acrimonia & vlceribus ac calculis idque generis malis aliis frequenter vexetur: quæ nisi dura esset, eam facile lacerarent, eroderent ac perforarent.

Vt autem validiora adhuc efficiantur hæc, *peritonæum* illi densum robustumque inuolucrum peculiariter circumdedit, quod secunda vesicæ tunica censetur. Hanc peritoneum ipsi offert, qua supra pubis os vesicæ fundum anteriorque ipsius sedes vniuersa peritonæo in hominibus secus multo quam in canibus adnascitur. In hominibus etiam sedes vesicæ posterior rectum intestinum & vterum respiciens, læuis & lubrica, & aqueo humore oblita est. Ceterum quum vrina vesicę ad nutritionem inepta sit, venas, B & quibus illius calor refocilletur arterias natura illi distribuit. Ac primum vtrinque in ceruicis vesicæ latera, vnam venam, & arteriam vnam, a cauæ venæ & arteriæ magnæ ramis per pubis ossis foramen crus accedentibus deriuauit; quæ hinc sursum per corporis vesicæ longitudinem conscendentes in tenuissimos pilique modo graciles surculos dissipantur. Neque neruis itidem, quibus ob tristantium sensationem maxime indiguit, vesica destituitur. Quantumuis enim vrina vesicæ, vt bilis minori vesiculæ tanquam familiare quippiam influat, neque quum naturalis est vllam ab illa noxam patiatur, ea tamen interdum tantum biliosi excrementi admixtum habet, mordaxque & acris redditur, adeo, vt nisi vrinæ qualitatem vesica perciperet, illam diutius continens, grauiter plerunque afficeretur. Proinde inter ceteras corporis partes neruos non mi- C nimos sensus tactus duntaxat gratia vesica obtinuit, eos a sexti paris ramis costarum radicibus exporrectis, & ab infimis spinalis medullæ paribus exigens. Præter hæc vasa & neruos ex elatione mediaque fundi parte meatus exoritur, qui per vmbilicum & intimum fœtus inuolucrum, quod a foraminis specie nomen inuenit, quum adhuc vtero gerimur, vrinam deducit.

Secūda vesicæ tunica.

Venæ & arteriæ.

Nerui.

Meatus fœtus vrinam educens.

Quinetiam vesicæ lateribus duæ attenduntur arteriæ vitalem spiritum ex vteri arteriis fœtui deferentes, quæ in natis non minus quam meatus vrinam deducens, exarescunt, inutilesque redduntur, nisi quod vesicæ ad peritonæum ligamentorum vicem abunde gerant, vesicamque erectam contineant, *ut sequenti libro fusius dicemus*. ¶ Porro in humiliorem vesicæ sedem præter suos neruos & venas & arterias in cauitatem D vsque ipsius, alii duo meatus inseruntur ex renibus vrinam deducentes, quos Græci ab officio οὐρητῆρας, & οὐρηρὰς, atque πόρους οὐρητικοὺς appellant. Hi vero non temere a natura sunt formati. Quum enim renes, quam proximi iecori necessario allocentur, vesica autem humilem sibi sedem vendicet, meatus quosdam effingi oportuit, vrinam ex renibus in vesicam deducturos. Atque hos venarum corpori quam similimos natura efformauit. Quippe simplici constant tunica, venarum tunica paulo duriore, paucioribusque quam illa fibris obliquis intertexta. Ita enim meatus illi iniuriis ferendis redduntur aptiores, & tendi subsidereque facile possunt, & obliquæ fibræ quo minus in vesicam vrina ocyus delabatur, nihil interim præpediunt. Explantantur autē isti ex secundo renum sinu, eos per medium primi sinus deducente. Hinc peritonæo super lumborum E musculos supertensi, securissime deorsum ad vesicam prorepunt. Adnascuntur enim in progressu peritonæo, & ab illo fibras quasdam adepti, alteram assumunt tunicam, venulis & arteriis vt peritonæum intertextam.

Arteriæ fœtus peculiares vesicæ commissæ.

Meatuū vrinam e renibus in vesicā deducentiū historia.

Porro ductus ipsorum, quum itineris longitudo nihil commodi adferre hic possit, quam minime anfractuosus est. Ex renum enim sinu deorsum modice versus interiora, vt ad vesicam pertingant, deducuntur. Ne vero parum firmati, & omnino pensiles vesicæ insererentur, aut obliquum nimis ductum efficerent, non elatissimæ parti vesicæ, ex qua meatus vrinam fœtus extra vmbilicum deferens pendet, implantatur, sed illi vesicæ sedi, quæ posteriori peritonæi regioni, ad quam meatus toto ductu secure adnascuntur, vicinior est. Est autem ea regio in posteriore vesicæ sede F paulo antequam in ceruicem desinat, cui vtrique meatus primum adnascuntur, & obliquo anfractu vesicæ tunicam a peritonæo pronatam penetrantes, tandem in vesicæ cauitatem alteram quoque tunicam penetrantes aperiuntur ingrediunturue, modo sane quam similimo, quo bilis meatum in duodenū inseri retulimus: laxis nimirum

Artificiosa meatuum vrinam deducentium insertio.

membranulis vtrinque ad meatus foramen ex vesicæ corpore appendentibus, nõ aliter quam si vesicæ internæ tunicæ tenues huiusmodi processus, inibi adnascerentur. Horum vsus, membraneorum processuum bilem deducenti meatui adnatorum vsui respondet, vt scilicet vrinæ quidem ex meatibus in vesicam defluenti cedant, & dum vesica distenta vrinam rursus in eosdem meatus regurgitare volet collecti illi meatumque opplentes, vrinæ transitum præpediant. Id quod adeo commode præstant, vt vesica vel flatu plurimo repleta, nihil plane spiritus per hos meatus reddere queat, *vt libr. 5. de vsu par. Galenus fusius docet.* Verum quod obliquus ille in meatuum insertione ductus eidem vsui famuletur, vesicę dum inflantur, exquisite demonstrant. Eadem in follibus indies experimur: nam per foramen quod a tergo illis adhibetur, aer quidem attrahitur, sed quum follis comprimitur, propter asserculũ impetu aeris foramini appressum, nihil venti exspirat. Vrinariorum itaque meatuũ insertio ad inferiorem posterioremque regionem vesicæ non procul ab ipsius ceruice consistit. Hic enim humilima vesicæ pars in angustum finitur meatum, quem ipsius ceruicem collumue nuncupamus, aliter in viris quam mulieribus protensum, & aliis quoque in illis quam in his adnatum coagmentatumque partibus, & vsum denique ambobus diuersum præbentem. Commune enim est vtrisque huic ceruici seu meatui vrinam ex vesica deferenti musculum orbiculatim circumduci, quo cauetur ne vrina præter voluntatem nostram effluat, de quo abunde in secundo diximus libro. Deinde & viris & mulieribus per illum meatum vrina excernitur, sed viris ad seminis quoque eiaculationem ille auxiliatur. Propterea peculiariter hi glandosum illud corpus adnatum habent, semen deferentium vasorum insertionem suscipiens, quo corpore vrinæ meatum humectante, & irrigante mulieres destituuntur. Quin etiam mulieribus super vteri ceruicẽ meatus hic seu vesicæ ceruix fibris membraneis illi adnatus extenditur, ac vbi primum sub pubis osse cum vteri ceruice sursum inflecti cœperit, in illius cauitatem cessat. Viris autem vltra porrigitur ac prominet. Nam quamprimum humilimam pubis ossium commissuræ regionem superauit, penis corporibus subnatus ad elatiorem vsque pubis ossium commissuræ sedem sursum fertur, & hinc rursus prout rigidus flaccidusue est penis, sursum spectat aut propendet, nunc C Græcorum, *Galeno lib. 5. de vsu par. cap. vlt. teste.* nunc ſ Latinorum elementum exprimens. Sed de iis omnibus copiosius libro sequenti tractabimus.

Vesicæ ceruix. (B) (C) (D) — margin letters A–D

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER QVARTVS DE INSTRVMENTIS PROpagandæ speciei famulantibus.

De testibus virorum. CAP. I.

Cur vir & mulier creati.

QVVM materiæ occasione hominem producere immortalem Naturæ negatum sit, *vt lib. 1. de tuen. sani. cap. 1. Galen. copiose admodum monstrat*, ipse quod licuit ad immortalitatem auxilium Opifex rerum machinatus est. Quippe initio ad humanæ speciei conseruationem duos homines exstruxit, virum quidem vt fœtus principii rationem exporrigeret: mulierem vero vt id apte conciperet, infantulumque ex hoc pronatũ tantisper enutriret, donec is validior redditus, ingredi per se posset. Atque iis muniis idonea peculiariaque instrumenta vir ac mulier obtinuit, de quibus omnibus ordine exorsi a testibus virilibus, agemus. E

Testium situs. Numerus. Forma.

¶ Testium autem, qui ὄρχεις Græcis vocantur, in viris situs nulli non conspicuus est, vt & binarius ipsorum numerus, vnde δίδυμοι, hoc est gemini, appellantur: quamuis interdum vnus tantum, interdum etiam tres simul reperiantur. Nam vt & nonnulli alii, sic etiam Franciscus Philelphus τριόρχης fuisse dicitur. Sunt vero testes rotundi, sed Paulo admodum oblongiores, quam aut lati, aut profundi: dein humiliore parte nonnihil obtusiores ampliores que quam superiori sede videntur, verum id admodum obscure. In externa superficie nullum penitus sinum impressionemue, aut inæqualitatem obtinent. Substantia constant alba, lactea, molli, & sibi vndecunque simili ac continua, nisi quod venulis frequentibus iisdemque exiguis tenuissimisque oppleta sit, ob idque rara cauernosaque, quemadmodum lienis substantia esse videatur. Cauernosi autem sunt, *Galen. lib. 14. de vsu par. cap. 10. teste*, vt humorem qui in vasis cœptus erat concoqui F

Substantia.

excipien-

A excipientes ipsi rursus percoquant, perfectum quidem ad animantis generationem, ac calidiorem efficientes. Testes pluribus tunicis seu inuolucris integunt: ac aliis quidem vtrique testi communibus, aliis autem priuatim singulos testes inuoluentibus. Ambos enim testes vna cum ipsorum peculiaribus tunicis & seminariis vasis, cutis ipsa & membrana, quam carnosam vocari, *libro secundo*, diximus, perinde atque vniuersum corpus amplexantur, & duas vtrisque testibus communes effingunt tunicas. Cutis quidem vnam, quæ reliqua corporis cute tenuior est, & velut sutura quadam & rugis interstinguitur, Græcisque ὄρχεον, *scrotum* Latinis nominatur. Alteram vero communem tunicam membrana carnosa efformat, hic perinde ac cutis, longe quam in reliquo corpore tenuior, sed venis frequentibus intertexta. Præter hanc vero tenuitatem, cutis &

Testium tunicæ communes.

Scrotum.

B membrana aliud peculiariter hic, vt in fronte, & pene sibi vendicant, quandoquidem nullus inter ipsas interueniat adeps. ¶ Porro vtrumque testem priuatim inuoluentes tunicæ, amplitudine, conformatione, tenuitate inuicem admodum variant. Vna enim quæ exterior est, testem cum suis vasis ad eam vsque sedem, qua magnæ peritonæi amplitudini committuntur, induit, valida quidem, sed tenuis, venisque abundans. Qua enim venam & arteriam seminales, ac dein vas semen a teste sursum ducẽs, ex peritonæi magna amplitudine in inguinum regionem ipsumq; scrotum ducitur, illic peritonæum præsens inducit inuolucrum, quod peritonæi pars processusq; merito censetur, ita enim ab ipso peritonæo prodit, vt scrotum a cute producitur. Hæc tunica exteriori superficie, qua hanc carnosa membrana cõtingit, fibris quibusdam membraneis illi con-

Priuatæ vtriusque testis tunicæ. Exterior.

C nascitur. Preterea qua dextri testis tunica sinistri tunicam contingit, fibris quoq; ambæ tunicæ mutuo committuntur, ideoq; externam superficiem non admodum leuem habere videntur, sed membranarum inuicem cõnatarum modo asperam & fibrosam. Interior autem huius tunicæ superficies, qua testem ipsiusque vasa respicit, læuis, & aqueo humore obducta est. Hæc præterea tunica aliquid cum carnosa corporis membrana commune nanciscitur. Vt enim hanc carnosis quibusdam fibris, aliqua sui parte augeri intertexique, ac in musculi naturam degenerare *lib. 2. cap. 4.* dictum est, ita hæc quoque testis tunica, secundum totam ipsius longitudinem posteriori in sede, a peritonæo vsq; ad humilimam testis partem, carnosas fibras obtinet, & longi strictiq; cuiusdam musculi naturam refert, quem membranæ seu ipsi tunicæ innatum cernimus, nusquam a tu-

Testis musculus exteriori ipsius tunicæ innatus.

D nica abscedentem, sed vna cum illa a peritonæo incipientem, & etiam inferiori parti vasis a teste semen deferentis, simul cum tunica adnatum, *quemadmodũ copiosius libr. 2. diximus.* Tunica hæc præterquam, quod testem cõmodissime integit, illumq; suspensum continet, musculi etiam illius beneficio, quasi voluntario motu testem sursum allicere sentitur. ¶ Porro musculi huius occasione, q. scilicet ruber vt reliqua caro sit, ea tunica Græcis ἐρυθροειδὴς priuatim appellatur. Aut etiam ob venarum gracilium, quæ id adeunt, vt comprehensum est, frequentiam, quæ illi tunicæ ruborem etiam aliquem conciliant. Sunt tamen nonnulli qui tunicam hanc, quod velaminis seu putaminis vaginæue formam habeat, ἐρυτροειδῆ nominatam fuisse contendunt. Si quidem Atticorum more ρ. pro λ. ponitur, vt idem scilicet valeat quod ἐλυτροειδὴς. Est autem hæc vox ἀπὸ τοῦ ἐλύτρου quod velamen, receptaculum, & putamen significat, & εἶδος quod speciem denotat, de-

ἐρυθροειδὴς.

E ducta. Atque horum sententia verior esse videtur. Altera priuata tunica præter testis corpus substantiamque nihil omnino amplectatur, testis figuræ ad amussim respondens, aut potius illam efformans. Quippe dura & crassa, ac valida admodum membrana est, testis substantiam vtcunque mollem & sequacem inuoluens. Atque is sane præsentis tunicæ præcipuus vsus censendus est. Deinde in hoc conducit, vt ipsius interuentu & medio, vasa testi committenda, ipsi adnascantur. Nam tunica laxior, tenuior, molliorque inibi cernitur, qua vasa illi connascuntur, quam per reliquam circumferentiam. Et elatiori quidem huius tunicæ parti vena, ac arteria testi sanguinem spiritumque deferentes adnascuntur, ac quam plurimi ramuli eam tunicam hic

Intima testis tunica.

Vsus.

F perforantes, in testis substantiam exporriguntur. In posteriori vero sede tunica hæc per vniuersam ipsius longitudinem, validissime adnatos, habet omnes deferentis semen vasis anfractus testi obductos, inibi etiam vndecunque tenuibus ac visum fugientibus foraminibus pertusa. Per reliquam exteriorem ipsius superficiem, læuis & aqueo humore perfusa, nullique penitus parti connexa est. Interna

δαρτός. vero superficie, qua testis substantiam hæc tunica continet, vndecunque illi substantiæ A
connascitur. Hæc tunica veteribus Græcis δαρτὸς, appellata est. Primi etiam anatomes professores, qui testem δίδυμον nominauerunt, hanc etiam tunicam ἐπιδιδυμίδα, quasi super testem, huic enim, vt comprehensum est, innititur ac proxime incumbit: vocauerunt. Et procul dubio Galenus caput testis nihil aliud præter elatiorem huius intimæ testis tunicæ partem nuncupauit, vt plurimum errare constet eos, qui aliam affinxerunt particulam, quæ parui testis instar imposita testi ipsius caput, & ἐπιδιδυμὶς vocaretur. ¶ Ad

ἐπιδιδυμίς. Vasorum testibus sanguinē ac spiritū deferentium numerus, & ortus. Venæ.

singulos testes singulæ pertingunt venæ, ac item arteriæ ortu differentes. Vena namque dextrum accedens testem, a venæ cauæ caudice demissius quam venarum ad renes exporrectarum origines pendent, principium ducit: non quidem a dextro caudicis latere: sed ex superiori anteriorive ipsius sede ad dextrum modice declinans, oblongo B quasi & crassiusculo tubere exoritur, ac sensim oblique versus dextrum latus protensa, peritonæoque suffulta deorsum fertur. Sinistri testis vena non a cauæ caudice principium mutuatur, ac elatius multo quam dextra enascens, ex venæ sinistro reni exporrectæ humiliori sede originem habet. Atque in hunc modum plerunque venarum ortus cernitur. Quandoque tamen, sed rarius, a sinistro cauæ caudicis latere ramulum exporrigi conspicies, qui deorsum ad sinistra repens, sinistræ seminali venæ commiscetur, ac cum illa coit. Galenus *in libello de venæ sectione* idem & dextræ seminali venæ aliquando contigisse testatur, quod scilicet a dextri renis vena egrediens surculus, deorsum protenderetur, & venę commisceretur, a cauæ caudice principium ducenti. ¶ Por-

Arteriæ. ro seminales venæ ad hunc modum deorsum protensæ peritonæo fibrosis nexibus qui C in alteram earum degenerant tunicam committuntur, coniuges arterias sortitæ sunt. Vtræque enim arteriæ humilius quam dextrum testem petentis venæ principium consistit e directo, & sibi proximæ ex elatioris anteriorisue magnæ arteriæ sedis medio promuntur, ac dextra quidem cauæ venæ caudicem conscendens, deorsum oblique ad dextri testis venam properat. Sinistra vero sui lateris venam accedens, sæpius deesse videtur, sinistri testis vena solito tunc longe ampliori. Ab arteria vero sinistro reni communicata illam enasci, vix vnquam occurrit: quanquam id nonnunquam accidere pos-

Ad testem ductus. sit. ¶ Dextra vena, & arteria: idem de lateris sinistri vasis subaudiendum: sese inuicem contingentes, peritonæo incumbunt, & ipsi, vt dictum est, fibrosis membraneisue nexibus alligatæ, decliues in dextrum protensæ, super vrinarium meatum ex dextro rene D vrinam vesicæ deferentem ducuntur peritonæo in progressu tenues, & perquam graciles surculos diffundentes. Quamprimum vero vasa hæc ad pubis vsque ossis sedem peruenerint, qua septimus femur mouentium musculus supra coxendicis os deorsum versus minorem internumue femoris processum fertur, illa peritonæum iuxta internum eius musculi latus permeant, & ex magna peritonæi amplitudine procidentia in exteriorem testi peculiarium tunicam quæ hic a peritonæo ducit principium, pertingunt, vna cum neruulo ad testes vsque producto, qui interdum a sexti paris neruorum cerebri propagine costarum radicibus exporrectæ diducitur, interdum vero a vigesimoprimo spinalis medullæ neruorum pari, *vt libro sexto fusius demonstrabimus*. ¶ Porro peritonæi foramen vasi cum neruo transmittens, non ita patet, ac si quis ori pennam E inderet, sed peritonæum exactissime vasorum lateribus ipsarumque tunicæ, quam in progressu adhuc in magna ipsius cauitate vasis exporrigit, connascitur, tuto ipsa non secus transmittens, quam septum & quibus id succingitur membranæ stomacho & venæ cauæ viam offerunt. Simulatque vero vasa illud peritonæi foramen superarunt, ex dextro quodammodo latere rursus oblique deorsum in sinistra ad dextri testis elatiorem sedem ducuntur, arteria non amplius venæ duntaxat, vt in reliquo processu accumbit, fibrisque membraneis tantum connectitur, sed varia quadam peculiarique ratione vena cum arteria coit, & ambæ inuicem commiscentur, corpusque vnum pyramidis anterius posteriusque depressæ instar efformant, cuius quidem conum vasa vbi primum inuicem permiscentur efficiunt, basim vero ea sede qua elatiori testis parti F committuntur. Per vniuersum hoc corpus ramorum myriades inuicem complexi obseruantur, non quidem omnes recta deorsum procedentes, sed alii partim recta, partim orbiculatim, partim transuersim, alii alio modo inuicem implicari apparent: impossibileque est, vnam ductus seriem vnumue ordinem inibi animaduertere. ¶ Porro

quum

A quum tot ramorum in membrana illa quam peritonæum vaſis inibi offert, qua illi fi-
broſis nexibus hærent, implexus fiant, corpus id ſenioris ruſtici, aut baiuli ſuræ cutem
varicibus turgidam referre videtur. Vt enim multifariam in illa venæ inæqualiter ex-
tuberantes errabundo ductu feruntur, ita quoque in hoc corpore venæ ſeminalis & ar-
teriæ innumeræ ſoboles aberrant, qua ſane ſimilitudine corpus hoc veteres anatomici
κιρσοειδῆ παραστάτην, quaſi varicoſum ad teſtes aſſiſtentem diceres, appellarunt. Hoc baſi [κιρσοειδὴς
ſua elatiori parti intimæ teſtis tunicæ quã ἐπιδιδυμίδα vocari diximus, adnaſcit᷑, ac multos παραστάτης.]
ramulos recta hanc tunicã perforantes elatiori quoque teſtis parti diſtribuit, multipli-
citer per teſtis ſubſtantiam perinde ac iecoris venæ in ipſius ſubſtantiam diſſeminatos, [Vaſa præpa
& perquam tenui tunica conſtantes. Hæc venæ, & arteriæ ſeminalium eſt ſeries, quas rantia.]
B vulgus non tantum ita, ſed & vaſa præparantia nominat.

Ad externum varicoſi illius corporis latus, qua teſti applantatur, aliud corpus al- [Vaſis ſemen
bum & durioris nerui modo durum, intimæ teſtis tunicæ adnaſcitur, hincque incipit. a teſte ad
Hoc exterius qua teſti non committitur gibbum, & quodammodo teres eſt: qua vero veſicæ cer-
tunicæ illi connatum eſt, ſecundum connexum teſtis id cauum exſiſtit. Hoc corpus ab nicem defe-
externo varicoſi corporis latere, ad ipſius poſteriorem ſedem fertur, & deorſum modi- rentis hiſto
ce verſus interiora prorepens, ſecundum poſteriorem teſtis ſedem intimæ teſtis tu- ria.]
nicæ validiſſime tantiſper adnaſcitur, donec ad humiliorem teſtis deſcenderit ſedem,
a qua denuo ſurſum reflectitur intimæ teſtis tunicæ attenſum, incumbenſque quidem,
at non amplius ipſi connatum, & non eandem formam retinens. Per totum enim du-
C ctum, quo teſtis tunicæ corpus id nectitur, propemodum æqualiter craſſum eiuſdem-
que figuræ eſt, quam compacto vitis, aut cucurbitæ capreolo aſſimilare queas. Quan-
quam tamen non in orbem, ſed velut in latera, huius corporis reuolutiones fiant, ad
eum fere modum quo angues, & anguillas ocyus repere cernimus. Huius namque cor-
poris anfractus & inuolutiones admodum inuicem continuæ & connatæ conſpiciun-
tur. Ad hunc itaque modum corpus id intimæ teſtis tunicæ cõnaſcitur, & exterius dem-
tis reuolutionum impreſſionibus læue eſt, intus vero quum ab intima teſtis tunica acu-
tiori cultello adimitur, aſperum, ſed nullis, quæ oculis ſubiiciuntur, meatibus peruium
eſt. Neque enim aliter cauum eſſe viſitur, non hic ſolum qua teſtis tunicę connaſcitur,
ſed neque qua ab illa abſcedens ſurſum fertur. Quum primum namque ad inferiorem
D teſtis partem deſcendit, recta ſurſum reflexum anguſtius, magiſque teres ſenſim effici-
tur non amplius inuolutum, in teretem quaſi neruum deſinit. Atque id ipſi maxime
euenit, vbi elatiorem teſtis partem ſurſum ſcandens ſuperat. Quo quum pertigerit, an-
teriori eius corporis, quod varicoſum eſſe diximus, parti verſus interiora innititur, &
ipſi tenuis membranulæ interuentu connexum, altius tantiſper procedit, donec per
peritonæi foramen, quod venam & arteriam ſeminales tranſeunt, in peritonæi ampli-
tudinem pertingat. In quo tranſitu corpus id non amplius anteriori venæ, arteriæque
parti attenditur, ſed in poſteriora reflexum, ſub illis in peritonæum tranſcendit. Hinc
ex dextro latere, ad poſteriorem pubis oſſis ſedem reflectitur, & poſteriori peritonæi
parti connexum, ſuper vrinarium dextri lateris meatum ſub veſica deducitur. Eodem
pari omnino ratione ſiniſtro teſte corpus ſimile perfertur, & ambo ſub poſteriori ve-
E ſicæ ſede ſuper rectum inteſtinum ad veſicæ ceruicis initium protenſa, ſenſim mu-
tuo appropinquant, & latiora craſſioraque facta, inter ſe tandem coeunt, vnumque
corpus ſub veſicæ ceruicis initio conſtituunt, in glanduloſa, de quibus nunc dicemus,
organa abſumtum. Hoc corpus a teſte ad hunc modum aſcendens Herophilus σπερμα- [Vas ſemen
τικὸν πόρον, vulgus anatomicorum non inepte vas ſemen deferens appellat. Nam reue- deferens.]
ra a teſtis ſubſtantia ſemen aſſumens, ad penem defert. Vaſis huius in penem inſertio
conſpectum quodammodo fugit, & coitus tantum, aut excretionis ſeminis tempo-
re aperitur.

Ceterum corpus glandoſum, in quod deferentia ſemen vaſa poſtquam coiere [Glandoſum
F inſeruntur, quodque Herophilus ἀδενοειδῆ παραστάτην appellat, ad humilimam veſicæ par- corpus va-
tem reponitur, medium quodammodo inter veſicæ corpus & illius ceruicem. Eſt au- ſorũ ſemen
tem corpus id vnicum, & ſubinde ipſis teſtibus grandius, at non ad amuſſim rotun- deferentiũ
dum. Nam anterius & poſterius depreſſum, a lateribus autem rotundum inſtar globi inſertionẽ
cernitur. Per ipſius vero medium canalis veſicæ procedit, qui hic paulo quam in reli- excipiens.]

quo progressu latior, ampliorue exsistit: non tamen quod manifeste conspici possit, a A semen deferentibus vasis foratus, sed asper duntaxat, & inæqualis ac rugosus, idque potissimum in posteriori ipsius sede, vbi interdum deferentium vasorum ingressum accurate secantes, conspicue deprehendunt. Deinde vesicæ ceruix, qua per glandosum corpus fertur, distincta ab illo corpore membrana neutiquam est. Nam solus glandosi corporis sinus communem hic vrinæ seminique meatum conficit, per reliquum autem processum canalis ille priuatum est corpus, orbiculari musculo statim a glandoso corpore circumdatum, & dein duobus quæ penem constituunt corporibus, *de quibus paulo post dicemus*, adnatum. Nunc reliquum est, vt singularum iam enarratarum partium vsus breuiter explicemus. Omnibus autem constat testium substantiam ingenita sibi facultate, ex materia quam venæ & arteriæ illi deferunt ac per totum testem, vt venæ per iecur sanguinem, diffundunt, semen efficere. Optimam vero sanguinis ac spirituum portionem testium venæ & arteriæ, non breui aliquo, & minime anfractuoso, verum longissimo, & innumeris reuolutionibus spirisque tortuosum & errantem perferunt, vt scilicet materiam testi præparatam, seminique efficiendo magis oportunam communicent. Neque id in vnam amplam testibus incisam cauitatem, sed in tenuissima, eademque tunica subtili admodum formata vascula, per testes substantiam frequentissima serie distributa: adeo vt testis substantia facultate sibi insita sanguini, & spiritui suis vasculis contentis perfectam seminis naturam impertiat. Atque hæc vis in masculis roboris & virilitatis, in fœminis, vt sic dicam, muliebritatis caussa exsistit. ¶ Ceterum paratum a testibus semen, meatus innumeri, sed gracilimi in deferentis vasis anfractos testi connatos exporrigunt, vt hinc rursus ex vtroque teste semen in viris deducatur, qua commode in vterum proiiciat, eiaculari valeat. Vas autem deferens semen tot anfractibus, spirisque super testem obuoluitur, vt citius & copiosius a testibus semen assumat, & aliquam quoque elaborationem in ipso semen obtineat. Vasis autem huius ad testem applantatio, tenuissimis & angustis foraminulis, intimæ testis tunicæ interuentu fit: quod vas id durum, validum, densum, iniuriisque ferendis pertinax fieri oportuerit, testis vero substantiam laxam mollemque, adeo vt prudens natura hic & alibi nulla essentiis contraria in vnum coegerit, nisi copulam aliquam amicitiæ societatisque conciliatricem interposuerit. Quanto itaque a vase semen deferente, intima testis tunica densitate duritiaque vincitur, tanto ipsa testes superat: non quidem D per vniuersam circumferentiam qua testibus obducitur, sed eo tantum loco, quo vasa seminaria habet adnata. Hic enim quam per reliquum corpus mollior exsistit, & tenuibus, *vt dictum est*, foraminibus pertusa. Posteriori autem testis sedi non autem anteriori vas illud connascitur, vt quum iam semen confectum porrigat contineatue, testis autem solum conficiat, tutiori loco reponatur, teste propugnaculi loco vtens. Atque eadem ratione quum vas peritonæum ingreditur, sub vena & arteria merito occultatur, quod semen sanguine & spiritu, ex quibus semen paratur perfectius contineat. Dextrum vas cum sinistro coit, atque in vesicæ ceruicem ambo insinuantur, vt vtriusque testis semen semel, eodemque tempore in vterum proiiciatur. ¶ Glandosi quidem corporis vsus is est, vt vrinæ seminisque in vesicæ ceruice meatum humectet, E & vt meatuum quæ per ipsum a deferentibus vasis digeruntur fulcrum esset. De quibus copiosius *lib. 15. de vsu partium & libris de semine* Galenus scribit.

Vsus prædictarum partium.

Glandosi corporis vsus.

De virilis membri penisue structura. Cap. II.

VIro rerum Opifex membrum, quod Græcis καυλὸς, Latinis *coles*, *penis*, *mentula*, *virga*, *& pudendum virile* nominatur, semini in vterum fundendo aptissimum largitus est, quod concubitus tempore varios ob vsus tumidum, rigidum, & erectum prorsus esse oportuit. At si perpetuo tensum & prælongum quoque seruaretur, per totam vitam præterquam congressus tempore, vsui ineptum foret, ac promte iniuriis non secus afficeretur, ac si quis manum semper protensam circumferret. ¶ Quum F itaque modo laxum, gracile & breue, modo vicissim tensum tumidumque fieri debuit, penem e duobus corporibus grandibus, & intus spongiæ modo cauis efformauit, quæ spiritu impleta erigi, produciq;, & insigniter turgere & rursus eodem spiritu dissoluto

Penis structuræ ratio.

A luto arctari, concidere, flaccescere, breuioraque effici possunt. Non sunt vero neque venæ, neque arteriæ, nec nerui, quia ex ossibus oriuntur. Non tendines, quum musculorum non sint eneruationes. Non ossa, aut cartilagines, quum laxata remissaque instar ligamenti facile inuoluantur, implicenturque. Neque tamen ligamenta sunt, quod sensu participent, & forata, cauaque sint, & velut carnea molliaque in ipsorum medio euadant, sanguineque nigro secus multo ac ligamenta impleantur. Horũ quidem dextrum, a pubis ossis dextri sede, vbi id crassius, & quasi teres visitur, enascitur, paulo inferius quam vbi inuicem pubis ossa dehiscere incipiunt. Hoc versus sinistrum latus modice exporrectum, cum sinistro coit corpore, a pubis osse sinistro principium ducente. Hæc corpora ligamenti naturam prorsus referentia in eum modum inuicem committuntur, ac si vtrarumque manuum indices internis partibus mutuo iungeres, vnitosque B fingeres. Vt enim interna indicum sedes plana, non autem gibba & teres, exterioris sedis modo est, ita etiam hæc corpora qua inuicem connascuntur, plana sunt, externis autem lateribus & superiori sede teretia inuicem iunctorum digitorum instar, qui simul commissi latius quam profundius corpus ad penis modum efficiunt. Deinde vt inferior indicum, ita commissorum sedes modice dehiscit, planaque visitur: sic & penis corporum inferior sedes dehiscit, ac vrinariũ vesicæ meatum sub se ita porrectum obtinet, ac si calamum quo scribitur, inferiori indicum sedi exporrigeres, & indices tibi penis corporum loco, calamus autem vrinarii meatus vice essent. Mox enim a corporum exortu ipsis vrinarius meatus, seu vesicæ ceruix subtenditur, ac cum illis ad glan- C dis vsque initium in eum modum porrigitur, vt corporum substantiam nusquam ingrediatur.

Corpora hæc in eum modum enata, simulque commissa seorsum singula oblongum referunt corpus ex neruea substantia contextum, instar coriaceæ fistulæ, cuius interior substantia rubra prorsus, & nigricans, & fungosa, & atro sanguine oppleta cernitur, ad eum fere modum, ac si ex innumeris arteriarum venarumque surculis quam tenuissimis simulque proxime implicatis retia quædam efformarentur, orbiculatim a neruea illa substantia tanquam in corio comprehensa. Atque hæc duo penis corpora ad glandem vsque priuatim singula nerueum retinent inuolucrum, & fungosam Glans. hanc substantiam. Quum autem ad eam vsque penis regionem perrepsere, in qua iam D glandem efformatura sunt, sic autem vocant penis summitatem magis quam reliquam longitudinem crassescentem in acutum feruntur, & carnosa glandis substantia ipsis obnascitur, quæ meatum vrinæ seminique communem non subnatum duntaxat, vt corpora illa habet, verum etiam in se complectitur, eumq; ambit: qui hic reliquo ipsius ductu amplior efficitur, & rursus suo fine extremoue arctatur, non secus ac si natura in concubitu seminis moram, ac proinde intensiorem pruritum in glande, esse concupiuisset. ¶ Porro venæ ac arteriæ ad horum penis corporum radicem accedentes ab illis Venæ, arteriæ. deriuantur, quæ humilioris illius diuisionis rami sunt, quam vasa os sacrum prætergressa tentare *supra lib. 3. cap. 17.* diximus. Quanquam vero hæc vasa ad penis corpora pertingant, tamen vix sectione assequi potest, quo itinere in corporum illorum cauitatem in- E serantur, sanguinem illum nigricantem & crassum, quem fungosa corporum substantia plurimum possidet deductura. Nerui quoque huc plures ab infimis sacri ossis par- Nerui. tibus pertingunt, secundum corporum longitudinem diffusi. Ac duo tenues in humillima penis sede exporriguntur, vnus vtrinque ad meatus vrinæ seminique communis latera. Quinetiam & alius subinde conspicuus est, superiori corporum sedi, qua hæc inuicem connascuntur expensus. His neruis membranea vincula superiorem Vincula. corporum sedem, qua primum sursum ducuntur pubis ossium commissuræ ad eam vsque partem nectentia, qua primum penis orbiculatim cute obtegitur. ¶ Porro in- Præputiũ. uolucrum glandis, seu cuticularis excrescentia, quæ glandem tegit, πόσθη Græcis, *præ-* Πόσθη. *putium* Latinis nominatur. Inferior autem penis per eius longitudinem vergens, & su- F turæ modo protuberans linea Græcis ῥαφὴ, Latinis *sutura* nominatur. Totam hanc ex- Ῥαφὴ. porrectam extuberantemque ad anum vsque penis partem, Græci ταῦρον, Latini *taurum* appellant. Vti & sedem inter testium inuolucrum, quod scrotum nuncupatur, & Taurus. anum conspicuam περίναιον, id est, *interfeminium* dicitur. Ceterum musculi quatuor pe- Περίναιον. nem adeuntes *lib. 2.* descripti sunt. Musculi.

De vtero & reliquis muliebribus generationi famulantibus instrumentis. A

Cap. III.

Nomina. Vteri situs in non prægnantibus.

VTeri seu vuluæ, quæ Græcis μήτρα & ὑστέρα dicitur, ceruix, a mulieris pudendo recta sursum sub pubis ossibus, & secundum recti intestini ductum in peritonæi cauitatem tantisper ascendit, donec paulo demissius, quam e directo sedis pertingat, qua a pubis ossibus rectorum abdominis musculorum principia pendent. Inibi enim ceruix in fundum vteri, aut fundum ipsum in ceruicem desinit, & rarissime altius protenditur, ac proinde humilior fundi pars hic habetur. Superioris vero ipsius partis, & laterum sedes pro magnitudine ipsius variant. Quanto enim maior magisque distentus est vterus, tanto elatius ad vmbilici regionem protenditur, atque ad ilia magis accedit. In nullis tamen omnino mulieribus vtero non gerentibus fundum sacri ossis initium infimæ B lumborum vertebræ coarticulatum superat, neque in illis fundum & ceruix in posteriori parte aliud præter rectum intestinum tangunt, vixque ipsius etiam vincunt amplitudinem, neque elatissima fundi pars tam alte atque recti intestini sedes, in coli anfractus ducta prorepit. Anterior vteri pars vesica obtegitur, hic tamē humilima omenti parte in illis interueniente, quibus ad sursum versus lienem non conuolutum omnibus intestinis obducitur. Omenti enim moles longitudoque tanta est, vt inter vterum vesicamque facile implicari, atque quod Hippocrates *5. aphoris. 46.* de obesis dixit mulieribus, *vteri os ne apte concipiant, leuiter comprimere possit.* Anteriori autem vteri ceruicis parti, vesicæ quoque fundum illic, vbi vteri ceruix fundo ipsius contermina est, incumbit. Per reliquam enim sedem, quasi ad pudendum vsque, collum vesicæ, quod breuissimum est, ipsi duntaxat exporrigitur. C Verum quia vteri ceruix vesicæ collum longitudine ac latitudine plurimum superat, tota ceruicis vteri pars, vesica, ipsiusq; collo non operta, eam peritonæi sedem contingit, quæ internam pubis ossium regionem succingit. ¶ Ceruicis fundique vteri latera, vasa, quæ vterum adeunt, & membranas illum proximis partibus nectentes spectant. Atque ita vterus fere in non prægnantibus habet.

Vteri situs in grauidis.

In vtero autem gerentibus super gracilia intestina sub omēto & peritonæi anteriori parte ducitur, ilia quoque quum partui vicinior est, impensiusque turget, insigniter opplens. Vnde etiā humilior fundi pars, qua is in ceruicē desinit, iis etiam altius quam in non prægnantibus ascendit, & vteri ceruix illis mulieribus sursum tracta, ac in longitudinem ducta, pressius quam ceteris arctatur. D Quinetiam vterus iis non ad amussim, vt alias, mediam, quod ad dextrum & sinistrum attinet, sedem occupat, sed quasi apice elatiori in dextrum aut sinistrum magis, quamuis modice, vergit. Quod etsi plerunque fœtuum sexus ratione, vt attestatur *5. aphoris. 84. Hippocrates*, fit, non tamen perpetuum est. Locatus est autem in humilima trunci corporis sede, quod ad concubitum seminisque susceptionem, & adhuc ad concepti fœtus augmentum, perfectique partum, nulla aptior excogitari posset. Nulla præterea ossa, quo minus in miram amplitudinem distendi queat, inibi præpediunt, atque etiam ipsi parituro hinc ad inferiora & crura versus facilis est exitus.

Situs ratio. Vteri forma.

Muliebris vteri forma, potissimum in prægnantibus vesicam ad amussim propemodum refert. E Quippe illis vteri fundum, vt & vesicæ, amplum admodum magnumq; est: & ceruix, si hanc ad fundi amplitudinē contuleris, angusta. In non prægnantib. autem ceruicis latitudinem fundi latitudo vix superat: & si ceruicem vel leuissimo conatu dilatare conaberis, iam eius latitudinem plurimum fundi latitudinem vincere spectabis, quum fundi substantia, vtcunq; protendenti haudquaquam sequax sit, ac proinde etiam iniqua vteri in iis, quæ grauidæ non sunt, ad vesicam est comparatio. Deinde vesica, quod ad latitudinem attinet, exacte orbicularis est: vteri autē fundum nō prægnantibus anteriori, posteriorique partibus, vt latius crassiusue euadat, comprimitur. Vesicæ etiam superior pars exacti globi instar paulo minus rotunda est. Nam qua vrinarius meatus vrinam e fœtu per vmbilicum deducens ab ipsa pronascitur, velut in acutum assurgit. F Vterus autem hic obtusus est, & quartam circuli partem etiam nonnihil erectam, aut nouilunii imaginem refert, non aliter, quam si superior fundi pars vtrinque obtusum constitueret angulū. Ab huius partis superioris lateribus, vteri fundum sensim, sed modice interim arctius redditum, deorsum ad ipsius ceruicis originem fertur: ita tamen vt totus vterus non multo fiat prolixior quam latior, ceruice interim

A interim instar oblongi meatus longa & tereti. Vteri autem fundo forma rotundæ proxima conuenit, vt reddatur capacius, iniuriisque minus sit obnoxium. ¶ Fundum vteri omni ex parte præterquam in lateribus, vbi vasorum membranarumque fiunt applanationes, externa superficie leui & æquali, & veluti madente linteo abstersa, subrubricanteque constat. Ceruicis quoque exterior superficies in posteriori parte ab vteri fundo nonnihil vltra mediam ipsius longitudinem, & anteriori quoque parte fundo propinquior, læuis & humecta, magis tamen quam fundi superficies candicans cōspicitur: per reliquam vero externam sedem propter aliarum partium adnexus aspera, eorum quæ inuicem adnascuntur modo exsistit. At interna fundi superficies non prægnantib. æqualis quoque ac læuis, vt inanitarum vesicarum cauitas apparet. ¶ Porro præter vesicarum cauitatem humanus vterus, vt virorum scrotum, leuem & perquam modice exuberantem suturam, seu tenuissimæ lineæ instar prominens tuberculum habet, secundum vniuersæ superficiei longitudinem, & anterius & posterius exporrectum, quasi quoddam sinistræ a dextra superficiei interstitium censendum esset. Superficies hæc fundi vteri sinus est, semen genitale suscipiens, fœtumque continens, quem Mundinus, & alii quidam tum Theologi scholastici, tum Iurisconsulti huius somnia sequentes, non vnum enumerant, sed septenario numero eum complectentes, septem matricis cellulas recensent, tres quidem in dextra vteri sede, masculis suscipiendis aptas, tres vero in sinistra fœminis dicatas: septimam autem in vteri medio statuunt, illam ni fallor, hermaphrodytis consecrantes, *vt copiosius libro tertio, paradox. capit. 9. demonstrauimus.* Vnica itaque duntaxat in vteri fundo cauitas est, latior quidem & altior, quam profundior. Vnica, quod vnicum fœtum complecti debeat, attamen latior quam spissior est, quod interdum & gemellos concipiat. Non enim geminus cernitur, & intestini instar oblongus, qualis cani & sui, ac illis denique animantibus obtigit, quæ plures simul fœtus semper propemodum enituntur. Hæc sane cauitas siue sinus in humilima sede iuxta fundi foramen, pro illius foraminis amplitudine angustior est, deinde secundum vteri formam sursum dilatatus, in elatiori sua sede velut in duos, cessat angulos, ad elatioris vteri partis latera conscendentes. Media enim sedes elatioris sinus partis non tam alte atque latera ipsius conscendunt, vteri substantia deorsum hic quasi septum aliquod, in suam amplitudinem spectante. Hic sinus in non prægnantibus plurimum viscido quodam & subalbo muco illitus, & læuis, ac exuberantiori linea interstinctus. In angulis illis aut in superioribus ipsius apicibus rugosiorem, ac omnino illi cauitati similis, in quam deferentia semen vasa in viris inseruntur. Hæc quidem internæ fundi superficiei sinusue vteri est descriptio. ¶ Interna autem ceruicis vteri superficies magna ex parte varia est. Quum enim conniuet, neque alias distenditur, vndecunque rugosa implicitaque est, ac in se concidit: si vero admodum distenditur, exacte læuis & lubrica secundum vniuersam ipsius longitudinem, præterquam ad eam partem, qua in pudendum terminatur. Hic namque perpetuo præter laxos amplexus, cuticulares illas carunculas tuberculaque, non æqualiter omnibus mulieribus propendula adipiscitur, quæ νύμφω Græci vocant. Ad hæc in anteriori ceruicis sede e paulo supra pudendū, vbi vesicæ collum ipsi inseritur, non ad amussim æqualis est. Nam vtrinque ad insertionis latera tenuis vteri ceruicis portiuncula excrescit, in ipsius amplitudinem propendens, ac illis membraneis processibus forma, perquam similis, qui vrinæ in vrinarios meatus e vesica, & bilis ex duodeno in deferentem illam meatum, regressum præpedire diximus. Haud secus quam si vteri ceruix vrinam admitteret, penduli vero processus vrinam in vesicæ collum regurgitare prohiberent. ¶ Præterea vteri ceruicis amplitudo toto ipsius ductu non angustatur, & eiusdem est amplitudinis qua fundo continuatur, ac qua in pudendum cessat. Verum in huius amplitudinis finem seu elatiorem sedem fundi orificium prominet, nusquam ceruicis latera suo mucrone contingens, neque propter ceruicis contractionem aut distensionem mobile. Porrigitur enim ex humilima fundi sede in hanc ceruicis regionem vteri substantia obtusioris in pene glandis modo, cui transuersa scissura seu foramen inest, quod vteri aut fundi ipsius os vocari solitum est: quemadmodum muliebre pudendum ceruicis vteri os nuncupamus. Hoc prægnantibus rugosum admodum est, & perquam angustum, vt specillum nisi validius impulsum vix admittat. Quæ nuper pe-

Vteri superficies cuiusmodi.

Fundi vteri sinus.

B

Error Mundini & aliorum hunc sequentiū de matricis cellulis.

C

D

Interna ceruicis superficies cuiusmodi.

νυμφη̃.

E

Amplitudo Fundi vteri os cuiusmodi.

F

Vteri os. Pudendum muliebre.

pererunt ampliorem hanc scissuram, minusque contractam rugosamue habent: non A
prægnantes autem, medio habent modo. Ceterum os fundi non semper in coitu aperitur, sed quum virile semen appetens, id naturali motu sugendo allicit, & quando vterus non concepturus, virile semen vna cum muliebri semine iterum eructat, aut in pollutione, vel affrictu muliebre duntaxat semen excernit. Nequaquam enim distenta in coitu pro penis mole vteri ceruice, simul quoque id perpetuo recluditur. Quod non temere a natura factum est. Non enim decuit mulieris arbitrio os illud subiici, vt scilicet cum vellet aperiretur occluderetur que. ¶ Nam alias maxima successionis speciei noxa, mulieres subinde genituram præter sententiam non retinerent, magnaque licentia nullo habito conceptionis metu parentibus maritisque imponerent si fundi orificio Natura musculos arbitrarii motus opifices elargita fuisset, idque ita vt ceruicis vteri fundi os semper aperire potuisset. ¶ Etsi autem toto hoc tempore quo vterum gerit mulier, ad amussim contractum conclusumque sit vteri os: tamen in partu adeo aperitur, extenditur, remittiturque, vt fœtus hac procidat. Quid multa? os fundi semper conniuet, nisi quum naturali instinctu semen admittere, aut fœtui, aut mensibus iter præbere debet. Ad vteri formam ipsius cornua spectant, quæ Diocles in mulieribus oportunissime iam enascentibus boum cornibus assimilauit. Quemadmodum enim vitulorum capita vtrinque qua pronascentur cornua extuberant: ita etiam superior vteri pars, vtrobique veluti in duos obtusos desinit angulos, qui reuera veteribus anatomicis, hominum cadauera secantibus cornuum vice habebantur, vasorumque semen muliebre deferentium insertionem excipiunt. Hæc itaque muliebris vteri sunt cornua, a caprinis, & vaccinis, & ouillis, quæ arietum cornibus vndecunque simillima exsistunt plurimum distant. Id quod de canum & suum vtero rectius dicitur, qui vterum statim a fundi ipsius orificio in duas partes ita diremtum gerunt, ac si indicem a medio maxime diduceres, illosque digitos vteri partes esse fingeres, quæ in non prægnantibus recta quodammodo ducuntur, & in apicem mucronemue sensim non secus desinunt, quam si recta, non autem obliquata essent cornua: in vtero autem gerentibus arietis cornuum modo & hæc quoque inflectuntur. Et de his quidem animantibus ex quorundam veterum sententia recte a Galeno in libello *de vteri sectione*, prolatum est, *in cornibus complecti fœtus*: Vteri magnitudo variatur, nam quod ad fundi eius molem spectat, hanc pro contenti fœtus seminisue quantitate distendi contrahique constat. Paruus autem ac magis quam facile credatur in non prægnantibus contractus videtur, vt scilicet quam minimum alia tunc comprimeret instrumenta, & sinum ipsius adeo angustum redderet, vt quam proxime vniuersam geniturarn amplecteretur, eam nulla ex parte a se intactam relinquens. Idem quoq; de eius ceruice censendum erit, quæ modo varie complexa rugosaque conniuet, modo in coitu pro penis, in partu vero ꝓ fœtus mole distēditur. Et quemadmodū latitudo ceruici eadē non est, ita quoq; longitudo. Nā si inter dissecandū vterū attollas, in mirā longitudinem ceruix porrigitur: adeo vt non minus ridiculū sit vteri ceruicis longitudinem vel latitudinem, q̄ penis describere. Quin etiam vteri ceruix ꝓ mulieris libidine turgidior, angustiorq; & directior: preterquam ꝙ aliis sit natura strictior, efficitur. Præterea vterus in eū modum a peritonæo ligatus pendet, vt ipsius fundum sursum & deorsum plus minus in coitu sese ducere, & ad penis sumum tanquam animal quoddā, *vt Plato dicebat*, dehiscere queat. Quanquam vetulis, & iis quæ sæpius pepererunt, aut rudius ab obstetricibus in secundarum euulsione sunt tractatæ, fundi os in pudendū quasi dependet, ac proinde breuissima implexaq; in illis ceruix videtur. Quod vero puellis vteri fundum minus sit, quam illis, quæ iam diu coierunt, aut aliquando vterum gesserunt, omnibus est in confesso anatomicis. Atque hactenus de vteri magnitudine, quæ in non prægnantibus frequenter tanta est, quantam Vesalius noster *in figura 27. lib. 5. suæ anatomes expressit.* ¶ Ceterum vteri fundi non prægnantium substantia neruea membraneaque exsistit, sed crassa admodum, compactaque, neq; nimium pura, & nō ad amussim, vt cetera neruosa, candicans, sed carneum aliquid præ se ferens. Hæc vteri substantia æqualis duritia, continuaque passim est, nisi fortassis ad fundi foramen paulo durior collectiorque euadat. Ac proinde commoda ipsius functioni constat substantia, quæ affatim scilicet contrahi colligique quum nihil complectitur possit, & rursus pro contenti augmento sensim in miram

Margin notes: Vteri cornua. — Magnitudo vteri. — Vteri fundi substantia.
Margin letters: B, C, D, E, F

A in miram magnitudinem & amplitudinem distendi. In exteriorem huius substantiæ superficiem venæ obscuræ, gracilesque, sed admodum frequentes integro adhuc vtero excurrunt, quæ inter internam, externamq; vteri tunicam porriguntur. Sunt enim duæ vteri tunicæ, exterior vna, quam a peritonæo validam & crassam, vt sit propriæ ipsius tunicæ veluti inuolucrum, & tutissimum propugnaculum obtinet. Hæc oritura membranis vasa vterum accedentia continentibus, vterumque peritonæo committentibus. A peritonæo enim qua vasa ipsi connascuntur quæ a maxima vasorum distributione supra os sacrum facta, versus crura tendunt, ipsius peritonæi partes processusue enascuntur, qui sunt instar duarum tenuium membranarum in ipsarum medio venas & arterias deducentium, & multo adipe oppletarum. Tales sane membranæ a perito- *Vteri tunicæ. Externa.*
B næo vtrinque procedentes, toti ceruicis & fundi vteri lateribus ad eum modum committuntur, quo mesenterium intestinis tertiam obducit tunicam. Hæ itaque peritonæi membranæ vtrobique vterum accedentes, in secundam ipsius tunicam degenerant, longe crassiorem ea quam mesenterium intestinis offert: quod scilicet quatuor peritonæi portiones, vtrinque nimirum duæ, eam efforment, quam intestinorum tertiam tunicam duæ tantum membranæ constituant. ¶ Interna fundi vteri tunica ipsi peculiaris ac propria est, neque a peritonæo pendet, & eam quam iam narrauimus vteri substantiam constituit. Hæc in non prægnanti vtero crassitie omnes reliquorum corporis organorum tunicas vincit. Ipsa tamen omni ex parte non pariter crassa visitur. Vbi enim fundi efformat os, crassissima est, & paulo quam alibi compa- *Interna.*
C ctior. Deinde etiam in media sede superioris fundi partis crassa quoque admodum est, & in ipsum quasi sinum extuberans. Qua vero vterus in obtusos angulos desinit, semenque suscipientia vasa excipit, hæc tunica tenuior minusque spissa secantibus occurrit. In lateribus autem & anteriori ac posteriori sede pariter crassa visitur, adeoque compacta, vt nihil præter ipsius substantiam citra fibrarum quibus abundat, distinctionem intueri liceat. Hæc itaque interna vteri humani tunica simplex, & minime gemina, vt quidam falso putant, exsistit. Quod vero vnica eademque crassa contentus fuerit peculiari tunica, neque duas cum ventriculo, carnosam videlicet vnam & neruosam alteram obtinuerit, ideo factum est, quod contineret tantum vterus complectique debeat, non autem ventriculi modo præter hæc aliud quippiam a proprio nutrimento
D concoquere & elaborare. Quod vero in libello, *de vteri dissectione* Galenus & alii hanc tunicam geminam & venosam esse tradunt, in dextris vnam, & in sinistris aliam, quasi vtriusque manus concaua simul ex opposito iungeres, ac singulas manus singulas esse tunicas fingeres, idipsum de vaccino vtero vere dicitur. Hæc enim non vnica, sed gemina vtriusq; scilicet partis vna peculiaris, ita nimirum ac si indicem cum medio sibi iunctum conspiceres, aut duorum cornuum radices internis lateribus inuicem committeres. Porro interior vteri tunica tanto tenuior rariorque, & magis neruea visitur, quanto magis vterus ipse in magnitudinem promouit. Triplici autem fibrarum genere intertexitur, ac rectas quidem intimas habet, sed eas non ita numerosas. Extimas orbiculares transuersasue obtinet, rectorum copiam vtcunque vincentes. At medias, quæ obliquæ
E sunt, possidet plurimas, easdemq; robustissimas. Rectas autem ideo intimas habet, quod ante omnia semen allicere debeat: easdem quoque paucas possidet, quod ocyus semen illi placens, ac fluidum aptoque membro porrectum in illum labatur. Obliquas vero plurimas, easdemque rectis ordine succedentes obtinet, quod id quod conceptum est diutissime retinẽdum sit. Transuersas autem extimas nanciscitur, quod illas vterus tum primum maxime requirit, quum fœtum diu satis amplexum in lucem est editurus. Ceruicis vteri substantia aliquid commune cum penis substantia possidet. Quemadmodum enim illa inuolucro inter neruum carnemq; substantia medio conformatur, fungosaque & spongiosa substantia oppletur: sic quoq; & ceruix vteri carnea nerueaq; constituitur tunica, eiusmodi etiã substantiæ fungosæ nonnihil possidente. Atq; huius sub- *Ceruicis vteri substantia.*
F stãtiæ beneficio vteri ceruix penis modo muliere Venerẽ appetẽte extuberat, pudẽdiq; ipsius colliculi, quas alas alii nominãt, ac cuticulares illius carũculæ extra ceruicis initiũ ne vterus frigore afficiatur prominent, ceruicisq; amplitudo penẽ amplexura arctatur, & quod ad rectam virilis seminis eiaculationem sat est dirigitur. Præterea ceruix in puellari ætate delicatior molliorque est, contra in prouectioribus, & iis quæ frequentius *Colliculi seu alæ vteri ceruicis.*

pepererũt, callosior temporis successu redditur, *vt etiam, quemadmodum Gal. quoq; in libello, de vteri dissect. testatur,* cartilagini asperæque arteriæ illa in vetulis subinde assimiletur. Atque insigni prouidentia in vteri ceruicis substantia efformanda natura vsa est. Nam vt ea dirigi distendique ad seminis susceptionem facile posset, & rursus ne vterus refrigeraretur, locusq; seu amplitudo frustra inanis seruaretur, colligi & cõuolutim occludi, queat, ita exstructa est. ¶ Porro mulierũ testes vteri accumbũt lateribus, paulo quidem elatius quam fundi superior pars consistit. Innituntur autem peritonæo ea parte, qua ilium ossa sacro committuntur, omnino laxi, neque aliter quam seminalium vasorum beneficio peritonæo connexi. Hi virorum testibus minores multo sunt, forma autem oblongiores, & secundum latitudinem minus rotundi, & quasi latiores quam spissiores effici deberent, anterius posteriusque depressi. ¶ Externa superficies inæqualis, ac haud secus quam multæ eædemque exiguæ vna colligarentur glandulæ, multis inæqualibus tuberculis oppleta videtur. Substantia non constant, vt virorum testes, molli, ac innato sibi humido, læui, continua & æquali: verum duriori, mesenteriique & inferioris omenti membranæ glandoso corpori non absimili, & præter exiguos venarum ac arteriarum in ipsa consistentes plexus, sinuosa cauaque. Habent enim mulierum testes intus præter vasa sinus quosdam tenui aqueoque humore plenos qui prius non læso teste, sed vi compresso, ac inflatæ vesicæ modo crepante, in miram altitudinem inter dissecandum nõ secus quam ex scaturigine quapiam exsilire solet. Huiusmodi sinibus nulla peculiaris est forma: inæqualis enim, vt exterior ipsorum testium substantia sunt, & non vnus, sed plures, neque illi semper iidem visuntur. ¶ Hæc testium substantia membraneo inuolucro vndiquaque circumdatur, quod ipsi validissime adnascitur. Et hoc quidem durum est, sed tenue & longe illi inuolucro quod virorum testes proxime ambit, duritia & crassitie cedens, neque adeo promte a testium substantia inter dissecandum separabile, & sui testis substantiæ magis participans. Præsens inuolucrum mulieribus eundem quem viris vsum pręstat. Seminariis enim vasis excipiendis aptum est, testiumque continet substantiam. Præter hanc tunicam mulierum testes nullum habent inuolucrum, nisi quod in ambitu peritonæi membranei processus seminaria vasa continentes, & vespertilionum alis longe similimi, testium mediam duntaxat partem integunt, non autem vt exterior virilis testis tunica, prorsus induunt. ¶ Seminaria vasa mulieribus similiter ac viris duæ sunt arteriæ, & totidem venæ, parem omnino cum virorum vasis ortum sortitæ, at progressu distributionisque serie differentes. Dextra enim vena & arteria, quemadmodum & alterius lateris vasa a primo ipsarum ortu dextrorsum peritonæo, vt in viris, firmata ad sui lateris testem descendunt, ac quum primum arteria venæ committitur, ambæ inuicem, vt virorum vasa postquam aliquousque e magna peritonæi amplitudine exciderunt, implicari inuoluique incipiunt: non quidem vniuersum ipsorum corpus in implicationem absumentes, verum mediam sui partem vena & arteria in superiorem sui lateris fundi partem deriuant, multiplici sobole in vteri fundum excurrentem. ¶ Quod vero ex implicationis initio reliquum est, paulatim magis magisque, vt in viris, inuoluitur, varicosumque illud corpus efformatur, sua basi elatiori testis parti adnatum, & similiter atque in viris testis ramos in substantiam, & illum ambiens inuolucrum diffundens. Dein vas semen deferens secundum testis corpus, vt in viris babet: quanquam magis testi orbiculatim, quam in posteriori solum sede aduoluitur. Ab interna enim sede varicosi corporis incipiens, externo testis lateri, & deinde inferiori ipsius parti, & nonnihil interno quoque lateri adnascitur, haudquaquam tot inuolutionibus, qua testi adnascitur, ac virile vas donatum. ¶ Porro a teste nonnihil sursum ascendens, & testi non amplius adnatum, reuolutiones eas instar vermis æqualiter procedentes amittit, ac teres planumque instar nerui in vterum errabundo ductu fertur, in mediam cornu dextri sedem insertum. Porro hæc vasa pinguibus membranis a peritonæo pronatis suffulta tuto porriguntur. Atq; hic vasorum seminalium in mulieribus ortus & ductus, ipsaque testium substantia & conformatio ac sectio mulieres habere semen liquido docent, vtcunq; temere Aristot. refragetur. Verum id humidius & frigidius, quod testes ipsis & minores sint, & mediam duntaxat venæ arteriæq; seminalium portionem asciscant. ¶ Ceterum præter venas & arterias a seminalibus natas vasis magnas & conspicuas frequentesque vterum intertexentes, & ad internam ipsius superficiem

Margin notes: A; B; Datron & epidymida intelligit.; C; Seminaria vasa in mulieribus eiusmodi.; D; E; Mulieres semen habent.; F; Vteri venæ & arteria.

perficiem

A perficiem in prægnantibus, vsque ad secundas dilucide procedentes: aliæ multo insigniores a caua & arteria magna post illarum supra sacri ossis initium diuisionem accedunt. Postquam enim ea vasa primum in duos insignes truncos diuiduntur, & hi rursus singuli in duos insignes, sed amplitudine impares ramos dissecti sunt, vnũ quidem, qui maior est, ac per inguina crus accedit, alterum vero humiliorem minoremque, cuius finis per pubis ossis foramen elabitur, vteri venæ & arteriæ oriuntur, a minoribus humilioribusq; secundæ illius diuisionis pronatæ. ¶ Rami itaq; in dextro consistentes, vt qui in sinistro sunt quoq; insignem porrigũt propaginem: vena quidem venam, arteria aũt arteriam, quæ simul accumbentes, dextrum vteri latus prope fundi os accedunt, vbi in multas scissæ soboles, quasdam sursum in humiliorem fundi sedem exporrigunt, quasdam per vteri ceruicem deorsum digerunt. Quæ vteri fundum accedunt, non prægnantibus quodammodo graciliores & pauciores apparent, quam quæ ceruici & potissimum iuxta fundi os implicantur. ¶ Porro ora & fines venarum & arteriarum Gal. *lib. 1. de semine & 5. aphoris. com. 45.* teste ad vterum venientium, per quos singulis mensibus superuacuus sanguis a toto corpore in vterum deriuatur, & ex vtero in secundam pertinentium, Græcis κοτυληδόνες, Latinis *acetabula* nominantur. Sic dicta vero Galeno in *lib. de vte. dis. teste*, sunt, quod in prægnantibus hæc vasorum ora turgida sint, & eminentias ad acetabulorum similitudinem habeant, quales in sede hæmorrhoides, e quibus paulo post profluxurus est sanguis, obtinent. In vaccis autem, ouibus, & capris verius, quam homine, acetabulum seu sinum foliorum herbæ acetabuli exprimunt. Hinc est, quemadmodum Galen. *ad finem lib. de vter. dis.* scribit, quod nonnulli vterum humanum cotyledones habere negauerint. Prædictis autem venis, quas in fundum vteri & ceruicem pertinere diximus, vterus, & quando concepit mulier iis, quę fundo peculiares sunt, fœtus quoque enutritur. Mulierum quoque menstruæ purgationes ex iis, quæ vterum petunt, venis vacuantur. Vna cum præsentibus vteri venis & arteriis ab ossis sacri neruorum paribus vtrinq; etiam nerui deducuntur, tenuibus surculis potissimum in vteri ceruicem, & circa humiliorem fundi sedem excurrentes, vesicæq; ramos promentes. Ad elatiorem porro fundi regionem subinde neruuli perquam graciles diffundũtur a sexti neruorum cerebri paris ramis deducti, qui costarum radicibus exporriguntur. Atq; vt hi neruuli prætenues albicantesq; sunt, & pinguibus membranis suffulciuntur, ita quoque inter dissecandum difficulter occurrunt. ¶ Vtero autem, & potissimum ipsius ceruici, vt exactiori sensu donarentur, nerui illi frequentes inserti sunt. Nũc tandem superest, vt quas partes tangat solum, & quibus alligetur & adnascatur, exponamus. Anterior itaq; posteriorq; & superior fundi vteri regiones nullis, quas contingunt, partibus adnascuntur. Tangere autem quam connasci ideo satius fuit. Si enim vteri fundum non prægnantibus incumbenti illi vesicæ, & quod ei subiacet recto intestino connasceretur, neq; laxis illis, sed duris vinculis, quibus accumbit, partibus, alligaretur, non posset tunc vna cum fœtu cõmode distendi, nec in partu deorsum repere. Latera vero connascuntur membranis vasa deducentibus, & vterum peritonæo valide colligantibus, exterioremq; vteri tunicam producentibus, ac demum carneis illis fibris intertextis, quæ duos efformant musculos, quorum beneficio voluntario motu nonnihil sursum, dum mulieres ilia trahunt, & quasi colligunt, allicitur, quique adeo oblique prorepunt, & qua vterũ accedũt, adeo crassescunt, vt cornua vteri illos musculos esse aliquis existimare posset, præsertim quod obtusi muliebris vteri anguli cornuum, vt dictum est, imagini non accedunt. Ceruix porro vteri ex lateribus membranis quoque & vasis ipsi exporrectis adnascitur, & illorum interuentu peritonæo laxe connectitur. Posteriori parte per mediam longitudinem, qua fundo propinquior est, recto intestino ita innititur, vt accumbentes inuicem intestinorum gyros mutuo allocari cernimus. Verum ad ceruicis in pudenda finẽ, illa podici firmissime connascitur. Rursus ceruix anteriori sede elatius quidem ad fundi os innitentem duntaxat habet vesicam, sed paulo inferius fibris quibusdam humilimã vesicæ partẽ, & ipsius ceruicẽ adnatam possidet. Vbi aũt hæc illi inserit, velut cõe vtriusq; corpus & tunica efficitur. Ceterũ in fine, qua ceruix in pudendũ desinit, cõe vtriusq; ceruicis scil. & cutis, vt in labris & podice, corpus constituitur. Hęc cutis præterquã φ pilosa euadat, ipsi duriuscula substernit pinguedo in vetulis vna cũ mammillis flaccescẽs, neq; ita belle pudẽdi colliculos aliasue vt in iunioríb. sustinẽs. Sũt præ-

Vteri venæ & arteriæ.

Acetabula.

Nerui.

Quibus partibus vterus adnascatur, quas solũ tangit.

Vteri musculi.

Prominulæ in ceruicis ore carũculæ. Νυμφαί.

terea primi in pudendo muliebri implexus & vtrinq; vna prominens cuticularis caruncula, longa quidem & tenuis, & ex longa basi in mucronem desinens. Has νυμφὰς Græcis vocari diximus. Hæ carunculæ in nonnullis mulieribus ad tantam molem perueniunt, vt deformitatem inducant, & a vestimentis attritæ ad libidinem irritent, & Veneris ardorem excitent. Vt vero vteri conuoluto & inflexus, ne ille frigore afficiatur plurimum auxilii præstat: ita quoque conniuentes pudendi colliculi, & illæ cuticulares carunculæ ceruicis opplentes initium, eidem vsui, vt dictum est, accommodatæ sunt. A

De inuolucris seu tunicis fœtum in vtero tegentibus. CAP. IV.

FOetum, qui ex vtriusque, fœminæ nimirum, & maris, semine, vt *copiose admodum in libro de sem. 2. Galenus ostendit*, generatur, tres tunicæ seu membranæ inuoluunt. Quas sane natura, quoad eius fieri potuit, vnire voluit, vt quod roboris cuique priuatim a seipsa deerat, id omnes a sese mutuo adipiscerentur. B

Prima.

Prima autem fœtus tunica, & extima, fœtum, non eo modo obuoluit, quo nucleum a suo putamine obduci integique cernimus, aut quo reliquas duas fœtum ambire dicemus: sed hunc duntaxat circulorum vasa contingentium modo cingit. Haud quaquam enim superiorem, vti neque etiam inferiorem fœtus partem contingit, sed tantum ita se habet, ac si quis a mucronata pectoris ossis cartilagine ad elatissimam vsque ilium ossium sedem fascia impense laxa cingeretur.

Latitudo.

Tunicæ enim huius latitudo ex fœtus proportione tanta dũtaxat est, quanta longitudo a fœtus ilium ossium elatissima sede ad mucronatam vsque cartilaginem pertingit, tantum abest vt fœtum vesicæ alicuius, aut ipsius vteri modo amplexetur.

Amplitudo.

¶ Porro membranæ amplitudo tanta est, quanta summa interioris vteri superficiei extensio. C Hęc n. externa superficie vtero vndique contigua est, & adnascitur quoq;. Dein exacte consistit ad fœtus mediam regionem, si modo fœtum ita iacentem subaudias, quemadmodum conuolutus implexusue in vtero secantibus occurrit.

Crassities.

Ceterum ipsius crassities nequaquam membranæ modo tenuis est, sed quum fœtus ab vtero paulo post resoluendus est, vteri tunicarum crassitiem longe superat, & pollicis etiam crassitiem facile æquat.

Substantia.

¶ Præterea substantia non constituitur membranea, verum peculiari, & cui in vniuerso corpore alteram non reperias similem, nisi fortassis lienis substantiæ assimilare velis. Est enim huius tunicæ substantia lienis modo nigricans, friabilis, fungosa & frequentissima vasorum serie implicita. Quippe omnes venæ & arteriæ ab vtero fœtum petentes, in hanc duntaxat tunicam pertingunt, neque vndiq, in fœtus ambitu D in aliquam vniuersum fœtum inuoluentem membranam finiunt, sed in hanc quã Græci χορίον, Latini *Secundam*, barbari *Secundinam*, nonnulli etiam *loculos* appellant. Non est itaque extima hæc tunica seu secunda nisi multarum venarum & arteriarum quidam plexus, interualla membrana obducta obtinens. Quippe vasa vterum implicantia suis osculis in hanc tunicam, quam lato crassoque circulo recte contuleris, pertingunt aperiunturq;, & ex singulis vasorum oris noua procreantur vasa tot numero, quot vasorum ora tunicam hanc contingunt. Atq; a venarum quidem oris venæ procreantur, ab arteriarum autem arteriæ: quæ quidem per huius tunicæ substantiam varie admodum implicitæ, tandem inuicem colliguntur, venæ quidem in venas, arteriæ autem in arterias, & tantisper grandiores pauciores que rami ita collecti in maiores adhuc coeunt, donec E demum vniuersæ venæ in duos colligantur venarum caudices, & arteriæ item omnes in duos arteriarum caudices. Venę autem & arteriæ ad hunc modum ex secunda collectę, reliquas duas fœtum inuoluentes tunicas, de quibus mox dicemus, penetrant ad vmbilicum vsque, *Galeno lib. 15. de vsu par. & de vteri dissect. teste*, prorepunt.

Vmbilici venæ ductus.

¶ Quum autem ad vmbilicum vsq; venæ prorepsere, mox in vnam coeunt venam, imo subinde etiam vna tantum visitur vena simulatq; a secunda abscedit. Hæc vmbilicum ingressa peritonæo adnectitur, & sursum conscendens patulæ iecoris scissuræ inseritur, qua dextrum mucronatæ cartilaginis latus, in anteriori iecoris sede hominibus, quibus id priuatim contigit, habetur, & foraminis cuiusdam aut meatus modo hanc vmbilici assumit venam, eamq; per iecoris substantiam versus cauam iecoris sedem deducit, non procul a portæ F venæ caudicis exortu. Arteriæ autem vmbilico insertæ deorsum ad vesicæ fundi latera porrectæ, ramis magnæ arteriæ post præcipuam supra os sacrum arteriæ diuisionem continuantur.

Arteriarũ ductus.

Arteriæ enim vmbilicum ingredientes, illis magnæ arteriæ propaginibus vniuntur, quas per pubis ossium foramina in crus descendere sequenti libro docebimus.

A bimus. Vmbilici venæ beneficio fœtus nutritur, arteriarum vero munere ipsius insitus calor reficitur, & spiritus vitalis illi distribuitur. ¶ Ceterum quando infans nascitur, hæc vasa simul cum meatu, quo ex vesica inter intimam & secundam, *vt paulo post latius dicemus*, fœtus tunicam, illius vrina effertur, ab obstetricibus iuxta ventrem præscinduntur. Bruta vero animantia dentibus abrumpunt, inuolucra fœtus plerunque deglutientia. Quod horum vasorum in corpore adhuc reliquum est, temporis successu exarescit. membraneamque prorsus redditu um, & multa adipe obductum, instar funis suam cauitatem deperdit. ¶ Hæc itaque extima fœtus tunica aliud nihil est, vt diximus, quam plexus quidam & textum, in quod vteri vasa pertingunt, implicanturque, ea potissimum caussa, ne tot vasa fœtum subirent, quod ab vtero in tunicam hanc pertingunt, B sed vt huius tunicæ beneficio collecta in pauca redigerentur: quæ per fœtus vmbilicum ducta, tunica tantum sede eademque tuta fœtum perforant. Exterior huius tunicæ superficies vniuersa interna vteri superficiei adnascitur, proximaq; est: interior autẽ ipsius superficies adhuc pertinacius obnascitur secundæ fœtus tunicæ, quam nunc describemus. *Secunda* itaq; fœtus tunica a farciminis figura eleganter admodum ἀλλαντοειδὴς veteribus est appellata. Quum enim inter dissecandam extima tunica ab vtero diuulsa est, aterq; & nigricans subuiridisq; sanguis ab illa profluxit, nullaq; alia fœtus tunica effracta, fœtus ab vtero eximitur, is vna cum suis tunicis farciminis alicuius non quidem oblongi, & quod ex tenuibus formatur intestinis, sed breuis, & ex crassiorib. intestinis formati, supraq; & infra consuti, non autem laqueo tantum intercepti, imaginem exprimit. C ¶ *Secunda* namq; tunica intestino respõdet, fœtus autem & omnia quæ hæc tunica amplectitur, intestino in fartorum rationem obtinent. Est n. secunda hæc tunica exacta membrana, venulis quibusdam & arteriis intertexta. Externa ipsius superficies tãta amplitudine, quãta est extima fœtus tunica, pertinacissime illi connascitur, & venulas suas arteriolasq; ab extima fœtus tunica, vt dictum est, assumit. Nullum enim vas immediate ab vtero in hãc membranam pertingit, etiamsi externa ipsius superficies reliqua, quę extimæ non connascitur tunicæ, vterum, contingat, non tamen connascitur. Nullibi enim secunda hæc tunica vtero, nisi extimæ tunicæ interuentu nectitur, interior huius superficies ad amussim læuis est & humecta, neq; alteri parti cõnascitur, nisi puncto quodam, vt sic dicam, intimæ seu tertię fœtus tunicæ. Atq; is connexus vmbilici vasorum ab D extima tunica per secundam & tertiam ad vmbilicũ tendentium fit interuentu. In reliqua enim amplitudine secunda hæc tunica tertiæ nusquam adnascitur, & inter secundam hanc & tertiam tunicã vrina colligitur. A suprema enim fœtus vesicæ fundi regione meatus quidam sursum per vmbilicum in cauitatem pertinet, quæ inter secundam & tertiam consistit tunicam. Is sane meatus fœtus vrinam in illam amplitudinem defert, hincq; Græcis οὐραχὸς est appellatus, vt certe vmbilicus non sit, nisi quatuor prædicta vasa, quæ in medio vrachum habent. ¶ Mira vero industria in hoc a natura formatus est, vt fœtus vrinam per vesicę ceruicem reddens, illam corpori suo proximam tantisper, dum nasceretur, asseruaret, & eius acrimonia mordacitateq; mollis illa ac tenerula cutis erodatur vlcereturue: sed vt vrina procul a fœtus cute eius vrinarii meatus beneficio, E inter secundam & tertiam tunicam deduceretur, & vt statim de fœtus quoque sudore dicemus, partus promtitudinem dum paulo ante egredientem fœtum profluit, & vteri ceruicem humectando emollit ampliatq; plurimum iuuet. ¶ *Tertia* fœtus tunica forma prorsus secundæ tunicæ respondet, sed minus est ampla, & longe tenuior, hinc etiam, a mollitie & teneritudine agnellorum nomine deducto, ἀμνίος Græcis dicta est. Tenuissima itaq; hæc membrana est alba, quemadmodum & secunda tunica, & venulis pariter ac arteriis implicita, fœtui proxime & vndecunque obducta. Huius exterior superficies prorsus læuis & humecta est, neque vlli penitus parti adnascitur, nisi venarum arteriarumque vmbilicum petentium interuentu. Hæ enim quum ab extima tunica per secundam & tertiam vmbilicum adeunt, secundam primæ committunt. Interior quo- F que tertiæ tunicę superficies læuis quoque & humecta est, fœtui nusquam, nisi ad vmbilicum, vasorum vmbilici beneficio connexu. Inter hanc autem & fœtus cutẽ sudor copiosus continetur, qui fœtus est recremẽtum, ac ante partum non minus q̃ fœtus vrina profluens ceruicem vteri rigando, fœtui faciliorẽ parat exitũ. Deinde fœtus cuti subflaua quædã & lutosa obducit substantia eius concoctionis, vt putamus, q̃ in singularũ par-

Vsus.

Vsus.

Nam & ἄλλας farcimen erat quod ex carne & farina subacta, incrassius intest nũ coniecta fiebat. Vt hodie quum sanguis cum adipe in crassiora conijcitur intestina.

Vrachus. Vmbilicus quid.

Tertia fœtus tunica. ἀμνίος.

tium enutritione fit, recrementum. Venæ & arteriæ hanc tunicam implicantes ab vmbilici vasis, quum illam permeant: principium mutuantur: quæ etsi sunt longæ, gracilimæ ac tenues, tamen inter dissecandum promte occurrunt, quod hæc membrana præ ceteris corporis membranis tenuissima sit, & omnis prorsus adipis expers. Atque hæc de fœtus tunicis nos dixisse satis sit. A

De mammillis. CAP. V.

QVanquam mammillæ peritonæo nulla ex parte amplexentur, tamẽ quum fœtum, vbi is in lucem prodiit, alant, atque hoc nomine in instrumentorum generationi subseruientium numerum veniant: hoc quoque loco ipsarum historiam oportune prosequemur. Mammillarum itaque, quæ Græcis τιτθοὶ & μασοὶ dicuntur, situs nulli non conspicuus est. Quippe super pectus ad ossis pectoris latera locantur, parti inferiori brachium pectori admouentis musculi superstratæ. Vt autem hæ figura variant, sic quoque parem non semper sedem occupant. Ampliores enim mammillæ latiori firmantur basi, propendulæ vero ac flaccidæ a naturali loco declinant. Quibusdam enim mulieribus vicinius pectoris medium inuicem accedunt, quibusdam autem, quod pulcerrimum ducitur, inuicem recedunt, thoracisque lateribus magis appropinquant. Forma illis pene propria semiglobum refert, quippe exterius rotundæ gibbæq; sunt, vt scilicet iniuriis minus sint obnoxiæ, papillam quæ Græcis θήλη nominatur, instar processus obtinentes: intus vero seu posterius, qua pectus spectant, leuiter admodum sinuantur, secundum pectoris gibbum planæ, & amplæ basi, vt scilicet firma nitantur sede, commissæ. ¶ Porro substantia earum glandulosa est, multo adipe abundans, & venis paucisque admodum arteriis & neruis intertexta, vt in venis adductum sanguinem in lac familiare fœtus, vt paulo post latius dicemus, alimentum conuertere queat. In glandularum autem forma, substantia, multitudine & situ magna singulis temporibus est differentia. Viris namque nullæ, & perquam paucissimæ, eædemq; aridæ sunt glandulæ, vti etiam admodum puellis. Aliis vero frequentes extuberantesque adsunt duritia, & mollitie ac forma variantes. Iuuenculæ enim, quibus iam in mollem attolluntur mammillæ, generationique aptæ fiunt, harum glandularum habent copiam, sed inuicem compactarum & durarum, nulloq; lacteo humore oppletarum. Ceterum mulieribus ad papillæ centrum vna magnaque & mammillæ modo effigiata habetur glans, cui aliæ frequentes, sed paruæ, & amygdalis a cortice liberatis similes in circuitu accumbunt, duriori adipe & venarum & fibrarũ ex carnea membrana in cutem pertinẽtium interuentu mutuo commissæ connatæque. ¶ Porro cutis mammillis obducta, reliquæ thoracis cuti congruit. Mammillæ enim substantiæ, vt reliquo adipi, connascitur, pariterque inibi crassa est. At vbi orbiculatim ad papillam nigricat, circulumq; constituit, qui φῶς Græcis appellatur, pertinacius maxime in mammilla glandi connascitur, velut plurium neruorum, & tenuium instar fibrarum albicantium interuentu. Quinetiam cutis hic interdum tenuior quam alibi euadit, fungosum quippiam, vt & *Papilla* adipiscens. Huius namque substantia penis substantiæ accedit, hoc est, nerueę quodammodo cuti intus spongiosa substantia oppleta, quæ dirigi ac vicissim laxari non minus quam penis apta, & pari sensu prædita est, vt nimirum tenerulo & nondum dentato fœtus ori papillam lubentius mater titillandam pruriendamque inderet, & sugendam offerret. Obscuri illi tenuesque nerui ac prorsus fibræ modo albicantes in papillam pertinentes meatus venarum surculi sunt, multiplici serie inter glandulas excurrentes. ¶ Porro venæ mammillis exporrectæ, a triplici plurimum pendent radice. Axillaris enim vena thoracis amplitudinem egressa, ramum insignem, in musculos pectori superstratos, & pectoris cutem ipsamque demum mammillam, vt *libr. 3 cap. 15. dictum est*, depromit. Quæ etiam elatiorem scapulæ sedem, & summum humerum implicant venæ, deorsum in plerisq; mulieribus ante sectionem conspicuos surculos in mammillæ cutem ipsamque mammillam deriuant. Apparent enim crebro mammillarum cutis venæ in multis mulieribus, iis pręsertim, quę lactarũt, insignes, subuirides, & errabundo ductu, vt in sura, tortuosæ incidentes. Venæ autem mammillarum a tertia radice principium ducentes, non perinde in cutem atque priores, sed in mammillarum substantiam penitus excurrunt, arteriis cõcomitatæ perquam gracilibus. Atque hæ præcipuæ sunt venæ in mammillarum constructione animaduertendæ, quandoquidem harum interuentu vterus cum mammillis consortii lege afficitur. Hę

Mammillarũ situs. τιτθοὶ. μασοὶ.

Forma.

Substantia.

Papillæ. φῶς.

Venarum mammillas petentium series.

B C D E F

A citur. Hæ namque mammillarum venæ & arteriæ, a iugulo, vt libro tertio capi. 17. docuimus, deorsum sub pectoris ossis lateribus prorepunt, atque thorace excidentes, super anteriorem peritonæi transuersorumq; abdominis musculorum sedem rectis musculis exporriguntur, horum posteriori sedi innatæ: frequentesque soboles, donec ad medium illorum longitudinis deuenerint, huc illuc vtrobique emittentes. ¶ Ceterum hæ iuxta vmbilici sedem alias venas, & item arterias sub rectis musculis sursum conscendentes operiuntur, atque cum illarum ramis ita implicantur, ac si vtriusque manus digitos inuicem insereres. Neutiquam enim osculis suis ita conniuent, ac si vtriusque manus digitorum apices e directo, non autem ex latere vna committeres. Hæc vasa sursum petentia a grandioribus cauæ & arteriæ truncis per inguina crus accessuris principium sumere, loco paulo ante citato commemorauimus. Quæ etsi ab eadem cum vterum petentibus venis radice non enascuntur, adeo tamen vtero vicina sunt, vt qui hic in vteri venis coaceruatur sanguis illis vasis excipiatur, sursumque feratur, aut suis osculis sanguinem a descendentibus sub pectoris osse vasis accipiant, & ad vteri venas & arterias diffundant. Hanc autem consortii legem quam venarum arteriarumque mutuus congressus ductusque efficiunt: Galenus copiose *lib. 14. de vsu par. cap. 8.* explicat, vt non sit opus hoc loco illam pluribus referre. ¶ Porro nerui semper iidem in mammillas pertingunt, ac sibi perpetuo similes sunt. Pendent autem ab illis qui subditis musculis exporriguntur, neque aliter hi in mammillarum quam reliquam thoracis cutem deriuantur, præter vnicum, qui subinde ex quinto costarum interuallo papillam adit, multosque illi surculos, vt *suo dicemus loco*, offert. Præcipuum vero mammillarum munus & officium in omnibus animantibus, quæ animal concipiunt, & in lucem edunt, est: vt tenero adhuc aciam nuper nato fœtui alimentum suppeditent, sanguinem ex vasis prædictis elaboratum accipientes, qui subinde longo & errabundo itineris anfractu in lac conuertitur. Lactis itaque, quod est alimentum exacte elaboratum, gratia primum mammillæ creatæ sunt. Dein vt cordis sedem operiant, eiusque veluti quædam propugnacula sint. Atque hoc potissimum nomine homini in pectore collocantur. Nam hic situs lactis generationi propter cordis calorem non est ineptus, & reciprocum quendam calorem cordi retribuit. Mammillæ enim lanei penicilli, aut vestis ritu a corde caloris officina prius excalefactæ calorem illum reprimendo reuerberant. Præterea cordis thoracisque continuus motus, cordisque calor ad lactis generationem plurimum conferunt. Non prætereundum autem hoc loco erit lac etiam nonnullis viris in mammillis generari, quod per suctum frequentiorem prodit. Hinc est, quod Alexander Benedictus *libr. 3. cap. 4. suæ anatomes* scribat, fuisse Syrum quendam, cui infans filius, mortua coniuge, supererat, qui vt vagientis filii famem depelleret, sæpius illi mammillas admouit, adeo vt frequenti suctu lacte tandem manarit papilla, quo subinde magna totius vrbis admirationis infans ille nutritus est. ¶ Papillam autem teneram & prominentem merito adeptæ sunt mammillæ, vt hanc angusto teneroque infantis osculo indutam, is confestim labiis molliusculis constringat, & inferiorem deducens maxillam, & buccas contrahens lac attrahat. Vt autem in suctu infantis papilla turgidior prociorq; quam alias redderetur, substantiam nacta est talem, quæ & laxari concidereque, & a suaui contactu intumescere, erigique posset. Atque hæc de mammillis dixisse sufficiat.

Vteri cum mammillis communionis ratio. — *Nerui mammillarum.* — *Mammillarum munus & vsus.* — *Viris nonnullis lac in mammis generatur.* — *Papillæ constructionis ratio.*

LIBER QVINTVS DE CORDIS STRVCTVRA, ET INSTRVMENTIS IPSIVS FVNCTIONI MINISTRANTIBVS.

Quomodo aer in respiratione digeratur, cordisque & ipsi administrantium partium functionis enumeratio. Cap. I.

F VVM præsens liber instrumenta aeream, quæ continuo defluit, substantiam restituentia, ac calorem innatum recreantia complectetur, non inepte primum quo pacto aeris in respiratione ductus perficiatur explicabimus. Neq; enim aereæ substantiæ commoderationem, vt *lib. 1. de tuen. sanit. cap. 1. testatur Galenus*, nisi respiratu & arteriarum motu tuemur. ¶ Aeris itaque per nares attracti copiosior portio in

fauces ducitur, hinc in laryngem, & dein per totam asperam arteriam in frequentes A ipsius per pulmonis substantiam propagatas soboles fertur. Postquam vero ab hac substantia emutatus, ac cordi quodammodo præparatus est, ab arteriæ venosæ surculis similiter pulmonis substantiæ intextis, ex asperæ arteriæ ramis elicitur, atque in sinistrum cordis ventriculum per arteriam venalem delatus, tenui feruidoque admodum, quem cor inibi continet, sanguini commiscetur. Huius aeris qualitate in hoc ventriculo contenti caloris qualitas ventilatur, substantia autem caloris, quæ aere & spirituosi sanguinis exhalatione constat, illius aeris substantia enutritur. Quod vero velut fuliginosum ex hac cordis propria peculiariq; functione congeritur, rursus per arteriam venalem in pulmonem ablegatur, atq; ab asperæ arteriæ propaginibus exceptum, vna cum reliquo aere, quam ex illis propaginibus arteriæ venalis germina tanquam cordi ineptum non B attraxerant, denuo per asperam arteriam, laryngem, & fauces, & nares educitur. Huiusmodi sane in naturali respiratione aeris ductus perficitur. In non naturali vero aer potissimum per os attrahitur efferturq;. ¶ Vocamus autem non naturalem respirationem, qua alterius quam temperatæ caloris innati qualitatis nomine vtimur, vt cum ea qualitas aliqua ex caussa in eum modum increuit, vt per nares adductus aer homini non sufficiat: aut quoties exsufflationem: sic autem vocant, vt *lib. 4. de laborantibus locis cap. 7. Galenus attestatur*, quum affatim spiritus foras per guttur effertur: vocem, eiusq; generis reliqua, ad quæ secundario respiratio famulatur, tentamus. Ab aeris substantia in sinistro cordis ventriculo sanguini ibidem contento permixta, vitalis spiritus conficitur, qui ex hoc ventriculo in magnam arteriam vna cum sanguine impetu ruente ac feruido diffusus, per vniuersum corpus secundum arteriæ seriem digeritur, & calorem singulis membris priuatim innatum reficit temperatque, quod ipsius diffusum est instaurans, haud secus sane atque membrorum substantia a sanguine per venas adducto restituitur. ¶ Quemadmodum vero respiratio & sanguinis ex dextro cordis vẽtriculo in sinistrum assumtio, cordi ad vitalis spiritus calorisq; natiui repositionem faciunt: sic materia a sinistro cordis vẽtriculo per arterias reliquo deducta corpori, aliarum partium spiritum & natiuum calorem recreat. Atque huius etiam rei gratia idem pulsus & respirationis vsus censetur. Quod enim ex respiratione vni præstatur cordi, id ex pulsu calori qui in toto est animali accedit. Nam vt natiuus in corde calor per immissum spiritum refrigeratur, per emissum vero expurgatur: ita in dilatatione arteriæ aer attrahitur, in submissione vero seu contractione fuliginosum excrementum expellitur. Proinde quod inspiratio materiei in sinistro cordis ventriculo repositæ præstat, id reliquis partibus in pulsu arteriarum dilatatio largitur. Exspiratio autem arteriarum contractioni respondet, quemadmodum copiosissime Galenus in *libello de vsu pulsuum* docet. Atqui quibus instrumentis hæc omnia perficiantur, iam ordine exponemus, a tunica costas succingente exordientes.

Respiratio nõ naturalis quæ. Exsufflatio. Vitalis spiritus generatio. C Pulsus & respirationis vsus. D

De tunica costas succingente. Cap. II.

Situs. Tunica siue membrana omnibus costis, præterquam duodecimæ a septi transuersi implantatione occupatæ, & toti pectoris ossi subtensa, thoracis vero vertebrarum corporibus, & superiori septi parti thoracis amplitudinem respicienti obducta, & totius E thoracis cauitati respondens, Græcis ὑπεζωκὼς, Latinis *Succingens*, vulgo *Pleura* nominatur. ¶ Pertingit parte ipsius posteriori a prima thoracis vertebra deorsum ad vndecimam, e cuius regione septi pars arteriam magnam transmittens consistit. Anteriori autem ipsius parte a iugulo ad humilimam pectoris ossis partem, cui septum innascitur, descendit. In lateribus vero a prima costa ad superiorem septi superficiem, quæ thoracis cauitatem respicit, fertur, hanc vniuersam, vt & reliquam thoracis amplitudinem sublinens. Hæc tunica perinde atque thoracis cauitas, figura admodum variat. Nam superiore parte, vt & thorax, angusta est, ac velut in acutum desinit. Inferiori vero parte latior, quam superiori exsistit. At in lateribus thoracis quoque latior, quam inferiori sede visitur. Deinde anteriori breuior est, posteriori autem multo longior pro obliqui situs septi ratione exsistit. A pectoris n. ossis mucrone ad vndecimam thoracis vertebrã F pertingit. Rursus anteriori parte, vt & in lateribus exterius, quemadmodum & thorax ipse, gibba visitur. At posteriori secundũ vniuersam longitudinẽ, velut ad amplitudinẽ ipsius internã impressionem peritonęi obtinet, atq; id ratione vertebrarum, & radicum

Nomina. Magnitudo. Figura.

costarum

A costarum. Vertebrarum namque corpora in thoracis prominent cauitatem, vt & costarum radices, quæ a vertebrarum corporibus retrorsum tantisper reflectuntur, donec denuo versus anteriora deorsum ꝓcedentes obliquentur. Interius omni ex parte læuis, & velut aqueo humore perfusa est, præterquã vbi membraneos quosdam processus exporrigit, ex quibus aut alias educit membranas, aut corpus aliquod sibi colligat. Nonnunquam etiam, sed raro admodum, non secus ac peritonæo, internæ huius tunicæ sedi adeps durior, idque præcipue, vbi vertebris propinquior est, quaque ipsius insigniores venæ porriguntur. ¶ Præterea modo in vno, modo in altero latere membraneas fibras pulmoni applantat, quibus illum sibi admodum pertinaciter adnectit. Quinetiam in hominibus priuatim qua septo obnascitur, cordis inuolucrum magna amplectitudi-

B ne ipsi coalescit continuaturque. Externa superficie quod vndique adiacentibus partibus adnascatur, aspera, inæqualisque, inuicem connexarum membranarum modo visitur. ¶ Præterea similia cum septo foramina adipiscitur. Qua enim septo obducitur, ternis foraminibus est peruium, vno quidem cauæ venæ caudici parato, secundo autem stomacho, tertio vero magnæ arteriæ, & venæ pari carentis fini. In iugulo amplo continuoque foramine non pertunditur, verum quæ eam inibi perreptant vasa pluribus foraminibus complectitur, ipsisque adnascitur, & tunicam aliam a propria illarum ipsis offert. Transmittit vero hic venæ cauæ, & arteriæ magnæ ramos, adhæc stomachum, asperam arteriam, sexti paris neruorum cerebri neruos, & septi transuersi etiam neruos. ¶ Postremo secundum posterioris ipsius sedis longitudinem vtrinque ordinata serie Tunicæ succingẽtis foramina.

C perforatur, venis ac arteriis costarum interualla petentibus viam præbens. ¶ Substantia constat membranea, dura scilic. tenui, alba, æquali, & robore nonnihil peritonæum superante, verum similiter ipsi quoque peritonæo huius substantia ad dorsum durior, quam iuxta pectus sentitur. Ipsius namque origo a vertebrarum ligamentis illarum corpora connectentibus potissimum pendet. ¶ Porro venis arteriis & neruis abundat. Pręter hanc costas succingentem tunicam singulis costis alia peculiaris obtigit, quę non est nisi membrana omnibus propemodum ossibus communis, quam quia os ambit, Græci περιόστεον nuncupant. ¶ Ceterum succingens membrana, quia amicum pulmonis ad costas contactum molitur, totius thoracis cauitatem velut vna superficie non asperam reddit. Deinde omnibus quæ thorax continet inuolucrum quoddam euasit. Hinc ab Substantia. Origo. Singulis costis peculiaris tunica. περιόστεον. Vsus.

D vsu, tunica, vestit enim munit ac firmat internas thoracis partes: a substantia vero membrana vocatur. Adhæc ipsa quoque, vt & peritonæum, iis omnibus quæ complectitur organis tunicas exporrigit, eademque firmata colligat. Denique septo transuerso tenui & robusto interim oportune facta, non inefficax robur adiungit, & in ipso, vt & in intercostalibus musculis membranæ musculorum ventrem ambientis vicem abunde gerit. Postremo septi neruis iter præbet, & eos velut in vagina reconditos ad septum deducit. ¶ Porro venæ, arteriæ, & nerui, quibus tunica committitur etiamsi ad ipsius nutritionem & sensum vsui sunt, non tamen huius gratia præcipue, sed vicinarũ partium illi adeo frequentes attenduntur. Vnde etiam ipsi & crebrior cum magna tensione, & punctili dolore Galeno *libro 6. aphor. com. 33. attestante* phlegmone oboritur, quæ *Pleuritis* Pleuritis.

E nominatur.

De membranis cauitatem thoracis intersepientibus. Cap. III.

Membranæ quæ thoracem in duas præcipuas amplitudines interdiuidunt & distinguunt, Græcis διαφράττοντες, Latinis *intersepientes*, vulgo *Mediastinum* nominantur. ¶ Habentur autem in thoracis medio vtrinque singulæ secundum ipsius longitudinem procedentes. A iugulo enim ad totam septi longitudinem pertingunt, & a tota pectoris ossis longitudine ad thoracis vsque vertebrarum corpora exporriguntur. ¶ Atque his etiam terminis membranarum amplitudo circumscribitur, quę triangulum quodãmodo ex inæqualibus & obliquis costis lateribusue conformatum refert. Vna enim costa, quæ & breuior est, a iugulo secundum pectoris ossis longitudinem ad eius mucro- Nomina. Numerus. Situs. Forma. Magnitudo.

F nem, & septi hic connexum fertur. ¶ Secunda vero hac longior, a iugulo secũdum dorsi ductum ad vndecimam vsque thoracis vertebram procedit. Tertia longitudine inter illas media, ab osse pectoris secundum septi longitudinem decliuis ad dorsum descendens, duas priores costas committit. Præsentes membranæ in mutua distantia & coitu plurimum variant. ¶ Secundum dorsi enim longitudinem, qua vertebris cõmittuntur,

Quo pacto interſepientes mēbranæ inuicē diſtent.

inuicem contiguæ ſunt, & quam minimam inter ſe cauitatem fibris membraneis oppletam efformant. Qua vero pectoris oſſi committuntur in homine inuicem neutiquam contiguæ ſunt, imo pro oſſis pectoris latitudine mutuo diſtant. Superiori enim parte, vbi id ampliſſimum eſt, ac clauiculas primamq; vtriuſque lateris coſtam ſuſtinet, membranæ etiam inuicem admodum abſcedunt, cauitatem nihilominus vniuerſam, quam inter ſe continent, fibroſis membraneiſque nexibus adimplentes. Vbi vero pectoris oſſi ſecundæ coſtæ cartilago coarticulatur, quemadmodum pectoris os hic arctius euaſit, ita quoque dextra membrana minus inibi a ſiniſtra remouetur. Hæc membranarum disiunctio, ſenſim ſecundum oſſis pectoris longitudinem deſcendens, vt os ipſum latius efficitur, ſic quoque & illa capacior reddita magis diducitur, ita ſane, vt tanta in homine hic membranarum conſurgat diſtantia, quanta vndique pectoris oſſis cernitur amplitudo. ¶ Ceterum qua membranæ ſepto tranſuerſo committuntur, omnium maxime inuicem abſcedunt, atque hic tantam efformant amplitudinem, quanta ſepti tranſuerſi membranei circuli eſt latitudo. Cauitas, quam ibidem membranæ efficiunt rarioribus membraneis fibris obſita, admodum ampla diſſecantibus occurrit, atque huius amplitudine baſis ad amuſſim correſpondet figuræ membranei circuli ipſius ſepti, quæ latior eſt qua pectus, quam qua dorſum reſpicit, latiſſima vero in medio exiſtit. Hæc cauitas in hominibus nihil prorſus præter cordis inuolucrum ipſumque cor & venam cauam, ſeptum penetrantem complectitur. Adeo vt inter has membranas cordis inuolucrum, ob idque & ipſum cor vna cum ſuis vaſis contineatur, deinde & venæ cauæ caudex, & innumeræ membranæ fibræ membranas has inuicem colligantes. ¶ His membranis in medio nulla, niſi id perquam raro, adnaſcitur pinguedo, exterius vero qua quæque ſuam thoracis reſpicit amplitudinem, multa ſæpe, ac præcipue in hominibus, adipe abundant adeo vt omento quibuſdam partibus ſimiles, & pinguiores ſæpe videantur. Præter pinguedinem ipſis adnaſcitur glandoſum corpus, vaſorum diſtributionibus in iugulo præfectum, *de quo abunde cap. 16. libr. 3. diximus.* ¶ Venis & arteriis abundant, ſed tenuibus, ac illis quæ per omenti membranas digeruntur perquam ſimilibus. Venæ quidem non a caua, vbi ſeptum permeat originem ducunt, ſed potiſſimum ab illis quæ deorſum a iugulo pectoris oſſi exporriguntur. Illæ enim venæ & arteriæ ſecundum harum membranarum ad pectus ductum deſcendentes, in progreſſu ſurculos diſpergunt ex anterioribus in poſteriora pertinentes. Deinde aliquot ſoboles his membranis a vena coniugis experte offeruntur. At præter has plerunque alia notatu dignæ craſſitudinis a iugulo ſecundum vtriuſque membranæ longitudinem deorſum ad ſeptum vſque deducitur, ſepti neruo concomitata. Septi enim tranſuerſi nerui in externa membranarum ſede ipſis adnati deorſum protenduntur, æquali fere interuallo a pectore & dorſo in progreſſu diſtantes. Atq; ii ſolum nerui cum vaſis & adipe externæ membranarum regioni, quæ pulmonem reſpicit, adnaſcuntur, & læuis quodammodo, & aqueo quaſi humore oblita viſitur: interdum etiam aliqua ex parte pulmonem adnatum poſſidens. Interna vero membranarum ſedes tum propter fibras membraneas, quibus inuicem membranæ committuntur, tum eas quibus validiſſime citra adipis interuentum cordis inuolucro adnaſcuntur, vtræque aſperæ ſunt. At ſi quæ iuxta ſeptum huius cauitatis regio fibris non obſidetur, ea quoque leuis ſimiliter & aqueo humore madens viſitur. ¶ Membranæ hæ tunica coſtas ſuccingente tenuiores aliquanto ſunt, ab hac ex omnibus ſedibus vbi ipſi membranæ illæ committuntur ortum ducentes. Sunt autem illæ ſedes, vt diximus, pectoris os, ſeptum tranſuerſum, & thoracis vertebræ, vnde potiſſimum hæ membranæ enaſcuntur. ¶ In hoc autem creatæ ſunt, vt cordis inuolucrum, ac proinde cor ipſum, ne deorſum ac retrorſum concidat, in ſua ſede continerent. Deinde ad vaſorum ſecuriorem ductum auxiliantur, & poſtremo ex vniuerſa thoracis amplitudine duas efficiunt cauitates, vt ſi forte magno vulnere in alterutram eius partem accepto reſpirationis munus eius partis perierit, altera cauitas adhuc illæſa & incolumis animali famuletur, & dimidium ſaltem actionis retineat, *vt copioſius libr. 6. de vſu par. cap. 3. Galenus* oſtendit.

Quæ interſepientiū membranarū ſubſtantiam ſubeant. Supra lib. 3. cap. 16. θυμὸς glandium dicitur. Venæ & arteriæ. Interſepientium mēbranarū ſuperficies & cōnexus. Ortus interſepientiū membranarū. Vſus earundem.

De aſpera arteria. Cap. III.

Nomina.

Fistula quæ a faucibus per collum ad pulmonem vſque protenditur, veteribus Græcis ſimpliciter, quod aerem contineat, ἀρτηρία primum appellata eſt. At tempo-

ris

A ris successu, quum & vasa vitalem spiritum sanguinemque impetu ruentem deducentia, & in venarum numero non amplius habita, arteriæ etiam nomine donarentur, hæ quidem *Læues arteriæ*, illa vero τραχεῖα, id est, *Aspera*, ab inæquali, qua constat substantia nūcupabātur. A nonnullis etiam *vt lib. 7. de vsu par. c. 3.* Galenus est testis, βρόγχος appellatur. Vnica non modo hominibus, verum & animantibus quæ pulmonem nanciscuntur omnibus obtigit, quæ longo ductu instar caudicis cuiusdam, ex faucibus deorsum protensa frequenti sobole in pulmonis substantiam digeritur. ¶ In faucibus enim, quę Gręcis φάρυγγες, *vt infra latius dicemus*, nuncupantur, duobus narium foraminibus in oris amplitudinem pertingentibus alia duo in humiliore faucium sede correspondent, quæ quidem non secundum latus, vt illa, mutuo contermina, sed vnum altero prius, cernun-

Læues arteriæ. *βρόγχος.* *Numerus.* *Situs.* *φάρυγγες.*

B tur. At horum quidem posterius stomachi gulæue & cibū & potum ex ore in ventriculum deducentis initium exsistit. Anterius vero asperæ arteriæ principium est, quæ hinc deorsum recta nusquam in latus declinans, secundum ceruicis longitudinem ad quartam vsque thoracis vertebram ducitur, tota posteriori sede substratam habens gulam, vertebrarum corporibus, primoque dorsum mouentium musculorum pari absque alterius organi interuentu innitentem. Vnde & aspera & arteria a vertebris tantum remouetur, quāta gulę, seu stomachi est crassities. ¶ Ceterum quū primum ad quartę thoracis vertebræ corpus arteria aspera descendit, in duos pares bipartita truncos, vnum dextris pulmonis lobis, alterum sinistris exporrigit, qui pulmonis substantia vndique amplexi, parem cum pulmone sedem occupant. ¶ Imaginem asperæ arteriæ vix vlli re-

C ctius, quam arbori assimilaueris, cuius caudex in duos primum ramos discissus est, & hi rursus in innumeras soboles diffusi. Huius namque arboris a radicum propaginibus liberatæ ex terra prodiens initium laryngi respondebit: totus autem caudex reliquæ asperæ arteriæ parti a larynge ad quartam vsque thoracis vertebram protensæ conueniet. Arboris vero rami eorundemque innumera soboles, arteriæ in pulmonem deductibus conferentur. Vt enim caudicis initium radices educens, varium neque pari vndique constans forma visitur, sic & larynx, asperæ arteriæ caput, vndique variam dissimilemque figuram obtinet. Superiori enim parte prout aut depressum aut erectum finxeris laryngis operculum, acuta aut depressa obtusaque erit. ¶ Anterior autem laryngis pars, & latera quoque, anteriorem scutiformis cartilaginis superficiem commonstrant, quæ

D secundum ipsius longitudinem in medio extuberat, illinc lateribus oblique in posteriora extrorsum procedens. Adhæc vt huius cartilaginis superior pars amplior longe inferiori in hominibus, secus quam in bobus, exsistit: ita etiam laryngis superior sedes hic latior inferiori cernitur. Imo humilima laryngis sedes, quæ secunda laryngis constituitur cartilagine, amplitudinem latitudinemue reliquæ asperæ arteriæ caudicis ductus adæquat. Posterior laryngis regio, ac præcipua huius regionis sedes quodammodo plana est, propter primæ cartilaginis quæ scuti imaginem refert, ad posteriora suis lateribus progressum. Alias enim hæc regio secundæ & tertiæ cartilaginum gratia, paulo minus tota teres esset, vti sane est humilima posterioris regionis sedes, haud aliter quam anterioris regionis humilior sedes, idque occasione secundæ cartilaginis humilius pri-

E ma procedentis. In posteriori sede, prout tertia cartilago in laryngis cauitatem contrahitur, aut extrorsum porrigitur, ita quoque elatiores ipsius apices in interiora exterioraue magis prominent, laryngis figuram immutantes. Ceterum reliquus asperæ arteriæ caudex ad ramorum vsque diuaricationem sibi similis est, non tamen absolutæ. ¶ Externa asperæ arteriæ superficies præter laryngis, quæ varia est, inæqualis, sed interim ordinata serie procedens visitur, ac quum aere distenditur, posteriori quidem parte læuis instar continuæ cuiusdam membranæ est: a lateribus vero & anteriore regione inæqualis membrana quæ cartilagines mediat, ipsis cartilaginibus magis extuberante. Contra vero quum laxa concidit, nam tunc cartilagines membranea substantia eminentiores protuberant. Adhæc instar membranearum quæ aliis connascuntur partibus, externa

Qualis exterior asperæ arteriæ superficies.

F quoque arteriæ superficies aspera est. ¶ Posteriori enim sede fibrosis nexibus, sed modicis stomacho gulæue committitur, verum superior laryngis regio quum communem cū stomacho tunicam sortiatur, validissimæ illius tunicæ gratia ipsi connascitur, quemadmodum & larynx stomacho firmissime musculorum opera connectitur, qui stomachum amplectentes primæ cartilaginis lateribus implantantur. Anterior asperę arterię

Connexus.

pars attensis musculis & vasis, ac præcipue recurrentib. neruis connascitur. Quinetiam A
vbi asperæ arteriæ rami in pulmonem excurrunt, propter adnatam ipsis pulmonis substantiam minus leues exsistunt.

Interna asperæ arteriæ superficies qualis.

¶ Ceterũ interior superficies etiamsi inæqualis pro cartilaginum extuberantia semper est, leuis tamen ac velut vnctuoso humore perfusa, neq; vllis fibrosis explantationibus aspera exsistit. Et talis quoque quod ad leuitatem spectat, interna laryngis est superficies. Inferior laryngis operculi superficies concaua, superior autem conuexa videtur.

Substãtia.

Quæ vero sit laryngis & asperæ arteriæ substantia primo & secundo libris diximus. In primo enim lib. *cap. vltimo*, præter laryngis operculum, trium etiam eiusdem cartilaginum situm & formam descripsimus. In *2. libr. cap. 13.* laryngis musculos persecuti sumus, vt hoc nomine laryngis, & totius asperæ arteriæ descriptioni hic minime immorandum sit. B Satis igitur sit dixisse asperam arteriam membranea cartilagineaq; formatam esse substantia, ac laryngem quidem tribus constare cartilaginibus: vna, quam scuto Græci assimilarunt: secunda vero, quam, quod nomine destituatur, *Innominatam* vocauerunt: tertia autem, quę gemina est, quam vasorum orificiis, quibus aquam manus lauaturis affundimus, respondere arbitrati sunt.

Laryngis operculũ.

Deinde epiglottis seu laryngis operculum ipsius quoq; conformationem ingreditur, quod ex cartilaginea membraneaq; & pingui substantia, quemadmodum & tertiæ cartilaginis superior pars, constituitur. Reliquum asperæ arteriæ corpus innumeris conformatur cartilaginibus, vna serie eademque forma sese habentibus.

Cartilaginum forma.

Forma quidem circulo correspondent, cui quarta pars sit exsecta, prope enim ad anuli perfectiue circuli figuram accedũt. Harum vero corpus teres nõ est, sed quodammodo quadrangulare multo interim latius quam crassius. C Eandem tamen toto corpore crassitudinem non seruant, in medio enim crassiores sunt quam in extremis, quib. paulatim attenuantur, ac velut in membranam degenerant. Extremis iis stomachum respiciunt, media vero parte crassiori, anteriorem asperæ arteriæ sedem efficiunt. Cartilagines hæ continua serie ac æqualiter semper mutuo distantes in arteria collocantur, & non tantum inuicem distinguuntur, quanta illarum a superiori parte ad inferiorẽ est latitudo, nisi quum arteria aere turget, concidente enim arteria, cartilagines inuicem propinquius accedunt.

Qui asperæ arteriæ cartilagines inuicẽ colligentur.

¶ Cartilaginum inter se cõnexus primum propriæ cuiusq; cartilaginis membranæ interuentu perficitur. Quẽadmodum enim in omnibus fere ossibus, & etiam laryngis cartilaginibus membrana quædam, eo quod ossium sit inuolucrum, περιόστεος nuncupata obducitur, pari quoque ratione circulares asperæ arteriæ cartilagines simili membrana integuntur, quæ ex demissioribus elatioribusque sui partibus processus exporrigens, illarum interuentu cartilagines inuicem connectit, velut membraneum vinculum inter duas cartilagines sese respicientes, efformans. D Neque solum inter cartilagines, vbi ab inuicem æqualiter distant, eiusmodi consurgit vinculum, verumetiam ab extremis cartilaginum partibus stomachum respicientibus similes membranei processus exporrigũtur, ex quibus continuum quoque instar membranæ vinculum efficitur.

Asperę arteriæ tunica exterior.

His cartilaginibus membranisque aliæ duæ accedunt membranę ab ipso vsu tunicæ non immerito appellatæ. Atque vna quidem externam arteriæ superficiem vndecunque amplexatur, membraneis illis cartilaginum vinculis pertinacissime connata. Hæc tenuis est, illisque tunicis par, quas peritonæum & succingens costas membrana ipsis affirmatis vasis præbent. E Præsentis tunicæ interuentu arteria conterminis partibus colligatur, ipsaque in primis recurrentes neruos securissime defert.

Interior.

¶ Altera arteriæ tunica hac multo dignior, internam vniuersæ arteriæ sedem succingit, atque ad cartilaginum inter se colligationis robur plurimum auxiliatur. Interior tunica exteriori multo crassior exsistit, quamuis etiam tenuis sit & valida. Adnascitur vero robustissime cartilaginum propriis membranis, & interna sede pingui quodammodo humore oblita visitur, non vndecunque eandem seruans crassitiem. Hæc tunica per vniuersæ arteriæ cauitatem rectis etiam fibris intertexta est.

Glandes laryngis radici adnatæ.

¶ Ostendit quoque glandulas alterutra parte singulas ad laryngis radicem adnatas, quæ magnæ sunt & fungosæ admodum, carnisque propemodum coloris, sed magis nigricantes, & venis satis conspicuis obductæ, *de quibus sequenti cap. latius dicemus*. F Nunc singulorum, quæ diximus, vsum breuiter perstringemus.

Asperæ arteriæ vsus. Situs ratio.

¶ Aspera autem arteria omni prorsus sanguine vacans, primario animanti, ad aeris in respiratione transitum ductumue confert. Deinde & vocis organum est præcipuum

A puum. Atque iis vsibus vniuersa ipsius substantia congruit. E faucibus enim aerem per nares, aut os attractum, recta in pulmonem ducit, hunc per vniuersum pulmonis corpus ita numerosa ipsius serie distribuens, vt pulmonis substantia illum promte alteret, atque cordis muneribus aptum reddat, vt infra latius docebimus. ¶ Vt autem aerem dum inspiramus promtissime pulmoni deferat, ac rursus omnem, qui cordi inutilis est, vna cum fuliginosis ipsius excrementis inter exspirandum reddat, asperam arteriam instar membranei meatus, qui facile inanitus concidere, atque rursus oppletus distendi posset, exstrui conducebat. Distenditur autem in inspiratione & aeris attractione: comprimitur autem, arctatur, & in se concidit exspiratione, quando aerem in asperæ arteriæ propaginibus ac ramis exprimit, propellitque. ¶ At cartilaginibus abundauit B quoque, vt non modo respirationis, verum & vocis organum fieret. Quippe ad vocem amplam, rigidam, duramque, prorsus fistularum, tibiarum, & cornuum ritu effingi debuerat. Quandoquidem vt vox fiat, symmetriam quandam esse oportet, & robur aeris ipsius & substantiæ ab ipso percussæ. Huiusmodi sane substantia est cartilago. Aspera itaque arteria commodum simul respirationis, & vocis est organum. Atque hinc est, quod larynx etiam nunc magis, nunc minus claudi possit, & spiritum ipsum ex nostro arbitratu ad magnos sæpe vsus retinere valeamus, & vocem nunc grauem, nunc leuem, prout rimam illam seu lingulam, quæ vocis præcipuum est instrumentum, arctamus vel laxamus. Quod vt commode quidem fiat, laryngis musculi ad vnum omnes, præter duos posteriores, quos *libro secundo, capit. decimotertio*, ex media interiori ossis hyoy-C dis sede enasci diximus, rimæ illi dilatandæ arctandæue subseruiunt. Larynx itaque omnium fistularum artificium longe vincit, quod ita effecta sit, vt modo minus, modo magis eam laxare possimus, ac varias voces, non vnicam duntaxat, vt artificum instrumenta, edere valeamus. ¶ Ceterũ laryngis operculum, q. ἐπιγλωττὶς Græcis dicitur, non alio nomine creatum est, quam vt cibi & potus inter deuorandum in laryngem casum prohibeat. Hinc est quod duo tantum posteriores communium musculorum laryngis radici huius operculi inserti sint, qui illud cibis potibusque depressum denuo eleuent: vt plurimum hallucinari necesse sit eos, qui epiglottidi viginti attribuunt musculos. Præterea quum in hunc tantum vsum creatum sit hoc operculum, quod etiam *libr.* D *7. de vsu part. cap. 16.* Galenus testatur, toto cœlo errant, qui idipsum proprium præcipuumque vocis esse instrumentum tradunt. Reliquarum cartilaginum crassior pars, quaque orbem efformãt, anteriori parti, & quæ iniuriis magis exponitur, prælocata est. Vbi autem a perfecti circuli figura in caudice arteriæ necessario propter inspirationem deficiunt, oportune stomachum gulamue respiciunt, quo minus illum comprimant minusque ipsius in ciborum assumtione distentionem præpediant: quum interim ibi arteria suscipiendis noxis inepta sit.

Aspera arteriam mẽbranea substantia oportuisse exstrui.

Laryngis vsus.

Laryngis operculi vsus.

Cartilaginum coordinationis ratio.

Non oscitãter etiam asperæ arteriæ tunicas natura exstruxit. Externam quidem, vt cartilagines instar inuolucri muniat, atque ipsius interuentu arteria vicinis partibus colligata firmataque securius deorsum prorepat. Interna vero non solum cartilagines firmius connexura, verum easdem succinctura atque a grauioribus iniuriis munitura, E crassior externa euasit, non tamen talis, vt sua crassitie magnam arteriæ amplitudinem oppleat, & ad defendendas tamen cartilagines sua densitate ac robore sufficiat. Sepe enim aliquid pituitæ inutilis a capite per arteriam defluit, nec non potus aliquid & cibi inter deglutiendum in illam illabitur. Præterea acris quædam qualitas, vel fumi, vel cineris, vel carbonum, vel alterius cuiusdam facultatis medicamentosæ etiam inter respirandum attrahitur. Adde quod pus tussi ex pectore reiiciendum quandoque sit malignum, erodens, aut alius quispiam humor, vtpote flaua bilis, ac atra, aut pituita salsa intus putredinem experta, per asperam arteriam efferri debent. A quibus omnibus obducta cartilaginibus tunica, ne illæ radantur, & rosionem alterationemque ab his non sine graui ipsarum vitio sentiant, præcauet. Atque vt larynx eiusmodi noxiis, ni-F mirum ori vicinior, magis subiicitur: ita quoque & tunicam hanc paulo crassiorem obtinet, quam extremi arteriæ surculi, in quibus tunica tenuior euasit, ne plus æquo pulmonis substantiæ aerem cordi temperantis vim obtunderet, & aeris in venalis arteriæ germina assumtionem, & rursus cordis fulginosorum in asperæ ramos attractionem prohiberet.

Tunicarũ asperæ arteriæ vsus.

Pinguedinis vsus. Ceterum pinguedo inter tunicam hanc & cartilaginem in larynge potissimum reposita, ipsaque etiam tunica pinguior simul cum viscido quo vndique hæc oblinitur humore, ad facilem aeris ductum conferre, atque ne in magnis clamoribus, multisque motibus exsiccetur, vox deficiat, plurimum commodare videtur. Hoc quoque faciunt asperæ arteriæ ad laryngis radicem vtrinque appositæ glandes. Siquidẽ humore meatum imbuunt, non fluido quidem, sed viscido ac pingui, quemadmodũ & ipsæ crassiores, spissioresque ceteris humorem procreantibus glandulis sunt. Quantus vero eiusce humoris ad vocem vsus sit, indies fistulas humectante oleo inungi videntes docemur. A

Glandium.

De faucium glandulis. Cap. V.

φάρυγξ. Situs. GAlenus *sectione 2. aphoris. com. 15.* internam oris amplitudinem gulæ & gutturi seu laryngi præiacentem φάρυγγα, hoc est, fauces vocat. Vniuersum itaque spacium ab inferiori maxilla intus circumscriptum, id est, quod in profunditate ab interna menti sede ad ceruicis, videlicet vertebras pertingit: in latitudine vero, quicquid inter dextram inferioris maxillæ & sinistram habetur partem, Græci φάρυγγα Latini *Fauces* appellant. Eundem certe locum Galeno *sect. 3. aphor. com. 26.* Græci ἰσθμὸν ab angustia nominauerunt, quod nulla in vniuerso corpore sit regio æque angusta, & tot interim organis donata. Nam præter foramina narium quæ in os descendunt, laryngem, gulæ initium, radicem multasque alias partes, quas breuitatis gratia lubens prætereo, glandulæ etiam hac sede continentur. Quarum quidem triplex est genus, ac vnum quidem quod ad laringis radicem asperæ arteriæ lateribus adnatum est, *de quo capite præcedenti diximus.* B C

Triplex in faucibus glandium genus. Primum.

Secundum. Secundum vero elatio laryngi apponitur, quippe in spatio quod nobis hiantibus medium inter narium foramina & laryngem apparet, vtrinque in lateribus vna reponitur glandula vtcunque insignis, & glandi forma perquam similis. Oblonga enim est, nec glandula ac secundum longitudinem sursum ac deorsum exporrigitur, commumuni oris tunica, sed ea hic quam alibi tenuiori fungosiorique vestita. ¶ Substantia constat aliis glandibus simili, at impensius fungosa, in hocque propria vt saliuam procreet, ac asperam arteriam & gulam quoque cum tota oris amplitudine, *vt libro vndecimo, de vsu partium, capit. 10. copiosius docet Galenus*, humectet. Has glandulas Græci, παρίσθμια, quod iuxta isthmum sint sitæ, & ἀντιάδες, Latini, *Tonsillas*, recentiores autẽ quod amygdalis assimilentur, *Amygdalas* nominauerunt: Tertium genus inguinum, & axillarum glandibus respondet. Numerosum enim sub aurium radicibus & vniuerso spatio inferiori maxilla conscripto continetur, ac cauitates omnes exquisite implet, vasorumque diductibus distributionibusue præficitur, has partes quoque sua humectandi vi imbuens. Hoc genus nullo peculiari donatum est nomine. Vulgus hoc genus glandularum in porcis & ceteris quibus vescimur animantibus in delitiis habet. D

De gargareone. Cap. VI.

Nomina. HÆc corporis pars variis donatur nominibus, Græcis γαργαρεὼν & κίων, Latinis, *Gurgulio, gargareon, ac columella*, Barbaris *Vua & Vuula* nominatur. Gurgulio autem & gargareon a voce appellatur. Columella vero, *quod instar exiguæ columnæ extensa esse videatur.* E

σταφυλὴ. Substantia. Situs. Forma. Quum per inflammationem aliudue malum vuæ instar superius angusta, inferius vero sphæræ modo rotunda sit, σταφυλὴ Græcis, *Vua* Latinis nuncupatur. Porro gargareonis, qui soli fere inter cetera animantia homini contigit, substantia, situs, forma, color, & alia omnia propemodum huc pertinentia, si alicuius hiantis os inspicere nõ piguerit, conspicua euadent. Oblonga enim spectantibus occurrit particula fungosa & carnea, a palati fine, vbi narium foramina ad os descendunt, in oris amplitudinem propendula, superius vbi palato continuatur latior, inferius pyramidis instar acutior. Venulas quasdam ex vasis palati tunicam adeuntibus in ipsius medio assumit. Neruis autem non admodum participat. Primarum ipsius vsum ad vocis modulationem esse, illumque ad sermonem homini plurimum opitulari, argumento sunt qui hunc præfectum obtinent. Deinde quod soli homines, auiumque quædam genera hoc donari videntur. Adeo sane vt velut quoddam vocis plectrum, ita ad cauum palatum pendens censeatur. Secundo autem ad aeris attractionem, ne scilicet frigidior iusto in pulmonem statim feratur, accommodatus est. Constat enim iis, quibus præfectus est gurgulio frigidum F

Vasa. Vsus.

A gidum aerem impensius quam ceteris nocere, *vt diximus cap. 8. lib. de diffe. mor. & fusius ista prosequitur Galenus lib. 11. de vsu part. cap. 11.*

De pulmone. CAP. VII.

PVlmonis, quem Græci πνεύμονα vocant, situm duæ thoracis cauitates indicant. In vtraque enim thoracis amplitudine inter costas, & alteram intersepientium membranarum conspicua, Pulmo locatur, perinde ac cauitates ipsæ, geminus. Ipsius enim pars dextram cauitatem occupans, illi quæ in sinistra locatur; substantiæ interuentu neque continua, neque etiam contigua est. Ambæ enim intersepientium membranarum medio inuicem dirimuntur, & vasorum duntaxat interuentu, quæ ex vna radi- B ce in dextram, ac sinistram pulmonis partes digeruntur, illæ inuicem committuntur. Ac dextra quidem pulmonis pars dextram thoracis cauitatem, sinistra autem læuam ita implent, vt nihil prorsus in thoracis amplitudine pulmonis substantia non oppletum sit, præter vniuersam regionem quam intersepientes membranas in se complecti constituereque retulimus. — Nomina. Situs. Numerus.

Porro pulmo priuatim nulla indigebat forma, sed pro accumbentium corporum effigie efformatur, prorsus suarum cauitatum formam assumens, haud secus quam si aliquis gleba his cauitatibus impressa, pulmonem construxisset. Vbicunque enim cauitatum sedes concauæ sunt, inibi pulmo gibbosus euasit: vbi autem gibbæ extuberantesque videntur, pulmo etiam cauus redditur. Quocirca dextra pulmonis pars sinistra C iuncta adamussim speciem bubulæ vngulæ præbet. Atque hæc de humano pulmone dicta sunt, eoque non flaccido, sed vt secundum naturam thoracem implet distento. Alias enim quum concidit, atque in lobos seu fibras insigniter distinctus visitur, elegans hæc propriaque pulmonis forma deperditur. ¶ Distinguuntur autem vtræque pulmonis partes in duos lobos membraneis fibris in hominibus inuicem hærentes. Neque sane perpetuo in duos solum lobos pulmonis partes secantur, verum aliquando in tres, interdum in nullos, aut duos, ita tamen inuicem nexos, vt sectionis potius nota quam reuera distinctio videatur. Lobus autem cauæ venæ caudicem suffulciens, qui in canibus & simiis apparet, in homine non obseruatur, quod scilicet breuiori ductu ipsi vena caua quam prædictis animalibus ducatur. Neque enim aliquod pror- D sus est interuallum ductus cauæ venæ inter septum & inuolucrum, quale in canibus maximum visitur, vnum etiam in illo interuallo vena caua hoc quinto lobo, tanquam a manu quapiam suffulciri debuit. ¶ Pulmo externa superficie læuis vndique est, & veluti humore lento madidus. Attamen in plerisque hominibus non infrequenter hæc superficies aspera earum membranarum modo conspicitur, quæ inuicem connascuntur, quandoquidem in illis iam dextra pulmonis pars, iam sinistra, iam vtraque etiam pertinacissime thoracis lateribus fibrosorum nexuum interuentu colligatur, adeo vt id hominibus peculiare esse videatur, & vt fuscus quidam, non autem candente rubore rubeus color, & quædam instar nubium oblineatio, ac in colore inæqualitas, in hominum pulmonibus conspiciatur, non quidem in laqueo suffocatis solum, aut aliquandiu mortuis, verum & in illis quibus adhuc viuentibus cor excœcatur: E quamuis sensim mortuis pulmones magis nigricent, concidantque. ¶ Ceterum vniuersa pulmonis substantia nihil aliud est quam caro mollis, fungosa, rara, leuis, aerea, ac veluti ex spumoso sanguine spumaue sanguinea, *vt Galenus libro quarto sexto, & septimo, de vsu partium, copiosius docet*, concreta, multisque vasorum germinibus oppleta, vt scilicet moueatur, & distendatur facile, aeremque hauriat, & reddat. ¶ Vasa autem pulmonis sunt tria, ac primum quidem est aspera arteria, quæ iuxta quartæ thoracis vertebræ corpus in duos truncos, *vt capit. quarto dictum est*, diducitur, quorum dexter in dextram pulmonis partem, vt sinister in sinistram exporrigitur. Et primum in duos ramos sectus, ac his rursus in plures, hisque rursus in alios diuisis, multiplici sobole pul- F monem intertexit. ¶ Secundum vas venalis est arteria: tertium autem vena arterialis, de quibus infra capite nimirum decimo, latius dicemus. Hæc vasa similiter, ac aspera arteria in pulmonem ea serie digeruntur, vt arterialis venæ rami, asperæ arteriæ propaginum posteriori sedi attendantur, venalis vero arteriæ soboles anteriori. Atque hæc vasorum digestio vndecunque ad exteram vsque pulmonum superfi- — Forma. Vide in c. 5. li. 6. de membranis intersepientibus. Lobi quot pulmonis. Pulmonis superficies. Connexus. Substantia. Vasa. Aspera arteria. Venalis arteria. Vena arterialis.

ciem ad amussim seruatur, non situ modo semper sibi similis: verum & magnitudine etiam, vt enim multo maior est arteriæ asperę truncus pulmoni insertus, venæ arterialis & venalis arteriæ primis in pulmonem implantationibus, ita quoque vniuerso per pulmonem progressu ramorumque serie, soboles asperæ arteriæ ampliores patentioresque venarum, & arteriarum surculis exsistunt. Huic innumero vasorum implexui, pulmonis caro intertexitur, atque omnes vasorum amplectens surculos pulmonem efformat. A

Tunica. Vniuersum vero pulmonis non aliter ac iecoris tenui quadam & molli membraneaque obducitur tunica, principium ab illis vasorum inuolucris ducens, quæ asperæ arteriæ, ac aliis duobus pulmonis vasis ab intersepientibus thoracem membranis, seu ea quæ costas succingit, offeruntur. Quamprimum enim hæc vasa in pulmonis ducuntur substantiam, ea tunicula a propriis vasorum tunicis abscedens, in pulmonis tegmentum degenerat. Merito autem pulmonis tunica tenuis mollisque facta est, vt scilicet cum pulmone promte concideret, & facile dilataretur. B

Nerui. Huic tunicæ neruuli a sexti paris neruis recurrentes neruos constituentibus, & postmodum in ventriculi superius orificium diffusis communicantur. Nulli autem, aut perquam graciles in pulmonis substantiam sensu non admodum indigentem disseminantur.

Vsus. ¶ Pulmo namque in hoc potissimum factus est, vt aerem cordi quo potissimum ad naturalis caloris non solum qualitatem, sed & substantiam indiget: præpararet, ac demum cor viscus aliquod sibi appositum haberet, ex quo aerem suis functionibus aptum semper allicere posset, & ne quemuis statim nos ambientem aerem, eundemque aliter non immutatum assumere cogeretur, præcipue quum natura non solum cordis occasione quam plurima animalia respirare voluerit, verum & vocis, ad commodam animalis vitam necessariæ gratia. Quod enim a pulmone inter exspirandum redditur, vocis optima euadit materia. *Quemadmodum libro sexto, de vsu partium, capite secundo, Galenus latius docet.* C

De cordis inuolucro. Cap. VIII.

Nomina. Membrana vniuersum cor cum suis articulis, ac vasorum initiis instar arculæ cuiusdam aut thecæ inuoluens, Græcis περικάρδιον, Latinis *Inuolucrum cordis* commodissime appellatur. Sunt qui *Casulam cordis*, quod veluti domus quædam cordis sit, nominant. Barbari adiectione vnius literæ *Capsulam* vocant. D

Forma. ¶ Eius effigies nucis pineæ formæ quam simillima est. Orbicularem enim basim, & mucronem obtusum obtinet.

Quibus vasis inuolucrum cordis viam præbeat. Ceterum inuolucri basis minime cõtinua est, sed vt minimum quinque foraminibus peruia, duobus quidem quibus cauæ venæ iter præbet. Vno nimirum, qua hæc septum perforat. ¶ *Secundum* autem foramen illud est, quo eadem vena sursum a cordis basi iugulum petit. ¶ *Tertium*, arteriam venalem transmittit. ¶ *Quartum* vero arteriæ magnæ paratum est. ¶ *Quintum* arteriali venæ viam præbet. His vasis notatu digno interuallo a cordis superficie abscedentibus, præsens inuolucrum validissime obnascitur, quodammodo ab ipsis principium ducens. ¶ Reliquum inuolucri corpus nihil prorsus transmittens continuum est, & sibi vndecunque, præterquam in forma, quæ ex basi, vti diximus, in obtusum mucronem tendit, respondens.

Situs. Basis hæc summo apice paulo altius quintæ thoracis vertebræ corpore locatur, huic non penitus, sed duntaxat e regione incumbens. Basis enim media est inter pectoris os, & quartam quintamque thoracis vertebras, æqualiter ab vtrisque, nempe pectoris osse & vertebris, distans. Item basis quoque a dextris sinistrisque costis pariter remota pendet. In progressu vero descensuque inuolucri situs variatur. In homine quidem, cui anteriorem thoracis partem rerum Opifex largitus est breuiorem, inuolucrum decliue, ac antrorsum sinistrorsumque adeo protenditur, vt mucro magis deorsum quodammodo pertingat, quam pectoris ossis pars, cui superior septi transuersi pars adnascitur. Deinde in sinistrum adeo pertinet, vt dextrum mucronis latus vix thoracis medium attingat. In anteriora quoque adeo mucro procedit, vt sinistrum pectoris ossis latus, quæque huic coarticulantur cartilagines, contingat. Atque hoc inuolucrum in se intersepientes membranæ amplexantur, secundum ipsius formam in latera extuberantes. E F

Substantia. Magnitudo. ¶ Substantia constat membranea, atque in similarium partium numerum cum reliquis membra-

A membranis reponenda. Nullis enim fibris intertexta, sed simplex est membrana, vtcunque crassa, & admodum dura, cauitatemque constituens, in qua cor facile dilatari constringique queat. In se enim cor continet nulla prorsus portiuncula illi connatum, sed æqualiter ab illo vndique distans. ¶ Cauitas hæc leuis omnino est, tenui quodam humore oblita, ac adipe omni penitus destituta. Exterior quoque inuolucri superficies omni adipe vacat. Quanquam secus arbitratus est *lib. 1. de historia animal. capit. 17.* Aristoteles, cordis inuolucrum pingue esse asserens, intersepientibus membranis forte delusus, quæ huic inuolucro obnatæ præpingues, ac potissimum in hominibus videntur. Ceterum exterior hæc inuolucri superficies propter fibrosos nexus, vt membranæ inuicem connatæ, aspera cernitur. Inuolucri enim lateribus intersepi-B entes membranæ quodammodo orbiculatim obnascuntur. Anteriori parti, cui illæ membranæ non obnascuntur, fibræ membraneæ earum membranarum cauitatem implentium cordis inuolucro adnascuntur. Posterior pars vniuersa intersepientes quoque membranas habet connatas. ¶ Ceterum vniuersus mucro, & dextri lateris inuolucri egregia portio septi transuersi nerueo circulo ad latus sinistrum validissime, amploque admodum spatio connascitur: quod hominibus est peculiare. Simiis quippe & canibus, & porcis a septo multum distat. Verum & hominum adhuc priuatim anterior mucronis pars tunicæ costas succingenti fibrosis nexibus hæret, ea parte qua sinistri lateris sextæ, & septimæ costarum cartilagines pectoris ossi coarctantur. Sed & is inuolucri nexus inter thoracem interdiuidentes membranas perficitur, nullibi C enim illarum medio inuolucrum cordis excedit, neque pulmonem vlla ex parte nisi illarum interuentu contingit. ¶ Nullas arterias in se dispersas habet, neque etiam venas, nisi perquam tenuissimas ab illis fere exortas, quæ intersepientibus membranis tanquam in omentum deriuantur. Quum enim cauam transmittit, ab illa vix aliquid mutuatur: qua autem septo in hominibus connascitur, communia cum septo vasa sibi vendicat. Neruos quoque adipiscitur nimis quam obscuros, ac ab illis pronatos, a quibus recurrentes nerui iam pullularunt. Membraneum hoc cordis inuolucrum cordi, id est, quod dicitur, domus enim & arculæ cuiusdam ac thecæ instar illud amplectitur, ac intersepientium membranarum beneficio sustinet. Porro cor in continuo versans motu, neque dum viuit animal vnquam quiescens, calidissimum viscus merito cense-D tur, ideoque multa in eo aquæ quantitas est, vt scilicet ipsum madeat, & ne vehementi, & assiduo motu exsiccetur, sed vt libere & facilius palpitet.

Magnitudo.

Superficies & nexus inuolucri.

Aristoteles deceptus.

Quibus vasis implicetur.

Aquæ vsus in corde.

De Corde. CAP. IX.

COR, quod Græcis καρδία dicitur, & facultatis, atque adeo spiritus vitalis fons, & natiui caloris sedes exsistit, pyramidalis figuræ est, & nuci pineæ non admodum absimile, ex basi nimirum latiori in mucronem paulo quam nucis pineæ acutiorem sensim desinens, estque multo longius quam crassius. Tota exterior superficies a basi ad mucronis vsque extremum impense leuis cernitur, nulli prorsus parti connata. Coronalis tamen venæ propagines a cordis basi ad mucronem vsque cum E coniuge suis arteriis excurrentes, sanguineque turgentes paulo magis reliqua cordis superficie extuberant, inæqualitatemque minimam efficiunt, quippe maxima sui corporis portione in cordis substantiam imprimuntur, dein etiam adeps, quo humanum cor plerunque abundat, aliquid inæqualitatis inducit. Basis propter vasorum egressus inæqualis vtcunque visitur. Dextræ enim ipsius sedi dextra auricula simul cum vena caua, & arteriali vena committitur. In sinistra autem sede læuam habet auriculam, & præter arteriam venalem magnæ quoque arteriæ initium. *De quibus infra copiosius dicemus.*

Nomina. Figura.

Superficies.

Ceterum hominis cor sua basi, quæ ipsius dignissima nobilissimaque pars, quum vasorum origo sit, censetur: exacte vt in reliquis animantibus, dextræ sinistræque sedis F thoracis medium obtinet, atque quod ad anteriora posterioraque spectat, pariter se habet. Tantum enim a pectoris distat osse, quantum a vertebrarum corporibus abscedit. In thoracis autem longitudine quæ posteriori sede duodecim constituitur vertebris, quintæ vertebræ corpus respicit. In anteriori vero thoracis sede, quæ pectoris ossis longitudine terminatur, ad amussim mediam sedem obtinet, tantundem a iugu-

Situs.

lo remota, quantum ab ea ossis pectoris sede, cui septum inseritur. Atque hic tutissimus, & plurimum ab iis quæ foris incidere queunt, remotus, basis locus est, a quo reliquum cordis corpus sensim in anteriora, & in sinistrum latus eousque exporrigitur, vt mucronis posterior pars magis ad pectus atque antrorsum quam ipsum basis centrum vergat, & dextra quoque mucronis pars in sinistrũ magis ipso basis centro protensa, medium pectoris ossis in sinistrum excedat, ipsumque mucronis centrum sextæ, & septimæ costarum sinistri lateris cartilagines respiciat, qua pectoris ossi coarctatur. Præterea cor in pulmonis, id suis lobis veluti digitis quibusdam amplexantis medio ita consistit, vt æqualem prorsus ex omnibus pulmonis partibus aeris per venosam arteriam moliatur attractionem, & rursus fuliginosorum recrementorum egestionem in pulmonem tentet, & iusta etiam portione per venalem arteriam, & venam arterialem pulmoni sanguinem porrigat. ¶ Ceterum iis terminis quibus cordis situs comprehenditur, illius quoque magnitudo innotescit, quæ sane homini, vt & cerebrum & iecur, quã ceteris animalibus est grandior.

A B

Magnitudo.

Substantia.

Præcipua cordis substantia carne constat musculorum carne paulo minus rubra, verum duritia, spissitudine, & fibrarum quo intertexitur, *Galeno libro secundo, de tempe. cap. 4. teste*, genere, plurimum ab illa variante. Cordis enim caro longe durior exsistit, & spissior, iniuriisque ferendis pertinacior, & demum vario robustissimarum fibrarum genere donata: quum interim vnius musculorum sedis caro vnicam fere fibrarum speciem, eamque sparsim satis disseminatam duntaxat sortiatur. ¶ Fibrarum autem species, quæ cordis carne continentur, haud æque ac musculorum conspicua est. Nullus enim est musculus qui non ilico atque detectus est, fibrarum suarum differentiam exquisite ostendat. At cordis quidem caro compactissimis fibris, & inter se plurimum differentibus oppleta visitur. Triplex tamen fibrarum genus ipsi a natura largitum esse, varius ac rarus qui in illo videtur fibrarũ implexus, satis monstrat. Quinetiam sectio ipsa triplex hoc fibrarum genus inuicem commisceri, & nunc rectas, nunc transuersas, & rursus rectas, & obliquas, & transuersas quodammodo ostendit. ¶ Rectas autem in corde fibras appellamus, quæ in eo perquam elixato ex ipsius basi ad mucronis vsque ipsius centrum deducuntur. ¶ *Transuersas* quæ orbiculatim cor ambiunt. ¶ *Obliquas* vero, quæ per cordis longitudinem procedunt. Atque iis sane fibris pro cordis mole, si eam scilicet ad musculum conferas, perquam numerosis, & carne has amplexante continenteque, potissima cordis substantia constituitur. ¶ Caro cordis in mucrone quam basi spissior solidiorque apparet, quod ea cordis pars tenuis sit, & quod ad eam rectarum fibrarum concursus perficitur, qui carnem mucronis compactiorem commonstrat, ad eum prorsus modum quo solidiorem carnem in musculi capite, aut tendinis principio videmus, quam in musculi ventris medio, vbi fibræ non adeo atque in illis locis compactæ ab inuicem magis dirimuntur, & si ob alia non differt. ¶ Caro cordis, ad præcipuas cordis functiones, quæ in sanguinis gratia pulmonis emutatione, & vitali spiritu conficiendo potissimum consistunt, opitulatur. Quippe sanguinem pro spiritu vitali generando attrahit cor, sanguinemque attractum subinde concoquit, & elaborat, vt pulmoni puriorem transmittat. ¶ Fibræ vero alteri functioni subseruiunt, qua cor tantisper dum viuit animal, & dilatatur, & contrahitur, & aliquando inter contractionem dilationemque quiescit. ¶ Deinde illæ etiam motui cordis, qui naturalis est, arbitrioque nostro minime subditus, famulantur, rectæ quidem ad attractionem, orbiculares ad expulsionem, & obliquæ ad retentionem. ¶ Ceterum venæ cordis substantiam enutrientes, & arteriæ innatum suæ substantiæ calorem fouentes, ac temperantes, sunt vena cordis basim coronæ instar cingens, atque ob id coronalis dicta, *de quo libr. 3. cap. 16. diximus*: & duæ coronales arteriæ, per cordis substantiam distributæ, de quibus suo agemus loco.

Fibræ.

C

Rectæ fibræ.
Transuersæ.
Obliquæ.

D

Carnis cordis vsus.

Fibrarum.

E

Motus cordis est naturalis.
Cordis substantiæ peculiares venæ & arteriæ.

Coronalis.
Neruulus cordis.

Cordis quoque basi neruulus offertur a sinistro sexti paris cerebri neruo, vbi sinistri lateris recurrentem neruum constituit depromtus, *vt sequenti libro fusius docebimus*. Hic enim in cordis inuolucri basim penetrans, & sinistro venæ arterialis lateri posteriorique sedi exporrectus, in cordis basim oppido quam obscure pertingit, tristantium duntaxat sensus gratia.

F

Tunica cordis.

Tunica cordis substantiæ obnata illi membranæ prorsus respondet, quæ musculorum ven-

A rum ventribus pertinaciter obnascitur, tenuissima nimirum membranula, quæ a musculorum substantia diuelli nequit. Eiusmodi namque cordis extimæ superficiei obducitur, cui in hominibus præcipue ad basim durioris adipis copia adnascitur: aliquando & per reliquam cordis superficiem ad mucronem vsque, ac id semper imprimis secundum venarum, & arteriarum per cordis corpus digressum. ¶ Præter adipem cor auriculas adeptum est. Sic autem dissectionum auctores vocant appendices quasdam basi ipsius adnatas. Aurium autem nomine donatæ sunt, non vsu, aut actione aliqua, sed a similitudine, quam illi in situ cum proprie dictis auribus obtinent. Ad vtrumque enim cordis basis seu capitis latus emicant, sicuti & capiti animalis vtrunque aures adiacent. Barbari *additamenta cordis* appellant, Rectius *appendices* dixissent.

Cordis adeps.

Cordis auriculæ.

B Dextra auris dextro cordis basis lateri attenditur, toti anteriori insertionis venæ cauæ regioni secundum illius longitudinē obducta, & etiam suo mucrone a venæ corpore abscedens, elatius nonnihil quam cordis basis sursum conscendit. Huius auriculæ effigies pyramidem refert, exque oblonga basi in mucronem, qui non admodum acutus protensusque est, desinit. Exterior superficies auriculæ pro ipsius repletione variat. Quum enim auricula in cordis constrictione turget oppletaque est, gibba vndique & æqualis & aqueo veluti humore oblita cernitur. At inanita concidenteque auricula, superficies hæc rugosa ac veluti plicis obsita spectantibus occurrit: interim tamen auricula exterius aqueo humore, vt & cordis superficies obducitur. Verum quandoque licet id rarius accidat, exterior distentæ etiam auriculæ superficies inæqualis, C propter adipem illi tunc obnatum visitur. Interior autem superficies auriculæ cauitatem circumscribens, ventriculorum cordis, de quibus paulo post dicemus, superficiei omnino respondet. Vt enim vbi hæc vasa inseruntur & educuntur læuis, tota vero reliqua sede aspera, & foueis plena cernitur: ita quoque illa vbi venæ cauæ insertioni adnascitur, læuis quidem est, reliqua autem amplitudine foueis, ac fibrosis implexibus adeo scatet, vt cordis superficiem inæqualitate vincat.

Dextræ auris situs.

Auriculæ vero substantia triplici fibrarum genere, & modica, eaque admodum dura, & quasi cuticulari carne eas fibras amplectente constat, adeo vt auricula fibris cordis substantiæ respondeat, at carne a corde differat. ¶ Ceterum auriculæ connexus propemodum ita se habet, sinistrum sui basis latus extremo cordis substantiæ, vbi D anterior venæ cauæ in dextro cordis sinu orificii regio consistit, adnascitur: aut verius ab illo extremo auricula prodit. Dextrum autem basis latus venæ cauæ corpori secundum ipsius insertionis in cor longitudinem, & in anteriori illius sede connascitur, ac veluti cum vena commune corpus efficitur. Tota reliqua parte auricula ab omni prorsus connexu libera est, & perinde ac cordis corpus in cordis quoque inuolucro continetur, nullis fibrosis nexibus illi commissa.

Substantia.

Neruus auriculæ.

Sinistra cordis auricula pleraque cum dextra possidet communia. Hæc namque in anteriori sede exortus venalis arteriæ secundum ipsius longitudinem consistit. Deinde ex basi in mucronem quoque cessat: Verum is mucro qui acutior dextræ auriculæ mucrone habetur, non adeo sursum, sed in sinistrum magis atque in latus exporrigi- E tur. Insuper sinistra in prouectioribus ætate hominibus dextræ auriculæ dimidiatæ magnitudini cedit, vt & ipsum quoque venalis arteriæ ostiolum longe minus venæ cauæ orificio visitur. Quod ad externam internamq; superficies attinet, auriculæ vtcunque respondent. Quanquam exterior sinistræ superficies rugosior magis, multoque inæqualior semper occurrat. Interior autem superficies similiter atque in dextra auricula inæqualis, & foueis obsita cernitur. Substantia etiam similes sunt, verum sinistra multo durior, ac minus in constrictione distentioneque sequax visitur. Quinetiam si illam dextræ conferas, velut marcida exsiccataq; spectatur, adipe semper magis quam dextra exterius abundans. In connexu prorsus conueniunt, vti enim dextra a venæ cauæ, & dextro cordis lateri secundum cauæ insertionem adnascitur: ita quoque sini- F stra dextro sui basis latere cordis substantiæ, vbi venalis prodit arteria, connascitur: sinistro autem latere ipsi venalis arteriæ corpori. ¶ Vsu tamen parum admodum inter se differunt. Quum enim cor valido impetu distentum sanguinem in dextrum ipsius sinum ex caua allicit, & quodammodo rapiens eum absorbit, quumque ipsa na caua, vt ex illa in alias corporis partes sanguis non ita, ac ille pulmonis tenuis

Sinistra auricula.

tia nutritionis resudaret, non adeo crasso validoque, ac arteriæ constat corpore, periclitaretur profecto vena in valida illa cordis attractione, ne rumperetur, nisi sagax natura dextram cordis auriculam creasset, quæ ad cordis motus sequax, & sanguine plena, quum cor dilatatur, sanguinem eum quem continet, in dextrum ventriculum diffundere posset, ipsaque quodammodo in ventriculum attractionis impetum solutura conuolueretur, cordique instar promtuarii esset. Atque huic vsui respondet cuticularis auriculæ constructio, quæ leuis & iniuriis interim perferendis contumax, & ad cordis motus sequax est. Caua autem visitur, vt continere materiam possit, & fibris constituitur, vt attractioni, retentioni, & expulsioni inseruiat. Verum quod cordis substantiæ ipsius auriculæ substantia adeo conuenit, ostendere videtur, & innata sibi facultate ad sanguinis leuem quandam cordis ventriculo præparationem conducere. B

Sinistræ auriculæ vsus. ¶ Porro sinistra cordis auricula venosæ arteriæ adnata, idem prorsus officium huic, & sinistro cordis sinui præstat, quo venæ & dextro cordis ventriculo dextram auriculam vsui esse diximus. Et sinistra auricula tanto minori cauitate donatur, quanto etiam arteriæ venalis orificium cauæ orificio angustius visitur. Deinde aer etiam ipso sanguine sequacior est, adeo vt hac quoque occasione sinistra auricula iure minor dextra creata sit. Nam quum aer ita promte attrahatur, non tantum periculum erat ex attractionis impetu: qui potissimum vacui fuga aerem trahit: venosæ arteriæ corpus ita atque cauæ conuelli.

De cordis ventriculis, & vasis, ac eorundem orificiis. CAP. X. C

Numerus. Nomina. Situs. Forma dextri. HVmanum cor intus duas insigniter amplas obtinet cauitates, quas Græci κοιλίας, Latini *ventriculos, ac sinus* nominant, *secundum cordis latera sitas, vnam dextram, alteram vero sinistram.* Harum autem dextra sinistræ amplitudinem vincit, ambæque inuicem forma plurimum variant. ¶ Dextra namque magis deorsum ad cordis mucronem ipso sinistro descendens, cauitatem instar crescentis lunæ paratam adipiscitur. Siquidem dextro ipsius latere, anteriorique & posteriori sede instar interioris semicirculi, aut ita exstructæ, cameratæ sedis concaua est, exteriori in iis regionibus superficiei, quæ gibba est, respondens. In sinistro autem latere externæ fornicis aut semicirculi ritu gibba cernitur, propter cordis ventriculorum septum semiorbis modo dextra ipsius superficie in dextri ventriculi amplitudinem protuberantis. Atque hanc formam dexter cordis ventriculus a basi ad mucronem vsque seruat, simul cum cordis effigie ex latiori basi angustior redditus. ¶ *Sinister ventriculus* ampla etiam basi incipit, D

Sinistri forma. sensumque in arctum versus cordis mucronem desinit, cauitatem instar coni, quod ad totam superficiem spectat orbicularem obtinens. Cordis namque ventriculorum septum sinistro ipsius latere, quo sinistri ventriculi dextrum latus efformat, concauum, non vero vt dextro latere gibbum extuberansque visitur, & parem crassitiem naturamque cum cordis substantia sinistrum latus, & anteriorem posterioremque sinistri ventriculi sedes constituente, habet. Ceterum vniuersa cordis substantia, præter ventriculorum septum, dextri ventriculi amplitudinem constituens, tenuis admodum est. Quæ vero sinistrum ventriculum orbiculatim ambit, efformatque, ventriculi dextri substantiam multis modis crassitie superat, & vndique æque crassa visitur, præterquam in ipsa basi, vbi vasorum illinc prodeuntium dehiscentiumque gratia, cordis carnea substantia tanta amplitudine deficit, quanta orificiorum est amplitudo. E

Superficies ventriculorum. ¶ Vtriusque ventriculi superficies perquam inæqualis est, & multis quasi foueis in carneam substantiam penitius impressis obsita. Neque istæ ad latera tantum consistunt, vbi dexter ventriculus sinistrum respicit: verum per vniuersam prorsus ventriculorum superficiem, non solum in nuper occisis animantibus, sed perpetuo, tantisper dum cor ipsum seruare volueris, apparentes, neque vnquam vel in exsiccato corde conniuentes. Deinde præter hanc inæqualitatem, quæ in sinistro ventriculo nonnihil insignior est, ambo carneas quasdam explantationes processusue intus habent, qui teretes sunt, & graciles, & in membraneas fibras cessant, humiliori sedi membranarum in ipsis finibus positarum continuas. Cernuntur autem carnei hi processus potissimum ad ventriculorum mucronem, humilioremue sedem, qui ad fibrarum quas continent robur, *vt infra latius dicemus*, faciunt. Ventriculorum igitur septũ crassissima F

A cordis substantia efformatum, vtrinque foueis ipsi impressis scatet, hac imprimis occasione inæquali superficie, qua vētriculos respicit donatum. Ex iis foueis nullæ, quod sensu saltem comprehendi licet, ex dextro ventriculo in sinistrum penetrant, adeo sane, vt rerum Opificis industriam mirari cogamur, qua per meatus visum fugientes ex dextro ventriculo in sinistrum sanguis resudat. ¶ Porro ventriculorum cordis eiusmodi fere vsus est. Dexter eo quod sanguinem præcipue continet, sanguinisque elaborationi potissimum dedicatur, Sanguineus Græcis iuxta ac Latinis Galeno *libr. 6. de vsu par. cap. 7. teste* nuncupatur. Is namque pulmonis duntaxat gratia a summo rerum Opifice cordi insculptus est. Pulmo enim qui instar promtuarii cordi circumponitur, vt id ab illo aerem perpetuo allicere queat, rarus, fungosus, leuis, ac ad thoracis motus sequacissimus fieri debuit. ¶ Neque profecto suis functionibus idoneo nutrimento ali potuit, nisi priuatim illi sanguis ex eo quem caua continet leuis, aerius, spumosus, expurgatus, nihilque minus quam fœculentus, ab alio instrumento præpararetur, atque ita ipsi pulmoni ad opportunam nutritionem deduceretur. At nullum instrumentum corde ipso calidissimo, & pulmoni proximo viscere, ad id minus erat aptius: neque etiam aliud omnino iustius pulmoni in hac re famulari poterat: quandoquidem nimis quam ingratum cor habendum foret, si pulmoni tam amice aerem, quo nisi ilico concidere emorique velit, perpetuo indiget, ipsius nomine attrahenti, ac obsequentissimi famuli ritu præparanti, & illius potissimum gratia fabricato, nullas vices referendas putaret, ac non modo omnibus cor vt gratiam reponeret, pulmoni opportunum alimentum, quum id citra incommodum possit conficere, præparareque studeret. Pulmonis igitur occasione dexter cordis vētriculus creatus est, *vt paulo post latius dicemus.* ¶ Sinister cordis ventriculus, quod spiritum vitalem præcipue contineat, & conficiat, aeremque amplectatur, dissectionis professoribus, *Galeno loco citato teste*, spirituosus aereusue vocatus est. Hic tanto crassioribus ex cordis substantia lateribus quam dexter ventriculus constituitur, quanto materia quam ipse inclusam seruat leuior, rarior, & euaporatu promtior, velociorque illa est, quam dextrum habere diximus. Minus enim sanguinis in sinistro ventriculo asseruatur, estque is plerunque tenuior & flauior, quanquam interim quandoque e contrario crassior rigidiorque appareat, calidior vero semper. Quemadmodum vero dexteræ caua sanguinem trahit, ita quoque sinister aerem ex pulmone in arteriam venalem attractum ad se dilatato corde allicit, illoque ad caloris innati refrigerationem, & substantiæ ipsius enutritionem, spiritumque vitalem vtitur, hunc aerem concoquens & præparans, vt is vna cum sanguine qui ex dextro ventriculo in sinistrum per ventriculorū septum copiosius resudauit in magnam arteriam, totumque adeo corpus deligari queat. ¶ Ceterum cordis quatuor sunt vasa & totidem orificia, Vena nimirum caua, vena arterialis, arteria venalis & arteria magna. ¶ Vena caua ad dextrum cordis latus dextrumque ventriculum fertur. In dextrum enim latus basis dextri ventriculi ad humiliorem eiusdem basis sedem vena caua amplo patentique admodum orificio inseritur, ac ilico ab insertione, quæ totius venæ capacitatem amplitudine multum superat ac velut extuberans ad cordis substantiæ terminos circulus visitur, sursum ad iugulum, & deorsum versus septum contendit. Nec arteriæ magnæ modo in duos truncos diuiditur, sed ex dextro basis cordis latere instar recti pali citra aliam diuisionem cordis inuolucrum permeans, sursum deorsumque prorepit. ¶ Vena igitur caua primum cordis vas est, & ipsius insertio primi orificii loco habetur. Per hoc quoties cor dilatatur ac distēditur a caua vena magnam sanguinis copiam attrahit, quem adiuuantibus ad hoc ventriculi foueis excoquit, & suo calore attenuās, leuioremque, & qui aptius subinde per arterias ferri queat, reddens maxima portione per ventriculorum cordis septi poros in sinistrum ventriculum desudare sinit: reliquam autem eius sanguinis partem dum cor contrahitur arctaturque per venam arterialem, *de qua statim dicemus*, in pulmonem deriuat. Atque is certe venæ cauæ in cordis ventriculum orificii vsus est. ¶ Vena arterialis etiam dextro cordis ventriculo adscribitur. Vena autem dicta est ab vsu, quod scilicet sanguinem ex dextro cordis sinu in pulmonem defert, venæque prorsus vicem gerit. Arterialis autem, quod arteriæ corpus nacta est. Hæc multo minori quam caua orificio ex dextri ventriculi basis elatissima parte iuxta dextrum latus ventriculorum septi enascitur, &

Marginal notes: Vsus dextri ventriculi. Sanguineus. — Sinistri vētriculi vsus. Spirituosus. — Cordis vasa quot & quę. — Vena caua. — Vena arterialis. Nominis ratio.

Margin letters: B, C, D, E, F

magnæ innitens arteriæ, sinistrorsumque nonnihil suo caudice inclinans, ac cordis inuolucrum permeans, tandem in duos truncos discinditur, quorum dextrum ad sinistrum latus caudicis magnæ arteriæ, posterioremque eius caudicis sedem reflexus, in dextros pulmonis lobos digeritur: sinistro vero in sinistros. Vena itaque arterialis alterum cordis vas est, & secundi orificii loco habetur. ¶ Hæc autem in hoc potissimum facta est, vt pulmoni aptum suæ substantiæ alimentum ex dextro cordis ventriculo exporrigat, quod læue, aereum, spumosumque esse oportuit. Neque enim alia de caussa inter reliquas corporis venas arteriæ tunicas adepta est, nisi propter continuos pulmonis & cordis motus, & ne pulmo tenuis illius, quem continet, sanguinis plus quam ad nutritionem sufficere possit sibi alliceret, atque etiam vt pulmo continuo ipsius motu ac calore sanguinem in arteriali vena deductum sibi magis excoqueret, spumosioremque redderet. Accedit huc arterialem venam organum soli nutritioni oportunissime subseruiens, quodque secundum pulmonis compressionem & dilatationem quiescere, atque quam minimum moueri oportuit, magna naturæ prouidentia aliis corporis venis impensius rigidum, crassumque, & compressu dilatatuque difficilius factum esse. Hac siquidem ratione venæ arterialis propagines, arteriæ venalis & asperæ distentionem & dilatationẽ haud impediunt: quum interim si illæ propagines sequaces essent, atque leui occasione distenderentur, magnam pulmonis amplitudinem illo dilatato implerent, & rursus compresso pulmone subsiderent, magnamque vim in asperæ arteriæ propaginibus ex pulmonis compressu fieri prohiberent.

Venalis arteria. Nominis ratio.

¶ Porro venalis arteria, quæ ab vsu quod aerem contineat & deducat arteria, a qua substantia autem, quod venarum corpori respondeat venosa nuncupatur, inter sinistri cordis ventriculi vasa connumeratur, ac vt venarum corpus adipiscitur, ita quoque ex molliori sinistri ventriculi sede originem ducit. Ex sinistro enim sinistri ventriculi latere ad eiusdem ventriculi dimissiorem partem venalis arteria patenti admodum orbicularique orificio enascitur, ac statim ab ortu, aut in ipso potius ortu, in duos truncos deriuatur, quorum dexter sub cordis basi productus, ac cordis inuolucrum penetrans, in dextram pulmonis sedẽ dispergitur, sinistro interim in sinistram pulmonis partem exporrecto. Atque hæc quidem venalis arteria tertium cordis vas est, & tertii orificii loco habetur. ¶ Ceterum si quæ fuliginosa excrementa ex aeris in sinistrum ventriculum dilatato corde attracti emutatione, ipsoque innato calore producuntur, ea rursus per arteriam venalem constricto corde excernuntur. Quod vt commode faceret, corpus aliis arteriis tenuius rariusq; nacta est. Hæc etiam arteria, vt reliquæ totius corporis, aspera excepta, omnes, sanguine tenui ac spirituoso oppleta, pulmoni idoneum suppeditat sanguinem, quo pulmo tum propter ipsius mollitiem, tum propter continuum motum, tum propter caloris copiam, quam ex cordis vicinio indefessumque cordis motum adipiscitur, plurimo præ ceteris corporis partibus indiget.

Vsus.

Magna arteria.

¶ *Quartum vas*, quartum cordis constituens orificium, Græcis Aristoteli præsertim ἀορτὴ nominatur, quod neruosam ipsius partem, vel in mortuis conspici posse diceret, instar vaginæ fortassis, quam Macedones ἀορτὴν vocant. Alii Græcorum eam μεγίστην, alii simpliciter παχεῖαν, alii ὀρθὴν appellant. A Latinis *magna arteria* nominata, ex sinistro ventriculo pari ratione, qua arterialis vena ex dextro principiũ ducit. Ex dextro enim elatissimæ sinistri ventriculi sedis latere, & ex cordis basi veluti centro arteria magna enascitur, aliquousque recta sursum sub venæ arterialis caudice tantisper prorepens, donec cordis inuolucrum permeans, in duos truncos discindatur, quorum vnus corporis superiora, alter inferiora petit. Atque profecto durorum crassorumque vasorum, ipsius nimirum arterialis venæ, ac magnæ arteriæ, principia adeo respondent, vt sinistrum arterialis venæ latus dextro arteriæ magnæ lateri in ipsa origine adnatum sit, amboque vasa hic ex eminentissima cordis ventriculorum septi sede commune principium radicemque possideant, quod eousque in quibusdam animantibus, ceruis potissimum, indurescit, *vt id Galenus libro sexto, de vsu partium, capit. decimo octauo, & libro septimo, de ana. admi.* os esse, sed tamen cartilagineum affirmet. Hoc autem vas spiritum & sanguinem tenuem in vniuersum deriuat corpus, vt sequenti capite fusius dicemus. De iis etiam omnibus plura Galenus *loco citato* habet.

A

De membranis quatuor orificiorum cordis. CAP. XI.

CORdis membranæ sunt corpora, quæ cordis vasorum radicibus, ipsorumque exortibus adnata, colore, substantia, crassitie prorsus membranæ exsistunt, materierum regurgitationibus præfixæ. Sunt porro omnes hæ membranæ vndecim numero, ac tres quidem singulis trium vasorum orificiis, duæ autem duntaxat vno tertioque adnascuntur. ¶ *Caua vena*, seu primum dextri ventriculi vas ternas membranas obtinet. Cauæ enim insertioni, quæ veluti extuberans circulus est, alius membraneus circulus humiliori insertionis parti proxime adnascitur, qui prorsus ex cordis substantia principium ducit: & quemadmodum vena ab insertione extrorsum e cordis ventriculo fertur, ita quoque membraneus hic circulus introrsum, atque in dextri ventriculi amplitudinem procedit. ¶ Præterea vt vena caua ilico a cordis substantia, cui implantatur, abscedit, sola insertione, quæ breuissima est, cordis substantiæ adnata: sic etiam membraneus circulus minima amplitudine cordis substantiæ hic adnascitur, mox ab illa discedens, ac exacta, solida, citraque insignem crassitiem valida membrana apparens. Hæc in ventriculi cordis amplitudinem deorsum ducta, non procul a principio in tres veluti membranas scinditur, ex ampla basi in obtusum mucronem desinentes, ac vix a semicirculi conuexo differentes. Mucro autem harum membranarum paulo supra mediam ventriculi dextri longitudinem cessat, neque aliqua ex parte quam circulari exortu membrana hæc tribus ipsius processibus cordis substantiæ adnascitur. Verum ex tota inferiori sede trium membranularum seu processuum, quæ reliquo ipsarũ corpore nonnihil crassior validiorque efficitur, fibræ quædam frequenti serie enascuntur, quæ deorsum per ventriculi amplitudiem ductæ, ventriculi lateribus iuxta ipsius mucronem adnascuntur.

Membranæ. Numerus.

Cauæ venæ membranę.

B

C

Ceterum prædictæ fibræ, quæ membranulis committuntur excarnes sunt, & cordis substantiæ haud adnascuntur. Vnde etiam Aristoteles illas neruos esse arbitratus, cor neruorum principium esse iudicauit. Verum vbi fibræ ad ventriculi mucronem implantantur, aliquousque carnosa substantia adaugentur suffulciunturque non aliter certe apparentes, quam si carneæ in cordis ventriculo virgulæ essent. Porro membrana hæc propter tres membraneos ab ipsa deductos processus, trium venæ cauæ orificii membranularum loco enumeratur, atque quod processus illi quum clauduntur ac inuicem conniuent, spiculorum sulcis structura quam simillimi sint, Græci τριγλώχινας, quasi *trisulcas, aut tricuspides* appellauerunt. Quum enim membraneo circulo adhuc parente, & orbiculari seruato, tres ipsius processus inuicem e regione illius centri coeunt, formam effingunt triangulari cuspidi non absimilem.

Aristoteles cur cor neruorum principium dixerit.

Membranę huius nomen.

D

τριγλώχινες.

Tres autem membranulas cauæ orificio natura ideo præposuit, ne irrita cordis dum dilatatur in dextrum sinum sanguinis ex caua vena fiat attractio, eodem scilicet rursus dum cor comprimeretur per idem orificium Euripi ritu, perpulso. Hæ itaque membranæ sanguinẽ dilatato corde in sinum ex caua vena fluere sinunt. At compresso corde ne idem in cauam refluat, prohibent. Quum enim dexter cordis sinus distenditur, quod fit quoties breuior redditus in latitudinem insigniter proficit, tunc membranæ illæ laxiores factæ, ad ventriculi dextri latera concidunt, ac sanguini recluso cauæ venæ orificio, aditum præbent. At ventriculo rursus constricto, seu longiore facto, & interim arctato, membranarum fibræ, ipsæque membranæ propter cordis mucronem ab ipsius basi magis abscedentem tenduntur. Et quum ventriculi mucro in eum modum angustior efficitur, membranularum quoque fibræ mucroni ventriculi potissimum adnatæ, inuicem colliguntur, ac proinde etiam e regione centri venę cauæ orificii, sui extremis inuicem accedentes, orificium id occludunt, ac quo minus sanguis rursus in cauam profluat, obstaculo sunt. Porro quemadmodum venalis arteria venæ cauę tum corpore, tum intromittendis ad cor materiis accedit, ita quoque venalis arteriæ membranę cum cauę orificii membranis pleraque communia habent. Ad radicem enim orbis venalis arteriæ membraneus circulus ex cordis substãtia enascitur, qui in sinistris chordis ventriculi amplitudinem introrsum, vt venalis arteria extrorsum, ducitur, statimque ab exortu a cordis substantia abscedit, venæ cauæ orificii membraneo corpore hucusque quam simillima. Verum quum aliquantisper in ventriculi amplitudinem descendit in duos tantum membraneos processus partitur, forma quidem

Vsus.

E

Venalis arteriæ membranæ.

F

illis qui ad venæ cauæ orificium pertinent respondentes, sed mole & robore superiores. Exampla enim basi in obtusum mucronē finiunt, longius in sinistri ventriculi cauitatem, quam cauæ orificii membranulæ in dextri contingentes. ¶ Horum processuum vnus dextrum ventriculi sinistrum latus, alter sinistrum respicit. Anterius enim & posterius inuicem dehiscunt. Secundum vniuersam eorundem humiliorem sedem fibræ seriatim ex illis enascuntur, quæ deorsum porrectæ, tandem cordis substantiæ ad mucronis sinistri ventriculi amplitudinem passim adnascuntur, & carnea cordis substantia adaugentur. Ceterum quia membraneus venalis arteriæ circulus in duos tantum processus dirimitur, dissectionis proceres duas tātum membranulas ipsius orificio præfici asserunt, quas etsi nemo veterum, *vt lib. 6. de vsu par. cap. 14. teste*, anatomicorum tentauerit assimilare alicui eorum quæ cognoscuntur, tamen mitræ episcopali non admodum inepte contuleris, si modo partem caput amplectentem ipsi membraneo circulo, & huius processus anteriori posteriorique mitræ cacumini assimilaueris. Porro duæ venalis arteriæ orificio commissæ, ac introrsum in cordis ventriculum membranulæ deductæ, corde quidem dilatato aerem ex venali arteria in ventriculum ferri permittunt, ipsarum fibris propter cordis mucronē versus basim in dilatatione magis adductum laxatis, ipsisque membranulis ad ventriculi latera cōcidentibus. Quum autem cor constringitur, obstaculo sunt, ne aer rursus in venalē arteriam ruat, irritusque cordis labor efficiatur. ¶ Non tamen exquisite, *vt Galenus etiam lib. 6. de vsu par. testatur*, clauduntur, ne scilicet fuliginosis excrementis, quæ natiuum cordis calorem exstinguere possent, exitum præpediant. ¶ Venæ arterialis membranæ dictorum modo orificiorum membranis neque situ, neque forma, neque etiam robore respondent. A venæ enim arterialis exortu hæ introrsum in dextrum cordis ventriculum haud pertingunt, sed totę in eius vasis caudice consistunt, ita ab orificio extrorsum ductæ, vt prius commemoratæ membranulæ ab orificio introrsum pertinebant. Neq; etiam iis vnus communisque est circulus, verum tres distinctæ, & non admodum validæ sunt membranæ, singulæ semicirculi modo principium ducentes. ¶ Venæ enim arterialis orificium introrsum, atq; in suam ipsius amplitudinem nonnihil in origine extuberans, suæ amplitudinis superficiem in tres semicirculos extrorsum a corde latescentes distinctam obtinet, qui crassiores redditi, in ipsam vasis amplitudinem protuberant, ac suis tuberibus veluti tres triangulos ita efformant, vt in puncto se contingentes circuli extra suam superficiem, supra infraque contactus terminum, angulos constituant. ¶ Ab his semicircularibus tuberibus membranæ tota ipsa ipsarum amplitudine, quasi semiplenæ lunæ imaginem referentes prænascuntur, nusquam vasi ipsi, præterquam ad hæc tubera, adnatæ. Quum itaque superior latissimaque membranarum pars latusue instar dimidiatæ parenthesis ad hunc modum (inflectatur, & ipsarum membranularum exortus, & ad vasa cōnexus semicirculū ad amussim exprimet, Græci has mēbranulas σιγμοειδεῖς, appellarunt, ab illorum) imagine. ¶ Ceterum venæ arterialis orificium in cordis contractionibus: patens sanguinem ex corde versus pulmonem transmittit. At quo minus idem rursus dilatato corde in dextrum eius sinum regurgitet, tres membranæ arterialis venæ orificio præfectæ cauent. Illæ etenim quia principium cum venæ arterialis origine ducunt, ac sursum tensæ in venæ cauitatem cessant, atque ad venæ latera concidunt, sanguinem in cordis contractionibus prompte in venam fluere sinunt. At quum is rursus ob cordis dilatationem ad ventriculum vacui fuga retractus, aut etiam in pulmonis compressione versus venæ arterialis caudicem protrusus ad cor impetu vergit, per venę latera descendens, inter venæ corpus & posteriorem membranularum sedem concidit, spatium quod inter corpus venæ ac membranas est implens. Vnde etiam necessario membranas deorsum protrudens ipsis, vt ad orificii venæ arterialis centrum inuicem conniueant, orificiumque claudant, occasio est: adeo vt quanto vehementius cor sua dilatatione sanguinē retrahit, ipseq; pulmo inter exspirandum comprimitur, tanto exactius membranæ venæ orificium obturantes, sanguinē in cor refluere prohibent. ¶ Porro prædictis tribus venæ arterialis membranulis, tres in arteriæ magnæ ostiolo a natura creatæ respondent, in nullo prorsus ab illis, quam in magnitudine & robore differentes. Magnæ enim arteriæ membranulæ tanto grandiores validioresque venæ arteriatis membranulis visuntur, quanto venæ arterialis corpus ab arteriæ corporis duritia am-

Margin notes: Venæ arterialis membranæ. — Membranulæ. Vsus. — Arteriæ magnæ mēbranæ.

A tia amplitudineq; vincitur. Hę autem in cordis contractione spiritum vitalem vna cum sanguine in magnam arteriam fluere sinunt. At corde rursus dilatato, spirituque ac sanguine denuo ad ventriculum tracto, illius regurgitationem in ventriculum prohibent, sanguine nimirum eas versus magnæ arteriæ orificii centrum comprimente.

De arteriis generatim. CAP. XII.

QVum constet vniuersas corporis arterias a magna vocata arteria oriri, ordinis ratio expose videtur vt hoc loco aliquid de arteriis dicamus. Sciendum autem initio erit, arteriam esse vas membraneũ, teres ac fistulæ modo cauum, quo vitalis spiritus, & tenuis, flauus, calidusq; sanguis per vniuersum corpus diffunduntur: quorũ beneficio, ac dein arteriæ ipsius motu, qui dilatatione ac contractione fit, naturalis singularum B partium calor vitalisque spiritus refocillantur. ¶ Porro Hippocrates, Plato, & alii veteres nobis arterias vocatas, venas appellabant, atque arterias a venis nonnulli ea ætate distinguebant, quum has quidem non pulsantes, illas autem pulsantes dicerent, vt alibi fusius monstrauimus. Sed progressu temporis eam, quæ ex ore in pulmonem pertingit, asperam vocare cœperunt. Vasa vero pulsantia naturalemq; calorem recreantia, arterias læues nominauere. ¶ Ceterum arteriæ hæ similiter ac venæ membraneo constant corpore, comprimi ac in se collabi, & rursus distendi idoneo: at longe solidiori, duriori, & ex pluribus tunicis conformato. Arteriæ enim duas peculiares sibi vendicant tunicas, quarum exterior profecto robore ac crassitie venarum peculiari tunicæ respondet. Interior autem plurium anatomicorum suffragio, crassitie huius fere quintupla, ac postC modum totum arteriæ corpus ad venam collatum sextuplum censetur. Hæc tunica quibusdam quia durior, & quauis membrana longe crassior fit, χονδρώδης, hoc est, cartilaginea nuncupatur. Tunicæ arteriæ perinde atque venæ fibris conformantur. Ac interior quidem transuersis duntaxat intertexitur, exterior vero rectis, & quibusdam mediocriter obliquis, transuersis autẽ nullis cõstat. Interior arteriæ tunica ceu cutẽ quandã internæ intestinorũ & vẽtriculi superficiei modo continet, latæ continuæq; araneorum telæ manifesto persimilem, in grandioribus quidem arteriis conspicuam ac a nonnullis tertiæ arteriæ tunicæ loco descriptam. ¶ *Quarta* vero alia peculiaris tunica nulla est, sed veluti quibusdam venarum, ita quoque arteriis alicubi membrana tenuis obhærescit & circumtenditur contegens, aut stabiliens aut connectens ipsas proximis partiD bus, quemadmodum de altera venarum tunica *lib. 3. cap. 14.* retulimus. ¶ Arteriæ autem hoc quo diximus modo ideo a rerum Opifice exstructæ sunt, vt vitalem spiritum & sanguinem impetu per corpus diffusum singulis partibus deducerẽt, innatumq; refocillarent calorem. ¶ Fibras aerem arteriæ corpus eiusdem quo venæ vsus gratia sortitur, ac plurimas quidem transuersis, vt ocyus ipsi ex sinistro cordis ventriculo immissum sanguinem, & vitalem spiritum toti corpori dispenset, neque alium in transmittendo recipiendoq; rhythmum, quam cor ipsum efficiat. Ad hoc namq; munus magnopere transuersæ conducunt, quas expulsioni a natura præfectas esse constat. Obsunt autem expulsioni insigniter obliquæ, vt quæ materias retineant ac reseruent. ¶ Vnde etiam natura paucissimas obliquas arteriis elargitur. Quæ quum tenuiorem rarioremque & velocioE ri impetu ruentem substantiam quam venæ erant amplexuræ, ac dum viuit animal perpetuo dilatandæ constringendæq;, merito etiam durioribus & crassioribus pluribusq; tunicis conformantur. ¶ Arteriæ autem numero binæ sunt. Vna quæ ex sinistro cordis ventriculo originem capit, atq; magna dicitur, in vniuersum corpus præter pulmonem instar caudicis ramos & propagines deriuans. Altera ex eodem cordis ventriculo pronata, in solos pulmones distribuitur, & quia venæ corpore constat cũ adiectione, vt dictũ est *ca. 10.* arteria venalis nominatur. Duæ itẽ sunt arteriæ ab vmbilico secundũ vesicæ latera descendentes ac fœtui quodammodo propriæ, *vt lib. 4. cap. 4. fusius monstrauimus.*

De magnæ arteriæ ortu, & ramis in quos ipsius pars ascendens digeritur. CAP. XIII.

COR esse arteriarum fontem & originem non solum Hippocrates, Plato, & AristoF teles, sed & Galenus, adeoq; & Philosophiæ & medicinæ principes testantur. Ex elatiori autem sinistri ventriculi cordis sede, prope ipsius basis centrum magnam arteriam originem ducere *capite 10 huius libri diximus.* In quo sane ortu orbicularis est, ac hic ipsius amplissima sedes & durior & cartilaginosior consistit. Ipsa autem arteria simulatque enascitur, duos graciles promit surculos, qui coronæ prorsus modo cordis

Arteria quid.

Arteriæ veteribus venæ appellatæ.

Arteriæ corpus quale, & duæ ipsius tunicæ.

Fibræ tunicarum.

Ascititiæ arteriarũ tunicæ.

Arteriarum vsus.

Fibrarũ.

Arteriarũ numerus. Magna.

Venalis.

Arteriæ ortus sedes.

Coronales arteriæ

basim vna cum coronali vena amplectentes, cordi secundum ipsius longitudinem ramulos transfundunt. ¶ Coronalium autem arteriarum ortus post membranulas consistit, quas resumtionem spiritus sanguinisque ex ipsa arteria in sinistrum cordis sinum prohibere capite 11. diximus. Postquam vero magna arteria coronales depromsit, a cordis basis centro sursum quodammodo sub venæ arterialis caudice conscendit, ac cordis inuolucrum perforans bipartito scinditur, ac vnam ipsius partem, qua grandior est deorsum ad quintam thoracis vertebram, & deinde per reliquam dorsi sedem detorquet, in omnes quæ cordi subsunt regiones ramos exhibituram. ¶ At minor pars supra cor positis sedibus distribuenda sursum properat, ac statim in progressu asperæ arteriæ innitens, ac venæ cauæ inter membranas thoracem intersepientes subtracta, ex sinistro ipsius latere ramum distribuit oblique, sursum ad primam sinistri lateris costam exporrectam, qui sane qua pulmoni accumbit atque sinistræ thoracem intersepienti membranæ, alligatur, nullas deriuat propagines. Verum simulatque primam thoracis attigit costam, ab humiliori ipsius sede propaginem deorsum diffundit, quæ costarum radicibus attensa, in tria quatuor superiorum costarum sinistri lateris interualla singulas soboles spargit: a quibus rursus surculi in dorsalem medullam, & musculos thoraci vertebrisque hic instratos excurrunt. ¶ Ceterum ab elatiori sede eius ad primam costam conscendentis rami, alia enascitur propago prius commemorata, multo amplior, quæ ad septimæ ceruicis vertebræ latus oblique recens, in huius lateris transuersi processus foramen se inserit, ac deinde per transuersorum reliquarum vertebrarum processuum foramina conscendens, perindeatque hac excurrens vena digeritur. Nam in progressu dorsali medullæ surculos deriuat ea subingredientes foramina, quæ neruis emittendis rerum Opifex exsculpsit. Deinde & musculis ceruicem hic occupantibus ab illa propagine ramuli quoque sparguntur. Quod vero eius reliquum est, simul cum comite vena per foramen in posteriori sede sinistri capituli occipitis ossis insculptum caluariam subit, atque in sinistrum duræ cerebri membranæ sinum exhauritur. ¶ Præter hanc propaginem vertebris expotrectam, arteria quam oblique ad primam sinistri lateris costam contendere diximus, alia ab anteriori ipsius sede pullulat propago, obliquiori ductu pariter superiora anterioraque petens. Hæc enim pectoris ossis summum accedens, ac sinistræ intersepientis membranæ adhærens, decliuis perfertur secundum pectoris ossis sinistrum latus, qua ipsi costarum coarctantur cartilagines. Hæc propago in eosdem omnino ramos digeritur, in quos venam hac repentem dispensari *lib. 3. c. 16.* retulimus, præterquam quod nullæ soboles a præsenti propagine cutem accedant, nisi forsitan obscurissimæ in mammillæ corpus pertingant. Qua enim hæc arteriæ propago pectoris ossi exporrigitur, verarum costarum cartilaginum interuallis ramos offert, a quibus alii ramuli in musculos assurgunt cartilaginibus incumbentes. Deinde & ab hac propagine sui lateris membranam, quæ thoracis amplitudinem intersepit, & in gladium in iugulo repositum, surculi mittuntur. ¶ Quod autem ipsius est reliquum, secundum sinistrum mucronatæ cartilaginis latus thoracis cauitatem ingreditur, & recto hic abdominis musculo subnatum, ad vmbilici quodammodo regionem procedit, in progressu vtrinq; ad partes abdominis ramulos offerens, & iuxta vmbilicum in plures dissectum soboles alterius arteriæ terminos respicit, quam hoc ab imo sursum contendere docebimus. Vbi arteria oblique ad primam protensa costam, hactenus commemoratas edidit propagines, sinistram aditura axillam, & musculum perforatura dorsi motorum secundi paris sinistrum, ab ipsius elatiori parte priusquam e thorace penitus labitur, notatu etiam dignæ magnitudinis ramum deriuat, qui in posteriores ceruicem occupantes musculos ad occipitium vsque discinditur, nullibi interim cutem subiens. ¶ At quum primum illa arteria thoracis cauitatem, & primam costam euicit, iamque vicinior axillæ redditur, ex posteriori ipsius sede ramum vtcunque insignem spargit in cauam scapulæ regionem, & eius sedis musculos absumendum. Post hunc ex superiori ipsius regione aliam, sed non adeo crassam, depromit sobolem, quæ ad humeri cum scapula articulum iuxta summum humerum & scapulæ gibbum in ramulos digeritur, quorum vnus cum humerali vena vbi adhuc in alto reconditur, aliquousq; prorepit. Huic soboli alius succedit ramus nonnihil demissius in axillam petente arteria enatus, ac in musculos anteriori thoracis sedi instratos numerosa propaginum sobole digestus.

Margin notes: Caudicis arteriæ bipartitio. — Ascendentis partis arteriæ series. — Sinistram axillam petentis portionis series.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A gestus. Dehinc ramuli in glandes axillæ cauitatem opplentes ab hac arteria admodum rari sparguntur. ¶ Quin etiam priusquam tota arteria in manum absumenda feratur, propago quædam thoracis lateri exporrigitur, potissimum in musculum excurrens, cuius beneficio brachium quodammodo decliue dorso adigitur. Quod præsentis arteriæ iam superest, axillari vena concomitatum, ac in brachium procedens penitius occulitur, & primum graciles ramos internæ musculorum humerum amplexantium sedi, & membranis neruos continentibus distribuitur. ¶ Insuper deorsum sensim adhuc prorepens, & continuo interiori axillaris venæ trunco attensa, aliam emittit propaginem, quæ secundũ posteriorem humeri sedem, qua ipsi cubitum extendentes musculi adnascuntur, oblique prorepit ad externum humeri tuberculũ contendens. Hæc n. propa-
B go vna cũ vena quam hac duci retulimus, & dein cũ quarto brachium petente neruo ad externam cubiti sedẽ pertingit, & sub musculorũ capitibus aliquousq; deductus cessat, qui hic ab humeri externo tuberculo principium ducũt, & partim radii, partim autem brachialis, partim vero digitorũ motib. famulantur. ¶ Vbi aũt sinistrę manus arteria has soboles digessit, inter duos cubitum flectentes musculos recondita ipsisq; ramulos præbens, ad mediam cubiti articuli flexus prorepit, hinc vtrinq; ramulum ipsi articulo exhibens, & musculi cubitum flectentis posteriori insertionis innitens, hicq; subinde pulsum euidentem edens. Hinc arteria inter musculum secundos quatuor digitorum articulos flectentem, & illum qui tertios eorundem digitorum articulos flectit, mergitur, ac vbi nonnihil per cubiti internam sedem prorepsit, bipartito scissus vnum ramum ra-
C dio, alterum vlnæ exporrigit. ¶ Qui secundum radium fertur, cuiusq; pulsum indies in ægris exploramus, non procul à brachialis radice sobolem deriuat, quæ sub tendinibus pollicem extendentibus ad summæ manus externam sedem procurrit in musculos digesta, qui inter primum pollicis os & postbrachialis os indicem sustinens collocantur. Quando ramus a radio exporrectus illam emisit sobolem, vna cũ tendinib. digitos flectentibus transuersum brachialis ligamentũ transgreditur, & subdilatescente in summa manu tendine, similiter ac vena huc pertinens, & neruus quoq; illo attensos in tres ramos discinditur, quorũ vnus in duas diremtus propagines internam pollicis regionem accedit. ¶ *Secundus* vero duplici ramo internam indicis sedem implicat. Tertius autem indiuisus internum latus interioris medii digitis sedis cõscendit. Ramus arteriæ qui vl-
D næ exporrigitur, similiter per transuersum brachialis ligamentum manus volam subit, & duos ramulos minimo digito, & totidem anulari, vnum autem medio offert, sed interim nullam sobolem in externam summæ manus sedem dispensat. Quamuis interim vnam illis musculis porrigit, qui externum latus postbrachialis ossis occupant, quo minimus digitus suffulcitur. Ad hunc sane modum primus arteriæ magnæ partis superiora petentis ramus diuaricatur, qui ad primam sinistri lateris costam contendit. ¶ Maior autem ampliorq; ascendentis arteriæ partis portio asperæ arteriæ innitens, recta sursum ad glandium in iugulo repositum properat: id enim arteriæ huic similiter ac venę lectuli modo substernitur, ac ipsius beneficio ramorum scissio iniuriis innoxie ferẽdis promtior efficitur. Quum vero in hunc modum arteria sursum tendit, priusquam elatiorem
E pectoris ossis sedem superat, adhuc in thoracis amplitudine in duos impares ramos finditur. Sinister qui gracilior est, nonnihil oblique in læuum deflexus, sursum cum interiori iugulari secundum asperæ arteriæ sinistrum latus per ceruicem exporrigitur, ipsaque καρωτὶς, hoc est, soporalis sinistra censetur. ¶ At dexter ramus sinistro crassior, similiter sursum tendit, & simulatque primam thoracis costam contigit, ex dextro ipsius latere arteriam promit in easdem prorsus soboles discissam, quas a ramo, qui sinistræ manui offertur, pullulare diximus: ad superiorum videlicet costarum interualla, ad transuersos ceruicis vertebrarum processus, ad pectoris os, ad posteriores in collo locatos musculos: & vt rem in pauca contraham, in eosdem omnino ramos digeritur, in quos sinistræ manus arteriam desinere commemorauimus. Quod vero maioris dextriq; ra-
F mi adhuc superest, crassitie illi congruit ramo, quem secũdum asperæ arteriæ sinistrum latus prorepere paulo ante diximus. Atq; in hac porrigitur, ita vt ille dexter, secundum asperæ arteriæ dextrum latus sursum conscendit, ac huius lateris soporalem constituit arteriam, quæ, vti sinistra, καρωτὶς nuncupatur. Quum autem sinistri lateris soporalis arteria, perinde ac dextri etiam, ad fauces vsque pertingit, in duos discinditur ramos,

Arteriæ ramus cuius pulsum ante brachiale exploramus.

Series maioris portionis magnæ arteriæ partis quæ superiora corporis petit.

Soporalis sinistra.

quorum grandior idemque interior fauces subit, ac mox laryngi & linguæ propagines deriuans, ad caluariæ basim properat: priusquam vero in caluariam mergitur, in duos impares deducitur ramos. Maior per peculiare foramen nulla concomitatus vena, caluariam inibi ingreditur, vbi glandula cerebri pituitam excipiens in ossis cuneum referentis sinu ponitur. His ramus mox in ipso ingressu vtrinque singulas emittit propagines, ac vnam per proprium foramen ad narium amplitudinem dispensat, quæ suo extremo inter nasi cartilagines, adeoq; vsque ad nasi extremum ita cum aliquot faciei arteriolis deperditur, vt tactu etiam ipsius motum inibi percipiamus. ¶ Altera propago in latus sinistrum duræ cerebri membranæ multipliciter discinditur, ipsum autem arteriæ corpus duas illas diffundens propagines bipartitur, & caluariæ basi suffultum, itaque diuisum in anteriora nonnihil tantisper repit, donec denuo ipsum colligatur. Subinde vero huc vsque non diuisa, neque collecta rursus, sed simplex prorsus fertur. Vtcunque autem sit, siue simplex huc pertingat, siue prius in duas partes diuisa hic se rursus colligat, inibi insignem vtcunque ramum per secundi neruorum cerebri paris foramen ad oculũ ac interiorem tẽporalis musculi sedem distribuit. ¶ Quod vero ipsius reliquum est, duram cerebri membranam perforat, ac partim in tenuem cerebri membranam, partim ad sinistrum cerebri ventriculum conscendit, plexum inibi faciens qui secundinis seu extimo fœtus inuolucto comparatur, ac ob id χοροειδὴς Græcis nuncupatur. Alter ramus arteriæ partis, vti dictum est, ad caluariam ductæ, cum coniuge vena in posteriora secundum caluariæ basim fertur, & ramulum musculis ceruicis vertebrarum anteriorem sedem occupantibus, iuxta primæ secundæque vertebrarum interuallum offert, ac dein in caluariam ingreditur, & commune foramen cum sexto cerebri neruorum pari nactus, simul cum vena in sinistrum, seu secundum duræ cerebri membranæ sinum exhauritur. ¶ Porro sinistræ soporalis arteriæ ad fauces diuisionis exterior graciliorque ramus, genis seu buccis ramulum offert, penitius latitantem. Insuper in duas propagines sectus, vnam sinistro tempori, alteram secundum sinistræ auris posterioris sedem digerit, pulsum etiam edentes sensilem. Atque in hunc sane modum pars ascendens arteriæ in ramos finitur.

Plexus.

De amplioris descendentisue magnæ arteriæ trunci in suos ramos serie. CAP. XIIII.

TRuncus magnæ arteriæ deorsum ad thoracis vertebras explicatus, ab infima ipsius sede qua vertebris incumbit, non autem lateribus vtrinq; propagines in octo inferiora thoracis interualla deriuat, quæ similiter ac venæ coniuge carentis rami secũdum interualli ductum ad costarum vsq; cartilagines in veris costis prorepunt, spuriarum vero costarum interualla excedunt, in abdominis latera magis quam ipsæ costæ pertinentes. Ab his propapaginibus ramuli in dorsalem medullam per foramina neruorum gratia in vertebris sculpta, ac dein ad musculos vertebris thoraciq; adnatos sparguntur, pari omnino serie qua venam coniugis expertem disseminari *libr. 3. cap. 16.* proditum est. Ipse autem arteriæ truncus vertebrarum corporum sinistræ sedi quodammodo innitens, deorsum sub septo transuerso, qua id vndecimæ thoracis vertebræ corpus respicit, extra thoracis amplitudinem labitur, ac mox vtrobiq; septo trãsuerso vnam offert propaginem, quæ in plures secta surculos, in humiliorem septi iuxta vertebras sedem præcipue deperditur, soboles sursum ad septi elatiora adeoq; ipsum cordis inuolucrum, qua id septo adnascitur spargens. ¶ Post commemoratas propagines magna arteria ex elatiori sui corporis sede, vnum promit truncum, ramos in ventriculum, iecur, bilis vesiculam, lienem, omentum, duodenum intestinum, & colon vbi ventriculo exporrigitur, ad hunc modum offerentem. Præsens truncus simulatq; prodiit, elatiori sede inferioris membranæ omenti suffulcitur, ac in duos magnitudine propemodum æquales ramos diremtus, hunc qui gracilior paulo est dextrorsum, illum vero qui modice amplior visitur sinistrorsum mittit. ¶ *Dexter* ramus venæ portæ in glandoso corpore quod sub ventriculi posteriori sedi huic omenti membranæ intertextum cernitur, adnexus, sursum ad iecoris cauum contendit, in medio ductu ex humiliori ipsius sede surculum inferiori omẽti membranæ, ipsiq; adeo colo intestino hic deriuans. ¶ Post hũc ab elatiori parte sobolem ventriculo exporrigit, quæ in posteriorem ipsius sedem, qua is dorsum spectat, pauculis ramulis digeritur. Ex humiliori rursus sede, dexter arteriæ ramus ad iecoris cauum tendens, duas denuo profert soboles. Vnum cum venæ portæ ramo intestino dif-

Ad septũ transuersum arteriæ.

Arteriæ rami in iecur, omẽtum, ventriculum, bilis vesiculam, lienem, duodenũ, & coli partem.

A fundit, quod duodenum appellatur, per cuius mediũ longitudinem & aliquousq; ad ieiuni intestini initium ea soboles porrigitur. Altera iam cõmemorata paulo amplior ad dextram fundi ventriculi sedẽ retorquetur, & superiori omenti membranæ innexa, ex elatiori sede in anteriora & posteriora fundi vẽtriculi ramulos frequenti sobole spargit, perindeac ab inferiori sua sede alias in omenti superiorẽ mẽbranam ducit. Atq; hæc arteriæ soboles cũ portæ venæ ramo hac exporrecto ad mediũ vẽtriculi fundi cessat. Quod vero dextræ arteriæ rami adhuc superest, postquam ab eminentiori duos insigniter exiles surculos bilis vesiculæ transmisit, in ramulos aliquot sectum ad iecoris cauũ terminatur, nõ admodũ alte in iecoris substantiam disseminatum. ¶ *Sinister* ramus ab arteriæ caudice prodiens, qui dextro, vt cõprehensum est, modice crassior est inferiori quoq; B omenti membranæ ipsiusq; glandoso corpori cõmittitur, cõiungens se venæ portæ ramo, in tot quot ille soboles digerendus. Mox n. præsens arteriæ ramus ab eminentiori sede propaginem ventriculo qua dorso innititur offert, quæ primum sobolem vnam vtrinq; in mediam ventriculi sedẽ eius quæ dorso incumbit regionis exporrigit. Deinde sursum ascendens, venæ portæ modo superius ventriculi orificiũ coronæ instar appositissime cingit, ramulos ventriculi corpori gracilesq; surculos stomachi termino, quo is vẽtriculo continuatur, distribuens. Inter reliquos aũt ramos vnus secundum ventriculi superiora dextrorsum exporrectus, ventriculi humilius adit orificiũ, surculos quoq; in progressu anteriori & posteriori sedibus ventriculi depromens. ¶ *Sinister* arteriæ ramus lienem potissimũ accedens, ab humiliori ipsius sede propaginẽ in inferiorẽ omenti mẽ- **Lienem adeuntes rami.**
C branam diffundit, quę paulo post exortũ, in duos ramos inuicem valde diductus discinditur, numerosam arteriarũ sobolem deorsum in nũc dictam omenti membranam, & colon intestinũ propagantes. Hac ædita propagine, sinister ille arteriæ ramus sinistrorsum magis ducitur, & venæ ipsi attensæ ritu in duas diffunditur arterias: & hæ rursus in alias tantisper dirimuntur, donec frequenti ramorum serie lienis cauo secundũ rectam lineam implantentur. Priusquam vero omnes arteriæ in lienẽ cessent ab humiliori parte eius quæ demissiorẽ lienis sedẽ adit, plerunq; ramulus inferiori omenti membranæ offertur. Deinceps ab illa arteria, q̃ infimæ lienis arteriæ proxima est, priusquam hæc in lienẽ deperditur, propago pullulat, q̃ superiori membrana omenti suffulta, dextrorsum ad ventriculi fundũ cõtorquetur, sinistramq; ventriculi fundi sedẽ perreptans, genicu-
D latim ramulos anteriori, & posteriori sedib. ac dein superiori membranæ omenti soboles spargit. Itẽ ab aliis lienem adeuntib. arteriis ramuli enascũtur, qui sinistrũ ventriculi latus illo prorsus modo adeunt, quo a venis lienem petentib. propagines eodem pertinere commemoratum est. ¶ Ceterũ a magnæ arteriæ corpore, paulo inferius q̃ truncus cuius iam seriem absoluimus, principiũ ducit, ab elatiori quoq; corporis parte alia promitur arteria, q̃ in superiorem mesenterii sedem in plurimas soboles diffusa, venæ portę modo excurrit in ieiunum, & tenue, & coli intestini partem, q̃ a iecoris cauo ad dextrũ renẽ vsq; pertinet. Post hãc inferius paululũ ab vtroq; magnæ arteriæ latere, ampla educit arteria in sui lateris renẽ, quemadmodũ & vena transuersum prorepẽs. Hę arteriæ in renes integræ absumuntur, vixq; venarum modo ramulos notatu dignos in pinguẽ re- **Præcipua mesenterium accedens arteria.** **Renum arteriæ.**
E num tunicam disseminant. Insuper ab arteria sinistrum renem accedente, ac demissius plerunq;, q̃ ea quæ sinistro reni offertur, principiũ sumente, seminalis arteria non enascitur, sed frequentissime, vt dextri testis arteria, ab arteriæ magnæ corpore originẽ ducit. Aliquando n. humilius q̃ dextrę seminalis venæ initiũ caua exsurgit, ab anteriori arteriæ magnæ sede seminaliũ arteriarũ exortus pendet, q̃ ipso ortu inuicem sunt conterminæ: ac dextra quidẽ cauæ venæ corpus transcendens, dextræ seminali venæ attendit, quousq; pubis os superans, ac ex magna peritonæi cauitate excidens, ipsi venæ permisceatur, atq; cũ illa anfractus gyrosq; efformet, quorũ basis humiliorue sedes superiori testis regioni implantat, ac testis substantię, & hanc proxime inuoluẽti tunicę ramos præbet. ¶ Ad hunc quoq; modũ sinistra seminalis arteria sinistræ congredit venæ, & in mu- **Seminales arteriæ.**
F lierib. quoq; arteriarũ series eandẽ venarũ distributioni penitus cõgruit: vt scil. media arteriarũ pars in testes adeat, seminaliaq; vasa cõstituat, altera aũt fundũ vteri implicet. Enarratis hacten⁹ propaginib. alia succedit, inferius q̃ seminales arteriæ, ab anteriori ẽt magnæ arterię sede principiũ ducens, & in humiliorẽ mesenterii sedẽ distributa. Quandoquidẽ hac in colũ intestinũ, qua a liene ad rectũ vsq; intestinũ prorepit, ac dein in ipsũ **Ad humiliorẽ mesenterii sedem arteria.**

Ad lumborū vertebras & carnes.

quoq; rectū imprimis digeritur. ¶ A posteriori aūt seu inferiori magnæ anteriori sede, A qua hæc vertebris committitur, geniculatim ramuli vtrinq; ad singulas lumborum vertebras promuntur, qui in dorsalem medullam & musculos vertebris hic adnatos excurrunt. Atq; huiusmodi ramuli inuicem fere amplitudinis ductusq; specie conueniunt, si modo vnicam vtrobiq; propaginem exceperis, quæ quum ceteris insignior multoque crassior sit, ac iuxta sacri ossis summum præcipue prodeat, non solū musculos vertebris attensos accedit, verum transuersim per peritonæum abdominisq; musculos ad latera vsq; abdominis exporrigitur. ¶ Hactenus magna arteria in lumborū regione venæ cauæ sinistro lateri succubuit. Quum vero sacri ossis principium attingit, venamq; cōscendens, in duos grandes truncos instar Ʌ ad hunc modum ⅄ inuersi bipartitur. ¶ Est vero situs huius permutatio propter arteriæ dignitatem. Quum enim hæc dignior nobiliorque censeatur, non immerito ipsam magis quam venam recondi, occultari, & in alto corporis ferri, ac demum iniuriis ferendis pertinacem effici sagax rerum Opifex voluit. Ne vero hic ab excarni ossis sacri initio in dorsi motibus arteria promte lædatur, superpositam prius arteriam inibi vena superiorem esse, illamq; hanc conscendere voluit, vt vena instar substerniculi cuiusdam arteriæ subderetur. Ceterum priusquam venæ cum arteriis in crus dilabantur, quam iam sacrum os vasa superarunt venæ arteriis superiores vehuntur: arteriæque quoniam digniores sunt sub venis reconduntur. Rami vero qui a magnæ arteriæ supra sacri ossis initium diuisione prodeunt, venarum ramis exactissime correspondent. ¶ Si exiguos forte surculos secluseris, qui ab humiliori arteriæ sede, qua hæc primum bipartito scinditur deorsum ducti, ac osse sacro suffulti, ipsius foramina subeunt, hac dorsalem medullam posterioremque sacri ossis sedem petentes. Atque hæ interdum adeo insignes occurrerunt, vt sectionum rudes has venas arbitrarentur, quæ in recti intestini finem seu anum desinentes, fœculentum sanguinem nonnunquam expurgarent. ¶ Sinister itaque quemadmodum & dexter huius supra os sacrum factæ diuisionis truncus, non procul a diuisione in duos grandes partitur ramos, quorum interior exteriori gracilior est: ac ilico duas a se diffundit propagines, quarum vnam rursus interiorem, alteram vero exteriorem clarioris doctrinæ gratia non inepte appellabis. Exterior simul cum vena inter sacrum & ilium os qua hæc inuicem dehiscunt, in exteriora transuersim exporrigitur, & frequenti vtcunq; sobole musculos iliū os amplexantes, ipsumq; adeo coxendicis articulum implicat. Anterior autem in viris vesicę fundo, D & ceruici ipsius seu peni, & paucas admodum podici etiam soboles dispensat. ¶ In mulieribus vero, quibus hæc propago grādior visitur, in humiliorem fundi vteri regionem numerosa serie distribuitur. Neq; is vteri dūtaxat insitum calorem refocillat, sed & fœtus quoq; quādo is vtero gestatur. Dein hæc propago præter vterum, etiam muliebrem vesicam, & vteri ceruicem ramulis quibusdam intertexit. Quod interioris rami qui binas nunc explicatas eduxit propagines reliquum est, deorsum repit, sui lateris arteriam, quæ in vmbilicum fertur admittens. ¶ Arteriæ enim ab vmbilico secundum fundi vesicæ latera deorsum ductæ, ac in natis hominibus coriaceæ inanesq; redditæ, in sui lateris ramum inseruntur, ipsiue continuantur, quem modo ab interiori illo ramo reliquū esse deorsumq; ferri diximus. ¶ Is namque non minus quam vena ipsi attensa pubis ossis foramen petit. Priusquam vero id transit, propaginem assumit ab externo trunci ramo, vbi is iam in crus est prolapsurus. Præsens itaque ramus ea propagine adauctus, per pubis ossis foramen ducitur, & in musculos foramen id occupantes & illos qui a pubis osse principiū sumunt dispergitur, perinde ac vena pubis ossis foramen transiens: Ac quemadmodum hęc iuxta medium longitudinis femoris extremo quodam ipsius surculo alteri venæ in quintum femur mouentium musculum dispensatæ commiscetur: ita sane & præsens arteriæ ramus suo fine cum alia coit arteria, quam illi musculo a maxima crus petente arteria distribui non ita multo post subiiciemus. Exterior namque ramus sinistri trunci eius diuisionis quam supra os sacrum fieri dicebamus, per inguina in læuum crus descendit: anteaquam vero peritonæum permeat, propaginem sursum peritonæo F exporrigit, quæ ad rectū abdominis sui lateris musculum accedēs, surculos in cōtermi- nos sedes transuersim vtrinq; digerit, ipseaūt sursum ad vmbilici vsq; regionē properās, in ramulos discindit, qui arterię eodē a pectoris regionib. tendentis ramulos spectant, ac mammillarū cū vtero communionē prębent. Quū vero grādis arteria in crus descēdens

Arteriæ magnæ supra os sacrum diuisio.

B

C

Arteria pubis ossis foramen trāsiens.

E

A dens peritonæum superauit, ramulum ad pubis ossium cõmissuram mittit, qui exigu⁹ est, neq; vt eo tendens vena in multas soboles dispergitur; quarum ne vna quidem cutem subit, nisi forte exilis quæpiã in penis inuolucrũ diffunditur. ¶ In crure autẽ, arteria modo venæ subiecta, ipsaque vena veluti ꝓpugnaculo munita, ramũ in anteriores femoris os amplexantes musculos digerit, qui etiãsi in frequentes scinditur soboles, nullã tamen cuti exporrigit. Deinde a grandi arteria ali⁹ educitur ram⁹, in quintũ femur mouentem musculum, & eos qui internã femoris sedem occupant musculos, ad genu vsq; quodãmodo in ꝓpagines sparsam, & quadam ipsi⁹ sobole illi⁹ arteriæ extremo cõmixtam vnitamq;, quam ꝑ pubis ossis foramen in cr⁹ ꝑtingere cõmemorauim⁹. ¶ Ceterum ipsa grandis arteria sensim deorsum ꝓrepens, secundum f m ris os ita cõ-

Arteriæ in crure series.

B uoluitur, vt ab anteriori inguinum sede inter duo inferiora femoris capita in poplite cõsistat, nusquam nõ vena grãdiori quæ crus accedit cõcomitata. In hoc ꝑ femoris posteriora descensu arteria ꝓpaginem educit, quæ in musculos posteriorem femoris sedem occupantes excurrit, & aliquousq; cum illis venarum ꝓpaginib. deducitur, quas venam efformare docuim⁹, quæ per genu flexum seu posteriorem ipsius partem in suræ cutem sparsa sobole pertingit, arteriæ interim nulla ꝓpagine ad cutem emergente. ¶ At grandis arteria in ipso poplite, vti diximus, recondita, vtrinq; propaginem emittit in alto quoq; occultatam, & in genu articuli latus penitius digestam. Vbi vero arteria tibiam subire incipit, ab externo ipsius latere ramum diffundit, qui fibulæ exporrectus inter septimum & octauum pedis mot⁹ autorum musculos reconditur, at-

C que in reliquos qui anteriorem tibiæ sedem sibi vendicant, soboles vltra medium lõgitudinis tibiæ digerit. ¶ Ipse autem arteriæ truncus inter capita duorum primorum pedem mouentium musculorum repens, inter quartum pedis motuũ opificem musculum, & duos quorum beneficio vltimi digitorum flectuntur articuli, ac quintum pedem mouentiũ occultatur, neq; multum a ligamento mẽbraneo fibulam tibiæ ossi ꝑ totam fibulæ lõgitudinẽ colliganti distat, & sub medio longitudinis tibiæ in duos ramos dirimitur, quorũ interior inter calcẽ & tibiæ os pedis inferiora subit, vna cũ musculorum, tendinib. humiliora pedis hac petẽtib. In descensu interior ille ram⁹ surculum tali cũ tibia articulo offert. ¶ In pedis vero planta inter musculum secundos quatuor digitorum articulos flectentem, & tendines qui tertios articulos flectunt re-

D posit⁹ in duas primum partitur soboles, quarum vna duplici ramo inferiorem pollicis adit sedem: altera vero in ꝓgressu in duos surculos digesta, vnum ad indicem deriuat, in duos tamen prius deriuatum ramulos: alterum vero surculum interno lateri inferioris medii digiti sedis indiuisum offert. ¶ Exterior ram⁹ illi⁹ quæ ad medium lõgitudinis tibiæ fit diuisionis, inter fibulam & calcẽ pedis inferiora accedit, vna cũ tẽdinib. septimi & octaui pedem mouentium musculorũ. Atq; hic in duos minimos digitos & externum lat⁹ medii digiti disseminatur: in ipso autem ad pedis inferiora progressu, tali cum tibia articulo propaginem præbet, & aliam hac longe grandiorem digerit, sub interiori malleolo ad principium illorum musculorum qui pollicem & tres digitos ipsi proximos in externum latus abducunt. ¶ Hæc propago in superiori pedis

E sede motum etiam edit tactu sensibilem. Verum vt venarum pedem subeuntium serie variari suo loco relatum est, ita sane & arteriæ distributio inibi discrepat. ¶ Quippe interdum, neq; id infrequenter, obseruatur omnib. digitis surculos offerri ab illo ramo, quem pedis inferiora inter calcem & tibiam petere commemorauimus, illo qui fibulæ exporrigitur plantam non accedente. ¶ At tunc ab arteria in posteriori tibiæ sede recondita, grandis ramus per membraneum ligamentum tibiæ ossi fibulam, qua hæc ossa inuicem dehiscunt colligans, in anteriorem tibiæ sedem pertinet: atq; inter eius sedis musculos occultatus, vna cum eorundem tendinibus per transuersum ligamentum in anteriore tibiæ sede conspicuum in superiorem pedis regionem deriuatur, musculis illis qui digitos in externum latus abducunt quodammodo reconditus.

F Atq; hic ramus interdum ligamentum id membraneum transit, mox sub genu articulo, vbi tibiæ os a fibula primum dehiscere incipit, interdum vero iuxta inferiorem tibiæ sedem, prout nimirum ramus quem arteria tibiam subiens, versus octauum & septimum pedem mouentes musculos digerit, aut demissius fertur, aut elatius in ramos dissectus cessat, aut etiam prorsus deest.

LIBER SEXTVS DE CEREBRI STRVCTVRA ET INSTRVMENTIS IPSIVS FVNCTIONI FAMULANTIBUS.

A

Cerebri functionum, & eius partium breuis enumeratio. CAPVT I.

QVum ex vniuersa anatomes historia, sensus motusq; voluntarii, & principis animę partis cuius beneficio imaginamur, ratiocinamur, memoramus, fons ac sedes adhuc supersit explicandus, præsens liber opportune illi cõsecrabitur, cerebrũ ipsiusq; partes vniuersas cum sensuum instrumentis pertractaturus. Quemadmodum itaq; cordis substantiæ vitalis animæ vis, ac propriæ iecoris carni naturalis animæ facultas induntur, insuper vt iecur crassiorem sanguinem, ac qui perquam caliginosus est, naturalem spiritum, si modo vllus est, & cor item rursus sanguinem impetu per corpus ruentem vna cum vitali spiritu conficiunt, & perinde atque hæc viscera per dedicatos sibi canales omnibus corporis partibus suas materias deriuant: ita quoque cerebrum aptam ipsius muneri obtinens materiam in propriis sedib. ac illius functioni apposite subministrantib. instrumentis, animalem spiritum longe clarissimum tenuissimumque parat, quod ad diuinas plane principis animæ partis functiones partim vtitur, partim autem ad sensuũ motusq; instrumenta per neruos, tanquã per funiculos, cõtinuo distribuit, ea nunquã spiritu, qui præcipuus eorum instrumentorum actionis auctor censetur, destituens, nõ min⁹ sane quam iecur, & cor nullas corporis partes suis quas illis impertit materiis, tantisper dum valet homo, indigas relinquunt, etiam si non semper tum qualitate, tum copia easdem diffundunt. Nerui igitur, quorum originem a cerebro pendere circa huius libri finem indicabimus, id cerebro præstant, quod magna arteria cordi, & caua iecori, vt qui paratum a cerebro spiritum illis quibus hunc mandari oportuit instrumentis deducant, diligẽtesque cerebri satellites, & nuncii censeantur. ¶ Ceterum animali spiritui materiam suppeditat vitalis spiritus, in arteriis numerosa serie ambas cerebri mẽbranas accedentib. abundans, & dein aer quem versus cerebrum tum per foraminula priuatim olfactus organi occasione in octauo caluariæ osse exsculpta, tũ in primis per ea caluariæ foramina quæ palatũ spectant, inter spirandum attrahitur. Ac aer quidem, qui dum inspiramus per angustissimos flexuososq;, ac tortuosos ductus inter duram cerebri & tenuem, de quibus capite sequenti dicemus, membranas, attrahitur, atq; ob difficilem transitum extenuatur, cerebroq; aptissimus redditur, vndecũq; vbi aditum reperit, in cerebri dextrum, & sinistrum, & horum medium ventriculos sese insinuans. Vitalis autem spiritus etsi copiosissimus in omnibus tenuis duræq; mẽbranæ vasis ductibusve habeatur, attamen in dextrum, & sinistrum cerebri ventriculos plurimus a præcipuis arteriarum ramis fertur, quas obliquo longoque ductu caluariam perforare, atque ad glandis, cerebri pituitam excipientis, latera porrigi *cap. 13. prioris libri retulimus.* Ab iis nanque arteriis, quas reticularem plexum Galenus efformare docuit, non minimæ soboles tenuis membranæ processibus suffultæ, per humillimas dextri sinistrique ventriculi sedes ingrediuntur, tandem per totum ventriculorum progressum in illorum amplitudinem incedentes. Verũ præter has arterias e quarto duræ membranæ sinu vas quoddam sub eo corpore quod testudinis cameræve instar arcus exstructæ imaginem refert, in anteriora cerebri per communẽ dextri sinistrique ventriculi cauitatem, seu potius tertium cerebri ventriculum contendit. ¶ Hoc vas tandem in duos ramos bipartitũ, vno ad dextrũ, altero ad sinistrum ventriculum diffunditur, & eius loci arteriis commixtum, rete efformat, quod ab extimi fœtus inuolucri imagine nomen inuenit. Ab aere itaque in cerebrum ingresso, ac vitali illo spiritu ob frequentes sane anfractus ad cerebri vsus magis magisque adaptato, in cerebri dextro sinistroque ventriculis, & ipsorum mutua cõcauitate tertioue ventriculo animalis spiritus a cerebri virtute elaboratur. ¶ Porro huius spiritus animalis portio tertio cerebri ventriculo per oblongum meatum inter ea corpora cerebri quæ clunibus, & testibus assimilantur porrectum, in cerebelli ventriculum fertur, quem partim cerebelli sinus, partim dorsalis medullæ cauitas efformant. Ab hoc ventriculo in dorsalem medullam, atq; ita in neruos ab illa propagatos, animalis spiritus

Marginalia: B (beside "sanguinem, ac qui perquam caliginosus"); C (beside "dum valet homo"); Neruorum officium. (beside "easdem diffundunt"); Animalis spiritus generatio. (beside "tis deducant"); D (beside "duram cerebri & tenuem"); E (beside "humillimas dextri"); Animalis spiritus distributio. F (beside "tioue ventriculo").

A ritus non mediocris portio digeritur. A reliquis autem cerebri ventriculus spiritus in neruos ab illis proxime principium ducentes, ac si in sensuum motuumq; arbitrariorum instrumenta dispensatur.

De dura membrana: & cute exterius caluariam succingente. CAP. II.

VNIVERSA caluariæ cauitas cerebro excipiendo adaptata, quadam subducitur membrana, quam propter crassitiem qua ceteris non cerebri modo, verum etiã totius corporis præstat membranis, Græci παχεῖαν μήνιγγα Latini *crassam*, & ab insigni duritie *duram* & *Galeno li. 9. ana. admi. auctore, cuticularem membranam* appellant. Barbaram sectantes medicinã duram matrem vocare solent. Hæc vnica cõtinuaq; omnino visitur, præterquam quod quibusdam foraminib. & sinibus venarum modo exstructis, sit B peruia. Præterea omni ex parte ossibus proxima nectitur, aliis locis remissius, aliis vehementius. Atq; hinc etiam fit, externam durioris membranarum superficiem ꝑpter ossium sinus, tuberaque inæqualem, & deinde fibrarum quibus hæc ossibus committitur occasione, asperam, aut non ad amussim leuem lubricamque videri. Præcipua vero ossium tubera, quæ eam orbicularem sphæræq; modo rotundam esse prohibent, in capitis potissimum basi conspiciuntur. Hæc itaq; capitis ossium tubera quo minus dura membrana in ipsius basi instar oblongæ sphæræ vtrinq; ad anteriora leuiter depressæ appareat, in caussa potissimum censentur. Alia vero tubercula, quæ propria duræ membranæ vasa venarum, ac arteriarum fere materiam continentia in exteC riori ipsius superficie efformant, non adeo illius orbicularem formam interturbant, seu quo minus rotunda visatur, non magnopere obstant, quum hac venarum duntaxat ritu protuberent. ¶ Porro nullus in caluariæ amplitudine sinus præter eos quos in basi capitis tubera constituunt, occurrit, quem natura non expulserit duræ membranæ vasorum gratia, vt scilicet sinus vasis cedant, ac citra compressionem ipsis locum dent, & ne duræ membranæ vasa ipsi membranæ damno sint, quo minus hæc ossi proxima apponi possit. ¶ Ceterum nulla prorsus vena aut arteria in cerebri substantiam ad eum modum intexitur & innascitur, quo pulmonibus, lieni, iecori, & plerisque etiam musculis: sed passim cerebro tantum accumbentes, ipsius membranis, quæ venarum modo cauantur implicantur. ¶ Quippe dura cerebri membrana vbi D quadam ipsius portione inter dextrã, & sinistram cerebri partem cõsistit, ac dein vbi inter cerebrũ, & cerebellum implicatur, penitiusq; velut septum quoddã subintrat, sinus quosdam habet venarum modo oblongos, & fistulæ modo sinuatos venisq; caluariam petentibus capaciores, sed interim venarum modo neutiquam teretes exsistũt. (Verum horum sinuum cauitas secũdum ipsorum ductus lõgitudinem insinuata, trianguli speciem exprimit, nõ quidem cuiusuis, sed qui trib. costis longitudine paribus, & instar quartæ partis circuli incuruatis constat.) Præsentes sinus non solum venarum vsum, sed & arteriarum quoque præstant. In hos enim sinus, & venæ, & arteriæ pariter exhauriuntur, suamque quam amplexantur, & continent materiam infundũt venæ quidem sanguinem crassiorem, arteriæ vero vitalem spiritum simul cum sanE guine impetu per corpus diffuso. ¶ Præter istos sinus in duræ membranæ implicationibus sinuatos, hæc alios quam plurimos obtinet, ex quibus frequentes ductus in tenuem cerebri membranam, ac cum hac quoq; in cerebri ventriculos excurrunt, qui omnes exacte teretes, venis similiter cauitates obtinent: nõ tamen vniuersi parem animanti vsum præbent, quũ nonnulli venarũ pariter arteriarũq; munere fungantur, alii venarum duntaxat, alii arteriarũ. Atq; hæc ambo, cerebri mẽbranæ inter reliquas corporis partes peculiaria, rara, & priuata sortiuntur, eandẽ nimirum cauitatem ductumue arteriæ, & vena pariter munꝰ obire, & interim ipsos in membranarum corporibus ductus seu sinus, neque venam neq; arteriam proprie censeri posse, verũ ꝑprias quasdam implicationes, ac tales omnino fistulas sinusue, quales quis formaret, F quando stylos crassiori cuipiam corio per ipsius crassitudinem in longum, quasi venarum sinus exstructurus, impingeret. ¶ In vno itaq; latere, par n. vtriusq; ratio est, sex caluariam ingrediuntur venæ, & tres arteriæ. Ac prima vena simul cum prima arteria, quæ per transuersos ceruicis vertebrarum ducuntur processus, deinde secunda vena internæ iugularis venæ ramus, & secunda arteria soporalis arteriæ ramus per

Situs. Nomina. Dura mater. Numerus. Forma. Sinus duræ membranæ. Venæ & arteriæ in primum duræ membranæ sinũ ex-

hauste, ipsiusq; sinus series. grande foramen, quod sexto cerebri neruorum pari paratum est, caluariam ingredientes omnes simul in vnu duræ membranæ sinus initium confluunt, qui ad earum quas iam diximus, venarum & arteriarum in caluariã ingressum incipit, ad latus nimirum maximi in occipitis osse foraminis, quo dorsali medullæ via præbetur. Deinde & ad eminentiorem foraminis sedem, quod sexti paris neruorum cerebri gratia insculpitur. Sinus hic occipitis ossi semp attensus, secundum cerebelli descriptionem ex priorib. versus exteriora obliq; retrorsum sursumq; conscendit, & ilico in pgressu quartam assumit venam, quæ ab externa iugulari proprio foramine caluariam ingreditur. Præsens sinus hinc rursus retrorsum modiceq; sursum instar quartæ circuli partis protenditur, quousq; elatissimam cerebelli partem occipitis ossi contiguam attigerit. Ibidẽ enim dextri lateris primus ve sinus cum sinistro siue secundo coit, atque ex ambobus vna communis efficitur cauitas. Hunc primi, & secundi duræ membranæ sinuum congressum, Herophilus, *vt auctor est libr. 9. ana. admi & vsu par. cap. 6.* Galenus, ληνὸν, id est, *torcular* vocauit. Recentiores *Lacunam, puteum, foueam,* & *conductum sanguinis* appellant. Torcular autem dictus est, quod cõcursus ille in primum, & secundum sinum, sanguinem tanquam vinum e torculari pmit. ¶ Iste amborum sinuum cõgressus occipitis ossi, quemadmodũ & sinus ipsi cõtiguus est non quidem ad amussim sub elatissima parte eius suturæ quæ Λ assimilatur, verum multo humilius, & ppemodum in media regione consistit quæ inter postremã foraminis, quo dorsalis medulla ducitur sedem, & dictæ modo suturæ verticẽ habetur. Ex mutuo hoc amborum sinuum cõgressu, alii duro exoriuntur sinus longitudine, & cauitatis forma inuicem variantes. Quippe vnus longior est, & caluariæ, quemadmodum priores duo, contiguus, secundum capitis longitudinem antrorsum procedit. Ex eminẽtissima enim sede congressus dextri sinus, & sinistri principium ducens, sub elatissima suturæ Λ imitantis parte, & sub ea quæ per capitis longitudinem fertur, & deinde sub frontis ossis medio ille sinus protenditur vsque ad osseum septum quo olfactus instrumentorum sedes interdiuiduntur. Quemadmodum vero dexter & sinister, seu primus, & secundus sinus, inter cerebrum, & cerebellum qua hæc ossi proxima sunt, in dura cerebri membrana feruntur: ita quoque tertius sinus in ea duræ membranæ consistit sede, quæ dextram cerebri partem a sinistra dirimens, per capitis longitudinem est eminentissima & caluariæ semper contermina. ¶ Alter vero sinus ex communi duorum primorum sinuum congressu pronatus, quartus ordine porrigitur ab anteriori sede communis primi secundique sinuum cõgressus recto tramite rursus priora cerebri, nusquam deorsum neq; sursum vergens. Consistit n. in dura membrana, vbi per cerebelli longitudinem, id & cerebrum ad eas vsq; cerebri sedes intercedit, quæ testium & clunium imagini assimilantur. ¶ *Quartus* itaq; sinus suo ductu cerebelli lõgitudinẽ, & duræ cerebri membranæ inter cerebellum, & cerebrum implicationem haud excedit, dextræ & sinistræ cerebri partib. & cerebello æq; attiguus. Ac proinde id sibi priuatim vendicat, quod sit breuissimus, & nusquam caluariæ contiguus. ¶ Hactenus quatuor in dura cerebri membrana sinus enumerauimus, in quos primæ, & secundæ, & quartæ exhauriuntur venæ, & primæ secundæq; arteriæ. Varias autem propagines sinus hi deinceps in duram, & tenuem cerebri membranas, ac demum ad cerebri vẽtriculos diffundunt, quas singulas nunc enarrare nihil attinet. His igitur præteritis proximum est, vt tertiæ venæ, & arteriæ diuaricationem subnectamus. ¶ *Tertia* igitur vena, quæ minor est internæ iugularis portio, simulatque ramulum per foramen ipsi & neruulo cuidam quinti paris commune ad auditus organum transmisit, caluariam ingreditur, ac duram contingens cerebri membranã, in sinũ venæ prorsus modo cauatum, & prepentem cessat, qui nullam arteriæ sobolem in suipsius cauitatem admittit, sed passim alium sinũ sibi comitem asciscit, in quem arteriæ ramum exhauriri mox dicem⁹. ¶ *Quinta* vena per foramen secundi neruorum cerebri paris, *vt capit. 16 libr. 3. ostensum est,* ingressa, & dein sexta per maius octaui ossis capitis foramen, qua illi olfactus organa incumbunt, caluariã petens, in pximam sibi duræ membranæ sedẽ exhauriũtur. ¶ *Tertia* arteria peculiari transuersoq; foramine in caluariam ingressa, in duos graciles, & totidem crassos dirimitur ramos. Vnus gracilium, qui exterior est, tertiæ venæ mox committitur, & in duræ membranæ sinum exhauritur, illi vndique attensum

Margin notes: Primi & secundi sinus congressus. — Tertius sinus. — Nomina. — Quartus sinus. — Tertiæ caluariam petentis venæ series. — Quintæ & sextæ venæ series. — Tertiæ arteriæ series.

Right margin letters: A, B, C, D, E, F

A sum & commissum, in quem tertiam venam absumi retulimus. Alter gracilium ram⁹, qui interior humiliorque visitur, per proprium & sibi duntaxat exsculptum, vt *diximus cap. 13. libri præcedentis*, foramen recta ductus, in narium amplitudinem procurrit, atque in plures dissectus ramulos, vnum nasi extremo offert. ¶ Verum duo grandes rami in dextro latere, quod de sinistro quoq; intelligendum est, nonnihil inuicem diducti, & adhuc caluariæ instrati antrorsum prorepunt, & mox in vnam denuo coeũt, & statim a congressu in duos impares ramos diuiduntur. Minor commune cum secundo neruorum pari foramen vendicans, tandem cum visorio neruo ad oculos prorepit, atque internæ temporalium musculorum sedi surculos communicat. Grandior autem ramus sursum conscendens, duram perforat membranam ad latus glandulę
B cerebri pituitam excipientis. ¶ Quum primum vero in duræ cerebri membranæ amplitudinem contendit, in varios ramos partitur, ac horum vnus multiplici sobole in tenuem membranam hic cerebro obductam spargitur. Alter vero in varios surculos inuicem complicatos discinditur, & in cerebri anfractus tantisper ascendit, dũ in humillimã dextri ventriculi sedem pertingat. Hinc in posteriora primum sursum ad postremam vsq; eius ventriculi sedem fertur, in ascensu portiunculam propaginis, quæ a quarto duræ membranæ sinu cerebri anfractibus inibi offertur, assumens. Quum vero hic arteriæ ramus retis quasi modo implexus posteriorem dextri ventriculi cerebri sedem superauit, per eius ventriculi ductum in anteriora porrigitur, donec ipsi altera pars quarti sinus propaginis misceatur. Ab hac igitur arteria, & dextra eius pro-
C paginis parte plexus ille in dextro cerebri ventriculo constituitur; quem capit. 13. præcedentis libri, ab extimi fœtus inuolucri forma χοροειδῆ nuncupari diximus. In sinistro autem cerebri ventriculo plexus ille constituitur, vt ibidem ostendimus, a sinistræ soporariæ ramo. ¶ Reticularis vero plex⁹, cuius multis in locis Galenus mentionẽ facit, in homine nõ reperitur. In boue autẽ, si arteriã ei⁹ indagaueris, durãq; mẽbranã iuxta glandis pituitam cerebri excipientis latera diuiseris, aliquid Galeni reticulari plexui simile comperies. Sed de vasis duræ membranæ satis. ¶ Ceterum vt externam huius membranæ superficiem cognitu in capitis vulnerib. perquam necessariam sermone totam perstringamus, nunc fibras ipsius, & ad caluariam connexum recensebimus. Primum autem citra alterius corporis interuentũ hæc vndique ossi attigua est,
D exigua omnino ipsius regione demta, quæ super ossis cunei formis medium habetur vbi dura membrana nonnihil ab osse absedit, substratam habens glandulam cerebri pituitam excipientem, & soporalium arteriarum maximas soboles. Omnibus partibus caluariæ quibus hæc membrana attigua est, in eum committitur modum, vt duo inuicẽ accumbẽtes musculi mutuo hærere cõnectiq; solent. Verũ eo cõnexionis genere in capitis basi firmius quã in laterib. & vertice, & fronte, & occipitio affirmatur. Deinde vniuersis acutioribus ossium processibus pertinacissime connascitur, perinde ac si ab ipsis originem duceret. Sunt vero huius generis processus osseum illud septum olfactus organorum sedem distinguens, deinde illi qui ad latera foraminum visorios neruos transmittentium, in sinum glandi pituitam excipienti paratum cõsi-
E stunt, & qui iuxta foramen visuntur quinti paris neruorum cerebri crassiorem radicẽ transmittens, & vniuersim omnes processus foraminaq; capitis amplitudinem respicientia. Pari quoque ratione præsens membrana caluariæ suturis adnascitur, quanquam is connexus non æque validus sit, atque is ad quem ad osseos processus perfici dictum est. At suturis non modo dura membrana connascitur, verum tenues membraneasque fibras inter illas versus capitis exteriora transmittit, quæ caluariæ vertice inter dissecandum abstracta in dura membrana simplicis lineæ ritu extuberant, asperamque ipsius membranæ superficiem ostendunt suturarum situm, ac imaginem in ipsa etiã membrana tunc referentes. ¶ Ceterum præter fibras externam quoq; duræ membranæ superficiem minus æqualem reddunt tubercula quædam in vertice fre-
F quenter prominentia, vbi sagittalis sutura coronali iungitur. Hæc si quando adsunt, inæqualiter extuberant, & pares sibi in caluaria insculptos sin⁹ obtinent, quib. pertinacissime innascuntur. Vnde etiam hui⁹ generis tubera non obiter, neq; quod dicitur per transennam expendenda veniunt, ne minus cauti in cauterii administratione, & capitis vulnerib. caluariam perforemus. Etenim horũ tuberum nulla ratione habita

Plexus in prioribus cerebri ventriculi constitutio.

Quis Galeni reticularis plexus.

Duræ mẽbranæ ad caluariam nexus.

quod in iis locis, & in suturis, membrana ab osse difficulter abscedat, eam vna cum osse non sine magno malo pertunderemus. Hoc itaque modo dura membrana caluariæ cauitatem succingit, & omnibus ea cauitate contentis obducitur instrumentis. Verum præter hæc dura membrana magnam sui portionem inter cerebrum, & cerebellum insinuat, quæ vniuersam cerebelli superiorem sedem integens cerebri regionem cerebello incumbentem ab illo interdiuidit. Quin etiam a media sede huius duræ membranæ portionis, vbi dextra cerebri pars sinistram respicit, & secundum totã tertii duræ membranæ sinus longitudinem alia quoque duræ membranæ portio processusue educitur, secundum capitis longitudinem dextram cerebri partem a sinistra dirimens. Hic processus falcis messoriæ imagini aliqua ex parte accedit. Nam a posteriori capitis sede antrorsum ductus, sensim falcis ritu arctatur. Hi processus nihil omnino a reliquo ipsius corpore, nisi vna duntaxat sede in crassitie duritiaque variant. Nusquam enim crassior secantibus membrana obseruatur, quam in illa parte qua cerebellum integit. Siquidem hæc vbi natibus proxima cernitur triplo fere quam in reliqua sede crassior durior q; euadit. Neuter etiam horum processuum seu partium duplicatur, verum simplex est, quẽadmodum & ipsa mẽbrana qua cerebri lateribus aut caluariæ attenditur. ¶ Præterea duræ mẽbranæ ꝓcessuum superficies specie cum reliqua interiori mẽbranæ superficie cõgruit, qua vix inter omnes corporis sũpficies aliã magis splendidã læuemue, & omni adipe, quẽadmodũ quæ in caluariæ cõsistunt amplitudine omnia, destitutã reperias. Quinetiã interior hæc superficies aqueo humore longe magis quam exterior perfunditur, & multo candidior apparet. Et quum fibris omnibus quibus alteri parti adnasceretur vacet, impensius lubrica tersaq; quam exterior superficies conspicitur. ¶ Porro quemadmodum exterior superficies os caluariæ vndiq; respicit, ita & interior tenuem cerebri spectat membranam, cui nullius corporis interuentu, quam ductuum instar venarum ab ipso in tenuem membranam pronatorum ope, adhæret ac committitur. Si enim dura membrana pari modo tenui membranæ, ipsiq; adeo cerebro, vt caluariæ connasceretur, quo minus tenuis membranæ vasa, & ipsum cerebrum distendi contrahiq; possint, illa impedimento foret. Quod præcauens natura, ampliorem duræ membranæ cauitatem ipsa cerebri mole non secus atq; cordis inuolucrum corde etiam ipso amplius visitur, produxit. Quamuis interim duram mẽbranam a tenui non ita liberauerit, vt cordis inuolucrum a corde, quod illi ne vnius quidem fibræ interuentu connascitur, quum tamen innumeros venarum instar ductus dura membrana tenui exporrigat, mirabili industria horum adminiculo illam sibi affirmans. Vt simul ductus illi venæ arteriæque, & postmodum vinculi vices gerant, vt cerebrum ne cõcidat cõmode subleuetur, interim vasorum tenuis membranæ, & ipsius cerebri motibus non præpeditis. ¶ Ceterum vbicunq; in caluariæ amplitudine visuntur foramina, ibidem & dura quoq; membrana fere peruia est, sui processus perpetuo exporrigens, illis qui a cerebro principium ducunt neruis, & ipsi etiam dorsali medullæ inuolucri modo obductos. Proinde tot primum foraminibus dura cerebri membrana donatur, quot neruorum paria a cerebro initium ducunt. Septem iis vtrinque positis foraminibus aliud ab vtroque latere accedit, quod neruulum transmittit, non procul a quinti paris radice pronatum. ¶ Adhæc dura mẽbrana vnico eodemq; inconiugato, & orbiculari veroq; foramine pertunditur, quod infundibulo cerebri pituitam excipienti viã præbet. ¶ Dein iuxta huius foraminis latera aliud vtrinq; spectatur foramen, maximum arteriarum cerebrum petentium ramum transmittens. Postremo multis foraminulis ad olfactus organorum sedem dura cerebri membrana abundat. Sinus præsentis membranæ, qui venas arteriasque caluariam subintrantes exhauriunt, & ductus ex iis sinibus in tenuem membranam instar venarum ꝓpagatos in foraminum numero non habemus. ¶ Inter primarios duræ membranæ vsus non minimus censetur, vt aptis quibusdã sinib. omnes caluariã petentes venas, omnesq; duob. tantum demtis ramis, arterias excipiat, ipsarũq; materiã in suos sinus assumat, eam ita deducentes, vt hæc propaginibus venis similibus, atque ab illis sinibus depromtis, in tenuem membranam commodissime deferatur, & dura membrana ipsi tenui membranæ, & cerebro, instar lagenæ fiat, ex qua tenuis membrana, & dein cerebrum materiam ad opportunos vsus sibi alliciant, in

Marginalia: A; Duræ membranæ processus.; B; Duræ membranæ interior superficies qualis.; C; Duræ membranæ cum tenui connexus.; D; Foramina.; E; Duræ membranæ vsus.; F

A in venis, & arteriis versus caput transmissam. ¶ Ceterum propagines a tertio duræ membranæ sinu vtrinq; innumera serie in sedem tenuis membranæ sibi proximā deriuatæ, cerebrum suspensum, atque ne deorsum concidat, ventriculique ipsius comprimantur, opportunissime sustinent, vt dura cerebri membrana pariter ipsius inuolucrum, & fulcrum reddatur. Ad quod rursus summopere conducunt fibræ per suturas a dura membrana prorepentes, quæ duram cerebri membranam caluariæ firmāt, Membranæ caluariam succingentis creatio, & vsus. atque quo minus cerebri grauitate tracta, deorsum labatur caussa sunt. Has fibras natura non solum per reflexos admodum, & obliquitatis nomine firmantes ductus fabrorum instar qui clauorum acies reflectunt, transmisit, verum transmissas rursum dilatauit, auxit, atque in vnum omnes adeo commiscuit, vt in membranam quandam
B tenuem degenerent quæ quod clauariæ obducatur, περικράνιος Græcis, nuncupatur. Hæc autem non citra alterius corporis interuentum caluariæ adnascitur, sub ipsa enim alia adhuc tenuis consistit membrana, aliis quoque omnibus propemodum ossibus præcipue communis, quæ ab amplexu quo ossa succingit, περιόστεος appellatur. Inter reliqua vero ossa hac membrana priuata, caluariæ interna est cauitas cerebro excipiendo adaptata; cui nusquam vbi duram membranam contingit eiusmodi membranula obnascitur, adeo vt tanta etiam huius cauitatis sedes, quantæ dura membrana non connascitur, hac quoq; membranula aliis ossibus communi, obcincta sit.

De tenui membrana. CAP. III.

C TENVIS cerebri membrana quemadmodum, & dura duntaxat vnica, & sibiipsi continua est. Eius situs ex cerebri, & cerebelli cognitione desumendus est. Nihil Numerus. Situs. enim dura membrana amplexatur, cui tenuis membrana exterius non obuoluatur. Nulla enim exterioris superficiei cerebri, & cerebelli, & dorsales medullæ, & neruorum portiuncula conspicitur quam tenuis membrana vicinissime, & citra alterius corpois interuentum proxime non integat, si modo superiorē callosi corporis superficiem exceperis, quæ sola eiusmodi membrana, quum dura vtcunque sit, non continetur. ¶ Præterea omnes cerebri, & cerebelli anfractus, in quos tenuis membrana vndicunque sui partes processusve ingerit, huius situm ostendunt, vt sane ipsius quoque Exterior superficies. figuram, & magnitudinem. Hæc membrana exteriori superficie velut aqueo humore oblinitur, secundum partiū quas ambit tubera extuberans. Ipsa namq; vix alibi crassi-
D tiem variat, ac tenuissimæ semper membranæ innumeris vasorum ductibus obsitæ speciem commonstrat. ¶ Quippe vasorum potissimum gratia illam rerum Opifex cōdidit, nimirum vt instar mesenterii, & humilioris omenti membranæ, & extimi fœtus Vsus. Nomen. inuolucri: aquo suum nomē tenuis membrana Græcis χοροειδὴς nuncupata, mutuauit: ea tuto deduceret suffulciretque. Quinetiam cerebri, & cerebelli est inuolucrum, non simplex profecto, vt dura membrana quæ propugnaculum potius, ac defensorum cerebri aduersus caluariæ occursus censetur, quam operimentum: sed quod ipsorum substantiam proxime contineat & firmet, non secus quam caseorum formæ lac paulo ante coagulatum sustinent, & fingunt pariter. Atque ad hos vsus natura hanc membranam summe idoneam produxit. Tam mollis enim tenuisque & sequax est, vt aptis-
E sime omnibus anfractibus sinibusque sese ad profundissima vsque ingerat, & quæcunque cerebri vasa expetebat, ea deducere possit. Quinetiam adeo leuis cernitur, vt sua Constructionis ratio. grauitate neutiquam vim cerebro inferat. Et tam valida interim duraque exsistit, vt a dura cerebri membrana sursum tracta non diuellatur, imo illum suspensionis impetum a natura sagacissime frequenti numerosaque, & continua vasorum serie paratum sustinet, eo pollens robore, vt concinne cerebri substantiam instar formæ cuiusdam, vti iam retulimus, amplexetur, & sustineat.

De cerebro & cerebello. CAP. IV.

CEREBRVM a dissectionum professoribus in anterioribus quod Græcis ἐγκέφαλος, Latinis *Cerebrum*, & posterius, quod illis παρεγκεφαλὶς Latinis *cerebellum* vocatur, Numerus cerebri.
F deinde anterius in dextrum, & sinistrum diuidi consueuit. Non certe quod illi cerebrum omnino diuisum, & non aliqua semper ex parte continuum esse arbitrati sint, sed quod vt vnica manus in digitos, ita quoque cerebrum in diuersas partes discretum videatur. Nam dextra cerebri pars & sinistra, & cum iis cerebellum, & dorsalis medulla, neruiq; ad vnū omnes, insuper & nates testesq; cerebri, deinde callosum corpus, Cerebri partes.

& id quod instar testudinis effigiatum est, præterea dextri sinistrique ventriculorum A septum, & vermiformis cerebelli processus inuicem continuæ sunt partes, eademque substantia in duritia coloreque aliquantulum variante constituuntur. Quis vero præcipuus continuitatis locus sit, quæque omnes illæ iam enumeratæ partes censeantur, ordine suo seorsim docebimus. Ceterum cerebri situm, ipsius membranæ, & potissimum interna caluariæ amplitudo edocent. Quicquid enim eius amplitudinis duabus cerebri membranis, & glande pituitam cerebri excipiente, & ramis quibusdam maximarum arteriarum cerebrum petentium non occupatur, id vniuersum cerebro, ac cerebello adimpletur. ¶ Cerebellum decuplo aut vndecuplo minus cerebro est, atque vna cum dorsalis medullæ principio eam caluariæ amplitudinis sedem sibi vendicat, quæ posteriori parte tuberum in capitis amplitudinem cauitatemque auditus B organum caussa prominentium, & deinde duobus in occipitii ossis sinibus circumscribitur, qui vt duobus primis duræ membranæ sinibus, quos dextrum, & sinistrum nuncupauimus, os cedat, caluariæ cauitati insculpuntur. Atque hæc circumscriptio cerebelli situm opportunissime commonstrat. Haud enim hominibus perinde atque bobus in occipitium adeo porrigitur, vt non etiam postrema cerebri pars in posteriora magis quam ipsum cerebellum vergat. ¶ Quippe postrema & elatissima humani cerebelli portio ad mediam duntaxat sedem pertingit, quæ a posteriori sede foraminis dorsali medullæ viam præbentis, & A literam imitantis futuræ partem habetur. ¶ Præterea superior cerebelli pars in hominibus, quemadmodum sane in canibus, bobus, & ouibus instar globi cuiusdam, aut etiam acutius nequaquam extuberat, C sed plana & depressa minimumque in medio prominens conspicitur. Hæc itaque caluariæ sedes cerebello dicata, ipsius situm, circumscriptionem, formam, & magnitudinem, edocet. Cerebellum enim, quemadmodum & sua sedes, latius est quam longius aut profundius, & humiliori ipsius regione, idque potissimum iuxta ipsius posteriora, latioris globi imaginem exprimit, in cuius medio acuta, neque admodum lata habetur impressio, quam illi inducit tuber, instar crassissimæ lineæ in occipitii osse prominens, quod eius ossis robur insigniter auget, cuique dura membrana pertinacissime connascitur. Porro in anteriori parte, qua cerebellum ad cerebri nates exporrigitur, id quasi in acutum fertur, vndique suæ sedis formam accurate referens. ¶ Ceterum eiusmodi omnia in cerebro, quod homini maximum obtigit, nempe duobus boum, D aut asinorum cerebris grandius, ostendit reliqua caluariæ cauitas cerebello non oppleta, vnde etiam cerebrum per ipsius basim depressum est, neque globi modo extuberat, quamuis interim inæquale, & non vnius formæ visitur. In lateribus autem & anteriori, & posteriori, & superiori sede caluariæ cauitatis effigiem exprimit. His enim sedibus cerebrum instar oblongæ sphæræ vtrobique versus anteriora propter temporum cauitatem depressæ, rotundum & in posteriori parte multo quam in anteriori latius visitur. ¶ Caluariæ itaque cauitas externæ cerebri superficiei imaginem commonstrat, ad quam & sectio cerebrum diuidens, & innumeri quadam gyri ac circumactus referuntur. Vniuersa namque cerebri sedes illa sectione diuisa, atque vt bisulcorum pedes in duos quasi vngues illius beneficio disiuncta, extimæ cerebri superficiei E magna pars existit. Attamen dictam cerebri formam parum interturbat, quum dextra cerebri pars sinistræ accumbat: neque recta linea illa diuisæ cerebri partes inuicem magis dehiscant, quam quanta duræ cerebri membranæ, & tenuis duplicatæ est crassities processusve, duas cerebri partes septi ritu interstinguens. Dein seorsum vtranq; cerebri partem tenuis membrana ambit, & implicat. ¶ Ceterum, gyri ac reuolutiones cerebri, per vniuersam cerebri superficiem vndique eadem frequentia habentur. ¶ Sunt vero sinus permulti penitus in cerebri substantiam penetrantes, & profecto imagine intestinorum tenuium reuolutionibus, aut nubibus, quas pictores delineare solent simillimi. Sunt autem non ob aliud, quam ad cerebri substantiæ enutritionem procreati. Cerebri namque substantia citra omnem membranosarum fibrarum ple- F xum continua, neutiquam adeo firma fuerat, vt per illam arteriæ venæque, vt in reliquis corporis partibus, digeri possent: & tam multa crassaque est, vt venæ & arteriæ in superficie tantum exporrectæ ipsi nutriendæ, illiusque insito calori refocillando sufficerent, quum penitiores cerebri partes si ad illum modum vasa protenderentur, illorum

Margin notes: Situs. — Magnitudo. — Cerebelli situs, & magnitudo. — Cerebelli forma. — Cerebri magnitudo & forma. — Sectio dextram cerebri partem a sinistra dirimens. — Anfractus. — Duplicatio membranarum cerebri. — Anfractus vsus.

A materia carerent. Quod præuidens natura, sinuosos illos implexus passim cerebri substantiæ impressit, vt in iis tenuis membrana frequentibus vasis oppleta sese insinuaret, cerebri substantiæ alimentum appositissime ita subministratura. Atque huius etiam nutrimenti potissimum occasione cerebrum in duas partes dissectum fuit, vt scilicet tenuis membrana sese in ipsius medium implicaret, ac inibi in reflexus deducta, cerebri substantiam enutriret. Haud enim citra eiusmodi cerebri dissectionem, & profundissimas reuolutiones illa cerebri sedes qua dextra sinistram respicit, enutriri potuisset. ¶ Ceterum cerebelli reuolutiones neutiquam æque atque cerebri reuolutiones alte penetrant, sed paulo minus quam superficiariæ, at frequentes admodum continua serie deductæ visuntur. Superficiariæ quidem, quod exigua pars alenda sit, B quod facile cerebellum a profundioribus anfractibus ad ventriculum vsque ipsius perforaretur. Frequentes autem, vt copia aliquantulum leuem illam penetrationem suppleat. ¶ Porro cerebellum tribus partibus efformatur, dextra vna, & alia sinistra, & tertia media. Ac dextra quidem sinistraque cerebelli partes, duos quodammodo globos inuicem appositos ostendunt, in quorum inani spacio, vbi scilicet globi sese non cõtingerent, tertia cerebelli pars reponitur, quæ ligni caseive recẽtis vermem refert, ob suas reuolutiones, quæ transuersim per cerebelli longitudinem mutuo æque distantes ducuntur. Huius partis apices versus inferiorem cerebelli sedem reflexi, vermiformes cerebri processusve *infra cap. 10.* efformare docebimus. At hæ cerebelli partes inuicem discretæ incontinuæque nequaquam sunt, sed continuæ vnicum corpus, C ipsum scilicet cerebellum, cõstituunt. Hoc vtrinque ad dorsalis medullæ sinus latera quasi duab. circularib. applantationibus adnascitur, continuum cum dorsali medulla corpus effectũ. Media namque posterioris cerebelli sedis pars, vt neque etiã anterioris dorsali medullæ continua, cunatave est, sed tantum tenuis membranæ interuentu posterior pars dorsali medullæ committitur. ¶ At vt cerebri basis, vnde dorsalis medulla ortum ducit, ceteris omnibus cerebri partibus, & ipso quoque cerebello durior visitur: ita quoque dorsalis suo principio sensim durior euadit, neque colore neque duritia cerebello ipsi supernato correspondens. Cerebellum enim magis flauum cinericiumve est, perquam paucis albescentibus lineis interstinctum, & duntaxat in sui sinus superficie candicans. Vniuersum vero dorsalis medullæ initium cerebello ad- D huc in capite subnatũ albissimum est, vt & cerebri basis ipsi originẽ præbens, quæ omni prorsus reuolutione ac anfractu, quibus cerebellum scatet, destituitur. ¶ Porro cerebro substantia quædam peculiaris & propria est, qualem in vniuerso corpore similem nullam reperias, ad innatas cerebro actiones idonea. Præterea cerebri substantia, quam capitis medullam, alii appellarunt, ab ossium medulla differt, tum aliis plerisque accidentibus, tum quod liquefieri nequeat, neque inediæ tempore, aut aliis occasionibus, vt reliqua corporis pinguedo absumatur minuaturve. Hæc non vniuersa candicat, verum quicquid reuolutionibus proximum subflauum, aut subcinericium est, æquali semper a reuolutionis superficie distantia. ¶ Quanta namque reuolutionis profunditas est, tanto quoque ab intima reuolutionis parte interuallo in ce- E rebri substantia, is, quem diximus, color obseruatur: quasi rursus color ille in substantia, quod ad colorem attinet, reuolutiones duplicaret. Quicquid autem cerebri ita coloratum non est, albissimum & candidum prorsus visitur. ¶ Verum vt permultæ sunt cerebelli inuolutiones, ita quoque vniuersum propemodum secantibus flauum occurrit. Quacunque itaq; ex parte cerebri cerebellive substantiam tenui qua proxime continetur membrana detexeris, hanc subflauã ac velut aqueo humore oblitam, & nunquam venis implicitam inuenies, etiamsi interdum rubea ac veluti sanguinea puncta in illorum cerebri substantia potissimum obseruaturus sis, qui phrenitide ante mortem laborarunt, verũ illa nullã venæ exprimunt imaginem. Cerebrum namq; ex nullo vase alimentũ assumit, quã ex iis quæ tenui mẽbrana suffulta ipsi circumdantur.

Cerebri sectionis ratio.

Cerebelli implexuũ ratio & species.

Cerebelli partes. Vermiformes processus.

Cerebri, cerebelli, & dorsalis medullæ color & substantia.

Cerebri substantia. Cerebri substantiæ cũ ossium medullæ discrimen.

F *De calloso cerebri corpore, & cerebri ventriculorum dextri & sinistri septo.*

CAP. V.

QVÆDAM cerebri pars in externa ipsius superficie, ad elatissimam dextri & sinistri ventriculorum sedem, sese offert, tenui membrana non obuoluta. Verum intimæ cerebri substantiæ modo, externa superficie candicans albaque, & reliqua

Simil

Nomen. cerebri substantia ad superficiem consistente durior, vnde etiam vetustissimi Græcorum hanc partem τυλοειδὲς, Latini autem *callosum corpus* appellarunt. In conspectum secantibus venit, leuiter dextra cerebri parte a sinistra manibus diremta. Quicquid enim ita diducto cerebro; inibi partes ipsius vnit, album candicansque conspicitur, ipsum callosum est corpus, longum quidem, sed arctum. ¶ Præsens corpus in illa superficie quæ ita diducto cerebro in conspectum venit, gibbosum cernitur. Quemadmodum vero cerebrum diremtum superiorem callosi corporis superficiem egregie læuem æqualemque ostendit, ita quoque indicat corpus id communem cum cerebro partem esse, & non ex cerebri substantiæ superficie, quæ mollior & subflaua est, sed ex intimiori substantia, quæ durior & alba visitur, enasci. Obseruantur enim vtrinque ad callosi corporis latera secundum ipsius longitudinem singuli sinus in cerebri substantia instar profundioris lineæ insculpti, ac cum superiori callosi corporis superficie eo magis patescentes, quo cerebrum vehementius, quasi id sursum in latera etiam acturus, diduxeris. Interior autem inferiorve ipsius superficies dextro sinistroque cerebri ventriculo adaperto secantibus primum occurrit: quæ etsi per callosi corporis longitudinem in rorsum, vt superior extrorsum curuatur, haud tamen simplex est. Nam per callosi corporis longitudinem duæ instar quartæ circuli partis insinuatæ superficies ducuntur, & in medio callosi corporis tuberculum quoddam instar lienæ per illius longitudinem exporrectum visitur, perinde ac si altero quidem puncto duas quartas circuli partes in callosi corporis medio iunctas, reliquo autem puncto ad latera sursum protensis intelligere. ¶ Præsens tubernaculum deorsum prominens, sensimque extenuatum, tandem dextri sinistrique ventriculorum cerebri septum efficitur: & tota interna callosi corporis superficies tanta dextri sinistrique ventriculorum est portio, quanta est hæc ipsius callosi corporis superficies. Ac dextra quidem superficiei portio dextrum ventriculum, sinistra autem sinistrum respicit. Porro dextri & sinistri ventriculorum septum eadem cum cerebro constat substantia sed in medio quod ad superiora & inferiora attinet, adeo est tenue, *Galeno lib. 9. admi. teste*. vt splendor ipsius pelluceat, & instar specularis lapidis quodammodo diaphonum sit. In superiori parte qua septum toti longitudini callosi corporis continuatur, & inferiori qua superiori parti fornicis cameræve committitur, ipsum crassius quam in media regione exsistit. Quandoquidem humiliorem septi sedem corpus testudinis modo effigiatum ex superiori sua parte educit, quemadmodum superior septi pars ab inferiori callosi corporis regione enascitur producíturque. ¶ Callosum corpus vna cum septo nullis venis neque etiam tenui membrana, vel aliqua etiam parte attextum est, sed e vicinis partibus nutrimentum mutuatur. Non enim adeo grandis, crassaque cerebri est portio, vt priuatis vasis indigeat, quamuis interim magnum vsum animanti præbeat. Huius namque interuentu, dextra cerebri pars sinistræ continuatur. Deinde dextri & sinistri cerebri ventriculorum septum producit, atque id etiam subleuat, ac demum eius septi interuentu attollit, fulcitque testudinis instar effigiatum corpus, quo minus id magno omnium cerebri functionum malo communem duorum ventriculorum cauitatem compressurum delabatur. ¶ Ceterum duo sinus in cerebri substantia profundioris lineæ ritu ad superiorē callosi corporis superficiem incisi, præter hos quod ea cerebri pars calloso corpori producendo inepta sit, idque ex penitiori substantia enasci debeat, ad pituitæ defluxum, e superioribus cerebri partibus facere creduntur, quam excipientes per gibbam callosi corporis superficiem in anteriora profluere sinunt.

Margin notes: Callosi corporis initium. — Dextri sinistrique ventriculorum septi historia.

Marginal letters: A, B, C, D, E.

De cerebri ventriculis. CAP. VI.

Numerus. TRES in cerebro esse ventriculos constat. Vnus quidem in dextra cerebri parte, alter in sinistra, tertius autem in cerebri, seu duorum primorum ventriculorum medio collocatur. Dexter cum sinistro prorsus situ, forma, magnitudine, aliisque omnibus quæ in partium constructione examinari solita sunt respondet. Quare singula quæ de dextro trademus, de sinistro quoque dixisse nos putandum erit. Locatur autem in dextra cerebri parte per totam quasi huius partis longitudinem protensus. Tantum enim antiqua sede a fronte, quantum postica ab occipitio distat. Remouetur autem adeo illis locis ab externa cerebri superficie, quantum ipsius ventriculi

Margin notes: Dextri & sinistri historia. — Situs. — Marginal letter: F.

dextrum,

A dextrum, exteriusve latus a superficie cerebri distat. Internum autem ventriculi dextri latus per callosi corporis longitudinem, sinistri vētriculi interno lateri proximum est: neq; aliud interstitium ambos separat, quam tenuis quædā, & velut quod ad subtilitatem attinet membranea cerebri portiuncula, quam septum præcedenti capite vocauimus, atq; a calloso corpore enatam, toti superiori parti per longitudinem cameræ modo exstructi corporis continuam connatamq; esse diximus. ¶ Dextri itaq; & sinistri ventriculi latera toto spatio quo septū illud porrigitur, quantave callosi corporis est longitudo, minimo interuallo ab inuicē remouētur. Verum vbi in ea cerebri parte consistunt quæ cerebello incumbit, & quæ fronti proxima est, vbi ventriculi latera mutuo maxime distant. Nā præter cerebri membranas, etiam plurima cerebri B substantia ventriculos dirimit. Vnde etiam fit, vt dextrum exteriusve dextri ventriculi latus, nonnihil oblique ducatur. Anterius enim & posterius in dextrum magis, quam in medio accedit, sinistrum autem eius latus sinistrorsum magis media ipsius sede, q̄ eius extremis ꝓtenditur. Anterior & frontem respiciens ventriculi pars obtusa est & rotūda, nec in acutum versus olfactus instrumenta, aut visorios neruos definēs. ¶ Posterior autem ventriculi regio occipitium respiciens, obtusa quidem est & rotunda, at deorsum sensim in cerebri substantiam versus priora paulatim arctata tantisper descendit, donec ibidem desinat, vbi olfactus organorum & visoriorum neruorum consistit principium, & qua maximi soporalium arteriarum rami duram cerebri membranam perforantes in cerebrum feruntur. Atque hic ductus, si longitudinem C spectes, longior est quam media ipsius ventriculi longitudo, quam ab occipitio ad frontem portendi diximus. Et sub media etiam illa longitudine ductus hic in cerebri substantia tenditur, cornu modo in mucronem desinens, qui non in visoriorum neruorum & olfactus organorum initia finit, & quadam continuitate neruos illos, & organa olfactus nequaquam perforat: verum in vnam cerebri reuolutionem ibidem ad cerebri basim terminatur, atque in se maximam cerebrum petentem arteriam cum tenuis membranæ processu illam suffulciente admittit. ¶ Vniuersa igitur vētriculi superficies læuis aqueo humore oblita, & inter dissecandum subinde eodē oppleta conspicitur. Superior ventriculi pars omnis inæqualitatis est expers, quemadmodum & vtraq; latera, nisi quod leuis ille ventriculi obliquus ductus quasi tubera inducere vi-D deatur. Inferiorem ventriculi partem inæqualem efficit sinus quidam, ex posterioris ventriculi sedis externo latere antrorsum oblique ad commuem ventriculorum cauitatem prorepens, atque ad pituitæ leuiorem defluxum paratus. Dein ad inæqualitatem facit ea ventriculi pars, quæ deorsum versus anteriora e posteriori ventriculi sede prorepit. Ille namque ventriculi reflexus vna cum sinu illo in caussa est, vt monticulus quodammodo in anteriori posteriorique inferioris sedis ventriculi regionibus extuberet, qui a dextro latere decliuis ad sinistrum latus fertur, versus communē ventriculorum amplitudinē. ¶ Non est autem aliud cōmunis ventriculorū cauitas, quam inferiorum dextri & sinistri ventriculorum partiū sub corpore testudinis imagini cōparato descensus concursusq;, qui inferiori parte oblongam vallem duorū vicinorum E montium exprimit, acutumve per ipsius longitudinem angulum efformat. Superiori vero sede ad testudinem imitantis corporis effigiem cauitas illa per concauum orbiculata visitur. ¶ Communis hæc amborum ventriculorum cauitas, binos a se educit meatus, quorum vnus insigni satis amplitudine ex humiliori ipsius sede, vbi acutū angulum per totam sui lōgitudinē vallis cuiusdam ritu exprimit, recta deorsum in cerebri substantia insinuatus versus glandem & peluim porrigitur, cerebri pituitam excipientem. ¶ Alter autem meatus qui posterior est, tertii ventriculi non minima pars censendus venit, qui inter cerebri testes & nates ac super dorsalis medullę initium decliuis, ad quartum ventriculum retrorsum pertinet. Meatus huius initium non ad amussim orbiculare visitur, sed quodammodo triangulare. Seruat enim in inferiori se-F de acutum suæ concauitatis, vnde prodit, angulum. In superiori vero meatus parte, quæ glandi vasorum tertium cerebri ventriculum petentium diuisioni præest, proxima conspicitur, transuersa linea anguli illius latera cōnectit, ipsaq; cum illis alios duos angulos constituit. Atq; huiusmodi etiā, meatus ipsius orificiū est, quo quartum ventriculū sub cerebri natib. respicit. Ex inferiori meatus angulo, qua primū inter cerebri

Communis ventriculorum dextri & sinistri concauitas, seu tertii ventriculi historia.

Meatus a tertio ventriculo educti.

testes ferri incipit, meatus alius raro educitur, qui per cerebri substantiam deorsum in priora protensus, tandem ad cyathum vsque peruenit, qui cerebri pituitam excipit. A

Quarti ventriculi historia. Ceterum quartus ventriculus ad quem posterior meatus tertii ventriculi porrigitur, ex dorsalis medullæ & cerebelli finibus componitur, non secus quam si vtraque manu vnam cauitatem fingeres. Totus enim ventriculus in cerebelli corpore haud insculpitur. Dorsalis itaque medulla ex cerebro prodit, vbi tertius ventriculus meatum versus quartum ventriculum primum porrigit, testes ipsi & nates dorsalis medullæ principio continuantur, ac meatum illum tertii ventriculi cum dorsalis medullæ initio æqualiter deducunt, ita vt meatus superior pars illis, inferior autem dorsali medullæ incisa sit. Postquam vero meatus ille nates superauit, eius portio quæ dorsali incisa videtur, dilatari incipit, ac sinum efformat vsq; ad eum fere dorsalis medullæ locum, qua caluariam hæc egressura est pertinentem. B Sinum hunc rectissime Herophilus concauitati assimilauit calami quo scribimus. Nam si huic sinui eam calami partem, quam atramento intingimus, comparaueris, animaduertes calami orificium vbi adhuc calamus teres est, & sectioni vicinus, tertii ventriculi meatus fini respondere, qui sub natibus prominet. ¶ Deinde cuspidem quo literas fingimus, similem obseruabis infimæ sinus parti, qua is in dorsalem medullam iam ex caluaria excisuram, veluti angustum meatum producit. ¶ Duos autem calami angulos, quos inter mucronem & elatissimæ sectionis initium fingimus, cauitatisque calami latera, sinus lateribus simillima offendes. Ad huius cauitatis latera, vbi anguli illi consistunt, vnus vtrobique dorsalis medullæ processus orbicularis habetur, cui duntaxat C cerebellum adnascitur, continuumque cum dorsali medulla corpus efficitur. Atque huiusmodi dorsalis medullæ cauitas est, alteram quarti ventriculi cauitatem constituens. Quæ vero in cerebello spectatur ita se habet. ¶ Inter duas orbiculares cerebelli sedes, quibus dorsali medullæ continuatur, & inter eius cerebelli partis extrema, quæ veluti tertia ipsius portio est, sinus quidam imprimitur, latior quam longior, non tamen admodum profundus, qui alteram quarti ventriculi partem constituit, in anteriori & posteriori sede patentis, quod neque anterior neque posterior cerebelli pars dorsali medullæ adnascatur: quamuis interim sinus hic tenui cerebri membrana & anteriori & posteriori parte occludatur. In anteriori enim parte tenuis membrana, qua cerebellum cerebro & cerebri natibus committit, sinum obuoluit, posteriorem D vero sinus sedem obstruit, eius loci tenuis membranæ portio cerebellum dorsali medullæ ibidem colligans.

Quid singulis insit ventriculis. ¶ *Quartus* ventriculus nihil in se præter aqueum humorem qui & aliis ventriculis communis est continet, quemadmodum neque meatus ex tertio cerebri ventriculo in quartum pertinens. ¶ Porro dexter & sinister præter huiusmodi humorem etiam plexum quendam in se continent, quem dissectionum periti extimo fœtus inuolucro comparant. Communis autem cauitas, seu tertius ventriculus venosum illud vas deducit, quod plexus illius constituendi gratia a quarto duræ membranæ sinu propagatur. Dein anterior quoque horum ventriculorum pars ab illo vase venulas impense graciles interdum assumit.

Ventriculorum vsus. Ventriculi autem cerebri non sunt nisi amplitudines sinusque in quibus attractus per inspirationem aer, vitalisque E spiritus a corde ipsis transmissus, priuatæ cerebri substantiæ vi in animalem spiritum mutatur. Qui postea per neruos ad sensuum motusque instrumenta distribuitur, vt illa huius cerebri spiritus beneficio, & apta suis muniis constructione suo fungantur officio, quo musculi mouent, oculi vident, olfactus organa olfaciunt, auditus instrumenta sonos percipiunt, & lingua sapores dignoscit, & demum omnis pars, cui neruus exporrigitur, tactiles qualitates diiudicat.

De fornice camerave cerebri. Cap. VII.

Nomina. CEREBRI corpus fornicis seu testudinis modo exstructum, vel veluti domus tectum quoddam in sphæræ superficiem concauam circumactum, Græcis καμάριον & ψαλίδιον, quod scilicet eius generis ædificia, qui architecturæ sunt peritiores, appellare F solent καμάρας & ψαλίδας, id est, cameras, fornices seu testudines, Arabibus autem *Zac* & *zachil* dicitur. Id quidem vnicum est, & in cerebri medio repositum, ac pariter vtriusque cerebri partibus commune. Hoc eandem cum calloso corpore substantiam, & parem quoque longitudinem, ac vsum etiam quodammodo eundem adipiscitur. Verum

Καμάρια.

A rum forma ortusque huic peculiaris accidit. Ex posteriori namque dextri & sinistri ventriculorum sede, qua hæc deorsum in priora reflectitur, statim in ipso reflexu corpus quoddam enascitur; similem prorsus cum cerebri ventriculorum substantia sortitum, nisi quod paulo quam ventriculorum substantia candidior, duriorque visitur. ¶ Huius corporis pars, quam dexter ventriculus educit, ei continua est; cuius principium ex sinistro pendet; ac simul ambæ partes latum quoddam corpus efficiunt, quod statim ab ortu a reliqua ventriculorum cerebri substantia abscedit, ac sensim in acutum desinens antrorsum perfertur, ad eum vsq; cerebri locum pertingens; vbi anterior communis dextri & sinistri ventriculi cauitas, tertiive ventriculi pars cessat. Ibidem namque acuto quodam angulo corpus hoc substantiæ cerebri rursus vnitur continuumve est toto reliquo ductu a principio statim inferiori ipsius sede tribus ventriculis nusquam connatum, corporisve alicuius interuentu connexum. ¶ Obtinet itaq; triangularem figuram inæqualibus lateribus conformatam. Ac primum quidem latus, quod & breuissimum est a posteriori sede dextri ventriculi ad posteriorem sinistri protenditur. ¶ *Alterum* in dextro consistit ventriculo, a posteriori ipsius sede versus interiora vsq; ad priorem tertii ventriculi partem protensum. ¶ *Tertium* in sinistro positum ventriculo, secundo lateri longitudine respondet. Secundum duo hæc latera plexus illi prorepunt, qui secundarum formam exprimunt. ¶ Ceterum ii tres huius corporis anguli duntaxat cerebro inferiori corporis sede connati, continuique sunt. Latera enim omnia a cerebro prorsus abscedunt. Superiori vero parte corpus id vnico tantum angulo, qui acutus est, anterioraque spectat, cerebri substantiæ continuatur. Inferiori sede corpus hoc vnica donatur superficie, triangulari testudini fornicive quam simillima. Vnde etiam, & ab vsu veteribus Græcis, vt dictum est, ψαλιδοειδὲς nuncupari cœpit. Hæc superficies, tertii ventriculi elatiorem sedem constituit, ac proinde etiam sub ipsa dextri sinistriq; ventriculi fit communio. ¶ Porro superior huius corporis superficies gibba, ac pro inferioris superficiei cauitatis ratione conuexa visitur, non tamen simplex continuaque, vt illa. Ea namque per corporis longitudinem in medio in acutum quodammodo extuberat, continuaque cum dextri & sinistri ventriculi septo efficitur, adeo vt in vtroque latere vna haberi videatur superficies, quæ in ipso corporis ex posteriori ventriculorum sede exortu impense orbicularis ac oblongæ sphæræ superficiei similis conspicitur. Corporis itaque testudinis modo conformati omnes superficies quæ læues omnino sunt, & aqueo humore perfusæ, tres cerebri spectant ventriculos. Tota enim inferior ipsius superficies tertii ventriculi superiorem sedem, conficit: dextra pars superioris superficiei dextrum respicit ventriculum, sinistra sinistrum. Vt vero ventriculi ipsi neutiquam tenui membrana succinguntur, ita etiam hoc corpus tenui membrana prorsus liberum est, nihil aliud ad sui constructionem præter cerebri substantiam admittens. ¶ Porro natura id creauit, vt instar testudinis, superiorum corporum impetū, quo minus illa corruant, sustinentis, tertium cerebri ventriculum amplum seruet, ac sese ipsum haud concidere sinat. Ad quem vsum, præter aptam constructionem, tres eius anguli quibus se sustinet, auxiliantur. Quinetiam septum ventriculorū callosi corporis beneficio sursum tractū, hoc quoq; corpus subleuat, attollitq;. Quæ quū ita sint, corpus istud magna ex parte tertii ventriculi cauitatem efformat, & sub se vas a quarto duræ membranæ sinu, citra omnem compressionem securissime deduci sinit, quod per tertium ventriculum recta fertur, ac tandem bipartitum in dextrum sinistrumque ventriculum digeritur.

Ortus. Substantia. Figura. B C Ψαλιδοειδὲς. D Vsus. E

De cerebri glande. CAP. VIII.

IVXTA posteriorem testudinis modo formati corporis sedem, qua primum vas venosum ex quarto duræ membranæ sinu in tertium cerebri ventriculum porrigi incipit, glandulam natura condidit nuci pineæ, aut turbinatæ figuræ similem, quæ idcirco veteribus anatomaticis κωνοειδὴς, & κωνάριον est appellata. Reponitur autem sub vasis illius initio, mucrone suo sursum spectans, basi vero cerebri substantiæ incumbit paulo posterius quam meatus initium visitur, qui ex tertio cerebri ventriculo in quartum procedit. Neque profecto aliter ipsius situm exprimere licet, nisi etiam eminentissimæ & anteriori testium cerebri parti glandem inniti dicamus. Huic namque cerebri parti in homine potius innititur in qua quod quadam substantiæ continuitate

Situs. Nomina. F

hic cerebri ſubſtantiæ continua, aut quæpiam cerebri particula cenſenda eſſet. ¶ In A hominibus enim cerebro vix hæret. In agno autem aut prouectioris ætatis oue, cerebro non hæret modo, verumetiam cerebri ſubſtantiæ quodammodo continua cernitur. Inſuper homo eam glandem minorem quam vel agnus ſortitur. Vnde tum hanc ipſam, tũ quæ ſequenti capite deſcribentur inſtrumenta viſurus commodiſſime agninum cerebrũ aggredieris.

Vſus.

¶ Præſens cerebri glans, quæ *cerebri ſubſtantia durior*, magiſque ad glandis quam ad cerebri naturam accedit, meatum qui a tertio cerebri ventriculo in quartum porrigitur non obturat: idq; hoc præcipue nomine, quod haudquaquam meatum adeo contingat, vt ipſius orificium occludere, aperireq; poſſit. Verum ob id facta eſt, vt, quemadmodum aliæ corporis, ſicuti etiam Galenus *lib. 8. de vſu par. cap. 14.* atteſtatur, glandulæ permultæ, firmamentum eſſet vaſi quod tertium cerebri B ventriculum accedit, & ab ortu ſtatim in frequentes ramos tenui membrana contextos diuiditur, idipſum ſuffulciens, ne meatus illius principio ſtatim in ingreſſu incumbens eum obſtrueret, animalemque ſpiritum ex tertio cerebri ventriculo in quartum ferri prohiberet.

De teſtibus & natibus cerebri. CAP. IX.

Numerus.

TESTES hi nateſq; nihil aliud prorſus ſunt, quam quædam cerebri particula in hoc fabricata, vt meatus ex tertio cerebri ventriculo quartũ accedens ventriculum tuto citra aliquem a ſuperioribus cerebri partibus compreſſum deduceretur. Neque etiam, etſi multitudinis nomine particula nominatur, ob id plures diuiſa eſt. Nam vnica cernitur, eleganter a quadã ſimilitudine hæc ſibi nomina, *vt paulo poſt dicemus*, vẽ- C dicans.

Situs.

¶ Reponitur enim illa cerebri pars inter anteriorem cerebelli ſedem, & poſteriorem tertii ventriculi partem. ¶ Deinde inferiori ſede ſpectat dorſalis medullæ initium, ſuperiori eam cerebri partẽ quæ cerebello iam inniti incipit. Continuatur autẽ cerebro, aut, vt rectius dicã, a cerebro naſcitur, tota anteriori ſcilicet ſede ſua & inferiori: in laterib. autem & ſuperiori & poſteriori partibus nulli particulæ continua eſt, ſed tantũ tenui mẽbrana, vt reliqua cerebri ſuperficies, obducitur.

Subſtantia.

¶ Subſtãtia ipſius, quoniam tenui membrana ſuccingitur, ſubflaua eſt, illiq; ſubſtantiæ cerebri reſpõdet, quæ ꝓxime tenui membranæ paſſim accedit. In ſuperiori parte iuxta anteriora, glãdula incumbit ipſi, q̃ paulo ante vaſorum deductui præfectam oſtendimus.

Forma.

¶ Pars hæc effigiem quandã exprimit, duabus ſibi cõmiſſis natib. quam ſimilimam. Verum quo- D niam ſuperior ipſius pars teſtes magis, propter glandẽ illã quæ peni aſſimilatur, refert, veteres qui pueros iure hæreditario, *quemadmodum initio lib. 2. de anato. admini. teſtatur Galenus*, domi in confectionibus exercebant, δίδυμοι eam appellauere.

Δίδυμοι. Teſtes.

Græcos imitati Latini, *teſtes* ipſam & *gemellos* nominãt. ¶ Ceterum quia in poſteriori inferioriq; huius corporis parte ꝓminet orificium meatus illius qui ex tertio vẽtriculo quartum petit, quodq; id orificiũ ſimilitudinẽ ani referre videatur, & in poſteriori huius cerebri partis ſede impreſſio quædã inſtar lineæ tranſuerſim feratur, ſuperiora quodammodo ab inferiorib. diſtinguens, huic poſteriori inferioriq; parti γλουτίων nomen veteres indiderunt, Latini *nates* ſiue *natulas*, aut *clunes* dixerunt.

Nomina. Γλουτία. Nates.

¶ Ceterum temporis progreſſu Græci hæc nomina confudiſſe videntur, & partẽ hanc quę meatum ex tertio ventriculo in E quartũ ſumma Opificis ſolertia deducit, cõtinetq;, modo δίδυμους, modo γλουτία appellaſſe.

De vermiformibus cerebelli proceſſibus. CAP. X.

SVPERIVS *cap. nimirum 4* cerebelli formam explicantes cuiuſmodi vermiformes cerebri proceſſus ſint diximus.

Forma.

Vermis namque imaginem exprimentes cerebelli proceſſus non ſunt aliud, quam prominentior cerebelli ſubſtantia, vermem referens. Siquidem vna quodammodo cerebelli pars a prioribus in poſteriora, veluti in orbem ducitur, eaq; talibus implexa eſt reuolutionibus, vt vermis in ligno naſcentis effigiem appoſitiſſime oſtendat.

Numerus.

¶ Duo huius partis apices, quorum hic anteriorem ventriculi cerebello & dorſali medullæ communis ſedem reſpicit, ille vero poſteriorem a iam dicta ſimilitudine veteribus Græcis σκωληκοειδεῖς, Latinis, *Vermiformes* nuncupantur. Ni- F hil enim aliud ſunt, quam prominentior cerebelli ſubſtantia, σκώληκι, id eſt, *vermem referens*.

Nomina. Vſus. Tendines ſeu ligamẽta vermiformium proceſſuum.

Vſum nullum nec motum alium habent, quam reliqua cerebelli ſubſtantia. Ceterum quas partes Galenus tendines ac veluti vincula appellauit, non ſunt niſi tenuis membranæ partes cerebellum cerebri teſtibus colligantes.

De in-

A *De infundibulo, & glandula pituitam cerebri excipienti.* CAP. XI.

DVOS cerebri esse meatus *cap. 6.* quum tertium cerebri ventriculum prosequeremur, recensuimus. Vnum, qui ex media iam dicti ventriculi sede recta deorsum in cerebri substantia insinuatus descendit, ita sane vt præsentis meatus finis e regione eius caluariæ partis sit, quæ sinum glandulæ qua cerebri pituita excipitur, reponenda aptum constituit. ¶ *Alter*, qui dicto longe arctior secantibus occurrit, ac ex meatu illo deducitur, qui a tertio ventriculo in quartum per cerebri testes natesque pertingit. Quamprimum enim meatus is cerebri testes subire incipit, ex anteriori inferiori ve ipsius sede, alter pituitæ expurgandæ subseruiens cerebri meatus producitur, sensim deorsum in anteriora tãtisper protensus, dum in finẽ primi meatus terminetur, idemque ex ambobus meatibus orificium consurgat.

Meatus ex tertio cerebri ventriculo educti.

Galenus li. 8. cap. 3. de vsu par.

B Ad huius orificii latera, tenuis membrana etiam hic cerebelli basim succingẽs, orbiculatim a se educit sui portionem processum ve, substantia prorsus cum reliqua tenui membrana similem, nisi quod gracilibus prorsus venis, quanquam interim frequentibus, intertexitur. Præsentis processus initium accurate refert latissimã infundibuli regionem, quo in angustioris orificii lagenas vinũ aut alius liquor infunditur. Est enim amplum, & orbiculare. ¶ Ab exortu vero sensim in arctum infundibuli quoq; modo cogitur, donec tandem veluti in angustam oblongamq; fistulam similiter atq; infundibula finiat, quæ deorsum protensa, per peculiare sibi in dura cerebri membrana excisum foramen descendit, suo mucrone ad glandem qua cerebri pituita excipitur desinens. Adeo vt vniuersum hoc membraneum corpus infundibulo, & imagine, & vsu quam simillimum censeri debeat, vnde etiam Græcis χώνη nuncupatur. ¶ Quanquam etiam a scyphi forma, quam superior huius corporis pars exprimit, πύελος appelletur.

Peluis in quam cerebri pituita confluit.

C ¶ Ceterum glans pituitam excipiens locatur sub dura cerebri membrana in proprio ipsi in osse cuneũ imitante exsculpto sinu, cuius etiam effigiem exprimit. Depressa enim est, & in humiliori parte quodammodo gibbosa orbicularisq; in superiori vero concaua, & sinu quodam insinuata, secundum orbem non prorsus circularis conspicitur, verũ paulo minus tota quadrata. ¶ Substantia constat glandulosa, sed ceterarum glandiũ corporis substantia longe duriori & compactiori, omni ex parte tenui obducitur membrana, quæ vt ab infundibuli termino glandulæ sinui innato exoritur, aut etiam a membrana caluariæ os tota illa

Glandis pituitam excipientis historia.

Figura.

Substantia.

D sede succingente, qua in hac regione dura cerebri membrana a caluariæ osse abscedit, distatq;. Huius caluariæ ossi obductæ inibi membranæ interuentu glandula formatur, & etiam duab. insignioribus soporaliũ arteriarum propaginib. adhæret, quæ ad ipsius latera prorepunt. ¶ Ad huius glandis latera deorsum vtrinq; canales duo descendunt, ac vnus quidẽ versus anteriora prorepit in foramen desinens, quod secundum cerebri neruorũ par deducit. Alter vero in posteriora magis descendit, atq; per inęquale asperumq; foramen seu rimam ducitur, quæ ad anteriorem sedem lateraque foraminis quo soporalis arteriæ insigniorem ramum in caluariæ amplitudinem transmittit, habetur. Atque hæc omnia pituitæ cerebri vacuandæ ministrant. Quippe duo meatus, quos in cerebri substantia incisos diximus, ex cerebri ventriculis humorem illum deducunt, atque infundibulum defluere sinunt.

Canales a glande deducti.

Vsus & constructionis ratio.

E Ipsum autem infundibulum superius amplum latumque exstruitur, non horum duntaxat meatuum, qui in vnum tandem orificium desinunt, occasione: verumetiam vt fines illos dextri sinistriq; ventriculorum cerebri contineret, quos ex posteriori ventriculorum sede deorsum in anteriora reflexos inter cerebri reuolutiones hic desinere commemorauimus, quandoquidem & hi suæ sedis pituitã deferunt, atq; in infundibulum exporrigunt. ¶ Præterea infundibulum ea constat amplitudine, vt si quid pituitæ super callosum corpus, & sinus illos colligeretur, quos ad callosi corporis latera conspici retulimus, id ipsum in infundibulum tenuis membranæ beneficio procumberet. ¶ Siue enim eiusmodi humor ab anteriori callosi, ac instar arcus protuberantis corporis sede; siue a posteriori descendat,

F ad tenuem membranã cerebri basim inuestientẽ influere, & hinc paulatim in infundibuli amplitudinem prolabi potest. Infundibulum vero ab omnibus his ductibus pituitã excipiens in angustũ cogitur, vt tandem hãc per vnicum & priuatum sibi in dura membrana patens foramen deducat, ac innoxie in illius glandulæ centrũ promanare sinat. ¶ Glandula autem quadã substantiæ familiaritate defluxus impetum sustinens,

& vt verisimile est, os ab iniuria vindicans, pituitam hanc excipit, ac sensim citra stillicidium a lateribus suis eam vndequaque defluere sinit, per omnia foramina hic in caluariæ basi tum venis, tum arteriis, tum neruis exsculpta. ¶ Decumbit itaque pituita & in palatum per ea quæ illud spectant foramina, & non minima profecto portione per foramen secundi paris neruorum, ad oculorum sedis radicem, & hinc per amplum foramen cum aliis quam plurimis foraminibus in narium amplitudinem fertur. Nulli vero sint meatus animante secundum naturam habente, qui pituitam ad olfactus organorum sinus deducant. Neque enim fieri potest, vt per tenues illos ac neruis similes, cerebri processus ab anterioribus cerebri ventriculis pituita ad nares deducatur, quum nullus omnino in ipsis meatus sit neque etiam ea constent crassitie, vt vel meatum quo pituita deduceretur habere possent. Nec vllus prorsus pituitæ ductus ad olfactus organorum sinus imaginari potest, nisi anterior callosi corporis regio, quæ pituitam sibi influentem, quum animal non recte se habet, in illam sinuum olfactus organorum amplitudinem dimittit, veluti accidit, quando cerebrum nimia pituita vexatur. ¶ Vnde etiam non naturalis per nares pituitæ fluxus perficitur, & pruritus, calor, dolor, & odorandi facultatis noxa, eiusque generis alia symptomata oboriuntur, quemadmodum indies in destillationibus accidere experimur. Quod sane non eueniret, nisi ad sinus organorum olfactus pituita deflueret. Quæ diximus Galenus *lib. 8. de vsu partium, cap. 6.* luculenter admodum confirmat, ita inquiens. ¶ *Sunt autem præter hæc duo alii canales, qui per palatum in os totius cerebri excrementa eructant. Qui duo soli purgando cerebro sufficiunt, quando animal omnino recte habet, alimentumque belle vincit ac percoquit. Quo fit vt prima vtilitas ipsorum a cerebro in nares foraminum, propter quam potissimum facta sunt, non superfluorum excretio, sed ea quidem ex abundanti cerebro male affecto est subsidium. Ante enim superfluorum excretionem est ipsa odorum dignotio, & hac adhuc antiquior, & ad vitam necessaria, in cerebrum inspiratio.* Hactenus Galenus. ¶ Vnde omnibus perspicuũ fit per olfactus organorũ sinus foraminula aut cribri, aut spongiæ modo forata, quum lege naturæ animal se habet, de Galeni etiam sententia nihil pituitæ defluere. ¶ Si autem aliquando defluit, non minus præter naturam fluxum esse fatendum erit, quam quum foramina quæ ad glandis sculpuntur latera totam pituitam non ad amussim deducunt, hæcque deorsum versus foramen dorsali medullæ transmittẽdæ paratum decumbit, ac cum dorsali prolabens, in dorsum, & dein per neruorum ductum modo in brachia, modo in crura, modo in lumborũ musculos, modo alio quouis permanat.

Nulli sunt in animante secũdum naturam se habente meatus qui pituitam ad olfactus organa deducunt.

A B C D

De olfactus organo. Cap. XIII.

Varia est de olfactus instrumento nostræ tempestatis tum Medicorum, tum Philosophorum sententia, ac dissensio, non aliunde nisi ex anatomes imperitia nata. Quapropter vt de eo etiam hic breuiter agamus ordinis ratio ac necessitas ipsa postulare videtur. Recentiores autem propemodum omnes organum olfactus esse tradunt duas caruncula, id est, paruas portiones carnosas, cauas, ac spongiæ modo perforatas, similes mammillarum capitibus seu papillis sub cerebro intra craneum proxime supra nares, vel in fine narium in medio duorum oculorum in fronte locatas. Verum ridiculum admodum est, quod carunculas vocant cerebri anfractuum reuolutionumque apices, ac ad frontis ossis sedem versus superciliorum medium protuberantia eiusdem tubercula. ¶ Erroris autem occasionem illis præbuit, quod carnis quasi modo iam dicta tubercula rubeant. Quia vero prominent, carnisque modo rubent, mammillares etiam processus nominarunt. Non esse autem hos processus olfactus organa anatomes ratio satis monstrat. Quippe mammillares hi processus non ad narium fines sed ad ossis frontis sedem versus superciliorum medium pertingunt ac protuberant, ideoque quum in se vapores a rebus odoratis delatos recipere nequeant vt odoratus sint instrumenta, fieri non potest. Legitima vero olfactus organa a sede vbi ventriculorum angusti termini, desinunt, vt *cap. 6.* diximus, enascuntur. Hinc enim vtrinque a cerebro alba mollisque prodit substantia, quæ in progressu etiam cerebro tenuis membranæ interuentu colligatur, quousque ad sinus octaui capitis ossis pertingat, qui olfactus organis priuatim parati sunt. Ad posteriorem enim horum sinuum sedem albicantes neruisque non absimiles cerebri processus, a cerebro abscedunt, neque amplius tenui membranæ cõnati, in suũ singuli porriguntur sinum:

Recentiorum de organo auditus sententia confutatur.

Vera sententia de iis organis.

E F

A num: & adhuc antrorsum magis protensi ad sinuum finem, seu anteriorem ipsorum
sedem desinunt, sinibus suffulti; ac cerebro interim proxime accumbentes. Nam etsi
cerebro in sinuum regione non amplius adnascantur, nihilominus ipsi perpetuo at-
tenduntur, illique sunt contermini. ¶ Hi processus, *uti dictum est*, cerebri, ductu, colo-
re, formaque neruis respondent: quamuis interim longe neruis ipsis molliores sint,
pauloque latiores quam profundiores. Verum quia ii reliquorum neruorum ritu, ne-
que extra caluariæ, neq; extra magnam duræ membranæ amplitudinem procedunt,
veteres anatomici nerui nomine non dignati sunt. Atque hæc legitima & germana de
olfactus organis est sententia, quam etiam sequi videtur Galenus, vt ex sequentibus
clarissime patebit. Nec obstat quod is *libro 8. de vsu partium, cap. 6. & lib. 3. de labo. locis cap.*
B *vlt. & lib. 4. Simp. cap. 20.* olfactus sensorium in anterioribus ventriculis cerebri statuere
videtur. Nã ea loca nõ ita esse accipienda iudico, quasi Galenus simpliciter & præcise
olfactus organum in anterioribus cerebri ventriculis locarit, sed quod in eorundem
potius angustis extremitatibus seu terminis, vt comprehensum est, idipsum esse vo-
luerit. Quod euidenter monstrant ea quæ scribit *libro 7. de placitis Hippo. & Platonis in fi-
ne fere*, vbi seipsum interpretatur sic inquiens: *Superest vnius olfactus instrumentum, quod
non in narium meatibus sedem habet, sed in terminis anteriorum cerebri ventriculorum quo na-
rium meatus pertingunt*. Hæc ille per πέρασι, hoc est, terminos seu extremitates non intel-
ligo nisi prædictos ex anterioribus cerebri ventriculis cerebri processus albicantes,
neruisque similes. Atque id per πέρασι intellexisse Galenum, ex aliis etiam eiusdem lo-
C cis fit manifestissimum, quorum primus est *in lib. 8. de vsu par. cap. 6.* vbi ita scriptum reli-
quit. *Facultatum*, ait, *alia odorum, alia saporum, alia sonorum, alia colorum est diiudicatrix. Odo-
rum quidem, ab vtroque cerebri ventriculo ad nares longus est processus, nihil ab ipsis ventriculis
discrepans.* Hic enim diserte quæ sit sua de olfactus organo sententia exponit, nec esse
illud nisi longos illos processus ad nares vsque protensos. Neque enim mammillares
cerebri processus, anfractuumque eius apices intelligere potuit, quod scilicet illi ad
nares non pertingant. Alter locus est *lib. 11. de vsu par. cap. 12.* vbi inquit. *Eius generis esse
ostendimus, os olfactus instrumento præpositum, quod ἠθμοειδὲς nuncupatur.* Vnde iterum perspi-
cuum fit Galenum non præcise anteriores cerebri ventriculos organo olfactus dixis-
se, quod illi non sint ossi ἠθμοειδεῖ præpositi, sed illorum tantum extremitates processus-
D ve ex illis natos, & animalem spiritum ad narium fines deferentes ad sinus qui sunt
octauo capitis ossi incisi pertingunt, organa olfactus esse dixit. ¶ Atque hinc est, quod
os etiam illud multis foraminibus odorum gratia, *Galeno etiam ipso libro 8. de vsu partium,
cap. 6 & 7, attestante*, peruium, hocque nomine ἠθμοειδὲς dictum sit. Hæc ad Galeni de ol-
factus organo sententiam enucleandam sufficere arbitramur.

De oculo visus instrumento. CAP. XIIII.

OCVLI Græcis ὀφθαλμοὶ dicti, in capite loco edito, & parte anteriore, quod nemi- Nomina.
nem latet, siti, gemini sunt, vt cætera sensuum instrumenta, & substantia molles, Situs. Numerus.
& sphæræ modo exacte rotundi. Ipsos autem natura ad securitatem varie muniuit Substantia.
palpebris, ac ciliis, cute, & musculis, *vt lib. 2. cap 4. 5. & 6. copiose diximus.* ¶ Ceterum Forma.
E constat oculus ex septem tunicis, & tribus humoribus, quod rectissime intelligemus, Partes & constructio
si exorsi ab oculi centro, ad extimam eius superficiem vsque progrediemur. Quod oculi.
perinde erit, ac si quis oui constructionem ab ipsius luteo ad album, & deinde ad te-
nuem membranulam albo obductam, & postea ad putamen egrederetur. ¶ Oculi
itaque centrum est humor, qui Græcis κρυσταλλοειδής, Latinis *Glacialis* nuncupatur a simi-
litudine nimirum, quam cum lucidissima glacie obtinet, non quidem in consisten-
tia & duritia, verum in colore. Albus enim, clarus, lucidus, splendens, & mediocri- Color.
ter durus est. Quippe ab oculo exemtus non est exacte rotundus, sed anteriori & po-
steriori parte leuiter compressus, ad lentis fere similitudinem, vnde etiam Græcis
φακοειδὴς dictus est. Superficie constat & læui & insigniter lubrica. ¶ Vniuersæ ipsius an- Tunica.
F teriori sedi tunicula obnascitur instar tenuissimæ ceparum pelliculæ nulla parte po- Ἀραχνοει-
steriorem ipsius sedem contingens, sed inibi finiens, vbi crystallinus humor amplissi- δὴς.
mus cernitur, & ipsius capacior consisteret circulus, si illum multis æque distantibus
circulis seu lineis orbiculatim obuolutum fingeremus. ¶ Hæc tunicula non modo
cepe tenui tunicæ, sed & araneæ telis similis est. Vnde a continua araneæ telarum

Galeni de olfactus organo sententia.

imagine Græcis ἀραχνοειδὴς dicta est. Respondet enim tenuitati, nequaquam autem robore & duritia, illis aranearum telis. Sit igitur præsens tunica secunda in oculi constructione nobis enarrata pars, quæ quidem anteriori tantum centri, hoc est, humoris crystallini, sedi obducitur, ac veluti semiglobus tantum in oculi fabrica censenda venit. Porro posterior humoris crystallini sedes arachnoide tunicula non tecta, in alio continetur humore, qui instar medii globi in posteriore oculi sede copiosus reponitur, vulgari quidem albo vitro iam refrigerato colore seu luciditate respondens. ¶ Consistentia humore crystallino longe mollior visitur, & ab oculo exemtus suam formam neutiquam seruat: quamuis interim aquæ modo non defluat, sed ita consistat, quemadmodum vitrum in fornacibus fusum, & ferreis canalibus, quibus id ab artificibus a fornace eximitur, obuolui cernimus. Quum itaque præsens humor consistātia fuso vitro, colore autem seu luciditate refrigerato & formato iam vitro respondeat, Græcis ὑαλοειδὴς, Latinis vero *vitreus* merito est appellatus. Hic præterea humor multis numeris copiam crystallini humoris superans, quum adhuc in oculo reponitur semiglobo similis est, cuius plana superficies oculi anteriora spectat, rotunda vero seu conuexa in posteriora protendit: & cuius anterioris sedis, seu planæ superficiei medio sinus imprimitur tantus quanta posterior humoris crystallini pars est. Is enim humori vitreo ita innititur, ac si globum in aqua natantem cerneres, cuius media pars exacte in aquam mergitur, altera supra aquam conspicua. ¶ Ceterum quum primum nerui visorii substantia in oculum fertur, mollior reddita dilatatur, in latam quandam tunicam toti posteriori vitrei humoris sedi proxime obductam, & non vltra mediam oculi sedem in anteriora pertinens, & extreme gracilibus, sed interim conspicuis venulis, ac item arteriis intertexta. Hæ venulæ a tunicæ radice antrorsum ductæ ipsi exporriguntur, quum primum neruus ille dilatatur. Hæc tunicæ forma dimidiato tantum ouo comparatur, aut minori piscatorum reti, quod vni accommodatur baculo, & ex ampla basi dimidiati globi modo in obtusum mucronem fertur. Ab huiusmodi retis imagine præsens tunica Græcis ἀμφιβληστροειδὴς, Latinis *retiformis* dicta est. Hæc a plerisque, *vt Galenus libro 10. de vsu partium, capite 2. auctor est*, tunicæ nomine non dignatur, quod scilicet ceterarum tunicarum modo membranea non sit, sed mollis, & veluti mucor aliquis ex naribus procidens. Quum enim hæc tunica secantibus in vnum colligitur, atque a sua radice propendet, mucorem, aut cerebri substantiam aqua quapiam dilutam refert. Non enim ita solida crassaque ac cerebri substantia videtur. Atque hactenus quatuor oculi partes recensuimus, duos nimirum humores, crystallinum scilicet & vitreum, & totidem tunicas, arachnoiden nimirum & retiformem. Nunc itaque eam aggrediemur tunicam, quæ a tenui membrana nerui visorii substantiam concomitante producitur. Mox enim atque hac membrana simul cum neruo oculum subit, in tunicam degenerat ad omnes oculi sedes globi modo pertinentem. Non enim vt paulo ante commemorata tunica, quam nerui producebat substantia, posteriorem oculi sedem solum occupat, verum & anteriori quoque obducitur, & in tota posteriori oculi sede proxime tunicam inuestit a nerui substantia pronatam, & in horum contactu prorsus nihil mediat, neque ambo etiam inuicem aliquo nexu præterquam contactu committuntur. Qua autem præsens tunica anteriori oculi sedi obducitur, interna sua superficie vndiq; aqueum humorem, de quo paulo post dicemus contingit & complectitur. ¶ Externa vero huius tunicæ superficies passim ea tunica proxime obducitur, quæ dura nominatur, neq; quicquam inter eas duas interuenit. ¶ Porro vueæ tunicæ id priuatim accidit, quod exacti globi modo prorsus non sit rotunda. Nam anteriori regione nonnihil introrsum comprimitur, aliqua sui parte planam superficiem pro conuexa ac orbiculari commonstrans. Quum enim hæc ad eam vsq; anterioris oculi sedis regionem pertingit, secundū quam maior oculi educitur circulus, quem iridem vocamus, aut quo albū oculi a nigro distinguitur, & ea tunicæ pars consistit quam corneam appellabimus, ipsa ab hac abscedit q̃ dura procreat membrana, neq; amplius illam contingens inibi in posteriora comprimitur. Neq; hac dūtaxat cōpressione donatur, verūetiam huius compressionis medio, foramine quodā peruia est, q; minimā in oculo apparentem efformat circulum, quod & Græcis κόρη, nobis *pupilla* nominatur.

Margin notes: Vitreus humor. — Tunica retiformis. — Ἀμφιβληστροειδὴς — Tunica vuea. — Iris. — Pupilla. Κόρη.

Adeo

A Adeo vt hæc tunica vuæ folliculo a quo pedunculum quo affirmatur extraxeris, quã simillima sit; præsertim si vuam illic parum concidisse; & vt fit vacuari intelligas, vbi pedunculum extraxeris. Totus enim vuæ folliculus tunicæ huic respondebit. Ea autem concidentia illi respondebit compressioni, quam in anteriori parte hæc tunica sibi vendicat. Foramen vero quo pedunculus firmabatur, ipsi pupillæ comparatur. Atque ab hac similitudine Græci præsentem tunicam ῥαγοειδῆ, Latini autem *Vueam* appellant. Dicitur vero etiam χοροειδὴς, tum quod a tenui cerebri membrana, quam Græci etiam χοροειδῆ nuncupant; tum quod ipsa venas arteriasq; oculi sustinet, perinde atq; tenuis membrana cerebri vasa suffulcit: vel quod multorũ vasorum instar inuolucri fœtus quod χόριον, id est, *secunda* vocatur, sit vinculum. Hinc est, quod nostris *secunda* ῥαγοειδής. χοροειδής.

B appelletur. Qua enim vuea tunica dura obducitur, venarum arteriarumque surculi ab hac in vueam pertingunt, & vueã ita exasperant, vt hac quoq; ex parte internæ superficiei folliculi vuæ accedat, quæ fibras illas cõtinet, quib. vuæ caro & acini sustinentur. ¶ Eorũ itaq; vasorũ surculorũ interuẽtu, vuea duræ cõnascitur tunicæ. Qua vero vuea ab illa secundũ iridis circulum abscedit, introrsumq; premitur, vuea ptinaciter secũdum totum circuli ductum ipsi adnascitur, & colorem euariat. Vuea nanque tota superficie qua dura tunica succingitur, perpetuo nigra est, & modice humecta. In anteriori autem suæ compressionis sede varie tingitur, eumque semper exprimit colorem, qui in oculi iride seu maiori circulo, aut oculi nigro occurrit, cuius gratia oculos nigros, aut cæsios, aut glaucos dicimus. Neutiquam enim is color humorum oculi be- Vueæ colores.

C neficio consurgit. Ceterum interna vueæ superficies variis interstinguitur colorib. in posteriori enim oculi sede, qua hæc primum pronascitur, subalba est, mox viridis, & dein cœrulea iridis in modum efficitur. In anteriori autem oculi sede vniuersa impense nigricat, & non adeo læuis hic atque in posteriori sede visitur: quod illi potissimum accidit propter progressus, quos a se in hac parte educit tunicam formaturos, quæ anteriori vitrei humoris sedi obducitur, & veluti interstitiũ est vitrei & aquei humoris, quæ ciliis palpebrarumue pilis adsimilatur, & orbiculatim lineæ modo crystallino humori, vbi is amplissimus est adnascitur. Porro dura oculi tunica a dura cerebri membrana visorium neruum inuestiente pronascitur. Tunica ciliciis palpebrarumve pilis simillima. Dura oculi tunica.

D Quum primum enim hæc membrana oculi posteriori sedi applantatur, dilatescit, & crassior ac durior ipsa cerebri dura membrana euadens, orbiculatim vndique oculo obducitur, tam in anteriora, quam in posteriora pertingens. Etsi vero passim sibi similis est, tamen haud simplici donatur nomine. Qua enim posteriorem oculi sedem constituit, & in anteriori sede ad maiorem oculi circulum seu iridem vsque pertingit, crassa & dura est: Vnde σκληρὸς Græcis nuncupatur: & dein *dura cerebri membrana modo opaca, & minime pellucida*. Ea vero sede qua oculi nigrũ seu iris cõsistit, hæc tunica in cornu imaginẽ degenerat, quod in laminas diuisum, & exacte læuigatum, vitri alicui⁹ loco lucernæ accommodatur, pellucidumq; est. Atq; hinc est quod hanc Græci κερατοειδῆ Latini vero *Corneam* appellauerint. Interna hu⁹ tunicæ supficies tota ea sede σκληρὸς. Carnea tunica. κερατοειδής.

E qua cornu modo non pellucet, vueam tunicam absq; alicuius substantiæ interuentu succingit, ipsiq; venarum & arteriarum gratia, vt dictũ est, adnascitur, quẽadmodum illi etiam pertinacissime ac orbiculatim adnectitur, secundum maiorem oculi circulum seu iridem. Ceterum hoc interuallum, & vniuersum spacium quod inter anteriorem crystallini humoris sedem & pupillam habetur, humore illo adimpletur, qui aquæ modo tenuis quodãmodo secãtib. & suffusiones curantib. occurrit, & insigniter aquæ instar pellucidus cernitur: vnde etiam Græcis ὑδατοειδὴς, nobis vero aqueus nominatur. Quanquam plerique hunc oui humori comparantes, albugineum nuncupent. ¶ Hic humor vueæ tunicæ partem corneæ in sano oculo non contiguam sustinet, & vt dictum est, in priori ac posteriori eius partib. continetur: atq; quum in oculo consistit, termino alieno clauditur; vitrei humoris modo dimidium exprimit glo- Humor aqueus. ὑδατοειδής.

F bum, cui⁹ posterior pars, quæ plana cõstat supficie, tantum habet sinum, quanta in anteriora ptuberans crystallini humoris pars est. Anterior autem aquei humoris sedes gibba, dimidiatique globi instar rotunda est. ¶ Ceterum externa duræ tunicæ superficies tota sede qua pellucida cernitur, ac reuera cornea exsistit, admodum læuis est, & lubrica: verum reliqua sede ita aspera inæqualisque visitur, quemadmo-

dum inuicem connatæ membranæ ad mutuum contactum exasperantur. Posteriori enim duræ membranæ sedi præter venas, & arterias ipsi implicitas musculus inseritur, qui musculorum oculum mouentium septimus est. Lateribus autem & superiori, ac inferiori externæ huius superficiei sedibus neruosæ tenuitates musculorum sex primorum oculos mouentium, inseruntur. Deinde anteriori quoque duræ tunicæ parti ad iridem vsque tunica obnascitur, quæ eo quod oculum contineat, & vicinis partibus committat, Græcis ἐπιπεφυκὼς, Latinis *adhærens*, Barbaris *Coniunctiua* vocatur. Alba quoque, a colore, quem obtinet, nuncupata. Hæc anteriori tantum oculi sedi obducta tenuis est, illi continua, qua internam palpebrarum sedem inuestit, oculique partium numero adscribitur. Atque hæc de oculis dixisse satis sit. Plura de iis *lib. 10. de vsu partium*, Galenus habet. A B

Adhærens albave oculi tunica.

De neruis generatim. Cap. XV.

QVVM de omnibus iam propemodum instrumentis cerebri functionibus famulantibus dixerimus, reliquum est vt hoc loco de neruis, vt qui animalem spiritum ex cerebro ad vniuersa animalis membra deducunt, aliquid etiam subiiciamus. Initio autem quid neruus sit exponemus, dein quæ sit illorum differentia breuiter narrabimus. Neruus igitur est instrumentum longum, teres, nullam intus cauitatem, quæ sensu dignosci queat, in sui medio obtinens e caluaria, vel dorsi vertebris elapsum ac demum animalem spiritum a cerebro ad corporis partis deferẽs. ¶ Hoc instrumẽtum *Galeno li. 1. de motu musc. teste*, Græci a functione sua duob. nominibus nuncuparũt νεῦρα & τόνοι. Siquidem νεῦρα a νεύειν, τόνοι a τείνειν appellantes, quod scilicet musculi neruorum potissimum ope & nutare, & tendere valeant. Vniuscuiusq; autem nerui natura triplici constat substantia, media scilic. quæ intimæ arborum medullæ quam simillima est. Hæc haud dubie a cerebro vel dorsali medulla initiũ ducit, cõstipatæ & coagulatæ induratæq; substãtiæ cerebri omnino respondens. Exteriorib. duabus vna quæ intimæ substantiæ propinquior est, a tenui cerebri membrana orta. Altera a dura, vt enim cerebrum iis induitur, ita quoq; processus a cerebro propagati, ipsi nimirum nerui, illis integuntur, & ita per corporis partes prorepunt. ¶ Ex iam dictis vero satis constat, & hoc ipsum Hyppocrates, Galenus, & alii veteres dissectionis professores vno consensu affirmant, quod cerebrum, & dorsalis medulla sit neruorum principium, ac origo, & nequaquam cor, *vt Aristoteles censuit*, quod in corporis dissectione nullus neruus ab ipso pronasci videatur. Siquidem nullus omnino neruulus cordi committitur, præter vnum impense gracilem, quem sinister sexti paris neruorum cerebri neruus distribuit, *vt suo loco latius dicemus*. ¶ Adhæc fibræ in cordis ventriculis cõspicuæ excarnesq;, qui duntaxat membranarum processus sunt, in neruorum numero minime veniunt reponendæ. Quemadmodum autẽ cerebri, & ex ipso pronascentis dorsalis medullæ substantia, omni ex parte non eandem seruat duritiem, neq; formam: ita quoq; nerui ab iis originem sumentes, inuicẽ substantia non correspondent, sed duritie, ac mollitie plurimum variant: id quod mirabili industria summi rerum Opificis est factum. Sensus nanque organa neruo indigent molli. Neruo quidem, quia sensus est instrumentum, quodque ad suum munus obeundum multo animali spiritu indigeat. Molli autem, quoniam affici, & disponi quodammodo oporteat, & pati aliquid ab extrinsecus occurrente sensibili. Est enim ad patiendum quidem aptius molle, ad agendum vero, & ad robur durum, *vt copiosius, li. 8. de vsu par. cap. 5. Galenus monstrat*. ¶ Propterea igitur sensus organa mollibus, ceteræ partes quas moueri necessum est, durioribus neruis donantur. Vnde etiam sensus instrumenta, quæ motu aguntur voluntario, vt oculus & lingua, duplex neruorum genus sibi vendicant, vnum quidem sensui, alterum vero motui præfectum. Merito itaq; neruorum ex cerebro, & dorsali medulla, processus nõ eandem exortus sedem nanciscuntur, neq; iidem duct⁹ meatusque mollibus, ac duris neruis exsculpuntur. Illi enim ex mollib. & anterioribus cerebri basis sedibus, hi vero ex posterioribus ipsaq; dorsali medulla principium ducunt. Rursus illi quidem recta, hi autem tortuose longoq; itinere prorepunt. ¶ Ceterum naturæ triplex fuit in neruis distribuendis scopus. *Vnus* gratia sensus in sensoriis. Alter occasione motus ad partes, quas moueri operæprecium fuit. ¶ *Tertius* autẽ in ceteris partib. vniuersis ad tristantiũ dignotionẽ. At quoniã ex necessitate tactus sensus C D E F

Neruus quid. Nomina.

νεῦρ. τόν⊙.

Ortus neruorum.

Neruorum differẽtia. A mollitie, & duritia.

Naturæ in neruis digerendis scopus triplex.

A ſus omni adeſt neruo, propterea muſculos, & ſenſus organa virtus amplior, quam egebant ad tactilium dignotionem, ſubſecuta eſt. ¶ Reliquis autem partibus tactus ſenſu tantum indigentibus ex proportione nerui offeruntur. Viſceribus enim, verbi gratia, pulmoni, iecori, lieni, quia in alto latitant, graciles tantum neruorum ſurculi offeruntur. In cutem vero quod prima extrinſecus occurſantibus obuiam eat, complures ſoboles paſſim digeruntur. ¶ Porro differunt nerui etiam originis forma: Alioqui n. & præcipue molliores continuo, neq; quaſi in plures ſurculos deducto corpore, exoriuntur, proceduntq;. Alii tanquam plures funiculi inuicem connexi ex cerebro prodeunt. Alii etiam in ipſo ortu ſurculos hos veluti funiculos inuicem diſtantes, ac ſingulos propria tenuis membranæ portione circundatos habent. ¶ A ſerie etiã B ſumitur differentia, q alii integri in aliquam partem abſumantur. Alii in plures diremi ſurculos, quoſdam muſculis offerunt, quoſdam cuti, quoſdam oſſib. quoſdam ſenſus organo. Quas ſingulas differentias in priuatis neruorum deſcriptionibus abunde perſequemur. ¶ Iam reliquum erit, vt ſingulorum neruorum ſeriem explicemus, orſi a paribus quæ a cerebro oriuntur, deinceps ea quæ ſpinalis medulla educit recenſebimus. Quippe nullus neruus neque a cerebro, neq; a dorſali medulla inconiugatus prodit, ſed perpetuo alter ad dextram, alter ad ſiniſtram eadem prorſus diſtributionis ſerie, ſitum obtinet.

A forma.

A ſerie.

Quod neruorum a cerebro ortorum ſint paria. Cap. XVI.

C NERVI omnes a cerebro pronati, quia geniculatim in caluariæ amplitudine, quã cerebrum continetur, originem ducunt, Græcis συζυγίαι, Latinis *paria*, ſeu *coniugia neruorum* appellantur. Sunt autem Marini, Galeni, & aliorum diſſectionis profeſſorum teſtimonio, ſeptem paria. Nam paulo poſterius, quam olfactus organa, vtrinque a cerebri baſi vnus exoritur neruus omnium corporis neruorum facile molliſſimus, & circunferentia ceteris, qui ex pluribus inuicem coeuntibus non conflantur neruis craſſior. Vterque neruus ſub cerebri baſi qua ſinui innititur, cui glandula inſidet cerebri pituitam excipiens, antrorſum nonnihil oblique fertur, dextro quidem neruo ſiniſtrorſum, ſiniſtro autem dextrorſum protenſo. In progreſſu moxque ab ipſo ortu ambo inuicem coeunt, atque in eum permiſcentur modum, vt dextrum D a ſiniſtro nulla prorſus ratione queas diſcernere. Hi nerui a congreſſu e caluaria ducendi inuicem mox dirimuntur, & per foramina ipſorum nomine inſculpta, in oculorum ſedes extra caluariæ cauitatem procidunt. ¶ In oculos vbi ſubierunt, in latam degenerant expandunturve tunicam vitreo humori proximam, & mediam oculi duntaxat ſedem ambientem, ac dilatatæ cerebri ſubſtantiæ admodum ſimilẽ, & mollẽ nihilq; minus quam mẽbraneam. ¶ Hinc anatomicorum nõnulli hanc tunicam, quæ a retis forma, *Retiformis* dicta eſt, tunicã appellare haud quaquã, *vt c. 14. diximus*, dignati ſunt. ¶ Inter reliquos autem corporis neruos, ii ſoli meatu qui ſenſu diiudicari poſſit, perforati dicuntur. ¶ Quapropter Græcis, Herophilo præſertim, & Eudemo, πόροι ὀπτικοί, Latinis *meatus*, aliis *nerui viſorii*, nominati ſunt, *vt in libello de diſſ. neruorum Gale-* E *nus fuſius docet*. ¶ Coniugii ſecundi nerui paulo poſterius, quã viſorii ex cerebri baſis laterib. principium ducunt, quod hæc cerebri regio nonnihil durior illa ſit, a qua viſoriorum origo ſumitur. Vt autem craſſitie plurimum viſoriis cedunt, ita duritia eos ſuperant. Atq; id merito accidit, ſiquidem muſculis oculorum inſerendos, duriores ipſis viſoriis eſſe oportuit. Prorepunt vtrinq; ſub cerebri baſis latere ad foramen in oculorum ſedis radice ſibi cum aliis aliquot vaſis cõmune. Quamprimum autẽ e caluariæ excidunt amplitudine, in ramos vterq; diſſectus ſeptem muſculis oculo propriis ramulos offert, illorum motibus præfectus. ¶ *Tertium* par duplici radice vtrinq; principium ſumit. Vna quidem craſſiori, cui opportune tertii paris nomen accõmodaueris, altera autem tenuiori, & duriori, & neq; in ipſo exortu, neq; etiam in pgreſſu craſſio-F ri radici commiſſa. ¶ Huius enim initium non modico in poſteriora interuallo, ab illius exortu diſtat, adeo ſane, vt verius graciliorem hanc radicem peculiare par, quam tertii paris portionem quis eſſe aſſereret. ¶ At quum omnes diſſectionis proceres hanc tertio pari adſcripſerint, neque nos ordinem illum manifeſtioris doctrinæ gratia turbabimus. ¶ Exoritur itaque gracilior hæc tertii paris radix a la-

Primum neruorum par.

Nerui viſorii.

Secundum par.

Tertium par.

Tenuioris radicis ortus, & ſeries.

tere basis cerebri, vbi dorsalis medulla ab ipsa initium ducere auspicatur. Hinc recto A
tramite sub cerebri basi antrorsum progrediens, duram cerebri membranam perforat, & secundo neruorum pari attensa cum ipso per commune foramen in oculi sedem procidit, ilico in quatuor dissecta propagines. ¶ Quarum *prima* sursum in adipe oculorum musculis obducto excurrens, per peculiare foramen ad frontis cutem, & musculosam huius sedis substantiam digeritur, frontis cutis, & palpebris superioris motibus præfecta. ¶ *Secunda* propago deorsum ducta, mox in foramen sibi priuatim exsculptum fertur, quousque in anteriorem superioris maxillæ sedem prolabatur, ac multiplici serie dispensetur in musculos superius labrum, & nasi alam extrorsum in suo latere mouentes, ac demum in ipsum labrum, & incisoriorum dentiũ
gingiuas. ¶ *Tertia* foramine etiam priuato vtens, post caruncu lam in interiori angulo B
oculi conspicuam, narium adit amplitudinem, inibi in narium degenerans tunicam, & ramulum exporrigens tenui, & membraneo musculo introrsum nasi alam contrahenti. ¶ *Quarta* ꝓpago iam dictis crassitie non inferior, per foramen seu scissuram potius, quæ inter primum maxillæ superioris os, & cuneiforme in extimo latere sedis oculi conspicitur, ad internam sedem temporalis musculi contendit, tota in eũ musculum absumenda. ¶ Crassior tertii paris radix a latere basis cerebri, anterius tamẽ prin-

Crassioris origo.

cipium sumens, recta deorsum tendit, foramen, q̃ ipsi & quarto neruorum pari, huic radici proximo, cœlatur, plabens. Hæc statim ab egressu ꝓpaginem diffundit, quæ vitis, aut cucurbitæ capreoli instar inuoluitur, duriorque paulatim efficitur, ac binos
tandem quinti paris neruorum cerebri ramulos in consortium admittens, ipsisq; vni- C
tus in temporalem musculum inseritur, ac in illum qui a iugali osse enatus priuatim mansorius dicitur, ramulos porrigit, deinde & musculis buccas mouentibus, ipsique demum faciei cuti in buccis etiam surculos offert. ¶ Postquã vero crassior hæc radix ꝓpaginem hanc capreoli modo intortã expromsit, nõnihil deorsum magis descẽdẽs, surculũ deriuat, qui antrorsũ duct⁹ gingiuæ molariũ dentium, ipsisque adeo dentibus seriatim soboles distribuit. ¶ Dein priusquam decliuis ducta maior hæc radix linguam contingat, ramum posteriori ex parte germinat vtrunq; insignem, qui musculo in ore delitescenti, & maxillam inferiorem attollenti insertus, inferioris maxillæ foramen adit. ¶ In foramen delapsus tantisper antrorsum fertur, quousq; sui lateris dẽtiũ
inferioris maxillæ radicib. singulas soboles offerat, quarum beneficio dentes inter ce- D
tera hominis, ossa euidentius molestantium occursum sentiunt. ¶ Neque vere ramus hic vniuersus in dentes absumitur, imo non minima ipsius portio per foramen in anteriori maxillæ sede insculptum excidit, dextri sedi inferioris labri complures surculos deriuans. At maior portio crassioris radicis, quando linguæ basi committitur, cum alterius lateris neruo linguæ tunicam efformat, aptum saporibus dignoscendis instrumentum. ¶ Deinde & exiguos quoq; surculos penitius in lin-

Gustatorius neruus Quartum par.

guæ substantiam dispensat. Vt itaque primum par visus, ita hoc tertium gustus censetur instrumentum, gustatoriusq; neruus merito appellatur. ¶ *Quartum* par tertio pari nonnihil gracilius duriusq; est. Exoritur enim a dorsali medullæ principio poste-
rius paulo quam tertium par, sed antrorsum modice tensum posteriori tertii paris se- E
di committitur, atque vna cum illo per commune ipsis foramen ex capitis amplitudine, seu cerebri sede, ad palatum elabitur: quo simulatque peruenit, in surculos quosdam partitum, in palati tunicam degenerat. Quæ quum linguæ tunica aliquanto sit durior, iure etiam quartum par posterius tertio pari originem ducit, ac proinde etiã palati tunica hebetiori sensu quam linguæ tunica donatur ¶ *Quintum* par nonnihil

Quintum par.

quarto crassius, ac veluti plurib. enatum surculis inuicem mox ab ortu connexis principium ducit, ex media propemodum dorsalis medullæ sede. Hoc par vniuersum per foramen fertur impense tortuosum, & priuatim ipsi incisum, quousque in cauitatem pertingat, auditus organo præparatam: vbi varie discinditur, & propagines quasdam

Auditus instrumentum.

membranæ modo dilatatas huius cauitatis sedibus offert, auditus organi non in- F
fimam partem constituens. ¶ Præter has vero propagines duos educit neruulos, qui seorsum per proprium foramen elabuntur. *Vnus* quidem per transuersum ducitur foramen, quod etiam admittit venulam in auditus organum excurrentem. Hic neruul⁹ non procul ab egressu tertii paris ramo commiscetur, instar vitis capreoli inuoluto.

Alter

A *Alter* vero per foramen repit impense arctum, & insigniter quoque tortuosum, & immissam illi setam non admittens, ob idque etiam *cæcum* appellatum. Neruulus iste transuersim supra musculum ducitur, qui a iugali osse pronatus inferiorem maxillam mouet. Vbi vero ad anterius vsque eius musculi latus antrorsum prorepsit, dicto tertii paris ramo commiscetur, in genarum cutem, & musculos buccæ motuum auctores digerendus. Atq; illi demum duo sunt ramuli, quos tertii paris ramo capreoli ritu inflexo commiscere superius diximus. ¶ Porro quemadmodum iuxta tertii paris præcipuam radicē, alia quædā radix enascitur tertio pari adscripta, simili etiā ratione iuxta quintum neruorum par interius paululum alia exoritur radix, quinti paris radici multo gracilior, sed quodā modo durior. ¶ Hæc sursum versus priora sub cerebri basi aliquandiu ꝓtensa, duram cerebri mēbranam perforat, ac per proprium foramen sub secundi paris foramine exsculptū, e caluaria procidens in temporalem musculum, illūque digeritur qui in ore delitescens, inferioris maxillæ ad superiora motus auctor censetur. ¶ Hanc radicē cum sua coniuge liceret peculiaris cōiugii loco recensere. Verū ne aliorum anatomicorum numerum perturbemus, hos neruulos quinto pari adscribemus, haud secus minorem tenuioremq; tertii paris radicem tertio pari adnumerauimus. ¶ In temporalem itaq; musculum quinq; neruorum pertingunt ꝓpagines, prima quidem a graciliori tertii paris radice, secunda a maiori radice, tertia autem, & quarta a quinti paris primario educuntur neruo. ¶ *Quinta* vero is demum neruus est, quem iam quinto pari connumerauimus. Neque sane frustra tot neruorum C soboles temporali musculo natura exporrexit. Sciebat enim hunc musculum pro sua mole omnium corporis musculorum validissimam functionem obiturum. Item quū haud ignoraret, quam molles illi essent nerui quos a cerebro eduxit, summa prouidentia illos quoad licuit ex ossium cōtactu, itinerisq; longitudine voluit indurescere. ¶ Ceterum reliquorum parium, quæ in caluariæ amplitudine principium ducunt, nullum æque sparsam ramorum edit sobolem, neq; in tam multas easdemque varias inseritur partes, atque sextum, quod paulo inferius quinto pari aliquot distinctis, & a se inuicem diremtis surculis initium sumit, qui mutuo mox ab initio commissi, vnum efformant neruum, qui per foramen caluariam egreditur, quod arteriæ soporalis minorem ramum, & grandiorem internæ iugularis venæ ramum simul admittit. ¶ Neruus hic non procul ab egressu in musculos posteriorem ceruicis sedem occupantes ramum diffundit numerosa vtcunque serie soboles digestum, quarum præcipuæ musculo exporriguntr scapulam mouentium secundo. Ipse autem sexti paris truncus soporariæ arteriæ & septimo pari cohæret, & simul cum ipsis membranæ interuentu connexus, ad laryngis vsque latera protenditur, ibi portionem a septimo pari assumens, illaque se augens. Dein quum hanc asciuit portionem laryngis musculis ramulos transuersim exhibet. ¶ Sunt autem illi musculi duo scutiformi laryngis cartilagini duntaxat proprii, qui ex stomacho gulæve posteriori sede pronati, eius cartilaginis lateribus inseruntur. Deinde duo tertiæ cartilaginis basim occupantes, & duo ex illis qui primam cartilaginem secundæ committunt. ¶ Hinc vero sextum hoc par soporali arteria, & interna iugulari concomitatum, ad thoracis vsque elatiorem descendit sedem, ac mox insignem vtcunque propaginem ad primæ thoracis vertebræ latus seu potius ad anteriorem primæ thoracis costæ radicis sedem deriuat, quæ sub mēbrana costas succingēte, secundum costarum radices ꝓrepens, a neruis in costarum interualla a dorsali medulla exporrectis surculos quosdam assumit. ¶ Quum vero hæc ꝓpago eiusmodi adaucta surculis, septū transuersum prætergressa est, in cibi potusq; organa vt postea fusiꝰ dicemꝰ, dispensatur. Præter hanc ꝓpaginem sexti paris neruꝰ iuxta superiorē thoracis sedē ramulos musculo offert, a pectoris osse, & clauicula ad mammillarem capitis processum deducto, & a capitis motibus subseruienti. Dein & musculo qui os *v* referens hinc a pectore accedit. ¶ Præterea & illi qui hinc ad F infirmam primæ cartilaginis laryngis sedem perfertur. Huiusmodi sane vtrorumque sexti paris neruorum priusquam thoracis cauitatem subeant series est. ¶ Quum autem dexter sexti paris neruus thoracis cauitatem ingressus est, atque inter arterias & venas in iugulo repit, ab interiori ipsius latere modo tres, modo duos inuicem mox succedentes diffundit ramulos reuersiuum dextri lateris neruum

Cæcum foramen.

Sextum par.

Dexter neruus recurrens.

(Marginal letters: A, B, C, D, E, F)

constituentes. Ramuli enim isti ad arteriam quæ in dextram alam exporrigitur, veluti ad trochleæ rotulam reuoluti, simul coeunt, neruumque vnum efformant, ad dextrum asperæ arteriæ latus sursum excurrentem. ¶ Quum primum n. ex illis ramulis, quorum loco interdum simplex visitur, vn⁹ cõflatur neru⁹, qui asperæ arteriæ lat⁹ petit & mẽbranæ interuentu ipsi adnex⁹ ad dextrum vsq; laryngis latus properat, glandulæ incumbens, quæ aliis glandulis neque colore, neq; substantia respondens, laryngis radici vtrinq; adnascitur. ¶ Ilico autem atque neruus laryngem contingit, in plures partitur soboles, in sui lateris musculos, *quos paulo post explicabimus digerendas.* ¶ Sinister iam in thoracis cauitatem ingressus, arteriæ in sinistram propagatæ ramulos qui sursum reflecterentur de se exporrigere nequit, quod ea oblique sursum, non autem arteriæ dextræ modo, transuersim in alam contendat. Haud quaquam enim æque tuta ad obliquum atque transuersum chordæ alicuius reflexus perficitur, imo hæc si ad obliquum baculum reuoluitur, sensim sursum conscendit, eandem reflexus sedem nunquam seruans: ac proinde sinister neruus tantisper versus cordis basim descẽdit, quousq; extra cordis inuolucrũ arteriæ magnæ contingat truncum, qui deorsum ad spinam explicatur. ¶ Atq; hic mox tres, aut etiam pauciores a neruo educuntur surculi, qui ad arteriæ truncum, qua is ad spinam deflectitur reuoluti, inuicem vniuntur, sinistrumque neruum recurrentem constituunt. ¶ Qui sursum properans, membranæ beneficio asperæ arteriæ sinistro lateri attenditur: ac quum primum laryngem contingit, non minus quam dexter neruus in ramos deriuatur, qui omnes in sui lateris musculos deorsum capita fines autem sursum habentes, cessant. ¶ Sunt autẽ hi, si vtriusq; lateris musculos iunxeris, quatuor secundæ cartilagini tertiam nectentes quorum benefi io tertia cartilago retrorsum atq; in latera ducitur, & laryngis ligula adaperitur. ¶ Præterea duo tertiam cartilaginem primæ iungentes, qui laryngis rimulam claudunt. His præter alios nonnullos accedunt linguæ musculi, ab ossis referẽtis medio vt linguam moueant pronati. Quum n. præsentes musculi inferius sua sortiuntur capita nulla ex hac sexta coniugatione descendente propago ad ipsos distribui potuit, sed fuit necessarium vt a partib⁹ infernis nerui ipsis ab eodemque pari immitterentur, *quemadmodum copiosius li. 7. de vsu par. c. 14. & lib. 16, cap. 4. Galenus qui hos neruorum inflexus omnium primus reperit prosequitur.* ¶ Postquam iam sexti paris nerui, reuersiuos expromsere, ac iam cordis basim spectant, ramulos duos notatu dignæ crassitudinis in pulmonum tunicam, & membraneum cordis inuolucrum dispergunt. Item a ramulis sinistram cordis inuolucri sedem implicantibus, atque a sinistro sexti paris neruo depromtis, surculus quidam cordis inuolucrum ibi permeat, vbi id sinistro lateri arterialis venæ vnitur. ¶ Atq; hic surculus oppido quam tenuis, & non nisi accuratissime sectionem administranti obui⁹, ipsi arteriali venæ adnascitur, & ad sinistrum ipsius latus versus posteriora tamen magis exporrectus, in cordis basim fertur, inibi mox in soboles capillorum modo gracillimas consumtus, ac cordis basis superficiei vix proprius. ¶ Ceterum quod ex neruis sexti paris reliquum est deorsum ad stomachum defertur: ac dexter quidem dextro ipsius attenditur lateri, sinister autem sinistro. ¶ Mox vero atq; hi nerui stomacho mẽbranæ interuentu laxe adnectuntur, singuli in binos partiũtur ramos, adeo obliq; secundum stomachum cõuolutos, vt dextri nerui rami sinistrã ipsius sedem in progressu obtineant, sinistri autem rami dextram sedem amplexentur. ¶ Atq; ita quatuor præsentes rami septum transuersum vna cum stomacho permeant, nullos prorsus in transgressu septo surculos offerentes. ¶ Verum sparsa admodum serie superius ventriculi os ambiunt, contexuntq; ramos in priora, & posteriora corporis ventriculi spargentes. Ab iis ramis qui dextrum huius orificii latus implicãt, propago vtcunque insignis depromitur, quæ per ventriculi superiora secundum ipsi⁹ latitudinem inferius ventriculi orificium accedit, in progressu anteriori posteriorique ventriculi sedibus soboles quasdam diffundens. ¶ Quum vero illa propago inferius orificium superauit, venæ portæ instrata in iecoris cauum properat, ibidem in iecoris membranam absumenda. Dextri nerui sexti paris ramus, quem ante recurrentium neruorum principia costarum radicibus sub tunica costas succingente exporrigi, aliorumque neruorum per costarum interualla excurrentium congressu augeri diximus, simulatque septum transuersum vna cum grandi arteria prætergressus

Marginal notes: Sinister recurrens. — Reuersiui nerui cur facti. — Gal. libr. 4. de labo. lo. cap. 7.

Margin letters: A B C D E F

A sus est, propagines diffundere incipit, ac primam quidem inferiori membranæ omenti offert transuersim iecoris cauum adeuntem. Propago hæc in ipso ductu inferiori omenti membranæ ramum exhibet, qui deorsum tensus, atque in surculos dissectus, tum ipse membranæ omenti in dextra parte implicatur, tũ etiam colo intestino, vbi id huic membranæ tanquam ad mesenterium committitur. Deinde alius ramus ab illa propagine duodeno intestino, & ieiuni initio deducitur adeo gracilis, vt interdum conspici nequeat. Post hunc longe crassior superiori membranæ omenti depromitur, qui dextram sedem fundi vẽtriculi perreptans, multas soboles ventriculo, & ipsi omento communicat. Quod autem primæ illius propaginis adhuc superest, iecoris cauo, & bilis vesiculæ surculos prębet. *Secundam* vero propaginem sexti paris ramus dextri lateris costa-
B rum radicibus attensus, in dextrum renem, & pinguem membranam ipsi obductam digerit. *Tertiam* iam dictis grandiorem diffundit ad dextram mesenterii sedem, & in intestina mesenterio hic connata spargendam. Quod autem eius rami reliquum est, subinde in vesicam, & mulieribus in vteri fundum dextra ex parte cessat. Vesica enim & vterus quoque suos neruos a dorsali medulla in sacro osse deducta mutuantur. Ad eundem fere modum sinistri sexti paris nerui ramus costarum exporrectus radicibus digeritur. Propaginem enim inferiori membranæ omenti largitur transuersim in lienis cauum porrectam, quę in progressu, anteaquam lienem cõtingit, duos diffundit surculos in humiliorem omenti membranam, & colum intestinum, qua ventriculo hic attenditur, dispersos. Deinde aliam sobolem emittit illis surculis crassiorem, quę sinistram fun-
C di ventriculi sedem perreptans, ventriculo ipsique superiori membranæ omenti per multa germina deriuat. Mox quoque a propaginibus lienis cauo se inserentibus, exiles ramuli sinistrum ventriculi latus accedunt, illis concomitati venis & arteriis, quas a lienem petentibus vasis huc reflecti diximus. *Secundam* propaginem ramus ille sinistris exporrectus costis, mesenterio & sui lateris intestinis offert, & post hanc tertiam sinistro reni exhibet, ac demum ipsius reliquo sinistram vesicæ, ac fundi vteri sedem interdum amplectitur. Neruorum cerebri septimum, & vltimum par, vt ceteris paribus durius est, sic quoque ex duriori nascitur principio. Incipit enim aliquot inuicem distantibus surculis, a dorsali medulla, vbi modo caluariam est egressura. Hinc in anteriora modice tensum, & ipsius surculis in vnum coeuntibus, per foramen procidit, sibi priuatim ex-
D sculptum. Simulatque vero septimum id par caluariam superauit, sexto cohæret pari, & propagines aliquot dispensat musculis, qui a processibus stylum imitantib. principium ducunt. Hinc ad linguæ vsque radicem descendens, in plures deducitur soboles, quæ linguæ musculos, & ossis v referentis, & omnes laryngis musculos superius non connumeratos, implicantur, eorumque musculorum motibus præsunt. Verum præter illas soboles, vltimum par non minimam ipsius portionem sexti pari neruorum cerebri ad linguæ radicem inibi offert, sextum par illa portione adaugens.

De dorsali medulla, & neruorum ab ipso prodeuntium numero. CAP. XVII.

DOrsalis medulla neruorum modo substantiæ cerebri, a qua & nequaquam a ce-
E rebello, quod dorsali medullæ potius innititur, originem sumit, respondens, quãto magis a cerebro recedit, protenditurque, tanto etiam neruorum ritu, compactior duriorque efficitur. Variat plurimum ab aliorum ossium medulla impense humida, propemodumque fluxili. Hæc enim, & præcipue ipsius substantia mollior pinguiorque pinguedini assimilatur, in ossium finibus nutriendi humectandique gratia, asseruata. Quinetiam hæc medulla nec cerebri, aut dorsalis medullæ membranis tegitur, neque vlla illi cum sensus instrumentis, aut musculis communio existit. Quare nulla ratione dorsali medullæ similis est, quæ non paruam, cum musculis communionem sibi vendicat. Quippe si rerum Opifex hanc non produxisset, duorum alterum subsecutum fuisset: aut enim omnes partes corporis capite inferiores, ac a nerui sexti
F paris neruorum cerebri propagines nullas admittentes, motu destituerentur arbitrario, tristantiumque sensu priuarentur: aut neruum in singulas partes a cerebro deriuari necessum fuisset. Verum si motu caruissent, tunc homo non amplius animal, sed lapideæ, luteæue respondisset statuæ. A cerebro autem in singulas partes exiguum & grandem neruum porrigere, artificis esset neruorum securitatem nihili penden-

Dorsalis medullæ ab ossium medulla differentia.

Dorsalis medullæ procreandæ necessitas. Lib. 12. de vsu par. cap. 11.

tis. Nam non solum gracilem neruum, vt qui rumpi confringique possit, longo progressu deduci non erat tutum, verum ne aliud quoddam validorum etiam organorum, & minus adhuc venam & arteriam. Hæ enim, vt dorsalis medulla, a propria origine grandes amplæque enascentes instar caudicis, in progressu varie discinduntur, & quum corporis partibus appropinquant, surculos singulis partibus offerunt, qui materiam ipsis a principio oblatam communicent. Vnde etiam satius fuit dorsalem medullam velut fluuium aliquem ex fonte, nimirum cerebro, effluentem, per eam sedem, qua transit geniculatim neruos tanquam sensus & motus arbitrarii vectores, germinare, vti modo rerum Opifex probe est molitus. Ceterum quando dorsalis medulla instar alterius cerebri omnibus propemodum partibus sub capite positis censetur, hanc quoque oportebat similiter ac cerebrum duro & ferendis iniuriis pertinaci munimento, ac velut propugnaculo, cingi. Cuiusmodi vero id sit in libro primo, vbi vertebrarum structuram prosecuti sumus, abunde dictum est. Præterea duræ etiam membranæ dorsalem medullam amplexantur, iis omnino specie respondentes, quibus cerebrum obuoluitur, etiam si distantia inuicem non congruant. Crassam enim seu duram cerebri membranam a tenui in caluaria distare, gratia distentionis contractionisque vasorum tenuis membranæ, & ipsius adeo cerebri diximus. In vertebrarum autem finibus, vbi membranæ dorsalem medullam ambiunt, dura tenuem contingit. Atque hoc vno inuicem membranæ pugnant, ac eo propterea, quod tertium quoddam inuolucrum egregie validum nerueumque duabus illis, quæ dorsali obducuntur membranis extrinsecus circumdatur. Merito autem duæ membranæ, dura nimirum & tenuis, ei circumuoluuntur, vna quidem præcipue vt colliget simul vasa, quæ in eam excurrunt, & totam substantiam eius vtcunque mollem constringat: alia, vt inuolucrum efficiatur, & a circumdatis ossibus muniat, ipsaque etiam ossa & cerebrum & dorsalem medullam ambiant, velut propugnaculum quoddam & murus, sufficiens citra noxam excipere impetum eorum, quæ aut secare, aut frangere, aut aliter nocere possunt. Porro quoniam cerebrum tenuisque membranæ vasa pulsant, crassam membranam tanto interuallo, a tenui membrana in caluaria priuatim distat, quantum ipsis dum dilatantur, suscipiendis sat sit. Quoniam vero dorsalis medulla non pulsat neque distenditur, vtræque membranæ simul coeunt coalescuntque, ne minimum quidem mutuo dissitæ. Quum vero nullus, qui sensu dignosci possit motus capitis ossibus adsit, in vertebris vero motus sit varius, dorsali medullæ tertium id inuolucrum obiectum visitur. Nam nobis dorsum flectentibus, ob idque etiam dorsali medulla necessario flexa tensaque, hæc promte nullo eiusmodi inuolucro succincta frangeretur. At dorsalem medullam vnicam, vti & cerebri sedes, a qua principium ducit vnica simplexque est, iuste a natura factam esse, neminem latere arbitror: quum homini duo dorsa procreati fuisset plane ridiculum atque ad plurimas actiones ineptum, quodque dorsalis medulla validior per vertebras simplex, quam gemina prorepat. Per totam itaque ceruicem, & ad thoracis vsque medium, aliquando & inferius nonnihil simplex ac indiuisa mollisque adhuc deorsum fertur, neruos duntaxat geniculatim a se diffundens. Quum vero thoracis medium perrepsit, vt duris ac motui potissimum seruientibus propagandis neruis idonea redderetur, non simplex amplius, sed in innumeras soboles secta descendit, non aliter profecto, quam si frequentes multasque tenuissimas chordulas simul recta tensas membranæ cuipiam illigares, ac deinde singula foramina, per quæ nerui prosiliunt, vnam atque alteram chordulam ex mutuo illo connexu tantisper distribueres, quousque vnica tantum superesset chordula, dorsalis medullæ fini respondens. Ad eum namque modum dorsalis medulla in neruos absumitur, qui per foramina in vertebris exsculpta elabuntur. Porro nerui, quos dorsalis medulla per vertebras ducta, ac paulatim in progressu gracilescens distribuit, dissectionis professoribus sexaginta, & interdum quinquaginta octo enumerantur, modo triginta, modo viginti nouem complexi paribus. A dorsalis enim medullæ sede septem ceruicis contenta vertebris, septena exsiliunt paria. A medullæ autem sede per thoracis vecta vertebras, duodena dependent paria. A quibusuis autem lumborum vertebris, quina. Ab osse sacro, sena. Quamuis interim quinque inferiora sacri ossis neruorum paria, si quando id sex efformetur

Marginalia: Dorsalis qui munita. — Ossibus spinæ. Membranis. — Membranarum vsus. — Dorsalis vnica cur. — Quot neruorum paria a dorsali discindantur.

Side letters: A, B, C, D, E, F

A efformetur ossibus; quodammodo gemina dici possint, quum nerui vtriusq; antrorsum & retrorsum ducantur ab vna radice vix enati. Dorsalis vero medullæ terminus ex osse sacro procidens, neruus non censetur, neq; in ramulos qui neruorum nomen merentur cessat.

Septem neruorum parium e ceruicis vertebris prosilientium series.

CAP. XVIII.

NATVRA primo ceruicis pari, & secundo, & ceterorum ceruicis, aut thoracis neruorum ritu, sed peculiari quodam, duarum primarum vertebrarum articulationibus impedita, viam insculpsit, ac duos vtriusque paris, quemadmodum & in sacro osse, vtrinque machinata est exortus, vnum quidem anteriori corporis sedi, alterum vero posteriori exporrigens. ¶ Quippe vt posteriori primi paris propagini concinne via præpararetur, natura in primæ vertebræ eminentiori sede ad radicem posterioremque regionem ipsius cum capite articulationis sinum cœlauit, atque hic etiam occipitis ossi sinum insculpens foramen effecit primæ ceruicis vertebræ, ipsique occipitis ossi commune. Ne si fortasse integrum foramen illi tenui vertebræ insculpsisset, ipsa quum alioquin magno indigeat robore, multis perforationib. inualida redderetur. ¶ Quinetiam quo foramē id arctius esse possit, natura posteriorem primi paris exortum gracilem effecit, eumq; in quarti & quinti musculorum caput mouentium parium musculos distribuit, ac dextra quidem propago in dextri lateris deperditur musculos, sinistra autem in sinistri. ¶ Ceterum ab hoc posteriori primi paris exortu seu propagine surculus etiam deducitur in principium musculi a transuerso primæ ceruicis vertebræ processu, & aliquot subsequentium vertebrarum principium sumentis, ac scapulam sursum attrahentis. Altera primi paris propago non semper conspicua, nimis quam gracilis est, atque ab anteriori dorsalis medullæ regione enata, excidit inter primam ceruicis vertebram & occipitis os, iuxta latus teretis ligamenti secundæ vertebræ processum, qui denti assimilatur, occipitio colligantis. Hæc propago vti gracillima est, ita etiam mox in musculos absumitur, qui anteriori vertebrarum sedi obnati, dorsum mouentium primum par recensentur. ¶ *Secundum neruorum par*, quando prorsus ex lateribus subsequentium parium modo pronasci nequiuit, vtpote ab articulatione duarum superiorum vertebrarum offendendum, aut quod si foramen inibi vertebris esset insinuatum, articulationis robur omnino infirmaretur. Natura vertebrarum noxam fugiens, secundū par vt frequentius, binis exortib. seu propaginibus exoriri operæ precium putauit. Ac posteriorem propaginem, quæ anteriori longe est crassior, per latera posterioris secundæ vertebræ processus, qui spina vocatur, eduxit, ibidem opportunissimum tutissimumque iter machinata. Præsens propago quum vtrisque primi paris propaginibus crassior sit, in plures quoque diuiditur ramos. Simulatque enim prodiit, in duos crassitie impares discinditur, ac crassior a prioribus quodammodo ad posteriora sursum transuersim tendit, ex spinæ nimirum secundæ vertebræ lateribus, versus spinæ medium, vbi mutuus est vtriusque lateris musculorum posteriorem ceruicis regionem occupantium congressus. Ramus iste tertii paris sobole huc exporrecta coauctus, ac ex dictorum iam musculorum medio in exteriora prolapsus, contrario penitus ductu ex posterioribus sursum in priora ad caput cōtendit, atq; inibi in vniuersam capitis cutē tā quæ circa aures, quā quæ post aures ad verticis vsq; summum habetur, surculos spargit. Ceterum posterioris secundi paris propaginis minor ramus in proximiorum musculorum principia diuaricatur. Sunt autem illi tertii & sexti paris musculi, qui capitis motibus præsunt. Anterior secundi paris propago admodum gracilis, ab anteriori dorsalis medullæ sede originē mutuatur, atque inter secundam & primam elabitur vertebram ad latus radicis, eius secundæ vertebræ processus, quem dentem nominamus. ¶ Digeritur autem hæc propago mox in musculos anteriori ceruicis vertebrarum sedi adnatos, qui primum par musculorum dorsi motus auctorum constituunt. ¶ *Tertium neruorum par* ex communi foramine secundæ ceruicis vertebræ & tertiæ procidit, mox ab egressu in duos discissum ramos. Posterior retrorsum flectitur, ac inter musculos ceruicē extendentes, qui dorsum mouentium septimus & octauus sunt, ac deinde inter caput mouentium secundum par occultatus, ad secundæ vertebræ spinam contendit, atq;

Primi paris series. Gal. libr. 13. de vsu par. cap. 4.

Galenus loco citatus cap. 5.

Secundi paris series.

Tertii paris series.

hinc ex mutuo musculorum posteriorem ceruicis sedem occupantium concursu in posteriora excidens ad ceruicis properat latera, musculo suffultus, qui ex carnea constitutus membrana buccarum motus opifex est. ¶ *Anterior autem tertii paris ramus,* in quatuor spargitur propagines, ac prima musculos dorsum mouentium primum ac secundum implicat. ¶ *Secunda propago decliuis* ducta quartum adit par neruorum, cuidam ipsius surculo commiscenda, in dictos iam musculos absumto. ¶ Tertia autē sursum contendit, ac posterioris secundi paris propaginis rami in verticis cutem excurrenti congreditur, vna cum illo dispergenda. ¶ *Quarta autem tertii paris* anterioris ramo propago in musculos digeritur, qui transuersis vertebrarum processibus connati, ceruicem in latera mouent, & eum pariter qui a transuersis vertebrarum ceruicis processibus principium ducens, scapulam sursum vellit. ¶ *Quartum ceruicis neruorum* par e communi tertiæ & quartæ vertebrarum foramine excidens, tertio pari similiter in duos partitur ramos. ¶ Posterior aliorū qui retrorsum ad spinam inter musculos occultati reflectuntur modo, versus tertiæ ceruicis vertebræ spinam contendit, in ꝓgressu illis quibus intertexitur musculis, surculos diffundens. ¶ Quando autē spinā cōtingit, per mutuū elabitur congressum, musculorum posteriorē ceruicis regionem occupantiū, atq; hinc in latum membraneumq; digeritur musculum buccarum motus auctorē præcipuū. Anterior autem quarti paris ramus, ternas educit propagines, ac viā promit, cui tertii paris propago commiscetur, quæq; in musculos deperditur stomacho substratos, ac ceruicem flectentes. ¶ Secūdam vero propaginem in musculos distribuit vertebrarum lateribus adnatos, cuiusmodi sunt quorum beneficio ceruix in latera ducitur, ac is qui a transuersis colli vertebrarum processibus principium ducēs, scapulam sursum allicit. ¶ Tertia ꝓpago duabus iā dictis gracilior decliuis fertur, cum quinti paris sobole congressura ac simul cum illa, & sexti paris ꝓpagine septi trāsuersi neruū constitutura. ¶ Quinto pari, quinta vertebra cum quarta viā præbet. Ipsum vero similiter atq; quartum in duos discinditur ramos, ac posteriorē ad spinarum apices retorquet, eodem prorsus modo digerendum, quo posteriorem quarti paris ramum digeri diximus. At prior anteriorve ramus, primum sobolem spargit musculis ceruicem flectantibus. Dein grandiorem depromit, qui deorsum repens ramulos vtrisq; vicini paris, quarti nimirum & sexti excipit, & illis adauctus, neruum septi transuersi efformat, qui præcipua quinti paris constat propagine, & exigua sobole quarti paris, & item exigua sobole sexti. Interdum vero & septimi paris surculus septi transuersi neruo accedit. At tunc quarti paris soboles ipsi nulla offertur. Atque hæc sane regio admodum industriæ septo transuerso neruos elargitur. Variat enim id a ceteris musculis non figura solum, verum & functione. Orbicularis enim formæ, *vt libr. 2. dictum est*, visitur, & situ obliquo donatur. Mox caput ipsius a quo fibræ dependent, non vt quispiam arbitraretur, ex pectoris osse, aut costarum Cartilaginibus, aut vertebrarum corporibus educitur, sed in media totius septi regione, quæ neruosa est, id consistit. Ac proinde neruos fibris illis motum largituros, eo prorepere ab alio operæ precium fuit, vt in vniuersam ipsius sedem suam vim ex æquo diffunderent. Si vero Natura neruos septi partibus, quæ pectoris ossi, costis, & vertebris connascuntur, inseruisset, septi finis in ipsius medio haberetur: quum neruos in musculorum initia potius quam fines exporrigi Anatomes professoribus axioma sit. Atque hac ratione septum duntaxat neruos a ceruicis vertebris mutuatur. ¶ Longo enim progressu eos ducere, quum possent ex proximis sedibus emitti, Opificis esset ignorantis, quid magis in fabrica conduceret. Hac igitur occasione septo sublimes transmittuntur nerui, vniuersum thoracem perreptantes. Ne vero in progressu periclitarentur, eos interseptientibus thoracem membranis adnexuit, vnū neruū singulis mēbranis exteriꝰ firmans. ¶ Neq; profecto minorem conditoris industriā arguit, id quod adhuc anterioris quinti paris neruorum ceruicis est reliquum, atque in musculum præcipue inseritur, cuius auxilio brachium attollimus. Hic enim quia ingens graueque membrum impēse sursum attollere debebat, forti validoq; indigebat neruo, quem natura ipsi securissime a commemorata quinti paris portione deduxit. Nam ab hac portione ramulos quosdam porrigens musculis scapulam attollentibus, primum ab externo huius portionis latere neruum deriuat, qui foras

Marginalia: A; Quarti paris series. B; C; Quinti paris series. D; Septi transuersi neruorum constitutio. Gal. libr. 13. de vsu par. cap. 5. E; Reliquum anterioris rami quinti paris. F

A ras emergens, atque in multas scissus soboles cutem implicat, qua attollens brachium musculus integitur. Dein reliqua portio in profundo recondita, simulatque scapulæ approqinquat, in duos magnitudine impares partitur ramos. ¶ Anterior qui & gracilior est, sub summi humeri cum clauicula connexu porrigitur, & musculi brachium attollentis parti soboles spargit, quæ a summo humero & clauicula inibi principium ducit. ¶ Atq; hic ramus cuti nullum exporrigit surculũ, nisi interdum extreme gracilem, aliquousq; humeraria vena concomitatũ. ¶ Posterior vero ei⁹ quinti paris portionis, quam in profundo reconditam ferri dixim⁹, ram⁹, qui anteriori crassior est, postquam gracilem expromsit ramulum musculo hinc a scapula sursum ad os ν referens proficiscenti, insidet foraminis instar semicirculi in scapulæ elatiori costa exsculpto. In B hoc foramine posterior hic ramus vena quoque & tenui arteria concomitatus, mox propaginem diffundit musculo sinum occupanti, qui inter scapulæ spinam & elatiorem ipsius costam habetur. ¶ Insuper in musculi brachium attollentis sedem digeritur, a scapulæ spina, & summo humero pronatam. Verum hic ramus in præsentem musculum non totus exhauritur; sed surculo quopiam cutem brachii externæ sedi obductam adit, quem secundum exterius latus insertionis ramus ille ab alto transmittit, quam musculus is brachium attollens in humerum molitur. Eadem sane industria & a succedentibus neruorum paribus in brachium progredientibus ad musculos scapulam mouentes, nerui transmittuntur qui omnes intimis musculorum sedibus potissimum inseruntur. ¶ *Sextum par* sub quinta vertebra excidens, eadem cum C cæteris paribus serie ad ceruicis musculos posteriorem ramum dispensat, tum eos, qui ceruicis & capitis præsunt motibus, tum illorum capita qui respiratione opifices ex ceruice thoracem accedunt. ¶ Quanquam & hi potissimum ipsorum neruos a septimo pari & octauo quoq; seu primo thoracis pari mutuentur. ¶ Anterior autem sexti paris portio, postquam neruum expromsit, qui quinti paris portioni ad neruũ septi transuersi constituendum permiscetur, cum contiguis paribus, septimo nimirum & octauo coit, & varie rursus discinditur, neruos vna cum proximis paribus effomatura, qui in manum contendunt. ¶ Priuatim vero præter cetera ceruicis paria, sextum par portionem notatu dignam deorsum ad scapulæ cauum transmittit, & rami quoq; tum ab hoc, tum etiam a ceteris coniugiis ad musculos digeruntur; qui scapulam D sursum ducunt. Validis enim & magnam molem attollentibus musculis, varias quoque ac frequentes neruorum propagines inseri est consentaneum. ¶ Septimi etiam paris ex cõmuni sextæ & septimi ceruicis vertebrarũ foramine prolabentis, magn⁹ cũ duabus proximis coniugationibus sexta videlicet ac octaua congressus perficitur, atque huius potissima portio in manum fertur. Ab hoc enim pari & quinto & sexto ceruicis, & primo & secundo thoracis vertebrarum, omnes manus nerui propagantur, qui numero sex sunt, vt infra latius dicemus. ¶ Ceterum septimum hoc par, interdum ramulum septi transuersi neruo offert, & perpetuo ramum in posteriora ad spinam ducit, qui præter ceteras propagines in musculos posteriori ceruicis sedi instratos digestas, aliquot etiam offert lato membraneoque musculo, qui buccas mo- E uet, atque ex carnea membrana constituitur. In hunc enim musculum a quinti paris neruorum cerebri propagine per cæcum foramen exciderite, ac dein ab omnibus parib. vertebrarũ ceruicis, si primũ excipias, soboles pertingunt, vniuersæ secundum musculi fibrarum ductũ exporrectæ, ac proinde ad venas & ligamenta multifariam reflexæ, ac cuti etiam communicatæ.

Sexti paris series.

Musculi respirationis opifices quibus a vertebris neruos suos recipiunt.

Septimi paris series.

Duodecim parium neruorum dorsalis medullæ thoracis complexæ vertebris series.

CAP. XIX.

P*Rimum neruorum par*, inter septimam ceruicis vertebrarum & thoracis primam, quinque humiliorum ceruicis parium modo exiliens, opportune, superioribus dorsalis medullæ neruorum paribus comparatam octauum nuncupabitur. Hoc simulatque F excidit, in duos impares diductum ramos; posteriorem, qui gracilior est, retrorsum ad spinam inter musculos vertebris hic adnatos reconditum detorquet, a quo in progressu surculos accipit radix musculi a prima thoracis costa in transuersos ceruicis vertebrarum processus inserti, ac ceruicem in latus, versus anteriora tamen magis, inclinantis. ¶ Dein & qui ceruicis capitisque in posteriora moti-

Primi paris series.

Gal. libr. 13. de vsu par. cap. 2.

bus præficiuntur musculi ab hoc ramo octaui paris surculos adipiscuntur. Quod A autem eius rami septimæ ceruicis vertebræ spinam contingit, extrorsum ducitur, & rursus transuersim a spina abscedens, propagines offert humiliori sedi eius musculi qui scapulam mouentium secundus ac maior enumeratur. ¶ Insuper & musculo scapulæ basi inserto, scapulamque ac dorsum trahenti, ac demum illi qui thoracem mouentium tertius est. At anterior octaui paris ramus, posteriori longe insignior, septimi sed magis adhuc interdum noni paris non minimam portionem cum ipso congredientem suscipit, totusque varie vicinis paribus commixtus, si vnicam ipsius demiseris propaginem in manus fertur. Ex demissiori nanque ipsius sede, vbi iam proximis paribus se commiscuit, propaginem antrorsum emittit, quæ secundum primæ thoracis costæ ductum ad pectoris ossis vsq; summum prolata, in pgressu surculos dispensat thoracis musculo a clauicula in primam inserto costam. ¶ Præterea huius propaginis terminus in illos digeritur musculos, qui a pectoris ossis summo principium ducentes, sursum exporriguntur, tum ad mammillarum capitis processum, tum ad os υ imagini comparatum, & ad laryngis cartilaginem scuto non absimilem. Quanquam interim & iis musculis a sexto pari neruorum cerebri soboles offeruntur, vt & a primo intercostali neruo, quem mox noni paris propaginem esse dicemus. ¶ Quæ autē octaui huius paris in manum sit series, sequenti capite docebim⁹. Id hoc loco adiiciemus, ab octauo pari, seu potius quarto manum petēte neruo, quū is alā accedit ex posteriori ipsius regione etiam ramos pullulare, in cauam scapulæ regionem digestos. ¶ *Nonum par inter* primam & secundam thoracis vertebras originem ducens, octaui quo- C que paris ritu ramum in posteriora ablegat, simili quodammodo ratione atque posterior octaui paris ramus digerendum. Deinde non minimam sui partem octauo porrigens, vt sequenti capite dicemus, in manum fertur. Reliquam vero ipsius portionem primo costarum interuallo offert, quæ secundum primæ costæ ductum ad pectus vsque fertur in progressu, vt & reliqui costarum interuallis exporrecti nerui, soboles diffundens in musculos thoraci incumbentes. ¶ *Porro decimum, vndecimum, duodecimum,* & reliqua ad primum vsque lumborum, seu vigesimum par subsequentia, eadem quodammodo serie digeruntur. Quippe omnia mox atque e vertebrarum lateribus exiliere bipartito scinduntur, ac minor graciliorque ramus retrorsum ad vertebrarum spinas detorquetur, inter musculos vertebris adnatos latens. D Sunt vero illi qui dorsi & thoracis motibus præsunt, videlicet thoracis motorum quartus, dorsum mouentium sexti paris alter, mox & alter octaui paris, & circa superiores thoracis vertebras alter primi & secundi paris caput mouentium, & alter tertii paris, & alter quoque quarti paris musculorum dorsum priuatim mouentium. ¶ In hos enim thoracis musculos neruorum posteriores rami sparguntur: verūntamē in illos tantum non absumuntur. Ac quum iam spinarum attigere apices, extrorsum properant, inter mutuum dextri sinistrique lateris musculorum congressum procidentes, atque in musculos postmodum digesti, qui ab illarum quas contingunt spinarum apicib. principium mutuantur. E quorum numero, præter aliquot paulo ante cōmemoratos, præcipue autem alterum primi paris musculorum caput mouentiū, sunt E musculus scapulam ad dorsum trahens, totique scapulæ basi insertus, & humilior pars eius musculi, quem secundum scapulam mouentium enumeramus, ac monachorum cucullis assimilatur, qui hac parte scapulam deorsum vellit, mox thoracis motus opificum quintus, & is etiam qui brachium deorsum dorso adducit. ¶ Et præterquam quod a posteriorib. horum parium ramis surculi in musculos digerantur, etiā aliquot in cutem dorso instratā contendunt, aut minus frequentes quā nerui in man⁹, aut pectoris, aut colli cutem ptingentes. ¶ Ceterum anteriores præsentium parium rami surculos offerunt sexti paris neruorum cerebri ramo sub tunica costis succincte costarū radicib. exporrecto, illisq; surculis adaucto. Dein præsentes rami costarum exporriguntur interuallis, vena itemq; arteria cōcomitati, & pprio sinu costarū interiori in- F ferioriqúe sedi insculpto vecti, secundum costarum ductum in anteriora properant: ¶ Rami enim veris exporrecti costis, ad pectoris vsque os pertingunt. Rami autem secundum spurias delati costas, haud vna cum illis cessant, verum in abdominis vsq; anteriora super peritonæum repunt. Ab iis ramis in progressu sparsa ad modum pro-

Primus intercostalis neruus.

Secundi paris series.

Reliquorū parium e thoracis vertebris prosilietiū series.

Alii intercostales nerui.

A propaginum series in musculos thoraci adstratos diffunditur, e quorum numero secundus est thoracem mouentium, & qui brachium pectori admouet, & qui scapulam pectori adducit, & qui brachium deorsum vellit, & oblique descendens abdominis musculis. In hos enim musculos propagines ab intercostalibus neruis offeruntur, singulæ tanta industria ad costas, & venas, & arterias, & ligamenta reflexæ, vt ad amussim musculorum quibus porriguntur, fibrarum incessus retineant. Atque vt his musculis thoraci instratis ab intercostalibus neruis propagines exhibentur, sic a neruis spurias costas superantibus, soboles quoque abdominis musculis communicantur, fibrarum etiam illorum quibus attenduntur musculorum incessum obseruantes. ¶ Porro a propaginibus musculos implicantibus, neruuli etiam thoracis cuti offeruntur, non quidem certa neque nunquam aberrante serie; sed sparsim, eoque B prorsus modo quo errantes vasorum rami, σποράδην Galeno *libr. de ana. admi. teste*, Græcis nuncupanti, digeruntur. ¶ Vtcunque vero varia, neque sibi constans sit eiusmodi cutem petentium neruorum series. Natura tamen verita, ne tenero adhuc infanti lac familiare illius alimentum, a matre exigenti papilla nonnunquam atrocius denegaretur, exactum papillis sensum impartiri voluit; quo tenerorum infantuli labrorum mollisque linguæ contactus, papillam voluptate afficeret, qua homines illecti; hanc promtius sugendam contrectandamque offerant. Ac proinde a neruis fere qui quartum costarum perreptant interuallum, propagines diffunduntur in musculum, cuius beneficio brachium pectori adducimus: atque ab illis propaginibus surculi in papillam pertingunt, simili qua penis efformatur substantia constantem. ¶ Ce- C terum vt præsentes surculi duodecimo neruorum pari quodammodo peculiares censendi sunt, ita sane decimoctauo & decimo nono paribus id priuatim ascribendum venit, quod surculos offerant principio sexti femur mouentium musculi.

Neruorum in vniuersam manum series. Cap. XX.

NERVI brachium a quinto, sexto, septimo ceruicis neruorum pari, ac dein a primo, & secundo thoracis vertebris adituri, statim ab ortu ad vertebrarum latera permiscentur coeuntque; & rursus inuicem dirimuntur, ac denuo congrediuntur, ac postremo separantur, vt neutiquam dicere queas, quis nam brachii neruus ab hoc illove pendeat pari. At verius quodammodo sex præcipuos neruos ab illa commi- D xtione neruorumque congerie ac contextu reticulari principium ducere adstrues. ¶ *Primus brachium subiens neruus*, eius quinti paris neruorum ceruicis rami soboles est, qui in musculi brachium attollentis sedem a scapulæ spina pronatam digeritur. Atque hæc soboles tantum in externæ brachii regionis cutem paulo sub medio longitudinis brachii diffunditur, inibique cessat. ¶ Quippe inferiorem huius regionis cutem alia exilis propago implicat, quæ prædictæ nuper sobolis modo ex alto emergens ab eo editur neruo, qui neruorum brachii quartus erit. Atque hæc propago non solum dictæ iam cuti surculos offert, sed & illi cuti soboles deriuat; quæ sedem exteriam posterioremque cubiti ad humerum articuli amplexatur. ¶ Præsentes nerui, vt & omnes quoque cutem accedentes, membrana suffulciuntur vo- E cata carnosa, atque inter hanc & cutem illi sensum suppeditantes protepunt in homine multo adipe etiam immersi, membranamque illam cuti pertinaciter committentes ac pilorum modo interim graciles. ¶ Porro ceteri quinque nerui per axillam brachium subeunt, atq; in plures ramos quam primus spargũtur, singuli maiores crassioresq; spectantur. ¶ *Secundus brachium petens neruus*, ab implexu quem nerui brachium subituri ad vertebrarum latera efformant, principium ducit. Nemo autem hunc neruum alicui pari vere adscribet, quod non vno, sed plurib. neruorum parib. textus ille constituatur. Brachium autem sub musculo cubitum flectentium anteriori ingreditur. Vbi enim duo illius musculi capita inuicem sunt coitura, neruus ille primum in brachium fertur, quo etiam loco musculus brachium pectori adducens insertionẽ secundum humeri longitudinẽ molitur, vti etiã muscul⁹ brachium attollẽs transuersim F inibi humero implantatur, præter insertionẽ quã hac ꝓpemodum regione musculus tentat, qui ab humiliore scapulæ costa ꝓnatus brachium in posteriora allicit, ac demũ eius quoque musculi cuius beneficio deorsum versus dorsi humiliora brachium agitur, insertio secantib. inibi occurrit. ¶ *Secundus igitur brachium petẽs neruus*, priori cubitũ

Primus neruus.

Secundus.

flectentium subditur musculo, & sub interiori eius capite quod a scapulæ processu anchoræ speciem referente originem ducit, occultatus, vtrisque eius musculi capitibus surculum offert, ac decliuis prorepens sub posteriori nuper commemorati musculi sede reconditur. Quas vero dein propagines diffundat, vbi tertium neruum huc sermone deduxerimus, subiiciemus. ¶ *Tertius neruus secundo humilior*, ex illo quoque prodit complexu retiue, quod prius a neruorum radicibus brachium adeuntibus confici diximus. Vbi vero alam perreptat, ramum promit inter musculum brachium pectori adducentem, & illum quo brachium attollitur, cuti exporrectum, quæ illorũ musculorum obducitur lateribus, qua illi se mutuo contingunt. Simulatq; vero tertius neruus humero appropinquat, mox etiam cubitum flectentium anteriori musculo cooperitur, atq; simul cum secundo neruo deorsum properans ramulum capiti præbet musculi cubitum flectentium posterioris quod etiam interdũ & a secundo neruo propagine quadam donatur, velut *Galenus libr. 3. ana. admi.* se obseruasse scribit, a tertio ad secundum hæc propago pertinet. ¶ *Secundus autem neruus* perpetuo deorsum ad anteriorem articuli cubiti sedem contendit, musculo cubitum flectentium anteriori tectus & in progressu ab externo ipsius latere ramulum spargens in caput musculi ab humeri osse principium ducentis, & radio ad brachialis radicem inserti, radiumq; in pronum mouentis. Quum primum vero secundus neruus ad anteriorem vsque cubiti articuli sedem cubitive flexum pertingit, secundum externum latus tendinis musculi cubitum flectentium anterioris ad carneam ducitur membranam, in cutem dissipandus. Mox enim atq; alto emersit, in duos crassitie impares secatur ramos, quorũ vnus qui gracilior & superior est, aliquousque cum humeralis venæ ramo secundum radium ad mediam vsque cubiti longitudinem exporrecto, ac dein versus vlnæ appendicem tendenti deducitur, vniuersam cutem radio incumbentem prætenuibus surculis intertexens, quorum præcipuus inferiorem radii appendicem superans, ad secundum vsq; pollicis pertingit internodium hic, vti & toto progressu inter carneã membranam & cutem repetens, sobolesque tenuissimas diffundens. Huic surculo pollici exporrecto interdum ramuli accedunt, permiscenturque ab iis secundi nerui propaginibus, quæ internæ summæ manus cutem adeunt. Humilior enim crassiorq; ramus eius secundi nerui diuisionis, quæ iuxta cubiti flexum perficitur, statim in duas quoq; dirimitur propagines, sub media prorepentes vena ab humerali ad cõmunis venæ constitutionem proficiscente. ¶ *Vna* harum propaginum quam *elatiorem* appellare licet, postquam dictæ iam venæ succũbens ad venæ communis vsq; originem obliquo ductu accessit, relicta vena cuti subtenditur, & in descensu elatius ad radii sedem nonnihil obliq; conscendens, secundum internum latus musculi oblongi & radio proprii ad brachialis vsq; radicem perfertur. ¶ *Altera propago*, quæ humilior nuncupari potest, magis oblique quam medium cubiti flexus aut venæ communis origo consistat, deorsum fertur, ac tandem venæ maioris cubiti sedis cuti potissimum oblatæ attensa, ad brachiale vsque prorepit, in multos exiles surculos in progressu absumta. Nam priusquam longo ductu in cubiti regionem feratur, in duos præcipuos partitur ramos, quorum vnus quodammodo radii regioni exporrigitur, alter vero vlnæ, ac vterque crebro brachiale superat ramulos in cutem internæ summæ manus sedi dispargens. Dein ab illis ramulis qui Veneris monticulum conscendunt, interdum soboles in externam manus sedem excurrunt, neruulis commiscendæ cutem primi pollicis internodii externæ regioni obductam implicantibus. Atq; in hunc modum secundus absumitur neru⁹. ¶ *Tertius autem neruus* simulatq; secundi nerui propagine adaugetur, frequenter ramulũ in cutem dispensat, anteriori brachii sedi hic obnatam. Hinc vbi ab initio in alto repositus, cubiti flexum accedit, æquali propemodum interuallo in progressu a secundo distans, ac interiorem sedem sibi vendicans. Tertius enim neruus non ad amussim per mediam cubiti flexus sedem in cubitum delabitur, verum anteriori sedi insidet tuberculi interioris humeri, ac super internum latus quodammodo vehitur insertionis musculi cubitũ flectẽtiũ posterioris. ¶ Quum vero hanc transcendit insertionem, in multas dirimitur propagines, seriatim recensendas, vbi quintum neruũ ad cubitum vsque sermonis serie deduxerimus, qui vna cum tertio in musculos sedem cubiti interiorem occupantes digeritur.

Quartus

Marginalia: Tertii ingressus. (beside line 5) — Secundi cũ tertio congressus. (beside line 9) — Reliqua secundi series (beside line 14) — Tertii nerui ad cubiti vsq; flexum progressus. (beside line 40) — Section letters A, B, C, D, E, F in right margin.

A ¶ *Quartus neruus* a reticulari illo neruorum iuxta vertebrarum latera implexu principium quoque ducens, omnium neruorum qui in brachium porrigũtur longe crassissimus est, & similiter atque tertius occultatus cum ipso in brachium properat, axillari venæ & magnæ manus arteriæ attensus, moxque insignes vtcunq; soboles musculis distribuens, quorum ministerio cubitum extendimus. Priusquam vero præsens neruus ad medium vsq; longitudinis brachii pertingat, oblique retrorsum ad humeri os contorquetur, hoc & musculos cubitum extendentes intercidens. Verum antequam penitius reflectatur, ab interno ipsius latere propaginem emittit, quæ inter musculos cubitum extendentes, & posteriorem cubitum flectentium in internam brachii sedem procidit; vniuersa in huius sedis cutem absumenda surculosque partim

Quarti nerui in brachium ingressus.

B sursum, partim deorsum multiplici serie sparsura. ¶ Porro ipse quarti nerui truncus ad eum modũ secundum humeri posteriora reflexus, sensim ad externam brachii sedem properat, ac ab externo latere propaginem edit; quæ inter exteriorem cubitũ extendentium musculũ & caput oblõgi musculi radium in pronum ducentis ex alto emergens, in cutem dispensatur externæ brachii, & cubiti articuli sedi obductã. ¶ Quum primum autem quartus neruus in alto semper latitans, exterius humeri contingit tuberculum, posteriori ipsius sedi innititur, in qua huius nerui nomine sinus a natura priuatim exsculptus est, quo neruus musculis occultatus, atq; hic in frequentem sobolem spargendus, tuto veheretur. Mox enim atq; neruus ille in cubitũ ducitur, ramum promit, qui ex alto emergens, errabundo ductu sub cute ad brachiale vsque prorepit,

C frequentes surculos in progressu educens, a quibus cutis externam cubiti sedem obtegens intertexitur. Deinde hic neruus in duos discinditur truncos, in profundo, vt & ipsorum radix, reconditos, horum alter altero elatior est, ac radio exporrigitur: alter autem qui humilius consistit, secundum vlnam deorsum fertur. ¶ Elatior penitius inter superius latus musculi bifido tendine brachiale expendentis, & exterius inferiusve latus musculi longi radium in pronum ducentis ad brachiale contendit, in progressu graciles ramulos vtriusque, quib; attenditur occultaturque, musculis communicans. ¶ Vbi vero elatior hic ramus brachiale accedit, per transuersum properat ligamentũ, in externa radii sede, bifido tendine brachiali extendenti obductum. ¶ Ceterum mox atq; præsens ramus externam brachialis sedem contingit, in duas dirimi-

D tur propagines, quarum altera duplici surculo externæ pollicis regioni offertur, altera vero in duas secta soboles, vnam indici porrigit in ipsius externam sedem duplici quoque surculo absumendam. Alteram autem medio largitur digito, eam simplicem indiuisamque interno lateri exterioris sedis eius digiti applicans. ¶ Demissior ramus quarti nerui iam cubitum ingredientis in duos ramos sectionis, qui vlnæ exporrigitur ilico frequentes educit soboles, ac primam donat capiti musculi indicem, medium, & annularem extendentis; secundam capiti musculi cuius auxilio minimus extenditur digitus: tertiam autem offert musculo brachiale simplici tendine extendenti. In ipso autem secundum vlnam processu præsens ramus tribus musculorum principiis ab vlna originem ducentibus propagines exhibet. Ac eorum quidem principiorum pri-

E mus musculus est, qui radium in pronum ducentium breuior visitur: mox ille qui triplicem diffundit tendinem, ac vnum brachialis ossi primum pollicis os sustinenti innectit, secundum primo pollicis ossi, tertium secundo pollicis ossi & tertio. Dein musculus, qui tribus pollicis ossibus insertus, pollicem extendendo versus indicem ducit: Mox musculus, cuius beneficio index, ac interdum quoq; medius a pollice extrorsum obliq; aguntur. Horum namque musculorum principiis seriatim ab vlna pronascentibus, a præsenti quarti nerui ramo soboles offeruntur, accurate fibrarum eorum musculorum ductum obseruantes, qui oblique ab vlna versus radium pertinet. ¶ Quod vero huius rami est reliquum, brachiale non conscendit, multoque minus in minores absumitur digitos, sed vniuersum hic ad brachialis radicem cessat, aliquot

F surculis brachialis cum cubito articulum implicans. *Quintus neruus* a commemorato iam sæpius plexu inferius quam quatuor hactenus descripti principium nanciscitur, ac quarto attensus per axillam in brachium fertur, nullas omnino soboles cuiquam parti distribuens. Nam indiuisus inter musculos cubitũ extendentium interiorẽ, & cubitum flectentium posteriorem secundum internã brachii sedem occultatus

Quinti nerui in brachium ingressus & series cum tertio.

tantisper porrigitur, dum internum humeri contingat tuberculum, ad cuius posteriorem reflectitur sedem, hic priuatim obtinens sinum, quo apte in cubitum vehitur. A ¶ Quemadmodum enim tertius neruus anteriorem humeri tuberculi sedem occupat, ita sane & quintus in posteriori sede eius tuberculi consistit, parique quodammodo serie cum tertio digeritur. ¶ A duobus namque præsentibus neruis propagines omnibus offeruntur musculis internam cubiti sedẽ occupantibus, qui & ab interiori tuberculo humeri, & ab ipsa vlna radioque principium mutuatur. Ac a tertio quidem neruo potissimum soboles sparguntur in musculum secundos quatuor digitorum articulos flectentem, & illos qui tertios eorundem digitorum flectit articulos, mox illum qui tertii pollicis ossis flexus est auctor. Deinde propago quoq; a tertio neruo illi porrigitur musculo, qui ab interno humeri prodiens tuberculo, ac post brachialis ossi indicem sustinenti insertus, brachialis flexus opifex habetur. B ¶ Verum is musculus etiam a quinto neruo surculum subinde asciscit, vt & omnes ab interno humeri tuberculo pronati. Ex quorum classe præter nuper commemoratum is censetur, qui tendine lato summæ manus internę cuti subnascitur, dein qui quarto brachialis ossi insertus brachiale flectit, mox qui radium in supinum ducentium superior est. ¶ Porro quintus & tertius nerui etiamsi sparsam hanc propaginum deriuant seriem, penitus hic nõ absumuntur, verum vtrorumque singuli adhuc supersunt rami, insignes sane, & in plures surculos diffundendi. Ac tertii quidem nerui ramus inter musculum quatuor digitorum secundos flectentem articulos, & illum qui tertium pollicis os flectit, radio exporrigitur, vna cum vena & arteria hac deductis ad brachiale properans. C Et transuersum permeans ligamentum in brachialis interna sede tendinibus obductum. Iste tertii nerui ramus surculos, sed minus quam obscuros, quibusdam musculis exhibere dicitur, qui in externa manu repositi, digitorum motibus quoque præsunt. Cuiusmodi est is, quo pollex ab indice maxime abducitur, dein quo pollex indici proxime adigitur, & duo pollicis primum flectentes internodium, & tres secundi ipsius internodii flexus opifices, mox qui indicem ac medium pollici adducunt, ac duo qui indicis primum flectunt articulum, ac interior denique primum medii digiti os flectentium. ¶ Verum his musculis, vt & illi qui radium in supinum ducentium inferior est, nerui potius attenduntur, quam inseruntur, aut etiam superficie tenus adnascuntur. Ipse tamen tertii nerui ramus in vola tres notatu dignas & insignes quoque emittit propagines, quarum prima pollicis internam accedit sedem, in duos prius dissecta surculos: secunda etiam binis surculis internæ indicis sedi implicatur, tertia vero simplex interno tantum lateri interioris medii digiti sedis exporrigitur. D ¶ Porro quinti nerui ramus vlnæ attensus inter musculum secundos quatuor digitorum articulos flectentem, & illum qui eorundem digitorum tertios articulos flectit, ad brachiale ducitur, vena etiam & arteria concomitatus, quæ vlnæ exporriguntur, atq; ad volam per transuersum brachialis ligamentum tendunt. ¶ His ramus simulatq; ligamentũ id superauit, vnam propaginem in duos diuisam surculos minimi digiti internæ sedi communicat, ac vnam similiter in duos surculos diremtã internæ, sedi annularis digiti offert, mox vnam quoque medio digito communicat, quæ indiuisa externo applantatur lateri, internæ medii digiti sedis. E Nisi forte vt non infrequenter accidit, a tertio neruo duæ soboles indici offerantur. ¶ Præter has quinti nerui propagines nullas in extremæ manus musculos sparsi animaduertitur, in illos nimirum qui annularem & minimam ad pollicem ducunt, qui primum os minimi & annularis flectunt, cũ externo musculo primum medii digiti os flectentium, & illo qui minimum a ceteris digitis in latus remouet. Nam vti prius monuimus, his musculis nerui potius attenduntur, quam adnascuntur. ¶ Porro quinti nerui pręsens ramus ad hunc modũ non totus absumitur, verũ non perfunctorie expendendam promit propaginem, paulo inferius quam medium vlnæ longitudinis consistit. ¶ Quum enim ramus hic vlnæ medium emensus est, ab externo ipsius latere propaginem illam deducit inter musculum brachiale flectentium inferiorem, & inferiorem brachiale extendentium. F Propago hinc ex profundo elabens secundũ vlnam in externam sedem cubiti porrigitur, & quũ externam brachialis sedem cõtingit, in externam regionem illorum digitorum ramulos spargit, in quam quartus neruus nullas soboles promsit.

¶ Di-

A ¶ Diuiditur itaque ea quinti nerui propago in tres ramos, quorum primus duplici surculo externam minimam digiti sedem adit. Secundus duplici quoque surculo externæ annularis sedi exporrigitur. Tertius autem indiuisus externo implicatur lateri exterioris medii digiti regionis. ¶ Ex iis quæ diximus perspicuum fit, cur nonnunquam motum integro adhuc sensu perire, & sensum quoque motu adhuc integro aboleri contingat. Nam vt cæteros taceamus neruos, de vulnere, aut alio affectu quartum neruum, qua is secundum humeri posteriora reflectitur, aut etiam qua a reticulari plexu ad vertebrarum latera consistenti exorditur, præscindi, aut alias ex humoris affluxu eiusque generis malo quopiam ita vitiari, vt animalis spiritus cum ipso non deducatur, & quintus neruus interim illæsus, ac integer sit, nonne minimi digiti & annularis extensio perdetur, illorum sensu integro. Nam quintus neruus sensum suppe-

B ditans illæsus est, at propter quarti vitium musculorum digitos extendentium munus intercidit. ¶ Quod si casu quintus neruus, integro interim quarto, contusus, aut alioqui oblæsus fuerit: nonne paruus digitus & annularis stupescent, ipsorum interim motu haud corrupto. Atque vt hæc de quarto & quinto neruis exempli gratia proposuimus, ita sane illi quem neruorum series & musculorum natura non fugerit, expendere confingereque promtissimum est, qui sensus illæso motu aliquando aboleatur: aliquando autem seruato sensu motus pereat. Neque necesse est eo deflecti, quod maior vis animalis ad motum, quam ad sensum requiratur. ¶ Sed quum hæc alibi copiosius explicauerimus, sexti nerui seriem quoque perstringemus. ¶ Sexti porro

C nerui principium ab infirma retis iam sæpius dicti sede enascitur, & inconiugatus per axillam in brachium properat, nullibi in alto reconditus, sed cuti interni brachii sedi substratus, ad internum humeri accedit tuberculum, in progressu conterminus eius quam perreptat cutis partibus frequentem depromens sobolem. Ad interius vero humeri tuberculum, in plures partitur ramos venæ axillaris propaginibus partim incumbentes, partim quoque substratos. ¶ Hi deorsum numerosa propaginum serie secundum vlnam digeruntur, inter cutem & carneam membranam deducti, & priusquam brachiale contingant cessantes, perpetuoque secundum inferiorem cubiti regionem seu vlnam exporrecti. Atque præsens neruus crassitie secundo respondet, vbi is cubitum accedit. ¶ Quintus autem neruus tertio congruit, vt etiam secundus, qui

D priusquam sui portionem tertio offert crassus visitur. Et hi sexto fere quintuplo crassiores sunt, omnium autem plenissimus est, quem quartum enumerauimus, quemadmodum summe gracilis occurrit, qui primus ordine fuit.

Cur motu integro adhuc, sensus pereat, & contra.

Sexti nerui ingressus & series.

Neruorum crassities.

Quinque parium neruorum e lumborum vertebris prodeuntium series. Cap. XXI.

Spinalis medullæ, lumborum vertebris complexæ, nerui, in hoc thoracis vertebrarum neruis magna ex parte conueniunt, quod a singulis rami retrorsum ducatur in musculos vertebris adnatos sparsi. ¶ Committitur autem hic vertebris musculus thoracis motorum quartus, dein dorsum mouentium vndecimus, ac demum huic qui substernitur decimustertius. Atque iis musculis propagines a posterioribus ramis offeruntur, quum illi adhuc reconditi ad vertebrarum spinas ducuntur. ¶ Quando

E autem rami ex mutuo vtriusq; lateris musculorum connexu, atque ab ipsis spinarum apicibus procedunt, ad latera denuo excurrunt, cuti & musculo præcipue intexti cuius ope brachium versus dorsi humiliora agimus. Anteriores autem horum parium rami in abdominis musculos, ac illum qui brachium versus dorsi humiliora detrahit, ipsamque adeo cutem disseminantur; vt & in musculum dorsi motus auctorum nonum, & eum qui femur mouentium sextus est. Dein a vigesimo primo pari, seu secundo lumborum, vna cum seminaria sui lateris arteria perquam exiguus surculus ad testem ducitur, si modo a sexti paris neruorum cerebri ramis costarum radicibus exporrectis, atq; in intestina propagatis nullæ soboles ad testes pertingant. Nam & ab illis ramis interdum surculi testibus exporrigi animaduertuntur. ¶ Quinetiam ab an-

F terioribus ramis trium primorum parium ex lumborum vertebris prosilientium, surculi etiam diffunduntur, qui paulo ante dictos sexti paris ramos costarũ radicibus exporrectos accedunt, illosque adaugent. A tribus vero humilioribus e lumborum vertebris elabentium paribus, non minimi crus accedunt. Qua autem serie in illo digerantur vltimo huius libri capite exequemur.

Neruorum a sacro osse prosilientium series. CAP. XXII. A

HOMINIS neruorum e sacro osse prosilientium series, a canum & caudatarum simiarum serie plurimum discrepat. Ac primum quidem par tam in hominibus, quam quadrupedibus inter os sacri ossis primum & infimam lumborum vertebras ea prorsus ratione qua neruorum paria e lumborum vertebris egredientia procidit, ac mox ab egressu ramum in posteriora non secus atque superiora paria diffundit: qui etiam similiter atque posteriores illorum parium rami, digeritur. ¶ Priuatim vero a posteriori regione primi paris sacri ossis propago vtcunque insignis in musculos spargitur, ab ilium osse principium ducentes, potissimum autem in primum femur mouentium. Dein eius propaginis soboles non pœnitendæ in cutem clunibus obductam deriuantur. *Anterioris* vero præsentis paris portio, neruis in crus deducendis B permiscetur. Non enim tota in crus absumitur, quum ab illa ramus secundum internam ilium ossis sedem exporrigatur, surculos offerens abdominis musculis, & illi pariter musculo, qui ab interna ilium ossis sede pronatus femur mouentium septimus censetur. ¶ Ceterum quinque humiliora paria peculiari procidunt ratione. Nam priusquam ex ipso osse elabantur, gemina ab vtroque latere sunt, & vnus neruus vtrobique a singulis paribus in anteriora procidit, & vnus item vtrobique retrorsum. Atque hæc series in hominibus visitur. In simiis vero & canibus vti tria tantum in illis sacri ossis neruorum sunt paria, ita etiam duo solum inferiora anterius & posterius excidunt. ¶ Dein reliqua paria, quæ in canibus & caudatis simiis cernuntur numerosa, ab ossis coccygis lateribus in eum modum prodeunt, quo ex thoracis & lumborum vertebris nerui egrediuntur, quum interim ab hominis osse coccyge, ne vnus quidem exiliat neruus. ¶ Quod adiiciendum esse duximus propter Galenum, qui in libro de ossibus capite vndecimo & duodecimo secus quam nos hoc loco de horum neruorum paribus loquitur. ¶ Quinque igitur sacri ossis inferiora paria neruos in posteriora excidentes ad musculos potissimum digerunt, qui ilium ossis & sacri ossis posteriorem occupant sedem, ex quorum classe in dextro latere musculus dorsum mouentium vndecimus, ac dein decimustertius, præter membraneum initium in musculi brachium ad dorsi humiliora agentis, & quartum humani thoracis motorum. ¶ Item quatuor primi femur mouentium, ac cutis denique clunibus obducta, quæ ipsa quoque propaginibus aliquot ab illis neruis donatur. ¶ *Anterioris* D vero nerui varie magis digeruntur. Siquidem tres superiores, primi paris modo in crus, vti in capite quod sequitur dicemus, properant. Duo autem humiliores nerui, qui sexti septimique parium propagines sunt, in ani musculos digeruntur. ¶ Ad hæc in vteri ceruicem frequenti sobole, vti etiam in virorum vesicæ ceruicem penemve, pertinent. ¶ Nam vesicæ ac vteri item fundum plerunque neruulos ab illis mutuantur ramis, quia sexto pari neruorum cerebri costarum radicibus sub tunica costas succingente exporriguntur. ¶ Terminus vero spinalis medullæ ex sexto sacri ossis procidens osse, nerui ritu haud quaquam digeri videtur, quanquam a nonnullis hic neruus coniuge carens vocatur. In homine tamen cuius sacrum os quinque tantum efformatur ossibus, interdum medullæ spinalis terminus ab osse procidens vnum E vtrinque diffundit surculum hac ratione sexti paris sacri ossis vices supplens.

Neruorum femur, tibiam, & pedem adeuntium distributionis ratio. CAP. XXIII.

Quatuor nerui crus petunt.

CRVRI iuxta femoris initium a spinæ medullæ lumborum vertebris & osse sacro complexæ neruorum paribus, quatuor nerui offeruntur, a reticulari quodammodo plexu perinde procidentes, atque præcipuos brachium petentes neruos iam antea relatum est: quanquam magis varius in ceruice, quam hic ad lumbos sacrumq; os implexus visitur. His neruis non eadem obtigit crassities multoque minus per series & ductus. Qui enim primus ac tertius recensebuntur, graciles sunt: secundus autem duobus illis crassior subinde reperitur, licet interea tenuis quoque sit. ¶ *Quartus* vero illorum trium vna complexorum crassitiem vincit. Primus a suprema parte implexus neruorum in crus peruenientium originem ducit, vbi tertii lumborum paris, quod ordine vigesimum secundum est, anterior ramus vigesimotertio pari commiscetur. ¶ Neruus hic lumborum incumbens carnibus, ac peritonæo substratus, in femur procidit secundum exterius latus tendinis sexti femur mouentium musculi, qui F

Primi nerui series.

vna

A vna cum septimo femoris motuum auctore musculo supra coxendicis os ad minorem femoris processuum contendit. Simulatque vero neruus ille femur contingit, ramum depromit cuti paulo minus quam ad genu vsque exporrectum, quæ anteriori femoris sedi versus externum ipsius latus obducitur. ¶ Porro maior præsentis nerui portio in alto latitans, aliquot propagines deriuat primo tibiam mouenti musculo, dein & septimo tibiam mouenti musculo, mox quoque in nonum tibiæ motuum auctorem, atque cum illis duobus musculis primi huius nerui grandior portio decliuis ducta, elatius quam genu consistat articulus terminatur. ¶ *Secundus neruus* suum principium inferius quam primus adipiscitur, e regione videlicet vigesimi secundi paris neruorum spinalis medullæ, seu e regione articulationis tertiæ lumborum vertebræ cum B quarta. ¶ Hic neruus peritonæi posteriori regioni etiam subtensus, simul cum vena, & arteria per inguina femur petentibus in crus porrigitur, ac mox ab interno ipsius latere ramum deriuat venæ ad pedes vsq; pollicem attensum, quam ab inguine per internam femoris sedem, ac per genu articulum internamque tibiæ regionem sub cute ad summum vsque pedem protendi dictum est. ¶ Atque vt illa vena varias soboles in progressu ad cutem illi conterminam diffundit, ita sane & hic secundi crus petentis nerui ramus anteriori venæ illius sedi toto ductu contiguus, soboles passim in cutem spargit: inter quas illa est præcipua, quam anteriori genu regioni offert, in eius sedis cutem frequenti ramorum serie disseminatam. ¶ Neq; hic oscitanter obaudiendum est, præsentem ramũ anteriori venæ parti exporrigi, vt scilicet in eius venæ sectione, C quã mox sub genu, aut iuxta interiorem malleolum molimur, scalpellum retrorsum atq; in posteriora impingamus, ne is casu antrorsum actus neruũ præsecet. ¶ Ceterum grandior secundi nerui portio simul cum vena, & arteria reconditur, & in musculos anteriorem femoris sedem occupantes quoq; digeritur, præcipue autem in quintum mouentium femur, & in octauũ tibiam mouentium, cum quo etiã secundum latus internum noni tibiã mouentium musculi deorsum fertur supra genu articulum, nõ minus quam primus neruus cessans, & in progressu membranulis vasa colligantibus exiguas porrigens soboles. ¶ *Tertius* neruus secundo succedit, illic enatus vbi quarta lumborum vertebra quintæ articulatur, hi peritonæo quoq; succumbens, & musculo femur mouentium septimo vectus, ad pubis ossis foramen contendit, hac in femur proD repens. ¶ Verum priusquã foramen id superat, nono & decimo femur mouentib. musculis ramulos porrigit: mox vero & illis musculis qui a pubis osse pronati prius peculiares censentur. ¶ At vbi paulo demissius prorepsit, duorum neruorum quos iam descripsimus ritu ramũ emittit cuti oblatum, quæ internam femoris sedem iuxta inguina occupat. ¶ Dein eius nerui reliquum ramum offert secundo tibiam mouenti musculo, ac dein quinti femur mouentis musculi portioni a pubis osse pronatæ ramum deriuat, supraq; medium longitudinis femoris terminatur. ¶ *Quartus cruris neruus* tertio quidem ortu subsequitur, at sextuplo etiam crassior est, atque ex vigesimi quinti ac trium succedentium parium anterioribus ramis potissimum constituitur: non solum omnium neruorum crassissimus, verumetiam quum hinc a spinali medullæ termino E principium obtineat, durissimus, pariterque validissimus. ¶ Hic neruus peritonæo quoq; subditus inter sacri ossis latus, & ilium os, qua hæc ossa inuicem dehiscunt, tanquam per sinũ ipsi peculiariter paratum ducitur, & mox ramum ex posteriori ipsius sede deriuat, qui aliquousq; sub primo femoris motorum latitans, tandem ad cutem procidit, soboles distributurus cuti inferiori clunium sedi obtensæ, & illi pariter cuti quæ posteriorem femoris vltra medium longitudinis femoris integitur. Cutis enim supra genu in posteriori femoris sede reposita, ab alia quarti nerui propagine ramulos obtinere mox docebitur. ¶ Postquam vero quartus hic neruus hunc ad cutem depromsit ramum, alias vtcunq; grandes distribuit soboles in musculorum capita digerendas, quæ a coxendicis ossis appendice principium ducunt, quorum tria tibiæ moF tibus famulantur, ac tertium, quartum & quintum tibiam mouentes constituunt musculos. Quartum vero caput femoris motibus inseruit, quintumque femur mouentem musculum efformat. ¶ Quartus neruus hinc inter musculos posteriorem femoris sedẽ sibi vendicantes recõditus, deorsum fertur, ac paulo sub medio lõgitudinis femoris ramũ educit in quarti tibiã mouentis musculi partẽ a femoris osse, ac si peculia-

Secundi nerui series.

Tertii nerui series.

Quarti nerui series.

ris esset musculus, enatam. ¶ Ab hoc ramo propagines in cutem excurrunt humiliori A sedi posterioris femoris regionis iuxta genu obductam. Simulatque quartus neruus inferiorem femoris capitum radicem spectat, vtrinque vnam edit propaginem, in capita musculorum disseminandam, qui ab inferioribus femoris capitibus enati, tres primi pedis motores enumerantur. ¶ Quando autem quartus neruus in sinu cõsistit, quem duo inferiora femoris capita mutuo diremta efficiunt; in duos crassitudine inæquales truncos partitur, a quibus vniuersæ propemodum tibiæ, & item pedi nerui offeruntur. Nullus enim in tibiam neruus procidit a quarto non diductus, præter ramum secundi crus petentis nerui interiori femoris, & tibiæ & pedis quoq; sedi exporrectum. ¶ Exterior, qui & gracilior est, ad fibulæ cum tibiæ osse iuxta genu articulum prorepit inibi musculis offerendus. ¶ Priusquam autem penitius inter musculos truncus ille reconditur, propaginem diffundit externæ cuti tibiæ propriam, ac per exteriorem malleolum pedis externum latus adeuntem, atq; in progressu frequentes soboles spargentem. ¶ Ipse autem exterior truncus postquam nuper commemoratam edidit propaginem, inter septimum & octauum pedem mouentes musculos primum occultatur, etiã sexto pedem mouentium musculo attensus. ¶ Atq; inibi rursus mox in progressu ramum educit, qui errabundo ductu in cutem dispensatur anteriori tibię regioni obtensam. ¶ Quod vero exterioris huius trunci reliquum est, ad hũc modum inter musculos anteriorem tibiæ sedem sibi vendicãtes prorepens, illisq; musculis ramulos offerens, ligamento incumbit, fibulam tibiæ ossi secundum totam tibiæ longitudinem colliganti, ac vna tandem cum tendinibus digitos extendentibus sub transuerso huius regionis ligamento in pedis superiora ducitur, & penitius sub tendinibus latitans, digitorum superiori sedi ramos exporrigit. Antequam tamen transuersum id ligamentum subit, ramulum deriuat cuti intextum, qua ipsum ligamentum tegitur. ¶ At præter eum ramulum magnam sui portionem, sub medio longitudinis tibiæ per membraneum transmittit ligamentum fibulam tibiæ colligans. Atq; hæc portio interiori trunco quarti nerui permiscetur, quem pedis inferiora accedere mox dicemus. ¶ Interior vero quarti nerui truncus qui exteriori multo grandior est, inter capita primi, & secundi pedem mouentium musculorum in tibiam subiens, mox ramum diffundit multiplici sobole in cutem digestum, quæ posteriori tibiæ sedi ad calcem vsq; obducitur. ¶ Quanquam interea ramus ille non vniuersus in cutem absorbetur, verum ipsius etiam portio inter quartum pedem mouentium musculum, & primum quoque, & secundum tantisper fertur, quousq; tres illi musculi vniantur. Nam & hic quoque portio illa cutem adit. ¶ Ipse vero interior trũcus in posteriorem tibiæ sedem penitius prorepens, fertur inter quartum pedem mouentium musculum, & quintum pedem mouentium, duosq; qui a tibia procedentes digitorum flexui præsunt. Hac itaq; deorsum tendens, exterioris trunci propaginẽ assumit, huc per membraneũ ligamentum transmissam. ¶ Quum vero hoc interioris trunci reliquum ad tibiæ vsq; humiliora contendit, vna cum huius sedis tendinibus per transuersum ligamentum inter calcem, & interiorem malleolum pedis inferiora petit, musculis inibi repositis distribuendum, ac singulorum digitorum inferiori sedi duos surculos oblaturum. ¶ Verum nerui musculis iis pedis potius attenduntur, quam innascuntur aut inseruntur. ¶ Porro præter hanc quarti nerui seriem, etiam subinde inuenies exteriorem truncum priusquam pedem contingat cessare, multoque minus per membraneum ligamentum fibulam tibiæ ossi colligans, sui portionem interiori offerre. ¶ Imo ab interiori trunco, quum posteriori sedi eius ligamenti exporrigitur, ramum educi animaduertes, qui ligamentũ id perforans deorsum fertur, inter musculos in anteriori sede conspicuum prorepens, superiori digitorum sedi ramulos communicat. ¶ Hactenus de Vesalii nostri sententia, ex quo ad verbum fere omnia hæc descripsimus, vt qui ceteris omnibus Anatomicis non solum neruorum, sed & venarum, & arteriarum historiam rectius tradiderit, neruorum ortus, & insertiones commemorauimus, vt iam nihil restet, quam vt huic nostro de humani corporis fabrica Epitomæ finem imponamus, rogantes simul omnes veritatis amantes, vt laborem hunc nostrum æqui bonique faciant.

Exterior truncus.

Interior.

B C D E F

FINIS.

D N.

LEON. FVCHSII,

MEDICI ILLVMINATI, SCHOLÆ TVBINGENSIS PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON PRINCIPVM WIRTENbergensium Protophysici,

Operum Didacticorum Pars II,

CONTINENS MEDICAMENTORVM OMNIVM præparandi, componendi, miscendique rationem ac modum legitimum, vsitatum, & e natiuis fontibus petitum,

Ab Auctore ipso paulo ante mortem, resectis mendis & erroribus perniciosis, reccognita, aucta & locupletata, luculentissimisque annotationibus illustrata,

CVM MEDICIS TVM PHARMACOPOEIS LONGE vtilissima, & summe necessaria,

Indice Rerum & Verborum satis locuplete donata.

PRODIT E COLLEGIO
Paltheniano, Quod est in nobili Francofurto.

M. DC IV.

OPERVM LEONHARDI FVCHSII

Pars Secunda

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM MISCENDORVMQVE Medicamentorum ratione, Liber Primus.

PRAEFATIO.

XSTANT aliquot recentium medicorum de hodie vsitata componendorum miscendorumq; medicamentorum ratione scripta, sed talia fere omnia, vnde nullus plane, aut saltem exiguus ad lectorem fructus venire potest. Nam vel prodigiosa & distorta oratione ac barbarie prorsus sunt defœdata & contaminata, vel nullo ordine contexta, vel imperfecta & manca, ita sane, vt horrido ac monstroso sermonis genere offensus lector, ab eorum lectione resiliat, & quod rem nec ordine, nec perfecte tradant, prorsus abiiciat, & indigna esse, in quibus multum operæ ponat, iudicet. Quod quum ipse mecum reputarem, operæ pretium me facturum existimaui, si scriptum aliquod, in quo ad eam rem cognitu necessaria omnia, tolerabili oratione, breuiter, & perspicue traderentur, pararem. Quod vt facerem, me non parum etiam hortabatur, quod intelligerem eos, qui antea medicinam non exercuerunt, sed eam iam facere incipiunt, hac maxime parte plurimum laborare, illisq; miscendorum ac componendorum medicamentorum ratione plurimum difficultatis parere, adeoq; indigere, qui eos quasi manu ducat. Qui certe si illis nõ contingat, non raro in miscendis medicamentis impingant necesse est. Proinde vt haberent quod ipsis quasi viam quandam ad recte miscenda & componenda medicamenta strueret, hoc qualecunq; scriptum parare volui. Nequaquam autem hæc medicinæ pars, quæ recte componere medicamenta docet, negligenda erit, idque duabus potissimum de caussis: Primo quidem, quod hanc plerique morbi requirant, adeoque necessaria sit. Si enim contra singulos morbos simplicia haberemus medicamenta, in quibus nihil omnino desideraremus, compositis medicamentis non indigeremus. Nunc quia morbi & circumstãtiæ multis modis componuntur fere fit, vt multo nobis opus sit apparatu. Hinc ars est inuenta, qua diuersæ medicamentorum substantiæ miscentur. Fit etiam, vt medicamenta non tantum ad morborũ profligationem, sed etiam ad sui conseruationem, aliorum opem requirant. Atq; hæc altera est compositionis medicamentorum caussa. Vt duplex sane compositionis medicamentorum finis sit: Vnus, quod morbi talem misturam desiderent: alter, quod alioqui medicamenta conseruari nequeant.

Recentium medicorũ de miscẽdorum medicamentorum ratione scripta qualia.

Ceterum vniuersum hoc opus in quatuor digessimus libros, vt non esset quod desiderare vel medici, vel pharmacopœi possent. In horum quidem primo, simplicium medicamentorum, eorum præcipue, quorum hodie in Seplasiis & medicorum officinis frequens est vsus, nomenclaturas, & vbi opus fuit eorundem genera etiam & notas, ordine, vt speramus, optimo perstrinximus. Nisi enim simplicium medicamentorum exquisitam quis habeat notitiam, vt composita recte construat fieri haud potest. Vt enim domum struere nemo potest, nisi materias, e quibus hæc constat, perspectas habeat: ita sane nullus componere medicamenta potest, qui non prius simplicium, veluti horum materiam, notitiam sibi parauerit. Ceterum formas & vniuersam simplicium historiam, vt hic attingeremus, neque necesse fuit, neq; conueniebat. Nam hac ratione liber ille immensam in molem abiisset. Et quæ ad hoc institutum pertinent, in tribus tomis, quos de stirpium historia inscripsimus, plenissime docuimus: ad quos, eos qui pleniorem tractationem requirunt, ablegamus. Deteximus tamen hic non paucos tum Medicorum, tum Seplasiariorum errores, quos in vsurpandis simplicibus adulterinis hactenus commiserunt, & adhuc hodie (tanta est quorũdam impudentia & proteruitas) committunt. Nomina vero eorundem produximus ea duntaxat, quæ optimis tum Græcis, tum Latinis auctoribus recepta sunt: idque non alia sane de caussa, quam vt hac ratione efficeremus, vt abiectis tandem ac repudiatis barbaris & ineptis medicamentorum nomenclaturis, quibus hodie pessime Medici & Seplasiarii vtuntur, pro illis, Latinis, receptis, & perspicuis vti assuescerent. Neque enim perpetuo illis cum balbis & indoctis pharmacopœis balbutiendum & ineptiendum erit. Verum quum

Operis vsus.

Quæ in primo libro tractentur.

Simplicium cognitio necessaria.

haud ignorarem, Latinas & proprias nondum omnibus esse cognitas: non piguit etiam barbaras, hodieque vsitatas, vbi necessitas ita postulare videbatur, adiicere nomenclaturas. Non enim iis tantũ, qui singula simplicia suis & Latinis nominibus appellare nouerunt, verumetiam iis, qui per ignorãtiam Græcæ & Latinæ linguæ consuetis ac barbaris vti coguntur, inseruire voluimus. Quippe studiorum nostrorum ratio sic comparata est, vt ea ad omnium commoditatem conferamus. Vt igitur imperitiæ pharmacopœorum prorsus consuleremus, Indicem quoq; parari curauimus, in quo Latinæ & barbaræ voces ex aduerso positæ essent, vt ad hunc in singulis compositionibus, in quibus Latinis vsi sumus nomenclaturis, confugerent, & quod illis simplex vsurpandum esset, cognoscerent. Non solum autem simplicium medicamentorum nomenclaturas, sed eorundem etiam collectionem, asseruationem, præparationem, delectum & temperamenta in hoc primo libro obiter exposuimus: & præterea quæ ex iis singulares corporis partes iuuant medicamenta, nominatim indicauimus. Adiecimus quoque secundarum meditamentorum simplicium qualitatum commemorationem. Postremo breuem A B *etiam purgantium medicamentorum hodie vsitatorum descriptionem subiecimus, ac singulorum pondera & illorum vehementiam infrenantia medicamenta monstrauimus. Vt hinc pateat, hunc librum non solum medicis ipsis, sed & pharmacopœis mire esse vtilem. In* Altero *huius operis* libro *ponderum, quibus hoc tempore tum medici, tum pharmacopœi vtuntur, & eorum medicamentorũ omnium, quæ hodie in officinis medicorum prostant, conficiendorum ratio exponitur. Qui vtiq; rectissime* Medicamentarius liber *inscribetur. Ita enim verius & Latinius, quam, vt vulgo solet,* Dispensatorium *nominabitur. Nam & veteres Græci eos libros, in quibus medicamentorum compositiones traduntur,* φαρμακευτικοὺς *appellarunt. Atque is sane liber itidem ad vtrosque, medicos nimirum & pharmacopœos pertinet. In* Tertio *compositorum medicamentorum, quæ intro in corpus sumuntur, construendi modus ac formulæ, eorundemq; miscendi hodie vsitata ratio docetur.* C *In* Quarto, *eorum quæ extrinsecus corpori admouentur medicamentorum conficiendorum ratio monstratur. Hic vt etiam is qui eum præcedit tertius, ad medicos fere tantum spectat. Nihil igitur earum rerum, quas saltem adrite miscenda & componenda medicamenta cognoscere tum medicos tum pharmacopœos oportet, omisimus, aut negligenter præteriuimus. Quinetiam passim, vbi necessitas postulauit, singulis medicamentis* Annotationes *adiecimus, ne imperitus lector in plerisq; hærere posset. Proinde qui expedite & vtiliter composita medicamenta construere, aut ea, quæ ab aliis composita sunt, dextre vsurpare velit, eum sane quatuor hos libros, quos de* Compositione medicamentorum huius temporis vsitata *inscripsimus, diligenter euoluere, & assidue in manibus versare oportet, præsertim pharmacopœos, vt tandem veteres suos errores non solum cognoscant ac discant, verumetiam dediscant, abiiciantq; & ad meliorem frugem redeant.* D

Quæ in altero. — *Medicamentarius liber.* — *Quæ in tertio.* — *Quæ in quarto.*

Quid medicamentum, & quo a nutrimento distet, ac quotuplex sit medicamentorum natura. CAP. I.

CVm vniuersa huius operis tractatio futura sit de medicamentis, ordinis vtique ac methodi ratio postulat, vt primum *quid sit medicamentum*, & deinceps *quotuplex eius natura*, exponamus. Medicamentum itaq;, *Galeno lib. 1. Simp. cap. 1. & lib. 3. de Temperamentis teste*, est omne id, *quod naturam substãtiamue nostri corporis alterare & immutare potest.* Vel breuius, *quod alterandæ naturæ vim habet.* Quocirca nutrimento plane aduersatur, atq; vt dici solet, illi ex diametro repugnat. Nutrimentum enim est, *quicquid corporis nostri substantiam augere potest.* Vel, *quod augendæ naturæ vim obtinet.* Non augebit autem, nisi prius ab ea alteretur, illiq; assimiletur. Iam dictis igitur definitionibus sua vtriusq; illorũ naturæ proprietas rectissime explicatur, declaraturue. Ceterum natura medicamentorum quadruplex est. Siquidem vel nulla substantiæ suæ mutata parte, sed tota integraq; seruata vincunt, corpusq; ipsum afficiunt ac immutant, ad eum sane modum, quo id cibos. Atq; hæc prorsus grauia, & naturæ animalis corruptricia sunt, ideoq; Græcis δηλητήρια hoc est, *venenata, lethalia*, seu *mortifera* dicuntur. Eiusmodi certe sunt, quæ frigiditate sua interimunt: veluti *cicuta, mandrogora, papauer, hyoscyamus, & id genus alia.* Hæc autem non toto genere, hoc est, naturæ suæ contrarietate, adeoq; semper, humanæ naturæ aduersantur, ac lethalia sunt, sed sola quantitate. Nam horum quodque si exigua quantitate sumatur, nullam euidentem hominibus noxam infert, tãtum abest vt mortem afferre queat: haud secus quam si copiosæ flammæ pauxillum aquæ instilles, aut lignum illi iniicias humidum ac viride. Etsi vero hæc ipsa toto genere, adeoq; quocunque modo sumta non occidunt, sunt tamen nihilominus ex genere deleteriorum seu lethalium, quia magna quantitate sumta interimunt. Neque vtiq; eo minus genere lethalia E F

Medicamentum quid. — *Nutrimentũ quid.* — *Medicamentorũ natura quadruplex. Prima* — *Sola quãtitate lethalia.*

A thalia sunt dicenda, quod quum minima quantitate exhibentur, nullam sensibilem noxā inferūt. Sic nāq; neq; ignis ipse calidus sit, neq; nix frigida, oportet. Nam horum quoq; si quid prorsus exiguum est, nullum euidēs in corporibus nostris excitat pathos. Quippe centesima vnius scintillæ pars est quidem omnino genere ignis, ceterum adeo nos non vrit, calefacitue, vt corpori incidens, ne sensum quidem vllum sui excitet. Ad eundem modum frigidæ guttæ centesima portio non modo nihil offendit, aut refrigerat, sed nec sensum sui vllum præbet. Nequaquā igitur sic iudicanda deleteria sunt, sed totius naturæ suæ contrarietate, *vt fusius Galenus lib. 3. de Temp. cap. 4. & libro 3. de Simplicium med. facul. cap. 17. 18. & 19. ostendit*. Secunda medicamentorum species seu natura eorum est, quæ vbi mutationis initium ab animalis corpore consecuta fuerint, subinde putrescunt, ac corrumpuntur, vnaq; corpus ipsum corrumpunt ac putrefaciunt. Eiusmodi sunt quæ erodendo putrefaciendoq; interimunt medicamenta: vt sunt, *auripigmentum, aconitum, cantharides, chrysocolla, & iis similia*. Sunt autem toto quidem genere lethalia, hoc est, naturæ suæ contrarietate interimentia, adeoque in genere eorū quæ secundum naturam sunt, numerari non possunt, quandoquidem minima etiam quantitate sumta erodunt, putrefaciunt, & corrūpunt: nisi vna cum excrementis, priusquam iniuria afficiant corpus, excernantur: aut cibis, aut aliis quæ vim eorundem obtundunt, mixta fuerint, quemadmodum copiosius *lib. 3. de Simpl. medic. facultatib. cap. 20. 21. & 23.* Galenus monstrat. Tertia medicamentorum species eorum est, quæ corpus quidem calefaciunt, mali tamen nihil adferunt. Talia quidem sunt, *absinthium, origanum, abrotanum, & id genus alia*, quæ sunt potestate calida. Quarta species eorum est medicamentorum, quæ agunt & patiuntur aliquid, sed spatio temporis plane vincuntur. His porro accidit, vt tam medicamēti quam nutrimenti rationem habeant. Quatenus autem medicamenta sunt, eatenus corpus nostrum afficiunt & alterant: quatenus vero nutrimenta sunt, eatenus in corpus nihil plane agunt, sed ab illo alterata ac prorsus adsimilata calorem naturalem augent. Eiusmodi sane est lactuca, *vt lib. 3. de Temp. cap. 5.* Galenus fusius ostendit.

Obiectio diluitur.

Secunda.

B

Toto genere lethalia.

Tertia.

C

Quarta.

Quid sit Medicamentum simplex, & eiusdem diuisio. Cap. II.

QVum in primo huius operis libro simplicium medicamentorum ratio aliqua ex parte nobis explicanda veniat, principio *quid sit medicamentum simplex, & quot sint eiusdem genera*, nobis exponendum erit. Medicamentum igitur simplex, collatione ad compositum nuncupatum est. Neq; enim simplex est, nisi id quod immixtum & syncerum est. Aut quod tale est, quale ipsum natura produxit. Proinde simplex medicamentum, *Galeno lib. 1. de Simpl. medicam. facultatib. cap. 1. teste*, est, *quod natura sua syncerum, & a mixtura alterius medicamenti alienum est*. Natura vero hic nihil aliud, nisi substantiam seu essentiam significat: ita vt verborum Galeni is sit sensus: *Medicamentum simplex est id, cuius substantia syncera est, & cum alterius medicamenti substantia non commixta*. In hanc sententiam idem Galenus *cap. 4. iam citati libri*, exquisite ac syncere aquam vocat eam, quæ alterius substantiæ mistione vacat. Quod ideo esse adiiciendum duximus, ne imperiti variarum vocis naturæ acceptionum, adeoq; parum æqui iudices, sibi pugnantia docere Galenum existimarent, dum is *libro 3. de Simp. medic. facul. cap. 13.* scribit, *omnia propemodum medicamenta, licet sensu simplicia appareant, natura tamen esse cōposita*. Eo namq; in loco, natura non significat substantiam seu essentiam, vt in priore, sed potius facultatē. Quapropter is est verborum Galeni sensus: *Tametsi medicamenta propemodum omnia sensu simplicia esse apparent, adeoq; cum alia substantia minime commixta, tamen facultate naturaue composita sunt*. Verum, ne quis tergiuersari possit, ac dicere, naturam hoc loco non idem quod facultatem denotare, Galeni testimonium producemus, qui eodem in loco seipsum interpretatur, ac perspicue naturam non nisi facultatem significare monstrat, inquiēs: *Quin & subinde compositas, easq; diuersissimas in se facultates cōtinent*. Simplicia vero medicamenta fere omnia, compositas ac diuersas plane in se habere facultates, in eo quod ibidem mox sequitur capite, brassicæ, lenticulæ, conchularum, & multorum aliorum medicamentorum exemplis ostendit. Neque hoc solum in loco Galenus naturam pro facultate vsurpat, sed multis etiam aliis, præsertim *lib. 2. de Sympt. caussis, cap. 1.* vbi hanc pro facultate sumi manifestis testatur verbis. Ceterum alii succinctius medicamentum simplex ita definiunt. *Est quod a natura eiusmodi productum est, & cui nulla alia aliunde, aut*

Simplex.

D

Natura.

E

Galenus a pugnātia vindicatur.

Natura.

F

Medic.

menti simplicis alia definitio.

nostra opera, substantia accessit, & admista est. Hæc aũt cum priore in idem plane recidit. A
Nonnunquam vero medici improprie simplicia medicamenta vocare consueuerunt, quæ reuera composita sunt: idq; non alia sane de caussa, quam quod paucioribus constant medicamentis simplicibus, quam alia eiusdem generis cõposita. In hanc sententiam diatrion pipereon, quod reuera cõpositum est, simplex Galeno *lib. 4. de tuenda sanitate, dicitur.* Sic Actuario, Nicolao, & aliis, Oxymeli simplex & compositũ, & alia permulta vocantur simplicia. Igitur simplicia medicamenta proprie loquendo illa duntaxat nominantur, quibus nulla aliunde, vel a nobis mistio accessit, non obstante, quod ex qualitatibus & facultatibus diuersis constent. Quæ vero minus composita sunt ceteris eiusdem generis; καταχρηστικῶς etiam simplicia interdum appellantur.

Simplicia medicamenta improprie dicta.

Simplicia proprie.

Quæ ad recte componenda medicamenta necessaria sint. CAP. III.

QVum iam nobis clare expositum sit, quid compositi medicamenti nomine intelligendum veniat, restat vt nunc, *quæ ad recte & legitime componẽda medicamenta præcipue necessaria sint,* explicemus. Quanquam autem hæc res late pateat, nec breuibus sat dici queat, tamen quum hodie munus componendi medicamenta totum sit in manib. hominum quorundam, magna ex parte rudium & imperitorum, quos *pharmacopolas* nominãt, ea saltem perstringemus, quæ in illis maxime requiruntur, & septenario numero complectuntur. Principio namq; qui medicamentorum componendorum sibi sumunt prouinciam, ii minimũ vtriusq; linguæ Latinæ nimirum & Græcæ, cognitionẽ habeant, si non exquisitam, quam profecto in eis non requirimus, sed tantam saltẽ, quæ illis ad intelligẽdos in Latinam linguam cõuersos materiæ medicę scriptores, Dioscoridem, Galenum, Serapionem, Mesuen, & Auicennam sufficiat, & quæ ad cognoscendas Græcas voces, quæ in eorũdem officinis adhuc remanserunt, & hodie vsitatę sunt, illis satis sit. In summa, Grammatices saltem præcepta probe teneant, si vltra progredi nequeunt. Quantum enim ea in parte omnes hactenus laborarunt, notius est quam vt pluribus a me dici debeat. Qui igitur ętate iam prouecti sunt, ac ita consenuerũt, vt discere linguas nec velint, nec possint, id saltem agant, modo Christiani dici & haberi, & de omnibus bene audire velint, vt ministros non tantum sedulos, verumetiam doctos habeant. Et si hac in parte non præstent quod ab illis postulatur, magistratus officium erit, vt seueriter constituat eorundem ministros examinari, nec vllum admittat, nisi in quem antea diligenter a medicis est inquisitum. *Secundo loco,* vt exquisitam simplicium medicamentorum notitiam habeant, eorum potissimum, quibus in componẽdis medicamentis hodie vsitatis, quotidianus vsus, esse solet, necesse est. Qua quidem in re plurimum illis adiumenti conferẽt, Theophrastus & Dioscorides, nostriq; quos *de stirpium historia* conscripsimus commentarios, in quibus initio eorundem nomina, & cur ita denominata sint, dein genera, formam, locum, tempus, temperamenta, ac facultates ipsorum diligenter & copiose explicauimus, adiectis singulorum iconib. artificiosissime expressis atq; depictis, ita vt nihil quod ad illorum plenam cognitionem requiritur, desiderari ab ipsis possit. Non vero satis erit pharmacopœis, vt simplicium legitimam habeant cognitionem, sed vt ea, quę cognouerunt, rite colligant; tertio loco ab ipsis requiritur. Siquidem nisi id accurata diligentia pręstent, ad vsum medicum parum idonea & efficacia medicamenta simplicia reponent. *Quarto loco,* vt ea quæ rite ab ipsis collecta sunt, ita asseruent, ne situ & squalore, aut alia de caussa putrescant, viresq; suas amittant, & omnino pereant, oportet. *Quinto loco,* vt ex iis quæ collegerunt, non nisi quæ optima sunt, ad vsum medicum deligant, necessum est. Eum quoq; delectum eos in coemendis peregrinis adhibere oportet, vt scilicet in ipsorum officinis nihil venale prostet, quod non sit optimum, aut saltem minime adulterinum & suppositiuum. Non est igitur vt pharmacopolæ, qui officinam instruunt, in hanc tantum curam incũbant, vt vascula auro & argento incrustata, varieq; picta habeant, vt quæ plus ad ostentationẽ quam ad necessitatem faciunt, quod vulgus officinas has tantum admiretur, verum id studeant vt superfluas & inutiles has impensas, ad comparanda optima medicamenta insumant. Hac namq; ratione tum sibi, tum ægrotis melius consulent. *Sexto loco,* vt iis medicamentis quæ id postulant, præparationes suas, quo suauiora palatoq; gratiora fiant, vel melius conseruari, aut compositionibus misceri queant, adhibeant. *Septimo & vltimo loco,* vt iis omnibus factis, ea ita ordine disponãt, vt omnia ad manum sint, & ex iis recta

Pharmacopœorum munus & officium.

1. Vtriusq; linguę periti sint.

2. Simpliciũ cognitionem habeant.

3 Rite colligant simplicia.

4. Probe collecta asseruent.

5. Delectũ in vsu simpliciũ adhibeant.

6. Præparationẽ quibus oportet adhibeant.

A recta ad scopum, quem sibi Medicina præfixum habet, collimetur, nimirum vt ægro prosint ad sanitatem, ne quid pro quo vtendo patiens in extremum vitæ periculum incidat. Singula itaque norit, quo in loco tutius & incolumius seruari possint. Nõ enim omnia vno in loco salua simul esse possunt: sed hoc loco calidæ, alio frigidæ, alio humidæ, iterum alio siccæ, pro varietate conclauiũ, aeris, ventorum, fumorum, qui omnino abesse debent, seruari medicinæ simplices postulant.

Porro simplicium differentiæ colliguntur a rebus, vnde illa proueniũt. Quædam enim a stirpibus & arboribus sumuntur, vt sunt *arborum & herbarum folia, flores, semina, fructus, radices, succi prædensi concretiue, liquores gummi, cortices, ligna.* De quibus omnibus, præter Dioscoridem, Galenus etiam priuatim & copiose a *lib. 6. Simpl. med. vsque ad nonum pertractat.* B Quædam ab animantibus petuntur, vt sunt *pinguedines, ossa, medullæ, carnes, pili, partes, excrementa, sanguis, & lac.* De quibus omnibus *libr. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus* Galenus abunde scribit. Nonnulla e venis & latebris terræ sumuntur: vt sunt *metalla, lapides, gemmæ & terræ diuersæ species.* De quib. *lib. 9. iam citati operis* Galenus copiose pertractauit. Aliqua vero a mari & aquis, quæ tamen animalium e genere non sunt, proficiscuntur. De quibus *lib. 11. simpl. medic.* Gal. disseruit, idque in eiusdem fine. Hanc simplicium medicamentorum diuisionem, qua *lib. 1. de compos. med.* generalium Galenus quoque vsus est, vt studiosi rectius intuerentur, in breue hoc digessimus schema, quod subiecimus.

C

Simplicium medicamentorum materiæ sumuntur, vel a

- Stirpibus & arboribus, quarũ hæ sunt partes,
  - *Folia.* *Flores.*
  - *Gemma.* *Fructus.*
  - *Rami.* *Surculi.*
  - *Radices.* *Succi.*
  - *Liquores.* *Gummi.*
  - *Resina.* *Cortices.*
  - *Stipites.* *Ligna.*
- Animalibus totis, vt sunt,
  - *Vulpes.* *Cancri.* *Mumia.*
  - *Hirundo.* *Ostrea.*
  - *Lumbrici.* *Cantharis.*
  - *Buccinæ.* *Purpura.*
  - *Limaces.* *Galerita.*
- Partibus animalium, vt
  - *Pinguedo.* *Adeps.*
  - *Medulla.* *Sanguis.*
  - *Coagulum.* *Oua.*
  - *Lac.*
  - *Senecta serpentis.*
  - *Cerebrum leporis.*
  - *Cornu ceruinum.*
  - *Vnicornis*
  - *Vngues caprarum, asinorum.*
  - *Glutinum tauri.*
  - *Tunica interna ventriculi.*
- Excrementis animalium,
  - *Stercus canum, luporum, puerorum, caprinum, columbinum, asininum.*
  - *Fel.* *Vrina.*
  - *Sudor.* *Saliua.*
  - *Pili.* *Lana succida.*
- Terræ latebris,
  - *Metalla*
  - *Lapides.*
  - *Gemmæ.*
  - *Terræ.*
- Mari & aquis.
  - *Sales.* *Spuma salis.* *Succinum.*
  - *Bitumen.* *Adarce.* *Pissasphaltos.*
  - *Spongia.* *Garum.*
  - *Muria.* *Alcyonium.*

D E F

Collectionis stirpiũ tempus. Stirpes. *Stirpes* fere cum floribus colliguntur. Collecta siccantur in vmbra potius, q̃ sole, ne huius calore vires earũ exsoluant: nisi caule sint crassiore, aut folio humidiore, adeoq; vt putrescant idoneæ. Vbi probe sunt exsiccatæ, loco nõ fumato, non humido, non puluerulento, sed sublimi, puro, & arido reponuntur. Et quũ diu seruari herbæ vix queant, consiliũ est, vt quotannis mutentur. Flores. Fructus. Semina. Lac. Radices. *Flores* tamen priuatim antea q̃ sponte sua decidant, decerpendi sunt: fructus, vbi maturuerunt: semina, vbi siccari cœperint, & priusquã defluant. Herbarum succus & foliorum elici debet, germinantib. tum primũ cauliculis. Lac & lachrymæ excipiuntur, inciso per summum adolescentiæ vigorem caule. *Radices* & cortices eximere cõuenit, quum herbæ suis foliis exsuuntur. Siccãtur prius expurgatæ, & a luto & puluere elutæ. Reconduntur aũt flores, & omnia quæ iucundum odorem efflant, articulis tiliaceis, nullo situ obductis. Nonnunquam carta aut foliis semina, vt perennent, apte inuoluuntur. Liquidis medicamentis densior materia argẽtea, vitrea, plumbea, aut cornea conuenit. Fictilis etiã, seu testacea, modo non sit rara, in hũc vsum probatur. Lignea, quæ ex buxo parantur vasa quoq; conueniunt. Ænea vasa ocularijs medicamẽtis, & liquidis, omnibusq; iis quæ aceto, pice liquida, aut cedria componuntur. Adipem autem & medullas, vasis e plumbo albo confectis reponere conuenit.

A B

De stirpibus & arboribus. Cap. IV.

ABrotonũ geminum est, mas & fœmina. Mas vulgaris est, ac cognita omnibus, ideoq; omnibus in officinis prostat. Fœmina paucis agnoscitur, & quæ sub eius nomine a Pharmacopolarũ erratum. pharmacopœis hodie venditur, adulterina est, & absinthii Pontici genus, vt *in 1. tomo nostrorum de stirpium historia luculentis argumentis ostendimus*. Ibidem studiosi vniuersam quoque Abrotoni fœminæ tum historiam, tum imaginem affabre expressam inueniẽt. Vtriusque coma & floribus vtimur. C

Absinthii multa sunt genera, *vt loco iam citato monstrauimus*, vbi autẽ apud veteres absinthii mentio incidit, non vulgare & quod omnibus notum est, vsurpandum erit, sed Ponticum: quod non est nisi id, quo hactenus Seplasiarii pro abrotono fœmina, vt diximus, ad sua medicamenta vsi sunt. Comam tantum cum floribus ad medicamentorum Nota. confectionem adhibemus. Santonici tamẽ semine ad enecandos vermes vtimur, quod ob id pharmacopœi *semen lumbricorum* appellant.

Acanthus vel Acantha, officinis Germanicis nõ agnoscitur. Quam n. illæ Brancã vrsi- Error pharmacopœorum. nam appellant, veterum *Acanthus* nõ est, sed Sphondylium potius syluestre: ꝗ nos alibi euidentib. argumentis demonstrauimus. Vera igitur in vsum medicum reuocãda erit, posthabita & abiecta adulterina. Historiam vero & imaginem pictam *in 1. nostrorum de Stirpium historia comm. tomo* pharmacopœi inuenient. Vtimur tum foliis, tum radice. D

Acetabulum geminum est. Vnum, ꝗ Vmbilicus Veneris, & Cymbalaris, a foliis in acetabuli modũ orbiculatis, & in eũdẽ ter cauis dicit̃. Hoc nostris officinis adhuc ignotum est. Alterũ, vulgo & Seplasiis *Crassula maior* vocatur. estq; ꝗ passim scil. nascitur, omnib. cognitum. Vtimur foliis, semine & radice. Vtriusq; pictura est in nostris commentariis.

Adianti duo genera officinis medicorum hodie innotescere cœperunt, sed sub no- Error Seplasiariorum. mine Capilli Veneris, candidum nimirum, & nigrum. Errant autẽ pharmacopœi plurimum, qui pro *Adianto*, vel vt ipsi appellant, *Capillo Veneris*, herba vtũtur quæ *Ruta muraria* nominatur, vt alibi fusius diximus. E

ἄγνος, agnus, quod Latinis non est nisi casta: sic enim Græcis vocatur hæc herba, ꝗ ad castitatem plurimum conferat. *Vitex* Latinis dicitur. Vulgo medicorum & Seplasiis Græca & Latina iunctis vocibus, nõ sine risu eruditorũ, *Agnus castus* appellat̃. Foliorum, florum, & seminis vsus est. Nostræ tamen officinæ semen tantum venale exhibent.

Adiuga, siue Abiga, & Ibiga, quæ veteribus dicta est *herba*, & postea abiectis duab. literis b & g, *Iba*, hodie mutatione b in v, *Iua* Seplasiis & Medicis nuncupatur. Alio nomine Seplasiariorum erratũ. *Chamepitis* vocatur, quasi *pumila & humi nascens pinus*. Multi in Germania pharmacopolæ pro *Iua*, non sine maximo errore vsurpant herbam, quæ *Sideritis* est species. Coma cum floribus & semine vtimur. F

AEra Græcis, *Loliũ* Latinis nominatur. Germanicis officinis nec cognitũ, nec vsitatum. Præstaret aũt, pp veterum auctoritatem, qui illo creberrime vsi sunt, esse vsitatissimum. Quare operam dabunt, vt in vsum reuocent lolium Seplasiæ: ꝗ facile poterunt, si historiam & imaginem eius pictam *in nostris Commentariis* traditam intuebuntur.

Alsine, vulgo & officinis *Morsus gallinæ* dicit̃: eius multa sunt genera, q̃ alibi demõstrauimus.

Althea,

A *Althea*, alio nomine *Ebiscus & Ibiscus* appellatur. Seplasiis *Bismalua, & Maluauiscus.* Foliorum, seminis & radicis vsus esse debet.

Amarantus multorum est generum, sed ex illis vnum duntaxat, nempe luteũ, Seplasiis cognoscitur, & *Stichas citrina* nominatur. Coma & florũ luteis corymbis vtimur.

Anagallis trium est generum. Duo aũt nempe puniceum & cærulæum, passim proueniunt. Nullus vero est prorsus in nostris officinis Anagallidum vsus: quod reprehensione non vacat. Nam quum mira earũdem sit facultas & vtilitas, expedit, vt in vsum quotidianum reuocentur.

Anethum nulli non cognoscitur. Vtendum coma, floribus, foliis & semine.

Anonis, siue *Ononis*, vulgo *Resta bouis* nominatur. Trium est generum, purpureum, luteum, & candidum. Debet etiam huius stirpis aliquis esse in Seplasiis vsus. Nam illam hactenus, vt alias multas vulgares, supra modum tamen vtiles, neglexerunt, peregrinas interim & incognitas vsurpantes.

B

Anthemis etsi multorum est generum, tamen vnicum tantum, nempe quod leucanthemon, chamæmelum Latinis, vulgo Chamomilla dicitur, Seplasiis cognitum & vsitatum est. Eius comas & flores vsurpant medici.

Apium satiuũ est id, quod vulgo petroselinum nominatur. Vtimur foliis & semine. Quod igitur Seplasię hodie pro Apio vtũtur, nõ est nisi Elæoselinon: quod alibi abunde ostendimus.

Artemisiæ plura sunt fastigia: ramosa & vnicaulis. Ramosa iterum in geminas partitur species, fruticosam, & non fruticosam. Fruticosa est, quæ in hodiernum vsque diem in officinis Artemisię nomen retinet. Non fruticosa, quod eximie morbis vteri conferat.

C

Matricaria, Medicis & Pharmacopœis nominatur. Aliorum generum nostratibus officinis nullus est vsus. Vtimur coma cum floribus.

Asplenon Seplasiis Ceterach dicitur. Vsus est eius foliorum duntaxat.

Atriplicis duo primaria sunt genera, satiua & syluestris. Foliorum & seminis vsus est.

Balsamita officinarum non est nisi Sisymbrium Græcis simpliciter appellatum. Vsus est foliorum & florum.

Betonica coronaria gemina exsistit, altilis & syluestris. Officinæ detritis duabus prioribus literis, & mutatione o in v, Tunicã vocant. Vtuntur aũt altili duntaxat, eius flores & radices ad medicamentorũ compositiones vsurpant. Est & betonica altera nõ coronaria dicta ad prioris differentiã, quæ priuatim Græcis *Cestros* vocatur. Duũ generum exsistit, purpurea & alba. Prior tantũ Seplasiis vsitata. Vtuntur aũt coma cum floribus.

D

Beta duum est generum, alba & nigra. Alba in purgandis per nares cerebri humoribus valentior. Foliorum succi, & radicis vsus est. Confundũt nostræ ætatis Medici Betam, non sine maximo errore, cum Blito. nam Bletam vocant adiecta litera l, quæ Beta illis dicenda erat. Blitum autem a Beta diuersum esse, sciunt omnes, qui vel leuem simplicium medicamentorum notitiam habent. Error medicorum Betam cũ Blito confundentium.

Branca vrsina. vide Acanthus.

Brassica hortensis & esculenta multarum est specierum, vt alibi ostendimus. Seplasiis caulis appellatur.

E

Brassica marina est, quæ hodie officinis medicorum, Soldanella nominatur. Folia eius in puluerem redacta, & ex succo ac liquore aliquo conueniente hausta, miram in aqua inter cutem sananda efficaciam præbent.

Buglossum veterum est herba, quæ Seplasiis & vulgo Borrago nuncupatur. Hodie Medici & Pharmacopœi floribus duntaxat huius herbæ vtuntur, quum, Nicolai Myrepsi exemplo, foliis etiam & radicibus vtendum esset.

Buglossa officinarum. vide Enchion.

Buphthalmum Seplasiis Cotula non fœtida vocatur. Pauci vero sunt qui hanc hodie recte agnoscunt, quum propemodũ omnes Chamæmelum Chrysanthemum pro ea vsurpent. Effigies veri Buphthalmi in nostris Commentariis de stirpium historia exstat. Error quorundam detectus.

F

Bursa pastoria, vel Pastoris bursa hodie vulgo dicta veteribus, quod sciam, non fuit cognita. Ob insignes tamen suas, quas in constringendo habet vires, in frequẽti medicorum vsu esse meretur. Foliis autem cum semine vtendum.

Caalmintha Latinis nominata, Seplasiis *Calamentum* appellatur. Eius plura sunt ge-

nera: altera tamen duntaxat nostrates officinæ vtuntur. Coma cum floribus vtendum. A

Chamæmelum. vide Anthemis.

Capnos Plinii. Aristolochia rotunda officinarum.

Capnos & Capnios, Latinis *Fumaria*, Seplasiis autem *Fumus terræ* nuncupatur. Atque hæc est, quæ Dioscoridi pingitur. Altera est, quæ a Plinio describitur, & tum Medicis quibusdam, tum officinis *Aristolochia rotunda* nuncupatur, manifeste repugnantibus foliis, quæ minime sunt hederacea, *vt alibi copiose admodum demonstrauimus.* Vsus foliorum & seminis duntaxat prioris, alterius vero etiam radicis.

Carduus benedictus. vide Cnicus.

Cassutha recentiorum Græcorum, Seplasiis *Cuscuta* nominatur.

Centaurium est geminum, maius & minus. Maius officinis *Raponticum* hodie nominatur, *vt infra fusius docebimus.* Minus suam retinet appellationem, & *Centaurea minor*, in aliud genus deflexa voce appellatur. Maioris radice duntaxat vtuntur officinæ. Minoris coma cum floribus. B

Chamædrys multarum est specierum. Præstat vti ea, quæ passim haberi potest, modo adulterinam pro vera non vsurpemus. Vtimur coma cum floribus.

Chamalæa Selapsiis *Mezereon* nominatur. Paucis autem hodie vera Chamælæa cognoscitur. Seminata quidem nobis est aliquoties, verum nunquam prodiit. Qua stirpe hodie nostrates officinæ pro Mezereon vtantur, paulo post exponemus.

Chamæpitys. vide Aiuga.

Cichorium, officinis *Cicorea*, Latinis *Intybum sylnestre* dicitur.

Cicuta venenata & lethalis est herba. Vtimur eius semine, sed extrinsecus admoto.

Cnici duo sunt genera, satiua & syluestris. Satiua Seplasiis *Cartamus*, vulgo *Crocus syluestris* nominatur. Syluestris duas partitur in species. Vna est leuis & mitior, quæ officinis non cognoscitur. Altera hirsuta, quæ Seplasiis *Carduus benedictus* appellatur. C

Chelidonium duũ est generũ, maius & minus. Maius passim nascit᷑, & nulli non cognitum est. Minus iudico hodie esse omnib. ignotũ. Herba enim q̃ vulgus medicorum Scrophulariã minorẽ vocant, Chelidonium minus nõ est, *q͂ nullam pene acrimoniam, & tã exilẽ vt sensui fere nõ occurrat: sed est potius altera Malacocissi species, vt alibi a nobis ostẽsum est.*

Cynoglossa officinarũ.

Cynoglossum officinarum non est id, quod Dioscorides & alii veteres pingunt, sed potius ea herba, quam illi *Lycopsin* nominãt. Reuocandum igitur in vsum Medicum veterum Cynoglossum, cuius quidem foliis, non radice vtendum erit. Eius effigies est in nostris de Stirpium historia commentariis. D

Daphnoides Seplasiis *Laureola* nuncupatur. Eius foliis pro Mezereon nostrates vtuntur officinæ, quum tamen, *vt paulo supra est monstratum, sit Græcorum Chamalæa.* Semine vero eiusdem pro Coccognidio, vt infra latius dicemus.

Delphiniũ duplex est, satiuũ & syluestre. Satiuum in Germania non nisi satum prouenit. Syluestre passim in agris & segetib. gignitur, vocaturq; Seplasiis *Consolida regalis.*

Dictamnus officinis Diptamus. Vere aũt dictam nõ multis annis nostrates officinæ non sunt vsæ, sed radice Pseudodictamni, quũ Cretensis potius foliis illis vtendũ fuisset. Iam vero innotescere satis cœpit, nec iã est facile officina, in qua non venalis habeatur.

Buglossa officinarũ.

Ebiscus, vide Althæa.

Echion multorũ est generũ. Eius generis herba est, quæ hodie Seplasiis Buglossa vocatur. Vtendum illius coma, floribus & radice. E

Elelisphacos, Latinis & officinis *Saluia* nominatur. foliorum duntaxat vsus est.

Equisetum Seplasiis *Cauda equina* dicitur. Coma eius vtimur.

Ebulus nomen suum in officinis retinet. Foliis potissimum hodie vtimur.

Apium officinarum. Error officinarum in Senecione.

Eleoselinum Latinis sonat Apium palustre. Seplasiis simpliciter, nõ tamen sine errore, Apium appellatur, quum ita nominatum, proprie non sit, nisi quod vulgo medicorum Petroselinum nuncupatur. Vsus foliorum, florum, & seminis.

Erigeron, Latinis Senecio dicitur. Errant officinæ medicorum, quæ pro Senecione vtuntur aquatico nasturtio, quod tamen alterum Sisymbrii genus est. Ita nullã prorsus cognitionem herbarum præ se ferunt, qui hodie componendis medicamentis præsunt. Coma cum floribus vsurpatur. F

Eruca hortensis vera paucis est cognita. Imaginem eius in primo nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo pictam dedimus. Syluestris est, quæ vulgo deprauato & decurtato nomine *Rucula* nominatur. Foliis & semine vtimur.

Eupato-

A *Eupatorium* triplex exsistit. Vnum Dioscoridis, Galeni, & aliorum Græcorum medicorum, quod ab officinis *Agrimonia* vocatur. Vsus foliorum eius & radicis. Alterum Auicennæ, quod sub nomine *Eupatorij* simpliciter, omnibus propemodum in officinis prostat. Alio nomine *Kunegundis* herbam, & *Origanum aquaticum* nominant. Hæc tamen quum omni adstrictione vacet, pro vero & Græcorum Eupatorio vsurpari non debet. Tertium est Mesue, quod Græcis *Ageratum* dicitur, paucis pharmacopœis cognitum. Effigies eius est in nostris Commentariis expressa. Eo vtendum, quum ex præscripto Mesues Seplasiarii componunt medicaméta: sicuti altero, vbi Avicennæ medicamenta construunt. Errant toto cœlo pharmacopœi, qui pro Eupatorio vtuntur *Scarlea syluestri*, vel vt nonnulli vocant *Saluia agresti*. Siquidem nullus vnquam neq; Græcorum, nec B Arabum ea herba pro Eupatorio vsus est. Eupatoriū Græcorū. Agrimonia. Auicennæ. Herba Kunegundis. Mesue. Pharmacopœorū immensus error.

Eufragia veteribus, sub hoc præsertim nomine incomperta herba. Apparet hanc vetustioribus herbariis *Euphrosinon* fuisse dictam, propter caussam alibi abũde expositam. Ab aliis non inepte *Ophthalmica* est nuncupata. Foliis cum floribus vtimur. Eufragia. Opthalmica.

Fœniculum omnibus est notum, & retinet nomen suum hodie in officinis medicorum. Vsus comæ eius, seminis, & radicis. Fœniculū.

Fumaria. Vide *Capnos.* Fumaria.

Gingidium non est herba, quæ officinis *Cerefolium* dicitur, sed potius *Lappula agrorum*, vt alibi evidentibus argumentis ostendimus. Coma eius vtendum. A nostratibus pharmacopœis non agnoscitur, ideoq; in illorum officinis nullum obtinet vsum. Eius icoC nem dedimus primo nostrorum de *Stirpium historia* commentariorum tomo. Gingidiū.

Halicacabus geminus est, peregrinus, & vulgaris. Posterior officinis dũtaxat cognitus est, & deprauata voce *Alchechengi* nominatur, vtimur succo foliorum, & fructu. Halicacabus. Alchechēgi.

Hedypnois duum est generum, maior & minor. Maior Seplasiis nota, *Taraxicon* dicitur. Coma cum floribus vtimur. Hedypnois. Taraxacō.

Helxine, vulgo & officinis medicorum *Parietaria* nominatur. Foliis vtimur. Helxine. Parietaria

Hyoscyamus ab officinis barbara & deprauata voce *Iusquiamus* vocatur. Vsus comæ & seminis. Hyoscyamus.

Hyssopum nomen suum in Seplasiis retinet. Foliis eius cum spica florum vtimur. Hyssopū.

Intybum duplex est, satiuum & syluestre. Satiuum iterum in duo partitur genera: latiD folium, quod vulgo Medicorum & Seplasiis *Endivia* nominatur. Angustifolium, quod iisdem *Scariola* nuncupatur. Plurimum errant pharmacopœi qui pro Endiuia vtuntur herba quadam, quæ est syluestris lactuca. Alii iis non minus hallucinantur, qui alteram Sonchi speciem loco Endiuiæ vsurpant. Syluestre Intybum *Cichorium* dicitur. Officinæ deprauata nonnihil voce *Cicoream* vocant. Vsus est foliorum seminis & radicis. Intibum. Endiuia. Scariola. Error pharmacopœorum. Cichoriū.

Iuncus odoratus Græce σχῖνος. Huius flore, qui Actuario & aliis recentioribus Græcis σχίνανθος appellatur, maxime vtendum esset. Hodie tamẽ ad nos flos minime defertur, sed culmi duntaxat eiusdem, superiore nimirum parte a camelis, qui ea vescuntur, Galeno attestante, & maxime delectantur, erosa. Eam enim in Arabiæ semitis copiosissime prouenientem cameli depascuntur. Hinc Germanis Camelhew/ id est, *fœnum cameloE rum*, nominatur. Quod autem falso Galenus sit a Matthiolo notatus, in appendice aduersus illum scripta docuimus. Seplasiæ etsi culmos tantum venales proponant, tamen nihilominus deprauata voce *Squinantum*, quum dicẽdum esset illis *Schœnanthon*, vocãt. Floris culmorum, & radicis vsus esse in officinis medicorum deberet. Sunt tamen, vt Monachi illi, qui in Mesues filium commentarios ediderunt, quod prætereundum nobis minime erit, qui culmos illos legitimos esse negent, quod scilicet linguam non mordicent, nec rosæ odorem spirent. Sed vicissim non desunt, qui Schœnanthum recens linguam valide mordicare, & rosæ odorem referre attestantur. Nec mirum vetus & odorem & saporem amittere, præsertim quum ab eo, vt Galen. auctor est, omnis vis vetustate euanescat. Sed nec illud, quod passim in officinis p̃stat, odore prorsus vacat. Iuncus odoratus. Squinãtū.

F *Laurus* nomen suum retinet, vtimur eius foliis & fructu. Laurus.

Laurus Alexandrina, Seplasiis Vuularia nuncupatur. vsus foliorum duntaxat est. Vuularia.

Lactuca multarum est specierum. vtimur foliis, & semine. Lactuca.

Lapathum, quod officinis corrupta nonnihil voce Lapatium dicitur, multorum est generum, quorum duo duntaxat Seplasiis vsitata sunt, nempe *Oxylapathum*, quod illis Lapathum.

Lapatium acutum. *Lapatium acutum* vocatur ex *Oxalis*, quæ iisdem *Acetosa* nominatur. Vsus foliorum, seminis, & radicis. A

Laureola. *Laureola* vide *Daphnoides*.

Hepatica. *Lichen*, officinis medicorum *Hepatica* nuncupatur. Vtimur foliis.

Lolium. *Lolium*, quod officinæ hodie nec cognoscunt, nec vsurpant, veteribus vsitatissimum fuit. Quare in quotidianum vsum reuocandum. Quale vero sit, discent e nostris de Stirpium historia Commentariis. Ibidem enim duo illius genera recensuimus, adiectis eorundem picturis.

Lotus syluestris. Seplasiarũ error. *Lotus syluestris* est herba illa, qua nostrates officinæ hactenus propemodum omnes pro meliloto, non sine errore, vsæ sunt. Quæ enim vera *Melilotus* sit, paulo post indicabimus. Lotum illam vulgus medicorum, & Germani etiam nostri *Saxifragam luteam* appellant. Vtimur eius coma cum floribus. B

Lupulus. *Lupus salictarius*, officinis medicorum *Lupulus* dicitur. Coma cum floribus vtimur.

Malus. *Malua* multarum est specierum. Officinæ *pumila* maxime vtuntur. Vsus vero est foliorum eius, & seminis.

Malabathrum. Foliũ indum. Vnguentũ Malabathrinum. Syriacum. Folium. *Malabathrum* Dioscoride teste, folium est sui generis, quod Indicæ paludes gignunt, lentis palustris modo innatans aquis, sine radice. Hoc namq; ita a Dioscoride pingitur. *Folium Indum* Græci appellant. A quo vnguentum *Malabathrinum*, dictum est. Alterum Malabathrũ folium est arboris cuiusdam in Syria nascentis, ideoq; *Malabathrum syriacũ* nominatum, & Plinio *lib.12.cap.26.* celebratum. Vnde Galeno *lib.7.de compos.medicamẽt.* vnguentum Syriacum appellatum est. Vtrumq; folium hodie ad nos deferri desiit. Est C præterea aliud cuiusdam plantæ folium perpetuo viride, amplum, folio Nucis iuglãdis simile, in quadam Indiæ regione, quæ *Malabar* dicitur, natum, quod incolæ decurtata nonnihil voce *Batrum* nominant. Hoc cerebrum & stomachum roborat, ac cor exhilarat, Veneremq; incitat, & halitum oris cõmendat: itidem Indiæ incolis priuatim *Foliũ* appellatur. Ab hoc *vnguentum foliatum* diuitibus Romanis mulierib. nuncupatum est, Vt iam dicta tria sint distincta genera. Hinc Galen. *lib.7.de compos.medicam.general.cap.12.* in vnius medicamenti compositionem tria hæc vnguenta μαλαβάθρινον, καὶ φυλλᾶτον ῥωμαϊστὶ καλούμενον, καὶ συριακὸν adhibet. Differũt etiam hæc, *eodem teste* a ναρδίνῳ, secus ac Plinius putauit. Non temere autem hoc ad vsum erit admittendum, quod eius facultas nos lateat, sed vbi Malabathro seu Folio opus sit, casia odorata, vel Indica nardus, Galeno auctore, D supponenda erit. In horum locum Arabes quartum inuexerunt folium oblõgum, Laurino proximum, sed maius, & neruis tribus illud intercursantibus distinctum, odore & sapore Cinnamomi iucundo. Quapropter quidem e sapore colligunt Cinnamomi esse folia. Hoc vnum hodie cognoscitur, illudq; officinæ, vt Mauritani, quos illæ maxime imitantur, simpliciter *Folium* nominant.

Folium Arabicum.

Marrubiũ. *Marrubium* officinis hodie Græca appellatione *Prassium* nuncupatur. Comæ cum semine vsus est.

Maiorana. *Maiorana*, Sampsychus alio nomine dicitur. Vtimur foliis cum floribus, & semine.

Melilotũ. Officinarum error. *Melilotum* quo Seplasiæ hodie vtuntur propemodum omnes, non est verum & legitimum, sed potius lotus, vt paulo ante dictum est, syluestris. Verum autem Melilotum E *in nostris de Stirpium historia Commentarijs* pinximus. Ex iis itaq; discant Seplasiarii, quo illis deinceps Meliloto sit vtendum, nec in veteri errore, toties moniti, persistant, nec præfracte adulterinum subinde ad medicamentorum compositiones vsurpent.

Melissa. Lutea. Turcica. *Melissophyllum* officinis *Melissa* dicitur. Sunt autem vulgaris Melissæ duo genera. Vna cum luteis floribus, qua communiter omnes propemodum officinæ vtuntur. Altera cum purpureis floribus, quæ Turcica, discriminis gratia, nominari potest. Vtraq; grauiter odorata est, & cimices verius quam citrum redolet. Tertium Melissę genus, quod copiose in Boiaria iuxta Ingolstadium prouenit, odore suo plane Citrum refert, præsertim quum arida exsistit, ideoq; vera est, & *Citrago* rectissime nuncupatur. Hac etiam Seplasiæ Ingolstadianæ pro Melissa vtuntur. F

Citrago.

Mentha. *Mentha* multorum est generum, quæ singula alibi nominatim expressimus. Vsus comæ cum floribus.

Mẽtastrũ. *Mentastrum* nomen suum in officinis in hodiernum vsq; diem retinet. Vtendum foliis cum floribus.

Mercu-

A *Mercurialis* duplex, mas & fœmina. Vsus foliorum & seminis. Mercurialis.

Morus arbor est, cuius foliis, fructu, & radice vtendum esse veteres tradunt. Morus.

Muscus, Seplasiis *Vsnea* vocatur. Muscus.

Myrrhis non est nisi herba, quæ vulgo & officinis *Cerefolium* dicitur. Foliis & semine vtimur. Myrrhis.

Nasturtium nomen etiam suum hodie in officinis retinet. Vsus foliorũ & seminis. Nasturtium.

Nepeta. Vide *Calamintha*. Nepeta.

Ocimum multorum est generum, officinæ *Basilicon* vocant. Vsus comæ cum floribus & semine. Ocimum. Basilicũ.

Ononis. Vide *Anonis*. Ononis.

B *Origanum* est multarum specierum. Seplasiæ nostrates hactenus omnes syluestri, vt pote vulgari & passim proueniẽte, duntaxat vsæ sunt. Iam afferunt etiam Creticum, Heracleoticum, & alia quædam genera. Vsus est comarum & florum. Effigies omnium in nostris Commentariis de *Stirpium historia* habentur. Origanũ.

Osyris Seplasiis *Linaria* dicitur. Vtimur foliis cum floribus. Osyris.

Oxalis. Vide *Lapathum*. Oxalis.

Parietaria. Vide *Helxine*. Parietaria.

Parthenium Officinis, & vulgo *Cotula fœtida* dicitur. Errant autem, qui hanc herbã Matricariam esse arbitrantur. Vsus comæ cum floribus. Cotula fœtida.

Periclymenon vulgo & Seplasiis *Mater syluarũ*, caprifolium, & *Lilium inter spinas* vo-
C catur. Vsus foliorum & seminis. Mater syluarum.

Perfoliata officinis, dicta, veteribus incognita fuit. Vtimur foliis & semine. Caprifolium.

Personatia officinis & vulgo *Lappa maior*, & *Bardana* nominatur. Vsus foliorũ & radicis. Perfoliata.

Phyllitis Seplasiis *Scolopendria* vocatur. Coma eius frequenter vtuntur medici. Floribus nanq; & semine vacat. Lappa maior. Bardana.

Plantago maior, minor & media. Vtuntur foliis, semine, & radice.

Polium duplex est. Inter ea montanum optimum est. Errant nonnulli pharmacopœi qui pro Polio vtuntur Chamæpityos specie. Vsus est comæ. Phyllitis. Scolopẽdria.

Polygonon officinis *Corrigiola* dicitur. Vtimur coma cum floribus. Plantago.

Populus duplex, alba & nigra. Vsus foliorum, florum, corticis, & seminis. Polium.

D *Portulaca* itidem duplex, satiua & syluestris. Vtimur foliis & semine. Polygonon.

Prasium. Vide *Marrubium*. Corrigiola.

Psylliũ nomen suũ vetus retinet in medicorum officinis. Coma cũ semine vtimur. Populus.

Pulegium duorum est generum, mas & fœmina. Vsus foliorum cum semine. Portulaca.

Rosa gemina, satiua & syluestris. Vtimur coma & floribus. Prasium.

Rosmarinus coronaria vtilis folio & flore, quem vulgus medicorum simpliciter ἄνθος genere pro specie vtens, appellat. Psyllium. Pulegiũ. Rosa.

Rumex. Vide. Lapathum. Rosmarinus. Anthos.

Ruta duum est generum, hortẽsis, quæ omnibus cognita est: & syluestris, quæ rursus gemina est, vna scilicet montana, & altera quam Syri *Harmala*, nostræ ætatis medici
E *Harmel* nominant. Errant capitaliter Seplasiarii & Medici, qui pro *Harmala*, vel vt ipsi loquuntur *Harmel*, Cicutæ semine vtuntur. Rutarum omnium historias & picturas alibi studiosis dedimus. Rumex. Ruta. Harmel. Capitalis seplasiariorum error.

Sabina, officinis *Sauina* vocatur. Comæ vsus est. Sabina.

Salix, nomen retinuit suum in hodiernum diem. Vtimur foliis duntaxat. Salix.

Saluia duplex, maior & minor. Vsus comæ cum floribus. Saluia.

Sambucus antiquum hodie nomen obtinet in officinis medicorum. Vtendum foliis eius, & radice. Sãbucus.

Sampsychum. Vide *Maiorana*. Sãpsychũ.

Sanguinalis. Vide *Polygonum*. Sanguinalis.

F *Sanicula* duum est generum, & vtraq; vulneraria est. Seplasiæ primi generis tantũ Sanicola vtuntur. Comæ vero eius vsus est. Sanicula.

Satureia verum & antiquum nomen suum retinuit. Foliis vtuntur officinæ. Satureia.

Scabiosa multarum est specierum, quas omnes alibi monstrauimus. Vsus foliorum cum floribus. Scabiosa.

Scarlea. Gallitricũ. Officinarum quarundã error. Scolopẽdrium. Scolopẽdria. Scordium. Error Seplasiarum. Semperuiuum.

Scarlea, aut potius *Orminum syluestre*, duobus potissimum hodie cognitis distinguitur A generibus: est enim maior & minor. Maiorem Seplasiæ priuatim corrupta voce *Gallitricum* vocant. *Callitrichum* namque illis dicendum erat, quæ tamen appellatio *Adianto*, quod illæ *Capillum Veneris* nominant, conuenit. Minor est, quam vulgus medicorum Saluiam syluestrem appellant: & nonnullæ officinæ, non nisi maximo errore, *ut diximus supra*, pro Eupatorio vtuntur. Vsus foliorum cum floribus & semine.

Scolopendrion. Vide *Asplenon*.

Scolopendria. Vide *Phyllitis*.

Scordium verum, magna Seplasiarum pars hactenus ignorauit, & pro eo, magno errore, allii syluestris radice vsæ sunt. Iam hunc errorem omnes fere abiecerunt. Foliorum cum floribus vsus est. B

Semperuiuum plurima habet genera. Seplasiæ maiorem, & minorem fœminã maxime vsurpant. Foliis autem cum floribus vtuntur.

Senecio. Serpyllũ. Seris. Sisymbrium. Balsamita. Nasturtiũ aquaticũ. Sonchus. Medicorũ pertinacia.

Senecio. Vide *Erigeron*.

Serpyllum nomen vetus retinet. Coma cum floribus vtilis est.

Seris. Vide *Intybum*.

Sisymbrium simpliciter, officinis *Balsamita* nominatur, *vt supra quoq; monuimus*. Vtimur foliis cum floribus. Sisymbrium autem cardamine est, quod vulgo & Seplasiis *Nasturtium aquaticum* dicitur. Vsus eius vt prioris.

Sonchus duplex est, aspera & non aspera. Posteriore officinæ quædam pro Endiuia vtuntur: quod ferendum erat, nisi idem quoq; medici nonnulli facerent: quorũ tanta est pertinacia & stupiditas, vt moniti etiam, imo de errore conuicti, illum tamen deserere nolint. Sciunt autem nunc fere omnes, *Endiuiam* appellationem deprauatam ex Intybo promanasse, vt indigni sint quos amplius moneas: imo qui errore ne nunc quidem agnoscere volunt, hos perpetuo cœcos esse conuenit. Foliorum & florum vsus esse debet. C

Solanum.

Solanum Seplasiis corrupte *Solatrum* nominatur. Hoc quum multarum sit specierum, duabus tantum, nempe hortensi, & altera, quæ *Halicacabus* dicitur, vtuntur. Hortensis folia duntaxat vsurpant. Halicacabi semen.

Spica nardi.

Spica nardi, & *Spica* simpliciter non est nisi radix, quę sub eo nomine passim in officinis medicorum venditur, vt alibi fusius monstrauimus. Sic vero est appellata, non quod reuera spica sit, & in caulium cacumine proueniat, sed quod Spicæ formam radix hæc repræsentet. D

Spica celtica.

Spica celtica, alias *Romana* dicitur. Eius effigies est in altero nostrorum Commentariorum tomo.

Spinachia. Spina alba. Bedeguard.

Spanachia, vulgo *Spinachia* dicitur. Coma cum semine vtimur,

Spina alba Seplasiis & Serapioni *Bedeguard*, nominatur. Hodie pharmacopœis fere omnibus incognita: ideoq; fit vt alius aliam pro ea vsurpet herbam. Singuli enim peculiarem propemodum habent *Bedeguard*, ita vt nonnulli etiam eo insaniæ veniãt, vt spõgiolas quas syluestris Rosa profert, pro illa vtantur, silentibus interea medicis, æque, vt ipsi, imperitis. Germanicis Seplasiis cõsultissimum erit, vt pro spina alba vtãtur ea q̃ passim apud nos prouenit, & in altera nostrorum de *Stirpium historia* Commentariorum editione picta est, quod illa sit vera *Spina alba*, & Dioscoridis descriptioni optime quadret. Vtendum foliis, semine, & radice. E

Spina Arabica Sucaha.

Spina Arabica, vel *Aegyptia Serapionis* & officinarum est *Sucaha*, vt conferenti vtrinque descriptiones & facultates sole clarius patet. Est autem spina Arabica hodie incognita, ideo eius succedaneo vtendum: quod quale sit, suo infra indicabimus loco.

Stichas peregrina. Arabica. Spica nardi. Lauandula. Stichas peregrina.

Stæchas vel *Stichas* duplex est: vna cæruleis; altera purpureis floribus, *vt alibi monstrauimus*. Priore Seplasiæ pro Stichade Arabica vtuntur, quum tamen neutra esse Arabica videatur. Arabica namq;, modo Auicennæ credẽdum sit, semine destituitur. Singulæ autem iam dictæ suis in spicis semen producunt. Sunt tamen legitimæ Græcorum Stichades, & quidem nobis peregrinæ. Præter enim has duæ aliæ officinis medicorum vsitatæ sunt, quarum altera *Spica nardi* appellatur, altera vero *Lauandula*. Plurimã in medendo efficaciam habent, ideoq; in vsu medico minime contemnendæ. F

Stichas citrina officinis dicta, est Amaranti lutei species, *vt alibi ostendimus*.

Stratiotes

A *Stratiotes* millefolia, Seplasiis simpliciter *Millefolium* vocatur. Vsus est foliorum cum floribus. Millefoliũ

Tamarix officinis *Tamariscus* appellatur. Vtimur foliis, cortice tum ligni, tum radicis. Tamariscus.

Thymelæa hodie a paucis agnoscitur. Eius semen est granum siue *coccum Gnidium*, pro quo tamen officinæ nostræ hodie fructu seu semine Daphnoidis vtuntur, vt *supra quoq; monuimus.* Eius effigiem alibi dedimus. Tamarix. Thymelæa.

Tithymalus est multorum generum, quæ propemodum omnia alibi picta legentium oculis subiecimus. Seplasiæ aliquot eius genera *Esulas* nominant. Nicolaus tamen Myrepsus sic duntaxat *Tithymalum Cyparissiam*, non *Pityusam*, vt Matthiolus falso censet, appellat, & interdum etiam eadem nominat Chamæpityn, nulla alia haud dubie de caussa, quam quod magnam similitudinem cum Chamæpity, quod ad foliorum formam attinet, habeat. Hodie *Esula minor* vocatur. Tithymali. Esula.

B

Trichomanes Dioscoridis officinis *Polytrichum* nuncupatur. Magni vsus & non contemnendi herba. Coma eius vtimur, quod floribus & semine vacet. Polytrichum.

Thymum nomenclaturam suam in Seplasiis retinuit. Coma cum floribus vtendum. Putant pleriq;, atqui falso, *Thymum* vulgare esse *Serpyllum satiuum.* Thymum.

Tussilago officinis *vngula Caballina* nominatur. Foliis eius tãtum vtuntur hodie Medici. Flos enim eius fugax est, nec non nisi verno tempore comparet. Quum vero hoc tempore quo floret, foliis adhuc suis destituatur, fit vt a paucis tum cognoscatur. Vngula caballina.

Verbascum multarum est specierum, quas omnes alibi ostendimus. Seplasiis *Tapsus barbatus* dicitur. Foliis & floribus vtimur. Verbasculorum duo sunt genera, odoratum & non odoratum. Officinis *herba paralysis* vocatur, & *coma*, odorati maxime, ac floribus vtuntur. Verbascũ. Tapsus barbatus. Verbascula. Herba paralysis.

C

Verbenaca est duplex, supina & recta. Supina officinæ tantum vtuntur, & *Verbenam* nominant. Vsus est foliorum cum floribus. Recta multa habet genera, quæ alibi monstrauimus. Errant qui inter genera eiusdem recensent herbam, quæ est *Erysimum oleraceum*, quod diffuse & ex professo *in nostris de Stirpium historia Commentariis monstrauimus.* Verbenaca. Verbena. Error quorundam detectus.

Vetonica, Seplasiis *Betonica non coronaria* nuncupatur. Duum est generum, purpurea & alba. Purpurea officinæ tantum vtuntur. Foliorum cum floribus maxime vsus est. Betonica.

Viola purpurea seu nigra, siue *Martia*. Eius tum foliis, tum floribus in officinis vtuntur. Viola.

D

Vitex. Vide *Agnus*.

Atq; hæ sunt stirpes quibus nostrates officinæ maxime vtuntur.

De floribus. Cap. V.

VSus autem priuatim in nostratibus officinis sequentium florum est.

Anethi. Vide in stirpibus. Anethi.

Anthos vulgus medicorum, & pharmacopœorum posteriorum, Grecorum exẽplo, *Rosmarini florem* appellat, Vide *Rosmarinus.* Anthos.

Balaustium syluestris Punicæ flos est, vt Cytinus satiuæ, *Theophrasto, Galeno, & Dioscoride testibus.* Intelligunt autem prædicti auctores per florem non solum foliola, sed & calycem, qui pomum producit. Cuius quidem rei testis est *lib. 23. cap. 6.* Plinius, qui Cytinũ primum huius pomi partum florere incipientis nominat. Et Galenus *lib. 6. de Comp. medic. local. cap. 1.* Cytinum interpretatur *primogenitum punicum.* Quare minus recte Cornarius *in suis super iam citatum locum commentariis* Galenum negligentiæ insimulat, quin potius diligentiæ tribuendum erat, quod hoc loco quid per cytinum intelligat, tam diserte explicare, & lectorem a confusione asserere voluerit. Per florem igitur Punicæ, & futuri pomi formam, & foliola, quæ super calycem sunt, prædicti auctores accipiunt. Plinius vero florem ipsum tam satiuæ, quam syluestris nondum apertum, & qui foliola rubra nondum ostentat, Cytinum nominare videtur. Balaustium autem foliola rubẽtia, quæ iam ex calyce eruperunt. Plinium sequuntur recentiores & nostræ ætatis medici in vniuersum omnes, qui per balaustium cuiusuis mali Punicæ florem intelligunt, contra quam Græci, qui syluestris duntaxat Punicæ florem ita nominant. Retinuit itaque flos ille in officinis Medicorum veterem nomenclaturam. Balaustiũ. Cytinus. Galenus a Cornarii calumnia defensus.

E

F

Betonicæ coronariæ. De qua capite præcedenti diximus, Vsus est quoque florum alterius Betonicæ, quam Cestron Græci vocant. Betonicæ coronariæ. Cestron.

Buglossi. *Buglossi*. Borraginem Seplasiæ appellant, vt antea monstrauimus.

Cichorii. *Cichorij*. Vide *Intybum*.

Chamæmeli. *Chamæmeli*. Chamomillam officinæ Medicorum nuncupant. Vide *Anthemis*.

Croci. *Croci*. Optimus autem ad medicamenta Coryceus, recens, oblõgus, integer, plenus, non fragilis, flauissimus, & odoratissimus. Hodie primas tenet Vienensis.

Cyani. *Cyani*. Frumenti florem officinæ appellant. Eius duo sunt genera, satiua scilicet & syluestris, *vt alibi docuimus*.

Buglossæ. *Echij*. Buglossam Seplasiæ nominant, *vt præcedenti capite dictum est*.

Ephemeri non lethalis. Lilium cõuallium. *Ephemeri non lethalis*, quod vulgus medicorum & officinæ illorum *Lilium conuallium*, & Germani nostri *May florem* nuncupant. Quidam sciolus, quem indignum, vt a nobis nominetur, censemus, nuper alteram Polygonati speciem pro Ephemero, non lethali multorum risu, produxit. Matthiolus putat inter Ephemeri genera numerãdum haud esse, qua de re alibi multa diximus, & ipsius opinionem confutauimus. B

Epithymũ Arabũ & Græcorũ. Epithymũ vnum & idem. *Epithymum* Græcorum & Arabum vnum & idem est. Hallucinantur itaq; plurimũ, qui Dioscoridis aliorumq; Græcorum Epithymum, ab eo quod Arabes pingunt, & hodie in officinis vsurpatur, diuersum esse putant. Quippe vtrunq; capillamentum Thymi est. Esse autem vnum & idem vtrorumq; Epithymum, principio facultates, quas illi tam Græci, quam Arabes tribuunt, liquido monstrant. Ex æquo enim huic pituitam atramq; bilem per inferna ducendi vim inesse tradunt. Præterea descriptio Epithymi, quæ est apud Dioscoridem, satis testatur, non esse ipsum ab Arabum Epithymo diuersum. Is namq; Epithymum suum a Romanis inuolucrum vocari scribit: quod quidem nomen ei, quo in officinis vtimur, & ab Arabib. præsertim Serapione, & Mesues filio, pingitur, optime quadrat. Nam rubrum est capillamentum, quod Thymi flores, inuolucri instar, ambit, quale etiam in aliis herbis, Thymbra nimirum, quod ob id Græcis ἐπίθυμβρον dicitur, & in lino, quod posteriores Græci priuatim *Cassutham*, nostri *Cascutam* vocant, inuenitur. Deniq; Dioscorides Epithymum habere inquit capitula tenuia, leuia, caudas capillorum modo obtinentia: quæ certe singula indicia communis vsus & Arabum Epithymo pulcre conueniunt. Quare vt diuersum ab eo sit, fieri nequit. Sed iis, quæ diximus, quispiam forte reclamabit, & Dioscoridis auctoritatem opponet, qui diserte ait, *Epithymum Thymi esse florem*. Quod si verum est, vt nemo inficias ire poterit, ab eo, quod Arabes describunt, diuersum sit, necesse est, qui nõ esse Thymi florem, sed eius potius inuolucrum memoriæ prodiderunt. Cui ita respondemus, *recte quidem Dioscoridem statuere, Epithymum esse Thymi florem, si quidem florem ille appellet, non id quod proprie Thymi flos dicitur, sed id quod criniũ vel cincinnorum modo capitula Thymi ambit, ac florum quadam imagine comat capillamentum. Hincq; adeo factum est, quod non contentus fuerit simpliciter florem nominare: sed adijcit, atq; perspicue explicat, quale id sit quod Thymi capitula cingit, aut quod flores Thymi inuoluit & ambit: nempe capillamentum aliquod Cassutham referens*. Vnde omnibus palam fit, Epithymum non solum capillamentum esse, quod Thymi flores cingit, sed etiam ipsos flores, tam Thymi, quam capillamenti, qui vna quum capillamentum illud tollitur, decerpuntur. Cuius rei testis est Auicenna, qui *lib. 2. cap. 229*. Epithymiũ hisce verbis describit: *Est*, inquit, *semen, & flos, & stipites parui confracti*. E quibus sane verbis manifestum omnibus fit, Epithymum esse capillamentum seu inuolucrum, quod simul flores, semẽ & summitates stipitis seu coliculos Thymi in se complectitur. Id quod confirmat maxime, quod nunc pharmacopœi etiam Epithymum eiusmodi, afferant, quod Thymi folia, flores, & semen sibi admixtum habet. Vt rectissime Dioscorides capillamenta illa flores Thymi ambientia & cingentia, atq; florum quadam imagine comantia, *Thymi flores* dixerit, capillamenta scilicet ipsa floribus cõnectens, vt qui a capillis illis separari nequeant, & vna vt cum eis decerpantur, necesse sit. Quapropter rectissime fecit Galenus, quod Epithymo facultates Thymi assignat, quanquam efficaciores. C D E

Obiectio diluitur.

Obiectio alia dissoluta. Nec obstat nostræ sententiæ, quod Plinius *lib. 26. cap. 8.* duo Epithymi genera esse statuat. Nam is, vt post eum multi quoq; alii, Dioscoridis locum non recte intellexit, *quem admodum copiosissime tomo primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum diximus*. Sed hæc de Epithymo in præsentia dixisse satis sit. F

Genistæ. *Genistæ* nostratis, quam corrupta nonnihil voce Seplasiæ *Genestam* vocãt, flores pharmaco-

A macopœos habere oporteret. Sed tãta est multorũ negligentia, vt illos plane negligãt, nec inter reliquos flores locum obtinere patiãtur. Vtũtur enim eius duntaxat semine. Pharmacopœorũ negligẽtia.
Iunci odorati, Squinantum barbari nominant. flores in Seplasiis nostratib. haud prostant. Eius enim duntaxat culmos venales exponunt. Iunci odorati.
Lauandulæ. Vide *Stœchas*. Lauãdulæ.
Leucoiorum luteorum. Cheiri nuncupant officinæ. Vide *supra*. Cheiri.
Liliorum alborum quidem flores vsurpant Seplasiæ, aliorum nequaquam. Liliorum alborum.
Maluæ syluestris floribus vtuntur maxime. Maluæ.
Meliloti, cuius multa esse genera constat, *vt alibi diximus*. Officinæ propemodum omnes, flores Loti syluestris pro Meliloti floribus venales exponunt, quum potius earũ Meliloti.
B herbarum floribus illis ad conficienda medicamenta vtendum esset, quas in altero nostrorum de *Stirpium historia* commentariorum tomo primam, & quartam speciem fecimus. His enim leuis quędam adstrictio inest, quam in Meliloto veteres requirũt, quũ contra Lotus syluestris nullam prorsus habeat, acrisq; magis sit. Gręcorum succedanea, quorum nonnulli falso auctorem esse Galenum sibi persuadent, quod multa in iis non satis commode pro aliis substituta sint: inter succedanea Meliloti referunt *Lotum syluestrem*: quod non alia de caussa fecerunt, quam quod concoquendi & discutiendi facultatem, perinde atq; Melilotum, habeat. Quasi vero solas has facultates Melilotum, & non etiam illis coniunctam adstrictionem, qua Lotus syluestris prorsus destituitur, obtineat. Atq; ea haud dubie caussa est, cur hactenus etiam officinæ ea pro Meliloto vsæ Galenus non est auctor Græcorũ succedaneorum.
C sint. Quum autem habeamus aliam herbam, quæ præter iam dictas tertiam etiam habeat, nempe adstrictoriam facultatem, necesse est vt illa vtantur. Præstaret tamen eas prima specie vti, si eius copia haberi posset.
Melissophylli, officinis *Melissæ*. Vide supra. Melissophylli.
Nymphææ, Seplasiis *Nenupharis*. Facultatis tamen florum eius Dioscorides & Galenus priuatim non meminerunt, quod eandem quam semen & radix facultatem habeant. De illorum itaq; sentẽtia, semine potius, & radice Medicis vtendum erit, quę, vt iidem testantur, refrigerandi & exsiccandi potestatem obtinent. Arabes contra floribus esse vtendum præcipiunt; illisq; refrigerandi in tertio, in secundo autem humectandi vim tribuunt. Atq; hos quidem flores quarta species Nenupharis producit, quandoquidem illi præter binas, quas Græci commemorant, duas alias recensent. Vt hinc constet, eam Nymphæam, cuius flores humectare Arabes memoriæ prodiderunt, non esse Nymphææ speciem, sed herbam ab iis diuersam, & hodie omnibus incognitam. Quapropter toto cœlo errãt nostri temporis Medici, quod suis Nymphæis, quæ sunt Græcorum, humectandi etiam facultatem assignant. Ita Arabum scripta sæpenumero errandi occasionem Medicis præbent. Et mirum plane est, Serapionem etiam inter Nenuphares suas, quæ frigidæ & humidæ sunt, numerare, quam calidam esse, & tenuium partium scribit. Adeo nihil est in vniuersa Arabum doctrina certum ac solidum. Decebat autem Serapionem huic tertiæ Nenuphari, vt peculiare nomen imponeret, aut ita designatione aliqua perspicua illam declararet, vt a ceteris dignosci posset. Quod quũ Nymphęę Nenuphar. Medicorũ nostri temporis error. In Arabũ doctrina nihil certũ ac solidum.
D (margin letter)
E non fecerit, non temere hoc Serapionis institutum admiratus sum. Quanquam magis miter, Matthiolum tam nullius momenti rationibus Arabib. patrocinari ausum fuisse.
Origani. vide supra.
Persicorum floribus subducendi aluum vim inesse, experientia compertum est. Excipiuntur Saccharo, vt aliarum quarundam herbarum flores. Persicorũ.
Prunellæ, cuius multa esse genera constat, vt alibi diximus, flores veteribus innominati, aut saltem neglecti fuerunt. Prunellæ.
Rosarum. vide supra.
Rosmarini, anthos officinis, recentiorum Græcorum exemplo nominatur. Anthos.
Sambuci, omnibus noti. Sambuci.
F *Scabiosæ* vocatæ multa sunt genera. Herba in vsu medico minime contemnenda. Scabiosæ.
Sparti, quod a Genista distat, id quod omnes sciunt, quibus vtraq; stirps visa est, imo vtriusque pictura, quam alibi exhibuimus, planissime vtrasq; esse diuersas demonstrat. Spartum foliis fere destituitur, Genista vero multifolia exsistit. Spartum a Genista distat.
Stichadis. Supra. Stichadis.

Verbasci. Herba paralysis. *Verbasci.* vide supra. A

Verbasculi odorati, Seplasiis herba paralysis, vt supra est ostensum.

Violarum. vide supra.

Agni casti flores. *Viticis*, officinis Agni casti. Vide supra.

De semine. CAP. VI.

Semen. Fructus. SEmen a fructu differt, perinde atq; contentum a continente, seu potius veluti pars a suo toto. Quod exemplo clarius euadet. *Pomum & pyrum, item persica mala, arborum fructus sunt: nuclei autem in medio fructuum reperti, semina.* Pari ratione *cucumer, cucurbita, pepo, & id genus alij fructus sunt, quibus plurima, lata & conspicua insunt semina.* Semen autem σπέρμα. καρπός. Græcis proprie σπέρμα dicitur. Crebro tamen Dioscorides & Galenus καρπὸν etiam vocant. Quare diligenter considerandum, quando fructum, & quando semen significet. B In Seplasiis autem nostratibus magna ex parte sequentium vsus est seminum.

Altheæ. *Althea.*

Ammi. *Ammeos*, cuius iam multa cognoscuntur genera. Quod autem inter illa legitimum sit, ex nostris de *Stirpium historia* Commentariis discendum erit, nempe id, quod paruum nominatur, & odore suo Origanum refert.

Amomū. *Amomi* semen in omnibus officinis desideratur. Quod enim sub Amomi nomine prostat, eius herbæ semen est, quam nos *Petroselini Macedonici*, non quidem eius, quam officinæ ita vocant, vt mihi falso Bernardus Dessennius Cronenburgius affingit, quum ne per somnium quidem mihi in mētem venerit, sed eius potius, cuius iconem in commentariis meis de *stirpium historia* subieci pro vero Petroselino. Etsi non omnes officinas vno & eodem semine pro Amomo vti scio. C Non autem semine Amomi priuatim vsi sunt veteres, *vt ex Dioscoride satis constat*, sed toto frutice, ligno scilicet vel surculis eius cum semine seu fructu vuis simili. Interdum etiam solis racemis, *vt liquet ex lib. 9. Galeni κατὰ τόπους cap 3. & lib. 7. κατὰ γένη cap. 9.* Quum itaq; vero Amomo destituamur, succidaneo eius in componendis medicamentis vtendum erit: quod, quale sit, suo monstrabimus loco. Non esse autem Rosam Hierichontis, hinc maxime liquet, quod illi vt Amomo non insit origani odor, nec acris sapor. Quare Acoro vero, pro Amomo vtendum erit.

Anethi.

Anisi. D

Apium satiuum. Error Seplasiarum. *Apij satiui*, quod est Petroselinum vulgare, vt alibi multis argumentis ostendimus. Errant igitur Pharmacopœi, quod pro Apii veri semine, alterius cuiusdam, nempe *Elæoselini*, semen vsurpant.

Aquilegiæ.

Asparagi. *Asparagi*, officinæ abiectione primæ literæ Sparagi satis inepte nominant.

Atriplicis. *Atriplicis*, cuius multas esse species constat, quas omnes alibi indicauimus. Vtuntur hortensis maxime semine.

Caulis. *Brassicæ*, Caulem officinæ vocant. Cuius itidem multa esse genera alibi diximus.

Carui. *Cari, carei, & caroi*, Seplasiæ *Carui* semen appellant.

Cannabis. *Cannabis.* E

Cardamomum duplex. Græcorū. *Cardamomi.* Duplex est autem Cardamomum, vnum quidem Græcorum, id nimirum, quod Dioscorides & alii Græci describunt. Id autem Serapioni & aliis Arabibus *Cardumenum* vel *Cordumenum* dicitur, id quod ex vtrorumq; collatione fit manifestissimū. Arabum. Hoc hodie desideratur, & Seplasiis incognitum & inusitatum est. Alterum, quod Sacolla. Serapioni *Sacolla* nominatur. Cardamomum autem Auicennæ & Sacollam Serapionis Cardamomum. esse eandem rem, vtriusq; descriptiones inter se collatæ monstrant. Digerunt vero A- Arabum geminū. rabes suum Cardamomum in duo fastigia, maius scilicet ac minus. Maius appellant, Maius. cuius semen Ciceris amplitudine grandescit, & quod fractum intus granula alba, angu- Minus. losa, & odorata, gustu suo mordaci linguā vellicantia, habet. Minus, inuolucris suis semina lētis magnitudine obtinet, minore odoris fragrantia. Seplasiæ Arabū imitatione F Cardamomum officinarum. itidem duo Cardamomi genera faciunt. Vnum maius, quod in siliquis concipit semi- Maius. na triangula, colore fusca, gustus acerrimi, sine vlla adstrictione. *Granum paradisi* vocant: Granum paradisi. Nicolaus Myrepsus *Menegetam*. Menegeta. Ad quam sane appellationem alludentes Hispani *Malagretam*, Itali *Melligetam* vel *Meleglettam*, quod scilicet a regno Melli aduehantur, nuncupant.

A cupant. Minus itidem in ſiliquis flauis ſemen continet anguloſum, colore ex terreo flauum, quod illæ ſimpliciter *Cardamomum* nominant. Vnde perſpicuum euadit, officinarum Cardamomum non eſſe Dioſcoridis. neq; enim denſa ſunt & ad frangendum contumacia, nec in guſtu vllam amaritudinem relinquunt. Vtrunq; autem ad Cardamomum maius Arabum magis, etſi per omnia non reſpondens, referendum eſſe videtur. Nam ſiliqua, in qua concipiuntur, Ciceris nigri magnitudine grandeſcit, granaque intus anguloſa, mordacitate ſua guſtum vellicantia continet. Minore autem prorſus carent, quod non eſt niſi id, quod Actuario & aliis recentioribus Græcis *Capſicon* vulgo *piper Indianum* appellatur, quod alibi abunde ſatis oſtendimus. Eo igitur recte pro Cardamomo minore deinceps vtentur Seplaſiæ. Minus. Capſicon. Piper indianum.

B *Cepæ*. Sunt autem eius aliquot genera, quæ alibi indicauimus. Cepa.

Ciceris rubri & nigri. Ciceris.

Cici, quod Latinis alio nomine *Ricinus* dicitur. Arabes *Cheruā*, barbari & officinæ *Cataputiam* maiorem vocant. Quapropter in compoſitionibus Arabum & recentiorum Pharmacopœi pro Cherua & Cataputia maiore Ricini ſemine vti debent. Ricinus. Cherua. Cataputia maior.

Cicutæ, quo certe non ſine capitali errore in pleriſq; compoſitionibus pro Rutæ ſemine vtuntur officinæ, *vt ſupra quoque in Ruta diximus*. Errant vero etiam in eo, quod pro Cicutæ ſemine, Cicutariæ alterius vſurpant ſemen, *vt ſupra quoq; diximus*. Officinarū error in Cicuta.

Citrei mali, Citri Seplaſiæ nuncupant. Citrus.

Cnici. *Cartami*. Vide ſupra. Cartamus

C *Coriandri*, quod omnibus notum eſt.

Cotoneorum, *cidoniorumue*. Cotoneorum.

Coccus baphica, vel *coccum baphicum*, id eſt, granum tinctorium, infectoriumue, Arabes *Karmes* vel *Chermes* & *Alkarmes* nominant. Nihil autem eſt granum tinctorium, niſi baccula, lenticulæ, æmula, ramis adnata Ilicis cocciferæ. Ceterum granum tinctorium cōmunis vſus, & quod hodie in officinis proſtat, non eſt id, quod a Dioſcoride pingitur. Nam hoc nullam lentis faciem, *vt Dioſcorides aſſerit*, refert. Videtur itaq; eſſe granum quod ad radices quarundam herbarum, maxime *Pimpinellæ* reperitur, ex cuius medulla tenues, formicæ inſtar, vermiculi exoriuntur: argumento quod hoc inane intus deprehenditur. Hoc ruſtici in pluribus Italiæ locis colligunt. Huius meminiſſe apparet Plinium *lib. 24. cap. 4.* iis verbis. *Eſt autem genus Cocci in Attica fere & Aſia naſcens, celerrime in vermiculam ſe mutans, quod ideo Scolecion, quaſi vermiculoſum, vocant improbantq;*. Ceterum granum hoc paruum obſcure rubrum ſiue puniceum, nō ſolum ex Italia, ſed & aliis regionibus, nempe Thuringia, Polonia, & Occidentalibus plagis ad nos affertur. Officinis *granum tinctorum* appellatur. Huius grani duæ ſunt partes: altera interior ſeu medullaris, melior ac præſtantior, quam nonnulli *Grani tinctorij puluerem* nominant: altera exterior corticoſa, quæ longe priori eſt inferior. Eximie confert hoc granum mulieribus abortientibus, cum pari Thuris pondere in potu ſumtum. Granum tinctorū.

D

Coccon gnidium, ſeu *granum Cnidium*, Seplaſiis *Coccognidium* compoſita dictione vocatum, ſemen eſt Thymelææ. Hallucinantur plurimum pharmacopœi, qui pro eo vtuntur Daphnoidis ſemine, vt ſupra quoq; in dictione Thymelæa monuimus. Granum cnidium. Error Seplaſiariorum.

E

Cucurbitæ, cuius tamen apud veteres nulla fit mentio. Cucurbita.

Cucumerum omnis generis, quæ ſingula fere alibi oſtendimus. Inter ea *Citrulus* etiam appellatus Cucumer continetur. Cucumeres.

Cumini ſatiui. Nam ſylueſtris nullus eſt in officinis vſus.

Dauci veri. Quod non temere adiicimus, quia magna pharmacopœorum pars Staphylini erratici ſemine, quanquam nullo errore, pro Dauco vtatur. Daucus.

Erucæ veræ. Nam raro etiam officinæ legitimæ Erucæ ſemen vſurpant, imo pro ea Sinapis quodam genere vtuntur, quod in noſtris de *Stirpium hiſtoria* Commentariis latius monſtrauimus. Eruca.

F *Erui*, Orobum Græca quidem nomenclatura Seplaſiæ nuncupāt. Eſtq; duplex, candidum & rufum. Neutrum hodie cognoſcitur a noſtratibus pharmacopœis: Nō enim eſt hoc ſemē, quod pro eo aliquot annos vti cœperunt: *Ochri* enim & *Lathyri* ſemina eſſe conſtat, *vt alibi monſtrauimus*. Errant tamen omnium maxime, qui pro Eruo ſeu Orobo ſylueſtri vicia, & Aphace vtuntur. Afferunt iam aliud ſemen pro Orobo Siculo, q; ipſe Orobus. Eruum.

Cicerculam esse potius arbitror. Proinde pro vero Eruo tantisper, dum in notitiam Pharmacopœorum venerit, eius succedaneo vtendum erit. Quod quale sit, infra in catalogo succedaneorum quærendum erit. A

Fœniculi.

Fœnigræci.

Fabarum.

Genistæ.

Hipposelinum. Macedonisium. *Hipposelini*, quod falso Seplasiarii pro Petroselino Macedonico vsurpant. Nicolaus Myrepsus *Macedonisium* appellat: vnde haud dubie Macedonici Petroselini nomenclatura, qua hodie vtuntur promanauit.

B

Alchechengi. *Halicacabi*, officinis *Alchachengi* vocatur, vt supra quoq; diximus.

Hordei.

Hyoscyami. *Hyoscyami* albi & flaui. Seplasiis barbara & inepta voce *Iusquiami* semen nominatur.

Enduiæ & Scariolæ. *Intybi* satiui vtriusq;, Enduiæ & Scariolæ officinis semen appellatur. Vide *Intibus*.

Lactucæ. Supra.

Cataputia minor. *Lathyris*, quod Seplasiis Cataputia minor dicitur.

Laureolæ. *Laureolæ*, non sine magno errore rerumq; cõfusione, officinis Coccognidiũ vocatur.

Lens, notum omnibus semen.

Libysticũ. Leuisticũ. *Ligusticum* vel *Libysticum* verum nostratibus officinis adhuc incognitum est. Nam Leuisticum illis nuncupatum non esse veterum Ligusticum, omnes deprehendent, qui illud cũ Ligustici descriptione conferre volunt. Neq; est, *vt pleriq; censent*, Smyrniũ, propterea quod Brassicæ semen simile haud habeat: sed est Dauci genus, vt alibi abunde ostendimus. C

Lingua auis. *Linguæ auis*, fraxini est semẽ, vt in nostris de *Stirpium historia* Cõmẽtariis indicauim*.

Lini. Vide supra.

Lachryma Iodoci. Milium solis. *Lithospermon* geminum est, satiuum & syluestre. Satiuum iterum est duorum generũ, maius & minus. Maius Lacrymã Iodoci nominant. Minus, Milium solis Seplasiis & Medicis nũcupatur. Hoc solum hodie vsitatum est, & a syluestri, quod nigrius est, variat.

Lupini. } Retinent suas appellationes.
Maluæ. }

D

Maioranæ. Vide *Sampsychum.*

Melonũ. *Melonum* inter Cucumeris genera recensetur.

Myrtilli. *Myrti.* Seplasiæ myrtillorum semen appellant.

Nasturtij, omnibus notum.

Nigella. *Nigellæ* tria sunt genera, vt alibi diximus. Vtuntur duorum seminibus officinæ. Lutea enim nigella illis incognita est. *Gith* Barbari *Nigellam* nominant. Hactenus maximo errore Pharmacopœi semine cuiusdam stirpis, quæ in segetibus nascitur, & a nonnullis Pseudomelanthiũ, a nobis autem Lolium putatũ, & adulterinum nominatur, vsi sunt. Pharmacopœorũ error.

Basilicum. *Ocymi*, Seplasiis *Basilici* nuncupatur.

Acetosa. *Oxalidis*, officinis *Acetosa* dicitur. E

Riza. *Oryzæ*, Seplasiis detrita vna litera *Rizæ* nominatur.

Orobi. Vide *Eruum.*

Pæonia. *Pæonia.* Gemina est maris & fœminæ discrimine. Officinis nostratibus fœminę duntaxat semen vsurpatur.

Papaueris albi & nigri.

Dactylorũ ossa. *Palmularum* nuclei, officinis *Dactylorum ossa* dicuntur.

Apium. *Petroselini*, Seplasiis *Apij semen* vocatur. Vide *Apium.*

Bardana. *Personaciæ*, officinis *Bardanæ semen* appellatur.

Pastinacæ syluestris. *Pastinacæ* syluestris, Seplasiæ pro *Dauci* vtuntur semine.

Plantaginis. *Plantaginis* vtriusque. F

Rapi.

Raphani.

Capatuția maior. *Ricini*, officinis *Cataputiæ* maioris dicitur semen. Vide *Cici*.

Anthera. *Rosarum*, officinę id genus seminis *Antheram* nominant, atqui falso. Antheræ namq; medi-

A medicamentum eſt compoſitum ad oris morbos accommodum. Decipiuntur itaque Medici & Pharmacopœi, qui putant, ſemen roſarum eſſe id croceum, quod capillamẽtis inſidet, quum ſemen in capite ſit. Caput autem eſt globulus ille ab inferiore florum parte, quem ſi aperias, re quadam quaſi lana plenum videbis. Huius capitis exterior cortex vbi maturuit, rubeſcit, & ſemen ipſum ambit.

Error Medicorũ & Pharmacopœorum. Caput roſarum.

Rhois. Seplaſiæ *Sumach* appellant. Sumach.

Ruſci, officinę vnius literæ adiectione veterem appellationem deprauantes, *Bruſci* ſemen nuncupant. Bruſcus.

Rutæ ſylueſtris, officinis & Arabibus *Harmel* dicitur. Vide *Ruta*. Harmel.

Santonici, Seplaſiæ *lumbricorum ſemen* vocant. Lumbricorum ſemen.

B *Saxifragæ* albæ, quam veteribus incognitam putamus, ſemine iuxta radices prouenientem, non eo quod in cacumine caulium producitur, officinæ vtuntur.

Scilla, officinis *Squilla*, qua quidem voce Varro quoq; in libris ſuis de re ruſtica vſus eſt, ne quis barbaram eſſe vocem ſuſpicetur. Scillæ autem inter ſemina mentionẽ facimus, quod Dioſcorides eius ſeminis in Medicina aliquem eſſe vſum memoriæ prodiderit. Scilla.

Seſeli, Seplaſii *Siler* montanum nominant. Semen vero illud, quod ſub *Sileris montani* nomine in officinis Medicorum proſtat, non eſt *Seſelis Maſſilienſis* ſemen: quod acrimonia omni deſtitutum ſit. Dent igitur operam vt verum habeant Pharmacopœi, aut loco eius *Ammi verum* vſurpent. Ceterum Seſeli trium generum eſt: Maſſilienſe, Aethiopicum, & Peloponneſiacum. De quibus alibi copioſe diximus. Siler montanum.

C *Seſami*. Officinæ vnius ſyllabæ adiectione veterem nomenclaturam deprauantes, *Seſaminum* appellant. Seſaminũ.

Sinapi. Seplaſiarii Sinapi & Erucæ ſemina inter ſe confundunt. Vide quæ ſupra de Eruca annotauimus. Officinæ Sinapi & Erucæ ſemen confundunt.

Staphidis agriæ ſiue *vuæ ſylueſtris*, officinis *Staphiſagriæ ſemen* decurtata appellatione vocatur. Staphiſagria.

Thlaſpi, quod duum eſt generum, noſtrates officinæ ignorant. Hiſtoria eorundem & pictura eſt in altero noſtrorum de *Stirpium hiſtoria* Commentariorum tomo. Thlaſpi.

Tritici, omnibus notum. Tritici.

Vrticæ. Seplaſiæ propemodum omnes ſemine eius vrticæ, quæ apud nos paſſim in ſe-
D pibus prouenit, vtuntur, quum ad medicamentorum compoſitiones eius potius, quæ vera eſt, & Romana hodie nominatur, ſemen, quod Linum prorſus, niſi minus eſſet, refert, vſurpare debent, quod alibi quoq; fuſius monuimus. Vrticæ. Seplaſiarũ error.

Viticis. Vide *Agni*. Agnus.

Xyli, Barbaris & officinis *Bombacis, Bombacy, & Bombaſi*, item *Coti ſemen* dicitur. Hiſtoriam vniuerſam in altero noſtrorum de *Stirpium hiſtoria* Commentariorum tomo reperient ſtudioſi. Bambacũ. Cotum.

Zeæ, Seplaſiis *Speltæ*. Speltæ.

Ex iis, quę ordine iam commemorauimus, ſeminibus, nonnulla vulgus Medicorum, & officinæ peculiaribus donarunt appellationibus. Nam aliqua calida maiora, alia mi-
E nora: nonnulla item frigida maiora, alia minora nominant: & ſingula quaternario ſunt complexæ numero, in hunc modum.

F



De Fructibus. CAP. VII. A

Fructus quid. FRuctus est ea stirpis pars, quæ carne constat & semine. Sæpe quoq; pro semine ipso sumitur, *ut dictum est in eo, quod praecedit capite.* In officinis autem sequentium maxime vsus est.

Amygdala dulcia & amara. Probantur flauissima, plena, integra, non confracta, nec erosa, tamen leuia, intus albissima.

Anacardium. *Anacardium* Actuario, & recentioribus Græcis appellatum: Veteres enim eius non meminerunt: fructus est arboris cuiusdam Indiæ, cordi auiculæ non dissimilis: vnde nomen putatur illi esse inditum. Nomen in officinis nonnihil immutatum *Anacardi* retinuit. Germanis quod pediculorum effigiem exhibet, Elephantenlauß nominatur. Sit plenius, habilius, fuscum, resina in cortice multa, acri, nigra, nucleo intus albo, quo in B
Mel anacardinum. melle cocto fit, mel anacardinum, ad hunc quidem modum. Anacardia seorsum trita in aceta iustæ quantitatis diebus septem perfunduntur, octauo die lēto igne ad medietatem coquuntur, & per linteolum colantur. Fæx remanens siccatur. In succo autem mel iustæ quantitatis ad spissitudinem coquitur.

Auellana. Laudantur graues, nucleo intus sonante.

Grana Iuniperi. *Baccæ Iuniperi*, Seplasiis *Grana iuniperi* appellantur.

Baccæ lauri, nomen vetus retinent.

Glans vnguentaria. Ben. *Balanus* myrepsice, hoc est, glans vnguentaria, Plinio *lib.12.cap.21.* Myrobalanum Arabibus *Ben* dicitur. Fructus est arboris Myricæ similis, magnitudine Mesues, filio teste, Auellanæ nucis, vel Pistacia referens, albo cortice, triquetro, fractu facili, nucleo intus C
conferto, & admodum pingui, e quo a putamine repurgato, hodierno etiam tempore, quemadmodum ex amaris Amygdalis, exprimitur liquor, quo in pretiosa vnguenta olei vice vtuntur. *Oleum Balaninum* Dioscoridi vocatur. Glans autem vnguentaria sit ampla, vetus, cortice leui, tenui, pleno medulla, læui, pingui.

Caricæ. *Caricæ* ficus sunt passæ siue aridæ. Habentur præstantissimæ, quæ in calatho spartaceo digitis aut pugnis vtrinq; pressæ, sic illis mollitia sua cedunt, vt mutuos partium dictarū motus sibi prope occurrentes sentias. Odore præterea sunt iucundo, non calorem putredinosum referente.

Cappares. *Cappares*, ab officinis inepte admodum *Cappari* vocantur.

Cupulæ glandiū. *Caliculi* glandium, Seplasiis & barbaram sectantibus medicinam *Cupulæ* glandium, D
Græcis ὑμφακίδες nominantur.

Carpesiū. Cubebæ duplices. *Carpesium*, Actuario & Nicolao Myrepso *Combeba* vel *Compeba* nuncupatur, Mauritanis *Cubeba*. Nam Actuarius diserte scribit, *Combebas alio nomine dici Carpesia.* Nec temere diximus Mauritanis. Nam quas officinæ hodie *Cubebas* vocant, ab iis sunt diuersæ, *vt alibi diffuse docuimus.* Ceterum officinarum Cubebę sint corpulentę, plenæ, graues, acres, minus tamen quam piper, subamaræ, admodum aromaticæ, subdulces.

Carpobalsamum. *Carpobalsamum*, id est, fructus Balsami. Sit flauum, plenum, grande, graue, odoratum, mordax gustu, & feruens in ore. Vnde suspicio est, id quod in officinis prostat, sub hoc nomine Carpobalsamum non esse legitimum. Nam subnigrum est, leue, euanidum, nec gustui mordax, deniq; parum aut nihil odoratum. E

Caryophyllum. *Caryophyllum*, Seplasiis *Garyophyllum* dicitur, fructus est grano Piperis grandior, fragiliorq;, ex atro rufescēs, in claui modum capitatus, exsertis in aduersum quatuor denticulis sese stellatim decussantibus.

Casia fistularis. *Casia fistularis* siue *fistulacea*, quæ nigra etiam Actuario dicitur, & officinis *Casia fistula*, veteribus indicta, recentioribus tantum Græcis & Arabibus Medicis cognita fuit. Probatur foris & intus nigra, ampla, collucens, grauis, plenior, & quæ concussa clausis intus granis nō strepat, pulpa intus pingui, splēdente, succulēta. De qua infra plura dicemus.

Citrium. Aurantia. Limones. *Citrium*, seu *citreum* siue *medicum*, *& aureum malum*, officinis *Citrum* appellatur. Inter Citrea mala numerantur etiam, quæ ab auri colore *Aurantia*, vel vt vnius literæ detritione Seplasiæ vocant *Arantia*, & *Limones* nominantur. Sint autem hæc omnia mala odo- F
re valido & iucundo, cortice tenui, raro, colore Limones pallido, Citria flauo, Arantia rubescente, quamuis viridia etiam per maturitatem inueniantur: carne intus multa, firma, & succo odorato, acido, interdum dulci, quandoq; ex vtrisq; mixto.

Cucumer. *Cucumeres* hortenses varii sunt. Cucumeris agrestis, seu, vt vulgus Medicorum vocat, asinini

A asinini fructus præfertur absolut⁹ & maturus, & virore deposito flauus, amarus. Ex quo succus, quem *Elaterium* vocant, extrahitur, ad modum a Dioscoride præscriptum. Elateriũ.

Cydonia, vel *cotonea*, Seplasiis *Citonia* sint bene habita, flauescentia, & odorata. Cydonia.

Colocynthis, officinis *Coloquintis* corrupta voce nominatur. Vtimur eius medulla cortice ablato. Hæc autem quanto leuior, tanto melior. Colocynthis.

Galla, quædam immatura, Græcis ὀμφακῖτις dicta. Quædam matura. Galla.

Glans vnguentaria, vel *Granum Ben.* vide *Balanus* myrepsice.

Glandes.

Gossipium, barbaris *bombax* & *Cotum* appellatur. vide *Xylum.* Gossipiũ.

Malum punicum siue *granatum*, cortice seu corio integro, ruso, duro, & denso, graue, Malum punicum.
B maturum, granis intus rubris, succo vinoso plenissimum.

Myrobalani quinq; generibus distincti, veteribus extra Dioscoridem, qui horum *lib. 1. cap.* de palma meminit, & Arabicos Myrobalanos vocat, incogniti, recentioribus autem Græcis & Arabibus noti. Flaui luteiue, Seplasiis *citrini* dicti, multũ in viride inclinant, densi, graues, ampli, cortice crasso, denso, os paruum complectente. *Cepuli*, officinis *Chebuli* vocati, ampli sunt: & quo maiores, eo meliores: subnigri, in rubrum inclinantes, aut ex fusco nigrescentes, & carnosi. *Cærulei* siue *nigri*, Seplasiis *Indi* appellantur, solidi, magni, graues, sine ossibus, oliuæ figura. *Empelitici*, vel *Empelici*, officinis *Emblici*, graues, lapillorum pene figura, cute ossibus hærente, colore in cinereum languente. *Beletzici* Seplasiis *Bellirici* dicti, magni, graues, instar pyri rotundi. De iis omnibus Myrobolani. Flaui. Cepuli. Cærulei. Empelitici. Beletzici.
C infra copiosius dicemus.

Myrti baccæ, officinis *Myrtilli*. Laudantur recentes, plenæ, odoratæ, & bene nutritæ. Myrtilli.

Myxa, & *Myxæ*, ac *Myxaria* Actuario, Græcisq; aliis recentioribus dicuntur. Seplasiis *Sebesten*. A mucoso autem lentore, quo abundant, Græcis appellatas esse *Myxas* cõstat. Acuminatæ sunt, parum rugosæ, graues, nigræ, carne multa ex rubeo nigricante, firmiore, glutinosa, dulci & subacida, esse prunorum inæquali, nucleo intus exiguo, dulci. Myxa. Sebesten.

Morum. Notus est fructus arboris, quam *Morum* Celsi Barbari vocant. Morum.

Nux cupressi, Latinis & Græcis *pilula cupressi* nominatur. Probatur perfecta, recens, ac mollis, seminis plena, etiam in ipsis hiatibus. Nux cupressi.

D *Nux Indica* fructus est prægrandis, circinatæ rotunditatis, inuolucris tectus, cortice primum calloso herbarioq;, intus villoso, tenui exterius tunica vestiente: qua extrita, solutus in capillamẽta fatiscit, capaci subtus orbe, duro, lignoso, triplici foramine, concauo anfractu, grandi, nullis loculamentis interstincto, dulci intus quum recens est liquore: nucleo molli, candido, carnoso, quum inueterauit cartilaginoso. Nux Indica.

Nux moschata, vel *myrepsica*, hoc est, vnguentaria, officinis muscata vocatur. Sit grauis, oleosa, odorata. Hinc est quod Symeoni Sethi *odorata nux* appelletur. Eius historia est in altero nostrorum *de stirp. historia* commentariorum tomo. Nux moschata.

Nux vomitoria, Seplasiis *Vomica.* Sic dicta quod vomitum citet. Non est, autem eadẽ cum Serapionis nuce vomica, quod Auellana multo maior sit, nec nodosa, sed plane Nux vomica.
E compressa, & hirsuta. Quum igitur Serapionis delineationi nux vomica officinarum non respondeat. Quum itaq; non eadem sit, nec quid sit, satis adhuc constet nux vomica officinis dicta, adeoq; eius vsus vix periculo vacet, non temere illam deinceps ad cõficienda medicamenta adhibere Medici & pharmacopœi debent. Ac certe nulla iactura, huius vsu carere possunt. Prudenter itaq; fecerint, si ea abiecta, deinceps radicib. tertiæ Aphaces speciei, quas Erdnus Germani vocant, pro ea vsi fuerint, præsertim vbi vomitum mouere student.

Nux pinea, officinis simpliciter *Pinea* nuncupatur. Sit plena, recens, & alba. Vitetur flaua, aut etiam pallida, oleosa, rancida. Pinea.

Nux pontica, *prænestina.* vide *Auellana.* Auellana.

F *Oliua* melior magna, oualis figura, pallida aut rufa, plena, solida, carne multa, densa, subamara & subdulci, osse intus paruo, longo, nucleum delicatissimum complexo. Oliua.

Oxyacantha vel *Oxyacanthi baccula*, Mauritanis & barbaris Medicis *Berberis* nominatur. Est autem a Berberi officinarum diversa, vt quibus vera Oxyacantha ignota est. Berberis.

Quæ autem sit vera Oxyacantha, alibi monstrauimus. Ac debent deinceps pharmacopœi veræ illius Oxyacanthæ baccis vti, & non, vt hactenus fecerunt, suæ Berberis, quæ est veterum *Vua vrsa*, vt in nostris de *stirpium commentariys* copiose docuimus. In penuria tamen Oxyacanthæ, baccarum Berberis fructu vti licebit. A

Oxyphœnix & *Oxyphœnicon* Actuario & aliis recentioribus Græcis dictus ab acido suo sapore, palmæ syluestris fructus est. *Thamar Indus* officinis vocatur. Sit subniger seu subfuscus, mollis, recens, pinguis, ex dulci acidus, & vinoso sapore.

Dactyli. *Palmulæ*, officinis *Dactyli*, a digiti figura dicti, fructus palmæ sunt. Probantur magnæ, flauæ, parum rugosæ, molles, plenæ tamen & carne intus multa, subdura, ad nucleum candicante, ad corticem rubescente, non pertusæ, non vermiculosæ, & quæ concussu nihil, aut minimum sonent, sapore vinoso. B

Piper. *Piper* trium est generum, longum, album, & nigrum, non in vna, sed diuersis stirpib. secus ac Theophrastus, Galenus, Plinius, & Dioscorides memoriæ prodiderunt, natū. Siquidem piper rotundum in frutice gignitur. Hoc vbi Labruscæ vuæ modo pubescit, album nominatur. Vbi vero Octobri mense per maturitatem decerptum, & sub feruenti sole palmeis tegetibus expansum torretur quousq; nigrescat, & rugosum euadat, quod tridui plerumq; spatio fit, nigrum appellatur. Proinde piper rotundum albumue, & nigrum eiusdem fruticis sunt fructus, nec alia in re distant, quam quod hoc magis, Longum. illud vero minus est maturum. *Longum* autem aliæ arbores ferunt, quæ vtiq; piperis sapore, oblongum aliquid producunt, compactilibus callis racematim cohærētibus, veluti Ponticæ nucis iulum, quod Incolæ illic piper longum vocant, vt fusius tomo altero nostrorū de stirpiū historia cōmentariorū docuimus. Ceterum longū piper, sit corpu- C Candidū. Nigrum. lentū, integrum, recens, linguam tarde, sed diu cōmordens. *Candidum* acrius est longo, & nigro, plenissimum, graue, non rugosum. *Nigrum*, quod iam a sole superassatum & exsiccatum est, maius, cortice tenuiore & minus rugoso, graue admodum exsistit.

Fisticum. *Pistacium*, Seplasiæ barbara, & prorsus inepta voce *Fisticum* appellant. Sit recens, nucleo intus herbaceo, sapore iucundo.

Pruna. Damascena. *Pruna* satiua multorum sunt generum. Inter ea, Galeno etiam attestante, *Damascena* ceteris præstant ad subducendam aluum. Probantur ampla, & plana, carne intus multa, succulenta, osse exiguo.

Prunus syluestris. *Prunus syluestris* arbor est, *quemadmodum alibi fusius monstrauimus*, qui fructum profert D quem vulgari more *Prunulum* & *Pruneolum* nomināt. Germani nostri Schlehen sua lingua vocant. Idem affirmant, & nobiscum plane sentiunt, Ruellius, Iacobus Syluius, Euricius Cordus, Conradus Gesnerus, Musa Brasauolus, & quotquot nostra ætate de stir- Cornarii de Poterio pudendus error detegitur, ac cōfutatur. pibus aliquid memoriæ prodiderunt, vno demto Cornario: cuius certe aduersus me furor eo usq; progressus est, vt catenas nunc & compedes requirat: quas sane illi iam dudum pro suis Nitris & Brabylis misissem, nisi me pigeret ac puderet cum eo conuiciis certare. Nam id genus certaminis mulierculas potius, quam viros doctrina excultos decet. Omissis igitur contumeliis, erroneam eius opinionem de Poterio & Brabylis, ea qua licet modestia detegemus, detectamq; subinde confutabimus. Is namq;, non sine maxima temeritate, apertam, & omnium Medicorum consensu comprobatam E veritatem impugnans, spinam illam, quę fructum Schlehen Germanis appellatum producit, *Poterium* esse contendit: ac rationibus nullius momenti fretus, hanc opinionem constanter tueri conatur, quarum hæc prima est. Dioscorides inquit, de Poterio inter reliqua spinarum genera tractat, igitur Germanis Schlehendorn dicta exsistit. Bella mehercle ratio, quasi vero necesse sit *Poterion* ideo esse Schlehendorn, quod aculeatum sit, & inter spinarum genera recenseatur. Si enim hæc ratio procedit, qui fit, vt non *Rhamnum*, aut *Paliurum* dicamus esse Schlehendorn? vtrumq; enim spinosum esse cōstat. Sed ita colligit διαλεκτικώτατος, si diis placet, Cornarius. Non esse autē spinam Schlehendorn nominatam *Poterium*, non aliunde certius, quam ex eiusdē historia, q̄ est apud Dioscoridem, probari potest. Is in primis, pręter alia, in Poterio requirit spissam lanuginē, folia F Poterii delineatio. exigua, rotunda, florem paruum, fructum gustu odoratum & acrem, nullius vsus, quorum sane indiciorum nullum in spina, quam nos cum multis aliis doctis viris, & ex professo medicis, *Prunum syluestrem* appellamus, neq; etiam eius fructu, reperitur. Siquidem in ea nulla apparet lanugo, nisi ea quam non raro prætereuntes oues inuitę rapientibus

pinis

A pinis & aculeis concedere coguntur. Folia præterea eius non sunt parua, & rotunda: sed propemodum eiusdem cum pruni satiuæ foliis magnitudine, & oblonga. Neq; flos eius exiguus est, sed Cerasi floribus, qui satis magni sunt, æqualis. Et quod omnium maximum est, fructus eius neq; odoratus neq; acris, multiq; in medicina vsus, ita vt omnes huius spinæ notæ reclament Poterii historiæ. Quapropter furere, & mente destitutum esse oportet, qui Poterium esse Schlehendorn affirmare, omnibus reclamantibus notis, audet. Atqui Cornarius eã ꝓbatione, qua docemus neq; facultatem, neq; notas Poterii conuenire spinæ & fructui, quem Schlehendorn nominant, mirum in modum, tãquam prorsus absurdam, ridet & cõtemnit, quum tamen omnium testimonio nulla possit esse efficacior. Nam qua alia ratione ostendemus, hanc stirpem hoc vel illo nomine esse

B insigniendam, quam quod omnes tum notæ, tum facultates, quas illi veteres tribuerũt, ei conueniant? Quum itaq; Poterion eas notas, quæ veterum testimonio in spina producente fructum Schlehen apparẽt, minime habeat, ab ea sit diuersum est necesse. Denique quum fructus Schlehen dicti sint acerbi, & odore destituti: Brabyla vero Poterii fructus, odorata & acria, vt hoc nomine diuersa esse fateamur, necesse est. Sed vide miram Cornarii, dicam ne impudentiam; an improbitatem. Is enim vt errorem suum aliqua saltem ratione tegeret, aut imperitioribus fucum faceret, Dioscoridem δριμὺν pro στρυφνὸν, hoc est *acrem* pro *acerbo*, dixisse nugatur. Verum quis vnquam credet, Dioscoridẽ hos duos sapores inter se diuersissimos, & multo interuallo distantes, sic confudisse, vt alterum pro altero vsurparit? Verum qui apertam veritatem oppugnare studet, huic

C vt eiusmodi confingat nugas, necesse est. Pudeat igitur Cornarium, qui leonis sibi passim, non sine multorum risu, nomen vendicat, istius commenti, quod certe in puero ferulis plectendum esset. Non ignoramus quidem, Dioscoridem alicubi improprie vsum esse quorundam saporum nominibus: quod Galenus *lib. 1. de Simpl. medic. facul. ca. 34. & lib. 11. capite de Pinguedine*, testatum etiam reliquit: sed non est, cur hinc colligamus idipsum etiam in Poterii historia fecisse. Fatemur itaq; Dioscoridem adstringẽtium appellatione interdum abusum fuisse: sed quod idem in acribus fecerit, id constanter negamus. Aut producat vnum saltem locum, quo huic rei fidem faciat, & victos nos esse confestim fatebimur. Atqui, sat scio, idipsum nunquam facturus est, quod Dioscorides perpetuo acrium voce recte sit vsus. Aut proferat nobis vnicum saltem fructum, quem

D ille acrem esse affirmarit, qui gustantibus talis non fuerit? Nulli præterea radici ab eodem attributa est acrimonia, quam nõ simul etiam hodie gustu exserat, adeo vt Cornarii commentum omnium sit vanissimum. Et rectissime fecerit, si deinceps non leonis, sed apri potius sibi nomen vẽdicet. Vt enim aper agros, prata, vineas, quas ingressus est deuastat: ita Cornarius legitimas & omnium consensu approbatas optimorum auctorum lectiones perturbat, & magna temeritate vastat & immutat. Atq; hactenus Brabyla non esse fructus, quos Schlehen appellant, liquido nos monstrasse confidimus. Vt mirari subeat Bernardi Desennii stuporem, qui audet me falso traducere, quasi Brabyla esse fructus prunorum syluestrium dixerim, quum id ne per somnium vnquam mihi in mentem venerit. Sed ii lapsus frequentes admodum sunt in iis, qui ex aliorum scri-

Cornarius aper rectius quam leo diceretur.

Schlehẽ sunt pruna syluestria.

Dessennij stupor.

E ptis, parum recte intellectis, omnia corradũt, vt & ipsi in scriptorum numero esse possint. Eiusmodi certe est hic Dessennius, qui nihil aliud suis annotationibus consecutus est, nisi compilatoris nomen: quandoquidem nullo iudicio omnia in vnum fascem ex aliis corraserit, & lectori miras tenebras offuderit. Nunc reliquum est, vt eos fructus esse pruna syluestria doceamus. Prunos autem syluestres principio esse spinarum genera, præter omnium propemodum hodie viuentium Medicorum consensum, Columella diserte admodum testatur. Prunum præterea syluestrem Virgil. *lib. 4. Geor.* vocauit *spinum*, vbi ita cecinit:

Spinos iam pruna ferentes.

Atq; hinc factum est, vt Germani hanc spinã sua lingua Schlehendorn nominarint.

F Neq; sane temere: plurimus namq; huius in sepibus construendis vsus est, quo ingressũ alienorum, ac bestiarum suis spinis & aculeis prohibeat. Ex historia quidem eius, quod a veteribus notis suis delineata nõ sit, nullum testimonium proferre possumus. Quod si tamen hanc spinam diligẽter spectes, cum satiua pruni radicib. caudice, folio oblõgo, & minutim per oras serrato, flore candido, & foliato, atq; fructu plane conuenire deprehendes, vt necesse sit, speciem eius syluestrem esse. Facultates deniq; quas veteres

prunis syluestribus adscribunt omnes, fructibus quos Schlehen vocant, inesse constar. A
Adstringunt enim, aluumq; sistunt. Id quod succus ille, quem ex hoc fructu hodie conficiunt pharmacopœi, & pro *vera Acacia*, nullo tamen, aut saltem ferendo errore, in suis officinis vtuntur, satis confirmat. Atqui cognoscere lectorem oportet, quid adversus hæc Cornarius producat: *Fructus*, inquit, Schlehen *nominati non solum palam adstringunt, sed sua acerbitate omnes a gustu suo auertunt: nec edi possunt priusquam vieti ac flaccidi ex repositione fiant.* Quod palam adstringere fructus iam dictos asserit Cornarius, inficias ire haud possumus: siquidem experientia idipsum confirmat. Quid autem ad oppugnandam nostram sententiam hæc ratio momenti habeat, non video. Neq; enim iis verbis aliud euincit, quam quod syluestria pruna immatura maturis magis, quandoquidem acerba admodum sint, adstringant, quod libenter illi concedimus. Nam Galeno quoq; *lib. 7. The. metho. cap. 7.* attestante, nullum eorum quæ στρυφνὰ Græcis, *acerba* latinis dicuntur, modice adstringēs est. Hinc est, quod pyra syluestria, quæ *lib. 1. Simp. cap. 37.* inter acerba recenset, idem Galeno *lib. 6. eiusdem operis* magis quam reliqua pyra adstringere & desiccare, fluxusq; repellere scribat. Proinde plurimum errat Cornarius, quod fructum Schlehen nullum vsum in sistenda aluo præstare posse ait. Quāto enim fructus illi acerbiores fuerint, tanto ad sistendam aluum aptiores erunt. Cornario tamen non concedimus, fructus Schlehen vocatos edi non posse, nisi vbi vieti & flaccidi iam facti fuerint. Quippe in confesso est, prætereuntes hanc spinam tum viros, tum mulieres, pueros ac senes, eius fructu priusquam flaccidi fiant vesci; tantum abest vt acerbitate sua omnes a gustu suo auertat. Et memini me, quum puer essem, creberrime hoc fructu nondum C
flaccido, magna auiditate, vsum esse. Ceterum nullius probati auctoris testimonio, nulla etiam ratione Cornarius pruna syluestria ante maturitatem nō esse admodum acerba, vt sunt fructus Schlehen dicti, docere potest: imo contrarium plane e verbis Dioscoridis iam ostendimus. Quippe dum is inquit *columellam, gingiuas, ac tonsillas fluxione infestatas, pruna syluestria vbi maturuerunt & siccata fuerunt, reprimere posse*, manifeste innuit maturis etiam iam prunis syluestribus tantam inesse adstrictionem, vt intumescentes paulo ante nominatas partes iuuare, & fluxionem auertere queant. Nam reprimendi facultas non nisi adstringentibus, vt omnibus in confesso est, inesse solet. Quod si igitur matura iam pruna syluestria adstrictionem aliquam obtinent, & eam quidem tantam vt reprimere possint, multo maiorem habeant, dum adhuc immatura sunt, necesse D
est. Acerba enim, adeoque adhuc immatura, immodice esse adstringentia, paulo ante ex Galeno monstrauimus. Quapropter Cornarii ratio frigida plane, & nullius momenti sit oportet. Pergit deinceps Cornarius, more suo, ineptire, & negat, *fructus* Schlehen *appellatos cum Sapa coctos stomacho commodiores fieri, & magis aluum sistere: quem tamen vsum præstare posse pruna syluestria quum Dioscorides testatum reliquerit, vt hoc nomine*, inquit ille, *sint diuersi fructus est necesse.* Verum vt temere idipsum affirmatur, ita rectissime negari potest. Nam Schlehen adiecta sapa stomacho fieri vtiliores, aluumq; magis sistere, sole meridiano clarius est. Siquidem Sapa, *vt lib. 7. de Comp. med. local. cap. 1.* testis est Galenus, ἐμπλαστικωτάτη ἐστὶ καὶ ἀδηκτοτάτη: hoc est, *vehementem obturandi facultatem obtinet, & minime mordax est.* Quocirca emplastica illa sua & citra morsum exsiccante facultate efficit, vt pruna syluestria, & Schlehen fructus appellati, stomacho magis sint vtiles. A- E
speritatem enim eorum, quam quia acerbi sunt efficere solent, lenit: & vt magis aluum sistāt, eo quod meatus obturet & exsiccet, plane præstat. Vt hanc quoq; Cornarii rationem concidere sit necesse. Possunt autem fructus Schlehen per se cocti exhibiti, & succus etiam eorundem quacunq; ratione extractus, per se datus, aluum sistere. Id quod Acacia officinarum, quæ non est nisi succus ex fructibus illis Schlehen dictis, coctis expressus, tessellatimq; confectus, & insolatus, abunde docet. Nam hæc, haud secus atq; vera & veterum Acacia, refrigerat, exsiccat, & adstringit, vt quotidiana experientia cōfirmat, & gustus quoque testimonio comprobatur: vt pluribus rationibus non sit opus.
Postremo spinam ferentem Schlehen non esse prunum syluestrem, hoc argumento F
probare conatur Cornarius, quod *humilis sit hæc spina, & non iusta arbor, vt prunus syluestris.* Verum quam nullius momenti hoc sit argumentum, omnib. constare arbitror, quum nemo sit qui ignoret spinam ferentem fructus Schlehen dictos, ad iustæ arboris proceritatem assurgere. Et puto paucos esse, qui oculis suis non conspexerint multas eiusmodi spinas,

Cornarii argumēta improbata.

Acacia officinarum.

Spina ferens Schlehē ad iustæ arboris proceritatem ascendit.

A di spinas, quæ geminā viri altitudinem excesserint. Quod aūt magna ex parte humilis sit hæc spina, nulla alia de caussa accidit, quam quod succrescere, illam agricolæ non patiantur, sed cerebro ad parandas sepes, atq; in alios vsus necessarios, nempe ad muniendas vineas, & agros, succidant. Porro Latinos auctores hos fructus *Prunula* & *Prunеola* nominasse nusquam dixi, *vt mihi imponit Cornarius*, sed sic vulgo appellari, *in Commentarijs meis de Stirpium historia* scripsi, id quod verissimum est, & eius rei testes habeo doctissimos viros, Ruellium, Cordum, Syluium, & alios multos supra nominatim citatos. Quare ad confutandam erroneam Cornarii de Brabylis opinionem pluribus argumentis non est opus: ad ea igitur, quæ restant, dicenda progrediemur.

Ribes non est nisi alterum genus Vuæ crispæ, veteribus incognitum. Nam Arabum Ribes. B Ribes, diuersum est ab eo, quod officinæ vsurpant, *vt alibi fusius monstrauimus*. Laudatur fructus eius plenior, acinis paucis, bene nutritis potius quam densis, paruis, & strigosis.

Rhus Seplasiis *Sumach* dicitur. Duo eius in vniuersum Galeno etiam teste, sunt genera. Vnum, quod Græcis μαγειρικὸν, id est, *culinarium*, quod eo pro sale aspergerēt obsonilis, nominatur. Alterum Græcis βυρσοδεψικὸν, hoc est, *coriarium* vocatur, quod ad densandos pilos eo vterentur. Quod certe non est ita accipiendum, ac si diuersæ essent stirpes: ex vna enim & eadem stirpe vtrunq; genus sumitur. Siquidem culinarium semen eius & succus maxime appellatur. Coriarium autem folia, & fruticis ramusculi, quod iis præcipue coriarii vterentur. Quanquam interdum vtrunq; genus ad medicamenta vsurpatur, vt semen etiam a coriariis. Ceterum Galenus *lib. 6. de Compos. medic. localium*, Nicolaus Myrepsus, & pleriq; alii, Syriaci quoque Rhois mentionem faciunt, qui non est nisi succus ex Rhoe in Syria proueniēte collectus, quod e Galeni verbis fit manifestissimum: ait enim, ὁ χυλὸς ὃς ἀπὸ τῆς συρίας κομίζεται. Quapropter Matthiolus falso mihi tribuit, quod Syriacum Rhoem peculiarem quendam succum, & separatum genus fecerim. Nam hic disertis verbis dico, *esse succum Rhoes*, nec ab aliis nisi loci ratione differre. Calumniose igitur præsentem locum, & contra animi mei sententiam Matthiolus est interpretatus. Vt non temere a quibusdam ματαιολόγος appellatus esse videatur.

C (margin section letter)

Rhus. Sumach. Culinariū. Coriariū. Matthioli calumnia depulsa.

Rubi mora, quæ βάτινα Græcis, Latinis *Vacinia* dicuntur, vt alibi fusius monstrauimus. Sunt etiam mora arboris omnibus nota. Vacinia. Mora arboris.

D Senæ folliculi, quorum præcipuus esse deberet vsus, sint subnigri, semine intus amplo & compresso. Deteriores subalbi, nondum iustæ magnitudinis & maturitatis. Decerpendi autem sunt: caduci enim inefficaces exsistunt. Folia secundum locum tenent si viridia sint, & plena, non subalba. Surculi inutiles purgationi, ob id abiiciendi. De ea plura infra. Sena.

Strobyli officinis *nuces pineæ* nominantur. Probantur pleni, recentes, albi. Improbantur contra, pallidi, oleosi, rancidi. Pineæ.

Vua passa, officinis *Passulæ* dicuntur. Laudantur pingues, carnosæ, cortice tenui. Passulæ.

Vua vrsi, officinis *Berberis* nominatur, vt alibi monstrauimus. Vua vrsi, Berberis officinarum.

Xylocerata, vel simpliciter *Cerata* & *Ceratia* Latinis *siliquæ*, Seplasiis *Xylocaracta*, barbara E prorsus & deprauata voce, nuncupantur. Xylocerata. Xylocaracta.

Zizipha Græcis recentioribus, & Actuario *Zinzipha*, officinis *Iuiube* appellantur. Probantur recentes, amplę, oblongę, carne intus multa, succulenta, laxa, dulci, vinosa: graues, sapore dulci, nucleo paruo, foris rufæ, intus pallidæ, aut albescentes.

De Radicibus. CAP. VIII.

OFficinis nostratibus radices, quæ nominatim nobis iam ordine perstringentur, vsitatæ sunt.

Aconiti Lycoctoni, Seplasiæ *Lupariam* hodie appellare solent. Luparia.

Acori veri radix complicata in obliquum, geniculis intercepta, candida, acri gustu, & modice amaro, odore nō ingrata, geniculis intercepta. Quare ea videtur esse radix, F quæ a quibusdam Galanga maior vocatur, quod omnes iam dictas in se notas habeat. Non quod certo asseram, radicem hanc e stirpe, quę *Acorus* reuera est, natam esse. Quæ enim hæc esset temeritas id cōstāter affirmare, quod oculis meis non viderim vnquā? At fac non esse Acorum, tamen præstat hac in Acori veri inopia vti, reiecta vulgaris Acori, quem vulgus herbariorum *Gladiolum luteum* vocat, radice, quod a veri Acori radi- Acorus. Galanga maior.

Error Medicorũ & officinarũ radice Gladioli lutei vocati pro Acoro vero vtētiũ. Adulterini Acori vsus.

ce tota sua natura diuersissima sit. Vt maiorem in modum hallucinari tum Medicos, A
tum Pharmacopœos sit necesse, qui adulterino hoc Acoro pro vero vtuntur, magno ægrotantium malo ac detrimento. Non est enim adulterinus Acorus vsurpandus, nisi vbi Medico vt refrigeret & exsiccet cõsilium est. Magnam quoq; in profluuio sanguinis omnis generis sistendo efficaciam habet, quod alibi fusius ostendimus.

Agaricũ.

Agaricum, quod Galenum secutus, inter radices recensere volui, quum fungus verius sit, leuis, rarius, mollius, albius, breuius, friabilius sit, sapore initio dulci, mox amaro, tandem etiam subacri. De quo *infra* plura. Cur autem Galenus Agaricum inter radices numerarit, tomo primo nostrorum commentariorum diximus.

Althea.

Althea, siue *Ebisci*, lenta, intus alba.

Angelicæ, satiuæ præsertim. B

Apium. Officinarum error.

Apij satius, Seplasiis *petroselini* vocatur. Nam herba, cuius radice pro Apio vtuntur nostrates officinæ, est Elæoselinum, id est, *palustre Apium*, quod sua sponte in palustribus locis nascitur.

Ari radice pro Serpẽtaria vtuntur officinæ.

Ari, qua vtiq; radice pro Serpentaria, quæ Latinis *Dracuntium* dicitur, officinæ vti debent, si vera Serpentaria destituuntur, & nequaquam illa, quæ alio nomine *Bistorta* dicitur, vt paulo post fusius demonstrabitur.

Aristolochia. Rotunda destitutæ sunt Seplasiæ.

Aristolochia, officinæ inepte *Aristologiam* nominant, & pronuntiant. Quum autem gemina sit Aristolochia; rotunda & longa, altera, nempe rotunda, omnes propemodũ Seplasiæ nostrates destituuntur. Quæ enim sub hoc nomine passim prostat, non est legitima, sed eius herbæ radix, quæ Aetio *Capnos* appellatur, *vt supra quoq; monuimus*. Affertur tamen nunc a quibusdam Pharmacopœis vera, qua omnibus plane vtendum esset. Quanquam si haberi vera nequeat, Capni Aetii radice, vtpote vehemẽter quoq; amara, pro ea sine errore vti licebit. Longa non carent officinæ, vt plerique censent, qui eam, qua illæ vtuntur, *Clematitin* esse arbitrantur. Nam folia *Hederæ* liquido docent, esse Aristolochiam longam, & non clematitin, *vt alibi copiosius monstrauimus*. Non prohibeo tamen, ne ea vtantur, quæ aliunde affertur, & nostrate longe maior exsistit. C

Asarum. Hirundinaria. Vincetoxicum. Asparagus Asphodelus. Seplasiarum erratum.

Asari radix numerosa, geniculata, tenuis, obliqua, Gramini similis, odorata.

Asclepiadis, Seplasiis *Hirundinaria* & *Vincetoxicũ* appellat, numerosa, tenuis, odorata.

Asparagi, ademta vna litera *Sparagi* radix nostratibus officinis dicitur.

Asphodeli veri radice omnes Germaniæ nostræ officinæ carent. Nam ea quam sub hoc nomine ad conficienda sua medicamenta vsurpant, Lilii genus exsistit, & longe alias quam vera Asphodelus facultates obtinet. Facilime autem veri Asphodeli copiam illis suppeditabit diligens inquisitio, quod in plerisque locis huius prouentus sit vberrimus. Etiam multi Pharmacopœi veram in suis officinis repositam habent. D

Behen.

Behen Serapioni duplex, alba & rubea. Radices illæ ex Armenia ad nos hodie non afferuntur. Quare Behen alba & rubea nostratium officinarũ non sunt legitimæ, sed eas, de quibus Serapio, & alii Mauritani scripserunt, ementiuntur. Nam Behen radices Armenicæ ac veræ magnitudine sunt radicis Pastinacæ minoris, contortæ, & suaui odore: Officinarum vero crassæ sunt, & odoris, rubra saltem, expertes. Præterea Behen veræ radices tenacitatem quandam mansæ obtinent, qua Seplasiarum prorsus carent. Denique in Italia non in Armenia effodiuntur. Quo fit vt nulla sese offerat nobis ratio, qua probare possimus Behen communis vsus esse Arabum legitimum. E

Ben albũ officinarũ est Polemonii radix. Hermodactylus albus & purpureus posteriorũ Græcorũ.

Ben album, quo magna ex parte vtuntur officinæ, videtur esse Polemonii radix, quod alibi fusius docuimus. Quid vero sit *Ben rubrum*, certo statuere nondum possum. Actuarius certe, vt ex compositione Antidoti Diamoschi sole meridiano clarius conspicitur, & Nicolaus Myrepsus multis in locis Behemum album & purpureum, nominant *Hermodactylum* candidum & purpureum, forsitan quod digitorum quandam imaginem radix illa exhibeat. Vnde iterũ liquet officinarum *Behen*, rubrum maxime, quum digiti crassitudinem excedat, non esse legitimas, sed suppositititas, quemadmodum fusius in eius historia diximus tomo nostrorum de *stirpium histor.* commentariis altero. F

Bistorta. Medicorũ & Pharmacopœorũ error non ferẽdus & plectẽdus.

Bistortæ, quam Seplasiæ falso *Serpentariam* nominant, quod Serpentaria vera non sit nisi Dioscoridis, & aliorum veterum *Dracunculus* & *Dracuntium*. Hinc capitaliter errant magna Medicorum pars, qui Seplasiariorum imperitia decepti, vt cœci cœcos habeant duces, non sine maximo ægrotantium detrimento, radice Bistortæ, cui vehe-

mens

A mens & immensa adstringendi facultas inest, in vnguentorum thoraci & pectori illinendorum compositionibus, & ad thoracis ac pulmonis exscreationes faciles reddendas; vtuntur: quum Dracunculi potius radice, quæ *Dioscoride & Galeno testibus*, iam dictam facultatem obtinet, illis vtendum esset. Et mirum est, eos hodie etiam num sæpius monitos, huic errori esse implicatos, quum tamen, modo diligenter inquirere vellent; veri Dracunculi copiam habere possent. Vtantur autem saltem in veri Dracunculi penuria hortor Ari radice, quę passim prouenit, & easdem, Dioscoride & aliis attestantibus, facultates habet. Atqui scio, quorundam Medicorum adhuc tantam esse dicam inscitiam an temeritatem nescio, vt ne nunc quidem toties moniti errorem deserere velint. Quorum certe pertinaciam magistratum vindicare decet, atq; seuera huius animaduersione, B talium carnificum petulantia, quum verbis emendari non possit, coercenda: ac ne latius progrediatur; cohibenda.

Bryoniæ radix foris cinericea, intus albicans, ampla, consummata. Bryoniæ.

Buglossi, borraginis officinis dicitur. Nam recentiores Græci non tantum floribus, sed & radicibus Buglossi vtuntur: & recte quidem. Nam quum radices illæ sint succosæ admodum, fieri non potest quin sint efficaces. Borrago.

Calamus aromaticus seu *odoratus* verus in officinis nostris non habetur. Nam qui hoc nomine venditur, calamus non est, sed radix. Neq; habet eas notas, quæ illi a Dioscoride tribuuntur. Siquidem arundini similis non est, nec odore fragrantissimo præditus: fistulis deniq; intus plenus nequaquam est, nec ex India affertur. Qui igitur in officinis C sub nomine calami aromatici prostat, radix est, *mea sententia*, non quidem veri odorati calami; siquidem vili pretio venditur, & sæpe admodum recens cernitur, sed eius qui in Mæotide nascitur, quod alibi copiosius monstrauimus. Porro quum hæc radix in commanducando glutinosa sit, linguam adstringens, amara, & subacris, eiq; propemodum omnes veri calami Indici notæ quadrent, profecto tuto & citra vllius reprehensionem pro calamo aromatico in veri penuria Seplasiæ vti possunt. Calamo aromatico vero caremus. Quid sit calamus odoratus officinarum.

Capparis lignosa, grandis, & numerosa est radix. Capparis.

Chamæleonis albi, *Cardapatium* Seplasiis dicitur, in lætis collibus crassa, in mōtosis gracilior, in profundo alba, aliquatenus aromatica, graui odore, dulcis. Cardapatium.

Centaurÿ magni, quæ huius ætatis Medicis & Pharmacopœis *Rhaponticum* vocatur, D crassa, grauis, solida, tripedalis, si integra est, succo vbi recens est prægnans. Rhaponticum officinarum est Centaurii magni radix.

Cichorÿ. Vide *Intybum*. Cichorium.

Costi, qui Græcis triplex est, *Arabicus*, *Indicus*, *& Syriacus*. Arabes costum dulcem & amarum faciunt, quemadmodum posteriores etiam Græci, potissimum Actuarius, & Nicolaus. Non potuit autem sibi temperare Matthiolus, quin *libro 5. suarum epistolarum medicinalium* mihi genuinum infigeret, erroris q; insimularet, quod Arabas secutus dulcem etiam esse aliquem Costum dixerim; ita nunquam non me ex insidiis obseruat, & ea etiam, quæ recte a me dicta sunt, in calumniam rapit. Dulcem enim dixi Costum, *vt in commentariÿs meis de stirpium historia* latius monstraui, non simpliciter, quod talis nullus, legitimus saltem, existat, sed collatione ad alterum, qui plus eo amaritudinis habet. E Quare mirari satis non possum, cur de aliorum dictis temere iudicandi auctoritatem sibi arroget Matthiolus, quum hinc aliam quam multorum odium mercedem sibi sperandum esse sciat. Exstant quidem in officinis Medicorum sub *Costi* appellationibus dulcis & amari radices duæ, sed a veri costi notis plurimum distantes. Nam nec candidæ, nec leues, nec gustu feruentes, nec odoratæ sunt. Suspicio est *Mentæ Sarracenicæ*, quam vulgus herbariorum *Costum hortensem* nominat, esse, alteram saltem, radicem. Nos, vt speramus, veras Costos, dulcem & amaram, in altera nostrorum de *Stirpium historia Commentariorum editione* pictas dedimus. Ad quos nunc lectorem ablegamus. Costus. Matthioli calumnia depulsa. Costus officinarum qualis. Vera Costus.

Cucumeris syluestris, asinini Seplasiis appellatur, magna, & candida radix. Cucumer asininus.

F *Cyclamini*, nigra, & aliquantum lata. Officinæ Medicorum perperam ad tertiam Latinorum inflexionem huius radicis appellationem detorquent; Cyclaminis nominantes radicem. Cyclaminus.

Cyperi radix rotunda, nigro colore, suaui odore, gustu amara. Est vero aliud Cy- Cyperus.

Curcuma officinarū. Serapionis. peri genus in India natum Zingiberis specie, quod manducatum Croci vim & colorem reddit. Hoc interdum inter Zingiberis radices inuenitur, & *Curcuma* Seplasiis nominatur. Porro Serapionis Curcuma, vt ex vtriusque historiæ collatione patet, non est nisi Chelidonium maius. Quapropter de Serapionis sententia Chelidonii potius radice, quam Cyperi Indici Pharmacopœis vtendum esset. Nihil autem refert, vtro vtantur, quod Cyperus quoq; Indica præsentem, *Dioscoride attestante*, psilothri vim illita exhibeat. Germanis *Cucurma*, Geel genffer dicitur.

Cynoglossi. *Cynoglossi* radix, qua nostrates officinæ vtuntur, non est veri Cynoglossi radix. Nam ea, Dioscoride teste, nullius est in Medicina vsus: sed eius herbæ, quæ Græcis *Lycopsis* vocatur, *vt alibi fusius docuimus*.

Dictamnus. *Dictamni* radix, quam *Diptami*, deprauata nonnihil voce, vulgus Medicorū, & Pharmacopœi appellant, & in officinis prostat, non est veri Dictamni radix: ea enim, vt auctor est Dioscorides, inutilis est: sed potius albi vocati Dictamni, *vt alibi abunde monstrauimus*. Non est autem abiicienda hæc radix, quod suum habet in Medicina vsum, nec eum sane cōtemnendum. Veri Dictamni foliis canna lanugine intectis vtimur, *vt supra est ostensum*.

Doronicū Orientale. *Doronicum* vocabulum multis accomodatur herbis. Est enim quoddam *Doronicum*, quod orientale & *Mauritanorum* dicitur, quod hodie ignotum est & inusitatum. Aliud est, quod *Romanum* appellatur, paucis recte cognitum, officinis nostris ignotum. Tertium est, quo hodie officinæ vtuntur omnes. Quartum *Dulcichinum* nominatur, itidem officinis inusitatum. Quintum, *vulgatum* vocatur. De quibus omnibus copiosissime *tomo primo nostrorum de stirpi. histor. commentariorum tomo diximus*. Ad quem nunc Lectorem ablegamus.

Dracunculus. *Dracunculi* radix nusquam fere in officinis Medicorum prostat. Nam omnes propemodum Pharmacopœi pro ea Bistortæ radice, maximo sane errore, vtuntur, vt supra quoq; monuimus: quum potius in veri Dracūculi penuria Ari radix illis vsurpanda esset, cui etiam forma non absimilis est.

Ebulus. *Ebuli* longa, digitali crassitudine radix.

Enula cāpana. *Elenij*, enulæ campanæ vocant officinæ, subalba, aut subrufa, odorata, subacris, vegeta, magna.

Iringus. *Eryngij* radix oblonga, lata, foris nigra, interne candida, pollicis crassitudine, odorata. Officinæ corrupta voce *Iringum* appellant. Trium est generum apud Dioscoridem, *vt alibi demonstrauimus*, vbi eorundem quoq; picturas exhibuimus. Istius radice, tanquam legitimi, officinæ vti debent.

Elleborus. Ellebori vtriusq; tum albi, tum nigri. Albus radicibus nititur multis, tenuibus, ab oblongo capite exeuntibus, ceparumq; modo fibratis. Niger hodie Germanis non cognoscitur. Nam qui hoc nomine venditur *Enneaphyllon* satiuum est. Circumfertur quoque ab Agyrtis radix sub Ellebori nigri appellatione, quæ legitima non est, vt alibi diximus.

Esula. *Esulæ* radicis cortex probatur tenuis, leuis, fractu facilis, casiæ fistulæ modo rubescēs.

Filix. *Filicis* radix nigra, oblonga, gustu subadstringente.

Fœniculi. *Fœniculi*, nota est.

Galanga. Cyperus Babylonicus. *Galanga* minor appellata radix, est subrubra, geniculata, intorta, grauis, sapore acerrimo, linguam vellicante, odore, & figura quadam Cyperi. Vnde nonnullis *Cyperus Babylonicus* vocatur.

Benedicta. *Garyophyllata* seu *Benedicta* intus rufescens, capillamentis multis fibrata, odore Caryophylli.

Gentiana. *Gentianæ* radix, colore foris buxeo, intus crocante, amarissima, frangi contumax.

Liquiritia. *Glycyrrhiza*, officinis deprauata prorsus voce *Liquiritia* dicitur, radix longa, coloris buxei, fractu contumax, sapore subacerbo, & dulci.

Hermodactylus. *Hermodactyli* radix rotunda, ampla, foris & intus alba, mediocriter dura. De qua infra copiosius disseremus.

Enula cāpana. *Inula*, *Enula campana* Seplasiis nominatur, radix. Vide *Elenium*.

Iris Illyrica. *Iridis Illyricæ*, quæ duū est generum, Plinio *lib. 21. c. 7. teste*, Raphanitis & Rhizotomos.

Rapha-

A *Raphanitis* est, quæ a similitudine Raphani sic est dicta. Hanc Galenus, Paulus, & Aetius *Astragaliten*, quod radix eius cum Astragali radice similitudinem habeat, vocant. Vtriusq; pictam imaginem in altera nostrorum de *Stirpium historia* Commentariorum editione dedimus. Probatur parua, densa, frangi contumax, subrufa, amara, odorata: Florentina tantum officinæ nostræ hodie vtuntur. Germanica illi non dissimilis, sapore acri & mordaci. Astragalitis. Florentina.

Lapathi, lapaty officinis dicitur, radix oblonga, crocei intus colore. Lapatii.

Laserpitij, officinis *Magistrantia*, *Ostrutij*, vel *Astrutij* radix nominatur. Nam herba ita vulgo appellata, nobis *Laserpitium Germanicum* dicitur; cuius etiam radice eiusq; succo in penuria veri Laserpitii vti licebit. Magistrantia.

B *Lilij* tum albi, tum punicei radicis in officinis vsus est. Sed puniceum non sine maximo errore, *Affodillum* deprauata voce nominant, ac pro *Asphodeli* radice vtuntur: quod paulo supra quoq; indicauimus. Lilium. Officinarũ error. Affodillus officinarũ est Lilii species.

Lycopsios, *Cynoglossa* Seplasiis vocatæ, radix rubra, & adstringens. Cynoglossa.

Mandragora vera radicibus nititur bene magnis, binis, ternisue inter se conuolutis, nigris foris, intus albis, crasso cortice vestitis. Eius effigies est in nostris de *Stirpium historia* Commentariis, quæ satis docet Agyrtarum Mandragoram esse fictitiam; vt ibidem etiam fusius docuimus. Mandragora.

Mei radix officinarum, non est nisi eius herbæ, quam Germani nostri Beerwurtz nominant, radix. Ac possunt quidem officinæ nostræ radice illa pro vero *Meo* sine omni C errore tantisper vti, donec verum ad nos aduehatur: siquidem Germanicum hoc *Meum*: ita enim appellare placet: easdem quas *Meum* facultates habeat. Sunt qui Meum *Sistram*, *Spiculam*, *& Anethum* syluestre nuncupent. Meon.

Nardus Indica etsi radix est, vt Galenus etiam *lib. 1. de Antidotis* testatur, tamen Nardi etiam spica, a formæ similitudine quam cum spica habet, appellatur. Radix dodrantalis, digiti parui crassitudine, multis fibris donata, leuis, nigra ad rubedinem vergens, adstringens, subacris, leniter amara, & odorata. Nardi spica.

Nymphea radicibus, perinde atq; semine, Dioscoride & Galeno testibus, non tantum floribus Pharmacopœis vtendum esset. Cur autem flores, tanquam humectans medicamentum, quum potius desiccent, in vsum venerint, Arabibus acceptum ferendum D erit, vt supra, & alibi plenius docuimus. Nymphea.

Oenanthes, *Filipendula* Nicolao & Seplasiis radix nominatur. In multa rotunda capita extuberat. Filipendula.

Paonia vtriusq; maris & fœminæ radix digitali crassitudine, & palmi longitudine, gustu adstringens alba. Fœminæ radicibus seu glandes circiter septem, aut octo inhærent. Pæonia.

Pentaphylli, officinis *Quinq; folij* dicitur, radix oblonga, & subrufa. Quinquefolium.

Petroselini veri radix in officinis non habetur. Nam quam sub hoc nomine vsurpant, *Apij satiui* radix est, vt supra quoq; indicauimus. Petroselini radice officinæ carent.

Peucedani radix a plerisq; Pharmacopœis non cognoscitur. Nigra est, crassa, succosa, graui odore. Pictura extat in nostris Commentariis. Peucedanum.

E *Polypodij* radix dulcis, austera, digiti parui magnitudine, cirris & nodis plena, ex rubro nigrescens, colore intus herbaceo, Pistacii instar. Polypodium.

Polygonati, Seplasiis *Sigilli Salomonis* dicta radix alba, mollis, longa, crebro geniculata, digiti crassitudine. Duum est generum stirps, Alteram duntaxat officinæ agnoscunt. Sigillum Salomonis.

Pimpinella maioris & minoris radix, eius quam sic in Germania vocant herbæ ab officinis vsurpanda. Nam quam hoc nomine insigniunt Itali herba, *Sanguisorba* nobis appellatur. Vtriusq; generis herbarum picturas & facultates in nostris Commentariis de *Stirpium historia* reperient studiosi. Pimpinella.

Pyrethri, est longa, pollicari crassitudine, gustu feruidissimo, & igneo. Pyrethri.

Phu, Valerianæ officinis nominatur. Duum est generum, vera & Germanica. Vera, F hoc est, quæ Dioscoridis delineationi per omnia respondet, radicem habet superius digiti minoris crassitudine, ex obliquo villosam, in nigri Ellebori modum, capillamentis inuicem contextis, flauescentibus, odoratis, cum quadam odoris grauitate Nardum æmulantibus donatam. Nos tertiam in nostris de Stirpium historia commentariis adiecimus. Valeriana.

Raphanus. *Raphani*, magna, Rapi specie, subacris. A

Rha ponticum. *Rhaponticum* veterum in officinis desideratur. Qua enim sub hoc nomine vtuntur, Centaurii magni radix est, *vt supra quoq; ostendimus.* Rha ponticum enim veterum adeoq; verum, radix est nigra, Costo nigro foris, Centaurio magno intus similis, sed minor, ruffior, fungosa, & laxa, aliquantum leuis, sine odore, quæ mansa colorem reddit pallidū ad Crocum inclinantem, teredinibus non exesa. Ea igitur sit oportet, quæ a D. *Gerardo Imperatoris Caroli Oratore* e Ponto allata, & tandem mihi ante annos paucos a doctissimo viro, & amico omnium carissimo, D. *Andrea Vesalio* transmissa pro vero Rha pontico radix est, vt quæ omnes in se Rha pontici veterum notas habet, adeo vt nihil dubitem legitimam esse. Nam magna ex parte digitalis est tum longitudinis, tum crassitudinis, fungosa, leuis, colore exterius nigro, intus luteo, eodem nimirum quo vulgare Rheum barbarum modo cōmansa colorem reddit pallidum, inodora, gustu astringens, adeoq; purgandi vi destituta, *vt infra latius dicemus.* Eius effigies est in nostris de Stirpium historia commentariis. B

Andreas Vesalius.

Rha barbarum. *Rha Indicum*, & ipsi proximum *Rha barbarum*, quod *Rauedsceni* Mauritanis dicitur, quod in officinis Medicorum vsitatum est, laudatur subnigrum, in rubrum inclinans, graue pro raritate sua, confractum, ex rufo & glauco alternans, & Croci modo tingens. Seruatur annis tribus, aut quatuor in milio, vel cera sola oblitum. *De eo infra plura, & loco paulo ante citato.*

Rubia tinctorum. *Rubiæ* satiuæ radix tenuis, longa, rubra. Officinis *Rubia tinctorum* nuncupatur.

Bruscus. *Rusci*, quam Seplasię vnius adiectione literæ, *Brusci* nominant, radix Gramini similis, acerba, & subamara. C

Satyrium. *Satyrij*, officinæ inepta voce *Satyrionis* appellant, radix in officinis desideratur. Nam qua sub huius nomine ad *Diasatyrij* compositionem vtuntur Pharmacopœi, aut *Orchios*, aut *Satyrij basilici* radix est, quæ impetum nullum ad venerem excitat. Quum itaq; hodie vix verum Satyrium agnoscitur, licebit pro eo vti herba, quam nos in altera editione *Satyrium trifolium odoratum germanicum* nominauimus. Picturam illic quoq; reperient studiosi. Aut *Orchios*, quæ etiam *Cynosorchis* nominatur, radice pro Satyrio vtendū.

Saxifraga alba. *Saxifragi* albi radix multis fibris capillata, eiq; multa Coriandri seminis quantitatem referentia grana adhærent, quibus Seplasiæ, non sine errore, pro semine vtuntur, quum semen suum excussis floribus in caulium cacumine proferat. D

Scilla. *Scillæ*, Varro *Squillæ*, radix probatur bonæ magnitudinis, bene habita & nutrita, alba.

Scordiū. Officinarū error. *Scordij* herba, non radice, *vt hactenus maximo errore Seplasiæ fecerunt*, vtendum erit, *vt ex Dioscoride abunde liquet.* Radix autem, quam huc vsque vsurparunt, non fuit Scordii, sed Allii syluestris. Nunc pleriq; reiecto veteri errore, vero Scordio, quod facile haberi potest, vti incipiunt. Quod vtinam aliis quoq; nonnullis in medicamentis facerent: ita enim promte veteres dediscerent errores.

Scrophularia. Maior. Minor. *Scrophularias* Seplasiæ duas habent, vnam maiorem, alteram minorem. Maior non est nisi *Galeopsis* Dioscoridis. Minor vero est altera *Malacocissi* species, *vt alibi fusius monstranimus.* E

Consolida maior. *Symphyti* maioris, officinis *Consolidæ maioris* radix vocatur, foris nigra, intus alba, viscosa.

Tamariscus. *Tamaricis* siue *Myricæ*, *Tamarisci* Seplasiis dicitur.

Thapsia. *Thapsiæ* radix, non est nisi *Turbit* eius, quod a Mesue describitur radix, quemadmodum *in tertio nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo* ostendimus.

Turbit. *Turbit* Arabibus laudatur, cuius cortex est albus, gummosus lactis crassitie, vacuus, arundinaceus, fractu facilis, recens, foris cinericius. Cuius autem fruticis radix sit, alibi, nempe loco iam citato, ostendimus.

Esula. *Tithymali Cyparissii*, Mesuæ & Auicennæ Esulæ minoris est radix. Quod non temere adiicitur, quia Nicolaus Myrepsius interdum *Chamæpityn Esulam* hanc vocat, *vt supra quoq; est dictum.* F

Tormentilla. *Tormentillæ* radix in nigro rubea, modice intorta, fibris capillata.

Turpetū. *Turpetum*, officinis *Turbit* dicitur. De quo paulo ante diximus, & infra copiosius disseremus.

A *Vitis alba*, Seplaſiis *Bryoniæ* dicitur. De qua ſupra ſatis. Vitis alba.

Zadura, Zaduaria, Zudar, Zudera, & *Zaduar* poſteriotibus Græcis appellatur, officinis *Zedoaria*, Serapioni præſertim rotunda, *Zurumbet*. Sapore ac colore fere Zingiberis. Zedoaria.

Zingiber Galeno, aliis *Gingiber*, Seplaſiis *Zinziber* nominatur. Eius radix ſit intus candida, odorata, Piperis ſapore, ponderoſa, fracta, ſolida, non teredinibus exeſa. Condienda eſt recens, non vetus, impoſtorum quorundam more, qui vt teredinum foramina obſtruant, rubricam aqua ſubactam ſuperlinunt. Zingiber.

B Radices quinque communes:
- *Apij.*
- *Aſparagi.*
- *Fœniculi*, alii *Graminis.*
- *Petroſelini.*
- *Ruſci.*

De Succis. CAP. IX.

SVccus proprie loquendo eſt id, quod ex tota ſtirpe, parteue eius aliqua conciſa, aut tuſa, torculari, vel manibus, vel aliter exprimitur. Græcis χυλὸς dicitur. Nam illi χυλὸν interpretantur ὑγρὸν ἐκπίεσμα. Nos more officinarum, ſuccorum nomine, eos tantum hic in audiri volumus, qui ab expreſſione liquidi permanent. Succus quid. χυλὸς. Cæterum ſuccus, qui ex glutinoſis ſeminibus, verbi gratia *lini, pſylli, fœnugræci, cydoniorum*, aut radicibus, *vt altheæ*, extractus, quum lentorem habeat, *Viſcago* ſeu *Muccago* dici poteſt. Mucilago. Muccago. Officinæ *mucilaginem* nuncupant. Hinc emblaſtrum διαχυλῶν, id eſt, *e lentis & glutinoſis ſuccis*, appellarum
C eſt. Porro ſucci aut per ſe ſeruantur, veluti *acetum*, *vinum*: aut miſto ſale, vt *omphacinum oleum*: aut ſuperfuſo phialæ oleo, *vt roſarum ſuccus, granatorum, limonum, cotoneorum, ſambuci, & ſimilium.* Succi quo modo ſeruandi. Succi pauci admodum in officinis Medicorum proſtant, quod nimirum citra corruptionem & putrefactionem multo tempore cōſeruari facile nequeant. Sunt enim ii propemodum omnes.

Acetum album tenuius, ob id valentius nigro & medio, præſertim ſi æque ſit acre & vetuſtum. Acetum.

Acidus citrei mali ſuccus, officinis *acetoſitas Citri* nominatur. Acetoſitas Citri.

Cotoneorum, cydoniorum.

Braſſicæ.

D *Elaterium* ſuccus eſt, qui ex Cucumeris ſylueſtris fructu exprimitur. Optimum læue, non ponderoſum, cum candore leniter humectum, guſtu amariſſimum, quod lucernarum luminibus obiectum facile flagrat. Elateriū.

Iridis.

Limonum.

Malorum granatorum punicorumue.

Mel optimum purum, adeo vt totum pelluceat, odorum, flauum, acerrimum, dulciſſimumque guſtanti & iucundiſſimum: conſiſtentia nec craſſa, nec liquida, ſed tam ſibi cohærens, vt continuitatem ſuam quaſi linea longiſſima non interciſum ſeruet, ſi digito attollitur. Idem coquendo paucam ſpumam emittit. Mel.

E *Oleum omphacinum* ex immaturis oliuis expreſſum ad viride inclinat, odoratum, morſus expers, ſapore acerbum. Ex maturis oliuis expreſſum colore ruſo, purum, pellucidum, tenue, odore exiguo, ſed grato, ſapore dulci, ſubacri. Oleum.

Omphacium ſuccus ex vua immatura expreſſus, officinis *Agreſta* nominatur. Omphacium. Agreſta.

Oxyacanthæ fructus ſuccus Seplaſiis *Berberorum* appellatur. Vide ſupra. Berberorū ſuccus.

Roſaceus.

Violaceus.

Vinum, deligitur varium pro ſcopis Medicorum diuerſis.

Ceterarum quum herbarum ac ſtirpium ſucci æſtate tantum & vere e viridibus herbis, vſu poſcente, exprimantur, & hyberno tempore, quo omnes herbæ frigore emoriuntur, haberi non poſſint, in horum locum recentiores tum Greci, tum alii Medici
F Serapia, *de quibus ſuo dicemus loco*, & ſtillatitios liquores, ſeu, *vt hodie loquuntur*, aquas diſtillatas, excogitarunt. Stillatitij liquores. Sic autem nominant, liquorem vi caloris e ſtirpe extractum. In quorum tamen vſu modum aliquem eſſe oportet, præſertim vbi non diligenter, &

in duplici vase sunt eliciti. Siquidem is modus ceteris est præstantior, vt qui succo stirpis A tum odorem, tum saporem conciliet. Modum hunc eliciendi stillatitios succos Ioannes Manardus *lib. 15. Epist. 5.* ostendit. Et cauendum vnice in succo stillatitio eliciendo, ne plumbeis vel æreis instrumentis vtamur. quod is a metallicis illis organis malam eorum qualitatem sibi vendicet, & si gustetur nunquam non, vel frequentissime fumidum virus, nidoremq; resipiat. Quæ res non modo ægris ingentem molestiam afferũt, & nauseam plerumque mouent, sed & plurimum noxæ ventriculo, iocinori, aliisq; visceribus inferunt. Ceterum stillatitii liquores, qui duplici vase vitreis instrumentis, calentis aquæ balneo ab herbis & floribus eliciuntur, non solum proprias stirpium qualitates referunt, sed etiam ne tantillum quidem tum fumi, tum rei adustæ resipiunt, modo caueatur, ne eius vasculi, in quo stirpes continentur fundum, aquam in cacabo B bullientem attingat, sed solo vapore ab eo eleuato incalescat. Nam a lento ac miti illo calore: quippe lentus ignis calor est in feruente aqua, quod eius acrimonia ab humiditate obtundatur: e totius stirpis substantia vapores exhalant, qui in succum vertuntur omnium fere partium vices seruantem, quæ ex odore, & sapore, quem succus ille retinet, cognoscuntur. Euenit autem hoc, quod aqua feruẽs sua ipsius humiditate partes tenuiores illas retinet, conseruat ac cohibet. Iam dictam eliciendi stillatitios liquores rationem Matthiolus quoq; tanquam ceteris præstantiorem laudat. Tamen vt esset sibi a nobis dissentiendi occasio, aut vt nostrum saltem sententiam arrodere posset, alteram quoq; eliciendi liquores hac minus exquisitam rationem probare voluit, nec omnino esse reiiciendam putauit. Vt hinc palam fiat, Matthiolum nunquam non C alios reprehendendi occasionem quærere, etsi quod reprehensione dignum sit, haud inueniat. Ceterum in confesso est Galenum in diplomate seu duplici vase omnia propemodum coxisse, quod is modus extrahendi facultatem esset optimus. Nam quæ ita exprimuntur nullam præ se ferunt adustionem, quæ magna ex parte stillatitiis liquoribus multa inest, quæ non tantum ingrata est, sed etiam non mediocriter ad morborum curationem obest. Hinc est, quod liquores illos stillatitios patulis vasis exponere soli coguntur, quo calor alienus exhalet. At is pariter tenuissimas, & sæpe nobilissimas rerum partes secum educit. Nec melior est eorum, quæ calore fimi putrescunt conditio. Nam hic alienam putredinis qualitatem, quæ saluti vehementer obest, adiunctam habet. Præstat igitur is modus, qui in duplice fit vase. Sed quum tenuiores maxime partes D ignis actione eliciantur, præstat tum maxime liquorib. stillatitiis vti, vbi celerem actionem requirimus, *vt in syncope, apoplexia*, & id genus aliis morbis celerem opem desiderantibus. Vbi vero tanta celeritate opus non est, consultius est, vt herbarum ac stirpium earũdem decoctis vtamur, præsertim quum integras earundem vires requirimus. Nam quum omnes propemodum stirpes, Galeno etiam *libro tertio de Simpl. medic. facul. cap. 14.* attestante, licet sensu simplices apparent, natura tamen sint compositæ, adeoq; maxime contrarias in se habeant facultates, nempe excernendi & sistendi, adstringendiue, rarefaciendi & condensandi, reserandi & contrahendi, aperiendi & occludendi, ceterasq; vniuersas oppositiones: fieri vix potest vt in stillatitiis liquoribus omnes hæ facultates stirpium insint. Quippe *vt iam dictum est*, tenuiores maxime partes ignis feruore E eliciuntur, crassiores autem in stirpibus fere vniuersæ remanent. Quapropter vires, quæ antea fuerunt coniunctæ, & per totam substantiam æqualiter diffusæ, iam separantur. Ceterum stillatitiorum liquorum nomenclaturas nihil attinet referre, quod nulla propemodum sit herba, ex qua hodie succus non eliciatur.

Modus eliciendi stillatitios liquores optimus.

Matthioli reprehensio notata.

Stillatitiis liquorib. quando vtendum. Quando non vtendum.

De Liquoribus. Cap. X.

Liquor, qui Græcis ὀπὸς dicitur, est qui ex stirpe, aut parte eius aliqua, vulnerata, terebrata, scarificata, castrata sponte defluit, non curando gustu suauis, aut ingratus sit. Hic paulo post diu insolatus, aut lento igne siccatus concrescit, quapropter omnes eius fere generis liquores officinæ concretos vocant. Sunt vero Seplasiis repositi & vsitati liquores, qui sequuntur. F

Liquor quid.

Acacia succus ex fructu seu semine exprimitur Aegyptiæ spinæ, & in vmbra siccatur. Interdum etiam ex foliis, *vt Dioscorides auctor est.* Vera rarissime, aut nunquam habetur in nostris officinis. Huius autem loco vtuntur succo ex baccis syluestriũ prunorum expresso,

Acacia vera. Acacia officinarũ.

A expresso, tessellatim confecto, & insolato, non admodum magno errore; quod & is succus haud secus atq; veterũ Acacia adstringat, siccet, & refrigeret, etsi minori efficacia.

Aloe optima sit pinguis, glutinosa, friabilis, facile liquescens, ex rubro rufa, iecoris modo coacta, & intus foueis plena, proinde minus grauis, bono odore, eximiæ amaritudinis; syncera, nitida, arenularum & calculorum expers. De qua suo loco fusius dicemus. Aloë.

Cera fauis occlusa exprimitur. Probatur flauissima, odorata, pinguis, coacta, leuis, pura, & aliena omni materia carens. Expetitur etiam alba, vel natura, vel ablutione. Fit viridis mista ærugine. Rubea minio tingitur. *Cera virginea* officinis dicta, non est nisi veterum *Propolis*, quæ in aluceariorum foribus inuenitur. Cera. Alba. Viridis. Rubea. Cera virginea. Propolis.

B *Cyrenaicus liquor* est *Laseris* seu *Laserpitij*, siue *Silphij herbæ*, qui caule ipsius, aut radice scarificata, defluit. Est acer, mordax, modice rufus, translucens, odoratus, & qui dilutus cito albescat. Officinis Medicorum *Asa dulcis*, & *Belzoe*, vel *Belzoin*, & *Belzuinum* nominatur. Sed qui sub hoc nomine in officinis prostat, nõ est legitimus, aut saltem quarundam rerum accessione deprauatus, quod neque acer, neq; mordax sit. Non esse autem *Silphij* liquorem hinc etiam sciri potest, quod Strabo *libro vltimo Geographiæ* scribat, *Silphium suo propemodum tempore defecisse*. Plinius quoq; *lib. 19. cap. 3.* multis iam annis non inueniri memoriæ prodidit. Quum igitur Strabonis & Plinii testimonio constet, Silphium Cirenis eorum ætate pene defecisse, neque inibi facile inuentum esse; nihil mirum videri debet, si nostra quoque tempestate defecerit, atque nullum iam ad nos vehatur; Cyrenaicus liquor. Asa dulcis. Belzoe.

C quod legitimum sit. Præstaret itaque succo *Laserpitij Germanici*, quod *Magistrantiam* nominant nostri, ad compositionem medicamentorum vti. Ad vsum autem suffumigiorum nihil obstat, cur non *Bentzoen* adhibeamus. Laserpitii vero liquor Syriacus, Medicus, Parthicus, & Persicus vocatus, virus & putrilaginem, *Dioscoride teste*, olet, ideoq; Seplasiis *Asa fœtida*, & Germanis *Diabolistercus* appellatur, ob virosum, quem reddit odorem. Asa vero vox deprauata est & corrupta, a Lassere herba haud dubie detorta. Vt enim veteribus *Laser* duplex est, odoratum, & virosum, ita quoq; officinis gemina est, *Asa dulcis & fœtida*. Asa fœtida.

Dacrydion, officinis corrupta voce *Diagridion* dicitur. Scammoniæ succus correctus est, *vt infra latius dicetur*. Diagridium.

D *Euphorbium* liquor ex Libyca emanans arbore exsistit, lacteus, vrens, tenuium partiũ, vel *Orobi* seu *Erui* magnitudine, Sarcocollæ modo emicans: vel in ouillis aut hœdinis ventriculis exceptum & concretum, vitreum, translucens, acre, recens, albissimũ. Ob eius certe acrimoniam violentissimam nunquam nisi inuitis pharmacopolis tunditur. Quippe etsi nares, & os omni prorsus diligentia sibi muniant, tamen tanta est eius acrimoniæ vis, vt omnibus vna cum aere penetratis munimentis, in eorundem tandem nares perueniat, vbi molestissimum excitat ardorem, qui non facile tollitur. Quapropter accurata diligentia in tundendo Euphorbio opus est. Recens albius est & calidius, ac leui gustatu os accensum diutius sic tenet. Color autem hic caducus est, & cito euanescit, fitq; vetustate pallidius, aut flauius. Bimum aut trimum adhuc mediocre viribus Euphorbium.

E est, & interdum quadrimum: quinto autem vel sexto anno exsoluitur, procedenteque tẽpore totum elanguescit: ne quis vulgi errorem secutus, annis decem posse integrum seruari, etiam cum Milio, lentibus, fabis, existimet. Recenti tamen, quia viribus est violentis, non vtendum temere erit. Annotino igitur, nam recentius igneum & venenosum est, vtendum.

Galbanum liquor est nascentis in Syria ferulæ. Laudatur odore graui, sapore abominabili, pingue, in Ammoniaci & thuris modum cartilaginosum, minime lignosum. Metuendum, ne id, quo passim officinæ vtuntur, ab impostorib. sit vitiatum, lignorum ferularumq; ramentis, lapidibus & aliis compluribus recrementis adiecta. Qui itaq; optimo destituuntur, id saltem quod impurum est admodum a Dioscoride præscriptum purgent. Galbanum.

F *Glycyrrhizæ* liquor, aut verius succus, ex radice eius nominis stirpis exprimitur. Seplasiæ deprauato nomine, *liquiritiam* nominant. Nos quod concretus sit succus ille, inter liquores etiam hunc commemorare voluimus. Probatur dulcissimus, mollis, recens, purus, tenax, & qui confractus splendescat, nigerrimus, & qui linguæ subditus totus eliquescat. Glycyrrhizæ succus. Liquiritia.

Glauciũ. Memithe.

Glaucium liquor aut ſuccus eſt herbæ ad Hierapolim Syriæ naſcentis. Græcis in mul- A to vſu fuit. Arabibus *memithe* dicitur: Guſtu amarum, & intus colore croceum, forinſecus autem ruſeſcit.

Hammoniacum.

Hammoniacum ſiue *Hammoniacum thymiama*, liquor eſt ſtillans ex ferula quadam Cyrenaica in Aphrica, prope Iouis Hammonis, vnde illi nomen, oraculum. Sunt qui *Hammonicam guttam* appellant. Seplaſiæ vnius literæ adiectione *Armoniacum* vocant. Probatur purum ligno, arenis, terra, ſordibus, bene coloratum, odore caſtorii, ſapore amaro, prædenſum, & thuris maſculi ſimilitudine minutis glebis cartilaginoſum. Vnde palam fit hodie ſynceriſſimi parum ad nos conuehi. Siquidem rariſſimum *Ammoniacum* viſitur, quod ſuis minutis glebis thus referat. Nam omne fere, quo officinæ vtuntur, piceæ reſinæ modo in maſſam compactum conſpicitur, impurum, ac quam pluri- B mis impoſtorum adulteriis vitiatum.

Hypociſthis.

Hypociſthis veluti fungus ad pedem *Ciſthi*, forma *cytini*, naſcitur. Non temere autem a nobis dictum eſt, *veluti fungus*. Siquidẽ fungus reuera nõ exſiſtit, ſed potius germen, quod e Ciſthi radicib. Punicorum coſtinis, *Dioſcoride teſte*, ſimile pullulat. Quare nõ erat, cur Matthiolus hic me, more ſuo, flagellaret, & ſimpliciter fungũ *Hypociſthim* me dixiſſe ſcriberet. At ab eius morſu nemo eſt qui tutus eſſe queat. Liquor expreſſus etiam *Hypociſthis* ſimpliciter, aut cum adiectione *liquor Hypociſthidis* vocatur. Officinæ ineptiſſima voce *Hypoquiſtidis* ſuccum appellant. In offas conformata eſt nigra, lenta, ſapore adſtringente, odore non ingrata. Timendum, ne Hypociſthis, qua officinæ paſſim vtuntur, non ſit legitima, ſed ex Hirci barbæ herbæ radicibus ab impoſterioribus confecta, C qui ſuccum inde exprimunt, ac vt concreſcat, inſolant. Errandi occaſionem iis, qui officinis parant *Hypociſthidem* Arabes dederunt, qui Ciſthum *hirci barbulam* appellant. Siquidem illi ſibi perſuadentes *hirci barbam*, quam Græci τραγοπώγωνα nominant, illam eſſe ſtirpem, de qua Arabes ſcribunt, non modo ſe ipſos decipiunt, ſed etiam alios, qui nũc adulterina Hypociſthide vtuntur. Quum autem ſine legitima Hypociſthide non poſſit optima confici theriaca, præſtat ſuccedaneo eius vti, quod, *Galeno teſte*, eſt acacia, aut Dioſcoride auctore, ſylueſtris floris Punicæ ſuccus. Ceterum ante præparationem quædam Hypociſthis flaua, alia virens, alia candida.

Ladanum.

Ladanum ex altero Ciſthi genere fit, quod nonnullis *Ledon* & *Ladon* nominatur. D Officinæ vnius literæ adiectione deprauantes appellationem legitimam, *Laudanum* vocant. Laudatur odoratum, ſubuiride, facile, molleſcens, pingue, reſinoſum, quod arenas non collegit, nec ſqualore obſitum eſt. Impoſtorum malitia ſabulo, & aliis adulteriis vitiatur.

Lycium.

Lycium, a Lycia regione dictum, liquor eſt Pyxiacanthæ. Optimum eſt, quod vti poteſt, & reſtinctum rubentem ſpumam oſtendit, glebis extrinſecus nigris, intus quum fregeris rufis, odore minime viroſo, cum amaritudine adſtringens, crocino colore. Quas ſane notas id, quod in officinis proſtat, non habet. Neque enim igni admotum accenditur, nec intus rubeſcit, neque in guſtu amaricat, vt adulterinum ſit neceſſe eſt fateamur. Dabunt igitur operam Pharmacopœi, vt legitimum ſibi comparent.

Melaeriũ. Manna.

Melaerium, Galeno appellatum, non eſt niſi *Manna* Arabibus nomine ab Hebræis E mutuato, dicta. Mel vero aerium appellatum eſt, *quod ſublucanis temporibus ex aere veniens arborum ramis, & frondibus, herbis, lapidibus, & ſolo interdum hæreat*. Itaque coria ſuper terram extendentes, & arbores ac ſtirpes excutientes, quod ab eis mellis inſtar defluit, excipiunt, & fictilia eo implent. Relictum breui temporis curriculo coaleſcens grumoſum, gummi modo, efficitur. Duum igitur in vniuerſum eſt generum, altera liquida, quæ in fictilibus aſſeruatur, & Arabico nomine *Tereniabin*, Hippocrati *mel cedrinum*, Galeno, vt diximus, aerium, & *ros Libani* appellatur. Hæc quia nunc nullo in pretio habetur, ſeruari deſiit. Altera arida, quæ hodie in arculis ligneis aut vitreis aſſeruatur. Huius tria potiſſimum ſunt genera, quorum alterum ab orientali plaga, alterum a Calabris defertur. Eius, quod ab oriente aſportatur, duæ F ſunt ſpecies. Altera præſtantiſſima, exiguo grano Maſtychæ aſſimilis eſt. Hincque adeo *Granata* & *Maſtichina* vulgo nominatur. Altera vilis, quæ grano conſtat grandiori, floccorum lanæ, & bombycis effigie, hincque adeo *Bombycina* vocatur. Tertia compacto eſt grano, pingui, dulci, flauoque prædita, vulgo *Brianſona*. Porro quæ a Calabris af-

(Margin: Tereniabin. Mel cedrinum. Granata. Maſtichina. Brianſona.)

A bris affertur trium est generum. *Vna*, quæ stirpium frondibus insidens colligitur, & primas obtinet partes *foliorumq; Manna* cognominatur. Minutis constat granulis, translucida, grauis, candida, gustu dulcis ac suauis. *Altera*, quæ ramis insidet. Hæc secundas sibi asciscit partes. *Tertia*, quæ lapidibus, & solo inhæret, granis constans crassioribus, & colore minus syncero, adeoq; prioribus duabus vilior exsistit. Siue itaq; Manna liquida sit, siue arida, eligatur alba, recens, dulcis, pura, & excrementorum quoad licet expers, ex stirpibus odoratis & salubribus collecta. Sola arida in vsu est, liquida contemta. Durationis tempus variatur. Alia enim statim post annum exsolescit, & situm redolet, *ut Mastichina*, quæ vno duntaxat anno in suis viribus persistit. Alia tardius corrumpitur, vt ad quinquennium asseruari possit, veluti est, quæ in Italia prouenit, præsertim in
B Calabriensi agro. Omnes tamen sicciori loco gaudent. Mala cineritia. Pessima fusca, cœnosa, antiqua. Hæc tempore mollescit, dolumq; prodit. De ea infra plura.

Opium, liquor ex inciso Papauere nigro defluens. Quum enim multi ac varii sint ὀποὶ, id est, *liquores*, solius tamen Papaueris nigri ὀπὸς, neutro in genere ὄπιον Medicis Græcis priuatim nominatum est: præfertur *Thebaicum*. Optimum habetur graue, densum, gustu amarum, odoratu soporiferum, quod facile aqua diluitur, læue, candidum, neq; asperum, neque grumosum, quodq; inter colandum non vt cetera coeat, & in sole diffundatur, deinde admotum lucernis non atra luceat flamma, exstinctum denique odoris vim seruat. Vnde perspicuum euadit, *Opium officinarum non esse legitimum e lacryma, quæ ex conciso Papaueris capite exit, concretum, sed potius id, quod e foliorum & capitum contri-* Opium.
C *torum succo confectum est, & Meconium vocatur, opio longe inferius*. Et id quidem Glaucii, vel Chelidonii, vel syluestris lactucæ succo adulteratum, cuius rei nimia eius amaritudo, & quod aqua colliquatum croceum reddat colorem, argumento est. Candidum præterea non est, sed ex nigro virescens, aut potius ex luteo nigricās, & asperum magis, quam læue, accensum deniq; nō modo nigram, sed aterrima m edit flammam. Dabunt igitur operam Pharmacopœi, vt vel legitimum sibi comparent opium, vel ipsi sibi ex Papaueribus satis conficiant. Meconium.

Opobalsamum, quod βαλσαμέλαιον vocari scribit Simeon Sethi. Probatur recens, validi odoris, sincerum, non ad acorem vergens, dilui facile, læue, adstringens, gustu modicæ mordēs, in laneam vestem effusum, nec maculam facit, nec si eluatur notam relinquit, Opobalsamum. βαλσαμέλαιον.
D lac coagulat, in aqua aut lacte celerrime liquatur, & colore lactescit. Hodie in nostris officinis non habetur.

Opopanax liquor e Panacis Heraclii radice incisa emanans, candidus dum recens est: dum aruit colore foris croceo, aut subflauo, intus candido, odore graui, sapore amarissimus, læuis, pinguis, friabilis, tener, facile in aqua liquescens. Opopanax.

Propolis, officinis *Cera virginea* dicitur. Vide *Cera*. Propolis. Cera virginea.

Sagapenum ferulaceæ herbæ in Media nascentis liquor est. *Serapinum* Arabibus & Seplasiis vocatur. Atq; hoc nomine non raro etiam a Nicolao Myrepsio appellatur. Laudatur pellucidum, foris rufum, intus candidum, acre, odore porri, seu medio in laseris liquorem & galbanum, quibus adulteratur.

E *Scammonia* vel *Scammonium*, laudatissimum quod est nitidum, rarum fistulis tenuib^9, fungosum, leue, taurino glutini, vel Gummi colore simillimum, linguam parum vehementer vrens, linguæ saliuosæ tactu, vel humoris alicuius albescens in fragmentis, & lactescens, tenerum fractu, ac puluerratu facilimum. Si vero linguam vehementer exurat, Tithymali succo vitiatum indicatur, quale est quod a mercatoribus ad nos defertur Syriacum & Iudaicum, compactum, densum, graue, & Erui fortasse farina, & lacte Tithymali aliisq; impostura vitiatum. Nam quod probatissimum est, rarum inuentu est. Id quod Pharmacopœis partim acceptum referendum erit. Hi namque illud præstantissimum Scammonium esse existimant, quod *lingua saliua madentis contactu, facile, confestimq; albescit*. In quo Dioscoridis doctrinam hi negligere manifeste videntur, vt qui ad- Scammonium.
F moneat, non solum illi experimento fidendum esse, sed etiam aliis ac certioribus: id namq; adulterato quoque lactis Tithymali admistione euenit. Ceterum Scammoniū illud, quo omnes fere officinæ vtuntur, Tithymali succo vitiatum esse hinc liquido patet, quod decem, vel quindecim eius grana aluum pluries deiiciant, quum synceri drachma, *Dioscoride teste*, id vix præstare possit.

Quum *Saccharum* Latinis, & voce parum immutata barbaris medicis *Zuccarum* appellatum, inter succorum genera locum sibi vendicet, & de eo inter eruditissimos nostræ ętatis dissensio ingens orta sit, nulla, me sane iudice, alia de caussa, quam quod veterum σάκχαρ ἢ σάκχαρον: sic enim nominant: a nostro & hodie vsitato nō satis discreuerint. Quare de hac ipsa re meam sentētiam, qua fieri potest breuitate, & quidem perspicue, exponam. Sacchar veterum, *vt ex eorundem monimentis liquet*, geminum fuisse constat. Vnum quidem, cuius Dioscorides *lib. 2. cap. 73.* & Galenus *lib. de Simp. medica. facul. 7.* Item *lib. 8. de Medendi ratione capite 4.* Plinius quoq; *lib. 12. cap. 8.* meminerunt, qui vnanimes scribunt, hoc ipsum mellis in calamis concreti esse genus, in India atq; felici Arabia inuentum, & illinc aduectum. Quinetiam Seneca sic scribit: *Aiunt*, inquit, *inueniri apud Indos mel in arundinum folijs.* Is vtiq; melleus ros salis modo supra calamos siue arundines coactus & concretus, Archigeni *mel arundinum*, aliis vero, vti Paulo Aeginetæ, a iam dicta cōcretione, & natali solo, sal *Indus* est vocatus. *Mel* vero *arundineū* Archigeni nūcupatū est, quod noctis frigore primū agglutinatum arundinib. mellis speciem habeat. *Sal* aūt Paulo est dictum, quod interdiu calore solis superueniente, induretur, & ita cōcrescat, vt salis effigiem capiat. Nec temere a nobis dictum est, *supra calamos.* Nam iis verbis Dioscoridis loquendi rationē, qui inquit, ἐπὶ τῶν καλάμων, id est, *supra arundines Saccharum inueniri*, exprimere voluimus. Præpositionem autem ἐπὶ hoc in Dioscoridis loco significare *super* vel *supra*, e Galeno fit manifestissimum, qui libro paulo ante citato, disertis verbis scribit, *Sacchar* περιπήγνυσθαι καλάμοις, id est, *arundinibus circumquaque concrescere.* Nisi enim iis verbis Galenus extrinsecus & super folia arūdinis concrescere Saccharū, significare voluisset, non περιπήγνυσθαι καλάμοις, sed adiecta præpositione ἐν, haud dubie ἐν καλάμοις, id est, *intra arundines*, concrescere dixisset. Item ex Alexandro Aphrodisæo, qui *lib. 2. Probl. 72.* in hunc scribit modum: *Quod Sacchar Indi appellant, mellis coagulum est, sole cogente rores, conuertenteq; ad mellis dulcedinem.* Auicenna insuper Saccharum super arundinem inueniri salis effigie *Canone 2. cap. 757.* memoriæ prodidit. Deniq; Aristoteles *lib. 5. de histo. animal. cap. 22.* in omnibus mundi tractibus mellis materiam nocte decidere scribit. Quapropter si Saccharum, *vt iam ostensum est*, mellis genus est, vt e sublimi ęthere decidat, & ex aeris rore fiat, necesse est. Ex iis autem, quæ diximus, duo se Matthioli errata produnt, quorum primum est, quod Saccharum non super arundinem concrescere, sed potius per eiusdem internodiorum fissuras exire, & resudare somniat. Nam quod impudēter affirmat, nullius probati auctoris testimonio confirmare poterit. Neque enim Plinii testimonio, qui *loco supra citato* scribit, *Mel in arundinibus concretum colligi*, iuuari potest: quum enim constet ipsum locum illum ad verbum e Dioscoride transtulisse, *in arundinibus*, pro eo quod *super arundines* dixerit, necesse est. Si vero secus locum intelligat, *intra arundines*, gummium modo, concretum colligi Saccharum fateatur, oportet. Quod si fecerit, per Deum immortalem oro, quomodo id quod in arundinib⁹ ita concretum est, ex iisdem resudare poterit? Nec Strabonis locum ad suæ opinionis, sane falsissimę, confirmationem conducere sibi persuadeat, quod in eo de alterius generis veterum Saccharo, *vt e sequentibus clarius patebit*, Strabo loquatur. Vt sole meridiano clarius sit, Matthiolum nullo prorsus veterum auctorum testimonio fretum, Saccharum hoc primi generis lacrymam esse, quæ ex arundine exsudet, adstruere. Alter huius calumniatoris error est, quod ex rore saccharum concrescere non possit, sed a sole calefactum, rarefactumq; in auram euanescat, magna pertinacia contendat. Neq; enim Dioscorides, Galenus, Aphrodisæus, neque vllus aliorum veterum vnquam dixit, *Saccharum a sole fuisse discussum, & in auram euanuisse, sed potius ab eo coactum & concretum fuisse.* Sed quid multis opus est verbis, quum Matthioli proteruitas, suis ipsius verbis tum edoceri, tum euinci possit? Nam is mannam arborum foliis in Calabria inhærentem, a sole tactam non euanescere, expressis fatetur verbis, dum *libro primo suorum in Dioscoridem Commentariorum* in hunc scribit modum: *In Calabria, vbi laudatissima est, manna in rorem breui temporis curriculo coalescit, grumosaq;, gummi in modum efficitur*: Ibidem quoque *mannam illam minutis granulis, instar Mastichis constare tradit.* Nec certe fieri potest, vt in opacis locis, quod ipse ex incolarum narratione falso adstruit, in eam duritiem concrescere queat: sed vt a sole fiat, *quemadmodum omnes veteres & probati auctores docuerunt*, necesse

Marginalia (left): Saccharū veterum duplex. Primum. — Mel arundineum. Sal Indus. — Matthioli errata duo. I. — II.

Marginalia (right): A — B — C — D — E — F

A neceſſe eſt. Non tamen inficias eo, vt roris aliqua ſaltē pars in auram euaneſcat, maior
Simile.
tamen eius pars ſemper in grumos coaleſcit. Qua de re minime mirandum eſt, quan-
doquidem idem fere quotidie in luto euenire conſpiciamus. Nā eiuſdem partes liqui-
das, priuſquam dureſcat, in auram euaneſcere nemo nō videt. Præterea cur ſaccharum
veterum primi generis ſuper arundines concretum fuiſſe haud adſtrueremus, idq; ve-
terum auctoritate freti, quum noſtrum & id quo nunc paſſim vtimur, etiam in loco hu-
mido liquefactum, a ſole concreſcere & indureſcere omnibus conſtet. Mirum igitur
eſt, cur Matthiolus non ſecum reputarit, mendacem oportere eſſe memorē. Ita enim
ſibi non tam impudenter contradixiſſet, ſed cur nunc ſecus atq; olim ſentiat potius in-
dicaſſet. Verum eius tanta eſt inconſtantia, & in alios inuehendi libido, vt præ iis quid
B dicat parum curet, modo aliorum ſententias perſtringat, & eaſdem pro erroribus tra-
ducat. Hanc vero eius inconſtantiam Franciſ. Alex. *fol. 12.* iis verbis notare voluit: *Mat-*
thiolus, inquit, *ſe aliter olim ſenſiſſe confeſſus non eſt, nec mutatæ opinionis veniam popoſcit, ac ſi eius*
ſapientiæ ratio, eiuſq; doctrina ea ſibi dignitatis inſignia adoptauerit, vt more Gnatonis Terentiani,
nutet ac fluctuet, & rem ſe dignam facere polliceatur. Hæc ille. Sed de primo genere Sacchari
Alterum Saccharum veterum.
veterum ſatis. Alterum Sacchar veterum, ſeu vetuſtiorib. ſcriptorib. cognitū, ex arun-
dinibus quibuſdam, vel ex earundem radicibus exprimebatur, eoq; tum veluti liquido
melle tum in cibo, tū in potu vtebantur. Hinc eſt, q̃ a nonnullis Mauritanis Mel cannę
Mel cannæ
ſit nominatū. Ex Ægypto, & India maxime afferebatur. Id genus aūt Sacchari veterib.
fuiſſe cognitū, in primis Narbon. Varro. verſiculi ſole clarius docent, q̃ ſunt huiuſmodi.

C

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeunt ſucco contendere mella.

Lucanus inſuper, quem C. Cæſare, & L. Cæſiano conſulibus natum eſſe conſtat,
tertio Pharſaliæ eius Sacchari meminit, ita canens:

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.

Statius præterea Papinianus, qui Neruæ Imperatoris temporibus claruit, de eo-
dem *lib. 1. ſuarum ſyluarum*, ſic ſcriptum reliquit:

Et quas percoquit Hypaſita cannas.

Strabo quoq;, quem ſub Octauiano celebrem fuiſſe conſtat, *lib. 15.* non ſolū arundi-
D nes illas exprimi, ſed & decoqui ſolitas fuiſſe memoriæ prodidit, in eū ſcribēs modum:
Eratoſthenes arborum radices, præſertim magnarum arundinum, & natura, & decoctione dulces eſſe
tradit. Et rurſus ibidem, vbi de eodem Eratoſthene ita ſcribit: *Dixit etiam arundinem mel*
ſine apibus gignere. Solinus deniq;, qui Plinii contemporaneus fuit, *c. 65.* de India ſcribens,
inter alia ita ait: *Quæ paluſtria ſunt, arundinem creant ita craſſam, vt fiſſis internodiis, lembi vice*
vectitet nauigantes. E radicibus eius exprimitur humor dulcis ad melleam ſuauitatem. Quinetiam
Gal. qui ſub Antonino Cæſare, iis iuniore, vixit, arundinum illarum in Ægypto naſcē-
Saccharum noſtrum a Saccharo veterum alterius generis, ſaltem genere non differt.
tium dulcium, vnde melleus ille humor exprimebatur, *lib. 4. de ſimpl. med. facul. c. 14.* me-
minit, inquiens: καὶ τῶν καλάμων αἱ μαλακαὶ ῥίζα. Quo quidem in loco interpres Gaudanus,
maximo errore, *maluarum*, pro *arundinum* conuertit. Nō eſt enim veriſimile, Galenum
E taſium rerum diligentem & ſolertem indagatorem, Saccharū ſiue melleum liquorem
Iulii Cæſaris, Varronis, Neruæ Imperatoris, & aliorum ætate notiſſimum ignoraſſe.
Quum itaq; Sacchar veterū alterius generis, ante Galeni quoq; tempora notiſſimum,
vt oſtendimus, fuerit, dubium non eſt, quin ille eius loco prædicto mentionem fecerit.
Manifeſtum inſuper eſt, quod ab eodem, Saccharum, cuius hodie in Seplaſiorum offi-
cinis, & paſſim vſus eſt, & more Mauritanorum Zuccarum appellatur, genere non dif-
ferat. Vt enim veterum Saccharum alterius generis fuit arundinum ſuccus, ita quoque
noſtrum, earundem ſuccus exſiſtit. Differunt tamen inter ſe aliqua ratione, quod vete-
res Saccharum ſuum magna ex parte ex arundinibus expreſſerint, licet interdum et-
iam decoquendo, *vt ex Strabone & Statio monſtratum eſt*, extraxerint. Noſtrum vero de-
coctione tantum efficitur. Siquidem Sacchari arundines minutim conciſæ ignis calo-
F re tantiſper decoquuntur, donec vniuerſus liquor, diu efferueſcens, igneq; conſumtus,
in Saccharum, ſalis modo, in vaſis fundo concreuerit, induretur que ac dealbetur. Non
Priſci decoquendi Sacchari rationem non ignorarunt.
eſt autem, cur quiſpiam exiſtimet, priſcos hanc decoquēdi rationem ignoraſſe, quod
illa etiam vſos eſſe paulo ante oſtenderimus: ſed de induſtria, q̃ ille ſuccus expreſſus iis
ſuauiſſimum potū præberet, eo vti noluerunt. Maluerūt igitur eo liquore, ob melleam

eius ſuauitatem, pro potione vti, quam ignis calore, vt hodie fieri ſolet, ad ſalis conſi- A
ſtentiam ac duritiem decoquendo deducare. Poſtquã vero ſpes lucri quotannis arun-
dines incidere, adeoque artem modumq; quo liquor ille iis ipſis prius minutim conci-
ſis, ac deinde decoctis, ad ſalis cõſiſtentiam redigere Indos docuit, veriſimile eſt, quod
ſpe lucri allecti, ſucco expreſſo pro potu vti deſierint. Aut certe quum ſuccum illum in-
corruptum in alias, & maxime diſtantiores, regiones transferre haud potuerũt, in eam,
qua hodie affertur, formam redigere voluerunt. Proinde quum Saccharum veterum
alterum, & noſtrate ex eadem arundine, *vt monſtratum eſt*, colligantur, vt inter ſe diffe-
rant genere, fieri nequit. Differunt autẽ hac ſolum ratione, *vt dictum eſt*, quod noſtrum
ſolum arte & igne præparetur, adeoque artificiale ſit, veterum vero interdum expreſ-
ſum, aliquando vero decoctione elicitum & extractum, adeoque naturale & artificiale B
Matthioli calumnia depulſa. fuerit. Sed hic Matthiolus noſtram, vt caper vitem, arrodit ſententiam: neque enim ob
immenſam ſuam reprehendendi libidinem alios perpetuo pungere non poteſt: atque
veterum & noſtrum Saccharum idem nequaquam eſſe, ſed inter ſe differre, hoc argu-
menti genere probare conatur. *Saccharum veterum*, inquit, *Galeno & Paulo teſtibus*, ἀδιψῶδες,
id eſt, *non ſiticuloſum eſt: noſtrum vero Saccharum contra ſitim affert, vt experientia docet*, *quare
vt inter ſe eadem ſint, fieri non poteſt*. Sed non videt homo ille, totus ad calumniãdum com-
paratus, prædictos auctores Saccharum ſuum non ſimpliciter ἀδιψῶδες dixiſſe, ſed colla-
tum potius cum melle. Quod dicimus, eorundem verba diligentius expenſa, ſatis con-
firmant, & omnium maxime Auicenna, qui *lib. ſui Canonis 2. cap. 757.* illorum ſententiam
diſerte explicans, ita ſcribit: *Saccharum antiquorum, minorẽ quam mel ſitim efficit*. Quapro- C
pter iam citati auctores Saccharum non ſimpliciter, quaſi omnino non excitet ſitim,
ſed quod perinde atque mel, ſitim nõ efficiat vehementem ſignificarunt. Et quid opus
eſt verbis multis? mel vehementiorem Sacchari excitare ſitim, experiẽtia quotidiana
Sacchari noſtratis delectus. docet. Ceterum quum Saccharum, quod hodie decoctione paratur, non ſolum in me-
dicum vſum, verum etiam in culinariũ expetatur, vt fere cibus nullus in deliciis ſit, niſi
Saccharo conditus fuerit, præſtat vt de ipſius delectu aliquid dicamus. Quum enim il-
lud, quo plus coquitur, eo magis purum, & elaboratius fiat, cãdeſcat & dureſcat: coctio
namque depurat, defecat, & cogit: ideo ex multiplici coctura, diuerſos quoq; bonitatis
gradus recipit. Quum enim *primum* coquitur, adhuc quidem lentum & fœculentũ eſt.
Deinde vero, ſemper magis atq; magis defecatum, durius, ac ſolidius fit, donec ad boni- D
tatis faſtigium peruenerit, ac perfectionis finem cõſecutum fuerit. Hinc eſt, quod illud
Finum Saccharum. hodie *finum* appellent, puriſſimũ & prẽſtantiſſimũ, nomine a fine mutuato, quia cando-
re, duritie, ac ſuauitate ad finem bonitatis peruenerit. Infimum vero, & ab hoc prorſus
euarians lentum, humidum, nigritans, inſuaue, fœculentum, & primæ decoctionis no-
minatur. Inter hæc duo extrema, duo quoq; ſunt media, alterũ quidẽ infimo proximũ,
Optimum Saccharũ. *ſecundæ decoctionis*: alterum vero ſummo, *tertiæ decoctionis* dictum. Quid multa? quanto
diutius excoquitur, tanto cãdidius, ac durius fit Saccharum. Saccharum itaq; noſtrum
præſtantiſſimum eſt, quod durum, ſolidum, & mutuo metarum alliſu ſonorum, ligni ſicci
& ſolidi inſtar, exſiſtit: tamẽ ob ſiccitatem & imperceptam raritatẽ leue, dulciſſimum,
Valentinũ. candidiſſimum, & niuis in morem ſcintillans, cohærens: quale Valẽtinum in metas py- E
ramidum æmulas coactum, paruas, ponderis libræ vnius & dimidię, cariſſimum, & con-
Madere. fectionibus ſiccis aptiſſimum. Illi dotibus, & pretio eſt proximum, quod *Madere* vel *Me-
dere* appellant: ſed in metas ponderis librarum 6. 7. 8. 9. & decem formatur confectio-
nibus expeditum. Affertur ex Canariis in ripa fluminis Nigui nunc dictis *inſulis*, olim
Fortunatis, etiã intus albicans, bonitate prædictis inferius, metis conſtans maximis pon-
dere librarum 10. 12. Ignobiliſſimum foris albidum, intus ſubrubrum, tanq̃ alio fartum,
& foris dolo tectum, metis æqualibus, omnium glutinoſiſſimum: condituris ſiccis ine-
ptum, liquidis ſeruit, Serapiis ſcil. conſeruis vocatis, & ſimilibus. Saccharum, quod purius
Finum. Rubrum. & candidius eſt, officinæ *Finum*: quod vero minus eſt expurgatum, *rubrum* nominant.
Sanguis draconis. *Sanguis draconis* recentioribus Græcis vocatus, legitimus, non eſt, vt quibuſdam videtur, F
niſi liquor cuiuſdã arboris in Africa naſcentis, colore ſanguinis, pellucidus, leuis & fra-
ctu minime cõtumax, vi eadem, qua lapis *Hæmatites*, præditus. Siquidẽ arbor hæc ſcari-
ficata liquorẽ emittit ſanguineum, quẽ inſtar gumi denſatũ e cortice abradunt incolæ.
Quod abunde confirmant ea, q̃ Aloiſius Cadanuſtus Venetus *c. 4. ſuæ nauigationis* ſcribit
inquiens:

A inquiens: *In inſula Sancti portus dicta, ſanguis draconis reperitur, qui liquor eſt cuiuſdam arboris. Nam ſtato anni tempore incolæ arbores ferro ſauciant, corticeſque earundem incidunt, qui ſequenti anno liquorem gummoſum emittunt, colore puriſſimi & ſumme naturalis ſanguinis, quem colligentes ahenis igni, reſinæ modo decoquunt, ac defecant, ſanguinemque draconis nominant. Lignum quoque eiuſdem arboris in fruſta conſectum incolæ decoquunt, liquoremque inde collectum igne aut ſole denſant.* Porro liquorem hunc Africanum iidem non niſi *Dioſcoridis Cinnabarin* eſſe dicunt, quod illa olim ex Africa, perinde atque is liquor Africanus, allata ſit, & quod pictorum in vſum veniat, in ducendis purpureis, & rubris vmbris pauca quantitate, & quod Hæmatiti facultate ſimilis ſit. Verum etſi non admodum relucter, quin illis concedam, *ſanguinem Draconis* officinarum, eſſe *liquorem Africanum*, tamen mihi nondum
B perſuadere poſſum, eundem eſſe *Dioſcoridis Cinnabarin*, quod is hanc inter metallica recenſeat, adeoque foſſile potius aliquid, quã liquor arboris eſſe videatur. Accedit, quod is ſanguis draconis nõ magni conſtet, ſed vili ſatis pretio vẽdatur, & haud exigua quantitate afferatur. Quare mihi animus in eam magis inclinat ſententiam, vt credam officinarum ſanguinem draconis, aut eſſe liquorem illum Africanum, aut eum, qui ex herba illa, quæ hodie vulgo dicitur *ſanguis draconis*, exprimitur. Ceterum in nonnullis Serapio Mauritanus maximo errore ſanguinem hũc Draconis, *Syderitidis Achilleæ herbæ ſuccum* eſſe memoriæ prodidit. Qua de re copioſe *tomo noſtrorum de Stirpium hiſtoria cõmentariorum primo, in hiſtoria Achilleæ* diſſeruimus. Plinius quoque non minori errore hanc ſaniem ſiue ſanguinem ex draconis pugna cum elephãte eliſum & cõmixtum putauit,
C vulgi ſecutus opinionem: quod liquorem illum, qui intento nec diluto ſanguinis inſtar colore præditus eſt, ſanguinem animantium falſo eſſe credidit. Atque hinc eſt, quod veterem appellationem a vulgi opinione natam recẽtiores ſubinde Græci retinuerint, & Seplaſiæ in hodiernum vſque diem, quod in picturis proprie ſanguinem reddat, *ſanguinem draconis* vocent. Officinis medicorum tertium ſanguinis draconis genus etiam proſtat, factitium & adulterinũ, quod ex hircino ſanguine, bolo Armeno, & ſucco ſorborum diutius inſolatis conſtat: & globi, compreſſi tamen & nõ aſſurgentis, forma paratur. Hoc præſtat abſtinere, & prioribus duobus, vtpote natiuis & legitimis, vti.

Serapionis error.

Plinii erratum.

Sanguis draconis factitius.

Thapſiæ liquor, herbæ ferulaceæ. Thapſia.

De lacrymis. Cap. XI.

D

Lacryma, quæ a Græcis δάκρυον dicitur, humor eſt *ex ſtirpe ſua ſponte defluens, ac Gummi modo concreſcens.* In officinis autem medicorum, ſequentium maxime lacrymarum vſus eſt, quarum exactam notitiam habere pharmacopolas oportet, quod non deſint mangones & impoſtores, qui eas adulterent, ac vitient. Lacrymæ quid.

Bdellium lacryma arboris eſt Saracenicæ. Optimum eſt carens cortice, ligno, ſordibus, translucens & clarum, guſtu amaro, intus pingue, & ſi tactu ſubigitur molleſcit. Scythicum, *Galeno teſte, reſinoſius, atrius, emolliens magis.* Arabicum, *reſinoſum, lucidum, liueſcens.* Indicum, *ſordidum, nigrum, grandioribus glebis in offas conuolutum.* Adulteratur gummi, & id quidem minus eſt amarum, & minus ſuffitu odoratum. Quapropter quum
E Bdellium officinarum amarum non ſit, & accenſum gummi odorem referat, dubium non eſt, quin adulteratum ſit.

Bdellium. Scythicum. Arabicum. Indicum.

Cancamum lacryma eſt Arabicę arboris, Myrrhę quodammodo ſimilis. *Lacha* Actuario, Arabibus & Seplaſiis *Lacca* dicitur, id quod ex collatione Serapionis & Dioſcoridis liquido patet. Ceterum Lacha, quæ paſſim in Medicorum officinis proſtat, neque eſt Dioſcoridis, aliorumque Græcorum *Cancamus*, neque Serapionis *lacca*, quod ſcilicet odore prorſus careat, neq; cum Myrrha vllam affinitatem habeat. Vt maiorem in modum hallucinetur Matthiolus, qui nos Dioſcoridis Cancamo non omnino deſtitutos eſſe putat. Errat etiam, quod Cancamum, & Laccam Arabum inter ſe non differre ſomniat. Si enim Cancamum, *vt paulo poſt dicemus*, grato odore ſpirat, quomodo rogo A-
F rabum Lacca, quæ ſapore, *vt Matthiolus fatetur*, ingrato eſt, eſſe poterit? Tres autem res Lachæ appellatione veniunt. Vna, *quæ eſt veterum Græcorum Cancamum, Arabici ligni lacryma, myrrhæ quodammodo ſimilis, vt diximus, boni odoris: ſic enim in Dioſcoride conuertẽdum erit, vt in quo falſo* βρωμῶδες, id eſt, *viroſi odoris, pro* εὐῶδες, *legitur, quod hanc lectionem non ſolum Paulus, qui habet* εὐῶδες, *verum etiam Serapio, qui conuertit, habens odorem bonum, hodie ignorata.*

Lacha. Lacha triplex. 1.

Altera factitia, *quæ Venetiis, & aliis locis e cocci seu grani tinctorum, & Bersilii fece, qua maxime pro conficiendo colore rubro obscuro vtutur pictores, paratur.* Tertia, *ex qua ruber fit color, qui vulgo Carmesinus appellatur. Hæc tinctoribus est expetita, ideoque a Nicolao Myrepsio in antidoto e lacco, infectorum lacca, Arabibus rubra lacca nominatur.* Roris modo supra arborum surculos insidet, præsertim mespili, & coalescit in gummi. Quod confirmat Ludouicus ille Romanus *lib. 6. suæ nauigationis c. 21.* vbi sic scribit. *Mittit etiam ea regio Laccam, vnde conficiunt rutilum colorem. Gignitur hæc in arbore Iuglandibus nostris haud absimili. Infectores floccorū purpuræ eam macerant, vt colorem ebibant lanæ, & quod remanet lacca dicitur. Hoc autem modo solet elui. Ramuli & frutices, qui illo scatent gummi, feruente aqua, in qua aristolochia & iuncus odoratus inferbuerint, resperguntur: & pistillo subiguntur: dein aqua, quum sidunt, emittitur.* Quæ certe omnia ex Isaac cuiusdam sententia Serapion recēset, adeoq; inter se Cancamum, quæ lacryma est, & tertiam laccæ speciem, quæ gummi est, vulgoq; Arabes sectanti *Charmes & Chermesim* appellatur, ex quo floridus ruber fit color, qui *Charmesinus* nuncupatur, miscuit & confudit. Vt Arabum doctrina nihil sit confusius & incertius. Est tamē præter hoc Serapionis Charmes tertium & nouum Chermesinum Arabib. ignotum, quo hodie puniceo & purpureo colore serica stamina inficiuntur, bacca exigua herbarum, maxime Pimpenellæ radicibus adnascens, *de quo supra*, vbi de tinctorio grano egimus, multa a nobis dicta sunt. Hoc loco me immerito pungit Matthiolus, quasi parum recte Charmesinum esse laccæ colorem, quo panni rubri inficiuntur putauerim. Siquidem ea in re Serapionem auctorē secutus sum, qui huiusce laccæ infecturam *Chermes* vocat. Sed verba Matthioli subiiciam. *Verum,* inquit, *Fuchsius se auctoritate Serapionis tueri non potest, quod proprio capite de Chermes, per Chermes nihil sane aliud intelligat, quam Coccum infectorium Dioscoridis. Quo fit vt existimauerim in eo capite de lacca omnino subesse mendam, vel auctoris, vel interpretis.* Hæc ille. Si subesse mendam putauit Matthiolus, cur non in Serapionem, aut eius interpretem, cuius ego verba retuli, potius quam in me errorem illum transtulit: præsertim quum met ipse hæc ex Serapione verba referat, inquiens: *Coquitur hæc & inficiuntur inde panni rubeo colore, quam infecturam Chermes vocant.* Atque placuit sibi vt Fuchsium præ reliquis omnibus tanquam creberrime hallucinantem traduceret. Sed quo candore id fecerit, omnibus notum esse arbitror, qui in lectione Arabum paulo diligentius versati sunt, vtpote quibus satis constat, illis duplex esse Chermes. Vnum quidem, *quod simpliciter Chermes, vel granum quo panni tinguntur, dicitur.* Id profecto non est nisi Dioscoridis κόκκον βαφικὸν, id est, *granum tinctorium.* Alterum est, *rubra laccæ,* vt diximus, *infectura.* De vtroque, diuersis tamen in locis Serapio agit. Quum igitur vtrunque Serapioni Chermes nominetur, parum candide fecisse Matthiolum constat, quod me reprehenderit propterea, quod colorem eius laccæ rubræ, quę tenuibus lignorum surculis inhæret, Serapionem secutus *Chermes* appellauerim. Cur enim mihi non licuisset Arabum verba bona fide referre? Amatus Lusitanus tertiam hanc Laccam non in arboribus coalescere scribit, sed apud Indos, quum terra vel pluuia, vel arte plus iusto irrigatur, formicas alatas ligna quædam gracilia ab incolis sic disposita in altum conscendere, & in iis laccam generare, & hac de caussa in lacca ligna inueniri. Quæ si vera sunt, lacca non est, nisi, si Diis placet, formicarum alatarum stercus, & Arabum doctrina nihil vanius erit. Sed nihil dubitamus hoc esse Lusitani figmentum: est enim homo ille in effingendis eiusmodi fabulis exercitatissimus. Cuius rei fidem faciant eius Centuriæ, quæ fabulis sunt refertissimæ, & Luciani dialogis similes.

[Margin: Charmes. Serapio Cancamū & Laccam confundit. Charmesinus color. Arabū doctrina confusa.]

Hederæ lacryma in caudice aut trunco interdum concrescit. Hæc *Dioscoride & Galeno testibus*, Psilotrum est, & illitu pediculos necat. Quapropter quod in officinis sub hoc nomine venditur, minime legitimum est, sed plane spurium & adulterinum: quod gustu neque mordax sit, neque calorem præ se ferat, tantum abest, vt Psilothrum esse possit. Hic vero error facile ex officinis explodetur, si modo Pharmacopœi ex ipsa potius Hedera lacrymam decerpere, quam a dolosis mercatoribus hanc comparare velint.

[Margin: Hederæ lacryma. Gummi Hederæ officinarum non est legitimum.]

Myrrha arboris Arabicæ est lacryma. Probatur recēs squalore & situ obducta, leuis, tota concolor, & quæ confractas vnguiū modo, & lęuas venas ostendit, glebis minutis, amara, acris, odorata. Omnibus antefertur *Troglodytica*, subflaua, perlucida, mordax, odoris gratissimi, nullo vitiata liquore. Post hanc secunda est tenuis, Bdellii modo facile sub digito mollescens, odore grauiuscula. Mala, nigra, grauis, retorrida, præter modum exsoleta,

[Margin: Myrrha.]

A exsoleta, quę *Caucalis* dicitur. Vera inuentu rara est. Nam in optima Myrrha, Galeno *libro 1. de Antidotis teste, Opocalpason*, quod lethale est, de industria a nonnullis eorum, qui eam præparant, admixtum inuenitur, ab optima myrrha diuersum. Propter quod, & alia, Myrrhæ vsus parum tutus est. Officinarum Myrrha videtur esse omnium pessima, ea nimirum, quæ *Caucalis* vocatur.

Myrrhæ vsus parũ tutus.

Myrrha officinarum.

Myrrha stacte, id est, stillatitia, non est, nisi expressa recentis Myrrhæ pinguetudo. Siquidem ex Myrrha recente pingui, & solo lætiore nata largior exsudat ac stillat: dein cum aqua pauca tunditur, ac tandem machina exprimitur, colore pallido, amaritudine præcipua, odoratissima, pretiosissima, minima portione efficacissima. Arabibus & recentioribus *Styrax*, vel, *vt ipsi loquuntur, Storax*, liquidus appellatur: id quod ex historia vtrorumque auctorum tum Græcorum, tum Arabum, facile patet. Qui in officinis pro B stat sub *Styracis liquidi* nomine, quum teterrimo propemodum sit odore, legitimus aut syncerus esse nequit. Quid vero sit, infra indicabimus. Ex Arabum namq; & recentiorum traditione tres sunt Styraces. Vnus liquidus, *qui non est nisi, quod iam diximus, Myrrha stacte*. Alter rubeus, *qui nihil aliud est quam exterior cortex fuscus & aridus, qui post lacrymam subactam & expressam remanet, quod Serapio ipse confirmat*. Tertius est *lacryma, quæ ex Styrace arbore exsudat, de qua infra disseremus*.

Myrrha stacte. Styrax liquidus. Styrax liquidus officinarũ. Tres Styraces. Liquidus. Styrax rubens. Styrax lacryma.

Oleæ Aethiopicæ siue syluestris lacryma officinis, vt Hederæ, inter gummi recensetur, & corrupta voce iisdem *Gummi Elemi* nominatur. Nam oleæ vox primum in *elea*, postea in *elemi* ab imperito aliquo Græcæ linguæ est detorta. Laudatur quæ Scammonio est similis, C fulua, stillis exilibus constans, mordax. Quare videntur officinæ vera oleæ, vel vt ipsæ nominant, *Elemi*, lacryma carere: quod cum Scammonio nullam habeat similitudinem, nec rufa sit, nec gustu mordax. Non recte etiam in gummi genere, sed verius resinarum numero censetur, quum igni imposita colliquescat & diffundatur, quemadmodum aliæ resinæ. Ceterum *gummi Elemi* vocati vires apud Chirurgicos, & vulnerarios medicos in sanandis caluariæ fracturis præstantes sunt.

Gummi Elemi. Gummi Elemi officinarum adulterinum.

Resina lentiscina, id est, *Mistiche* officinis *Mastix* nominatur: laudatissima, fulgore quodam ignis splendida, candore ceræ Tyrrhenicæ, ampla, retorrida, friabilis, stridens, friando odorata, minimum acris: *Chia*, hoc est, ex Chio insula. Deterior est viridis & nigra, *Aegyptia* aut *pontica* dicta, Bitumini nigredine similis.

Mastiche. Chia. Aegyptia.

D *Terebinthina resina*, ex terebintho arbore defluens, optima est alba, vel cœrulea, vel colore vitri, pellucida, odorata, & Terebinthum referens, subamara, asperæ arteriæ & ori mordax, liquida. Quapropter quæ pro *Terebinthina*, vel vt ipsi loquuntur, *Terpentina*, a Seplasiariis venditur, quod iam dictas notas non habeat, vera non est. Huic proxima est *Laricea*, ex larice arbore, cuius in Silesia magna est copia, manans. Qua certe in Terebinthinæ penuria vtendum esset pharmacopœis. Hodie autem *Abietina*, pro *Terebinthina*, a nonnullis officinis supponitur, nullo quidem errore, quum non sit Terebinthina multo inferior. Magna tamen ex parte *Laricea* pro *Terebinthina* vtuntur hodie in suis officinis pharmacopolæ.

Terebinthina. Officinæ Terebinthina destitutæ. Laricea. Abietina.

Colophonia, Dioscoride *lib. 1. cap. 78.* auctore, liquida e pinu & picea resina est sponte E manans. Hæc quia olim non ex omni loco, sed a Colophone maxime, Asiæ ciuitate, petebatur, Colophoniæ nomen sibi vendicauit. Ceterum liquida pinea resina veteribus duplex fuit. Vna quidem pura, & alienorum commixtione carens: quæ vtribus asseruabatur ac portabatur, *vt lib. 9. de Stirpium historia cap. 2. testis est Theophrastus*. Altera impura quæ scilicet ligna & lapidosa corpora in se habuit. Hanc Galenus *lib. 3. de compositione medic. generalium*, *συγκομίσιν*, quod in figulinis, fictilibus amphoris seu doliis impura aduehe retur, vocat. Hinc est, quod eandem multis in locis suorum monimentorum Resinam *ἐκ τῶν κεραμίων*, id est, *ex fictilibus* appellet. Nam *κεράμιον* Græcis *fictile* significat. Cruda vero & liquida resina, *Plinio lib. 24. cap. 6. teste*, raro vsi sunt Medici, quod coctam & vstam magis vsurparent. Fit enim per coctionem ac vstionem resina arida & friabilis, quod mani-F feste Dioscorides *lib. 1. cap. 78.* & Aetius *lib. 1.* testantur, vbi vterq; coquendi & vrendi resinam modũ docet. Hac autẽ ratione coctam & vstam resinã, Græci *φρυκτὴν*, hoc est, *frixam & tostam*, vocauerunt. Nec ei, quod iam diximus obstat, quod Galenus *lib. 3. de comp. medic. generalium, c. 2. & 4.* *φρυκτὴν* appellat eam, quæ eliquata percolatur & purificatur. Nã priusquam resina torretur, vt eliquata percoletur, necesse est, *Dioscoride etiam teste*: vt scil.

Colophonia. Liquida pinea resina duplex. *συγκομίσιν.* Resina ex fictilibus. Resina frixa & tosta. Obiectio diluitur.

quod in ea sordidum ac lignosum est, secernatur ab eo, quod purum est. Quapropter A
tosta coctaque esse nequit resina, nisi antea depuretur, vt rectissime Galenus puram & tostam eandem esse putauerit, quemadmodũ impuram & minime tostam itidem inter se haud differre putauit. Quod euidentissimum fit ex iis, quæ *lib. 2. iam citati operis* scribit, inquiens: ῥητίνη δ' ἡ ἐκ τῶν κρεμμίων ἀκάθαρτός τε καὶ ἄφρυκτος. Proinde nihil refert, vt comprehensum est, vtrum impuram minimeque percolatam, aut non tostam frixamue dixeris resinam: quod iis omnibus nominibus res vna duntaxat significetur, nec frixa fiat resina, nisi prius repurgetur. Hoc vero modo tostam frixamq; resinam, *vt etiam Gal. lib. iam citato memoriæ prodidit*, nonnulli, etsi falso, *Colophoniam* appellauerunt. Qui profecto error ad hæc vsque secula nostra dimanauit. Nam in hodiernum vsque diem frixam & tostam resinam officinæ medicorum *Colophoniam*, *& Græcam picem* nominant, picis nomine abutẽtes. Siquidem veteres, quod ex viuentibus & nondum præsectis arborib. destillat, resinam dixerunt. Quod autem ex incensis pinguissimis harum arborum lignis in furno effluit, picem liquidam vocauerunt. Seplasiæ hodie *naualem picem* nuncupant, quod ea ad obturandas naues vtantur. Distat autem a Zopissa Dioscoridis, vt quæ sit resina cum cera nauibus derasa. Ceterum liquida pix decocta in siccam coit, quam Dioscorides παλίμπισσαν, hoc est, *bis picẽ*, nominat. Vera aũt Colophonia, peculiaris fuit resina, Mastichæ similis. Quod euidẽtissime testatur Gal. *lib. 7. de Compos. med. gen.* in hũc scribens modum: ἐπὶ δὲ τὴν πευκίνην καὶ φρυκτὴν ῥητίνην εἰώθασι καὶ κολοφωνίαν ὀνομάζειν. εἰσὶν, ὅτι καὶ ἄλλη τις ἐστὶ κολοφωνία παραπλήσιος τῇ χίᾳ μαστίχῃ, μαλακτικόν ἔχουσά τι: *Consueuerunt pineam, & frixam resinam, etiam Colophoniam nominare.* Sciendum vero, quod & alia quædam est Colophonia, Mastichæ Chiæ similis, emolliendi aliquam habens facultatem. Quam quidẽ Galeni sententiam Plinius quoque *lib. 14. c. 20.* confirmat, ita scribens: *Colophonia resina præter ceteras est fulua, si teratur, alba fit, grauior odore, & ob id ea non vtuntur vnguentarii.* Ex quibus palam fit, veteribus triplicem fuisse Colophoniam. Vnam *pineam & piceam, ex Colophone allatam.* Alteram *resinam eandem, sed tostam ac frixam, qualis est etiam hodie, quæ hoc nomine in officinis Medicorum prostat.* Tertia vero & peculiaris, *quæ Mastichen referebat, quæ hodie est incognita.*

(Margin: Resina tosta falso Colophonia nõminata. Græca pix. Resina proprie quid. Pix proprie. Zopissa. Pix sicca. Colophonia. Colophonia triplex veteribus.) B C

Sarcocolla arboris Persicæ lacryma, pollini thuris similis, rufa, emplastica, subamara, sine morsu siccans. Valentior est flaua, quam alba: & quo amarior, eo melior. Quapropter quæ amara non est, haud dubie adulterium sensit. Sarcocollam autem Græci hanc lacrymam dixerunt, quod *sicuti glutinum lignum, ita hæc sauciatam, exulceratamq; corporis carnem agglutinat.* D

(Margin: Sarcocolla.)

Styrax lacryma arboris Syriacæ. Probatur flauus, pinguis, resinosus, albicantibus grumis, acer admodũ & amarus, odoris bonitatẽ diu seruans, & qui subactus melleũ liquorem reddit. A Gal. *lib. 1. de Antidotis*, *Calamitis*, quod olim in calamis & arundinibus ex Pamphilia adueheretur, dictus est, & reliquis præstantior fuit. Atque hinc est, quod in hodiernum vsq; diem vsitatum sit medicis, vt *Styraci* semper *Calamitæ* nomẽ adiungant, præstantiorem significare volẽtibus. Hic reuera liquidus fuit, & dicebatur, quanquam diuersus ab eo, qui ita Arabibus nominatur. Hodie adferri desiit. Hallucinatur igitur plurimũ Dessennius, qui impudenter scribere ausus est, *quoties simpliciter effertur Styrax, Calamiten siue aridum intelligendum.* Optarem hunc hominem paulo tardius scribendi prouinciam, donec maturuisset iudicium, suscepisse. In errore quoq; versatur Matthiolus, qui *illum liquidum fuisse* negat, quemadmodum copiose *in 3. nostrorum de stirpium historia Comm. tomo* demonstrauimus. Hic in candicantes & rufescentes grumos seu micas concrescit, & Galeno siccus dicit. Huic Calamitæ Styraci interdũ liquida resina & oleum additur, vt liquidior factus magis redoleat, & viliori pretio vendatur: qualis est, qui in officinis Medicorum sub Styracis liquidi nomine hodie prostat. Porro exterior cortex, qui post lacrymam expressam remanet, Arabibus, *vt ex Serapione constat*, Styrax fucus dicitur. Et hoc etiã nomine Seplasiis hodie appellatur. Iisdem quoq; *rubeus Styrax, & Thymiama* nominatur, quod scil. Papisticæ religioni addicti, eo in suis templis ad suffumigãdas aras diuorum vtantur. Thus lacryma est arboris Arabicæ, officinis nõ sine risu eruditorũ, Græco articulo adiecto, *Olibanus* vocatur. Laudatur pingue, albius. Quod *fœmininum* appellãt, resinosum magis est, ac molle, cito ardens. Quod masculum, primum albicat, tandem etiam rubescit & flauescit. Mannam vero thuris ex magnis fasciculis glebisue exiguas thuris micas, cõcussu, motuq; elisas, a thure læuigato diuersas, cum fragmentis quibus- E F

(Margin: Styrax calamites. Dessennii error. Styrax siccus Galeni. Styrax liquidus officinarum. Styrax siccus Arabũ, & officinarum. Styrax rubeus. Thymiama. Thus. Masculum. Manna turis.)

A quibusdam exiguis corticis thuris, nominant. Nam, *vt Galenus lib. 4. de compos. medic. generalium, ca. 4.* testatur, fragmenta quædam exigua corticis thuris ipsi mannæ inhærent; a quibus exiguum quiddam adstrictionis assumsit; qua quidem ratione a thure differt, vtpote quo magis adstringat, id quod *libro 3. Thera. methodi* confirmat Galenus, vbi mannam συντικώτερον εἶναι φάρμακον τοῦ λιβάνου, diserte scribit. 1

Tragacanthos, tragacātha, vel *tragacanthum*, lacryma est, *Dioscoride teste*, quæ radicibus vulneratis emanans, concrescit. Officinis, corrupta nonnihil voce, *Dragagantum* appellatur, & perperam ab iisdem inter gummi genera numeratur. Laudatur *Tragacantha alba, pellucens, gracilis, læuis, syncera, subdulcis.* Quæ vero est antiquata, magis primum pallescit, dein rufescit, tandem etiam flauescit: fitque hæc annis amara, ob idque calidior. Tragacātha.

B

De Gummi. Cap. XII.

GVmmi *est lacryma, in truncis arborum concreta.* Vsitata hæc quæ sequuntur, in officinis Medicorum sunt. Gummi Arabicū.

Arabicum gummi vulgo dictum, quod ab Arabia regione Aegypto contermina olim importaretur, ex Acacia Aegypti spina manat, in vermiculorum speciem contractum, vitri modo perlucidum. Veteribus *gummi* absolute, Galeno *Thebaicum*, aliis *Babylonicum*, a Babylone Aegypti Arabiam attingentis dictum. Quod in officinis prostat, non videtur esse legitimum. Nam sunt illi commixta varia aliarum arborum gummi, nec contractis vermiculis simile exsistit. Thebaicū Babylonicum.

Amygdalæ amaræ.

C *Cerasi*, quod tussi medetur vetustæ, visum exacuit, & calculosis auxilio est. Cerasi.

Iuniperi gummi veteribus non memoratur. Plinius tamen *lib. 13 cap. 11.* eius meminit, sed ad nihil vtile esse tradit. Contra recentiores Græci, Actuarius præsertim, & Nicolaus, crebro ipsius mentionem faciunt, & ad plurima esse vtile scribunt. De quo non est, cur quispiam miretur: fieri enim potuit, vt Plinii temporibus ignotus fuerit eius gummi vsus: ob idque contemtum, tanquam inutile iacuerit. Atqui tandem posterioribus Græcis cœptum est vti hoc gummi: ideoque eius facultates iisdem quoque innotuerunt, quæ priores latuerunt. Probatur *recens, perlucidum, pallidum*, dum veterauit, flauescit, & fit friabile, Mastiches modo, quam toto habitu multum mentitur. In vsu frequentiori tamen est scriptoribus & pictoribus, quam medicis, *vt mox fusius dicemus:* Iuniperi. Plinii locus enucleatus.

D vulgo *Vernix* nominatur. Sed ne ambiguitas hoc loco alicui imponat, animaduertendum duplicem esse Vernicem: vnam *sponte natam*, alteram *factitiam*. Sponte nata, est iuniperi gummi, quæ *solida & scriptorum Vernix* a nonnullis appellatur. *Solida* quidem, ad alterius differentiam, quæ liquida est. *Scriptorum* vero, quia ex hoc gummi puluis fit ad delinendas chartas aptus, ne bibulæ sint, & elegantiores appareant literæ. Eius enim farina superiecta, literis nitorem conciliat. Vernix autem hæc alio nomine Arabibus, maxime Serapioni, *Sandarax*, & *Rasi Sandaros*, recentioribus *Sandaraca* dicitur. Factitia vernix est liquida, & Germanis, allusione quadam ad Latinam vocem, Vernisz nominatur. Hæc gemina exsistit. Vna enim est, *quæ constat ex gummi iuniperi, & oleo, quod pressum lini semen remisit*, quanquam aliqui oleum e nucibus expressum, adiecta Vernix. Duplex vernix. Sponte nata. Solida. Scriptorū Sandarax. Factitia seu liquida.

E aloe vsurpant. Altera, *quæ ex succini reliquiis ad tornatilia opera inutilibus conficitur.* Quæ res nonnullis imposuit, ac erroris occasionem præbuit, vt vernicem eandem cum succino esse crediderint. Vtraque liquida pictores, & fabri lignarii vtuntur. Ea namque colores imbuti sic tinguntur, vt pertinacius hæreant, quam deleri facile possint. Hac etiam illustrantur picturæ, & ferro nitor conciliatur. Vtilis quoque ad ambusta, & efficax ad dolores & tumores hæmorrhoidum. Diuersa vero est vernix a vernigine, quæ Aristoteli *libr. 5. de animal. historia cap. 22.* & Varroni *libr. 3. de re rustica, cap. 16.* ἐριθάκη appellatur. Non est autem nisi apum opificium, *vt idem M. Varro testatur*, quo fauos extremos inter se conglutinant. Quod Plinius quoque *libr. 11. cap. 7.* confirmat, qui apum, dum operantur, cibum plenum humoris esse, & in fauorem inani- Vernix a vernigine distat. ἐριθάκη.

F tatibus sepositum inueniri, atque non tantum *Erithacen*, sed & *Sandaracam* vocari, scribit. Vernigo autem dicta est, quasi *vernus ros*, ex verno enim rore, *Plinio loco iam citato teste*, fit. Vt hinc palam fiat, plurimum errare eos, qui verniginem eandem cum vernice esse existimāt. Hallucinantur iidem, quod vernicem, quasi *vernum rorem*, vocatum esse putant, quod ex verno rore fiat. Id enim de vernigine, non vernice recte affir- Sandaraca. Vernigo vnde dicta.

matur: vt quæ non verno, vt *vernigo*, sed æstiuo potius tempore, recentiorum Græco- A
rum testimonio, e iunipero arbore sudat.

Pruni.

Pruni gummi, potum in vino, calculos frangere dicitur: & ex aceto illitum, infantium impetigines sanat.

De Corticibus. Cap. XIII.

CORtices vsitati autem hodie in Medicorum officinis sunt maxime, qui sequuntur.

Aranciorum cortex.

Aranciorum, aut rectius *auranciorum malorum*. De quibus *cap. 7.* diximus.

Casia.

Casia quo Cinamomo est similior, ac odore, ac gustu propior, eo est præstãtior. Tanta enim est Casiæ cum Cinamomo similitudo ac confinitas, vt, *auctore etiam in libro de Antidotis Galeno*, Casiæ ramuli in Cinamomum vertantur, & contra. Quod cognoscentes,
qui arbores illas excorticant, nullo discrimine vtrumq; corticem in fasciculos redigen- B
tes, ad exteros mittunt. Est autem inter Casiæ genera, quæ, *vt ex Dioscoride liquet*, complura sunt, optima, rufa, flauescensq;, rosam exspirãs, & vinũ olens, boni coloris, perquã angusta, longa, crassa, & fistulosa: nec linguam ita impense vt Cinamomum erodit, sed

Casia officinarum.

cum acrimonia quadam potius adstringit, & aromatum modo odora. Hinc omnibus perspicuum euadit, quod cortex, quo sub Casiæ nomine hactenus vsi sunt pharmacopœi, non sit vera Casia, quod nec gustu cinamomum referat, nec acris sit, nec odoratus. Sunt qui sarmẽta quædam & virgularum frustula *Casiam ligneam* esse falso putarunt. Alii Genistæ radicis corticem esse censuerunt. Nec Casia, quæ nunc affertur, est nisi pessima ipsius species. Vera autem Casia quibusdam non videtur esse, nisi id, quod Nicolaus

Canella.

Myrepsius & alii *Canelam* & *Canellam* nominant, quod canales & tubos imitetur. Sed fie- C
ri forte potest, vt in capsis canella refertis & casiæ & cinamomi genera reperiantur: quare delectu opus erit, qui illa distinguere velit. Distinguet autem, notis vtriusque diligenter expensis. Ceterum habet casia alias quoq; apud Græcos appellationes. Nam

Casia fistula. Casia lignea.

Galeno sæpe κάσια σύριγξ, & Actuario ac Nicolao σύριγξ τῆς κασίας, id est, *Casia fistulosa*, aut *Casia fistula* & ξυλοκασία, hoc est, *lignea fistula*, qua quidem nomenclatura adhuc officinæ vtuntur, nuncupatur. Diuersa tamen res est a Casia purgatrice & Aegyptia, quæ eidem fistulæ vel fistularis nominatur, *vt cap. 7. diximus.*

Cinamomum.

Cinamomum, quod nobis *Zeilam* insula mittit, cortex est arboris quatuor fere cubitorum altæ, crassitudinis brachialis, sex vel septem e trunco mittentis ramulos, qui sin-
gulis annis amputãtur, atq; iterũ pullulant, quorũ cortex, qui *Cinamomum* est, fit tenuis, D
odoratissimus, gustatu acris, & valde mordax, non tamen adeo vt moleste rodat, mansum rutam oleat, colore intus cinericio, extra subrufo, nodis frequentibus, leuis, fractu

Matthiolo respondetur, & eius opinio reprobatur.

facile. Hanc meam de Cinamomo, quod cortex sit, sententiam Matthiolus in *altera suorum in Dioscoridem commentariorum editione* prorsus improbat, & sibi admodum dolere ait, quod maiorem fidem præstiterim Lusitani ineptiis & mendaciis, quam virum peritum decuerat. Quasi vero hoc a Lusitano, cuius fides mihi semper suspecta fuit, didicerim, & non huius meæ sententiæ auctores ac testes habuerim viros grauissimos, ac fide dignissimos. Inter quos sane vnum Ludouicum Vartomannum, Romanum patricium commemorasse in præsentia satis sit. Is enim *lib. 6. sua nauigationis cap. 4.* de Cinamomo
ita scriptum reliquit: *Cinami arbor Lauro haud absimilis nascitur, præsertim si folia spectes.* Et E
mox subiicit: *Cinamum nihil aliud esse, quam librum corticemue, eumque ita legi. Singulis ternis annis*, inquit, *incidunt ramos delibrantque, demtumque eo modo corticem, Cinamomum appellant.* Quibus vtique verbis Matthioli opinionem plane refellit. In peruersam autem hanc opinionem nulla alia de caussa peruenit Matthiolus, quam quod veteres vnanimes scribant, *Cinamomum esse ramos, virgulta & surculos*, id quod nos quoque fatemur. Quod enim illi ramulorum, virgultorum, & surculorum tantum in historia Cinamomi mentionem faciunt, id nullo alio nomine factum est, quam quod cortex, qui *Cinamomum* est, ex iis ipsis duntaxat, & nequaquam e caudice colligatur. Quod itidem confirmat Ludouicus ille Romanus, qui loco paulo ante citato sic scribit: *Non caudicem incidunt, sed
tantum ramos.* Quapropter quum non ex caudice, sed ex ramulis virgultisue tãtum cor- F
tex, qui Cinamomum appellatur, delibretur, nihil mirum, cur in eius historia horum tantum meminerint, vt de victoria Matthiolo non sit admodum triumphandum. Accedit huc, quod Germani nostri in hodiernum diem Cinamomum sua lingua, Zimmetrinden / hoc est, *corticem Cinami*, nominant. Ocularis etiam inspectio docet, Casiam

esse

A eſſe corticem, cui cinamomum eſt ſimile, quapropter vt & illud cortex ſit, neceſſe eſt. Sed hanc & alias Matthioli calumnias etiam Franciſcus Alexander Vercellenſis inſectatur. Raro aut nunquam hodie verum Cinamomum affertur. Quo enim ſub hoc nomine vtuntur Seplaſiæ, magna ex parte Caſia eſt, *vt paulo ante diximus*. Nam ſi affertur, de quo tamen non parum addubito, non eſt niſi id, quod tenue admodum eſt. Quod enim craſſum hodie affertur, non eſt niſi Caſiæ genus. Ceterum arboris huius folia nucis iuglandis aut Lauri latifoliæ foliis ſimilia ſunt, quæ in officinis falſo pro Malabathro venditur, *vt ſupra quoque oſtenſum eſt*. Cinamomi folia.

Citrei mali cortex, *Citri* officinis nominatur. Citri.

Punicorum malorum, *Granatorum* Seplaſiis vocatur. Galeno & Dioſcoridi, *Sidion*, Barbaris adiectione vnius literæ deprauata voce *Pſidion*, Plinio, *Malicorium* dicitur. Sidion. Pſidion. Malicorium.

B

Macer cortex eſt flaueſcens, craſſus, guſtu perquam adſtringens, *Dioſcoride teſte*, ex Barbaria aduehitur, Galenus ex India conuehi tradit, guſtu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata, iucundum & ſuaue redolens. In calore & frigore temperatus, in tertio autem deſiccat. Non differt a Mace, quemadmodum *lib. 2. de ſtirpium hiſtoria* copioſiſſime monſtrauimus. Macer.

Macis autem Arabum extima eſt membrana, tenuis, fuſca, aut flaua, odorata, ſapore ſubacri, alteri duro & ligneo nucis moſchatæ inuolucro cohærens. Calida & ſicca, *Auicenna teſte*, in ſecundo ordine. Macis.

C *Fraxini* cortex.

Mandragoræ cortex craſſus. Mandragoræ.

Nucis iuglandis viridis.

Raphani.

Sambuci.

Tamaricis.

Thuris arboris cortex ſit craſſus, pinguis, odoratus, recens, læuis, non ſcaber, ſine membranis. Adulteratur miſto cortice pini aut nucis eius cortice, ſed hi ſine odore fumant, non incenduntur: thuris vero cortex ardet, & cum odoris fragrantia vaporem iaculatur. Fere in glebis thuris, vt dictum eſt, inuenitur. Thuris.

D

De Lignis. Cap. XIV.

Agallochon eſt lignum, quod ex India & Arabia, *Dioſcoride auctore*, defertur, Thinæ ligno ſimile, ſolidum, compactum: σεσιμμένον enim, id eſt, *conſtrictum*, *compactum*, *& ſolidum*, *vt habet Aldinus codex*: non στιγμένον, hoc eſt, *maculatum*, *vt in aliis Dioſcoridis codicibus ſcribitur*, legendum. Quod neceſſario monendum eſſe duxi, ne more quorundam lignum aloes verum eſſe non putaremus, niſi quod eſſet maculatum, ſeu punctis interſtinctum. Satis enim eſt, ſi guſtu ſit adſtringens, odoratum, ſubamarum, & compactum. Accedit pro confirmanda Aldini codicis lectione, quod neq; Serapio, neque Auicenna macularum & punctorum meminerint, ſed vterque durum & ponderoſum Agallochon. Dioſcoridis locus emendatus.

E ſeu graue, quale certe eſt id, quod compactum & ſolidum exſiſtit, eſſe ſcribit. Dioſcorides quidem corticem eius corii ſimilitudinem habere, & verſicolorem eſſe, nō lignum ipſum tradit. Quapropter interpretum Dioſcoridis ſententia, qui στιγμένον legerunt, & *maculatum* interpretati ſunt, prorſus repudianda erit, & σεσιμμένον cum melioribus & emendatioribus codicibus: aut cum Oribaſio ἐστὶ μὲν ὂν εὐῶδες: *eſt igitur odoratum* legendum. Xylaloe Aetio, Simeoni Sethi, Nicolao, & Actuario recentioribus Græcis, Seplaſiis *lignum aloes* dicitur: Optimi hanc eſſe probationem ſcribunt. *Si coniectum in carbones Thuris modo liqueſcat, lacrymamue fundat, & odorem ſpiret bonum, diuque antequam ab igne abſumatur, perduret. Item ſi aquæ iniectum mox ſubſidat, & bullas edat*. Crudum Nicolaus & Meſuæ vbique fere requirunt. Simeon autem Sethi non conſequi illud bonum odorem, Xylaloe. Lignum aloes. Optimi probatio. Crudum.

F niſi putreſcat, memoriæ prodidit. Putreſcit autem, ſi conditum ſub terra, & multo puluere obrutum, poſt certum temporis ſpatium ab incolis educatur. Crudum itaque eſt, quod inſepultum fuit, nec computruit. Non autē temere crudi Agallochi mentionem prædicti auctores fecerunt. Nam ad geminum vſum medici Agallochum accommodant, nēpe ad ſuffimēta odoriſq; conciliandi gratia: & ad roborādas internas corporis

partes. Si igitur boni odoris conciliandi ergo ad medicamentorum compositiones adhibetur, vsurpandum erit id, quod sepultum fuit. Siquidem, *vt Simeon Sethi attestatur*, quamdiu non putruit, nihil odoris suauitate a reliquis arborum lignis distat. Sin ad roborandas internas corporis partes, verbi gratia, cor & ventriculum, medicamentis inditur, crudo vtendum erit, vtpote quod adstrictoriam suam facultatem illabefactatam adhuc retinet, adeoq; ad robur partibus conciliandum aptissimum est. Quare crudum etiam, vbi dysenteriam curantibus medicamentis inditur, præstantissimum erit. Quum itaque crudum Agallochum id sit, quod non putruit, & insepultum fuit, adeoque quod statim ab arbore excisum ad vsum rapitur, parum recte Matthiolus me reprehendit, & id potius esse Agallochum crudum contendit, quod non fuerit antea elixum. Nam A
non id solum, quod antea non fuit elixum & coctum, sed etiam id, quod terra vel puluere sepultum non fuit, *crudum* dicitur. Vtrunque enim statim ab ipsa arbore excisum, ad vsum rapitur. Coctum vero, & quod sepultum fuit, nequaquam. Coctum vero in igne diu durat inconsumtum, propterea quod inter coquendum, quemadmodum etiam sepeliendum, glutinosam humiditatem amiserit. Mos est autem Arabibus decoquere *Agallochum*, *vt Cassius Felix auctor est*, odoris excipiendi gratia, aquamq;, in qua decoctum est & eius succum excepit, in multos vsus seruare. Proinde dum me Matthiolus erroris insimulat, ipse in binos, eosque maximos errores incidit, quorum is primus est, quod per crudum Agallochum Nicolaum intelligere tradit, quod impetu fluminum, longoque eorum ductu per regiones defertur, sed non videt id, quod a sole elixatum est, *crudum* dici non posse. Vtrunq; enim, nempe tam id, quod ab igne, quam id, quod a B
sole elixatur, coctum sit necesse est. Alter error est, quod censet, Nicolaum nullum aliud expetere Agallochum, quam quod sepultum præstantissimum euaserit. Quomodo enim præstantissimum esse poterit id, quod facultatem adstrictoriam, quæ in crudo maxime requiritur, iam ex sepultura fere totam amisit. Atqui ita euenire solet, vt quum aliorum errores, meos potissimũ auidius insectatur Matthiolus, ipse interea suos prodeat. A Matthioli calumnia & iniuria me asseruit Franciscus Alexander Vercellẽsis ita in folio primo sui Antidotarii scribens: *Hic noua laudis studio Matthiolus, Fuchsii sententiam refellit, quoniam per crudum aloes lignum intelligit, quod non putruit, quod terra non obruitur, sed statim ab arbore excisum, ad vsum rapitur.* Qua quidem in serie, quod non vitii genus insit, docti viri diiudicent. Merum enim creditur odium in eundem profusum, *vt fusius apud eundem legere licebit.* Vt hinc etiam conspicuum fiat, Matthiolum virus suum & tam varias calumnias in me nulla, nisi ambitionis & odii gratia euomuisse. C D

Aspalathus. *Aspalathus* optimus est grauis, detracto cortice rubens, aut purpurascens, densus, odoratus, gustu amarus. Est & alterum genus cãdidum, lignosum, sine odore, quod deterius habetur. Suspicio est Asphalathum legitimum in officinis nostris non prostare. Quapropter suppleat eius vicem Viticis, siue agni semen, *vt suo indicabimus loco.*

Bersilium. *Bersilium* vel *Bresilium*, vel *Verzinium*, a Verzinia vrbe Indiæ, vnde aduehitur, dictũ. Hoc quidem in Medicorum vsum nondum venit, sed velleribus imbuendis, & scriptoribus expetitum. Qui namque librorum mangonio dant operam, segmenta ligni aceto tantisper macerant, dum omnem coloris vim ad se rapiat, cui nonnihil gummi & aluminis, ne chartas penetret, adiiciunt. E

Guaiacum. *Gaiacum*, siue *Guaiacum lignum*, vt officinæ nominant, probatur, quod caudice ceteris exiliore constat, cortice ipsi ligno firmiter hærente, densum, graue, bene habitum, sapore magis amaro, acri, & odoratius, quod Sanctum dicitur, quale est, quod omni ex parte albicat. Hoc enim quum minus adoleuerit, ac consenuerit, plus in se succi continet, atq; ceteris viribus præstat. Nam quod hoc tam intus, quam extra candicet, illud vero interiore sui parte nigricet, non aliunde prouenit, quam quod hoc magis, illud vero minus adoleuerit. Quippe eo nigrius cernitur lignum Guiacum, quo ad maturiorem ætatem peruenerit arbor, a qua decisum fuerit. Ceteris igitur minus præstat, viribusque infirmius habetur, quod nigrius, crassius, & annosius reperitur. Ceterum cortices, qui etiam in vsum medicum veniunt, probatissimi habentur, qui a præstantiori caudice detracti fuerint. F

Santalum. *Santalum* Actuario, Nicolao, aliisque posterioribus Græcis triplex est, candidum, rubrum, & flauum, seu, vt Seplasiæ nominant, citrinum. Præfertur in iis generibus flauum,

A uum, vtpote odoratiſſimum. Secundas tenet rubrum, tertiam ſibi ſedem arrogat album. Sunt tamen, qui poſtremum locum rubro, quod nullo vt priora duo commendetur odore, aſſignent. Non eſt tamen, quod Matthiolum ſecuti, dicamus album ſantalum, quod ſuauiter ſpiret, calidum eſſe. Deceptus enim eſt verbis Galeni ab eo parum recte intellectis, qui *libro 4. ſimpl. cap. 20.* odorata omnia eſſe calida ſcribit. Quaſi vero roſæ, quæ ſuauiter ſpirent, & Mandragoræ poma, hoc nomine calida eſſe per exceſſum neceſſe ſit, quum tamen Galenus id tantum innuere prædictis verbis voluerit, *odorata omnia aliquid caloris obtinere*, nō per exceſſum eſſe calida, *vt in noſtris ſuper hūc locū Cōmentariis plenius docuimus.* Santala tertiam frigidorum, & ſecundam ſiccorum claſſem ſibi aſſumunt. Vt hinc omnibus perſpicuum euadat, Santalum flauum quarundam officina- Santalum
B rum, ſeu, vt ipſæ appellant, citrinum, quum acri ſapore linguam interdum mordeat, ac citrinum pungat, non eſſe legitimum, ideoque eo non vtendum. Calidum enim admodum eſt, officinarum eſt adeoque Cedri, vel alterius arboris odoratæ & calidæ lignum eſſe apparet. Officinæ v- ſpurium. nius literæ immutatione Sandalum vocant.

Tamarix, tamariſcus officinis. Vide ſupra. Tamariſci.

Viſcum quernum, vel, vt Seplaſiæ nominant, *quercinum*. Viſcum quercinū.

Xylobalſamum probatur recens, ſarmento tenui, fuluum, odoratum, quadamtenus opobalſamum ſpirans. Quare quod officinæ vſurpant, Xylobalſamum non eſt, ſed alterius cuiuſdam arboris virgultum, quum a iam dictis notis plurimum abſit, nec præter graciliatem quicquam cum ligno Balſami commune habeat.

C

De animantibus & eorundem partibus. Cap. XV.

ANtalium & Dentalium more Latinorum prolatum, vel, *vt Nicolaus Mirepſius ſect. tertia, vnguento 42. appellat*, ἄντελι καὶ τέντελι, & officinæ *Antale* & *Dentale*, varii varie interpretati ſunt, ita tamen vt nihil attineat ſingulorum prolixe referre ſententias, quandoquidem in vniuerſum omnes a veritate aberrauerint. Reuera autem e teſtarum genere & *Antalium*, & *Dentalium* exſiſtit, ſed quarum a nullo adhuc ſatis explicatum eſſe puto. Mihi quidem, *vt diſerte quid de iis vocibus ſentiam in præſentia exponam*, vtraque eſſe corrupta, quales certe multæ aliæ in Nicolao reperiuntur, videtur. Nam ἄντελι dictio ex Græca ἀντέλλη haud dubie deprauata eſt, qua Athenæum vſum eſſe conſtat. Sic e- (Antalium & Dentalium.) (Antali quid. ἀντέλλη. τελλῖνα.)
D nim ille nominauit Conchæ ſpeciem, quam alii Græci τελλίνην, & in plurali τελλίνας, a creſcendi nimirum celeritate, ὅτι τάχιστα γίνονται τέλειαι: quod celerrime perfectionem attingant, vocant. Idem nomen Latini retinuerunt. Atque etiamnum hodie Romani has Conchas Tellinas appellant. Duo autem Tellinarum Athenæus genera facit, nempe Tellinæ. marinas & fluuiatiles, vel in fluuiorum hoſtiis repertas. Atque harum aliquæ maiores, a- lib. 3. liquæ minores ſunt. Duplici teſta minor conſtat, vtraque ſimili, læui, valida, & ſatis ſpiſſa, in ambitu ſerrata, qua de cauſſa ad vnguem coniunctæ ſunt. Maior iam dictæ ſimilis, Minor. Maior. niſi quod teſta ſit maiore, tenuiore minuſq; ſpiſſa, & ex rubro flaueſcente, parte qua teſtæ colligantur in acutiorem angulum deſinente. Per Antalos autem Nicolaum non niſi *Antellas* vel *Tellinas* dictas intellexiſſe, hinc quoque perſpicuum euadit, quod ille
E Antalis in vnguenti e citriis compoſitione, quod ad extergendas lentigines faciei, impetigines delendas, aliaque cutis vitia ſananda confert, perinde atque id genus aliis abſtergendi facultate præditis medicamentis, vſus ſit. Id enim ſatis oſtendit, Antalos ei non niſi Antellas ſiue Tellinas ſignificare, quibus certe abſtergendi quoque ineſſe facultatem Galenus *libr. 4. de compoſ. medicam. localium capite vlt.* abunde docet, dum earundem teſtis leuigatis ad pilos palpebrarum euulſos, ne amplius pronaſcantur, vtendum eſſe docet. Siquidem conſtat ea omnia, quæ pilorum ortum prohibent, eſſe attenuatoria, & abſtergentia. Idem etiam Galenus, *libr. 11. ſimplicium*, omnium teſtarum cinerem extergendi facultatem obtinere memoriæ prodidit. Præterea, Dioſcorides μύακας, quas Athenæus μύτλους, Plinius adiectione vnius literæ *mytu-*
F *los* nominat, Tellinarum ſpecies palpebrarum craſſitudines, oculorum albugines, caliginesque extergere ſcribit. Plinius denique Mytulos ad lepras, lentigines, & maculas exterendas vim habere literis mandauit. Quum itaque Antellarum & nomen & facultas cum Antalis pulcre quadret, dubium non eſt, Nicolaum has ipſas, deprauata & corrupta voce Antalorum, ſignificare voluiſſe. Ceterum hodie pharmacopœi no-

Qua testa officinæ hodie pro Antellis vtantur.

Antali nō sunt lapides.

stri pro Antali seu Antella, in prædicti vnguenti confectione, vermiculorum quorundam testis vtuntur, tubuli imaginem referentibus. A Nascuntur autem tubuli illi seu siphunculi testacei in saxis marinis, & super Concharum vetustarum testas, rotundi, asperi, candidi, & nigri, intus læuissimi. Horum autem alii recti sunt, alii contorti & replicati. Proinde quum tubuli illi nascantur in saxis, factum est, vt barbaram sectantes medicinam lapides hos ipsos esse crediderint. Ceterum in iis tubulis procreantur & viuunt vermes, qui foras se exserunt hauriendæ aquę gratia. Hi vtique colore, substantia, Scolopendræ rubræ similes sunt, figura & magnitudine nonnihil differunt: longissimi enim digiti magnitudinem non excedunt. Pars posterior folii Myrtei modo in acutum desinit. Priore parte vtrinque pedes habent, veluti *Scolopendræ*, vnde fistula prominet in extremo obtusa tubæ modo, & perforata. De Antalis hactenus. Porro πένταλι vox forte B ex Italica voce *Pantalena*, qua Veneti *Cōcham*, quæ Græcis λεπὰς dicitur, nominare solent, deprauata est. Quod verisimile sit, quia & hæc ipsa saxis hæret. Aut certe e Græca δάκτυλοι corrupta in eam formam detorta est. Quippe hoc nomine Græcis vocantur Conchæ longæ, & tenues, quarumque testæ tubarum modo concauæ, & acuminatæ sunt. Quapropter quum digiti formam præ se ferant, δάκτυλοι appellatæ sunt. De quibus sane plurima apud Rondeletium, virum prudentissimum & doctissimum, inuenient studiosi lectores, cui hoc nomine plurimum debent, quod historiam piscium doctissime ac luculentissime tradiderit. Quod autem per *Dentalos* Nicolaus intellexerit *Dactylos*, hinc etiam colligi potest, quod & hæ testæ abstergendi facultate non vulgari præditæ sint. Hincq; adeo est, quod Athenæus *eas calculosis, & difficile meientibus vtiles esse* scribat. C Officinæ hodie pro *Dentalis* vtuntur etiam testis quibusdam *Antalis* similibus, & in saxis prouenientibus, atqui maioribus. Vt inter Antalos & Dentalos officinarum nulla sit differentia, quam quod Antali sint tubuli vel siphunculi minores, & tubæ formam præ se ferentes. Dentali autem maiores, & tubuli verius, quam tubæ speciem repræsentantes. Etsi vero præstaret in prædicti vnguenti compositione pro Antalis vti Tellinis, & pro Dentalis, Lepadibus, aut Dactylis, tamen in inopia earundem testium, licebit vsurpare iam dictos in saxis natos tubulos, quod testæ Concharum in vniuersum omnes extergendi facultate donatæ sint. Ceterum, ne id silētio inuoluamus, Entaliū, *vt nonnullis vocatur*, ab Entali iā dicto diuersum est, ac lapidis genus, q̄ Platearius in expositione Antidotarii Nicolai, *Amentum dulce* nominat, quod nomen Gesnerus Sabaudienses adhuc vsurpare scribit. D Sic autem appellant, nomine haud dubie corrupto ab Amiantho lapide, cui quidem, quod eboris instar candidus, splēdidus & friabilis sit, similis est. Etsi autem lapis hic dulcis sit, atque hoc nomine ab Amiantho, qui salso sapore ac pungenti qualitate est præditus, differt, *vt Platearius etiam fatetur*: tamen nihilominus factum est, vt in vnguento Citrio Nicolai Latini scriptum sit *Amenti dulcis*, pro *Amianti*, quod in Græco codice diserte sit ἀμιάντου, *veluti in nostris in illud annotationibus copiosius diximus*. Quum enim vnguentum hoc desideret medicamenta maxime abstergentia, quæ dulcia sunt, in eius compositione locum habere non possunt.

Dentali quid. δάκτυλοι.

Rōndeletius. lib. 1. cap 40. & 41. & sequent. Et lib. de insectis atque Zoophytis cap 5.

Qua testa officinæ hodie pro Dentali vtantur.

Antalium vt a Dentali distet.

Entalium

Amētum dulce.

Caneri.

Cancrorum fluuialium vstorum cinis ad morsum canis rabidi laudatur. Sciendum vero, nos Cancro fluuiali in Germania nostra carere. Quamobrem non sine errore ho- E die Astaci fluuiatiles ab omnibus fere pro Cancris habentur, & in eorum vicem vsurpantur. Carne enim sunt molli, fluida, & dissipatu facili minimeque nutriente.

Cantharides.

Cantharidum legitimus vsus.

Cantharides probantur in frumentis inuentæ, *Dioscoride teste*, & quæ luteas in alis transuersas lineas obtinent, corpore longo, crasso, blattarum modo præpingues. Capiuntur vere, & necantur, *vt præcipit Dioscorides*. In harum vero vsu diligenter considerandum medicis erit, quando integris vtendum sit, & quando caput & pedes auferre conueniat. Quum extrinsecus corpori ad tollendas impetigines, scabiem, lepram, & scabros vngues admouentur, nihil prohibet corpore solo cantharidum, abiectis pedibus, capitibus, & alis, vti, quod nimirum hac ratione magis erodant, vtpote iis, quæ erosionem impedire possunt, abiectis. Alas autem & pedes cantharidum maleficio aduersa- F ri in primis testatur Dioscorides *lib. 2. cap. 53.* qui ait, *pennas seu alas pedesque ipsarum iis, qui eas in potu hauserunt esse ἀντιφάρμακον & remedium.* Aetius præterea *lib. 13. cap. 49.* idem docet iis verbis: *Cantharidibus haustis contrariæ affectionis ratione, quantum nihil aliud, auxiliantur Cantharidum alæ & pedes cum passo potæ.* Item inter Latinos Plinius, qui *lib. 19. cap. 4.* de Cantharidibus

A tharidibus ita scriptum reliquit: *Conuenit inter omnes, pennas earum auxiliari, in quacunque parte sit venenum.* Idem quoque *libr. 11. cap. 35.* ait: *Venenum hoc remedia secum habet. Alæ medentur, quibus demtis lethale est.* Hinc est quod Galenus *libr. 11. de simpl. medic. facul.* prudenter admodum, totas cantharides tam in exteriore, quam interiori vsu, vsurpandas esse hortetur ac doceat. Siquidem præstat in externo etiam vsu, vt Cantharidum corpora mitius erodant, & vis illarum nonnihil frangatur, quam vt integram suam facultatem, magno cum ægrotantis periculo, imo non raro præsenti eiusdem interitu, exserant. Quapropter plurimum errant, qui alas & pedes in interiore vsu abiiciunt, quum totis potius vtendum esset. Si enim integra exhibentur, non indigent tum iis, quæ vim ipsarum frangunt & imminuunt, quum secum habeant alas & pennas, veneno earundem aduersantes. Quocirca si imperitia Medicorum accidat, vt quæ corporum Cantharidum noxam emendent ac corrigant, temere negligantur, tamen si integræ sumantur, alæ & pedes hoc pisum, quod a Medicis neglectum est, sarciunt. Præstat igitur perpetuo totis vti Cantharidibus, nisi vbi vehementer erodendi & vrendi nobis consilium est. Alæ. Medicorũ error.

B

Castorium, siue testes Castoris animantis ancipitis capite, oculis murem refert, rostro canem barbatum, cauda præterea est piscosa, pilo superne canino, pedibus posterioribus anseris, anterioribus simiæ aut canis, dente validissimo. Siquidem arbores iuxta flumina, vt ferro cædit: hominis parte comprehensa, non antequam fracta concrepuerint ossa morsu resoluit. Ceterum, quod in officinis venditur, *Castorium*, non esse testes Castoris magnitudo ipsa conuincit. Illi enim parui, substrictique sunt, & gallorum gallinaceorum testiculos magnitudine non excedunt. Castorium vero nostrum multo maius est, nihilque aliud plane, quam tumores in inguibus gemini, vtrinq; enim vnicum membrana sua conclusum, oui anserini magnitudine Castor habet, in quorum medio singuli sunt meatus, e quib. exsudat liquor pinguis & cerosus. Sunt autem eo loco, quo in quadrupedibus pendent testes, ex vtraque parte penis, vt non sit mirum, si hodie pro testibus venales proponantur. Probatur castorium, cui intus est liquor cerosus, friabilis, odore graui, & virus olente, gustu acri & mordaci. Porro tumorum liquorem liquidiorem & tenuiorum partium esse, quam testium, saporis odorisque maior acrimonia declarat, ac proinde in remediis, quæ extrinsecus adhibentur, efficacior erit: iis vero, quæ assumuntur vis pro affectus ratione minuenda. Et verisimile hinc est, veteres quoque ipsos, tumorum potius, quam testium liquorem, medicamentis admiscuisse. Castoriũ. C D

Cerebella passerum vere & autumno captorum reponuntur, & prolificis remediis miscentur. Cerebella passerum.

Cerebrum leporis pueris dentientibus comestum vtile. Cerebrũ leporis

Coagulum leporis omnium præstantissimum ad comitialem morbum, si cum aceto bibatur. Coagulũ leporis.

Cochleæ, Seplasiis *Limaces* duplices sunt, terrestres & marinæ seu aquatiles. Cochleæ.

Cornu ceruinum.

E *Cornu caprinum.*

Ebur, elephantorum sunt dentes, quod vt alias summopere expetitum, ita nostra quoque ætate preciosissimum. Eo factum est, vt nullibi pene verum Ebur reperiatur. Quod enim vulgo huius vice in officinis prostat, marinorum piscium dentes esse videntur. Ebur legitimum in officinis non prostat.

Genitale cerui a vipera demorsis auxiliatur: ad retentam præterea vrinam, & ad coli dolores valet. Siccatum & tritum in puluerem, in dysenteria efficacissimum esse remedium, experientia comprobatum est. Genitale ceruinũ.

Iecur canis rabidi.

Iecur caprinum,

F *Iecur lupinum.*

Intestinum lupinum.

Lumbrici seu *intestina terræ.* Officinis vermes nominantur. Intestina terræ.

Mumia Rhazis & officinarum seu factitia, *liquamen est hominum in sepulchris conditorum*: in summa, *compositio, qua mortuorum corpora condiuntur*: vel vt breuius ac rectius di- Mumia artificialis.

cam, *medicatum funus.* Hac autem condiendi funera ratione Syriaci, Aegyptii & Iudaei maxime vsi sunt. In diuitum autem corporibus condiendis vsi sunt *balsamo, myrrha, aloe, cedria, cinamomo, & id genus aliis.* Hoc medicatum funus hodie non affertur, quod locis bene munitis ac clausis repositum custodiatur, vt mercatoribus integrum non sit, comparare, *quemadmodum alibi fusius monstrauimus.* In pauperum & infimae plebis funeribus condiendis, bitumine Iudaico praesertim & Babylonico vsi sunt. Quod Strabo in 16. abunde testatur, qui diserte Aegyptios ad mortuorum condituras bitumine, cui nonnulli picem, salem, & nitrum adiiciunt, vsos esse scribit. Atque haec est, quae hodie ad nos affertur, & dictata Mumia Auicennae & Serapionis, quae non est artificialis, sed natiua, adeoque non alia, nisi Graecorum *Pissasphaltus*, de qua infra latius dicemus. Habet autem prior Mumia eandem cum Pissasphalto facultatem, modo recte illa vtamur. Quod fiet, si abiectis terra, ossium fragmentis, & carnibus exsiccatis, liquore tantum concreto, qui est in cauis partibus humani corporis collectus, vtamur. Siquidem quum ex Aegypto integra ad nos hac ratione condita corpora aduehantur, necesse est eandem Pissasphalto, quod non sonat, nisi picem & bitumen, facultatem habeat haec Mumia. Praestaret autem naturali vti, quam artificiali Mumia. Nam Mauritani haud dubie, quia Pissasphalto destituebantur, artificiali in alterius inopia vti coeperunt.

Natiua. | A | B

Os cordis ceruini. *Os* e corde Cerui exemptum humanum cor totius substantiae similitudine roborare inter posteriores Graecos Actuarius & Nicolaus, cum vniuersa Arabum familia, tradunt. Veteres Graeci eo non sunt vsi. Num vero os sit, aut potius ossea cartilago, alibi diximus. Suspicio autem est ea, quae a Pharmacopoeis hodie proferuntur, sub hoc nomine, esse piscium, aut grandiora agni ossis hyoidis aut bouilli capitis ossicula. C

Ossa humana vsta, discutiendi & desiccandi facultate praedita.

Pinguedo Adeps. *Pinguedo* proprie loquendo est, quae Graecis πιμελὴ adeps autem seu seuum, quod iisdem στέαρ dicitur. Quapropter inter se differunt, *Galeno etiam libr. 11. de simpl. medicam. facultat. auctore*, quod vnum altero sit crassius, nempe adeps pinguedine. Hinc est, quod in animantibus vniuersam naturam magis terream habentibus seuum adepsue proueniat, in humidioribus autem pinguedo. Quapropter pinguedo in ignem posita celeriter liquescit, nec facile, vbi liquata fuerit, rursum concrescit ac cogitur. At seuum adepsue nec facile funditur aut liquescit, & fusus celerrime coit, ac concrescit, multoq; pinguedine durior apparet. Officinae omnem oleosam & pinguem in animantibus substantiam pinguedinem, & axungiam, vocant. His autem vsitatae sunt, quae sequuntur. D

Anatina.
Anserina.
Ardea.
Capi, caponis officinis nominatur.
Canis.
Ceruina.
Caprina.
Felis siue cati. E
Gallinacea.
Hircina.
Humana.
Leonina.
Suilla, Porcina.
Tauri.
Taxi.
Vitulina.
Vrsina.
Vulpina. F
Vulturis.

Medulla ossium, quod oleosa pinguisq; substantia sit, merito iam dictis subiicitur. Autumno & ad hyemis initia e florenti animali, vt etiam pinguedo, colligi, & loco sicco, edito, & ad Septentrionem spectante, cum foliis Lauri siccis, ne putrescat, aut situm

tum

A tum ducat, reponenda. Recens etiam tenerorum animalium vsurpatur. Vsitatæ officinis sunt: — Scinci.

Canina. *Ceruina.*
Hircina. *Tauri.*
Vaccina. *Vitulina.*

Pulmo Vulpinus, resiccatus asthmaticis plurimum auxiliatur.

Renes Scincorum. Scinci autem, quos officinæ commutatione vnius literæ, & non sine risu eruditorum, *Stincos* nominant, animalia sunt Crocodilo similia, quadrupeda, squamis paruis & frequentibus subluteis tecta, capite longo, dorso quadantenus elato, ventre lacerta non maiore, corio squamis subluteis numerosis transuersim intercur-
B rentibus referto a capite ad caudam æquis distantibus spatiis, veluti lineam facientibus latam, squamis acris, cauda lacertæ instar tereti, breuiore tamen. Maris rubri, aut Aegypti, siquidem Nilus fœcundissimus Nili fluuius, hos quum egreditur, producit, aut Indiæ alumni sunt *Scinci.* Hodie etiam ex Alexandria Aegypti allati, Venetiis exenterati & saliti venduntur: licet autem Crocodilorum speciem referant, magnitudine tamen prægrandes lacertas non excedunt. Squamis sunt, *vt diximus*, albis in luteum vergentibus, cum cæsia a capite ad caudam linea. E quibus omnibus perspicuum fit, eos quos officinæ subiiciunt, veros non esse. Nam hæ bestiolæ Salamandræ sunt aquatiles, venenatæ, lacertos corporis specie referentes, quamuis capite sint paulo latiore, oris rictu ranis simili, tumido ventre, & maculis vario. Hinc Germanice Wasserechs oder — Officinarum Scinci spurii sunt.
C Wassermolch nominatur. Flagris itaque digni sunt pharmacopœi, qui virus lethale pro antidoto medicamentis miscent, lacertis minores sunt, nec ex Aegypto, sed ex fontibus & stagnis dulcibus, quorum incolæ sunt, & ex Vicentino agro afferuntur. Ceterum ne & id silentio transeamus, ii qui Scincorum renes in medicamentis præscribunt, non renes, sed carnes, quæ circa renes sunt & latera, intelligunt.

Senectus anguium, seu *Vernatio*, cuticula est, qua sese angues primo vere e terra prodeuntes exsuunt, saxis aut stirpibus affricato, & restricto corpore. — Senectus anguium.

Sanguis hirci quadrimi, bene habiti, Augusto mense iugulati, medius effluens eligatur. Primus enim tenuior, postremus crassior putatur. Vase vitreo receptus, linteo vero tectus, sole siccetur. — Sanguis hircinus.

D *Testa sepiæ, os Sepiæ* officinæ nuncupant. Exterius dura, leuis, interius tenera, fungosa. Ad dentifricia aptissima est. — Os Sepiæ.

Testa Concharum, officinis mater margaritarum seu perlarum. Nos enim perlas vocamus, quas Græci *μαργαρίτας*, Latini *vniones* appellant. — Mater Margaritarum.

Vipera deligatur magna, bene nutrita, corpore toto & ventre crassiore, subflaua, collo valde prominenti, capite latiore, oculis rutilis ac subrubentibus, trucibus, & ferino aspectu, meatu magis ad extrema caudæ vergente, cauda non inuoluta, sed potius conuersa. — Vipera.

Vnguis odoratus, qui Græcis ὄνυξ dicitur, Conchylii tegumentum operimentum ue est, ei simile, quo purpura integitur, *Dioscoride auctore*, in Indiæ nardiferis lacubus inuen-
E tum, grauiter odoratum, quod Conchylia inibi Nardi pabulo vescantur. Vnguis autem appellatur, quod vnguis speciem referat. Odoratus, quia grauem, *vt diximus*, odorem spiret. Hinc est, quod mirificam ei in conficiendo thymiamate præstantiam sacræ literæ tribuant. Vnde omnibus palam fit, vnguem illum, licet secus sentiat Matthiolus, & perperam me hoc nomine reprehendat: diuersum esse ab eo, quod Actuario & Nicolao βλάττιον & βλάττιον βύζαντος, vulgo & officinis *Blatta Bysantia* nominatur. Nam quod illis *Blattion Bysantis* siue *Bysantium* appellatur, non est nisi *Purpuræ*, & nequaquam *Conchylii*, operculum. Differre autem *Blattion Bysantis* recentioribus Græcis dictum, ab *Vngue odorato*, e Nicolao Myrepso fit manifestissimum, qui illud esse ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρης, id est, os narium Purpuræ scribit. Etsi autem Purpura, neq; nasum, neque na-
F res, neque intus ossa habet, tamen constat Nicolaum per os naris intellexisse, nisi operculum purpuræ foraminis in capite, quod naris instar est. Aut si parum arridet commoda hæc verborum Nicolai interpretatio dicamus Nicolai locum deprauatum esse, & pro eo quod scribitur, ὀστοῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφύρεως, legendum esse, ὄστρακον, ἢ ῥινὸν τῆς πορφύρεως, id est, *testam*, vel *scutum seu operculum Purpuræ.* Quippe ῥινὸς præterquam quod *pellem* signi- — Vnguis odoratus. Matthioli opinio refutata. Blattion Bysantis ab vngue odorato diuersum.

ficat, etiam pro *scuto* Phauorino teste, sumitur. Operculum vero veluti scutum Purpuræ capiti imponi satis patet. Vt iam perspicuum sit, *Blattas Byzantias* vocatas, recentioribus Græcis non esse, nisi Purpuræ opercula. Id quod ipsa etiam satis testatur nomenclatura. Neque enim alia de caussa Blattium dictum est, quam quod de purpura Indica, quæ recentioribus Græcis βλάττιον nuncupatur, sumtum sit. Et constat Latinis etiam Blattium colorem, pro purpureo dictum esse a Flauio Vopisco in Aureliano, & Eutropio in Nerone, qui inquit: *Retibus aureis piscabatur, quæ blatteis funibus extrahebantur, quos Suetonius & Orosius purpureos interpretantur.* Bysantia autem, haud dubie a Byzante, vel Byzantio Aphricæ cognominata est. Nam etiam illic tingebatur purpura. Ceterum *Blatta Byzantia* Arabum, nihil aliud est, *quam Conchylii operculum, siue vnguis odoratus*, quod vtriusque historiæ collatio sole clarius ostendit. Est autem Conchylii operculum oblongum auium carniuorarum vnguibus simile, vt hic etiam palam fiat, *Pharmacopolas hodie in officinis suis habere Conchyliorum, quæ sunt longa, & Buccinorum, quæ sunt rotunda, permista opercula, quæ Blattas Byzantias vocant, quum hoc nomine, vt ostensum est, Purpurarum tantum opercula appellanda erant.* Sunt autem qui Blattas Byzantias longas, negent esse Onychas, siue opercula Conchyliorum, quod illæ non sint odoratæ suauisue odoris, sed fœtidæ. Verum horum opinio facile refellitur ex eo, quod Dioscorides non semper εὐώδης vocet id, quod grato solum & iucundo odore placet, sed etiam aliquando id, quod vehementi & graui est odore. Sic pix ab eo εὐώδης dicitur, quam tamen suauis odoris esse nemo dixerit. Pari ratione vnguis vel Conchylii operculum ab eodem εὐώδης appellatur, non certe, quod iucundi admodum sit odoris, sed quod graui ac vehementi sit odore. Hinc Dioscorides qualitatem odoris exprimere volens, dixit: ἀμφότεροι δὲ εὐώδεις θυμιώμενοι, καστορίζοντες πως τῇ ὀσμῇ: *Ambo, de marino & Babylonico loquitur, grauis odoris, incensi Castorium quodammodo redolent.* Quod autem Castorium odore graui & virus redolente esse debeat, Dioscorides tradidit. Huc accedit, quod non nisi a fœtidis rebus suffitu facto, strangulatu vteri oppressæ, quibus de consilio Dioscoridis conchylii operculum adhibetur, excitantur. Quapropter si Blattæ Byzantiæ, quæ hodie a Pharmacopœis venduntur grati & iucundi odoris non est, cur id ob Conchyliorum opercula, vel vngues esse inficias eamus. Porro, vt hoc etiam adiiciamus, quum opercula Conchyliorum & purpuræ ac Buccini, viribus similia sint, nihil refert, quo illorum ad vuluæ strangulatus vtamur. Ex iis quoque, quæ a nobis iam dicta sunt, palam fit Blattam Bysantiam recentiorum, ab vngue odorato differre, Arabum vero nequaquam. Nec est, quod Nicolaum erroris accuset Matthiolus, eumque narium ossa excogitasse putet, & vt ipse ait, purpuræ in vniuersum præter testam, qua conteguntur ossibus careant: siquidem is per os naris operculum foraminis in capite purpuræ, quod naris instar est, *vt dictum est*, intellexerit. Denique meam sententiam haud labefactat, quod Matthiolus de Conchularum Indicarum facultatibus affert argumentum. Nam quæ Mauritani Conchulæ Indicæ tribuunt, eadem etiam purpuram & buccinum præstare Dioscoridis testimonio comprobatur. Quod si igitur crematæ Conchulæ idem præstant, quod purpura & buccina vsta, igitur idem etiam non vstæ, quod non vstu præstent, necesse est. Quod vero Purpuræ perinde atque Conchulæ Indicæ operculum, iecori & lieni conducat, vterique strangulatus iuuet, Galenus *lib. 11. de simpl. medic. facultat.* disertis verbis docet, inquiens: *Opercula tegumentaque purpurarum ex aceto pota, quidam memoriæ prodiderunt, lienes tumentes sanare, & suffita eas quæ vteri suffocatione periclitantur iuuare, præterea retentas eiicere secundas.* Proinde quum purpuræ eisdem, quas Conchulæ, facultatibus donatæ sint, parum refert vtras per Blattium Byzantium intelligamus. Pręstat tamen in Nicolai compositionibus purpuratum, in Mauritanorum autem Conchularum testas vsurpare.

Vnguis caprarum. *Vnguis asinorum.*

Vnicornis *Vnicornus*, Græcis μονόκερως dicitur. Animal est reliquo corpore equo simile, capite ceruo, collo non oblongo, cornu vnico in fronte prominente, longitudine duum aut trium cubitorum. Duum cubitorum fere vidi in aula Marchionum Brandenburgensium dum illic agerem. Cornu huius vsus frequens est aduersus venena, & pestilentes affectus, puerorumque nobilium lumbricos. Differt vnicornis a Rhinocerote animali, quod Elephanto simile est, & cornu in nare, aut supra nares habet.

Rhinoceros ab vnicorni distat.

A *Vulpes* tota.

Vniones, non quod in vnica tantum Concha, sed quod nulli duo indiscreti reperiantur dicti, seu margaritæ, quodam Cōcharum genere leues, nō quatuor, aut summum quinque, *Plinio lib. 9. cap. 35. auctore*, sed plures, centum, numero excedentes auelluntur, Perlas Barbari & officinæ vocant. Harum aliquæ perforatæ sunt, aliæ integræ, quæ quidem reliquis sunt meliores. Cordis, & oculorum affectibus medentur. Vniones. Margaritæ.

Ventriculi interior tunica siue membrana gallinarum inutilis a Galeno censetur: Quare non magnifacienda erit Medico.

De excrementis animantium. Cap. XVI.

Butyrum.

B *Caseus.*

Fel, Tauri, Hirci, Accipitris, Leporis.

Moschus, Simeone Sethi, ac recentioribus aliis testibus, *Gazellæ* dicti animalis, Dorcadi seu Capreæ Indicæ similis, sanguis est in vmbilico concretus. Id animal eodem Simeone Sethi, qui illud ceteris copiosius pingit, teste, μονόκερως, id est, *vnico* armatum est *cornu*. (Quum vero id nemo aliorum, ne oculati quidē auctores, scribat, errorem in Simeonis codice subesse suspicio est, inde forte natus, quod dentes huic animali retro reflexos cornua duo esse putarit.) *Quum ruit in Venerem quasi œstro agitatum, stimulatumque, ei vmbilicus intumescit, in quem crassior sanguis confluit, quo tempore & pabulo & potu abstinet, humique volutatur. Qua quidem volutatione vmbilicum fæculento sanguine, qui ibi coierat, tur-* Moschus.

C *gentem exprimit: emissaque sanies, & post aliquod tempus concreta, sibi magnam odoris suauitatem adsciscit.* Hæc Sethi. M. Paulus Venetus *libr. 1. de regionib. orientalib. cap. 62.* esse quoque animal Catti librarii forte, aut interpretis errore: legendum enim esse censeo *capreoli: magnitudine scribit, quod crassos habet pilos, pedes vngulatos, dentes quatuor, duos supra, & totidem infra exsertos, palmi vel trium digitorum longitudine, iuxta vero vmbilicum inter cutem & carnem vesicam sanguine plenam, qui sanguis est moschus.* Iam dictis auctoribus inter Arabes Serapio quoque subscribit, & *animal esse capreæ simile* tradit. Amatus Lusitanus hæc omnia ficta esse, sed parum recte, *vt paulo post ostendemus*, cōtendit, & in India esse animal quoddam leporis magnitudine inquit, quod viuum adhuc virgis cæsum, necatur. Eo occiso, pelleque detracta, & interaneis exemtis, vniuersa caro plagis ac verberib. quoad liue-

D scat contunditur, pinsiturque. Hæc vbi optime est pista, manu tractatur, vt si quæ duriuscula in illa ossa fuerint, reiiciantur. Carnem hāc ratione optime pistam & contusam, manu in globos redigunt, & parte pellis eiusdem animalis excoriatæ obuoluunt ac muniunt, vt in pilæ formam euadat, & moschus folliculo inclusus dicitur. Hic calidus in secundo, siccus autem in tertio ordine habetur. Cerebrum roborat frigidum, & partes imbecillas firmat, eosq; quos animus defecit, reuocat. Vtra iam sententia verior sit, diiudicent, qui Moschum colligi conspexerunt. Mihi certe tum Arabum, tum recentiorum de hoc animali sententia, quod plurimum in eius descriptione varient, suspecta est. Neque audiendos esse puto, quod Moschum tuberculi, vel vmbilici eius animantis inflammati saniem esse tradunt, id enim haud dubie falsum est. Sed sunt Moscho ani-

E mali tumores, quales in Castore esse supra diximus, & quales in omnib. leporibus sunt: propter quos vulgus testes esse existimans, lepores omnes simul mares & fœminas esse credit: a quibus odoratum illud pus emanare arbitror. Atque tumores esse rotundos ac testiculis similes, membrana seu pelle circumdatos, norunt, qui adulterant. Nam in testiculi formam effingunt, & pelle animantis obuoluunt, ac testiculum *Moschi* appellant. Hic itaque est Moschus Lusitani, non legitimus, sed admodum ab ipso descripto adulteratus, ab eo, quem Arabes & recentiores aliquot Græci pingunt diuersus. Vt parum recte ab eo mendacii insimulentur. Ceterum melior est, *eodem Sethi auctore*, subflauus quam nigricans: & qui pelui humectatæ immissus leuior euadit, quam qui grauior. Ex Catay tamen niger præstantissimus hodie affertur. Ferrugineus fere noster est. Serua-

F tur melius in pyxide plumbea, cera obturata per se. Si autem odoris gratiam perdidit, reponendus erit in vase vitreo aperto: & si Plateario credendum, in cloaca suspendendus, & odorem recuperabit: Sed & alii latrinis & fœtoribus odoris amissi vim recuperandam esse literis mandarunt. Officinæ non sine confusione *Muscum* appellant. Est & ficititius Moschus, qui vt paretur, Gesnerus *in suis Commentariis de Animalium hist.* docuit.

Oesypus. *Oesypus* est succidarum lanarum pinguitudo. Succidæ autem Lanæ, quod sudoris sordib. & succo imbutæ sint, dicuntur. Recentiores Græci, Nicolaus præsertim, ὕσωπον ὑγρὸν, id est, *Hyssopum humidum* vocant. Quem sequentes qui hodie medicinam faciunt, & Seplasiæ, itidem Hyssopum humidam, ab Hyssopo herba hac adiectione illam separare volentes, nominant. Ea appellationis deprauatæ ratio ex græcæ dictionis corruptione orta est. Nam Dioscoridi & Galeno οἴσυπος dicitur: quam dictionem imperitus subinde librarius in ὕσωπον commutauit. Et hodie quoque in plerisque locis apud Galenum & Paulum ὕσωπος, pro οἴσυπος scribitur, vt alibi fusius docuimus. A

Hyssopus humida.

Sanguis. *Sanguinis* vsus est potissimum hircini, *vt diximus*, columbini, leporis, suilli, & vespertilionis.

Sanguis draconis. *Sanguis* draconis, *Plinio lib. 33. ca. 7. teste*, sanies est Draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permixto vtriusque animalis sanguine, qui subinde terra mixtus colligitur, ac in pastillos ac rotundos orbes conformatur. Hodie, modo Plinius, quod tamen suspicamur factum esse, falsus non sit, eo vti desierunt Medici, altero in huius vicem substituto: qui qualis sit, supra exposuimus. B

Lac. *Lac vaccæ, capræ, asinæ iuuenis*, aliquandiu post partum exercitæ, & bene pastæ præsertim idoneis sibi pascuis, vernũ largius, sed humidius, aut autumnale parcius siccius, & butyro diu seruando aptius. Sit autem quatenus lacti datum est, dulcissimum, albissimum, consistentia mediocri, si vaccinum est: tenuiori, si asininum, vel caprinum.

Serum lactis. *Lactis serum* capræ iuuenis nigræ, salubribus pabulis nutritæ. Secundas tenet serum lactis ouini. C

Sericum. Bombycea. *Sericum* vellus est, quod vermiculi Seres & Bombyces nominati pedib. explicantes nent, & congesto glomeri se condentes emoriuntur. Fila enim ab illis araneorum modo nentur, quæ in vestes texuntur. Semestris illis vermib. vita est apud nos, prorsusque ante completum annum, quum suum nendi obierũt munus, efflant animam, prius tamen ascitis sibi alis in volucres papiliones degenerantes, & relictis ouis e quibus sua rediuiua proles sequenti anno renascitur, *vt copiosius in altero nostrorum de stirp. hist. comment. tomo, vbi Mori historiam narramus, cuius foliis vermiculi illi pascuntur, diximus.* Horum certe lanificio recentiores Græci in quibusdam medic. compositionib. vtuntur. Folliculos recentes, qui cortinas aut colorem nondum experti sunt, Aetius, Actuarius, & Nicolaus, posteriores Græci, μέταξαν & μέταξαν ὠμήν, Latini *sericum crudum*, Seplasiæ Setam crudam appellant. Dicendum autem illis erat *Sera*, a *Seris* vermiculis. Et haud dubie initio ita vocata est, sed deinde rerum ignoratione factum est vt *r* in *t* mutatum sit. Excalefacit autem Sericum, mirifice exhilarat, resiccatque primo ordine, attenuat, cor recreat, lætumque efficit. D

μέταξα. Sericum crudum.

Album græcum. *Stercus bubulum, Caninum*, quod officinis medicorum *Album græcum* vocatur, *Columbinum, Caprinum, Gallinaceum, Murium, Ouillum.*

Saliua.

Sudor. *Sordes.*

Vrina.

Zibethũ. *Zibethum* recentiorib. Græcis dicitur, quod e genitalib. locis cuiusdam feræ animantis, feli, qui veterib. ędificiorum ruinis oberrat, non absimilis est, sed maior, dentib. armata & fera, colore lupi, maculis passim nigris per summum dorsum obscure fuluo mixtis, odoramentum, fœminæ intra genitale & aluum, mari intra genitale membrum & testes, argenteo cochleari, aut oriculario instrumento eruitur & excipitur. Est autem excrementitius quidam lentor, primo butyri colore, qui mox liuidius redditur. Nulla fere res nostra ætate in maiori pretio fuit, quod vncia vna octonis aureis permutetur. Huius odoramenti vuluam tam amantem esse prædicant, vt ad id vndecunque admotum, irrepat. In huius itaque strangulatione ex eo pessos conficere præstat. Nomen suum in officinis retinet. E

De Metallicis. Cap. XVII. F

Metallũ. Metallum est *corpus fossile, quod natura vel sua sponte natum est, & e terris quæsitum eruitur, aut liquidum, vt argentum viuum, aut durum, sed quod igne liquescat, vt aurum, argentum, æs, & plumbum, vel mollescat, vt ferrum, idque Græcis αὐτοφυὲς nominatur: vel quod arte conficitur, eaq; de caussa factitiũ appellatur, vt alibi fusius docuimus.* Sic autem Græcis ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, id est,

A *ab inquirendo & perscrutando* dictum est. Vt metallum omne id sit, quod in venis terræ generatum latet, & in vsus nostros eruitur. Plinius tamen *lib. 33. c. 6.* ob id μέταλλα nominata esse putat, quod μετ' ἄλλων cum aliis, vel μετὰ τὰ ἄλλα, post alia inueniantur. Metallica itaque medicamenta sunt, quæ vel ipsa metalla exsistunt, aut iuxta metalla reperiũtur, vel dum in fornacibus illa excoquuntur, fiunt, vel aliquo alio modo ex iisdem conficiuntur. Visitata officinis sunt quæ sequuntur. *Aurum* metallorum omnium pretiosissimum, præstantissimumq;, quod indice lapide exploratur, colore scil. fuluo in lapide relicto. In foliola & bracteolas multis ictibus latescit, quibus medicamenta inaurantur. Quod statim suum & natiuum est, Græci vocant ἄπυρον, id est, *ignem non expertum*: contra quod vsq; eo coquitur, dum argentum omne ab eo fuerit separatum, ἄπεφθον. Idem *obryzum* nominatur. Bibitur maxime ad cordis affectus, & animi mœrores.

Metallica.

Aurum.

B *Argentum* similiter in bracteolas latescit, & foliatum redditur.

Argentum.

Arrenicum vetustis Græcis & Atticis, posterioribus, cõmutatione ρ in σ, *Arsenicum*, Latinis scriptoribus *Auripigmentum* dicitur. Officinæ Græcam appellationem retinuerunt, & ab Auripigmento distinxerunt. Arsenici autem duo sunt genera, natiuum, & factitium. Natiui rursus tres sunt species, colore & figura differẽtes. Vnum, quod auri imitatur colorem, & ex multis tenuibus crustis, tanquam squamis, constat, vt altera alteri imposita videri possit, & findi, vt lapis specularis, *de quo infra dicemus*. Id si purũ fuerit, præstantissimum est. Alterum, magis auri colorem imitatur, nec est nisi puluis seu arena, cuius Theophra. *in libello de Lapidib.* meminit. Tertium in glebas cõcretum est,
C & lapidosum, ac Sandarachæ quodammodo colorem exprimit. Factitii duo sunt genera, quorum vtrumque splendet: sed alterum album est, quod venis in albo subluteis, aut subrubris distinguitur. Alterum luteum, quod variatur nigris, subrufis, plus minusue luteis venis. Conficiendi modum alibi tradidimus. Seplasiæ quatuor Auripigmenti genera venalia proponunt, nempe album, citrinum, quæ duo sola Arsenici nomen in officinis retinent, rubrum, & auripigmentum. Album factitium est, perinde atq; citrinum, rubrum *Sandaracha* veterum exsistit, de quo suo loco. Auripigmentum autem illis pritim dictuũ, tertium est natiui Arsenici veterum genus. ¶ *Aerugo æris*, quæ non est nisi florida æris rubigo, itidem duplex est, natiua seu fossilis, & factitia. Fossilis, in metallicis Cypriis ærariis, *Dioscoride teste*, duobus modis gignitur. Aut enim ex lapidib. quibusdam
D ærariis exigua, sed bona effloreſcit. Aut ex specu quodam per Caniculæ æstus manat & destillat, copiosa quidem, & grati coloris, sed vitiosa, quod cum multis calculis sit permista. Prior abraditur, ideoque Græcis ἰὸς ξυστὸς, Latinis *ærugo rasilis* vocatur. Posterior sicca colligitur. Est præter has tertia fossilis, quæ a similitudine vermiũ, Græcis ἰὸς σκώληξ nominatur. Factitiæ similiter tria sunt genera. Aut enim abraditur ab ære. Aut in vermes formatur. Aut in mortario æreo efficitur veteri ex vrina, quæ *Santeria*, & ab effectu hodie *Chrysocolla* nuncupatur. Natiua seu fossilis in vsum medicum haud dum recepta est. Rasilis vero factitia hodie vsitata est, & officinis viride æris appellatur.

Natiuum arsenicum triplex.

Factitium duplex. Album. Luteum.

Sep'asiarũ quatuor Arsenici genera.

Ærugo æris duplex Fossilis triplex.

Rasilis.

Factitia triplex. Santeria. Chrysocolla.

Viride æris.

Aes vstum seu crematum vocant *laminas Cupri*, æs enim latini recentiores *cuprum* appellare consueuerunt, vstas. Cremandi modum tradit Dioscorides. Probatur, *eodem*
E *teste*, rubrum, & quod tritum colore Cinnabarim imitatur. Nigrum vero plusquam decet exustum est. Quapropter improbatum duci poterit *æs vstum officinarum*, quod nigrore nimiam vstionem repræsentet.

Cuprum.

Aeris flos ære fuso, & aqua effusa exsilit milii effigie. Quando enim candenti æris massæ aqua frigidissima affunditur, de repente ceu minutissima & rubentia grana, exsilit ac erumpit flos ille. Optimus est breuis, grauis, splendens, cum teritur rufus, friabilis. Hodie in officinis desideratur.

Æs vstum officinarũ improbatum.

Flos æris.

Aeris squama est, quæ malleorũ ictibus de panib. æris excutitur, & gemina exsistit, crassa, & farinæ modo tenuis. Crassa Germanice Kupfferschlag dicitur. Tenuior vero Kupfferbraun/vel Kesselbraun/ Hanc Plinius *lib. 34. cap. 11. Stomoma* vocat. Differt autem
F a squama stomomatis, quod hęc ex chalybe, ferro purissimo & optimo, decussa sit squama, quod Græcis στόμωμα nominatur. Ceterum est etiam squama clauaris dicta, quod e clauis, per quos panes ærei ferruminantur, decussa sit.

Squama æris.

Stomoma Plinii.

Stomoma Græcorum

Squama clauaris.

Alumen, quod Plinio *lib. 36. c. 15. teste*, non est nisi salsugo terræ, aut liquidũ est, aut concretum. Liquidũ duum est generũ. Alterũ purum, lactei coloris, pellucẽs, æquale,

Alumen. Liquidum, Rochæ.

& omni sui parte succosum, non lapidosum, & ignem olens. Id quia propter puritatem in primis vtile est, Græcis φθειμον vocatur. Alterum, est impurum, pallidum, & scabrum, officinis vtraq; ignota. Hoc quia sordibus inquinatum est & peruersum, παρέφθορον, quasi fraudulentum siue deprauatum appellatur. Concretum itidem duum est generum. Quoddam enim scissum siue scissile, & Serapioni Iamenum vocatur, estq; quatuor generum. Vnum quod est cuiusq; glebosi, & natiui veluti flos, quod optimum, & gustu maxime adstringens exsistit. Hoc autem singulatim effloruit simile canis capillis, hincque adeo Græcis τριχῖτις, latinis *capillare* dicitur. Non est autem id, quod Seplasiis hodie *alumen plumosum* nominatur, *vt alibi efficacissimis argumentis probauimus*. Hoc enim non est nisi Amiāthus dictus lapis, qui scissilis est & friabilis: eamq; obtinet naturam, vt ab igne nunquam absumatur, etiamsi aliquot diebus vritur, vt suo loco latius dicemus. Hic certe lapis præter alia nomina, quæ alibi indicauimus, a Quadrigario, propter similitudinem, quam cum alumine scisso habet, alumen etiam dictus, vt nihil mirū sit, hoc nomen adhuc hodie in Seplasiis retinere. Scissilis aluminis quatuor sunt genera, quemadmodum *lib. 9. de Simp. medic. facul. cap. 30.* diximus. Alterum, est rotundum, & plurium generum. Aut enim manu confictum, aut suapte natura tale. Aut bullarum modo intumuit, vel foraminum fistulis quandam spongiæ speciem gerit, vel est solidum. Aut tali formam præ se fert, & Græcis ἀστραγαλώτης, id est, *talare* dicitur. Aut lateri colore simile est, ac πλινθῖτις, hoc est, *laterculariũ* nuncupatur. Aut ex crustis massisue in tabellæ formam congestis constat, & πλακῖτις, id est, *crustaceum* vel *tabulatum* rectius appellatur. Nullum vero ex iis omnibus Aluminis generibus hodie in officinis Medicorum prostat venale. Quapropter pro iis vtendum nobis erit gleboso factitio, cuius hodie in officinis magna est copia. Pro illis autem hodie vsitata sunt alia sex Aluminis genera, nempe *Rochæ*, quod *rupeum* alio nomine vocant, *plumeum*, de quo diximus, fecis vini, *catinum*, *scaliole*, & *zuccharinum*, de quibus alibi fusius disseruimus. Ceterum ex glebis natiuis, qualescunq; fuerint, hodie in metæ massæue turbinatæ formam & figuram effingunt id, quod officinæ *Zuccharinum* vocant. Sed quod *Catinæ* & *Scaiolæ* appellant, ex aliis conficiuntur rebus hoc quidem e lapide Squamoso, qui in ignem coniectus similis fit Gypso, illud ex herba Cali Mauritanis dicta, combusta. Nam huius cinis *Alkali* Mauritanis vocatur. Ex lixiuio autem eius cineris *Sal alkali* iisdem dictus resultat. Cinis autem ille induratus, ipsis *Alumen Catinum* appellatur.

Margin notes: φθειμον. παρέφθορον. Concretũ. Scissile. Capillare alumen differt a plumoso. Amiantus lapis. Rotundũ. Talare. Laterculariũ. Crustaceũ. Zuccharinum. Catinæ. Scaiolæ.

Cadmia, quam Barbari & Seplasiæ *Climiam* vocant, duplex est, scilicet natiua & factitia. Natiua seu fossilis, rursus in duas digeritur species. Vna metalli expers, quæ certioris discriminis gratia simpliciter *fossilis* appellari potest. Ea æs tingitur ex rubido in aureum colorem, nominaturq; Græcis *Orichalcum*. Cadmiam enim hanc fossilem conbibens æs, fit *Orichalcum*, quod Germanice Messing dicitur. Lapis vero est sublutei coloris, interdum non multum durus, scaberq;. Hinc Festus Pompeius terram nominat. Crematus luteum emittit fumum, & Seplasiis *Calaminaris* vocatur. Quo tamen nomine primum fragmenta Cadmiæ, quæ ferreis fornacum hastis adhærent, quoniam caua sunt, & calamo similia, *vt paulo post fusius dicetur*, nuncupata fuerunt. Hodie autem sola fossilis nomen hoc a calamo sumtum obtinet. Germanice Calmey, vel magis corrupte Galmey appellatur. Altera, cum adiectione Cadmia fossilis metallica, quod metalli fertilis sit, Germanis Cobalt nominatur. Hanc Galenus olim in montibus & riuis Cypri iuxta metallum se inuenisse scribit. Color ei niger, aut fuscus ferreusue aut cinereus. Hanc Plinius lapidem ærosum vocat. Errant itaq; qui eundem cum Calaminari esse putant. Factitia Cadmia est, quæ in fornacibus, vbi æs eliquatur & coalescit, efficitur. Quapropter merito Cadmia fornacum vel fornacaria dicitur. Quanquam autem Cadmia hæc in fornacibus, in quibus etiam venæ auri, argenti, & plumbi nigri excoquũtur, fit, tamen optima in ærariis, & quidem ex pyrite, & Cadmia fossili metallica, efficitur. Huius autem Cadmiæ quatuor sunt species. Prima fit, vbi crassa materiæ pars egeritur, & post Diphryges parietibus fornacum insidet, quod propter grauitatem ad summitatem peruenire non potuit, atque in corpus crustæ simile concrescit. Græcis nonnullis πλακῖτις, Dioscoridi πλακώδης, Latinis *crustosa* & *crustacea* nuncupatur. Aliis quibus maculas lineis, vel zonis similes habere visa est, ζωνῖτις, id est, *linearis* vel *cingularis* vocatur. Quibus autem venas Onychis lapidis referre videtur, ὀνυχῖτις appellatur. Altera species,

Margin notes: Cadmia. Natiua duplex. Fossilis simpliciter. Orichalcũ. Calaminaris lapis. Cadmia fossilis metallica. Lapis ærosus. Factitia. Fornacaria. Cadmiæ fornacariæ quatuor genera. Crustosa. Cingulum. Onychytis.

A species in iisdem fornacem locis humilioribus, & itidem ex crassa fit materia: quę quia terrena & dura, & quasi testacea facie superficieue est ὀστρακίτις, id est, testacea nominatur. Tertia, tenuis materiæ pars est egesta, quæ propter leuitatem magis in sublime fertur, & in altioribus fornacum locis insidet, ibique pariter in corpus concrescit, cuius superficies vuarum speciem gerit. Hinc Græcis βοτρυῖτις, id est, *racemosa* dicitur. Cadmiam efficit quæ curua & caua, calamoq; similis est, ideoq; veteribus *Calaminaris* vocata est. Officinæ hodie & vulgus medicorum perperam Thutiam Alexandrinam vocant: & pro vera Thutia, quæ Græcorum est *Pompholix*, vendunt. Quarta, tenuissima materiæ pars gesta est. Quapropter quum propter leuitatem altius cum fumo feratur, Græcis καπνῖτις, id est, *fumaria* dicitur. Testacea. Racemosa. Calaminaris veterū. Officinarū error. Capnitis.

B *Chalcanthum vel Chalcanthus* Græcis, atramentum sutorium latinis dicitur. Priorem appellationem, quod ex ære quodammodo efflorescat, alteram vero ab atro, quem reddit colore, & quod olim eo coria sua tingebant sutores, nactum est. Seplasiæ *Vitriolum*, quod vitri aut crystalli modo translucidum sit, Germani **Kupfferwasser**/nominant. Hoc, Plinio auctore, geminum est fossile natiuumve, & factitium. Fossile ex humore constat, qui gelu concreuit, aut in venis vel fibris, vel commissuris saxorum, aut dum ex iis guttatim destillat, nondum tamen in canales decidit, quo sane modo de eorum cameris stiriarum instar dependet: aut postquā destillauit, quomodo reperitur in earum solo. Verum siue dependeat de cameris, siue humi iaceat, σταλακτικόν, id est, *stillatitium* nominatur. Cum capillis vel plumis similitudinem habet, adeoque molle & tenue est: aut Chalcantus. Atramentū sutorium. Vitriolum. Fossile. Stillatitiū.

C stiriarum modo concreuit, aut glebæ formam obtinet. Coppam rosam Itali, Germani **Gockelgut** nominant. Factitiū duplex est. Vnum Græcis πηκτὸν, hoc est, *concretitium* vocatur. Id vbi e speluncis cuniculisue vel effertur, atque in piscinas quadratas excauatosve scrobes effunditur: vel inde corriuatur frigore, aut solis calore concrescit. Hoc viride est, & Seplasiis hodie *Vitriolum Romanum* appellatur. Alterum Græcis ἑφθὸν, id est, *coctile*, vocatur. Decoquitur enim aqua atramentosa in ahenis quadratis. Ceterum sutorium atramentum variis præditum est coloribus. Nam aut candidum, aut pallidum, aut viride, aut ceruleum est. Differt a metallico atramento, quod priuatim Græcis μελαντηρία dicitur, quod scilicet colore cinereum & nigrum sit. Latinis *atramentum* eadem de caussa nominatur. In cuniculorum faucibus & cauernis reperitur. Officinis incogni- Factitium. Concretitium. Vitriolum Romanū. Melanteria.

D tum. Est & præter hæc tertium atramentum scriptorium librariumue vocatum, Græcis μέλαν nuncupatur. Atramentum scriptorium.

Chalcitis est semper natiua, quæ sponte sua nascit, & in fodinis concreta inuenitur, æris ruborem & colorem habet, vnde & nomen accepit, ac *Rubra* dicta est. Germanis **rot Kupfferwasser oder rot Atrament** vocatur. Optima, *Dioscoride teste*, æri similis est, friabilis, nec lapidosa, recens intercursantibus oblongis & splendentibus venis fibrisue. Ex Chalcantho veteri fit, *Galeno attestante*, qui Chalcāthum paulatim in Chalcitim transire scribit. Neutra officinis hodie vsitata. Quum autem Misy & Sory eiusdē cum Chalcite sint tū naturæ, tū facultatis, pręstat, neglecto alphabeti ordine, hoc loco de iis disserere. Chalcitis. Rubra.

Misy gleba est substantia, sapore, & viribus Chalcantho similis, & dum friatur arenosæ naturæ, colore aureo seu luteo, & stellarum instar scintillans. Errant igitur, qui Misy.

E vulgo *vitriolum Romanum* appellari putant. Nam illud viridi potius, *vt dictum est*, aut cæruleo, non aureo, colore constat. Misy præterea fossile est, & quod sponte in terræ visceribus nascitur. Vitriolum autem Romanum factitium est Chalcanthi genus viride, quod concretitium vocatur. In officinis desideratur, in fodinis tamen Goselariæ ærariis reperitur, & **geel Atrament** dicitur. Misy nō est vitriolum Romanum.

Sory itidem fossile, & natiuum est, ac Melanteriæ metallicæ cognatum. Lapidis præterea duritia, ob vehementem concretionem, ideoque crassarum partium exsistit. Colore, vt metallicum atramentum, cinereum & nigrum, nonnihil tamen ad rufum declinans. Hinc est, ꝙ Germanice **graw Atrament** nominetur. Porro vt Sory est crassis-

F simarum partium, ita Misy tenuissimarum. Chalcitis autem medium quiddam tenet. Probatur Sory, quod dum frangitur & nigrius apparet, ac splendet, in foramina multa dehiscens, quod est subpingue, quod valide fulminis olet virus, quod olfactum stomachum subuertit. Officinis non cognoscitur.

Calx duplex est, viua & exstincta. Viua seu nō exstincta, Græcis ἄσβεστος dicitur. Bifa- Calx. Viua.

riam fit, nempe ex albo lapide e propriis fodinis eruto & marmore viliore, vel calculis A
litoralibus coloris cæsii vel candidi. Fit etiã ex testis Ostrearum & Buccinorũ, ad eum modũ, qui est a Dioscoride ostensus. Ex quo certe calcis genere publica & priuata ædificia in tota maritima Germania fiunt. Calx quædam est aqua sæpius exstincta.

Exstincta.

Cerussa. *Cerussa*, Græcis ψιμμύθιον dicta, non est nisi plumbum nigrum acerrimi aceti halitu incrassamentum, post intrusatili mola tritum, denuoque cribratum in candidum puluerem pollinemue resolutum. Cerussæ conficiendæ modum alibi ostendimus. Porro si Cerussa vratur donec rufum contrahat colorem, Sandyx nominatur. Vitruuius *lib. 7. cap. 12.* Sandaracam, quod nimirum veræ Sandarachæ colore similis sit, appellauit. Latini colorem hunc *Minium secundarium*, officinæ simpliciter *Minium*, Germani Mennig vocant.

Sandyx. Minium secundarium.

B

Chrysocolla. Natiua. Chrysocolla duplex est, metallica seu fossilis, natiuaue & factitia. Natiua, in fibris & venis gignitur, aut per se plerunq; arenæ similis reperitur, aut materiæ metallicæ adhæret, atque hinc abrasa cuiusdam arenæ similitudinem gerit: aut quum aquæ iam dictas species lambunt, pulueri similis subsidit. Germanis Berckgrün / Schiffergrün dicitur. Laudatur quæ in ærariis fodinis, secundum locum obtinet quæ in argentariis, & tertium quę in aurariis inuenitur. Quæ ex plumbi cauernis exudat, deterior. Officinis ignota est. Factitia duplex est: altera ex dura natiua fit, tingiturque lutea herba, ob id herbacea dicta. Atq; ea laudatissima est, natiuaq; preciosior. Conficiendi eius modum tradit Plinius *lib. 33. cap. 5.* Altera, qua aurifices ad glutinandum aurum vtuntur. Hanc Dioscorides inter ærugines enumerat, & Plinio *Santeria* dicitur. Fit ex Cyprio ære, pueri impubis vrina, & nitro. Quia vero propter Cyprii æris penuriam hodie confici non potest, altera & recentiorum Chrysocolla in eius locum successit, quæ fit ex nitro fossili, *vt suo loco fusius dicemus*, ac Serapioni aliisq; Mauritanis *Tincar*, officinis *Borax*, quod nomen ipsi cum reliquis Nitris est commune, dicitur. *Baurach* namq;, aut potius *Borax*, Arabibus omne nitrum appellatur.

Factitia.

Santeria. C

Tincar. Borax. Baurach.

Cinnabaris. Theophrasti. *Cinnabaris* duum est generum, veterum scilicet ac recentiorum. Veterum iterum in duo partitur genera. Vna quidem est Galeni & Theophrasti, quæ in libello de *Lapidibus* illi κιννάβαρι nominatur. Hæc non est nisi Minium natiuũ, quod aliis Græcis ἄμμιον, id est, *arenula*, & ἄνθραξ vocatur. Verum esse, quod dicimus, ostendit abunde Plinius *lib. 33. cap. 7.* vbi ex professo Minii historiam perscribit, Theophrastumque citat, & ad minium omnia, quæ ille ad Cinnabarim retulit, perspicue accommodat. Minium autem natiuum, seu Cinnabaris fossilis, lapis est rubens, non extrema duritie, hinc est, quod aliis gleba & arenula potius dicatur, atqui ponderosissimus, & non raro argento viuo ita farctus, vt sponte exstillet, haud aliter quam arte, & vi ignis elicitur. Germanis Bergzinober vocatur. Hoc plane venenatum & exitiosum exsistit, atque in metallis strangulantem halitum eructat. Eo pictores olim ad sumptuosa parietum ornamenta vsi sunt. Quod autem Galeni Cinnabaris non sit alia, quam Theophrasti, paulo post, vbi prius, quæ sit Dioscoridis indicauerimus, monstrabimus. Altera est Cinnabaris Dioscoridis, quæ nonnullis non est, nisi liquor ex Aphrica allatus, vi eadem, qua lapis Hæmatites, non foris tantum adhibitus, sed etiam intra corpus sumtus pollens. Quorum tamen sententiam probare, ob caussas capite 10. expositas, haud possum. Hanc Cinnabarim Plinius, vulgi secutus opinionem saniem Draconis illisi, Elephantorum morientium pondere, permixto vtriusque animalis sanguine esse scriptum reliquit, qui intento nec diluto sanguinis modo colore præditus est, sanguinem animantis esse falso credens. Veterem autem hanc appellationem a vulgi opinione natam, recentiores subinde Græci retinuerunt, & hodie etiamnum Seplasiæ succum cuiusdam vel arboris, vel herbæ *sanguinem Draconis* nominant, vel quod sanguinem in picturis reddat, vel quod hoc nomine, in iis, vnde affertur locis vocetur. De hoc tamen & Dioscoridis Cinnabaris supra cap. nimirum 10. abunde diximus. Porro Galeni Cinnabarim non esse a Theophrasti Cinnabari diuersam, multis argumentis constat. Nam illam *lib. 9. de simpl. med. facultat.* inter metalla, perinde atque Theophrastus recenset. Præterea ibidem acrem illi inesse facultatem, & in capite de cæruleo detrahendi ac minuendi carnem facultatem habere memoriæ prodidit. Denique *lib. 1. de compos. medicam. localium. cap. 28.* Cinnabarim inter calefacientia, mordentia, & discutientia numerat medicamenta, & eandem cum suillo felle

Miniũ natiuum, seu Cinnabaris fossilis. D

Dioscoridis Cinnabaris.

E

Plinii error.

Sanguis Draconis.

Galeni Cinnabaris. F

A lo felle confert. Vt hinc omnibus perspicuum euadat, Galeni Cinnabarim etiam vene-
nis annumerari, adeoque a Theophrasti Cinnabari nihil differre. Nam quum ea, quæ
carnem detrahunt ac imminuunt, eiusdem sint generis cum σηπτικοῖς, id est, *putrefacienti-
bus*, quemádmodum Galen. *lib. 5. de simp. medicamen. facul. cap. 15.* ostendit, vt eadem quo- Cinnabaris
que venenata sint oportet. Recentiorum, & qua hodie officinæ vtuntur Cinnabaris, fa- recentiorũ.
ctitia est. Siquidem ex argento viuo & sulphure a Chimistis conficitur. Germanis Zi-
nober dicitur. Est & hæc, perinde atque Theophrasti & Galeni, venenata & exitiosa, id-
eoque intro corpus haud sumenda. Sola autem Dioscoridis Cinnabaris innoxia est, in-
tro etiam in corpus assumta.

Diphryges etsi officinis incognitum & inusitatum est, tamen quum creber eius a- Diphryges.
B pud veteres vsus fuerit, præstat etiam quid sit, breuiter hic commemorare, quo aliquan-
do in vsum reuocari possit. Eius tria sunt genera. Primum metallicum & natiuum, quod Natiuum.
in Cypro gignitur, hincque adeo *Cyprium* dictum est. Fit e luto, quod e specu quodam
Cypri extrahitur, & extractum sole siccatur, mox circumpositis sarmentis vritur. Hinc
Diphryges, quasi bis, a sole scilicet & a sarmentis, tostum crematumue, appellatum est.
Alterum genus factitium est. Fit enim in fornacibus, & excocti atq; perfecti æris veluti Fex æris.
sedimentum quoddam, & fex subsidens exsistit. Id enim postquam æs effluxit in cati-
num, remanet in fornace, in eius fundo tanquam vstorum in foco lignorum cinis resi-
dens, vt alibi fusius monstrauimus. *Tertium*, ex Pyrite æroso fit lapide, quando is, vt calx Pyrites cõ
in camino donec rubescat, vt rubrica concrematur. Hoc etiam, *vt tradit Dioscorides*, fit crematus.
C ex sola materia, quæ æris lapidem, quando assatur, gignit.

Ferrum duplex est, natiuum & conflatum, seu excoctum. Natiuum est purum, & Ferrum.
reperitur in fodinis. Germanis gediegen Eissen/ dicitur. Alterum conflatũ seu excoctum,
quod in ferreis officinis excoquitur, quas Hammerschmitten Germani nominant. Fit du-
plici modo, nempe vno ex lapidibus ferreis. In eadem vena nõ raro reperitur Magnes
tanta illi cum ferro est familiaritas, & amicitia. Altero ex terra rubra, ferrugine quasi le-
sa. Plura de ferro Plin. *lib. 34. c. 14.* Rubigo autem ferri, *Dioscoride attestante*, egregiã in re- Rubigo
stringendo, siccandoq; facultatem habet. Recrementum ferri, quod Germanis Eisen- ferri.
schlack/ & Zunderstein oder Sunderstein vocatur, eandem quam rubigo vim obtinet.

Gypsum cognata Calci res est, non tamen ita calidũ. Differt primum colore: can- Gypsum.
D didum enim plerisque in locis reperitur, in aliis in candido cinereum, cinereum item
nigris maculis interstinctum, cinereũ tantum, subrufum, & viride. Dein nitore: aliud
enim stellarum instar micat, aliud marmoris modo nitet, aliud translucet. Postremum
figura: Quippe aut est glebosum, aut ex crustis constat, aut quemadmodum Salammo-
niacus fissum videtur. De quo plura alibi diximus.

Hydrargyrus Galeno ac aliis Græcis, quasi aqueũ argentum dicas, Aristoteli ἄργυρος Hydrargy-
χυτὸς, hoc est, *fusile argentum*, quod scilicet solidum non sit, sed fusum ac liquidum, Lati- rus.
nis a motu, quia stare loco nescit, & suo pondere hac illac fertur, *Argentum viuum* no- Argentum
minatur. Chimistæ & hos imitantes officinæ medicorum *Mercurium* vocant. Est autem viuum.
argentum viuum duplex, natiuum scilicet, & factitium. Natiuum & purũ in lacunis re- Mercurius. Natiuum.
E peritur. quum aquæ, quibus venæ stillant, Minium madefecerint. Eo enim modo coit,
& in argentum viuum vertitur. Factitium ex Minio conficitur ad eum modum quem Factitium
Dioscorides, & Plin. *lib. 33. cap. 8.* tradunt. Ceterũ idem Plin. *ca. 6. iam citati libri*, natiuum, Plinii errores.
argentum viuum nuncupat, factitium autem Hydrargyron: quo nomine merito a Leo-
niceno est reprehensus. Diuersis enim verbis diuersas res significari putauit, quum ta-
men constet vtrumq; argẽtum viuum vtrisq; vocibus denotari. Quæ ad temperamen-
tum eius ac vires attinẽt, copiose admodum *lib. 9. de simpl. med. facul. sect. 3. c. 32.* docuimus.
Porro vbi in sui generis vas a Chimistis impositum fuerit argentum viuum, calore ignis
in sublime fertur, atque ex eo efficitur corpus albũ, quod *Mercurium sublimatum* nomi-
nant. Conficiendi modus is est. Argentum viuum in vas vitreum cõiicitur, adiecto sale
F quod *ammoniacum* vocant. Vtraque simul mixta, ac in fornacem posita, ignis vi & calore Mercurius
in sublime feruntur, ex eisque corpus album salis aut Sacchari colore præditũ, efficitur, sublimatus.
quod *Mercurium sublimatum* appellant. Efficitur etiam argentum viuum, rubrum, quod Mercurius
Chimistæ *Mercurium præcipitatum* appellant, hoc quidem modo. *Aluminis, & atramen-* præcipita-
ti sutorii æquales partes sumuntur, quibus salis dimidio plus altero eorum additur. Destillatur tus.

hoc totum cum vitreis vitis. Stillatitii huius pondo vnum, argenti viui tria in vas vitreum ponuntur, inde destillantur, & auctis ignibus perseueratur tantisper, donec fumus & vas rubescant, nec liquoris quicquam supersit: demum fracto vase colligitur argentum viuum, quod coire iam videtur instar lapidis, hoc tenuissime teritur in Porphyritide tabula, & denuo excoquitur ac destillatur, donec siccetur in vase vitreo. Rursus fracto vase materia, quæ superest colligitur, ac denuo teritur in eadem tabula subtilissime, postea ipsum in æneo vase reperitur: suppositoque igne valido, cum æneo pistillo miscetur, & agitatur per duarum horarum spatium, quoad splendorem ferme ac rubedinem minus acquirat, tuncque exceptum seruatur vitreis vasis. Citra dolorem carnes erodit, & putrescentia vlcera siccat. A

Lithargyros. Spuma argenti. *Lithargyros* Græcis, Plinio & aliis scriptoribus. *Spuma argenti*, quod vena conflata igne, vt in omni coctura fit, eam veluti spumam reddat, dicitur. Qui igitur lithargyron, id est, *lapidem argenti*, nominant, hi ortæ rei duritiam: qui vero spumam, hi nascentis naturam considerant. Rectius autem *spuma*, vel *lapis plumbi* diceretur, quod scilicet hæc spuma ex plumbo nigro conficiatur, & vicissim ex ea plumbum. At nec ex argento spuma fit, nec ex spuma argentum. Nam si quando ex mistura plumbi & argenti, quum argentum separatur a plumbo, fit spuma, eam non ex argento, sed ex plumbo fieri hinc cognoscitur, quod de argento nihil depereat: plumbum vero totum mutetur partim in hanc spumam, partim in plumbaginem. Quod quum Dioscorides, Plinius & alii quidã non animaduerterunt, factum est, vt ex argento etiam hanc spumam fieri putauerint. Germanice Glett vel Bleyschaum rectius, quam vulgo consueuit, Silberschaum appelletur. Conficitur sex modis, ex arena plumbaria, e lapide plumbario, ex plumbeis laminis, e mistura plũbi, ex argenti mistura, ex auri mistura, vt alibi fusius docuimus. Spuma hæc colore differt: siquidem aut fulua est, aut candida. Fulua, nõ quod ex auro fiat, vt nonnulli arbitrantur, sed propter coloris similitudinem, quam cum auro habet, Græcis χρυσῖτις, officinis *Lithargyrum auri*, Germanis Goldtglett nominatur. Candida propterea, quod argenteum refert candorem, Græcis ἀργυρῖτις, Seplasiis *Lythargyreum auri*, Germanis Silberglett, non quod ex argẽto fiat, dicitur. Fuluum vero colorem *Chrysitis* contrahit, quod maiorem vim ignis passa sit. Argyritis, quod minorem vim ignis sensit, candidum contraxit colorem. B C

Dioscoridis & Plinii lapsus. Spuma argenti sex conficitur modis. Fulua Aureaue. Candida.

Minium. Natiuum. Factitium. *Minium* duplex est, natiuum & factitium. Natiuum, quod a Vitruuio *lib. 7. suæ architectura cap. 8. & 9.* describitur, non est nisi Theophrasti & Galeni Cinnabaris, *de qua supra abunde diximus*. Eo pictores vtuntur. Factitium, alio nomine *secundarium minium*, & *Sandyx*, Germanis Mennig, *vt suo loco ostendimus*, appellatur. D

Nitrum vel *Litrum*, quod Arabibus *Baurach* dicitur, Sali cognatum est, quod similiter ac sal aut nascatur, aut cõficiatur. Habet vero triplicem differẽtiam trib. distinctam nominibus. Est enim *nitrum* simpliciter dictum, est *spuma nitri*, & *aphronitrum*. Nitrum simpliciter dictum geminum est, natiuum & factitium. Natiuũ est, quod sine artificio, & suapte natura cõdensatur. Primum eius genus est, quod ex terra nitrosa imbre perfusa, & a sole densata efficitur. Hoc non aliorum fossilium modo cæditur, aut ligone e mõtibus effoditur, aut ex subterraneo specu excauatur, sed ex solitudine & campis concretum legitur. Nihil tamẽ vetat, quo minus ligone auferatur: sed nullo modo tectum terra reperitur. Quod vero ita solis calore densatur, & suapte natura sese coagulat, in aceruos condunt, vt duret: alias n. ab imbre liquatur. Quapropter vt densari cœptum est, rapit, aut relictum in aceruos, vt comprehẽsum est, conditur. In hoc genere Nitrũ præfertur leue roseo colore, aut cãdido, in foramina dehiscens, perinde quasi spõgiosum quiddã durũ ac spissum, & lapidi similius, quale est Aegyptium, quod lapidis instar induruit in aceruis, qui eo quod collium habeant speciem, βουνοὶ Græcis dicuntur, *vt alibi fusius docuimus*. Nitrum hoc, quod beneficio terræ, & æstuantis solis vi perficitur, atque in conuallibus & cãpis sua sponte ex terra efflorescit, ἁλμυράγην Græci peculiariter vocãt, nomine ducto partim ex sapore, quẽ habet subsalsum, partim ex eo, quod e terra erũpat, ab ἅλμη & ῥήγνυμι. Præter hoc quod diximus, alterum est itidem natiuum, quod ex fluminib. lacubus, vel fontibus, quorum summitas in Nitrum densatur, colligi solet. Quum enim aqua Nili, aut fontis, aut lacus diu in conualle steterit, saluginosa & nitrosa tandẽ euadit, quãdam ad se substantiam ex profundo, & salsam materiam euocans, quę postea salis instar, calore solis concrescit, duriorque ipso sale redditur. Porro nitrosus quidam est lacus in E F

Nitrum. Natiuum. Primum. Bouoi. Halmirage. Natiuum alterum.

Mace-

A Macedonia, qui circa Canis ortum gignit Nitrum, quod veteres scriptores *Chalastræum* nuncupāt. Ceterum factitii Nitri plura sunt genera. Vnum, fit in Aegypto, maxime ex Nili aquis, quæ nitrosæ sunt, in nitrarias infusis. Hoc eodem modo vt natiuum, priusquam densari cœptum est, rapitur, ne in nitrariis resoluatur. Hoc, *Plinio auctore*, fuscum & lapidosum est. Factitium præterea Nitrum est, quod Græco nomine nostris *Chrysocolla*, Arabico *Tincar*, Barbaro *Borax* dicitur, *vt supra quoq; diximus*. Porro quod Nitro ipsi insidet, ac sub dio tum in conuallibus, tum in nitrariis ex sese efflorescit, vt in salinis; tenuissimum & leuissimum; spuma siue flos, Galeno præsertim *lib. 4. de Simpl. medicament. facultatibus cap. 20.* frequentius tamen *spuma*, nominatur. Hanc autem Græci duabus separatis vocibus ἀφρὸν νίτρου appellant, vt distinguant ab eo, quod iisdem composita voce ἀφρόνιτρον nominatur.

Factitium nitrum.

Chrysocolla.

Spuma seu flos Nitri.

Aphronitrũ quid.

B Quid vero Aphronitrum sit, vnus duntaxat Plinius ostendit, qui id esse scribit, *quod in speluncis & antris mollibus destillans colligitur*. Id quia spumæ concretæ simile est, coniunctis duabus vocibus ἀφρόνιτρον nominauerunt, vt illud a spuma nitri, quæ non ita compacta & concreta est, sed aspectu triticeæ farinæ similis, quamque hoc nomine separatis nominibus ἀφρὸν νίτρου, vt comprehensum est, vocant, discernerēt. Duplex autem Aphronitrum exsistit. Vnum, quod ex speluncarum cameris stiriarum instar concretum pendet. Id quia nullam in se terream vel grauitatem, vel crassitiem habet, optimum est, & Galeno *album* appellatur. Alterum est, quod liquidum adhuc excidens, in terram defertur. Id ob admixtam sibi terram, graue est, terreamque crassitiem habet: ob id nigrius & deterius exsistit.

Album.

Nigrum.

C Præter iam dicta est etiam, quod *Halinitrum*, vel vt hodie loquuntur, *Sal nitri*, Germanice Salpeter, quasi dicas *sal petrosus*, vocatur. Fit duobus modis. Primo, ex molli & tenuissima materia, quam exsudant veteres muri, rupes, saxaq; montium. Hoc cum Asiæ petræ flore magnam similitudinē & cognationem habet. Atq; inde illi Germanicam nomenclaturam Salpeter inditam esse omnibus perspicuum est. *Secundo*, ex terra putri & salsuginosa, e stabulis, & similibus locis, in quibus animalia diu minxerunt petita, conficitur. Hanc enim ita præparant & madefaciunt, vt salsedinem omnem exsuat: Halinitrum autem candidum est, *translucidum, salsum, subacre, rarum, leue.* Ignem ocyssime concipit, & in flammam totum mutatur. Quapropter vtile est ad compositionem pulueris tormentarii vocati, qui accensus missiles globos tormentorum bombardarumue extorquet.

Halinitrum.

Asiæ petræ flos.

D Etsi autem Halinitrum multum differat a legitimo Nitro, tamen quum etiam sit tenuium partium, & abstergat in veri Nitri penuria, eo in compositione medicamentorum vti licebit. Ex iis, quæ hactenus diximus, omnibus perspicuum euadit, Galenum non temere multis in locis suorum monumentorum separatim nitri, spumæ nitri, & aphronitri facere mentionem. Nam inter se tria hæc, *Nitrum, spuma nitri, & aphronitrum*, vti ostensum est, differunt. Quæ autem inter spumam Nitri & Aphronitrum sit differentia, diserte Galen. *lib. 9. de Simpl. medicament. facul.* docet, qui spumam nitri inquit aspectu triticeæ farinæ similem esse, hoc est, *laxam, dissolutam, & candidam*. Aphronitrum autem farinæ speciem non habere, neq;, vt illam, dissolutum laxumue, sed concretum, coactum, & compactū esse. Vt hinc pateat, spumam nitri consistentia, quam aphronitrum, tenuiorem esse.

Nitri spuma & aphronitrũ differunt.

E Hanc inter aphronitrum & spumam nitri differentiam veteres probe tenuerunt, & disertis verbis explicarunt. Quippe Galen. libro paulo ante citato, ita de iis scriptum reliquit: ἀφρόνιτρον ἀφροῦ νίτρου διαφέρει. Aphronitrum a spuma nitri differt. Quanquam eo in loco Græcus Aldinus codex mendosus sit & deprauatus, legatq; ἀφρόνιτρον ἀφρονίτρου διαφέρει. Hāc autem lectionem esse falsam, in primis testatur Paulus Aegineta, qui *libro septimo de aphronitro, & spuma nitri*, tanquam diuersis rebus & inter se differentibus agit, eamq; differentiam ibidem explicat. Dein Aetius *lib. 2. cap. 50.* vbi ad verbum Galeni locum describens, ita inquit: ἀφρόνιτρον καὶ νίτρου ἀφρὸς διαφέρουσιν ἀλλήλων. Quinetiam locum Galeni ita, vt diximus, esse legendum, ea quæ mox in contextu Galeni sequuntur verba euidentissime conuincunt. Nam statim ibidem subiicit; νίτρου μὲν γὰρ ἀφρὸς, &c. ἀφρόνιτρον δ᾽ οὐχ, &c.

Græcus Galeni codex emendatus.

F Serapio quoq; euidenter hanc differentiam innuit, dum *inter se Baurach Aphricum seu spumosum* (sic enim eius interpres Aphronitrum appellat) *& spumam nitri differre* scribit. Præterea Auicenna, etsi Baurach voce confuse ac promiscue iam pro nitro, iam vero pro aphronitro vtitur, si quis eiusdem verba diligenter expendat, hanc, quam diximus differentiam inter aphronitrū & spumam nitri innuere videtur, quum Baurach arme-

num, *nitrum*: baurach aphricanum *aphronitrum*: & spumam baurach, *nitri spumam* appellat. A Accedit quod inter recentiores Græcos etiam Nicolaus Myrepsus hanc differētiam obseruauerit. Is enim illitione *24.* νίτρου ἀφρȣ, illitione autem *43.* & multis aliis locis, ἀφρονίτρȣ mentionem facit. Deniq; Plinius *lib.31.cap.10.* separatim spumæ nitri, aphronitri, & nitri meminit, adeoq; inter hæc tria differentiam agnouisse videtur. Vt iam sole meridiano clarius sit, a spuma nitri diuersum esse, quod composito nomine aphronitrū dicit.

Aphronitrum ab aphrolitro nō est diuersum.

Nihil autem refert, siue ἀφρόνιτρον, siue ἀφρόλιτρον, siue adēta litera ρ ἀφόνιτρον aut ἀφόλιτρον nomines. Vt enim inter se non differunt νίτρον καὶ λίτρον sic etiam ἀφρόνιτρον καὶ ἀφρόλιτρον.

ἀφόνιτρον vox exoleta.

Verum ἀφρόνιτρον & ἀφρόλιτρον verbum est, exoletum, quemadmodum Phauorinus in suo Lexico testatur, inquiens: Τὸ ἀφόνιτρον τελέως ἐξίτηλον καὶ ἀδόκιμον. Atq; hinc est, quod hæc vox aliquoties in Galeni & Pauli libris remāserit, & in manuscripto Nicolai Myrepsi codi- B ce passim ἀφόνιτρον pro ἀφρόνιτρον scribitur. Quum itaq; constet aphrolitron ab aphronitro non distare, euidentissimum est in eodem cap. Gal. in codice Aldino deprauate legi: ἐῤῥέθη χυμὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐν τῷ μεταξὺ κατὰ τὴν δύναμιν εἶναι τὸ ἀφρόλιτρον ἀφρονίτρȣ τε καὶ ἁλῶν. His enim verbis significaretur aphrolitrum in medio consistentem habere facultatem aphronitri & salis, adeoq; ab aphronitro diuersum esse: quod tamen a veritate plurimum abest. Legendum igit᷑ erit pro εἶναι τὸ ἀφρόλιτρον, εἶναι τὸ λίτρον ἀφρονίτρȣ τε καὶ ἁλῶν: vt sit verborum Gal. sensus: *Nitrum in medio consistentem habere facultatem aphronitri & salis.* Sic vero locū hunc esse emendandum, ex capite de salibus, quod ibidem citatur a Galeno, fit manifestissimum, in cuius fine ita scriptum reliquit: ἐν τῷ μέσῳ δὲ ἀμφοῖν ἐστὶν ὁ τȣ̃ λίτρȣ: *in medio autem vtriusq; scilicet aphronitri & salis* (de iis enim duobus locutus est) *sapor nitri exsistit.* Sic enim C conuertendus ille locus erit, & non quemadmodum interpres fecit, *spuma nitri.* Nam articulus ὁ ad vocem χυμὸν, cuius paulo ante ibidem a Galeno est facta mentio, & non ad ἀφρὸν, cuius nusquam eo in capite meminit, referendus erit. Quod alius Galeni locus euidentissime conuincit, qui est *in eodem libro, capite de nitro*, vbi in eum scribit modum: νίτρον εἴρηται καὶ πρόσθεν ἐν τῷ μεταξὺ τȣ̃ ἀφρονίτρȣ τε καὶ ἁλῶν δυνάμεως εἶναι: *Nitrum dictū est antea (capitib. nimirum de salibus, & aphrolitro) in medio esse aphronitri & salis.* Et item alius locus, qui est *lib.11. de Simplicium medicamentorum facultatibus in fine propemodum*, vbi de nitro ita scribit: *Ostensum est & hoc medicamentum in medio salis & aphronitri vires habere.* Præterea Galeni locum prædictum ita, vt diximus, esse legendum & emendandum, Aetius manifestissime docet, qui *lib.2. cap. 61. de nitro* hæc verba Galeni ad verbum transcripsit, inquiens: D νίτρον μεταξὺ τῆς ἀφρονίτρȣ τε καὶ ἁλῶν δυνάμεώς ἐστι. Serapio deniq; Galeni ex hoc capite verba referens, ait: *Natura baurach media est inter naturam baurach aphrici, & naturam salis.* E quibus sane omnibus meridiano sole clarius fit, plurimum hallucinari Ioannem Cornarium Marpurgensem Medicum, qui in suis super primum Galeni *de Comp. medic. localium librum Commentarijs* non veretur apertissimæ veritati reclamare, & falsissimis ac nullius momenti rationibus, ostendere aphrolitrum ab aphronitro esse diuersum, conatur.

Cornarii falsa opinio refellitur.

Nam iis, qui vel Græcas literas a limine tantum salutarunt, notissimum est, hæc duo vocabula eandem rem denotare: nec alia inter se ratione differre, quam quod alterum sit Atticum, alterum communi linguæ familiare. Attico namq; sermoni id peculiare est, vt ν literæ loco λ vsurpet. Insuper errat etiam non leuiter, quod soluta compositione E ἀφρὸς νίτρȣ dicitur, nihil differre censet, quum esse diuersas res etiam dictis abunde constet. Nec rarum est apud Græcos, compositas voces longe aliud, quam dissolutas significare. Siquidem χάλκανθον diuersum est ab eo, quod illis separatis vocibus χαλκȣ̃ ἄνθος dicitur. Differre quoq; λευκάκανθον, ab ἀκάνθῃ λευκῇ nemo ignorat. Et mirum certe est in hac opinione Cornarium perdurare, quum tamē doctissimus vir Augustinus Riccus Medicus, in quadam præfatione Galeni operibus præmissa, illam tanquam erroneam & a veterū sententia alienam, non tantum improbauerit, sed & firmissimis argumentis confutauerit, penitusq; euerterit. Quam falsis autem & confictis rationibus Cornarius pro tuenda sua opinione vsus sit, & quam peruerterit ac deprauarit Galeni sententiam legitimam, tum cognoscent studiosi, si obiter hoc loco prodigiosas nugas, quas nuper in F libello se digno, cui titulum fecit, *Nitra ac brabyla*, protulit, excusserimus, ac rationibus optimis exploserimus.

Confutatio libelli Nitra ac Brabyla.

Principio falsum est, quod se haud ignorasse scribit, quod Græci grammatici λίτρον pro νίτρον Atticos dicere annotarint. Nam statim altero versu met ipse mendacii se conuincit, quum inquit: *Et satis constabat ex Hippocrate & Galeno, λίτρον vel esse omnino*

A *omnino nitrum, vel saltem aliquam eius speciem.* Nam quum ait, *vel aliquam saltem eius speciem,* palam fatetur se adhuc dubitare, num litrum & nitrum prorsus idem sit. Quod autem ignorauerit Græcos Grammaticos λίτρον pro νίτρον dixisse, omnium luculentissime ostendit locus, qui est in eius Commentariis, vbi inter alia sic scriptum reliquit: *Quod vero ita legẽdum sit, etiam postea cap. de litro edocemur, quanquam & tum corrupte* λίτρον *pro* νίτρον *legatur.* Quid per Deum immortalem opus erat Galeni *de Nitro* inscribere potius, quam *de Litro*, quum Græce legeretur περὶ τοῦ λίτρου, & ita legendum esse literarum ordo exposceret, si non diuersum a Nitro Litrum putauit Cornarius? Sin eadem esse censet, cur lectionem legitimam esse corruptam existimat? Vtcunque igitur quæsitis hinc inde coloribus fucum facere veritati Cornarius conetur, tamen tantus est veritatis splẽdor, vt ver-
B borum lenociniis obfuscari haud possit. Fateatur igitur oportet, se nitrum & litrum inter se esse diuersa existimasse; aut manifeste mendax suis inscriptis fuisse deprehendetur. Atqui tanta est illius pertinacia & impudentia, vt conuictus etiam veritati aduersari illum nihil pudeat. Pergit enim in suo illo egregio, si Diis placet, libello, & dicit, se in Ricci iturum sententiam, modo id illi persuasum esset, quomodo spuma nitri & aphronitrum sint diuersa, & non eadem res veluti Dioscoridi & Plinio videtur. Quibus sane verbis palam ostendit, se neq; mentem habere, neque eorum meminisse, quæ ea de re Dioscorides, Galenus, Paulus, & Aetius literis mandarũt, & quę paulo ante a nobis sunt ꝓducta. Et mirum profecto est, Cornarium hoc loco ad Dioscoridis auctoritatem cõfugere, quum contentio inter nos non sit orta de Dioscoridis, sed potius Galeni, cuius
C ipse locum peruertit & deprauauit, sententia de spuma nitri & aphronitri genuina eruenda. Dicendum igitur Cornario erat, quid de illis Galenus statueret, & non quid Dioscorides sentiret. Quem tamen si recte inspexisset, vidisset illum spumam nitri, perinde atq; Galenum, vnica appellatione ἀφρὸν νίτρου appellasse. Siquidem is geminam ἀφρὸν νίτρου, id est, *nitri spumam* fecit, ac bonitate alterã ab altera discreuit. Primas enim tribuit ei, quæ ex Philaldelphia Lydię defertur, quæ non est nisi spuma optimi natiui Nitri. Secundas Aegyptiæ, quæ est spuma nitri eius, quod in nitrariis Aegypti sub dio concrescit, vt alibi fusius diximus. Vt hinc etiam ab omnibus cognoscatur, Cornarium sui erroris patrocinium temere apud Dioscoridem quæsiuisse, quum ille quoq; perinde atq; Galenus & alii Græci, spumam nitri separatis nominibus ἀφρὸν νίτρου appellauerit. Atqui
D ferendũ propemodum erat, quod inter prędicta duo nullam esse differentiam, putauit, modo non eo dementiæ venisset, vt aphrolitrum ab aphronitro diuersum esse affirmare, nulla nec ratione, nec veterum testimonio fulcitus, auderet. Quapropter vt fucum aliquem imperito lectori, & suæ opinioni fidem aliquam faceret, Galeno falsissimam affingere lectionem coactus est, hanc nimirum: ἀφρολίτρου ἀφρονίτρου διαφέρει. Non esse enim locum hunc legitimum, abunde in superioribus a nobis ostensum est. Hinc vt obstinate semel conceptam erroneam opinionem perpetuo tueretur, nihil illum puduit Aetii quoq; locum sua conuersione deformare, & ex vero falsissimum reddere. Is enim de aphronitro & spuma nitri l. 2. ita habet ἀφρόνιτρον καὶ νίτρου ἀφρὸς διαφέρουσιν ἀλλήλων. Quæ quidem verba Cornarius ita est interpretatus: *Aphronitrum, hoc est, spuma nitri, & litri spuma inter*
E *se differunt.* Quod si alicui suspectus hoc loco fuero, illum rogo conuersionem eius, vt adire dignetur. Si non ita conuertisse Aetii verba deprehenderit, mendacii & impudentiæ me liberrime accuset. Quis autem magis detortam & prodigiosam interpretationem vidit aut legit vnquam? Sed non contentus fuit Cornarius hunc quem ostendim⁹ locũ deprauasse, nisi alium quoq; in eodem capite eadem temeritate peruerteret. Nam Serapionis, vt ipse fingit, auctoritate fretus, falsissimam Galeno assuit lectionem, hanc nimirum: τῷ δ' ἀφρολίτρῳ ἀμφότεραι δυνάμεις εἰσὶν, πλὴν ἡ συπτικὴ ὀλίγη. πολὺ δὲ πλείων ἡ ῥυπτική. Quod vt liquido declaremus, initio Serapionis excutiamus verba, quibus ille nititur, oportet, quæ sic habent: *In Baurach autem sunt duæ virtutes simul; nisi quia virtus styptica est in eo pauca; virtus vero abstersiua multa.* Quæ certe verba etiam si legitima essent, & mendo va-
F carent, vt minime vacant, tamen Cornario non ad Aphrolitrum, sed ad litrum potius, quod Serapioni, vt comprehensum est, *Baurach* dicitur, transferenda erant, locusq; Galeni illi ita legendus erat: Τῷ δὲ λίτρῳ ἀμφότεραι δυνάμεις εἰσίν. Quam sane lectionem cõfirmat etiam Auicenna, qui *Canone 2. de Baurach* inter cetera sic scribit: *Et in Baurach quidem est stypticitas pauca cum abstersione bona; propter sui salsedinem.* Atqui Cornario fucus

Cornarii pertinacia.

Dioscoridis de spuma nitri & aphronitro sententia exposita.

Cornarius Galeni aliquot loca deprauat.

Serapionis locus expensus.

quærendus fuit, quo falsam suam & peruersam opinionem ornaret. Serapionis aűt verba, etsi expositionis caussa esse addita alicui videri possunt, tamen deprauata esse quiuis facile animaduertet, si illa cum Galeni verbis, vnde desumta sunt, contulerit. Nam quæ a Serapione Baurach tribuuntur, hæc Galen. *lib. 9. de Simpl. med. facultat.* Sali adscribit, inquiens: ὁ δὲ ἐν ἁλσὶ τοσοῦτον ἀπολείπεται κατὰ τὸ ῥύπτειν, ὅσον πλεονεκτεῖ κατὰ τὴν στύψιν. ἔστι γὰρ μικτὸς ἐκ δυοῖν ποιοτήτων ῥυπτικῆς τε καὶ στυπτικῆς: *Salis vero sapor tanto in abstergendo inferior est, quanto plus habet adstrictionis. Est enim ex duabus qualitatibus mixtus, abstergente scilicet, & adstringente.* Atque diligenter hic expendendum erit, quod Galenus dicit, *salem* πλεονεκτεῖν, *hoc est, in adstringendo superiorem esse, aut plus adstrictionis obtinere.* Quippe inde locus alius eiusdem, qui est *in libro iam citato, capite de aphronitro*, emendari potest. Ibidem enim in fine ita perperam legitur: τοῖς δὲ ἁλσὶ καὶ ἡ στυπτική, πολύ, πλείων δὲ ἡ ῥυπτική. Scribendum enim erit: τοῖς δὲ ἁλσὶ καὶ ἡ στυπτικὴ πολὺ πλείων, ἢ ῥυπτική: *Salibus vero etiam adstrictoria vis multo maior, quam extersoria.* Atque ita plane esse scribendum, alius Galeni locus confirmat, qui est *in libro 2. de Comp. medic. localium, capite de medicamentis, valide extergentibus*, vbi ita inquit: πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καὶ τοῦτο τοῖς ἁλσὶν ἐξαίρετον ὑπάρχει τὸ στύφειν μᾶλλον, ἢ ῥύπτειν. Nam præter alia hoc quoq; sal eximium obtinet, vt adstringat magis, quam extergat. E quibus perspicuum euadit Serapionis locum ita esse emendandum ac restituendum: *Postquam dixi quod natura baurach est media inter naturam baurach Aphrici, & naturam salis, est hoc, quia in baurach Aphrica est virtus, quæ abstergit solum, in sale vero duæ virtutes sunt simul, nisi quia virtus Styptica est multa in eo, virtus vero abstersiua pauca.* Et subesse in iam dictis errorem, Serapionis verba satis testantur, quæ sic habent: *Nisi quia virtus styptica est pauca in eo multa.* Quod si igitur *pauca* dictionem e contextu exemeris, recte se deinceps habebunt. Nam plane cum Galeni verbis postea consentient, quæ sunt eiusmodi: ἐρρέθη γε μὴν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐν τῷ μεταξὺ κατὰ τὴν δύναμιν εἶναι τὸ λίτρον ἀφρονίτρου τε καὶ ἁλῶν. ἀφρολίτρῳ μὲν γὰρ ἡ ῥυπτικὴ δύναμις ὑπάρχει μόνη, τοῖς δὲ ἁλσὶ καὶ ἡ στυπτικὴ πολὺ πλείων, ἢ ῥυπτική: *Dictum tamen paulo ante est, capite nimirum de salibus, litrum mediam habere facultatem aphronitri & salis. Minus enim quam aphronitrum, plus vero quam sal extergit: Aphronitro enim sola extergendi facultas inest, sali vero etiam adstringendi multo maior, quam extergendi.* Non posse autem hæc Serapionis verba de litro, multoque minus de aphrolitro, *vt Cornarius arbitratur*, intelligi, abűde docent quæ *lib. 4. Simpl. ca. 19.* scribit Galenus, inquiens: ἔτι δὲ δὴ καὶ τὸ νίτρον αὐτό, καὶ ἀφρὸς αὐτοῦ, καὶ τῷ συνθέτῳ προσηγορίᾳ καλούμενον ἀφρόλιτρον ἐπὶ μᾶλλον πέφυκε, ὡς ἂν ἥκιστα μὲν στύφοντα, πικρὰ δ' ἀκριβῶς ὑπάρχοντα: *Sic & nitrum ipsum, & eius spuma, & quod composita voce aphrolitrum appellatur, magis extergere possunt; vt quæ nequaquam adstringunt, exacte vero amara sunt.* Aduerbiű vero ἥκιστα hoc loco idem quod οὐδαμῶς, id est, *nequaquam* denotare, satis verba hæc, *Exacte amara*, conuincunt. Nam eiusmodi *in eodem capite* vocat Galenus, quæ nulla alia sensu notabili qualitate participant. Et omnium maxime locus, qui est *in libro secundo de Comp. medic. local.* vbi ita scriptű reliquit: ἐπὶ τό γε ξηραίνειν οὐδὲν ἧττον ἔχουσιν ἀφρονίτρου καὶ νίτρου, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν οὐ μέτεστι τῆς στυπτικῆς δυνάμεως. Siccare vero sal nihilominus, quam aphronitrum & nitrum potest; sed illis adstringendi facultas non inest. Denique Aetius *libro 2. cap. 50.* ita scribens: ἁλῶν δὲ διαφέρει ἀφρόνιτρον, καθ' ὅσον ἕνα μόνον ἐπικρατοῦντα χυμὸν ἐν αὐτῷ ἐναργῶς ἔστιν ἰδεῖν τὸν πικρόν, διαφορητικὴν μὲν ἔχοντα δύναμιν, συνακτικὴν δὲ οὐκ ἔχοντα, καθάπερ οἱ ἅλες: *A salibus vero differt aphronitrum, quatenus vnum tantum, amarum scilicet, in eo dominari saporem sentire manifeste licet, qui quidem discutiendi vim habet, non autem constringendi, quemadmodum sales.* Quapropter iam sole clarius a nobis demonstratum est, quam turpiter in aphronitro, & aphrolitro, spumaque nitri lapsus sit Cornarius, & quod temere, vt errores suos tegeret, Galeni plerosque locos deprauarit, vt nihil opus sit peculiari libello eius ineptiis respondere. Hic se Bernardus Dessennius continere non potuit, quin quo sit iudicio præditus, omnibus palam faceret. Siquidem audet, non sine cachinno multorum, dicere, me & Cornarium leuiuscula de re altercari; interim nihil docentes, aut determinantes: An Dessenni leuiusculam rem esse censes ignorare quid sit nitrum, aphronitrum, & spuma nitri, quibus de crebro Galenus, & alii veteres mentionem faciunt? Iniuriam autem mihi facis, quod me nihil docuisse, sed res has magis in dubium vocasse & obscurasse dicis. Diserte enim, si quis vnquam alius, quid res illæ sint explicaui. Sed quid mirum te, qui omnia sine iudicio ex aliis corradis, ita de aliorum scriptis sinistre iudicare? Quare hortor te, vt deinceps in aliis notandis circumspectior esse velis, nec te aliis temere deridendum præbeas.

Margin notes: Galeni locus emendatus. — ἥκιστα. Exacte amara. — Bernardi Dessennii iudicium parum exquisitum.

Margin letters: A B C D E F

Plumbago,

A *Plumbago*, quæ Græcis μολυβδαίνα dicitur, Plinio *lib. 34. cap. 16. & 18.* Galeno nominatur. Plumbago.
Hanc Græci in tres digesserunt species. Primam Dioscorides μολυβδοειδῆ λίθον, nos lapi- Galena.
dem qui plumbi imaginem obtinet, vel simpliciter *plumbarium* appellamus. Germani- Eius genera.
ce Glantz/ quia nimirum modice splendet, nuncupatur. Alteram Greci μολυβδίτιδα ἄμμον,
id est, *arenam plumbariam* vocant. Tertiam generali nomine μολύβδαιναν, hoc est *plumbagi-*
nem. Est autem plumbago duplex. Natiua seu fossilis metallicaue vna, quæ non est ni- Natiua.
si plumbiferax vena. Germanis Bleyertz & Bleyschweiß oder Bleyschweiff dicitur. Fa- Factitia.
ctitia, in fornacibus procreatur; in quibus aurum & argentum eliquantur, *vt alibi fusius*
docuimus. Germanis Thest oder Herdtbley nuncupatur.
Plumbum trium est generum: Vnum candidum, quod Græcis, *vt Plinius libr. 34. cap.* Plumbũ. Candidũ.
B *17.* testis est, κασσίτερον appellatur. Idem *cap. 18. eiusdem libri* argentarium, quod argento si-
millimum sit, & album nominat. Germanis Zin nominatur. Diuersum est a Stanno, Stannũ nõ
vtpote composito. Nam vbi tertia plumbi nigri portio, duabus argenti portionibus est plumbum can-
inest, Latinis *Stannum*, Germanis Werck vocatur. Ex stanno fiunt laudatissima spe- didum.
cula. Alterum cinereum dicitur, quod tum Græci, tum Latini veteres scriptores igno- Cinereũ.
rasse videntur. Atque hinc est, quod Plinius duo tantum plumbi genera commemo-
ret. Nostri *Bisemuntum*, Germani Bisemunt oder Wisemunt/ oder Conterfein appel-
lant. Tertium Græcis μόλυβδος, Latinis *nigrum plumbum*, Germanis Bley dicitur. Nigrum.
Pompholyx post Cadmiam supra fornaces parieti adhæret. Fauilla est æris tantum, Pompholyx.
aut Cadmiæ fornacum tantum, aut vtriusq;. Fit quum ex Pyritis lapidis panibus torre-
C factis excoquitur æs: aut quum ab argento separatum, in sui generis fornace perfici-
tur. Tum enim fauilla tenuissima & leuissima sursum fertur, & euolat in superiorem
domicilii ærarii partem, adhærens ad eius parietes, & ad laquearium tecti. Quæ pri-
mum in bullas, vt aqua tumet, atq; ex eo nomen inuenit. Neque enim πόμφολυξ Græcis
est, nisi bulla. Mox maiore accedente incremento, lanarum assimilatur peniculis. Et
hunc in modum sua sponte in fornacibus gignitur Pompholyx, quæ Germanis Hütten-
rauch propriissime nominatur. Cura & industria Pompholygem artifices triplici ra- Factitia
tione conficiunt. *Primo*, æri quum perficitur, friatam detritamue Cadmiam forna- triplex.
cum inspergunt. *Secundo*, ære & Cadmia fossili alternis, vt ex ipsis fiat Orichalcum, in
D ollas positis, fauilla ex ære resoluta sursum in operculi cauitatem fertur, eamque implet;
quæ pura Pompholyx est. *Tertio*, Cadmiam fornacum separatim in fornace ardenti
follibus ventilare solent. His tribus rationibus Pompholyx primæ bonitatis, id est, *can-*
didissima & leuissima efficitur, quæ Seplasiis *Nil album*, quod candidissimæ lanæ similis sit, Nilalbũ.
Germanis Weiß nichts nominatur. Hinc Germanis vsitatum est dicere, *Nil prodesse o-*
culis. Duos ex iis modos, nempe primum & tertium, Dioscorides monstrauit. Secun-
do hodie vtuntur. Pompholyx autem Serapioni *Thutia* vocatur. Quæ illi duplex est; Thutia.
Vna fornacum, de qua iam dictum est. Altera subterranea & fossilis, quæ Germanice
Erd vel Zechenrauch appellatur. Græcis ignota. Thutia officinarum hodie non est,
nisi Cadmia racemosa, *vt suo diximus loco.* Ceterum Spodos siue Spodion, quam Cine- Spodium.
rulam aliqui interpretantur, a Pompholyge non certe genere, quod similiter, vt hæc fa- Fornacũ.
E uilla ex eadem orta materia sit, sed specie differt. Pompholyx enim candida est, & le-
uis, vt monstrauimus: Spodos autẽ cinerea & grauior partim ad exteriora fornacum la-
tera adhærens, partim in pauimentum decidens, adeoque impurior. Abraditur autem
de lateribus, in terra vero conuerritur. Nil griseum hodie nominatur. Germanis Nil griseũ.
Graunichts oder Grauerhüttenrauch. Fit & lutea spodos supra secũdas fornaces, in qui- Spodos
bus argentũ a plumbo separatur, *vt alibi fusius diximus.* Germanis Geler hüttenrauch ap- lutea.
pellatur. Atque hactenus de spodio fornacum. Alterum spodium subterraneum seu Subterra-
fossile dicitur, inque quatuor species, cinereum videlicet, *nigrum, viride, & luteum* dige- neum siue
ritur, solis Arabibus notum, Græcis vero ignotum. Vt mirum sit Matthiolum apud fossile.
Serapionem in capite de *Thutia*: sic enim Pompholygem ille nominat, non legisse,
F quod quædam sit, quæ in mineris: ita enim interpres eius loquitur, inueniatur. Præter
iam dictum fossile. Arabes aliud quoque spodium habent, nempe *cannarum seu arundi-*
num radicum exustarum cinerem. Hinc hodie *spodium de canna* nuncupatur. Hoc cum eo, Spodium cannarũ.
quod Græci ἀντισπόδιον nuncupant, nonnihil conuenit. Nam idipsum ex myrti foliis, o- Antispodion.

leæ, lentisci, & aliis nonnullis in fictili crudo, donec illud percoquatur, vstis conficiunt. A Ita vero ipsis dictum est, *quod deficiente spodio, eo illius vice vsi sint.* Porro iam dictis omnibus spodiis diuersum est id, quo nunc passim Seplasiæ vtuntur. Siquidem hæ Platearii secutæ opinionem, *ossa Elephantis combusta*, siue *Ebur vstum* pro spodio vendunt. Quod aliquo modo ferendum esset, quum Ebur vstum adstringendi polleat facultate, si non ex bouis, & canum maxime ossibus suum interdum conficerent Spodium. Nam si illud diligenter excutias, non raro ex cadaueribus collectorum ossium fragmenta in iis reperies. Hanc quam diximus Spodiorum differentiam tum Medici, tum Pharmacopœi diligenter expendant, vt sciant, quo illis in medicamentis conficiendis vtendum sit Spodio: & quod neque Spodium, neque Antispodium Græcorum intra corpus assumere liceat. Quum enim ipsorum spodium, quod in pauimentum recidit, e tenuissima metallorum substantia vehementissima ignis combustione conficiatur, dubium non est quin inde magnam consequatur acrimoniam, ob quam tuto intra corpus exhiberi nequit. Atque hinc est, quod Græci ne extrinsecus quidem omnibus promiscue vlceribus, nisi interdũ lotum admouere illud voluerint. Accedit, quod hos intra corpus exhibuisse, nusquam legatur. Sunt queq; plurimi nostræ ætatis Medici eruditi, qui extrinsecus tantum hoc Spodium esse admouendum diserte tradant. Sed neq; Arabum Spodium cannæ, per os ingerendum erit, vtcunq; Auicenna & alii Arabes eius vsum in roborandis corde & iecore, plurimum commendent. Nam *vt Galenus testatur lib. Simp. 7.* radix arundinum per se non leuem abstergendi facultatem obtinet. Vsta vero, & calidior & magis tenuium partium, adeoq; acris efficitur. Hinc est quod C *lib. 1. de Compo. medic. local. cap. 2.* inter medicamenta quæ alopecias sanare possunt, quemadmodum etiam Dioscorides illam recenseat. Non solum vero hæc ipsa discutere, sed etiam ex alto humores trahere possunt, quam etiam ob acrem qualitatem suam radix arundinis vsta maxime obtineat necesse est, vt hoc nomine intra corpus tuto exhiberi non possit. Quum vero non solum Auicenna, sed & Serapio suum Spodium multis in morbis intra corpus exhibeant, & frigidum in secundo ordine, siccumq; in tertio esse scribant, fieri non potest, vt ex cannæ radicibus vstis confectum fuerit. Quare sunt, qui illud ex radicibus nostrarum arundinum non constare, sed ex aliqua peculiari in Auicennæ patria nata. Verũ non cõsiderant illi, eandẽ habere vim omnium cãnarum exustas radices. Alii vt Bellunensis, *ex radicibus proceræ cuiusdam arboris internodia harundinũ* D *modo habentis.* Sed eadem facilitate qua asseruntur, etiam negantur. Ego quidem errorem in Auicennæ codices irrepsisse suspicor, & falso *cannæ*, pro *alcannæ* scriptum fuisse. Alcannam vero ille vocat *herbam, quam Græci Cyprum, Latini Ligustrum appellant.* Nam Galenus *Cyprum mistæ facultatis esse, quod habeat quiddam discutiens cum aquea substantia modice calida: & quiddam adstrictorium, ex terrena substantia frigida refert.* Item *eius decocto ambusta foueri.* Vti etiam eo, aduersus igneas phlegmonas, & carbunculos: quod absq; molestia & modice siccet, vt rectius Serapio illud in 2. ordine siccum statuat. Quinetiã cõmansum conducere oris vlceribus tradit. Quos omnes effectus suo spodio Auicenna & Serapio adscribunt. Siquidem Auicẽna spodio suo parum tum resolutionis, tum adstrictionis, veluti etiam Serapio tribuit. Vterq; etiam illud phlegmonibus calidis, & oris vlceribus conferre scribit. Quia vero, *vt iidem tradunt, & Galenus confirmat*, plurimum frigiditatis habet, ideo ventriculum calidum roborat, & bilis ad ipsum defluxũ repellit. Vt dubium fere nullum sit, spodium Mauritanorum eandem quam Ligustrum habere facultatem. Quod si vero quispiam pertinaciter contendat, spodium eorundem esse radicis cannæ exustas radices, certe eas quas ei Arabes assignant facultates haud habebit, nec intra corpus assumendum erit. E

Sal duum est generum, *Natiuus* & *Factitius.* Natiuus vel in terra, vel extra terram reperitur. In terra inuentus, seu fossilis, aut exciditur montibus, aut e campis effoditur, aut ex iisdem eximitur arenis, quibus tegitur prius remotis. Salis certe montes, natiui multi & illustres sunt in orbe terrarum, quos nihil attinet recensere. Effoditur e campis F in ea Sarmatiæ parte, quam hodie Poloniam vocamus. Sub arenis autem, *Plinio teste*, inuenitur iuxta Pelusium in Aegypto, qui quum omnis rectissime *Hãmoniacus* dici posset, tamẽ id nomen sibi *Cyrenaicus* tantũ vendicauit. Dicitur aũt is *Hammoniacus*, vel quia sub arena, quæ Græcis dicitur ἄμμος, inuenitur: vel ab Hammonis ibidem oraculo, iuxta quod

Spodium officinarum.

Arabum Spodium cannæ intra corpus non assumendum.

Sal. Salinæ. Natiuus. Fossilis.

Sal Hammoniacus.

A quod effoditur. Siquidem illic ſub arena defoſſa glebæ ſalis oblongæ, extra nigricãtes, intus albæ, & Alumini ſciſſili ſimiles inueniuntur. Officinæ more ſuo vnius literæ adiectione vocem deprauantes *Armoniacum*, vel *Armeniacum* ſalem nominant. Extra terram natiuus ſal reperitur, aut in fonte, aut in fluuio, aut in lacu, aut ad mare. Fons quidẽ vel ſalem fert, vel eius riuuli ſolis calore ſiccati in ſalem conuertuntur. Fluuius aut ſalis ramenta defert, aut ſumma eius in ſalem denſantur, reliquis aquis veluti ſub glacie fluentibus Lacus in ſalem mutatur, vel ſale æſtuat, *vt alibi fuſius docuimus*. Ad mare tenuis ſal gignitur. Quum enim æſtu feruet, & intumeſcit ſpumas agit, eaſq; ad littora & ſcopulos appellit. Hæ autem abſciſſæ, & in illis depoſitæ, atq; exſiccatæ, nonnullis in locis B in ſalem conuertuntur, quem Dioſcorides ἁλὸς ἄχνην, Plinius *ſpumam maris* ſimpliciter interpretatur: Latini *ſiccam maris ſpumam* dicere poſſent, aut rectius *ſalem e marina ſpuma genitum*. Nam ſub dio in ſcopulorum cauitatibus hærens, remanensq;, ſalibus, & rore æſtiuis caloribus, in ſalem album concreſcit. Iuniores Medici *ſalis ſpumam*, ambiguitate nominis decepti, vocant. Siquidem ἅλς & *ſal* & *mare* Latinis eſt. Factitius fit multifariã. Nã vel ex aqua fit marina in foſſas ad hunc vſum paratas, quas *Salinas* appellant, tracta, quæ dein ardentiſſimo ſole exſiccata concreſcit. Hic *marinus* dicitur. Vel ex ſalſis fontibus excoquitur, vt Halæ Sueuorum, & multis aliis locis. Vel putealib. excoquitur. Vel ex ſui generis lixiuio, *vt alibi copioſius monſtrauimus*. Porro ſal a ſale differt colore, & nitore. Nã quum omnis alius ſal nõ pelluceat, tamen Dacicus adeo interdum pellucet, vt cũ quo-C uis Cryſtallo de nitore, & translucida facilitate certare poſſit. Hinc talis recte gemma, vel vt officinæ hodie loquuntur, *ſal gemmæ*, quod ſcilicet gemmæ inſtar niteat, nominatur. Alias differentias alibi oſtendimus. Ceterum ἁλὸς ἄνθος, id eſt, *flos ſalis*, vt ex Plinio liquet, vox ambigua eſt. Nam & fauillam, hoc eſt *ſiccam, leuiſſimam & candidiſſimam ſalis in ſalinis collecti partem, & aliam quandam rem humidioris naturæ, ac crocei aut rufi coloris, & ingrati odoris, quæ ſummo mari & fluminibus ac lacubus, qui maris etiam appellatione veniunt, innatat*, ſignificat. Præſtaret autem ad euidandam confuſionem Latinos priorem *ſalis florem*, alteram autem *maris florem* appellare, quod ſcilicet reuera maris flos ſit: & ἁλὸς vox quum ſine articulo a Græcis efferatur, pro *mari* vſurpari poſſit. Maris autem flos ille, qui Dioſcoridi ἁλὸς ἄνθος dicitur, non eſt *niſi effloreſcentia, quæ ſummo mari, fluminibus, ac lacubus, qui maris etiam appellatione veniunt, innatat liquida*. Balenarum ſemen, in offici-D nis Medicorum, non tamen ſine errore, & *Sperma ceti* vocant. Nam proprie loquendo Balenarum aut ceti ſemen eſt ſuccinum, *vt cap. 20. fuſius dicetur*, quod piſces iam dicti deuorant, & quod Auicennæ, aliiſque Mauritanis, *Ambra* ſimpliciter, aliis rectius *ambarum ſubalbidum* nominatur. Ceterum Flos maris Germanis Wolram/ oder Walrath/ oder Baldrath/ forſitan, quod cito auxilium afferat, nominatur. Et teſtantur nautæ ac mercatores illud hodie reperiri in paludibus ad mare, & inſtagnantibus maris partibus. Nec obſtat, quod hodie in officinis proſtans non ſit crocei coloris. Nam inuenta eſt ratio lauandi, qua fit vt ita albeſcat, & acrimoniam fere omnem deponat, vt mirari ſatis nequeam Matthiolum, qui locum hunc conniuentibus, aut forte lippientibus E præteriit oculis. Sed eſt ei ſolenne, vt perpetuo ab aliorum ſententiis, optimis etiam, diſſentiat, etſi non niſi leuibus & nullius momenti rationibus vtatur. Præterea nomenclatura ipſum monere debuiſſet, ἁλὸς ἄνθος non tantum a Nilo flumine defluere, ſed etiam ſtagnantibus maris partibus innatare. Atque hinc eſt, quod ruffi quaſi grumi in eo interdum inueniantur. Res autem eſt pinguedine virus olens, & ingrati odoris, vt hinc a maris flore non eſſe diuerſam conſtet, quæ non aqua, ſed oleo potius diluitur.

Sandaracha vel *Sandaraca* trium eſt generum. Vna foſſilis & natiua, quæ ad ſatietatem rufa eſt, fragilis, pura, & Cinnabaris imitatur colorem, aut minus vſta, & partim ſublutea, Germanis Bergrot/ Reißgeel oder Roßgeel dicit. Serapioni & Seplaſiis *Auripigmentũ* vel *Arſenicum rubrum* nominatur: idq; non temere, quod Arſenico non ſolũ natalib. ſed etiam tota natura affinis ſit. Altera eſt *Sandaracha factitia*, quæ fit ex Arſenico, hoc qui-F dem modo. Arſenici mediocres particulæ in ollam cõiectæ, cuius os obturatur, quinq; horis coquuntur in fornace, contrahuntq; ſandaracæ colorem. Tertia itidem eſt factitia, cuius *libr. 7. cap. 12.* meminit Vitruuius, & *Sandyx* appellatur. Aetius *Syricum* nominat, Græci alii φῦκον, *quod ſcilicet fuci, quo ſuum mentiuntur colorem mulieres, ſpeciem ac ſi-*

Extra terram inuentus. ἁλὸς ἄχνη. Spuma maris. Factitius ſal. Marinus. Salinæ. Salis differentiæ. Sal gemmæ. ἁλὸς ἄνθος. Salis flos. Maris flos. Sperma ceti. Ambar Auicennæ. Ambarũ ſubalbidũ. Matthiolũ reprehenſio refutata. Sandaracha triplex. I. Auripigmentum rubrum. II. III. Sandyx. φῦκος.

militudinem gerat. Vitruuius, *vt supra diximus*, Sandaracham diserte vocauit, inquiens: A
Cerussa quum in fornace coquitur, mutato colore ad ignis incendium, efficitur Sandaracha. Quare Matthiolus hoc loco me per calumniam, vt solet fere semper, flagellat, quod *Sandycem* dixerim *appellari etiam Sandaracham, quod instar eius rufa sit*, hanc tamen diserte a Sandaracha Dioscoridis & aliorum Græcorum distinguens, quæ res fossilis est. Ita perpetuo ex aliorum falsa suggillatione sibi laudem comparare studet Matthiolus, vt mirum non sit, illum hac sua mordacitate multorum bonorum sibi contraxisse odium. Ceterum Sandyx alio nomine Latinis *Minium secundarium* appellatur. Conficiendi eius modum *lib. 9. Simp. Galen.* indicauimus.

Scoria. *Scoria* Græcis, *Recrementum* Latinis, Schlacken Germanis, non est nisi purgamentum venæ metallicæ in fornace excoctæ, quod vbi metallum in catinum defluxit, ab eo detrahitur. B

Stibium. Antimonium. *Stibium* aut *Stimmi*, Seplasiis Antimonium, Germanis Spießglaß appellatur. Plinio *spumæ candidæ & nitentis lapis* nuncupatur. Optimum splendidissimum, & nitidum, confractu crustosum, terræ & calculorum expers. Nostra tamen ætate fossile non venditur, sed excoctum.

Sulphur duplex. Natiuum. Sulphur duplex est, fossile seu natiuum, & factitium. Fossile effoditur, & Græcis ἄπυρον, id est, *ignem non expertum*, Latinis *viuum*, nō alia de caussa nominatur, quam quod ex vena sua sine aliqua coctura accipiatur: vel quod nondum liquefactum, & in frustula fusum sit. Factitiū. Factitium, quod Græcis πεπυρωμένον, id est, *ignem expertum* vocatur. Fit autem variis modis. Nam aut ex aquis excoquitur, sulphuris in plumbeis cortinis tam diu coctis, donec omnis aqua excoquatur, & quod reliquum est in sulphur densetur: aut ex gleba effossa, & in vasis cocta perficitur igni. Quem quidem modum faciendi sulphur *in lib. 9. de Simpl. medicam. facultat.* indicauimus. Aut eo Pyrites stillat, item in ollis coctus. Modus in eodem loco a nobis est traditus. Factitii species est, quod ex sulphure, quod excocta aqua densatur, & squama ferri fit, concoctis, & in vrceos transfusis. Id Caballinū sulphur. propterea, quod eo scabiem equorum sanant, *Caballinum* nominant. Quod, vt etiam Virgineū. *Pannonicum*, luteo obducitur. Luteum vero a nonnullis virgineum, quod purum sit: vel quod virgines, perinde atq; mulieres, eo faciem pingant, appellatur. Tale interdum natiuum, interdum factitium est. Officinæ citrinum vocant. C

D

De Lapidibus & Gemmis. Cap. XIIX.

Adamas. ADamas lapis ita dictus est, quod non possit nec ferro, nec igni domari. Dictus est & *Anachites*, quod pauitantium animos a vano metu liberet, Germanis Demuth / oder Demanth. Attamen singularis eximiaq; lapidis illius duritia, calido hirci leonisue cruore ita mollescit, vt rumpi possit. Adamas autem venena deprehendit, & irrita facit. Quocirca regibus vnice expetitus, maximi semper pretii fuit. Lymphationes quoque, si credimus, abigit.

Aetites. *Aetites*, officinis lapis aquilæ, Germanis Adlerstein vocatur. Sic vero dictus est, vel a colore aquilæ candicante cauda, *vt sentit Plinius*, vel quod in aquilæ nidis reperiatur. Est illi globosa & rotunda facies, aliumq; in se, veluti prægnans, lapidem continet: qui vbi quatitur, sonum edit. Aetites omnis exsiccat, & qui lapillum in vtero continet: is, *vt Græci perhibent*, alligatus sinistro grauidæ mulieris brachio, fœtum, ne vuluæ lubricæ excidat, continet, ac custodit. Sinistro vero parturientis femori alligatus, ita adiuuat eam, vt sine doloribus pariat. E

Alabastrites. *Alabastrites* vocatus est lapis, quod ad Alabastrum oppidum inueniatur. Germanis Alabaster dicitur. Ex eo a vetustis temporibus artifices pyxides seu vasa vnguentaria, Alabastra. quæ Attici *alabasta*, & alii Græci *alabastra* nominant, ἀπὸ τῶ α χῆ λαβεῖν, addito per Pleonasmum ρ, *quod* videlicet *propter leuorem comprehendi non possint*. Facultates eius Dioscorides & alii tradunt.

Amethystus. *Amethystus* purpurea est gemma, sic dicta *quod vsq; ad vini colorem accedens, Plinio teste, priusquam eum degustet, in violam desinat.* Quanquam magorum vanitas, resistere ebrietati *Amethystum* promittit: & inde appellatam esse asserit. Resistere item veneficiis, & auertere grandinem. F

Amiātus. *Amiantus* lapis dictus est, quod ignis adeo non inquinet ipsius splendorem, vt etiam si in eum

A in eum coniiciatur sordibus, nihil deperdens nitidus & splendescens extrahatur. Idem vocatur *Asbestos*, quod in lucernis (fiunt enim ex eo thryallides) semel accensus non extinguatur, dum aliquid olei superfuerit, siquidem ignibus non absumitur. Idem quia plexis mulierum crinibus similis est (*ea enim figura formatus plerunq; venditur*) a Zoroastre nominatur *Bostrychites*. Ab aliis quia caniciei hominis nõ dissimilis, *Polia*, vocatur. Quia vero ad alumen scissum similitudinem obtinet, a Quadrigario alumen nominatur. Quia deniq; manibus netur, & texitur, a quibusdam *Linum* appellatur. Germanice Federweiß oder Erdflachs nuncupatur. Nec est aliud, nisi id, quod in officinis Medicorum *Alumen plumosum* dicitur. Asbest. Bostrychites. Linum. Alumen plumosum.

Aphroselenus dictus est hic lapis, quod multis persuasum esset, lunę spumã esse. Dioscorides *Seleniten*, quod noctu ad incrementum lunæ soleat inueniri. Vel quod imaginem lunæ contineat, quam quia pellucet, noctu concipit, & in dies singulos crescentis minuentisq; numero. Aetio, q translucent, διαφανὴς, & vocabulo latino σπεκλάριον nominat. Nam in hodiernum diem *Specularis*, quod perspici possit, & rei, quæ ab eius tergo est, imaginem reddat, appellatur, adeoq; ab ipso speculo nomen ei impositum. Germani glaciei & vitri nomen illi imponunt, & vnser Frawen Eiß/vnd Erdglaß vocant. B Aphroselenus. Selenites. Specularis lapis.

Armenius lapis, vel, vt Galenus appellat, Armeniacus ita dictus est, quod ex Armenia afferatur. Laudatur leuis, colore cæruleus, per quam æquabilis, calculo carens, & friabilis. A cæruleo, *de quo infra dicemus*, differt modico candore, qui in Armenio teneriorem efficit colorem. Plinius, *Armenium optimum esse* scribit, *qui summe viret, communicato colore cum cæruleo*. Qui nunc in officinis pro Armenio habetur, cæruleo & Chrysocolla partim aspersus, non est Armenius, quod nimirum Dioscoridis notæ illi haud conueniant, & color cæruleus in eo tam exiguus sit, vt nullum, aut modicum saltem vsum præbere possit. Accedit, quod nullum habeat leuorem, ac planus siue æquabilis non sit. Reperitur tamen nunc in compluribus Germanię nostræ locis, lapis congener illi, quem Armenia mittit. Siquidem, vt ille, viridis est colore, ad cæruleum inclinante. Viribus etiam ab eo non discrepat, quod atra bile vexatis, iis vomitum, & aluum ciens, maxime conferat. Hoc igitur vice veri Armenii vti licebit. Armenius. C

Assius lapis ab Asso oppido Troadis dictus est. Alio nomine *Sarcophagus*, quod scilicet corpora defunctorum in eo cõdita, intra quadragesimum diem absumantur, exceptis dentibus appellatur. Assius lapis instar Pumicis rarus est, illiq; Tophi candidus color, venæ in profundo luteæ, leuis, fungosus, & friabilis. In eius superficie insidet quiddam simile tenuissimæ farinæ, quæ parietibus molarum inhæret, quod Asiæ petræ florem nominant, qui supra, & magnam cum sale petræ hodie appellato cognationem & similitudinem habet, *vt alibi latius diximus*. Assius. Sarcophagus. D Asiæ petræ flos.

Carbunculus gemma preciosissima, ab igne nomen accepit. Ouidio hoc nomine *Pyropus* dicitur. Multorum est generum. Optimus est egregie rubens, & *Amethystizon*, id est, cuius extremus igniculus in Amethysti exit violam. Vulgo & Seplasiis *Rubinus*, Germanis Rubin nominatur. Alterius generis nigrior aspectu est, quem veteres *Carchedonium*, atq; iuniores, quod florem mali granati colore referat, *Granatũ* Germani Granatlin appellant. Lætificat cor, & pellit mœrorem. Alia eius genera alibi recensuimus. Carbunculus. Pyropus. Rubinus. Granatus. E

Caruleus aut *Cyanus*, Arabibus & officinis Medicorum *lapis lazuli*, Mesue *lapis stellatus*, quod in eius fracturis velut stellæ quædam aureæ, radiantes, & splendentes scintillant, Germanis Lasurstein appellatur. Duplex exsistit, natiuus & factitius. Natiuus seu fossilis, in venis fibrisq; ortus, vel per se reperitur, vel a materia metallica abraditur. Germanis Berglasur oder Bergblaw dicitur, & in se chrysocollam continet. Factitius, Germanice Gemein lasur/oder Vltramarin dicitur. Pictores tam natiuo, quam factitio vtuntur. Medici enim veteres natiuo tantum, eliguntq; eum, qui est saturo colore. Proinde male faciunt hodie Medici & Pharmacopœi, qui factitio ad medicamẽtorum compositionem vtuntur. Cæruleus. Lapis lazuli. Stellatus. Natiuus. Factitius.

F *Corallium* frutex est marinus, qui ex alto maris extractus induratur. Vbi enim emergit, obfuso aere mox concrescit. Hinc nonnullis λιθόδενδρον, id est, *arbor lapidosa*, nominatur. Dioscoridi duum est generum, rubrum & nigrum, quod tamen rarum est. Reperitur tertium quoque album, citra etiam vstionem exsistens. Vires Dioscorides recenset: Corallium. Genera corallii tria.

Chrystallus. *Crystallus* ex similitudine, quam cum glacie obtinet, idem quod ea nomen apud Græcos inuenit. Nec tamen, vt quidam volunt, est glacies, id est, *aqua gelu vehementiore concreta: sed magis succus frigore densatus.* Si enim glacies esset, solis calore liquesceret. Ex marmorum saxorumq; canalibus effoditur, ac veru & aratro excitatur, & torrentibus defertur. In tenuissimum puluerem trita, & in vino austero pota, dysentericis, quod multum exsiccet, auxiliatur, & sitim, sub lingua posita, restinguit. A

Hæmatites. *Hæmatites*, sic quod sanguinei sit coloris, dictus est, vel quod sanguinis profluuia sistat, vel quod aquariis coribus attritus, succum reddat sanguineum. Germanis Blutstein vocatur. Optimus cui concreti sanguinis color inest, friabilis, durus, æqualis, purus, & qui nullas sordes admixtas habet, nec lineis zonisue variatur. Aquariæ autem cotes, *vt id obiter etiam dicamus*, sunt, quæ aqua madefiunt: sicut oleariæ, quibus oleum, quo ferrum aciem trahat, illinitur. B

Aquariæ cotes. Oleariæ.

Hyacinthus. *Hyacinthus* gemma est, *Plinio teste*, in qua fulgor violaceus dilutus est. Duplex reperitur Hyacinthus, nigrior, quam *marem* appellant: candidior, quam fœminam. Iuniores gemmarum scriptores, ex tribus gemmis faciunt vnam hyacinthum, eamq; in tres secant species. Quarum primam appellant Granatos, fulgore rubro splendentes, qui sunt *Chrysolithi*, Germanice Jacint dicti. Alterã citrinos, sic a Citri colore vocatos, qui etiam sunt *Chrysolithi*. Tertiam venetos, qui sunt *Cyani*. Ferunt Hyacinthum gestantes a fulmine tutos reddi, eosq; a pestis periculo liberari, etiamsi in aere pestilenti habitant. Somnum quoq; conciliat.

Iaspis. Subuiridis. Thyites. Viridis. Turcica Iaspis. *Iaspis*, Paulo, & Aetio duplex est. Vna subuiridis, quæ Dioscoridi, & post eum Galeno, *Thyites, vt alibi diffuse monstrauimus*, dicitur. Plinio *lib. 37. ca. 10. Meroites* vocatur. Merum sentit Georgius Agricola *lib. 6. & 7. de natura fossilium.* Altera viridis, quæ sic dicta est, quia magis viret. Eius 12. vel 13. sunt genera, quæ alibi a nobis sunt ordine explicata. Tertium autem genus est *Turcica* iunioribus vocata *Iaspis*, quæ quod aeri similis est, aut cœlo matutino, id est, *cerulea, lacte suffusa*, Græcis ἀερίζω, id est, *aerea, adeps, boria, caspia, & persica*, nostris Türckes nominatur. C

Iudaicus. Syriacus. Tecolithus. *Iudaicus* a regione, in qua nascitur, nempe *Iudæa*, appellatur. Quia vero Iudæa ipsa Palæstinæ Syriæ regio est, Aetio *Syriacus* vocatur. Græcis a facultatibus τηκόλιθος, quasi *lapidem lique faciens ac comminuens*, Germanis Judenstein nuncupatur. Habet & alias appellationes, quas alibi indicauimus. Glandis formam obtinet. Nam ab obtusiore eius parte ad acutiorem procedunt eminentes lineæ, ita inter se æquales, vt torno factæ videri possint. D

Lyncuriũ. *Lyncurium*, officinis *lapis Lyncis* dicitur, quod illum ex vrina Lyncis in terra condensata concretum esse putauerint. Fabulosum autem esse quod illi affirmant, & Plinius *lib. 37. cap. 3.* & Dioscorides *lib. 2. cap. 73.* testantur. Nec enim vnquam vllum tale fuit Lyncurium, quod ex Lyncis vrina concreuit. Veteres certe Græci scriptores hoc modo concretum Lyncurium non lapidem, sed Succinum, de quo infra dicemus, appellarunt. Quod manifestum fiet legenti Theophrastum, Aetium, & alios paulo ante citatos auctores. Vt ridiculum plane sit, quod Amatus Lusitanus scribit, *lapidem lyncis officinis hodie nominatum electri esse speciem quandam*, quum cæcus etiam statim tactu sentiat lapidem. Non est autem, *vt recte sentit*, vrina lyncis concreta, sed reuera lapis. Porro *Lyncis lapis* dictus non est, nisi Phrygius Dioscoridi nominatus, quod illi omnes Lyncurii notæ conueniant, *quemadmodum alibi fusius a nobis monstratum est.* Hallucinantur itaque plurimum nostræ ætatis Medici, quod Phrygium lapidem, *Lyncis* appellant: & quod illum ad eliciẽdam vrinam, & ad lapides in renibus, aut vesica cõminuendos, vtilem esse opinantur. Ad sordida quidem vlcera, & oculorum medicamenta, *Galeno teste*, valet. E

Lyncuriũ veterum. Amati Lusitani error. Phrygius. Medicorũ iuniorum error.

Magnes. Heraclius. *Magnes* ab inuentore, Magnete pastore, a quo repertus est, dicitur. Ab aliis *Magnetis*, eadem de caussa. *Heraclius*, vel ab Heraclia ciuitate, vel ab Hercule. Vt enim is terras, & immanes belluas subegit: ita lapis ille ferrum ad se trahit. Qua quidem de caussa *Sideritis* etiam est appellatus. Eius variæ sunt differentiæ, quas alibi indicauimus. F

Pyropus. *Pyropus*, quia valde ardet ab ignis aspectu, ita est vocatus. Hinc ab igneo colore officinis *Rubinus* est dictus. Vide *Carbunculus*.

Pumex. *Pumex* lapis Græcis κίσσηρις nominat. Quod sane nomen a verme frumẽta erodẽte, qui iisdẽ κὶς, Latinis *gurgulio* dicitur, inuenit. Vt enim is frumenta perforat, ita natura pumicem.

A cem. Quoniam vero haud secus ac spongia fistularum plenus est, *Spongia* quoq; appellatur. Non est autem, nisi terra leuis exusta, vel lapis excoctus. Germanis Pims oder Krawstein vocatur.

Pyrites lapis sic dictus, quod ex eo ferri, aut alterius duri lapidis conflictu ignis excutiatur, aut quod ipsi persæpe igneus insit color. Serapioni & reliquæ Mauritanorum familiæ, ac officinis, *Marchasita*, Germanis Kiß/Kupfferstein/Kupffererß nominatur. Aristoteli *πυρίμαχος*, *quod igni repugnet*, dicitur. In ardentes enim fornaces proiectus fluit: at vbi in catinum defluxit, rursus concrescit ac durescit. Eius præcipua genera duo sunt. Alter *argenteus* siue *argentarius* appellatus, quod sit coloris argentei. Ex eo æs & argentum excoquitur, & officinis vsitatus est. Germanis wasser oder weisser Kiß nuncupatur. Pyrites. Marchasita. πυρίμαχος. Argentarius.

B Alter aureo est colore præditus, & Germanice Goldkiß/Gelberkiß/Kupfferkiß vocatur. Vterq; veterum literis est celebratus. Præter hæc duo genera, sunt etiam alia quædam alibi a nobis ostensa. Aureus.

Sapphirus & *Cyanus* eiusdem sunt generis. Vterque enim est cærulei coloris, sed Sapphirus insuper aureis punctis collucet. Vtraque gemma similis est cœlo sereno, verum Sapphirus propter aurea puncta, stellis ornato. Duplex autem est *Cyanus*; alter nigrior, alter candidior: ille mas, Germanice blawer Saphier: hic fœmina, Germanice weisser Saphier appellatur. Vsus eius est in roborando corde. Sunt qui hominem reddere castum tradant, ideoq; Monachis, vt illorum inexplebilem compescat libidinem, magno studio gestandus. Sapphirus. Cyanus.

C *Smaragdus* a splendendo nomen suum accepit. Siquidem *σμαράσσω*, *splendeo* significat. Sua viriditate oculis iucundus est, & tanquam speculum imagines rerum reddit. *de quo copiosissime Plinius lib. 37. cap. 5. disserit.* Smaragdo motus obscœnæ voluptatis valde est perniciosus. Siue enim mas, siue fœmina, dum commiscent corpora, secum gestet, vel in anulo, vt cōtingat cutem, disrumpitur. At cum comitiali morbo, tanquam cum hoste pugnat, vt vel ipse vincat vim morbi minorem, vel a maiori vincatur. Illo modo manet integer & solidus, hoc in aliquot frangitur partes. Venenis etiam maxime epota gemma hæc resistit. Smaragdus.

Specularis lapis. Vide *Aphroselenus.*

Spongiæ vel *spongites* lapis, sic est appellatus, quod in spongiis inueniatur. Is Coch-
D leæ instar perforatur, & quidem vtrinque testaceus exsistit. Germanis Schwammenstein vocatur. Renum calculos in vino potus comminuit. Spongiæ lapis.

De Terris. Cap. XIX.

Bolus siue *gleba armenia* Ochræ in modum pallescit, promtissime in summum leuorem calcis modo soluitur pistillo, aut quouis liquore, arenosaque substantia caret. Commanducata butyri instar liquescere videtur, & in gustu manifestam adstrictionem exhibet. Talem ab amico mihi quodam transmissam & donatam habeo. Quæ passim in officinis prostat, quum impense rubeat, legitima esse non potest. Bolus armenia. Officinarum bolus armenia adulterina.

Cimolia terra a Cimolo insula dicta, vulgo *Saponaria*, Germanis Wascherdt/oder
E Walkeller/oder Seifferdt. Eius duo sunt genera, candida, & ad purpureum inclinans. Cimolia.

Cretica terra siue *Creta*, ab insula Creta, in qua potissimum inuenitur, est appellata. Hęc quia argentarii opera sua abstergunt, vt splendescant, *Argentaria* etiam nominatur. Germanis Kreid dicitur. Est quoq; Creta viridis, & nigra, *vt alibi ostendimus.* Cretica. Argentaria.

Lemnia terra, a Lemno insula vnde olim exportabatur, dicta est. *Lemnium* quoque *sigillum* nominatur, ob impressum illi *sigillum Dianæ sacrum*, quod capra erat. Officinæ eadem de caussa *terram sigillatam* vocant. Hodie Turcicæ literæ eidem imprimuntur. Metuendum tamen est, ne quæ etiam num hodie iis literis insignita affertur, vera terra Lemnia & impermixta sit, quum vera rubeat, aut fuluo colore prædita sit: quæ vero ho-
F die asportatur, dilutius rubet, quod cum alia terra mistionem arguit. Proinde non desunt, qui Bolum armenium *orientalem* dictum, infucatam, & veram terram Lemniam esse putent. Non enim ex Armenia, vbi verus & syncerus bolus repetitur, ea affertur, sed ex Lemno insula. Id vero Lemnensium mercatorum dolo accidit, qui, vt res diuersas mentiantur, ex vna & eadem terra Lemnia, duas res efficiunt: quum pura est, *armenium bolum*, hac vero mista & adulterata, *terram Lemniam.* Præstat tamen terram Le- Lemnia terra. Lemnium sigillum. Terra sigillata.

mniam, mistam etiam & adulteratam, in vsum Medicum adhibere, quam eam, qua hactenus vsæ sunt Seplasiæ, quæ non est nisi terra figulina, omni adstrictione vacans. Quare hanc abiicere debent Pharmacopœi. A

Rubrica. Sinopica. *Rubrica*, Græcis μίλτος dicta, duplex est: vna, quæ *Sinopica* appellatur, quod in quibusdã Cappadociæ speluncis, *Dioscoride attestante*, effossa purgataque, Sinopen, Ponti vrbem, fertur, ac ibidem venditur. Fabrilis. Altera Græcis τεκτονική, Latinis *fabrilis*, quod scilicet ea fabri potissimum vtantur, nominatur. Natiua. Atq; hæc rursus in duo scinditur genera. Siquidem vna est natiua, quæ Germanis Bergröttel, quasi dicas *montana rubrica*, quod scilicet in metallis aurariis, argẽtariis, ærariis, ferrariis, non raro quoq; in propriis venis reperiatur, appellata est. Factitia. Est & rubrica fabrilis factitia, Germanice simpliciter Röttel vocata.

Sunt plures aliæ terræ species, quibus veteres vsi sunt Medici, hodie ignotæ Pharmacopœis & inusitatæ, ob id a nobis prætentæ. Harum tamen historias *libro nono Simplicium* tractauimus. B

De iis quæ e mari & aquis sumuntur. CAP. XX.

Bitumen. ASphaltos Græcis *Bitumen* Latinis, Bergwachs Germanis nuncupatur. Succus *est pinguis seu terræ adeps, qui naturali cognatione cum sulphure iunctus est, ideoq; facillime ignem concipit & flagrat*. Optimum in lacu quodam Iudææ nascitur, qui ob id *Asphaltites* est vocatus. Genera bituminis. Duum generum exsistit, durum & liquidum. Durum. Durũ est, quod intra, vel extra terrã densatur, ac in aliquam lapidis consistentiã & duritiam mutatur. Fossile autem terrenũ multis nominib. appellat. Siquidẽ *terra pharmacitis, ampelites, carbo fossilis seu bituminosus, Samothracia gemma, thracius & obsidianus lapis, atq; gagates, vt alibi copiosissime mõstrauimus*, dicitur. C Liquidũ. Liquidum bitumẽ est, quod plerumq; a concreto bitumine per saxa emanat, exsudat, & destillat, oleiq; propter pinguetudinem simile est. Hinc est, quod nõnulli scriptores, *vt Vitruuius*, aliquando *oleum* simpliciter, alii cũ adiectione *Medeæ oleum*, quo illa vsa est in cremẽda pellice: Naphtha. Medici *Naphtham* vocabulo Babylonico, appellarint. Petroleũ. Nostra ætate *Petroleum*, siue *oleum petræ aut saxi*, quod scilicet e saxis, vt dictũ est, destillet, & Germanis Steinöl/fliessend Bergwachs vocatur, Monachi & sacrificuli Papistici, quorũ est inexplebilis auaritia, vt simplices argento emũgant, hoc oleum e corporibus defunctorum diuorũ stillare mentiuntur. Huius triplex est differentia. Est enim alba, aut verius ex cinereo colore candida *Naphtha*, nigra, & rufa. Porro liquidi bituminis genus est, quod D Succinũ. *succinum* Romanis vocatur. Ita namq; illis dictum est, quod ex succo, nempe liquido bitumine, e saxis in Germanicum mare profluente, atq; inibi durescente, non autem ex lacryma Populi arboris, *vt quidam existimant*, fiat, quemadmodum *libro nono Simpl.* firmis rationibus monstrauimus, vbi totam eius historiam copiose commemorauimus. ἤλεκτρον. Græcis ἤλεκτρον, quod scilicet attritu calefactum ad se paleas, aliasq; res minutas ac tenues trahat. πτερυγοφόρον. Qua quidem de caussa iisdem etiam πτερυγοφόρον, id est, *pennas floccosue ad se alliciens*, & ἅρπαξ vocatur. Carabe. Mauri & officinæ Persica voce, quæ idem significat, *Caraben* appellant. λυγγούριον. Græcis quoque λυγγούριον, *vt supra est monstratum*, dictum esse constat. Germani veteres *Glessum*, quæ vox illis vitrum denotabat, nuncuparunt. Hodie duobus nominibus vocatur: vno, quod illi commune est cum nigro, quod priuatim *Gagates* E Gagates. dicitur, Agstein vel Aidstein: altero, quod ex eo quod incensum ardeat, inuenit, Bornstein. Saxonum namq; & aliarum septentrionalium gẽtium lingua, bornen, idem quod *ardere* significat. Sed de succino, quod in Europa gignitur, ideoq; Europæum est nominatum, in præsentia hæc dixisse satis sit. Succinum Africanũ & Asiaticum. Præter id vero aliud est, quod in Africa, & item aliud, quod in Asia gignitur, ob id hoc *Asiaticum*, illud vero *Africanum* appellatur: vtrumq, Arabes *Ambram* vocant. Ambra. Recentioribus quoq; Græcis ἄμπαρ & ἄμβαρ nominatur. Quos Latini imitati *Ambarum* nuncupant. Hoc colligitur ex balenis, & piscib. cetaceis, qui fontes Ambaris degustarunt. Hi namq; huius Ambaris vtpote pinguis, aerei, & subdulcis, nimiũ auidi, eius esu sibi mortem consciscunt, præsertim vbi copiosius vorant. Mortui igitur fluitant, & vndis maris emergunt, quod animaduertentes insulani, cõiectis vncis F & funibus illos extrahunt, ambarumq; cæso ventre eximunt. Hoc nonnulli *semen*, vel Græca vtẽtes voce *sperma ceti*: alii, vt Auicẽna, stercus eiusdem esse magno errore putãt, Auicennæ error. quum non sit nisi succinum quod balenæ siue cete deuorarunt. Vnde liquet, Auicennam ma-

A nam maximo in errore versari, qui sub Ambræ voce vnica, duas inter se diuersissimas res, nempe *spumam* siue *florem salis*, & succinũ hoc Africanum & Asiaticum, describit ac confundit. Et ex eodem etiam posteriores Medici, & horum officinæ, errandi occasionem sumserunt. Nam illi res has discernere nequeuntes, *florem maris*, *sperma ceti* vocant, quum potius succinum, quod e cetaceis piscibus eximitur, vulgi & imperitorum more, ita nominandum illis fuisset. Porro succinum hoc, perinde atq; Europæũ in Arabia maxime felice ad Sychrim; vt scribunt, oppidulũ maritimum ex liquido bitumine coloris e cinereo candidi in mare e fontibus suis effluit, illicq; concrescit, quod sæuientib. procellis agitatũ pelagus, cũ prouolutis impetuose saxis exspuit in littus. Homines aũt, qui præsentiũt maris insultus, ad vada se conferunt, & quod eructarint Ambarũ congerunt. Auicennæ error. Iuniorum & officinarũ error.

B Interdum etiam in cetaceis piscibus interfectis, *vt comprehensum est*, inuenitur. Quod ad alterius differentiam, *sperma ceti* nominari posset, quamuis parum proprie. Ambarũ fuluum, vel, vt hodie loquuntur, *Ambra citrina*, discriminis gratia appellari posset. Ad nos hoc tempore non affertur, sed in eius locum substituitur *Ambarum factitium*, quod hodie in officinis sub Ambræ nomine prostat, & magnis impensis a pharmacopœis comparatur, atq; a colore cineritio, vt illã a citrinã, quæ succinum est, *vt diximus*, discernant, *gryseam* appellant. Modum autem conficiendi alibi ostendimus. Vt iam perspicuum sit omnib. recentioribus Medicis triplicem esse Ambram. Vnam subalbidam, quæ est flos maris, Dioscoridi, & officinis inepte *sperma ceti* dicitur. Alteram fuluã & pinguem, quã *citrinam* nominant, quæ certe rectius quam prior *sperma ceti*, quum nonnunquam ex illis Ambarũ factitium. Ambra officinarum Ambra grysea. Ambra recentiorũ triplex.

C iam interfectis eximatur, diceretur. Non est autem nisi succinum, quod cetacei pisces deuorarunt. Tertia *grysea*, quæ natiua non est, sed factitia, & hodie in officinis sub Ambræ nomine prostat. Quæ singula *in nostris in nonum Galeni de simpl. medica. facult. librum commentariis* copiosius ostendimus. Quod si igitur Matthiolo hæc non satisfaciunt, nec vt meæ sententiæ subscribat efficere possunt, ad eos, quos iam citamus commentarios, recurrat, & inueniet forte, quæ ipsius animo satisfacient.

Ceterum vt succinum est liquidi Bituminis genus, ita etiã id medicamentũ, quod recentiores Græci *Caphuram*, Mauri Indico, vt videtur, vocabulo, *Camphoram* appellant: quod multis argumentis alibi demonstrauimus. Sic autem a verbo *Caphar* dicta esse videtur, quod ob lentorem suum ac tenacitatem, in compingendis, glutinandis, & oblinendis nauium tabulis, aut tignis, lateribusq; ædificiorum magnus eius olim vsus fuerit. Caphura. Camphora.

D Post Dioscoridis, Galeni, & Pauli seculum in vsum medicum venit, & gemina exsistit. Vna natiua, vel, *vt aliis vocatur*, rudis, quæ scilicet nullam vim ignis experta est. Talis in maris fontibus oritur, & aquæ marinæ supernatat. Hæc, *vt Serapio auctor est*, copiosa gignitur, cum terra crebris motibus conquassata, magnam tam Sulphuris, quam bituminis vim profundit. Hæc non colore, sed partium duntaxat tenuitate, a candida Babyloniorum *Naphtha* differt. Odor autem & color candidi Bituminis esse sobolem testatur. Non esse autem gummi, hinc abunde liquet, quod *nullum Gummi ardet, nec oleo dissoluitur, sed aqua:* atqui *Caphura nequit dissolui, nisi aliquid oleosum adieceris*. Hinc experientia edocti Seplasiarii, vbi contundenda venit in pilis, aliquid e nucis, aut amygdali nucleo, aut Natiua.

E quid simile adiiciũt. Quod autem bitumen sit, Auerroes satis testatur, qui hanc Ambræ congenerem facit. Item quod ardet in aquis, quod Bitumini peculiare est. Amicissima preterea est ignibus, quem semel conceptum, difficile dimittit. Neq; dissident ipsius facultates ab iis, quas Bitumini inesse videmus. Cui rei mercatores quoq; fidẽ faciunt, qui constanter affirmant, se vidisse Indiæ locum *Caphuram* exsudãtem. Hac officinæ caret. Factitia altera est, quæ ignis ardorem sensit, a quo album, quem semper obtinet, colorem contraxit, & in laminas pellucentes digesta est. Hinc est, quod Simeoni Sethi ἐργαζομένη, id est, *ignis calore elaborata*, Serapioni autem *sublimata* dicatur. Hæc certe est, quæ in pastillis magnis ad nos affertur, & in officinis passim sub nomine *Camphora* venalis habetur. Quæ autem ad conficiendi eius modum, item diuersas de ea Arabum opiniones, Factitia.

F & temperamentum attineat, prolixe admodum *libr. 9. de simpl. medic. facul. in nostris Commentariis* indicauimus.

Bituminis liquidi, at crassioris, limiq; speciem referẽtis neq; tamẽ duri genus quoque est id, quod Græci composito ex pice & Bitumine nomine πισσάσφαλτον vocant, non certe, quod naturaliter ex vtroq; constet, *vt Plinio visum est*, sed quod mistam Bitumine picẽ Pissasphaltus Plinii lapsus.

Dioscoride attestante, redoleat: aut forte quod pici simile sit. Tanta enim ei cum pice similitudo est, vt nonnulli illud propter hanc similitudinẽ *Picem* appellent. Hoc Aristotele & Dioscoride auctoribus, in Apolloniatarũ agro inuenit͛, atq; ex Ceraunijs mõtibus deuolutum fluminis impetu rapitur, illicq; in glebas coactũ, ad littus eijcit͛. Quum igitur in fluminis littora eiectũ mox reperitur, pingue quidem & adhuc molle existit. Vbi vero diutius extra aquas fuerit, durius multo efficitur, resolutisq; tenuiorib. ac humidis eius partibus ita siccum redditur, vt resinæ tostæ, quã Seplasiæ picem Colophoniam & Græcam vocant, consistentiã acquirat. Atq; illud hoc tempore apud Pharmacopœos deprauato & decurtato nomine *Asphalti* venit, quum potius illis Pissasphaltos nominandum erat. Bitumen hoc accensum, picis modo, igne liquescit, & de se guttas fundit, mistamq; Bitumini picẽ omnino redolet. Graui etiã halitu non accensum constat. Pingue præterea est, & manib. tractatum mollescit, aut igni admotum liquescit. Vt dubium non sit, quin id, ꝙ nuper sub Asphalti nomine a nostris Pharmacopœis afferri cœpit, sit vera Græcorum ac Dioscoridis Pissasphaltos, & Mauritanorum Auicennæ & Serapionis Mumia. Ceterũ, ne id silentio transeamus, olim in ea fui sententia, vt crederem id, ꝙ non procul, nẽpe trib. fere lapidibus, ab Oenoponte oppido, ab Oeno flumine sic dicto, ad montes Seefeldenses post immodicos imbres colligit͛, & ab incolis eius loci Durſenblut/ id est, *gigantum sanguis* dicitur, esse *Pissasphalton*. Atq; in eam quidẽ sententiam me pertraxit doctissimus vir Georgius Collimitius, qui fragmentum eius mihi pro Pissasphalto transmiserat, quod in hodiernum vsq; diem retineo. Verum accepta tandem vera Pissasphalto, vtrunq; deceptum fuisse deprehendo. Nam idipsum igni admotũ, picis instar, nõ liquescit, nec guttas de se fundit, sed ligni, aut tedæ modo conflagrat. Durum præterea est ac solidũ, ita vt tusum in puluerẽ redigi possit. Et quum omnino lapidea duricie præditum sit, nihil dubito Gagatẽ esse lapidẽ. Nam nigro colore est, crustosum, aliqua ex parte læue, accensumq; bitumen redolet, & omnes Gagatis a Dioscoride cõmemoratas notas habet. Quapropter si alibi diuersum a me scriptum aut dictum est, id, vt parũ veritati cõsentaneum, iam damnatum esse volo. Porro vt ad Pissasphaltum redeamus, si illa diutissime extra aquã posita terra multa obruatur ac tegatur, retorrida magisq; sicca euadit, tandemq; effossa & exemta, a nõnullis Pissasphaltos fossilis nuncupatur. Nõ ab re aũt paulo ante a nobis dictum est, *Pissasphaltũ* esse Serapionis & Auicennæ *Mumiã*. Mauritani namq; duplicẽ Mumiam describunt, nempe natiuam & factitiam. Natiua, nõ est nisi πισσάσφαλτος Dioscoridis, quam iam descripsimus. Altera factitia, quę itidem gemina est. Vna, qua principum & diuitum corpora condiuntur. Ea constat ex myrrha, aloe, balsamo, & sanie, quæ ex humani cadaueris carne resudat. Hæc hodie non affertur. Altera est, qua pauperum corpora demortua condiri solent. Ea, vt *Strabo in 16. testatur*, ex bitumine, quo ad mortuorũ condituras Ægyptij vtũtur, cui nonnulli picem adijciunt, constat. Siquidem natiuum bitumen, & liquefactum in hominis cadauer infundunt, omnesq; eius partes cauas, cranium nimirum, thoracem, ventrem, & ossa peruia, eo cõplent. Atq; ea est, quæ ad nos affertur, & in officinis fere omnib. pro Mumia prostat. Qua vtiq; in Pissasphalti penuria vti licet, ꝙ eandem fere facultatẽ habeat, modo ossa prorsus abijciant͛, & bitumẽ tantum, quo cadauera illa completa sunt, ad vsum medicum adhibeatur. Verum quũ iam Pissasphaltus satis magna copia a quibusdam Seplasiarijs afferatur, *vt dictum est*, præstat ea neglecta Mumia veteri vti.

Fuchsius candide errorem renocat.

Mumia duplex. Natiua. Factitia duplex.

Spongia. *Spongia seu fungus marinus*, corpus laxum, rarũ, ac cauernosum, ꝙ ad se liquores allicit, & eos, quos attraxit, nisi vi exprimat͛, asseruat. Præstat vti noua spõgia, vt q̃ non tantum est materia irrigandos humores excipiẽs, sed etiã manifeste desiccat. Nã in ipsa etiamnum ea, q̃ a mari accepit, facultas exsiccãdi seruat͛. Progressu tẽporis etiamsi vsui nõ accõmodat͛, tamẽ nihilominus odorẽ & facultatẽ maris amittit, adeoq; nõ ęque desiccat.

Noua spongia.

Pila marina. Cornarii error. *Sphæra seu pila marina*, sic a figura dicte, hodie corrupta voce *Balla marina* vulgo nominatur. Meminit eius Gal. *lib. 1. de comp. med. loc. c. 18.* Cornarius tamen ignorans, quid esset apud Galen. eo loco pila marina, Galeni locum suo more deprauauit, & pro sphæra, spongiam falso substituit, adeoque res, forma & aspectu diuersas, confudit. Eius autem vniuersam historiam in *altero nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo* studiosi reperient, vt non sit opus hic fusius de ea verba facere.

De rite colligenda Materia medica. Cap. XXI.

A HActenus breuiter, quæ in vniuersum sit materia medica, hodie in officinis vsitata, adeoque pharmacopœis & Medicis etiã cognitu necessaria: membratim perstrinximus. Nunc itaque qua ratione illa sit tum colligenda, tum asseruanda, eadem breuitate docebimus. Habet namq; quælibet stirpis pars, vt ab iis exordiamur, suam maturitatem, statumq; colligendi tempus, quod anni aut dierum numero, sed magis ex ipsius rei natura æstimatur. Ea enim, quæ maturitatẽ consecuta sunt, & perfecta, ea colligẽda maxime ad medicamentorum vsum veniunt. Herbæ igitur vbi florent, aut semine prægnantes sunt, & serena cœli constitutione, non nubibus, nec imbribus apparentibus, ac post meridiem statim sunt colligendæ. Collectæ, terra ab iis expurgata, atq; aliis aduẽtitiis excrementis diligenter amotis, in vmbra potius quam sole, ne huius calore vires Herbæ quãdo colligendæ.
B earundem exsoluãtur, exsiccãdæ sunt: nisi caule sint crassiore, aut folio humidiore, adeoq; vt putrescant idoneæ. Exsiccandæ autem sunt in loco ædium aliquo superiore perflatili, asserib. dolabra læuigatis, & arctissime inter se iunctis atq; compactis, ne semina q̃ ex herbis excidunt per rimas decidant, sed potius colligi possint. Impendente autem tempestate aliqua, fenestræ maturæ claudendæ sunt, ne herbæ a vẽtis dispersæ inuicem implicentur, & inter se confundantur. Cauendum etiam vnice, ne canibus aut felibus accessus illuc pateat, quod ab illis comminguntur, ac stercoribus contaminentur. Valerianam autem & Nepetam vocatam herbas suspendere ex pariete, quam in pauimento stratas exsiccare: quod feles illarum amantes in iis assidue versari delectentur. Et si accidat, vt herbæ decerptæ humidæ admodũ sint, ac cœlum itidem humidũ ac pluuiosum
C sit, nec siccioris auræ spes vlla fuerit, in hypocausto calefacto sæpe versando, ne scil. putrescant, siccari debent, non tamen eo vsq; siccare conuenit, vt aliquid virib. earum decedat. Singulis annis renouandæ sunt. Flores, non secus atq; reliquæ stirpiũ partes tum legendæ, quum maxime vigent, & nequaquam quum iam flaccescentes decidui euanescunt: demtis tamen Rosis, quæ expandi cœptæ, auelluntur, quum reliqui vbi iam dehiscentes aperti sunt, sed haud ita pridem, & ex quibus vis nondum exhalauit. Legantur autẽ tempore pomeridiano, rore nocturno aut matutino solis calore absumto: alioqui enim ob alienam humiditatem facile corrumpuntur. Verum quia maiori ex parte omnes fere flores sint herbis fragiliores, molliores, ac tenuiores, iccirco tantum abest, vt in sole exsiccandi sint, maxime vbi odorati sunt, vt ne quidem in vmbra, si calida, & e- Flores quãdo decerpendi.
D minentia loca fuerint. Siccandi igitur sunt in locis temperatis, quo vtique tempore sæpius, ne situm contrahant, reuoluendi sunt, adhibita etiam cura, ne sicci natiuum colorem amittant. Certum enim est flores, qui inter siccãdum a proprio colore degenerãt, nullius esse in medicina vsus. Durant annum dũtaxat, ideo singulis annis renouari debent, veluti herbæ. Semina legenda quum maturitatem sentiunt, priusquam decidunt, paleisq;, festucis, pediculis, lapillis, & aliis extraneis repurgãda, atq; leuiter exsiccanda. Deligẽda vero pleniora, nec rugosa, nec cariosa, & quæ odorẽ & saporem suos seruant. Repurgandi aũt modus est, vt quicquid leue & puluerulentum est, mouendo hinc inde & inflando in aerẽ dissipetur, vel angustiore cribro excernatur. *Præterea* semina manib. primum fricanda sunt, vt q̃ leuiter hæreat & alienum est tollatur. Maiora & rotunda Semina quo tẽpore legenda.
E semina in tabulam inclinatam, & leuiter manu pulsam in vas ei subiectum relictis arenis & lapillis deuoluenda sunt. Quæ iam dictis rationibus separari nequeunt, virgula, cuius vertici cera agglutinata est, sigillatim contacta remoueantur. Præstat etiam singulis annis mutare ac renouare semina. Licet.n. quædam ex illis seruari possint, tamẽ pauca admodum sunt, quæ inueterata rancorem non redoleant: quo fit, vt calorẽ nanciscantur extraneum, & sibi haud congenitum. Siccãtur, vbi præsertim humida collecta fuerint, fasciculis vitreatis, aut sacculis reponuntur loco sicciore, & humiditatis experte. Fructus vbi maturi sunt decerpant̃, demtis Sorbis, q̃ immatura decerpere conuenit: id q̃ etiam in reliquis fructib. adstrigentib. obseruandum erit. Hi namq; paululũ immaturi decerpendi sunt. Oleosi fructus, vt sunt *Iuglandes, amygdalæ, pistacia, nuclei pinei, & anellanæ*, non Fructus quando decerpendi.
F prius ex arboribus decutiant̃, q̃ plane vltimum maturitatis gradũ attingant. Id autem recte cognoscit̃, quum extima inuolucra sponte sua dehiscunt, & arbore concussa vna cum fructib. decidunt, alioquin insolatu contrahuntur & siderantur. Decerpti fructus exsiccantur, vel in aere, expositi soli ac ventis septentrionalibus, aut orientalibus: vel in clybano, si in aere fieri nequeat, q̃ tamen expeditius est. Porro qui in aere exsiccantur,

ne a muscis contaminentur, aut telis araneorum obducantur, curandum est. Qui vero in clybano exsiccantur, ne comburantur cauendum erit: id quod fiet, si post extractum panem imponuntur. Reponuntur armariis, pixidibus, & locis, quo neque humor vllus, neq; fumus, neq; puluis pertingere potest. Mutantur quotãnis. Radices præcipue euellendę sunt, cœlo sereno, & a pluuiis vacuo, quum medicamentosę sunt, id q, vere & autumno fit. Vere namq; priusquam in caulem, folia, florem, fructum & semen vis stirpis erumpat, velluntur. Autumno aũt incipiẽte, iam foliorũ defluuio, succus omnis p caulem in radices remeat, quapropter tum sunt maxime efficaces. Vere etiã ideo quædam radices eruendę veniunt, q, hoc tempore tãtum inueniri possint, pereuntib. mox tum foliis, tum caulibus: cuiusmodi sane sunt fere omnes bulbosæ radices. Omnes aũt radices integræ, si fieri potest, & abunde nutritæ, vbi scil. nec nimis molles humidęque, nec nimis duræ sunt, & putredine omni vacantes, euellẽdæ. Euulsæ aqua clara tãtisper dum omni vndiq; terra, quæ illis tenaciter hæret, & argillosa est, vel limo penitus omnibusq; sordib. abstergantur, lauandæ ac purgandæ sunt: & si quid computruit, cultello abscindendum & amputandũ. Deradi quoq; debent, vt tum a fibris, tum capillamẽtis omnib. repurgentur. Purgatæ, si magnæ & crassæ fuerint, in taleolas secandæ sunt, vt scil. citius exsiccari, & facilius deinde, vbi vsus postulat, conteri possint. Quædã aũt vmbra, & vento siccãdæ, vt est apii, fœniculi, iridis, & si quæ aliæ sunt vel minores, vel sicciores, vel rariores, vtpote quarum vires sol, vel ignis promte dissipabit. Quæ vero grandiores sunt, veluti *bryoniæ, gentianæ, helenii, mandragoræ*, & id genus alię, si aer sit nubilus & hyems, ne in vmbra situ tabescant, ac proinde marcescãt, in sole & vento, vel igni siccant. Aut transuersim in orbiculos, & taleolos sectæ, & filo traiectæ, paruisq; interuallis, ne se contingant suspensæ exsiccantur. Quæ autẽ in pauimẽtum proiectæ siccantur, sæpe versandæ sunt, ne mucidæ aut putridæ fiãt. Quod si vero siccatis celeriter opus est, patellæ ignitæ, & admodum calefactæ impositas, sæpe versando siccabis. Quædã etiam lignosa matrice (*sic enim cor stirpium Gaza ex Theophrasto nominat*) exemta siccantur, vt fœniculi, & apii. Ceterum mutandæ radices vbi rancorem nactæ fuerint, aut vires suas amiserint. Succi, vtpote in medicina admodum necessarii, omni prorsus diligentia sunt eliciendi, vt scil. totius anni curriculo nullam putredinem sentiant. Hi aũt non solum ab herbis, & eorundem foliis, verumetiam a radicib. & fructib. eliciuntur. Qui e radicib. extrahuntur, vt *Glycyrrhica*, vere quidẽ parandi sunt, quum primum folia prodeunt, tum enim succosę admodum sunt radices. E foliis vero dum primum cauliculi germinant, & antequam stirpes flores edant, & earum caules lignosæ fiant, herbis prius concisis & contusis, eliciuntur. Ex fructib. aũt quum quidam vltimam senserint maturitatem, cuiusmodi esse debet *malorum punicorum, citriorũ, & limonum*. Quidam vero priusquã ad plenum maturuerint, vt *ex iuglandibus, moris, ligustri baccis, & fructu syluestrium prunorũ*. Quidam ex immaturis, vt *omphacium*. Liquores, quum fere omnes aliunde afferantur, ac peregrini sint, qua ratione, quoue tempore colligendi sint, hi sciunt apud quos stirpes illæ, vnde hi defluunt, nascuntur. Non raro etiam Dioscorides colligendi eorundem modum recẽset. Excipiuntur autem inciso per summum adolescentiæ vigorem caule. Lacrymarum eadem est, quæ liquorum in colligendo ratio. Gummi quoq; colligendi modus diuersus non est. Cortices partim e truncis & ramis, partim e radicibus, partim etiam a fructib. arborum & herbarum sumuntur, atq; earundẽ nominibus appellantur. Arborum aũt crassiores cortices aut manu auellunt, quum leuiter adhærent: aut vbi tenacius hærent, ferro abscinduntur, vel abraduntur, quum tenues scil. ac membranosi sunt. Radicum cortices hoc pacto colliguntur. *Radices virides per medium finduntur, vel pistillo a summo vsq; ad imum tunduntur, & medulla exemta abiicitur*. Fructuum cortices carne abiecta retinentur. Nõ secus autem quam radices sunt exsiccandi diligenter. Quæ reliqua est materia medica vel animantium, vel eorundem partium, itemq; metallorum, & e mari sumpta, nullam in colligendo, sed tantum in reponendo & asseruando industriã & diligentiam Pharmacopœi requirunt. Magna namq; ex parte exotica & peregrina sunt, aliundeq; afferunt. Quapropter, quomodo hęc & alia materia medica asseruãda sit, iã exponem⁹.

Radices quo tẽpore auellendæ. Succi vt eliciendi. Liquores vt colligendi. Lacrymæ. Gummi. Cortices vt auellendi.

De rite asseruanda materia medica. CAP. XXII.

Herbæ vbi pbe fuerint exsiccatæ, loco nõ fumato, non humido, nõ puluerulento, sed sublimi, puro, & arido in sacculis ex corio cõfectis, vel in ligneis capsulis reponendæ

Herbæ vt reponẽdæ.

nendæ

A nendæ sunt, ac diligenter claudendæ, ne earum vires euanescant. Qua quidem in re nonnulli Pharmacopœi plurimum errant. Nam herbas iam siccatas in fasciculos digestas ad officinarum laquearia suspendunt, vbi breui non solum viribus aeris ambientis exuctione, ac ventorum perflatu destituuntur, sed etiam in mille sordium sentinam desciscunt, quandoquidem & puluere, & araneorum telis obsidantur, ac muscarum stercore defœdantur. Neque reprehensione omni vacant ii, qui in linteis sacculis, ipsisque textura admodum raris herbas asseruant, & appendunt. Siquidem æstiuus aer in ipsos penetrans, quicquid boni inest, absumit & abolet. Quin etiam puluere obsitæ corrumpuntur ac contabescunt. Quum autem diu integris viribus herbæ seruari vix queant, consilium est, vt quotannis mutentur. Flores, vt herbæ, in ligneis arculis asseruantur ac Flores. B reconduntur, & singulis quoque annis permutantur. Semina vbi exsiccata fuerint, itidem ligneis arculis inclusa reponuntur in locis aridis, non calidis: facile enim locorum humiditatem contrahunt, ac putrent. Præstat ea etiã quotannis mutare, non obstante quod pleraque illorum seruari possunt. Fructus exsiccati in sportam vel capsulam ligneam recondendi sunt, & in loco temperatiore seruandi: ita enim extraneos humores non concipiunt, nec situm facile contrahunt, nec corrumpũtur, nec etiam nimium siccantur. Qui per annum recentes reponuntur, aut maiori anni parte perdurant, in locis siccis minime aspergine redolentibus appenduntur, vt sunt *vua, pyra, mala cydonia, & punica*: aut sup paleas expãduntur, vt sunt *immatura sorba, & mespila*: vel milio sepeliũtur, *quemadmodum medica seu citria, & arantia mala*. Fructus denique oleosi, *vt Iuglandes, amygdala*, C pineæ melius sparsim, quam aceruatim asseruantur: nam in aceruos congesti facile incalescunt, & raucidi fiunt, maxime in loco & tempore calidiore. Seruandi igitur sunt loco frigidiore. Radices exquisite siccatæ reponuntur loco non insolato, non fumato, non humido, non squalente, non puluerulento, sed sublimi, sicco, puro. Sit igitur locus qui ad septentrionem vergat, vel etiam ad meridionalem plagã, quãdo scil. radices ipsæ non prorsus exsiccatæ reconduntur, adhibita tamẽ cura, ne eo tẽpore austri humidissimi flatus admittantur. Seruandæ aũt quamdiu vegetæ adhuc sunt. Quare quæ crassæ & densę sunt, trib. annis seruari possunt, vt *radix bryoniæ, cẽtauri maioris, peucedani, & similium*. Quæ vero tenues & raræ sunt, vt *asari, apii, tragii, asparagi, & similium*, quotannis sunt mutandæ vterque elleborus, *Gal. lib. 1. de Compos. medic. local. teste*, triennio seruari potest. Succi alii seruantur paulum primum liquidi ad ignem feruefacti, moxque diligenter de- D fecati, vt est *succus rosarum, oxalidis, buglossi, & similium*. Alii ignem non experti tantum subsidere permittunt, ac deinde vasis tandiu transferuntur, donec defecati pelluceant, vt est *succus malorum punicorum, citriorum, limonum, cydoniorum, & mororum*. Sicci reponendi sunt, vbi aut sole, aut igne probe siccantur: tum demum vasculis vitratis, aut pixidibus reconduntur. Cortices, fructuum maxime diligenter prius exsiccati, ne situm contrahant, aut putrescant, in arculis ligneis recondi debent. Gummi facile seruantur & diu durant, si in loco nec humido, nec putrido collocentur. Animalia sicciora integra, vt *cantharides*, non difficulter, vbi semel probe exsiccata fuerint, asseruantur. Humidiora & pinguiora promte corrumpuntur, & putrescunt, vermibusque opplentur, nisi absinthium vulgare, & id genus alia amara, & putredinem arcentia illis adiician- E tur. Reponuntur autem in loco sicciore ac frigidiore. Partes eorundem siccæ, ante repositionem nullam singularem pręparationem requirunt, nisi vt membranulæ, carnes, & quicquid corruptioni obnoxium est, diligenter abradatur, & auferatur, ne scilicet putrescant, & subiectæ parti graueolentiam concilient. Humidæ autem partes accuratiore præparatione egent, quæ qualis sit, suo dicemus loco.

(Semina. — Fructus. — Radices. — Succi. — Cortices. Gummi. Animalia & eorundẽ partes.)

De delectu & in vniuersum præparatione materiæ medicæ. CAP. XXIII.

QVod ad delectum materiæ medicæ attinet, non est cur hoc loco aliquid dicamus. Delectus. Nam quod ad stirpes ipsas spectat, is delectu in iis optimo vtetur, qui veras & legiti- F mas ad vsum medicum adhibebit. Aliorum delectus passim supra est in commemoratione singulorum indicatus, vt opus non sit hic denuo de eodem verba facere. Quapropter ad præparationem potius accedemus. Praeparatio. Varie autem medicamenta simplicia præparantur tribus de caussis, nempe, vt vel palato gratiora, & magis suauia sint: vel vt diutius conseruari, vel vt melius & expeditius aliis misceri possint. Varii autem sunt me-

Preparationis modi quot. dicamentorum simpliciũ præparationis modi, nempe decem, quos ordine prosequemur. Primus est *Comminutio*, qua vtiq; vtendum erit, vbi simplicia integra vsurpari non possunt. Imminuuntur vero primo, dum in multas secantur partes, vt scilicet hac ratione corrupta, aliena & inutilia ab vtilibus, propriis, & integris separentur. *Secundo*, quando duriores partes finduntur scinduntur ue, vt expeditius tundantur: molliores aũt, vt facilius siccentur, aut condiantur. *Tertio*, vbi quæ dura & tenuia sunt, vt *arborum surculi, & herbarum aridarum stipites*, franguntur. *Quarto*, quæ findi aut frangi neq ueunt, lima atteruntur, vt vomica nux officinis hodie appellata, aut torno in ramenta dissecantur, *vt lignum Guaiacum*. *Quinto* comminuuntur simplicia medicamenta, quando eorundẽ cortices duriores vel membranosi cultello, vel vnguibus abraduntur, propterea quod illorum tantum in medicina vsus sit, vel quod noxii, vel nullius pretii sint. *Sexto*, quãdo quæ dura & crassa sunt, atq; ob id commisceri aliis nequeunt, teruntur ac pistillo tunduntur.

I. Comminutio.

A

B

Tritura. Terere autem seu tundere est *crebro percussu non solum humida, mollia, & virentia, sed etiam sicca comminuere, sic vt in puluerem redigantur*. Plinio *trita in farinã, tusa, & cribrata* dicuntur: quanquam posterius etiam de humidis, quæ trita per cribrum vi cochlearis, aut rudiculæ, aut manus cernunt, intelligi potest. Sicca vero cribri succussione descẽdunt: Vtrunque autem, humidum scilicet & siccum, Greci λειαίνειν, id est, *læuigare*, seu *læue reddere*, & *in puluerem tenuem comminuere*, aut *in pollinem redigere, & cum vino, vel alio liquore multum subigere* dicunt. Vulgus *pistare* vocat, & ad herbas, fructus, semina, radices, ligna, & alia tum mollia, tum dura transfert. Succi tamen & liquores lenti gummi instar, vt *Galbanũ, Hammoniacum*, sub pistillo dilatantur potius, quam læuigantur: Ceterum Græci etiam κόπτειν *in pila tundere herbas & radices, & semina* appellant. τρίβειν quoque, id est, *terere*, non tantum in puluerem comminuere, sed etiam de *Vuis passis, Bdellio, Vino, Myrrha*, & aliis simul tusis effertur. Porro ducuntur pistillo per mortarium, aut super marmor leui compressu *Thus, Mastiche*, & similia quæ tundendo latescunt. Sic Rhabarbarum per se, sic Lithargyrum cum oleo, vel Oxelæo, vel Hydreleo nutritum, & alia permulta non humida modo, sed etiam arida, quæ trituram illam verberatu multo faciendam non tolerant. Quinetiam metalla vel aliud quidpiam elaboramus, valenter & pluribus diebus, præsertim in sole cum aceto, vel alio simili diu conterimus. Teruntur autem medicamenta potissimum arida, interdum etiam liquida, trib. de caussis. *Vna* quidẽ, vt promtius quod potentia sunt, id actu fiant. Sic medicamẽta, quæ potestate calida sunt, quo tenuius sunt trita, eo citius & facilius a calore nostro actu calida euadunt, & nos quoque calefaciunt, quum integra adhuc nullam aut minimam calefaciendi efficaciam habeant. Piper .n. si integrum corpori adhibetur, aut ore continetur, aut deglutitur, nihil, aut parum id calefacere, deprehenditur etiam longo post tempore, quum eius puluis tenuissimus mox, vbi linguæ impositus est, eam vehementer incendat & molestet. Eodem modo calida alia potestate omnia, sic stirpium calidorum folia tusa calefaciunt nos, & magis & citius, quam si integra vel sumantur vel admoueantur. Simile accidere lignis videmus, quæ quo crassiora sunt ægrius, quo vero tenuiora expeditius incenduntur. *Altera* vt exquisitius promtiusque aliis medicamentis misceri possint. Quæ enim trita sunt tenuissime, & cribro tenuissimo creta, vbi medicamentis compositis miscentur, quod partibus suis minimis mutuo se contingant, promtius & valentius se inuicem afficiunt, & tandem compositi vnam facultatem rectius conflant. *Tertia* propter quam medicamenta teruntur, magis vel minus, caussa est, vt facultatem acquirant a priore diuersam. Quæ enim tenuissime sunt tusa, & cribro tenui creta, in totũ corporis habitum promtissime distribuuntur: e diuerso quæ crassiora sunt, in ventre hærent, quia angusta venarum ora subire nequeunt.

κόπτειν.

τρίβειν.

C

Cur terantur medicamenta.

I.

D

II.

III.

E

Hinc est, quod Gal. *lib. 4. de tuend. sanit.* Diospoliticum crassius faciendum esse doceat, vbi aluum per id ducere cõsilium est: tenuissimum vero & pollinis instar minutissimum, quando vrinas mouere volumus. Pari modo Rhabarbarum officinarum, asarũ, cuminum, & id genus alia permulta negligenter trita aluum subducunt: tenuius vero comminuta in corpus expedite subeunt, & venas perreptãt celeriter, vrinasq; mouent. Sic ęrugo, chalcitis, misy, sory, chalcanthũ, æris squama, & alia similiter fortia & valida diu ex aceto trita morsum & rosionẽ deponunt & admittunt, virib. reliqs auctis. Quum enim natura partium sint crassiorum, vim suã in alcum vsq; corporis curandi nõ demittunt,

F

A tunt, quapropter vt tenuiora fiant, diu ex aceto terenda sunt ac comminuenda, vt scilicet hoc modo curiose attenuata ad penitiora vsque penetrent, & corporis meatus pertranseant, nusquam inter eundum retenta, & si calidioris naturæ fuerint, sine morsu munere suo fungentur. Porro aromata, quæ Actuarius, Nicolaus Myrepsius, & Paulus etiam εἴδη, id est, *species*, sæpe appellat, negligenter teruntur, quum vires earum diu integræ sunt seruandæ, quod earundem spiritus facile exhalent ac dissoluantur: tenuissime autem teruntur, quum viribus illarum in præsens opus est. Ceterum terendorum non est vna natura. Quędam enim substantia sunt tenuia, si sint arida, promte in minimas comminuuntur partes: vti humida mox per se sparguntur, & alte corpus imbuunt. Crassa vero contra: quapropter illa minus diu, hæc longiori tempore in eundem scopum terenda sunt. Proinde metallica & terrea cetera quod crassa sint, etiam post vstionem diu admodum, præcipue quæ collyriis oculorum vel liquidis vel aridis permiscentur, terenda sunt. Rara quoque mediocriter & friabilia non diu admodum terenda veniunt, vt *Rhabarbarum, & Scammonium*: accuratius vero, densa & mediocriter lenta, *vt est aloe.* Nec temere dictum est, rara mediocriter, quod ea, quæ immodice sunt rara, vt *agaricus, colocynthis*, per se in puluerem tenuem redigi nequeunt: sed vel cum aliis sunt in puluerem redigenda, aut prius in pastillos digerenda siccandaque. Tunc enim nullo negotio tenuissime teruntur, quod maxime tentandum erit, ne scilicet in ventriculi & intestinorum tunicis mole sua hæreant, humoreque redundanti imbuta ex oppressione & pertinaci adhæsu magnam & diutinam molestiam afferant. Lenta quoque mediocriter diximus, quod quædam ex iis ob ariditatem etiam iam mediocriter dura, nondum tamen per se in puluerem comminui possunt, sed sub pistillo latescunt. Quapropter aut vetustiora eligenda sunt, aut sole vel igni siccanda, aut cum aliis siccioribus & friabilibus ac tenuioribus terenda, vel aliquo liquore idoneo sunt dissoluenda. Sic *tragacantha, gummi arabicum, thus, myrrha, mastiche, sarcocolla, styrax, bdellium, euphorbium, ladanum, succus glycyrrhizæ, & alia gummi, resinæ, liquores, succi*, dum vetustate, aut aliter sunt siccata in puluerem terendo, aut pastillo diu multumque per mortarium ducendo comminui possunt, vel per se, vel cum siccioribus: quum vero sunt recentia, melius aliquo liquore dissoluuntur. Eodem pertinent semina quædam, vt *Cnici, lini, canabis, cydoniorum, citrii, bombacis seu gossopii, melonum, cucumerum, cucurbitæ, citreoli.* Amygdalæ præterea vtræque, & fructus quidam, vt *dactyli, baccæ, halicacabi*, ob lentorem & pinguitudinem non teruntur, sed vel scalpro, vel cultelli acie itentidem verberata minutim inciduntur. Ligna priusquam in mortarium imponuntur, lima atterũtur, vel quod minus laboriosum est in tenuissimas assulas finduntur. In herbis & radicibus ac seminibus, quod lignosum, fibrosum, & neruosum est, abiicitur, nisi pretiosum sit; & reliquis viribus non multum inferius. Radices inciduntur in taleolos transuersim, ita enim facilius in puluerem rediguntur, & puluis ille filis seu fibris carebit. Tunduntur quandoque simplicia crassissime, ad decoctũ nimirum: quandoque crasse, interdum in tenuissimum puluerem, vt in roborantibus compositis. Deniq; vt coctione longa non modo vires imbecillæ resoluuntur, sed etiam ἐμπύρευμα, id est, *incensio*, siue *ignitio*, coctis rebus imprimitur: sic longo attritu corporum durorum pistilli, mortarii, & terendorum etiam cum humore calorem, in medicamentis præsertim diu terendis, vel gignit, vel auget, qui eorundem facultatem mutat, & si hæc imbecilla fuerit, dissipat, adiutus difflatione per agitationem illam exsiccatam. Quam caloris ex attritu durorum generationem plane indicat farina, quæ ex breuissimo cõtactu molarum, calida tamen in subiectam arcam decidit. Ob id *Thymus & Hyssopum* vt coctionem, sic etiam trituram mediocrem, non diuturnam & vehementem sustinent. Quædam denique frigido pistillo, & in frigido loco contundi postulant, vt *aloe.* Quædam contra calidis gaudent, quædam vtrisque. Quædam ligneo pistillo, quædam lapideo teruntur. Quædam in pila plumbea, alia ærea, alia, vt margaritæ, in marmorea teruntur. Alter præparationis modus est auctio, qua medicamẽtum, quum aliis miscetur, aliquid acquirit, id quod fit nutritione, conditura, & coloratione. Nutrimus autem, quando *rhabarbarum, agaricum, sena, lithargyrum, molybdana*, & id genus alia, aliquamdiu super calidos cineres, idoneo liquore temperamus. Turpetum vero, *vt id obiter indicemus*, lacte, myrobalani oleo, aqua & aliis ex præscripto filii Mesuæ nutritur. Sarcocolla, lacte muliebri, vel asinæ,

[margin: Species. | Terendorum non vna est natura. | B (beside "renda sunt") | C (beside "que mediocriter") | D (beside "dalæ præterea") | E (beside "ctis rebus") | 2. Auctio. | F (beside "nis modus") | Nutritio.]

vel capræ nutrita, aliquamdiu post siccata, idque aliquoties ad vsus reponitur. Fit autem A hæc medicamentorum simplicium nutritio, & velut refectio atq; auctio interdum etiam citra ignem, nempe in aere calido. Cuminum insperso aceto nutritur, & iterum resiccatur. Nutritio vero ideo est excogitata, vt medicamenta e liquore, quem imbibunt, temperentur, ac mitiora fiant, suamque vehementiam nonnihil remittant. Conditura fit saccharo, aut melle, aut vtroque, aut sale, aut muria, aut aceto, idq; vel vt gratiora palato fiant medicamenta, vel vt diutius conseruari citra putrefactionem possint. Condiuntur autem *herbæ, flores, fructus, cortices, & radices*, vel virides, vel arefactæ, vel crudæ, vel prius coctæ. Herbæ prius coctæ, magna ex parte, vt fit in Serapiorum compositionibus, hodie condiuntur. Olim muria etiam condiebantur. Sunt tamen qui nunc quoq; herbas virides minutissime, instar florum, concisas, saccharo condiunt. Flores tamen non B modo, *vt iam dictum est*, minutissime concisi, sed & tusi saccharo condiuntur. Vocantur autem eiusmodi conditur æ hodie *conseruæ*. In iis autem parandis plerunque triplum sacchari ad simplum herbarum aut florum concisorum vel tusorum sumitur. Qui quæstui student Pharmacopœi, vel gulæ gratificari student, plus sacchari accipiunt. Sic autem maxime parantur. *Herbis aut floribus exactissime concisis, aut tusis saccharum adiicitur, & simul in pilam probe purgatam coniiciuntur, miscentur, & contunduntur, postea aliquot diebus soli exponuntur.* Cauendum tamen vnice erit, ne fermentando extra vasa effluant, quod fiet, si vasa ipsa non ad summum vsque impleantur. Quum conseruarum durationis tempus inæquale sit, quod aliæ satis diu durent, veluti *rosacea*, aliæ vero cito corrumpantur, acescant, vel arescant, danda opera erit, vt singulis annis nouæ conficiantur. Asseruantur C commodissime in vasis vitriis, lapideis, fictilibus & densis. Fructus molles & aquosi priusquam ad perfectam maturitatem peruenerunt auulsi & decerpti saccharo, vel melle, ad iustam spissitudinem cocto atque clarificato condiuntur. Duri, non nisi maturi condiuntur. Aridi, vt *Myrobolani genera omnia*, prius macerantur & coquuntur, dum mollescant, deinde vt alienam humiditatem deponant in cribro aut læuigato assere aeri exponuntur, vel in panno lineo resiccantur, donec in superficie contrahi incipiant, postea saccharum aut mel coctum affunditur. Pari modo a nonnullis *Iuglandes* nondum plene maturæ nouem diebus vel circiter in aqua pura quotidie mutata maceratæ, dein coctæ ferramento tenui transuersim secundum tres dimensiones perforatæ, & dein leuiter resiccatæ, foraminibusq; cinamomo, caryophillis, & zingibere in festucas longas D concisis, expletis affuso saccharo vel melle cocto condiuntur, & asseruantur. Ceterum cauendum ne saccharum aut mel, dum affunditur, nimis calidum sit, alioqui enim contrahentur & corii modo lenti & teneres fructus euadunt. Quod si vero aquosiora post aliquot dies euadant, & metus sit ne fructus corrumpantur, rursus effundantur, & ad iustam crassitudinem, coquantur, ac denuo affundantur. Sunt qui crudo melle, aut sacchari puluere fructus maxime molliores, vt sunt *cerasa, persicca, mora, tectos condiunt*. Quidam muria condiuntur, vt *limones & oliuæ*. Quidam sale, vt *cappares*. Radices recentes & virides, vt *helenii, Pimpinellæ, Pæoniæ, eryngii*, primum coquuntur dum mediocriter mollescant, coctæ leuiter resiccantur in aere a se inuicem seiunctæ, ac tandem saccharo aut melle cocto conduntur. Aridæ, vt *zingiber, & calami vsitati radix*, acerrimo lixiuio E probe macerantur, vt mollescant, quo facto perfunduntur aqua pura frigida subinde mutata, donec omnis acrimonia & lentor lixiuii auferatur. Dein leuiter in aere siccatæ, vt dictum est condiuntur. Colorationis vt in aliis multis rebus, ita quoque in medicamentis vsus est. Quædam autem citra alterius rei adiectionem colorantur, vt penidia diu tractando fiunt candidiora & elegantiora. Loch sanum & expertum diu multumq; agitando fit candidius. Quædam contra adiectione alterius, vt *theriaca chalcitide adiecta nigrescit: saccharũ santalo rubeo addito, vel alio colore tingitur, vnguentũ potabile, anchusa radice.* Quanquam temere coloris conciliandi gratia medicamentis nihil adiici debet. Coloribus autem variis inficiuntur magis spectandi, quam necessitatis gratia. Ad flauum enim colorem conciliandum vtuntur *croci aut rhabarbari succo.* Ad rubrum, *santalo, præsilii* F *ligno, lacha, grano tinctorio, floribus, Amarãti purpurei.* Ad viridem, *Anethi, succo, solani, & rutæ.* Ad cæruleum, *florib. Cyanei.* Ad indicum, *baccis sambuci.* Ad nigrum, *gallis, succo corticum* viridium Iuglandis. Hi succi aceto, aut vino sublimato diluuntur, & confectionibus vocatis iam absolutis, sensim in aheno calentibus asperguntur. Quum autem confectionum

Conditura. Conseruæ. Coloratio

A num nobis iam facta sit mentio, forte ab instituto alienum non erit, si modum struendi
confectionum hic breuiter perstringamus. Confectiones autem Pharmacopoei, vt id *Cõfectionum struendarum modus.*
obiter indicemus, vocant, quando simplicia medicamenta arido sacharo obducuntur
siue incrustantur. Hoc autem modo conficiuntur semina, fructus, radices, & aroma-
ta integra, vel in partes frustaque dissecta, vt gulæ gratiora sint, minoreque molestia as-
sumi possint, quandoquidem alia eorum nimis amara, vel acria, vel alium medicamen-
tosum parumque iucundum saporem habeant. Semina itaque priusquam conficiun-
tur a sordibus, pulueribus, festucis, lapillis, & pediculis suis cribrando, ventilando, &
seligendo purgantur. Fructus aquæ feruenti iniiciuntur, vt putaminibus suis exsuantur.
Aromata in frusta longiuscula ac tenuia finduntur atque conciduntur. Saccharum ad
B conuenientem consistentiam coquitur. Medicamentum autem conficiendum in vas
æneum duabus ansis pensile inditur, & super carbones hinc inde antrorsum retrorsum,
dextrorsum sinistrorsum agitatur, nunc in orbem voluitur, nunc instar auenæ in van-
nis mouetur, donec calefiat, calefacto autem parum sacchari ferreo cochleari infun-
ditur, non procul ab extremitate vno foramine perforato, & continuo agitatur, quoad
saccharum siccatur: deinde aliud affunditur, vt prius, idq; tantisper fit, dum iustam ac-
quirat magnitudinem. Superficies autem in plerisque leuis est, nisi singulari artificio
asperior, seu crispa, saccharo ex alto fundendo, fiat. Si vero materia conglobatur, vel
saccharo confertim infuso, vel negligenter moto, manu affricta nodi dissoluuntur. In
fine confectionis exacte siccantur, deinde in calidum & siccum locum cribro imposita
C reponuntur. Atque is optimus conficiendi modus exsistit. Tertius præparationis mo- *3. Separatio.*
dus est separatio, per quam a simplicibus medicamentis vel aliena, vt sordes, vel par-
tes, vel contenta separantur. Hæc vero multis perficitur modis, nempe *pulsatione*, *fri-*
ctione, *maceratione*, *lotione*, *expressione*, *coctione*, *despumatione*, *colatura*, *clarificatione*, *&* *de-*
stillatione. Pulsantur autem materiæ malleo, vel pistillo, vt partes a se mutuo auellan- *Pulsatio.*
tur, ita semina a stirpibus, cortices a nucleis, medullæ radicum a reliqua substantia pul- *Fricatio.*
sando separantur. Fricantur materiæ vel crudæ manibus, vel coctæ, vt a se mutuo sepa- *Maceratio.*
rentur. Porro quam nos macerationem dicimus, vulgus medicorum infusionem no-
minat. Medicamenta vero quæ macerantur, parum trita in liquorem aliquem calen-
tem a sole, vel igne interdum per semihoram, aut etiam plures, octo nimirum, noctem
D totam & diem, per triduum itẽ vel quatriduum pro medicamenti natura, & vario Me-
dici scopo, ac necessitate, coniicitur, vt interim vis eorum tota in liquorem illum traha-
tur ac transeat. Hac quidem hodie Medici nõ solũ in decoctionib. & serapiis, verumet-
iam in potionibus purgantibus, vt scilicet gratiores fiant, quam sit solidorum medica-
mentorum substantia. Citius præterea distribuuntur aut subeunt liquida quam crassa,
vt potu quam cibo, ẽt facilius & iucundius est impleri. Nõ solum autem medicamento-
rum facultas in liquorem transit, sed eius etiam substantiæ portio tenuior: interdum
quoque crassioris aliquid, præsertim quum id, quod maceratum est, valentius colando
exprimitur, aut per colum rarius transmittitur. Nisi enim valide id, quod maceratum
est, exprimatur, tenuior tantum eius substantiæ pars in liquorem transit, & crassior in
E medicamento remanet. Colandum igitur, & exprimendum magis aut minus erit, pro
ægri & affectus, medicamentique natura. Maceratio veteribus non ita frequens atque
recentioribus fuit, maxime in purgantibus medicamentis. Noluerunt enim facultates,
quas natura coniunxit, non sine maxima sua industria, & ægrorum vtilitate, separare.
Verbi gratia, in Rhebarbaro purgatoriam facultatem ab adstrictoria separare nolue-
runt, vt scilicet sua adstrictoria facultate ventriculum roboraret. Ante tamen deco-
ctionem sæpe, etsi non ad purgationem, medicamenta macerarunt, vt scilicet quod a
maceratione remansit, percoctionem eliceretur. Galenus *lib. 4. de tuen. sanit.* Semen ab-
ietis tritum, & flores populi nigræ tritos, oleo dulci & tenui macerat dies 40. Interdum
menses duos, tres, quatuor, & plures in domo calida, & sub sole mouet meridiano, post-
F ea linteo colatum, vt expressum oleum reponit, reliqua abiicit. Nostri vice maceratio-
nis nonnunquam iusculo aliquo medicamẽta nodulo ligata incoquunt. Ceterum ma- *Cur medicamenta macerentur.*
cerantur liquore aliquo medicamenta quatuor de caussis. Primo vt portionem substã
tiæ medicamentorum tenuiorem a crassiore ac terrea adstringente separetur, vt vel
hac, vel illa seorsim vsurpet. Qua vtiq; de caussa Rhabarbarũ Indicũ, aliaq; medicamẽta
dissimilariũ partium macerantur. Quando enim Rhabarbarum iis, qui tantum purga-

tione & abstersione indigẽt exhibere consilium est, diluto eius vtimur, vtpote cui tenu- A
ior duntaxat eius substantiæ pars inest. Non est igitur Rheibarbari dilutum dysenteri-
cis exhibendum, quod ii adstringente eius facultate magis egeant. Sic agaricum mace-
ratur, ne intestina debilia sua substantia leui & rara illis facile adhærẽte, lædantur. Secũ-
2. do, vt medicamẽti facultas vehemens corrigatur, frangaturque. Sic Turpetum lacte ca-
prino recens mulcto maceratum, & postea siccatum, mitius & clementius fit, nec ita
ventrem perturbat. Pari modo Myrobalani, qui vel oleum, vel butyrum imbiberunt
adstrictionis noxam remittunt, minusque obstructionibus obsunt. Thymelæa quoque
& Tithymali, quum in aceto macerantur, mitescunt, & acrimoniam effrenem depo-
nunt. Nucum pinearum amarorem, & lupinorum aqua, in qua macerantur, mitigat.
Palmulæ in aceto maceratæ dulcedinem nauseam proritantem deponunt. Coriandro B
insuper vis illa caput tentans, si in acetum, in quo sampsuchus maceratus est, coniicia-
3. tur. Nam is caput admodum confirmat, adeoque Coriandri noxam frangit. *Tertio*, vt fa-
cultas medicamenti validior fiat. Sic Turpetum in succo Cucumeris agrestis macera-
tum, materias noxias a remotis partib. maiori efficacia trahit, & expellit. Hermodacty-
lus in Scyllæ aut Raphani succo, vel aceto scyllitico maceratus, potentius ab articulis e-
4. uocat. Agaricus etiam in oxymelite maceratus, vehemẽtius purgat. *Quarto*, vt medica-
mentum fiat lubricum. Ob id medulla Colocynthidis, succo tragacanthæ macerata,
prompte per totum ventrem lubricat, vt neque ventriculo, neque intestinis, neque vesi-
cæ adhæsu suo sit molesta. Scammonium quoque oleo violato vel simili maceratum
prompte subit deorsum, nulla aut minima partium, quas permeat, noxa. Quapropter li- C
quor ipse medicamenti vires, aut in se trahit, aut mutat, ac frangit, vel auget, vt de au-
ctione quoque dictum est, pro varia cuiusque liquoris natura. Danda igitur opera est, vt
singulis affectibus conueniens liquor pro macerationis materia accommodetur. Ita
profecto Sena adustorum humorum purgatrix in dulcium pomorum succo macera-
tur, cui flores quoque violæ, buglossi siue borraginis, cinamomum, sericum grano ba-
phico tinctum adiunguntur. Rhabarbarum Cichorii, & Seridis stillatitiis liquoribus
delectatur. Serum præterea multis purgantibus medicamentis macerandis accommo-
datum admodum est, quod scilicet non tantum abstergere, sed etiam purgare possit.
5. Idem etiam efficit stillatitius lupi salictarii, fumariæ, absinthiique liquor. *Quinto*, mace-
6. rantur, vt mollescant, & concoctioni aptiora reddantur, veluti lignum Guiacum. *Sexto*, D
Lotio. vt dissoluãtur, vt gummi, chrysocolla, & alia metallica. De maceratione hactenus. Por-
1. ro lauantur medicamenta quatuor ob caussas. *Primo*, vt partes eorum impuræ & alienæ
ab ipsis remoueantur, & tollantur. Qua quidem ratione herbæ si impuræ sint, item ra-
dices, semina, & metallica, aqua pura & fontana lauantur, vt terrenæ partes, lapilli nimi-
rum, arena, & lutum in fundo subsidentes: aut leues, veluti festucæ & ligna in superficie
2. natantes auferantur. *Secundo*, vt facultas velut in profundo mersa, parumque efficax fiat
euidentior. Sic in Cadmia non vsta, & aliis quibusdam, tergendi vim occultam lotio de-
3. tegit. Ita quoque aloe lota ventrem magis roborat. *Tertio*, vt virtus medicamenti male-
fica, vel nobis in affectum præsentem incommoda tollatur, & quæ expetitur maneat.
Sic vsta omnia vbi lauantur, moderatiora fiunt, acrimoniamque vstione acquisitam de- E
ponunt, ac minus mordacia redduntur, sed ignea illa natura in aquam deposita ipsam
efficiunt, tenuem & calefacientem: quod vero terreum remanet, morsus expers vlceri-
bus humidis fit epuloticum, illisque cicatricem inducit. Ob id æs vstum acre & subad-
stringẽs lauari petit, vt cicatricem inducat in carne molli: in dura enim est epuloticum
seu cicatricem inducens citra lotionem. Chalcantium vstum & lotum fit moderatius.
Chalcitis præterea, lithargyros, ærugo, os Sepiæ, cera, resina, pix, oleum, & id genus alia
sunt abluenda, præsertim quum vlceri, aut oculo, vel parti alii insigniter sentienti acri-
monia mordax est noxia. Testa ostreorum, buccinorum, purpurarum, vsta & lota vl-
cera caua & fistulosa, & ob fluxionem diuturna carne implet. Cornu ceruinum vstum,
lotumque dysenteriis salubre. Lauantur eadem ratione plurima citra vstionem acria. F
Sic enim lauat Acaciam Galen. vt acrimonia per lotionem deposita, siccet sine morsu.
Oleum quoque picem, resinam, ceram, & alia multa lauat, vt morsus & acrimoniæ ex-
pertia sint. Aloe lota ventrem minus subducit, & vacuat, magis autem roborat. Lacha
lota minus soluit, magis obstructiones leuat. Cyaneus & Armenius lapides lotione pur-
gandi

A gandi molestiam deponunt, ac mitiores redduntur. *Quarto* abluuntur medicamenta, vt e liquore facultatem aliquam nouam acquirant, veluti si Tithymali succo, aut decocto medicamentum aliquod lauetur, eius vires in se transfert. Sic aloe lota decocto aromatum, stomachicorũ ventrem potentius roborat. Turpetum decocto Agarici lotum, aut in eo maceratum valentius est pituitæ purgatorum. Decoctum Scammonii Tithymalorũ & aliorum id genus, in se lotis vim suam largitur. Aqua vero vel vino albissimo lauantur metallica ad emplastra alba, & ad collyria. Aqua lauantur, si affluens in vlcus humor est acris & mordax. Vino austero, si humor affluit largior: aceto vel aqua marina: si vlcera sunt tumida, & cũ oris crassis ac callosis attenuationem multam requirentib. Aqua autem dulci præcipue lauamus, quando medicamento facultatem adimere studemus.
B Qua vtiq; ratione omnia metallica lauantur, vbi illis mordicãdi vel vrẽdi vim adimere conãtur. Interdum etiam, vt aliquam adiiciamus, vt quum ceratum diutius aqua frigida lauamus, quo potentius subinde refrigeret. Vino lauamus, vt calor, vel odor, vel roborandi vis inde medicamẽto contrahatur. Calor, vt si fructus æstiuos frigidos pepones, verbi gratia, vel melones, vino, quo minus vẽtriculo noceãt, lauamus. Odor, vt si ad cõciliandũ odorẽ, & vt ad sumendũ suauiora reddamus, medicamẽta lauamus vino. Vis roborandi accersitur, e vino adstringẽte. Aceto qñ vim medicamenti excitare, & eius substãtiam attenuare, & vt efficacius penetret efficere volumus. Aqua marina, vel salsa, vt medicamẽta exquisitissime purgentur, & candidiora reddantur: vel vi salsedo medicamento concilietur, vt si resinam laricеam aqua salsa lauamus, vt ad extergendã & ex-
C siccãdam scabiem efficacior fiat. Ita sane & in reliquis liquor pro affectus & partis natura mutãdus est: verbi gratia, calido succo refrigerante, vt cucurbitæ, lota frigiditatẽ, deposita, aut saltẽ imminuta caliditate, induunt. Cõtra vero frigida, succo calefaciente lota. Lauandi autẽ modus, Galen. *lib. 2. de simp. med. facul. c. 15.* auctore is est, vt quæ calefacta liquantur, nec possunt aquæ misceri, qualia sunt *oleũ, cera, pix, resina & alia quædam modice calefiant*; ac mox indant in vas magnũ lati oris, semiplenũ aqua purissima, omnis qualitatis experte, quando scil. medicamẽto nullã vim nouã addere volumus, sed id tm̃ purgare, aut facultatẽ eius mersam detegere aut noxiã tollere, sed quæ ex sole vel igne tepeat. Tũ id corpus lauandũ in aqua ipsa terit, tũditur, frangitur, subigitur manib. vt vnaquæq; medicamenti abluendi portio aquam tãgere possit, & in ea suam acrimoniam exsuere. *Lauandi modus.*
D Denique aqua hac effusa, in synceram aliam vasi infusam recalefacta ipsa medicamenta immittantur: rursus ad modum diu contunduntur, mox idem tertio, quarto, ac sæpe deinceps faciendum, donec omnẽ suam qualitatem in aquam deponat medicamentum, seu aqua nullam ex loto medicamento qualitatem amplius recipiat: quam quidem rem gustu colore, & odore cognosces. Oleum autem ablutione non modo mordacitatem & salsuginem exuit, sed etiam fit candidius, aquea ac rufa eius substantia separata & detersa. Ipsum tamen lauando minus verberabis, quam ceram, picem resinam, ne adeo aquæ misceatur, vt ægre postea separari possit. Id vero quod salsum non est, & omphacinum lotione non admodum indiget. Quæ vero lapidosa & dura sunt, vt Cadmia, æris squama, æs vstum, ea tenuissime trita ex aqua fontana & purissima multum diuque te-
E runtur, ea aqua subinde effusa, & pura in eius locum affusa, quoad nihil sordium medicamenti aquæ innatet, maneatque aqua medicamenti qualitatum omnino expers. Quamdiu enim aliquid eius aquæ ipsi innatabit, aut qualitatis eius quippiam sensui apparebit, tamdiu terendum & effundendum. Sic *lithargyrum, diphryges, cerussa, misy, sory, stimmi, omnes lapides, præterea calx ipsa* lauanda erunt, non tamen semper aqua, sed etiam vino, vel aceto, vel aqua marina, vel alio liquore, cui metallica & terrea ob innatam grauitatem facile subsident. Sunt autem hæc toto die cum liquore illo medicamentoso contrita, per noctem in eo relinquenda, postero die mane ille abiiciendus, & alius mox superfundendus: postea rursus similiter terenda, & sequenti aurora liquor iterum effundendus, idque fiendum, donec morsus sint expertia hæc metallica,
F vt sordes nullas in aqua relinquant, sintque pura & perspicua. Quod si hæc æstate sub sole feruente laueris, medicamentum potentius siccabit, tenuius erit, & candidius. Aliqui numerum lauandi definiunt, sed temere, quum pluribus aut paucioribus vicibus, seu diutius aut parcius pro ipsorum facultate medicamentorum, aut partium, quibus applicantur, natura, medici indicationibus, lauandi sint. Porro, vt id etiam adiicia-

mus,hodie pleriq; metallica,lapides, terrę species hoc modo lauant. Medicamentum tusum,in aquam immittũt,illudq; rudicula hinc inde agitant,dein stare permittunt, ita enim quicquid leue est,aquæ innatat, quod postea cochleari multis foraminib. pertuso aufertur. Dein rursus aquam agitãdo turbãt, quamq; turbidam in aliud vas effundunt, vt quæ grauia sunt subsideant,quod tantisper faciunt,donec quicquid alienum & graue est,in vase priore linquatur. Reliquum autem stare permittunt,quoad pura & clara fiat aqua,quam postea leuiter inclinato vase effundunt,ne quid vtilis materiæ simul effluat, quod remanet siccant, & in pastillos digerunt. Oleum lauant,affusa aqua, in vase vitreo amplo ventre,vtrinq; mediocriter oblõgo,in fine angusto,atqui aperto, vt obstrui possit. Quo facto hinc inde agitãt,& deinde liquorib. quiescentibus,ex altera parte aquam emittunt,postea iterum atq; iterum lauant, quoad aqua insipida reddatur. Quod si oleum ita faciendo aquæ permiscetur, vt separari ab eo statim nequeat, exspectant donec quiescendo vtrunq; in suum redeant locũ:aut calefaciunt vitrum super vapore calido,& hac ratione separant. Terebinthinam in vase aliquo aperto aqua lauãt pistillo vel rudicula agitata.Sed de lotione satis. B

Expressio. Expressione separãtur partes,quãdo liquor aliquis e medicamentis cõtusis exprimitur. Exprimũtur ẽt macerata & decocta, vt efficaciora euadant,idq; manu,torculari,vel alio instrumento.Quæ manu exprimũtur,tenuiora & elegantiora fiunt.Quæ torculari,crassiora atq; validiora. Leuiter igitur aut violẽter exprimuntur medicamẽta,prout tenues, vel crassas medicamentorũ partes desideramus. Atq; hinc est,quod huic rei varia destinata sint instrumenta. Stirpes virides nõ nisi probe contusæ prælo subiiciuntur,vel manib. premũtur. Quarum vero succus valde tenuis est &aquosus,non mox vt decerpuntur etiam exprimũtur,sed aliquamdiu exspectatur, donec incipiant flaccescere, ita enim efficacior succus erit, & facilius inspissari potest. Quarũdam stirpium succus crassior & viscidior est,quã vt per se exprimi possit: quapropter herbæ tusæ aliquamdiu stare permittũtur,donec,quod aquosius est,a reliquis separetur:vel affuso alio humore virib. cognato, simul ambo exprimuntur. Quædam n. nisi prius humectentur,succum nullum,vel difficile saltẽ reddent. Si vero succus tantũ mucilago est,vt seminis psyllii, lini, fœnugræci,cydoniorũ,maceratur semen affuso aliquo liquore diebus aliquot, deinde in sacculo inclusum suspenditur,postea ligneo cultello, vel cochleari a sacculi superficie abraditur,vel manib. deorsum premẽdo,& veluti mulgendo, vel duob.baculis comprimitur,cæditur,& elicitur. Quum deniq; calida facilius fluant,ideo nonnunquam pinguib. aqua feruens affunditur. C D

Coctionis vis. Coctio, quæ non est nisi elixatio, medicamenti excrementosum humorem coquit,resoluit,flatus in eodem crassos, mordaces, ad nauseam ventriculum euertentes dissipat, deniq; eius acrimoniam, vim valide lacerantem,excoriantem frangit. Hincq; adeo est,quod radix Ari,dracontii,cepæ,allii,porri,aliaq; medicamẽta acria, elixando euadant mitiora,ac gratiora. Attractio quoq; medicamenti vehementior & malignior coctione obtunditur, vt quum medicamentum maleficum intra alterius benigni cauitatem coquitur, quo illius facultas in hoc fracta maneat. Verbi gratia,si radicem Raphani radicib. Ellebori transfixam sub cinerib.coquimus,eamq; edendã damus.Habet n. virtutem Ellebori purgatricem, sed multum repressam. Ita Scammonium malo cydonio circũdatur,in eoq; coquitur, vt ipsum malum clementius purget,quam per se Scammonium.Prętera medicamenta in liquorem,cui illa incoquuntur,vim suam transmittunt, & liquoris illius virium aliquid adipiscuntur. Danda igitur opera est, vt vas,in quo coquuntur sit, arctissime clausum, præsertim quum tenues medicamentorum partes conseruari cupimus, quæ alioqui statim dissipabuntur. Coquuntur igitur medicamenta permulta, vt eorum vires imbecillæ augeantur, aliorum validæ nimis minuantur, aut alienæ in totum abigantur, & vt ex omnib. etiam facultate diuersis & sæpe contrariis, facultas vna concrescat coalescatque. Quædam quoque coquuntur, vt mollescant,atq; ad aliorum medicamentorum vsum aptiora fiant, vt gummi galbanum, & hammoniacum, vel vt condiantur, vt radices gladiolæ lutei palustris, & Pimpinellæ. Quædã vt vna facultate amissa, alteram tantum retineant,vt lentes.Quædam in duplici vase coquuntur, maxime olea pretiosa, & alia quædam ne vstionem aliquam sentiant. E F

Vas duplex. Vas autem duplex est, quando vas in quo medicamentum coquẽdum continetur,in aliud vas, aqua plenũ,cui ignis subiectus est,imponitur. Vasa autẽ in quibus coquũtur medicamenta figulina & vitrata, & plumbo al-

A bo albo incrustata, potius quam ænea & cupria. Vitrea vero præstantissima sunt. Ceterum non sunt omnia æqualiter coquenda. Nam quæ ad custodiæ diuturnitatem parantur, coctionem longam requirunt, vt omne aqueum & corruptioni aptum, longa coctione absumatur. Quædam etiam diu coquuntur, ob destinatam medicamenti formam, ita sane Serapium diutius coquimus, quam decoctum, aut Iulebum, emplastrum item diutius, quam ceratum, aut cataplasma. Quæ item medicamenta mel liberalius accipiunt, coqui largius postulant. Ea quoque quæ paucum mel accipiunt, si iis parantur, qui mel & dulcia cetera auersantur. Nam hoc pacto mel, si diutius coquatur, minus dulce erit, minusq; stomachum eorum, qui a melle abhorrent, subuertet. Longo tempore etiam coquuntur aristolochia, polypodium, hermodactylus, & reliquæ radices. Non omnia æqualiter coquēda.

B Duræ enim firmæ, crassæ, & densæ sunt, ideoque non solum diutius, sed & diuisæ, & concisæ coquuntur. Semina etiam prope omnia, quod pleraque eorum densa sunt: ligna item, nisi aromata fuerint, aut facultate imbecilla & superficiaria diutius coquuntur. Quo enim quid facilius aut difficilius resoluitur, eo breuius aut longius coquitur. Primo igitur radices, dein ligna, cortices, semina: postea herbæ, præsertim aridæ, tandem fructus, & flores inter coquendum adiicientur, exceptis tamen violis, quæ diu coquuntur, vbi virtus earundem purgatrix in centro earum posita quæritur: item rhabarbaricum, myrobalani omnes, quando adstringendum, acerba quoque & austera, omniaque metallica. Quemadmodum enim violarum vis purgatrix in profundo hæret, ita Rhabarbarici quoq;, myrobalanorum, & similium vis adstringens. Parcius vero coquuntur,

C quorum virtus imbecilla, aut superficiaria est, aut facile ob tenuitatem resoluitur, aut substantia est parum firmiter contexta, hoc est, rara, vt flos violæ nigræ, si vis leniens emolliensue quæritur: rosæ & ceteri fere flores, excepto chamæmelo, epithymum, adiantum album, agaricus, semen cucumeris, cucurbitæ, melonis, citruli, rhabarbarum, myrobalani omnes, quando per hæc duo, vt rosas recentes purgandum, aperiendum, tergendum. Habent enim hæc omnia facultatem abstergētem & purgantem in superficie positam. Manna quoque, & Casia, & Tamar Intus, ceteraque dulcedine, vel aciditate lubrica, & humiditate multa purgantia. Nam vim lubricandi in iis imbecillam coctio multa perdit. In summa coquuntur omnis generis simplicia, exceptis metallis & lapidib. Perdit Aromata etiam, vt nardus, casia, cinamomum iuncus odoratus, cala-

D mus aromaticus, iris, ladanum, styrax, bdellium, & id genus alia non coquuntur, sed ad finem coctionis, quum vas ab igne deponēdum est, aut mox, postquam depositum est, iniiciuntur. Pari modo Ambarum, moschus gemmæ, vbi medicamentum iam perfecte coctum est, iniiciuntur. Quid multa? quando diuersa vna coquenda sunt, diligenter obseruandum, vt quod facilius resoluitur, reliquis serius ac tardius adiiciatur. Quum vero hic de concoctione agatur, forte non ab re erit, si rationem coquendi saccharum breuiter exponamus. Saccharum primum in partes secatur, & affusa aqua aliquamdiu feruefit, dein per laneum pannum colatur, postea ad perfectionem coquitur. Si clarius & purius esse debet, albumine oui vno & altero pro sacchari portione sumto, paucaque affusa aqua virgulis in modum scoparum colligatis, agitatur, donec in spumam abeat, quæ Ratio coquendi sacchari.

E cum ferventi aqua saccharo iniicitur, & vbi aliquamdiu cocta fuerint, colantur, colataque denuo coquuntur, donec gutta in marmor aut stanneum orbem, aut laminam ferri leuem fusa consistat, nec mota diffluat, aut donec omnis fere humiditas absumatur. Cuius rei signum est, quod paululum spathulæ adhærens violenter in aerem proiectum in floccos abeat, & quo flocci maiores ac latiores, eo saccharum exactius coctum, & minus humiditatis reliquum est. Absoluta iam coctione de despumatione nobis dicēdum erit. Est autem despumatio non nisi spumæ cochleari ferreo pertuso, ne cum spuma etiam humor, in quo coctio fit, abiiciatur, detractio & remotio. Quum enim hæc superiorem locum petat, sine negotio cochleari foraminib. pertuso tolli potest. In coquendis autem medicamentis Pharmacopœus non, vt coquus, omnem spumam detractam ab- Despumatio.

F iicere, sed inutilem solum, vtilem autem, qualis est sacchari & mellis, in vas quoddam colligere, & dein ad Serapii consistentiam ac spissitudinem iterum coquere, & in suos vsus seruare debet. E sacchari spuma Theriaca pro iumentis, e mellis autem spuma recocta nonnulli glandes parant. Colatura liquoris dissimilares partes, perinde atque despumatione, secernuntur. Vt enim despumatione tenues aereæ & pingues partes, ita Colatura.

colatura crassæ, terrenæ ac fœculentæ partes separantur. Crassæ autem & terrenæ partes primo per pannum rarioris, dein densioris texturæ, liquore transmisso colliguntur. Semper autem calida, frigidis melius colantur. Interdum sua sponte ad fundum vasis, aut coli descendunt. Quod si per colum libere nõ transmittitur liquor, terrenis & crassis partibus obstructum ipsum mutamus, vel abluimus, & a sordibus purgamus. Si tenacius liquidas succi partibus adhæreant terrenæ, acetum, citriorum succum modicum addimus, aut aliud quippiam, quod habeat diuidendi separandiq; facultatem. Similiter albumen oui batuatum, siue bacillo quassatum, vt magis per totum corpus distribuatur, ducimus per liquorem, quo dum concrescit, inclusam, vel adhærescentem sibi similem materiam educat, quæ sic facile possit auferri. Porro quum turbida ventriculo sint ingrata, & aspectu etiam parum iucunda, clarificatione etiam interdum opus erit. Clarificantur autem, hoc est, purificantur, succi quidam per se. Residendo enim quod in iis est terreum ac fœculentum subsidet, adeoque limpidiores fiunt. Quidam coctione & colatura, vt dictum est. Quidam vt alia decocta, quæ vix sine albuminibus ouorum in spumam agitatis, purgantur. Hac enim ratione quicquid crassum & fœculentum est, vna cum spuma albuminum in superficiem fertur, quod deinde cochleari foraminibus pertuso affertur, & id quod reliquum est, ob sordes grauiores fundum petentes, per pannum colatur. Singulis autem decocti libris, singula albumina adhibentur, quamuis tria etiam sex libris & pluribus sufficere possunt. Adhibentur vero immisso vel paulo ante, vel modico post sacchara aut melle, alioqui & albumina vrunt, & purgatio parum melle procedit. Serapia aut decocta, quæ magistralia nominant, agaricum in fine ponendum accipientia, albuminibus non egent. Albuminum autem loco, acetum, succus limonum & arantiorum adhibetur. In quibus enim est acetum, despumantur coquendo, & coquuntur despumando, donec spumare desinant: tunc enim clara sunt, quatenus eis concessum est. Albumina ouorum vel in aquam frigidam iniecta scopulis agitantur & concutiuntur, donec in spumam abeant, quæ particulatim sacchara cum aqua feruefacto, vel decocto alicui iniicitur, quum scilic. prior nigrescit aliam substituendo, donec clarescat, vel eadem iniecta primum sacchara cum aqua coquendo, vel decocto alicui, vel simul mistis ambobus, quod frequentius fit, scopulis similiter frequenti agitatu in spumam abeunt, simulque coquuntur, donec spuma subsidat. Quod si decoctum futurum est liquidissimum, per pannum album laneum semel, & si non satis clarum, bis & ter colatur. Itidem decocta mucilagines recipientia, serapia, & saccharum cum aqua coctum incrustandis seminibus, vel aliis bellariis aptum, calida omnino per pannum colanda sunt, quod calida semper frigidis melius per colum traiiciantur.

Clarificatio.

Restat, vt de destillatione, per quã tenue a crasso per se sine adminiculo alterius liquoris, vel adiecto aliquo liquore vi caloris elicitur ac separatur. Inuẽtum est nouum Chymistarum, veteribusque incognitum. Quum vero de ea nonnihil ca. 9. huius libri diximus, hic breuiores erimus, præsertim quum sint hodie quam plurimi, qui integros de destillatione libros ediderint. Destillandi modi varii quidem sunt, duobus tamen summatim generibus complexi. Vnus enim per descensum, alter vero per ascensum fit. Nos hic tantum vnius modi qui ascendendo fit, eius nimirum, qui optimus est, & in vase duplici fit, hunc quidem in modum. Vas vitreum, vel ex plumbo albo factum medicamentum continens in alterum vas figulinum cacabumue aqua feruente plenum imponitur, adeoque calentis aquæ balneo liquor elicitur. Vasculi autem in quo stirpes continentur fundum, aquam feruentem alterius vasculi non attingat, sed solo ab eo eleuato vapore incalescat. Primum vas operculo rostrato exquisite tegitur, vt e medicamenti substantia exhalati vapores in operculum illud impingentes in liquorem versi, per rostratum canalem destillet. Hæc destillandi ratio optima exsistit, & Balneum Mariæ nominatur. Ceterum in omnibus destillationum modis ignem moderari oportet, vt materia nec aduratur, nec nimium ferueat. Præstat igitur ex prunis, quam lignis parari ignem, ille enim æqualior quam hic est. Similiter sicca ligna humidis præferuntur. Liquores stillatitii per aliquot dies Soli exponi debent in vasis linteo aut membrana perforata obturatis, vt quicquid excrementosum est resoluatur, simulque empyreuma exhalet. *Quartus* præparationis modus est calefactio, quæ fit vel igne, vel sole, vel in fimo, vel putrentib. corticibus, arenis, cineribus, scobibus tenuib. calore animalis, lapide aut ferro candente, vel calce aqua cõspersis. Plurima vero solum calefiunt, vt dum calefacto

Destillatio.

In duplici vase.

Balneum Mariæ.

4. Calefactio.

pistillo

A pistillo mastiche siccæ alutæ intenditur, dumque calefacto mortario & pistillo gummi Arabicum vocatum, & tragacantha siccata promtius in puluerem tenuissimum ducendo læuigantur, præsertim aere humido. Nam sicco exsistēte, qualis æstate & hyeme, frigida est, præsidium illud non requirunt, nisi sint admodum recentia. Oleum præterea, cera, pix, resina, & similia, prius calefacta abluuntur. Calefacta promtius & perfectius miscentur. Atqui in calefaciendo sunt certi fines, quos vltra citraq; medicamentorum vis non consistit. Ob id aromata miscemus aliis ab igne remotis, ne ab ignis calore vis eorũ dissoluatur. Semina saccharo incrustanda antea calefaciendo modice siccamus, vt promtius in iis saccharum siccitate concrescat, & albescat. *Refrigeratio* quintus praeparationis modus, fit aere frigido, aqua frigida, niue circumposita, collocatione in **5. Refrigeratio.**
B cellam vinariam, aut alium subterraneum locum. Hos autem refrigerandi modos fere omnes Galenus *lib. 2. de simp. med. facul. cap. 7. & lib. 8. thera. metho. cap.* docet. Humectatio **6 Humectatio.** sextus præparandi modus fit immersione, aut inspersione liquoris alicuius, item maceratione, de qua dictũ est, liquatione, & dissolutione. Merguntur in liquorē vel eo asperguntur, quę sicca admodum sunt. Liquantur autē, & humida reddũtur calore ignis, quę **Liquatio.** frigido concreuerunt, vt *butyrum, oleum hybernum, adipes, medullæ, cera, resinæ.* Siquidem cuncta hæc dũ calescũt, magis liquida, fluxibiliaq; fiunt. Liquida vero facta, melius cum aliis miscentur. Resinæ quidem oleo liquatæ eidem probe miscētur, non aquæ. Chalcitis inter metallica celerrime liquatur, & alumen omne, sed scissile mollescit tantum. Liquatur & sandaracha, & auripigmentum. Lythargyrus per se tardissime liquatur, cum
C ærugine, vel duplo oxelæi cocta citius liquescit, quam cum hydrelæo duplo, vel paulo plus duplo. In medio horum sunt ærugo, & misy. Sori autem, quia terreum magis est ac saxeum, quē chalcitis & misy, etiam tardius liquatur. Dissolui aliquo liquore solēt multa medicamēta, quæ teri nequeunt. Differt liquatio a dissolutione, quod hæc etiam sine **Dissolutio** calore per se, vel addito aliquo liquore: hæc vero tãtum calore fiat. Sic gummi aqua aut vino, vel aceto dissoluũtur. Crocũ, thus, myrrham læuigata vino dissolui oportet, & medicamento propemodum cocto misceri: Hæc etiam vbi modice dissoluta erũt, ab igne remouenda ac deponenda. Galbanum, opopanax, sagapenum, hammoniacum ex vino vel aceto, vel alio liquore cocta dissoluuntur. Cum siccis vero trita abeunt in puluerem. Gummi vero dissoluuntur liquore aliquo, aut pistillo calido, item & pingues suc-
D ci, nisi ob siccitatem teri possint, vt frequenter gummi arabicum, tragacantha, iuniperi grana, thus masculum, mastiche, & fere reliqua vetustate, vel igne siccata. Recentia vero & adhuc viridia, etiam calentibus digitis liquescunt aut saltem mollescunt. Eadem tundendo latescunt, multo magis si pistillo calido in mortario calido tunduntur. Gummi quia aquea est natura, promtius cum aqueis miscetur, quam cum oleaginis. Resina contra, quia est oleagina. Multa idem composita, vt conseruæ vocatæ, pastilli, antidoti, aliis miscenda, antea liquore aliquo dissoluuntur. Septimus præparationis modus est exsiccatio, quæ simplex quidem fit vel ab aere sicco, vt omnibus constet, vel a frixione, **7. Exsiccatio.** vel tostione, vel assatione, vel vstione. Frixio proprie est, vbi aliquid in sartagine aut testa coquitur, vt excrementitiæ eius partes exsiccentur, & subinde rudicula ferrea, aut
E lignea, aut manibus vertitur, circumagitur, & voluitur. Tostiō fit proprie, quando ali- **Tostio.** quid craticulæ impositum, exsiccatur. Torrentur vero, vt diutius in vsum medicum conseruari possint. Sic profecto animalia quædam torrentur potius, quam sale macerantur, vt ranæ, & cicadæ, quod iis ad eliciendam vrinam: illis vero ad sanguinis fluxum comprimendum vtamur. Saliri enim ad hos vsus non debent, quod manifestum est omnibus. Vtraque autem sub assatione comprehendi potest, qua vtique vtendum erit, vbi excrementitiæ medicamentorum partes exsiccandæ veniunt. Assatio autem fit vel **Assatio.** in sartagine, vel craticula, vel clybano, vel vitro, aut alio vase fictili, aut patella, vel in veru prunis subiectis, vel cineribus calidis. Ceterum assantur quædam, vt excrementitia humiditate absumta diutius durare queant. Quædam, vt siccatiora facilius ad læuo-
F rem terantur, vt *gummi, tragacantha, amygdalæ, auellanæ, herbæ, radices, flores, crocus in antidoto ex ouo*, vbi celer vsus pulueris requiritur. Crocus etiam papyro impositus igni, vel sole siccatur. Sericum etiam ex præscripto Arabum torretur, vt puluis fiat. Quædam vero assantur, vt vis eorundem per ignem augeatur, vt scilla tosta, & in sartagine frixa maiorem acrimoniam assumit, humiditate largius absumta, & ob id purgantior euadit. **Crocus cur in antidoto ex ouo assatur.**

Quædam, vt vis eorum minuatur, & inutilis ac excrementitia, vt flatulenta humiditas absumatur. Sic cepa, allium, ari & dracontii radices sub cineribus assa, minus acria, & mitiora redduntur: sic etiam assi fructus, vt poma, castaneæ, & semina nonnulla assa, vt Lini & Irionis flatus deponunt. Eadem ratione opium & meconium ob eius stupefaciendi malignitatem veteres aliquot torruerunt. Sed quia torrendo omnis eius in stupefaciendo sensum efficacia aboletur, non tostum Galenus mauult Castorii calore obtundi. Sic Psyllium assando siccatum minus aluum subducere somniarunt, quum nullam prorsus subducendi aluum facultatem habeat, *vt alibi copiosius diximus*. Nonnulla facultate gemina, & interdum contraria prædita, assando facultatem vnam vel perdunt vel minuunt, alteram intendunt, vt myrobalani, & rhabarbarum assando purgatricem facultatem amittunt, adstrictoriam augent. Et balanos myrepsica assando vomitoriam facultatem in humiditate nitrosa largiore positam deponit, deiectoria remanet. Ceterum vt rara aut imbecillam facultatem vel superficiariam sortita, decoctionem longam non sustinent: sic quoque neque longam assationem ferre possunt. Vstio itidẽ a calore sicco fit, maioris tantũ ratione ab assatione differens. Chymici calcinationem vocant. Vrendorum autem medicamentorum caussæ sunt variæ. Quædam enim vruntur quo sicciora reddita & solutiora lęuigari & tenuissime comminui possint, vt pili lana succida, testa ostreorum, buccinorum, purpurarũ, vngues, & cornua multorum animalium, & ossa, coria, & alia, quæ vel ob terream duramque corporis consistentiam ac concretionem condensatam sunt sortita, & partes impendio crassas, quia ab eo vim quandam cogendi, vel ob lentorem immodicum, aut humiditatem aliquam vsui esse non possunt. Sic enim recte vngues caprarũ vsti ex aceto alopeciis illinuntur, & vngues asini, & cranium hominis vstum ad epilepsiam bibuntur. Et ossium aliorum cinis ad arthritidem, & cornua cerui, atq; capri vsta veniunt in dentefricia, & teste ostreorum in emplastra, Pompholyx & hęmatitis in collyria. Nitrũ quoq; si lapidosum est vritur. Alia vruntur vt essentię crassitiem deponant, & tenuitatem, aliasq; facultates igneũ calorem sequentes, vt sunt abstersio & erosio, induant. Metallica vrendo tenuiora quidẽ euadũt, sed etiam ignis commercio mordacia & rodẽtia. Elota vero, vt supra diximus, latius rosionem omnem deponunt, & lenia prorsus redduntur. Arsenicum vstum, & non vstum est causticum & adurẽs, sed vstum tenuioris est substantiæ. Gypsum vstum tenuioris essentiæ fit & siccantius, quã non vstum, & minus emplasticum atque obturans. Pumex vstione tenuitatem, & aliquid acrimoniæ acquirit, quam lotione deponit. Cornu cerui & capræ vstum tergere potest. Cinis corii veterum calciamẽtorum siccat vlcera. Pili & lana succida vrũtur, vt acria, calida, sicca, & tenuium partium fiant. Testa ostrearum, & cetera terrea vrũtur, non modo vt in puluerem redigi possint, sed etiam vt tenuioris sint essentiæ, & cogendi quandam facultatem deponant, & contrariam discutientem accipiant. Cinis radicis Asphodeli magis calefacit, siccat, tenuat, discutit. Abrotonum vstũ, anethi radix, & ipsum anethũ, colocyntha vsta siccandi vim magnam acquirunt, abrotonum etiam mordendi. Hinc non temere Galenus *lib. 9. de simpl. medica facul.* scripsit, quędam vstione calidiora reddi, & magis acria. Cõtra quædam vstione minus euadunt calida. Quæ enim acria sunt, ea vsta multum caloris amittunt, & mitescunt, quod scilicet partes igneæ non sint admodum reliquis admistæ. At quæ acria non sunt, calorem assumunt. Alia vrũtur, vt vis quædam nostro scopo aliena in superficiem trahatur, postea lotione separetur, quo fine hæmatitem & Pompholygem sæpe vrunt & lauant ocularii Medici. Alia vruntur, vt colorem nouum induant ægro gratiorem. Sic ærugine vsta, Galenus emplastra faciebat lutea, quod viridis color multos terreret. Sic cerussa trita vsta, rudicula ferrea mota transit in Sandyca, & fit rubra. Et ossa multum vsta, albissima fiunt. Et cornua cerui potius, quam capræ vsta dentes dealbant sua substantia, non sola vi detersoria sine morsu, quam vtrunque vstum obtinet. Alia vruntur, vt in aliam transeant speciem. Sic ex viperis vstis sal fit theriacus. Ex cinere Brassicæ, aut Betæ, & aliorum sapore nitroso præditorum, fit a quibusdam nitrũ artificiale. Ex calce vsta, & fæce vini vsta cauterium. Ex Stibio vsto, sulphure vsto, cerussa vsta, chalciti vsta, oleum. Porro vrendi modus non est omnibus vnus. Quædam enim humore pingui prædita per se vruntur, vt lana, cornua, vngues, ossa, coria, hirundines, & aues quædam aliæ, viperæ item aliaq; pedestria. Atq; hęc in olla noua operculo foraminulẽto tecta sũt vrẽda, pręsertim

Margin notes: Vstio. — 1. — 2. — 3. — 4. — 5. — Vrendi modus varius. — A B C D E F

A vbi in cinerem redacta dispergi possunt. Quæ vero etiam vsta manent integra, vt vngues, ossa, cornua, hæc etiam viuis carbonibus tradi possunt, nisi quædam sint addenda, quæ vim eorum mutent. Tunc enim etiam in olla noua vruntur. Sic viperam cum subtractis quibusdam medicamentis, Galenus ad salem theriacum vrendam esse tradit. Alia materiam aliquam inflammabilem requirunt substerni, vel aliter misceri adipes, resinas, olea, ceras, mel, sulphur, & id genus alia. Stibiũ pinsita farina circumlitũ, carbonibusq; obrutum torretur, donec ipsa crusta adusta sit: Si paulo magis teratur, fit plumbum. Ceterum qualis debeat esse vrendi modus ac ratio, exemplo Phrygii lapidis *lib. 4. de compo. medic. localium*, Galenus docet: qui quum sit paulo prolixior, pręstat hunc apud Galenum legere. In hoc tamen exemplo id obseruandum erit, quod operculum, quod Phrygii lapidis vrendi modus.
B ollæ imponitur sit foraminulentum, & in vertice, vel etiam aliis partibus pluribus perforatum, vt fumosi & fuliginosi effluxus eorum, quæ vruntur, per ea foramina efferantur. Dein vt operculum cum vase extrinsecus lutetur, seu cum luto circumlinatur. Tertio, vt carbones sint perusti, vt scilicet nihil fumidum habeant. Octauus præparationis modus est exstinctio. Hæc autem fit, quãdo aliquam materiam igne candentẽ, in quopiam liquore sæpius mergimus. Id vero tribus de caussis fit. Primo, vt vapor duntaxat ab eo, quod exstinguitur, recipiat, vt si Pyritem lapidem candentẽ in aceto mergimus, vt vapor hinc exhalans duritiem alicuius partis emolliat, & discutiat. *Secũdo*, vt liquor vim externam acquirat, adeoq; ipsum ad certum vsum conseruemus. Sic candens ferrum in aqua sæpius restinguimus, vt subinde eam potandam præbeamus iis, qui ventriculi, vel 8. Exstinctio.
C lienis, vel intestinorum corroboratione indigent. Tertio, vt euaporatis & exhalatis tenuioribus partibus, crassiores remaneant. Sic lapillos ignitos in lacte tantisper exstinguimus, donec pars tota serosa exhalarit, & dissipata fuerit. Tum enim optimum ad dysenteriam remedium erit. Sic chalybem candentem, & aurum ignitum in liquore exstinguimus, vt is minus humidus, & magis adstringẽs reddatur. Ceterum medicamentis exstinctis, liquore prorsus abiecto, vtimur, vbi exsiccantia citra morsum requirimus. Stibium in lacte muliebri exstinctum, mitius exsiccat. Nonus præparationis modus est purgatio. Neque enim purgatio aliud est, quam quicquid medicamentis inest abiicere. Purgantur autem seu, vt vulgo loquuntur, mundantur medicamenta quædam intus, quædam foris, quædam intus & foris, quædam nusquam. Intus purgantur a seminibus 9. Purgatio. Intus.
D seu granulis nucleisue vuę passę, si Medico ita videat: myrobalani omnes, exceptis Indis enucleatis, & magna ex parte empeleticis: vua rhois, nisi in decoctum veniat: quando nec pruna passa, nec myxa, nec zizipha a nucleis purgẽtur, nisi quod expressa pruna, nucleos in colo relinquunt: myxa, zizipha non exprimuntur. Foris quæ excorticantur, vt semen cucurbitæ, cucumeris, citruli, melonum, cnici, ricini dente, vngue, cultello, forfice purgantur. Semen quoque *citri, limonum, arantiorum, paoniæ vtriusque, staphydis agriæ, pineæ, pistaciorum, gosipii, cerasi, persici, anacardorum, nucis Indicæ cultello, vnguib. malleo, Baccæ lauri, amygdala vtraq; aqua calida macerata facile digitis purgantur.* Si vero in oleo exprimuntur: integra prius tunduntur: si indecocta veniunt, integra iniiciuntur, si vero foris admouenda sunt, cũ cute terũtur. Omnia prædicta foris nõ purgantur. Hordeum, Foris.
E triticum aqua calida parũ diu maceratum pistillo ligneo, in mortario æreo promte deglubitur. Zea, oriza, molis. Zea iterũ vt hordeum purgatur. Radices quædã solũ recentes abluuntur, & circumcisis radiculis seruantur vel vsurpantur, vt *Cichorii, rusci, asparagi, buglossi, echii.* Aliæ vtendi tempore cultello raduntur, vt *radix glycyrrhizæ, gentianæ, rubiæ, paoniæ, tormentillæ, doronici, betonicæ altilis.* Quarundam superficies tota circumciditur, & quod int⁹ inutile apparet, excidit, vt *rhabarbari agarici, iridis.* Int⁹ & foris simul, *mala cydonia, dactyli etiam edendi, colocynthidis fructus cortice & semine purgantur, vt sola maneat medulla seu caro.* Radices, quæ intus habẽt substantiam lignosam, vt *raphani, apii, petroselini, fœniculi, saxifragiæ, oxalidis, peucedani, ellebori vtriusq;, pseudodictamini vulgaris siue Tragii, turpeti, esulæ, scillæ, capparis, tamaricis.* Scilla ẽt nucleis & agnatis purganda. Cyperus, inula, costus, Intus & foris.
F acorus integra teruntur aut coquuntur. Ellebori radicum fibræ aqua paulum macerantur, postea cortices extracti in vmbra siccantur ad vsus, vt *Zingiber, calamus aromaticus, cassia, cinamomum, galanga. Et baccæ myrti, iuniperi, interdũ etiam oxyacanthæ, asparagi. Piper omne, cubebe, cardamomum. Semina fœniculi, apii, cari, ameos, dauci, cumini, seseleos, carduibenedicti, lini, fœnugræci, anisi, anethi, papaueris, portulacæ, lactucæ, cichorii, psyllii, milii vtriusque, & cetera semi-*

na parua. nec intus, nec foris purgantur a Pharmacopœo, sed vel trita, vel integra vsurpantur. Ex magnis Cicer item, *faba, lupinus, eruum, vicia, semen agni manibus confricandum, vt deposita canicie, nigrescat. Hipposelini, cydoniorum.* Gummi quædam & ſucci ſolidi, & liquores, & reſinæ terra, foliis, ſcobe, ligno, cortice ſuæ parentis adulterati purgantur liquore idoneo fuſi, vel diſſoluti, poſtea colati. Quorũdam ſeminũ ſola medulla in compoſitiones inſeritur, vt *cartami, melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli, & aliorum magnorum.* Tamen ſolus cortex rhois eſt vſui, & multarum radicũ apii, eleoſelini, fœniculi, raphani, corde lignoſo exſecto. Semina illa ſole ſiccata teruntur leuiter in mortario, fricãtur manibus, cernuntur cribro, medullam ſolam tranſmittente: ſi non ſuccedit forcipibus, vnguibus, dentibus, cultello excorticãtur. Ceterum hic obiter etiam de cribratione dicemus, ſciendumq; erit farinas cribrari, vt a furfuribus, & a cortib. quod purũ ac tenuius A

Cribratio ſecernatur. Cribrantur etiam medicamenta quæ teruntur, vt puluis æqualis ſit partesq; craſſiores in cribro retineantur. Pulpa quoque Caſiæ purgatricis cribro tranſmittitur, vt ſolus flos ſeu Pulpa a corticis fragmentis & ſeminibus repurgetur. Semen tamen Lathyris, daphnoidis, & id genus alia quidem non pauca vno die inſolata, aut ignita paxella parum aſſata, rupto cortice, promte exſiliunt. Amygdalæ, pineæ, piſtacia, nuces, aqua frigida per noctem, vel calida parum diu macerantur, aut ignita patella toſta excoriantur. *Decimus* præparationis modus eſt mucaginis, aut mucilaginis eductio. Hæc fit, quãdo e reb. viſcidis liquore quopiam ſub ſole, vel igne calefacto mucus educitur. Sic vtiq; e ſemine pſyllii, e quo fortem ac validam facere expreſſionem aduerſus falſam Arabum opinionẽ Pharmacopœi ne dubitent, mucilago educitur. Eius quoq; generis eſt ſemen cydoniorum, item maluæ, altheæ, lini, fœnugręci, & vrticæ: ſiquidem ex illis etiam lẽtus ſuccus extrahitur. Cum quo autem liquore ſucci illi ſint educendi, Medico conſultore opus eſt. Nam in dyſenteria cũ ſtillatitio roſarum & plãtaginis hæc mucilago educitur, & per clyſteres iniicitur. In pleuritide cũ ſtillatitio tuſſilaginis liquore, vel adianti, hyſſopi, aut ſcabioſæ extracta illinitur. Sic perpetuo in aliis affectibus cum liquore conuenienti, & Medici variis ſcopis mucago educenda erit. Ex gummi item Arabico, & tragacantha infuſis ſeu maceratis, materia lenta educitur, vt etiam e reliquorum gummi diſſolutione. Iniiciuntur autem prædictorũ libræ vni aquæ calentis libræ tres, ſi craſſiorem vis ſuccum: aut quatuor, vel quinq; ſi aquoſiorẽ, & nocte vna, vel horis aliquot macerantur recalefacta, & ſacculo linteo impoſita, exprimuntur. Baculo etiam interdum verberantur, donec totus humor lentus effluat. Nam aqua calida & agitata promtius mucaginem educit. Ceterum ſemperuiuũ vtrũq; portulaca, ſymphytum, cotyledon, aloe, telephium, & id genus alia multa lentore prædita, vix ſuccum reddent trita, niſi inter tundendum liquorem aliquem affundas tenuem & aquoſum, non craſſum & lentum. Quod ſi tamen liquorem affundas, is herbæ huius vires non vitiet, ſed vel augeat, vel foueat, & ſeruet. Sic Polygono mari ex loco arido, maioranæ, thymo, ſaluię, roſmarino, foliis lauri, hæderæ itidẽ ex aridiorib. liquor aliquis affundendus iis facultate conueniens, ſi ſuccum aliquem ex huiuſmodi ſicciorib. educere libet. Porro ne id ſilentio inuoluamus, de mollitione ac duratione hæc breuiter adiiciemus. De mollitione quidem, quod quædam tractando manibus molleſcant, vt cera, aloe: quædam adiecto liquore, vt ſaccharum, ſciendum eſt. De duratione, quod ſicut materiæ molliores fiunt, idoneo humore adiecto: ita humore abſumto duriores fiunt. Conſumitur autem humiditas calore interno aut externo. B C D E

10. Mucaginis vel mucilaginis extractio vel eductio.

Mollitio.

Duratio.

De præparatione aliquot priuatim medicamentorum. CAP. XXIV.

LOTIO ALOES SIMPLEX.

ACcipe *Aloes puriſſimæ tritæ, & cretæ libras duas. Aquæ pluuiæ libras ſex.* Hæc primum in patinam lancemue vitream infunditur calefacta, deinde aloe in eandem coniicitur, & ſubſidere permittuntur ſordes, ac calculi: atq; aqua pura pinguisq;, cui ſe pura & ſyncera commiſcuit aloe, ſenſim percolatur, ac ſordes ſeu recrementa in fundo lancis collecta, abiiciuntur. Quod colatum eſt, linteo tectum ſoli expoſitum, exſiccatur. F

Lotio aloes exquiſitior.

ALoe optima trita, creta, ex aqua fontana puriſſima dupla, aut circiter, agitatur aliquamdiu rudicula ferrea, aut lignea, in vaſe lato ex plumbo albo cõfecto, vel terreo vel alio, tecta ſinitur horæ quarta parte, aut paulo diutius, ſubſidere. Tunc, quod clarius ſuper-

A supernatat, inclinato vase, in aliud simile, sed minus, per colum sataceum transuasatur. Aut si puriorẽ, sed parciorem vis aloem lotam, *licio, aut filtro, vulgo vocato, excolatur, diutiusque residere permittitur in vase præsertim vitreo, interuallis paruis foramina habente, spina aut cera obturatis, per quę, quantum clarum videtur, effluere sinitur, ne scilicet inclinato vase turbetur. Aqua noua affunditur, subigitur, *elutriatur, id fit quater, aut quinquies, donec arenosa & terrea tantũ fæx supersit. Prima omnium præstantissima siccatur in sole, aliæ omnes simul. Si autem hyems est, aut elota aloe in rem præsentem desideratur, igne lento siccari potest. Vbi siccata iam aloe est, ex vase ipso eximitur, calefacto parum vase, vt promtius ab eo separet. Imo eius pars, in quam, quod crassius est, subsedit, cultello deraditur.

* Panno linteo.

* De vase in vas transfertur.

B

Lotio aloes cum aromatis.

HAbet aloes purissimæ tritæ & cretæ *libram vnam. Casiæ ligneæ vocatæ, spicæ nardi, asari, iunci odorati floris, ª Caryophyllorum, macis, cinamomi, ligni aloes, croci, masliches, lachæ, an. drachmas tres.* Tusa coquuntur in duplici vase in aquæ libris sex ad dimidias: colantur & exprimuntur. Colato in vitreã, aut vitreatam patinam excepto, in eo aloe rudicula assidue agitatur: & dein soli donec exsiccetur, exponitur. Sit autẽ patina linteolo tecta, ne aliquid incidat. Hoc quater fiat, donec arenosa & terrea omnia subsideãt, vt dictum est.

ANNOTATIO.

ª *Caryophyllorum, macis.*] Seruitor, vnde hanc lauandi rationem recentiores desumserunt, pro iis habet carpobalsamum, & xylobalsamum. Verum quia illa raro, aut nunquam in officinis legitima habentur, ideo ex Ioanne Damasceno, qui istis aromatis celeritatem purgandi aloe conciliare posse putat, hæc ipsa substituimus.

C

Lotio Lachæ.

ACcipe *aristolochiæ longæ, floris iunci odorati, an. vncias duas.* Coquantur in aquæ libris quatuor, quoad remaneant libræ tres. Colato inspergantur Lachæ integræ libra vna & vnciæ quatuor. Coquatur lacha lento igne, donec sanguineum aqua contrahat colorem: & quicquid in lacha boni fuerit, dissoluatur. Coletur per laneũ pannum, aut filtrum: & sordes quæ remanent, abiiciãtur. Excolata sanguinei coloris aqua lentis prunis in duplici vase ad mellis consistentiam coquatur, & massa adhuc tepida in pastillos cogatur.

D

Lotio plumbi.

IN plumbeum mortarium infunditur aqua cœlestis, & pistillo plumbeo aliquot horis agitatur, donec liuidum acquirat colorem, & in limi modum crassescat: dein per lineum pannum ter quater colatur, & subsidere permittitur. Quod subsedit, exsiccatum reponitur.

*Lotio * recrementi ferri.*

* Scoriæ.

REcrementum ferri, aut chalybis, aut squama eius purgata ab omni spurcitia, in aquam conücitur clarissimam, & manibus fricatur, dein aqua sordida tota effunditur. Post, recrementum in patinã vitream imponitur, & modicum aceti, vt ab eo duntaxat humectetur, nec emineat, affunditur, vt in eo diebus triginta maceretur. Postremo teritur & reponitur.

E

*Lotio * pompholygis.*

* Tutiæ Arabum.

POmpholyx arida, aut aqua respersa, puro linteolo modiceque raro ligata, in vase pluuia vel fontana aqua pleno, huc atque illuc ducitur, vt pars eius vtilis & tenuior in aquam effluat, & omne excrementum in linteo remaneat: Postea residere finitur, & aqua cum cinere per colum traiicitur, noua deinde aqua affusa, agitatur & effunditur, per colum traiecta, & mutata tantisper aqua, donec in linteolo nihil vtile maneat. Demum aquam excolato, cinerem autem exsiccatum recondito.

Eboris præparatio.

F EBoris in partes secti libra vna coniiciatur in nouum & nõ crematum fictile, crudoq; tegitur operculo, & figulino luto oblinitur: deinde in figuli furnũ imponitur, illicq; donec fictilia percocta sunt, cremari permittitur. Postea exemtũ ebur in tenuissimum puluerem teritur, & cribratur, inque patinam vitream iniicitur: & affunduntur ei stillatitii rosarum liquoris libræ duæ, & exsiccari permittitur. Deinde secundo teritur, &

denuo stillatitii rosarum liquoris affunduntur libræ duæ, atq; similiter exsiccatur. Dein teritur in tabula marmorea durissima, & finduntur pastilli, qui in denso vase, ne exspirent, reponuntur. Quod si ebore destitutus fueris, vice eius sume cornu ceruinum, & similiter præpara. A

Scammonii præparatio.

SCammonii optimi vnciæ quatuor teruntur in puluerem subtilissimũ, quibus aspergitur modicum olei violacei, vt massæ formam induant. Dein aliquot cydonia magna cauantur, & in eorundem cauitatem scammonię massa imponitur: & malorum foraminib. obturatis assantur cum pane in furno, donec cydonia perfecte assentur. Postea eximitur scammonium, & accipiuntur carnium myrobalanorum flauorum vncia vna, Succi cydoniorum, vnciæ quatuor. Teruntur myrobalani & permiscentur cum cydoniorum succo calefacto, & macerantur horis viginti quatuor: dein leuiter colantur: colatum affunditur Scammonio cocto, simulque mixta calido in loco exsiccantur. Hi rursus tenuissime teruntur, & cum mastiche in oleo rosacco dissoluta, in pastillos rediguntur. B

Eiusdem alia præparatio.

SCammonii optimi vnciæ quatuor, succi cydoniorum vnciæ duæ probe miscentur, & in calidum locum reponuntur, & quotidie mouentur & agitantur, quoad mediocriter duræ massæ formam accipiant, & tandem in pastillos rediguntur, & exsiccantur.

Colocynthidis præparatio.

COlocynthidis pulpæ accipe libram vnam. Bdellii, tragacanthæ, an. vncias duodecim. Colocynthis minutissime inciditur: Bdellium vero & tragacantha in stillatitio rosarum liquore dissoluta colocynthidi permiscentur, & finduntur pastilli, qui in loco sicco exsiccantur. Hi rursus tenuissime teruntur, & cum mastiche in oleo rosaceo dissoluta, in pastillos rediguntur. C

Mezerei præparatio.

FOlia Mezerei macerantur in aceto horis viginti quatuor acerrimo, postea exsiccantur. Vsus tempore conteruntur, & in contundendo abiiciuntur venæ, & nerui eorundem.

Esulæ præprratio. D

RAdices Esulæ detracto cortice macerantur horis viginti quatuor, in acerrimo aceto, postea exsiccantur. Sunt qui triduo macerare solent.

Scillæ præparatio.

SCillæ magnæ recentis, nec putridæ, nec gelu flaccidæ, exteriores abiiciuntur aridæ tunicæ, dein massæ pistorum, vnde panis fit, includitur & inuoluitur: coquitur assaturque postea in furno cum panibus, donec illi percocti fuerint. Dein e furno eximitur, & sigillatim omnes eius detrahuntur tunicæ, & funiculo traiectæ in calido loco, vt se non contingant, exsiccantur. Solenni quodam hodie more medium eius, vnde germen enascitur, abiiciunt: nec ferreo cultro, sed ligneo Scillam secant & incidunt.

** Penidiorum præparandorum modus.*

* Saccharũ tractum penidium vocant.

SAcchari boni, si lubet, puluerisati, libras duas aqua dulci, aut hordei mersas, cũ mellis vnciis duabus: nisi saccharum sit dulcissimum: & ne id candefiat, coque prunis in vase æreo, plumbo albo obducto, potius quam terreo vitreato, quoad fila inter digitos ducat, & manus non inquinet: affundendo paulatim oleum amygdalarum dulcium, vel commune, subige in marmore, quod eodem oleo illeueris. Deinde in clauo parieti affixo, longo, curuo, tanquam funem aliquem nunc trahe, nunc rumpe, nunc duplica, quoad omnino albescat. Calido loco serua, vt sit diutius tractabilis. Forficibus diuide in offas exiles oblongas, vel in quam voles figuram, cum puluere amyli finde. Quidam sine melle saccharum album bonum coquunt leniore igne ad extremam spissitudinem, quæ cognoscitur, quãdo portio aliqua extremis digitis duobus distracta, in tenuissima quasi fila, abit, quæ digito percussa instar vitri dissiliunt. Dein super marmor butyro vel oleo amygdalino illitum effundunt, & manibus vel illitis, vel amyli polline aspersis, ne adhæreat comprehensum ex alto paulatim comprimendo & fricando, hinc inde aliquoties dimittunt: tandem vbi paululum refrixit, ferramento vnco parieti infixo obuoluunt, & assidue vtraque manu, vel alternis alterutra retrahunt, retractum iterum E F

atque

A atque iterum clauo obuoluunt, idq; tantiſper dum bene lentum & candidum efficiatur. Quo autem diutius trahitur, eo candidius redditur. Attractum tandem miniſtris exhibent, qui diſtrahendo torquendoque modo conſueto formant, formatumque calido loco reponunt.

Pulmonis vulpis præparatio,

PVlmo vulpis, e quo aſpera extracta eſt arteria, a ſanguine, vino odore calefacto, vel ſtillatitio liquore hyſſopi aut ſcabioſæ lauatur: mox ollæ impoſitus in furno ſiccatur: ita tamen ne inſternuti indureſcat, aut admodum aduratur. Exſiccatus in arido loco reponitur, abſinthii, marrubii, vel ſcabioſæ foliis, ne putreſcat, inuolutus.

Iecoris lupi præparatio.

B IEcur lupi vino albo optimo lauatur: vel liquore ſtillatitio abſinthii, aut eupatorii Græcorum: dein conſpergitur puluere tenuiſſimo Santali flaui: ſiccatur abſinthio, vel eupatorio iam dicto inuolutum, reponitur in arido loco.

Sanguinis hircini præparatio.

HIrci mediocris ætatis, & quadrimi, domi vino albo & herbis calculum frangentib. fœniculo, nimirum apio, pimpinella, & œnanthe nutriti. Iulio aut Auguſto menſe iugulati, medius effluens, ex arteriis maxime ſanguis excipitur: nam primus tenuior, poſtremus craſſior putatur: vaſeq; vitreo exceptus concreſcere ſinitur: atque aqueum, quod in eo eſt, effunditur, reliquum linteo raro tectum in ſole exſiccatur.

Tunicæ interioris ventriculi gallinarum præparatio.

C TVnica interior ventriculi gallinarum lixiuio calido hora vna maceratur, & ter lauatur: iterum lixiuio, poſt vino, & ſiccatur furno, ex quo panis extractus eſt.

OEſipi præparandi modus.

SVccidarum lanarum pinguitudo, quam œſipum Latini, vulgus medicorum & Pharmacopæorum hyſſopum humidã nominant, ita paratur. Lanæ illæ ſuccidæ, hoc eſt, nondum purgatæ, e collo, feminibus & femoribus ouium detonſæ, quantitate ſatis magna calida aqua diligenter lauantur, quoad omnem ſuam pinguitudinem in aquam depoſuerint. Dein lana expreſſa ſepoſita, aqua illa pinguis & ſordida vaſculo aliquo diutiſſime ex alto funditur, & refunditur, donec ſpumoſa fiat: tũc ſpuma ſubſidere permittitur, & aquæ innatans pinguedo colligitur, iterumque aqua affuſa agitatur, atque D donec ſpumet, refunditur, & ſubſidens pinguedo aufertur, & rurſus refunditur, donec non amplius ſpumet, & nulla aquæ pinguedo innatet. Tum collecta pinguedo manib. emollitur, & aqua lauatur: & ſi qua inſedit ſpurcitia demit, quoad pura fiat, & aqua clara defluat, albeſcatque, nec linguam admodum mordeat. Quo facto in fictili denſo reponitur loco frigido. Hyſſopus humida.

ANNOTATIO.

Præſcriptum œſipi parandi modum ſequi debent Pharmacopœi, quod is, qui in officinis exſtat, parum aptus eſt.

Inteſtini lupi præparatio.

INteſtinum lupi per longum ſcinditur, & per tranſuerſum in portiones medii digiti E longitudinem æquantes ſecatur, vinoque lauatur, aut ſtillatitio fœniculi vel rutæ liquore, dein in furno exſiccatur.

Terebinthinæ coquendæ modus.

REſinæ terebinthinæ, aut laricinæ libræ vni affundũtur aquæ libræ viginti quatuor, & coquuntur in magno vaſe, donec odorem amittant, & inſpiſſentur, ita vt refrigerata digitis friari queant.

Adipum præparatio.

ADeps cuiuſque animalis lauatur in aqua aliquoties, donec pura defluat aqua, & non amplius ſanioſa, aut cruenta appareat. Dein minutim conciſa in duplici vaſe liquatur, & eliquatus in frigido ſine ſale reponitur loco. Alii ita præparant. Pinguedo exemtis venulis, & fibris, membranuliſque nudata, lota, & minutiſſime inciſa in duplici vaſe F liquatur lento igne, poſtea per pannum colatur denſiorem, & in vas fictile fuſa, frigido in loco reconditur.

Medullæ præparatio.

MEdulla ex oſſib. autumni initio exemta lauatur, & duplici in vaſe liquatur, eodem quo adipes modo. Ceterum, vt id obiter moneamus, medicamentorum præpa-

Pharmacopœi Dioscoridē in suis officinis repositum habeant.

rationes ad Dioscoridis, harum optimo magistro & doctore, Pharmacopœi efficiant, quem vtique hoc nomine perpetuo in suis officinis repositum habere, & assidue etiam legere debent. A

DE SVCCEDANEIS. Cap. XXV.

Succedanea quæ.

SVccedanea dicuntur medicamenta, *quæ in aliorum penuria, quæ similes habere putantur vires, supponi & substitui possunt*, Græcis ἀντιβαλλόμενα καὶ ἀντεμβαλλόμενα, vulgo quid pro quo appellantur. Non negligenda vero erit hæc substituendorũ medicamentorum ratio, quod sæpe accidat, vt Medicus in curandis corporis vitiis necessariis, & maxime commodis medicamentis prorsus destituatur: aut si eadem in promtu habeat, tamen vetustate confecta viribus euanidis sint, aut alia quadam de caussa vitiata & corrupta esse appareant, vt hoc nomine necesse sit in eorundem locum aliud substituat, quod ei, quod desideratur, maxime respondeat. Quod quidem factu facilimum erit, si modo exquisitam simplicium medicamentorum cognitionem habeat. Cõsiderandum igitur erit, quibus ordinibus singula medicamenta simplicia contineantur, & quæ eorundem sint facultates, & quam inter se similima sint. Quapropter si succedanea sint eiusdem, vel in calefaciendo, vel refrigerando, humectando item vel siccando ordinis, sicq; eiusdem sint facultatis, inque plurimis cum eo, pro quo substituuntur, cõueniunt, dubium nullum erit, quin legitima sint succedanea. Quanquã quum nihil sit tã simile, quin multis rebus sit diuersum, præstat, quoad fieri potest, a succedaneis abstinere. Tamẽ vt in legitimis substituendis succedaneis, quam rationem sequi debeant imperitiores, tum Medici, tum Pharmacopœi sciant, non pigebit hæc ordine recensere. B C

A.

PRo *Abrotono* auctor libelli eius, qui de succedaneis inscribitur recte Origanum substituit, quod illud perinde atque Abrotonum, in tertio ordine calidum & siccum exsistat, ac incidendi & extenuandi facultatem obtineat. Errant autẽ, qui pro eo Absinthium, & vicissim pro Absinthio substituunt Abrotonum: quod hoc stomacho impendio inimicum, illud vero gratum sit.

Branca vrsina officinarum.

Acantho, spina alba. Vtraque enim herba calefaciendi & exsiccandi discutiendique citra morsum vim habet. Errant qui nostratibus officinis dictam *Brancam vrsinam*, quæ non est, nisi *Spondylion* pro *Acantho* substituunt, quod ea herba acrem & cum morsu exsiccantem facultatem, adeoque Acantho dissimilem, habeat. *Acantha Arabica* siue *Aegyptia*, quæ Serapioni & aliis Mauritanis *Sucaha* dicitur, itidem *Spina alba nostras*: quod in facultatibus conueniant, & iisdem calefaciendi & exsiccandi ordinibus contineantur. D

Acacia, succus syluestrium prunorum, & eorundem caro: vel si haberi potest, *legitima Hypocistis*, quod ordinibus, & adstringendi facultatibus Acaciæ similes sint: vel *Lentisci succus*.

Acoro, *radix Asari*, quod, *Galeno disertis verbis testante*, Acori radici similis exsistat.

Agallacho, quod officinæ *lignum Aloes* nominant, *Centaurium maius*, vel *Lycium*, libelli de succedaneis auctore: quod facultate similia admodum sint. E

Ammi, *Anisum*, quod vtrunque in tertio ordine calefaciat & exsiccet, tenuiumque partium sit.

Ammoniaco thymiamate, non *Propolis* apte substituitur, vt est in Græcorum succedaneis, quia hæc ipsa extergentem & valenter attrahentem facultatem obtinet, illud vero emolliendi & discutiendi. Aptius igitur pro eo *Galbanũ* substituitur. *Amomo*, *Acorum*, quod Galeno attestante, ei similem obtinet vim: vel *Ammeos semen*, quod itidem facultate ipsi simile exsistit.

Anchusa, *Hyacinthus*: Quippe vtraque herba refrigerat, desiccat, extergit, & adstringit, maximaque inter eas est similitudo.

Aristolochia quauis, vna ex trib. Aristolochiis, quæ ad manum est. Siquidem iisdem viribus præditæ sunt. F

Armenio, *Indicum*, præsertim factitium, quod illud haberi possit. Vulgo Ferber Indich dicitur. Vtrunque medicamentum purgat, & carnem excrescentem coercet ac reprimit.

A *Arsenico, Sandaracha.* Ambo vrentis sunt facultatis.

Asio lapide, Sal petra, vel hammoniacus. Vterque abstergendi, expurgandi, dissipandi, reprimendi, & eliquandi carnem vires obtinet.

Aspalatho, viticis semen. Vtrique enim acrimonia, & adstrictio inest, earumque ratione calefaciunt & desiccant.

Asphodeli radice, Beta succus. Vtrunque medicamentum extergit, siccat, & discutit.

B.

Balsamo succedanea Græcorum Leucoii seu violæ albæ radicem substituunt, & recte quidem. Vt enim Balsamum est tenuium partium, menses mouet, vterumque recludit: sic quoq; Leucoii radix, imo totus frutex tenuium est partium, extergit, siccat, menses cit, B vterumque aperit.

Bdellio, muscus arborum, qui perinde atque Bdellium emolliendi & discutiendi facultatem obtinet.

Behen, Orminum. Vt enim Behen Arabum semen genitale adauget, ita quoq; Horminum venerem stimulat. Nec temere diximus Arabum, siquidem Mauritanorũ Behen hanc facultatem non obtinet. Alba enim, quia admodum amara, discutiendi: rubra vero quia vehementer adstringit, contrahendi constipandique vim habet.

Bolo armeno, lemnium sigillum, siue *terram lemniam*, iisdem namq; facultatibus prædita sunt.

C.

C *Chamælea, Polypodium*, præsertim vbi ad sordida, & crustas habentia vlcera accommodatur. Sin purgando corpori adhibetur, *Daphnoides.*

Carpobalsamo, viola alba, vt in Balsamo dictum est.

Cardamomo veterum & Arabum, id quod officinæ ita nominant, vel *Capsicum* substituitur.

Calamo aromatico, radix ea quæ in officinis sub hoc nomine prostat, quanquam non est calami odorati radix, sed alterius qui Mæotide palude nascitur, subiicitur, quod iisdem viribus donata sit.

Casia, cinamomum, vel *Sabina*, quæ Casiæ facultati similis est, vt patet conferenti vtriusque facultates.

D *Capparis radice, Tamaricis cortex*, quia facultatibus similes sunt. Nam vtrique extergendi, discutiendi, incidendi, & paululum adstringendi vires insunt.

Cedri fructu, succedanea Græcorum ladanum substituunt.

Cinnabari Dioscoridis, Sanguis draconis: pro Galeni *Cinnabari, Minium*, quod eandem facultatem obtineant.

Cinamomo, Casia dupla, vel *Ruta syluestris*, vt quæ instar Cinamomi crassos humores dissecat, oculorumque caligini conferat, discutiat, & vrinam moueat.

Costo, Helenum substituunt Græci, & recte, quod facultatibus non parum conueniant, vt liquet conferentibus vtriusque facultatibus: atque succedaneo illo maxime pro Costo qui passim in officinis prostat vtendum erit, quia spurius est.

E *Cumino æthiopico, Melanthium* siue *Nigella*, quia iisdem facultatibus sunt prædita, vt merito alterum alterius vices subire possit.

Cypero, Iuniperus, quod vtrunque medicamentum vrinam, mensesque euocet.

D.

Damasonio, Galenus *Calamintham* substituit, quod scilicet eius radici detergendi vim inesse expertus sit, quam etiam *Calamintha* obtinet. Alii vice illius subiiciunt *Eryngium*, quod iisdem viribus donatum est.

Dauco Staphylinus, quod eandem quam *Daucus*, sed imbecilliorem facultatem habeat. Alii *Sii* semen, quod similibus est viribus, substituunt.

Dictamno, Pulegium, quod ei Galeno attestante, simile est.

F *Diphryge, Phrygius lapis*, quem *Lyncis* officinæ nominant. Vtrunque enim medicamentum ad vlcera sordida conueniens, quandoquidem ambo mediocriter adstringant, & valide exsiccent.

Doronico, dimidium Caryophyllorum Auicenna substituit.

Dorycino, Papauer, aut *Mandragora*, quia illis parem refrigerãdi facultatem obtinet.

Dracontio siue Serpentaria maiore. Arum. A

E.

Elaterio, Pori succum, vt qui ventrem stimulet, & aluum moueat.

Ebeno, lignum Guaiacum, quod iisdem quibus Ebenum viribus donatum est.

Elleboro nigro, Struthii radicem Græci substituũt. Verum quia id paucis est cognitum ideo præstat pro eo vsurpare *Enneaphylli* radicem, vt quæ similibus est in mouenda aluo viribus; atqui imbecillioribus. Ad purgationes autem adhibendum esse *Enneaphyllon* Græcorum abunde testantur succedanea, quæ pro illo *Colocynthidis semen* substituunt.

Eruo, Ciceris nigri semen, quod instar Erui discutit, incidit, extergit, obstructionesq; expedit.

Erysimo, Nasturtii semen, aut Eruca, quorum vtrunque tam forma, quam facultate Erysimo simile exsistit. B

F.

Folio, vide *Malobathrum*.

Felle hyenæ, fel perdicis, quod viribus æquale est.

G.

Gummi seu verius lachryma oleæ æthiopicæ, Elemi officinæ nominant, Græci *Acatiæ duas partes* substituunt, verum parum recte. Nam Acatia viribus, & temperamento oleæ æthiopicæ lacrymæ similis non est. Quapropter *Gummi Cerasi*, pro ea potius substituenda erit, vt quod visum exacuit, vrinas & menses, calculosq; instar huius lacrymæ, elicit.

Grano seu Cocco gnidio, Lathyridis semen, aut Daphnoidis. Siquidem vtrunque purgandi facultate præditum est. C

H.

Harmali, Rutæ satiuæ semen, quod eandem facultatem obtinet.

Heliotropio Græca succedanea Rapi semen substituunt: id quod faciendum, si venerem stimulare Medici consilium est. Nam rapi semen venerem excitare potest. Quod si vero de siccatione & abstersione opus erit, pro Heliotropio *Dauci semen* reponendum erit, quod non solum ad Venerem stimulat, verumetiam desiccat, extenuat, mensesque ducit. Quas sane facultates omnes Dioscorides Heliotropio inesse scribit.

Hammoniaco, vide *Ammoniaco*.

Hyssopo montana, hortensis, qui idem potest. D

I.

Intybo satiuo vtroque, hoc est, *Endiuia & Scariola* vocatis, *Cichorium* substituendum, quod similibus temperaturis & facultatibus constent.

Iride Illyrica, Græca succedanea *Helenium odoratum* subiiciunt, quod iisdem fere facultatibus donatum est. Officinæ nostrates non inepte *Iridem florentinam* dictam substituunt.

Succedaneorum libellus non est Galeni.

Iunco odorato, succedanea Græca, quæ falso Galeno adscribuntur, Cardamomum substituunt, atqui, meo iudicio parum recte, quod Cardamomum viribus Iunco odorato non sit prorsus simile. Pro eo igitur potius substituendus erit *Calamus odoratus*, vt qui perinde atque ille mediocriter tum calefacit, tum adstringit, atque in facultatibus plurimum conuenit. E

L.

Lanaria, Ellebori nigri radix, quod illa quoque sternutationem moueat.

Liquore Cyrenaico, Magistrantiæ vulgo vocatæ liquor, qui proxime ad Cyrenaici liquoris facultates accedit.

Lybistici semine, Staphylini semen, vt Græca succedanea docent. Præstat autem pro eo substituere *semen cumini, carei, anisi, aut petroselini*, quod hæc ipsa eandem, quam *Lybisticum*, Galeno teste, facultatem obtineant.

Lycio, Rhois succo, aut semine, quod vt illud exsiccandi vires habeat.

Loti semine, Betæ semen, quod exsiccandi & abstergendi facultatem habet perinde ac Loti semen. F

M.

Malabathro, Spica nardi, quæ cum Malabathri folio similimam facultatem obtinet, quemadmodum Galenus scriptum reliquit.

Manna

A *Manna thuris, Thuris cortex*, qui eandem vim, nempe exsiccantem, & adstringentem, atqui validiorem, habet.

Meliloto, herba vulgaris inque pratis passim nata, quam nos tomo altero nostrorum commentariorum postremam meliloti speciem facimus. Officinæ a Græcis succedaneis seductæ, pro Meliloto perperam loto syluestri, *vt fusius supra, capite nimirum 5. dictum est*, vtuntur.

Melyssophyllo, Marrubium, quod ei facultate, *vt testatur Galenus*, simile admodum est.

Meo, herba, quæ Germanis Beerwurtz nominatur, aut *Petroselinum* macedonicum. Nam vtraque herba calefaciendi & desiccandi vim, instar Mei veri, habet.

B *Molybdæna*, vide *Plumbago*.

Myrrha, Bdellium arabicum, quod gustu admodum amarum, & siccum, perinde atq; Myrrha exsistit.

N.

Nardo Indica, Nardus Celtica, quæ iisdem donata est facultatibus, etsi imbecillioribus, præterquam ad eliciendam vrinam, *vt testis est Galenus*.

Napi semine, Rapi semen. Nam vtrunque potum, *vt auctor est Dioscorides*, venenis aduersatur.

O.

C *Oesipo, medullam ceruinam*, quæ instar Oesipi emollit. Vbi igitur emolliendi necessitas est, hic medulla ceruina commodissime pro Oesipo substitui potest. Eadem etiam vlcera explet, igitur optimum Oesipi succedaneum exsistit.

Omphacio, succus Rhois, id est, *sumachii* vulgo dicti: aut *Ribes nostratis* substituendus. Nam succi illi iisdem facultatibus donati sunt. Vlcera namque oris sanant, dysentericisque, & sanguinis exscreationibus prosunt.

Opopanace Galbanum, quia vtrunque emolliendi & discutiendi vim habet.

Opobalsamo, succum radicis violæ albæ, siue *leucoy* ob caussam antea dictam.

Ormino, Lini semen. Quippe illud perinde atque Orminum venerem stimulat, & discutit.

D *Oleo ricino, Raphaninum*, quod Galeno attestante, huic est in omnibus aliis simile, atqui calidius.

Oleo sesamino, Amygdalarum dulcium, quod emollit, modice calefacit, dolores coli, & vteri lenit, vt Sesaminum.

Orobo, vide *Eruo*.

P.

Panacis radice vnciæ vna, Opopanacis drachma vna, est enim eiusdem cum radice facultatis, atqui validior.

Petroselino macedonico, Hipposelinum, quod facultate ei simile est, verum imbecillius. Aut Pimpinellæ nostratis semine, vel radice, quæ etiam temperamento ac viribus æqualis est.

E *Pipere albo, Piper nigrum* substituitur, quia vtrunq; valenter excalefacit & desiccat.

Polio montano, Polium campestre, quod eiusdem est facultatis, etsi imbecillius. Quanquam quum montani copia haberi potest, nulla substitutione opus erit.

Potamogitone Græca succedanea *Serpyllum* substituunt, maximo errore. Nam quum *Potamogiton, Galeno auctore*, refrigeret & adstringat: Serpillum autem calidum admodum sit & acre, fieri nequit, vt alterum pro altero substituatur. Quapropter hinc meridiana luce clarius est, succedaneorum libellum, qui sub Galeni nomine circumfertur, esse spurium. Siquidem Galenus pro *Potamogitone* nō *Serpyllum*, sed *Polygonum* substituit, quod easdem illi vires obtinet.

F *Phu, Valeriana vulgaris*, vel alia eiusdem species, quod omnes eiusdē temperamenti, & earundem sint virium.

Plumbagine, Lithargyros, quæ *Galeno attestante*, similem plumbagini facultatem habet.

Pyrethro succedanea Græca *Zingiber* substituunt, sed parum recte. Nam, *vt Galenus testatur*, Zingiber cum Pipere magis, quam cū Pyrethro in facultatib. & temperamento

conuenit. Vt hinc quoque manifestum fiat, libellum succedaneorum græcum non esse Galeni, sed alterius cuiuspiam, cui facultas medicamentorum non satis perspecta fuit. A

R.

Rheo, veterum, centaurium maius, quod officinis in hodiernum vsque diem *Rheumponticum* nominatur, nulla alia de caussa, quam quod viribus & temperamento Rheo simile sit, & quod eius olim etiam succedaneum fuerit.

Resina terebinthina, laricea, quæ easdem aut certe similes vires obtinet, qualis fere est ea, quæ hodie in officinis nostratibus habetur.

S.

Sandaracha Arsenicum, quod Galeno auctore, eiusdem nempe vrentis, est facultatis.

Santonico absinthio, abrotanum, quod vtrunque *Galeno teste*, stomacho admodum infestum sit. B

Satyrio, ea herba quam nos tertio nostrorum *de stirpium historia tomo* pro Satyrii specie subiecimus: vel Orcheos genus aliquod.

Schœnantho, iunci odorati stipites vel culmi, quia similem facultatem, etsi minus calidam, possidet.

Stichade arabica, Lauendula potius quam *Chamædrys*, vt græca succedanea substituunt, vsurpanda erit, quod iisdem plane facultatibus donata sit, quemadmodum tertio nostrorum de *stirpium historia commentariorum tomo fusius* docuimus.

Spodio, non *ebur*, aut *cornu ceruinum vstum*, sed potius *cinis fornacum* substituendus erit. Nihilominus tamen officinarum Spodio suus vsus erit. C

Symphyto petræo, Symphytum magnum, quod ei, *Galeno auctore*, similem vim habet.

Sory, non *melanteria*, aut *Diphryges*, vt succedanea græca docent, sed chalcitis substituenda erit.

Struthio, elleborus albus, quod ille sternutationem moueat.

Sulphure viuo, flauum, quod viribus proxime accedit.

T.

Tapsia, nasturtii aut erucæ semen. Nastaurtii autem semen Tapsiæ facultatibus simile est.

Terra cimolia, creta, quod eiusdem sint facultatis.

Terebinthina, laricea. D

Terra lemnia, Bolum armenum, quia temperamento & viribus similes sunt.

V.

Vino rhodio, austerum aliquod *vinum* nostrate.

X.

Xylobalsamo, violæ albæ, aut *Leucoii radix.*

Z.

Zingibere, piper album, vt in Pyrethro dictum est.

Hactenus paucorum admodum, & eorum quæ hodie non facile haberi possunt, succedanea recensuimus. Præstat enim perpetuo iis vti, quæ ab auctoribus compositorum medicamentorum nominatim percẽsentur, quam pro ipsis alia substituere, quod raro accidat, vt vnum alteri facultate per omnia respondeat. Et profecto non videmur hodie succedaneis admodum egere, modo in comparandis simplicibus, quorum fere omnium copia haberi potest, Pharmacopœi diligentiam eam, quæ illos decet, adhibeant. Studium enim in illis tantum desideratur, quum in promptu sint medicamenta omnia, quibus eos in parandis compositionibus vti oportet. E

Studium in Pharmapœis desideratur.

De limitatione ac finitione ordinis cuiusque calefacientium, refrigerantium, humectantium, & desiccantium. CAP. XXVI.

NON generatim solum simplicium medicamentorum facultates Medico noscendę sunt, num scilicet calefaciant, refrigerent, humectent, & desiccent, sed & distincte membratimq; quantum habeat, quodq; eorum, definiendum erit. Quippe multa sunt quæ calefaciunt medicamenta, idq; sibi cõmune obtinent: attamen maioris minorisq; rationem non exiguam in calore sortita sunt. Pari ratione sunt quæ refrigerant, humectant, vel exsiccãt, attamen rationem maioris minorisq; in iis omnib. obtinent. Proinde veteres, præsertim Galenus non temere per vnumquemq; excessum ab eo quod tẽperatum F

A peratum & mediocre est, quatuor ordines, quos Græci τάξεις, Latini *gradus* appellant, statuerunt, a modice calidis, frigidis, humidis, siccis, ea, quæ euidenti eiusmodi qualitate præcellunt, tum quæ magna vehementive, & summa. Porro temperatum est, quod ob temperamenti similitudinē eius, cui admouetur, neq; calefacit, neque refrigerat, neq; humectat, neq; desiccat. Quod vero illo aut calidius, aut frigidius, aut humidius, aut siccius est, a vincente seu excedente facultate qualitateue cognominatur. Excessus autem is ab eo, quod mediocre seu temperatum est, *Galeno altisque Græcis medicis*, vt diximus, τάξις & ἀπόστασις, Latinis *ordo gradusue, recessus, digressio, & distantia* nominatur. Calidum itaque in primo ordine, recessu, distantiaue vocant, quod nos calefacit, non tamen euidenter, sed ita modice, *vt insuper demonstratione rationali opus sit*. Sic frigidum, humidum, B siccum primo ordine statuunt esse, quod demonstrationem etiam requirit, nondum actionem valentem & manifestam adeptū est. Quæ vero manifeste aut calefacere, aut refrigerare, aut humectare, aut desiccare possunt, ea secundi esse ordinis, aut recessus dicunt. At quæ iam admodum & vehementer quidem id præstant, non tamen summe, tertii. Quæ aūt adeo calefacere possunt, vt crustam moliantur & vrant, quarti. Sic quoq; quæ ita refrigerant, vt calorem natiuum exstinguant, adeoque stupefaciant ac mortem inferant, & ipsa quarti ordinis sunt. Humectantium in quarto ordine fere nullū reperitur, quod inter omnes qualitates omnium sit maxime imbecilla. Nullum deniq; inuenire est, quod quarto ordine desiccet, quod non etiam vrat. Nam quod summe desiccat, omnino id etiam deurit. Nunc nominatim singulorum ordinum simplicia perstringemus. C

Quatuor ordines calefacientiū, refrigerantium, humectantium & exsiccantium. Temperatum. Ordo, siue recessus. ἀπόστασις. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

Quæ calefaciendo & refrigerando temperata sunt. Cap. XXVII.

ADiantum, asparagus, cadmia, cera, citri cortex, faba, glycyrrhizæ succus, lens, lycium, lithargyrum, myxa, muscus, vsneam Barbari vocant, oleum dulce, lotus syluestris, saxifragam luteam appellant, nuclei nucis pineæ, terra Samia, Zizipha.* Vsnea.

Quæ primo ordine calefaciunt. Cap. XXVIII.

CAlorem innatum augent, quem sequūtur concoctiones, ac reliquæ naturales actiones. Talia sunt, *absinthium, agaricum, aloe, althæa, amygdala dulcia, anethum viride, beta, brassica, buglossum, chamæmelum, castanea, cassutha, eupatorium græcorum, ladanum, lini semen, lithospermum, malabathrum, nuces virides, oryza, populi nigræ flores, saccharum, serum lactis, sesamum, vinum nouum seu mustum, vuæ maturæ.*

Quæ secundo ordine calefaciunt. Cap. XXIX.

IGnei cuiusdam caloris participes sunt, ideoque attenuandi & rarefaciendi obstructionesque ac meatus aperiendi vim habent, *ambarū, amygdala amara, anethum aridum, apium, artemisia, balsamum, calamus odoratus, capparis, caphura, chamæpitys, crocus, chamæleontis albi radix, eruum, fœnumgræcum, ficus, galbanum, mastiche, marrubium, mel, melissophyllum, myrrhis, nuces aridæ, nux moschata, ocimum, peucedanum, pistacium, pix arida, polium, propolis, rapa, scylla, scolymi radix, succus cucumeris syluestris, sal, thus, vinum non admodum vetus, zadura, seu zadoaria.*

E

Quæ tertio ordine calefaciunt. Cap. XXX.

INcidunt, attrahunt, inflammant, sitimque excitant, vt sunt *abrotanum, & magis vstum, acori radix, amaraeum, ammi, agnus, anethum vstum, anisum, asarum, arum, amomum, anacardium, dictamnus, carcum, chamædrys, casia, cartamus, calamintha, cinamomū, conyza, cuminum, carpesium, carnabadium recentiorum Græcorū, elleborus vterque, epithymum, fœniculum, galanga, garyophyllum, iris, iuniperus, helenium, hyssopum, mentha, mentastrum, moschus, nigella, opopanax, origanum omnis generis, petroselinum, piper, ptarmice, pulegium, raphanus, ruta hortensis, sampsychus, sabina, sisymbrium, trifolium, vinum vetus.*

F

Quæ quarto ordine calefaciunt. Cap. XXVII.

PVstulas excitant, adurunt, & erodunt, vt sunt, *allium, adarce, cepa, costus, euphorbium, lepidium, nasturtium, porrum, pyrethrum, ruta syluestris, sinapi, struthium, tithymali, chelidonium vtrumque.*

Quæ primo ordine refrigerant. Cap. XXXI.

CAlorem innatum refrigerant imminuuntue, adeoque coctiones aliquo modo impediunt, qualia sunt, *atriplex, acini uuæ, caro citrei, cotonea, gramen, hordeum, malua, milium, myrtus, pyra, pruna, rosa, viola.* A

Quæ secundo ordine refrigerant. CAP. XXXII.

INcrassant, caloremque naturalem euidenter obtundunt, vt sunt, *acacia, blitum, cucurbita, cucumis, damascena pruna, galla, intybum, hyacinthus, lens palustris, mala granata, oxyphœnicum, pepones, persica, plantago, polygonum, psyllium, rhus obsoniorum, solanum hortense.*

Quæ tertio ordine refrigerant. CAP. XXXIII.

INternos corporis meatus occludunt, sensus omnes stupefaciunt, vt sunt, *hyoscyamus, mandragora, nymphæa, portulaca, potamogiton, santala omnis generis, semperuiuum.* B

Quæ quarto refrigerant ordine. CAP. XXXI.

COngelant, calorem natiuum exstinguunt, & interficiunt, qualia sunt, *cicuta, opium, papauer.*

Quæ primo ordine humectant. CAP. XXXII.

LEniunt & lubricant, vt sunt *buglossum, citrii caro, helxine, malua, rapa, saccharum, satyrium, sesamum.*

Quæ secundo ordine humectant. CAP. XXXIII.

RElaxant, naturaliumque partiũ robur imbecillius reddunt, vt sunt, *atriplex, blitum, cucurbita, lactuca, lenticula palustris, melones, oxyphœnicum, pepones, persica, portulaca, pruna damascena, violæ, vuæ maturæ.* C

Quæ primo ordine desiccant. CAP. XXXIV.

COrpus validius, sensusque vegetiores reddunt. Talia sunt, *brassica, beta, castanea, chamæmelum, crocus, fœniculum, faba, fœnumgræcum, hordeum, hyacinthus, malobatrum, myrtus, thus.*

Quæ secundo ordine desiccant. CAP. XXXV.

MAnifeste adstringunt, humorumque transitum intercipiunt, vt sunt, *anethum, artemisia, balaustium, balsamum, bursa pastoria, caphura quorundam sententia, capparis, cassutha, calamus odoratus, cotonea, eruum, galbanum, gingidium, lentes, mel, mastiche, mentha, mentastrum, milium, myrrha, nux moschata, opopanax, oriza, pix arida, pistacium, plantago, pyra, raphanus, rosmarinus, santala, spica nardi.* D

Quæ tertio ordine desiccant CAP. XXXVI.

A*Brotanum vstum, acacia, absinthium, acetum, acorus, aloe, ammi, anisum, anethum, apium, asarum, careum, chamedrys, chamæpitys, calamintha, caphura, vt aliqui censent, cinamomum, coriandrum, cuminum, elleborus, epithymum, galla, caryophyllum, hyssopum, iuniperus, macer, marrubium, milium, moschus, nymphæa, origanum, petroselinum, pentaphyllum, peucedanum, piper, polium, ptarmice, rhus obsoniorum, sampsychum, sanguis draconis, sabina, sal, sisymbrium, trifolium.*

Quæ quarto desiccant ordine. CAP. XXXVII.

A*Llium, nasturtium, ruta syluestris, sinapi, chelidonium.* E

De medicamentis simplicibus peculiares corporis partes iuuantibus.
CAP. XXXVIII.

NOn defuturos hoc loco indoctos, & ad calumniandum duntaxat natos homines quosdam scio, qui nos ridebunt, quod esse medicamenta, quæ priuatim hanc vel aliam corporis partem, verbi gratia, caput, thoracem, iecur, iuuent, asserere audeamus. Qui enim fieri posset, vt hæc ætas, quæ etiam optima quæq; calumniis deprimere solet, illa tanquam a veritate aliena non exsibilaret? quum Galeni etiam ætate, quæ nostra tamen, quod credimus, paulo melior fuit, reperti sint, qui hoc dogma prorsus explodere voluerint in hæc prorumpentes verba: *Num præses quidam eis imperat, quemadmodum Tragœdia inquit:* F

Σὺ μὲν βάδιζε τὰς ἐπ' ἰνάχου ῥοάς,
Σὺ δ' ἀμφὶ Θήβας στεῖχε τὰς καδμείας, id est,
Tu vise latas propere ripas Inachi,
Tu perge Thebas modo quas Cadmus condidit:

vt me-

A vt medicamentum hoc ad iecoris portas, illud ad vesicam, vel renes proficisci necesse sit? An non quod in ventriculum ingestum est, iecur quidem excipit, inde vero per vniuersas corporis partes defertur? Atqui sycophantis illis, qui hoc pacto nobis obganniunt, ita cum Galeno respondemus: *Hoc scomma eos tam esse medicamentorum facultatis imperitos arguit, vt a marino lepore pulmonem exulcerari, solum ex omnibus particulis corporis penitus ignorent: vesicam solam a cantharidibus, ab aliis renum lapides conteri, ab aliis rursus pulmonis atque thoracis promtas fieri exscreationes, quemadmodum ab aliis alia in vna quadam particula singulariter perfici.* Vt igitur sunt medicamenta quædam, quæ priuatim partes quasdam corporis vitiant: sic etiam nonnulla reperiuntur, quæ quibusdam corporis partibus eximie iuuandis sunt idonea. Vtrumque experientia confirmat, & idipsum veterum testimonia comprobant. Siquidem Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem ita scriptum reliquit: *Nonnulla partes quasdam corporis priuatim vitiant. Nam lepus marinus pulmonem exulcerat. Cantharides vesicam peculiariter offendunt. E contrario pleraque medicamenta quasdam corporis partes præcipue iuuare solent. Laboranti enim iecori sæpe Eupatorium herba perstrenue auxiliata est, Glans vnguentaria lienem iuuit. Saxifraga & betonica renes probe afficiũt: & similiter alia aliorum, vt experientia obseruauimus, propria sunt medicamenta.* Idem etiam libr. 13. Ther. methodi tradit, inquiens: *Quale medicamentum iocinori est absinthium, tale est lieni capparis cortex. Quale rursus iocinori Eupatorium, tale est lieni Scolopendrium.* Galeni sententiæ subscribunt etiam tota Arabum familia, & reliqui nostræ ætatis medici, neque ab re, quod illorum sententiam quotidiana experientia, *vt diximus*, cui nemo temere refragari debet, confirmet. Quod autem alia medicamenta alias corporis partes, quasi delectu quodam iuuent, aut lædant, id fit totius substantiæ proprietate, non quæ ad vniuersum corpus, sed quæ ad vnamquampiam particulam comparatur. Nihil enim est in vlla naturæ parte, quod non peculiari & occulta proprietate vigeat. Etiamsi multa inter se conferamus, necesse est omnino has illorum proprietates aut similitudine quadam & affinitate consentire, aut dissimilitudine atque dissidio aduersari. Hinc συμπαθίαι & ἀντιπαθίαι, id est, *consensiones & dissensiones profectæ sunt, omnibus rebus diuinitus insertæ, arcana quidem illæ & abditæ, quas natura siue Deus ipse, nos mirari potius, quam scire voluit.* Hę caussæ habentur omnium occultorũ effectuum, qui nullis euidentibus rationibus probabiles exsistunt. Quod igitur alia medicamenta alias corporis partes aut iuuent, aut lædãt, in caussa est sympathia vel antipathia. Quapropter quod a marino lepore, *vt dictum est*, pulmo vnus ex omnibus corporis particulis, e cantharidibus vesica sola exulceratur, & Eupatorium iecur iuuat, non manifesta aliqua qualitas, sed totius substantiæ similitudo & amicitia, aut dissidium & repugnantia efficit. Ceterum, ne hoc silentio transeamus, facultates a partibus nominatæ sunt, non quod omnibus partibus, quam nomine indicant, affectibus conueniunt, ne quod ita vni parti conducant, vt nihil aliis partibus prosint: sed quia frequentissime, & magno cum fructu, ac potissimũ eam partem a qua nomen sunt mutuatæ, iuuẽt. Quapropter quũ in parte vna aliqua humorem concoquere, aut ab ea vacuare volumus, tum medicamento facultas aliqua a parte illa nominata miscenda erit, Vt, exẽpli caussa, oxymeli coquit, incidit, tenuat, vacuat ex æquo in omnib. corporis partibus, vbi vero pæonia, aut betonica illi incoquitur, idipsum valẽtius in capite præstat, cappares autem in liene. Vt itaq; studiosi medicinæ in promtu habeãt medicamenta, quę præcipuas corporis partes iuuant, adeoque ipsis tota sua substãtia familiaria sunt, nõ pigebit ordine eorundem catalogũ texere, ab iis, quæ caput iuuãt exorsi.

B C D E (margin letters)

Caussa eorũ quæ certas partes iuuant, aut lædunt.

συμπάθεια, ἀντιπάθεια.

Facultates a partibus cur nominatæ.

Quæ caput iuuant. Cap. XXXIX.

CAlefacientia: *acorus, agallochum, ambarum, anisum, asarum, betonica, calamintha, chamæmelum, castorium, carpesium, eufrasia, fœniculum, galanga, ladanum, lauandula, lauri folia, & baccæ, macer, melilotum, maiorana, mentha, moschus, mirabolana beletzica, nigella, nux moschata, pæonia, pulegium, ruta, satureia, saluia, seseli, serpyllum, sesamum, sisymbrium, stechas, thus, xylobalsamum.* Refrigerantia: *acetum, lachumanum, lactuca, myrti folia & baccæ, nymphææ folia & flores, papauer erraticum, rosa, salicis folia, salanum satiuum.*

Calefaciẽtia. *Refrigerãtia.*

F

Quæ thoracem roborant. Cap. XL.

CAlefacientia: *acorus, adiantum, ammonicacum, thymiama, amygdalæ amaræ, agaricus, caricæ, cinamomum, costus, calamintha, dracunculus, ficus, glyzyrrhiza, gummi arabicum, iuncus rotundus odoratus, helenium, hyssopum, iuniperus, iris, lini semẽ, marrubium, myrrha, nasturtiũ,*

Calefaciẽtia.

origanum, pinea nux, palmulæ, penidia, piper, pulmo vulpis, sagapenum, scabiosa, scilla, scordium, stichas, triticum, terebinthina, thymus, vrtica, vua passa. Refrigerantia: *Hordeum, myxa, papauer satiuum, mora, tragacantha, viola, zizipha, tussilago.* A

Refrigerantia.

Quæ cor iuuant. Cap. XLI.

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Ambarum, amomum, buglossum, behen, carnabadium, cinamomum, cardamomum, caryophyllum, citrei cortex & succus, crocus, doronicum, galanga, melissophyllum verum, macer, moschus, mentha, ocymum, polium, rosmarinus, rosa, (spodium Arabum, vt falso putant,) spica nardi, succinum, styrax, vnguis odoratus, xyloaloe, zadura vel zedoaria.* Refrigerantia: *Acetum, corallium, ebur, hyacinthus gemma, lemnia terra, nymphæa, rosa, santala, smaragdus, viola, vniones, os cordis ceruini, sericum crudum.*

Quæ stomachum & ventriculum roborant. Cap. XLII. B

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Absinthium, agallochum, aloe, amydalæ dulces, anisum, artemisia, aster atticus, cardamomum, calamus odoratus, careum, cassutha, cinamomum, caryophyllum, cuminum, cupressus, cortex citrii, fœniculum, galanga, gentiana, helenium, iuniperus, iuglandes, iuncus odoratus, ligusticum, macer, mentha, mastiche, malobathrum, melilotus, nux moschata, nuclei pini, piper, serpyllum, smyrnium, xyloaloe, zingiber.* Refrigerantia: *Cucurbita, cucumis, cotonea, intibum, lactuca, mala punica, melones, mespilũ, nymphæa, oxalis, portulaca, plantago, pyra, rosa, viola.*

Quæ iecur firmant. Cap. XLIII.

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Absinthium, acorus, adiantum, agallochum, agaricus, amomum, anisum, anagallis, asarum, apium, ammi, betonica, cassutha, calamus odoratus, chamæmelum, chamæpitys, cinamomum, costus, chamædrys, cicera, eupatoriũ, fumaria, gentiana, glycyrrhiza, iuncus odoratus, fœniculum, radices quinque cõmunes, scylla, semina quatuor calida, serpillum, spica nardi, rhaponticum, (spodium Arabum, si Diis placet.)* Refrigerantia: *Acetum, cucurbita, cucumer, intybum, lactuca, lichen, nymphæa, oxyacantha, portulaca, santala, solanum, semina quatuor frigida, rosa, viola.* C

Quæ lienem iuuant. Cap. XLIIII.

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Absinthium, acorus, adiantum, agaricum, anisum, aristolochia rotunda, amygdalæ amaræ, asparagus, asplenon, asarum, ammoniacũ, betonica, brassica satiua, bdellium, buglossum, capparis, calamintha, cassutha, chamedrys, chamepitys, careum, cyclaminus, daucus, dictamnus, epithymum, filix, fraxini cortex, iris, licium, linũ, leucoion, lupinus, lupus salictarius, nasturtium, phyllitis, polium, peucedanum, sagapenum, smyrnium, scordium, semina quatuor calida, radices quinque communes, rubia, vitex.* Refrigerantia: *Acetum, corallia, cotonea, intybum, lactuca, nymphæa, santala, semina quatuor frigida.* D

Quæ renes roborant. Cap. XLV.

Calefacientia. Refrigerantia.

CAalefacientia: *Abrotanum, agaricum, anagallis, amygdalæ amaræ, asparagus, apii radix, betonica, daucus, cicer, cubebe, calamus odoratus, cinamomum, eruca, eryngium, fœniculum, iuncus odoratus, iuniperus, lithospermon, milium solis, nuclei pini, petroselinum, pimpinella, radices quinque communes, ruta, rhaponticum, ruscus, saxifraga, smyrnium, spica nardi, seseli, vua passa, vrtica.* Refrigerantia: *Intybum, lactuca, malua, hordeum, plantago, portulaca, nymphæa, parietaria, semina quatuor frigida maiora, tragacantha.*

Quæ vterum iuuant. Cap. XLVI. E

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Abrotanum, agaricum, ammi, artemisia, aristolochia, ambra, balsamum, bdellium, betonica, calamus odoratus, ebulus, fœnumgræcum, iuniperus, iris, iuglans, linum, lilium, laurus, laserpitium, mentastrum, mentha, melissophyllum, myrrha, moschus, nux moschata, opopanax, peucedanum, piper, pulegium, rubia, ruta, sabina, sagapenum, saluia, spicanardi.* Refrigerantia: *Acacia, balaustium, galla, geranium, polygonum.*

Quæ artus iuuant. Cap. XLVII.

Calefacientia. Refrigerantia.

CAlefacientia: *Acorus, asarum, ammoniacum, bdellium, castorium, chamæmelum, chamæpitys, costum, chamædris, euphorbium, hypericum, hermodactylus Pauli, galbanũ, myrrha, melilotũ, nasturtium, opopanax, origanum, polium, pulegium, ruta, rosmarinus, saluia, stacte, sagapenum, scilla, synapi, sapa, styrax, stercus caprinum, verbasculum, zingiber.* Refrigerantia: Acetum, *bolus armenia, intybum, lactuca, myrtibacca, psyllium, salicis folia, solanum, semperuiuum, vitis folia.* F

De secundis & tertiis simplicium medicamentorum facultatibus. Cap. XLVIII.

Secundæ facultates quæ.

FAcultates medicamentorum simplicium, quæ ex primis oriuntur, aut eas simplices, vel cõiugatas nullius interuentu sequuntur, secundæ appellantur, vt adstringendi facul-

A cultas refrigerationem primo comitatur, quemadmodum etiam repellendi, densandi, & claudendi. Discutiendi vero, abstergendi, tenuandi, rarefaciendi, attrahendi, & putrefaciendi, calefactionem. Tertiæ autem facultates sunt, quæ vlterius procedendo prope particulatim appellantur, vt menses ciendi aut sistendi facultas, seminis generatrix, aut exstinctrix, vrinam mouens, sudorem eliciens, & similes. Hæ magna ex parte primas & secundas sequuntur. Non pigebit vero nos ordine singulorum generum medicamentorum, quæ secundis & tertiis prædita sunt facultatibus, catalogos texere, vt imperitiores ex iis minore negotio formulas compositionum struere possint, a reprimentibus orsi. Subiiciemus autem singulis mox contrariorum catalogum.

Tertiæ facultates.

Quæ reprimunt. Cap. XLIX.

B Reprimentia vocamus, quæ Græcis ἀποκρουστικά, aliis *repellentia*, vulgo *repercutientia* dicuntur. Ea sunt, quæ humores occurrentes, & in aliquam corporis partem irruentes retro, & in altum pellunt, qualia sunt omnia acerba & adstringentia, quę consistentia sua, *Galeno libro 4. de simpl. medic. facul. cap. 6. attestante*, terrena ac crassa sunt, qualitate vero frigida. Ceterum adstringendi facultas non solum frigidis, sed & calidis quibusdam inest medicamentis, vt liquet ex horum catalogo, qui est eiusmodi: *Aloe, alumen, amomum, acacia, absinthium, agnus, acetum, ærugo, agaricum, arsenicũ, balaustium, bolus armenia, bursa pastoria, adeps taurinus, vitulinus, & caprinus, brassica bis cocta, chalcanthum, crocus, castanea, cyperus, corallium, chrysocolla, cadmia, carpesium, crystallus, cornus, cotonea, cypressus, cortex thuris, equisetũ,* C *ebulus, flos æris, glans, galla, granum tinctorũ, gentiana, gramen, hypocisthis, hedera, helxine, hieracium maius, hæmatites, intybum, lauri folia, lycium, lysimachium, luteum oui assum, leporis coagulũ, lens, lythargyrum, ladanum, melilotum, myrrha, myrtus, menta, morus, mespilus, milium, myricæ fructus, malum punicum malicorum, nuclei, acinorũ, nux moschata, oxalis, oxyacantha, omphaciũ, oriza, polygonum, palmula, pentaphyllum, pilus leporis, pissasphaltum, plantago, psyllium, portulaca, pyra, persica, plumbum vstum, quercus folia, rosa, rutha, rhus obsoniorum, rhaponticum veterum, rubi folia & germina, salyx, semperuiuum, santala, sal, sanguis draconis, succinum, spodium, spongiæ, terra lemnia, thus, tragacantha, verbascum, vitex, vitis capreoli, stercus asininum, & xyloaloe.*

Reprimētia quæ.

Adstringentia facultas nō solum frigidis, sed & calidis inest.

Quæ ex alto trahunt. Cap. L.

Attrahentia medicamenta Græcis ἑλκτικά dicta sunt, *Galeno lib. de simp. medic. facul. 5. ca. 16. teste*, quæ ex alto vehementius trahunt, essentia quidem calida, & tenuium par-
D tium. Ceterum attrahentium medicamentorum materia, alia sponte nata est, vt *anagallidis vtriusq., aristolochiæ, cyclamini, dictamni, galbani, genistæ, oxyacāthæ radicis, propolios, picus piperis, porri, sagapeni, scoria argēti, sandarachæ, sulphuris, liquoris cyrenaici & Medici, terebinthinæ, ac thapsiæ.* Alia ex putrefactione, seu coacescente putredine generationem sortita est, qualis est fermenti, & psorici. Fimi præterea, si eius generatio ex putrefactione constat, materia omnis attrahendi facultate pollet. De iis *lib. 5. simpl.* Galenus.

Attrahētia quæ. Attrahentium. Materia duplex.

Quæ discutiunt. Cap. LI.

Discutientia, quæ Græcis διαφορητικά dicuntur, *attestante libr. 3. Ther. method. Galen.* sunt, quæ per insensiles meatus educunt. Ex quorum numero sunt quæ sequuntur: *Abro-*
E *tanum, althæa, adiantum, anethum, aristolochia, atriplex, asphodeli radix, brassicæ folia, bdellium, butyrum, bryoniæ radix, cappares, chamæmelum, erui farina, furfur, fænumgræcum, dauci semen, galbanum, hordei farina, tritici, lupinorum, lini semen, lacha, ladanum, lilii folia, malua, mentha, mercurialis, melilotum, nigella, nitrum, origanum, pix sicca, piper, resina omnis, ruta, stichas, sesamum, sampsychum, styrax, sulphur, sagapenum, stercus omne, terebinthina.*

Discutientia quæ.

Quæ ora vasorum aperiunt. Cap. LII.

Venarum & arteriarum ora aperientia medicamenta Græcis ἀναστομωτικά vocata, calida sunt, acria, mordacia, crassarum partium, & terrena, *vt lib. 5. de simp. medi. fac. c. 13. testis est Galenus.* Eiusmodi sunt, *allium, anemonæ omnes, cepa, fel taurinum, cyclaminus.*

Aperientia ora vasorum.

Quæ Vasorum ora obstruunt. Cap. LIII.

F Obstruentia medicamenta, Græcis propriè στεγνωτικά, *Galeno loco iam citato auctore*, dicta sunt, quę ora vasorum constringunt & contrahunt, aut quę sensiles excretiones cohibent. Hinc est, quod alio nomine συνάγοντα, κλείοντα, καὶ σφίγγοντα, hoc est, *contrahentia, occludentia, & constringentia* dicantur. Hæc frigida natura sunt, crassarum partium, & adstringentia, vt *bolus armenia, balaustium*, & alia complura *supra ca. 49.* commemorata.

Obstruentia.

Quæ rarefaciunt. Cap. LIV. A

[Rarefacientia.] RArefacientia Græcis ἀραιωτικὰ appellata sunt, quæ moderato suo calore, quem inferunt, cutis meatus reserant ac dilatant. Horum natura modice calida, minimum desiccans, & tenuium partium, vt *chamæmelum althæa*, & quod ex ipsis pręparatur oleum, nec minus, quod ex cucumere agresti, *oui album, thus, oleum vetus, & cicinum.*

Quæ densant. Cap. LV.

[Densantia.] DEnsantia, Græcis πυκνωτικὰ dicta, prioribus plane contraria sunt, propterea, quod meatus corporis contrahant. Horum vtique natura frigida, nec terrea, nec aerea, sed aquea, sic vt tenuem substantiam non exprimant, sed eam totam compingant, vt est *aqua frigida, semperuiuum, portulaca, tribulus viridis, lens palustris, psyllium*, & vt semel dicam, quæcunque refrigerant, sed non adstringunt. B

Quæ obturant. Cap. LVI.

[Obturantia. ἐμπλαστικὰ ἐμφρακτικά.] OBturantia nominamus medicamenta, quæ Græcis ἐμπλαστικὰ appellantur, ea nimirum, *Galeno lib. 5. de simpl. medic. facul. cap. 10. teste*, quæ illita corporis meatibus tenaciter inhærent. Alio nomine Græcis ἐμφρακτικὰ, latinis *infarcientia*, *obstructionem facientia* nuncupantur. Hæc consistentiam nacta sunt siccam, citra tamen mordicationem terrenam, ac glutinosam: cuiusmodi sunt, *amylum, cerussa, calx lota, cadmia, cimolia, alica, pompholyx elota, terra Samia.*

Quæ meatus repurgant, & obstructionem tollunt. Cap. LVII.

[Meatus repurgantia. ἐκφρακτικά.] MEatus repurgantia medicamenta emplasticis contraria sunt, Græcisque ἐκφρακτικὰ vocantur. Hæc mordacitatis expertia non sunt, sed nitrosa & subtilia. Alio nomine ἐκφρακτικὰ Græcis, *obstructiones tollentia*, & *infarctu liberantia* latinis appellantur, vt *erui farina*, & *lupinorum, amygdalæ amaræ, nitrum, aphronitrum, spuma nitri, abrotonum, seriphium, vrticæ semen, scilla, iris, aristolochia, asparagus, absinthium, chamæpitys, cassutha, capparis cortex, lichen, serum lactis*, & quæcunq; in se vincentem amaram qualitatem obtinent. His quoque medicamentis inest, vt crassos lentosque humores extenuent. [Extenuantia.] In extenuantium autem numero est *artemisia, cinamomum, hyssopus, iris, illyrica, iuniperi baccæ, pulegium, stichas, & calamintha.* C

Quæ exstergunt. Cap. LVIII.

[Exstergentia.] EXstergentia, Græcis ῥυπτικὰ dicta sint, quæ in superficie sordem a cute, & vlceribus, *Galeno vbi supra attestante*, auferunt ac tergent. Differũt ab iis, quæ meatus repurgant, & obstructiones tollunt, quod illis sint imbecilliora, & viribus inferiora, dulcia, & salsa, cuiusmodi est *mel, amygdalæ dulces, mulsa, saccharum, hordeum, cicer, radix iridis, faba, sal, terebinthina, lupinorum & erui farina.* D

Quæ emolliunt. Cap. LIX.

[Emollientia.] EMollientia, Græcis μαλακτικὰ vocata sunt, quæ id, quod concretum est, fundũt, *Galeno libr. 5. de Simpl. medic. facul. cap. 6. auctore*, & sensim per halitum discutiunt, nec admodum calida, nec valde etiam sicca exsistunt. Eius generis sunt *ammoniacum, adipes omnes, atriplex, bdellium, butyrum althææ radix, adeps caprinus & taurinus, cera, colophonia, fœnumgræcum, crocus, galbanum, ladanum, linum, lilium, lithargyrum, malua, nigella, opoponax, œsipus, pix, resinæ omnes, medulla ceruina*, & *vitulina, styrax, viscum.* E

Quæ indurant. Cap. LX.

[Indurantia.] INdurantia medicamenta, Græcis σκληρύνοντα nominata, *Galeno libr. 5. de simplic. medic. facul. cap. 9. teste*, viribus sunt frigida & humida, veluti, portulaca, psyllium, lenticula palustris, semperuiuum, & solanum. Siquidem concretione, non vacuatione, proprie loquendo, durum aliquid efficitur.

Quæ suppurant. Cap. LXI.

[Suppurãtia.] SVppurãtia siue *pus mouentia medicamẽta* Græcis ἐκπυΐσκοντα dicta, sunt quæ humorem tumores præter naturã excitantem, & carnẽ contusam, in pus vertunt. Hęc cognatũ ac simillimum corpori, cui admouentur, & ipsa immutanti, calorem obtinent. Sunt etiam mediocriter humida, ita nimirum, vt nec augeant, nec minuant naturalem eius partis, cui admota sunt, humiditatem, *vt lib. 5. de simp. medic. facul. cap. 5. testatur Galenus*, quod saltem manifestum sit, & sentiri queat, sed aliquid excrementi in vacuis spatiis contenti discutiant. Talia sunt, *althæa, aqua temperata, adeps porcinus, vitulinus, butyrum, crocus, cera, fœnum-* F

A *fœnumgræcum, farina lolii, bryoniæ radix, capita liliorum alborum, hordei farina, tritici farina, ladanum, lini semen, mastiche, œsipus, pix, thus, resina, ficus, styrax, stichas, & smyrnium.*

Quæ crustas efficiunt, & adurunt. CAP. LXII.

Crustas efficientia. Adurentia.

MEdicamenta, quę admota corpori crustas efficiunt, Græcis ἐσχαρωτικὰ nuncupantur, & καυστικὰ, id est, *adurentia*. Hæc in quarto ordine sunt calida, & consistentia crassa, ignisque instar, & cauterii ritu corpus colliquant, crustasque excitant. Qualia sunt, *allium, æs vstum, auripigmentum, cantharis, cinis, præsertim ficulna, calx viua, chalcanthum, chrysocolla, pyrethrum, sinapi.*

Quæ putrefaciunt. CAP. LXIII.

Putrefacientia. Putrefacientia proprie dicta. καθαιρετικά. Carnem imminuentia.

PVtrefacientia medicamenta Græcis σηπτικὰ vocata, sunt, quæ carnem, mollem maxime ac teneram, tum liquare, tum colliquare possunt, idq; absq; dolore, vt sunt
B *arsenicum, chrysocolla, dryopteris, pityocampe, aconitum, & sandaracha.* Ex iis sunt proprie putrefacientia nominantur, quæ scilic. cum fœtore corrumpunt. Inter putrefacientia recensentur, quæ Græcis καθαιρετικὰ, latinis *detractoria*, aut *carnem imminuentia*, quod nimirum extimam superficiem detrahant, & carnium excrescentiam imminuant & absumant, vocantur. Imbecilliora enim sunt, quam quod in altum subire valeant. Cuiusmodi sunt *asiæ petræ flos, æris squama, æs vstum non lotum.*

Quæ cicatricem inducunt, & glutinant, carnemque generant. CAP. LXIV.

Cicatricem inducentia. Glutinantia. Carnem generantia.

CIcatricem inducentia, Græcis ἐπουλωτικὰ nominata, *Galeno lib. 5. de simp. medic. fac. cap. 15. auctore*, sunt proprie loquendo, quæ cutem contrahunt, constringunt, constipant,
C densant, præterea siccant, & calli instar indurant. Differunt ab iis, quæ Græcis κολλητικὰ, Latinis *glutinantia* dicũtur, quod hæc minus quam illa siccent. Nam in glutinandis vlceribus siccandũ solum, quod præter naturam confluit, quo nimirum laborans particula superuacuis vacet. In cicatrice autem ducenda, non modo, quod confluit, verumetiam humor qui in ipsa carne continetur, est cõsumendus, vt scil. caro in cutis similitudinem mutetur, quæ carne multo aridior exsistit. Carnem vero generantia, quæ Græcis σαρκωτικὰ dicuntur, iis omnibus minus in primo quidem ordine siccant, & modice sineque morsu detergunt, quemadmodum copiosius *lib. 3. Ther. meth. c. 4. & 5. Gal.* docet. Leuiora sunt *thus, aloe, colophonia, hordei farina.* Vehemẽtiora, *aristolochia, cadmia, erui farina, iris.* Sarcotica vero nominantur, non quod carnem restituant, sed quod naturam, quæ carnis generandæ opifex est, in procreanda carne iuuent. Ceterũ glutinant, & cicatricem inducũt,
D quæ sequuntur, *aloe, alumen, amylum, aristolochia, althæa, anagallis, bolus armenius, balaustium, centaurium, chamædrys, chamæpitys, cadmia, corallium, dracontium, equisetum, eupatorium, ebulus, æs vstum, gummi acatiæ, gentiana, glans, gypsum, iris illyrica, isatis, lolium, lyciũ, myrtus, myrrha lithargyrũ, palmulæ, plantago, pentaphyllum, pumex, plumbũ elotum, perfoliata, papyrus vsta, symphytũ maius, sanguis draconis, sarcocolla, spongia, terra lemnia, thus, tormẽtilla, testa oui, verbenaca.*

Quæ vrinas mouent. CAP. LXV.

Vrinam mouẽtia.

VRinam mouẽtia, Græcis διουρητικὰ vocata, ex acrium sunt genere, *vt lib. 5. de simp. medi. facul. cap. 12. testis est Galenus*, ac proinde calida & sicca: præterea quod in sanguine aqueum tenueque ac serosum est, segregant. Cuius sane generis sunt, *apii semen, ammi, asa-*
E *rum, acorum, dauci semen, fœniculi, betonica, radix asparagi, polium, meum, seseli, phu, smyrnium, & omnia fere, quæ menses cient.*

Quæ menses cient. CAP. LXVI.

Menses cientia.

MEnses cientia medicamenta ab iis, quę vrinam mouent, differunt, quod minus siccant. Ea sunt eiusmodi. *Asarum, amomũ, aristolochia, abrotanũ, acorũ, adiantũ, absinthiũ, artemisia, anisum, asphodeli radix, ammi, brassica satiua, bryoniæ radix, betonica, cypari radix, casia, cinamomum, costum, cicer, calamus odoratus, castorium, capparis, centaurium maius & minus, chamæmelũ, calamintha, chamædrys, cassutha, cyclaminus, dictamnus, daucus, gingidiũ, fœniculũ, eryngiũ, elleborus vterq;, galbanũ, heleniũ, hypericũ, heliochrysus, iũcus odoratus, iris, lilii radix, leucoion, laserpitiũ, maiorana, marrubiũ, myrrha, melissophyllum, nasturtiũ, nigella, opopanax, origanũ, oci-*
F *mũ, pulegiũ, piper, poliũ, petroselinum, pæonia, ruscus, ruta, radix rubiæ, rosmarinus, smyrniũ, saluia, sabina, sagapenũ, seseli, serpillũ, scordiũ, styrax, thlaspi, trifoliũ, staphylin⁹, vrtica, vitex, phu, thym⁹.*

Quæ menses sistunt. CAP. LXVII.

Sistentia menses.

SIstũt mẽses omnia, quib. adstrictoria inest facultas, præsertim *acacia, anthera, balaustiũ, bursa pastoria, coagulũ leporis, fragaria, hypocisthis, cornu ceruinũ, hyoscyamus, liciũ, lapis hæma-*

tites, limonium, lysimachia, myrtus, nymphaea lutea, paeoniae semen, calyces glandium, rubus, oxyacantha, semperuiuum, symphytum, solanum, thus, vua passa cum nucleis. A

Quae lac & semen generant. Cap. LXVIII.

Lac generantia.

LAc generant, quae mediocriter calefaciunt, *Galeno libr. 5. de simp. medic. facul. cap. 20. teste*, & exsiccant. Quae vero plus quam expediat calefaciunt, quaeque immodice desiccant aut refrigerant, partim qualitatem sanguinis vitiantia, partim ipsum minorem ac pauciorem reddentia, lac prouenire prohibent. Lac autem gignunt, partim alimenta, partim medicamenta. Alimenta quae boni sunt succi, & mediocriter calida & humida. Medicamenta, quae pituitosos succos excalefacientia in sanguinem conuertunt. In lactis itaque procreatione sanguis contemplandus venit. Si enim is paucus est, vniuersam victus rationem excalefacientem & humectantem esse oportet. Sin deterior, siquidem biliosus fuerit, primum purgationem desiderat, mox victum iam dictum. Si vero pituitosior, medicamenta requirit excalefacientia aut primo, aut secundo ordine, non tamen desiccantia. Inter ea potiora sunt, quę non tantum sunt medicamenta, sed & nutrimenta, veluti eruca, foeniculum, & anethum, virentia adhuc. Huius generis est smyrnium, apium, sium, & polium. (Semen generantia.) Ceterum semen generant cibi, qui bene nutriunt, & flatuosi sunt, totisque substantiis familiares: medicamenta vero flatuosa, & calida, vt *bulbi, cicer, fabae, polypodes, conus, scincus, satyrion, lini semen, & eruca.* (Exstinguentia.) Exstinguunt contra, desiccantia, refrigerantia, & quae totis substantiis sunt contraria, vt *ruta, agnus, nymphaea.* B

Quae leniunt dolorem. Cap. LXIX.

Dolorem mitigantia.

DOlorem lenientia & mitigantia, Graecis ἀνώδυνα, καὶ παρηγορικὰ καὶ πραϋντικὰ appellata sunt, quae primo ordine calefaciunt, ac tenuium partium exsistunt, vt *anethinum oleum, chamaemelinum, chamaemelum, foenumgraecum, linum, panis calidus, adeps anserinus, gallinaceus, suillus, vitellus oui.* De quibus plura *lib. 3. cap. 4.* dicemus, vt non sit opus de illis hoc loco copiosius tractare. C

Quae stupefaciunt. Cap. LXX.

Somnifera. Stupefacientia.

MEdicamenta Graecis ὑπνωτικὰ, id est, *soporifera*, & ναρκωτικὰ, hoc est, *stupefacientia*, dicta, sunt, quae corpus nostrum refrigerant, & sensum eousq; obstupefaciunt, vt si paulo liberalius ebibantur, mortem afferant, vt *opium, cicuta, mandragora, papauer, solanum, hyoscyamus*, & id genus alia, de quibus loco paulo ante indicato fusius agemus.

Quae venenis resistunt. Cap. LXXI. D

ἀλεξιτήρια. ἀλεξιφάρμακα.

QVae venenis aduersantur & resistunt, Graecis ἀλεξιτήρια καὶ ἀλεξιφάρμακα nuncupantur. Sunt tamen, qui priuatim ea, quae venenatarum bestiarum ictus aut venena sanant, ἀλεξιτήρια nominent: ea vero quae deleteriis medentur, ἀλεξιφάρμακα. Horum quidem medicamentorum duplex est natura, *vt lib. 5. Simp. med. cap. 17. Galen. testatur.* Siquidem quaedam alterant, quaedam vero vacuant ex laborante corpore, seu venenum corrumpens, seu deleterium medicamentum. Alterant autem vel vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut denique tota substantia. Vacuant vero totius substantiae similitudine, & caliditate subtilium partium, *vt latius loco iam monstrato Galenus docet.* Venenis autem resistunt, quae sequuntur: *Abrotanum, anisum, aristolochia longa, absinthium, allium, adiantum, ammi, apium, bdellium, butyrum, brassicae succus, bolus armenius, bryoniae radix, cepa, cyperi radix,* E *betonica, castorium, cardamomum, citrii mali semen, chamaedrys, cyclaminus, casia, costus, calamintha, erysimum, foeniculum, gentiana, galbanum, iuniperus, libysticum, marrubium, iuglans, origanum, pulegium, polium, laserpitium, piper, ruta, rapi satiui semen, terra lemnia.*

Quae ambustis medentur. Cap. LXXII.

A*Deps suillus, althaea, acacia, asphodelus, atramentum sutorium, adiantum, alumen, scissile, beta, corium vstum, bulbi hyacinthi, & liliorum alborum, cynoglossum, cimolia terra, ebulus, gallium, gummi arabicum, hedera, hypericum, helxine, lactuca syluestris, malua, morus, ouum, plantago, semperuiuum, sesamum, stercus ouillum, columbinum, sambuci folia, thus verbascum.* De quibus plura apud Paulum *lib. 4. cap. 11.*

Quae strumas discutiunt. Cap. LXXIII. F

A*Diantum, aparine, althaea, capparis radix, coriandrum, cortex fabarum, iris, hordei farina, lens, lupinum, lolium, lapatum, melissophyllum, laserpitium, lithospermon, galiopsis, nasturtium, plantaginis radix, pix liquida, piper, pentaphyllum, scordium.* De quibus copiosius in *libr. 5. medendi rationis nostrae cap. 10.* diximus.

Quae

Quæ purgant. CAP. LXXIV.

A MEdicamenta quæ Græcis καθαρτικὰ, Latinis *purgatoria* vocantur, bifariam accipiuntur. Vno enim modo commmuniter ac generatim sic appellantur medicamenta, quæ quouis modo corporis excrementa expurgant. Qua quidem ratione omnia medicamenta, quæ a quibuscunque corporis partibus vacuant, purgantia dicuntur nempe ἔρρινα, βηχικὰ, ἀποφλεγματισμοὶ, οὐρητικὰ, Græcis dicta, id est, *quæ per nares vacuant, tusses mouent, a capite vacuant pituitam & vrinam elicientia.* Altero modo per excellentiam, pro iis solum, quæ vel vomitu, vel alia deiectione expurgant. Atque horum tres notantur ordines. Vnus est malignorum, in quibus vis & substantia inest venenata, vt est *chamelæa, colocynthis, & scammonium.* Alter est mediocrium, qui a priorum malignitate nonnihil declinant, vt est, *agaricus, rhabarbarum, aloe, sena, & eiusmodi.* Tertius benignorum, quæ scilicet

Purgatoria medicamenta duplicia. Generatim. Per excellentiam.

B minimum ab alimenti natura deficiunt, cuiusmodi sunt *casia, manna, pruna, myrobalani.* Quæcunque vero hac lege purgant, ea trahendi vim obtinent, alia vnum quempiam humorem, alia duos, aut etiam plures. Trahunt autem humores, non communi & promiscua quadam vi, sed *Galeno lib. 3. de simp. medic. facul. cap. 24. aliisque locis multis teste,* totius substantiæ essentiæue similitudine, amicitiaue seu qualitatum quæ in substantiis sunt adeoq; insita familiaritate. Nihil enim refert, vtro loquendi modo vtaris, quemadmodum metipse Galen. *lib. 5. iam citati operis cap. 16.* testatur, vbi ita scriptum reliquit: *Qualitatis familiaritatem trahere nihil aliud est, quam totius essentiæ similitudine trahere.* Nam qualitatum familiaritatem, amicitiam, consensumue non vocat Galenus, nisi proprietatem il-

Purgātia medicamenta trahunt humores sibi familiares totius substantiæ similitudine. Qualitatum familiaritas.

C lam, quę in natura seu vniuersa substantia cōsistit. Non est autem substantia illa rei materia, a qua vnumquodque aut tenuis, aut crassæ substantiæ dicere solemus, neque huius substantiæ similitudo attrahendi caussa exsistit. Nam neque agaricus, neque colocynthis tenuis substantiæ quum sit, crassiorem pituitam: neque rheum barbarum quod adstringentis & solidæ crassæq; substantiæ sit, tenuem bilem educeret, sed præstantior est tota illa substantia, a qua tanquam ab intimo principio defluit & manat, quæ totius substantiæ proprietas appellatur. Hæc igitur quum neq; materia sit, neq; temperamentum necesse est rei forma, *vt Philosophi loquuntur,* sit, præcipua ac tota rei compositæ, *vt Galenus vocat,* substātia exsistit. Hæc vtiq; ꝓprietas, quia obscuritate naturæ ita inuoluta est, vt neq; euidenter percipi, neq; verbis dici possit, occulta & cęca rerum proprietas, quod

D scil. neq; colore, neq; sapore, neq; odore, neq; vllis sensuum qualitatibus, sed solis operibus percipi possint: & Græcis non raro ἰδιότης ἄρρητος, id est, proprietas quæ efferri non potest, nominatur. Harum itaq; occultarum qualitatum caussa, quum nec in primis, nec in secundis qualitatibus monstrari possit, rectissime in totā rei essentiam substantiamue transfertur, & ob id similitudo totius substantiæ dicitur. Hanc totius substātiæ proprietatem siue similitudinem, non solum Medici, sed & Philosophi statuere cogūtur, dū eo veniunt vt effectę rei cuiuspiam ratio nequeat vel acutissimi hominis ingenio explicari lucemq; recipere, neq; quoquo modo primorum elementorū naturis attribui. Per Philosophos autem non omnes, qui hoc nomine superbire voluerunt, intelligimus, sed veteres illos tantum Philosophiæ proceres, qui non omnium quæ fiunt, sed quorundam

Occulta proprietas. Similitudo totius essentiæ. Philosophi etiam ad totius substantię proprietatem siue similitudinem confugere coguntur.

E duntaxat rationes ab elemētis petierunt, neq; caussas eas attigerunt, quas generali nomine occultas rerū proprietates appellant. Hinc est quod Aristoteles quoq; naturalem Philosophiam instituens, quæ ex primis rerum naturis atq; ex rebus sensu perceptis demōstrationes affert, dū forte in abstrusas & inexplicabiles huiusmodi quæstiones incidit, earū solutione certaq; definitione se abstinēs, inquit, omnes esse supra captū humanæ mentis. Vt valde ineptos esse, & Philosophi nomine indignos oporteat, qui omniū rerum naturales rationes ac caussas afferri posse existimant. Vt præclare dixerit Theophrastus, *eos qui de omnibus rationem quæritant, simul cum ratione scientiam tollere: imo verius eos rationem petere eorum, quorum neque est, neque fuit.* Merito igitur illis euenit, vt dum omnium actionum caussas producere conantur, nō leuibus se ambiguitatibus implicēt,

Lib. 1. Metaph. cap. 5

F & alter ab altero, quo sapientior & acutior videatur dissentiat. Quapropter rectissime Galenus Philosophiam naturalem quę se intra suos limites non continet, contemnit, & ab huius studio Medicos dehortatur, quod scilicet innumerabiles tū ambiguitates, tum errores, eos qui illam sectantur, coniiciat. Quum itaque actionis purgantium medicamentorum caussa ab elementis, ac primis secundisque qualitatibus peti non possit, optima ratione hanc a tota substantia, seu occulta eorundem proprietate qualitateue

Lib. 2 sim. cap. 5. Quam Philosophiam cōtemnit Galenus.

Aduersariorum Galeni cõfutatio.

proficisci statuit. Verum hic non desunt qui hoc Galeni placitum miris modis exagitãt, & tanquam a veritate abhorrens explodunt. Nam habet hoc seculum homines quorum hoc vnicum est studium, vt quæ a veteribus etiam optime dicta sunt, conuellant, sugillent, & misere lacerent, adeoque non secus vitent quæ quis antea dixit, quam Aspides vel Basiliscos. Ea plane res transuersos agit quam plurimos hodie scriptores, affertq; in disciplinas memorabiles errores, & perniciosos, dum mauult quisque auctor esse suæ sententiæ, quam assertor aut enarrator alienæ. Cæci non vident quanta sit laus, & paruisse bene monenti, & recte docenti assensisse: aut certe longe malunt, se scientes prudentesque falsum pro vero affirmare, quam alienæ opinioni acquiescere. Hoc itaque

Puteani libellus aduersus Galeni de purgantibus medicamentis sententiam.

nouitatis pruritum laborans Gulielmus Puteanus, nuper libellum edidit, in quo magno studio Galeni sententiam, *medicamenta purgantia a substantiarum similitudine succos trahere*, asserentis explodere nititur. Nam hanc suam occultam proprietatem Philosophis & Medicis, si Diis placet, inauditam esse ait: quod tamen falsum esse, ex iis, quæ paulo ante diximus, abunde constat. Proinde medicamenta purgantia non a totius substantię proprietate siue similitudine succos trahere, sed a forma sua substantiali efficiente, vt a primo trahente & præcipuo, atque a temperamento natiuo, tanquam secundo, siue instrumentario mouente contendit. Quod dum facit, non aliud conatur, vt fuit hoc homi-

Superbia commune Philosophorũ vitium.

num genus perpetuo superbum, quam vt medicos cogat philosophico more, a quo tamen frequenter, & nequaquam temere, abhorrent, loqui. Quasi vero si etiam ad formam medicamentorum actiones referamus, res sit intellectu facilior, quam si similitudini totius substantiæ illam feramus acceptam: quum palam sit longe esse hanc recentium Philosophorum loquendi rationem quam Medicorum obscuriorem: siquidem inter hos magna hodie est cõtẽtio, quid forma sit substãtialis. Etsi enim in eo consentiant, quod forma sit quæ toti essentiam largiatur, tamen quid tandem ea sit, inter illos non satis conuenit: aliis hanc cœlitus dimitti & diuinam esse, aliis de potentia materiæ educi, aliis quatuor elementorum mixturam & temperaturam, nonnullis ignem, quibusdam spiritũ feruidum esse dicentibus, & tñ interim nihil nõ ad formam referre stu-

Philosophorum inter se dissidium.

dent. Quod forte ferendum esset, si in ceteris omnibus etiam illi inter se conuenirent, & non circa singula inter se pugnarent, atque dissentirent, perpetuamque hanc per secula litem alerent, & quod Firmianus ait, vnaquæque secta, quas sane multas habent, omnes alias euerteret, & se suaque confirmaret, nec vlla alteri sapere concederet, ne desipere se fateatur. Quid multa? Philosophorum ratio nihil constans persuadere potest, sed semper in lubricis opinionib. vacillat, nec intellectus ad omnia incertus habet, q̃ teneat. Quumque de singulis Philosophi disputant & opinãtur, de nullis certi sunt. Hinc tot, & quidem inter se ex diametro pugnantes de principiis rerum naturalium, mundi pluralitate & duratione aliisque rebus compluribus opiniones ac dissensiones, quas Diuus Augustinus *lib. 18. de Ciuitate Dei c. 41.* percenset, natæ sunt. Quæ non ideo a me commemorãtur, vt in vniuersum Philosophorum doctrinam damnem: sed vt moneam, ne hanc ita cum medicina misceamus, vt ad illorum præscriptum nobis perpetuo loquendum esse putemus: quum constet, inter illos suorum dogmatum nullum esse cõsensum: & vt studiosi intelligant furore quodam nouitatis correptos esse hodie plerosque, qui dogmata Medicorum omnium, tum Græcorum, tum Arabum, consensu recepta, fucatis Philosophorum rationibus suspecta reddere conantur. Hi sane sunt, qui nulli subscribere in animum induxerunt, ignominiam existimantes, si non aliis doctiores ab omnibus reputentur. Alios qui veterũ scripta interpretari student, furti accusant: nec vllum laudẽ aliquam mereri putant, qui non alicu[ius] noui dogmatis auctor esse velit. Homines mehercule quauis venenata fera nocentiores, q̃ non solum plurimos seducant, sed & vt multi indubitationẽ rapiantur, efficiant. Quo nomine fit, vt ad veritatis cognitionem peruenire nunquã possint. Et nisi Deus optimus maximus excitauerit viros aliquot pios, & veritatis doctrinæ amãtes, qui se horum conatib. opponant, & illorũ nugas explodant, propediem medicinæ eueniet, q̃ superiorib. annis Theologię accidisse cõpertum habemus. Hanc n. ita Philosophorum deliramentis obscuratam fuisse constat, vt ne vestigiũ veteris & veræ Theologiæ relictũ fuerit. Vt scitissime a nostratiũ quopiam dictum sit, referente Diuo Hieronymo, Philosophos esse patriarchas hæreticorum, vt appellant, id est, impiarum sectarum, mendaciorum, dissidiiq; auctores. Quod verum

esse

A esse omnium temporum historiæ testantur. Quapropter & illud Pauli mihi vsurpare libet: βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Ita enim eos diuus Paulus appellat, quod per inane nomen sapientiæ, simplices seducebant. Ex horum quidem numero, vt diximus, est Puteanus, qui, vt noui dogmatis auctor esset, & cornicum, quod dicitur, oculos cōfigeret, ad formam substantialem potius, quam substantię similitudinem purgantium medicamentorum actionem referre voluit. Et tamen interim fatetur substantialem formam merito nos substātiam totam vocare posse, quia sine ea materia prima constare & cohærere nō possit. Quare, inquit, si per totam substantiam, formam substantialem intelligat Galenus, cum eo sane fatemur attractionem humorum a tota substantia fieri. Si ignoras Putide Puteane, dicere volui, quid per totam substantiam Ga-
B lenus intelligat, cur illius dogma, quod tibi non satis cognitum fuit, tanto fastu sugillare ausus es? An non ille multis in locis ingenue fatetur, se ignorare, quę sit formæ essentia? Quomodo enim ille se cognoscere eam impudenter iactaret, quam Philosophis nondum satis perspectam esse intelligebat? Quum itaq; Galenus, & alii, qui hunc secuti sunt, formarum naturam & essentiam ignorarent, adeoque quid illæ aut agere aut pati valerent, non satis intelligerent, maluerunt hoc genus actionum in occulta proprietate, vel tota rei agentis substantia, quam forma substantiali, & merito quidem, ponere. Nam quum hæc actio, nec temperamentorum duntaxat, nec materiarum sit, sed horum certe omnium, rectissime toti substantiæ hanc tribuerunt, quam Philosophi formam substantialem, alii proprietatem, virtutem seu qualitatem occultam, quæ rationem formæ
C sequitur, appellare maluerunt. Nominet vero vnusquisque vt velit, Galenus certe similitudinem substantię, vel qualitatis familiaritatem, & nonnunquam simpliciter qualitatem vocat. Siquidem solenne est Galeno & Hippocrati quoque, vt quas formas rerum Philosophi, ipsi qualitates, quæ secūdum rei naturam insunt, & naturas appellent. Quapropter non magnopere resistendum esset Puteano, quod purgantium medicamentorum actionis caussam, formę substantiali acceptam ferret. Quod vero subiicit in eodem libello, caussam hanc a qualitatibus elementariis primis, vel secundis dependere, hoc est, vt metipse interpretatur, ab immodico calore, & acrimonia iunctis cū nidore quodam naturę ingrato, id ferendum nullo modo erit, maxime quum eam etiam fuisse Galeni sententiam dicat, & quasi ille quoque purgantia omnia esse calida, & acria, suoque
D calore & acrimonia trahere scribat. Nam quam falsa & a Galeni mente adeoque veritate ipsa abhorrens hæc sit Puteani sententia, paucis iam ostendemus. Si calor & acrimonia tractionis humorum a purgantibus medicamentis caussa erit, certe vt omnia calida & acria intra corpus sumta idem efficere posse fateamur necesse est. Sed falsum idipsum esse, experientia quotidiana conuincit. Siquidem plurima sunt vehementer calida & acria medicamenta, quæ tamen trahendo ad se humores non purgant: vt est, *piper, nasturtium, sinapi, zingiber, pyrethrum*, & id genus alia. Præterea si caloris ratione medicamenta purgantia traherent, concedendum esset, ea nullos certos, sed quosuis sibi obuios trahere humores. Nā calor quicquid sibi occurrit, & vt trahat magis idoneū est, ad se allicit. Purgans autē medicamentum, quum in corpus assumtum fuerit, vt *lib. 1. de hu-*
E *mana natura testatur Hippocrates*, primum eum humorem, ὃ ἂν αὐτῷ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ, id est, qui maxime sibi secundum naturam & cognatus est, deinde reliquos quoque trahit & purgat. Sic certe medicamentum pituitam purgans: Primum pituitam trahit longius etiam distantem, dimissa ac pręterita interim flaua bile. Denique si calor tractionis medicamentorum caussa esset, concedendum foret id magis ceteris trahere & purgare, quod calidius esset: id quod tamen manifestissime falsum esse constat. Quippe Colocynthis & Elaterium validissime trahunt & purgant, quum tamen minus quam Sinapi aut Nasturtium sint calida. Non etiam vrget Puteani argumentum, quo colligere nititur, calorem caussam esse tractionis medicamētorum, propterea, quod omnia medicamenta purgantia sint calida. Est enim hic fallacia cōsequentis, vt *Dialectici appellant*. Per-
F inde enim est, ac si ita quis colligeret: *Omnes homines sensu tactus sunt præditi, Asini sensu tactus donati sunt, igitur asini sunt homines*. Quum itaq; hoc modo Puteanus colligit, omnia trahentia sunt calida, medicamenta purgantia omnia sunt calida, igitur medicamenta purgantia trahunt: cōsequentiam negamus, propterea, quod hac ratione in secunda figura ex puris, vt loquuntur Dialectici, affirmatiuis nihil sequatur. Ceterū non negamus

Coloss. 2.

Purgantium medicamentorum actio non a primis vel secundis qualitatibus dependet.

Aphor. 32.

Calor tractionem medicamentorũ iuuat.

tamẽ calorem ad attractionem aliquid conferre, non tñ vt primum efficiens, sed vt adiuuans tm̃, & validiorem tractionẽ reddens. Atq; huc videtur respexisse Galenus, dum *lib. 3. de simp. medic. facul. cap. 25.* scribit: *Cnicum calore suo quam pituitam valentiorem esse, vt trahere quam trahi magis par sit.* Siquidem caloris perpetuo proprium est vt attrahat, sed non hoc magis quam illud: totius autem substãtiæ, seu occultæ proprietatis, aut virtutis formæ, vt attrahat hoc magis quam illud. Proinde vniuersalis, vt ita dicam, tractio a calore, particularis huius vel illius humoris, a tota substantia, vel a formę virtute perficitur. Formæ autem virtutem nõ appellamus, nisi illam occultam seu indicibilem proprietatem, quæ totam essentiam, vel, vt Philosophi loquuntur, formæ essentiam sequitur. Nam & Themistius insitam rei proprietatẽ esse definit quippiam, quod rei substantia ex se profert, & tanquam de suo sinu promit, atq; ab illa dimanat. Occultæ igitur dicuntur, nõ q̃ omnino a nobis percipi & comprehendi nequeant, vt nonnulli cẽsent, quandoquidem eas experientia deprehendi constet, sed quod gustu, aut ratione monstrari & cognosci haud possint. Quapropter vt tandem dicendi finem faciamus, medicamenta purgantia medio quasi ordine inter alimenta & deleteria dicta consederunt, q̃ neq; vt alimenta in nostram substantiam conuertantur, neq; hanc prorsus corrumpant. Extremorum igitur naturam participant, quod partim nobis similia, partim dissimilia sint. Atq; dum nec vinci omnino, neque vincere possint, inimica dissimilitudine velut per seditionem exiguntur & exterminantur, secum interim similitudinis necessitudine eum humorem abducentia, cum quo illis maior est affinitas, amicitia, seu familiaritas. Quęcunq; autem ab iis in alimẽtorum extremũ latusue propius accesserunt, qualia sunt, quæ benigna vocantur, ea si suo purgandi fine quauis occasione frustrent̃, in humorẽ, ad quẽ educẽdum apta erant, conuertuntur, ceduntque nonnunquam in alimentum corpori. Quę vero a medio in latus deleteriorum magis declinant, quod genus sunt vehemẽtiora, si quando purgandi finem nõ assequuntur, corpori grauiter incommodant, quemadmodum fusius *lib. 3. de simpl. med. facul. cap. 24. & 26.* Galenus docet. Ceterum quum in medicamentorum simpliciũ numero, quæ per excellentiam purgantia nominantur, quædã, vt iam diximus, benigna sint, ac blande, quiete, suauiter, ac sine molestia humores noxios, non quidẽ totius corporis, sed quarundam duntaxat partiũ vacuent, aluumq; subducãt, atq; ob id barbaris ac recentiorib. benedicta vocentur: quædã vero vehementia, & non citra molestiam & laboriose humores totius corporis noxios purgantia, ideoq; maligna nominentur, de omnibus particulatim disseremus; a leuioribus ac benignis orsi.

Formæ virtus quid.

Purgantiũ actio vt perficitur.

Medicamẽta purgantia benigna.

Vehementiora.

De casia nigra. CAP. LXXV.

Forma.

CAsia nigra recentioribus Græcis, Arabibus *fistularis fistulaue* appellata, magna & procera est arbor in India, & Ægypto nascẽs, folio Iuglandis, ordine, *vt in Fraxino*, disposito, fructu siliquaue oblonga, tereti, vtrinque fastigiata, intus fistulosa, concretum intus humorem continens nigrum, gustu prædulci, sed plane medicato non vna coalescentem serie continuitateue, sed ex interuallis, ligneis tenuibusq; membranis interuenientibus septum, seminalibus ossibus specie & figura non dissimilibus iis, quæ siliqua priuatim dicta profert. Hæc veteribus Græcis plane incognita, recentiorib. autem, Actuario præsertim, notissima fuit. Deligenda ponderosa, collucens, perplena, quam si concusseris, inclusa intus grana seminaue non obstrepunt. Refrigerare Græci recentiores eam calores iecoris intemperatos, calidamq; & humectam primo ordine, perhibent. Flauam bilem, sed magis retorridam, & quæ iam fere in atram degenerat bilem, suauiter & citra molestiam, quod eius vis ventriculum non pertranseat, hæc ipsa expurgat. Quin etiam pituitam mediocriter educit. Datur iis audenter ac intrepide, qui ob teneram ætatem, aut aliam quamuis caussam deiicientia aluum medicamẽta respuunt. Præbetur pueris & fœminis vterum ferentibus commoditate & necessitate quadam vrgente, quibus validius aliud medicamentum sumere denegatum est. Item iis, quibus exsuperans febris reliquorum medicamentorum vsus aspernatur. Casia quidem tribus aut quatuor drachmis sumta vix mouet aluum. Datur itaque a semiuncia ad vnciam vnam, si per os sumatur. In clysteribus ab vncia vna ad duas vsque exhiberi potest.

Delectus. Temperamentum. Facultas.

Pondus.

De Manna. CAP. LXXVI.

M*Anna* Mauritanis, Arabibus, & Græcis recentioribus dicta, proxima est natura, atqui imbecillior, quare merito secũdum sibi a Casia locum arrogat. Hanc Galenus

A nus *Melaerium* & *roscidum* vocat. Siquidem tanquam ros e cœlo cadit, vbi halitus e terra & aquis prodeuntes, solis calore sublati, ac deinde exacte extenuati ac cocti, a frigore noctis in vnum coguntur & densantur, atque in mellitos grumos coit, Manna herbarum & arborum foliis inhærens. Sunt quibus *ros Syriacus*, & *Lybani* appelletur. Vergiliarum autem exortu, vel Syrio splendente, sublucanis temporibus venit, siue sit cœli sudor, siue purgantis se aeris succus, siue aquæ, siue naturæ liquor. Optima censetur, quæ recens est, splendens, candicans, & in purissimos grumos concreta, gustu melleam præ se ferens dulcedinem, nullis surculis aut foliolis implicata. Ceterum huic recentiores Græci eandem, quam Casiæ nigræ, tum temperaturam, tum vim tribuunt. Nam aluum deuorata, vel hausta ciet, tamen imbecilliter. Ideoque tum fœminis vtero gerentibus, B tum pueris ipsis tuto semper exhiberi potest. Aliis medicamentis addita, vires eorum auget. Ceterum bilem quoq; flauam simplici ratione pellit. Datur iisdem quibus *Casia nigra*. Maiori pōdere, quam Casia sumitur. Datur enim ab vncia vna ad vncias tres. Mesue tamen intra sescunciam consistit. Leuem certe, aut fere nullam, nisi magna quantitate sumatur, soluendi aluumq; subducendi vim habet. Quod iis compertū est, qui iuxta Libanum fuerunt. Nam referunt indigenas eius montis, quum abunde eo satientur, nihil tamen lædi, nec aluum sibi quoquo pacto subduci sentire, sed eo tanquam obsonio nutriri. Quod partim consuetudini acceptum referendum erit, quę facit vt ea, quæ medicamenti rationem habeant, fiant naturalia, quemadmodum anus Atheniensis exemplum, quod a Galeno *lib. 3. simp. cap. 18.* refertur, abunde docet. Quapropter quum melli C quodam modo similem facultatem habere constet, facile ea carere, maxime, dum infimæ sortis hominibus, nec admodum abundantib. medemur, liceret, modo peregrinorum admiratione, non ita duceremur, neq; stulti, contemtis nostratib. e longinquis regionib. allatis vti potius, quā iis, quę nostris in hortis proueniunt mallemus. Sed stultitię nostræ, temere sumtus immodicos facientes condignas damus pœnas. Ad principū aūt & diuitum curationem adhibere Mannam nemo prohibet, modo sit optima, & nō exsoleta. Quæ autem a me de manna dicta sunt, non ita intelligi volo, quasi prorsus eam a Medicorum vsu, veluti Matthiolus sinistre interpretatur, exclusam velim. Fieri enim potest, vt indigenis Libani montis, ob frequentem vsum, aluum non deiiciat, sed fere in alimenti naturam abeat, perinde atq; Cicuta anui Atheniensi, cuius Galen. *lib. 3. de med.* D *fac. cap. 18.* meminit, quæ ex consuetudine paulatim inducta, nihil nocuit, eiq; naturalis facta est. Verum quum Manna, non nisi magna quantitate sumta, nempe, vt ipse fatetur Matthiolus, duarum & semis vnciarum, aluum moueat, & sumtuosum sit medicamentum, hac loquendi ratione Medicos admonere volui, ne illa tam frequenter, præsertim in tenuioris fortunæ hominib. quum Casiæ nigræ copiam haberent, cui Græci recētiores eandem vim assignant. Quæ mihi hoc loco dicēda fuerunt, vt Matthioli cauillationes retunderē, & ne quis peregrinorū medicamentorū vsum penitus damnare putaret.

Li 3 alim. Melaeriū. Ros Syriacus. Delectus. Facultas. Pondus.

De Oxyphœnice. Cap. LXXVII.

Ὀξυφοίνιξ Actuario, Nicolao, & aliis recentioribus Gręcis (nam e veterib. nemo quicquam de eo memorię prodidit) ab acido sapore dictus, syluestris palmæ fructus est. E Hæc autem arbor est fronde saligna virens, pomo pruni figura, osse duro, nucleo intus exili, carne foris copiosa, colore e nigro in luteum languescente. Officinæ Medicorum a barbaris edoctæ Thamar Indum, id est, palmulam Indicā nominat̄. Plurimus n. apud Indos nascitur, qui palmulam sua lingua Thamar vocare consueuerunt. Ex iis, quæ ad nos importantur, nulli vel pauci admodum integri reperiuntur. Nam plerunq; contriti, & in massam quandam compacti deferuntur, quam si disieceris, flauos nucleos inuenies, varias formas referentes. Hincq; adeo fit, vt hodie nō per numeros, vt alii fructus, sed potius per pondera medicamentis indantur. Probatur recēs, pinguis, acido sapore, subniger, lucidus, tener, non exsuctus vetustate. Algentis naturæ est, & vt Actuar. scriptum reliquit, in 2. ordine refrigerat & humectat. Contra flauam bilem pollet. Nihil e- F nim huius impetus æque domat, præter Rheon Indicum. Arquatis auxiliatur, sitim restinguit, dolorib. capitis remedio est, noxios humores, qui in ventriculo coierunt, deiicit, appetentiam inuitat, cibi fastidium abigit, nauseas & vomitus sedat. Insaniam ac furorem mulcet. Tertianis febrib. correptos cum Rheo & Casia nigra, prorsus liberat. Ardentib. quoq; medetur. Noxas omnes a calore natas mitigat, destillationesq; quas bi-

Palmæ syluestris. Thamar Indus. Delectus. Tēperamentum. Facultas.

Pondus. lis feruor excitauit, inhibet. Dandi pondus Actuario & aliis posteriorib. Græcis est vncia vna. Mesue eo, quod leuiter purgat, ab vnciis duab. ad quinq; propinari posse censet. A

De Myrobalanis. CAP. LXXVIII.

Forma. Genera. MYrobalani, veterib. Græcis & Latinis indicti, Actuar. teste, fructus sunt nobiles, mediocriter & citra noxam aluum cientes, qui ex Ægypto Syriaq; deportantur, callo corporis compactili, osse intus lignoso. Hos sane in quinque genera discernunt, quæ non modo effectu differre obseruarunt, sed & alia aliis gigni arboribus. Quidam enim Flaui. flaui seu lutei, eo quod herbaceo colore flauescant, vocantur, oblongi, spissi, ponderosi, Nigri, siue Indici. exili nucleo, cute crassa. Seplasiæ hodie *Citrinos* appellant. Alii sunt, quos a colore cœruleo & in nigrum vergente nigros nominant, solidi, ponderosi, sine nucleis, oliuæ forma. Officinæ *Indos* siue *Indicos* vocant. Cepuli. Nonnulli *Cepuli* vocantur, subnigri siue ex fusco rubescentes, quo maiores, eo meliores, carnosi, ob id etiam graues, vt aqua mergantur, pingues, ampli, & semidigitales, *Chebulos* Seplasiæ nominant. B Quarti generis *Myrobalani Empelitici*, vel, vt alii nominant, *Empelici* dicuntur, Empelitici. lapillorum pene figura, cute ossibus hærente paruis, colore in cinereum languente. Hi tamen non integri, sed in fragmenta dissoluti ac fracti ad nos perferuntur. Officinæ *Emblichos* nuncupant. Quinti generis Beletzici. *Beletzici* vel *Bellerici* appellantur, eadem quasi forma, qua Empelitici, maiores tamen, & Temperamentum. instar pyramidis rotundi. Seplasiæ *Belliricos* nominant. Temperamento sunt in primo Facultas. recessu frigidi, in altero vero sicci, ex Arabum, Mesues præsertim, traditione. Generatim cor, stomachum, ventriculum, iecur, & intestina sua adstrictione roborant & firmant, sed vsti multo magis, & eloti. Qua de caussa ignem & aquam experti, magnam C purgantis facultatis iacturam faciunt, quod tenuioribus & siccioribus constent particulis. Horum etiam vsus ætatem conseruat integram, adeoque senectutem remoratur, cutis colorem commendant, halitus præstant suauitatem, mentem exhilarant: & tristitiam abigunt. Purgant ventriculum quisque pro sua, quæ illi insita est, proprietate. In quibus itaque decumbens fluxio partem aliquam male habet, aut intestina exulcerat, hos vstos & elotos adhibemus, & mediocriter aluum subducunt. Priuatim vero tria Flauorũ. prima eorundem genera capitis superuacuum humorem educunt, sed flaui, bilem fla- Nigrorũ. uam, nigri atram, cepuli pituitam detrahunt. Flaui præterea corporis æstus refrigerant, Cepulorũ accensamq; bilem deiiciunt. Nigri tristitiam discutiunt, quartanas & tremulos sanant, lepras purgant, & corporis bonum restituunt colorem. Cepuli aciem oculorum illu- D strant, thoracem repurgant, coctiones iuuant, aquæ inter cutem, & longis febrib. auxi- Empeliticorum. liantur. Empelitici pituitam trahunt, prosunt neruis & lethargicis, mentis aciem exa- Beletzicorum. cuunt, ventriculum purgãt, cardiacis succurrunt affectibus, sitim sedant, fastidia discutiunt, comprimunt vomitus. Beletzici eiusdẽ quasi naturæ sunt, cuius Empelitici. Medentur autem peculiariter purulẽtis exscreationibus, venis sedis, hęmorrhoidas vocãt, sanguinem profundentib. capillorum defluuio, quos etiam denigrare tradũt, ex amygdalino oleo & melle triti. Ceterum non prætereundum nobis hoc loco erit, quod recte Myrobalani obstructiones pariunt. Arabes monuerũt, Myrobalanos in vniuersum omnes promte obstructiones excitare, idq; ob adstrictoriam, quam obtinẽt facultatem. Quare laborantib. obstructione per se temere exhibendi non sunt, sed adiicienda illis medicamenta, quæ obstructiones sol- E Pondus. uere, adeoque adstrictoriæ eorundem facultati resistere possunt. *Flauorum* pondus est, si in substantia propinentur, a drachmis duabus ad quatuor. Maceratorum a drachmis tribus ad decem. *Nigrorum* in substantia a drachmis duabus ad semiunciam. Infusorum a semiuncia ad vnciam vnam & dimidiam, si per se sumantur. Idem est pondus *Cepulorum, Empeliticorum, & Beletzicorum*. Puteani opinio cõfutata. Atqui hic etiam, vt Puteani dogma explodamus necesse est, qui Arabes Myrobalanis pro purgantibus medicamentis non recte vsos esse, ac falso singulis horum generibus succos sibi proprios attrahendi facultatem eosdem tribuisse contendit. Nam, ait, *quum omnes frigidi, sicci, & adstringentes sint, adeoque vasa obstruant, fieri non potest, quaque facultate iam dicta, vt humores a iecore, vel membris ventriculo vicinis meatibus, comprimendo obstructis, atque occlusis, myrobalani ad ventriculum trahant, attractosque deiiciant.* F Non videt autem principio Puteanus, non solum Arabes, sed & recentiores Græcos, & inter hos magnæ auctoritatis & doctrinæ virum Actuarium, idem de Myrobalanis, quod Arabes, & quidẽ ante illos, tradidisse. Dein quod illi vnanimi consensu literis mandarũt, posteriorũ quoq; Medicorũ experientia comprobatũ est. Præterea

A terea præ studio serendi noui dogmatis, parum quid dicat Puteanus animaduertit. Nam ratio illius procederet, si Myrobalani præter eas, quas recēset, nullam aliam, quam ipse illis impudenter & non citra mendacium adimit, haberent facultatem. Habent autem purgandi facultatem, quod tum Græci recentiores, tum Arabes testantur, & quotidiana eorum, qui medicinam faciunt, experientia confirmat. Hanc quum pro suo somnio, quod supra abunde confutauimus, ad calorem, qui in Myrobalanis nullus est, referre non possit, vt illis a tota substantia, inuitus etiam fateatur, insit necesse est. Quod itaque purgant Myrobalani, Græci recentiores & Arabes non manifestis qualitatibus, sed occultæ potius ipsorum proprietati, quæ a tota eorundem substantia dimanat, acceptum ferunt. Et quum semper facultates illæ, quæ a tota substantia rebus insunt, iis,

B quæ a qualitatibus prodeant manifestis, sint superiores, & primo suas exserant actiones, nihil mirum purgandi facultatem Myrobalanorum reliquas, quæ illis etiam insunt, anteuertere. Et quidem Puteanus fatetur adstrictionem Rhabarbari ab amaritudine, tanquam maiori ac vehementiori, superari. Vt autem amaritudo veluti vehementior in Rhabarbaro vincit adstrictionem, ita vtrasque purgandi eius facultas superet necesse est. Hinc est, quod Rhabarbarum postquam purgandi facultatem, tanquam ceteris superiorem exseruit, tādem etiam & postremo adstrictoriam suam facultatem ostendat, ventriculum & intestina roborando. Idem etiam in Myrobalanis accidit. Quare recte Mesuæ filius horum decoctum promtius & valentius obstruere scribit, quam macerationem. Nam decoctum elicit etiam portionem substantiæ earundem terream & ad-

C stringentem, quæ purgatricem frangit: maceratio autem, tantum purgatricem. Quapropter Baptista Montanus perperam hoc loci Mesuen erroris insimulat, & decoctum Myrobalanorum magis, quam infusionem purgare contendit, quod scilicet, si Diis placet, purgandi suam vim in crassioribus & terreis partibus, quandoquidem comprimendo purgent, habeant. Si enim ideo purgant Myrobalani, quod adstringendo & comprimendo soluunt, cydonia certe inter purgantia numerabuntur: quæ itidem a cibo sumta aluum subducere, Galeno etiam teste, possunt. Verum quum hoc ex accidenti efficiant, & non per se, inter purgantia numerari non debent, quod omnia hæc per se, & sua purgandi facultate aluum deiiciunt. Quare Puteanus merito recentiores erroris notat, quod ea, quæ comprimendo tantum aluum soluunt, in purgantium numerum

D adsciuerit. Errat autem & ipse, quod Myrobalanos hac etiam ratione aluum deiicere putat, quum non sua compressoria seu adstrictoria, sed potius purgatrice, quæ illi a tota substantia inest, facultate id præstent. Sed vt Montani errorem plenius detegamus, & Myrobalanorum vim purgatricem non inesse crassioribus ac terreis eorundem partib. ostendamus, sciendum erit, Montanum sibi ipsi ex diametro pugnare, quum in cap. de torrefactione scribit, ad fluores alui Myrobalanos torrefactos esse adhibendos. Quippe si tenues partes ex torrefactione exhalant, vt ipse etiam fatetur, crassiores vero ac terreę remanent, inque iisdem, vt idem contendit, purgandi facultas Myrobalanorum inest, igitur torrefactos Myrobalanos magis purgare, quam non tostos fateatur necesse est. Si autem magis purgant, igitur ad compescendum alui fluorem inutiles sunt. Hinc itaque

E perspicuum euadit, purgandi facultatem Myrobalanorum non adstrictioni, sed potius toti eorundem substantię tribuendam esse. Falsum igitur est dogma eorum, qui hos cōprimendo purgare asserunt. Repudiandum quoque furiosum Puteani consilium, qui omnia Myrobalanorum genera a Medicorum praxi, ac Pharmacopolarum officinis prorsus esse eiicienda suadet, non solum, quia magnas obstructiones toti corpori humano afferunt, *vt ipsi quoque Arabes confitentur*: verumetiam, quia, *vt quodam in loco scribit Fuliginas Medicus*, nulla eorum species non cariosa, prorsusque corrupta ad nos defertur. Quod enim obstructiones pariunt, id post expletam purgationem faciunt, ideoque in obstructionibus, quod paulo ante diximus, non exhibendi Myrobalani, aut illis permiscenda, quæ obstructiones soluunt. Optandum denique esset, vt recentes haberemus:

F verum quum loca, vnde afferuntur, longius a nobis distent, aridiorib. vtamur oportet, eorundem pondera augentes.

De sena. Cap. LXXIX.

SEna siue seno posterioribus tantum Græcis nota fuit. Abunde autem nobis *in tertio de stirp. histor. tomo* descripta est, vt non sit opus hic eius integram texere historiam. V-

sus foliorum, & siliquarum eiusdem, quos folliculos vocant, exsistit. Efficaciores autem sunt, Mesue auctore, siliquæ, quæ scil. ante maturitatem demetiuntur. Sunt enim Senæ folliculi duum generum. *Alterum* per se caducum, & in stirpe arefactum, a quo semen eximitur nigrum, & prorsus fere euanidum. *Alterum* vero, quod ante maturitatem demetitur, crassum, ponderosum, succo prægnans, & tegetibus expansum siccatur. Primum genus, quo officinæ scatent, non modo minorem foliis vim deiectoriam habet, sed propemodum nullam. Alteri non minor, quam foliis aluum deiiciendi vis inest. Citra noxam, *vt Actuarius auctor est*, purgant trahuntue pituitam & bilem. Reliquos humores modestissime purgat, retorridam atramq; bilem, earumque suffusiones ex gallinaceo iure depellunt. Vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, impetigini succurrunt. Verum decoctum eorum potius quam farinam propinat. Mesue scribit tergere, discutere, citra molestiam melancholiam & bilem torridam purgare, a cerebro, sensoriis, pulmone, corde, iecore, & liene, corpus efficere floridum, obstructionesque viscerum soluere, aliaque posse, quæ apud illum legere quiuis potest. Ceterum pulueris pondus drachma vna. Decocti semiuncia, aut drachmæ quinque. Quidā ad vnciam vnam vsque progrediuntur. In Guaiaci decoctione nonnulli adiiciunt semiunciam de ea, & interdum vnciam cum dimidia. Multis tormina concitat, aliis est clemens, pro varia sumentium natura. Infrenatur eius malitia adiectione mastiches, vel caryophyllorum.

(Facultas. Pondus.)

De Polypodio. CAP. LXXX.

POlypodii historia itidem alibi a nobis est conscripta. Radicis eius tantum vsus est. Laudatur solidum, nodis plenum, & foris nigrescens, intus pistaciorum virorem referens. Actuarius & alii posteriores Græci melancholici humoris purgandi vim ei tribuunt, ideoque melancholicis affectibus mirabiliter confert. Dioscorides bilem & pituitam trahere literis mandauit. Dantur purgatæ radices drachmæ duæ, affusa aqua mulsa. Mesue de ea exhibendum censet a drachmis duabus vsq; ad sex. Nostri eius malitiam infrenandam esse tradunt odoratis, semine nimirum anisi, zingibere, caryophyllis, & cinamomo, idque Mesues auctoritate moti, nullo veterum exemplo.

(Facultas. Pondus. Infrenantia.)

De Epithymo. CAP. LXXXI.

QVid sit tum Græcis, tum Arabibus, Epithymum, supra, quum de floribus ageremus, est expositum. Vis Epithymi est, vt atram euocet bilem. Vitiis flatu turgentibus & hypochondriorum noxis opitulatur, & quibus iecur aggrauatur, & qui spirandi difficultate laborant. Obstructionem lienis, & morbos inde ortos sanat, item quartanam, lepram, & vlcera ab atra bile pronata. Datur, *Actuario auctore*, adultis tusum & cribro excusum scrupulorum quinq; pondere, cum decocto vuarum passarum purgatarum, vel aceto mulso, & salis pauxillo. Dioscorides pondere quatuor drachmarum in sero lactis, aut mulsa ad melancholicū purgandum humorem exhibēdum esse docet. Æginetaad quinq; progressus est drachmas. Mesue nimis audaculus, a tribus drachmis ad septem vsque transit. Sed præstat intra cōsistere, & raro vltra quinq; drachmas propinare.

(Vis. Pondus.)

De Aloe. CAP. LXXXII.

ALoes historiam alibi narrauimus. In præsentia ea tantum, quæ ad institutum nostrum pertinere videntur, attingemus, e quorum numero delectus est. Aloe itaque optima censetur pinguis, nitida, splendida, sincera, calculorum expers, & sine arenis, subfului aut rufi coloris, friabilis, iecoris modo coacta, facile liquescens siue humescēs, odorata, & eximiæ amaritudinis. Non est autem, nisi succus herbæ semper virentis. Et sunt eius duo genera. Primum est id, cuius iam notas ordine percensuimus. Hanc aloen Medici & Pharmacopœi hodie *succotrinam* decurtata voce, quum illis *succocitrinam* dicendum esset, appellant. Alterum eius genus arenosum est, purissimæ quasi sedimentum, veterinariis tantum dicatum, ac solis mulo Medicis vsurpatum, & propterea *Caballinum* officinis dictum. Hæc nigra, obscura, fæci simillima, odore tetro, & arenosa, ideoque omnium vilissima. Porro aloe non totum corpus vacuat, sed insidentem stomacho ventriculo, & intestinis bilem, cum inhærentibus inibi excrementis, citra noxam exigit. Danda est iis potissimum, qui capitis afficiuntur molestia, propter frequentes ex vētriculo sursum latas exhalationes. Præbenda quoq; iis, qui ob eandem caussam oculorum suffusionibus laborant, nec non iis quibus lingua & os facile resiccantur. Verū hic nobis obgannit Puteanus, & aloen nō recte a nobis aliisq; Medicis inter ea medicamen-

(Delectus. Genera. Succotrinum. Caballinum.)

A camenta, quæ à totius ſubſtantiæ proprietate humores ſibi familiares trahunt & purgant, connumerari inquit. Nam quum aloes vis purgatoria, *Gal. lib. 8. de Comp. med. local. teſte*, iecoris regionem non tranſcendat, adeoque a toto corpore haud trahat, fieri non poteſt, vt inter purgantia medicamenta numeretur. Quaſi vero a ſpecie ad genus negatiue ductum argumentum valeat. Vt enim non recte ita colligitur, *aſinus non eſt homo*, igitur *aſinus non eſt animal*: ita quoq; haud ſequitur, *aloe non eſt totius corporis purgatoria*, igitur *aloe non eſt purgatoria*. Nam fatemur quidem cum Galeno, aloen non purgare totum corpus, atqui nihilominus tamen purgatoriam eſſe affirmamus, q, nimirum peculiares ſibi trahendo humores, eoſdem per aluum deiiciat. Sic enim per excellentiam purgatoria medicamenta Galenus deſcribit. Quo nomine factum eſt, vt Actuarius *Aloen*, *caſiam nigram*, *mirobalanos*, *& oxyphœnica* inter vere purgantia, hoc eſt, ea, quæ proprium & determinatum, vt ita dicam, humorem trahunt, numerarit, non obſtante; quod totum corpus non purgent. Purgant autem hæc omnia a tota ſubſtantia. Neque enim Aloe abſtergendo, neque Caſia lubricando, neque Mirobalani cōprimendo, *vt iuniores putant*, *& nos paulo ante oſtendimus*, purgant, alias omnia abſtergētia, lubricantia, & cōprimentia purgarent, quod abſurditate haud vacaret maxima: ſed ineſt illis vis certum, quendam humorem attrahendi, propter quam merito purgantia nominantur. Quum autem duplicia ſint purgantia, leuia nimirum & vehementia, quæ hactenus numerauimus, non totum corpus, ſed aliquas duntaxat partes purgant. Aloen autem eſſe purgatoriam, & trahere familiaritate ſubſtantiæ, in peculiari apologia noſtra aduerſus Puteanum hunc ſcripta abunde oſtendimus, vt non ſit neceſſe, idipſum hoc in loco lōgius tractare. Nobiſcum quoq; ſentit Ioannes Baptiſta Montanus, vir apprime doctus, & cuius vmbram Puteanus non aſſequetur vnquam, omnes denique quotquot olim, & hodie inter celebres habiti ſunt Medici. Sed quam parum ſuæ cauſſæ fidat Puteanus, vel hinc conſpicitur, quod nomen meum in egregio illo ſuo libello exprimere metuerit, *inſignē ætatis noſtræ Medicum* me appellans, qui tamen magno ſtudioſorū omnium malo publice profiteat. Ego vero Puteane putide id flagitium, cuius me mendaciter inſimulas, in te potius torquendum eſſe exiſtimo, vt qui nouas & prodigioſas feras opiniones, & vel ambitione, vel malitia corrumpas & deprau es, quæ a veteribus recte tradita ſunt, & plurimos tuis ſcriptis, falſaq; doctrina ſeducas, vel ſaltem in dubitationem rapias. Ego cōtra nullas fingo nouas & monſtroſas opiniones, ſed veterum ac probatiſſimorum virorum conſenſum amplector, eorumque ſcripta quam poſſum fideliſſime enarro, neminemq; ſciens ſeduco. Lubens prætereo alia, quæ quaſi ridens profert Puteanus, quod ſcurrilia ſint, & indigna quibus reſpondeam. Porro quum omnia reliqua, quæ ventrē deiiciunt medicamenta, ventriculo negotium faceſſant, ſola vero aloe ipſum iuuans potius confirmat, ideo medicamentis quæ malitiam eius, quam nullam obtinet, refrenent, emendent, & frangant, non indiget. Hinc eſt, quod Dioſcorides etiam teſtetur, hanc aliis purgantibus medicamentis admiſtam præſtare, vt minus ſtomachum infeſtent. Impugnat autem & hoc Puteanus, ſed nullius momenti argumentis, quæ plus ſatis in Apologia noſtra aduerſus ipſum conſcripta confutauimus: Quibus in præſentia quod addam nihil habeo, niſi quod dicam aloen nō ſolum propter manifeſtam aliquam qualitatem, nempe adſtrictionem, ſtomacho eſſe gratam, ſed & proprietate quadam latente. Nam niſi id fateamur, nulla ſubeſt cauſſa, cur addita ceteris purgatoriis, vt minus infeſtēt ſtomachum, efficere poſſit. Neq; etiam, vt id affirmemus, abſurdum erit, quum in cōfeſſo ſit abſinthium iecori, capparim lieni eadem ratione grata eſſe. Simili ratione Eupatorium iecur, & Scolopendrium lienem iuuat. Neq; enim Puteanus hic ad ſuā rationem cōfugere poteſt, qua oſtendere conatur, aloen ebilitare magis ſtomachum quam roborare, quod plus in ea ſit amaræ detergentis, & expurgantis, quæ ventriculum debilitat, quam adſtringentis, quæ eundem roborat. Nam in Eupatorio etiam incidendi & detergendi facultas, adſtrictoriam vincit. In Cappare quoque ſuperior eſt qualitas amara, & acris, inferior autem acerba, & tamen nihilo minus vtrumq; medicamentum roborandi facultatem obtinet, hoc lienis, illud iecoris. Quapropter non ſolum manifeſtæ qualitati id acceptum ferendum, ſed & latenti proprietati, quæ a tota horum ſubſtantia manat. Ceterum datur aloe pondere drachmarum duarum, Actuario atteſtante, ex aqua mulſa. Cuius ſententiæ Aetius, & inter Arabes Meſue ſubſcribit.

Marginalia: Puteani opinio exploſa. — Io. Baptiſta Montanus. — Purgantiū medicamētorum ſola aloe ventriculum confirmat. — Pondus.

(Section letters in margin: B, C, D, E, F)

A

De Cnico. CAP. LXXXIII.

Delectus. Facultas. Pondus.

QVi *Cnicus & Cnecos* Græcis vocatur, Latinis *Cartamus* dicitur. Eius historiam *tomo altero nostrorum de Stirp. historia Commentariorum* exarauimus. Semen eius, quod candidum est, planum seu læue, & plenum, pituitam per ventrem vacuat. Actuarius seminis triti drachmas tres in gallinacei decocti ius, vel ptisanæ cremorem indendum, colatumque bibendum esse præcipit. Sunt qui, eodem teste, seminis pulpam, drachmæ pondere cum amygdalis, aniso, & melle cocto misceãt, & in catapotia cogant, & arquatis commode præbeant: id quod mitius habetur. De Mesues sententia semẽ hoc datur a drachmis quatuor ad aureos quinque, seu ab vncia dimidia ad drachmas sex. Flos eius a drachma vna ad aureos duos exhibitus, idem potest. B

De Rha seu Rheo. CAP. LXXXIIII.

Rha seu Rheum duplex. Veterum.

POsterioribus Græcis, *Actuario præsertim & Nicolao Myrepso*, duplex est Rha seu Rheum. Vnum, quod veteribus, Dioscoridi, Galeno, & Plinio cognitum fuit, radix est foris nigra, sed crocum aliquo pacto, dum manditur, referẽs, Centaurio similis, sed paulo minor, & rufior, sine odore, laxa & leuis, gustu leniter adstringens. Affertur ex iis, quæ supra Põtum sunt, regionibus, vbi Bosphorus & Rha fluuius, qui huic radici nomen dedit: Dioscoridi ῥᾶ, καὶ ῥῆον, vt etiam Galeno, dicitur. Idem interdum cum adiectione ῥέον ποντικὸν, id est, *Rheum ponticum* appellatur. Vsus est iisdem nomenclaturis Paulus. Interdum etiam, perinde atque Actuarius, ῥίζαν ποντικὴν, hoc est, *radicem ponticam* vocat. Plinius *Rhacoma*. Celsus *radicem ponticam* nominat.

Rha veterũ purgandi facultate caruit.

Hoc Rha veterum purgandi facultate destitutum fuit: quod hinc primum fit manifestum, quia nemo veterum Græcorum, aut Latinorum illi vnquam purgandi vim inesse literis mandauit. C Imo inter Arabes Serapio & Auicenna Rheubarbari historiam tractantes, nullius prorsus purgandi facultatis, quæ illi inesset, meminerunt. Præterea si purgandi facultas medicamentis a tota substantia inest, vt, vno demto Puteano, omnes tum veteres, tum recẽtiores Medici fatentur, & nos supra demonstrauimus, vt reliquis omnibus, quæ a manifestis prodeunt qualitatibus, superior ac validior sit necesse est. Si vero est validior, omnesque alias superat, ac talis in Rha veterum fuit, fieri certe non potuit, quin illam veteres, qui crebro Rhapontico hoc vsi sunt, aliquoties deprehẽderint. Non aũt deprehẽdisse, hinc omnibus perspicuum euadit, quod illius nullo vnquam in loco mentionẽ fecerunt. D Quomodo enim hanc in solo Rhapontico silentio transirent, quam in ceteris omnibus, magna diligentia posteris memoriæ prodiderunt. Nullam vero fuisse purgandi facultatem in Rhapontico, Dioscorides omniũ maxime ostendit, qui disertis verbis in Rhapontico, ἀνωτάτην δύναμιν εἶναι στυπτικήν, hoc est, *supremam & maximam esse adstrictoriam facultatem*, asserit. Si itaq; ceteris omnibus superior est adstrictoria, igitur nullam in eo fuisse purgatoriam fateamur oportet. Nam si in ea fuisset, reliquas omnes, adeoq; etiam adstrictionẽ, tanquam ea, quæ a tota substãtia diminat, superasset, ac primũ omnium se exseruisset.

Rheipontici succedaneum.

Porro nullam prorsus habuisse *Rha* veterum purgatoriam facultatem, ex eius quoq; succedaneo omnibus conspicuum euadit. Siquidẽ pro eo Centaurio magno vsi sunt veteres. Quod in suo libello περὶ ἀντιβαλλομένων inscripto Galenus testatur, ita scribens, ἀντὶ ῥέου, κενταύρειον, id est, *pro Rheo Centaurium vsurpandum*. E Nemo autem veterum vnquam fuit, qui Centaurio purgatoriam inesse facultatem scripsisset.

Cur Cẽtaurii magni radix Rheipõtici nomen hodie in officinis retineat.

Atq; hinc palam fit omnibus, cur *Centaurii magni radix, Rhei pontici appellationẽ hodie in officinis Medicorum retineat*. Nulla profecto alia de caussa, quam quod tum, postquam in veri Rheipontici penuria Medici eius succedaneo Centaurii magni radice vti cœpissent: quæ Rheopontico, Dioscoride auctore, forma & facultate similis est: sensim e Medicorum cognitione verũ rheumponticum abierit, donec eo tãdem ventum sit, vt quum prorsus iam ex illorũ notitia ipsum excidisset, eius succedaneum, verum esse Rheumponticum crederent, adeoq; eius nomen in Centaurii magni radicem transferrent, quod etiam hodie retinet. Deniq; non habere veterum Rheum purgatoriam facultatem, ex Nicolao etiã Myrepso satis liquet, qui pro eo nõ solum Centaurio maiore, sed & symphyti radice vtendum esse docet. F In nominum enim quorundam, quib. ille in suis compositionibus vtitur explicatione, ita scriptum reliquit: ἐὰν μὴ ᾖ ῥέον, κενταύρειον τὸ μέγα, ἢ συμφύτου ῥίζα: *si destituaris Rheo, Centaurio magno, aut Symphyti radice vtendum*: His omnibus accedit, quod Rhaponticum illud quod D. Gerard. Caroli V. Imp. apud Solymannum Turcarum Imp. orator, propriis manibus in

Ponti

A Ponti regionibus eradicatum, in nostras regiones inuexit, itidẽ purgandi facultate destitutum est. Nam experientia compertum est, duarum drachmarũ pondus datum aluum haud mouere, sed potius adstringere. Alterum *Rheum est recentiorum*, q; sic appellare placuit, quia veteribus Græcis, Dioscoridi, Galeno, & Theophrasto, atq; inter Arabes Serapioni & Auicẽnæ etiam incognitum fuit: recentiorib. aũt Græcis, Paulo nimirum, Actuario, & Nicolao, quib. simpliciter ῥῆον appellatur, celebratum. Eius autẽ duo faciunt fastigia. Vnum ῥῆον βαρβαρικὸν, hoc est, *Rheum barbaricum*, quod ex Barbaria vocata deportetur, illis dicitur. Alterum ῥῆον ἰνδικὸν, hoc est, *Rheum Indicũ*, propterea quod ex India, aut locis Indiæ proximis, nempe Scenitis populis, *vt auctor est Stephanus de Vrbibus*, Persidis, affertur, vnde *Sceniticum* etiam a quibusdam nominatur. Vtriusq; Nicolaus in Recentiorũ Rha. Genera eius duo. Barbaricũ. Indicum. Sceniticũ.

B Drosato 70. meminit, & quidem separatim, vt hinc diuersa esse inter se liqueat. Mesue tria facit Rhei genera. Vnum *Indicum*, quod *Raued Sceni* appellat, omnium præstantissimum. Alterum *barbarum*, generis nomine vocat. Nam omnes regiones, vnde hodie affertur, maxime vero Troglodytica, barbariæ nomen olim acceperunt. Id, quo hodie passim ad subducendã nobilium & delicatorũ aluum Medici vtũtur, ex meridionalib. regionibus, præsertim ex eius parte, quæ Barbaria hodie nominať, ad nos deferť, ideoq; recte *barbaricum* appellatur. Hinc superioribus annis quum *Tunisam*, vel vt nunc vocant *Tunetũ*, Carolus Imp. expugnasset, milites eius magnam copiam secum in Germaniam attulerunt. Tertium *Turcicum*, omnium ignauissimum, ita q; ad Turcas vicinos deferatur appellatum. A Ponto, n. vnde affertur, non longe distant. Et verisimile est illud non

C fuisse nisi veterum rha: q; quum ad purgandum inefficax esse animaduerterent Mauritani, ignauissimum esse dixerunt. Perperam aũt illud inter genera sui Rhei cõnumerauerunt, cuius Paul. Actuarius, & Nicolaus duo tantum esse fastigia memoriæ prodiderint, ab iis veterũ Rheon excludentes. Regio aũt ipsa vnde asportatť satis indicat ipsum a veterũ Rheo esse diuersum, vtpote q; ab aquilonarib. regionib. delatum fuit. Accedit q; nigrum non sit, sed potius flauũ. Vehementer quoq; odoratũ est, ac graue: & quo grauius est, eo melius. Plurimũ deniq; purgat, adeoq; notas priori contrarias obtinet. Nam *vt testis est Actuarius*, flauę bilis impetus, potissimum Indicum, potenter domat, ideoq; vere cholagogõ exsistit. Quare Mesues sententiam falsam esse oportet, qui Rheon hoc plane innoxium esse, ac tuto tum pueris, tum prægnantib. dari posse literis mãdauit. Vires. Mesues opinio improbata.

D Nam vt quotidiana multorum experientia cõprobatum est, & idipsum tum Græci posteriores, tum alii Medici testanť, humores in venis biliosos attrahit & educit, id q; sine grauiore agitatione fieri non potest. Quam vtiq; agitationẽ grauidis periculosam semper, viris aũt interdum molestam esse abunde constat. Non igitur recte faciunt nostri temporis Medici, quod imbecillioribus & grauidis idipsum exhibẽt. Nam & ipse noui Medicum, cui nõ satis feliciter cessit Rhei in muliere quadã teneriore exhibitio. Quod a me dictum non ita intelligẽdum erit, quasi omnino prohibeã grauidis propinandum esse Rhabarbarum. Nã si Hippoc. permittit *4. Sect. Aph. 1.* fortiorib. multo medicamentis purgare grauidas, cur ego contra tanti viri auctoritatem, & multorum experiẽtiam vsum Rhabarbari in illis prorsus damnarem? Mea igitur sententia est, vt Rhabarbarum

E primo & secundo, septimo, octauo & nono mensibus vtero gerentib. haud secus quam alia purgantia tuto exhiberi nõ possit, contra Mesues assertionem, qui censet, Rhabarbarum adeo esse innoxium, vt illud etiam iis tẽporibus, quibus alia purgatoria medicamenta dari ab Hippocrate prohibentur, tuto propinari possit. Nisi enim id sensisset Mesues filius, nihil opus erat dicere, illud tuto dari posse grauidis, quando constet & Hippocratem ipsum suis temporibus concedere vsum purgantiũ in grauidis sine omni noxa. Quod vero pueris interdum sine detrimento exhibetur, nihil mirum, non enim nisi exigua quantitate illis propinatur. Nemo autem ignorat, quod etiam venena citra noxam exigua quantitate sumi possint. Nota enim est historia apud Galenum *libro tertio de Simplicium medicamentorum facultatibus capite decimo octauo*, de anu Atheni-

F ensi, quæ ab exigua Cicutæ portione auspicata nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam. Vt igitur reliqua purgantia medicamenta pueris exigua quantitate citra noxam exhiberi possunt, ita quoque Rhabarbarum. Nihilominus tamen idipsum eandem, quam reliqua purgantia proprie dicta medicamenta, facultatem humores trahendi, & corpus agitandi obtinet. Atque tum magis purgando lædere solet,

Rheum maceratũ validius purgat.

quum maceratum exhibetur. Nam quum macerando eius substantia calida & purgatrix, quod Mesue etiam fatetur, in liquorem, in quo maceratum est, transferatur, terrea vero & adstringens, adeoq; roborans, & purgandi vires nonnihil frangens, in Rheo remaneat, necesse est, vt tum validius purget, quam si integrum exhiberetur. Præstaret itaq; imbecillioribus & delicatioribus integrum exhibere Rheum, quam eius dilutum. Nam hoc modo illi adesset, quod vehementiam eius frãgeret, adstrictio nimirum ipsa. Hinc est, quod Auerroes Rheum barbarum aliis purgantibus medicamẽtis præfert, vt quod infrenans eius vehementiam secum habeat, ceteris fere omnibus eo destitutis. Prægnantibus tamen & pueris præstat Casiam & mannam propinare, quæ maiori facilitate, citraque omnem agitationem & noxam aluum subducere possunt, quam Rhabarbarum. Si enim omni caret vitio ac noxa, vt Mesue & iuniores Medici affirmãt, cur in eius sumtione infrenantia, aut, vt ipsi loquunt, corrigentia, illi esse adiicienda docẽt? nempe spicam, mastichen, cinnamomum, & iuncum odoratum? quum cõstat illa & id genus alia non alio nomine adiici, nisi vt purgantium malitiam infrenẽt & obtundant. Ceterum quum purgandi facultate præditum sit Rheum recentiorum, reprehensione non vacat, quod illud hodie pleriq; dysenteria laborantibus exhibent, *vt lib. 2. Paradox. c. 13. copiosius monstrauimus*. Erroris autẽ occasio nulla alia fuit, nisi κακοζηλία, id est, *peruersa imitatio*. Quum enim viderent veteres tum Græcos, tum etiã Arabes in dysenteria crebra fuisse vsos Rheo pontico, voluerunt & ipsi Rheo barbaro, quod idem esse putauerunt, in eodem malo vti. Quod si vero eius, quod nunc vocãt, *rheum ponticum* radice pro veterum rheo vsi fuissent, omnem reprehensionem effugere potuissent, quod eius, vt ostẽdimus, legitimum sit succedaneum. Nam vt veteres suum Rheum in dysenteria, & vulneribus sanandis esse efficax experti sunt: ita quoq; Centaurii radix, quam officinæ Rhaponticum nominant, miram in iis malis vim obtinet. Porro rheum hoc recentiorum datur ex lactis sero, vel decocto intybi satiui latifolii. Maceratur quoque in iisdem liquoribus, aut in stillatitio intybi iam dicti liquore, idque æstate potissimum: aut vino albo & odorato, & id quidem hyeme. Propinatur per se tritum põdere drachmæ vnius cum dimidia. Mesue ausus est ad drachmas quatuor progredi, quę satis multa est quantitas, quum non solum sapore, verumetiam odore sit molestum. Accedit quod etiam purgandi facultatem non leuem admodum habeat. Dilutum seu pondere vnius, duarum, vel ad summum trium drachmarum sumitur.

Cur recentiores Rheo barbaro in dysenteria vtantur.

Exhibendi Rhabarbari purgatorii modus. Pondus. Mesues temeritas.

A B C D

De Agarico. Cap. LXXXV.

Nomen. Quid Agaricum.

Agaricum nomẽ suum sibi adsciuit ab Agaro vrbe, & amne Sarmatiæ, vel simpliciter ab Agaria Sarmatiæ regione, vbi optimum prouenit. Non est aũt, vt omnib. illud intuentib. constat, nisi fungus in truncis quarundam arborum Larice potissimũ, natus. Ex Sarmatia per Illyriam Venetias, & ex Galatia & Cilicia Alexandriã, & ab Alexãdria Venetias olim allatum est. Hodie ex vicinioribus locis, in quibus sunt syluæ Laricib. refertæ, Venetias importatur. Duo eius, *Dioscoride etiam astipulante*, sunt genera, mas & fœmina. Mas rotundus est, & vndique compactus, ideoq; grauis, & densus, gustuq; amarior. Fœmina, mari omnium consensu præfertur, rectis intus venarum discursibus constat, albus, leuis, friabilis, fungosus, & rarus valde. In Agarico quoq; diuersæ partes sunt, quarum aliæ aliis sunt meliores, superiores scil. inferioribus, & exteriores interioribus. Pituitam & bilem, *vt Actuarius auctor est*, purgat, sed nõ celeriter pellit. Aduersatur ventriculo, quod sua leuitate emergens enatet. Internis omnibus vitiis conuenit, in omni ætate, ob quæ medicamentum familiæ veteribus, Democrito maxime, est appellatum. Ad cerebri aũt & neruorũ affectus, item asthmati, & spirandi difficultati, ictero, hydropi, & comitiali morbo plurimum confert. Nostri adiiciẽdum illi esse aliquid Zingiberis, aut salis fossilis, quem *Gemmæ* vulgo vocant, docent, non vt eius malitiam, quam nullam præcipuam habet, corrigant & infrenent, sed potius vt tardam eius actionem iuuent, ac quasi stimulent, quo celerius erumpat, & pellat. Confert etiam adiicere semen anisi, carei, & id genus alia, quæ os ventriculi roborant, & nauseam ab *Agarico* excitatam tollunt. Dantur eius triti, *Actuario teste*, binæ drachmæ, ex aqua mulsa, vel aceto mulso. Quum enim leuitate sua ori ventriculi graue & molestum sit, præstat vt illud exhibeatur cum aliquo quod deorsum trahat, qualia sunt ab Actuario commemorata. Gal. censet de

Genera. Mas. Fœmina.

Vis.

Medicamẽtum familiæ.

Pondus.

E F

A fet de agarico dandum esse pondus vnius drachmæ, vel a scrupulis duob. ad drachmam vnam. Mesue itidem triti drachmam vnam, aut summum drachmas duas exhibet. Decocti pondus est drachmæ duæ, vsque ad quatuor, vel quinque.

De Scammonio. CAP. LXXXVI.

SCammonium, vel Scammonia liquor est ex vulnerata radice crassa herbæ cuiusdam in Mysia Asiatica natæ emanans. Probatur leue, nitidum, rarum, taurino glutino colore similimum, fungosum, tenuibus fistulis, linguam non vehementer exurens. Flauam trahit bilem, & pituitam, sed cordis seu oris ventriculi dolorem mouet. Est enim graui præditum odore, gustu iniucundum, & siticulosum. Siquidē quum omnia, quæ aluum deiiciunt medicamenta, aloe, vt diximus, sola excepta, ventriculo infesta sint, Scāmo-
B nium certe illi præ ceteris plus aduersatur. Proinde summopere iis cauendum erit, qui stomachi sentiunt imbecillitatem, & iis qui febre laborant. Quippe suapte natura leuissimum, in corpus facile rapit, residemq; spurcitiam colluuiemq; in eo omnē commouet. Datur itaq; minori noxa iis, qui febri vacant, & stomacho valent. His denique quib. ægre vomitus eliciūtur, nec facile animo linquuntur. Huic vt si cui alteri, infrenantib. opus est. Actuarius illi permiscendum esse tradit thymū, pulegium, & salem: aut quippiam ex iis, quæ gratum spirant odorem, & stomachum roborant, verbi gratia, *anisum, mastichem*, & id genus alia. Quum noxius sit Scāmonii vsus, ob caussas iam dictas, & quia subuertit ventriculum, nō temere per se exhiberi debet, sed adiectis iis, quæ eius vehementiam ac malitiam obtundunt & emendant. Nec hodie est necesse, vt illo per se vta-
C mur, quod multæ sint cōpositiones purgantes, quibus illud inseritur. Illis igitur potius, quam Scammonio per se vtendum erit. Datur per se tamen interdum ex melle, vel ptisanæ cremore. Scammoniæ pondus, *Actuario auctore*, scrupuli duo, paulo plus, aut minus, pro virium ratione. Mesue a quinque granis vsque ad duodecim, intra quæ certo consistēdum erit, progreditur. Dioscorides integram drachmam propinari posse scribit, tamen præstat, vt quatuor obolorum, quod idem quoque ille pondus præscribit, quantitatem non excedamus. Scammonii liquorem, quod silentio transeundum non erit, recentiores Græci δακρύδιον, id est, *lacrymulam* nominant. Hanc vocem nostræ ætatis Medici & pharmacopœi deprauarunt, & in diagridium commutarunt, non simpliciter omnem *Scammonii lacrymam* per eam innuentes, sed illam tantum, quæ in Cydo-
D nio malo cocta est, ad eum quem Dioscorides præscribit modum. Hoc maiori quantitate vsurpari potest, quod scilicet vis eius imminuta sit coctura in malo Cydonio facta.

Scammonium quid. Delectus. Facultas. Quib. Scāmonia non exhibenda. Infrenantia. Scammonium per se temere non dandum. Pondus. Dacrydion. Diagridiū.

De Colecynthide. CAP. LXXXVII.

COlocyntidis historia in altero nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo est exposita, quare hic breuiter de ea agemus. Est ei vehemens in purgando facultas, ita vt solo interdum contactu, ac etiam odore abunde, & non sine magna perturbatione aluū quibusdam deiiciat, vt quotidie experiuntur, qui eam tractant. Quum itaque vehementissimum & maxime perturbans sit medicamētum, ideo circulatores & circumforanei illi impostores in ducenda rusticorum & plebeiorum aluo illo crebro vtuntur. Purgat autem pituitam, bilemque & mucosum humorem. Pellit aquas
E tam bibita, quam per sedem infusa. Datur commode in omnibus quæ caput obsident malis, orthopnoicis, hoc est, non nisi recta ceruice spirantibus, & similibus. Item coxendicum cruciatibus, morbis articularibus, frigidis, lōgis, renum, & vesicæ vitiis. Insuper iis, qui renitentes & præduros conceperunt affectus, sic vt non nisi ægre excuti queant. Diligenda est candida eius, & recens medulla. Aridior enim & nigricans, vt vitiosa, damnatur. Porro quum ob suam vehementiam cordi, ventriculo, iecori, & reliquis visceribus plurimum incommodet, imo vniuersum perturbet corpus, fastidiū, & tormina excitās, permiscenda illi sunt perpetuo, quæ eius vehementiam emendant & infrenant, vt est *mastiche, galla, tragacantha*, & similia. Datur ex ea, *Actuario auctore*, scrupulus vnus cum aqua mulsa. Dioscorides *quatuor obolorum*, id est, *scrupulorū duorum, pon-*
F *dere dandam esse* censet. Cui Aetius subscribit: *imbecillibus tamen scrupulum sufficere*, inquit. Paulus drachmam integram, seu decem & octo siliquas dare non veretur. Mesue a siliquis sex, hoc est, scrupulo vno, ad decē siliquas progreditur, adeoque duorum scrupulorum quantitatem non excedit. Atque Actuarii pondus tutissimum exsistit, nec illud temere transcendendum.

Delectus. Infrenātia. Pondus.

De Turbit. Cap. LXXXVIII. A

Nomina. Sententiæ auctorum de Turbit variæ. Serapionis. Mesues.

TVrbit, *Turpet*, & *Turpeton*, recentioribus maxime Græcis vocatur. Diuersi vero auctores aliud atque aliud *Turbit* pingunt. Siquidem Serapio vnus e familia Arabum de suo Turbit, ea quæ Dioscorides de *Tripolio* tradit. Vt hinc perspicuum euadat omnibus, Serapionis Turbit non esse, nisi Dioscoridis Tripolium, quod vtriusque historiæ collatio liquido demonstrat. Ex eadem familia Mesue Turbit esse scribit radicem herbæ cuiusdam, quæ folia habet ferulæ, & lacte turget. Sed quũ nulla alia stirps, quæ foliis ferulæ sit, & lactescat, præter Thapsiam reperiatur, euidentissimum fit omnibus, Mesues Turbit non esse, nisi Dioscoridis Thapsiam, *quemadmodum fusius in tertio nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo demonstrauimus.* Inter recentiores Græcos A-

Actuarii. Actuarius quando vixit. Officinarũ. Vis. Infrenantia. Error huius ætatis medicorũ communis. Modus dã di. Pondus.

ctuarius, vir magnæ auctoritatis, & qui Nicolao Myrepso *sect. 40. cap. 8. teste*, sub Constan- B tino vixit, adeoque Serapione, Auicenna, & Mesue vetustior fuit, duplex Turpetum facit. Vnum non est, nisi Pituisæ radix, quam Dioscorides etiam Turbet barbaris vocari scribit. Album alterum, quod Alypum est Discoridis. Ceterum Turbit, quod in officinis medicorum prostat, & hodie in frequenti est medicinam facientium vsu, nõ est nisi radix *Tithymali Cretensis*, qui foliis est Portulacæ, *vt tomo tertio nostrorum de Stirpium historia Commentariorum diximus*, vbi eius historiam inuenient studiosi. Pituitam autem crassam & lentam, putremque a ventriculo, thorace, neruis, & articulis vacuat. Mesue quidem tarde & imbecilliter suum Turbit purgare tradit, vt necesse sit a Turbit officinarum esse diuersum, vtpote ꝙ vehementer, & cum quadam turbatione purget. Quapro- C pter infrenantibus, si exhibetur, indiget, qualia sunt roborantia ventriculum, & odorata, mastiche, anisi semen, careum, nux moschata, & id genus alia. Nostræ ætatis Medici Zingiber illi hoc nomine permiscent, atqui non sine maximo errore. Nam Zingiber eius actionem ac vehementiam non frangit, sed magis intendit, quod disertis verbis Mesue affirmat, & ratio ipsa confirmat, quæ acribus purgantium vim intendi docet. Nec est, quod hunc errorem Mesues exemplo tueri queant. Siquidem huius Turbit, nisi falsum adstruxerit, tarde pituitam educit, ideo zingiberis adiectione actionis eius vehementiam intendere volens, recte illud permiscuit. Datur ex melle rosaceo, vel passularum decocto, pondere vnius drachmæ. Nec temere vltra hanc quantitatem progrediendum. Mesue ad duas vsque drachmas de suo trito exhibet. De macerato, a D drachmis duabus ad quatuor vsque propinãdum esse censet. Sed quum nostrum Turbit sit eo, quod Mesues pingit, vehementius, in exhibendo Turbit põdus a Mesue præscriptum vsurpari non debet.

De lathyri. Cap. LXXXIX.

Cataputia minor. Pondus. Cataputia maior.

LAthyris historiam in altero *de Stirpium historia Commentariorum tomo* indicauimus, ad quem locum lectorem nunc ablegamus. Selapsiis *Cataputia minor* vocatur. Vehementer purgat pituitam. Dantur grana eius maiora, vt testis est Actuar. 15. minora vero 20. Idem iis qui efficacius purgari cupiunt, ea mandenda præcipit: iis vero qui deiectionem non desiderant copiosam, vt integra deuorẽt, præsertim vbi is, qui sumit, malo & imbecillo fuerit ventriculo. Dioscorides ad purgandum septem, aut octo grana E sufficere tradit, intra quod pondus consistere tutius est. Alterius cataputiæ, quam maiorem vocant Seplasiæ, Græci *Cici*, Latini *Ricinum*, non est cur priuatim hoc loco mentionem faciamus, quod eius historia a nobis *in primo nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo* plenissime sit tradita.

De elleboro. Cap. XC.

Genera. Niger. Forma.

ELlebori esse duo genera, omnibus est notissimum: album nimirum, & nigrum. Niger in Germania nostra incognitus est, quod in ea non proueniat. Nam stirps, qua hactenus pro Elleboro nigro vsæ sunt Selapsiæ, Enneaphylli alterum genus, *vt loco paulo ante citato docuimus*, exsistit. In aliis tamen regionibus nusquam fere non in asperis col- F libus, & sitientibus locis nascitur. Foliis platani, sed minoribus, & nigrioribus, incisuris pluribus diuisis. Caule candido, elleboro simili, hoc est, palmi aut cubiti altitudine, feculaceo, bulborum tunicis, conuoluto. Flos ei ex purpureo candicans, & vuæ modo racemosus, semenque in eo, vt Cnici, in purgationes adhibetur. Radices nigræ prætenues

ab vno

A ab vno fastigio seu capitulo cæpe simili dependentes,& confibratæ; quarum vsus est in Medicina. Flauam atramq; bilem e toto corpore deorsum trahit, idq; citra vllam difficultatem: ideo febribus circuitu repetentibus, & longis obiicitur. Datur quoq; insanientibus, altera in parte capitis exsistentibus doloribus diuturnis commodissi[me;] præsertim visceribus, vtero, & vesica purgatorium medicamentum postulantibus. Maxima vero vis est, peculiariter educere, quicquid sanguini commixtum eum corrumpit: ideo veterascentibus arquatis morbis vtilis, & quibus in superficie summatim asperitates emerserunt, hoc est, lepris, impetiginibus, & id genus aliis. Elephantia quoq; laborantibus confert. Ceterum suauitatis gratia, & vt vehementia eius frangatur nonnihil, quædam ex odoratis seminibus ei permiscenda erunt. Datur ex passo, aut aceto mulso, B scrupulorum ternum; seu drachmæ vnius pondere, aut paulo plus, vel minus, pro corporis habitu. Candidi historiam loco iam indicato plenissime tractauimus, vt non sit necesse de eo hic priuatim verba facere. Raro hodie, ob eius immensam vehementiam, Medici ipso vtuntur.

Facultas. Pondus. Albus.

De Euphorbio. Cap. XCI.

Euphorbium liquorem esse arboris cuiusdam, supra diximus. Pituitam crassam & lentam, Aetio, Paulo, & Actuario testibus purgat, quantumuis impactam etiam neruis, & articulis. Aquam quoq; deiicit. Est vero celerrimum, & maxime ignea vi flagrans: vnde colicis, & aluum frigidiorem habentibus datur. Ceteros vehementer conturbat, & sitim maxime ciet. Per se minime sumendum; sed semper illi nonnihil ex odoratis C seminibus aniso, mastiche, & spica nardi permiscendum. Datur ex aqua mulsa. Præstat autem cum melle cocto in catapotia digerere. Pondus, *Actuario teste*, triobolare est: Mesue a siliqua vna ad tres progreditur, adeoque vltra scrupulum dimidium, aut duodecim grana ad summum non transcendit, idq; si vetustius fuerit. Ante annum, propter immensam vehementiam, quam tum habet, haud temere vsurpandum erit. Quare vbi recens fuerit, vix quantitatem ab Actuario præscriptam transcendemus, sed infra tria, aut summum quatuor grana subsistamus.

Vis. Infrenātia. Exhibendi modus. Pondus.

De Armenio lapide. Cap. XCII.

Armenius, siue *Armeniacus*, vel, vt vulgo appellatur *Armenus lapis*, quo pictores vtuntur: *Aetio attestante*, ex Armenia defertur, vnde nomen assumsit. Præfertur qui D friabilis, æquabilis est, & expers calculorum, quiq; non nigrescit adustione. Atram bilem, & omnem lentum crassumq; humorem sanguini commixtum educit. Quare, *vt auctor est Actuarius*, melancholicis, elephanticis, & similibus dari solet. Item in renum vitiis, & spirandi difficultate. Citra vero molestiam alui deiectionem mouet, neq; vllus strangulationis timor subest, neque deliquium animi sequitur: quæ duo fere in vehementioribus purgationibus accidere consueuerunt. Hinc est, quod Aetius hunc infantibus, thoracis vitio vexatis, ad vomitum excitandum dari præcipiat. Pondus eius, *Actuario teste*, est sextula, hoc est, scrupuli quatuor, aut plus minusue pro sumentis viribus. Mesue non loti pondus esse drachmam semis, aut sesquidrachmam: loti autem E drachmam vnam, vel drachmas duas scribit. Alexander Trallianus scrupulos tres vel quatuor, loti vero quinq; vel sex exhibet, adeoq; a Mesue non dissentit. Lauatur autem iis liquoribus, qui refrigerandi vim habent, vt est cichorii liquor stillatitius.

Vis. Pondus.

De Cyaneo. Cap. XCIII.

Cyaneus, vel, vt *Latini nominant*, cæruleus lapis est, quem Arabum familia *Lazuli*, & stellatum, quod maculas quasdam aureas stellarũ modo radiantes habeat, vocãt. Optimus est, qui percussus celerrime scintillat, difficile frangitur, aureas guttulas ostendit, & est exactissimo cæruleo colore, Armenio violentior est, ideoq; vt lauetur liquoribus frigefaciendi vim habentibus opus est. Commode quoq; cum aromaticis ac corroborantibus medicamentis, cinamomo, & mastiche propinatur. Vim purgantem melancho-F liam supra & infra obtinet. Quocirca aduersus omnes melancholicos affectus, Maniã, melancholiam, cancros, alphos nigros, quartanas, & hæmorrhoidas valet. Dum vritur, cæruleus magis euadit, si legitimus est: adulterinus autem vstione nigricat. Pondus eius, quod Armenio vehementior sit, minus esse debet. Mesue drachma vna vsque ad drachmas duas & dimidiam, in Cyaneo exhibendo, progredi audet.

Nomina. Stellatus. Facultas. Probatio. Pondus.

A

De Hermodactylo. Cap. XCIV.

Hermodactyli duo genera 1. 2. HErmodactyli Mesue duo facit genera. Vnum radice digitali longitudine, quod non est nisi *Behen*, & minime ephemerum, non lethale, vt nonnulli existimant, *quemadmodum in nostris super Nicolaum Myrepsum annotationibus* demonstrauimus. Alterum radice rotunda: quod itidem in duo partitur genera. Vnus enim habet radicem albam, crassam, ac modice duram, atq; is esse videt, qui in hodiernum diem nomen Hermodactyli in officinis Medicorum retinet. Hermodactylus Pauli. A Paulo quoq; qui *Hermodactylus* appellatur, albus est. Hic alui deiectionem molitur, pituitamq; crassam, ab articulis præsertim extrahit. Ob id priuatim in podagra, & articulorum doloribus, quum humores defluunt, datur per se, vel decocto aliquo conuenienti. Admouetur etiam articulis dolore affectis cum farina hordei, vitellis ouorum, & mica panis. Nec solus Mesue album B *Hermodactylum* conferre podagræ, adeoq; Pauli esse Hermodactylum innuit, verumetiam Serapio. Francisci Alexandri reprehēsio repulsa. Vt falso me reprehendat Franciscus Alexander, quod *Hermodactylum* Mesues, eundem cum Pauli *Hermodactylo* esse statuerim. Quum enim vterq;, Mesue nimirum & Serapio, rubrum occidere scribat, vt ab albo diuersus sit, necesse est. Sed bono viro imposuit, quod Pauli *Hermodactylum* cognitum non habuerit. Ceterum is, *Paulo auctore*, stomacho nimis quam aduersatur. Infrenantia. Proinde aliqua, quæ eius malitiam corrigant, ac vehementiam coerceant, illi miscenda erunt: vt sunt *cinnamomum, mastiche, Zingiber, aut piper longum*. Pondus. Datur cum oxymelite scyllitico, aut melle rosaceo, pondere drachmæ vnius, aut plus aut minus, pro sumentis viribus. Alterum genus Hermodactyli rotundi, foris nigram aut rubentem radicem obtinet. Atq; is est, qui Croci flore per C autumnum sese passim in pratis ostentat, & vulgo *Hermodactylus* nuncupatur. Græcis Colchicō. vetustioribus *Colchicon* dicitur, *vt tomo nostrorum de Stirpium historia Commentariorum secundo copiose admodum ostendimus.* Is intra corpus, vtpote venenatus, tuto haud sumitur. Sed Hermodactyli historiam multo exquisitius *altero nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo* tractauimus, ad quem nunc lectorem ablegamus. Atque inde quam pueriliter Rondeletius, alioqui vir doctissimus, *in sua Pharmacopolarum officina in pilulis fætidis*, de Hermodactylo disseruerit, omnibus patebit. Vt enim reliqua taceam, quis vnquam Græcorum *Pentaphylli radices, Hermodactylos* appellauit? Certe nō credidissem, virum hunc herbarum tam exiguam habere cognitionem, nisi idipsum ex eiusdem annotationibus certe cognouissem. D

De Tithymalo. Cap. XCV.

Esula. E *Tithymalorum* genere est herba, quæ vulgo & officinis *Esula* vocatur. Quapropter pituitam & bilem elicit, quemadmodum alii Tithymali. Vis. Virentes illorum ramuli, *Actuario teste*, fictili paulatim torrendi sunt, tritique cum polenta scrupulorum ternū Pondus. pondere, miscendi in aqua, & in potu præbendi: quippe quod exsiccati surculi impotentiores habeantur. Admiscenda tamen iis erunt odorata aliqua medicamenta, & quæ eorum vehementiam frangere possunt. Sunt hodie, qui plus de Tithymalis in puluerem redactis, quam drachmam vnam exhibent. Tutius tamen est, vt intra pondus ab Actuario, optimo auctore, nobis præscriptum consistamus. Historiam & picturas omnium Tithymalorum, qui septem numero sunt, *in tertio nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo* reperient studiosi: vt non sit necesse hic de iis fusius tractare. E

De Elaterio. Cap. XCVI.

Elaterium quid. ELaterium, *vt supra quoq; monstrauimus*, est succus e fructu syluestris Cucumeris expressus. Modum autem exprimendi Dioscorides docet. Vis. Bilem & pituitam vacuat. Pondus. Eius maximum pondus, *auctore Dioscoride*, obolus est: minimum, semiobolus. Pueris tamen minus adhuc est dandum: chalci nimirum duo, id est, *grana quatuor*. Actuarius ternos obolos, hoc est, scrupulum vnum & semis, cum lacte recens emulcto exhibet.

De Thymelæa. Cap. XCVII.

Thymælæa. THymelæa officinis *Mezereon* dicitur. Pituitam & aquam purgat, si viginti granorum interna bibantur, aut summum triginta, *quemadmodum Actuario placet* Verum quoniam adurentis sunt facultatis, ea præstat in catapotia cum melle cocto formare, aut F vuæ acino, farinę similiue quopiam inuoluere, ac simul hordei cremorem superbibere. Præstat etiam post hausta grana gnidia rosaceum aut melinum sorbere, ne fauces inflammentur. Nemo tamen iis, vt etiam catapotiis ex ipsis confectis facile, nisi in robu-

A stis, ac fortioribus corporibus uti debet. Hic finem libro primo imponemus: quod si quid adhuc desideretur, id in altero libro explicare studebimus.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM MISCENDORVMQVE MEDICAMENTOrum ratione, Liber Secundus, Medicamentarius dictus, Leonhardo Fuchsio Medico auctore.

PROOEMIVM.



B *Vperiore libro summa, qua potuimus breuitate, & quantum instituto nostro sufficere arbitrati sumus, simplicium, quibus in componendis medicamentis nostræ ætatis Pharmacopæi vtuntur, catalogum præmisimus, & quid de singulis statuendum esset, indicauimus: nulla alia sane de caussa, quam vt recte cognitis simplicibus, adulterina abijcerent, nec illa compositionibus suis permiscerent. Quum autem simplicibus omnia curari nequeant, necessaria fuit compositorum inuentio. Sæpe enim multifariam compositi sunt affectus, vt in ijs curandis non diuersa tantum, sed & cōtraria medicamentorum genera requirantur, vt sicubi repellendum simul est, & discutiendum. Præterea, vt affectus simplici medicamento curari possit, cogimur tamen interdum multa miscere, quod nullum in manibus sit simplex, quod conueniat. Deniq; quorundam est ea natura, vt nisi cum olijs misceas, vel inutilia, vel noxia futura sint.* In altero *igitur* huius operis libro, *compositorum* C *medicamentorum omnium, quæ hodie in officinis Medicorum prostant, conficiendorum ratio exponetur. Quare optima ratione* Medicamētarius liber *inscribitur: ita enim rectius, quam, vt vulgus Medicorum solet,* Dispensatorium *appellabitur. Composita vero medicamenta vocamus, quæ vel Medicus, qui naturæ minister ac imitator est: vel Pharmacopæus, qui Medici minister est, ex varijs simplicibus commiscet ac componit. Siquidem veteres Medici in componendis medicamentis multum operæ, artis, & studij posuisse constat. Vt ridendi sint prorsus, qui Pharmacopœam a Medica distinctam esse artem existimant. Necessario autem, vt hic liber ordine secundus esset, curauimus. Fieri enim non potest, vt quispiam ea, quæ in tertio & quarto tradentur libris, assequatur, nisi prius quæ in hoc commemorantur composita medicamenta, omnia perspecta habeat. Quomodo enim simplicia & composita inter se recte quis miscebit medicamenta, qui non vtrorumq; prius rationem pro-* D *be cognitam habet? Quapropter ordinis ratio, quæ in recte docendo plurimum momenti obtinet, postulauit, vt hunc sibi locum liber ille Medicamentarius dictus, vendicaret. Quod si vero quispiam caussam etiam cur librum hūc exarauerim, ac prioribus tribus adiecerim, scire volet, non pigebit me illam quoq;, atqui breuiter, referre. Non fuit autē alia, nisi summa necessitas. Quum enim animaduerterem, singulos Pharmacopolas singulis fere in locis suos ac proprios, eosq; magna ex parte manuscriptos, ac inter se plurimum, pro cuiusq; qui eos conscripsit, arbitrio, variantes libros, ex quorum præscripto sua componunt medicamenta, habere, hocq; nomine fieri, vt raro admodum simili modo in officinis nostris parata medicamenta prostarent: committere non potui quin hunc laborem subirem, ac curarem, vt tandem haberent Pharmacopæi Medicamentarium librum, vel vt ipsi nominant* Dispensatorium, *optima & exquisita ratione a nobis exaratum, vnde subinde omnes sua* E *conficerent medicamenta. Nam plurimum refert, reiq; publicæ interest, vt vniformiter in officinis composita sint medicamenta: quod alias Medicis non raro errandi præbeatur occasio, ægrotantibusq; ex eorundem erratis non leue immineat periculum. Quod quum omnibus in confesso sit, non est cur multa demonstratione egeat. Vt vero Pharmacopœorum, plurimum imperitorum, hæsitationi consuleremus, singulis compositionibus, quæ idipsum requirebant, Annotationes, adiecimus: in quibus non solum voces obscuriores, sed & res ipsas difficiliores explicauimus, hac quidem ratione non solum Pharmacopæis, verumetiam Medicis consulere volentes, vt nihil plane esset, in quo hærere possent. Hinc est quod interdum ea, quæ Pharmacopœorum captum exsuperant, attigerimus. Vt autem ordine optimo singulorum medicamētorum compositiones traderemus, librum hunc Medicamentarium in Sectiones digessimus, vt singulæ sui generis medicamenta continerent, & ab inuestigātibus illi fa-* F *cile & expedite inuenirentur. In summa, nihil neglexim us, quod operi lucem afferre posse iudicauimus. Hortamur itaq; Pharmacopœos, vt in componendis medicamentis tum veterum, tum recentiorum diligenter caueant, ne quid adiiciant, vel omittant, sed omnia ad præscriptum eorum, qui medicamenta composita struxerunt, conficiant. Absit hinc studium gratificandi alijs, qui suauioribus delectantur medicamentis, nisi id fieri possit citra virium labefactationem.*

Necessaria est medicamentorū compositio.

Medicamentarius liber. Dispensatorium. Composita medicamenta.

Caussa huius libri ceteris adiecti.

Annotationum ratio

De ponderum, quorum in componendis medicamentis vsus est, ratione. A

Sectio I.

Ponderũ cognitio necessaria Medico.



QVum citra ponderum, quorum in conficiendis medicamentis vsus est, cognitionem, ratio componendorum medicamentorum intelligi haud possit, principio de iis nobis esse differendum putaui. Non solum autem hoc nomine ponderum ratio Medico cognoscẽda venit: sed & ideo, ne eorundem inscitia accidat, vt ægris exitium afferatur. Nam quum constituta & certa sint quorundam medicamentorum pondera, adeo sane, vt si quis ea temere nõ obseruet, aut transcendat, certam & indubitatam corpori noxam, & nonnunquam etiam perniciem accersat: nihil profecto æque curandum Medico erit, quam vt eorundem plenam & exquisitam notitiam habeat. B Ponderum itaq; tum nomina, tum rationem breuiter hic, & quãtum instituto nostro cõuenit, perstringemus, vt paratiores ad cõpositorum medicamẽtorũ tractationẽ veniamus. Principio autem de iis, quibus Græci & Romani Medici vsi sunt, agemus: qualia quidem sunt, *libra, quadrãs, vncia, denarius, hexagium, drachma, scrupulus, siliqua, & obolus*.

Libra Medica. Duodenaria. Romana. Pondo.

Libra Medica, quæ Græcis λίτρα dicitur, est vnciarum duodecim. Hinc *duodenaria* & *Romana*, quod illa Romani vsi fuerint, vocatur. Hæc alio nomine pondo nominatur: idq; vbi per se, siue absq; alio pondere scribitur & effertur. Vbi vero cum alio ponderis vocabulo adiungitur, idem significat, quod Græcis σαθμὸς & ὁλκὴ, hoc est, *pondus*: vt *pondo libra, pondo vncia*. Libra igitur Medica, quatuor quadrantes cõtinet.

Pharmacopœorũ error.

Quum igitur Medica libra non nisi duodecim contineat vncias, quod multis C exemplis declarare possemus, plurimum hallucinentur nostræ ætatis indocti Pharmacopœi necesse est, qui libram sedecim vnciarũ, quod sane mercatoria & negotiatoria habet, ad conficiẽda medicamenta vsurpant. Quod vero eiusmodi libra vtantur, e libræ partibus, quadrante maxime, quam quartam illi nominant, facile demonstratur. Siquidem huic quatuor vncias attribuunt: quapropter vt eorundem libra sedecim contineat vncias, fateantur oportet. Si enim quatuor vncias quater sumpseris, sedecim prodibunt vnciæ, quæ libram constituent mercatoriam.

Quadrãs. Triens. Sextans.

Quadrans itaq;, *sic enim Latini quartam libræ partem appellant*, trium & non quatuor vnciarũ pondus exsistit. Triens autẽ quatuor vncias cõtinet. Sextãs, sextam libræ partẽ, hoc est, vncias duas habet. Quocirca in manifesto errore omnes ꝑpemodum Germaniæ nostræ Seplasiarii ac Pharmacopœi versantur, eo ꝙ triente ꝓ quadrãte vtantur. D Monacenses tamen Pharmacopolæ (ꝙ olim, dum illic medicinam facerẽ, deprehẽdi) legitima quadrãte vtebant.

Vncia.

Vncia, Græcis οὐγγία dicta, quæ, *vt comprehensum est*, duodecima libræ Medicæ pars exsistit, drachmis octo, seu denariis Romanis septem constat.

Denarius. Nicolai Salernitæ & Seruitoris error.

Denarius itaq; pendet drachmam vnam, & septimam eius partem. Vnde se prodit Nicolai Salernitæ error, qui nulla veterũ auctoritate fultus, vnciæ drachmas nouem tribuit. Cui etiam *Seruitor*, scriptor triobolaris, subscribit. Atq; hos egregios duces magna Pharmacopœorum turba, nullo habito delectu, sequitur: nullaq; mehercle alia ratione, quam quod a iam dictis auctoribus sic est scriptum, sese tuentium: quum potius illis iudicio meliorum tum Græcorum tum

Interpretũ Galeni erratum.

Latinorum auctorum standum esset. E Panditur & hinc quorundam Galeni interpretum error, qui perpetuo denarium cum drachma confundunt, alterum pro altero pondere vertentes: quum tamen constet, denarium, *vt iam ostensum est*, drachma paulo, scilicet vna septima, esse grauiorem.

Exagium.

Exagium, vel vt Græci appellant ἑξάγιον, pondus est quatuor scrupulorum. Nouum est nomen, quo recentiores Græci vsi sunt, maxime Actuarius *in Antidoto aurea Alexandrina*.

Sextula. σάγιον. Drachma. Scrupulus.

Latini *Sextulam* id pondus nominant. Græci alio nomine σάγιον appellant. Quanquam Nicolaus Myrepsus, si locus non est mendosus, ita Saracenos siliquam vocare ait. Drachma, quæ Græcis δραχμὴ & ὁλκὴ vocatur, octaua est vnciæ pars, habetq; in se scrupulos tres. Scrupulus autem, siue *scriptulus* qui Græcis γράμμα, quasi primum ponderis elementum, nominatur, obolos duos pendet.

Obolus. Siliqua. καῤῥούβια. Granum. σιτάριον.

Obolus itaq; dimidium est scrupuli, seu sexta drachmæ pars, pendetq; siliquas tres. F Siliqua, quæ Græcis κεράτιον, Actuario more vulgi καῤῥούβια dicitur, grana quatuor frumẽti pendet. Frumenti vero granum Græcis σιτάριον nuncupatur: σῖτος enim illis frumentum significat. Sed quum frumenti genera, Græcis nota, sint plura, *triticum, hordeum, zea,*

auena

A *auena, oryza, milium, panicum*, & Græci ipsi non explicarint, cuius frumenti quatuor grana pendãt siliquæ semẽ, hoc alius in aliam accepit partem. Pleriq; tamen id de hordei aut tritici granis scriptum esse interpretantur. Atq; referendum id quidem non ad omnia grana, sed mediocria, non enormia: neq; ad habitiora, neq; strigosa & emaciata. Quod si igitur siliqua quatuor frumenti grana, vt demonstratum est, pẽdet: & scrupulus sex siliquas, vt grana frumenti quatuor & viginti complectatur, scrupulus necesse est. Plurimum itaq; errant Pharmacopœi, qui a Græcis & Mauris dissidentes, statuũt scrupulum viginti granorum esse. Eum autem errorem ex Nicolao Salernita suxerunt. Ceterum si ad legumina respiciamus, vnum granum seu semen siliquæ, sex lentis seminib⁹, quod nos experientia comprobauimus, pondere suo respondet. Hæc si sexies sumseris (siliquæ namq; sex, *vt dictum est*, pendent scrupulum) in vniuersum sex & triginta lentis semina prodibunt, quæ pondus scrupuli habent. Hinc patet, Rhemnii Fannii Palæmonis in libello de *Ponderibus & mensuris* inscripto locum mirifice esse deprauatum, vbi inter cetera de *scrupulo cap. 1.* sic scriptum reliquit: — Pharmacopolarũ error. — B — Rhemnii Fannii locus emendatus.

Semina sex alij siliquis latitantia curuis
Attribuunt scrupulo, lentes veraciter octo.

Nam si quis octo lentis semina cum scrupulo ponderare haud grauatus fuerit, is manifesto comperiet, non octo lentis semina, vt præscripta innuunt carmina: sed quatuor & quater octo, id est, triginta sex, *vt paulo ante quoq; diximus*, scrupulum pendere. Multo enim leuiora sunt octo lentis semina, quàm vt scrupulum æquare possint. Proinde Fannii locus ita legendus erit: — C

Semina sex alij siliquis latitantia curuis,
Attribuunt scrupulo lentes quatuor, quater octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesue lupinos

Bis duo.--Lupini autem quatuor semina pendere scrupulum, cũ Fannio Græcus Nicandri interpres tradit. Etsi Mauri tria tantum constituere scrupulum literis prodiderunt. Atq; sic quidem se habent pondera, quibus olim veteres tum Græci, tum Romani vsi sunt, & hodie quoq; vtuntur Medici. Nunc ad ea veniemus, quibus peculiariter, prçter iam dicta, Arabes vsi sunt: inter quæ primo nobis occurrit *aureus*, qui ipsis Arabibus *denarium* significat, hoc est, *pondus drachmæ vnius cum septima eiusdem parte*: & nequaquam, vt plerique putant, *drachmæ vnius & dimidiæ*. Dein *Danich*, quod perperam Recentiores efferunt *Danic*, pondus est Arabibus, quod a Græcis θέρμος, a Latinis *lupinus* dicitur. Hoc Cleopatram imitati Arabes, aiunt pendere duas oboli tertias partes. Quum enim obolus pendat grana duodecim, seu dimidium scrupulum, *Danich* pendat grana octo necesse est. Siquidem quatuor grana ter sumta, constituunt duodecim. Verum esse quod dicimus, Serapio confirmat, dum inquit: *Obolus est Danich vnum & dimidium*, id est, *grana duodecim*. Tertii generis pondus, quo Arabes vtuntur, est *Kirat*. Sic autem siliquam Græco vocabulo, quod est κεράτιον, deprauato nominant. Et nõ est nisi dimidia pars Lupini. Quod ex Auicenna liquet, qui ait: *Et omnis Kirat, est grana quatuor hordei: quippe Lupinus octo grana hordei pendit.* Æreolum quarti generis pondus, duo grana hordei pendit: Granum autem hordei apud Arabes minimum pondus est. Habent quidem & alia pondera Arabes; sed illa duntaxat referre volui, quod iis maxime Mesue filius, ex cuius præscripto multa hodie conficiuntur medicamenta, vtatur. Quod si vero quispiam pleniorem & exquisitiorem ponderum iam dictorum, & aliorum omniũ cognoscere cupit, is libros Georgii Agricolæ, viri perpetua memoria digni plane aureos ea de re scriptos legat. Ceterum Medici quasdam res simplices, ex quib. medicamenta conficiunt, interdum non metiuntur, nec ponderant: sed numero, vel manus complexu sumunt. Altero modo quum ceteris miscentur *Pruna, Ficus, Zizipha, Myxa*, & id genus alia: altero, quum herbæ aut flores aliis permiscentur, tum enim fasciculum, *vt est apud Scribonium Largum*: siue manipulum, *vt apud Cornelium Celsum*, horum esse sumendum præcipiunt. Græci potissimum Recentiores, non solum δεσμίδιον, id est, *fasciculum*, sed etiam δεσμίδιον χειρογλωδές, id est, *fasciculum qui manu comprehendi potest*, nominant. Siquidem fasciculus, siue manipulus non est, nisi quod summa manu cõplicata apprehendi & complecti potest. Atq; manipuli voce rei rusticæ scriptores crebro vtuntur. Recentiores Medici *pugillo*, quod diminutiuum a pugno exsistit, pro pondere — D — Arabũ pondera. Aureus. Danich. — Kirat. — E — Æreolũ. Granum hordei. — F — Fasciculus. Manipulus. δεσμίδιον. — Pugillus.

vtuntur. Significat vero illis pondus herbarum & florum, quod pugno, seu compressis in extremo digitis capi potest, adeoq; alteram fere manipuli partem. Quod quidem genus ponderis recentioribus Græcis, Aetio potissimum, δράξ nuncupatur. Nunc reliquum est, vt notas ponderum, quibus hodie in conficiendis medicamentis tum Medici, tum Pharmacopœi vtuntur, subiiciamus, quæ sunt eiusmodi: A

δράξ.

Pondera notæ.

Libræ		℔.					
Semis		ß.		*Scrupuli*		℈.	
Quadrantis	*Hæc nota*	qr.	est.	*Grani*		g̅.	
Vnciæ		℥.		*Manipuli*	*Hæc nota*	M.	est.
Drachmæ		ʒ.		*Pugilli*		P.	

Etsi autem præstaret, abiectis ac posthabitis prorsus iam dictis notis, pondera ipsa primis suis saltem literis, si non integra, scribere potissimum vnciam & drachmam, ne scilicet notarum ʒ & ℥ affinitate vel Medici, vel Pharmacopœi ipsi magno mortalium incommodo peccarent, & aberrarent: tamen quum vsus longi temporis id obtinuerit, vt pondera notis potius quibusdam, quam literis designentur, in eam maxime curam incumbere decet Medicos, vt accurate ductus notarum delineent, quo ab omnibus agnosci, & aliæ ab aliis discerni queant, ne scilicet scribendi negligentia Pharmacopœis errandi occasionem præbeant. Nos quidem neglecto, quo hodie Medici vtuntur, more, pōdera & mensuras medicamentorum integris dictionibus, quo minus tum Typographus in iis excudendis, tum Pharmacopœi in construendis compositionibus aberrarent, exarauimus. Sed de ponderibus satis, ad medicamentorum igitur compositiones iam transire tempestiuum est. B C

DE ANTIDOTIS, SEV CONFECTIONIBVS magnis vocatis, & opiatis, Sectio II.

Aurea Alexandrina. Nicolai Myrepsii.

AD Capitis fluxiones, a frigore natas, efficax est: dolorem enim eius confestim mitigat. Oculorum lacrymas sistit, dentium dolores sanat, non modo epota, sed & imposita. Comitialibus subito factis, prorsus auxiliatur. Furiosorum incompositos motus compescit, & in vniuersum omnem capitis dolorem mulcet. Tussientibus, tabidis, humores ægre a thorace reiicientibus, cardiacis, sanguinemq; exscreantibus mirifice opitulatur. Confert etiam resolutis, viscerum & laterum malis. Lapides conterit, stillicidium & difficultatem vrinæ soluit, & omnia vteri vitia discutit. Quotidianis, tertianis, & quartanis febribus ante inuasionis horam sumta succurrit. Quisquis denique semper hac vti antidoto consueuerit, is neq; apoplexiæ, neque colico malo vnquam obnoxius erit. Conficitur autem in hunc modum. *Asari,* [1] *seminis hyoscyami,* [2] *carpobalsami, ana drachmas duas & dimidiam. Caryophylli, opij,* [3] *myrrhæ, cyperi, ana drachmas duas.* [4] *Balsami, cinamomi,* [5] *folij, Zedoariæ, Zingiberis,* [6] *costi, corallij,* [7] *casiæ, euphorbij, tragacanthæ, thuris,* [8] *styracis calamitæ,* [9] *saluiæ,* [10] *mei, seselios,* * *sinapi,* [11] *saxifragæ, anethi, anisi, ana drachmā vnam. Ligni aloes,* [12] *rhei pontici, aliptæ moschatæ, castorij, spicæ, galangæ, opopanacis, anacardij, mastiches, sulphuris ignem non experti crudiue, radicis pæoniæ, eringij, carnis palmularum,* [13] *behen albi & rubri, rosarum, thymi, acori, pulegij, aristolochiæ longæ, gentianæ, corticis radicis mandragoræ, chamædryos,* [14] *phu, ammeos, baccarum lauri, piperis longi, piperis albi, xylobalsami,* [15] *carnabadij,* [16] *amomi,* [17] *seminis macedonisii,* [18] *libystici, rutæ,* [19] *sinonis, ana drachmam dimidiā. Auri puri, argēti puri,* [20] *margaritarum non perforatarum,* [21] *ossis anterioris narium purpuræ, ossis cordis ceruini, ana grana frumentacea quatuordecim. Lapidis saphyri, smaragdi, iaspidis, ana drachmam vnam. Nucis auellanæ drachmas duas. Pyrethri, ramēti eboris, calami odorati, ana grana frumentacea viginti nouem.* [22] *Mellis, aut sacchari, quod satis est.* D E

ANNOTATIONES.

HÆc integra & legitima est, & ad verbum e Græco Nicolao transcripta Aureæ Alexandrinæ compositio; quam si cum aliorum codicum descriptionibus cōferre volueris, reperies in iis quędam desiderari. Non est autem, quod quispiam speret a nobis, vt componendi rationem præsentis, & aliorum etiam sequentium antidotorum exponamus: id namque infiniti fere laboris esset, sed quod polliciti in huius libri procemio sumus, si quæ vel vocum, vel rerum obscuritas & difficultas in medicamentorum compositionibus occurrat, hanc breuibus semper annotationibus illustrabimus. Nec etiam de singulis annotationes struemus, sed de iis solum, quorum nulla in libro primo facta est mentio. Aurea vero dicta est, ab auro, quod eius compositionem ingreditur. Alexandrina autem cognominatur ab insigni vrbe Ale- F

Aurea cur dicta.

A be Alexandria, vbi constructa est. Nam illic studia bonarum artium maxime floruerunt, vt mirum non sit, optimos quoq; Medicos ibidem commoratos fuisse.

Hyoscyamus simpliciter elatus.

1 Seminis hyoscyami.) Quotiescunque Hyoscyami seminis simpliciter & sine adiectione fit mentio, semper album inaudiendum erit. Hoc enim placidissimum exsistens, ad Medicinam vtile est. Quod si vero illud non adsit, flauo vtendum erit. Nigrum autem, vt inutile ac venenatum, penitus fugiendum. Id quod semel monuisse Pharmacopœos satis sit.

Carpobalsamum.

2 Carpobalsami.) Quum suspicio non leuis, imo indubitatum sit, neq; Carpobalsamum, neq; Opobalsamum, neque Xylobalsamum Seplasiarum esse legitimum & verum: non temere illis ad conficienda medicamenta vtendum erit, sed potius ex officinis Medicorum eiicienda, & succedaneo illorum vtendum, quod auctore libelli περὶ ἀντιβαλλομένων teste, est radix violæ albæ: ait enim, ἀντιβαλσάμου λευκοῦ ἴου ῥίζα: Violam autem albam, non Theophrasti, sed Dioscoridis, quæ Seplasiis & Arabibus Cheiri dicitur, hoc loco inaudire oportet. Hæc enim commodissime pro Balsamo vsurpari potest. id quod facultates vtriusque abunde docent. Vt enim Balsamum est tenuium partium, menses mouet, vterumq; aperit: sic quoq; radix, flores, semen, & totus Leucoii siue violæ albæ frutex. Immo radix eius, vt gustus liquido docet, mordax & acris reperitur, & aliqua ex parte odorata. Vt odio digna sit Matthioli tum impudentia, tum pertinacia, qui affirmare audet, eam radicem nec morsu mordacem, nec feruentem ore, nec vlla ex parte odoratam, contra manifestum tum narium, tum linguæ iudicium. Parum igitur circumspecte aliorum sententias suggillat & arrodit Matthiolus. Quod vero ad libellum succedaneorum Galeno adscriptum attinet, facile cõcessero, hunc non esse Galeni, sed spurium, quod multa substituat absurdissima, quod nos supra in nostris succedaneis etiam aliquoties ostendimus. Tamen non est improbandum, quod balsamo substituit violæ albæ radicem, propter caussam quam produximus. Quum itaq; habeamus a natura productum, quo pro omnibus iam dictis vtamur: non est cur ad aliquod arte paratum, nempe oleum Charyophyllorum, vt Valerius Cordus censuit, confugiamus.

Succedaneũ balsami. Viola alba. Cordi opinio improbata.

C *3 Myrrha.*) Actuarius Latinus, a Ruellio conuersus, pro Myrrha habet baccarum Myrti. Sed locum illum esse deprauatum, e Nicolao abunde liquet, qui hic habet σμύρνη. Latini etiam codices omnes, qui Nicolao Præposito hactenus attributi sunt, Myrrhæ legunt. Vt dubium non sit, pro σμύρνης apud Actuarium falso scriptum esse μυρσίνης: & facilis quidem ab altera in alteram vocem fuit lapsus. Porro optima & vera Myrrha inuentu rara est: vt hoc nomine metuendum sit, officinarum Myrrham non esse legitimam. Suspicionem hanc auget, quod notæ, quæ sunt apud Dioscoridem, & libro primo commemoratæ, illi non omnes conueniant. Quin ipsi Bdellii indicia magis respondere videntur, quam Myrrhæ, vt ea de caussa Bdellii potius quam Myrrhæ species quibusdam esse putetur. Quicquid autem sit, constat non esse optimam, nec inter Myrrhas deterrimam. Apparet autem, eam esse Myrrhæ speciem, quæ Caucalis Dioscoridi nominatur. Quippe hæc ὑπέρωρος, hoc est, vltra tempestiuitatem producta, bonitatem suam amisit, & exoletarum more arescit, nigra ac retorrida exsistit.

Actuarii locus emendatus. Myrrha. Caucalis Myrrha.

Cordus.

D *4 Balsami.*) Valerius Cordus in suo medicamentario libro, pro Balsamo habet Opobalsamum, quod admiratione dignum est: quandoquidem in Græco Nicolai codice βαλσάμου, & in Latinis quoq; codicibus scriptum sit Balsami. Sed quum neutrum habeatur, parum refert vtro modo legas. Vtendum enim erit succedaneo, quod qualis sit, paulo ante exposuimus. Ridet me hoc in loco Franciscus Alexander, quod notarim Cordum propterea, quod pro Balsamo subiecerit Opobalsamum, quod per balsamum sit intelligendum Opobalsamum, ignorans Myrepsum distincte iis vocibus Xylobalsamũ, Opobalsamũ, Carpobalsamum, & Balsamum vti, atq; per tres priores lignum, succum, & fructum semenue, per quartam vero herbam ipsam intelligens. Quapropter non tantum ridendus, sed cachinno excipiendus nobis hoc nomine Franciscus erit.

Folium. Succedaneum folii.

5 Folii.) Folio vero, quod Græcis vetustioribus Malabathrum dicitur, Seplasias destitui, libro primo indicauimus. Succedaneo igitur eius vt Pharmacopœi vtantur, est necesse, quod Galeno auctore est κασία σφαιρίτης, ἢ ναρδόσταχυς, ἢ ἀτρακτυλίς: id est, casia rotũda, aut spica nardi, aut atractylis. Quum vero hæc
E antidotus alioquin capiat casiam, & spicam nardi, præstat folii loco atractylim vsurpare. Quæ qualis sit, in primo de Stirpium historia commentariorum tomo monstrauimus. Atractylim autem folii esse succedaneum, hinc omnibus palam fit, quod hæc idem temperamentum, eandemque facultatem cum Spica nardi obtinet. Siquidem in primo ordine calefacit, & secundo exsiccat, obstructionesq; iecoris, ac aliorum internorum viscerum, perinde atq; Spica nardi, tollit: vrinam cit, & fluxiones desiccat, vt hinc omnibus perspicuum euadat, Galeni locum hunc in libello περὶ ἀντιβαλλομένων esse mendosum. Nam illic falso ἢ τράχηλος, pro ἢ ἀτρακτυλὶς scribitur. Nullibi enim neq; apud Galenum, neque Dioscoridem stirpis, quæ Tractylos dicatur, mentio fit. Verum hoc loco, more suo, Matthiolus mihi insultat, & perperam me in altera sua editione Dioscoridis Malabathri seu Folii loco Atractylem substituisse scribit, nulla alia motus ratione, quam quod nusquam se apud Galenum legisse dicat, quod Atractylis Folii vicem suppleat, sed Casia potius odorata, & Nardi spica. Quasi vero id non doceat Galenus in eo libello, qui in-
F scribitur περὶ ἀντεμβαλλομένων, operaque Ioannis Caii Britanni editus est. Cui accedit ratio paulo ante a me producta. Non quod inficias eam pro folio Casiam odoratam & Nardi spicam substitui posse, sed quum vtraq; alias compositionem hanc ingrediatur, consultius esse arbitratus sum, nunc pro folio vtendum esse, ob caussas iam dictas, Atractyli. Vt hinc liquido appareat, Matthiolum nusquam non alios, me maxime, reprehendendi captare occasionem. Quid enim a sycophantæ morsu, etiam admodum circumspecte dictum, tutum esse posset? Porro quum Atractylis non nisi sata in Germania proueniat, li-

Galeni locus restitutus. Matthioli calumnia depulsa.

debit in eius penuria spina vti, quam vulgus & officinæ Carduum benedictum appellant, non propterea vt malitiose mihi impingit Matthiolus, quod in Germania Atractylis non reperiatur, nisi in hortis sata, quum eadem de caussa Carduus etiam benedictus, quandoquidem nullibi reperiatur, nisi in hortis satus, substitui nequeat, sed quod Carduus ille frequens in hortis colatur, & easdem cum Atractylide vires habeat. Quæ igitur Matthiole furiæ te exagitarunt, vt in hanc prorumperes in tuis epistolis medicinalibus vocem? proh Dii immortales, quanta est hic Fuchsii ineptia. An non mihi nunc licet potius in hunc modum exclamare: Proh Deum immortalem, quanta est Matthioli improbitas & peruersitas, qui malitiose rapit in calumniam, quod verissime est a me dictum. Cur enim non suaderem in penuria Atractylidis herbæ in Germania paucis cognitæ, ac rarissimæ, aliam hac multo frequentiorem & in omnium hortis plantatam substituere? Sed satis sit in præsentia Matthioli mordacitatem vtcunque adumbrasse. A

Casia. 6 *Casia.*) Intelligit eam, quam Seplasiæ ligneam vocant. Non est autem, quod hactenus vsitatam accipiant Pharmacopœi Casiam, quod illa radicis potius quam arboris cortex sit, vt omni odore ac sapore, ita etiam facultate destituta. Exigenda igitur prorsus ex omnibus officinis erit, nec vlli deinceps compositioni permiscenda. Quæ autem vera sit Casia, libro primo diximus, nempe ea, quam inter species Canellæ quidam numerant. Ea enim haud dubie Casiæ species est, tametsi forte non optima. Quare recte fecerint Pharmacopolæ, si semper eius duplum acceperint. Id quod etiam in Cinamomo faciendum erit. Quippe Cinamomum nostrum haud quaquam optimum aut certe Casiæ genus est, ideoque duplicato eius quoque pondere vtendum erit. Id quod in succedaneis suis Galenus quoq; suadet, inquiens: ἀντὶ κιναμώμου, κασίας σύριγγος διπλάσιον, ἢ βράθυος διπλοῦν: Pro Cinamomo Casiæ fistulæ (ita enim vocat quam hodie ligneam appellant) aut Sauinæ duplam portionem. Vt succedaneum Casiæ sit, Sauinæ pondus duplicatum. Quinetiam Dioscorides in Cinamomi legitimi penuria duplicatam Casiæ portionem sumendam esse hortatur. Quapropter perpetuo Pharmacopœi pro vero Cinamomo vulgaris & nostri Cinamomi, præsertim vbi non admodum acre fuerit, duplum: & pro Casia itidem, eius Casiæ quæ vulgare Cinamomum refert, duplam portionem in componendis medicamentis vsurpent. Videtur autem Cinamomum nostrum esse imbecillum Cinamomum, quod Galeno priuatim Cinamomis, aliis vero pseudocinamomum appellatur. B C

Canellæ. Cinamomum nostrũ quale. Succedaneum Casiæ.

Costus. 7 *Costi.*) Quoties Costi mentionem facit simpliciter, & citra adiectionem Nicolaus, semper amarum appellatum intelligit, vt qui gustu feruidus sit. Nos vtriusque Costi historiam, & picturam in altero nostrorum de Stirpium historia Commentariorum tomo dedimus. Quum vero paucis adhuc vera Costus nota sit, operæ precium erit eius succedaneum cognoscamus: vt in penuria Costi, saltem succedaneum habeamus. Tale autem est Helenium, vel vt hodie nominant, Enula campana, quod in suis ἀντιβαλλομένοις confirmat Galenus, inquiens: ἀντὶ κόστου, ἑλένιον. Subscribit quoque ratio, quæ docet idem vtriusque temperamentum esse, nec viribus inter se discrepare, vt ex ambarum stirpium historiæ collatione omnibus fit manifestissimum.

Costi succedaneũ.

Styrax calamitæ. 8 *Styracis calamitæ.*) De ea abunde libro primo dictum est, quapropter de hac ipsa in præsentia, quemadmodum etiam aliis, quæ loco iam citato explicata sunt, nihil annotabimus: Quod semel hic monuisse lectorem satis sit. D

Saluia. 9 *Saluia.*) Latini Nicolai codices habent Saliuncæ, at minus recte. Nam in Græco Nicolai codice est ἐλελισφάκου, id est, saluiæ, vt nos conuertimus. Nam hæc sanguinem cohibet, menses & vrinam cit, ideoq; rectissime huic antidoto permiscetur. Errore autem imperiti librarii accidit, vt propter literarum affinitatem, Saliuncæ pro Saluiæ sit scriptum. Saliuncam autem a Saluia diuersam esse stirpem satis constat. Ceterum Saliunca, vt id obiter dicamus, non est Nardus siue spica Celtica, quam officinæ Medicorum Spicam Romanam nuncupant, vt nonnulli putant. Quæ autem herba sit Saliunca tertio nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo diximus.

Saliunca.

Meum. 10 *Mei.*) Meo vero quod Athamanticum dicitur, destituimur: quapropter eius succedaneo vtendum, quod est eius herbæ radix, quæ Germanis Beerwurtz dicitur. Nam easdem, quas Meum facultates obtinet, vt in altero nostrorum de Stirpium historia Commẽtariorum tomo abunde ostendimus, Matthiolus falso herbam Imperatricem, siue Angelicam dictam pro Meo substituit. E

Sinapi. * *Sinapi.*) Hoc in loco Bernardus Dessennius Cronenburgius pudendo errore Napum substituit, quum in Græco codice diserte scribatur νάπυος. Sic passim bonus ille vir impingit turpiter, interim tamen nihilominus aliorum se censorem, si Diis placet, constituit.

Saxifraga. 11 *Saxifraga.*) Quum multæ hodie sint stirpes Saxifragæ nomine insignitæ, diligenter dispiciendum erit, quam hoc loco, & alibi quoque Nicolaus, aliique Græci intellexerint. Nullam vero nisi eam, quam Dioscorides Empetron: non quidem hoc, quod idem Phacoides nominant, sed quod post Tribulum libro quarto pingit, & Romanis Saxifraga dicitur. Eius historia & pictura est in tertio nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo capite 64. Officinis hodie ignota. Pro ea tamen vti licebit herba, quæ Plinio Saxifraga, alterum Trichomanis scilicet genus, & hodie vulgo Ruta muraria appellatur, qua hactenus Seplasiæ perperam pro Adianto, siue vt illarum voce vtar, Capillo veneris vsæ sunt. Huic namque herbæ Saxifragæ nomenclatura fere præ omnibus aliis quadrat. Si quidem in saxis ac petris nascitur, & calculos vesicæ frangit, & vrinas cit. Dum itaque nascitur, saxa frangit & perrumpit: dum etiam assumitur, calculos conterit, vt hoc nomine merito illi Saxifragæ appellatio conueniat. F

Empetron alterum.

12 *Rhei Pontici.*) Falso in Cordi medicamentario libro, & omnibus Latinis Nicolai codicibus, quorum fidem ille secutus est, Rheu barbari legitur. In Græco namq; Nicolao est ῥέυ ποντικοῦ. Est autem Rheum ponticum diuersum a Rheu barbaro: vt libro primo huius Operis, & alibi copiosissime demonstrauimus. Quum vero Rheum ponticum Galeni, aliorumq; veterum, de quo hoc loco Nicolaus loquitur, sit officinis nostris incognitum adhuc, aut saltem in vsum hodie Medicorum non veniat, pro eo succedaneo aliquo vtendum erit: quod quale sit, metipse Nicolaus ostendit. Nam suo quoque tempore rarum esse cœpit Rheum ponticum verum, ideoq; eius succedaneum indicare coactus est. Sic enim in interpretatione quarundam vocum ille scriptum reliquit: ἐὰν μὴ ᾖ ῥέον, κενταύρειον τὸ μέγα, ἢ συμφύτου ῥίζα. id est, Si desit Rheum, Centaurio magno aut Symphyti radice vtendum. Et Nicolai sententiam confirmat Galenus, qui in libello suo περὶ ἀντιβαλλομένων, ἀντὶ ῥέυ, κενταύρειον: hoc est, pro Rheo, Centaurium, substituendum esse docet. Quum itaq; fere omnes Centaurii magni radicem pro vero Rheo pontico vsurparent, factum est, vt nomen Rhei pontici in Centaurii radicem translatum sit: quod etiam hodie in officinis retinet. Rheo pontico igitur Seplasiarum, aut Symphyto, id est, Consolidæ maioris vulgo vocatæ radice, pro veterum Rheo vtendum erit Pharmacopœis. Hoc autem in loco maxime vsurpandum erit, vt sanguinem exscreantes hæc antidotus iuuare etiam possit. Quum vero neutra harum radicum purgandi facultatem habeat, dubium non est, nostrum Rheu barbarum, cui eiusmodi facultas inest, a veterum & Nicolai Rheo esse diuersum, quod libro primo quoq; fusius monstrauimus.

Cordus hallucinatus. Rheum Ponticum

Succedaneũ Rhei pontici.

13 *Behen albi & rubri.*) Græce est ἑρμοδακτύλου ἐρυθροῦ καὶ λευκοῦ, id est, hermodactyli rubri & albi. Studio autem has voces omisimus, ne imperitis Seplasiariis errandi daremus occasionem, qui Hermodactylos nominant stirpes, ab iis, quas ita Nicolaus appellat, diuersissimas. Quippe Nicolaus, perinde atq; Actuarius, Hermodactylos rubros & albos vocat eas radices, quas Arabes, & officinæ Medicorum, hos quasi semper imitantes, Behen albam & rubram nominant. Hæ olim afferebantur ex Armenia: quarum quædam contortæ erant, aliæ in rectum exierunt, suaui odore, & glutinoso humore. Eas Serapio calidas & humidas, ex Mesuæ cuiusdam sententia, esse statuit. Auicenna calidas & siccas in secundo ordine. Ita nihil est in Arabum scriptis solidum, ac sibi consonans. Hodie ex Italia ad nos deferuntur, vt suspicio sit, non esse legitimas, præsertim quum Arabum notæ illis non respondeant. Alba quidem Behen, quam officinæ ostendunt, mirifice tortuosa est: ac glutinosum aliquid præ se fert, sed minime odore suaui donata, vehementer tamen amara. Rubra certe nihil habet, quod legitimum esse doceat. Quid autem sit Behen illa rubra tomo primo nostrorum de Stirpium historia commentario monstrauimus. Præstat igitur in ista hæsitatione harum radicum succedaneo vti, quod Auicenna auctore est Tuderi. Ita vero Horminum appellat nominatam herbam: quæ qualis sit, altero nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo monstrauimus. Horminum autem pro Behen substitui posse facultates eius abunde docent. Nam Venerem stimulat Horminum, Dioscoride auctore. Behen itidem, Auicenna attestante, semen genitale adauget. Hic discutiendi gratia maxime indi potest. Quod si tamen sanguinem exscreantibus hanc antidotum dederimus, præstat Behen rubeum officinarum, vtpote adstringens medicamentum, iniicere.

Hermodactyli Nicolai. Behen alba & rubra.

Succedaneum Behen. Horminum.

14 *Phu.*) Valerianam intelligit: & quidem, si haberi potest, optimam, quæ, qualis sit, alibi ostendimus. In melioris autem penuria, vulgari vti licebit.

Phu.

15 *Carnabadii.*) Græce est καρναβάδι. Studio igitur Græcam vocem retinuimus, vt quid per hanc vocem Nicolaus intelligeret, Pharmacopœi cognoscerent. Ita vero appellat, nempe καρναβάδι & καρναβάδιον, cuminum Æthiopicum, vt satis liquet ex antidoto 406. in qua metipse Carnabadium interpretatur cuminum Æthiopicum. Simeon autem Sethi, & alii recentiores Græci, Carnabadium nominant, Careum Dioscoridi & aliis dictum. Hinc est, quod Latini codices Nicolai, quos Cordus secutus est, hoc loco pro Carnabadio habent Carei. Nihil autem refert, Cumini an Cari, seu Carei semen vsurpemus, quum eandem facultatem omnia obtineant, & vtrunque vrinam moueat, flatusque discutiat.

Carnabadium.

16 *Amomi.*) Amomum legitimum hodie desiderari, libro primo ostendimus. Neque enim est rosa Hierichuntis, aut S. Mariæ, vt Cordus censet. Siquidem Bryoniæ folia haud obtinet, nullum Origani odorem refert, acrimonia nares non percellit, imo potius nullius est odoris. Tantisper igitur dum carebimus vero Amomo, eius vice, Galeno auctore, Acoro vtemur: aut in huius penuria, Galanga maiore vocata, aut ammeos semine.

Amomũ. Cordus errat. Succedaneum Amomi.

17 *Macedonisii.*) Per Macedonisium inaudiendum semen, quod Græcis Hipposelinum, & Romanis Olus atrum nominatur. Hinc est, quod idem semen in hodiernum vsq; diem Seplasiis petroselinum Macedonicum, quod in huius locum in veri Petroselini Macedonici locum successerit, vocetur: quum Macedonisium potius, Nicolai exemplo, illis appellandum esset. Sed hic more suo nobis obgannit Matthiolus, negatq; Macedonisium vocatum esse Hipposelini, sed potius Smyrnii semen. Parum cogitans, Smyrnii semen esse Brassicæ semini simile, cum quo Macedonisium nullam prorsus similitudinem habet, rotundum enim non est. Quapropter si etiam euicerit Matthiolus, hoc semen quod officinis nostratibus Petroselinum Macedonicum vocatur, nõ esse Hipposelinum, tamen id nunquam a nobis impetrabit, vt illi concedamus, idem semen esse Smyrnium, ideo in manifesto errore versari Matthiolum constat.

Macedonisium.

18 *Libystici.*) Et illud hodie semẽ in officinis Medicorũ desideratur. Neq; enim id est, quod Leuisticũ

Libysticũ

illæ appellant: id enim Dauci potius genus est, *vt alibi demonstrauimus*. Quapropter eius succedaneo vtendum, quod, Galeni testimonio, est Staphilinus. Vt enim Libystici semen menses cit, vrinas prouocat, flatusque discutit: ita etiam Staphilinus, vt ex vtriusq; historia patet. Aut loco eius vtantur semine eius herbæ, quam nos pro Libystico in altero nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo subiecimus. A

Succedaneum Libystici.

19 *Sinonis*.) Sinonis historiam in tertio de Stirpium historia tomo texuimus. Non habetur in officinis Medicorũ. Pro eo tamen vsurpare licebit semen id, quo hactenus Seplasiæ pro Amomo vsæ sunt.

Succedaneum Sinonis.

20 *Margaritarum non perforatarum*.) Hæ enim perforatis, vt primo diximus libro, præstantiores sunt.

Margaritæ integræ.

21 *Ossis anterioris narium*.) Intelligit id, quod Actuario & aliis recentioribus Græcis Blattium Byzantium, & Bysantis appellatur. Officinis Blacca Bysantia. Sic autem nominant purpuræ operculum, quod foramini capitis eius, quod naris instar est, veluti scutum imponitur. De quo plura libro primo annotauimus. B

Os anterius nariũ purpuræ.

22 *Mellis quod satis est*.) Triplum vero mellis sumitur, quod semel monuisse sufficiat. Si quis de ceteris, quorum nulla in iis annotationibus mentio facta est, dubitauerit, is ad indicem, aut primum recurrat librum. Ceterum in Nicolai Latinis codicibus, octo hæc in ista Antidoto desiderantur medicamenta: Saluia, palmulæ, Behen album & rubrum, zaphyrus, smaragdus, iaspis, & nux auellana.

Quæ in Latinis Nicolai codicibus medicamenta desunt.

Theriaca Andromachi. II.

THeriaca, seu Theriace dicta est, quod ferarum & viperarum morsibus medeatur, omnium antidotorum præstantissimum: exitialibus venenis, & ferarum virus eiaculantium ictibus aduersatur. Inueteratis capitis doloribus, vertiginibus, aurium grauitati, comitialibus, attonitis, apoplecticisue, resolutis, oculorum hebetudinibus, voci amissæ, asthmaticis, recenti & vetustæ tussi, sanguinem reiicientibus, ægre exscreantibus, & non nisi recta ceruice spirantibus, ventriculi imbecillitatibus ac inflationibus, colicis cruciatibus, ileosis, cholericis, cœliacis, regio morbo correptis opitulatur. C Induratum lienem liquefacit, calculos in renibus comminuit, vrinæ difficultati, & vesicæ exulcerationibus medetur. Febrium horroribus & rigoribus, hydropicis, elephantia laborantibus sæpe præsenti est auxilio. Menstrua cit, fœtum mortuum excutit: articulorum doloribus adiumento est. Non autem corpus modo, sed & animi morbos persanat. Melancholicis itaque, lymphaticis, aquæ pauoribus, & id genus aliis malis iugiter data succurrit. Ceterum in pestifera lue, vix aliud præsentius magisque idoneum præsidium, hac ipsa inueniri potest. Habet [1] *pastillorum* [2] *theriacorum, drachm. viginti quatuor. Pastillorum* [3] *scilliticorum, drachm. quadraginta octo. Piperis longi,* [4] *liquoris papaueris,* [5] *magmatis hedychroi, ana drachm. viginti quatuor. Rosarum aridarum,* [6] *iridis Illyricæ,* [7] *glycyrrhizæ,* [8] *seminis napi syluestris,* [9] *scordij, opobalsami, cinamomi, agarici, ana drachm. duodecim. Myrrhæ, costi, croci, casiæ, nardi Indicæ,* [10] *florum iunci odorati, thuris, piperis albi & nigri,* [11] *dictamni,* [12] *marrubij,* [13] *rhei,* [14] *stœchadis,* [15] *petroselini Macedonici, calaminthæ, terebinthinæ, zingiberis, quinquefolij radicis ana drachm. sex.* [16] *polij, chamæpityos, styracis, amomi,* [17] *botryos, mei, nardi Celticæ,* [18] *sigilli Lemnii, phu Pontici, chamædrios Creticæ,* [19] *foliorum malabathri,* [20] *chalcitidis tostæ, gentianæ, anisi, succi hypocisthidis, carpobalsami,* [21] *gummi, seminis fœniculi,* [22] *cardamomi, seselios,* [23] *acaciæ,* [24] *thlaspios, hyperici,* [25] *sagapeni, ammeos, ana drachm. quatuor. Castorij,* [26] *aristolochiæ tenuis, seminis dauci, bituminis Iudaici, opopanacis, centaurij minoris, galbani, ana drachm. duas. Mellis, libras decem. Vini phalerni,* [27] *quod satis est.* Coniice in mortarium *opium, hypocistidem, sagapenum, glycyrrhizæ succum, acaciam, styracem, opopanacem*: & affunde exiguum mellis, & vnum quodque contusum dissolue, & adiice vinum, vt illa superet, finitoq; vt per triduum madescat. Dein arida omnia, radices scilicet, semina, herbas, tusa & cribrata coniice in mortarium, & affuso vino terito, ac [28] vt collyria læuigato. Postea iis e mortario exemtis, admisce omnia arida, & valide subigito. Tandem iniice mel, terebinthinam, galbanum, & opobalsamum, ac calefacta in cacabo confunde. In mortario autem hæc vniendo diebus quinque valide subigito, ac in vitreo vase recondito. Atq; hoc modo Andromachi theriacam Nicolaus Myrepsus conficiendam esse docet. Aetius aliam habet, huic propemodum similem, hanc scilicet. *Casiam & Cinamomum per se tundito, & cribrato. Dein crocum, primum in mortarium coniectum, cum vino probe terito. Vbi quam tenuissimus factus fuerit, ei cribratam ligneam Casiam addito, & rursus affuso vino terito. Postquam Casia sufficienter fuerit trita, sigillum Lemnium, cum vino modico, in alio paruo mortario per se terito, & bitumen similiter dissolutum ad Crocum & Casiam inijcito, ac rursus aliquandiu terito. Reliqua vero omnia herbacei generis*

Theriacã conficiẽdi ratio pharmacopœis obseruanda.

A *generis eum tribus paſtillis & caſtorio tundito, perq; tenuiſſimum cribrum cernito.* Succulenta vero omnia, acaciam nimirum, *myrrham, opium, thus, hypocyſtidis ſuccum, glycyrrhizam, opopanacem, ſagapenum, galbanum, & gummi contuſa, in competenti vini menſura vna die ante macerato.* Styracem vero in mortarium magnum ac amplum coniectum, cum opobalſamo terito, & priuatim vnito. Deinde & præmacerata ſucculenta in mortarium iniicito, ac probe terito: atque, ſi opus fuerit, vinum ſenſim affundito. Poſtquam autem & hæc ſufficienter fuerint trita, ſtyracem antea tritum, & caſiam, & crocum, & quæ cum eis ſunt adiicito, ac diligẽter vnito. Chalcitidis deinde bonæ vncias ſex in ollã exiguã, nouã, amplioris, iniicito, & ſupra carbones ignitos imponito, & chalcitidẽ aſſidue cum pura rudicula agitato. Quũ vero liqueſieri cœperit, & lutoſam ſubſidẽtiã acquiſierit, B ſtatim ab igni auferto: poſitaq; in terrã ollula, quo vniatur, diligẽter agitato, coagmentatãq; pauliſper ſinito. Deinde ablato & abiecto eo, q, in ſuperficie ſiccius & ruſum apparet, ex medio quod viridius eſt, & molle apparet, accipito: ac quatuor drachmas ponderato, eaſque in medium mortarium iniicito, in quo reliqua prius trita habes: cumque modico vino in aliquo mortarii loco diſſolutas, cum reliquis committito, ac exiguo addito melle deſpumato, vnito. Poſtquam vero chalcitis ad reliqua trita fuerit admixta, omniaq; nigrum acceperint colorem, tunc addito etiam terebinthinam, cum modico melle prius diſſolutam. Quã deinde admixta, arida etiam tuſa & cribrata adiicito, & reliquum item mellis paulatim admiſceto. Poſtea cum magno piſtillo omnibus quam diligentiſſime vnitis, antidotum ipſam in mortarium transfundito, & C piſtillis ligneis ex grauiſſimo ligno & politiſſimo fabrefactis, eam ad ſolem in mortario tundito. Denique probe contectam ſinito, & rurſus poſt triduum aut quatriduum ad horas tres tundito, atque id donec quadraginta dies abierint facito.[6] Dein vaſis vitreis, modico melle deſpumato prius imbutis, excipito. Neque vero vaſa valde expleto, ſed locum quendam, quo tranſpirare, ac efferueſcens ſe attollere medicamentum, ne effluat poſſit, relinquito, probeque contectum ac obligatum adſeruato. Hæc eſt priore magis exquiſita theriacam conficiendi ratio, quam Seplaſiarii obſeruare debent. Reponendum autem hoc medicamentum, donec ferueſcat in tepido & ſicco loco: poſtquam vero ſubſederit, in frigido & ſicco loco adſeruandum erit. Per menſem medicamentum ipſum viſitare oportet, & rudicula munda agitare, ne id quod in ſuperficie eſt, D & quod vaſi contiguum adhæret, exareſcat. Ceterum[7] tempore ad concoctionem non exiguo indiget, quo matura vſui antidotus fiat, & iuſte concoquatur.

Chalcitis vt torrenda.

ANNOTATIONES.

Hæc theriaca Andromachi ſenioris, Neronis archiatri eſt, adeoq; omnium optima. Quapropter ceteris omnibus contemtis, hac vna Medici vti debent, nec aliam Pharmacopœos parare oportet. Nec audiant hortor Bernardum Deſſennium Cronenburgium, qui hanc officinis negligendam putat nulla alia de cauſſa, quam quod ſit mendoſiſſima & peruerſiſſima. Nam nos mendas eas omnes ſuſtulimus, & ſimplicibus omnibus ſuas appellationes reſtituimus. Quod quum ipſe præſtare haud poſſet, factum eſt vt abiiciendam putarit. Sed neque hoc loco Franciſci Alexandri morſus effugere potui, quin me illis connumeraret, atqui falſo, qui ſuas compoſitiones e mendoſo Nicolai codice petunt omnes. Quum E autem aliis in locis hanc calumniam abunde diluerim, & hoc loco Theriaces compoſitionem ex Andromacho recenſeam, prolixiore confutatione opus haud erit.

Andromachus. Bernardus Deſſennius non audiendus.

1 *Paſtillorum.*) Paſtillos Latina voce appellauimus, quos Græci *τροχίσκους* officinæ non nihil deprauata appellatione, trochiſcos nominant. Paſtilli.

2 *Theriacorum.*) Paſtilli theriaci ſunt, qui a vipera, vel, vt hodie vocant, de thiro conficiuntur, qui infra inter paſtillos deſcribentur. Theriaci.

3 *Scilliticorum.*) Eodem in loco horum etiam compoſitionem reperies. Scillitici.

4 *Liquoris papaueris.*) Opium hodie vocatum intelligit, quod non eſt, niſi liquor ſiue lacryma papaueris, ſua ſponte emanans. De quo abunde lib. 1. diximus. Liquor papaueris.

5 *Magmatis hedychroi.*) Paſtilli genus eſt, quod ab Auicenna corrupte Alindaracaron nuncupatur. Eius deſcriptionem infra inter paſtillos referemus. Magma Hedychroum.

6 *Iridis Illyricæ.*) Hæc hodie noſtris Seplaſiis ignoratur. Annitendum vero illis, vt hanc ali- F quando habeant ex Illyria, quæ non longe a Germania abeſt. Duum eſt generum, vt libro primo huius Operis diximus. Interim tamen dum Illyrica iride deſtituuntur, pro ea vt Florentina nominata vtantur licet: aut de Galeni potius in ſuis ſuccedaneis ſententia, Helenio odorato, ſeu vt hodie appellant, Enula campana aromatica. Inquit enim; ἀντὶ ἴριδος ἰλλυρικῆς, ἑλένιον ἀρωματικόν. Iris Illyrica.

7 *Glycyrrhizæ.*) Non radicem eius, ſed ſuccum potius Andromachus hoc loco accipiendum eſſe Glycyrrhi-

innuit, id quod sequen[t]ia satis testantur, & idipsum confirmat libro primo de Antidotis Galenus, qui hanc vocem diserte expl[ic]ans ait, γλυκυρίζης χυλοῦ, id est, dulcis radicis succum. A

Napus syluestris. 8 *Seminis Napi syluest[r]is.*) Napum, quem Græci Buniada nominant, duplicem esse, alibi ostendimus, nempe satiuum & sy[lu]estrem. Satiuus, paruum, oblongum, densumque rapum est, quod Germanis Druckenstecktrüblin o[de]r Beyrischrüblin nuncupatur. Syluestris, iisdem Wasserrüb appellatur. Geminus autem est, Creti[c]us, & Germanicus, vt tomo primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum diximus. Matth[i]olus libro quinto suarum epistolarum medicinalium Galeni sententiam, qui syluestris Napi ex Creta a[ll]ati semen Theriacæ imponendum esse præcipit, impugnat, & satiui potius Napi semen vsurpandum esse contendit, quod Andromachus nec agrestis, nec satiui aperte meminit, sed dulcis tantum Napi seminis. Quum vero in agresti nulla percipiatur dulcedo, sed potius acuta quædam amaritudo, ideo illum de domestici Napi semine locutum esse verisimile est. His, inquit, Dioscoridis accedit auctoritas, qui libro secundo Napi satiui semen potum venenorum vires hebetare, antidotisq; admisceri scribit, quas tamen vires syluestri, de quo 4. libro egit, nusquam tribuit, sed tantum ad vrinas secundasque ducendas commendauit. Quanquam autem non anxie cum Matthiolo contendere velim, nũ satiui, an syluestris Napi Buniadis, quod vterq; dulcis sit, semen Theriaces cõpositioni adhibendum sit, quum easdem vires habeant, tamen nihil dubito, quin Cretici syluestris Napi, vtpote maius & præstantius, vt ex pictura, quam in primo nostrorum commentariorum de Stirpium historia tomo subiecimus, satis liquet, Galenus ceteris recte prætulerit. Hincque adeo est, vt dum Galenum immerito flagellat Matthiolus, ipse in maximum incidat errorem, nempe Bunion cum Buniade confundens. Licet enim tum Bunias, tum Bunion Napi genus sit, vt ex libro vigesimo Plinii capite quarto, liquet, tamen Andromachus nequaquam de eo Napi, quem Bunium, sed de eo, quem Buniada vocant, loquitur: inquit enim καὶ γλυκέρης σπέρματος βουνιάδος. Quum vero Napus Bunias etiam geminus sit, quod ignorat Matthiolus, nempe satiuus & syluestris, & rursus ille quoque duplex est, vt loco paulo ante citato ostendimus, Galenus ex syluestris genere Creticum reliquis antetulit. Ceterum quod ad Dioscoridis locum attinet, nemo est, qui non videat Matthiolum illius testimonio non recte vti. Siquidem Dioscorides non nisi de Napo Buniade, & eo quidem vtroq; satiuo scilicet ac syluestri, libro secundo tractat, quare non erat, cur per syluestrem Napum Buniada, ipse Bunium dictũ intelligeret. Merito igitur Matthiolus suos prodit errores, dum in aliorum scripta nimium inquirens, quæ vera sunt, pro falsis refutare studet. B C

Scordiũ. 9 *Scordii Cretici.*) Creticum Scordium ad conficiendam Theriacam Galenus libro primo de Antidotis, vtpote quod optimum exsistit, vsurpandum esse iubet. Nos tamen interea nostrate satis efficaci vtemur. Hoc quale sit, alibi abunde monstrauimus: errareq; ibidem, qui pro eo allio syluestri vtuntur, docuimus.

Iuncus odoratus. Squinantus. 10 *Iunci odorati florum.*) Quem Latini iuncum odoratum, hunc Græci σχοῖνον vocant. Eius florem iidem σχοίνου ἄνθος, vel σχοίνανθον: Seplasiæ, suo more deprauantes vocem, Squinantum nominant. Quum vero hodie flores illi ad nos deferri desierint, culmis iunci vti cogimur. Sunt autem horum tenerrimæ partes in cacumine decerptæ vsurpandæ. Aut iunci huius succedaneo vtendum, quod Galeno περὶ ἀντιβαλλομένων teste, est Cardamomum. Quid vero sit Cardamomum, libro primo docuimus. D

Dictãnus. 11 *Dictamni.*) Creticum intelligit, qui folia habet alba, lanugine obducta, gustu acria. Hunc Seplasiæ paucis ante annis, prius ignotum, agnoscere cœperunt. De quo alibi multa diximus.

Marrubium. Prasium. 12 *Marrubii.*) Ita vocant Latini stirpem, quam hodie Seplasiæ Græca nomenclatura Prasium appellant.

Rheum. 13 *Rhei.*) Rheum hoc loco non significat Rhabarbarum, officinis nominatum, vt nonnulli arbitrantur, & vulgares Nicolai Præpositi nominati codices Latini falso interpretantur: sed veteribus descriptum, quod interdum cum adiectione Ponticum vocarunt. Id quod satis testantur Galenus, Paulus, & Aetius, in quibus scriptũ est, ῥῆον, ῥῦ ποντικοῦ, & ῥέον ποντικοῦ. Huc accedit, quod Rhabarbarum officinarum Andromacho, quemadmodum etiam Galeno fuerit plane ignotum. Nequaquam igitur Pharmacopœis in Theriaces huius compositione Rhabarbarum est vsurpandum, sed Rha veterum Ponticum dictum. Quia vero idipsum hodie nondum ab omnibus cognoscitur, eius succedaneo pro illo vtendum, quod quale sit, in Aurea Alexandrina exposuimus. Sed huic meæ sententiæ, quasi ex composito, reclamat Matthiolus, qui lib. 5. suarum epistolarum medicinalium, Rhabarbarum potius illi substituendum esse docet, quam magni Cẽtaurii radicem, idq; nulla alia de caussa, quam quod Rhabarbarum, præter id, quod polleat odoris fragrãtia, mirum in modum contra venena, & venenatorum morsus valeat. Quasi vero nihil in Theriaces compositionem misceatur, quod non odoris fragrantia præstet. Cur igitur Scordium, Sagapenum, & Castorium non etiam abiicit Matthiolus, quum nullum illorum non grauissimum exhalet odorem. Accedit huc, quod non omnia, quæ ad compositionem theriacis adhibentur, venenis resistant, multa enim hoc tantum nomine admiscentur, vt cæliacis, dysentericis, sanguinemque reiicientibus opem ferant, qua vtique de caussa Rha ponticum, aut loco eius Centaurii magni radix, eius compositionem intrat. Valde autem ridiculum est, quod Auicennæ testimonium pro inepta & falsissima sua opinione confirmanda adducit. Nam constat omnibus Auicennam per Rhabarbarum non nisi Rha ponticum intellexisse, & nequaquam id, quod hoc nomine hodie in Medicorum officinis appellatur, quod qui historiam eius cum Galeni verbis de Rha pontico conferre voluerit, manifeste comperiet. Vt mirum sit, quod Matthiolum tam absurdas opiniones proferre E F

A non pudeat, niſi forte ſe in regio ſolio collocatum eſſe exiſtimet, vnde omnibus ius dicere poſſit, & illius dicta pro Apollinis oraculo nobis habenda eſſe ſibi perſuaſerit. Conſtitueram quidem, Matthiolum nullo in loco acerbe excipere, verum quum reprehendendi me, & magna ex parte immerito, nullum faciat modum, neceſſe eſt ipſum ita referiam, vt alii etiam intelligāt; Matthiolum inanibus & nullius momenti rationibus in aliorum ſententiis confutandis vti. Quod ad Nicolaum Myrepſium attinet, dubium non eſt, illum fuiſſe Pharmacopolam, non admodum rerum peritum, ſed diligentem in colligendis tum veterum, tum recentiorum Medicorum in vnum librum medicamentis, vt mirum nihil ſit, ipſum Rha ponticum a Rhabarbaro ſecernere haud potuiſſe. Quare Matthioli conſilium Pharmacopœi, tanquam minus veritati congruens, reiiciant.

14 Stœchadis.) Procerior meliorque Stœchas, Galeno libro 1. de Antidotis teſte, eſt, quæ ex Creta affertur. Quot vero genera ſint Stœchadis, primo libro, & tomo de Stirpium hiſtoria tertio monſtrauimus. Stœchas.

B *15 Petroſelini Macedonici.*) Non intelligendum de eo ſemine, quod ita hodie officinis nominatur: id enim eſt Hippoſelinum, & nequaquam Petroſelinum e Macedonia petitum: hoc namq; hodie haud cognoſcitur. Licebit tamen pro eo vti ſeminæ Hippoſelini, quod ſcilicet, Galeno teſte, eius ſit ſuccedaneum. Hinc eſt, quod nomen Petroſelini Macedonici, in hoc ſemen non ſit temere translatum. Nam quum in veri Petroſelini penuria Medici ſuccedaneo eius vti cœperint, factum eſt, vt progreſſu temporis nomen Petroſelini ei ſit inditum, quod etiamnum hodie retinet in officinis. Habet autem Hippoſelinum eaſdem cum Petroſelino facultates, quare merito eius ſuccedaneum exſiſtit. Petroſelinum Macedonicũ.

16 Polii.) Montanum intelligit, quod ceteris præſtat. Hiſtoria & pictura eius eſt in tertio tomo. Polium.

17 Botryos.) Græce & in libro Galeni de Theriaca ad Piſonem, vnde hanc compoſitionem ad verbum deſcripſimus, eſt ἀμώμου, βότρυος ſeparatis dictionibus. Hanc lectionem ſecutus eſt etiam Nicolaus Myrepſius, qui in Theriacæ Andromachi deſcriptione, itidem habet ἀμώμου; βότρυος κελτικῆς, id C eſt, amomi, Botryos Gallicæ. Botryn autem merito Gallicam vocat, quod in Gallia copioſe proueniat, præſertim iuxta Lutetiam. Nam vt Ruellius, vir excellenti doctrina præditus, memoriæ prodidit, hæc herba Pariſienſibus matronis, melius quam Seplaſiis nota eſt, quæ illam odoris ſui, quem de ſe edit, gratia, veſtimentis, pannis, linteis, ac ſtragulis curioſe interponunt, vt ſcilicet hinc odoris ſuauitatem contrahant. Andernacus in libris Galeni de antidotis primo, & de Theriaca ad Piſonem βότρυος vocem parum recte, vuæ conuertit. Andromachus autem in ſuis carminibus, quæ a Galeno iam citatis locis referuntur, non βότρυος, ſed βοτρυόεντος, id eſt, racemoſi, tanquam pręſtantiſſimi meminit Amomi, quod ita dictum eſt, Dioſcoride teſte, quod οἱονεὶ βότρυς ἐκ ξύλου ἀντιπεπλεγμένος ἑαυτῷ, id eſt, ex ligno inſtar racemi ſeu vuæ ſe conuoluat. Hinc eſt, quod Plinius Amomi vuæ non raro, potiſſimũ lib. 12. cap. 13. mentionem faciat. Quare ſi Andernacus, vuæ vocem ab Amomi interiecto cõmate, non diſtinxiſſet, reprehenſione omni eius interpretatio vacaret. Ex iis igitur, quæ iam commemorauimus, manifeſtum D fit, præſentem locum trifariam legi, quod in quibuſdam codicibus, vt monſtratum eſt, βότρυος ſeparatim ab Amomo, vt in libro de Theriaca ad Piſonem, & apud Nicolaum Myrepſium: in quibuſdam vero, vt libro primo de antidotis Galeni, in carmine Damocratis, βότρυος τ' ἀμώμου, pro βοτρυόεντος, aut βοτρυώδους; id eſt, vuæ amomi haud dubie carminis ratione dixit: in Andromachi autem carminibus βοτρυόεντος ἀμώμου, hoc eſt, racemoſi Amomi ſcribatur. Omnes vero iam dictæ lectiones commode ſe habent, & legitimæ ſunt. Nam Andromachus ſua lectione innuere voluit, in Theriaces compoſitionem, eam maxime Amomi partem eſſe adhibendam, quæ vuæ ſiue racemi ſpeciem obtinet. Idem etiam ſignificauit Damocrates, dum vuam Amomi Theriacæ permiſcendam inquit. Qui βότρυος ſeparatim legunt, hi præter Amomum iniiciendam eſſe aliam etiam herbam docent, quæ priuatim Botrys dicitur. Quorum certe ſententia minime damnanda erit. Nam quum inter facultates Theriacæ ea etiam ab omnibus iam dictis auctorib. referatur, quod iis, qui non niſi recta ceruice ſpirant, plurimum conferat, rectiſſime profecto Botrys eius compoſitioni permiſceri poteſt. Siquidem, vt Dioſcorides auctor eſt, hæc ſumta E orthopnœas mulceat. Quum itaq; hæc ſic ſe habeant, parum candide facit Matthiolus, quod tum in altera Dioſcoridis editione, tum in ſuis epiſtolis medicinalibus me immerito flagellat. Nam quum in libro meo de Medicã compoſitione Andromachi, Theriaces compoſitionem retuliſſem, contendebam de ſententia Nicolai Myrepſii non ſolum Amomum, verumetiam Botrym iniiciendam eſſe. Nec dubito, ſi hodie etiam viueret Andromachus, Botryos permiſtionem non eſſet improbaturus. Quum vero eius nullam fecerit mentionem, non alia de cauſſa accidit, quam quod ſibi, quemadmodum forte etiam Galeno, Botrys incognita fuerit. Quod ſi vero eius eſſe mirificam ad aſthmatis & orthopnœæ ſanationem vim Andromachus cognouiſſet, haud dubie illam, perinde ac poſteriores, Theriacæ admiſcuiſſet. Nihil igitur opus erat Matthiolo, vt tot teſtimoniis oſtenderet, Andromachum in ſua Theriaca Amomi tantum meminiſſe, quum idipſum nunquam negauerim. Quod vero inquit fieri potuiſſe, vt Nicolaus Græci ſermonis non admodum peritus, Andromachum non intellexerit, facile Matthiolo conce- F derem, ſi vocem κελτικῆς dictioni βότρυος non adieciſſet. Donemus autem Matthiolo, Nicolaum per errorem Botryos herbæ mentionem feciſſe, quid tandem piaculi erit, Botrym Theriacæ commiſcuiſſe, quum illam non deteriorem, ſed meliorem, magiſque aſthmaticis conferentem reddat? Perperam igitur mordacitatis ſuæ frenos laxauit Matthiolus, quum nihil neq; in me, neq; in Nicolao eſſet quod merito ſugillaret. Ceterum ridiculum eſt, quod Nicolai lapſum Ruellii auctoritate fulcire me voluiſſe inquit, quum nulla alia de cauſſa eiuſdem teſtimonium produxerim, quam vt oſtenderem, Botrym recte à

Botrys gallica.

Matthioli calumnia depulſa.

Nicolao dici Gallicam, quod copiose in Gallia proueniat, adeoq; illic mulieribus notior, quam Pharmacopolis sit. Sed magis mehercle ridiculum est, quod me Germanicam Botrym descripsisse ait, quum hæc ipsa nusquam sua sponte in Germania nascatur, sed hortorum cultum illic perpetuo requirat, ita vt hoc nomine Botrys dici Germanica non possit. Ita quum alios ridere studet Matthiolus, non raro aliis seipsum ridendum propinat. Amomum deniq; nunquam esse racemosum negaui, vt qui illud iam pridem ex Dioscoride, & aliis cognouerim, vt frustra tot congerendis ad eam rem comprobandam testimoniis laborarit Matthiolus. Potuisset itaque hoc etiam loco sibi temperare Matthiolus, nec mihi temere facessere negotium, illumq; referiendi præbere occasionem. Verum permittamus ipsi, quæ vult, dicat, vt interim quoq;, quæ non vult, a nobis audiat. Porro inueniet etiam hic Franciscus Alexander, quæ forte illi pro risu lacrymas mouebunt, vt qui, Matthioli reprehensione apprehensa, me etiam, more suo, pungere voluit. A

Sigillum Lemniū. 18 *Sigilli Lemnii.*) Officinæ Medicorum Terram sigillatam nominare consueuerunt. Non est tamen, quod figulinam illam, qua hactenus vsæ sunt, terram pro Lemnio sigillo vsurpent, hæc enim nullius est momenti, & inefficax, ideoq; abiicienda: sed eam potius, quæ Turcicis characteribus signata est, & quæ colore pallido est, aut dilutius rubet, & saporem adstringentem obtinet. Ea enim etsi pura non est, tamen multo præstantior vsitata exsistit. Legitimum autem sigillum Lemnium est, quod hodie Boli armeni nomine insignitur, vt libro primo diximus. Impostores mercatores, sordidi quæstus gratia, figulino etiam luto colorem adulterinum inducunt, & Turcicas ei imprimentes, qua possunt ratione, literas, verum Lemnium sigillum exprimere ac imitari student. Sed impostura hæc nos, quo minus illud abiiciamus, nihil impedire debet. B

Foliorum Malabathri. 19 *Foliorum Malabathri.*) Intelligenda sunt, quæ hodie simpliciter Folia Seplasiis dicuntur. De quibus quid statuendum sit, in Aurea Alexandrina est indicatum.

Chalcitis. 20 *Chalcitidis tosta.*) De Chalcitide libro primo est dictum. Melior est vsta, quod tenuiorum sit partium. Vrendi autem, siue torrendi eius ratio in Theriaces confectione est exposita. Admiscuit hanc Theriaces compositioni Andromachus, partim coloris nigri conciliandi gratia, qui ab omnibus in theriaca requiritur: partim etiam, vt hinc desiccandi consequatur facultatem. C

Gummi. 21 *Gummi.*) Inaudiendum, quod cum adiectione hodie Arabicum Seplasiis nominatur. Tale vero est, quod ex Acacia Ægypti spina manat. Græcis absoluto sermone Gummi dicitur. Id quia in grumos vermium modo concretum est, ideo a nonnullis Vermiculatum appellatur. Hanc formam quum non habeat id, quod in officinis fere omnibus venale exponitur, ideo adulterinum sit oportet. Non est tamen cur Arabicum vocatum gummi Mauritanis, ob id, vt Matthiolus somniat, non sit id quod ex Ægyptia spina manat.

Vermiculatum.

Cardamomum. 22 *Cardamomi.*) Quod Græcis Cardamomum, id Arabibus Cardumenum, & Cordumenum dicitur: hodieq; desideratur, ac ignotum est, vt libro primo copiose monstrauimus. Quia vero id, quod sub hoc nomine in officinis prostat, & Serapioni Sacolla vocatur, insignibus aromaticis viribus est præditum, gustuq; non secus ac Græcorum acre & amarum exsistit, eius loco rectissime vsurpari potest. D

Sacolla.

Acacia. 23 *Acacia.*) Acacia vera est succus eius fructus, qui decerpitur de spina, vnde Arabicum gummi manat. Hæc hodie raro habetur. Eius vice vtendum succo syluestrium prunellorum diligenter spissato, vt libro primo ostendimus. Is ita conficitur. Pruna syluestria aqua macerata, lento igni ad dissolutionem coquuntur. Colatum ex iis siccatur igni, vel sole complanatur, inque tessellas rubentes & adstringentes secatur. Qui succo foliorum Rhois aut Lentisci, vel Hypocistim pro ea substituere volunt, cum iis digladiandum non erit.

Acacia vsitata vt cōficiatur.

Thlaspi. 24 *Thlaspios.*) Eius herbæ hist. vniuersa ex altero tomo nostrorū de Stirp. hist. Cōment. petenda erit.

Sagapenum. 25 *Sagapeni.*) Officinis Medicorum hodie corrupta voce Serapinum nominatur, vt libro primo est indicatum.

Aristolochia tenuis. 26 *Aristolochiæ tenuis.*) Quæ sit Aristolochia tenuis, puto hodie ab omnibus fere ignorari. Neq; enim Cordo, & aliis assentior, qui hanc esse nostram hodie longam vocatam Aristolochiam existimant, quippe hæc folia magna, lata & oblonga, hederaceaq; habet. Tenuis vero, quæ Clematitis Dioscoridi nominatur, folia subrotunda, minori Sedo siue semperuiuo similia obtinet. Norunt vero omnes, foliorum nostræ Aristolochiæ longæ cum Semperuiui foliis, quæ minime lata, vt illa, sed rotunda, & figuræ oualis, vt vermiculos putes, sunt, nullam esse similitudinem: vt alibi fusius monstrauimus. Non est igitur tenuis Aristolochia, nostra longa. Vtcunq; vero Clematitis dicta Aristolochia non sit longa nostra, tamen quum omnes Aristolochiæ eandem facultatem habeant, & nostra, longæ sit species, licebit ea vti sine errore pro Clematite. Quæ autem vera sit Clematitis Aristolochia in primo nostrorum de Stirp. historia Commentariorum tomo ostendimus. E

27 *Quod satis est.*) Liquoribus & gummi dissoluendis scilicet.

28 *Vt collyria læuigato.*) Id est, in tenuissimum puluerem instar collyriorum, quæ Sieff officinis dicuntur, redigito.

Stannum non est plumbum album. 29 *Vasis vitreis.*) Aut aliis e densa materia: verbi gratia, plumbo albo, quod falso hodie stannum vocant, factis. F

30 *Tempore ad concoctionem.*) Nam, Galeno lib. de Theriaca ad Pisonem teste, concoquitur plurimum duodecim annorum spatio. Qui autem vigentiore validioreq; ipsa vti volunt, etiam quinto anno, & septimo exhibuerunt. Paulus itidem post annum suæ ætatis septimum ea vtendum esse indicat.

A Aetius, vt plurimum, Theriacen per duodecim mensium spatium concoqui scribit. Qui vero ipsa magis vrgente & validiore vti volunt, inquit idem, etiam post vnum mensem ea vtuntur. Nicolaus post menses sex, aut decem, hac vtendum esse præcipit. Perfecte autem post decem exactos annos concoqui, idem scribit. Verum quum Aetius ad verbum hunc locum, temporis mutatione excepta, ex Galeno transcripserit, suspicio est, non recte mensium, pro annorum, & in Aetio, & in Nicolao legi. Est autem validum medicamentum ad triginta vsque annos.

Aetii locus expensus.

Theriaca Dia[1] *Tessaron. Ioannis Mesuæ Damasceni.* III.

ANtidotus hæc ad frigidos corporis affectus, siue in cerebro, siue in ventriculo, aut iecore consistant, nempe epilepsiam, resolutionem, conuulsionem Cynicam, quam *oris torturam* vocant, inflationes ventriculi, tardam eius concoctionem, aquam
B inter cutem, malum corporis habitum, obstructionem, morsum scorpionis, & venenum haustum confert. Recipit *gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ,*[2] *aristolochiæ rotundæ, ana vnc. duas.* Trita curiose omnia mellis optimi despumati[3] lib. duas excipiuntur. Datur ab aureo dimidio, ad aureum vnum.

ANNOTATIONES.

1 Vetus & vtilis hæc est Antidotus, quæ διὰ τεσσάρων dicta est, quod e quatuor simplicibus medicamentis sit composita. Et nomen eius satis testatur, Græcorum esse inuentum. Ab illis enim describens hanc ipsam Ioannes, filius Mesuæ Damasceni veterem inscriptionem mutuari voluit. Ea certe est, quæ hodie etiam a circumforaneis & impostoribus illis, qui epoto, si diis placet, veneno mirifice inflantur, passim pro magna theriaca venditur. Et sciendum hoc loco erit, nos non temere hanc Antidotum inscripsisse Ioanni Damasceno Mesuæ filii. Nam opus illud de Re medica, in quo hæc Antidotus habe-
C tur, non est Mesuæ, vt plerique putant, tribuendum. nam Mesuæ pater fuit Ioannis, qui & ipse filius fuit Hamech, filii Hely, filii Abdolæ regis Damasci. Ioannes igitur Mesuæ filius Damascenus, præfati operis auctor fuit. Quod hic monuisse nos semel, satis sit.

Dia tessaron cur dicta. Ioannes Damascenus.

2 *Aristolochia rotunda.*) Quæ in officinis Medicorum sub hac appellatione prostat, non est Aristolochia, sed potius Capnos, seu Fumaria Aetii, vt altero de Stirp. hist. Comment. tomo demõstrauimus. Vera iam facile ex Heluetia, & Italia haberi potest. Hæc intus solidam obtinet radicem, colore buxi flauo, odore & sapore nostrati Aristolochię lõgæ similis. In huius tamẽ penuria, Fumaria Plinii vti licebit radice, q̃ illa amara & subacris sit, perinde atq; legitimæ Aristolochiæ rotundæ radix. Aut certe nostrate longa.

Aristolochia rotũda.

3 *Libris duabus.*) vt scilicet triplum mellis pondus sit, ad species collati. Alii quadruplum esse sumendum putant, quod mihi non probatur. Siquidem metuendum, ne nimia mellis copia, specierum facultas frangatur & obtundatur. Ceterum hæ duæ Theriaces compositiones Seplasiis sufficere debent. Præstat enim paucas easq; accurata diligentia, & probe paratas, quam multas inutiles, & negligenter confectas,
D habere. Priorem, Andromachi nimirum, pro ditioribus: alteram Dia tessaron dictam, pro iis qui non admodum abundant: aut saltem, Absyrto & Vegetio mulomedicis testib. pro iumentis cõseruãdis. Quare recte Communem nominabimus, quod scilicet tum hominibus, tum iumentis exhibeatur vtiliter.

Mellis quantitas.

Theriaca cõmunis.

Mithridatis Antidotus. Nicolai Myrepsici. IV.

ANtidotus Mithridatis sic ab ipso Mithridate, Põti & Bithyniæ rege, qui eã inuenit, nominata, *Gal. l. 2. de Antidot. teste*, ad eadẽ, q̃ Theriace valet, & ad pleraq; perniciosa medic. & venena est efficacior: in viperæ aũt morsus curatione, theriaca inferior. Priuatim vero facit ad diuturnas vẽtriculi, & thoracis fluxiones, & ad omnes inueteratas in pfundo corporis exulcerationes & abscessus. Tabidis, ventrisq; inflationib. medet, appetẽtiã emẽdat & restituit, ac bonũ corpori colorem cõciliat, Calculos cõterit, ac vrinę
E difficultatẽ sanat. Acuit visum eorũ, qui illa crebri⁹ vtunt. Mortuũ fœtũ eiicit, & ad muliebria omnis generis mala frigida, atq; iis, q̃ nõ cõcipiũt, conducit. Itẽ melãch. nõ finit cõsistere. Omne deniq; capitis malum, ex frigiditate ortũ, dolores auriũ, sacrymãtes oculos, dentiũ cruciat⁹, oris, palati, auriũq; omnia vitia, emplastri forma imposita, sanat. Accipit[1] *styracis, drach. vnam, & scrup. duos. Caryophyllorũ, spicæ, xylobalsami,*[2] *erui,*[3] *lachæ, tragacãthæ, masticbes, galbani,*[4] *gũmi cedri, bituminis castorij,*[5] *gũmi hederæ, bdellij, sigilli Lemnij,*[6] *meliloti, opopanacis, ladani,*[7] *ammoniaci, opij, sulphuris ignẽ non experti, glycyrrhizæ, nitri, succi hypocistidis, acaciæ, rosarum, chamædryos, hyperici, abrotani, pæoniæ, hyssopi, origani, helenij, ligni iuniperi, foliorũ lauri, aristolochiæ longæ, epythymi, peucedani, centaurij, rosmarini, eryngij, balaustiorũ, foliorum myrti, absinthij, raphani, scillæ, carpobalsami, anisi, nigellæ, hyoscyami, cumini, fœniculi, car-*
F *damomi, seselios, sinapi, ameos, sinonis, libystici, rutæ, papaueris, apij, dauci, rapi seminũ, piperis longi, seminis ocimi, amomi, ana drach. vnã & dimidiã. Acori,*[8] *personatiæ, cyclamini, seminis agni,*[9] *cornu ceruini vsti, a. scrup. duos. Balsami, cinamomi, croci, costi, floris iunci odorati, Zingiberis, folij, terebinthinæ, myrrhæ, thuris, casiæ lignea, agarici, nardi Celticæ, rhei Pontici, iridis, asari, dictamni, marrubij, colocynthidos, stichadis, artemisiæ, calaminthæ, scordij syluestris, symphiti, chamæpityos, piperis aloi, piperis nigri, petroselini, rhois culinarij, malabathri,*[10] *nasturtij, quinquefolij, a. scr. vnũ.*

Baccarum lauri, scrup. unum. Vini veteris boni, unciam unam. Mellis[11] *Attici, aut sacchari, quod satis est.* Datur auellanæ nucis quantitate ex vino tepido, cui Saluia sit incocta. A

ANNOTATIONES.

Cordus. Dessennius.

Hæc Mithridatis antidoti componendæ ratio a Pharmacopœis hodie obseruāda erit, & hactenus quidem ex Nicolai Præpositi præscripto parata est: quanquam non recte, propter obscuras aliquot in ea voces, quæ ab ipsis intelligi haud potuerunt. Atq; ea res Valerium Cordum quoq; mouit, vt hac descriptione præterita, alias poti⁹ ex Damocrate, Cleopatra, Antipatro, & Andromacho proferre voluerit. Bernardus quoq; Dessennius Cronēburgius, eadem haud dubie de caussa, legitima hac neglecta, aliam inusitatā hactenus protulit. Sed hic me pungit Franciscus Alexander, quod derelictis primis & clarissimis fontib. Myrepsum in antidotis pro miraculo habeam. Quasi vero non hoc meum sit institutum, vt Pharmacopœos derelicto Nicolao Præposito, abbreuiatore & deprauatore Myrepsi, ad fontes reuocem. Negare enim nemo, ne ipse tantū Franciscus, poterit, quin Myrepsi antidota, quādoquidem illa e Græcis, & Mauritanis descripserit, atq; maxima diligētia collegerit, reliquorum cōpositiones plurimum superare. Quod ipse, si occasio ferret, & locus daretur, per singula vagatus simplicia, demonstrare possem. Neminem vero prohibeo, quin etiam Græcorum compositionibus vtatur. Verum quum illæ hactenus nostris vsitatæ non fuerunt, multis modis præstat, Myrepsi, quam Præpositi illius deprauatoris maximi, vti compositionibus. Id quod etiam hic semel monuisse satis sit, ne toties Francisci cauillationibus, & nullius momenti reprehensionibus mihi respondendum sit. Hanc igitur vt plene Pharmacopœi intelligant, annotationibus nostris illustrabimus. B

Styrax.

1 Styracis.) Quoties in Græcorum libris Styracis fit mentio, semper calamites inaudiendus erit. De quo abunde libro primo huius Operis diximus: ad quem profecto Pharmacopœi perpetuo in difficilioribus, & in iis, quibus nihil annotamus, confugere debent.

Eruum. Succedaneum. Erui.

2 Erui.) Officinæ Græcam potius vsurpantes vocem, Orobum nominant. Hodie eruum vix agnoscitur, vt diximus libro primo, quare quærendum illius succedaneum erit. Non est autem semen vitiæ syluestris, vt hactenus Pharmacopolæ putarunt: etsi enim idipsum desiccat, tamen amaritatis expers est, vt hoc nomine pro Eruo vsurpari nequeat. Quare substituēdum pro eo potius erit semen, ꝙ perinde atq; ipsum, incidēdi, extergēdi, & obstructiones expediendi vim habet: quale est Cicer nigrū, aut Lupini semē. C

Lacha. Triplex lacha. Auicēnæ immensus error deтectus.

3 Lachæ.) Quam Actuarius, aliiq; recentiores Medici Lacham nominant, hanc officinæ Laccam vocare cōsueuerūt, Dioscorides Cancamū. Nō esse autem Cancamum diuersum a Lacca Arabum medicamentum, sole clarius conspiciet, qui Dioscoridis de Cancamo historiam cum Serapionis Lacca cōferre voluerit. Lacca tamen, qua Seplasiarii ac pictores nostra ætate vtuntur, non est posteriorum Græcorum Lacha, siue veterum Cancamum: quod nulla sit apud Dioscoridem nota, quæ illi quadret. Siquidem tres sunt res, quæ Lachæ appellatione veniūt, vt libro primo ostendimus. Tertia est officinarum Lacca, quam Arabes iecoris tollere obstructiones, & ictero, ac a quæ inter cutem conducere tradūt. Auicēna tamen 2. Canone, Laccam bis in diuersis capitib. tāquam rem diuersam, maximo cum errore, sibi tamen familiari describit. Primo sub nomine Keidyth/vel Keiten. quæ haud dubie vox ex Cancamo deprauata est. In hoc vero capite ipsum pingere Cancamum, omnes euidentissime deprehendent, qui modo illud cum historia Cancami conferre voluerint. Deinde non longe post, illam sub Laccæ appellatione describit. Vt hinc quoq; perspicuum euadat, in doctrina Arabum nihil esse solidum, & confusionis expers. D

Gummi cedri.

4 Gummi Cedri.) Hoc Gummi hodie in officinis nostratibus non prostat. Venetiis tamen comparari posset. In huius autem penuria eius succedaneo vtendum, quod Galeno auctore, Ladanum, vel vt Barbari efferunt, Laudanum exsistit. Verum quum Ladanum alias hanc cōpositionem ingrediatur, licebit ꝓ eo vti gūmi abietis, ꝙ eiusdē cū Cedri gūmi sit facultatis, præsertim in curādis vulnerib. & eiiciendis calculis, ad quæ vitia Mithridatis antidotus maxime cōmendatur. Quare opus minime erat, vt hoc loco genuinum mihi infigeret Matthiolus, nisi quod forte mordacitatis nomine celebris esse voluerit.

Gummi.

5 Gummi.) Ita interiecto puncto legēdum erit, ac intelligēdum, Arabicum hodie appellatū, vt supra est mōstratū. Nā Gummi in Mithridatis cōfectione Damocrates, Andromachus, & Aetius meminerūt. E

Melilotū.

6 Meliloti.) Melilotum legitimum a Pharmacopœis vsurpandum. Nam id quo hactenus vsi sunt fere omnes, syluestris est lotus, vt alibi ostendimus, & libro primo monuimus.

Ammoniacum.

7 Ammoniaci.) Seplasiæ adiectione vnius literæ deprauantes vocem, Armoniacum nominant. De quo libro primo diximus.

Personatia.

8 Personatiæ.) Bardanam & Lappam maiorem Pharmacopœi, ac vulgus herbariorum appellant.

Cornu ceruinum vstum. Nicolai locus restitutus.

9 Cornu ceruini vsti.) Hoc loco maxima in Nicolai codice manuscripto, quo nos vnico, quum illum Latio donaremus, vsi sumus, menda subest. Nam illic falso legitur μολίβδου κεκαυμένου, id est, plūbi vsti: quū omnib. constet, plumbum iis, quæ intra corpus sumuntur, medicamentis, ab auctorib. nequaquam permisceri. Legendum vero erit ἐλάφου κέρατος κεκαυμένου, id est, cornu ceruini vsti: vt nos nūc conuertimus. Lectionem autem hanc esse legitimam & veram, omnes Latini Nicolai codices testantur, qui cornu ceruini habent, vbi Græcus manuscriptus codex plumbi legit. Accedit quoq; ratio, lectionem hanc confirmans. Siquidem Cornu ceruinum vstum, dysentericis, vesicæ dolorib. & fœminis fluxione laborantib. confert: ad quę sane omnia vitia Mithridatis Antidotus accōmodatur. Deniq; facilis admodum ab ἐλάφου dictionem in μολίβδου, imperito librario lapsus fuit. Hæc pluribus annotauimus, quod in nostra prima conuersione locus non sit a nobis emendatus. F

Alter Nicolai locus emendatus.

10 Nasturtii.) Et hic locus in manuscripto Nicolai codice est corruptus. Siquidem is καρδαμώμου legit, pro καρδάμου. Non esse autem scribendum καρδαμώμου, hinc omnib. liquet, quod paulo ante in hac cōposi-

tione

A tione Cardamomi sit facta mentio. Inutilis igitur esset repetitio, si iam iterum Cardamomi mentio fieret. Proinde legendum erit, vt diximus, καρδάμου, id est, Nasturtii: quod hanc lectionem Latinus Nicolai codex confirmet, qui statim post Malabathrum subiicit Cardamum. Hunc quoq; locum in nostra conuersione, religione quadam Græci codicis moti, inemendatum reliquimus.

11 *Mellis Attici.*) Quum Atticum non habeamus, pro eo optimum mel odoratum, & despumatum accipiendum. Triplum autem mellis ad species, vt ante quoq; monuimus, inserendum. Mel Atticum,

Mithridatis Antidotus Andromachi. V.

MIthridatium antidotum Andromachi ad lethalia peculiariter efficax, internosq; affectus omnes. Accipit *Glycyrrhizæ, drachmas septem semis; & quaternos obolos. Opij, drach. quatuor, obolos duos. Castorei, drach. sex. Polij drach. quinq;, obolos duos. Costi, drach quinq;, obolos duos. Spicæ nardi, drach. sex, obolos duos. Cassiæ, drach. quinq;, obolos duos. Thuris, drach. sex.* B *Sesel eos, drachmas quinq;, obolos duos. Hypocistidis succi, drachmas sex. Acori, drachmas duas. Scordij, drachmas sex, obolos duos. Folij, drachmas quatuor. Gallij, drach. quinq;, obolos tres. Alij drachmas sex.*[1] *Cipheos, drachmas sex, obolos duos. Myrrhæ, drachmas sex. Croci, drachmas septem, obolos duos. Cinnamomi, drachmas septem, obolos duos. Styracis, drachmas quinq;, obolos quatuor. Dauci seminis, drach. sex, obolos tres. Zingiberis, drachmas septem, obolos duos. Phu pontici, drach. duas. Petroselini, drach. quatuor, obolos tres. Nardi gallicæ, drach. quatuor. Fœniculi seminis, drach. quatuor. Nardi indicæ, drach. quatuor. Hyperici, drach. duas. Gentianæ drach. quatuor.* Alii *drach. duas. Anisi, drach. tres. Thlaspi, drach. sex, obolos quatuor. Meu Athamantici, drach. quatuor.* Alii *drach. duas. Rosarum aridarum, drach. quatuor. Gummi, drach. duas. Cardamomi, drach. quatuor.* Alii *drach. duas. Iunci odorati rotundi, drach. sex, obolos duos. Opopanacis, drach. sex, obolos duos.* C *Opobalsami, drach. sex, obolos quatuor. Galbani, drach. septem. Scinci, drach. duas, obolos duos. Resinæ terebinthinæ, drach. sex, obolos duos. Vini Chij, quod satis est. Mellis attici cocti quantum sufficit.*

ANNOTATIONES.

Matthioli opinio improbata.

Matthiolus libro quinto epistolarum medicinalium, nescio qua temeritate ausus est Mithridatis antidotum Damocratis, ei quod ab Andromacho descriptum est præferre, idq; nulla alia de caussa, quam quod Damocratis compositio agaricum, stœchadem, longum & album piper, balsami baccas, bdellium, Creticum dictamnum, & asarum capiat, quibus omnibus altera destituitur, quæ venenis mirifice resistant. Quasi vero necesse sit, Mithridatis antidotum omnia ea, quæ Theriaca recipit, habere medicamenta. Accedit quod Galenus, grauissimus scriptor, Andromachi compositiones aliis omnibus præferre soleat, ob componendi rationem, quam ille in illis obseruauit paulo exquisitiorem. Sic enim hoc antidotum construxit, vt non solum ad lethalia sit efficax, venenisq; plurimum resistat, verumetiam vt D ad internos alios corporis affectus sane multos, vtilitatem non contemnendam afferat. Deniq; ex eiusmodi medicamentis antidotus hoc constat, quorum hodie fere omnium, excepto Opobalsamo, passim copia haberi potest, vt hoc etiam nomine merito Damocratis & aliorum descriptionibus sit anteferenda. Sed placuit Matthiolo hic & alibi se aliorum sententiæ opponere, vt ipse solus, stertentibus reliquis omnibus, & a veritate deuiantibus, vigil esse & sapere videatur.

1 *Cypheos.*) Et in huius compositione Matthiolus mirifice ineptit. Nam Damocrati, Cypheos compositionem acceptam refert, quæ haud dubie est Mithridatis, vt videre licet apud Aetium libr. 13. cap. 99. vbi Cyphim iis verbis ex Andromachi sententia describit. Matthioli error insignis. Cypheos cōpositio.

Sumito[1] *Vuæ passæ tenuis pinguissimæ detractis pellicula & vinaceis, hoc est, ipsius carnis, drachmas viginti quatuor. Terebinthinæ vstæ, drachmas viginti quatuor. Myrrhæ, drachmas duodecim. Alij drachmas sedecim. Cinamomi, drachmas quatuor. Floris iunci odorati, drachmas* E *quatuordecim.*[2] *Croci, drachmam vnam. Bdellij, drachmas sex.*[3] *Vnguis drachmam vnam. Aspalathi, drachmas duas, & dimidiam. Spicæ nardi, drachmas tres. Casiæ, drachmas tres. Cyperi, drachmas tres, & dimidiam. Baccarum Iuniperi magnarum, drachmas tres, & dimidiam. Calami odorati, drachmas nouem. Mellis quantum satis est. Vini odorati parum. Myrrham, bdellium, & terebinthinam vstam contere cum vino, vt mellis liquidi crassitudinem habeat; dein vuam passam per se probe tritam inijce, simulq; tritis mellis quantum satis est infunde, ac reliqua insperge, formatoq; pastillos, & vtere.* Vtitur autem terebinthina hoc modo. *Terebinthinam conijce in ollam, & triplum, aut etiam plus aqua infunde, & ad ignem adhibe, nihilq; mouendo coque. Vbi vero aqua consumta fuerit, & terebinthina friabilis, vt digitis confringi possit, eam tolle, & ad antidoti confectionem vtere. Si vero insumta aqua adhuc mollior appareat terebinthina, aliam aquã su-* F *perfunde, rursusq; ad ignem adhibe, donec friabilis reddatur.* Datur autem Cyphi per se commode iis qui iecur, ad pulmonẽ, aut renes, aut aliquod aliud viscus exulceratum habẽt.

ANNOTATIONES.

Matthioli lapsus.

1 *Vuæ passæ tenuis.*) Matthiolus manifesto errore accipiendas esse maiores, & nequaquam minores passulas contendit, quum tamen Andromachus diserte dicat, ῥαγὸς λεπτῆς. Nec alio argumento suam

sentētiam confirmat Matthiolus, quam quod laboriosum esse dicat, ab vua passa tenui cutem & vinaceos A
detrahere, nihilq; fere vbi hæc fierent, pulpæ, reliquum fore. Sit sane laboriosum, tamen quum id requirat Andromachus, non est, cur illi non obtemperemus.

2. Croci.) Crocum Matthiolus omisit, cuius tamen vterque, Andromachus scilicet & Damocrates, mentionem faciunt: ita vt eius, quam ipse refert, compositio neutrius sit.

Matthiolus hallucinatur.

3. Vnguis.) Hoc in loco turpissime Matthiolus hallucinatur. Initio enim vnguium Bdellii mentionem facit nullius veteris Medici scriptoris fretus testimonio. Nemo enim illorum vnquam Bdellii vnguium meminit, vt ille somniat, Plinio demto, qui libro 12. capite 9. sic scriptum reliquit. In Bactriano nidor siccus, multiq; candidi vngues. Dubium vero nō est, quin Plinius hunc locum ex poeta quopiam, vt recte censuit Cornarius, vel ex deprauatis Damocratis carminibus descripserit, qui Bdellium, vt liquet e malagmate eiusdem, quod in fine libri octaui de compositione medicamentorum localium Galenus refert, nunc διαυγὴς, id est, pellucidum, nunc vero ὄνυχα, id est, Dioscoride interprete, ἰσωδὸς ὄνυχι, hoc B
est, vngui; non profecto humano, vt Marcellus Plinium haud dubie secutus, interpretatur, sed odorato simile: id quod e verbis Dioscoridis fit euidentissimum, inquit enim, εὐώδης ἐν τῷ θυμιάζ, ἰσωδὸς ὄνυχι, id est, odoratum in suffitu Onychis instar seu similitudine. Quibus sane verbis diserte significare voluit, optimum Bdellium esse, quod incensum ac suffitum Onychis Indici Cōchylii suauem referat odorem. Quum itaque Bdellium colore humanum vnguem non referat, sed odore cum Onyche similitudinem habeat, adeoq; hoc nomine ὄνυξ dictum sit, sole meridiano clarius est, Damocratis versum, in quo legitur βδέλλης ὄνυχάς τε τῆς ἴσας συμφυείας, id est, Bdellii vngues & pares aluminis partes, esse deprauatum. In Bdellio namq; etiam si legitimum fuerit, nulla vnguis humani conspicitur, similitudo, ideo nulli plane sunt vngues Bdellii. Legendum igitur erit in Damocratis carmine: βδέλλης ὄνυχός τε τῆς ἴσον συμφυείας. Sic vero esse legendum, satis liquet ex Charmidis antidoto, quod itidem ex Damocrate citatur, & refertur a Galeno libro secundo de antidotis, vbi ita legitur: βδέλλης ὄνυχός τε τῆς διαυγοῦς ὡς δράχμην. Id est, Bdellii Onychis, seu Onychis instar odorati, & dilucidi drachmam. Idem quoq; fit manifestum ex libro deci- C
mo de compositione medicamentorum cap. 2. vbi Galenus fabullæ malagma describit, in quo sic legitur: βδέλλης ὄνυχος λιτρ. β. Hoc est, Bdellii Onychis libro duas. Ex iis igitur perspicuum fit, Plinium etiam deceptum fuisse, dum loco supra citato, in Bdellio multos candidos vngues conspici scribit, contra ocularem inspectionem, quæ nihil eiusmodi in Bdellio animaduertit. Dubium itaq; non est, quin Plinius mendosum inciderit codicem, in quo scriptum fuit, βδέλλης ὄνυχας διαυγοῦς, id est, Bdellii candidos vngues, siquidem pellucidos, ipse candidos vocauit. Plinii errorem hoc in loco secutus est quoque Matthiolus, dum vngues Bdellii immisceri Cypheos compositioni scribit, optimumq; esse Bdellium, quod vnguibus humanis simile sit, ait. Et ferendum hoc forte erat in Matthiolo, vt qui huius suæ sententiæ Plinium auctorem haberet. Quod autem Cornarii conuersionem apud Aetium tanquam erroneam notat, id iniquissime facit: cogit enim me indignitas rei Cornario, etsi nihil tale de me meritus sit, patrocinari. Nam quum in Aetio vnguis odoratus, & Bdellium diuersis ponderibus distincta, & ab inuicem se- D
parata sint, fieri non potest, vt vnam rem denotent. Bdellium enim drachmarum sex, vnguis autem odoratus, vnius drachmæ pondere ingreditur. Sed ad conuincendam pertinaciam, & immodicam alios reprehendendi licentiam Matthioli, præstat Aetii verba commemorasse, quæ sic habent: βδέλλης ζ ς. ὄνυχος ζ α. Quis igitur hinc non cōspicit Cornarii manibus insignem a Matthiolo factam esse iniuriam, vt qui optima fide hunc Aetii locum reddiderit, tantum obesse debuisset, vt a Matthiolo cauillaretur ipsius interpretatio. Non solum vero Aetius ex Andromacho in Cypheos compositione Bdellium ab vngue separauit, verumetiam Paulus & Nicolaus Myrepsicus idem fecerunt. Nam Paulus lib. 7. 22. de suffimentis & Cyphi sæpenumero separatim mentionem facit Bdellii & vnguis. Primum in suffimento rosaceo, vbi ait βδελλίου, ὀνύχων ἀνὰ Γο α, id est, Bdellii, Vnguium. Nec est quod pro confirmando suo errore Matthiolus dicat, male per interiectum punctum has voces esse separatas, sed illas potius esse coniungendas, atq; ita legendum βδελλίου ὀνύχων, id est, vnguium Bdellii. Quippe in Cyphi magno, quod solare dicitur, separatim vtriusque meminit, inquiens. βδελλίου Γο ς. ὀνύχων μεγάλων β. Id est, Bdellii vncias E
sex. Vnguium magnorum duas. Nicolaus vero Myrepsus sectione 21. suffimento primo Esdræ prophetæ, quod Cyphi dicitur, itidem has duas voces separat, quum ait, Bdellii vncias tres. Et deinde interiectis compluribus aliis medicamentis, Vnguium odoratorum magnorum & minorum singulorum vnciam vnam & dimidiam subiicit. Dein in suffimento sexto, quod Cyphion sacratum nominat, habet Bdellii vnciam vnam & dimidiam, & multis aliis interpositis medicamentis, vnguium odoratorum minorum vnciam vnam. Idem in sequenti mox septimo facit, vbi ita habet. Bdellii, vnciam vnam & dimidiam. Vnguium odoratorum, vnciam vnam. Nec secus illum fecisse deprehendimus in suffimento, vbi inquit: Vnguium odoratorum, costi, spicæ nardi, bdellii, singulorum, vnciam vnam. Et rursus in decimoquinto, vbi ait: Vnguium odoratorum, vnciam vnam & dimidiam. Bdellii, vnciam, dimidiam. Quæ singula ideo prolixius commemoraui, vt Cornarium ab iniuria Matthioli assererem, quem in Cyphi Aetii compositione vnguium Bdellii loco, vngues odoratos perperam vertisse dicit, F
quod scilicet Bdellium ignorauerit suos etiam habere vngues, quum potius ipse falso tribuerit Bdellio vngues, qui in illo nusquam conspiciuntur. Quum igitur contra Græci codicis fidem, & aduersus Dioscoridis manifestissimum testimonium Cornario iniquissime errorem affingat Matthiolus, officii mei esse putaui, vt hominem Germanum, ipse etiam Germanus, aduersus Itali iniuriam, præsertim iam mortuum, & qui a se calumniam amplius propulsare non possit, tuerer, & pro virili defenderem. Moneo autem, ...

Damocratis locus emendatus.

Plinii lapsus.

Cornarius calumnia Matthioli assertus.

A tem, immo maiorem in modum oro Matthiolum, vt iam senex & capularis sibi nonnihil temperet, nec ita temere aliorum sententias bonas, & cum veritate congruentes, pro erroribus falso traducat. Quod ni fecerit, inueniet qui illum pro dignitate tractabunt.

Hamagogos Antidotos. Nicolai Myrepsici, numero 26. VI.

VTilis est ad varia muliebria vitia. Siquidem eas, quæ solito tempore purgari haud consueuerunt, mirifice iuuat. Menses enim elicit, fœtum in vtero mortuum excutit. Eas quæ a partu non sunt purgatæ, expurgat, & sanitati restituit. Calculum vesicæ atterit, & per vrinam expellit. Stillicidium vrinæ, obstructionem iecoris, lienisq; duritiem sanat. Omnibus internis vitiis, cruditati ventriculi, colori doloribus, & nephriticis auxiliatur. Hæmorrhoidas aperit, secundas educit. Vesicam expurgat, ventriculũ
B calefacit, flatus discutit, vomitum compescit, & mulierum vitiis omnino salutaris est. Caueant sibi ab vsu huius antidoti, qui hæmorrhoidibus, ventris profluuio, & dysenteria laborant. Habet [2] *Intybi seminis, acori, amoniaci, atriplicis seminis, fœniculi seminis, singulorum [3] scrup. vnum, grana sex. Anisi, scrup. duos. Aristolochiæ longæ, artemisiæ, casiæ, singulorum scrup. duos, grana quatuordecim. [4] Centaurij minoris. scrup. vnum, grana septem. Centaurij magni, scrup. duos. Dauci cretici, scrup. duos. [5] Ellebori nigri, scrup. vnum. Foliorum lauri, scrup, vnum & dimidium grana tria. Glycyrrhizæ, drach. vnam. scrup. vnum. Lupinorum, drach. duas. Nigellæ, scrup. duos. Myrrhæ. scrup. duos grana quatuordecim. Erui. scrup. vnum. Aluminis, scrup. duos. [6] Petroselini seminis, scrup. vnum. Pyrethri, scrup. duos, grana quatuordecim. Piperis nigri, drach. vnam, scrupulos duos, grana septem. Pulegij, scrupulos duos, grana quatuordecim, Pæoniæ, scrupul.*
C *vnum, [7] grana decem & octo. Cyperi, scrupulos duos. [8] Rutæ seminis, scrup. duos, grana quatuordecim. [9] Stachis, scrup. duos, grana quatuordecim. [10] Sinonis, scrup. duos. Floris iunci odorati. scrup. duos, grana quatuordecim. [11] Saluiæ, apij seminis, vtriusq; scr. vnum, grana quatuordecim. Caryophylli, scr. duos. Capparis radicis, cumini, vtriusq; drach. vn. Mellis attici, aut sacchari q. satis est.*

ANNOTATIONES.

1 Hæmagogos dicta est hæc antidotus, quasi sanguinem educens, quod menses mulieribus eliciat, & hæmorrhoidas occlusas, aperiat.

Hæmagogos cur dicta.

2 *Intybi seminis.*) Sic habet Græcus manuscriptus Nicolai Myrepsi codex. Latinus autem legit Asari. Vtraque autem lectio vera est. Nam vt Asari radix, Dioscoride teste, vrinam cit & menses euocat, ita etiam Intybi semen & ipsum Intybum, Plinio libro 20. cap. 8. teste, decoctum in aqua mulierum purgationibus adeo prodest, vt emortuos partus educat. Quare nihil refert, Asarum an Intybum compo-
D sitioni huic indas, quod ambo ad sanguinis menstrui eductionem conferant. Quum vero σπέρματος vox in Nicolao sit, quæ Asaro accommodari non potest, rectius Intybi, quam Asari legi videtur. Vt in errore versari Matthiolum sit necesse, qui melius esse vt Asarum, quam Intybum huic compositioni addatur, in suis epistolis medicinalibus scribit. Matthiolum sequitur etiam Franciscus Alexander, sed nos Græci codicis lectionem merito anteferimus.

Nicolai Myrepsici locus expensus. Matthioli error.

3 *Scrupulum vnum.*) Sic etiam legitur in codice Nicolai Alexandrini. In Nicolai autem Præpositi vocati exemplari, drachmam vnam scriptam videmus.

4 *Centaurii minoris.*) In manuscripto codice Græco Nicolai, Centaurii minoris nulla fit mentio. Ex Latinis igitur codicibus, qui in vniuersum omnes huius meminere, hanc adiecimus. Atq; hæc ipsa recte huic compositioni adhibetur, quod menses & fœtum, Dioscoride & Galeno testibus euocet. Hoc loco silentio transire non possum Bernharti Dessennii Croneburgii oscitantiam, qui in suo Antidotario vo-
E cato, mihi mendaciter hanc affingit opinionem, quod officinarum Rhaponticum alterum esse Lapathi Dioscoridis genus dixerim, quod mihi ne per somnium quidem vnquam in metem venit. Hoc sane me fateor docuisse, Rheubarbarũ Monachorum appellatum, Lapathi esse speciem, id quod etiamnum sentio. Esse autem Rhapõticum officinarum Lapathi genus, nullibi me dixisse aut scripsisse certo scio. Quare oscitanter mea scripta legisse Dessennium hinc apparet, qui Matthiolum, quem vnice admiratur & colit, secutus, passim me per calumniam reprehendere voluit. Quod, vt ingenue fatear, me plurimum cõmouet, qui cogor adhuc viuus istorum Sycophãtarum experiri morsus. Præstitisset igitur Dessennium prius simplicia cognouisse, quam alios se peritiores falso erroris insimulasse. Sed quid facerent illi Matthioli adulatores, nisi vt Fuchsium arrodant, & mendaciter tanquam errantem traducant. Multo igitur satius erat Dessennium, perpetuo sibi silentium indixisse, ita enim Alumen plumosum officinis dictum, nunquam Alumen esse scissile affirmare potuisset.

Bernhardi Dessennii oscitantia notata. Dessennii ingens error.

5 *Ellebori nigri.*) Sic etiam legit codex Nicolai Præpositi Latinus. Manuscriptus autem Græcus Ni-
F colai Myrepsi liber habet, ἐλενίου μέλανος, id est, Helenii nigri, atqui falsi, non quod nulla prorsus ratione adiectiuum μέλανος, vt Matthiolus putat, cum Helenio conuenire posse existimem, quum reuera Elenium alterum a radice subalbida, album: alterum vero a radice cortice nigro obducta nigrum dici possit: sed quod codex Latinus, vt dictum est, Ellebori nigri etiam habeat, & quod in antidoto Nicolai Myrepsi 26. quæ illam mox antecedit, & quæ ventrem subducit, itidem ἐλενίου μέλανος, pro ἐλλεβόρου scriptum sit, ita vt solenne fuerit ei librario, vt pro ἐλλεβόρου scriberet ἐλενίου. Recte autem in Nicolao Myrepso legi ἐλλεβόρου μέλανος, hinc fit manifestum. Nã, vt Dioscorides auctor est, Elleborus niger προστεθεὶς ἔμμηνα

Nicolai Myrepsi locus emendatus.

Matthioli calumnia expulsa.

ἄγει, καὶ ἔμβρυα κτείνει, id est: Appositus aut vtero admotus menses ducit, & fœtus enecat. Si itaq; vtero inditus & appositus Eleborus niger menses elicit, quanto magis id præstabit, si intra corpus sumatur. Atque hic me iterum Matthiolus perstringit, errorisq; insimulat, dum lib. 5. Epistolarum medicinalium ad Petrum Spezzaloncium Pharmacopœum ita scribit. Adhæc caueas velim, ne in admiscendo Elleboro, Fuchsii opinionem sequaris. Ille enim alioqui vir clarissimus, quod in antiquo Græco Myrepsici ipsius codice legerit ἑλενίου μέλανος, credidit non ἑλενίου legi debere, sed ἑλλεβόρου. Nam cum adiectiuum μέλανος nulla prorsus ratione cum Helenio cõuenire posse cerneret, nõ absque manifesta ratione mendam subesse putauit. Atqui longe alia sum ego opinione, quippe qui Helenium, non Elleborum admiscendum censeam: ea omnino ductus ratione, quod præter id, quod sciuerim Græcum Nicolai codicem numerosis admodum vbique scatere mendis, non videam quid emolumenti in hac paranda Antidoto Elleborum nigrum laboriosum medicamentum, aluumq; non sine incommodo deiiciens præstare possit, præsertim quod ventriculo sit infensissimus, nec menses ciere valeat, nisi pro glande suppositus. Contra vero Helenium, quandoquidem id Dioscoridis testimonio menses & vrinas ciet, flatus expellit, & stomacho vtile est, quæ omnia Antidotus hæmagogos nobis pollicetur. Quo fit, vt credam, immo omnino mihi persuasum habeam, dictionem ἑλενίου neq; amouendam esse, neq; immutandam, sed dictionem μέλανος potius corrigendam. Etenim, vt mea fert opinio, non μέλανος, sed μελανθίου legẽdum est. Hactenus Matthiolus, qui mihi perpetuo altera manu panem, altera lapidem ostendit. Sperat enim me suis blanditiis & magnificis titulis posse demulceri, ne crebris suis obtrectationibus, ac cauillationibus durius respondeam. Quasi vero mihi famæ meæ conseruatio non sit multo, quam istæ suæ Italicæ blandiciæ antiquior & carior. Cur autem Nicolai lectionem immutauerim, iam abunde mihi dictum est. Mirum autem est quod Matthiolus scribat, se sciuisse Nicolai codicem multis mendis scatere, & nihilominus eius lectionem audet alteri Latinorum codicum præferre. Si numerosis mendis scatere sciuit, debuisset profecto eius lectionem tanquam suspectam, damnare potius, quam quæsitis vtcunque rationibus illam alteri anteferre. Ceterum Helenii radicem menses & vrinas ciere nemo inficias ire poterit, atqui constat, idem etiam præstare Elleborum nigrum, & præterea crassos ac pituitosos humores, qui non raro menses, quo minus promanent, remorantur, per aluum educere, quod Elenium efficere nequit. Quum itaq; Elleborus niger vtrunque, nempe menses ciere, & pituitosos humores per aluũ subducere, Helenium autem alterum tantum efficere possit, præstat profecto Elleborum nigrum huic antidoto, quam Helenium admiscere. Nec obstat, quod Matthiolus dicat, Elleborum laboriosum esse medicamentum, aluumque non sine incommodo deiiciens, & ventriculo infestissimum: ita enim, ei potius dicendum erat, quam infensissimum. Nam id verum est, vbi per se, & in magna copia sumitur. Hic vero non admiscetur, nisi scrupuli pondere, habetq; sibi additum Anisum, & alia quæ eius maliciam frenant & obtundunt. Quare merito ἑλενίου dictio e contextu per me amota est; & codicis Græci lectio immutata in ἑλλεβόρου, μέλανος autem vox retenta. Ridenda igitur merito hoc loco nobis venit Matthioli correctio, qui dictionem μέλανος potius esse corrigendam opinatur, & pro ea substituendam esse μελανθίου, non animaduertens, Nicolaum paulo post in hac antidoto ipsius iis quidem verbis facere mentionem, μελανθίου σκρύπολα β. Si itaque ridicula Matthioli opinio procederet, bis vnius & eiusdem medicamenti in vna compositione Nicolaus, quod absurdum esset, meminisset. Non minus vero, ne id silentio transeam, ridiculum est, quod Matthiolus vocem προστεθεὶς apud Dioscoridem, pro glande suppositus, interpretatus est, quum illi potius reddendum erat, pro pesso suppositus. Nam ea quæ menses euocant, non ano, sed vtero supponuntur induntur ue. Sic nunquam non stultitiam suam in aliorum bene dictis suggillandis prodit Matthiolus. At quum Franciscus Alexander falsam Matthioli opinionem sequatur, non est cur ei priuatim respondeamus. Videat autem ne hoc loco Dauus potius quam Oedipus sit. Ego id vere de me dicere possum, me nihil nisi rationibus adiectis temere affirmare, quod tamen subinde Franciscus facit.

Macedonicum.

6 Petroselini.) Latini codices habent Macedonici, vt hinc palam fiat, Macedonicum, vel, vt Myrepsus vocat, Macedonisium, posterioribus Græcis & recentioribus Medicis non esse nisi Petroselinum Macedonicum. E

7 Grana decem.) Latini codices habent scrupulum vnum.

8 Rutæ.) In Latino codice desideratur.

9 Stachys.) Ita legendum, non Spicæ, vt Latini habent codices. Græce enim στάχυος legitur. Stachys enim, Galeno attestante, non solum menses ducit, sed & abortum efficiens medicamentum est, & secundas eiicit.

Matthioli ignorãtia. Sinõ & Sison idem.

10 Sinonis.) Græcus Nicolai codex legit σμύρνης σκρύπολα β. atqui falso. Nam paulo ante iisdem verbis Myrrhæ meminit. Quare hic Latini potius codices sequendi sunt, qui habent Sinonis. Sic enim vtroq; in codice tum Nicolai Præpositi vocati, tum Alexandrini legitur, vt mirari subeat Matthiolum, qui dicit nusquam rei Medicæ scriptores Sinonis meminisse, haud dubie Sinonem diuersam esse a Sisone stirpem credens. Satis autem iis verbis indicat, se Aetium non legisse, qui libro primo ita scriptum reliquit. Σίνων θερμὸς καὶ ὑπόπικρος ἐστὶ τὴν γεῦσιν. ὅθεν οὐρητικός τε ἐστὶ καὶ πεπτικός. Quæ omnia Gal. & post eum Paulus quoque Sisoni tribuit libro octauo de simplicibus medicamentorum facultatibus ita scriptum reliquit. Sison calidus & subamarus gustu est: quare vrinam elicit, & concoquit. Quinetiam Hermolaus in suo Corollario testatur, Sisonem Hippocratem appellare Sinonem & Senonem. Vt hoc in loco

A in loco ſuam ignorantiam aperte prodiderit Matthiolus, quod nuſquam Sinonis mentionem feciſſe rei Medicæ ſcriptores dicere non erubuerit. Mihi deniq; iniuriam facit Matthiolus, quod ſcribit me Sinonem facere ſylueſtris Petroſelini ſemen. Nam id mihi ne per ſomnium in mentem venit. Fateor me quidem in annotationibus in Auream Alexandrinam ſcripſiſſe, Sinonem alios petroſelinum agreſte nominaſſe, atqui illorum ſententiam non approbaui, ſed tantum quo nomine hodie a quibuſdam vocaretur indicare volui. Ita nunquam non calumniatoris potius, quam caſtigatoris officio fungitur Matthiolus. Hoc loco notandus erat nominatim Matthiolo Deſſennius, quod, pudendo admodum errore, Sinonem eandem eſſe cum Sio herbam dixerit, quum tamen conſtet, eas eſſe genere diuerſas, & in diuerſis capitibus a Dioſcoride deſcriptas. Verum nomine eius ſuppreſſo, tantum dicere voluit ſe cogi vt ab aliis qui Sinonem interpretantur Sium, diſſentiat. Bone Deus ſi ego aliquid tale deſignaſſem, hic ſtatim Matthiolus in hæc prorupiſſet verba: Fuchſius hallucinatur, turpiter errat, ineptit, cœcutit. Sed quid ita? quia
B illius dicta nõ, vt Deſſennius, adoro, & oraculi loco habeo. Valeat igitur cum ſuis adulatoribus Matthiolus, & me ad ſatietatem vſq; proſcindat, vt viciſſim ipſe calumnias ſuas refellere, & ipſius errores ſane immenſos & multos detegere ſuis adulatoribus queam.

11 *Saluia.*) Græce ἐλελισφάκη. Latini codices, facili lapſu, propter literarum affinitatem, habent Sabinæ, nullo ſane diſcrimine, quod vtraq; ſtirps menſes moueat, & fœtum eiiciat, licet in iis preſtandis Sabina efficacior ſit. Deſſennius hic iterum, more ſuo ineptit, & Gari legit. Quanquam vbi ſe ſatis torſit, tandem Cari eſſe ſcribendum, propter literarum affinitatem, ait. Sed quæ rogo eſt Cari affinitas vel cum Sabinæ, vel Saluiæ voce? ita ſe paſſim ridendum cum ſuis inſulſis annotationibus propinat Deſſennius. Saluiæ.

Athanaſia Magna Nicolai Myrepſici, numero 13. VII.

C ANtidotus[1] Athanaſia magna, dyſenteria laborantibus, & cœliacis confert, atq; ad fluxum muliebrem vtilis eſt. Facit ad profluuium ſanguinis narium, & eos, qui cibum non retinent in ventriculo. Sanguinis præterea a quacunq; cauſſa natis reiectionibus auxiliatur. Habet *cinamomi,*[2] *caſiæ fiſtularis, ana drach. tres, grana ſeptem. Croci, floris iunci odorati, ſtyracis calamitæ, phu, ſeſelios, ſeminum hyoſcyami, apij, dauci, aniſi, opij, ana drach. vnã, & dimidiã, grana tria.*[3] *Betonicæ, drach. duas, & ſcrup. duos. Spicæ, folij, caſtorij, myrrhæ, lapidis hæmatitis, ſanguinis draconis, corallij rubei,*[4] *momiæ, boli armenij, ſymphyti,*[5] *helenij, acori, aſari, corticis, radicis mandragoræ, polij, folior. lauri, mei, piperis albi & lõgi, ſeminis petroſelini, a. drach. dimidiam.*[6] *Seminis quinqueneruiæ & myrti, roſarum, ana ſcrup. tres, grana quatuor. Succi hypociſtidos, acaciæ, ſeminis oxyacanthæ, & ſucci eius, ana vncias duas. Succi quinqueneruiæ, vnc. tres. Mellis Attici quod ſatis eſt.* Datur pondere drachmarum trium.

D

ANNOTATIONES.

1 *Athanaſia.*) Etſi multæ ſunt apud Nicolaum Athanaſiæ deſcriptiones, tamen hęc, quæ ordine apud hunc inter Antidotos decimatertia eſt, in nonnullis officinis proſtat, & Magna ipſis nominatur. Vtrunque autem nomen, & Magnæ ſcilicet, & Athanaſiæ, accepit ab immenſa eius, quam habet in reprimendis omnis generis fluxionibus, efficacia. Quapropter recte facerent Pharmacopœi, ſi hanc in ſuis officinis paratam haberent. Athanaſia & magna cur dicta.

2 *Caſia fiſtularis.*) Nicolaus Græcus habet, κασίας φισοῦλα. Per eam autem intelligit, quam Actuarius & alii recentiores ξυλοκασίαν, id eſt, Caſiam ligneam vocant: nempe corticem, qui a Galeno quoq; lib. 1. de Antidotis in theriaces compoſitione, & Actuario quoq; ipſo σύριγξ τῆς κασίας, id eſt, caſiæ fiſtula nuncupatur. Inſeritur autem Athanaſiæ propterea, quod Galeno & Dioſcoride teſtibus, leuiter adſtringat. Caſia fiſtula.
E Huc accedit, quod libro ſecũdo de Antidotis apud Galenum, in Athanaſiæ deſcriptione Caſiæ fiat mentio: quæ certe non poteſt eſſe Ægyptia, nigra, ſeu cathartica, hoc eſt, purgatrix, quod illa Galeno ignota fuerit. Quapropter plurimum errat Platearius, qui in ſua ſuper Nicolaum expoſitione, Caſiam pro purgatrice interpretatur: vtpote cuius in hac compoſitione, quæ ventris profluuio aduerſatur, illudq; cohibet, nullus eſſe vſus poteſt. Platearii error detectus.

3 *Betonicæ.*) Huius in Nicolao nulla fit mentio. Quia vero in Latinis codicibus habetur, & in Athanaſia prima, quæ inter Antidotos eſt vndecima, hic quoq; illam inſerere placuit, quod rupta ſanet, & omnibus beſtiarum morſibus ſuccurrat. Betonica.

4 *Momiæ.*) Sic appellat Nicolaus, quam hodie vnius literæ immutatione Medicorum officinæ Mumiam nominant. Per Momiam autem minime accipienda hoc loco erit Serapionis Mumia, quæ non eſt niſi Dioſcoridis, & aliorum Græcorum Piſſaſphaltos, vt libro primo monſtrauimus: ſed Razis & aliorum Græcorum Arabum, & ea quæ hodie in officinis ſub Mumiæ nomine proſtat, & vſitata
F eſt, quæ non eſt niſi tabida ſanies, aut liquamen hominum, aloe, myrrha, & bitumine conditorum, vt libro primo dictum eſt. Id quod e verbis Nicolai fit manifeſtiſſimum, quæ ſunt eiuſmodi: αἵματος ἀνθρώπου τεθνεῶτος ἐπονομαζομένου παρὰ ἰταλοῖς μώμιον, id eſt, ſanguinis humani, qui ab Italis Momion appellatur. Sanguinem, inquit, non oſſa. Vt plurimum errent hodie, qui oſſibus etiam pro Mumia vtuntur. Atqui de Mumia abunde libro primo diſſeruimus, ad quem perpetuo in explicatione ſimplicium ignotorum Pharmacopœi confugere debent. Momia.

Helenium. Capitalis officinarũ & Medicorum error. Arnoldi de Villanoua erratum. Plateaerii expositio qualis.

5 *Helenii.*) Vel vnicus hic locus euidentissime docet, qua fide & diligentia hactenus composita medicamenta passim constructa sint. Neq; enim dissimulandus nobis vlla ratione erit capitalis tum Medicorum (vtpote quorum erat officium hunc ipsum corrigere) tum Pharmacopœorum error, qui hucusq; pro Helenio, proh dolor, auripigmentum, præsentissimum venenum, Athanasiæ antidoto indiderunt. Quod si negare velint, multorum codicum fide & testimonio conuincentur. Nam vbi Græcus Nicolai codex habet ἑλένιον, ibi omnes legunt Auripigmenti. Sic enim Arnoldus de Villa noua, cuius apud imperitos magna est auctoritas, habet in suo Antidotario. Nec aliter legit codex Nicolai Latinus, Ioannis Agricolæ opera Ingolstadii excusus. Errandi autem occasionem omnibus iis dedit Platearius ille, qui in expositione sua, quam Nicolai Antidotario adiecit valde ineptam. Lemnias dictionem Auripigmentum est interpretatus. O inscitiam flagris, & cruce dignam! An non oportuit Platearium, vtpote ex professo Medicum, scire, Auripigmento in hac Antidoto nullum esse relictum locum, vt quod venenum esset nocentissimum, ac erodendi vrendiq; facultate præditum, adeoq; reliquis medicamentis Athanasiam constituentibus maxime contrarium? Atqui & huic erroneæ interpretationi occasionem præbuit Auicenna, qui Auripigmentum datum tussientibus in ouo sorbili, multum valere scripsit. Nam hęc verba in sua expositione Platearius de Auicennæ sententia retulit. De quo sane errore quum alibi copiose disseruerimus, non est cur illum hic prolixius confutemus. Franciscus Alexander errori communi consulere volens, pro Lemnias dictione restituit terræ Lemniæ, pro qua certe barbari, si ea dictio tale aliquid significasset, terræ sigillatæ reposuissent. Nec habet vllum suæ huius coniecturæ probati auctoris testimonium Alexander. Nō ignoro autem terram Lemniam, perinde atq; bolum armeniam, nullo incommodo huic compositioni indi posse, tamen quia Helenii Græcus Codex mentionem facit, & eius radix exsiccata, Dioscoride attestante, cruentas exscreationes sanat, ideo dubium non est, quin pro Lemnias voce depranata, recte Helenii legatur. Hoc tamen adiiciendum erit, Auicennam Auripigmento tribuisse, quod sulphuri ex Dioscoridis aliorumq; Græcorum sententia tribuendum erat: qui illud tussientibus, asthmaticis in ouo sumtum, prodesse memoriæ prodiderunt. Ceterum si Platearius animum paulo magis intendisset, facile cognoscere potuisset, Lemnias vocem per imperitum librarium ex Helenio deflexam ac corruptam esse. Sed hi sunt nostri temporis Medicorum cœcorum duces cœci: vt nihil mirum sit, si in foueam ambo impingentes incidant. Eiusmodi profecto etiam est Bernardus Dessennius, qui & ipse in suo Dispensatorio Auripigmento in Athanasia locum esse voluit. Quare vt ab eius medicamentario libro sibi caueant, tum Medicos, tum Pharmacopolas hortor, quod is sine omni iudicio medicamentorum compositiones corraserit.

Auicennæ error perniciosus. Lib. 5. Inst. Medicarum.

* *Foliorum lauri.*) In Græco est φύλλων δάφνης, foliorum lauri. Nos antea Latinorum codicum fidem secuti, baccarum lauri legimus.

Quinqueneruia.

6 *Seminis quinqueneruiæ.*) Sic appellari Plantagioem minorem, alibi ostendimus. Et monendus nobis hoc loco lector erit, quod omnia, quę vsq; ad compositionis calcem sequuntur, in Latinis Nicolai codicibus desiderentur. Vt vel hinc appareat manifestissime, quantum præstet ex præscripto nostrarum compositionum ac descriptionum, quam aliarum, medicamenta conficere, vt qui singulas ex ipsis fontibus, sane purissimis, hauserimus.

Tryphera Magna Nicolai Myrepsici, numero 210. IIX.

Tryphera magna confert ad omnia muliebria vitia, a frigiditate nata. Datur cum aqua, cui incocta sunt anisum & fœniculum: vel ex vino tepido. Ad stomachi vero mala, ex decocto mastiches, & vino, præbetur ieiunis. Ad muliebria vitia, accipe ex hac antidoto, & adiice illi artemisiam bene tritam, cum oleo [1] moschato, & impone vtero vt linamentum. His qui non concipiunt, potandam præbe cum vino, in balnei inscensu, confestimq; concipiet. Recipit *opij, drachmas duas. Cinamomi, caryophylli, galangæ, spicæ, zedoariæ, zingiberis, costi, styracis calamitæ, calami odorati, cyperi, iridis, peucedani, acori, mandragoræ,* [2] *nardi celticæ, rosarum, piperis, anisi, apij, petroselini, fœniculi,* [3] *sinonis, dauci, hyssopi, hyoscyami, ocimi, ana drachmam vnam. Mellis Attici despumati quod satis est.*

ANNOTATIONES.

Tryphera, quasi delicata dicta est, non quod iucunda & suauis sit, sed quod totius corporis colorem, & oris odorem commendet, & delicatam quandam commendabilis speciei ostentationem præ se ferat. Putredinem enim humorum emendat, & formæ corrumpi cœptæ vitium corrigit.

Oleũ moschatum. Spica seu nardus celtica.

1 *Oleo moschato.* Alii, moschelinum: nonnulli, vt qui barbaram sectantur Medicinam, muscellinum nominant. Eius descriptionem in sectione de Oleis studiosi reperient.

2 *Nardi celticæ.*) Siue Spicæ celticæ. Officinis Spica Romana vocatur. De qua in historia Stirpium plurima diximus.

3 *Sinonis.*) Huius in Latinis Nicolai codicibus nulla fit mentio. Græcus autem codex eius diserte meminit. De illo supra quoq; annotauimus quædam.

4 *Hissopi.*) In prima editione hæc vox manifeste omissa est, typographi negligentia, quum in Gręco Nicolai codice sit ὑσσώπου. Igitur nec studio, nec data opera, vt mihi falso affingit Franciscus Alexander, præterita hæc nobis dictio est. Quum vero opii duas tantum drachmas habeo, id de præscripto codicis Græci feci, qui habet solum L. β.

A

Tryphera Saracenica. Nicolai Myrepsici. IX.

TRyphera [1] Saracenica efficax maxime ad melancholicos omneque capitis, stomachi, & hypochondriorum, quod ex melancholia, aut flaua bile exusta oritur, vitiũ. Accipit *myrobalani citrini,* [2] *casiæ fistulæ,* [3] *oxyphœnici, ana unciam vnam, & dimidiam. Myrobalanorum* [4] *cepulorum, mannæ, ana drach. sex, scrup. duos grana quinq;.* [5] *Rhei indici, violarum, ana vnc. dimidiã. Anisi, fœniculi, ana drach. duas, grana quindecim. Spicæ,* [6] *maceris, ana drach. vnam, grana septem cum dimidio. Myrobalani belli rici, emplici, ana drach. dimidiam, grana quatuor. Ceterum in duabus libris aquæ vncias tres recentium violarum coquito, quoad aqua purpureum contrahat colorem: dein feruefacito oxyphœnicum, & casiam, probeq; subacta colato, & inijcito sacchari libram vnam, & vncias octo, decoquito vsq; ad mellis crassitudinem, ac deinde supra scriptas species bene tritas inijcito, & rudicula subigito.* Postquàm confeceris antidotum, dato de ea castaneæ quantitate.

B

ANNOTATIONES.

1 Tryphera hæc rectius quàm prior est appellata, quod sit iucunda, & delicata. Præcedens, quia amara, per antiphrasin magis id nominis sibi arrogauit. Trypheram Saracenicam Mesues quoq; descripsit, sed hæc Nicolai vsitatior est. Tryphera.

2 *(Casiæ fistulæ:)* Hic per Casiam fistulam intelligenda venit medulla Casiæ nigræ, id quod Latinus Nicolai codex liquido testatur, qui diserte medullæ Casiæ mentionem facit. Accedit, quod Casia cum Oxyphœnico, alio nimirum purgante medicamento, hic coniungatur, & ab alijs speciebus, quæ antidotum hanc constituunt, separetur: quod Nicolao faciendum non erat, si per Casiam hoc loco ligneam accipi voluisset: sed vt redactam in puluerem, instar aliarum specierum iniecisset, plane necesse fuisset. Casia fistula.

C

3 *Oxyphœnici.)* Fructum intelligit, qui hodie officinis barbara & Indica voce Thamar Indus, quasi palmula Indica, nominatur: vt libro primo est expositum. Oxyphœnicum. Thamar Indus.

4 *Cepulorum.)* Sic vocant recentiores Græci fructus, qui hodie Seplasiis myrobalani Chebuli appellantur, vt fusius libro 1. est ostensum. Cepuli. Chebuli.

5 *Rhei Indici.)* Rheum indicum Actuario, & aliis Græcis posterioribus, esse Rhabarbari vsitati hodie genus, libro primo diximus. Eo igitur hoc loco vtendum erit. Vulgares Latini Nicolai codices, ex quorum præscripto Pharmacopœi hactenus sua confecerunt medicamenta, legunt hoc loco simpliciter Indi. Quapropter ad Myrobalanum, Arnoldi de Villa noua exemplo, non tamen sine maximo errore, retulerunt, quum Nicolaus Rheum Indicum intelligat: quod diserte dicat. ῥέν ἰνδικῦ. Et Indicum nominat, vt hac nomenclatura distinguat ab eo, quod a Ponto affertur, & ob id Ponticum dicitur, quod Indico imbecillius exsistit. Rheũ indicum. Pharmacopœorũ & Arnoldi de Villa noua error.

D

6 *Maceris.)* Etsi Macer à Maci distat, vt lib. 1. ostendimus: tamen Nicolaus, quemadmodum etiam Actuarius, per Macerem non nisi id, quod Arabes Macem vocant, intelligit. Debent itaq; Pharmacopœi hoc loco pro macere, quod hodie etiam desideratur, macem vsurpare. Macer.

Tryphera Persica. Ioannis Damasceni. X.

TRyphera [1] Persica, sic quod apud Persas experta sit, dicta: aduersus acutas febres, calidam ventriculi & iecoris intemperiem efficax. Morbis omnib⁹ ex humorum vstione natis confert, sitim restinguit, icterum calidũ ex obstructione sanat. Suffusionẽ a vaporib⁹ biliosis visui incommodantem discutit. Recipit *succorum* [2] *solani,* [3] *intybi, apij,* [4] *lupi salictarij, depuratorum, ana libras duas. Quibus immitte violarum siccarum, aut viridium, & rosarum, ana drachm. tres. Folliculorum senæ, vncias duas. Agarici, vnciam vnam. Prunorum Damascenorum numero quinquaginta.* [5] *Cassutha, vnciam dimidiam. Myrobalanorum, cepulorum, flauorum, Indorum, vnctorum in oleo violato, aut amygdalarum dulcium, ana vncias duas. Spicæ nardi, drach. tres. Coque igni prunarum lento, donec libræ duæ supersint: quibus inijce epithymi, drach. quadraginta. Myrobalani autem oleo amygdalarum dulcium mersi semel ferueant, tollantur ab igne, colentur.* In parte colati dissolue *Thamar Indorum recentium, vncias tres. Mannæ, vnciam vnam & dimidiam. Pulpæ cassiæ, vnc. quatuor. Sacchari violati, vnc. duodecim. Percolentur, vt munda sint a seminibus, & alijs: in reliqua parte, & aceti, libra vna, coq; lento igni. Sacchari albissimi, libras tres.* Adde quod prius in succis est dissolutum, misce, & ad mellis crassitudinem p̃coquas. Postremo adde paulatim *Rhabarbari optimi, vnc. duas. Myrobalanorum citrinorum, vnciam vnam, & dimidiam. Myrobalanorum cepulorum, Indorum, ana vnciam vnam. Belliricorum, emblicorum, ana drach. quatuor. Seminis fumariæ, trochiscorum diarhodon, macis, mastiches, cubebarum,* [6] *spodij, santali rubei, ana drachmas duas. Seminum quatuor, drachmas duas, & dimidiam. Anisi, drachmas quatuor. Spicæ nardi, drachmas duas.* Inuoluantur oleo violato, & reponãtur vase vitreo. Datur pondere vnciæ vnius cum aqua frigida, vel succo intybi, vel solani.

E

F

ANNOTATIONES. A

1 Etsi hæc Tryphera Persica ob caussam antea expositam dicta, vsitata non sit, quod scilicet eius componendi ratio satis longa & negotii plena exsistat: tamen posset pro diuitibus & delicatis parari, vt eius vsus esset in febribus biliosis, & eius generis calidis vitiis.

Solanum. 2 *Solani.*) Hodie corrupta voce Solatrum dicitur.

Intybus. 3 *Intybi.*) Intelligit herbam, quæ hodie Seplasiis Endiuia nominatur, sed legitima, cuius effigiem in historia Stirpium offendent studiosi.

Lupus salictarius. 4 *Lupi salictarii.*) Lupulum officinæ vocant, vt loco iam citato ostendimus.

Cassutha. 5 *Cassuthæ.*) Cuscutam, vt primo diximus libro, Seplasiæ appellant.

Spodii. 6 *Spodii.*) Quale vero vsurpandum sit spodium, in sequenti mox Micletæ compositione dicemus.

Micleta Nicolai Myrepsi, numero 200. XI.

Micleta vtilis est dysenteriæ, intestinorum leuitate laborantibus, inflationibus intestinorum, & ad omnes cœliacos affectus. Habet *myrobalani citrini, cepuli, bellirici, emblici,*[1] *magni vstorum, ana drachmas duas, & dimidiam.*[2] *Nasturtij seminis, drachmam vnam, & dimidiam. Cumini, anisi, fœniculi, ameos,*[3] *carnabadij, ana drachmam vnam, & dimidiam.* [4] *Spodij, balaustiorum,*[5] *sumachij, gummi Arabici,*[6] *mastiches, ana drachmam vnam, grana quindecim.* Conficitur autem hoc modo: *Semina macerentur die ac nocte in aceto, deinde tosta, & exquisite leuigata cum oleo rosaceo fricentur multoties, vt rursus siccentur, & oleum combibant. Fricentur autem manibus. Postea omnia misceantur, & adijciatur Zulapium myrtinum. Irrigata & diligenter subacta exiguo tenuiq; igne decoquantur: dein ab igne remota, tepida in vase recondantur.* Dantur drachmæ tres, aut exagia tria, cum decocto plantaginis vesperi dormituris, aut media nocte. C

ANNOTATIONES.

Rectius inter Antidota roborantia quam magna recenseretur Micleta. Nos communem ordinem secuti sumus.

Myrobalanus magnus. 1 *Magni.*) Per magnum myrobalanum accipiendus is, qui hodie a nigro colore Indus nominatur. Quum enim, vt e Latinis etiam Nicolai codicibus liquet, quinq; Myrobalanorum genera Micletæ compositionem ingrediantur, atque ex iis quatuor, vsitatis hodie nominibus appellentur: vt per Magnum quintum genus, nempe Indum intelligamus, oportet. Quod confusionis vitandæ gratia monendum esse duxi, quum non desint, qui per Magnos, Cepulos accipiant, & recte quidem: sunt enim ceteris maiores, vt suspicio sit, pro μεγάλου legendum esse ἰνδοῦ.

Nasturtium. 2 *Nasturtii.*) Codex Nicolai manuscriptus habet καρδαμώμου: atqui falso. Nam scribendum erat καρδάμου, id est, nasturtii: hoc ipsum omnibus Latinis Nicolai codicibus aperte testantibus. Atq; is sane D error a librario non solum hoc in loco, sed & multis aliis est cõmissus, quemadmodum supra in Mithridatis antidoto ostendimus. Quare non erat cur Franciscus Alexander mihi denuo affingeret, quod ipse hoc loco immutaueram paulo post.

Carnabadium. 3 *Carnabadii.*) Hic locus manifeste declarat, Carnabadium varie a Nicolao vsurpari. Nam supra in aurea Alexandrina, pro Cumino Æthiopico vsus est: vt ibidem diximus. Hic vero pro Careo, seu, vt hodie appellant officinæ, Carui vsurpatur: quod e Latinis omnibus Nicolai codicibus patet, qui pro Carnabadii voce, Carui habent. Non solum vero Nicolaus, sed & Simeon Sethi, vnus ex recentioribus Græcis, Carnabadium vocat, quod Dioscorides & alii vetustiores Græci Careum nominant. Ceterum hic non posse pro Cumino Æthiopico accipi Carnabadium, hinc perspicuum euadit, quod antea cumini in hac antidoto facta sit mentio: adeoq; bis eius compositionem ingrederetur, nisi pro Careo a Nicolao vsurparetur. Neque mirum est, variis modis Carnabadii vocem a Nicolao esse vsurpatam, vt qui e variis quoq; auctoribus suas descripserit compositiones. E

Spodium. 4 *Spodium.*) Quum varie apud auctores Spodium vsurpetur, quemadmodum copiose libro primo huius Operis ostendimus: diligenter cogitandum erit Pharmacopœis, de quo hoc loco Nicolaus sit locutus. Non est autem neq; de spodio Græcorum veterum, neq; Arabum, quod illi spodium cannarum vocant, locutus: quod neutrum in ea medicamenta, quæ per os ingeruntur, vsurpetur, vt loco iam citato monstrauimus. Accipiendum igitur per spodium hic erit, id, quod officinæ hodie ita, de sententia Platearii, appellant: quod non est nisi Ebur vstum, & adstringendi facultate pollens. Eius autem conficiendi modum infra docebimus. Non solum vero Nicolaus, sed & Actuarius, aliiq; recentiores Græci, per Spodium intelligunt id, quod hodie vsitatum est. Nicolaum autem hoc loco idipsum innuere, satis testantur Balaustia, & sumachium illi coniuncta: quæ itidem adstringendi facultatem obtinent.

Sumachiũ Rhus. 5 *Sumachii.*) Nobis ita Latina ratione appellare placuit, id quod hodie Sumac officinæ, Græci atque vetustiores Rhoen nominant. Debet autem eius pulpa sine ossibus vsurpari.

Mastiche. 6 *Mastiches.*) Hæc vox in Græco manuscripto codice desideratur. Verum quum eius in omnibus, F quos viderim, Latinis codicibus mentio fiat, non putaui omittendam esse. Ceterum hæc quoq; compo-

Dessennius. sitio a Bernardo Dessennio Cronenburgio perperam recitatur, vt mirari satis non possim, quum melioribus codicibus parum instructus fuerit, ausum tamen fuisse de compositionibus medic. hoc præsertim tempore, aliquid literis mandare. Nihil igitur mirum, si pro sperata gloria ignominiam referat.

Esdra.

Eſdra. Nicolai Myrepſici. XII.

A Eſdra capitis dolorem ſedat. Phreniticis fronti & naribus illita confert, ſomnumq; accerſit. Oculorum fluxiones ſiſtit. Auribus dolentibus, & exulceratis inſtillatur. Dentium dolorem illita ſanat. Columellæ defluxione tentatæ, longæ tuſſi, & ſpirandi difficultati, cruenta exſcreatibus, interno abſceſſu laborantibus, tabidis, inteſtinorum cruciatibus, ſingultui, & cœliacis auxiliatur. Item regio morbo correptis, & iocineroſis ſuccurrit. Fœminis difficulter parientibus ea imus venter illinitur, & confeſtim fœtum edunt. Sterilibus in internum vteri ſinum imponitur, & poſtquam cum viro coierint, concipiunt. Eſt & dyſentericis, & cœliacis efficaciſſima. Accipit [1] *mamiræ drach. dimid. Amomi drachmas ſex. Floris iunci odorati, drachmas quatuor, ſcrupulum vnum, grana octo.* B *Pyrethri, ſcrupulum vnum, grana octo. Croci, ſcrupulum vnum, grana quatuor. Myrrhæ troglodyticæ, ſcrupulos duos. Styracis calamitæ, ſcrupulos duos, & dimidium, grana quatuor. Petroſelini, ſcrupulum vnum. Tragacanthæ, ſcrupulum dimidium, grana quatuor. Succi hypociſthidis, ſcrupul. vnum, grana octo. Iridis illyricæ, drachmam dimidiam, grana quatuor. Seminis fœniculi, drachmam dimidiam. Dauci Cretici, ſcrupulum dimidium, grana quatuor. Seminis papaueris, drachmam dimidiam. Spicæ, drach. dimidiam, grana quatuor. Foliorum rutæ, ſcrup. dimidium, grana quatuor. Caſiæ. ſcrup. vnum, grana quatuor. Ammeos, ſcrupulum dimidium, grana quatuor. Coſti, ſcrup. dimidium grana octo. Cardamomi ſcrup. vnum, grana octo. Opij, ſcrupulum vnum, grana quatuor. Euphorbij. ſcrupulum vnum, grana octo. Piperis communis, ſcrup. vnum, grana quatuor. Roſarum aridarum, vnciam vnam & dimidiam, drach. vnam, ſcrup. vnum. Opopanacis,* C *drach. ſex. Mei. ſcrup. vnum, grana octo. Lachæ, ſcrup. duos & dimidium, grana quatuor. Lycij Indici, drach. dimidiam, grana quatuor. Caryophylli, ſcrup. duos & dimidium, grana quatuor. Aniſi, drachmam dimidiam, grana quatuor. Foliorum citri, ſcrup. vnum, grana octo. Ammoniaci thymiamatis, drach. dimidiam, grana quatuor. Seminis nigellæ, ſcrup. vnum, grana octo. Sulphuris viui, caſtorij,* [2] *gentianæ, ana ſcrup. vnum, grana octo.* [3] *Cimoliæ terræ, drach. dimidiã, grana quatuor. Sinonis,* [4] *ventriculi mergi, ana ſcrup. vnum, Artemiſiæ, drach. dimidiam, grana quatuor. Hedychroi magmatis, drach. dimid. grana quatuor. Seminis ocimi, lapidis* [5] *iaſpidis,* [6] *florum nerij, cinamomi, anethi, ana ſcr. dimid. gr. quatuor. Bdellij, ſcr. duos.* [7] *Rhois ſyriaci, Rhois culinarij, ana drach. vnam, & dimidiam. Aſari, drach. vnam. Lapidis hæmatitis, drach. dimidiam. Thuris, grana ſex.* [8] *Seridis herbæ, ſcrup. vnum. Teſtæ ſepiæ. ſcrup. vnum, grana octo. Corallij, grana ſeptem. Iuni-* D *peri baccarum magnarum, grana ſeptem. Iuniperi baccarum paruarum, ſcrup. vnum, grana octo. Sanguinis draconis, drach. dimidiam.* [10] *Cinnabaris, hoc eſt, Simphiti, drach. dimidiam, grana quatuor. Peucedani, ſeminis apij, ana grana ſeptem. Piperis albi, ſcrup. duos. Maceris, drachm. dimid. grana quatuor.* [11] *Hermodactyli, ariſtolochiæ, libyſtici, ana drach. dimidiam. Nardi celticæ, drachm. dimidiã, grana quatuor. Calami odorati, ſcrup. dimidium, grana quatuor. Balſami, drach. vnam.* [12] *Mellis attici deſpumati, quod ſatis eſt.* Liquores vino odorato bono macerentur, & parata vtentibus detur. Datur fabæ magnitudine.

ANNOTATIONES.

Etſi hæc Eſdræ Antidotus e numeroſis conſtructa eſt ſimplicibus medicamentis, adeoq; nõ ſine moleſtia confici poteſt, tamen, quia cum Actuarii & Aetii maxime deſcriptione conuenit, & tantum ponderibus diſtat, quorum tamen exquiſitior in Nicolao, quam Aetio aut Actuario ratio eſt, ideo Pharmacopœi ex Nicolai præſcripto Eſdram parare debent. Bernardus Deſſennius Cronenburgius, quum quæ eſt apud Nicolaum Præpoſitum appellatam Eſdram, propter deprauatas in ea paſſim voces explanare non poſſet, eam quæ in Paulo eſt, ab hac tamen multifariam diſſidentem, proferre voluit. Inde omnibus perſpicuum euadit, quam nihil omnino hic vir in hoc argumenti genere præſtiterit. Potuiſſet igitur hanc prouinciam, niſi ſcribendi κακοήθες illum exagitaſſet, aliis ſeſe peritioribus, & magis exercitatis relinquere. — E; *Bernhardus Deſſennius notatus.*

1 Mamiræ.) In Nicolai codice Græco manuſcripto eſt μαμιρά. Quid autem ſit Mamiras, Paulus lib. ſeptimo diſerte explicat, quum inquit: Mamiras radicula eſt herbæ, frequentibus tuberculis nodoſis cincta, quæ cicatrices & albugines extenuare creditur, detergendi nimirum facultate prædita: hæc ille. Non videtur itaque hac delineatione repræſentare niſi radiculam, quæ Mauritanis Doronicum nominatur, quemadmodum fuſius tomo primo noſtrorum Commentariorum de Stirpium hiſtoria oſtendimus. Mamiræ igitur loco, Doronicum Mauritanorum vſurpandum erit. Quum vero neq; hoc hodie ſatis cognitum ſit, præſtat pro eo vti Ormino, quod Dioſcoride teſte itidem albugines oculorum extergere poteſt. Mirum autem eſt, Aetium Mamiræ in Eſdræ prophetæ, aut doctoris antidoto non meminiſſe: quum tamen aliorum omnium ſimplicium, quanquam ordine nonnihil immutato, meminerit. Vtrobiq; autem pondera ipſa exigua admodum ſunt, idq; propter immenſam ſimpli- — F; *Mamira. Doronica Mauritanorum. Mamiræ ſuccedaneum.*

cium copiam: quorum pondera tandem si in vnum coeant, in magnam molem ac iustam quantitatem exsurgunt. A

Gentiana. Amara herba.

2 *Gentiana.*) Nicolaus habet πικρίδος πόας, id est, herbæ amaræ. Per amaram vero herbã intelligere illum Gentianam, ex Aetio primum liquet, qui eius post castorium meminit. Dein ex Paulo, qui nec ipse Gentianam in Esdræ descriptione præteriit. Huc accedit, quod omnibus constet, vix reperiri radicem aliam, quæ Gentianæ radice sit amarior: ita vt quum rem aliquam vehementer amaram esse innuere velimus, Gentiana esse amariorem dicamus.

Cimolia terra. Succedaneum Cimoliæ.

3 *Cimolia terra.*) De Cimolia terra libro primo diximus. Sic dicta vero est, a Cimolo insula: quæ vna est, Strabone in decimo auctore, Cycladum. Græcis alio nomine σμηκτίς, a mirifica abstergendi facultate est appellata. In eius penuria Cretica terra, seu Creta vti licebit, quod & illa extergendi, Galeno libro nono de Simpl. facultatib. cap. 5. teste, vim habeat. Verum hic me erroris insimulat Franciscus Alexander, & me non recte cretam pro cimolia substituisse dicit, quod potius in eius inopia terra lemnia vel armenius bolus, vel hæmatites substitui debuissent. Non nego autem, quin, maxime si adstrictionem quis spectet, huic compositioni vnum e tribus iam commemoratis inseri possit: tamen quum hic sulfur, & gentiana, abstersoria facultate prædita, cimoliam præcedant, dubium non est, Cimoliam propter eandem vim, mox illis subiectam esse. Quum itaque Cimolia extersionis gratia Esdræ indatur, & creta eandem, vt dictum est, facultatem habeat, quæ est Francisci impudentia, vt reprehendere audeat, vbi nullus plane inest error? An non seipsum errare indicat euidentissime, dum fullones in vestium maculis abluendis, Cimolia vti scribit? Non enim has abluit, nisi extergendi sua facultate, ob quam etiam, vt commemoratum est, σμηκτίς, quasi abstergens dicta est. Sed reprehendendi alios immensa libido ita Francisci animum stupefacit, & oculos præstringit, vt quid agat nec intelligat, nec videat. Qui itaq; ab hac immunes sunt labe, facile cognoscent me recte pro Cimolia, si huius inopia laboretur, cretam substituisse, meq; ab errore vacuum esse. B

Mergi ventriculus.

4 *Ventriculi mergi.*) Manuscriptus Nicolai codex hic falso ἱερίας γαστρὸς, pro αἰθύιας γαστρὸς legit: quod ex Aetio satis liquet, qui ita habet, κόπρου τῆς εὑρισκομένης ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς αἰθύιης hoc est, stercoris reperti in ventre mergi. Paulus tamen perinde atq; Nicolaus, ventrem potius quam stercora mergi vsurpandum esse docet, ait enim νηδύος αἰθύιας: id est, ventris mergi. Galenus libr. 11. Simplicium, eius vsum non magnifacit: vt etiamsi prorsus omittatur, qum exigua eius sit quantitas, nihilo deterior sit futura compositio. Mergum Germani ein Daucher nominant. Facile haberi potest. C

Iaspis.

5 *Iaspidis.*) Optima erit vsurpanda, quæ Dioscoridi Thytes, Galeno Iaspis subuiridis, Iunioribus Turcica dicitur, vt libro primo est ostensum.

Nerium.

6 *Fiorum Nerii.*) Etsi Nicolai codex manuscriptus habet ῥοδοδάφνης φύλλων, id est, foliorum Nerii: tamen quia Aetius legit ῥόδων ῥοδοδάφνης, hoc est, rosarum Nerii: & Paulus νηρίου ἀνθῶν, hoc est, florum Nerii, ideo nos quoq; hanc lectionem, tanquam veriorem, secuti sumus. Quanquam, si Dioscoridi credimus, nihil refert, folia an flores Nerii vsurpemus, quod vtraq; aduersus venenatorum morsus præsidio sint. Quid autem sit Nerium, alibi copiose docuimus: nempe in altero de Stirpium historia tomo. Oleandrum vulgus herbariorum vocat. Ceterum quum rarum sit Germaniæ Nerium, nec Pharmacopœis adhuc satis cognitum, licebit vice eius vti Asclepiade, quæ vulgo herbariorum Hirundinaria, & Seplasiis Vincetoxicum appellatur. Quippe vtraq; herba ictibus serpentum medetur. D

Succedaneum Nerii.

Rhus. Obsoniorum. Coriariũ. Syriacus.

7 *Rhois Syriaci.*) Rhois duo sunt genera. Alterum, quod obsoniis inspergitur: ob id obsoniorum, rubrum, & culinarium dicitur. Alterum, a coriorum tinctoribus expeditum: ideoque Coriarium nominatum. Semen eius, quod Sumach officinæ vocant, in Medicum maxime vsum venit. Est vero etiam qui Galeno, & hic Nicolao, Syriacus dicitur, quod in Syria præstantior fere proueniat. Quum vero Syriaci hodie forte nullus sit vsus, præstat Sumachii vsitati pondus duplicare, ac in Esdra conficienda eius drachmas tres vsurpare. Haud me latet quod hoc loco Matthiolus mihi falsam affingat sententiam, quasi nimirum ipse Syriacum Rhoem peculiare quoddam, ac separatum genus faciam. Nam ab ea sententia me esse alienum ex hoc loco omnibus fit manifestum, & ex iis, qui in tertio meorum de Stirpium historia commentariorum tomo in capite de Rhoe scripsi. Vt mirum sit Matthiolum, qui se veritatis amantem esse, passim iactitat, hisce calumniosis interpretationibus haud abstinuisse, præsertim quum has in Lusitano ægerrime ferat. E

Seris.

8 *Seridis.*) Intelligit herbam Latinis Intybum officinis corrupte Endiuiam appellatam. Pro Endiuia vero non lactuca syluestris, vt hactenus est factitatum, sed vera vsurpanda erit: cuius effigiem in tertio Stirpium historiæ tomo dedimus.

Iuniperi Baccæ magnæ.

9 *Iuniperi baccarum magnarum.*) Si magnæ haberi nequeunt, geminetur paruarum pondus.

Cinnabaris.

10 *Cinnabaris.*) Per Cinnabarim hoc loco non accipienda venit recentiorum Medicorum factitia, quæ ex argento viuo & sulphure simul vstis conficitur, & sub nomine Cinnabrii in officinis prostat: sed nec ea quæ Dioscoride describitur, quæ non est nisi liquor ex Aphrica allatus, adeoque a sanguine Draconis recentioribus vocato, haud diuersa, vt libro 1. supra fusius monstrauimus. Quare quum inter se Cinnabaris Dioscoridis, & Sanguis draconis posteriorum Græcorum haud differant, vt per Cinnabarim aliud intellexerit Nicolaus necesse est. Non est autem per Cinnabarim inaudiendum, nisi Symphytum Græcis dictum. Id quod metipse Nicolaus testatur, qui sect. 41. pastillo 135. disertis verbis, Cinnabarim interpretatur Symphytum. Hanc vero herbam, quæ hodie consolida, aut rectius Solidago maior appellatur, Esdræ compositioni recte indi, hinc liquet, quod instar Sanguinis draconis F

hæc ipsa

A hæc ipsa dysentericis ac cœliacis plurimum conferat.[7] Nonnunquam vero Cinnabaris vox apud Nicolaum nostrum Rubiam herbam alio nomine vocatam denotat, vt in compositione Antidoti 62. ad vrinæ difficultatem destinatæ. Rubiam autem alio nomine dici Cinnabarin, Dioscorides memoriæ prodidit, vt in historia Rubiæ alibi fusius docuimus. Quare posset & hoc loco commodissime Rubia tinctorum dicta loco Cinnabaris inseri, quod scilicet regio morbo laborantibus auxilietur, quibus etiam Esdram Antidotum succurrere Nicolaus affirmat. Quapropter quandocunq; vox Cinnabaris in Nicolai compositionibus occurrit, semper per eam Pharmacopœis Symphytum, vel vt ipsi nominant, Consolida maior, vel Rubia tinctorum appellata, intelligi debet. Id quod in prima editione non animaduerteram.

11 *Hermodactyli.*) Hic iterum per hermodactylum accipiendum, quod Arabibus & officinis Behen dicitur, vt supra in aurea Alexandrina annotauimus.

12 *Mellis attici quod satis est.*) Vt scilicet singulis vncijs specierum, ternas vncias mellis adiiciamus. Quod si itaque supputaueris species, sumendæ erunt, ni fallor, mellis optimi odorati lib. vna, & dimidia, cum vnc. tribus. Aetius Esdræ hunc conficiendi modum præscribit. Arida omnia cum croco, castorio, ac hedychroo tundito, & per angustissimum cribrum excutito: Opium vero, myrrham, hypocistidem, bdellium, lycium, ammoniacum in vino macerato. Tragacantham vero per se macerato. Sequenti die rosas Nerii & Serin terito & vnito, ac tragacanthæ similiter probe tritæ: reliqua trita adiicito, & cum succo Arthemisiæ vnito: mel quoq; despumatum ac tepefactum sæpe instillato, ne tragacantha exarescat. Postea arida tusa inspergito, sufficienterq; vnita probe contegito. Sequentibus vero diebus septem aut nouem in sole terito, & vasis vitreis excipito. — B — Mellis adiiciendi quantitas. Conficiendi modus Aetii.

Diacodion. Nicolai Myrepsici. XIII.

Diacodion[1] confert ad omnem cœliacum affectum, item dysentericis, febricitantibusq;, ex aqua pluuiali data: in qua spodium, rhu culinarium, myrtus, & stillatitius C rosarum liquor inferbuerit. Item prodest iis quibus tenui defluxione a capite deuoluta tussis excitatur, & quibus venter acria, & biliosa excernit. Præterea calidæ intemperiei, & cholera laborantibus, nec non peruigilio vexatis. Habet *capitum papauerum candidorum, neq; viridium neq; aridorum, integrorum cum exteriori cortice, tredecim. Rosarum rubearum, drach. duas, & dimidiam. Croci, acaciæ, glycyrrhizæ, ana drach. vnam. Boli armenij, vnc. dimid. Cinamomi, symphyti, hypocistidis, balaustiorum, ana drach. vnam. Baccarum myrti, vnc. vnam. Coralli albi & rubei, rhois culinarij, sanguinis draconis, rhois syriaci, ana scrup. duos. Seminis portulacæ, drach. dimidiam. Capita prædictorum papauerum in aqua pluuiali, donec dimidium eius absumatur, coquito: prius tamen in aqua illa, in qua coquentur, capitibus[2] per biduum maceratis.* D *Dein per[3] saccum colato, & adijcito[4] mellis myrtini lib. vnam, & dimidiam, ac probe subacta iterum coquito, ad mellis consistentiam. Postea deposito ab igne vase, species tenuissime tritas inijcito, & bene subacta in vase recondito.* Datur pondere drachmarum quatuor aut sex.

ANNOTATIONES.

1 Hoc Diacodion medicamento, potius quam Ioannis Mesuæ Damasceni vtendum est, quod cum eo quod Actuarius describit, plane conueniat: & ad vitia illa, ad quæ adhibendum esse diximus, efficacissimum sit. Ita vero a capitibus papauerum, quæ Græcis κωδύαι dicuntur, nominatum est. — Diacodiō vnde dictum.

2 *Per biduum.*) In Græco Nicolai codice manuscripto, tempus macerandi capita papauerum non est expressum: ita vt suspicio sit, codicem hoc loco esse mutilum, præsertim quum in Actuario diserte sit idipsum significatum, qui biduum constituit: & in Latinis quoq; Nicolai codicibus, qui triduum definiunt.

3 *Per saccum colato.*) Græce est σακκέλισον. Sciendum igitur, σακκελίζειν & σακκίζειν frequens esse non E solum apud Nicolaum, sed & Galenum, verbum: hoc est, per saccum colare. Hac colandi ratione frequenter in decoctis, quæ per cocturam aut ad tertias, aut ad dimidias reddita sunt crassiora, quo liquidiora euadant, vtimur. Eandem ob caussam vina etiam olim per saccum transmittebant. Et hodie, aromatis in saccum inditis vinum hoc modo paratur, quod vulgo Claretum & Hippocras vocatur. — Per saccū colare. σακκελίζειν. Claretum. Hippocras.

4 *Mellis myrtini.*) Mel vero myrtinum ita conficitur: Duabus libris mellis optimi despumati, admisce succi baccarum myrti, Myrtillos nominant Seplasiæ, lib. vnam, & ad succi consumtionem coquito. Quia vero ad nos baccæ illæ virides & recentes non afferuntur, vtendum eorundem decocto erit ad Myrtini mellis confectionem. — Mel myrtinum.

Dia Libanu. Nicolai Myrepsici. XIV.

Dia[1] Libanu, id est, *Antidotus e thure*: facit ad eos, qui angina correpti sunt, asthmaticos item, nephriticos, & guttatim mingentes. Destillationes sanat, & ilei dolo- F rem ex vino albo data mitigat. Accipit *castorij, opij, hyoscyami, ana drach. quatuor. Casiæ ligneæ, pæoniæ, styracis, piperis longi, folij, croci,[2] thuris masculi, ana drach. duas. Rhei pontici, amomi, ana drach. vnam, scrup. duos. Myrrhæ, drach. vnam, & dimidiam.[3] Spicæ Indicæ, pyrethri, euforbij, piperis albi, ana drach. duas, & dimidiam. Mellis attici despumati, quod satis est.* Datur pondere drachmæ vnius aut drachmarum duarum cum vino albo calido, cui thus, aut saluia incocta sit.

ANNOTATIONES. A

Dia libanu λίβανος. 1 *Dia libanu.*) Sic enim proferendum, non vt vulgus consucuit, Dia olibanum. Neq; enim ἡ διὰ λιβάνου aliud sonat, quam antidotus e thure: vt interpretati sumus. λίβανος enim thus est Græcis. Et conuenit hæc descriptio cum ea, quæ est apud Actuarium.

Thus masculum. 2 *Thuris masculi.*) Thus masculum, Dioscoride auctore, album est: quum frangitur intus pingue, in suffitu statim ardens, suapte natura rotundum, seu in rotundos globulos singulos, aut geminos testiculorum forma concretum. Hinc masculi cognomen accepit.

3 *Spicæ Indicæ, & pyrethri.*) In Græco Nicolai manuscripto codice hæc duo medicamenta desiderantur. Sed ex Actuario & aliis Latinis Nicolai codicibus adiecta sunt. Non est vero dubium, quin Græcus Nicolai codex hoc loco mutilus sit.

Requies. Nicolai Myrepsici. num. 205. XV.

REquies [1] ad febres continuas & ardentes, omnemq; febrilem affectum, ad febres deniq; acutas confert. Est autem vtilis, temporibus & pulsibus manuum inuncta, ac cordis dolorem mitigat, somnumq; conciliat. Recipit *rosarum, violarum, ana* [2] *drach. tres. Opij, hyoscyami seminis* [3] *papaueris, mandragoræ,* [4] *intybi, lactucæ, portulacæ, & psyllij seminũ, nucis moschatæ, cinamomi,* [5] *zingiberis ana drachmam vnam. & dimidiam. Santali albi & rubei* * *spodij, tragacanthæ, ana scrup. duos, grana quinq;.* [6] *Sacchari candi, drachmam vnam.* [7] *Sacchari & stillatitij rosarum liquoris, quãtum satis videbitur.* Datur *castaneæ quantitate, ex Serapio violato.* B

ANNOTATIONES.

Requies cur dicta. 1 *Requies.*) Sic appellata est ab effectu, quod dolorem obtundat ac mitiget, caloremq; febrium mitiorem reddat: & iis qui hanc sumunt, requiem afferat.

2 *Drachmas tres.*) Hoc pondus in Græco Nicolai codice desideratur, ex Latinis autem est a nobis adiectum. C

Papauer. 3 *Papaueris.*) Quoties Papaueris simpliciter & citra adiectionem mentio fit, semper album inandiendum erit. Hoc itaq; loco semen papaueris albi sumendum.

Intybum. 4 *Intybi.*) Latini Nicolai codices Scariolæ habent. Quum vero Intybum simpliciter prolatum non sit, nisi ea herba quæ corrupta voce officinis Endiuia dicitur. huius potius quam Scariolæ semen hic vsurpandum erit. Quanquam quum vtrisq; eadem sit facultas, parum refert vtrius semen accipias.

5 *Zingiberis.*) Eius in Latinis Nicolai codicibus nulla fit mentio. Tamen quum eius diserte Græcũ exemplar manuscriptum mentionem faciat, & ad frangendam frigidorum ac stupefacientium, quæ præcedunt, vehementiam conferat, omittendum non esse iudico. Vocat autem Myrepsus ζιγγίβερι.

* *Spodii.*) Non est cur hoc loco per Spodium Græcorum intelligamus, sed id potius quod Ebur vstum appellatur. Nam hoc Myrepsi tempore, vt hodie adhuc Spodium nominabant Medici. Scio hoc loco me a Francisco Alexandro notari, quod relictis veteribus ex Myrepso antidota erigam: sic enim loquitur: pertinaciter nimis magisq; quam deceat. Non est igitur vt hanc contumeliam atq; calumniam tacitus præterire possim aut debeam. Siquidem quod veterum Græcorum compositiones relinquo, non fit quod illos contemnam, quandoquidem primus fere fuerim, qui ad eos, tanquam ad fontes, Medicos reuocare studuerim: sed quum eas, duntaxat compositiones quæ in nostris officinis sunt vsitatæ, referre & quidem e fontibus instituerim, factum est, vt paucas admodum veterum attigerim. Vtinam vero aliquæ etiam eorundem in vsum reuocentur. Quare optarem Alexandrum in suis reprehensionibus non raro fuisse circumspectiorem. D

Saccharũ candi. κάντιον. 6 *Sacchari candi.*) In Latinis codicibus desideratur. Non est autem omittendum, quod in Græco sit κάντιν. Saccharum autem candi solenne est Nicolao, vt κάντιον appellet, vt alibi fusius ostendimus.

7 *Sacchari.*) Alii codices habent, Mellis quod satis est. Sed quum in Græco Nicolai codice sit σάκχαρος, & hæc antidotus maxime febribus continuis & ardentibus conferat, cũ saccharo, & stillatitio rosarũ liquore hanc potius, quam cum melle, cui calefaciendi facultas inest, vt conficiamus præstat. Ceterum neque hæc antidotus, neq; ea quæ sequitur philonis in Dessennio integra est, ideo hortor Pharmacopolas omnes, ne in parandis compositionib. eius præscriptum sequantur. Quod semel hic monuisse satis sit. E

Philonium [1] *Galeni.* XVI.

PHilonis antidotus pollet contra colicos cruciatus, iecoris, & lienis. Calculo renum, & difficultate lotii laborantibus auxiliatur. Phlegmonem costarum, pleuritimue, & omnem intestinorum dolorem leuat. Datur *stomachicis nausea vexatis, vomiturientibus & vellicato mordicus vẽtriculo singultientib. dissolutis in quotidiana febre, sanguinem exscreantib. tabidis, tussientib. destillationeq; laborantibus.* Somnũ accersit. In summa, medicamentũ est, q mirifice dolorẽ sopit. Habet *croci, drach. quinq;. Pyrethri, euphorbij, spicæ nardi, ana drach. vnam. Piperis albi, hyoscyami, ana drach. viginti. Opij, drach. decem. Mellis despumati optimi, q satis est.* Datur *Ponticæ nucis quantitate.* F

Datur Ponticæ nucis quantitate.

ANNOTATIONES.

1 *Galeni.*) Sic appellamus, non quod a Galeno compositum sit, sed quod idipsum ex Philonis Philosophi & Medici Tharsensis sententia Galenus, libro nono de compositione medicamentorum localium prodi-

A prodiderit. Recenset & hanc Nicolaus Myrepsus Sect one prima, Antidoto 243. Actuarius item ac Paulus, sed ponderibus variatis. Quare hoc quod nunc descripsimus, legitimum est philonium; etsi alia duo quæ sequuntur, hactenus fuerint vsitata. Et Galenus loco iam citato, hoc ipsum tanquam probe compositum a Philone, laudat eiusq; compositionis rationem exponit, quam quiuis ex illo cognoscere poterit.

Philonium[1] *Maius,*[2] *siue Romanum. Nicolai Myrepsici, num. 303.* XVII.

PHilonium Romanum, idem quod præcedens potest. Accipit *piperis albi, hyoscyami, ana drach. quinq. Opij, drachm. duas, & dimidiam*[3] *Casiæ ligneæ, drach. vnam, & dimidiam. Seminis apij, drach. vnam. Petroselini, fœniculi, dauci Cretici, ana scrup. duos, grana quinq. Croci, scrup. dimidium. Spicæ nardi, pyrethri, zedoariæ, ana grana quindecim. Cinamomi, drach. vnam, & dimid. Euphorbij,*[4] *myrrhæ, castorij, ana drach. vnam. Mellis optimi, quod satis est.* Datur nu-B*cis auellanæ quantitate.*

ANNOTATIONES.

1 *Maius.*) Sic vocarunt, quòd ex pluribus quàm præcedens, ab ipso Philone compositum, constet medicamentis. Nam præter ea quæ Philo prodidit, pleraq; alia adiecta sunt, vt ex vtriusq; collatione liquido patet. Maius.

2 *Romanum.*) Dictum esse nonnulli putant ab Auicenna, Canone quinto, summa 1. tract. 1. quod Romæ sit a Philone conditum hoc medicamentum. Mihi alia ratione sic esse vocatum videtur. Nam etsi Philo, qui Tarsensis, ac diui Pauli compatriota, adeoq; ciuis Romanus fuit, Romæ fortassis Medicinam fecit, illicq; hoc confecit medicamentum: tamen non ideo Romanum dici potuit, quod plurimum sit immutatum, nec tale exsistat quale ipse cōposuit. Quapropter Romanum potius est nominatum, quod post Philonem Medici Romani aliqua simplicia adiecerint, & deinde pro Philonis Antidoto, hoc ipso C Romæ vti cœperunt, indeq; Romanum dixerunt. Romanũ cur dictũ.

3 *Casiæ ligneæ.*) Casia lignea, semen Petroselini, opii, fœniculi, dauci Cretici, zedoaria, cinamomum, myrrha, & castorium, in Philonis compositione non fuerunt, sed a posteris adiecta sunt omnia.

4 *Myrrhæ castorii.*) Hæc duo medicamenta in Latinis Nicolai codicibus desiderantur, pro iis Costum substituentibus. Nos autem illa ex Græco Nicolao adiecimus, idq; vt faceremus, Galenus nos monuit: qui loco paulo ante indicato diserte scribit, alios myrrham & castorium admiscuisse. Quapropter hæc descriptio Philonii Romani, quam nos afferimus, integra est, vt quæ omnia à Philone prodita medicamenta habeat: tum etiam ea quæ ab aliis esse adiecta, Galenus memoriæ prodidit. Quæ in Græco Nicolao manuscripto est, mutilam esse constat, vt quæ opium, quod maxime requiritur, non habeat. Est & ea quæ in Latinis habetur codicibus, manca, vt quæ myrrham & castorium omiserit. Nos itaq; collatione vtrorũq; codicum hāc perfecimus, qua deinceps Pharmacopœi pro Romano, ceteris abiectis, vti debēt.

D *Philonium Persicum. Ioannis Damasceni.* XIIX.

PHilonium[1] Persicum ad sanguinem vndecunq; manantem confert. Quapropter menses immodice erumpentes, hæmorrhoidas, & cruentas excretiones per inferna: itemq; sanguinis sputum compescit, ac fœtum in vtero retinet. Recipit[2] *piperis albi, hyoscyami, ana drach. viginti. Opij, terræ sigillatæ, ana drach. decem. Lapidis hæmatitis, croci, ana drach. quinq. Castorij, spicæ, euphorbij, pyrethri, margaritarum non perforatarum,*[3] *succini, zedoariæ, doronici,*[4] *pastillorum ramich, ana drach. vnam.*[5] *Succi semperuiui, scrup. vnum. Mellis rosacei optimi, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

1 *Persicum.*) Sic dictum putatur, quod a Persis inuentum sit. Persicum.

E 2 *Piperis.*) Cordi medicamētarius liber, & omnia Mesuæ, quæ vidi, exemplaria, legunt Papaueris, sed mendosissime. Scribendum enim erit, vt nos emendauimus, Piperis. Quod in primis ex Auicenna liquet qui Philonium illud itidem describit, atq; hic diserte Piperis albi mentionem facit. Accedit huc, quod in nulla alia Philonii descriptione Papaueris mentio fiat: & quod piper inter ea quæ opii vehementiam refrenent, numeretur. Nec est cur quispiam hic Matthioli sequatur sententiam, qui libr. 5. suarum epistolarum medicinalium me non recte Cordum reprehendisse scribit, quod non piper, sed papauer, album imponendum sit, ita enim habere Mesues codicem, qui ad manus est. Id quod non sine ratione factum videtur, quod vbi sanguis abrupto vase fluat, nullo pipere opus sit, sed eorum quæ sua frigida vi, sanguinem crassiorem reddant, & fluxionem sistant. Recte itaq; faciunt, vt mea fert opinio, qui piper negligentes, papaueris semen addunt. Nam quum ad coercendam opii malitiam, & croci & castorii satis excipiat antidotus; non video cur opus sit addere piper, vt magis incalescat, vbi opus sit potius refrigeratione. Hæc est Matthioli, bella mehercle, quæ meam impugnat sententiam, ratio, quam fa- Cordus errat. Matthioli sententia improbata.
F cile in ipsum retorquebo. Nam quod dicit ita habere Mesues codicem, qui ei ad manus est, probe etiam tacente Matthiolo, nõueram, vt qui dixerim disertis verbis, omnia Mesues exemplaria sic habere. Quod vero subiicit, id non factum esse citra rationem, quod scilicet vbi rupto vase emanat sanguis, nullo pipere opus sit; sed medicamentis frigidis sanguinem incrassantibus & fluxionem sistentibus, ridiculum vtiq; est. Cur enim Matthiolus eadem ratione ex philonii istius compositione non etiam

Euphorbium & pyrethrum, quorum vtrunq; pipere calidius est, abiiciendum esse censet? Accedit, quod A
Philo Tarsensis suum quoq; Philonium laudat, & vtile esse sanguinem exscreantibus tradit, quum tamē
illius compositionem non solum piper, sed & pyrethrum atq; Euphorbium ingrediantur. Quum itaq;
persicum Philonium ad exemplum Tarsensis sit compositum, & in eo hyoscyami & opii tantum men-
tio fiat, qua igitur de caussa huic Matthiolus, motus quidem exemplaris deprauati auctoritate, papaueris
albi semen admiscendum esse contendit? quum tamen Auicenna, ex quo Mesuæ suum hoc philonium,
vt alia fere omnia, mutuatus est, & ad verbum descripsit, vt illa inter se collata euidentissime monstrant,
piper album, non papauer, miscuerit. Recte igitur faciunt, qui Matthioli friuolis & nullius momenti
rationibus contemtis, papauer album negligentes, piper album adiiciunt, quum falsissimum sit quod
ipse dicit, ad opii malitiam corrigendam coercendamue croci & castorii sufficere misturam. Quum e-
nim hyoscyami albi semen pondere drachmarum viginti, opii autem drachmarum decem huic com-
positioni indantur, & croci atq; castorii vna duntaxat drachma addatur, fieri nequit vt tantilla portio B
tantam opii & hyoscyami quantitatem refrenare queat, piper quoque adiectum est. Vt sole clarius sit,
Matthioli sententiam esse falsam, & in hoc tantum productam, vt me de errore accusandi rationem
haberet, & superior aliis videretur. Sed iam satis nota omnib. Matthioli arrogantia est, vt opus non sit.

Succinum. Pastilli Ramich. Succus semperuiui.

3 Succini.) Officinæ Charaben, vt libro primo indicatum est, nominant.
4 Pastillorum Ramich.) Descriptionem illorum pete ex sectione de Pastillis.
5 Succi semperuiui.) Mesuæ Caphuram, vel (vt ipse loquitur) Camphoram habet. Quia vero Caphu-
ra, quæ bituminis species est, refrigerare nequit, sed potius calefacit, vt in Commentariis nostris super
nonum Galeni de Simplicibus medicamentorum facultatum librum demonstrauimus: ideo e contextu
hanc ipsam eiecimus, & pro ea Semperuiui succum substituimus. Id quod in multis etiam aliis composi-
tionibus fecimus.

PERORATIO.

Hactenus confectiones magnas, & Opiatas vulgo vocatas, descripsimus sedecim. C
Quas vtiq; sufficere arbitramur, ne scilicet nimia harum copia fiat, vt vel negligenter a
Pharmacopœis parentur, aut neglectæ iaceant, raroq; in vsum Medicum veniat. Nam
quod sæpe diximus, præstat habere paucas, & eas quidem diligenter constructas, quam
plures nulla nec arte, nec diligentia compositas.

DE ANTIDOTIS ROBVR CORPORI ADIICIENtibus, liquidis, siue Electuariis, Sectio III.

Dia Castoriu. Nicolai Myrepsici, numero 27. I.

ANtidotus e castorio succurit *vertiginosis, comitialibus, apoplecticis, resolutione correptis,*
tremulis, omnibusq; frigidis morbis. Habet *castorij,*[1] *myrobalani, ana drach. tres. Aloes fla-* D
uæ, drach. vnam, & dimidiam.[2] *Scordij, myrrhæ, euphorbij. ana drach. vnam, grana septem. Folij*
[3] *artimonij, id est, pyrethri, tragacanthæ, calami odorati, nitri, galbani,*[4] *senæ, floris iunci odorati, spi-*
cæ, opopanacis, rhei Pontici, sagapeni, styracis calamitæ, Zingiberis, cinamomi, ana drach. vnam, gra-
na duo.[5] *Staphydis syluestris, seminis dauci, fœniculi, petroselini,*[6] *cumini lati,*[7] *nigellæ, sinonis,*[8] *pe-*
trolei,[9] *styracis rubeæ, sanguinis draconis, thuris, salis ammoniaci, zedoariæ,* * *anisi, ana drach. tres,*
& dimidiam; scrupulum vnum.[10] *Thymbræ, hyssopi, chamædryos, pulegij, origani, balsami, balsa-*
mitæ, seminis ocimi,[11] *brancæ vrsinæ, dictamni, aristolochiæ rotundæ,*[12] *brassicæ syluestris, asari, sal-*
uiæ, rosarum, bdellij, ana scrup. dimidium.[13] *Ambaris, grana decem. Ossis cordis ceruini, drach. tres.*
[14] *Ossis naris purpuræ, drach. vnam. Epithymi, polypodij, opobalsami, ana scrup. dimidium, granum*
vnum. Betonicæ, grana vndecim. Anacardij, sabinæ, gentianæ, foliorum mandragoræ, ana grana E
decem.[15] *Serici vsti, scrup. dimidium. Peucedani, absinthij, ana grana septem. Iridis, scrupulum di-*
midium, granum vnum. Mellis despumati optimi, quod satis est: hoc est, triplum. Datur *Ponticæ*
nucis quantitate.

ANNOTATIONES.

Antidotus e castorio hactenus recte parata non est. Cordus.

Dia castoriu Antidotus hactenus nullis in officinis recte parata est, quod scilicet eius descriptio in La-
tinis Nicolai codicibus, quibus Pharmacopœi vsi sunt, legitima non fuerit. Neque etiam quam Va-
lerius Cordus in medicamentario suo libro refert, a vulgari quicquam distat. Quapropter iuxta hanc
nostram, quæ e Græco Nicolai codice ad verbum transcripta est, descriptionem, deinceps Dia castoriu
Antidotum conficient Pharmacopœi: Quod vt rectius possint, annotationibus illam illustrabimus.

Myrobalani.

1 Myrobalani.) In Græco Nicolai codice non exprimitur genus Myrobalani, quum enim easdem F
fere facultates habeant, parum refert vtrum accipiamus. Verum quia Latini omnes codices flauorum,
quos Citrinos hodie nominant, mentionem faciunt, & statim etiam aloe subiicitur, illi præ ceteris ad hu-
ius Antidoti compositionem sunt adhibendi.

Scordium.

2 Scordii.) Græcus Nicolai codex habet σκορδόγαιαν: & statim dictionem hanc explicans subiicit,
quod Italis Asa fœtida dicitur. Per asam autem fœtidam Nicolaus non id quod hodie ita nominant

officis

officinæ, intelligit: sed stirpem, quæ aliis Græcis Scordion vocatur, vt in Annotationibus nostris super Nicolaum copiose monstrauimus. Proinde ne Pharmacopœi in hac voce hærerent, Scordium conuertimus. Vt hinc perspicuum fiat, errare plurimum Pharmacopœos, qui mendosos secuti codices, Asam fœtidam, rem fœtidissimam, & ob id Diaboli stercus Germanis appellatam, in huius medicamenti compositionem vsurpant.

Seplasiorū error.

3 *Artimonii.*) Hanc dictionem studio in contextu reliquimus, vt hac ratione aliorum codicum erratum detegeremus, qui in vniuersum omnes Antimonii legunt, adeo vt Cordi etiam liber medicamentarius hoc errore haud vacet. Artimonium vero esse pyrethrum, metipse Nicolaus, qui sic vocem hanc interpretatur, docet.

Artimonium. Cordi immēsus error.

4 *Sena.*) Eius in Latinis codicibus nulla fit mentio.

Sena.

5 *Staphydis syluestris.*) Officinis Staphys agria nominatur.

Staphys syluestris.

6 *Cumini lati.*) Græce est πλατυκυμίνου. Latini codices habent, Sileris montani. Vt suspicio sit, Nicolaum per latum Cuminum intellexisse semen, quod Seplasiis Siler montanum appellatur. Nihil vero refert hoc an illo vtamur, quod eiusdem sint facultatis. Et hoc loco Franciscus Alexander, communem aliorum errorem secutus, Seseleos semen inserit. Quum latum hoc semen, quod Siler montanum officinæ nominant, Ligustici potius sit, vt tomo altero nostrorum de Stirpium historia monstrauimus.

B

Cuminū latum.

7 *Nigellæ.*) Et hæc in Latinis codicibus desideratur. Vt hinc pateat, Græcum Nicolai codicem Latinis plurimum præstare.

Nigella.

8 *Petrolei.*) Per petroleum intelligit oleum naturale, quod e petris & saxis emanat: quod non est nisi bitumen liquidum, vel colamen bituminis. Babyloniis olim Naphtha dictum, vt fusius libro primo ostensum est. Nicolaus superstitione quadam ductus, vnguentum seu oleum S. Barbaræ vocat, quæ quidem ad nostra vsque secula durauit, hanc pulcre confirmantibus cucullatis illis fratribus qui S. Catharinæ, & S. Waltburgis oleum vocarunt: sanctimoniæ specie ab imperitis & simplicibus, vt fuerunt, & adhuc hodie sunt, ad fucum faciendum instructissimi, pecuniam emungentes.

Petroleū. Monachorū impostura.

C

9 *Styracis rubeæ.*) Quid sit Styrax rubea, libro primo expositum est.

Styrax rubea.

* *Anisi drachmas tres, scrupulum dimidium, grana octo.*) Nescit hoc loco Franciscus Alexāder, qua fide adductus ita legam. Respondeo me, vt candide verum fatear, Latini codicis lectione deceptum esse, qui habet drach. tres semis, scrup. octo, quum tamen Græce sit σιτάρια κ'. id est, grana viginti, quæ coniuncta scrupulum vnum constituunt. Quare non octo, sed vnus scrupulus accipiendus erit.

10 *Thymbræ.*) Thymbra non est nisi syluestris Satureia. In cuius penuria, satiua vti licet.

Thymbra.

11 *Brancæ vrsinæ.*) Acanthum Græci & Latini nuncupant. Non est autem pro Branca vrsina, vsurpanda ea quæ sic hodie appellatur herba, hæc enim est Dioscoridis, & aliorum Græcorum Sphondylion: sed spina alba vulgaris, in primo de Stirpium historia tomo nobis descripta.

Branca vrsina. Succedaneum Brancę vrsinæ.

12 *Brassicæ syluestris.*) Græce est κράμβης ἀγρίας. Hæc Dioscoridi pingitur. In eius penuria, satiua, quæ easdem obtinet vires, vti licet.

Brassica syluestris.

D

13 *Ambaris.*) Tria hæc, nempe ambar, os cordis ceruini, & os naris purpuræ, in Latinis codicibus desiderantur: vt hinc quoq; innotescat, quanto Græcus Latinis codicibus præstet.

Desiderata in prioribus codicibus.

14 *Ossis naris purpuræ.* Intelligit Blattium bizantium, aliis iunioribus Græcis dictum. Seplasiæ Blaccam bizantiam appellant. Per os autem naris purpuræ, non inaudiendum esse nisi purpuræ operculum, libro primo huius operis abunde monstrauimus.

Os naris purpuræ.

15 *Serici vsti.*) Et hoc in Latinis desideratur codicibus. Sic passim manca Latina Nicolai exemplaria esse constat.

Dia Satyriu. Nicolai Myrepsici. Sect. 1. cap. 65. II.

ANtidotus e Satyrio valet *ad liberorum procreationem, ad venereorūq; frequentiorem vsum vtilis est.* Venerem namq; stimulat, eamq; certa de caussa cessantem haud segniter restituit. Renum & vesicæ imbecillitati succurrit. Præterea iis qui coire nequeunt, auxilio est. Voluptatem quoq; excitat. Accipit [1] *satyrij viridis,* [2] *dauci satiui, radicum, nucis Indicæ, pistatiorum,* [3] *eryngij radicis, nucum pinearum, ana drach. 12.* ℔ *Zingiberis, anisi,* [4] *sinapi albi,* [5] *linguæ auis seminis, ana drach. quinq; Cinamomi,* [6] *scincorum caudæ,* [7] *seminis bulbi, ana drachm. duas. Moschi grana 7. Mellis despumati optimi,* * *quod satis est, Satyrij, dauci, & eryngij radices singulæ priuatim & seorsim bene tritæ melli imponuntur, ac subiguntur, paululumq; molliusculo igne feruescunt, dein pistacia & nuces pineæ repurgatæ ac tusæ adijciuntur. Vbi cum melle aliquantulum bullierunt, sublato ab igne lebete, tusæ & cribratæ species adduntur. Postremo moschus cum exiguo stillatitio liquore inseritur. Rursus hæc probe subacta in vasculum ad vsum reconde.* Datur cum veteri vino vesperi dormituro drachma vna.

E

ANNOTATIONES.

F

1 *Satyrii.*) Officinæ non sine errore radicem Satyrii basilici, quod illis Manus Christi dicitur, ad Antidoti e satyrio confectionem vsurpant. Siquidem nullum ad libidinem impetum excitat, nec vllas ad stimulandum coitum vires obtinet. Debent igitur in veri Satyrii, quod hodie a nullis cognoscitur, penuria, vti radice Orchios, seu Cynosorchios, quæ ad stimulandum coitum, Dioscoride & Galeno testibus, vim obtinet. Non autem vtendum nisi radice eius solida, quod flaccida venerea magis inhibeat.

Officinarum error. Satyrium.

Daucus. *2 Dauci.*) Cretici radix etiam ad vsus Medicos adhibetur: in aliis generibus seminis vsus duntaxat inualuit. Matthiolus locum hunc a typographo corruptum suggillauit, parum quidem candide. Nam quum hunc ex Dioscoride esse productum intelligeret, facile illi erat coniectare, pro etiam a typographo tantum dictionẽ, perperam suppositam fuisse. Ceterum quum Creticus Daucus hodie non afferatur pro eius radice vtendum erit Staphylini radice, quę Dioscoride attestante, Venerem stimulat. Eius tamen historia & pictura est in tomo primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum. A

Succedaneũ Dauci Cretici.

3 Eryngi.) In Latinis codicibus desideratur. Præstat autem pro Eringii radicibus, Sisari satiui vti radicibus, quæ idem quod Secacul efficiunt. Græce quidem est ἠρυγγίου ῥίζας. Actuarius tamen, qui eodem fere modo hanc compositionem describit, Eryngii nullam facit mentionem.

Sinapi album. *4 Sinapi albi.*) Per Sinapi album Erucam intelligit, id quod ex Actuario fit manifestum, qui Erucæ, quemadmodum etiam omnia exemplaria Nicolai Latina, hoc loco habet.

8 Zingiberis.) Actuarius post zingiber subiicit Gryophyllorum itidem drach. quinq;. B

Lingua auis. *5 Lingua auis.*) Ita vocat, cum officinis nostris, Nicolaus semen Fraxini, vt secundo Stirpium historiæ tomo fusius diximus. Actuarius eius non meminit.

Scinci. *6 Scincorum caudæ.*) Horum in Græco manuscripto Nicolai codice nulla fit mentio. Actuarius autem cinamomo statim subiungit scincos. In Latinis quoq; omnibus codicibus Nicolai, Scinci non ommittuntur. Vt haud dubie hoc in loco mancus sit Nicolai Græcus manuscriptus codex. Quod confirmat, quæ statim in Nicolao e satyrio Antidotus sequitur, in qua diserte Scinci fit mentio. Accedit iis omnibus, quod Scincorum vsum Venerem mirifice excitare constet. Non igitur sunt omittendi. Sunt autem veri ad vsum Medicum adhibendi, vt primo diximus libro.

Bulbus. Succedaneũ bulbi. *7 Seminis bulbi.*) Quum omnes bulbi Venerem stimulandi vim habeant, syluestris saltem bulbi, cuius magna est in Germania nostra copia, semen ad præsentem Antidotum Pharmacopœi vsurpare debent. Quod si tamen nec illud haberi potest, eius loco semine vrticæ, quod eandem obtinet facultatem, vtendum erit. C

Species. μυρεψικά. *8 Species.*) Græcus Nicolai manuscriptus codex habet μυρεψικά. Sic enim vocat species odoratas, quæ aromata nominantur.

Antidotus e baccis Lauri. Rhazis. III.

Electuarium e baccis lauri ad coli, & tenuis intestini cruciatus a flatibus procreatos maxime confert. Recipit *foliorum rutæ aridorum drach. decem. Ammios, cumini, nigellæ, libystici, origani, carui, amygdalarum amararum, piperis nigri, piperis longi, mentastri, dauci, radicis acori, baccarum lauri, castorij, ana drachmas duas. Sagapeni, vnciam dimidiam. Opopanacis, drach. tres. Mellis despumati quod satis est.* Datur *auellanæ quantitate.*

ANNOTATIO.

Quum hæc Antidotus in dissoluendis flatibus sit longe præstantissima, & nulla melior sit in vniuersis Razis empirici libris, ideo in omnibus officinis paratam hanc prostare oportet. Sunt vero omnia illam constituentia medicamenta antea explicata, vt pluribus annotationibus non sit opus. D

Anacardina. Ioannis Damasceni. IV.

Antidotus anacardina ad *totius inferioris ventris, & cerebri affectus frigidos conducit, sanguinem puriorem reddit, & inde spiritu animali facto purgatiore & tenuiore, sensus omnes, apprehensionem,* (hinc est quod Auicenna *Electuarium sapientum* nominarit) *intellectum, & memoriam iuuat, coloremq; viuidum corpori tribuit.* Habet *piperis nigri, piperis longi, Myrobalanorum (Auicenna, nigrorum) Cepulorum, Emblicorũ, indorum, belliricorum, castorij, ana drach. duas. Costi, anacardij, sacchari albi,* [1] *melissophylli, baccarum lauri, ana drach. sex. Cyperi, vnciam dimidiam. Anacardia per se teruntur, & alijs tritis permiscentur: deinde omnia excipiuntur butyro vaccino salis experte, & melle despumato æqualis portionis, nempe vnciis quinq; & dimidia.* Datur [2] post sex menses *pondere, drach. duarũ.* Ea sumta, vitetur labor, ira, coitus, ebrietas. E

Electuarium sapientum.

ANNOTATIONES.

Hæc Antidotus quia calidissima est, solis iis qui admodum frigidi sunt, tuto sumitur. Nam alias spiritibus accensis, febres excitat diarias, a quibus sæpe transitur in putridas, vel hecticas. Quare non temere quibusdam suspecta est.

Burungi. *1 Melissophylli.*) In Mesue est Burungi, quam sane dictionem varie interpretantur. Sunt enim qui cubebas, alii melissam, quidam erysimon, nonnulli ocimum significare dicant, adeo vt nemo se facile ex hac sententiarum varietate explicare possit. Sed vtcunque Arabum interpretes inter se plurimum dissentiant, quod minime mirum, quandoquidem Arabicæ linguæ imperiti fuerint: tamen ex hac difficultate nos expedite extricabit Serapio, & ipse Arabs, qui diserte burungi interpretatur melissam. Quanquam illic falso legatur turungi, pro burungi aut berungi. Nam Bedarungi est ocimum, Auicenna secundo Canone teste. Burungi autem, vel, vt legitur apud Auicennam Canone quinto, Berungi, est melissa. Siquidem ibidem Auicenna hanc quoq; Antidotum describit, & in nullo prorsus a Mesuá variat, quam quod pondus duplicet. Proinde ad Auicennam magis hæc Antidotus, quam ad Mesuen referenda erit. Quippe illam ad verbum ex Auicenna, qui ætate ipsum præcessit, transcripsit. Et ne F

Serapionis locus emendatus. Bedarungi.

furtum

A furum agnosceretur, dimidia duntaxat parte ponderum vsus est. Errare igitur constat eos, qui Burungi, nigellam interpretantur. Nec Cordus & hunc secutus Bernhardus Dessennius, recte hic erucæ semen pro Burungi in suo medicamentario libro substituit: quum Melyssophyllum, vt ostensum est, vox hæc significet. Nam quum hæc Antidotus sensus omnes, & intellectum acuat, & Melissophyllum, vel vt officinæ nominant, Melissa, membranarum cerebri ramos expurget instar Marrubii, cui æquas obtinet facultates, rectissime præ omnibus aliis antea dictis huic Antidoto inseritur. Sed hic mihi miris modis iniurius est Matthiolus. Nam initio me errare dicit, quod Melissam pro Burungi, seu Berungi substituerim. Dein quod scriptis mandauerim Auicennam quinto Canone in huiusce Antidoti descriptione, Burungi etiam præter cetera meminisse, quum tamen id falsum sit. Miratur insuper quod Monachorum sectator sim acerrimus, & quod iis tantam fidem adhibuerim, vt eorum potius crediderim testimoniis, quam quod vellem tantum subire laboris, vt hoc loco Auicennam inspicerem. Quod B autem nec Auicennam inspexerim, nec legerim, id manifestum præbere iudicium ait, quod scripserim Anacardinæ descriptionem apud Auicennam in nullo prorsus variare ab hac, quam describit Damascenus, ob idque magis hanc Auicennæ, quam Damasceno Medico acceptam referre debere, quod tamen falsum deprehenditur. Hæc ille. Quam inique autem Matthiolus hic me mendacii insimulet, ipse mendacissimus, & vter nostrum Auicennam rectius inspexerit, & legerit, iam sole clarius docebo. Verum quidem est, Auicennam quinto Canone tractatu primo tres ordine confectiones Anacardinas recensere, quarum nulla cum ea quam Damascenus habet eadem est. Quod si tamen Matthiolus Auicennam intimius perspexisset ac legisset, tertiumq; iam dicti Canonis tractatum excussisset, inuenisset certe vera fuisse omnia quæ ipse impudenter pro falsis traducere ausus est. Ibidem enim ita scriptum reliquit Auicenna: Electuarium Anacardinum conferens dolori stomachi vetusto, & eiusdem frigiditati. Obliuioni medetur, colore corporis bonū reddit. Sensus & intellectū iuuat, & intellectuariū sapiētum nominat, & Salomonis esse dicitur. Accipit piperis nigri, piperis lōgi, myrobalanorum nigrorum, belliricorū, & C emblicorum, castorii, singulorum drachmas quatuor. Costi, anacardii, berungi, sacchari albissimi, baccarum lauri, singulorum drachmas duodecim. Cipri, drachmas octo. Anacardia per se teruntur, &c. Ex iis manifestissimum est Damascenum, quod dixi, antidotum hanc ad verbum ex Auicenna transcripsisse, pondere tantum dimidiato. Quæ igitur est Matthioli temeritas & iniquitas, vt dicere ausit me Auicennam nec inspexisse, nec legisse: An non ipse manifesto in mendacio deprehensus meam mihi famam & existimationem restituere tenetur? Hactenus quidem tuli patienter Matthioli iniurias, nunc vero quum calumniandi me nullum facit in Epistolis suis maxime medicinalibus modum, faciam vt totus mundus intelligat Matthiolum pacta non seruasse, mihiq; licuisse illius ineptias paulo acriore oratione retundere, & me a suis mendaciis & cauillationibus asserere. Quod ad Burungi, vt Damascenus, vel Berungi, vt Auicēna nominat, vocem attinet Arabicam, non libenter quidem de ea, quod Arabicæ linguæ imperitus sim, quod candide nunc fateor, & antea etiam semper fassus sum, cum aliis contendo: tamen D hoc nemo sanæ mētis negare poterit, si Bedarungi, Mauritanis, vt Auicenna interpretatur, est Ocimum, fieri nequit vt apud Serapionem in capite de Melissophyllo recte scribatur Bedarungi, quod hoc nomine Arabibus non Melissophyllon, sed Ocimum appelletur. Quare illic Burungi, vel Berungi scribendum esse vox turungi abunde docet, quæ immutatione vnius literæ deprauata fuit a librario imperito, cui facilis a B in T lapsus fuit, adeo vt pro Burungi seu Berungi in huius Antidoti compositionem nō sit substituendum nisi Melissophyllon, idq; ob caussas paulo ante expositas. Vt Matthioli cauillationes merito risu & cachinno explodi mereantur. Sed videamus nunc quæ sit de Burungi Matthioli sententia. Putat pro Burungi, legendum esse Durungi, quæ vox Mauritanis Doronicum denotat. Sed qua ratione id probabit Matthiolus? quum constet Damascenum in aliis suis compositionibus, verbi gratia, Diambareos & Diamosci, nunquam Durungi, sed Doronici voce vsum esse, ita vt hoc quoq; in loco Durungi vocem non vsurpasse Damascenum sit manifestissimum. Quapropter per Berungi dictionem aliam a Doronico stirpem, nempe Melissophyllum, intellexisse illum omnibus constat. Et qua fronte Matthio- E lus audet substituere Doronicum Auicennæ, quum illud hodie sit incognitum, vt primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo monstrauimus. Quod enim in officinis prostat, non est legitimum, sed dulcichini genus, adeoque eos effectus, quos Doronicum Mauritanorum, præstare non potest. Vides igitur optime Lector, quam se nunc ridendum omnibus propinet Matthiolus, & quod merito dum aliorum bene & recte dicta cauillatur, suos, & eos quidem minime leues, errores prodat.

Cordi error.

2 *Post sex menses.*) Vbi scilicet vis Anacardiorum feruendo nonnihil exspirauit & fracta est.

Lithontribon. [1] *Nicolai. V.*

ANtidotus lapidem atterens ideo dicta est, *quod lapidem tum renum, tum vesicæ, magna efficacia confringit.* Stranguriæ & difficultati vrinæ sine mora succurrit. Accipit *spicæ nardi, zingiberis, xilobalsami, acori, cinamomi, radicis peucedani, mei, piperis nigri,* * *piperis albi, piperis longi, saxifragi, ana drach. duas, & dimidiam. Opobalsami, caryophyllorum, costi, rhei pontici.* F *glycyrrhizæ, cyperi, tragacanthæ, chamædryos, seminis apij, ammeos, asparagi, ocimi, vrticæ, citrei mali, hyposelini, ana drachmam vnam, grana quindecim. Folij, crocei, florum iunci odorati, casiæ ligneæ, bdellij, mastiches, milij solis, petroselini seminum, seselios, sinonis, cardamomi, anethi, euphorbij,* [2] *lapidis lyncis, olei nardini,* [3] *olei moschati, ana scrupulum vnum, grana quatuor. Mellis quod satis est.* Datur *pondere nucis Ponticæ.*

Aliter recitur. Dessennius non sine risu eruditorū Lithon Tribon ... nominat.

ANNOTATIONES. A

1 *Nicolai.*) Hæc Antidotus in Græco manuſcripto codice Nicolai, quod ſciam, non habetur: ſed ex Latinis codicibus eſt deſcripta, ita vt certo non ſciatur, num ad Nicolaum auctorem ſit referenda nec ne. Mihi videtur a quodam ex multis Nicolai Antidotis, nempe 187. 188. & 190. eſſe compoſita & emendicata, & ob id ad atterendos calculos non eſt inutilis. Non eſt autem quod longiores annotationes deſideret, quod omnia fere ex quibus conſtat, ſimplicia in ſuperioribus ſint explicata.

* *Piperis albi.*) Hic falſo me accuſat Franciſcus Alexander, quod piper album omiſerim, quum tamen expreſſis verbis eius meminerim. Sed eſt is homo plus æquo ad aliorum dicta caluminanda pronus, quod tamen ſubinde in Matthiolo reprehendit.

2 *Lapidis lyncis.*) Vide quæ libro primo huius Operis de eo notauimus, & in ſequenti mox Antidoto.

3 *Olei moſchati.*) Vide Sectionem de oleis. B

4 *Scrupulum vnum, grana quatuor.*) Reprehendit me & hoc loco Alexander Franciſcus quod grana quatuor adiicio, nullo profecto candore, quod ita vt ſcripſi, in Nicolai codice diſertis verbis legatur. Optarem itaq; bonum hunc virum in reprehendendis aliis cautiorem fuiſſe.

Nephrocatharticum. Nicolai Myrepſici. VI.

ANtidotus purgatoria renum, & calculoſorum. Eadem poteſt, quæ prior. Recipit [1] *lapidis lyncis, drachmas duas, grana quindecim. Croci,* [2] *cnici, ana drachmam vnam, grana quindecim. Zingiberis, euphorbij, myrrhæ, thuris,* [3] *lapidis in veſica ſuis ſylueſtris reperti, cumini, hyoſcyami,* [4] *carei Alexandrini, ſeminis citrei, ana drach. vnam, grana ſex. Spicæ nardi, floris iunci odorati, coſti, pyrethri, caſiæ ligneæ, rhei pontici, marrubij, helenij, ſampſuchi, pulegij, roſmarini, gentianæ, ſaxifragi,* [5] *gummi hederæ, cypariſſi, baccarum lauri, piperis albi & nigri, ſeminis rutæ, granorum iuniperi, ana drachmam dimidiam, grana quatuor. Balſami, ſtyracis calamitæ,* [6] *ſanguinis hircini,* [7] *naſturtij ſeminis, aſari, acori, phu, mei, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, betonicæ,* [8] *filipendulæ, petroſelini, ſinapi albi, ſeminis vrticæ, ana ſcrupulos duos, & dimidium, grana duo, & dimidium, Succi aſparagi & ruſci, ana grana quindecim. Mellis optimi, quod ſatis eſt. Parata cum decocto milij ſolis, aut ſaxifragi, aut artemiſiæ: datur pondere drachmæ vnius, vſq; ad drachmas tres.* C

ANNOTATIONES.

Etſi hæc Antidotus Nicolao καθαρτικὴ νεφρῶν καὶ λιθώντων, aliis vero vnica dictione νεφροκαθαρτικὴ dicta, hactenus in nullis, aut paucis ſaltem vſitata fuerit officinis: tamen quia in omnibus Latinis Nicolai codicibus deprauata eſt; & in pellendis ac atterendis calculis miram efficaciam oſtendit, & ob id digna eſt vt in Medicum vſum reuocetur, hanc omittendam nobis eſſe non putaui, Atq; vt rectius illa a Pharmacopœis conſtrui poſſit, eam quoq; annotationibus illuſtrabimus. D

Lapis lyncis. Succedaneũ lapidis lyncis. Belemnites.

1 *Lapidis lyncis.*) Quum lapis lyncis officinarum non ſit, niſi Phrygius Dioſcoridi nominatus lapis, non debet ad præſentis Antidoti conſtructionem adhiberi, quod nullam in atterendis calculis vim habeat. Pro eo autem vtendum erit Lyncurio Dioſcoridis & aliorum Græcorum, quod non eſt niſi ſuccinum: vel, vt hodie vocant officinæ, Charabe. Nam illud mirificam in atterendo calculo vim obtinet, vt veteres teſtantur, & experientia recentiorum confirmat. Aut loco lapidis lyncis Belemnites vſurpandus erit, quem Saxones Alpſchos nominant. Siquidem & is non aliter ac Iudaicus lapis, quo etiam vice lapidis lyncis vti licebit, lapidem frangit. Tantum cauendum, ne vulgarem, & vſitatum officinis lapidem lyncis in eum vſum accommodemus.

Cnicus.

2 *Cnici.*) Cnicus in omnibus Latinis codicibus deſideratur. Latinis cartamus dicitur.

Lapis veſicæ apri. Succedaneum.

3 *Lapidis in veſica ſuis ſylueſtris.*) Periphraſis eſt apri. Nam lapis veſicæ apri, ſi haberi poteſt, ad confectionem huius Antidoti adhiberi debet, quod illi latens quædam & innata inſit conterendi calculum proprietas. Quod ſi conſequi illum non liceat, pro eo accipiatur lapis, qui ab ægris hominibus per lotium eiectus eſt. Nam habet is quoque, Aetio libro vndecimo capite decimo auctore, ſimilem quam lapis veſicæ apri facultatem, proprietatemue. Aut loco eius Iudaicus vſurpetur lapis, & pro lyncis lapide ſuccinum. Sunt autem hoc in loco Latini Nicolai codices mirifice deprauati. Legunt enim, Veſicæ apri, lapidis in hepate vel veſica porci inuenti: quum neque veſicæ, neq; hepatis, in Græco Nicolai codice mentio fiat. E

Latini Nicolai codices deprauati.

Careum Alexandrinum.

4 *Carei Alexandrini.*) Græce καρύου ἀλεξανδρίνου. Quapropter falſo in omnibus Latinis exemplaribus legitur, Macedonici ſeminis. Careum autem, vel Carum omne vrinas ciendi facultatem obtinere, Dioſcorides, Galenus & alii Græci teſtatum reliquerunt. Delegit autem Alexandrinum tanquam patrium, & quod facile haberi potuit, Nicolaus.

Gummi hederæ.

5 *Gummi hederæ.*) Græce eſt κισσοῦ χυλοῦ id eſt, ſucci hederæ. Sic vocat, quam alii potius δάκρυον, id eſt, lacrymam appellant. F

Sanguis hircinus.

6 *Sanguinis hirci,*) Nicolaus Græcus habet, αἵματος ἀγρίου ὑός: ſanguinis ſylueſtris ſuis, id eſt apri. Verum quum omnia Latina exemplaria hircinum potius ſanguinem memorent, & is ſanguis ad nephriticos & calculoſos, Aetio libro paulo ante citato capite 12. & Nicolao ipſo Antidoto 54. teſtibus, præſentiſſimum remedium ſit, hunc potius quam apri ſanguinem huic Antidoto inſerendum eſſe putauimus.

7 Naſturtij

A 7 *Naſturtii ſeminis.*) Hic manuſcriptus Nicolai Græcus codex, quem ſemper ſub Græci nomine inaudiendum eſſe volumus, mendoſ. legit, καρδαμώμου σπέρματος, id eſt, cardamomi ſeminis: pro καρδάμου, hoc eſt, naſturtii. Nam legendum eſſe naſturtii, e Latino codice omnibus fit manifeſtiſſimum: in quo adhuc remanſit vox decurtata Sturtii, quam deinde librarii imperiti in Struthii mutarunt, non animaduertentes na ſyllabam deeſſe, qua adiecta, Naſturtii vox naſcitur. Deinde ſi καρδαμώμου ſcribendũ fuiſſet, Nicolaus σπέρματος vocem non adieciſſet: quandoquidem illi, vt ceteris etiam, ſolenne & familiare ſit, καρδαμώμου ſimpliciter, & citra adiectionem efferre. Quibus & hoc accedit, quod librario manuſcripti codicis Græci Nicolai is error conſuetus fuerit, vt καρδαμώμου pro καρδάμου ſcriberet. — Naſturtii. Nicolai codex emaculatus.

8 *Filipendulæ.*) Latini codices habent Fiſaliadis, dictionem plane corruptam; & a nullo hactenus intellectam. Quare hæc haud dubie occaſionem multis dedit, vt hanc Antidotum conſtruere, & in officinis venalem habere neglexerint. Eſt autem diſerte in Nicolai codice φιλιπένδουλα, id eſt, filipendulæ; Quam etiam herbam conſtat in frangendo calculo, & vrinæ ſtillicidio ſanando efficacem eſſe. — Filipendula.

B 9 *Ruſci.*) Officinæ, literæ vnius adiectione, Bruſci appellant. — Ruſci.

Quum itaque iam noſtra opera legitimam Nephrocatartices medicamenti compoſitionem habeant Pharmacopœi, debent in hanc incumbere curam, vt illam in ſuis officinis paratam deinceps inueniant Medici.

Electuarium Analepticon. Nicolai Myrepſici. VII.

ANtidotus recreans & reſtituens vires, valet *ad cardiacos, animi defectionem, ſyncopen, & exſolutionem e diarrhœa, aut ſanguinis exſcretione, aut alia vacuatione natiuũ calorem diſſipante natam.* Item *ad liquationem carnis, tuſſientes, ſuppuratos, & faucium e deſtillatione ortam aſperitatem.* Capit *cinamomi, ſeminis ocymi, foliorum ſampſychi, maceris, caryophylli, carnis malorum citriorum, melyſſophylli, ſiſymbrij, ana drach. duas. Seſelios, drachmam vnam, & dimidiam.* C *Hermodactyli albi & rubri, folij, ana drach. quatuor. Floris roſmarini, drach. tres. Oſſa cordis ceruini, numero quatuor. Berberis, drachmas duas. Maſtiches, roſarum, violarum, & borraginis florum ana drach. vnam, & dimidiam. Succi*[1] *chamæleuces, vnc. tres. Libyſtici, ſcrup. vnum. Galliæ moſchatæ, drach. vn. Glycyrrhizæ, drach. tres. Cubebarum, drach. duas.*[2] *Paſtillorũ de roſis, & violis, a. drach. vn. & dimid. Ligni aloes*[3] *crudi, nucis moſchatæ, zingiberis, a. drach. vn. & dimid. Moſchi, grana ſex. Cinamomi boni, drach. duas, & dimid. Nucis Indicæ magnæ carnis, vnc. dimidiã. Spicæ, drach. vnam, & dimidiam. Saphiri lapidis,*[4] *gagatis, iaſpidis, & ſmaragdi, ana ſcrupul. dimidium. Croci, ſcrup. vnum. Margaritarum perforatarum, & non perforatarum, ana grana quatuor. Xylobalſami, drach. tres. Blattij byzantis, grana octo. Ramenti eboris, ſerici vſti, ana drach. vnam. Styracis calamitæ, drach. duas, & dimidiam, grana duo. Seminis portulacæ, drachm. vnam, & dimidiam.* D *Seminum cucumerum, vnc. vnam, & dimidiam. Corallij rubei, iridis, ana drach. tres, ſcrup. vnum.*[5] *Auri puri ramentum, drach. duas. Nuces ponticas, numero decem. Amyli, drach. tres. Amygdalarum amararum & dulcium, ana numero viginti. Carnis palmularum, vnc. vnam, & dimid. Marrubij, drach. duas.*[6] *Fabarum farina pura, vnc. vnam, & dimidiam. Carnis ſeminis*[7] *goſſipij, vnc. dimid. Seminis maluæ & florum, ana vnc. dimid. Seminis vrticæ, vnc. dimid. Pinearum recentium, vnc. duas. Hyſſopi cretici, drach. tres. Penidiorum bonorum, ℔. dimid. Sacchari candidi, vnc. tres. Contuſis omnibus ſimul, adijce gũmi Arabici, drach. duas, ſcrup. duos. Tragacanthæ, vnc. dimid. Commixta omnia ſimul, & trita, decoquantur cum ſtillatitio roſarum liquore, quod ſatis eſt ad electuarij conſiſtentiam: & reconde in vaſe.*

ANNOTATIONES.

E Hoc Electuariũ merito ἀναληπτικὸν Græce nominatur. Nam fractas & lapſas iam vires mirifice recreat ac reſtituit. Hinc eſt, ꝙ ipſum Nicolaus veluti expertum laudet. Valerius Cordus in ſuo medicamentario libro, Electuarii cuiuſdã, ꝙ ille Reſumtiuum Nicolai appellat, deſcriptionẽ affert: quod integrum non eſt, ſed ex præſenti Antidoto decerptum. Præſtat itaq; hoc noſtro vti, maxime in iis qui abundant, quod omnia in ſe contineat medicamenta, quæ ad inſtaurãdas vires adhiberi poſſunt. Vt aũt illi qui mediocris fortunæ ſunt, huius quoque antidoti viribus frui poſſint, prudenter fecerint Pharmacopœi, ſi bifariam hanc confecerint. Vnam cum auro, & alteram ſine auro. Aut poteſt prorſus in eius confectione omitti aurum, quod nihilo fere deterior ſit futura compoſitio. — Ἀναληπτικόν. Cordus.

1 *Chamæleuces.*) Per Chamæleucen hic intelligit herbam, quæ Græcis βήχιον, Latinis Tuſſilago, vulgo & officinis Vngula caballina dicitur. Nam hæc tuſſes adiuuat: adeoq; huic Antidoto, quæ tuſſientibus ſuccurrit, conuenientiſſima eſt. — Chamæleuce. Vngula caballina.

F 2 *Paſtillorum de roſis & violis.*) Quorum deſcriptiones ex Sectione de paſtillis petendæ. — Paſtilli de roſis & violis.

3 *Ligni aloes crudi.*) Sic vocat, quod non eſt ſub terra conditum, & nondum computruit, ſed quod ſtatim ab arbore exciſum, in vſum venit, vt lib. 1. huius Operis oſtenſum eſt. — Lignũ aloes crudũ.

4 *Gagatis.*) non eſt niſi ſuccinum, vel vt Seplaſiæ loquuntur, charabe nigrum, vt loco iam citato diximus. — Gagates.

5 *Auri.*) Hoc certe vt ab omnibus comparari poſſit, & ne nimis ſumtuoſa ſit Antidotus, omittere licebit Pharmacopœis, quod neq; vulgati Reſumtiuo vocato inſeratur aurum. — Aurum.

Fabarum farina.

6 *Fabarum farina.*) In manuscripto Nicolai codice legitur, φαβάτων ἀλεύρου γραβαῦ: vt vix sciri queat quid φαβάτων voce intelligat Nicolaus. Ego vero φαβάρων legendum esse censeo, vt sit Latina vox Fabarum. Nam quum Faba, Galeno attestante, exscreationibus ex thorace & pulmone idonea maxime sit, huic Antidoto quadret necesse est. A

Gossipiū. Bombax.

7 *Gossipii.*) Gossipium Nicolaus Bombacium vocat, quod nomen hodie etiam durat, sed nonnihil immutatum. Nam Bombasum & Bombacem officinæ nominant. Sed de ea re satis libro primo, & alibi dictum est.

Dia Acoru. Nicolai Myrepsici. IIX.

Climax.

ANtidotus ex acoro conferens *nephriticis, iocinorosis, obstructionibus, neruorum imbecillitatibus, & distentioni, a crassis humoribus natæ.* Habet[1] *acori, drachm. quinq. Pyrethri, vnciam dimidiam. Zingiberis, caryophylli, galangæ, ana drachmas tres. Piperis longi, drachmas duas. Croci, maceris, ana drachmam vnam. Apij, anisi seminum, ana drachm. dimidiam. Mellis optimi despumati quod sufficere videtur.* Datur *vncia dimidia.* B

ANNOTATIONES.

Diacorus.

Hęc ex Acoro antidotus, quæ Diacorus more balbutientium officinarum vocari potest, hactenus vsitata non fuit: sed nunc in vsum reuocari debet, quum optime sit a Nicolao ad Climacum rationem constructa, & ex facile parabilibus omnibusq; notis simplicibus medicamentis concinnata. Et conformis plane est Mesuæ diacoro, quam mox subiiciemus, præsertim si adiiciantur nuces pineæ pondere vnciarum duarum, quod in altera ex acoro Antidoto faciendum esse suadet Nicolaus, idq; post sufficientem decoctionem. Erit magis efficax Antidotus, si ad prædicta omnia adiiciantur radicis costi, & pæoniæ, ana drachmæ duæ. Atq; erit hæc Acori compositio præferenda ei, quam Mesues habet.

469.

Acorus.

1 *Acori.*) Sumendus est autem, vt iterum moneamus, Acorus Indicus iam notus, qui Galanga maior dicitur, non nostras palustris. Is enim ad eum vsum damnandus est, atq; abiiciendus, quod omnino inutilis sit ad neruorum & cerebri frigidos morbos. Non debent igitur eius vsu perdere ægros Medici, & in sumtus non necessarios coniicere, antea satis miseros. C

Diacoru.[1] *Ioannis Damasceni.* IX.

DIacorus, mirum in modum ad omnia neruorum vitia frigida confert, vti præcedens. Recipit[2] *secacul, pinearum repurgatarum, radicis acori, ana lib. vnam, & dimidiam. Secacul & acorus repurgata, & minutim concisa coquantur in aqua pura vsq; ad aqua consumtionem, postea tundantur, & terantur, donec pultis consistentiam consequantur. Deinde affunde illis mellis optimi* despumati *libr. decem, & lento igne coquito, quoad iustam consistentiam acquirant.* Quo peracto ab igne deponantur, & adiiciantur pineæ minutim concisæ, cum sequenti puluere, qui capit: Piperis vnciam vnam. Piperis longi, caryophyllorum,[3] zingiberis, macis, ana vnciam dimidiam. Nucis moschatæ, galangæ, cardamomi, ana drachm. tres. Omnia simul commixta & vnita diligenter subigantur, & in Electuarii formam redigantur. Datur vt præcedens. D

ANNOTATIONES.

1 *Ioannis &c.*) Non quidem in suo de Antidotis seu medicamentario libro, nam illic eius compositionis nulla fit mentio: sed in sua, vt vocant, praxi, capite de Morbis neruorum. Ibi namq; hanc Antidotum, quam Diacorum appellant, describit.

Secacul.

2 *Secacul.*) Hanc vocem, qua Arabes crebro vsi sunt, recentiores varie interpretantur. Sunt enim qui Eryngium esse existimant, alii sigillum Salomonis, quidam sigillum sanctæ Mariæ, siue Fraxinellam. Sed in vniuersum omnes errant. Quippe Secacul Mauritanis Indica est radix, quæ hodie ad nos non amplius affertur, adeoq; incognita. Quapropter vt quod sit illius succedaneum, cognoscamus oportet. E

Succedaneum. Secacul.

Non est autem aliud, quam Sisari, siue Siseris, satiui præsertim, quæ Germanis Geirlin officinis Mesuen sequentibus Baucia nominatur, radix. Quod in primis confirmat Mesues, qui in Sectione de conditis, radicem Bauciæ, eandem cum Secacul esse scribit. Accedit, quod Sisari radix cocta stomacho vtilis sit, vrinam & Venerem cit, cordique conualescentiam conducit, omniaq; ea quæ Secacul potest. Quapropter reprehensione dignus est Bernardus Dessennius, qui liberum permittit Pharmacopœis, vt deligant vtram radicem, Eryngii scilicet aut Polygonati velint pro Secacul, quum neutra sit radix, vt alibi fusius ostendimus.

Dessennii erratum.

Cordi error.

3 *Zingiberis.*) Post Zingiber Cordus subiicit rosas, sed minus recte. Siquidem earum neq; Mesues, neq; Nicolaus Antidoto ex acoro mentionem faciunt. Præterea illarum in hac compositione nullus esse vsus potest: quod minime, vt reliqua, calefaciant, sed refrigerent potius.

DE ANTIDOTIS ROBVR CORPORI ADIICIentibus, solidis. Sectio IV. F

Dia Rhodon Abbatis. Nicolai Myrepsici. I.

ANtidotus e rosis[1] Abbatis, id est, *præsidis collegij*: valet *aduersus ventriculi calorem, potissimum vero iecoris, lienis, pulmonisq;: & in vniuersum contra omnem corporis noxam, a calore*

A calore ortam. Efficaciſsima præterea ad febres acutas, ardenteſq́. Cardiacis & cœliacis plurimum auxiliatur: item defectionibus animi e corde natis. Accipit ſantali albi & rubei, ana drach. duas, & dimidiam. Tragacanthæ, gummi arabici, ß ſpodij, ana ſcrup. duos. Aſari, maſtiches, ſpicæ Indicæ, cardamomi, croci, ligni aloes, caryophylli, galliæ moſchatæ, aniſi, fœniculi, cinamomi, ſucci glycyrrhizæ, ² rhei barbari, ſeminis ocimi, * berberis, ſeminis intybi & portulacæ, ſeminum peponis, cucumeris, cucurbitæ, citruli, ana ſcrup. vnum. Margaritarum, oſſis cordis ceruini, ana ſcrup. dimid. Roſarum, ſacchari candi, ana vnciam vnam, drach. tres. ³ Corallij, cryſtalli, ſeminis lactucæ, papaueris albi, mandragoræ, ana ſcrup. vnum. ⁴ Nympheæ, vel Semperuiui florum, ſcrup. duos. Moſchi, grana tria & dimidium. Sacchari diſſoluti in ſtillatitio roſarum liquore, quantum ſatis eſt.

ANNOTATIONES.

B 1 *Abbatis, id eſt, præſidis collegii.)* Ex hac Nicolai interpretatione, vt ne id quidem ſilentio tranſeamus, palam apparet, Monaſteria olim non fuiſſe niſi monaſtica Collegia, ſiue Scholas, in quibus reiecta ſeculi cura, doctrinæ, moribus, pietati, pudicitiæ, & continentiæ vacabant: adeoq; veluti ſeminaria ordinis Eccleſiaſtici fuerunt. Siquidem in monaſteriis educati, illinc ad Epiſcopale munus vocati ſunt. Atq; vſitatum fuit, vt eccleſiæ Chriſti clericos ac miniſtros cœnobia ſuppeditarent. Noſtratia contra, non ſunt niſi cœtus otioſorum & ignauorum, imo ſceleratorum hominum. Nam illic non aliter ac porci in haris ſaginantur, nec vllus hominum ordo magis omni vitiorum turpitudine inquinatus eſt, omnique obſcœnitate ſcatet. Quid multa? edunt, bibunt, ludunt, ſcortantur, adulteria & idolomanias exercent, nec vlli proſunt: vt mirum ſit, Chriſtianos principes hæc lupanaria æquo animo, & bona conſcientia ferre poſſe. Illinc enim non niſi Satanæ miniſtros prodire, atq; ali proh dolor conſtat. Porro ne id ſilentio inuoluam, notat me hoc loco Franciſcus Alexander, quaſi veterum oblitus, nouiſſima quæq; tantum amem, & admirer. Quam falſo autem me hoc nomine accuſet, norunt omnes, vt qui perpetuo ad fontes reuocare Medicos ſtudeam. Atq; in hac compoſitione ad Nicolaum, tanquam ad eius auctorem, omnes reuoco, Meſues compoſitione neglecta, & noſtratibus officinis inuſitata. Monaſteria quæ olim. Noſtratia qualia. C

ß *Spodii.)* Per ſpodium autem non intelligendum niſi officinarum, hoc eſt, ebur vſtum. Id enim adſtringit, adeoq; huic Antidoto conueniens eſt.

2 *Rhei barbari.)* Per rheum barbarum hic non intelligendum erit id, quod hodie ita vocant officinæ, ſed potius rheum Ponticum. Nam Nicolaus hoc in loco, vt multis aliis, vulgi errorem, qui e Meſuæ placitis emanauit, ſecutus, Rheum barbarum cum Pontico confudit. Quapropter Pharmacopœi in conſtruenda hac Antidoto, Rheo pontico, aut in eius penuria, Centaurii magni radice, quam ipſi etiam Rheum ponticum vocant, vti debent. Nam id hepaticos mirifice iuuat: & ad febrium circuitus, omneſque phlegmones, Dioſcoride teſte, vtile eſt. Quare non, vt aliqui putant, expungendum, quod id quod ſoluendi aluum vim habet, huic compoſitioni inſerendum non ſit. Rheũ barbarum.

D * *Berberis.)* Nicolaus hanc dictionem βέρβεεις, ſuo haud dubie tempore vſitatam, retinuit. Hac vero voce Arabes eam ſtirpem, quam Græci ὀξυακάνθαν nominant intellexerunt, non fruticem illum qui hodie Berberis vocatur. Oxyacantham vero altero noſtrorum de Stirpium commentariorum tomo deſcripſimus. Quum autem vtraq; Berberis eadem facultate prædita ſit, in alterius inopia, altera vti licet.

3 *Corallii.)* Quatuor hic in Latinis codicibus deſiderantur ſimplicia, nempe Corallium, cryſtallus, ſemen lactucæ, & mandragoræ: quæ, quum ad calorem frangendum ac minuendum ſint efficacia, potiſſimum lactucæ ſemen & mandragoræ radix, non ſunt vlla ratione omittenda. Refrigerat autem & Corallium mediocriter. Quapropter nihil mirum fuit nonnullis qui compoſitionis rationem non ſatis tenuerunt, parum fuiſſe hanc compoſitionem probatam, præſertim ad calidos affectus. Perturbauit enim dubio procul eoſdem, quod hic calida, vt ſunt crocus, lignum aloes, caryophylli, ocimum, & id genus alia, frigidis commixta ſunt. Verum illi non animaduerterunt hęc eſſe ideo admixta, vt iis qui cordis E ſyncope laborant hæc Antidotus quoq; conferat. Deſſennius itaq; non ſine errore, hæc in ſuo medicamentario libro omiſit. Quapropter iis febribus, quibus ſyncope maxime coniuncta eſt, competit. Omiſſa in hac Antidoto.

Nympheæ florum.) Nicolaus habet, Caphuræ grana ſeptem. Secutus eſt vero & hic Nicolaus cõmunem multis, præſertim Mauritanis, errorem, qui Caphuram, vel vt ipſi loquuntur Camphoram, refrigerandi vim habere putant, quum potius calefaciendi facultate prædita ſit: vt alibi copioſiſsime demonſtrauimus, ita vt hic repetere non ſit neceſſe. Quum itaq; Caphura, quæ bituminis genus eſt, calefaciat, non debet huic Antidoto miſceri. Non enim quod nonnulli putant, vt ſua tenuitate medicamenta frigida penetrare faciat: ſed quod refrigerare credita ſit, a Nicolao indita eſt. Pro ea igitur Nympheę, vel vt officinæ nominant, Nenupharis flores, qui non ſegniter refrigerant, ſubſtituimus. Poterit autem pro ea etiam Semperuiui ſuccus ſubiici, quem itidem refrigerare, & modice deſiccare conſtat. Nymphea. Lib. 9. Simpl. Deſſennius notatus.

Dia Trion Santalon. Nicolai Myrepſici. ſect. 1. cap. 213. II.

F ANtidotus e tribus ſantalis, ad ventriculi & iecoris calorem vtilis eſt. Præterea mirum in modum tabidis, & regio morbo correptis auxiliatur. Recipit *trium ſantalorum, roſarum, ana drach. duas, ſcrup. duos.* ¹ *Rhei barbari,* ß *ſpodij, ſucci glycyrrhizæ, ſeminis portulacæ, ana drach. duas. Amyli, gummi Arabici, tragacanthæ, ſeminum peponis, cucumeris, cucurbitæ, citruli, & intybi, ana drach. vnam, ſcrup. vnum.* ² *Nympheæ florum, ſcrup. duos.* ³ *Violarum, vnc. dimidiam. Roſarum, quantum omnium aliarum ſpecierum. Sacchari albiſſimi, quod ſatis eſt.*

ANNOTATIONES. A

Rheum barbarū. *Rhei barbari.*) Et hoc loco accipiendum a Pharmacopœis, propter caussam in præcedenti Antidoto expositam, rheum Ponticum vocatum.

β *Spodii.*) Et hic per Spodium, vt in omnibus aliis fere compositionibus, ebur vstum intelligendum est. Quod hic semel monuisse satis sit.

2 *Nymphea florum.*) Habet & hic Nicolaus, Caphuræ scrup. vnum. Nos autem substituimus, Nenupharem, propter rationem loco iam ostenso prolatam. Licebit autem pro ea succum Sedi maioris substituere. Hoc vt toties moneam, me quorundam sycophantarum cogit improbitas, qui nisi passim consilii mei rationem indicem, singula in pessimam interpretantur partem, & caluminose traducunt. Qui vero ob tenuitatem substituisse me dicunt flores Nympheæ, non ob refrigerationem, iniuriam mihi faciunt, quod id non somniarim vnquam.

3 *Violarum.*) In Latinis codicibus desiderantur. B

4 *Rosarum, quantum omnium aliarum specierum.*) Græce ῥόδων, ἴσον τὰ εἴδη ὅλα. Omiserant in priore editione hæc verba, quod antea facta esset rosarum mentio. Verum quum disertis verbis harum in Græco Nicolai codice mentio fiat, & hæc rosarum quantitas Antidoti vires augeat, melius est vt omissis rosarum duabus drachmis, postremo vsurpemus.

Dia Tragacantes[1] Frigida. Nicolai Myrepsici. sect. 1. cap. 98. III.

ANtidotus e tragacantha frigida, vtilis *ad thoracis grauitatem, tussientes, pleuriticos, peripneumonicos, lienosos, & ad sitim immodicam a plurimo pulmonis calore ortam, in ore retenta, ac sensim dissoluta. Admodum etiam laudatur ad raucitatem vocis. Prodest tabidis, macieq; confectis.* Capit *tragacanthæ albæ vncias duas. Gummi arabici, vnc. vnam, drach. duas. Amyli, vnc. dimidiam. Glycyrrhizæ, drach. duas. Penidiorum, vnc. tres. Seminis peponis, cucumeris, cucurbitæ, & citruli, ana drachm. duas.*[2] *Seminis vrticæ, papaueris albi, ana drach. tres.*[3] *Florum nymphea, scrupulum vnum. Sacchari, quantum satis videbitur.* C

ANNOTATIONES.

Frigida. 1 *Frigida.*) Ad sequentis differentiam, quæ calida dicitur: adeoq; ad contrarios frigidosue affectus, perinde vt præsens ad calidos, adhibetur.

2 *Seminis vrticæ.*) Semina vrticæ & papaueris albi in Latinis codicibus desiderantur. Nequaquam autem omittendum vrticæ semen, vtpote quod eductioni humorum ex thorace, adeoq; pleuritidi, & peripneumoniæ, plurimum conducat. Tenuantis enim sine calore facultatis est, quo nomine lentos & crassos humores e pulmone educit.

3 *Florum nymphea.*) Nicolaus habet, Caphuræ scrup. dimidium. Nos duplicato pondere, vt in præcedentibus quoq; fecimus, Nenupharis flores pro Caphura substituimus. Possunt etiam flores violarum, pro Caphura substituitur succus Semperuiui. D

Dia Tragacanthes calida. Nicolai Myrepsici. sect. 1. cap. 99. IV.

ANtidotus e tragacantha *frigidis affectibus thoracis, asthmaticis, & difficulter exscreantib. confert.* Habet *tragacantha, * libram dimid. Hyssopi, vnc. dimid. Fœnigræci, drach. dimid. Amygdalarum amararum, nucum pinearum repurgatarum, ana vnc. dimid. Cinamomi, vnc. vnā.* [1] *Seminis lini, Zingiberis, glycyrrhizæ, & succi eiusdem, cubebarum, ana vnc. dimidiam. Sacchari, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

Cordus. Hæc descriptio a vulgari, & ea quæ in Cordi medicamentario libro habetur, non nisi ponderum ratione differt. Nos Græci codicis fidem secuti sumus, quam pluris fecimus quam Latinorum codicum consensum.

* *Libram dimidiam.*) Græce Scio Franciscum Alexandrum reprehendere, quod non recte libras quinq;, pro dimidia legatur, quū tamen ego cōuerterim libram dimid. & nequaquam libras quinq;. E Sibi igitur is error potius imputādus erit, vt q. notam s. quæ dimid. denotat, pro quinq; legit & interpretatus est. Quare nō temere factum est, vt notis iis eiectis, pondera integris dictionib. scribere voluerim.

Lini semē. 1 *Seminis lini.*) Græcus codex habet ἀμύλου, amyli. Mihi igitur, ita monentibus Latinis codicib. videtur λίνου legendum esse. Siquidem lini semen vitiis thoracis medeatur, tussimq;, Dioscoride teste, leniat. Et fuit facilis ab vna in aliam dictionem lapsus. Accedit quod amylum contra fluctiones vtile sit, & sanguinis reiectiones, adeoq; sputa cohibeat, in frigidis thoracis affectibus, & asthmaticis non conueniat. Quare non est cur miretur Franciscus Alexander, quod lini semine, cōtra Gręci codicis, qui legit ἀμύλου, fidem, pro amylo substituerim.

Dia Penidion. Nicolai Myrepsi. sect. 1. cap. 97. V.

VAlet *tussiētib.*[1] *pleuriticis, peripneumonicis, asperitati fauciū, raucitati, voci amissæ, & raucæ.* F Accipit *nucum pinearū, amygdalarum, seminis papaueris albi, singulorum drach. duas, scrup. vnum. Cinamomi, caryophyllorum, succi glycyrrhizæ, tragacanthæ, Zingiberis, gummi arabici, amyli, seminū peponis, cucumeris, cucurbitæ, & citruli, singulorum drach. vnam.*[2] *Caphuræ, scrup. vnū. Serapÿ violati quod satis est.* Dein affunde *aquæ libram vnam, violarū drach. tres, atq; hæc ad tertium de-*

tium de-

A *tias decoque, perq; saccum colato. Decoctum hoc accipe, & in id conÿcito sacchari libram vnam, aut quantum satis erit.* Posthac species omnes prædictas probe tritas impone, & cum ipsis penidiorum *drach. sex, & dimid.* atq; bene subactas coniice in mortarium, & probe contunde[3] donec solidescant, deinde a mortario auferens impone vasculo, & cum stillatitio liquore exhibe.

ANNOTATIONES.

1 *Pleuriticis & peripneumonicis.)* Non quidem in principio, sed postquam phlegmone rupta est.

2 *Caphura.)* Quum Nicolaus, vt iam aliquoties monui, communem aliorum Medicorum errorem sequutus, caphuram frigidam esse opinatus sit, & hoc loco e contextu remouenda erit, & pro ea substituendi flores nympheæ.

B 3 *Donec solidescant.)* Vnde satis patet, Nicolaum in formam ecligmatis hanc compositionem redegisse, contra morem nostri temporis Medicorum, qui ex ea tabulas coniiciunt. Possunt Pharmacopœi hanc vtroq; modo componere, & reconditam in suis officinis habere. Sunt enim ex eruditis qui hanc antidotum ei quæ mox sequitur, tanquam ex fonte petitam anteferunt.

Dia Penidion. Nicolai Præpositi. VI.

ANtidotus e penidiis valet ad *omne vitium pulmonis, tussiculosis asperitati faucium, raucitati, ex siccitate ortæ, voci amissæ, tabidis deniq; & purulentis.* Accipit[1] *penidiorum,*[2] *vnc. duas. Nucum pinearum, amygdalarum, repurgatarum, seminis papaueris albi, ana*[3] *drach. tres, scr. vnum. Cinamomi, caryophyllorum, succi glycyrrhizæ, tragacanthæ, zingiberis, gummi Arabici, a-*
C *myli, seminum*[4] *peponis, cucumeris, cucurbitæ, citruli, ana*[5] *drachm. vnam, & dimidiam. Florum nymphea,*[6] *scrupulum vnum. Sacchari albissimi, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

Hæc Antidotus ei qui est in Græco Nicolao non prorsus respondet, quod scilicet ad ponderum rationem, & conficiendi modum attinet. In ponderibus enim Latinos codices, & Actuarium magis secuti sumus: in conficiendi modo, vsitatam rationem, quæ in aliis solidis obseruatur. Notat tamen me hoc loco iterum Franciscus Alexander, quod pondera & simplicia toties augendo & minuendo immutem, nec animaduertit, quod eius mutationis semper caussas adiiciam. Parum præterea memor, quod & ipse hanc Actuarii compositionem aliquot simplicibus ex Myrepso augeat. Quare perperam in me reprehendit, quod metipse aliquoties facit. O detestabilem reprehendendi temere alios libidinem!

D 1 *Penidiorum.)* Modum autem parandorum penidiorum infra in sectione decima octaua indicabimus.

2 *Vncias duas.)* Sic haud dubie legendum erit, vt liquet ex Actuario qui habet drachmas sedecim, quæ libras duas constituunt.

3 *Drachmas tres &c.)* Scribunt alii drachmas duas & scrupulum.

4 *Peponis.)* Ita passim habet Nicolaus Græcus, vbi Latini codices legunt Melonis. Nihil autem refert, vtrum ex iis seminibus ad conficienda medicamenta vsurpes, quum eiusdem plane sint facultatis. Quod semel hic monuisse sufficiat. Semen peponis.

5 *Drachma vna, & dimidia.)* Legendum ex Myrepso drachma vna, vt ex eiusdem descriptione, quam mox subiiciemus patebit.

6 *Scrupulum vnum.)* Recte ita legitur, quum in præposito perperam tantum grana septem, vel tertia scrupuli pars habeatur.

E

Manus Christi. Recentiorum inuentum. VII.

ANtidotus[1] manus Christi dicta, *deiectis viribus medetur, ardentibus febribus, & id genus aliis affectibus.* Capit *sacchari clarefacti, libram vnam. Aquæ rosaceæ, libram dimidiam. Concoquantur, dum rosacea aqua igni euanescat, & saccharum iustam crassitiem consequatur: tandem agitentur & adÿciatur margaritarum minutissime tritarum,*[2] *vncia dimidia, & marmori aqua rosacea consperso infundatur: fiantq; orbiculi, seu, vt hodie vocant, rotulæ.*

ANNOTATIO.

1 Manus Christi hæc Antidotus, perinde atq; ea quæ est apud Nicolaum ordine 467. χεὶρ θεοῦ: id est, Manus Christi cur dicta.
F Manus Dei, a præsentissima iuuandi facultate, appellata est: quod scilicet non aliter quam si Christi manus accedat, data ægrotantibus succurrat. Conficitur autem bifariam, cum vnionibus, seu margaritis: & sine illis. Prior conficiendi modus, hic est expressus: Alter nihil distat a priore, nisi quod non adiiciuntur margaritæ. Hinc est, quod officinæ priorem confectionem manum Christi perlatam nominent. Manus Christi perlata.
Siquidem vniones ipsæ Perlas appellare consueuerunt.

2 *Vncia dimidia.*) Sunt qui vnciam integram adiiciunt. Atq; ita quidem magis efficax, & sumtuosius redditur medicamentum. Sunt etiam qui vnciæ vni sacchari, drachmam vnam vnionum addant.

Rosata nouella. Nicolai Myrepsici. numero 204. IIX.

ROsata nouella, *efficax ad calorem stomachi, & ad iecoris pulmonisq; siccitatem. Sitim restinguit, vomitum compescit, stomachi & cordis imbecillitati succurrit. Sudores dissoluentes discutientesue reprimit. Cardiacis, pulmonariis, & iis qui diutino morbo sunt extenuati, & in virium defectum incidunt, plurimum auxiliatur.* Recipit *rosarum viridium, glycyrrhizæ, ana vnciam vnam, scrupulos duos, & dimidium. Cinamomi, drachmas duas, scrupulos duos, grana duo. Caryophylli, spicæ, galangæ, zingiberis, nucis moschatæ, zedoariæ, styracis, cardamomi, seminis apii, ana scr. vnum, grana octo. Sacchari albissimi, vel mellis attici, quod satis est.* B

ANNOTATIO.

Quum multa calida huius antidoti compositionem constituant, merito ob id in magnis stomachi ardoribus suspecta fuerit. Præstat itaq; hanc non per se in calidis vitiis, sed cum Serapio violarum aut rosarum, aut decocto hordei, vel prunorum propinare.

1 *Grana duo.*) Notat me hoc loco Franciscus Alexander quasi ipse præter Myrepsi sententiam hoc pondus adiecerim, quum in eo diserte legatur γραμμάτια β. Sed hoc est solemne Francisco, vt Matthiolum calumniando sequatur, & mihi affingat errores, vbi nulli sunt.

Aromatica rosata Gabrielis, ex Ioanne Damasceno. IX.

ANtidotus aromatica rosata Gabrielis, *cerebrum, cor, ventriculum, & omnia nutritioni famulantia membra roborat, appetentiam excitat, concoctionem iuuat, viscerum excrementosam humiditatem absumit, imbecillitatem firmat, ac ex morbo conualescentibus auxiliatur.* Accipit *rosarum rubrarum, drach. quindecim. Glycyrrhizæ rasæ, drach. septem. Ligni aloes, santali flaui, drach. tres. Cinamomi, drach. quinque. Macis, caryophyllorum, ana drach. duas, & dimidiam, gummi Arabici, tragacanthæ, ana drach. duas, scrupulos duos, Nucis moschatæ, cardamomi, galangæ, ana drach. vnam. Spicæ nardi, drach. duas. Ambræ tinermæ, scrup. duos. Moschi, scrup. vnum. Sacchari quantum satis erit, dissoluti in stillatitio rosarum liquore.* C

ANNOTATIO.

Non me latet esse, qui hoc loco Electuarium de aromatibus siue aromatum Galeni proferant. Verum quum falso Galeno adscriptum sit, vtpote quod e multis simplicibus illi ignotis constructum, & nostratibus officinis inusitatum sit, studio id omisimus.

Aromatica caryophyllata, Ioannis Damasceni. X.

ARomatica caryophyllata, *cor, ventriculum, & reliqua nutritionis membra roborat, nauseam & vomitum reprimit, flatus dissipat, putredinem humorum in ventriculo arcet.* Recipit *caryophyllorum, drachm. septem. Macis, zedoariæ, galangæ, santali citrini, pastillorum de rosis, cinamomi, ligni aloes, spicæ nardi, piperis longi, cardamomi, ana drach. vnam. Rosarum, vnciam dimidiam. Glycyrrhizæ, galliæ moschatæ, ana drachmas duas. Folii, cubebæ, ana scrup. duos. Ambræ, drach. vnam. Moschi, scrup. dimidium. Sacchari candidissimi, quod satis est.* D

Diambareos. Ioannis Damasceni. XI.

ANtidotus Diambra vocata, *cerebrum, cor, ventriculum, ac ventrem reliquum inferiorem calefacit & roborat, exhilarat, concoctionem iuuat, affectibus vterinis, & omnibus aliis frigidis prodest. Senibus ob id ac mulieribus salubre.* Capit *cinamomi, doronici, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, folii, galangæ, ana drach. tres. Spicæ nardi, cardamomi maioris & minoris, ana drach. vnam. Zingiberis, drach. vnam, & dimidiam. Santali citrini, ligni aloes, piperis longi, ana drachmas duas. Ambræ,*[1] *drach. vnam. Moschi, drach. dimidiam. Sacchari albissimi, quantum sufficere potest.* E

ANNOTATIO.

1 *Drachmam vnam.*) Hic me, non sine maxima iniuria, reprehendit Franciscus Alexander, quod vna cum Cordo legam drachmam vnam, quum constet omnia Ioannis Damasceni exemplaria habere aureum vnum, pro quo ipse etiam Franciscus drachmam subiecit. Nam nisi id fateatur, necesse est, vt Moschi non drachmam dimidiam, sed aureum dimidium adiiciat. Non esse autem nisi drachmam vnam Ambræ huic compositioni inserendam, omnes Mesues codices testantur. Accedit, quod maiorem eius quantitatem neque Myrepsus probet, vt qui eius tantum scrupulos duos iniiciat. Sic perpetuo huic vitio obnoxius est Franciscus, quod ipse passim in Matthiolo damnat. Quod etiam scribit mihi fatale esse, vt vel addam, vel succidam, fateor verum esse, modo omnes intelligant me id non facere temere: sed ita monentibus codicibus eorum auctorum, vnde compositiones illæ desumtæ sunt: aut vt id faciam rationibus non leuis momenti, quas semper adiicio, me cogentibus. Quare potuisset hac reprehensione abstinere Franciscus, nisi reprehendendi alios temere libidine laboraret. F

Diamoschu dulcis. Ioannis Damasceni. XII.

DIamoschu dulcis, *ad frigidos cerebri affectus sine febre, melancholiam, & illi connatam tristi-*

A *tristitiam sine caussa manifesta, vertiginem, epilepsiam, resolutionem, oris torturam, cordis palpitationem, pulmonis affectus, & spirandi difficultatem, conducit.* Accipit *croci, doronici, zedoariæ, ligni aloes, macis, ana drachmas duas. Margaritarum[1] albarum, serici crudi vsti, charabe, corallij rubei, ana[2] drachmas duas, & dimidiam. Galliæ moschatæ, ocimi citrati, ana[3] drachmam vnam, & dimidiam. Ben albi & rubei, folij, spicæ nardi, caryophyllorum, ana drachmam vnam. Zingiberis, cubebæ, piperis longi, ana drachmam vnam, & dimidiam. Moschi, scrupulos duos. Sacchari candidissimi, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

1 *Albarum.*) Ita potius quam Ambarum esse scribendum censeo: vt intelligat integras & non perforatas. Id quod ex Auicenna maxime patet, qui diserte habet Margaritarum non perforatarum. Integras autem præstantiores esse, iam antea dictum est. Sunt quoq; albæ meliores: quanto enim lucidiores, rotundiores, crassiores, & candidiores sunt, tanto certe efficaciores margaritæ.

B

2 *Ana drachmas duas, & dimidiam.*) Secus vulgares filii Mesuæ, codices legunt. Nos vero emendatiores secuti, hic & multis aliis in locis pondera variauimus: quod semel monuisse satis sit. Atque ita hoc loco scribendum esse, hinc maxime patet: quod nisi sic legamus, inutilis esset eiusdem ponderis repetitio.

3 *Ana drachmam vnam, & dimidiam.*) Non ignoro & hoc in loco in nonnullis codicibus Mesues secus legi. Quia vero in melioribus ac castigatioribus libris ita vt nos monuimus legitur, & quod alias nulla necessitate idem pondus repeteretur, ideo hanc lectionem tanquam veriorem alteri prætulimus. Vt minime opus fuerit Francisci Alexandri monitione quasi ignorarem in quibusdam exemplaribus aliter legi.

Diamoschu amara. Ioannis Damasceni. XIII.

C

Diamoschus amara, *ad prædicta efficacior, & præterea ventriculi humores putres potentius absumit.* Habet *prædicta omnia, quibus adijciuntur absinthij, rosarum, ana drachmæ tres. Aloes lotæ, vncia dimidia. Castorei, ligustici, ana drachmam vnam. Cinamomi, drachmæ duæ, & dimidia. Sacchari albissimi quantum sufficit.*

Diagalanga.[1] Ioannis Damasceni. XIV.

Diagalanga *ventriculi & iecoris intemperiem frigidam sanat, ob id concoctionẽ iuuat, ructus acidos compescit, & flatus crassos potenter dissipat, atq; ab eis natas inflationes. Oris halitum commendat, ac eiusdem fœtorem gigni prohibet.* Recipit *galangæ, ligni aloes, ana[2] drachm. sex. Caryophyllorum, macis, ligustici, ana drach. duas. Zingiberis, piperis longi, piperis albi, cinamomi, ana drachmam vnam, & dimidiam. Calaminthæ[3] siccæ, menthæ siccæ, cardamomi,[4] spicæ nardi, seminis apij, fœniculi,[5] carui, anisi, ana drachmam vnam.[6] Calami aromatici, drach. vnam, & dimidiam. Sacchari albissimi, quod satis est.*

D

ANNOTATIONES.

1 *Ioannis &c.*) Describitur etiam a Nicolao, cap. 222. Sectionis primæ ad verbum, nullo plane præterito medicamento simplici, excepto vno cardamomo.

2 *Drach. sex.*) Cordus in suo medicamentario libro, contra omnium codicum fidem habet drach. septem. Quinetiam in Nicolao diserte est L ϛ. id est, drachmas sex. Cordus.

3 *Sicca.*) Ita in omnibus Latinis codicibus legitur. Quapropter in Nicolai manuscripto codice mendose χυλοῦ pro ξηροῦ: id est succi, pro siccæ, scribitur. Huc accedit, quod in solida Antidoto, qualis hæc est, locum succus non habeat. Nicolai locus restitutus.

4 *Spicæ nardi.*) In quibusdam codicibus desideratur, sed parum recte. Siquidem Nicolaus eius quoque mentionem facit, & στάχυν minime in sua descriptione omittit.

E

5 *Carui.*) Nicolaus habet, καρναβαδίου. Vt hinc pateat, Carnabadium recentioribus Græcis non esse nisi Careum, quod supra etiam diximus. Carnabadium.

6 *Calami odorati.*) Nicolaus quoq; postremo illum collocat loco. Sed parum refert quo loco statuatur, modo vbiq; ponderis sit eadem ratio.

Dianthon. Nicolai Myrepsici. numero 46. XV.

Antidotus e[1] floribus, succurrit *præter rationem tristibus: animi enim lætitiam auget. Item Cardiacis, elephantia correptis, animi defectionibus, & cordis syncopi. Prodest etiam destillatione affectis & in vniuersum omni corporis ac cordis imbecillitati.* Capit *florum rosmarini, vnciam vnam. Rosarum, violarum, glycyrrhizæ, ana drachmas sex. Caryophyllorum, spicæ nardi, nucis moschatæ, galangæ, cinnamomi, zingiberis,[2] zedoariæ, maceris, ligni aloes, anisi, cardamomi, anethi, ana[3] scrupulos quatuor, Sacchari albissimi, quod satis erit.*

F

ANNOTATIONES.

1 *E floribus.*) Græce est δι' ἀνθῶν. Nam etsi vetustioribus Græcis ἄνθος florem simpliciter omnem significet, tamen posteriores Greci, Actuarius presertim, & Nicolaus, propter eius excellentiam sic tantum Rosmarini coronarii florem nominarunt, posset itaq; commodius appellari Antidotus e floribus Rosmarini. ἄνθος.

Zedoariæ. 2 *Zedoaria.*) Non est in Græco Nicolao. Verum, quum eius in omnibus Latinis codicibus, & apud Actuarium mentio fiat, corpusq; imbecillum reficiat, omittendum esse minime putauimus. A

3 *Scrupulos quatuor.*) Nicolai manuscriptus Græcus codex habet screpulum vnum. Sed quia id pondus satis exiguum est, & Latini codices omnes quatuor scrupulorum, vt Actuarius quatuor drachmarum mentionem faciunt, præstat quatuor quam vnum scrupulum ad huius Antidoti confectionem vsurpare. Vt hoc etiam loco mirari subeat Alexandrum Vercellensem, quod me teste quasi inconstantiæ insimulet, quod alter in Nicolai codice, alter vero in libro 2. de compositione medicamentorum legam quum tamen disertis verbis eius rei caussam in annotationibus meis exposuerim.

Diamargariton.[1] *Nicolai Myrepsici. num. 37.* XVI.

ANtidotus e margaritis, *ad vniuersi corporis refrigerationem confert. Cardiacos, animo deficientes, mulieres vterum ferentes, præfocationes vteri, cordisque syncopen iuuat. Omnem virium imbecillitatem firmat. His quos animus deficit, supraq; modum tristibus mirifice auxiliatur. Omnem vitalium partium noxam discutit. Insuper asthmaticis, tussientibus, tabidisq; succurrit. Ventriculi fastidia tollit, eiusq; concoctionem iuuat. Longo morbo deiectos & imbecillitate languentes recreat, & ad pristinum robur reducit.* Accipit *caryophyllorum, cinamomi, spicæ, galangæ, ligni aloes, glycyrrhizæ, pastillorum e rosis, & pastillorum e violis, ana drachmam vnam, & dimidiam. Nucis moschatæ, maceris, galliæ moschatæ, Zedoariæ,*[2] *rhei pontici, styracis calamitæ, ana drachmam vnam. Margaritarum perforatarum, & non perforatarum zingiberis, ossis cordis ceruini, ramentorum eboris,*[3] *blattij bisantis, ana drachmam dimidiam. Moschi, ambaris, cardamomi, libistici, seminis ocimi, ana scrupulum vnum, minus duobus granis.*[4] *Florum nymphea, scrupulum dimidium.*[5] *Serici crudi vsti, drachmam vnam. Lapidis saphiri, lapidis iaspidis, lapidis*[6] *prasij, ana drachmam dimidiam. Nucis Indicæ, drachmas duas. Tragacanthæ, corallij rubei, ana drachmam vnam & dimidiam. Anacardij, iuniperi baccarum, ana scrupulum dimidium, grana sex.*[7] *Auri puri, drachmam vnam, scrupulum vnum. Sacchari candidissimi, quantum satis erit.* B C

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai.*) Hæc est legitima, & integra Diamargariton antidoti Nicolai Myrepsi descriptio, quæ etiam in Latinis exstat codicibus: quamuis manca & mutila, vt post fusius ostendemus. Et hanc deinceps Pharmacopœi paratam habere in suis officinis debent, sub nomine Diamargariton Nicolai: propter alias, quas mox subiiciemus. Hanc nonnulli Calidam appellant.

Rheum ponticũ. 2 *Rhei pontici.*) Nicolaus Græcus manuscriptus habet, ῥέου βαρβάρου. Nam, vt antea quoq; aliquoties monuimus, is inter se rheum Ponticum & barbarum confundit. Quum autem hæc Antidotus inter roborantes ac confortantes numeretur, & vterum ferentibus exhibeatur, non est cur illi purgantia permisceamus. Quapropter rheum Ponticum a Pharmacopœis accipiendum erit, non rheum barbarum. Id quod Actuarius etiam confirmat, qui habet Rhei simpliciter. Constat autem, tam veteres quam recentiores Græcos per Rheum, citra adiectionem positum, semper Ponticum, quod iidem sæpe etiam Rha nominant, intelligere. Huc accedit, quod Rheum Ponticum ad ventriculi & iecoris imbecillitatem, & item vteri vitia præstantissimum sit. D

Blattium bisantiũ. 3 *Blattii bisantis.*) Nicolai codex Græcus habet, Ossis e naribus purpuræ: quod idem est. Nam blattia bisantia, non sunt nisi opercula purpuræ, vt antea quoq; diximus, quæ Nicolaus ossa narium purpuræ propter caussam in libro primo expositam nominat.

4 *Florum Nymphea.*) Nicolaus habet, Caphuræ grana sex. Nos, quod Caphura admodum calida sit, vt supra quoq; fecimus, substituimus flores Nympheæ, seu Nenupharis.

Quæ in aliis codicib. desiderãtur. 5 *Serici crudi, &c.*) Hæc omnia vsq; ad finem compositionis in Latinis codicibus desiderantur, & a librario imperito, & qui pleraq; legere haud potuit prætermissa. Omitti autem nulla ratione possunt, aut debent. Quum enim partim sint confortantia, partim calefacientia, præteriri nequeunt: quod, vt diximus, roborans sit hæc Antidotus, & ad frigida corporis vitia vtilis, vt hoc nomine anacardia, & iuniperi baccas accedere necesse sit. Odio itaq; dignus est Bernardus Dessennius, qui impudenter, contraque Græci codicis fidem, nulla adiecta etiam ratione, hæc simpliciter omittenda decernit. Quis vero non indignaretur Francisco Alexandro, qui me inepte hæc adiecisse ait, quum tamen omnia in Græco Myrepsi codice habeantur. Accedit, quod nemo non me quasi interpretem infidelem accusaret, si præter rationem omitterem quæ Myrepsus studio adiecit: Non igitur erat quod in me transferret, quod perpetuo, multorum sane risu, facit quæ Myrepso magis attribuenda erant. Rogo autem nobis dicat Franciscus cur inepte adiecta sint, quæ omnia facultates huius Antidoti a Myrepso commemoratas mirum in modum auget. Sic nunquam non vitium incidit Franciscus, quod in Matthiolo nulla non in pagina acriter admodum notat. E F

Prasius. Succedaneum Prasii. 6 *Prasii.*) Prasius lapis a succo Porri, cui assimilis est, nomen inuenit. Reperitur in Germaniæ metallis ærariis, & argentariis: & Germanice Pras vocatur. Officinis inusitatus, quapropter loco eius vtendum erit Smaragdo, qui eandem obtinet facultatem.

7 *Auri puri.*) Posset, ne nimis sumtuosa esset Antidotus, omitti Aurum.

Diamar-

A *Diamargariton*[1] *Auicennæ. XVII.*

VAlet vt præcedens. Priuatim vero *imbecillitati stomachi, & cruditati eiusdem, corporis ac cordis exolutioni succurrit. Habet margaritarum non perforatarum, pyrethri, ana drach. vnam. Zingiberis,*[2] *mastiches, ana vnc. dimidiam. Zedoariæ,*[3] *petroselini, casiæ ligneæ, cardamomi, nucis moschatæ, maceris, ana drach. duas. Cinamomi, drach. quinque.*[4] *Ben albæ & rubeæ, piperis nigri & longi, ana drach. tres. Ligni aloes, caryophylli, spicæ, glycyrrhizæ, galangæ, ana drach. vnam, & dimidiam. Ramenti auri puri, drach. vnam, scrup. vnum. Ambaris, scrup. dimidium, grana quatuor. Galliæ moschatæ, drach. vnam. Styracis calamitæ, rhei Pontici, ana drach. vnam. Ossis cordis ceruini, drach. dimidiam. Berberis, drach. dimidiam, gran. tria. Serici crudi vsti, scrup. vnum. Margaritarum perforatarum, drach. vnam, & dimidiam. Blattii bizantii, scrup. vnum, grana octo. Li-*
B *bystici, seselios, ocimi seminum, ana scrup. dimidium, grana sex. Lapidis iaspidis, saphiri, prasii, ana scrup. dimidium, grana sex. Sacchari candidissimi.*

ANNOTATIONES.

1 *Auicennæ)* Nicolaus falso ad Galenum auctorem refert, quod in hac Antidoto multa recenseantur medicamenta, quæ Galeno ignota fuisse constat: vt est Behen, nux moschata, ambar, blattium bizantiũ, & id genus alia, quæ hic commemorantur.

2 *Mastiches)* Grecus Nicolai codex habet μόσχου. id est, Moschi, sed haud dubie mendose. Neque enim verisimile est Moschum, rem preciosam ac sumptuosam, pondere quatuor drachmarum ab aliquo vsurpatum esse. Quapropter Latinos & Auicennæ codices secuti, pro moscho substituimus mastichen, vt quæ stomacho accommodatissima sit. Mastiche.

C 3 *Petroselini, &c.)* Cordus in suo medicamentario libro, post Zedoariam subiicit Doronicum, cuius nulla fit in Nicolao (qui, vt diximus, hanc Antidotum non mancam & mutilam, vt alii faciunt, sed integram habet) mentio. Dein semen apii subiungit, cuius etiam Nicolaus non meminit, sed pro eo Petroselinum recenset. Verum ex eo nihil periculi ægrotantibus accedit, quod Doronicum corroboret, & apii semen idem quod petroselinum possit. Id vero errore non caret, & quidem maximo, quod Cordus Thapsiæ radicem mox iam dictis subiecit, cui omnes exulcerandi facultatem inesse sciunt: ideoque intra corpus exhiberi facile non debet, præsertim quum mitiora & meliora præsto sint. Nam & Franciscus Alexander, qui me tamen hoc in loco satis grauiter pungit, Thapsiæ vsum parum intra corpus exhibitum parum tutum esse scribit. Vercellis enim elibratam & turpeti loco diuenditam Thapsiæ radicem, tormina, & scroti tumorem in purgatione excitasse refert. Quid multis opus est verbis? dicat per Deum oro Fran-
D ciscus ipse, in quem vsum reliquis medicamentis hanc compositionem constituentibus Thapsia coniungi debeat? Non certe purgandi, quum Antidotum non sit purgatorium, sed roborans stomachum & cordis imbecillitatem. Non etiam cruditatem curandi, quum id nullo modo possit Thapsia, & erodendi facultate donata sit. Quare pro ea Nicolaus Casiam ligneam potius recenset: & recte quidem quod calefaciendi, adeoque cruditatem e frigiditate ortam sanandi, itemque sua leniter adstringendi facultate roborandi vim habeat. Vt hoc nomine e contextu eiicienda, aut atro inducẽda colore vox Tapsiæ, & Francisco medius digitus ostendendus sit. Cordus. Cordi error maximus.

4 *Ben alba, &c.)* Quæ nunc in hac compositione sequuntur simplicia, omnia in latinis codicibus & Cordo desiderantur: at minus recte. Nisi enim omnia hæc addantur, eandem cum priore facultatem non habebit. Nec recte Antidotus e margaritis appellaretur, nisi vtrasque, id est, perforatas, & non perforatas margaritas, contineret. Vt hinc liquido appareat, nullos medicamentarios libros hactenus legitimos
E fuisse. Cordus.

Dia margariton frigidum,[1] *incerti auctoris. XVIII.*

OMnem *virium imbecillitatem firmat, syncopen iuuat, ac asthmaticos, tabidos tussientes; longo morbo extenuatos, & imbecillitate languentes recreat, & ad pristinum recuperandum robur conducit. Recipit seminum cucumeris, cucurbitæ citruli, melonum, portulacæ, papaueris albi, santalorum albi & citrini, ligni aloes, Zingiberis, rosarum rubearum, florum nymphea, borraginis, myrti baccarum, ana drach. vnam. Corallii albi & rubei, ana drach. dimidiam. Margaritarum perforatarum, & non perforatarum, ana drachmam vnam, & dimidiam. Saccari albissimi.*

ANNOTATIO.

F 1 *Incerti auctoris)* Quia neque apud Nicolaum, neque Mesuen, neque alium quempiam auctorem, qui compositiones medicamentorum literis mandauit, reperitur. Cordus idipsum ex Platearii commentariis in Nicolaum, descripsit. Alii Dia margariton frigidum vocatum aliter describunt, in eum scilicet, qui sequitur modum. Et priori præferendum erit, adeoque in vsum a medicis reuocandum.

Dia margariton frigidum aliud,[1] *incerti auctoris. XIX.*

VAlet *vt præcedens, Capit santalorum omnium, florum rosarum, & violarum, seminum melonum, pastillorum e rosis, ana drach. duas. Ossis cordis ceruini. spodii, doronici Romani, behen albi & rubei. spicæ nardi, ana scrup. duos. Margaritarum perforatarum & non perforatarum, ana scrup. dimidium. Smaragdi, ramentorum eboris, hyacinthi & saphiri gemmarum, an. drach. dimidiam. Serici crudi vsti, drach. duas. Seminis intybi &*[2] *oxalidis, auri puri, an. drach. dimidiã. Ambaris, ligni aloes, an. scrup. dimidium. Florũ nymphea, scrup. vnum. Moschi, gr. duo. Sacchari, q. satis est.*

A

ANNOTATIONES.

1 *Incerti autoris)* Vtcunque incerti autoris & hanc esse Antidotum constat, tamen priori est præstantior, & ad robur cordis conseruandum ac recuperandum efficacior: id quod omnibus simplicium medicamentorum peritis palam est.

Oxalis. 2 *Oxalidis)* Oxalis Græcis & Latinis herba est, quæ barbaris & Seplasiis Acetosa nominatur.

Antidotus e Gemmis Ioannis Damasceni, XX.

AD frigida cordis, cerebri, ventriculi, iecoris, & vteri vitia efficacißima. Nam melancholicos, sine caussa manifesta tristes, timidos, solitarios iuuat, exhilarat, ad mores probos inuitat. Emẽdat cordis tremorem, ac syncopen. Ventriculum a frigida intemperie imbecillum roborat: & concoctione tum eius, tum iecoris meliore reddita, corpus bene coloratum reddit. Habet margaritarum albarum,[1] *drach. tres.*[2] *Saphiri, hyacinthi,*[3] *sardæ, granatorum, smaragdi, ana drach. vnam, & dimidiam. Zedoariæ, doronici, corticum citrei mali, macis, seminis ocimi caryophyllati, ana drach. duas. Coralli rubri, charabæ, ramentorum eboris, an. scrup. duos. Behen albi & rubei, caryophyllorum, zingiberis, piperis longi, spicæ nardi, folii, croci, cardamomi, an. drach. vnam. Pastillorum de rosis, ligni aloes, an. drach. quinque. Cinamomi, galangæ,*[4] *Zurumbet, an. drach. vnam, & dimidiam. Foliorum auri & argenti, ana scrup. duos. Moschi, drach. dimidiam. Ambræ, drach. duas.*[5] *Sacchari albißimi.* B

ANNOTATIONES.

Hæc Antidotus, si gemmæ ex quibus constat legitimę sunt, satis sumptuosa est, ita vt Regibus & magnatibus hoc nomine magis conueniat, quam mediocris fortunæ hominibus. Quod hodie viliori precio venditur, non alia de caussa accidit, quam quod a pharmacopœis legitimæ gemmæ ad huius structuram non vsurpantur. C

1 *Drach. tres)* Alii codices habent drach. duas. Nos emendatiores secuti, drach. tres adscripsimus.

Saphirus. Smaragdus. 2 *Saphiri)* Metuendum, ne Saphirus & Smaragdus officinarum adulterini sint. Quapropter præstat loco earundem, Hyacintho & Granato vti. Quod hic semel monuisse sufficiat.

Sarda. Carneolus. 3 *Sardæ)* Sarda, quæ & Sardius & Sardo vocatur, a Sardibus vbi primum reperta, sic dicta gemma: est, quæ gemmariis nunc Carneolus appellatur, quod colore similis sit carni. Eius vsus semper fuit frequens, tum quia facile scalpi posset, tum quia ad signandum esset valde vtilis, vt cuius signum partem ceræ secum non auferret. In puluerem trita, & cum vino austero pota, sistit menses, & sanguinis per ora venarum profusionem. Quoniam vero interdum rubro Sardæ corpori candidum Onychis substernitur, ex vtraque gemma sui generis tertia etiam oritur, & nomen Sardonyches inuenit.

Sardonyches. Zurũbet. 4 *Zurumbet)* Quod Mauritanis, Serapioni præsertim Zurumbet nominatur, id geminum est. Vnum quod Auicennæ Zarnabo, & recentioribus Græcis Zarnabum & Zarnabadium, Paulo autem Arnabo dicitur. Hoc describitur a Serapione cap. 261. vbi Zurumbet arborem esse proceram in Oriente prouenientem tradit: foliis longis, colore viridi, in luteum languescente, Salicis modo, sicuti & ramorum cortex. Infrugifera est, citreum spirans odorem. Eo hodie caremus, ideoque succedaneo eius vtendum erit, quod Paulo & Serapione testibus Casia lignea, vel Carpesium existit, propterea quod similis naturæ sit. Possidonius eo non præsente. Cinnamomo vsus est. Alterum Zurumbet, cap. 172. Serapioni est radix rotunda, & globosa, Aristolochiæ rotundæ radici similis. Hæc hodie inter Zedoarias longas ex India & Oriente affertur. Hinc est, quod plerique Zurumbet interpretentur Zedoariam simpliciter, sed minus recte. D

Succedaneum Zurumbet. Nam adiiciendum erat Rotundam, vt discrimen a vera & longa Zedoaria hac adiectione innueretur. Quapropter pro Zurumbet, rotunda illa nobis vocata Zedoaria accipienda erit. Hinc omnibus palam fit, Matthiolum me, & Cordum falso erroris insimulare, quod Zurumbet zedoariam interpretati fuerimus, quum ipse potius in errore versetur sane maximo, eo quod vnicum esse Serapionis Zurumbet existimet. Ita merito accidit, vt quum Matthiolus omnium errores traducere studet, suos magis prodat. E

5 *Sacchari)* Qui in electuarii formam redigunt, ii pro Sacchar0 mel Emblichorum vsurpant.

Pleres Archonticon Nicolai Myrepsici. XXI.

ANtidotus[1] pleres archonticę, prodest *cardiacis, tristibus, melancholicis, imbecillo ventriculo, & animi deliquio a corde nato. Præterea eos qui ex diutino morbo penitus extenuati sunt, plurimamque inde imbecillitatem contraxerunt, admodum corroborat. Memoriam amissam recuperat, sensus acuit, comitialibus, asthmaticis prodest, omnemque cerebri debilitatem aufert. Capit cinamomi, caryophyllorum, ligni aloes, galangæ, spicæ nardi, nucis moschatæ, Zingiberis,* 6 *spodii, floris iunci odorati, cyperi, rosarum, violarum, ana drach. vnam, grana quindecim. Folii, glyzyrrhizæ, styracis, mastiches, sampsychi,*[2] *balsami, ocimi, cardamomi, piperis longi, baccarum myrti,*[3] *foliorum citrii mali, ana scrup. duos, grana quinque.*[4] *Behen albæ & rubeæ, corallii, serici vsti, ana scrup. vnum, grana duo, & dimidium, Moschi, grana septem, & dimidium.*[5] *Florum nympheæ, scrup. dimidium. Sacchari albißimi.* F

A

ANNOTATIONES.

1 *Pleres archontice)* Nicolao præsens antidotus πλήρης ἀρχοντικὴ id est, implens principalis, siue eximia, dicitur: quod scilicet mirificam quandam in recuperandis & instaurandis amissis viribus facultatem habeat. Quippe quum quasi impleat, saturosue, adeoque robustos reddat, eos qui imbecilles atque deiectis viribus fuerunt: merito Græcis πλήρης, quasi ἐμπλεώς, hoc est, implens: & ἀρχοντικὴ id est, principale seu eximium, dictum est, Barbaris medicis, & officinis non recte Plirisarcoticon nominatur.

Pleres archontice cur dicta.

6 *Spodii)* Et hoc loco neque Græcorum, neque Arabum, siue cannæ spodium vocatum vsurpandum erit, sed ebur vstum, vt iam aliquoties monuimus.

2 *Balsami)* Latini Nicolai codices habent Balsamitæ, sed falso. Nam in græco Nicolai est, βαλσάμου. Et in recolligendis viribus, Balsamum rectius quam Balsamita adhibetur. Sed quum Balsamo careamus, eius succedaneo vtendum erit.

B 3 *Foliorum citri mali)* Latini Nicolai exemplaria legunt, Corticum citri mali, quum græce sit κίτρου φύλλων. Corticem enim potius quam folia huic Antidoto inserere voluerunt: quod hæc in nostris regionibus haberi nequeant, illas vero facilime consequi liceat.

Error latinorum Nicolai codicum.

4 *Behen, &c.)* Ante Behen in latinis codicibus scribitur, margaritarum, in aliis Gemmarum. In Græco nulla fit earundem mentio. Adiectæ haud dubie sunt ex sequenti hanc Antidoto, in qua Nicolaus Margaritarum meminit. Verum quum in corroborando corde Margaritæ vim magnam habeant nihil prohibeo, quin illas huic Antidoto misceat pharmacopœi pondere, scrup. vnius, & gran. duorum, & dimidii. Non erat autem cur annotaret hoc loco Franciscus Alexander hanc compositionem constare simplicibus diminutis, quum antea ego id in meis annotationibus expressis verbis indicauerim. Et mirum est, Alexandrum pluris hac in re facere Præpositum, quem tamen nouit esse Myrepsi compilatorem atq; C abbreuiatorem, & de quo non admodum præclare sentit. Quare semper Myrepsi, tanquam senioris, ac græci exemplaris omnibus esse ratio & auctoritas debet, quam imperiti illius Præpositi.

5 *Florum Nymphea)* Nicolaus habet, Caphure granum dimidium. Cur autem pro ea vtamur foliis Nymphea, supra aliquoties dictum est, vt non sit opus hic repetere. Si tibi ita videbitur, pro Caphura succum Sedi siue Semperuiui maioris substituere poteris, vt antea quoque monuimus. Quum autem solida sit Antidotus, folia aut flores Sedi etiam loco Caphuræ vsurpare licebit.

Dia[1] Thamaron Nicolai Myrepsici, XXII.

Prodest tabidis, tussientibus, stomachicis, difficulter spirantibus, asthmaticis, & ad omnem corporis imbecillitatem. Renum præterea impotentiæ, & debilitati succurrit. Venerem emortuam D *efficaciter excitat. Accipit caryophylli magni, qui Italica lingua[2] Antophyllus cognominatur, zingiberis ana drach. quinque, scrup. vnum, grana sedecim. Cinamomi, caryophylli parui, carnis palmularum, ana vnc. dimidiam scrup. vnum, grana sedecim. Galangæ, spicæ, Zedoariæ, costi, pyrethri, [3] coralii rubei, tragacanthæ, [4] rhei Pontici, [5] spicæ celticæ, anacardii, ossium palmularum, carpobalsami, anisi, baccarum iuniperi, ana[6] drach. vnam, scrup. duos, grana octo. [7] Margaritarum integrarum & perforatarum, ana scrup. duos; Moschi, grana tria. Blattii biZantis, scrup. duos. Trium piperum, ana drach. vnam, scrup. duos, grana octo. [8] Ramentorum auri puri, argenti puri, ossis cordis ceruini, ana scrup. duos, & dimidium. Ramenti eboris, ambaris, ana scrup. vnum, grana septem. Sacchari candidissimi, quod satis est.*

E

ANNOTATIONES.

1 *Dia Thamarõn)* Ita inscribenda est hæc Antidotus, propter palmulæ tum carnes, tum nucleos, eius compositionem ingredientes. Nam palmula Arabibus Thamar: vt officinis, a digiti forma, quam refert, Dactylus dicitur. In manuscripto Nicolai codice mendose legitur, διὰ χαμαρῶν, pro διὰ θαμαρῶν. Facilis enim ab θ in χ lapsus fuit, præsertim in barbara voce: quæ vel ipsi Nicolao, vtpote Græco, vel librario ignota fuit. Hinc est, quod in Actuario, qui hanc Antidotum etiam describit, mendosior sit lectio. Siquidem illic scriptum est, διὰ χομερῶν. Quapropter imperiti interpretes sic dictam esse hanc Antidotum putarunt, quod hominem e morte ad vitam ducat. Eius itaque falsæ inscriptionis caussa nulla alia fuit, quam quod ex Arabum libris hæc Antidotus sit a recentioribus Græcis descripta.

Dia thamarõn. Thamar. Nicolai locus restitutus.

2 *Antophyllus)* Et hæc vox satis declarat, ex Arabum libris hanc Antidotum esse transscriptam, quum barbaram esse omnibus constet. Significat autem, Nicolao metipso interprete, grandem caryophyllum, qui scilicet iam ad maturitatem peruenit, nucleo intus duro, bifidoque.

Antophyllus.

F 3 *Coralli rubei)* Cordus in suo medicamentario libro, præter Græci & Latini codicis fidem, Album quoque corallium adiecit.

Cordus.

4 *Rhei pontici)* Non Rhabarbarum, vt Cordus est interpretatus: sed veterum rha Ponticum, vel quod hodie officinis ita vocatur, accipiendum erit, idque propter caussas ante sæpe expositas.

Cordi interpretatio improbata.

5 *Spicæ celticæ)* Latini codices habent, Saliuncæ: nulla plane alia de caussa, quam quod Saliuncam non nisi spicam celticam, vel, vt hodie nominant, Romanam, atqui falso, vt supra quoque diximus, esse putauerint. Est enim Saliunca a Spica celtica diuersa planta, quemadmodum in nostris de stirpium historia commentariis plenius monstrauimus.

Saliunca.

6 *Drach. vnam, scrup. duos, grana octo)* Sic etiam habet Latinus Nicolai codex. Quare præter omnium codicum fidem Cordus hic pondus variauit.

Cordi temeritas.

7 Marga-

7 *Margaritarum, &c.* Harum in latinis codicibus nulla fit mentio. Nos Græci exemplaris fidem secuti, illas præterire haud potuimus: præsertim quum ad roboris consecutionem plurimum momenti habere margaritas, omnibus in confesso sit. Variant & hic ad finem vsque Latini codices, a Græcis: vt iterũ pateat, hactenus nullas in officinis compositiones fuisse integras, ac legitimas. A

Ramenta auri.

8 *Ramentorum auri)* Hodie potius foliis auri vtuntur, quod ramenta ob grauitatem suam prompte fundum petant, nec æqualiter hoc nomine compositionibus commisceantur. Quod semel hoc loco monuisse satis sit.

Dia Cinamomu Ioan. Damasceni XXIII.

ANtidotus e cinamomo concoctionem iuuat, pituitæ putredinem prohibet, ac alimenti in corpus distributionem promouet. Recipit[1] *cinamomi tenuis & selecti, drach. quindecim.*[2] *Cinamomi vilioris, enulæ, ana vnc. dimidiam. Galangæ, drach. septem. Caryophyllorum, piperis longi,*[3] *cardamomi, zingiberis,*[4] *granorum paradisi, macis, nucis moschatæ, ligni aloes, an. drach. tres. Croci, drach. vnam.*[5] *Sacchari purißimi, drach. quinque.*[6] *Sacchari albißimi, quantum satis est.* B

ANNOTATIONES.

Cinamomũ tenue.

1 *Cinamomi tenuis)* Intelligit optimum, quod, Dioscoride teste, tenuibus est ramulis, iucundi odoris, acre, ac mordens.

Cinamomũ vilius. Darsenii. Cinamũ.

2 *Cinamomi vilioris)* Mesuæ filius habet Darseni cinnami, quod idem est. Nam Darseni Mauritanis est Cinamomum. Sed Cinamum vilioris Dinemomi species est. Serapione teste, inualidi odoris, solutarumque virium. Dioscorides Pseudocinamomum appellat, quod quandam Cinamomi faciem præbeat. Quare hoc loco deprauati sunt fere omnes Mesuæ filii codices, qui habent Darseni cumini: quum scribendum sit Darseni cinami. Mesuæ namque filius vtrunque Darsenum seu cinamomum, selectum & vilde, huic compositioni permiscet; postremumque cum Serapione & aliis Mauritanis Cinamum nominat. Non igitur recte Cordus Cuminum huic Antidoto in suo medicamentario lib. inserit, quum eius nullam Mesuæ filius fecerit mentionem. Secutus itaque exemplaria mendosa, pro Cinami legit Cumini. Et quum hęc compositio sit e Mauritano Mesuæ desumpta, vt in eius dictionis explicatione, quicquid Franciscus Alexander dicat, Mauritanorum sequamur iudicium oportet. Quanquam tandem in nostrã concedat sententiam, & vbi Cinamomi ac Darseni legitur, pro altero primariæ casiæ æquale pondus: pro altero autem duplum eiusdem substituendum, fateatur. C

Cordi error.

Cardamomi. Heil. Cordi lapsus.

3 *Cardamomi)* Intelligit id, quod ita hodie officinis medicorum vocatur.

4 *Granorum paradisi)* Mesuæ filius habet Heil. Ceterum Heil, non est, nisi ea Cardamomi species, quæ Seplasiis Granum paradisi nuncupatur. Cordus hic reprehensione dignus est, quod Heil silentio transiit. D

5 *Sacchari purissimi)* Mesuæ filius habet Zucchari tabarzeth, quod idem est. Hoc autem speciebus permiscetur, vt eo expeditius ad vsum quotidianum conseruentur.

Zuccharũ tabarzeth.

6 *Sacchari albissimi)* Hoc adiicitur, quando species in orbiculos, vel, vt hodie nominant, rotulas digeruntur.

Dia Xylaloes Ioannis Damasceni XXIV.

ANtidotus e ligno aloes prodest vitiis cordis, ventriculi, & iecoris frigidis, easque partes roborat. Ob id cordis palpitationem, & animi defectionem sanat, exhilarat, concoctionem iuuat, orisque halitum commendat. Capit ligni aloes crudi, rosarum rubearum, ana vnc. vnam. Caryophyllorum, spicæ nardi, macis, nucis moschatæ, gallia moschatæ, cubebæ, cardamomi, granorum paradisi, mastiches, cinamomi, cyperi, iunci odorati floris, zedoariæ, behen albæ & rubeæ, folii, serici crudi, margaritarum, corallii rubei, charabæ, foliorum & corticum citrii mali, ocimi caryophyllati, sisymbrii, menthæ siccæ, piperis longi, zingiberis, an. vnciam dimidiam. Moschi, scrup. vnum. Ambaris, drachmam vnam, & dimidiam, Sacchari albißimi. E

Lætificans[1] *Galeni*[2] *Nicolai. XXV.*

LAEtitiam, colorisque bonitatem efficit. Concoctionem iuuat, & caniciem arcet. Habet florum ocimi caryophyllati, croci, zedoariæ, xylobalsami, caryophyllorum, corticum citrii mali, galangæ, macis, nucis moschatæ, styracis calamitæ, ana drachmas duas, & dimidiam. Ambaris, moschi,[3] *florum nymphea, ana drach. dimidiam. Anisi, ramentorum eboris, thymi, epithymi, ana drach. vnam.* *Margaritarum,*[4] *scrup duos. Ossis cordis ceruini, drach. dimidiam. Auri foliati purißimi, argenti foliati puri, ana scrupulum dimidium.*[5] *Sacchari albißimi, quod satis est.* F

ANNOTATIONES.

1 *Galeni)* Falso ad Galenum refertur hæc Antidotus: quod inde fit manifestum, quia moschus, ambar, margarita, & caphura eius structuram ingrediuntur: quæ Galeno incognita fuisse constat.

2 *Nicolai)* In Græco manuscripto codice, quem nos in Latinum conuertimus sermonem, Antidotus hæc, quod sciam, non habetur. In Latino autem exemplari, seu paruo Nicolai Præpositi vocati Antidotario, ad eum quem exposuimus modum refertur.

3 *Florum Nymphea)* Nicolai codex habet, Caphuræ: pro qua nos Flores nymphææ, aut violarum, propter caussam antea sæpius dictam, substituimus.

A 4 *Scrupulos duos.*) Nicolai exemplar habet drachmam vnam. Verum quia hoc pondus antea præcessit, suspicio est locum esse deprauatum, quod alias margaritas a præcedentibus non separasset, sed plane coniunxisset, & ana dictionem subiunxisset. Parum autem refert, drachmam vnam aut scrupulos duos recipias, quod margaritæ roborandi cor facultatem habeant eximiam.

5 *Sacchari candidissimi.*) Si in solidam digesseris formam. Quod si vero liquidam facere volueris Antidotum, tunc adiicere oportet, succi cotoneorum, pomorum odoratorum dulcium, boraginis, & vini veteris partes æquales: ea scilicet quantitate & mensura, quæ despumando & decoquendo sacharo sufficiat.

Lætificans[1] *Rasis.* XXVI.

AD affectus cordis, ventriculi, iecoris, quas partes etiam roborat, admodum confert: palpitationem cordis emendat, valenter exhilarat, & concoctionem iuuat, coloremq́ viuidum efficit. B Capit *melissæ, corticis citrij mali, caryophyllorum, galliæ moschatæ, mastiches, croci orientalis, cinamomi, nucis moschatæ, cardamomi,*[2] *seminis Pæoniæ, behen albæ & rubeæ, zedoariæ, doronici, seminis ocimi maioris, seminis ocimi caryophyllati, ana vnciam dimidiam. Moschi, scrup. vnum. Sacchari albissimi, quod satis est, formentur orbiculi, seu, vt vocant, tabulæ. Si vero in liquidam digerere formam Antidotum volueris, tunc prædictas species cum sequenti Serapio misce, vt electuarij accipiat consistentiam: quod recipit myrobalanorum chebulorum numero*[3] *viginti. Emblicorum numero triginta. Triti myrobalani coquantur in tribus aquæ libris, donec ad vnam redeant, dein colentur, & colaturæ adijciatur mellis despumati libra vna. Dein bulliant, quoad aqua consumta sit, & ad iustam consistentiam veniat: & postquam feruor remiserit, inspergantur species.*

ANNOTATIONES.

C 1 *Rasis.*) In libro nono ad Almansorem, capite decimo tertio, de Melancholia.

2 *Seminis Pæoniæ.*) Razes habet Neheremisch: quam sane dictionem etsi varie interpretantur, nihil enim certum aut solidum est in Arabum doctrina, tamen maior pars auctorum eo inclinat, vt semen Pæoniæ esse statuant. Quorum nos etiam sententiam secuti sumus, propterea quod constet Pæoniam ventriculum, & iecur roborare: id quod huic etiam Antidoto tribuitur. Neheremisch. Nihil certum aut solidum in Arabū doctrina.

3 *Numero viginti.*) Cordus habet quadraginta. Nam duplicato in sequentibus omnibus vsus est pondere, ita vt emblichos sexaginta, aquæ libras sex, & mellis despumati libras duas sumendas esse voluerit. Nos Razis codicum fidem secuti, simplici mensura ac pondere potius vtendum esse duximus. Nihil autem refert, vtram amplectaris conficiendi rationem.

Dianisu Ioannis Damasceni. XXVII.

ANtidotus ex Aniso intemperiem ventriculi frigidam, & a pituita crudanatam sanat. Crassis quoque flatibus illic procreatis succurrit. D *Crudam deniq́ pituitam in ventriculo procreatam absumit, tussiq́ diuturnæ prodest. Recipit anisi, drachmas viginti. Glycyrrhizæ, mastiches, ana vnciam vnam. Carei, macis, galangæ, zingiberis, cinamomi, fœniculi, ana drachmas quinq́. Trium piperum, calaminthes, pyrethri, casiæ ligneæ ana drach. duas.* Granorum paradisi, caryophyllorum, cubebarum, spicæ nardi, croci, ana drachmam vnam, & dimidiam. Sacchari candidissimi.* * Hoc

Dia Cyminu. Nicolai Myrepsici, num. 100. XXVIII.

ANtidotus e cymino, confert *frigiditati thoracis, stomachi, inflatis, colicis, febre quartana laborantibus, & ventriculi concoctionem iuuat.* Accipit *cumini die nocteque in aceto* E *macerati, & dein in vmbra exsiccati, drachmas octo, scrupulum vnum. Cinamomi, caryophyllorum, ana*[1] *drachmas tres, scrupulos duos.*[2] *Galangæ,*[3] *thymbræ, calaminthæ, zingiberis, piperis nigri, ana drachmam vnam, scrupulos duos. Ammios, libystici, ana drachmam vnam, scrupulum vnum, grana sex. Piperis longi, spicæ,*[4] *nucis moschatæ, ana scrupulos duos, & dimidium Sacchari albissimi.*

ANNOTATIONES.

1 *Drachmas tres, scrupulos duos.*) Cordus secutus Latinorum codicum lectionem, habet drachmas duas, & dimidiam. Nos vero fidem potius Græci manuscripti exemplaris sequi voluimus, quod legit L β γχρπ. ε. Scrupuli enim quinque efficiunt drachmam vnam, & scrupulos duos. Hallucinatus est quoque Dessennius, qui legit drachmas duas, scrupulum dimidium. Mirum autem est F quod Franciscus Alexander hoc loco laudet, quod integritati suæ hanc compositionem restituerim, quum alias non raro reprehendat, quod pondera & simplicia mutauerim, ita tamen codice Græco monente. Cordus. Dessenii error.

2 *Galangæ.*) Immutatum hic & ordinem simplicium, aliamque quam in Latinis codicibus ponderum esse rationem, vides. Ita namq; scriptum erat in Græco Nicolai codice, qui plus auctoritatis quam Latinus habere merito debet.

3 *Thymbra.*) Pro ea Pharmacopœi Satureiam vsurpent. A

4 *Nucis moschata.*) Latini codices ante nucem moschatam Cardamomi mentionem, quod tamen in Græco desideratur codice, faciunt. Nec eius meminit exemplar, quod opera Ioannis Agricolæ nostri Ingolstadii est excusum. Est autem haud dubie ex altera Dia cuminu Antidoto, quæ præsentem apud Nicolaum sequitur, in contextum insertum. Nos quia in Græco non erat, omisimus, vt syncera & legitima esset huius Antidoti structura.

Ioannes Agricola.

Dia Calaminthes.[1] *Galeni.* XXIX.

ANtidotus e calamintha Galeni, *crassa & lenta attenuat, & discutit, vrinas mouet, ac muliebres menses.* Habet *calaminthæ, pulegij, petroselini, seselios, ana*[2] *vnciam vnam. Seminis apij, cacuminum siue comarum thymi, ana vncias duas. Lybistici, vnc. octo. Piperis, vnc. vigintiquatuor. Sacchari albissimi.*

ANNOTATIONES. B

1 *Galeni.*) Libro quarto de Tuenda valetudine, capite sexto. Vbi, qualia esse debeant simplicia, quæ huius Antidoti compositionem ingrediuntur, docet. Verum quum ex iis regionibus, quas ipse memorat, hodie medicamenta illa non afferantur: satis erit, si nostratibus, optimis tamen, & rite collectis, vtamur.

2 *Vnciam vnam.*) Galenus passim duplum accipit pondus. Verum quia magna est hæc quantitas, præstat simplex pondus, quod nos fecimus, vsurpare.

Dia Calaminthes.[1] *Nicolai Myrepsici.* XXX.

VTilis *ad refrigerationem thoracis, & tussientes. Item ad refrigerationem stomachi, abolitam appetentiam, ad eos qui difficulter concoquunt, & eos quibus stomachus celeriter inflatur.* Capit *calaminthes, pulegij, seselios, piperis nigri, petroselini, ana drach. tres, scrup. duos. Libystici, drachmas duas, scrup. vnum. Seminis apij, scrup. vnum. Ameos,*[2] *thymi, anisi, cinamomi, zingiberis, ana scrupulos duos. Sacchari candidissimi.* C

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai.*) Nam Mesuæ filii vsitata non est, nec a Galeni nisi ponderum ratione distat. Præstat itaq; hac Nicolai, quæ plura quam Galeni simplicia recipit, & legitima, adeoq; e Græco transcripta est, vti Dessennius eam mutilam, & deprauatam refert.

Dessennius.

2 *Thymi.*) Comæ autem, siue summitates thymi intelliguntur, vt in ea quæ præcedit.

Comæ.

Dialacha maior. Mesuæ filij. XXXI.

ANtidotus e lacha magna facit *aduersus ventriculi frigus, ventriculum & iecur roborat, obstructiones atq; inflationes viscerum, iecoris potissimum & lienis aperit, eorumq; duritiem dissoluit. Aquam intercutem, & malum corporis habitum sanat & emendat, menses ciet, vrinas mouet, lapidem renum & vesicæ frangit.* Accipit *lachæ*[1] *lotæ,*[2] *rhabarbari, ana drach. tres. Spicæ nardi, mastiches,*[3] *coliculorum iunci odorati, absinthij, succi*[4] *eupatorij, sabinæ, asari, amygdalarum amararum, costi, myrrhæ, rubiæ tinctorum, seminum apij, anisi, fœniculi, ammeos,*[5] *aristolochiæ, gentianæ, croci, cinamomi, hyssopi, cassiæ ligneæ,*[6] *cacuminum iunci odorati, bdellij, ana drachmam vnam, & dimidiam. Piperis, zingiberis, ana drachmam vnam. Sacchari albissimi.* D

ANNOTATIONES.

1 *Lacha lota.*) Quomodo Lacha sit abluenda, suo docebimus loco, vt non sit necesse hic explicare. In calce enim huius libri, abluendi ac præparandi medicamentorum rationem seorsim trademus. Lauatur autem, iunci odorati florum & aristolochiæ decocto: vt essentiæ tenuitate assumta, valentius obstructiones aperiat.

Lacha lota.

2 *Rhabarbari.*) Quum Antidotus hæc in hoc sit parata, vt obstructiones soluat, non autem vt aluũ subducat: præstat hic etiam rha Ponticum officinis nominatum vsurpare, quam rhabarbarum iisdem dictum. Eius autem Mesuæ filius fecit mentionem, quod veterum Rha ignorauerit. E

Rhabarbari.

3 *Coliculorum iunci odorati.*) Quum hanc compositionem Iuncus odoratus, qui Squinantus barbaris appellatur, bis ingrediatur, hoc loco culmi, siue coliculi eius sunt accipiendi. Dessennius hanc compositionem, vt omnes fere alias, deprauauit.

Iuncus odoratus. Squinãtus. Dessẽnius compositionũ veterũ deprauator.

4 *Succi Eupatorii.*) Hic Græcorum Eupatorium, quod vulgus Agrimoniam nominat, vsurpari non debet: sed id quod a Mesue describitur, & Græcis Ageratum. Eius historia est in primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo.

Eupatorium. Mesues filii.

5 *Aristolochia.*) Etsi eandem facultatem omnes habeant Aristolochiæ, tamen quum rotunda sit tenuissima, & ad omnia Galeni etiam testimonio, efficacior: vbicunq; Aristolochia, vt hoc loco, simpliciter effertur, rotunda vsurpari debet.

Aristolochia rotũda.

6 *Cacuminum iunci odorati.*) Per cacumina seu summitates Iunci odorati, non intelliguntur, nisi eius flores, qui in cacumine huius herbæ sunt constituti. Verum quia flores ad nos hodie non deferuntur, necesse est tenerrimas eius partes e cacumine decerptas arripiamus, aut geminum pondus Schœnanthos indamus. F

Cacumina iunci odorati.

A *Dia Lachan*[1] *Nicolai Myrepsici, numero 123. XXXII.*

ANtidotus e Lacha confert iocinerosis, lienosis, malo corporis habitu laborantibus, nephriticis, stomachi inflationibus, & viscerum. Item iocineris, & lienis obstructionibus. Recipit lachæ[2] *infectorum, unc. unam & dimidiam, drach. tres. Spicæ, costi, carpobalsami, xylobalsami, casiæ ligneæ, cinamomi, acori, croci, asari, floris iunci odorati,*[3] *senæ rheibarbari, masliches, aristolochiæ longæ & rotundæ, ana drach. nouem Gentianæ seminis apii, fœniculi, anisi, polii, caryophylli, cumini, eupatorii, absinthii phu, nucis moschatæ, cardamomi, galliæ moschatæ, cubebarum, ana drach. tres. Sacchari quantum satis erit.*

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai)* Hæc etsi vsitata non est, tamen quum ad soluendas obstructiones sit efficacissima, in vsum B reuocari potest: propterea quod ad eam quam Mesues describit, proxime accedat, & pluribus etiam simplicibus constet.

2 *Infectorum)* Græce est βαφέων. Quæ vero sit Lacha infectorum, primo abunde dictum est libro. Actuarius habet, Repurgatæ. Lacha infectorum.

3 *Sena, rheibarbari)* Si rheum barbarum, quod hodie ita vocatur, ad huius Antidoti structuram accipiatur: dubium haud erit, quin aluum sit subductura, præsertim quum Sena illi coniugatur, & pondus sit vnc. vna, drach. vna. Quia vero obstructionum soluendarum gratia hæc Antidotus magis vsurpatur, præstat hoc rha barbaro accipere rheum Ponticum vocatum: quod ita minus sumptuosa sit futura Antidotus. Actuarius quidem Rheum Indicum indendum esse docet, sed quinque drach. duntaxat pondere. Rheum barbarum.

Dia Curcuma[1] *Mesuæ filii. XXXIII.*

C *ANtidotus e*[2] *curcuma magna, ventriculi iecoris, lienis morbos frigidos & diuturnos sanat. Itē obstructiones, hydropem, malum corporis habitum, inflationes, vitiosum corporis colorem, renum & vesicæ vitia frigida, vrinamque euocat. Habet croci, asari, petroselini, dauci, anisi, seminis apii ana vnc. dimidiam. Rhei barbari spicæ,*[3] *mei. an. drach. sex. Costi, myrrhæ, casiæ ligneæ, floris iunci odorati, radicis rubiæ, carpobalsami,*[4] *succi absinthii, succi eupatorii,*[5] *olei balsami, an. drach. duas. Calami odorati, cinamomi, drachmam vnam & dimidiam. Scordii*[6] *scolopendrii, succi glycyrrhizæ, an. drach. duas, & dimidiam. Tragacanthæ, drach. vnam. Sacchari albissimi.*

ANNOTATIONES.

1 *Mesuæ)* Hæc Mesuæ filii Antidotus ex centesima decimanona, & centesima vigesima secunda Nicolai Myrepsi est collecta: quod ex collatione vtriusq; auctoris omnibus fit manifestissimum. D

2 *E curcuma)* Mirum admodum est, cur hæc Antidotus e curcuma sit inscripta, quum curcuma eius structuram non ingrediatur. Curcumam autem vsitatam hodie officinis intelligimus, quæ non est nisi Ciperi Indici radix, vt libro primo diximus. Nec Serapionis & aliorum Arabum, quæ non est nisi Chelidonium, inaudienda erit. Quapropter suspicio est, Curcumam apud Mesuæ filium hoc loco idem quod crocum significare. Aut certe Antidoti inscriptio per imperitum librarium deprauata est, qui pro διὰ κρόκου, legit διὰ κούρκυμα, vt etiam apud Nicolaum legitur. Recte autem hæc Antidotus e croco inscribitur, quum primum medicamentum hunc constituens sit Crocus. Dia curcuma vnde dicta. Curcuma.

3 *Mei)* Monachi, qui in Mesuæ filium Commentarios scripserunt, ante Meum inserendum Phu esse contendunt: nullo alio argumento moti, quam quod Auicenna in sua Diacurcuma eius etiam meminerit. Quasi vero necesse sit, in Mesuæ filii descriptione omnia commemorari, quæ in Auicennæ memo- E rantur. Cur igitur in hac Antidoto desideratur Capparis Romana? cur succus lilii? Debebant itaque monachi eadem ratione, qua phu, hæc etiam duo inter ea, quę Antidotum hanc constituunt, recensere medicamenta. Quapropter quum neque in Nicolai, neque in aliis quos ipse viderim Mesuæ codicibus phu, mentio fiat, merito a nobis omissum est. Monachi commentatores filii Mesuæ.

4 *Succi absinthii & Eupatorii)* Hic iterum Ageratum pro Eupatorio sumendum erit. Atque sciendum, quod succi illi, vt glycyrrhizæ, densandi sint. Liquidi enim solidis Antidotis non conueniunt. Eupatoriū Mesues.

5 *Olei balsami)* Opobalsamum intelligit, cuius vice succedaneo eius vtendum erit. Oleū balsami.

6 *Scolopendrii)* Herbam, quę Ceterach hodie dicitur, inaudire oportet per Scolopendrium, non linguą ceruina vulgo dicta, hæc tollendi obstructiones facultatem haud obtineat, vt in Phyllitidis historia copiose monstrauimus. Scolopendrium.

F *Dia Prasiu Nicolai Myrepsici. XXXIV.*

ANtidotus e marrubio confert tabidis, tussientibus, iis qui defluxionibus distillationibusque e capite obnoxii sunt. Item hebetudini oculorum, & palati vitiis, oris putredinibus: & in vniuersum omnibus vitiis tussim afferentibus. Calculos atterit, & iis qui difficulter mingunt prodest. Capit marrubii viridis drach. quinque & dimidiam. Tragacanthæ, pinearum repurgatarum, amygdalarum, pistaciorum, carnis palmularum, caricarum, vuarum passarum, an. drach. tres, & dimidiam. Cinamomi, caryophillorum, nucis moschatæ, macis, ligni aloes, galangæ, spicæ, zingiberis, Zedoariæ, glycyrrhizæ rhei Pontici, anacardii, styracis, masliches, myrrhæ, * *galbani, terebinthinæ, iridis, aristolochiæ rotundæ, radicis capparis gentianæ, piperis nigri, anisi, fœniculi, anethi, seminis apii, sinonis, saxifragæ, an. drach. duas, Hermodactyli, castaneæ, origani, peucedani floris iunci odorati, car-*

damomi, piperis albi,[2] carnabadii, libystici,[3] vincetoxici, an. drach. vnã & dimidiam, gra. vnum & dimidium Pulegii,[4] balsami,[5] abrotoni, costi, pyrethri, thymbræ, ocymi, pænia, amomi, erui, an. drach. vnã, scrup. vnũ, gr. duo. Xylobalsami, casia lignea, corallii, ramenti eboris, carpobalsami, dauci cretici, an. drach. dimid. Moschi, ambaris, ossis cordis ceruini, an. gran. duodecim. Mellis despumati aut Sacchari albissimi, quod satis. Nonnulli qui liquidam facere antidotum volunt, pro saccharo accipiunt mellis lib. quatuor. Dein capiunt marrubium siccum corallium, Resinam pineam, vini veteris, vnc. tres, & decoquunt cum caricis, cumq; vuis passis excmtis acinis, donec vinum absumatur, postea vtraq; contundunt, & reliquis admiscent, adiiciuntq; therebinthinã cũ melle, atq; ita probe ebulliunt. Vbi vero ab igne amouere volunt, imponũt species, & quum probe subactæ fuerunt, reponunt in vase. A

ANNOTATIONES. B

* *Galbani, Terebinthina)* Hæc si in solidam formam redigitur medicamentum hoc, omittenda erunt. Sin liquidum futurum est, indenda veniunt. Quum itaque multa simplicia, si solidum futurum sit hoc medicamentum, omittenda sint, præstat illud liquida forma constructum, Nicolai exemplo in officinis prostare, quam solida.

Castanea. 1 *Castanea)* Græce est κασάνου. In latinis codicibus omnibus desideratur, Tamen a Nicolao haud dubie reliquis hanc Antidotum constituentibus est permista, vt destillationes inhibeat ac sistat: perinde atque caro palmularum, quæ itidem astringit & desiccat, adeoque destillationi sistendæ apta est.

Carnabadium. 2 *Carnabadii)* Hoc loco, vt apud Simeonem Sethi, pro Careo accipitur. Quod etiam testantur latini codices, qui in vniuersum omnes pro Carnabadio habent Carui.

Vincetoxicum. 3 *Vincetoxici)* Varie interpretantur Vincetoxicum recentiores. Nonnulli enim Iberin esse putant. Alii Thlaspin. Quidam Anemonem syluestrem. Quæ sane herbæ omnes quum eiusdem sint facultatis, ideo nihil refert, vtram ex iis accipias. Officinæ nostrates hodie pro Vincetoxico vsurpant Asclepiada herbam, quam illi hirundinariam vocant. C

Balsamum Cordus errat. 4 *Balsami)* Græcus Nicolai codex habet βαλσάμου. Cordus balsamitæ legit, Latini codicis fidem secutus. Non video, quod tamen ille affirmat, quomodo in vetere aliquo & probato auctore vox balsami significet Mentham. Et nisi quis eius rei testimonium aliquod proferat, mihi haud persuadebit. Praeferamus igitur huic coniecturæ Græci exemplaris fidem, in quo diserte, vt diximus, Balsami fit mentio. Quũ autem Balsamo destituamur, eius succedaneo vtendum erit. Quod quale sit, suo monstrauimus loco.

5 *Abrotoni)* In omnibus latinis codicibus legitur pro Abrotoni, Dictamni. In græco tamen Nicolai exemplari est diserte ἀβροτόνυ. Nihil autem refert, Abrotonum aut Dictamnum vsurpes, quum eiusdem sint facultatis, & vtrunque eos prestet effectus, quos antidoti inscriptio pollicetur. D

Dia Ireos simplex. XXXVI.

PRæstat fere idem quod sequens. Accipit iridis, vnc. dimid. Sacchari candi seu candefacti, specierum diatragacanthæ frigidæ an. drach. duas. Sacchari albissimi.

Dia ireos[1] Solomonis Nicolai Myrepsici. XXXVII.

ANtidotus ex iride, prodest ad columellam, quæ veluti acus intus pertusa videtur: ad vocẽ etiam amissam. similiter asthmaticos, & difficulter spirantes. Recipit iridis, vnc. vnã. pulegii, hyssopi, glycyrrhizæ, an. drach. sex. Tragacanthæ,[2] amyli, cinamomi, zingiberis, piperis, amygdalarum nucũ pinearum, an. drach. tres. Caricarum sine acinis, carnis palmularum, vuarum pinguium exemptis acinis an. drach. tres, & dimidiam.[3] Styracis rubri drach. duas. scrup. vnum. Sacchari albissimi. E

ANNOTATIONES.

1 *Solomonis)* Nicolao simpliciter δι' ἴρεως inscribitur. Recentiores autem Solomonis dictionem adiecerunt, vt hac ipsa adiectione eam a simplici, quæ præcedit, discernerent.

Amylum. 2 *Amyli)* In latinis codicibus omnibus desideratur, quum tamen in Græco manuscripto codice diserte sit ἀμύλου. Non est autem omittendum Amylum, propterea quod ad columellam defluctione laborantẽ, & exulceratã plurimũ conferat. Quod testatur Dioscorides, qui Amylum contra fluxiones, caua vlcera, exasperatũ guttur efficax esse scribit. Ita paucæ, aut fere nullæ cõpositiones integræ hactenus in officinis fuerunt. Et hic me notat Franc. Alexander, quod aduersus Actuarii sententiam Amylum addiderim, quũ tamen eius rei rationẽ et subiecerim, quod ille silentio transit. Non a. nescius fui hanc vocẽ in Actuarii cõpositione desiderari, sed id tantũ præstare volui, vt lector intelligeret, cur hoc loco pro semine lini, cuius in Nicolai codice mentio fit, Amylum substituerim. Mirum autem, cur Franciscus haud cogitet, se crebro Matthiolo obtrudere crimen, a quo profecto ipse alienus nequaquam est. F

3 *Styrax rubeus)* Quid sit Styrax ruber recentiorib. Græcis & Arabib. lib. 1. diximus. Præstaret quidem styracẽ optimũ ac liquidũ, quã Calamiten vocant, vsurpare: verũ quum succus siue cortex magis ad hanc compositionem, quæ arida est, quadret, ideo illum Nicolaus potius vsurpare voluit, quam liquidum.

Dia Hyssopu,[1] Nicolai. XXXVII.

Climax. *ANtidotus ex hyssopo, confert ad vitia capitis frigida, columellã exsiccat, arteriã asperã purgat, tussim cõpescit, õia frigida thoracis & stomachi vitia emendat, & concoctionem iuuat. Habet hyssopi, iridis, thymi, piperis nigri, an. dra. 30. Pulegii, thymbræ, rutæ, cumini, an. dr. 20. Carnis palmularum, tragacanthæ, passularum exemptis acinis,[2] fœniculi. an. dra. 10. Zingiberis, anisi, carei libystici. an. dra. 5. Sacchari albissimi.*

ANNO-

A

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai*) In latinis duntaxat codicibus habetur, in græcis desideratur. Rarissime in vsum venit: quapropter omitti potuisset.

2 *Fœniculi*) Miratur hoc in loco Franciscus Alexander cur glyzyrrhizam præterierim, quum mihi magis mirandum sit, cur ipse omiserit fœniculum, cuius expresse in Nicolai codicibus mentio fit: & glycyrrhizam ac ficum addiderit, quum tamen neutrius ibidem mentionem faciat Nicolaus. Ita passim in aliorum dictis reprehendendis oculatus est Alexander, in suis vero erratis animaduertendis plane cœcus.

Dia trion pipereon,[1] Nicolai. XXXVIII.

ANtidotus e tribus piperum generibus ventriculi refrigerationibus, acido ructui, quartanis, resolutis, iocinerosis, & inflationibus auxiliatur. Capit trium piperum, an. vnc. vnam. Zingiberis, thymi, seminis anisi,[2] apii, an. vnc. dimidiam. Sacchari quod satis est.

B

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai*) Hæc proxime accedit ad Dia trion pipereon simplex Galeni: quæ ita dicta est, quod minime sit mendicamentosa, nec ex variis, vt sequens, medicamentis composita, adeoque citra negocium ab iis, qui hanc sumpserunt, concoquitur. Danda itaque iis qui parum concoxerunt, & qui recens frigus in vẽtriculo contraxerunt, & pituitosum succum: item iis, quibus cruditas est multa in primis venis. Galenus de vnoquoque genere piperum accipit drachmas quinquaginta. De reliquis tribus, drachmas octo. Diatrion pipereon simplex.

2 *Apii*) Galenus in sua compositione Apium non habet. Qui igitur magis simplex esse cupit medicamentum hoc, ab eo apium detrahat.

C

Dia trion pipereon,[1] Mesuæ filii, XXXIX.

HAEc Antidotus magis fluxionibus, quæ a capite ad thoracem descendunt, conuenit. Accipit trium piperum, ana aur. quinq. Zingiberis, thymi, anisi, aur. duos. Spicæ nardi,[2] ammeos, an. aur. vnum. Casiæ ligneæ, asari, helenii sicci, seminis[3] apii, seseleos, an. aur. dimidium. Sacchari albissimi.

ANNOTATIONES.

1 *Mesuæ*) Hæc plane est quam Galenus lib. 4. de Tuenda sanitate damnat, veluti nimis medicamentosam. Omnia namq; quæ structuram huius Antidoti constituunt, medicamenta, illic nominatim perstringit. Diatrion pipereon compositum.

2 *Ammeos*) In latinis codicibus est Amomi: sed quum Galenus loco iam citato diserte Ammeos mentionem faciat, & Amomum hodie vix, & a paucis tantum cognoscatur. Ammi autem verum iam afferatur, & omnibus fere cognitum sit, præstat Ammeos semen quam Amomi, ad structuram huius Antidoti vsurpare. Nec erat cur tecte me pungeret Franciscus Alexander, quasi temere Amomum omiserim. Ammi.

D

3 *Apii*) Ex hac Antidoto Apii semen, est in præcedentem simplicem translatum.

Dia Zingiber.[1] Incerti auctoris. XL.

REcipit zingiberis, galangæ, caryophyllorum, cinamomi, nucis moschatæ, granorum paradisi, piperis longi, macis, cardamomi, spicæ nardi, rhei Pontici, rosarum rubearum, an scrup. dimidium, grana tria. Pinearum repurgatarum, vnc. dimidiam. Pistaciorum, drach duas. Anisi, fœniculi, glyzyrrhizæ rasæ, croci, an. drach. dimidiam. Sacchari albissimi.

ANNOTATIO.

E

1 *Incerti auctoris*) Cordus, & alii Nicolao ascribunt, quum tamen neque in Latinis, neque in Græco, quod sciam, Nicolai codice hæc Antidotus habeatur. Quapropter incerti auctoris compositionem esse iudico, ad ventriculum roborandum, & firmandum excogitatam.

Electuarium Ducis[1] Nicolai. XLI.

VAlet ad cruditatem, & inflationem stomachi & intestinorum, ileon, & calculum. Recipit anisi, drach. duas, grana sedecim. Glycyrrhizæ, mastiches, ana scrup. duos, grana quinque. Chamædryos, cinamomi, zingiberis, galangæ, fœniculi, carei, an. scrup. vnũ. grana quindecim. Casiæ ligneæ, calaminthæ, dauci, pyrethri, piperis albi, piperis longi, cyperi, floris iunci odorati, iridis, amomi, folii, asari, an. scrup. vnum. Spicæ nardi, croci, gummi Arabici, tragacanthæ seminis anethi, calami aromatici, cubebarum, caryophyllorum, carpobalsami, cardamomi, libystici, seminis[2] hipposelini, baccarum iuniperi, seseleos, quinque folii. Seminis aspargi, seminis citri, radicis acori, ammeos, rhei Pontici, nucis moschatæ, ligni aloes, ocimi,[3] lithospermi, seminis saxifragæ, citruli, cucurbitæ, cucumeris, melonis, scariolæ, petroselini, behen albæ, behen rubeæ, styracis calamitæ, an. scrup. dimidium,[4] grana quinque. Penidiorum, vnc. dimidiam, scrup. duos, & dimidium. Sacchari albissimi.

F

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai*) In Græco non exstat codice: quapropter, nisi a nonnullis in vsum quotidianum vocata esset, omitti potuisset.

2 *Hipposelini*) Petroselinum Macedonicum ab officinis vocatur, vt lib. 1. diximus. Hipposelinum.

3 *Lythospermi*) Milium solis hodie nominatur: quod etiam lib. 1. monuimus. Lithospermum.

4 *Grana quinque*) Sic legendum, non tria, veluti Typopraphi negligentia factum est, qui pro quin-

que tria legit. Nam in Nicolai codice sunt grana quindecim, quæ constituunt scrupulum dimidium, & grana quinque. A

Electuarium Iustini[1] Nicolai. XLII.

VAlet aduersus dolorem renum, calculos atterit, & difficultati vrinæ succurrit. Habet cinamomi, folii, costi, spicæ nardi, casiæ ligneæ, aristolochiæ rotundæ, helenii, hyssopi, pulegii, arthemisiæ, quinquefolii, piperis albi,[2] erui, petroselini,[3] libystici, hipposelini, seminis vrticæ, lithospermi, saxifragæ, baccarum iuniperi seminis asparagi, sesseleos, apii, anethi, rutæ, citrii mali, fœniculi & anisi seminum, baccarum lauri, an. drach. vnam, & dimidiam. Sacchari albissimi.

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai)* Neque hæc in græco Nicolao, quod sciam, habetur: sed tantum in latinis codicibus reperitur. B

Eruum. Succedaneum Erui.

2 *Erui)* Orobum græco nomine appellant officinæ. Quum vero Eruum legitimum hodie nondum a nostratibus pharmacopœis agnoscatur, succedaneo eius vtendum, quod est Ciceris nigri semen, vt supra quoque dictum est.

Libysticū. Succedaneum Libystici.

3 *Libystici)* Neque Libysticum verum hodie habetur in nostratibus officinis, igitur eius succedaneo interim dum agnoscetur vtendum: quod Staphylini semen erit, aut certe id, quod ipsis Leuisticum vocatur. Eandem namque facultatem obtinet. Aut id, cuius nos iconem in altero tomo de histo. stirpium dedimus.

Antidotus e nucibus, incerti auctoris. XLIII.

ANtidotum è nucibus mirifice aduersus pestiferæ luis contagia confert. Accipit iuglandium, numero viginti. Ficuum pinguium, numero quindecim, Rutæ, manipulos duos. Absinthii,[1] parthenii, scabiosæ, an. manipulum vnum. Radicis aristolochiæ longæ, vnc. dimidiam. Radicis aristolochiæ rotundæ, vnc. vnam, & dimidiam. Radicum tormentillæ,[2] petasitis, pimpinellæ, dictamni albi nominati, an. vnc. duas. Baccarum lauri, drach. tres.[3] Foliorum dictamni Cretensis, manipulum vnum. Cornu ceruini vsti, drach. duas, & dimidiam. Macis, myrrhæ, boli armeni, terræ Lemniæ, ana drach. tres. Salis marini, drach. vnam, & dimidiam. Florum borraginis, manipulum vnum. Corticum citrii mali, vnc. dimidiam. Contusa & trita omnia, & per cribrum tenuissimum traiecta, excipiantur quantitate sufficienti mellis despumati, vt formam electuarii accipiat. C

ANNOTATIONES.

Etsi mihi non satis constat, quis huius compositionis auctor sit, tamen ad propulsanda pestis contagia satis conducere videtur. Immutauimus tamen in plerisque non solum pondera, sed & medicamenta simplicia. Sublatis enim nonnullis, vt nuce vomica, quæ quid sit in hodiernum vsque diem ignoratur, pro ea alia substituimus meliora. Neque enim Serapionis nux vomica est, vt secundo nostrorum de stirp. historia commentariorum tomo capite de malo Stramonia ostendimus. Præstat igitur hanc, tanquam ignotam, prorsus abiicere, & pro ea vti alio, quod ad præsens institutum conferre potest. Nos in eius locum Cortices citrii mali aut semen eius, substituimus. D

Nux vomica quid sit ignoratur.

Partheniū.

1 *Parthenii)* Cotulam fœtidam vulgus herbariorum appellant, quemadmodum alibi multis rationibus ostendimus.

Petasites.

2 *Petasitis)* Hanc nos, propter admirandam quam habet aduersus pestilentiam facultatem, adiecimus, Nec vlla ratione hæc ipsa pharmacopœis negligenda & omittenda erit.

3 *Foliorum Dictamni Cretensis)* Et hæc a nobis addita sunt. E

Antidotus ex ouo, incerti auctoris. XLIV.

ANtidotus ex ouo magnam efficaciam aduersus pestilentiæ contagia habet. Constat ex oui vitello, cum quo tantum Croci primo, reiecto albumine, permiscetur, vt oui putamen denuo compleri possit. Deinde tandiu[1] assatur, quoad nigrescat. Tum pistillo conteritur, & ei admiscentur, Seminis[2] erucæ, radicis tormentillæ,[3] dictamni nostratis, albiue, angelicæ,[4] laserpii germanici, an. vnc. dimidia, Terræ[5] lemniæ, drach. duæ. Ligni aloes, coralli rubri, ana drach. vna,[6] Radicis petasitis, scru. duo. Cornu bestiæ vnicornis, scrup. dimid. Theriacæ Andromachi tantum, quantum vniuersa pendent. Commistis omnibus, formetur electuarium solidum.

ANNOTATIONES.

Maximilianus Imperator.

Antidoto hac olim Maximilianus, optimus & prudentissimus Imperator, vsus est, vt hinc etiam appareat illam non esse contemnendam, propterea, quod a tanto principe non temere vsurpata, & in precio fuerit. F

1 *Assatur)* Non desunt, qui hanc Antidotum propterea minus probent, quod Croci vis assando frangatur, atque ita neque Crocus, neque vitellus ægrotis prodesse possit, sed medicamentarius siue pharmacopœus ex is lucrum faciat. Fieri quidem nequit, quin Croci vim ex assatione nonnihil frangi fateamur, tamen non est, cur ob id vniuersum suam facultatem amittere antidotum existimemus. Neque etiam temere ipsam assari, vna cum vitello credamus. Quum enim ad leuorem teri, quod maxime in huius antidoti constructione requiritur, crocus & vitellus nequeant, necesse est, vt per assationem sicciora, adeoq; ad terendum aptiora, reddantur. Qua de re in præparatione medicamentorum plura.

Crocus & vitellus cur assantur.

A 2 *Eruca)* Duabus de caussis Erucæ semen huic antidoto permiscetur, vna vt in longum tempus illud conseruet: altera, vt per vrinam educat noxia, quod in pestilentia optimum exsistit.
3 *Nostratis)* Quia Cretensis Dictamni folia tantum vsitata sunt.
4 *Laserpitii Germanici)* Magistrantiam vulgus & officinæ medicorum vocant. Laserpitiũ Germanicum.
5 *Lemnia)* Terram sigillatam nominant.
6 *Radicis petasitis)* Alii pro ea nucem vomicam iniiciunt. Verum vt paulo ante dictum est, quum non satis constet, quid sit nux vomica officinarum, & Serapionis nux vomica vomitum admodum moueat, atque ægri antea abunde satis ad vomitum in hoc morbi genere irritentur, præstat has plane abiicere, & pro eis radice petasitis, omnium præstantissimo remedio, & facile parabili vti.

Electuarium[1] *Regium Mesuæ filii. XLV.*

B *Electuarium regium, cerebrum, cor, thoracem, ventriculum roborat. Habet pinearum excorticatarum, vncias octo, Amygdalarum purgatarum,*[2] *vncias sex. Sacchari albi, libras quatuor. Stillacii rosarum liquoris, lib. vnam, & dimidiam.*[3] *Olei amygdalarum dulcium recentis, rosacei, ana vnc. tres. Cinamomi selectissimi,*[4] *drach. octo, & semis. Caryophyllorum, ana drach. tres.*[5] *Santali flaui, ana drachmas tres. Ligni aloes, drach. quatuor.*[6] *Ambræ, drach. vnam. Moschi, scrupulum dimidium.*

Aliud XLVI.

Electuarium regium alterum, idem potest. Accipit pinearum excorticatarum, vnc. sex. Amygdalarum dulcium etiam delibratarum, vnc. quatuor. Stillatitii rosarum liquoris, libram vnam, & dimidiam. Santalorum flauorum, drach. tres. Sacchari albi, lib. quatuor. Ambaris, drach. vnam, Moschi, scrup. dimidium.

C

ANNOTATIONES.

1 *Regium)* Ita vero dictum est, quod eo vsi sint reges, & principes, aliique qui deliciis studebant. Hodie eiusmodi electuaria, latinis dulciarii panes, vulgo corrupta ex massa panis voce, Marze panes, vel Marcii panes vocantur, vbi scilicet cum saccharo in formam liborum, ac panis coguntur. Horum hic facere mẽtionem volui, vt pharmacopœi hinc conficiendorum horum panum exemplum caperent. Dulciarii panes. Marze panes.
2 *Vncias sex)* Meliores codices legunt vncias quinque, quod etiam facit Nicolaus Myrepsicus.
3 *Olei amygdalarum, &c.)* Olea hæc ex hac compositione prorsus sunt amouenda, quod vomitum, si simul aliis misceamus, moueant. Hinc est, quod Nicolaus Myrepsicus in sua compositione, quam mox subiiciemus, ea omiserit.
4 *Drachmas octo)* Castigatioribus in codicibus legitur, drach. quatuor, & dimidiam. Nam præstat Cinamomi, & aliorum etiam aromatum imminutam esse quantitatem.
D 5 *Santali flaui)* Et hi omitti possunt, quod gustui multorum ingrati sint.
6 *Ambaris)* Et hæc nimia est quantitas, quod non solum sumptuosam, sed & nimio odore ingratam compositionem efficiat.

[1] *Dulciarium Nicolai Myrepsici. XLVII.*

Antidotus ad tussientes, defluxione capitis laborantes, & ad imbecillitatem corporis admodum bona. Capit nucum pinearum, vnc. octo. Amygdalarum, drach.[2] *quinque. Cinamomi,*[3] *vnciam vnam. Caryophylli, maceris, ana drach.*[4] *septem. Ligni aloes, drach.*[5] *sex. Santali flaui, drach. quinq. Ambaris crudi, drach. vnam.*[6] *Sesami repurgati, vnc. vnam.*[7] *Vrticæ seminis, vnc. dimidiam.*[8] *Gossipii seminis, vnc. dimidiam. Moschi puri, siliquas tres. Sacchari & stillatitii rosarum liquoris, quod satis est.*

E

ANNOTATIONES.

1 *Dulciarium)* Hoc subiicere placuit, vt Mesuæ filii Electuariis regiis aliquid lucis accederet. Nam vel Nicolaus ex Mesuæ filio, vel vterque ex vno eodemque auctore ipsis vetustiore, has compositiones descripserunt. Id quod e medicamentis ipsis, quæ compositiones illas constituunt, fit manifestum. Sunt enim, paucis exceptis, vtrobique eadem.
2 *Quinque)* Apud Mesuæ filium sunt drachmæ sex, quum tamen hanc lectionem errore non vacare satis constet, quod Nicolaus, & meliores etiam filii Mesuæ codices quinque tantum drachmas habeant.
3 *Vnciam vnam)* Et hic Mesuæ filii codices variant, minusque recte dimidiam vnciam adiiciunt.
4 *Septem)* Apud Mesuæ filium desunt drachmæ quatuor.
5 *Sex)* Ibidem duæ desiderantur drachmæ.
6 *Sesami)* Additur exemplo veterum, qui πέμματα, & τραγήματα, hoc est, placentas, & bellaria ex Sesamo, & melle parabant.
F 7 *Vrticæ)* Non temere Vrticæ semen adiicitur, nam illi singularis facultas inest educendi ex thorace quæ crassa, & lenta sunt. Vrticæ semen.
8 *Gossipii)* Siquidem semen hoc tussi & thoracis vitiis mirum in modum confert. Vt igitur Dulciarium suum Nicolaus ad tussim & thoracis vitia totum accommodauit, ita medicis pro varietate affectuum, quibus laborant ægrotantes, iam hæc quæ dicta sunt, iam alia quædam nucibus pineis, & amygdalis addi possunt. Sic vtiq; in calidis affectibus in aromatum locum substitui possunt semina lactucæ, portulacæ, Gossipii semen.

intybi, melonum, cucurbitæ, & cucumeris. Quod adiiciendum esse duxi, vt subinde ad Marcios vocatos panes conficiendos pharmacopolæ instructiores essent. A

Dia spermaton,[1] Nicolai Myrepsici. XLVIII.

Antidotus e seminibus confert ad ea, ad quæ Antidotus ex aniso, & cumino. Capit cumini, carei, ammeos, anisi, dauci, apii, petroselini, amomi seminum, an.[2] drach. duas. Cinamomi, libystici, an. drach. vnam. Zingiberis, galangæ, cardamomi, caryophylli, spicæ folii, an. drach. dimidiam. Seseleos, scrup. vnum. Piperis longi,[3] scrup. dimidium. Sacchari albissimi.

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai)* Est & alia e seminibus Mesuæ filii, huic persimilis, demptis ponderibus, quæ in Mesuæ filio sunt maiora: & quod hic petroselini etiam mentio fit, quæ in Mesuæ descriptione desideratur. Vtraque concoctionem ventriculi iuuat, obstructiones aperit, lienteriam sanat, & dolores viscerum a flatibus excitatos placat. Est digna, quæ in vsum reuocetur, tum propter veteres, qui crebro ea vsi sunt, tum propter miram suam facultatem. B

2 *Drachmas duas)* Nicolaus habet L α, id est, drachmam vnam, sed minus recte. Est enim climax, ideoque vt primum eius pondus sit drachmæ duæ oportet.

3 *Scrupulum dimidium)* Nicolaus habet, grana quindecim, id est, scrup. dimidium, & grana tria. Nos ne Climacis rationem turbaremus, scrup. dimidium tantum de pipere adiicere volumus.

Antidotus Cordialis, Incerti auctoris. XLIX.

Cor e pestis contagione maxime conseruat & tuetur. Accipit radicum dictamni albi, siue pseudodictamni, Zedoariæ, herbæ tunicæ vocatæ, seu betonicæ altilis, tormentillæ, an. vnc. dimidiam. Radicis pimpinellæ, drach. tres. Dictamni cretensis, scordii, trifolii odorati, ligni aloes, an. drach. duas. Sigilli Lemnii, boli armenii, corticum citrii mali, croci, santalorum rubeorum & alborum, ramentorum eboris, ana drach. vnam. Coralli albi & rubei, charabæ candidæ, vnicornu, phu, granatorum, margaritarum, hyacinthorum, an. scrup. duos. Serici crudi vsti, antheræ, mastiches, an. drach. dimidiam. Ossis cordis ceruini, scrup. vnum. Moschi, ambræ, an. scrup. dimid. Sacchari albissimi, quod satis est. C

DE MEDICAMENTIS, TVM LENIENTIBVS aluum, tum purgantibus, liquidis & solidis, Sectio V.

[1] Flores casiæ nigræ. I.

Siliquæ casiæ ponderosæ, & quæ concussæ non resonant, aperiuntur, ac contenta in illis medulla cum laminis & seminibus suis eximitur. Exempta super angustum, setisque equinis contextum inuersum cribrum proiiciuntur. Post cribro supra feruentis aquæ vaporem imposito, medulla casiæ auerso cochlearis conuexo hinc inde traducitur, vt per cribrum paulatim traiiciatur. Quicquid vero medullæ hac ratione per cribrum traiectum est, confestim subinde aufertur, ne scilicet plus quam conueniat vaporis aquæ imbibat. Idque tantisper faciendum, donec[2] quantum voles collegeris. D

ANNOTATIONES.

Flos casiæ. Facultates florum casiæ.

1 *Flores Casiæ)* Differunt a Casia extracta, de qua sequenti capite dicemus. Nam flos Casiæ est eius medulla, siue pulpa sincera, quæ citra vllum decoctum ex siliquis exempta est. Proinde idem, quod Casia potest: nempe bilem & pituitam innoxie a ventriculo leniendo aluum deducit, ac sanguinis biliosi, ipsiusq; bilis acrimoniam frangit, sanguinemq; puriorem reddit. Thoracis, pulmonis, & asperæ arteriæ phlegmonas resoluit, easque partes lenit: ipse morsus omnis expers, præsertim cum succo vel serapio glycyrrhizæ sumptus. Denique intemperiem renum calidam mitigat, cum iis quæ vrinam mouent sumptus, & in iis calculum gigni prohibet. E

Vt Casiæ flos validius aluum ducat.

2 *Quantum voles colligere)* Nam multa eius copia vna vice eximenda non erit, quod repositus facile acescat. Qui, vt vehementius moueat aluum, Casiæ florem efficere cupiunt, ii in feruentem ac bullientem aquam folia Persici, aut eiusdem flores proiiciunt. Horum siquidem vapor ex aqua sublatus, & flori Casiæ permixtus, efficit vt aluum magis ducat.

[1] Casia extracta sine foliis senæ. II.

Recipit prunorum numero 12. Violarum, manipulum vnum. Hordei repurgati, anisi, polypodii, seminis cartami, an. drach. quinq;[2] Adianti, thymi, epithymi, an. manipulum dimid. Passularũ vnc. dimid. Seminis fœniculi, drach. duas. Seminis portulacæ, & maluæ, an. drach. tres, Glycyrrhizæ, vnc. dimid. Coquantur in aqua iustæ quantitatis, colentur, & in colatura diluantur medullæ casiæ, libræ duæ, Tamarindorum, vnc. vna. Cinamomi drach. tres, Sacchari optimi, libra vna. Coquantur ad perfectam consistentiam. F

ANNOTATIONES.

Casia extracta.

1 Casia extracta est, quæ operam dicti decocti e siliquis extrahitur, medulla. Siliquasquoque hoc decocto interiore parte nonnulli colluunt, ac subinde aliis hic commemoratis adiectis, ad consistentiam coquunt, ac Casiam extractam nominant. Sunt qui pro Casiæ medulla extrahenda, sequenti decocto vti

A malint, quod habet, Florum violarum, manipulum vnum, & dimidium. Florum borraginis, buglossi, intybi, cichorii, ana Manipulum vnum. Prunorum damascenorum, numero quindecim. Passularum, vnc. vnam. Glycyrrhizæ, vnc. dimidiam. Oxyphœnicon, vnc. vnam. Ficuum, numero sex. Corticum myrobalanorum flauorum, chebulorum, ana vnciam dimidiam. Thymi, epithymi, ana drach. tres. Cinamomi, drachmas duas, & dimidiam. Santali rubei, drach. dimidiam. Seminis fœniculi, drach. vnam, & dimidiam. Contusa macerentur in tribus libris aquæ horis 24. dein bulliant, & decoquantur ad tertias: postea valide exprimantur, & adiiciatur Sacchari libra dimidia. In hoc decocto medullæ casiæ e siliquis extractæ diluantur libræ tres, & decoquantur ad consistentiam. — Decoctū aliud, quo extrahitur Casiæ medullæ.

2 *Adianti.*) Officinæ noua appellatione Capillum Veneris nominant. — Adiātum.

Casia extracta cum folijs Senæ. III.

Expedite aluum subducit, intestinorum asperitatem lenit, & morbis biliosis ac melancholicis auxiliatur. Accipit casiæ fine folijs Senæ extractæ, libras duas. Pulueris foliorum Senæ, vnc. duas. B *Commisceantur, & ad legitimam consistentiam redigantur.*

Casia extracta pro clysteribus. IV.

Capit *violarum florum, violarum foliorum, maluæ, mercurialis, betæ, parietariæ, ana manipulum vnum. Coquantur in aqua iustæ quantitatis, & horum decocto medulla casiæ extrahatur, eiusq; siliquæ eluantur. Dein accipiatur medullæ casiæ hoc modo exemtæ, & ad consistentiam coctæ, libra vna. Sacchari, libra vna, & dimidia, & coquantur ad perfectam consistentiam.*

ANNOTATIO.

Hæc Casia iniecta per clysterem, aluum leniter, & citra omnem molestiam subducit: estq; pro delicatulis ac mollioribus aptissima.

[1] *Dia cassia cum manna. Incerti auctoris.* V.

C *Confert ijs, qui dura sunt aluo, hanc enim leniter & citra molestiam subducit, ac flauam educit bilem, febresq; inde natas mitigat. Habet prunorum damascenorum, vnc. duas. Florum violarum, Manipulum vnum, & dimidium. Aquæ fonanæ, vnc. decem & octo. Bulliant vsq; ad medietatis consumtionem, colentur, & in colatura diluantur medullæ casiæ, vnc. sex.* [2] *Pulpæ tamarindorum, vnc. vna. Mannæ optimæ, vnc. duæ. Serapij violacei, vnc. quatuor. Sacchari candidi, sacchari penidij, ana vnc. vna. Sacchari violacei, vnc. quatuor. Commisceantur, & ad iustam redigantur consistentiam.*

ANNOTATIONES.

1 *Diacassia.*) Non est in frequenti medentium vsu: tamen quum pleriq; varietate delectentur, eaq; compositione vtantur, silentio transire illam noluimus.

D 2 *Pulpa tamarindorum.*) Hæc quidem instar florum Casiæ fit, Tamarindis per cribrum e pilis equinis contextum, angustumq; traiectis. — Pulpa tamarindorum.

Dia manna, [1] *Nicolai.* VI.

Prodest ad purgandum sanguinem, flauam & atram bilem reprimendam, ad iecur calefactum, & vniuersi corporis purgationem. Capit *adianti,* [2] *scolopendrij,* [3] *lichenis, ana vnc. tres. Seminum cucurbitæ, citruli, cucumeris, melonis repurgatorum, violarum, ana vnc. vnam. Prunorum damascenorum, numero viginti. Coquantur in sufficienti aqua ad dimidias, dein colentur & exprimantur: inque colatura diluantur manna optimæ, sacchari violacei, medullæ casiæ recens extractæ, ana vnc. quatuor. Tamarindorum, sacchari rosacei, ana vncia vna. Coquantur ad mellis consistentiam, & deinde sequentes inijciantur species, quæ habent seminum quatuor frigidorum decorticatorum,* E *florum violarum, & nymphææ, seminum lactucæ,* [4] *intybi angustifolij, portulacæ, ana vnc. vnam. Rhei barbari, foliorum senæ, ana vnciam vnam, & drach. vnam.* His accurate permistis & subactis, fiat electuarium.

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai.*) Non exstat, quod sciam, in Græco manuscripto Nicolai codice. Ex Latinis igitur desumta est, & in plerisq; officinis vsitata.

2 *Scolopendrii.*) Hoc nomine intelligenda stirps erit, quæ Seplasiis barbara voce Ceterach dicitur, vt alibi fusius docuimus. — Scolopendrium.

3 *Lichenis.*) Lichen herba est, quæ officinis Hepatica nominatur. — Lichen.

4 *Intybi angustifolii.*) Vulgus Medicorum Scariolam vocat. — Intybum angustifolium.

Electuarium lenitiuum, Incerti auctoris. VII.

F *Valet in febribus ex humorum putredine natis, & pleuritide. Emollit enim aluum, & vtramq; bilem sine molestia & innoxie educit.* Accipit *passularum, exemtis acinis, vnc. duas.* [1] *Adianti nigri, violarū, hordei repurgati, ana Manipul. vnum.* [2] *Ziziphorum,* [3] *myxorum, ana num. viginti. Glycyrrhizæ, vnciam dimidiam. Prunorum exemtis nucleis, tamar Indorum, ana drach. sex. Senæ polipodij, ana vnc. duas. Mercurialis, manipulum vnum, & dimidium. Decoquantur ex præscri-*

pto artis in aqua iustæ quantitatis, dein per colum traijciantur: & colaturæ addantur medullæ A
casiæ, pulpæ[4] oxyphœnicon, pulpæ prunorum, sacchari optimi, sacchari violacei, ana vnc. sex. Pulueris senæ, vncias tres, drach. tres, & dimidia. Coquantur ad consistentiam perfectam, & fiat electuarium.

ANNOTATIONES.

Adiantum nigrum. 1 *Adianti nigri.*) Adiantum nigrum, est altera Capilli Veneris species: quam in primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum tomo descripsimus, & pinximus. Nisi quis Trichomanes hoc nomine accipere velit.

Zizipha. 2 *Zizipha.*) Fructus sunt officinis Iuiubæ dicti.

Myxa. 3 *Myxorum.*) Myxa fructus sunt, qui Seplasiis hodie Sebesten nominantur.

Oxyphœnica. 4 *Oxyphœnicon.*) Oxyphœnica sunt fructus, quos Tamarindos appellant, quod libro 1. quoq; diximus, ad quem perpetuo in ignotis dictionibus Pharmacopœi confugere debent. B

Medulla seu pulpa prunorum. IIX.

Calorem, ac sitim in febribus mitigat & exstinguit. Recipiuntur pruna grandia, acida & vinosa, quantitate qua lubet: & exemptis nucleis in fictili vitreato coquuntur, deinde per cribrum setaceum traijciuntur. Traiecta medulla iterum lento igne ad iustam consistentiam coquitur, & sine saccharo reponitur.

Antidotus e[1] Damascenis prunis. Nicolai Myrepsici. IX.

Facit ad acutas, ardentes, omnesq; alias febres, nempe tertianas continuas, hecticas, marasmodes, lipyrias, & in summa ad omnem febrilem affectũ. Capit pruna Damascena centum. Hæc in aqua [2] iustæ quantitatis decoquuntur,[3] quoad tertia pars aquæ absumta fuerit, dein ab igne remouentur, & vbi modice refrixerunt, subiguntur, & probe manibus confricantur, tantisper dum caro eorum omnis dissoluitur in aqua: & ossa duntaxat, & cortices remaneant. Postea cribro raro transmittuntur, relicto hoc iure,[4] aliaq; accepta aqua, illi imponuntur violarum vnc. dimidia. Sacchari libræ duæ, & lento igne ad mellis; aut[5] Serapij crassitudinem decoquuntur. Dein ab igne remouentur, & per saccum transfunduntur. Hoc peracto, accipitur de aqua prunorum Damascenorum, quæ prius per cribrum transfusa, & in succum redacta fuit, libra vna, & commiscetur cum[6] Serapio violarum, simulq; iterum bulliant, donec vtraq; ad mellis consistentiam veniat. Dein ab igne deponuntur, & sinuntur, accipiturq; Oxyphœnicorum, medullæ casiæ extractæ, ana vncia vna, &[7] cum aqua altera calida probe subiguntur, ac subacta per saccum transfunduntur: atq; hac eadem aqua rursus conijcitur in lebetem, in quo est succus prunorum & serapium. Vbi probe[8] simul subacta fuerunt, iterum[9] calido cineri imponuntur, & posteaquam vna ebullitione in altum sublata fuerunt, ab igne remouentur, & rudicula aut cochleario probe agitantur. Dein inijciuntur santali albi & rubei, C D
*Berberis. *[10] spodij,[11] rhei barbari, ana drach. tres. Rosarum, violarum, seminis portulacæ,[12] intybi, * oxyacanthæ, succi glycyrrhizæ, tragacanthæ, ana drach. duæ. Seminum melonum, cucumeris, cucurbitæ, citruli repurgatorum, ana[13] drachmas duas. Omnia hæc simul trita, & per cribrum probe traiecta lebeti, vt dictum est, inijciuntur, & calefacta, simulq; subacta in vase reconduntur. Quod si, vt hæc Antidotus aluum subducat ac purget, efficere volueris, vbi ab igne illam remoueris, admisce dacrydij,[14] drach. quatuor, in singulas libras.*

ANNOTATIONES.

1 *E Damascenis prunis.*) Nicolaus hanc Antidotum ita vocat, nempe ἀντίδοτον τὴν διὰ δαμασκηνῶν.
Diaprunis simplex. Solutiua. Diaprunum alii, officinæ Diaprunis nominant: & eam quidem quæ citra Dacrydii adiectionem constat, simplicem: eam vero quæ dacrydium recipit, Solutiuam appellant. E

2 *Iustæ quantitatis.*) Tanta nimirum, quæ pruna tegere queat.

3 *Quoad tertia pars.*) Sic habet Nicolai codex manuscriptus Græcus, quem in hac describenda Antidoto secutus sum. Latini codices Pruna percoquenda esse vsq; ad dissolutionem præcipiunt: quod in idem recidit cum eo quod paulo post Nicolaus ait, tantisper manibus esse confricanda, donec caro eorum omnis dissoluatur.

4 *Aliaq; accepta aqua.*) Hic plurimum variant Latini codices, ac aquam in qua pruna bullierunt, accipiendam esse præcipiunt, & in ea dimidiam vnciam violarum cum sacchari duabus libris coquendam esse docent.

Serapium. 5 *Serapii.*) Serapium vocamus id, quod vulgus Pharmacopœorũ & Medicorum Syrupum nominat.

6 *Serapio violarum.*) Quod scilicet ex alia aqua, violis, & saccharo confectum est.

7 *Et cum aqua altera calida.*) Et hic iterum variant Latini codices: & Oxyphœnica, seu Tamarindos, & casiam extractam cum aqua prunorum, ad crassitudinem decocta permiscendam, & subigendam esse iubent. F

8 *Simul subacta.*) Quod sane hic & in omnibus medicamentis purgantibus obseruandum erit. Sic enim in illis omnia ligneo pistillo & rudicula miscenda sunt, vt omnia vnum & idem tum consistentia, tum

A tum colore esse videantur. Si enim negligenter commiscentur, sæpe vsu venire solet vt species in vna parte quasi conglobentur, in alia vero vix sensu percipi queant. Vnde profecto ægris non parum periculi est. Medicis vero & Pharmacopœis ignominiæ ac calumniæ occasionem affert.

9 Calido cineri.) Aut lento igni, vt Latini habent codices, admouentur.

10 Spodii.) Hoc etiam in loco Spodium intelligit Myrepsus id, quod alio nomine Ebur vstũ dicitur. Habet enim id, perinde atq; Santala, adstringendi ac roborandi facultatem, vt iam sæpenumero monuimus. Ne scilicet per hoc quispiam imperitus Spodium Græcorum, aut cannæ dictum inaudiat.

11 Notat me hoc quoq; in loco Franciscus Alexander, quod post rhei barbari mentionem cinnamomum omiserim. quasi vero mihi inserendum huic compositioni fuerat, quod in Græco codice desiderabat. Scio quidem eius fieri mentionem in Nicolai Præpositi codice, mirari autem satis non possum, cur hoc loco eius lectionem sequi voluerit, quem tamen in Hiera legadii disertis verbis scribit, neq; literas scire,
B neq; natare, & omnia peruertisse, deprauasse, ac corrupisse, atq; a Myrepsi mente abalienasse. Et quare adiiceremus, tanta præsertim copia, cinnamomum, quum hoc antidotum ad exstinguendum febrilem calorem potissimum sit paratum? Sed voluit Matthiolum, quem tamen hoc nomine reprehendit nunquam non, imitari Franciscus, non sine multorum risu.

12 Intybi.) Simpliciter in Græco manuscripto Nicolai codice ἰντύβου. Latini habẽt Scariolæ, & ad an- Intybus in.
gustifolium Intybum detorquent. Verum nihil refert, vt sæpe iam diximus, Scariolę aut Endiuiæ vocatę herbæ semen accipiant Pharmacopœi, quum eiusdem esse vtrasq; facultatis constet. Legitimo autem de Intybo mihi sermo est, non de adulterino, quod est Lactuca syluestris, vt lib. 1. quoq; monuimus.

13 Drachmam vnam.) Negare non possum, me in Myrepso conuertisse drach. duas, quia ille habeat L β. Quia vero quum codicem Græcum inspicerem, video me in margine alterã etiam annotasse lectionem, quod nimirum aliqui pro β, legerent α. Sed ne alii Præpositi illius deprauatoris me temere motum auctoritate dicerent, mutata hac lectione, Myrepsi vt præferrem placuit. Habet igitur nunc eius varie-
C tatis rationem Franciscus. Quod non vsquequaq; meam lectionem sequitur, id & ego facio.

14 Drachmas quatuor.) Nicolaus Græcus non exprimit pondus. Latini autem codices habent, Septem drachmarum pondus. Sunt autem ex Pharmacopœis qui plus, & qui minus dacrydii adiiciũt. Alii enim ad singulas libras vnciam vnam dacrydii, alii vnciam dimidiam, sicq; Medicis ignorãtibus mirifice imponunt. Nam tum accidere solet vt medicamentum exhibitum vel vehementius, vel minus quam existiment aut sperarint, purget. Præstat autem in medio consistere, & ad singulas libras addere dacrydii vnciam dimidiam. Ceterum codex Nicolai Cinamomum non habet, ideo nos quoq; illud omisimus. Cucumeris autem diserte meminit, quare omitti non debet. Quæ adiicere propter Cordum voluimus, Cordus.
qui diuersum in suo medicamentario libro annotauit.

Electuarium[1] e myxis. Montagnanæ. X.

Confert febribus biliosis intermittentibus, ac continuis exquisitis, febriumq; vehementiam se-
D *dat, sitim exstinguit, vigilias arcet, & acres humores per vrinam educit. Habet myxorũ recentium sine ossibus, vnc. quinq;.[2] Macerentur in libra vna aquæ stillatitiæ violarum, deinde bulliant & colentur. Decocto percolato admisceantur aquarum iridis,[3] anguriæ, ana vnc. sex. Prunorum siccorum contusorum, oxyphœnicon, ana vnc. quinq;. Seminum cucurbitæ, cucumeris, melonum, citruli, ana vncia vna, & dimidia. Succi mercurialis, vnc. quatuor. Coquantur ad dimidias, dein valide exprimantur, ac colo traijciantur, adijciantur q; penidiorum vnc. octo. Antidoti e prunis simplicis, libra vna, & dimidia.[4] Dacrydij, drach. tres. Misceantur, & formetur electuarium. Propinatur pondere vnciæ vnius.*

ANNOTATIONES.

1 E myxis.) Myxa recentioribus Græcis, vt iam aliquoties diximus, & Myxaria per diminutionem Myxa.
E dicta, officinis Sebesten vocantur. Quapropter præsens Electuarium Seplasiariis, & Medicis hodie Electuarium de Sebesten appellatur.

2 Macerantur.) Non latet, alios alia ratione hoc medicamentum parare: tamen hæc visa est mihi Electuari-
melior. um de Se-

3 Anguriæ.) Anguria non est nisi Cucumis omnis generis: & nequaquam, vt Cordus annotauit, besten.
Melon magnus. Nam quod veteres Græci σίκυον, Aetius, Simeon Sethi, Nicolaus, & alii recẽtiores Græci Anguria.
ἀγγουρίαν nominant. Per aquam igitur Anguriæ, Mõtagnana intelligit succum Cucumeris: & per aquam Cordus
iridis, succum iridis. Et hoc loco me pungit Franciscus Alexander, falsoq; perstringit, quod flores viola- errat.
rum & citrulos omiserim, quum bona fide Montagnanæ compositionem ad verbum ex eius libro de- Aqua anguriæ.
scripserim, in quo florum violarum nulla fit mentio. Quid enim attineret illos adiicere, quum libra in- Aqua iridis.
tegra aquæ stillatitiæ earundem ingrediatur. Citrulorum vero vnciam & dimidiam inserui. Vt meræ sint
F Francisci calumniæ.

4 Dacrydii.) Dacrydium est, id quod corrupta voce officinis, & vulgo Medicorum Diagridium dicitur, vt iam aliquoties monuimus. Dacrydiũ.

[1] Hiera [2] veterum simplex. XI.

Hiera veterum simplex hodie appellata, præstantissimum medicamentum est ad vitiosos succos, Hiera simplex.
qui in ventriculi tunicis hærent. Vtiliter quoq; exhibetur ijs qui suffusorum imagines & alia

symptomata ex stomachi vitio patiuntur: & præterea ijs qui aluo adstricta sunt, & mulieribus quæ non probe purgantur. Accipit *cinamomi, xylobalsami, asari, spicæ nardi, croci, chiæ masticnes, ana drach. sex.*[3] *Aloes, drach.*[4] *centum. Mellis despumati, quod satis est.* A

ANNOTATIONES.

Hiera vnde dicta. Picra. 1 *Hiera.*) Ita nominarunt Græci, quasi sacram, ab operibus & facultatibus suis diuinis & mirabilibus: aut certe quasi magnam. Solemne enim est Græcis ἱερὸν appellare magnum. Magna itaq; est, propter excellentes suas facultates. Iisdem quoq; picra, vt hodie etiam, vocabatur; id est, amara, ob aloen, quæ mirifice amara est, & magna copia eius compositionem ingreditur.

Hiera nō a Galeno inuenta. 2 *Veterum.*) Quod adiecimus, ad detegendum errorem eorum, qui hieram hanc Galeni esse putant. Neq; enim a Galeno inuenta, sed multis ante ipsum annis celebrata fuit a Themisone, Asclepiade, & aliis quibusdam vsurpata. Sicq; Romæ Galeni temporibus parabatur.

Aloes. 3 *Aloes.*) Simpliciter effertur, quod hanc dupliciter confectam habuerunt: vnam ex elota aloe, alteram ex non lota. Prior aluum minus subducit, & ventriculum magis roborat. Siquidem lota aloe multum medicamentosę facultatis deposuit. Altera magis aluū subducit, & minus roborat. Posset itaq; vtroq; modo a Pharmacopœis parari, & prior appellari Hiera simplex cum aloe lota: altera vero cum aloe illota. B

Error Pharmacopœorū. 4 *Centum.*) Hinc patefit error officinarum nostrarum, quæ ad omnia simplicia simul sumta duplam, id est, septuaginta duarum drachmarum tantum aloen, idq; ex Mesuæ filii auctoritate, admiscent, quum veteres triplam eiusdem portionem reliquis miscuerint. Nam pro aliorum cuiusq; drachmis sex, quæ in vniuersum sunt triginta sex, adiiciunt aloes centum drachmas. Hinc est quod hieræ picræ veterum siccæ drachma vna probe purgat, quum vulgaris officinarum hieræ siccæ drachma vna, & dimidia, parum sit efficax. Adeo vt interdum ad duas, & plures etiam progrediendum sit. Debent itaq; deinceps Pharmacopœi Hieram ad modum a veteribus, aut Galeno præscriptum parare.

Hiera[1] *Galeni.* XII.

IDem quod prior potest. Recipit *cinamomi, xylobalsami, asari, spicæ nardi, mastiches chiæ, ana drach. sex.*[2] *Croci, drach. quinq. Aloes, drach. nonaginta. Mellis despumati quantum sufficit.* C

ANNOTATIONES.

1 Hæc Hiera merito Galeni dicitur, quod ea, vt metipse libro secundo de Compos. medic. localium, cap. 9. testatur, vsus sit, nec temere. Nam ad eum constructa modum præstantior est. Siquidem nimiam aloes copiam centum drachmas esse idem docet, ad proportionem reliquorum quibus hæ adduntur: quapropter per nonaginta duntaxat drachmas Hieram composuit.

2 *Croci drach. quinq.*) Crocum parcius misceri voluit Galenus: quod sint, quorum capita Crocus odore suo ferit.

Hiera cum agarico. XIII.

HAbet *specierum hieræ simplicis sine aloe, agarici trochiscati, ana vnc. dimid. Aloes illotæ, vnc. vnam. Mellis despumati, vnc. sex.* D

Hiera composita. Nicolai Myrepsici. XIV.

FAcit ad vitium stomachi, & cruditatem, ileum, subuersiones, capitis dolores, hemicraniam, lienosos, iecinerosos, stomachicos, & vomentes cibum. Similiter anginosos, epilepticos, destillatione laborantes iuuat. Capit cinamomi, spicæ nardi, croci florum iunci odorati, asari, casiæ ligneæ, xylobalsami, carpobalsami, violarum, absinthii, epithymi, agarici, rosarum, turpeti, mastiches, pulpæ colocynthidis, ana[1] drach. dimid. Aloes flauæ,[2] quātum omnium aliarum specierum. Mellis optimi despumati, quod satis est. Datur pondere vnciæ dimidiæ.

ANNOTATIONES. E

Ad enematum vsus valde vtilis.

Cordus. 1 *Drachmam dimidiam.*) Cordus habet scrupulos duos. Sed nos fidem Græci codicis secuti sumus qui habet drachmam dimidiam.

2 *Quantum omnium aliarum specierum.*) Id est, drachmas octo.

Hiera[1] *Logadij. Nicolai Myrepsici.* XV.

M*Ala diuturna ex melancholia facta transmutat, & propulsat. Appetentiam excitat, & robur corpori inducit, ægrotantemq; hilarem reddit. Comitiali morbo laborantib. vertiginosis, subito concidentibus, spumantib. & linguam mordentib. conuulsis, ita vt putentur ab aliquib. a dæmone obsessi esse, confert. Biliosis, & elephantia correptis inter initia conuenit. Prodest ijs qui feris impetiginibus laborant, lethargicis, & ijs qui inuoluntarie alui excrementa emittunt, potissimum vero ijs qui lethalia venena hauserunt. Dolorem quoq; sedat, & iocinerosis vtilis est. Datur etiam pleuriticis, & ijs quibus pericardium laborat. Educit enim vitiosos humores, & mouet mulierū menstrua. Ischiadicis, & lumborum dolore infestatis admodum competere creditur, & omnib. diuturnis vitijs ter singulis mensib. sumta. Accipit pulpæ colocynthidis, polypodij, ana*[2] *drach. duas. Euphorbij,*[3] *polij,* F

cocco-

A *gnidij, ana drach. vnam, & dimidiam, grana ſex. Abſinthij, myrrhæ, ana drach. vnam, grana duodecim. Centaurij minoris, agarici, ammoniaci thymiamatis, polij,[4] ſcillæ, ſpicæ, dacrydij, ana[5] drach. vnam. Aloes flauæ,[6] corymborum thymi, caſiæ ligneæ, chamedryos, bdellij, marrubij, ana[7] ſcrup. vnum, grana quatuordecim. Cinamomi, opopanacis, caſtorij, ariſtolochiæ longæ, trium piperum, croci, ſagapeni, ſeminis petroſelini, ana drach. dimidiam. Ellebori nigri & albi,[8] grana ſex. Mellis deſpumati, quod ſatis eſt. Datur pondere trium drachmarum.*

ANNOTATIONES.

1 Hiera Logadii.) Sic recte inſcribitur, Aetio & Nicolao teſtibus hæc compoſitio. Cordus ſecutus Latina & mendoſa exemplaria, Hieralogodion inſcripſit. Latini autem codices Nicolai Præpoſiti nominati, Hieralogodium memphitum appellant, quum tamen Hieralogadii Memphitæ apud Græcum Nicolaum ab ea ſit diuerſa. Ridiculum autem eſt, quod in huius vocis interpretatione affert Platearius. Siquidem ille ait, Dicta eſt hiera, id eſt, ſacra: & logos, ſermo: & memphitum, impeditum. curat enim impeditam locutionem. Nem dich puntſchuch. Quid hac interpretatione ineptius confingi potuiſſet? quum ſatis conſtet, Logadium proprium eſſe nomen eius, qui huius Hieræ auctor fuit. Is Memphites dictus eſt ab oppido Memphi, vnde oriundus fuit. Sed mittamus has ineptias.

Cordus.

B — Ridicula interpretatio Platearii.

2 Drach. duas.) Nicolaus Græcus manuſcriptus habet diſerte Drachmas duas. Quapropter non eſt legendum vncias duas, vt in nonnullis mendoſis exemplaribus ſcriptum reperitur.

3 Polii.) Simpliciter legitur tam in Græco, quam in Latino codice. Montanum igitur intelligitur. Polium.

4 Scillæ.) Simpliciter eſt in omnibus Latinis & Græcis Nicolai codicibus. Cordus autem aſſatæ, ex Aetio adiecit. Cordus.

5 Drach. vna.) In Græco Nicolai codice eſt Vncia vna. Sed videtur hoc pondus eſſe nimium, adeoque locus mendoſus: quod etiam teſtantur Latini codices, in quibus omnibus legitur Drachma vna. Nicolai locus reſtitutus.

C

6 Corymborum thymi.) Corymbos alii comas nominant, quod in idem recidit. Intelligit enim ſummitates, ſiue cacumina Thymi. Corymbi thymi.

7 Scrupul. vnum.) Ita Græcus manuſcriptus Nicolai codex habet. Quare Cordus non recte immutauit hoc in loco pondus, & pro ſcrupulo vno ſubſtituit ſcrupulos duos, quum conſtet, Latinum quoque codicem duntaxat ſcrupulum vnum habere. Cordus errat.

8 Grana ſex.) Manuſcriptus Nicolai codex legit Drachmas ſex, ſed repugnantibus omnibus Latinis exemplaribus. Accedit, quod pluſquam dimidia huius Antidoti pars ex purgantibus medicamentis conſtet, etiam ſi grana ſex tantum de Elleboris accipiantur. Quapropter cenſeo ſufficere grana ſex.

Hiera Pacchij[1] ſcribonij Largi. XVI.

D *SAnat morbo comitiali correptos, furioſos, vertigine laborantes, diutino capitis dolore infeſtatos. Item ad lateris dolores facit, aſthmaticos, vocem amiſſam, ſubitas præfocationes, incubum, conuulſionem caninam vocatam: ad eos qui ex alto lapſi ſunt, neruorum tenſiones, reſolutionesq;. Prodeſt articulari morbo, ad ſpinæ ac lumborum dolores. Item podagræ mirifice auxiliatur. Duritias in mulierum mammis cum dolore conſiſtentes leuat, & interdum ex integro ſanat. Stomachicis mirum in modum confert. Remedio eſt ijs, quibus cibus in ventriculo aceſcit, & nauſea aſſidue infeſtantur, & ſaliua abundant. Melancholicis autem præcipue benefacit. Recipit ſtichadis, marrubij,[2] chamædryos, agarici, colocynthidis, ana[3] drach. decem. Opopanacis, ſagapeni, ſeminis petroſelini,[4] ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ana drach. quinq;. Cinamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ,[5] polij, croci, ana drachm. quatuor. Opopanax & ſagapenum in mortario teruntur, adiecto melle tenui: id eſt, quam liquidiſſimo. Cetera arida trita & cribrata melle deſpumato, ad comprehendendum ac contiE nendum ſufficienti excipiuntur.*

ANNOTATIONES.

1 Scribonii Largi.) Qui libri ſui de Compoſitione medicamentorum cap. 97. & ſequentibus aliquot, hanc Hieram ad Pacchium Antiochum auditorem Philenidis Catinenſis auctorem refert, & miris laudibus in cœlum vſq; effert. Siquidem illum, ex ea magnum, ob crebros ſucceſſus, queſtū feciſſe in difficillimis vitiis idem teſtatur. Nec ſe viuo vlli compoſitionem hanc dediſſe, ſed poſt eius mortē in manus ſuas veniſſe ſcribit. Et quum alii etiam qui hac Hiera vſi ſunt, eius efficaciam aliquoties experti ſint, præſtat in noſtris etiam officinis hanc conſtructam habere: atq; vt paratam omnes habeant, hortor. Nicolaus hanc itidem deſcribit Sectione 23. atqui appellat Hieram e Marrubio. Pacchius. Hiera ex marrubio.

2 Chamædryos.) In Nicolao eſt, χαμαίερπος: aut mendoſe pro χαμαίδρυος, vt in Scribonio legitur, ſcriptum: aut vox noua, idem quod χαμαίδρυος ſignificans.

F *3 Drachmas decem.)* In Scribonio, vt Romano, veluti nonnullis videtur, ſcriptore, eſt pondus Romanum, nempe denarius, drachma paulo grauius: propterea quod ſeptem denarii conſtituant vnciam, quum non niſi octo drachmæ vnciam faciant. Nos Nicolaum, & ſolénem iam conſuetudinem ſequentes, vſitatum officinis pondus vſurpare maluimus.

4 Ariſtolochiæ rotundæ.) In Scribonio eſt. Mali terræ. Non eſt autem malum terræ, niſi Ariſtolochia rotunda: quod radicem habeat inſtar mali rotundam, in terra hærentem. Malum terræ.

5 *Polii.*) Scribonius habet Folii. Sed quum in Nicolao sit Polii, & folium hodie verum non agnoscatur, præstat Polium sumere quam folium. A

Hiera[1] ex colocynthide Nicolai Myrepsici. XVII.

Confert ad capitis dolorem, vertiginem, morbum comitialem, cholericos, melancholicos, pituitosos, quartanos, hydropicos, pleuriticos, nephriticos, resolutos, stomachicos, morbo regio correptos, lienosos, iocinerosos, lethargicos. Arteriæ raucitatem sanat, & vniuerso corpori sanitatem affert. Habet aloes flauæ, seminis petroselini, absinthij, piperis nigri, ana drach. duas, scrupulos duos. Colocynthidis, scillæ assatæ, agarici, ellebori nigri, ammoniaci, sulphuris, hyperici, ana drachmas duas. Epithymi, polypodii, bdellij, succi chamædryos,[2] brassicæ tenuis, casiæ, ana vnciam dimidiã. Myrrhæ, sagapeni, aristolochiæ longæ, piperis albi, longi, cinamomi, opopanacis, castorij, ana vnc. vnam. Mellis optimi despumati, quod satis est. B

ANNOTATIONES.

Hiera magna Galeni. 1 *Ex Colocynthide.*) Nicolaus Magnam Galeni nominat, nec immerito: quia ea est quam Galenus crebro vsurpauit, præsertim lib. 1. de Compositione medicam. local. cap. 2. & Hieram ex colocynthide vocat: vt alibi fusius monstrauimus. Et est bona admodum compositio Hieræ, & digna quæ in vsum reuocetur, & in omnibus officinis parata habeatur.

Brassica tenuis. 2 *Brassica tenuis.*) Nicolaus habet, Brassicæ exiguæ. Exiguam autem vocat, quæ tenuia, & minora quam alia genera, folia obtinet: quam nos hic, & alibi Tenuem appellauimus.

Antidotus e Psyllio.[1] Nicolai Myrepsici. XIIX.

Flauam vocat bilem, ob id febribus ardentibus, acutis, & curatu difficilibus auxiliatur. Item dolori capitis, & vertigini, a biliosorum humorum euaporationibus procreatis. Morbo regio, & iecori supra modum calefacto, & immodicæ siti. Capit succi[2] buglossi, boraginis, apij,[3] intybi, ana libras duas. Postquam coquendo despumati ac probe repurgati fuerint, illis iniiciantur cassuthæ, C *[4] anisi, senæ, ana vnc. dimidia. Capilli veneris, Manip. vnus.[5] Fumariæ, vnc. tres. Asari,[6] drach. quatuor. Spicæ nardi, drach. duæ. Iniecta & commixta cum succis ferueant, bulliantue ad dimidias. Dein ab igne remoueantur, & quoad refrigerentur dimittantur, ac manibus probe[7] subigantur, donec omnia simul in succum redigantur. Postea adijce violarum vnc. tres. Epithymi, vncias duas. rursumq; parum decoque. Deinde ab igne amoueto, & inijce psyllij. vnc. tres, & iterum[8] modice admodum decoque agitatoq;, & subigito, & colato. Decocti colo transfusi accipe lib. quatuor. Sacchari[9] lib. tres.[10] Dacrydij,[11] vncias tres, & subacta lento igne decoquito. Postea adijce pastillorum e rosis, & e spodio, & rheibarbari, ana vnc. vnam. Pastillorum ex oxyacantha, vnc. dimidiam. Tritos & subactos cum omnibus prædictis commisce, & in vase recondito.* D

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai.*) Etsi enim Mesuæ filius hanc quoq; Antidotum describit, tamen Nicolai descriptionem illius, vtpote meliorem, exquisitiorem, ac magis emendatam, præferendam esse putauimus. Antiquiorib: hoc Antidotum fuit celeberrimum, quod bilis feruorem retundat, & sanguinem mirifice repurget. Debetq; hodie hoc nomine esse vsitatissimum.

Buglossum. Cordus errat. Buglossũ domesticũ & syluestre. 2 *Buglossi.*) Per Buglossum non inaudiendum est, id quod hactenus ita nominarunt officinæ, & vulgus Medicorum. Siquidem idipsum est Echii species, vt alibi demonstrauimus. Neq; Buglossum Italicum, vt Cordus putat, quod & ipsum Echii genus sit. Sed illud potius, quod nos in primo de Stirpium historia tomo Buglossum syluestre, & Germanice Bruchkraut appellauimus: quod verno tempore floribus suis duntaxat redimitum inuenitur. Atq; hoc quod dicimus, confirmat Mesuæ filius, qui Buglossi domestici & syluestris meminit. Per domesticum, Borraginem: per syluestre, id quod iam indicauimus, intelligens. E

Intybum. 3 *Intybi.*) Sic simpliciter in Nicolao est scriptum. Mesuæ codices Endiuiæ habent. Parum autem refert, Endiuiam aut Scariolam vsurpes, vt sæpe iam diximus, quod eiusdem sint facultatis.

4 *Anisi.*) Non est in Nicolao, sed ex Mesuæ adiectum. Nihil autem refert, si etiam omittatur.

5 *Fumariæ.*) Mesues habet Succi fumariæ. Mihi magis arridet, vt cum Nicolao ad stirpem referamus. Nam si de succo intelligendum esset, potuisset antea inter succos recenseri.

Cordus errat. 6 *Drachmæ quatuor.*) Ita est in Nicolai codice Græco nempe ζδ. Quapropter in nonnullis Mesuæ codicibus falso legitur, vnciæ quatuor. Cordus non recte legit hic drachmæ duæ.

7 *Subigantur.*) Dicitur pro eo quod alii, Exprimantur, efferunt.

8 *Modice admodum decoque.*) Mesues iubet maccrari vigintiquatuor horis. Mihi magis probatur Nicolai sententia, qui modice semen psyllii bullire suadet. Hac enim ratione plus facultatis e psyllio exit, quam si maceretur. Quod etiamsi ad aluum subducendam nihil conducit, quod tamen Arabes, præsertim Mesuæ filius constanter affirmant: tamen prodest ad exstinguendum febrilem calorem, plurimam Psyllii esse facultatem. F

9 *Lib. tres.*) Exemplaria Mesuæ filii habent minus, nempe lib. duas, & dimidiam. Sed nos maluimus Græci Nicolai codicis fidem sequi, qui habet, λ. γ.

10 *Dacrydii.*) Mesuæ habet, Dacrydii in cotoneo malo assati, Verũ quũ Nicolaus iubeat Dacrydium esse co-

A esse coquendum lento igne, non est opus vt prius in cotoneo malo assetur: propterea quod si antea coctum, iterum coquendum misceatur, leniet tantum Antidotus, non etiam purgabit, aut soluet. Quare Nicolai ratio, qui crudum Dacrydium miscendum esse putat, melior est ea quæ a Mesuæ præscribitur.

11 *Vncias tres.*) Mesuæ filius habet vnc. tres, & dimid. Sed Nicolaus diserte habet ℥ß. ℈. Atq; hunc potius quam Mesuę filium sequendum esse iudicauimus. Quod nimirum, trium vnciarum dacrydii pondus, sit satis magnum, vt non sit necesse accedere dimidiam.

Antidotus e[1] succo rosarum. Nicolai. XIX.

FLauam bilem citra molestiam educit. Salubre prorsus medicamentum ad morbos articulorum, e biliosis & calidis humoribus natos, febresq; tertianas. Accipit sacchari, succi rosarum, ana libram vnam, vnc. quatuor. Trium santalorum, ana drach. sex. Dacrydij, vnc. vnam, & dimid. ß Spodij, drach. tres. [2] Succi semperuiui, scrup. vnum. Succus rosarum cum saccharo ad iustam consistentiam B *coquatur, dein adijciantur species, & formetur Electuarium. Digeritur etiam cum saccharo albissimo, quod satis est, in solidam formam.*

ANNOTATIONES.

1 *E succo rosarum.*) Ita hodie componitur ex Latinis Nicolai codicibus, in quibus non est integra. Nam in Græco Nicolao, iis ex quibus hæc compositio constat, adiiciuntur rheum barbarum, & turpetum: vt patebit ex sequenti mox Antidoto, quod Nicolaus e Zulapio rosaceo inscribit.

ß *Spodii.*) Et hic pro Spodio accipiendum erit Ebur vstum, quod id tria santala antecedant.

2 *Succi semperuiui.*) In Nicolai codice est, Caphuræ. Nos Caphura, vt refrigerante medicamento, vtendum esse haud putamus, quare pro illa succum semperuiui, qui refrigerat, & quouis tempore haberi potest, restituimus. Caphura enim tenuium est partium, & calefacit potius, quam refrigerat, vt suo loco fusius monstrauimus. Quare ad bilem nihil confert.

C *Antidotus e[1] rosaceo Zulapio. Nicolai Myrepsici.* XX.

COnfert ijs quibus flaua bilis redundat, defluxionibus, vitijs a calore ortis. Aluum citra molestiam ac dolorem mouet. Vtilis etiam febrib. acutis & ardentibus. Recipit succi rosarum, libram vnam, vnc. quatuor. Trium santalorum, ana drach. sex. Spodij, drach. tres. Dacrydij, vnc. vnam, & dimid. Succi semperuiui, scrup. vnum, [2] Rhei barbari, drach. tres. Turpeti, vnc. vnam. Cum Zulapio rosaceo, & saccharo sufficienti commisceantur. Datur pondere [3] trium aut quatuor drachmarum.

ANNOTATIONES.

1 *E rosaceo Zulapio.*) Ita a Nicolao inscribitur, propterea quod cum Zulapio, vel, vt hodie loquuntur, cum Iuleb rosacco conficiatur Antidotus. Nos quoq; hac inscriptione insignitam, paratam in officinis habere oportet: vt sciamus hanc a priore distare, & ea esse validioribus ad purgandum viribus.

D 2 *Rhei barbari.*) Rheum barbarum & Turpetum in priore non habentur. Quapropter vt purgandi vim augeant, adeoq; hanc ipsam priori esse validorem, est necesse.

3 *Trium aut quatuor.*) Pro virium diuersitate. Sufficient enim pro mediocri purgatione drachmæ tres. Proinde aptum erit medicamentum pro iis, qui modica purgantis medicamenti quantitate delectantur. Nam in solidam etiam formam, vt prior Antidotus, redigi potest.

Electuarium rosatum. Mesuæ filij. XXI.

FLauam bilem sine molestia ducit, ob id conducit biliosis affectibus, arthritidi e calore natæ, vertigini, capitis & oculorum doloribus ex eadem caussa ortis, & ictero. Habet succi rosarum rubearum perfectarum, libras quatuor. Sacchari, libram vnam, & dimidiam. Mannæ puræ & recentis, vnc. sex. Scammonij Antiocheni, vnc. vnam, & dimidiam. Coquantur lento igne ad mellis consistentiam, dein inijciantur pastillorum e spodio, vnc. vna. Pastillorum ex oxyacantha, vnc. dimidia. E *Galliæ moschatæ, croci, ana drach. duæ. Reponantur in vase vitreo.*

ANNOTATIO.

Etsi hoc Electuarium raro vsurpatur, tamen quum in formandis catapotiis Aggregatiuis vocatis, item minoribus ex Hermodactylis, eo vtendum sit, nequaquam autem in Antidoto Nicolai e succo rosarum, quod scilicet hæc catapotia a Mesuæ filio inuenta sint, minime nobis prætereundum fuit.

Electuarium [1] Indum maius. Mesuæ filij. XXII.

EXcrementa humorum, maxime pituitosorum ac putridorum, a ventriculo, & alijs nutritorijs instrumetis educit. Crassos etiam in ijs flatus discutit, vitiaq; hinc nata: nempe inflationem ventriculi, coli, renum, & aliorum viscerum sanat. Capit cinamomi, caryophyllorum, spicæ nardi, rosarum, [2] casiæ, macis, cyperi, ana vnciam dimidiam. Santalorum citrinorum, drachmas duas, & dimi- F *diam. Ligni aloes, nucis moschatæ, ana drachmas duas. Turpeti optimi, drachmas quinquaginta. Sacchari, penidiorũ, ana [3] drach. viginti. Galangæ, cardamomi vtriusq;, asari, mastiches, ana drach. vnam, & dimid. Scammonij boni & in malo cydonio cocti, vnc. vnã, drach. quatuor. Omnia terantur, & cum oleo amygdalino dulci fricentur. Postea accipe succi cydoniorum & granatorum, apij & fœniculi, ana lib. dimid. Coquantur succi cum melle ad iustam crassitudinem, & admisce species.*

ANNOTATIONES. A

Indum. Maius. 1 *Indum maius.*) Indum forte, quod ab Indis inuentum sit, aut apud eos in frequenti vsu fuerit, dictũ est. Maius, ad minoris, quod statim subiiciemus, differentiam.

Casia. Sylvii opinio improbata. 2 *Casia.*) Per Casiam hoc in loco non audienda fistularis dicta, quod Syluius, & alii quidam putant: sed lignea potius. Quid enim tam exigua moles conferret vniuersæ Antidoto, suaq; leniendi facultate purgatricem eiusdem vim iuuaret? Nihil plane. Lignea igitur accipienda, quæ itidem vt cinamomum, caryophyllum, & alia, sua calefaciendi, concoquendi, & attenuandi facultate, frigidos ac crassos, adeoq; pituitosos humores plurimum iuuat.

3 *Drachmas viginti.*) In nonnullis Mesues codicibus mendose legitur vncias viginti. Nam vt sæpe accidit, a librario imperito vncia pro drachma scriptum est. Proinde præstaret integris vocibus pondera exprimere, quam notis vocum.

Electuarium Indum[1] Minus. Mesuæ filij. XXIII. B

IDem quod præcedens efficit. Accipit turbit, sacchari, ana drach. centum. Macis piperis, zingiberis, caryophyllorum, cinnamomi, cardamomi maioris, nucis moschatæ, ana drach. septem. Scammonij, drach. duodecim. Mellis optimi despumati, quod satis est.

ANNOTATIO.

Minus cur dictum. 1 *Minus.*) Dicitur, quod ex paucioribus constat medicamentis simplicib. decem nimirum: quum præcedens ex decem & octo componatur, ideoq; Maius dicatur. Rectius itaq; simplex, vt præcedens cõpositum, nominaretur. Valentius autem purgat, quod duplo pondere turpetum recipiat. Proinde sunt qui, si Electuarium Indum absolute scribatur, hoc minus quia efficacius purgat, intelligendum esse censent. Alii contra maius, ob maiorem simplicium, ex quibus constructum est, numerum, potius accipiendum esse contendunt. Optimum igitur in ista sententiarum diuersitate est, vt quiuis quod vsurpandum esse putet, diserte exprimat. C

Benedicta[1] Laxatiua. Nicolai. XXIV.

HVmores pituitosos, ad articulos potissimum decumbentes, elicit. Arenibus quoq; & vesica purgat. Recipit turpeti electi, sacchari, esulæ, ana drach. decem. Dacrydij, hermodactyli, rosarum, ana drach. quinq;. Caryophillorum, spicæ nardi, zingiberis, croci, saxifragæ, piperis longi, amomi, cardamomi, seminis [3] apij, petroselini, salis gemmæ, galangæ, macis carui, fœniculi, seminis asparagi, rusci, [4] granorum solis, ana drachmam vnam. Mellis optimi despumati, quod satis est.

ANNOTATIONES.

1 *Benedicta laxatiua.*) Hæc est vsitata officinarum nostrarum Benedicta laxatiua, ex Latino Nicolai Præpositi illis vocati libro ad verbum descripta: quæ tamen nulli descriptioni Nicolai Græci Myrepsi appellati per omnia respondet. Apparet igitur, eius auctorem hanc compositionem ex omnibus Nicolai Benedictis laxatiuis, quæ quatuor sunt numero, corrasisse. Nam Turpetum in omnibus est. Esulam ex 509. Antidoto desumpsit. Rosas ex 507. Hermodactylos, caryophyllos, spicam, Zingiber, crocum, saxifragam, piper longum, amomum, cardamomum, semen apii, galagam, partim ex 447. partim ex 508. & 509. transtulit. Macerem, carui, fœniculum, asparagum, ruscum, grana solis, partim ex 447. partim ex 507. mutuatus est, vt has inter se conferenti patebit. D

Cordus errat. 2 *Esula.*) Cordus de ea drachmas tantum quinq; accipit, quum tamen in Latino codice sint decem & in Græco vnciæ duæ & dimidia. Quapropter præstat decem quam quinque Esulæ accipere drachmas.

3 *Apii.*) In Latino Nicolai codice est Lini. Verum quum in Græco exemplari nusquam Lini seminis mentio fiat, sed semper apii semen vsurpetur, nos quoq; pro Lini semine apii semen substituimus. Et huic quidem errori vocum vicinitas occasionem dedit, facilis enim a σελίνε in λίνε semota prima syllaba lapsus fuit. E

Grana solis. 4 *Granorum solis.*) Milium solis hodie nominatum intelligit.

Benedicta[1] laxatiua vera. Nicolai Myrepsici. numero 108. XXV.

IDem quod præcedens efficit. Habet turpeti, sacchari, ana drachmas decem. [2] Polypodij folij, ana drachmas sex. Cardamomi, spicæ, [3] pulegij, calaminthæ, saxifragi, caryophylli, & apij seminis, ana drach. quatuor. Piperis albi, & longi, ana drachmam vnam. Rhei barbari, drach. duas, scrup. duos. [4] Amomi, cinamomi, Hermodactyli, ana vnciam vnam. [5] Epithymi, agarici, senæ, ana vnciam vnam. Mellis optimi despumati, quod satis est.

ANNOTATIONES.

Benedicta laxatiua vera. 1 *Benedicta laxatiua vera.*) Sic nominamus, vt eam a præcedenti discernamus: quæ non e Græco, vt hæc ipsa, codice, sed e Latino potius Nicolai Præpositi appellati exemplari, vt diximus, transcripta est: & mea quidem sententia priore melior. Nam quum hanc ingrediantur multo mitiora medicamenta purgantia, nempe polypodium pro esula, rheumbarbarum & agaricum pro dacrydio: fit vt etiam minori noxa & molestia sumatur. Præterea inseritur eidem pulegium, calamintha, & cinamomum: quæ crassos & pituitosos humores attenuare, & concoquere possunt. Franciscus Alexander Benedictam ex Myrepso recenset ordine 447. ab vsitatis longe diuersam; qua qui vti volent e Myrepso ipso petant. F

A 2 *Polypodium.*) Hic statim a priore variat, quæ pro Polypodio habet Esulam.

3 *Pulegii, calaminthæ.*) Hæc duo in præcedente desiderantur. Rectissime autem & propter caussas iam dictas, induntur.

x *Apii seminis.*) In Myrepsi codice haud dubie falso σουσάμου pro σελίνου legitur.

4 *Amomi.*) Quum verum Amomum hodie non habeatur, eius succedaneo vtendum: aut pro eo semen ammeos, cuius etiam in prima sua Benedicta Nicolaus mentionem facit, sumendum. Amomũ.

5 *Epithymi, agarici, senæ, ana vnc. vnam.*) Sic legitur in manuscripto codice Græco. Et frequens est apud Galenum & alios auctores, vt pondera quæ vno comprehenduntur numero, ipso identidem repetito iterentur. Tamen si plane quis hoc loco varietatem in ponderibus desiderat, de Epithymo vnc. vnã, de agarico & sena, ana vnciam dimidiam accipiat: quod Nicolaus itidem in quarta Benedicta, quæ est numero 509. fecit. Quod si eius vsum in calculo quoq; efficacem esse quispiam desiderabit, is granorum seu milii solis drachmas duas, vt facit Nicolaus in altera Benedicta, quæ est numero 507. adiiciat: & ha-
B bebit optimum medicamentum.

Dia sena[1] *vulgaris. Nicolai.* XXVI.

ANtidotus e sena succurrit melancholicis, in inia vexatis, quartana laborantibus, tristitia affectis, lienosis, elephanticis, & omnibus vitijs ex atra bile procreatis. Capit senæ, vnc. tres. Auellanarum tostarum, numero quinquaginta. Serici tosti, drachmas duas. Lapidis armenij, drach. vnam, Lapidis lazuli, drach. tres. Sacchari, vnc. sex. Cinamomi, vnc. vnam. Caryophyllorum, [2] *galangæ, piperis spicæ nardi, ocimi,* [3] *foliorum caryophyllorum, cardamomi, croci, zingiberis, zedoariæ, florum rosmarini, piperis longi, ana drach. duas. Mellis despumati, quod sufficit.*

ANNOTATIONES.

1 *Vulgaris.*) Seu hodie vsitata. Quod adiecimus propter aliam hac longe præstantiorem, quæ est in
C Nicolao Græco. Præsens enim ex Latinis est descripta codicibus, & prorsus decurtata, vt ex mox sequentibus liquido apparebit. Variat tamẽ etiam pondera, quæ in hac quam sequenti sunt alia, & diuersa.

2 *Galangæ.*) Sola galanga in sequenti desideratur, quæ hic ab aliquo adiecta est.

3 *Foliorum caryophyllorum.*) Si haberi possunt. Sunt autem similia foliis lauri, & odorem atq; saporem caryophyllorum habent. Folia caryophyllorum.

Dia sena[1] *vera. Nicolai Myrepsici. num. 465.* XXVII.

IDem quod præcedens efficit. Accipit senæ, nucũ auellanarũ, ana vnciã vnam. Rasuræ eboris, drach. tres. Serici crudi vsti, drach. vnam, & dimid. Boli armenij, pastilli scillitici, pastilli theriaces, [2] *hedychroi magmatis, lapidis armenij, lapidis lazuli, asari, ana drach. vnam. Lapidis smaragdi, iaspidis, saphiri, ana drach. vnam. Rasuræ ferri, chalibis, drach. quatuor. Stiracis boni, pastillorum e rosis & violis, galliæ moschatæ, ana drach. duas. Thuris, cinamomi, culẽbæ, ana vnc. dimidiam. Tri-*
D *um santalorum, drach. quatuor. Corallij rubei, drach. quatuor, & dimidiam. Margaritarum, blattij bisantis, ana drachmas duas. Caryophylli, maceris, spicæ, ocimi, seminis portulacæ, zingiberis, anisi, ammeos fœniculi, ana drachm. vnam, & dimid. Calaminthæ montanæ, auri puri, ana drach. tres. Folij, cardamomi, zedoariæ, croci, floris rosmarini & borraginis, piperis albi, ligni aloes crudi, ana drach tres. Ossa cordis ceruini, numero quatuor. Berberis gentianæ, ana drach. vnam. Moschi, grana duodecim. Mellis optimi despumati, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

1 *Vera.*) Hæc est vera & legitima Nicolai Myrepsi Diasena, exceptis duob. Apelaxio & Asimio nimirũ: ita enim in manuscripto codice inuenitur, haud dubie corruptis medicamẽtis. Quæ quum sit operosa & sumtuosa, factũ est vt a quibusdam sit decurtata: ita tamen vt pleraq; omiserint, quæ omittẽda minime
E erant. Est a. cõpositio optima, vt quæ accurata diligentia sit constructa, adeoq; pmissis plane respondeat. Habet n. in se medicamẽta melancholicũ purgantia humorẽ, senam nimirum, lapides armeniũ & lazuli. Item quæ crassitiem eius humoris incidant, extenuent, & angustas vias aperiant: pastillos scilliticos, theriaces, hedychroum, zingiber, anisum, ammi, fœniculum, calamintham, & id genus alia. Præterea corroborantia, adeoq; tristitiam, quam melancholicus humor inducit, abigentia, & corruptionem sanguinis arcentia: ebur, sericum, bolũ armenium, iaspidem, saphyrum, margaritas, spicam, ocimum, crocum, Zedoariam, caryophyllos, macerem, ossa cordis ceruini, & moschũ. His accedit Smaragdus, qui quasi insita quadam proprietate elephantiam sanat. Corallium lieni absumẽdo aptũ esse remedium, ex Dioscoride cõstat. Ad hunc deniq; extenuandum, blattia bisantis, & berberis conducunt. Emolliẽdi gratia styrax, & thus indita sunt. Vt errasse plurimum constet, qui maiorem horum partem omiserunt. Cõsulo igiur, vt Pharmacopœi deinceps ad eum quem hic ostendimus modum, parent Diasenam, veteri prsus neglecta.

F 2 *Hedychroi magmatis.*) Sic appellat Gal. in libris suis, quos de Theriaca inscripsit, & multis aliis locis. Est a. magma non tãtum vnguenti, sed & pastilli massula. Ideo a nonnullis inter vnguenta, a quibusdam autem inter pastillos Hedychroum, numeratur. Nos suo loco illud inter pastillos numerabimus. Magma.

Antidotus Catholica.[1] *Nicolai Prapositi.* XXVIII.

IEcoris & lienis affectibus potissimum conuenit, acutis quoq; & peracutis febribus, lenit enim, concoquit, & roborat. Habet casiæ fistulæ purgatæ, senæ mundatæ, tamar Indorum, singulorum

vncias octo. Rhei barbari, violarum, Polypodij, anisi, singulorum vncias quatuor. Glycyrrhizæ, rasæ penidiorum, sacchari candi, singulorum drachmas quatuor. Seminum quatuor frigidorum maiorum purgatorum, singulorum vnciam vnam. Polypodij querni, libram vnam. Tritum diu in aqua coquitur, colatumq; in serapium percoquitur cum libris octo sacchari. Casia & tamar Indi in colati parte dissoluuntur, & Serapio iam percocto adduntur, postremo species adijciuntur. A

ANNOTATIO.

1 *Nicolai Præpositi.*) Hac inscriptione ab ea, quæ mox sequitur, discernitur, quæ est Nicolai Myrepsi, & hac ipsa propter Turpeti & Dacrydii accessionem paulo auctior. Etsi autem præsens catholica vniuersos corporis humores blande admodum vacuat: Senæ enim & polypodii ope melancholiam & serosos humores, ob casiam & tamar Indos flauam bilem, propter Rheum barbarum bilem & pituitam educit: ita vt etiam in febribus tuto dari possit, tamen quum in eam, quæ a Nicolao Myrepso traditur Catholicam, omnia minori pondere indantur purgantia medicamenta, dubium non est quin benignis etiam medicamentis annumerari queat. Non prohibeo igitur quin vtriusq; compositionem paratam in officinis suis habeant Pharmacopœi, inscriptionibus tamen suis distinctas, hanc Nicolai Myrepsi, illam Nicolai catholicam appellantes, vt Medici pro suo arbitrio hac vel illa vti possint. Quia vero Rhei barbarici vncias octo accipit, satis sumtuosa erit, nisi quod crebro faciunt, Pharmacopœi antiquatum & deteriora eius frustula iniecerint. Commodius itaq; erit minori pondere, nempe drachmarum quatuor, more nonnullorum, inseratur. Præstat autem Myrepsi descriptionem sequi. B

Antidotus[1] *Catholica. Nicolai Myrepsici, numero 503.* XXIX.

OMnes corporis humores purgat. Confert acutis, & peracutis morbis. Emollit enim, alterat, roburq; addit. Iocinerosis, lienosis, podagricis, arthriticis, tertianis, quartanis, & quotidianis doloribus capitis succurrit. Recipit[2] *senæ,*[3] *casiæ fistulæ, tamar Indorum, ana vnc. vnam. Polypodij repurgati, vnc. vnam, & dimidiam. Rhei barbari, drachmas duas. Glycyrrhizæ repurgatæ, vnc. dimidiam. Seminum*[4] *cucumerum, ana vnc. dimidiam. Penidiorum, vnc. dimidiam. Sacchari candi, drach. tres, scrup. vnum,*[5] *Radicis capparis. drachmas duas. Anisi violarum, ana vnc. vnam.*[6] *Turpeti, vnc. dimidiam.*[7] *Dacrydij, drach. duas, scrup. duos. Ex ijs quæ terenda sunt, probe trita per cribrum traijciuntur: dein rursus accipiuntur polypodij repurgati, &*[8] *tempestiui, vnc. duæ. Senæ bonæ, violarum, anisi, fœniculi seminum, radicis capparis, ana vnc. vna. Pruna*[9] *refrigerata, numero viginti. Cerasa, numero triginta. Hæc bene macerata & liquata conijciuntur in lebetem cum aquæ libras quatuor, & bene cocta colantur. Postea accipitur decoctum colatum, & injicitur in lebetem, & cum ipso sacchari puri, libra vna & dimidia, atq; ad Serapij consistentiam coquuntur. In quo*[10] *prædicta omnia irrigantur, madefiuntq;, conquassantur, & probe subiguntur, emolliunturue, & ad electuarij formam redacta in vase reconduntur.* C D

ANNOTATIONES.

Catholica. 1 *Catholica.*) Græce est καθολική. Sic autem dicta est Nicolao, quasi vniuersalis: quod scilicet omnes corporis humores expurget. Vulgus certe Medicorum & Officinæ inepte admodum Diacatholicon, id est, de vniuersalibus appellant.

Sena. Sena repurgata. 2 *Sena.*) Vbi Sena simpliciter, vt hoc loco, in compositionibus reperitur, semper folia & folliculos simul intelligere oportet. Quod si Senæ purgatæ mentio fiat, ab ea auferendæ sunt festucæ, & foliorum folliculorumq; pediculi. Id quod semel nos monuisse hic satis sit.

Casia fistula. 3 *Casiæ fistulæ.*) Intelligit nigram dictam, & purgatricem: præsertim eius medullam ac pulpam, quæ hodie flos Casiæ nominatur.

Semina cucumerum. 4 *Seminum cucumerum.*) Per semina cucumerum inaudienda sunt non solum cucumeris, sed & cucurbitæ, citruli, & melonum: in summa, quatuor frigida maiora vocata semina, quod ex Latinis manifestum fit codicibus, & ex ipso Nicolao, qui ana dictionem subiecit, quod nunquam fecisset, si de vno tantum semine locutus fuisset. E

5 *Radicis capparis.*) Hæc in Latinis codicibus, vt etiam anisi semen, omissa est. Vt hinc satis appareat, eam, quæ hactenus vsitata fuit Catholica, non fuisse integram, sed mācam, & multis modis mutilam.

Turpetū. 6 *Turpeti.*) Turpetum Nicolaus nominat medicamentum, quod vulgus Medicorum & Pharmacopœorum, Arabum doctrinam sectantium, Turbit nuncupat. Rectissime autem Turpetum huic Antidoto inseritur. Nisi enim illud iniicias, vix Catholica appellabitur: quod scilicet non omnes purget humores. Siquidem omisso Turpeto, nullum in ea erit medicamentum quod pituitam purget, demto Rheobarbaro, quod leuiter tantum pituitam ducit. Vt hinc quoque perspicuum euadat, vsitatam Catholicam esse decurtatam. Ad præsentis igitur Antidoti modum deinceps Pharmacopœi Catholicam etiam componant, vna cum veteri, aut vt rectius dicam, hactenus vsitata. Hic silentio inuoluere non possum quin Bernardi Dessennii calumniis respondeam. Nam ipse compositioni Diacatholicon Præpositi inscriptæ, annotationem subiecit, in qua iis verbis in me inuehitur. Miror, ait, Leonhardum Fuchsium Myrepsi interpretem, posterius Catholicon velut consuetudine Officinis fa- F

Bernardi Dessennii calumnia depulsa.

A nis familiare commendasse. Nam vt dosin, quæ nihil habet cum Nicolao Alexandrino, aut Præposito commune, præteream, res quoq; ipsæ plane variant: siquidem radices Capparorum: ita enim loquitur, pruna, cerasia, turpetum, diacrydium, purgatoria fortissima, adiungit, atque longe aliam quam præpositus cocturam instituit. Et cœcus sit funditus oportet, qui ista non videat. Proinde manifestum est, quam nihil operæ in conferendis auctorum compositionibus reposuerit Fuchsius, quod nunc semel monendum esse duxi, quum frequentissime alias obseruarim, ne Apothecariorum vulgus alioqui ad quiduis suscipiendum sine iudicio procliue, huiusmodi descriptionibus seducatur, ac magis auctoritati ipsius, quam rei veritati credat. Nec potest nec debet ipse, quando vir bonus ac doctus sit, hanc monitionem meam non candide interpretari. Hactenus Dessennius. Quis vero initio non detestetur ac diris omnibus exsecretur immensam hominis ingratitudinem, vt qui mihi malam admodum gratiam pro Myrepso, auctore multis seculis desiderato, in Latium cõuerso, referat. Quod vero posteriorem Myrepsi Catholicam vsitatam dixerim, non alio nomine factum est, quam quod voluerim significare, eam B esse compositionem, vnde Præpositus ille abbreuiator, deprauator dicere volui, Nicolai, suam, sed multis modis decurtatam, descripserit. Ea enim quæ præcedit, nihil cum officinis vsitata fere commune habet. Non sum autem Dessenni tam stupido ingenio, vt non viderim hanc in multis ab vsitata variare, sed non statim sequitur ob id, eam non esse hactenus vsitatam, imo id potius, quod Præpositus eam, vt alias multas, omnino sua abbreuiatione deprauarit. Volui itaque marginali mea adiectione Pharmacopolas tacite admonere, quod ea, qua hactenus vsi essent Catholica, non vera, nec integra, sed mutila, & deprauata esset, atq; vt deinceps hanc ipsam, tanquam legitimam, vsurparent. Qui fit igitur Dessenni vt hic non potius in Præpositum, quemadmodum in Dia margariton calido fecisti, tua conuitia, quam in me exspuere & regerere voluisti? An non tum multas compositiones officinarum hunc decurtasse ac vitiasse, innumerisque mendis conspurcasse dixisti? Imo in hæc tandem verba prorupisti. Ecquis Præpositum hunc diutius sibi imitandum in Pharmacopoliis proponet? ac non potius maximi Apollinis C graui censura plectendum iuste decernat? hoc est, vt ex optimis officinis profligatus & proscriptus apud pessimos pereat. Cur non hic eandem cantas cantilenam? cur rogo eorum, quæ tum magno stomacho dixisti hic oblitus es? Dicam, voluisti ex Fuchsii reprehensione aliquam tibi doctrinæ & existimationis opinionem parare. Atqui metuo, ne pro sperata gloria, sis nõ leuem consecutus ignominiam, & certo declaraueris, te omni destitutum iudicio. Id quod hinc etiam satis innotescit, quod me nihil operæ in conferendis auctorum compositionibus posuisse inquis. Quasi vero hoc tum meum consilium fuerit, ac non potius id, vt Nicolaum quoad fieri posset, optime in Latinum sermonem conuersum darem studiosis. Quanquam in medicamentariis etiam libris scribendis non id conandum est, vt auctorum compositiones conferas, sed id potius, vt eas, quæ in officinis sunt vsitatæ, quam emendatas ac plane legitimas habeamus. Deniq; non est, quod vulgus tantum Pharmacopœorum ad quoduis suscipiendum sine iudicio procliue existimes, sed te illis plane coniungas oportet, vt qui omnia ex quibusuis D auctorib. nullo adhibito, vel delectu, vel iudicio, in tuas annotationes corradas, & lectori crassissimas offundas tenebras. Atq; hactenus puto tuis calumniis abunde per me responsum esse. Nosti vetus hoc: Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.

7 *Dacrydii.*) Et illud in vsitata Catholica desideratur, vt necesse sit, eam fuisse minus in purgandis omnibus humoribus efficacem.

8 *Tempestiui.*) Tempestiuum vocat haud dubie, id quod legitimo tempore collectum est. Polypodium tẽpestiuum.

9 *Refrigerata.*) Ita nominat, quæ in aqua frigida sunt macerata, & emollita, aut liquata: vt ex mox sequentibus planum fit. Pruna refrigerata.

10 *Prædicta omnia.*) Intelligit casiam, senam, tamarindos, & alia omnia, quæ Serapii compositionem præcedũt. Et hæc est legitima Nicolai Catholicæ structura, quæ in officinis deinceps etiam parari debet.

Antidotus[1] *dia phœnicon. Mesuæ filij.* XXX.

E *ANtidotus e palmulis, febribus cõpositis & diuturnis auxiliatur, bilem namq; flauã, & pituitam sine molestia educit. Colicis cruciatibus mirifice conducit, item doloribus ventriculi, & id genus aliis vitiis ex crudis humoribus ortis. Habet*[2] *palmularum fuluarum in aceto per triduum maceratarum, drach. centum. Penidiorum*[3] *hordeatorum, drach. quinquaginta. Amygdalarum purgatarum, drach. triginta. Turpeti, drach. trigintaquinq;.*[4] *Scammonij, drach. duodecim. Zingiberis, piperis longi, foliorum rutæ siccorum, cinamomi, macis, ligni aloes, anisi, fœniculi, dauci, galangæ, ana drach. duas, & dimidiam. Mellis optimi despumati, quantum sufficere videtur.*

ANNOTATIONES.

1 *Dia Phœnicon.*) Hoc est, e palmulis: vel, vt hodie vocant officinæ, e dactylis. Nam φοῖνιξ Græcis, palmulam sonat. Recte autem sic inscribitur, quod hæc mole sua reliqua omnia hanc compositionem F ingredientia medicamenta superet. Palmula.

2 *Fuluarum.*) Codices Mesuæ fere omnes legunt Cheiron. Est autem Cheiron haud dubie vox deprauata Græca, contexui inserta, pro κιῤῥῶν; id est, fuluarum. Sunt autem φοίνικες κιῤῥοὶ, id est, palmulæ fuluæ, probe maturæ. Nam sufficit in præsentia adstrictio, quæ in maturis palmulis remanet. Cheiron autem dictionem significare, quod dicimus, satis capite 69. testatur Serapio, inquiens: Cheiron est species dactylorum, & color eorum est citrinus, & rubeus. Heiron vero illic deprauatius quam in Mesuæ filio legitur. Cheiron. Palmulæ fuluæ.

Hordeata Penidia. 3 *Hordeatorum.*) Hordeata vero penidia vocant, quæ ex saccharo albo & optimo, in aqua decoctionis hordei sex horas infuso, & cocto ad iustam consistentiam, conficiuntur. A

4 *Scammonii, drach. duodecim.*) Sic meliores Mesuæ filii codices, quos nos secuti sumus, habent. Alii drach. viginti duas; quorum lectio minus probatur, quod antea drachmæ triginta quinq; Turpeti, huius Antidoti compositionem ingrediantur.

Dia phœnicon solidum. Incerti auctoris. XXXI.

IDem quod præcedens potest. Capit palmularum fuluarum per triduum in aceto maceratarum, numero sex. Seminis libystici, drach. duas. Nucum pinearum, amygdalarum dulcium, ana drachm. quindecim. Turpeti, drach. duodecim. Dacrydij, drach. vndecim. Sacchari candi, uncias duas. Zingiberis, piperis longi, foliorum rutæ siccorum, cinamomi, macis, fœniculi, dauci, galangæ, ligni aloes, ana drachmam vnam. Sacchari libram vnam, fingatur orbiculorum rotularumue figura. B

ANNOTATIO.

Sunt qui ad iam dictum modum Diaphœnicon solidum conficiunt, quod a priore non nisi ponderum diuersitate distat: & quod semen libystici, quod in priore non est, accedit, & pro penidiis, nuces pineæ vsurpantur. Alii nihil addunt, nec adimunt: sed plane, demta forma, eodem quo primum Diaphœnicon parant. Quod in ceteris quoq; Antidotis, quæ in liquida aut solida forma construuntur, obseruant, vt noua compositione non sit opus. Nos tamen hic quorundam libidini inseruiendum esse putauimus, qui hac, quam alia ratione, medicamentum hoc struere malunt. Pondus eius drachmæ quinq; magna ex parte, aut sex.

Antidotus[1] *Episcopi. Mesuæ filij.* XXXII.

FLauam bilem ac pituitam elicit. Flatus & excrementa e toto corpore educit: ob id doloribus articulorum & hypochondriorum prodest. Item colicis cruciatibus mirifice auxiliatur. Humores ad renes & vesicam decumbentes exspurgat. Accipit scammonij Antiocheni, turpeti albi & optimi, ana drachmas sex. Caryophyllorum, cinamomi, zingiberis, myrobalanorum emblichorum, nucis moschatæ, polypodij, drachmas duas, & dimidiam. Sacchari albi,[2] *uncias sex. Mellis optimi despumati, quod satis est.* C

ANNOTATIONES.

Episcopi. 1 *Episcopi.*) Sic appellanda venit hæc Antidotus, non Eselskopff: ah dicere volui Elescoph, vt barbari hactenus Medici nominarunt. Nam ita etiam vocat Auicennæ interpres: vt mirum sit, iuniores Medicos Auicennam, quem tamen veluti numen quoddam coluerunt, & in oculis tulerunt, non esse hoc loco imitatos: & itidem vt ille fecit, Episcopi electuarium haud nuncupasse. Describitur autem ab eo Can. 5. eodem quo hic modo: nisi quod Cardamomum & piper adiicit, quæ in præsenti non habentur. D

Cordus. 2 *Vncias sex.*) Sic omnia Mesuæ filii exemplaria habent. Vnus Cordus, nisi typographi culpa factũ sit drach. sex habet, quum tamen Auicenna integram libram sacchari contriti inspergere iubeat. Ceterum sunt qui hanc Antidotum etiam in solidam redigunt formam, singulis drachmis specierum, sacchari optimi vnciam addentes.

Antidotus[1] *Hamech. Mesuæ filij.* XXXIII.

PVrgat vtramq; bilem, & pituitam salsam: ob id morbis inde natis, impetigini, scabiei, elephantiæ, & cancro exedenti, & similibus mire confert. In summa, omni fœditati cutis, a biliosis & adustis humoribus procreata, conuenit. Recipit myrobalanorum flauorum, vnc. quatuor. Cepulorum, & Indorum, rheibarbari, ana vnc. duas. Agarici, colocynthidis, polypodij, ana drach. decem & octo. Absinthij, thymi, senæ, ana[2] *drach. sex. Violarum, drach.*[3] *quindecim. Epithymi, vnc. duas. Anisi, rosarum, fœniculi, ana drach. sex. Succi fumariæ, libram vnam. Prunorum, numero sexaginta. Vuarum passarum purgatarum, vnc. sex. Macerētur omnia in sero lactis sufficiente dies quinque, in vase vitreato oris angusti, & probe obturati. Postea ad ignem ferueſiant vna & item altera ebullitione: ac manibus dein fricentur & colentur. Colato adde casiæ fistulæ purgatæ, vnc. quatuor. Tamarindorum, vnc. quinque. Mannæ, vnc. duas. Fricato manibus, iterum cola, colato adijcito sacchari libram vnam & dimid.*[4] *Scammonij, vnc. vnam, & dimid. Coque ad mellis crassitiem. Dein puluerem sequentem insperge, qui habet Mirobalanorum flauorum, cepulorum, indorum, ana vnc. dimid. Bellericorum, emblicorum, rhei barbari, seminis fumariæ, ana drach. tres. Anisi, spicæ nardi, ana drach. duas. Formetur electuarium.* E

ANNOTATIONES.

Hamech. 1 *Hamech.*) Ab auctore, qui hanc Antidotum struxit, ita est nominata. Idem vero vox hæc sonat, vt quidam interpretantur, quod Mahemet. Hac autem appellatione Razes Pœnus Medicus intelligendus venit, qui varie a Mesuæ filio nominatur. Nam interdum, vt hoc loco, simpliciter Hamech siue Mahemet dicitur. Aliquãdo cũ adiectione Hamech Razes. Nõnunquã Hamech filius Zachariæ. Interdũ Hamech filius Zachariæ Razes. Aliquando Hamech filius Zezar. Nõ est autem ille Hamech, qui Mesuæ pater fuit, auus nimirũ ipsius Ioannis filii Mesuæ. Siquidem is fuit filius Heli, qui filius fuit Abdelæ, regis Damasci. F

A 2 *Drachmas sex)* Non latet, codices quosdam habere vnciam vnam. Sed meliores legunt Drachmas sex.

3 *Drachmas quindecim)* Alii codices legunt vnciam vnam, & dimidiam, ita vt demant Drachmas tres.

4 *Scammonii)* Scammonium hic crudum, non coctum, quod dacrydion, & corrupte diagridion vocant, inaudiendum erit. Nam coquendo corrigitur. Non igitur coctum vsurpandum ad huius antidoti structuram erit: id enim vt iterum coquatur non indiget. Et si coqueretur, vim suam purgatoriam nonnihil amitteret, concoctione fractam & imminutam. In quibus igitur compositionibus Scammonium coquendum præcipitur, crudum in aliis coctum accipiatur. Quod semel hic monuisse satis sit.

Scammonium crudum.

Antidotus hamech altera,[1] seu minor, Mesuæ filii. XXXIV.

HAmech altera purgat melancholiam, & vstos humores alios: ob id confert manias, melancholia, B *vertigini, obliuioni, & vitiis cutis, qualia sunt, scabies, lepra, alphes, cancer, elephantia, impetigo. Habet mirobalanorum nigrorum, id est, Indorum, cepulorum, epithymi, an. drach. quinquaginta. Fumariæ, absinthii, an. drach. viginti. Thymi, calaminthæ, polypodii, agarici, glycyrrhizæ, buglossi, an. drach. decem. Stichadis, chamædryos, chamæpityos, spinæ albæ, anisi, an. drach. quinque. Pruna,[2] Zizypha,[3] myxa, an. numero septuaginta. Vuarum passarum repurgatarum, lib. vnam. Coquuntur in aqua sufficienti ad tertias. Dein colantur. Colato adduntur.[4] Sapæ, lib. duæ. Mellis despumati, lib. vna. Scammonii, vnc. duæ. Igni lento ad mellis crassitiem percoquuntur.*

ANNOTATIONES.

1 *Minor)* Ita nominauimus, ad differentiam prioris: quæ simpliciter Hamech, aut cum adiectione Hamech maior appellari potest. Et si hodie non est officinis nostris vsitata, tamen posset, quod sit optima, in vsum reuocari, & loco superioris vsurpari in lue Hispanica. Cur enim non ita appellaremus, C quum hac ipsa gens illa creberrime laboret?

Lues Hispanica.

2 *Zizypha)* Ita recentiores Græci nominant Iuiubas hodie dictas.

3 *Mixa)* Sebesten vulgo vocantur, vt libro primo diximus: adeo vt nihil opus erat hic denuo referre.

4 *Sapa)* Sapa mustum est, ad tertiam partem decoctum. Græcis ἕψημα & σιραῖον Arabũ familiæ, & barbaram sectantibus medicinam simpliciter Rob, & coctum dicitur.

Zizypha. Myxa. Sapa. Rob.

Dia[1] Turpetu, cum Rheobarbaro Montagnanæ. XXXV.

FLauam bilem & pituitam educit, atque aqua intercutem laborantibus mirifice confert. Capit turpeti optimi, hermodactylorum, an. vnciam vnam. Rheibarbari selecti,[a] drachmas decem. Dacrydii, drachmas quatuor. Santalorum alborum & rubeorum, violarum, zingiberis, an. drach. vnam D *& dimidiam. Mastiches, anisi, cinamomi, croci, an. drach. dimid.[2] Sacchari albissimi, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

1 *Dia turpeti cum Rheobarbaro)* Hac inscriptione insignitur hæc Antidotus, vt discernatur ab altera quam Dia turpeti: vel, vt hodie loquuntur, Dia turbit maiorem, quam mox subiiciemus, appellant.

a *Drachmas decem)* Hic mihi falso affingit Franciscus Alexander, quod legam vncias decem, quum nusquam in omnibus compositionibus dia turpetu ita scriptum sit. Nec minore candore vitium hoc in Typographum transfert.

2 *Sacchari)* Ita hodie frequenter paratur. Potest autem cum melle despumato, si ita visum fuerit, in liquidam consistentiam redigi. Sunt qui malint hac compositione vti, quæ accipit Turpeti optimi, vnciam vnam & dimidiam. Rheibarbari selecti, drachmas sex. Zingiberis, drach. tres. Spicæ, mastiches, ana E drachmam vnam. Anisi, drach. dimidiam. Dacrydii, drach. sex. Sacchari albissimi, vncias sedecim, fiat cõfectio in rotulis. Ad vermes lumbricosq; excutiendos efficacissimum est medicamentum. Nam Rheum lumbricos necat, turpetum autem pituitam lumbricorum fomitem educit.

Aliud dia turpetum cum rheobarbaro.

Dia Turpetu maior, incerti auctoris. XXXVI.

PItuitam maxime purgat, & eandem extenuat, ac concoquit. Accipit turpeti optimi, vnciam vnã. Dacrydii, zingiberis, an. drach. quatuor. Cinamomi, caryophyllorum, an. drach. duas. Galangæ, piperis longi, macis, an. drach. vnam. Sacchari albissimi.

Dia Turpetu minor[1] Zezaris. XXXVII.

LEuiter[2] pituitam, præsertim eam quæ in ventriculo hæret, elicit. Recipit turpeti optimi, drachmas decem. Zingiberis, drachmas quinque. Mastiches, drachmas tres. Sacchari albissimi F *quod sufficit.*

ANNOTATIO.

1 *Zezaris)* Zezar autem pater fuit Hamech, qui, vt diximus, Razes alio appellatur nomine. Rarum est admodum Diaphenicõn electuario eius vicarias operas subeunte.

Zezar.

2 *Leniter)* Quod vt præcedens, dacrydium non accipiat.

22 4

Dia Turpetu Mesuæ filii. XXXVIII. A

Pituitam & flauam bilem educit, & idem fere quod Montagnanæ potest. Habet Zingiberis, galangæ, an. drach. dimidiam, Piperis longi, cinamomi, an. drach. duas. Spicæ Indicæ, mastiches, an. drach. dimidiam. Croci, scrupulos duos. Turpeti albi gummosi, Rhei barbari selecti, an. unc. unam & dimididiam. hermodactylorum unc dimid, Dacrydii, drach. vnam. Sacchari, vnc. sedecim, aut circiter, fiat confectio in tabulis.

Dia Turpetu, incerti auctoris. XXXIX.

IDem quod præcedens potest. Capit Rheibarbari, vnciam dimidiam. Caryophyllorum, galangæ, an. drach. duas. Macerantur tria hæc in stillatitii rosarum liquoris, vnciarum trium, horis viginti quatuor. Dein eximuntur, & exsiccantur: exiccata que subinde in puluerem rediguntur, cum iis quæ sequuntur: nempe turpeti albi, drach. decem. Hermodactyli, Zingiberis, an. drach, quinque. Scammonii in pomo cocti, drach. sex. Senæ, drach. duas. Spicæ, anisi, mastiches, an. scrup, vnū. Sacchari, vnc. viginti quatuor, fiat confectio in orbiculis. B

ANNOTATIO.

Studio plures Dia turpeti compositiones attulimus, vt delectu habito, quiuis ex illis eam, quæ optima sibi videretur, in sua officina parari curaret.

Dia Cnicu, Arnaldi Villanouani. XL.

*ANtidotus e cartamo, flauæ bili & pituitæ educendæ mirifice conducit. Habet specierum dia tragacanthi frigidi, vnc. dimidiam. Pulpæ carnis ue cydoniorum, vnc. vnam. Medullæ seminis cartami, hermodactylorum, an. drach. quatuor. Zingiberis albi, drach. duas. Dacrydii, drachmas tres. Turbit albi, *drachmas sex. Mannæ granatæ, drach. duas. Mellis rosacei colati, vnciam vnā. Sacchari, [2] vnc. octo. Cum saccharo albissimo sufficienti fiat electuarium.* C

ANNOTATIONES.

Diacartami. 1 *Diacnicu)* Hodie Diacartami nominant, quod idem valet. Pauci sunt, qui hac vtuntur Antidoto. Tamen quum nonnulli sint, qui eam in compositis, nempe ex biliosis & pituitosis humoribus natis, affectibus, libenter vsurpant, vt pharmacopœi illorum postulatis morem gerere queant, eius quoque compositionem hic recensere curauimus. Paratur magna ex parte in forma solida.

* *Drachmæ sex)* Alii legunt drachmas duas, quæ sane lectio, ne vehementius fiat medicamentum, quū Dacrydium, & Hermodactyli eius quoque compositionem ingrediantur, melior esse videtur. Legēdum igitur ita potius esse iudico, Turpeti, drachmas duas. Mannæ granatæ, drachmas sex.

2 *Vncias octo)* Alii legunt drachmas octo. Parum autem refert, vtram lectionem arripiant pharmacopœi: modò ad solidi Antidoti consistentiam redigatur medicamentum. Sin ad electuarii formam reducere medicamentum voles, pro saccharo mel adiiciendum erit. Franciscus Alexander hoc in loco vehementer in Cordum, e quo, vt verum fatear, hanc compositionem descripsi, neque enim Arnoldi lectione vnquam sum delectatus, inuehitur: atqui parum recte: quandoquidē si omnia simplicia, quæ hanc cōpositionem ingrediuntur, ac pondera ipsa expendas, multo ea quæ Franciscus affert, meliorem esse deprehendes. Quis enim non abhorreat a Turpeti vnciis duabus & diacrydii drachmis quinque? Sed sic placet nonnullis Germanorum deprimere labores, quum ipsi meliora non afferant. D

Catharticum imperiale, Nicolai. XLI.

Bilem vtramque, & pituitam sine molestia purgat. Obesis autem & crassis, quique magna ex parte aluo constricta & dura sunt, ileosis: & iis quorum ventriculus atque intestina flatibus distenduntur, conuenit, Capit dacrydii, sacchari, an. drach. octo. Cinamomi, spicæ nardi, saxifragæ, polypodii, an. drach. quatuor. Caryophyllorum, Zingiberis, spicæ celticæ, piperis nigri, piperis longi, cardamomi, amomi, an. drach. tres. Mellis optimi despumati. E

ANNOTATIO.

Hæc descriptio exstat in codice Nicolai, qui opera Ioannis Agricolę Ingolstadii excusus est. Alia est, & quæ e pluribus constat simplicibus, quæ habetur in Nicolao vocato Præposito: qui alius ab eo qui Myrepsus nominatur, fuisse videtur: nempe compilator aliquis, qui ex aliis auctoribus collegit medicamentorum compositiones. Quibus vt gratiam aliquam apud lectores conciliaret, ea quæ compilauit sub Nicolai Myrepsi, quod dein imperitia quorundam in Præpositi mutatum est, nomine edere voluit. Plures autem illum referre quæ in Nicolao Myrepso græco non habentur, ex superioribus abunde patuit. Ceterum Nicolaus Præpositus Catharticum Imperiale ita describit. Recipit Dacrydi, sacchari, ana drach. quatuor. Cinamomi, spicæ nardi, saxifragæ, polypodii, ana drachmas duas. Myrobalani citrini, hermodactyli, ana drach. quatuor. Caryophyllorum, zingiberis, spicæ celticæ, piperis nigri, piperis longi, cardamomi, amomi, ana drach. vnam, & dimidiam. Mellis quod sufficit. Non distat a priore, nisi adiectione Myrobalanorum & hermodactylorum, & quod pondera, quæ in præcedente sunt duplicata, hic simplicia exsistunt. Posset postremum hoc appellari a maiori simplicium copia, Catharticum imperiale maius. F

Nicolaus Præpositus.

Carthariei imperialis alia descriptio.

Antido-

A *Antidotus e[1] braßica marina, incerti auctoris. XLII.*

ANtidotus e braßica marina magna efficacia aqua inter cutem laborantium educit aquam. Accipit braßica marinæ, unc. unam. Turpeti, drach. tres. Folliculorum senæ, Tartari radicis iridis, polypodii, an. drachmas duas, & dimidiam. Rhei barbari, drachmas tres. Seminis iuniperi, dr. duas. Dacrydii, drach. vnam, Ligni aloes, Zingiberis, cinamomi, an. drach. vnam, & dimidiā. Nardi, drach. dimidiam. Sacchari albißimi in stillaticiis liquoribus. Cichorii & hyßopi, quod satis est dißoluti, fiat Antidotus solida.

ANNOTATIO.

1 *E braßica)* Brassica vero marina est, quam Recentiores Soldanellam vocant.

B

DE CATAPOTIIS, SEV PILVLIS, Sectio VI.

Catapotia[1] aurea, Nicolai Myrepsici, numero 97. I.

CApur expurgant. sensus omnes, præcipue aciem oculorum exacuunt. flatus ventriculi & intestinorum dißoluunt, ac citra molestiam aluum deiiciunt. Ad stomachicos, colicos, nephriticos, & inflatos valde probata. Habent aloes flauæ, dacrydii, an. drach. quinque. Rosarum, apii, an. drach. duas, & dimidiam. Anisi, fœniculi,[2] mastiches, an. drach. vnam, & dimidiam. Croci, colocynthidis, hieræ puræ, an. drach. vnam.[3] Succi tragacanthæ, quod satis est,[4] formetur massa.

ANNOTATIONES.

C 1 *Aurea)* In manuscripto Nicolai Myrepsi codice sic vocari ab Italis scribitur, haud dubie ob eorum excellentiam: quod scilicet, quamuis in vacuando satis sint potentia, tamen minus omnibus aliis lacessunt, nec tormina afferunt. Nam etsi magnam vim diacrydii & colocynthidis capiunt, tamen reliquis rebus ita temperantur, vt iustam actionem obeant. Scribitur autem mendose in Nicolai codice, ἀόρεα pro ἄυρεα. Siquidem latinam dictionem græcis literis parum recte scripsisse Nicolaum, minime mirum est, vtpote, qui linguæ latinæ ignarus fuerit. Sunt autem alia a præsentibus & fortiora catapotia. Aurea cur dicta.

2 *Mastiches)* In Græco Nicolai Myrepsi codice non habetur, sed ex latino adiectum est: neque tamē sine caussa. Nam cum stomachicis maxime conferant hæc Catapotia, nihil mirum, quosdam mastichen tanquam ventriculo valde gratum, & conueniens medicamentum adiecisse.

3 *Succi tragacanthæ)* Sic more aliorum Græcorum vocant lentorem, aut veluti mucorem tragacanthæ, quem hodie muscilaginem barbari: alii magis latine Mucaginem nominant. Succus tragacanthæ.

D 4 *Formetur massa)* Id quod fit, quando speciebus in pila accurate permistis, postea liquor, qui tanquam glutino massa cohæreat, affunditur. Omnibus hoc modo mistis, massa e pila exemta manibus oleo vel butyro inunctis figura tereti formatur, & priusquam reconditur, leuiter exsiccatur, inque sicciore loco, ne situm contrahat, seruatur.

Catapotia[1] ex eupatorio, Mesuæ filii. II.

MIrifice prosunt febribus circuitu repetentibus, biliosis: obstructionem quoque iecoris, & icterum inde natum sanant. Accipiunt myrobalanorum citrinorum, succi eupatorii, succi absinthii, an. drach. tres. Rhei barbari, drach. tres, & dimidiam. Mastiches, drach. vnam. Croci, drach. dimid. Aloes bonæ, drach. quinq. Succi endiuiæ, aut seri lactis, quod satis est, fingatur massa.

ANNOTATIONES.

E 1 *Ex eupatorio)* Maiores nimirum dictæ. Siquidem minorum nullus hodie est vsus.

2 *Eupatorii)* Non quidem Græcorum, sed eius quod a Mesuæ pingitur. Id quale sit, in primo nostrorū de Stirpium historia commentariorum tomo indicauimus. Eupatorium.

Catapatia e Rhabarbaro, Mesuæ filii. III.

HVmores educunt crassos, lentos, multum putres, & inde ortas febres diuturnas, & ex aliis quoq; humoribus natas: iecoris item dolorem, ac hydropem incipientem sanant. Recipiunt Rheibarbari, drach. tres. Succi glycyrrhizæ, absinthii, mastiches, an. drach. vnam. Myrobalanorum flauorū, drach. tres, & dimidiam. Seminis apii, fœniculi, an. drach. dimidiam. Pastillorum e rosis, drach. tres, & dimidiam. Hieræ picræ, drach. decem. Liquoris stillatitii fœniculi, quod sufficit: fingatur massa.

ANNOTATIO.

F Hæc Catapotia, vt diutius in officinis durent, cum melle conficienda sunt, in quo coquendo succus fœniculi consumtus sit.

Catapotia[1] pestilentialia,[2] incerti auctoris. IV.

ADuersus pestiferæ luis contagiones populatim grassantes mirifice prosunt. Humores etiam ventriculo infarctos & immersos educunt. Habent[3] aloes selectæ, vnc. duas. Myrrhæ, croci. an. vnc. vnam. Confice cum vino claro, odorifero.

ANNOTATIONES.

1 *Pestilentialia)* Alio nomine communia vocantur: & e tribus, scilicet medicamentis, constantia, & sine custodia. Communia. E tribus. Sine custodia.

2 *Incerti*

2 Incerti auctoris) Neque enim ad Rufum auctorem, vt hodie faciunt propemodum omnes Medici referenda sunt. Nam Rufi compositio crocum non habet, sed pro illo guttam aut thymiama ammoniacum accipit. Præterea forma quoque a præsenti differt, quod scilicet potio sit, adeoque in catapotia non digeratur. Quod vt rectius cognoscant studiosi, compositionem Rufi, quam lib. 2. cap. 35. Paulus describit, ad verbum recensebimus: Recipit aloes partes duas, ammoniaci thymiamatis partes duas, myrrhæ partem vnam. Hæc simul contusa, ex vino odorato dimidii cyathi mensura potui quotidie danda. Atque ita hanc compositionem Rufus in peste laudat, vt nullum fuisse affirmet, qui ea vsus non euaserit. Qua qui vti voluerit, hanc quam retulimus componendi rationem sequatur. A

Rufi compositio.

3 Aloes selectæ) Sunt qui putant, in pestilenti constitutione aloen esse lauandam. Quorum mihi sententia minime probatur. Nam quum aloe non exhibeatur tum roborandi tantum ventriculi gratia, sed & putredinem vt arceat, & corruptos ac vitiosos inde humores educat, minime lauandam esse, sed plane illotam esse exhibendam censeo. Ita enim ratione amaritudinis putredinem prohibebit: & quum purgãdi facultate minime sit destituta, quicquid vitiosorum in ventriculo erit humorum, eliciet. Ideo in pestiferæ luis contagione præcauenda quotidie vacuo ventriculo ex catapotium vnum scrupuli pondere sumendum erit. B

Aloe in pestilenti constitutione non lauanda.

Catapotia Pestilentialia nostra. V.

Magis quam præcedentes aduersus pestiferæ luis contagia valent. Capiunt aloes flauæ, drach. sex. Myrrhæ optimæ, drach. tres. Rhei barbari, drach. vnam & dimidiam. Agarici in pastillos redacti, drach. dimidiam. Croci, drach. vnam Boli armenii, terræ Lemniæ, an. drach. dimid. Mastiches, scrup. duos. Theriaces Andromachi, drach duas. Cum liquore stillaticio rosarum, fingatur massa.

Catapotia [1] Coccia [2] Rhazis. VI.

Caput magna efficacia expurgant, & ex eo ac neruis crassos vacuant humores. Accipiunt specierũ hieræ picræ, drach. decem. Colocynthidis, drach. tres. scrup. vnum. Scammonii, drach. duas, & dimidiam. Turpeti, stichadis, an. drach. quinque. Cum serapio e stichade, formetur massa. C

ANNOTATIONES.

Coccia.

1 (Coccia) Sic nonnulli putant a Græcis deducto nomine, & a forma esse nominata, quod nimirum olim figuram granulorum ciceris vel erui, qua conficiebantur, referrent: Siquidem κόκκιον, Græcis granulũ denotat. Alii vocem hanc barbaram esse censent, ac sic esse dicta, quasi capitalia, quod caput maxime expurgent, volunt. Nostri hodie Cocchia nominant, quod frequenter illis in capitis affectibus vtantur.

2 Rhazis) Libro primo ad Almansorem capite primo de Cephalæa. Sunt admodum valentia, & prorsus incorrecta, torminaq; excitant, nec iis nisi præmissis aliis quibusdam, & in crassis admodum & frigidis humoribus educendis vtendum. Quare a Medicis vsurpanda non erunt, sed pro iis Nicolai Myrepsi mox sequentibus magis vtendum. D

Catapotia [1] Coccera, Nicolai Myrepsici, numero 122. VI.

Valent ad eos, qui destillatione capitis laborant, caput dolent, hemicranicos, lippitudine, & neruorum incontinentia affectos. Recipiunt hieræ picræ Galeni, drach. quinque. Dacrydii, dr. vnam, & dimidiam. Pulpæ colocynthidis, drachmam dimidiam. Turpeti, stichadis Arabicæ, an. dr. duas, & dimidiam. [2] Sagapeni, opopanacis, bdellii, ammoniaci, agarici, spicæ, an. drach. dimidiam. Rhei barbari, aloes flauæ, an. drach. vnam; scrup. vnum. Cum succo, aut stillaticio fœniculi liquore fingatur massa.

ANNOTATIONES. E

1 Coccera) Aut Cocceri Nicolao vocantur: qua de caussa, scire non possum. Mihi certe magis quam Rhazis probantur, quod minus sint valida, pluraq; habeant simplicia, quæ vim fortium medicamentorũ frangant, contundant ac mitigent. Nam vt alia medicamenta purgantia omnia propemodum a Rhaze composita eiusmodi sunt, vt vix tuto iumentis exhiberi possint: ita quoque hæc Catapotia, quæ ille Coccia vocauit, ob suam vehementiam expedite admodum tormina excitant, & alia grauia symptomata. Cẽseo igitur præsentibus magis vtendum esse, vtpote minus fortibus, & rectius compositis: quod quiuis cõpositionem ipsam expendens, statim cognoscet.

2 Sagapeni) Quod adiectum est præcipue propter oculorum lippitudinem, & alia eorundem vitia, suffusiones nimirum & hebetudines, quibus idipsum maxime auxiliatur.

Catapotia ex Agarico, Mesuæ filii. VII.

Thoracem purgant pituita, crassa & putri, ob idq; antiquæ tussi & asthmati conferunt, aliisque thoracis vitiis, a crassis & pituitosis humoribus ortis. Habent agarici, drach. tres. Radicis iridis, marrubii, an. drach. vnam. Turbit, drach. quinque. Hieræ picræ, [1] drach. quatuor. Colocynthidis, sarcocollæ, an. drach. duas. Myrrhæ, drach. vnam. Excipe [2] cum sapa, & formato massam. F

ANNOTATIONES.

1 Drachmas quatuor) Falso me hoc loco notat Franciscus Alexander, quod diminute legam drachmas tres. Ita parum attendit, num recte alios reprehendat.

2 Cum sapa) Quæ pilulas illas a putredine, aut transpiratione vindicat.

A *Catapotia ex agarico, Nicolai Myrepsici. VIII.*

Conferunt iis, qui non nisi recta ceruice, & difficulter spirant, & destillatione laborant. Capiunt agarici, drach. vnam, & dimidiam. Iridis, marrubii, an. drach. vnam. Turpeti. hieræ picræ Galeni, an. drach. duas Colocynthidis, sarcocollæ, an. drach. vnam. Cum sapa quantum sufficit, formetur massa.

ANNOTATIO.

Harum pilularum descriptionem ex præscripto Nicolai subiicere volui, vt si quis illis magis quam Mesuæ vti vellet, haberet in promptu compositionem. In omnibus cum præcedentibus conueniunt, exceptis ponderibus, quæ sunt in quibusdam minora: & quod Myrrhæ desideretur, perinde atq; apud Auicennam cap. 3. Fen. 10. tract. 1. cap. de Curatione asthmatis 40.

Catapotia e hiera simplici, Galeni. IX.

B *Vitiis ventriculi ex humoribus biliosis & pituitosis natis prodest. Recipiunt aloes flauæ, drach. quinquaginta. Cinamomi, xylobalsami, asari, spicæ nardi, croci, mastiches Chiæ, an. drach. tres. Melle rosaceo excipiuntur, & fingitur massa.*

Catapotia e hiera composita, Nicolai Myrepsici. X.

Ad vitia capitis, neruorumque, stomachi item cruditatem conferunt. Habent cinamomi, spicæ nardi, croci, floris iunci odorati, asari, casiæ ligneæ, xylobalsami, carpobalsami, violarum, absinthii, epithymi, agarici, rosarum, turpeti, mastiches, colocynthidis pulpæ, an. drach. dimidiam. Aloes flauæ, quantum omnium aliarum specierum. Cum stillatitio intybi liquore formetur massa.

Catapotia hieræ cum agarico. XI.

Succurrunt stomachicis, asthmaticis, aliisque stomachi, & thoracis vitiis, a crassis & pituitosis humoribus natis. Capiunt specierum hieræ simplicis Galeni, agarici recens in pastillorum formã redacti, an. vnc. dimidiam. Aloes flauæ, an. vnc. vnã, Cum rosaceo melle excipiuntur, & fingitur massa. C

Catapotia[1] optica[2] maiora, Mesuæ filii. XII.

Visum roborant & conseruant, excrementa vacuant a cerebro & oculis pituitosa. Accipiunt rosarum, violarũ, absinthij, colocynthidis, turpeti, cubebæ, calami odorati, nucis moschatæ, spicæ, epithymi, carpobalsami, xylobalsami seselios, seminis, rutæ, floris iunci odorati, asari, mastiches, caryophyllorum, cinamomi, anisi, fœniculi, apii, casiæ ligneæ, croci, macis, an drach. duas. Myrobalanorum flauorum, cepulorum, indorum, bellericorum, emblichorum, rhei barbari, an. drach. quatuor. Agarici. senæ, an. drach quinque. Euphrasiæ, drach. septem. Aloes flauæ pondus omnium. Excipe succo aut stillatitio liquore fæniculi, & formato massam.

D *ANNOTATIONES.*

1 *Optica)* ὀπτικὰ, id est, visoria: quod visorium spiritum roborent, purioremque reddant ac visionem mirabiliter iuuent, dicta sunt. Vulgus medicorum & pharmacopœorum Lucis nominant. Sunt a quibus ocularia vocentur. — Optica. Catapotia lucis. Ocularia.

2 *Maiora.)* Quod pluribus constat simplicibus, appellata sunt: ad differentiam minorum, quorum compositionem iam subiiciemus. — Maiora cur dicta.

Catapotia optica[1] minora, Mesuæ filii. XIII.

Idem quod maiora possunt, viribus tamen valentiora sunt, magisque melancholicum humorem quam pituitã purgant.. Recipiunt xylobalsami, carpobalsami, ana drach. vnam. Chelidonii, drach. quinque. Rosarũ, violarum, absinthii, euphrasiæ, ana drach. tres. Senæ, epithymi robalanorum E *flauorum, cepulorum, indorum, bellericorum, emblichorum, agarici, colocynthidos, floris iunci odorati, lycii, lapidis[2] cyanei, an. drach. duas, & dimidiam. Aloes pondus omnium. Cum succo fœniculi aut chelidonii fingatur massa.*

ANNOTATIONES.

1 *Minora.)* Vocata sunt, quod paucioribus simplicibus constant. Nam quum operosa sit præcedentium compositio, factum est, vt nonnulli hanc in pauciora contraxerint simplicia. — Minora quare vocata

2 *Cyanei.)* Lapidem lazuli appellant, quemadmodum lib. 1. diximus. Maiores, quod lapidem lazuli non accipiant, tutiores sunt. — Cyaneus.

Catapotia arthritica[1] Nicolai. XIV.

F *Valent ad podagram, aliosque articulorum dolores a frigidis crassis & pituitosis humoribus natos. Habent hermodactylorum, turpeti, agarici, an vnc. dimidiam. Casiæ ligneæ. spicæ nardi, caryophyllorum, xylobalsami, carpobalsami, Zingiberis, mastiches, fœniculi, anisi saxifragæ, seminis asparagi rusci, rosarum, granorum solis, salis gemmei, an.[2] drach. dimidiam. Aloes flauæ pondus omnium. Succi fœniculi quod satis est, fiat massa.*

ANNOTATIONES. A

1 *Nicolai*) Non Myrepsi illius, cuius nos opus de Compositione medicamentorum in latinum conuertimus sermonem: sed eius, qui vulgo Præpositus dicitur. Nam ille truncatam ex αὐτογράφῳ Nicolai Myrepsi descripsit: vt ex eiusdem compositione, quam paulo post subiiciemus, liquido apparebit.

2 *Drachmam dimidiam*) Latinus codex Nicolai Præpositi habet drach. duas, & statim subiicit, Scammonii, vnc. vnam, vt hinc quoque perspicuum fiat, neque eam descriptionem, quæ hactenus in officinis vsitata fuit, & quam iam recensuimus, per omnia respondere ei, quam Nicolaus Præpositus decurtauit: quia minus pondus habet, & Scammonium omisit. Ita, quod sæpe antea monuimus, nulla fere integra & legitima est hactenus vsitata & vsurpata officinis compositio.

Catapotia arthritica vera Nicolai Myrepsi. XV.

AD podagricos & arthriticos valde probata. Capiunt hermodactyli, turpeti, an. vnc. vnam & dimidiam.[1] *Myrobalani indici, cepuli & citrini, agarici.*[2] *colocynthidis, anisi,*[3] *caryophyllorum, spicæ, zingiberis, saxifragi,*[4] *piperis longi, seminis apii, dauci, rosarũ, amomi, salis gemmei, mastiches, granorum solis, seminum asparagi, fœniculi, singulorum drach. dimidiam. Aloes flauæ, drach. dimid.*[5] *Dacrydii, vnc. vnam. Succi absinthii quantum sufficit, fingatur massa.* B

ANNOTATIONES.

Hæc est legitima, & ad verbum e Nicolao græco transcripta compositio: nisi quod ad pondera attinet, dimidiam tantum eorundem partem vsurpauimus, nempe vnc. vnam, & dimidiam, quum ipse habeat vnc. tres, & ita deinceps.

1 *Myrobalani indi.*) Omnes Nicolaus Præpositus compilator omisit Myrobalanos. C

2 *Colocynthidis*) Et hanc silentio transiuit.

3 *Caryophyllorum*) Post Caryophylla inseruit suæ compositioni xylobalsamũ & carpobalsamũ Nicolaus Præpositus, superstitione magis quam iudicio ductus, quum horum nulla sit facta in αὐτογράφῳ mẽtio, nec legitima haberi possint, in nostris maxime regionibus. Fuit autem haud dubie in ea opinione cum multis aliis, vt nullum medicamentum sine Balsami accessione efficax esse crederet.

4 *Piperis longi*) Et illud a decurtatore eius compositionis est præteritum.

5 *Dacrydii, vnc. vnam*) Eius eodem pondere in Nicolao Præposito vocato, vt diximus, mentio fit. Sed in hactenus vsitata compositione horum catapotiorum omissum.

Catapotia ex hermodactylo, Mesuæ filii[1] *maiora. XVI.*

ADuersus podagram, & dolores[2] *frigidos articulorum prosunt. Accipiunt*[3] *hermodactylorum, myrobalanorum flauorum, aloes, turpeti, colocynthidis, bdellii, sagapeni, an. drach. sex. Castorei, sarcocollæ, euphorbii, opopanacis, rutæ syluestris, & apii seminum, an. drach. tres. Croci, drach. vnam, & dimidiam. Cum succo brassicæ formetur massa.* D

ANNOTATIONES.

1 *Maiora*) Quod pluribus simplicibus constent, sintque magis composita.

2 *Dolores frigidos*) Crassos enim & lentos frigidosque humores educunt, atque e longinquioribus partibus trahunt.

3 *Hermodactylorum*) Quid de vniuerso hermodactylorum genere sentiendum sit, tomo nostrorum de stirpium historia commentariis perspicue, & luculenter explicauimus. Vt mirum sit Rondeletium, virum doctissimum, per hermodactylos vulgares, non tamen sine magno errore, vulgares, præcipue in compositionibus Arabum intelligere. E

Catapotia[1] *fœtida*[2] *maiora, Mesuæ filii. XVII.*

VAcuant humores crassos, & pituitosos, ob id conueniunt affectibus inde natis, articulorum, pedum & neruorum doloribus. Colicis item cruciatibus, vteri, & spinæ succurrunt: nec non ventriculi, alphis, elephantiæ, aliisque cutis vitiis opitulantur. Recipiunt sagapeni, hammoniaci, opopanacis, bdellii, colocynthidis, seminis rutæ syluestris, aloes, epithymi, an. drach. quinque. Hermodactylorum, esulæ, an. drach. duas. Scammonii. drach. tres. Cinamomi, spicæ, croci, castorii, an. drach. vnam, Turbit, drach. quatuor. Zingiberis, drach. vnam & dimidiam. Euphorbii, scrup. duos. Cũ succo porri prius dissolutis lachrymis, finge massam.

ANNOTATIONES. F

1 *Fœtida*) Ita vocantur propter grauem odorem, quem illis Sagapenum, hammoniacum, castorium, & alia graueolentia conciliant. Sunt etiam valentia admodum, quod minime repressa sit purgantium vis, ideoque parum tuta.

2 *Maiora*) Ad differentiam minorum, quæ itidem a Mesue describuntur, sic cognominata sunt.

3 *Rutæ syluestris*) Si haberi non potest, pro ea vsurpetur Ruta hortensis: quod semel hic nos monuisse satis sit. Semen namque Cicutæ, quod imperiti pharmacopœi facere solent, plane hoc in loco abiiciendum.

Catapotia

A

Catapotia ex euphorbio, Mesuæ filii. XVIII.

PItuitam frigidam ac crassam ad neruos decumbentem vacuant. Quapropter opem ferunt resolutioni, lumborum doloribus, & podagræ a pituita concitatæ. Sunt validæ: ideoque illis, nisi magna vrgeat necessitas, vtendum non est. Habent euphorbii, colocynthidis, agarici, bdellii, sagapeni, an. drach. duas. Aloes, drach. quinque. Succi porri quod satis est: [1] *fingatur massa.*

ANNOTATIO.

1 *Fingatur massa)* Ad hunc quidem modum Euphorbium prudenter tritum, cribratus agaricus, læuigata concisa colocynthis, cum gummis vino dissolutis, pistillo calido & mortario tantisper subiguntur, dum in massam coeant. Catapotia sunt valentissima non nisi in maximis & contumacibus morbis vsurpanda.

B

Catapotia ex sarcocolla, Mesuæ filii. XIX.

PItuitam vacuant, ob id pituitosis affectibus commodant. Capiunt sarcocollæ, drach. tres. Turpeti, drach. quatuor. Colocynthidos, Zingiberis, an. drach. vnam, & dimidiam. Salis gemmei, drach. vnam. Cum aqua stillatitia rosarum formetur massa.

Catapotia [1] *Inda,* [2] *Hali. XX.*

AD vitia ex melancholico humore procreata cancrum nimirum, elephantiam, alphos nigros curatu difficiles, melancholiam, & inde ortum timorem ac mœrorem, quartanam, icterum nigrum, ex vitio lienis procreatum, eiusdemque dolorem prosunt. Accipiunt myrobalanorum nigrorum, ellebori nigri, polypodii, an. drach. quinque. Epithymi, stichadis, an. drach sex. Agarici, lapidis C *cyanei loti, colocynthidis,* [3] *salis Indi, an. drach. quatuor. Succi eupatorii, spicæ, an. drach. duas. Caryophyllorum, drach. vnam. Hieræ picræ, drach. duodecim. Fiat massa cum succo apii.*

ANNOTATIONES.

1 *Inda)* Cur ita dictæ sint, facile animum attendentibus constat. Non enim alia de caussa, quam quod myrobalanos nigros, quos alio nomine Indos appellant, vel salem Indum recipiunt. Plerique hic mire ineptiunt, ita esse nominata putantes, quod eorum vsus apud Indos potissimum sit, & in India celebrentur. Inda quare dicta.

2 *Hali)* Ad hunc sane auctorem horum & præcedentium catapotiorum compositionem Mesuæ filius refert. Quis autem is Hali fuerit, non satis constat. Hali.

D 3 *Salis Indi)* Per salem Indum minime inaudiendus erit ille, quem Paulus & Auicenna ita nominant: Sal Indus. qui certe non est, nisi mellis concreti genus, in India in arundinibus inuentum, salis modo coactum, dẽtibus, vt sal, friabile, vt libro primo huius Operis fusius diximus. Verum sal Indus hoc loco non est, nisi is Salis Indi succedaneum. qui inter omnes alias salis species maxime salsus est: qualis certe in India reperitur. Is quia hodie non affertur, pro eo vsurpandus erit sal fossilis, quem Gemmeum hodie vocant. Caueant igitur pharmacopœi, ne pro sale Indo, vt multi hactenus fecerunt, saccharum candum appellatum, in horum catapotiorum constructione vsurpent.

Catapotia * *e Lapide Cyaneo, Mesuæ filii. XXI.* * E lapide lazuli.

AD vitia e melancholico humore nata conferunt, cãcrum nimirum, elephantiam, & quartanam. Recipiunt lapidis cyanei [1] *loti, drach. sex. Epithymi, polypodii, an. drach. octo. Scammonei, elle-* E *bori nigri, salis Indi an drac. duas, & dimidiam. Agarici, drach. octo. Caryophyllorum, anisi. an. dra. quatuor. Hieræ picræ, drach. quindecim. Cum succo Intybi latifolii, formetur massa.*

ANNOTATIO.

1 *Loti)* Scilicet duodecies, vt vult Trallianus, in liquore stillatitio violarum, vel borraginis. Sic enim aliquo modo acrimoniam suam deponit, hocque nomine catapotia illa minus noxia & ventriculo infesta fiunt. Quum itaque olim illorum vsum damnauerim, de iis, quæ illorum lapidem cyaneum accipiunt loquutus sum. In mollibus tamen & imbecillioribus corporibus neutro vtendum erit.

Catapotia e lapide Armeno, Mesuæ filii. XXII.

MElancholicum humorem, & bilem vstam sine molestia vacuant: ideoque vitiis inde natis cõducunt. Habent lapidis Armeni [1] *loti ac præparati, hieræ picræ, an. drach. quinque. Epithymi* [2] *polypodii, an. drach. octo Scammonii in cydonio cocti, drach tres. Caryophyllorum, drach. duas. Salis* F *Indi, drach. vnam, & dimidiam. Cum succo intybi latifolii fingatur massa.*

ANNOTATIONES.

1 *Loti)* Ex liquore stillaticio lupuli, vel intybi, aut decocto polypodii.

2 *Polypodii)* Actuarius, qui itidem horum Catapotiorum compositionem tradit, pro Polypodio, agarici drachmas quatuor habet. Alexander Trallianus etiam Agarici meminit, & eius scrupulos quatuor inserendos esse docet. Ita vt euidentissimum sit, Græcos omnes Agaricum, omisso Polypodio, recensuisse.

Catapotia e lapide Armeno, Alexandri Tralliani. XXIII.

PRæterquam quod stomachum roborant, simul etiam varios humores præsertim terreum & melancholicum humorem citra molestiam purgant. Capiunt hieræ picræ, vnc. dimidiam. Epithymi, vnc. dimidiam. Agarici, scrup. quatuor. Armeniaci lapidis, scrup. quatuor. Scammoniæ, [1] *vnc. vnam.*

Caryophyllorum, grana viginti. Contusa excipiuntur melle rosaceo, aut succo citrii, & formetur massa. A

ANNOTATIONES.

Hanc Alexandri Tralliani compositionem referre placuit, quod illam miris efferat laudibus, nec ante eius vsum opus esse dicat, ægros vt medicamentis præparemus, quod ab eiusdem assumptione, nec suffocationis, nec syncopes immineat periculum. Quibus omnibus verbis innuit, hanc mitissime, & citra omnem molestiam purgare. Quapropter præstat hac deinceps pro ea, quam Mesues affert vti, vtpote meliore: & quæ cum ea, quæ ab Actuario refertur, demptis duntaxat ponderibus, plane conueniat.

1 *Vnciam vnam*) Ita enim græcus Alexandri codex habet Γο α. Sed vt ex veteri interprete liquet, qui legit lapidis Armeni loti drachmas quatuor. Scammoniæ scrupulos quatuor. videntur pondera esse transposita, adeoque ita potius scribendum esse Scammoniæ γρ δ, id est, scrupulos quatuor, & lapidis Armenii λ δ, hoc est, drach. quatuor. B

Catapotia azaiareth, Auicennæ. XXIV.

Flauam bilem & pituitam sine molestia, e ventriculo potissimum, vacuant. Quapropter iis[1] qui caput e ventriculo dolent, conueniunt. Accipiunt hieræ picræ, vnc. vnam. Mastiches,[2] myrobalanorum flauorum, an. vnc. dimidiam. Aloes optimæ, vnc. duas. Cũ serapio e stichade formetur massa.*

ANNOTATIONES.

1 *Qui caput e ventriculo*) Non igitur simpliciter capitis doloribus & affectibus conueniunt, sed iis tantum, qui a ventriculo impuro orti sunt.

2 *Myrobalanorum*) Qui biliosos & calidos vapores sursum à ventriculo in caput elatos arcent. C

Catapotia[1] aromatica, Ioannis Damasceni. XXV.

*Ventriculum, cerebrum, & sensoria omnia, a crassis ac pituitosis humoribus * purgant, indeque natum dolorem dissipant. Ventriculum roborant concoctionem eius iuuant, & appetentiã excitant. Recipiunt cinamomi, cubebæ, ligni aloes, calami odorati, macis, nucis moschatæ, cardamomi, caryophyllorum, asari, mastiches. flores iunci odorati. spicæ, carpobalsami, an.[2] vnc. vnam.[3] Absinthii sicci. rosarum, an. drach. quinque. Trita[4] crassiuscule coquuntur in aqua libris duodecim, ad duarum partium consumptionem: fricantur manibus, colantur. & exprimuntur. Incolati libris duabus maceratur, aloes in vase lapideo vitreato, cum aqua pluuia lota, & iterum[5] siccatæ, libra vna. Dein ipsi affunduntur decocti prædicti circiter libræ duæ, & teruntur in sole: ipsique aloe miscentur myrrhæ, mastiches, an.[6] drach. quinque. Croci. drach tres. Teruntur curiose, & postea prædicti decocti reliquũ ipsis affunditur, teruntur que donec siccantur: formantur catapotia ciceris magnitudine.* D

*Eos scilicet desiccando.

ANNOTATIONES.

Aromatica cur vocata Alephangina.

1 *Aromatica*) Aut ex aromatibus dicta sunt, propterea quod e multis constent aromatibus, hoc est, rebus odoratis. Hodie imitatione Mauritanorum Alephangina nominantur, quod illis, vt nonnulli interpretantur, Alephangin, odoramenta, siue species, puluerésue odoratos significet. Nos tamen de lingua nobis incognita nihil temere affirmamus. In confesso autem est, hæc catapotia roborare potius ventriculum, quam aluum ducere, propter aloen lotam, quæ vim purgatoriam lotione deponit & exsuit.

2 *Vnciam vnam*) Nicolaus Myrepsus, qui itidem catapotia hæc describit, habet vnciam dimidiam.

3 *Absinthii, &c.*) Nicolaus pro Absinthio & Rosis, habet Croci. grana quindecim. Paulus quoque aliter conficienda esse hæc catapotia docet, vt cap. 10. Sect. 32. videre licet. E

4 *Crassiuscule*) Quum enim coquenda sint odoramenta, non est cur in exquisitum puluerem teri debeant: sed satis est, si crasso modo terantur, ita enim coctionem facilius sustinebunt.

5 *Iterum siccata*) Id quod quatuor aut quinque potissimum sub Caniculæ æstu, dierum spacio fieri solet.

6 *Drachmæ quinque*) Hic Franciscus Alexander me & Cordum, atqui falso, nec sine magna calumnia, notat, ac perperam drachmas, pro vncias quinque legere nugatur. Nam omnia Mesues exemplaria habent tantum drach. quinque, & recte quidem: quod maiore copia, respectu præcedentium, minime opus sit. Sed semper Francisco voluntas, nationis loco esse solet.

Catapotia stomachica, Mesuæ filii. XXVI.

Biliosos ac pituitosos humores, eos præsertim qui caput, iecur, & ventriculum obsident, vacuant. Præterea ventriculum roborant, concoctionem iuuant, appetentiam excitant. Habent hieræ picræ, drach. septem. Trium myrobalanorum, an drach. tres. Agarici, drach. duas. Turpeti boni, dr. decem. Epithymi cretensis, anisi, an drach. duas, & dimidiam. Salis Indi, drach. duas. Absinthii, scammonii, an. drach. tres. Cum penidiorum, drach. tres, & succo scariolarum, formetur massa. F

ANNOTATIO.

Quum hæc catapotia, vt etiam sequentia satis magnam Turpeti copiam, quod stomachum mirum in modum offendit, accipiant, diligenter Medicis cauendum erit, ne temere iis catapotiis vtantur,

quod

A quod non solum turpetum: verum etiam agaricum, ventriculum admodum subuertentem recipiant sed tum solum, quum flauam bilem & pituitam valenter ex ventriculo educere volent. Ceterum quum variæ, sex nimirum, sint Catapotiorum stomachicorum apud Mesuæ filium compositiones, adeoque pharmacopœi nunc hanc, nunc illam constructam, sub vnica tamen inscriptione, habeant: præstat illas aliqua ratione discernere, hac scilicet, vt præsentem compositionem simpliciter Catapotia stomachica: alteram quæ mox sequitur cum adiectione maiora, quod pluribus: & tertiam minora, quia paucioribus constet simplicibus, nominemus. Hac enim distinctione efficiemus, vt Medici cognoscant qua illis compositione sit vtendum. Franciscus Alexander, vt ab aliis dissentire videatur, simplicium ordinem mutat, ponderibus retentis.

Catapotia stomachica maiora, Ioannis Damasceni. XXVII.

B *IDem quod priora possunt. Capiunt hieræ picræ, drach. decem. Trium Myrobalanorum, absinthii, an. drach. duas. Mastiches, anisi, bellirici, emblici, agarici, an. drach. tres, & dimidiam. Zingiberis, drach. duas. Caryophyllorum, salis gemmei, floris iunci odorati, an. drach. vnam. Turbit, drach. duodecim. Cum succo absinthii fingatur massa.*

Catapotia stomachica minora, Ioannis Damasceni. XXVIII.

ACcipiunt myrobalanorum flauorum, aloes, turpeti, an. drach. decem. Rosarum, spicæ, mastiches, an. drach. duas, & dimidiam. Anisi, drach. vnam, & dimidiam. Salis Indi, croci, an. drach. vnam. Cum succo absinthii formetur massa.

Catapotia [1] polychresta, Ioannis Damasceni. XXIX. Aggregatiua.

C *AD varios capitis, ventriculi, iecorisque affectus sunt efficacia. Purgant enim ex iis & sensoriis pituitam, & bilem vtramque. Quapropter ad diuturnas febres & complicatas, vitia capitis, ventriculi, & iecoris plurimum valent. Recipiunt myrobalanorum flauorum, rhei barbari, an. drac. quatuor. Succi eupatorii, succi absinthii, an. drach. tres. Dacrydii, drach. sex. Cepulorum, Indorum, agarici, colocynthidis, polypodii, drach. duas. Turpeti, aloes, an. drach. septem. Mastiches, rosarum, salis gemmei, epithymi, anisi, Zingiberis, an. drach. vnam. [2] Electuarii rosati, quantum sufficit ad excipiendum.*

ANNOTATIONES.

1 *Polychresta)* Ob id sic sunt appellata, quod ad multos affectus corporis præter naturam sint vtilia, & omnes humores purgent. Vulgus Medicorum & Pharmacopœorum Aggregatiua vocant. Et sunt optima, & digna quæ in frequenti sint medicorum vsu, quod absque difficultate educunt, & maxime sunt efficacia. Polychresta.

D

2 *Electuarii rosati)* A Mesue, non Nicolao, descripti. Inuenies eius compositionem inter Antidota purgantia.

Catapotia e fumaria [1] Auicennæ. XXX.

HVmores biliosos, acres & salsos e corpore educunt: ideoque pruritui & scabiei, atque id genus aliis cutis vitiis conferunt. Habent myrobalanorum flauorum, cepulorum, nigrorum, scammonii, an. drach. quinque. Aloes, drach. septem. Omnia [2] ter imbuantur succo fumariæ depurato, & toties siccentur: postremo fingatur massa.

ANNOTATIONES.

E 1 *Auicenna)* Fen. 7. Canonis quarti de Curatione scabiei atque pruritus, cap. septimo. Affinia sunt catapotiis Indis supra descripti, sed imbecillius purgant.

2 *Ter imbuantur)* Nam vbi primo fuerit siccata massa, plus succi est adiiciendum, & rursus exsiccanda: idque tertio faciendum erit.

Catapotia sine quibus esse nolo, Nicolai Præpositi. XXXI.

MIrifice pituitam, bilem, & melancholicum humorem a capite ducunt, & ad oculorum claritatem conducunt, visumque conseruant. Suffusionibus auxiliantur, aurium doloribus, atque tinnitui. Ileosis quoque non sine magna vtilitate dantur. Capiunt aloes optimæ lotæ, drach. quatuordecim. Myrobalanorum flauorum, cepulorum, bellericorum, emblicorum, indorum, rhei barbari, mastiches, absinthii, rosarum, violarum, senæ, agarici, cassuthæ, an. drach. vnam. Scammonii bene triti, drach. sex, & dimidiam, dissoluantur in succo fœniculi, & per pannum tantum de eo traiiciatur, quantū ad

F *catapotiorum confectionem satis erit: * formeturque massa.* *Manibus oleo violato, vel communi inunctis.

Catapotia e Benedicta, Nicolai Myrepsici. XXXII.

HVmores maxime pituitosos, & ad articulos decumbentes, eliciunt. Obstructiones, quæ sunt in instrumentis nutritionis, tollunt. Auxiliantur etiam iis, qui lapide renum & vesicæ molestantur. Accipiunt specierum benedictǽ laxatiuæ, drach. sex. Mellis rosati, quod satis est, formetur massa.

Catapotia mastichina, Conciliatoris. XXXIII.

VEntriculum ab omni morbo præseruant, leuiter purgant: cerebrum, & reliqua viscera, item oculos, & vterum a putridis humoribus liberant, & tuentur. Recipiunt mastiches, drach. qua-

tuor. Agarici optimi, drach. tres. Aloes selectæ, drach. decem. Cum succo artemisiæ, aut serapio e stœchade, fingatur massa. A

Catapotia ex aloe & mastiche, Nicolai Præpositi. XXXIV.

Sine molestia ventriculum purgant, & ex eo bilem ac pituitam eliciunt. Habent aloes, unc. unam. Mastiches, unc. dimidiam. Caryophyllorum, rosarum rubearum, an. drach. unam. Croci, dacrydii, an scrup. duos. Cum succo fœniculi aut absinthii formetur massa.

Catapotia ex aloe lota, incerti auctoris. XXXV.

Cerebrum, ventriculum, uterum, & alia viscera a putridis humoribus purgant. Capiunt aloes cum succo rosarum rubearum lotæ, unc. unam. Agarici in pastillos redacti, drach. tres. Mastiches, drach. duas. Specierum diamoschi dulcis, drachmam dimidiam. Cum vino Chio, quod vulgo Maluaticum nominatur, fingatur massa. B

Catapotia Arabica, Nicolai Præpositi. XXXVI.

Omnes humores mirifice purgant, lætitiam generant, tristitiamq; depellunt, mentis vigorem conseruant: visum acuunt, auditum amissum reparant, memoriam roborant, vertigini, hemicraniæ, ac dolori capitis succurrunt. Accipiunt aloes selectæ,[1] unc. quatuor. Radicis bryoniæ, myrobalanorum flauorum, cepulorum, indorum, bellericorum, emblicorum, mastiches, dacrydii, asari, rosarũ, an. unc. unam. Castorii, drach. tres. Croci, drach. unã. Succi fœniculi quod satis est, formetur massa.

ANNOTATIO.

Saluberrima sunt, ac tutissima, omnibusque expurgandis humoribus idonea. Aloe namque dacrydiũ, myrobalani flaui, bilem: emblici, bellirici, cepuli pituitam. Bryonia, Dioscoride teste, pituitam & aquosos humores euocat. Cetera robur firmant, & medicamentorum violentiam retundunt. C

1 *Vncias quatuor*) Et hoc loco falso me perstringit Franciscus Alexander, quasi drach. tres, mutilus, vt verbo eius vtar, legam: quum diserte dixerim vncias quatuor aloes sumendas esse. O immensum reprehẽdendi alios temere pruritum!

Catapotia e Cynoglosso Nicolai Præpositi. XXXVII.

Alii nominant, Catapotia ad omnes destillationum morbos. Magnam enim vim obtinent in tenuibus sistendis destillationibus, & sedandis ac mitigandis omnis generis doloribus. Recipiunt [1] Cynoglossi, opii, seminis hyoscyami, an. drach. quatuor. Myrrhæ troglodyticæ, drach. sex. Thuris masculi, drach. quinque. Caryophyllorum, drach. duas. Cinamomi,[2] styracis calamitis, an. drach. duas. Cũ stillatitio rosarum liquore, fingatur massa. D

ANNOTATIONES.

1 *Cynoglossi*) Ridiculum plane est, quod Rondeletius, vir eruditione clarus, Cynoglossum nostrum nõ esse verum, scribit, sed potius glastum agreste: non enim edit caulem, neque florem: quod si verum est, glastum hoc esse non poterit, quod vtrunque ferat. Cynoglossum autem nostrum esse verum, & a glastro syluestri diuersum in nostris de Stirpium historia luculentissime monstrauimus.

2 *Styracis calamitis*) Ita conuertendum erit, quod in quibusdam codicibus Cozumbri scribatur, & a Simone Ianuense, Arabicarum vocum fido interprete, pro Styrace exponatur. Conducit vero, vt Dioscorides testatur, destillationibus.

Catapotia e Cynoglosso, Nicolai Myrepsici, numero 22. XXXVIII.

Ad omnem defluxionem capitis, thoracis, & pulmonis mirabiles, & dolorem dentium sanant. Habent myrrhæ, drach. sex. Thuris masculi, drach. quinq;. Opii, hyoscyami, radicis cynoglossi aridi, an. drach. quatuor. Stillatitii rosarum liquoris, quod satis est: finge pilulas, & dato dormituris. E

ANNOTATIO.

Hæc est legitima catapotiorum de Cynoglosso descriptio: quæ a priori, quod ad pondera attinet, nihil distat, nisi quod Climacis rationem habet. Accesserunt autem præcedenti tria simplicia, quæ ab alio Nicolao Præposito vocato adiecta sunt, haud dubie vt opii & hyoscyami vires nõnihil frangant. Franciscus a. Alexander pondera, præter Myrepsi sententiã, mutat, atq; Opii & Hyoscyami tantũ drachmã mediam inserit. Myrepsi vero ratione cõposita, sæpenumero felici successu dedi catapotia. Nõ tamen vndecim, 12. aut 15. vt in Myrepsi codice scribitur, sed ex drachma vna sex pilulis confectis, vnã ante cubitũ deuorandã exhibui. Atq; sic vtendo, pondera Myrepsi mutanda non sunt, quod alias dolorem haud mitigent.

Catapotia e quinque myrobalanis Nicolai Myrepsici. XXXIX. F

Conferunt stomachicis, melancholicis, lienosis, & inflatis, sanguinemq; purificant. Capiunt quinq; myrobalanorum generum, agarici, dacrydii, colocynthidis, senæ, an.[1] drac. duas, scrup. vnum, & dimidium. Epithymi, turpeti, apisi,[2] mastiches, lapidis lazuli, an.[3] drach. vnam, grana sedecim.[4] Rhei barbari, dr. vnam, scrup. vnum. Aloes flauæ,[5] vnc. dimidiam. Cum succo fœniculi formetur massa.

ANNOTATIONES.

1 *Drach. duas, scrup. vnum, & dimidium*) Variant in aliis codicib. pondera. Nam Nicolai Præpositi codex habet vnciam dimidiam. Cordus. Cordi medicamentarius liber drachmã dimid. Nicolai autẽ Myrepsi, vnde compositionem hanc ad verbum transcripsimus, manuscriptum exemplar legit, drach. duas, & dimidiã. Atque

A Atque hoc sane pondus legitimum est, quod medium sit inter vtraque iam dicta: quorum alterum, nimium: alterum vero minus exsistit.

2 *Mastiches*) In aliis codicibus ante mastichen, fœniculum insertum est: quod tamen in Græco desideratur. Neque vtique temere, quod catapotia hæc subinde fœniculi succo excipiantur.

3 *Drachmam vnam, grana sedecim*) Et hic variant pondera. Nam & Nicolai Præpositi exemplar habet drachmas duas, & dimidiam, & grana quinque. Quod secutus est etiam Cordus. Sed pondus, quod nos expressimus, est legitimum. Siquidem quum Cyaneus lapis erodendi etiam facultatem obtineat, satis erit, si de eo drachma vna, & grana sedecim accipiamus. Cordus.

4 *Rhei barbari*) In aliis omnibus codicibus omissum est Rheum barbarum. Quapropter præsens descriptio ceteris melior est, atque a Pharmacopœis vsurpanda, quod moderatius & longe tutius vacuet, quam ea, quæ a Præposito est proposita, ob Turpeti, & lapidis Lazurii parciorem copiam. Purgant autem cata-
B potia illa vtramque bilem & pituitam: Cerebrum expurgant etiam, & visionem acuunt.

5 *Vnciam dimidiam*) Alii codices integram vnciam habent. Sed quia accessit Rheum barbarum, quod illi omiserunt, sufficit vnciam dimidiam accepisse.

Catapotia[1] Bechica Ioannis Damasceni XL.

ADuersus tussim veterem & siccam, gutturisque & faucium asperitatem pollent. Accipiunt succi glycyrrhizæ, sacchari, an. drach. decem. Amyli tragacanthæ, amygdalarum dulcium, an. drach. quinque. Cum lento seminis psyllii, aut cydoniorum succo fingatur massa. Quod si rubea vocata catapotia facere volueris, adde Boli armenii præparati, drach. sex. Bechica rubea.

ANNOTATIO.

1 *Bechica*) Græce βηχικά, quod aduersus tussim plurimum valeant, dicta sunt. Siquidem græce βὴξ tus-
C sim sonat: Barbari inepte admodum Bichichia nominant. Bechica. Βήξ.

Catapotia linguæ subdita, Nicolai Myrepsici. XLI. Sub lingua Barbaris nominatur.

AD asthmaticos, tussientes, & stomachi imbecillitatem admodum probata. Conferunt cardiacis, & non nisi recta ceruice spirantibus. Recipiunt seminum cucumeris, cucurbitæ, citrulli, melonum, an. drach. dimidiam. Radicis glycyrrhizæ, scrup. duos. Succi glycyrrhizæ, drach. vnam. Galangæ, tragacanthæ, gummi Arabici, an. scrup. vnum. Zingiberis, iridis, ambaris, styracis calamitæ, margaritarum, ligni aloes, an. scrup. vnum. Cinamomi, caryophylli, nucis moschatæ, papaueris albi, boraginis, ocymi, an. scrup. vnum. Penidiorum, drachmam vnam. Moschi, grana sex. Nucum pinearum scrup. vnum. Stillatitii rosarum liquoris, quod satis est, cui tragacantha sit intrita. Formentur catapotia, quæ sub lingua contineantur.

D *Catapotia Sebellia Ioannis Damasceni. XLII.*

OBstructiones ventriculi iecoris, lienisque sanant, & hydropem, materiamque biliosam, pituitosam, & melancholicam e iam dictis partibus obstructis vacuant. Habent spicæ Indæ, drach. quinque. Spicæ Romanæ, drach. duas. Rhabarbari, agarici, epithymi, an. drach. quatuor. Costi, mastiches, chamædryos, amomi, an. drachm. tres. Croci, drach. duas. Myrrhæ, cinamomi, caryophyllorũ, iunci odorati, an. drach. vnam. Aloes, drach. decem. Cum veteri vino fingatur massa.

Catapotia ex colocynthide Ioannis Damasceni. XLIII.

AD affectus pituitosos & melancholicos, vt alphos curatu difficiles, & articulorum dolores. Capiunt colocynthidis, drach. sex. Myrobalanorum nigrorum, & flauorum, sagapeni, bdellii, sarcocollæ, an. drach. quinque. Aloes, drach. septem. Melanthii, cumini[1] Carmani, origani[2] Persici,[3] na-
E *sturtii albi, salis gemmei, absinthii Romani, an. drach. vnam. Cum succo porri formetur massa.*

ANNOTATIONES.

1 *Carmani*) Ex Carmania, Indiæ regione.

2 *Persici*) Ex Perside allatum. Cretense bonitate illi respondet.

3 *Nasturtii albi*) Satiuum intelligit: quod album vocat, ab albis floribus, canescentibus foliis, & radice alba. Carmanũ. Persicum. Nasturtiũ album.

Catapotia ex[1] Thymelæa Ioannis Damasceni. XLIV. E Mezereon.

SErosum excrementum valenter purgant, seu aquas: ob id hydropem, asciten & anasarcam iuuãt. Accipiunt foliorum thymelææ, aceto per noctem maceratorum & siccatorum, drach. quinque.[2] Myrobalanorum flauorum, drach. quatuor. Cepulorum, drach. tres. Cum manna, vel tamar Indis
F *aqua intybi dissolutis, fingatur massa.*

ANNOTATIONES.

1 *Thymelæa*) Mezereon Arabes nominant. Quãquam sub Mezereon appellatione Thymelæã & Chamelæam, vt alibi diximus confundunt. Thymelæa. Mezereon

2 *Myrobalanorum*) Ad reprimendam vim acrem, & supra modum purgatricem thymeleæ.

Catapotia e sarcocolla Ioannis Damasceni. XLV.

PItuitam vacuant, ob id pituitosis affectibus commodant. Recipiunt sarcocollæ, drach. tres. Turpeti,

drach. quatuor. Pulpæ colocynthidis, zingiberis, an. drach. vnam, & dimidiam. Salis gemmei, drach. vnam. Cum stillatitio rosarum liquore formetur massa. A

Catapotia e [1] sagapeno, Ioannis Damasceni. XLVI.

VAlent ad ischiadem, podagram, & reliquorum articulorum dolorem, atque vteri, Menses eliciunt. Habent sagapeni, hammoniaci, opopanacis, bdellii, an drach. duas, & dimidiam. Seminis apii, ammeos, rutæ syluestris, anisi, an. drach. vnam. Acori, [2] lepidii Indi, calaminthes, folii, cētaurii, polii, costi, salis gemmei an. drach. dimidiam. Aloes, drach. sex. Colocynthidis, drach. quinque. Cogantur cum succo artemisiæ, aut porri, in massam.

ANNOTATIONES.

Sagapenū. *1 Sagapeno)* Serapinum deprauata voce hodie appellant Medici, quod veteres Græci Sagapenum nominant. B

Seitaragi. Cordus errat. *2 Lepidii Indi)* Mesuæ filius, Ioannes Damascenus, habet Seitaragi: quam vocem Cordus, & alii falso pro Casia lignea interpretantur. Nam non est, nisi Lepidium: quod deprehendet manifeste, qui volet ea quæ Serapio de Seitaragi scribit, conferre cum iis, quæ Dioscorides, & Galenus de Lepidio tradunt. Per Lepidium autem intelligunt herbam, quæ alio nomine iberis dicitur, ischiadicis conuenientissima.

Catapotia ex opopanace, Ioannis Damasceni. XLVII.

AD resolutionem, conuulsionem caninam, genu, pedum & aliorum articulorum dolores, morbosq; neruosarum partium frigidos. Capiunt opopanacis, hermodactyli, sagapeni, bdellii, hammoniaci, colocynthidis, an. drach. quinque. Croci, castorii, myrrhæ, zingiberis. piperis nigri. piperis lōgi, casiæ, myrobalanorum flauorum, belliricorum, emblicorum, an. drach. vnam. Scammonii, drach. duas. Turpeti, dr. quatuor. Aloes, dr. 12 Cum succo brassicæ maceratis in eo prius lachrymis, fingatur massa. C

Catapotia e bdellio maiora, Ioannis Damasceni. XLVIII.

AD fluxum hæmorrhoidum, & vlcerum in eis, & ad menses immodicos. Accipiunt bdellii, dra. duodecim. Ammeos, drach. tres. [1] Cepulorum, indorum, belliricorum, emblicorum, [2] concharum venerearum, vstarum. succini, an. drach. duas, & dimidiam. Maceretur bdellium in succo porri, & formetur massa.

ANNOTATIONES.

1 Cepulorum, indorum) Quorum ope humor melancholicus & vstus per aluum vacuatur, & materia hæmorrhoidibus detrahitur.

Venereæ seu Veneri. Cordus errat. *2 Concharum venerearum, vstarum)* Codices alii Ioannis Damasceni habent, atqui parum recte, concharum ostarum genus pro specie. Venerearum autem, seu Veneris dictionem varie interpretantur. Alii enim pro radice acori, alii pro auellanis vstis, vt Cordus. Neutri tamen recte. Non significat enim hoc loco, nisi conchas venereas vstas. Venereę autem dictæ sunt, quemadmodum Rondeletius censet, quod hæ apud Gnidiorū Venerem colebantur. Nonnullis vero ita nominatæ esse videntur, quod hæ Conchæ non modo Veneri gratæ, sed etiam cognatæ sint, ob communem e mari originem, & quod celebris sit eius deæ effigies concham pede premens. Quibusdam vero a pulchritudine & splendore, læuoreque, quæ dotes venerei formosique corporis præcipuæ sunt. Conchæ istæ oui figura sunt. Purpura maiores & latiores, testa læui, in cuius extremo vtroque foramen est, alterum cibi capessendi gratia non asperum, non rotundum, sed parum prominens, non tamen in angulos procurrens: alterum ad excrementa reiicienda, concha simplice atque vna vtrinque sese colligente, vt fusius lib. 2. de testaceis cap. 34. Rondeletius memoriæ prodidit. Concharum autem mentionem hic recte fieri, venerearum vstarum primum ex alia cōpositione, tertia nimirum catapotiorum de Bdellio, satis liquet, in qua diserte conchularum venerearum vstarum fit mentio. Dein satis constat, Conchas venereas ad alui fluxus constringendos, & intestinorum atque vteri vlcera, quemadmodum etiam testas concharum, quæ peculiariter Ostrea nominantur, vstas, vt testis est lib. 11. Galenus, implendis, cicatriceque claudendis vlceribus humidis esse vtiles, siquidem insignem resiccandi vim citra calorem, habent, vt hoc nomine ad præsentem compositionem apta sit concha venerea. Ceterum vulgus pharmacopœorum pro Concha venerea Pectines, atqui parum recte, vsurpat, quod Pectines specie a Conchis differant, & detergendi quoque facultatem habeant, adeoque ad fluxus constringendos nequaquam conducant. D E

Catapotia imperialia, Incerti auctoris. XLIX.

PArū admodū purgant, & plurimū roborant ventriculū, & ōia viscera refrigerata. Conseruant facultates naturales, sanguinē & spiritus purificāt. Recipiunt cinamomi, amomi, anisi, mastiches, cardamomi, zingiberis, Zedoariæ, maceris, nucis moschatæ, caryophyllorum, croci, cubebæ, ligni aloes, turpeti, mannæ, agarici folliculorū senæ, spicæ nardi, myrobalanorū flauorū, cepulorū, indorum, belliricorū emblicorū an. scrup. vnū. Rhei barbari, vnc. vnā. Aloes, vnc. duas. Cū serapio rosaceo aut violaceo, fingatur massa. F

Catapotia [1] ex octo rebus Nicolai Præpositi L.

PVrgant humores crassos a capite, visum acuunt, & suffusionē arcent. Habent aloes, dacrydii, ana drach. duas. Pulpæ colocynthidis, epithymi, agarici, mastiches, dauci cretici, myrobalanorum cepulorum, absinthii, an. dr. vnam. Cum succo solani formetur massa.

ANNO-

A

ANNOTATIO.

1 *Ex octo rebus.*) Græce ὀκτάμιγα dicuntur. Nam aloe in formandis catapotiis numerum tenere non videtur, vt neq; mel, neq; saccharum in Electuariis, alias ex nouem constarent rebus.

Catapotia ex aloe. Galeni. LI.

Biliosos & acres humores, pituitamq; salsam a capite purgant, eiusq; destillationes sistunt, tussientibus prosunt, & asperitates faucium leniunt, suntq; omnium præstantissima, & ob id in vsum quotidianum reuocanda. Accipiunt aloes, scammoniæ, ana vnciam dimidiam. Colocynthidis, agarici, ana drachmas duas. Bdellij, gummi arabici, ana drachmam vnam. Cum succo absinthij, fingatur massa. Alijs ita componitur. Pulpæ colocynthidis, drachmam vnam. Aloes, scammoniæ, ana drach. duas. Mastiches, drach. dimidiam. Cum succo absinthij formetur massa.

B

Catapotia genitale semen augentia. Incerti auctoris. LII.

Habent seminis erucæ, testiculorum vulpis, seminis vrticæ, satureiæ, caudarum scinci, pudendi tauri, ana vnciam dimidiam. Cum cerebello passerum fingantur catapotia.

DE [1] SACCHARIS ET CONDITIS. SECTIO VII.

[2] *Iosacchar.* I.

Saccharum violaceum seu violatum bilis feruorem mitigat, sitim exstinguit, aluum lenit: thoracis vitijs calidis, faucium & gutturis asperitati ac siccitati auxiliatur: fit hoc modo. Florum violarum nigrarum recentium, cauda pediculoue & viridi, ceu calculo, purgatarum, in mortario lapideo tritarum, duplo saccharo miscentur, & vase vitreo aut vitrato reponuntur. Mesuæ filius [3] triplum sacchari miscet.

C

ANNOTATIONES.

1 *Saccharis.*) Ita cum recentioribus Græcis, & iunioribus Medicis appellare placuit. Quanquam ii Conseruas etiam vocent, flores saccharo conditos. Sacchara.

2 *Iosacchor.*) Saccharum violaceum sonat. Rectius viola saccharata. Iosacchar.

3 *Triplum.*) Quæ ratio condiendi non probatur, quod minima Sacchari mole violarum facultas obruatur. Hodie flores minutim inciduntur, & singulis libris florum, sacchari libræ duæ permiscentur: nisi flores sicciores fuerint. tum enim singulis libris florum, Sacchari albissimi libræ duæ, & dimidia adiiciuntur.

Saccharum rosaceum rosatumue. II.

Ventriculum & cor, reliquaq; viscera refrigerat, firmat, repentesq; in arcem cerebri vapores reprimit. Tabidis, & sanguinem reijcientibus vetus plurimum confert. Fit vero sic. Foliorum D *rosarum rubrarum nondum perfectarum, recentium, exunguatorum, tritorum in mortario lapideo, libra vna duplo saccharo permiscetur: & in vase vitreo, aut vitrato, non tamen omnino repleto, vt feruenti sit locus, nec foras exsiliat, reconduntur. Hodie, vt diximus, minutim tantum inciduntur rosarum folia, & in vmbra prius, vt eorundem excrementosa humiditas resoluatur, a nonnullis exsiccantur.*

Saccharum [1] buglossatum. III.

Cor ipsum roborat, eiusq; tremorem, & syncopen sanat, manicos & melancholicos iuuat. Fit, vt violaceum, nempe floribus pediculo purgatis, in pila tritis, addito saccharo duplo.

ANNOTATIO.

1 Saccharum buglossatum non est, nisi Borraginis saccharum. Siquidem veterum Buglossum non E est, nisi Borrago recentioribus vocata herba, vt alibi fusius monstrauimus.

Saccharum [1] Nympheæ. IV.

Vehementioribus febribus subuenit, & doloribus quos bilis creat. Capitis ardores feruoresq; sopit, ac somnum accersit. Fit, vt violaceum.

ANNOTATIO.

1 *Nymphea.*) Nenufaris, hodie facientes Medicinam & Pharmacopœi nominant.

Saccharum cichorij. V.

Valet aduersus iecoris calorem, & viscerum obstructiones. Fit, vt prædicta.

Saccharum [1] Oxalidis. VI. 1 Acetosa.

Contra ventriculi & iecoris calorem auxilio est. Fit, vt præcedentia.

F

Saccharum Prunellæ. VII.

Irrepentes in cerebrum vapores calidos reprimit, & ad omnia oris gutturisq; vitia vtile est. Fit, vt priora.

Saccharum [2] Echij. IIX.

Commorsis a serpente auxiliatur, & præsumentes percuti non patitur. Lumborum dolores sedat. Fit, vt prædicta.

ANNOTATIO. A

2 *Echii.)* Buglossum recentiores vocant, quemadmodum alibi ostendimus.

Saccharum Rosmarini. IX.

Anthos. *ANthos, hodie facientes Medicinam vocant. Cerebrum refrigeratum ac humectum firmat, itemq; omnes corporis partes neruosas. Flatus deniq; dissipat. Fit alijs similiter.*

Saccharum Lauendulæ. X.

ADuersus morbum comitialem, apoplexiam, & id genus alia frigida cerebri & neruorum vitia valet. Fit, vt ea quæ præcedunt.

Saccharum Saluiæ. XI.

VTerum firmat, & alia quæ saccharum præcedens potest. Fit vt priora.

Saccharum betonicæ. XII. B

FRigidis capitis malis confert, ventriculum & vterum purgat, calculosis renibus auxilio est, conceptionemq; iuuat. Fit instar aliorum.

Saccharum Pæoniæ. XIII.

COmitiali morbo aduersatur, & ea quæ præcedens efficere potest. Fit, vt alia.

Saccharum Maioranæ. XIV.

SCorpionum ictibus aduersatur. Menses euocat. Vrinæ difficultati, & hydropicis succurrit. Fit aliorum modo.

3 Melissæ. *Saccharum[3] Melissophylli.* XV.

EAdem, quod præcedens efficit. Præterea articulorum dolores mitigat. Fit, vt priora. Hæc saccharata medicamenta commemorasse, satis sit. Nam magna ex parte omnibus in Officinis parata habentur. Sunt tamen, qui pluribus alijs vtuntur, vt est: C

16 Scabiosæ
17 Sambuci
18 Menthæ
19 Fumariæ
20 Eufrasiæ
21 Verbasculi (* Primulæ veris.)
22 Tiliæ florũ
23 Ephemeri non lethalis* (* Lilii cõuallii.)
24 Cardui benedicti
25 Persicæ floribus, bilem & aquam educit D
26 Genistæ floribus, ad renum & lienis obstructiones

} *Saccharum.*

Conficiuntur autem omnia, instar eorum, quæ antea dicta sunt, easq; habent, quas herbæ, quæ saccharo condiuntur, facultates. Ad condita igitur transeundum erit.

DE CONDITIS.

Conditũ. COndiuntur hodie magna ex parte radices, cortices, & fructus quarundam stirpiũ & arborum. Condiendi vero vocabulum recentioribus Medicis in angustum sic est coactum, vt Conditi appellatione ea solum veniant, quæ melle aut saccharo, vt vocant, clarificato excepta conseruantur, ac condiuntur. Sunt vero vsitata hodie condita quæ sequuntur.

Zingiber Conditum. I. E

INtemperiem ventriculi frigidam & humidam sanat, & ab ea tardam ac deprauatam concoctionem, quæ cibos in acidam cruditatem corrumpit. Viscerum lubricitatem corrigit: flatus dissipat, alimenti in iecur & vniuersum corpus distributionem accelerat. Senibus, aut natura, aut ex morbo frigidis, & hyeme vtile. Fit hoc modo. Zingiberis recentis, si haberi potest; aut saltem arte humectati, pars vna, cum Sacchari partibus tribus coquitur. Sunt qui zingiber humectatum cum mellis partibus tribus, & sacchari parte vna coquunt: alij vero cum saccharo clarificato triplo condiunt. Humectandum autem zingiber album, purum, recens,[1] aqua frigida affusa, qua biduo maceratur.

ANNOTATIO.

1 *Aqua frigida affusa.)* Hac ratione non solum radices, sed & fructus ficciores recentibus similes redduntur. Biduo enim sine etiam coctione, in aqua frigida macerata hæc omnia intumescunt. Atq; hic se prodit error eorum, qui aridas radices Zingiberis longo tempore, nunc cum acerrimo lixiuio, calce, quernoue cinere: nunc muria macerant humectantq; donec mollescant Siquidem hac ratione magnam acrimoniam, & calorem illis conciliant, vt parum tutus sit illarum subinde vsus, nisi in iis, qui frigido admodum

A modum ventriculo sunt præditi. Sunt qui zingiberis & aliarum radicum libram vnam coquunt in aqua, donec tenerescant, dein tritas per cribrum setaceum traiiciunt, & denuo cum sacchari libris tribus ad mellis consistentiam coquunt. Porro Zingiber viride hodie dicitur, quòd recens conditum saccharo, ex alieno orbe ad nos affertur.

[1] *Acorus conditus.* II.

Cerebrum & neruos roborat, malisq; eorundem frigidis auxilio est. Conditur autem, radicibus prius in frusta dissectis: vt zingiber humectatus, cumq; Saccharo triplo coctus. Acorus.

ANNOTATIO.

1 *Acorus.)* Indicus, Galanga maior dictus, sumendus: non nostras palustris. Hic enim ad neruorũ & cerebri frigidos affectus plane inutilis est. Quocirca vsus eius in iam dictis malis damnandus est, atq; abiiciẽdus, neq; post hac eius vsu ægri perdendi, ac in sumtus non necessarios coniiciendi, vt libro quoq; B primo monuimus: vt non sit necesse, ea de re hoc in loco verbosiorem esse. Calamus aromaticus officinarum, eodem quo Acorus modo condiri debet.

Pimpinella condita. III.

Calculosis renibus auxiliatur, mulieres a partu purgat, regio morbo laborantibus succurrit, & a pestilentiæ contagione incolumes atq; immunes seruat. Fit, vt zingiber conditum.

Condiuntur & aliæ quædam radices, quas nominatim tantum recensuisse satis erit.

5 Calamus Mæoticus conditus.

6 Galanga maior condita.

7 Helenium conditum. Helenij autem conditum nonnulli ita parant. Radix probe purgata, & in frusta vel taleolas dissecta, in aqua donec mollescat coquitur. Cocta subinde tunditur, & per colum C *traijcitur, vniq; parti radicis, mellis despumati, aut sacchari clarificati, partes duæ miscentur. Stomacho confert, obstructa reserat, pestilentiæ resistit.*

8 Sisarum satiuum, loco Secacul, quod hodie incognitum est conditur, quod eius radices stomacho vtiles sint, vrinam & Venerem ciet, flatus ventriculi dissipent, conualescentibus conducant, eademq; quæ Secacul præstant. Radices eius a cortice cineritio & neruo interno purgatæ, in frusta secantur pollicem æquantia, intus, vnde neruus extractus vno caryophillo humectato, & particula zingiberis itidem humectati fartæ. Deinde coquuntur vt tenerescant, & cum saccharo & melle, aut triplo saccharo solo, vt cetera, condiuntur.

Quæ sane omnia condita eam facultatem obtinent, quæ radicibus illis a probatis auctoribus tribuuntur.

Citria condita. IV.

D *Cor & ventriculum firmant, concoctionem iuuant, orisq; halitum commendant. Condiuntur hoc modo. Poma citria frustatim secta, saccharo clarificato condiuntur. Ioannes Damascenus aliam habet condiendi rationem, quam sane, qui ea vti volent, in Sectione de conditis apud eundem inuenient. Condiuntur etiam cortices Citri ad eum modum. Hi carne purgati lixiuio clare merguntur diebus nouem, mutato ad diem quintum: post merguntur aqua clara, donec amaritudine deposita dulcescant. Tunc aqua fontis plurima in vase mundo coquuntur donec tenerescant. Aquosa dein substantia ab his expressa, in vase lapideo merguntur horis 24. Iulebo sufficienti ex saccharo albo & aqua tripla constante, post coquuntur igne lento ad penidiorum consistentiam. Extracti ex hoc Iulebo cortices, vase vitreo reponuntur, superfuso singulis vicissim Iulebo rosato ad mediocrem ceu sacchari candefacti crassitiem cocto.*

E

Myrobalani cepuli conditi. V.

Ventriculum firmant, appetentiam inuitant, concoctionem promouent, rationalem animæ partem vegetam reddunt, & sensificam. Quapropter visum quoq; acuunt, & vsu crebro iuuentutem & vniuersi corporis vires tuentur. Condiuntur integri, industria idonea prius humectati.

Myrobalani empelitici conditi. VI.

Ventriculum roborant, nimiamq; eius humiditatem corrigunt, mentis aciem exacuunt, sitimq; restinguunt. Condiuntur, vt priores.

Cydonia condita. VII.

Alui fluorem vomitumq; sistunt, ventriculum roborant: ob id concoctionem iuuant, appeten- F *tiam inuitant: iecur & cor, corpusq; vniuersum refrigerant. Hæc intus a seminibus & foris a cortice purgata, quadripartito diuisa, saccharo clarificato condiuntur. Aliqui ita diuisa ex aqua coquunt, donec tenerascunt, dein saccharo condunt.*

Hactenus magis vsitata recensuimus condita fructuum. Sunt autem complures alij fructus qui tam recentes quam sicci condiri consueuerunt: vt sunt qui sequuntur.

8 Aurantia, seu, vt vulgus nominat, arantia integra, & horum cortices. A
9 Limones
10 Nuces moschatæ
11 Iuglandes
Myrobalani. 12 Bellericæ
13 Cepulæ
14 Emblicæ. Purgant minus, nutritioni autem inseruientes partes magis roborant, concoctionem promouent, cerebri actiones omnes vegetant, visumq; clariorem reddere creduntur, obstructionesq; tollunt. Datur vna singulis diebus. Cerebrum, neruos, cor, hepar, ventriculum, & partes laxas constringendo roborant, & intemperiem humidam corrigunt. Tremori cordis conferunt, appetentiam inuitant, vomitum sistunt. B
15 Mespila
16 Pira
17 Poma
18 Pruna syluestria
19 Cerasa
20 Baccæribes.

Condiuntur autem ij fructus aut saccharo, aut melle, aut ambobus. Conditi autem melle, magis calent, & tergent, minusq; ventriculo iucundi sunt: cum Saccharo contra. Condiuntur vero interdum integri & cum seminibus interdum seminibus, purgati. Fructus sicci recentib. similes redduntur, velut pruna, & vuæ passæ, si modice compuncta in aqua frigida macerentur. Sic enim statim timent, & pleniores redduntur. C

Dia cydonium simplex. XX.

VEntriculum, iecur, & cetera viscera roborat, appetentiam excitat, concoctionem iuuat, vomitū & lienteriam sedat, ac alui fluorem cohibet. Ad vomitū autem compescendum potest, ad fluorē vero alui supprimendum ante cibum datur. Recipit carnium cydoniorum, vapore aquæ calidæ dulcis coctorum ad spissitudinem vsq;: Sacchari albissimi despumati, & ad iustam consistentiam cocti, ana libras octo. Coquantur vna ad solidam consistentiam, & massa adhuc seruens super tabulam extenditur, & refrigerata in partes dissecatur. Quidam octo libris carnium cydoniorum, libras sex clarificati sacchari adijciunt. Nonnulli in eum modum parant. Accipiunt cydoniorum decorticatorum, & a nucleis repurgatorum, libras octo. Sacchari clarificati, libras quatuor. Coquūtur cydonia per vaporem aquæ dulcis, dein vna cum saccharo ad iustam consistentiam coquuntur. D

Dia cydonium compositum. Nicolai Præpositi. XXI.

AD frigidam ventriculi intemperiem facit, appetentiam languentem excitat, ventriculum & iecur roborat, concoctionem & retētionem iuuat: flatus dissoluit, fætorem corporis remouet, & bonum odorem, pristinumq; eiusdem colorem restituit. Habet carnium cydoniorum in aqua coctorum, libr. tres. Mellis despumati, libras quatuor, & dimidiam. Coquantur simul igne lento, ad iustam consistentiam: & postquam ab igne deponuntur, priusquam refrigerentur, inspergantur subsequentes species in puluerem tenuissimum triti: nempe cinamomi, unc. vna, & dimidia. Zingiberis, vnc. vna. Galangæ, piperis, ana vnc. dimidia. Caryophyllorum, nucis moschatæ, ana drach. tres. Spicæ, ligni aloes, macis, cardamomi, ana drach. duæ. Zedoariæ, drach. vna. Extendatur tota massa in tabula marmorea, prius stillatitio rosarum liquore, in quo aliquid moschi solutum est, illita. Refrigerata cultello frustatim secetur. Quod si purgatorium efficere volueris, priusquam in marmorea tabula extendatur, in singulas libras inijcito scammoniæ probe tritæ, vnc. dimid. Subacta, in vasculum recondantur. E

Diacydonium compositum. Nicolai Myrepsici. XXII.

OMnia potest, quæ præcedens. Capit carnis cydoniorum emundatorum, lib. tres, & dimidiam. Zingiberis, masticbes, ana drach. duas. Cardamomi magni & parui, cinamomi, croci, ana vnc. dimidiam, Caryophylli, drach. tres. Moschi, drach. dimidiam. Ligni aloes crudi, galliæ moschatæ, ana drach. vnam. Maceris, drachm. vnam, & dimidiam. Spicæ, nucis moschatæ, ana drach. dimid. Mellis optimi, lib. sex. Aut sacchari, quantum sufficit. F

Dia cydonium, e succo cydoniorum. Incerti auctoris. XXIII.

IDem potest, quod præcedens. Accipit succi cydoniorum despumati, lib. duodecim. Mellis optimi despumati. Sacchari albissimi clarificati, ana lib. duas. Coquantur simul ad iustam consistentiam

A tiam, dein ab igne remotis, & adhuc tepentibus inspergantur subsequentium specierum pulueres minutissime triti, & per cribrum excussi: nempe cinamomi, nucis moschatæ, ana vncias quatuor. Caryophyllorum, Zingiberis, galangæ, ana vnc. duæ. Radicularum nardi celticæ, piperis nigri, ligni aloes, macis, Zedoariæ, cubebarum, cardamomi, ana vnc. vna. Subacta omnia, simulq; mixta in vas recondantur.

Dia cydonium, e succo cydoniorum. Galeni. XXIV.

AD excitandam appetentiam, ijs quibus ea languet, tum ad concoctionem ciborum vtile est, ventriculoque robur conciliat. Recipit succi malorum cydoniorum[1] struthiorum,[2] sextarios Romanos duos. Mellis optimi tantundem: aceti sextarium vnum, & semissem. Coctis super prunas modice, & spuma detracta, immittuntur zingiberis, vnc. tres. Piperis albi, vncia dua. Dein rursus B simili igni recoquuntur, donec mellis crassitudinem consequantur.

ANNOTATIONES.

1 *Struthiorum.*) Struthia cydonia sunt ea, quæ dulciora & maiora sunt, minusq; acerba. Struthia.

2 *Sextarios Romanos duos,*) Hoc est, vncias quadraginta mensurales. Nam sextarius Romanus capit libram vnam & dimidiam, & sextam eius partem: id est, vncias mensurales viginti. Est etiam Atticus, qui vncias decem & octo habet, vt alibi fusius diximus. Sextarius. Romanus. Atticus.

DE [1] ECLEGMATIS, SECTIO IIX.

Eclegma sanum & expertum. Ioannis Damasceni. I.

TVssi, vocisq; asperitati, & raucedini, a frigiditate natæ auxilio est: crassos in thorace & pulmone humores extenuat, & incidit. Habet cinamomi, hyssopi aridi, glycyrrhizæ, ana vnciam dimi- C diam. Zizyphorum, myxorum, ana numero triginta. Vuarum passarum a nucleis purgatarum, ficuum aridarum, palmularum pinguium, ana vnc. duas. Fœnigræci, drach. quinq;. Adianti, manipulum vnum. Seminum anisi, fœniculi, lini iridis, calaminthæ, ana drachmas quatuor. Coquantur omnia in aqua purissima lib. quatuor, ad duarum lib. consumtionem. Colatum cum penidiorum libr. duabus, coquatur ad mellis crassitudinem. Postea adijciantur, minutissime incisorum & tritorum pinearum nucum repurgatarum, drach. quinq;. Amygdalarum dulcium mundatarum, glycyrrhizæ, tragacanthæ, gummi Arabici, amyli, ana drach. tres. Iridis, drach. dua. Misceantur subiganturq; omnia simul celerrime, donec albescat medicamentum.

ANNOTATIO.

1 *Eclegmatis.*) Eclegmata Latinis sunt linctus, medicamenta quæ linguntur ac lambuntur verius, D quam deuorantur. Arabibus Loch & Lohoch nominantur, vt libro tertio fusius dicemus. Veteres arteriacas compositiones vocarunt. Coctura quidem quam Electuario solido vel liquido parcior, vt consistentia ipsa dilutior sit: præcipue si pus crassum, aut pituita lenta e pulmone educenda est. Eclegma. Loch.

Eclegma e scilla. Ioannis Damasceni. II.

CRassos & lentos humores, qui in thorace difficulter concoquuntur, incidit & extenuat: ideoq; asthmaticis & difficile spirantibus auxiliatur, thoracisq; dolorem leuat. Capit[1] succi scillæ, mellis despumati, ana lib. vnam. Coquuntur ad eclegmatis consistentiam.

ANNOTATIO.

1 *Succi scillæ.*) Is vero succus a nonnullis ita colligitur. Scillas crudas tres aut quatuor in partes eburneo cultello secant, dein in pila marmorea vel lapidea terunt, cum pistillo e ligno Guaiaco constructo: & E dein succum, linteo raro eas immittentes, exprimunt. Scillæ succus.

Eclegma e pineis. Ioannis Damasceni. III.

DIuturnæ tussi, difficultati spiritus, & asthmati succurrit. Humores in thorace crassos incidit & extenuat. Accipit nucum pinearum, drach. triginta. Amygdalarum dulcium, auellanarum assatarum, tragacanthæ, gummi Arabici, glycyrrhizæ & succi eius, amyli capilli Veneris, iridis, ana drach. quatuor. Carnis palmularum fuluarum, drach. trigintaquinq;. Amygdalarum amararum,[1] drach. tres. * Mellis passularum, sacchari albi, butyri recentis, ana[2] vncias quatuor. Mellis optimi syncerissimi & odoratissimi, quod satis est.

ANNOTATIONES.

1 *Drachmas tres.*) Ita omnes quos vidimus codices legunt. Quare typographi errore factum esse iu- F dico, vt in Cordi medicamentario libro scriptum sit, vncias tres. Facilis enim a ʒ in ℥ lapsus est. Cordus.

* *Mel passularum.*) Est in quo passulæ donec liquentur bulliunt. Sunt qui passulas enucleatas viginti quatuor horis maceratas probe concoquunt atque exprimunt, ac dein colant, colatasque ad mellis lentorem percoquunt. Mel passularum.

2 *Vncias quatuor.*) Ioannis Damasceni fere omnes codices habent, drachmas quatuor. Nam exigua satis quantitas esset aliorum respectu, drach. tres. Quapropter pro drach. substituere vnciam placuit.

Franciscus Alexander metuit ne butyrum rancorem induat, atqui temere, quum alia multa ei admista haud ferant, vt corrumpatur. Senibus maxime familiare est hoc eclegma. Peripneumoniam & pleuritidem iuuat, inclinante iam febre. A

Eclegma e pulmone vulpis. Ioannis Damasceni. IV.

Eiusdem cum praecedentibus facultatis, tabidis vero potissimum confert. Recipit pulmonis vulpis siccati &[1] *praeparati, succi glycyrrhizae, adianti, seminis foeniculi, anisi, ana vnciam vnam. Sacchari clarificati, vnc. quindecim. Trita omnia tenuissime, cum saccharo excipiuntur.*

ANNOTATIO.

1 *Praeparati.*) Praeparatur autem hoc modo. Recens ex vulpe iuuene venatu capta sanguine, venis & arteriis purgatur, vino albo odorato tepido saepe abluitur, clibano siccatur, exsiccatus puluere absinthii reponitur. B

[1] *Eclegma e papauere. Ioannis Damasceni.* V.

Iuuat tussim, & gutturis asperitatem, a destillatione calida ac tenui ortas. Hanc enim sistit, & crassiorem reddit. Confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, & pleuritidi. Habet papaueris albi, drachm. vigintiquinque. Amygdalarum dulcium repurgatarum, nucleorum pineorum, gummi Arabici, tragacanthae, succi glycyrrhizae, ana drachm. decem. Amyli, seminum portulacae, lactucae, & cydoniorum, ana drachmas quatuor. Croci, drachm. vnam. Penidiorum alborum, vnc. quatuor.[2] *Serapij e papauere, praesertim albi & nigri, cum semine lactucae & violis facti, quod satis est.*

ANNOTATIONES.

1 *Eclegma e papauere.*) Sunt qui Dia papaueris appellant. Sed est eius alia apud Nicolaum descriptio. C

Serapiũ e papauere. 2 *Serapii e papauere.*) Eius compositio sic habet. Recipe Capitum papauerum alborum & nigrorum, vna cum semine ipsorum, ana vncias sex. Seminis lactucae, florum violarum, ana vnc. vnam. Bulliant in aqua iustae quantitatis, quoad capita papauerum percocta fuerint. dein exprimantur: & cum sacchari & penidiorum, ana lib. vnam fiat Serapium.

Eclegma ad asthma. Ioannis Damasceni. VI.

Ad asthma & diuturnam tussim valet: humorem enim crassum extenuat. Capit scillae assatae[1] *drach. tres. Radicis iridis, drachmas duas. Hyssopi, marrubij, ana drachmam vnam. Myrrhae croci, ana drach. dimid. Melle sufficienti excipiuntur.*

ANNOTATIONES.

Validissimum quidem ad incidendos ac dissecandos crassos humores hoc est Eclegma: sed ob multa amara, quae eius constituunt compositionem, medicamenta, vehementer ingratum. D

1 *Drachmas tres.*) Dessennius, secutus exemplaria mendosa, legit drachmas quatuor. Nam quum sit Climax, non potest lectio illa non esse falsa. Proinde vt climacis ratio constet, tres tantum drachmae substituendae erunt, vt nos legimus.

Eclegma ad vocem amissam. Nicolai Myrepsici. VII.

Accipit seminis lini tosti, drachm. duas. Vuarum passarum pinguium exemtis acinis, nucleorum pinearum nucum tostorum, ana drach. sex. Glycyrrhizae, drach. tres. Palmularum pinguium, vnc. vnam, & dimidiam. Tragacanthae, drach. vnam. Seminis vrticae, drach. dimidiam, grana septem. Styracis calamitae, drach. dimidiam. Penidiorum & sacchari, ana vnc. vnam. Cum succo tussilaginis formetur Eclegma.

E

DE ZVLAPIIS, ET SVCCIS MEDICATIS, SECTIO IX.

[1] *Zulapium violaceum.* I.

Febribus acutis, iecoris & cordis caloribus, asperitati gutturis, tussi aridae, affectibus thoracis calidis & siccis succurrit. Sitim restinguit, aluumque emollit. Recipit[2] *stillatitij violarum recentium liquoris, lib. tres. Sacchari clarificati, libras duas. Coquuntur ex praescripto artis, lento igne.*

ANNOTATIONES.

F

Zulapiũ. Iulebum. 1 *Zulapium.*) Ita cum recentioribus Graecis vocamus, quod hodie facientibus Medicinam Iulebum: aut magis barbare, Iuleb nominatur.

2 *Stillatitii violarum, &c.*) Is parandi modus hodie est vsitatissimus, magisque laudatus, quam is qui fit ex violis siccis aqua maceratis: cui saccharum incoquitur, ad hunc modum. Capit violarum siccarũ, vncias tres. Macerantur in sextariis tribus, hoc est, libris quinque aquae, 24. horis. Colatũ cum sacchari tribus li-

A bus libris coquitur. Id Iulebũ priori minus efficax est, & tamen hodie sub Serapii violati nomine frequẽtissime ita paratur. Præstantissimum autem, quod ex violarum succo cõficitur, & Actuario ἰοσαχαρ, id est, violarum succus saccharatus appellatur: vtpote quod violarum in se substantiam recipit. Parum aut nihil differt a Serapio violato simplici. Paratur ex præscripto Ioãnis Damasceni ad hunc modum. Recipit Succi violarum, lib. tres. Sacchari clarificati, lib. duas. Coquuntur, vt dictum est. Et debent etiam hæc tria genera Zulapiorum a Medicis, certis appellationibus discerni. Primum enim Zulapium, ex stillatitio violarum liquore: alterum Serapium violatum, ex infusione violarum: tertium Zulapium e succo violarum appellandum erit. Vtrunq; viribus præstantissimum est Iulebum, quod ex violarum succo fit, minus tamen iucundum quam alia duo. Iucundius enim est quod ex florum violarum fit maceratione: atqui minus, vt comprehensum est, efficax, nisi multiplex fiat maceratio, & flores sint recentes. Iucundissimũ, sed maxime imbecillum, quod ex aqua destillata, vt hodie loquuntur, paratur. Quum igitur hodie tum B Medici, tum Pharmacopœi id vnum maxime studeant, vt iucunda sint ægrotantibus medicamenta: id quod est iucundissimum Iulebum, & maxime imbecillum, potius quam id quod est parum iucundum, efficacissimum tamen, conficiunt.

Alter Iulebi parandi modus. Tertius.

Zulapium ex stillatitio liquore violarũ. Serapium violatum. Zulapium e succo violarum.

Zulapium rosaceum. II.

Febricantium acute sitim inexpletam restinguit. Ventriculi, cordis, & iecoris æstum mitigat: putredini febrium aduersatur, propterea in pestilentibus febrib. quod veneno aeris, corruptelæ siccitate subamara, & aromatica qualitate resistat, præstantissimum est. Habet [1] *stillatitij rosarum liquoris, lib. tres. Sacchari repurgati, lib. duas. Coquantur igni lento.*

ANNOTATIO.

1 *Stillatitij.)* Paratur autem Iulebum rosaceum aliis quoq; duabus, perinde atq; violaceum, rationibus: nẽpe ex aqua in qua rosæ sunt maceratæ, & e succo rosarum. Priore ita. Recipit aquæ in qua rosę ma- C ceratæ sunt lib. quinq;, cum sacchari repurgati, lib. quatuor, igni lento coquantur, idq; Serapium rosatũ simplex, vt infra latius dicetur, appellatur. Altero in hunc modum. Recipit succi rosarum, lib. tres. Coquantur cum sacchari clarificati, lib. duabus. Potentius est hoc postremum, quod certioris discriminis gratia, Zulapium e succo rosaceo vocari debet.

Alii modi Iulebi rosacei parãdi. Serapium rosatum simplex. Zulapium e succo rosaceo.

Zulapium * *zizyphorum.* III.

Asperitatem gutturis iuuat: sputum tenue quia incrassat, facilius vt educatur efficit. Raucitati & pleuritidi confert. Contra ardentes febres valet. Tussi & destillationi quam calor mouit, auxilio est, ac sanguinem purgat. Fit hoc modo: Zizypha magna & pinguia centum in lib. aquæ pluuialis quatuor ad dimidias coquuntur. Libræ duæ relictæ, cum sacchari lib. vna percoquuntur in Iulebi consistentiam.

*Iuiubinũ hodie Serapium simplex.

DE SVCCIS MEDICATIS.

D [1] *Succus Medicatus* [2] *ribes, Simplex.* I.

Ventriculum firmat, vomitum biliosum reprimit, sitim restinguit, & biliosas alui excretiones sistit. Accipit succi ribes lib. decem. Coquuntur lento igne ad tertiæ partis consumtionem colantur: subsidere permittuntur, donec clarescant. Clarum dein lento igni percoquitur, ad mellis crassitudinem: aut insolatur, & reconditur.

ANNOTATIONES.

1 *Succus medicatus.)* Sic nominamus eos qui purgati ac defecati, solis aut ignis calore densantur. Arabes, & huius temporis Medici, Rob & Robub vocant. Quũ vinum ad tertias coquitur, Sapa nuncupatur.

2 *Ribes.)* Nostratis, non Arabum, quod in Germaniam haud deportetur. Nascitur enim Syriæ montanis, vt tomo tertio historiæ stirpium latius diximus.

Succus medicatus. Rob. Sapa.

Succus medicatus ribes, Compositus. II.

E *Idem quod simplex potest. Habet succi ribes, lib. tres. Sacchari optimi, lib. duas. Coquuntur lento igne ad iustam crassitudinem.*

Succus medicatus * *ex vua vrsi. Simplex.* III.

Idem quod præcedens efficit. Capit succi vuæ vrsi, lib. decem. Coquuntur ad tertias, colantur, & subsidere permittuntur, donec clarescant. Clarum subinde ad iustam crassitudinem percoquitur.

*Berberis.

Compositus. IV.

Recipit succi vuæ vrsi, lib. 3. Sacchari optimi & purgati, lib. 2. Coquũtur ad mellis crassitudinem.

[1] *Diacaryon, Simplex.* V.

F *Destillationi tenuium & acrium humorum a capite, & phlegmonem excitantium confert. Habet succi corticum viridium iuglandium diebus canicularibus extracti, lib. quatuor. Mellis optimi, lib. duas. Coquuntur ad iustam crassitudinem.*

ANNOTATIO.

1 *Diacaryon.)* Latinis non sonat, nisi compositionem e nucibus. Veterib. autem gemina fuit, simplex & composita. Simplex hodie Medicinam facientibus, & Pharmacopœis vocatur Rob nucum viridium. Cõpositum describitur a Paulo lib. 7. cap. 14. Simplici n. miscet per initia quidem, & in vigore phlegmo-

Diacaryõ. Simplex. Rob nucũ viridium.

num, Croci & aluminis ana drachmam vnam: Myrrhæ, drach. duas. In inclinatione vero ad discutiendũ, A
Composi-tum. nitri, sulphuris, ana drach. vnam. Ioannes Damascenus ex Galeni lib. 6. de Compos. medic. local. cap. 2. in phlegmonis initio adstringentium aliquid miscendum esse tradit, vt est rosa, balaustium: in vigore, crocum & myrrham: in declinatione, nitrum, salem hammoniacum, & similia.

Dia caryon. Nicolai Myrepsici. VI.

Confectio e nucibus est omnibus stomaticis medicamentis efficacior: non tamen, vt aliæ, stomacho grata. Capit exterioris corticis nucum iuglandium, quo etiam tinctores vtuntur, adhuc viridis, in mortario contusi, & per linteum expressi succi, lib. quinq;. Mellis optimi, lib. vnam. Glycyrrhizæ, vncias viginti. Coquitur succus cum glycyrrhiza ad mellis crassitudinem, & per colum traijcitur: adiecto melle, iterum coquitur.

ANNOTATIO. B

Hanc Nicolai compositionem referre placuit, quod propter adiectam Glycyrrhizam mirifice ad faucium ac gutturis asperitatem conferre videatur. Etsi igitur vsitata non est, tamen in vsum reuocari posset. Refert autem hanc ad Galenum auctorem, quod is primus, quemadmodum metipse loco paulo ante citato, ex historia cuiusdam hortulani testatur, illam inuenerit. Adiecit autem e suo Glycyrrhizam Nicolaus, vt videre licet Galenum legenti.

Diamoron Simplex. Pauli. VII.

Contra depascētia oris vlcera, ad dentium affectus, & gingiuarum noxas, atq; ad omnia oris vitia efficax est. Accipit succi mororum domesticorum, lib. quinq;. Coquuntur ad tertias, adiecto mellis optimi lib. vna, rursus percoquuntur ad mellis consistentiam.

Diamoron compositum. IIX.

Recipit succi mororum, lib. quinq;. Coquuntur ad mellis crassitudinem. Adijcitur croci, myrrhæ, [2] omphacij, ana drach. vna. Mellis, lib. vna. Percoquuntur ad iustam crassitudinem. C

ANNOTATIONES.

Hæ duæ Diamoron compositiones exstant etiam apud Nicolaum Myrepsum. Atq; ex eiusdem sententia est confecta, compositi Diamoron, quod nunc retulimus, compositio. Nam Paulus ab eo nonnihil variat, vt qui habet, Croci, drach. vnam. Myrrhæ, drach. duas. Omphacii, obulum vnum, aluminis scissi, obolos tres. Paulum Ioannes Damascenus sequitur. Miscet Galenus eadem lib. 6. de Compos. medic. loc. cap. 1. & iis etiam plura: nempe balaustium, rosas, malicorium, & id genus alia, vt illic videre licet.

Omphacium. 2 *Omphacii.*) Græce est, ὀμφακίυ. Omphacium vero nō est, nisi vuæ acerbæ & immaturæ succus, quem officinæ Agrestam vocant. Perperam igitur in Paulo legitur, ὄμφακ☉, pro ὀμφακίυ. Succum enim vuæ acerbæ, non vuam ipsam Galenus admiscet. Ceterum hic me Franciscus Alexander perstringit, vt cui videor perfunctiore Galenum legisse, quod Omphacii tantum drachmam vnam adiiciam, quum tamen de Galeni sententia, si citra vinum Diamoron paretur, plus de Omphacio adiicere conueniat. Quasi vero ipse Galeni hoc loco compositionem, & non Myrepsi referam, qui non nisi drachmam vnam, vt bona fide conuerti, habet. An non Paulus in sua compositione, eius non nisi obolum vnum adiicit? Accedit, quod succus Omphacii non eo nomine vt iusta concoctio fiat, addatur: quum ad eam succi mororũ, & mellis quantitas, sufficiat: sed tantum vt totius compositionis vires augeantur. Deniq; hoc Francisco solemne est, quod tamen calumnia non caret, vt mihi adscribat, quæ ego de Myrepsi, quem in Latinum sermonem conuerti, sententia refero. Quare consideret diligenter num hac in parte quod crebro in Matthiolo reprehendit, ipse quoq; faciat. D

Diamoron vsitatum. Nicolai Præpositi. IX.

Valet, vt priora. Præcipue autem ad faucium ardores, serpentia oris vlcera, gulæ, columellæ, & tonsillarum phlegmones, Habet succi mororum [1] domesticorum, lib. dimidiam. Succi mororum [2] batinorum, lib. vnam. Mellis. lib. dimid. Sapæ, vnc. 3. Coquũtur lento igne, ad mellis spißitudinem. E

ANNOTATIONES.

1 *Domesticorum.*) Mora sunt, quæ ex arbore decerpuntur. Celsi mora hodie vocant.

Mora batina. 2 *Batinorũ.*) Non sunt nisi mora rubi, humi nascentis, Batina, vt alibi diffuse admodũ monstrauimus.

Præter iam dictos succos medicatos, sunt & alii quidam officinis Medicorum vsitati, quos nominatim etiam percensebimus.

Succus acidus citrij. X.

Idem quod succus Ribes potest. Fit, vt præcedentes simplices. Officinæ succum acetositatis Citri nominant.

Succus vuæ immaturæ. XI.

Agresta. *Earundem est virium, & palpitationē cordis cohibet. Fit eodem modo. Officinis Agresta vocatur, Græcis omphacium. Ad hunc modum complures alij succi parari possunt: nempe sine melle &* F
Rob. *saccharo, igne vel sole incrassati: & appellātur hodie Rob. Quum vero succus prunorum syluestrium valde sit frequens, & Acaciæ loco hodie vsurpetur, illum etiam iam dictis adijcere conuenit.*

Succus prunorum Syluestrium. XII.

Easdem

A *EAsdem, quas priores, facultates habet. Sic paratur. Baccæ pruni syluestris aqua in vase pauca aliquot dieb. macerata, coquũtur, colantur, recoquũtur, donec crassescat. Seruatur, qua lubet figura.* Acaciæ officinarum nostrauũ.

[1] Hydromelum simplex. Pauli. XII.

ADuersus alui profluuia biliosa valet. Ventriculum firmat & vomitum cohibet. Habet succi cydoniorum, exemtis nucleis contusorum, lib. tres. vncias quatuor. Mellis, lib. quinq. Aquæ, lib. decem. Coquuntur despumando ad tertias.

ANNOTATIO.

1 *Hydromelum.)* Græcis, Paulo præsertim lib. 7. cap. 15. υδρόμηλον vocatur, quod Mauritanis Miua cydoniorum. Nam ipsis Miua non significat nisi succum fructuum, adeo coctum, vt in consistentiam sapæ, aut crassitudinem mellis abierit. Hydromalum itaq; quod iam recensuimus, veterum fuit Miua cydoniorum: biliosis ventriculi affectibus magis, quam ea quæ hodie vsitata est, & vinum accipit, vt paulo post dicemus, conuenit. Quanto enim Miua simpliciter fuerit, tanto calidis vitiis magis confert. Quod si igitur pro melle saccharum vsurpabimus, minus quoq; tum calefaciet, iucundiorq; erit. Præstat itaque veterum, quam hodie vsitatam Miuam vsurpare. Hydromelum. Miua cydoniorum.

B

Miua cydoniorum simplex[1] vsitata. XIV.

EAdem potest, quod prior: nisi quod vini ratione magis calefaciat. Capit succi cydoniorum acidorum, lib.[2] duodecim. Coquuntur lento igni, semper despumando ad dimidia partis consumtionem. Colatum horis circiter tribus residendo clarescit. Claro adduntur vini antiqui[3] libr. quinq. [4] Sacchari, [5] lib. tres. Iterum coquuntur despumando, ad iustam consistentiam.

ANNOTATIONES.

1 *Vsitata.)* Est autem Ioannis Damasceni, vt Cordus quoq; in suo medicamentario libro indicauit.

C Quanquam ponderum rationem non obseruauit, vt iam ostendemus.

2 *Lib. duodecim.)* Mesuæ filius habet, libras centum: immensam prorsus mensuram. Quare cum Cordo lib. duodecim sufficere putamus. Etsi arbitrio Pharmacopœorum plus aut minus, seruata tamen legitima proportione, accipi possit.

3 *Lib. quinq.)* Cordus habet, lib. octo, non obseruata proportione. Siquidem Ioannes Damascenus accipit libras quadraginta. Quam autem proportionem obtinent quadraginta ad centum, eandem quinq; ad duodecim habent. Vt hoc nomine vini quinq;, nõ octo, Cordi exemplo, libræ sumendæ sint. Cordus errat.

4 *Sacchari.)* Mesuæ filius liberum permittit, vt vel mel, vel saccharum vsurpemus.

5 *Lib. tres.)* Cordus hic quoq; legitimam excedens proportionem, habet lib. duodecim. Nam Ioannes Damascenus accipit de melle vel saccharo lib. sex. Quam igitur proportionem sex habent ad decem eandem tres habeant ad quinq; oportet. Tres igitur non duodecim libræ sacchari sunt accipiendæ. Cordi erratum.

Miua cydoniorum composita, seu Aromatica. Ioannis Damasceni. XV.

D *VEntriculum, iecur, & cetera viscera frigefacta roborat, appetentiam excitat, cõcoctionẽ iuuat, vomitum, & lieteriam ex humore frigido & pituitoso ortam reprimit. Accipit succi cydoniorũ aridorum, lib. 20. Vini antiqui boni, lib. 10. Coquũtur igni lento, semper despumando, ad 3. Colatum residendo clarescat. Claro adduntur mellis boni & despumati, lib. 6. Iterũ coquitur despumando, & in eo suspẽdũtur nodulo ligata hæc aromata: nẽpe cinam. electi, cardam. ana drach. 3. Caryophyllorũ, ℥. 2. Zingiberis, macis, ligni aloes, mastiches, ana drach. 1. & dimid. Croci, ℥. 2. Moschi, scr. 1. Galliæ moschatæ, ℥. 2. Omnia, præter crocum, parum terãtur, & suspendãtur in linteum colligata pãnum.*

DE SERAPIIS, SECTIO X.

PRius quam ad Serapiorum compositionem veniamus, notandum erit, horũ alia esse simplicia, quæ scilicet ex vnius simplicis decocto, vel succo fiũt, vt violaceũ, rosaceũ, e limonib. e succo acido citrij mali. Alia cõposita, quæ ex varijs pluribusq; cõficiũtur, vt Serapiũ e quinq; radicib. & alia quædam.

E *Varie autẽ parãtur. Sũt n. q decocta a simplicib. medic. effundũt, & colãt, adiectoq; saccharo vel melle quãtũ satis est coquũt. Alij decoctũ manib. vel p̃lo exprimũt, expressumq; donec clarũ efficiatur purificant, postea ad pfectionẽ coquũt. Alij materias in liquore pscripto macerant, & calidũ supfundũt non nimis multum, sed quãtũ tegẽdis materijs sufficit. Dein tãquam recentes p̃lo subijciũt, & succũ exprimunt, atq; vt decet percoquunt, ne recoquẽdo, & diutius ebulliendo ex ijs multũ exhalet, & q̃ in illis tenuius est pereat. Ceterum quæ ex succis cõstruũtur Serapia, alia merum accipiũt succũ, alij aqua mistum, vt Serapiũ ex infusione violar. rosar. &c. Quedã materiæ cũ melle coquũtur q̃ rarius fit. Quibusdã Serapijs materiæ exactissime trita, & panniculũ linteũ rara textura, vel sericum inclusæ dum adhuc feruent, imponitur, itidẽq; quoad totus absumatur, relinquũtur, vt fit in Serapijs ex stœchade*

F *ex cichorio, cum rheobarbaro. Rectius autẽ facerẽt si materias illas vel dissolutas, vel laxius inclusas medio decoctionis tẽpore inijcerent, atq; aliquãtisper simul feruere sinerẽt, ita n. illarum vis melius in Serapium transiret. Porro Serapia quo diutius durent, eo ad crassiorẽ cõsistentiã coquendi sunt. Sic æstate quoq; quam hyeme spissiores sint necesse est. Non satis cocti vel acescunt, vel situm cõtrahunt, vel alioqui corrumpuntur atq; putrescunt. Nimium vero cocti, in fundo sacchari candi vocati modo concrescunt.*

[1] *Serapium violatum.* [2] *Simplex.* I. A

Bilis acrimoniam frangit, ac thoracis vitijs calidis confert. Recipit succi [3] *violarum recentium, in mortario marmoreo tritarum, lib. tres. Sacchari clarificati, lib. duas. Coquuntur* [4] *despumando ad crassitudinem iustam.*

ANNOTATIONES.

Serapium. Syrupus. 1 *Serapium.*) Cum Actuario σεράπιον vocamus id, quod hodie Syrupum nominant, medicamentum forma liquidum, ex succis, vel alijs stirpium partibus cum liquore aliquo percoctis & mellitis, vel saccharatis ad saporis gratiam, & custodiæ diuturnitatem. Serapia cur inuenta. Serapia enim Arabibus nulla alia de caussa inuenta sunt, quam vt vis stirpium alioqui euanida & lubrica, efficax diu seruetur: vtq; huiusmodi remedia e succis constructa ad manum sint, quoties vtendi necessitas inciderit, sintq; vtentibus iucundiora. Nicolaus Myrepsus nouo, & aliis inusitato vocabulo, δρόσατα nominauit. B Drosatū. Zulapiū. Iulebum.

2 *Simplex.*) Hoc recentiores quidam Græci ἰόσαχαρ, & ἰοζαυλάπιον, & ἰῶν χύλισμα: Mauritani Iulapium, Iulepum, vel Iulebum appellant, vt supra etiam monstratum est: Fit autem ex infusione seu maceratione duplici violarum recentium, ad Rosati exemplum. Quo in febribus biliosis & acutis morbis, viscerum phlegmonibus, & immodica siti vtimur. Gutturis asperitates lenit, bilisque acrimoniam retūdit. Alterum ex violarum aqua stillaticia paratur, vsu quidem crebrius, quia gratius, sed viribus inferius.

3 *Violarum recentium.*) Quia ex aridis, aut parum recentibus succus exprimi non potest. Suntq; ad eam rem tantum purpurea florum foliola, abiectis viridibus cauliculis & calycibus, pediculisq; herbaceis vsurpanda.

Spuma cur auferenda. 4 *Despumando.*) Sunt qui spumam non auferunt, ne scilicet color pereat. Sed coloris hic ratio nulla haberi debet: quia repositum cum spuma Serapium hoc, cito corrumpitur.

Serapium violatum compositum. Ioannis Damasceni. II. C

Pleuritidi, tussi a calore natæ prodest: easdemq; quas zulapium violatum, facultates obtinet. Nam excreationi promouendæ idoneum est, materiæ tenuitatem densando, & leuiter incrassando. Tussim siccam sedat humectando, & faucium asperitatem leniendo. Recipit violarum, vnc. duas. Seminis cydonij, & maluæ, ana drach. septem: alias vnciam vnam: Zizyphorum, myxorum, ana numero viginti. Cum succi cucurbitæ, lib. sex, coquuntur ad tertiæ partis consumtionem, & adijcitur sacchari, lib. vna, & dimidia, fitq; Serapium.

e

ANNOTATIO.

Serapium infusionis violarum. Præter iam dicta, tertium est Serapium violatum, quod infusionis violarum vocant. Verum hoc non distat a Zulapio violaceo alterius generis, vt supra, nempe Sectione nona, diximus. Serapiorū violatorū tria genera. Quum itaq; tria sint genera Serapiorum violatorum, decet certe Medicos vt non simpliciter in suis formulis Serapii violati mentionem faciant, sed primi generis violatum simplex, alterius compositum, tertii infusionis violarum nominent. D Simplex. Cōpositū. Infusionis violarum. Ita enim fiet, vt Pharmacopolæ non vnum pro altero in compositiones medicamentarias permisceant.

Serapium rosatum [1] *simplex.* III.

In febribus calorem exstinguit: ob id sitim quoq; sedat, & ventriculum roborat. In febribus autē pestilentibus præstantissimum, quod putredini, venenis, & aeris vitio subamara & aromatica sua qualitate resistit. Habet [2] *aquæ in qua macerata sunt folia rosarum, lib. quinq;. Sacchari clarificati, libr. quatuor. Coquuntur lento igne ad Serapij consistentiam.*

Zulapiū e succo rosarum.

ANNOTATIONES.

Zulapium rosatum. 1 *Simplex.*) Hoc trifariam fieri solet. Vno quidem modo, ex succi rosarum libris tribus coctis igni lento, cum sacchari libris duabus. Hoc Zulapium potius, euitandæ confusionis gratia, e succo rosarū vocetur. E Estq; ceteris, vt diximus, efficacius. Altero modo ex stillatitio rosarum liquore, & simpliciter Zulapium rosatum nominatur, paruarumq; est virium. Serapium rosatum simplex. Tertio modo ex infusione, vt hodie loquuntur, rosarum recentium, vel harum penuria aridarum: & Serapium rosatum simplex appellatur. Atq; hoc est, q hic ex sententia Ioannis Damasceni describimus. Est vero hæc differentia a Medicis diligenter in suis formulis exprimenda, ne Pharmacopœi vnum pro alio vsurpent.

Modus infusionis florū rosarū Nicolai improbatus. 2 *Aqua in qua macerata sunt, &c.*) Pharmacopœi hactenus fere omnes Nicolai Præpositi, macerationis: vel (vt ipsi loquuntur) infusionis modum secuti sunt. Nec aliū in suo medicamentario lib. præscribit Cordus. Mihi tamen non probatur, quod in eo neq; rosarum, neq; aquæ mensura & quantitas exprimatur. Modus infusionis florū rosarū optimus. Præstat igitur Ioannis Damasceni modum amplecti, qui est eiusmodi. Foliorum rosarum recentium libræ sex, horis 8. in vase terreo vitrato, stricti oris, & operculato macerentur in libris quindecim aquæ calefactæ, postea colantur. Eidem aquæ iterum calefactæ rosarum recentium tantundem immittitur, & tam diu, vt antea, macerantur, colantur. F Mucharū. Id si velis seruare, oleo affuso, & vase eodem bene operculato, dies quadraginta insolato: vocaturq; id Mucharum, id est, infusio rosarum. Serapium rosatum simplex purgatorium. Atq; hinc perspicuum euadit, quod Serapium hoc ex præscripto filii Mesuæ duabus infusionibus fiat, & Rosatū simplex absolute dicatur. Nicolaus ex multis infusionibus cōponit Serapium suum rosatum simplex. Sed si frequentius,

A tius, quinquies maxime, rosæ macerantur, purgatorium serapium rosarum efficitur. Ad purgatorii vero Serapii compositionem accipiendæ sunt Rosæ pallidæ recentes, quas Incarnatas aliqui nominant. Nam non solum omnium sunt odoratissimæ, sed & maxime purgantes. Quapropter tum non absolute simplex, sed cum adiectione Purgatorium nũcupatur. Siquidem si ab vnciis duabus ad vncias quatuor sumatur, bilem purgat. Tres quidem abunde, quatuor vero exquisite admodum purgant. Simplex aũtem purgatorium nominatur, ad differentiam alterius Serapii purgatorii compositi, de quo paulo post dicemus. Ceterum ne id silentio transeamus, fit etiam Serapium purgatorium ex quatuor, quinq; aut sex infusionibus florum recentium persici. Febribus vtile, biliosos & tenues humores educens. Hic in locum Serapii de succo Persicorum substitui potest, datur mensura trium vnciarum. Præterea ex iisdem floribus saccharatis, seu cum sacchаро contusis, Conserua, vt nominant, purgatoria, præsertim recens. Vis enim ignea & purgatrix ab iis omnibus facile euaporat & vanescit. Valide tamen purgant Persicæ B flores & sumentes non raro plurimis incommodis, quod compertum habeo, afficiunt, nempe intestinorum torminibus, crebris tum vomitionibus, tum alui deiectionibus. Quare robustis tantum conueniunt. Porro in penuria recentium rosarum fit etiam a recentioribus serapium ex rosarum aridarum infusionibus, in hunc modum. Recipit rosarum siccarum, vncias quatuor, quæ singulis aquæ colandæ libris iniiciuntur. Id valenter adstringit, & ventriculum roborat, fluxionesq; sistit.

Serapium purgatori um ex floribus Persici.

Conserua florum persici purgatoria.

Serapium rosatũ ex aridarum rosarũ infusione.

Serapium rosatum purgatorium compositum. Auicennæ. IV.

FLauam bilem purgat. Capit succi rosarum, lib. duas. Mellis optimi, lib. quatuor. Scammonij tosti, vnciam vnam. Coquantur lento igne ad spissitudinem.

Serapium rosatum purgatorium compositum. [1] Nicolai Myrepsici. V.

COnfert ijs qui malo corporis habitu præditi sunt, iocinerosis, lienosis, & male coloratis. Purgat quoq; vetrem. Accipit, radicis apij, fœniculi, [2] hipposelini, asparagi, & borraginis, ana vnc. duas C *[3] Succi apij, intybi latifolij, ana vnciam vnam. Radicis [4] echij, vnc. vnam, & dimidiam. Eupatorij, vnc. vnam. Senæ, cuscutæ, asari, ana vnc. dimid. Santali rubei & albi, ana vnc. dimidiam. Rosarum, violarum, iridis, ana vnc. vnam. Florum boraginis, vnc. dimidiam. Adianti, [5] scolopendrij, ana Manip. vnum. Spicæ, ammeos, ana drach. vnam, scrup. vnum. Seminum quatuor frigidorum, ana vnc. dimid. Polypodij, vnc. duas. Seminis apij, anisi, & fœniculi, ana drach. vnam, scrup. vnum. Agarici, drach. duas, scrup. duos. Aquæ quod satis est. Sacchari albissimi, rhei barbari, turpeti, ana vnc. dimidiam. Coquuntur lento igne ad consistentiam Serapij.*

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai Myrepsici.*) Insitatum quidem, vtile tamen in prædictis vitiis. Quare in malo corporis habitu, καχεξίαν Græci nominant, vtendum esse eo puto. Posset itaq; ob egregias suas vires in vsum reuocari: efficax namq; in tollendis iecoris obstructionibus exsistit. D

2 *Hipposelini.*) Officinis Petroselinum macedonicum vocatur, vt lib. I. dictum est. Hipposelinum.

3 *Succi apii.*) Nicolaus habet decocti. Nam illi solenne est, vt in Drosatorum, sic enim Serapia vocat, compositionem permisceat decocta. Siue vero succos, siue decocta vsurpes, parum refert.

4 *Echii.*) Nicolaus habet, Buglossi. Intelligit autem dubio procul Buglossum recentiorum, quod non est nisi Echium. Veterum enim Buglossum est Borrago, cuius ante meminit. Buglossũ.

5 *Scolopendrii.*) Ceterach officinis dicitur, vt alibi monstrauimus. Scolopendrium.

*Serapium * Nymphea simplex.* VI.

* Nenupharinus.

BIlis flauæ feruorem extinguit, ideoq; mirifice ardentibus, alijsq; febribus acutis auxiliatur. Somnum quoq; conciliat. Fit hoc modo. Florum nympheæ, lib. duas, vna decoctione in aqua fontana coquuntur, dein exprimuntur: expresso adijciuntur sacchari, † libr. dua, & coquuntur ad Serapij consistentiam. E

† Alii libras tres & dimidiã addunt.

*Serapium nympheæ compositum. * Francisci Pedemontani.* VII.

*In curatione intemperiei iecoris simplicis & compositæ.

IDem quod præcedens potest, estq; eo validius. Habet florum nympheæ, vncias duas. [1] Vngulæ caballinæ aquaticæ, psyllij integri, acetosæ, ana vnc. vnam. Seminum quatuor frigidorum maiorum, ana vnc. dimid. Seminum lactucæ, endiuiæ, scariolæ, portulacæ, ana drach. duas. Radicum fœniculi, vnciam vnam. Bulliant in aqua hordei sufficienti, & addantur sacchari, lib. vna. Aceti albi, succi granatorum acidorum, ana vnc. duæ. Coctis ad syrupi consistentiam inijciuntur, santali rubei, spodij, ana drach. vna. Spicæ, drachma dimidia.

ANNOTATIONES.

Duas Serapii nympheæ compositiones attulimus, simplicis & compositi. Simplex vsitatius existit, & magna ex parte ad eum quem diximus modum paratur. Nicolai Myrepsi abbreuiator, Præpositum vocant, illud instar violarum ex floribus maceratis in aqua conficiendum esse docet. Parum vero refert, F hanc vel aliam sequantur Pharmacopœi parandi rationem. Serapium nympheæ simplex.

1 *Vngula caballina*) Cordus censet auctorem huius compositi Serapii per Vngulam caballinã aquaticam alteram, luteam nimirum, intelligere Nympheam. Sed quum Serapium hoc tussientib. conferat, nihil refert, si etiam in propria significatione vsurpemus Vngulam caballinam, p Tussilagine: cuius sane Cordus, Vngula caballina aquatica.

folia viridia illita erysipelatis, & omnibus phlegmonibus, Dioscoride & Galeno testibus, prosunt, & tusses mirifice iuuant. Atq; hæc recte quoq; aquatica, quod in aquis, aut iuxta aquas verius copiose proueniat, appellatur. A

Serapium acidum simplex.[1] Ioannis Damasceni. IIX.

Affectibus, ac febribus maxime biliosis auxiliatur: quia bilem tenuitate & caliditate furiosam frangit, retundit, exstinguit, adeoq; sitim sedat. Humores quoq; crassos tenuat, incidit, obstructiones tollit, vrinas mouet, ac sudores. Putredini resistit, ob id pestilentibus febribus est saluberrimum. Capit aquæ fontanæ, lib. quatuor. Sacchari, lib. quinq;. Coquuntur in vase[2] lapideo carbonibus accensis, aut flamma exigua, citra fumum, semper despumando ad dimidias. Dein adijciuntur aceti[3] albi clari, lib. dua. Si autem valentissimum vis, lib. quatuor. Si viribus mediocre, lib. tres, & percoque in Serapij consistentiam. B

ANNOTATIONES.

Serapium acidum simplex Nicolai. 1 *Ioannis Damasceni.*) Nec aliter conficit illud Nicolaus Myrepsus Sectione octaua, de Drosatis cap. 39. nisi quod minus de singulis accipit, nempe aquæ lib. tres. Sacchari, lib. quatuor. Aceti, lib. vnam. Coquit autem hæc omnia, ad mellis crassitudinem.

In lapideo vase cur coquendū. 2 *Lapideo.*) Aut terreo vitrato. Non ab re autem in tali vase coquit. Nam acetum a vase æneo æruginosum aliquid, & corrodens contrahit.

Acetum album. 3 *Aceti albi.*) Hoc enim tenuius & potentius est alio. Et caueant Pharmacopœi ne plus aceti adijciant, quod ita integrum sit Medico, vbi ita expedire videbitur, eius quantitatem augere.

Serapium acidum compositum. Ioannis Damasceni. IX.

Alius de radicibus, humores crassos, pituitosos, & eradicatu difficiles incidit, terget, extenuat. Obstructiones, quæ sunt in iecore, liene, & renibus tollit. Accipit radicum apij, fœniculi, & intybi latifolij, ana vnc. tres. Seminum apij, fœniculi, anisi, ana vnc. vnam. Seminis intybi latifolij, vnc. dimid. Coquuntur igne lento hac omnia in aqua fontana lib. decem ad dimidias. Dein vbi expressum est, addantur sacchari lib. tres, & clarificetur: postea aceti inijciatur quantum libet, prout in Serapio acido simplici est expressum. C

Serapium e duabus radicibus. X.

Idem quod præcedens, potest. Recipit radicum petroselini, & fœniculi ana vnc. quatuor. Coquuntur in aqua fontana lib. quinq;, ad tertia partis consumtionem. Expressum percoquitur cum sacchari lib. duabus, donec ad Serapij crassitudinem redeant.

Serapium e quinque radicibus. Incerti auctoris. XI.

Ad febres putridas, biliosas, ac pituitosas solutu contumaces confert. Habet radicum apij, fœniculi, petroselini, asparagi, rusci: ana[1] vnc. duas. Coquuntur in libris sex aquæ fontis, ad tertia partis consumtionem. Expressum percoquitur cum sacchari[2] libris tribus, addendo sub finem aceti, vncias octo. Alij radicibus prædictis addunt seminis apij, petroselini, fœniculi, ana vnciam vnam, & in libris decem aquæ coquunt, ad dimidias. Expressum percoquunt, cum mellis lib. quatuor, & sub finem adijciunt aceti lib. vnam. D

ANNOTATIONES.

Cordus errat. 1 *Ana vncias duas.*) Cordus contra omnium codicum, quos viderim, fidem, in suo Medicamentario libro habet vncias quatuor.

2 *Lib. tres.*) Et hic dissentientibus omnibus codicibus, Cordus legit, lib. quatuor. Ita multis in locis Cordi compositionibus non satis fidendum erit, vtpote vel typographorum culpa corruptis, vel Cordi studio immutatis. E

*Serapium * ex acido citrij succo. Ioannis Damasceni. XII.*

* Acetositatis citri.

Æstum & feruorem bilis flauæ, febriumq; ardentium & pestilentialium, præsertim æstatis constitutione pestilente, ac vehementem sitim potenter restinguit. Cor, ventriculum, & alia viscera ab intemperie calida infirma, roborat. Ebrietati resistit, vertiginemq; iuuat. Fit hoc modo. Succi citriorum acidi lib. 12. in vase vitrato coquuntur igni prunarum lento, ad tertia partis consumtionem. Dein per linteum rarum[1] sine expressione colatur, & residere, donec clarescat, permittitur. Clari succi[2] lib. 7. percoquuntur ad iustam crassitudinem, cum[3] Iulebi clari & purgati[4] lib. 5. Aut si æstas est, in sole, donec aquosa eius substantia consumatur.

ANNOTATIONES.

1 *Sine expressione.*) Nisi enim sine vlla vi aut expressione coletur, vbi refrixerit, Serapium coagulatur. Nam hæc est Serapiorum fere simplicium ratio, vt succi residentia, aut coctione purgati, cum sacchari certa portione clarificati & percocti in vsum condiantur. F

Cordus notatus. 2 *Lib. septem.*) Cordus hic in medicamentario suo libro, præter omnium codicum fidem habet lib. sex, & tamen hoc Serapium nihilominus ad Mesuæ filium auctorem refert. Vt mirari satis non possim, cur ad præscriptum ipsius illud non conficiendum esse docuerit. Sed est hoc ipsum ei familiare, vt ad Mesuæ filium referat compositiones, nec ad illius præscriptum conficiat.

A 3 *Iulebi clari & purgati)* Per hoc ipſum non intelligit, niſi ſaccharum in aqua competenti pura diſſolutum, ac cum albis ouorum clarificatum, & inſtar Iulebi coctum. Id enim vere eſt Iulebum clarum & purgatum. Iulebum clarum & purgatum

4 *Lib. quinque)* Et hoc loco Cordus a præſcripto Ioannis Damaſceni, cui tamen acceptum hoc Serapium, vt diximus, refert, diſcedens, Sacchari, lib. tres duntaxat recipit, quum iuxta proportionem ad lib. ſex ſucci, recipiendæ erant ſacchari lib. quatuor. Cordus notatus.

Serapium ex[1] acido limonum ſucco. XIII.* *De limonibus.

PRædicto non multo inferius, magis tamen refrigerans & penetrans. Cor & ſtomachum roborat, & ſpiritus reſolui prohibet, putrefactioni reſiſtit. Capit ſucci limonum inſtar citriorum cocti, & per linteum colati, ac clarificati, lib. ſeptem. Sacchari clarificati, lib. quinque. Percoquuntur ad iuſtam conſiſtentiam. B

ANNOTATIONES.

1 *Ex acido limonum ſucco)* Sunt qui Serapium hoc præcedenti præferant, quod ſcilicet Limonum maior copia haberi poſſit, & potentius Citriis proprie dictis malis refrigerent. Serapia ex acido, vel dulci Aurantiorum ſucco.

Inſtar huius Serapii, etiam ex acido Arantiorum ſeu Aurantiorum malorum, item etiam e dulci ſucco, cum ſaccharo clarificato, Serapia confici poſſunt: vt non ſit opus ſeorſim eorundem referre compoſitiones.

Serapium ex[1] omphacio, Ioannis Damaſceni. XIV.* *Agreſta.

IN magnis æſtibus ad ſitim reſtinguendam mirifice confert, vomitum & alui profluuium biliosum ſiſtit, febribus ſuccurrit. Grauidarum etiam vomitum reprimit, ac earundem ventriculum firmat veneniſq; aduerſatur. Fit vt Serapium e ſucco citriorum: nempe ex Omphacii, coctione & reſidentia purgati, lib. ſeptem, & ſacchari clarificati, lib. quinque, ad conſiſtentiam iuſtam percoctis. C

Serapium e pomis, Ioannis Damaſceni. XV.

COr imbecillum roborat: ob id ſyncopen & cordis palpitationem ſanat. Accipit[1] pomorum dulcium, & acidorum ſucci, an. lib. quinque. Coquuntur deſpumando ad dimidii conſumptionem: dein biduo reſidere permittuntur, donec clareſcant: poſtea colantur, & cum ſacchari lib. tribus, fiat Serapium.

ANNOTATIO.

1 *Pomorum)* E dulcibus eligenda ſunt noſtratia ſapidiſſima. Ex acidis, quæ Weinling, id eſt, vinoſa, Germani noſtri nominant. Efficacius erit, ſi poma dulcia augeas, quod illa odore cor magis roborant, & guſtui longe gratiora ſint. Acida ventriculum magis confirmant, ſitimque ſedant. Sunt qui huic ſucco nondum per reſidentiam purgato, immergunt ſericum crudum e recentiſſimo grano tinctorio (Chermes Mauri vocant) infectum, donec is rubeſcat, & cocci ac ſerici facultatem recipiat, quod vtrunque, ſericum nimirum, & granum tinctorium Arabibus vim cordis roborandi obtinere credatur. Errant autem plurimum, qui pannum ſericum ab infectoribus tinctum in Chermes accipiunt, propter aluminis, gallarum, arſenici, & aliorum venenatorum tincturæ panni huius neceſſariorum miſtam malignitatem. Accipitur autem interdum Chermes libra vna, & redacta in puluerem in libras quinque aquæ in æneo lebete igni ſuſpenſo, priuſquam feruere incipiat, iniicitur. Dein facta vna ebullitione ab igne remouetur. & libra vna ſerici crudi imponitur, vbi tantiſper relinquitur, donec ſuccum probe imbiberit. Poſtea exprimitur, eaque aqua in vſum adhibetur. D Chermes

Serapium e granatis acidis, Ioannis Damaſceni. XVI.

E *FEbres bilioſas, & quæ ex pituitoſis flammam multam inuehunt, iuuat. Fit vt præcedentia: ita vt non ſit opus conficiendi modum ſeparatim referre.*

Serapium e granatis dulcibus, Ioannis Damaſceni. XVII.

SItim, tuſſim, pleuritidem iuuat. Fit vt præcedens.

ANNOTATIO.

Parum recte faciunt, qui Serapium e granatis parantes, dulcia cum acidis miſcent: quum ſeparatim iam ex dulcibus, nunc ex acidis tantum, vt oſtendimus, conficiendum ſit: quod acidorum, quam dulcium, alia ſit facultas. Nam Granatorum acidus ſuccus refrigerat, & humectat, ideoque febribus bilioſis plurimum conducit. Dulcium autem ſuccus tuſſim inhibet, & humectando ſitim reſtinguit.

Serapium ex intybo ſatiuo, ſimplex. XVIII.* *Endiuia.

F *VAlet ad immodicum iecoris & aliorum nutritioni ſeruientium inſtrumentorum calorem, ac laterali maxime morbo conuenit. Habet ſucci intybi ſatiui latifolii vna ferueſactione, dein reſidetia purgati, lib. octo. Sacchari albiſſimi, lib. quinque, & dimidiam. Affunditur paulatim ſaccharo, ſi purum eſt, clarificato. Si vero purum non eſt, ſucco diſſolutum coquitur, cumq; albuminibus purgatur, colatur, percoquitur in Serapium.*

Serapium ex intybo ſatiuo compoſitum, Gentilis. XIX.

VAlet ad immodicum iecoris, cordis, & aliorum nutritioni famulantiū inſtrumentorū calorē, & in ſumma ad omnē calidā intēperiē. Soluit obſtructiones, & partes a calore debilitatas roborat.

Capit succi intybi satiui latifolii, succi[1] lichenis, an. lib. tres. Clarificentur prædicti succi ad ignem, vt expedit. Rosarum, violarum, lenticulæ aquaticæ, florum nymphææ,[2] polytrichi, an. vnc. dimidiam.[3] Capillorum Veneris, hordei repurgati, seminum frigidorum maiorum, an. vnc. vnam. Cum sacchаro quod satis est, fiat serapium: & aromatisetur cum santalorum alborum, rubeorum, berberis, seminum cydoniorum, ligni aloes, cinamomi, corticum citri, an. scrup. vnum. A

ANNOTATIONES.

Etsi non admodum mihi probetur hoc Gentilis Serapium, adeo vt facile omitti nobis potuerit: tamen quum non desint forte, qui illo vti velint, non fuit prorsus nobis Medicamentarium librum scribentibus prætereundum.

Lichen. Polytrichum. Capillus veneris.

1 *Lichenis)* Hepaticam officinæ vocant, vt alibi fusius ostendimus.

2 *Polytrichi)* Per Polytrichum intelligit herbam, Trichomanes Dioscoridi dictam.

3 *Capillorum veneris)* Adiantum inaudire oportet, Dioscoridi & aliis veteribus appellatum.

Serapium ex intybo satiuo compositum, incerti auctoris. XX.

IDem quod præcedens potest. Accipit intybi satiui latifolii viridis, intybi satiui angustifolii, lichenis, borraginis, echii, melyssophylli, lactucæ, eupatorii, an. manipulum vnum. Seminum frigidorum maiorum, an. vnc. vnam. Santali albi & rubei, an. drach. vnam. Florum borraginis, melissophylli, rosarum, an. drach. tres. Coquantur in aqua sufficienti, colato adiiciatur succi intybi satiui latifolii residentia purgati, lib. vna. Succi granatorum, vnciæ tres. Sacchari, lib. quatuor. Percoquantur ad Serapii consistentiam.*

* Buglossæ.

* Cichorio.

*Serapium ex * Intybo syluestri, cum Rheobarbaro, Nicolai Florentini. XXI.*

COnfert maxime ictero laborantibus ex obstructione lienosis, & nephriticis: in summa, ad iecoris & lienis obstructiones tollendas efficax aduersus omnem materiam venenatam, & in febre pestilentiali. Corroborat cor, & instrumenta nutritioni famulantia, expurgat per vrinas, & deiectionem alui, excitat appetentiam, & inducit somnum, refrigerat nonnihil, & obstructiones citra vehementem calefactionem aperit. Recipit intybi[1] satiui & syluestris, cichorii,[2] taraxacon, an. manipulos duos.[3] Ciccerbitæ, hepaticæ, scariolæ, lactucæ, fumi terræ, lupulorum, an. manipulū vnum. Hordei[x] integri, halicacabi, an. vncias quatuor. Glycyrrhizæ,[4] capillorum veneris,[5] aspleni, polytrichi, adianthi, cassuthæ, an. drach. sex. Radicum fœniculi, apii, asparagi, an vncias duas. Coquantur in aqua sufficienti, & colentur: dein cum sacchаro albo clarificato fiat Serapium, & pro vnaquaq; eius libra inter coquendum adiiciantur Rhei barbari selecti, drach. quatuor. Spicæ nardi, scrup. quatuor Colligato in linteolo raro, quod crebro, dum consistentiam iustam nanciscatur Serapium, exprimatur. D

Hac compositione pharmacopœi vti nō debēt, sed ea quā ad finem Annotationum subiiciemus.

ANNOTATIONES.

Etsi Serapium hoc constat ex multis simplicibus medicamentis, nec autori ipsi, vt arbitror, nec pharmacopœis satis cognitis, nullaque methodo constructum est, tamen nihilominus hodie a multis paratur. Verum quam recte, facile prudentes iudicare possunt. Præstaret, in tanta præsertim serapiorum, quæ in omnibus officinis prostant, copia, hoc & similia prorsus desiderari, quam consueto more parata habere. Vt igitur imperiti simplicium pharmacopœi in hoc conficiendo Serapio non errent, de quibusdam simplicibus nostram subiiciamus censuram oportet.

Nicolus Florentinus simpliciū imperitus.

1. *Intybi satiui & syluestris.)* Hic principio omnibus apparet, Nicolum hunc Florentinum nullam prorsus simplicium cognitionem habuisse. Siquidem nemo vnquam aliorum recentiorum Endiuiam syluestrem, vt ille, nominauit. Hoc vero secutus Græcos fecit, qui Intybum vocant, quam Barbari Endiuiam. Vox enim est corrupta, & ex Intybo voce deprauata nata. Sed quum Intybum satiuum, vel, vt Nicolus loquitur, Endiuia domestica sit gemina: latifolia, quæ non est nisi Endiuia hodie nominata: & angustifolia, quæ a medicis nunc Scariola vocatur: melius erat Nicolaum dixisse, Endiuiæ domesticæ vtriusque & postea Scariolæ nullam fecisse mentionem. Quanquam suspicio est, illum per Scariolam intellexisse Lactucam syluestrem. Præterea quum Endiuia syluestris non sit nisi Cichorium, bis vnius simplicis, tanquam diuersi, non sine risu eruditorum, & magna pharmacopœorum confusione, mentio ab eo facta est. Atque is primus est Nicoli in hoc Serapio error. E

Taraxacon.

2. *Taraxacon.)* Species est Seridis syluestris, aut Hedypnoidis Plinii: Dens leonis, & Rostrum porcinum vulgo vocatur.

Cicerbita.

3. *Cicerbita.)* Ita cum Cordo legendum esse puto: non Cucurbitæ, vt nonnulli codices habent, nam non est verisimile inter herbas Nicolum connumerasse fructus. Est autem Cicerbita non nisi Sonchus, quo hactenus officinæ nonnullæ pro Endiuia vsæ sunt: vt alibi fusius docuimus. Ita multis hactenus erroribus implicatæ officinæ fuerunt. F

x. *Hordei integri)* Quia magis detergit.

Capillus veneris.

4 *Capillorum veneris)* Capillum veneris non esse nisi Adiantum, alibi monstrauimus. Hic tamen Nicolus, non sine magna confusione pharmacopœorum, diuersum ab Adianto facit. Nam paulo post eius tanquam diuersi meminit. Et ne quispiam dicat, per Adiantum, nigrum: per capillum vero veneris album intellexisse Nicolum, impedit quod in plurali dixit Capillorum: hac ratione vtrunque capillum veneris

A neris innuens, adeoque sibiipsi memorandi deinceps Adianti occasionem præcidens. Vt is sit alter Nicoli error non leuis.

5 *Aspleni, polytrichi*) Per asplenum, Ceterach officinis; per Polytrichum autem Trichomanes Dioscoridi appellatum, inaudiendum esse, antea monuimus. Asplenum Polytrichum.

6 *Adianti*) Abundat in compositione, quod antea vtriusque capilli Veneris facta sit mentio. Nisi quod forte per Adiantum, Rutam murariam dictam intellexerit. Erit igitur huius Serapii hæc legitima compositio. Recipit Intybi satiui vtriusque, cichorii, taraxaconis, ana manipul. duos. Cicerbitæ, lichenis, siue hepaticæ vocatæ, lactucæ satiuæ & syluestris, fumariæ, lupulorum, ana manipulum vnum. Hordei integri, halicacabi, ana vncias quatuor. Glycyrrhizæ, adianti albi & nigri, aspleni, trichomanis, saxifragi Plinii siue rutæ murariæ, cassuthæ, ana drachmas sex. Radicum fœniculi, apii, asparagi, ana vncias duas. Polypodii, vnciam vnam. Passularum, prunorum damascenorum, ana vnciam vnam. Florum Buglossi, echii, violarum, ana pugillum vnum. Seminum cucumeris, cucurbitæ, melonum, ana drachmas duas. Coquuntur in aqua sufficienti, colantur cum saccharo clarificato: & rursus colatum percoquitur in Serapium, confricando in singulis eius libris inter coquendum Rhei barbari selecti, drachmas quatuor, ligatas in linteolo raro, cum Spicæ nardi scrupulis quatuor. Præstaret tamen vniuersam Serapii huius structuram in hunc modum digerere. Accipit radicum fœniculi, apii, asparagi, ana vncias duas. Glycyrrhizæ, vnciam vnam. Intybi satiui vtriusque, cichorii, taraxaconis, ana manipulos duos. Cicerbitæ, lichenis siue hepaticæ, lactucæ satiuæ & syluestris, fumariæ, lupulorum, ana manipulum vnum. Hordei integri, seminis halicacabi, ana vncias quatuor. Adianti vtriusque, aspleni, trichomanis, saxifragi Plinii, cassuthæ, ana drachmas sex. Ceterum vt hoc etiam adiiciamus, rhabarbarum in linteo raro ligatum leuiter decoquendum, vel in calido serapio infundendum, exprimendumque leuiter. Aliis prædicta omnia coquuntur in aquæ fontanæ mensuris duabus, vsque ad alterius consumptionem. In qua per noctem macerantur Rheibarbari selecti, drachmæ decem. Spicæ nardi, drachma vna in linteo raro colligatæ. In alio linteo foliorum Senæ Alexandrinæ, vnciæ duæ, & rursus in alio linteo Agarici optimi, vnc. vna. Zingiberis, drach. dimid. Mane exprimuntur, & adiiciuntur Sacchari albissimi libræ duæ, & coquuntur rursus ad Serapii cōsistentiam. Sunt vt obiter moneam, qui semina frigida maiora dicta adiiciunt.

Legitima Serapii ex Cichorio cum Rhabarbaro compositio.

B

C

Serapium e cichorio, Gulielmi Placentini. XXII.

Eiusdem cum priore facultatis. Habet cichorii, manip. duos. Foliorum borraginis, echii, lactucæ, violarum, intybi satiui, angustifolii, oxalidis,[1] taraxaconis, an. manip. vnum. Rheibarbari selecti, drach. duas. Herbæ tritæ coquuntur in lib. duabus aquæ, ad tertiæ partis consumptionem: colantur. Adduntur expresso sacchari lib. duæ. Clarificatur, & iterum colatur. Redditur igni, & adiicitur, Rheibarbarum in puluerem tritum, in linteolum rarum ligatum, & sæpe confricatur, donec percoctum Serapium erit.

D

ANNOTATIONES.

Et hoc adiicere placuit superioribus, veluti simplicius: vt si quis hoc nomine eo magis vti vellet, in promptu compositionem haberet.

1 *Taraxaconis*) Alii Batisosæ legunt, herbam hoc nomine intelligentes, quæ vulgo Battiseuda, & Flos frumentorum dicitur. De qua in historia Cyani tomo 2. nostrorum de Stirp. historia comment. multa diximus. Nihil autem refert vtram ex iis herbam huius Serapii compositionem indas. Ambæ enim refrigerant.

Oxosaccharum simplex, Nicolai Myrepsici. XXIII.

E *Confert[1] ad febres tertianas, duplices tertianas, ardentes, lipyrias, & hecticas. Capit aceti vncias quatuor. Succi mali punici acidi, vnc. octo. Sacchari albi & puri, lib. vna. Coquuntur lente igne ad Serapii consistentiam.*

ANNOTATIO.

1 *Ad febres tertianas*) Bilis enim feruorem & ferociam exstinguit, eamque euincit ac concoquit.

Oxosaccharum compositum,[1] Actuarii. XXIV.

Concalefacta corpora potum iuuat, longis iam febribus, quas sanguis aut bilis creauit, & calori interioris auxilio est, & lienem ab obstructione liberat. Accipit corticum radicum fœniculi, apii, intybi satiui vtriusque, an. vnc. duas. Coquuntur in aceti lib. tribus, ad lib. vnius consumptionem, deinde expressum cum sacchari, lib. duabus percoquitur, dum Serapii crassamentum consequatur.

ANNOTATIO.

F 1 *Actuarii*) Hoc, quia simplicius est, quam id quod ex Nicolao (quanquā nec in Latinis nec in Græcis codicibus habetur,) afferunt: placuit hoc loco, altero omisso, referre, vt deinceps pharmacopœi, prætermisso eo quod ad Nicolaum defertur, hoc potius composito oxosaccharo vtantur.

*Serapium *[1] zizyphorum, Ioannis Damasceni. XXV.*

Confert raucitati, tussi, pleuritidi. Recipit Zizyphorum numero[2] sexaginta. Violarum, seminis maluæ, ana[3] drach. quinque. Capilli veneris, vnciam vnam. Seminis cydoniorum, papaueris,

*De iniis. bis.

melonis, lactucæ, tragacanthæ, an. drach. tres. Glycyrrhizæ,[4] hordei mundati, an. drach. octo, coquuntur cum aqua fontana lib.[5] quatuor, & sacchari lib.[6] duabus ad Serapii consistentiam. A

ANNOTATIONES.

Serapium iuiubinũ duplex. Simplex. Compositum.

1 *Zizyphorum*) Iuiubinum vulgus medicorum & pharmacopœorum appellat: illisq; duplex exsistit, simplex & compositum. Simplex, supra inter Zulapia recensuimus: Compositum est, quod iam describimus.

2 *Sexaginta*) Ita plane legendum: & non, vt nonnulli codices habent, lib. decem. Nam fieri haud posset, vt decem Zizyphorum libræ in aquæ libris quatuor commode coquerentur. Atque is error ex imperitia librariorum irrepsit, qui ex numero lx. qui sexaginta denotat, fecerunt lib. x. inter l & x interponentes coma, in hunc modum, l. x. & legerunt lib. x. Ita ex notis ponderum & numerorum plures promanare errores solent, vt præstaret tum veteres, tum recentiores Medicos suas compositiones non per notas pôderum & mensurarum, sed potius integris verbis exarasse, vt nos fecimus. B

3 *Drachmas quinque*) Et hoc in loco nonnulli codices falso legunt vncias quinque.

Hordeum mundatũ.

4 *Hordei mundati*) Ita vocant, quod a suis corticibus est repurgatum, aut cortice suo nudatum. Hoc enim abstergendi facultatem cum suo cortice exsuisse, ac leniendi aut lubricandi aluum vim retinuisse putant.

5 *Lib. quatuor*) Quæ ad dimidias, vt in aliis quoque Serapiis fieri solet, coquuntur. Præstat autem aquę fontanæ libras sex accipere, vt Serapio gratia addatur. Aqua enim aucta, facilius colatur, colatumq; decoctione ipsa minus mucilaginosum, crassumque, adeoque gratius redditur.

6 *Libris duabus*) Colatum rectius & expeditius ad Serapii consistentiam cum vna, quam duabus libris, percoquitur.

Serapium e papauere[1] simplex, Ioannis Damasceni. XXVI. C

ADuersus tenuis humoris, a capite in thoracem & pulmonem, destillationem: frigore enim suo sistit, humoremque incrassatum fluxioni ineptum reddit, & simul cogendo expuitioni abdem, tussim siccam, gutturis & faucium asperitatem confert. Sitim restinguit, somnumque conciliat. Habet[2] capitum papaueris albi & nigri, an. drach. sexaginta. Coquuntur in lib. quatuor aquæ[3] pluuialis, ad consumptionem lib.[4] vnius & dimidiæ, & cum sacchari albi, & penidiorum an.[5] vnciis quatuor, ad Serapii crassitudinem percoquuntur.

ANNOTATIONES.

1 *Simplex*) Quo frequentius vtuntur, quam sequenti composito. Recte autem simplex appellatur, quod præter capita papauerum nihil recipiat.

Capita papauerum recentia. Pluuialis aqua.

2 *Capitum papaueris*) Recentiorum scilicet, quia frigidiora sunt, & diu minus coqui desiderant quam sicca. D

3 *Pluuialis*) Quæ certe, Galeno lib. 7. de compos. med. local. cap. 2. teste, aliquid in se adstringens habet, adeoque ad sistendas destillationes commodior exsistit.

4 *Libræ vnius & dimidiæ*) Codices nonnulli legunt lib. duabus. Verum quum recentia esse debeant capita, satis erit si ad consumptionem vnius libre, vel vnius & dimidiæ coquantur. Sicca tamen si fuerint, ad dimidias, id est, duarum librarum consumptionem coqui possunt.

5 *Vnciis quatuor*) Falso quidam codices legunt, drach. quatuor. Nam si largo sacchar o, nempe libra vna: aut etiam maiore mensura condias, gratius erit diutiusque suas vires seruabit, licet cum pauciore saccharo sit efficacius.

Serapium e papauere compositum, Ioannis Damasceni. XXVII. E

AD tussim siccam, tabem, destillationem insomnia caussam, in summa ad prædicta efficacius. Capit papaueris albi &[1] nigri, an. drach. quinquaginta.[2] Adianthi albi, drach. quindecim. Glycyrrhizæ, drach. quinque. Zizyphorum, numero triginta. Seminis lactucæ, drach. quadraginta. Seminũ maluæ & cydoniorum, an. drach. sex. Coque in lib. quatuor aquæ ad dimidii consumptionem, colatũ cum sacchari & penidiorum[3] vnciis octo percoquito in Serapium.

ANNOTATIONES.

Rubrum papauer.

1 *Nigri*) Quidam codices, rubri pro nigri legunt, nullo discrimine. Quanquam enim nigri legitima sit lectio: tamen si rubrum quis papauer, quod non est nisi Rhœas papauer apud Dioscoridem, accipiat, nihil delinquet: quod illi quoque sit refrigerandi & somnum conciliandi facultas. F

Adiãtum album.

2 *Adianthi albi*) Capillum veneris nominat filius Mesuæ.

3 *Vnciis octo*) Et hic nonnulli codices perperam habent, drach. octo. Ceterum, ne id silentio transeam, vtimur his Serapiis papauerinis ad alui profluuium & dysenteriam, quæ ex biliosi humoris & acris fluxione excitatur.

Serapium myrtinum simplex, Ioannis Damasceni. XXVIII.

VEntriculum, atque omnia alia viscera firmat. Contra ventris profluuia & dysenteriam valet, menstrua supprimit, tussimq; a calidis & tenuibus humoribus excitatam sanat. Accipit[1] succi baccarum myrti, lib. 12. Coquuntur in vase vitrato, lento igne ad tertiæ partis consumptionem, deinde colantur: & residere, donec clarescant permittuntur. Clari succi[2] lib. 7. affunduntur sacchari clarificati[3] lib. 5. Percoquũtur lẽto igni in Serapiũ. Vel si æstas fuerit, insolatur, quoad aquosa pars cõsumatur.

ANNO-

A

ANNOTATIONES.

1 *Succi baccarum myrti)* Qui vtique in Germania nostra, vt in iis, quibus Myrtus prouenit regionibus, haberi non potest. Quapropter vt Serapium hoc nostri pharmacopœi e bacci myrtis in aqua maceratis & coctis, parent necesse est. Sed hac ratione paratum fit imbecillius. Sunt tamen qui ad præsentis Serapii compositionem succo baccarum syluestris Germanici myrti vtuntur. De quo tomo altero nostrorum de stirpium historia commentariorum diximus.

2 *Lib. septem)* Ita omnia Ioannis Damasceni exemplaria legunt: vt mirum sit, Valerium Cordum contra horum omnium fidem legere, lib. octo. Cordus notatus.

3 *Lib. quinque)* Vt antea plus, nempe octo, non septem libras vsurpauit Cordus; ita nunc minus, libras videlicet quatuor, preter omnium codicum fidem, accipit.

Serapium myrtinum compositum, incerti auctoris. XXIX.

B

PRofluuium ventris sistit, etiam diuturnum, & sanguinis exscreationem compescit. Recipit baccarum myrti, drach. viginti. Rosarum rubearum, santalorum rubeorum & alborum, sumachii, balaustiorum, oxyacanthæ, an.[1] *drach. quindecim. Mespilorum, drach. quinquaginta. Aquæ fontanæ, lib. octo. Coquuntur omnia ad consumptionem medietatis. Colato adiiciuntur succi granatorum, succi cydoniorum. an.*[3] *vnciæ sex. Sacchari clarificati lib.*[4] *tres. Percoquuntur ad Serapii consistentiam.*

ANNOTATIONES.

Etsi incerti auctoris sit hoc Serapium, tamen in dictis vitiis magnæ est efficaciæ: ideoque parari a pharmacopœis debet, præsertim eo tempore, quo dysenteria populariter vagatur.

1 *Ana drach. quindecim)* Hic Cordus geminat pondus, contra fidem omnium codicum: nec eius rei vllam rationem reddit. Cordus errat.

2 *Drach. quinquaginta)* Et hic duplicato pondere, Cordus centum accipit drachmas.

C

3 *Vncias sex)* Cordus hoc in loco quadruplum pondus accipiendum esse docet, nempe vniuscuiusq; succi libras duas.

4 *Lib. tres)* Cordus lib. quinq; habet. Quod monendum esse duxi, propter pharmacopœos, qui ex præscripto eius hodie omnia fere conficiunt medicamenta.

Serapium e succo oxalidis, Ioannis Damasceni. XXX.

FEbribus biliosis, & pestilentibus salubre est, Cordis & ventriculi flammeum igneumue calorem exstinguit, ipsaque roborat. Habet succi oxalidis purgati, lib. tres. Sacchari clarificati. lib. duas. Coquuntur in Serapii consistentiam.

Serapium e succo borraginis. XXXI.

D

COr roborat, lætitiam generat, syncopi confert: & idem quod saccharum borraginatum potest. Capit succi borraginis per linteum colati & clarificati. lib. tres Sacchari, lib. duas. Coquuntur despumando in Serapium.

ANNOTATIO.

Alii aliter componunt. Nam quidam etiam adiiciunt florum borraginis recentium contusorum, & eos in aqua sufficienti coquunt, atque colatum prædictis affundunt, & in Serapii consistentiam percoquunt.

Serapium e[1] *succo* echii. XXXII.* * Buglossi.

COrroborare, lætitiamque generare[2] *creditur. Fit, vt præcedens.*

ANNOTATIONES.

E

1 *Succo Echii)* Buglossum officinæ vocant. Difficulter autem ex Echio tuso succus exprimitur, vtpote qui lentus est: quapropter integra nocte in frigido loco collocandus, & postridie tandem exprimendus, & cum oui albuminibus clarificandus. Echium.

2 *Creditur)* Nam reuera eam facultatem non habet, sed illam potius, quam supra in Saccharo Echii indicauimus.

[1] *Oxymeli simplex* Galeni. XXXIII.* *Lib. 4. de tuen. sani.

HVmores crassos, lentos ac pituitosos in ventriculo & venis incidit, extenuat, & abstergit: atque adeo obstructiones tollit. Sputum educit. spiritumq; faciliorem reddit. Si tamen eo immodice vtaris,[2] *intestina radit, neruosa lædit, tussimque excitat. Fit ex aceti*[3] *parte vna, mellis optimi*[4] *despumati partibus duabus, aquæ partibus quatuor. Primum autem mel & aqua*[5] *simul coquuntur, vbi probe despumata sunt, addito aceto percoquuntur, semper quoq; despumando, ad Serapii crassitudinē.*

ANNOTATIONES.

F

1 *Oxymeli)* Latinis Plinio nimirum lib. 14. cap. 17. sonat acetum mulsum, quod ex aceto, melle, & aqua sit compositum. Oxymeli.

2 *Intestina radit)* Quod Hippocrates etiam lib. 3. de victus rat. acut. morb. aphor. 33. indicauit.

3 *Parte vna)* Verbi gratia, aceti acerrimi lib. vna. Mellis optimi, lib. duabus. Aquæ fontanæ, lib. quatuor. Actuarius accipit aceti lib. viginti. Mellis, lib. quadraginta. Aquæ, lib. sexaginta. Quod plane

in idem recidit, nisi quod maior omnium trium sit quantitas. Hęc autem componendi ratio optima est. A
Nam quum vna omnibus mensura non placeat, quia hi acetosius, illi mellitius magis ament, vt pro cuiusque palato misceri possit, præstat imbecillius, quale est præsens, paratum habere: cui Medicus vtendi tempore, si opus erit, plus aceti addere potest: tantum nimirum, quantum mellis.

4 *Despumati*) Optimum quidem mel, minimum spumæ euomit, & breuissimo tempore coquitur: malum vero, multam egerit spumam, quo etiam diutius coqui debebit.

5 *Simul coquuntur*) Quousque duæ scilicet libræ fuerint absumptæ.

Oxymeli compositum, incerti auctoris. XXXIV.*

* Alias diureticū. Oxymeli e quinque radicibus.

Alias, e quinque radicibus. Humores crassos & pituitosos incidit, extergit: ob id iecoris, lienis, & renum obstructiones aufert. Vrinam mouet, sudoremque euocat. Accipit corticum radicum apii, fœniculi, petroselini, rusci, asparagi, an. vnc. duas. Seminis apii & fœniculi, an. vnciam vnam. Omnia hæc in aquæ lib. duodecim, & aceti lib. vna macerantur, & ad dimidias coquuntur. Expressum post cum mellis optimi lib. duabus, ad Serapii consistentiam percoquitur. B

ANNOTATIO.

Hoc est officinis vsurpatum Oxymeli compositum, & valentius est, quam Oxymeli de duabus radicibus.

Acetum scilliticum. XXXV.

Efficax ad incidendos ac discutiendos crassos & lentos humores, gingiuas humore laxas & putrescentes sanat: eas enim reprimit, & firmat. Dentes mobiles stabilit. Oris putredines compescit, eiusque odorem commendat, fœtore illius dissipato. Solidescit potu eius guttur, callum faucibus obducit, validioremque vocem & clariorem efficit. Datur stomachicis, ægre cibum concoquentibus: concoctionem enim iuuat. Comitialibus, vertiginosis, melancholicis, calculosis: item vuluarum strangulationibus, lieni tumescenti, & ischiadicis prodest. Admodum imbecillos recreat, & corpus sanū reddit, bonumque colorem præbet. Visum acuit, & difficilem auditum, instillatum iuuat. Insumma, ad omnia efficax est, demptis internis exulcerationibus, doloribus capitis & neruorum vitiis. Conficitur hoc modo. Scilla candida repurgata, in taleolos seu [1] laminas ligneo cultello conciditur, & filo [2] traiecta [3] segmenta modicis interuallis, ne se contingant, [4] quadraginta diebus in vmbra siccantur. Sumitur deinde [5] ex ea lib. vna & in optimi aceti lib. octo, in vase vitrato stricti orificii bene obstructo demittitur, & septenis diebus in sole madescit. Post id tempus scilla eximitur, & expressa abiicitur. Defecatum acetum transfunditur, & reponitur. C

ANNOTATIONES. D

Cor. Cortex.

1 *Laminas*) Ioannes Damascenus filius Mesuæ eligit eas, quæ inter centrum siue cor & corticem externum, seu superficiem mediæ sunt: propterea, vt quidam arbitrantur, quod partes in superficie constitutæ sint nimis siccæ. Ad centrum vero sitæ, nimis humidæ. Et verum certe est, quod aridæ tunicæ (ita enim Plinius lib. 20. cap. 9. appellat) in superficie positę, tanquam nullius momenti sint abiiciendæ: & sumendum reliquum, quod e viuo est. Centrum etiam seu medium Scillæ, vnde germen enascitur, etiam abiiciendum erit.

2 *Filo traiecta*) Acu lignea Ioannes Damascenus traiicit, ne ferrum tangat, quo venenari opinatur. Nā contrahit a ferro venenatam quandam rubiginem. Quo nomine, ligneo quoque cultro in laminas, seu taleolos concidenda scilla erit.

3 *Segmenta*) Filo scilicet suspensa. E

4 *Quadraginta diebus*) Non enim ob tenacem succum, quem habent, situmque facile contrahunt, præsertim si se contingunt, in vmbra facile siccantur.

5 *Deinde ex ea*) Scillæ arida frusta intellige pendentia.

Oxymeli scilliticum simplex, Ioannis Damasceni. XXXVI.

Humores crassos, lentos, frigidos, eradicatu difficiles extenuat, incidit & abstergit: ideoq; ad ciendum vomitum efficax. Dentes vacillantes ac mobiles firmat, & oris suauitatem efficit. Ab illius vsu caueant tabidi, & febribus acutis laborantes. Fit ex aceti scillitici, lib. duab. Mellis despumati, lib. tribus. Percoquuntur despumando ad Serapii consistentiam.

Oxymeli scilliticum compositum, eiusdem. XXXVII. F

Id potentius multo incidit, tenuat, terget, obstructa aperit, in diuturnis quartanis, & quotidianis, quam oxymeli de radicibus. Recipit radicum apii, fœniculi, petroselini, rusci, asparagi, an. vnc. duas. Seminum apii, fœniculi an. vnciam vnam. Omnia hæc in aquæ lib. duodecim, & aceti scillitici lib. vna macerantur, & ad dimidias coquuntur. Expressum post cum mellis optimi libris duabus, ad Serapii consistentiam percoquitur.

Serapium e stœchade simplex, Ioannis Damasceni. XXXVIII.

Iuuat omnes cerebri & neruorum affectus frigidos, nempe neruorum resolutionem, epilepsiam, conuulsionem, tremorem, & similes. Destillationibus a capite in thoracem, quas frigidus excitauit humor,

A mor, conducit, ventriculumque firmat. Habet florum stichadis, drach. triginta. Thymi, calaminthæ, origani, an. drach. decem. Anisi, drach. septem. Passarum vuarum repurgatarum, vnc. quatuor. Coquuntur in lib. octo aquæ, ad duarum consumtionem. Colato mellis optimi lib. quinque adiiciuntur, & iterum coquuntur ad Serapii craßitudinem: quod conditur cum cinamomi, calami odorati, Zingiberis, an. drach. vna, & dimidia. Ligata in panno raro, in Serapio appenduntur.

Serapium e stichade compositum, Eiusdem. XXXIX.

IDem quod præcedens efficit. Capit florum stichadis, drach. triginta. Thymi, calaminthes, origani, ana drach. decem. Anisi, pyrethri, ana drachmas septem. Piperis longi. drach. tres. Zingiberis, dr. duas. Vuarum passarum repurgatarum, vncias quatuor. Coquuntur in lib. octo aquæ, ad duarum consumtionem. Colato adduntur mellis puri lib. quinque, & rursus coquuntur ad Serapii consistentiam. Id conditur cinamomi, calami odorati, spicæ nardi, croci, Zingiberis piperis nigri, & longi, ana drach. vna, & dimidia. Ligata in panno raro sericoue, in Serapio craßiuscule contusa appenduntur. B

Serapium bizantinum, sine* aceto, Ioannis Damasceni. XL. * Alias simplex.

HVmores crassos & lentos incidit atque extenuat, obstructionē aufert, ac morbo regio succurrit. Accipit succi intybi satiui latifolii, & apii, ana lib. duas. Succi lupi salictarii, & echii hortensis vel syluestris, an. lib. vnam. Feruefiant semel, despumentur, & purgentur. Eius succi clarificati lib. quatuor, igne lento coquuntur cum sacchari lib. duabus & dimidia in Serapium.

Serapium byzantinum * cum aceto, Eiusdem, XLI. * Alias compositum.

C EFficacius est priori. Recipit succi intybi satiui latifolii, & apii, an. lib. duas. Succi lupi salictarii, & echii satiui vel syluestris, an. lib. vnam. Iam dictis succis incoquuntur, Rosarum, vnciæ duæ. Glycyrrhizæ, vnc. dimidia. Spicæ nardi, drach. duæ. Seminum anisi, fæniculi, apii, ana drach. tres. Colantur & clarificantur. Claro adduntur aceti lib. duæ. Sacchari albißimi, lib. duæ, & dimidia. Percoquuntur in Serapium.

Serapium ex eupatorio, Eiusdem. XLII.

VEntriculum & iecur roborat, ac frigidis iecoris vitiis, & eiusdem obstructionibus, aqua inter cutem incipienti, maloque corporis habitui succurrit. Humores crassos incidit & extenuat, & per vrinas expurgat, flatus dißipat, & hypochondriorum tensionem demolitur. Habet radicum apii, fæniculi, intybi satiui, latifolii, an. vncias duas. Glycyrrhizæ, florum iunci odorati, cassuthæ, absinthii, rosarum, an. drach. sex. Adianti,[1] spinæ albæ, &[2] Arabicæ, florum aut radicum echii, anisi, fæniculi, eupatorii, an. drach. quinque. Rheibarbari, mastiches, an. drach. tres. Spicæ nardi, asari, folii, an. drach. duas Coquuntur in aqua lib. octo, ad tertiæ partis consumtionem, & cum sacchari clarificati lib. quatuor, & succorum apii & intybi satiui latifolii, an. lib. duabus. Percoquuntur in Serapium. D

ANNOTATIONES.

1 *Spinæ albi*) Officinæ hactenus barbara voce vsæ, Bedeguar appellarunt. Debent autem, vt lib. 1. dictū est, in penuria veræ spinæ albæ vti nostrate, quam tomo primo nostrorum de Stirpium historia commentariorum descripsimus & pinximus. Spina alba.

E 2 *Arabica*) Suchaham itidem barbara appellatione nominant officinæ. Quum vero hodie incognita sit Arabica spina, pro ea albam vsurpare oportet. Geminandum igitur hoc in loco eius pondus, & accipiendæ drachmæ decem. Spina Arabica.

3 *Eupatorii*) Ioannis nimirum Damasceni, filii Mesuæ. Quanquam si etiam Græcorum, quod iecoris roborandi, & tollendi obstructiones facultatem obtinet, vsurpetur in alterius penuria, nihilo deterius Serapium futurum est. Mesuæ tamen Eupatorium ad tollendas obstructiones multo est efficacius, & bilē magis per inferna deturbat, præsertim si Graciola vocata herba pro Eupatorio vsurpetur, quæ Centaurii minoris species est. Verum autem Mesuæ Eupatorium, est Ageratum Dioscoridis, vt in nostris de Stirp. historia commentariis demonstrauimus. Eupatorium.

Serapium e glycyrrhiza, Eiusdem. XLIII.

F TVßim antiquam iuuat, thoracem & pulmones expurgat, pleuritidique auxiliatur. Calefacit, incidit, tenuat, terget, expurgat, lenit, siccat. Capit glycyrrhizæ, vncias duas. Adianti, vnciam vnam. Hyssopi, vnc. dimidiam. Horis 24. in aqua lib. quatuor macerantur, dein coquuntur ad dimidias. Expresso adiiciuntur mellis optimi, sacchari.[1] penidiorum, an. vnc. octo. Stillatitii rosarum liquoris, drach. sex. Percoquuntur in Serapii consistentiam.

ANNOTATIO.

1 *Penidiorum*) Penidia ex purissimo saccharo esse debent, ne colaturæ negotium facessant. Hoc est, saccharum in penidiorum consistentiam percoctum, & pistillo ligneo probe tritum immisceri debet.

Serapium ex Hyssopo, Eiusdem. XLIV.

AD asthma, tußim, aliaque thoracis vitia efficax est, humoresque exscreatu difficiles extenuat, &

educit. Potenter obstructiones liberat, & hypochondriorum dolores lenit. Accipit hyssopi, radicum apii, fœniculi, petroselini, glycyrrhizæ, an. drach. decem. Hordei repurgati, vnciam dimidiam. Seminum maluæ, & cydoniorum, tragacanthæ, an. drach. tres. Adianti, drach. sex. Zizyphorum, myxorum, an. numero triginta. Vuarum passarum purgatarum, drachmas duodecim. Ficuum siccarum, palmularum pinguium, an. numero decem. Coquuntur omnia in lib. octo aquæ, quoad quinque supersint. Expressum cum[1] penidiorum alborum lib. duabus percoquatur in Serapium. A

ANNOTATIO.

Penidia alba. 1 *Penidiorum alborum*) Sic autem vocat, quæ ex saccharo albissimo & purissimo facta sunt: non ex crasso & pingui, vel rubro cum amylo, & sublito marmore butyro. Nam sic facta penidia ægre, vt dictum est, colantur, & impurum ingratumque Serapium reddunt.

Serapium e[1] prassio, Eiusdem. XLV. B

THoracem & pulmonem expurgat: ideoque earundem diuturnis vitiis, & a frigido tenaciq; humore excitatis, atque eradicatu difficilibus succurrit. Hinc senibus & asthmaticis plurimũ conducit. Recipit prassii, vncias duas. Hyssopi, adianti, an. drach. sex.[2] Glycyrrhizæ, vnciam vnam. Calaminthes, anisi, radicum apii, & fœniculi, an. drach. quinq;. Iridis, seminum maluæ & fœnigraeci, an. drach. tres. Seminis lini & cydoniorum, an. drach. duas. Vuarum passarum purgatarum,[3] vncias duas. Ficuum siccarum pinguium, numero quindecim. Coquuntur in lib. decem aquæ ad dimidias. Expressum percoquitur cum[4] penidiorum & mellis despumati an. lib. duabus in Serapium.

ANNOTATIONES.

1 *Prassio*) Græca voce ita hodie etiam appellant officinæ, quum illis potius Serapium e marrubio nominandum esset. Viride autem maxime accipiendum.

2 *Glycyrrhiza*) In nonnullis codicibus desideratur. Tamen quum ad affectus thoracis plurimum conferat, recte cum aliis huius Serapii compositionem ingreditur. Qui glycyrrhizam omittunt codices, legunt, hyssopi, adianti, siue capilli Veneris, an. vnc. vnam. C

3 *Vncias duas*) In quibusdam exemplaribus est vnciæ quinque. Sed nos plurium codicum lectionem secuti sumus.

4 *Penidiorum*) In aliquibus codicibus separatim legitur, Penidiorum, lib. vna. Mellis despumati, libris duabus.

Serapium e calamintha, Eiusdem. XLVI.

LIenosis, & aliis qui ex humoribus crassis ac lentis obstructione laborant, asthmaticis, & diutina tussi affectis, retentisq; mensibus succurrit. Senes quoque, & durũ lienem iuuat. Habet calaminthæ[1] domesticæ & syluestris, an. vnc. duas. Ligustici, dauci, floris iunci odorati, an. drach. quinque. Vuarum passarum purgatarum, lib. dimidiam. Coquuntur in lib. sex aquæ ad dimidias. Expressum percoquitur cum mellis optimi lib. duabus ad Serapii consistentiam. D

ANNOTATIO.

Calamintha domestica & syluestris. 1 *Domestica & syluestris*) Per domesticam, vel eam quæ nobis peregrina est, & in hortis iam plantatur, & cultis in locis prouenit: per syluestrem autem, montanam nostram, quæ in incultis nascitur, aut certe eam, quæ alio nomine pulegium syluestre dicitur, intelligendam esse censemus. Vtriusq; effigiem, & aliorum quoque generum in commentariis nostris de Stirpium historia offendent studiosi.

Serapium e mentha[1] maius, Eiusdem. XLVII.

VEntriculum frigidum roborat, eiusq; concoctionem iuuat, vomitum nauseamq; reprimit, singultum sanat, aluifluorem a frigidis humoribus natum sistit. Capit succi cydoniorum,[2] vinosorum, siue acidodulcium, & dulcium, succi granatorum acidodulcium, & dulcium, an lib. vnam, & dimidiam.[3] In illis horas 24. macerantur[4] menthæ siccæ lib. vna & dimidia. Foliorum rosarum, vnciæ duæ. Coquuntur igne lento, ad medietatis consumptionem. Colatum cum mellis vel sacchari lib. duab. Percoquitur in Serapium: quod cum Galliæ moschatæ tritæ, & in panno raro ligata drachmis duabus aromatizatur. E

ANNOTATIONES.

1 *Maius*) Hoc Serapium posteriori siue minori valentius est, & vsitatum: idq; merito, quod suo calore blando, & leuicula adstrictione ventriculum imbecillum & dissolutum roboret.

Vinosa. Muza. 2 *Vinosorum, siue acidodulcium*) Sic vocamus, quæ in vini odorem acescunt. Barbari Muza nominant, non sine risu eruditorum: quum μέσα illis erant appellanda, quod media sint inter acida & dulcia, adeoq; vtrunq; saporẽ participent, atq; de dulcedine & aciditate aliquid habeant. Hinc aliqui acidodulcia vocãt. Nos Dioscoridẽ imitati, vinosa diximus. Is n. οἰνώδη punica nominat, quæ mediã inter dulcia & acida naturã habent, i. e. quæ neq; plane dulcia, neq; prorsus acida sunt, sed de vtroq; sapore aliquid participant. F

οἰνώδη punica.

3 *In illis*) Sole scilicet, aut residentia purgatis.

4 *Menthæ*) Parum scilicet siccatæ, quæ superuacaneam humiditatem nonnihil deposuerit.

Serapium e mentha minus, Eiusdem. XLVIII.

EAndem propemodum cum præcedente facultatem obtinet. Accipit succi menthæ depurati, libr. vnam.

A *vnam. Succi punicorum dulcium, & acidorum ad dimidias cocti. lib. duas. Cum mellis vel sacchari lib. vna, percoquuntur in Serapium.*

Serapium ex[1] absinthio, Eiusdem. XLIX.

Serapium ex absinthio simplex.

VEntriculum & iecur roborat, aliaque nutritionis organa: appetentiam excitat, ac vim retentricem firmat. Aduersus regium morbum prodest. Flatus discutit, humoresque per vrinam pellit. Recipit absinthii[2] Romani, lib. dimidiam. Foliorum rosarum, vncias duas. Spicæ nardi, drach. tres. Vini albi, veteris, boni, odori, succi cydoniorum, ana lib. duas, & dimidiam. Prædicta in iis macerantur in vase marmoreo horas viginti quatuor, dein igni lento coquuntur ad dimidias. Colata cum mellis aut sacchari lib. duabus percoquuntur in Serapii crassitudinem.

ANNOTATIONES.

B 1 *Ex absinthio.)* Sunt qui compositum nominant, ad alterius differentiam, quod simplex illis non immerito vocatur. Hoc, vt Mesuæ filius refert, accipit absinthii Romani drach. centum. Coquitur in aquæ lib. tribus, vsque ad tertias. Dein manibus fricatur, ac colatur, atque cum mellis & vini, an. lib. vna, fit Serapium. Magna vis eius est ad iecoris affectus, qui solum absinthium requirunt, vel ad vacuandam bilem ex ventriculo.

2 *Romani.)* Romanum absinthium est, quod alio nomine ponticum dicitur, vt e Ioanne Damasceno, in capite de absinthio manifeste colligitur: in deturbanda flaua bile ex ventriculo, & eodem atque iecore roborando efficax. Errant monachi, qui in Mesuæ filium annotationes scripserunt, dum rusticum & vulgare accipiendum esse censent.

Absinthiũ Romanũ. Monachi errant.

Serapium e fumaria, Eiusdem. L.

C *VEntriculum & iecur roborat, obstructionesque tollit. Vitia cutis ex salsis & perustis humoribus excitata, verbi gratia scabiem & impetiginem, emendat. Habet myrobalanorum flauorũ, cepulorum. an. numero viginti. Florum borraginis & echii, violarum, absinthii, cassuthæ, ana vnc. vnam. Glycyrrhizæ, rosarum, an. vnciam dimidiam. Epithymi, polypodii, an. drach. septem. Prunorum, passarum vuarum purgatarum, an. lib. dimidia. Tamarindorum, cassiæ fistulæ, ana vnc. duas. Coquuntur in lib. decem aquæ, ad librarum septem consumptionem. Expressum cum succi fumariæ cocti & depurati & sacchari, ana lib. tribus in Serapii consistentiam percoquitur.*

ANNOTATIO.

Operosa est huius Serapii, & iniucunda confectio, efficax tamen ad ea quæ pollicetur. Decoquenda vero primum Polypodium, pruna, passulæ, glycyrrhiza, absinthium, rosa, cuscuta, flores borraginis, echii, siue, vt hodie vocant, buglossæ, violarum, myrobalani, dein epithymus, tandem tamar Indi & casiæ
D fistularis pulpa. Simplicium facta decoctione succus fumariæ cum saccharo clarificato in Serapium percoquitur. Vim habet etiam leuiter aluum soluentem ac lenientem. Sumptus pondere trium vnciarum, vsque ad quinque vel sex purgat salsam pituitam, & bilem vtramque. Icterum vtrunque depellit. Sunt, qui hodie succum fumariæ coctum, residentia purgatum cum saccharo æquali in Serapium condiunt.

Serapium ex epithymo, Eiusdem. LI.

ATram bilem, & alios humores vstos vacuat; ob id morbos ex iis nascentes, scabiem, lepram, elephantiam, cãcrum, vlcera maligna fistulosaque præcauet, curatque. Capit epithymi boni Cretensis, drach. viginti. Myrobalanorum flauorum, indorum, ana drach. quindecim. Cassuthæ, fumariæ, ana drach. decem. Thymi, calaminthæ, buglossi, myrobalanorum emblicorum, & bellericorum, glycyrrhizæ. polypodii, agarici, stichadis, ana drach. sex. Rosarum, seminis fœniculi, anisi, an. drach.
E *duas, & dimidiam. Prunorum, numero viginti. Vuarum passarum purgatarum, vnc. quatuor. Thamar Indorum vnc. duas, & dimidiam. Coquuntur in lib. octo aquæ ad dimidias, dein remota ab igne macerantur noctem vnam. Recalefacta exprimuntur. Expressum cum sacchari clarificati, lib. quatuor. Sapæ, lib. duabus percoquuntur in Serapium.*

Serapium ex arthemisia, Matthæi Gradi. LII.

MEdetur vitiis vteri, & præsertim eius præfocationi, flatus & dolores dissoluit, & ad ciẽdos menses aperiendasque obstructiones ex crassis & lentis humoribus natas magnam efficaciam habet. Accipit arthemisiæ, manipulos duos. Pulegii, calaminthæ, origani, melissophylli, persicariæ, sabinæ, sampsuchi, chamædryos, hyperici, chamæpytios, matricariæ cum flore, centaurii minoris, rutæ, betonicæ, buglossi, ana manipulum vnum. Radicum fœniculi, apii, petroselini, asparagi, rusci,
F [1] *saxifragiæ, helenii[2] dictamni, cyperi, rubiæ, iridis, pæoniæ, ana manipulum vnum. Seminis iuniperi, libystici, petroselini, apii, anisi, nigellæ, carpobalsami, costi, asari, pyrethri, cassiæ ligneæ, cardamomi, calami odorati, phu, ana vnciam dimidiam. Quassata macerantur in[3] aqua fluuiali sufficienti horas 24. Post coquuntur ad aquæ dimidiæ consumptionem. Tunc aufertur igni, dum aqua tepuerit: fricantur manibus omnia, & colantur. Expressum cum mellis aut sacchari lib. quatuor, percoquitur in Serapii consistentiam.*

ANNOTATIONES. A

Serapia magistralia.

Hoc Serapium ex numero eorum est, quæ a recentioribus Magistralia nominantur: quod scilicet magna arte & industria, si diis placet, composita sint. Quum tamen recte illa expendentibus, non sint nisi quædam ex catalogo Simplicium nullo iudicio descriptæ coaceruationes. Nam quid rogo hoc præsens Matthæi Gradi Serapium aliud est, nisi confusum quoddam chaos ex catalogo Simplicium menses mouentium contextum? Quapropter quum singula vel horum saltem pauca ad menses euocandos sufficerent, non est cur a nobis tam prolixa & operosa compositio probari debeat. Ceterum habent etiam eiusdem farinæ compositionem aliam Serapii de Matricaria nominati: quam lubens prætereo, quod antea satis magna in officinis nostris Serapiorum sit copia: & quod præsens ei per omnia fere simile sit, idemq; possit.

Saxifragia.

1 *Saxifragiæ)* Quum Itali, e quorum grege auctorem huius Serapii fuisse constat, Saxifragiam nominent herbam, quę nobis Pimpinella dicitur: eius radix ad Serapii præsentis compositionem vsurpanda erit. B

Dictamnus.

2 *Dictamni, cyperi, rubiæ)* Non Cretensem intelligit, vtpote cuius radix inusitata hodie est: sed eius, quam hodie Dictamnum, vel (vt ipsi loquuntur) Diptamum album vocant. Quum enim radix illa admodum amara sit, ad tollendas vteri obstructiones, & meatus extergendos, adeoque menses eliciendos efficax sit oportet. Tamen non prohibemus, si quis etiam veri seu Cretensis dictamni folia vsurpet, quod eandem habeant facultatem.

3 *Aqua sufficienti)* Libris nimirum octo, in quibus primum radices, post semina, dein herbæ, tandem aromata bulliant, ad dimidiæ partis consumtionem. Expressum cum sacchari & mellis singulorum libra vna & dimidia fiat Serapium.

[1] *Aqua mulsa. LIII.*

Magnarum est virium, ex maiorum nostrorum sententia. Siquidem sitim sedat, [2] affectus frigidos, præsertim cerebri, neruorum & articulorum iuuat, Loco vini pota tussim humidam, eo quod asperitatem faucium & gutturis mitiget ac leniat, puris & pituitæ crassæ ac lentæ exscreationē promouet: lauat, tergit, purgat intestina, viscera, meatus vrinarios. Quapropter colicis prodest, ac aluum subducit, & calculum in viis vrinæ gigni prohibet. Fit ex mellis [3] boni, lib. vna. Aquæ fontanæ dulcis & claræ, lib. octo. Coquuntur in vase lapideo vel vitrato, igni lento ad partis [4] quartæ consumtionem: & continenter despumantur, dein colantur per densum pannum, & reconduntur. C

ANNOTATIONES.

Aqua mulsa.

1 *Aqua mulsa)* Græcis μελίκρατον & ὑδρόμελι dicitur, hoc quidem recens, illud vero inueteratum. Veteribus id genus potionis vsitatissimum fuit. D

2 *Affectus frigidos)* Biliosis namque naturis, & morbis calidioribus, & iis, quibus tumida & eleuata sunt viscera, quos Græci μεγαλοσπλάγχνους vocant, nocet. Dulcedine enim sua promtissime in bilem vertitur mel.

Mel bonum.

3 *Mellis boni)* Quod colore pallidum est, odore iucundo, sapore modice acri & dulci, consistentia inter crassum & tenue media, non vetus.

4 *Quartæ)* Variant hic auctores: siquidem alii ad tertię, alii ad quartæ, nonnulli ad quintæ partis consumtionem coquunt. Nos mediam viam, veluti tutissimam, amplexi sumus. De facultatibus aquæ mulsæ, plura Dioscorides habet.

Mel rosatum, Ioannis Damasceni. LIV.

Ventriculum roborat, & in partibus nutritioni famulantibus pituitam exterget, concoctionemque iuuat. Sic fit. Foliorum rosarum rubearum nondum explicatarum contusorum, libr. duæ. Mellis boni & despumati, lib. 6. Coquuntur lento igni, quātum oportet. Vel ita. Succi rosarum, mellis optimi, an. vnc. quatuor. Coquuntur, vt antea. Aut hoc modo. Foliorum rosarum, & succi earundem, an. vnc. vna, & dimidia. Mellis vnc. tres. E

ANNOTATIO.

Mel rosatum cum foliis, seu non colatum. Mel rosatum colatum.

Tres modi compositionis mellis Rosati a filio Mesuæ traduntur. Primum nonnulli appellant Mel rosatum cum foliis, seu non colatum. Et ita paratum habere debent pharmacopolæ. Alterum, ex succo scilicet, & melle, mel rosatum colatum nominatur. Tertium ex succo, foliisque rosarum, & melle constat. Hodie primum genus ex tritis foliis, non desiccatis in vmbra, & remotis vnguibus, vt iubet filius Mesuæ, sed recentibus paratur. Id vero postea igni liquatum, linteoque percolatum, mel rosatum colatum vocatur, ad potiones, & alia medicamenta liquida paranda vtile. Rectius autem ex infusionis multiplicis rosarum recentium, & mellis pari mensura, in Serapii consistentiam, mel rosatum colatum coquunt nonnulli. Et quo plures sunt infusiones, eo valentius fit. Paratum autem mel rosatum vase vitreo, vel terreo vitreato excipitur, & soli exponitur, & tertio quoq; die mouetur, vt vndiquaq; incalescant, & diligenter obturentur. F

Mel rosatum aliud, efficacius. LV.

Habet rosarum rubearum nondum explicatarum foliorum recentium contusorum, lib. duas. Coquuntur in aqua cœlestis lib. quatuor, vsq; ad quartæ partis consumtionem. Expresso addantur succi rosarum rubearum depurati, mellis optimi despumati, an. lib. tres. Percoquuntur ad iustam consistentiam.

A

Mel violaceum. LVI.

Confert leuiter febricitantibus. Refrigerat enim, & humectat. Fit, vt rosatum, estq. duplex colatum, & non colatum. Eius vsus frequentissimus est ad clysteres, quoties intestina detergenda, lubricanda, & refrigeranda. Sunt qui in eius confectione accipiunt mellis optimi nec veteris libras tres. Florum violarum leniter desiccatarum, lib. vnam. Ponuntur in vase ad solem.

Mel anacardinum. LVII.

Memoriæ iacturam resarcit, labantes sensus reficit, obliuionem discutit, & mentem exacuit; morbis cerebri frigidis & humidis confert, neruorumque resolutioni opitulatur. Fit hoc modo. Anacardia recentia teruntur, & in aqua coquuntur, donec melliginem quandam in rubeo colore B *fuscam remittant. Ea aquæ innatans aufertur, & reconditur. Quidam anacardia recentia trita diebus septem in aceto macerata coquunt ad dimidias, & colant. Expressum melle ad spissitudinem coquunt. Alii mel anacardinum vocant, in quo anacardia sunt condita, & seruantur. Quod certe ab omnibus parari potest, prius non nisi ab iis, apud quos anacardia proueniunt.*

Mel emblicorum. LVIII.

Bifariam fit. Vno modo quando myrobalani emblici melle condiuntur, & seruantur. Alio, quando emblicorum decoctum ad mellis spissitudinem aut consistentiam reducitur.

Mel passulatum. LIX.

Fit in hunc modum, Vuarum passarum intus purgatarum lib. quatuor, macerantur in aquæ lib. C *duodecim, horas viginti quatuor. Dein coquuntur, quoad tertia pars remãserit. Colatum ad mellis crassitiem recoquitur.*

Mel myrtinum. LX.

Fit ex succi myrtorum libra vna, & mellis libris duabus, igne lento simul percoctis.

ANNOTATIO.

Nunc reliquum esset, vt decocta subiiceremus. Verum quum intelligam, hæc non diu incorrupta posse conseruari, & præstare, vt quiuis Medicus pro re nata noua & affectui congruentia componat, non putaui esse faciendum, vt in decoctis describendis non necessariam operam nauarem.

APPENDIX.

De decoctis.

D *Decoctis per se vtimur, aut medicamentis quibusdam admiscemus, ad eorum compositionem, aut dissolutionem, vt facilius assumi possint. Decocta vero multa sunt in Mesuæ antidotario, quæ hoc loco commemorare nihil attinet, quod perinde atque alia decocta, quæ a medicis pro morborum varietate parantur, confici soleant, & nos lib. 3. huius operis cap. 16. de iis abunde agemus. Nos tria tantum subiiciemus, quorum vsus in medicorum officinis frequens est.* Decocta noua facienda.

Decoctum communis clysteris.

Recipit betæ, maluæ, parietariæ, attriplicis, mercurialis, an. manipulum vnum. Decoquantur in sufficiente aquæ quantitate. Sunt qui adiiciunt seminum anisi & fœniculi, ana drachmas duas.

Decoctum commune purgantibus.

Habet hordei integri, vnc. vnam. Prunorum numero 13. Passularum, vnciam vnam. Glycyrrhi- E *zæ rasæ, drach. tres. Violæ foliorum, manipulum vnum. Seminis anisi, drach. vnam, & dimidiam. Decoquantur vt præcedentia. Vocantur vero vtraque decocta communia, quod nulli parti corporis, nec certo alicui humori sint destinata.* Decocta communia cur dicta.

Decoctum pectorale.

Sic dictum quod commune aliis partibus non sit, sed pectori siue thoraci potius destinatum. Accipit hordei integri, vnc. vnam. Glycyrrhizæ rasæ, vnc. dimidiam. Adianti, capillum Veneris vocant; hyssopi, singulorum manipulum vnum, Ficuum, palmularum dactylorumue emundatorum. Passularum enucleatarum, sebestæ, singulorum numero sex. Florum violarum, borraginis, vtriusque pugillum vnum. Anisi, drach. duas. Decoquantur vt oportet. Vsui erit maxime ad medicamenta, quæ in thoracis morbis curandis exhibentur, dissoluenda.

F

DE PVLVERIBVS ET SPECIEBVS, Sectio XI.

Puluis pro epithemate cordis. I.

Accipit santali rubei, vnciam vnam. Corticum citrii mali, santali albi, rosarum rubearum, coralli albi & rubei, succini, eboris vsti, ana vnc. dimidiam. Florum borraginis, doronici Romani, ana drachmam vnam, Ossis cordis ceruini, croci, ana drachmam vnam. Specierum lætitiæ Galeni;

& electuarii de gemmis & diamargariton, an. scrup. quatuor. Florum semperuiui, scrup. vnum. Terantur omnia in puluerem tenuissimum, & commisceantur. A

Puluis pro epithemate iecoris. II.

R*Ecipit rosarum, santalorum albi & rubei, absinthii pontici, floris iunci odorati, eboris vsti, spicæ nardi, spodii, seminis intybi satiui latifolii, an. ʒ dimid. Trita in puluerem permiscentur, & reconduntur.*

Puluis aduersus calculum, Noster. III.

H*Abet radicum fœniculi, asparagi, filipendulæ, an. drach. duas. Radicis rubiæ tinctorum, scrup. duos. Radicis* aristolochiæ rotundæ appellatæ, & altheæ, an drach. vnam, & dimidiam. Glycyrrhizæ rasæ, drach. septem Seminum genistæ, ammeos, apii, anisi, fœniculi, dauci, cumini, saxifragi, milii solis, an. drach. vnam. Seminum melonum & citruli excorticatorum, an. drach. tres. Seminis halicacabi, drach. vnam. Lapidis e spongiis marinis, & iudaici, an scrupulos duos. Parietariæ, maluæ, ana drach. duas. Polii montani, adianti, asari, pulegii, betonicæ purpureæ, ana drach. vnam. Caryophyllorum, galangæ, sanguinis hircini arefacti, & præparati, an. drach. duas. Bdellii, ammoniaci, an. drach. vnam. Oculorum cancri, cinamomi selecti, iunci odorati, an. drach. vnam, & dimidiam. Sacchari, vnc. quinq. Contusa & redacta in puluerem minutissimum permiscentur. Optimus hic puluis non tantum ad excutiendum calculum, verum etiam ad cauendum, ne is vel in renibus vel vesica procreetur. Pondus exhibitionis eius in stillatitio saxifragæ vel trichomanis decocto.* B

* Rectius fumariæ primæ Plinii.

Puluis aduersus pestem, Noster. IV.

C*Apit radicum tormentillæ, betonicæ altilis, pimpinellæ, dictamni vulgaris siue albi vocati, ana drach. vnam, Seminum citrii mali, portulacæ, oxalidis, ana drach. vnam, & dimidiam. Specierum diamargaritõn frigidarum, terræ lemniæ, boli armenii, an. drach. duas. Coralliorum rubeorum, santalorum rubeorum, alborum, ossis cordis ceruini, an. drach. vnam. Croci, ligni aloes, ramentorum eboris, an ʒ dimid Scabiosæ, cardui benedicti, fol. dictamni Cretensis, an. ʒ 3. Myrrhæ selectæ, aloes iecorariæ, an. ʒ 2. Radicum buglossi, gentianæ, ana ʒ 2. & dimid. Coriandri præparati, ʒ 1. Tritis omnibus commixtis, fiat puluis. Datur drachma vna, aut sesquidrachma pro ætatis ratione.* C

Puluis aduersus lumbricos, Noster. V.

A*Ccipit seminis santonici, quod lumbricorum vocant, vnciam vnam. Centaurii minoris, stichadis citrinæ vocatæ, radicis dictamni albi, absinthii vulgaris, calaminthæ scordii, an. drach. duas. Pulegii, origani, eupatorii Auicennæ, * abrotoni, menthæ, an. drach. vnam, & dimidiam. Lupinorum, fol. aristolochiæ rotundæ, an. ʒ 2. & dimid. Aloes, ʒ 2. Myrrhæ, ʒ 1. Cornu ceruini vsti, ʒ 1. & dimidiam. Radicis gentianæ, Achilleæ luteæ quam Tanacetum nominant, florum, an. ʒ 2. Trita in puluerem teuuissimum misceantur. Datur quantum de præcedenti ex vino, aut Serapio glycyrrhizæ.* D

* Herbam Kunigundis vocãt.

Puluis vel drangea laxatiua. VI.

R*Ecipit turpeti, ℥ 1. Macis, cinamomi, mastiches, galãgæ cardamomi, caryophyllorũ, anisi, hermodactylorũ, dacrydii, an. ℥ dimid. Fol. senæ, ℥ 2. Sacchari ℥ 4. Contrita in puluerẽ cõmisceantur.*

Puluis medicamenti turpeti Auicennæ. VII.

P*Vrgat humores pituitosos: & de sententia Auicennæ, datur pueris, mulieribus, senibus, humidis, delicatis, & otiosis. Habet [1] cinamomi, mastiches, turpeti albi, an. drach decem. Sacchari albissimi, pondere omnium. Trita, inq; puluerem subtilissimum redacta, permiscentur.*

1 Cinamomi) Auicenna habet zingiberis albi. Nos autem substituimus cinamomum, propter caussam cap. 88. primi libri expositam. Sunt qui puluerem pituitam purgantem eiusmodi componunt. Accipit turpeti, dr. vnam. Hermodactylorum, dr. dimidiam. Cinamomi, scrup. vnum. Sacchari, semunciam. Misceantur, terantur, & fiat puluis. Vsus eius est in articulorum, & coxæ doloribus, atq; in podagræ cruciatib. Pituitam ex corporis penetralib. atq; articulorũ cauitatibus potenter elicit, ieiuno ex pulli iusculo datus. E

Puluis senæ præparatæ, Montagnanæ. VIII.

C*Aput purgat mirabiliter. Adustos & retorridos humores, melancholicũq; succum, pituitam item salsam vacuat. Cutis fœditatem, scabiem, lepram, aliaq; cutis vitia sanat. Capit folliculorũ senæ, ʒ 12. Zingiberis, maceris, an. ʒ 3. Cinamomi, * tartari, an. ʒ 1. & dimid. In puluerem redacta commiscentur. Dantur in iusculo, ʒ 3. aut. 4.*

* Tartarũ barbarii fecem vini induratã, & doliis vinariis vini optimi & generosi adhærẽtem nominant. Vulgo Weinstein. Senæ ingratitudinem obtundit. Odorata flatulentam & torminosam Senæ naturam corrigunt.

Puluis ad glandes validas conficiendas. IX. F

A*Ccipiunt ellebori albi, nucleorum colocynthidis, an. ℥ 1. & dimid. Esulæ præparatæ, hermodactylorum, an. ℥ 1. Specierum hieræ simplicis Galeni, ʒ 2. Trita in puluerem permiscentur.*

Puluis sternutatorius, Noster. X.

R*Ecipit maioranæ, nigellæ, an. ʒ 2. Radicum pyrethri, ʒ 3. & dimid. * Struthii, piperis albi, ana ℥ dimid. Ellebori albi ʒ 6. Cubebarum, ʒ 1. Zingiberis, castorii, an ʒ 3. Trita in puluerem misceantur. Egregie sternutamenta mouet.*

* Condisi.

Puluis

A *Puluis sanguinem sistens, Noster. XI.*

Habet thuris, ℥. 2. Aloes, ℥. 1. Sanguinis draconis, boli armenij, terræ lemniæ, ana ℥. 1. & dimid. Mumiæ, ℥. 1. Seminis plãtaginis, ℥. 1 & dimid. Baccarũ myrti, balaustiorum, ana ℥. dimi. Radicis bistortæ, & symphyti maioris, a. ℥. 2. Gallarũ, ℥. 1. Coralliorũ rubeorũ, lapidis hæmatitis, a. ℥. 1. & dimid. Gypsi, ℥. 2. Trita in puluerem permiscentur.

ANNOTATIO.

Gal. lib. 5. thera. methodi c. 4. puluerem sanguinis eruptionem supprimentem tantum ex thuris parte vna, & aloes dimidia componit, & cui candido subigit, vt illic videre licet. Plurimum illum cõmendat ad membranarum cerebri hæmorrhagiam, venarum vulnera, & ad alias sanguinis vndecunq; eruptiones.

*Puluis * Alexipharmacus. XII.* * Bezeardicus.

B *Capit boli armenij cum aceto præparati, uncias duas. Rosarum rubearum, drach. vnam. Seminis oxalidis, citrij mali, & rutæ, doronici Romani, succini, seminis cardui benedicti, ana scr. quatuor. Corallij vtriusq;, ligni aloes, serici crudi, radicis tormentillæ, ana drach. vnam. Dictamni Cretensis, betonicæ altilis radicis, scabiosæ, terræ Lemniæ, ana drachm. vnam, & dimidiam. Croci, scrup. duos. Margaritarum perforatarum, santalorum omnium, ana drach. vnam. Ambræ, scrup. vnum. Moschi, scrup. duos. Redacta in puluerem misceantur. Ex vino odoro & grato, aut cum serapio e citro sumitur. Venenis alijsq; medicamentis deleterijs, & viscera tentantibus aduersatur. Vitales spiritus, & cordis robur deiectum confirmat.*

Puluis violarum odorus. XIII.

C *Accipit radicis iridis Florentinæ, lib. vnam. Rosarum, violarum, ana vnc. vnam, & dimidiam. Maioranæ aridæ, vnc. vnam. Caryophyllorum, drach. tres, & dimidiam. Santali albi, vnc. vnam, & dimidiam. Moschi, drach. dimidiam. Terantur in puluerem.*

Species mixtæ. XIV.

Habent cinamomi, zingiberis, ana vnc. duas. Nucis moschatæ, vnc. vnam. Caryophyllorum, macis, ana vnc. dimidiam. Granorum paradysi, piperis nigri, ana vnc. vnam. Permisceantur.

Species Bertholdi. XV.

Capiunt cinamomi selecti, lib. dimidiam. Zingiberis albi, quart. vnam. Piperis longi, galangæ, granorum paradysi, ana vnc. vnam. Cardamomi, vnc. dimidiam. Caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, ana drach. tres, & dimidiam. Croci orientalis, vnc. vnam, & dimidiam. Sacchari albi, lib. tres. Fiat puluis.

Species incisæ. XVI.

D *Accipiunt seminis anisi, glycyrrhizæ purgatæ, ana lib. dimidiam. Coriandri præparati, seminis fœniculi, carei, zingiberis, ana quart. vnam. Calami odorati, vnc. duas. Galangæ, zedoariæ, ana vnc. vnam. Incidantur, & misceantur.*

Tragæa communis. XVII.

Recipit cinamomi, vnc. 2. Caryophyllorũ, macis, nucis moschatæ, ana vnc. 1. Zingiberis, vnc. 1. & dimid. Sacchari albi, lib. 3. Specieb. in crassiorem puluerẽ redactis misceantur, & fiat tragæa.

Sal sacerdotalis. XIIX.

Habet zingiberis, radicis acori veri, pyrethri, seminis cumini, ammeos, piperis nigri, seselios, hyssopi, satureiæ, origani Cretensis, pulegij, ana ℥. 1. Cinamomi, vnc. dimid. Salis communis, ℥. 12. Fiat puluis.

Sal Marcellinus. XIX.

E *Capit salis ammoniaci, costi radicis, ana ℥. 11. Piperis nigri, ℥. 2. Cinamomi selecti, piperis albi, caryophyllorum, galangæ, zedoariæ, ana vnc. vnam, & dimid. Hyssopi, thymi, origani, carei, anisi, apij, petroselini, leuistici, ana drach. sex. Misceantur, & fiat puluis.*

Puluis [1] cephalicus. XX.

Vsus eius est in cranij osse nudato & abraso, eiusdemq; fracturis. Accipit Sarcocollæ, thuris, iridis sanguinis draconis, myrrhæ, aristolochiæ lõgæ, ana partes æquales. Fiat puluis subtilissimus.

ANNOTATIO.

1 Cephalicus dictus est a capite, cui inspergitur. Alio nomine catagmaticus, quod caluariæ fracturis adhibeatur. Componuntur ex iis quæ abstergunt, siccant, & adstringunt medicamentis eiusmodi pulueres, Galenus lib. 3. de medendi ratione cap. 2. erui farinam, & mannam thuris addit. Præstat hunc in officinis paratum habere propter Chirurgos, & Medicos, qui chirurgiam exercent, qui hoc ipso crebro vtuntur, quemadmodum etiam aliis, qui sequuntur. Cephalicus. Catagmaticus.

F *Puluis Sarcoticus. XXI.*

Hoc vtuntur ad vlcera caua implenda, carnem gignendam, & profunda vulnera æquanda. Habet sarcocollæ, mastiches, sanguinis draconis, boli armeni, corticum thuris, myrrhæ, lithargyri, aloes, ana pares portiones. Terantur omnia subtilissime.

A

Puluis detersorius. XXII.

VLceribus omnium partium sordidis, putridis, cuniculosis fistulosis, & maleficis confert. Sordes n. detergit, putrilaginē vindicat, ac virus serpens eluit. Recipit aluminis diligenter triti, drach. duas. Salis, drach. vnam. Mellis, vnc. tres. Omnia simul mixta cremantur olla, vstis, tritisq; iridis drachmæ tres tritæ miscentur.

ANNOTATIO.

Puluis ex vitriolo. Sunt qui vitriolo vsto ad easdem sordidorum & malignorum vlcerum querelas vtuntur. Hoc enim ab illis vritur, diuq; ex aceto tritum circumagitur, deinde siccatur. Puluis autem is ex vitriolo citra morsum siccat, & putredines sanat.

Puluis cicatrices inducens. XXIII.

DVris corporibus, contumacibus vitijs, & humidis admodum vtilis est, ideoq; desiccando cicatrice vlcera inducit. Accipit balaustiorum, sanguinis draconis,[1] cadmiæ argenti, æris vsti, loti ana partes æquales. Fiat puluis subtilissimus. B

ANNOTATIO.

Cadmia argenti. *1 Cadmia argenti.*) Quæ in argenti fornacibus fit, candidior, & minus ponderosa, Plinio lib. 34. cap. 10. teste exsistit.

Puluis ad eos qui ex alto ceciderunt. XXIV.

COnfert ruptis, contusis, fractis, ijs qui sanguinem exspuunt, & præcipitatis. Habet[1] Rhabarbari optimi, drachmam vnam.[2] Momiæ,[3] rubiæ vtriusq;, drach. dimidiam. Terræ lemniæ, boli armenij, vtriusq; drach. vnam. Sāguinis draconis, balaustiorum, vtriusq; scrup. duos. Radicis symphyti maioris, drach. vnam, & dimidiam. Terantur omnia subtilissime in pollinem. C

ANNOTATIO.

1 Rhabarbari.) Veterum nimirum, quod Dioscoride & Galeno testibus, ad prædicta omnia præstantissimum exsistit.

Momia. Pissaiphaltum. *2 Momiæ.*) Ita cum Nicolao Myrepso appellare libet. Hodie mutatione o in u, Mumiam appellant. Alii medicatum funus. Præstat autem pro ea vsurpare Pissasphaltum, quod iam affertur, paulo ante Medicis incognitum.

3 Rubiæ.) Cuius radix acerba & amara, Galeno etiam attestante, est. Ratione igitur acerbæ qualitatis prædictis vitiis conducit. Quia vero nō leuem abstergendi facultatē obtinet, ideō præstabit forte pro ea vsurpare in hoc puluere radicem Heptaphylli siue Tormentillæ. Puluis iste ex vino adstringente sumitur.

* Trochiscis.

DE PASTILLIS, SECTIO XII.

[1] Pastillus ex eupatorio, Ioannis Damasceni. I. D

OBstructionem & tumorem præter naturam iecoris & lienis sanat, ac inde natas febres diuturnas, & harum rigorem. Morbum regium, hydropem incipientem demulcet. Habet manna, succi[2] eupatorij, ana vnc. vnam. Rosarum, vnciam dimidiam. Spicæ nardi, drach. tres. Rhei barbari, asari, anisi, ana drach. duas.[3] Spodij, drach. tres, & dimidiam. Cum stillatitio cassuthæ liquore finguntur pastilli, & in loco vmbroso, & ventis perflato resiccentur.

ANNOTATIONES.

Pastillus. Trochiscus. *1 Pastillis.*) Græcis τρόχισκος dicitur, qua voce hodie officinæ vti malunt quam Latina pastilli, aut orbiculi, aut rotulæ, ita enim Græca vox interpretari potest. Eodem autem modo quo catapotia formantur, sed forma differunt pastilli. Etsi enim instar catapotiorum rotundi sunt, tamen comprimuntur. Alii etiam quadrata finguntur forma. Species tenuius teruntur quam ad catapotia. Ponderant magna ex parte drachmam vnam, vel duas. E

2 Eupatorium.) Filii Mesuæ, vtpote huius pastilli auctoris, vtendum, si haberi potest. Est autem nunc multis cognitum, & in hortis fere omnibus plantatur.

Spodium. *3 Spodii.*) Arabum spodium nequaquam accipiendum: quod quale sit, libro primo indicauimus: sed potius officinarum siue Platearii, quod non est nisi ebur vstum. Quod in omnibus quoq; pastillis obseruandum erit, ne sit opus vt id crebrius repetamus.

Pastillus[1] e vipera. Andromachi. II.

ACcipit[2] carnis viperinæ in cacabo nouo cum aqua pura, viridi anetho & modico sale bene[3] cocta, vnc. octo. Hæc in mortarium coniecta valide, paulatim instillato[4] iusculo, teritur. Vbi autem quàm tenuissime fuerit trita, panis triticei purissimi aridi triti & cribrati, vnc. duæ adduntur: & rursus iusculi quod satis est affunditur, & in conterendo diligentissime vniuntur, ac modice[5] opobalsamo adhibito finguntur tenues pastilli, & in vmbra desiccantur. F

ANNOTATIONES.

Vipera. Tirus. Notæ viperæ. *1 Vipera.*) Vipera serpens est, quem barbari & recentiores Medici Tirum vocant. Hinc est, quod præsentem pastillum e Tiro inscribant. Eius serpentis copia in Germania haberi non potest, sed ex Italia peti debet. Est aūt vipera, animal colore sufflauum, admodū agile, Galeno in libello de Theriaca ad Pisonem

A teste, collo maxime protenso, oculis subrubentibus, inuerecundis trucibus & feroci aspectu, capite latiore, corpore vniuerso & ventre crassiore, cauda aceruatim in tenuitatem abeunte. A masculo fœmina iis rebus dissidet, & quod dentes caninos plures duobus exserit.

2 *Carnis viperinæ*) Qua ratione autem caro hæc parari debeat, Galenus & alii Græci Medici ex Andromacho docent. Viperæ fœminæ notandæ magnitudinis viginti, aut paulo plures pro totius confecturæ quantitate non quouis anni tempore, sed iam desinente vere, nondum autem inchoata æstate, accipiendæ, & primum ipsarum capita & caudæ præcidendæ. Nam præterquam quod hæ partes virulentiores esse videntur, etiam duræ & modicæ carnis compotes exsistunt. Sufficit autem in magnis viperis id quod aufertur vtrobiq; quatuor digitos æquare. Reliquum vero totum corpus cute detracta, adipe, vtpote inutili, & intestinis ademtis, aqua perlutum in fictile nouum, & probe extersum coniiciendum. Caro viperę vt paranda.

3 *Bene coctæ*) Quod cognoscitur, vbi spinæ & ossa a carnibus separantur.

B 4 *Iusculo*) Scilicet in quo viperarum carnes decoctæ fuerunt.

5 *Opobalsamo*) Pro succo balsami sumatur succus Leucoii, quod Cheiri officinæ vocant. Et hoc loco Matthiolus me pungit, quod opobalsamum addiderim præter Andromachi institutum, medicamentum quo iam penitus destituimur. Fateor quidem Opobalsamo nos hodie carere, tamen quum eius in horum pastillorum compositione non solum Paulus, verumetiam Aetius mentionem faciat, quid est cur reprehendere audeat Matthiolus, quod tantorum auctorum exemplo motus feci? Nihil profecto, quam vt me Germanum hominem insectetur, errorumque suspectum reddat, & in se Italum, omnium oculos conuertat. Quum igitur me passim sine meo merito errorum insimulet, faciam & ego, vt vicissim omnes intelligant, Matthiolum potius Matæolum, quasi ματαιον ὅλον, nominandum esse. Opobalsamum. Matthioli mordacitas retusa.

Pastillus[1] scilliticus. Andromachi. III.

Recipit [2] scillæ assæ partium internarum, [3] lib. vnam. Farinæ erui, vnc. octo. Teruntur hæc simul valide in mortario, & excepta in pastillos digeruntur, & in vmbra siccantur.

C

ANNOTATIONES.

1 *Scilliticus*) Quod ex scilla præparetur, ita dictus. Scilliticus

2 *Scillæ assæ*) Assatur autem hoc modo. Scilla recens bonæ habitudinis ex terra sumitur, quum folia ipsius & caules exacte inaruerint. Cortice autem ademto, fermento mundo aut massa farinacea circumlinitur: postea in calido cinere, aut furno torresit, vsq; dum farinacea massa obducta, in crustam induresc it. Quod si fornax aliquis habeatur, in illum simul cum pane immittitur. Dein extracta, per ambitum, massa farinacea consiccata ademta purgatur, & internæ partes teneriores acceptæ probe teruntur. Scilla vt assatur.

3 *Libram vnam.*) Aetius accipit lib. tres. Scillæ, lib. duas, farinæ eruinæ. Nicolaus scillæ, drachmas sexaginta. Farinæ eruorum, drach. quadraginta. Quod sane in idem recidit. Nam vterq; Scillam pondere farinæ eruinæ sesquia alteram esse vult: id est, tres partes Scillæ, duas autem farinæ. Quam ponderis rationem nos etiam obseruauimus: sunt n. Scillæ vnc. 12. quæ ad vnc. 8. sesquialteræ proportionem habet.

D

4 *Excepta*) Aetius in iis conformandis rosaceum oleum adhibet.

Pastillus hedichroi. Andromachi. IV.

Habet [1] mari, amaraci, asari, aspalathi, ana drach. duas. Iunci odorati, calami odorati, phu [2] xylobalsami opobalsami, costi, cinamomi, ana drach. tres. Myrrhæ, folij, spicæ nardi, croci, casiæ, ana drach. sex. Amomi, drach. duodecim. Mastiches. drach. vna. Cum vino veteri odorato dulci, finguntur pastilli.

ANNOTATIONES.

Hæc est legitima Hedychroi, quod Arabes corrupta voce Alin daracarôn nominant, Andromachi descriptio. Aliæ autem diuersæ ab illa descriptiones sunt, quemadmodum Galenus lib. 1. de Antidotis fusius monstrat. Actuarius eadem medicamenta e quibus construitur Hedychroum, simplicia recenset, ne vno quidem vel adiecto, vel omisso. In pondere, tamen variat, quemadmodum etiam Aetius: qui tamen in numero simplicium Hedychroum constituentium consentit.

E

1 *Mari.*) Ita legit Galenus loco iam citato, & Actuarius: vt non sine maximo errore Cornarius, mendosum Græcum codicem secutus, in Aetio, Ari pro Mari conuerterit. Marum autem, Galeno & Plinio testibus, peregrina est herba, vt in Germania illam prouenire vix crediderim. Quapropter eius succedaneo vtendum, quod non est nisi Sisymbrium: cui, Dioscoride attestante, æquales vires habet. Balsamita igitur vocata, pro Maro Pharmacopœi vtantur. Cornarii lapsus. Marum, & eius succedaneum

2 Quid pro Opobalsamo, xylobalsamo, folio, & amomo sit accipiendum libro primo, & in quibusdam compositionibus præcedentibus est monstratum.

F

Pastillus Galliæ moschatæ. Ioannis Damasceni. V.

Cerebrum & cor roborat, oris atque adeo totius corporis odorem commendat. Capit ligni aloes crudi, boni, selecti, drachmas quinque. Ambaris, drachmas tres. Moschi, drachmam vnam. [1] Glutinis tragacanthæ cum stillatitio rosarum liquore extracti, quantum ad ea comprehendenda sufficit. Fingantur pastilli magnitudine folij myrtei, sigillentur, & in vase vitreo reponantur.

ANNOTATIO. A

Glutē tragacanthæ. 1 *Glutinis tragacanthæ.*) Intelligit lentum eius cremorem, mucilaginem barbaris dictum: aptum ad excipienda medicamenta, pastillum hunc ingredientia.

Pastillus alipta moschatæ. Nicolai Myrepsici. VI.

VAlet pueris laborantibus asthmate, & ijs qui angusto sunt thorace, nec lac haustum retinent: præstatque vsum optimi & odoriferi suffitus. Accipit ladani purissimi, vnc. tres. Styracis calamitis, vnc. vnam, & dimid. Styracis rubri, vnc. vnam. Ligni aloes boni, drach. duas. Ambaris, drach. vnam. Caphuræ,[2] scrupulum vnum. Moschi, scrupulum dimidium. Cum stillatitio rosarum liquore finguntur pastilli.

ANNOTATIONES. B

Delicata est compositio, & ad delitias suo odore maxime accommodata, suffitu, & vaporatione grata. Cor & cerebrum roborat, & imbecillum puerorum ventriculum. Dicta est alipta moschata forte, quod in vnguenta & emplastra ad odoris gratiam conciliandam veniat.

2 *Scrupulum vnum.*) Ita quidem manuscriptus Græcus codex habet. Latini vero codices legunt, scrupulum vnum & dimidium. Mihi Græci codicis lectio magis arridet, quod Caphuræ odor grauis admodum sit, & quod hic magis vt citius medicamentum ignem concipiat, indita esse videatur. Quare scrupuli vnius pondus sufficere potest.

Pastillus e rheobarbaro. Ioannis Damasceni. VII.

ADuersus iecoris & lienis obstructionem, malum corporis habitum, & aquam inter cutem prodest. Ad frigidos & pituitosos, ac biliosos etiam iecoris affectus, & icterum vtilis est. Recipit rheibarbari boni, drachmas decem. Succi eupatorij, drach. quatuor. Amygdalarum amararum, drachm. duas & dimidiam. Rosarum, drach. tres. Spicæ nardi, anisi, rubiæ, absinthij, asari, seminis apij ana drach. vnam. Cum stillatitio cassuthæ liquore formentur pastilli, pondere vnius aurei. C

Pastillus ex absinthio. Eiusdem. IIX.

VEntriculi, iecoris & lienis obstructiones tollit, appetentiam excitat, diuturnis febrib. succurrit. Ventriculum, iecur, & lienem roborat. Habet rosarum, absinthij, anisi, ana drach. duas. Rhabarbari, succi eupatorij, asari, apij, amygdalarum amararum, spicæ nardi, mastiches,[1] folij, ana drach. vnam. Cum succo intybi satiui latifolij finguntur pastilli.

ANNOTATIO.

1 Pro eo succedaneo vtendum, quod quale sit suo monstrauimus loco. Nardi igitur drachmæ duæ accipiantur.

Pastillus[1] *e spodio. Nicolai Myrepsici.* IX. D

EFficacissimus ad febres acutas vētriculi, & iecoris phlegmonē sitimque vehementem. Capit spodij, drach. quatuor. Rosarum rubearum, drachmas septem. Seminis portulacæ, succi glycyrrhizæ, ana drachmas duas. Cum lento[2] psyllij succo finguntur pastilli ponderis drachmæ vnius. Sunt qui addunt, seminum quatuor frigidorum maiorum, gummi Arabici, tragacanthæ, croci, ana drach. vnam & dimidiam.*

*mucilagine.

ANNOTATIONES.

1 *E spodio.*) Simpliciter nominatur, vt scilicet distinguatur a pastillo e spodio cum adiectione, Cum semine oxalidis, appellato, quem mox subiiciemus. Et hic, quod antea sæpe monuimus, Arabum spodiū non intelligendum erit. Siquidem hoc ex harundinis radicibus vstis constat, quod Auicenna scribit, ac erodendi facultatem habet, quapropter huic pastillo non inserendum: immo potius officinarum nostrarum, quod non est nisi ebur vstum, adstringendi facultate præditum. Qua de re lib. 1. huius operis copiose diximus. Ceterum quum non solum Mesues, sed & Nicolaus hunc pastillum describat, ad illum auctorem potius quam Mesuæ filium referre volumus: melioris nimirum distinctionis gratia, vt scilicet præsens Nicolai, sequens Ioannis Damasceni inscriberetur. E

2 *Psyllii.*) Nicolaus habet, Lini.

Pastillus e spodio cum semine oxalidis. Ioannis Damasceni. X.

ADuersus febres acutas & biliosas cum alui fluore valet: ventriculi & iecoris excalefactionem, & sitim, quæ continenter excruciat, restinguit. Accipit rosarum rubearum, drach. duodecim.[1] *Spodij, drachmas decem. Seminis oxalidis, drach. sex. Seminis portulacæ, seminis coriandri aceto macerati, & torrefacti, pulpæ* rhois, ana drach. duas, & dimidiam. Amyli assi, balaustiorum, baccarum oxyacanthæ, ana drach. duas. Gummi Arabici assi, drach vnam, & dimidiam. Cum* omphacio formantur pastilli.* F

*Sumach.
* Agresta.

ANNOTATIO.

1 *Spodii.*) Spodium Arabum, vt sæpe antea monuimus, hic intelligendum non venit, neque Græcorum spodium e fornacibus ærariis petitum, interaneis nocentissimum: sed ebur potius vstum, vt dictum est.

Pastillus e Myrrha. Rhazis. XI.

A *MEnses potenter admodum euocat, ita vt fœtum etiam excutiat. Vitijs e retentis mensibus natis succurrit. Recipit myrrhæ, drach. tres. Lupinorum optime tritorum, drach. quinq. Foliorũ rutæ, mentastri, pulegij, cumini, rubiæ, * succi Medici, sagapeni, opopanacis, ana*[1] *drach. duas. Cum succo arthemisiæ finguntur pastilli.* * Asæ fœtidæ.

ANNOTATIONES.

Descripti sunt ex Rhaze lib. 9. ad Mansore. Exhibetur ex seminis Iuniperi decocto, idq; efficacissime.

1 *Drachmas duas.*) In priore editione pro drach. duas, typographus magno errore reposuit vncias duas.

Pastillus ex absinthio. Nicolai Myrepsici. XII.

B *AD eos quibus ventriculus refrigeratus est, iocinerosos, lienosos, & tumorem in iecore habentes, bonus. Habet absinthij fœniculi, anisi, rosarum, amygdalarum amararum, ana drach. tres. Asari, spicæ, floris iunci odorati, apij, ana drach. duas. Rhei barbari, succi eupatorij, ana drach. vnam. Trita cum succo intybi latifolij, redigantur in pastillos.*

ANNOTATIO.

Quum pastillus ille ex absinthio descriptus a Nicolao, ei qui a filio Mesuæ refertur, præferendus videatur: ideo vt hic quoq; inter pastillos vsitatos suum obtineret locum, volui, vt si quis eo vti mallet quam Ioannis Damasceni, in promtu haberet compositionem.

Pastillus e lacha. Ioannis Damasceni. XIII.

AD obstructiones iecoris, lienis, & inde natas febres varias diuturnas, & ascitem valet: item vrinas mouet. Capit lachæ mundatæ, succi glycyrrhizæ, absinthij,[1] *oxyacanthæ, succi eupatorij,* C *rhei barbari, aristolochiæ longæ, costi, asari, amygdalarum amararum, rubiæ, anisi, apij, iunci odorati, ana drach. vnam. Cum stillatitio eupatorij liquore formantur pastilli ponderis drachmæ vnius.*

ANNOTATIO.

1 *Oxyacanthæ.*) Berberim officinæ non recte vocant. Est enim Oxyacantha diuersa a Berberi planta, vt alibi copiose ostendimus. Ingreditur autem hunc pastillum vt obstructiones eximat, quandoquidem, Galeno teste, sit tenuium partium, & parum incidat. Habet vero facultatem etiam roborandi iecur. Nicolaus Myrepsus, qui itidem hos pastillos describit, aliam, & a præsenti nonnihil variantem habet, quam mox subiiciemus: vt si quis ea vti mallet, haberet in promtu compositionem.

Pastillus e lacha. Nicolai Myrepsici. XIV.

AD iocinerosos, lienosos & stomachicos. Accipit lachæ qua tingunt fullones, rosarum, spodij, absinthij sacchari, succi eupatorij, ana drachmas tres. Rhei barbari, drach. 4. Floris iunci odo- D *rati, drach. duas. Trita cum succo fœniculi, aut intybi satiui latifolij, digerantur in pastillos.*

Pastillus e capparibus. Ioannis Damasceni. XV.

ADuersus lienis duritiem valet, & flatus in eo dissipat. Recipit corticum radicis capparis, seminis agni, ana drach. sex. Seminis nigellæ, calaminthæ, acori, amygdalarum amararum, nasturtij, hammoniaci, foliorum rutæ, aristolochiæ rotundæ, succi eupatorij, ana drach. duas. Cyperi,[1] *scolopendrij, ana drach. vnam. Trita omnia, cum hammoniaco in aceto dissoluto excipiuntur, & in pastillos rediguntur.*

ANNOTATIONES.

Huius pastilli compositio in medicamentario libro Valerii Cordi non est integra, ideoq; ad illius præscriptum confici non debet. Cordus.

E 1 *Scolopendrii.*) Per Scolopendrium non linguam ceruinam, sed Ceterachium officinis appellatam, intelligit. Nam ad lienis obstructiones tollendas, vtilis admodum est hæc herba. Scolopendrium.

Pastillus ex agarico. Incerti auctoris. XVI.

PItuitam e cerebro & capite elicit. Crassos quoq; humores & lentos e thorace educit. Habet agarici selecti, vnc. tres. Salis fossilis, quem gemmam nominant, vnc. vnam. Cum serapio acido simplici finguntur pastilli, & loco sicco reponuntur.

Agaricum Trochiscatum: Hoc est, in pastilli formam redactum. XVII.

CApit agarici selecti, vncias quatuor. Redactum in puluerem cum vino, in quo Zingiber maceratum est, in pastillos digeritur. Efficax est ad purgandos crassos & lentos humores minori noxa ventriculi, quam si Agaricus solus propinetur. Agaricus enim quum leuitate sua, & permeationis F *tarditate ventriculum turbet, merito acria, vt est Zingiber, & penetrantia admittit, ad virium transitusq; per viscera obstructa celeritatem.*

Pastillus e[1] *colocynthide. Ioannis Damasceni.* XIIX.

ACcipit pulpæ colocynthidis albæ & leuis, seminibusq; purgatæ,[2] *drach. decem.*[3] *Forficib. incidantur, & fricentur cum olei rosacei, vncia vna. Cum lento succo seu mucagine tragacanthæ,*

gummi Arabici, bdellij, ana drach. sex, stillatitio rosarum liquore dies quatuor maceratis, finguntur pastilli, & siccentur in umbra. Siccatur iterum minutissime terunti, & cum ea e n mucagine rursus formantur pastilli, qui in vsum reconduntur. A

ANNOTATIONES.

Pastilli alhandal. 1 *E colocynthide.*) Non est autem, nisi pastillus, qui officinis hodie barbaro, & ipsis incognito nomine, Alhandal appellatur. Ingreditur Hieræ Hermetis apud filium Mesuæ compositionem. Aliis quoq; iniicitur compositionibus. Vsus eius pastilli tum erit, vbi pituitam & humores alios crassos ac glutinosos ex profundo corporis, & partibus longe distantibus, vt cerebro, neruis, musculis, articulis, pulmone, thorace euellere consilium est. Quare in cephalalgia, hemicrania contumaci, epilepsia, apoplexia, vertigine, asthmate, ischiade, morbis articulorum frigidis, item in acuendis clysteribus huius pastillum hunc vsurpare licebit. Hodie vsus eius maximus est in acuendis catapotiis pro colocynthide non inepte, quod salubrior sit quam ipsa Colocynthis, quæ per hos pastillos quandam veluti emendationem, & vitiorum correctionem accipit. B

2 *Drachmas decem.*) In omnibus propemodum codicibus filii Mesuæ legitur drachmas decem. Sũt tamen qui mendosam esse hanc lectionem, putent, quod olei rosacei quantitas satis magna sit, cum decem drachmis collata. Sed parum firma hæc est ipsorum ratio, quod decem illæ drachmæ facile aliis, quæ adiiciuntur, & in quibus macerantur, in pastilli formam fingi possint. Accedit, quod decem vnciæ colocynthidis cum vna vncia olei rosacei vix, immo multo difficilius, quam decem drachmæ, in pastilli formam redigi queant, quicquid cucullati illi Monachi garriant. Deniq; haud satis tutum est, tantam colocynthidis copiam pastillo huic indere, de quo vltra scrupulum vnum per se assumi parum tutum est.

3 *Forficibus incidantur.*) Et tenuissime etiam terantur, ne asperæ eius partes interaneis adhærentes ea exulcerent.

Pastillus [1] *ramich. Ioannis Damasceni.* XIX. C

V*Entriculum, cor, iecur, imbecilla firmat: & lubrica viscera ac intestina roborat ac constringit, choleram morbum reprimit, acrimoniam obtundit, animum reddit tranquillum, omnem sanguinis eruptionem cohibet: quapropter sanguine e naribus profluente insufflando impellitur, alijsque medicamentis admiscetur. Recipit succi oxalidis, vncias sedecim. Rosarum vnciam vnam. Baccarum myrti vncias duas. Coquuntur parum, & colantur. His miscentur gallarum recentium curiose tritarum, vncia tres. Coquuntur iterum. Deinde sequentia in puluerem trita insperguntur, nempe foliorum rosarum, vnc. vna. Santali flaui, vnc. vna, & drachmæ duæ. Gummi Arabici, vnc. vna, & dimidia. Carnium* * *rhois,* [γ] *spodij, ana drach. octo. Omphacij drach. septem. Succi baccarum myrti multum tritarum, vnciæ quatuor. Ligni aloes, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, ana drach. quatuor. Miscentur omnia simul, & extenduntur in scutella lapidea, donec siccentur. Exsiccata teruntur in tenuissimum puluerem, &* [2] *cum succo semperuiui, atq; stillatitio rosarum liquore formantur pastilli parui, & exsiccati in vmbra reponuntur.* D

*Sumachi

ANNOTATIONES.

Ramich. 1 *Ramich.*) Hanc vocem nonnulli interpretantur compositionem, ex adstringentibus paratam. Quæ quidem interpretatio huic compositioni, quæ ex eiusmodi rebus constat, bene quadrat. Alii Ramich ex Rumice Latina voce corruptam esse putant, quod scilicet largissimam oxalidem, quæ est Rumicis species recipiat. Vt pastillus Ramich non sit nisi is, qui ex Rumice oxalide constat. Mihi posterior sententia magis arridet, etsi temere de lingua mihi ignota nihil pronuntiem. Arabum enim inuentum est. Alii mixturam ex Gallis significare tradunt.

γ *Spodii.*) Hoc est, eboris vsti, vt iam sæpissime monuimus.

2 *Cum succo semperuiui.*) Filius Mesuæ habet Caphuræ. Verum quum calidam esse constet, pro ea succum Semperuiui substituimus. E

Pastillus ex * [1] *oxyacantha. Eiusdem.* XX.

*Berberis Arabum.

A*D calidam intemperiem prodest, alui fluorem, & iecoris dolorem. Habet baccarum oxyacanthæ, drach. duas. Spodij, mastiches, ligni aloes, galliæ moschatæ, spicæ, seminis oxalidis, ana drach. vnam. Rosarum, drach. quinq;. Gummi Arabici, drach. tres. Cum stillatitio rosarum liquore finguntur pastilli.*

ANNOTATIO.

1 *Oxyacantha.*) Per oxyacantham, quam Arabes Berberim vocant, non eam, quæ sic hodie officinis nominatur, intelligere oportet: Berberis enim officinarum ab oxyacantha diuersa est: sed eam, quam Dioscorides sub oxyacanthæ nomine pingit, cuius effigiem, & totam historiam tomo altero nostrorum de Stirpium historia commentariorum dedimus. F

Pastillus ex oxyacantha. Nicolai Myrepsici. XXI.

A*D iecoris calorem, immodicam sitim, linguæ ariditatem, & febres ardentes. Capit baccarum oxyacanthæ, spodij, succi glycyrrhizæ, seminis portulacæ, ana drach. tres. Rosarum, drachm. sex.*

[1] *Spicæ,*

A [1] *Spicæ, amyli, tragacanthæ, ana drach. vnam. Seminis citruli,*[2] *drach. vnam, & dimidiam.*[3] *Seminis portulacæ, drach. dimid. Cum aqua vel stillatitio rosarum liquore formantur pastilli.*

ANNOTATIONES.

Hoc pastillo e Berberis Mauritanorum, hoc est, oxyacantha Ægyptia, Nicolao interprete, nonnulli vtuntur crebrius, quam superiore. Et describitur etiam a Ioanne Damasceno, sed nonnihil variatis ponderibus, & adiecto croco. Debent autem Pharmacopœi vsurpare ad huius medicamenti compositionem baccas veræ oxyacanthæ.

1 *Spicæ.*) Post spicam filius Mesuæ crocum, cuius nulla fit in Nicolai manuscripto codice mentio, subiicit.

2 *Drachmam vnam, & dimidiam.*) Ioannes Damascenus habet drach. tres, & dimidiam. Parum autem refert, vtrum ex iis pondus arripias: quia alterum validiorem reddit pastillum, alterum minus validum.

B 3 *Seminis portulacæ.*) Nicolaus, & filius Mesuæ, habent Caphuræ. Nam Arabum, Caphuram refrigerare putantium, opinionem amplectitur Nicolaus. Quare pro ea semen portulacæ substituimus, licebit etiam vsurpare pro Caphura semperuiui succum.

Pastillus ex [1] *Halicacabo. Ioannis Mesuæ.* XXII.

Contra renum & vesicæ exulcerationem, & natam inde vrinæ difficultatem: mictumq. sanguinis pollet. Accipit baccarum halicacabi, drach. tres. Seminis citruli,[2] *melonis, cucurbitæ, ana drach. tres, & dimidiam. Boli Armeny, gummi Arabici, thuris, sanguinis draconis, papaueris albi, amygdalarum amararum, succi glycyrrhizæ, tragacanthæ, amyli, nucleorum pinearum, ana drach. sex. Seminis apy, succini,*[3] *terræ lemniæ, hyoscyami,*[4] *opy, ana drach. duas. Cum succo halicacabi finguntur pastilli.*

C *ANNOTATIONES.*

1 Hic pastillus non solum ex Halicacabo, vel, vt corrupta voce Alcachengi hodie nominant: sed etiam ἐξ φυσαλλίδων, id est, E vesicaria, appellatur. Vsu tritissimus ad vrinæ ardorem exulcerata vrinaria fistula, vesica, renibus, & vreteribus. Pluribus namq; diebus ex aqua mulsa, zulapio rosato, aut vino austero sumti vlcera detergent, glutinant, & cicatrice tegunt, vrinæ acrimoniam mitigant, eiusq; strigmenta mucosa, aspera & dolorifica complanant, & leniunt. *Pastillus Alchachengi.*

2 *Melonis.*) In Ioannis Damasceni codicibus legitur, Albatecha. Qua quidem voce non intelligit Melonem magnum, viridem, subnigrum & Indum, vt omnes fere interpretantur: sed communem potius, vt ex Serapione & Auicenna satis liquet, qui Batechæ, quæ eadem est Albatechæ, eadem tribuunt, quæ Dioscorides Meloni. Imo Batecham Serapio interpretatur Melonem. *Albatecha*

3 *Terræ lemniæ.*) In Mesuæ filii codice est, Boli simpliciter. Interpretantur autem omnes rubricam Sinopicam, vt quæ Medicis magis in vsu sit. Verum quum hodie ad nos non afferatur, pro ea substituimus terram Lemniam, quam sigillatam hodie vocant, quæ non est nisi bolus officinarum. *Bolus.*

D 4 *Opii.*) Paratur etiam hic pastillus sine opio. Quapropter oportet Medicos in vsu huius pastilli diserte in suis formulis exprimere, num pastillum hunc cum opio, vel sine opio medicamentis permiscendum velint.

Pastillus e [1] *succino. Eiusdem.* XXIII.

Auxiliatur sanguinem exscreantibus, tabidis, purulenta exspuentibus, cœliacis, & dysentericis: in summa, sanguinem vndecunq. emanantem sistit, ac supprimit. Recipit succini, aur. sex. Cornu cerui vsti,[2] *gummi arabici assi, corallij rubri vsti, tragacanthæ, acaciæ,*[3] *hypocistidis, balaustioru, mastiches, lacchæ, papaueris nigri assi, ana aur. duos. Thuris, croci, opy, ana aur. vnum, & dimidium. Cum lento* * *psyllij succo formantur pastilli.* ** mucagine.*

E *ANNOTATIONES.*

1 *E succino.*) Officinæ e Charabe Pastillum hunc nominant. *E charabe*

2 *Gummi Arabici.*) In nonnullis codicibus desideratur: tamen quum ad spissandum & refrigerandũ sit aptum, non video quomodo omitti possit, aut debeat.

3 *Hypocystidis.*) Quum in codice filii Mesuæ sit Henfistidis, quidam succum Cisthi foliorum inaudiendum esse putant. Sed nihil refert succum foliorum, aut eius quod instar fungi est, germinis, quod hypocystis vocatur, accipiamus, propterea quod eiusdem sint facultatis. Henfistidis autem esse vocem deprauatam ex hypocystidis, omnibus notum est, & idipsum paulo post pluribus ostendemus.

Pastillus e * *Lemnio Sigillo. Ioannis Damasceni.* XXIV. ** Terra sigillata.*

Cruenta spuentibus, & omni sanguinis profluuio succurrit, vt præcedens. Habet sanguinis draconis, gummi Arabici tosti, pastillorum Ramich, rosarum rubrarum, seminis rosarum, amyli assi,
F *spody, acaciæ, hypocystidis, lapidis hæmatitis,*[1] *succi foliorum Cisthi, balaustij, boli armeny, terræ lemniæ,*[2] *Seminis canabis, corallij, succini, ana drachmas duas. Margaritarum, tragacanthæ, papaueris nigri, ana drachmam vnam, & dimidiam. Seminis portulacæ tosti, cornu cerui vsti, thuris, nucum cupressi, croci, ana drach. duas. Cum stillatitio plantaginis liquore finguntur pastilli.*

ANNOTATIONES. A

1 *Succi foliorum Cisthi.*) In codice Ioannis Damasceni legitur Henfistides. Nemo autem est qui hanc vocem non esse corruptam videt, & e dictione Cisthi deriuatam. Non significare autem nisi succum foliorum Cisthi, in primis Auicenna testatur, qui lib. 2. cap. 334. ita scriptum reliquit. Henfistides est succus plantæ quæ dicitur Barba Hircina. Quid vero sit Barba Hircina indicat Serapio cap. 115. sui libri de simplicibus inscripti. Nam sub hoc nomine Dioscoridis Cisthum describit, vt ex collatione vtriusq; loci luce meridiana clarius fit. Diuersas igitur res hypocystidis & Henfistidis nominibus intelligit Ioannes Damascenus. Hoc succum, vt diximus, foliorum Cisti: illo autem id quod iuxta Cisti radices nascitur. Merito autem succus foliorum Cisti huius pastilli compositionem ingreditur, vt cui insignis sit adstringendi, Dioscoride teste, facultas.

2 *Seminis canabis*) In Damasceni codice est Sedenegi, quæ sane dictio Mauritanis, Serapione ca. 207. auctore, Canabim denotat. Ingreditur autem hunc Pastillum propter immensam suam exsiccandi facultatem. Nec metuendus eius calor erit, quod is a tot frigidis medicamentis nonnihil frangatur. Ceterum B vt id quoq; adiiciam, liberale ex naribus sanguinis profluuium sistunt cum succo polygoni, plantaginis, & ouorum candido fronti & temporibus illiti.

Pastillus[1] *ex portulaca. Eiusdem.* XXV.

Febribus ardentibus, feruoribus sanguinis & flauæ bilis, ventriculi deniq; & iecoris intemperiei calidæ, & hecticæ confert. Capit rosarum, vnc. dimidiam. Spodij, glycyrrhizæ, ana drach. duas. Seminum cucurbitæ, citruli, cucumeris, & melonum, tragacanthæ, croci, gummi Arabici, spicæ nardi, ana drach. vnam. Santali flaui, drach. duas, & dimidiam.[2] *Ligni aloes, cardamomi, amyli, seminis portulacæ, ana scrup. duos. Sacchari albissimi, mannæ, ana drach. tres. Cum lento psyllij succo finguntur pastilli.*

ANNOTATIONES. C

Inscriptio huius pastilli ratio. Caphura.

1 *Ex Portulaca.*) Noua hæc est eius pastilli inscriptio. Nam apud filium Mesuæ dicitur pastillus e Caphura. Quum vero Caphura, vel vt hodie loquuntur, Camphora nostra, quod inter Arabes Auerroes vnus testatur (quum ceteri omnes, quanquam falso, frigidam esse affirment) abunde calida sit, huic pastillo qui ardentibus febribus maxime conuenire debet, parum recte inseritur. Quapropter nos, vt alias semper, & hic pro Caphura, semen portulacæ, vel semperuiui succum, substituimus.

Auicennæ in Caphura inconstantia.

2 *Ligni aloes, &c.*) Neq; lignum aloes, neq; spica nardi, maxime autem cardamomum, quod impense calidum est, huic pastillo recte inditum esse videtur. Sed Mesuæ filius haud dubie hanc compositionem ex Auicenna mutuatus est, qui Canone quinto, vbi quinq; Pastillorum e Caphura descriptiones refert, vnam habet, nempe primam, quæ huic per omnia respondet: nisi quod pro seminibus citruli, cucumeris, & melonum, semen maluæ & portulacæ substituit. Secutus est igitur hic, vt alibi sæpe, Ioannes Damascenus errorem Auicennæ, e quo fere omnia sua ad verbum transcripsit. Atqui nihil mirum, Auicennam interdum calida medicamenta Caphuræ copulasse, quum hanc ipsam iam calidam, (quanquam tecte, aut D inscienter) appellet & innuat. Nam loco iam citato tria Electuaria de Caphura recenset, ad concoctionem ventriculi & iecoris roborandam, & pituitam crassam incidendam, ac flatus discutiendos vtilia. Vnde omnibus perspicuum euadit, eum Caphura non vt frigido, sed potius vt calido medicamento vsum esse. Quomodo enim frigidum medicamentum pituitam crassam extenuaret, aut flatus discuteret? Et vt calido vsum esse illic Auicennam medicamento Caphura, abunde testantur medicamenta quæ ei coniunxit: quæ Santalis exceptis, omnia sunt calida. Quin etiam Canone secundo, vbi ex professo de viridibus Caphuræ tractat hanc parare vigilias, memoriæ prodidit. Si vigilias excitat, quo pacto frigida esse possit non video. Quæ commemoranda nobis hoc loco esse duxi, vt illorum impudentiam retunderemus: qui ne hodie quidem desinunt vociferari, sine Arabum commentariis neminem facere Medicinam posse. Sed vt ad institutum redeam, quum hæc Mesuæ filii compositio mihi parum arrideat, statui aliam hac meliorem subiicere, quæ est Nicolai: vt posthabita priore, Pharmacopœi sequentem deinceps in suis officinis paratam habeant. E

Pastillus[1] *e nymphæa. Nicolai Myrepsici.* XXVI.

Ad calorem iecoris confert. Accipit rosarum, gummi Arabici, tragacanthæ, spodij, ana vnc. dimidiam. Seminum quatuor frigidorum maiorum, seminis portulacæ, glycyrrhizæ, ana vnc. vnam. Croci, drach. duas. Amyli, drach. tres.[2] *Semperuiui succi, drach. dimid. Trita cum succo psyllij digeruntur in pastillos.*

ANNOTATIONES.

1 *E Nymphæa.*) Et huius pastilli, propter caussam supra expositam, immutauimus inscriptionem. Nam Nicolao e Caphura nominatur, vt qui hac in parte Mauritanorum, Caphuram frigidam esse putantium, sequi errorem voluit. F

Pro Caphura floribus Nymphææ vtendum.

2 *Succi semperuiui.*) Nicolaus Caphuræ habet, pro qua nos succum semperuiui substituimus, non certe temere: quod Caphura calefaciendi, haud refrigerandi facultatem habeat, vt alibi copiose ostendimus. Auicennam, qui loco paulo ante indicato, in tertii pastilli de Caphura descriptione, vtriusq; etiam Nymphææ seu Nenufaris florum meminit.

Pastillus

A *Pastillus e violis. Nicolai Alexandrini.* XXVII.

EXcalefactiones mitigat, aluumq; emollit. Recipit florum violarum recentium, drach. quindecim. Amyli, drach. nouem. Seminis papaueris albi, drach. septem. Rheibarbari, drach. quinque. Seminis plantaginis, drach. tres. Balsami, ʒ. vnam. Cum stillatitio rosarum liquore finguntur pastilli.

Pastillus e violis. [1] *Nicolai Myrepsici.* XXIIX.

HAbet florum violarum recentium, drach. quinq;. Amyli, drach. tres. Seminis papaueris albi, drach. duas, scrup. vnum. Rheibarbari, [2] *scrupulos quinq;. Seminis plantaginis minoris, drach. vnam. Balsami, scrup. vnum. Trita cum stillatitio rosarum liquore, digeruntur in pastillos.*

ANNOTATIONES.

1 *E Violis.*) Nicolai codex Græcus, vt Latinus etiam, corrupte admodum legit ὁ διαῖνς, pro ὁ δἰ ἴων; B hoc est, e violis. Atq; ita quoq; legitur in Latino codice, qui Ingolstadii est editus. Et quum hunc pastillum ingrediantur violæ (quomodo enim alias ab illis denominaretur) liquet primo, compositionem hanc in manuscripto codice, quo nos vsi sumus, mutilam esse. Nulla enim in ea fit violarum mentio. Desunt igitur violæ, & amylum. Dein palam est, accipiendas esse violas Martias (nam illæ a Græcis ἴα vocantur) non albas, quæ iisdem λευκόια, & nostris Cheiri nominantur, vt putat Cordus & eum secutus Rondeletius. Si enim de iis locutus fuisset Nicolaus, non δἰ ἴων sed διὰ λευκοίων inscripsisset hunc pastillū. Ardores internos mitigant, aluumq; emolliunt, gutturis asperitates leniunt. Vt & hinc palam fiat, violas Martias, vtpote refrigerantes, magis esse huic compositioni indendas. Cordus errat.

2 *Scrupulos quinq;.*) Errat igitur Cordus, qui contra fidem omnium codicum, habet in suo medicamentario libro, scrupulum vnum. Cordi erratum.

Pastillus [1] *e rosis. Nicolai Myrepsici.* XXIX.

C *CApit rosarum viridium, drach. tres. Spodij, drachmas duas. Santali rubri, drach. vnam & dimid. grana septem. Santali albi, drach. vnam, grana 12. Croci, ℈. 2. grana 20.* [2] *Seminis plantaginis, scrup. dimid. Trita cum stillatitio rosarum liquore digeruntur in pastillos.*

ANNOTATIONES.

1 *E rosis.*) Officinæ Græca appellatione Diarhodon magis vtuntur. Non fuit autem a nobis hic pastillus temere prætereundus, quod multas magnas vocatas Nicolai confectiones ingrediatur. Confert etiam dysentericis, cœliacis, iocinerosis, & stomachicis. Pondera nonnihil ab aliorum descriptionibus variant. sunt enim legitima, & e Græco codice descripta. Pastillus diarhodō.

2 *Seminis plantaginis.*) Caphuræ, habet Nicolaus. Mutationis caussam iam antea sæpe indicauimus. Liceret etiam pro Caphura vsurpare succum semperuiui.

Pastilli e rosis. Rhasis. XXX.

D *AD ventriculi dolores valent, concoctionem iuuant, febribus diuturnis, aquæ inter cutem incipienti succurrunt. Accipiunt rosarum, vnc. dimidiam. Ligni aloes, drach. duas. Mastiches, drach. vnam, & dimidiam. Absinthij Pontici, cinamomi, spicæ nardi, casiæ ligneæ, florum iunci odorati, ana drachmam vnam. Cum vino veteri formantur pastilli.*

Pastillus [1] *Bechius Albus. Incerti auctoris.* XXXI.

AVxiliatur tussientibus, & difficulter spirantibus, fauciumq; asperitatem lenit. Recipit sacchari albissimi, lib. vnam. Sacchari candefacti optimi, sacchari penidij, ana vnc. quatuor. Radicis iridis Florentinæ, vnciam vnam, drachmas septem. Amyli, vnc. duas, & dimidiam. Cum succo lento tragacanthæ in stillatitio rosarum liquore maceratæ finguntur pastilli parui, & signantur.

ANNOTATIO.

E 1 *Bechius albus.*) Non sonat, nisi tussicularis albus. Ita enim Græce appellatur, quod ad tussim efficax sit. Officinæ pectoralem nominant. Sunt qui hunc aliter componant, hoc scilicet modo. Recipiunt Sacchari albissimi, sacchari candi, ana libr. dimidiam. Amyli, vncias duas. Cum succis lentis, seu mucaginibus gummi Arabici, & tragacanthæ, in stillatitio rosarum liquore maceratorum formantur pastilli. Bechius. Pectoralis pastillus. Alia compositio.

Pastillus Bechius niger. XXXII.

*ABscissam vocem recuperat, tussi siccæ succurrit, asperitatem faucium lenit, & exscreationem sputi accelerat. Habet succi glycyrrhizæ, vncias quatuor. Styracis calamitis, vnc. vnam, & dimidiam. Sacchari candefacti, vnc. duas, & dimidiam. Specierum diairidis Salomonis, specierum *ecclegmatis sani & experti, ana vnc. dimidiam. Sacchari penidij, lib. dimidiam. Sacchari albissimi, lib. 2. ℥. 3. Cum mucagine tragacanthæ in stillatitio hyssopi liquore maceratæ finguntur pastilli, & signantur.* *Lohoc.

F *Pastillus pro lauando Capite.* XXXIII.

CApit saluiæ, rosmarini, maioranæ, lauendulæ, betonicæ, ana drach. dimid. Stichadis Arabicæ, asari, caryophyllorum, spicæ nardi, nucis moschatæ, foliorum lauri, meliloti, ana drachm. vnam. Ligni aloes, scrupulos duos. Mastiches, thuris, gummi iuniperi, ana drachm. vnam. Aliptæ moschatæ, galliæ moschatæ, ana drach. vnam, & dimidiam. Rosarum rubearum, chamæmeli, origa-

ni foliorum sena, ana pugillum unum. Saponis, lib. unam. Formentur pastilli ponderis drachmarum duarum. A

Pastillus suffumigabilis. Noster. XXXIV.

ACcipit ladani purissimi, styracis calamitæ, myrrhæ, mastiches, thuris, ana unciam unam. Rosarum rubearum, cinamomi, caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, ana drach. duas. Thymiamatis, unc. duas. Maioranæ, rosmarini, spicæ nardi, ana drach. unam. Asæ dulcis, unc. dimid. Santali rubei, & citrini, ana drach. duas. Corticis citrij, drach. unam. Foliorum lauri drach. unam, & dimidiam. Seminis nigellæ, ocymi, ana drach. dimidiam. Carbonum tiliæ, unc. quatuor. Cum stillatitio rosarum liquore, & mucagine tragacanthæ formantur pastilli, vel candelæ.*

* Thimiama nō esse nisi exteriorem styracis corticem, qui post expressam lacrymā remanet libro 1. est dictum.

Candela suffumigabilis. XXXV.

REcipit styracis calamitæ, unc. quatuor. Ladani, unc. tres. Thuris mastiches, myrrhæ, ana unc. dimidiam. Cinamomi, garyophyllorum, macis, nucis moschatæ, ana drach. duas. Santali albi, & flaui, ana drach. duas, & dimidiam. Asæ dulcis, drachmas tres. Thymiamatis, unc. duas, & dimidiam. Ligni aloes, drach. unam, & dimidiam. Carbonum tiliæ, unc. quatuor. Styracis liquidi, unc. duas. Terebinthinæ lotæ, & liquoris stillatitij rosarum quadrantem dimidiam, finguntur candelæ. B

DE *COLLYRIIS, SECTIO XIV.

* Sieff

Collyrium aridum album. Rhazis. I.

GLutinandi facultatem habet. Capit cerussæ lotæ, drach. sex. Sarcocollæ in lacte muliebri maceratæ, drach. duas. Tragacanthæ, drach. tres. Opij, scrupulum unum. Cum albumine oui fiant collyria arida, vel Sieff.

Collyrium aridum rubeum. Eiusdem. II. C

IDem quod præcedens potest. Accipit lapidis hæmatitis, cerussæ lotæ, ana drach. tres. Aeris usti, drach. duas. Myrrhæ, croci, ana drach. unam. Cum vino veteri formantur Sieff.

Collyrium aridum viride. Eiusdem. III.

ERodendi vim obtinet. Recipit floris æris, drachmas tres. Atramenti sutorij usti, drach. sex. Arsenici rubei, nitri, spumæ maris, ana drach. unam. Salis hammoniaci, drachmam dimidiam. Ammoniaci, drachmas duas. Cum succo rutæ finguntur Sieff.

Collyrium aridum e plumbo. Eiusdem. IV.

GLutinandi vim obtinet. Habet plumbi usti, stibij, thutiæ lotæ, æris usti, gummi Arabici, tragacanthæ, ana drachmas octo. Opij, drachmam dimidiam. Trita cum aqua pluuiali redigantur in formam Sieff. D

Collyrium aridum e thure. Eiusdem. V.

IDem quod præcedens potest. Capit thuris, drachmas decem. Ammoniaci, sarcocollæ, ana drachmas quinque. Croci, drachmas duas. Cum mucagine fœnigræci formantur Sieff.

Collyrium aridum e Myrrha. Incerti auctoris. VI.

AD tenuissimas & acres fluxiones, & eas quæ sunt cum exulceratione, valet. Accipit myrrhæ, lycij, ana drach. duas. Cadmiæ lotæ, drach. tres. Terræ lemniæ, lapidis hæmatitis, gummi Arabici, ana drach. unam. Opij, drach. dimidiam. Aloes bonæ, drach. unam, & dimidiam. Cum vino veteri odorato adstringente finguntur Sieff.

Collyrium[1] cygnus albus. Nicolai Myrepsici. VII.

AD incipientes lippitudines, defluxionem acrem, æstus, vlcera caua & sordida, pustulasque confert. Recipit[2] pompholygis lotæ ℥. dimid.[3] Cadmiæ ustæ, & lotæ, drach. duas, & dimid. Cerussæ, drach. quinque.[4] Samij asteris, drach. dimid. grana septem. Opij, grana 15. Amyli, drach. duas, & dimid. Acaciæ, drach. dimid. Tragacanthæ, drach. unam. Gummi, drach. duas, & dimid. Trita cum aqua pluuiali, digeruntur in collyria arida, seu[5] Sieff. E

ANNOTATIONES.

Cygnus.

1 *Cygnus.)* Hoc collyrium præ ceteris e Nicolao referre voluimus, quod veteribus fuerit usitatissimū. Et posset hodie paratum in officinis haberi.

Pompholyx. Thutia officinarū Cadmia.

2 *Pompholygis.)* Sic veteres, quod Arabes Thutiam appellant, nominare consueuerunt. hodie Nil album officinæ vocant: vt lib. 1. copiose diximus. Thutia vero officinarum, est Cadmia botryites.

3 *Cadmiæ.)* Lapide calaminari vocato, pro ea hodie utimur: aut thutia officinarum. F

Samius aster.

4 *Samii asteris.)* Samiam terram alii nuncupant. Quum hodie non afferatur, pro ea Lemnia seu sigillata utemur terra.

Sieff.

5 *Sieff.)* Sic barbari vocant Collyria arida, quæ Græcis ξηροκολλύρια peculiari voce appellantur. Accipiunt autem hæc pyramidis fere formam, & in nonnullis officinis hac forma parata prostant. Ceterum aridorum collyriorum sylua est apud Aetium & Nicolaum. Iam vnam & item alteram liquidorum collyriorum formulam producemus.

Colly-

A Collyrium liquidum e pompholyge. Incerti auctoris IIX.

Visum acuit. Habet stillatitij liquorum eufrasiæ, rosarum, chelidonij, fœniculi, ana unc. unam. Pompholygis lotæ, drach. tres, & dimidiam. Aloes, drach. vnam, & dimidiam. Sacchari candi, drach. duas. Cadmiæ lotæ, drach. vnam. Commistis omnibus fiat collyrium liquidum.

Collyrium liquidum e cadmia. Incerti auctoris. IX.

Glutinandi vim habet. Capit cadmiæ lotæ, drach. duas. Pompholygis præparatæ, drach. vnam. Cerussæ, drach. vnam & dimidiam. Sarcocollæ in lacte muliebri macerata, tragacanthæ, ana drach. dimidiam. Gummi Arabici, scrup. vnum. Stillatitij liquoris rosarum, ℥. vnam, & dimid. Stillatitij liquoris fœniculi, eufrasiæ, chelidonij, ana vnciam vnam. Miscentur, & fit collyrium.

DE *PILIS ODORATIS, SECTIO XIV. *Poma ambræ barbari vocāt

B Pila odorata æstiua. Nostra. I.

Accipit florum nymphеæ, violarum, rosarū, borraginis, ana drach. duas. Spodij de canna, drach. vnam, & dimidiam. Corticum citrij, drach. duas. Santali albi & rubei, ana drachm. vnam. Croci, scrup. dimidium. Macis, nucis moschatæ, maioranæ, ligni aloes, cubebarum, mastiches, ocymi caryophyllati, ana drach. dimidiam. Succini, styracis calamitæ, ana drach. vnam. Galliæ moschatæ, drach. dimidiam. Ambaris, scrup. vnum. Moschi, scrup. dimidium. Ladani depurati, vncias duas. Cum stillatitio rosarum liquore finguntur pilæ iustæ magnitudinis.

Pila odorata hyemalis. Nostra. II.

Recipit styracis calamitæ, vnciam dimidiam. Ligni aloes, caryophyllorum, cinamomi, cardamomi, ana drach. vnam. Macis, nucis moschatæ, zedoariæ, nigellæ, ana drach. vnam, & dimidiā.
C *Ocymi, maioranæ, ana drach. dimidiam. Asæ dulcis, drach. duas. Alipta moschata, drach. duas, & dimidiam. Melissophylli, drachmas duas. Ladani, vnciam dimidiam. Ambræ, scrupulum vnum. Cum stillatitio menthæ liquore finguntur pilæ odoratæ.*

Pila odorata alia. Nostra. III.

Habet styracis calamitæ, drach. tres. Ladani purissimi, vnc. dimidiam. Caryophyllorum, cinamomi, ana drach. duas. Ligni aloes, nucis moschatæ, macis, ana scrup. duos. Rosarum rubearum, lauandulæ, ana drach. vnam. Galliæ moschatæ, drach. vnam, & dimidiam. Maioranæ, melissophylli, ana drach. vnam. Ambaris scrup. vnum. Moschi, scrup. dimidium. Teruntur omnia, & cum stillatitio rosarum liquore formentur pilæ.

Liquor Moschatus Odoratus. IV.

D *Capit stillatitij liquoris rosarum, vnc. tres. Stillatitij liquoris nymphеæ, vnc. vnam. Stillatitij liquoris boraginis, vnc dimidiam. Cinamomi, caryophyllorum, ana scrup. dimidium. Ambaris granum vnum. Moschi, granum dimidium. Succi semperuiui, scrupulum dimidium. Santali flaui, grana sex. Miscentur.*

DE OLEIS, SECTIO XV.

Oleum rosaceum. I.

Refrigerat & adstringit, adeoq; repellit, phlegmonibus præsidio est, æstuantem ventriculum restinguit, erosiones intestinorum clysteribus inditum, & dentium dolores, si eo colluantur, sanat. Fit hoc modo. Folia rosarum rubearum, nondum penitus explicatarum, forpice[1] incisa, & contusa, [2]quantitate sufficienti in vitreum vas conijciuntur: & affunditur olei omphacij, hoc est, ex oliuis
E *immaturis expressi, quod satis est: & vase obturato, illic macerantur ad solem, aut in loco aliquo calido, diebus[3] quindecim. Dein in[4] duplici vase[5] tribus horis coquuntur. Expressis folijs & abiectis, noua iniiciuntur, & iterum quindecim diebus macerantur & insolantur: postea vt prius, coquuntur, & exprimuntur. Tertio idem fit, & tandem excolatur.*

ANNOTATIONES.

Is modus hodie vsitatus est, & nihil fere abest ab eo, quem secundo loco Dioscorides, item Paulus, Nicolaus, & Actuarius recensent.

1 *Incisa & contusa*) Sunt tamen qui forpicibus tantum incidunt, alii duntaxat tundunt.

2 *Quantitate sufficienti*) Paulus vncias tres rosarum rubearum exunguatarum, sextario olei omphacini immittit. Nicolaus eandem vsurpat mensuram. Sunt qui vnc. 4. accipiant violarum, & lib. 2. olei.

F 3 *Quindecim*) Actuarius & alii, quadraginta dies insolant, Nicolaus triginta. Filius Mesuæ septem dies. Nos mediam rationem sequi maluimus. Ceterum sunt etiam qui non insolant, sed vrnam in puteū demittunt, vt ex frigore eius odoris gratia, & virium efficacitas conseruetur. Alii sub terra defodiunt totidem diebus. Nostra ratio componendi veteribus magis accedit.

4 *Duplici vase*) Vt scilicet alterum alteri incumbat. Verbi gratia: vas vitreum, cui rosæ & oleum iniecta sunt, vasi alteri aquam calentem continenti insideat & incumbat, ne videlicet ignis aut aquæ contactu, & mistione oleum vitietur. Vas duplex.

5 *Tribus horis.*) Hodie minus diu coquunt, ideoq; minus etiam efficax oleum efficiunt. Tempus a nobis expressum filius Mesuæ constituit. A

Oleum violaceum. II.

R*Efrigerat calidam intemperiem, ob id phlegmones omnes remittit: ac inde pleuriticos iuuat, asperitatem arteriæ, pulmonis & thoracis lenit. Tabidis, consumtis & hecticis præsenti remedio est inuncto thorace. Iecoris & renum immodicum calorem compescit. Fit e floribus violarum nigrarum, & oleo rudi, id est, omphacino, vt rosaceum.*

*Nenufaris.

Oleum nympheatum.* III.

I*Dem fere quod violaceum potest, magis tamen refrigerat, adeo vt somnum etiam conciliet. Capitis dolores ex febrium incendio natos mitigat, vrinæ ardori confert. Veneris insomnia arcet. Fit e floribus Nymphææ albæ, & omphacino, vt præcedentia.* B

*Cydoniorum.

Oleum Melinum. Ioannis Damasceni.* IV.

* id est, nō perfecte maturorū.

R*Efrigerat & adstringit: ideo ventriculi, & iecoris imbecillitatibus, ventrisq; fluxionibus, lienteriæ nimirum, diarrhææ, ac dysenteriæ, accommodatum est. Sudorem item plus iusto emanantem cohibet. Fit hoc modo. Caro cydoniorum * præmaturorum [1] cum cortice tritorum, abiectis granis, [2] sufficienti quantitate, & succus eorum æquali portione in olei omphacini modo sufficienti, in vase vitreo bene obturato diebus quindecim insolatur. Dein horis 4. in [3] vase duplici coquitur: post hæc abijciuntur cydonia, & recentia immittuntur, & rursus insolantur, & coquuntur. Deinde tertio recentia inijciuntur, & vt prædictum est, insolantur, & coquūtur. Tandem in vase diligēter obturato, ne exspiret, reconditur oleum.*

ANNOTATIONES.

Pauci, aut fere nulli sunt, qui oleum hoc ea diligentia parant: ideoque nihil mirandum, si quæ illi tribuuntur, non efficiat. Quapropter curent deinceps Pharmacopœi, vt ad eum struant modum. C

1 *Cum cortice.*) Quod, Nicolao attestante, in eo sit odor, & adstrictio.

Sextarius Italicus.

2 *Sufficienti quantitate.*) Paulus & Nicolaus Cydoniorum vncias tres, olei omphacini sextarium Italicum, id est, vnc. viginti mensurales esse volunt, id est, lib. vnam & dimidiam, & vncias duas.

3 *Duplici vase.*) Ne vires cydoniorum empyreuma vitiet.

Oleum myrtinum. Nicolai Myrepsici. V.

R*Efrigerat & adstringit, ideoq; cœliacis affectibus vtile. Sanat igne ambusta, pustulas erumpentes illitu emendat. Attritus hyeme concitatos & intertrigines illitum corrigit. Sedis rimas, condylomata, laxatos artus persanat, & sudores coercet. Fit ex folijs myrti [1] viridibus, & [2] oleo omphacino, & [3] vino odorato adstringente: quæ omnia coquuntur ad lentas prunas ad vini consumtionem, dein per colum traijciuntur, & oleum purum in vas vitreum reponitur.* D

ANNOTATIONES.

Foliorum myrti quātitas.

1 *Viridibus.*) Quum apud nos viridia myrti folia haberi nequeant, ideo arida vino veteri odorato sunt aspergenda, & postea tundenda. Quæ autem foliorum esse debeat quantitas, Nicolaus itidem indicat, nempe vnciæ duæ. Actuarius vnciam vnam accipiendam esse docet.

Olei omphacini.

2 *Oleo omphacino.*) Cuius quantitas & mensura, vtrisq; iam nominatis auctoribus sit sextarius Italicus, hoc est, vnciæ viginti.

Vini odorati. Alius parandi modus.

3 *Vino odorato.*) Cuius mensura, Nicolao teste, sit sextarii Italici quarta pars, id est, vnc. quinq;. Alii sic parant. Recipit Foliorum myrti viridium, lib. vnam. Olei omphacii, lib. tres. Vini odorati adstringentis, lib. duas. Coquuntur vsq; ad vini consumtionem, dein colo traiicitur, & reconditur. Prior ratio veterum est, ideoq; præferenda. Ceterum codices filii Mesuæ, quomodo hoc oleum confici debeat, non exprimunt: idq; non sine magna confusione, quandoquidem in sequentibus oleis non raro legatur, fiat quemadmodum oleum myrtinum. E

Oleum e [1] myrti baccis. VI.

I*Dem quod præcedens potest. Fit e viridibus recentibusue baccis, & oleo omphacino, vt rosaceum.*

ANNOTATIO.

Oleū { Myrtillorum / Myrtinū }

1 *E Myrti baccis.*) Omnes fere Pharmacopœi hoc modo hodie parant oleum illud, ac Myrtillorum nominant. Discernendum igitur ipsum a Myrtino erit, vtpote quod non e baccis, quas illi Myrtillos, sed e foliis fiat. Et qui ex vtrisq; parant oleum, Plinii auctoritate ac testimonio, quod faciunt confirmare possunt, qui libro 15. cap. 7. & ex foliis, & ex baccis Myrti oleum fieri, scriptum reliquit. Porro quum recentes baccas non habeamus, vino odorato adstringente conspergi possunt. Aut in earum inopia, baccas syluestrium & nostratium Myrtorum vsurpare licet.

Oleum papauerinum. Ioannis Damasceni. VII.

I*Ntemperiem calidam sanat, & inde natum dolorem: somnum quoq; conciliat. Fit bifariam. Vno modo ex semine vtriusq; papaueris, tam albi quam nigri, vt [1] sesaminum, de quo infra. Alio [2] modo ex floribus, capitibus, & folijs vtriusq; papaueris, vt violaceum.* F

ANNOTATIONES.

Oleum e semine papaueris.

1 *Vt sesaminum.*) Semen enim papaueris ab excrementis purgatum, aqua parum salsa irrigatur, & manibus

A nibus fricatur, iterumq; irrigatur, donec madefiat. Postea expassum siccatur, modice assatur, sacculo impositum multum diuque fricando excorticatur, corticibusque purgatur: mollitur in farinam, oleumque exprimitur. Discriminis gratia, oleum e semine papaueris vocetur.

2 *Alio modo)* Qui priore est vsitatior. Oleum e floribus papaueris inscribatur. Oleum e floribus papaueris.

Oleum hyoscyaminum. VIII.

IDem quod papauerinum potest, & ad aurium dolores efficax est. In pessis ad emolliendum vtilius. Exprimitur ex hyoscyami semine, albo, recente vel succo, calida aqua asperso, insolato, trito, eodem quo ex papauere modo.

Oleum e mandragora, Nicolai Myrepsici. IX.

*PHreniticis, febricitantibus, & vigilantibus confert. Inflammationem omnem exstinguit, somnū conciliat, * carpo & plantis pedum illitum. Habet olei communis, lib. duas.[1] Succi mali punici acidi, succi pomorum[2] vel radicis mandragoræ, an. vncias quatuor. Succi hyoscyami, vnc. duas. Succi[3] papaueris hortensis nigri, vncias tres. Succi foliorum violæ, succi[4] cicutæ tenerrimæ, an. vnc. vnam.[5] Opii boni, styracis calamitæ, an. vnciam dimidiam. Omnia simul cum oleo mixta reponuntur in[6] vase vitreo, & sub æstu caniculari insolantur diebus decem: dein[7] coquuntur ad aqueorum consumtionem, vt solum oleum remaneat. Colatum reconditur in vase.* *Fronti, temporib. & naribus quoque illitum.

ANNOTATIONES.

1 *Succi mali punici)* In latinis codicibus desideratur. Quum autem Græco in codice sic legatur, omittendum esse non putauimus.

2 *Vel radicis)* Quum ad nos raro admodum, aut fere nunquam mandragoræ poma afferantur, præstat vsurpare radicis succum, cuius etiam solius in manuscripto Nicolai codice fit mentio. Verum quia & hæc C ipsa recens raro habetur, oportet vt eius libra vna contundatur, & in aqua sufficienti coquatur, colatique decocti vnciæ quatuor, aut plus etiam, aliis succis adiiciantur.

3 *Succi papaueris)* Latini codices, & recte quidem, addunt Capitum. Et adiicitur Hortensis, vt syluestre excludatur.

4 *Cicutæ tenerrimæ)* Ita in omnibus latinis codicibus legitur. In manuscripto autem græco Nicolai codice, canchryos falso scribitur, pro κωνείου. Nicolai codex emendatus.

5 *Opii)* Hoc quia integrum in oleo dissolui nequit, ideo terendum erit, & tritum oleo inspergendum, ac sæpe permiscendum.

6 *Vase vitreo)* Bene obturato scilicet, vt sæpenumero hactenus est dictum.

7 *Coquuntur)* Scilicet in vase duplici.

Oleum chamæmelinum. X.

D *MEatus rarefacit, & vapores discutit, atque acrimonias contemperat. Quia vero modice adstringit, ideo fluxiones inhibet moderatas. Febres non admodum calidas & diuturnas quæq; citra visceris alicuius phlegmonem infestant, discutit, lassitudines, vt si quid aliud, cum primis iuuat, & dolores mitigat, tensiones remittit, & laxat, quæq; mediocriter dura sunt, emollit. Fit ex floribus chamæmeli, & oleo e maturis oliuis expresso, vt rosaceum.*

Paulus, Actuarius, & Nicolaus Myrepsus, florū Chamæmeli sine foliis in ambitu disci candidis, qui antea diē vnū tabuerint, ℥ 2. accipiunt. & in sextarium olei cōmunis dulcis demergunt, ac vas linteo simplici & tenui tegunt, vt oleū transpiret: Nā iniucundū odorē quendam garo similē oleū hoc assumit, si nō trāspiret, & soli 40. dieb. exponunt, colatum dein vase bene obturato reponunt. Hoc parādi modo pharmacopœi etiam nostri vti possunt. Alii accipiunt florū Chamæmeli lib. 1. quos 3. dieb. macerant in olei communis lib. duas, ℥ 4. Quarto die igne lento modice coquunt, & flores extractos abiiciunt. Dein iterū iniiciunt flor. Chamæmeli ℥ 3. & insolant. Sed modus is, quo paratur, vt rosaceum vel melinum, est præstatior. E

Oleum anethinum. XI.

CAlefacit & discutit: ob id dolores sedat, & horrorib. certo circuitu remeantib. spinæ & neruosis partib. illitū accessionis initio, medetur. Venarū spiracula laxat, & capitis dolorē mitigat: Conuulsionib. amicū. Lassitudinē, tumores crudos ac scirrhos discutit, articulorū dolores subleuat, vteri duritiem emollit, & somnum conciliat. Fit eodem quo chamæmelinū modo, vase tamen optime obturato.

Actuarius & Nicolaus comam anethi viridem adhuc exsistentem, priusquam semen solidum fiat, & acre, accipiendam esse docent, pondere vnciæ vnius, & in olei dulcis sextarium Italicum coniiciendā, atque vasis ore exquisite obturato dies quadraginta insolandam. Vnde perspicuum euadit, non per omnia, vt chamæmelinum, in quo vas linteo tenui vt transpiret obturatur, esse parandum.

Oleum[1] liliaceum. XII.

MVliebrib. vitiis congruit, calefacit, discutit: ob id dolores thoracis, ventriculi, coli, vteri, renū & vesicæ frigidos sedat, lenit, & coquit. Soluit duritiës, grauidis facilē efficit partū, estq; in vniuersum fœminarū mensib. eliciendis maxime accōmodatū. Cicatrices celerrime illitū ad colores reducit. Sudorib. euocandis vtile. Fit ex lilii albi florib: abiecto eo, quod in illis croceū est, pondere ℥ duarum. Olei dulcissimi, sextario Italico, h.e. lib. 1. ℥ 8. Vase vitreo[2] diligenter obturato, trib. insolantur diebus. Deinde priorib. eiectis, noua iniiciuntur folia: mox iterū exacto triduo induntur alia, ter hoc faciendū & colatum reponendum.

ANNOTATIONES. A

Susinum oleum. 1 *Liliaceum)* Aut Lilinum, aut Susinum nominatur. Hic quem ostendimus modus, ab Actuario & Nicolao est præscriptus, & a Pharmacopœis obseruandus.

2 *Diligenter obturato)* Ne scilicet quid euaporet.

Oleum Sambucinum. XIII.

Lenit, abstergit, cutem expurgat, ictero medetur, & iecori obstructo, articulorum & neruorum doloribus confert. Fit ex floribus Sambuci in oleo veteri clarissimo maceratis, vt Chamamelinum.

Oleum nardinum simplex, Eiusdem. XIV.

Calefacit, tenuat, discutit, ac modice adstringit: proinde affectus omnes frigidos & flatulentos cerebri, ventriculi, iecoris, lienis, renum, vesicæ, vteri magnopere iuuat; naribus iniectum caput purgat, corporis colorem & odorem commendat. Recipit spicæ nardi, vncias tres. Vini, aquæ, an. vnc. duas & dimidiam. Olei[1] sesamini, lib. dimidiam. Coquuntur in vase duplici lento igne horis circiter quatuor, frequenter mouendo. B

ANNOTATIONES.

Hæc compositio frequens & vsitata est: ideoque alias magis varias, quas filius Mesuæ & Nicolaus Myrepsus recensent, non referemus. Poterit, qui illis vti velit, ex iam dictis auctoribus describere.

1 *Sesamini)* Pro eo, dulci oleo vti licebit. Quia filius Mesuæ illud non raro pro Sesamino substituit, dũ ait, Sesamini olei, vel dulcis.

Oleum sesaminum, Eiusdem. XV.

Impinguat, semen genitale auget, asperam arteriam lenit: & ob id vocem claram reddit, aurium dolores sanat, multorumque aliorum oleorum materia est, caloremque mediocrem obtinet. Thoraci, tussi & pleuritidi confert. Puerorum tussim sedat, huius olei cochlear cum saccharo candefacto paulatim transglutitum. Fit hoc modo. Sesami semen ab excrementis purgatum, aqua parum salsa irrigatur, manibus fricatur, iterum irrigatur, donec madefiat. Siccatur, modice assatur, sacculo impositum aspero multum diuque confricando excorticatur; corticibus expurgatum molitur in farinam: oleumque exprimitur, vt ex amygdalis. C

ANNOTATIO.

Olei sesamini succedaneũ. Pauci hodie pharmacopolæ oleum hoc parant. Affertur autem ex Alexandria Ægypti Venetias, syncerum hinc ad nos. Emendum syncerum, quod oleo nucum non est adulteratum. Verum odor & sapor, dolum patefaciunt. Quod si desideretur, pro eo substituendum oleum amygdalarum dulcium.

Oleum amygdalarum dulcium, Eiusdem. XVI.

Asperitatem gutturis, pulmonis, & ceterarum partium etiam externarum lenit: duritiem omnem, & articulorum siccitatem, aliarumque partium emendat. Impinguat, & reficit defectũ corpus, hecticis confert, genitale semen auget, ardorique vuluæ & vrinæ iniectum commodat. Fit hoc modo. Amygdalæ dulces cortice lignoso, & cute membranosa[1] purgatæ,[2] plurimum teruntur, in[3] offas coguntur, horis circiter quinque[4] loco calido continentur: vel in[5] vase duplici hora vna coquuntur: aut sub calente arena, aut cinere sacculo inuolutæ & pannis, aliquandiu fouentur. Postea rursus teruntur, & sacculo inclusæ torculari exprimuntur. Vel amygdalæ dulces tritæ in vase, vt maza, in aere & loco calido subiguntur, pauca calida identidem affusa, postea prælo exprimuntur. Torcular vero, quo oleum exprimitur, fit ex assere inferne cauato, & decliui colum versus & emissarium: superne autem pro cauitatis subiectæ magnitudine, & forma educto, protenso, & gibboso, vt vndique cauitate expleta, æqualiter amygdalæ exprimantur. D E

ANNOTATIONES.

1 *Purgata)* Vt purius & sincerius fiat oleum.

2 *Plurimum teruntur)* Vt intus mersa humiditas oleosa promtius in apertum proferatur.

Offæ. 3 *Offas)* Græci μάζας, Latini massas, barbari pastones vocant. Offam igitur Latini vocant, quicquid est in pultis modum redactum.

4 *Loco calido)* Aerem calidum intelligit. Calefaciendæ autem amygdalæ, vt copiosius exprimantur. Nã calore tenuata, liquata, fluxilisque magis reddita, foras tracta oleosa humiditas, expeditius & largius exprimitur.

5 *Duplici vase)* In quo sane calefecisse fuerit satius, quod hoc modo empyreuma minus misceri possit. Accedit, quod vitrum resudantem ex amygdalis calefactis succum non ebibat, vt sacculus, panni, arenæ, cineres, vt quæ bibula sunt omnia. Præterea tutius est, vt calor intendatur in vase duplici, quam cineribus aut arenis, calore sicco magis vrentibus & consumentibus. Denique per vitrum & aquam, corpora perspicua coniectare licet, quando satis incaluerunt, & oleosæ sunt redditæ amygdalæ: quod indicium, conuolutis & sepultis in cinere & arena amygdalis, habere non potes, nisi reclusеris. Neque tunc in offas cogere oportet, sed mox a mortario, vt trita sunt, in vitrum transferuntur. Quapropter vase duplici calefaciendæ F

A cendæ potius sunt, quam igni ipso, quam aere, quam affusa calente aqua. Optimus igitur is parādi modus, vt amygdalæ, ea qua diximus ratione purgatæ, plurimum terantur: & dein in vase duplici hora vna coquātur, postea rursus terantur, & sacculo inclusæ exprimantur. Optimus olei amygdalarum dulcium parandi modus.

Oleum amygdalarum amararum. XVII.

OBstructa aperit, flatus resoluit, & dissipat: auditus difficultatem, sonitus aurium, & sibilos discutit, vermes in auribus occidit. Renum vitio & vrinæ difficultate laborantibus, calculosis, viscerum cruciatibus, iecinerosis, suspiriosis, lienosis subuenit. Næuos & maculas faciei tollit, & cutem erugat; oculorum abolet hebetudinē, & furfures detergit. Fit eodem quo ex amygdalis dulcib. modo. * Ben.

*Oleum * balaninum. XVIII.*

B *EXtergit & repurgat maculas, varos, lentigines, cicatrices nigras, alphos, & reliqua fœda cutis vitia. Dolores aurium, surditatem, & tinnitum sanat, iecoris & lienis scirrhum mollit, & discutit. Affectibus neruorum & iuncturarum frigidis medetur. Aluum potu soluit, sed stomacho aduersatur. Fit ex balano myrepsica, id est, glande vnguentaria, quam Arabes Ben vocant, tusa, assataq́, affusa aqua calida, & expressa.*

*Oleum * ricininum. XIX.* *E Cherua.

PRodest scabiei, vlceribus capitis manantibus & erumpentibus, vuluis quæ occlusæ conuersæque strangulant, maculis faciei, lentiginibus, cicatricibus fœdis, aurium doloribus. Potu aluum ciet, quæ aquis grauatur: lumbricos eiicit. Flatus crassos dissipat, pituitam crassam & lentam tenuat & incidit: dolentiq́, ab iis ventriculo, tenuibus intestinis, & colo confert. Hydropem non solum potu, sed & clysteri iniectum, & illitum iuuat. Fit ex semine Ricini repurgato, trito, & in sartagine aut dupli-ci vase torrefacto & cocto, sacculoque incluso, & tandem expresso.

C *Oleum e semine lini. XX.*

COnuulsione, duriciei musculorum, neruorum & articulorum, sedis phlegmonis & rimis confert, & hæmorrhoidum dolores sedat. Fit, vt oleum sesaminum: sed lini semen non excorticatur. Mola trusatili ab olearis exprimitur ad vsum lucernarum.

Oleum laurinum. XXI.

EXcalefacit vehementer, & emollit: ideoq́, partibus corporis admodum refrigeratis vtile est. Scabiosis, & impetiginibus asperis laborantibus in balneo illitum medetur. Sed eo abstinere conuenit iis, qui inflammatis impetiginibus infestantur, calidis temperamentis, & biliosis. Siquidem fri-
D *gidis, humidis, ac pituitosis congruit. Item iis omnibus, quorum articuli a frigore affliguntur, & ischiadicis. Vermes, pediculos, culicesque enecat. Furfures capitis, alopecias & ophiases emendat. Vtile præterea cerebri, neruorum, & omnium partium frigidis affectibus, ideoque eius potentiam in coli dolore si infundatur quotidie experimur. Fit in hunc modum. Baccæ lauri maturæ & recentes teruntur in pila, & ex aqua in lebete coquuntur: post torculari plano, non cauo, exprimuntur in vas subiectum, in quo aquæ supernatans oleum colligitur. Affusa calenti aqua iterum teruntur, & exprimūtur torculari cauato. colligitur oleum, & reponitur. Sunt qui baccas lauri citra omnem aliam mistionem molliunt, & ita prælo oleum exprimunt.*

Oleum e iuglandibus. XXII.

FLatus crassos dissipat, tumores discutit, neruis attritis vel punctis confert. Iniectum vino generoso, aut potum, potenter in colico a flatibus procreato dolore, flatus discutit, & dolore liberat. Fit si-
E *militer amygdalino.*

Oleum rutaceum. XXIII.

CAlefacit, tenuat, discutit: ob id laterum, vesicæ, renum, & vteri dolores a caussa frigida excitatos sedat. Destillationibus auxiliatur & obstructiones tollit. Fit hoc modo. Foliorum rutæ viridium, & succi eorundem, ana vncias tres. Olei omphacii, lib tres in vase vitreo bene obturato dies quindecim insolantur, post in vase duplici horis quatuor coquuntur: & rutæ foliis expressis & abiectis, recentia iniiciuntur. & iterum totidem dies macerantur, dein similiter coquuntur, exprimuntur & abiiciuntur. Tertio iterum recentia iniiciuntur, insolantur, coquuntur, colantur, & ole-
F *um reponitur. Hodie paratur ex foliis Rutæ recentibus oleo veteri maceratis, & æstate tota insolatis, quæ exacta coquitur, exprimitur, reponitur.*

Oleum lentiscinum. XXIV.

STomachum, partes neruosas, articulos & musculos roborat. Scabiem iumētorum canumq́, sanat, & sudores cohibet. Fit, vt laurinum.

Oleum Mastichinum, Ioannis Mesuæ filii. XXV.

Cer-

Cerebrum, neruos, articulos, ventriculum, iecur corroborat, tumores duros lenit, dolores sedat. Habet mastiches, uncias tres. Vini odoriferi, uncias octo. Olei rosacei, lib. unam. Coquuntur in duplici vase, ad vini consumtionem. A

Oleum costinum, Eiusdem. XXVI.

Calefacit, obstructa aperit, neruosum genus roborat, adeoque resolutioni neruorum confert, ventriculo & iecori prodest, capillos fouet, caniciemq; remoratur, calorem denique, & odorem corporis commendat. Capit costi amari, unc. duas. Casiæ, unc. unam. Summitatum sampsychi, unc. octo. Vini odori quantum sufficit, ut biduo in eo macerentur, Olei sesamini, lib. duas. Coquantur horis sex in vase duplici, ut nardinum.

Oleum absinthinum, XXVII. B

Calefacit, roborat ea, quæ sunt refrigerata, potissimum vero ventriculum. Excitat appetentiam, obstructiones tollit, lumbricosque enecat. Accipit summitatum absinthii Pontici, & succi eius, an. unc. quatuor. Olei communis, lib. tres. Hæc omnia in vase vitreo bene obturato dies quindecim insolantur: dein in vase duplici horis quatuor, ut rutaceo in oleo dictum est, coquuntur.

Oleum menthaceum. XXVIII.

Ventriculum refrigeratum & imbecillum calefacit, firmat, nauseam vomitumq; reprimit, appetentiam excitat, concoctionemque iuuat. Recipit menthæ crispæ satiuæ, & succi eius, ana uncias quatuor. Olei communis, lib. tres. Reponuntur in vas vitreum, ut de absinthinino est expositum. C

Oleum * *Leucoinum. XXIX.*

* Cheirinum.

Dolores neruorum, aliarumq; partium corporis articulorum præsertim mitigat: & quæ in thorace, renibus & vesica sunt, discutit. Fit e floribus leucoii lutei sæpius maceratis, madefactis, & permutatis, & oleo communi claro, ut rutaceum.

Oleum e castoreo, simplex. XXX.

Valet ad omnia vitia frigida, præsertim neruorum, & articulorum. Resolutioni, conuulsioni medetur, & vehementissimos in febribus rigores illitum spinæ compescit. Fit hoc pacto. Castorii unciam unam in olei libra una coquitur ad tertias. Oleum in vase vitreo reponitur.

Oleum e castorio, compositum. XXXI.

Idem quod præcedens potest, sed validius est. Habet castorii. bdellii, styracis calamitæ. galbani, opopanacis. sagapeni, croci, casiæ ligneæ, cinamomi, costi, an. drachmas duas. Saluiæ, lauendulæ, * *verbasculi lutei odorati, cyperi, iunci odorati floris, piperis longi & nigri, sabinæ, pyrethri, iridis, ana drachmas duas, & dimidiam. Vini odoriferi, lib. duas. Olei, lib. tres. Gummi seorsim in vino dissoluuntur; reliqua omnia tusa macerantur in vino tribus diebus. Quarto cum oleo & vino in duplici vase coquuntur ad vini consumtionem: postea colatur, exprimitur, & reponitur.* D

* Primulæ veris.

Oleum euphorbinum[1] *simplex, Ioannis Damasceni. XXXII.*

Mirifice frigidos cerebri & neruorum affectus iuuat, cephalalgiam, hemicraniam, lethargum, naribus immissum: articulorum quoque & iecoris, & lienis doloribus illitum succurrit. In alopeciis, & capillorum defluuiis vitium dissipat, attrahitque quod ad capillos producendos utile sit. Capit euphorbii, unciam dimidiam. Olei * *leucoini, vini odori, ana uncias quinque. Coquuntur ad vini consumtionem.* E

*Cheirim.

ANNOTATIO.

Oleum euphorbinum Galeni.

Galenus lib. 2. de Compositione medicamentorum localium, ex oleo communi, & solo euphorbio parat: & accipit olei libram unam, atque ei immittit Euphorbii validi unciam dimidiam, augetque ac minuit pro vario scopo, Euphorbii quantitatem.

1 Simplex) Quo hodie omnes propemodum utuntur. Quod si vero composito quis uti velit, compositionem eius in Ioanne Damasceno reperiet, aut Auicenna, unde suam Mesuæ filius sumpsit.

Oleum e[1] *piperibus, Eiusdem. XXXIII.*

Iuuat morbos neruorum frigidos, resolutionem, conuulsionem, tremorem, epilepsiam, ideo magnam calefaciendi vim habet: adhæc tenuat, discutit, & foras educit, ac proinde ischiadem, & reliquos articulorum dolores: Uteri, coli, renum, vesicæ frigida vitia sanat, obstructiones aperit, calculũ frangit. Accipit trium piperum, an.[2] *drach. tres. Myrobalanorum cepulorum, belliricorum, emblicorũ, indorum, an. drach. quinque. Radicum apii, fœniculi, an. drach. tres, & dimidiam. Sagapeni, opopanacis,*[3] *ammoniaci, drachmas duas & dimidiam. Turpeti boni albi.*[4] *drach. duas. Zingiberis, drach. tres. Brassicæ recentis, hyssopi viridis, foliorum rutæ virentium, an. manipulum unum. Parum trita co-* F

ta coquuntur ad[5] tertiam, in aqua lib. viginti quatuor. Colantur, & adiciuntur olei ricinini lib. duæ, percoquuntur ad aquæ consumtionem. Alii addunt iridis, drach. sex. Casiæ,[6] drach. duas. Anisi, cardamomi, an. drach. vnam, & dimidiam. Calami odorati drach. duas, & dimidiam. Spicæ nardi, drach. vnam. Expreßionis tribuli terrestris, sextarios tres. Poni potest loco ricinini, oleum irinum, vel leucoinum, vel amygdalarum amararum.

ANNOTATIONES.

1 *E piperibus)* Hoc oleum etiam ab Auicenna, e quo filius Mesuæ, vt omnia fere alia, mutuatus est, & ad verbum transcripsit, sed sub nomine olei Alckechengi, describitur. Deprauatam vero ab interprete, aut potius librario, esse hanc dictionem, hinc fit manifestum, quod præsentem compositionem Alchechengi, vel, vt latine dicam, Halicacabum, non ingrediatur. Legendum igitur, vt ex Serapione (e quo vtpote qui illum ætate antecessit, Auicenna hanc mutuatus est compositionem) liquet, Achelengi, id est, plurimi vsus. Ita enim hanc dictionem plerique interpretantur, vt idem significet, quod Græcis πολύχρηστον. Auicennæ locus emendatus. Alchelengi.

B

2 *An. drach. tres)* In omnibus Mesuæ filii codicibus maximo errore legitur vncias tres, quem etiam Cordus in suo medicamentario libro secutus est. Scribendum autem esse drachmas tres, palam fit tum ex Serapione, tum etiam Auicenna ipso, quorum vterque habet drach. sex. Quum vero Mesuæ filius per vniuersam hanc compositionem, dimidiam duntaxat partem põderum vsurpet, vt ex collatione omnes deprehendent, in confesso est, legendum esse drachmas tres, vt quod sit dimidium drachmarum sex põdus. Scio quidem hoc loco meæ sententiæ refragari Franciscum Alexandrum, sed more suo, præteritis a me adductis rationibus. Quare quæ ille affert facile ab omnibus contemnuntur, quum codicem mendosum efficacissimis rationibus anteferat. Cordus errat.

C

3 *Ammoniaci)* Sic esse legendum ex Serapione constat, qui habet Opopanacis, sagapeni, ammoniaci. Quod non temere monemus, quia in omnibus codicibus filii Mesuæ falso legitur Hyoscyami. Is autem error acceptus referendus est Auicennæ, vnde Mesuæ filius hanc compositionem in suas retulit, vel certe eius interpreti, quem Cordus etiam secutus est. Nemo autem non intelligit, nullum esse prorsus locum Hyoscyamo in hac compositione, quæ ad frigida vitia sananda vtilis est, non calida: ad quæ Hyoscyamus recte accommodatur. Cordus errat.

4 *Turpeti, drach. duas)* Et hoc loco in omnibus Mesuæ filii codicibus mendose, & non sine maximo errore legitur, drach. duodecim. Quem itidem errorem Cordus in suo medicamentario libro sequitur. Scribendum autem esse drach. duas, & non drach. duodecim, vt in Mesuæ filio legitur, ex Serapione liquet, qui habet drach. quatuor. Diximus autem paulo ante, Mesuæ filium duntaxat dimidiam ponderum partem vsurpare: ideoque quum Serapio drach. quatuor accipiat, consequitur, Mesuæ filium duntaxat drach. duas vsurpare. Non est autem silentio transeundum, in Auicenna perperam legi sextaria quatuor pro drach. quatuor. Sciunt enim omnes, sextarium non aridorum, sed liquidorum mensuram esse. Cordi error. Auicennæ locus emendatus.

D

5 *Ad tertias)* Auicenna habet, Donec medietas consumatur. Suspicio igitur est, hic quædam desiderari, & locum vniuersum ita esse legendum: parum trita coquuntur in lib. viginti quatuor aquæ ad dimidias, dein adiciuntur olei ricinini lib. duæ, & coquuntur ad aquæ consumtionem.

6 *Casiæ)* In Auicenna, vt multis aliis locis, mendosissime legitur Capsiæ, vel tapsiæ. Auicennæ locus alius restitutus.

Oleum vulpinum, Eiusdem. XXXIII.

MOrbis neruorum & articulorum frigidis aduersatur, itemque renum & dorsi doloribus succurrit. Potenter admodum discutit, & excalefacit. Fit hoc modo. Vulpes detracta pelle[1] integra exenterata, in aquæ fontanæ &[2] marinæ, an[3] sextario vno, olei veteris clari sextariis duobus & dimidio, & salis vnciis tribus coquitur ad aquæ consumptionem, & artuum vulpis dissolutionem. Postea aqua dulcis cui hyssopi & anethi[4] herbarum, an. manipulus vnus incoctus sit, affunditur vasi. & cum dictarum herbarum an. lib. vna, recoquitur ad huius aquæ consumtionem. Dein colatum oleum, ad vsum reponitur.

E

ANNOTATIONES.

1 *Integra)* Ita vt omnes suas partes, præter intestina habeat: potest in partes secari tres, aut quatuor, quo rectius vasi, in quo coquitur, incoqui queat. Paulus viuam aut mortuã totam oleo incoquit. Id quod hodie nonnulli faciunt, qui vbi illam exenterarunt, semispirantem adhuc oleo incoquunt. Sunt etiam qui non detrahant pellem, sed tantum, quod ita statuere videatur filius Mesuæ, exenterant, quod sane melius est. Quid enim attinet stercora incoqui? Vulpes etiam bene habita & vegeta, non strigosa, qualis per vindemias vuis nutrita & impinguata capitur, ætatis mediæ.

F

2 *Marinæ)* Qui prope mare minime habitant, ii sumant aquam salsam, siue aquam fontium salsorũ, vbi scilicet salinæ fuerint. Aquæ marinæ succedaneũ.

3 *Sextario vno)* Filius Mesuæ habet Kist vno. Est autem Kist, ea mensura, quam Romani sextarium nominant. Id quod ex Serapione liquet, qui ita scriptum reliquit: Kist apud Romanos capit libram vnã cum dimidia, & duas tertias, id est, sextam partem, vt Auicenna etiam interpretatur. Quapropter est vnciarum viginti, hoc est, lib. vna dimidia, & vnciæ duæ. Ita vt vtriusque aquæ, fontanæ scilicet ac marinæ, vniuersa mensura sit lib. tres, vnciæ quatuor. Quæ certe quantitas ad integram vulpem, Kist.

præsertim grandiorem, coquendam non sufficit. Suspicio igitur est, locum hunc deprauatum esse, & legendum potius esse Kill duo, seu sextariis duobus, id est, lib. sex, & vnciis octo. Quod si nec illa mensura suffecerit, accipe tantum de iis aquis, quantum abunde ad coquendam vulpem satis erit. A

4 Herbarum) Fit efficacius, vbi præter has origanum, saluia, betonica, serpyllum, rosmarinus, stœchas, maiorana, melilotus, & lauri folia incoquantur.

Oleum e capparibus. XXXIV.

VAlet ad duritiem, obstructionem, dolorem, & omnia vitia lienis. Recipit corticum radicum capparum, vnciam vnam, Corticum tamaricis, & [1] *foliorum eiusdem, seminis agni, asplenii, cyperi, an. drach. duas. Rutæ, drach. vnam. Aceti, vini albi, clari, odori, an. vnc. duas. Olei maturi, lib. vnam Coquuntur in duplici vase ad aceti & vini consumtionem. Simplicissimum est, quod ex solo oleo & radice capparum paratur. Radix tusa in oleum conicitur cum aceti momento, mense integro insolatur, dein percoquitur, vt acetum exspiret, colatur & reponitur.* B

ANNOTATIO.

1 Foliorum eiusdem) Notat me Franciscus Alexander, quod folia Tamaricis, prætermissa iride, adiecerim, quum tamen constet Tamaricem vitiis lienis, ad quæ oleum hoc confert, mirifice succurrere. Quum vero iris etiam lienosis auxilietur, non prohibeo, si cui ita visum fuerit, quin illam admisceat.

Oleum e spica nostrate. XXXV.

AD caput roborandum, & vnguentis odorem gratum conciliandum confert. Fit e nostrate spica per destillationem. Stillatitio namque illius liquori innatat. C

Oleum e spica nostrate, Compositum. XXXVI.

HAbet spicæ nostratis vnciam vnam. Styracis, caryophyllorum, an. drachmas sex. Nucis moschatæ, drach. vndecim. Olei lib. vnam Vini odori, vnc. duas. Coquuntur in duplici vase, ad vini consumtionem.

Oleum e Sarmentis iuniperi, Ioannis Damasceni. XXXVII.*

*EMendat cutis fœditatem, serpiginem, cancrum, vlcera maligna, qualia quæ in tibiis quorundam, & cruribus exsistunt. Fit hoc pacto. Sarmentis iuniperi pinguis succosi, non squalidat, obducti situ aut cariosi tenuibus, aut minutim incisis, vas vitratum angusti oris imple, & laminam ferream tenuem multis foraminibus cribri in modum pertusam toti ori applica, vt per eam oleum destillet: & ne sarmenta delabantur, hanc cum ore tum dicti vasis superioris, tum alterius minoris & inferioris etiam vitrati oleum excepturi * luto sapientum siue Chymicorum: hoc enim nomine, si Diis placet, illi nominantur, non quidem ab aliis sed a seipsis: probe, ne quidquam exspiret, obturato & munito. Vbi minus & inferius vas vsque ad os superioris terræ infoderis, igne lutulento maius alterum vas iuniperi frustula capiens, circunda horis duabus sicque oleum in vas minus destillabit, quod in vsus reponitur.* D

* Terra figularis.

ANNOTATIO.

* *E Sarmentis)* Nam fit etiam oleum Iuniperinum e baccis, idque dupliciter, nempe vel per expressionem, quod crassius & impurius est, vt amygdalarum: vel per artem destillandi vel sublimationem.

Oleum e Scorpionibus, simplex, Eiusdem. XXXVIII.

LApidum renum, & vesicæ frangit & expellit pubi, perinæo, & lumbis in solii egressu illitum, aut per vrinarium meatum iniectum. Fit ex scorpionibus viginti, vel pauco pluribus, aut paucioribus, in olei amygdalarum amararum lib. æqualis, in vase vitreo probe obstructo triginta diebus insolatis, & dein oleo colato in vsus reposito. E

Oleum e Scorpionibus, compositum, Eiusdem. XXXIX.

HAbet radicis aristolochiæ rotundæ gentianæ cyperi, corticum radicum capparis, an. vnciam vnam. In olei amygdalarum amararũ sextario vno diebus viginti insolantur, in vase vitreo accurate operculato: deinde aliquantulum in vase duplici coquuntur, postea scorpiones a decem ad quindecim oleo iniiciuntur: obturatur vas, & iterum mense vno insolatur: postremo excolatum oleum reponitur.

ANNOTATIO. F

Silentio transire non possum, quod hoc loco Manardus memoriæ prodidit. Parari nunc, inquit, etiam ex oleo veteri Scorpionum oleum, adiectis multis simplicibus medicamentis ad venena laudatis: esseque mirabile in pestilentia, & venenis omnibus. Scire se hominem, qui hoc solo munitus, sæuissimam quantumuis pestilentiam nihili fecit: nec solum seipsum, sed & famulos secum ad visendos pestilentia affectos accedentes, incolumes conseruauit. Præterea scire se, & ex sola inunctione aliquos esse liberatos, qui sæuissima biberant venena.

Oleum e lumbricis terrestribus. XL.

NEruos refrigeratos roborat, eorumque vulnera, conuulsiones, ac resolutiones iuuat, & doloribus articulorum vtile est. Capit lumbricorum, seu vermium terræ, vino albo diligenter lotorum, lib. dimidiam. Olei oliuarum maturarum, lib. duas. Vini, vnc. duas. Coquũtur in duplici vase omnia simul, ad vini consumtionem. dein colatum oleum ad vsus reconditur.

Oleum e[1] lateribus. Ioannis Damasceni. XLI.

CAlefacit, discutit: essentiæ[2] tenuitate in altum penetrat: proinde excrementosam materiam omnem consumit. Igitur comitiali morbo. nam eo laborantes & humi prostratos naribus subditum subito excitat: vertigini, obliuioni, resolutioni, dolori lienis, renum, vesicæ, vteri, neruorum,
B *articulorum, & reliquarum partium a frigiditate nato medetur, & vrinam ciet. Sic fit. Lateres aut tegulas ex terra lutoue rubente confectos,[3] multum antiquatos, in[4] frusta comminutos, carbonibus non fumantibus accende. donec candescant & igniti rubeant: dein e carbonibus exemta fragmenta in concha oleo veteri claro plena restinguito, & illic donec oleo probe imbuantur dimittito: postea oleo exemta probe siccato & per se in casulis, & minutissime terito: &[5] vasi per sublimationem vitreo destillanda indito, & luto chymistarum capitellum claudito, & subtus in fornace carbonibus accensis oleum elicito, & in phiala exacte obstructa recondito.*

ANNOTATIONES.

1 *E lateribus)* Habet multa quoque alia nomina; siquidem dicitur oleum Philosophorum, scil. Chymistarum, qui se suis scriptis vbique, & quotidiano sermone Philosophos appellant, & oleum hoc sua industria e lateribus seu tegulis eliciunt. Non autem temere dictum est Chymistarum, quia est aliud etiam oleum Philosophorum naturale, quod Babyloniis Naphtha, hodie vero Petroleum nominatur, de quo libro primo diximus. Appellatur etiam oleum sapientiæ, quod a sapientibus Chymistis nimirum, si Diis placet, paretur, & perfecti magisterii, & benedictum, & diuinum, & sanctum. Tamen tria postremo magis Petroleo conueniunt, vtpote quod Monachi, impostores pessimi, e diuorum sepulchris promanare nugati sunt.
C — Oleum Philosophorum. Naphtha. Petroleũ. Oleum sapientiæ. Perfecti magisterii.

2 *Essentiæ tenuitate)* Nam ita tenue est, vt momento latissime spargatur: sique manui infundatur, eam cito penetret. Atque hinc est, quod vrinam moueat, lapidem frangat, vermes enecet, aurium tinnitui a flatu crasso conferat.

3 *Multum antiquatos)* Sunt qui nouos lateres, & eos, qui aquam nondum senserunt: propterea quod oleum melius imbibant.
D

4 *Frusta)* Vnciæ vnius Albuchasis, vel, vt rectius dicam, Bulcasis, esse præcipit. Alii nucis Iuglandis magnitudine.

5 *Vasi)* Quod Chymistæ hodie Retortam, aut Cucurbitam appellant.

Oleum tartari. XLII.

AD tergendam & erugandam faciem & cutem confert. Scabiem & impetiginem sanat. Fit ita. Tartari fæcarii dolii lateribus adhærenti[1] puri lib. quatuor, coniiciuntur in vas figulinum ollamue, & vruntur in[2] fornace cum lateribus aut tegulis, aut fictilibus: vel per se, quoad tartarum omne[3] candidum reddatur: dein imponantur sacculo e laneo panno facto, & inferne acuto, cui parum[4] vini & aceti superinfunditur, & in cella vinaria suspenditur: atque ex eo clarus quidam[5] li-
E *quor destillat in vitrum, quod suppositum est, ad vsum reponendus.*

ANNOTATIONES.

1 *Puri)* Quod album potius est, quam rubrum.

2 *In fornace)* In furno, maxime figulino.

3 *Candidum reddatur)* Et prorsus albescat.

4 *Vini & aceti)* Nonnulli nihil horum affundunt.

5 *Liquor)* Ita enim rectius quam oleum nominatur. reuera enim oleum non est, sed acerrimus liquor. Porro alii oleum aut liquorem hunc ita parant. Tartarum lateribus doliorum adhærens album, ex vino generoso tritum linteolo inuolutum, aceto albo forti maceratur, sub cineribus calidis coquitur, dum nigrescat: iterum teritur, & vasi inclinato decliuiue diebus octo loco frigido imponitur, donec in oleum
F aut liquorem resoluatur. Id si non fit, exprimitur.
— Alius parandi modus olei tartari.

Oleum terebinthinum, simplex. XLIII.

COnfert morbis frigidis omnibus, neruorum maxime. Asthmaticis, & suppuratis confert. Colicis cruciatibus vtile, internosq; flatus potenter discutit. Cicatricibus gratiam addit, earumque maculas exterit. Calculum educit, & arenas promouet. Fit hoc modo. Terebinthinæ, aut laricinæ resinæ, lib. quatuor, ponuntur in vas vitreum (Retortam, aut Cucurbitam appellatum) & Chymistarum more oleum elicitur: ita nimirum, vt vas prædictum arenæ imponatur, a sordibus probe mundatæ: atq; tum primum cum aqua elicietur oleum tenue & clarum limpidumue, secundo aurei coloris fuluumue, vltimo fuscum & crassum: horum vnumquodq; per se aufertur, & reponitur. Tertium a. quod effluit optimum est.

Oleum[1] Balsami, Ioannis Damasceni. XLIV. A

Calefacit, desiccat, tenuat, discutit, tergit, glutinat. Fit cortice eius arboris, orientem spectante, sub caniculae ardoribus scarificato & vulnerato: tum enim pinguis lachryma destillat, quam recentiores oleum, Graeci Opobalsamum nominant. Alii arboris huius surculos vere ineunte cum pilaterunt, dein in aqua coquunt, torculari exprimunt, oleumque Balsami vocant. Sunt qui surculos tritos in oleo veteri dies quadraginta insolant, in vase duplici coquunt, exprimunt, surculos nouos tritos immittunt, secundo, & tertio, colant & recondunt.

Opobalsamum.

ANNOTATIONES.

1. *Oleum Balsami)* Hoc non est nisi liquor Balsami, quem Opobalsamum tum Graeci, tum officinae medicorum appellant. Rarissimum hodie, praesertim in nostris regionibus: neque enim hoc modo nisi in iis locis, vbi Balsamum nascitur, parari potest. Quod quum prioris seculi Medici Petrus de Ebano, Gulielmus Platearius, Bartholomeus Montagnana animaduertissent, olea Balsami, quae viribus vero balsamo nihil cedere dixerunt, composuerunt: quae ordine subiiciemus. B

Oleum Balsami, Petri de Ebano. XLV.

Balsamum artificiale, Chirurgorum.

Idem quod opobalsamum potest. Tenuium namque est partium, calefacit, exsiccat, terget, ac glutinat, quae omnia vulnerariis medicis in sanandis vulneribus expetuntur. Cordis palpitationem & syncopen illitum curat. Recipit myrrhae selectae, aloes iecorariae, spicae nardi, sanguinis draconis, thuris, momiae, opopanacis, bdellii, carpobalsami, ammoniaci, sarcocollae, croci, masliches, gummi Arabici, styracis liquidi, an. vnc. duas. Ladani electi, siue castorei, vnc. duas, & dimidiam. Moschi, drach. vnam, & dimidiam. Terebinthinae pondere omnium tritis miscetur, alembico destillatur, vt rosarum stillatitius liquor, & reconditur. C

ANNOTATIO.

Balsamum artificiale, veri Balsami penuriam substituit. Viribus enim propemodum ad singulares balsami facultates accedit, atque id potissimum, quod ab Aponensi descriptum est, ab omnibus fere Chirurgis vulgo vsurpatur, vt infra fusius dicetur.

Oleum Balsami, Gulielmi Placentini. XLVI.

*Valet ad lapidis vitia, cicatrices eminentes applanat, & balsami loco vsurpatur. Habet myrrhae, carpobalsami, nucis Indicae, an. vnciam dimidiam. Hyperici, * drach. duas. Teruntur leniter, & miscentur olei vnc. quinque. Terebinthinae, vnc. vna, & dimidia, & in fine, moschi, grana tria. Olei de lateribus, vnc. vna. Destillatur, vt praecedens.* D

* Vncia vna.

Oleum Balsami, Montagnanae. XLVII.

Accipit terebinthinae, lib. vnam. Thuris albi, vnc. quatuor. Gummi oleae, vnc. sex. Baccarum lauri, vnc. quatuor, Masliches, galangae, caryophyllorum, cinamomi, zedoariae, nucis moschatae, cubebae, ligni aloes bene triti, an. vnc. vnam. Omnia commista alembico destillantur lento igne, & quod primo elicitur, aqua balsami dicitur: quod secundo, oleum balsami, quod tertio, balsamus artificialis.

Oleum Balsami, Gulielmi Placentini. XLVIII.

Melius est eo quod praecedit. Recipit olei, lib. vnam, & dimidiam. Myrrhae, xylobalsami, opopanacis, bdellii, aloes, carpobalsami, ammoniaci, sagapeni, nucis Indae, hyperici, macis, gummi Arabici, thuris, tragacanthae, an. vnc. vnam. Laterum quos aqua nunquam attigit ignitorum, & communi in oleo restinctorum, vnc. tres. Terebinthinae purae, vnc. septem. Trita omnia simul, & in pila inuicem subacta, in alembico destillantur. E

ANNOTATIO.

Cur Chirurgi Balsamo artificiali in omnibus sanandis vulnerib. vtantur.

Hactenus varia olea Balsami, vt hodie nominant, artificialis commemorauimus. Sed etsi postremum hoc multis est vsitatum, tamen primum quod a Petro de Ebano descriptum est, ceteris omnibus praeferendum videtur, quod viribus Balsamo nihil cedat. Habet enim in se medicamenta complura calefacientia, & exsiccantia, item extergentia, & glutinantia: quae sane omnes facultates in curandis vulneribus maxime requiruntur. Hinc est, quod nostrates Chirurgi, in omnibus sanandis vulneribus, Balsamo hoc artificiali ab ipsis nominato, prospero successu vtantur. Etsi vero non desunt, qui huic descriptioni adiiciant galangam, garyophyllos, cinamomum, zingiber, grana paradysi, & alia quaedam: tamen quum metuendum sit, ne ex illis admodum calidis medicamentis intemperies aut phlegmone aliqua laboranti parti accersatur, praestat illa omittere, & Petri de Ebano descriptione, quae sane optima est, contentos esse, atque eam pro artificiali Balsamo a Chirurgis vsurpari. F

Oleum sampsuchinum. XLIX.

Calefacit, roborat caput, & neruosum genus omne: ideoque lassitudini vtile, & morbis cerebri ac neruorum frigidis. Ob id spinae in balneo illitum, resolutioni, conuulsionique succurrit. Auribus iniectum, torturam oris vocatam sanat: immissum vero auribus, a flatu tinnitum dissipat.

Aduersus

A *Aduersus vuluæ occlusiones ac strangultus efficax, menses, secundas, & fœtus extrahit, scorpionũ, que morsibus medetur. Habet comarum sampsychi, Manipulos quatuor. Serpylli, manipulos duos Foliorum myrti, manipulum vnum. Abrotoni, sisymbrii, an. manipulum dimidium. Casiæ ligneæ, vnc. duas. Olei omphacini, quod satis est. Contusa omnia coniiciuntur in vas vitreum, & affunditur oleum ea quantitate, vt ceteris supernatet: vase bene obturato, diebus octo insolantur, dein exprimuntur, & expressum oleum de ouis speciebus affunditur: hocq; tertio faciẽdum. Alii, vt filius quoque Mesuæ, ex solis sampsychi comis ter quaterue mutatis, inq; vase duplici coctis, veluti rosaceũ conficiunt, quæ sane conficiendi sampsychini olei ratio melior, vtpote magis simplex, exsistit.* Melior conficiendi sampsychini olei ratio.

Oleum ex hyperico, Incerti auctoris. L.

B *CAlefacit, siccat, roborat, discutit, & attenuat: ideoque vulnera etiam grandia glutinat, maxime neruorum. Ambusta sanat, dolores siue summitatum femoris, & vesicæ mitigat. Capit comarum dentium hyperici, vnc. tres. Macerantur triduo in vino odorifero, quod satis est. Post coquuntur in vase duplici, bene obturato, valide exprimuntur: & hyperici nouæ comæ pari pondere similiter macerantur, coquuntur, exprimuntur: hocque tertio faciendum. Postea adduntur terebinthinæ, vnciæ tres. Olei veteris clari, vnciæ sex. Croci, scrup. vnus. Coquuntur in duplici vase, quoad vinum consumatur: dein exprimuntur, & colatum oleum reponitur. Alii hyperici flores iam maturos oleo macerant, & insolant, eoque modo parant quo anethinum.*

Oleum de ouis. LI.

C *EXperientia comprobatum est, cutim, præsertim faciei, exterere & expurgare, cicatricibus decorẽ addere, impetiginem, herpetem, & alia cutis vitia persanare, capillos regignere, vlcera maligna & fistulosa curare. Doloribus præterea dentium & aurium succurrit. Fissuras manuum, pedum, & ani sanat. Ambustis vtile. Fit hoc modo. Oua recentia numero* centum elixantur, quoad durantur. Dein vitelli eorundem exemti, & supra mediocrem ignem ligneo aut ferreo cochleari comminuti in sartagine ferrea, vel terra plumbata friguntur, donec rubescant, & pinguedinem remittant: postea massa feruens in sacculum pilis contextum inditur, & exprimitur, interdum vero alii torculari exprimere malunt. Oleum expressum reponitur.* * alii triginta.

ANNOTATIO.

D Mesuæ filius tres olei de ouis conficiendi modos recenset. Primus ex Serapione acceptus, non multum ab eo, quem iam diximus, distat, estque eiusmodi. Vitelli ouorum elixando duratorum triginta aut circiter manibus friati, in sartagine terrea plumbata friguntur igni mediocri, mouendo cochleari ligneo, donec rubescant, & oleum ab iis resoluatur, quod pressi cochleari largius remittent. Alter modus est, vt vitelli ouorum elixando indurati mola frangantur, dein in offas massamue tundantur, & torculari exprimantur, vt in oleo amygdalarum est dictum. Tertius ex Auicenna sumtus est, vt scilicet vitelli vasi imponantur, oleumque ignis violentia eliciatur, vt in oleo de lateribus est dictum. Sunt qui quartum adiiciunt minime contemnendum. Oua in cineribus coquuntur quoad dura euadant, dein exemti vitelli leuiter in pila tunduntur. tusi in sacculum lineum reponuntur probe colligatum ac occlusum, qui tandem torculari suppositus valide comprimitur, donec ab eo oleum resoluatur. Tres conficiendi olei de ouis modi. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.

Oleum irinum, Ioannis Damasceni. LII.

E *TErget, tenuat, coquit, discutit potenter: ob id frigidos dolores aurium, iecoris, lienis, vteri, & articulorum sedat. Humores in thorace ac pulmone crassos tenuat, strumas discutit, tumores duros emollit, conuulsioni succurrit, & aurium ac narium fœtorem emendat. Sic fit. Accipit radicum iridis, lib. vnam, Florum eiusdem, lib. duas. Aquæ cui aliæ iridis radices incoctæ sunt, lib. tres. Olei dulcis, vel sesamyni, lib. sex. Coquuntur in vase duplici, radices & florum folia noua immittuntur, prioribus expressis & abiectis, vt in oleo rosaceo, coquuntur denuo ad perfectionem.*

Oleum irinum [1] *Nicolai Myrepsici. LIII.*

F *VIs eius excalefaciens, verum minime acris. Ideo refrigeratis partibus vtile. Roborat etiam, & emollit. Recipit radicis iridis,* [2] *aspalathi, cyperi, helenii, an. lib. duas, & dimidiam. Opopanacis, vnciam vnam, & dimidiam, Anchusæ, vnciam vnam.* [3] *Iunci odorati,* [5] *casiæ xylobalsami, nardi celticæ, ana vncias tres. Olei puri, sextarios quindecim, Aquæ, sextarios duos, & dimidium. Conduntur singula crassiuscule, & diebus duobus macerantur. dein duplici in vase horis sex coquuntur, & postea iniicitur opopanax, in vino maceratus & liquatus. Colatum dein oleum in vsus reponito.*

ANNOTATIONES.

1 *Nicolai Myrepsici)* Nam compositio a Cordo, sub Alexandrini nomine producta, erroribus non vacat. Variat etiam a iam dicta ponderum ratione, vt ex vtriusque collatione patebit. Cordus.

2 *Aspalathi*) In latinis exemplaribus desideratur, qui pro eo radicem Lilii satiui substituunt: & recte A quidem, quod hæc itidem vt iridis calefaciat, tenuet, atque emolliat. Iudico itaque lectionem in manuscripto codice Nicolai corruptam esse, & pro ἀσπαλάθου legendum esse κρίνου ῥίζης.

Nicolai locus expensus.

3 *Opopanacis*) Et hoc in Latinis desideratur medicamentum.

4 *Iunci odorati*) Latini codices Cinnamomum pro eo substituunt.

5 *Casia*) Falso in latinis exemplaribus Asæ legitur, pro Casiæ. Quum itaque multa sit in hac compositione varietas, præstat vti simplici irino oleo, quale a Mesue est descriptum.

Oleum[1] moschatum, LIV.

Pilis pomisue odoratis cogendis est aptissimum: adhac roborat, calefacit, discutit. Valet ad frigidũ ventriculum, colicum, & renum dolorem. Lateris quoque illitu sanat. Neruorum omnibus propemodum vitiis confert. Habet olei communis, libras sex. Folii spicæ nardi, costi, mastiches, an. vnciam vnam, & dimidiam. Styracis calamitæ, croci, myrrhæ, casiæ ligneæ, xylobalsami, an. drach. sex. B *Caryophyllorum, carpobalsami, bdellii, an. vnc. dimidiam.[2] Nucis Indicæ, drach. duas. Moschi, drac. vnam.[3] Vini odori, vncias sex. Trita leuiter omnia, coquuntur in vase duplici lento igne, ad vini consumtionem.*

ANNOTATIONES.

Muscellinum.

1 *Moschatum*) Barbaram sectantes Medicinam Muscellinum, itidem a Moscho, quem illi inepte admodum Muscum appellant, oleum hoc nominare solent. Nicolaus, si non corrupta est vox, μουσέλαιον vocat. Puto autem, μοσχέλαιον esse legendum, id est, oleum moschatum.

Cordus.

2 *Nucis Indica*) Cordus hic significari per Indicam nucem, eam quæ Moschata, vel, vt hodie loquuntur, muscata nominatur, annotauit: quod hanc ipsam veteres Græci Carion Indicon etiam appellauerint. Mirari autem satis non possum, cur in eam venerit sententiam. quod constet, veteribus Græcis hanc nucem prorsus incognitam fuisse. Recentiores autem Græci Caryon Indicon non aliam nominarunt nucem, nisi eam, quæ adhuc hodie in officinis Nux Indica nuncupatur. C

Cordus errat.

3 *Vini odori*) Cordus aquam pro vino vsurpat, quod mihi non probatur. Nam constat, hoc oleum ad frigidos maxime affectus adhiberi: ideo præstat, vinum quam aquam illi indere.

Oleum nucum moschatarum. LV.

Calefacit, siccat, roborat. Frigido & humido ventriculo præditis maxime confert. Illitum os ventriculi mire corroborat, Venerisque tentiginem excitat. Deglutitum anhelitum commendat. Accipit nucum moschatarum pinguium, libram vnam. Caryophyllorum, vnc. dimidiam. Contunduntur, & inter contundendum paulatim stillatitius absinthii liquor affunditur, assidueque in mortario donec probe emolliantur, agitantur. Dein permiscetur olei mastichini, menthacei, an. vnc. nouem. Vini chii, vnc. duæ. Macerata diebus septem in duplici vase ad lentum ignem placidissime eo D *vndique obturato ad vini vsque consumtionem bulliunt. Post exprimuntur, & quod expressum est, vitreo in vase conseruatur. Sunt qui per alembicum vocatum oleum elicere malunt. Alii nucum moschatarum fere quinque per noctem in vino crassiuscule tritarum, in vase vitreo, vt vinum emineat, macerant. Postridie sacculo lineo includunt. prius tamen in sartagine mediocriter calefactas obligãt, & filis passim obductis, ne simul coeant, constringunt, ac torculari exprimunt ligneo, paruo, cum lacu exiguo vt deorsum vergat.*

*Oleum * Ligustrinum. LVI.*

* De alcãna.

Calefacit, & modice adstringit, ideoque partes neruosas roborat pleuriticis succurrit, & iis quibus ceruix in scapulas conuellitur, item angina laborantibus confert, & capillos a canicie vindicat. Fit ex florum ligustri foliorum vnciis quatuor, coctis in olei veteris vnciis decem, vt rosaceum. E

Oleum populinum, Nicolai Myrepsi. LVII.

Emollit, tenuium est partium, & calidum: arthriticis & podagricis vtile. Accipit gemmarum populi nigræ, veris initio collectarum, vncias quatuor. Olei dulcis, sextarium Italicum vnum. Gemmæ tusæ in oleo macerantur, & insolantur diebus quadraginta.

ANNOTATIO.

Compositio olei populini melior.

Ad hunc quidem modum Nicolaus Myrepsus componit. In latinis autem codicibus aliter describitur, & vinum adiicitur. Quare sic componi aptissime posset. Recipit Gemmarum populi nigræ, vere collectarum & tusarum, vncias quatuor. Olei dulcis, lib. tres. Vini lib. sex. In vase vitreo diebus quindecim insolantur, & dein lento igne in duplici vase coquuntur, ad vini consumtionem, expressum & colatum oleum reponitur. F

[1] Petrelaon. LVIII.

Calefacit, siccat, essentiæ tenuitate in altum penetrat, discutit: ac proinde materiã omnem excrementosam absumit. Epilepsiæ, resolutioni, vertigini, obliuioni, lienis, renum, vesicæ, vteri, neruorum, articulorumq; omnium, aliarumq; partium neruosarum doloribus frigidis auxiliatur.

ANNOTATIO.

Naphtha.

1 *Petrelaon*) Officinis petroleum dictum non est, nisi Naphtha Babyloniis vocata: de qua plura libro 1. huius Operis diximus.

DE

DE VNGVENTIS, SECTIO DECIMAQVINTA.

Vnguentum[1] Marciatum magnum, Nicolai Myrepsici. I.

Confert ad refrigerationem capitis, thoracis, stomachi, iecoris, lienis, aliosque dolores a frigiditate natos. Lienem quoque induratum emollit. Præcipue vero ad hydropicos ac lienosos expertum est. Habet ceræ albæ, lib. vnam. Olei communis, lib. quatuor. Rosmarini, foliorum lauri, an. vncias quatuor. Tamaricis, vncias tres. Rutæ, vncias quatuor.[2] Ebuli, sabinæ,[3] balsamitæ, ocimi,[4] saluiæ, polii, calaminthæ, artemisiæ, helenii, betonicæ,[5] brancæ vrsinæ,[6] spargulæ,[7] herbæ venti,[8] pimpinellæ, agrimoniæ, absinthii,[9] herbæ sanctæ Petri, ab Italis dictæ herba paralysis,[10] costi herbæ, foliorũ sambuci,[11] semperuiui minoris, herbæ millefolii, semperuiui maioris, chamædryos,[12] quinque neruiæ, B *centauri,[13] fragariæ, quinquefolii, ana vncias duas, & drachmas duas.[14] Maluæ syluestris radicis, cumini,[15] myrrhæ, ana vnciam vnam & dimidiam. Fœnigræci, drachmas quinque, & scrupulos duos. Butyri, drachmas sex. Seminis vrticæ, violarum, papaueris albi,[16] menta agrestis,[17] lapathi,[18] polytrichi,[19] cardiobotani,[20] matrissyluæ,[21] herbæ moschatæ,[22] florum chamæmeli,[23] scolopendrii,[24] crispuli,[25] herbæ caphuræ, styracis calamitæ, medullæ ossium cerui, ana drach. duas. Axungiæ vrsinæ, gallinæ, &[26] anseris, mastiches, ana vnciam dimidiam. Thuris, drach. duas. Olei nardini,[27] vnciam vnam. Herbæ omnes concisæ macerantur die vno in vino bono odoro, altero autem e vino eximuntur & contunduntur, & in alterum vinum bonum coniiciuntur, illicque diebus septem sinuntur. Octauo dein die hæ vna cum vino coquuntur, quoad dimidium eius absumatur. Postea iniicitur* C *oleum, & denuo donec vniuersum consumatur vinum, decoquuntur. Tandem ab igne amouentur, & colantur: atque rursus in lebetem iniicitur oleum: cui postquam lento igne parum fuerit calefactum, styrax, butyrum, adipes, mastiche, thus, oleum nardinum, & cera adiiciuntur: omnibusque lento igne dissolutis, ab igne auferuntur, & in vas reconduntur.*

ANNOTATIONES.

Hæc est legitima & e græco Nicolai Myrepsi codice ad verbum transcripta vnguenti Marciati magni compositio. Quæ quum in latinis codicibus mirifice variet, & corrupta sit, ideo ad præscriptum Nicolai & iuxta præsentem descriptionem deinceps hoc vnguentum a pharmacopœis parandum erit. Id vero quum vsitatissimum sit, & ob multa simplicium medicamentorum nomina, non omnibus obuia, valde obscuratum: ideo nostris annotationibus illustrandum esse putauimus.

D *1 Marciaton*) Sic in omnibus tum Græcis tum Latinis codicibus legitur. Aetius quoque libro 12. cap. 44. vnguentum præclarum ad articulorum morbos, corporis languores, & resolutiones Marciaton appellat. Vt mirari subeat, cur Cordus in suo medicamentario libro vsitatam appellationem mutauerit in Martianum, præsertim quum Paulus etiam similiter, atque Aetius, Marciaton nominent. *Marciati. Cordus notatus.*

2 Ebuli) Nicolaus habet ἔμβουλι, pro ἔβουλι. Nam more suo latinis & barbaris vocibus passim μ literam adiicit, Latini codices omnes legunt Esbrii, quæ vox quum sit ex Ebuli dictione a librario imperito deprauata, nihil mirum est hanc quoque varie a variis interpretatam fuisse: aliis Saluiam, aliis Maioranam esse dicentibus. Hanc itaque difficultatem nobis græcus Nicolai codex sustulit, & constat nunc, Ebulum esse vsurpandum, vtpote cuius folia hydropicis illita conueniant; non Maioranam, vt Rondeletius & alii nonnulli sunt arbitrati. *Esbrium.*

E *3 Balsamita*) Nos studio hanc dictionem, qua Nicolaus vsus est, in contextu reliquimus, quum hodie quoque officinis vsitata sit. Est autem Balsamita altera Sisymbri species, quam Mentham aquaticam nominant, vt alibi fusius diximus. *Balsamita.*

4 Saluia) Latini codices habent, Lilifragi corrupte pro Elelisphaci. Saluiam autem appellari Græcis ἐλελίσφακον, omnibus notum esse putamus. Plurimum in huius vocis interpretatione hallucinatur Rondeletius, præsertim vero quum Saluiam syluestrem, esse Verbascum syluestre Dioscoridis tradit. Ex aliarum vero herbarum interpretatione abunde constat Rondeletium tempore quo pharmacopolarum officinam scripsit, herbarum magnam cognitionem haud habuisse.

5 Branca vrsina) Ita in Græcis & Latinis exemplaribus legitur, Brancæ vrsinæ autem nomine duæ hodie intelliguntur herbæ. In Italia ita nominant Acanthum. In Germania nostra Sphondylium. Nihil autem refert vtram accipias, quia vtraque siccandi facultatem obtinet. Nostrates autem pharmacopœi, quũ F vera Acantha destituantur, spondylium vsurpare debent, cui etiam attenuandi inest facultas. Est autem geminum Sphondylium, latiuum & syluestre. *Branca vrsina. Sphondylium.*

6 Spargula) Non est autem Spargula, nisi ea herba, quę Græcis & Latinis Aparine nominatur. Hanc recentiores herbarii, quod asperitate sua vestimentis quæ contingit, pertinaciter hæreat, Asperulam dixerunt. Quam vocem imperitiores subinde vnius adiectione literæ deprauantes, in Aspergulam mutarunt. Tandem priore litera detrita, abbreuiantes in Spergulum, & Spargulam commutarunt. Non igitur est Gallium, vt Cordus existimauit. Quum enim, Dioscoride teste, Aparine discutiendi facultate donata sit, eius vsus in discutiendis tumoribus Hydropicorum aptissimus erit. *Spargula. Cordus errat.*

Herba venti. 7 *Herba venti)* Græce est, ἀνεμώνης. Herbam autem venti varie interpretantur recentiores. Alii enim vmbilicum Veneris esse contendunt. Hæc quum hydropicis competat, si haberi potest, huic vnguento non inepte inditur. Sunt qui Helxinen, seu parietariam interpretantur: alii Solidaginem minorem esse censent. Nonnulli Asclepiada, quam officinæ Hirundinariam vocant, exponunt. Aliqui Anemonem syluestrem. Vt nihil mirum sit, pharmacopœos, vtpote magna ex parte imperitos, in ista sententiarum diuersitate quid faciendum sit, constituere non posse. Quare vt nostram interponamus sententiam oportet. Licebit quidem, vt iam diximus, vti in iis vbi prouenit regionibus, vmbilico Veneris. Sine errore quoque parietaria, ob abstersoriam suam facultatem, huic compositioni inditur. Consolida nominata minor, prorsus repudianda hoc in loco est. Asclepiadis etiam vsus sine noxa esse posset. Sed præ omnibus iis magis competit Anemone syluestris, vtpote cui calefaciendi & discutiendi facultas insignis est: adeoque ad frigida vitia, ad quæ vnguentum hoc maxime accommodatur, vtilis admodum. A B

Pimpinella. Cordus errat. 8 *Pimpinella)* Non Italica, vt Cordus censuit, sed Germanica: quod huius facultas in præsenti vnguento acris, potius quā alterius adstrictoria, requiratur. Italica vero Pimpinella est, quam nos Sanguisorbam nominamus.

Herba S. Petri. 9 *Herba S. Petri)* Quæ illa sit, metipse Nicolaus indicauit: vt hinc liceat palam cognoscere, quarundam stirpium nomina Nicolai ætate vsitata, ad nostra vsque tempora promanasse. Est autem Verbasculum odoratum latinis vocatum, quod primo vere in pratis & montanis emicat, discutiendi facultate præditum.

Costus herba. Herba S. Mariæ. Cordus hallucinatus. Costus hortensis. Mentha sarracenica. 10 *Costi herbæ)* Latini codices omnes habent, herbæ sanctæ Mariæ. Hanc autem interpretantur omnes, quos etiam Cordus sequitur, pro Persicaria. Sed errare vniuersos, e Græco Nicolai codice omnibus fit manifestissimum: qui quum Costi herbam appellet, diserte qualis esset indicauit. Nam hac appellatione non eam Costum, quam Dioscorides pingit, innuere voluit: alias enim simpliciter, & sine omni adiectione Costum dixisset: sed eam potius, quam Dionysius Vticensis, quem falso Constantinum nominant, libro vndecimo de Re rustica, capite vigesimooctauo. Costum simpliciter, & alii cum adiectione Costum hortensem nominant. Hanc itaque Costum alii, quod Ruellius quoque significauit, Mariæ herbam appellant. Hodie mentha Sarracenica, & Romana vulgo, Vnser Frawen müntz, Germanis nuncupantur. Eam igitur, vt a Costo Dioscoridis separaret Nicolaus, Costum herbam nominauit. C

Herba crassula. 11 *Semperuiui minoris)* Herbæ crassulæ, est in latinis codicibus. Sic enim recentiores Semperuiuum minus nominant.

Quinqueneruia. Centumneruia. 12 *Quinqueneruia)* Latini codices legunt, Centumneruiæ. Vtrisque autem nominibus Plantago intelligitur: priore minor, posteriore maior. Quum autem easdem ambæ facultates habeant, nihil refert vtra accipiatur. Nicolaus tamen minorem sumendam innuit. D

Fragaria. 13 *Fragariæ)* Fragulæ habent Latini codices. Intelligunt autem omnes hac voce, fragariam hodie dictam herbam. Hæc quod lienosis conferat huic vnguento indita est.

Malua syluestris. 14 *Maluæ syluestris)* Latini codices, Ebisci habent, nullo sane discrimine. Nam Ebiscus, malua syluestris, Galeno etiam teste, Althea est.

15 *Myrrhæ)* Falso in Latinis codicibus legitur Myrrha. Nam quum Myrrhæ insit calefaciendi, emolliendi & discutiendi facultas, optime huic compositioni quadret necesse est. Ita vt mirari subeat Cordum, qui Myrtum, adstrictoria donatam facultate, potius quam Myrrham, nō sine errore, huic compositioni indendam esse censuit. Cordi error.

Menta agrestis. 16 *Menthæ agrestis)* Latini codices habent Menthæ sarracenicæ, sed falso. Siquidem hæc antea huic compositioni, sub nomine Costi herbæ indita fuit: igitur repeti hoc loco nequit. Aliam igitur per Mentham agrestem intelligat herbam Nicolaus, quam eam, quæ Sarracenica nominatur, eam nimirum, quam Menthastrum vocant, est necesse. Nam ita syluestrem Mentham Dioscoridis, Latini appellant auctores. E

Lapathū. 17 *Lapathi)* Rumicem Latinis dictam inaudire oportet, & maxime eam speciem, quam cum adiectione oxylapathum, officinæ autem Lapatium acutum nominant.

Polytrichum. 18 *Polytrichi)* Adiantum capillum Veneris officinis nominatum, aut certe Trichomanes intelligit. Nihil enim refert, quum earundem sint virium, vtram accipias.

Carduncellus. Cardiobotani. 19 *Cardiobotani)* Latina exemplaria habent, Carduncelli. Carduncellum autem interpretantur Carduum benedictum, herbam notam omnibus. Per Cardiobotanon ego censeo, intelligendam esse herbam, quæ etiamnum hodie Cardiaca dicitur: idque duabus de caussis: Vna, quod hæc itidem Menthæ species sit, quarum duæ etiam aliæ hanc compositionem ingrediuntur: altera, quod hæc ipsa Cardiaca, crassos humores incidere, attenuare, & discutere possit. Tamen quum idem possit Carduus benedictus, nihil moror hanc etiam si quis vsurpet. F

Matrisylua. Herba moschata. 20 *Matrisylua)* Non est, nisi Periclymenum Græcis dicta herba, vt alibi fusius docuimus. Vsus est autem voce Matrisyluæ etiam Scribonius Largus. Alio nomine Caprifolium dicitur.

21 *Herbæ moschatæ)* Est autem herba moschata, prima Geranii species: vt alibi copiosius ostendimus. Quæ commodissime huic vnguento inmiscetur, eo quod attenuandi & incidendi vim habeat, adeoque lienosis, vt alibi plenius diximus, conferat.

22 *Florum chamæmeli)* Hic latini codices Nicolai habent, Aleluia: quæ quidem vox per imperitum librarium in contextum rapta est, ex dictione χαμαιμήλου, non intellecta & deprauata.

A 23 *Scolopendrii.*) Nicolaus per Scolopendrium intelligit eam herbam, quæ veteribus ita dicta est, & hodie Ceterachion appellatur. Ea igitur accipienda, aut Hemionitis, quum vtraq; lienosis sit accommodata, quibus hæc compositio maxime conuenit. Scolopendrium.

24 *Crispuli.*) Crispulam hodie omnes fere Bouis oculum, seu Buphthalmum interpretantur. Quid autem Buphthalmi nomine inaudiendum veniat, alibi diximus; nempe Cotula non fœtida recentioribus herbariis nuncupata. Crispula.

25 *Herba Caphura.*) Latini codices legunt, Caphuratæ, quod in idem recidit. Non est autem herba Caphuræ, seu Caphurata, nisi Abrotonum: quo hodie passim pro fœmina vtuntur, quod odore nonnihil ad Caphuram accedat. Non esse autem herbam illam fœminam, sed potius Absinthium ponticum, in commentariis nostris de Stirpium historia diximus. Herba Caphura.

26 *Anseris.*) In omnibus codicibus desideratur.

27 *Vnc. vnam.*) Græcus manuscriptus Nicolai codex habet drachm. vnam, grana quindecim, quod B pondus quum videretur nobis satis exiguum, ideo in vnc. vnam mutauimus: idq; Latinorum nobis suffragante codicum testimonio fecimus. Nam quum Latinus Nicolai codex geminata passim habeat pôdera in hac cõpositione, & hoc loco vnciarum duarum mentionem faciat: certum est, inde nobis vnc. vnam sumendam esse. Hinc est, quod exemplar Ingolstadianum diserte legat, olei nardini vnciam vnam.

Vnguentum[1] Agrippæ. Eiusdem. II.

AD hydropicos, lienosos, & ventrem dolentes vtile est. Oedemata, & neruorum vitia sanat. Vrinam mouet, extrinsecus illitum ventrem subducit, doloriq; renum succurrit. Capit bryoniæ radicis, lib. vnam. Radicis[2] maluæ syluestris, scillæ, ana lib. dimidiam. Iridis, vnciam vnam, & dimidiam. Radicis filicis,[3] ebuli, tribuli marini, ana vnc. vnam. Olei,[4] lib. duas. Tusa omnia macerantur in oleo diebus[5] octo. Dein coniecta in lebetem lento igne coquuntur, & cocta exprimuntur, colanturq; aridis abiectis: liquidum autem cum ceræ puræ[6] vnciis septem, & dimidia, in vnguenti for- C *mam redigitur.*

ANNOTATIONES.

1 *Agrippæ.*) Sic omnia Latina Nicolai exemplaria habent, & ad regem Agrippam auctorem compositionem referunt. Manuscriptus Nicolai codex, Grypa legit.

2 *Radicis maluæ syluestris.*) Ita in Græco manuscripto Nicolai codice legitur, quum tamen in Latinis sit, Cucumeris syluestris: vt suspitio sit, librarium pro μαλάχης ἀγρίας, substituisse σικυ̃ ἀγρίας. Quod non alia de caussa factum esse arbitror, quam quod huic vnguento subducendi aluum facultas tribuatur: ideoque radicem cucumeris syluestris indere, vtpote quæ vehementem purgandi vim obtinet, voluit. Vtriusq; autem vsus in hoc vnguento esse potest. Si enim ad renum calculos deturbandos eo vti volumus, præstat illi Maluam syluestrem immiscere. Sin aluum potius subducere nobis consilium est, radix cucumeris syluestris potius indenda erit. Consultissimũ igitur erit vtroq; modo paratum in officinis ha-
D bere vnguentum, vt nunc huius, nunc illius pro diuersitate morbi vsus esse possit. Dessenni ex hoc loco se explicare nõ potuit, Sphingis ænigma sibi propositum, quod non nisi ab Oedipo dissolui posset, putãs. Dessennius.

3 *Ebuli.*) Vt hinc perspicuum etiam euadat, Ebulum recte Marciato vnguento inseri.

4 *Lib. duas.*) Græcus codex vnam tantum libram habet. Sed apparet, mensuram minorem esse quam par sit: ideo alteram adiiciendam esse putauimus, idq; monentibus Latinis codicibus, qui habent libr. 4. geminata enim passim pondera ad hanc nostram descriptionem collata obtinent.

5 *Octo.*) Tribus duntaxat diebus maceranda esse, Græcus codex innuit. Sed fit efficacius vnguentum, si pluribus macerentur diebus.

6 *Vnc. septem, & dimidia.*) Græcus codex manuscriptus vnc. sex tantum habet. Nos Latinos codices secuti sumus, qui habent vnc. quindecim. Dimidiatum itaq; pondus sunt vnciæ septem, & dimidia. Sed relinquendum arbitrio Pharmacopœi, vt tantum accipiat ceræ, quantum ad vnguentum conficiendum
E satis erit.

Vnguentum[1] Aregon. Eiusdem. III.

AD omnem dolorem frigidum stomachi & ventris, ad vterina mulierum vitia, distensiones, quartanas, epilepsias, resolutiones, spinæ dolores, & renum. In quartana ante inuasionem inungitur. Accipit rosmarini, sampsuchi,[2] iridis, serpylli, rutæ,[3] radicis maluæ syluestris, ana vnc. duas, & drachmas duas. Foliorum lauri, saluiæ,[4] sabinæ, ana vnc. vnam, & dimidiam. Laureolæ, vncias quatuor, & dimidiam. Calaminthæ, vnc. tres. Mastiches, thuris, ana drach. tres. Pyrethri, euphorbij, ana vnc. dimidiam. Zingiberis, piperis, ana vnc. dimidiam, & scr. duos.[5] Olei moschati, drach. duas. Petrolæi, vnc. dimidiam. Adipis vrsini, olei laurini, ana vnc. vnam, & dimid. Butyri, vnc. duas.[6] Olei communis, lib. duas, & dimidiam. Ceræ albæ puræ, vnc. nouem. Herbæ vna cum radici-
F *bus in vino die vno macerantur, altero eximuntur, & in mortario probe tunduntur: dein oleo iniiciuntur, & illic diebus septem macerantur: postea coquuntur, & colantur, rursusq; coquuntur: & vbi bullire inceperint, imponitur oleum laurinum, butyrum, adipes, & cera: omnibusq; liquatis, iniicitur oleum moschatum, & petrolæum. postremo imponitur mastiche, thus, zingiber, pyrethrum & euphorbium, bene trita: omniaq; simul probe subacta, ab igne auferuntur, & in vase reconduntur.*

ANNOTATIONES.

ἀρήγων. 1 *Aregon.*) Ita enim, non Aragon, vt hactenus Medicinam facientes consueuerunt, appellari debet. Sic enim Græco nomine ἀρήγων, quasi adiutor, ob suam quam in iuuandis ægris efficaciam habet, dici potest. Hinc est quod non inepte illud Salodinus adiutorium interpretetur. In Nicolao ordine vnguentum 48. nec vllo nomine priuato insignitum est. Nomen autem Aregon, vel deprauate Aragon, illi impositum est ab aliquo Græcæ linguæ imperito: qui in Nicolao legens ἄλειμμα ἀρήγων εἰς πάντα πόνον στομάχου καὶ κοιλίας, id est, vnguentum conferens iuuansue ad omnem stomachi, & ventris dolorem: ἀρήγων vnguēti huius appellationem propriam esse putauit, quod forte ita scriptum inuenerit, ἄλειμμα ἀρήγων, εἰς πάντα πόνον, &c. Dessennius cur ita dictum sit ignorare se fatetur. A

2 *Iridis.*) In omnibus Latinis codicib. falso scribitur Iari, pro Iridis. Fuit enim improuido & incauto librario facilis ab vna in alteram dictionem lapsus. Francifcus Alexander hoc loco, vt dissentiendi a me occasionem habeat, mauult deprauatos codices sequi, quam veritatem amplecti. B

Maluę syluestris. 3 *Radicis maluæ syluestris.*) Id est, altheæ. In Latinis codicibus iterum, vt in priore vnguento, legitur perperam Cucumeris syluestris. Et is locus, priorem lectionem esse legitimam confirmat.

4 *Sabinæ.*) Posthæc in Latinis nonnullis codicibus subiicitur, Pulicariæ maioris & minoris, id est, ellebori albi & nigri, ana vnc. duas. Et paulo post, a laureola, foliorum cucumeris asinini: quæ sane omnia in Græco, & melioribus etiam Latinis codicibus desiderantur; adeoq; spuria sunt, ideo a nobis merito præterita & omissa.

5 *Olei moschati.*) In cuius inopia rutaceo, aut laurino vtendum.

6 *Olei communis.*) In Latinis exemplaribus non sine errore desideratur.

Vnguentum dialthea. Eiusdem IV.

AD neruorum præcisionem, lateris dolores, omnem neruorum incontinentiam & duriciem, atq; resolutos vtile. Recipit radicis maluæ syluestris, lib. vnam. Seminis lini, fœnigræci, ana lib. dimidiam. Scillæ, vnc. tres. Radices & semina, bene tusa, tribus diebus in lib. tribus & dimidia aquæ macerantur: dein coquuntur, donec* succi crassitudinem acquirant, & per linteum tenue colantur, & exprimuntur. Post accipitur succi huius lib. vna, & adduntur ei olei communis lib. dua, & rursus coquuntur, donec absumtus fuerit. Dein inijcitur ceræ lib. dimidia. Terebinthinæ, galbani, gummi hederæ, aut eius succi, ana vnc. vna. Postremo imponitur colophonia bene trita, resinæ albæ puræ, ana vnc. tres. Concussa, agitataue probe, vt in lebete eliquentur, ab igne remouentur, & refrigerata in vase conduntur.* C

*Altheæ.

*Mucaginis.

ANNOTATIO.

Hoc vnguentum vsu celeberrimum est ad emolliendum, calefaciendum, & humectandum. Valet ad thoracis dolorem e frigore contractum. Emollit, lenit, coquit, & discutit.

Vnguentum populeum. Eiusdem. V. D

SOmnum conciliat, febrientibus ac dolentibus caput propter calorem illitum temporibus, prodest. Febricitantibus, plantæ manuum ac pedum, & pulsus eo inunguntur. Irrigandum autem cum oleo rosaceo, aut violaceo. Habet oculorum in summo arboris populi, quando floret, apparentium, lib. vnam, & dimidiam. Foliorum papaueris nigri, foliorum[1] mandragoræ, bb rubi, hyoscyami, solani,[2] vermicularis, lactucæ, semperuiui maioris, cc violæ, &[3] cymbalij, ana[4] vnciam vnam, & dimidiam. Adipis suilli recentis, salis expertis,[5] lib. vnam. Herbæ cum[6] oculis & adipe in mortario tunduntur, & in massam rediguntur, & sub ea forma diebus octo sinuntur. Dein cum gladiolo in tenues partes concisæ in lebetem conijciuntur, & lento igne in vini odori lib. vna coquuntur, donec totum absumtum fuerit. Postea per linteum tenue colantur, & exprimuntur, & in vase reponuntur.*

*aut gemmarum, id est, florum continentium.

ANNOTATIONES.

1 *Foliorum mandragoræ.*) Quum a paucis haberi possint (quandoquidem mandragora in Germania, nisi sata & culta non proueniat) pro eius foliis, Hyoscyami, geminato eorundem pondere, folia accipi debent. E

bb *Rubi.*) Nicolai codex diserte foliorum mentionem facit. Latini codices cymarum rubi, id est, teneriorum coliculorum, quos a prima germinatione, & in summa sui parte profert.

Vermicularis. 2 *Vermicularis.*) Hanc vocem retinuimus, quod ea Nicolaus etiam vsus fuerit. Est autem semperuiuum minus, cum albis floribus: quod sic appellatum est a rotundis suis foliis, & figura oualibus, vermiculosq; referentibus.

cc *Violæ.*) Nigræ scilicet.

Cymbalium. Scatūcellus. Bardana. 3 *Cymbalii.*) Intelligit folia alterius acetabuli, quod alio nomine Vmbilicus Veneris dicitur. Appellatur aūt idipsum hodie quoq; Cymbalaria & Cymbalium, vt alibi fusius diximus. In Latinis codicibus nonnullis est nominata Scatuncellus. Ceterum in Latinis codicibus nō recte Bardanæ fit mentio: quod eius in hoc medicamento, vtpote quod refrigerandi vi præditum est, nullus esse vsus videatur. F

4 *Vnciam vnam, & dimidiam.*) In Græco Nicolai codice est vncia dimidia. Nos Latinos sequi codices voluimus.

5 *Libra vna.*) Pondus hoc in Nicolai manuscripto exemplari fuit omissum, quod nos ex Latinis restituimus.

6 *Oculis.*)

A 6 *Oculis.*) Quia in nostra regione populi oculi, & herbæ quarum hic fit mētio, in idem tempus haud incidunt (oculi enim primo statim vere, id est, Martio mense erumpunt, herbæ autem Iunio vigent) ideo oculos nonnulli in mortario per se tundunt: dein cum adipe suillo diu multumq; tusos in vase operculato duos aut ternos pluresue menses, donec herbæ vigeant, recondunt. Has incisas, ligneo pistillo per se tritas, quia simul ob lentorem & multitudinem teri facile nequeunt, cum oculis populi, & adipe coquunt, vt a nobis in contextu est expressum.

Vnguentum * *e* [1] *citriis. Eiusdem.* VI. * Citrinū.

AD liuores & lentigines faciei a mulieribus, ac cicatrices, faciendas & dealbandas, a sole factas vstiones, impetigines, ac pustulas a salsa pituita in cute apparentes, & in oculis ruborem. Habēt enim aliquam detergendi & insignem exsiccandi vim. Capit [2] *borachij, drachmas duas.* [3] *Succi semperuiui, drachm. vnam. Corallij albi, vnc. dimidiam.* [4] *Amianti,* [5] *vmbilici marini tragacanthæ,* B *amili, cristalli,* [6] *Antalij, Dentalij, thuris albi, nitri, ana drach. tres. Marmoris albi puri, drach. duas.* [7] *Cerussæ præparatæ ex dracontio, vnc. vnam.* [8] *Cerussæ alterius præparatæ ex plumbo, vnc. sex.* [9] *Adipis suilli recentis, salis expertis & puri, lib. vnam. Seui caprini, vnc. vnam, & dimidiam. Adipis gallinacei, vnciam vnam. Terantur omnia simul, excepta borace, in mortario, in tenuissimum puluerem. Adipes & seuum simul eliquentur in duplici vase.* [10] *Eliquatis, & per tenue linteum colatis, trita omnia inijciantur, & probe ridicula subigantur. Subacta imponantur citrio vni, aut duob. aut pluribus, & coquantur, ebullitione vna. dein rursus in lebetem conijciuntur, & additur illis borax seorsim tenuissime trita: subacta probe, reponuntur in vase.*

ANNOTATIONES.

1 *E citriis.*) Quod ea quæ compositionem eius vnguenti ingrediuntur, in citriis malis coquantur, ita C dictum esse constat. Pharmacopœi nostræ ætatis vnguentum citrinum, a colore nominant. Rectius illis citrium, aut citreum, a citriis, vt diximus, appellaretur. E citriis. Citrinum vnguentū.

2 *Borachii, drach. duas.*) Manuscriptus Græc. codex habet, λίθου βοραχίου, id est, lapidis Borachii. Quapropter de sententia Nicolai, sumendus lapis ille erit, qui Borachius dicitur. Non est autem, nisi gemma quam fert in capite suo Rubeta, quæ Græcis φρῦνος, barbaris Bufo, Germanis Krotte dicitur. Rana vero hæc venenata, rubeta Latinis dicta est, a rubis & vepribus, Plinio lib. 32. cap. 5. teste, in quibus plerumque victitat. Hæc etiam in nonnullis regionibus barbara voce Borax appellatur: vt Boracis vox hoc loco ambigua sit. Nam vel rubetam significat, quæ in capite fert gemmam, quæ ab ea denominationem capiens, Borachia Latinis, Germanis Krottenstein dicitur: & hic a Nicolao innuitur. Hæc gemma colore interdum in candido fusca est, interdum in medio cæruleum habet oculum. Nonnunquam nigra, & maculis liuentibus notata est hæc rubetarum gemma. Interdum virides, nonnunquam versicolores e- D iusmodi gemmæ sunt. Aliquando in iis forma rubetarum apparet, sparsis pedibus. Gestantur in annulis a principibus, quod veneno præsente colorem suum mutet, & quasi sudans guttas emittat. Hinc satis apparet, inter hanc gemmam & venena, naturalem quandam esse ἀντιπάθειαν. Plinius ex iis ranis lienem, & efficacius cor, ipsarum venenis, quæ ex ipsis fiunt, auxiliari, literis mandauit. Hæc igitur gemma, quod forte etiam ad exterenda cutis vitia vtilis sit, huic vnguento inserenda venit. Nostri Pharmacopœi per Boracem, Arabibus appellatam, aliam rem inaudiunt, nimirum Plinio Santernam, Chrysocollam factitiam recentioribus dictam. Nam hanc etiam barbara voce Boracem officinæ nominant, vt libro 1. huius Operis dictum est. Hæc vero, vt ibidem exposuimus, gemina exsistit, natiua & factitia: vtraq; habet calefaciendi, discutiendi, expurgandi, exterendiue & exedendi facultatem, adeo vt hoc nomine etiam huic vnguento sine errore indi possit. Cordus perperam legit, vncias duas pro drachm. duabus. Notat me hoc loco Franciscus Alexander: atqui nullo plane candore, quod aliter in Myrepso, aliter vero in 2. de compositione medicamentorum libro Borachii vocem interpretatus sim. Quasi vero secundæ cogitationes E prioribus non sint meliores. Quum Myrepsum celeriter admodum conuerterim, vna festinanter etiam passim annotationes adieci, ita vt de illis abunde cogitare tum integrum non fuerit. Quæ vero hic de Borachio annotaui, non puto me inutiliter dixisse. Sed mordet perpetuo Franciscus, vbi morsu abstinendum ei erat. Borax. Borachius lapis. Rubeta. Borachia gemma. Chrysocolla. Cordus errat.

3 *Succi semperuiui.*) In omnibus tum Græcis tum Latinis Nicolai codicibus, legitur Caphuræ. Nos vero, vt antea multis in locis, ita hic quoque hanc e contextu sustulimus: quod non sit frigida, quemadmodum cum nonnullis Arabibus credit Nicolaus, sed calida. Etsi in præsentia, si quis ea vti velit, non prohibeo, quod discutiendi, exsiccandi, & extergendi vim habeat: tamen præstat succum semperuiui vsurpare, quod vnguentum hoc ad rubores oculorum præsertim commendetur: ad quos sanandos, Semperuiuum, vtpote quod non solum desiccat, sed & refrigeret, commodius exsistit. Et dubium non est, Nicolaum, Caphuram huic compositioni, vt medicamētum frigidum & siccum, inseruisse: quale quum F non sit, præstat pro ea succum semperuiui vsurpare. Succi semperuiui.

4 *Amianti.*) Ita enim legendum: quum Græce sit ἀμιάντου: non vt habent Latini codices, quos etiā Cordus secutus est, Amenti dulcis. Quippe incerti sunt omnes fere, quid Amentum dulce significet, Platearius tamen in sua explanatione Antidotarii Nicolai scribit, hunc esse lapidem candidissimum, eboris instar. Ille vero, quum dulcis sit, in hoc vnguento locum habere nequit, quod illud abstergentia maxime medicamenta requirat. Hic lapis nonnullis Entalium appellatur, & ab Entali, cuius paulo post sepa- Cordi error.

ratim mentio fit differt, vt paulo post plenius dicemus. Etsi enim Cordus exponit Gypsum, tamen id facit nullo auctore. Neq; enim vllus vel veterum, vel recentiorum, Gypsum dulcis discrimin edistinxit.

Amiantus

Amiantum itaq; lapidem vsurpent Pharmacopœi, qui non est nisi scissilis ille, & friabilis lapis, quem officinæ hodie Alumen plumosum vocant, vt libro primo fusius diximus.

Vmbilicus marinus.

5 *Vmbilici marini.*) Lapis est exiguus, coloris inferna sui parte candidi, superna rubei, in littore maris repertus: & in altero suo latere, superno nimirum, hominis, puellarum maxime formosarum, vmbilicum referens, vnde etiam illi nomen inditum est: in altero autem planus, nisi quod lineas, veluti in domunculis ac testis cochlearum ductas in gyrum obtinet. Vocatur autem non solum Vmbilicus marinus, sed & Veneris Vmbilicus, a formosarum, vt dictum est, puellarum Venerique similium vmblico, quem refert. Barbari Belliculos nominant. Ad quod nomen Nicolaus noster respexit, qui habet, βελίειχι θαλασίυ: ita vt potius Belliricus, quam Belliculus, barbaris hic lapis appellandus veniat. Germani magis ad formam eius quæ fabam exprimit, & locum in quo inuenitur, respicientes, Meerbonen, quasi maris fabam, vocant. Fertur puellis gratiam conciliare hic lapis. Hodie pueris argento & auro inclusum, pro amuleto appendunt mulieres. Plura de eo in nostris super nonum Galeni de simplicibus medicamentorum facultatum commentariis.

Vmb licus Veneris. Belliculi.

Antali Dentali.

6 *Antalii Dentalii.*) Sunt voces barbaræ, quibus etiam Nicolaus vsus est. Habet enim, ἄνταλι τένταλι. Alii Latinius enuntiant, Antalium, & Dentalium. Quid autem vtrunq; sit, lib, primo huius Operis, cap. 15. copiose explicauimus, vt non sit opus hic repetere. Hinc tamen planum est omnibus, Antalium & Dentalium ab Entalio quibusdam Pharmacopœis appellato, quod lapidis genus est, atq; Plateario, aliisque nonnullis amentum dulce vocatur, vt paulo ante diximus, diuersum esse, alias Nicolaus vnius medicamenti bis, quod absurdum esset in vna compositione, mentionem fecisset.

Cerussa præparata cum Dracontio. Cerussa duplex Nicolao. Cóficiẽdi fuci modus ex Dracunculo.

7 *Cerussæ præparata ex Dracontio.*) Latini codices Nicolai habent Gersæ, alii Iersæ serpentariæ. Videtur autem vtraq; dictio e voce Cerussa nonnihil deprauata esse deflexa. Ex hoc autem Nicolai loco omnibus palam fit, Cerussam illi esse duplicem. Vnam, quæ fit ex Dracontio, siue serpentaria vera. Eam autem ψιμμύθιον, id est, fucum vocat: quod ea Cerussa mulieres ad conciliandam formam, & nitorem faciei inducendum vtantur: vt ψιμμύθιον hoc loco generalis vox sit ad omnem fucum. Fit autem hæc Cerussa hoc modo. Radices dracunculi maioris, aut in eius penuria Ari, vere collectæ, repurgatæ, & ad solem siccatæ, subtilissime tritæ, macerantur in stillatitii liquoris rosarum, vnc. quatuor. Dein insolatæ in vitrea patina, linteolo tecta exsiccantur. Postea secundo tantum liquoris stillatitii affunditur, & simili modo exsiccatur. Tertio rursus tantum prædicti liquoris affunditur. Sunt qui sæpius id faciant. Vltimo siccata farina, cum vino odoro in pastillos digeritur, & ad vsum reponitur.

Cerussa plũbaria.

8 *Cerussæ præparatæ ex plumbo.*) Scilicet nigro: quæ ob id Cerussa plumbaria nominatur, quæ altera est Nicolai Cerussa, de qua copiose libro primo huius Operis cap. 17. diximus.

9 *Adipis suilli, &c.*) Horum adipum pondera in Græco exemplari Nicolai non fuerunt expressa. Adiecta igitur sunt a nobis e Latinis.

10 *Eliquatis.*) Et hoc loco manuscriptus codex deprauatus est mirifice. Nos igitur Latinos secuti codices, hunc sensum verbis Nicolai affinximus. Sunt qui prædictis adipibus, quum liquantur, citrii mali cortices iniiciunt, & illic integro mense macerant. Quo facto, tandem trita omnia iniiciunt, & subacta citriis malis indita coquunt, & conficiunt, vt est in contextu expressum.

* Fuscum.

Vnguentum nigrum. Eiusdem.* VII.

AD vulnera confert: siquidem in ijs carnem creat, putridamq; depascit. Accipit olei communis, lib. dimidiam, & vnc. tres, Ceræ puræ, vnc. duas. Colophoniæ, picis naualis, sagapeni, vnc. vnã. Mastiches, thuris, galbani, resinæ, therebinthinæ, ana vnciam dimidiam. Olea cum cera, vbi adignem probe liquata fuerint, inijciatur colophonia primum, dein pix naualis, sagapenum, terebinthina, mastiche, thus, & galbanum, vnguentumq; refrigeratum recondatur.

Vnguentum[1] Apostolorum. Auicennæ. IIX.

EFficax est ad vlcera & vulnera cõtumacia, item fistulas. Sordida vlcera emũdat, purgat, exsiccat, & deterget. Absumit carnẽ mortuã, & amissam restaurat: durã emollit, & plagas sanat. Recipit terebinthinæ, ceræ albæ, resinæ, ammoniaci, ana drach. quatuordecim.[2] Aeris floris, opopanacis, ana drachmas duas. Aristolochiæ longæ, thuris masculi, bdellij, ana drachmas sex. Myrrhæ, galbani, ana drachmas quatuor. Lithargyri, drach. nouem. Olei, si æstas fuerit, lib. duas. Sin hyems, lib. tres. Bdellium, ammoniacum, & opopanax in aceto, quod satis est, nocte vna macerantur: dein calefactis terebinthina permiscetur, postea in oleo adiecta cera, & omnibus reliquis in puluerem tritis coquuntur, & in vnguenti formam redacta reponuntur.

ANNOTATIONES.

1 *Apostolorum.*) Sic dictum volũt, quod ex 12. quot numero fuerunt Apostoli, constet simplicib⁹.

2 *Aeris floris.*) Quid sit flos æris, libro 1. diximus. Pro eo Æruginem officinæ vsurpant.

* Aliis vnguentũ de melle dicitur.

Vnguentum Aegyptiacum. Ioannis Damasceni.* IX.

VLnera vetera & fistulosa extergit; carnem excrescentẽ & emortuam expurgat, ac vehementer exsiccat. Habet æruginis, ℥.5. Mellis optimi, ℥.14. Aceti acerrimi, ℥.7. Coquũtur omnia simul igne, quoad vnguenti consistentiam nanciscantur. Aliqui addunt thuris masculi, ℥.2. & dimidiã.

A *Vnguentum* * *Aureum. Eiusdem. X.* *Non nullis vnguentum Regis nominatur.

VVlnera, & plagas glutinat, ac curat. Capit ceræ flauæ, vncias sex. Olei boni, lib. duas, & dimid. Terebinthinæ, vnc. duas. Resinæ pineæ, & colophoniæ, ana vnc. vnam & dimid. Thuris, mastiches, ana vnc. vnam. Croci, drach. vnam. Cera in oleo liquata, resina, colophonia, & terebinthina affunditur, tandem reliquorum puluis adijcitur, & formatur vnguentum.

Vnguentum [1] *Aureum. Nicolai Myrepsici.* XI.

RElaxat & aperit: ideo calculosis & hydropicis maxime confert. Capit radicis maluæ syluestris, phu, mei, ana vnc. tres. Aristolochiæ longæ & rotundæ, helenij, pulegij, hyssopi, artemisiæ, pentaphylli, rutæ, acori, lauri, [2] *herbæ venti, rosmarini, chamædryos, saxifragi, Zingiberis, asparagi, rusci* B *radicis, & fœniculi, vncias duas. Seminis apij, iridis, libystici, granorum solis, petroselini, seseleos, cardamomi, anethi, baccarum lauri, iuniperi,* [3] *lapathi, ana drachmas quatuor, scrupulum vnum, grana duo. Seminis citrij, ocimi, sinapi, vrticæ, euphorbij, ana vnciam vnam. Adipis vrsini, & vulpini, olei laurini, petrolei, ana vnciam dimidiam. Floris iunci odorati, costi, pyrethri, thuris, mastiches, myrrhæ, ana drachmas duas. Olei moschati, vnciam dimid. Olei communis, & ceræ, quod satis est: fingatur vnguentum.*

ANNOTATIONES.

1 *Aureum.*) Ita hoc & præcedens ab auri pretio, quod præstantissima sint, appellata fuerunt. Quanquam præcedens hoc nomen a colore etiam suo, qui aureus est acceperit. Colorem vero hunc a Croco potissimum nanciscitur. Et miror hoc Nicolai vnguentum hactenus non fuisse nostris officinis vsitatũ, quum tamen in calculo renum laudatissimum sit. Hortor igitur, vt deinceps parari sibi curent Medici. C Voluimus autem non solum hac de caussa, quam nunc exposuimus, mentionem facere eius vnguenti: sed ideo etiam, vt illud e Græco codice emendatum haberent, quum in Latinis codicibus multis in locis sit deprauatum. Græcus tamen codex nullo alio nomine vnguentum hoc appellat, nisi εἰς ὠταλγίαν θαυμαστόν, ad aurium dolorem mirabile.

2 *Herbæ venti.*) Per herbam venti hoc loco Parietaria intelligenda venit, quæ hodie etiam, ob suam extergendi facultatem, maiorem in modum in renum calculo ab omnibus probatur. Herba venti.

3 *Lapathi.*) Latini codices habent, lapidis lyncis. Qui sane ab imperito librario ob similitudinem literarum cum Lapathi voce, aut a sciolo quodam hic insertus est, quod lyncis lapis calculosis mirifice cõferre creditus sit. Quod quidem de Lyncurio Græcorũ (siquidem lapidem lyncis recẽtiores pro Lyncurio habẽt & vsurpãt, quod nõ est nisi succinũ) recte dicitur. Itẽ de lapide etiã Belemnite, in quẽ nomẽ lapidis lyncis trãstulerũt. Minime aũt de eo quod hodie sub hoc nomine in officinis prostat: quẽ Phrygiũ esse lapidẽ, alibi demõstrauimus. Proinde quũ tãta sit de lapide Lyncis apud Medicos dissensio, nec eius Græcus codex hac D in cõpositione mentionẽ faciat, prorsus omittẽdus erit: & Lapathi, seu Rumicis, vel (vt hodie appellant) Acetosæ radices, quæ, Dioscoride teste, calculos vesicæ comminuunt, pro eo immiscendæ erunt. Lapathũ. Lapis lyncis. Lyncuriũ.

Vnguentum * [1] *aluum soluens. Eiusdem.* XII. *Laxatiuum.

ALuum soluit, ad stillicidiũ & difficultatẽ vrinæ, ac calculosos vtile. Accipit succi [2] *bryoniæ, succi scillæ, succi cyclamini, succi radicis* [3] *tithymali, succi radicis ebuli, succi corticis radicis sambuci,* [4] *lactucæ, tithymali parui, succi chamæmeli, a. ℥. 1. Violarũ, succi cucumeris syluestris, mercurialis, polypodij, succi, laureolæ succi,* [5] *capilli Veneris,* [6] *lathyridis,* [7] *elaterij, a ℥. 1. Dacrydij ℥. dim. & ʒ. 1. Nucis* [8] *Indicæ, euphorbij, a. ℥. dim. Succos & herbas probe tritas in olei lib. 1. & dim. inijce, & illic dieb. 7. Octauo autẽ die eo vsque coquãtur, donec succi absumantur. Dein adijce ceræ albæ, lib. dim. Fellis taurini, vnc. vnam. Postremo trita in puluerem inijce, & irrigata atque subacta in vase recondе.*

ANNOTATIONES.

E 1 *Aluum soluens.*) Vel vt hodie nominant, Laxatiuum. Actuarius lib. quinto methodi ἐπιμάγματα eius generis medicamenta vocat. Nam illitum ventri imo, ac pubi, aluum deiicit. Stomacho autem inunctũ vomitionem mouet. Non fuit nobis prætereundum hoc vnguentum, quod in Latinis codicibus sit mirifice deprauatum, & quod eius vsus in iis, qui adeo delicati sunt, vt purgantia medicamenta bibere auersentur, necessarius sit, & quod ex facile parabilibus constet. Iisdem fere rebus quibus vnguentum de Arthanita siue e Cyclamino maius Mesues constat, ideoque Hydropicis admodum vtile exsistit. Vermes etiam necat, & educit, lienemque efficaciter minuit. Miscetur quoque huius vnguenti exigua portio magno profectu infusis apoplecticorum.

2 *Bryoniæ.*) Latinus codex habet, Cucurbitæ agrestis: quo sane nomine hodie Latinis non appellatur. quid igitur hac appellatione veniret, pauci Pharmacopœi intellexerunt. Germani quidem Caninam cucurbitam nominant, Hundskürbs: ad quam forte appellationem recentiores respexerunt. Bryoniæ.

F 3 *Tithymali.*) Maioris scilicet, quia paulo post minoris faciet mentionẽ. Nostri Esulam maiorem vocant. Codex Latinus mendose Anabulæ legit. est enim vox ex Tithymalo corrupta, vt omnibus patet. Tithymalis.

4 *Lactucæ.*) In Latino codice falso legitur, Lacti. Lactucam autem aluum mollire, non tantum Dioscorides, sed & Martialis iis versiculis testatur: Lactuca.

Prima tibi dabitur ventri lactuca mouendo Vtilis.

ad Chamæmeli.) Locum illum in Nicolao deprauatum esse mihi suspicio est. Nam pro Chamæmeli, legendum esse videtur Chamæleæ. Quod ex vnguento de Arthanita fit manifestum, cuius compositionem Mezereon, quod non est nisi Chamælea, ingreditur. Nisi quis Chamæmelum, calculosorum ratione inditum esse huic compositioni putet.

Capillus Veneris.

5 *Capilli Veneris.*) Manuscriptus Nicolai codex, quo nos in eo conuertendo auctore vsi sumus deprauate legit, κάπιλι βέρβεεις, pro κάπιλλι βένεεις, sæpe enim Græcis literis Latinas exarare voces solet Nicolaus. Ceterum Capillus Veneris, siue Adiantum, hic non iniicitur vt aluum molliat. Nam, Dioscoride auctore, illam potius sistit: sed vt, eodem & Galeno testibus calculos frangat. A

Lathyris.

6 *Lathyridis.*) Cataputia minor hodie appellatur Lathyris.

Elaterium

7 *Elaterii.*) Elaterium medicamentum est e fructu Cucumeris syluestris factum. Quare paulo ante per Cucumeris syluestris succum, eum qui foliis eius exprimitur, intellexit. Et hic locus confirmare videtur supra in vnguentis agrippæ, & Aregon vocatis pro radice syluestris maluæ, legendum esse syluestris cucumeris.

Nux Indica.

8 *Nucis Indicæ.*) Latinus codex habet, Nucis vomicæ: & statim interpretationem subiicit, id est, Castaneolæ Indicæ: vt inde palam fiat, Nicolaum hic, non de vomica nominata nuce, quæ magis per vomitum, vt appellatio eius ostendit, quam per aluum educit excrementa corporis: sed de Indica loqui, vtpote quæ duplici nomine confert, & quia mouet aluum, & vesicæ lapidi exterendo conducat. B

Vnguentum album. Eiusdem. XIII.

AD mala cutis a salsa pituita orta, pustularumq; eruptiones, confert, & pruritus carnis mitigat. Recipit cerussæ, vnc. vnam. Lithargyri, vnc. dimid. Thuris, drach. vnam, & dimid. Mastiches, drachm. dimidiam. Contusa omnia simul fricantur cum rosaceo oleo, donec ad succi crassitudinem redigantur. Dein adiicitur lac muliebre, & stillatitius rosarum liquor purus: & iusto tempore conquassantur, vt succi crassitiem nanciscantur: dein reponuntur in vase.

ANNOTATIO.

Hoc vnguentum haud dubie ad sanandum pruritum e salsa pituita ortum, est accommodatissimum. Quare in vsum esse reuocandum censeo. C

Vnguentum album. Rhazes. XIV.

IDem, non tamen tanta efficacia, præstat. Habet cerussæ in stillatitio rosarum liquore lotæ, vnc. 2. Ceræ albæ, vnc. vnam. Olei rosacei, vnc. quatuor. Fiat vnguentum. Liquefacta cera cum oleo lento igne remouetur semper agitando: quumq; refrixerit, cerussa tenuissime trita adiicitur, probeq; agitatum vnguentum fit.

ANNOTATIO.

Dicitur hodie etiam vnguentum cerussæ crudum: aut si coctum fuerit, emplastrum de cerussa. Nonnulli hodie alia ratione vnguentum album conficiunt. Siquidem alii adiiciunt albumina ouorum, alii lithargyrum, alii caphuram: pro qua tamen ego substituendum esse succum semperuiui, ob caussam iam sæpe dictam, puto. Exempla aliqua subiiciemus, quibus si qui volent, vti possunt.

Vnguentum album commune. XV. D

ADuersus vlcera, scabiem, & adustionem valet. Capit cerussæ, vncias tres. Olei rosacei, lib. dimidiam. Ceræ albæ, vnc. duas. Alba ouorum numero duo. Stillatitij rosarum liquoris, vnc. sex. Bene subactis omnibus, fiat vnguentum.

*Vnguentum album cum *Lithargyro.* XVI.

*Quod reliquis magis siccat.

ACcipit cerussæ, vnc. octo. Lithargyri, vnc. vnam, & dimidiam. Olei rosacei, stillatitij rosarum liquoris, ana libram dimidiam. Alba ouorum numero sex. Subactis omnibus, fit vnguentum.

Vnguentum album cum [1] sedo. XVII.

REcipit olei rosacei, vnc. tres. Ceræ albæ, vnc. vnam. Cerussæ, vnc. vnam, & dimidiam. Succi semperuiui, drach. duas. Alba ouorum duo. fit vnguentum.

ANNOTATIO.

1 *Cum sedo.*) Seu semperuiuo. Alii, cum Caphura, seu Caphuratum nominant. Nos autem Caphura, vt medicamento frigido, non esse vtendum putamus. Alii variant pondera in hunc modum. Recipiunt olei rosacei, lib. vnam. Ceræ albæ, vnc. tres. Cerussæ, vnc. duodecim. Alba ouorum numero sex. Succi semperuiui, drach. duas, & dimidiam. E

*Vnguentum * e Pompholyge. Nicolai Alexandrini.* XIIX.

*Thuria. Danda vero opera vt nō Cadmia, sed vera Pōpholyx indatur, quæ e fornacib. facile haberi potest quēadmodū li. 9. de simpl. medic. fac. copio e diximus.

AD exsiccanda erysipelata, vulnera sordida, & ad sanāda vlcera tibiarum valet, aliarumq; partium vlcera caua implet, & ad cicatricem ducit, ac refrigerat. Habet olei rosacei, ceræ albæ, ana vnc. sex. Succi fructus solani satiui, vnc. quatuor. Cerussæ, vnc. duas. Plumbi vsti & loti, Pompholygis, ana vnc. vnam. Thuris puri, vnc. dimid. Oleum cum Solani succo coquitur, ad succi consumtionem. tunc adijcitur cera: qua liquata, reliquorum puluis tenuissimus admiscetur, & in mortario subacta, ad vnguenti formam rediguntur.

ANNOTATIO. F

Summa fiducia vsurpari debet, quod nulli veterum compositioni cedat. Variant etiam nonnulli pondera in hoc describendo vnguento. Galenus lib. 2. ad Glauco. medicamentum ex Pompholyge & Solani succo cancro exulcerato adhibet.

Vnguentum album infrigidans, siue [1] Galeni. XIX.

CApit olei rosacei, lib. vnam, & dimid. Ceræ albæ, vnc. sex. Liquefiant omnia simul, dein cum aqua frigidissima, vel stillatitio rosarum liquore multoties lauentur, quoad albescant.

ANNOTATIO.

A 1 Hoc quidem hodie alio nomine Galeni infrigidans ceratum nominatur, quod infra etiam describemus inter cerata. Confert autem illud quoq; sub vnguenti forma in officinis prostare. Quare vero sic dictum sit, & quæ eius sint facultates, ibidem docebimus.

Vnguentum [1] comitissæ. Guilielmi Varignanæ. XX.

Abortum prohibet, hæmorrhoides sistit, ac laxatos roborat renes. Recipit membranæ castanearum inter carnem & corticem mediæ, membranæ glandium inter carnem & corticem mediæ, membranæ quercus inter lignum & corticem mediæ, baccarum myrti, caudæ equinæ, gallarum, corticum fabarum, acinorum vuarum, sorborum immaturorum siccorum mespilorum immaturorum exsiccatorum, foliorum pruni syluestris, radicum [2] glaucij, ana vnc. vnam, & dimidiam. Contusa leuiter coquuntur in stillatitij plantaginis liquoris lib. octo, quoad dimidia pars consumta fuerit. deinde colantur, & in colatura lauantur nouem vicibus, semper aliquid de eo quod colatum est affun-
B *dendo, ceræ nouæ, vnc. octo. Oleorum myrtini, mastichini, ana lib. vnam, & dimidiam. Postea inspergitur sequentium rerum tenuissimus puluis, nempe membranæ castanearum inter carnem & corticem mediæ, membranæ glandium eiusdem, membranæ quercus inter lignum & corticem mediæ gallarum, ana vnc. vnam. Cineris ossium cruris bubuli, baccarum myrti, acinorum vuarum, sorborum siccorum, ana vnc. dimidiam. Pastillorum e succino, vnc. duas. Fingatur vnguentum.*

ANNOTATIONES.

1 *Comitissæ.*) Sumtum est hoc vnguentum ex Varignana lib. 16. de curandis morbis ad menstruorum suppressionem, & abortum prohibendum, quo in nobili quadam comite, quæ iam abortus periculum senserat, & vteri magna imbecillitate conflictabatur, prospere vsus est. Ex meris enim adstringentibus compositum, locos muliebres firmat, vterum roborat, & renes laxatos constringit, si eo inungantur. Hæ-
C morrhoides immodice promanantes sistit.

2 *Glaucii.*) Codices omnes, quos ipse viderim, habent Chelidonii. Tamen quum Chelidonium acrimonia multa præditum sit, adeoq; a ceteris omnibus quæ compositionem præsentem ingrediuntur, plurimum distet: non video quomodo inter ea locum habere possit. Iudico itaque Memithe scriptum fuisse, quam vocem imperitus quidam Chelidoniam est interpretatus, quum Glaucium significaret. Mea igitur sententia Chelidonium ex hoc vnguento prorsus tollendum erit: & pro eo Glaucium, aut radix Bistortæ vel Tormentillæ, supponenda.

Vnguentum potabile. XXI.

*Datur ijs, qui ex alto ciderunt: glutinat enim vulnera. Habet butyri recentis, salis expertis, lib. tres. Rubeæ tinctorum, castorij, * floris maris, radicis tormentillæ, ana vnc. vnam. Bulliant* *Spermaceti.
D *simul in vino odoro, ad eius consumtionem, ac formetur vnguentum.*

Vnguentum rosatum. Ioannis Damasceni. XXII.

Phlegmonas, erysipelata, herpetas sedat: capitis dolorem a calore ortum, ventriculi ac iecoris intemperiem calidam mitigat. Sic fit. Axungia porci probe lauatur nouies aqua calente, & toties frigida: deinde teritur cum ea portio æqualis rosarum rubrarum recentium, quæ marcescant cum ea dies septem: coquuntur, fundũturue igni lento, & colantur. rursus tantundem rosarum rubearũ recentium cum ea tere, quæ dies etiam septem cum ea marcescant: funduntur, vt prius, & colantur. Tunc affunditur succi rosarum dimidium, olei amygdalarum dulcium pars sexta. Coquuntur igni lento, ad succi consumtionem & reponuntur. Si inter coquendum inijcitur parum opij in stillatitio rosarum liquore soluti, valentius fit.

E *Vnguentum Basilicum magnum. Eiusdem.* XXIII.

Vlcera phlegmone carentia, præsertim partium neruosarum, tergit, carneq; implet. Capit ceræ albæ, resinæ pini, seui vaccini, picis naualis, terebinthinæ, thuris, myrrhæ, partes æquales. Olei quod satis est. In alio, Ceræ, vnc. sex. Picis, vnc. tres. Aliorum, ana vnc. vnam, & dimidiam.

Vnguentum Basilicum minus. Eiusdem. XXIV.

Accipit resinæ, picis, ceræ, ana. Olei, quantum sufficit. Cera in oleo liquatur, pix & resina trita inijciuntur, quibus liquatis igni auferuntur.

ANNOTATIO.

Hæc duo vnguenta conformia sunt Basilico tetrapharmaco veterum, quod inde appellatum est a mira efficacia Regale, & quod ex quatuor constet medicamentis. Pauli in septimo, recipit ceram, resinam, colophoniam, picem, adipem taurinũ, æqualia. Galenus solius resinæ meminit, non addita colophonia. Basilicum tetrapharmacum.
F Celsus taurinum aut vitulinum adipem memorat: cuius loco filius Mesue, & alij, oleum miscent. Crebro fit eius tetrapharmaci apud Galenum mentio, ideo nobis non prætereundum fuit. Calefacit, humectat, phlegmonis dolorem mitigat, ac pus (Galeno lib. 4. 5. & 13. The. metho, teste) mouet. Cum eo idem est Macedonicum, solo thure (quod præterea æquale recipit) diuersum. Magis itaq; ad maius Basilicum accedit, in quod ichthyocolla, vt pleriq; faciunt, non inserenda: sed, vt nos fecimus, terebinthina. Macedonicum.

Vnguentum pectorale. Nostrum. XXV. A

Dolores thoracis mitigat, tussim sedat, exscreationem iuuat, & crassitiem humorum attenuat. Recipit oleorum amygdalarum dulcium, chamæmelini, violacei, ana unc. vnam, & dimid. Butyri recentis, in stillatitio violarum liquore loti, vnc. tres. Adipis gallinæ, anseris, ana drachmas duas. Mucaginis seminis lini, fœnigraci, ana drach. vnam & dimidiam. Radicum ari & iridis, tenuissime tritarum, ana drach. vnam. Croci, drach. dimidiam. Ceræ albæ, quod satis est: fingatur vnguentũ.

ANNOTATIO.

Varia est & multiplex vnguenti pectoralis vocati formula, cuius pro re nata parata. Nobilis tamen visa est hæc omnium esse optima, quod omnia quæ ad educendos e thorace crassos humores sunt necessaria in se complectatur. Vt hoc nomine in officinis suis paratam habere debeant Pharmacopœi.

Vnguentum aduersus scabiem. Nostrum. XXVI. B

Habet terebinthinæ in stillatitio rosarum liquore lotæ, vnc. duas. Succi auranciorum duorum. Vitellos ouorum numero duos. Butyri recentis, salis expertis, vnc. vnam. Olei rosacei, vnc. dimidiam. Commixtis omnibus, fiat vnguentum.

Vnguentum aduersus scabiem. Aliud. XXVII.

Capit terebinthinæ in aqua rosacea lotæ, vnc. tres, & dimidiam. Axungiæ porcinæ, ana vnc. vnam, & dimidiam. Salis gemmæ, drach. duas. Sulphuris viui, drach. tres. Aluminis vsti, plumbi vsti, ana drach. duas. Cerussæ, thuris, ana drach. vnam, & dimidiam. Lythargyri, drachm. tres. Ceræ albæ, quod satis est: formeturq; vnguentum.

ANNOTATIO.

Hæc quidem duo vnguenta tutiora multo sunt iis quæ hydrargyron habent, cuiusmodi multa sunt pro vario officinarum numero diuersa. C

Vnguentum aduersus lumbricos. XXIIX.

Accipit oleorum ex absinthio, amygdalarum amararum, ana vnc. vnam, & dimidiam. Succi foliorum persicæ, vnc. vnam. Farinæ lupinorum, cornu ceruini vsti, menthæ, gentianæ, centaurii minoris, ana vnc. dimidiam. Abrotani, matricariæ, ana drach. duas. Aloes hepaticæ, drach. tres. Fellis taurini, drach. vnam, & dimidiam. Ceræ, quod satis est: fiat vnguentum, quo vmbilicus, & totus venter inungatur.

Vnguentum aduersus pediculos. XXIX.

Recipit seminis staphysagriæ, lupinorum, salis nitri, ana drach. tres. Ellebori albi, sulphuris viui abrotani, absinthii vulgaris, ana drachm. vnã, & dimidiã. Argenti viui exstincti, drach. duas. Auripigmenti, drach. vnam. Olei laurini, lini, ana vnc. tres, & dimidiam. Axungiæ porcinæ, vnc. duas. Aceti, drach. dimidiam. Fingatur vnguentum. Illitum pedunculos necat & exstirpat. D

Vnguentum ad scabiem. Nicolai Myrepsici. XXX.

Habet salis communis puri, vnc. vnam. Adipis suilli puri, drach. quinq;. Thuris puri, drach. duas, & dimidiam. Lithargyri, drach. tres. Succi plantaginis minoris, succi fumariæ, ana vnc. dimid. Olei laurini, vnc. tres. Ceræ, vnc. vnam. Oleum & adipem ad ignem adiecta cera liquantur, deinde cum succis bulliunt, quoad succi consumuntur, postea reliqua tenuissime trita iniiciuntur, & fingitur vnguentum.

ANNOTATIO.

Huius vnguenti ideo mentio a nobis facta est, quod nonnulli ipsum, præterito auctore Nicolao, referant: & pro lithargyro argentum viuum, cuius hic nullam mentionem fecit Nicolaus, substituunt. Vt igitur legitima eius in officinis exstaret compositio, non omittendum esse putauimus. Pari modo Enulati vocati vnguenti quidam compositionem anonymam afferunt, quæ itidem est inter Nicolai compositiones vnguentorum postrema, quam etiam hoc nomine subiiciemus. E

Enulatum vnguentũ.

* Enula.

*Vnguentum ex * Inula. Eiusdem.* XXXI.

Itidem ad scabiem vtile est. Capit radicis inulæ bene lotæ, & cum aceto coctæ, & bene tusæ, lib. vnã. Axungiæ porcinæ, olei communis, ana vnc. tres. Ceræ nouæ, vnc. vnam. Argenti viui saliua hominis ieiuni exstincti, terebinthinæ lotæ, ana vnc. duas. Salis communis bene triti, vnc. dimid. Cera in oleo liquatur, deinde axungia post additur inula: dein argentum viuum & sal, postremo terebinthina, & fit vngentum.

ANNOTATIO.

Nicolaus ex tribus tantum, nempe radice Inulæ, adipe suillo, & argento viuo componit hoc vnguentum: reliqua igitur omnia a posterioribus sunt adiecta, qui non nisi ex multis simplicibus compositis medicamentis delectantur. Sunt tamen qui argenti viui loco, salubriore consilio, sulphur addunt. F

* Defensiuum, Barb.

*Vnguentum * Reprimens.* XXXII.

Accipit boli armeny, vnc. vnam. Terræ lemniæ, vnc. dimidiam. Sanguinis draconis, ʒ.3. Olei rosacei, vnc. duas. Aceti, drach. sex. Ceræ, ʒ. tres. Commixtis omnibus fiat vnguentum.

ANNO-

ANNOTATIO.

A * *Reprimens.*) Defensiuum recentiores nominant, quod illitum partibus eas tueatur ac prohibeat ne aliquid ad ipsas confluat. Reprimendo enim fluxum ne quid ad illas decurrat, inhibet.

Vnguentum[1] *exsiccatorium.* XXXIII.

Recipit lapidis calaminaris vocati, terræ Lemniæ, ana vnc. quat. Lithargyri auri, cerussæ, ana vnc. tres. Succi * *semperuiui, drach. duas. Ceræ, vnc. quinq. Olei rosacei ex omphacino oleo facti,* † *vnc. duodecim. Formetur vnguentum. Lithargyros cum oleis aliquandiu ad ignem nutritur, cera dein liquatur, reliquorum puluis tenuissimus additur.*

*Caphura eiecimus. † Oleum violaceũ sublatum.

ANNOTATIO.

1 Alio nomine vocatur desiccatiuum rubrum. Efficax est ad scabiem humidam ex pituita putri & salsa: eam enim exsiccat, & pruritum compescit.

B *Vnguentum* * *Reficiens.* XXXIV.

Extenuatos supra modum, & exsiccatos reficit ac recreat. Hecticis ob id, & cibum non sentientibus vtile. Thoracem quoq; dilatat, ideoq; asthmaticis & suspiriosis conducit. Habet olei violacei, vnc. sex. Butyri recentis salis expertis, vncias quatuor. Axungiæ suillæ recentis salis expertis, gallinaceæ, anseris, anatis, ana vnc. duas. † *Oesypi, vnc. dimidiam. Mucaginis tragacanthæ, seminis cotoneorum, lini, & altheæ, mucaginis gummi Arabici, ana vnc. vnam. Ceræ albæ, vnc. quinque. Commixtis omnibus formatur vnguentum.*

*Resumtiuum Barb.

† Hyssopi humidi Barb.

Vnguentum * *tripharmacum. Ioannis Damasceni.* XXXV.

Prodest scabiei, & [1] *cutis vlceribus. Capit lithargyri tenuissime triti, vnc. tres. Aceti, vnc. vnã. & dimidiam. Olei rosacei,* † *quod satis est. Teruntur in mortario plumbeo sine cera.*

*Nutritũ, Barb, & de lithargyro nutrito. † alii, lib. dimidiam.

C ANNOTATIO.

1 *Cutis vlceribus.*) Prurituũ & desquamata iuuat, siccat sine morsu, carnem creat, & cicatrice inducit, cruentaq; glutinat. Lithargyros namq; vino aut aceto tritus & siccatus vulneribus medetur, quæ ob humiditatem vix cicatrice clauduntur. Galenus lib. 1. de compos. medic. general. capitibus 6. 7. 8. & 9. lithargyrum vino & oleo, aceto & oleo, item aqua & oleo temperat in mollioribus naturis, paratque emplastrum ex lythargyri parte vna, olei & aceti duplo maiore portione. Coquit omnia, donec omnino cõbibitum fuerit oleum, acetum vero exspirasse videatur, nec iam inquinet, & nigro splendeat. Oleum autem accipit vetus, quod multo magis exsiccat, acetum acerrimum pellucidum, vinum non aquosum. A tripharmaco hoc Mesues alia re non differt, quam quod plus habet aceti & olei. A nutrito autem, quod in illa cruda est materia, vnde non ita siccat. Potentissime Galeni emplastrum siccat, vlcera curatu difficilia sanat, fistulas quæ nondum callum contraxerunt, eoq; parotidas iudicatorias quibus iam fistula successit, in pueris sanauit.

D *Vnguentum* * *cyclamini maius. Eiusdem.* XXXVI.

Illitum stomacho, vomitu purgat: hypogastrio autem inunctum, aluum deijcit: ob id hydropicos mire iuuat, serosum excrementum large vacuando. Vermes quoq; necat & educit. Adhibetur ijs, qui purgans medicamentum sumere nequeunt. Accipit succi cyclamini, lib. tres. Succi cucumeris syluestris, lib. vnam. Olei irini, lib. duas. Butyri vaccini, lib. vnam. Pulpæ colocynthidis, vnc. tres. * *Polypodij, vnc. sex. Euphorbij, vnc. dimidiam. Arida hæc tria teruntur, & macerantur in succis & oleo, vase in vitreo angusti oris bene obstructo, diebus octo. Postea nono die lento igne coquuntur, & colantur. Colato adduntur sagapeni, aur. quinq. Myrrhæ, aur. duo. Prius autem hæc duo in aceto, quod satis est, dissoluuntur. Coquuntur iterum, quoad succi absumantur. Dein adde ceræ, vnc. quinque. Fellis taurini, aur. quinque. Ferueſiunt simul, donec cera liquatur. Tunc inspergitur paulatim puluis sequens: nempe Scammonij, aloes, mezerei, colocynthidos, turpeti, ana aur. quinq. Euphorbij, aur. duo. Salis gemmæ, aur. tres. Piperis longi, zingiberis, chamæmeli, ana aur. duo. Commixtis omnibus fiat vnguentum.*

*Arthanitæ.

*alias quatuor.

E

Vnguentum cyclamini minus. Eiusdem. XXXVII.

Lienis tumores etiam scirrhosos dissoluit, & strumas discutit. Recipit succi cyclamini succi glutinosi e radice filicis expressi, succi ebuli, ana vncias nouem. Succi summitatum tamaricis, vncias duas. Olei irini, lib. duas. Oesypi, drach. quinq. Hammoniaci, bdellij, ana drachm. vnam, & dimidiam. Aceti, quod satis ad gummi vtriusq; dissolutionem. Ceræ flauæ, vnc. sex. Corticum radicum capparis, vnc. vnam, & dimidiam. Spicæ nardi, vnc. dimidiam. Formatur vnguentum.

F ANNOTATIO.

Si cyclamini radices recentes haberi non possunt, tunc sumendæ radicum aridarum lib. sex, & contusæ coquendæ sunt in aqua, succusq; vt ex Glycyrrhiza, eliciendus.

Vnguentum ex alabastro. Incerti auctoris. XXXIIX. A

Capitis, & oculorum potissimum morbis, fronti, & temporibus illitum, item podagricis & articulorum doloribus confert. Habet olei rosacei, lib. vnam. Vini albi clarissimi, lib. duas. Florum chamæmeli recentium, vnc. quatuor. Rutæ viridis, cymarum rubi, ana manipul. vnum. Foliorum fœniculi, viridis vnc. duas. Bulliant lentum ad ignem donec vinum absumatur; dein coletur, & adijciantur ceræ liquatæ, vnc. tres. Postremo vbi ab igne remota fuerint, adduntur alabastri exactissime triti vnciæ sex. Albumina ouorum numero duo, & commistis omnibus fiat vnguentum.

DE EMPLASTRIS, SECTIO XVI.

Emplastrum [1] *diachylon simplex. Ioannis Damasceni.* I.

Pollet aduersus duritiem iecoris, lienis, ventriculi, & aliarum partium. Strumas quoq; discutit. Habet mucaginis seminis fœnigræci, seminis lini, & radicum altheæ, ana lib. vnam. Lithargyri purgati plumbo & scoria, tenuissime triti, libr. vnam, & dimidiam. Olei veteris clari, libr. tres. B *Lithargyrum & oleum diu & multum in mortario* [2] *lapideo, pistillo ferreo subiguntur & miscentur. Post igni lento coquuntur spatha rudiculaue semper agitando, donec liquetur lithargyrum & crassescat. Tunc ab igne amouetur, & paulatim frigescit. Interim mucagines parum ferue fiunt: ac posteaquam per se coctæ fuerunt, paulatim lithargyro & oleo pistillo ligneo permiscentur. Postremo omnia simul ad iustam crassitiem percoquuntur. Valentius resoluit & maturat, si addatur* [3] *puluis iridis. Magis item erit anodynon, si mucago seminis meliloti accesserit. Præstantius quoq; fiet, si loco olei communis irinum, & chamæmelinum acceperit.*

ANNOTATIONES.

1 *Dia chylon.*) Appellatur hoc emplastrum a lentis succis, siue mucaginibus. Barbari Medici, hodie facientes Medicinam, Diaquilon, non sine eruditorum risu, nominant. Alio nomine Diachylin simplex & commune, & album dicitur, propter lithargyrum & oleum aqua communi vel salsa diligenter lota. Albedinem vero ei addit sal paucus initio extrahendæ mucaginis admixtus, pauca seminis fœnigræci copia, & coctio mediocris. Vtriusq; namq; immoderatus modus, flauum emplastrum facit. C

2 *Lapideo.*) Si fieri potest, in mortario e durissimo lapide constructo subigantur. Hodie æreo maxime Pharmacopœi vtuntur. Exemplo autem huius Emplastri, in aliis quoq; metallica prius oleo, vino, aceto, aut alio quodam liquore citra ignem nutriuntur, & in pila rudicula vel pistillo continenter mota crassescunt.

3 *Puluis iridis.*) Vnciam scilicet vnam in singulas libras. Sed tunc adiiciendum cum illo puluere aliquod oleum.

Emplastrum dia chylon compositum. Incerti auctoris. II.

Phlegmonas ad suppurationem ducit, duritias emollit, & discutit. pusq; e rupta phlegmone abstergit. D *Accipit mucaginis radicum altheæ, seminis lini, mucaginis membranæ inter corticem & lignum vlmi mediæ, mucaginis fœnigræci, ana vnc. quatuor. Oleorum chamæmelini, liliacei, anethini, ana vnc. vnã. Ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni, ana vnc. dimidiam. Ceræ nouæ, vnc. viginti. Croci, ʒ. duas. Terebinthinæ, vnc. duas. Gummi in vino optimo dissolutis, fiat emplastrum.*

Emplastrum dia Chylon magnum. Ioannis Damasceni. III.

*Scirrhos emollit, & discutit. Recipit lithargyri puri, triti, & creti, lib. vnam. Olei irini, anethini, chamæmelini, ana vncias octo. Mucaginis seminis lini, & fœnigræci, & ficuum pinguium, & vuarum passarum, succi iridis, & scillæ, œsypi, * ichthyocollæ, ana drachm. duodecim, & dimidiam. Terebinthinæ, vnc. tres. Resinæ pini, ceræ flauæ, ana vncias duas. Formetur vt Diachylon simplex, siue commune.* E

* Glutinis pisciũ, vulgo hausen blasen. Nõ est nisi venter piscis cetacei, Dioscoride auctore. Is pisci; Ichthyocolla quoq; dicitur. Ex huius piscis corio quod glutinosũ est, & ex carne eiusdẽ viscida admodũ & tenaci, & ex intestino siue mẽbrana interna lõga glutinũ efficitur.

ANNOTATIO.

Huic emplastro si accesserit bdellii, sagapeni, ammoniaci, galbani, singulorum vncia vna, Diachylon gummatum vulgo vocatur, aut nigrum. Hoc inflammata & dura sedando, molliendo, ac discutiendo magis est efficax, ideoq; magnum dicitur.

Emplastrum dia chylon paruum. Eiusdem. IV.

Tumores [1] *calidos discutit & maturat. Habet lithargyri, vnc. sex. Olei veteris clari, lib. vnam. Mucaginis psyllij, vnc. quatuor. Mucaginis seminis hyoscyami, vnc. vnam, & dimidiam. Mucaginis seminis lini, & radicis altheæ, ana vnc. duas. Fiat vt primum.*

ANNOTATIO. F

1 *Tumores calidos.*) Præcipue phlegmones duras. Efficacissimumq; est ad mulcendam intemperiem calidam psyllii & hyoscyami ratione. Item ad siccandum & discutiendum lithargyri nomine & aliorum quorundam.

Empla-

A
Emplastrum e mucaginibus. Interti auctoris. V.

EMollit duritias omnes. Capit mucaginis seminis lini, althea, fœnigraci, membranæ inter corticem & lignum vlmi media, ana vnc. quatuor, & dimidiam. Oleorum liliacei, chamamelini, anethini, ana vnc. vnam, & dimidiam. Ammoniaci, galbani, opopanacis, sagapeni, ana vnc. dimidiam. Croci, drach. duas. Terebinthinæ, vnc. duas. Ceræ nouæ, vnc. viginti. Fiat[1] emplastrum. Nonnullis Diachylon compositum dicitur.

ANNOTATIO.

1 *Fiat emplastrum.*) Mucagines enim ipsæ, cortice vlmi inter corticem & lignum medio bene prius contuso, oleis antea residentia purgatis, vel linteo sine expressione colatis in coquendo consumantur. Quibus adhuc calentibus, cera minutim secta immittatur, & gummi aceto, vel chamæmeli & meliloti
B decocto soluta, & linteo colata oleo & ceræ calidis commisceantur. Crocus tritus marmori aspergitur, & manibus magdalias ducendo permiscetur.

Emplastrum dia chylon. Nicolai Myrepsici. VI.

AD omnem phlegmonem ob duritiem factam confert. Dolores demolitur. Proprie vero podagricis, & arthriticis succurrit. Accipit farinæ fœnigraci, seminis lini, ptisanæ, ana lib. dimidiam. Succi lenti radicis althee, visci, lithargyri, ana lib. vnam. Ceræ, lib. dimidiam. Olei communis, lib. vnam & dimidiam. Coquuntur oleum, lithargyrum, & succus ebisci, donec non inquinent, manusue contaminent, dein reliqua adijciuntur.

Emplastrum e baccis lauri. Ioannis Damasceni. VII.

*VEntriculi, intestinorum, iecoris, renum, vesicæ, vteri, & partium aliarum dolorem a flatib. aut
C frigida intemperie ortum,[1] placat. Recipit thuris, mastiches, myrrhæ, ana vnc. vnam. Baccarũ lauri, vnc. duas. Cyperi, costi, ana vnc. dimidiam. Mellis[2] colati, quantum ad ea comprehendenda sufficit. Si autem cyperi vnc. vnam & dimid. & stercus capræ aut vaccæ siccum pondere omnium adijcias, ad hydropem fit mirabile.*

ANNOTATIONES.

1 *Placat.*) Præcipue vero in colico dolore a a flatibus & pituita calidum ventri salubriter adhibetur, aut infuso supponitur, ad vnciam aut sesquunciam cum eorum quæ flatus dissipant, & tensionem remittunt decocto. Vsurpatur etiam in ascite & tympanite ventri extensum, vbi stercora sicca, caprinum nimirum aut columbinum, receperit: tuncq; mel largiore copia affundendum est, quantum scilicet omnibus excipiendis suffecerit, quod vtrobique calidum & liquat ũ m potius quam colatum esse debet, ne emplastrum æquo durius euadat.

D
2 *Colati.*) Alias calidi, id est, liquati. Ipsum vero largius addendum est, si stercora miscentur, quantum scilicet omnibus excipiendis satis erit.

Emplastrum e baccis lauri. Incerti auctoris. IIX.

IDem quod præcedens potest. Habet foliorum rutæ aridorum, drach. decem. Seminis ammeos, cari, dauci, nigellæ, cumini, libystici, origani, fœniculi, baccarum lauri, piperis nigri & longi, amygdalarum amararum, acori radicis, castorij, ana drach. duas. Opopanacis, drach. tres. Sagapeni, drachmas quatuor. Hæc trita melle cocto pondere omnium excipiuntur.

Emplastrum ventriculum & iecur calefaciens ac roborans. Ioannis Damasceni. IX.

*CApit ligni aloes, absinthij, gummi arabici, mastiches, cyperi, costi, zingiberis, ana vnc. dimid. Calami odorati, thuris, aloes, ana drach. tres. Caryophyllorum, macis, nucis moschatæ, galliæ moschatæ, cinamomi, spicæ nardi, florum iunci odorati, ana drach. vnam, & dimidiam. Excipiuntur
E Miua aromatica. Vsus tempore, quum panno intenderis,[1] suffies ligno aloes.*

ANNOTATIO.

1 *Suffies.*) Quod hoc modo fit: Emplastro super panno extenso, lignum aloes minutatim incisum, carbonibus ignitis imponitur: & manibus apprehensum emplastrum sic tenetur, vt accensi ligni fumum in se recipiat, & calefactum tandem laboranti loco imponitur.

Emplastrum e meliloto. Eiusdem. X.

*MOllit duritiem omnem ventriculi, iecoris, lienis, viscerum, &[1] reliquarum. Accipit meliloti, vnc. sex. Florum chamæmeli, seminis fœnigraci, baccarum lauri, radicis altheæ, absinthij, ana drach. tres. Seminis apij, ammeos, cardamomi, cyperi, iridis, casiæ, spicæ nardi, ana drachm. vnam, & dimidiam. Sampsuchi, drach. tres. Ammoniaci, drach. decem. Styracis, bdellij, ana drachm. quin-
F que. Terebinthinæ, vnc. vnam, & dimidiam. Ficuum pinguium. numero duodecim. Seui caprini, resinæ, ana vnc. duas, & dimidiam. Ceræ, vnc. sex. Olei sampsuchini, & olei de spica, quod satis est. Aquæ cui melilotus, fœnumgræcum, & chamæmelum incocta sunt, quantum satis erit aliorum infusioni commiscentur, & secundum artem fit[2] Emplastrum.*

ANNOTATIONES.

A

1 *Reliquarum.*) Scilicet partium emolliendam, hypochondriorum tensionem laxandam, flatusque resoluendos. Vtimur eo igitur ad molliendum, attenuandum, discutiendum, & calefaciendum, estque anodynum.

2 *Fit emplastrum.*) Alii aliter componunt. A nonnullis seuum hircinum colatum, resina, & cera in oleis liquantur, ficus pingues aut parum humectatæ probe tritæ per cribrum setaceum, aut mantile stamineue cernuntur, & prædictis miscentur. Dein ammoniacum, bdellium in aceto: soluuntur & colantur. Acetum namq; essentiæ tenuitate promtius ista peruadit & dissoluit, aqua vero ægrius. postea terebinthina, postremo vbi omnia refrixerint, pulueres triti herbarum, radicum, florum, aromatum, & simul cum iis styrax per se diligenter tritus, admiscentur. Hæc ceteris, quas missas facimus, expeditior esse videtur; ideoq; hanc indicasse vnam, satis sit.

Emplastrum tripharmacum. Eiusdem. XI.

IDem quod vnguentum Tripharmacum potest. Recipit lithargyri subtilissime triti, aceti, ana lib. dimidiam. Olei veteris, lib. vnam Coquitur igne lento, ad crassitiem. B

Emplastrum[1] *oxycroceum. Nicolai Myrepsici.* XII.

AD ossa contusa, neruos, ac dolores, & ad omnem contusum locum idoneum. Habet Croci, Picis naualis, colophoniæ, ceræ, ana[2] *vncias duas. Terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, thuris, masticbes, ana vnciam dimidiam, drach. vnam, & dimidiam. Galbanum & ammoniacum conijciuntur in acetum, & in eo per noctem macerantur, postridie liquantur igni, colantur: iterum coquuntur ad aceti consumtionem tunc pix naualis liquata & colata inijcitur, dein cera: qua liquata, colophonia: dein terebinthina, post mastiche, myrrha, & thus, tenuissime trita, semper spathula mouendo. Cocta, vbi iam refrixerunt, funduntur super marmor oleo inunctum, & crocus in puluerem tritus inspergitur, ac subigitur, & fingitur massa.*

C

ANNOTATIONES.

Oxycroceum cur dictum?

1 *Oxycroceum.*) Sic dictum est ab aceto & croco, quæ huius compositionem ingrediuntur.

2 *Vncias duas.*) Pondera hæc plane habentur in Græco Nicolai codice, quæ retinenda esse duximus. Latina exemplaria geminant pondera, ideoq; hic habent vncias quatuor, & paulo post vnciam vnam, & drach. tres. Nihil autem refert, siue quis plus aut minus recipiat, modo proportionem legitimam seruet.

Cordus.

Cordus hæc quintuplo plus accipit pondere, nempe vncias duodecim. Tamen in altero pondere proportionem non seruat, propterea quod vncias quatuor sumat.

Emplastrum[1] *Apostolicum. Nicolai Myrepsici.* XIII.

*OMnes neruorum præcisiones & puncturas a ferro factas, a phlegmone arcet, cruentis vulneribus destinatum. Educit surculos, calamos, tela, & omnia venenata. Extrahit omnia aliena, in profundo corporis sita. Facit ad abscessus, carcinomata, phygetla, & ceruicis dolores: strumas perniciosa & maligna vlcera rumpit. Prodest ad duritiem lienis, influxiones articulorum, & defluxiones genuum. Valet ad eos qui a rabidis animantibus morsi sunt, & quæcunq; discutere oportet. Capit lithargyri, vnc. duas, drach. vnam, scrup. vnum. Ceræ, colophoniæ, ana vnc. vnam, scrupul. vnum. Ammoniaci, drach. duas. Galbani, myrrhæ, ana drach. vnam, scrup. vnum. Bdellij, drachm. duas. Resinæ pineæ, mastiches, ana drach. quatuor. * Mannæ, thuris, ana drach. 2. Aeruginis rasilis, drach. vnam, scrup. vnum. Opopanacis, aristolochiæ longæ, drach. vnam, scrup. vnum. Olei veteris, vnc. duas. Tritum lithargyrum, & per cribrum tenuissimum exscretum, coquitur cum oleo ad lentum ignem. Aerugo, postquam lithargyrum ad medietatem coctum est, inijcitur. Vbi ad iustam consistentiam coactum fuerit, adijcitur cera & colophonia: vbi ab igne summotum fuerit, inspergun-tur reliqua trita & cribrata. Opopanax autem, & galbanum vino dissoluta,*[2] *postremum adduntur.* D

* Thuris pollinis.

E

ANNOTATIONES.

Apostolicum cur dictum?

1 Hæc est Apostolici emplastri apud Nicolaum legitima compositio, quod sic propter suæ facultatis efficaciam dictum est: & vt Nicolaus adiicit, ob specierum numerum, qui duodecim apostolorum numerum æquat. Siquidem duodecim species, eius compositionem ingrediuntur, nempe 1 lithargyrum, 2 colophonia, 3 ammoniacum, 4 galbanum, 5 myrrha, 6 bdellium, 7 mastiche, 8 manna, 9 thus, 10 ærugo rasilis, 11 opopanax, 12 aristolochia. Quapropter hinc apparet, aliis compositionibus, quæ in Latinis habentur codicibus, multa accessisse, quæ numerum duodenarium plurimum excedunt, adeoq; apostolici nomenclaturam sibi parum recte vendicant. Quæ qualia, & quot sint, ex sequenti compositione, quam e Latino Nicolai codice descripsimus, quæq; hactenus in officinis Medicorū vsitatata fuit, cognoscetur.

2 *Postremum adduntur.*) Signum coctionis est, dum medicamenti pars aquæ frigidæ infusa duratur, nec digitos attactu inquinat. Ita percoctum in aquam frigidam infunditur, quæ dum refrixit, manibus exprimitur, & super marmor oleo laurino inunctum in magdalias efformatur. F

Empla-

Emplastrum Apostolicum Nicolai Alexandrini. XIV.

A *Accipit lithargyri, unc. sex. Ceræ rubeæ, colophoniæ, an. unc. duas. Propoleos, visci quercini, ana unc. unam. Ammoniaci, lapidis calaminaris, an. unc. sex. Masticbes, thuris, mumiæ, an. unc. dimidiam. Terebinthinæ, galbani, bdellii, myrrhæ, æris usti, sarcocollæ,*[1] *squamæ æris, dictamni, aristolochiæ rotundæ,*[2] *prassii viridis, opopanacis, an. drach. tres.*[3] *Olei, quod satis est. Lithargyrum in tenuissimum redactum puluerem in oleo coquatur, & cum spathula agitetur, donec fiat massa purpurea & non adhæreat manibus dum refrigerata tractatur. Ammoniacum, galbanum, & opopanax in vino per noctem macerentur, & postridie ad vini consumtionem coquantur. Postea cera liquefacta & colophonia, dein mastiche, thus, myrrha, bdellium, & alia trita in puluerem insperguntur, po-*
B *stremo autem dictamnus.*

ANNOTATIONES.

Huic compositioni nouem adduntur, quæ in Græcis, & merito quidem, modo nomen suum retinere velit, desiderantur, vt est 1. propolis, 2. viscum quercinum, 3. lapis calaminaris, 4. mumia, 5. æs vstum, 6. sarcocolla, 7. squama æris, 8. dictamnus, 9. prassium viride. Quapropter si legitimo Apostolico vti velint pharmacopœi, id quod e duodecim duntaxat constat speciebus, componant, nō id quod e pluribus concinnatur.

1 *Squama æris)* In latinis codicibus mendose legitur. Lapidis calcis. Error autem e Græcis parum recte scriptis promanauit. λέπις enim χάλκου scriptum fuisse videtur: quæ verba imperitus librarius in lapis calcis mutauit. Pari ratione calcecucamenon, deprauate pro χαλκῦ κεκαυμένου scriptum est in iisdem codi-
C cibus.

2 *Prassii viridis)* Per prassium autem viride hic non intelligenda erit, nisi ærugo, quam officinæ viri- Prassium viride.
de æris nominant.

3 *Olei, quod satis est.)* Magnopere enim videndum est, vt moderata olei copia nullum emplastro negotium facessat. Liberaliore namque modo appositum, magnum temporis interuallum ad cocturam expetit. Parcius vstionem facit, & priusquam cetera quæ liquefieri debent, apponantur, plus iusto coit emplastrum & adhæsum facit. Iustus est olei modus, si ad Lythargiri pondo, olei sesquipondo addas. Æs vstum quoque pro liberaliore aut parciore copia, emplastrum nigrum, aut rubrum reddit.

Emplastrum album[1] *coctum simplex. XV.*

Succurrit intertriginibus & cutis desquamationes auulsionesue, quacunque ex occasione factis. Recipit olei communis lib. duas Cerussæ, lib. unam, & dimidiam. Ceræ albæ, unc. quatuor. Co-
D *quuntur secundum artem, & fiat emplastrum.*

ANNOTATIO.

1 *(Coctum)* Quia sola coctura ab vnguento albo differt. Non secus vnguentum tripharmacum & tetrapharmacum cocturæ modo in emplastra transeunt. Dicitur alio nomine Emplastrum de cerussa.

Emplastrum album coctum, compositum. XVI.

Habet cerussæ, uncias viginti. Olei communis, uncias decem. Masticbes, unc. quatuor. Thuris, unc. sex. Terebinthinæ, unc. unam. Ceræ, uncias quatuor. fiat emplastrum.

Emplastrum[1] *ceroneum, Nicolai Alexandrini. XVII.*

Ad dolorem scapularum & thoracis a frigore ortum valet. Lienis duritiem remollit. Aquam inter cutem a frigida iecoris intemperie natam sanat, & uteri vitiis ex eadem caussa procrea-
E *tis prodest. Lumborum, pudendorum, vesicæ, & renum frigus vi sua calefaciente dissipat. Ossium fracturis, & luxatis commodat. In summa repellit, coquit, mollit, carnesque procreat. Capit picis naualis colatæ, ceræ, an. unc. duas, drach. tres. Sagapeni, unc. duas. Ammoniaci, terebinthinæ, colophoniæ, croci, an. unc. unam, drach. tres. Aloes, thuris, myrrhæ, an. unc. unam Opopanacis, styracis calamitæ, galbani, mastiches, aluminis, fænigraci, an. drach. sex. Styracis rubri, bdellii, an. drach. tres. Lithargyri, drach. unam, & dimidiam Sagapenum, ammoniacum, opopanax, & galbanum aliquantulum tusa vino tecta per noctem macerantur. Dein ad vini dimidii consumtionem coquuntur, tunc pix naualis bene colata admiscetur, & spathula mouetur quoad liquefiat. Hac liquata, cera additur: qua fusa, colophonia colata. postea styrax pistillo calido tritus frustatim imponitur: hinc mastiche, thus, myrrha, bdellium, trita ac creta aliquandiu post iniicitur terebinthina, alumen, lithargy-*
F *rum, fænumgræcum Percoctum, effunditur in aquam frigidam. Ab extracto, aqua omnis manibus exprimitur: dein cum puluere aloes super marmor oleo laurino unctum subigitur. Postremo cum croco in puluerem trito, manibus eodem oleo unctis, finguntur massæ.*

ANNOTATIO.

1 *(Ceroneum)* Forte Ceroma, a cera dictum est. Hoc emplastrum, vt sequentia aliquot, quæ ad Nicolaum auctorem referuntur, in Latinis duntaxat Nicolai Præpositi codicibus reperiuntur, quæ quum sint hodie vsitata in nonnullis officinis, prætereunda nobis esse non putaui.

Emplastrum de Ianua, Nicolai. XVIII.

A *Ccipit succorum apii, plantaginis, betonicæ, an. lib. unam. Ceræ, picis, resinæ, terebinthinæ, an. li. dimidiam. Formatur emplastrum hoc modo. In succis reliqua tria, nempe cera, pix, resina. lento igni coquuntur, & continenter mouentur ad succorum consumtionem: postremo terebinthina mista semel aut bis feruesit. Vtuntur eo Chirurgi in vlceribus & vulneribus sordidis detergendis & glutinandis.* A

Emplastrum Gratia Dei, Nicolai. XIX.

R *Ecipit terebinthinæ, lib. dimidiam. Resinæ, lib. vnam. Ceræ albæ, vncias quatuor. Masliches, vnciam vnam. Verbenæ, betonicæ, pimpinellæ, an. manipulum vnum. Herbæ tusæ ex vino albo valenti seu generoso coquuntur ad tertiæ partis vini consumtionem: colantur, herbarum substantia abiicitur. In colato, cera, resina,[1] mastiche coquuntur, ad iustam consistentiam. Auferuntur ab igne: additur terebinthina, spathula mouetur, & fit emplastrum.* B

ANNOTATIO.

1 *Mastiche)* Satius ex cera & resina in colato vini reliquo ad eius prope consumtionem percoctis mastichem addere, quod cocturam propter essentiæ tenuitatem vix sustineat, postremo terebinthinam, hæc semel feruefacere, auferre igni; & vbi refrixerint, fingere in offas cylindrales. Vsurpant illud Chirurgi in solidandis & glutinandis vlceribus & vulneribus sordidis repurgandis, inflammatis leniendis, duratis emolliendis, neruorumque præcisionibus.

Emplastrum[1] diuinum. Nicolai, XX.

H *Abet galbani, myrrhæ, an. vnciam vnam, drach. duas. Ammoniaci, vnc. tres. drach. tres. Opopanacis, masliches, aristolochiæ longæ, æruginis, an. vnc. vnam. Lithargyri, olei communis, an. lib. vnam, & dimidiam. Ceræ nouæ, vnc. octo. Thuris, vnc. vnam, drach. vnam. Bdellii, vnc. duas. Magnetis, vnc. tres. Lithargyrum in oleo diu maceratur & nutritur, postea ad spißitudinem[2] coquitur. Dein additur cera minutim concisa: qua liquata, aufertur ab igni: adiicitur galbanum, ammoniacum, opopanax, bdellium si molle est, in aceto vel vino dissoluta, & colata, & cocta: postea pulvis myrrhæ, bdellii. Si siccum est, masliches, thuris, aristolochiæ, magnetis. Postremo ærugo, ne si diu coquatur,[3] Emplastrum fiat rubeum.* C

ANNOTATIONES.

1 *Diuinum)* Hoc nomen a felicitatis successu, quem in glutinandis vulneribus habet, meruit. Siquidem Chirurgi eo non solum cruenta & recentia, verum etiam vetera ac diuturna, malignoque humorum vitio fluida vlcera celeriter repurgant, implent, ac mirifice veluti ope diuina glutinant. Neruorum præcisionibus, ruptis, conuulsis optime conuenit, surculos alto corporis infixos, & spicula euellit. Strumas & abscessus diuturnos disrumpit. D

2 *Coquitur)* Quæ ei ob olei paucitatem expedita est & facilis.

3 *Emplastrum rubeum fiat)* In permiscenda ærugine manus coloris habendus delectus est. Si enim gilvum aut luteum emplastrum cupis, semiustam æruginem imponere oportet, aut conueniente coctura color ille petendus est. Postremo loco imposita ærugo longiore coctione ruborem contrahit, eumq; præstantiorem, si eius drachmas duas vel quatuor, dum coqui cœperit lithargyrus, immittas: reliquas vero eius drachmas percocto fere medicamento addideris. Fuscum demum, nec ita coloratum emplastrum facit ærugo tota postremo loco permista, quæ medicamento adhuc valde calido, ne ob eius solidiorem duritiem ægrius permisceatur, indi debet.

Emplastrum[1] grisaum, Incerti auctoris. XXI. E

D *Esiccat, explet, vlcera, & iisdem cicatrices inducit. Capit lapidis calaminaris præparati, vnc. vnam. Lithargyri, vnc. duas. Cerussæ, vnc. dimidiam. Tuthiæ, drach. vnam. Terebinthinæ, dr. sex. Ceræ albæ vnc. vnam, & dimidiam. Seui ceruini, vnc. duas. Thuris selecti, drach. quinque. Masliches, drach. tres. Myrrhæ, drach. duas. Succi semperuiui, drach. vnam, & dimidiam. Formetur emplastrum, iuxta[2] artem.*

ANNOTATIONES.

1 *Grisaum)* Alio nomine emplastrum de lapide calaminari nominatur.

2 *Iuxta artem)* Lithargyros trita aliquantulum oleo nutriatur, agitetur, modice cocto cera liquetur, dein seuum ceruinum, quibus paulisper refrigeratis, addantur terebinthina, & succus semperuiui. Dein lento igni reddantur, & inspergantur pulueres. F

Emplastrum viride, Incerti auctoris. XXII.

A *Ccipit ceræ nouæ, resinæ, terebinthinæ, an. vnc. quatuor. Thuris, masliches, æruginis, ana drach. tres. Fiat emplastrum[1] secundum artem.*

ANNOTATIO.

1 *Secundum artem)* Ceræ liquatæ affunditur resina, dein terebinthina, pulueres postea insperguntur thuris & masliches, ærugo postremo apponitur. Sordida vlcera terget, purgat, & explet.

Empl. Basilicum magnum. XXIII.

Vlcera phlegmones expertia, partium maxime neruosarum, tergit, & carne implet. Recipit ceræ albæ, resinæ pineæ, seui vaccini, picis naualis, terebinthinæ, thuris, myrrhæ, an. vnc. vnam. Olei, quod satis est, fiat emplastrum.

Empl. e crusta panis, Montagnanæ. XXIV.

Confert ad vomitum puerorum, & iis qui cibum retinere nequeunt. Habet mastiches, menthæ, spodii, corallii rubri, santalorum rubrorum & alborum, an. drach. vnam. Crustæ panis tostæ, & in aceto per dimidiam horam maceratæ, vnc. duas. Olei mastichini, cidoniorum, an. vnc. vnam. Farinæ hordei, quantum sufficit, formetur emplastrum.

B *ANNOTATIO.*

Vulgare est, nec contemnendum remedium ad stomachi dissolutionem & ciborum reiectationẽ huic persimile, quod recipit offam panis vstulati, vino Cretico, aut aceto intinctam & imbutam, puluere mastiches, zingiberis, cinamomi, caryophyllorum, nucis moschatę, maceris asperſum, & ori ventriculi appositam.

Empl. ad bubones pestilentes. XXV.

Capit radicis dictamni albi, aristolochiæ vtriusque, an. vncias duas. Scordii, anagallidis vtriusq; coaguli leporis, fermenti an. vnciam vnam. Galbani, ammoniaci, sagapeni, asæ fœtidæ, myrrhæ, piperis, sinapi, an. drach. dimidiam. Ficuum pinguium, numero viginti vnum. Radicis iridis, stercoris columbini, an. vnc. vnam, & dimidiam. Axungiæ anatis, vnc. duas. Sulphuris, vnc. dimidiam. C *Gummi dissolutis in vino, reliqua cum melle & oleo veteri redigantur in emplastri consistentiam.*

DE CERATIS, SECTIO XVII.

Ceratum [1] liquidum, Galeni. I.

*Refrigerat, ideoque febribus ardentibus, erysipelatis, & phlegmonibus, maxime pudendorũ conuenit. Accipit ceræ albæ, & elotæ, vnc. vnam. Olei rosacei ex * omphacino facti, vnc. quatuor. Fiat ceratum in vase duplici: quod quum coiuit, & [2] refrigeratum est, multum diuque ex [3] aqua frigidissima, & postremo pauco aceto claro seu puro & albo subigitur.* * Credo citra salẽ.

ANNOTATIONES.

1 *Liquidum)* Hodie infrigidans Galeni & ceratum album nominatur. Describitur autem a Galeno D lib. 10. Ther. Methodi, cap. 9. & lib. 1. de Simpl. medicament. facul. cap. 6. & lib. 6. de Tuen. sanitate. Quare Mesuæ filius recte ad Galenum auctorem refert. Supra vnguentum quoque infrigidans Galeni descripsimus, quod nomen accepit, quia consistentia vnguento est finitimum. Infrigidãs Galeni.

2 *Refrigeratum est)* Mittendo scilicet vas, in quo ceratum est, in aquam frigidissimam, vt Galenus docet.

3 *Ex aqua frigidissima)* In mortarium paulatim affusa tanta, quantum in se, dum mollitur ac subigitur ceratum, accipere potest. Quod si aceti admodum tenuis & clari paululum addideris, vtique magis adhuc tum refrigerans, tum humectans medicamentum efficies.

Ceratum santalinum, Ioannis Damasceni. II.

Phlegmonas, & omnes intemperaturas calidas ventriculi, iecoris & aliarum partium potentissime E *exstinguit. Recipit rosarum, drach. duodecim. Santalorum rubrorum, drach. decem. Santali albi & flaui, an. drach. sex. Boli armeniacæ drach. septem. Spodii, drach. quatuor. Succi semperuiui, drach. duas. Ceræ albæ, drach. triginta. Olei rosacei, lib. vnam. Fingatur ceratum.*

ANNOTATIO.

In frequenti vsu est hoc ceratum hodie, sed Vnguenti santalini nomine. Paratur autem hoc modo. Cera cum oleo in duplici vase liquatur: dein vbi refrigeratum est & erasum, aqua frigida manibus aut rudicula diu agitatur, postea pulueres miscentur. Et accipiendum hoc loco erit spodium officinarum, id est, ebur vstum, siquidem Græcorum calidum admodum est, vt etiam Caphura; pro qua succum semperuiui substituimus. Vnguentũ santalinũ. Spodium.

Ceratum stomachicum, Eiusdem. III.

F *Ventriculum & iecur roborat: horum etiam dolorem a frigiditate ortum lenit, appetentiam excitat, & concoctionem iuuat. Habet rosarum, mastiches, an. drach. viginti. Foliorum absinthii aridorum, drach. quindecim. Spicæ nardi, drach. decem. Ceræ puræ, vnc. quatuor. Olei rosacei, lib. vnam, & dimid. Ceræ & oleum igne liquantur, mox stillatitio rosarum liquore aliquoties lauantur: dein iterum liquantur, & vino austero, succo cydoniorum, & pauco aceto lauantur: postea alia omnia in tenuissimum redacta puluerem, insperguntur, & fit ceratum.*

ANNOTATIO.

1 *Eiusdem)* Falso enim Mesues auctoritate Galeno tributum est. Proxime ad Galeni medicamentum accedit. Aloes namque loco rosas, pro absinthii succo, folia pro vnguento nardino, spicam cum rosaceo ponit, sed excessu prope immodico.

Ceratum stomachicum.[1] Galeni. IV.

Capit vnguenti nardini optimi, ceræ odoræ, pinguis, & lotæ, an. vnc. vnam, si hyems est: si verò æstas, ceræ, drach. septem. Liquantur in vase duplici; refrigerato deinde, & eraso, adduntur pulueres mollissimi aloes & mastiches, an.[2] drachma vna.

ANNOTATIONES.

1 *Galeni)* Ex lib. 8. de compos. medica. localium, & lib. 8. medendi methodi desumtum. Ad oris ventriculi phlegmonem Galenus adhibet, & ad ventriculi imbecillitatem in fluore alui a cruditate nidorosa, in quo casu robur calidis adstringentibus ipsi parti acquiritur. Hoc igitur ceratum Galeni stomachicum in nostras officinas reducendum est, sub nomine cerati calidi. Est enim alterum, quod refrigerans licet voces, itidem 8. methodi descriptum, quod habet, Olei melini, ceræ albæ lotæ, vtriusque vnciam vnã. Hypocisthidis semunciam. Fiat ceratum, vt decet. B

2 *Drachmam vnam)* Vel paulo amplius. Quod si maiore adstrictione est opus, tantaque sit imbecillitas, vt cibum stomachus continere nequeat, mastiche augenda ad sesquidrachmam, & omphacii drachma adiicienda. Nonnunquam etiam absinthii succus admiscendus erit, & quandoque, vt etiam Hypocistidis, aut Sumachii siue Rhois succus.

Ceratum stomachicum, Nostrum. V.

Accipit mẽthæ, absinthii Pontici, rosarum, an. vnc. dimidiam. Cinamomi, cardamomi, spicæ nardi, nucis moschatæ, caryophyllorum, macis, galangæ, calami odorati, an. drach. tres. Ligni aloes, cubebarum, an. drach. duas. Galliæ moschatæ, drach. vnam, & dimidiam. Baccarum myrti, sumachii an. drach. vnam. Thuris, mastiches, styracis calamitæ, an. drach. duas. Ladani optimi, vncias tres. Oleorum rosacei, mastichini, nardini, cydoniorum, absinthii. an. vnc. vnam. Cum cera & terebinthina, quod satis est. Formetur ceratum. C

Ceratum ad ramicem, Nicolai. VI.

Recipit picis naualis, aloes, vnc. tres. Lithargyri, ceræ rubeæ, colophoniæ, galbani, ammoniaci, ana vnc. duas. Visci quercini, vnc. sex. Boli armenii, symphyti maioris, gypsi, aristolochiæ vtriusque, lumbricorum terræ, gallarum, an. vnc. quatuor. Myrrhæ, thuris, an. vnc. sex. Terebinthinæ, vnc. duas. Sanguinis humani, lib. vnam. Pellis arietina, mox vbi detracta est, horis 24. coquitur: deinde expressa pelle, & abiecta, viscum quernum in hoc iure diu coctum vbi fuerit, ab igne aufertur: additurque terebinthina, lithargyros, colophonia: postea mastiche, thus, myrrha, galbanum, ammoniacum, lumbrici terræ. Hinc symphytum maius, gypsum, bolus armenius. Igni tunc rursus admouetur, & sanguis humanus, aristolochia longa & rotunda, postremo aloe iniicitur, semper spatha seu rudicula agitando, tandem imponitur marmori, quod oleo violaceo inunctum est, & manibus subigitur. Dein biduo, aut triduo, in mortario continenter teritur. D

ANNOTATIO.

Solenne est ad Enterocœlen, & intestinorum ramicem, & ab aliis inter emplastra recensetur.

Ceratum ad ramicem, Nostrum. VII.

Habet picis naualis, colophoniæ, an. vnc. dimidiam. Mastiches, thuris, an. drach. tres. Hypocistidis, sarcocollæ, acaciæ an. drach. duas, & dimidiam, Opopanacis, bdellii, galbani, ana drach. tres, & dimidiam. Myrrhæ, drach. vnam. Serapini, drach. vnam, & dimidiam. Radicis consolidæ maioris, gallarum, corticum mali granati, an. drach. duas, & dimidiam. Sumachii, balaustiorum, lithargyri, an. drach. vnam, & dimidiam. Lapidis hæmatitis, sanguinis draconis, boli armenii, ana drach. duas. Aloes optimæ, drach. vnam, & dimidiam.[1] Pilæ marinæ vstæ, drach. vnam. Aristolochiæ vtriusque, an. drach. duas, & dimidiam. Mumiæ, drach. tres. Visci querni, nucis cupressi, ana drach. vnam. Seui hircini, vnciam dimidiam. Gummi dissolutis in aceto fortissimo, cum cera & resina quod satis, fingatur ceratum. E

ANNOTATIO.

1 *Pilæ marinæ)* Quid pila marina sit, in altero nostrorum de stirpium historia commentariorum tomo abunde docuimus. Bernardus Dessennius prorsus ignorat quid sit, ideoque sibi neque de nomine, neque de vsu eius constare quicquam fatetur. Eodem autem quo Aristolochia nomine Ceratum hoc ingreditur, nempe vt extergat. Fieri enim non potest, vt vulnera glutinentur, nisi sint medicamenta, quæ sordes etiam, horum glutinationem prohibentes, extergant. F

Ceræ rubeæ conficiendæ modus.

Accipit ceræ puræ lib. tres. Terebinthinæ, quar. tres. Minii secundarii, vnc. nouem, Fiat cera rubea, in formulas sculptas fusa.

Ceræ viridis faciendæ ratio.

Recipe ceræ lib. tres. Terebinthinæ, quar. tres. Aeruginis æris, vnc. vnam, & dimidiam. Ad lentũ ignem liquata miscentur, & in formulas funduntur sculptas spongia aqua imbuta humectatas.

Cera flaua.

A Cape ceræ lib. duas. Resinæ bonæ, lib. vnam, vel quar. tres. Terebinthinæ, quar. vnam. Ad lentũ ignem miscentur.

Atramentum scriptorium.

Habet gallarum, lib. vnam, & dimidiam. Vitrioli, quar. tres. Gummi arabici, vnc. sex. Aquæ & vini mensuras octo.

APPENDIX.

B Hanc compositionem atramenti scriptorii quidam binis versiculis perpulchre cõplexus est, qui sunt eiusmodi:

Vitrioli quarta, media sit vncia gummi,
Integra sit galla, superaddas octo Falerni.

Atque hæc est vulgata, multisque communis compositio. Dioscorides in fine quinti habet alias, quas illic videre licet.

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM MISCENDORVMQVE MEDICAMENTORVM RATIONE, Liber III.

PROOEMIVM.

C *Qvvm in eo, qui præcessit, libro omnium fere hodie vsitatorum medicamentorum compositiones a nobis sint traditæ, & annotationibus illustratæ: reliquum nunc est, vt qua ratione illis a Medicis vtendum sit, & quomodo ex earundem permixtione formulæ, quas barbari Receptas nominant, struendæ sint, exponamus. Quum autem eorum medicamentorum compositorum, quorum hodie vsus est, in vniuersum duo sint primaria genera, vnum, quod intra corpus sumitur: alterum, quod extrinsecus corpori adhibetur, de priore quidem genere in hoc tertio agemus libro: alterius vero tractationem, sequens sibi vendicabit liber. Eius autem generis, quod intra corpus sumitur, variæ sunt species. In quibus sane enumerandis, vulgi nomenclaturas aliquot immutauimus, partim quod barbaræ & ineptæ fuerunt, partim quod veterum appellationibus quæ puriores sunt, & rei naturam nobis certius exprimunt, & ob oculos ponunt, assuefacere iuniores medicos voluimus: vt tandem contemtis spretisque barbaris, veris & latinis vti discerent. Nisi enim aliquando veras medicamentorum nomenclaturas reducere, inque vsum quotidianum reuocare incipiamus, metus est ne perpetuo rerum etiam caligine obruamur. Tamen si qui imperitiores in iis intelligendis hærebunt, ad primum librum confugiant oportet: in quo passim latinis & græcis barbaras appellationes coniunximus, ne vllus nos obscuritatis alicuius auctores fuisse merito queri possit. Quamuis autem medicamenta quæ in corpus recipiuntur, composita varia sunt, tamen nos vniuersa viginti tribus speciebus, hodie vsitatis, complectemur, quarum hæc sunt nomina:*

Duo compositorũ medicamentorũ primaria genera. D

1 Antidota proprie dicta.
2 Purgatoria medicamenta, liquida & solida.
E 3 Catapotia, siue pilulæ.
4 Vomitum elicientia.
5 Sacchara.
6 Condita.
7 Ecligmata, vulgo Loch dicta.
F 8 Zulapia, vulgo Iulebia.
9 Succi medicati, vulgo Rob & Miuæ.
10 Serapia, vulgo Syrupi.
11 Decocta.
12 Pulueres, seu trituræ, Drangea, vel Tragea.
13 Pastilli, vulgo Trochisci.
14 Glandes, barbaris Suppositoria.
15 Clysteres.
16 Collyria, Arabibus Sieff.
17 Gargarizatus, Gargarismiue.
18 Dentifricia.
19 Pessi, vulgo Pessaria.
10 Errhina, Nasalia vulgo.
11 Apophlegmatismi, vulgo Masticatoria.
12 Odoramenta, siue pilæ odoratæ.
13 Suffimenta, suffitusue.

Species medicamentorũ quæ in corpus sumuntur.

De quibus singulis eo, quo posita sunt, ordine disseremus, ab Antidotis exorsi.

De Antidotis, Cap. I.

Medicamenta omnia, quæ non foris admota corpori, sed intra corpus assumta vitiis medentur, Græci veteres, *Galeno lib. 1. de Antidotis teste*, antidota, ab ἀντὶ καὶ δίδωμι, quasi *aduersus plurima morborum genera & vitia data*, & fœminino genere *Antidotos* appellarũt. Vnde *cephalica, ophthalmica, stomatica, arteriaca, stomachica, cardiaca, hepatica. splenica,* Antidota quæ:

nephritica, *colica*, & id genus alia, quæ ab vsu nomina sua habuerunt medicamenta, harum partium vitiis salubria, *antidota* dixerunt. In vniuersum autem tres fuerunt illis, *eodem Galeno attestante*, antidotorum differentiæ. Horum enim quædam aduersus letalia medicamenta, siue deleteria, quæ aliquo malo fato sæpe exhibentur, ac bibuntur, dabātur. Quædam contra feras venenum iaculantes, siue virulentas. Quædam vitiis & affectib. ex prauo victu & humoribus vitiatis obortis succurrebant. Nos paulo arctius *Antidoti* significationem contrahentes, hac voce tantum medicamenta intra corpus recepta, quæ letalibus aduersantur, quæ item dolores sedant, somnum afferentia ac stupefaciētia, præterea quæ imbecillo corpori, eiusque partibus parum firmis robur afferunt, intelligimus. Neque enim commodior alia nobis occurrebat appellatio, qua a ceteris intra corpus assumtis medicamentis, illa separaremus. Quod si alicui hæc ipsa alio nomine appellare libet, nihil moramur. Nobis certe melior nunc in mentem non veniebat appellatio, qua illa a reliquis in corpus receptis discerneremus. Non me latet autē, recentiores vocare *Antidotos*, alias *confectiones*, alias *Electuaria*, sed non sine confusione lectoris. Nos igitur omnia, quæ intra corpus sumuntur medicamenta, & peculiaribus nomenclaturis donata non sunt, *Antidota*, vt diximus, potius appellare, adiectis nunquam non, quæ illa ad certam speciem coarctant, vocabulis, voluimus.

Tres veteribus antidotorū differentiæ.

Antidotū quid appellemus.

De Antidotorum letalibus aduersantium vsu. Cap. II.

NOn ab re exordimur ab Antidotis, quæ letalibus aduersantur: quod nimirum illa triplicem promittant vsum, & eorum, quæ letalibus repugnant, & eorum quæ cōtra ferarum venenum faciunt, atque eorum, quę vitiis e prauo victu natis succurrunt: vt sunt, *Theriaca*, *Mithridatios*, *Esdra*, *& id genus alia*. Hinc est quod ab huius ætatis medicis confectiones Magnæ, non admodum inepte nominentur: siquidem maiores, quā ceteræ Antidoti, vires obtinent. Vt valde inepti sint, qui hanc appellationem a magni nominis viris consecutas esse arbitrantur. Igitur iam dicta Antidota, qui hodie medicinam faciunt, hac ratione vsurpent. Nonnunquam se solis, citra aliorum vel simplicium vel compositorum medicamentorum adiectionem, vtuntur. Quod, vt recte faciant, illorum pondus: &, (vt hodie vocant) *Dosim*, cognitam habeant oportet. Quæ qualis sit, *lib.2.* est partim expositum, & paulo post clarius explicabitur. Quanquam in iis certa quantitas, vt etiam in aliis medicamentis, vtpote quæ pro ætatis, naturæ, temporum & morborum ratione varietur, præscribi nulla possit, aut debeat. Non desunt qui, vt eorundem Antidotorum insuauitatem frangant, aut tegant, flores cordi familiares sacharo conditos, illis admiscent, & serapio aliquo conuenienti excipiunt, in hunc quidem modum: *Recipit Theriacæ Andromachi, Mithridatii antidoti, Sacchari borraginis, ana drachmam vnam, & dimidiam. Melissophylli, Echii, an. drachmam vnam.* Excipe serapio ex acido citrii succo, & redige in consistentiam iustam. Sunt qui prædictis Antidotis adiiciunt ex simplicibus aliquot medicamenta corroborantia, vt ex sequenti patebit formula, quæ *Recipit Mithridatii antidoti, drach. tres. Sacchari melissophylli, drachmam vnam. Ramentorum eboris, Seminis seselios, Ligni aloes, an. scrup. vnum.* Excipiuntur serapio ex acido succo citrii, vt prædictum est.

Confectiones magnæ.

Vsus

Alii iam dictas Antidotos, adiectis Bolo armenio, aut Lemnio sigillo, aliisque id genus venenis aduersantibus medicamentis, stillaticiis congruentibus liquoribus diluunt, vt ex sequenti manifestum fit formula, quæ *Recipit Theriaces Andromachi scrup. duos. Antidoti Mithridatii, scrup. vnum. Boli armenii, scrup. dimid. Liquoris stillatitii rosarum, vnc. duas. Borraginis, Scabiosæ, an. vnc. dimid.* Commistis omnibus, fiat potio.

Vsitatum præterea est, vt prædictis Antidotis vnum aut plura eorum medicamētorum, quę *Antidotum* διὰ τεσσάρων constituunt: ita nominatum, *vt præcedenti libro diximus*, quod e quatuor rebus gentiana scilicet, myrrha, aristolochia, & baccis lauri constet, admisceantur: quemadmodum ea quæ sequitur, formula ostendit, quę *Recipit Antidoti Mithridatii, scrup. duos & dimidium. Theriacæ Andromachi veteris, drach. vnam & dimidiam. Gentianæ, Aristolochiæ longæ, Myrrhæ optimæ. Baccarum lauri, an scrup. duos.* Excipiuntur serapio ex acido succo citrii, quod satis est.

Non solum vero ad letalia venena propulsanda prædictarum Antidotorum hodie vsus est: sed & ad alia, vt diximus, corporis vitia, præsertim mensium suppressionē, aliis scilicet, quibus menses euocādi vis inest, adiectis, vt ex sequenti rescripto patebit, quod

Recipit

A *Recipit Antidoti Mithridatii, drachmas tres; Tripheræ magnæ, drachmas duas. Antidoti hæmagogi, drachmam vnam. Pastillorum e myrrha, drach. dimidiam. Cinamomi, Casiæ ligneæ, Rubiæ, an. scrup. duos.* Cum Serapio ex artemisia excepta reponantur. ¶ *Saracenicam* vocatã *Trypheram* ad melancholica vitia vsurpamus, conuenientibus illi admixtis aliis tum compositis, tum simplicibus medicamentis, in hunc nimirum modum: *Ricipe Tripheræ saracenicæ, sacchari buglossæ, & violacei, an. vnc. vnam, & dimidiam. Lætificantis Galeni nominati, vnc. dimidiam. Specierum diapleres archonticon, drach. vnam & dimidiam. Corticum citrii, drach. vnam. Maceris, scrup. duos. Epithymi, scrup. vnum. Excepta ex acidi citrii succo serapio, in electuarii formam rediguntur.* Ceterum nõ transeundum nobis silentio erit Antidotorũ omnium non eundem esse exhibendi modum, quod nimirum cum iisdem liquorib. haud præ-

7. Saracenicæ trypheræ vsus.

Exhibendi modus.

B beantur. Siquidem vel ex vino, vel aqua mulsa, vel stillaticio aliquo, vel alio quodam liquore, prout affectus ipse exigit, dãtur. proinde pro affectuum differentia cõgruum misturæ liquorem inueniamus oportet, *quemadmodum Gal. in lib. de Theriaca ad Pisonem, & post hunc in suo de Compositione medicamentorum libro Actuarius, & Nicolaus Myrepsus docent.* Porro pondere & mensura alias alia eodem Galeno *in lib. de theriaca ad Pisonem auctore,* recte vteris. Interdum enim fabæ Ægyptiæ quantitate danda, vbi nimirum exiguum ad Antidotorum coctionem interuallum erit. Interim vero auellanæ, aut Ponticæ nucis magnitudine sumes, quũ scil. plus temporis ad gubernationem eorundem habiturus es. Hoc est, si parum temporis ad antidoti cõcoctionem supersit, minus de eo exhibendum erit, vt scilicet in breui hoc interuallo concoqui & alterari possit. Sin

Pondus & mensura.

Quando & quibus exhibenda.

C plus temporis ad eiusdem gubernationem dispensationemve supersit, plus quoq; de illa exhibendum erit, quod ad alterationem eius copiæ sat sit interualli. In vsu certe Antidotorum anni tempus, & regio maxime inspicienda erunt. Nam per æstatem, præsertim theriaca, neutiquã præbenda. Quippe cõstitutione aeris calida, ex antidotis prædictis corpus calidius euadens offenditur. Quapropter hoc tempore, nisi impendens aliquod periculũ diuersum nos iubeat, iam dictorũ Antidotorũ nullus esse vsus debet. Consideranda quoq; in eorundẽ vsu ætas erit, neq; enim ætate florentib. & multo calore natiuo præditis, magna copia, & sæpenumero danda sunt, nec nisi ex aqua. His vero, qui transacta iam iuuenta declinant, & ad senectam spectant, aut ætate confecti sunt, & multum de prædictis Antidotis, & sæpe, non ex aqua modo, sed ex vi-

Antidotorũ concoctionis tempus.

D no quoq; pondere drachmę vnius sumenda sunt, vt corporis virtus iam emarcescens, & natiuus calor fere exstinctus, refocillari & accendi earundẽ beneficio possit. Pueris aũt hæc medicamenta haud sunt danda. Quippe horũ magnitudo pueriles vires lõge superat, & corpus eorundem facile resoluit, natiuumq; spiritum cito exstinguit. In vsu præterea eorundem Antidotorum, theriacæ potissimum, vnice considerandum erit, num probe cocta sint. Nam longo tempore, plurimum autem duodecim annis, ad coctionem egent. Vigentiores aũt validioresq; sunt ab anno quinto, sexto, septimo: præsertim in iis qui a virulentis feris, aut rabido cane morsi sunt, & medicamentis letalib. petiti. Hi enim omnes quum grauem noxam ab iis venenis acceperint, potentioribus Antidotis indigent. Deniq; Antidotos prædictas exhiberi oportet, quum is, qui su-

E mit, probe concoxerit, nec cibis grauatus fuerit. A ieiunis itaq;, minime autem crudis, hoc est, appetente iam diluculo, id genus medicamenta assumenda veniunt. Quare saturis, nisi summa vrgeat necessitas, præbenda haud erunt. Necessitate vero impellente, & hausto veneno expostulante, quauis diei hora exhiberi possunt: vt fusius in libello de Theriaca ad Pisonem Galenus docet.

Exhibitionis hora.

De antidotorum dolorem sedantium & stupefacientium vsu. Cap. III.

ABSOLVTA vtendi ratione Antidotorum, quæ letalium medicamentorum aut virus iaculantium bestiarum gratia sumuntur: reliquum est, vt ad alterius generis *Antidota*, quæ scilicet malis ex praua victus ratione natis succurrunt, iam progrediamur. Quum autem hæc ipsa varia sint, *vt pæcedenti capite dictum est*, primum quidem

F inter ea locum occupant, quæ Græcis ἀνώδυνα & παρηγορικὰ, & πραΰντικα, & ναρκωτικὰ, Latinis vero *dolorem sedantia, & lenientia, & mitigantia, & stupefacientia* appellantur. Sed differunt inter se ἀνώδυνα & ναρκωτικά. Anodyna enim proprie ea, quæ partium exsistunt tenuium & non multo q̃ quæ moderata calidiora sunt, appellantur. Proinde necesse est, vt vacuẽt & discutiant, rarefaciant, extenuent, cõcoquant, & æquabile reddãt, quicquid in par-

Anodyna.

tibus dolore vexatis aut humorum acrium, vel lentorum, aut crassorum, aut multorum meatibus infarctorum: vel etiam vaporosi, vel crassi, vel admodum frigidi spiritus exitum commodum non inuenientis, cohibitum atq; inclusum est. Itaq; nihil prorsus adstrictionis habeant oportet, ne si pars quidem laborans, aut etiam affectus ipse expostulet. Vnde perspicuum euadit, quod interdum affectum non iuuabunt, sed dolorem tantùmodo mitigabunt, quando videlicet reuera Anodyna dicentur. Interdum vero etiam affectum ipsum adiuuabunt, & tum quidem facultatem habebunt duplicem, nempe Anodynam & sanantem. Igitur Anodyna proprie vocantur, *quæ dolorem leniunt, tenui substantia primi ordinis calefacientium: vel ita temperata, vt familiaritate elementorum naturæ partium consentiant*: qualia sunt, *oleum dulce, ætate medium, butyrum, æsypus, adipes, aqua tepida, lini semẽ, chamæmelum, fœnumgræcum: olea, chamæmelinum, amygdalinum e dulcibus amygdalis, & id genus alia*. Quum vero varia ex illis medicamentorum genera conficiantur, nempe *fomenta, cataplasmata, decocta, & vnguenta*, exempla singulorum e suis locis petenda veniunt. Ceterum quæ *Narcotica* seu *stupefacientia* nuncupantur, temperamentum sortiuntur, vel summe aduersum iis, quæ reuera sunt anodyna. Siquidem omnia corpus refrigerant, & sensum eo vsque stupefaciunt, vt si paulo liberalius ebibantur, mortem afferant. Horum compositionem plurimum opium ingreditur, hinc recentioribus *Opiata* nominantur. Galenus *lib. 7. de Compos. medic. localium, cap. 5.* duo quoque dolorem sedantium medicamentorum genera facit. Vnum, quod veteres Medici composuerunt iis qui sanguinem reiiciunt, item iis qui tabescunt: & ad alios dolores atque affectus, qui circa pulmones, arteriam, thoracem, aliasque corporis partes, exceptis tamen colicis, consistunt: idque ἀνώδυνον appellauerunt. Alterum colicum nominauerunt, quod scilicet colico dolore laborantibus duntaxat adhibuerunt. Atque hoc priore vehementius fuit, vtpote quod vim prædominantem, ex multitudine refrigerantium medicamentorum habebat: vt sunt, *hyoscyami semen, papaueris succus, & radicis mandragoræ cortex*. Primi autem generis medicamenta odoratorum, & vrinam cientium seminum (qualia sunt *cuminum, daucus, seseli, apium, & anisum*,) mistura constabant. Quod vero ad vsum Narcoticorum & stupefacientium attinet, sciendum, iis nõ esse vtendum, nisi vbi ab anodynis dolor sedari nequit. Ob id vsus illorum perpetuo vitandus, nisi magna necessitas nos, vt ipsis vtamur, cogat. Nam corpora viuentium simile quid mortificationi ab omnibus, quæ ex opio, mandragora, hyoscyamo, & id genus aliis narcoticis constat medicamentis patiuntur: nimirum caussis dolorem infligentibus, insensilibus factis. Et multi profecto, qui talibus assidue in podagra & oculorum doloribus vsi sunt, ad immedicabilem frigiditatem particulas perduxerunt. Nõ igitur continuis diebus, sed ex interuallis eiusmodi medicamenta danda sunt. Nec ẽt statim post mixtionem in vsum accersenda sunt narcotica & stupefacientia, sed post sex mensium, aut anni spatium. Præterea miscenda illis sunt calefacientia: partim vt vim eorum stupefactoriã vehementem nonnihil refrenent & obtundant, adeoq; sensum minori detrimento stupefaciant: partim vt frigiditas altius penetret. Nam quum frigida per se tardi sint transitus, admiscentur calida, vt refrigerantium stupefactionẽ in altum deducere queant: qualia sunt, *castorium, crocus, casia, & id genus alia*. Cauendum etiam vnice, ne narcotica partibus iis, quæ principatum in corpore obtinent, verbi gratia, cerebro, cordi, pulmoni, iecori, ventriculo, & his similibus adhibeantur. Præstat quoq; ea primum forinsecus admoueri, priusquam intra corpus sumantur. Pueris deniq;, senioribus & aliis imbecillioribus, frigidaq; temperatura præditis, itemq; grauidis seu vterum gerentibus ne applicentur. Ceterum in vsu narcoticorum trib. attentum esse Medicum oportet. Primo, vt sensum tactus obtundat & stupefaciat: secundo, vt nihil noxæ ex hac stupefactione in particula relinquatur: tertio, quod est maximum, vt affectui succurrat. Quæ tria Philo ille Tharsensis diligenter in sua Antidoto, quæ instar exempli, quod in cõponendis Narcoticis imitari debent Medici, ab ipso proposita est, seruauit. Nam ex hyoscyami, & omnium valẽtissimi opii mixtura, facultatis sensoriæ stuporem, & somnum torpidum inducere ac moliri voluit. Quo vero citius stupefacientia distribuerentur, & vniuersum laborantium partium profundum penetrarent, calefaciẽtia admiscuit *pyrethrũ, costum, euphorbiũ, & piper*: quæ noxios humores discutere, tenaces extergere, crassos incidere, flatulentos spiritus attenuare & vacuate pos-

Narcotica seu stupefacientia.

Opiata. Medicamẽtorum dolorem sedãtium duo genera. Anodynũ. Colicum.

Narcoticis quando vtendum.

Calefacientia miscenda stupefacientibus.

Quibus partibus non adhibenda.

In vsu Narcoticorum tribus attentum esse oportet Medicum. Philonis Antidotus qualis.

A B C D E F

A re possunt. Porro Antidotis narcoticis stupefacientibusque, Medici hodie in hunc vtuntur modum. Interdum illis seorsim, & citra aliorum medicamentorum commixtionem, adiunctis tamen semper iis, quæ violentiam earundem frangunt & obtundunt, vtuntur: vt ex sequenti patebit formula, quæ *Recipit Philonii, drachmam vnam. Croci, Castorii, an. grana duo. Cum zulapio violaceo in vnitatem coeant.* Est quãdo eadem etiam vsurpant in sistendo sanguine, aut alio profluuio. Atque tum quidem adstringentes pastillos illis commiscent, & cum liquoribus conuenientibus, aut serapiis eiusdem generis excipiunt: vt ex eo quod sequitur rescripto fit manifestum, quod *Recipit Antidoti athanasiæ, drachmam vnam & dimidiam. Pastillorum e succino, e terra Lemnia, an. drachmam vnam. Lapidis hæmatitis, Radicis symphyti maioris, an. scrupulos duos. Cichorii, scrupulum vnum.* Vsus narcoticorum.

B *Serapii myrtini, quantum ad excipiendum satis erit.* Vtiliter etiam iisdem Micleta commiscetur, cum aliis eiusdem farinæ medicamentis, hoc pacto: *Recipe Micletæ, vnciam dimidiam. Rob e ribes, drachmas tres. Sacchari rosacei veteris, Diacydoniati citra species, an. vnciam dimidiam. Miuæ cydoniorum, drachmas duas. Balaustiorum, drachmam vnam. Symphyti maiori radicis, drachmam dimidiam. Serapii myrtini, quantum ad excipiendum sufficit.* Nonnunquam purgantia quædam medicamenta composita illis admiscentur, vt scilicet hac ratione non solum dolorem remittant, verumetiam vt humores noxios adeoque ipsum affectum auferant, & e corpore tollant. Qui tamen modus hodie non valde vsitatus est, & pauci sunt qui illum vsurpant. Eius tamen exemplum subiiciemus, quod *Recipit Diaphœnicon, drachmas tres & dimidiam. Antidoti indi maioris, drachmas duas & dimidiam. Phi-* Purgantia stupefacientibus commixta.

C *lonis, drachmam vnam. Vini, quod satis est ad excipiendum.* Porro ex stupefacientibus medicamentis dantur magna ex parte scrupuli duo, aut drachma vna. Veteres hæc ipsa summum nucis auellanæ quantitate seu magnitudine præbebant. Sumuntur vesperi, dum cubitum itur, ex vino, aut alio liquore congruente. Pondus. Exhibendi tempus.

De antidotorum somniferorum vsu. Cap. IV.

SOMNIFERA, siue *somnum conciliantia*, aut *soporem molientia* vocata medicamenta, Græcis ὑπνωτικὰ dicuntur. His Medici magni doloris, aut vigiliarum gratia vti consueuerunt. Interdum etiam in vehementiori ac violenta tussi, ne quis eius occasione conuellatur: vt nonnunquam in sanguinis eruptione, & difficilibus destillationibus accidere solet. Ceterum ad eorundem compositionem, qui hodie medicinam fa- Somnifera quæ.

D ciunt, vtuntur *Serapio violaceo, e papauere, succis aut stillaticiis liquoribus solani, lactucæ, portulacæ*, & id genus aliis vt e sequenti formula patebit, quæ *Recipit Serapii violacei, vnciã vnam. e papauere, vnciam dimidiam. Liquoris stillaticii lactucæ, Semperuiui, an. vnciam vnam. Solani, vnciam dimidiam.* Commixtis omnibus, fiat potio. Interim Antidotum diacodion cum saccharo florum nymphææ, violarum, ac aliorum frigidorum medicamentorum permiscemus, ac somniferum conficimus medicamentum: quod sequens rescriptum docet, quod *Recipit Diacodion, vnciam dimidiam. Sacchari nymphææ, Violarum, an. vnciam vnam & dimidiam. Succi lactucæ, Portulacæ, an. vncias duas.* Subacta in pila, inter se commiscentur. Solenne est, vt hodie facientes medicinam, vnguentis ex frigidis & stupefacientibus medicamentis confectis, ad conciliandum somnum vtantur: vt est

E id quod *Recipit Vnguenti populei, drachmam vnam, & dimidiam, Olei violacei, drachmã vnam. Seminis hyoscyami, Corticum radicis mandragoræ, an. scrupulos duos. Opii, grana quatuor. Croci, Castorii an. grana duo. Ceræ quod satis est fiat vnguentum.* Potiones autem somniferæ, nisi aliud faceren necessitas cogat, dantur vesperi, & cubitum ituris. Eodem quoque tempore vnguenta temporibus sunt illinenda. Quod si tamen dolorum aut vigiliarum vehementia, vt per diem iis vtamur nos vrgeat: vt cubiculum in qua æger decumbit, turba ac strepitu omni vacet curemus, necesse est. Ablegata itaque turba, quæ ægrotanti molesta esse posset, vnum aut alterum, aut plures etiam, citra tamen strepitum, adesse satis erit. Vnguentũ somniferũ. Tempus exhibendi somnifera.

De antidotorum robur corpori adiicientium vsu. Cap. V.

F ABSOLVTIS primis duobus Antidotorum generibus, reliquum est, vt tertium, quod robur vniuerso corpori, aut eius partibus adiicit, aggrediamur. Hoc a nonnullis aromaticum, quod scilicet magna ex parte aromatis constat, nominatur. Quorum vsum vt rectius assequamur, sciendum initio erit, hæc bifariam hodie construi: nempe liquida, vel solida. Liquida sunt, quæ melle excipiuntur, & vulgo *electuaria* vo- Antidota roborantia. Liquida. Solida.

cantur: solida contra, quæ saccharo, & dicuntur *confectiones*. Ad quas conficiendas mel optimum, si fieri potest, accipitur, tantumque aquæ quantum necessitas exigit, adiicitur. Quo enim mel purius, eo minus aquæ opus est: dein coquatur & spuma subinde cochleari foraminulento plumbo albo obducto auferatur tantisper, donec iustam spissitudinem consequatur. Cuius quidem inditium est, si rudicula immissa, vel cochleari extracto & eleuato, instar fili assidue defluit, in fine vero quasi abrumpitur filum, & superior pars retrahitur, & conglobatur, donec ea quoq; diducta decidat. Vel gutta in solidum aliquod corpus lapideum, vel metallicum læue stillatur, quæ si nõ defluit, aut inclinato iam dicto corpore nõ decidit, iustã cõsistentiam nactum est. Sin defluit, aut decidit, aquosius iusto est, ac diutius coqui debet. Mel coquitur vt purificetur, purum autem esse significat spumæ absentia. Species imponendæ vbi mediocriter refrixit mel, atq; impositæ pistillo aut spatha misceantur, & cõmista in fictili vase denso recondantur. Quapropter principio quantum mellis aut sacchari in eorundem structura sit adiiciendum, nobis exponendum erit. Animaduertendũ igitur, vt in componẽdis & liquidis & solidis Antidotis roborantibus, ad libram mellis vel sacchari, nonnulli accipiant vnc. tres specierum, ita vt sit quadruplum mellis aut sacchari ad species. Alii triplum tantum mellis ad species adiiciunt. Priorum sententiæ hæc respondet proportio. Ad

Mellis vel sachari	*Libram vnam,* *Libram semis,* *Vncias tres,* *Vnciam vnam,*	*Specierum*	*Vnciæ tres.* *Vncia vna semis.* *Drachmæ sex.* *Drachmæ duæ.*

Posteriorum sententiæ, quæ melior est, adeoq; pharmacopœis sequenda, repudiata priori, & ea præsertim qua impulsi, ad libram vnam mellis vel sacchari vnciam vnam duntaxat specierum accipiunt, hæc proportio erit. Ad

Mellis vel sachari	*Libram vnam,* *Libram semis,* *Vncias tres.* *Vnciam vnam semis,*	*Specierum*	*Vncias quatuor.* *Vncias duas.* *Vnciam vnam.* *Vnciam dimidiam.*

Hanc itaq; rationem proportionis mellis & sacchari ad species, vt comprehensum est, in conficiendis liquidis Antidotis roborantibus, deinceps obseruare debent pharmacopœi: nec minus, vt hactenus consueuerunt, de speciebus accipiant: & studium iucunditatis & suauitatis apud eos tantum non valeat, vt minus efficacia conficiant medicamenta. Nullum Antidotum liquidum roborans, quod sciam, hodie in nostratibus officinis Medicorum prostat, sed omnia, excepto diaprassia, cũ saccharo in solidam redacta formã illic habentur, quũ veterib. liquida magis in vsu fuerint, forte quod Sacchari tractandi rationẽ ignorarint, aut certe quod magis efficaces sint. Cõponunt autem non raro Medici huius ætatis noua Antidota roborantia liquida, quæ priuatim vocant *Electuaria*, aut *mixturas*. Neq; enim illis mixtura aliud est, quam cõpositio, quæ ex variis medicamentis tum cõpositis, tum simplicibus aliquo liquore exceptis, constat. Componunt aũt ad eum modũ Medici: Accipiunt solida Antidota roborantia, & eorundẽ etiam species vocatas, illisq; cõmiscent sacchara diuersi generis, item pastillos, condita, aluũ lenientia, & simplicia alia affectui congruentia: ac serapio, aut alio conueniente liquore excipiunt, vt e sequentib. patebit formulis & rescriptis, quæ

Componẽdorum liquidorum Antidotorum roborantium ratio. Mixtura quid.

I. Recipit Sacchari rosacei, Violacei, Borraginis, Echii an. vnc. dimidiã. Diatragacãthes, vnc. vnã. Diatrionsantalon, drach. tres. Manus Christi cum margaritis, drach. vnam & dimidiam. Antidoti e prunis damascenis simplicis, drach. sex. Specierum diarhodon abbatis, drach. vnam. Pastillorum e violis, drach. dimidiam. Serapii violacei, quantum ad excipiendum satis est: fiat Electuarium.

II. Recipit Sacchari lauendulæ, Rosmarini, an. vnc. dimidiam. Florum pæoniæ, drach. tres. Betonicæ, drach. duas. Acori conditi drach. sex. Specierum plereos archontici, drach. tres. Diambar. Diamoschi, Dianthos, an. drachmam vnam & dimidiam. Stichadis arabicæ, drachmam vnam. Granorum pæoniæ numero sex. Visci querni, scrupulum vnum. Florum tiliæ fœminæ, drachmam vnam. Verbasculi odorati, drachmas duas. Seminis coriandri præparati, drachmam vnam. Serapii e stichade quod satis erit ad excipiendum, & fiat mixtura.

Quantitas componendi.

Porro in cõponendis eiusmodi electuariis & mixturis vocatis, nulla certa quãtitas præscri-

A præſcribi poteſt, vtpote quæ ex aliis potius huius tertii libri capitibus diſcenda ſit. Tamen vniuerſa medicamentorum moles vncias tres, aut ſummum quatuor, raro excedere debet: quod nimirum maior copia ægrotantibus faſtidium pariat. Vna vice, magna ex parte, drachma vna cum dimidia, aut drachmæ duæ, pro diuerſitate affectus, & habitus corporis, dari debent. Præbentur autem diluculo tribus aut quatuor ante prandium horis: Veſperi quoq; cubitum ituris, totidem a cœna elapſis horis. Ceterũ quod ad ſolidorum, quæ vt gratiora ſunt guſtui, ita minus efficacia, vſum attinet, ſciendum, ea hodie duplici forma, rotunda videlicet ſeu orbiculari, & oblonga confici. Quæ rotundam formam accipiunt, Latinis *Orbiculi*, vel *placentæ* dici poſſent. Noſtræ ætatis Medicis *Rotulæ*, & *tabulæ* vocantur. Et ea quidem forma hodie omnia in Medicorum officinis proſtant. B Quæ vero oblonga aut quadrata forma effinguntur, Medici hodie *Morſellos*, & barbara voce *Lozengias* appellant: latinius forte *Morſulos* nominaturi. Ex iis aliqui ſunt æquilateres, alii latiores quam craſſiores, alii in medio craſſiores, in extremitatibus tenuiores. Coquitur autem in orbiculis conficiendis ſaccharum ad exquiſitam perfectionem, & deinde ab igne remotum ligneo piſtillo agitatur, & ſpecies iniiciuntur, ac probe miſcentur. Cauendum autem vnice erit, ne ſpecies cito addantur, ne ſcilicet adurantur, aut vis earundem reſoluatur. Ad perfectionem autem coquitur, quum tãtiſper donec omne aqueum abſumtum eſt. Cuius quidem rei ſignum eſt, quando ſpatula extractum, & violenter in aerem proiectum in floccos inſtar niuis craſſioris abire videtur. Commiſtis omnibus ſpatula aſſidue eiuſdem quantitatis C ſaccharum extrahitur, & placentæ modo in tabulam cui farina inſperſa eſt decidens, in orbem concreſcit. Si vero quid in lebete remanens dureſcit, aqua affuſa liqueſcit. Rotulæ ſiue orbiculi concreti ſigillatim auferuntur, & farina illis adhærens abſterſa, in cribrum coniiciuntur, & magis calido in loco deſiccantur, & exſiccati tandem in ligneis arculis reconduntur. Morſuli pari modo formantur, niſi quod illud, quod in lebete coctum eſt, in tabulam ſuperna ſui parte humectatam ſecundum longitudinem effunditur, ligneiſq; tabellis adpoſitis & vtrinque madefactis cogitur, atq; latitudine ac craſſitudine morſulorum formatur, qui diſſecti in locum ſicciorem tranſponuntur.

Pondus ſumenda. Tempus exhibitionis. Solidorum vſus. Solida duplicia. Orbiculi. Rotulæ. Morſelli. Lozengiæ. Morſuli.

Qui hodie medicinam faciunt, vtraque forma componunt e ſpeciebus multorum D roborantium Antidotorum, adiectis quibuſdam ſimplicibus affectui congruentibus medicamentis minutiſſime tritis, & ſaccharo in ſtillaticiis liquoribus conuenientibus diſſoluto, ad orbiculorum, aut morſulorum formam redigunt, hoc modo. Coquitur ſaccharum ad conſumtionem liquorum, dein inſperguntur pulueres. Maſſa ex iis compoſita ab igne remota, & in planum proiecta ſecatur in teſſellas, quarum ſingulæ ponderent ſeſquidrachmam: veluti e ſequentibus innoteſcet formulis, quæ *Recipit Specierum diamoſchi dulcis, Diambar, Aromatici roſati, an. drach. vnã & dimidiam. Diacinnamomi, Plereos archontici, an. drach. vnam. Nucis moſchatæ, Macis, Cubebarũ, an ſcrupul. duos. Cinamomi drach. vnam & dimidiam. Caryophyllorum, Calami odorati, Piperis longi, an. drach. vnam. Ligni aloes ſcrup. vnum. Maſtiches, drachmam vnam & dimidiam. Zingiberis, ſcrupul. duos.* E *Cardamomi, drachmam dimidiam. Cum ſacchari candidiſſimi vnciis ſex, diſſolutis in liquoribus ſtillaticiis ſaluiæ & maioranæ; quod ſatis erit: formentur orbiculi, aut morſuli, pro ægrotantis arbitrio.* Aliud, quod *Recipit diarrhodon abbatis, Diatrionſantalon, an drach. vnã & dimidiam. Roſatæ nouellæ, drach. dimidiam. Paſtillorum e ſpodio, drachmam vnam. Seminum vtriuſq; intybi ſatiui, Cucumeris, Portulacæ, an ſcrupulos duos. Lactucæ. ſcrupulum vnum. Santala albi, rubri, an. drachmam dimidiam. Cum ſacchari albiſsimi vnciis tribus diſſolutis, in liquoribus ſtillaticiis caluthæ, & intybi ſatiui, fingantur morſuli.*

Compoſitionis ſolidorum ratio.

Interdum vbi amiſſas & admodum imbecillas vires reficere ac reſtaurare ſtudium eſt, perdicum & caporum pulpas (ſic enim Latini vocant partes animalium carnoſiores) item nuces pineas, amygdalas, vuas paſſas, & id genus alia medicamenta ſpeciebus F Antidotorum commiſcentur: iterum, vt antea, adiecto ſaccharo, in conuenientibus liquoribus diluto, vt ex ſequenti reſcripto patebit, quod *Recipit Pulpæ capi, vnciam vnam. Perdicis, vnciam dimidiam. Teſticulorum galli, drachmas tres. Nucum pinearum repurgatarum, vnciam vnam & dimidiam. Amygdalarum dulcium, vnciam vnam. Piſtaciorum in ſtillaticio roſarum liquore maceratorum, drachmam vnam & dimidiam. Seminum quatuor fri-*

Pulpa.

gidorum maiorum, an drachmam dimidiam. Specierum diamargariton, Dianthon, an. scrupulos duos. Lætificantis Galeni, drachmam dimidiam. Plereos archontici, drachmam vnam. Cinamomi selecti, Ligni aloes, Macis, an. scrupulum vnum. Cum saccharo candidissimo, quantum satis erit, in stillaticiis boraginis & echii liquoribus dissoluto, formentur morsuli. Hic nulla certa sacchari quantitas indicata est. Præstat enim in similibus arbitrio pharmacopœi permittere, vt sacchari quantum libuerit adiiciat, ne vel friabile plane medicamentum, aut inefficacius, sacchari copia ceterorum vim obruente, reddat. Tempus exhibitionis prædictorum Antidotorum, idem est quod liquidorum. Dant vero vna vice orbiculos duos, aut tres, plus aut minus, pro morbi & corporis ratione. Morsulus quoque dimidius, aut summum vnus, nisi exiguus admodum fuerit, pro vna vice sufficiet. Porro ordinis ratio requirere videtur, vt hoc loco de *Tragæis* vulgo vocatis confortantib. ageremus: verum vt de omnibus, quæ in puluerem rediguntur, vno in loco tractemus, cõsultius esse nobis visum est, vt ad caput de *Pulueribus* tragæas reiiciamus.

Tempus exhibitionis.

Tragææ roborantes.

A B

De antidotorum purgantium vsu. CAP. VI.

ANTIDOTA purgantia, Græcis καθαρτικά vocata, perinde atque roborantia, duplici forma effinguntur, & in officinis asseruantur, nempe liquida, & solida. Liquidorum is est vsus. Medici huius ætatis duo, aut plura etiam inuicem cõmiscent: eaq; in vino, liquoribus stillaticiis, decoctis, iusculis carnium, aut leguminum, pisorum vel cicerum, aut id genus aliis diluta, bibenda præbent: vt ex sequentibus paradigmatis patet, quæ

Liquidorũ vsus.

C

I. Recipit Antidoti indi maioris, drachmas tres. Diaphœnicon, drachmas duas. Episcopi, drachmam vnam, Misceantur.

II. Antidoti e psyllio, drachmã vnam. Succo rosarum, drach. duas. Diaphœnicon, drachmas tres. Liquoris stillaticii intybi satiui latifolii, Cichorii, an. vnciam vnam. Boraginis, vnciam dimidiam. Commixtis omnibus fiat potio purgatoria. Præstat autem semper stillaticiis liquorib. admiscere serapium, q. vim eorunde augeat, & gratius ac iucũdius reddat medicamentũ, in hunc modũ: *Recipe Antidoti hamech, Diaphœnicon, Diasenæ solutiui, an drach. duas. Liquoris stillaticii fumiterræ, Origani, an. vnc. vnam. Serapii de epithymo, vnc. dimidiã. Misceantur.* Interim prædictis antidotis simplicia quædam medicamenta purgantia, quo validior eorundem reddatur & acuatur facultas, adiiciuntur: vt sunt, agaricum, rha Indum, barbarum hodie nominatum, turpetum, dacrydium, pastilli Alhandal barbaris vocati, & id genus alia: semper tamen iis quę vehementiam eorundem frangere & remittere possunt additis, vt e subiectis rescriptis abunde innotescet, quæ *Recipit Agarici selecti, drach. vnam. Zingiberis, scrup. vnum. Salis fossilis, scrup. dimidium. His omnibus diligenter tritis, adiiciantur, Antidoti indi maioris, drach. duas & dimidiam. Liquoris stillaticii hyssopi, Calaminthæ, an. vnc. vnam. Oxymelitis scillitici, vnc. dimidiam. Misceantur.* Aliud: *Recipe Turpeti mediocriter triti, drach. vnam. Masticheṡ, scrup. vnum. Antidoti diaphœnicon, drachmam vnam & dimidiam. Decocti vuarum passarum, vnc. duas. Mellis rosacei vnc. vnam. Commisceantur.* Aliud: *Recipe Medullæ casiæ fistularis, drachmas sex. Antidoti diaphœnicon, drach. vnam & dimidiam. E succo rosarum, drachmam vnam. Pastillorum alhandal, drachmam dimidiam. Decocti cichorii, Fœniculi, an. vnciam vnam & dimidiam. Commisceantur: & fiat potio purgatoria.* Sunt qui in frigidis morbis vinum admisceant, vt eo suauior fiat potio. Sic in calidis non raro zulapium violaceum adiicitur, partim vt alteret, partim etiam vt aluum lubricam reddat: quemadmodum e formula sequenti patebit, quæ *Recipit Antidoti hamech, drach. tres. Diaphœnicon, drach. duas. Catholicon, drach. tres. Vini optimi, vncias duas. Serapii de epithymo, vnciam dimidiam. Misceantur.* Aliud: *Recipe Antidoti e psyllio, drach. tres & dimidiam. Succo rosarum, drach. duas. Catholicæ, drachmam vnam & dimidiam. Serapii acidi simplicis, vncias duas. Zulapii violacei, vnciam vnam. Commisceantur.*

D

E

Porro in iam dictis liquidis purgantib. Antidotis commiscendis nullus certus modus præscribi potest. Neq; enim omnes, eadem etiã medicamenta, cõsimili sensu percipiunt. Alii namq; ob eam quã induit corpus sensuum duritiem, præpotẽtiora vix sentiunt medicamenta. Alii rursus vel quęuis sensu percipiunt, quemadmodũ alii propter fluxam lubricamq; meatuum natiuam inanitatem, aut cedentis materiæ promptitudinem, & instrumentorũ mollitiem, mediocribus parent purgatoriis medicamẽtis.

Modus miscendorum liquidorũ purgãtium medicamẽtorum.

F

Qua-

A Quapropter præstat semper a mitioribus medicamentis purgatoriis auspicemur, vt scilicet simul laborantis sensus exploretur, simul vt vehementiora tolerare exercitante vsu condiscant ægrotantes: & si quando validioribus vti oporteat, ne vires labefactent intolerabiliorum medicamentorum transitus. Magna igitur prudentia opus est ne Medicus infra quam par sit consistat, aut quid iustum est excedat. Frequenter autem hodie de iis quæ paulo vehementiora sunt Antidotis purgātibus liquidis drachmas sex, aut paulo plus minusve, pro ætatis, sexus, morbi, anni temporum ratione, & pro sumentis viribus propinant. Ex mitioribus, & iis quæ aluum leuiter mouent, & quorum vis iecur non facile attingit aut transcendit, adeoq; sine aliqua perturbatione ac molestia aluum exonerant: vt est, *Antidotus e prunis damascenis, e manna, catholica,*
B *& similes, plus exhibemus, vnciam nimirum interdum integram.* Cauendum autem vnice erit, ne inconsideranter medicamenta purgantia vsurpentur. Id quod primum fit, si hæc non nisi egentibus, & minime sanis adhuc exsistentibus dentur. Nam Hippocrate attestante, *qui sano sunt corpore per medicamenta purgati celeriter exoluūtur,* & iterum: *Qui corpore sunt commoderato, hos purgare periculosum est.* Non recte etiam vsurpantur, vbi ante humorum morbum efficientium, nisi humores turgeant, concoctionem exhibentur, quod tum dolores, tormina, vertigines, conuulsiones, perfrictiones, animi deliquia, & id genus alias noxas inferant. Minus recte quoque illa propinant, qui non adiiciunt odorata, quæ medicamentorū purgantium insuauitatem & horrendum odorem retundunt, ac stomachum firmant. Quum enim omnia medicamenta purgantia, so-
C la excepta aloe, stomacho aduersa sint, illumque subuertant, atque ei negotium facessant: vt illis permisceantur quæ malitiam eorundem frangant ac corrigant, necesse est. Ad quem vsum *mastiche, cinamomum, semen anisi,* & id genus alia adduntur. Commodissime autem propinantur diluculo, vbi scilicet ventriculus ciborum copia non grauatur, atque concoctionem eorundem iam perfecit, *quemadmodum fusius hæc omnia in nostris Institutionibus docuimus.* Ab horum sumtione non dormiendum, aut sudandum, vtrumque enim medicamenti sumti actionem impedit ac frangit. In somno enim medicamentum potum fere concoquitur, eiusque vis ita frangitur & dissoluitur, vt a remotioribus partibus trahere subinde nequeat, *vt copiosius Comm. 14. sect. 4. Aphorismorum monstrauimus.* Vt non temere ibidem, Hippocrates ita scriptum reliquerit:
D *Eum qui veratrum biberit, ad corporis motiones magis, ad somnos vero & quietem minus ducere oportet.* Et iterum: *Quum volueris vt veratrum magis ducat, corpus moueto vbi sistendum esse censueris, somnum inducito, & haud moueto.* Non esse autem sudandum, cuiuis manifestum est, quum sudor sine motu humorum ad exteriora fieri nequeat. Quum autem in purgatione humorum motus ad corporis interiora fiat, sudoris motus qui ad exteriora fit, adeoque humorum motui contrarius plane exsistit, medicamentorum purgātium tractionem remoretur & impediat, necesse est. Atq; hactenus quis sit liquidorum vsus indicauimus. Antidota purgantia solida in duplicem formam rediguntur, nempe orbicularem, vel triangularem. Pauca vero sub hac forma hodie in Medicorū officinis prostant purgantia medicamenta: nempe *Antidotum diaphœnicon, e succo rosarū,*
E *diaturpeti, diacartami.* Præstaret autē cetera quoq; hac parari forma, quod maxime conduceret iis, qui non instructas secū habent officinas. Hac n. forma parata medicamēta in multos dies, adde etiam septimanas, durare possent, quum liquida paucis admodum diebus situm contrahentia pereant. Vt plurimū autem ea, qua sunt parata forma, citra vllius liquoris adiectionem semunciæ, aut drach. quinq; pondere propinantur. Interdum prius tusa in iusculo gallinæ, galli, aut capi exhibentur. Sunt qui in iis diluēdis etiam iure pisorum, vel cicerum vtantur. Studendum hac in parte Medico erit, vt ægrotanti gratificetur, ne si assumto medicamento, hunc nauseabundum reddat, illud paulo post vomitu reiiciat. Horum nunc formulam vnam & item alteram, propter eos qui parum adhuc in iis resceptis exercitati sunt, & recens ad faciendam medicinā
F accesserunt, subiiciemus: ℞ *Antidoti e succo rosarum solidi, vnciam dimidiam.* Per se detur: ℞ *Antidoti diaphœnicon in tabulis, ita enim hodie loquuntur, drachmas sex.* Propinetur in iusculo capi. *Recipe Rotularum diaturpeti, vnciam dimidiam.* Exhibentur per se, aut cum liquore congruente.

A mitiorib. purgantib. auspicandū

Pondus vsitatum.

Purgantia medicamenta nō incōsiderate danda.

2. Aph. 36.

Ibid. Apho. 37.

Odorata firmātia stomachum purgantib. medicamētis permiscenda.

Exhibendi tempus.

Quid a purgatione faciendum.

Non dormiendum.

Non sudandum a sumta purgatione.

Antidotorū purgantiū solidorū vsus.

Exhibendi modus.

De boli purgatorii vsu. Cap. VII.

Bolus quid. INTER multas ac varias medicamentorum purgantium, a Medicis, propter ægrotantium mollitiem excogitatas formas, vna etiam est, quam *Bolum* appellant. Nō est autem bolus, nisi medicamentorum purgantium frustulum teres, & in sphæræ modū orbiculare rotundumve, esui aptum, mole sua tantum, quantum bucca commode capere potest. Sunt vero hac voce, & in eadem quidem significatione, vsi optimi Latinæ linguæ auctores: inter quos minime postremus Terentius Comicus ita alicubi inquit, *Crucior bolum tantum mihi ereptum subito e faucibus*. Græci hunc βλωμὸν καὶ ψωμὸν, nonnulli Latinorum interpretum Aetii *bucceam* nominarunt. A qua vtique voce diminutiuum *Buccella* deriuatum est. Veteres suas buccellas in clibano, *vt ex Aetio liquet*, torrebant, & in panis formam redigebant. Hodie vero variis effinguntur modis: Siquidem interdum ex simplicibus tantum medicamentis purgantibus liquore aliquo exceptis cōficiuntur, adiecto tamen saccharo: vt e sequenti patebit formula, quæ *Recipit Turpeti, drachmam vnam. Seminis anisi, Masticheſ ana. scrup. dimid. Sacchari scrup. duos. Cum melle rosaceo quod satis est excipiantur, & fingatur bolus.* Nonnunquam ex Antidotis tantum purgantibus liquidis, nullo alio simplici medicamento adiecto, saccharo exceptis, hunc scilicet in modum parantur. *Recipe Antidoti indi maioris, drachmas tres. Diaphœnicon, dra. duas & dimidiam. Sacchari, quantum ad excipiendas Antidotos satis est fiat bolus.* Conficiuntur etiam aliquando non ex solis liquidis Antidotis purgantibus sed sacchara vocata certorum simplicium, ad roborandum ventriculum, aliasque corporis principes partes, illis commiscentur: vt ex hoc apparet rescripto, quod *Recipit Medullæ casiæ fistularis, drachmas sex, Antidoti e succo rosarum, drachmas tres & dimidiam, Sacchari boraginis, Echii, an. drachmam vnam. Formetur buccella purgatoria.* Construuntur etiam interdum boli ex Antidotis purgantibus solidis, adiectis pulueribus & speciebus simplicium quorundam purgantium medicamentorum, non neglectis iis quæ vehementiam eorundem retundunt, ac malitiam corrigunt. Atque hæc omnia serapio, aut alio liquore congruente excipiuntur, hoc quidem pacto: *I. Recipe Pulpæ casiæ recens extractæ, vnciam vnā. Rhabarbari optimi, drachmas duas & dimidiā. Sacchari, quod satis est ad excipiendum: fiat bolus. II. Recipe. Electuarium lenitiui de manna. drachmas sex. Diaphœnicon, Specierum hieræ simplicis, ana. drachmam dimidiam. cum saccharo fiat bolus purgatorius. III. Recipe. Florum Casiæ, vnciam vnam. Specierum hieræ puræ, drachmā vnā. Cum saccharo, quod satis est fingatur bolus IV. Recipe. Diacartami placentarum, drachmas tres. Turpeti selecti, drachmam dimidiam. Seminum anisi, Masticheſ ana. scrup. dimid. Serapio ex hyssopo excipiātur, & formetur bolus. V. Recipe. Pulpæ casiæ, drach. sex. Rhabarbari drachmam vnam. Cum saccharo, quod satis fiat bolus. Recipe. Diacatholicon, vnciam dimidiam. Rhabarbari, drachmam vnam. Cum saccharo fiat bolus.*

Buccea. Buccella. Bolos cōponēdi ratio.

Ceterum in componendis bolis diligentissime tam simplicium quam compositorum medicamentorum purgantium pondera sunt expendenda: quod sine horū exquisita notitia, vt bolum recte construamus, fieri non potest. Nam vel plus, vel minus quam conueniat, ingeramus necesse est, si non cuiusque medicamenti purgantis pondus cognitum habeamus. Qualia vero sint, *libro primo* huius Operis exposuimus. Hinc igitur eorundem notitia petenda. Cauendum vero vnice erit, ne vniuersa boli moles duarum vnciarum pondus excedat, quod scilicet maior quantitas vna vice citra fastidium ab ægro deuorari nequeat. Aut si deuorabit, non tamen sine nausea hoc ipsum attentabit, quam subinde facile ventriculi subuersio ac vomitus comitabitur.

Quantitas boli.

Trageæ purgantes. Hoc loco de *Trageis*, seu, *vt Nicolaus vocat, Drangais* purgantibus nobis agendum esset. Verum tractationem de iis ad caput de *Pulueribus* reiiciemus.

De diluti purgatorii vsu. CAP. VIII.

Dilutum quid? Infusio. DILVTVM nunc proprie vsurpamus pro liquore, in quo aliquid certo tempore citra elixationem maceratur. Nostræ ætatis Medici *Infusionem* appellant. Purgatorium itaque dilutum in præsentia, est liquor, *in quo medicamenta purgantia concisa, trita, vel in puluerem redacta, vel solida etiam, atque integra macerantur.* Tempus vero quo macerantur purgantia medicamenta, non vnum idemque omnibus statuitur. Macerandi tempus. Interdum enim per horas octo, duodecim, diem, biduum, triduum etiam, pro medicamenti natura, & vario Medici scopo & necessitate, vt interim vis eorundem tota in illum liquorem transeat, macerantur. Non autem sola medicamentorum facultas in liquore abit,

A abit, sed eius substantiæ etiam portio tenuior. Hinc est, quod dilutum Rhabarbari Indici vehementius purget, quam si ipsum per se & citra macerationem propinaretur: quod nimirum crassior eius substantia, & quæ illi inest adstrictoria facultas, in dilutum non transeat, sed in radice maneat. Necesse igitur est, quum amara & acris duntaxat qualitas eius in diluto sit, vt validius tum purget, quod omni sit destitutum adstrictione, qua aluus constringi tandem possit. Interdum tamen fieri potest vt crassioris etiã aliquid, præsertim dum quod maceratum est colando valentius exprimitur, aut per rarius colum transmittitur, in dilutũ transeat. Colandum igitur, & exprimendũ magis aut minus, pro vt plus aut minus purgare, nobis consilium est: & in summa, pro ægri, affectus, & medicamenti natura. Quanto enim medicamenta illa, quibus inest adB strictio, magis exprimuntur, tanto minus purgant. Contra, alia quibus hæc minime inest, quanto magis exprimuntur, tanto magis etiam purgant. Quare quid hac in parte faciendum sit, Medicus ex ægrotantis, affectus, & medicamenti natura, vt comprehensum est, discat oportet. Ceterum macerandi purgatoria medicamenta ratio veteribus parum frequens fuit, ideoq; a recentioribus in diuitum & delicatorum gratiam excogitata. Quorum palato vt plane inseruiant, diluta ipsa quoq; saccharo, & aliis interdum sic condiunt, vt æger se medicamentũ hausisse vix sentiat. Quod sane studium Medicorũ, nisi metus esset, ne purgantiũ facultas hac ratione prorsus sopiretur, non damnandũ esset. Est quando vice diluti, iusculo aliquo purgantia medicaméta nodulo ligata incoquimus. Quæ sane ratio ad decocta magis spectare videtur. In componẽC dis autem dilutis, principio necesse est purgantiũ medicamentorum modũ ac pond⁹ recte teneat Medicus. Maius vero esse pondus macerati medicamenti purgatorii, quam si per se & in substantia propinatur, nempe duplum fere libro primo a nobis abunde dictum est. Obseruandum etiam, vt purgantibus medicamentis semper commisceantur, quæ eorundem vehementiam refrenare possunt. Tempus quoque & quantisper sint macerãda, vt exprimatur necesse est, Quod quantũ esse debeat, paulo ante dixim⁹. Vbi vero tẽpus ad macerandũ sufficiens, & a Medico præscriptũ abierit, atq; medicamenta satis iã macerata sunt, colantur: ac valide (præsertim cũ vt plus purgent nobis consiliũ est) exprimuntur. Quo peracto, *Antidota purgantia liquida*, expresso liquori additis serapiis congruentib. quo suauior fiat potio, cõmiscentur, ad eũ, D quẽ sequentia reescripta præscribunt modum. Formula vbi per se sumitur leniens. ℞ *Rhabarbari, drach. vnã. Serapii e rosis solutiui, vnc. duas.* Misceantur.

Dilutum Rhabarbari Indici vehementer purgat.

Macerandi purgatoria ratio á recẽtiorib. excogitata.

Dilutorum componẽdorũ ratio.

I. ℞ *Rhabarbari Indici selecti, drachmas tres. Agarici albi, drach. vnã & dimid. Spicæ nardi, drachmam vnam. Zingiberis, scrup. vnũ.* Concidantur singula minutatim, & macerentur in liquoribus stillatitiis *Intybi satiui latifolii, Cassutæ, Boraginis, ana vnciam vnam.* Durent in iis per horas duodecim: dein in linteolum mundum coniecta, valide exprimantur, & colentur: adiectaque serapii ex Intybo satiuo latifolio semuncia, fiat potio.

II. ℞ *Rheibarbari selecti, drachmas duas. Spicæ, scrupulum vnum. Agarici in pastillos redaE cti, scrup. duos. Zingiberis, scrup. dimid.* Concisa macerentur horis octo, in liquoribus stillaticiis *intybi satiui latifolii, vncias duas. Apii, vnciam vnam. Vini optimi, vnciam vnam & dimidiam.* Postea probe exprimantur & colentur: adiiciantur que: *Antidoti e succo rosarũ, drac. vna. Diaphœnicon, drach. duæ.* Fiat potio purgatoria.

III. ℞ *Agarici optimi, drachmas duas, Zingiberis scrupulum vnum. Salis fossilis, grana duo.* Trita hæc omnia macerantur horis duodecim *in Vini albi odori, Liquoris stillaticii absinthii ana vnc. vnam. Fœniculi, vnc. vnam.* Exprimantur subinde, & colentur: adiiciantur q; *Antidoti indi maioris, drach. duæ & dimid. Oxymelitis scillitici, vnc. dimid.* Fiat potio.

IV. ℞ *Turpeti selecti, drachmam vnam, & dimid. Mastiches scrup. vnum.* Trita macerãtur horis octo in vini odoriferi vnciis tribus. Dein probe exprimantur, & per colum traiiciantur, adiiciantur q; *Antidoti indi, drach. tres. Mellis rosacei, vnc. dimid.* CommisceãF tur omnia, & fiat potio purgatoria.

V. ℞ *Myrobalanorum flauorum, drach. duas. Seminis anisi, Spicæ ana scrup. dimid.* Trita macerantur diu noctuq; in decocti passarum vuarum vnciis tribus, postea valide exprimuntur: & adiiciuntur *Antidoti e succo rosarum, drach. duæ. E prunis damascenis purgatorii drach. tres & dimid. Zulapii violacei, vnc. dimid.* Miscentur, & fit potio.

Peculiaris diluti componendi ratio.

Atq; hactenus solennes ac consuetas omnium fere, quæ macerantur, medicamentorũ purgantiũ formulas recensuimus. Sunt tamen, qui pro humorum in corpore redundantium diuersitate, peculiaria decocta pro purgantibus medicamentis macerandis conficiunt. Verbi gratia, vbi sanguis plus iusto auctus incaluerit, decoctum e *prunis, myxis, ziziphis oxyphœnicis, & id genus aliis fructibus adiectis quatuor seminibus frigidis* adornant. Sin pituita exsuperat, e seminibus atque radicibus quæ obstructiones tollunt, crassosque humores incidunt, decoctum parant, cuius exemplum infra in capite *de Decoctis* recitabimus. Si flaua bilis exundare cœperit, e violis, intybis, lactuca, & eiusmodi quæ feruorem bilis obtundere valent, decocta faciunt. Quæ quidem ratio quum sit parum, vt diximus, vsitata, ideo eius vnicum duntaxat exemplum subiiciemus. A B

VI. Recipe Ficuum, numero decem. Vuarum passarum purgatarum, vnciam vnam. Glycyrrhizæ repurgatæ, vnciam dimidiam. Myxarum, Ziziphorum, ana numero septem. Cinamomi selecti, scrupulum vnum. Intybi satiui vtriusq;, Violarum, Rosarum, ana manipulum vnum. Seminum quatuor frigidorum maiorum, ana drachmam vnam. Coquantur tantisper in aqua iustæ quantitatis, dum medietas relinquatur. Deinde in decocti huius per colum trãsfusi vnciis tribus macerentur per noctem, *Rheibarbari, drachmas tres. Spicæ, drachmam vnam.* Postea valide expressis, & per colum transmissis, addatur semuncia Zulapii violacei, & fiat potio.

De catapotiorum vsu. Cap. IX.

C

Catapotiũ. Pilulę.

Qvvm propemodum omnes purgantium medicamentorum hodie vsitatas formas hactenus exposuerimus, vt de catapotiis etiam, quod illorum vsus hac ætate frequentissimus sit, agamus necesse est. Porro καταπότιον Græcis medicamentum est, *quod integrum deglutitur, a καταπίνειν, quod deglutire significat, ita dictum*: Latinis a paruæ pilæ similitudine, & figura quam referunt, *Pilula* nominatur. Catapotia vero, vt facilius ab ægrotis deuorentur, & vt moram in ventriculo longiorem agant, atque a remotioribus in ipsum & intestina humores vacuandos attrahant, a Medicis sunt excogitata. Massa enim durior, qualis est catapotiorum, ægrius a ventriculo comminuitur: ob idq; tardius agit. Liquida vero contra confestim vacuant, & simul vacuantur. Sunt etiam inuenta, vt simul deuorentur, ne suo ingrato sapore linguam vitient, & ne ventriculum per se satis humidum, nouo humoris genere degrauemus. Quia vero fieri non potest, vt tam celeriter deglutiantur, quin aliquid insuauitatis post se relinquant: ideo foliis auri, carne fructuum, vel alio quopiam simili intecta, vel in cinamomi, aut similium rerum odoratarum pulueribus volutata exhibentur. Ceterum quæ cito agere volumus catapotia, damus admodum mollia, præcipue quibus imbecillus est ventriculi calor, ideoque illa liquore aliquo, aut melle emolliuntur. Quæ diu seruanda sunt, ea non ex solo stillaticio liquore, aut solo succo formari debent, quod citius siccentur, vel situm contrahant: nec vires simplicium cohibent, sed serapiis actionem eorundem iuuantibus, vel alio, & glutinoso & iucundo humore formentur. Qui hodie medicinam faciunt, catapotiorum triplicem in quantitate differentiam statuunt. Quædam enim ceteris maiora effingunt, vt scilicet diutius in ventriculo morata, validius ad se noxios humores trahant. Eiusmodi sunt, quæ caput potissimum expurgant, ideoq; ab iisdẽ Capitalia nominãtur. Nonnulla minima, cum aliis collata, fingunt, vt nimirum ocyus in ventriculo dissoluantur, permutenturque. Atq; hæc quidem ventriculum magis confortant, minusque purgant. Eius generis sunt *aromatica*, siue *alephangina*: & *pestilentialia*, seu *Rufi* vocata. Aliqua mediocri quantitate formantur, vt sunt cætera fere omnia catapotia. Tempus exhibendorum catapotiorum fortium, & potentius a toto corpore trahentium, idem quod aliorum medicamentorum purgantium, nempe matutinum esse debet. Hoc enim tempore natura, quæ cibum vniuersum probe iam concoxit, medicamento in humorum expulsione adminiculatur. Aliis vero temporibus circa ciborum concoctionem occupata, medicamenti actionem iuuare non potest. Quapropter medicamentum naturæ auxilio destitutum, minus vacuat. Alimentum præterea, naturæ actionem interturbans, corrumpit, adeoque non contemnendam noxam infert. Damnanda igitur modis omnibus nostri seculi Medicorum consuetudo D E F

Catapotia cur excogitata.

Catapotiorũ in quantitate differentia.

Exhibendi tempus.

Error medicorũ nostri temporis damnatus.

A suetudo venit, qui vesperi duabus aut tribus a cœna horis maiora catapotia, minora vero totidem ante cœnam horis sumenda esse præcipiunt. Nam hæc non solum rationi iam expositæ, sed & veterum auctoritati aduersatur. Ex multis autem vnum produxisse Paulum, satis sit, qui *lib.7.cap.4.* ita ea de re scriptum reliquit: *Qui vesperi medicamentum purgans exhibent, aut a cibo, noxam inferunt: quippe alimentum corrumpit, humoremque minus vacuat.* Hortor itaque amantes veritatis, vt a deterrima, & non sine magno errore introducta consuetudine recedant, nec cum multis errare subinde pergant. Non latet autem, quosdam hoc loco Galeni auctoritatem nobis opponere, vt qui *lib.14.Ther.methodi, cap.8.* pilulas ex aloe, colocynthide & scammonia cuidã ægrotãti tumore linguæ laboranti exhibuerit. Verũ si historiæ huius vniuersas circumstantias expendant, nihil illorum errori patrocinari Galenum experientur. Nam etsi vesperi dedit, tamen ieiuno adhuc dedisse constat. Morbus namq; quo ille laborauit, acut9 fuit, ideoq; tenuẽ victus rationem requisiuit: vt verisimile sit, illum nihil comedisse. Et Galeni temporibus tam exquisita victus ratio, sanorum etiam erat, vt in cœna nihil sumerent, aut saltem exiguo cibo vterentur. Præterea a prandii tempore vsq; ad vespertinum satis spacii fuit, in quo exquisite cibum illum, quem sumsit, pro huius ætatis more exiguum, concoquere exquisite potuit. Deniq; si idem paulo ante pilularum exhibitionem aliquid cibi sumsisset, haud dubie Galenus silentio minime transisset. Proinde vana spe lactantur, qui ex hoc loco sui erroris patrocinium quærere se posse putant. Nec temere a nobis dictum est, *catapotiorum fortium.* Nam prædicta exhibendi ratio non in omnibus catapotiis seruanda erit. Est enim, vbi ventrem totum inferiorem, ventriculum, & primas venas leuiter exonerare consilium est, & nauseabundum stomachum roborare. Quare tum catapotiis leuibus vtendum, qualia sunt *aromatica dicta, Rufi, masstichina, ex aloe, & quæ ante cibum a consueto vtendi tempore a nonnullis hodie nuncupantur.* Hæc enim hora vna ante epulas, aut etiam post exhibentur, tuncque parua quantitate sumta, abunde purgant; vnaque potum & cibum absque noxa deturbant. Quod profecto vacuationis genus inprimis ventriculo magna copia pituitæ referto conducit. Quippe redundans humor tunicis ventriculi adhærens facile tum eluitur, & medicamenti vis in partis substantiam ad vires reficiendas promtissime penetrat, qui sane est præcipuus instituti scopus. Reliquum catapotiorum genus, consuetum exhibendi tempus non mutat, & matutinis horis cum ceteris purgantibus medicamentis deuorandum propinatur. Sub matutina vero hora complectimur etiã mediam noctẽ, modi qui assumturi sunt catapotia leuissime cœnarint; & id quod post primum somnum est tempus. Componendorum Catapotiorum ratio hodie vsitata eius modi est. Aliquot catapotiorum genera, tria nimirum, plura aut pauciora, inter se commiscent, & raro vnius generis catapotiis vtuntur. Addunt fere semper, quod illorum vehementiam augere potest, verbi gratia *aloen, dacrydium, agaricum in pastilli formam redactum*, & eum qui Arabibus *Alhandal* dicitur. Hæc omnia subinde tusa in mortario, cum stillaticio aliquo succo, vel liquore, aut serapio cõueniente, in catapotiorum formam iterum cogunt: & ea subinde cinamomo, vel auro obuoluunt, vt minori negotio deuorentur, vt etiam paulo supra diximus. Vt facilius deuorentur prunorum aut pomorum pulpa inuolui possunt, vt & paneazymo vino molliter perfuso: Alexander Trallianus ex ouo sorberi præcipit. Nullo etiam negotio serapio aliquo, verbi gratia, rosaceo solutiuo illita deglutiuntur, quod aliquot rescriptis palam faciemus, vt instar illorum alia condi queant.

Obiectio diluitur.

Componendorum catapotiorũ ratio.

I. ℞ Pilularum alephanginarum, Aggregatiuarum, e hiera simplici, ana scr. vnum. Aloes optimæ, scrup. dimid. Dacrydii, grana duo. Cum stillaticio fœniculi liquore fingantur pilulæ duodecim, & in cinamomi puluere volutentur.

II. ℞ Catapotiorum ex agarico, Stomachicorum, ana drach. dimid. Agarici, in pastillos redacti, scrupulum dimidium. Dacrydii grana tria. Cum stillaticio hyssopi liquore, formentur catapotia nouem.

III. ℞ Pilularum azaiareth, scrupulos duos. Lucis maiorum, scrupul. vnum. Sine quibus esse nolo, scrupul. dimid. Pastillorum alhandal grana quatuor. Masstiches, grana duo. Cũ stillaticio liquore eufrasiæ, fingantur pilulæ vndecim. Interdum catapotiis compositis simplicia quædam medicamenta purgantia, adiectis etiam iis quæ vehementiam eorun-

dem corrigunt ac frangunt, addere solent: hunc quidem in modum. ℞ *Pilularum cochiarum, scrupulos duos. Azaiareth, De hiera composita, ana drach. dimid. Agarici in pastillos digesti, scrup. duos. Myrobalanorum cepulorum scrup. vnũ, Mastiches, scrup. dimid. Turpeti selecti, scrupulum vnum. Seminis anisi, scrupulum dimidium. Granorum paeoniae, numero tria. Stichadis scrup. vnum. Castorii, grana tria.* A

Cum serapio e stichade formentur catapotia ex vna drachma septem, auroque tecta deglutiantur.

Pondus exhibitionis. Pondus exhibitionis catapotiorum magna ex parte drachmæ vnius pondus nõ excedit. Licet tamen interdum plus, nonnunquam etiam minus, quanquam raro, pro corporum & naturarum diuersitate, exhibere. Reliqua illis cum cæteris purgantibus medicamentis communia sunt. B

De vsu eorum quæ vomitum eliciunt. Cap. X.

Vomitum cientium differentia triplex. Leuia. Mediocria. Vehemẽtia.

MEDICAMENTORVM, vomitum cientium, triplex est differentia. Quædam n. leuiter admodum vomitum mouent. In quorum numero sunt, *aqua calida, & hordei decoctum pota: item ficuum multa comestio, Æsopici illius serui exemplo: oleum, primis digitis extinctis, faucibusque immissis ac intrusis, ingestum. Præterea serapium acidum, oxymel, & aqua mulsa. Alia mediocriter vomitum cient: vt sunt, anethi flos & semen, rapi item, atriplicis, & erucæ semina. Denique raphani radix cortex præsertim eius & semen, betonica narcissi, & cucumeris satiui radices.* Nonnulla sunt, quæ cum vehementia vomitum eliciunt: veluti, *vterq́ elleborus, cucumeris syluestris radix. sesamoides, daphnoidis folia. sparti flores semina & siliquæ: nux item vomica appellata, & id genus alia.* De iis omnibus tribus generibus paradigmata & exempla subiiciemus. Leue: ℞ *Decocti hordei, vncias duas & dimidiam, Olei communis, Oxymelitis simplicis ana vnciam vnam. Commixtis omnibus, fiat potio.* Mediocre: *Recipe Florum anethi, Atriplicis, ana manipulum vnum. Seminis raphani drachmam vnam. Rapi, drachmam dimidiam. Radicis betonicæ, drachmam vnam & dimidiam. Hyssopi, Manipulum dimidium.* Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias, dein colo transfundantur: & *Recipe Decocti colo transfusi, vncias quatuor. Oxymelitis simplicis, vncias duas. Commixtis omnibus, fiat potio.* Vehementia: Qui validiora medicamenta, potissimum elleborum, sumpturi sunt, ii diebus aliquot incidentia, tergentiaque præsumere debent. Eosdem quoque exilem cibum præsumsisse iuuat. Corpus etiam lauacro, & quiete humectandum. Id quod maxime faciendum, vbi strangulatus suspicio metusve imminet, aut imbecillitas subest. Munitis enim alio cibo corporibus, vomitus nihil periculi minatur. Vehementis vomitorii hoc adiicere rescriptum voluimus: ℞ *Atriplicis, Asari ana Manipul. vnum. Seminis genistæ, Sesamoidis maioris, ana drachmam vnam. Bulbi vomitorii, drachmam dimidiam. Radicis ellebori albi, scrupulum vnum.* Coquantur in aqua iustæ quantitatis ad tertias, dein colentur. ℞ *Decocti colo transfusi, vncias tres & dimidiam. Oxymelitis scillitici, vncias duas & dimidiam.* Misceantur. C D

Sumendi ratio. Potiones, quæ vomitus ciendi gratia bibuntur, tepidæ affatim sumendæ sunt: ita enim ad concitandum vomitum magis sunt efficaces. Immittenda etiam interdũ penna oleo intincta in gulam, ad irritandam expultricem facultatem. Quæ mediocriter vomitum eliciunt medicamenta, ieiunis etiam propinari possunt. Ellebori præparationem, si quis eo solo vti velit, ostendimus *Sect. 4. Aph. com. 13.* Mensura decocti vomitorii sint vnc. quatuor cum vnciis duabus oxymelitis. E

De saccharorum & conditorum vsu. Cap. XI.

Flores saccharati. Conseruæ.

SOLENNE est hoc tempore, vt stirpium flores & alia complurima ad dulcorationem & conseruationem saccharo vel melle condiantur: idq; nõ temere, quod hæc conditurae ars ægrotis magnũ momentũ affert, dũ eo inuento medicamenta alioqui per se satis fastidita, ita condulcantur, vt stomacho & palato grata sint, aut etiã in plures annos integra, & veluti recentia durent. Sic hodie flores stirpium multarum saccharo condiuntur, & ob id *flores saccharati* rectissime appellarentur, verbi gratia, *violæ*, vel *rosæ saccharatæ*. Tamen vsus obtinuit vt *Sacchara*, & *conseruæ* magis *violarum*, *rosarumque* nominentur. Ceterum olim non tantum ex floribus, verumetiam e stirpium succis conficiebantur: *quemadmodum ex Actuario, recentiore Græcorum scriptore, abunde liquet*: qui Iosacchar, id est, violaceum saccharum, ex violarum succo & saccharo F

A factitatum medicamentũ esse, memoriæ prodidit. Conditi quoque voce hodie aliter, ac olim vtuntur medici. Veteribus enim conditum erat, *quod ex aromatis, & aliis odoriferis medicamentis vino & melle incoctis parabatur, quale est conditum calculos frangens Pauli, & conditum Oribasii ad calculum in vesica conterendum, & conditum aliud piperatum.* Hodie vero Condita appellant medicamenta, *quæ saccharo vel melle, vel vtroque condiuntur & dulcorantur, vt gulæ & stomacho, vt dictum est, sint grata, & diu integra seruari possint, & recentibus proxima.* Condiuntur autem hodie maxime fructus, radices, & semina. Et conditi nomen recentiores, ad ea etiam medicamenta referunt, quorum semina & radices saccharo teguntur & incrustantur. Sic semina coriandri, anisi, fœniculi, carei, & alia: item pimpinellæ radices saccharo tectas & incrustatas, *Conditas* hodie vocamus, quæ magis proprie B forte *Bellaria & Tragemata* dicerentur. Porro quod ad vsum saccharorum & conditorum attinet, sciendum interdum per se, citra aliorum medicamentorum accessionem, in vsum vocari. Nonnunquam eis permiscentur Antidota, quæ certis corporis partibus robur addunt, adiectis eorundem speciebus, & pastillis congruentibus: item, medicamentis aliis simplicibus eiusdem facultatis, & serapio aliquo excipiuntur: vt e sequentibus formulis patebit. Sic parata enim medicamenta, quum mediæ sint consistentiæ, neque fluida nimis, neque dura & sicca, facile ægroti palatum alliciunt: conseruis ipsis plerunque largiore humore diffluentibus, & pulueribus seu speciebus, aut antidotis molesta soliditate præditis.

Conditum.

Saccharorum & conditorum vsus.

C *I. ℞ Sacchari rosacei veteris, Diacotoneon sine speciebus, an. vnciam vnam & dimidiam. Diatrionsantalon, vnciam vnam. Pastillorum e spodio, Terra lemnia, an. drachmam vnam & dimidiam. Radicis symphyti maioris, drachmam vnam. Bistortæ, drachmam dimidiam. Balaustiorum, Boli armenii, Sanguinis draconis, an. scrupulos duos. Serapii myrtini, quantum ad excipiendum satis erit.*

II. ℞ Sacchari florum betonicæ, Lauandulæ, Rosmarini, an. drachmas tres. Maioranæ, Saluiæ, Pæoniæ, an. drachmas duas & dimidiã. Antidoti diambaris, vnciam dimidiã. Acori conditi, drachmas septem. Corticum myrobalanorum, cepulorum conditorum, vnciam vnam. Zingiberis conditi, drachmas tres. Specierũ dianthos, Diamoschi dulcis. Aromatici rosacei, an. drachmam vnam. Serapii e stichade, quod ad excipiendum sufficiet.

D *III. ℞ Conseruæ cichorii, Betonicæ, Saluiæ, an. vnciam vnam. Zingiberis conditi, Radicis pimpinellæ conditæ, an. vnciam dimidiam. Specierum dialacha, Diatrionpipereon, Dianisi, an. drachmam vnam. Serapii ex Eupatorio, quantum ad excipiendum satis erit.*

Ad eorum rescriptorum exempla, infinita alia strui possunt: quapropter ad aliorum vsum indicandum progrediemur.

De eclegmatum vsu. CAP. XII.

GRæcis ἐκλέγματα, & ἐλέγματα, & ἐκλεικτά, medicamenta sunt, quæ linguntur & lambuntur verius, quam deuorantur, ac si dicas *lingibilia, & retenta in ore, aut linguæ subdita,* paulatim liquescunt, tabescuntue. Latinis *linctus, & eclegmata* appellantur. Nostræ ætatis medicis Mauritanam sectantibus medicinam, *Loch, vel Lohoc* nominantur. Est E autem medicamentum ad thoracis & pulmonis vitia efficax, & ad pituitæ in thoracem effluxum educendum idoneum. Porro quotidianus vsus obtinuit, vt eiusmodi Loch inuicem commisceantur. Quanquam interdum etiam per se citra reliquorum accessionem sumuntur. His igitur alia quedam tum simplicia, tum composita medicamenta, pulmonis & thoracis vitiis conuenientia permiscentur: vt est, *diatragacantes antidotum, diapennidion, pastilli pectorales appellati, catapotia bechica dicta, succus glycyrrhizæ, tragacantha, saccharũ candefactum, gummi arabicum, & id genus alia tenacia,* vt diutius in pulmone & thorace retenta, actionem suam exserere possint. Item Conseruæ appellatæ, antidota roborantia, cum eorundem speciebus, vt e subiectis patebit formulis.

ἐκλέγματα. Linctus. Loch. Vsus eclegmatum.

F *I. ℞ Ecligmatis sani & experti, drachmas duas. E scilla, drachmam vnam. E pineis nucibus, Pulmone vulpis, an. drachmas duas & dimidiam. Diapenidion, Dia tragacanthes, an. vnciam dimidiam Specierum diaireos, drachmam vnam & dimi. Pastillorum pectoralium, drachmas tres. Succi glycyrrhizæ, drachmam vnam & dimidiam. Radicũ inulæ, scrupulos duos. Ari, scrupulum vnum. Serapii e marrubio, quantum ad excipiendum satis est.*

II. ℞. Sachari violacei, Nymphææ, Rosacei, an. vnciam dimidiam. Boraginis, Cichorii, an.

drachmas tres. Diarrhodon abbatis, vnciam vnam. Eclegmatis de papauere, drachmas tres. Specierum diatrion santalon, drachmam vnam & dimidiam. Tragacanthes, drachmam vnam. Zulapii violacei, quantum ad excipiendum sufficit. A

Exhibitionis tempus. Exhibentur quouis tempore ante & post cibum sumtum, nucis auellanæ, aut fabæ quantitate. Potissimum autem diluculo & vesperi. Præstat, vt pondere vnius vnciæ lambendo sumantur. Detinentur in ore, donec sua sponte liquescant, atque adeo paulatim descendant, & per asperam arteriam ad pulmonem & thoracem perueniant. Proinde quum crassum & lentum pus, aut similis pituita ex thorace aut pulmonibus educenda est, ecligmata liquore multo ad rem præsentem idoneo sunt diluenda.

De zulapiorum vsu. CAP. XIII.

Zulapium. Iulebum. ACtuarius & alii recentiores Greci, barbara quidem voce ζυλάπιον vel ζύλαπον appellant id medicamentum, quod alii *Iulapium*, alii *Iulebum* siue *Iulepum* nominant. Fit autem e stillatitio liquore, vel rectius e succis cum sacharo coctis. Saccharũ enim succos a putrefactione conseruat. B Seplasiariorum auaritia. Seplasiarii a legitima componendi Zulapiorum ratione, auaritiæ stimulis agitati, recedunt, *vt copiosius lib. 2. huius Operis diximus.* Nam vt horum componendorum rationem hic doceamus, nõ est necesse, quod id ipsum loco iam citato præstiterimus. Vsus Zulapiorum. Ceterum in Zulapiorum vsu hodie quidam religiose obseruant, vt simplo Zulapiorum ponderi, stillatitiorũ liquorum quadruplum respondeat. Quod fit in iis Zulapiis, qui non coquuntur, de quorum cõpositione hic agimus. Verbi gratia, si Zulapiorum pondus sit vncias tres, liquorum stillatitiorum esse debent vncias duodecim, vt e sequenti manifestum fit formula, quæ C

℞. *Zulapii violacei, Rosacei, an. vnciam vnam & dimidiam. Liquorum stillatitiorum intybi satiui, Oxalidis, Boraginis, an. vncias tres.* Commisceantur inuicem, ac fiat potus.

Actuarius. Actuarius, inter Græcos non contemnendæ auctoritatis scriptor, ex variis simplicibus medicamentis Zulapia componit, non vt hodie fit, ex vino duntaxat & aqua. Ad quam vtiq; componendi rationem respicere videntur, qui zulapiis admiscent serapia, stillatitios liquores, odorata, & species: vt e subiectis rescriptis omnib. innotescet, quæ

I. ℞. *Zulapii violacei, Serapii e glycyrrhiza, an. vnciam vnam. Decocti hordeacei, vncias tres. Cinamomi, vnciam vnam. Stillatitiorum liquorum, tussilaginis, Scabiosæ, an. vncias duas.* Commixtis omnibus fiat potio, qua ad esculenta vtatur æger. D

II. ℞. *Serapii e menta, vnciam vnam. Ex eupatorio, vnciam vnam & dimidiam. Hyssopo, vnciam dimidiam. Liquorum stillatitiorum origani, Menthæ, Buglossi, an. vncias quatuor. Cinamomi selecti, Caryophyllorum, an. scrupulos duos. Specierum aromatici rosacei, drachmam dimidiam. Diambar, scrupulos duos.* Commisceantur singula, & fiat potio.

Vsus prioris potionis in febribus esse potest, & aliis calidis morbis, vbi vini vices, quo tum abstinendum est ægris, supplet. Alterius in frigidis, tussi præsertim, vsus esse potest.

De succorum medicatorum vsu. CAP. XIIII.

Succi medicati. SVccos medicatos cum Actuario ipso vocamus eos, qui primo purgantur, & desecantur: dein vero solis aut ignis calore sic densantur, vt longiore citra corruptionem tempore asseruari valeant. E Rob. Arabes, & nostri temporis Medici, *Rob & Robub* appellant. Miua. Ex quorum etiam numero est is quoque, quem barbara voce *Miuam* vocant. Sic autem nominant succum fructuum, eo vsque decoctum, vt sapæ aut mellis consistentiam accipiat. Sapa. ἕψημα. σιραῖον. Sapa vero non est nisi mustum ad tertiam partem decoctum. Græcis ἕψημα & σιραῖον dicitur. Sapa calefacit, dolores mitigat, quia rosionis expers est, discutit, & concoquit. Magnam quoque saporis gratiam ad intinctus habet. Nutrit, & aluum lenit. Defrutum. Quod si vero ad dimidiam partem per decoctionem mustum redactum fuerit, *Defrutum* Latinis nuncupatur. Caræenum. Vbi vero tertia deperdita, duæ partes remanserint, *Cærenum* vocatur. Vsus. Succis autem medicatis sic hodie vtuntur Medici in suis rescriptis. Commiscent illos roborantibus antidotis tum liquidis, tum solidis: item saccharis, adiectis aliquot medicamentis simplicibus idoneis, serapio aliquo exceptis, quemadmodum sequens formula perspicue demonstrat, quæ F

℞. *Succi medicati e ribes, Diamoron, Hydromalon, an. vnciam dimidiam. Diacotoneon sine speciebus, drachmas sex. Sacchari rosacei veteris, vnciam vnam. Radicis symphyti maioris, Bistortæ, an. drach-*

A *an. drachmam dimidiam. Boli armenii, Balaustiorum, Sanguinis draconis, an. scrupulū dimidium. Pastillorum e spodio, Terra lemnia, an. drachmam vnam.*

His quibus opus est, in puluerem redactis, singula commisceantur: & cū Serapio myrtino, quantum sufficit, ad mellis consistentiam coeant. Sunt qui succos medicatos cum stillatitiis liquoribus instar Serapiorum, de quorum vsu sequenti capite dicemus, permisceant: vt ex sequenti paradigmate patebit, quod

℞ Succi medicati e berberis, vnciam vnam. Hydromeli simplicis, Diacaryon, an. drachmas tres & dimidiam. Liquoris stillatitii plantaginis, Oxalidis, Fragorū, an. vnciam vnam. Misceantur, fiat potio.

Vtimur autem illis perinde atque conseruis & serapiis, tum potissimum, vbi adB strictionis nobis incumbit necessitas.

De serapiorum vsu. Cap. XV.

Serapium vocat Actuarius, compositionem eam, quam hodie voce alia magis vsitata *Syrupum* nominant. Sic vero appellant succos vel medicamenta, cum melle vel saccharo, vel vtroque simul, donec concreuerint, & iustam consistentiam consequantur, decocta. Qui hodie faciunt medicinam, in breue & longum (sic enim loquuntur) digerunt serapium. *Breue*, quod parum aquei in se humoris habet, appellant: alioque nomine commune vocant. *Longum*, id est, aquosum, quod ad perfectionem non sit coctus, & humoris aquei in se multum contineat, esse dicunt: alioque nomine *Decoctum* nuncupant. Differt itaque Serapium proprie dictum a decocto duratione, consistentia & suauitate. C Serapium enim probe coctum vltra annum etiam interdū citra corruptionem durat, & efficax exsistit: decoctum vero vix vltra septimū diem seruari potest quin corrumpatur. Præterea Serapium ad iustam spissitudinem decoquitur: decoctū vero, quod plus aquei humoris retineat, nequaquam. Denique serapium plus sacchari aut mellis quam decoctum accipit, ideoque suauius & gustui gratius est. Porro in serapiis commiscendis omnes propemodum hodie Medici hunc obseruant morem, vt ea cum stillatitiis liquoribus idoneis ac conuenientibus permisceant, ac ita potanda præbeant. Et in iis confundendis religiose admodum obseruant, vt sit dupla liquorum stillatitiorum ad simplam serapiorum mensura, quemadmodum e sequentibus formulis luculenter admodum apparebit. Tamen licebit interdum, ita postulante & ægri, & morbi natura D plus aut minus de serapiis & aquis stillaticiis exhibere. Parum serapiorum, & multum stillatitiorum liquorum, vbi sitis vrget & infestat. Plus serapiorum, minus stillatitiorum liquorum, vbi quæ in ventriculo, & aliis vicinioribus sunt partibus, alterare consilium est. Nunc paradigmata subiiciemus, quorum

Serapium. Breue, siue commune. Longum. Decoctum. Miscendorum serapiorum, ratio.

I. ℞. Serapii violacei, vnciam vnam. Intybi satiui, vnciam dimidiam. Liquoris stillatitii cichorii, Intybi satiui latifolii, Borraginis, an. vnciam vnam. Misceantur.

II. ℞. Mellis rosacei colati, Oxymelitis simplicis, Serapii e calamintha, an. vnciam dimidiam. Liquorum stillatitiorum hyssopi, Calaminthæ, Fœniculi, an. vnciam vnam. Commisceantur.

III. ℞. Serapii e mentha, vnciam vnam. Hydromeli compositi, vnciam dimidiam. Liquoris stillatitii absinthii vncias duas. Menthæ, vnciam dimidiam. Misceantur.

E Atque hæc breuium nominatorum serapiorum commiscendi ratio est. Quo autem pacto longa sint construenda serapia, sequenti capite dilucide explicabitur. Exhibentur frequenter appetente diluculo serapia, antea quidem igne, aut feruente aqua, instar aliorum liquidorum medicamentorū, quæ a ieiunis hauriuntur, calefacta. Nonnunquā etiam vesperi, & iam dormituris propinantur: idque potissimum fit, vbi somni conciliandi gratia sumuntur.

Exhibitionis tempus.

De decoctis parandis. Cap. XVI.

Decoctorum varia sunt genera. Quædam enim ad præparandos tantum, & alterandos humores vsurpantur: quædam vero non tantum in hoc, vt præparent & alterent, sed & vt simul purgent, aliosque multos effectus in diuersis partibus corporis præ-F stent, adhibentur, quæ hodie suo more *Magistralia* appellant. Sunt etiam nōnulla, quæ priuatim purgantia vocantur decocta. De quibus omnibus rescripta subiiciemus ordine: modo prius, e quibus rebus decocta componantur, ostendamus. Parantur autem decocta maxime e stirpium radicibus, foliis, surculis, fructibus, seminibus, corticibus & lignis. Et vsus obtinuit, vt foliorum quantitas fasciculorum manualium seu manipu-

Præparātia. Alterantia. Mixta. Magistralia. Purgantia. Decocta vnde parantur.

Ponderum in decoctis ratio.

lorum: fructuum vero propemodum omnium, demtis passis vuis, & oxyphœnico, numeri: reliquorum autem, ponderis adiectione æstimetur. Obseruãt etiam, medicinam hodie facientes, vt plerunque e radicibus sumãt vncias tres, e foliis fasciculos manipulares quinque, e seminibus drachmas quatuor, quinque aut sex: e floribus pugillos quatuor, aut totidem manipulos. Reliquorum pondera & mensuræ Medici industriæ relinquuntur. Coquuntur autem hæc omnia nunc ex aqua, tum simplici, qualis est fontana & pluuia, tum medicamentosa, qualis est stillatitius liquor, marina salsa, aluminosa: nunc ex alio humore, vino verbi gratia, aceto, sero, vel quouis alio, vt in hunc scilicet medicamenta vires suas deponant. Aquarum autem & liquorum, in quibus prædicta coquuntur, mensura, raro duas libras, vel summum tres excedat: quod maior eius quantitas non solum prædictorum vim & efficaciam frangat, & obtundat, imo etiam caussa sit, vt antequam tota ab ægrotante hauriatur & absumatur, corruptionem induat. Postquam decocta sunt hac ponderum & mensurarum ratione medicamenta, exprimuntur, & mox ceu inutilia abiiciuntur. Exprimuntur autem horum quędam valenter, alia leniter, pro rerum coctarum & humoris, in quo incocta sunt, natura, & vario Medici scopo. Cuilibet quoque libræ aquæ & liquoris, ne id silentio transeamus, sacchari aut mellis libra dimidia, vt plurimum, adiicitur. Quod si etiam decoctum quibusdam odoramentis, vt suauius fiat, cõdire voluerimus, cuiuis libræ decocti drachmas duas odoramentorum permiscebimus. Nũc ea, quę diximus, aliquot paradigmatis declarabimus, orsi ab eo quod flauam alterat bilem. Hoc vero A B

Aquarum & liquorũ mensura.

Decoctum frigidum.

I. ℞. *Florum violarum, Rosarum, Cichorii, Nymphaæ, an. Manipulum vnum. Foliorum intybi satiui latifolii, angustifolii, an. Manipulum vnum & dimidium, Lactucæ, Portulacæ, an. Manipulum vnum. Vuarum passarum, exemtis acinis, vnciam vnam. Prunorum damascenorum, numero vndecim. Zizyphorum, numero nouem. Oxyphœnicon, vnciam vnam. Seminum intybi satiui vtriusque, an. drachmam vnam & dimidiam. Malonum, Cucurbitæ, an. drachmas duas. Portulacæ, drachmam vnam. Radicis cichorii, vnciam dimidiam. Glycyrrhizæ, vnciam vnam & dimidiam. Cinamomi selecti, drachmam vnam & dimidiam. Coquantur singula in tribus aquæ fontanæ libris, donec dimidium absumatur. Dein colo transfusis, iuri decocti, sacchàro adiecto, dulcedo ac suauitas concilietur, idemq; albo oui purificetur: addanturq; Serapii ex intybo satiuo, vncia tres. Zulapii violacei, vncia vna & dimidia.* Fiat potio. C

I. Quod ad pituitæ, aliorumque crassorũ ac lentorum humorum præparationem atque extenuationem prodest D

℞. *Radicum apii, Acori veri, Iridis, Inulæ, an. vnciam vnam. Seminum petroselini, Dauci, Anisi, Rusci, an.* ℥ ij. *Fœniculi.* ℥ j. *Chamæmeli, Adianti, Origani, Hyssopi, an. Manipulum* j. *Menthæ, absinthii, an. Manipulum dimidium. Casiæ ligneæ* ℥ j. *Cinamomi* ℥ ij. *Iunci odorati drach. dimid. Florum melissophylli, Sambuci, Scabiosæ, an. Manipulum vnum. Coquantur in aqua libris duabus ad tertias, deinde colo aransfundantur, & sacchari adiectione eius decocti dulce reddatur, purificeturque: & additis serapiorum e marrubio & hyssopo, an. vnciis duabus fiat potio.*

III. Ad melancholici humoris præparationem, ac eiusdem faciliorẽ eductionem, valet quod sequitur: &

℞. *Florum Boraginis, Violarum, Echii, Melissophylli, an. Manipulum vnum. Vuarum passarum, exemtis vinaceis, vnciam vnam. Fumariæ, Aspleni, Intybi satiui vtriusque, an. Manipulum vnum & dimidium. Corticum radicum capparis, Tamaricis, an.* ℥ iij. *Radicum fœniculi, Petroselini, Iridis, an. vnciam vnam. Glycyrrhizæ, vnciam vnam & dimidiam. Polypodii, drachmas sex. Thymi corymborum, Epithymi, an. drachmam dimidiam.* E

Coquantur singula in tribus libris aquæ fontanæ, donec tertia pars absumta fuerit. Dein colentur, & adiecto saccharo ius decocti dulce reddatur, alboque oui purificetur. Addantur postea *serapii e fumaria, ex epithymo, e buglosso, an. vncia duæ.* Fiatque potio.

Decoctum magistrale vulgo nominatum.

IV. Quod si decoctum, vt hodie vocant, Magistrale, hoc est, quod simul præparat, purgat, & alias commoditates in diuersis corporis partibus affert, construere animus est: ad illius quod sequitur, rescripti exemplum facias oportet. Hoc F

℞. *Radicum iridis, Fœniculi, Petroselini, Asparagi, Inulæ, Acori veri, an. vnciam dimidiam. Glycyrrhizæ repurgatæ, vnciam vnam. Rhei pontici, drachmam vnam & dimidiam. Seminum rusci, Anisi, Fœniculi, Nigellæ, Dauci, an. drachmas duas. Vrticæ veræ, drachmam vnam.*

Herbarum

A *Herbarum, Hyssopi, Origani, Pulegii, Betonicæ, Serpilli, Chamæmeli, Saluiæ, Marrubii, an. Manipulum vnum. Stichadis, Maioranæ, Adianti, Tussilaginis, Eupatorii, Cassuthæ, Absinthii pontici, Menthæ, an Manipulum dimidium. Prunorum damascenorum, numero nouem. Tamar indorum, vnciam vnam. Palmularum pinguium, numero septem. Myxariorum, numero sex. Ziziphorum, numero quinque. Ficuum pinguium, numero nouem. Folliculorum senæ, drachmas sex. Corticum myrobalanorum citrinorum, Indorum, an. vnciam dimidiam. Agarici boni, drachmas tres. Rhabarbari selecti, drachmam vnam & dimidiam. Spicæ, grana sex. Zingiberis, drachmam dimidiam. Cinnamomi, Cubebarum, an. drachmam vnam. Thymi, Epithymi, an. drachmas duas & dimidiam. Florum boraginis, Echii, Violarum, an. Manipulum vnum.*

B Coquantur omnia in aqua iustæ quantitatis ad tertias, & per noctem in decocto simul persistent. Postea expressis, & colo transfusis, dulcedo cum saccharo sufficienti conciliet̃ur. Deinde adiiciantur *serapii e stichade, vnciam dimidiam. Serapii e glycyrrhiza, & ex hyssopo, an vncias duas*. Fiat potio. Huius decocti exemplum nõ ideo produximus, quod Medicis imitandum esse putemus. Fieri enim vix potest, vt eodem tempore humores præparentur, tantum abest, vt illos simul concoquantur (quod tamen illi sibi certo persuadent) & educantur. Accedit, quod in iis variis miscellis, non raro vnum alterius actionem impediat. Hinc perspicuum euadit, errare eos plurimum, qui in prædictum modum immensum simplicium & compositorum medicamentorum numerum coaceruant. Quanquam præclare se interim rem gessisse censent, & non pœnitendam laudem ex magistralis decocti compositione, si diis placet, se consecutos esse sibi persuadent. C

Magistralium decoctorum cõpositio improbatur.

Ceterum omnium iam dictorum decoctorum iura per colum transmissa, vtpote iam medicamentosa, serapiorum instar, appetente diluculo, pondere trium, quatuor, plurium aut pauciorum vnciarum, pro morbi aut ægrotantis ratione, assumuntur. Interdum etiam vesperi, præsertim vbi frequentem exhibitionem ægrotanti nullam afferre molestiam, aut eandem morbum ipsum requirere compertum habemus. Atque hactenus alterantium & præparantium decoctorum formulas produximus. Reliqua adhuc sunt, præter iam commemorata decocta purgantia, de quibus iam dicemus. Non multum a prioribus variant purgantia vocata decocta, nisi quod in iis componendis diligenter ad pondus purgantium medicamentorum est respiciendum: nec quæ D illorum vim infrænant, ac vehementiam remittunt & obtundunt, sunt omittenda: sed ex formulis, quæ sequuntur, eorundem componendi ratio facilime constabit.

Tempus & modus assumendorum decoctorũ.

Decocta purgantia.

I. ℞. *Hermodactylorum, Turpeti, an. drachmam vnam. Polypodii, Folliculorum senæ, an. drachmas duas. Macis, Mastiches, an. scrupulum vnum. Cinamomi, Seminis dauci, an. scrupulum dimidium.*

Concisa minutatim coquantur in libra vna & dimidia aquæ, tantisper dum tertia pars absumatur. Postea colo transfundantur, & fiat potio. De hoc purgatorio decocto diluculo dantur vna vice vnciæ tres.

Modus exhibendi.

II. ℞. *Florum rosarum, Violarum, Echii, Boraginis, an Manipulum vnum. Prunorum damascenorum numero vndecim. Oxyphœnicon, Passularum, an. vnciam vnam. Fumariæ, Centaurii* E *minoris, an. Manipulum vnum & dimidium. Polypodii, Senæ, an. drachmas sex. Corticum myrobalanorum flauorum, Cæruleorum, an. vnciam dimidiam. Agarici optimi, drachmas tres & dimidiam. Rhei barbari selecti, drachmam vnam & dimidiam. Spicæ, Zingiberis, an. drachmam dimidiam.*

Coquantur in aqua sufficienti, quoad dimidium absumatur. Postea colo transmittantur, & sacchari adiectione illis dulcedo concilietur: tandem, in iure decocti diluantur *mannæ selectissimæ vnciæ duæ: atque cum rosis, santalis, & ligno aloes, an. scrupulo vno condiantur*, fiatque potio.

Exstant etiam aliquot exempla decoctorum purgantium apud Mesuen, vt pluribus rescriptis non sit opus. F

De puluerum vsu. Cap. XVII.

Medicamentis in puluerem redactis, quæ Græcis ξηρία καὶ καταπάσματα ab inspergendo, vocãtur, hodie varie tum Chirurgi, tum Medici vtuntur. Primum enim Chirurgi pulueres habent, quæ caua vlcera implent, excrescentia exedunt, sordida repur-

Pulueres confortantes.

gant, cruenta reprimunt, distantia glutinant. Cuti asperguntur qui detergent, sordes exterunt, nitorem conciliant. Alii etiam extenuant, & discutiunt, quales sunt, qui ex acriore materia constant. Medici autem pulueres, quos ad Confectionum nominatarum, aliorumque medicamentorum vsus paratos in vitrei vasis, aut coriaceis sacculis reponunt ad roborandas corporis partes principes, nimirum cerebrum, ventriculum, vsurpant. Quorum compositio etiam ex Antidotorum speciebus, aliisq; odoratis medicamentis simplicibus in leuorem redactis, adiecto etiam saccharo cõstat, appellantq; vulgo *Trageas* confortantes, Nicolaus *Drangeas* nominat. Vtraque autem vox a Græca voce τραγήματος deflexa esse apparet. Sic vero illi bellaria & secundas mensas vocant. In quorum certe numero & ea, de quibus hoc loco agimus, medicamenta merito recensentur, vt quæ in hodiernum diem a nonnullis in secundis mensis apponantur. Latinis, non puto inepte, *Tritura* nuncupantur. Ad quod quidem nomen velut alludentes Germani nostri, sua lingua Trizenet nominant. Nunc vno & idem altero puluerum roborantium exemplo, quo pacto componantur, ostendemus.

Tragea. Drangæa. τραγήματα. Trituræ.

Calefaciens.

I. ℞. Specierum diambar, Aromatici rosati, Diagalangæ, an. scrupulos duos. Diamoschi dulcis, Diacinamomi, an. drachmam dimidiam. Cinamomi selecti, drachmas duas. Macis, Nucis moschatæ, Caryophyllorum, Piperis longi, an. drachmam vnam & dimidiam. Radicis calami odorati officinarum, Pæoniæ, an. drachmam dimidiam. Sacchari candidissimi, libram dimidiam. Commisceantur singula, & fingatur Drangæa.

Refrigerans.

II. ℞. Specierum diarrhodon abbatis, Diatrionsantalon, an. drachmam vnam & dimidiam. Seminum intybi satiui vtriusque, an. drachmam vnam. Seminum melonum, Citruli, Cucurbitæ, an. drachmam vnam & dimidiam. Rosarum rubearum, drachmam vnam. Santalorum omnium, an. scrupulos duos. Sacchari, vncias sex, fiat tritura.

Exhibitionis modus. De iam dictis roborantibus pulueribus exhibeto mane ieiunis drachmam vnam, aut duas, super pane tosto, in vino optimo macerato. Vesperi eodem plane modo ac pondere, iterum præbentur. Porro purgatorii pulueres, siue purgatoriæ trituræ, fiunt ex medicamentis simplicibus purgantibus, vel compositorum speciebus, adiectis semper iis, quæ vehementiam & malitiam purgantium remittunt, & saccharo, quo omnia excipiuntur. Pondera vero simplicium medicamentorum purgantium, quæ cognitu in primis ad hos struendos pulueres necessaria sunt, e libro primo huius Operis petenda sunt. Reliquum igitur iam est, vt exemplis vno & item altero, cõponendi rationem horum puluerum demonstremus.

Pulueres purgatorii. Pondera purgantiũ.

I. ℞. Rhabarbari selecti, drachmas duas. Spicæ, Mastiches, an. grana sex. Sacchari, scrupulos duos. Mixtis omnibus, formetur puluis purgatorius.

II. ℞. Turpeti optimi & candidi, drachmam vnam. Mastiches, Cinamomi, an. scrupulum dimidium. Sacchari, scrupulum dimidium. Tritis omnibus & commixtis, fiat puluis purgatorius.

Exhibendi modus. Dantur ex vino, iusculo, aut alio liquore cõueniente, ieiunis, & diluculo appetente.

De pastillorum vsu. CAP. XVIII.

Pastillus. PAstillum Latini nominant, quem Græci τροχίσκον, & κυκλίσκον, & ἀρτίσκον: quod paruum panem exprimat, & diminutiua formula τροχίσκιον, κυκλίσκιον, appellant. Est autem τροχίσκος, siue pastillus, medicamentum quoduis planum, in rotulæ, orbiculi, pastilliue formam redactum, adeoque figura semini lupini persimile. Hac vero forma construuntur, vt medicamenta in pulueres redacta diutius conseruentur: siquidem alias vis eorundem exhalaret, aut tota dissiparetur. Qui hodie medicinam faciunt, interdum solis pastillis tritis ex aqua, vino, aut alio conuenienti liquore vtuntur. In congruentib. itaque liquoribus soluti, vel ebibuntur, vel admouentur. Nonnunquam vero *Antidotis magnis, & roborantibus, item succis medicatis, saccharis, catapotiis, clysteribus, vnguentis, aliisque compositis medicamentis* permiscentur. Exempla singulorum non est cur hoc loco proferamus, quod suis in locis eadem posita habeant studiosi. Ex illis igitur petant, si quid illorum desiderant. Nos vnum duntaxat exemplum, quo catapotiis pastillos misceri demonstrabimus, oculis studiosorum subiiciemus: quod est huiusmodi.

Vtẽdi ratio.

Menses euocans.

℞. Catapo-

A ℞ *Catapotiorum fœtidorum, e benedicta laxatiua, an. drach. dimidiam. Pastilli e myrrha* ℈ j.

Cum liquore stillatitio artemisiæ, quod satis est, formentur catapotia, numero tredecim. Huius medicamenti in eliciendis mensibus vsus esse poterit. Ceterum non raro pastillis medicamenta alia simplicia, eiusdem cum iis facultatis miscentur: quæ omnia redacta in puluerem, cum liquore aliquo conuenienti exhibentur: vt e sequenti rescripto patet, quod

Adstringens

℞ *Pastillorum e spodio,* ʒ ij. *Pastillorũ e succino, e terra lemnia, an.* ʒ j. *& dimidiam. Radicis symphyti maioris, Bistortæ, Boli armenii, Balaustiorum, Lapidis hæmatitis, Corallii albi, an.* ℈ j.

Tusa & cribrata commiscentur, seque duluis.

Pastillorum pondus.

B Pastillorum qui citra aliorum medicamentorum, tum simplicium, tum compositorum commistionem assumuntur, pondus, vt plurimum, drachmæ vnius pondus, attamen drachmam vnam cum dimidia non excedat: idque si opium non acceperint. Nam horum parcior esse debet modus: Intra scrupulum igitur, aut semidrachmam consistunt. Quod si vero horum compositionem opium ingrediatur, scrupuli vnius, aut semidrachmæ pondere dantur. Reliquorũ pondera ex iis, quæ ipsis permixta sunt, medicamentis æstimari debent: quod cuiuis, ex iis, quæ hactenus diximus, facilimum erit.

De glandibus. Cap. XIX.

Βάλανος. Glans. Suppositorium. Cur subiiciendæ glandes. Vsum glandium. Glandiũ differentia. Leues.

QVod Græci *βάλανον*, Latini *glandem*: hoc barbari huius temporis Medici, haud dubie a subiiciendo, aut supponendo, *Suppositorium* nominant. Frequenter autem neces-

C sitas ipsa postulat, vt glandes subiiciamus: nempe vbi ægri propter imbecillitatem clysteris iniectionem non tolerant, & vbi ab aridis excremẽtis rectum intestinum obstruitur. Nonnunquam etiam, quod iniectio clysterum nõ sit necessaria. Glandium autem vsus in ardentibus maxime febribus, & in soporiferis capitis morbis probatur: item ad educenda, quæ per clysterem iniecta non redduntur. Sunt autem triplices genere glandes. Quædam enim leues, & multis, quibus aluus semper fere adstricta est, suaque sponte nihil reddit, in quotidiano vsu familiares. Hæ ex betæ aut brassicæ radice ad digiti indicis lõgitudinem ac crassitudinem redacta, prius tamen cortice extimo detracto melle peruncta, suillo adipe sale consperso, ficu inuersa, butyro, adiecto sale, & id genus aliis parantur.

Mediocres. Communes. Vehemẽtiores. Mellis ad species & salem proportio.

Quædam vero mediocres: vt sunt, quæ ex oui vitello, croco, additis melle &

D sale componuntur. Item quæ ex melle duntaxat cocto & sale construuntur, quas officinæ Medicorum *Communes* appellant. Nonnullæ vero sunt vehementiores: quales sunt: quæ scammoniam, colocynthidem, euphorbium, fel tauri, & id genus alia recipiunt. Ceterum quum omnis propemodum generis glandibus mel accedat, sciendũ quidem erit, illud sic glandibus esse cõmiscendum, vt pondere suo specib. respõdeat. Obseruant autem hodie, vt fere drachmæ vni specierum & salis, vncia vna mellis adiiciatur. In vehementissimis tamẽ glandibus satis est, vt drachma vna aut drachma vna & dimidia admisceatur e speciebus. In construendis vero glandib. species admouendæ non sunt, nisi vbi mel satis concretum fuerit: quod alias vis earundẽ ignis vehementia dissipetur. Species autem, quæ glandium compositioni addũtur, aut aluum deiiciendi aut flatus discu-

E tiendi, aut stupefaciendi facultatem obtinẽt: quod ex subiectis formulis clarius euadet.

Deiiciens aluum.

I. ℞ *Mellis cocti & concreti, vncias duas. Pulueris euphorbii, scrupulum dimidium. Colocynthidis grana quatuor. Ellebori nigri, grana duo. Salis vulgaris, drachmam vnam.* Commixtis omnibus, fingantur glandes ad formam digiti indicis.

II ℞ *Mellis crudi, vnciam vnam. Specierum hiera picra,* ʒ j. *Salis fossilis, drachmam dimidiam.*

Decoquatur mel, donec crassitudinem iustam accipiat: deinde addantur species & sal, formenturque glandes.

Discutiens flatus.

III. ℞ *Seminum anisi, Cumini, Fœniculi, ana scrupulum vnum. Carei, scrupulos duos. Dauci,*

F *scrupulum dimidium. Colocynthidis scrupulum vnum. Salis vulgaris, drachmam vnam.*

Tundantur singula, cribroque secernantur, & cum mellis concreti vncia vna & dimidia coeant, digeranturque in glandes.

Stupefaciens.

IV. ℞ *Opii, scrupulum vnum. Croci, Castorii, ana scrupulum dimidium.*

Tusa & cribrata cum melle cocto, aut cera, & oleo nymphææ in vnum coeant: formenturque glandes, quibus filum appensum sit, vt pro arbitrio extrahi possint. A

Quum glandes subiiciuntur, prius oleo, butyro, aut alia pinguitudine illinendæ erunt. Sic enim minori molestia in anum intruduntur.

De Clysteribus. CAP. XX.

κλυστήρ. ἔνεμα.

KΛυστὴρ, Latinis idem, quod *lauamen* siue *ablutio* denotat. Vox autẽ a verbo κλύζειν, quod *abluere & lauare* significat, orta est. Alio nomine Græcis ἔνεμα, dicitur, quæ quidem vox Latinis *iniectionem* sonat: ab ἐνίημι, quod iisdem iniicio significat. Medici huius temporis clysteris & enematis vocibus Græcis, potius quam Latinis vtuntur.

Quæ clysterum cõponendi ratio.
Liquores.

Quanquam autem varia sunt enematum genera, septem nimirum, emollientia, purgantia, abstergentia, glutinantia, adstringentia, dolorem sedantia, & nutrientia, tamen ad omnium B compositionem, quatuor potissimum rebus opus erit. Primum liquore, aut iusculo aliquo, carnium (verbi gratia) elixarum, pisorum, cicerum, pulli gallinacei, capi, aut decocti, colo transfusi, quod subinde pro morbi diuersitate variari solet. Nunc enim ex iis, quæ abstergendi, aut obstructiones tollendi, aut adstringendi, aut glutinandi facultatem obtinent, paratur.

Purgantia.
Olea.
Sales.

Dein, ad clysteris compositionem medicamenta interdum purgantia requiruntur: quæ si ad ea, quæ per os sumuntur, conferas, duplum plane pondus habebunt. *Tertio* loco olea & pinguitudines adsint in enematum compositione oportet, quæ itidem pro morbi diuersitate variantur. *Quarto*, salis genera, quæ in hoc potissimum adiiciuntur, vt excretricem excitent ac proritent facultatem: ne scilicet, quæ iniecta sunt, diutius quam par sit, in vẽtre morata, penitus retineantur: id quod ægrotantib. non raro noxæ non contemnendę occasionem præbet. Præter ea, tñ quæ iam commemorauimus, interdum etiam mel, præsertim quod colo transfusum fuerit, aut saccharum, aut vitelli ouorum, aut butyrum, aliaq; eius generis, prout morbus postulat, adiiciuntur. C

Pondera eorũ quæ clysteres componunt.

Singula tamen eorum, quæ iam ordine recensuimus, certa quadam ponderum ratione permiscentur. Nempe iuris decocti, aut liquoris libra magna ex parte vna, aut pro corporis cõstitutione & ætate plus minusue. Medicamentorũ simplicium (*verbi gratia*) radicũ vnciæ tres. Herbarum manipulos quatuor. Seminum drachmas quinq;. Fructuum paria decem. Florum pugilli, quatuor vt c. 10. de decoctis etiam indicatum est. Purgantium autem medicamentorum pondus, vt comprehensum est, fere geminum, ad ea, quę ore sumuntur, & deuorãtur exsistit. Oleorum, vt plurimum, vnciæ tres. D Pinguedinum, mellis, butyri, sacchari, vncia vna, aut dimidia. Vitelli ouorum maxima ex parte, duo aut tres. Salis communis, drachma vna & dimidia, plus minusue, prout res ipsa exigit. In componendis tamen variis clysteribus ad tabulas paulo ante dictorũ medicamentorum, quas primo lib. huius Operis *ca. 49. & sequentibus*, reperient studiosi, recurrendum erit.

Clysterũ differẽtiæ duæ.
Leues.
Vehemẽtes.

Ex iam commemoratis rebus duplici differentia distantes clysteres componi possunt. Leues, quorum in febribus, debilibus, & iis, qui ex longo morbo reualescunt, item intestinorum mordicationibus, torminibus, & senio extremo confectis, in quibus stercus induruit, vtimur. Vehementioribus autem, & acribus, in coxendicum doloribus, lethargicis, attonitis, & id genus aliis frigidis ac torpidis morbis, atque in iis etiam, qui exitiale venenum hauserunt, vt fusius libr. 3. cap. 168. Aetius docet. E Quæ certe singula ex subiiciendis formulis clarissime patebunt.

Leniens.

I. ℞ *Iusculi capi libram vnam. Mellis colo transfusi, vnciam vnam. Vitellos oui, numero quatuor. Olei ex oliuis maturis expressi, vncias tres.* Commisceantur singula, fiatque clyster.

Emolliens.

II. ♃ *Maluæ, Altheæ, Atriplicis, Mercurialis, Acanthi, an. manipulum vnum. Seminis lini, Fœnograeci, an. drachmas duas.* Coquantur ad tertias, & colo diffundantur, accipianturque *Iuris decocti, lib. vnam. Medullæ casiæ fistularis, vnciam vnã. Hieræ picræ, vnciam dimidiam. Mellis rosacei colo transfusi, drach. tres & dimidiam. Olei communis, vncias tres. Salis vulgaris, drachmam vnam & dimidiam.* Commistis omnibus fiat enema. F

Adstringens.

III. ℞ *Plantaginis, Equiseti, Polygoni, Ophioglossi, Altheæ, an. manipulum vnum. Solidaginis saracenicæ, Mediæ, Bellis minoris syluestris, Saniculæ, Pedis leonis, an. manipulum vnum & dimidiũ. Rosarum ruberarum, manipulũ vnum. Oryzæ tostæ, vnciam vnam. Gallarum, Rhois obsoniorum, an. drach.*

A *drachmam vnam & dimidiam. Balaustiorum, drachmam vnam. Seminis plantaginis, drachmam dimidiam. Myrthi, ʒ j. & dimidiam. Acaciæ. Hypocistidis, an. ʒ j. Radicum symphyti maioris, ʒ ij. Bistortæ, Tormentillæ, an. ʒ ij. & dimidiam.* Coquantur ad tertias, & colo transfundantur: &

℞ *Iuris decocti, uncias quatuordecim. Succi plantaginis, ℥ dimidiam. Pastillorum e spodio, Terræ lemniæ, an. ʒ j. Boli armeni, Sanguinis draconis, Aloes elotæ, ana ℈ ij. Seui caprini ℥ j. Oleorum myrtini, Rosacei, Cotoneorum, an. ℥ j.* Commistis omnibus fiat clyster.

Abstergens.

IV. ℞ Iuris hordei decocti, libram vnam. Mellis rosacei, ℥ j. Sacchari rubei, ʒ vj. Vitellorum ouorum, numero duos. Olei irini, ℥ iij. Permixtis omnibus, formetur clyster.

Validus fortisque.

B *V. ℞ Betonicæ, Saluiæ, Maioranæ, an. manipulum vnũ. Serpylli, Calaminthæ, Hyssopi, ana manipulum vnum. Rutæ, Centaurii minoris, Stichadis, an. manipulum dimidium. Radicum polypodii, ℥ dimidiam. Agarici optimi, ʒ iij. Pulpæ colocynthidis, ʒ j.* Coquantur ad tertias.

℞ Iuris decocti, ℥ xv. Hieræ picræ. Benedictæ laxatiuæ, an. ℥ dimidiam. Antidoti Indi, Diaphœnicon, an. ʒ ij. & dimidiam. Mellis rosacei colo transfusi, ℥ j. Oleorum, Laurini, Rutacei, an. ℥ j. & dimidiam. Salis fossilis saxei. ʒ j. & dimidiam. Commixtis omnibus fiat enema.

Nutriens.

E decocto pulli, capi, lacte recens mulcto, e cremore ptisanæ, in quibus oua sorbilia seu tremula dissoluuntur. Neque mel quod detergat, neq; sal, qui ad excretionem irritat, neq; oleum, quod lubricet, aluum adiiciendum.

C Pluribus exemplis opus esse minime arbitror, quod illa, si qui complura desiderent, e nostris de medendi ratione libris peti possint. Iniiciendi clysteres tempus nullum est certum aut constitutum, modo duabus aut tribus horis, aut longius a cibis sumtis adhibeantur. Detinendi etiam tempus non vnum idemque est in omnibus clysteribus, sed pro eorundem diuersitate variatur. Quibus enim abluendi & exstergendi vis inest, hi supra horæ dimidiam partem in corpore haud retineantur. Dolores mitigantes, & tormina placantes, longiori tempore, extra scilicet vnius horæ spatium, detineri debent. Omnium longissimo, quibus glutinandi facultas inest, vt sunt, qui in dysenteria iniiciuntur. Qui purgandi facultatem habent, sua sponte, magna ex parte, erumpunt. Quod si diutius, quam par sit, in corpore cunctantur, glandem supponere conuenit, vt scilicet

Tempus iniiciendi clysteres.
Detinēdi.

D excretoria facultas excitata, noxia tandem cum medicamentis expellat.

De Collyriis. CAP. XXI.

COllyria Latinis medicamenta vocantur, quæ oculis induntur ac instillantur. Græcis κολλύρια nominantur. Duum autem sunt generum. Quędam enim liquida sunt: & hæc priuatim hodie ab iis, qui medicinam faciũt, *Collyria* appellantur. Quædam vero arida, q̃ hodie Barbara voce *Sieff* iisdem vocantur. Gręci priora ὑγροκολλύρια posteriora ξηροκολλύρια nuncupant. Atque hæc quidem pyramidis fere formam accipiunt, & arida insufflantur. Pauca eius generis hodie in officinis parata inueniuntur. Ceterum materia collyriorũ, e qua componuntur, varia est. Nam succi, liquores, semina, fructus, plantarum partes & metallica, iis inseruntur, quæ pro affectuum magnitudine variantur. Vti-

Collyria.
Genera.
Liquida.
Arida.
Sieff

Materia collyriorum.

E mur enim iis in oculorum diuersis morbis, vlceribus, vulneribus, fistulis, suffusionibus, & id genus aliis. Hinc est, quod interdum iis adiiciamus ea, quibus exstergendi facultas inest: nunc, quibus acris: iam vero adstringentia, aliquãdo etiam discutientia permiscemus, quorum omnium copiam suppeditat Galenus *lib. 4. de compositione medicamentorum localium, cap. 4.* & Paulus *in 7. cap. 16.* Porro collyria, quibus reprimendi aut sedandi dolorẽ inest vis in liquore aliquo stillatitio cõuenienti diluuntur, atq; adeo oculis instillant, aut linamenti specie admouentur. Quæ vero vrendi vim obtinent, hæc vnguentis, pinguedinibus, oleisq; admixta adhibentur. Si qua collyria arida in officinis ad vsum retinentur, hæc trita, & in cote leuigata, inq; tenuissimum pollinem redacta, aliquo stillatitio liquore dissoluta instillantur. Vltra vero vnam aut alteram guttam oculis instillare

Vsus.

F haud oportet. Sed e formulis, quæ diximus, clariora euadent.

Reprimens.

I. ℞ Collyrii, albi, aridi, in cote leuigati, ʒ ij. Stillatitii liquoris rosacei, Plantaginis, an. vnciam vnam & dimidiam. Commixtis omnibus, fingatur Collyrium liquidum.

II. ℞ Stillatitii, liquoris, Plantaginis, Rosarum, Polygoni, an. ℥ j. Collyrii e glaucio drach. vnam

Rosis, drachmam dimidiam. Cerussæ elotæ, Boli armeni, ana scrupulum vnum. Opii, grana tria, Croci, grana duo. Commixtis inter se omnibus, formetur collyrium liquidum. A

Dolorem sedans.

III. ℞ Cerussæ decies in stillatitio rosarum liquore elotæ, drachmam vnam. Sarcocollæ, scrupulos duos. Amyli, Tragacanthæ, ana scrupulum vnum. Opii grana quatuor. Omnia leuigata, & succo fœnigræci excepta in collyria digerantur arida.

Constringens.

IV. ℞ Collyrii e glaucio, drachmas sex. Aloes, Acaciæ, ana drachmam vnam. Licii, Boli armeni, ana scrupulum vnum. Gummi arabici, drachmam vnam & dimidiam. Tritis omnib. a cydoniorum succo commixtis, informentur collyria.

Discutiens. B

V. ℞ Liquoris stillatitii rosarũ, Fœniculi, Chelidonii maioris, Euphragiæ, an. vnciam vnam. Vini optimi vnciam vnam & dimidiam. Aloes, drachmam vnam. Pompholygis lotæ, drachmam vnam & dimidiam. Sagapeni, drachmam vnam. Sacchari vnciam dimidiam. Commixtis omnibus, fiat collyrium liquidum.

VI. ℞ Collyrii viridis, drachmas duas. Auripigmenti, Mercurii sublimati, an. grana tria. Vnguẽti ægyptiaci, vnciam dimidiam. Dialtheæ, vnciam vnam. Permixtis omnibus fiat vnguentum.

De Gargarizatu. Cap. XXII.

Gargarismi compositio.

GArgarizatus variis componitur modis. Iam enim ex stillatitiis stirpium liquoribus, nunc vero ex iure decoctorum. His vero pro diuersitate affectus Diamoron, succi medicati e ribes, & ex Berberi diacaryon, mel rosaceum, serapia, hiera picra, & id genus alia permiscentur. Priora quatuor tum maxime adiiciũtur, quum reprimendi indicatio adest. Mel rosaceum, quum extergendi, aut discutiendi. Hiera picra, vbi e capite & eius partibus aliquid elicere studemus. Ceterum nullum in componendis gargarismis, certum & præscriptum pondus obseruatur. Quanquam non desunt, qui religiose contendunt liquorum pondus simplo Antidotorum, succorum medicatorum, & serapiorum debere respondere. Vt si verbi gratia, serapiorum, & antidotorum, item succorum medicatorum sint vnciæ duæ, liquorum admiscent vncias sex. Verum in gargarismis componendis hac superstitiosa obseruatione non est opus. Nos rescriptorum quorundam exempla subiiciemus. Quorum C

Pondus.

I. ℞ Liquoris stillatitii rosarum, Plantaginis, an. vnciam vnam & dimidiam. Oxalidis, Lactucæ, Fragariæ, an. vnciam vnam. Prunellæ, vnciam vnã & dimidiam. Solani, vnciam vnam. Nymphæa, vnciam dimidiam. Diamoron, drachmas septem. Succi medicati e ribes, Ex berberi, an. drachmas sex. Serapii e papauere, vnciam dimidiam. Succi fragorum, vncias tres. Aceti optimi, vnciam dimidiam. Permixtis omnibus, informetur gargarizatus. D

II. ℞ Plantaginis, Prunellæ, Fragariæ, Polygoni, Oxalidis, Saluiæ, an. manipulum vnum. Rosarum rubearum, manipulum dimidium. Gallarum, Calyculorum glandium, an. vnciam vnam. Rhois, obsoniorum, Balaustiorum, an. drachmam vnam & dimidiam. Radicis symphyti maioris, vnciam dimidiam. Coquantur in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias, dein colo transfundantur, & iuri decocti adiiciantur.

Diacaryon, Diamoron, Serapii myrtini, an. vnciam vnã & dimidiam. Aluminis liquidi drachmam vnam. Bulliant denuo, fiatq; gargarizatus. E

III. ℞ Maioranæ, Origani, Serpylli, Betonicæ, Saluiæ, an. manipulum vnum. Carpesiorum, Piperis longi, an. drachmam vnam. Pyrethri, Zingiberis an. drachmam dimidiam. Coquantur in libra aquæ vna, quæ tantisper dum tertia pars absumatur, colo transfundantur, & iuri decocti adiiciantur.

Mellis rosacei colo transfusi, vnciam vnam & dimidiam. Oxymelitis scillitici, vnciam vnam. Commixtis omnibus, fingatur gargarismus.

IV. ℞ Hieræ picræ, vnciã dimidiam. Oxymelitis scyllitici, vncias duas. Liquoris stillatitii hyssopi, Betonicæ, Origani, an. vnciam vnã & dimidiam. Cõmisceantur, formeturq; gargarismus.

Exempla plura alia medendi nostra ratio tibi suppeditabit. F

Vsus gargarismi.

Ceterum in vsu gargarismorum obseruandum vnice erit, vt tepida quadam qualitate præditi, ori admoueantur: exceptis tamen iis, qui in destillationibus capitis, ex tenuibus & acribus humoribus ortis, vsurpantur. Siquidem illos, quo scilicet fluxio sistatur, frigidos esse decet.

De Dentifriciis. Cap. XXIII.

A Dentrifricia, quæ Græcis ὀδοντοτρίμματα dicuntur, ad diuersos vsus varia Medicis componuntur. Sic autem, cur appellata sint, vsus eorundem satis docet. Siquidem iis maxime in expoliendis, extergendisue, & stabiliendis dentibus vtuntur Medici, ea illis affricantes. Interdum etiam refrigeratis, & dolentibus dentibus, gingiuisq; laxis admouentur. Item ad parulidas, omniaq; oris, & gingiuarum potissimum vitia, vt liquet ex iis, quæ traduntur a Galeno *lib. 5. de compositione medicamentorum localium cap. vlt.* adhibentur. Ceterum triplici fere forma hodie componuntur dentifricia. Aut enim in tenuissimum puluillum redacta dentibus affricantur. Aut adiectis liquoribus aliquot, cum iisdem dentes eluuntur. Aut in linimenti formam digesta, dentibus circumlinuntur: id B quod e formulis subiiciendis fiet manifestissimum. Dentifricia. Vsus. Compositionis ratio.

I. ℞. *Nitri, Aluminis, an. drachmas duas. Myrrhæ drachmam vnam. Radicis iridis illyricæ, Cornu ceruini vsti, Thuris, an. drachmam vnam & dimidiam. Salis vulgaris tosti, drach. vnam. Piperis, Pyrethri an. drach. dimidiam. Aristolochiæ rotundæ, Menthæ aridæ, an. scrupulos duos. Testarum sepiæ, Pumicis, an. drachmas duas.* Tusis & cribratis singulis fiat dentifricium.

II. ℞. *Liquoris stillatitii menthæ, Origani, Saluiæ, Abrotani, Hyssopi, Apii, an. vncias tres & dimidiam. Aluminis scissilis assati, & vino austero exstincti drachmas duas. Nitri, drachmam vnam & dimidiam. Salis assi, drachmas duas.* Commixta sex horis simul persistent, & subinde igni admota per vasculum, quod Alembicum nominant, stillent: liquorque ad vsum seruetur in vitreo vase.

C III. ℞. *Gallarum, Putaminum mali punici dulcis, an. drach. vnam & dimidiam. Rosarum purpurearum, drach. duas. Aluminis scissilis, drach. vnam. Sanguinis draconis, drachmam vnam & dimidiam. Thuris, drachmas duas. Balaustiorum, Myrrhæ, an. scrupulos duos.* Trita & cribrata excipiantur oxymelite scyllitico, & vsu exigente ad stabiliendos dentes & gingiuas firmandas illinantur.

De Pessis. Cap. XXIV.

Πεσσὸς Græcis, Paulo & Aetio testibus, lana est concerpta, & ad digiti formam rotunda, longitudine, vt plurimum octo digitorum, qua medicamenta excipiuntur, ac genitalibus mulierum partibus induntur. Latini, instar Græcorum, id genus medica- πεσσός.
D menti *Pessum* appellant. Qui hodie factitant medicinam, barbara voce *Pessarium* vocant. Quanquam sunt, qui hac voce, non sine magna rerum confusione, pro clystere vteri abutuntur, quum tamen Græcis peculiari nomine μητρεγχύται vocantur, quarum vsus est ad menses aut mouendos, aut sistendos. Item ad tumores discutiendos vteri, aut solutiones continui persanandas. Constat metrenchytes ex *vnc. sex aut octo liquorum aridorum & in puluerem tritorum, vnc. dimidia.* Iniicitur somni tempore. Retinetur horis quinque aut sex. Nascalia vero, barbarissimo ac ineptissimo vocabulo, quos Græci & Latini *Pessos*, illi appellant. Porro generales Pessorum differentiæ tres existunt. Alii siquidem emolliunt, alii adstringunt, alii aperiunt. Emollientes, vteri phlegmonibus, exulcerationibus, refrigerationibus, suffocationibus, auersionibus, & inflationibus accommo-
E dantur. Fiunt ex cera, oleis, pinguedinibus anseris aut gallinæ, butyro salis experte, resina, medulla ceruina, fœnograeco, & similibus. Aperientibus vtimur, quum suppressos menses reuocare, aut vterum conniuentem, compressumue emendare studemus. Parantur autem hi Pessi ex *melle, artemisia, dictamno, brassica, glycyrrhiza, succo rutæ, porro, sabina, & id genus aliis.* Adstringentes, contrarium aperientibus vsum præbent. Quippe muliebrem fluxum cohibent, & apertum laxumue vterum contrahunt, prolapsumque reprimunt atq; propulsant. Materia vero adstringentium e libro primo huius Operis petenda venit. Ceterum, quod etiam ad Pessorum compositionem attinet, non semper, hodie præsertim, lana excepta medicamenta vtero induntur, sed nonnunquam aptis liquoribus, gummi melle perfecte cocto, aut cera, aut resinis additis, ad formam pau-
F lo ante dictam coacta vteri ceruici intruduntur. Hæc autem ita magna ex parte miscentur, vt ad vnciam ceræ, aut mellis perfecte cocti, adiiciatur medicamentorum ac specierum morbo congruentium vncia vna. Quanquam præstat hoc componentis industriæ & arbitrio relinquere. Interdum medicamenta ipsa probe subacta, sericoque aut tenuissimo linteo obducta, vtero subiiciuntur. Non tamen negligendum

Margin notes: Pessus. Pessarius. μητρεγχύται. Nascalia. Pessorum differentiæ. Emollientes. Aperientes. Adstringentes.

erit, quin pessi filum prælongum habeant appensum, quo facile, vbi visum fuerit, aut necessitas postulauerit, extrahi possint. Nunc aliquot Pessorum exempla subiiciemus. A

Emolliens pessus. *I. ℞ Butyri salis expertis, drachmas tres. Oesipi, drachmas duas. Medullæ ceruinæ. Adipis anserini, Gallinæ, ana drachmam vnam & dimidiam. Seminis lini, Fœnograeci, ana drach. duas. Meliloti, drachmam vnam. Mastiches, drachmam vnam & dimidiam. Ouorum lutea tria. Oleorum rosacei, Irini, ana vnciam dimidiam.* Ceræ, quod satis est ad crassitudinem iustam inducendam. Dein lana duplicata & contorta, hoc medicamento imbuta vtero subiiciatur.

Menses eliciens pessus. *II. ℞ Artemisiæ, Abrotoni, dictamni, ana drachmas duas. Radicũ acori veri, Rubiæ, ana drachmas tres. Seminis nigellæ, drachmam vnam & dimidiam. Baccarum lauri vnciam dimidiam. Rutæ aridæ, drachmam vnam. Sabinæ, scrupulos duos. Castorii, scrupulum vnum. Myrrhæ, Styracis liquidi, ana drachmam vnam & dimidiam. Sagapeni, Ladani, ana drachmam vnam.* B

Tusis & cribratis iis, quæ opus est, mellis quod satis est, vt in coalitum crassiorem & vnitatem coeant, adiiciatur: & vbi vsus postulat, fingantur pessi, qui vuluæ indantur.

Adstringens. *III. ℞ Cornu ceruini vsti, Thuris masculi, an. drach. duas Sanguinis draconis, Callæ immaturæ, Balaustiorum, an. drachmam vnam & dimidiam, Rosarum purpurearum drachmas duas. Acaciæ, Hypocisthidis, Mastiches, ana drachmam vnam. Boli armenii, scrupulos duos. Radicis symphyti maioris, Bistortæ, an. drachmam vnam & dimidiam.*

Trita in pollinem leuissimum succo plantaginis, & oleo rosaceo, quod satis est, excipiantur, & linteolis pessorum, quantitate illigata, in mulieris pudendum inserantur.

Iam aliquot clysterum vteri paradigmata adiiciemus.

Menses eliciens. C

I. ℞ Iuris decocti artemisiæ, vncias tres. Oleorum liliacei, Irini, Laurini, ana vnciam vnam. Myrrhæ, Sagapeni, an. drachmam vnam & dimidiam. Castorii scrupulum vnum. Commixtis omnibus, fiat metrenchytes.

Adstringens.

II. ℞ Succi plantaginis, Oxalidis, an. vncias duas & dimidiam. Oleorum myrthini, Mastichini, an. vnciam vnam & dimidiam. Succini albi, Thuris, an. scrupulos duos, Boli armenii, scrupulum vnum. Pastillorum e spodio, Terra lemnia, an. drachmam vnam.

Tritis prius, iis quæ opus est, commisceantur, fiatq; metrenchyta.

III. ℞ Origani, Saluiæ, Sampsuchi, an. manipulum vnum. Chamædryos, an. manipulum vnum. Seminis fœniculi, Petroselini, Dauci, Anisi, an. drachmam vnam. D

Decoquantur in sufficienti aquæ quantitate vsque ad medietatis consumtionem.

℞ Iuris decocti colo transfusi, vncias sex. Olei irini, Rutæ, an. vnciam dimidiam. Styracis drachmam vnam & dimidiam. Commisceantur, & fiat metrenchytes.

Tempus vtendi. Pessi vesperi, & dum somni appetit tempus, subiiciendi maxime veniunt: & sex aut septem horis in vtero dimittuntur, ac dein extrahuntur. Eodem quoque tempore clysteres vtero infundi debent, totidemque horis detineri. Necesse enim est quiete & decubitu, nisi velis vt statim, quæ iniecta sunt, rursus effluant. Qui plura exempla desiderat, is medendi rationem nostram accedat.

De Errhinis. CAP. XXV.

ἔῤῥινα. Nasalia. Ἔῤῥινα Græci vocant, quæ in oblongam ac pyramidis formam coacta, naribus vt cerebrum a pituitosis purgent humoribus induntur. Vulgus Medicorum *Nasalia* vocat. Sed non solum, quæ hac forma naribus induntur, hoc nomine appellant, sed & ea, quæ hac infunduntur, aut illinuntur liquida. Qui hodie medicinam faciunt, nomine ab ipsis E

Caputpurgia. confícto, *Caputpurgia*, a purgando capite sic dicta, appellant. Ceterum errhina, quæ pyramidis formam ac filum sibi, vt pro arbitrio extrahi queant, alligatum habent, ex medicamentorum huic instituto seruientium speciebus, *vt ex rescriptis patebit*, liquore aliquo, aut adipe, & exigua cera exceptis componuntur: ad hunc quidem modum.

℞ Maioranæ, Saluiæ, an. drachmam vnam. Piperis albi, Nigellæ, Carpesiorum an. scrupulos Caryophyllorũ, Nucis moschatæ, Pyrethri, an. vnciam vnam & dimidiam. Ellebori albi, drach. duos. C vnam. Castorii, scrupulum vnum. F

Tusa, & in pollinem redacta, terebinthina resina & modica cera excipiantur, finganturque errhina, pyramidis formam referentia.

Porro liquida, quæ naribus infunduntur, aut illinuntur, e succis herbarum, betæ, nimirum, cyclamini, brassicæ, maioranæ anagallidis, cæruleum habentis florem, & foliorum

A liorum inulæ, ac liquoribus iis similibus: item oleis, & speciebus medicamentorum paulo ante commemoratorum, nempe *piperis, pyrethri, nitri, struthii, nigellæ, marrubii, castorii, ellebori albi, & horum similium*, componuntur in eum, qui sequitur modum.

I. ℞ Succi betæ, Cyclamini, Brassicæ, ana unciam vnam & dimidiam. Commisceantur, & naribus infundantur.

II. ℞ Succi foliorũ cucumeris syluestris, unciam dimidiam. Betæ, unciam vnam & dimidiam. Liquoris stillatitii maioranæ, uncias duas. Carpesiorum, Nigellæ, Piperis albi, ana scrupulum vnum.

Tritis iis, quæ opus est, permisceantur, & naribus infundantur.

Ceterum, qui iam dictis liquidis errhinis vtuntur, admonendi sunt, vt os aqua compleant, ne scilicet e naribus per meatus in os perfluant succi & liquores: caputq; in posteriora reclinandum. Satis autem erit vna vice semunciam succorum infudisse. Nunc
B exemplum errhini, quod naribus illinitur, subiiciemus: quod

℞ Radicis cucumeris syluestris, scrupulum vnum. Piperis albi, Myrrhæ, Nigellæ, an. scrupulos duos. Struthii, scrupulum dimidium.

Trita & contusa excipiantur oleo irino, aut de piperibus, quod satis est, vt ad vnguenti consistentiam redigantur: & iis nares illinantur, & ab ægro sursum trahantur. Vsus errhinorũ.

Errhinorum autem vsus est in diuturnis capitis affectibus, præsertim morbo comitiali, oculorum hebetudinibus, narium obstructionibus, odoratus difficultate, conuulsione cynica, & regio morbo.

De Sternutamentis. CAP. XXV.

C Medicamenta, quæ Græcis πταρμικὰ, Latinis *sternutamenta siue sternutatoria* nominantur, eiusdem fere sunt generis cum errhinis, quod ex iisdem medicamentis conficiantur: nempe *elleboro albo, struthio, pipere, castorio, cyclamino, euphorbio, nitro, ptarmice & cumino.* Atque hæc quidem singula seorsim, ac simul leuissime trita, admota naribus, sternutamenta mouent. Naribus autem per arundinem, calamumue, aut pennam insufflantur. Præstat autem hæc non insufflare, sed pyxidem, in qua hæc continentur, motam naribus admouere: & ægrotantes, vt sursum trahãt, inspirando hortari, aut per specilli mucronem naribus penitissime indere. Sed compositorum sternutatoriorum aliquot paradigmata subiiciemus. Simplicia sternumentum cientia.

I. ℞ Maioranæ, Nigellæ, Caryophyllorum, ana drachmas duas. Piperis albi, Zingiberis, Struthii, ana drachmam vnam. Castorii, scrupulum dimidium.
D
Singulis diligenter tritis, fiat puluis sternutatorius.

II. ℞ Nucis moschatæ, Radicis iridis illyricæ, Carpesiorum, ana drachmam vnam. Pyrethri, drachmam dimidiam. Ellebori candidi, scrupulum vnum. Piperis albi, Radicis acori veri, ana drachmam vnam. Trita redigantur in puluerem sternutatorium.

III. ℞ Piperis albi, Struthii, Nitri, ana drachmam vnam & dimidiam. Cumini æthiopici, drachmam dimidiam. Castorii, Euphorbii, ana scrupulum vnum. Succi cyclamini sicci, Ellebori albi, ana drachmam vnam.

Contusa, & cribrata, in æream pyxidem ad vsum reponuntur. Vsus autem tempore pyxis agitata aperitur, & naribus adhibetur.

E Sternutatoriorum medicamentorum, idem qui errhinorum vsus. Nisi quod sternutatoriis interdum vtimur in excutiendis secundis, & iis, quæ naribus illapsa sunt. Vsus.

De Apophlegmatismis. CAP. XXVII.

Ἀποφλεγματισμοὶ Græcis sunt medicamenta, quæ retenta in ore, & commanducata per palati emissaria pituitam, & qui in capite coaceruati sunt humores noxios eliciunt. Barbaram sectantes medicinam, *Masticatoria* nominant. Fiunt ex *synapi, hyssopo, cortice capparis, origano, thymo, pulegio, vua passa, mastiche, cubebis, radice acori veri, zingibere, pyrethro, pipere, staphide agria*, & id genus aliis, præcedentibus capitibus duobus commemoratis. Horum sane vsus varius est. Aut enim medicamenta in partes minutas concisa commanducantur, dentibusque confringuntur. Aut trita & contusa aliquo succo, vel liquo-
F re, vel melle excipiuntur, & in mansiles pastillos coguntur: & vbi postulat vsus, vnus præbetur mandendus. Aut medicamenta contusa, sacculo e subtili linteo confecto induntur, & manduntur. Aut ius decoctorum medicamentorum diu in ore continetur. Atque hic liquidus, vt priores solidi, dici potest apophlegmatismus. Ceterum oportet manducantẽ deorsum nuere, & ex interuallis, quo congestus humor effluat, hiare. Vtẽ-

Apophlegmatismi. Masticatoria. Compositionis materia. Vsus.

Tempus vtendi. dum autem apophlegmatismis matutino tempore, & tum potissimum, quum a reliquis A excrementis corpus vacuum est. Adhibentur autem hæc ad omnes capitis vetustos affectus, hebetudinem oculorum, auditus difficultatem, linguę resolutiones, pustulasque omnes, quæ caput aut faciem occupauerint. Post illorum vsum aqua calida os abluendum erit, aut melicrato, aut ptisanæ succo. Nunc reliquum est, vt formulas aliquot subiiciamus, e quibus studiosi componendi rationem nullo labore cognoscent.

I. ℞ Piperis albi, drachmam vnam & dimidiam. Pyrethri, drachmam vnam. Hyssopi, Origani, ana drachmam vnam & dimidiam. Sinapi, drachmas duas. Zingiberis, drachmam vnam. Mastiches, ʒ j. *& dimidiam.* Trita excipiantur succo betę, aut melle, & formentur mansiles pastilli.

II. ℞ Maceris, drachmam vnam. Staphydis agriæ, Cubebarum, ana drachmam vnam & dimidiam. Corticũ radicis capparis, scrupul. duos. Radicis acori veri, nucis moschatæ, an. drach. dimidiam. B

Trita excipiantur mastiche, pistillo calido conquassata & subacta, finganturque pastilli mansiles.

III. ℞ Carpesiorum, drachmam vnam & dimidiam. Piperis albi, drachmam vnam. Vuarum passarum detractis vinaceis, drachmas duas. Staphydis agriæ, Pyrethri, Sinapi, ana drach. vnam.

Contusa immittantur in sacculum, qui subinde in ore manducetur.

Magnam & immẽsam syluam apophlegmatismorum habetis apud Galenum *lib. 2. de compos. medic. localium, cap. 26.* ita vt non sit necesse pluribus exemplis vti: liquidi exemplum in capite *de gargarismis* reperies.

De Odoramentis. CAP. XXVIII.

Odoramenta. ODoramentorum nomine hoc loco veniunt intelligenda, omnia medicamenta, C tam simplicia quam composita, quæ citra ignis accessionem suo odore cerebrum alterare, roborare, & item grauem odorem, aut pestilentem auram corrigere & depellerere possunt. Horum autem varius est vsus. Interdum enim simplicia medicamenta naribus duntaxat admouentur. Verbi gratia, Nigella in aceto macerata, & deinde exsiccata, aut per se linteolo tenui aut serico inserta adhiberi naribus consueuit. Nonnunquam etiam multa simul simplicia medicamenta permiscentur. Aliquando ex iisdem Materia odoramentorum. linimenta, vnguentaue, aut pilæ odoratæ, *Poma* nostri vocant, componuntur. Medicamenta vero, quæ ad compositiones odoramentorum adhibentur, sunt, *moschus, ambar, nigella, ocymum, maiorana, garyophylli, styrax, stacte, spica nardi, lauandula, lignum aloes,* ladanum, rosæ, violæ, nymphæa, santali, & id genus alia: quæ singula e formulis iam subiiciendis clarius cognoscent studiosi. D

Calefaciens.

I. ℞ Nigellæ tostæ, drachmam vnam & dimidiam. Carpesiorum, drach. vnam. Maceris, scrupulos duos. Caryophyllorum, ℈ j. Contusa & trita, deligentur in sericum, ad odorandum.

Refrigerans.

II. ℞ Vnguenti populeon, drachmam vnam. Oleorum violacei, E papauere, ana drachmam vnam & dimidiam. Mandragoræ scrupulum dimidium. Commistis omnibus, fiat linimentum, quo nares illinantur.

III. ℞ Olei e spica, drachmas tres & dimidiam. Ligni aloes. Maceris, ana scrupulos tres. Ambar, grana duo. Permixtis omnibus, fiat linimentum. E

Calefaciens.

℞. Styracis, drachmas tres. Caryophyllorum, Cinnamomi, ana drachmas duas. Maceris, Nucis moschatæ, ana drachmam vnam. Ligni aloes, drachmam dimidiam. Mastiches, drachmam vnam & dimidiam. Moschi, Ambar, ana grana tria.

Trita & cribrata, liquore stillatitio maioranæ, & styrace liquido, quod satis est, excipiantur, finganturque pilæ odoratæ.

Refrigerans.

V. ℞ Florum nymphææ, Buglossi, Violarum, Rosarum, ana drachmam vnam. Corticis mali citrii, drachmam vnam & dimidiam. Maceris, drachmam vnam. Santalorum omnium, ana drachmam vnam & dimidiam. Papaueris albi, scrupulum vnum. Semperuiui, scrupulos duos. Ladani, drachmas duas. Ambaris, grana quatuor. F

Trita excipiantur liquore stillatitio lactucæ, & styracis liquidi, formenturq; pilæ odoratæ.

In omnibus pilis cõstruendis odoratis, postremum ambar & moschus adiiciantur.

De

De Suffimentis. CAP. XXIX.

A SVffitus, suffimentaue, quæ Græcis θυμιάματα, hodie facientibus medicinam *Suffumigationes* dicuntur: sunt medicamenta, quæ incenduntur, aut ignitis carbonibus iniiciuntur. Vsus autem horum incensorum, ad odorem gratum conciliandum. Item ad destillationes ex capite in subiectas partes; grauedines, obstructiones, frigidos alios cerebri affectus, & pestilentiæ contagia arcenda. Conferunt etiam asthmaticis, & iis quibus thorax humorum frigidorum ac crassorum copia refertus est: item suppurationibus, tussi, laterumque doloribus: Sanguinem autem exspuentibus suffimenta plurimum aduersantur: quod nimirum horum vsu accidat, vt vasorum ora rursus aperiantur. Parantur triplici potissimum forma, nempe pulueris, pastillorum, & candelarum, *vt paulo* B *post plenius dicetur.* Ceterum in iam dictis thoracis affectibus, hunc in modum vapor per os est assumendus. Æger vestibus circumseptus, in sede collocandus est, vt diuaricatis cruribus prona facie ad vtrunque genu decumbat: atque tum euaporatorio intra crura constituto, enitendum, vt per tubum fistulamue siue arundinem vapor exceptus, patulo ore inspiretur. Componuntur ex eadem fere materia qua odoramenta, nempe *castorio, ladano, calamintha, stirace, thure, mastiche, myrrha, ligno aloes, saluia, castorio, moscho, ambra, spica nardi, caryophyllis, rosis, myrrha, casia,* & id genus aliis, pro affectuum diuersitate: ac trita carbonibus insperguntur: aut styrace liquido, oleo, vel alio liquore excepta, digeruntur in pastillos, aut candelas, quibus vsu exigente ad suffiendum vtimur. E formulis subiiciendis res apertior fiet.

Suffitus. Vsus. Componendi ratio.

C *Forma pulueris.*

I. ℞. Pastillorum galliæ moschatæ, vnciam vnam. Saluiæ, Maioranæ, Rosmarini, ana drachmam vnam & dimidiam. Maceris, drachmam vnam. Caryophyllorum, Cinnamomi, ana drachmam vnam. Foliorum lauri, drachmam dimidiam. Ligni aloes, scrupulos duos. Moschi, grana tria.

Terantur singula, & commistis omnibus, fiat puluis: qui, postulante vsu, viuis carbonibus inspergatur.

Pastilli specie.

II. ℞. Thuris, drachmas duas. Cinnamomi. Caryophyllorum, an. drachmam vnam & dimidiam. Corticum mali citrii, drachmam vnam. Maceris, Ligni aloes, ana scrupulos duos. Myrrhæ, Mastiches, ana drachmam vnam. Pastillorum galliæ moschatæ, drachmas duas.

D Trita styrace liquido excipiantur, & informentur pastilli pro suffiendo.

Candela.

III. ℞. Ladani, vnciam vnam & dimidiam. Thymiamatis, vnciam vnam. Thuris, Mastiches, ana drachmam vnam. Styracis calamitæ, vncias duas. Caryophyllorum, Cinnamomi, Nucis moschatæ, Ligni aloes, ana drachmam vnam. Myrrhæ drachmam dimidiam. Corticum mali citrii, scrupulos duos. Carbonum tiliæ, vncias duas. Asæ dulcis, vnciam vnam.

Cum terebinthina resina, & stillatitio rosarum liquore, quod satis est, fingantur candelæ.

E

DE VSITATA HVIVS TEMPORIS COMPONENDORVM MISCENDORVMQVE MEDICAMENTORVM RATIONE LIBER QVARTVS, LEONHARDO FVCHSIO MEDICO AVCTORE.

PROOEMIVM.

RAECEDENTI libro, qui ordine tertius fuit, componendi rationem, vsumque eorum medicamentorum, quæ corpori ingeruntur, docuimus: in hoc F *quarto eiusdem tractationis libro, eorum quæ extrinsecus corpori admouentur, formulas vsumque trademus. Neque enim Medicum eorum duntaxat, quæ intro in corpus sumuntur, medicamentorum, sed eorum etiam, quæ forinsecus illi adhibentur, rationem & vsum tenere oportet, vt scil. vndiquaq; morbo occurrere possit. Atque hinc est, quod ad localium vocatorum remediorum*

vsum hic liber maxime conducat. Addit etiam lucem plerisq; rescriptis praecedenti libro commemoratis. Siquidem interdum, reipsa ita postulante, vnguentorum linimentorumque formulas produximus: quae nunquam satis cognoscerentur, si non priuatim hic earundem componendi rationem & vsum docuissemus. Necessario igitur prioribus tribus, hunc postremum subiiciemus librum: quod sine eo manca esset, quam de compositione medicamentorum instituimus, tractatio. In quo sane, perinde atque in eo, qui praecessit, principio, quo vnumquodque eorum, quae extrinsecus corpori adhibentur, medicamentorum nomine appelletur: dein, e quibus componantur medicamentis? & tertio, quis eorundem sit vsus ostendemus. Ceterum in vniuersum medicamenta, quae forinsecus admouentur, numero sunt duodecim. A

1. Vnguenta.	*7. Sinapismi.*
2. Linimenta.	*8. Epithemata.*
3. Emplastra.	*9. Embrochae.*
4. Cataplasmata.	*10. Fomenta.*
5. Cerota.	*11. Sacculi.*
6. Dropaces.	*12. Insessus.*

B

De Vnguentis. CAP. I.

Vnguentum quid. Vnguenta hodie vt componantur.

VNguentum ab vtendi modo vocatum est, quia laborantibus partibus inunctum & illitum diutius, ob crassitiem & lentorem, quam oleum, haeret. Et veteribus hoc nomine appellabantur, quae ex odoramentis conficiebantur. Hodie quae ex oleis, speciebus quibuscunque, & cera componuntur, ita vocantur. Oleis interdum adiiciuntur adipes, butyrum, & mucago. Nonnunquam gummi, & lacrymae praedictis permiscentur. Species siue pulueres, iuxta affectuum, quibus adhibentur vnguenta, diuersitatem, subinde variantur. Cera, vt conuenientem nanciscatur consistentiam, adiicitur. Hodie pleriq; in componendis vnguentorum formulis obseruant: vt vnciae vni oleorum, specierum drachmam vnam, & cerae drachmas duas admisceant, quod hac ratione vnguentorum consistentiam facilius recipiant. Alii plus cera adiicere solent. Praestat autem cerę quantitatem eius, qui componit arbitrio ac iudicio, liberam relinquere, vt scilicet is, quantum ad iustam consequendam consistentiam satis sit, adiiciat. Ceterum cum sine oleis vnguenta confici nequeant, ordinis ratio exigit, vt de iis hoc loco aliquid dicamus. Animaduertendum igitur, olei vocem varie vsurpari. Primum proprie, oleum succus est pinguis, ex oliuis tritis praelo expressus, vel immaturis crudisue, & ob id ὀμφάκινον καὶ ὀμοτελὲς Graecis appellatur: vel maturis, quod oleum absolute aut commune dicitur. Vtrunque autem salsum, vel salis expers, lotum vel illotum exsistit. Vtrunque item recens, vel vetus, & ex hoc, vel illo (verbi gratia, Sabino) agro allatum. Quae quidem olei communis differentiae diligenter sunt obseruandae, vt scilicet medicamentorum ex iis compositio iustior fiat. Siquidem facultatibus secundum has differentias plurimum variant, ac composita, quibus miscentur, multum immutant. Secundo loco oleum abusiue succus est oleaginus & fluxilis, ex quibusdam tritis & praelo expressis, tum fructibus, tum seminibus, vt iuglādibus, auellanis nucibus, moschatis, amygdalis vtrisq;, nuce Indica, anacardiis, nucleis persicorum, cerasorum, pistaciorum, pinearum, seminibus sinapi, canabis, lini, ricini, staphidis agriae, & aliis propemodum infinitis, pinguem in nucleo ipso, vel semine, ceu medullam sortitis. Huic generi proximum est oleum balsami, & petrelaeon. Atque haec duo hactenus commemorata oleorum genera sunt simplicia, nec illis educendis ac exprimendis aliud misceri consueuit, praeterquam quod pauxillum aquae quibusdam extrahendis miscetur, vt aliis oleum commune paucum. Exprimuntur autem olea hoc modo. Semen siue fructus calido pistillo in pilo calida teritur, ac postea per setaceum pannum ligneo aut plumbo albo, inducto torculari exprimitur. Quod si vero id, e quo oleū exprimendū est, aridius fuerit, quale est lini semen, torreri debet, probe idipsum in lebete versando, & agitādo, & dein praelo setaceo inuolutum panno, subiici & exprimi. *Tertium* genus olei humor quidam, est oleaginus, ignis vehementia, chymistarum opera extractus. Tale ex liquoribus, *succis multis, gummi, resinis, cera, melle, lignisq; resinosis* educitur. Quartum genus oleorum est, omnino compositum ex simplicib. in oleo communi, vel alio simplici maceratis, insolatis, incoctis. Praestat autem simplicium incoquere oleo quam macerare, aut insolare, quod

Margin notes: C — 1. Oleum proprie quid. Omphacinon. Commune. Olei cōmunis differentiae. — D — 2. Oleum abusiue. — E — 3. — F — 4.

A quod ita vires ipsorum rectius in se recipiat oleum, illoque coquendi modo Galeni vsus sit. Coquenda vero sunt in duplici vase. Quod quidem genus latissime patet, & horum aliqua ex floribus oleo inditis efficiuntur. Quædam ex germinibus surculisue. Nonnulla ex fructibus integris oleo iniectis, quædam per aquam calidam discretis: quorum omnium exempla secundus huius operis liber ostendit. Porro quum flores coctionem nullam admittant, vt insolentur oportet. Qui valentiorem habent fragrantiam & constantem, pluribus diebus insolati magis vtilia ac tenuiora reddunt olea. Quicunque vero imbecilliores sunt, faciliusque difflantur flores, insolationem minus perferunt, vtpote quorum virtus promte euanescat: vt est lilium, & viola. Nunc vnguentorum formulas aliquot subiiciemus.

B

Ventriculum frigidum confortans.

I. ℞ Oleorum ex absynthio, Mentha, ana vnciam vnam. Carophyllorum, Cinnamomi selecti, Piperis longi, ana scrupulos duos. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.

Adstringens.

II. ℞ Oleorum rosacei, Cydoniorum, Mastichini, Myrtini, ana vnciam dimidiam. Pastillorum e spodio, Terra lemnia, Succino, ana scrupulum vnum. Radicis symphyti maioris, scrupulos duos. Sanguinis draconis, Boli armenii, ana scrupulum vnum. Ceræ albæ, quantum sufficit, formetur vnguentum.

III. ℞ Oleorum rosacei, vnciam vnam. Myrtini, vnciam dimidiam. Cerussæ, Plumbi vsti & eloti, Lythargyri, ana scrupulum vnum. Boli armenii, Terræ lemniæ, ana scrupulum dimi- C *dium. Balaustiorum, Rosarum purpurearum, ana scrupulum vnum & dimidium. Semperuiui, scrupulum vnum.* Ceræ candidæ, quod satis est: fingatur vnguentum.

Ad lienis obstructionem & duritiem.

IV. ℞ Oleorum e capparibus, Liliacei, Irini, ex absynthio, an. vnciam vnam. Mucaginis althea, Seminis lini, Fœnigraci, ana drachmam vnam & dimidiam. Pinguedinis gallinæ, Anseris, Taxi, ana drachmam vnam. Medullæ cruris bubuli, drachmas duas. Corticum radicis capparis, Tamaricis, ana drachmam vnam. Costi amari, drachmam dimidiam. Centaurii minoris, drachmas duas. Ceterach, drachmam dimidiam. Hammoniaci, Bdellii, Galbani, ana scrupulos duos.

Dissolutis gummi in aceto, cum cera quantum satis est, formetur vnguentum. Vsus.

D Vtimur variis modis vnguentis, iam vt constringamus, ac roboremus: nunc, vt alteremus partes, quibus illinuntur. Interim, vt humores, qui in illis continentur, emolliamus ac discutiamus, veluti ex medendi nostra ratione omnibus liquet.

De Linimentis. Cap. II.

Linimenta quæ.

Linimenta, medicamenta sunt, quæ vnguentorum instar illinuntur: hincque adeo suam appellationem sortita sunt. Ex iisdem fere rebus, quibus vnguenta, cera duntaxat excepta, quæ linimentorum compositioni non adhibetur, construuntur. Siquidem cum oleis, aliisque liquoribus in vnguentorum consistentiam, paulo tamen molliorem ac liquidiorem, coeunt: idque ob ceræ, qua destituuntur, penuriam, ideoque denegata ipsis est ea, quæ vnguentis debetur, firmitudo. Omnibus corporis parti- E bus adhiberi possunt. E formulis res clarior euadet.

I. ℞ Oleorum chamæmelini, Anethini, Liliacei, ana drachmas tres & dimidiam. E semine lini, drachmas duas & dimidiam. Adipis gallinæ, Anatis, ana drachmam vnam. Seminis nigellæ, Althea, Dauci, ana scrupulos duos. Commixtis omnibus formetur linimentum.

Ad resolutos.

II. ℞ Oleorum costini, vnciam vnam. Vulpini, E piperibus, ana vnciam dimidiam. Ex euphorbio, vncias duas & dimidiam. Vini stillatitii, vnciam vnam & dimidiam. Succi verbasculi odorati, Saluiæ, ana drachmas tres. Radicis acori veri drachmas duas. Sticha- F *dis, drachmam vnam & dimidiam. Florum rosmarini, drachmam vnam. Piperis, scrupulos duos. Pyrethri, scrupulum vnum. Euphorbii, scrupulum dimidium. Radicis pæoniæ, Hermodactylorum, ana scrupulum vnum.* Tusis & cribratis speciebus fiat linimentum.

Aliud.

III. ℞ Oleorum vulpini, vnciam vnam. Costini, E vermibus, ana vnciam dimidiam. Amy-

gdalarum amararum, drachmas tres. Pinguedinis anatis, Anseris, Taxi, ana drachmam vnam & dimidiam. Butyri recentis, vnciam dimidiam. Styracis liquidi, drachmas duas & dimidiam. Commistis omnibus, fingatur linimentum. A

Ad scabiem & impetiginem.

IV. ℞ Terebinthinæ liquore stillatitio rosarum lotæ vnciam vnam & dimidiam. Olei rosacei, vnciam dimidiam. Succi aurantiorum duorum dulcium. Vitellos ouorum numero duo.

Permixtis omnibus fiat linimentum. Si fortius vt sit efficere velis, adde sulphuris viui, scrupulos duos. Ossium sepiæ, scrupulum vnum.

De Emplastris. CAP. III.

ἔμπλαστον. ἐμπλάσσειν. Veteres emplastra vt cõposuerũt.

EMπλαστον φάρμακον, & assumto ε, ἢ ἔμπλασσειν: Græci ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, hoc est, *fingendo, & in massam formando, aut potius subigendo & versando*, Græcis dicitur. Ceterum veteribus emplastra constabant ex terrestribus, nempe metallicis, lapidibus, terræ speciebus, floribus, cineribus, conchis, stirpium partibus, vt oleis, lachrymis, succis, & liquoribus. Semina vero, herbarum folia, & radices paucas receperunt, secus atque hodie fit, quum nunc non solum integras plantarum partes, verumetiam animalium reliquias, recrementa ac eorum pene integra viscera horum compositioni permisceant. Coxerunt autem emplastra sua, quousque manus non amplius inquinarunt. Exempla exstant apud Mesuæ filium, præterea in *libro huius Operis 2. item apud Paulum libr. 7. cap. 17.* vbi etiam varias emplastrorum differentias enumerat: nempe *vulneraria, cicatricem ducentia, discutientia, emollientia, siccantia, extrahentia, pus mouentia, & lenientia.* Hodie emplastra quædam citra coctionem, quædam etiam per coctionem fiunt. Quæ citra coctionem, hæc ex axungiis, resinis, gummi ad ignem duntaxat liquefactis constant. Quibus subinde adiiciuntur pulueres ex herbis, & metallis, quæ vbi inter se commista fuerint, ab igne remouentur, & in frigidam aquam coniecta, manibus tantisper subiguntur, donec in emplastri coierint consistentiam. At quæ per coctionem fiunt, ex herbis, floribus, radicibus, speciebus, oleis aut succis, aut liquoribus commixtis, vnaque coctis componuntur. Curandum vero, vt quæ longiorem coctionem postulant, aliis citius lebeti iniiciantur, deinde autem alia. Liquores & succi mox inter initia, vel per se coquantur, aut cum aliis. Pulueres postremum imponantur. Emplastra vero ipsa oleo aut alio liquore idoneo coquere conuenit, veterum exemplo, ad liquoris, qui adhibetur, consumtionem, dum manus non inquinent. Species autem emplastrorum compositionem ingredientia, non in tenuissimum pollinem, vt in vnguentis, rediguntur: sed leuiter contunduntur, atque adeo in paulo crassiorem puluerem teruntur. Obseruant magna ex parte in componendis emplastris hodie quoque Medici, vt herbarum & florum manus plenæ fasciculo, oleorum, pinguedinum, liquorumque, vnciam vnam, vel vnciam vnam & dimidiam adiiciant. Sunt qui hoc tempore emplastra cum vnguentis & ceratis confundant: atqui parum recte. Distant enim inter se, vt ex iis, quæ dicta iam sunt, & deinceps commemorabuntur, omnibus perspicuum euadit. Nunc vsitatam componendorum emplastrorũ formam ac rationem, aliquot productis exemplis & rescriptis monstrabimus.

Emplastrorum differentiæ. Componendorũ emplastrorum hodie vsitatorũ modus.

B C D

Leniens.

I. ℞ Maluæ, Altheæ, ana manipulum vnum & dimidium. Florum chamameli, Meliloti, ana manipulum vnum. Radicis altheæ, drachmas quinque. E

Contusa bulliant in aqua fontana, donec in cõsistentiam iustã coeant: dein adiectis *Oleorum chamamelini, vnciam vnam & dimidiam. Liliacei, vncias duas.*

Bulliant denuo, & informetur emplastrum.

II. ℞ Florum verbasci, Anethi, Chamameli, an. manipulum vnum & dimidium. Seminis lini, Fœnograeci, Meliloti, an. drachmas duas.

Contusa leuiter bulliant in aqua, dũ in mellis crassitudinẽ coeant: postea adiiciant *Oleorum anethi, Chamamelini, an. quod satis est.* Ebulliant iterũ fingaturq; emplastrum.

Emplastrorum vsus.

Pluribus rescriptis nihil opus esse putamus, tamen qui prædictis plura expetit, illa e medendi nostra ratione petat. Compositum ad præscriptum modum emplastrum linteolo illitum, laboranti parti adhuc calidum admouetur. F

De Cataplasmatis. CAP. IV.

Cataplasma.

MVlti nostra ætate cataplasmata cum emplastris confundunt, atqui minus recte. Qui proprie cataplasmatis voce vtuntur Medici, ita vocant medicamentũ, quod e stir-

A e ſtirpibus viridibus contuſis, vel iiſdem ad mollitudinem, vſque in aqua decoctis componitur. Atque ea ſane ratione ab emplaſtro, cui poſt ebullitionem herbarum factam oleum adiicitur, differt. Vſus eorum in ſedandis doloribus, ac tumoribus maxime diſcutiendis. Item ad fluorem conſtringendum & menſes euocandos valent. Formulis, quod dicimus, certius deprehendetur.

Adſtringens.

I. ℞. Plantaginis vtriuſque, Polygoni, Burſæ paſtoriæ, Numulariæ, Saniculæ, Solidaginis ſarazenicæ, Ophiogloſſi, an. Manipulum vnum & dimidium. Viridibus adhuc omnibus contuſis, fiat cataplaſma.

Leniens.

B *II. ℞. Radicis altheæ, vnciam vnam. Maluæ, Chamæmeli, Altheæ, Meliloti, an. Manipulum vnum. Seminis fœnigræci, Lini, an. drachmas tres.* Bulliant in aqua, donec molleſcant: dein contundantur, & informetur cataplaſma.

Menſes euocans.

III. ℞. Artemiſiæ, Origani, Pulegii, Matricariæ, Saluiæ, an. Manipulum vnum & dimidium. Rubiæ, drachmas tres. Calamenti, Mentaſtri, Hyſſopi. an. Manipulum vnum.

Bulliant omnia in aqua ad mollitudinem, & contuſa cataplaſmatis formam accipiant. Ceterum etſi varie vti cataplaſmatis, perinde atque emplaſtris, licet, tamen calefacientia & diſcutientia hypochondriis, niſi prius vniuerſo vacuato corpore, adhiberi Vſus.
C minime debent. Nam hæc ipſa inſtar cucurbitulæ totius corporis excremẽta ad ſe trahunt, adeoque in viſceribus phlegmonem, aut obſtructionem procreant.

De ceratis. CAP. V.

CEratum Latinis, κηρωτὴ Græcis, haud dubie e cera nomen ſuum accepit, quæ illis miſcetur, vt minus promte diffluat. Componitur ex ſpeciebus paulo quam vnguentum craſſioribus & oleis, quæ cum cera, aut reſina terebinthina vel laricea, aut vtriuſq; ſimul, ad ſolidiorem conſiſtentiam, vt in parte cui admouetur diutius hæreat, perducuntur. Veteres tamen ſua cerata citra reſinam maxima ex parte conſtruxerunt, cera ſola & oleo contenti. Nõ conficitur Ceratum citra ignem. Cera enim niſi prius liqua- Ceratum quid. Ceratorũ cõpoſitio.
D ta fuerit, cum aliis non facile coit ac miſcetur. Variæ autem ceratorum apud antiquos fuere formulæ. Quædam enim liquida erant, quæ fracturis adhibebantur, & καταγματικὰ ὑγρὰ καὶ λευκὰ nominabantur. Picato quoque cerato veteres vſi ſunt, ſi quid contuſum eſſet, ſi quid coquẽdum & mitigandum, πισσηρὰν κηρωτὴν & πισσόκηρον appellabant. Fuit quod ῥητινόκηρον vocabant, ceræ reſina miſta, quo in ſarcoticis, & ad ſuppurandam vtebantur. Fuerunt κηρωτομαλάγματα, quæ mitiore quodammodo corpore mollium emplaſtrorum locum tenebant. Hæc quia glutinoſa eſſe melius fuit, ἰχέκυτα illis dicta ſunt. Talis fere noſtrorum ceratorum ratio eſt, in quibus larigna, aut terebinthina ceræ & oleo permiſcentur, dum tenacia euadant. Sunt qui ad relaxantia cerata ceram flauam, ad refrigerantia vero & adſtringentia candidam vſurpent. Porro in ceratis componendis hodie
E medici nonnulli religioſe obſeruant, vt vnciæ vni oleorum, drachmam vnam cum dimidia adiiciant. Oleum autem ad ceram quadruplum eſſe volunt, vt ſi olei ſint vnciæ duæ, ceræ ſit vncia dimidia. Sed præſtat arbitrio Medici & Pharmacopœi relinquere, vt nunc pro ſuo ſcopo ſolidius, nunc liquidius ceratum faciant. Vt enim corpus durum eſt & ſqualidum, vitium etiam acerbius & altius hæret, aeriſque conſtitutio tenuior & craſſior: ita & ceratorum conſiſtentiam mutari neceſſe eſt. Quo enim plus accipit ceræ, eo ſolidius eſt: quo minus, tanto liquidius. Quod ad formam ceratorum attinet, effinguntur ita, vt figuræ partium, quibus admouent, aliqua ex parte reſpõdeant. Quod enim ventriculo adhibetur, ſcuti formam obtinere debet. Quod iecinori imponitur, Forma ceratorum.
iecoris: quod lieni accomodatur, lienis, hoc eſt, oblongam, qualia fuerunt veteribus Splenia dicta. Acu etiam tranſuerſim tranſmiſſa conſuuntur: quod barbaram ſectantes Splenia. Interpaſſare.
F medicinam, inepte voce Interpaſſare nominant. Nunc formulas aliquot ſubiiciemus, quæ planiora reddent ea, quæ de ceratis hactenus dicta ſunt.

Ventriculum roborans.

I. ℞. Cinamomi ſelecti, Caryophyllorum, an. drachmam vnam. Galangæ, Macis, an. drachmam dimidiam. Nucis moſchatæ, ſcrupulos duos. Calami odorati, drachmam vnam & dimidiam. Ligni

aloes, scrupulum vnum. Galliæ moschatæ, Balaustiorum, an. drachmam dimidiam. Rosarum purpurearum, drachmas duas. Mastiches, Ladani, an. drachmam vnam. Oleorum mastichini, e mentha, an. vnciam vnam & dimidiam. Rosacei, vnciam vnam. A

Cum ceræ vncia dimidia, & terebinthina resina, quod satis est, fingatur ceratum scuti effigie ventriculo adhibendum, ac serico obducatur.

Ad mouendos menses.

II. ℞. Oleorum irini, vnciam vnā & dimidiam. Liliacei, Nardini, an. vnciam vnam. Nucis moschatæ, Radicis calami odorati, Cinamomi, an. drachmam vnam. Artemisiæ, Abrotoni, Saluiæ, an. drachmam vnam & dimidiam. Opopanacis, Sagapeni, an. drachmas duas.

Dissolutis gummi in vino, cum cera flaua, quod satis est, fiat ceratum, vtero admouendum. B

III. ℞. Ceræ albæ, Terebinthinæ resinæ, an. vncias duas. Picis naualis, vnciam vnam. Thuris, Myrrhæ, an. drachmas duas. Opopanacis, Bdellii, an. drachmam vnam & dimidiā. Succini drachmas tres. Lithargyri, Lapidis magnetis, an. drachmas duas & dimidiā. Mumiæ, drachmam vnam & dimidiam. Oleorum rosacei, vncias duas & dimidiam. Myrtini, vnciam vnam & dimidiam.

Commixtis omnibus, iuxta artem fiat ceratum.

De dropace. Cap. VI.

ETsi dropacis hoc tempore nullus est vsus, tamen cum veteres Medici, maxime Galenus, atque etiam Poetæ huius crebro mentionem faciant, non est, cur eius compositionem silentio transire debeamus: imo annitendum, vt hac diligenter tradita, illum in vsum quotidianum reuocemus. Sciendum igitur erit, veteribus duplicem fuisse dropacem. Simplicissimum vnum, qui ex sicca pice paucissimo oleo liquata constabat. Hunc calidum adhuc toti corpori, aut certis eiusdem partibus, prius tamen derasis, illinebant, & ita agglutinari sinebāt. Eius generis dropacem Græci alio nomine πίτλωσιν, Latini Picationem appellauerunt. Vsus huius in totius corporis aut eiusdem partium extenuatione erat. Humectat enim, calefacit ac sanguinis copiam allicit, atque adeo amissam carnem reparat, extenuatosque, alimentum ad partes flaccidas trahēs, reficit. Adhibebant etiam iis, qui crebro vomebant, & qui cruditatem patiebantur, atque cœliacos affectus: & in summa, omnibus partibus alimentum nō sentientibus. Dropacem hunc, priusquam exacte frigesceret, auellebant, ac dein igne rursus calefactum admouebant, & similiter, vt antea, priusquam frigesceret, auellebant, atque id subinde repetebant. Alter dropax compositus fuit, qui præter picem oleo liquatam, resinam, piper, pyrethrum, rosmarini semen, bitumen, sulphur viuum, salem, cinerem sarmentorum, castorium, elleborum, euphorbium, & id genus alia, quæ trita liquefactis inspergebantur, accipiebat, & ad emplastri, aut malagmatis formam præparabatur, in hunc modum: C D

Dropax duplex. Simplicissimus. πίτλωσις. Picatio.

Compositus dropax.

℞. Picis liquidæ, Ceræ, Colophoniæ, an. vncias tres. Bituminis, vnciam vnam & dimidiam. Sulphuris viui, drachmas tres. Piperis, Pyrethri, an. drachmas duas. Staphidis syluestris, drachmam vnam & dimidiam. Euphorbii, Ellebori albi, an drachmam dimidiam. Arida tusa liquefactis inspergantur, & fiat dropax. E

Hunc dropacem cataplasmatis vice in diuturnis malis adhibebant, & ante sinapismum, de quo sequenti mox dicemus capite, vt scilicet corpus ad Sinapi prepararetur: & post sinapismum, vt affectus seu morbi reliquias discuteret.

De sinapismo. Cap. VII.

SInapismum veteres, *Aetio lib. 3. cap. 181. teste*, vocabant cataplasma ex sinapi. Cuius conficiendi is fuit modus. Caricas pingues in aqua tepida pridie macerabāt, sequenti autem die fortiter expressas probe conterebant: deinde acre sinapi acceptum priuatim tenebant, & inter terendum dilutum caricarum affundebant, quo facilime teri posset, nō tamen aquosum fieret: postea in massam redigentes, priuatim vtrunque inter se miscebant. Atque si vehementem inducere sinapismum volebant, partes duas sinapis cum vna caricarum temperabant: si vero mediocrem, æquales vtriusque portiones accipiebant: sin mitiorem, tertiam sinapis, & duas caricarum. Ceterum in corporibus facili sensu præditis, & in quibus vitium in superficie hæret, panem pro caricis ad synapi ammiscere oportet. Sed nec hoc ignorandum. Si in aceto maceratur sinapi, inefficacius F

Sinapismus quid? Componēdi ratio.

A efficacius reddi, quod acetum sinapis vim discutiat. Imponitur autẽ sinapismus, vbi ex alto ad superficiem corporis trahere consilium est: ideoq; alicui parti admotus, non amouetur, dum cutẽ cruento colore suffundat. Hinc est, quod hodie eiusmodi a nostris emplastra Rubificantia vocentur. Temporis vero longitudinem in omnibus decernere impossibile est. Quare frequenter sinapismus leuandus est, & caro consideranda, an exacte rubefacta est. Et hoc maxime faciẽdum in partibus hebetiore sensu præditis. In quibus vero celeriter operari ipsum volumus, locus spongiis ex calida expressis fouendus est, incumbente adhuc sinapismo: id est, super linteum spongiæ imponendæ sunt. Post sufficientem vsum, in balneum ducendus est æger, & in calidũ ponendus solium, & pars iterum perfundenda citra inunctionem. Post balneum vero, rosaceo illinendus

Emplastra rubificãtia.

B locus. At in vehementi dolore, aut etiam vlceratione, hapso lanæ aqua & rosaceo imbuto integendus est: & imponenda est malua cocta, trita cum pane. Post sedatum dolorem, vtendum est cerato rosaceo cum cerussa. In quibus vero balneum adhiberi nequit, in iis per reliquum corpus spongiarum ex calida aqua expressarum fomento vtendum est. Verum in capitis, & præsertim frigidis affectibus, olei calidi perfusione locus mitigandus est. Vsus sinapismi & rubificantis emplastri potissimum in diuturnis vitiis, vbi reliqua præsidia non suffecerint, efficacissimus est. Summe autem prodest capitis dolori, hemicraniæ, morbo comitiali, vertigini, insaniæ, capiti adhibitus. Sed & thoraci, in asthmate, orthopnœa, & tussi diuturna. In destillatione, & caput, & thorax sinapismo illinendus. Stomachus & intestina in omnibus diuturnis affectibus,

Sinapismi vsus.

C & maxime in prostrato appetitu, item in nephritis affectibus, ac lumborum, colis & vesicæ resolutionibus. Quin & omnes resolutæ & frigefactæ partes hoc auxilio gaudent. Commodum est quoque præsidium podagricis, arthriticis, & ischiadicis. In acutis contra morbis non admodum probatur: paucis tamen exceptis; nempe segnioribus & pigrioribus, vtpote lethargo, cataphora, & catocho: in quibus sinapismo vtimur, initio illum quidem cruribus imponentes: vbi vero materia radices egerit ac firmabitur, capiti. In iis præterea, qui continua febre laborant, vlcusque habent, tum in cartilaginosis, tum excarnibus aliis locis vitari debet sinapismus. Vlcera enim efferantur, nimiaque acrimonia exacerbantur: partes vero excarnes, ab ipso sinapismo ex-

E uruntur, & nigrescunt. Reliquum est, vt sinapismi siue emplastri rubificantis formulam vnam subiiciamus, quæ

℞. *Olei costini, vnciam vnam. E castorio, Euphorbio, an vnciam dimidiam. Sinapis drachmas duas & dimidiam. Fimi syluestrium columbarum, drachmam vnã & dimidiam. Sagapeni, drachmas duas. Euphorbii, scrupulum vnũ. Seminis nasturtii, drachmam vnã & dimidiam. Castorii, ʒ j. Aceti, drachmas duas.* Cum cera, quod satis est, ad emplastri consistentiam coeant.

De epithematis. CAP. VIII.

EPithemata veteribus, *vt Paulus lib. 7, cap. 18. attestatur*, proprie erant malagmata, quę mediis corporis partibus ventriculo (verbi gratia) iocinori, lieni, & eiusmodi admouebantur. Generatim tamen quæ aliis etiam imponebantur partibus, Epithemata

Epithemata proprie. Generatim. Epithematum componendi vsitata ratio.

D nuncupabantur. Hodie vero epithemata diuersa, ac olim, ratione e stillatitiis liquoribus, adiectis speciebus aliquot, componuntur. Sic autem ea magna ex parte miscent, vt libræ vni liquorum, drachma vna & dimidia, aut duæ specierum respondeant. Raro etiam aliis, quam iecori & cordi, partibus hodie admouent epithemata. Præterea iis, quæ cordi adhibentur, aliquid vini optimi, modo febris non adsit, & croci, præter alia corroborantia medicamenta, miscent. His vero quæ iecori imponuntur, aceti parum permiscent, vt nimirum ad iecur ac corporis interiora vim medicamentorum deducant. Modum vero in illis miscendis eum seruant, vt libræ liquorum vnciam vnam, vini & aceti semunciam adiiciant. E croco sat erit scrupulum dimidium, aut grana aliquot permiscuisse. Porro qui epithematis iis, quæ ventriculo & iecori imponuntur: recte vti voluerit, is nunquam non adstringẽtia illis misceat medicamenta oportet. Si-

Modus miscendi. Adstringentia epithematis ventriculi & iecoris admiscẽda.

F quidem quum hæc duo viscera communia sint alimenti instrumenta, adeoque eorundem functiones ad vitæ conseruationem sint necessariæ: semper aliquid quod illis robur conciliet, vt sunt adstringentia, adiiciendum erit. Quicunque igitur vitæ discrimen inferre noluerit, is adstringentium in prædictis epithematis vsum haud negligat. Sed præstat, ea quæ diximus, exemplis aliquot illustrare.

Cordiale. A

I. ℞. Liquoris stillatitii boraginis, Rosarum, Melyssophylli, Oxalidis, an. uncias tres & dimidiam. Specierum Antidoti e gemmis, E margaritis, an. drachmam dimidiam. Ligni aloes, Ramentorum eboris, Corticum mali citrii, Ossis cordis ceruini, an. scrupulum dimidium. Vini optimi, unciam vnam. Croci, scrupulum dimidium. Commistis omnibus, fiat epithema, cordi adhibendum.

Iecori adhibendum.

II. ℞. Liquoris stillatitii vtriusque intybi, Cichorii, Lactucæ, Absinthii, an. uncias duas. Oxalidis, uncias tres. Solani, unciam vnam. Aceti, unciam dimidiam. Specierum Antidoti diarrhodon abbatis, drachmam vnam & dimidiam. Diatriasantalon, scrupulos duos. Santalorum rubeorum, scrupulum vnum. Mixtis omnibus, formetur epithema, iecori admouendum. B

Vsus epithematum. Vsus autem epithematum is est. Calefactis primum iis, dein pannus laneus charmesinus, si haberi potest, imbutus ipsis, & madefactus, atque subinde leuiter expressus, loco laboranti toties admouetur, quoties necessitas ipsa requirit. Subinde etiam mutantur panni, ne calefacti corpus calefaciant.

De embrochis. CAP. IX.

ἐμβροχὴ. EΜβροχὴ vox, Latinis *irrigationem* sonat. Est autem proprie *Embrocha*, quum ex alto, pluuiæ instar, in partem aliquam fit destillatio. Sic quidem dicta ἀπὸ τοῦ βρέχειν, quod

Vsus. Cõpositio. pluere ac irrigare Græcis significat. Vtimur iis in capitis vitiis, aliarumq; partium contusionibus ac fracturis. Componuntur autem Embrochæ ex herbis, radicibus, seminibus, floribus, & id genus aliis, in aqua vel vino, pro affectus diuersitate, decoctis. Adiiciunt autem magna ex parte ad manipulos duos, stirpium & aliorum, libram vnam liquorum: atque, quoad medietas consumatur, decoquunt. Decoctũ autem hoc, quum adhuc calet, capiti aut alteri parti adhiberi debet. Formulis aliquot propositis, res tota planior fiet. C

Capitale calefaciens.

I. ℞. Betonicæ, Chamæmeli, Maioranæ, Serpilli, Lauandulæ, Origani, Hyssopi, Calaminthæ, an. Manipulum vnum. Coquantur in libris aquæ fontanæ quatuor, ad dimidias, fiatq; embrocha.

Refrigerans. D

II. ℞. Foliorum salicis, Manipulum vnum, Florum nymphææ, Violarum, Rosarum, an. Manipulum dimidium. Seminis lactucæ, Portulacæ, Cucurbitæ, an. drachmam vnam. Corticum papaueris, drachmam dimidiam. Bulliant in libra vna & dimidia aquæ fontanæ ad tertias, fiatque embrocha.

De fomentis. CAP. X.

Fomenta. θερμάσματα. FOmenta a fouendo dicta sunt, quod scilicet suo calore partes corporis, quibus applicantur, foueant. Græci illa generatim θερμάσματα nominant. Sunt vero duplicia, humida nimirum, & arida, *Hippocrate lib. 2. Vict. acut. morborum teste.* Ceterum fomen-

κατάντλησις tum humidum, *Galen. lib. 12. Ther. method. cap. 7.* & aliis Græcis proprie κατάντλησις dicitur. At id quidem in vtre, vesica, vasculo æreo, aut testaceo, vel spongia, vel linteo humido imbuto adhibetur: *vt e loco Hippocratis paulo ante citato satis liquet.* Aridum proprie Græcis E

πυρία. Vsus. πυρία vocatur: & a sacculo, *de quo sequenti agemus capite*, fere nihil distat. Porro fomenta cutim rarefaciunt, & transpirabilem reddunt: ac sanguinem, qui in phlegmonibus est, attenuant, & discutiunt. Ante tamen corporis vacuationem, vt alia omnia localia, præsertim in corpore plethorico, aut vitiosis humoribus referto, non sunt temere admouenda. Quippe tum plus humorum ad calefactam partem trahetur, quam id sit quod discutitur. Nunc humidorum fomentorũ vnam & item alteram formulã subiiciemus.

Anodynum & relaxans.

I. ℞. Maluæ, Manipulum vnum. Florum anethi, Chamæmeli, Meliloti, an. Manipulum dimidium. Seminum lini, Fœnograci, an. unciam dimidiam. Coquantur *in lib. duabus aquæ fontanæ*, dum medietas relinquatur: & postea aliquo prædictorum modorum adhibeatur. F

Ad lienem induratum.

II. ℞. Centaurii minoris, Ceterachii, siue aspleni, an. Manipulum vnum. Rutæ, Manipulum dimidium. Seminis lini, Fœnograci, an. drachmas tres. Corticum radicis capparis, drachmas tres & dimidiam.

A *dimidiam. Radicis althea, unciam unam.* Decoquantur in aqua & aceto iustæ quantitatis ad tertias, spongiaque iure decocti imbuta applicetur.

De sacculis. Cap. XI.

QVæ veteribus arida dicebantur *Fomenta*, hæc hodie sacculorum appellatione veniunt. Nihil enim, aut parum admodum differre videntur. Conficiuntur e radicibus, herbis, floribus, seminibus, & id genus aliis medicamentis. Radices præterea & herbæ conciduntur, aut leuiter contunduntur, perinde atque semina. Adhibentur magna ex parte capiti, cordi, ventriculo, iecori, lieni, & vtero. Ideoque & compositio & forma eorundem iuxta partis laborantis morbum, situm & figuram variantur. Capiti enim, quod ad compositionem attinet, e capitalibus vocatis medicamentis B confecti: quod ad figuram spectat, oblongi sacculi, & tiaræ formam obtinentes admouentur. Ventriculo, quæ ex iis, quæ ipsi maxime destinata sunt, confecti, & scuti effigie, adhibentur. Cordi, iecori, lieni, & vtero, ex rebus singulis partibus cõgruentibus compositi, & dictarum partium formam imitantes, applicantur. Et qui capiti & cordi admouentur, serico: reliqui vero lineis pannis obducuntur. Iam e formulis, quæ diximus, magis innotescent.

Componẽdorum sacculorum ratio. Quib. partibus corporis & quã forma adhibeantur.

Capiti apponendus.

I. ℞. Florum rosmarini, Lauandulæ, Chamæmeli, Betonicæ, Rosarum. an. Manipulum vnum & dimidium. Saluiæ, Maioranæ, Serpilli, Meliloti, an. Manipulum dimidium. Folliculorum senæ. drachmas duas & dimidiam. Stichadis, drachmas tres. Caryophyllorum, Nucis moschatæ, C *Maceris, an. scrupulos duos.* Contusa in sericum demittantur, formeturq; sacculus capitalis, tiaræ formam referens.

Cordi.

II. ℞. Florum buglossi veri, Echii, Rosarum, Melissophylli, an. Manipulum vnum. Cinamomi electi, Caryophyllorum, Maceris, an. drachmam dimidiam. Ligni aloes, scrupulum vnum. Corticum mali citrii, Specierum diambræ, an. drachmam vnam. Ossis cordis ceruini, scrupulum dimidium. Croci, scrupulum vnum. Contritis omnibus, fiat sacculus e serico, cordialis,

Leniens & discutiens.

III. ℞. Florum chamæmeli, Meliloti, Anethi, an. Manipulum dimidium. Seminis lini, Fæ- D *nograci, Althea, an. drachmas duas. Origani, Abrotoni, Mentæ siccæ, Calaminthæ, Rutæ hortensis, an. Manipulos duos.* Contusa in linteolum demittantur, fiatque sacculus.

Ceterum sacculi semper acu transuersim missa consuuntur, ne scilicet ea, ex quibus constant, in vnam omnia partem labantur ac declinent. Vt plurimum etiam antea quam adhibentur, lapidi ab igne calefacto imponuntur, ac vino aut aceto irrigantur: ac postea contracto calore, partibus laborantibus admouentur.

De insessionibus. Cap. XII.

QVod Latini *insessum aut insessionem*, hoc Græci ἐγκάθισμα nominant. Non est autem, nisi decoctum ex herbis, floribus, seminibus, radicibus, aliisque eius generis medicamentis constans, cui æger insidet. Insessionibus autem vtimur, vbi balnea nos deficiunt, aut vbi æger imbecillior est, quam vt balnei, quod vehementius discutit, viresq; E resoluit, vsum ferre possit. Vsus autem insessionum maxime est in renum, vesicæ, coli, ani, & vteri malis. Variantur medicamenta pro morbi diuersitate, nunc hæc, nunc alia requirentis. Præstat autem, vt insessionis tempore caput operiatur, ne vaporibus sursum elatis repleatur. Restat vt formulas aliquot subiiciamus.

Insessus. ἐγκάθισμα. Vsus.

Ad calculosos.

I. ℞. Saxifragæ, Oenanthes, seu filipendulæ, Helxines, Maluæ, Althea, an. Manipulum vnum. Cicerum rubrorum, drachmas tres. Seminum apii, Lini, Fænograci, an. drachmam vnam & dimidiam. Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias, pro insessione, affligente calculo.

Ad menses constrictos.

F *II. ℞. Artemisiæ, Saluiæ, Betonicæ, Calaminthæ, Origani, Pulegii, Chamæmeli, Meliloti, Hyperici, abrotoni, an. Manipulum dimidium. Radicum iridis, Apii, an. vnciam vnam.* Coquantur, radicibus prius minutim concisis, pro insessu.

Constringens.

III. ℞. Plantaginis, Polygoni, Rubi, an. Manipulum vnum & dimidium. Corticum mali gra-

nati, drachmas tres. Bursæ pastoriæ, Equiseti, an. Manipulum vnum. Radicis symphyti maioris, Radicis bistortæ, an. vnciam dimidiam. Balaustiorum, drachmas tres.

Coquantur omnia in tribus aquæ pluuiæ partibus, & quarta vini nigri adstringentis, pro insessu eorum, qui alui profluuio, aut dysenteria laborant.

PERORATIO.

Hactenus, quanta breuitate potuimus, vsitatam huius temporis componendorum medicamentorum rationem quatuor libris perstrinximus: hoc potissimum nomine, vt non tantum pharmacopœis, verumetiam iis, qui medicinę sectantur studium, & iis etiam, qui iam medicinam facere incipiunt, prodessemus. Nam abunde nobis constat, quam exerceat eos hæc res, qui iam medendi rationis periculum faciunt, si non habeant qui illos quasi manuducat. Speramus etiam, hinc eam commoditatem ad plerosque peruenturam, vt deinceps paulo latinius suas formulas possint conscribere. Nos illarum pauca duntaxat exempla passim adduximus, quibus qui contenti esse nolint, ad medendi rationem nostram confugiant: quæ ipsis, quod desiderant, affatim suppeditabit. Restat aliud nihil, nisi, vt Patrem Domini nostri IESV CHRISTI precemur, vt is noster labor quam plurimis vsui esse possit. Quod si consecuti fuerimus, non est quod amplius requiramus.

FINIS PARTIS II. SEQVITVR III.

D N.

LEON. FVCHSII, MEDICI ILLVMINATI, SCHOLÆ TVBINGENSIS PROFESSORIS PVBLICI, NEC NON PRINCIPVM WIRTENbergensium Protophysici,

Operum Didacticorum Pars III. & IV.

CONTINENS CVM MEDELAM SINGVLORVM humani corporis partium a summo capite ad imos vsque pedes vitiorum, tum Paradoxorum medicinæ synopsin.

Ab Auctore ipso paulo ante mortem, resectis mendis & erroribus perniciosis, recognita, aucta & locupletata, luculentissimisque annotationibus illustrata,

CVM MEDICIS TVM PHARMACOPOEIS LONGE vtilissima, & summe necessaria,

Indice Rerum & Verborum satis locuplete donata.

PRODIT E COLLEGIO

Paltheniano, Quod est in nobili Francofurto.

M. DC IV.

AD TYPOGRAPHOS.

Vum tanta hodie quorundam Typographorum sit improbitas & impudentia, vt nostris lucubrationibus haud secus quam inertes fuci mellificio insidientur, & easdem vix prælum egressas, magno me hercle eorum, qui has primum impresserũt, detrimento, denuo excudant, diutius mihi esse silendum non putaui, ne si horum temeritati & audaciæ me non opponerem, id sibi quasi suo quodã iure licere, & impune etiam deinceps quoties vellent, se vsurpare posse sibi omnino persuaderent. Mirari autem principio subit, cur legis naturæ, quæ præcipit, ne alteri faciamus, quæ fieri nobis nolimus, prorsus immemores, ita omnem humanum affectum exsuerint, vt iis, a quibus nulla vnquam affecti sunt iniuria, nocere tamen ausint? Ita vero vt faciant stimulis auaritiæ agitantur, & nulla prorsus proximi ratione habita, eo feruntur, quo sordidi lucri cupiditas ipsos rapit. Detestandum profecto hominum genus, vt quos Christianæ caritatis, ac propriæ famæ & existimationis penitus oblitos, auri sacra fames, tanquam cathenis ligatos, quo velit ducat, atque vt suo cõmodo aliis incõmodent, impellat. Verum præter hoc, quod aliis hac ratione nocent, in eo etiam vehementer delinquunt, quod ea, quæ ab aliis primum eleganter, & accurata diligentia excusa sunt, peruersa sua & scelerata imitatione ita contaminant atque conspurcant, vt nulla sit pagina, quæ non multis erroribus redundet. Qua sane de caussa odio omnium digni sunt, quod non solum auctoribus librorum, sed & ipsis lectoribus plurimum obsint. Auctoribus quidem, quod eos alienis grauant erroribus: Lectoribus autem, quod illis scrupos iniiciant, vbi alias nullus futurus erat. Verum nec hac nocendi ratione contenti sunt, sed eo impudẽtiæ progrediuntur, vt ea quæ non sine consilio per auctores adiecta sunt, prorsus omittant. Quale certe flagitium nuper designauit Lugdunensis ille Typographus, qui omnes fere in medicina conscriptos libros, a nauis & sedulis Germaniæ Typographis, elegantissimo charactere, & ampla forma, multis impensis primum impressos, minutissima, & vsui humano parum conuenienti forma, nec etiam integros, sed compluribus resectis, recudere ausus est. Siquidem præter epistolam nuncupatoriam, in qua omnem consilii mei rationem, quod in exarandis iis libris secutus sum, & quod cognoscere lectorem necesse est, accurate exposui, multa etiam alia prorsus omisit, præsertim vbi Monachos illos otiosos, ac probe saginatos patres, omni tamen doctrina & pietate destitutos me acerbius perstrinxisse, animaduertit. Metuit forte ne qui totas viduarũ ædes deglutire possunt, & ipsum deuorent. Sed quæ hæc est impudentia, lucri spe in alieno opere quæ placent ædere, alia vero quæ displicẽt, metu periculi resecare? Imo boni viri officium erat, aut ea forma, qua ab auctore scriptum est, & primo publicatum, recudere, aut auaras manus ab eo prorsus abstinere. Quod si igitur lucrum, quod ex mutilo & misere decurtato opere sentit, gratum & suaue est, faciat vt periculum quoque, quod ex integri operis editione impẽdere sibi putat, nõ pertimescat. Proinde vt tandem Lugdunẽsis illius peruersam imitationem omnium e manibus excuterem, & illius subinde exemplo monitos cæteros quoque Typographos ab eiusmodi imitationibus absterrerem, denuo excudendos meos in medicina conscriptos libros, correctos & auctos, maximaque accessione non solum compositionum, sed & aliarum rerum accessione locupletatos, atque ab omnibus erroribus repurgatos, cum aliis quamplurimis meis scriptis, fratribus Paltheniis, tanquam legitimis horum impressoribus, tradere volui. Quod reliquum est, ceteros omnes Typographos rogo, moneo, & hortor, vt deinceps ea potius, quæ suæ fidei ab auctoribus librorum commissa sunt ædere, quam mea ab aliis prius recte excusa, recudere velint, & ne deinceps hac peruersa ac fraudulenta imitatione, sui ordinis hominibus incommodare pergant. Quod ni fecerint, non est cur aliud exspectent, quam quod ipsos, tãquam falsarios & reipublicæ nocentissimas pestes sim traducturus, omnesque hortaturus, vt ab eorundem impressionibus, veluti adulterinis, sibi caueant. Valete Typographi, & nostræ admonitioni patulas aures præbete, ne opus sit vt vestram impudentiam ac sordidam auaritiam toti orbi traducam.

ELENCHVS LIBRORVM SINGVLORVM TERTIAE ET QVARTAE PARTIS OPERVM LEONHARDI FUCHSII.

LEON-

A **LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM HVMANI CORPORIS partium a ſummo capite ad imos vſq; pedes vitiis.**

LIBER PRIMVS.

De Alopecia & Ophiaſi. CAP. I.

Ἀλωπεκία Græcis capitis eſt vitium, *in quo areas deciduos capillos efficit*. Vel eſt *vitium, quo capillis fluentibus caput nudatur & glabreſcit*. Sic vero a vulpe appellatum eſt, quod idipſum vulpibus crebro accidat. Quippe ἀλώπηξ Græcis *vulpem* ſignificat. Latini peculiari ac propria deſtituti appellatione, communi cum Græcis *Alopeciam* vocant. Barbari noſtræ ætatis Medici, vt crebro alias faciunt, immutatione vnius literæ nomen deprauantes, *Alopeciam* nuncupant. Ὀφίασις autem Græcorum Medicis vitium exiſtit, quod capitis partem læſam ſerpentis inſtar, quæ ὄφις Græcis dicitur, glabram ac capillis nudam oſtendit. Latini pariter atq; Græci *Ophiaſin* nominant. Barbari Medici Arabicam ſectantes Medicinam, *Tyriam* appellãt. Tyrum enim illi omnem ſerpentem, potiſſimũ *viperam*, vocant. Sunt tamen qui *Ophiaſin* in capite perpetuo habere dicant, & infantibus ad elephãtiam diſpoſitis ſolum accidere. Alopeciam vero barbam, reliquaſq; corporis partes pilis a natura conueſtitas non minus occupare, quam caput, nec minus etiam alias ætates, quam infantiam infeſtare. Verum nos, perinde atq; alii omnes, vitia in reliquis corporis extra caput partibus pilis veſtitis accidentia, ad pilorum defluuium referre voluimus. Ceterum vtrunq; vitii genus a vitiatis radiceſque pilorum erodentibus humoribus: aut ob alimenti, quod illos auget, penuriam: aut propter meatuum amplitudinem prouenit. Quemadmodum enim nonnullæ ſtirpes humoris inopia & defectu deſiccatæ corrumpuntur: aliquæ vero ob alieni naturæ ipſarum humoris occurſum: ſic etiam capilli vel propter humorum ex quibus nutriri conſueuerunt inopiam: aut propter eorundem prauitatem corrumpuntur. Et ob humorum quidem inopiam, caluities fit, quemadmodum ſequenti mox capite latius dicemus: propter vero humorum prauitatem, alopecia & ophiaſis. Nam, *vt Trallianus auctor eſt*, tum ex pituita calefacta, ac in ſalſam qualitatem conuerſa, tum ex flaua bile, & humore melancholico naſcuntur. Quapropter efficiens vitii cauſſa conſiderari & agnoſci, atq; ita tandem curatio tentari debet. Porro quales ſint vitiati humores, ex cutis capitis colore cognoſces. Nonnullis enim mutata albidior apparet, aliquibus pallidior, aut nigrior. Candida cutis, pituitoſam: pallida flauave, biloſam humorum vitioſitatem: nigra, melancholicam ſignificat. Ad vitioſi præterea humoris ſpeciem certius dignoſcendam, non leue adiumentum præcedens victus ratio adfert: pręſertim intelligenti quinam ciborum pituitę, & quinam melancholiæ flauæq; bilis ſuccum coaceruent. Quum autem vitium hoc ex prauis humoribus procreetur, vt victus ratio, quæ in eo obſeruari debet, ex iis conſtet cibis ac potibus, qui bonos ſuccos gignunt. Horum autem cognitio, ne hic præter neceſſitatem longiores ſimus, ex libris Galeni *de alimento. facul.* inſcriptis, & libello *de cibis boni & mali ſucci* petenda erit. Quod vero ad curandi rationem attinet, ſi adſit plethora: quod cognoſcitur ex cutis colore rubeo, ſanguis educendus a vena cephalica primo loco, poſtea tundere venam frontis oportet. Quod ſi id non liceat, ſanguiſugæ in occipitio, vel capitis circuitu, aut cucurbitulæ cum ſcarificatione eodem in loco admouere commodiſſimum eſt. Sin vniuerſum corpus vitioſis humoribus refertũ fuerit, Græci κακοχυμίαν nominant, totius corporis inprimis purgatio molienda erit, medicamento aut pituitam ducente, aut flauam bilem, aut melancholicum ſuccum exhibitio, coniectura humoris, vt paulo ante oſtendimus, ex cutis colore facta: Si enim is candidior quam pro naturæ habitu ſit, pituitoſi humoris purgationem adhibebis: ſin pallidior, flauæ bilis: haud ſecus quam ſi nigrior conſpicitur, quę melancholicum ſuccum detrahent, offeres. Pituitoſos autem humores, præſertim a capite, *Hiera ex colocynthide* purgare conſueuit, quæ deſcribitur a Nicolao Myrepſo *ſect. 23. capite 13.* ſub nomine Hieræ magnæ. Hiera quoque amara, quę a Galeno *lib. 7. therap. metho. & lib. 2. de compo. medica. local. cap. 1.* deſcribitur, mirifice confert: nigro ſcilicet interdum elleboro, *vt idem Galenus ſuadet*,

Marginalia: B; C; D; E; F; Alopecia.; Ophiaſis.; Tyria.; Cauſſę.; Dignoſcẽdorum vitiatorum humorum notæ.; Victus ratio.; Curatio.

Cataporia ex colocynthide & aloe.

aut epithymo adiecto, vbi melancholicum humorem purgare volueris: interim etiam scammonia, si flaua bilis purganda erit. Si vero pituita, nihil adiiciendum erit. Quinetiam ex aloe catapotia commode sic laborantes purgare solent. Habent vero, *Galeno libro primo de compos. medica. local. cap. 2. auctore, pulpæ colocynthidos vnciam vnam. Aloes, scammoniæ, vtriusque vncias duas. Succi absinthij, vnciam vnam.* Prædicta vero sigillatim contrita, & permista, absinthii succo excipiuntur, inq; catapotia rediguntur. Ex drachma vna conficiuntur catapotia vndecim, & vna vice omnia deuorantur. Ceterum, vt id obiter dicamus, Hieræ picræ triplex vsus hodie exsistit. Sũt enim qui species vocatas eius Hieræ in vino, aut iure gallinaceo, aut alio conuenienti liquore propinant. Atqui pauci admodum sunt, amaritudinem immensam abhorrentes, qui has sumere possunt. Quapropter præstat easdem cum casia fistulari miscere, & adiecto saccharo boli forma assumere. Vltra drachmam vnam de speciebus illis vna vice non exhibetur. Alii sub specie catapotiorũ, q̃ passim in officinis medicorũ prostant, exhibent. Antidoti forma liquidi in clysteres adhibetur. Cauendũ vero vnice interea erit, ne multo cibo corpus oneretur, donec habitus corporis diligenter expurgatus fuerit, ne si alimenti copia illud expleatur, excrementa tantum communia egerantur, humor autem vitiosus attrahendus remaneat. Porro post totius corporis purgationem apophlegmatismis, *masticatoria* barbari Medici appellant, pituitam a capite per os educere oportet. Conficiuntur autem ex *sinapi, hyssopo, staphyde agria, pipere, origano, radice pyrethri, cubebis vulgo appellatis, asaro, & similibus, quemadmodum lib. 4. de compo. medica. cap. 27. ostendimus.* Valet autem inter alia hoc potissimum, quod accipit: *Piperis longi, nucis moschatæ, singulorum drachmam vnã. Seminis staphydis agriæ, pyrethri, vtriusque scrupulos duos. Sinapi, origani, vtriusque scrupulum vnũ.* Trita excipiunt mastiche, aut melle, aut alba cera, vel vtrisq;, finguntq; pastilli lupinorũ forma & quantitate mansiles: quorũ vnus ad horæ fere vnius medietatem commanducetur. Possunt etiam prædicta, postquam trita sunt, in linteum pannum tenuem ac rarum reposita ac deligata commanducari, *vt loco paulo ante ostenso fusius monstrauimus.* Quanquam hęc minus probanda sunt. Trahunt vero etiam pituitam diu in ore retenta gargarismata confecta ex decocto fructuum dulcium, *vt ficuum, passularum, & aliarum herbarum calidarum, quales sunt hyssopus, stæchas, origanum, pulegium, & similes*, in quarum decocto mel rosarum dissoluitur, si medicamẽtum mitius esse oporteat. Si vero fortius, in fine decoquuntur *cubebæ, piper, pyrethrum, & id genus similia.* Adiiciuntur etiam compositiones, quæ pituitam trahunt, vt est *diaphœnicon.* His peractis, hoc est, toto prius corpore, & etiam capite ipso vacuato, ad localia vocata medicamenta veniendum erit, quibus attenuandi, attrahendi, discutiendique vires insunt. Oportet enim velut in aliis, sic etiam in iis affectui siue morbo mederi, cuius symptoma est capillorum vitium. Si igitur vitiatus humor circa vnum locum collectus fuerit, scopus medendi erit, vt is quã celerrime vacuetur, priusquam ab ipso cutis in quendam malum habitum deducatur: ita vt etiam quis vitiatum ipsius humorem vacuet, & boni sanguinis influxum præparet, is etiam a malo in ipsa habitu prius confirmato corrumpatur. Vacuantia igitur esse localia illa medicamenta oportet, adeoque discutiendi vi prædita, citra tamen vehemẽtem calefactionem. Quæ enim eiusmodi sunt, vel cutem exurent, vel cutem capitis nimium exsiccabunt, adeoq; humorem, vnde pili nutriuntur, absument. Nec est quod moderate calidum sit medicamentum, id enim vacuare & discutere noxium in capite humorem haud poterit. Tenuium quoque partium sit, vt in altum penetrare, & radices capillorum attingere possit. Quum enim cutis capitis crassa admodum sit & dura, ideo nisi sit tenuium partium medicamentum, ad radices capillorum penetrare nequit. Ad quam rem profecto plurimum conducit, si ante omnium medicamentorum vsum capillos nouacula sustuleris, ac deinde laborantem cutem per linteolum neque asperũ, neque nimis molle confricueris. Sunt tamen, qui variis in locis caput quoque pungendum velint, postquam fuerit fricatum, & a punctura oleo calido dulci irrigandum, ne tam cito foramina illa coalescant, vel adipe anserino, vel porcino, vel vrsino, aut agnino vngendum. Obseruandum quoque erit, quantum ruboris ex huiusmodi frictione cuti accedat. Si enim per modicam frictionẽ statim hæc rubefiat, morbus sanatu facilis erit. Sin vix post longam atq; multam frictionem rubescat, difficile tum vitium, tũ curationẽ ipsam minime leuem ominaberis. Vt autẽ in omnibus aliis medicamentis nõ solũ quod cale-

Apophlegmatismi. Pastillus mansilis. Localia. Gargarismata.

A calefaciant operæpretium est cognoscere, sed & quo ordine & excessu id præstent: ita quoque in iis quæ alopeciis conferunt, quod altero calidius sit nosse oportet, ita enim expedite ex illis medicamenta compones. Calidissimum igitur ex eis est *Euphorbium*. Eligendum vero quod mediocri sit ætate. Nam recens acrius est, vetus autem vires amisit. Eo autem minus calidum est thapsia, post hanc vero sinapi, & nasturtium. His succedunt *sulphur, nitri spuma, nitrum molle vstum, aphronitrumque candidum, leue ac laxum, quod nullam in se terream crassitiem habet.* Deinde vterque *elleborus, erucæ semen, oleumque laurinum.* Quinetiam *pix liquida, & murium stercus, anserinus adeps, sed magis vrsinus.* Item *amygdalæ amaræ tota vstæ, erinacei terrestris cutis acerrimo aceto subactum. Ricinium, rutaceum, iuniperinum, & ijs similia.* Alexander Trallianus *Asphodeli radicem, & abrotanum, fimum* B *caprarum, earumque vngues crematas, & ex aceto in læuorem detritas*, in Alopeciæ quæ non longo tempore durauit plurimum commendat. Herbam quoque *verbenacam* probe ex aceto tritam illitam, vbi partem prius intro bene infricueris, & linteolo absterseris. *Marrubium* viride tritum illine. *Parietaria* trita cum foliis, assidue locum perfricato. *Equinos dentes crematos*, ex aceto illine. *Murium insuper stercus* aceto læuigatum pilos cito producit. Præstat autem locum irritare, cui remedia imponentur raphani radicibus, & cepis transuersim incisis. Statim Alopeciæ vitio medetur *Erinacei terrestris cinis, pice liquida exceptus, illitusque.* Pari modo facit *ranarum cinis*, itidem pice exceptus & illitus. *Nuces auellanæ* integræ combustæ, & ex oleo leuigatæ illitæ plurimum conferunt. Atq; C hactenus simplicia recensuimus. Ex iis igitur tria remediorum genera parari debent, imbecilla, mediocria, & fortia. Imbecilla, vt recenti alopeciæ medeantur: idque in regionibus calidis, & corporibus mollioribus delicatisque. Mediocria, in mediocribus: & fortioribus in robustis, & vetusta alopecia. Hæc vero distinctio diligenter obseruanda est, vt duo qui passim committuntur errores vitentur, cutis scilicet exulceratio ab acribus medicamentis: & natiuæ partis humiditatis a siccioribus absumtio. Nunc composita commemorabimus, quorum hoc primum existit, quod accipit: *Seminis erucæ, nasturtij, nitri, singulorum drachmas vnam & dimidiam. Thuris in aceto acri & valido macerati, drach. vnam. Sulphuris viui, drachmam vnam & dimidiam. Adipis anserini, vrsini vtriusq; drach. vnam. Olei laurini, vnc. tres. Tritis terendis, & commistis omnibus formetur linimentum* D *hodie nominatum.* Alterum, paulo validius, quod habet *euforbij, thapsiæ radicis. vtriusque drach. vnam. Ellebori vtriusque singulorum drach. dimidiam. Seminum nasturtij & erucæ, amygdalarum amararum cum corticibus vstarum, singulorum scrup. vnum. Sinapi, scrup. dimidium. Oleorum nardini, laurini, vtriusque vnc. duas. Ceræ quod satis est.* Fingatur vnguentum, quo caput assidue inungatur. Sunt autem hęc & alia pręsidia iis similia in aere & loco aliquo calido adhibenda, & maxime, si fieri potest in loco insolato, auraque frigida destituto. Hyberno tempore in hypocausto, aut balneo medicamentis iis vti satius est. In validorum autem medicamentorum vsu vnice cauendum erit, ne cutis vltra quam conuenit, concalescat: id quod tum ex colore ipsius, tum digitorum tactu deprehendes. Color namque in ea rufus magis apparebit, digitorumque contactu ipsam satis esse calidam E cognosces. Horum itaq; animaduersionē habere oportet, periculum enim est iterum atque iterum repetito eorundem vsu, cutem exuri. Quare tum ad molliora minusque fortia trāseundum est, cuius generis sunt *abrotanum cum aceto læuigatum. Item stercus caprinum, caprarumque vngulæ crematæ, si cum aceto illinantur. Rosmarinum insuper pluribus diebus cum aceto maceratum.* Ne igitur immedicabilem alopeciam inducamus, pręstat, vt sæpe locus inspiciatur laborans, vt cognoscamus, ne medicamentum, quod est admotum, debilius, vel acrius sit. Atq; hæc in præsentia nos commemorasse satis sit. Qui plura desiderat is Galenum adeat, & syluam illorum auxiliorum inueniet.

Medicamēta simplicia & paratu facilia.

Cōposita. Linimentū.

Vnguentū.

De defluuio capillorum. Cap. II.

F CApillorum defluuium penuriam substantiæ pilos generantis consequitur, *vt capite præcedenti dictum est*. Item, *vt Trallianus attestatur*, meatibus cutis densatis & rarefactis, & ex prauorum recrementorum purgatione idipsum interdum accidit. Densitas enim meatuum cutis efficit, quo minus materia, quę crassitiem magnam habet ad pilos peruenire, & ne capilli per cutem nimium adstrictam egredi queant. Raritas autem eorundem caussa est, quod pili firmiter hęrere non possint. Praua excrementa, radices

Caussæ.

Signa. Curatio.

arrodunt, eósdemque excidere efficiunt. Notis nullis ad vitii huius agnitionem nullis opus est, quod primo statim obtutu deprehendi ab omnibus possit. Curandi ratio eorum qui defluuio capillorum laborant, non eundem quem alopecia scopum habet. In alopecia enim vt vitiatus humor consumatur, primarius est scopus. In defluuio autem capillorum, vt capitis habitus roboretur, & boni succi præsentia procuretur, cutisq; ad densitatem ac raritatem moderatam reuocetur. His enim tribus efficitur, vt capiti boni succi copia adsit vnde capilli enasci possint, & mediocritas temperamenti cutis capitis conseruetur. Vt autem ordine & perspicue curandi ratio, pro caussarum diuersitate, a nobis tradatur, principio eius defluuii capillorum, quod a siccitate siue penuria substãtiæ pilos nutrientis accidit, curationem prosequemur. In eo quidem defluuio cibis humectantibus, & boni succi, coctionique nihil aduersantibus, & ab omni salsugine & acrimonia alienis & qui promte in corpus distribui possint, vtendum erit. Frequentius etiam æger lauari debet. Balneum autem esto temperatum, quod non valde calidum vel aerem vel solium habeat. Aqua igitur temperate calida pro balneo vtatur æger, caput multo hydrelæo, id est, *aqua & oleo*, vngat, non autem sapore, aut nitro caput abstergat. Ceterum medicamentis humectantibus aliquid mediocriter adstringens miscere oportet, quale est *Ladanum*, quod vtraque in se moderata complectitur, quę huic symptomati conueniunt, calorem videlicet mediocrem seu temperatum, & adstrictionem ei proportione respondentem. Substantia præterea tenui præditum est, atque concoquit. Quamobrem oleo mistum, quo illini possit, defluentis capilli symptoma sistit. At cuiuis constat ante medicamenti vsum, capitis frictionem præmittendam fore, & pilorum multitudinis præsectionem: aut si anni tempus permittit, etiam perfectam ablationem. Sic enim ob frictiones & illitus, robusta & calida cutis reddetur, & moderatam densitatem, eam scilicet quæ secundum naturam est, acquiret. Ceterum consueuit hoc vitium magna ex parte iis qui antea ægrotarunt, accidere: raro autem citra morbũ, ideoque magis salubrem & vires reficientem victus rationem requirit. Multique citra medicamentum perfecte sanati sunt, atq; id breui. Composuerunt tamen nihilominus Medici eius gratia medicamenta mediocrem cuti densitatem inducentia, ita tamen vt ne simul eam refrigerent: vehementer enim adstringentia, omnino etiam refrigerant, & affluxum nutrimenti repellunt, quo minus quam par est suppeditato, capilli defluũt. Huc itaq; medicamentorum ratio dirigenda, vt sanguinem qui affluit, non solum non prohibeant, sed etiam alliciant, sensim autem & leuiter contrahant, laxatamque & rarefactam cutem constringant. Tale autem, vt diximus, suapte natura est *Ladanum*, quod quia cerę similem consistentiam obtinet, liquorem quendam desiderat conuenientem & largum, vt capiti illini possit. Præstat autem huiusmodi liquorem similem esse Ladano, hoc est, *ex contrariis facultatibus mixtum*, attractoria nimirum, & contrahente. Eius generis est *oleum lentiscinum*, suapte natura tale exsistens, quale est ipsum *ladanum*. Nullum itaque medicamentum, *Galeno etiam attestante*, in fluentibus capillis præstantius eo quod ex ladano & lentiscino mixtum constat. Manifestum autem cuiuis esse arbitror rasis crassius esse medicamentum admouendum: tonsos autem & præsectos capillos habentibus liquidius. Quod enim comam nutrire non conueniat, donec aliquis curetur, euidens esse omnibus puto. Quod si vero ex meatuum raritate, & propter humores, qui discutiuntur, & excrementa quæ ipsos nutriunt, extra cutem elabentia, capilli largius defluunt, non alienum erit tunc vti remediis quæ refrigerant, & adstringunt liberalius, similique victu, qui nihil acre in se contineat dilatandis aperiendisque meatibus efficax. *Lactuca* igitur, *Tralliano auctore*, *malua*, *oua*, *panis siligineus temperata*, *aut frigida aqua irrigatus*, *pepones*, *cucumeres*, *pisces dura carne præditi*, *suilla caro non pinguis*, *& maxime bubula*, *pedes bubuli prædictis conueniunt*. Vino autem hi, & potissimum veteri abstineant. Balneum vero ingressi, aqua frigida caput perfundant, ac rursus in frigidæ solium descendentes, ex fluente canali aquam frigidam copiose capite recipiant, rosaceo ipsum, aut quod ex oliuis immaturis expressum, aut melino, aut myrteo perungant. Galenus quoque myrtinum in vicem lentiscini ladano in hoc casũ permiscendum esse tradit. Est autem ladani dimidia pars, cum integra olei myrtini parte commiscenda. Licebit etiam aliquando in ætate frigida, atque adeo temperamento capitis natura frigido, & hyberno tempore, calefactoriæ facultatis adhibere oleum, quale

Si a penuria substantiæ nutrientis capillos.

Ladanum.

Defluuii ex meatuum raritate curatio.

Victus ratio.

A quale est *nardinum*. Laudanum autem in duplici vase liquefaciẽdum, & vbi liquefactum fuerit, cum nardino oleo permiscendum. Verbenaca quoque recta virens cum radicibus in omphacinum oleum coniicienda, atque vbi per plures dies insolaueris, oleum excolato, eoque singulis diebus vtere. Quod si virens defuerit, aridam vna cum radicibus contundito, & per angustissimum cribrum concernito, dein oleo commixto vt strigmenti crassitudinem accipiat, in vas æreum reponito, atque vbi computruerit, pro oleo similiter vtitor, nulli enim remedio cedit. Porro si ob meatuum densitatem pilorum generatio prohibeatur, tunc iis potius vti conuenit, quæ rarefacere possunt, & moderate calefacere. At quia rarefacientia materiam quidem euocant, non sinunt autem ipsam inhærere, & pilos nutrire ac generare, miscere iis conuenit tum quæ cutem roborare, tum quæ densare sensim queant, vt mista in remedio facultas esse deprehendatur, nempe attractrix simul & altrix retentrixque: ex præsenti quidem caliditate, attractoria: ex frigiditate vero retentrix. Multa igitur sunt medicamenta, quæ vires ex variis naturis conflatas habẽt, quædam attractoriam, vt thapsia, sinapi, euphorbium, cepa, & similia. Quædam adstringentem, vt oleum myrtinum, omphacinum, lentiscinum. Ex iis igitur simul mistis, prout affectus postulat, medicamenta componenda erunt. Laudantur inter alia, quæ sequuntur. *Laudani partes duas, adianti partem vnam vino myrtinoque oleo excipi, & vbi mellis consistentiam consecutum fuerit, capit ante balneum, & post illud inungito.* Aliud. *Laudani & absynthij partes aequales, baccas iuniperi decem linteolo illigato, & in oleo ad dies quinque macerato, ex eoque caput illinito, & neque capilli defluent, neque furfures habebunt.* Est Archigenis remedium. *Nigella vsta, aquaque subacta & illita plurimum commendatur.* Huius namq; vsus ad eliciendos pilos, siue capiti, siue mento, inprimis autem si superciliis adhibeatur, mirifice confert.

Defluuii ex densitate meatuum curatio.

B

C

De tincturis capillorum. CAP. III.

ETsi veteres etiam Medici, Galenus potissimum, tincturæ capillorum parum æqui fuerunt, quod non tam ad ornatum honestum, quam ad malitiam hac plerique vsi sint: tamen quum interdum regiæ ac principes honestæ mulieres vt maritis suis gratificentur illam a Medicis expetant, operæpretium me facturum confido, si paucula quædam eius generis, & paratu facilia subiiciam medicamenta. Primum autem ea, quæ capillos denigrant commemorabo. Denigrant itaque capillos, *corticis Salicis succus cum oleo affricatus.* Summe autem denigrat. Aliud *Gallarum, acaciæ, squamæ ferri, chalchanti, aluminis æquales partes in vrina pueri Venerem non experti diem vnum macerato: deinde pilis detersis illinito, & caput linteo ad triduum ligato.* Aliud. *Vini nigri vetustissimi vncias tres in plumbeum vas coniicito: & scobis seu rasuræ plumbi vncias duas in eo dies quindecim macerari sinito: deinde oleum primi honoris superfunde, & subigens illinito.* Aliud. *Gallas coctas tritasq; capillis nocte ac die illinito. A lecto autem surgens aqua frigida abluito.* Aliud. *Nucum viridium corticis, vncias tres. Radicis corticis, Ilicis vncias sex, alias tres. Vini nigri, sextarios tres. Decoquito ad tertias, exprimito, & quod reliquum est cum olei myrtini sextario vno subigito. Vtitor quotidie.* Aliud. *Retrimentum ferri, ac plumbum in aceto cocto ad tertias, illine citra oleum.* Aliud. *Radicem capparis tritam cum muliebri lacte ad tertias coquito, & ad noctem illinito.* Flauos capillos reddunt quæ sequuntur. *Lupinos crudos ex aqua illinito.* Aliud. *Lupinorum cortices, ac parum nitri in aqua ad quatriduum macerato, ac vtitor.* Aliud. *Myrrhæ partem vnam, salis floris tantundem, diligenter læuigato, & redigito ad strimenti crassitudinem: ac caput vbi exterseris medicamento illinito, sinitoque noctem & diem, & deinde abluito.* Aliud. *Lithargyri, drachmam vnam. Terræ creticæ, drachmas quatuor. Calcis viuæ, drachmam vnam. Aqua ad strigmentorum redigantur crassitudinem, & illinantur, apponanturque Betæ folia ad dies tres vel quatuor, deinde medicamenta abluito.* Vt capilli nigri flauescant, recipe *vini fecem, in balnei sordes mittito, & in cerati spissitudinem redacta, vbi dormire voles illinito, & mane capilli flauescent.* Vt autem auri colorem referant. Accipe, *aluminis, drachmas sex. Sandarachæ drachmas totidem. Herbæ rubiæ, drachmas octo. Croci, drachmas duas. Lixiuij pileatorij sextarios quatuor. Lixiuium & rubiam contusam ad dimidias coquito, & liquorem exprimito, & cum hoc alumen, sandaracham, & crocum diluito, & in vas vitreum mittito. Vsus autem tempore præfrictis illinito. Vbi vero combiberint ex fœnigraeci, hordei, ac cumini decocto abluito, ita vt aqua tepida sufficienti sapone addito prius oblueris.* Aliud. *Saponem gallicum cum aqua singulis*

D Quibus pili nigrescant.

E Quibus capilli flauescant.

F Quomodo capilli aurei fiant.

balneis affricet. Aliud valde præstans *Rhois rubri, vnciam vnam. Gallarum, drachmas duas. Stercoris muris, drachmam vnam. Adianti, Manipulos duos. Absinthy, Manipulum vnum. Lupinorum decorticatorum, drachmas duas. Aquæ sextarios tres. Omnia in vas vitreum coniecta ad dies nouem macerari finito per diem bis agitando. Vsu vero postulante, quod satis est excolato, & in hoc spongiam imbutam capillis affricato, & humectatos combibere finito. Vbi vero resiccati fuerint, sapone in calida aqua dissoluto abluito.* Vt capilli albi reddantur, *Verbasci albi florem comburito, & aceto maceratum subigito, eoque pilos abstergito.* Aliud *Verbasci seminis, aluminis rotundi, corticis raphani, singulorum vnciam vnam. Contundito, miscetoque glutinis taurini drachmas quatuor, ac vtitor.* Ceterum hic subiiciendum nobis erat caput de medicamentis pilos corrumpentibus. Verum quia eorundem nostra ætate vsus rarus admodum est, & Galenus *libro primo de compo. medicamentorum localium cap. 21.* copiosissime eadem descripsit, eorundemque triplicem differentiam enarrauit, ac quorum vsus periculosus, quorum vero minime diligentissime iudicauit, ideo lectorem ad illum ablegare maluimus.

Quomodo capilli albi fiant.

Medicamẽta pilos corrumpentia.

A

B

De porrigine. CAP. IV.

Porrigo. πιτυρίασις.

Caussa.

Notæ.

Victus.

Porrigo vitium est, *in quo tenues ac furfuraceæ squamulæ ex capitis cute, nulla relicta exulceratione decidũt:* vnde etiã Græcis πιτυρίασις appellat, quasi *furfuratio siquidẽ πίτυρον* illis *furfur* significat. Qui barbaram sectantur Medicinam *furfures* vocant. Nascitur hoc symptoma a vitiatis serosis humoribus, hoc est, vt *Trallianus interpretatur ex Galeno,* a prauo humore pituitæ salsæ, aut bilioso, & melancholico sanguine sursum in caput elato. Notæ ex iis, quæ in vitii descriptione diximus, manifestæ sunt. Victus ratio talis sit, quę nec crassos, nec vitiatos alios humores procreet. Sint itaque bonam aluum facientia, quibus vescuntur ægrotantes. Coctionis quoque inprimis cura habenda est. Deambulationes lenes plurimæ mane & vesperi optimæ sunt. Vinum prodest album & tenue. Ira, indignatio, mora in sole, & vehemens refrigeratio, omnia denique quæ caput implẽt vitanda. Quod ad curandi rationem attinet, si vniuersum corpus vitiatis humoribus plenum fuerit, initio illi anteaquam capiti medicamenta adhibentur, medicamentis purgantibus, maxime pituitam ducentibus, vacuandum erit. Purgandi itaque ii, qui hoc vitio laborant, eodem quo in alopecia modo. Quod si vero nullum in vniuerso corpore recrementum conspicitur, sola medicamenta discussoria & extersoria capiti vitiatis humoribus referto adhibenda erunt, vt scilicet hos ipsos absumant. Sunt tamen, qui prædictis medicamentis quædam adstringentia admiscenda esse putant, vt per ea pars laborans roboretur, ne facile in seipsam influentes serosos ac vitiatos humores recipiat, sed resistat, eosque repellat. Abstergent autem a capite porriginem, amygdalæ amaræ decorticatæ, cum aqua aut aceto affrictæ: quumque exaruerint, capilli calida abluendi sunt. Aliud. *Maluam syluestrem, quam alio nomine Althaam vocant, in aqua marina, donec decima pars relicta fuerit, coctam terito, & affricato.* Detergebitur etiam caput, si intro aspergatur, & fricetur *vel sale, vel lixiuio parato ex cineribus cum aliqua quantitate vel mellis, vel succi betæ, vel porri.* Aliud. *Nitri spumam, & atramentum sutorium, aquis partibus cum vino ter aut quater in mense affricato.* Hoc adeo vehemens est, vt neque in posterum porrigo regeneretur. Aliud. *Cimoliæ & sulphuris viui, aquas partes contritas illine, tum lupinorum decocto, vel fabarum, vel lixiuio ex radicibus betæ & brassicæ parato, lauato.* Aliud *Lithargyri, olei rutacei, aceti partes æquas iungito. Radicis cucumeris syluestris decocto vtere.* Aliud. *Scillam assato, & vbi flaccescere cœperit succum exprimito, & oleo commixtum illine. Syluestrem stapida oleo eliquatam illinito.* Aliud. *Cimoliam aqua præmadefactam ad Betæ succum admisce, illine, & donec resiccetur sine, deinde ablue, & thus cum vino ac oleo tere ac illine: postridie vero staphidem syluestrem cum oleo illine.* Aliud. *Nitri, fæcis vini vstæ, punicis, pari portione cum vino aut aqua calida affricato capiti.* Aliud. *Fabam vna cum cortice molito, & cum Betæ succo vtitor.* Aliud. *Cimoliæ, vnciam vnam. Nitri, radicis bryoniæ, corticis radicis cucumeris syluestris sicci, farinæ fabarum, singulorum vnciam dimidiam. Farinæ hordeaceæ ac lupinorum, vtriusque drachmas tres. Singulis seorsim leuissime tritis, ac vnitis in balneo vtitor.* Ad humidiores autem porrigines muria, aut lupinorum decocto ad abluendum vtitor. Est enim hoc medicamentum experimentis & vsu comprobratum.

Curatio.

Localia.

C

D

E

F

De phthiriasi. Cap. V.

A

Φθειρίασις non est nisi pediculorum in capite, vel in toto corpore, potissimum in locis calidis, & humidis, vt sub alis, circa collum, & aliis eiusdem partibus frequentibus pilis vestitis, aceruatim facta procreatio. Latinis *pediculatio*, & *morbus pedicularis* nominatur. Fit hoc vitium ex multis moderate calidis humoribus nec ad tantam caliditatem progressis, ad quantam acres serosi humores perueniunt, in profundo cutis collectis. Quapropter manifestum hinc fit, pediculationis affectum in profundo cutis fieri, vbi etiam pediculos generari contingit, haud in superficie cutis, in qua porrigo consistit. Notis ad eius vitii agnitionem nullis opus est, quod pediculi affatim in capite aliisque corporis partibus procreati, satis quale hoc sit vitium indicent. Ceterum quum in profundo eius vitii & symptomatis caussa hæreat, vt iam commemoratum est, medicamenta quæ hanc sanent requirit desiccantia, & quæ meatus cutis relaxare, & ex alto trahere ac vacuare possunt, magis vtique quam ea, quæ porrigini conueniunt, quo facilius qui geniti sunt, simul cum materia eorum exeant, & medicamenta promtius in internam partem penetrent, qualia sunt quæ a nobis subiicientur. Ante tamen eorundem vsum, medicamentum quod vitiatos corporis aut capitis humores vacuare possit propinandum esse, notius est, quam vt a nobis pluribus dici debeat. A purgatione autem ad localia confestim veniendum erit, inter quæ pediculationi laborantibus id maxime confert, quod *Staphidis syluestris habet unciam vnam. Sandaracha, hoc est, vt hodie officinæ vocant, arsenici rubei, nitri vtriusque drachmas duas, cum aceto & oleo veteri capiti illinito.* Aliud. *Oxylapathi radicem cum oleo eodem modo illinito.* Aliud. *Elleborum album, staphida syluestrem, & nitrum pari pondere, cum oleo in balneo vtitor. Aut cum aqua marina, aut merata muria cum aceto perfundito.* Quod si nuditas pilorum adsit, quod accidit vbi tanta pediculorum copia in capite procreatur, vt laborantes caluescant, depastis nimirum a pediculis humoribus vnde pili nascuntur, syluestrem staphidem cum oleo & aceto tritam imponito: hacque se quod voluit semper esse assecutum Paulus scribit. Aut alumen tritum cum oleo illinito. Confert etiam *caput lauare lupinorum, aut tamaricis aut florum stœchadis, aristolochiæ rotundæ vel longæ radicis decocto, aut aqua tepida cum aceto.* Aliud. *Hederæ succum melle mixtum illinito. Aut Perdicij, parietariam alio nomine vocant, succum dormituris illinire prodest.* Aliud. *Ligustri florem cum vino tritum, capiti ac toti corpori affricato, vbi cubitum ire voluerit. Oleum quoque laurinum, aut raphaninum inunctum auxiliatur. Lupinorum insuper & baccarum lauri decoctum pediculationi medetur, si ijs caput detergeatur. Prodest etiam ipsis potus. Allij drachm. duarum, cum Origani triti drachma vna ex aqua mulsa.* Ad omnia vero genera pediculorum occidenda nullum est præstantius remedium, quam argentum viuum in quacunque parte fuerint. Quare eius vnguenti quod *lib. 2. de compo. medica. descripsimus numero 29.* vsus optimus erit.

[Margin: Φθειρίασις. Pediculatio. Caussa. — B Notæ. — Curatio. — Localia. — C — D]

De achore & fauo. Cap. VI.

Ἀχὼρ Græcis vitium est, *quod in capitis extima cute oboritur, nempe vlcusculum tenuibus admodum foraminibus perforans, per qua modice glutinosa erumpit ac fertur tenuis humiditas.* Plinius *manans capitis vlcus* appellat. Nostræ ætatis Medici a tinearum in vestibus similitudine, *tineam capitis* appellant. Siquidem vt hæ multo, eoque tenui morsu & erosione vestes perforant: sic capitis cutem *vt dictum est*, achores. Simile autem huic vitium est, quod Græcis κηρίον, Latinis vero *Fauus* dicitur, in eo a priore vitio differens, quod maiora & ampliora foramina habeat, per quæ humor melli, quod in fauo est, similis erit. Generatio ipsis ex humore mixto est, qui partim tenuem saniem & mordacem, partim vero crassum succum in se habent. Tenuis itaque humor, vtpote mordax, primum quidem cutim vellicat ipsamque ad scalpendum ægros cogit, progressu vero temporis ad pruritum tum tumor augetur, tum foramina circa ipsum consistunt, vnde disrumpitur cutis, & vlcera prodeunt. Paulus Æginera vitium hoc *ex nitrosa salsaque pituita* nasci tradit. Alexander Trallianus *excremento interim bilioso, aut pituitoso, interim etiam melancholico* creari affirmat. Quod si igitur ea, quæ excernuntur & emanant, tenuia admodum consistentia fuerint, & colore subpallida, a biliosa sanie procreari vitium indicio sunt. Sin tenuia non sint, sed crassa potius ac glutinosa, pituitosas superare sanies, & ab illis vitium nasci indicant. Quod si nihil horum fuerit,

[Margin: Achor. — E Manans capitis vlcus. Tinea capitis. — κηρίον. Fauus. Caussa. — F — Notæ.]

loca vero, vnde humor manat, dura magis, cutisque superficiem eminentia & angustiora appareant, vt nihil, aut saltem exiguum ab eis effluat, melancholicum subesse a quo vitium hoc oritur excrementum putato. Præterea amarorem sentiunt, quibus caussa est biliosa: salsam vero qualitatem, quibus pituitosa: acidam autem, quibus melancholica. Iam eandem ex tactu etiam internoscere poteris. Calidior enim tibi apparet, in quibus est biliosa sanies. Frigidior autem, in quibus pituitosa: minus vero frigidus, vbi melancholica fuerit. Victus. Victus ratio in hoc vitio ex cibis boni succi constare debet, quo recrementorum prouentus tollendus venit. Omnia quoque acria & salsa vitanda, Curatio. perinde atque crassa & glutinosa. Curandi ratio in vtroque vitio a vacuatione auspicanda venit. Si enim corpus vniuersum humoribus abundauerit, adeoque plethoricum fuerit, sanguis initio mittendus erit. Sin cacochymum & vitiosis refertum humoribus fuerit, purgare id prius oportet, postea ad particularia medicamenta transeundum. Non enim solum corpus frequenter & fortiter, sed & caput purgandum per ea, quæ naribus induntur, & quæ per os pituitam extrahunt, vt in alopeciæ etiam curatione dictum est. Quod si exiguum est vitium, sola localia & particularia nominata remedia, citra totius corporis vacuationem suffecerint. Conueniunt autem ipsis propter crassitiem & lentorem humoris eos generantis, medicamenta quæ hunc incidunt, quæque facultatem discutiendi & reprimendi necessario habent. Incipientes tamen achores, vbi corpus vniuersum excrementis caruerit, cum adstringentibus reprimentibusque tantum curare licebit, vt sunt myrti baccæ, rubi folia illita, plantago, polygonum, salicis folia, & similia. Nec otiosum est, *quod diximus*, vbi corpus vniuersum excrementis caruerit. Hac namque ratione errori quorundam occurrere volui, qui in cacochymis corporibus, in vitii huius initio humorem vitiosum adhuc influentem repellendum esse censent, quod certe tutum nequaquam est. Siquidem periculum, ne humor prauus intus repulsus, parotidas, vel alios periculosiores tumores in alia parte excitet. His igitur quæ mixtas facultates habent, atque adeo affluentes humores reprimunt, eos vero, qui in laborante parte continentur, concoquunt & discutiunt, in morbi augmento potissimum vtendum erit. Acetum itaque, quod ex incidentium & attenuantium ordine exsistens, vltra hoc, quod discutit, præcipuum quiddam in se habet, quo reprimit, ac quod influit depellit, vtpote quod substantia sua modice calidum est, plurimum vero frigidum, & partium tenuium, *quemadmodum Galenus libro primo de simpl. medica. facul. capite decimonono & duobus mox sequentibus copiose admodum demonstrauit.* Sit autem acetum exquisite acre, in quo nulla penitus vini qualitas appareat. Hoc ipso quidem medicamenta metallica nominata, vt sunt *cadmia, lithargyrus, pompholyx & similia, alias aliud imbues atque dilues,* moderata vtique, in quibus incipit & adhuc exiguũ est vitium: fortia vero in maioribus & diuturnioribus, fortissima autem in iam inueteratis, & iis quæ ægerrime curantur. Tollendi vero prius capilli sunt, antequam medicamenta localia adhibeantur, & a leuioribus semper incoandum, præsertim si dolor simul cum achoribus adsit. Supra caput autem non adstringentia frigida & humida, sed ea potius, quæ multum siccant, & humores vitiosos coaceruatos absumunt, densando corroborant. Derasis igitur capillis, caput bis terue, aut etiam sæpius die fouendum aqua calida, in qua *Myrthi baccæ sint decoctæ, vel rubus, vel bryonia, vel lenticula, vel amari lupini, vel asparagi radix.* Quum vero plus saniei emanat, salicis folia cum aqua recte illinuntur, vel lenticula cum melle. Vnguenta vero parabis *e lemnia terra, spodio, pompholyge, lithargyro, cadmia, adianto, & rosaceo.* Prodest quoque *fænograeci decoctum affrictum. Malua item cum vino & farina subacta hordeacea. Melilotum denique cum farina fænugraeci & vino impositum*: Quod si neque ex iis vitium quiescat, *medicamentum ex charta siccum aceto dilutum illinendum.* Est autem eius descriptio *li. 5. de compo. medica. general. cap. vltimo de aridis cicatricem inducentibus, apud Galenum.* Siccum autem dicitur, quia vlceribus inspergitur. Additur autem acetum, vt non solum siccandi, verum etiam repellendi facultatem obtineat. Galenus sola charta exusta, & aceto diluta locum laborantem illinens, eoque vno & item altero medicamento vsus, nonnullos perfecte sanitati restituit. Conuenit autem hoc medicamentum iis maxime, qui duræ sunt carnis: Ceterum sunt medicamenta viribus omnino robustissima, adeo vt etiam achoras ex crassis & lentis humoribus obortos, cõtumaciterque cuti infarctos vacuare queant,

atq;

A atque id ita valide, vt etiam si scirrhosum quid habeant, idipsum vacuare valeant: licet ipsum cutis habitum in eiusmodi prauitatem ducant, vt id quod influit, corrumpant, licet benignum sit. Talia sunt *sal, vini fæx vsta, sandaracha siue arsenicum rubeum, calx viua, fel calidorum & siccorum animantium, & id genus alia.* Prudenti igitur viro opus, & qui curandorum morborum substantiam, & ægri naturam probe norit. Hoc vero efficacissimum est, quod accipit, *auripigmenti rubei, calcis viuæ lotæ quinquies, ana vnciam vnam & dimidiam. Fuliginis furni, vnciam dimidiam. Vitrioli, aluminis, ana drachmas duas. Alij tenuissime triti tantundem. Tartari vocati, drachmas tres. Cum melle & aceto subigantur simulque misceantur, & ad formam linimenti reducantur.* Præterea qui medicamentorum facultates non tantum iuxta genus, sed & iuxta quantitatem cognoscat, quo singulis

B diebus quali præsidio opus sit, coniectet. In augenda namque aut imminuẽda medicamenti quod prioribus diebus admotum fuit facultate, quantum affectus ipse indicat, congrua curatio consistit. Porro quæ optime discutiunt sunt *lilij radix affricta, rosmarinum cum vino & aqua, & lupinorum amarorum, aut syluestris cucumeris radicis decoctum affrictum, rutæ folia, farina fænograci cum nitro, thus ex aceto illitum, malicorium cum oleo laurino illitum.* Quæ hactenus ad Achoras dicta sunt, ea quoque fauo conueniunt, neque enim inter se, nisi ratione maioris & minoris differunt. Quod si vero quis plura iam commemoratis remediis scire cupit, is librum Galeni primum *de compo. medica. local.* adeat, & voti sui haud dubie compos erit. In summa, quæcunque ad alopeciam scripta sunt, ex adassatis & fortiter discutientibus vlcera capitis manantia sanare possunt. *Sulphur* per

C se, vel cum aliis appositum, in corporibus robustioribus efficacissimum est remedium. Tutior vero eius vsus est, si vel *bolo armena*, vel *calce* nonies aut decies lota, aut terra lemnia cum aceto permisceatur.

Discutientia

Faui curatio.

De dolore capitis. CAP. VII.

VIx vlla pars corporis humani æque doloribus oportuna, vt caput est: huc enim facile aliquid ex infernis corporis partibus exhalat. Ipsa quoque pars, propriæ constitutionis atque temperamenti occasione inualida, non difficulter doloris caussas in se admittit, ac gignit. Doloris vero capitis Græcorum Medicis tres sunt differentiæ, tribus distinctis nominibus appellatæ, prima κεφαλαλγία, altera κεφαλαία, & tertia ἡμικρανία di

D citur. De quibus ordine differemus, a κεφαλαλγίᾳ exorsi, quæ non est *nisi recens totius capitis laboriosus sensus, non curando an per se accidat, aut alterius affectus symptoma & comes sit.* Adiecta vero vox est recens, vt differat a cephalæa, quæ capitis est diuturnus, & difficulter solubilis, *Galeno libro tertio de labo. locis auctore*, dolor, vt *suo loco latius dicemus.* Quum vero additum est *totius capitis*, hemicrania excluditur. Diligẽter autem considerandum erit, nunquid intra caluariam affectus consistat, vel extra. Dignosces vero idipsum hoc modo, *Galeno loco iam citato teste*, si dolor ad oculorum fundamenta extendatur, intra caluariam affectus hærebit. Quippe ab ipso cerebro, & ab vtraque eius membrana, atque a vasis quæ in ipsis continentur, veluti germina quædam ad oculos deducuntur, vt prompte ea de caussa vsque ad ipsos dolor extendi queat. Sin eousque dolor non

E extendatur, extra caluariam affectus erit. Huius caussæ complures sunt Nunc enim ex sola simplici intemperie citra humores accidit, iam vero ex horum qualitate. Interdum etiam ob plenitudinem humorum, quæ πλῆθος Græcis dicitur, quæ distentionem creat, contingit: præterea quum humores liquorum & vaporum transitus obstruxerunt. Adhæc fit, vbi ob imbecillitatem in quibusdam capitis partibus flatuosus spiritus innascitur. Interim quoque propter aliquam caussam externam, quam προκαταρκτικήν, id est, *præincipientem*, Græci appellant, nempe ardore solis, frigore, ebrietate, & ictu capitis dolor procreatur. Alexander Trallianus has omnes caussas in duas contraxit, προκαταρκτικὴν nimirum & συνεκτικὴν, *externam & continentem.* Recte autem dolori

F capitis, vtpote qui perpetuo symptoma est, caussas continentes assignat, quod is affectibus, vnde oritur, ita connexus sit, vt illis præsentibus ipse etiam adsit, iisdem vero sublatis, ille vna tollatur. Quo autem pacto singulæ iam commemoratæ caussæ dignosci valeant, iam dicemus. Si ex simplici & nuda intemperie capitis dolor excitatur calida, vel frigida, dolor ipse vehementissimus est, propterea quod a maxime actiuis qualitatibus generentur. Verum si calida fuerit intemperies, pręter vehementissimũ dolorem,

Doloris capitis tres differentię.

κεφαλαλγία.

Nunquid intra caluariam, vel extra caput infestetur.

Caussæ.

Signa intemperiei calidæ.

capitis etiam calor aderit, quem admota statim manu primoque attactu percipies ac deprehendes, ac oculorum rubor: frigidis præterea asperginibus siue perfusionibus ægri delectantur, exque illis maximum sentiunt adiumentum: præcessitque magna ex parte caussa aliqua externa calefaciens. At si ex frigida intemperie dolor excitetur, cõtrariis notis & signis dignoscitur. Nam licet vehementissimus quoque sit dolor, tamen caput tactu calidum non sentitur, neque facies, neque oculi rubescunt, nec arida, & collapsa apparet, sed contra plena & pallida: præcessitque externa quædam refrigerans caussa, & frigidis læduntur ægri, neque illis oblectantur. Sin ex siccitate ortus fuerit, moderatus erit capitis dolor, propterea quod siccitatis vis in agendo tardior & imbecillior sit: aridior quoque deprehendetur capitis cutis, & aliqua desiccans caussa præcessit. A siccis quoq; præsidiis non modo non iuuatur æger, sed noxam suscipiunt. Humidam autem intemperiem, quod humiditatis actio sit debilissima, nec tanta vis, vt dolorem ex se excitare possit. Quare hanc per se nullus consequitur dolor, nisi calori, aut frigori, aut humorum plenitudini, aut acrimoniæ coniuncta fuerit. Quod si vero non ex simplici seu nuda tãtum intemperie capitis dolor excitetur, sed cũ humoris affluxu, itidem suas notas habebit, quas singulas suis indicabimus locis. Qui ob caussam quampiam externam proritantur capitis dolores, prompte ex ægri, seu astantium relatione percipi possunt. Ceterum quod attinet ad doloris capitis prognostica, non esse opus arbitror vt ea ordine percenseamus, quod illa quiuis ex aphorismorum sectionib. Hippocratis colligere possit. Quam quidem ob caussam neq; in reliquis morbis ea percensebimus. Quum vero hactenus generatim de dolore capitis a nobis dictum sit, reliquũ est, vt ordine de singulorum affectuum dolores capitis excitantium curationibus, initio a calida intemperie sumpta, agamus.

Frigidæ. Siccæ. Prognostica signa.

De dolore capitis ex calida intemperie nato. Cap. VIII.

Caussæ. Victus ratio.

CApitis dolor ex calida intemperie nudæ qualitatis genitus, fit *a solis ardore, flammæ vicinitate, motu immodico, balneis, ira, furore, odoramentis, & aliis calidis affectibus.* Oẽs qui hoc modo laborant, domum, in qua decumbunt, natura frigidam postulant, aut eam, quæ nostra industria sic præparata est ex floribus & germinibus frigida facultate præditis per aream domus sparsis, & humi fusis, *rosis* videlicet, *violis, nymphea floribus, vitium capreolis, rubi ramis, & id genus aliis.* Refrigerabitur etiam, si humi aqua frigida proiecta sit, & de vasis in vase transfundatur. Euitandus contra aer calidus, quique nullum perflatum recipit, calidisque vaporibus refertus est. Cibus sit exiguus & natura frigidus, qualis est *lactuca, portulaca, intybum. Panis ex aqua frigida lotus, ptisana succus. Carnes pullorum, gallinarum, ac pulli columbarum cum omphacio siue agresta vulgo dicta cocti, gallorum testes, & alæ. Pisces petrosi, & teneris carnibus præditi. Malum punicum, vua passa, pyra, & mala quæ apia dicuntur.* Abstinendum vero ab iis, quæ proprietatem quandam habent capitis inducendi dolorem, vt sunt *palmulæ, oliuæ nigræ, & lactis esus.* Pro potu vero aqua omnino vtendum est, a vino vero abstinendum. Quod si vero ex eius potu ventriculus subuertatur, in ea parum cinamomi decoquatur, aut seminum coriandrorum præparatorum: vel misceatur *cum aqua succus malorum punicorum acidorum, seu acidum serapium, vel oxysaccharum.* Quod si nec his bene habebit, & aquam bibere non possit, permittendus ei erit ex aquosis vinis aquosus potus, *Galeno etiam auctore.* Ceterum somni & quietis cura in primis habenda, quapropter si consueto etiam longiores sint non nocent. Contra vigiliæ, præsertim immodicæ, penitus vitandæ. Alui excrementa, si natura non excernantur, lenibus clysteriis proritanda sunt: ex eorum enim retentione capitis dolor vaporibus prauis sursum elatis, augetur. Pari ratione lotium nequaquam diu retinendum erit, sed ab eo confestim a somno se exonerare debet æger. Exercitationes, frictiones, solem, balneaque fugiat. Animi perturbationes, iram potissimum, & furorem vitet. Proinde clamor, contentio, omnisque mentis perculsio fugienda erit, & in bona animi firmitate degendum. Porro dolorem capitis a nuda calida intemperie ortum curant, quæcunque citra vehementem adstringendi facultatem refrigerant, tenuiumque partium substantia prædita sunt. Adhibenda vero sunt repellentia in hoc capitis dolore & aliis liquida maxime, tum quia facilius ob tenuitatem penetrant, tum quod minus quam vnguenta, vel linimenta, vel emplastra

Curatio.

A & cataplasmata, quæ tenacius adhærent, suo contactu caput calefaciunt. Igitur initio nihil præstantius, quam *oleo rosaceo probe apparato caput perfundere atque irrigare vel intingendo linteos rarosue pannos in hoc oleo vehementer agitatos apponere*. Et æstiuo quidem tempore frigido exsistente. Quod si illi parum aceti adiectum fuerit, longe maiorem, & penitius penetrandi, *Tralliano teste*, vim induet medicamentum. Locus autem perfusionis seu irrigationis, illitionisque est iuxta frontem; vbi pilosum caput esse desinit, vt hodie facere consueuere Medici. Occiput autem medicamentum hoc non tangat, quod refrigerantia citra molestiam, quod isthinc spinalis medulla initium sumat, ferre non possit. Inter omnes autem capitis partes, ea quæ in syncipite iuxta coronalem suturam exsistit, ob articulationis laxitatem, & ossium tenuitatem & raritatem, sunt B enim inter suas squamas fistulosa & cauernosa, medicamentis imponendis maxime idonea, quod illic facile tum caliditas, tum frigiditas medicamentorum omnium, quæ adhibentur intro distribuatur. Quare siue refrigerare aliquando ex solis æstu, aliisque ex caussis calorem contractum: siue calefacere frigiditatem oporteat, aptissimus erit capitis iuxta synciput locus: Conferunt etiam *succi plantaginis, solani, foliorum vitis, foliorum salicis, vel summitatum rubi, vel pyræ syluestris, si cum aceto permisti apponantur.* In defectu autem succorum liquores stillatitii refrigerantes cum rosaceo mixti, vel oxyrhodino adhibendi sunt. Proximum a rosaceo chamæmelinum locum habet, in iis maxime corporibus, quæ vehementi refrigeratione non indigent, qualia sunt mulierum, eunuchorum, puerorum, & eorum, qui molli carne præditi sunt, albumque colorem C obtinent. Si vero vehementi refrigeratione opus erit, *semperuiui, aut lactucæ, aut portulacæ, aut polygoni, aut vuæ acerbæ & imminutæ, aut capreolorum vitis, aut solani, aut seridis, aut psylli succum* adiicere conuenit. Atque hic silentio transire non possum, quin Tralliani locum mirifice deprauatum emendem. Nam *libro primo capite decimo* inter alia sic scriptum legitur. *Quod si calor amplius superare videatur, etiam refrigerantium vim intendere conuenit, admiscendo semperuiui succum*, ἑρπύλλου, id est, *serpilli &c.* Nemo autem est facultatis stirpium adeo ignarus, vt non animaduertat, Serpyllum falso inter refrigerantia medicamenta recenseri, quum in calefaciendo tertium attingat ordinem. Quod igitur pro ἑρπύλλου sit legendum ψυλλίου, dictionum affinitas in primis hortatur. Idem etiam Galeni locus, qui est *in libro secundo de compositione medicamentorum locali. capite tertio* & a D Tralliano ad verbum transcriptus, clarissime euincit. Nam ibidem inter alia sic inquit: ὄντως ἐπεμβάλλειν αὐτῷ ψυλλὸν ἀειζώου, ἢ ἀνδράχνης, ἢ θριδακίνης, ἢ ψυλλίου, ἢ πολυγόνου. Alexander vero Trallianus ita loco supra ostenso ait: τὴν τῶν ψυχόντων, ἢ δύναμιν ἐπιτείνειν σε χρὴ ἀειζώου προσπλέκοντα ψυλλὸν, ἢ ἑρπύλλου, ἢ ἀνδράχνης, ἢ θριδακίνης, ἢ πολυγόνου. Qui locus quum ad verbum a Galeno transcriptus sit, dubium non est, quin in eo falso ἑρπύλλου ab imperito rerum Medicarum librario pro ψυλλίου scriptum sit. Prædicta vero medicamenta, capiti admouenda, ad eum parari possunt modum. Accipe *olei rosacei, vncias duas. Liquoris stillatitii rosacei, vnciam vnã & dimidiam. Aceti optimi, semunciam.* Aut *recipe liquoris stillaticij semperuiui, lactucæ, solani, singulorum vncias duas. Liquoris stillatitij chamæmeli, vnciam vnam cum dimidia. Aceti, vnciam vnam. Immisceantur inter se singula, & fasciæ ijs imbutæ & madefactæ fronti aut syncipiti* E *imponatur*. Ceterum refrigerabis, æstiuo potissimum tempore, quæcunque adhibere voles medicamenta, aqua summe frigida illa mergens: aut si huius copia non detur, niuem aut glaciem vasculo circumponens, *quemadmodum Galenus libro 2. de simpl. medicament. facultat. capite septimo. Et libro octauo medendi methodi; & loco paulo ante citato.* Iam dicta igitur medicamenta etiamsi humorum aut vaporum copia ad caput impetum fecit, præclare auxiliantur. Licebit etiam aliis oleis refrigerandi vi præditis vti, quale est *violaceum, ex cucurbita, & nymphææ*, & cum illis alia quædam refrigerantia medicamenta permiscere, exque illis linimenta vel vnguenta componere ad hunc modum: Accipe *lenti cremoris, mucilaginem Medici hodie vocant, seminis cotoniorum, maluæ, psyllii, sin-* F *gulorum drachmas tres. Succi portulacæ, drachmã vnã & dimidiam. Succi solani, drachmã dimidiã. Olei rosacei, vnciam vnam. Commistis omnibus formetur linimentũ.* Poteris etiam adiecta cera, & accessione aliorum medicamentorũ fingere vnguentũ in hunc modũ. *Vnguenti populeon, drach. duas. Oleorũ violacei, rosacei, vtriusq. drach. tres. Florũ nymphea aridorũ, rosarũ rubearum, vtrorumque scrupulum vnũ. Ceræ quod satis est*, formetur vnguentum, quod fronti &

Cui parti capitis medicamenta admouendā.

Tralliani locus emendatus.

Linimentū.

Vnguentū.

Saccellus. temporibus illinatur. Saccelli item parari poterunt ex *rosis, violis, nymphea floribus, hordeo, portulaca & plantaginis seminibus, ac lentibus*. Neq; alienum ab instituto erit si embrochis A
Embrocha. *e rosis, violis, floribus nymphea, folijs salicis, portulaca & hordeo compositis vtaris*. A stupefacientibus autem, vtpote quæ non citra offensam refrigerant, & ab iis, quæ cum eo, quod refrigerant, manifeste etiam adstringunt, abstinendum, nisi idipsum necessitas exigat, & eis vti propter multas vigilias coacti fuerimus. Quare si quando necessitas postulet, parum quiddam ex eis refrigerantibus miscendum est. *A papaueris* autem & *mandragora* succis abstinendum erit, quod non citra damnum refrigerent. *Solani* etiam succum aut neutiquam miscemus, aut prorsum exiguum, quod nos fecisse in linimento paulo ante adducto vident studiosi. Pari modo & *mali granati* acidi, *cotoneiq́*, & *mespili* succi, quod nimium adstringant, cauendi erunt. Hactenus medicamenta, quæ inter initia vitii conueniunt, commemorauimus. Quum igitur per ea perfecerimus, quod res postulat, hoc est, in fluxum sedauerimus, mox deinde mitigantia concoquentiaque ac discutientia B
Stupefacientia.
Embrocha. medicamenta reprimentibus admiscere oportet. Quapropter tum eiusmodi embrocha vti licebit, quæ accipit *florum rosarum, violarum, vtrorumq; manipulum dimidium. Foliorum salicis, chamameli, meliloti, singulorum manipulum vnum. Seminum malua, fœnigraci, vtriusque drachmas duas. Hordei decorticati, vnciam vnam.* Coquantur singula in aquæ fontanæ libris duabus, donec tertia eorundem pars absumatur, & capiti ex alto instilletur. Ægro etiam liquor stillatitius rosaceus cum permistione exigui aceti, naribus ad odorandum adhiberi potest. Proderit quoque, vt æger duabus vel tribus horis ante cibum mane *Zulapium rosaceum*, aut *violaceum*, item *eorundem Conseruas*, & alia eius generis, quæ corpus refrigerare possunt adhibeat. Eadem curandi ratio etiam vsurpanda erit, vbi ab exercitiis, ira, & aliis calidis caussis ortus est dolor capitis. C

De dolore capitis ex frigida intemperie procreato. CAP. IX.

Caussa. DOlor capitis ex frigida intemperie nudæ qualitatis natus, ab ambiente nos aere frigido, maxime vbi quis nudo & aperto capite, in eo diutius versetur, & ab improuida aliarum rerum frigidarum admotione. Signa eorum, qui caput propter frigiditatem dolent, omnino contraria sunt iis, qui ex calida intemperie laborant. Quippe tum in capite nullus sentitur calor, facies quoq; ipsorum nequaquam contracta, minimeque arida, decolor tamen exsistit. Oculi denique non rubent, sed contra tumido pallore deformantur. Frigidis nec gaudent, nec iuuantur. Qui sic dolent, aerem caueant frigidum, in calido autem morentur. Lactis, piscium, & aliorum omnium ciborum, qui refrigerare possunt, vsum deuitent. Ouis sorbilibus gallinarum, pullorum, perdicum, & phasianorum, aliarumque auicularum carnem. Pro potu dandum illis vinum tenuium partium, quod mediocriter extenuare, ac calefacere potest. Motu corporis vtantur, gestatione in equo, & deambulatione. Somnus iis confert moderatus, non tamen solito longior. Plus enim eis vigilandum, quam dormiendum erit. Balnea seu lauacra calida illis prosunt. Aluum perpetuo apertam habeant, vt singulis diebus excrementa corporis deiiciat. Tristitiam, graues cogitationes, aliasque eius generis animi perturbationes fugiant. Curare igitur generatim, qui ex frigida intemperie caput dolent calefacientibus oportet: verum pro intemperiei magnitudine remedium quoq; variãdum erit. Natiuum quoq; cerebri temperamentum vnice considerandum venit, quod tale est, vt neq; vehementer calida, neq; etiam admodum frigida, feret medicamenta. Rutaceum autem oleum, *vt auctor est lib. 2. de compo. medica. local. Galenus*, calidum syncipiti superfusum, perfecte hominem liberare potest. Licebit etiam vti, *Tralliano teste*, irino, aut nardino oleo, aut pro eis chamæmelino, & anethino. Sin vehementiore opus sit calefactione, frontem ipsorum & tempora medicamentis excipere & euphorbio compositis oleo iniectis illinire conuenit: aut aliquid olei e piperibus, aut oleum euphorbinum rutaceo permiscendum. Prędictis medicamentis narium & aurium meatus illinendi sunt. Quidam etiam, *vt ibidem testatur Galenus*, pedum plantas, ac sedem ex eis illinunt. Proderit haud leuiter vnguentum hoc quod habet: *Oleorum irini & rutacei, vtrorumque vnciam dimidiam. Maiorana, piperis, betonica, singulorum scrupulum vnum. Florum stœchadis, drachmam dimidiam. Ceræ quod satis est.* Hoc vnguentum vehementius, aut minus, pro affectus diuersitate Medicus efficiet. Mitius quidẽ cum oleo chamæmelino,
Nota. D
Victus ratio. E
Curatio. F
Vnguentũ.

vehe-

A vehementius autem cum adiectione castorei, aut euphorbii. Licebit etiam parare sacculos, in eum modum paratos: *Foliorum hyssopi, serpylli, verbenacæ, maioranæ, singulorum manipulum dimidium. Florum rosmarini, betonicæ, vtrorumque pugillum vnum. Rutæ, pulegii, calaminthæ, singulorum drachmam vnam & dimidiam. Trita indantur insuanturve in sericum rubrum, formeturque sacculus, qui in modum pilei formetur, ac noctu & interdiu per aliquot septimanas capiti impositus gestetur, aut si molestum id ægro fuerit, ex linteo tenuissimo fiat, qui calefactus, acetoque prius irrigatus capiti admoueatur.* Haud inutiliter etiam adhibebuntur embrochæ ex floribus *chamæmeli, meliloti, fænigraci, maioranæ, origano, betonica, saluia, stichade, & similibus in aqua decoctis paratæ.* Ex illis quoque & similibus vaporem per nares ægri attrahere possunt, aut sequentibus orbiculis odoriferis, poma B vulgus medicorum ambræ nominat, vti, quæ habent *Styracis siccioris, drachmas duas. Caryophyllorum, maceris, ligni aloes, singulorum drachmam dimidiam. Florum lauandulæ, drachmas duas. Galliæ moschatæ, drachmam vnam & dimidiam. Styracis liquidioris, ladani, vtriusque drachmam vnam. Moschi, ambaris, vtriusque grana tria aut quatuor.* Tritis & cribratis omnibus cum stillaticio maioranæ liquore, & cremore lento tragacanthæ quantum satis erit formentur orbiculi odorati. Lauri insuper folia tenera cum irino oleo trita, capiti illini possunt. Conueniunt etiam fomenta interim per spongias calida imbutas, & expressas, maxime si lauri folia tenera aquæ incocta fuerint.

Sacculus.

Orbiculi odorati.

De dolore capitis ex intemperie sicca, vel humida orto.

C CAP. X.

NEVTRA quidem intemperies per se sola, nisi ei coniungatur vel caliditas vel frigiditas, capitis dolorem excitare potest. Quod vtique, grauissimus auctor, Galenus *lib. 1. de sympto. caussis cap. 5.* confirmat, in eum scribens modum. *Porro vehementes,* inquit, *in tactu a naturali habitu transmutationes, ob violentum calidi frigidique occursum, atque ob eas res quæ contundere, secare, extendere, aut erodere possunt. Nam siccitas humiditasque, nisi calori frigorique coniungantur, occursu suo vim inferre non consueuere.* Hactenus Galenus. Ratio vero eius quod diximus hæc est. *Quum nulla res nisi eius occursus sit vehemens ac repentinus, dolorem excitare possit; humiditas autem & siccitas nullam violentam aut molestam sensionem in corporibus sensu præditis efficere possint: imbecillior enim eorundem est, D alteratio, atque adeo sensim irreperis. quod pati potius quam agere natæ sint; ideoque dolorem nullum capiti inferre possunt.* Atque hinc est quod nec Galenus, nec alii veteres Medici Græci vllam doloris e siccitate & humiditate orti mentionem faciant. Nos tamen hic earundem intemperierum meminimus, non certe quod per se excitare posse dolores capitis putemus: sed vt potius medicinæ initiati tum etiam vbi calori aut frigori iunctæ sunt humiditas & siccitas dolorem capitis excitantes, quibus hunc ipsum pellerent medicamentis non destituerentur. Ceterum dolorem a siccitate creat aer nos ambiens siccus, medicamenta exsiccantia, fames, exercitia immodica, coitus immoderatus, & animi perturbationes, tristitia potissimum & mœsticia. Ab humiditate autem dolor nascitur propter aerem ambientem humidum, E medicamenta eiusdem naturæ, balnea, aquas calidas, & alias res supra modum humectantes. Deprehenditur siccitas, si pauca, aut nulla penitus e naribus excrementis, aut humida profluxerint: si præterea oculi concaui fuerint, multæque præcesserint vigiliæ. Contra humiditas aderit, vbi multus ex naribus mucus emanarit, si oculi tumidi fuerint, & ægri plurimum dormiant. Qui ob siccitatem dolent, ii in aere versentur humido, vescanturque cibis humectantibus & boni succi, vitellis ouorum, testibus gallorum, ac eorundem iusculis, phasianis, perdicibus, & aliis quæ plurimum nutrire, atque adeo humectare possunt. Vinum bibant tenue, aquosum tamen. Somno vtantur quoad fieri potest largiore. Fugiant motum corporis, ac quiete potius, otioque vtantur ægri. Coitus, fames, sitis, & omnia quæ exsiccare nata sunt, F euitanda. Lauacra quæ humectare possunt, vt sunt dulcium aquarum calefactarum, *Galeno libro tertio de tuen. sani. cap. 3. teste,* si tepidiores fuerint, non parum commoditatis ægrotanti afferent. Lætentur denique ægri, & omnes alias animi perturbationes vitent. Sin propter humiditatem dolor accidat, contrariam victus rationem instituere oportet, exsiccantem scilicet, quæ cuiuis ex iis quæ iam dicta

Siccitas & humiditas per se dolorem haud inferunt.

Caussæ.

Signa.

Victus.

Curatio. ſunt, quod contrariorum eadem ſit doctrina, nota eſſe poteſt. Non eſt igitur vt de illa priuatim agamus, ſed ſatis erit obiter dixiſſe, in dolore capitis a ſiccitate nato, adhibendum oleum violaceum, amygdalinum e dulcibus confectum amygdalis. Non ſolum autem iis ſynciput inungendum eſt, ſed & naribus etiam illinenda erunt. Iam vero dictis oleis rectiſſime commiſcentur pinguedines, ad hunc quidem, A

Linimentũ. vel ſimilem modum. *Oleorum violacei, & amygdalini e dulcibus amygdalis expreſſi, vtriuſque drachmas tres. Pinguedinis vitulinæ, gallinæ, vtriuſque drachmas duas. Butyri recentis ſalis expertis, drachmam vnam & dimidiam.* Commixtis omnibus fingatur linimentum. Proderit non parum embrochas *e violis, maluis, aliiſque herbis humectandi vi præditis confectas capiti adhibere.* In capitis autem dolore ab humiditate nato, contraria prorſus remedia admouenda erunt. Quæ etiam variabuntur prout vel calor, vel frigiditas coniuncta fuerit. Remediorum itaque copiam partim ea, quæ dicta ſunt, partim deinceps tradentur, ſuppeditabunt. B

De dolore capitis ex plenitudine. CAP. XI.

HACTENVS de curandis doloribus capitis qui ex nuda qualitatum alteratione proueniunt, egimus: nunc de eo, qui e plenitudine oritur diſſerimus. Pleni-

Plenitudo. Πληθώρη. tudinem autem vocamus in præſentia, id quod Græcis πλῆθος καὶ πληθώρη nominatur: quæ fit, *Galen. lib. 2. De compo. medi. ſecundum locos, cap. 1. teſte*, quatuor humoribus proportione adauctis: aut ſolo ſanguine. Idem enim eſt, quum exquiſite ſincerus ſanguis in venis, *vt atteſtatur Galenus lib. De plenitudine*, nunquam reperiatur, quin ſemper aliquid bilis, vel pituitæ, aut ſeroſi humoris illi commixtum ſit. Hoc itaque aucto, reliquos quoque omnes humores increſcere, pro ſua quemque portione neceſſe eſt. Proinde nihil prohibet dolorem hunc capitis, de quo nunc nobis ſermo eſt, vocare ſanguine eum capitis dolorem. Proportione itaque, *quod* C

*Ἀνάλογον. *Ὁμοτίμως. *Galenus loco iam citato* ἀνάλογον *& alibi* ὁμοτίμως *vocat*, humores quatuor in plethora ſeu plenitudine augentur, adeo vt ſanguis, quandoquidem copia ſua reliquos humores in venis vincat, ſemper in ea magnopere præcellat, *vt fuſius lib. 2. Inſtitu. noſtrarum ſect. 5. cap. 1. diximus.* Doloris capitis fit ab omnibus, quæ plenitudinem in

Cauſſæ. corpore procreare poſſunt, vt ſunt cibi & potus boni ſucci vberius aſſumti: exercitiorum, balnei, ſudoris, & aliarum vacuationum naturalium & artificialium neglectus. Facies & oculi rubent, venæ tenduntur, adeo vt non ſolum maio- D

Notæ. res, verum etiam minores, & quæ prius ſenſum effugiebant, & ob paruitatem latebant, nunc viſu comprehendantur. Pulſus magnus & vehemens redditur. Vrina ſubrufa & craſſa. Venæ temporum pulſant. Dolor ſubſequitur capitis grauatiuus. Vrina flaua & craſſa. Verſetur æger in aere frigido & ſicco. Quod ſi talis non ſit arte paretur, aere frigidiore per feneſtras immiſſo, & floribus violarum, roſarum, foliiſque ſalicis, & vitis per cubiculi aream ſparſis. Arceatur inde hominum turba, ne ſuo halitu, & tranſpiratu aerem calefaciant. Vitet carnes, oua ſorbilia, &

Victus ratio. eiuſmodi quæ copioſe nutriunt. Vtatur ptiſana hordeacea. Oleribus frigidis, in-

Intybum ſatiuum duplex. tybo ſatiui vtroque, endiuiam & ſcariolam hodie appellant, portulaca, lactuca, & ſimilibus veſcatur. Fugiat vinum, bibat aquam in qua parum decoctum ſit cinnamomi, aut hordei. Quod ſi aut conſuetudo, aut virium imbecillitas aliter ſuadeat, aut morbi paruitas permittat, vinum quidem dandum, ſed tamen imbecillum, & aqua multum dilutum. Exercitetur mediocriter, fricetur, frequenti vtatur balneo, ita tamen, vt corpus prius vacuetur, ægerque minime febricitet. Somnus ſit mediocris. Gaudeat & lætetur, omniſque reliqua animi perturbatio abſit. Curandi ra- E

Curatio. Venæ ſectio. Humeralis. tio ſtatim a ſanguinis miſſione, niſi aliquid ſit, quæ hanc prohibeat, auſpicetur. Incidenda autem erit vena in cubito exterior, quam *humeralem* alio nomine, & hodie *cephalicam* vocant, aut media ſi alia non appareat, eius ſcilicet partis, in qua dolor potiſſimum viget. Siquidem hæc vena capiti continuata eſt, adeoque non ſolum per eam a laborante particula in contrarium auellere, verum etiam vacuare F

Rhazes. licet. Id quod non ſolum Hippocrates, & poſt hunc Galenus, verum etiam Rhazes, non contemnendæ auctoritatis inter Arabes ſcriptor, *libro ſuo nono, quem Almanſori inſcripſit, capite 1.* docet. Et nos in *libr. 3. Difficilium quæſtionum*, hoc ipſum mani-

A manifestissimis argumentis demonstrauimus. Quod si vero ætas, aut virtus imbecilla venæ secandæ consilium interturbarit, cucurbitæ affigendæ erunt, non quidem capiti; sed partibus illi continuatis, & coniunctis, nempe ceruicis lateribus. Id quod Galenus *lib. 13. The. meth. cap. 13.* confirmat, vbi sic scriptum reliquit: *Dum adhuc generantur mala; minime iis partibus quæ laborare incipiunt; sed quæ illis sunt continuatæ, cucurbita imponi debebit, auellendi in contrarium caussa.* In hunc vsum, & reuulsionis gratia, nexibus, ac frictionibus in partibus inferioribus vti expedit. Quod si dolor iis perfectis intra diem quartum aut quintum non sedetur, appareatque adhuc in oculis, fronte, & facie rubor, sanguis e naribus, setis porcinis immissis, eliciatur. Vel aperiatur vena frontis, potissimum si dolor sit in posteriore capitis parte. Cucurbitæ.

B His iam peractis, refrigerantia & adstringentia medicamenta capiti adhibebuntur, *de quibus abunde supra, capite nimirum 8. dictum est*, vt nunc ea repetere nihil attineat. Ceterum aluus quoque, vt in hoc vitio aperta sit in primis, Medicus curabit, quapropter si sua sponte excrementa corporis non deiecerit, hoc vel simili decocto subducatur, quod accipit: *Florum buglossi, (borraginem nominant) rosarum, violarum, singulorum manipulum dimidium. Seminum quatuor frigidorum maiorum decorticatorum, singul. drachmam vnam, Myxorum, sebesten appellant, prunorum damascenorum, singul. numero duodecim. Vuarum passarum, oxyphœnicon (tamarindos vocant) vtriusque vnciam vnam. Corticum myrobalanorum flauorum, citrinos hodie nominant: cæruleorum, Indos appellant: cepulorum, chebulos vocant: empeliticorum, emplicos nuncupant: belezicorum, belliricos appellant: singulorum drachmas tres: Glycyrrhizæ, vnciam vnam. Fumariæ, adianti (capillum Veneris nominant) vtriusque manipulum vnum. Tamaricis, ceterachii, vtriusque drachmas duas. Foliorum senæ, polypodii, vtriusque vnciam dimidiam. Agarici optimi drachmas tres. Zingiberis, drachmam dimidiam. Coquantur omnia in aqua fontana sufficienti, donec dimidium absumatur: dein colentur, & manibus exprimantur. Ius subinde decocti sacchàro, quod satis est, dulce reddatur, ac cum albuminibus ouorum spurcitia omnis euertatur, fiatque potio depurata, de qua æger appetente diluculo vncias quatuor bibat.* Quod si res ipsa validius exigat medicamentum, tum præstiterit quatuor vnciis iuris nominati iam decocti addere, *rhabarbari scenitici seu meridionalis redacti in puluerem drachmam vnam & dimidiam. Spicæ, drachmam dimidiam. Aut in iisdem dissoluere Casiæ fistularis,* Localia cōprimentia. Decoctum purgans. Myxa. Oxyphœnica. Myrobalani. Adiantum. Hemionitis.

D *vnciam vnam & dimidiam, aut mellis aerii, quod alio nomine Mannam appellant, vnciam vnam.* Aut *antidoti diaphœnicon, drachmas tres.* In eundem vsum conducit exhibere *serapium violaceum, & oxysaccharum.* Posthæc capiti adhibenda sunt remedia; primum, quæ a capite repellendi & auertendi vim habent, vt est *oleum rosaceum, & alia quæ cap. 8. sunt commemorata.* Deinde ea quæ morbi reliquias discutere valent: vt est *althææ semen, fœnumgræcum, chamæmeli & meliloti flores.* Olea præterea *chamæmelinum, anethinum, & iis similia.* Licebit etiam oleis iam dictis incoquere *serpyllum, sampsucum seu maioranam*, & id genus alia. Ex quibus deinceps Medicus pro arbitrio suo & ægroti irrigationes, linimenta, vnguenta, emplastraque componet, ad eum modum, qui in superioribus capitibus expositus est. Mel aeriū. Discutientia.

E

De dolore capitis e biliosis humoribus. CAP. XII.

HOc genus doloris capitis fit ab omnibus quæ corpus vniuersum, præcipue caput, præter naturam calefaciunt & exsiccant, adeoque bilem flauam procreant: qualia sunt, *Galeno libro 2. De tempe. cap. 8. teste,* solicitudo, ira, dolor, labor, exercitatio nimia, vigiliæ, abstinentia, & inedia. His accedit victus ratio ex biliosis cibis, allio nimirum, porris, ac similibus constans. Notæ eorum qui sic dolent similes sunt iis, quos ob calorem, solis potissimum æstum, dolor affligit: sed maior ipsis morsus, ob eius acrimoniam accedit, & faciei pallor. Interim etiam oris amaritudo, siccitas oculorum, linguæ & narium adest. Præterea malum hoc ætati vigenti, & temperaturis calidioribus, vitæque solicitæ, & iis, *quemadmodum paulo ante commemorauimus*, qui flauam bilem coaceruant, accidere solet. Caussæ. Signa.

F Æger moretur, in aere natura frigido & humido, qui arte etiam, vt *supra cap. 7. ostensum est*, parari potest, si ædium pauimentum assidue humore frigido irroretur: aut flores ac germina, quæ frigidæ humidæque facultatis sunt cubiculi, per aream vt sunt *rosæ, violæ, vitium capreoli, & id genus similia, spargantur.* Vniuersa quidem victus ratio humidior Victus ratio.

sit. Cibis itaque vescatur humidis, & boni succi, lactuca, portulaca, oxalide, spanachio & intybis, piscibus exiguis ac saxatilibus. Potus sit aqua, aut aqua in qua parum cinnamomi decoctum sit. Vino autem in totum abstineat, bibat aquam, si modo eius vsum ferre possit. Sin minus, decocto cinnamomi vtatur. Quiete vtatur, & somno largiore. Balneum quoque huic temperatum, vnctionesque conferunt. A

Curatio. Lætetur, & omnes animi perturbationes declinet. Porro curandi ratio statim a biliosi humoris vacuatione auspicanda, quod scilicet is ipse tenuis & mobilis sit, atque adeo euacuationi, perinde atque pituita, propter suam crassitiem, minime reluctetur. Quod si vero humor ille aliquam corporis partem quietus obsederit, atque adeo incandescat, eamque partem exurat, & calefacientia medicamenta (*qualia sunt omnia ea quæ purgant*) respuat, antte bilis purgationem exhibenda erunt, quæ eius calorem ac feruorem restinguant, impetumque ipsius obtundant, adeoque illam concoquant, hoc est, alterent & euincent. Neque enim concoctio, de qua nunc nobis sermo, aliud est, quam humoris morbum efficientis a natura alteratio. Alterat vero, vbi caussis morbum efficientibus fortior est, easque suo robore permutat & euincit. Vt concocta non sint nisi ea, quæ a natura euicta atque debellata sunt. Talia itaque medicamenta ante purgationem eousque diluculo ieiunis præbenda, donec in vrinis decens apparuerit concoctio. Nam hac ratione bilis cocta, & veluti subacta, ac edomita, naturæque obsequens reddita, absque molestia minorique negocio ad conuenientia loca euacuationis a purgante medicamento trahetur. Non est igitur vt inficias eamus, bilem quæ aliquam partem corporis quieta obsidet, exigere concoctionem, vt educi e corpore queat: sed hoc potius constanter negamus huic opus esse, quod putauit Auicenna, & hunc hodie sequentes Medici fere omnes affirmant, vt crassitiem adipiscatur. Sic de humorum concoctione 1. Aph. 22. loquitur Hippocrates, dum ait: *Concocta medicari, atque mouere non cruda, modo non turgeant: plurima vero non turgent.* Sic etiam Galenus, & post hunc Alexander Trallianus. *lib. 1. cap. 16.* vbi ex professo de dolore capitis e bili prognato agit. & Actuarius *in libro De comp. medica. cap. de flaua bile purganda*, de bilis concoctione loquuti sunt, *vt copiosius lib. 2. nostrarum Institutionum sectione quinta cap. 20. & in nostris in Hippocratis iam citatum aphorismum commentariis diximus.* Sed ad institutum nostrum reuertamur, ac medicamenta aliquot quæ biliosos humores concoquere possunt, vt sunt *serapia violaceum, de intybo nymphæa, oxysaccharo, & similia, enumeremus.* Tale est quod accipit: *Serapii violacei, vnciam vnam, Serapii nymphea, vnciam dimidiam. Liquoris stillaticii intybi satiui vtriusque, rosarum, vtriusque vnciam vnam. Misceantur omnia, & appetente diluculo ab ægro ieiuno bibantur.* Vel *Serapii oxysachari vnciam vnam, Serapii violacei, vnciam dimidiam. Liquoris stillaticii borraginis, cichorii, vtriusque vnciam vnam & dimidiam.* In hunc vsum exhiberi possunt Zulapia *rosaceum, & violaceum, decocta e seminibus cucumerum, cucurbitæ, portulacæ, intyborum satiuorum, radicibus eorundem & cichorii, rosis, violis, nymphea, lactuca, prunis damascenis, ziziphis, mixis, & similibus.* B C D

Bilis quidē interdum vt vacuetur, commode coctionem exigit, nunquam autem vt crassitiem adipiscatur.

Concoctio quid?

Purgatio. Ceterum vacuatur biliosus humor iam concoctus per absynthii dilutum, vel aloen, vel hieram picram per se datam, aut cum modica scammonia, aut catapotiis quæ ex aloe constant. Neque ab instituto aberrabit, qui decoctum purgans, quod superiore capite commemorauimus, bibendum præbebit, in eo drach. tres aut quatuor. Antidoti *e succo rosaceo, aut e psilio* dissoluens. Vel hoc medicamento vtatur, quod habet *florum borraginis, violarum, nympheæ, singulorum pugillum vnum. Hordei decorticati, drachmas tres. Decoquantur in aqua sufficienti, & colentur. In colatura dissoluantur Mannæ optimæ vnciæ duæ, & Diacatholicon vnciam dimidiam, & fiat potio.* Proderit etiam exhibere rhabarbari dilutum, quod recipit: *Rhabarbari selecti, drachmas duas. Spicæ, scrupulum vnum. Concidantur singula minutatim, & macerentur in stillaticii liquoris intybi satiui latioris, cassuthæ, buglossi, singul. vncia vna. Vini optimi semuncia horis duodecim, dein valide exprimantur & colentur, adiectis antidoti e succo rosaceo, e psilio, singulis drachmam vnam & dimidiam.* Commistis omnibus fiat potio purgans, quæ circiter crepusculum sumatur horis sex ante pastum. Vti quoque licebit *catapotiis aureis vocatis, alephanginis, e rhabarbaro, e hiera simplici, & similibus, quæ in libro nostro secūdo De vsitata componendorum medica. huius temporis ratione, ordine recensuimus.* In delicatis nō temere quis hoc vtetur bolo, qui accipit: *Diacrydii, scrupulū dimidiū. Maceris, cinnamomi, mastichis singul. grana duo. Sacchari violacei, nympheæ, vtriusq;* E F

Dilutum rhabarbari.

Bolus purgatorius.

A *utriusque quod satis est, fingatur bolus.* Vel eo vtere, qui habet *rhabarbari drachmam dimidiam. Diacatholicon, vnciam dimidiam. Antidoti e succo rosaceo, drachmas duas. Cum saccharo fingatur bolus.* Sumat illum mane hora quarta, prandeat decima. Horæ dimidio antequam prandeat vtatur hoc lotorio, quod accipit *iuris pulli gallinacei salis expertis, vnc. quatuor. Sacchari rubei, semunciam. Misceantur.* Non absurdum etiam erit clysteribus vti, in hunc vel similem modum paratis. *Maluæ, altheæ, intybi satiui vtriusque, violarum, foliorum Betæ, singul. Manipulum vnum. Hordei integri, vnciam vnam. Seminum quatuor communium frigidorum minorum, singul. drachmas tres. Coquantur omnia in aqua fontana ad tertias, & colo transfundantur. Dein accipe iuris decocti & colati, lib. vnam. Medullæ casiæ fistularis, vnc. vnam. Hieræ picræ, vnciam dimidiam. Olei violacei, vncias tres. Mellis violacei, vnciam vnam. Salis, drachmam vnam & dimidiam. Commixtis omnibus fiat clyster.* Clyster.

B Licebit etiam exhibere pilulas de hiera simplici, & iis similes bilem ex capite deducentes. Post biliosi humoris vacuationem localia & ea adhibeantur medicamenta, copia, quæ caput refrigerare ac roborare, ac etiam humectare possunt, *quorum multa cap. 8. huius libri commemorauimus.* Conuenit autem hoc maxime, quod recipit: *Oleorum violacei, nymphea, vtriusque vnciam vnam & dimidiam. Commistis illis frons illinatur, & tempora, mane & vesperi.* Quod si vigil supra modum æger fuerit, syncipur *oleo violarum, rosarum, nymphea, & papauerino* inungendum erit. Prædictis interdum parum opii verbi gratia *grana duo* adiiciendum erit, vt saltem hac ratione, si aliter non liceat, somnus conciliari queat. Mitius erit si addas lactis mulieris, *vnciam* Localia.

C *vnam.* Galenus in hunc vsum *trigoni pastillum*, qui a Paulo *lib. 7. cap. 12.* describitur, vt scilicet eo frons inungatur, commendat. Fiant frictiones brachiorum, & lotiones crurum. Si iam dictis medicamentis dolor non cedat, refrigerantibus medicamentis discutientia miscenda sunt. Tandem mediocriter discutientibus per se vtendum erit.

De dolore capitis e pituitosis humoribus. CAP. XIII.

GENERATVR ab omnibus, quæ pituitam in capite procreant, *aere frigido & humido, cibis iisdem qualitatibus præditis, piscibus, lacte, oleribus, fructibus, ocio, somno a satietate, & id genus aliis.* Dignoscitur capitis grauitate, faciesque si alba & humida fuerit. Si denique æger somno facile tentatur, piger est, sensibus minime viget, & excre- Causæ. Notæ.

D mentis caput redundat. Aer in quo æger versabitur, calidus & siccus sit natura: aut si haberi eiusmodi non possit, arte per luculentum ignem suffitus, & odoramenta nonnulla, nempe cinnamomum, thus, gariophyllos, lignum aloes, & similia paretur. Inedia huic affectui salubris est, & paucis alimentis vtendum erit. Carnibus vescatur magna ex parte assis, & odoramentorum accessione conditis. Inter olera *saluia, hyssopus, satureia, thymus, petroselinum vulgare, serpyllum & maiorana confert.* Pro potu vtatur vino tenui. Panis sit fermentatus, salitus, bene coctus, sibi commistum anisum habens. Motu mediocri, & aliis *quæ cap. 9. commemorauimus.* Curandi ratio a pituitosi humoris extenuatione auspicabitur. Quapropter ea, quibus extenuandi & incidendi crassa & lenta vis inest exhibebuntur, præsidia: cuius farinæ sunt *mel* Victus ratio. Curatio. Pituitæ extenuatio.

E *rosaceum, oxymeli simplex, compositum, & scylliticum, serapium e stichade, liquores stillaticii hyssopi, betonicæ, maioranæ, saluiæ, & eiusmodi.* Paretur igitur medicamentum quod accipit: *Mellis rosacei, vnciam vnam. Oxymelitis simplicis, vnciam dimidiam. Liquoris styllaticii betonicæ, serpylli, maioranæ, singulorum vnciam vnam. Mistis omnibus fiat potus.* Vel id quod habet: *Oxymelitis scyllitici, vnciam vnam. Serapii e stichade, vnciam dimidiam, Liquoris stillaticii hyssopi, apii, maioranæ, singul. vnciam vnam.* Commisceantur, fiatque potio. Quod si serapiorum & stillaticiorum liquorum vsus displicuerit, licebit hoc vel simili decocto vti, quod accipit: *Radicum fœniculi, petroselini, apii, singulo. vnciam vnam. Radicum pæoniæ, drachmas tres. Seminum anisi, fœniculi, seselis, siler montanum officinæ vocant, singul. drachmas tres. Stichadis, origani, serpilli, maioranæ, calamin-* Decoctum pituitam extenuans.

F *thæ, betonicæ, saluiæ, singul. manipulum dimidium. Cinnamomi selecti, maceris, vtriusque drachmam vnam & dimidiam.* Decoquantur tantisper in aqua iustæ quantitatis, dum medietas relinquatur. Ius decocti colo transfundatur, & saccharo suaue reddatur, atque deinde oui albuminibus depuretur, adiiciaturque *serapii ex hyssopo, oxymelitis simplicis, vtriusque vnc. tres.* Commixtis omnibus fiat potio. Porro extenua-

Purgatio. tis, & ad eductionem præparatis humoribus, ea quæ purgandi pituitam vim obtinent A medicamenta propinanda veniunt. In quem vsum pilulas has deuorabit æger, quæ

Pilulæ. recipiunt: *Pilul. cochiarum, drachmam vnam & dimidiam. Pilularum e hiera composita, drachmam vnam. Pilul. alephanginarum, drach. dimidiam. Agarici in pastillorum formam redacti, scrup. duos. Myrobalanarum cepulorum, scrupulum vnum. Turbit optimi, scrupulum dimidium. Stichadis, zingiberis, vtriusque grana quinque. Mastiches, grana septem. Seminum paoniæ, numero 3. Castorii, grana quatuor.* Cum stillaticio lauandulæ liquore fingantur catapotia pro singulis drachmis vndecim. Aut illas, quæ habent: *Pilularum azaiareth, drachmam vnam. Agarici in pastillos redacti, scrupulos duos. Cum serapio e stœchade formentur catapotia.* Competit vero hoc malo affectis non semel, sed bis aut ter purgare: quod crassi & tenaces humores repentinæ ac subitæ purgationi non confestim obtemperent ac cedant, pedetentim vero & identidem purgando extenuati ac præparati facilius purgatoriis medicamentis obediunt. Glandes etiam confici possunt, B quæ habent *pulueris hieræ simplicis, drachmam vnam. Agarici, drachmam vnam & dimidiam. Salis fossilis saxei, drachmam vnam.* Mellis quod satis est ad excipiendum, figurentur glandes.

Clyster. Conferunt etiam clysteres, non solum propter euacuationem excrementorum, quæ in intestinis continentur, verum etiam propter reuulsionem eorum quæ ad caput feruntur. In hunc igitur vsum decoctum paulo ante descriptum conducet, si eius iuris accipiantur *unciæ duodecim, & in iis dissoluantur benedictæ laxatiuæ, vncia dimidia. Antidoti indi maioris, drachmæ tres. Diaphenicon, drachmæ duæ. Mellis rosacei, vncia vna. Oleorum laurini, rutacei, vtrorumque vncia vna & dimidia. Salis* C

Capitis expurgatio. *fossilis saxei, gemmæ officinæ nominant, drachma vna.* Misceantur singula, & fiat clyster. Vacuato itaque vniuerso corpore, ea, quæ caput expurgare possunt, adhibenda erunt medicamenta, qualia sunt *apophlegmatismi, quorum exempla e capite primo huius libri petes.* Purgatur etiam caput per succos *maioranæ, bliti, brassicæ, & similium, de quibus in lib. 2. de vsitata nostri temporis medica. componendorum ratione, cap. 25. diximus copiose.*

Gargarismi. Possunt & hoc nomine exhiberi gargarismi *e stillaticiis liquoribus hyssopi, betonicæ, origani, hiera picra, & oxymelite compositi.* vel in eum modum, qui accipit: *Hyssopi, maioranæ, vtriusque manipulum vnum. Saluiæ, serpylli, thymi, singulorum manipulum dimidium. Coquantur in aqua iustæ quantitatis ad tertias.* Accipe *iuris decocti libram vnam. Oxymelitis scyllitici, vncias tres.* Misceantur & fiat gargarismus, quo vtatur æger mane ieiunus. D Vel hunc, qui habet. *Radicis pyrethri, piperis longi, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Seminis staphydis agriæ, drachmam dimidiam. Maioranæ, pulegii, hyssopi, organi, betonicæ, singul. manipulum dimidium.* Decoquantur omnia in aqua iustæ quantitatis ad tertias. Iuri decocti colato adiice *mellis rosacei, vnciam vnam & dimidiam. Oxymelitis scyllitici, vnciam dimidiam.* Commixtis vniuersis fiat gargarismus.

Sternutamenta. Præterea sternutamentorum quoque hoc in vitio locus erit, quæ accipiunt: *Maioranæ drachmam vnam. Nigellæ, drachmam dimidiam. Garyophyllorum piperis albæ, cubebarum, singul. scrupulum vnum. Nucis moschatæ, castorii, ellebori albi, singul. scrupulum dimidium.* Terantur singula, & in tenuissimum redigantur puluerem pro sternutationibus ciendis. Ditioribus aliquid *moschi & ambaris, vtriusque nimirum grana duo commisceantur.*

Orbiculus odoratus. Erthina. Naribus denique odoramenta calida adhibere conuenit, aut orbiculum aliquem odoriferum E arte paratum, qualis est quem capite nono commemorauimus. Errhina quoque (barbaris *nasalia* vocantur) indita naribus mirifice commodare ægrotantibus solent, quæ recipiunt: *Seminis staphydis agriæ, pyrethri, piperis candidi, singul. drachmam dimidiam. Nigellæ, maioranæ, vtriusque scrupulos duos. Ellebori albi, scrupulum dimidium. Tritis singulis cum resina terebinthina & medica cera fiant errhina pyramidis formam referentia.* A capitis purgatione conueniunt *inunctiones, embrochæ, sacculi, & id genus alia medicamenta, supra cap. 9. producta,* quibus eius quod reliquũ est a purgatione totius corporis discutiendi vis inest. Intra corpus adhibebuntur haud inutiliter *cubebæ sacchario, obductæ, antidota ex ambare, moscho, aromatici rosacei, e cumino, dianthon, theriaca, antidotus mithri-* F *datios, ex acoro, sacchara maioranæ, rosmarini, betonicæ cum serapio e stichade.*

Morsuli. Præ aliis autem hæc potissimum antidotus conferet, quæ accipit: *Specierum antidoti e gemmis, dianthon, vtriusque scrupulum vnum. Cubebarum, maceris, vtriusq. drachmã dimidiam. Ligni aloes, garyophyllorum, seminis fœniculi, singul. scrupulũ dimidiũ. Cinnamomi selecti, scrupulos duos.*

A *Stichadis scrupulum dimidium. Sacchari candidissimi in stillaticio florum pæoniæ & lauandulæ liquore liquefacti, uncias sex.* Fingantur orbiculi aut morsuli pro ægrotantis arbitrio. Nõ ignoramus practicarum (*vt vocant*) scriptores nonnullos, iis quæ nunc commemorauimus subiicere. Caput *de Dolore capitis ex humoribus melancholicis nato*, præter tamen decorum ac necessitatem: quum omnia quæ ab illis dicuntur, rectius ad Caput *de Melancholia* transferenda veniant.

De dolore capitis e ventriculi vitio adeoque per consensum orto.

CAP. XIIII.

Hactenus capitis primarios primogeniosve dolores vt curare oporteat, monstrauimus, nunc reliquum est, vt eorum qui per consensum accidunt, curationes tradamus, initio sumto ab eo, qui a ventriculo male se habente excitatur. Is autem magna B ex parte accidit, *vbi exiguus ac tenuis quispiam in eo, & præsertim in ore eius, humor acris coaceruatur, a quo vapores praui excitati sursum feruntur.* Cognoscitur mordaci dolore, quem qui ita dolent percipiunt: & nausea, quæ tum, ore potissimum ventriculi patiente, infestare ægrotantem solet. Porro qui sic caput dolent, ii si diutius famem & inediam ferunt magis offenduntur. Augetur enim ipsis propter inediam eiusmodi humoris malitia, & prauitas. Curare eos, qui sic infestantur oportet, nihil remediorum capiti adhibentes, quum nullum peculiare ac propriũ caput sustineat vitium, sed ab humorum in ventriculo prauos excitantium vapores ascensu molestetur. Noxios igitur vẽtriculi humores, quam celerrime vacuare oportet. Euacuantur autẽ, qui in ore illius C continentur, facile his qui ad vomitũ procliues sunt, aquæ tepidæ potu. Qui vero ægre vomunt, difficilius: adeo vt etiam nonnulli digitorum, aut pinnarum immissionẽ ad vomitum ventriculum irritantes, nihilo plus proficiant. Porro ad os ventriculi ob naturalem suam leuitatem, flaua & pallida bilis prompte effertur. Pituitosus autem, aut acidus, aut salsus, in spacio & amplitudine magis totiꝰ ventriculi, quam in ore ipsiꝰ firmatur. Optimum autem fuerit, in fundo ventriculi ipsos contineri, facile enim, relicto ventriculo, ad intestina delabuntur. Pessimus fit affectus, vbi vitiosi humores in vẽtriculi tunicas sic immerguntur, vt vix elui possint. Si itaq; in tunicas ventriculi receptus fuerit humor, optimum remedium est hiera picra medicamentum. Hoc vacuato, cibis subinde boni succi & ventriculo commodis vtendum. Et cum ad prauo-D rum humorum in ventriculo redundantiam, tum concoctricis facultatis imbecillitas, tum oris ventriculi infirmitas plurimum conferant, danda erit opera, vt concoctrix facultas, itemq; os ventriculi per ea medicamenta quibus adstringendi ac roborandi facultas inest, firmetur. Quorum omnium copiam suppeditabit *lib. 3.* in quo ex professo de ventriculi vitiis tractabimus. Prohibendi autem potissimum sunt vapores ne a ventriculo ad caput & cerebrum efferantur, hoc vel simili medicamento, quod accipit *Coriandri præparati, unc. vnam. Anisi, fæniculi, cinnamomi optimi, singulorũ drachmas quinq;. Maceris, drachmam vnam. Nucis moschatæ, drachmam dimidiam. Sacchari ad pondus omnium fiat puluis, qui statim a pastu sumatur, puluereq; sumto potus diu differatur.* Capiti quoq; statim a principio adstringentia adhibenda erunt, vt roborato capite minus vapores E ac fumos sursum elatos recipiat atq; admittat.

De dolore capitis ex ebrietate. CAP. XV.

Ebrietatem parit maxime *vinum natura calidum, vaporosum, merum, & largum, liberaliusque ingestum.* Generant autem calida temperamento vina dolorem capitis, quia vaporibus caput omnino replent, quandoque etiam humoribus temperatura calidis. Notis ad dignoscendum hoc vitium, nullis opus est, cum e sermonibus ægrotantis facile cognosci vitii caussa possit. Curandi ratio duabus potissimum rebus perficitur, nimirum Vacuatione, & Refrigeratione. Itaq; si vinum crudũ adhuc permanet, & in vẽtriculo fluctuat, *vt aqua tepida per se, vel pauco oleo admisto epoto vomat*, qui caput dolet iubebis. Quod si etiam post concoctionem caput doleat, refrigerantibus, & vapores F qui ex alto ad caput feruntur reprimentibus medicamentis vtendum est: quale *rosaceũ* est per se, & cum *aceto, aut cum hederæ & brassicæ succo.* Quin & ipsa *brassicæ folia in aqua calida macerata, & capiti circundata, illigataque*, naturaliter ebrietati resistunt. Eiusdem etiam *decoctæ esus* in id efficax est. *Amaræ* etiam *amygdalæ* quinque aut septem ieiuno oblatæ, ebrietatem arcere creduntur. Præsentem quoq; ebrietatẽ exstinguũt, *centau-*

Caussæ. Notæ. Curatio. Caussæ. Notæ. Curatio.

rii minoris decoctum, Aetio auctore: cornu ceruinum, verbenacaeque rectae semen ex aqua potum. A

Victus ratio. Habenda deinceps cura est somni & quietis: quod vbi factum fuerit, per totum diem ad vesperam in balneo dulcis aquae lauare: vbi laueris, cibis boni succi, non tamen calefacientibus nutrire oportet. Sunt autem huiusmodi, *ptisanae succus, sorbitio ex alica, panis ex aqua, oua sorbilia, & lentis iusculum, praesertim humidiore ventriculo praeditis.* Ex oleribus *lactuca* boni succi est, & refrigeratoria: *brassica* vapores desiccat. Ceterum potu omnino aquae vtendum est in iis, qui eius potu assueti sunt, aliasq; habent ventriculum aestuosum ac exustum. Verum quia nonnullorum ventriculus propter aquae potum subuertitur, vinum tenue album, & modicum, praesertim si aquam bibere aeger nequeat, malum granatum ipsis concedendum est, aut solũ per se, aut cũ alica subacta, probe cocta, calida. *Vuae* praeterea *passae, & pyra*, aliqua quidem cruda, aliqua vero cocta, vt *malum cotoneum*, stomachum corroborant. A palmulis abstinere consilium est vt quae proprietatem quandam habent capitis dolorem inducendi. At si neq; post haec probe dormire possint, ad balneum postridie quam citissime ducendi sunt, & aqua calida eis frequenter in balneo superfundenda. Deinde vbi dormierint, aut omnino interposito tempore quieuerint, rursus ad balneũ deducendi sunt, dein veluti pridie nutriẽdi. Quod si mediocriter habeant, & aquam bibere nequeunt, permittẽdum est vt aquosum vinũ, vt dictum est, bibant. Cibi etiam, vbi mediocriter se habuerint, dentur *gallorum testiculi & alae. pisces saxatiles, & tenera carne praediti, columbarumque pulli.* Porro constat omnibus, satius esse & ipsos, & omnes, qui caput dolent, augescẽte adhuc & vigente dolore, quiescere: remittente vero & declinante, idoneis locis potissimum ante cibum, deambulare. Apta vero sunt iis, qui calefieri desiderant, calidiora: qui refrigerari, frigidiora. Et ante cibũ quidem plurib. deambulationib. vtendum, a cibo autem paucis & lentis. Oportet vero neq; comedere multum, neq; statim deambulare, sed post duas aut tres, aut etiam plures horas. Quod si aliquando ex vaporib. & humorib. in caput sublatis reliquiae quaedam relinquãtur tenuib. meatib. impactae, & ob id etiam capitis dolor perseueret, a rosaceo quidem desistendũ est, vtendũ vero primum chamaemelino moderate calido, postea irino: maximopere n. huiusmodi affectus iuuant. In balneo autem caput aqua perfundatur, non solum, vt aliquid eorum, quae intra ipsum habentur, discutiatur: verum etiam somni conciliandi gratia. Quapropter secundum quoq;, aut tertium ad vesperam balneum apparandum est, acceptis ab eo lactucis ex aceto. Die sequenti ea quae caput magis calefaciunt, applicabuntur, miscendo irino oleo, nunc nardinum, nunc costinum, nunc alia ei⁹ generis olea & vnguenta. Hac igitur ratione capitis dolores ex vino curantur. Quanquam nõ ignoro Germanos nostros hanc curandi rationem prorsus contemnere, vt qui longe alio minusq; illis molesto remedio vtantur. Nam iuxta vulgares hos versiculos:

Palmulae capitis dolorẽ inducunt. B

Generalia praecepta in victus ratione obseruanda. Ambulatio. C

D

Potatio repetita nocet.

Si tibi serotina nocet potatio vini:
Hora matutina rebibas, & erit medicina.

Sed pulchre huius sui moris paulo post poenas dant, vbi ex hac curatione ac frequenti ebrietate in maximos incidunt morbos apoplexiam, paralysin, epilepsiam, destillationem capitis, & id genus alios, vnde Medici non parum lucri sentiunt. E

De capitis dolore ex ictu, vel casu. CAP. XVI.

Victus ratio. NAscitur saepe capitis dolor ex ictu aut casu, quod vbi accidit, curatio eius magno studio tractanda erit. Nã periculũ inducit, dũ humores copiosius ad ipsum caput confluunt. Quare dum a vino, & carnibus, omnibusque cibis plenioribus solidioribusve abstinere oportet, praesertim si aegrotantes febricitent. Potus sit aqua, cui aliquid cinnamomi sit incoctum. Ptisanae vero succus, lutea ouorum, ius maluae elixae, lactucae, intuba, & cucurbitae iis sunt exhibendae. Praeterea quies, corporisq; tranquillitas conuenit. Abstinendum etiam a sole, balneo, clamore, distentione partium corporis, & a cibis acidis, acrib. & salsis. Quod si itaq; ictus, aut casus vulneris, vel contusionis caussa fuerit, scopi plures erunt inuentionis remediorum. *Vnus* sane, qui propter vulnus exsistit, euius caussa glutinantibus medicamentis, & phlegmonem arcentib. vti conuenit, postquã vlceris labia fibulis impositis cõmissa fuerint. *Secundus*, qui ob contusionem: & tertius, qui dolorum caussa adhibetur: quos quandoq; in ipsis solis ictis particulis fieri constat, plerunque vero etiam ad vicinas partes propter continuitatem.

Curatio. F

A tatem substantiæ, extenduntur. Nam membrana, quæ caluariam ambit, & cutis, quæ huic extrinsecus circumtenditur, vtraque propriam substantiam continuam habẽs, per totum caput extensa est: & ob id sane sæpe caput ipsum dolere contingit, præsertim si ictus vsq; ad membranam os caluæ ambientem penetret: quem membrana caluariam ambiente diuisa rasaq; curare oportet, ratione qua caro producitur. Quod si per cõmunionem mẽbranæ caluariam ambientis, quã per suturas cum dura mẽbrana habet, etiam intra caluariam ipsa inflammatio distribuatur; eiusmodi capitis dolor periculo non vacat. Ceterum non raro accidit in casu ex alto, aliquam cerebri aut membranarum eius particulam abrumpi: quod vbi contigerit, etiam amplius capitis dolor inualescit, ipseq; totus affectus curatu difficilior, & periculum præsentius & vehementius est. Nam conuulsiones, *Tralliano teste*, magna ex parte, & deliria comitantur, vt mortem ipsis maxime præcipitem inducant. Optimum igitur in iis, nisi ætas prohibeat, & facultas vitalis imbecilla appareat, curationis initium a sanguinis missione moliri: ita nanque influxus reuelletur. Incidenda autem erit humeralis vena quæ e directo loci patientis sita est: vel ea non apparente, medica. Quod si propter ætatem aut virium imbecillitatem, aut etiam ambo simul, sanguinis detractionem tẽtare prohibeamur, per clysterem aluum vacuabimus, tum vt huius excrementa vacuentur, tum vt humores qui ad patientes partes ferri consueuerunt reuellantur. Vacuatione igitur facta, & corpore toto recrementis libero, deinceps etiam parti laboranti auxilia admouere oportet. Conuenit autem in primis congruis capitis irrigationibus vti: ex lana nimirum oleo dulci imbuta, capiteq; ex ea omni parte contecto, ne scilicet neruorum origo, cerebrum nimirum ipsum, refrigeretur. In quem vsum embrochæ etiam probantur. Inde autem remediis ad phlegmonem commodis vtemur. Incipientibus nanq;, & adhuc nascentibus ipsis, rosaceum cum aceto: in vigore autẽ consistentibus rosaceum per se adhibemus. Illis vero decrescentibus, medicamentis laxantibus appellatis vtimur: quemadmodum in induratis phlegmonib. absinthium ac pulegium rosaceo admiscemus. At nec circa initia indefinite acetũ rosaceũ permiscendum erit. Cutis enim capitis, aut quæ post eam est membranæ caluariam ambientis phlegmone citra quidem vehementem dolorem oborta, per exigui plane aceti ad rosaceum ꝑmistionem iuuari possunt. Lædentur autẽ vbi magna fuerit, doloremq; vehementẽ induxerit. Animaduertendũ autẽ, vbi crassæ cerebri mẽbranæ nudæ rosaceũ offertur, quẽadmodum in iis, quib. aliquid ex capitis osse exscinditur, accidit solum ipsum modice tepidum adhibem⁹. Quum vero citra denudationẽ, ꝑ capitis iuxta sinciput partem, sana & integra exsistente caluaria, rosaceum ad cerebri mẽbranam peruenire velim⁹, acetum ei, vt eo perducat, miscemus. Cuius item rursus vehemens virtus tum per viarum transitionem, tum per rosacei mixturam exsoluitur. Ceterum si vigiliæ vrgeant, etiam *chamæmelino oleo*, & non *rosaceo* duntaxat, perfundere debem⁹; plus aut minus ꝓ ratione phlegmonis, & ægri tẽperamento. Item *rosæ aridæ folia* macerata prius passo, seu *vino dulci*, deinde cocta, atq; trita, & ita imposita, & sertula campana similiter tractata, vel myrti folia tenera ex vino trita, cum myrrha, & pulegium ex vino tritum capiti plurimum ꝓsunt. Sin membrana cerebri fuerit vulnerata, egregie ipsam conglutinat, Archigenis decreto, *Calaminthæ succus instillatus, & milii farina arida inspersa*. Deinde *butyrum, & rosaceum ac adeps suillus salis expers, vetstus, mista inter se, & tepefacta infusa*. Porro in contusionibus citra desperationem ac fixuram circa caput factis, *eodem Archigene auctore*, polenta imposita commoda est. Amplius vero & œsypum, atque ipsæ adeo lanæ sordib. sudoris succidæ eodem modo: magis autem proprie similaginem ex aqua pro cataplasmate imponens, aut origanum cum polenta. In mediocrib. autem capitis vulnerib. in quibus nuditas per se non adest, pilos rademus, fibulisque impositis constringemus, ac glutinantib. vtemur; de quibus *lib. 6.* vbi ex professo de *curatione vlcerum* tractabimus, copiosius differemus.

De dolore capitis in febribus. CAP. VII.

QVOD si febrientes capitis doloribus affliguntur, accurata perpensione considerandum erit, *num capitis dolores statim initio cum febribus inuadant, aut postea febribus increscentibus oriantur.* Nam si non confestim cum febre dolor capitis irruat, sed interea temporis, dum sc. febris ipsa prope iudicationẽ venit: tunc nulla penitus remedia quæ-

rantur, quod is vomitum, aut sanguinis e naribus profluuium decretorium portendat, *quemadmodum copiose Hippocrates in libris Prognosticorum, & post eum Galenus libro 3. de Crisibus, & libro primo ad Glauconem, capite vltimo, tradunt.* Nam ea, quæ admouentur, præterquam quod nihil iuuant, etiam naturam impedunt. Si vero simul cum febribus inuadat, a vaporibus, aut humoribus ob febris magnitudinem fusis, ac velut efferuescentibus ad caput elatis, atque ob partis imbecillitatem, accidit. Quare si ab humorum copia oriatur dolor, & in principio cum febre irruit, vena secanda est post primam aut secundam remissionem, si nihil prohibeat, præsertim in corporibus boni habitus, multique sanguinis. In contrarium etiam trahendum, atque adeo reuellendum a capite erit acribus clysteribus, quorum exempla petes e capite *De apoplexia, & nexibus ligaturisve, & frictionibus in partibus inferioribus plurimis.* Cucurbitulæ etiam occipitio aut ceruici affigendæ. Capiti vero admouendæ sunt irrigationes, quæ ab eo vim repellendi obtinent, ac deinde vacuantibus, postremo vero corroborantib. Repellunt autem *oleum rosaceum, & alia quæ supra capite octauo sunt connumerata.* Vtendum vero ipsis, in calidioribus habitudinibus ac hora æstiua frigidis, & cum modico aceto: in frigidioribus autem ac hyeme, tepidis. Si febris vehemens fuerit, vigiliæque crebræ ægrotantem infestauerint, e capitibus papauerum, sedo, & id genus aliis, quibus refrigerandi & somnum conciliandi vis inest, medicamentis paratis, vtendum erit. Trallianus *rosaceum per se capiti superfundendum esse, aut cum psyllio, aut hedera, aut semperuiuo.* Sciendum vero erit hoc etiam in loco apud Trallianum mendose legi, ἑρπύλλῳ pro ψυλλίῳ, id est, *serpyllo* pro *psyllio*, simili quo supra errore. Præterea irrigationibus vtendum erit, qualis est quæ accipit: *Florum violarum, nymphea, rosarum, vtrorumque manipulũ vnum. Hordei decorticati, vnciam vnam. Capitum papaueris, vnciam dimidiam. Semperuiui maioris, manipulum dimidium. Coquantur omnia in aqua iustæ quantitatis ad tertias; & fiat embrocha.* Vbi cerebrum abunde refrigeratum fuerit, ea subinde adhibenda sunt, quæ caput calefacere denuo, atque adeo vacuare atque discutere reliquias humorum possunt. Quapropter *chamæmelino oleo, anethino, irinoque* vtendum, aut *decocto chamæmeli, althea, & similium.* Et si tenaces ac crassi fuerint humores, *serpyllum, aut pulegii comam, vel calaminthæ, vel mentæ, vel sisymbrii, in iis decoquere conuenit.* Postremum, caput per *rosaceũ oleum, & similia, nempe betonicam, chamæmelum, ac melilotum,* corroborandum ac firmandum erit. Porro non solum in iis qui ex febribus caput dolent, sed etiam in omnibus aliis circa caput obortis vitiis cauere oportet hæc quæ sequuntur: *Viticis semen, absinthii succum, lactis potionem, eruum, myrrham, thus, hederæ corymbos, crocum, peucedanum, cyclaminum & styracem,* quod natura sua capitis dolorem ac grauitatem inducant.

Marginal notes: Repellentia. — Embrocha. — Dolorem capitis excitantia.

De Cephalæa. Cap. XVIII.

Κεφαλαία, diuturnus & ægre cedens, ac contumax capitis dolor, Græcis dicitur, qui ob exiguas occasiones, maximas habet exacerbationes accessionesve, adeo vt neque strepitum ferat ægrotus, neq; vehementiorem vocem neq; lucis claritatem, neq; vini potionem, neque caput replentia odoramenta, neq; motum: sed in quiete & tenebris propter dolorum magnitudinem cupiat decumbere, vt cui videatur caput veluti a malleo feriri. Nonnulli etiam tanquam contundantur, aut distendantur ea, quæ circa caput sunt, sentiunt: non paucis vero vsq; ad oculorum radices dolor ꝓgreditur. Ceterum hoc vitium sane nonnunquam continuos dolores habet, nonnunquam vero exacerbationes, & intermissiones, vel ordinatas, vel inordinatas. Iam quidam ex eis cerebri membranas dolitant, quidam vero membranam tantum caluariam ambientem. Fit a plenitudine, aut humorum vaporumve acrimonia intra vel extra caluariam contentorum inflammatione, & capitis imbecillitate. Dolores itaq;, qui cum grauitate inuadunt, plenitudinem indicant: qui vero cum erosione infestant, aut humorum biliosorum, aut vaporum acrimoniã: qui cum pulsu, phlegmonem: qui cum tensione, siquidem citra grauitatem & pulsum obueniant, spiritus crudi & flatulenti copiam demonstrant: cum pulsu vero, membranosi corporis phlegmonem. At si cũ grauitate distentio fiat, copiam humorum intra membranas contentam. Ac dolores quidem in superficie hærentes, membranæ os caluæ ambientis malũ significant. Qui vero in alto ac profundo affligunt, cerebri membranarum. Quibus enim affectus in-

Marginal notes: κεφαλαία. — Caussæ. — Notę.

A tra caluariam est, iis ad oculorum radices dolores procedunt, eo quod oculorum tunicæ a cerebri membranis habeant ortum. Quod si etiam putris humor calidior euaserit, cum febre caput dolent: febricitant autem omnino, & qui ex phlegmone dolent. Porro qualis in hoc vitio esse debeat victus ratio, facile ex superioribus *De capitis doloribus Capitib.* colligi a quouis studioso potest. Consulto itaq; hanc, ne temere idem sæpe repetamus, præteriuimus. Curandi ratio, vbi humorum vaporumve copiam caussam esse deprehēderis, siquidem ex totius corporis plenitudine generata sit, ab vniuersi corporis vacuatione auspicanda erit. Vena itaque in hac corporis plenitudine incidenda primum cubiti externa, vel hac non apparente media, eiusdē quidem lateris, quam humeralem vocant: idque faciendum si vires patiantur, aut aliud quippiam non obstet. Si vero velut imbecillum exsistens, caput ad se quæ seorsū B feruntur excipit, materiam in totum corpus reuellere oportet, atque ita mederi parti afflictæ. Acrioribus itaque elysteribus, & extremarum partium ligaturis, & pluribus infernarum partium frictionibus vti conuenit. Interdum si adhuc sanguis redundare videatur, etiam e naribus, vena adaperta, quantum satis esse videbitur, vacuato. Mox *hiera*, cuius vim excaueris intenderisque exhibenda est. Post totius vero corporis vacuationem, tuto ad ea quæ caput euacuant accedes, deinde ad ea quæ firmant, ac robur addunt. Caput vacuant *apophlegmatismi, & quæ naribus induntur medicamenta, ἐῤῥινα Græci vocant, vt est succus cucumeris syluestris, elaterium appellant, cum lacte infusus, vel etiam aridum elaterium inspiratum, succusque cyclamini, & porri, & alia quæ supra capit. 13. commemorauimus.* Repellit autem *oleum omphacinum, hoc est, ex immaturis oliuis expressum: & rosaceum per se, & cum aceto illitum: & quod ex capitibus papauerum, & teneris oleæ germinibus, & hederæ corymbis, ac mentha viridi apparatur, & quæ sunt similia, de quibus in præcedentibus capitibus abunde diximus.* Ceterum adhibebis remedia tepida, vbi copia humorum frigidior & crudior fuerit: frigida, vbi calidior & biliosior exstiterit. Post hæc, quæ discutiunt medicamenta sunt admouenda, vt est *oleum chamæmelinum, anethinum, & iis similia supra a nobis commemorata.* Siquidem crassior humorum copia fuerit, *serpyllum, aut pulegii comam, aut calaminthes, aut sisymbrii in oleo elixabis ac copiam vacuabis.* Hæc autem ipsa etiam robur particulæ adiiciunt, quapropter eis ad perfectā vsque curationem vti oportet. Omnium vero maxime discutit, & strenue corroborat *verbenaca recta, præsertim viridis: imo & arida, cum radicibus & serpyllo pariter oleo incoctis.* Si verbenaca per se in oleo decocta caput perfuderis, omni capitis dolori diuturno ex frigore oborto, aut ex crassis humoribus, medeberis. Maxime autem prosunt sub aquario vase nascentes aselli, si oleo incoquantur.

Victus ratio. Curatio. Localia. ἐῤῥινα. Oleum omphacinum.

C D

De Hemicrania. Cap. XIX.

Hemicrania vitium est dolorificum in dimidia capitis parte, nunc dextra, nunc sinistra ortum, quod sutura secundum longitudinem eius extensa distinguitur, sub qua intra capitis ossa linea medium cerebrum diuidens protenditur. Hoc cunctis vt plurimum per circuitus exacerbatur, ac quibusdam extra caluariam, quibusdam in profundo capitis, nonnullis iuxta temporum musculos dolor vehemens sentitur. E Caussa doloris huius vaporum, aut humorum siue multorum, siue calidorum, siue frigidorum, vel per venas, vel arterias, vel per vtrasq; influxu: interim quidem ipsis solis partibus caluariæ internis, hoc est, *cerebro, & eius membranis, recrementa sua foras propellentibus: interim partibus corporis, quæ infra caput sunt, viciatos vapores aut humores sursum mittentibus.* Trallianus accidere hemicraniam scribit, postquam recrementum aliquod alteri capitis parti infixum fuerit, aut quum procreatum est, in spiritum soluatur, irriterque loca singulis diebus, aut vno interposito, aut duobus, pro subiecta specie motus sumens initium. Notæ quibus vapores aut humores copiosi calidi aut frigidi deprehenduntur, e capitibus superioribus studiosis petendæ erunt. Porro quo in loco capitis vitium fuerit, ex iis quæ in capite. *De cephalæa* diximus, cognosces. Quibus hoc adF iiciendum erit, quod si membrana caluam ambiens patitur, tum adeo vehementer dolent, vt ne manuum quidem contactum facile ferant, adeo vt ne cuti quidē ipsa omnino a vitio immunis sit: quēadmodum si in partib. quæ intra caluariā continentur dolor sentiatur, isque ad radices vsque oculorum extendatur, liquido cōstabit partes intra caluariam laborare, nec manuum contactu dolorem irritari. Victus rationem

Hemicrania. Caussæ. Notæ.

Victus ratio. promte ex iis, quæ in præcedentibus capitibus commemorauimus, mediocriter etiam docti constituent. Præcipue tamen vitabunt ægrotantes, ea quæ vaporũ acrium copiam sursum ad caput mittere possunt, vt sunt *allia, cepe, sinapi, raphanus, & similia*, potissimum si a calidis ac biliosis humoribus ac vaporibus hemicrania nata sit. Neq; temere a nobis dictum est, si a bilosis humoribus ac vaporibus nata sit. Nam si a frigidis humoribus, potissimum in ventriculo contentis, hemicrania orta est, iam dicta, & alia calefacientia & extenuantia olera maxime prosunt. Cuius rei testis est Trallianus qui ita scribit. *Ex oleribus iis, qui hemicrania ex frigida* causa laborant; *scandix, gingidium aspargi palustres, beta cum sinapi, & cappares.* Allium vero diuturnos dolores frequenter discussit. Curatio. Qui igitur hemicraniam curare aggreditur, is principio num sanguinis missione, aut corporis purgatione indigeat æger consideret. Si enim ob plenitudinem vitium ortum fuerit, humeralis vena (quam hodie *cephalicam* nominant) quæ e directo male affectæ particulæ est, incidenda erit. Sin propter vnius humoris redundantiam hemicrania inuaserit, per conuenientia quæque molestantem humorem vacuare possunt medicamenta is humor purgetur, *vt in superioribus monstratum est capitibus.* Localia. Vniuerso corpore vacuato, ad localia vocata præsidia veniendum, ac vel per propriæ manus digitos, vel linteum dimidia frontis pars, & ea præsertim, quæ circa tẽporum musculos est, fricando calefacienda, atq; id ante accessionis tempus faciendum. Post accessionem medicamentis a veteribus Medicis *Hemicranicis* appellatis, vtendum, quorum aliqua recenset Galenus *capite 3. libri. De compo. medica. localium.* Si calor multus in doloribus percipitur, iis quæ aliquid habent refrigeratorium: si ille non adest, iis quæ vehementer calefaciunt. Vtrisque autem aliquid corroborans, quod adstrictoria facultate præditum sit, misceatur. Optimum vero in frigido affectu remedium erit hoc vnguentum, quod accipit: Vnguentũ. *Oleorum anethini, irini, singulorum vnciam dimidiam. Piperis albi, serpylli, vtriusque scrupulum vnum & dimidium. Castorii, scrupulum vnum. Euphorbii, scrupulum dimidium. Ceræ quod satis est fiat vnguentum quod dimidiæ frontis parti, & musculo temporis illinatur.* Mirifice etiam in hoc malo confert, illud tepidum in aurem infusum, quod recipit: *Olei dulcis, vnciam vnam. Euphorbii, scrupulum vnum.* His commixtis, gutta vna in aurem instilletur. Plus autem & minus euphorbii adiiciendum, prout corpus acri aut hebeti sensu præditum fuerit. Quadam etiam naturæ proprietate euphorbium aceto dilutum, ac latere dextro dolente sinistro applicatum: & contra sinistro dolente dexto illitum, hemicranicis maxime conferre, *Aetius prodidit.* Trallianus laudat tanquam generosum auxilium Euphorbii vnam partem, castorei tantũdem, aqua excepta auri iuxta partẽ dolẽtem impositum, ita tamen vt statim in balneum eat, & lauet æger. Recenset etiam alia quædam, quæ apud eundem quisq; legere poterit. Idẽ etiam posse lumbricos terræ tritos, & cochlearum carnes lateri patienti illitas, tradit. Sunt qui persicorum nucleos tritos, ac illitos parti male affectæ mirifice conferre, memoriæ prodiderint. Quod si vero a calidis humorib. aut vaporib. dimidiæ partis dolor accidit, ea sane auxilia quæ supra in curatione doloris capitis ex calore & biliosis humoribus orti memorauimus, adhibebuntur. Conuenit autem in primis panis ex aqua tepida, *vt quæ supra modum ipsis auxilietur.* Malua etiam, & lactuca comesta prodest. In vniuersum autem cibus sit humectans, & balnea temperata, postremo purgatio expura & scammonia.

De Vertigine. CAP. XX.

σκότωμα. Vertigo. QVOD vitium σκότωμα Græcis, hoc Latinis *vertigo* tenebricosa dicitur. Alio nomine Græcis σκοτόδινος *Galeno sectio quarta aphoris. comm. 17. teste*, appellatur. Barbari hoc ipsum corrupta voce *scotomiam* vocant, tradunt. Est autem vertigo tenebricosa, *vbi obtenebrationes hebetudinesque oculis obuersantur, adeo vt de repente visus euanescat, & omnia circumagi & rotari videntur.* Hippocrates vero, *eodem Galeno sectio. tertia aph. com. 17 auctore* ἴλιγγος nominatur. Differt autem iam dictum vitium ab eo, quod simpliciter δῖνος Græcis, & Latinis *vertigo* dicitur. Nam, *vt idem Galenus lib. 4. vict. acut. comment 27.* attestatur est, quando caput duntaxat circumagi videtur, *vt fusius lib. 3. Institutionum nostrarum sectione 1. capite 11. diximus.* Causæ. Oritur hoc pathema interdum, cerebro primogenio vitio laborante: interdum etiam, quũ oris ventriculi consensu laborat. Cerebrũ vero patitur, vbi crass⁹ & leni⁹ humor ipsum occupat, a quo vaporosus spiritus ab imbecilli calore natiuo

A natiuus reſolutus, in cerebri partibus inordinate mouetur, & tenebrarum offuſiones
adducit, & imaginatricis facultatis iudicium peruertit, vnde illa rerum obiectarum
circulatio ſe obiicit, ſimulque ſe circumagi qui patiuntur, & concidere exiſtimant.
Ori autem ventriculi cōſentit, quando propter vitioſos humores in eo aceruatos, va-
poroſa exhalatio ad cerebrum fertur, ſpiritum animalem in illo rotans ac circuma-
gens. Qui hoc vitio laborant, iis a quacunq; leui occaſione præ oculis tenebræ appa- Notæ.
rent, adeo vt nonnunquam concidant ægrotantes, maxime vbi in circum rotentur.
Siquidem illis ab vna rotatione euenit id, quod aliis a pluribus accidere ſolet. Proin-
de hebeſcunt ſiue alium quempiam, ſiue rotam circumactam, aut id genus aliud quip-
piam, aut ipſos quoq; in aquis vortices circumagi viderint. Viſibilis enim ſpiritus ro-
B tæ agitatæ, aliiſq; iam dictis occurrens, eodem motu circumuehitur, atque ita turbu-
lentus, inæqualis, inordinatuſque humoris & ſpiritus motus redditur. Siquidem
conſentaneum eſt humorem & ſpiritum illum eodem modo impelli, quo res ipſa,
quæ cernitur. Humores enim & ſpiritus, quum ex fluentium & motorum genere, iis
agitatis ac circumactis corpus vna commoueri, & ad eandem motionem ferri neceſ-
ſe eſt. Vbi ex primario cerebri vitio vertigo dependet, tum aurium ſonitus, vehemens
dolor capitis, grauitaſque præcedunt: item *olfactus, atque alterius cuiuſque ſenſus a capite*
prodeuntis oblæſio. Patiuntur autem tum potiſſimum, quum ſub ſole æſtuarint,
vel aliam ob cauſſam calefacto capite humores diſſoluti circumaguntur. Vbi vero
ab ore ventriculi oritur, ſtomachi morſionem, καρδιωγμὸν Græci nominant, & nau-
C ſeam præſentiunt, *vt plenius libro tertio de labo. locis Galenus capite octauo docet*. Æger, Victus ratio
quod ad victus rationem attinet, commoretur in aere puro & lucido, deuitet autem
craſſum & nebuloſum. Acceſſione tamen ingruente, præſtat ægrum in aere obſcu-
ro & quieto verſari, in quo ſpiritus & vapores moti, facilius ad quietem deducuntur.
Cibis veſcatur boni ſucci, ac concoctu facilibus, flatuque omnino carentibus, carni-
bus nimirum perdicum, *caporum, phaſianorum, gallinarum, vitulorumque*: piſcibus deni-
que ſaxatilibus, ouis ſorbilibus, & eiuſmodi, quæ nullo negotio concoqui queant. Vi-
tanda omnia, a quibus vapores ſurſum feruntur, vt *ſunt odoramenta, allia, cepæ, porri, ſi-*
napi, & iis ſimilia. A cibo ea exhibenda, quæ vim habent adſtrictoriam, & vapores
ſurſum ad caput ferri prohibent, præſertim ſi vitio ſtomachi morbus ortus eſt. Bi-
D bendum vinum aquoſum, album, tenuiſſimum, non admodum antiquum, aut hydro-
meli. Exercitium ſit mediocre, in quo, quantum fieri poteſt, caput quieſcat. Somnus
diurnus vitetur. Nocturnus ſit prolixior. Caueat ſibi æger ab animi perturbationibus,
Ventris excrementa ſingulis diebus deiiciat. Non intueatur res in gyrum actas &
rotatas, aut celeriter motas, vt currentia flumina, neque in præcipitiis ambulet: hæc e-
nim ſingula vitium exacerbare valent. Porro, quod ad curandi rationem attinet, ver- Curatio.
tiginoſos in acceſſione odoramentis, frictionibus, & id genus aliis excitare conuenit.
Virium autem atteſtante robore, ſi nihil aliud obſtiterit, vena humeralis ſecanda eſt, Venæ ſectio
ſiue principium morbi fuerit, ſiue etiam proceſſerit. In ſanguinis vero miſſione
obſeruandum, ne confertim ſanguis vacuetur, propterea quod a quacunque leui oc-
E caſione æger facile concidat. Pluribus itaque detractionibus per certa interualla
vtentes, congruam menſuram explebimus. Quod ſi vero ſanguinis miſſionem quid-
piam prohibuerit, aluus ſubducatur, ſemper redundanti humori medicamentum ad-
aptando, præcedente tamen eius concoctione ac præparatione. Mirifice vero cōfert
primū per aerem vacuare clyſterem, non ſolum propter eorum quæ in inteſtinis con-
tinentur vacuationem, vt ſupra quoq; monuimus, verū etiam ob reuulſionem eorum
quæ ad caput feruntur, cuius quidem exemplum in *capite de Apoplexia* proferemus.
Præmiſſis itaq; vniuerſi corporis vacuationib. capiti localia adhibebuntur præſidia, Localia.
inter quæ non poſtremum locum occupant cucurbitulæ cum ſacrificatione occipi-
tio admotæ. Poſtea apophlegmatiſmis, gargariſmis, & ſternutamentis vtendum eſt.
F In nares deinde anagallidis ſuccus, aut radices betæ, aut cyclamini infundendus. Ni-
trū vero cū nigella tritum, & oleo antiquo mixtum, per nares egregie purgat. Dein-
ceps æger ad balneū ducend⁹, præſertim naturale ſulphureū, ac caput embrocha ex
medicamentis diſcutiendi facultate præditis concinnata, irrigandum. Quod ſi vero
caput in balneo ſupra modū incaluerit, roſaceo & aceto ſæpe fouendum eſt, atq; re-

refrigerandum. Si igitur per hæc præsidia vitium cessauerit, subinde validioribus abstinendum: sin perstiterit, capitis arterias in temporibus circa aures incidere oportet, ventre tamen prius aut medicamento, aut clysteri purgato. Vt autem incidendæ sint arteriæ, *ex Paulo Æginet*a disces, qui idipsum perspicue *libro 6. capite 4.* tradit. Neque temere cauterium hoc occipiti post aures accommodabitur, quod accipit: *Cantharidum, abiectis capitibus, aliis, & pedibus, drachmam vnam. Fermenti acris, drachmam dimidiam. Cum aceto & vino e sublimi ignis commercio destillato subigantur, & admoueantur.* Vertigo autem a ventriculi oris consensu, vomitu curari potest, qui hoc moueatur medicamento, quod accipit: *Anethi manipulum vnum. Seminum raphani & raporum, vtriusque drachmas duas. Radicis raphani, semunciam.* Ebulliant in aqua iustæ quantitatis, donec pars tertia absumatur. Ius decocti coletur, & addantur subinde *Oxymelitis scyllitici, sesquiunciam.* Commixtis omnibus fiat potus, qui a comestione statim tepidus exhibeatur. Proderit etiam deuorare *catapotia stomachica vocata, hierapicra, & similia.* Dentur frequenter a cibo, quæ os ventriculi constringunt, atque adeo ne vapores sursum ad caput ferantur, impediunt: vt sunt *diacotoneon sine speciebus, cotonea ipsa. pyra adstringentia, coriandrum præparatum, fœniculum saccharo incrustatum, & anisum, pæoniæque semen, & eiusmodi, de quibus suo loco satis copiose dicemus.* Vtendum quoq; a pastu cotoneorum carne. Capiti etiam applicanda, quæ vaporum ascensum inhibent, vt *oxyrhodinum & alia, de quibus supra dictum est.*

Cauterium

Vertiginis a consensu ventriculi curatio.

Vomitus vt irritandus.

A

B

De phrenitide. CAP. XXI.

Phrenitis, Galeno *libro secundo de Sympto. caussis auctore*, est cerebri, aut eius membranarum phlegmone. Sic dicta, quod in ea mens, quam Græci φρένα vocant, lædatur. Ceterum, quæ ad phrenitidis definitionem attinent, *in annotationibus nostris in librum vndecimum Galeni de medendi ratione capit. 18.* copiose diximus. Sunt autem phrenitidis, *eodem Galeno libr. 4. de male affectis locis, capite 4. teste*, species seu differentiæ tres, prout sensus interiores, qui de illius sententia totidem sunt, nempe imaginatio, cogitatio, & memoria, læduntur. Quippe sunt phrenitici quidam, qui cogitatione manente illæsa, sensib. atq; adeo imaginatione deprauate mouentur: veluti Theophilo Medico ægrotanti, cuius Galenus in *lib. de Sympt. diffe.* meminit, euenisse constat. *Is enim quum alioqui prudenter se gereret, & dissereret, atque eos qui tum præsentes erant, exacte nosceret, tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eosque tibia canere & pulsare & se illos videre putabat, alios quidem stantes, alios autem illic sedentes, atque ita continenter canentes, vt neque noctu, neque interdiu quicquam remitterent. Proinde assidue clamans, iussit eos a cubiculo expelli. Hic vero vbi conualuit, quicquid singuli eorum qui ipsum visitabant, vel dixissent vel egissent, narrabat. Denique visorum quæ de cantoribus apparuerant, probe meminit.* Eiusmodi phrenitidis speciem in se ipso adolescentulo adhuc expertus est etiam Galenus, quod *lib. 4. De affectis locis, cap. 1.* commemorat. *Quum enim per æstatem ardente febre laboraret, & festucas atro colore ex cubili eminere, & floccos similiter in vestibus esse putabat, quos auferre tentans, nihilque sub digitis eductum inueniens, accuratius vehementiusq; id efficere conatus est. Audiens itaq; duos ex amicis qui tum aderant, dicentes: Videsne hunc iam & floccos euellere, & festucas colligere? statim intellexit id ipsum quod dicebant se fecisse. Quum vero sic animo constaret, vt rationalis in eo facultas non vacillaret, recte (inquit) dicitis: proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio estote.* Ex quibus iam planum fit, neque in Theophilo, neque in Galeno cogitationem, rationemve oblæsam fuisse, sed solam imaginationē.

Phrenitis quid.

Phrenitidis species tres.

Prima.

Theophilus medicus.

C

D

E

Alii rursus de iis, quæ oculis offeruntur recte, quantum ad sensitiuam notitiam imaginationemve pertinet, iudicant, cogitando vero ac ratiocinando a naturali iudicio aberrant. Hoc pacto afficiebatur phreneticus ille, cuius meminit Galenus locis iam citatis: *qui quum Romæ domi cum lanifici puero contineretur, surgens a cubili, obseratis intus ianuis, venit ad fenestram, per quam & ipse videri, & prætereuntes videre potuit. Itaque ex vitreis vasis singula ostendens interrogauit. iuberentne vt ea proiiceret, rogabant: tum ipse deinceps omnia arripiens eiecit, at illi magnis acclamationibus riserunt. Postea, iuberentne puerum quoque proiici, quum eos interrogasset, atque id illi iussissent, ilico ipsum deiecit: quem ab alto cadentem videntes, suppresso statim risu, accurrerunt, & confractum iam puerum sustulerunt.* Hic sane singula vasa suis nomenclaturis probe nominauit: vnde intelligi potest, neque imaginationem circa illa fuisse læsam, neq; nominū memoriā deletā, sed solam

Secunda.

F

A solam cogitationem a naturali iudicio deuiasse. Sunt præterea qui simul & sensus siue
imaginationis & cogitationis vitio, quod memoriæ etiam sequitur abolitio, laborant.
Tali delirii specie per pestilentiam correpti sunt illi, quos Thucydides *lib. 2. belli Pelo-* Tertia.
ponnesiaci scribit omnium, quæ antea nouerunt oblitos fuisse, ita vt non solum suos fa-
miliares non agnoscerent, sed ne seipsos quidem. Quæ ideo prolixius a nobis com-
memorata sunt, vt hinc primum discerent huius nostræ artis studiosi, plures esse
quam vnum interiores sensus. Neque enim alias imaginatione illæsa, amitteretur co-
gitatio: aut contra, integra cogitatione, imaginatio oblæderetur. Dein, vt sciret prin-
cipes facultates esse totius cerebri, adeoq; harum functiones nequaquam in diuersis
cerebri partibus, vt *Aetius lib. 6. cap. 2. & post eum recentiores Medici fere omnes censent*, per-
B fici, sed in toto potius cerebro, *quemadmodum fusius in Institut. nostris lib. 1. sect. 6. cap. 3. dixi-
mus. Ceterum oritur phrenitis ex sanguine exuperante, vel bilioso humore, seu, vt Caussæ.
Trallianus ait, a flaua bile, cerebrum, vel eius membranas occupante. Sciendum vero
hoc loco erit, quum ex flaua bile auctores phrenitim procreari dicunt, non ita eorun-
dem sermonem accipiendum esse, quasi ex sincera bile, & a sanguine secreta, eandem
nasci censeant, sed quod ex biloso sanguine, seu bile sanguini permista in cerebrum,
aut eius membranas decumbente fiat, *vt plenius in nostris commentariis super 11. Galeni
de meden. ratione librum cap. 18. docuimus.* Vtraque phrenitis exitialis est, sed mitior tamen
quæ ex immodico sanguine fit: vehementior quæ ex bilioso gignitur sanguine. Pro-
ut vero maiorem ille aut minorem obtinet acrimoniam, eo malignior aut mitior fit
C phrenitis. Quod si vero bilis ipsa, ex qua vitium nascitur, perusta fuerit, grauissima ac
ceteris omnibus perniciosior phrenitis accidit. Quos phrenitis inuadit, hos febris Notæ.
continua, quod materia quæ affluxit in loco angusto coarctata sit, eiusq; impediatur
perspiratio putrescat, & amentia infestant, plurimaq; parte somnus difficilis, & vigiliæ
continuæ comitantur. Interdum etiã somnus turbulentus accedit, vt exsurgãt ægri,
exiliant, furibunde vociferent, verba sine ordine & sensu effundãt, interrogantibusq;
nihil apposite, aut maiore cum tumultu, aut temeritate respondeant, præsertim vbi a-
liquis antea dum bene valebat fuerat mansuetus. Nonnunquã occiput dolor infestat.
Oculos deniq; habent cruentos, vehementerq; squalidos: & sæpe eos perfricant, inte-
rim aridos, interim lachrymantes. Lingua eorum tactu est aspera, & ex narib. aliquã-
D do sanguis destillat. Floccos præterea auellunt, & festucas ex stragulis ac vestibus car-
punt. Pulsus ad hæc exiguos, languidos, & quadantenus duros & neruosiores obtinẽt.
Spirationem quoque (*vt in Prognosticis auctor est Hippocrates*) raram habent. Porro 1. Præsa. 27.
quibus sanguineus humor vitium procreauit, ii cum risu insaniunt. Quibus vero
flaua bilis, illi ferociter & immaniter sæuiunt, ita vt coherceri nisi vinculis nequeant,
omniumque quæ dicunt, faciuntque, obliuiscuntur: adeo vt laborãtes aliqui, quum
matellã petunt, meiere tamen negligunt: aut quum lotium emittunt, matellã ipsam
tradere haudquaquam meminerunt. In victus ratione sic se gerat æger: Decumbat
in loco tum aeris, tum luminis temperati, variisque picturis carente: in quem amici Victus ra-
quidem gratissimi ingrediantur, qui tamen inopportune non interpellent, & non- tio.
E nunquam blande & leniter alloquantur, nonnunquã acerbius increpent. Cibus pri-
mum esto ptisanæ cremor, aut alica hordei, aut panis medulla cum aqua mulsa, aut
melle rosaceo addito citreorum, aut punicorum succo, aut simili, qui humores den-
sare ac cogere possit, vt ægrius ad caput ferri valeat, sæpius lota. Oleribus vescatur in-
tybo, lactuca, & malua elixis, eiusq; generis aliis, quæ refrigerare atq; humectare pos-
sunt. In morbi inclinatione pisces squamosi & saxatiles dari poterit. Mala quoq; puni-
ca, cerasaq;, si multus intus conficiat feruor, offerenda. Potus sit aqua in qua parum
cinnamomi, aut hordei decoctum, cui admixtum sit serapium violaceum, rosaceũ, aut
nymphex, quod nenupharinum hodie barbara voce appellãt. Hæc autem non con- Cõfertim.
fertim, hoc est copiose & celeriter, ingurgitanda, sed parcius & per interualla exhibẽ-
F da sunt: quum alias exiguo vtantur potu. Hinc est, quod eos rectissime Hippocrates ἐγχυτόνωσι.
libr. 1. Prænotionum, & lib. 6. Epid. par. 2. aph. 6. ἐγχυτόνωσι nominet. Porro vbi concoctionis Vinum ὀλιγοφόρον.
notæ in lotio apparuerint, & febris vehementia remiserit, atque vires non satis robu-
stæ fuerint, vinum tenue & aqua dilutum, quod ὀλιγοφόρον Græci nuncupant, dandum.
Quod tutius certe fit in iis, qui sani hoc bibere cõsueuerunt, & ventriculũ natura im-

becillum ac frigidum obtinent. Nam, *vt Trallianus testatur*, ferociam phreniticorum A mutat, & ferinos mores ad hilaritatem transfert, somnumque conciliat. In quiete denique ægri quoad eius fieri licet retineantur: si diuites fuerint, famulorum adminiculo, sin pauperes, vinculis. Nam inordinata motio, vires conuellit. Balneum quoque dulcis aquæ, temperatum modo corpus squalidum & aridum sit, confert: idque si tepidum tum adhibeatur. Neque enim vitii quantitas tantum, quantum ipsa nocet ariditas, ac vigiliæ immodicæ. Quare cum balneum prædictum humectet & refrigeret, quod alibi abunde demonstrauimus: non solum siccitatem, verum etiam immodicas vigilias, mentisque alienationem vna cum febre profligare potest. Non est tamen, quod sæpe antea monuimus, nisi prius vacuato corpore, eo vtendum. Præterea supra modum officiunt phreneticis animi peturbationes: proinde nihil quod B mœstitiam inferat, aut bilem creet, iis permittendum est. Ceterum quod ad curandi rationem attinet, si ægri vires non obstiterint, protinus, & nequaquam veluti quidam docent postridie, sanguis mittendus erit: quod non sit aliud salubrius, neq; præsentius auxilium. Secanda vero cubiti vena exterior, quam humeralem vocant: aut, si ea non appareat, media, & quantum tulerint vires educendum. Non tamen vsque ad animi deliquium, vt nonnulli magno cum errore statuunt: præstat enim minus auferre quam oportet, propter plurimam in illis factam ex vehementi motu resolutionem. Prospiciendum quoque diligẽter, ne clam brachii vinculum æger soluat, aut adimat. Postea rectam etiam in fronte venam incidere licebit. Fit autem id recte, si collum artificiose fascia lanea constringatur, vt vena attollatur. Ita nanque si factum fuerit, C sanguis statim vena secta citra impedimentum erumpet. Quod si vero ætas venæ sectioni obstiterit, tum cucurbitulæ cum scarificatione occipitio scapulis, & spinæ admouendæ erunt. Quæ hoc etiam nomine conducunt, quod humorum ad cerebrum defluxum in contrarium auellunt atque vacuant. In hunc sine vsum confert maxime clysterum vsus, qui accipiunt: *Florum violarum, nymphea, singul. pugillum vnum. Foliorum malua, violarum, intybi satiui angusti folii, lactuca singul. Manipulum vnum. Hordei decorticati, vnciam vnam. Myxorum (Sebesten vocant) numero vndecim. Seminum, cucurbitæ melonum cucumeris, singul. drachmas tres. Prunorum, numero viginti. Coquantur in aqua iustæ quantitatis tantisper, donec tertia pars absumatur, & colo transfundantur.* Dein accipiantur *iuris decocti, vnciæ duodecim. Medullæ casiæ fistularis recens extractæ, vncia vna & dimidia.* D *Mellis rosacei, vncia vna. Olei violacei, vnciæ tres. Salis, drachma vna & dimidia. Commixtis omnibus, fiat clyster.* Si volueris vt vehementius purget, adiicienda erit *hiera picra, aut antidoti e succo rosaceo, vncia dimidia.* Ridiculum vero est, quod nonnulli iam dictorum calidorum antidotum prohibent, metuentes ne febrem augeant & agitent. Quasi vero ex noxiorum humorum vacuatione & auersione, *Galeno 1. sect. apho. com. 24. teste*, non maior sit vtilitas, quam id quod consequitur ex eis detrimentum. Ad humorum a capite auersionem non parum conferunt vincula extremis corporis partibus iniecta: item pedum frictiones cum sale & aceto, idque genus alia. Caput autem *rosaceo, vel oxyrhodino tepidioribus pannis lineis iis imbutis irrigare* oportet. Inflammato enim cerebro, vel membranis eius, frigiditas tuta non est, sicut neq; vehemens caliditas. E Siquidem frigiditas meatus constringit, neq; sinit excrementa e capite discuti: at ingens caliditas feruorem congeminat. Æstate itaq; rosaceum exquisite tepidũ adhibendũ, cum pauco aceto: hyeme autem mediocriter calidum, vt humor a capite repellatur, & ne immodice calefactũ, sed aliqua ex parte refrigeratũ ab oxyrhodino, humores ad se trahat, illisq; impleatur. In hunc vsum etiã admiscere illis licebit *succũ solani plantaginis, aut illarũ & similium herbarum stillaticios liquores.* Si malum ipsum vehementius fuerit, caput faciemque assidue oleo in quo capita papauerum decocta sunt, fouebis. Trallian⁹ quum morbus viget & vigilias, mentisq; alienationem inuehit, *oxyrhodino caput largius madefaciendũ esse monet, & decocto papaueris capitum, psyllium: etsi* in eo mendose, vt alias sæpe, *serpyllum* scribatur: & *hederam* permiscendam docet. Odorata F quoque naribus obiiciemus, *rosas, violas, nymphea flores, & eiusmodi.* Nares quoque ipsas intus, aut frontem succis prædictorum medicamentorum illinemus. Nam sopire ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum nimirum, quod supra modum incaluit, refrigerando. Si vigiliæ quoque admodum vigent, quæ somnum con-

Curatio.

Venæ sectio.

Clyster.

Myxa.

Localia.

Somnifera.

A conciliare possunt, *vt est Diacodyon*, quod *Tralliano teste*, non solum vigiliis, sed etiam febri medetur, & caput tanquam ab igne adustum refrigerare potest: & alia multa quæ supra commemorauimus, non temere adhibebuntur. Inter alia vero hoc non parum conducet vnguentum, quod recipit: *Vnguenti populeon, drachmas duas. Olei violacei drachmas tres. Seminis hyoscyami, corticis radicis mandragoræ, vtriusque scrupulum dimidium. Opii, grana duo. Croci, grana tria. Aceti parum, ceræ albæ quod satis est: fiat vnguentum, quod temporibus illinatur.* Sunt vero id genus medicamenta caute & cum iudicio adhibenda, quod cerebrum suapte natura frigidum sit, ac pars corporis princeps. Quapropter imbecillioribus nequaquam fortia & vehementia, sed minori pondere & quantitate adhibenda sunt. Embrocha etiam hæc tepida capiti admouenda, quæ B accipit: *Florum violarum siccarum, rosarum rubearum, nymphea, singul. Manipulum vnum & dimidium. Hordei excorticati, vnciam vnam. Seminis papaueris albi, drachmas duas. Seminis lactucæ, drachmas tres. Decoquantur singula in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias, fiatque embrocha.* Possent etiam decoqui in eundem vsum *folia lactucæ, solani, psyllii, & capita papauerum.* Sub puluinari etiam *calices papaueris, aut poma mandragoræ supponenda.* Postremum vbi morbus iam nonnihil resedit, mitiorque factus est, id quod tertio die vt plurimum accidere solet, discutientia medicamenta, quæ morbi reliquias ad crassos vapores dissipare possunt, adhibenda. In quem vsum iam cōmemoratam embrochā admouere licebit, *adiectis tamen floribus chamæmeli, anethi, meliloti, althea, & similibus.* Sunt qui hoc tempore gallinas, aut catulos per medium fissos capiti non temere apponant, C quū contra vulgus in morbi principio, ac summo incremento eos admoueant, phlegmonem & febrem hac ratione augens. Alii adhuc calidum arietis pulmonem, vel recens ex animante acceptum, vel aqua feruenti calefactum, vel pullum columbinū, admoueant. Porro si diuturnum iam vitium fuerit, in eo serpyllum, thymum, altheā, & spondylium decoquere conuenit. Galenus quoq; *libr. 11. & 13 Ther. method.* castoreo vtendum esse (phlegmone iam scilicet inclinante) docet: quod nimirum non continuo locis circa cerebrum, sed ossibus interuenientibus occurrat. Inest autem ei medicamento & partium tenuitas; quod ipsum iis (quorum per densa propugnacula transmitti iam oporret) est accommodum: vt his de caussis castoreum phreniticis etiam magno cum fructu adhiberi queat. Phrenitici vbi sese recolligent, ebrietatem, oD cium, ciborum corruptiones, & in primis solis æstum cauebunt.

Vnguentū. *Embrocha.* *Discutiētia*

De Lethargo. CAP. XXII.

Λήθαργος proprie dictus, de eo enim hic agitur, vitium est phrenitidi contrarium, nempe sopor præter naturam continuus, & inexpugnabilis pene dormiendi necessitas, atq; obliuio cum lenta febre. Aliqui latine *veternum* interpretantur. Hoc vitio correptis, omnium rerum obliuio accidit, vt verbis nulla suppeditetur materia: hinc etiam nomē nactum est. λήθη enim obliuio est, ἄργη vero captura, vel ἀργὸς iners: vt λήθαργος non sit aliud, nisi iners obliuio, aut malam obliuionem inducens. Caussa eius est pituita atqui putrefacta, aut pituitosa plenitudo, quæ frigore nimio, ac humore cerebrum imbuit, & in somnum impellit. Lethargicos proprie dictos comitatur febris lenta, & E nequaquam acuta, putrescit enim in hoc vitio pituitosus humor, *Galeno libr. 13. Thera. meth. teste*, cum profunda in somnum delatione. Pulsus iis magni rarique sunt, & vndosi. Spiratio ipsa nimis rara & imbecillis. Somnolenti præterea sunt perpetuo lethargici, desidiosi, & ignaui. Vix & tarde quocunq; modo impellentur, respondent. Oculos quandoq; ad vociferationem aperiunt, & denuo claudunt, ad soporemq; reuertuntur. Sentiunt enim lethargici, atqui ægri, ideoq; ægre excitari possunt. Obliuiosi, & dementes, perit enim in iis & memoria, & ratio. Oscitant crebro, & hiante ore aliquandiu persistunt, tanquā claudere id obliti. Sæpe ad meiendum vocati, porrectam matulam manu tenentes, meiere obliuiscuntur. Deiiciunt per aluum magna ex parte liquidiora. Nonnullis contra venter indurescit. Vrinam reddunt iumentis similem. F Quidam ex eis tremiscunt, & vndiq; sudant. Cubile, in quo decumbit æger, splendidum, lucidum, & tepidum sit, aerq; ad calidum & siccum parum declinet. Cibi sint attenuantes, incidentes, exsiccantes; qui condiantur *apio, aniso, cumino, pipere, cinnamomo, garyophyllis, & id genus aliis odoramentis.* Ex auibus æger vescatur *montanis auiculis, pullis gallinaceis domesticis, perdicibus, turdis, merulis, & similibus.* Oleribus vtatur

Lethargus quid. *Veternus.* *Caussa.* *Notæ.* *Victus ratio.*

porro, asparagis, fœniculo, & eiusmodi. Cremore denique ptisanæ aut ptisana ipsa, interdum sola, *Tralliano teste*, interim cum oxymelite, aut in qua hyssopi coma, vel pulegii, vel thymi fuerit decocta, præsertim si febris non fuerit valida. Potus sit hydromeli, aut vinum aquosum, tenue & album subadstringens. Nam ipsum cum tempestiuo cibo datum, non mediocriter adiuuat, *vt Celso visum est.* Ceterum si vires permiserint, & nihil aliorum obstiterit, *Galeno libro 13. Therapeuticæ methodi suadente*, sanguinem statim initio mittere expedit. Sin minus, clysteribus acribus e *betonica, ruta, saluia, maiorana, centaurio minore, semine fœniculi, agarico, & pulpa colocynthidis*, aluus eluenda, quorum formulas in capite De apoplexia reperies. Dein oxyrhodinum capiti admouendum: repellendus enim a capite humor est, quisquis is fuerit, *eodem Galeno teste.* In quem vsum etiam frictiones cum *pyrethro, pipere, sale & aceto*, ligaturæque extremitatum conueniunt, maxime a cibo, ne videlicet vapor ad caput feratur. Odoramenta quoque a somno excitatoria admouenda, vt est *castoreum, funiculus extincta lucerna, capillus hominis, pix humida, bitumen, chalbanum, sulphur, sagapenum, cornu ceruinum, abrotonum, peucedanum, & succus laserpitii.* Satureia quoque, *Plinio libr. 4. de re medica capite 19. auctore*, ex vino pota, aut cum aceto frequenter capiti infusa, lethargicos etiam letaliter dormientes excitat. Extrema, cruraque pungere, nonnunquam pilos quoque in ipsis vehementius euellere oportet, quo excitentur. Licebit etiam in aceto *thymum, calaminthan, pulegium, hyssopum, & origanum*, aliaque eius generis addito castorio incoquere, ac naribus ægri admouere: quo vapor ad cerebrum delatus, humorum crassitudinem dissecet. Ac frons illinenda est aut castorio, aut pilis humanis, *Tralliano auctore*, crematis læuigatisque ex aceto, quod forsan etiam naturali quadam proprietate lethargo aduersentur. Palatum etiam valentibus & acribus medicamentis, verbi gratia, *sinapi cum melle, antidoto mithridatis, theriaca, & puluere pyrethri*, inungendum. Conarique oportet, pituitam indidem affixam digitis eiicere. Ab iis vero, etiam sternutamentis ex castorio, & pipere, vtemur. Si admiserint, apophlegmatismorum etiam vsus erit. Quod si iis vitium non discutitur, caput radendum, deinde fouendum est *sale, milio, & similibus in sacculis adhibitis, aut serpyllo, hyssopo, & thymo cum pauco castorio, & aceto, ac oleo, decocto: aut castorio cum modico aceto trito, additoque oleo irino caput irrigandum.* Ad hæc sinapismo vti in capite prodest, ex caricis & sinapi ex aceto contritis (*vt in libro tertio De comp. medic. monstrauimus*) confecto, vt a capite & ex alto ad circumferentiam trahat. Postea cucurbitulas occipiti affigere cum plurimo igne oportet, circa primam & secundam ceruicis vertebras, partim leues, partim cum scarificatione, vt nō solum a capite attrahant, verum etiam vacuent. Castorium quoque capiti illinendum. Quinetiam idipsum, quod docet Alexander Trallianus *c. 20. libr. 1.* potui dare cum oxymelite expedit. Nam vno hoc medicamento nonnulli misserrime toto corpore impediti, sanitati sunt restituti. Sit autem *castorii, drachma vna. Oxymelitis, vncia vna.* In hunc vsum etiam theriaca exhiberi potest. Præterea ad excretiones frequenter solicitare naturā oportebit, tum clysteribus, tum iis quæ vrinam mouent. Pubem oleo rutaceo, aut irino, cui sit adiectum paululum castorii, aspergere conuenit. In potu etiam danda, quæ crassitiem attenuare & incidere valent: vt est *apii, fœniculi, adianti, & similium decoctum, cum oxymelite simplici, vel scyllitico, & serapio byzantino.* Nam vt deglutiant eiusmodi potiones crebrius admonendi sunt: ideoque, vt per bombylium ori saltem instillentur, curabimus. In diuturnis lethargis, vbi vires suffecerint, danda *hiera est ex colocynthide, sternutamentaque ex elleboro albo struthio, pipere, & castorio*, aliaque (*quorum paulo supra facta est mentio*) medicamenta admouenda. Porro vbi morbus inclinare incœperit, gestatio statim continua vtilis est, & balneum, quod supra modum conferre hoc tempore solet. Siquidem Alexander Trallianus refert, se cognouisse quendam, qui grauissimo lethargo laborauerit, adeo vt se leuari non sentiret. Is post septem morbi dies balneum ingressus, tantum sensit auxilii, vt a somno statim expergisceretur, aliosque attente intelligeret, & ipse verba expedite faceret, familiares omnes agnoscens. Quod si vero balnei æstum propter vires imbecillas ferre haud possit, saltem domi in solio aquæ calidæ lauandus erit. Cauendum tamen, ne aqua caput ægrotantis perfundatur. Smegmate autem mordaciore in balneo detergendus, vt *vini fece vsta, sinapi, pyrethro, pipere, lauri baccis, calce viua*, & similib. quibus duplum nitri addendum.

Curatio. Localia. Excitatoria. Historia.

A *De caro.* Cap. XXIII.

Κάρος proprie dictus, vitium est, quod sensuum, vniuersarumque motionum priuatio, spirandi tamen facultate manente illæsa, consequitur. Arabibus Rhazi præsertim, *Subet* appellatur. Alio nomine perniciosus dicitur, *vt lib. 3. Institu. nostrarum sect. 1. capit. 12.* copiosius ostendimus. Differt a lethargo, *Aetio teste*, quia lethargici interrogati respondent, neque omnino muti decumbunt. Caro autem laborantes somni quidem profunditate occupantur: at si stimulantur, etsi sentiunt, nihil tamen dicunt aut loquuntur, neque oculos aperiunt. Præterea, *vt Paulus annotauit*, febris earum præcedit, eaque vehementior: lethargum subsequitur. Item carus aliis symptomatis superuenit: sæpe enim febrium accessionibus, comitialibus, cerebri compressionibus, nunc quidem osse, hoc est caluaria, fracto & coarctato, nunc vero membrana arteriorem cerebri ventriculum custodiente, compressa. Letargus autem propriam quandam consistentiam obtinet. Distat etiam ab apoplexia, quod in hac spiratio vehementer opprimatur, sic vt quispiam etiam magno conatu vix spirare possit. In caro autem spirandi facultas, *vt testatur Galenus lib. 4. De affectis locis, cap. 2.* haudquaquam lædatur. Fit caros proprie dictus, variis a caussis, nempe ab humore frigido, crasso, ac omnino viscido cerebrum occupante. Item a frigiditate morbosa calorem innatum ad interiora reuocante, & cerebrum grauante atque opprimente in pituosarum febrium accessionum initiis. A vehementi capitis ictu, contusione musculorum temporalium: ossis perforatione, & ventriculi cerebri attritione. Signa ex iis, quæ paulo ante commemorata sunt, facile colligi possunt. Siquidem somni profunditate occupantur, oculique in hoc vitio perpetuo conniuent. Ceterum victus ratio & curatio eorum, qui caro laborant, cum lethargicorum plane conuenit, nisi quod ad maiorem incisionem attenuationemque declinamus. His vero in primis confert edere nasturtium aut coctum in iusculis, aut crudum in acetariis. Nihil enim est, quod cerebrum magis exsiccet, vimque & vigorem animi magis excitet, quam nasturtium. Vnde prouerbio dicitur, in socordes, somnolentos, ignauos, hebetes, stupidosque, *ede nasturtium*. Vt mirari subeat, aliquos inueniri, qui illud somnum conciliare scribant. Stomacho etiam cataplasmata & alia medicamenta, quæ calefaciunt & corroborant, sunt adhibenda, quod is pituita, quæ illum refrigerat & humectat, refertus sit. Quorum formulas describemus *libro tertio capit. 1. De ventriculi imbecillitate.*

Caros quid. Subet. Differentia cari a Lethargo. Ab apoplexia. Caussæ. Notæ. Victus & ratio & curatio.

B C D

De catocha & catalepsi. Cap. XXIV.

Κατοχὴ καὶ κατάληψις Græcis, *occupatio, detentio, & deprehensio omnium nimirum sensuum*, Latinis dici potest. Recentiores medicinæ scriptores *congelationem* nominant. Est autem *subita detentio & occupatio, tum mentis, tum corporis sensu ac motu priuati, ægro in ea corporis figura permanente, in qua fuerit correptus, siue sederit, siue iacuerit, siue clausis, siue apertis oculis perstiterit.* Detentio autem in qua oculi aperti manent, *Catoche* proprie nominatur. Ea vero, in qua oculi clausi sunt, improprie *catoche* vocatur, *vt libro tertio Institu. nostrarum sectione 1. capit. 12. fusius monstrauimus.* Quapropter medium quoddam inter phrenitidem & lethargum vitium est. Nam ratione frigiditatis cum lethargo conuenit: siccitatis autem ergo, cum phrenitide. Hinc est, quod hoc vitio affecti, neque plane phreniticis assimilentur, neque etiam lethargicis. Accidit hoc vitium nonnunquam ob sanguinis, melancholici scilicet, qui frigidus & siccus exsistit, copiam, *vt auctor est Aetius*, in caput irrumpentem, ipsumque implentem. Is enim commemorat, se olim hoc vitium conspexisse in adolescente, multo sanguine, melancholico nimirum, referto, qui quum dies tres exegerat neque conniuens, neque ad obiectas minas oculis nutans, neque respondens: quarta autem ingenti sanguinis, melancholici scilicet, e naribus eruptione facta, protinus omnes turbulentias recessisse. Fit etiam frequenter, *eodem teste*, a melancholico, hoc est, frigido & sicco, humore, cerebri posteriora de Galeni *libro quarto de labo. locis cap. 3. sententia*, potissimum molestante. Galenus *libro primo de sympt. caussis capite secundo* per consensum cerebri cum ore ventriculi, vbi scilicet humor pituitosus, aut vapor aut melancholicus sursum fertur. Ab vtroque namque catoche fit, proprie dicta, a melancholico: improprie vocata, a pituitoso, *vt loco supra citato monstrauimus.* Inuadit

Catocha & Catalepsis. Cōgelatio. Caussæ. Notæ.

E

Notæ.

A hoc vitii hominem subito, qui voce sensuque priuatur, nihil audit, nihil respondet, respiratio nulla fere apparet; sed quasi mortuus decumbit. Pulsus est exiguus, languidus, & vehementer densus. Aluus & vrina detinentur, aut certe parum reddunt; idque non siccitatis prorsus ratione, quod æger humido interdum plurimo abundet; sed propter sensuum stuporem siue insensibilitatem. Facies alias subrubescit, cum scilicet a sanguine melancholico vitium procreatur: alias vero liuet, quando nimirum a melancholico humore ortum fuerit. Porro oculi in hoc vitio immobiles plane manent, velut congelati. Differt autem a caro, quia Galeno *lib. 4. De laboran. affectis locis, cap. 2.* teste; vt in hoc palpebræ perpetuo clauduntur, sic in catoche interdum, vbi scilicet a pituitoso nascitur humore, apertæ manent. Distat etiam a lethargo, etsi enim vtrunq; vitium sit a vehementi refrigeratione; tamen in lethargo, *vt testatur Galenus lib. 2. Aph. comment. 3.* refrigeratio immixta est humiditati, in catalepsi vero siccitati. B

Discrimen inter catochem & carum, ac lethargum.

Victus ratio.

Victus ratio pro caussarum ratione variatur. Æger vero interim singulis diebus, interim vno interposito nutriri debet. Quare quum vitium hoc vehementer sit periculosum, si aut cibo aut potu erretur, operam dabit Medicus, vt se in victus ratione adhibenda prudenter gerat. Alimenta autem sint ptisanæ cremor, & huiusmodi. Aqua vero pota infestissima est. Flatum enim auget, fluctuationes cit, lienem attollit, neque sitim restinguit: potus autem sit mulsa, diutius cocta, & quæ multum bullierit: aut vino vtatur aquoso, albo, tenui, ac subadstringenti, & bene diluto, vt caput non percutiat.

Curatio.

Quod ad rationem curandi spectat, si facies subrubescit, atque adeo æger sanguine melancholico abundare videtur, & vires validæ fuerint, C cubiti venam exteriorem, quam cephalicam vocant, secare ne differas. Postea si caput calidius appareat, ea quæ refrigerant adhibebis. In hunc vsum oxyrhodinum, vel papaueris calyculos in oleo decoquere oportet, ac eo subinde caput inungendum. In reliquis, quibus scilicet facies liuescit, adeoque ex melancholico humore cerebrum occupante vitium hoc accidit, primo clysteribus melancholicum succum trahentibus aluus abluenda est ex floribus *buglossi, capno, thymo, epithymo, radice polypodii, folliculis senæ, & iis similibus compositis*, quorum formulas *infra in cap. De melancholia* producemus, quod si aluus sic non obediat, ellebori nigri radicem tum quoque incoquere non alienum erit. Caput autem *oleo chamæmelino, in quo serpillum aut hyssopum, aut thymus, aut simile aliquod coctum fuerit, aut liliaceo aut anethino, aut simili* inungendum. Idque D tum potissimum faciendum, vbi caput frigidius esse appareat. Porro si in vrina crassities affuerit, dandum etiam *anethi, apii, calaminthæ, & aliorum quibus extenuandi facultas inest, decoctum.* Reliqua quæ ad curandi rationem necessaria sunt, partim ex capite *De phrenitide*, partim ex eo quod *De melancholia* inscribemus, partim etiam ex eo quod *De lethargo* est inscriptum, petenda erunt.

De comate. Cap. XXV.

Κῶμα. Sopor.

Κῶμα, *vt auctor est lib. 3. Epide. com. 1.* textus septimi expositione Galenus est κωμαφορή, id est, *delatio in somnum, quum ægri vigilare nequeunt, oculos minime apertos, sed conniuentes potius habentes: vel profundo, aut tenui leuique somno, vel etiam vigiliis detinentur.* Quocirca Hippocrati & aliis Græcis Comaduum est generum, vnum quidem ὑπνῶδες, id est, E *somniculosum*, vel βαρὺ, id est, *graue*: alterum vero ἄγρυπνον, hoc est, *vigilans*. Primum ita dictum est, quod ægri in eo profunde & diu dormiant, ita vt vix expergisci possint. Hoc vtique vitium Latinis *grauis & profundus somnus* dici potest. Significat enim com: *somniculosum*, siue *graue profundumve* non simpliciter *longum somnum* quod nonnulli putauerunt, sed Galeno *lib. 2. Aph. comment. & lib. 3. Epid. com. 3. auctore*, δυσδιέγερτον, hoc est, *eum a quo quis ægre & difficulter excitatur.*

Κῶμα simpliciter.

Quare κῶμα simpliciter, & sine alicuius adiectione, vel etiam cum adiectione illa ὑπνῶδες ἢ βαρὺ κῶμα, *est vitium, in quo ægri vigilare nequeunt, nec apertos habent oculos, sed conniuentes; altoque & vnde facile expergisci nequeunt somno detinentur.*

Κῶμα ἄγρυπνον.

Cum hac vero adiectione, ἄγρυπνον κῶμα, hoc est, *vigilans sopor, Galeno com. 3. iam citati libri tertii Epid. teste*, est vitium, in quo ægri apertis ocu- F lis vigilare non valent, sed conniuent spe somni conciliandi, & vigiles tamen manent. Quare vt coma soporiferum a comate vigilante discernamus, necessarium erit. Commune quidem est vtriusque non posse attollere oculos: statim enim grauantur, & dormire cupiunt, hincque adeo est, vt vtrumque comatis appellationem sorti-

A fortitum sit. Priuatim autem somniculosum id obtinet, vt in eo ægri dormiant. In vigilante autem ægri oculos quidem claudunt spe dormiendi, vigiles tamen permanent, vt hoc nomine facile discerni possint. De differentia vero generum soporis copiosius *lib. 3 sect. 1. cap. 11. Institu. nostrarum diximus.* Coma soporiferum, vt *testis est Galenus comment. primo, libri 3. Epid.* fit interdum, vbi cerebrum immodice irrigatur, vt nonnullis vsuuenit ebriis, repleto in ipsa ebrietate capite, atque admodum humectato. In febribus etiam soli vapores calidi & humidi a partibus inferioribus sursum elati, cerebrum implentes & irrigantes, vitium hoc inducunt. Subinde etiam ob solum frigus, quod primum sensitiuum, hoc est cerebrum, occupat. Est cum ambobus iam dictis, hoc est frigiditati & humiditati, succedat somnus ille grauis & B profundus. Quo sane casu profundior & grauior somnus erit: velut tenuior, si a sola intemperie frigida vel humida ortum sit. Fit denique propter virium imbecillitatem, adeo iam languentium, vt apertas palpebras seruare haud valeant. Quare pulsus in ipsis languidissimus, tardus, rarus, & paruus est, quo ab eo comate quod humiditas & frigiditas committit facile distinguitur. Vigilans autem coma a pituita cum bile commixta nascitur. Ægri in soporifero comate, *Aetio teste*, demissa inferiori mandibula obdormiunt, ac quoties excitantur, nouo repente somno capiuntur. In vigilante autem enormia loquuntur, totoque corpore incomposito iacent, & partim ea quæ in phrenitide, partim etiam ea, quæ in lethargo apparent, signa adsunt. Curandi ratio iuxta duplex coma variatur. In soporifero enim eadem quæ C in caro & lethargo adhibentur remedia; atque vt summatim dicam, post vniuersi corporis vacuationem, pro frigiditatis aut humiditatis ratione, calefactio vel siccitas intendenda est. Si enim ex humiditate tantum somniculosum coma originem ducit, iis quæ exsiccant capiti admotis curari debet, ex acerrimo videlicet aceto, cum rosis, & chamæmelo permisto, eo irrigato, ac eiusdem medicamenti euaporatione per nares suscepta. Sin ex frigiditate, anethinum oleum, vel chamæmelinum calefactum adhibendum: ac quantum intenta est frigiditas est, tantum etiam calefacienda augenda sunt, vt etiam pulegium & rutam aliquando in oleo coquere liceat. At si ex frigiditate, & humiditate iunctis excitetur, vt lethargus curatur. Si ex virium imbecillitate natum est, per ea quæ illas instaurare valent sanandum erit. In vigilante D partim phrenitidis, partim etiam lethargi remedia locum habebunt. Vtrum autem aliud superare debeat, ex humore exsuperante cognoscitur. Si enim pituita superauerit bilem, magis ad lethargi remedia declinandum erit. Sin contra bilis pituitam vicerit, magis ad phrenitidis præsidia nos conuertemus. Quare auxilia quæ ad vigilantis comatis curationem sunt necessaria, e capitibus de phrenitide & lethargo petenda erunt. Glandes autem potissimum in hoc vitii genere conferent sedi suppositæ, quod irritando efficaces admodum sint.

Caussæ. Primum sensitiuum. Notæ. Curatio.

De memoria abolita. Cap. XXVI.

MEMORIÆ abolitio partim per se, partim etiam cum quadam rationis noxa accidit, quemadmodum & rationis noxa per se prius incipit: deinde memoE riæ insequitur. Contingit autem vtranque pati nonnunquam actionem. Abolentur ambæ in lethargis, ceterisque soporiferis morbis. Fit etiam, vt prædictis vitiis iam solutis, obliuio succedat. Quod vbi acciderit, tum frigida omnino intemperies in caussa erit, quod vel periit, vel grauiter læsa est memoria. Hæc nonnunquam humiditati, nonnunquam etiam siccitati iuncta est. Interdum autem vnaquæque prædictarum per se caussa vitii esse potest. Quapropter caussæ diligenter a Medico discernendæ sunt. Si itaque sola intemperies sicca cerebrum pertinaciter obsidens caussa vitii fuerit, vigiliæ frequentes infestabunt. Sin humida tantum, torpores, & in somnum propensiones, somnosque longos & graues efficiet. Si vero humiditati frigiditas etiam accesserit, caros & lethargos creabit. Eorum itaque, quorum F memoria periit, somnos obseruare oportet; vtrum scilicet vehementer an modice somnolenti sint, aut omnino non somnolenti. Sic enim vincētem inuenies intemperiem. Præterea considerandum est, vtrum excernant quippiam ex naribus, vel ab ore quod a capite defluat, *vt monet Galenus lib. 3. De affectis locis, cap. 5.* an aridæ huiusmodi partes sint, quippe ex iis affectū ipsum cōiectura consequi poterimus. Victus ratio pro

Caussæ. Notæ. Victus.

caussarum varietate mutatur, vt ex iis quæ paulo post dicemus, manifestum fiet. His A
Curatio. in eum modum definitis, facile curandi ratio præscribi potest. Nam si propter vehementes purgationes, ceterasque immoderatas inanitiones, aut syncopas; atque adeo siccitatem memoriæ noxa superuenerit, nulla alia re addita; victu tantum reficiente succurrere oportet. Corroborato enim corpore, collectisque viribus, memoria reparatur. Quæ autem ad eam victus rationem necessaria sunt, ex capite *De hectica febre* petent studiosi. Si ob extremam senectam memoria pereat, frustra laborandum, admotis scilicet remediis, non est: sed tantum conueniente victus ratione contentos esse oportet. Verum si repente memoria defecerit, ceteris partibus incolumibus, epilepsiam, aut neruorum resolutionem, aut apoplexiam vereri oportet. Quare tum omni studio ac diligentia prouidendum erit, ne tale aliquod accidat, quod futurum suspicamur. Quibus enim præsidiis factum morbum repellimus, B iisdem futurum arcebimus. Quod si vero ex aliis morbis, vt lethargo & pestilentia, memoria pereat, tum strenue remediis contra eundum. Pestilentiam autem sequi memoriæ abolitionem, supra *capite 20.* ex Thucydidis historia, *quam refert Galenus in lib. De symptom. differentiis*, ostendimus. Summa vero curationis in calefaciendo tum intrinsecus, tum extrinsecus consistit, si a frigida plane cerebri intemperie nuda vitium ortum fuerit. Calefactoria itaque medicamenta tam extra, quam intra, *vt dictum est*, corpus adhibenda. Extrinsecus autem inunctiones capiti ex oleo calido, idque æstate, adhibendæ. Hyeme vero itidem cum aceto acriori, interdum serpyllo, calamento, & iis similibus in eo decoctis. Quidam etiam adiiciunt piper, C & lauri baccas. Vtile & castorium, cum oleo occipiti illitum. Confert etiam hoc vn-
Vnguentū. guentum, quod accipit: *Olei a lateribus, de castorio, vtriusque vnciam dimidiam. Radicis acori, phu, vtriusque scrupulum vnum. Pyrethri, rutæ, vtriusque scrupulum dimidium.* Cum cæra quod satis est, fiat vnguentum, quo rasum occipitium inungatur, & subinde saccu-
Sacculus. lus imponatur, qui accipit: *Florum rosmarini, melissophylli, lauandulæ, singul. manipulum dimidium. Florum sambuci, manipulum vnum. Stichadis, drachmas tres. Nucis moschatæ, ligni aloes, maceris, singulorum scrupulum vnum. Contusa in sericum dimittantur, formeturque sacculus.* Eius farinæ medicamenta complura e superioribus capitibus petenda erunt. Intro in corpus autem *acorus conditus, saccharum florum betonicæ, maioranæ, rosmarini, lauandulæ, spicæ nardi, melissophylli, saluiæ, adiectis pipere, garyophyllis, cinnamomo, & id genus aliis* D *odoramentis sumantur.* Si vero a frigiditate & humiditate memoriæ abolitio fiat, non tantum ad calidum, verum etiam ad siccum vergat vniuersa victus declinabit. Hiera picra exhibenda, quæ vacuando nihil vtile secum trahit, sed id tantum quod molestum est educit. Deïn *apophlegmatismi, sternutamenta*, & reliqua, quæ caput per os & nares purgant, admouenda. Sinapismus quoque capiti vtiliter applicatur. Quod ad victus rationem attinet, alimenta sint, quę calefaciendi exsiccandique vim obtineant. Ab infrigidantibus omnibus abstinendum erit, & oleribus, & fructibus bellariis, caseo, & lacte, aliisque quæ flatus gignere possunt, crassioris succi ac humectantibus alimentis. Acriora vero ex interuallis alimenta afferenda, vt sunt *origanum, thymbra, quam satureiam vocant, pulegium, & eiusmodi.* Cauere autem oportet in vniuersum cru- E ditates, tanquam rationi ac menti infestissimas. Dandum ægrotantibus vinum tenue, album, & valde antiquum: sua enim moderata caliditate cum alia non pauca efficiat, animam etiam tranquillam, festiuamque reddit, consonos illi motus præbendo. Plurima vero aquæ, multoque magis vini potio pessima est: vehementer enim humectat caput, ac nihil æque obliuionem inducit, quam humiditas. Somnus sit temperatus, citra satietatem. Veneris vsus rarissimus: neque enim totius corporis sanitati, neque rationis actioni, si immoderata fuerit, confert. Balneo etiam, potissimum a sinapismis, locus erit. Quod si ex pituitæ redundantia memoria amissa fuerit, eam prius concoquere & præparare, dein medicamentis conuenientibus vacuare oportet, ad eum modum, qui in præcedentibus capitibus expositus est. Sin ex frigida & sicca ce- F rebri intemperie obliuio orta sit, aut ex melancholico humore, curationes e suis petendæ locis erunt. Hæc pro reparanda abolita memoria sufficiunt in præsentia. Alia enim quæ requiri possunt, ex superioribus petenda erunt.

De apo-

De Apoplexia. CAP. XXVII.

A APOPLEXIA est, *vbi patiente communi neruorum principio, subito omnes corporis particulæ motum simul & sensum amiserunt.* Vel *est priuatio sensus & motus in vniuerso corpore, cum functionum a voluntatis imperio prodeuntium læsione subito superueniens.* Si in altera duntaxat parte obstructio fuerit, ἡμιπληγία, ἢ παράλυσις Græcis, *resolutio* Latinis dicitur, *vt capite sequenti clarius docebimus.* Fit a pituoso, hoc est, frigido, crasso, lentoque humore, ventriculos cerebri principalissimos vna vice & cumulatim replente, quem nimiæ cruditates, crebræque potissimum ebrietates procreant. Contingit etiam ob casum, aut ictus cerebrum concutientes, atque vt illuc humores confluant efficientes. Aeris quoque admodum frigidi occursu, qui cerebri humiditates & excrementa coarctat, & constringit. Præcedit hoc vitium capitis *confertus & acutus dolor, & iugularium venarum elatio, vertigo, oculorum splendores, & extremarum partium sine ratione refrigeratio, totius corporis palpitatio, difficilis motus, & dentium inter dormiendum stridores: vrinam emittunt æruginosam, nigram, paucam, & farinaceum sedimentum habentem.* Qui autem in hunc morbum acutissimum & extremum incidunt, sensu omnino carentes, mortui viuunt. Quapropter clausis oculis instar dormientium decumbunt, atque stertunt. Discernitur vero vitii magnitudo ex noxæ, quam spirationi infert, vehementia. Vbi enim hæc ipsa naturalem ordinem, plurimum egreditur, magnam: vbi autem paulum impedimenti est, paruam in cerebro noxam esse coniicere oportet. Omnium vero pessima spiratio putanda est, quæ intermittitur, & magna cum C violentia trahitur. Hoc vitio correpti, vt dormientes, oculis clausis decumbunt, & nonnunquam stertunt. Spiratio in illis nonnunquam tam est exigua & debilis, vt sensum effugiat, iacentque mortuis persimiles, ii præsertim qui corde sunt minus calido. Lana igitur carpta, aut accensa candela horum naribus, & ori admouenda erit: aut poculum aqua plenum thoraci: quæ si moueantur, respirationis & vitæ sunt indicia. Licet autem nullum vitæ indicium appareat, tamen ante tertium diem exactum non sunt sepeliendi, quod multi reuixisse visi sint. Id genus vitii senes maxime, qui temperatura sunt pituitosiores, & qui simili vsi sunt victus ratione, occupat. At si in iuuentute atque æstiuo tempore aliquem inuaserit, vehementem necessitatem portendit. Vitium hoc nequaquam, aut raro curatur: neque enim teme- D re ab Hippocrate est dictum: *Apoplexiam vehementem soluere impossibile, debilem vero non facile.* Mortem enim minatur celerem. Qui eius periculum effugerint, in diuturnum subinde malum incidere solent, aut quibusdam membris, aut vniuerso corpore resoluto, sæpe etiam ratione violata. Qui igitur quoquo modo curationem recipiunt, iis statim sanguis ex vtrisque humerariis modo plenitudo adsit, viriumque robur, detrahendus est. Lata vero venæ sit incisio, vt sanguis crassus eo expeditius promanet. Præterea aluus clysteribus acribus ducendus est, qualis est qui accipit: *Saluiæ, origani, betonicæ, rutæ, stichadis singulorum manipulum vnum. Calaminthæ, hyssopi, pulegii, singulorum Manipulum dimidium. Seminum fœniculi, seselis (siler montanum nominant) ammi, singulorum drachmas tres. Centaurii minoris, manipulum vnum. Radi-* E *cis polypodii, drachmas sex. Agarici optimi, drachmas tres. Seminis cartami, drachmas duas & dimidiam. Medullæ colocynthidis, drachmas duas. Decoquantur in aqua iustæ quantitatis, donec dimidium eius absumatur. Dein recipiantur iuris decocti, vncia vna & dimidia. Hieræ pitræ, benedictæ laxatiuæ, vtriusque vnciam dimidiam. Antidoti indi, drachmas tres. Diaphenicon, drachmas duas. Mellis rosacei colo transfusi vnciam vnam & dimidiam. Oleorum laurini, rutacei, de castoreo, singulorum vnciam vnam. Salis fossilis (gemmæ hodie vocant) drachmam vnam & dimidiam.* Commixtis omnibus, fiat clyster. Commendatur etiam mirifice vsus glandium, quæ ex *colocynthide, agarico, elleboro nigro, sale gemma vocato, & similibus conficiuntur:* vt sunt eiusmodi, quæ accipiunt: *Mellis cocti & concreti, vncias duas. Colocynthidis, agarici, ellebori, singulorum scrupulos duos. Salis fossilis saxei, scrupulum vnum. Redactis iis o-* F *mnibus in puluerem, cum melle misceantur, & formentur glandes longitudine sex aut plurium etiam digitorum, filo appenso, vt pro arbitrio extrahi queant.* Post hæc totum corpus potissimum autem spinalis medullæ initium, oleo copioso calido, cui prius *serpyllum calamintha, anethum, aut simile aliquod incoctum fuerit*, inungendum. Extremis etiam corporis partibus ligaturæ, & frictiones vehementes & asperæ cum decocto

Apoplexia quid.

ἡμιπληγία. Caussæ.

Notæ.

Apoplexiæ magnitudo.

Quos potissimum occupet.

Curatio. 2. Aph. 42.

Clyster acris.

Sal gemmæ. Glandes.

Percussio.

radicis iridis, adhibendæ. Cucurbitulæ quoque cum scarificatione occipitio & humeris affigendæ. Caput denique prius rasum irrigandum *oleo chamæmelino, anethino, rutaceo, aut eo in quo prius illa, quæ paulo ante commemorata sunt, decocta fuerint.* Theriaca quoque & mithridato dissolutis in stillaticio liliorum conuallii, vel lauandulæ liquore vtendum. Naribus admouenda ea, quæ odore suo excitare ægrotantes solent, vti est *opopanax, castorium, piper, sagapenum, galbanumque.* Sternutamentorum quoque ratio habenda erit, quæ ex *pyrethro, elleboro albo, castorio, & aliis quæ in superioribus dicta sunt, constant.* Embrocharum etiam vsus conuenit e *chamæmeli, meliloti, saluiæ, pulegii, maioranæ, origani, calaminthæ, & satureiæ decocto paratarum.* Præstat tamen siccis vti medicamentis, cuiusmodi sunt sinapismi, qui a nostris hodie *emplastra rubificantia* vocantur: qualis est qui accipit: *Olei costini, vnc. vnam. Olei e castorio & euphorbio, vtriusque drach. tres. Sinapis, drach. duas. Castorii, drachmam vnam. Sagapeni, drachmam vnam & dimidiam. Euphorbii, scrupulum vnum. Aceti, drachmas duas. Cum cera quod satis est, ad emplastri consistentiam coeant.* Proderit etiam ante Sinapismi admotionem caput inungere oleis *laurino, rutaceo, de castorio, adiecta aqua vitæ vocata.* Sartago præterea, *Raze auctore,* calefacienda, & capiti calida admouenda. Oportet etiam ori, vi aperto, digitum vel pennam oleo irino madefactam inserere, vt ea quæ insunt, eiiciantur. Porro sedes quoque iis medicamentis quæ flatus educunt, ruta, cumino, nitro, & melle illinenda. Vbi vitium remiserit, cibus exiguus, leuis, mollis, distribui facilis, & succulentus, adiecto fere semper melle, assumendus, vt est *gallinarum, aut pullorum ius cui hyssopus, serpyllum, satureia, maiorana, aut saluia incocta sunt.* Si vox nondum redit, & vires permittunt, cucurbitulæ occipiti cum scarificatione affigantur. Si fieri possit, etiam hypochondriis. Ægri postquam ab accessione liberati sunt, atque euaserunt, remediis ii quæ mox *sequenti capite* dicemus vtendum erit, dein vehantur curru, aut lectica, aut pensili lecto gestentur. Potus sit mulsa, siue oxymel. Caueant sibi a vini potione. Post 21. diem, ægroti balneo aereo & sudatorio credantur. Verum de medicamentis, quæ ad reliquam curandi rationem requirantur, *sequenti capite* copiose dicemus.

(Margin: Odoramenta. Sternutamenta. Embrochę. Sinapismus. Emplastrū rubificans. Vomitus. Victus. — Letters A, B, C)

De resolutione alterius lateris. Cap. XXVIII.

Παράλυσις ἢ πάρεσις, quæ Latinis *resolutio* dicitur, *Galeno lib. 3.* De laborantibus locis, *cap. 10. auctore,* est, *vbi alterum duntaxat latus aut dextrum aut sinistrum, sensum simul ac motum amittit.* Interdum etiam in vna aliqua tantum parte *(verbi gratia)* manu, crure, lingua, accidit. Animaduertendum autem hoc loco erit, quod resolutio ea, quæ sequitur apoplexiam, *vt testatur Galenus libr. 4. Vict. acut. comment. 23.* priuatim Græcis παραπληγία nominatur. Proinde *paralysis* nomen generalius est, quam *paraplegia,* quod hæc solam eam, *vt dictum est,* quæ ex apoplexia fit: illa vero omnem resolutionem ex quacunque occasione ortam, significet. Ceterum quum per resolutionem interdum sensus tantum, interdum motus, nonnunquam ambo pereant: *neruorum resolutio* potissimum dicitur, vbi modus deperditus est. Cur autem nunc duntaxat sensus, nunc motus tantum, iam vero vterque simul admittantur, Galenus *libr. 1. De symptomatibus caussis, cap. 5.* copiosissime explicat, vt non sit opus hæc a nobis denuo commemorari. Hoc autem in præsentia dixisse satis sit. Neruos ad cutem desinentes, quod cutis motu careat, sensum duntaxat afferre: eos vero qui musculis addicti sunt, sensum motumque illis impartiri. Quapropter si cutis nerui sauciantur in vulneratis, aut si eos noxia materia lacescit, atque occupat, tum sensus amittitur. Sin illi nerui lædentur, qui in musculos inseruntur, illis qui ad cutem feruntur illæsis, amittetur quidem motus, sed perstabit sensus: quod si vtrique noxa illata fuerit, & sensus & motus peribunt. Generatur quidem a multis crassis & lentis humoribus neruos aut neruorum principia obstruentibus, qui ne animalis facultas a principe parte ad membra delabatur, impediunt. Hac sane ratione refrigeratio ingens ex niue, compressioque neruosorum corporum, resolutionem efficere possunt. Ad eius vitii dignotionem multis indiciis minime opus est: nemo enim non videt eam partem quæ motu destituta est, resolutione affectam esse. A qua vero caussa acciderit, partim ex ægri relatione, partim etiam ex signis supra *de dolore capitis e pituitosis humoribus orto commemoratis,* deprehendere licebit. Victus ratio in vniuersum attenuatoria & siccans esse debet. Versetur itaq; æger in aere calido & sicco: qui si talis haberi nequit, indu-

(Margin: Resolutio. Παραπληγία. Caussæ. Notæ. Victus. Aer. — Letters D, E, F)

A industria Medici paretur, igne luculento, suffitibus ex caryophyllis, & aliis id genus. Primisque tribus diebus tenuissimo vtatur victu, hoc est, omnimodam sustineat inediam, aut solius melicrati vsu, aut pauco ptisanæ succo contentus sit. Dein *cibi boni* succi, & concoctu faciles, assique exhibendi, montanarum præcipue auium, & perdicum carnes, oua sorbilia, amygdalæ & pineæ. *Panis* sit bene coctus, admisto aniso, aut melanthii semine. Inter olera vtatur æger *fœniculo, petroselino, hyssopo, maiorana, saluia, & satureia*. Vitet pisces, fructus, & omnia frigida humidaque. Potus sit exiguus, sitimque quam potest maximam sustineat. Bibat mulsam, cui saluia, aut cinnamomum incoctum aut admixtum sit. Vel vtatur potu, qui hodie a barbaris Medicis Hippocras nominatur, qui accipit: *Cinnamomi selecti, uncias duas. Zingiberis, unciam dimidiam. Piperis longi, granorum* Hippocras potus.
B *paradisi, acori, (quem hodie galangam maiorem appellant) sing. drachmam vnam. Cardamomi, drachmam vnam & dimidiam. Nucis moschatæ garyophyllorum, maceris, singulorum drachmam vnam. Decoquantur in aqua fontana libræ sex, donec quarta pars, hoc est, libra vna & dimidia absumatur.* Ius decocti refrigeratum colo transfundatur, diligenter iis, quæ decocta fuerunt expressis, & cum sachari libra dimidia, huic dulcedo concilietur, fiatque potus. Vino abstinendum, donec vitium totum deficiat. Aut si difficulter propter consuetudinem tanto tempore a vini potione arceri potest æger, aut virium imbecillitas vini vsum suadeat, detur quidem, at non nisi modicum, aquosumq; & in morbi inclinatione. Motus atque exercitium, si illis vti conceditur, summe conducunt. Somnum fugiat diurnum. Nocturnus vero sit mediocris. Gaudeat, & animi perturbationes fugiat. Curandi
C ratio, si permiserit ætas, habitus corporis, anni tempus, & similia, a sanguinis missione auspicanda, potissimum vbi plenitudinis indicia affuerint. Oportet tamen detractionem esse moderatam, ne corpus refrigeretur, sanguisque a lateribus incolumioribus auferendus. Dein aliquot diebus a sanguinis missione transactis, aluus clysteribus irritanda erit, quorum hæc formula, quæ accipit: *Malua, althea, mercurialis, chamæmeli, saluiæ, betonicæ, singulorum Manipulum vnum. Stichadis, unciam dimidam. Rutæ, calaminthæ, vtriusque manipulum dimidium. Seminum fœniculi, ammeos, vtriusque drachmas duas. Decoquantur in aqua, quoad tertia pars absumatur. Dein accipiatur iuris decocti libra vna & dimidia. Benedictæ laxatiuæ, vncia dimidia. Antidoti indi, drachmæ tres. Mellis rosacei, vncia dimidia. Oleorum laurini, irini, rutacei, singulorum vncia vna. Salis fossilis saxei, drachma*
D *vna. Commistis omnibus fiat clyster.* Posthæc decocta & serapia pituitosos humores extenuantia, atque expulsioni idoneos reddentia exhibebis, quorum formulas supra capite decimotertio recensuimus. Quibus peractis, quæ humores molestantes euacuare possunt medicamenta, bibenda propinabimus. Sunt autem præter ea, *quæ capite iam citato commemorauimus, pilulæ azaieret, de hiera composita, arabicæ, fœtidæ, quibus nunquam non agaricum admiscendum erit.* Neque semel tantum purgandi sunt ægri, sed sæpius, quatuor vel quinque semper interpositis diebus. Atque initio leuius, dein vero fortius medicamentum exhibendum. Quid multa? paulatim a leuioribus ad vehementiora progrediendum. Namque non semel tantum, sed sæpius purgandi sunt ægri, interpositis tamen semper diebus quibusdam. Sequenti a purgatione die, *theriaca, & Mithrida-*
E *dati antidotus* magna cum vtilitate exhibentur. Purgato iam vniuerso corpore, sternutamentis, apophlegmatismis, gargarismis, odoramentis, & aliis, *quæ in capite 13. commemorauimus*, vtendum. Nam id genus medicamenta pituitam, quæ in cerebro reliqua est, educunt, & ne ad affectas partes defluat, prohibent. Capiti denique, vnde totius morbi radix exoritur, calida medicamenta illinenda, *castorium nimirum, peucedani radix, menta, baccæ lauri, irino oleo, cui parum aceti adiectum sit, incocta.* Quare si aeris ambientis frigiditas haud impedierit, caput radendum, totumque ad frontem vsque inungendum. Proderit etiam purgationi subiicere conseruas *saluiæ, rosmarinæ, maioranæ, lauandulæ, ac spicæ, quæ stechadis sunt species, adiectis theriaca, confectione diamoschi, diambra, & id genus aliis.* Præterea medicamenta etiam, quibus discutiendi inest facul-
F tas, iis locis, vnde nerui, qui ad latus male affectum, sensum aut motum, aut vtrunque deferentes, oriuntur, admouenda erunt. Id quod Galenus *libro 3. de male affectis locis, cap. 10.* Pausaniæ Syri sophistæ exemplo luculenter ostendit. Verum a leuioribus semper auspicandum, nimirum *oleis chamæmelino, anethino, e spica, liliaceo, & irino*: quibus latus quoque resolutum fouebimus. Quod etiam hoc nomine, nempe vt calefiat, li-

Acorus quid.

Curatio.

Clyster.

Purgantia medicamenta.

Capitis purgatio.

Discutientia.

teis, aut pelle vulpina, & similibus operiemus: aut decocto *saluiæ maioranæ, chamæpityos, calaminthæ, hyssopi, lauandulæ, origani, verbasculi*, quod herbam *paralysis* nominant, *chamæmeli, hyperici, stichadis, & rosmarinæ* fouebimus. Deinde ad valentiora progrediendum, oleum nimirum *costinum, vulpinum, rutaceum, laurinum, e vermib. de castorio, e lateribus*, quod *Philosophorum* etiam hodie nominant, & *de euphorbio*. His adiiciuntur nonnunquam vnguenta *aregon, agrippæ, martiati*, & alia medicamenta simplicia calefacientia, vt est *betonica, saluia, rosmarinus, radix acori veri, verbasculum odoratum* (*herbam paralysis hodie vocant*) *ruta, calaminthæ, pyrethrum, piper, castorium, & euphorbium*, atq; in eum aut similem modum paratur vnguentum, quod accipit: *Vnguentorum aregon, martiati, vtriusq; vnciam vnam vnguenti agrippæ, vnciam dimidiam. Oleorum costini, vulpini, vtriusq; drachmas tres. Olei de vermibus, vnciam dimidiam. Olei e castorio, drachmam vnam & dimidiam. Pulueris betonicæ, piperis, saluiæ, singul. scrupulum vnum. Castorei, euphorbii, vtriusq; scrupulum dimidium. Radicis acori, scrupulos duos. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Vel tale, quod accipit: *Oleorũ costini, vncias duas. De piperibus vnciam vnam & dimidiam. Olei de euphorbio, drachmas duas. Vini (vt vocant) sublimati, aut aquæ vitæ, vncias duas & dimidiam. Succorũ saluiæ, verbasculi odorati, vtriusq; vnciam vnam & dimidiam. Radicis acori, seu galangæ maioris, drachmas tres. Stichadis, rosmarini, vtriusque drach. duas. Radicis pyrethri, piperis, vtriusq; drachmam vnam. Euphorbii, drachmam dimidiam. Tusa decoquantur, donec vinum & succi absumantur: dein exprimantur olea, & adiecta cera quantum satis erit, fingatur vnguentum liquidum, & molle instar linimenti.* Ad illorum exemplum componere licebit cerata, in hunc aut similem modum, quæ accipiunt: *Baccarum lauri, pyrethri, piperis, singul. drachmas duas. Radicis acori veri, (nam eum semper hoc nomine intelligimus, non autem vulgarem) drachmam vnam. Stichadis, betonicæ, sambuci, singul. drachmam vnam & dimidiam. Sinapi, nigellæ, vtriusq; drachmam vnam. Euphorbii, castorei, vtriusq; scrupulum vnum. Olei costini, vnciam vnam & dimidiam. Oleum de piperibus, vnciam vnam. Olei de euphorbio, drach. tres. Cum cera & resina terebinthina, quod satis est fiat ceratum.* Porro membris patientibus cucurbitulæ sunt admouendæ leues, & citra scarificationem, vt ad ea sanguinem, atq; adeo calorẽ & spiritum trahant. Quod si imponendis cucurbitulis minus apta fuerint, vicinis saltem applicẽtur. Post cucurbitulas prædictis vnguentis & ceratis, ita tamen, vt prius laborantia membra fricentur, vtendum. Neq; parũ conducet ex prędictis maxime herbis paratum. Decocti namq; iure lapides igniti irrigantur. Laudatur autem in sudore præ aliis arctii, *Bardanam* vulgo vocant, radix. Laconicum, aut si haberi possint balneæ per se natæ (*thermas* hodie vocant) sulphureæ, bituminosæ, nitrosæ, & salsuginosæ: quales sunt in Germania nostra *Badeniæ, Ferinæ iuxta Martianam syluam, & Cellenses, vt in nostris institutionibus lib. 2. sect. 5. cap. 28. copiose diximus.* In laconico autem, si vires ferre possunt, ęgrotus diu moretur, mane & vesperi. A laconico lecto decumbens ita se componat, vt mediocriter saltem sudet. Vbi sudauerit, sudorque abstersus fuerit, vngatur origo neruorum oleis, vnguentisque paulo ante dictis. Sunt qui non tantum laconicum ex herbis calefacientibus, & exsiccantibus, atq; attenuantibus, ac sudorem mouentibus, sed & bituminosum, vel sulphureum hoc modo parant. Accipiũt aquæ quantum ad innatationem sufficit, atq; ad libras aquæ centum, sulphuris aut bituminis libras sex adiiciunt. Verum ideo quod naturale est imbecillius, minusque efficax. Præstat tamen, vt gestationes in curru, vehiculo, aut lectica præcedant. Hæc pro curatione resolutionis alterius lateris sufficere arbitramur.

Vnguentum. Aliud. Ceratum. Cucurbitulæ. Balneum.

A B C D E

De resolutione, quæ vnam aliquam tantum partem obsedit. CAP. XXIX.

ETsi quiuis peritus artis, facile ex iis, quæ diximus *superiori capite*, eam etiam resolutionem, quæ in vna aliqua duntaxat parte motu voluntario, vel sensu prædita accidit, curare queat: tamen ne imperitiores aliquid desiderent, breuiter etiam resolutionum quarundam partium curationes trademus, auspicati a spasmo cynico. Est autem κυνικὸς σπασμὸς, *musculorum mandibularium resolutio, in qua os & nares, atque omnino media faciei pars in obliquum declinant, & distorquentur.* Qui hodie factitant medicinam, hoc genus vitii *Torturam oris* vocant. Huic quidem cum resolutione, quam præcedenti capite tractauimus, curatio communis est. Nam & sanguinis missio, si nihil impediat, & purgatio vehemens, & clysteres, linimenta & alia, quæ ibidem produximus medicamenta, conducunt. Quæ tamen peculiariter ad hanc pertinent, sunt sanguinis a venis sub lingua missio, cucurbitulæ primæ & secundæ vertebræ affixæ, errhina, & apo-

σπασμὸς κυνικός. Tortura oris. Curatio. F

A & apophlegmatismi, quorum hæc sit formula, quæ accipit; *Seminis staphydis agriæ, mastiches, radicis pyrethri, singulorum drachmam vnam. Hyssopi, organi, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Sinapi, drachmas duas. Trita excipiantur terebinthina resina, aut rosaceo melle, & cera adhibita fiant pastilli mansiles.* Porro ligatura, quæ in oppositum, æqualiter veluti capistrum aliquod, partem resolutam trahit, admoueri debet. In hunc vsum etiam conducit crebro specula intueri, quo videntes faciei torturam ęgri, eam corrigere summo annitantur studio. Parti autem laboranti, hoc est, neruis a tertio pari ortis, medicamenta, quæ in præcedenti capite sunt commemorata, imponenda erunt. Sciendum tamen hoc loco erit, non eam maxillam, quæ peruersa esse apparet, sed oppositam resolutione infestari. Nam semper pars vbi resoluta fuerit, in diuersum trahitur musculum. Sana B namq; pars proprio musculorum munere fungens, oppositam sibi partem relaxatam ad se trahit. Vbi lingua fuerit resoluta, vniuerso corpore prius vacuato, venas sub ipsa existentes incidere oportet, & cucurbitulam mento admouere. Apophlegmatismis quoque, collutionibus, & gargarismis ex saluia, rosmarinæ, hyssopi, calamintha, stæchade, sinapi & similibus vtendum. Exercitia denique linguæ non negligenda, occipitique & ceruici vniuersæ acria vnguenta & linimenta illinenda. Cerata quoque & sinapismos ponere curet Medicus. Postremo admotis cantharidibus cum fermento aut axungia vesiculæ in ceruice excitentur. Rumpantur deinde, & brassicæ folia superponantur, a qua tandem vacuata mox loqui incipient. Vesica resoluta, siue vrina detineatur, siue præter voluntatem excernatur. Imo ventri & interfœmineo medicamenta communia C applicanda sunt. Iam dictis quoq; oleis ac medicamentis tota vesicæ regio ac penis inungantur. Sedi immittendum oleum rutaceum, nardinum, e spica: aut oleum in quo eryngii radix, ruta, aut cuminum, aut anethum, aut simile aliquid decoctum fuerit. Vtiliter etiam iis butyrum, castorium, galbanum, vel opopanacem admiscebis. Vesicę quoque hæc per colem transmissa valde profecerunt, vel sola etiam suffecerunt. In primis itaque qui nihil vrinæ reddunt, per vrinariam fistulam (quam *cathetera* vocant) vrina eliciendа erit, dein medicamenta, quæ modo diximus, in vesicam per angustissimum tubulum paruo vtri insertum, vt catheteri aperte cohærere queat, infundenda. Dictu enim mirabile est, quanta ex huiusmodi iniectionibus post vrinæ excretionem sequatur vtilitas. Benefaciunt etiam medicamenta vrinam cientia potui data, consimiliter casto- D rium. Præterea laxantibus insidebunt ægri, & cataplasmata inde conficiemus. Cole resoluto, seminis, non vrinæ, excretio, & concubitus impeditur. Oportet igitur iisdem præsidiis (*quæ in vesicæ resolutione commemorauimus*) vti. Priuatim autem lumbis & coxarum vertebris calefactoria adhibenda, & ea quæ virgam intendere valent, *de quibus suo dicemus loco*, vsurpanda medicamenta. Præter reliqua vero, *AEtio auctore*, cerui pudendum fœmori tanquam cingulum illigatum, eiusdemque carnes comestæ, & ex auibus sturni, sic affectis plurimum conducunt. Castorium autem tum huic, tum aliis omnibus resolutionibus efficacissime accommodatur. Vitare autem præcipue oportet sic laborantes, cibos & potus refrigerantes. Harum partium exemplo facile reliquas etiam curabit peritus Medicus, modo caussas resolutionis diligenter cognoscat, & deinde E curandi methodum obseruet.

Apophlegmatismus.

Linguæ resolutæ curatio.

Vesicæ resolutæ curatio.

Colis resoluti curatio.

De Epilepsia. CAP. XXX.

Ἐπιληψία nihil aliud est Græcis, *Galeno libro 3. De affectis locis cap. 5. teste*, quam *conuulsio vniuersarum corporis partium, non perpetua, sed quæ ex temporum accidit interuallis, cum mentis & sensuum oblæsione.* Sic autem dicta est, *Tralliano lib. 1. cap. 17. teste*, quod ægri rerum obliuiscantur, & sensus eorum detineantur, vel, quod sensum capitis, atque mentem pariter apprehendat. Latini, præsertim Celsus *libr. 3. cap. 3. morbum comitialem* nominauerunt quod ea laborantes, in comitiis manifestabantur, comitiaque quo die aliquis concidisset, interrumpebantur. Tres sunt eius vitii differentiæ: quas vbi commemorauimus, caussas simul explicabimus. Gignitur enim primum hoc vitium, vbi cerebrum primo- F genia ratione laborat: id quod accidit, si crassus lentusque pituitæ, vel melancholicus humor spiritus meatum in cerebri ventriculis obstruxerit, neruorum principio sequatiente, quo id quod noxium est expellat & excutiat. Cerebrum enim partem ipsum nullam laxiorem ampli oremque ac capaciorem ad excipienda & excutienda excrementa hæc crassa & lenta, obstructionemque efficientia habet, quam ventricu-

Epilepsia.

Comitialis morbus.

Tres epilepsiæ differentiæ.

Caussæ. 1.

II. los suos. *Secundo* fit propter consensum oris ventriculi male affecti, quum scilicet cerebrum ob acres humores in ventriculo contentos osque eius mordicantes & affligentes in consensum ducitur: vel propter vapores ab ore ventriculi sursum ad cerebrum elatos, quos illud tanquam noxios excutere nititur. Sic Galenus *libro 5. De affectis locis, capite 5.* Grammaticum quendam iuuenem fuisse tradit, qui quoties vel vehementius doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, comitiali morbo corripiebatur: idque non alia ratione, quam quod os ventriculi, vtpote quod exquisito sensu prædtum erat, primaria ratione pateretur, ac deinde per consensum ipsum quoque cerebrum, vt nihil mirum sit, quod totius corporis conuulsio postea consecuta sit. Scribit etiam idem eodem in loco quosdam ob vehementem cruditatem, qua os ventriculi affectum fuit: item alios quod meracioris vini plus bibissent epilepsiam incidisse. A B

III. *Tertio* accidit epilepsia, at raro admodum, cum a parte aliqua corporis veluti quædam frigida aura, ægro idipsum etiam sentiente, ad cerebrum vsq; ascendit. Hoc genus morbi comitialis, Galen. *lib. 3. de affectis locis cap. 9.* scribit, se vidisse in puero, qui decimumtertium ætatis annum agebat. Quum enim ipse adolescens etiamdum, cum optimis eius tempestatis Medicis cõuenisset ad idoneam inueniendam curationem, audiuit tum narrante puero, malum ipsum a crure initium capere, mox illinc recta ascendere per fœmur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad cerebrum perueniret, quod cum primum tangeret, ipsum haudquaquam sibi constare. Vnde perspicuum fit, epilepsiam primogeniam a crassis & lentis humoribus cerebri ventriculos obstruentibus perspicuo fieri. Siquidem propter iam dictos crassos humores spiritus meatus in cerebri ventriculis obstruentes, cerebrum seipsum quatit & contrahit, vt id quod noxium est excutiat. Neque enim facile illi ob crassitiem dilabuntur, vt igitur excutiantur necesse est. A crasso autem humore vitium hoc fieri Galeno *lib. 3. de affect. locis cap. 7. teste*, argumento est, quod & subito fit, & soluitur confestim. Subitaria namque meatuum & ventriculorum cerebri obstructio, non nisi a crasso lentoque humore fieri potest. Siquidem siccitas sensim & paulatim multoque tempore efficit, vt cerebrum corii instar contrahatur. Tenuis autem humor laxiores cerebri meatus occupare & obstruere nequit, vt infra latius dicemus. Subito igitur tum facta epilepsia, natura cõfestim humores in cerebri ventriculis contentos, animales spiritus exire prohibentes, excutere aggreditur. Vt hinc omnib. veritatis amantibus manifestum fiat, epilepsiam quæ primogenia fit a tenui humore, vt multi nostrę ętatis Medici, etiam eruditione clari arbitrantur, fieri non posse. Neq; enim obstat quo minus in errore versentur, quod asserunt, citam solutionem, *materiæ paucitatem & tenuitatem indicare, quod crassa difficile moueantur.* Nam verum quidem facilius ac citius materiæ paucitatem esse fatemur solui, hincq; adeo fieri, ꝙ in epilepsia humor crassus & lentus, quia paucus, in singulos accessionib. soluatur & excutiat: in apoplexia vero quoniam multus, adeoq; vniuersos cerebri meatus prorsus, vel vt Gal. *lib. 3. de affect. locis c. 9.* ait, confertim implet ac obstruit, subito interficiat. Vt recte Galenus dixerit *lib. 3. de affe. locis cap. 8.* epilepsiam a pituita transire in apoplexiam: vbi scilicet materia multa fuerit, nec a cerebro excuti poterit. Falsum vero est, quod dicunt *citam solutionem, materiæ tenuitatem indicare.* Siquidem id perpetuo verum non est, sed interdum cita solutio materiæ etiam crassitudinem monstrat, vt in epilepsia, in qua crassus humor subitam, *vt paulo ante dictum est*, meatuum & ventriculorum cerebri obstructionẽ facit. Quum enim is ob crassitiem suam promte nõ dilabatur, sed cerebrum præter naturam contrahat, & hunc violenter ac confestim excutiat, necesse est. Sunt alii qui *crassum humorem cerebri ventriculos obstruere* negant, nec *tum spirituum transitum impediri* concedunt. *Nam si crassus & lentus humor*, inquiunt, *ventriculos cerebri obstrueret, vt illi putant, qui spiritum quo minus exire posset, impediret, cessaret motus, aut saltem minor fieret, vt in paralysi accidit. At tantum abest vt cesset, vt omnes partes præter voluntatem ad motum concitentur.* Hæc illi. Sed facile quæ ab iis obiiciuntur diluemus. Fatemur enim si in epilepsia crassi humoris tanta copia esset, vt cerebri meatus & ventriculos confertim & omnino obstrueret, motum omnem, quod vtique in apoplexia fit, cessare. Quum autem in epilepsia cerebri ventriculi a crassis ac lentis humoribus non omnino obstruantur, fit vt in ea motus omnis non cesset. Atque hinc aliqua epilepsiæ & apoplexiæ differentia apparet. Cessat quidem in epilepsia motus C D E F

Epilepsia primogenia a tenui humore fieri haud potest.

Aduersariorum argumenta improbantur.

Epilepsiæ & apoplexiæ differentia.

A tus membrorum voluntarius, is tamẽ qui præter voluntatẽ fit, mox consequitur. Quod vero Galenum aberrare censent, ideo quod extra arterias spiritus animales in ventriculis cerebri contineri scribat, in eo ipsi iniuriam faciunt: & se anatomes parum esse peritos produnt. Siquidem ex dissectione constat, a plexu qui ab extimi fœtus inuolucri forma χοροειδὴς appellatur in singulos cerebri ventriculos, dextrum & sinistrum, arteriæ ramos qui animalem ad eos spiritum deferunt, conscendere. Docet etiam idem fusius Galenus *lib. 7. de Hippo. & Plato. dogmatib. c. 6.* vt longiorem me esse non sit necesse. Quod vero deinceps dicunt, si epilepsia fit propter aliquam obstructionem, ea erit in meatu illo qui a cerebro ad peluim siue infundibulum, χοάνην Græci vocant, peruenit, per quem pituita ad palati foramina descendit: atqui contra accidit in epilepsia, in qua per illam B viam expurgatur materia, quæ insultum excitat, & ea, quæ cum spuma ex ore eiicitur ab ægris. Quis vero anatomes tam imperitus est, vt nesciat meatum illum ex communi cauitate dextri ac sinistri ventriculorum, seu a tertio cerebri ventriculo recte decliuem versus peluim siue infundibulum, quod cerebri pituitam excipit ferri? Quod si igitur in epilepsia, veluti a nobis ostensum est, dexter & sinister cerebri ventriculi obstruuntur: tertius quoque obstruatur necesse est, vt mirum non sit per illam viam, tum nihil expurgari. Neque etiam mirandum est, si vt *Galenus libr. 9. de vsu par. cap. 1. scribit*, decliues ii meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium conspicuis & magnis orificiis pituitam & crassa cerebri excrementa expurgantes obstruantur, epilepsia sequatur. Risu vero dignum est, quod ex spuma, quæ in iis, qui epilepsia correpti sunt, ap- *Epilepsia non fit a tenui humore.*
C paret, colligunt, hanc a tenui vel spumosa, & acri fieri materia. Quod enim in epilepsia spuma generatur, id nequaquam ob materiæ tenuitatem accidit, sed, *Galeno etiam sect. 2. aphor. com. 43. teste*, ob motuum in conuulsione vehementiam, & quod humor, qui epilepsiam excitat, tenacẽ consistentiam habet. Hincq; adeo fit, vt epilepticorũ spuma, qualis etiam in currentibus equis circa os accumulatur, non facile dissolubilis, sed stabilis fit. Sed pergunt illi hoc modo Galeni sententiam impugnantes. *Non sequitur, aiunt epilepsia subito fit, ergo a crasso viscosoque humore generatur. Quod enim hæc repente fiat, id materiam potius tenuem esse, quam crassam indicat, vt cita solutio, materiæ paucitatem & tenuitatem. Crassa enim difficilime mouetur, tenuis vero facilime.* Hæc illi. Falsum vero est, *vt paulo supra diximus*, etiam solutionem perpetuo materiæ tenuitatem indicare. Nam contrarium in epile-
D psia accidit, in qua perpetuo, *vt comprehensum est & paulo post latius dicetur*, obstructio ventriculorum cerebri est, quæ a tenui humore fieri nequit, vt qui laxiores ac ampliores occupare eius meatus atque obstruere non possit, quod Galenus *libr. 4. de caussis pulsuum cap. de pulsu Peripneumonicorum* confirmat, vbi *tenuem & biliosum humorem fere defluere, & nequaquam visceri adhærescere & obstruere posse* scribit, quod pueris etiam notum est. Quod vero crassa materia, quæ difficilime dilabitur, & per se mouetur in epilepsia cito expellitur, caussa est, quod cerebrum in sese contractum quatiendo illum violenter excutiat. Quod quum antea nobis copiose dictum sit, non est, vt id nunc pluribus doceam. Mirari vero subit, cur aduersarii conuulsionem particularem a pituita, quæ perpetuo crassa est, nunquam vero tenuis, fieri fateantur, & epilepsiam, quæ non est nisi vniuer- *Epilepsia non fit a flaua bile.*
E salis conuulsio, quum tamen diuersitatis nulla sit ratio, ab eadem generari inficientur? Verum eos, qui nouas & a veritate abhorrentes opiniones serere student, satan, errorum pater, ita excœcat, oculosque eorundem præstringit, vt quid dicant aut faciant scire non possint. Ceterum progrediuntur aduersarii & epilepsiam primogeniam fieri a tenui humore, eius quæ per consensum fit exemplo, docere conantur, vtpote quam semper a tenui substantia oriri dicunt. Vt igitur etiam primogenia ab eadem caussa fiat, necessario sequi dicunt. Pro sententiæ vero suæ confirmatione initio producunt exemplum Galeni *libr. 5. de affe. locis cap. 5.* de Grammatico quodam, qui quum vehementius doceret, aut cogitaret, aut maiorem inediam sustineret, aut irasceretur, epilepsia corripiebatur. Verum non vident eius rei nullam aliam caussam fuisse, quam quod prædicta
F omnia plus bilis, *Galeno quoque libro 2. de temper. cap. 8. testante*, in ventriculo illius Grammatici generarint, quæ ventriculi os facili sensu præditum primo afflixit, & deinceps per consensum cerebrum, & vniuersum corpus conuulsorio motu concussum est. Non igitur epilepsia illa a vaporibus eleuatis a flaua bile, & porracea, vt illi somniant, facta est, sed ab acrimonia bilis in ventriculo contentæ, & os illius affligente. quod deinde per

Galenus ab iniuria assertus.

consensum cerebri epilepsiam efficit. Atque hinc est, quod Galenus recte *libro 3. de affect. locis cap. 9.* ob acrem humorem non solum singultum, verum etiam conuulsionem non raro per vniuersum corpus euenire memoriæ prodiderit. Quod vero de vaporibus caput conscendentibus afferunt, vt fit in ventriculi cruditate, & vini meracioris potu, facile quoque diluitur. Nam vapores illi vel sunt crassi ac turbidi, vel admodum humectantes, a materia crassa, vel supra modum humida ad cerebrum delati. Hi igitur vna cum praua substantia materiaue conscendentes cerebrum implent, inque eius ventriculis obstructionem efficiunt, quam epilepsia consequitur. Quod confirmat Auicenna, qui *Fen. 1. Can. 3. tract. 5. cap. 8.* disertis verbis scribit, eos *qui puram qualitatem, citra scilicet materiam, epilepsiam facere* asserunt, falsum dicere. Accedit, quod Valesaus, inter vocatos practicos, non infimæ sortis, *vapores iam dictos in ventriculis cerebri creare obstructionem, quod non sint puri, sed sibi commistam substantiam, vnde eleuantur, habeant,* affirmet. Quare quum aduersarii dicunt, *materiam crassam in parte conclusam eleuari non posse, verum est, si tota materia intelligatur, siquidem ea non tota, sed tantum vapores ab ipsa elati, quæ cum materia illa communicant, & secum aliquid de eius substantia ad cerebrum deferunt, ad cerebrum ascendunt, in eoque obstructionem efficientes, epilepsiam accersunt.* Atque hæc de prima epilepsiæ per consensum factæ caussa dixisse satis sit. De altera caussa iam dictæ epilepsiæ, idem aduersariis respondemus, nempe qualitatem illam a parte subiecta non puram ac solam conscendere cerebrum, sed cum frigida materia, vnde eleuatur, vel venenata. Licet igitur spiritualis aura hæc sit, tamen cum frigida substantia communicat, quæ elata cerebrum implet ac obstruit. Porro ob venenatam autem auram, aut veneni vim a parte primo laborante elatam, cerebrum expellere festinat, adeoque confestim sese contrahens & coarctans epilepsia accidit. In omni itaq; epilepsia, excepta ea, quæ ab acri & mordace humore in ventriculo contento fit, siue primogenia fuerit, siue a ventriculo, aut alia quauis corporis parte subiecta consentiente fiat, cerebri obstructio accidit. Nam crassos & lentos humores obstruere cerebrum, in confesso est. Vapores autem quum nequaquam puri, sed vna cum substantia frigida & crassa conscendant, obstructionem efficere posse, paulo ante abunde nobis monstratum est. Venenati vero vapores obstructionem efficiunt, quod propter contagem, quam subiectæ partes cerebri ventriculis impertiunt, contrahuntur & coarctantur, vt scilicet contagem illam a se depellant. Quid multis opus est verbis? Ventriculi cerebri in omni epilepsia coarctantur & contrahuntur, vt quod noxium est a se expellant. Vt iam conspicuum sit omnibus, nullum epilepsiæ genus a tenui fieri materia, nisi hæc vna vel acris, vel venenata fuerit. Primogeniam vero perpetuo a crassa ac lenta accidere. Sed longius progressus ad institutum redeam. Præcedit hoc vitium, corporis animique inconstantia & status minime voluntarius, tristitia, eorum quæ perceperunt obliuio, turbulentæ somniorum imagines, capitis dolor, eiusque plenitudo continua, in iracundia potissimum, pallor faciei, & linguæ inordinatus motus. Nonnulli vero eam mordent. Quamprimum autem inuaserit vitium, ægri concidunt, conuelluntur que, stertunt, ac interdum vociferantur. Nonnulli tremunt, atque circumaguntur. Sed peculiaris admodum nota vitii est, oris spuma. Non desunt, quibus etiam vrina & stercus præter voluntatem excernitur, nonnullis genitura. Quibus ab ore ventriculi vitium oritur, palpitatio ipsius præcedit, turbatio, & erosio: & ex inedia, aut cibo tardius sumto affliguntur. Corripit hoc vitii genus maxime pueros, eosque adhuc infantes ac paruulos: quod scilicet humidiore cerebri temperamento præditi sint, qua de caussa παιδικὸν, hoc est, *infantile, seu puerile* nominatur. Deinde adolescentes, & ætate consistentes, minime vero senes & decrepitos. In quibus acutissimum est vitium, statim crebris accessionibus, & symptomatum vehementia iugulat. Plerisque diuturnum esse solet. Proinde si non pubertate, vel menstruorum initio, vel dum vterum ferunt, solutum fuerit, sæpe vsque ad mortis diem prorogatur, nisi congruam Medici curationem fuerit assecutum. Id quod Hippocrates etiam testatur, qui sic scriptum reliquit: *Quibuscunq; morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt: quibuscunq; autem vigesimoquinto, commoriuntur.* Coarguit autem & indicat comitiali morbo laborantes ex bitumine, aut gagate lapide, aut cornu caprino suffitus: comestũ item iecur hircinum, aut odor cocti iecinoris. Porro hoc vitio correptis victus ratio, quæ incidit & extenuat,

Marginalia: A; B; C; D; Notæ.; E; Quos potissimum corripiat.; Puerile malum.; F; 5. Aph. 7.; Victus ratio.

A nuat vtilis est. Aeris itaque constitutio, in quo æger versatur, calida & sicca sit, potissimum si a pituitoso humore fuerit excitatum vitium. Quæ si natura talis non fuerit, igne luculẽto, suffitibus cum caryophyllis, cortice citri, rosmarino, maiorana, saluia, serpyllo, stechade & similibus. Si vero ex melancholico succo vitiũ ortum fuerit, ad calidum inclinans aer deligetur. Fugere oportet carnes omnes, demtis auium mõtanarum; quæ tamen cum aliquo extenuãtium medicamentorum, hyssopo scilicet, maiorana, serpyllo, origano, & betonica, exhiberi debent. Item legumina, pisces, & vinum: præsertim antiquum, crassum, & copiosum. Potus autem sit mulsa, aut vinum aquosum, tenue, & dilutum. Capparis esus mirifice prodest. Aluum vt apertam habeãt ægri, vnice medico curandum erit. Exercitia ante cibum conferũt, & frictiones: sed capiti post omnes reliquas partes adhibitæ. In balneo mora diuturna obest. Deuitandus coitus liberalis, moderatᵘˢ vero prodest, *iuxta id lib.6.epid sect.5.aph.32*. Venus morbis, qui a pituita fiunt, cõfert. Somnus sit nocturnus, & mediocris, impense caueat diurnũ. Abstineat alliis, cepis, sinapi, & eiusmodi euaporantibus, præsertim in cœna, q cibórum copia multos efferri humores contingat, & morbi comitialis accessionem moueri. Nam etsi vim incidendi habet, tamen fugienda sunt, q caput nonnihil repleat. Porro apium etiã vitãdum esse, Trallianus scribit, ceu naturaliter Comitiales offendens. Potum etiam statim a balneo, vini potissimum meracioris, fugiat. Panis sit rectissime coctus, & bene fermentatus, eiq; coriandrum, *Tralliano attestante*, incoctum sit: ita enim com estus humorum vapores ad cerebrum ferri prohibet. Ceterum si infans hoc vitio laborauerit, non admodum medicamentorum præsidiis (*Paulo teste*) subuenire studebimus. Nam ætate ad calidiorem sicciorem que statum vergente, & victu moderatiore, sua sponte plerunque vitium finitur. Quod Hippocrates cõfirmat, inquiens: *Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur*. Oportet autem solius infantium, & nutricum victus rationem habere. Quapropter nutrix boni succi cibis vtatur, si infans nondum ablactatus fuerit. Præterea ante cibũ exercitetur, coitum fugiat: a viri siquidem consuetudine lac tenuius fit, odoris gratiam in deterius mutat, & humidius efficitur, menstruaque eliciuntur. Quid multa? paulo ante præscripta victus ratione calida & sicca vtatur, vt lac scil. calidius, tenuiusq; efficiatur. Mediocriter tamen extenuantibus vtatur, ne ex illorum vsu, quæ nimium extenuant, vteri vasa aperiantur mensesque promanent, & lac iminuatur. Præstat itaq; fœniculo, aniso, & aliis quæ lactis copiam faciunt viridib. magis, quã aridis vti, quæ magis acria sunt. Nam, *vt Trallianus testatur*, quum sicca magis sint acria, plus vteri vasa aperiũt, & nimis sanguinis mẽstruorum vacuationes ab ipsis incitantur, quo nihil est deterius. Dum enim sanguis expurgatione decrescit, lac etiam imminuitur. Vino quoq;, maxime forti, nutrix abstineat, vtaturq; hydromelite, vel cinamomi decocto. Quod si malo succo redũdat, purganda etiam erit. Capita autem infantium assidue oleo anethino, & irino, adiectis puluisculis, cyperi, iridis, adianti, maioranæ, & similium inungenda. Nunquam tamen aqua calida vel frigida lauanda sunt, multo minus tota immergenda, aut irriganda. Dato etiam ad lingendum mel despumatum. Commendatur etiam a multis hoc ecligma, quod accipit: *Sacchari cãdidissimi, vncias duas. Olei de amygdalis dulcibus, quod satus est, ad iustã ecligmatis inducendam consistentiam. Detur infanti lingẽdum*. Sunt qui admiscent viscũ quercinum, & vnicornu, neque sine magno pueri ægrotantis commodo. E collo etiam radix pæoniæ viridis suspendenda. Quantũ enim hæc ipsa ad sanandum hoc vitium conferat, ex historia Gal. quam narrat *lib.6.de simpl.med.facul.cap. de pæonia*, satis liquet. Puer enim totis 8. mensibus a morbo comitiali, ex eo tempore, quo radicem gestabat, liber fuit: sed posteaquam q a collo suspensum erat, decidisset, protinus conuulsione denuo correptus est: rursus suspenso in locum illius alio, inculpate postea egit. Porro q post annos pueriles in hoc vitium prolabuntur, eorum partes conuulsas ac distortas inungere, irrigare, & in rectum dirigere ac etiã deligare oportet. Deinde os aperiendũ, cuneusq; F dentibus interponendus, ac penna oleo irino illita, pituitæ extrahendæ gratia, vomitus puocandus. Odoramentis etiam sensum excitare cõuenit, vt peucedano, ruta, bitumine, & silphii succo. Perseuerãte vero exacerbatione, glãs subiiciẽda erit, ex agarico, sale gemmæ vocato, hiera picra, & melle despumato confecta. Præterea Medicus audacter & violenter illorũ maxillas diducat, infundatq; in os castorium, aut laserpitii succũ cum

Margin: B (beside "quas partes adhibitæ"); C (beside "dicamentorum præsidiis"); D (beside "sa aperiantur"); E (beside "quod accipit"); Curatiõ infantium.; 2.Aph.45.; Ecligma; Curatiõ adultorum.

oxymelite. Clisterem etiam acrem, iam excitatis, iniicere oportet. Cuius quidē formula e superioribus petenda. Qui conualescunt, viribus antea recreatis, hiera Galeni, aut alio conueniente medicamento, quorum formulas iam sæpe diximus, purgandi sunt. Hæc quidem recentis & acuti morbi comitialis curatio est, quare deinceps quomodo inueterato sit succurrendum, trademus. Oportet igitur laborantes diu aquam bibere, atque initio curationis, nisi quid prohibeat, sanguinem ex vena poplitis mittere, quod *Gal. teste, in lib. de ratione curandi per sanguinis missionem*, ex cruribus potius, qui comitiali morbo obnoxii sunt, euacuandi sint, quā ex gibbero. Interpositis dein 4. aut 5. diebus, corpus reficere, ac medicamenta extenuantia propinare expedit, serapia nimirum ex absinthio, de hyssopo, e stychade, oxymeli scilliticum, decoctum hyssopi, q Tralliano auctore plurimum confert. Nam lenta & crassa recremēta attenuat & incidit, nec permittit, vel in ventriculo, vel thorace recrementū in crassitiē coire ac spissari. aliud n. per vrinas, alium per aluum expellit. Radicis pæoniæ, & alia quæ supra *c. 13.* commemorauimus. Postea purgantib. medicamentis vacuandi sunt, nempe pilulis cochiis, fœtidis, de sarcocolla, de agarico, & similib. loco iam citato nominatis: idq;, si pituitoso ex humore vitium ortum fuerit, faciēdum. Sunt, qui in colocynthidem extracto semine ac medulla tantum relicta, vinum dulce coniiciunt, totaq; nocte sinunt: dein mane excolant, & tepefactum propinant. Si vero melancholico humore cœperit hoc vitium, ea, quæ humorem hunc vacuare possunt, exhibenda, quorum formulas in capite *de melancholia* reperies. Licebit tamen aridi ellebori nigri corticem terere & cribrare, ac ex mulsa circiter drachmam vnam dare: aut cum melle cocto, adiecto modico pipere, in pilulas redactum assumere. Vbi satis purgatus est æger, ad balneum ducendus. *Tertio* die hypochondriis & scapulis cucurbitæ cum scarificatione affigendæ sunt. *Deinde* complusculis dieb. interpositis, corpus reficiendū est, & rursus hiera Galeni purgandū. Postea capiti & occipitio cucurbitulæ admouendæ. Sequēti die panis in mulsa coctus, additis amygdalis amaris, contritis, aut serpyllo, aut calaminthа, aut menta, aut ruta, cataplasmatis instar capiti applicandus. Atq; hoc tribus diebus faciendū. Mox caput derasis capillis, peucedani succo in aceto diluto, in quo sphondylium, serpyllū, aut iris incocta sit, perungendum. Rursus interea corpore recreato, purgandus erit æger tribus tantum hieræ drachmis oblatis. Quibus peractis, sternutamenta, apophlegmatismos, & ea, quæ per nares purgant medicamenta, exhibenda. Non negligenda etiam alia medicamēta exsiccantia & roborantia caput, vt est conserua rosmarini, e pæoniæ floribus, item confectiones diamoschi, diambræ, & similes. Tempore interposito, si necessarium esse videbitur, clystere aluus eluenda erit. Tandem vnguēta, linimenta, & emplastra, quibus discutiendi vis inest applicanda, quorum in c. 28. mentionem fecimus. Sunt quædam medicamenta, quæ naturæ quadam proprietate, atq; adeo a tota essentia huic vitio aduersantur: vt est radix pæoniæ, viscus quercinus, cornu ceruinum, ossa humana combusta, & alia multa: quæ lubens prætereo, q copiose a Tralliano *lib. 1. c. 15.* & a recentioribus omnibus sint exposita. Trallianus loco iam ostenso, experimentum quoddā Rustici cuiusdam refert, nempe Rutam syluestrem contusam naribus inditam & admotam. Hāc non solum a morbo excitare, sed ipsum etiam curare tradit. Porro si ob primariam ventriculi rationem epilepsia accidat, vt æger probe concoquat, prouidēdum. Panis igitur diligēter elaboratus, ex vino antiquo, tenui & albo, mediocriter adstringēte, circa horam 3. aut 4. diei assumendus. Dare aūt expedit singulis annis, maxime si ob biliosi humoris inibi generationem vitium oriatur, bis terue hieram picrā, aut absynthii potum, vt bilis quæ ventriculum grauat, caputq; tentat, vacuetur. Totum namq; ventriculum purgat, viresq; eiusdem reparat. Qua quidem curationis ratione iuuenem quendam Gramaticum a prædicto vitio Gal. liberauit. Si aūt a pituitoso humore oriatur vitium, agarico purgandus æger erit, Neque parum prodest seselis radix & semen, vel aristolochia rotunda trita, & ex aqua pota. Confert & mirum in modum assidua crurum scarificatio. Ceterū vbi ex particula quadam vitiū hoc inuadere percipitur, siue ea manus, siue pes fuerit, fune fortiter excipi debet pars, quæ paululū loco, vnde affectus incipit, superposita est, vt vapori illi via præcludatur. Cum remittit vitium, peracta totius corporis inanitione, prius inunctionib. excalfacere corpus oportet. Deinde medicamenta, quæ calefaciunt, rarefaciunt, & malam temperaturam partis, vnde vitium oritur, emendant,

Marginalia: A (at line 1); Curatio passionis comitialis inueteratæ. Preparatio. (beside "inueterato sit succurrendum"); B (at "auctore plurimum confert"); Purgatio. (at "vrinas"); C (at "citer drachmam"); D (at "nares purgant"); Discutientia medicamenta. Medicamēta morbo comitiali naturę proprietate aduersantia. (at "bitur, clystere"); Curatio epilepsiæ ex ventriculi vitio. (at "triculi rationem"); E (at "diligēter elaboratus"); Si a particula quadam oritur vitiū. (at "chia rotunda"); F (at "ficatio").

A mendant, & ea, quæ exurere & exulcerare partem possunt, apponenda, vt est lepidium, & similia. Succedente etiam tempore sinapismis locus irritandus. Cauteriis etiam pars exulceranda erit, cum cantharidum abiectis capitibus & aliis drachma vna & dimidia, admistis fermento & melle anacardino, vt scil. praua illa qualitas & materia huius vitii caussa vacuetur. Post omnia comemorata theriace, & naturalia balnea locũ obtinent. Per totum vitæ curriculum cauenda cruditas, & ante cõcoctionem alterius cibi assumtio, alimenta crassi succi, diutina cibi intermissio, commotio turbulenta, vinum largius potum a balneo, vt dictum est, odoramenta acria, & quæ caput replent. Fixis præterea & inconniuentibus oculis ex alto prospectus, diuturna in balneo mora, & capitis a sole vstio fugienda erit.

B

De conuulsione. Cap. XXXI.

Σπασμὸς Græce, *conuulsio* vero Latine, est vitium, *in quo nerui atq; musculi præter voluntatem ad principium contrahuntur & conuelluntur, in eumque affectum veniunt, quem etiam in motibus secundum arbitrium factis, tractis videlicet seu reuulsis ad propria capita musculis, assumserunt.* Vel aliter, *veluti definit Gal. lib. 2. de sympt. caussis, cap. 2.* Conuulsio est, *quæ neruos musculosque ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate, quum naturalem habitum seruarent, ducebantur.* In hoc enim vitio musculi in eas trahuntur partes, a quibus nascuntur. Quippe attractio fieri nequit, nisi ad suam originem retrahatur musculus. Ceterum animaduertendum in conuulsione nõ perpetuo vnam & eandem partẽ laborare. Nam interdum cerebrum ipsum noxam sustinet: interim spinalis medullæ initium: nõnunquam neruus aliquis, aut musculus, qui particulari motioni deputatus est. Quod ita dignoscendum erit. Si simul cum vniuerso corpore faciei partes cõuelluntur, cerebrum ipsum laborat. Si vero totum corpus conuellitur, faciei partibus illæsis permanentibus, spinæ initium infestatur. Vbi autem pars vna duntaxat corporis conuellitur, neruus aut musculus eius motioni destinatus, perpetitur. Quod scire pręstat, vt laboranti parti medicus remedia adaptare queat. Eius autem tres sunt species, seu differentiæ. Prima Græcis τέτανος dicitur, *distentio* Latinis, Celso *rigor*. Est, quũ ceruix vna cum reliquo corpore recta atque immobilis manet, & in neutram partem inflectitur, sed iuxta in vtramque partem recta intenditur. Altera ἐμπροσθότονος Græcis nominatur, Latinis *tensio ad interiora.* Accidit enim, vt ea caput, ceruix, reliquumque corpus in pectus contrahatur. Tertia ὀπισθότονος Græcis, Latinis *tensio ad posteriora* appellat: in ea enim caput in dorsum ac scapulas conuellitur. Quod ad huius vitii caussas attinet, animaduertẽdum, Hippocratem duas duntaxat statuisse, πλήρωσιν καὶ κένωσιν, hoc est, *plenitudinem & inanitionem neruosorum corporum.* Sicut enim videmus lora & chordas extendi, vbi aut multa madent ac irrigatæ sunt humiditate, aut vehementius exsiccãtur: sic & in corporibus animantium neruosæ partes conuulsione corripiuntur, vel nimium humectatæ, atque adeo impletę, vel violentius exsiccatæ, *vt copiose Gal. lib. 3. de affectis locis, cap. 5. & lib. 2. de sympt. caussis, cap. 2.* docet. Verum Hippocrates ipse de conuulsione, vt primogenio vitio loquitur. Præter hanc autem alia est, quæ per consensum partis alicuius accidit: & hæc fit, vbi aliquid a parte primo patiente ad cerebrum ipsum effertur, quod vt a se expellat, huiuscemodi motu concutitur. Iuniores medici barbaram sectantes medicinam, spasmum non proportionatum ad materiam vocant: quod scilicet neque ob materiam quæ implere possit neruosas partes, neque ob inanitionem siue defectum materiæ accidat: sed a qualitate quadam, alteratis per continuationẽ partibus: aut substantia, vel spirituali veluti aura vel fluida ad neruorum principium delata: sicut contingit iis, qui a scorpione, aut alia venenata fera icti sunt. Etsi vero hæc conuulsionis species quum a venenata materia fiat, ad plenitudinem referri potest: tamen quum materia hæc pauca sit, ac plerunque mordax, adeoque ex accidente desiccet, ideo Gal. *sect. 5. aphor. com. 1.* permittit, vt aliquis hanc per inanitionem factam esse dicat. Fit etiã conuulsio propter nerui aut tendinis partis cuiusdã punctura. Quod si aliquem sanũ, *Gal. 2. aph. com. 26. teste,* repente & statim ab initio, vel nõ multo post morbi principia cõuulsio corripit, pręsertim si temulentus fuerit, ac in ocio degẽs homo repletione haud dubie originẽ ducit. Vbi vero post plurimos sudores, aut vomitũ, aut alui deiectiones, aut sanguinis eruptiones, aut vigilias, aut famẽ, aut motus tum multos, tum vehemẽtes subsequit, inanitio & siccitas in caussa est. Conuulsio per consensum facile ex relatione ægri, aut assidentium cognoscitur. Victus

Marginal notes: C (margin letter); D (margin letter); E (margin letter); F (margin letter); Conuulsio. τέτανος. ἐμπροσθότονος. ὀπισθότονος. Caussa. 6. aph. 39. Conuulsio per consensum. Spasmus non proportionatus ad materiam. Notæ. Victus.

ratio in conuulſione, quæ fit a plenitudine, eadem eſt ei, quæ in capite *de reſolutione* eſt A
perſcripta, nempe calida & ſicca. In ea vero, quę ab inanitione fit, humidã eſſe oportet. Nutriendi igitur ſunt ægri in cõuulſione exinanitione ſorbitionibus, & iuribus pinguibus, & carnibus concoctu facilibus & contuſis, probeq; nutrientibus. Pro potu, vino vtantur tenui & aquoſo, quod facile per omnes corporis partes diſtribuitur: niſi febris affuerit, tunc enim ptiſanæ cremor vtilis erit, aut pro vino danda aqua, in qua cinnamomi aut glycyrrhizę parum ſit decoctum. Somnus etiam accerſendus erit. Vitãda exercitia, & omnia, quæ corpus inanire poſſunt. Oleo dulci, aut amygdalino, aut hydrelęo calido inungantur ægri. Lauacro etiam aquæ dulcis tepidiore vtendum. Quid multa? victus in vniuerſum talis ſit, qualis eſt eorum, qui hectica laborant febre.

Curatio conuulſionis a plenitudine.

Curatio conuulſionis, quæ a plenitudine orta eſt, ſtatim a ſanguinis miſſione auſpicanda, modo nihil ſit, quod B
eandem fieri prohibeat. Liberaliter autem ſanguinem auferre conuenit, ita tamen, vt non confertim fiat, ſed pluribus vicibus. Aliquid enim ſymptomati relinquẽdum. Mittendus vero ſanguis ex gibberi vena media. Poſt ſanguinis miſſionem, acri clyſteri, ſi ita ex re eſſe ægri viſum fuerit, aluus eluenda. Partes autem, quæ conuelluntur, valenter continendæ ſunt, & inordinatis motibus omnino reſiſtendum. Oleo quoque rutaceo, aut irino, aut alio quodam ex hoc genere perfricãdæ: aut lanis iam dictis oleis imbutis contegendæ: aut veſica lata calido impleta oleo, coſtino ſcilicet, de piperibus, de vermibus, e caſtorio, vel hyperici iis ſuperimponenda. Quod ſi vero a pituitoſis humorib. conuulſio euenerit, tum ii primum omnium extenuandi & incidendi erunt, atq; vt ad
expulſionem idonei ſint, præparandi, modo non ſit admodum vehemens, ac dolorem C
ita magnum afferat, qui vires proſternere poſſit. Tum enim ad maius euitandum periculum, potentioribus remediis vacuandum erit, ſic tamen, vt illis extenuantia & incidentia iungantur. Præparati ſubinde confeſtim medicamentis pituitam purgantibus, quorum multa in capitibus *de epilepſia, & reſolutione* commemorauimus, vacuandi. Succurrit ita laborantibus *centaurii minoris potus, aut Cardui benedicti appellati* ℨ j. *cũ aqua mulſæ vnciis tribus. Aut myrrhæ, aut caſtorii* ℨ j. Caſtorium enim omnium ſecuriſſimum, expeditiſſimum, & maxime efficax eſt. Cucurbitulas etiã cum ſcarificatione admouere prodeſt: leues enim lædunt. Si crura contrahuntur, coxis & poſtremæ vertebræ: ſi manus
conuelluntur, dorſo & primæ ipſius vertebræ, tum ei, quæ humero ſuperiacet. Caput D
præterea apophlegmatiſmis, gargariſmis, & ſimilibus medicamentis purgandum. Procedente tempore balneo vti confert. Singulis itaque diebus bis aut ter in aquas ſulphureas, vel aluminoſas, vel ſalſas deſcendat: non tamen diu, ne vires deiiciant, iis immoretus. Vel ſi naturaliũ nullus vſus eſſe poteſt, laconico vti licebit: aut aqua, cui incocta ſint *folia lauri, abrotanum, chamæpitys, ſtæchas, lauandula vocata herba, pulegium, abſinthium, ruta, ſaluia, hypericum, maiorana, & betonica.* Conuulſæ quoque partes pellibus, luporum & vulpium veſtiri debent. Inunctiones etiam, quæ in cap. *de reſolutione* diximus, adhibendæ.

5. Aphor. 25.

Frigidæ ſuperfuſione, cuius Hipp. meminit, non temere vtatur Medicus, niſi ſingula, quæ idem ille requirit, adeſſe cognouerit, ne pro remedio mortem adferat. Ceterum calida medicamẽta, qualia ſunt *theriaca, antidotus mithridati, & eiuſmodi, nempe diamoſchi, dia galanga,* ſæpe ſunt aſſumenda. Omnium tamẽ ſecuriſſimũ & optimum eſt *caſtorium* E
dilutum, ad cochlearis parui, hoc eſt, drach. vnius, menſuram datum. Verum idipſum non tantum hauſtum, ſed etiam extra illitum conducit.

Cochleare paruum.

Conuulſionis ab inanitione curatio.

Porro conuulſio, quæ ex inanitione & ſiccitate accidit, maximum ſane malum, & propemodum inſanabile. Victu vtantur hoc modo laborantes humectante, veluti in hectica, cancrorum ſeu aſtacium fluuialium carnibus, & aliis reſtaurantibus humiditatem cibis ac potibus. Pinearum quoque comeſtio laudatur. Eos autem, qui ſic conuelluntur, *oleo, vel hydrelæo calido* fouere oportet. *Oleo* item *violaceo, amygdalarum dulcium, pinguedinibus gallinæ & porci, adiectis aliis, quæ humectant: iiſque ſpina tota inungenda.* Ad lauacrum etiam deducere conuenit, temperatoque ſolio vti, frictioneque cum oleo leniſſima. Confert autem ſi in balneo decoquantur aliquot capita veruecis, ac herbæ humectantes, qualis eſt *malua, viola, lactuca:* F
item *ſemina lini & fœnograeci, quod mitigandi vi prædita ſint.* Et in vniuerſum fere, curandi ſunt vt hectici.

Curatio conuulſionis ab ictu feræ venenatæ.

Si ictu alicuius feræ venenatæ, atque adeo per conſenſum, conuulſio accidit, annitendum initio erit, vt venenum extrahatur: id quod efficies, ſi vulnus dilatetur, loculque totus in circuitu ſcarificetur, ſuper impoſitis cucurbitulis. Vulnus etiam latio-

A latioribus cauteriis ignitis inurendum. Postea porri semina, cum sale trita, aut alia, aut cepas illinire oportet: & post crustæ casum vsque ad dies quadraginta, aut sexaginta vulnus a cicatrice arcebis. Ad quam si festinabit, rursus vitis aut ficulneo cinere vlcus aperies. Prodest enim vt vulnus diu apertum maneat, quo venenosa sanies extrahi, & emanare possit. Confert *& marrubii, & anagallidis folia illinire.* Locus etiam oxalidis radicis decocto fouendus est. Nam eam mirifice Aetius commendat. Conducit etiam theriaca cum rosaceo diluta, & vlceri apposita, eo quod venenum, aut eius qualitatem a profundo, attrahat atque vacuet. Hæc enim alexiteriorum *teste Galeno lib. 5. de simpl. med. facul. c. 17.* actio est. Priuatim vero ea actione esse præditam theriacam, idem Gal. *in lib. de theriaca ad Pisonē* testatur, vbi sic scriptum reliquit: καὶ ὅλως καθάπερ τι παιώνιον φάρμακον ἡ θηριακὴ, καὶ ἔξωθεν ἐπιτιθεμένη καὶ πινομένη τοῖς λυσσοδήκτοις ἀκριβῶς βοηθεῖ. Quod est: *In summa, theriaca & extrinsecus imposita, & epota, rabiosorum morsibus præsentanei medicaminis cuiusdam instar exacte auxiliatur.* Vt hinc constet, toto cœlo errare Gentilem, & alios nonnullos, qui huius placita sectantur, eo quod theriacam extrinsecus admotam intro & in profundum pellere venenum asserunt, quum a tota substantia venenum ad se potius attrahat atq; vacuet, *vt dictum est.* Plura ad institutum nostrum facientia reperient studiosi in curatione ictus canis rabiosi. Si vero conuulsio fit neruo, vel tendine punctis, locus puncturæ dilatetur & aperiatur, vt sanies effluat, & ea quæ iam dicta sunt medicamenta calida ei imponantur. Quod si vero conuulsio hæc remediis nullis compesci potest, neruus, vel tendo a Chirurgo per transuersum, in parte altiori quam punctura, secetur. Præstat enim nerui, vel tendinis actionem perire, quam hominem mori.

Theriaca. B Gentilis error. C

De incubo. Cap. XXXII.

Ἐφιάλτης Græcis, Latinis vero *incubus & incubo*, est vitium, vbi aliquis noctu, quum somnium ingreditur, se grādi mole opprimi, inuadiq; ab alio credit. Neque n. Græcis alia de caussa ita est appellatum, quam ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι quod inuadere & opprimere significat. Nam qui ita laborant, se ab aliquo opprimi, quod simul vocem impediat, ac veluti suffocet, arbitrantur. A Themisone πνιγαλίων, nimirū a *suffocando*, nuncupatur: siquidem præfocari in ea ægrotantes videntur. Oritur id vitii ex crapula, & continua ventriculi cruditate, vnde vapores crassi & frigidi eleuati, cerebri ventriculos replent, prohibentes facultates cerebri per neruos diffundi. Comitatur eo detentos difficilis motus, torpidus in somno sensus, suffocationis imaginatio, & veluti ingruentis alicuius detentio. Adhæc vox supprimitur, aut incerta indiscretaque editur. Quidam ita inanibus imaginibus afficiuntur, vt se opprimentes audire credant. Cum plurima tandem anxietate attenuato spiritu, & discusso, atque apertis meatibus, repente excitatur. Occurrendum huic malo per initia: nam perseuerans, & assidue inuadens, grauius aliquod malum, vt apoplexiam, morbum comitialem, aut maniam pronuntiat, ac inducit, crasso humore in ventriculis cerebri sensim collecto. Victus sit tenuis, & qui flatus minime generet. Parcissime cœnet, cibisque boni succi, & qui facile concoquuntur, alatur. Vino non vtatur, nisi aquoso. Somnum fugiat diurnum, nec statim a comestione cubitum eat. A pastu sumat æger adst. ingentia, pyra, aut cotonea mala, sacchato condita. Dormiat aūt in latus, non supinus, & (vt summatim dicam) tota victus ratio talis sit, qualis est eorum, qui comitiali malo laborant. Curandi ratio, si plenitudo affuerit totius corporis, a sanguinis missione auspicanda. Gibberi autem vena exterior secanda est. Sin cacochymia aderit, purgationibus corpus vacuandum, catapotiis cocciis, de agarico, & similibus. Et si pituita redundauerit, humores extenuantibus medicamentis ad purgationem præparandi sunt. Vniuerso purgato corpore, localia admouere medicamēta oportet, apophlegmatismos videlicet, *errhina, embrochas*, quorum omnium formulas ex superiorib. petent studiosi. Succurrit autem iis potissimum *pæoniæ semen nigrum.* Danda vero sūnt grana quindecim trita ex aqua. Caput quoque fouendum oleo anethino calido, & pileo tegendum, dum cubitum eunt. Intra corpus exhibenda, quæ caput corroborant, *aromaticum rosatum vocatum, diamoschi dulcis antidotus, diambar, dianthon, plirisarcoticon barbari nominant, & eiusmodi.*

Incubus. πνιγαλίων Caussa. Signa. D Victus. E Curatio. F

De mania. Cap. XXXIII.

Mania vitium est, quod Latini *insaniam* vocant, & *furorem*. Hoc enim detenti ferarum instar reddūtur effrenes, & furunt. Differt a phrenitide, ꝙ in ea sit febris, ma-

Mania.

nia vero citra febrem accidit. A melancholia, quod sine metu & tristitia fiat, sed cum A
audacia, aliisque paulo post dicendis symptomatis. Oritur, *Aetio autore*, plurimo san-
Caussa. guine incorrupto ad cerebrum fluente, interdum temperato & multitudine tantum
lædente, vt in ebriis accidit, interdum bilioso. Galenus *lib. 2. De sympt. caussis*, hanc a mor-
dacibus & calidis humoribus, qualis est maxime flaua bilis, cerebrum cum suis mem-
branis stimulans, vel a calidiori cerebri intemperatura nuda nasci tradit. Præcedit ma-
niam capitis debilitas, aurium tinnitus, splendoresq; præ oculis obuersantur, ingentes
Notæ. uigiliæ, curæ sibi inuicem succedentes & extraneæ, grauedo vibratioq; capitis. Proce-
dente tempore hæc omnia increbescunt, rabidioresq; appetitus in illis excitantur, & in
Venerem promptitudo. Præterea nocturnæ pollutiones iugiter fiunt, excauantur ocu-
li, ac minime nutant. Cæterum a solo sanguine maniam ortam comitatur risus assiduus, B
ridiculis quibusdam visis ante oculos occursantibus. Vbi vero flaua bilis sanguini com-
miscetur, iracundiam reddens tanquam ab ipsa stimulato interius cerebro & membra-
nis, iracundi, audacesq; euadunt. At si flaua bilis etiam superassetur, crassescatq;, cere-
brum ac membranas stimulans & diuellens, ferinum furorem percipit. Atq; hinc est,
quod hanc maniæ speciem *caninam* aliqui nominent. Ea enim correpti, assidue rixan-
tur, multa loquuntur, corporisque inordinato motu vtuntur, aspectu toruo, & inuere-
cundo præditi sunt. Arabes *maniam lupinam* cognominant. Quia vero adstantes mor-
dent, amicosque iniuria afficiunt, verberant, & vulnerant, ideo catenis vinciendi sunt,
ne alicui noceant, aut sibi manus inferant, aut se præcipites dent, aut in flumina conii-
6. Aph. 53. ciant. Hinc rectissime ab Hippocrate dictum est, *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores.* C
Victus ratio. *Quæ vero cũ studio, periculosiores.* Victus sit tenuis, cibus sorbilis, liquidus, citra satietatem,
bonum aluum faciens, & qui nihil aut minimum sanguinis generet, vinumq; omnino
Curatio. prohibere oportet. Curatio a sanguinis missione, vbi a sanguine vitium accidit copioso,
ordienda. Gibberi autem exteriorem venam incidere conuenit: aut si non apparuerit,
mediam. In mulieribus mensium suppressione laborantibus, malleoli vena secanda: eo
enim delapsu frequenter menstrua prouocantur. Tantum aũt sanguinis detrahẽdum,
quantum vires tolerare possunt. Sedato enim feruore, confestim recreantur, simulque
reliquis præsidiis locus relinquitur. Verum quum nonnulli in prima quidem oblatione
strenue inanitionem ferant, in sequentibus aũt animo linqui consueuerint, expedit iis
in prima statim oblatione detrahere quantum postulauerit: ita enim simul euacuatur D
plurimum flatuosi, vaporosiq; spiritus. In sanguinis itaq; effluxu assidue pulsus tangen-
dus est: qui si conciderit confestim de repetitione cogitandum. Postridie autem, nimi-
rum reparatis iam viribus, repetitio molienda. Porro post sanguinis detractionẽ caput
Localia. *rosaceo & aceto fouendum, aut succo polygoni, aut melino oleo.* Dein succida lana oleo madefa-
cta syncipiti applicetur, assidueque noua mutetur. Post inanitionem sanguinis, vespere
somnus concilietur: euacuato enim sanguine, si vigiliæ successerint, ægri immaniores
Diacodion. euadunt. Quare medicamentum soporiferum, *Diacodion vocatum, cum succo ptisanæ, aut
cum aqua audacter pondere vnius cochlearis exhibendum*: ita enim iucundus somnus allicie-
tur. Et plurimi quidem ipsorum sumto soporifero, omnino resipiscunt. Quapropter
vbi prima die post medicamẽtum satis dormierint, vna die interposita, rursus *diacodion* E
propinandum. Consueuit enim a sanguinis missione conuenienti victu adhibito, exa-
ctam curationem perficere. Obseruandũ tamen, ne postea vlterius offeratur: nam sen-
sus stupidos reddit. Vsum eius, aliorumque soporiferorum medicamentorum mon-
Embrocha. strauimus *lib. 1. de compos. med. cap. 4.* Probatur etiã *oleum violarum cum lacte fæminæ.* Item
*embrocha e violis siccis, floribus nymphea, salicis, & rosarum, foliis lactucæ, semine papaueris, & e-
iusmodi parata, aliaque medicamenta, quæ c. 8. a nobis sunt commemorata.* Aluus præterea *cum
idoneis alimentis, & cum clysteribus* mollienda est. His peractis, ex venis etiam e fronte, ab
ea potissimum quæ media in fronte est, sanguinem, si res postulauerit, detrahemus. Vel
hirudines capiti circulatim, syncipiti præcipue, admouebimus. In iis quibus biliosior
sanguis fuerit, ex hiera picra, & aliis medicamentis bilem vacuantibus, purgatio prius F
molienda erit. Si vero delirantes purgantia medicamenta bibere renuant, interim vt
facilius fallantur, *cibis, mollissimis nimirum ouis, buccellis, vel ficubus pinguibus, vel palmulis,
Balneum. interdum etiam potionibus admiscenda sunt.* Vnice autem ipsos iuuat *hippomarathri radix, se-
menque ex aqua post purgationem potum.* Declinante morbo æger ad balneum aquæ dulcis
ducendus

A ducendus, ac reliquæ medicamentis discutientibus dissipandæ. Quod si a flaua bile assata generatur, clysteres qui attrahunt & a capite reuellunt iniiciendi. Caput præterea *oxyrhodino* perfundendum, aliisq; medicamentis frigidis & humidis fouendum. Vtendum etiam purgationibus, & medicamẽtis frigidis & humidis, feruoremq; bilis restinguentibus ac domantibus. In summa, iis, quæ nõ admodum calefaciunt, sed potius humectant, & adustos & assatos humores vacuant, qualia multa in sequenti capite de melancholia dicemus. Plura igitur, si quispiã requiret, is ad caput sequẽs *de melancholia*, sese conferat, atque ea, quæ ad institutum faciunt, inde excerpat.

De Melancholia. Cap. XXXIIII.

B Melancholia, *est mentis alienatio, seu desipientia sine febre, cum timore & mæstitia, ex melancholico maxime humore mentem occupante, ac temperaturam suam immutante, nata.* Fit vero idipsum trifariam. Interdum enim vniuerso in venis corporis sanguine melancholico effecto, ob commune vitium, cerebrum quoque ipsum læditur. Ab eo enim sanguine spiritus vitales & animales inficiũtur & turbulenti fiunt. Quare mens læditur. Nonnunquam vero reliqui corporis sanguis prorsus innocuus & syncerus est, solus autem is, qui in cerebro continetur, alteratur atque melancholicus fit: idq; bifariam accidit. Aut enim aliunde in cerebrũ deriuat᷑, aut in ipsomet melancholicus humor genitus est, cum videlicet internus calor aut flauã bilem, aut crassum atrumque sanguinem superassauit. Interdum etiam ob cruditatem ventriculi, quod hinc manifestum est, quod hoc vitio C correpti, *Galen. libro 5. de affectis locis cap. 5. attestante*, post cruditatem melancholicis symptomatis magis molestantur. Quippe propter cruditatem ipsam primo lienis fit obstructio, postea vero prauus & melancholicus sanguis, vel, *vt Galenus ait*, vitiosa sanies, ex hoc viscere in ventriculum confluit. Eo vero influente, mœstitia, metus, & id genus melancholica symptomata, propter melancholicos vapores ad cerebrum elatos, excitantur. Nonnunquam etiam ob contentum in ventriculi vasis sanguinem crassiorem & melancholicum, qui propter phlegmonem, vel intemperiem vehementer calidam inflãmationemue illic exsistentem, & hunc adassantem generatus est. In iam dictis vero affectibus sinistrum hypochondrium flatibus impletur, & tenditur, grauitatisq; sensum percipit. Vt hoc etiam nomine merito melancholia hypochondriaca nominetur. D Igitur ob affecta, quæ circa ventriculũ sunt hypochondria, melancholia iam dicta prouenit, quæ modo auram exhalationemue quandam maligniorem ac melancholicam, modo substantiæ humoris partem ad cerebrum sursum trãsmittunt. Quemadmodum enim nonnulli frequenter eleuata a ventriculo fuliginosa quadam aut fumosa exhalatione, aut omnino crasso vapore quippiam suffusioni simile præ oculis obiici sentiunt: sic ascendente ad cerebrum melancholica exhalatione tanquam fuligine aut fumo, melancholica symptomata circa mentem eueniunt. Quare tres sunt in vniuersum melancholiæ species, seu differentiæ. *Vna*, cum totum corpus melancholico sanguine redundat. *Altera*, quando is sanguis ipsum duntaxat cerebrum occupat. *Tertia*, quando hypochondria ipsa primum affecta, in consensum subinde cerebrum rapiunt. Hęc meE lancholiæ species Græcis φυσώδης καὶ ὑποχονδριακή, hoc est, *flatuosa & hypochondriaca*, Arabibus & horum sequacibus barbaris *Mirachia* nominatur. Cõmunia omnium signa sunt, *metus, tristitia, odium & auersio hominum, iuxta hanc Hipp. sententiam: Si timor & mæstitia longo tempore habentes perseuerent, ex eo melancholia significatur.* Metuunt enim & tristantur omnes, odioque habent homines: nec si roges eos quamobrem mœreant, reddere caussam possunt. Priuatim vero melancholicorum variæ & infinitæ fere sunt imaginationes. Alii enim credunt se bruta esse animalia, & voces & gestus ipsorum imitantur. Sic Gal. *lib. 3. de affectis locis. c. 6.* narrat fuisse quendam, qui se gallum esse putauerit: ideoque gallos cantare audiens, vt hi alarum, sic ille brachiorum plausu latera quatiẽs, gallorum sonum imitatus est. Alii vasa fictilia, vt idem eodem in loco testatur, & testas se esse arF bitrantur, atque idcirco obuiantibus, ne collidantur, cedunt. Præterea hi mortẽ expetunt, atque adeo non raro sibi mortem consciscunt: illi eandem expauescũt. Talis fuit, de quo Galenus scribit, qui timuit ne Athlas, qui mundum sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere, ipsum a se excuteret, atq; ipse cum illo collideretur, ac nos quoq; cum ipso periremus. Nonnulli semper rident, Democritumque agunt: alii Heraclitũ, nun-

Marginalia: Melancholia quid. Caussæ. 1. 2. 3. — Tres melancholiæ species. 1. 2. 3. — Notæ. 6. Aph. 23. — Varię melancholicorum imaginationes.

quam non lacrymantes, referunt. Quidam se numine afflatos esse existimant, & futura vaticinantur, quos ἐνθουσιαστικοὺς priuatim Græci nominant. Sunt qui perdite amant, & non nisi de amore loquũtur, quos Græci ἐρωτικοὺς nominant. Alii se reges, & imperatores esse existimant. Alii se serpentes in ventre habere imaginãtur. Sunt ex iis qui noctu per syluas, luporũ more, discurrunt, & hominibus insidiantur, vt merito Græcis λυκάνθρωποι, & alii *Lupi* dicantur. Quo sane Plinius & alii respexerunt, dum homines in lupos commutari scripserunt. Ex eorum quoque numero sunt, qui Græcis μισάνθρωποι, hoc est, *hominum osores*, qualis fuit Timon apud Lucianũ. Sunt & aliæ infinitæ fere, vt dictum est, eorum imaginationes, quæ singulæ connumerari non possunt. Porro peculiares illorum hæ sunt notæ. *Qui ex totius corporis consensu melancholia laborant, iis corporis habitus est gracilis, niger, hirsutus, & ex toto melancholicus, vel natura, vel acquisitus per sollicitudines quasdam, aut vigilias, aut prauorum ciborũ esum, aut hæmorrhoidum, aut menstruorum suppressionem. At qui ex hypochondriis vitium cõtraxerunt, eos sane præter metum & tristitiam cruditates, quas plurimi flatus consequuntur, acidi ructus, æstus, & grauitas hypochondriorum, arguunt. Hypochondria quoque sursum conuelluntur, & nonnunquam inflammatione conflictantur, idque potissimum circa vitii exordium. Ventres etiam desiccantur, somnus exiguus fit, somnia turbulenta & enormia, saltus diuersi in singulis corporis partibus, vertigines capitis, & in auribus flatuum sonitus. Deinde vbi vitium accreuerit, atræ bilis comitantur symptomata, quæ vtique concoctione, vel excretione, vel multis flatibus, vel vomitu, vel ructu leuantur.* Victus ratio eiusmodi sit, quæ melancholicum humorem minime possit procreare. Versandum itaque in aere calido & humido. Cibis vtendum boni succi, *humidis & temperatis, pane in clibano cocto, ac probe confecto: carnibus caporum, gallinarum, perdicum, phasianorum, piscibus saxatilibus, & eiusmodi.* Contra deuitet cibos omnes, qui melancholicum humorem generant, quos ordine & copiose quidem Galenus *lib. 3. de affectis locis, cap. 6.* recenset. Elixis, non assis, nec frixis vtendum cibis. Vinum æger bibat tenue, album, neque valde vetus adeoque debile. Forte enim caput tentat. Crassum vero & nigrum vitet. Exercitium sit mediocre, equitatio aut deambulatio per loca amœna & viridia, aut nauigatio. Æger etiam balneo aquæ dulcis (quo se vno præsidio cum victu humido Gal. *lib. 3. de affect. locis, cap. 8.* vitiũ hoc, vbi nondum in longum esset protractum curasse scribit) frequenter vtatur. Somnus illi supra modum confert: quapropter si sponte non obrepat, conciliandus remediis supra dictis, veluti etiã coitus, at moderatus. Gaudeat & lætetur in hocque habeat, qui iucundis sermonibus, cantu, aut aliis musicis instrumentis hilaritatem excitent. Ceterum vbi vniuersum corpus sanguine melancholico abundauerit, medendi initium a sanguinis missione auspicari expedit. Secanda vero (*Galeno loco iam sæpius citato auctore*) cubiti vena: præcipue autem media, quæ scilicet communis est ei, quæ humeraria nominatur, & ei quæ per axillam ad manum fertur, iecorariaque dicitur. Quod si fluens sanguis melancholicus appareat, reliquum similem in vniuersi corporis venis esse speres, audaciusq; vacues. Si vero fluens sanguis talis esse non videatur, melancholicum humorem in toto corpore non redundare iudicato, ac statim eum supprimito. Talis vero non est, vbi flauus fuerit, tenuis, & rubicundus. Porro in sanguine crasso, vulnus satis amplum & latum fiat, vt ille egredi possit. Vbi enim solum cerebrum sanguinem melancholicum continet, æger sanguinis detractione non indigebit, nisi forte multum sanguinis sit, ac præseruationis gratia venam incidamus. Quum itaque ex primaria cerebri ratione melancholici efficiuntur, frequentibus balneis, victu boni succi & humido, minimeque flatuoso, vna cum decenti animi delectatione, sine alio potentiori remedio curandi sunt: humor enim qui molestat, ob temporis breuitatem vt excernatur, nondum contumax esse potest. Malum autem si aliquandiu durauerit, valentiora magisque varia medicamenta requirit. Siue igitur ex totius corporis consortio, facta prius, vt diximus, sanguinis detractione: siue solius cerebri primario affectu melancholia orta fuerit, medicamenta quæ per inferna purgant exhibere oportet. Interpositis tamen aliquot a venæ sectione diebus, in aurora quotidie æger bibat hoc decoctum, quod accipit: *Florum buglossi, echii, violarum, singulorum manipulum vnum. Vuarum passarum detractis vinaceis, vnciam vnam. Aspleni siue ceterachii, manipulum vnum. Fumariæ, manipulum dimidium. Corticum radicum capparum, tamaricis, vtriusque drachmas tres. Radicum fœniculi, petroselini, glycyrrhizæ, singulorum drachmam vnam. Thymi, epithymi, vtriusque*

Margin notes: Signa peculiaria. — Victus. — Balneum aquæ dulcis. — Curatio. — Decoctum præparans.

Section letters in right margin: A B C D E F

A *vtriusque drachmam dimidiam. Decoquantur singula in tribus libris aquæ, donec tertia pars absu-*
matur, deinde colo transfundantur, & sacchaaro adiecto ius decocti dulce reddatur, alboque oui puri-
ficetur, & addantur serapii e fumaria, de epithymo, vtriusque unciæ duæ, & fiat potio. In eundem
vsum hodie propinant *serapium violaceum, e buglossa, e pomis, admixtis aquis stillaticiis fu-*
mariæ, lupi salictarii, intybi hortensis latifolii, endiuiam vocant, & buglossi. Verum cum stilla-
ticiarum aquarum vsus ventriculo non admodum conferre videatur, præstat prædi-
ctarum herbarum decoctis vti, commistis serapiis in hunc vel consimilem modum.
Serapii e buglosso, vnciam vnam. Serapii de epithymo, vnciam dimidiam. Decocti ceterachii, fuma- Potio:
riæ, & intybi hortensis latifolii, vncias tres. Commixtis omnibus fiat potio. Post hæc corpus pur-
getur antidoto hamech appellato, & diasenæ, catapotiis indis, e lapide armenio, quem
B Trallianus miris modis extollit, & similibus. Proderit autem huius etiam decocti Decoctum purgans melancholiã.
purgantis vsus, quod recipit: *Florum buglossi, violarum, rosarum, singulorum manipulum v-*
num. Vuarum passarum detractis vinaceis, oxyphœnicon, vtriusque vnciam vnã. Myrobalanorum Dilutum epithymi.
cæruleorum, luteorum, empeliticorum, beletzicorum, singul. vnciam dimidiam. Folliculorum senæ, Dilutum foliorũ senæ.
polypodii, vtriusque drachmas sex. Prunorum damascenorum numero decem. Coquantur in aqua
iustæ quantitatis ad tertias, dein in colo transfusis, adiecto prius saccharo, iuri decocti dulcedo ac sua- Puluis purgatorius.
uitas inducatur, de quo in aurora, vnciæ quatuor exhibeantur. In iis, si non satis purgent, lice-
bit dissoluere *antidoti diasenæ, drachmas duas.* Mirifice quoque conducit *dilutum epithy-*
mi, in eum paratum modum. Epithymi, vnc. dimidia. Maceretur horis viginti quatuor, in seri ca-
prini lactis vnciis quatuor, dein valide exprimantur, & colo transfundatur, atque in aurora, propi-
C *netur.* Valet etiam dilutum foliorum senæ, quod sic parari potest. *Foliorum senæ, vn-*
cias duas. Prunorum damascenorum numero duodecim, contusa macerentur in sero lactis ca-
prini horis viginti quatuor, deinde exprimantur, & colo transfundantur, atque in aurora, vt an-
tea est indicatum, bibantur. Licebit etiam hoc vti puluisculo, qui accipit: *Epithymi, vnciam*
dimidiam. Lapidis armenii, agarici, vtriusque drachmas duas. Scammoniæ præparatæ, drachmam
vnam. Garyophyllorum numero viginti. Redigantur omnia in puluerem, & singulis septimanis
drachmam vnam, vel drachmam vnam & dimidiam pondere dentur, in serapio rosarum laxatiuo,
vel serapio de pomis. Vtile est etiam lactis sero ventrem subducere: veruntamen id non Serum lactis vt parãdum.
fit quod ex caseo fuerit expressum. Melius est enim id, quod per decoctionem, *Aetio*
teste, ex lacte separatur. In ollam enim nouam iniiciendum lac, & virgulto ficus mouen-
D dum: cumque ter quaterue deferbuerit, aceto mulso irroretur: dein excolatum, potui
exhibeatur, a principio quidem admixto melle: cum vero ventris subductio inceperit,
non misceatur mel. Neque temere quis a purgatione, interiectis quibusdam diebus,
clysteribus vtetur, vt qui a capite auertere admodum queant. Sunt autem eiusmodi, qui Clyster.
accipiunt: *Fumariæ, lupi salictarii, thymi, singul. manipulum vnum. Epithymi, manipulum di-*
midium. Senæ, polypodii, vtriusque drach. sex. Cartami, semunciam. Seminum anisi, fœniculi, am-
meos, cumini, singul. drach. duas. Coquantur vsque ad tertias. Dein accipe iuris decocti, lib. vnam.
Cassiæ fistularis recens extractæ, vnciam vnam. Antidoti diasenæ, semunciam. Oleorum violacei,
chamæmelini, vtriusque vnciam vnam & dimidiam. Salis vulgaris, drachmã vnam & dmidiam.
Misceantur singula, & fiat clyster. Præterea si hæmorrhoidibus aut mensibus suppressis vi-
E tium hoc fuerit concitatum, horum quoque purgationem moliemur. Id quod facere 6. Aph. 11.
nos monet etiam Hippocrates, inquiens: *Melancholia vexatis, hæmorrhoides superuenien-*
tes, bonum. Et rursum: *Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.* 6. Aph. 21.
Danda quoque sunt medicamenta, quæ animi tenebras abigere, atque adeo lætitiam
parere valent, viresque reficiunt, vt est *saccharum buglossi, intybi hortensis latifolii, viola-*
ceum, rosaceum, lætificans Galeni vocatum, dianthon & complura alia. Nulla denique ratione, Balnea.
quod antea etiam monuimus, balneorum aquæ dulcis vsus est negligendus. Embrochas Embrocha.
quoque caput humectare potentes adhibere oportet, qualis est quæ accipit: *Maluæ, al-*
theæ, violarum, boraginis, singul. manipulum vnum & dimidium. Chamæmeli, stichadis, vtrius-
que manipulum vnum. Florum nymphææ, manipulum dimidium. Seminis lactucæ, drachmam v-
F *nam. Seminis intybi hortensis angusti folii, drachmam vnam & dimidiam.* Bulliant in aqua
iustæ quantitatis, & iure decocti caput rasum irrigetur. In eundem vsum conuenit ad-
hibere inunctiones ex *oleo violaceo, chamæmelino, nymphæa, & similibus.* Studiose postre-
mum annitendum, vt imaginationes absurdæ, falsæque, & immensa mœstitia, qua-
cunque fieri potest ratione propulsentur. Huius rei memorandum exemplum extat

apud Alexandrum Trallianum, qui *lib. 1. cap. 17.* mulierem quandam hunc in modum quendam sanitati restituisse scribit. *Mulier* (inquit) *melancholia vitio correpta, inter dormiendum anguem se deglutisse putabat. Ciens itaque ei vomitum, anguem exstinctum pelui, qua vomitionem excipiebat, clandestine inserui: quem simulatque conspexisset melancholica, euomuisse rata, omnem falsam suspicionem posuit, & salua euasit.* Ita Philodotum Medicum quendam qui sibi caput amputatum esse, quod tyrannus factus fuisset, putabat, curasse idem tradit, imposito repente capiti ipsius plumbeo pileo, vt grauitatem sentiens, caput se recepisse rursus existimaret, quo plurimum gauisus, vana imaginatione liberatus est. Porro si ob hypochondriorum offensionem vitium constiterit, vtendum assidue potu decocti pulegii, non solum ante medicamentorum purgantium exhibitionem, verum etiam post. Similiter & centaurii decocto. Vnice autem in hoc vitio condunt decoctum hoc, quod accipit: *Florum boraginis, violarum, vtriusque manipulum dimidium. Fumaria, pulegii, absynthii, centaurii minoris, asari, chamædryos, ceterachii, lupi salictarii, singul. pugillum vnum. Seminum anisi, fœniculi, petroselini, dauci carei, singulorum drach. vnam & dimidiam. Folliculorum senæ vnc. dimidiam. Radicum polypodii, drach. quinque. Corticum radicum capparum, drach. tres & dimidiam. Ligni tamaricis drach. tres. Corticum myrobalanorum indorum, citrinorum, chebulorum, singul. drach. quatuor & dimidiam. Thymi, epithymi, vtriusq; drach. duas & dimidiam. Decoquantur singula in tribus libris aqua fontana, donec tertia pars absumatur, postea decoctum colo transfundatur, alboque oui purificetur, & adiiciatur Serapii de fumaria, de pomis, & de epithymo, singulorum vncia vna & dimidia.* Deinde quoque absynthii decoctum iugiter exhibendum. Vtile enim est stomacho & ventriculo, plurimique flatus generationem in ventre impedit, neque extreme ventrem compescit: sed vrinam mouet, optimamque coctionem præparat: adeo vt hoc solo remedio plurimi sanati sint. Exhibenda etiam ea sunt, quæ vrinam mouent, vt *anisum, daucus, assarum, careum, hypomarathri semen ac radix, & chamædrys.* Horum enim quodlibet aqua decoctum sumitur, vel in puluerem redactum, potuique inspersum. Vtile etiam fuerit, vt hypochondriorum curam habeat Medicus. Fouebuntur itaque *rutæ, anethi, absynthii, abroton, pulegii, agni seminis, baccarum lauri, serpylli, artemisiæ, seminis nigellæ, carei, & similium decocto.* Hæc enim dolores leniunt, flatuique discutiunt, maxime vbi oleo incocta male affectæ parti cataplasmatis instar applicantur. In flatibus autem stomachi cum punctione, cuminum aceto decoquentes, & pulegium, stomachum fouebimus. Cataplasmata autem habeant in oleo decoctum *anisum, aut apium, aut cuminum, absynthium, & iis similia.* Cum admoues, plurimo tempore tam vacuo adhuc stomacho, quam post cibum adhærere permittes. Cumque cataplasma aufertur, contegenda hypochondria sunt lana laeuiori, vel læuissima ac pura pelle agni, locum prius oleo nardino illinentes. Vtendum etiam appositione cucurbitularum leuium, *hoc est,* citra scarificationem. Videbitur enim tibi præsidium hoc, *Galeno libr. 12. Thera. meth. teste,* in huiusmodi vitio incantamenti cuiuspiam simile quid efficere. Ilico enim admota cucurbita, qui spiritu flatuoso cruciantur, tum a dolore liberi, tum omnino sani redduntur. Ad phlegmonas autem & duritie, cucurbitulis cum incisione vtendum. Quibus vitium diu durauerit, præsentissimum est remedium, ex longis interuallis, etiam a cibis per vomitum purgatio. Non tamen validis vomitoriis vtendum est: talia enim infesta sunt stomacho ac ventriculo anxietatem afferunt. Concitetur igitur vomitus cum aqua tepida, cui oxymeli sit admixtum. Quod si tamen neque hoc modo possunt euomere ægri, digitos aut pennas in os demittendo irritare oportet. Proderit autem iis vnice vomitus, qui per elleborum fit album, in eum modum: *Accipe ellebori albi, drach. vnam. Concidatur in minutas particulas, & raphano satiuo magno infigatur. Transactis tribus diebus iterum eximatur, raphanusq; deinde fortiter exprimatur. Postea accipe succi de raphano expressi, drach. sex. Aquæ calidæ, vnc. quatuor. Oxymelitis, vnc. vnam, & commixtis singul. vniuersum calidum ægro propinato.* Vel confice vomitorium in eum modum: *Accipe ellebori albi optimi, drach. tres. Et raphano prius perforato infige, ac ibi noctem vnam integram dimitte.* Postridie vbi in raphanum vires ellebori migrauerint, amoto elleboro, raphanus in minutas partes dissecetur, & in oxymelite propinetur, diligenter cauendo, ne quidpiam ellebori in raphano relinquatur. A vomitu autem si cruditas adhuc durauerit, quæ ventriculum roborant, eundemque calefaciunt, exhibendæ erunt. Si vero melancholicus humor in ventriculo

Historia. Hypochondriacæ melācholiæ curatio. Cucurbitularum appositio. Vomitus vt concitandus.

A B C D E F

A vel hypochondriis fuerit, a quo melancholica exhalatio sursum ad cerebrum transmittitur, humor ille ad modum paulo ante dictum purgandus erit. Caput denique, ne vapores illos recipiat, roborandum.

De tremore. Cap. XXXV.

Vitium, quod Græcis *τρόμος*, Latinis vero *tremor* dicitur, ex duobus perficitur motibus: vno quidem, dum cogitur membrum ob morbum atq; grauitatem ad inferiora repere: altero, dum sursum a facultate fertur. Vitium hoc in vniuersum ob neruorum imbecillitatem accidit: quod ætas senilis palam testatur. Priuatim vero plures aliæ caussæ ipsum efficiunt: nempe frigidius naturæ temperamentum, frigidæ potio, præsertim in febribus intempestiue assumta. Frigidi præterea, crassi, & lenti humoris abundantia, vinique multi meracioris vsus, senectus, atque timor. Signa neq; ad vitii, neq; caussarum dignotionē vlla sunt necessaria, quod scilicet partim visu, partim etiam ex ægri sermonibus atque corporis constitutione deprehendi queant. Victus ratio sic constituatur, vt caussis plane sit contraria. Cibus vero facilimę distributionis offeratur: primum sorbilis, mox volatilium, & piscium molli carne præditorum. In crassorum lentorumque humorum redundantia, iis vti conuenit, quæ incidendi & extenuandi vim obtinent, *de quibus in præcedentibus sæpe dictum est.* Vitanda vero in vniuersum omnia, quæ neruos offendere possunt, vini maxime meracioris potio. Bibendum vero dilutum & aquosum, aut hydromeli. Quod ad rationem curandi attinet, qui ex erroribus cōmissis manifeste tremunt, a noxiis prorsus abstineant. Qui igitur ex vini potione tremunt, iis vinum circumcidendum est, quoad in totum morbo fuerint liberati. Bibant interea hydromeli, cum decocto saluiæ, aut betonicæ, vel lauandulæ. Si a frigidis & crassis humoribus tremor accidit, curandi ratio erit adhibenda eadem, quæ resolutioni & conuulsioni a plenitudine ortæ, sanguinis duntaxat missione excepta. Extremę autem corporis partes oleis calefacientibus præunctæ, lanis mollibus contegantur. Dein cucurbitulæ citra scarificationem a priori vertebra vsque ad spinam lumbosque affigantur, vt scilicet crassi & lenti humores vertebrarum foramina obstruentes, ad cutis extimam superficiem trahantur, atque adeo subinde facilius discutiantur. Proderit etiam, vt æger quotidie piperis grana quinque ex mulsi cyatho, hoc est, *vnc. vna & dimidia* bibat. Prosunt etiam medicamenta roborantia cerebrum, illudque calefacientia & exsiccantia, *conserua saluiæ, rosmarini, lauandulæ, confectiones diagalangæ, & diamoschi.* Sunt præterea quædam alia medicamenta simplicia, quæ præsumta trementes adiuuant: nempe castorium, altheæ radicis, & eupatorii decoctum, & ex animalibus desumtum leporis cerebrum. Quid multa? medicamentis, vnctionibus præsertim ad resolutionis curationem conscriptis, in huius generis vitio vtendum.

[Margin: Tremor. / Caussa. / B Notæ. / Victus. / Curatio. / C / D Cyathus. / Simplicia medicamēta trementibus conducentia.]

De Ophthalmia, siue lippitudine, Cap. XXXVI.

Ὀφθαλμία Græcis, *lippitudo* Latinis, nihil aliud est, quam tunicæ vel membranæ adnatæ, quam barbaram sectantes medicinam, *Coniunctiuam* vocāt, phlegmone. Adnatam vero hanc dixerunt, propterea, quod aliis, quæ oculum ipsum constituunt, tunicis forinsecus adnata sit, ligamentum exsistens toti oculo ad circumiacētia ossa. Hinc est, quod ambientes oculorum partes, ad malas nonnunquam in vehementiori lippitudine simul attollantur. Fit hoc vitium vel ex plenitudine vniuersum corpus grauante, ob quam adnata etiam humoribus referta tenditur: vel ab influentium biliosorum humorum acrimonia vehementer erodente: vel propter crassorum humorū, aut flatulentorum spirituum intensionē. Dignoscitur, si adnata oculi, quæ natura candida est, ob sanguinis confluxum admodū dolet, ac rubra esse videtur, & ex oculis lacrymæ resudant, atque in maioribus oculi angulis sordes quædam & lacrymæ feruidæ aceruātur. Si vero a biliosis & acribus humoribus orta sit, lacrymæ fluentes acres, & rodentes erunt, vniuersumque corpus cacochymū esse apparet. Sin ex crassis humoribus facta est, grauitas magna, caliditas, & rubido adnatæ exigua. Si ex flatulento spiritu accidit, adnatæ magna tensio erit, nullæque apparebunt lacrymæ. Locus in quo decumbit æger, obscurus & tenebrosus sit, splendorem enim sine molestia ferre haud possunt: & pro caussæ diuersitate aut frigidus, aut calidus. Si in propatulū egreditur æger, linteum atrum, aut cœruleum, aut viride oculis obducat: siquidem ii colores visum morbo affectum,

[Margin: Lippitudo quid. / Adnata cur appellata. / E / Caussæ. / Notæ. / F]

aut fatigatum corrigunt ac recreant, *vt testatur Galenus libro primo de symptomatũ caussis*, v- A
Victus. bi ex professo de iis quæ oculos aut molestant, aut tristant, agit. Tenui autem prorsus v-tendum victu, ac cibo parciore, ne immodice aucti humores ad oculos confluant. Deuitet carnes, lactisque vsum. Vino, præsertim inter initia abstineat, bibatque aquam in qua sit decoctũ parum cinnamomi, aut hordei, donec vigor prætereat. Quod si tamen crassiores humores tensionem procrearint, hydromeli, aut vinum tenue & aquosum bibere conuenit. Exercitari haud prodest, sed quiescere. Somno moderato vtantur ægri, & maxime nocturno. Perturbationes animi procul absint. In curandi ratione
Curatio. animaduertendum, num ex plenitudine fuerit contracta ophthalmia: id quod cognoscitur, vbi cum ingenti dolore oculos affligente plurima tensio, rubedo, renitentia, & calor affuerit, feruidarum que lacrymarum copia defluxerit: tum enim a missione sanguinis hæc ipsa auspicanda erit. Venam autem secare oportet gibberi exteriorẽ, quam humeralem vocant, atque eam quæ e directo est laborantis oculi. Et vbi vehemens fuerit phlegmone, ad animi vsque deliquium auferre conueniet. Si vero a rodentibus aut crassis humoribus lippitudo orta fuerit, id quod lacrymæ tenues, salsæ, acres, calidæque aut contrariæ, *vt dictum est*, monstrabunt: atque adeo totum corpus cacochymũ fuerit, prauisque abundauerit humoribus, primũ, quæ acrimoniam biliosorum & mordicantium humorum mitigare & obtundere possunt, & deinde, quæ noxios illos humores vacuare & purgare possunt medicamenta propinanda: quæ certe pro redundantium ac infestantium humorum varietate immutanda veniũt. Corpore vacuato, humorum, qui ad oculos feruntur impetus deorsum, & ad alias corporis partes ignobiliores, inferB narum partium frictionibus, ligaturis artuum, & cucurbitulis collo & scapulis admotis reuellendus erit. Posthæc adhibenda sunt medicamenta repellentia, quæ non exasperant, hoc est, non vehementem sunt sortita adstrictionem: & quæ tum propria sua substantia sunt moderatiora, tum lenietis liquoris admixtione adhuc magis talia fiunt. Lenientes autem mitigantesue humores medicamenta sunt, *Gal. lib. 13. ter. med. cap. vltim. teste*, potissimum oui candidum, fœnograeci decoctum, & adhæc amplius ipsum lac. In quo sane prouidum esse medicum oportet, vt iuuenculæ simulque boni succi fœminę exsistat, vberibus ipsius in cotem, in qua collyrium teritur expressis, quo calidum adhuc oculis infundatur. Hoc vero præcipue in iis qui vehementi dolore affliguntur, vel propter phlegmonis magnitudinem, vel ob influentium humorum acrimoniam, faciendum. Fronti itaque illinendi succi rosarum, plãtaginis, solani, semperuiui, foliorum salicis, aut eorundem liquores stillaticii, cum oui albo & aceto. His admiscere cõuenit *bolam armenam, thus, acatiam, santala rubea, balustia, & similia, ex quibus adiecto oleo rosaceo, & farina hordeacea, cataplasma aut emplastrum componatur*. Emplastica vero & anodyna, hoc est, dolores sedantia, vt est cærussa lota, amylum, & cicuta, non sunt temere adhibenda. Hæc enim etsi maxime reprimere quod influit, & simul sensum torpescere possunt, tamen *(vt testatur Gal. 6. Aph. comm. 31.)* vehementes fluxiones non reprimunt, sed potius excerni prohibent. Quare si humores confluentes acres fuerint, corneam erodi continget. Si vero multi, magis irritari, & vehementius extendi. Ex quibus profecto nisi medicamẽtum fuerit summopere stupefaciens dolores impatibiles excitantur. Si vero tale fuerit, visoriam vim mirifice lædet. Quare vehementer stupefacientia, nisi maxima doloris necessitas vrgeat, non sunt admouenda: ꝗ scil. facultatẽ visoriam offendant, adeo vt desinente phlegmone, vel obscure & debiliter, vel nihil omnino videantur. In principio itaq; medicamẽta quæ refrigerant, adstringũt & repellũt, admouenda. In incremẽto morbi, repellentib. nõnihil ex iis ꝗ discutiunt, admiscendum. At in vigore, mitigatoria applicanda. In inclinatione, ea quæ discutiendi tantum facultate pollent. Vbi igitur concocta iam phlegmone ipsa fuerit, & simul corpus vacuum, vt non amplius ex capite ad oculos fluxio metuenda sit, tum vtique lauationes iis in balneo temperato sunt aptissimæ. Nam, *vt Galenus loco paulo supra citato scribit*, & dolorem statim sedant, & fluxionem quæ ad oculos fertur sistunt, maxima quidem ex parte inter lauandum per totum corpus excreta, reliquo autem contemperato. Fomentum insuper omnino adhibendum est ipsis oculis per spongiam, si quidẽ mediocris sit dolor, semel aut bis in die. Si vero vehementior fuerit, præstat ter aut quater, & sæpius vti, in longis præsertim æstiuis diebus. Fiat vero fomẽtum per meliloti, florum chamæmeli, &

Marginalia: Astringentia & reprimentia. Liquores mitigantes. C — Emplastica & refrigerantia vehementer nõ temere adhibenda sunt. Stupefacientia non temere admouenda. D — Balneum. E — Fomentum discutiens. F

Fœnugræcum. Collyriũ.

A meli, & fœnugræci decoctum. Est enim hoc medicamentum maxime omnium, quæ oculis admouentur, sine offensa discutiens. Lauandum tamen prius curiose fœnugræcum, ne quid illi vel pulueris, vel sabuli adhærens clam lateat. Aloe etiam per se, vel succo, aut liquore stillaticio fœniculi & rosarum diluta, mirabiliter confert. Poteris itaque hoc vti collyrio, quod accipit: *Liquoris stillaticii rosarum fœniculi, & euphragiæ, singul. vnc. vnam. Aloes, drachmam vnam. Pompholygis lotæ, drachmam dimidiam.* Commisceantur singula, fiatque collyrium liquidum. Si a biliosis fiat humoribus, dolor sedandus, & bilis purgantibus medicamentis vacuanda, eiusque feruor, ac fluor compescendus. Pari ratione faciendum erit, si a crassis humorib. lippitudo fiat, nempe concoquendi & alterandi erunt pituitosi humores, postea purgandi, tandem topica adhibenda. Sin ex flatulento B spiritu oriatur, itidem humores pituitosi tum alterandi, tum purgandi sunt adhibitis reprimentibus, & postremo flatus discutientibus medicamentis.

De Pterygio. Cap. XXXVII.

Pterygion quid. Vnguis. Vngula. Caussæ. Notæ. Victus. Curatio.

Πτερύγιον neruosa est adnatæ membranæ eminentia, seu membranula, quæ ab angulo maiori quidem oritur, sed vsq; ad coronam seu irim oculi progreditur. Quum vero augetur, pupillam etiam obtegit. Latini *vnguem* appellant, barbari *vngulam*. Oritur magna ex parte ob scabiem oculorum, siue scabram lippitudinem, aut continuum humorum crassorum & lentorum defluxum. Signis quibus vitium deprehenditur nullis, est opus, cum oculis ipsis sit manifestissimum. Victus ratio talis sit, quæ crassos & lentos humores extenuet: quæ qualis sit, ex superioribus facile cognoscitur. Ceterum quod ad C curandi rationem attinet, animaduertendum, quod magna & diuturna pterygia sola chirurgia amoliuntur: quam copiose tradit Aetius *libr. 7. cap. 60. & Paulus lib. 6. cap. 18.* Recentiora, & magnitudine mediocria præsidiis dissipantur abstergentibus: sic tamen, vt vniuersum corpus primum a crassis & lentis purgetur humoribus. Initio itaque ea, quæ crassos & viscidos humores extenuant, & incidunt medicamenta: deinde vero quæ eosdem purgent & vacuent, sunt propinanda: quorum omnium materiam & formulas e præcedentibus petent studiosi. Neq; enim necessarium, neq; etiam decorum esse iudico, singula repetere. Corpore vniuerso purgato, pterygium primum ex aqua temperate calida, & cum decocto, *maluæ, altheæ, chamameli, semine lini, fœnugræci,* & similium foueatur: deinde quæ extergunt repurgantue medicamenta admoueantur: qualia sunt D inter simplicia thus in tenuissimum puluerem redactum, item sæpiæ testa vsta. Vehementiora vero æs vstum, *chalcantum, seu atramentum sutorium, squama æris chalcitis, mysi, & fel porcinum.* Pumex præterea torrefactus & tenuissime tritus non inutiliter vino leuigatus illinitur. Fel quoq; caprinum cum succo artemisiæ, & melle mixtum inungendum. Est & hoc efficax medicamentum, quod accipit: *Atramenti sutorii, drachmas tres. Gummi, drachmam vnam & dimidiam. Leuigata vino illinantur.* Et hoc quod recipit: *Atramenti sutorii, gummi, salis ammoniaci singulorũ drach. duas.* Hæc trita in aceto, in collyria digerãtur, vt cum vsus expostulat, adhibeantur. Aliud laudatũ: *Chalcitidis vstæ, donec in prunã cõuersa sit, semunciam. Croci, drachmã vnam.* Terito & exsiccato, & vtere, hoc nimirũ puluere vnguẽ africans. Præstantissima enim sine liquore detrita, siue instar pulueris inspersa & affri- E cta collyria. Mirifice etiam conducunt testæ sepiæ cum sale ammoniaco tritæ, & applicatæ. Hæc collyria commemorasse sufficiat, quod quisq; possit sibi tam e Græcis, quam Arabibus auctoribus complura eius generis medicamenta citra laborem comparare.

Collyria.

De Phlyctænis. Cap. XXXVIII.

Phlyctænæ. Vesicæ. Color phlyctænarum quare variatur. Caussæ. Notæ.

Φλυκταίναι pustulæ sunt exiguæ, veluti quædam bullæ, supra corneam potissimum tunicam eminentes: quales iis potissimum accidunt, qui ex anthematis affliguntur. Sic dictæ ἀπὸ τοῦ φλύειν, hoc est, *ab ebullitione & feruore.* Barbari *vesicas* nominant, quod seroso humore plenæ sunt. Color phlyctenarum variatur, prout in superficie, aut profundo corneæ fiunt. Nam quum cornea tunica ex quatuor veluti membranulis tenuissimis constet, fit vt interdum sub prima phlyctæna oriatur membrana, vnde etiam co- F lore nigrior apparet. Interdum sub secunda aut tertia, quæ & candidior spectantibus offertur, quoniam in profundo occultatur: natiuus enim phlyctænæ color niger est, cornea vero tunica veluti cornu pellucida est, & candicat. Quanto igitur phlyctæna profundior fuerit, tanto candidior apparebit, magisque dolorifica, & molesta. Oriuntur ob copiam sanguinis, aut ab acribus humoribus. Notis ad vitii co-

gnitionem nihil opus est, quod aperto oculo satis appareant phlyctenæ. Caussas dignoscere haud difficile erit, si & doloris qualitatem ac magnitudinem, ipsarumque pustularum calorem, & ægri temperamentum, habitum, ætatem, ac eiusdem ante actam vitam, & id genus alia perpendamus. A

Curatio. Quod ad curandi rationem attinet, ægri parum loquantur, euitentq; motus, & sternutationes, iram, spiritus detentionem, nimium splendorem: deinde cibo & potu vtantur exiguo, molli, & concoctu facili. Si plenitudo fuerit totius corporis, ætasque & alia permiserint, vena humeraria, superior secanda erit, potissimum si phlyctæna magna fuerit, & rubor accesserit. Aluum quoque clystere acri citabimus, vt humorum defluxus deorsum vertatur. Aluus etiam cum *iure galli, aut cnici cremore, aut aloe, manna, pulpa casiæ fistularis, oxyphenico, aut alio quopiam simplicium aluum ducentium mouenda.* Vehementiora vero medicamenta purgantia, præsertim quæ stomacho aduersantur, euitanda. Deligationes quoq;, & linteorum lanæue applicationes ab eisdem remouebimus: sunt enim hæ infestissimæ non eis tantum, sed omni quoque lippitudini ab acribus humoribus ortæ. B

Localia. Locus igitur initio illinendus est, quando phlegmone obsederit, leuib. quidem rebus, sed apte adhærentibus. Sumenda enim linteola tenuissima & mollissima, super quibus extendes medicamenta, quæ instar fomenti aut cataplasmatis adhibebis, & toti oculo appones complectendo malam, supercilium, & tẽpora: ac tamdiu permittes, quamdiu humida fuerint. Vbi vero aruerint, statim auferes, nouumq; rursus simili modo appones. Eligere autẽ oportet illa, quæ ad phlegmones conueniunt, hoc est, quę reprimunt, roburque oculo adiiciunt, atq; adeo ne malum latius serpat prohibent: vt sunt *ouorum vitelli, in aqua rosarum stillatitio liquore vehementer agitati, & cum croco, & opii portiuncula, sapaq; vel lacte & pane subacti, poma cotonea decocta, & malicoria in aqua elixata.* Obseruandum tamen vnice, *quod antea quoq; monuimus,* ne oculus arcte vinciatur: id enim aduersissimum est: imo sedata phlegmone cataplasmata & fomenta, vtpote quæ grauitate sua lædunt, remouebis. C

Collyriũ. Quare alii malunt liquidis collyriis vti, quale hoc est, quod accipit: *Licii, croci, vtriusq; drachmam dimidiam. Acaciæ scrupulum vnum, Thuris, scrupulos duos. Albi ouorum & liquoris stillaticii rosarum, vnciam vnam. Commixtis omnib. fiat collyrium, de quo guttatim in oculũ instilletur.* Si fomenta applicantur, obseruandum erit, vt principio tepida sint: calidiora n. phlegmonem exacuunt. Transacto initio balnea, ceteraque calefactoria conceduntur, quæ reliquum discutere valent. Quare non inutiliter oculus decocto *chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, meliloti, & similium fouetur,* aut de eo guttatim in oculum instillatur. D

Victus. Toto curationis tempore a vino abstinendum, & aqua, in qua parum sit *decoctum cinnamomi* potanda, cibique molles, & qui facile concoquuntur, assumendi. Quod si phlyctæna ob multitudinem rumpatur, aut propter acrimoniam erodat, vt inde membrana vlceretur, peculiarem curandi rationem requiret, quam sequenti capite docebimus.

De vlceribus oculorum. Cap. XXXIX.

Vlcera nunc in adnata membrana, nunc in cornea, interdum etiam in palpebris, & angulis oculorum fiunt. Accidunt nonnunquam a caussa externa, spina, ictu nimirum, concussione, & iis similibus. Magna vero ex parte ab interna caussa, puta acrium humorum erosione.

Signa. Si a caussa externa, quam *primitiuam* hodie nominant, vlcus exoritur, facile e sermonibus ægri & astantium cognoscitur. Si vero ab acribus humoribus, e pruritu, dolore ac punctione, promte sciri potest. E

Quæ vlcera periculosiora. Ceterum vlcera in adnata membrana oborta, non ita sunt perniciosa, periculosaue, vt ea quæ corneæ innascuntur. At omnium perniciosissimum vlcus est, quod corneæ e pupillæ regione euenit. Siquidem hoc vlcus pupillæ procidentia subsequi solet quam ocyssime.

Curatio. Siue autem in adnata, siue in cornea, siue in palpebris, siue in angulis, siue in quacunque oculi parte vlcus fieri contigerit, communi consilio curabitur, *quemadmodum reliqua totius corporis vlcera.* Corpore itaque pleno exsistente, a venæ humeralis eiusdem lateris sectione, curationem auspicabimur. Si vero ab humorum acrimonia vlcus fuerit exortum, purgantibus medicamentis vtemur, & clysteribus aluum eluemus, atque humorum defluxum ad inferiora auertemus. In quem vsum inferiorum etiam membrorum frictio plurimum conferet. F

Localia. Quod ad localia attinet medicamenta, ob partis affectæ naturam, quam lenissima adhibenda sunt. Si itaque vlcus cum phlegmone infestet, & inflammatio adhuc circa oculum exsistat, aut quispiam etiam dolor, oculo per initia collyrium album muliebri lacte detri-

detritum ac dissolutum immittendum erit. Oculus etiam oui albumine irrigandus, & illinendus linimento, quod ex ouo simul cum vitello ac rosaceo, & vino tepefacto conficitur, excipiturq; lana & applicatur. Subsequentib. diebus *fouebis rosarum aut meliloti decocto instillabisq; lac mulieris cum ouo recens mulctum, vel tepefactum.* Linimentis præterea vteris, quæ ad phlegmones & inflammationes descripta sunt, præsertim, quod ex *capitibus papaueris, meliloto, croco, & pane* præparatur. Leuia tamen sint linimenta, & superior tantum palpebra illis illinatur, vt commode aperiatur oculus ad defluendas lacrymas excernendas. At si vlcus sordidum fuerit, mulsa mediocriter aquosa, & fœnugræci decocto vtemur per se, aut adiecto quopiam mellis. Fœnugræcum autem prius diligentissime purgari oportet: deinde plurimum ablui: postea in aqua dulci purissima die ac nocte madefactum in fictili exactæ decoqui, vitariq; in decoctione vas æneum. Postero die effusa priori aqua, & alia pura affusa, ad ignem splendidum fumo carentem decoquito. Ideo vero primam & secundam aquam abiicimus, vt omnis inde amaritudo eximatur. Tertio igitur purissima aqua adiecta & exquisitissime operta, hanc ad liquidioris mellis consistentiam decoquito: inde per linteum excolabis, fœnugræcum nequaquam exprimens, sed eo tantum succo contentus, qui sponte defluet, quem ad sordes depellendas seruabis. Seruari autem in alteram diem, vel quam longissime in tertiam potest: vlterius n. moratus acescit. Vbi vlcus satis purgatũ fuerit, a *succo fœnugræci* abstinebis, & ea quæ glutinandi ac incarnandi vim obtinent admouebis. E quorum numero est hoc e thure collyrium, quod accipit: *Ammoniaci, sarcocollæ, vtriusq; drachmam dimidiam. Thuris, drachmas decem. Croci, drachmas duas, Omnia leuigata, ac fœnugræci succo excepta, in collyria digerantur.* Vlceribus iam incarnatis, & ad planiciem (quoad fieri potest) redactis, collyria quæ ad cicatricem ducunt, admouenda erunt, quale est, quod accipit: *Pompholygos elotæ, drachmas tres. Plumbi vsti & loti, drachmas duas. Croci, drachmam vnam. Squamæ æris, drachmas duas. Gummi vncias tres.* Omnia leuigata, & aqua pluuiali excepta, digerantur in collyria ad vsum. Sunt qui *aloen diligenter lotam, & corallia rubea* adiiciunt.

Fœnugræci succus, quem barbari mucilaginem vocat, vt parandus.

B

Collyriũ e thure.

C

Collyriũ ad cicatricem ducens.

De cicatricibus & albuginibus oculorum. CAP. XL.

POst curationem vlcerum oculorum, dum continui eorum solutio restituitur, cicatrices illis innascuntur, quæ alio nomine *albugines* vocantur. Hæ autem duplices sunt, quædam enim in summa oculi superficie consistunt, & hæ quidem Græcis νεφέλια καὶ ἀχλύς, Latinis autem *nubeculæ, & cicatrices, & albugines tenues* dicuntur. Quæ vero radices altius agunt, has λευκώματα Græci, *albugines crassas* Latini vocant. Ceterum hæ oculi cicatrices recte *albugines* dicuntur, omnes enim cicatrices in nigro oculi candidæ videntur: densata enim cornea tunica, subiectus ipsi cæruleus color non amplius transparet, eminentes vero præcipue albescunt, planæ minus candicant, magis caui autem parti nigræ oculorum quodammodo assimilantur. In exterendis autem cicatricibus vnice opus est congrua victus ratione, vt contemperata materia, probusque succus per totum corpus diffundi possit. Ab omnibus igitur acribus, salsis, & crassi succi cibis, ac vini copia abstinere oportet: maxime vero concoctioni studere, rebusque boni succi mediocriter vesci. Locus autem affectus siue laborans, illinendus est ante cibum, hesterna cœna exactissime concocta, perceptaque capitis & vniuersi corporis leuitate, aluoque exonerata. Neque statim inungendus est, qui modo a lecto surrexit, neque ante cœnam. In curandi ratione, in primis sunt euitanda medicamenta acria, quæ cicatricem excoriant. Nam ex illorum acrimonia defluxus concitantur, & phlegmones, atq; interdum dissolutis cicatricibus profundantur vlcera. Eligenda igitur sunt medicamenta expurgantia & extergentia, mixta cum iis, *Aetio teste*, quæ moderate adstringunt. Inter ea autem medicamenta, quæ recentes cicatrices abstergũt, laudatur *equinum lac cũ modico melle assidue illitum. Anagallidis item cæruleum florem ferentis succus, cum melle oculo instillatus. Mentæ etiam succus mirum in modum confert. Minoris centaurii succus cum melle. Item chelidonii succus ex melle. Vetustiores albugines æs solum, aqua tritum, modo collyrii, extenuat. Iisdem butyrum priuatim illitum extreme conducit. Rumicis quoque domestici, & plantaginis semen in fictili crematum, tritumque exactissime. Item sepiæ testa combusta, & cum melle in pollinem redacta.* Valet & hoc ad albugines exterendas, quod accipit: *Chelidonii sicci, & succi eiusdem exsiccati, vtriusq; drachmas tres. Seminis ameos, sachari vtriusque drachmas duas. Terantur omnia, fiatq; puluis subtilissimus, oculisq; inspergatur.* Præstat tamen iis adiicere aliquid adstringentium, vt est *sarcocolla,*

Cicatrices oculorum, siue albugines.
νεφέλια καὶ ἀχλύς.
λευκώματα.
Albugines vnde dictæ.
Victus.

D

E

Curatio.

F

Collyriũ aridum.

aut thus. Cornu autem cerui & caprarum, combusta, sine omni erosione abstergunt. A
Aloe. Aloe vero mixtæ cuiusdam facultatis est, sicut & rosa: inest enim illis quædam amaritudo qua extergunt, inest & adstrictio, qua vnire possunt, & ad cicatricem perducere. Adiiciamus iam dictis collyrium adhuc vnum aridum, quod recipit: *Ossium, sepiæ, sarcocollæ, aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, spumæ, nitri, sachari, singulorum drachmas duas.* Tritis omnibus fiat puluis. Hæc commemorasse sufficiat, quia plura alia apud diuersos auctores conscripta reperiuntur.

Aliud.

De Sugillatis. Cap. XLI.

ὑπόσφαγμα καὶ ὑπώπιον. Sugillata. Macula oculi. Caussæ. Signa. Curatio.

Υπόσφαγμα καὶ ὑπώπιον Græcis dicitur, quando propter ictum aliquem fractis aut contusis vasis, intra tunicas oculorũ sanguis colligitur, & in extima parte veluti sanguinis puncta apparent. B Latini *sugillationem & sugillata* vocant. Recentioribus Medicis *macula oculi* appellatur. Caussæ ex iam præmissa descriptione satis patent. Signa etiam nulla requiruntur, quod vitium visui statim se manifestet. Porro cum sanguinis effusio e venis facta est, accidit, vt progressu temporis liuescat & denigretur, exiguis nimirum grumulis ex sanguine in multas oculi partes disperso, coactis. Quare merito ad eius curationem statim festinant Medici priusquam denigrescant, eo sane curationis consilium dirigentes, vt sanguinem dissipent: non ignari, quod sanguis qui in grumos coierit, ægerrime possit discuti. Quia vero tunica venularum, ex quibus sanguis exsilit, contunditur ac rumpitur, parum quid ex adstringentibus ad discutientia admiscetur. Si enim solam discussoriam facultatem haberet medicamentum in principio admotum, non solum quod effusum est discuteret, sed & per fissuras aliquid sanguinis, qui in contusis C venis continetur, attraheret. Postquam vero in naturalem statum redierint venulæ, citra adstrictionem ad discutientia medicamenta venire tempestiuum est. Quare venæ sectione, si opus fuerit, aut purgatione, si ita visum fuerit, præmissa, statim sanguis palumbi, vel columbæ ex teneris præcipue alis expressus, aut lac muliebre calidum, cui thuris vel croci paululum sit adiectum, instillandum. In eum quoque vsum albumen candidumue oui tepefactum oculo infundendum. Atque amplius lana munda exceptum, & superimpositum. Recte autem valet & luteum oui tosti, cum vino illitum: aut melilotum coctum ex vino, eodem modo impositum. Insuper *rosarum folia & flores seorsim, & cum vino trita, tenuique polenta, aut brassicæ folia illita* prosunt. Recens etiam caseus, & D qui salem nuper accepit, eo quod mixtam facultatem, emplasticam & obturantem per se, & discutientem & aliqualiter adstringentem ex sale habeat, initio illitus confert. Huius quoque generis sunt, *crocus, melilotum, & rosa.* Hæc autem antequam admoueantur, oculus *decocto meliloti & fænugræci* fouendus erit. Conducit autem bis in die medicamentum applicare, ac simul prius decocto prædicto calido per spongiam mollem fouere. Vbi vero iam sine phlegmone oculus fuerit, & sugillata vetustatem contraxerint, ex solo *fænugræci decocto* oculi fouendi erunt, & discussoria, citra ea quæ adstringendi facultatem obtinent medicamenta, sunt admouenda. In veteratis vero sugillatis, & quando nigrescunt, conuenit *raphanus* applicatus. Discutiens etiam medicamentum est *myrrha, hyssopum, fænugræcum, chamæmelum, folia lilii, & alia, quæ in libro 1. de compos. medic. recensuimus.* E Ex iis studiosi parabunt medicamenta idonea, quorum etiam copiam apud Galenum *libro 5. de compos. medic. secundum locos inuenient.*

Localia.

Caseus recens.

De pure sub cornea. Cap. XLII.

πύωσις. ὑπόπυον. Sanies intra corneam. Caussæ. Notæ. Curatio.

Πύωσις καὶ ὑπόπυον vitium Græcis fit, quando pus sub cornea nunc altius, nunc in summa superficie colligitur, humani vnguis specie. Hinc est, quod idem vitium Græcis etiam ὄνυξ nominetur. Aliqui interpretes *vngulam*, barbari *saniem intra corneam* vocant. Fit interdum ab vlcere, interdum etiam sine vlcere, si capitis dolor, aut lippitudo, seu phlegmone præcesserit: ob ingentem enim phlegmonem disruptis vasis sanguis effusus suppuratur. Signa partim nunc dicta sunt, quibus accedit *pulsatorius dolor*, ac circa vniuersum *oculum rubor*, & *temporum dolor.* Initio curationis, si phlegmone affuerit, aluus F clysteri abluatur, & inaniatur. Dein, vbi nihil obstiterit, sanguis a superiori gibberi vena, quam *humeralem* vocant, mittatur, & cucurbitulæ occipitio, aut sanguisugæ temporibus affigantur. Quibus peractis medicamentis ad phlegmonem idoneis, & antea commemoratis, vtendum. Phlegmone sopita, aut nulla penitus exsistente, locum spongiis, primo moderate, deinde adiectis quibusdam, *decocto nimirum fænugræci & similium,*

A *milium*, paulatim progrediendo, magis ac magis fouebimus. Ad curationem autem huius vitii mediocriter discutientia medicamenta, vt est *aqua mulsa, fœnugraci succus, & huiusmodi*, vtilia sunt. Quæ enim vehementius discutiunt, & exsiccant, statim quidem ea, quæ tenuia sunt, vacuant: reliquum vero crassius redditum, cogunt atque exsiccant, vt vix exstirpari queat. In summa, si vitium citra vlcerationem consistit, valent medicamenta, quæ supra in *capite de pterygio dicta sunt*. Si vero cum vlceratione, tunc ea, quæ mediocriter discutiunt, quorum multa in superioribus recensuimus, magis conueniunt.

De Suffusione. CAP. XLIII.

Ὑπόχυμα καὶ ὑπόχυσις Græcis, *suffusio* Latinis *cataracta* barbaris dicta est, *humoris lenti &* B *glaciei modo concreti, inter corneam & crystallinum humorem affusio, quo visus eatenus saltim impeditur, vt non possit discretas rerum species & colores oculis apprehendere.* Eius mali caussa est, *vt ex iam dictis constat*, humor crassus iuxta pupillam inter corneam & crystalloiden collectus. Fit etiam Paulo *libro 6. cap. 21. auctore*, ob frigiditatem & imbecillitatem spiritus visorii: idcirco senibus, & iis, qui longis morbis laborarunt, magis euenit: ob violentum denique vomitum, & ictum. Incoante vitio tanquam pusilli culices, vel alia lucentia, caliginosaque corpuscula assidue præ oculis aduersari videntur. Quibusdam veluti lanarum filamenta, & telæ aranearum, quibusdam circa lucernas circuli offeruntur. Aucto vitio, symptomata quoque augentur. Hæc autem nonnunquam propriæ noxæ oculi, nonnunquam ventriculi malo feruntur accepta. Quare inter hæc duo discri-C men habendum est. Si enim visa ob humorum in ventriculo contentorum vitium oborta fuerint, vtriq; oculo similiter accidunt. Quæ vero per proprium vitium apparent, neque incipiunt simul in vtroque, neq; similiter apparent. Deinde ex tempore quoque ipso distinguuntur. Si enim tribus quatuorue, aut etiam pluribus mensibus suffusionis symptomata apparuerint, contemplantique tibi pupillam, nihil tenebrosum videatur, ab ore ventriculi malum procedere inuenies. Si vero non ita multum temporis intercessit, quærendum est in primis, vtrum ex quo incepit malum singulis diebus perpetuo huiusmodi apparitio perseuerauerit, nullo scilicet interueniente die, qui omni querela caruerit, an diebus quibusdam laborans exacte videatur conualuisse. Nam assiduitas suffusionem portendit. Intermissio vero, quod vitium a ventriculo prodierit, su-D spicionem excitat. Idque magis, si vbi quis perfecte concoquens, nullum sibi visum apparere fatetur. Sed multo magis, si quum apparuerunt visa, mordicus in ore ventriculi doluit: maxime vero, si post hæc vomendo, eiecta re mordente, mitigata fuerint symptomata. Vbi vero altera pupilla tenebrosior, aut turbidior, aut non exacte pura videtur, suffusionis esse initium censendum est. Victus ratio in hoc vitio fit attenuatoria, & exsiccatoria. *Hyssopo* igitur, *satureia, sampsuco, fœniculo, betonica, saluia & euphrasia in cibo vtendum.* A vino abstineat in tota medicatione æger, & pro eo aqua, in qua parum sit decoctum, cinnamomi, aut aquam mulsam bibat. Euitet omnia caput replentia. A balneis sibi caueat, nisi vel lassitudinis, vel cruditatis caussa sint necessaria: atq; ne tum quidem in aere balnei diutius immorari, neq; in solio persistere: sed sensim quidem ingredi, co-E festim vero egredi oportet. Fugiat pisces, fructus, & quicquid corpus humectare potest. Curandi ratio inter initia quum per consensum ventriculi accidit, nec affectus adhuc in oculo est, purgatione, quæ per hieram picram fit, & aliis quæ euaporationem a ventriculo ad caput prohibent, curatur, nisi quid obstet, a sanguinis missione incoanda. Vena autem gibberi secanda exterior, seu humeralis. Acribus etiam clysteribus & purgationibus, vtendum, quorum formulas e superioribus petent studiosi. Neq; negligenda sunt medicamenta extenuantia, tam simplicia, quam composita, quæ redundantes humores præparant, vt ex simplicibus sunt paulo ante nominata. Ex compositis serapia ex *hyssopo, calamintha, & stichade*, qualia multa recensuimus in superioribus capitibus. Inter cetera vero hoc potissimum confert, quod accipit: *Oxymelitis scylliticii vncia vna. Mel-F lis rosacei, vncia dimidia. Liquoris stillaticii fœniculi, betonicæ, maioranæ singul. vncia vna. Commixtis omnibus fiat potio.* Potest parari decoctum e *fœniculo, euphrasia, verbena, ruta, chelidonia, & id genus aliis oculis destinatis herbis.* Inter ea quæ purgant, non postremum esse hoc in vitio videtur illud, quod recipit: *Catapotiorum cochiorum, lucis sine quib. esse nolo, sing. scrupulũ vnum. Agarici in formam pastilli redacti, scru. dimidium. Cum stillatitio liquore fœniculi,*

[Margin notes: ὑπόχυμα. Suffusio. — Caussæ. — Nota. — Victus. — Curatio. — Medicamentum extenuans. — Catapotia.]

fiant pilulæ. Frequenter vero pilulis vtendum erit. Post vniuersi corporis purgationem A cucurbitulæ cum scarificatione occipitio sunt affigendæ, vtendumque per interualla apophlegmatismis, & iis, quæ per nares purgant, quorum formulas *in præcedentibus capitibus & in lib. 2. de compos. medic.* posuimus. Cauterium quoque, *quale est, quod cap. 20. descripsimus*, occipitio aut post aures apponendum erit. Oculis autem medicamenta, tum simplicia, tum composita, quibus discutiendi vis inest, adhibenda: vt est *mel fœniculi succus & liquor stillatitius, ruta, verbena, betonica, chelidonium anagallis, folia vitis, & caprifolium vocatum.* Inter composita vero hoc potissimum conducit, quod accipit: *Liquoris stillatitii fœniculi uncias duas. Liquoris stillaticii chelidonia maioris euphrasia, vtriusq; unciam vnã & dimidiam. Sagapeni, drach. vnam. Pompholygos, drachmas duas. Misce, fiatque collyrium.* Vel illud, quod habet *liquorum stillaticiorum rosarum, fœniculi, euphrasia, chelidonii, florum lilii conuallii, singul. unciam vnam. Vini optimi pellucidi, drachmas septem. Aloes optimæ thuriæ præparatæ, cinnamomi, polii, radicis Valerianæ, testarum sepiæ singulorum subtilissime puluerisatorum scrupulum vnum. Sagapeni, scrupulum dimidium. Sachari candefacti, drachmas tres. Caphuræ scrup. dimidium. Miscetur, fiat collyrium.* Præterea omnia fellis genera per se, aut cum fœniculi succo illita prosunt. Myrrhæ quoque & piperis partes æquales cum melle. Atque ea, quæ nunc commemorauimus præsidia, suffusionem recentem, & quæ nondum radices egit, curare possunt. Vbi vero vetusta & perfecta fuerit, sola chirurgia sanabitur, quam Paulus loco antea citato abunde docet. B

Cauteriũ. — Collyriũ.

De dilatatione & diminutione pupillæ. CAP. XLIV.

Μυδρίασις. MYdriasis Græcis, *dilatatio*, aut *effusio pupillæ* Latinis dicta, fit quando pupilla colore quidem nihil euariat, sed multo quam consueuit latior fit, vt interdum iridis circulo appropinquet: qua nonnunquam omnino visus impeditur, interdum permultum, vt videat quidem æger, sed obscure. Contrarium huic vitium, in quo pupilla angustior, obscurior, rugosiorq; fit, Græcis φθίσις, Latinis *tabes & diminutio pupillæ* vocatur. Recentiores *constrictionem pupillæ* nominant. Dilatatio accidit ob humorem excrementitium, qui confertim vel sensim affluens vueam extendit. Diminutio vero propter densationem a siccitate ortam. Hinc est, quod magna ex parte periculosas imbecillitates ab inanitione factas, & vehementissimos capitis dolores comitetur. Signis ad vitii dignotionem nullis est opus, quod visui expositum sit. Præterea qui dilatatione pupillæ laborant, iis omnia quæ vident, propter visibilis spiritus dispersionẽ, minora apparent. Contra, qui diminutione eiusdem afficiuntur, iis propterea, quod cogatur ac denseтur spiritus visilia veris maiora esse videntur. Victus ratio in dilatatione sit extenuatoria, aluoq; emolliendæ idonea. A vino vsq; ad exactam sanitatem, prorsus abstinendum. Deambulationes lenes ac longæ in obscuro loco factæ conducunt. Ad balneum crebro accedendum non est. Atq; vbi accesserit æger, capitis lotioni parcendum. In diminutione vtendum victus ratione humectante, nimirum *sorbitionibus boni succi, vinoq; flauo & odorato.* Cibum somnus mox sequatur. Balnea quoq; prosunt, & capitis cum calida aqua irrigatio. Qui dilatatione pupillę infestantur, iis primum sanguis a vena gibberi exteriore mittendus, aut purgantia medicamenta propinanda. Quæ si fieri nequeunt, venas in angulis oculorum diuidere oportet: deinde cucurbitulam occipitio admouere. Omni præterea studio annitendum, vt materia ad inferiora trahatur. Clysterib. igitur vtẽdum, vt aluus humecta sit, & humores noxii ad inferna detrahantur. Marina quoq; aqua frontem & oculos perfundere cõuenit: hyeme quidẽ tepida, æstate autem frigida. Imo & facies tota in eadem aqua mergenda est, ibiq; apertis oculis aliquo tẽpore detinenda. Quod si desit marina, dulci aquæ quidpiam salis adiicito, aut poscam aquosam sumito. Ceterum medicamentis localib. vtendum sub adstringentib. sicut *rosa, croco, spica nardi, thuris cortice, pompholyge, acacia, & iis similibus.* Item medicamentis mediocriter discutientibus. Vehementiora enim & acriora, humorum copiam attrahunt, atq; adeo membranas distendunt, latioremq; pupillam efficiũt. Plurimum autem adstringentia, & nimium refrigerantia membranas indurant: emplastica vero easdẽ crassiores reddũt. Pupillam autem plus æquo cogere & coarctare omnino inutile est: nam ita tandem diminutionem incurreret. Ex medicamentis itaq; moderate adstringentib. & exsiccantibus siue discutientibus collyria huic vitio idonea parabuntur. Tale autem est, quod recipit: *Croci, aloes, myrrhæ, singul. drach. duas. Pompholygis lotæ, licii, vtriusq; drach. vnam. Vini optimi, vncias duas.* C D E F

φθίσις. — Caussæ. — Notæ. — Victus. — Curatio dilatationis. — Localia. — Collyriũ.

Mellis

A *Mellis unc. tres. Crocus primum ex vino modico teritur, deinde aloe, myrrha, & alia.* Vbi crassitudinem acceperint, mel additur. Vnita in vitreo vase reponuntur ad vsum. Diminutioni contrariam adhibere oportet curationem, superiora membra exercēdo, humeros scilicet & brachia, cum spiritus detentione, caputq; & faciem diligenter fricando, extremisq; digitis oculos cōtrectando, ac calida tepidaue faciem fouendo: deinde caput vnguento aliquo eorum, quæ moderate calefaciant, verbi gratia irino, vngendo. Tum palpebris paululum diductis illinendum erit oculo acre & rarefaciens medicamētum, quod humores possit attrahere, quale hoc est, quod accipit: *Ammoniaci, drach. vnam. Licii, drach. tres. Croci, drach. duas. Æruginis, drach. dimidiam. Tritis in aqua, & subactis vtitor.* Curatio diminutionis. Collyriū.

De visus obscuritate. Cap. XLV.

B Ἀμαύρωσις Græcis, *obscuritas visus* Latinis dicitur. Est autem *omnimoda, vel maxima ex parte videndi interceptio, sine manifesto pathemate vitioue circa oculum apparente: pura enim vndiq; pupilla conspicitur.* Hæc interdum paulatim irrepit, interdum etiam repente ingruit, vt perquam modicum, vel nihil omnino cernatur. Obscuritatis itaque sensim irrepentis caussæ plurimæ sunt, vel enim spiritus crassescit, vel tunicæ densantur: vel humores oculorum non crassescunt tantum, sed etiam lentiores fiunt, atq; adeo spiritus visorios obscurant. Longus præterea ac diuturnus morbus, & ingens mœror, ob humorum dissipationem, quam veluti oculi corrugatio sequitur, visus obscuritatem efficiunt. Repentinæ vero, nerui visorii, propter crassos lentosque humores confertim in ipsum C incidentes, obstructio, vel eiusdem resolutio caussa est. Præcedunt hoc vitium assiduæ cruditates, vini meri potio, moraque sub sole, capitis calefactio aut refrigeratio, post cibum continuæ lectiones, vel balnea, vomitus, concubitus importunus & immoderatus, violenta spiritus detentio: quod tubicinis frequentissime accidit. Hæc itaque iis similia si fuerint moderata ἀμβλυωπίαν, hoc est, hebetudinem efficiunt: immoderata vero obscuritatem. *Porro* accidit nonnunquam obscuritas ob vehementem capitis percussionem aut casum a sublimi loco, neruo visorio resoluto aut contuso: vel, quæ omnium benignissima est, ob ingentem concussionem delapsa humorum multitudine, & neruum visorium obstruente. Neruo resoluto, aut tarde, aut nihil mouetur oculus. Si vero propter violentum capitis ictum, vel casum a cerebri connexione abscindatur, primum D quidem oculis redditur prominentior, postea etiam excauatur, & non alitur. At vbi propter crassorum lentorumque humorum multitudinem, absque alia caussa nerui cauitas obstruatur, grauitas capitis, præcipue in radicibus oculorum consequitur. Si igitur repente inuaserit aliquem visus obscuritas, & æger plenitudine laborauerit, gibberi venam exteriorem, aut mediam secare oportet: tunc enim expeditissimum præsidium sanguinis missio est. Aliquot deinde diebus interiectis, iubet Aetius, fasciam collo nectere ac constringere venas, iisdemque tumefactis iterum eam soluere, & idem tertio repetere, vt per spiritus motum humores obturati agitentur, & violenter concutiantur. Postea a tumefactis angulorum naso adiacentium venis, vtrinque sanguinem copiose mittendum esse præcipit: aitque se quandoque tres cotylas ab iis ipsis venis eduE xisse. Quibus omnibus peractis, cucurbitulam cum scarificatione occipitio affigere oportet. Contingit enim plerunque, vt cucurbitula adhuc inhærente, homo repente respiciat. Hirudines etiam in hunc vsum, admouere temporibus cōuenit. Neq; iam dictis præsidiis tantum contenti erimus, sed totum corpus quoq;, si vires ferant, purgabimus medicamentis, quæ crassos & lentos humores educere possunt, antea tamen præparatos. Clysteris quoque attractorii & ab oculis reuellentis vsus laudatur. Postea apophlegmatismis, sternutamentis, & id genus aliis medicamentis caput expurgandum, qualia multa supra, vbi de capitis egimus dolore, produximus. Sinapismi etiam vsus in capite non erit alienus, & adurentia medicamenta, quæ καυστικὰ Græcis dicuntur, occipitio admota. Collyria denique e *succis vel stillatitiis liquoribus fœniculi, rutæ, chelidonii, melle, pipere* F *longo, aloe, Pompholyge, myrrha, ammoniaco sale,* & similibus parata, conducunt. Si vero visus obscuritas sensim accidit, itidem sanguinem ab angularibus venis mittemus. Et si æger pauci fuerit sanguinis, id protinus ab initio facere oportet. Sin multi, ex humerali primum sanguis auferendus. Deinde cucurbitula cum scarificatione occipitio affigenda. Purgare etiam corpus conuenit. Perseuerante quoque morbo, caput per errhina, & a-

ἀμαύρωσις. Obscuritas. Caussæ. ἀμβλυωπία. Signa. Curatio.

lia paulo ante commemorata purgabimus. Illitio autem oculorum primo quidem in omni obscuritate quouis modo conflata, simplicioribus iam recensitis fiat, postea ad A
Collyriũ. composita transeundum, quale est, quod accipit: *Liquoris stillaticii betonicæ, rutæ, verbenacæ, chelidonii, euphrasiæ, fœniculi & rosarum, singul. unciam unam. Piperis longi, drach. unam. Aloes, scrup. duos. Myrrhæ, scrup. unum. Pompholygis, drach. dimidiam. Arida terantur minutissime, & formetur collyrium.*
Victus. In victus ratione in vtroq; sane vitio concoctionis curam vnice habere oportet. Aer sit moderatus, siue parum ad siccum declinet. Somnus cõfert moderatus, & nocturnus. Enitendum etiam, vt alimentis præcipue aluum emolliamus. Exercitio inferiorum partium, vt humores deorsum trahantur, vtendum, pluribusque deambulationibus in obscuro loco. A vino abstinendum, & aquæ potio viriliter tolerãda, aut mulsæ, aut aquæ ex cinnamomo decoctæ. Omne crassioris succi alimentum, assiduumque cõcubitum, & capitis insolationem, balneaq;, & meridianos somnos vitare cõuenit, neque a cibo nimis agitari, neq; legere, aut scribere. Animi perturbationes, ira, & curæ ingentes, tumores, & eiusmodi fugiendæ, præsertim a cibo. Vitandæ etiam assiduę vomitiones. Confert autem quotidie frigida, præsertim pluuiali, aqua faciem abluere. B

De Nyctalopis. Cap. XLVI.

νυκτάλωπες. Nuscitiosi. NΥκτάλωπες Græcis, *nuscitiosi* Latinis, dicti sunt, *qui interdiu quidem vident, sole vero occidente obscurius, sed noctu omnino nihil.*
Nocturna cæcitudo. Plinius & alii Latini vitium ipsum *nocturnam cæcitudinem* vocant.
Caussa. Accidit ob capitis imbecillitatem, præsertim propter visorii spiritus, reliquorumque humorum, ac tunicarum oculi crassitudinem.
Signa. Vitium ex ægrotantis querimonia innotescit. C
Victus. Victus ratio in vniuersum sit extenuatoria, vitandaque omnia crassefacientia. Abstinendum a vino.
Curatio. Curatio, si æger boni habitus fuerit, a sanguinis missione auspicanda. Incidendæ vero in gibbero humeralis, & in angulis oculorum venæ. Si vitioso succo abundauerit, idoneo medicamento purgetur, sic tamen vt anteá attenuantibus & incidentibus medicamentis humores crassi præparentur, aut per clysterem aluus inaniatur. Post totius corporis vacuationem, apophlegmatismos adhibebis, ac per nares materiam attrahes, sternutationesque concitabis. Præter autem alia medicamenta, quæ supra commemorauimus, vnice hoc confert, quod habet:
Errhinũ. *Piperis, staphydis agriæ, vtriusq; scrup. duos. Sinapi, scrupulos quatuor.* Terito & cribrato: deinde cum succo radicum betæ ad mellis liquidi consistentiam excipito. Hæc vbi simul subegeris, naribus admoueto, iubeq; vt per nares attrahantur: idq; diebus quinq; aut septem efficias. Insuper ante cibum *hyssopus, origanum, rutaue decocta* potui dentur. Si iis præsidiis D
Purgatio. morbus non propulsabitur, igitur purgationem moliemur. Commendat autem vnice Aetius hoc, quod habet: *Scammonii, drachmam dimidiam. Castorii, scrup. vnum. Salis, drach. dimidiam*, idq; in robustioribus. In imbecillioribus, hodie præsertim, vero *scammoniæ, scrup. vnus* sufficit. Hæc purgatio, vt idem testatur, sæpe repentinam sanitatem restituit, aut morbum magna ex parte leuauit. Post dies paucos iterum exhibendũ medicamentum, quod pituitam simul & bilem vacuet. Quale est, quod recipit *catapotiorum lucis maiorum, drach. vnam. Catapotiorum arabicarum, scrup. vnum. Agarici trochiscati, scrupulos duos.* Formentur pilulæ cum stillatitio liquore fœniculi. Oculis aute m mel despumatum illinendum, & ad iniectum humorem retinendum, oculi clauden Alumen etiam cum melle tritum illines. E Sint autem *aluminis scissi partes duæ, vt sal ammoniaci pars vna trita cum melle aut muliebri lacte. Vel cyclamini recentis, vel ceparum succum cum melle, aut lacte mulieris.* Fel quoq; hirci ex melle illitum paucis diebus vitium tollit, *vt inquit Alexander.* Acrium tamen medicamentorum assiduus vsus remouendus est: sicut antiquissimum oleum nunquam omittendum. Traditur a multis conferre sic laborantibus iecur hircinum assum, & cum sale absq; oleo feruens comestum. Quidam & sanie seu aquoso humore a iecore illo dum torrefit, effluente, illinendos oculos iubent. Alii idem iecur elixantes, apertis oculis vaporem hinc eleuatum excipiunt. Sunt qui illud cum felle assandum esse, vt validius fiat, putant. Ali ter assandum ei *folia fœniculi, vel rutæ, vel chelidonii* infigenda esse monent. Elaterium quce melle per interualla illitum prodest. Præterea fel perdicis, aut hirci inunctum iuuat. F

De expressione oculi. Cap. XLVII.

ἐκπιεσμὸς. EΚπιεσμὸς, hoc est, *expressio oculi*, est vitium, *in quo sic exprimuntur oculi, vt exserti perseuerent.* Recentiores *exitum oculi* appellant. Est fere idem vitiũ, quod *procidẽtia oculi* nominatur,

A tur, nam eandem propemodum curationem requirit. Accidit iis præsertim, qui in athleticis certaminibus suffocantur, aut qui aliam ob caussam strangulantur. Mulieribus etiam nimio pariendi dolore afflictis, & propter vehementem pariendi conatum. Ob plurimum etiam defluxum, confertim a capite irruentem. Vbi a strangulatu, aut doloribus partus euenit vitium, e sermonibus ægri cognoscitur. Si vero propter humorum copiam capitis aderit grauitas, & pupilla auctior erit. Porro si ob strangulatum oculus exprimatur, gibberi venam incidere oportet. Sin ob humores multos acciderit oculi expressio, purgante medicamento vtendum erit. Quod si ob pariendi laborem exprimi oculos contigerit, vteri purgationes superuenientes frequẽter vitium sanant: iis igitur opitulari conuenit. In viris autem, si post sanguinis missionem aut purgationem vitium non remiserit, cucurbitulam occipitio defigere commodum est. Leuiter autem comprimendus est oculus, & comprimendo in suum locum reponendus. Oculo vero lana melle illita cum modico croci apponenda est, linteolumq; duplicatum supra suauiter illigandum. Confert iis *aqua marina frigida fronti superfusa.* Item *quæcunq; alia, quæ reprimere & contrahere possunt: vt est polygonon, bolus armenia, balaustium, rhu obsoniorum, sidia, galla, acacia, hypocisthis, lycium, folia floresq; rosarum, & iis similia, quæ in lib. 1. de compos. medic. c. 7. commemorauimus.* Hæc in aqua pluuiali, vel vino decoquuntur, & in eo decocto spongia imbuta laboranti parti imponitur. Item ex *polygoni, plantaginis & rubi foliis in aqua pluuiali aut vino adstringente decoctis, & acaciæ, scrupulis duobus. Croci, granis tribus. Licii, hypocisthidis, vtriusq; scrupulo dimidio cataplasma componi potest.* Nec minus collyrium, quod accipit: *Aloes lotæ, thutiæ præparatæ, sarcocollæ nutritæ, singul. scrup. dimidium. Spicæ nardi, croci vtriusque grana quinque. Stibeos vsti & loti, scrup. vnum.* Cum tremore tragacanti fiat collyrium.

Exitus oculi. Caussæ. Signa. Curatio. Reprimẽtia.

B

C

De ægilope. Cap. XLVIII.

Αἰγίλωψ, Galeno *lib. 5. de compos. medic. localium teste, est exiguum quoddam abscessui simile tuberculum inter nasi os, & magnum oculi angulum ortum, quod ruptum si negligatur, in fistulam abit, vsq; ad os ipsum progredientem.* Fit a vitiosis humoribus, in eam corporis partẽ delatis. Vitium ex descriptione satis notum, ideoq; pluribus indiciis non eget. Vitium vero hoc propter corporum tenuitatem, & subiacentis ossis putredinem curatu difficile est. Non solum autem ob id ægre curabile est vitium, sed & propterea, quod quum multa liquida medicamenta in experimentum adsumi possint, ea tamen non tolerat pars ipsa: necessario enim ex eis in oculum quid influit. Situs itaque ratione oculo etiam damnum infert. Neque vllo modo adhærere eiusmodi possunt: nisi deligatura totum oculum complectatur, quam impossibile est tot diebus aliquem perferre posse, quot ad vitii curationem requiruntur. Incoante itaq; phlegmone, si corpus plenum fuerit, & vires ferre poterint, venæ humeralis e directo partis affectæ sectione vtendum. Deinde repellere enitemur iis medicamentis, quæ ad hoc institutũ sunt idonea, quorũ multa in præcedentibus commemorauimus, nempe cucurbitulis, frictionibus partium infernarum, ac vinculis. Si vero phlegmone perseuerauerit, discutientibus medicamentis, minime tamen acribus & mordacibus, succurrendum erit. Ab acrioribus enim medicamentis oculus simul infestatur & afficitur, inque ipsa parte male habente phlegmone augescit. In hunc itaque vsum probe faciunt glaucium & crocus vna cum perdicii, parietariam hodie vocant, succo leuigata, & imposita. Crebro autem permutare hoc remedium oportet: etenim statim immutatum, vim suam amittit. Scribit Alexander Trallianus, *se huius medicamenti subsidio vsum adhuc incoante ægilope, & nondũ in suppurationem conuersa, non solum puris generationem impediuisse, sed integræ sanitati restituisse.* Quum vero tumor ille cito suppuret, danda opera erit vt celeriter aperiatur, ne humor vitiosus in eo retẽtus sinum creet, & os quoque lædat. Præterea alica in aceto cocta, & probe trita, non solum incipientes, sed etiam in pus mutatos, *eodem Tralliano teste*, persanat, rumpitq;, & ad os vsque penetrat & descendit. Ruta satiua vna cum lixiuio, quod primo distillauerit, contrita, coctaq;, & imposita, egregie huic vitio medetur. Mordax quidem inter initia, postea ocyssime mitescit, & ad os vsque permeat. Atq; illud mirandum, quod vel nullam plane, vel non turpem & indecorem, aut euidentem cicatricem post se relinquat. Porro cochleas cum testis suis tritas imponito: interdum aloe, vel myrrha admista, præsidium enim hoc antequam in pus vertatur, & postquam ruptus etiam fuerit, ægilopem desiccat. Curant quoq; ægilopem, si nõ in profundo os corruptum fuerit, chamæmeli folia

αἰγίλωψ. Caussæ. Notæ. Curatio.

D

E

F

A commansa imposita: aut maluæ folia itidem commansa, si cum sale imponantur, prius tamen q̃ disrumpatur. Radix etiam lilii recens ad emplastri formam trita, *Aetio auctore*, & imposita, ægilopas curat. Rumpit enim & repurgat. Ceterũ postquam vitium hoc ruptum est, vehementer desiccantia prosunt, vt sunt quæ ex *alumine, plumbo, tutia vulgo vocata, flore eius, & antimonio dicto conficiuntur*. Hæc enim non solum exsiccando, verum etiam suo pondere comprimendo iuuant, ac tumorem subsidere faciunt. Hæc si non contulerint, ad manus opera confugiendum. Chirurgicam itaque curandi rationem ab Aetio & Paulo petes. Hoc in loco malorum, quę in oculis accidunt, curationi finem imponemus: reliqua enim fere omnia eorundem vitia chirurgiam exigunt, quam attingere in iis de medendi ratione libris non est consilium. Eam itaque ab auctorib. iam citatis petent studiosi. B

De aurium dolore. CAP. XLIX.

Caussa. AVrium dolor aliquis ex refrigeratione, in peregrinatione a ventis frigidis excitata, accidit. Aliqui etiam ex frigidis balneis, & ex medicatis aquis, in quibus nonnulli frequenter voluptatibus indulgentes lauant, oriuntur. Fit & auris dolor ex phlegmone, interim quidem solius circa meatum auditorium cutis, interim etiam in profundo, quando videlicet auditorius neruus ad phlegmonis affectum peruenerit. Qua autem ratione phlegmone particulas phlegmone obsessas distendens dolorem parit, eodem modo etiam flatulentus spiritus, aut humor crassus & lentus transitum non habens, dolorem efficit. Saniosi denique ac serosi humores in corpore aurium generati, consimiliter vt mordaces humores, qui extrinsecus illabuntur, dolorem cõciliant. C Notæ. Aurium dolor qui frigiditati fertur acceptus, de ægri sermonibus facile cognoscitur: & inde, quod dolor alte, citra grauitatem, vel distensionem, vel ardorem, fixus sit. Qui ex calida intemperie ortus est, ex eo, quod in illo feruoris cuiusdam sine grauitate seu tensione sensus est, deprehenditur. Sin grauitas, distensio, simulq; calor & dolor pulsatilis, aut etiam febricula oboritur, phlegmone aurē laborare censeto. Sola citra grauitatem distensio spiritum flatulentum, cui exitus non patescit, indicat. Si vero capitis ipsiusque auditus grauitas affuerit, præcessitq; victus ratio similis, crassi glutinosiq; humores dolorem faciunt. Victus. Victus ratio iuxta caussæ diuersitatem, facile ex iis, quæ in superioribus dicta sunt, constitui potest. Quare nõ est, cur hanc speciatim hoc in loco prosequamur. D Curatio. Ceterum curandi ratio pro caussarum varietate mutatur. Si enim dolor a sola refrigeratione oboritur, calefacientibus præsidiis quam celerrime curabitur: nempe *oleo rutaceo, laurino, nardino, cicino, anethino, liliaceo, de castorio, de euphorbio, & spicato*. Doloris frigidi. Quod si rutam quoq; oleo communi incoquas, vel piper, vel castorium magnum adferes præsidium. Oleum etiam, in quo allium decoctum sit, vel cepa, instillatum mirifice confert. Sunt qui prægrandes cepas exsculpentes, deinde oleo replentes, & in feruente cinere moderate calefacientes, auribus infundant. Galenus *lib. 3. de compos. medic. localium*, euphorbii perquam exiguam portiunculam plurimo oleo veteri commixtam mirifice commendat, quod nimirum hoc medicamẽtum ex frigore contractos aurium dolores strenue adiuuet. Commune præceptum pro aurium curatione. Manifestum vero omnibus esse arbitramur, quod quicquid adhibetur, auribus mediocriter calidum esse oportet. E Ex aquis medicatis. Porro vbi aqua medicata circa auditoriũ meatuum continetur, oleum quod sit tenuium partium assidue infundere oportet, quo ipsum eluamus: deinde lana molli extergere, rursusque infundere. Mitigat ipsos admodum oui candidum: item lac muliebre. Plurimum etiam prodest *adeps anserinus, atq; item vulpinus*. Verum ad aquam copiosam euocandam nihil pręstantius, quam oris exsuctio, quæ etiam per calamum canalemue exsugi & extrahi potest. Si quis etiam alteri pedi innixus eiusdem lateris cum aure male affecta, capite parumper decliui saliat, aquam facile excutiet. Calidi. Quum a calida intemperie dolor obortus fuerit, tũ cõtrariis medicamentis propulsandus erit. Mirifice itaq; confert *oleum rosaceum in aurem instillatum, vel acetum rosaceum, vel album oui, aut lac muliebre, aut solani succus*, aut tale, q̃ accipit: *Olei rosacei, vnciam vnam. Succi solani, drach. duas. Aceti rosacei, drach. vnã & dimidiam. Misce*. F Ab humoribus crassis, & flatibus. Si vero a crassis viscosisq; humorib. aut flatib. dolor excitatus fuerit, medicamẽtis q̃ obstructiones auferũt, & incidũt, vtendũ: cuiusmodi sunt omnia amara, quæ sine erosione expurgant, exterguntq;. E quorũ numero est *iris Illyrica, aristolochia omnis generis, amygdala amara, vitis albæ radix, centaurii minoris coma, poliũ, & cinnamomũ. Item oleũ amygdalinũ, & alia quæ citra mole-*

stam

A *stiam meatus expurgant, abstergunt, & obturata disiiciunt, dissecantque.* Ex iis itaq; auricularia medicamenta confici possunt, & vsu postulante instillari. Conducit etiam *euaporatio ex ruta, maiorana, castorio, & milio.* Præter cetera vero, cremorem porri tepidum auribus ita adflictis instillare conuenit. Vel ceparum succum, melli permixtum. Quod si a phlegmone dolor concitatus fuerit, statim sanguis ex humerali vena eiusdem lateris mittendus est, clysteribusq; defluxus humorum in contrarium auertendus, potissimum vbi aluus sua sponte non deiecerit. Reuulsionibus quoque aliis, frictionibus, vinculis, ac cucurbitulis vtendum. Dein oxyrhodinum tepefactum instillandum, aut adeps anserinus, aut gallinaceus cum rosaceo. Per se enim non influente etiamnum humore magis conueniunt, idque duabus rationibus: quia doloris symptoma leniunt, mitigantue, & B phlegmonis affectum curant. At si vehementior fuerit phlegmone, ad sedandos dolores albumen oui cum lacte mulieris tepidum instillatur. Prodest etiam tum medicamentum, quod habet, *Succi, semperuiui, drachmas duas. Olei rosacei, vnciam dimidiam. Aceti, drachmam vnam & dimidiam.* Commixtis omnibus, & agitatis, auri dolenti instillentur. Extrinsecus vero ea, quæ dolorem leniunt, materiamq; impactam concoquunt, admoueantur. Vrgente autem dolore, *(qui Hippocrate teste)* quum vehemens grauisque fuerit, periculum minatur: nam & mentem turbat, & hominem rapit: necessarium est etiam iis, quæ leuiter sensum stupefaciunt, vti. Neq; n. mediocre, vt diximus, periculum est, ne cerebrum neruo, per quem facultas audiendi distribuitur, vicinum per consensum afficiatur. Miscetur autem tum paululum opium lacti muliebri, & oui candido, quæ & C ipsa per se frequenter aurium phlegmonibus congruunt. Iam & castoreo opium temperatur, oportetque hoc longe ante mixtum, vel æquali pondere, *Galeno auctore,* vel duplicato castoreo præparare: ad vehementissimos quidem dolores, æquali, ad minores, duplicato. Liquor vero quo prædicta medicamenta, diligenter prius trita, & leuigata, diluuntur, sapa esto: quippe hæc multo magis dolores lenit, quam vina dulcia. Est autem sapa, mustum ad tertiam mensuræ partem decoctum. Sunt qui opio rosaceum & violaceum miscent oleũ, in hunc modum. *Opii scrupulum vnũ. Oleorũ rosacei & violacei, vtriusque drachmam vnam & dimidiam.* Philonis quoque antidotum crebro sic laborantibus profuit, dissolutum lacte muliebri, & instillatum. Extrinsecus vero aurem assidue oleo communi, siue ex calido fomento oportet fouere, nempe spongia aqua calente D imbuta, in qua chamæmeli flores, fœnumgræcum, vel lini semen fuerint decocta, lanamq; hoc imbutam in aurem coniicere, sed ita vt partes phlegmone laborantes quam fieri potest, minime attingantur. Quo autem pacto quis commodissime auribus vehementer dolentibus medicamenta iniicere queat, tradit Galenus *lib. 3. De compos. medic. localium. cap. 1.* Et huic sane Galeni præcepto, ceu maximo in curatione aurium, mentem adhibeat Medicus. Porro vbi iam dolor inueterauerit, & in suppurationem conuerti cœperit, medicamento ex lini seminis succo vtitor, quod vna cum rosaceo, aut chamæmelino solutum instillabis.

A phlegmone.

Localia.

3. Prog. 19.

Stupefacientium vsus.

Sapa quid.

De sonitu aurium. Cap. L.

E AVrium sonitus, quem Græci ἦχον καὶ συριγμόν, recentiores vero *tinnitum seu sibilum* vocant, plerunque a flatuoso spiritu generatur. Nonnunquam etiam propter exquisitam audiendi sensus acrimoniam. Generatur quoque vitium hoc ex partium imbecillitate, vbi scilicet ex morbis iam conualescentibus incidit, humore neruorum auris absumto. Nascitur etiam a caussis externis, frigore, æstu, ictuque capitis. Si a caussis externis accidit vitium, facile ab ægroti sermonibus dignoscitur. Iam quod sonitus paulatim, aut vna vice, aut confertim irruat, idipsum quoque ad inuentionem affectus conducit. Si enim ex certis interuallis accedant, quieuerintque sonitus, euidentissimum argumentum est, quod flatulentus spiritus exitum non habens, interclusus est: qui prosilire magno nixu contendens edit sonitum, præsertim vbi cibi inflandi vim habentes præcesserint, & cruditate laborauerint frequentius ægrotantes. Si vero huiusmodi aurium F sonitus non repente, sed sensim ingruant, & grauedo quædam ponderis instar sentitur, & victus ratio, quæ crudos humores procreat antecesserit, tum crassis ac lentis humoribus vitium acceptum referas. Sin suspicio alicui fuit ex spiritu flatulento qui transitum non habent, aut crassis humoribus vitium prouenisse ac medicamentis, quæ incidunt, extenuant, & discutiunt adhibitis, nihil profecit simulque apophlegmatismis vsus est,

Caussæ.

Signa.

& toto capiti prospexit: is magnam occasionem habebit referendi sonitum ad sensus A audiendi acrimoniam, præsertim si æger acuti auditus fuerit. Eius etiam hoc certissimum esse indicium putatur, si tempore famis & inediæ increuerit, crapulæ vero & repletionis remissior fuerit.

Curatio. Si a crassis humoribus.

Curandi ratio, pro caussarum diuersitate variatur. Si igitur a crassis & viscidis humoribus aurium sonitus ortus fuerit, caput initio catapotiis cocciis, aut arabicis cum agarico, aut id genus similibus purgetur: prius tamen iis exhibitis potionibus & medicamentis, quæ incidendi & extenuandi vim obtinent. Dein apophlegmatismis, errhinisque vtendum. In aurem subinde instillandum, *oleum amararum, aut oleum in quo castoreum, cuminum, ruta, vel anethum fuerit tritum.* Aurem quoque ad vaporem aquæ, cui, *stichas, absynthium, maiorana, mentastrum, hyssopus & origanum incocta sint*, oportune inclinabis. Succus rutæ coctus in cortice mali granati, mirifice confert. Sacculi B item ex *betonica, stichade, chamæmelo, maiorana, & aliis paulo ante commemoratis, compositi, si calefacti auribus imponantur, conducunt.* Conferunt etiam sternutamenta, quod flatus non minus per aures quam per nares discutiunt & expellunt.

Si ab exquisita audiendi acrimonia.

Si propter sensus auditus acrimoniam sonitus aurium accidat, tum ea, quæ sensum stupefaciunt, sunt vsurpanda, vt sunt *mandragoræ, aut papaueris succus: aut rosaceum cum pauco aceto, & paucissimo opio.* In iis tamen adhibendis prouidentia magna opus erit. Incipiendum itaque a leuioribus, & si necesse fuerit, ad validiora progrediendum. Commendatur vnice *oleum rosaceum, adiecto vno aut altero grano opii.* Galenus *mandragoræ succum, & papaueris liquorem* hoc in loco laudat. Ceterum si in febribus, aut harum indicationibus sonitus aurium euenerint, nullum eis negotium facessere oportet: quippe statim magna ex parte finiuntur. Si au- C tem post morbum, vel capitis dolorem perseuerauerint, absinthii decocto aures foueri debent, acetum & rosaceum infundendum, aut raphani succus cum rosaceo, aut aloe optima ex mulso soluta. Quod si hæc nihil contulerint, veratro nigro ex aceto contrito vtendum, auribusque instillandum.

Si ob imbecillitatem.

Si ob imbecillitatem accidat sonitus, vt in conualescentibus accidit, temperatum aliquod oleum non minus calidum, aut frigidum, prout necessitas postulat, instillandum erit, nempe *chamæmelinum, anethinum, vel rosaceum.*

De surditate, & graui auditu. Cap. LI.

κώφωσις. Surditas.

QVum afflicta aure non solum grauius, sed omnino nihil quis audire cœperit, vitium κώφωσιν, Latini *surditatem* nominant. Grauem vero auditum βαρυηκοΐαν καὶ δυσηκοΐαν ap- D pellant. Surditas interdum a primo statim ortu hominem comitatur, interdum etiam posteaquam nati sumus accidit.

Caussæ.

Quod quidem vel ob biliosum humorem sursum vergentem contingit, vel propter crudos crassosque humores auditum obstruentes. Nonnunquam etiam ob sordes, aurium meatus obturantes.

Signa.

Indicia quibus caussæ & dignoscuntur & discernuntur, facile ex iis, quæ nunc sæpius a nobis dicta sunt, sciri possunt. Si enim a biliosis humoribus accidat grauitas auditus, post febres maxime recurrente bile ad cerebrum, derepente infestare solet. Facies etiam natura, ætas, & totus habitus corporis biliosam temperaturam præ se fert. Si a crassis humoribus oritur, grauitas capitis, & alia, quæ pituitosos humores ostendunt, adsunt.

Curatio.

Quæ a generatione statim, aut etiam postquam nati sumus, sed longissimæ & perfectæ surditates, consistunt, immedi- E cabiles exsistunt. Quæ vero non absolutæ quidem, sed diuturnæ tamen, & ipsæ curationem non recipiunt, aut certe difficilime curantur.

Si ob biliosum humorē.

Quæ ob biliosum humorem sursum vergentem nascuntur, vacuationibus per medicamenta bilem ducentia ex facili abolentur. Quidam etiam sua sponte vitio liberantur, bile inferius descendente. Quod

4. Aph. 28.

Hippocrates etiam iis verbis confirmat. *Quibus*, inquiens, *biliosæ accidunt deiectiones, hæ superueniente surditate cessant: & quibus surditas fit, hæc superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.* Et iterum:

4. Aph. 60. Si ex crassis humoribus.

Quibus in febribus aures subduruerunt, aluus turbata soluit morbum. Si vero ex crudis crassisq; humoribus prognata fuerit surditas, vel grauis auditio, venæ sectione aut omnino purgatione ex hiera cōposita, & catapotiis cochiis, *azaiaret* dictis, aliisq; similibus curabitur. Antea tñ oxymeli, & alia quæ crassos & lentos humores incidere va- F lent medicamenta propinanda. Corpore vniuerso purgato, pituita apophlegmatismis, errhinis, & sternutamentis ex cap. eliciēda. Prȩterea caput siccandū, & omnimodo corroborandū. Balneis itē sua sponte scaturientib. vel aqua marina vtendum. In ipsam vero aurem iniicienda medicamēta, q̄ diuidūt, inciduntq; crassos & viscosos humores, qualia

A multa ad sonitus, antea sunt tradita. Priuatim vero cōfert *rutæ succus cū melle, aut castoriū cū oleo anethino*. Fomentis quoque ex *origano, hyssopo, foliis lauri, & id genus aliis constructis vtendum est, quæ per spongias fiunt, & iis quæ vapore per calamos perforatos ventriculo cibis non distento accommodantur*. Oportet autem alterum calami arundinisue extremum concauitati auriculæ adaptari: alterum ollæ, quæ operculum perforatum habeat, & vndequaq; obturata sit, incumbere. Sit autem in olla *absinthiū, menthastrum, maiorana, origanum, stichas, aut simile aliquid aqua decoctum*, vt vapor inde sublatus ad auditorium meatum perferatur. Aceti insuper vapor in hunc modum in aurem acceptus, mirifice confert. Victus autem ratio in vniuersum sit tenuis. Vomenta. Victus.

B

De Parotidibus. Cap. LII.

Παρωτίδες sunt phlegmones, quæ in glandibus, quæ auribus adiacent, emergere solent. Fit ex copioso calido sanguine, qui vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus exsistit. Oritur autem interdum ex capite, humoribus videlicet ei impactis: interdum a reliquo corpore per morbos, febres maxime, impetu morbi per decretorium illuc conuerso. Signis nullis ad vitii cognitionem opus est, oculorum enim iudicio subiacet. Parotides autem, quæ feruentis sanguinis plenitudini adscribuntur, dolores vehementissimos pariunt. Quæ vero bilioso sanguini, erysipelata referre magis videntur, nullaque grauitate locum male affectum excruciant. Quæ melancholico sanguini acceptæ referuntur, ne modice quidem rubent, neque vehementi dolore torquent, sed C duriusculæ sunt. Quę ex pituitoso natæ sunt sanguine, fastigiatæ in tumorem exsistunt. Victus ratio talis, qualis fere in aliis phlegmonibus constitui debet. Curatio a venæ sectione, si ætas, aliaque permiserint, auspicanda erit. Incidenda vero vena humeralis eiusdem lateris, modo vires ætasque permiserint, & corporis totius plenitudo fuerit, propter rationes alibi dictas. Porro non vtimur in parotidibus, quemadmodum in reliquis phlegmonibus, inter initia reprimentibus, sed contra attrahentibus: & si nihil notatu dignum effecerint, etiam cucurbitulas affigemus, aut fomenta assidua adhibebimus. Nam humorem noxium ex profundo ad cutem euocare, naturæque opem ferre conamur. præsertim vbi in capite sit firmatum vitium, humoribus in eo pertinaciter D hęrentibus. Quinetiam quum citra capitis affectum in febribus acutis natura superuacuos humores deponit, ex vasis, in regionem, quæ intra cutem & corpora subiecta habetur, effundens, quando etiam glandulæ ex humoribus effusis opplentur, satius esse tunc quoque videtur naturæ opitulari, febribus per humorum decubitum, seu ex loco in locum impetuosum illapsum medendi. Quum vero vehementi impetu influxus irruit, nihi nos tentabimus, totum naturæ permittentes, iuxta hoc Hippocraticum: *Quæ iudicantur & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere*. Hæc illæ. Si enim cucurbitulam, vel medicamentum aliquod humores ex alto ad cutem extrahens, admouerimus, vehemens dolor hominem apprehendet, vt hinc & vigiliæ suboriantur, febres intendantur, & vires exsoluantur. Proinde tunc mitigare, non humorum impetum ac influxum promouere E oportet, per cataplasmatum maxime lenientium vsum. Eligenda vero, quæ cum humiditate moderatum calorem habeant, coloribus mitigandis sedandisue, atque influentibus humoribus concoquendis & maturandis idoneum: veluti est quod ex *frumentacea, aut hordeacea, aut lini seminis farina cum mulsa, aut fœnograeci, aut althea, aut chamæmeli decocto paratur*. vel hoc quod recipit *vitellos ouorum duos. Butyri recentis, vnciam vnam & dimidiam. Olei communis in aqua calida loti, vncias duas. Lenti cremoris seminis lini, & fœnograeci, an. vnc. vnā. Misceantur, & laboranti loto admoueantur*. In eundē vsum, locum assidue butyro illinemus, adiectis ouorum vitellis. Suillum quoque adipem cum butyro liquantes, cera exigua addita, vt mollissimum ceratum fiat, applicabimus. Ceterum mitiores parotidas, in quibus neque humorum in particulas copia irruit tanta, vt vehemen- F tes dolores excitet, neque caliditas humori adest, facile curantur fomentis e muria, & cataplasmatis, & medicamentis exquisitissime discutientibus, quale est, quod dyachylon, hoc est, e succis vocatur. Neque enim ad suppurationem festinant, neque dolorem inducunt validum: Si vero parotides discuti haud possunt, suppurātibus medicamentis vtendum est: nempe *farina syncerissima, cum caricarum decocto, & oleo*. Item,

Παρωτίδες. Caussæ. Signa. Victus. Curatio. 5. Prog. 24.

quod ex polline, id est, *farina syncerissima tritici & fermento constat medicamentum*, ad hunc A quidem modum: *Recipe pollinis, vncias duas. Farinæ seminis lini, & fænugraci, an. vnciam vnam & dimidiam. Pinguedinis recentis porcinæ, vncias tres. Caricarum pinguium incisarum, vnciam dimidiam. Misceantur cum decocto maluarum, altheæ, & chamæmeli, fiatque cataplasma.* Vbi vero iam suppuratæ fuerint parotides, tunc vel cute ferro discissa pus excernetur, vlcerique, vt in eiusmodi omnibus moris est, medeatur, nempe extergentibus, & exsiccantibus, aut sane acri medicamento rumpetur abscessus, quale est quod ex allio constat, & similibus. Aut tentandum, vt ipsum per medicamenta, quæ attractoriam simul & extenuantem vim obtinent discutiamus, bis quotidie auferentes, fouentesque, donec aliquid remittant, laxenturque dolores, maiori parte puris discussa: tunc enim iam primum quidem semel soluere & fouere, deinde vero ne hoc quidem facere ex re est, sed B ipsis medicamentis permittere oportet, vt si quid reliquũ in profundo hæreat, id ipsum discutiant. Quod si durities adsit, ea ipsa quoque emollienda est. Quare per hoc tempus medicamenta mixta facultate componẽtur, ita vt emollientia attractoriis ammisceantur, vt est *adeps vitulina, hircina, medulla cerui, bdellium, styrax, ammoniacum*, & id genus alia, quæ alibi commemorauimus.

De Ozænis. Cap. LIII.

Ozænæ. Ὀζαῖναι Græcis *vlcera narium sunt profunda & putrida, ac crustosa, ex quibus ingratus & fœtidus exhalat odor.* Sic vero, a graueolentia & fœtore dicta sunt. Caussæ. Ex acrium putridorumque humorum, qui ad nares commeant, illuuie generantur. Quod si acres tantum C Signa. exsistant, vlcera curatu difficilia solent procreare, non tamen grauiter olentia. Indiciis ad vitii dignotionem non est opus, ex dolore enim, & ægri narratione, imo etiam visu, Curatio. in naribus vlcera facile deprehenduntur. Ozænarum curatio in hoc potissimum consistit, vt principio caput exsiccetur, eique robur adiiciatur: quod nimirum constet, has ob malignorum humorum redundantiam, qui ex capite naribus influunt, prouenire. Roborandum vero atque exsiccandum totum caput erit, ne quicquam ex ipso superuacuum in nares, aut alias infernas partes influat. Quemadmodum igitur alias topicis ac localibus, nisi vniuersi corporis vacuatione præmissa, vti non licet: ita hic non nisi toto capite roborato, naribus admouenda remedia erunt. Robur autem capiti ad hunc modum adiiciendum est. Tondere primum caput oportet, deinde confestim D quæ adstringunt imponenda: qualia sunt, *oleum rosaceum, myrtinum, alumen, galla immatura, folia salicis, puluis corallorum, santalorum rubeorum, mastichis, manna thuris, acetum, & iis similia.* Hæc capiti perpetuis nouem diebus imponenda, ac illinenda. Vbi itaque illis caput validum robustumque reddideris, naribus medendis accingere, eo consilium tuum dirigens, vt particulam affectam medicamentis mixta facultate præditis, repulsoria scilicet & discutiente, resicces. Repellunt igitur, austera nimirum & acerba, quæ communem adstringentibus appellationem sortiuntur. Discutiunt autem calida & sicca facultatibus. Ad ozænas igitur sanandas *calaminthæ succum* instillare oportet, aut ipsam aridam per fistulam insufflare. Vel mel in nares stillare, post aliquod spacium adhibito sternutamento crustas excutere, quæ tribus quatuorue diebus excidunt. Vbi E vero exciderint, adipe anserino & butyro cum rosaceo curantur. Vlcera etiam in naribus mali punici succo in æreo vase, vsque ad dimidias cocto, perline. Aut *malum punicum* dulce integrum vino incoctum terito, & forinsecus imponito. Cõfert & hoc quod Puluis. habet: *Aluminis scissi, drachmam vnam & dimidiam. Myrrhæ, drach. vnam. Malicorii, rhou, salis fossilis, croci, thuris, singulorum drachmam dimidiam. Trita insuffla.* Sunt qui ex iam dictis pastillos conficiunt, & iis ad suffitus narium vtuntur. Quod si hæc vlcera dolor comita-Vnguentũ. tur, vtere vnguento, quod accipit: *Olei rosacei, myrtini, vtriusque vnciam vnam. Plumbi vsti, lithargiri, vtriusque scrupul. duos. Cerussæ, boli armeniæ, balaustiorũ, aloes, myrrhæ, vtriusque scrupulum dimidium.* Ceræ albæ quod satis est, fiat vnguentum.

De sanguinis ex naribus profluuio. Cap. LIV. F

Caussæ. PRofluuii sanguinis e naribus, haud decretorii, caussæ partim sunt Externæ, partim Internæ. Externæ sunt, casus ex alto, ictus, exercitium vehemens, & mora in sole. Internæ, copia sanguinis, vel eiusdem tenuitas. Ceterum omnes eius caussæ sub iis tribus complecti possunt. Siquidem sanguis profluit ex naribus aut reserato venarum vel arteriarum,

A teriarum, quæ in capite & naribus sunt, ore, aut tunica earundē rupta ac diuisa, aut sudoris instar transcolatus. Reseratur atuem venarum & arteriarum os, propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis, qui ad os earum impetu ruit, copiam: ad hæc acrem quampiam, quæ illi extrinsecus incidit, qualitatem. Diuiditur vero tum ex vulneratione, tum contusione, tum ruptione, tum erosione. Sudoris instar transmittitur, tunica quidem ipsa rarefacta, sanguine autem tenuato, *quemadmodum fusius lib. 5. med. method. cap. 2. Galenus docet.* Non autem temere a nobis dictum est decretorii, quod illud nulla prorsus iam dictorum caussa fiat, sed tantum propter facultatis robur noxia expellentis. Quare ipsum plerunque morbi præcesserunt. Indiciis multis ad vitii, eiusque caussarum dignotionem nihil opus est. Externæ quidem caussæ de sermonibus ægri Signa.
B cognosci possunt. Copia sanguinis ex facie, oculisque quæ rubent, dolore capitis grauatiuo, & aliis, quæ dicta sunt *cap. 10. huius libri*, deprehenditur. Decretorium sanguinis ex naribus profluuium, quod curatione haud eget, e morborum, qui præcesserūt, constitutione agnoscitur. Ratio victus sit eiusmodi, qui infrigiditare & incrassare sanguinem, vias, per quas sanguis fertur, constringere valeat. Tenuem quoque esse oportet. Victus.
Aer itaque sit frigidus, qui aut natura talis sit, vel arte paretur aceti & stillaticii rosarum liquoris irroratione, foliis quoque vitis, salicum, violarum per pauimentum stratis. Cibus boni succi, & concoctu facilis. Sanguine feruente, æger vescatur *lactucis, intybo satiuo, vtroque, pyris, malis cotoneis, pullis gallinaceis assis, aut cum omphacio elixis, aut in aqua chalybe tacoctis.* Sumantur quoque cibi *ex omphacio, vino malorum punicorum & aurianciorum*, vt
C sanguis crassior & ad fluxionem ineptior reddatur. Bibat vinum crassum & rubrum: Contra, album & tenue deuitet. Vel, vbi assueuit per bonam valetudinem, vtatur in potu aqua frigida, aut decocto cinnamomi. Per quod hoc loco, & passim in iis nostris, *de medendi ratione libris* intelligo aquam, in qua parum cinnamomi decoctum sit, ne scilicet sua frigiditate imbecillum plerumque ventriculum offendat. Parum loquatur, omnemque corporis motum, animi quoque perturbationes, iram potissimum fugiat, quod hæc omnia sanguinis profluuium concitent. Partes præterea capiti subiectas, sublimes habere conuenit. Situs enim partis, ex qua sanguis profluit, in contrarium fluxionis tendere, & inclinari debet. Hac enim ratione, sanguis in contrariam sui motus partem impellitur. Sic Galenus *lib. 5. ther. meth.* omnem particulam, vnde Per cinnamomi decoctum quid intelligendum.
D sanguis manat, sursum spectare oportere tradit. Ita Hippocrates quoque *6. Epid. Par. 7. Aphorism. 3.* inter ea, quæ sanguinem promanantem sistunt, figuram alio tendentem recenset. Quare curandum vnice, vt caput in profluuio sanguinis narium deorsum spectet: id quod fiet, si partes illi subiectæ sint sublimiores. Curandi ratio ab iis, quæ sanguinem ad alias corporis partes auertunt præsidiis, exordienda. Primum igitur si corporis plenitudo adsit, & ætas permiserit, ægerque adhuc non sit resolutus, vena in gibbero secanda est, quæ profusioni sanguinis ex naribus e directo respondet. Sic enim vt faciamus, suadet Galenus, qui in lib. *de curandi ratione per sanguinis missionem* ita scriptum reliquit: *Porro reuulsionis caussa, si venam seces in directe quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissime conspicuam videbis vtilitatem. At si contra seces, nihil profuerit.* Hæc ille. Vbi paulu- Curatio.
E lum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rursus detrahes, post iterum atque iterum pro laborantis viribus. Præterea infernarum partium, brachiorum videlicet, manuum, femorum, inguinum, ac pedum, potissimum per ea medicamenta quæ calefaciunt, frictio mirifice conducit. Vincula testibus maxime iniecta, etiam valentius iniecta, iis remediis quæ reuellunt adnumeranda sunt. Sanguinem deniq; e naribus erumpentem, retinent magnę in hypochondriis defixæ cucurbitulæ. Infigendæ autem sunt, si ex dextra nare profluit sanguis, super iocinere: sin ex sinistra, super liene: si ab vtraque nare, super vtroque sunt imponendæ viscere. Scapulis etiam, cum scarificatione, applicandæ sunt. His sic peractis, medicamenta, quæ refrigerant & adstringunt, intra & extra corpus adhibenda. Extrinsecus quidem apponenda fronti & commissu- Frictio. Ligatura. Cucurbitæ. Topica.
F ræ coronali epithemata e *succo plantaginis, rosarum, lactucæ, oxalidis, pastoriæ peræ, caudæ equinæ, corrigiolæ siue sanguinariæ, foliorum vitis, polygoni, aut eorundem stillaticiis liquoribus parata.* Mirifice autem conducit linteolum in aceto madefactum frigido, iterum atque iterum fronti & ceruici admotum. Fons etiam spongiis ex aqua frigida fouenda. Porro proderit hoc epithemate fronti & iocinori imposito vti, q; habet: *Liquo-* Epithemata.

Epithema. *rum stillaticiorum rosarum, solani, oxalidis, singul, unc. tres. Specierum trasantalon, diarrhodon abbatis, singul. drachmam unam. Boli armeniæ, eboris usti, lapidis hæmathitis, singul. drachmam dimidiam. Commixtis omnibus, fiat epithema.* Vel eiusmodi, quod habet *boli armeniæ, sanguinis draconis, terræ lemniæ, an. unciam unam. Cum albo oui, & succo plantaginis fiat cataplasma.* Naribus præterea medicamenta sanguinem sistentia indenda: quale est, quod Galenus *libr. 5. ther. meth.* inter omnia alia optimum esse tradit. Recipit autem *thuris, drach. duas. Aloes, drach. unam.* Redacta in puluerem cum oui candido subigantur, donec ad mellis crassitudinem redeant: dehinc leporis mollissimo pilo excipiantur, & admoueantur naribus. Licebit etiam *linamentum contortum, hoc medicamento imbutum, naribus indere.* Menta quoque trita in nares coniecta, haud parum prodesse creditur. Pari modo *flos salicis, lanugo bombacis, ac tela aranea.* Item *spongia in acre ac feruens acetum demissa, profluentibus naribus extrinsecus imponenda, atque comprimenda specillo, donec impellatur.* Quoties vero in nares medicamentum immittitur aliquod, os liquore aliquo implendum est, vino verbi gratia, aut aqua, ne medicamentum e naribus, in os promanet. Præstat autem spongiæ initium deligare filo per acum deducto, vt facile extrahi possit. Extrahito autem, quum opus suum perfecisse existimaueris. Quod si inarescat spongia, intusque agglutinetur, auriculario clystere aquam frigidam immittito, ac infundendo humectato, atque ita extrahito. Item hoc quoque medicamentum non inter postrema habetur, quod accipit: *Putaminis oui, drach. duas. Gallæ immaturæ, drach. unam. Trita linamento tortili, aqua aut aceto madefacto excipito, & narium foraminibus indito.* Item, *frontem & nasum gypso, albumine oui irrigato integre, non parum confert. Aures quoque valide linteis & cera obturare, & in ore aquam pluuialem frigidam continere. Succus etiam foliorum urticæ linamento exceptus & impositus, sanguinem ex naribus erumpentem reprimit.* Idem quoque metipsa folia illita possunt. *Caudæ* insuper *equinæ succus, aut ipsamet folia trita & applicata, quemadmodum etiam per apastoriæ, in sistendo sanguine magnam obtinent efficaciam. Cochlearum denique caro cum aceto trita, aut eædem cum suis domiciliis ustæ tritaque fronti ac naribus ex aceto admotæ, aut in nares insufflatæ, non parum utilitatis adferunt.* Supra omnia confert *sanguis, qui ex ægroti naribus profluxit, si scilicet in vase figulino tostus, ac deinde tritus fuerit.* De eo accipe, *drach. tres. Boli armeniæ gypsi, utriusque drach. unam. Caphuræ, scrup. unum. Cum oui candido, & exiguo aceto reducantur ad mellis crassitudinem, & fronti imponantur, naribusque immittantur. Necessitate ipsa urgente, grana duo, aut tria opii adiicere licebit.* Ab essentiæ totius proprietate *stercus asininum* exsiccatum, & in puluerem redactum, aut aceto dissolutum conducere, apud omnes in confesso est. Idem etiam *fimus porcinus* potest. Intra corpus adhibenda ea, quæ infrigidant & adstringunt medicamenta, vt sunt *serapia, rosaceum, myrtinum, nymphea, & e papauere: saccharum rosaceum, oxalydis, & nymphea: pastilli de lemnia terra, de succino, & id genus alia medicamenta.* Iecori etiam admouendum, si ex dextra maxime nare sanguis promanat, hoc emplastrum, quod accipit *vnguenti santalini, unc. unam & dimidiam. Oleorum rosacei, & myrtini, an. drach. duas. Lauentur hæc olea accurate in aqua frigida, dein parum aceti adiiciatur, cum spica nardi, syrup. uno. Misceantur, & tepida iecori apponantur.* Porro si quid interea sanguinis in ventrem, aut alia corporis loca defluxit, ipsum si multus ac copiosus fuerit, per medicamenta grumos dissoluentia, & educentia, vacuare oportet. In ventre enim & intestinis in grummos coactus sanguis, incensionem facit. Quæ autem sint eiusmodi medicamenta, suo dicemus loco.

Optimum medicamentum ad sistendum sanguinem.

Paratu facilia medicamenta.

Optimum.

De destillatione, grauedine, & raucitate. CAP. LV.

Catharrus. Destillatio. Grauedo. κόρυζα. Raucitas. Caussæ.

KATÁῤῥοος καὶ κατάῤῥους Græcis, *destillatio* Latinis dicitur. Fit autem, *Gal. lib. 3. de sympt. caussis teste*, vbi ad os & fauces humor delabitur. Grauedo vero, quæ Græcis κόρυζα vocatur, dum ad nares decumbit humor, accidit. Raucedo, quæ βράγχος Græcis appellat, vbi ad asperam arteriam destillat humor, contingit. Quemadmodum fusius in *Institutionibus nostris* docuimus. Defluxus humoris caussa est cerebrum, quod quidem a frigore, ad frigidam intemperiem deducitur: quod iis potissimum accidit, qui aperto capite sese statim ambienti frigido exponunt: ab æstu vero calefit & repletur. Frigiditas etiam humores quæ in cerebro sunt, cogens ac constringens, perinde atque manus spongiam imbutam aqua, defluxum eorundem in partes subiectas conciliat. Quum etiam cerebrum sæpe ob frigidam intemperiem nutrimentum, quod ad ipsum defertur, concoquere haud potest, ideoq; corruptum veluti excrementum in subiectas partes decidit. Sic non

A Sic non raro calor ambiens, humores cerebri dissoluens, destillationem creat. Præterea omnia, quæ vltra modum caput replere possunt, defluxum humorum in partes inferiores excitant. Sic vinũ vtiq; immoderatius ingestum, balnea calidiora, & largior perfusio capitis ex aqua calida, maxime si alias calidius caput exsistit: & cibus sane, qui in ventriculo crudus perseuerat, neq; infra excernitur, item ea, quæ sursum euaporant, in caput impetum facere consueuerunt. Externæ caussæ e sermonibus ægri cognoscuntur. Qui ex calore defluxu humorum ex capite laborãt, iis caput incalescit, acris tenuisq; humor destillat, tum per nares, tum per os. Facies deniq; rubescit, & nasus iis interim exulceratur. Hos etiam magna ex parte febris comitatur. Qui contra ex frigore, iis caput vndiq; & frons distenditur, meatusq; qui in ossibus sunt, quæ ethmoidea nominantur Anatomicis, clauduntur, ita vt ne vox deorsum per nares, vt Pauli verbis vtar, transmeare queat. Pituita quoq; & crassus humor e narib. stillat. Fugiant aerem impense calidum & frigidum, præsertim a balneo: ventos austrinos, & aquilonios, laconicum, Venerem & omnia quæ aut constringere, aut dissoluere humores in cerebro possunt. Vtantur cibis concoctu facilibus & boni succi. Deuitent eos, qui vaporum copiam ad cerebrum trãsmittunt, nempe cepas, allia, sinapi, raphanum, & odoramẽta supra modum calida. Curandum vnice, vt aluus aperta sit, & singulis diebus aliquid deiiciat. Præterea qui destillatione laborant, minus in cœna, quam prandio comedant. A cibo nec legendum, nec scribendum. Potus sit aqua mulsa, aut hordei, vel aqua in qua parum cinnamomi decoctum sit. Fugiendus somnus lõgior, & diurnus, & nocturnus supinus. Moderatus autem & noctu factus confert. Quod ad curandi rationem attinet, consultum est, caput, veluti mali fontem, sanare. Vbi itaq; calida intemperie caput vexatur, iis pugnandũ præsidiis, q̃ dolori capitis e tali caussa contracto conueniunt. Præsentissimũ aũt remedium capitis cum aqua copiosiore calida, moderate tamen irroratio & perfusio. Hæc enim generatos in capite vapores calidos euocare & discutere valet. Oportet deniq; sic laborantes balneis multis tepidis dulcium aquarum consolari, & temperamentũ omne in melius mutare. Qui vero caput vehementer calidum & perustũ habent, atq; ob id assidue destillationibus vexantur, iis melius est hora æstiua ex rosaceo vngi. Quod si frigida intẽperies infestet caput, calefacientibus ac tenuibus oleis, irino scilic. rutaceo, & similibus perungendum erit. Irinum autem nõ solum illinitur, sed etiam naribus instillatur. Alia præterea, nempe *chamæmelinum & anethinum*, quæ supra *de capitis dolore ex frigore orto dicta sunt*, adhibenda veniunt. Si autem calidus humor a capite destillauerit, simulq; febris inuaserit, & totius corporis plenitudo fuerit, sanguis e vena exteriore gibberi, quam *humeralem* vocant, mittendus erit. Sin sanguinis missione propter iustas caussas vti non liceat, clysteri aluus eluenda, atq; a capite exsuperantes humores deorsum trahendi, aut medicamentum bilem per inferna ducens propinandũ, vt sunt *catapotia aurea, alephangina, azaiaret, & similia.* Auertendi quoq; a capite sunt humores frictionib. extremitatum, ligaturis, & cucurbitulis scapulis admotis. Intra corpus adhibeantur, quibus alterandi, & feruorem atq; acrimoniam bilis exstinguẽdi facultas inest: veluti est *serapiũ violaceum, nymphea, e papauere, diacodium, præsertim vbi iam æger cubitum iturus est.* Siquidem somnum suauem affert, & destillationem reprimit, item eorundem sachara. Embrochæ etiam & odoramenta supra in capite *de dolore capitis* commemorata applicentur. Emplastrũ denique e terra lemnia, aut bolo armenia & plantaginis succo paratum, raso capite imponatur. Si vero frigidus humor sit, qui a capite destillet, per ea, quæ pituitam purgãt, corpus vacuabis. In quem vsum multũ confert validi clysteris iniectio. Præstet tamen prius exhibere medicamenta incidentia & preparantia, *vt supra aliquoties dictum est.* Quo peracto, a capite auertere atq; retrahere humores oportet. Dein vbi humores cocti fuerint, *apophlegmatismis, gargarismis*, & simulib. medicamentis caput expurgandum. Sacculi pręterea capiti admouendi sunt, qui habent: *Florum chamameli, maioranæ, meliloti, betonicæ, stichadis, foliorum lauri, pulegii, origani, singul. manipulum dimidium. Cinnamomi, garyophyllorum, vtriusq; drach. vnam. Maceris drach. dimidium. Nucis moschatæ, drach. vnam & dimidiam. Galliæ moschatæ, drach. vnam.* Terantur singula, & trita in sericum seu tenue linteum demittantur, formeturque sacculus, qui suturæ coronali imponatur. Plurimum quoque conducit, caput oleis calidis, irino nimirum, anethino, & rutaceo perungere. Destillationem autem reprimunt omnia, quibus exsiccandi inest facultas potissimum

Signa. Victus. Curatio. B C D E F

Si calidus humor. Si frigidus humor. Sacculus. Destillationem reprimentia.

Destillatio nem reprimentia. Pastilli pro suffitu.

vero nigella torrefacta. Et cuminum deustum linteolo inditum & illigatum, præsens A auxilium adfert, si idipsum ægrotantes odorent. In eundem vsum suffimenta adhibere conuenit, quale est quod accipit: *Thuris, mastichis, vtriusque drach. vnam. Ligni aloes, scrup. vnum. Cinnamomi, garyophyllorum, vtriusque scrup. duos. Galliæ moschatæ, drach. vnam & dimidiam. Foliorum lauri, santalorum luteorum, & rubeorũ, sing. drach. vnam. Moschi, ambar, vtriusque granum vnum.* Trita excipiantur stacte quod satis est, & informentur pastilli, quorum vnus prunis inserat. Aliud quod habet: *Saluiæ, maioranæ, rosmarini, singul. drachmam vnam. Maceris, garyophillorum, cinnamomi, singul. scrupulos duos. Ligni aloes, scrupulum vnum. Thuris, vnciam vnam & dimidiam.* Terantur omnia prius, & dein commisceantur, fiatq; puluis, qui, exigente vsu, carbonibus ignitis inspargatur. Grauedinis eadem quæ destillationis curatio. Post igitur tum totius corporis, tum capitis purgationem, cetebri re- B siccationi studendum. Sunt vero qui laminam ferream donec plane candescat, igni iniiciunt, ac ei postea acetum rosacei instillant atque affundunt, vaporemque indee-latum in nares recipiunt. Raucitas autẽ iisdem fere, quibus tussis, curatur medicamentis, de quibus infra dicemus.

Raucitatis curatio.

De dentium dolore. CAP. LVI.

Caussæ.

IS dolor, qui Græcis ὀδονταλγία dicitur, a calida vel frigida intemperie interdum excitatur. Nonnunquam etiam propter humorum ex capite in eorundem radices defluxum, qui sua illos acrimonia vel erodunt, aut consimile in eis malum sua concitant copia, quale est circa partes carnosas phlegmone. Dentium vero dolor, siue gingiuarum C phlegmone, interim in propria ipsorum substantia, interim in neruo, qui illorum radici inseritur, oritur. Si a nuda qualitatis intemperie dolor accidit, minime grauatiuus erit. Calidaq; intemperies ex totius corporis temperamẽto, quod itidem calidum est, item facie subrufa, & præcedenti victus ratione calida deprehenditur. Frigida ex contrariis indiciis cognoscitur. Si vero ab humore aliquo copioso influente dolor oriatur, non solum in dentibus grauatiuus sentitur dolor, verum etiam in reliquis partibus, quas pertransit. Calidus autem humor vehementiorem, frigidus vero remissiorem mitioremque dolorem excitare solet. Victus ratio, quæ ne dolor accidat, munire potest, eiusmodi sit, vt nullo non tempore quæ supra modum calida aut frigida sint, deuitentur. Vnice autem cauendum, ne statim sese sequantur. Fugienda quoq; acida, acerba, & viscosa D omnia. Lactis etiam frequens vsus, dentibus mirifice obest. Studium & diligentia assidua sit in purificatione dentium, quæ vna sane res eos a corruptione omnium maxime tutos reddit. Cibi quorum frequens vsus est, boni sint succi, & concoctu faciles. Dolore vero infestante, pro caussę diuersitate, alia atque alia victus ratio præscribatur. Curandi ratio, si nuda qualitatum intemperie dolor obortus sit, solis iis quæ alterare valent, pręsidiis perficitur. Si igitur a frigore sit, proderit vino tepido colluere dentes. Extrinsecus autem maxillæ calefacientibus oleis chamæmelino, rutaceo, irino, & similibus inungantur. Pro oris quoque collutione in aceto decoquantur *origanũ, calamintha, hyssopus, pulegium, dictamnus, satureia verbenaca rectæ radix, & similia.* Si autem a calore dentes dolere cœperint, in aceto decoquere oportet portulacã, parietariã, semperuiuum E minus, & glycyrrhizam. Quod si intolerabilis exsistat caloris sensus, vtendum est seminibus lactucæ, intybi hortensis, & papaueris, decoctis in aceto. Forinsecus oleis frigidis, rosaceo, nympheæ, & id genus aliis partes dolenti denti vicinæ inungendæ. Porro, si ob humorum redundantiam dolor excitatus fuerit, si ætas, anni tempus, aliaq; permiserint, ac corporis plenitudo aderit, a sanguinis missione ordiri curationem oportet. Incidere autem conuenit venam gibberi superiorem, quam humeralem vocãt, & quæ e directo male affectum locum respicit. Quæ si non contingat, eam, quæ media exsistit. Eo peracto, venas sub lingua secare oportet, aut scapulis cucurbitas affigere. Si vero vnus duntaxat humor vitiosus redundauerit, medicamento quod eum humorem purgare consueuit, vtendum erit. In eum etiã vsum clysteres mirifice conferent, quod non F solum aluum emollire, verum etiam humorum impetum ad inferiora auertere queant. Corpore vniuerso exinanito, ea quæ reprimunt medicamẽtã admouere licebit: vt sunt *succi plantaginis, rosarum, portulacæ, lactucæ, intybi hortensis vtriusque, aut prædictorum decoctum, aut stillaticii liquores, cum exiguo aceto.* Vnice autem conducit dolentes dentes acri

Signa.

Victus ratio.

Curatio. Si a frigore.

Si a calore.

Si ab humorum redundãtia. Venæ sectio.

Purgatio.

Reprimentia.

A tes acri aceto calido, cum immatura galla colluere. In eundem vsum *decocto solani, lactucæ foliorum salicis, radicis penthaphylli, gallarum, & halicacabi vtendum.* Extrinsecus partes dentibus dolentibus vicinæ *oleo rosaceo, nymphea*, inungendæ, & emplastrum ex hordeacea farina imponendũ. Principio vitii iam transacto, reprimentibus admiscenda erunt discutientia: vt est *fœnograeci, seminis lini, althea, hyssopi, & id genus aliorum decoctum.* Hoc tempore meliloti radix in vino, donec dimidiũ absumatur, elixa, ore ea parte, quæ dolet cõtenta, præcipue auxiliatur. Vtramq; enim facultatẽ, discutiendi nimirum & reprimẽdi, meliloti obtinet. Origanum præterea hoc tempore dolorem dentiũ lenit, & protinus tollit, si redactum in puluerem cum nitro gingiuis inspergatur. Ad stupefacientia, nisi summa vrgente necessitate, & nisi humorum defluxus calidus exsistat, perueniendum Discutiẽtia. Stupefacientia.

B non est. Illis quoq; paulatim vtẽdum. In hunc vsum, *decoctum seminis, aut foliorum hyoscyami, cum aceto adhibere licebit.* Philonii quoq; drach. vna in aqua, aut vino diluta, non parum auxilii adferet. Ceterum si dolores a frigidorum humorum confluxu orti fuerint, calida magis medicamenta sunt adhibenda. Frigida enim humores crassos & frigidos cohibent, ac ne difflari queant impediunt, atque adeo dolorem vehementiorem reddunt. Quare tum hoc potissimum medicamento vtendum erit, quod habet: *Piperis, pyrethri, meliloti, singul. drach. vnam. Trita dentibus dolentibus aspergantur.* Porro inter ea quæ a totius essentiæ proprietate conducunt, egregie facere fertur ranæ in aqua & aceto probe elixæ ius, diutius ore retentum. Præclare etiam confert senecta serpentis, in vino, aut aceto cocta. Eadem quoq; vsta & trita, cum oleo ad mellis crassitudinem redacta, den- Quæ a tota essentia cõducunt.

C tiq; imposita dolenti succurrit. Quod si vero prędicta nihil contulerint, dens aut ferro, aut medicamentis auferendus erit. Vt autem dentem citra dolorem auferre liceat, hoc medicamento vtendum. Pyrethrum acerrimo aceto in dies quadraginta conditum, deinde tritum in vsum adserua. Qui vbi postulauerit, reliquos dentes cera præmunitos custodito: ipsum vero qui dolet, circumcirca purgatum hoc medicamento integito, & post horæ interstitium digitis extrahito. Præclare facit *lappæ herbæ radix, feruenti cinere calefacta, & denti assidue apposita*: parua enim mora dentes tollit. Cucurbitę syluestris deniq; radicem cauo impone, & dentẽ eruet. Vermes terrestres in testa exustos, in cineremq; redactos contere, & circumraso prius denti vbertim adsperge, & per diem & noctẽ excidet sua sponte. Hoc Aetius confidenter esse vtendum monet, quod veluti mysterium Vt dens citra dolorẽ & absque ferro extrahatur.

D iam sæpe sit celebratum. Erucam e brassica natam frequentius ad ipsum dentem adhibe, cadetq; sua sponte. Hæc in præsentia vt paratu facilia commemorare volui. Plura alia habet Aetius *lib. 8. cap. 34.*

De dentibus denigratis, liuentibusq; & mobilibus. CAP. LVII.

Liuent aliquando dentes ac nigrant per vniuersam eorum substantiam, non dissimile quiddam phlegmoni patientes, ob influxum vitiosorum humorum. Vt autem dentes sint mobiles, interdum ictus, aut casus in caussa est. Alias a redundanti humiditate, quæ neruos & ligamenta relaxat, dentes mobiles euadunt. Alias etiam ab erosione aut flacciditate gingiuarum, quibus dentes circundantur. Curatio a vitiosi humoris purga- Caussæ.

E tione auspicanda. Postea vero, si dentes liuore aut rubigine laborant, humores vitiosi, quia dentes confluxerunt, exsiccantibus sunt medicamentis dissipandi, vt est *lycium, thus, menta, galla, mastiche, myrrha, nigella, & eiusmodi.* Inter multa vero alia hoc potissimum confert, quod habet: *Nigellæ, myrrhæ, thuris, singul. drachmam vnam. Mastichis, piperis albi, vtriusq; scrup. duos. Pistolochiæ, scupulum vnum. Aluminis scissi, drachmã vnam.* Trita redigantur in puluerem, quo dentes perfricentur: aut resina terebinthina excepra, dentibus circumlinantur. Humoribus vitiosis depastis, dentifriciis vtendum, quibus extergendi & exsiccandi facultas inest, quale est quod accipit: *Nitri aluminis scissi, cornu ceruini vsti, singul. drach. vnam. Myrrhæ, scrup. vnum Radicis iridis illyricæ, thuris, mentæ siccæ singu-* Curatio. Dentium denigratorum. Puluis. Dentifriciũ optimũ.

F *lorum drachmam vnam & dimidiam. Salis vulgaris tosti, pistolochiæ, vtriusque drachmam vnam. Pumicis, testarum sepiæ, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Piperis, pyrethri, pulegij sicci, singul. drach. dimidiam. Parietariæ, testarum ouorum tritarum.* Tusis & cribratis omnibus, fiat puluis, quo dentes quotidie fricentur. Ad mobiles vero dentes ea quæ adstringunt, & laxas gingiuas firmant, atque stabiliunt, admoueantur medicamenta. Prosunt itaq; collutiones oris ex decoctis rerum adstringentium, qualis est quæ habet: *Rosarum rubea-* Dentium mobilium. Collutio oris.

rum, mentæ, plantaginis, singulorum manipulum dimidium. Corticum nucum cupressi, drachmam vnam. Seminis myrti, rhois, vtriusq; drach. dimidiam. Malicorij, gallarum, vtriusq; drach. duas. Acaciæ, scrup. duos. Decoquantur singula in vino nigro adstringente, & cum eo crebro A

Dētifriciū. os colluatur. Colluto ore, hoc dentifricio vti licebit, quod habet: *Gallarum, putaminum mali punici dulcis, vtriusque drach. vnam. Balaustiorum, rhois, myrrhæ, singulorum scrup. vnum, Rosarum purpurearum, calyculorum glandium, sanguinis draconis, singul. drach. vnam. Thuris, cornu cerui vsti, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Radicis bistortæ, & pentaphylli, sing. scrup. duos.* Tritis & cribratis omnibus, fiat puluis, quo dentes perfricentur. Aut cum oxymelite scyllitico excipiantur, & vsu exigente illinantur.

De aphthis. Cap. LVIII. B

Aphthæ. Alcolæ. Caussę. QVæ in oris superficie fiunt vlcera, ac ignei caloris quiddam obtinent, Græcis ἄφθαι, barbaris & recentioribus *alcolæ* nominantur. Sunt autem nunc subalbidę, nunc subrubræ, alias crustæ modo nigrescunt, & hę omnium periculosissimæ exsistunt. Oriuntur, vt plurimum, infantibus, puerisq; lactentibus, quum scilicet aut lac nutricis fuerit vitiosum, aut non probe ipsum infans concoxerit. Fiunt etiam aliquando in iis qui ad perfectam ætatem perueniunt, tum propter vitiosorum humorum ad os defluxum, tū

Signa. propter acrimoniam eorum quæ comeduntur & bibuntur. Cognitio vniuersarum facilis est, vtpote quæ visui & tactui subiectę sint. Ad tactum quidem calidiores quam conuenit partes fiunt, tumoresque excitantur. Visu vero ex colore cognoscuntur. Quę enim rubicundiores sunt, sanguinei humoris dominium indicant: flauiores, bilis ama- C

Curatio infantium. ræ: albidiores, pituitæ: liuentes vero & nigræ factæ, bilis atræ. Quæ infantibus accidunt, facile curantur per ea, quæ mediocriter adstringunt, vitioso tamen nutricis lacte prius conuenientibus cibis ac potibus contemperato. Ea vero ipsis pueris in cibis potissimum offerenda. Oportet igitur miscere cibis aliquid ex malis cotoneis, & aliis acerbis, pyrisque sorbis, & mespilis. Interdum etiam lactucæ quiddam & intybi hortensis, ac portulacæ cibo admiscendum, phlegmone nimirum vlceribus accedente. Conuenit quoque lens cum aceto & aqua decocta, ac modico pane commanducata. Quod si infans ipse cibum capere non possit, nutricem eius huiusmodi victu vti oportet, nec nō ora infantium conuenientibus medicamentis illinire. Si enim subrufæ fuerint infantium aphthæ, a principio cum iis quæ mediocriter adstringant & refrigerant curantur. D Quare iis collutiones oris ex succis rosarum purpurearum, plantaginis, solani, oxalydis, aut eorundem liquoribus stillatitiis prosunt. Item ex decocto gallarum, balaustiorum, santalorum, rhois obsoniorum, acaciæ, & similium, admixto succo medicato e *ribes, aut*

Adstringētia calida. *diamoron.* Si vero subflauæ fuerint, iisdem quidem vtendum, sed magis refrigerantibus. Si subalbidæ adstringentibus & exsiccantibus cum quodam calore vtendum. Eiusmodi sunt *thus, myrrha, mastiche, nuces cupressi.* His etiā ea, quæ paulo ante sunt cōmemorata, miscere licebit. Si liuentes & nigrescentes fuerint, iis quæ generosius discutiunt v-

Curatio adultorum. tendum. In hoc casu confert *melilotum, chamæmelum, anethum, fœnograecum*, adiectis tamē semper adstringentibus. In iis, qui iam perfectæ sunt ętatis, vnice corporis natura consideranda venit, numne mollis sit & humida, an dura vel sicca. Siquidē durioribus. & robustioribus. corporib. veluti sunt piscatorū, nautarū, venatorū, & agricolarū, validiora etiam E remedia sunt adhibenda: imbecillioribus. autē & molliorib., vt sunt *eunuchorum, & mulier-*

Victus. Curatiō. *cularum*, mitiora. Quod itaq; ad victus rationem attinet, in hac ætate cōstituti, ab omnibus q̄ salsa & acria sunt, quæq; vitiosos succos progenerare possunt, abstineant. Quod v. ad curationem ipsam spectat, in plenitudine totius corporis, si nihil impediat, primum vena humeralis, dein illæ q̄ sub lingua sunt, incidendæ. Si vero cacochymia corpus laborauerit, humoris vitiosi & molestantis purgationem moliri oportet. Corpore a redundantibus humoribus vacuato, medicamēta quibus adstringēdi & reprimendi facultas

Moderata aphtharum remedia. Vehementiora. inest, admouenda. Moderata vero ad aphthas remedia hęc sunt: *Omphacium in vino austero aut musto dissolutum. Rhus obsoniorum eodem modo. Rosarum flos, ipsæq; rosæ siccæ cum melle rosaceo.* F Vehementiora sunt, quæ paulo antea commemorauimus. Deinceps vero ea quæ citra mordacitatem discutiunt, vt est *fœnograecum, glycyrrhizæ radix, melilotum, anisum, & alia quæ prius recensuimus.* Atqui si exulcerationes putrescere incipiant, præclare facit,

Ad putrescētes aphthas. maxime in infantibus, ex decocto gallarum & melle illitio. Gallas igitur contusas aqua

deco-

A decoque,& cum decocto percolato parẽ mensurã mellis permiscẽs, rursus decoque donec ad mellis crassioris spissitudinem redigatur: eoq; vt maximo remedio vtere, ita vt locis illitũ satis diu digitis adfrices, aut tomento lanæ purpureæ digito circumuoluto partibus vlceratione laborantibus apprimas. Egregie quoq; facit centaurii minoris exusti cinis illitus cum melle. Cupressi etiã pilulæ exustæ eodem modo. Cornu quoq; ceruinũ vstum, tritum, & ad frictum mirabiliter cõducit. Ad aphthas vero quæ proserpunt summe efficax est, fœniculi radix vsta per se, & cũ melle illita. Itẽ amurca in æreo vase, donec in mellis crassitudinem cogatur decocta, & illita. Nec min⁹ cõfert gallarũ, aluminis, & balaustiorum puluis, æquales singulorum partes assumẽs per se, aut cum melle illitus.

De fœtore oris. Cap. LIX.

B GRauis molestusque oris dolor magna ex parte propter putrescentes gingiuas, aut dentes, aut ciborum reliquias illic detentas accidere solet. Nonnunquam ob cutis oris calidam intẽperiem. Interdum etiam ob humorẽ corruptum, aut putrefactum, in ore ventriculi hærentem. Contingit quoq; vt nonnunquam oris aut pulmonis exulceratione, molestus sit oris halitus. Si propter putrescentes vel gingiuas, vel dentes, vel ciborum reliquias oris fœtor accidit, promte quidem cognoscitur aut visu, aut de ægroti sermonibus. Quod si a calida oris intemperie nascitur, tum calor in ore sentitur, ac sitis infestat. Si vero propter os ventriculi, tunc ante cibi sumtionem potissimum oris halitus molestus & grauis esse solet. Oris exulcerationes visui subiectæ sunt. Pulmonis sane, totius corporis extenuatione ac tussi, quæ illius sunt symptomata, facile dignoscuntur. Caussæ. Signa.

C In victus ratione omnia quæ promte in ore aut ventriculo corruptionẽ accipiunt, æger euitet. Talia sunt, *lac, pisces, fructus fere omnes, medullæ, pinguia, aquæ prauæ, & similia.* Cibi igitur, quibus vtitur, sint boni succi, & concoctu faciles. Assis tamen magis, quam elixis vtendum. In fine prandii & cœnæ adstringentibus pyris, cotoneis malis, & eiusmodi vesci licebit, iis potissimum, quibus ab ore ventriculi ingratus exhalat odor. Pro diuersitate caussarum potus nunc sit vinum, nunc hordei, aut cinnamomi decoctum. Somnũ a cibo statim fugere oportet. Si ob gingiuarum, aut dẽtium corruptionem oris fœtor fiat, corporisq; adsit plenitudo, ex humerali vena primum sanguis mittendus erit, & cucurbitulæ subinde ceruici sunt affigendæ. Sin cacochymum fuerit corpus, idoneo medicamento redundans ac molestans humor vacuandus erit. Corpore autem vacuato, localibus vtendum, collutionibus præsertim, quæ hoc in loco mirifice conferre solent. Victus. Curatio. Collutio oris.

D Inter multas autem hæc non parum conducit, quæ habet: *Rosarum purpurearum, plantaginis, polygoni, singul. Manipulum vnum & dimidium. Gallarum, balaustiarum, nucis cupressi, singul. drachmas duas. Putaminum malorum granatorum, drach. vnam & dimidiam. Aluminis liquidi, vnciam vnam.* Decoquantur in aqua iustę quantitatis ad tertias: iuri decocti per colũ transfuso admisceatur *mellis rosacei colati, diacaryon, vtriusque vncia dimidia. Diamoron, drachmas duas.* Commixtis omnibus, fiat collutio, cum qua mane & vesperi dentes & gingiuæ colluantur. Proderit etiam frequens collutio ex aqua, cui acetum permixtum sit, mane & statim a cibo. Quod si citra exulcerationem fuerit grauis ille oris odor, iridis radicem in vino veteri odorato maceratam, ad colluẽdum assidue exhibere, atq; etiam in

E ore retinere conuenit. Myrrham quoq; in vino meraco dilutam, colluendam prębere oportet. Non parum etiam confert commanducatio *pyrethri, tamaricis, & rutæ.* Collutio item *ex aceto scyllitico, aut decocto saluiæ, aut solo vino.* Decoctum quoq; menthę in aceto & aqua iuuat, si illo assidue os colluatur. Hoc sane bonum facit odorem, & dentes dealbat. Habet *salis candidi, pumicis, origani, singul. drach. duas. Radicis iridis, drah, vnam. Florum iunci odorati, drachmam dimidiam.* Contritis omnibus iis & commixtis, dentes fricato. Si a calida intemperie fiat oris fœtor, contrariis curetur medicamentis. Sin ab humore in ore ventriculi corrupto accidat, per ea q̃ humorem illum vacuare possunt, sanetur. Cõmodissime autem ea, quę in ore ventriculi sunt, per vomitum educuntur. Qua vero ratione Odorẽ bonum faciẽs, & dẽtes dealbans. Si a calida intẽperie.

F vomitus sit concitandus, diximus *cap. 34.* Post hæc medicamenta, quæ stomachum roborare possunt, exhibenda: qualia sunt *odoratum rosaceum, diambar, hydromalum, & eiusmodi.* Medicamenta vero, quę in omni caussa competunt, sunt *garyophylli, mastiche: macer, lignum aloes, cinnamomum, rosæ, santali, nux moschata, cubeba, & alia huius farinæ.* Hæc sufficiant, quotquot enim sunt alia capitis vitia, quorum nominatim curationem hoc in libro non perstriximus, facile ex iis, quę diximus, curare cuiuis licebit. Remedia in singulis caussis competentia.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM PARTIVM CORPORIS humani a summo capite ad imos vsq; pedes malis, Liber II. A

De columellæ phlegmone. CAP. I.

Arnosa quædam particula in summa oris parte dependens apparet, si quis
toto ore plurimum aperto linguã deprimat: q̃ quidem veterib. Græcis duo-
γαργαρεὼν. κίων. bus appellata est nominibus, *γαργαρεὼν & κίων*, hoc est, *gurgulio & columna*: poste-
Columella. riorib. v. prope omnibus *κιονὶς*, i. *columella*, vocata est. Hæc sæpe admodũ in
Caussa. phlegmone infestatur, id q; ex influxu sanguinis, aliorumq; humorũ a capi-
Signa. te descendentium accidit. Visui vitium subiectum est: acceditq; in deglutiẽdo difficul- B
Victus. tas, *dolor, tumor, & rubedo columellæ, & febris.* Victus ratio talis fere, qualis in reliquis phle-
Curatio. gmonibus, constituenda. Conuenit autem maxime quies, & taciturnas, inediaque. In
Venæ sectio cœna parum, aut nihil comedendum. Curandi ratio, si plenitudo corporis adsit, a venæ
Auersio. sectione ordienda erit. Incidenda v. initio vena in gibbero exterior, quam humeralem
nominant, deinde ea quæ sub lingua est. Aluus præterea clysteribus aut glãdibus subdu-
cenda, vt scilicet hac ratione non solum vacuentur, verum etiam a loco patiente cõflu-
entes humores deorsum trahantur. In hunc etiam vsum cucurbitulas scapulis affigere
oportet. Neque sane prætereunda sunt præsidia, quæ fluxum humorum reprimere va-
lent. Nam vt in aliis omnibus, in quibus ex influxu humorum morbus exsistit: ita & in
hac parte prima auxilia fluxum reprimunt. Adstringentis itaque facultatis hæc esse o- C
portet. Et si quidem moderatus sit humorum influxus, ea quæ moderate adstringunt,
qualia sunt, quæ austera nuncupantur, adsumenda. Vbi autem vehementior fuerit, a-
cerba etiam sunt adiungenda. Ambo siquidem adstringunt, sed imbecillius austera, ve-
hementius acerba, *vt copiose libro 4. De simplicium medicamentorum facultatibus capite sexto*
Collutiones. *& septimo monstrat Galenus.* Collutionibus igitur ex iis paratis vtendum, inter quas mo-
deratæ sunt quæ ex palmulis decoctis, aliquando sola aqua, aliquando etiam adiecto
modico melle fiunt. Similiter autem & ex rosis, pampinis vitis, pdosella, rubo, cypero,
cytinis, siliquis, radice mori, malis austeris, aut acerbis, seminis plantaginis, & sorbis.
His fortiores sunt quæ ex decocto myrti, & baccarum eius, item acerborum malorum
cotoneorum, & surculis quercus, similiterque glandium eius, mespillorum, & corno- D
Composita medicamẽta. rum parantur. Præclarissimæ vero conficiuntur ex gallis, rhu obsoniorum, acacia, & v-
triusq; punici mali floribus, & earundem putaminibus. Mirum autem, quantum præ-
dictorum mixturæ, simplicium & immixtorum vsum excedant. Inter composita vero
Gargarisma. medicamenta plurimum præsidii affert hoc, quod habet: *Liquorum stillatitiorum rosarũ,*
plantaginis, oxalidis, prunellæ, solani, singulorum vnc. duas Diamoron, succi medicati eribes, vnc.
dimidiam. Succi medicati ex oxyacantha, drachmas duas & dimidiam. Aceti in quo rhus mace-
ratus sit, vnc. vnam. Succi malorum granatorum, vnc. dimidiam. Misceantur singula, & cum iis
os colluatur. Aliud æque præstans, quod accipit: *Rosarum purpurearũ, rubi, vtriusq; manipulũ*
vnum. Balaustiorum, putaminis malorum punicorum, gallarum, glandium quercinarum, singul.
drach. tres. Rhois, hypocisthidis, acaciæ, singul. drach. duas. Seminis oxalidis & cotoneorum, vtriusq; E
drach. vnam. Decoquantur in lib. 1. aqua fontana, dum medietas relinquatur. Iuri per colum trans-
fuso adiiciatur diamoron, vncia vna. Succi medicati e ribes, diacoryon, vtriusq; drach. dua & di-
midia. Aceti optimi, drachma sex. Commixtis omnibus, fiat gargarisma. His quidẽ medica-
mentis in principio morbi vtendum, & tunc potissimum, vbi affectus non habuerit ma-
iorem caussam, nec ægri corpus multis refertũ fuerit humoribus, neq; pars affecta phle-
gmone natura imbecilla exstiterit. Sin contra euenerit, sæpe quidem initio, sæpe vero
paulo post, hoc est, tertio die, quippiam ex discussoriis medicamentis commiscendum
Discussoria medicamẽta. erit, vt est *lini semen, fænograci, & althææ, radix iridis, atque mel.* Quare Medicus perspecta F
caloris in ipsa phlegmone magnitudine, considerataq; influxus ad eã multitudine, atq;
amplius in toto corpore humorum copiã perpensa, vel eorum quæ adstringunt, vel quæ
discutiũt augebit mixturã. Porro quotquot sunt eius generis medicamenta, hæc tepida
adhibeantur: siquidem ea quæ phlegmone laborant, frigus non tolerant. Post vigorem
discussoria medicamenta tuto adhibentur, nisi columella indurari cœperit, tunc enim
emollientibus etiam vtendum erit medicamentis, *lini scilicet semine & fænograci,*

malua

A *maluæ, altheæ, tragacanthæ, & similibus e quibus gargarismata parari possunt.* Posthæc discutientibus, vt est *hyssopi, origani, pulegij, caricarum, & radicis glycyrrhizæ decocto vti oportet.* Si vero ad suppurationem tendat, id quod ex eius colore deprehenditur, nec sua sponte a collutionibus mulsæ, & oxymelitis scyllitici pus erumpat, ferro aperienda erit. Post puris eruptionem extergentibus & repurgantibus medicamentis, verbi gratia aqua hordei cum melle rosaceo mista, aut aqua mulsa, ac subinde glutinantibus, potissimum autem eupatorii succo, vtendum.

De laxata columella. CAP. II.

NOn raro accidit, vt columella laxata, radici linguæ ac faucibus incumbens, propẽdat. Vitium hoc latini *laxatam columellam*, barbari *casum vuulæ* appellãt. Quapropter B initio eandem curandi rationem quam eius phlegmone exigit. Corpus enim, & caput, principio vacuanda per medicamenta capite præcedenti dicta. Sunt qui piper nigrum, quod exsiccat vehementer, in tenuissimum puluerem tritum, vt columellã contingat, insufflent. Quibus peractis, collutiones & gargarismi ex iis quæ adstringunt & exsiccãt parentur in hunc modum: *Rosarum purpurearum, oxalydis, eupatorij, singulorum fasciculum manipularem vnum. Gallarum, drachmas duas. Aluminis, drachmam vnam. Myrrhæ, thuris, vtriusque drachmam dimidiam. Seminis lini, drachmam vnam & dimidiam.* Coquantur in aqua ad tertias, & iuri decocti per colum transfuso adiiciatur aceti optimi, vncia dimidia & fiat gargarisma. Prosunt etiam pulueres per calamum vel arundinem insufflati, qualis est qui habet: *Rosarum rubearum siccarum, gallarum, aluminis scissi, singulorum drachmam* C *vnam & dimidiam. Piperis, cinnamomi, zinziberis, vtriusque drachmam dimidiam. Myrrhæ drach. vnam. Contusa & cribrata per calamum insufflato. Nuces etiam accipe virides, & exsiccato & palmularum ossa vbi velis sufficienter exurito, & amborum æquales partes misceto, ac siccis tritis vtitor.* Item *gallæ immaturæ, salis ammoniaci, vtriusque drachmam vnam. Trita insufflato.* Cinis item hirundinum exustarum tenuissime contritus, cum melle permistus, vuæq; illitus prodest. Per ea itaq; quæ dicta sunt, in naturam suam reducere columellam oportet, omni conatu & molimine adhibito, neque festinandum ad eius excisionem. Quod Hippocrates quoque præcipit, qui sic scriptum reliquit: *Gurgulio sine periculo præcidi & scarificari quoad rubidus ac magnus fuerit haud potest, etenim phlegmone & sanguinis profusio ei accidit. Proinde oportet hunc alijs quibusdam medicamentis per id tempus extenuare eniti.* Hæc ille. D Quum autem per præsidia, quibus extenuandi inest facultas, nihil iuuantur, atque adeo suffocationis periculum imminet, ad eius excisionem veniendũ erit: antea tamen aluo vacuata. Quod Hippocrates etiam loco prius citato diligenter monuit, dicens: *Vbi vero secretum fuerit omne id, quod vuam appellant, fitque pars gurgulionis extrema maior & rotunda, superior autem tenuior: per illud tempus manus moliri tutum est.* Sed præstat simul aluũ subducere, antequam manus adhibeatur, si tempus ita permittat, ne æger stranguletur. Porro vt manum commodius adferas, æger in splendenti & claro loco collocetur, & tunc quidem os eius diducatur: mox vero immisso forcipis extremo, ipsa columella producta obtorqueatur. Obtorta enim velut stupida efficitur, & illaqueata curuatur citra magnam sanguinis eruptionem. Quapropter immorari oportet aliquandiu, ac E eam detinere quousque æger tolerare possit: tuncque auferre non supra forcipem incisione facta, sed ad eius fundum. Quum enim pelliculis referta sit ipsa columella, & ob laxitatem cedat, prolixa sane inspicientibus apparet. Vnde multi inexperti Medici, siue per errorem, siue per ignorantiam altius incidentes, eam funditus auferunt, maximique incommodi auctores ægro exsistunt. Columella præcisa, caput reclinetur, ne sanguis ad interiora repat: ac subinde os cum decocto rhois, acaciæ, gallarum, adiecto stillatitio rosarum liquore colluatur. Postea ea quæ cicatricem inducere possunt, adhibeantur.

Margin notes: Gargarisma. — Puluis. — 3. Prog. 23. — Columellę.

F *De tonsillarum phlegmone.* CAP. III.

TOnsillæ, quæ Græcis παρίσθμια vocantur, *Galeno lib. 3. Aph. Comment. 26. auctore*, sunt phlegmones eorum, quæ iuxta Isthmum sunt locorum. Hic vero per isthmum oportet intelligere partem illam, quæ os & gulam interiacet. Sic autem per metaphorã nominatur, ab iis, qui proprie dicuntur isthmi, qui angusti quidam terræ inter duo maria sitæ transitus exsistunt. Glandium vero, quæ in fine oris vtrinq; linguæ appositæ sunt,

Margin notes: παρίσθμια: Tonsillæ. Isthmus.

ἀντιάδες. e defluxu ex capite tumores & phlegmones, Græcis *ἀντιάδες, vt loco iam citato testatur Galenus*, appellantur. Verum ipsas etiam glādulas Græci *παρίσθμια ἢ ἀντιάδας*, quod scilicet circa isthmum, & sibi ex opposito sitæ sint, nominant: quemadmodum Latini *tōsillas*. Barbaram sectantes Medicinam, *amygdalas* nuncupant. Hæ sane frequentissime phlegmonem incurrunt: calidi enim & humidi sunt earum loci. Hoc vitio magis corripiuntur hi, qui plurimo sanguine abundant, & pueri, atque infantes adhuc lactentes, ex lactis haustu. Accidit etiam plerunq; adultis a nimia meri potione, & a multa ac auidiore deuoratione ciborum, maxime acrium, & asperitatem inducentium. Sic affectis trāsgluttiendi accedit difficultas, & dolor, aliquando etiam febris. Incipiente itaque phlegmone, cibum subtrahere oportet, & aquæ potum, aut aquam, in qua parum cinnamomi sit decoctum, exhibere, præsertim febre simul irruente. In vniuersum vero victus ratio talis sit, qualis in aliis phlegmonibus. Cibi autem sint exigui & sorbiles, quod alias degluttiri non possint. Quod ad curationem spectat, si leuis fuerit phlegmone, gargarismis adstringentibus & reprimentibus, quales in principio phlegmone laborantis columellæ assumuntur, vtendum. Cauendum tamen inter initia, ne mel gargarismis admisceatur: habet enim acrimoniam, & irritat. Verum si phlegmone vehemens fuerit, & periculum suffocationis imminet: vena gibberi exterior, quam humeralem vocant, eiusdem lateris incidenda est, repetita sanguinis detractione: maxime si iuuenis sit æger, & multo sanguine abundet. Quod si venter non probe egerat, iniiciendus est clyster. Infantium vero ventres glande immissa, & sedis illitionibus irritare oportet. Post vacuationem reprimentibus vtendum medicamentis, idque ad morbi vsque vigorem. Quapropter ptisanæ succum, in quo vuæ passæ decoctæ sunt: aut sapam, vel decoctum glycyrrhizę, aut ficuum, aut hyssopi gargarisandum. Hæc vero omnia, *vt antea quoq; monuimus*, tepida sunt exhibenda. Extrinsecus autem leniter fouere conuenit spongiis impositis, aqua in qua flores chamæmeli, vel altheæ, decocti sunt. Cataplasmata quoque ex *farina hordei, semine lini, fœnogræci, & similibus* imponenda. Remittente autem & declinante phlegmone, mel in gargarismos admiscere conuenit: quod in principio, & in augmento minime faciendum, ne acrimonia, quam obtinet, fluxum concitet. Hoc etiam tempore calidiores gargarismi prosunt. Extrinsecus autem lana mollis, oleo imbuta, collo circumponenda. Quod si ex vsu acriorum collutionum aut gargarismorum phlegmone exasperetur, & mordacitas inde accidat, lenioribus vtendum, qualis est *ptisanæ succus*, lac etiam tepidum gargarisandum. Remittente vero phlegmone & dolore, prædicta oris remedia sunt illinenda, immisso digito medio: ita vt cum leni adhibita illitione partes tonsillarum, quę intumuerūt, comprimantur, quo contentam in se materiam excludant. Veruntamen non violenter comprimere oportet, quemadmodum quidam faciunt: qui auctores ob id fiunt, quo phlegmone amplius augeatur. Si tamen aliquem hac ratione lædi contigerit, contenti erimus exhibitione lenientium gargarismatum, nihil illinentes. Quod si a prædictorum remediorum admotione melius non habuerint ægri, suppurationem exspectare oportet, quam etiam ex phlegmonis augmento, & exacerbationibus ad vesperam fortioribus cum horrore, inæqualitate, & aliquando cum febre dignoscere licebit. Vbi autem suppurationem futuram speramus, coadiuuare oportet, vt quam citissime fiat. Quare tunc exhibendi sunt gargarismi calidiores, velut aqua multa calida, & decoctum caricarum, hyssopi, & seminis altheæ. Extrinsecus cataplasma ex hordeacea farina, & fœnogræco, cum *decocto caricarum, althea & melle*. Quum suppuratio perfecta fuerit, dolores minuuntur, & phlegmonis tumor mollior redditus, digito cedit: tunc sane acriores collutiones exhibendæ sunt, cuius generis sunt, *pulegium, hyssopum, thymum, calamintha, & thymbra in sapa, aut mulsa decocta, & gargarismata, vt scilicet abscessum rumpant*. In cibo accipienda frusta panis, aqua macerata, quā maxima, & reliqua similiter quæ eis pro cibo offeruntur aceruatim ingerant. Vehementiore enim ex iis circa tonsillas obuolutione facta, consimili modo tumores adficiuntur, perinde ac si sectionem sustinerent. A ruptura caput ægri inclinetur, ad humoris commodiorem exclusionem, & aquam mulsam gargarisset per se, postea etiam admixto lenticulæ, & rosarum decocto. Atq; iis sane immoderandum est, donec penitus ad cicatricem perducatur.

Caussæ. Signa. Victus.

Curatio.

Suppuratio nis notæ.

A B C D E F

A *De serpentibus & malignis tonsillarum vlceribus.* Cap. IV.

MAligna tonsillarum vlcera interdum præcedente earundem fluxu incipiũt. Aliquando autem a consuetis fieri phlegmonibus, potissimum efferatis, perficiuntur. Fiunt autem frequentissime pueris, atq; etiam ætate iam perfectis, maxime iis, qui vitiosis humoribus abundant. In pueris vero aphtha præcedente omnino perficiuntur. Colore similia sunt crustis, quæ ferro inuruntur. Accidit etiam ægris siccitas in trãsglutiendo, & suffocatio coaceruatim incidit, maxime quum rubor subit mentum. Vbi humorum acrimonia præcesserit, nome quæ depascitur locos, excipit, succeditq; vna putrefactio. Festinanter iis auxilium adferre oportet: & si sunt ætatis perfectæ, & nihil sit quod prohibeat, confidenter brachii venam exteriorem, aut si illa non appareat, mediã B incidere conuenit. Si vero virgines fuerint, quas circa ætatis vigorem, dum mensiũ purgationem appetunt, hoc vitium crebro apprehendit, tunc eis malleoli venæ sunt incidendæ, vnica sanguinis detractione facta: non tamen vsque ad animi defectionem, ne subinde profluentibus mensibus virtus plane concidat. Deinde aluus clysteribus, glandulis, & sedis illitionibus mouenda: atque omnibus modis conandum erit, vt auersio ab affectis partibus fiat. In quem vsum cucurbitulæ iuxta lumbos affigendæ, ac ligaturis extremitatum vtendum. Postea gargarismis vti decet, *supra in capite De columellæ phlegmonibus, & sequenti dictis.* Post morbi principium diamoron colluendum exhibeatur, ex aqua calida, vel mulsæ permixtum. Tum etiam iridis decocto, & aliis loco iam citato commemoratis vti licebit. Conandum autem est in vniuersum, ne digitum quidem C tonsillis vlceratis admoueamus, aut leni saltem tactu manum admoliamur. Etenim inscii, ad quos maxime in rebus dubiis homines errore quodam confugiunt, vehementius illinunt, simulque locum laborantem comprimunt, ac crustam detrahunt: quod minime facere conuenit, priusquam eleuatam & vix innitentem crustam cõspiciamus. Quod si enim adhærentem adhuc crustam auellere aggrediamur, vlcerationes magis in profundum procedunt, & phlegmones consequuntur, augenturque dolores, & in vlcera serpentia proficiunt. Itaque sicca quidem remedia insufflare conuenit: liquida vero cum pinnula illinire, ita vt quantum licuerit, quam penitissime pinnulam immittamus. Mirabiliter autem crustas aufert stercus caninum, cum melle illitum: quod tũ optimum erit, quum ossibus canes antea per biduum fuerint nutriti. Magnopere enim D auxiliatur, neque odium sui inducit, neque insuauitatem repręsentat in cibo oblatum. Cinis item vstarum hirundinum, & centaurii minoris vsti cinis cum melle. Oportet autem post irritationes a medicamentis factas, lenire cum *glycyrrhizæ decocto*: & eo, qui ex *mastiche, myrrha, tragacantha, amylo, & croco constat, gargarismo.* Cohibito autem iam vlcere pascente, lac gargarissandum, lemnia terra permixtum. Quid multa? in repurgandis explanandisque vlceribus maxime sollicitum esse oportet. Infantes enim plurimi in vlcerum repurgatione conuulsionem passi sunt. Aliqui vero via transglutiendi exsiccata, sunt strangulati. Forinsecus certe fomenta adhibere conuenit, & cataplasmata, cũ cautione, ne refrigeremus. Feliciter enim res procederet, si intrinsecus detentam materiã extra possent transferre. Contegantur itaque semper post cataplasmatum ablationem, partes circa mentum, circumpositione lanarum mollium in oleo nardino irrigatarum. E Porro vbi crustæ solutæ fuerint, & vlcera ipsa purgata, hoc remedio vtendum erit, quod habet: *Florum rosarum purpurearum, drachmas tres. Croci, drachmam vnam & dimidiam. Balaustiorum, drachmam dimidiam. Myrrhæ, scrupulum vnum. Nucum pinearum repurgatarum, drachmæ duæ. Amyli, drachmam vnam. Rhois culinarij, aluminis scissilis, vtriusq; drachmã vnam & dimidiam.* Tritis & subactis melle, ad illitionem vtere.

Causa. Signa. Curatio. Stercus caninum. Illitio.

De angina. Cap. V.

KΥνάγχη καὶ συνάγχη Græcis, *Angina* Latinis, ꝓprie phlegmone est, q̃ in gutture vel fau- F cibus fit. Sic dicta quidẽ ἀπὸ τοῦ κυνάγχειν ἢ συνάγχειν, hoc est, *a suffocando, quod exitiosum & acutissimũ sit vitiũ, quod strãgulatu præsentaneũ vitæ discrimen inferre solet.* Hippocrates tamen & alii veteres omnia vitia, quæ in locis iam dictis accidunt, & quas spirandi comitat difficultas, *anginæ* nomine appellant. Porro anginæ quatuor differẽtiæ exsistunt. Vna, quũ fauces phlegmone tentantur. Per fauces autem, φάρυγγα Græci vocant, *locũ intra os, vbi tũ gulæ, tum aspera arteriæ extrema conueniunt*, intellige. Altera, *quum neq; fauces, neque reliqua*

συνάγχη Angina. Anginæ differentiæ quatuor. Fauces.

oris partes, neque etiam externarum partium vlla phlegmone afflicta videtur, æger tamen suffocationis periculum in gutture sentit. Tertia, *vbi gutturis partes tũ internæ, tum externæ iuxta phlegmone laborant.* Quarta, *vbi ad anteriorem regionem ceruicis vertebræ luxantur, vnde cauus apparet locus, & dolorem quum extra attingitur, æger sentit.* Recentiores Medici, *vt Paulus Aegineta, & alij quidam,* inter cynanchen & synanchen, item paracynanchen & parasynanchen discrimen faciunt: atq; adeo συνάγχην vocant plegmonẽ, q̃ in interioribus faucium musculis orit. Quæ v. in exteriorib. eorundẽ fit musculis, παρασυνάγχην nominãt. Quod si interiores gutturis musculi phlegmone cõflictentur, κυνάγχη, si v. exteriores, ὑποκυνάγχη his ipsis appellatur. Galenus tamen *libro 4. De male affectis locis cap. 5. & 3. Prognost. Comment. 20.* hoc discrimen manifeste reprehendit. Oritur angina a sanguine copioso ac calido, præter naturam ad loca nunc cõmemorata confluente. Dignoscitur iis indiciis: *Spiritus non nisi recta ceruice, aut difficulter trahitur. Trãsglutiendi quoq; difficultas adest, quibusdã etiam febris. Rubor faciei, & colli. Adhæc in nonnullis etiam tumor superuenit. Aeger aperto ore hiat, atq; aerem attrahit. Initio itaq; præceps & compendiarium auxilium omnis angina requirit.* Quare p̃tinus gibberi venam exteriorem, quam *cephalicam* vocant, eiusdẽ lateris incidere oportet, nisi quiddam maioris periculi impediat. Parce autẽ, & pluribus interpositis vicibus, non confertim, auferendus sanguis. Quippe cumulata confertimq; facta vacuatione, animo cito linquuntur, atq; adeo suffocationis periculum superuenit: & alias sane ex refrigerationibus & animi defectione perfacile materia a faucibus ad pulmonem defert, & ineuitabile periculum infert. Curandum etiam, vt modica fiat venæ diductio. Nam tum in aliis, tum in magnis venæ diductionibus aceruatim animi defectus irruit. Neque tamen iusto angustiorem facere venæ incisionẽ conuenit, ne sanguis velut percoletur, & crassior eius pars intus remaneat, quæ caussa huius vitii exsistit. Vtilis est autem eis repetita detractio sequenti die, nisi præpediat ægri timor, aut animi deliquium. Quod si ægrotans sit mulier, eique menses restricti fuerint, vena malleoli ex Tralliani decreto *lib. 4. cap. 9.* incidenda quoque est, moderateque sanguis educendus. Idem etiam tentãdum est in viris, si ipsos sanguinem per venã in ano exstãtes vacuare solitos didicerũt. Sed prestat Tralliani verba referre, quod illis eius venæ sectionis vtilitas quoque exponatur. Καὶ ἐπὶ, inquit, γυναικὸς δὲ τὰς ὑπὸ τὸ ἀστράγαλον, γνοὺς αὐτὴν μὴ καθαιρομένην, καὶ μᾶλλον ἐκεῖθεν αὐτῇ συμβαίνειν τὴν ἀφορμὴν τῆς νόσου, καὶ συνέβη διττὴν παρακολουθῆσαι τὴν ὠφέλειαν τῇ πασχούσῃ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ τῶν συνήθων κενώσεων τὴν ὑπόμνησιν, καὶ τοῦ πάθους ἀπαλλαγήν. τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ ἀνθρώπου δεῖ ποιεῖν, ἐὰν μάθῃς αὐτὸν διὰ αἱμορροΐδων εἰωθότα αἷμα κενοῦν. Hoc est, *Et in muliere etiam venas sub talo secui, quum ipsam non purgari per menses cognoscerem, & illinc magis ei morbi occasionẽ euenire. Atq; duplex commodum ægrotãti mulieri ex eo subsequutũ est, nempe consuetarum vacuationũ admonitio, & a vitio liberatio. Idem quoq; in viro facere oportet, si didiceris ipsum solitum fuisse per hæmorrhoidas sanguinem vacuare.* Tralliani igitur sententia est, in muliere, cui menses, & viro cui hæmorrhoides suppressæ sunt, vbi prius exterior in gibbero vena secta est, etiam dein incidẽdam esse venam malleoli. Id quod ego quoque significare volens adieci, moderate sanguinem educendum esse. Si enim solius venæ malleoli sectio intelligeretur, nihil opus erat monere vt sanguis moderate educeretur. Quum enim hæc vena a laborante loco plurimũ distet, nihil si sola incidatur conferre potest, nisi copiose ex ea sanguis vacuetur. At forte pauci tantam etiam quæ sufficeret vacuationem ferre possent. Quare primum e proximis ob morbi magnitudinem & malitiam venis, deinde autem ad mouendos menses, aut hæmorrhoidum euocandũ sanguinem, e malleoli quoque vena sanguis educendus est. Hæc olim etiam mea fuit sententia, etsi sinistre a quibusdam sit accepta. Si per hæc quæ iam dicta sunt parum proficitur, eas quoque venas quæ sub lingua sunt, incidere conuenit, idque primo statim die, vel secundo. Quod si quid venæ sectionem fieri prohibeat, aluus acriore clystere, qualem in capite De apoplexia descripsimus, eluenda erit. Post vniuersales autem vacuationes, cucurbitas affigere oportet. Et si quidem tumor circa maxillas, aut sub mento persistat, ipsi quidem tumori, & cum scarificatione plurimum sanguinis extrahere, saleque respergere scissuras, & confricare conuenit. Quod si nullus extrinsecus appareat tumor, retro in collo iuxta primam vel secundam vertebram cucurbitula apponenda erit, & constanti attractione vtendum, frequentiusque cucurbita auellenda. Vias enim dilatabit, sicque minore molestia cibum & medicamenta sumet. Auertendi quoque humores, ne ad dolentem atque phlegmone affectum locum confluant. In quem

Margin notes: Caussa. Signa. Curatio. Venæ sectio. Clyster. Auersio.

Margin letters: A B C D E F

A quem sane vsum pedes aqua calida foueri debent, & externæ partes valide deligari ac fricari. Collum etiam lanis succidis, aut oleo calido imbutis contegendum. Gargarismatis quoque statim per initia vtendum, quæ neque vehementer repellunt, neq; solum discutiant. Quæ enim admodum repellunt, ea humores ad pulmonem trudendo, suffocationis periculum afferunt. Quæ vero tantum discutiunt, plus ratione sui caloris, quam par sit, attrahunt. Extrinsecus autem in nullius anginæ specie extrinsecus reprimentia adhibenda sunt, vt quæ humorum defluxum ad interiora propellant, & suffocationis periculum afferant. Quapropter vbi initium fuerit cum multa phlegmone, ea quæ leniter adstringunt, offerre oportet: velut est *rosarum, lentium, & palmularum decoctum*: aut certe adstringentibus gargarismis, supra capite *De columellæ phlegmone* dictis, aliquid medicamentorum discutientium commiscendum. Eius quidem generis est *flos rosarum, aut rhus cum aqua mulsa decoctus, & myxarum decoctum.* Quum morbus viget consistitve, iis quibus discutiendi tantum facultas inest, vtendum præpropere præsidiis: vt est *decoctum fænograeci, ficuum, vuarum passarum, glycyrrhizæ, vel valentiorum, iridis nimirum radicis, hyssopi, nigellæ, abrotoni, cum oxymelite.* Licebit itaque hoc tempore vti tali gargarismo, qui habet: *Glycyrrhizæ decorticatæ, vnciam vnam. Vuarum passarum, vnciam dimidiam. Caricarum numero sex. Fænograeci, drachmas duas. Hyssopi, abrotoni, vtriusque manipulum dimidium. Coquantur in libra vna fontanæ aquæ, donec medietas absumatur.* Iuri decocti colo transfuso adiiciatur *mellis rosacei colati, vncia vna & dimidia. Oxymelitis simplicis, vncia vna.* Commixtis omnibus, fingatur gargarismus. Item *stercus caninum, quale prædiximus capite quarto aridum contusumque, & cribratum cum melle, quam penitissime illitum, vt transgluti re possint, præstantissimum, Galeno etiam auctore, remedium exsistit.* Est autem eiusmodi, quod colore candidum est. *Hirundinum similiter vstarum cinis mire efficax esse solet.* Hinc est quod Cornelius Celsus scriptum reliquerit. *Si quis pullum hirundinis comederit, angina toto anno non periclitabitur.* Foris denique ceruici, quæ concoquere & discutere possunt adhibeantur cataplasmata, quale est quod accipit: *Farinæ seminis lini, fænograeci, hordeaceæ, singul. vnciam vnam. Seminis altheæ, drachmas tres. Maluæ, florum chamameli, meliloti singul. manipulum vnum. Caricarum contusarum, vnciam dimidiam. Nidi hirundinis, aut cineris hirundinis vsti, drachmas duas.* Coquantur in aqua donec mollescant: dein in mortario contundantur, & informetur cataplasma. Vel adiectis *oleorũ chamamelini, liliacei, vtriusq; vnc. vnam & dimidiam & iterum ebullitis, fingatur emplastrum.* Neque inutile erit, si collũ oleis *chamamelino, anethino, liliaceo inungatur: aut decocto fænograeci, meliloti, chamæmelique foueatur.* Qui angina infestantur, triduo aqua mulsa pro cibo vtantur: inde ptisanæ cremore per se, aut cum suaui quadã potione. Præditus enim est is succus facultate extenuãdi, discutiendi, alendi, & refrigerandi. Vbi phlegmone remiserit nonnihil, & æger iam melius deglutire cœperit, ouorum lutea perliquida, ac sorbitio ex alica præbẽda. Item *ptisana cum iusculo pulli gallinacei confecta.* Pullorum quoq; gallinaceorum contusorum sorbitione. Quid multa? cibi ægrotantis viribus respondeant: ideoq; immodica alimenta vitanda. Somnus quoq; vt in aliis omnibus phlegmonibus, sic in angina omnium maxime fugiendus. Nam in somno, *vt Hippocrates dixit*, sanguis intro repit, atq; adeo humorum ad locum patientem defluxum auget.

Margin: Gargarismi. Gargarismus. Stercus caninum. Cataplasma. Emplastrũ. Victus. Epid. 6. par. 5. Aph. 29.

De tussi. Cap. VI.

Tussis, quæ non est *nisi expultricis facultatis instrumentorum respirationi seruientium motus, adeoq; symptoma*: variæ sunt caussæ. Nam intemperies frigida instrumentorum respirationi seruientium *Galeno lib. 2. De sympt. caussis teste*, tussim efficit. Humor item a capite ad asperam arteriam destillans, & sola asperitas membranæ asperam arteriam intrinsecus ambientis, tussim irritant. Qui præterlabũtur etiam potus & cibi, tussim mouent. Limbrici quoque stomachum infestantes, tussiculas paruas excitant. Acris denique humor stomachum perturbans, ac irritãtem aliquam qualitatem ad fauces demittens, tussim facit. Insuper humor in pulmone & thorace detẽtus, in pulmonis phlegmone, morbo laterali, & tabe, maxime tussis caussa exsistit. Inter ea q̃ extrinsecus adueniũt, atque tussim mouere possunt, sunt fumus, puluis, & quicquid est eorum quæ asperam arteriam exasperant. Signum autem propter solam frigidam respirationis instrumentorum intemperiem tussientium est, quod sic affecti nihil inter tussiendum exspuunt:

Margin: Caussa. Signa.

neque violenta tussis, neq; coacta, sed adeo exigua est, vt non solum per spiritus detentionem supprimi, & ne eueniat prohiberi: verum etiam, nisi magna admodum fuerit, sanari possit eo quod per spiritus inhibitionem frigefactæ particulæ calefiant. Præterea qui hac tussi laborant, per crebras inspirationes magis irritantur, frigiditate videlicet exinde intensiore facta & aucta. Quare si hi leniter inspirant, ac aerem attrahunt, & in calida domo versantur, parum aut omnino nihil tussiunt. Facie denique sunt pallida, siti nulla premuntur: calidis optime, frigidis male afficiuntur. Quæ singula, vt alia omnia, Hippocrates *libro sexto Epid. 2. Aphor. 12.* breuiter admodum iis complexus est verbis, inquiens: *Tusses siccæ, leuiter irritantes, non admodum siticulosæ, non a maligno, sed vento potius accidunt. Id vero hinc manifestum sit, quando loquuntur, aut os aperiunt, tunc tussiũt: quum vero non, minime.* Hæc ille. Quæ vero cum titillatione partium ab vtraque parte palati contingunt tusses, palam ostendunt defluxum a capite ad asperam arteriam deferri, itemque ad pulmonem: id quod ex difficili quæ comitatur spiratione, facile deprehenditur. Quod si sic affecti nihil exspuant, tenuem esse defluxum indicat, qui expulsione spiritus dissectus, præ tenuitate sua non vltra fertur, sed rursus fluxum reflectit. A B

Victus. Ratio victus pro caussarum diuersitate variabitur. Si enim ex frigida intemperie instrumentorum respirationi seruientium orta fuerit tussis, aer & ventus qui inspirantur, cibi etiam & potus frigidi vitandi erunt. Sin ob humorem a capite destillantem excitabitur tussis, talis sit victus, qualem supra in capite De destillatione descripsimus. In vniuersum autem salsa, acria, & quæcunque arteriam exasperare valent, fugienda. Porro tussis ex C frigiditate instrumentorum respirationis orta, per præsidia quæ eadẽ excalfacere possunt curabitur. Ceruix itaq; lanis calidis vestiatur, raro inspiretur: quod spiritus cõpressio, vt paulo ante dictum est, non solum tussim impediat, imo etiã sępissime sanet. Quare multum conducit vt ęgrotãtes in calida domo versentur, & leniter admodum inspirent. Thorax etiam calidis vnguentis, quale est irinum, liliaceum, chamæmelinum, anethinum, & eiusmodi foueatur. (Curatio tussis ab intemperie frigida.) Si vero humor tenuis & acris ex capite in asperam arteriam & thoracem destillans tussim excitauerit, tum per boni succi cibos potissimum, & per medicamenta quę refrigerant, spissant, leniunt, acrimoniamq; ac mordacitatem temperant & obtundunt, sanabitur. (Tussis a tenuibus & acribus humoribus curatio.) In quem vsum conuenit exhibere serapium violaceum, nymphеæ, de papauere, antidota diatragacanthę, diapenidion sine speciebus, pilulas bechicas, & id genus alia. Item ea etiam medicamenta, quæ a veteribus dolorẽ leuantia & arteriaca nominata sunt: de quibus copiosissime scribit Galenus *libro septimo De compos. medic. localium.* Inter alia vero hoc potissimum confert ecligma, quod habet: D

Ecligma. *Sacchari violacei & nymphea vtriusq; vnc. dimidiam. Diatragacanthæ, diapenidion sine speciebus vtriusque drach. sex. Succi glycyrrhizæ, drach. duas. Pistularum bechicarum, drach. vnam. Styracis calamitidis, drach. vnam & dimidiam, Myrrhæ, rosarum siccarum, vtriusque drach. vnã. Tragacanthæ, nucum pinearum, vtriusque drach. dimidiam. Serapij violacei quantum ad excipiendum satis est, fiat ecligma.* In eum locum referenda venient & ea medicamenta, q̃ supra in capite *De destillatione* dicta sunt.

Tussis a crassis & viscidis humoribus curatio. Ceterũ si crassus & viscidus humor tussis caussa fuerit, per ea q̃ incidunt & extenuant, illi medebimur. Quare tum exhibenda ægrotantibus *serapia de glycyrrhiza, de hyssopo, de marrubio, e calamintha, oxymeli, & similia.* Aut decoctum hoc, quod accipit: E

Decoctum. *Radicum iridis, petroselini, glycyrrhizæ, singul. vnc. vnam. Radicis helenij, vnc. dimidiã. Caricarum numero septem. Vuarum passarum mundatarum, vnc. vna. Seminum vrticæ, anisi, fæniculi, sing. drach. duas. Hyssopi, adianti, scabiosæ, marrubij singul. manipul. vnum & dimidium. Agarici optimi, drach. tres. Coquantur in aqua fontana iustæ quantitatis, donec tertia pars absumatur: dein colo transfundantur, & iuri decocti adijciantur serapij de hyssopo, e marrubio, vtriusque vncias duas & dimidiam, fiatque potio.*

Purgatio. Postea, si ita e re ægrotantis esse videbit, corpus per ea medicamenta quæ crassos & lentos humores purgant, euacuandum. Inter alia vero complura, quæ in superiore libro a nobis dicta sunt, vnice confert agarici dilutum quod in eum paratur modum:

Agarici dilutum. *Accipe agarici electi, drach. duas. Zingiberis, scrup. vnum. Salis fossilis, grana tria. Trita macerentur per noctem in vini albi odoriferi, vnc. duabus. Liquorisque stillatitij absinthij, & fœniculi, vtriusque vnciam vnam. Mane colentur & exprimantur, atque adijciantur antidoti Indi. maioris, drachmæ duæ & dimidia. Oxymelitis scyllitici, vnc. dimidiam, & formetur potio.* F Vacuato tandem corpore, ecligmata, quæ officinis hodie Arabica voce *loch* appellantur, deuoranda erunt, commixtis interdum aliis antidotis in hunc vel con-

A Accipe *ecligmatis e pino sani & experti, e scylla, singul. drach. tres. Diaireos solomonis, vnc. vnam. Pastillorum thoraci adaptorum, drach. vnam & dimidiā. Pulueris diapenidion cum speciebus, drach. vnam. Pulueris radicis helenij, iridis, vtriusque drach. duas & dimidiam. Succi glycyrrhizæ, drach. vnam & dimidiam. Serapij de marrubio, quantum ad excipiendum sufficit.* Thorax præterea extrinsecus inungatur oleis calidis, *liliaceo, irino, amygdal. dulcium, adiectis pinguedinibus, &* aliis hoc quidem modo: Accipe *oleorū liliacei, amygd. dulciū, vtriusq; drach. tres. Pinguedinis gallinæ, drach. vnam & dimid. Butyri recētis, drach. duas. Succi fœnograeci, radicis althea, vtriusq; drach. vnam. Styracis, drach. dimidiā. Pulueris radicis helenij, iridis, vtriusq; drach. vnam. Croci, scrup. dimi.* Cum cera quod satis est, fiat vnguentum. Reliqua quæ ad tussis curationem B necessaria sunt, ex cap. *De destillatione petenda erunt.* Ecligma. Vnguentū.

De asthmate. CAP. VII.

QVi citra febrē crebro respirant, vt solent, qui citatiore cursu fatigati sunt, a symptomate, quod superuenit, Medicis Græcis ἀσθμαλικοί, Latinis *anhelosi & suspiriosi* appellantur, iidem ab alio symptomate, quod scilicet perpetuo vniuersum supra thoracem corpus penitus rectum habere coguntur, metuentes ne suffocentur, ὀρθοπνοϊκοί, quasi dicas, *non nisi recta ceruice spirantes*, nominantur. Inspiratio enim minor ipsis contingit, quā respirationis frequentia expostulat, quamuis thorax plurimum ipsis diducatur. Ex quo manifestum fit, coarctationem locorum præter naturam intrinsecus adesse, cuius etiam manifeste ægri sensum percipiunt. Fit itaque asthma, quum aut crassorum & tena- C cium humorum copia pulmonis bronchiis cartilaginibusve fuerit infarcta: aut tumor quispiam abscessui similis in ipso constiterit. Similiter vero difficulter spirant, qui asperam arteriam a multa destillatione repletam habent. Facile autem inuicem hæc mala distinguuntur. Nam destillatio etiam sanis ex manifesta caussa confestim accidit, in totum fere citra febrem, concomitantibus etiam propriis destillationis indiciis. Si vero tumor abscessui similis in pulmone fiat, necessario febris consequitur: neque ita diu post, phlegmone suppurata, pus cum tussi reiicitur. Si autem nonnullis crudum tuberculum gignatur, ii neque grauitatem magnam sentiunt, neque difficultate spirandi admodum infestantur. Qui vero proprie *asthmatici & orthopnoici* appellantur, in totum D febrem non habent, grauitatis autem sensus eis contingit, neque quippiam purulentum per sputum reiectant. Porro victus ratio in vniuersum calida & sicca sit. Quapropter vitandus aer frigidus & humidus. Carnibus vtendum perdicum, auicularum montanarum, gallinarum, & pullorum gallinaceorum, caporum, phasianorum, & eiusmodi. Fugiendi pisces, fructus, legumina, & item omnia alia quæ crassos & lentos humores procreare possunt. Vsus frequens sit hyssopi, oreoselini, & fœniculi. Vini quidem potio ambobus conuenit vitiis, saltem tenuis substantiæ. Potus vero in vniuersum sit exiguus, iis quibus abscessus oboritur: multus autem, quibus bronchia, & cartilagines tenacibus & crassis humoribus sunt obstructa. Nam potus multus eos largiter humectat adeoque vt humores facilius efferantur tussiendo efficiunt. Siquidem eos humores repurgantia & abstergentia medicamenta, necessario tusses commouent. Verum non E facile per sputum reiicitur ob crassitudinem, id quod repurgatum & abstersum est: humectatione igitur multa, quo facilius efferatur, indiget. Alias potus multus spirandi difficultatem auget, ventriculo multo potu distento & septum transuersum premente. Tutius igitur in pastu parce bibere, a pastu vero aliquantisper a potu prorsus abstinere, & interea os & guttur aliquo liquore conueniente colluere. Exercitio ante cibum vtendum, at nequaquam subito, quod complures hac ratione exstincti sint. Frictiones thoracis prosunt. Somnus sit moderatus, & nocturnus. Animi perturbationes, ira potissimum & mœror, fugiendæ. Ceterum curatio prædictorum vitiorum quiddam F commune obtinet, quiddam etiam proprium. Commune quidem vtrisque, vt redundantia humoris hæc vitia procreantis absumatur & aboleatur. Proprium vero, vt si a crassis ac tenacibus humoribus oriatur vitium, per extenuantia & extergentia medicamenta sanetur. Si vero a tumoribus abscessui similibus vitium fiat, per extenuantia & exsiccantia. Quæ quidem curandi ratio vniuersis in profundo corporis latentibus phlegmonibus communis est. In crassis itaque & tenacibus humoribus conueniunt ea quæ citra vehementem calefactionem extenuant & abstergunt medicamenta.

ἀσθμαλικοί. Suspiriosi. ὀρθοπνοϊκοί. Caussæ. Signa. Victus. Curatio.

Siquidem ab immodico calore, veluti etiam frigore, crassi & tenaces humores magis A crassescunt, coguntur, contrahũturq; ita vt subinde difficulter abstergi & auelli possint. Quare ex eis maxime prodest *oxymeli scylliticum, ipsaq; scylla assa, cum melle trita & delincta. Serapia item ex glycyrrhiza, e marrubio, & hyssopo, atq; decoctum quod paulo ante in capite De tussi commemorauimus.* Quod ad euacuationem spectat, si necessitas vrgeat, vena in gibbero media, aut interna præ omnibus iis incidenda, & tantum sanguinis, quantum vires patiuntur, detrahendum. Sin corpus plethoricum haud fuerit, præmissa humorũ ad vacuationem præparatione, medicamenta fortiora, quæ crassos & tenaces humores vacuant, frequenter propinanda. Quare in hunc vsum conueniunt catapotia *de agarico, & cochia vocata, item diaturpetũ cum rhabarbaro scenitico, antidotum Indi*, & diaphenicon. B Dandum etiam *agarici dilutum, quod præcedenti capite descripsimus.* Aluus pręterea clysteribus validioribus eluenda. Vomendum etiam per interualla ex sumpto raphano, & aliis quæ vomitum citant, de quibus *cap. 34. libri primi* diximus. Interea tamen dum frequentior fit purgatio, exhibenda erunt medicamenta quæ sensim & paulatim humores in thorace extenuare ac discutere possunt. Proinde *aristolochia rotunda, helenij & iridis radices, vrticæ semen & sphõdyli, hyssopus. nigella, marrubium, calamintha*, & id genus alia medicamenta, e quibus decocta, vel ecligmata construere licebit, assumenda. In quem vsum etiam ea ecligmata quę supra in capite De tussi recensuimus, competent. Vnice v. studendum, vt hæc medicamenta quæ exspuitionem crassorum humorum e thorace iuuant, cũ humectantibus, tũ sorbitionibus & potionibus exhibeantur, *vt li. 5. simpl. c. 13.* C *Galenus docet.* Extrinsecus thoraci cataplasmata e ficubus, & hordeacea farina, magis vero ex loliacea habente resinam, mel, & ceram commixta, imponenda. Thoraci etiam olea & vnguenta calefacientia, irinum, anethinum, rutaceum, & eiusmodi admouenda. Tale est, quod habet: *Oleorum anethini, rutacei, vtriusque vnc. dimidiam. Olei irini, drach. tres. Adipis gallinę, anatis, vtriusque drachmas duas. Radicum iridis. heleny, draconty maioris, singul. drach. vnam. Seminis lini, scrup. duos. Styracis, drach. tres. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Thorax tamen nunquam non antea fricandus linteo aspero, quo reseratis ac diductis meatibus, vis medicamentorum ad profunda promptius penetrare valeat. Ceterũ iis etiam medicamentis vtendum, quæ exulcerare cutem, & saniem serososque humo- D res extrahere possunt: qualia sunt quę rubefacientia nominantur. In hunc vsum thorax & pectus cum vrticis confricari & cædi potest. Loci autem rubefacti cum lauacro ac oleo calido curandi. Porro in vitio inueterato, & vbi omnis medicina frustra adhibita fuerit, ad vstionem confugiendum erit. Quæ qualis esse debeat, docet Aetius *li. 8. ca. 57.* Quod ad abscessus attinet, qui attenuantibus & resiccantibus indigent medicamentis, vt dictum est, sciendum eos aromatum maxime facultatibus gaudere, quod scilicet hęc omnia sint tenuium partium, & exsiccatoria, nec non calefacientia. Quare tũ antidota ex iis composita, vt est theriaca, mithridation, antidotum e moscho dulce, diambar, odoratum rosaceum, & id genus alia, maxime danda sunt asthmaticis.

Præparatio humorum. Purgatio. Vnguentũ. Abscessus curatio.

De pleuritide. Cap. VIII.

Πλευρῖτις, exquisite & proprie loquendo, *phlegmone est membranæ intrinsecus costas & la-* E *tera succingentis.* Latinis, *lateralis dolor* appellatur. Quum vero dicitur phlegmonem esse membranæ costas succingentis pleuritim, non intelligendum est solius membranæ. Nam vna etiam circumpositæ eius partes phlegmone laborant, musculi nimirum intercostales. Nec temere adiectum est, exquisite & proprie loquendo: siquidem ex cruditatibus plurimis, cibisque crassis ac pituitosis, crudi lentique & crassi humores in corpore generantur, qui nonnunquam repente se in vacuum thoracis locum, *Aetio lib. 8. cap. 68. teste*, ingerunt, aut in ipsum etiam pulmonem, atque sua multitudine succingentem latera intrinsecus membranam distendentes, inferunt dolores, vt imaginatio factæ phlegmonis imperitis exhibeatur. De ea itaque hic nihil agetur, quod curatio eius ab asthmatis curatione parum, aut nihil absit. Pleuritis, *quæ succingentis intrin-* F *secus latera membranæ est phlegmone*, fit ex sanguine copioso calido, ad iam dictam membranam præter naturam confluente, nonnunquam bilioso, aut pituitoso, aut melancholico, id quod sputum indicat, vt paulo post latius dicemus. Hanc consequitur spirandi difficultas, tussis, febris continua, dolor vehementer pungens, pulsus durus, & serræ modo asper. Quod si sputum rubrum & cruentum fuerit, sanguinem superare signi-

Pleuritis. Dolor lateralis. Caussa. Signa.

A significat. Sin flauum & subpallidum, flauam bilem. Quemadmodum si album fuerit,
& leuiter spumosum; pituitam: nigrius vero, melancholiam in sanguine præualere
monstrabit. Succo ptisanæ primis duobus saltem diebus contentus in cibo æger Victus.
sit. Deinde cum ptisana amygdalæ mundatæ & tritæ decoquantur, idque matutino
potissimum tempore. Vesperi sumat lac amygdalarum, aut panis puri micas cum iu-
re gallorum, maxime vbi ægri vires imbecillæ fuerint. Pisces etiam saxatiles, in de-
clinatione potissimum morbi, dare conuenit. Acerba & adstringentia in vniuersum
omnia vitanda. Potus sit aqua, in qua decoctum sit cinnamomum. Frigidam aquam,
quod sputum incrudescere faciat, tanquam summe exitiosam vitet æger. Vino quo-
que omnino arceatur. Decumbat in latus affectum, quod is decubitus sit indolen-
B tior. Iram & mœrorem, aliasque animi perturbationes molestas fugiat. In curandi ra- Curatio.
tione principio diligenter a Medico erit considerandum, num corpus ægri plenitu-
dine laboret, nec ne: vt nimirum intelligat, quando calorificis medicamentis inter
initia dolor mitigari ac dissolui possit, & quando minus. Si enim corpus plethori-
cum non sit, tum incipiente phlegmone; calefacientibus medicamentis & fomen- Fomenta calida.
tis dolor mitigari & discuti debet. Nempe, *Galeno lib 2. Victus acut. comment. 1. teste*,
fomenta calida cutem ipsam ad perspirationes rariorem efficere; phlegmonisque
sanguinem tum tenuare, tum per halitum digerere consueuerunt. Quæ si facta fue-
rint, non solum aliquid sanguinis euacuabitur, verum etiam partes affectæ, quæ mi-
nus distenduntur, mitius subinde dolebunt: At si vel plethoricum corpus fuerit, vel
C malo succo redundet, *vt lib. 13. Ther. meth. testatur Galenus*, curatio per ea quæ sic calent,
non incoanda: fluxionem enim ad partem affectam citant. Siquidem pars cui calo-
rifica hæc admouentur, plus trahit quam euaporet. Quapropter tum fomentorum
calidorum, vtpote quæ dolorem soluere non possunt, nullus esse vsus debet, sed to-
tum corpus venæ sectione præuacuandum erit. Huc sane respexit Hippocrates, qui
lib. 2. Vict. acut. ab initio statim sic scriptum reliquit: *Lateris dolorem siue is per exordia fue-
rit, siue postea obortus sit, tentare calidis fomentis dissoluere, non abs re exsistit. Tentare*, inquit,
non abs re exsistit. quasi dicat: *Quum fomenta calida dolorem non soluerint, iis diutius vtendum
non erit, quod scilicet sanguinis in phlegmone copiam dissoluere haud possint: sed confestim ad to-
tius corporis, per sanguinis missionem, veniendum vacuationem.* Quanquam, vt dicam
D quod sentio, iudico Hippo. *lib. 2 de victu acuto morborum apho. 1. 2. & sequentibus*: de o-
mni dolore lateris, tam eo qui citra, quam eo qui cum phlegmone consistit, locutum
esse. Quare quæ de calidis fomentis scribit, ei dolori lateris competunt, qui citra
phlegmonem consistit. Siquidem periculo vix vacat, si etiam in corpore quod pleni-
tudine non laborat, vsum talium attentemus. Præstat igitur tum quoque venam ini-
tio tundere, *vt alibi fusius docuimus*. Secanda igitur vena gibberi interna, quam *iecora-* Venæ sectio.
riam & lienarem vocant, quæ κατ' ἴξιν id est, *e directo loci male affecti posita est*. Nam (vt Gale-
nus *in libro De curandi ratione per sanguinis missionem* ait.) *Sanguinis missio quæ e directo labo-
rantis lateris adhibita pleuriticis fuit, clarissimam sæpe vtilitatem affert: quæ vero ex brachio op-
posito; aut omnino nullam; aut obscuram, aut certe post temporis interuallum:* Siquidem
E hæc vnica non solum a parte affecta retrahit reuellitve, verum etiam celeriter, quod
in pleuritide, aliisque phlegmonibus internis maxime requiritur, vacuat: quemad-
modum in nostra aduersus Brachelium apologia copiose, multisque argumentis de-
monstrauimus. Quæ autem vena in pleuritide e directo laborantis loci sita sit, *capit. 16.
Galeni de curandi ratione per sanguinis missionem in nostris commentariis* exposuimus. Eam
hodie etiam Medicis aperiendam esse censeo, quod illa anatomes, & dissectionis ra-
tioni respondeat, atque rerum successu approbata sit. Eousque autem, Hippoc. *loco
paulo ante citato teste*, sanguis auferendus, donec vel multo rubicundior, vel pro puro ru-
bidoque liuidus fluxerit. Non tamen omni ex parte hanc, *Galeno cap. 14. libri de curan. ra-
tione per sanguinis missionem monitore*, expectare oportet. Accidit enim interdum vt an-
F tequam hæc fiat cessandum sit, duabus de caussis, quod videlicet imbecilla sit virtus,
aut phlegmone maligna. Hæc enim nihil comedit, quod vehementer impactus sit
sanguis. Plura ea de re in nostris super hunc Galeni locum com. diximus. A venæ inci-
sione clyster leuis aluo, si modo sponte sua, vt conuenit, non deiiciat excrementa, in-
fundatur, qualis est qui habet: *Maluæ foliorum violarum purpurearum, mercurialis spinachia*, Clyster.

intybi hortensis vtriusq;, sing. manipul. vnum. Hordei integri, vnc. vnam. Coquantur singula in aqua iustæ quantitatis, quoad tertia pars absumatur. Dein accipiatur iuris decocti lib. vna. Medullæ casiæ fistularis recens extractæ, vncia vna & dimidia. Butyri recentis salis expertis, vncia dimidia. Salis vulgaris, drachma vna. Commixtis omnibus, fiat clyster. A corporis vacuatione calorifica & dolorem leuantia fomenta extrinsecus adhibeantur: vt sunt sacculi, qui a posterioribus Græcis μάρσυππα vocantur, e floribus *chamæmeli, anethi, meliloti, verbasci, seminibus lini, fœnograeci, milio & furfure compositi.* Aqua etiam calida, aut iam dictorum medicamentorum decoctum, aut olea in vtre, vesica, vel alia vasculo adhibenda. Quinetiam vtiliter admouetur spongia magna, mollisque prædictis rebus irrigata, & subinde expressa, ac calida imposita. Vestienda vero fomenta sunt, ne scilicet vis eorum celeriter euanescat. In hunc etiam vsum conuenit hoc emplastrum, quod accipit: *Florum chamæmeli, verbasci, anethi, singul. manipul. dimidium. Seminis lini, fœnograeci, vtriusque drach. tres. Seminis anisi, drach. vnam. Farinæ hordei, manipul. dimidium.* Contusa ebulliant in aqua, dum in mellis crassitudinem coeant: postea adiectis *oleorum anethini & chamamelini, vtriusque vnc. vnam & dimidiam, ebulliant iterum, & addantur duo vitelli ouorum, croci, scrup. vnum, & fingatur emplastrum.* Post septimum vero diem, si eodem modo persistat dolor, cucurbita lateri affigenda est, & cutis scarificanda. Manifestissima enim in pleuriticis vtilitas ex cucurbitæ appositione apparet. Vulnuscula vero scarificati loci sale conspergenda, si modo sustinere ægri queant. In aliis autem, linteolum oleo madefactum ac sale conspersum imponatur. Sequenti deinde a scarificatione die, optimum est, rursus cucurbitam affigere, quo sanguis saniosus ex impactis vulnusculis extrahatur. Hæc enim detractio priore commodior exsistit: non enim sanguis, sed sanies in secunda detractione aufertur. Non negligat etiam Medicus exhibere ægrotanti ea medicamenta, quæ ad sputi facilem excreationem conducunt: vt est *diapenidion, diatragacanthes, saccharum violaceum, pastilli pectorales, adiectis aliis ecligmatis capite De tussi commemoratis.* Extrinsecus adhibenda medicamenta, quibus discutiendi inest facultas, vt est *fœnograecum, anethum, melilotum, hyssopus, & similia nunc sæpius commemorata.* Item *vnguentum dialtheæ nominatum.* Quod si tamen permutationis in pus signa appareant, coadiuuare permutationem oportet, hoc aut simili vnguento, quod habet: *Oleorum chamamelini, amygdalarum dulcium, liliacei, singul. drach. tres. Butyri salis apertis pinguedinis gallinæ, vtriusq; drachmas duas. Succi fœnograeci, seminis lini, altheæ, vtriusq; drach. vnam. Ceræ quod satis est fiat vnguentum.* Rupta tandem phlegmone, ea quæ extergunt, atque a pure ac sanie purificant, exhibeantur: vt est *aqua mellis, aut decoctum hordei, aut sacchari rubei.* Facta puris & saniei abstersione, glutinantia adhibeantur medicamenta. De quibus omnibus copiose *in capite De phtisi* dicemus.

Fomenta. Emplastrũ. Sputi eductionem facilem efficientia. Vnguentũ.

A B C D

De peripneumonia. CAP. IX.

Peripneumonia. Caussa. Signa.

PERIPNEVMONIA phlegmone est *pulmonis, cum febre acuta.* Hæc magna ex parte a validioribus in pulmonem destillationibus, aut angina, aut asthmate, aut pleuritide, aliisve morbis fit. Aliquando etiam ipsa phlegmone mali origo est. Hoc quidem correptos consequitur difficultas spiritus: pulmo enim cordi incumbens, suffocationem infert: febris acuta & ardens, grauitas distensioque thoracis citra dolorem. Pulmo enim non sentit. Quod si membranæ ipsius, quæ cum thorace secundum longitudinem eius sunt connexæ, fuerint phlegmone affectæ, etiam dolorem percipiunt. Malæ iis rubent, & tota facies, nasus in summo fit simus, venæ temporum eleuantur, oculi intumescunt, linguæ adest siccitas, deiectio appetitus, exspiratio calida, aquæ frigidæ, magis vero aeris frigidi concupiscentia, tussis sicca. Si autem quid efferatur, spumosum est ac biliosum, ampliusq; cruentũ, & floridum vehemẽter: quod etiam pessimæ significationis exsistit. Et si mortale vitium ipsum fuerit, vigiliæ amplius aderũt, aut somni breues comatodes, extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruãtur, quarta, aut summum septima die hi moriuntur. Verũ si ad salutem permutetur morbus sanguinis eruptio abundanter interdum sequitur, aut crebrius, Galeno *libro 3. de iudiciis capite 3. teste*, alui perturbatio, multis exeuntibus biliosis & spumosis humoribus. Aliquando autem phlegmone in pus commutata, per ventrem aut vrinam pus excernitur, statimque ab omni molestia liberantur. Quod si in pulmonem irruperit aceruatim, aut suffocat, aut cum grauibus symptomatis in tabem permutatur. Quod ad ci-

E F

Victus.

A ad cibum spectat, danda est peripneumonicis primis diebus sorbitio ex ptisanæ cremore cum melle, origano aut hyssopo: magis enim quam in pleuritide, extenuatoriis cibis opus est, potissimum vbi ex pituitoso sanguine vitium ortum est. Chondrus quoque seu alica ex aqua mulsa iis non parum conuenit. Potus sit exiguus: siquidem humiditas pulmoni nocet. Possunt roboris tuendi gratia, potissimum vbi suffocatio vrget, vti mulsa per se, & cum nucleis pineis: aut mulsa in qua decoctum sit hyssopum, aut iris sicca aquæ mulsæ inspergenda. In vniuersum autem victus ratio eorum qui peripneumonia laborant, præcipue vero qui a peripneumonia conualescunt, eadem fere sit quæ pleuriticorum. In curandi ratione sanguinis detractio vitanda est in iis, Curatio.
qui ex aliis morbis in hoc vitium incidunt, maxime si diu in hoc statu fuerint, vel si
B per initia sanguinem miserint. Aluus clysteribus ducenda, si ægre deiicit: aut cucurbitulæ, vbi nihil obstat, thoraci & lateribus admouendæ sunt; eæque prægrandes & multæ, cute incisa & scarificata. Sin peripneumonia statim ab initio inuaserit, sanguinem mittere, si vires & alia permiserint, oportet. Incidenda vero vena in gibbero interna: & vbi vires sustinuerint, ex vtroque brachio sanguis detrahendus: primum quidem modice, & minime vsque ad animi defectionem, vt videlicet aliquid asseruetur ad repetendam extractionem. Si vero quid sanguinis missionem prohibuerit, cucurbitulas certe vniuerso thoraci lateribusque affigere oportet: iisque tantum sanguinis eliciendum, quantum vires patiuntur. Aut acri clystere aluum eluere conuenit, ex decocto nimirum *hyssopi, iridis, rutæ, adiecta colocynthidis medulla, sale fossili, & aliis quæ ad*
C *eiusmodi clysteres sunt necessaria, quæ facile studiosi ex libris nostris De compositione medicamentorum inscriptis cognoscent.* Post hæc curandum, vt per crebram spuitionem & excreationem, quæ certe sit celerrima & facillima, thorax atque pulmo expurgetur. In quem sane vsum ea quæ *superiori capite De pleuritide* ac tussi a nobis commemorata sunt eclligmata, vnguenta, & emplastra vsurpanda erunt. Quæ in eo tantum diuersa a prioribus sint, quod quæ nunc sunt adhibenda, omnia valentiora esse, maiorique extenuandi facultate prædita conueniat. Dandum igitur ecligma *e scylla, e pulmone vulpis, radicis iridis ac elenii, adianti decoctum:* Ceratum autem conficiendum ex *oleo rutaceo, nardinoque, adiectis medulla ceruina, iride, hyssopo, marrubio, tenuissime tritis, & terebinthina resina exceptis, totique thoraci & lateribus imponendum.*

D *De sanguinis reiectatione.* CAP. X.

Αἱμοπτοΐς, vel certe rectius αἱμόπτυσις, ἢ αἵματος πτύσις, nihil aliud Latinis significat, nisi *sanguinis reiectationem, aut cruentam spuitionem.* Hæc nonnunquam accidit a caussa externa & manifesta, nempe de lapsu ex alto, plaga extrinsecus illata, percussione vehementi, saltu, aut si grauius aliquod corpus thoraci inciderit, clamore denique magno, aut frigore immodico. Nam frigus venas rumpere, Hippocrates etiam testatur. Calor quoque sanguinis reiectionem efficere potest, iuxta id Hippocratis dictum: *Calidum vbi quis sæpius vtatur, profluuia sanguinis affert.* Nonnunquam ex caussa interna & occulta, veluti plenitudine, sanguine vitioso & venas erodente, atque oris venarum apertione. Venarum autem ora aperiuntur propter vasis imbecillitatem, sanguinisque qui ad os
E eius impetu ruit copiam: ad hæc actem quampiam, quæ illi extrinsecus incidat, qualitatem. Ipsa vero vasorum erosio ex acribus contingit humoribus, siue a capite in pulmonem delabentibus, siue in ipso pulmone generatis. Porro sanguis qui reiicitur, modo ex thorace ac pulmone, aut aspera arteria venit, modo ex aliis locis oris, aut gingiuarum, aut faucium, aut columellæ, aut ventriculo, ad quem ex venis & partibus adiacentibus, iecori nimirum & liene, sanguis delabitur. Caussæ externæ e sermonibus ægri aut assidentium cognoscuntur. Internæ vero per indicia eiusmodi. Si enim ob plenitudinem sanguinis reiectatio accidat, tum confertim sanguis reiicitur, & post vacuationem melius leuiusque agunt. At si propter oris venarum apertionem, tum calidi affectus præcesserunt: veluti si calidis balneis plurimis vsus
F sit æger, habitaueritque in calida regione, consimili exsistente maxime anni tempore, cibis quoque & potionibus calidis vsus sit. Etenim multitudo sanguinis calida exsistens, venarum pulmoni incumbentium ora aperit & dilatat, atque hoc modo coaceruata effusio contingit. Si vero ex venarum erosione cruentum editur sputum, non confertim, sed paulatim sanguis cum tussi exspuitur, & semper peius habent,

Marginalia: αἱμόπτυσις — Caussæ. — 6. Epid. Par. 3. Aph. 10. — 5. Aph. 16. — Notæ.

Possibile est etiam propter erosionem vehementem, confertam sanguinis eductionem cum tussi fieri. Quod sic deprehendes: si enim praecedenti tempore per modica interualla sigillatim, & cum tussi exspuerit quis sanguinem, & sequentibus diebus neque casus, neque alia externa violenta caussa acciderit, & tamen copiosa sanguinis eruptio prodierit, magnam erosionem factam esse euidentissimum est. Porro si sanguis qui educitur spumosus sit & subalbidus, atque ex interuallo prodierit cum tussi, absque tamen dolore, firmissimum signum eductionis ex pulmone est. Si vero pituitosa cum leuiore tussi aut excreatione reiiciantur, ex aspera arteria prodiisse scito. Si ater sanguis, & in grumum concretus cum tussi etiam & dolore partis laborantis reiicitur, ex thorace eductum esse monstrat, per pulmonem aut asperam arteriam facta trãslatione. Si vero ex locis qui circa fauces sunt per palatum sanguis feratur, cum excreatione excernitur. Sin ex aliquo locis oris aut gingiuarum, simpliciter exspuitur. Accidit autem nonnunquam per palatum sanguinem educi, propter hirudinem deuoratam, & alicui indidem particulae adhaerescentem: id quod localis dolor qui concomitatur laborantem particulam, & sanguis ipse qui tenuis est & serosus, ostendent. Porro si a capite sanguis defertur, titillatio palati aderit, & frequens excreatio, ac tussis nonnunquam, sanguine nimirum ad guttur delapso, iterumque sursum elato. Ad tussim itaque irritantur, & tamen non valde tussiunt. Habet & suam figuram sanguis a capite delapsus. Est enim non adeo paucus, colore niger, leuis, cum pure aut pituita mixtus, & cum excreatione statim se in linguam infert rotundus, facileque per sputum reiicitur. Praeterea magna ex parte capitis dolor, aut grauitas praecedit. Si ex stomacho eductio fiet, non magna sanguinis eruptio continget: graciles enim stomachi venae exsistunt. Si vero ex iecore ac liene sanguis in ventriculum deferatur, & ex eo demum vomitione eiiciatur, aderit in dextro aut sinistro latere tumor.

Victus ratio. Quod ad victus rationem attinet, vtendum cibis qui moderatam quandam obturandi vim, & leuem adstrictionem obtineant: vt sunt oryza, ptisana, alica, aliique similes frumentacei cibi, quibus succus mali cotonei, aut granati, aut pyrorum adiectus sit. Ex herbis oxalis, portulaca, lactuca, & spanachia. Ex carnibus conueniunt columbae syluestres, turdi, perdices, gallinarum, phasianorum, turdorum, si cum omphacio seu succo vuae acerbae, & rhoe obsoniorum coquantur. Vtendum quoque cotoneis, pyris, pomis adstringentibus, moris rubi, & aliis supra in capite *De sanguinis narium profluuio* memoratis. Bibendum vinum crassum, rubeum, aut si febris adsit, pro ea aqua, in qua chalybs ignitus exstinctus est. Aer ad frigidum & siccum declinet. Somnus sit mediocris, caputque cubantis sublime sit, potissimum ex spirandi instrumentis sanguis profluat. Aluus sit aperta, & quotidie aeger alui excrementa deiiciat. Cauendum a clamore, frequenti locutione, omni corporis motu, & iracundia.

Curatio. Sanguis a capite destillantis. Curandi ratio pro caussarum diuersitate variatur. Si enim a capite fertur sanguis, isque exiguus, simplicior & exigua sufficit curatio. Adstringentia enim per collutiones palato adhibita frigida, curationem perficient. Haec autem ex capite *De columella phlegmone* petenda erunt. A calidis autem & rarefacientibus collutionibus abstinendum, quod ab iis plus sanguinis erumpat. Quod si multum a capite defluxerit, euacuatione opus erit. Quare citius per nares, aut per venae alicuius incisionem vacuare oportet, ne per negligentiam consuetudo fiat sanguini in hos locos delabendi.

Curatio eorum qui ob destillationem sanguinem exspuunt. Qui ob destillationem sanguinem exspuunt, iis protinus in principio venam humeralem, aut mediam, incidere oportet, nisi vehementer acris humor destillauerit, ac pro virium modo sanguinem detrahere. Dein acri simul clystere adhibito, & vacuata aluo, ac frictis quam plurimum manibus, brachiisque & cruribus per medicamentum calefactorium ac extenuatorium, extremae eorum partes deligentur. Postea si vitium diutius durauerit, raso capiti medicamentum, cui exsiccandi & discutiendi facultas inest, quale est quod ex fimo syluestrium columbarum constat, imponendum: & post trium horarum interuallum in balneum deducito, sic vt caput nulla pinguedine inungatur. Postea vero mediocriter contectos, sorbitionibus austeris, alito, deinde dormituris theriaces antidorum exhibeto. Sequenti die omnibus corporis partibus, capite tantum excepto, perfrictis, inquiete aduersato, rursusq; ad vesperã theriacen exhibeto. Quod si ex iis destillatio non sistatur, tertia die mane mel parum coctum prae-

A præbeto, quiescereque sinito, ac totum corpus defricato. Quarto die post acceptam theriacen, rursus plurimum mellis præbeto, capitique medicamentum ex fimo columbino imponito. Quod si vitium diutius durauerit, cucurbitula occipitio affigenda est. Postremum ea, quæ humores, qui in pulmonem defluxerunt, expurgare valent, propinato. At si acris admodum fuerit humor, qui destillat ex capite, sanguinis detractio caueri debet, ac purgatione potius vtendum, alimentisque & præsidiis quæ infra dicemus, & supra vbi *De destillatione* egimus, comprehensa sunt, vtendum. Qui ex pulmone sanguinem reiiciunt, ruptis scilicet in eo venis aut earundem patefactis oris, iis præcipiendum in primis, ne respirent valde, sonumque edant: & vt parum loquantur, & fere in totum sileant. Decumbant in locis aeri expositis, lectoque B immobili ac figura sublimi. His etiam statim venam incidere oportet in gibbero internam, ac sanguinis detractionem bis aut ter reiterare paulatim reuellendi gratia. Non enim euacuatione copiosa indigent tales, nimirum a vitioso ipso vacuati. In hunc vsum, hoc est, vt ad contrarium auersio fiat, frictionibus extremitatum, & earundem cum latis linteolis constrictione, & ligatione vtendum. His sic peractis, primum quidem poscam dilutam & tepidam bibendam exhibere conuenit, vt si quis sanguinis grumus in viscere hæreat, inde dissolutus eiiciatur: neque quicquam obstat bis & ter in tribus horis hanc potionem iterare. Posthæc medicamenta adstringentia, & meatus obstruendi vim habentia, emplastica vocant, intra & extra corpus adhibenda. Per os quidem adsumta proficiunt portulaca comesta, quanquam suc- C cus eius bibitus efficacior sit: succus *polygoni, vuæ acerbæ, decoctum rhois, gallæ, caliculorum glandium, radicis rubi, balaustiorum seminis oxylapathi, radicis equiseti, & aliorum quæ in capite De sanguinis ex naribus profluuio comprehensa sunt.* Præstantiora prædictis sunt terra lemnia; & lapis hæmatitis in tenuissimum pollinem detritus, & cum succo *mali punici*, vel *polygoni* sumtus. Pondus autem lapidis hæmatitis erit *scrupulus vnus.* Item *pastilli de terra lemnia, de succino triti & cum plantaginis decocto exhibiti.* Inter composita vsus esse poterit huius ecligmatos, quod habet: *Sacchari rosacei veteris, succi medicati e ribes, vtriusque vnc. vnam, Diatragacanthes, diacotoneon simplicis, vtriusque vnciam dimidiam. Pulueris coralliorum, lapidis hæmatitis, terræ lemniæ singulorum scrupulos duos. Boli armenii, drach. vnam. Sanguinis draconis, drachmam dimidiam. Balaustiorum, drachmam vnam. Thuris, radicis sym-* D *phyti maioris, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Serapii myrtini quantum ad excipiendum satis erit, fiat ecligma.* Extrinsecus thorax ex vino adstringente, oleisque rosaceo, cotoneorum, aut myrtino irrigandus. Si vero multa sanguinis eruptio fiat, potissimum æstate, ac citra tussim eius reiectiones contingant, neque æger debilis sit, sed robustus ac carnosus, acetum pro vino admouendum est, spongiis exceptum. Proderit iam dictis oleis adiicere *bolum armenium, terram lemniam, corallia, & similia,* atque cum cera componere vnguentum, quale infra *libro 3. capite De appetitu canino* describemus. Cataplasma quoque ex *palmulis, acacia, symphyti radice, cortice mali granati, & lentium farina paratum,* admouendum. Nec minus confert quod ex *carnibus malorum punicorum, thure, coralleis rubeis balaustiis, bolo armenio, terra lemnia & eiusmodi* componitur ceratum. E Maximum enim hoc est, & cui animum diligenter attendere oportet, vt mox facta vasorum ruptura, & dum adhuc cruentum est vulnus concrescat, priusquam scilicet phlegmone apprehendat. Nam si phlegmone præuenerit, parum spei est ad huiusmodi vulneris conglutinationem, quippe quæ se in multos dies extendit. Eluere enim oportet tum pus, tum seorsum sanguinem ipsius vlceris, posteaquam phlegmone fuerit soluta. Reliquam autem curationem, quemadmodum in tabidis, fieri oportet. Hic tamen monendus mihi lector erit, ne extrinsecus profluenti particulæ admoueantur tum adstringentia, tũ citra adstrictionem frigida, nisi postquam in alia prius auersio facta fuerit, alias enim sanguinem intro compellunt, & venas quæ in alto sunt implent. Quare prius semper ad contraria reuellendum, ac subinde adstringentia ex- F trinsecus imponenda. Qui ab erosione sanguinem exspuunt, iis primum quæ acres humores in pulmonem destillantes purgare possunt medicamenta, propinanda, veluti antea quoque, & in capite *De destillatione* dictum est. Deinceps ea, quæ alterare & incrassare acres tenuesque humores, atque adeo sistere destillationem valent: vt est *serapium violaceum, rosaceum, myrtinum, hydromelon, miuam cotoneorum vocant, & iis similia.*

Curatio eorum qui ex pulmone sanguinem reiiciunt.

Ecligma.

Præceptum diligenter obseruandum.

Curatio eorum qui ab erosione sanguinem exspuunt.

Curatio eorum qui vomunt sanguinem.

In eum vsum interdum serapium e *papauere*, & alia somnifera, & stuporem quasi inducentia adhibentur. Destillatione desinente, erosæ partes cibis boni succi, & medicamentis carnem generantibus reficiantur. Porro qui vomunt sanguinem, ea victus & curandi ratione quæ antea commemorata est vtantur. Hoc est, vena in gibbero superior, quam *humeralem* vocant, illis statim incidenda est, si ex iecore: sin ex liene in ventriculum feratur sanguis, ea ex Aetio *Archigene teste*, quæ inter paruum & annularem digitum in sinistra manu est. Ceterum & cibos & potus adstringentes sumere oportet, eos qui per ventriculum sanguinem reiiciunt, non tamen vehementer & actu frigidos. Porro ne id silentio transeam, præstat perpetuo lienarem venam, si incidi & inueniri potest, aperire, quam eam quæ est in summa manu, ob caussam a Galeno *capite 14. libri de curandi ratione per sanguinis missionem* expositam. Quippe facile curantur, si auxilia quæ bibuntur, particulis ipsis sanguinem fundentibus plane applicentur. Atqui sanguine in ventriculo instar grumi concreto, coagulum potandum est, maxime leporinum, vel thymbra, seu satureia cum aceto, vel ex aloe sic affecti vacuari debent.

Curatio eorum qui per palatum sanguinem excreant.

Qui per palatum sanguinem excreant, gargarizabunt ex adstringentibus: frontique & capiti admouebuntur ea, quæ sanguinem ex naribus fundentibus accommodantur. Porro postquam omnia, vt postulat ratio, peracta fuerint, & sanguinis fluor substiterit, vires ipsis reficiendæ sunt, roburque adhibendum. In primis vero cauendus frequens vsus balnei, vini potio, ira, & Venus.

De empyemate. Cap. XI.

Empyema. Suppuratio. Empyici. Purulenti. Caussæ.

ΕΜπύημα Græcis *purulentam excreationem* & *purulentiam* significat. Latini *suppurationem* vocant. Hinc ἐμπυικοὶ καὶ ἐμπύοι, hoc est *suppurati* & *purulenti*, qui hoc vitio laborant, & quibus in thorace vel inter thoracem & pulmonem pus continetur, appellatur. Fit, quando abscessus in membrana intrinsecus succingente costas, aut aliqua alia thoracis membrana factus, aceruatim rumpitur, & in vacuum thoracis locum, qui est inter pulmonem & succingentem costas membranam effunditur. Accidit interdum propter sanguinis eruptionem, vlcere ad cicatricem non perducto. Interim etiam propter confluxum ex capite, & aliis superioribus partibus in thoracem manãtem. Quod in angina sæpe contingere solet, iuxta hoc Hippocraticum: *Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt: si vero has effugerint, suppurantur.*

5. Aph. 10.

Signa.

Suppuratos autem hoc pacto cognosces. Grauitas in profundo thoracis adest, tussis valida siccaque cum dolore, aliquando etiam cum humiditate, ob quã reuelari quoque videntur. Febres per initia ipsis accidunt languidæ, inordinatæ, & ad iudicandum difficiles. Postquam autem ruptura abscessus iam appetit, vehementius cum quodã horrore febricitant, & in sermone conturbantur, offensi inspiratione. Rupto abscessu aliquid in profundo thorace transfluere apparet, iuxta multiplices reclinationis permutationes & maxime quum ab vno latere in alterum decumbunt, tum sane multitudo puris manifestatur, & fluctuationes cuiusdã sonitus sæpe sensibiliter in reclinationibus ipsorum auditur. Pus etiam educitur nunc purum, nunc fæculentum. Erumpunt autem suppurationes aliquæ quidem sursum versus in vacuum videlicet thoracis locum: & hæ periculosiores exsistunt. Nisi enim quam citissime pus per sputum reiiciatur, tabidi fiunt, pulmone hinc exulcerationem contrahente. Aliquæ vero deorsum in aluum, & intestina, ac vesicam transfunduntur, per vasa quædã transmissione ad eas partes facta. Quæ qualia sunt, Gal. *lib. 6. De laborantibus locis, cap. 4.* ostendit. Semper autem hectica febri laborant, quoad sursum omnia fuerint educta.

Victus.

Qui suppuratione laborant aerem inhabitent siccum. Cibis vtantur boni succi, & concoctu facillimis: *ptisanæ cremore iure gallorum, carnibus gallinæ, pullorum gallinaceorum, perdicum, phasianorum, auium montanarum, turdorum scilicet. Iure quoque cicerum cum herbis, hyssopo, & petroselino.* Iura enim vlcera magis detergent, ventremque lubricum reddunt. Potus sit *aqua mulsa, ac vinum album & tenue.*

Curatio.

Porro nisi in iis qui suppuratione laborant summa diligentia adhibeatur, protinus puris collectio tabem accersit, pulmone, vlcerationem contrahente. Primum itaq; suppurationis concoctio adiuuãda fomentis aquæ temperate calidæ per spongias, cataplasmatis & emplastris, presertim tardantib⁹ suppurationibus, ex *hordei, fenograci, & seminis lini farinis, caricis, columbarum fimo, camæmeli floribus, malua, althea, & resina modica paratis.* Cerata etiam ex *butyro, iride, baccis lauri*

A *lauri & ruta composita*, *& alia quæ collectionem maturare & discutere possunt*, *qualia multa in capite De asthmate dicta sunt*, imponenda. Quod si vitium non discutitur, quæ abscessum rumpunt admouenda. Rupturam autem abscessus, promouet in latus sanum decubitus, salsorum esus, & catapotia illa dormituro data, quæ habent : *Pulueris hieræ picræ Galeni, unciam unam. Pulpæ colocynthidis, scrup. unum. Cum succo absinthii quod satis est ad excipiendum: formentur pilulæ*, quarum vna aut altera teneatur in ore. Hac enim ratione accidit, vt æger crebro exspuere conetur, atq; adeo nimium exspuendo abscessus rumpitur. Non est tamen quod catapotia illa deuorent, & in ventriculum assumant. Ruptione facta, diligenter erit animaduertendum, quo pus proerepat, adiuuare enim eius excretionem oportet. Si enim ad aluum proreptet, magis emollientia sint quæ offeruntur : si vero ad vesicam serpat, ea quæ vrinam cient magis
B adhibenda. Si vero per tussim puris expurgatio fiat, nihil conuenientius aut familiari⁹ exhiberi potest, quam ptisana optimo melle permixta. Proderunt etiam abstergẽtia, quæ partim *in capite De pleuritide* dicta sunt, partim etiam statim *in capite De tabe* dicentur. Ceterum quæ vrinas cient, cibis commode admiscentur, vndecunq; tandem puris excretio contingat. Ad puris vero expurgationem mirifice vtilis est *aqua mulsa cũ iride, & plurima glycyrrhiza decocta.* Radicis enim dulcis succus commanducatus ꝓdest. Conuenit deniq; decoctum *hyssopi, iridis, marrubii & similium, quæ ex capite De asthmate petenda veniunt.* Ceterum quum ruptio vix periculo careat, ne scilic. æger a copia puris suffocetur, aut copiosum in thorace contentum tabem accersat, optimum erit, *iuxta*
C *Hippocratis consilium 7. aph. 45.* vt suppurati in latere secentur, vel vrantur, vt eo aperto vniuersum pus effluere possit. Quare si vniuersum pus expurgari non posse metus est, vel sectio, vel vstio tentanda erit. Reliqua quæ ad curationem suppurationis necessaria esse videntur, in sequenti capite commemorabimus.

Rumpentia abscessum. Catapotia. Pus expurgantia.

De tabe. Cap. XII.

Φθίσις Græce, *tabes* autem latine, proprie est *exulceratio pulmonis ad sanguinis sputa consequens, quam Athenienses priuatim, vt sectio. 7. apho. comment. 16. testis est Galenus, φθόην nominant.* Fit magna ex parte, ob acris & erodentis humoris ex capite in pulmonem defluxum. Interdum etiam, quum sanguinis aut puris eruptio in suppuratis, pleuriticis, & peripneumonicis cohibetur. Qui hoc vitio laborant, agnoscuntur toti⁹ corporis &
D carniũ extenuatione. Nares etiã iis acutæ, collapsa tẽpora, oculi cõcaui, scapulæq; instar alarũ auium ꝓminent: hinc Hippocrati aliisq; Græcis πτερυγώδεις appellantur. Præterea tussiunt, ac febre hectica febriunt, difficulter spirant, genæ liuescunt, vngues curuantur, pallidiq; apparent. Vitio vincente venter turbatur, sitis ipsos magis cõficit, capilli defluunt: & id quod ꝑ sputum reiicitur, vehementer fœdi odoris est. Quæ singula Hippocrates quoq; iis verbis innuere voluit: *A tabe*, inquiens, *correpto profluuiũ alui superueniẽs letale.* Et iterũ: *Quibuscunq; tabe laborantib. capilli a cap. defluunt, iis alui profluuio superueniẽte, moriũtur.* Et rursus: *Qui tabe molestãtur, si sputũ quod extussiunt carbo. iniectũ graue olet, & capilli a capite defluunt, letale.* Porro vlcera pulmonis difficillime curantur, ꝓpterea quod citra tussim non repurgantur. Tussientib. autẽ vlc⁹ dirumpitur ac laceratur, atq;
E malum quasi quodam circuitu reuertitur. Pulmo etiam inter viscera ꝓpter respirationem in ꝑpetuo est motu, & tussiendo quoq; lancinatur. Vlcera vero quæ sananda sunt quietẽ vtiq; requirunt. Medicamentorum ꝓterea vires ad vlc⁹, priusquam in vẽtriculo & iecinore ꝑmutentur, ꝑuenire nõ possunt. Vtcunq; autẽ ꝓpter caussas nunc cõmemoratas difficilis sit curatio, tamen nihilomin⁹ conandum, vt vlceratio illa curetur. Initio itaq; tabidis conueniens victus ratio præscribenda, in eum sane modum. Aerem siccum, in calore vero & frigore temperatum, inhabitet. Cibus eorum sit ptisana hordei, lac amygdalarum, oua sorbilia, carnes auium mõtanarum, ꝑdicum, phasianorum, merularum, turdorum, gallinarum, caporum, vitulorum, hœdiq; lactantis. Pisces deniq; squamati, saxatiles, potissimũ vero cancri fluuiatiles cum lacte potati, aut cocti in
F cibo sumti. Ceterum lac inter omnia cibaria tabidis optimum, serosa n. sua substantia vlcera repurgat, caseosa glutinat, primum quidem humanum, dein asininum & caprinum: quod ex mammis, si fieri potest, sugatur : aut statim mulctum dum adhuc calet bibatur, *quemadmodum copiose libro 5. Ther. meth. Galenus docet.* Cauendum tamen vnice, ne statim a lactis vsu alium cibum (potissimum autem vinum) sumant: quod alias in

φθίσις. Tabes. Caussæ. Signa. πτερυγώδεις. 5. Aph. 14. 5. Aph. 12. 5. Aph. 11. Curatio difficilis quare. Victus.

ventriculo prorsus corrumpatur. Quod si vero impense admodum febricitant, putrida maxime febre, lactis vsus haud conducet. Inter fructus prosunt vuæ passæ, amygdala dulcia, nuces pineæ, ficus, palmulæ & pistacia. Exercitia & motus vehementes deuitent. Suauiter autem ante cibũ deambulare, haud incommodabit, præsertim vbi febris remiserit. A cibo penitus quiescant. Somno vtantur nocturno, & mediocri. Fugiant irã, tristiciam, vigilias immodicas, famem, sitim, coitum, laconitũ, & quicquid corpus exinanire potest. Pot⁹ sit vinum aquosum & tenue: aut si vehemẽs est febris, aqua in parum cinnamomi est decoctum, aut bibat potionem quæ a barbaris medicis *Hippocras* nominatur. Cuius quidẽ compositionem *in libr. 1. cap. De resolutione*, monstrauimus. Quod si vitium a defluxu humoris acris ex capite oriatur, curandi ratio a destillationis amolitione inchoanda erit, quam quidem supra peculiari capite docuimus. In præsentia igitur quomodo pulmonis exulceratio curanda sit, monstrabimus. In eius itaq; curatione in primis quæ abstergendi facultate prædita sunt, & quæ vt facile pus sursum feratur, efficiunt, exhibenda erunt. In quem vsum potissimum *hydromeli* conuenit, & *decoctum hordei cum sacchara & melle*. Itẽ *hyssopi, iridis, caricarum, adianti, & similiũ*. *Serapium de hyssopo, marrubio, & glycyrrhiza*. Si accesserit febris, prædictis *semina quatuor frigida* cõmiscenda erunt. Extrinsecus vero admoueri ea emplastra & cataplasmata *ex semine lini, fœnograeco, & aliis in c. De empyemate commemoratis*. Ex capite quoq; *De asthmate* multa remedia ad præsentem vsum conducentia, petenda erunt. Absterso & a pure purgato pulmone, ea quæ vlcus glutinare possunt, medicamenta sunt exhibenda. In hunc vsum ab omnib. fere medicis cõmendatur *saccharum rosaceum*: hoc n. non solum glutinandi, verum etiam abstergendi facultatem obtinet. Abstergit autẽ magis quod recens est, glutinat vero quod antiquius. Mirifice etiam confert *bolus armenius, sanguis draconis, succinum, corallia, semen portulacæ, & similia, quibus abstergendi & glutinandi facultas inest*. Laudatur vnice *symphyri maioris radix saccharo condita. Item cum carnibus cocta*. Cõducunt quoq; ecligmata de *pulmone vulpis, e pino saccharum symphyti maioris & adianti*. Ex his igitur tale parabitur medicamentum, quod habet: *Sacchari symphyti maioris & adianti, vtriusq; vnciam dimidiam. Sacchari rosacei, vnc. vnã. Ecligmatis e pulmone vulpis drach. vnã & dimidiam. Ecligmatis e pino drach. duas. Specierũ diatragacanthes drach. 3. Boli armenii drach. vnam & dimidiam. Terræ lemniæ, radicis symphyti maioris, ana. scrup. duos. Serapii de papauere, quantum ad ea excipienda satis est: formetur ecligma*. Plurimum quoq; adiumenta afferet is puluis quotidie exhibitus, qui accipit: *Seminis papaueris albi, drach. dimidiam. Gũmi arabici vocati, amyli, tragacanthæ sing. drach. 1. & dimid. Seminum cucumeris, citrulli, cucurbitæ, melonũ, cotoneorum singulorum drach. tres & dimidiam. Eboris vsti succi glycyrrhizæ, vtriusq; drach. vnam & dimidiam. Penidiorum æquali omnium pondere: fingatur puluis*, de quo mane dentur quotidie, drach. duæ, *cum serapio de papauere, aut rosaceo*. Sunt qui adiiciunt *cinerum cancrorum fluuialium, & corallii albi vsti, sing. drach. vnam & dimidiam*. Eo præterea tempore quo cicatrix obducitur, extrinsecus thoraci *oleum myrtinum*, aut *rosaceũ* inungendum, adiectis interdum *rhoe obsoniorũ, sumachiũ officinæ vocant, hypocisthide, malicorio, acacia, galla, & similbus*. Postremum corpus extenuatum iusta & conuenienti victus ratione reficiendum omnibus iis cibis, qui boni succi sunt, ac facile concoquuntur, & plurimum alunt. Quo tempore hoc quoq; medicamentum exhibendum erit, q; habet: *Pulpæ capi, vnc. 1. Testiculorũ galli, nucum pinearũ, pistaciorũ, amygdalarum dulciũ singul. vnc. dimidiam. Specierum antidoti de gemmis drach. dimidiã. Specierum diarrhodon abbatis, dianthon, odorati rosacei singul. scrupul. vnũ. Santalorũ alborũ, cinnamomi selecti, vtriusque drach. dimid. Maceris, scrupul. vnũ. Sacchari candidissimi, libr. vnã. diluti in liquoris stillaticiis buglossi & rosarũ: fingantur morsuli*. De quibus quotidie vnus sumatur. Thorax etiam illinatur butyro, & oleo amygdalarum dulcium.

Hippocras.

Curatio.

Saccharum rosaceum.

Puluis.

Morsuli refectorii.

De cordis palpitatione. Cap. XIII.

Παλμὸς καρδίας Græcis *cordis palpitatio* & *tremor* dicitur, *motus est cordis deprauatus, nimirum quum præter naturam dilatatur aut constringitur*. Recentiores medici perperam *cardiacam* nominant. καρδιακὴ enim ad stomachum, quem veteres olim καρδίαν, *vt multis in locis significauit Galen.* vocarunt, pertinet, eiusque plane erosio seu morsus existit, vt alibi quoq; copiosius monstrauimus. Fit ab omni eo quod præter naturam cor afficere potest, vt est quęuis intẽperies, aut humoris vel flat⁹ multitudo in ambiente cor mẽbrana con-

Cordis palpitatio. καρδιακή.

Caussæ.

A contenta, cor ne attollatur impediente, aut tumor præter naturam, & alia quæ a Galeno *libro 5. De affectis locis, capite 1.* recensentur. Vt valde ineptiant, qui cordis palpitationem a calida intemperie nasci non posse putant, quum tamen, *Galeno etiam sect. 4. apho. comment. 65. auctore*, ab immenso incendio hæc ipsa fieri possit. Et Paulus *lib. 3. c. 34.* a sanguinis feruore hanc procreari docet. In summa quicquid cordis facultatem deiicit, hoc palpitationem eiusdem efficit. Deiicit autem eam omnis intemperies, igitur etiam calida. Nec obstat, quod Galenus *in libello de palp. & de sympt. caussis 2.* hanc a frigida tantum caussa fieri scribat. Nam in illis locis de palpitatione, quæ in externis partib. & musculis, nõ in corde, excitatur, loqui illum constat. Dignoscitur facile de sermonib. ægri, palpitationẽ hanc euidenter sentientis, & ex pulsu. In calida intemperie febris, & Signa.
B pulsus velox atq; magnus existit. In frigida contra. Si humoris copia in pericardio cõtenta palpitationem accerserit, pulsus est mollis & languidus. Si a flatibus fit, leuissima corporis motione excitatur. Victus ratio pro caussarum vitium efficientium diuersitate Victus.
varie instituitur. Siquidem in calida intemperie aer esse debet mediocriter frigidus: in frigida vero, modice calidus. Quare ex capitib. quæ præmisimus, hæc ipsa facile cõstitui a quouis leuiter admodum perito potest. In vniuersum autẽ vitãdum quicquid spiritum vitalẽ resoluit ac cõturbat: vt est *nimius æstus, ira, fames, vigilia, coitus, frigus immodicum, cibi mali succi.* Si multitudo humoris in ambiente cor membrana cõtenta palpitationẽ procreauerit, tota diæta sit extenuatoria. Potus in calida intemperie sit vinum Curatio calidæ cordis intẽperiei.
C aquosum & tenue, aut zulapium violaceum, vel rosaceũ, aut buglossi decoctũ. In frigida vinum meracius bibatur. Qui ob calidam intẽperiẽ cordi palpitatione corripiuntur iis per frigida medicamenta, quæ intemperiem calidam corrigere, & robur cordi adiicere possunt, succurrẽdũ. Talia vero ex simplicib. sunt *rosæ, violæ flores nymphea, santali, corallia, & iis similia, de quib. in libris nostris De comp. med. etiam diximus.* E compositis est *diamargari, diarrhodon abbatis saccharũ rosaceum, violaceum; buglossaceum & earundem stirpium succi & serapia.* Ex iam dictis itaq; potiones, antidota, & morsuli pro cuiusq; arbitrio componi possunt. Extrinsecus admouenda vnguenta, emplastra, maxime vero epithemata vocata, sacculi, & alia quæcunq; calidam cordis intemperiem alterare valent. In primis autem inter vnguenta hoc conuenit, quod habet: *Oleorũ rosacei, violacei, nymphea, sing.* Vnguẽtum.
drach. 2. Coralliorũ rubeorũ, santalorũ purpureorum, rosarum purpurearũ sing. scr. 1. Ceræ albæ quod
D *satis est fiat vnguẽtum*, quo cordis regio, & spina dorsi inungatur. Inter epithemata hoc potissimum cordi imponatur, quod accipit: *Liquoris stillaticii rosarum, oxalidis, & buglossi sing. vnc. tres. Liquoris stillaticii melissophylli, vnc. vnam. Specierum antidoti cordialis vocati, drach. vnam. Santalorum purpureorum, coralliorum rubeorum, vtriusque drach. dimidiam. Succi semperuiui, scrup. vnum. Croci grana quatuor.* Commixtis omnib. fiat epithema. In genere Epithema.
sacculorum is potissimum cõpetet, qui habet: *Florum buglossi, violarũ, rosarum purpurearũ, sing. manipulum dimidium. Santalorum omniũ sing. drach. vnam. Coralliorum rubeorum & alborum singul. drach. vnam & dimidiam. Vnionum, scrupul. vnum. Contusa in sericum demittantur, formeturque sacculus.* Ceterum qui frigida cordis intemperie laborant, iis inter simplicia medicamenta prosunt *ambar, moschus, crocus, lignum aloes, styrax, garyophilli, macer, zedoaria, melissophyllum, & eiusmodi.* In genere compositorum, *antidotus diambar, dianthon, aromatici rosacei, pleres archoticum, & similes.* Sacculus. Curatio frigidæ cordis intemperiei.
E Ex quibus sane varia remediorum genera parari possunt, haud secus quam in calida cordis fecimus intemperie. Siquidem vnguenta in eum componentur modum.: *Oleorum liliacei, e spica, & de croco. sing. drachmas duas & dimidiam. Galliæ moschatæ garyophyllorum, vtriusque scrupulum vnum. Ligni aloes, scrupul. dimidium. Maceris, scrup. vnum. Croci, grana tria. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Epithematum hæc forma erit: *Liquorum stillaticiorum melissophylli, maioranæ, buglossi, singul. vnc. quatuor. Specierum antidoti diambar, diamoschi, vtriusque drachmam dimidiam. Maceris, ligni aloes, vtriusque scrup. vnum. Ambar. granum vnum. Vini optimi, vnc. vnam. Commixtis singulis, formetur epithema.* Sacculorum hæc esto forma: *Florum melissophylli, buglossi, vtriusq; manipulum vnũ & dimidiũ. Cinnamomi selecti garyophyllorũ, maceris, sing. drach.* Vnguẽtum. Epithema. Sacculus.
F *vnam. Ligni aloes scrup. vnum. Corticum mali citrii, drach. vnam & dimidiam. Croci, scr. vnum. Ambar, granum vnum. Contusis omnibus fiat e serico sacculus cordi imponendus.* Quod si ab humore aliquo in pericardio contento palpitatio fiat, extenuanti victus ratione, & venæ sectione quæ in gibbero fit, *Galeno li. 5. De laborant. loc. c. 1. teste*, curatur. Siquidem is Curatio palpitationis cordis ab humore.

ibidem sic scriptum reliquit: *Palpitatio cordis pluribus integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subito sine alio manifesto symptomate euenire visa est: atque omnes eos sanguinis detractio iuuit. Hoc enim pacto plerique perfecte ab hoc symptomate liberati sunt: præsertim qui vtebantur & victu, & medicamentis, quibus esset extenuandi facultas.* Hæc ille. Secanda vero est vena in gibbero interior, aut media: atque deinde vnguenta, epithemata, & sacculi, eiusque generis alia medicamenta, quibus extenuandi & corroborandi cordis inest facultas, extrinsecus & intra corpus adhibenda. Si vitium a flatibus fit, exhibenda erunt ea crebro quæ pituitam purgant. Item ea, quæ flatus discutiunt, qualia sunt, quæ infra *in capite de ventriculi inflatione* recensentur. Quorum omnium priuatim exempla proferre superuacaneum putamus, quum facile admodum sit cuiuis ex iam dictis, & alibi commemoratis, componere omnis generis ad institutum suum facientia medicamenta.

De syncope. CAP. XIIII.

Syncope. SYNCOPE, Galeno *libro 12. Ther. meth. capite 5. auctore*, nihil aliud est *nisi praeceps virium lapsus.* Omnes igitur in syncope vires subito labuntur. Differt itaque a Lipothymia, quæ syncope mitior est, *vt alibi fusius ostendimus.* Accidit quemadmodum etiam lipothymia, ob plurimam sanguinis excretionem, immodicam ventris inanitionem, motum vehementem, dolorem ingentem, vigilias multas, sudores copiosos, omnesque alias immoderatas vacuationes, timorem, terrorem, & alias huius generis animi perturbationes. Ob crudorũ deniq; humorũ in ore ventriculi redundantiã, phlegmonis magnitudinẽ, & vitiosos tenues acresq; in ore ventriculi mordicationes & excitãtes humores, auræq; fœtidæ inspirationem. Cognoscitur syncope iis indiciis. Pulsus est rarus & obscurus, extremarũ partiũ frigiditas, sudor circa faciem, nitoris cutis quæ in ea exsistit ablatio, & totius corporis quasi resolutio. Adhæc accedunt desperatio, animi angor, & corporis iactatio. Porro euenit interdum syncope cordis vitio, vbi sc. ipsũ vehementer intemperatũ est: interdũ etiã stomachi, siue oris ventriculi, in eo nimirũ redundantib. & congestis aut crudis, aut acrib. & erodentib. humoribus, *vt dictum est.* Eius generis syncope, stomachica nominatur. Qui propter humorum crudorũ in ore ventriculi copiã syncopen incidunt, his hypochondria inflata sunt, & totum corpus ampliore mole, quã pro naturæ modo cernitur, tum eiusdem color iis ad albidius, quã pro naturali habitu fit, est mutatus: & in summa, corpus aqua inter cutẽ laborantibus simile. Nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius, quos quidem plumbei palloris appellamus, accedit. Pulsus tamen arteriæ omnibus minores sunt, præterea obscuri & inæquales. Qui vero propter acrium humorum redundantiam syncope corripiuntur, ii assiduas in ore ventriculi vellicationes ac mordicationes sentiunt. Qui ob tenues succos, ocyssime exhalantes syncope corripiuntur, in iis mortifera illa species in facie celeriter apparet, nasus acutus, oculi caui, & alia quæ deinceps per Hippocratẽ sunt adscripta. Reliquæ syncopes caussæ ex adstantiũ sermonib. nullo negocio cognoscentur. Curandi rationẽ pro caussarum diuersitate variari, nemo est qui nesciat. Si n. propter saguinis excretionẽ, aut aliã immodicã & repentinam euacuationem syncope inuadit, frigida faciem aspergere oportet, aut liquore rosarum stillaticio, qui in hoc casu mirificã quandam vim obtinet, moschato, se haberi potest: sin minus solus stillaticius rosarũ liquor, aut cum aceto pmistus. In vtriusq; defectu, a frigida. Ab alto autẽ demittatur in faciẽ, vt sopiti spirit⁹ excitetur: & si qui adhuc in partib. externis remanserunt, resolui prohibeantur. Atq; hæc potissimum facienda sit ab æstu, aut febris incendio, aut alia caussa calida syncope fiat, nõ autem a frigore. Extremæ corporis partes, vt crura & man⁹, vinculis vehementer sunt cõstringendæ, ac linteis modice asperis perfricandæ. Crura quidẽ, si supra eruptio fiat: manus vero, si infra. Cucurbitulæ quoq; leues ꝓ partiũ, e quib. vacuatio ꝓcedit. aut sanguis erumpit, diuersitate affigẽdæ. Os deniq; diducendum, cunei aut digitorum, aut alterius rei immissione: auditorius vero meat⁹ & nares cõprimendæ, vt inspiratus aer interiora petens, spiritum reficere, ac excitare queat. Confestim etiã variis odoramentis animum reuocare cõuenit. Nihil n. est (*Hippocrate in libello De aliment. teste*) q; vires odore citius reuocet. Prodest itaq; pullos gallinaceos assos, ac per medium scissos atq; discerptos, naribus ægrotantium admouere. Itẽ rosas, violas, mala cotonea, citria, & eiusmodi. Postea iusculis, & aliis sorbitionibus conco-

Margin notes: Caussæ. — Notæ. — Syncope cordis. — Syncope stomachica. — 2. Prog. 10. Curatio. Eius quæ propter immodicã inanitionem accidit.

A concoctu facillimis, alendus æger. Vinū huic ꝓpinandum tenue & dilutum. Aer cubiculi sit frigidus, cubiculum vero ipsum nō valde lucidum. Stragula eis incūbentia tollatur: operimenta vero, quib. conteguntur, mollia sint. Pauimentum irroretur, ac foliis consternatur myrthi, vitis, quercus, rubi, atq; ipsis etiam rosis. In immodico sudore exsudantib. partib. oleum myrtynum, rosaceum, & cotoneorum illinendum: in primis vero collum, thorax, loca sub alis, & inguina. In hunc vsum etiam conducit amylū & thuris pollinē candido oui excepta, aliaq; adstringentia medicamenta illinere. Odoramenta quoque tum varia offerenda, nimirum rosæ, santala, cotonea poma, flores nymphez, & eiusmodi. Extremas vero corporis partes tum non oportet vincire. Si ꝓpter dolorem syncope fit, diligenter se caussa inquirere oportet. Si enim extrinseca B fuerit, facile eius amotione dolor se dabitur, atq; syncope curabitur. Si vero a nulla extrinseca occasione dolor concitatus fuerit, internam aliquam esse caussam, quæ dolorē efficit, existimare oportet. Si n. plenitudo distendens, dolorem excitauerit, protin⁹ si vires patiantur, sanguis mittendus est e vena, quæ parti dolenti vicina fuerit. Sin vires imbecillæ sint, tum reuellendum duntaxat, aut sursum aut deorsum deriuandum, aut vtrinq;, aut frictionib. vtendum. Vbi vero a vitiosis humorib. dolor oritur, purgare magis oportet. Si vtraq; coeant, ambab. vtendum vacuationib. sanguine prius misso. Dein si noxius humor in parte fixus & impactus est, curationē ꝑ discutientia medicamenta moliri oportet. Reliquorum dolorum curationes ex ꝓpriis capitib. præsertim *ex cap. De dolorib.* petendæ. Qui ob mœrorem, tumorem & alias animi peturbationes C syncope corripiuntur, ii plane suorum contrariorum admonitione curandi sunt. Nec in mœrentib. prætereunda sunt odorifera, & alia quæ intra corpus sumta spiritus recreare possunt. Qui propter crudorum humorum copiam syncope laborant, ii neq; sanguinis missionem, neq; purgationem sustinent, vtpote quos etiam sine iis syncope subito adoriatur. Curare itaque hos per frictionem oportet. Initio itaque vitii statim a frictione incipiendum: ac crura quidem primum a superiore parte deorsum, linteis non admodum mollibus, sed modice asperis perfricanda: dein etiam tota manus ab humeris pariter ad infimas partes. Vbi vero iam artus omnes abunde incaluerint, & metus fuerit, ne quis ex nimia frictione lassitudinis sensus supueniat, oleo relaxante vtendum, quale est anethinum & chamæmelinū. Cauendum autem quam maxime ab D adstringente. Quum iā art⁹ plurimum ꝑfricueris, postea oleum detergēdum, inde ad spinam dorsi transeundum, hæcq; tota ꝑfricanda similiter, linteo sc. primum, mox oleo. Ab hac rursus ad crura, & subinde ad manus, tum rursus ad spinā remeandum, & ita toto die faciendum: idq; in splendido quodā minimeq; humente cubiculo, cuius aer tēperatus sit. Præterea mulsa in qua hyssopum coctū fuit, iis est aptissima: cauendūque ne vel cibum, vel sorbitionē, vel aquā exhibeas, vel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsam trib. primis dieb. duntaxat, alternatim fricando, vt solum illud temp⁹ intersit q̄ somno datur, qui certe mediocris sit. Quod si pulsus iis paruus admodū infirmusq; sit, aut etiam supra hæc vehementer inæqualis, scire licet extremum periculum esse, facienda tamen nobis quæ retulim⁹, nec aliud quicquā moliendum. Sin pulE sus robore mediocri sit ac magnitudine, præterea minime intercisus & cōpressus, cōsideranda quæ ad aluum spectant: ac si sua sponte commode nō deiiciat, audacter ꝑ inferius aliquid infundes. Accidit nanq; post aquā mulsam, vt quæ in primis venis, quæ scil. circa iecur & mesenterium sunt, colligi superuacua solent, hac commode deiiciantur. Quod si maior iusto recrementorum impetus ad aluum citetur, principio quidem percoquere mulsam amplius oportebit: ita n. minus aluum subducet, & magis nutriet. Posthæc si superuacua largius descēdant, ne sic quidem sistenda aluus, sed exhibendus ꝑ aqua mulsa ptisanæ cremor est. Si vero fluere pergant, alicę sorbitione nutries, pulsuum interim ratione obseruata. Aliquando n. subito ad imbecillitatem, vel inæqualitatem, vel paruitatem mutantur. Quo sane tempore, panem ex vino diluto F exhibere cōueniet: idq; si nec ventriculus, nec iecur phlegmone laboret. Hac enim si infestentur, iam corpore crudis succis referto, plane desperata salus ægro est. Ergo in eiusmodi ægri casu, teipsum a culpa immunem præstabis, si moriturum prædixeris, ac nullo generosiore medicamento vsus fueris. Atqui si quandoq; crassi abunde humores deprehendantur, oxymeli ꝑ mulsa confestim exhibēdum. Ergo si æstas sit, & æger

Sudores immodicos coercentia.

Curatio syncopes a dolore.

Curatio si syncope fit ob animi affectus.

Curatio syncopes ex redundantia crudorum humorum.

Primę venę

frigidæ potioni assuetus, frigidum huic oxymeli dabis. Sin hyems sit, omnib. calidum, A
tum iis qui calidæ, tum iis qui frigidæ insueuerunt, offeres: æq; vt si immodicus æstatis
tēpore æstus sit, etiam qui calidæ assueti sunt, frigidum: vtiq; si nullum sit iis viscus ad
iniuriā opportunum. Sane iis aduersissima sunt tum balneum, tum aer ambiens, quo-
ties vel nimium calidus est, vel frigidus. Itaq; vt lauandi ii nō sunt, sic & reclinandi in do-
mo sunt: æstate quidē quæ frigeat, hyeme quæ caleat. Læduntur nanq; nō parum ab v-
troq; excessu: videl. in balneo æstate, & omni caloris incremento crudis humorib. li-
quatis, ac p omnes corporis partes fluentib. ita vt metuendum sit, ne ad pulmones &
cor ferantur: aliquando etiā ne cerebrum subeant: quum lōge præstet, vt circa iecur &
primas venas subsistant. In domo autē immodice frigida, & hyeme, & deniq; ambiēte
frigido, succi qui crudi sunt, & inepti ad concoquendum manent, & iocinoris obstru- B
ctiones, si leues sunt, augent: si nullæ sunt, eas crassitudine sua hærentes impactiq; cre-
ant. Si vero ad eos, quos syncope iam premit, sis accitus, vbi ventriculus & iecur phle-
gmone vacent, panem exhibebis exiguum, huncq; ex vino aliquo, quod celere in cor-
pus distributionem adiuuet: statimq; ad frictiones venies, quas etiam p tradito iam
modo administrabis. Ac si quidem ætas sit, aut regio naturaliter calens & æstuans, aut
status cœli vehementer calidus, aqua frigida vinum dilues: si nihil eiusmodi sit, cum ca-
lida. Quæ tamen secundo & tertio dabitur potio, omnino calidā exhibendā curabis.
Quippe ad vniuersam eam curationem, cuius gratia frictiones adhibemus, calor præ-
stat: vtpote crudorum humorum concoctionem adiuuans. At quib. ex flaua bile, quę
os ventriculi infestet, syncope incidit, iis frigida exhibenda potio est. Vinum tamen C
quod & calidum natura sit, colore fuluum, substantiaq; tenue, ætate vetus, & quod di-
stributionem in corpus pmoueat, omnib. quos syncope male habet, offerre conueni-
et: distribui nanq; p corpus nutrimentum quod sumtum est, non in ventriculo mane-
re volumus. Qui tenuium humorum vitium syncope premuntur, eos paulatim & as-
sidue vacuare oportet, ppterea quod multā simul vacuationem ferre nō queant. Hos
etiā paulatim & assidue nutriemus. Summa cutis densanda, & aer cubiculi frigidus &
adstringens comparandus, quemadmodum copiose Galenus *lib. 9. Ther. meth. c. 14. do-
cet.* Vnguendi præterea sunt adstrictoriis vnguentis: tum cibi iis dandi, qui non admo-
dum pmte diffluant, non aqua mulsa, non ptisanæ cremor, sed panis, & sorbitio ex ali-
ca, & fructus austeri, qui non facile corrumpantur, tum ipsi p se, tum vero & cum pane D
etiam alica quæ in aqua sit cocta. Dabis vero aliquando iis & oua, præcipueq; eorum
vitellos. Album n. eorum ægre concoquitur. Præterea gallinaceorum, qui lacte sint al-
ti, testiculos. Itemque suillum cerebrum, sed vel diligenter assum, vel in aqua, adiectis
porro & anetho, legitime elixum. Deniq; omni ratione agendum, vt & succorum ma-
teriam crassiorem reddas, & cutim denses, & exhalationem inhibeas. Vinum vero iis
aquosum necessarium inter initia est, sumtum post cibum. Quod si ex sententia nobis
omnia responderint, etiam carnei is aliquid nutrimenti post alia dabimus: potissimū
post quartum diem, succis iam ad concoctionem venientib. Si ob phlegmonis magni-
tudinem syncope accidat, artus fricandi & fouendi, manusq; ac pedes vinciēdi, vigilię
imperandæ, quia sanguis in somno *(vt inquit Hippocrates)* ad interiora repit. A cibo & E
potu penitus arcendi. Quicunq; ppter vitiosos humores os ventriculi erodentes syn-
copen incidunt, ii curandi sunt vomitus irritatione: at si id nō successerit, aluus mo-
uendus, aliaq; facienda, quæ infra *in cap. De dolore stomachi* exponemus. Qui in balneo a-
nimo linqui incipiunt, eos celeriter educere oportet, neq; multa aquæ infusione hu-
mectare. Qui autem iam inciderunt syncopen, celerrime exportandi sunt, & reliquū
quidem corpus leui quopiam velamine cooperiendum. Facies vero spongia frigida
imbuta madefiat, aut frigida, aut stillaticio rosarum liquore aspergatur. Fricanda etiā
facies, ventriculus, & pedes. Os quoq; aperiendum, pennarum aut digitorum immis-
sione: omniq; modo conandum, quo humor ipsius syncopes auctor euomatur, aqua
tepida ori instillata. Qui perfectiori sunt ætate, iis capilli euellendi sunt. Et vociferatio F
quidē vnius vtilis est: multorum autem & simul edita, nocet. Vbi conualuerint, fugere
oportet tum in calidam, tum in frigidam aquam demissiones. Aut n. laxatis corporib.
calore discusso & resoluto pereunt, aut a frigiditate adstringēte extinguuntur. Reli-
qua quæ hic desiderantur, facile quiuis ex aliis locis huius methodi petere poterit, &
ex quinto Ætii libro.

Syncopes iam premētis curatio.

Syncopes ex tenuibus humoribus curatio.

Syncopes ab inflammatione curatio.

De

A De lactis defectu. Cap. XV.

Lactis defectus accidit propter siccam mammillarum, aut toti⁹ corporis intemperiem: item ob boni sanguinis paucitatem, & quia infans imbecillis nō probe ex mammis sugit. Quando n. pl⁹ sugendo ex illis adimit, tanto etiam plus attrahitur. Notæ quib. caussarum diuersitas deprehenditur, notiores fere sunt ex iis quæ antea dicta sunt, quam vt nunc repeti debeant. Ne tamen parum periti aliquid desiderare queant eas denuo narrare nō grauabimur. Sicca intemperies ex totius corporis, aut mammarum macilento & arido habitu, & aliis supra cōmemoratis, dignoscitur. Sanguinis probi paucitas, e malo corporis habitu, eiusdemq; vitioso colore, & ex corporis quæ præcesserunt vacuationib. immodicis, mensium nimirum, alui, exercitiis validiorib. inedia, mœrore, sollicitudine, & id genus aliis. Quod ad curandi rationem attinet, de lactis defectu qui e sicca intēperie nascitur, hoc in loco nihil dicemus, q facile ex iis quę antea dicta sunt *in aliis capitib: & postea in capite De hectica commemorabuntur*, curari possit. De eius itaq; qui fit ex sanguinis boni paucitate curatione, hic tantum agemus. In hoc igitur primum sanguis est contēplandus: sic monente Galnno *li. 5. de Simp: med. fac. c. 20.* Aut n. minor est quam conuenit, aut deterior. Itaq; qui modicus est, vniuersam victus ratione exposcit humectantem, & calefacientē mediocriter. Quæcunq; n. plus quam expediat calefaciunt, quæq; desiccant aut refrigerant, partim qualitatē ipsius sanguinis vitiantia, partim ipsum modicum reddentia, lac prouenire ꝓhibent. Dare igitur conuenit *panem purū, lac, carnem vitulinam, pullos gallinaceos, perdices, hœdos, oua sorbilia, pisces saxatiles & squamatos, vuas passas, amygdalas dulces, lactucam, buglossum, melyssophyllum, cucurbitas, & eiusmodi.* Bibendum *vinum tenue & aquosum.* Fugiendum *immodicum exercitium, ira, mœror, & omnia quæ sanguinem pauciorem efficere possunt.* Si vero deterior fuerit sanguis, si quidem bilosus sit, primum purgationem desiderat biliosi humoris, per leuia quidem medicamenta, quæ non admodum exsiccent: mox victum quem modo diximus. Sin pituitosus, medicamenta requirit excalfacientia aut primo aut secundo ordine: non tamen desiccantia. Hæc enim pituitosos humores excalfacientes in sanguinem vertunt. Verum inter ea potiora sunt, quæ non tantum sunt medicamenta, sed etiam nutrimenta: velut eruca, fœniculum, anethum, apium, sium, polium, eaq; virentia priusquam siccentur. Nam sicca plus quam oportet & excalfaciūt & desiccant. Quæ vero desiccant, humorem sanguinis depascentia, crassiorem simulque pauciorem efficiunt. Et si natura quoq; fuerint calidā, iusto etiā calidiorē: sin frigida, frigidiorem. Debet n. esse modice calidus, ac neutiquam crassus, vt ex eo lac generetur. Proinde quæ mediocriter excalfaciunt, nullamq; insignem adiunctā obtinēt siccitatem, lactis ꝓcreatricem facultatem habent. Inter quæ sane, præter ea quæ paulo ante dicta sunt, est *sesamum in vino decoctum.* Item *butyrum recens pondere vnius vnciæ cum vino potum.* Præterea *amygdalæ dulces, pistacia, nuclei pinearum triti, & cum butyro comesti.* Laudatur etiam ferculum hoc in primis, quod accipit: *Orizam decies ablutam, exsiccatam subinde, & in puluerem redactam; coctamque in lacte optimo iuxta ignitos carbones.* Inter coquendum autem sacchari candidissimi quod satis est adiicitur, formaturque pulmentum. Fit præstantius, vbi adduntur *amygdalæ dulces, pistacia, nuces pineæ, farina hordei, cicer, & eiusmodi.* Annitendum tamen erit, vt etiam cum leni thoracis frictione, aliisque medicamentis calidis & tractoria facultate præditis, ad mammas lac alliciatur.

Caussæ. Signa. Curatio siccæ intemperiei. Sanguinis paucioris. Sanguinis deterioris. Ferculum.

De lactis redundantia. Cap. XVI.

Contingit interdum, vt ob lactis redundantiam mammillæ tumefactæ repleantur, atq; eousq; extendantur, vt copiam eius vix ferre queant. Quod sane vitiū Græci σπαργᾶν vocant. Fit a caussa plane cōtraria, nimirū boni sanguinis copia. Visu & tactu deprehenditur vitium. Huic quidē statim succurendum, quod alias metuendū sit, ne mammæ phlegmone corripiantur. Inter initia itaq; vena secanda poplitis, potissimum si menses detineantur, aut media quæ in gibbero est. Vbi sc. in toto corpore sanguis abundat. Deinde vtendū iis, quæ leuiter reprimunt, ne sc. ad pulmonē impetu quodam trudatur sanguis. In hunc quidem vsum proderit, spongiam mollem posca tepida imbutam, madefactamq; & expressam imponere, & mammis fasciis circumligare. Vel palmulæ cum pane & posca tritæ adhibendæ. Vel ouum totum cū rosaceo

σπαργᾶν. Caussa. Signa. Curatio.

imponendum. Conuenit etiam apponere emplastrum ex *oleo rosaceo, santalis, coriandro, psyllio, portulaca, farina fabacea, lentium, plantaginis succo & aceto in hunc modum compositum.* A

Emplastrũ. *Farinæ fabarum, lentium, vtriusque vnciam vnam. Seminis portulacæ, drachmam vnam. Seminum lini & altheæ, vtriusque drach. duas & dimidiam. Plantaginis, manipul. vnum. Seminis coriandri drach. duas. Bulliant omnia in aqua, donec ad mellis crassitudinem redeant, postea adiectis olei rosacei, vnciam vnam & dimidiam. Succi plantaginis, vnciam vnam. Aceti, vnc. dimidiam. Denuo ebulliant, & additis duobus oui vitellis fiat emplastrum.* Aut fingatur ceratum quod partim adstringit, partim discutit, hoc quidem modo: *Accipe oleorum rosacei & myrtini, vtriusque vnc. vnam & dimidiam. Farinæ fabaceæ, lentium, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Mentæ, rutæ, vtriusque drach. vn. Plantaginis, drach. vnam & dimid. Seminis coriandri, dra. dim.* Cum cera & resina laricea quod satis est, formetur ceratum, mammis adhibendum. B

Ceratum.

Erysimon etiam, quod *verbenam* falso hodie vulgus herbariorum vocat, mirifice prodest, cum aqua & melle illitum. *Ricini* insuper *folia trita, & apium virens* illitum, non exiguam commoditatem ostendunt. Pyrites deniq; lapis tritus cum rosaceo & aceto impositus, mirificam vim in lactis reduntantia declarat. Porro vniuersa victus ratio talis sit, vt ex ea paucus procreetur sanguis. Quare inedia huic vitio præ ceteris mirifice confert. Exiguus quoq; potus tribuendus, aqua videl. & nequaquam vinum. Frictiones, vincula, & infernarum partium exercitia præcipienda sunt.

Victus.

De lacte in grumos conuerso. Cap. XVII.

θρόμβωσις. GRVMESCIT lac, & in casei formã transit nõnunquam, & hoc vitiũ Græci θρόμβωσιν, quasi dicas latine *grumescentiam*, nominant. Diserte autem dixi in casei formam transit, & non casei modo coagulatur. Siquidem coagulatio fit, vbi tenue tantum a crasso separatur, id quod calore valido fieri solet. Nam lac in mammillis in casei formã transit, & grumescit, sed nõ coagulatur. Tenue n. tũ a calido discutitur, & rem. nec crassum. Fit ob lactis abundantiã, quũ nimirum diutius in mãmis coaceruatum detinetur, nec exsugitur. Ab intemperie etiã calidã, dum sc. a nimio calore, id quod in lacte tenuium erat partium, digeritur ac discutitur, quod vero reliquum est concrescit, & in grumos abit. Itẽ etiam a frigiditate accidere solet, quæ vt alia liquida contrahere, ita quoq; lac ipsum vt concrescat, efficere potest. Interdum etiã lac ipsum suapte natura satis crassum & lentum est, ob id facile in grumos vertitur ac concrescit. C

Caussæ.

Signa. Notis nullis ad vitium dignoscendum opus est. Ex tactu nanq; atq; adeo ægri sermonibus & relatione, statim agnoscitur. D

Victus. Victus ratio in hoc vitio ꝓ caussarum diuersitate variatur. In calida n. intemperie mammarum, ad frigidum: in frigida contra, ad calidum declinet. Si propter crassitiem lactis euenerit vitium hoc, extenuanti omnino victus ratione vtendum erit.

Curatio. Quod ad curationem ipsam spectat, si lactis fuerit redundantia, nec adhuc in mammis grumescat, ab adultis, in hocq; peritis mulierib. lensim leniterq; exsugendum erit. Mammæ autem extrinsecus *apii virentis, menta, & fænogræci succo illinatur, aliaq; quæ supra in cap. De redundantia lactis dicta sunt, admoueantur.* Item *furfures in aceto cocti, cum ruta decocto, mammis imponendi. Folia quoque solani cum brassica foliis, si contundantur, pauca myrrha adiecta, & croco, cum exiguo aceto. Leporis vero coagulum ex aqua tritum stillinatur, ad omnes mammarum tumores, & præsertim e vitiosa earundem lactis copia euenientes, conducit. Lentes insuper in muria elixatæ mirifice conferunt, si decocto quidem mammæ colluantur, lentes vero contusæ illinantur. Althea denique & fænogræci decoctum, non parum commoditatis adfert.* Si quidem nimia mammarum caliditas vt lac grumescat in caussa fuerit, tunc *portulacæ succus, & solani hortensis, illinendus erit. Item rosaceum cum aceto adhibendum. Alsine quoque, quam vulgus herbariorum morsum gallinæ appellat, illita miram efficaciam ostendit. Benefacit etiam cimolia terra ex aceto, aut aqua & oleo rosaceo illita. Præterea lentes in aceto elixatæ, & (vt paulo ante dictum est) adhibitæ.* In frigida intemperie mammarum, decocto *chamameli, fæniculi, anethi seminis lini & fænogræci vtendum, eoque fouendæ mammæ. Oleis quoque chamæmelino, anethino, liliaceo, & similibus inungendæ.* Cauendum tamen, ne papillam contingant. *Fel bubulum illitum* confert. *Medulla panis cum aceto illita prodest.* Sed licebit adiicere *mentam aut apium*, & fit medicamentum validius. Præter cetera vero hoc potissimum valet: quod habet: *Mellis, vnc. dimid. Styracis calamitis, drach. tres. Fellis bubuli, drachmas duas. Olei chamæmelini, vnc. vnam. Myrrhæ, thuris, vtriusque vnc. duas & dimidiam.* Misceantur singula, & redigantur E F

Emplastrũ.

A in formam emplastri, quod mammis imponatur. At vbi lac iam in grumos cõuersum fuerit, victus ratione extenuante vtendum erit, & ad calidum inclinante, nisi a calore discutiente hoc vitium creatum sit. Extrinsecus *lentes in muria decocta, adiecto modico cumino, & croco apponendæ.* Item *parietaria herba viridis contusa* confert; *Decoctum fœnograeci, altheæ, apii, & betæ folia. Farina deniq; fabarum, & id genus aliorum.* Lactis in grumos cõuersi curatio.

De phlegmone mammarum. Cap. XVIII.

Accidit interim, instar aliarum phlegmonum, ꝑpter sanguinis copiosi & calidi ad mammas defluxum. Interim etiam ob lac casei modo concretum & coactum, ac subinde ad suppurationem tendens. Facile iam dictæ caussæ discernuntur, quod sc. prior phlegmone iis quæ neq; grauidæ, neq; puerperæ sunt, accidat: altera vero, iã cõ- Caussæ. Signa. Curatio.
B memoratis duntaxat. In curandi ratione quæ negligenter administranda minime est; quum n. laxa, & adenosa glandulosave mammarum substantia sit, facileq; fluctionib. pateat, & frigidior natura, in scirrosum affectum, & demũ in cancrum prompte venit: obseruandum erit, vt in prima phlegmone cõfestim sanguis mittatur ex interna gibberi vena, vel media eiusdẽ lateris, nisi mensium subesset retentio: tunc n. consultius est, poplitis aut malleoli venam incidere. Post hæc ad reprimentia veniendum medicamenta, quæ non oportet esse valida, ne ad interiores corporis partes nobiles humorum impetus trudatur: aut aliqua quæ discutere possunt, iis miscenda. Quare ad eum maxime vsum conuenit rosaceũ cum succo aut stillaticio liquore solani, aceto, & decocto chamæmeli, vt sc. in iis lintei madefacti & intincti, mammis imponantur. Valet Adstringẽtia.
C etiam emplastrũ ex farina hordeacea, semine lini, santalis, bolo armenio, adipe porcino, & rosaceo cõpositum. Quod si medicus nõ admodum conferre medicamenta reprimentia animaduerterit, ad ea quæ discutiunt statim illi est progrediendum. Quapropter hoc emplastrum est adhibendum, quod accipit: *Farinæ fabaceæ, fœnograeci, seminis lini, singul. vnc. dimidiam. Florum meliloti, & chamæmeli, vtriusque drach. duas & dimidiam. Medullæ panis triticei, vnc. dimidiam. Myrrhæ.* Ebulliant in aqua iustæ quantitatis, dum in mellis crassitudinem coeant, postea adiectis oleorum *chamæmelini, & anethini, vtriusque vnc. vnam & dimidiam.* Bulliant iterum, & addantur *vitelli ouorum tres numero, croci drach. I. fingaturque emplastrum.* In hunc vsum lini semen, vel fœnogræcum in oxymelite decoctum illini potest, & alia eiusmodi quibus discutiendi facultas inest, de quibus antea Discutiẽtia Emplastrũ.
D sæpe dictum est. Quod si vero discutiendi spes omnis sublata fuerit, maturatione & suppuratione auxiliabimur, quæ perficitur hoc cataplasmate, quod accipit: *Maluæ, altheæ, foliorum violæ nigræ, chamæmeli, sing. manip. vnum & dimidium. Radicis altheæ drach. vnã. Bulliant in aqua, donec mollescant; dein contundantur, & informetur cataplasma.* Aut fingatur emplastrum ex *semine lini & fœnograeci, caricis, radice altheæ, & liliorum candidorum*, adiectis *oleis chamæmelino & liliaceo, adipibus porcina, gallinacea, & similibus.* Suppuratione facta, ad ruptionem sectionemve mammæ veniendum. Hæc autem ferro, aut medicamentis perficitur. Medicamenta vero, quæ suppuratos in mammis humores emanare faciunt, sunt, fimus columbinus, fermentum cum puluere cantharidum, calx viua cum fimo anserino. Si ferro vti magis placuerit, locus prope papillam lunari sectio- Cataplasma Emplastrũ.
E ne accuratissime incidendus erit, vt in eisione abscessus quidem profunditas denudetur, sed papilla conseruetur. Curatio reliqua talis sit, qualis aliorum vlcerum. Porro si propter lac coactum phlegmone accidit, tunc per initia vtendum est spongia molli tepida posca imbuta, & expressa loco illigata. Item palmulæ cum pane ac posca tritæ imponendæ. Medulla quoq; panis, additis myrrha, croco, menta, & aliis quæ *in cap. De reduntantia lactis* commemorata sunt, imponenda. His peractis, si phlegmone perseuerauerit, ad alia remedia, quæ paulo supra commemorauimus progrediendum.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS SINGVLARVM PARTIVM CORPORIS HVMANI A SVMMO CAPITE ad imos vsq; pedes malis, Lib. III.

F

De imbecillitate ventriculi. Cap. I.

Ventriculi imbecillitas interdum ex intemperie qualitatum effectricium citra humoris confluxum oboritur. Nam (*vt testatur Galenus libro tertio, De sympt. caussis, c. 1.*) Omnis vehemens intemperies vires deiicit. Fit etiã ex Caussæ.

humore in ipso sinu & amplo ventriculi spacio contento, qui aut calefaciendi, aut refrigerandi, aut humectandi, aut siccandi, aut etiam horum aliqua per coniugationẽ efficiendi naturam obtinet: interim vero & in ipsas ventriculi tunicas immerso & infarto, *vt copiosius li. 7. Th. meth. c. 11. Galen. monstrat.* Nudam qualitatem calidam testantur, sitis vehemens, cibi fastidium, nidorosiq; ructus. Frigidam contraria indicant, modica nimirum sitis, immodica appetentia, acidiq; ructus. Quid multa? si calida vel frigida intemperie ventriculus afficitur, assumtos cibos ad intẽperiei naturam permutat, vt appareant cibi citra alicuius humoris complexum in nidorem aut acorem permutationem accepisse. Praeterea frigidis medicamentis, cibisq; & potibus statim adiutum hominem videbis, si calida intemperies exstiterit. Si vero frigida, calidis cibis & medicamentis iuuabitur, a frigidis vero laedetur. In humida nulla, vel exigua saltem sitis aegrũ affligit, saliuae copia adest, & cibis gaudet humidiorib. In sicca, linguae siccitas, corporis extenuatio, saliuae paucitas, sitisq; vehementissima. Porro copiam humorum vitiosorum nausea, vomitus, grauitas ventriculi, & ructus potissimum a cibo ostendunt. Quod si flaua bilis redundat, oris amaritudo, bilis vomitus, sitis, ructus nidorosi, & vẽtriculi morsus aderunt. Sin pituita, nulla prorsus ventriculi erosio excitabitur, nisi salsa fuerit: acidi ructus, nulla sitis, tensioq; ventriculi adsunt. Si vero atra bilis abundet, tristitia metusq;, ructus & excreationes foetidae, piscesq; olentes, somnus cum accessione imaginationum alienarum, contractioq; & dolor poplitum & surarum. Intemperies omnis per contraria corrigitur atq; emendatur. Calidam itaq; refrigerare oportet, frigidam vero calefacere: siccam humectare, humidã siccare. Similiter vero etiam cõpositas intemperaturas aut calefacere & siccare, aut humectare & calefacere, aut refrigerare & humectare, aut siccare & refrigerare oportet. Calida igitur intemperie affecti, refrigerante victu curantur, praecipue vero si ex aceto frigida assumantur. Panis itaq; posca sit imbutus. In carnium genere pullis gallinaceis, perdicib. vitulinis carnibus, cum aceto aut omphacio decoctis, vtendum. Inter olera lactuca & portulaca maxime conducunt. Poma item, & pyra acida. Bibenda aqua frigida, si assueuit aeger: sin minus, decoctum cinnamomi, aut vinum tenue & aquosum propinandum. Extrinsecus ea quae mediocriter adstringunt & refrigerant medicamenta, imponenda. Frigida intemperie ventriculi laborantes, contrariis medicari oportet, anisi, rutae, petroselinique decocto. Cibi quibus vtuntur, odoramentis, nempe cinnamomo, calamo odorato, garyophillis, pipere, & similib. condiantur. Danda quoq; antidotus *diatrion pipeon* nominata, *diacalaminthes, & theriaca:* forinsecus ea, quae calefacere possunt vnguenta inungenda. In potu vsus sit vini veteris, & subadstringentis. Humidae intemperiei auxiliantur cibi, qui citra valentem calefactionem refrigerationemve siccant. Insuper consuetae potionis parcitas. Vtendum igitur victu tenuiore & resiccante: Vino meraciori, exercitiis, & cibi quoad fieri potest, abstinentia. Sicca, instar hecticae, *de qua in li. 4. dicemus,* curabitur. Copiosissimẽ vero Galenus eius, vt etiã reliquarum intẽperantiarũ ventriculi, curationem prosequitur, *li. 7. Ther. meth.* vnde ea, quae hic desiderantur petenda erunt. Ceterum si humor aliquis calefaciendi vel refrigerandi vim obtinens, ventriculi imbecillitatem effecerit, diligenter considerandum erit, an is humor in sinu seu amplitudine ventriculi innatet, an eiusdem tunicis impactus sit. Si in sinu continetur, ac biliosus fuerit, per vomitum statim expurgãdus erit. Facilem vero vomitũ reddit aqua calida, vel mulsa dilutissima bibita. Satius erit, vt ante haec humectantia exhibeas: veluti est ptisanae cremor, aut oui lutea. Sin in ventriculi tunicas est receptus humor biliosus, hiera picra aluus purgabitur, qua quidem (*Galeno loco antea citato teste*) nullum aliud medicamentum ad vitiosos humores qui in ventriculi tunicis detinentur, praestantius inueniri potest. Humore vacuato, victu vtantur eodem, quo eos qui calida eiusdem intemperie correpti sunt vti debere, paulo ante diximus. Intra corpus assumenda sacchara, quib. refrigerandi & humectandi inest facultas, item antidota iisdem viribus praedita. Extrinsecus ventriculo adhibeantur refrigerantia, & mediocriter adstringentia, vt est *oleum rosaceum, cotoneorum, adiectis santalis, balaustiis, coralliis, & rosis.* Infrigidantium tamen mediocris semper sit vsus, pro intemperiei contrarietate. Nam immodicus horum vsus, non modo non iuuat, sed etiam saepe insanabilem morbum efficit: quod scilicet ad concoctionem calore summo opus sit,

Margin notes: Signa. — Curatio. — Calidae intemperiei curatio. — Frigidę intemperiei. — Humidę. — Siccae. — Curatio imbecillitatis ventriculi ab humore Bilioso. — Hiera picra.

Section letters (right margin): A, B, C, D, E, F

A sit. Si vero pituitosi, atque adeo crassi & lenti humores amplitudini ventriculi innatent, oxymelite vtendum est: in quo ex medicamentis, quibus incidendi & extenuandi facultas quædam inest, sint decocta (verbi gratia) *hyssopus, iridis radix, origanum, satureia, & marrubium.* Sin tunicis ventriculi immersi fuerint; tum primum exhibenda quæ lentam & crassam pituitam dissecent, postea vero purgandum. Qualia autem medicamenta sint quæ iam dictam pituitam purgent; capite decimotertio primi libri diximus. Est vero & ipsa hiera picra ad crassorum humorum purgationem non inutilis. Victus quoque ratione extenuante tum vtendum erit. Antidotis item calefacientibus *diatrion pipereon diagalanges diacinnamomi diambar, zingibere condito, diacori, & similibus.* Extrinsecus ventriculo adhibenda sunt olea calefacientia, quale est *nar-*
B *dinum, e menta, absinthite, masticbinum; & alia consimili facultate prædita.* In hunc vsum etiam commendantur cerata, quæ vulgus medicorum hodie scuta stomachalia nominat, quale est hoc quod accipit: *Cinnamomi selecti, garyophillorum, piperis longi, singul. drach. vnam. Gallia moschatæ, maceris, vtriusque drach. dimid. Calami odorati, thuris, vtriusque drach. i. & dimidiam. Ligni aloes, scrup. vnum. Mentæ satiuæ, drach. duas. Mastiches, ladani vtriusque dra. duas & dimidiam. Oleorum mastichini & nardini, vtriusque vnciam dimidiam.* Cum cera & resina terebinthina, quod satis est, informetur ceratum, ventriculo imponendum & obducatur serico purpureo. Aut vtendum hoc medicamento, quod habet: *Mastiches in puluerem redactæ, vnc. i. & dimid.* Quæ subinde spargitur in corio sicuti formam obtinente, & affunditur ei oleum nardinum. Postea igni quoad liquescat singula, adhibē-
C tur, & inspergitur iis *cinnamomi selecti, nucis moschatæ garyophyllorum in puluerem redactorū, singul. drachma vna,* & ventriculo admouentur. Quid multa? Hæc & alia ventriculum roborantia & calefacientia sunt adhibenda: verbi gratia, *menta, absinthium, thus, mastiche, cinnamomum, acorus verus aut pro eo quam (galangam maiorem hodie vocant) zingiber, macer, lignum aloes, calamus odoratus; & id genus alia libro primo, quem De compositione medicamētorum scripsimus, commemorata.* E quibus omnibus varia remediorum genera, pro cuiusque arbitrio componi possunt.

Pituitoso.

Victus.

Scutum stomachi.

Corroborātia & calefacientia ventriculum.

De nausea & vomitu. CAP. II.

NAVSEA, quæ facultatis expultricis ventriculi deprauatus motus est; quo ventriculus ipse ea, quæ eius corpus contristant, quam citissime per gulam vacuare ap-
D petit. Ex vitioso humore, tum calido, tum frigido, in ventriculo contento gignitur: qui aut in concauitate ipsius innatat, aut in tunicis eius infartus, instar visci; adhæret, atq; ægre auelli potest: aut serosior exsistens, in ipsis ventriculi tunicis, velut aqua in spongia, immergitur. Atq; eiusmodi humores ex ventriculi intēperie tum calida, tū frigida nonnunquam nascuntur. Nonnunquam autem ex toto corpore, aut aliis partib. prius male affectis in ipsum ventriculum, veluti illarum excremēta, confluunt: vtpote ex iocinere, aut liene, aut capite, aut ex vniuerso corpore se expurgante. Si ex intemperie nascuntur, facile idipsum ex notis *capite præcedenti* cōmemoratis, deprehendes. Vtrum vero is humor in cauitate ventriculi innatet, aut tunicis eius infartus sit, i-
E ta cognosces. Humorē vitiosum innatantē in ventriculo, ac nauseā excitantem, magna ex parte vomitio sequitur, atq; is ipse cibos corrumpens manifeste eiusmodi humore imbuit, & in suam naturam permutat. Si vero ventriculi tunicis humor tenax immersus sit, nauseam quidem efficit, sed tamen talē, quam inanes vomendi irritationes comitētur, quæ lancinant tantum, & nullum humorem educunt. Sin serosus fuerit, nō solum ante cibum, sed & post sumtum cibum vomitum inducit, idq; si in vētriculi amplitudine innatet. Qui n. superficiei ventriculi infarti adhærent, ante cibum magis inanes vomitiones mouent. Quando vero aliæ partes, e quibus in ventriculum excrementa defluunt, prius male afficiuntur, ipse æger primum laborantis partis læsionem sentit, aut enim caloris sensus iuxta laborantem partem ipsi accidit, aut frigoris, aut grauitatis, aut etiam tactui nostro dura succumbit. Si vero vniuersum corpus
F vitiosis humorib. plenum fuerit, idipsum ex colore, & pustularum eruptionibus circa cutem cognoscitur, atq; ex ipsa adeo vrina. In curandi ratione diligenter considerandum erit, num ventriculi tantum pathos sit, aut totius corporis, aut alicuius alterius partis. Si quidem ex alia quadam parte, aut ex vniuerso corpore humores in ventriculum cōfluant, priorem curā totius corporis, aut partis prius male affectæ habere opor-

Caussa.

Signa.

Curatio.

tet: ita tamen vt neque ventriculum ipsum negligamus. Nisi enim vniuersum corpus humoribus vitiosis prius probe expurgetur, nihil egerit quisquis humorē qui se in locum aliquem receperit, expugnare conabitur. Sic quoque is qui primum laborantem particulam curat, velut fontem omnium in ventriculum influxionum excindit. Qua vero ratione partes quæ excrementa ventriculo demittunt, sint curandæ, ex propriis de iis capitibus perdiscendum erit. Ceterum si in ventriculo nati fuerint humores, concitantes nauseam, considerandum num tenues, biliosi & serosi sint, & in ventriculi sinu contineantur: tum enim tenuissimus ptisanæ succus dandus, aut aqua tepida, & ad vomitum cogendus æger digitis, aut pennis in os immissis. Si autem intrinsecus circa superficiem ventriculi infarti fuerint, *drachma vna aloes* in aqua diluta potui exhibenda. Siquidem calidorum, qui in ventriculo sunt humorum aloe optimum est medicamentum, ita vt sæpenumero ventriculo male habentes vna die sanauerit. Vtile quoque est, si mulsa in qua absinthium incoctum sit, bibatur. Post humores vacuatos, aliaq; medicamenta bilis acrimoniam obtundentia seu temperantia adhibita, quæ præcedenti capite sunt cōmemorata, calida ventriculi intēperies (*vt eodem in loco docuimus*) curanda erit. Si autem pituitosi, aut viscosi, & crassi humores sint, qui amplitudini ventriculi innatent, curandi sunt, ad eum modum, qui in præcedenti capite est a nobis expositus. Deinde frigida ventriculi amouenda intēperies. Quod ad vomitum quidem attinet, initio sciendum eum non esse reprimendum, a quo æger melius sese habet, iuxta hoc Hippocratis dictū: *In vomitibus spontaneis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt: Sin minus, contra.* Non erit itaq; reprimendus qui decretorius fuerit, aut vbi ex vniuerso corpore in ventriculum confluunt humores, aut vbi in ipso ventriculo ꝓpter intemperies nascuntur. Quare tunc potius is expultricis facultatis motus adiuuandus erit, in calido quidem pathemate aqua calida cum oleo violaceo pota: in frigida vero, oxymelite ꝓpinato, & aliis quæ antea sunt a nobis cōmemorata. Quod si vero immodicus fuerit vomitus, atq; ægri plane vires iam deiicere cœperit, tum suppressioni eius studendum erit. Quare principio decubitus sursum vergens adornetur, in conuenienti & vitio contraria domo: quæ frigida quidem sit, vitio existente calido: contra vero calida, vbi frigidum vitium exsistat. Extremæ corporis partes fricentur, manibusq; calfactis palpentur, quin & violentius vinculis stringātur. Deinde pedes & manus in aquā solito calidiorē demittantur. Odoramēta vero narib. admoueantur olfacienda, boni odoris: velut *rosæ, mala cotonea, pulegium, menta, fœniculum, spicanardi.* Ventriculus extrinsecus oleis absinthite & rosaceo illinatur. Cataplasmata e *palmulis, malis cotoneis absinthio, item cerata ex iis & similibus, nempe mēta, lolii farina, mastiche, thure parata, & ventriculo imposita prosunt.* Palmulas autem in vino veteri maceratas optime conterere oportet, deinde mastichen & thus vnumquodq; per se optime tritum adiicere, & rursus simul terere. In hunc locum etiā reuocanda remedia, quæ partim in capite *De cholera*, partim etiā *De dysenteria* dicemus. Porro malo diutius permanente, & cibis non retentis, cucurbita ad os ventriculi cum plurima flāma affigenda, donec locus rubefiat, atq; ipsa adhuc affixa cibus præbeatur. Ceterum de vomitu sanguinis hic peculiariter nihil dicemus, quod ex curatione sputi sanguinis & dignotione caussarum ex aliis capitibus facile curare poterit.

Aloe.

De vomitu. 2. Aph. 2.

Immodici vomitus curatio.

De siti immensa. Cap. III.

Sitis, *Galeno lib. 1. De simpl. med. facul. cap. 30. teste*, duplici ratione prouenire solet: partim humoris inopia, partim caloris copia. Calefit autem ventriculus multis & variis modis, propter sc. calidam intemperiem nudæ qualitatis, simplicem vel compositam: aut calidos & biliosos humores in eo natos, aut ad eum confluentes. Item ob vini veteris & copiosi potum. Exsiccatur vero propter siccā quæ in eo est intemperiem, aut humores salsos, aut salsæ aquæ potum: item nonnunquam ob consensum totius corporis, vt in ardentibus & hecticis febribus accidere solet. Caussarum diuersitas facile ex ægri sermonibus, & iis notis quas in duobus capitibus præcedentibus narrauimus, cognoscitur. Porro caussa cognita, vnicuique peculiaris curandi ratio est adhibenda. Quare siti ex calore prouenienti, refrigerantibus est subueniendum. Conuenit itaque tum frigidi aeris attractio, & aquæ, aut vini aquosi potio. Item cucumeris semen cōmanducatū. Decorticatum vero & tritū, ex aqua potatū, siti ex calore vētriculi orto valde

Caussa.

Signa.

Curatio. E calore prouenietis

A valde auxiliatur. Eodem modo prodest *lactucæ semen manducatum & potum*: item *semen portulacæ*. Optimum ad sitim tollendum est hoc, quod habet: *Cucumeris satiui seminis decorticati, vnc. vnam. Tragacanthæ, vnc. dimidiam.* Tragacantham contundito & cribrato; semen vero conterito, eisque ouorum crudorum recentium candida adiicito, & simul omnibus contritis catapotia informato, ac in vmbra exsiccato. Ex his deinde vnum detinendum præbeto, vt paulatim dissolutum deglutiatur. Quibus autem longo iam tempore ventriculus æstuat, eis succurrit radicis dulcis succus potus, atque ipsa etiam radix ex *aqua, & portulacæ succus*. Ceterum qui siti premuntur ex calore & siccitate, vt accidit in ardentibus febribus, & peraridis omnibus, & in iis qui æstate, ac in graui æstu laborant, iis optime medetur, Galeno loco iam ostenso, oxycratum, vt B quod ex aceto & aqua compositum sit. Acetum autem strenue refrigerat, & quouis expedite permeat: aqua vero, supra quam quod refrigerat, omnium quoque est vel humidissima. Nihil enim (*vt loco antea citato testatur Galenus*) aqua est humidius. Sitim etiam, quæ in febribus oboritur, lenire solet capitis irrigatio ex frigidissimo oleo, aut rosaceo, ex alto nimirum syncipite irrorato. Siccitatis quoque optimum remedium est somnus. Quare recte ab Hippocrate 5. *Aph.* 27. dictum est: *Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus si superdormierint, bonum.* Proderit etiam in ore retinere *cerasa sicca in aqua frigida macerata*. Radix item glycirrhizæ recens e terra euulsa & commanducata sitim sedat. Vbi autem caliditas & humiditas coeant, vt accidit in ea aquæ intercutem specie, in qua in ventre salsi humoris copia congeritur, aut in iis quibus C salsa pituita ventriculus refertus est, tum acetum optimum est remedium. Conducit etiam iis absorbere malorum cotoneorum cremorem, aut pyrorum, aut omphacii succum cum aqua. Si autem biliosi aut salsi humores in ventriculo innatantes, aut eidem immersi & infracti sitim excitauerint, tum exhibenda erunt medicamenta, quæ eosdem vacuare possunt humores. Deinde vero adstringentibus & roborantibus ventriculum vtendum est: quorum omnium exempla e superioribus petenda. His qui ob multi vini veteris potum sitiunt, frigida aqua potata succurrit, & alia quæ *lib. 1. cap. 14.* sunt commemorata.

Catapotia sub lingua detinenda.

Ex calore & siccitate.

Oxycratũ.

Sitis a febribus.

Si a salsis vel biliosis humoribus.

De dolore stomachi. Cap. IIII.

DOLOREM stomachi Græci καρδιακὴν & καρδιαλγίαν nominant. Siquidem prisci os D ventriculi, *vt testatur Galenus 4. Aph. comment. 17. & lib. 5. De affectis locis, cap. 5. & multis aliis in locis*, καρδίαν, hoc est *cor* nominarunt. Hinc est quod hoc vitium Hippocrati etiam καρδιωγμὸς, id est, *cordis morsus* dicatur. Fit hoc vitium, vbi in stomacho praui, biliosi, & morsu vellicantes humores detinentur. Vnde accidit, vt propter intolerabilem mordacitatem syncopen inferant, quam stomachicam appellamus. Malum ex assidua in ore ventriculi punctura & vellicatione statim innotescit. In hoc vitio cibi refrigerantes, & qui robur stomacho afferre possunt, offerendi sunt. In quo censu habentur lactucæ, & portulacæ cum aceto acceptæ: item mala punica, & citrea vocata, pyra, vuæ acerbæ, & eiusmodi. Panis etiam, aqua egelida maceratus, conuenit. Reliqui quoque cibi tales sint, vt facile concoquantur, & tamen corruptio- E ni non sint obnoxii. Eius quidem generis sunt pulli gallinacei, perdices, aues montanæ, & similia cum omphacio cocta. Item pisces saxatiles cum aceto, limonibus, & acido citrii mali succo cocti. Bibant ægri aquam in qua parum cinnamomi sit decoctum, aut vinum aquosum tenue. Quantum ad curandi rationem attinet, initio vomitus est per remedia, quæ antea dicta sunt, eliciendus. Dein quoque per interna purgare oportet, hiera picra assumpta. Quod si vero syncopen accersat, eo modo quo in capite de syncope diximus æger curandus erit. Quibus peractis, remediis ventriculum roborantibus vtendum, tam extra quam intra corpus. De quibus non est necesse sermonem prolongare, quod de eis supra *capite huius libri secundo, & aliis locis satis copiose dictum sit*. Quare ad alia ventriculi vitia progrediamur, atque quo pacto F ea sint curanda, ostendamus.

Καρδιακὴ. Καρδιαλγία.

Καρδιωγμός.

Caussæ.

Syncope stomachica.

Signa.

Victus.

Curatio.

De phlegmone ventriculi. Cap. V.

PHLEGMONE ventriculi haud secus atque aliarum partium corporis fit a confluxu sanguinis copiosi & calidi. Hanc autem testantur dolor immensus, assiduus, & qui

Caussæ.

Indicia.

Victus. nullis medicamentis admotis mitigari potest. Præterea tumor, æstus qui tactu diiudicari queat, febris, grauitas & nausea. Victum perinde atque in aliis phlegmonibus, A tenuem & exquisitum esse conuenit. Quod etiam monet Galen. *lib. 13. Ther. methodi capite eiusdem numeri*, quod scilicet eius munus toti animali commune sit. Vtendum itaque ptisanæ cremore: abstinendum vero a carnibus, vino, & aliis cibis calidis. Bibat æger aquam in qua decoctum sit parum cinnamomi, aut succum malorum granatorum acidorum, aut aliorum fructuum frigidorum & adstringentium. Parum dormiat, siquidem in somno sanguis intro repit, adeoque phlegmone augetur: & non multum admodum loquatur. Fugiat quoad fieri potest tristitiam, versetúrque in aëre mediocriter frigido.

Curatio. Curandi ratio a sanguinis missione auspicanda, modo corporis vniuersi plenitudo, ac virium robur adsint. Incidenda vero gibberi vena interna, & pro virium robore sanguis detrahendus. B Vtendum quoque frictionibus extremarum partium, ligaturis, & aliis sanguinis accursum ad ventriculum auertentibus.

Reprimentia & adstringentia. Post hæc quæ reprimunt & adstringunt, foris vbi dolor & tumor maxime apparent, sunt imponenda. Ventriculus enim, potissimum vero os eius, eorum quæ adstringunt complexu semper quidem indiget, multo maxime vero vbi fuerit phlegmone correptus. Quare qui solis relaxantibus præsidiis, citra eorum, qui corroborant admixtionem, curationem tentant, periculum vitæ inferunt. Oportet itaque siue oleum sit, quo phlegmone laborantes partes fouentur, siue cataplasma ipsis imponatur, semper aliquid ex adstringentibus admiscere. Quapropter in hunc vsum maxime conuenit oleum in quo absynthium, aut malum cotoneum decoctum sit, C admixta simul mastiche, adhibere. Item succum cotoneorum, aut pyrorum, adiectis rosis purpureis, hordei farina, santalis, bolo armenia, & similibus.

Ceratum. Licebit etiam vti hoc cerato, quod habet: *farinæ hordei, vnc. dimidiam. Santalorum alborum & purpureorum, rosarum purpurearum sing. drach. duas. Boli armenii, drachmam vnam & dimidiam. Aloes, mastiches, vtriusque drachmam vnam. Absinthii, nucis moschatæ, balaustiorum, sing. drachmam dimidiam. Oleorum mastichini, rosacei, vtrorumque vnc. vnam & dimidiam.* Cum cera & resina terebinthina quod satis est, informetur ceratum ventriculo imponendum. Quod si maiori adstrictione opus erit, id quod tum fit, quando tanta fuerit stomachi imbecillitas, vt ne cibum quidem retinere possit, recte prædictis miscetur *omphacium, aut absinthii succus, aut hypocisthis, & rhu obsoniorum.* Hæc autem omnia, si vehemens sit D phlegmone, actu frigida sunt admouenda. Quod si aluus nihil deiiciat, clysteribus lenibus irritanda erit. Neque temere facit, qui æstus vehementia paululum remissa, *cassiæ fistularis, vnc. dimidiam, Intibi satiui stillatitio liquore dilutam exhibet.* Hoc etiam tempore adstringentibus medicamentis, quæ extrinsecus imponuntur, nonnulla quibus discutiendi facultas inest, permiscenda erunt: vt est *farina fœnograeci, flores chamæmeli, altheæ, & lini semina.* Nunquam autem, *vt antea quoque monuimus*, etiam ne tunc quidem quum nihil amplius affluit, & repelli quod in laborante particula continetur, non potest, solis relaxantibus & discutientibus vtendum: sed semper adstringentia quæ robur ventriculi conseruare valent, admiscenda, *vt diligenter etiam Galenus lib. 13. Ther.*

Emplastrū. *meth. cap. 10. monuit.* Quare hoc tempore illius emplastri vsus conueniens erit, quod accipit: *Farinæ seminis lini, fœnograeci, vtriusque vnc. dimidiam. Seminis anethi, drach. duas. Florum* E *chamæmeli, meliloti, vtriusque vnc. dimidiam. Absinthii, balaustiorum, rosarum purpurearum, vtriusque drachmas duas. Hypocistidis, scrupul. duos. Oleorum chamæmelini, liliacei, rosacei, mastichini singul. vnc. dimidiam. Axungiæ gallinæ, anserinæ, vtriusque drach. duas. Commixtis omnibus, reducantur in formam emplastri.* Antequam tamen apponatur, non ab re erit, si hoc

Vnguentū. vnguento ventriculus inungatur, quod habet: *Oleorum chamæmelini, anethini, cotoneorum singul. drach. tres. Pulueris radicis altheæ, absinthii, seminis lini, singul. scrupulum vnum.* Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.

De cibi fastidio. CAP. VI.

Ἀνορεξία. Appetentiæ amissio. CIBI fastidium diximus vitium, quod Græci ἀνορεξίαν, Latini vero *inappetentiam*, F aut rectius *appetentiæ amissionem* vocant. Idem autẽ vitium *sect. 4. aph. 17.* ἀσιτία, & ἀποσιτίαν nuncupatur. Accidit aut ob sensus exsuctionis venarum, qui sane naturalis fames, *Galeno lib. 1. de Sympt. caussis cap. 7. teste*, exsistit, amissionem: aut quod exsuctio nõ fiat, aut quod corpus non inaniatur. Contingit etiam sæpe propter aliquam calidam, potissimum ventri-

A ventriculi intemperiem, quæ solida corpora laxando dissoluit, atque ad attractionis functionem reddit imbecilliora: humida vero fundendo ac liquando supra modum extendit. Oritur interdum ob vitiosorum in ventriculo redundantiam, & ob immoderatam ventris & intestinorum fluxionem, item sanguinis immodicam missionem. Respuunt quoque cibum ægri in continuis & vehementibus febribus, ventriculi, iecinoris, vuluæque phlegmonibus, aliisque multis de caussis, quas omnes nõ opus est nunc recensere. Indicia quæ calidam testantur intemperiem, supra commemorauimus, nempe capite primo. Quæ biliosorum humorum vitio cibum auersantur, ventriculi morsu torquentur, nauseaque & siti magis conficiuntur. Quibus autem humores computruerint ii etiam interdum febricitant. At quibus crassi lentique hu- Signa.
B mores fastidium pariunt, ii nec rosionem ventriculi, nec sitim experiuntur. Communiter autem omnibus superuenit nausea. Si iuxta principium morborum accesserit fastidium, aut iuxta eorundem vigorem, quum vires adhuc sustinere possunt, nihil molestiarum infert: modico enim alimento ægri indigent. Si vero in declinatione totius morbi appetentiæ perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut viribus debilitatis, aut ex immodica inanitione, periculo non vacat. Augetur vitium hoc & ab ætate. Incommode enim eo pueri afficiuntur, vtpote qui natura voraces sunt, & assiduo fomite indigent. Quare magnus præter naturam excessus significatur, si pueri appetitus perditione fuerint affecti. Quod ad curandi rationem attinet, si ex virium ventriculi imbecillitate appetentiæ amissio fiat, consi- Quando fastidium periculo vacet, nec ne. Curatio.
C derandum qualis intemperies vires exoluit: & per contraria ea ipsa corrigenda, veluti suo diximus loco. Si vero vitiatorum humorum præsentia fastidium excitarit, & tenues atque mordaces fuerint, antequam aliam curam adhibeamus, contentos in ventriculo humores vomitu aqua tepida copiose exhibita, vacuabimus. Quod si ægre vomit laborans, sorbitiones vt ptisanæ cremorem, & alia quæ humectare possunt alimenta exhibebimus, quæ eiusmodi humores ad aluum elicere, atque inferne expellere consueuerunt. Aut plane hiera picra aluus purganda. Deinde per ea quæ ad hanc rem idonea sunt, corpora ad bonum perducemus temperamentum. Quibus crassi lentique humores fastidii auctores fuerint, iis medeberis extenuando ipsos, incidendoque tum oxymelite, tum iis quæ ex hoc & ex muria componuntur,
D vt cappari, oliuis, sinapi, & similibus, quæ capite primo exposuimus. Si vero propter phlegmonem, aut obturationem alicuius alterius partis cibi fastidium accidat, tum illius curationem adhibere conuenit. Conandum vero vnice, vt per odoramenta appetentiam reuocemus, aut vino odoro diluto, aut malorum cotoneorum decocto, aut pyrorum. Inunctione item leni idem conabimur per olea, rosaceũ, mastichinum, & similia, ac moderata corporis frictione. Insessus etiam lumbos & pubem amplectentes, adhibendi sunt. Cibi apparentur etiam plures & varii, ac optimo apparatu, & vltra dulcedinem quoque illicientes, & appetitum irritantes: frumentacei in primis generis, ac multi alimenti, velut alica ex decocto palmularum, ac prunorum damascenorum lota: oua sorbilia, & ex volucribus non graueolentes, & macræ, & monta-
E næ: pedes suilli in decoctione plurimum eliquati. Eiusmodi enim cibos si gustauerint tantum, sufficiens alimentum deinde corpori afferent. Omnia vero quæ exhibentur eiusmodi esse conuenit, vt facile deuorari possint. Quæ enim multa commanducatione indigent, iniucunditatem quandam afferunt, & appetitum euertunt. Nec negligendum, quin præter vnguenta extrinsecus etiam imponantur ventriculo cataplasmata ex palmulis, malis cotoneis, absinthio, & similibus, item cerata ex eadem materia apparata, quorum etiam exempla e superioribus petenda erunt.

De appetentia canina. Cap. VII.

Canina appetentia, quæ Græcis κυνώδης ὄρεξις dicitur, contrarium est amissioni appetitus vitium. Qui enim sic laborant, ii plures appetunt cibos: & cum appetitum Canina appetentia.
F cohibere nequeant, in ingerendis cibis modum excedunt: deinde multitudine eorum grauati, & assumtos cibos citra noxam ferre haud potentes, ad vomitum diuertunt. Postea rursus cibo se explentes, denuo ad vomitum reuertuntur, quemadmodũ canes: vnde etiam vitium hoc appellationem accepit. Fit propter frigidiorem ventriculi temperaturam, aut propter viciatos & acidos humores, qui os vẽtriculi mordent Caussæ.

& irritant. Quippe frigidi humores vitiati, eo quod cogendo & constringendo os ventriculi vacuant, rosionem quæ suctioni proportione respondeat, inducunt, ciborumque appetentiam haud aliter quam naturale pathema excitant. Accidit etiam nonnunquam propter totius corporis immodicam dissipationem, quæ aut caloris vim, aut retentricis facultatis imbecillitatem sequitur, *vt copiose lib. 1. de Sympt. caussis cap. 8. Gal. monstrat.* Frigida ventriculi intemperies ex deprauata concoctione, inflatione, murmure, ac egestionibus multis dignoscitur, aliisque indiciis suo loco commemoratis. Acidi humores e ructu acido, multaque egestione & liquida admodum deprehenduntur. Immodica dissipatio si in caussa fuerit, atque ob caloris qui instar ignis cibos consumit, & cutem rarefacit, vim acciderit: tunc pauciores ventris egestiones procedunt, quam pro eorum quæ ingeruntur modo ac proportione, & quæ egeruntur sicciora sunt. Sin ob retentricis facultatis quæ cibis dominari non potest, imbecillitatem prouenerit, tum eorum quæ fuerunt ingesta, multa fit deiectio. Quod ad curandi rationem spectat, frigida intemperies ad eum quem suo loco diximus modum curatur. Si vero ab acidis humoribus ori ventriculi impactis, ac veluti aqua in spongiam immersis, canina, atque adeo immodica appetentia, fiat, initio hiera picra Galeni exhibenda erit. Hæc enim non tantum calefacere, verum etiam dissecare, ac repurgare, extrahereque ex profundo ori ventriculi infractos humores, & per aluum inferne euacuare potest. Quin & robur ventriculo addit, vt subinde non facile nocuũ humorem suscipiat. Quare ea ad vitiosos humores ventriculo impactos, vt supra etiam *cap. 1.* præsentis libri a nobis commemoratum est, educendos, præstantissima est. Exhibeatur autem pondere drachmarum quatuor, ex vino cum aqua calida diluto. Si vero puer hoc vitio laboret, qui ob amaritudinem bibere nequeat, in catapocia vnam vel duas drachmas huius medicamenti digeremus, & forinsecus melle cocto oblinentes deuoranda exhibebimus. Quum vero magna ex parte a pituita acida vitium hoc accidat, iis vtendum cibis & medicamentis quæ hanc incidere, dissecare, repurgare, & calefacere possunt: veluti sunt allia, porrum, thymus, satureia, origanum, pulegium, & quæ illis similia exsistunt. Quapropter vacuatis initio vitiosis humoribus, hac tandem victus ratione vtantur. Panis non sit recens, neque bene fermentatus, cui etiam quæ vrinam mouent admisceantur: velut est anisum, careum, cuminum, petroselinum, & quæ eius generis exsistunt. Cibi sint pingues, & oleosi. Sorbitiones itaque conuenient appetitum destruentes, veluti sunt pultes ex melle multo, & oleo plurimo, aut adipe anserino, gallinaceo, aut suillo. Ex oleribus autem malua. Cerebella item & pinguiores volucrium partes, pisciumque eodem modo, & omnino quæ appetitum auertunt, & satietatem inducunt, & quæ magno cumulo accepta, modice alunt. Vinum autem ipsis recte datur copiosum, quantum videlicet bibere possunt, ex eorum numero quæ impense calefaciunt: cuiusmodi sunt colore fulua, substantia tenuia, odora, adstrictionisque expertia. Hoc enim ventriculum excalfacit, & humorem destruit acorem, vt sæpe solum suffecerit cum pinguibus & oleosis cibis ad perfectam curationem: ita vt rectissime ab Hippocrate dictum sit, Famem vini potio soluit. Exhibendum vero tam ieiunis, quam iis qui cibum sumserunt, etiamsi nondum sitierint. Ieiunis tamen calidum aut certe tepidum. Abstinere autem oportet ab omnibus acidis & adstringentibus cibis ac potibus, maxime vero a fructibus. Bellaria eorum sint, pistacia, amygdalæ, nuces pineæ, & oliuæ ex melle. Lac etiam ipsis exhibendum tum per se, tum cum passo aut melle: ita tamen vt obseruemus ac vitemus in eis, quibus in ventriculo acescere consueuit. In iis enim maius nocumentum, quam vtilitas consequetur. Probe vero concoctum non solum appetitum obtundit, sed & aluum obturatam emollit, fluxionesque eius sistit. Apparandæ etiam ex ipso lacte potiones & placentæ: vt sunt dulciaria, & oryza, cum lacte decocta exhibenda. Lauare quoq; per interualla oportet, cuticulamque ipsorum large pinguefacere. Isto quidem curationis modo tantisper vtendum a malo penitus liberetur æger. Si vero ex immodica dissipatione, ac transpiratione canina appetentia oritur, tunc eorum qui hoc modo patiuntur cutem densare, ac spissiorem reddere conuenit, cum oleo ex immaturis oliuis expresso, aut rosaceo, aut myrtino, aut alio in quo quippiam adstringens ad lentum ignem decoctum sit, interim eis admisto alumine scisso in aceto priu

Marginal notes: Signa. — Curatio. — Si ex acidis humoribus. — Victus. — 2. Aph. 21. — Si ex immodica dissipatione.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A to prius acerrimo trito. Qui etiam optima ratione æger in aere frigido ac perspirabili versabitur. Fugiat vero aerem calidum, & balnea consimili qualitate prædita, vini potum, & omnia quæ tum extrinsecus, tum intrinsecus calefacere possunt. Potus autem sit aqua frigida, aut cinnamomi decoctum. Ducatur æger ad lauacrum frigidum, si quidem nihil id fieri prohibeat: vtpote corporis gracilitas, aut pars aliqua corporis refrigerata, thorax (*verbi gratia*) aut alia quæpiam. Cibi eis exhibendi sunt stabiles, & ægre corruptibiles: vt sunt cochleæ, & totum genus testaceorum, si ex duarum aquarum reiterata decoctione apparentur: carnes item suillæ in vigore existentes, maxime vero ventres. Bubulæ quoque pinguiores, & omnia simpliciter pinguia, & quæ ventriculo innatant, tardeque concoquuntur ac distribuuntur. Sunt enim qui

Qui bubulas carnes minores negotio concoquunt.

B sic afficiuntur, quandoquidem ipsis calor acris ac mordax, & vt quispiam dixerit, febriculosus inest, ex eorum numero, qui minori negotio bubulas carnes, aliaque concoctu difficilia, quam saxatiles pisces, similiaque concoctu facilia conficiunt, *vt fusius in præfatione libri primi De alimentorum facultatibus Galenus docet.* Ex ouis, ea quæ coquendo sunt indurata, aut sartagine frixa conueniunt. Similago absq; melle ex pinguib. iusculis apparata, similiter oryza cum butyro decocta, & panes nō fermētati. Iuxta proportionem autem quantum vitium imminuitur, tantum ex crassi humoris cibis est detrahendum, & ex adstringentibus forinsecus admotis imminuendum. Aliquando enim sedata vehementis appetentiæ accessione, quum corpus crudis & crassis humoribus repletur, in aliud grauius malum transitio fit. Inter adstringentia vero, præ-

Vnguentū adstringēs.

C terea, quæ supra dicta sunt, illius vnguenti vsus esse poterit, quod habet: *Oleorum myrtini & cotoneorum, vtrorumque vnciam dimidiam. Olei rosacei, vnciam vnam. Succi plantaginis, drach. duas. Santalorum purpureorum, mastiches, bistortæ, rosarum purpurearum, sing. drach. vnam. Boli armenii, scrupulos duos. Hypocisthidis, acaciæ, sanguinis draconis, singulorum scrupulum vnum.* Ceræ quod satis est, formetur vnguentum.

De Bulimo. Cap. VIII.

Bulimos. Caussæ.

Βούλιμος Græcis nihil aliud est, *quam ingens vehemensque fames*, βου etiam particula aliis vocibus adiecta, significationem eorum auget. Fit ex ventriculi frigiditate, indigentiaque, & virium imbecillitate, & fere in totum ab externo frigore initium capit. Siquidem peregrinationes multæ, & longa itinera, maxime per niuem facta, vitium

Signa.

D hoc inducunt. Dignoscitur hac ratione: fames initio multa adest, quæ tamen non vsquequaque perdurat. Nam postea repente animo linquuntur ægri, cum extremarum partium refrigeratione, & spiritus defectione. Hinc est, quod a canina appetentia differat, quæ sibi famem perpetuo adiunctam habet. Porro huic vitio statim adhibenda curatio erit, quod sint qui in locis desertis, aut in balneo eo correpti, auxilii facultate destituti, confestim perierint. Quare eos qui in itinere, aut alias fame magna citra febrem infestantur, refouebimus aceto, aut pulegio, ad odorandum exhibito, aut terra quæcunque tandem contigerit aceto conspersa, aut malis, aut pyris, aut similibus aliis fructibus, qui ad manum fuerint. Auxiliatur & panis recens naribus admotus, & caseus boni odoris, caro suilla assata aut cocta, & in vniuersum

Curatio.

E omne quod multum alit, & ventriculum calefacit: maxime vero quod nidorosum ac probe conditum, sufficientemque odorem habet. Per huiusmodi enim odores, tales vt plurimum refocillantur: quum nihil sit, *vt diximus libro 2. cap. De syncope*, quod odore citius vires reficere possit. Ceterum extremæ etiam eorum partes fasciis constringendæ sunt, manuumque ac pedum summitates calidæ aquæ feruentiori imponendæ, ipsique tum maxillarum punctura, tum capillorum, & aurium vellicatione excitandi. Reuocatis vero iam ab exsolutione, panem ex vino diluto, aut aliud quippiam eorum quæ aceruatim vires reparare possunt, offeremus: velut sunt oua sorbilia, alica cum vino. Compendiosissimum enim auxilium, *inquit Aetius*, ex cibo sperare possunt: quem etiam si oblatum assumere non possunt, ori indere opor-

F tet violenter, cogereque vt ipsum deglutiant. Euestigio enim & a fame, & ab animi deliquio liberantur, & celeriter excitantur. In hunc quoque vsum conueniunt antidota ex odoramentorum varietate composita, vt est *odoratum rosaceum, diambar, diacanthon, diamoschi, alipta moschata, & id genus alia.* Quod si in febribus (quod tamen raro accidit) bulimos inuaserit, atque circa exacerbationem febrilium declinationem

eius accessio irruerit, intrepide cibi, quos diximus, sunt offerendi. Si vero in principio A accessionis, aut in vigore acciderit, per odoramenta prædicta reuocandi sunt ægri, maxime per ea quæ sunt frumentacei generis: velut est polenta aqua madefacta, aut panis calidus nidorem adhuc emittens, frictio quoque extremarum partium adhibenda, & cataplasmata ex palmulis, aut malis cotoneis in vino diluto decoctis. Atq; hæc vsque ad remissionem facere oportet, vt opportune cibum offerre liceat. Quod si ex iis nihilo melius habeant ægri, audendum est per ciborum ingestionem auxilium adferre. Cremorem itaq; ptisanæ, aut buccellas vnam & item alteram vino albo & tenui madefactas exhibebimus. His enim refocillati, ac ex improuiso respicientes, deinceps vsque ad remissionem perueniunt. Vitabimus autem omnino in iis qui hoc vitio sunt apprehensi, longiorem cibi dilationem ac inediam. Verum solerti ra- B tiocinatione facta, singulis horis simplicissimum modicumque cibum dabimus. Assiduus enim bulimos & exoluit, & animi deliquia, vt dictum est, affert, quibus ægre auxilium reperitur. Quod autem in ipsa etiam accessione liceat ægrotantes nutrire & cibare, perelegant historia Galenus *lib. 10. Ther. meth. cap. 3. ostendit,* vbi multa quoque ad institutum facientia offendent studiosi.

De cruditate. Cap. IX.

'Απεψία. Cruditas.

CRVDITAS, quam Græci ἀπεψίαν vocant, vbi cibi in totum non permutantur. Caussæ eius intemperies ventriculi, phlegmones, scirrhi, abscessus, & quæcunque eius generis existunt. Aliquando autem ventriculo nequaquam male affecto cibi crudi permanent: aut propter immoderatam ciborum ac potuum ingestionem, aut C ob vitiosam ipsorum ciborum qualitatem, aut ex intempestiua, aut etiam inordinata sumtione: aut ob recrementum vitiosum, aut somnum breuem, *quemadmodum Galenus lib. 3. De symptomatis caussis capite 1. copiose docet.* Caussarum diuersitas partim ex ægri & assidentium sermonibus, partim etiam ex indiciis certis deprehenditur. Ex sermonibus ægrorum & assidentium cognoscantur immodica ciborum & potionum, itemque intempestiua & inordinata ingestio, somnique breuitas. Vitiosæ autem ciborum qualitates, e nidoribus & ructibus. Corruptiones enim nidorosæ in calidioribus & biliosioribus, acidæ vero in frigidioribus natura, & magis pituitosis fiunt. Eodem modo & de excrementis, quæ in ventriculo præexistunt, iudicandum erit: quæcunque enim ex eis pituitosa & frigida sunt, acidas corruptiones efficiunt: quæ D vero calida & amara bile mixta, nidorosas. Ipse quoque ventriculus aliquo modo male affectus, si quidem frigidus morbus existat, acidas permutationes facit, calidus vero nidorosas. Quum vero citra corruptionem perfecta cruditas oboritur, vt quales assumti sunt cibi, tales permaneant iuxta omnem suam qualitatem: ex hoc cognoscere datur victum esse ventriculum, aut ab immoderata ciborum quantitate, aut per vehementem insiti caloris refrigerationem. Vt ne quis igitur in cruditatem incidat, cautione in omnibus prædictis est vtendum, vt neque in multitudine, neque in qualitate eorum quæ in cibo accipiuntur, neq; in acceptionis opportunitate, neque in ordine delinquat: & vt quæcunque concoquere valeat, ea tantum ingerat, & non quæ appetitus expostulat. Mensuræ itaque maxime omnium diligentem cu- E ram habere oportet, appetentiamque refrenare, & neque plus quam vires tollerant, assumere. Ordinem etiam præposterum cauere oportet, ne scilicet mala cotonea, aut punica, aut aliquid aliud tale in primis ingerat: deinde vero olera assumant ex oleo & garo, aut etiam alia quæ aluum emolliunt. Intempestiuam quoque assumtionem euitare conuenit, ne scilicet antequam vel ipse modice fuerit exercitatus, vel hesternus cibus probe descenderit, prandeat, aut etiam præter consuetam horam. Fugienda etiam omnia quæ natura difficulter concoquuntur, veluti sunt carnes natura duræ, bubulæ nimirum, & ceruinæ: aut ætate, vt sunt omnia seniora. Cauendum etiam a pinguibus, salisque condimento seruatis, ac vetustis. Ex oleribus quæ calidioris sunt naturæ, valdeque frigida: item quæ flatus pariunt, incommoda existunt. Ex F piscibus qui duras carnes habent, & repositione arefacti. Abstineant quoque a cibis corruptis, & fœtidis ac graue olentibus. Vitent fructus dulces, aut flatus generantes, & immaturos. Bellaria item quæ difficulter concoquuntur. Non minus autem vitandi cibi peregrini & inconsueti, ac medicamentariam vim habentes, quales frequenter placen-

Signa.

Victus.

A placentis ac panibus immiscentur. Iuxta tempus vero accipiendi cibi neque impetuose, neque aceruatim, neque solidis partibus, aut absque commanducatione eos ingerere oportet. Neque etiam potus cibum interpellet: id enim vnitionem ciborum impedit, singulosque innatare facit. Post assumtum cibum, motus inæquales ac conturbantes vitandi, item æstus & refrigeratio: hæc enim concoctioni ciborum resistũt. Adiuuant autem eandem, calefactio hypochondriorum, & frictio pedum. Quod si grauitas adsit circa ventriculum, & ex ea molestia quædam in vniuersum corpus diffundatur, ex passa manu os ventriculi apprehendendum est, vt puerulus carnosus admouendus. Confert siquidem amplius Galeno *lib. 5. De simpl. med. facul. cap. 5. auctore*, magisque multo familiaris est eo calore, qui a fomentis paratur. Eiusdem vtilitatis B gratia, quidam paruos catellos per quietem ventri imponunt, copiam coquentis cibos caliditatis adaugentes. Somnus etiam nocte imperturbatus & æqualis procurandus. Adhæc erectior decubitus apparetur, & ea quæ capiti subiiciuntur sublimius insternantur; & reclinatio ipsa in sinistrum latus fiat: atque si quis vigiliis infestetur, citra corporis vexationem commotionemve permaneat, eandemque decubitus formam obseruet: frequentes enim agitationes cibos perturbant, intestinaque inflata reddunt. Curandi ratio pro caussarum diuersitate variatur. Aliam enim intemperies ventriculi calida, aliam frigida requirit. Aliam item phlegmone, aliam scyrrhus & abscessus, quas omnes e propriis capitibus petent studiosi. In præsentiarum hæc dixisse satis sit: quum iniucundus ructus proueniens manifeste ciborum corruptionem C esse factam indicat, citra cunctationem; modo suapte natura æger facile vomere possit, ad vomitum veniendum erit, atque aqua copiosa tepida pauco serapio acido permixto, ingesta, omnia corrupta ad excretionem cogenda. Si enim in ventre permanserint, & torsionum, & grauitatis capitis caussa exsistunt. Aliquando autem bilis superne ac inferne effusionem aut profluuium ventris, aut etiam febres inducunt. Quare eos qui difficili concoctione apprehendi solent, longo ante tempore adsuefaciemus vt facile vomant: commodissimus enim in plurimis periculis exsistit. Quod si quis natura difficulter vomat, & ob nullam caussam male dispositus sit ad frigidæ potum, non inconueniens erit cyathum vnum aquæ frigidæ puræ absorbere. Corroboratus enim veentriculus celerrime quæ in ipso hærent extrudit, & ad subiectas partes deD mittit. Sequenti deinde die in quiete æger asseruetur, frictionibusq; pedum vtatur, & hypochondriorum concalefactione, donec murmura & flatus circa intestinum rectum eruperint, eructationesq; cum qualitate mansuetiori recurrerint. Et tunc sane exsurgere conuenit; vt primum aluus ea quæ corrupta sunt egerat: deinde ad deambulationem moderatam æger procedat, atque ocium agat, propter commotos vapores ex corruptione in caput delatos. Posthæc autem ad quotidianas actiones mens applicanda est, citra perturbationem ac indignationem. Deinde rursus venter cogendus est ad eorum quæ relicta sunt excretionem. Postea quiescere iubebimus; atque aqua calidiore pedes perfundere ac fouere: frigida vero pura, facie proluta, in lecto quiescere, omnibus conatibus somnum illiciendo. Post quem modica deamE bulatio, deinde balneum suscipiatur. A balneo cibum capere conuenit moderatum, & cui concoquendo corpus sufficit. Non prætereunda tamen sunt medicamenta, quæ concoctionem iuuare possunt: veluti est piper, maxime longum, quod vnice concoctionem adiuuat. Si tamen idipsum non adsit, albo vtendum erit: quod si neque hoc adsit, nigro. In eundem vsum antidotus diacotoneon conuenit, & diospoliticum Galeno & aliis veteribus dictum. Sunt etiam alia tum simplicia tum composita ventriculum roborantia, intra & extra corpus exhibenda, quæ in superioribus capitibus recensuimus. Debent autem omnia hæc medicamenta, potissimum quæ oxypora, hoc est, cito penetrantia, accipiunt, vt sunt *careum, fœniculum, apium, ligusticum, petroselinum, ammi, piper, zingiber, & similia, duabus ante cibum horis dari.* A cibo vero nunquam F assumenda: distribuitur enim simul cum ipsis aliquid crudorum ciborum, & obstructionem operatur. Quare vsus illorum maxime sit post matutinam frictionem, & duabus ante exercitium horis.

Curatio.

Vomitus.

Piper longum concoctionem iuuat.

Oxypora quando danda.

De inflatione ventriculi. CAP. X. A

Caussæ. VENTRICVLVS ex flatibus in eo generatis inflatur, vocaturque vitium hoc
Græcis πνευμάτωσις γαστρὸς, & ἐμφύσημα. Generantur autem ex humoribus in ipso pituito-
sis, aut ex cibis in vapores per deficientem & imbecillum calorem resolutis. Etenim
absoluta frigiditas nullum omnino flatum efficit: propterea quod neque extenuare,
neque conficere, neque dissoluere cibum possit. Vehemens autem calor, magna ex
parte vincens ea quæ comprehendit, plus quam pro vaporis generatione cibum exte-
nuat, nisi is suapte natura facile in statũ transeat, verum flatus ita genitus & turbidus
erit, & nebulosus: quinetiam paucus, & parum duraturus, vt ad vnum aut alterum ru-
ctum statim euanescat. Calor vero in cibos agens, si parum validus fuerit, vt eos quo-
dammodo dissoluit, ita non omnino conficit: vnde sane flatuum generationem fieri B
Signa. necesse est, *vt copiose lib 3, De symptom. caussis cap. 7. Galenus docet.* Accedit ita laborantibus
ventriculi grauitas & distentio: aliquando etiam tumor & eminentia quædam iuxta
os ventriculi, & ipsum adeo ventriculum efficitur, ructusque inanes fiunt modice al-
leuantes, inhibitioque flatuum qui per aluum excerni consueuerunt. Malum etiam
ipsum aliquando quidem iuxta totum thoracem, aliquando vero retro iuxta spinam
ac dorsum ipsasque vertebras irruit: sæpe autem & vtrinq; occupatos tenet. Vltra hæc
vehemens difficultas spiritus ob septi transuersi compressionem adest, vt aliqui non
dissimile quiddam suffocationi se perpeti æstiment. Leuantur autem cibo inferne
Curatio. subeunte, & flatibus siue per ructus, siue per aluum exclusis. Murmura deniq; intus au-
diuntur. Si itaque ex cibis pituitosis fit ventriculi inflatio, victus sane ratione exte- C
nuante vtendum erit, & medicamentis iis quæ pituitam dissecant & vacuant, de qui-
bus cap. primo huius libri diximus. Sin ex deficiente & imbecillo calore orta fuerit
inflatio, cibis certe vtendum erit concoctu facilibus, & boni succi. Parum etiam com-
medendum: siquidem inedia huic vitio summe confert. Post omnem cibum, vinum
meracius exhibendum. Multum tamen potum, tanquam infestissimum hostem de-
uitent. Fructuum quoque atque olerum humidorum, dulciumque omnium esum,
Solia calida. semper suspectum habeant. Soliis etiam calidioribus vtantur: hæc enim *Paulo lib. 1. cap.
51. teste*, mitigant, emolliunt, flatus vbicunque fuerint, dissoluunt, somnumque conci-
liant. Vbi vero somnus accesserit, non parum leuat ægrotantes, quod scilicet conco-
ctionem mirifice iuuet. Ceterum quod ad medicamenta ipsa attinet, bibant hoc de- D
Decoctum. coctum, quod habet: *Calaminthæ, mentastri, chamæmeli, origani, menthæ, pulegii, singul. ma-
nipulum vnum. Absinthii, manipulum dimidium. Seminum anisi, apii, cumini, dauci, petroselini,
fœniculi, sing. drach. tres. Seminis vrticæ, carei, vtriusq; drach. duas. Radicis helenii, vnc. duas.* De-
coquantur in aqua iustæ quantitatis, donec tertia pars absumatur: dein transfundan-
tur, adiectoq; saccharo sufficienti ius decocti dulce reddatur, addanturq; serapii de *ca-
lamintha vnc. tres, & fiat potio*, de qua æger in aurora singulis diebus sumat vnc. quatuor.
Tritura. Vel vtendũ medicamento hoc quod accipit: *Specierum dianisi, diacumini, diacalaminthes, sing.
scrup. duos. Seminum anisi, carei, dauci, fœniculi, singul. scrup. vnum. Cubebarum, garyophyllorum,
vtriusq; scrup. duos. Zingiberis, scrupulum vnum. Piperis, drach vnã. Sacchari, lib. dimidiam.* Mi-
sceantur singula & fiat tritura, vel vt barbari loquuntur, drangea. Eos qui nõ ita diu an- E
Glandes. te cibum sumpserunt, primum vomere oportet. Glandes quoque confidenter & citra
dilationem supponendæ sunt, ex rebus flatus prolectantibus, in hunc vel similem
modum formatæ: *Mellis cocti, vncias duas. Seminum rutæ, cumini, fœniculi, singulorum
scrupulum vnum. Seminis carei & anisi, vtriusque drachmam dimidiam. Salis scrupulos duos. Mi-
sceantur singula, & finguntur glandes.* Aluo autem vehemẽter adstricta, clyster infunden-
Clyster. dus, qui accipit *decocti paulo ante descripti libram vnam. Benedictæ laxatiuæ, drachmas septem.
Oleorum absinthitis, rutacei, anethini, singulorum vnciam vnam. Pinguedinis anseris & gallinæ,
salis expertium, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Salis vulgaris, drachmam vnam. Com-
mixtis omnib. fiat clyster.* Extrinsecus vẽtriculus in hoc vitio cũ oleis iam dictis inungen-
dus erit: aut lana in fasciculum conuoluta, oleis prædictis leuiter calidis madefacta, F
imponenda. Lanæ vero sic conuolutæ, cuminum tritum, *aut apii semen, aut anethi insper-
gendum.* Perseuerante autem diutius malo, cataplasmata ex *semine lini, hordeaceaque
& loliacea farina, cumino, anethi semine, aut apii, aut fœniculi tritis, centaurii coma, & id genus
Ceratum. aliis parata, imponendæ.* Aut hoc ceratum, quod habet: *Olerum rutacei, anethini, nardini,
laurini,*

A *laurini, singulorum vnciam vnam. Farinæ seminis lini, fœnograeci, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Seminis apii, carei, melanthii, singulorum drachmam vnam. Baccarum lauri, centaurii minoris, vtriusqe drachmam vnam & dimidiam. Gummi ammoniaci, opopanacis, vtriusque drachmas duas.* Ceræ & resinę quod satis est, fiat ceratum. Porro cucurbita bonæ magnitudinis vmbilicum vndique comprehendens, cum flamma copiosa admota, præsidium in hoc vitio est quod incantamenti cuiuspiam simile, *Galeno etiam lib. 12. The. metho. idipsum testante*, efficit. Castoreum quoq; ex posca potum, tum extrinsecus cum oleo anethino appositum, prodest. Cucurbita.

De singultu. Cap. XI.

Λύγμὸς Græce, *singultus* Latine, est *motus ventriculi violentus, qui est veluti eius conuulsio, ab expultrice facultate noxia volentis extrudere excitatus.* Neque temere adiectum est, *veluti eius conuulsio*: Neque enim absoluta conuulsio est, hæc enim solis musculis inesse solet. Atqui neque ventriculus ipse, neque ipsius ostiolum musculus est, *vt copiosius Galenus libro 3. De sympt. caussis cap. 2. ostendit.* Accidit magna ex parte, vel ex plenitudine, vel inanitione, *Hippocrate etiam teste*, qui sic scriptum reliquit: *Conuulsio fit vel ex plenitudine, vel inanitione: ita vero & singultus.* Interdum etiam fit ob acrium humorum, & medicata qualitate præditorum, mordacitatem. Cibus quoque in mordacem qualitatem mutatus, atque adeo corruptus, aliquos singultire facit. Frigiditas etiam oris ventriculi, & alimenti corruptio singultum inducunt: quo sane nomine pueris omnium maxime frequentes singultus eueniunt. Fit denique in febribus singultus; stomacho præsertim, aut aliquo alio viscere phlegmone obsesso. Caussæ externæ facile de sermonibus ægri & assidentium cognoscuntur. Plenitudo ex grauitate, inanitio autem ex iis quæ præcesserunt. Cibus corruptus e nidore eius: acria vero ex vellicatione atque erosione. Singultus itaque vbi a frigiditate ortus fuerit, oleum in quo ruta, cuminum & absinthium decocta sint, lana exceptum, ventriculo imponendum. Oleum etiam mastichinum, & e castoreo inunctum prodest. Pueros calefactorum linteorum admonitio non raro iuuat. Adultioribus & integræ ætatis in potu vinum; aut apium in aqua mulsa decoctum, aut cuminum tritum, aut asarum, aut pulegium, aut dictamnus, aut nardus celtica; quodlibet eorum per se, aut simul mixta in aqua mulsa decocta exhibeantur. Vtile & acetum scylliticum, sorbendo acceptum. Castoreum etiam iis, tum ob frigiditatem singultientibus, tum ob humorum multitudinem similiter affectis, drach. pondere ex posca dandum. Quin & ventriculo extrinsecus impositum, vtrisque commodum exsistit cum oleo antiquo. Præterea qui ob frigiditatem singultiunt, iis spiritus retensio, quæ calorem auget, *quemadmodum copiose lib. 2. De sympt. caussis cap. 6. Galenus docet*, præsens est remedium. Quando vero ex plenitudine oboritur singultus, vomitus optimum remedium fuerit. Crassis autem humoribus exsistentibus, cum oxymelite scyllitico, & calaminthes marrubii, ac similium iam sæpius commemoratorum decocto extenuandi & incidendi erunt. Deinceps ea, quæ in contrarium humorum copiam trahunt & auertunt, sunt adhibenda. In quem vsum conueniunt ea quæ per inferna purgant: potissimum vero clysteres, extremarum partium frictio & constrictio, cucurbitulæ cum plurima flamma thoraci, ventriculo, & dorso affixæ. Conuenit etiam iis deambulatio longa & concitata, gestatio, atque adhuc magis equitatio. Præterea sternutatio etiam conuenienter eis concitatur. Nam *Hippocrate teste*, a singultu comprehensum sternutatio superueniens liberat. Quando enim a plenitudine fit singultus, violento opus est motu, vt veluti concussæ ipsum efficientes humiditates, diffientur atque vacuentur. Sic quoque vociferatio concinna cum plurimo clamore, & detentio spiritus illis conferunt. Ventriculus denique per medicamenta quæ intrinsecus & extrinsecus adhibentur, roborandus erit. Intrinsecus per antidota corroborantia, de quibus *lib. 2. De comp. med. cap. 5.* abunde diximus. Extrinsecus vero vnguentis, emplastris & ceratis antea productis. Porro singultus ex vacuatione sanatur per alimenti conuenientis assumtione, & per ea quæ defectum explent: quæ partim sunt supra dicta, & copiose infra in curatione hecticæ febris dicentur. Non mediocriter autem in hoc genere singultus conducit, vertebras ceruicis & dorsi humectante oleo, nempe violaceo & amygdalarum dulcium perungere. Ceterum mordacibus rebus singultum excitantibus, primum sufficiens remedium vomitum

Marginalia: B — Singultus quid. Singultus non conuulsio ventriculi. Caussæ. 6. Aph. 39. — C — Signa. Curatio singultus ex frigiditate. — D — Singultus ex plenitudine curatio. Auersio. — E — 6. Aph. 13. — F — Singultus ex vacuatione curatio. Singultus ex mordacitate curatio.

Pilularum de cynoglossa vsus.

ipsum reperiemus: deinde sensus etiam stupefactionem, & morsum inferentium alterationem. Stupefiunt autem sensus per refrigerantia: in quem vsum *Philonium* exhiberi potest, aut pilulæ de cynoglossa, quæ in hoc vitio mirifice conferre solent. Earum vero is vsus erit. Debent ex vna drachma confici sex catapotia, quorum vnum antequam cubitum eat æger, sumat. Alteratur autem mordacitas & discutitur per obtundentia, attenuantia & exsiccantia medicamenta. Obtundit autem mordacitatem *intybi satiui succus potatus, cucumeris semen decorticatum, tritumque bibitum. Lactucæ semen eodem modo sumtum.* Item *portulacæ succus potatus, ipsaque portulaca in cibo sumta. Myxarum etiam decoctum in potu acceptum.* Maxime tamen omnium præstat *lac asininum*: aut si hoc non adsit, *bubulum, recens mulctum,* potatum. In eundem vsum exhibendum *saccharum rosaceum, aut violaceum, aut nymphea, antidotus diarrhodon, diatrionsantalon, zulapium violaceum, nymphea, & eiusmodi.* Obtundit vero, attenuat, & exsiccat is pastillus, qui accipit: *Costi, croci, spicanardi, rosarum viridium, mastiches sing. unc. dimidiam. Asari, aloes, vtriusque drachmas duas. Opii, drachmam vnam.* Cum succo psyllii fiant pastilli, de quibus detur drach. dimidia aut drach. vna. Porro *opium,* & *rosæ & psyllii succus* ex refrigerantium genere exsistunt, ideoque acrimoniam obtundunt. *Nardi* autem *spica* ex discutientium & corroborantium. *Asarum* vero, per vrinas vitiosos deducit humores. *Aloe* vitiatos humores expurgat, & inferne per ventrem propellit. *Crocus* concoquit, & particulas corroborat: per temperamentum quidem caliditatis concoctionem efficiens: per adstringendi vero vim, quæ ipsi adest, robur addens. *Costus* autem sufficienter calefacit, moderate vero adstringit, quod & ex gustu eius percipitur. Commendat hoc medicamentum pluribus verbis Galenus *libro 8. De compos. medic secundum locos, cap.* 3. estq; ordine decimum tertium.

Obtundentia mordacitatem.

Pastillus.

Margin letters: A, B, C

De cholera. CAP. XII.

Χολέρα Græcis, *cholera* Latinis etiam appellatur, est *ventriculi immodica perturbatio, infra & supra per vomitum facta.* Barbaram sectantes medicinam, cholericam & choliricam passionem nominant. Qui hoc malo afficiuntur, Græcis χολερῶντες, & Latinis *cholerici* vocantur. Accidit ob multam cruditatem, quæ nonnunquam e magna alimentorum, peponum nimirum, pinguium, dulciumque prauitate & corruptione, interim etiam ex vitiosorum humorum copia oritur. Signa quibus vitium deprehenditur, manifesta admodum sunt: nam infra supraque excernunt. Sitis etiam sequitur, & sudor, & pulsus concisus, musculorumque manuum ac pedum, maxime vero surarum contractio & tensio. Quapropter cum hoc vitium acutissimum sit, & grauissimam syncopam, si paulo diutius duret, inducat, accurata opera danda erit, quo confestim & sine mora huic succurratur. Nemo autem Medicorum, vbi copia vitiosorum humorum vitium hoc conciliauerit, mox initio, aut confertim ea, quæ efferuntur cohibere aggrediatur: inutilia enim cum sint, vacuatione indigent. Quare si nauseabundus est æger, & turbatur, cibis etiam num crudis in ventriculo manentibus, aqua tepida propinari debet: deinde vomere, modo ad vomendum non sit difficilis, oportet, digito vel pinna ori indita. Neque tamen cum aqua mulsa, neque aqua cum oleo mixta vomitus citandus: quod hæc fluxiones augeat, illa vero mordacitatem operetur, & torsiones augeat. Adiuuare etiam oportet per inferna excretionem: alienum enim velut venenum insidens, & ventriculum ac intestina rodit, & humores ex vniuerso corpore attrahit. Propinanda vero sunt leuissima medicamenta purgantia, vt est *aloe, casia fistularis, myrobalanorum decoctum, & similia.* Postquam autem superuacua educta fuerint, tum quiescere oportet, atque hypochondria oleo mastichino, vel nardino, vel absinthite fouere conuenit, somnumque accersere. Prædictis oleis admiscenda interdum alia quæ ventrem roborare possunt, de quibus supra dictum est, & ex iis conficienda vnguenta. Vbi iam exacta apparuerit concoctio, balneo aquæ dulcis, & cibis boni succi vtendum est. In quorum numero est *iusculum pulli gallinacei cum omphacio. Carnes auicularum montanarum, perdicum, turdorum, & similium, oua sorbilia, & eiusmodi.* In potu vtendum succo malorum granatorum, aut serapio rosaceo, aut aqua in qua chalybs ignitus ter aut quater exstinctus sit. Ceterum cum malum perseuerauerit, & gracilitas per ambitum corporis fiat, & maxime si venter considat, pulsus minor densiorque euadat, tunc sane plus adstringentia, veluti mespi-

Cholera. Cholerici.

Caussæ.

Signa.

Curatio.

Margin letters: D, E, F

A mespila, sorba, cytonia, & corna dure, & extremas corporis partes vinculis adstrin-
gere, ac oleo multo impinguare oportet. Cataplasmata etiam & emplastra ex adstrin-
gentibus & roborantibus composita ventriculo imponenda. Sunt autem eius fari-
næ quæ ex *palmulis, hypocisthide, acacia, rhoe obsoniorum, bolo armenio, thure, balaustiis, rosis,*
ac myrti fructibus componuntur. Efficax quoque remedium est, si linteum in sicco malo-
rum siluestrium madefactum ventriculo imponatur; aut hoc ceratum, quod habet:
Oleorum rosacei, myrtini, cotonæorum, singulorum unciam vnam. Mastiches, thuris, acaciæ, Scutum
singulorum drachmas duas. Hypocisthidis, drachmam vnam & dimidiam. Santalorum albo- quod vo-
rum & purpureorum, drachmam vnam. Balaustiorum, sanguinis draconis, vtriusque drach- cant sto-
mam dimidiam. Boli armenii, drachmam vnam. Ceræ & resinæ quod satis est, informe- machi.
B tur ceratum, quod ventriculo adhibeatur serico obductum. In potu vero frigida
aqua cyathi mensura, hoc est, vncia vna & dimidia, absorbenda præbeatur. Cauen- Cyathus
dum tamen ne nimium frigida sit. Hæc enim aceruatim exhibita reuomitur, & a- quid.
liquando innatum calorem suo stupore extreme offendit, aut phlegmonem stoma-
chi, aut visceris alicuius efficit. Instilletur vero huic interdum mali punici acidi suc-
cus exiguus, aut rosarum, aut pampini vitis decoctum. Quod si acriora sint ea, quæ
excernuntur, vexetque sitis & ardor, cucumeris semen cum aquæ cyathis tribus
præbeatur. Datur quoque vtiliter cum amylo. Tum etiam intybi & lactucæ in posca
coctæ exhibeantur. Post vero somnus procurandus & quies omni modo. Verum si
fluxio sisti nequeat, & pulsus intercidatur, apprehendatque frigiditas & sudor, ali-
C quando etiam singultus, ad vinum transeundum est mediocriter adstringens, neque
viribus validum, dulce tamen, non autem odorum. Interant autem in ipsum calidum,
si fieri potest, si vero non, frigidum, micas panis: aut alicam iniiciant, atque ita pau-
latim & per interualla absorbeant. Vini tamen multitudo vitanda est, ac omni arte
conandum vt ipsos sopiamus, e rosis, pampinis, rubo, & similibus antea sæpe dictis,
domus pauimento constrato. Odoramenta quoque naribus admoueantur, rosæ,
mala cotonea, & eiusmodi. Illitiones etiam soporiferæ, circa frontem adhibeantur.
Aluo autem adhuc egerente, amylum cum decocto capitum papaueris per clysterem
infundatur: simul enim & cohibet & refrigerat, & somnum inducit. Ad vomitiones Vomitus
vero coercendas succum mespilorum, malorum cotoneorum, punicorum, pyrorum constrictio
D commanducare & deuorare conuenit. Si ne his quidem auxiliis, & aliis quæ supra
cap. 2. huius libri exposita sunt, cibum retinent ægrotantes: extrinsecus ventriculo cu-
curbita leuis quam maxima admoueatur. Ad contractiones autem in musculis factas, Ad contra-
linimenta oleo calido imbuta musculis circumponere oportet; & cerata humida seu ctiones in
vnguenta, quibus adiectum sit aliquid castorei, & olei irini, quorum copiam cap. *De* musculis.
resolutione & conuulsione offendes. Vbi malum inclinauerit, cibis reficiendi sunt ægri,
pullis gallinaceis, columbis, gallinis, perdicibus, palumbis, turdis, & consimilibus.

De diarrhœa. CAP. XIII

Διάρροια Græcis, Latinis vero *diarrhœa*, copiosum est sine exulceratione & phlegmo- Diarrhœa.
ne alui profluuium. Accidit propter imbecillitatem instrumentorum conco- Caussæ.
E ctioni seruientium, alimenta item copiosa humidiora & viscosiora, eorundemque
corruptelam, mordicationem denique in ventre contentorum, & defluxum quo-
rundam e supernis ad ventris spacia, imbecillitatemque retentricis facultatis. Notæ Signa.
quibus discernuntur caussæ, manifestæ admodum sunt. Si enim propter imbecillita-
tem diarrhœa fit instrumentorum quæ concoctioni seruiunt, ventriculi *(verbi gratia)*
intestinorum, iocinoris & lienis, ex propriis de iis capitibus petenda signa erunt. Sin
ob alimentorum prauorum multam ingestionem accidat, partim de ægri sermoni-
bus, partim etiam ex iis quæ excernuntur, cognosci potest. Si enim biliosa fuerint, fla-
uo colore infecta erũt, neq; citra mordicationem & caloris sensum eiicientur. Aderit
etiã oris amaritudo, sitis, tenuis corporis habitudo, & alia quæ biliosam constitutionẽ
F ostendunt. Si autem pituitosa fuerint, contraria iam dictis prorsus erunt ea quæ per
aluum excernuntur. Quod si a capite in ventrem confluxerint humores, egestiones
spumosæ apparebunt, cerebrique temperies humida admodum erit. Si a plenitudine
totius corporis oriatur aut iudicatorius sit alui fluor, signis quæ in aliis locis a nobis
commemorata sunt, & a Galeno *in lib. De plenitudine, & crisibus* deprehenduntur. Ce- Curatio.

terum si ab imbecillitate instrumentorum alui profluuium excitabitur, intemperies A quæ hanc ipsam parit, suo contrario, quemadmodum *cap. 1.* huius libri monstrauimus, corrigenda erit. Si autem propter alias caussas fluere aluus laborauerit, & natura per hunc quæ noxia & superuacua sunt in corpore expellere tentauerit, & ii qui eo correpti sunt facile tolerauerint: tum vsque quo natura omnem suam curam impenderit expectare, aut ipsius etiam motus adiuuare conuenit. Etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit. Siquidem quæ cohibentur, sursum perlata dolores capitis, aut phrenitim, aut lethargum, aut parotidas, periculo haud vacantes, inferunt. Quare initio ea quæ in corporis commoditatem vtiliter excernuntur, minime inhibere oportet. Postquam vero iam diutius perseuerauerit fluor, non solum superuacua expellens, verum etiam habitum corporis veluti colliquans, viresque consumens, tunc sane ei resistendum erit, tum per ea quæ per os B sumuntur, tum iis quæ per anum infunduntur, atque etiam iis quæ extrinsecus ventri imponuntur. Si itaque pure biliosa excrementa prodierint, in magis salubria permutare ipsa oportet, non tamen per cohibitionem statim eos curare. Biliosum enim excrementum tum in ventriculo, tum in ieiuno intestino aggregatum, atque post coaceruationem retentum, maximopere lædet. Nam & ventriculum subuertit, & visceribus inflammationes infert, & sitim accendit, & febres instaurat, omniaque prædicta in capite vitia, efficit, atque in totum grauius malum reddit. Quod si itaque humores biliosi in corpore copiosi fuerint, natura per medicamenta purgantia leuia, vt est casia fistularis, cortices myrobalanorum luteorum, aut mel aerium, quod recentiores C Græci *mannam* vocant, item rhabarbarum vstum, iuuãda venit. Lac deinde bubulum aut caprinum tepidum, recens mulctum, exhibendum, aut sane ad ignem decoctum, assidueque agitatum, donec ad tertias sit reductum: quod ipsum & per fluuiales silices, ferrique aut chalybis laminas igni candefactas, & in lacte exstinctas fieri potest. In decoquendo vero superstantem concretionem siue spumam auferre oportet. Hoc sane nullum compendiosius remedium ad fluxiones biliosas reperire poteris. Quandoquidem autem febricitantibus lac ipsum in nidorem aut etiam acorem conuerti, maiusque nocumentum quam commodum inferre consueuit, præstat tunc sane, si simul febricitent, ipsum non exhibere. Aquæ vero quarta parte ad lac ipsum affusa, decoctionem faciemus, donec dimidium eius consumatur, atq; hoc modo exhibebimus. Si autem in intestinis coaceruata bilis fuerit, clysteres ex *hordeo de-* D *cocto, saccharo rubeo vocato, oleo rosaceo, ouorum luteis, & similibus* paratos iniicere oportet. Biliosis tandem vacuatis humoribus, intrinsecus ea quæ adstringunt & roborant, exhibenda: vt sunt *saccharum rosaceum, diacotoneon citra species, diatrionsantalon, pastilli e spodio, hydromalon, & similia.* Qualia vero esse debeant ea quæ extrinsecus imponuntur medicamenta, paulo post dicemus. Sedes etiam ipsa ex decocto quopiam adstringentium foueatur. Ceterum in diarrhœa ex humoribus crassis, pituitosis & lentis nata, ac eorundem corruptione facta, haud secus quam in priore, a purgatione auspicanda curatio erit. Exhibendum itaq; tunc agarici dilutum, non obstante quod quidam Medici illud in diarrhœa vitandum esse censent, cũ myrobalanis em- E peliticis, aut simile aliquid, quod prædictos humores educere possit. Conueniunt etiam clysteres, potissimum vbi in intestinis viscidorum humorum copia coaceruata fuerit, e *centaurii minoris decocto, oleo rutaceo, & similibus.* Intra corpus exhibenda *diacotoneon cum speciebus, zingiber coctum nominatum, & alia quæ calefacere & exsiccare valent medicamenta.* Extrinsecus etiam quæ robur addunt, admouere oportet. Quod si ob retentricis facultatis imbecillitatem orta fuerit diarrhœa, ea sunt sane adhibenda medicamenta, quæ ad alias immodicas alui fluxiones admouentur. Irrigationes itaq; ex *oleo omphacino, aut rosaceo, aut melino, cum vino aliquo austero adhibeantur.* Efficacius autem myrtinum est, si vehementiori indiget adstrictione, tertia aut quarta vini parte ei admixta. Quod si robustiora sint corpora, *gallas, malicorum, & balaustium in ipsa irrigatione* F *incoquere licebit.* Perseuerante autem adhuc fluxione, cataplasmata, emplastra, & cerata ex adstringentibus & exsiccantibus composita, quorum mentionem in capite sequenti faciemus, imponenda erunt. Parabile vero & efficax hoc est, quod habet: *Mora præ immaturitate adhuc acerbiora & albicantia septem: quibus vbi probe contusa fuerint, addun-*

Alui profluuium nõ temere sistendum.

Biliosæ diarrhœæ curatio.

Lac cum silicibus decoctum.

Diarrhœæ ex pituitosis humoribus curatio.

Diarrhœæ ex imbecillitate retentricis facultatis curatio.

Ceratum.

adduntur olei rosacei, unciæ duæ. Ceræ, unc. una. & fingatur ceratum. In potu vero accepta, A post inutilium euacuationem, ventris fluxiones sanant *cuminum, adianti decoctum spinæ alba radix, apii similiter semen drachmæ pondere datum.* Vrinam enim irritat, fluxionesque ad intestina factas eo diuertit. Mora quoque immatura, & adhuc acerba, ad solem pluribus diebus exsiccata, deinde reposita, vsuq; expetēte trita & bibita, mirifice aluum restringunt. Contunduntur etiam & obsoniis admiscentur, quemadmodum rhus consueuit, qui interdum vnciæ vnius pondere cum pullo gallinaceo decoquitur. Magis tamen aluum cohibent rubi mora immatura & acerba, eodem modo exsiccata, & in potu exhibita. In numero compositorum medicamentorum mirifice conferunt pastilli *e spodio, e lemnio sigillo, diacotoneon, diatrionsantalon, theriaca,* & hæc compositio quæ accipit: *Specierum diatrionsantalon, diarrhodon abbatis, utriusque scrupulos duos. Co-* B *ralliorum rubeorum, thuris selecti, rosarum purpurearum, singul. drach. dimidiā. Spodii, drach. vn. Seminum oxalidis, rhois obsoniorum, utriusque scrupul. unum. Balaustiorum, acaciæ, utriusque drach. dimidiam. Mastiches, scrupul. dimidiū. Boli armenii, drach. unam. Sacchari candidissimi, unc. octo, dissoluti in stillatitiis liquoribus plantaginis & rosarum, fingantur morsuli.* Item hoc ecligma, quod habet: *Sacchari rosacei veteris, diacotoneon sine speciebus, succi medicati e ribes, de oxyacantha, sing. unc. dimidiam. Hydromali, drach. tres. Diamoron, drach. dimidiā. Specierum diatrionsantalon, scrupul. duos. Coralliorum rubeorum, scrupul. unum. Spodii, balaustiorum, utriusque drach. dimidiā. Boli armenii, drach. unam. Serapii myrtini quantū ad excipiendum sufficit, fiat ecligma.* Porro hanc aquam nunquam non paratam habebis, quæ habet: *Rhois obsoniorū quartam unam, aquæ pluuialis libr. tres, in quibus die ac nocte sumach maceretur, dein ebulliat,* C *& rhu bene ac valide exprimatur.* In ea siquidem aqua oryza, milium, & alii cibi coquantur, aut saltem aliqua eius portio iis affundatur. Si propter defluxum ab aliis corporis partibus diarrhœa accidit, curatio ex propriis capitibus petenda erit: verbi gratia, si ex capite in ventriculum defluxio fiat, ad ea quæ in cap. *De curatione destillationis* dicta sunt, recurrendum erit. Et sic in ceteris etiam corporis partib. faciendum.

Cōpositio in morsulis

Ecligma.

Aqua miræ vtilitatis.

De lienteria. CAP. XIIII.

Λειεντερία Græcis, quemadmodum ipsum nomen indicat, *læuor quispiam intestinorum est, qualis etiam extrinsecus in corporis cuticula ex cicatrice contingere solet.* In hoc siquidem vitio intestina cibos non retinent, sed antequam permutationem & perfectam concoctionem admittant, dilabuntur, idque ea qua fuerunt assumta forma. Cuius rei D testis est Galenus, qui *libro 6. Aph. com. 1.* sic definit lienteriam: *Læuitas intestinorum,* inquit, *est velox exitus eorum, quæ comeduntur & bibuntur, quæ talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata.* Neq; enim tantisper retinentur, donec concoquantur. Quare Latinis recte *læuitas,* seu *læuor intestinorum* dici potest. Oritur autem frequenter graui præcedente dysenteria, atq; adeo ex profunda intestinorum exulceratione, cicatricib. densis & leuibus succedentib. quæ deinde propter densitatem quidem suam ciborum per corpus distributionem fieri non permittunt, quod venarum quæ alimenta ex intestinis ad se auellūt, ora sint veluti obdurata. Ob læuorem autem, *vt dictū est,* cibum antequam perfecte cōcoquatur, dilabi sinunt. Fit etiam nonnunquā lienteria ex imbecillitate & languore facultatis cibos in ventriculo retinentis. Hac n. infirma & imbecilla, nec concoquun- E tur nec distribuuntur alimenta: sed cruda, humentia, nihilq; immutata excernuntur, aluo continenter fluida. Interdū quoq; post longum ventris profluuium oboritur. Aliquando etiam aqua intercutē per ventrem vacuata, lienteria consequitur. Ex quacunq; itaq; caussa lienteria orta sit, ægri cibum non sentiunt, & malum corporis habitum acquirunt. Succedit itaq; ægris assidua excretio cruda, colore subalbida, inæqualis, & aquosissima, citra sanguinis ac bilis cōplexum. Adest autē simul & ardor per tota hypochondria se dilatans, quā cibi concomitatur fastidium. Est autē bonum & amicum signum in iis, qui lienteria longa laborant, si eis acidus ructus accidat, iuxta id Hippocratis dictum: *In longis læuitatibus intestinorum si acidus ructus fiat, qui prius non erat, signum* F *bonum.* Significat enim, cibum in ventriculo aliquandiu contineri, donec principium mutationis accipiat. Ceterum quum eiusmodi vitium sit, facile est intelligere, quod facultatem retentricem & cōcoctricem tum ventriculi tum intestinorum omni modo refocillare oporteat. Id quod in primis per ciborum cōuenientium exhibitionē, & victus rationem restituendis & refocillandis viribus aptam, fieri potest. Conueniunt

Lienteria.

Leuitas seu læuor intestinorum. Caussæ.

Signa.

6. Aph. 1.

Victus.

itaq; carnes auicularum montanarum, pulli gallinacei assi, in quorum ventre thus, aut mastiche etiam imponi debet, & alia quæ *capite sequenti* commemorabuntur. Cibus qui exhibetur quantitate paucus sit, & concoctu facilis. Et si acris & biliosa sit deiectio, ex *oryza, alica, & similibus*: quibus cum adstringens aliquod decoquetur, *pyrum, malum cotoneum, mespilum*, & id genus alia, parabitur. Item *lac calidum & recens mulctum*; postea vero ad medietatem, aut etiam tertias decoctum eis proderit. Sin autē pituitosiora excernunt, contrarius ipsis cibus adhibetur. Nonnulla quoq; ventriculo grata, anisum (verbi gratia) *cuminum, vel dauci semen* admiscentur. Potus erit vinum aquosum & tenue in priore, in altero vetustius & calidius. In vniuersum vero potus sit exiguus, multus enim non solum lienteriæ, verum etiam omnibus reliquis ventris fluxionibus infestissimus exsistit. Somnus potissimum nocturnus, solito longior præcipiatur. Quod ad curandi rationem attinet, si ex imbecillitate facultatum ventriculi creatur lienteria, ad caput *De imbecillitate ventriculi* recurrēdum, atq; illinc curandi ratio petenda. Summatim vero exhibenda intra & extra corpus quæ adstringunt, & tam ventriculum, quam intestina roborare possunt. Exhibendum igitur serapium *de absinthio, de menta*, aliaque antidota, quæ ventriculo robur adiicere possunt. Extrinsecus vero ea sunt admouenda medicamenta, quæ *in capite De diarrhœa* sunt commemorata, & sequenti dicentur capite. Sed in primis hoc medicamentum conueniet, quod accipit: *Oleorum mastichini, de absinthio, de menta, myrtini, sing. vnc. dimidiā. Pulueris cinnamomi selecti, garyophyllorum galangæ, sing. scrup. duos. Balaustiorum, rosarum purpurearum, vtriusque scrup. vnum. Ceræ quod satis est, fingatur vnguentum.* Vel hoc ceratum, quod habet: *Oleorum mastichini, de absinthio, cotoneorum, sing. vnciam vnam. Olei de menta, vnciam dimidiam. Calami odorati, garyophillorum, thuris sing. drachmam vnam. Ligni aloes, scrupul. dimidium. Rosarum purpurearum santalorum alborum & purpureorum, singul. drachmam dimidiam. Mastiches, cumini, vtriusque drachmam vnam. Hypocisthidis, acaciæ, rhois, sing. drachmam vnam & dimidiam. Galliæ moschatæ, scrup. vnum.* Cum cera & resina terebinthina, quod satis est, informetur ceratum. Porro quib. cicatricem, quod leuis & lubrica sit, factam esse coniicimus, iis acriū rerum, *sinapi*, videl. *cepæ*, & id genus aliorum, comestio, velut refricationem quandā cicatricum operatur, atq; adeo vtilis est. Quin & insitum calorem reuiuificat, & concoquendi facultatem quodammodo refocillat. Nec obstat, quod Rondeletius hanc curandi rationem im̄pbat, quod putet, acria, vbi humiditatib. corporis permiscētur, acrimoniam suam amittere, nec asperitatem inducere. Nam fieri nequit, vt acria iam dicta comesta, quum statim ingerantur, atq; sine fere omni mora in ventriculum perueniant, tantillo tempore acrimoniam suam omnem amittant. Etsi vero priusquam ad intestina perueniant acrimoniam aliquo modo amittunt, tamen si paulo maiori copia ingeruntur, tantum acrimoniæ obtinebunt, quantum ad inducendam asperitatem satis erit. Conuenient itaq; in hoc casu, *Galeno c. 95. Artis medicæ auctore*, quæ sufficienter abstergunt, & parum adstringunt. Quapropter admiscenda semper adstringentib. medicamentis abstergentia. In reliquis caussis lienteriæ omnib. eodem curationis modo vtendum est, quo in diarrhœa & dysenteria affectis vtimur.

Curatio lienteriæ ex imbecillitate facultatū ventriculi. — *Vnguentum* — *Ceratum.* — *Si a cicatrice inducta lienteria oriatur.*

De dysenteria. CAP. XV.

Δυσεντερία Græcis, proprie nihil aliud est, quam *exulceratio intestinorum*. Latinis placuit hoc vitium appellare *tormina*, eo quod in eo intestina dolore admodum torqueātur. Neque temere in dysenteriæ descriptione adiectum est *proprie*: sunt n. Græcis quatuor cruentæ dysenteriæ species, *quemadmodum testatur Galenus libr. 3. De sympt. caussis*: quarum prima est, *in qua sanguis propter aliquam partem corporis præcisam, aut prioris vitæ exercitationem intermissam, per circuitus excernitur.* Altera, *in qua sanguis aquosus, hoc est aquæ, in qua carnes cruentæ & recens mactatæ sunt ablutæ similis, deiicitur: id quod ob iocinoris imbecillitatem accidere solet.* Tertia, *in qua & nigrior & splendidior eo qui naturalis est excernitur, ex sanguine & atrabile commixtus.* De iis certe nobis in præsentia non est sermo. De quarta vero, *in qua paulatim & breuibus interuallis nonnunquam sanguis syncerus, nonnunquā etiam grumosus cum pure, vel ramentis intestinorum, sæpenumero etiam densum stercus cruentis guttis respersum deiicitur, nunc agimus.* Hæc quidem, vt dictum est, ob intestinorum exulcerationem fit, quæ interdum a caussis externis, frigiditate scil. æstu, & humiditate accidit. Item perniciosorum medicamentorum potu, *scammoniæ scilicet, & similium.*

Dysenteria. Tormina. — *Cruentæ dysenteriæ quatuor species.* — *Caussæ.*

A fru-

A A fructuum comestione, & cruditatibus. Interdum a caussis internis, nempe acrium ciborum acceptione, ab humorib. mordacib. & acribus siue bilis siue ex vniuerso corpore ad ventrem confluentib. aut in ipso natis. Hæc quidem nunc a tenesmo, nunc per se incipit. Excernuntur primum biliosa, varia, subpinguia: pingui nimirum, quod intrinsecus intestinis adhæret, paulatim circumliquefacto. Quum vero superficies intestinorum perfecte fuerit denudata, exulceratioq; superne cõsistit, feculenta & cruenta deiiciuntur. Vbi autem altius penetrauerit exulceratio, etiam sordes mẽbranulas admixtas habentes expelluntur. Quod si non cohibeatur, breui vicinos locos depascitur: saniosa vero quædam excernuntur, qualia a mortuorum cadauerib. defluere consueuerunt. Vbi igitur tenuia intestina exulcerantur, dolores circa vmbilicum cõ-
B sistunt, biliosaq; & porri colorem habentia, atq; omnino variegata stercori plurimum commixta excernuntur, cum labore & torminib. mordacitateq; ac exolutione, vt nõ procul ab animi deliquio ægri absint: a sitique infestantur, & febricitant; stercus quoque crudius prodit. Exulceratur autem, verum raro admodum, & ieiunum intestinũ; quod si contingat, egestiones crudiores apparent, sanguinem nigriorem vehemẽter implicatum habentes, bilemq; abunde flauam. Sitis multa, itemq; nauseæ affligent: Vomunt etiam aliquando, & cibos auersantur: dolor quoq; vehemens supra vmbilicũ considet, quandoq; & febres malignæ oboriuntur. Atq; ita affecti decolores fiunt, & ad animi deliquium vsq; exsudant. Vires ipsorum cito deficiunt, neq; procul ab interitu absunt. Sin crassa intestina exulceratione laborant, tum stercora quæ egeruntur
C syncera & multa sunt, & coaceruata, & cum flatib. prodeunt, aliquando etiã spumosa. Pinguia quoq; iis commixta sunt, & cruor supernatat, veluti latius *libr. 6. De laborantib. locis* Galenus ostendit. Idipsum autem nosse, non mediocriter ad curationẽ conducit: Nam si in superiorib. intestinis vlcus est, ab epotis medicamentis præsidium petendũ est: si vero in crassis & humiliorib. clysterem iniicere magis conuenit. Principium curationis dysenteria laborantium a quiete & modico cibo, propter ventriculi & intestinorum imbecillitatem, fiat, vndecunque tandem fluor procedat. Permittente itaq; febre, lacte recens mulcto adhuc calido vtendum est: aut pro eo lac coctum, quod in capite *De diarrhœa* descripsimus, exhibendum. Hoc enim primum depurgat, atq; simul ea quæ sunt in corpore cõtemperat, ac postremum aluum sistit. Oportet vero in-
D super & panem madefactum, a lactis acceptione offerre. Pultes etiam ex lacte apparatæ, tum medicamenti rationem habent, tum nutrimentum optimum præbent: velut est *oryza cum lacte, amylum, & oua lacti admixta.* Sorbitiones quoque aut pultes *ex alica, milioq́; adiecto rhoe*, conueniunt. Apparanda itẽ *puls ex siccis panib. affusa posca, aut palmularum, aut malorum cotoneorum, aut pyrorum, aut rhois succo.* Lenticula quoq; probe assata cũ *plantagine, aut malis cotoneis contusis decocta exhibenda.* Olerum vsus non est necessarius, attamen degustandas exhibebis *serin, seu intybum satiuam & syluestrem coctas, plantaginemq; brassicamque bis coctam.* Damus & ouorum assatorum lutea. Carnes dysenteria correptis, quod alimenti valentioris sint, & concoctioni renitantur, non valde commodæ exsistunt, dandæ tamen eis, qui diuturno malo vexantur. Ex iis autem præ ceteris vo-
E lucrium eligendæ, *perdicis* nimirum, *palumbium, merularum, & montanarum auicularum.* Ex pedestribus *carnes capreæ & leporis conueniunt.* Iumentorum, & omnium aliorũ quadrupedum carnibus interdicere oportet. Pro potu a principio quidẽ aqua pluuia, quæ non sit ex ædibus plumbo tectis delapsa, vtendum est. Talis enim aqua sanis etiam potata dysenteriam conciliat. Quod si pluuia optima non adsit, fontana, in qua chalybs ignitus exstinctus sit, aut in qua oxalidis, plantaginisq; folia decocta sint, vtemur. Lac propinandum, præsertim si per febrem licuerit, quod Galen. *lib. 10. de simpl. med. fac. & li. 3. de alimen. fac.* dysenteriæ optimum remedium sit, & omnium ventris acrium fluxionum, præsertim vbi aliam quampiam desiccantem facultatem habuerit adiunctam a lapidib. ipsi præcocto iniectis. Si vero laborauerit ventriculus, aut vbi vires fuerint de-
F iectæ, etiã vinũ præbendum. Sit autem adstringens, & non valde vetustũ, & aqua chalybata dilutum. Somnus sane optimum dysenteria laborantib. præsidium. In curandi ratione medicamentis purgantib. vtpote quæ mordacium humorum confluxũ augẽt & intestina exulcerata infestant, haud vtendum erit. Priusquam tamen dysenteria & intestinorum exulceratio fiat, proderit vti *myrobalanis flauis*, *oxyphenico*, & aliis qui-

Signa. Notæ exulcerationis tenuium intestinorum. Notæ exulcerationis crassorũ intestinorum. Victus. Potus. Curatio.

bus adstringendi facultas coniuncta est. In dysenteria igitur magis vti oportet remediis adstringentibus, obtundentibus, resiccantibus, & vrinam mouentibus, atque adeo fluxionem alio transferentibus. Quæ adstringunt, hæc quidem sunt, *lapathi semen, rhus, galla, malicorium aridum, rubi radix, ladanum, acacia, hypocisthis, balaustium, folia salicis, symphyti radix. folia & semen: rheum ponticum, si haberi potest, althea radix, equisetum, corallium, mastiche, coagulum leporis, sanguis draconis, cortex thuris, lemnia terra, verbasci radix, plantaginis semen, bellis minor, althea, oxys, sanicula, ophrys, ophioglossum polygonum bursa pastoria, solidago sarracenica vocata; pes leonis, numularia, solidago media, bistorta seu serpentaria mas, geranium sextum, herba diui Iacobi hodie nominata, siue verbena recta, mora acerba, acini vua, maceris cortex, & alia eius generis.* Obtundunt autem & contemperant humorum morsum & acrimoniam, *amylum, tragacantha, gummi, adeps caprinus, hircinus, suillus, anserinus, & gallinaceus.* Resiccat *coagulum leporis, cornu ceruinum vstum, testæ cancrorum fluuialium, & saluia.* Vrinam mouentia suo loco inuenies. Quare si crassiora intestina exulceratione laborant, clysteres adhibeantur, primum quidem ii quibus abstergendi vis inest, qualis est qui habet: *Decocti hordei integri, lib. vnam. Mellis rosacei colati, vnciam vnam. Sacchari rubei vocati, vnciam dimidiam. Vitellos oui numero duos. Olei rosacei, vnciam dimidiam. Commixtis omnibus fiat clyster.* Facta primum abstersione, ea quæ glutinare possunt infundantur: quale est quod accipit: *Rosarum purpurearum, plantaginis, foliorum symphyti, polygoni, verbasci. sing. manipul. vnum. Gallarum, rhois obsoniorum, vtriusque drach. duas. Bursa pastoriæ, manipul. dimidium. Balaustiorum, drach. vnam. Oryzæ tostæ, vnciam vnam. Radicis symphyti, vnciam dimidiam.* Decoquantur singula in aqua chalybeata, donec tertia pars absumatur. Dein colo transfundantur, accipiantque iuris decocti, *vnc. duodecim. Succi plantaginis, vnc. duas. Acaciæ, hypocisthidis, vtriusque scr. duos. Boli armenii, sanguinis draconis, vtriusque scrup. vnum. Seui caprini, vnciam vnam. Oleorum rosacei, myrtini, cotoneorum, singulorum drachmā vnam.* Commixtis omnibus fiat enema. Interdum vehementia doloris non tantum obtundentia, verum etiam stupefacientia medicamenta requirit. Quare tum conuenit hoc vti clystere, quod habet: *Lactis caprini aut vaccini, libr. vnam. Butyri salis experti, vnc. vnam. Adipis caprini, vnc. vnam & dimidiam. Tragacanthæ gummi, vtriusque drach. vnā. Vitellos ouorū numero tres. Catapotiorū de cynoglossa, drach. vnam. Olei rosacei, vncias tres. Commixtis omnibus formetur infusum.* Si vehementiore stupefactione opus fuerit, pondus pilularum, de cynoglosso augendum: aut priori portioni aliquot opii grana, tria nimirum, aut quatuor, vel minus aut plus, pro vehementia doloris, & corporis constitutione, adiicienda. Ceterum si in tenuibus intestinis exulceratio consistit, tum remedia quæ superne & per os assumuntur, magis desiderat. Conuenit itaque decoctum ex adstringentibus supra commemoratis, admixtis serapiis *rosaceo & myrtino*, cum aliis quæ in capite *De diarrhæa* dicta sunt medicamentis, exhibere. Neque temere quis hoc propinabit medicamentum, quod habet *decocti radicis symphyti, aut alterius ex adstringentium numero, vnc. tres. Serapii rosacei, vnciam vnam. Serapii myrtini, vnciā dimidiā. Pulueris pastillorum e spodio, seminis plantaginis, boli armenii, singul. scrupul. duos. Misceantur omnia, & fiat potio.* Extrinsecus præter ea quæ commemorata sunt in capitibus *De diarrhæa & lienteria*, imponendum ventri hoc ceratum, quod accipit: *Oleorum mastichini, rosacei, myrtini, coteneorum, singul. vnciam vnam. Farinæ hordei. fœnograeci, vtriusque drachmam vnam & dimidiā. Rosarū purpurearū plantaginis, vtriusque drach. vnā. Balaustiorū, sanguinis draconis, vtriusque drach. dimidiā. Boli armenii, drach. vnā. Hypocisthidis, acaciæ, mastiches, singulorum drach. duas. Cum cera & resina quod satis est, informetur ceratum.* Possunt & alia multa ad exemplum iam dictorum præsidiorum componi, quæ singula commemorare & superuacaneum, & inutile esse iudicamus. Veteres quidem in deplorata dysenteria *arsenicum, sandaracham, calcem viuam, & alia crustam inducentia* iniiciebant. Quia vero hæc curandi ratio periculo non caret, & immensos excitat cruciatus, temere vsurpanda non erit.

Adstringētia

Obtundentia & contēperantia.

Resiccantia

Curatio crassiorum intestinorū

Clyster abstergens.

Cōglutinās

Dolorem leniens infusum.

Curatio exulcerationis tenuium intestinorum.

Extrinsecus quæ adhibenda.

Ceratum optimum.

De tenesmo. CAP. XVI.

Tenesmus.

T*ενεσμὸς* est *assidua, & quæ differri ac euitari non potest, desidendi seu egerendi cupiditas: qua tamen nihil, præter modica cruenta vel mucosa, egeritur.* Latinis *tenesmus* appellatur. Plinio vero & nostri temporis medicis *tenasmus.* Nomen vero sumsit ab ipso symptomate,

A mate, *Galeno lib. 2. de medendi ratione auctore*, quod in eo tensio quædam circa intestinum
rectum fiat. Fit nonnunquam propter frigiditatem extrinsecus occurrentem, ac par- Caussæ.
tem iam dictam immodice constringentem, item humores acres & biliosos, expultri-
cem partis facultatem stimulantes, pituitam salsam, vlcus phlegmonemq; in recto in-
testino obortam. Nonnunquam etiam stercoris in intestino recto vbi colo alligatur
coacti obstructio, tenesmum efficere potest. Caussam externam frigidam facile de Signa.
sermonib. ægri cognoscet Medicus, quia nimirum podice res frigidas verbi gratia la-
pidem frigidum, attigit, aut hyberno tempore frigus nimium pertulit, aut in aqua fri-
gida diutius cōmoratus est. Humores ex iis quæ excernuntur dignoscere licebit, quæ
vel biliosa, vel pituitosa erunt. In vlcere purulenta ac saniosa excernuntur, & in ano
B pungentis sensus inest. Phlegmone tumorem recti intestini, & dolorem grauatiuum
vna cū febre efficit. Stercoris multitudinē, grauis distensionis sensus circa imū ventrē
sequitur. Curandi ratio, ꝓ caussarum diuersitate variatur. Quapropter si tenesmū fri- Curatio,
gus præcesserit, vinum meracum calidum ꝓpinandum erit: ac pectinem, inguina, in- Tenesmi
terfœmineumq;, Græci περίναιον vocant, oleis ac fomentis calidis irrigare & fouere o- a frigore.
portebit, cuiusmodi sunt *rutaceum & liliaceum*. Furfures autem in vino decocti, & sac- περίναιον.
culo excepti, cōmode sedi adhibentur. Clysteres quoq; e *decocto mentastri, origani, ca-
laminthæ, chamæmelo, abrotono, semine anisi, fœniculi, & similibus paratos, adiectis oleis anethino,
chamæmelino, liliaceoque*, iniicere conuenit. Porro mirifice confert, si statim ab excretio-
ne admoueatur later perquam vetustus, & a fumo denigratus, vna cum paleis in eo
C complexis tusus, dein aceto feruenti subactus, linteoloq; illigatus sedi subditus. Cete-
rum si a biliosis humorib. in ano & intestino detentis fiat tenesmus, clysteres quib. ab-
stergendi & abluendi inest facultas, iniiciendi sunt, qualis est qui accipit: *Iuris decocti
hordei, lib. 1. Sacchari rubei nominati, vnc. vna & dimidia. Mellis rosacei, vnc. vna. Lutea ouorum
duorum, olei rosacei, vnc. dimid. Commixtis omnib. fiat enema.* Aut ex *caprillo lacte, sacchar ru-
beo, & oleo rosaceo.* Vitanda omnia acria, & vtendum mediocriter frigidis & humidis, &
omnibus his quæ bilis acrimoniam contemperare possunt. Si a pituitosis humoribus A pituito-
procreetur, curabitur instar illius qui a frigore factus est, adiectis tantum ac commi- sis humo-
xtis ipsis clysterib. quibus vacuandi pituitam facultas inest medicamentis, *antidoto ni-* ribus.
mirum Indi, aut diaphenicon, aut benedicta laxatiua vocata. Quod si a phlegmone tenesmus
D oriatur, prisanæ succus, paucis rosis purpureis simul cum eo decoctis infundatur. Aut A phlegmo
vehementiori phlegmone infestante, hoc vtendum infuso, quod habet: *Iuris decocti* ne.
*plantaginis, vnc. dimidiam. Olei rosacei, vnc. duas. Oui vnius candidum. Commisceantur singula, &
fiat clyster.* Extrinsecus interfœmineum, seu perinæon, hoc est locus inter penem aut
anum, oleis rosaceo & myrtino irrigandus. Vel adhibeatur tale fomentum, quod ac- Clyster.
cipit: *Rosarum purpurearum, plantaginis, vtriusque manipul. vnum. Balaustiorum, drach. tres. Si-* Interfœmi-
diorum, vnciam vnam. Baccarum myrti, drach. duas. Foliorum rubi, vnciam vnam. Decoquan- neum.
tur singula in aqua sufficienti, donec tertia pars absumatur. In huius decocti iure im- Fomentum
buta spongia sedi admoueatur. Porro vbi opus est suppuratione aut discussione, fo-
menta ex *decocto radicis altheæ, fœnograci, chamæmeli, meliloti, & furfurum composita adhibe-* Discutiētia
E *buntur.* Si ab vlcere fiat tenesmus, primum abstergendi facultate præditis infusis, dein
vero glutinantibus, haud secus quam in dysenteria, vtendum. Vnguentum præterea Curatio te-
hoc sedi inditum confert, quod habet: *Olei rosacei, vnc. vnam & dimidiam. Lenti cremoris* nesmi ab
tragacanthæ, gummi, vtriusque drachmas tres. Cerusæ plumbi vsti, vtriusque drachmam dimidi- vlcere.
am. Aloes, thuris, vtriusque scrupulum vnum. Ceræ quod satis est, fingatur vnguentum, Vnguētum
quod linamenta imbuta sedi indantur. Si dolor immensus admodum fuerit, prædi-
ctis opii scrupulus vnus adiici potest. Si a stercoris multitudine oriatur tenesmus, tum A stercoris
initio clysteribus mitioribus ac lenientibus paulatim stercora educi debēt, cuiusmo- copia.
di est hoc quod accipit: *Maluæ, altheæ, mercurialis, betæ foliorum violæ nigræ singul. manipu-* Clyster.
lum vnum. Seminis fœnograci, lini, vtriusque, vnciam dimidiam. Ebulliant omnia in aqua
F sufficienti ad tertias. Dein accipe *iuris decocti, libr. vnam. Medullæ cassiæ fistularis, vnciam v-
nam & dimidiam, Olei vulgaris, vnciam dimidiam. Salis triti, drach. vnam*, fiat clyster. Insuper
hoc vnice cauendum erit, ne purgantia medicamenta deuoranda exhibeantur, quod
inde summum ægrotanti exitium immineat, attractis nimirum aliūde & ex vniuerso
corpore ad priorem stercorum copiam excrementis, *vt fusius alibi docuimus.*

De coli doloribus. CAP. XVII. A

Caussæ. DOLOR qui in laxiore intestino, quod *colon* græce vocatur, accidit, multas, quatuor vero præcipuas, caussas obtinet. Interdum n. propter crassos ac pituitosos
1. humores intra coli membranulas subsidentes oritur. Interdũ etiam ob crassos flatulẽtos spiritus, in colo retentos, quib. non est exitus. Fit quoq; ꝑpter phlegmonem, inte-
2. 3. stinum crassum distendentẽ, ac molestantem. Solet etiam accidere ob acres & erodẽ-
4. tes humores, qui intestinum prædictum, cui illi immersæ sunt, vehementius affligunt.
Signa. Crassi humoris. 1. Quibus crassus & pituitosus humor dolorẽ excitat, hi per totum abdomen in alto excruciantur, præsertim vbi coli situs est, ibi enim quasi tundi & perforari intestinum sentiunt. Tormina quoq; hos affligunt, ructꝰ, nausea, vomitio varia, potissimum pituitæ. Aluus grauiter impedita nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. Stercus B autem quandoq; excretum, bouino simile videtur, leue, & flatus plenum. Præcedit hos quam maxime frigidorum & crassi succi ciborum assiduus vsus, satietas, cruditas, ocium, & iis finitima. Qui autem ex flatulento spiritu dolent, tensionem magis experi-
2. 3. untur, atq; rugitum sentiunt. Qui autem propter phlegmonem, iis interni feruoris sensus accidit, & febris non ignaua: vrinæ denique, simul & stercoris retentio, pulsus quoq; iuxta ventrem molestat, sitis, æstus, nausea, & vomitiones bilis potissimum, quę nihil leuant malum, vrgent. Hæcq; simpliciter inter colicas affectiones grauissima est, quæ in ileum transitionem minatur. Quibus acres rodentesq; humores dolorem mo-
Acris & erodentis. 4. uent, sicut etiam qui phlegmonem experiuntur, hos ardor, sitis & vigilia torquent, imo febriculæ, sed minus quam illos. Vrina redditur acris, & biliosa deiiciuntur. Sæpiꝰ C autem alui deiectio maiorem excitat cruciatum, grauiusq; irritant calidiores cibi potusque assumti. Quo vero pacto coli & renum dolores discernendi sint, docet copiose Gal. *lib. 6. De affectis locis c. 2.* Ad eum itaq; locum lectorem ablegamus. Victus accu-
Victus colici doloris a crassis & pituitosis humoribus. randi ratio pro caussarum diuersitate variatur. Quum itaq; crassi ac lenti humores doloris caussa exsistunt, victus vniuersa ratio extenuans sit. Panis igitur, quo vescitur æger, recens, ac in clibano aut furno probe coctus sit. Carnes conueniunt in primis volucrium, *gallinæ* nimirum, *perdicum phasianorũ palumborum, turturũ, turdorum, & columbarum.* Fugienda omnia volucrium genera, quæ in aquis degunt, tanquam ea quæ superfluitatibus multis abundent. Ex quadrupedum animantium genere conueniunt *carnes vitulinæ, & hædinæ.* Legumina omnia vitanda, quod huic malo mirifice incommo- D dent. In olerum genere vtendum *fœniculo, apio asparago pulegio, origano serpyllo, & similib. Alia* quoque *cruda*, & *cepas* assumere haud nocebit, maxime iis qui talibus non offenduntur. Ideoq; hoc Galenus *theriacam rusticorum* appellat. Quid multa? alimenta sint concoctu facilia, & boni succi, atq; satietas & cruditas vitetur. Bibendum vinum subadstringens, *album, tenue, pellucidum, mediocri ætate, temperatura dilutiore, bibaturq; modice.*
Curatio eiusdem. Quod vero ad curandi rationem attinet, medendum sic, vt non vehementer calefaciamus: quippe ab huiusmodi præsidiis diffunduntur & in flatus vertuntur omnes frigidi & crassi humores, qui intestina distendendo, dolores vehementiores efficiunt. Conuenit itaq; eos dissecare & concoquere citra vehementem calorem, & per vsum eorum, quæ minime inflant. In acerbationibus igitur irrigationes fiant ex *oleo rutaceo,* E *chamæmelino, & anethino.* Fomenta item, & sacculi e florib. *chamæmeli, anethi, meliloti, seminibus lini, fœnograeci, altheæ, milio, & furfuribus.* Mirifice quoq; conducunt clysteres ex *oleis iam commemoratis, & prædictarum herbarum decocto; aut radicis cucumeris syluestris, adiectis cumino, vel ruta, cum adipe anserino vel gallinaceo,* in eum quidem modum parati. ℞ *Maluæ, altheæ, chamæmeli, mercurialis, anethi, sing. manip. vnũ. Origani, chalaminthæ, pulegii, sing. mani.*
Clyster. *dimid. Seminum lini, fœnograeci cumini smyrnii. sin. drach. tres.* Decoquantur singula in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias. Dein accipe iuris *decocti per colum transfusi, lib. vnam. Hieræ picræ, vnc. dimid. Benedictæ laxatiuæ, vnc. dimid.* ℞ *Antidoti indi drach. vnam & dimid.* ℞ *Mellis rosacei colati, vnc. dimid. Oleorum chamæmelini, anethini, rutacei. vtriusq; vnc. vnam. Lutea oui duo numero, salis communis dr. vnã commixtis omnib. fiat enema.* Glandium enim ad- F monitiones, illitionesque sedis e *succo cyclamini cum melle & nitro, vel sale fossili siue gemmæ, vel centaurio minore cum melle ac nitro* prosunt. Exemplum glandium est hoc: *Accipe mellis*
Glans. *cocti, vnc. vnam cum dimidia. Specierum hieræ picræ, drach. vnam. Colocynthidos, scrupul. vnum.*
Vomitus. *Salis fossilis, scrupulum dimiduim commisceantur & fingantur glandes oblongæ.* Vomitus etiam

A iam ante cœnam, si quis facile vomat, præ omnibus auxiliatur. Porro vbi dolores, facta iam vacuatione, ad plures dies producuntur, in solium olei calidi: aut si hoc haberi haud queat, in hydrelæum descendere alienum non est. Insessus quoq; vtilis ex *decocto altheæ, pulegii, foliorum lauri, fœnograci chamæmeli, arthemisiæ, anethi, & similium*. In balnei tamen vsu id vnice cauendum erit, ne temere iis, qui ad resolutionem, aut arthritidem procliues sunt, admoueatur. Quippe balnei vsu & calore humores liquescunt, atq; funduntur, & in partes imbecillas decumbunt. Conuenientissimum vero ad colicos medicamentum, *vinum absinthites* exsistit, si prælibatione a balneo seu exercitio indigent. Estq; etiam non sitientibus valde cõmodum. Decoctum quoq; herbæ ipsius vbi semel tantum ebullierit, pari modo ad vinum, quod alias pro cõsuetudine bibunt, B admixtum, vtiliter a balneo præbetur. *Castoreum* deniq; assidue potatum, vitium prorsus demolitur, omnibusq; medicamentis præstat. Datur ægrotantibus *drachma vna in tribus aquæ mulsæ cyathis*. Quod si dolor non conquieuerit, propinandum erit medicamentum *diatrionpipereon, vel theriaca*. Si vero dolor est vehemens, mediocriter lenientibus ac mitigantibus vti conuenit medicamentis inferne inditis, aut potis. Nam quæ valenter stupefaciunt vitare oportet, quod paulisper quidem leniant, sed diuturniorem affectum faciant, dum humores crassiores reddunt, meatusque intestini condensant. Anodynis itaque proprie vocatis medicamentis, quorum aliqua initio huius capitis dicta sunt, iterum vtendum. Porro si flatulentus spiritus doloris caussa fuerit, clysteres qui flatus discutere possunt iniiciendi, qualis est qui accipit: ℞ *Abrotoni, origani pulegii, calaminthæ, chamæmeli sing. manipul. vnum. Rutæ, menthæ, mentastri, singul.* C *manipulum dimidium. Seminum anisi, fœniculi, carei, cumini, anethi, smyrnii, dauci singul. drach. duas*. Coquantur omnia ad tertias, dein accipiant *iuris decocti colati, libr. vnã. Hieræ picræ, benedictæ laxatiuæ, vtriusque vnciam dimidiam. Castorei, drach. vnam. Specierum diacumini, drachmas duas. Oleorum rutacei, anethini, vtriusque vnciam vnam & dimidiam. Salis communis, drach. vnam & dimidiam. Commixtis omnibus fiat clyster*. Potest etiam prædictis addi compositio de *baccis lauri* appellata, qua ad discutiendos flatuosos spiritus nihil est efficacius. Proderit quoq; eius cõpositionis quantitatem nucis auellanæ in decocto aliquo incidentiũ & extenuantiũ medicamentorum indies propinare. Extrinsecus autem abdomen iis, quæ flatus dissipant fouendum & irrigandum erit; cuiusmodi sunt, præter D ea, quæ paulo ante diximus, *nigella, ammi, petroselinum, amygdalæ amaræ, piper nigrum, mentastrum, baccæ lauri, absinthium, semen vrticæ, acorus, maiorana, cinnamomum, & alia quæ libro primo De compositione medicamentorum commemorauimus*. Ex iis itaq; cataplasmata, fomenta, aut sacculos parabis. Quod vero omnia reliqua vincit, & incantamenti cuiusdã simile quid efficit, Galeno *libro duodecimo Ther. meth. cap. vlt. teste*, est cucurbita maxima leuis cum copiosa flamma toti abdomini affixa. Æger etiam a diluti vini, & frigidæ aquæ potu, lactis & aliorum refrigerantium, ac flatuosos spiritus gignentium alimentorum vsu, sibi caueat. At vini potius meracioris potu, victusq; ratione reliqua calefaciẽte ac incidente vtatur. Præterea phlegmone intestinum exercente, vena in cubito aperiẽda est. Si vero vrinæ difficultas superet ac dominetur, ex malleolo sanguis detra- E hendus erit. Prædictis etiam vtendum remediis, exceptis acribus, & vehementer purgantibus. Clysteribus vero potius lenientibus, item cataplasmatis, & irrigationibus, & in oleum descensu vtendum. Cucurbitulas etiam iis affigimus. Victus autem ratio tenuis sit, & fere febricitantium, donec phlegmone soluatur. Atqui si propter acres rodentesque humores dolitant ægri, per sedem infundere conuenit ea, quæ humores eluere, atque citra mordacitatem purgare possunt: cuiusmodi est ptisanæ succus, aut decoctum *fœnograci, seminis lini, maluæ, hordei, chamæmeli & altheæ, cũ adipe recenti anseris vel gallinæ, & rosaceo oleo*. Conuenit autem hoc potissimum enema, quod habet: *Foliorum violæ, intybi domestici vtriusque foliorũ altheæ chamæmeli singul. manipulũ vnum & dimidiũ. Seminũ fœnograci, lini, vtriusque vnciã dimidiã. Bulliant in aqua iusta quantitatis,* F *donec tertia pars absumta fuerit. Dein accipe iuris decocti colo transfusi, vncias tredecim. Cassiæ fistularis vnciã vnã. Hieræ picræ drach. tres. Olei rosacei, vncias duas. Olei anethini, vnciam vnam. Pinguedinis anseris, gallinæ, vtriusque drach. tres. Vitellos oui numero duos. Commixtis omnibus fiat clyster*. Porro non solum vacuare, verum etiam temperare infestantem humorem oportet. Quapropter balneis ex dulci aqua vtendum: ea enim mitigare, & so-

Vomitus.

Insessus.

Vinũ absinthites.

Castoreum

Stupefaciẽtia vitanda.

Curatio doloris colici a flatulentis spiritibus. Clyster.

Cõpositio de baccis lauri.

Flatus discutientia.

Cucurbitæ appositio.

Victus.

Colici doloris ab phlegmone curatio.

Victus.

Colici doloris ab acrib. & rodentibus humoribus curatio Clyster.

mnum conciliare possunt. In quem etiam vsum exhibenda serapia *violaceum & rosaceum*, aliaque eiusmodi, quæ contemperare, ac vim mordacium humorum obtundere valent. Vtendum etiam cibo sorbili, ptisana nimirum, ac piscibus saxatilibus. Abstinendum acribus omnibus & calidis tum cibis, tum medicamentis, fomentis, irrigationibus, cataplasmatis calentibus, necnon vini potione, potissimum veteris. Et vt rem omnem paucis perstringam, tota victus ratio humidior & frigidior sit. Quum autem dolor nihil remiserit, sed vehementius subinde sæuierit, ad stupefacientium vsum confugere oportet. In hoc enim vitio, non solum, quod sensum stupefaciunt, sed & quia humores tenues crassiores reddunt, caloremq; immodicum exstinguunt, ea opitulantur. In horum vero genere *Philonium* potissimum conuenit, de quo integrã magna ex parte drachmam exhibere licebit. Catapotia quoq; de *cynoglosso* inscripta, mirifice conducunt, si *vt antea etiam monstratum est*, ex vna drachma sex conficiuntur pilulæ, vnaq; ante cubitum deuoratur. Ceterum multa admodum sunt, quæ a tota essentia colicis auxiliantur cruciatibus. Inter quæ non postremum locum obtinet *lupi stercus album, ex aqua, aut vino albo tenui sumtum*. Melius autem stercus censetur, quod in terram non delabitur, sed in fruticem aut herbã excernitur. Ea enim est luporum natura, quæ canum, vt suspenso altero posteriorum crurum & meiant & cacent, in eminẽti quopiam ex terra. Itaq; in spinis sæpe æstate stercus lupinum reperitur, & fruticib. vepribus, herbisque procerioribus. Amuleti etiam instar colicos dolores iuuat idem *stercus lupi, iliis vinculo e lana ouina confecto alligatum*. Quod Galenus etiam verum esse experientia cognouit. Menta viridis, *Aetio li. 9. c. 31. auctore*, aliquandiu decocta, & ad tres dies pota, dolorem prorsus e medio tollit. Plura alia eodem in loco reperies.

Stupefacientia. Philonium Catapotia de cynoglosso. Quæ a tota substantia conferunt colicis doloribus. Stercus lupi. Menta viridis.

A B C

De ileo. CAP. XVIII.

Ileos. Volulus. Iliaca. Caussæ.

Ε*ἰλεὸς* *vitium* est *tenuium intestinorum, grauissimos & letales dolores inferens.* Sic dictum a doloris circumactione. *εἰλεῖν* enim Græcis est *circumuolui, & circumagi*. Quare recte Latinis *volulus* & *conuolulus* appellatur. Barbaram sectantes medicinam, *Iliacam passionem* & *Miserere mei* nominant. Contrahitur id vitii cõtinua ciborum corruptione ac cruditate, maxime vero ex pinguibus carnibus, quæ subinde corruptionem expertæ & retentæ, obstructionem in tenui intestino creant. Oboritur etiã ex plagis & ictibus quibusdam iis locis, in quibus tenue est situm intestinum, factis. Item ex frigore vehementi constringente, ac excrementa retinente. Exaceruata præterea frigidæ potione, maxime si a sudantibus plurimum accipiatur. Contingit & iis, quibus intestinum in scrotum vna cum stercore delapsum est, indeque violenter retrusum, ex eoque inflãmatum exsistit. Fit quoq; ob letalium medicamentorũ potum, & propter induratũ stercus, circa tenue intestinum impactũ. Magna vero ex parte vel a phlegmone, vel obstructione aridi stercoris, vitium hoc oritur. Familiare quidem est hoc malũ pueris, euadunt tamen naturalis humiditatis beneficio. Senib. non admodũ accidere solet: si tamen eo tenentur, fere nunquã conualescunt. Accedit sane huic vitio correptus dolor vehementissimus, & tumor aliquis in tenuis intestini parte eminet, vt videatur idipsum ad chordæ similitudinem conuolutum: vnde etiam *Chordapson* nõnulli id genus mali appellauerunt. Adest etiam stomachi nimia humectatio, exolutio, ructus inanes, & nihil alleuantes, murmura intestinorum, cohibitio perfecta stercoris & flatuum. Si vitium intendatur, omnia sursum feruntur: ob idque & vomitus pituitæ ac bilis accedit, frigiditas totius corporis, dolorq; plurimis etiam spirandi difficultas. Morituris autem amplius sudor frigidus, vrinæ difficultas, podex ita adstrictus, vt neque specilli extremum suscipere possit. Aliquando & stercus vomitu reiicitur. Quod ad curandi rationem attinet, pueros quidem irrigationibus, cataplasmatis, clysteribus, glandibus, & fomentis *sicut in capite De coli doloribus est comprehensum*, curare oportet. Adultis vero pro caussarum diuersitate medendũ. Si igitur cruditatibus, ac multis variisque cibis ingestis, qui ventriculo adhuc insident, vitium accidit, vomitus cum iis, quæ supra dicta sunt, concitandus erit. Si vero nihil crudorum ciborum in vẽtriculo contineatur, omni conatu enitendum, quo tum flatus, tum stercora infra trahantur: idq; per clysteres, glandes, & illitiones, magna in singulis adhibita diligentia, efficiendum. Quare potest inici clyster eiusmodi, qui accipit: *Mercurialis, rutæ, foliorũ altheæ, centaurii minoris, singul. manipulum vnum. Hyssopi, calaminthæ, absinthii singulorum manipul. vnum cum dimidio. Radicis altheæ, vnc. vnam. Radicis cucumeris syluestris, drachmam,*

Quibus malũ hoc familiare sit. Signa. Chordapsõ Curatio. Si a cruditatib. accidat. Clyster.

D E F

A *vnam & dimidiam. Seminum lini, fœnograeci, vtriusque drach. tres. Seminis cumini, drach. duas.* Ebulliant in aqua iustæ quantitatis, donec tertia eius pars absumta fuerit. Dein accipe *iuris decocti colati, vncias quatuordecim. Benedictæ laxatiuæ, vt vocant, vnciam vnam. Butyri recentis, mellis rosacei colo transfusi, vtriusque vnciam dimidiam. Oleorum rutacei, anethini, vtriusque vnciam vnam & dimidiam. Salis vulgaris, drachmam vnam.* Commixtis omnibus fiat clyster, qui ante cibum infundatur, malo autem vrgente a cibo etiã. Præcipiendumq́; vt quandiu quidem queant, hunc ægrotantes retineant. Prodest vero vnice vt principio iniiciantur clysteres emollientes, leuiter detergentes, atq; excremẽta inferiorum intestinorum vacuantes, atque ne illa ad locum affectum trahantur, impedientes. Postea paulo vehementiores iniiciuntur, lenientibus tamen ac dolorem

B mitigantibus adiectis, qualis est cuius iam compositionem præmisimus. Glandes, quemadmodum in coli doloribus parandæ, adiectis *semine rutæ, cumino, & brassicæ caulibus.* [Glandes.] Longiusculas quoque facere oportet, vt profundius penetrare possint. Præterea *cyclamini succo, aut melle cum nitro podex illinendus.* [Illitiones.] Cataplasmata & fomenta, quibus hoc vitium curatur, fere sunt talia, qualia in capite. *De coli doloribus dicta sunt.* Conueniunt autem maxime fomenta ex *lanis, oleo, in quo cuminum, anethum, ruta & nasturtium decocta sint, madefactis.* [Fomenta.] Cataplasmata vero ex *semine lini, fœnograeco, farina hordeacea, loliacea, ruta, cumino, anethi semine & apii.* [Cataplasmata.] In solium quoque aqua & oleo refertum descendere conuenit: in aqua vero althea, ruta, & anethum decoquantur. Post hæc cucurbitulæ affigantur, primum quidem ad remotos locos, leues: deinde ad ipsos et- [Cucurbitulæ.]

C iam dolore affectos, scarificationesque profundiores fiant. Purgationes etiam assumere conuenit, potissimum si prius per ea quæ dicta sunt, stercora ad inferiora tracta fuerint. [Purgatio.] Mirifice ipsis conducit, si vomuerint, *anethum coctum potumque.* A potu vero panem in aquam feruentem coniice, eiusque frusta calida confestim edenda præbe. Qui ex venenato medicamento in ileon inciderunt, iis aqua tepida multa bibenda detur, vomereque cogendi. [Si ex venenato medicamento.] Deinde oleum calidum in potu dandum, aut pinguia iura, vt rursum vomant. Postea diebus aliquot interpositis, theriace, cum vino dissoluta, detur. Cibis vescantur boni succi. Quod si obstructio perseuerauerit, aluus *lacte scisso cum modico scammoniæ, vel aloes, vel alio quodam purgante medicamento* inanienda erit. [Si ab inflammatione.] Si ab phlegmone ileos orta fuerit, a venæ sectione auspicandum erit: deinde cucurbi-

D ta phlegmone affectis partibus per ambitum scarificatis affigenda. Clysteres etiam ex *decocto maluæ, fœnograeci seminis lini, cum oleo & butyro* iniiciendi. Extrinsecus quoque ea quæ phlegmonibus conducunt, & dolorem leniunt, apponenda. His etiã tenuissima victus ratio præscribenda. Si ex intestini in scrotum delapsu ileos accidat, cõfestim tẽtandum est, vt decubitu sursum versus vergente adornato, delapsum intestinum ad inguinum partes retrudatur, atque leniter citra violentiã ac compressionem, ligatura fasciave adhibita contineatur. [Si ex delapsu intestini in scrotum.]

De lumbricis. CAP. XIX.

LVMBRICORVM, quos Græci ἕλμινθας vocant, tres sunt in vniuersum differentiæ. [Tres lumbricorum differentiæ.] Prima *teretum* seu *rotundorum*, altera *latorum*, tertia eorum quos *ascaridas* no-

E minant. *Teretes lumbrici*, speciem habent omnibus perspicuam: secundum enim crassitudinem rotundi sunt, longitudine vero palmares, & aliquando longiores, aliisque sunt frequentiores. [Teretes.] Græcis ἕλμινθες στρογγύλαι nominantur. In gracilibus plerunque intestinis consistunt, & ventriculum subeunt, ideoq; crebro per os reiiciuntur: quibusdã etiam e narib. redduntur. Atq; hoc genus infantib. & pueris, atq; iis, qui ad pubertatẽ accedunt, peculiare est. *Lati*, qui a Græcis κειρίαι & ταινίαι, quod scil. instar institarũ & fasciarum sint lati & longi, appellantur. [Lati.] Incredibilis vero longitudinis sunt, *vt Plin. li. 11. c. 33. teste*, tricenum aliquando pedum visæ sint, aliquando etiam plurium. Nihil autẽ est latus lumbricus, *Paulo & Aetio auctoribus*, nisi permutatio intrinsecus tenuia ambientis intestina membranæ, in corpus quoddã viuum, & animalis modo mobile. *Ἀσκαρίδες tenu-*

F *es ac breues*, vermibusq; similes lumbrici sunt. [Ascarides.] In recto intestino, & in extremo ani magna ex parte reperiuntur. Omnium generũ origo est ex cruda, crassa, pituitosaq; materia, & putredini accõmoda, qualis in pueris maxime, & aliis voracib. colligitur. [Caussæ.] Eos, qui rotundos lumbricos habent, sequitur incredibilis intestinorũ & vẽtriculi morsus, tussiculæ tenues & exiguæ, ac frequẽter irritãtes, & siccæ. Nõnullos comitatur singul- [Signa rotundorum.]

tus,& somnus cũ palpitatione,ii etiam præter rationem exsurgunt. Nonnulli & cum A
clamore expergefiunt & prosiliunt, & iterum sopiuntur. Quidam vero & linguã exerunt,oculosq; claudunt,ac taciturni sunt,excitantibusq; indignantur, quod sc. ob imbecillitatem vigilare nequeant. Quidam autem oculos sanguine suffusos habent & pulsum inæqualem, obscurum, deficientem & recurrentem. Nonnullis quoq; appetentiæ amissio accedit. Pueris dum dormiunt manducatio linguæ cui accedit cõformatio oris in modum lactentium,aut accipientium cibum: aliquibus etiam dentium stridor accidit. Verum hæc paulatim,& ex interuallis fiunt. Quibusdam ad stomachũ procurrunt,nausearumque & erosionum caussæ fiunt, & laborantes cibum respuunt. Compulsi enim ad cibum nauseabundi, vix quod assumitur deglutiunt, vel etiam reuomunt. Plerisque vero aluus cibos corruptos deiicit, & tympani modo inflatur: re- B
liquum vero corpus sine ratione contabescit, neque inedia præcedente, neq; immodica euacuatione facta. Contingit etiam aliquando faciem fieri rubicundã maxime circa malas: verum color hic rursus in liuorem transit. Alii instar delirantium absurda in somnis loquuntur. Alii decubitum transmutant, & ex loco ad locum sese vicissim proiiciunt. Febres in eis sine ordine augescunt, cum vehementi extremarum partiũ refrigeratione,tertiam,interim quartã,die vel nocte sine ratione accessionem habẽtes. Ceterum non in omnibus omnia quæ nunc commemorauimus signa sunt singulatim inquirenda,sed quæ reliquis præpollent, ac principatum tenent: aliquando etiam plurima.

Signa latorum.

Lati lumbrici continuos stomachi morsus inferunt,& ad cibos impotentem & incorrigibilem appetentiam. Nam quod animal euasit in intestinis obiectum C
rapit alimentum, vt alio statim opus sit: & nisi assumserint, intestina rodantur. Eos qui sic patiuntur, consequitur corporis gracilitas & imbecillitas cum inæqualitate. Infallibile autem ac certissimum iudicium, si cum recrementis quædam semini cucurbitæ similia excernantur.

Signa ascaridum.

Ascarides vehementem in ano pruritum excitant,assidueque ad egerendum irritant. Et qui hoc vitio afficiuntur, vt plurimum ab excretione melius habẽt.

Victus ratio.

Victus ratio calida & sicca sit,potissimum si febre ægrotãtes vacauerint cibisque vtantur probi succi,& qui facile in totum corpus distribuantur, nec lumbricorum effectricem caussam adaugeant. Quare omnia quæ pituitosos humores procreare possunt alimenta fugienda. Præterea qui lumbricorum vitio affliguntur, liberalius sunt nutriendi,famemq; minime ferant: quod lumbrici, nisi cibum habeãt quẽ D
absumant,statim subinde solida corpora arrodant. Dabitur vero tum præcipue cib⁹, quum non prorsus inaniti fuerint. Vinum bibant aquosum.

Curatio.

Porro curandi ratio non differenda,& interdum simul febris,si adest, & lumbricorũ habere curam: interdum autem parum de febre sollicitos esse oportet, ac studiose lumbricos de corpore eximere. Quare cum multi hoc ipsum non animaduerterint, factum est vt nulla lumbricorum ratione habita,corrosi ab iisdem sint,& conuulsi interierint. Curatio vero tã rotundorum quam latorum in hoc consistit, vt hos prius occisos, expellamus. Occiduntur autem amaris maxime medicamentis, inter quæ vbi febris abest, simpliciora

Simplicia medicamẽta lũbricos necantia.

hæc sunt: *absinthium,seriphium,abrotonum,calamintha,marrubium,dictamnus,hyssopus,ruta,folia persicæ coriandri semen,cornu ceruinum,lupini,menta,pulegium,origanum,centarium* E
minus,filix gentiana,aristolochia rotunda, allia,brassicæ semen,& helenii radix. His si febris adest,iungenda sunt *intybi vtriusque semina,itemque earundem herbarum succi,myxariaque.* Inter omnia autem laudatissimum est remedium *aloe.*

Aloe.

Quia vero infantes aloen grauiter propter suam amaritudinem admittunt, supinis fasciola ipsis detentis,ore adaperto ac diducto, per fistulam quandam valido munitam canali, inuitis illam iniiciemus. Ex nunc autem comprehensis simplicibus medicamentis, varia

Composita

composita effici possunt, nimirum *decocta,pulueres,cataplasmata,emplastra & vnguenta.* Inter reliqua vero is puluis vnice confert, qui habet: *Seminis santonici, quod lumbricorum vocant,drach.duas. Centaurii minoris absinthii,cornu ceruini vsti,sing.drach.vnã. Calaminthæ, pulegii,origani,singul.drach.dimidiam. Abrotani,mentæ,lupinorum,foliorum aristolochiæ ro-* F

Puluis.

tundæ,singul.scrupulum vnum. Aloes.scrupulos duos, commixtis omnibus fingatur puluis, de quo detur pondus drachmæ vnius,aut semis,pro ætatis & habitus corporis ratione in lacte,aut melle,aut serapio e dulci radice. Nã debent ea quæ lũbricos enecant,cum dulcibus liquorib.propinari, quo citius medicamenta dulcedine illa allecti lumbrici

ample-

A amplectantur. Extrinsecus etiam vmbilicus *felle taurino*, aut hoc vnguento illinendus, quod accipit: *Olei amygdalarum amararum & absinthitis, vtriusque vnciam vnam. Fellis taurini, vnciam dimidiam, Centaurii minoris, absinthii lupinorum. singul. scrupulos duos. Foliorum persicæ, cornu ceruini vsti, aloes, abrotoni singul. scrupulum vnum. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Aut imponatur regioni totius ventriculi hoc ceratum, quod habet: *Aloes, absinthii, farinæ lupinorum, singul. drachmas duas. Nigellæ, mentæ, origani, pulegii, marrubii, singul. drachmam vnam. Centaurii minoris, calaminthæ, vtriusque drachmam dimidiam. Olei absinthitis, & amygdalarum amararum, vtriusque vnc. duas. Olei costini, vnciam vnã. Fellis taurini, vnciam dimidiam. Cum cera & resina quantum sufficit, fiat ceratum.* Ad eorundem exempla facile quispiam emplastra & cataplasmata componet, ita vt necessarium non B sit singulorum formulas adscribere. Porro ab inferioribus etiam partibus mulsam iniicere copiosiorem expedit; quo lumbrici mellis dulcedine illecti, deorsum repant. Enecatos vero lumbricos per prædicta medicamenta, citra dilationem expellere oportet. Vitiosa n. ex ipsis exhalatio procedit, quæ & appetitum deiicit, concoctioneq; lædit: sursum etiam delata vertigines, aliaq; mala creat. Expelluntur autem, magna ex parte, per glandes & per purgantia medicamenta, potissimum vero per hieram picrã, & catapotia *pestilentialia*, aut *Rufi* vocata, quæ sane miram & in enecandis & educendis lumbricis efficaciam obtinent. Ceterum qui cum lumbricis alui etiam profluuio infestantur, eos fluorem inspissando, & concoctionem tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutando, curare oportet. Quantum enim profluuium inualescit, C tantum etiam lumbricorum generatio augetur: vicissimque fluxu cessante, lumbrici interquiescunt. Quapropter summa diligentia annitendum, vt aluus adstringatur, firmitasq; ei adiiciatur. Propinandus itaq; plantaginis succus, vel ipsa etiam arida plãtago assumenda: ex æquo enim vtriq;, & fluori & lumbricis, efficax est. Cataplasmata quoq;, cerata & vnguenta ex *cruda hordeacea farina, malicorio, hypocisthide, & similibus adstringentib.* componenda, adiectis tamen iis, quæ ad lumbricos interimendos idonea, sunt. Conferunt autem adstringentia medicamenta extrinsecus admota hoc etiam nomine, quod ventriculum ex amarorum medicamentorum frequenti vsu læsum, iterum corroborent. Licebit etiam in hoc casu vermes terrenos exsiccatos, & in puluerem redactos, cum *hydromelite* exhibere. Ascarides in infantib. educendi sunt cum glã-D dibus *ex melle & sale* paratis. In prouectioribus, aut clysteribus ex *acri muria, aut decocto absinthii centaurii minoris, calaminthæ, lupinorum, pulegii, & aliorum supra commemoratorum, adiectis oleis, paratis.* Post clysteres rectum intestinum simplicibus quidem *acacia, hypocisthide, rhois succo, aut alio adstringente* sublinendum est. Coacta enim ab adstringentibus caro corroboratur, habilitatemque ad animalculorum generationem amittit, atque ascarides ipsos excludit. Hoc vero quod sequitur, & pueris, & qui prouectæ sunt ætatis conducit, efficacissimumque exsistit. Carnem veterem salitam, pinguedine derasa, sublongam & rotundam formabimus; atque ita adaptatam podici intrudemus, ligamentoque adhibito, quam diu sustinere possint, inditam sinemus, deinde soluemus, simulque ascarides illi adhærentes educemus. Post hæc, quæ prædicta sunt, E infundemus, atq; illinemus.

Vnguentum. Ceratum. Enecati lumbrici vt expellendi. Catapotia Rufi. Si alui profluuiũ lumbricis iungatur. Adstringentium commoditas. Ascaridum curatio.

De hæmorrhoidibus. Cap. XX.

Αἱμοῤῥοΐδες Græcis venarum in sede sunt explicationes, dilationesq;, a crebro sanguinis defluxu sic appellatæ. Harum quidem aliæ sunt cæcæ, quæ sc. intumescunt, & nihil aut parum admodum sanguinis excernunt. Aliæ apertæ, quæ nimirum certis quibusdam temporibus panduntur, & sanguinem emittunt. Fiunt autẽ hæmorrhoides, ꝓpter copiam sanguinis fœculenti & melancholici, quem iecur ad ipsas reponit. Signa ꝑ quæ vitium deprehenditur, nõ admodum requiruntur. Oculis n. conspiciuntur cæcæ, & dolorem vehementem, potissimum in excernendo stercore, excitant. Apertæ vero sanguinem fundunt, ideoq; latere ægrotantes haud possunt. Quum itaque cæcæ apparuerint hæmorrhoides, & magnos in ano cruciatus excitauerint, cor-F pusq; plethoricum fuerit, vena poplitis aut malleoli incidenda erit. Aluus etiã affatim mollienda, ne arida stercora dum excernuntur, dolorem pariant. Apponenda quoq; vbi vehemens dolor fuerit, quæ illum mitigare possunt. E quorum numero est *mica panis in lacte macerata, & cum oui vitello decocta, ac instar emplastri admota.* Prodest etiam soliũ

Hæmorrhoides. Cæcæ. Apertę. Caussæ. Signa. Curatio cæcarum.

ex *decocto maluæ, foliis violæ purpureæ, meliloti, fænograeci chamæmeli altheæ foliis, lini semine verbasci floribus, & similibus apparatum.* Quod si quis eo vti non poterit, lanæ aut spongiæ in decocto iam dicto irrigatæ & madefactæ, dolenti loco adhibeantur. Quod si prædicta nihil contulerint, sanguinem ab iis elicere oportet. Quapropter *cyclamini succum, aut cepæ, aut fel bubulum lana illitum intra anum imponere oportet.* Idem etiam potest *centaurii minoris succus, stercus columbinum, staphys agria, folium ficus, si cum eo fricentur, & medulla colocynthidis in oleo amygdalarum amararum macerata.* Inter reliqua vero alia multa hoc emplastrum vnice confert, quod habet: *Stercoris columbini vnciam dimidiam. Seminis staphydis agriæ, lupinorum, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Amygdalarum amararum, drachmam vnam. Medullæ colocynthidis, drachmam dimidiam. Succi cyclamini, cepæ, vtriusque vnciam vnam.* Commisceantur singula, & ad formam emplastri redigantur, adiecto, si opus fuerit, *oleo amygdalarum amararum.* Glandes etiam oblongę ex *radice cyclamini paratæ* in anum *indi* possunt. Hirudines quoque in harundine inclusæ, ita vt caput duntaxat exerant, hæmorrhoidibus, vt aperiantur, imponi solent. Has si deinceps amouere haud poteris, cinere illarũ capiti insperso, decidere sua spõte facies. In mollibus & delicatis panno aspero podex confricari poterit. Ceterũ si apertæ fuerint, & sanguinẽ modice per certa interualla fuderint, minime supprimendæ sunt: quod huiuscemodi sanguinis eruptio homines hoc vitio detentos a multis aliis morbis tutos reddat. Id quod in primis testatur Hippocrates, qui in Epidemiis ita scriptum reliquit: *Habentes hæmorrhoidas neque laterum dolore, neq; pulmonis phlegmone, neque de pascenti vlcere, neq; furunculis, neque terminthis, pariter neque lepra, neque vitiliginibus corripiuntur.* Hæc ille. Quod si vero immodice ac iusto longius sanguinem fundant, sic quod ægri hoc vitio contabescant, ac illorum robur deiiciatur, supprimendæ confestim: quod alias periculum sit, ne aqua inter cutem, iocinore propter immodicam vacuationem refrigerato, sequatur. Cibis itaq; qui supra modum inaniuntur, vtãtur pauci sanguinis, efficacib. & minime recrementiciis, quiq; siccant, & adstringunt: cuiusmodi est alica & oryza. Ex olerib. *intybum, cichorium, portulaca, & similia. Cibis rhu obsoniorum, aut succus immaturarum vuarum admisceatur.* Si vires plurimum prosternantur, e carnibus expresso succo, cui cotoneorum succus permixtus sit, alendus æger erit. Vina bibenda adstringentia. Ceterum quod ad curandi rationem spectat, si plenitudo corporis affuerit, venæ interioris in gibbero dextræ manus sectio proderit. Sin minus, auersioni per cucurbitulas hypochondriis & iocinori affixas studendum. In quem vsum manib. & brachiis etiã vincula iniicere, & frictiones asperas adhibere cõuenit. Præterea intra corpus assumenda erunt ea quæ adstringunt, vt est *serapium rosaceum myrtinum, cotoneorumq;, corallia rubea, bolus armenius, pastilli de succino, e spodio, de terra lemnia, & alia quæ in capite De cruento sputo sunt commemorata.* Extrinsecus etiam ea apponenda, quæ sanguinem promanantem sistere possunt. E quorum numero, *Aetio etiam ipso libro 14. capite 5. auctore,* aloe exsistit, cum posca imposita. Idem quoq; potest *squama ferri,* aut *plumbum vstum.* Vnice autem confert medicamẽtum, quod describitur a Galeno *libro 5. Ther. method.* & accipit: *Thuris partem vnam, aloes partis vnius semissim.* Hæc cũ oui candido donec ad mellis crassitudinem redeant subiguntur, & mollissimo leporis pilo excepta vasis sanguinem effundentibus imponuntur, fascia ex tenui linteo forinsecus alligata. Proderunt quoque *vnguentum, balnea, insessiones, fomenta, & alia huius generis ex medicamentis adstringẽdi viribus* præditis *composita*: quorum sane multa supra *in cap. De diarrhœa, lienteria, dysenteria & tenesmo diximus.* Quod si sacculorũ vsus erit, præstat eos in vino rubeo & adstringente, priusquam admoueãtur, bullire, aut saltem irrigare. Reliquæ medicamentorum formulæ ex capitib. nunc citatis petantur. Quod si vero dolor vna cum caliditate vehemens accesserit, *oleo rosaceo, violaceo, chamæmelino,* vtendũ erit, in quib. interdum cogimur opium dissoluere, & vna cum mucagine fœnograeci, & pauco croco adhibere.

Margin notes: Hæmorrhoides aperientia. — Glandes. — Apertarum fluentiũq; curatio. — 6. Epid. pat. 3. aph. 19. — Victus. — Curatio. — Medicamẽtũ Galeni. — Sacculi.

De procidentia ani. Cap. XXI.

Accidit interdũ, vt ꝓpter resolutionem, aut imbecillitatem musculorum latorum, & tenuium sedem sursum reuellentium, anus ꝓcidat. Quare cum a prædictis nunc musculis anus retrahi ac sursum euelli nõ queat, fit vt manib. aut medicamẽtis opem ferentibus egeat. Fit autem resolutio eorum musculorum post diutinam in aqua

Margin note: Caussæ.

A qua frigida natationem. Fit etiam malum hoc propter præcedentem dysenteriam, & tenesmum, in quo ob nimiam contentionem in reddendis excrementis anus procidit. Quum vero prociderit anus, diligenter considerandum erit, num a phlegmone liber sit, nec ne: si enim nulla phlegmone occupetur, statim manibus sensim impulsus in pristinum locum protrudi ac reponi debet. Ne autem intrusus ac in locum suum repositus iterum excidat, adstringentia extrinsecus medicamenta apponenda sunt. Primum itaque oleo rosaceo calente circumlinendus, aut vino adstringente detergendus anus, ac subinde in suum locum repositus deligandus erit. Idque statim simulatque æger exercuit faciendum, ne quum ipsum ad egerendum iterum necessitas vrget, denuo procidat. Linimentum autem ex *acacia & hypocisthide cum vino adhibendum*. Incoquenda quoque in aqua donec rubescat, *galla, balaustium, glandium calyces,* B *malicorium bellis minor, rhu obsoniorum, cortices cotoneorum, & similia,* ac deinde ex eiusmodi decocto insessus & ablutiones parentur. Postquam vero vino aut decocto adstringente sedes abluta fuerit, tum arida admouere ac inspergere medicamenta licebit. In quem vsum *bolus armenius, thus, sanguis draconis, galla, acacia, myrrha, hypocisthis, cornu ceruinum, & eius generis adstringentia medicamenta, de quibus iam sæpe dictum est*, adhiberi possunt. Quod si vero propter phlegmonem anus in tumorem elatus impelli & reponi nequeat, vbi plenitudo fuerit, vena primum secanda erit, vomitusque ciendus. Sedi etiam apponenda quæ adstringunt & reprimunt, sed statim inter initia. Si vero nulla adsit plenitudo, æger insessione vtatur ex decocto *chamæmeli, maluæ, althea, seminis li-* C *ni, fænograeci, & similibus concinnata*. Aut in aquam calidam conscendat, & illic ad tempus immoretur. Spongiam quoque aut lanam in decocto prædicto madefactam admouere licebit. Anus denique oleis chamæmelino & anethino, quousque reponi possit, illinendus. Prompte autem cum illis insit discutiendi vis, tumorem auferunt, atque adeo vt reponi nulla difficultate possint, efficiunt. Postquam vero iam reconditus est, tunc supra commemoratis medicamentis adstingentibus, ne scilicet iterum procidat, vtendum erit. Quod si autem manus propter musculorum prædictorum resolutionem procidat, postquam ille in pristinum locum repositus fuerit, remedia quæ resolutioni debentur, sacco & coccygi ossibus adhibendo erunt.

Curatio.

De rimis ani. CAP. XXII.

D RIMÆ sedis, quas Græci ῥαγάδας vocant, sunt *scissuræ, quæ in musculo anum claudente, σφιγκτῆρα nominant, aut in circulo, & extrema ani corona fiunt, similes iis quæ in labiis, ob Boreæ flatum asperiorem, accidunt*. Euenire solent propter acrium humorum defluxum, aut phlegmonem, aut condylomatum extensionem. Sunt autem condylomata, rugæ seu eminentiæ quædam in ano, reduplicatis eius corpusculis, præter naturam insurgentes. Malum ipsum oculis obuium est, ideoque notis non indiget quæ in eius nos cognitionem ducant. Quod quidem ad curandi rationem attinet, si rhagades ab acribus humorib. oriuntur, tum ii omnium primũ purgandi ac contemperandi erunt. Si vero propter condylomata acciderint, itidem purgãtibus medicamentis inter initia vtendum erit. Aluus etiam toto curationis tempore cibis humectantibus & pinguibus E mollienda, ne aridum stercus conglutinationem remoretur. Huius autem generis sunt *maluæ, spinachia, lac amygdalarum dulcium, oua sorbilia, iuscula pinguia, & id genus alia*. Ceterum rimis ipsis hoc adhibendum vnguentum, quod habet: *Oleorum rosacei, myrtini, vtriusque vnc. vnam. Thuris, mastiches, lithargyri, sanguinis draconis, sing. scrup. vnum. Aloes, plumbi vsti, cerussæ, balaustiorum, boli armenii, sing. scrup. dimidium. Ceræ albæ, quod satis est, fiat vnguentum.* Aut tale quod accipit: *Olei rosacei, vnc. vnam & dimidiam. Gallæ, myrrhæ, terræ lemniæ sing. scrup. vnum. Radicis symphyti maioris, aluminis scissilis, plumbi vsti sing. scrup. dimidium. Oui assati vitellum, ceræ quod satis est. formetur vnguentum.* Iam commemoratis vnguentis ter die rimas circumungere oportet, lotas prius *decocto rosarum, gallarum & sidiorum*. Quod si locum male affectum ardor & phlegmone affligat, *vnguento candido,* F *caphurato* hodie vocato, illinendus erit.

ῥαγάδες. σφιγκτήρ. Caussæ. Condylomata. Signa. Curatio. Vnguentũ. Aliud.

De imbecillitate iecinoris. CAP. XXIII.

IMBECILLITAS iocinoris a nuda intemperie ipsa producitur calida, frigida, humida, vel sicca. Calida intemperies tũ eos, qui prius adsunt, humores, tũ hos etiam, qui per venas mesenterii ad ipsum iecur feruntur, adassat, & veluti comburit. Frigida

Caussæ.

vero intemperies pituitosum & crudum humorem, qui iam in iecore continetur, A crassum & lentum ægreque mobilem reddit: eum vero, qui ad ipsum defertur, *semicoctum* relinquit. Ceterum sicca intemperies licciores & densiores humores facit. Humida autem tenuiores, & magis aquosos. Qui itaque facultates & vires iocinoris habent imbecillas, & nullo alio vitio iecoris laborant, ii *hepatici* vocantur; *vt testatur Gal. lib. 5. De affectis locis, cap. 7.* Calida autem intemperie iecur occupante, colliquationes fiunt, primum quidem humorum, deinde carnis etiam ipsius iocinoris, & bilis fœtens & crassa per ventrem euacuatur, abundeque colorata, febris ingens vrget, cibi fastidium, & vomitus biliosus. Linguam scabrem habent, corpus siccum, & gracilius. Sitis denique infestat, vrina est rufa, pulsus celer. Vbi vero frigida intemperies affuerit, neque assiduæ excretiones, neque multæ fiunt: quippe vitium diutius prolongatur, & certis diebus venter maiori copia profluet: sed quæ egeruntur, minus fœtida B sunt iis quæ per calorem sunt colliquata: neque colore etiam, neque consistentiam, sed speciem præ se ferunt sanguinis putrefacti, & in grumos coacti. Et si quis diligenter consideret, neque sanguis niger est, neque grumus, sed veluti limus & fex quædam sanguinis crassi, proxime ad atram bilem accedens. Quinetiam plures & varii excrementorum colores frigidam intemperiem monstrant. In ea quoque febris languida apparet, facies non concidit, maiorque ciborum appetentia adest. Harum intemperierum quæcunque fuerit, si illi accedat siccitas, excrementa adhuc licciora & pauciora erunt, ægrique magis sitient. Sin humiditas, liquidiora & copiosiora, sitisque minus infestabit. In curandi ratione is præcipuus scopus erit, vt intemperiem per cōtraria emendemus. Calidam itaque intemperiem refrigerare oportet, frigidam vero C calefacere, similiterque humidam resiccare, & siccam humectare. Ceterum in curatione hoc etiam vnice considerandum erit, vt omnibus iecorariis, tum iis quæ per os sumuntur, tum iis quæ extrinsecus imponuntur, aliquid ex adstringentibus admisceatur, quo firmitas & robur visceris conseruetur, *vt fusius docet libro 13. Thera. metho. Gal.* In calida igitur intemperie, quod ad victus rationem attinet, vtendum erit ptisanæ cremore, & aliis cibis mediocriter refrigerantibus, *lactucis, intybis, cichorio, sonchis & pane ex aqua. Pullis item gallinarum, perdicibus, auibus montanis, carnibus vitulinis cum omphacio, aut limonibus vocatis, elixis.* E fructibus ægri vescantur *passulis, limonibus, & amygdalis dulcibus.* Vinum omnino circumcidendum, nisi aliam ob caussam, nempe ventriculi imbecillitatem, hoc requirant: tum enim tenue & aquosum exhibendum. D Bibant pro vino succum malorum punicorum, & serapium acidum simplex appellatum, oxosaccharumque cum decocto hordei, aut intybi domestici. Arcendi etiam sunt ab omni cibo & potu melle condito, & admodum calido, & incidendi vi prædito. Quod ad curationem spectat, per os sumendum *saccharum rosaceum, diarrhodon abbatis, diatrionsantalon, & id genus alia antidota.* Proderit etiam hoc, quod habet: *Specierum diarrhodon abbatis, diatrionsantalon, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Seminum intybi satiui vtriusque, rosarum purpurearum, singulorum scrupulos duos. Vuarum passarum, vnciam vnam. Santalorum alborum, cassuthæ, floris iunci odorati, singulorum scrupulum vnum. Sacchari, vncias sex. Diluti in liquoribus stillaticiis cassuthæ, & intybi satiui latifolii,* fingantur orbiculi. Quin & Philonis antidotus semel tantum exhibita, omnem E aliquando calidam iecoris intemperiem mirabiliter sanauit. Extrinsecus adhibenda fomenta ex *rosaceo, chamæmelino, cotoneorumque oleis parata.* Aut absinthium, aut palmulæ prædictis oleis incoquantur, & in iis deinde lana vel spongia madefacta, illi loco vbi iecur est situm imponatur. Poterit etiam eius vnguenti esse vsus, quod accipit: *Oleorum rosacei, cotoneorum, nymphea, sing. vnciam vnam. Santalorum alborum, & rubeorum, rosarum purpurearum singul. scrupulum vnum. Ramentorum eboris, scrupulum vnum & dimidium. Seminis intybi satiui, vtriusque scrupulum vnum. Aceti, drachmam vnam & dimidiam. Caphuræ, grana duo. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Epithemata etiam in hoc affectu non parum conducere solent, quæ in hunc vel similem confici possunt mo- F dum. Accipe *stillaticii liquoris intybi satiui latifolii, lactucæ, oxalidis, rosarum, nymphea, sing. vncias tres. Succi semperuiui, vnc. vnam & dimidiam. Aceti, vnc. vnam. Rosarum purpurearum, santalorum rubeorum, ramentorum eboris, sing. drach. vnam. Specierum diarrhodon abbatis, diatrionsantalon, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Caphuræ, scrup. dimidium.* Commixtis omni-

Hepatici qui. Signa, calidæ. Frigidæ. Siccæ. Humidæ. Curatio. Calidæ intemperiei. Orbiculi. Vnguentū. Epithema.

A omnibus fiat epithema. Adhibenda vero sunt epithemata æstate quidem actu frigida, hyeme vero tepida. Vbi vero frigida in iocinore fuerit intemperies, calefacientibus & robur ac firmitatem addentibus medicamentis vtendum est. In victus ratione, cibis concoctu facilibus & calefacientibus. Ex oleribus sane *satureia, hyssopo, fœniculo, petroselino, abrotono, saluia, & similibus.* Cibi quoque aromatis sunt condiendi, *cinnamomi* scilicet, *garyophyllis, pipere, & id genus aliis.* Vinum bibendum tenue, fuluum, & odoriferum, fugiendus piscium esus, fructuum frigidorum, ocium, & in summa quicquid refrigerare potest. Intra corpus sumendum hoc decoctum, quod habet: *Radicum apii, fœniculi, petroselini, singulorum vnciam vnam. Eupatorii, hyssopi, mentæ, absinthii, cichorii, cassuthæ, origani, calaminthæ, asari, sing. manipulum vnum. Seminum anisi, fœniculi,* B *dauci, cumini, carei, singul. drach. duas. Iunci odorati, drach. vnam & dimidiam. Masliches, drach. vnam. Florum chamæmeli, rosarum purpurearum, vtriusque manipulum vnum. Cinnamomi selecti, drach. vnam & dimidiam. Coquantur omnia in lib. vna & dimidia vini, & lib. vna aquæ fontanæ ad tertias, deinde colo transfundantur, adiectis serapii de eupatorio, vnc. tres. Et serapii de absinthio, vnc. vnam.* Et commixtis omnibus fiat potio, de qua mane in aurora, & a prandio iam confecta concoctione, vnc. tres & dimidia sumantur. In eundem vsum exhibenda veniunt antidota calefacientia, nempe *diacinnamomi, dianisi, saccharum saluiæ, acorum conditum, radices pimpinellæ saccharo obductæ, & alia eiusmodi.* Extrinsecus illinenda olea calida, vt est *nardinum, chamæmelinum, absinthite, & similia.* Vnice vero confert vsus eius vnguenti quod accipit: *Oleorum absinthitis, nardini, vtriusque vnc. vnam &* C *dimidiam. Succi eupatorii, drach. duas, Cinnamomi, garyophyllorum, ligni aloes, sing. scrup. duos. Spicæ iunci odorati, masliches, vtriusque scrupulum vnum. Ceræ quod satis est, formetur vnguentum.* Poterit etiam adhiberi hoc ceratum, quod habet: *Farinæ fœnogræci, lupinorum, vtriusque drachmas duas. Radicis iridis, asari, vtriusque drach. vnam. Eupatorii, absinthii, meliloti, iunci odorati, singul. drachmam dimidiam. Galliæ moschatæ, scrupulum vnum. Seminum anisi, fœniculi, vtriusq; scrupulum dimidium. Masliches, scrupulos duos. Myrrhæ, thuris, vtriusq; scrupulum vnum. Oleorum maslichini, nardini, rosacei, anethini, singulorum vnc. vnam. Ceræ & resinæ quod satis est,* informetur ceratum iocinori imponendum. Epithematis quoque illius vsus minime aspernendus erit, quod accipit: *Seminum anisi, fœniculi, ammeos, sing. drach. vnam & dimidiam. Cinnamomi, garyophyllorum, iunci odorati, singul. drach. vnam. Decoquantur in lib.* D *vna & dimidia tantisper dum medietas relinquatur; deinde colentur, & iuri per colum transfuso admisceantur liquorum stillaticiorum absinthii & eupatorii, vtriusque vnc. duæ. Specierum diacinnamomi, diagalanges, vtriusque drach. vna. Cassuthæ scrup. duo. Aceti, drach. tres. Commixtis omnibus fiat epithema.* In humida vero iocinoris intemperie victus ratione desiccante vtendum, carnibus nimirum volucrium assis, vino tenui: iis quæ sudorem mouent, laconico, & balneis etiam sua sponte prouenientibus. Parum in vniuersum bibendum ac comedendum, pisces omnis generis, & fructus quibus humectandi vis inest vitandi. Intra corpus sumendum serapium de absinthio, antidotus dialachæ & diacurcumæ. Extrinsecus autem quæ exsiccant citra insignem calorem adhibenda, *de quibus omnibus dicemus copiosius infra in capite De anasarca.* Sicca iecoris intemperies haud E secus atque aliæ per contraria curanda erit. Quare vt rem paucis perstringamus, victus ratio conuenit humectans, ptisana ius carnium, lac amygdalarum dulcium, & balnea aquarum dulcium, & alia quæ humectare possunt, de quibus suo loco fusius dicemus. Hoc tamen, *quod antea quoque monuimus,* minime interim negligendum erit, vt humectantibus semper admisceantur, quæ visceri robur addere possunt. Ceterum inter ea, quæ a proprietate totius substantiæ componere videntur, optimum est lupinum iecur, si diligenter exsiccatum & tritum drachmæ vnius pondere cum vino dulci aqua diluto præbeatur. Hoc enim multiplici experimento cognitum, omnibus iecoris intemperiebus commodum exsistit: vtpote, quod diximus proprietate totius substantiæ hanc efficaciam habens, non calefaciendo aut refrigerando.

Marginal notes: Frigidæ intemperiei curatio. — Decoctum. — Vnguentum. — Ceratum. — Epithema. — Humidæ intemperiei curatio. — Siccæ intemperiei. — Lupinum iecur.

F

De obstructione iocinoris. CAP. XXIV.

IOCINORIS obstructio fit *a flatibus vaporosis ac crassis, concoctuque difficilibus, in eius visceris venis, quæ structura sua paruæ ac veluti capillares sunt, cōclusis.* Interdum vero *a crassis & viscosis humoribus, in finibus venarū ex sima iocinoris parte enatarum, per quas ex ventriculo, & intestinis alimentū ad iecur distribuitur.* Porro si vaporosi & crassi flatus multitudo coacer-

Marginal notes: Caussæ. — Notæ.

uatur, quæ exitum liberum non habet, atque adeo obstructionem parit, non grauitatis solum iuxta dextrum hypochondrium, sed & distensionis sensus oboritur. Obstructionem vero a crassis viscidisque humoribus, consequitur grauitatis cum dolore sensus, aliquando quidem obtusæ, aliquando etiam vehementis: & quandoque quidem absque febre, quandoque cum febre. Crassa enim, viscosa, & multa, omnino reliquis plus obstruunt, & maxime quando ægri a cibo vehementiori motu vtuntur. Si vero acria sint, & multa quæ in cibo sumuntur, dolor ex obstructione vehementior fit: quum obturata corpora simul & tensionem perferant, simulque pungantur. Cibi his qui sic laborant, dandi sunt calidiores, & qui tollendi obstructiones facultatem habent. Cuiusmodi est *porrum vel cepe ex oxymelite, asparagus, fœniculum, petroselinum, cappares, & alia olera & obsonia cocta, aut cum condimento aliquo calefaciente obstructionesque auferente sumta.* Vitanda sunt omnia crassioris succi alimenta, balnea item, & exercitia a cibo. Vino in potu vtendum tenui, ac veteri. Præter victus rationem attenuantium quoque & obstructiones tollentium medicamentorum quam celerrimus requiritur vsus. Siquidem obstructio inueterata non tantum in iocinore, sed & in omni corporis parte putrefactionem operatur, febremque accendit. Præclare autem & citra omnem molestiam ab obstructione leuant inter simplicia medicamenta, *lupi iecur, fumaria, eupatorium, chamæmelum, radix acori & dracunculi, asarum, anisum, apium, absinthium, casia, iris, glycyrrhiza, rha ponticum, lupini, cappares, ammi, cassuta, petroselinum, pistacia, amygdalæ amaræ, spica nardi, stœchas, gentiana, plantaginis radix, semen, & folia sicca: anagallidis fœminæ succus, cichorium, halicacabum, intyba vtraque, asparagus, & ruscus.* Ex quibus subinde varia medicamenta composita concinnari possunt, potissimum autem decocta, admixtis *oxymelite simplici, scyllitico, serapio acido composito, de absinthio, hyssopo, calamintha, marrubio, & id genus aliis.* Ad eundem vsum licebit exhibere pastillos de *eupatorio, de absinthio, rhabarbaro seu scenitico, & iis similes.* Conferunt quoque antidota *dialachæ, diacurcumæ, dianisi, & huius generis alia quædam.* Inter cetera autem medicamenta simplicia supra commemorata ad auferendas obstructiones vnice conducunt pistacia. Quapropter non solum vtile, verum etiam iucundum erit, si pistacia decem aut duodecim per noctem in vino Aruisio, quod hodie deprauata voce *Malmasinum* vocant, macerata, in aurora perfectis iam coctionibus sumantur. Extrinsecus quoque admouenda epithemata, vnguenta, emplastra, & cerata, quæ in *capite superiore De frigida intemperiei iocinoris curatione* dicta sunt. Atque nunc quidem commemorata medicamenta sufficient, si vitium nondum inueteratum fuerit. Nam vbi in vetustatem abierit venæ etiam sectio, & purgatio, si nihil aliud prohibeat, adhibenda erunt. Purgationem autem perficient catapotia de rhabarbaro, de agarico, aut alia antidota quæ crassos & lentos humores per aluum purgare possunt. Purgandum autem per aluum tum maxime, quando caua iocinoris laborant. Per vrinam autem trahere oportet, vbi gibba eiusdem male habuerint, quod Gal. *libr. 2. ad Glauconem cap. 3.* monet, multisque aliis locis. Vacuato corpore per venæ sectionem & purgantia medicamenta, ea subinde, quæ supra comprehensa sunt medicamenta, propinabuntur. Hoc potissimum antidotum, quod habet: *Radicis iridis & chamæpityos, seminum anisi, apii, sing. drach. duas. Asari, drachmas duas & dimidiam. Cinnamomi, zingiberis, carei, chamæmeli, sing. drachmam vnam. Stœchadis, gentianæ, marrubii, singul. drachmas duas. Cum oxymelite scyllitico quod satis est fiat antidotum liquidum.* Hoc sane mirifice obstructiones, non tam eas quæ in cauo, quam quæ in gibbo iocinoris hærent (*per vrinas enim vehementer expurgare solet*) penitus tollit.

Victus. Curatio. Simplicia iocinoris obstructionem tollentia. Pistacia. Vinum Aruisium. Purgatio. Antidotum liquidum.

A B C D E

De phlegmone iocinoris. Cap. XXV.

IN iocinore, perinde atque in aliis visceribus, & ob easdem caussas, fit phlegmone. Phlegmone vero laborante iocinore, omnibus quidem ex æquo in dextro hypochondrio dolor & grauitas est, supra ad iugulum vsque, infra vero ad spurias costas perueniens. Tumor quoque dextri hypochondrii consequitur, præsertim si gibbosa pars sit phlegmone affecta. Febris accedit acuta, quæ plerunque ad vesperam & noctem exacerbatur, tussis exigua & sicca, sitis inexhausta, cibi vehemens fastidium, difficultas spiritus. Linguæ color in primis quidem ruber, deinde vero niger apparet. Vomitus tum syncer æ bilis, tū eius, quæ ouorum vitellis assimilatur, post autem

Caussæ. Notæ.

F

& eru-

A & æruginosæ. Aluus adstringitur. Color etiã corporis mutatur in arquati morbi speciem, singultus quoque consequitur. Accessionis autem tempore quidam delirio apprehenduntur, & acrem vrinam excernunt. Porro quæ in simis iocinoris partibus eueniunt phlegmones, fastidium, nauseam, vomitum biliosum, sitim ingẽtem magis inducunt. Quæ vero in gibbis partibus oriuntur, maiori quam priores inter spirandum dolore laborantem excruciant, magisque tussim excitant, atque dolorem vsque ad dextræ partis iugulum, adeo vt detrahi videatur, extendunt, *vt copiose Galen. lib. 6. De affectis locis, cap. 5. docet.* Accidit autem interdum, vt musculi iocinori incumbẽtes phlegmone infestentur, quare nonnulli decepti, iocinoris eam esse phlegmonem suspicantur. Necessarium itaque inter se has ipsas distinguere. Iocinore enim phlegmone obsesso, tumor secundum lineamenta rotundus, figura, videlicet iecinoris, succumbit, quique ad corporis decubitum simul conformatur. Maior enim apparet corpore ad sinistrum latus reclinato, minor autem rursus ad dextrum deuoluto, nimirum iocinore sub spurias costas cedente, neque visui, neque tactui similiter succumbente. Amplius autem in iocinoris phlegmone incumbens cuticula, naturali modo habere conspicitur. Musculis autem phlegmone obsessis, cutis circumtenditur, vt si quis digitis apprehensum attrahere velit, ea minime sequatur. Tumor præterea iuxta situm musculorum iocinori incumbentium oblongus apparet, & visui & tactui manifestus. Ceterum vbi iecur iam phlegmonem contrahere cœpit, confestim sanguinis detractionem, si ætas & virtus permiserint, experiri oportet. Ergo *Galeno lib. 13. Ther. meth. capite 9. auctore*, pariter tum reuellendus, tum vacuandus qui ad iecur fluit, sanguis erit, interna in dextro gibbero secta vena: propterea quod & e directo sit, & ampla via cum vena quæ caua dicitur, societatem habeat. Hac non comparente, media secanda est, quod si nec ea se ostenderit, reliqua quæ superior ac tertia est, ac humeralis dicitur, incidenda. Copiosus autem, & quantum satis est, si vires ferre queant, educendus: Si vero non, per vires partiendus. Missione sanguinis facta, post exiguum interuallum simplici ac leui clysteri aluus eluenda: præsertim vbi sponte non egerat, qualis est is, qui ex *malua, althea, violæ foliis, & chamameli, & oleo violaceo* conficitur. Sequenti a venæ sectione die cucurbitæ cum scarificatione affigendæ rursumque post vnam diem apponendæ: non pauci enim a secunda earum adhibitione opem senserunt magis, D quam a priore. Fomentis quoque vtendum ex *lanis oleo imbutis, cataplasmatis, ceratis, & epithematis.* In quibus omnibus admouendis vnice hoc obseruandum erit, vt cæteris medicamentis emollientibus & discutientibus, semper adstringentia commisceantur. Fomentum itaque fiat ex *oleo cotoneorum, aut mastichino, aut rosaceo, aut myrtino, adiecto vino odorifero.* Vel admoueatur spongia in *decocto absinthii, meliloti, rosarum purpurearum, chamameli, anethi, plantaginis, intybi satiui, & id genus aliorum.* Cataplasmata vero, & emplastra e *seminibus lini & fœnogræci, farina hordeacea, malis cotoneis, meliloti flore, absinthio, & similibus in hunc vel similem modum sunt paranda.* Emplastrum quod habet: *Farinæ hordeaceæ, vnc. dimidiam. Carnis cotoneorum contusæ, drach. tres. Absinthii, florum meliloti, iunci odorati, singul. drachmas duas. Seminis lini, drachmam vnam. Oleorum rosacei, cotoneorum, chamæmelini, absinthitis, singulorum vnciam dimidiam. Aceti, vnciam vnam. Commixtis omnibus fiat emplastrum.* Ceratum quod accipit: *Carnis palmularũ, drachmas tres. Myrrhæ in vino veteri adstringente macerata, styracis, mastiches, singulorum drachmas duas. Florum meliloti, absinthii, chamæmeli, singulorum drachmam vnam & dimidiam. Croci, drachmam dimidiam. Oleorum cotoneorum, mastichini, rosacei, singulorum vnciam vnam.* Cum cera & resina quod satis est, fingatur ceratum iocinori imponendum. In eundem vsum epithemata quoque ex decocto *rosarum, plantaginis, absinthii, chamameli, aut earundem liquoribus stillaticiis componi possunt:* In quibus sane omnibus construendis vnice studendum, vt adstringentia vbi vehemens adhuc est phlegmone relaxantibus & emollientibus præualeant, contra vero vbi caloris vehementia remissior fuerit, F emollientia adstringentibus. Cauendum præterea, ne prædicta actu frigida admoueantur, sed prius modice calefacta. Porro in iocinoris phlegmone, vbi magni & vehementes circumstant dolores, etiam medicamenta dolorem leuantia in potu sunt exhibenda: ita tamen, vt assiduus eorum vsus deuitetur. Simplicibus autem potionibus frequentius vtendum. Senecionis itaq; decoctum, tãquam maxime com-

Simarum partium iocinoris inflammationis signa. Gibbarum. Musculorũ abdominis.

Curatio.

Venæ sectio.

Clyster.

Fomenta.

Cataplasmata. Emplastrũ.

Ceratum.

Epithemata.

Nihil actu frigidum iecore inflammatione laborante adhibendum.

modum, aut succus glycyrrhizæ cum aqua calida exhibendus. His non minus confert *intyborum succus, adiecto modico melle.* Adhoc enim, quod refrigerat, ac firmitatem visceri addit, etiam ora venarum iecoris expurgat. Ceterum aluus etiam irritanda est vrticæ vel mercurialis coctæ esu. In declinatione etiam morbi, aluus per clysteres inaniri postulat. In quem vsum polipodium & epithymum ex mulsa porriguntur: idque potissimum, si in cauo visceris fuerit phlegmone. Caua enim iocinoris, *vt antea quoque dictum est*, per aluum: gibba vero, per vrinas expurganda sunt. Porro in iocinoris phlegmone exquisitissimo victu, *Gal. lib. 13. The. meth. teste*, opus est. Poscit autem iecur ipsum cibos potissimum, qui obstructa recludere possunt. Eiusmodi vero omnes sunt tenui consistentia, & quæ citra rosionem detergunt, qualis est *ptisana, mulsa, & similes.* Alimentum igitur optimum est sic laborantibus *cremor ptisanæ*, vt qui vim habet detergendi, & obstructiones tollendi, in quo apium decoctum sit. Ius etiam *pulli gallinacei*, in quo petroselinum decoctum sit, dari potest. Bibenda vero *mulsa*, aut *hordei decoctum*, vel *intyborum satiuorum.* Quod si phlegmone principium permutationis ad suppurationem iam obtinet, tum omnia prædicta augebuntur, *dolores* nimirum, *febres delirium, anxietas, cibique fastidium.* Adiuuare permutationem ac puris eruptionem oportet, vt scilicet quam celerrime puris generatio fiat, ne maiora inde corpora corrumpantur, idque per vsum cataplasmatis, quod accipit: *Radicis altheæ, vnciam vnam & dimidiam. Seminis fœnogræci, lini vtriusque drachmas duas. Foliorum altheæ, maluæ, vtriusque manipulos duos. Caricarum numeoo sex. Ebulliant in aqua donec mollescant, deinde contundantur, & fingatur cataplasma.* Neque temere fecerit, qui emplastrum quod puris permutationem iuuare potest adhibuerit, quale est, quod habet, *Farinæ hordeaceæ, & fœnogræci, vtriusque drachmas tres. Radicis altheæ, vnciam dimidiam. Radicis liliorum alborum, drachmam vnam & dimidiam. Seminis lini, drach. vnam Florum chamæmeli, meliloti, vtriusq; manipulum dimidium.* Bulliant omnia in aqua, donec ad crassitudinem iustam coeant. deinde admisceantur *olei chamæmelini, vnc. vna. Olei liliacei, vnc. vna & dimidia. Bulliant denuo, & formetur emplastrum.* Ex iam dictis etiam fingi potest ceratum, adiectis nimirum butyro, ladano, resina, & cera. Quum autem perfecta iam suppuratio fuerit, dolores remittent, omnesque accessiones mitiores apparebunt, iuxta hoc Hippocraticum: *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quam iam confecto.* Rupturæ autem tempore dolor rursum magis augescet: quare etiam tunc rupturam adiuuare oportet, per *stercoris caprini & columbini, seminis vrticæ, sinapi aliorumque ad superficiem attrahentium vsum: & per potiones calorificas, vt est polii, fumariæ, radicis chamædryos, & similium decoctum.* Facta ruptione, *aqua mellis, aut ciceris decoctum, aliaque quibus abstergendi facultas inest, quæ infra in capite De renum exulceratione commemorabimus*, propinanda. Et si puris transmissio per venas fit, vrinam mouentia admiscenda sunt: qualia sunt *sium, asarum, casia, & cinnamomum.* Sin per aluum, ea quæ leniter subducunt, *serum nimirum caprinum, oxyphœnica, & fistularis casia* exhibenda. Licebit etiam tum clysteribus e decocto hordei confectis vti. Peracta abstersione, quæ glutinare possunt medicamenta propinanda erunt.

Victus. Si phlegmone ad suppurationem tendat. Cataplasma. Emplastrũ. 2. Aph. 47. Ruptura.

A B C D

De intemperie lienis. CAP. XXVI.

QVEMADMODVM reliquæ corporis partes octo intemperierum generibus affliguntur, ita etiam lien. Atqui frequentissime frigidam & humidam sustinet intemperiem. Singularum vero caussas non attinet hic referre. Eædem enim sunt quæ aliarum partium corporis. Petendæ itaque sunt ex capitibus 1. 2. & 3. *libri Galeni de morborum caussis.* Iudicium autem certum & compendiosum intemperiei lienis, ea quæ eduntur & bibuntur exhibent, quæque forinsecus cuticulæ iuxta sinistrum hypochondrium admouentur. Si enim frigida intemperies lienem molestauerit, omnis cibus & potus qui efficaciter refrigerat, facile & manifeste ipsum lædet. Omnia quoque frigida extrinsecus adhibita offendunt, atque adeo frigidam eiusdem arguunt intemperiem. Eam vero ipsam, contra omnia calida iuuant. Quod si calida fuerit lienis intemperies, a nullis quæ in cibo aut potu exhibentur, aut etiam extrinsecus admouentur frigidis male afficitur. Quod si caliditas augescat, non solum nihil tumori apponitur, sed & contractionem amplius sustinet, præsertim si febris adsit. Ceterum & cibi & potus calefacientes, & quæ extrinsecus calorem corpori addunt,

Caussæ. Signa intemperiei nudæ qualitatis lienis. Frigidæ. Calidæ.

E F

cali-

A calidas etiam intemperies augent & exacerbant. Solatio autem eis sunt omnia refrigerantia. Similiter etiã siccæ intemperiei in lieni notas colligere oportet, maxime quum pro magnitudine propriæ naturæ non eminet. Ea item quæ extrinsecus corpori adueniunt, atque intra ipsum deuorantur, si exsiccandi facultate prædita sunt, lienem exsiccant. Porro vbi humida intemperie lien laborauerit, atq; ea amplius inualuerit, tantum eius incrementum efficit, vt etiam ventriculum & iecur pertingat. Species quoq; doloris vna cum prædictis signis, infestantem intemperiem demonstrabit. In calida enim & frigida intemperie minus dolent, aut nihil omnino, neque quicquam etiam in humida: minimum vero in sicca. Ex prædictis etiam coniecturam facere licet compositarum in liene intemperierũ. Fere enim in totum vbi calida intemperies fuerit intenB sa, sicca eam consequitur, & ad frigidam inueteratam, humida concomitatur. Quandoquidem vero & humores in lienem confluentes tumores producunt, eorum quoque diligentem considerationem habere oportet. Bilioso enim fluore exsistente, vniuersum corpus calidius apparebit, etiam si non adest febris: oculique & vrinæ per bilem coloratæ erunt. Siccitatem semper accusabit æger, & de siti conqueretur, ac bilioso infestante. Cibum fastidit, & vigiliis infestatur, frigidamq; desiderat, vna cum hoc quod linguam subflauam obtinet. Exacerbationes tertianæ fient, suntque ipsi ægri moribus iracundi, & qui præcipitanter excandescunt. Si vero atræ bilis sit fluor, eius color tum in lingua, tum in reliquo toto corpore apparebit: & appetentia aderit ciborum non naturalis, mœstique ac subtristes ægri sunt, reliquaque atræ bilis indicia eis adsunt. ExC acerbationes vero quarto quoque die affligent. Vbi vero pituitosus humor in lienem defertur, consimilis pituitæ aderit color, ægrique minime sitient, & cibum appetent, nisi salsa fuerit pituita: tunc enim cibum fastidiunt ægri, potusque magis sunt appetentes & sitibundi. Quin & diebus singulis exacerbationes ingruent. Vrinæ quoque candidæ sunt, ipsique ægri moribus pigri & segnes. Quidam vero ex eis qui frigidam affectionem habent, magnum & durum lienem acquirunt. Quod si sanguineus exsistat in lienem confluens humor, possibile est ipsum colorem tum iuxta linguam, tum circa cutem permutari. Quod autem ad appetentiam ciborum & fastidium attinet, medio quodammodo habent ægri, reliquisque magis languent, quanquam non parem visceris tumorem habent. Venæ vero vniuersi corporis sanguine plenæ apparent, & vrinæ D subflauę. Hæc indicia prolixius ex Aetio commemorauimus, quod nimirum communia, & omnibus fere reliquarum partium intemperiebus cum affluxu humorũ adaptari queant. In vniuersum quidem lienis intemperies nudæ qualitatis, fere citra tumorẽ fiunt. Eas autem tum per cibos & potus, tum per simplicissima medicamenta, ac fomẽtorum irrigationes, olea & vnguenta, & id genus alia, quæ intemperiei contraria sunt, corrigere oportet. Calidam itaque intemperiem lienis curabis, perinde atque iocinoris, per cibos nimirum ac potus refrigerantes, inunctiones ex rosaceo & melino, atque alia quæ cap. 23. huius libri comprehensa sunt. Frigidam similiter, vt iocinoris, per ea q̃ moderate calefacere possunt emendabis. In humida lienis intemperie, præter ea quæ cap. paulo ante citato commemorata sunt, proderit *quinquefolij radix, & plantago sicca,* E *spuma & flos salis, ammoniacum, succus salicis, & similia*; si ex iis, affuso sufficienti aceto, vnguentum aut ceratum conficiatur, qualia paulo pōst describemus. Conuenientissimæ etiam huic sunt frictiones, quæ discutiendi facultatem obtinent. Siccam lienis intemperiem balneum dulcium & calidarum aquarum curat: item inunctio ex oleo dulci. Cibi citra refrigerationem humectantes, velut est ptisanæ succus. Porro si lien intemperie cum fluore substantiæ afficitur, tunc vbi sanguinea fuerit, ex vena cubiti interna sinistri brachii, lienarem vocant, sanguis mittendus erit. Aut si ea inueniri haud potest, ex ea quæ inter annularem & auricularẽ appellatos digitos sita est. Deinde intrinsecus & extrinsecus adhibenda, quæ lieni robur adducere possunt medicamenta: vt sunt *corF tex radicis capparis, scolopendrium, siue ceterachium vocatum, hæmionitis, adiantum, iris, calamintha, & ijs similia, quæ iecoris quoque robur & firmitatem conseruare valent.* De quibus *insequentibus capitibus fusius dicemus.* Si reliqui humores ad lienem confluxerint, primum redundans humor purganti medicamento vacuandus erit: dein reliquo tempore quæ intemperiem relictam corrigere, & lienem etiam corroborare possunt admouenda.

Siccæ. Humidæ. Notæ intẽperiei cum fluore substantiæ biliosæ. Atræ bilis. Pituitosæ. Sanguineæ. Curatio intemperiei lienis nudæ qualitatis. Calidæ. Frigidæ. Humidæ. Siccæ. Curatio intemperiei cum fluore substantiæ.

De lienis phlegmone. Cap. XXVII. A

Caussa. Lien, vt reliqua viscera, phlegmone corripitur, quoties sanguis crassior, & calidus pręter naturam ad eum confluit. Cognoscitur grauitate, & tumore sinistri hypochondrii, qui ad tactum non cedit: dolore, & distentione loci, febre, & feruore. Irruentis vero humoris copia, ex magnitudine & velocitate generationis ipsius phlegmonis deprehenditur. Victus ratio eorum qui phlegmone lienis laborant, simplex sit, atque ea quæ facile concoquuntur in cibo exhibeantur: velut est ptisanæ succus, panis madefactus, & alia, quæ supra in aliorum viscerum phlegmonibus sæpe a nobis dicta sunt. Quod si phlegmone diutius duret, auiculatum etiam carnes eis concedendæ, & pisces saxosis aquis degentes. Potus ægri sit cinnamomi decoctum, aut vinum tenue aquosum. Curatio ipsa a venæ lienaris, aut eius quæ inter minorem & annularem digitum est, incisione auspicetur, modo nihil sit quod eam fieri vetet. Venter per clysterem assidue eluatur, potissimum si venæ secandæ medela relinquatur. Deinde imponantur lieni medicamenta adstringentia, quæ id quod influit reprimere, & lienis firmitatem conseruare possunt. Neque tamen sola adstringentia sunt adhibenda, sed illis admisceantur quæ citra euidentem calorem extenuant, incidunt, & relaxant: ne scilicet crassus in eo succus obturatus vehementius incrassescat, quemadmodum Galenus *lib. 13. The. method.* diligenter ac erudite monuit. Quapropter si moderata fuerit phlegmone, vinum vetus ac austerum tenuiumque partium oleo dulci permixtum, & lana succida exceptum imponemus. Si vero maior sit caliditas, *rosaceum sit oleum, aut melinum, & chamæmelinum cum aceto.* Miscebis autem illa inter se hunc ad modum. *Olei rosacei, cotoneorum, sing. vnc. duas. Olei chamæmelini, vnc vnam. Aceti optimi, vnc. dimidiam.* Commisceantur omnia pro fomento, ac irrigatione. Quod si iam dicta olea non adsint, folia rubi, aut mala cotonea in oleo decoquantur, & quædam etiam tenuium partium addantur, vt est *absinthium & pulegium.* Cauendum etiam, ne aliquid actu frigidum lieni imponamus, sed quicquid est eorum medicamentorum quæ extrinsecus admouentur, tepido calore prędıtum sit. Post fomenta & irrigationes ad cataplasmata transeundum: in quorum compositionem *hordeacea & loliacea farina, cum caricis, lini semine, oleo in quo absinthium ac pulegium sint decocta*, assumantur. Ceterum cauendum, ne post irrigationes & cataplasmata locus denudetur: sed vbi hæc fuerint oblata, mox cerata aut emplastra eiusmodi, qualia in capite *De iecoris phlegmone* descripsimus, imponenda. Siquidem similia genere medicamenta ambo viscera postulant: tanto autem valentiora lienis sint, quanto crassiore vtitur alimento. Quare ex capite *De iocinoris vitiis*, medicamentorum formulas huic loco conuenientes, petes: hoc tantum obseruato, vt iis semper acetum, & quippiā quod lieni gratum sit, eiusq; robur peculiariter tueri possit, admisceas. Quod si in suppurationem ipsa lienis phlegmone tendat, quod tamen raro contingit, adiuuare eam oportet, ne plura corpora putrefiant, per cataplasmata, quæ pus producunt, de quibus in iecinoris phlegmone diximus.

[Margin: Indicia. — Victus. — Curatio. — Venę sectio — Clyster. — Quę imponēda lieni. (B) — Fomenta. (C) — Nihil actu frigidum lieni imponendum. — Lienis medicamenta valentiora sint. (D)]

De lienis scirrho. Cap. XXVIII.

Caussa. Phlegmone lienis minus recte curata, lien tumorem durum, quem Græci σκίῤῥον vocant, contrahit. Cuius mali caussa est humor quidā, qui veluti limus est, & lieni pertinacius adhæret. Est vero, quando citra phlegmonem oboritur durities, puta in tumore nimio. Tactu facile vitium, ex quacunque fuerit occasione, deprehenditur. Victus ratio debet esse extenuans, quare in cibo sumenda ea, quæ concoctu facilia sint, & succum bonum ac tenuem generent. Fugienda omnia, quæ duræ carnis sunt, & crassos generant succos, quæque concoctioni renituntur. Bibendum vinum substantia tenue, colore fuluum, ætate non admodum vetus, omnique adstrictione vacans. Plurimum etiam fiduciæ in exercitationibus ponendum, quibus ante cibum vti conuenit, corpore superuacuis non abundante. Manifestum autem est, quod vociferationes quoque oportunę & in tempore factę, in hoc malo summe opitulentur. Quod ad medicamentorum rationem attinet, certe valentioribus admodum, non solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vtendum erit. Intra corpus itaque validissimæ potiones, nam eas sine molestia tolerant, exhibendæ. Earum numero primas sibi partes vendicant *cortices radicum capparis, ceterachium siue asplenos, hæmionitis, tamaricis radix & germina, in aceto vel*

[Margin: (E) — Signa. — Victus. — (F) — Curatio. — Medicamenta.]

A *vel oxymelite cocta. Item centaurij minoris succus epotus, & lupinorum amarorum decoctum, cum ruta & pipere assumptum. Anagallidis fœmina scrupulus cum posca, aut oxymelite potus, mirifice confert. Conuenientissimum etiam lieni indurato remedium exsistit ferrum aqua, aut vino, aut posca sæpius subinde exstinctum.* Ea ipsa enim aqua, aut vinum, aut posca in principio exhibita, iucunda & vtilissima exsistit, & per plures ex ordine dies datur. Itaque febrientibus aquam, aut poscam præbeto: eis vero qui teneram carnem habent, ac febre carent, vinum. Sit autem ferrum quod in ipsis exstinguitur, *stomoma.* Est autem ferrum stomoma, q. in vsum aliquē formatum est, hoc est instrumenti alicuius formam redactum, ac chalybe roboratum: a verbo στομόω, quod *roboro*, ac quasi os *& aciem gladij firmo*, significat. Ipsius quoque stomomatis ferri squama, agrestioribus hominibus vtiliter exhibetur. B Præclare enim hæc lienem liquefacit, vt quæ consumendi facultatem habeat. Tamen ne inde ventriculus male afficiatur, aliquid ei ammiscere conuenit roborantium medicamentorum: vt est *scolopendrium, absinty coma, casia, anisum, serpillum montanum, aut id genus alia.* Extrinsecus fomentum hoc admoueatur, quod habet: *Centaurij minoris, aspleni, ceterachium vocant, hemionitidis, rutæ, singulorum manipulum vnum. Radicis corticis capparis, vnc. vnam.* Decoquantur omnia in aceto, & simulatque cocta fuerint, spongia in decocto irrigata lieni calida imponatur. Præterea mirum effectum ostendit hoc etiam vnguentum, quod habet: *Oleorum e capparibus, liliacei, irini, singulorum vnc. vnam. Medullæ ossium cruris bubulini, drach. duas. Lenij cremoris radicis altheæ, fœnograci, seminis lini, singulorum drach. vnam. Pinguedinis taxi, gallinaceæ, anserinæ, singulorum drach. duas. Corticum* C *radicis capparis, tamaricis, costi, centaurij minoris, singulorum drach. vnam. Ammoniaci, bdellij, galbani, singulo. drach. dimidiam. Gummi prius in aceto dissolutis, cum cera quod satis est, formetur vnguentum.* Plurimum quoque conferre solent emplastra & cerata ad eum compositamodum: *Accipe oleorum liliacei, irini, de capparibus, singulorum vnc. vnam. Farinæ hordeaceæ, fœnograci, seminis lini, singul. drach. vnam. Corticum radicum capparis, hæmionitidis, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Radicis altheæ, drach. vnam. Bdellij, ammoniaci, galbani, singulorum drach. vnam & dimidiam. Opopanacis, myrrhæ, thuris, vtriusque drach. dimidiam. Cum resina terebinthina & cera quod satis est, informetur ceratum.* Porro oportet medicum diligenter ad affectum respicere, & pro eius ratione tum addere, tum adimere ea quæ aut emolliunt, aut attenuant, & discutiunt, aut quæ robur addunt. Prosunt deniq; non parum cucurbitulæ cum scarificatione affixæ. D

Ferrum in aqua exstinctum. Stomoma ferrum. στομόω. Fomentū. Vnguentū.

De lienis obstructione. Cap. XXIX.

Accidit interdum, vt non solum propter attractricis quæ est in liene facultatis imbecillitatem, verum etiam meatus, per quem atræ bilis feculentus humor ex iocinore in lienem deriuatur, obstructionem, impurus ac vitiosus sanguis deinde in vniuersum distribuatur corpus. Quod si contigerit, tunc color corporis vitiatus ad nigredinem vergit: nonnunquā etiam immedicabilia vlcera hoc modo affecti obtinent. Caussæ ex iis quæ in cap. *De iocinoris obstructione* diximus, facile sciri possunt. Malum vero cognoscitur ex grauitate quæ est circa sinistrum hypochondrium, vitiato præterea totius corporis, præsertim vero faciei, colore: spiritus difficultate, turbulentis somniis, & aliis quæ ex iis quæ supra dicta sunt, sua sponte innotescunt. E Curatur is affectus, victus ratione extenuatoria, & medicamentis obstructionem tollentibus, quorum magnam copiam studiosi *in capite De iecoris obstructione* inuenient. Vtraq; enim viscera similibus genere medicamentis indigent. Lien tamen tanto fortioribus eget, quanto crassiore vtitur alimento. Quapropter quatenus ad humorum crassiorum vt vacuationi promptius obediant præparationem attinet, iisdem certe medicamentis opus erit: hoc duntaxat obseruato, vt hic sint omnia validiora, & sibi commixta habeant quæ robur visceri addere possunt. Præparati humores dein vacuandi sunt per ea medicamenta, quæ crassos F & feculentos humores purgant, quorum iam crebro facta est mentio. Posthæc & intrinsecus & extrinsecus ea sunt admouenda medicamenta, quæ cap. *præcedente, & cap. De iecoris obstructione* comprehēsa sunt. Quapropter hæc loca abunde satis medicamentorum nobis suppeditabunt.

Caussæ. Signa. Curatio. Præparatio humorum.

De ictero. Cap. XXX.

Icterus. Caussæ.

Ἴκτερος nihil aliud est Græcis, nisi *bilis, modo flaua, modo atræ, per vniuersum corpus effusio.* A
Celsus *auriginem* appellat hoc vitium, alii *arquatum*, & *regium*. Harum vero appella-
1. tionum omnium caussas diximus *libro Instit. tertio sect. 1. cap. 30.* Fit interdum iocinore
2. nihil patiente bilis effusio ad cutem, in iudicationibus morborum. Nonnunquam vbi
citra febrem sanguis ab extranea aliqua occasione corrumpitur, ac biliosus efficitur,
sicut a venenatarum bestiarum morsibus contingere consueuit. Ita quidam quum mor-
3. sus a vipera esset, vniuersum corpus porraceo colore maculatum habuit. Quinetiam
fieri potest, vt propter phlegmonem, aut naturalis intemperiei iocinoris permutatio-
nem, eiusmodi humorum corruptio accidat, vt aliquando herbis pallore albicantibus
4. totum corpus manifeste assimiletur, aliquando etiam plumbi colorem induat. Quem-
5. admodum etiam eiusmodi colores nigriores fiunt, si ob lienem male affectum accidat. B
Fit etiam nonnunquam propter imbecillitatem vesicæ bilis susceptricis, quæ bilio-
sum humorem, veluti consueuit, in sese ex iocinore non attrahit, atque adeo impurum
sanguinem relinquit. Flaua igitur bilis, vbi non omnino, vel non rite segregatur, & ex-
6. purgatur, per totum corpus cum sanguine diffusa, huius vitii caussa est. Aliquando et-
iam propter obstructionem & debilitatem vasorum, quorum ora ex ipsa ad iecur deri-
7. uantur, humorem biliosum non attrahit. Nonnunquam etiam propter meatus, qui ad
intestina vadit, obstructionem. Ceterum vt icteri caussas probe discernamus, excre-

Signa.

mentorum figura & color necessario consideranda erunt, quum in aliquibus multum
colorata per flauam bilem appareant, perinde atque in aliis etiam vrina. In quibus igi-
tur ratione iudicationis bonæ in febribus biliosus humor ad cutem prorumpit, iis & ex- C
crementa & vrinæ naturali modo se habere videbuntur. Si autem cum febri & biliosis
deiectionibus inuadat, & in dextro hypochondrio grauitas adsit, feruens iecoris
phlegmone significatur, cuius vi sanguis in bilem mutatus, per vniuersum corpus de-
fertur. Sin feruor citra grauitatem in ipso subsket, ex sola calida iecoris intemperie vi-
tium oritur. Quibus vero citra febrem vna cum grauitatis alicuius sensu circa dextrum
hypochondrium alba excrementa deiiciuntur, in iis vesicæ bilis susceptricis meatuum
obstructionem esse factam putandum est. Si vero citra grauitatem talia deiiciantur, vi-
res horum esse infirmas existimandum est: vel attractricis, quæ humorem biliosum

Icterus ater.

ex iocinore elicit: aut expultricis, quæ ad intestina eundem propellit. Statim etiam iis
vrinæ biliosissimæ affatim excernuntur. Porro quibus atræ bilis humor vna cum san- D
guine ad cutem delatus est, hi omnino grauius patiuntur. Consequitur enim ipsos tri-
stitia præter rationem, & mordacitas eorum quæ circa ventrem sunt, difficultasque
spirandi, & cibos auersantur, & nigras vrinas excernunt. Stercora vero chalcanthi co-
lorem referunt, & aluus iis magis resiccatur. Ceterum eos, qui ex flaua bile icterum
contrahunt, nulla mordacitas eorum, quæ circa ventrem sunt, consequitur: neque etiā
tantopere auersantur cibos. Stercora candida egeruntur, vrinæ autem crocei coloris,
turbatæ tamen permanent. Communiter tamen omnibus icteris pigrities ad motum
accidit, & ad dulces cibos animum habent alienatum. Pruritus etiam vniuersi corporis
comitatur. Candida oculorum, & partes faciei temporibus propinquæ, itemque malæ
pallorem ostendunt. Venæ etiam sub lingua repletæ reperiuntur, & abundātem humo- E

Curatio icteri iudicationis ratione accidentis.

rem significant. Ictero itaque ratione bonæ iudicationis, febribus perfecte solutis cor-
repti, facilime curantur, si lauacris aquarum dulcium vtantur, ac olei discussorii per-
frictione, ac omnibus, quæ cutem rarefaciunt, qualia sunt oleum chamæmelinum, a-
nethinum, irinum, aut similia. Rosmarinus etiam herba oleo incocta, plurimum dis-
cutit. Victus ratio vniuersa in iis vt sit humida, & humorum crassitiem moderate ex-

Ex morsu virulētorū.

tenuans, oportet. Qui ex virulentorum animalium morsib., & lethalis veneni potione,
ictero corripiuntur, curandi fere sunt alexipharmacis, sicut ii, qui a rabido cane morsi

Ob intemperiem & phlegmonē iocinoris.

sunt, de quibus suo loco abunde satis diximus. His qui ob calidam iocinoris intemperiē,
aut phlegmonem eiusdem arquati fiunt, curationem, quæ supra *De iecoris phlegmone* di- F

Ab obstructione.

cta est, adhibere oportet. Quapropter quæ illic commemorauimus, huc transferenda
erunt. At si propter obstructionem vesicæ fellis susceptricis fiat icterus, tunc duo ma-
xima remedia principatum obtinent, venæ sectio, & purgatio. In quibus igitur mul-
titudo sanguinis vna cum bile in vniuerso corpore abundat, & quos circa iecur aut
lienem grauitas aut distentio infestat, nihil venæ sectione vtilius fieri potest, modo
non

A non sit quod hanc fieri impediat. Secanda vero vena est in dextro gibbero, interna, idque iecore male habente: liene autem laborante, in sinistro, sanguisque particulatim & per vices detrahendus, ne per coaceruatam vacuationem vires ægri prosternantur. Quod si a venæ sectione excludimur, commodissime clyster adhibet. Cōmode autem & a venæ sectione clyster iniicitur, vtpote qui propter stercorum vacuationem spirandi facilitatem efficit, intestinaque irritando, ac mordendo humores ad cutis superficiem delatos, ad ipsa retrahit ac reuellit. Sit vero ad eum compositus modum. Accipe *intybi vtriusq., marrubij, eupatorij, adianti, origani, absinthij, singulorum manipulum vnum. Seminum anisi, fœniculi, petroselini, asparagi, singul. drach. duas & dimidiam. Radicum glycyrrhizæ, apij, fœniculi, singulorum vnc. vnam. Bulliant in aqua sufficienti ad tertias, & colo transfundantur, accipianturque iuris decocti, vncia tredecim. Casiæ fistularis, vnc. vna. Hieræ picræ, vnc. dimidia. Antidoti de succo rosarum, drach. duæ. Oleorum anethini, irini, vtriusque vnc. vna & dimidia. Salis drach. vnc. Commistis omnibus fiat clyster.* Verum purgationes huic vitio magis propriæ & familiares sunt, sic tamen vt eduliis & potionibus itemque medicamentis humores prius attenuentur. Cibis igitur vtendum *concoctu facilibus & extenuantibus, volucribus montanis, piscibus saxatilibus, oleribusque vrinam cientibus, præsertim intybis, asparago, smyrnio, fœniculo, & similibus.* Carnes ferinæ mansuetis magis sunt aptæ, potissimum caprearum. Pro intinctu seu embammate valet acetum, in quo aristolochia macerata sit. A fructibus abstinendum. Bellaria tamen sint amygdalæ, sed modice sumantur, & cicer modice torrefactum. Eius etiam decoctum assidue potatum, non parum confert. Vinum conuenit album & tenue, non valde vetustum. Quod ad medicamenta ipsa attinet, sumenda ea quæ in *capite De obstructione iocinoris, & libro primo capite duodecimo* dicta sunt. Præ aliis autem maxime confert *apij, petroselini, adianti, calaminthæ, verbenacæ rectæ, rubiæ radicis, aristolochiæ, serpylli, hypericique decoctum.* Extenuatis & præparatis tandem humoribus, medicamentum quod flauam bilem purgat exhibendum. Sunt autem ictero laborantibus purgationes dandæ fortiores: ob ventriculi enim siccitatem imbecilliores, minusque efficaces in ipsis cognoscuntur. Quæ vero præ aliis conferunt, est dilutum rhabarbari *lib. 1. cap. 12.* descriptum, ac hiera picra, antidotus de succo rosaceo, de psilio, & diaphœnicon. Quod si primo medicamento purgante nihil proficias, rursus ad ea quibus tollendi obstructiones facultas inest reuertendum, & post triduum D rursus violentius purgandum. Si liene laborante vitium oriatur, ad caput *De melancholia, & lienis obstructione* recurrendum. Purgatione facta per aluum, deinceps ea quæ viscera expurgant exhibenda sunt medicamenta. In quem vsum vnice confert radix cyclamini trita & pota. Hæc enim non solum viscera repurgat, verum etiam ad bilem in vniuersa cute excludendam per sudorem aptissima est. Quare post eius potionem, sudorum exclusionem, per velamenta ac concalefactionem in lecto iuuare oportet. Dantur autem ex ea *drachmæ duæ, aut tres, ex aqua mulsa.* Præclare quoque facit *corticis raphani succus, vino meraco dulci permixtus, aut vino mulso, sic vt succi vnciæ duæ. Vini, vnc. vna contemperentur.* Vermes etiam terreni exsiccati ex vino mulso per triduum dati, icterum per lotium eiicient. Datur item valde commode *cichorii & intybi succus*, febriētibus quidem per se, febre carentibus cum vino. Cassuthę quoq; succus mirifice prodest. Commodissimum etiam est *chamæmelum*, quę & *leucanthemus* appellatur, itemq; *buphthalmum.* Ceterum medicamenta quæ in potu accipiuntur omnia, si fieri potest in balneo exhibeantur, vbi nimirum ægri in calidum solium in quo decoctæ sint herbæ *chamæmelum, fœniculum, petroselinum vulgare siue apium*, & id genus aliæ conscenderint. Plurimū quoq; victus rationi virium refocillatrici hoc tempore intentum esse oportet, per quam facultas excretrix reparetur, etsi qua pars læsa sit corroboretur, atque præsens coloris corruptio repurgetur. Quapropter conueniunt exercitia, gestationes, inunctiones ac exsudationes. In hunc vsum *pyrirateria, seu vaporatoria sicca* conferunt, in quibus oleum in quo F serpyllum aut rosmarinus herba decocta sit, corpori illinendum. Quod si vero quippiā ex ictero circa faciem & oculos relinquitur, vrinę autem apparent puræ, aluusque consueto more egerit, narium infusis vtendum. In quem vsum cyclamini succus, item nigella cum aceto, anagallidis & betæ radicis succus infunditur. Acetum etiam acerrimum naribus attrahat æger in solio desidens, contineatque pressis naribus paulisper, & mirifice vacuabitur.

Venæ sectio. Clyster. Victus. Purgatio. Quæ viscera expurgent. Succus corticis raphani. Solium calidum. Vitiatus color faciei & oculorū vt amouēdus.

De malo corporis habitu. Cap. XXXI.

καχεξία. Caussæ. Καχεξία Græcis nihil aliud est, *nisi malus corporis habitus.* Eiusmodi vero est, qui in aquositatem diffunditur, & in quo vniuersa corporis miscella laxior fit ac mollescit. Hoc malum vt plurimum ex longo morbo congregatur: iam vero & ex viscere quopiam in scirrhum indurato consequitur, potissimum iecore & liene. Neque raro in dysenteria diuturna, & affectionibus cœliacis contingit, ob consuetam item aliquam cohibitam excretionem. Signa. Corpus ipsum totum cum virore albicans redditur, ac inualidum, ita vt crura inter eundem vacillent. & in principio quidem concoctiones impediuntur, manente etiamdum appetitu: postea vero & fastidium accedit, & respiratio ipsis fit rara ac debilis, quæ motibus & actionibus condensatur. Aluus etiam inæqualia recrementa excernit. Capiuntur hoc malo maxime senes, & pueri, qui facile pereunt propter vitalis facultatis imbecillitatem, & quod ob cutis raritatem succi in eis prompte transpirent. At vero qui in vigore sunt, raro incidunt, & facile se inde extricant. Vitium hoc si diutius durat, in aquam inter cutem transit, ideoque eius curatio non erit differenda. Victus ratio. Victus in vniuersum sit tenuis, & siccus. Cibi itaque eorum sint simplices, & qui facile cōcoqui possint, ac optimum procreare sanguinem. Curatio. Vitent bellaria omnia, item nidorosa, humores crassos & viscosos generantia, & quæ difficulter concoquuntur. Vinum conuenit eis album, tenue, odorum. Quod vero ad curationem attinet, si quidem ex consuetæ excretionis cohibitione vitium accidat, irritare ac prouocare eam ipsam excretionem oportet. Quapropter sanguinis detractione, si nihil sit quod eam impediat, quæ paulatim & partitis vicibus fit, ad tertium vsque aut quartum diem vtendum, in iis qui ob hæmorrhoidum, aut mensium retentionem vitium inciderunt. In iis autem qui copia vitiosorum humorum laborant, sanguinis missio noxia est, quare conuenienti potius aliquo medicamento purgante ex *Hiera*, *Rhabarbaro*, *vel agarico* vacuandi sunt. Corpore vacuato, aquarum sponte natarum vsus sit, maxime aluminosarum & nitrosarum, mox sulphurearum. Hæ namque aquæ robori & viribus reparandis conducunt. Varie quoque exercitentur deambulationibus, gestationibus, vociferationibus, frictionibus, per linteola, & alia moderata exercitia. Deinde inunctione ex oleo absinthii maxime vtantur, cui quædam quæ humores resiccant, vt sunt nitrum & sales, sint infarta. Ad lassitudinis autem curationem, balneum per interualla quædam adhibeatur. Mirifice quoque ipsos iuuat absinthii potio, & adhibiti dropaces. Quod si iecur male afficiatur, aut aliquod aliud ex visceribus, mederi his ipsis per remedia ad singula ipsorum supra præscripta conuenit. Iecori autem in primis succurrendum erit, ipsumque roborare oportet, quum sanguinis generandi sit organum. Si malum in hydropem deciderit, aquæ inter cutem curationi subiicietur, quemadmodum exponemus.

De aqua inter cutem. Cap. XXXII.

Aquæ inter cutē species. ἀσκίτης. Hydropis, sæua quæ inter cutem tres sunt species: vna enim Græcis ἀσκίτης, alia τυμπανίτης, & tertia ἀνασάρκα, ὑποσάρκα, σαρκίτης, & λευκοφλεγματία dicitur. Ascites fit, *quum inter membranam peritonæum appellatam, & intestina, plurimus aquosus humor coaceruatur.* Sic autem Græcis dicta est, quod ἀσκῷ, hoc est *vtri modo membrana ipsa repleta esse aqua videatur.* τυμπανίτης. Tympanites accidit, vbi flatus ac spiritus superuacuus plurimus in prædictis ventris locis colligitur. ἀνασάρκα. *Anasarca* contingit, quando per vniuersam corporis molem humor disseminatur, vt instar spongiarum aut papyri vniuersa caro per humida & madefacta prorsus appareat. Caussæ. Fit hydrops ob insignem iecoris frigiditatem, aut propter alias partes impense refrigeratas, quæ iecur in eundem deducere affectum possunt. Coafficitur vero iecur lieni refrigerato, ventriculoque & intestinis, maxime iis quæ sunt iuxta intestinum ieiunum, pulmoni denique & renibus, ac septo transuerso. Contingit etiam ex immodica hæmorrhoidum vacuatione, aut e fluxu muliebri, aut ob menstruorum retentionem, aut propter alium quendam magnum vteri affectum. In iis enim omnibus nullum præter naturam tumorem iecur habet, & tamen aqua inter cutem corpus corripitur, ex sola refrigeratione iecore in principio affecto, post vero aliquando & durum fit. Quod palam in illis videre est, qui ex intempestiua frigidæ aquæ potione iecur aceruatim refrigeratum obtinent, vt statim hydrops consequatur, priusquam ipsum in scirrhosum tumorem eleuetur. Multi autem & a podagra, & coxēdicum dolore vexati,

aquam

A aquam inter cutem inciderunt. Frequentissime autem eos qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt, itemque ictero infestatos, hydrops consequitur. Cœliacam item affectionem, & dysenteriam. Communiter omnis hydrops spirandi difficultatem, & tumorem, & grauitatem, & vitiatum colorem inducit, ex virore nimirum albicantibus ægris. Fastidiunt etiam cibum, potum autem largiorem appetũt, maxime qui ex ascite laborant. Etenim humor qui in locis prædictis detinetur, salsus est, & putrefactus: quare febris etiam sequi vt plurimum solet. Aqua inter cutem minus fœminæ, quam viri tentantur. Pueri vero magna ex parte hydrope anasarca corripiuntur. Inter vero supra commemoratas tres species, tympanites omnino periculosior, Signa.

B minus ea ascites, anasarca. Victus autem omnium hydropicorum communis est, vt cibus sit concoctu facilis, & sufficienter coactus, atque aridus. Exsolutus enim & humidus, aptus est vt in aquositatem commutetur. Panis itaque optimus clibanites, qui salẽ, ammi, fœniculum, anisum, aut cuminum habeat admixtum. Debet is etiam probe fermentatus esse, sic enim minus adstringit, aut obstruit. Ex auibus conueniunt sicciores, velut *phasiani, perdices, turtures, turdi, merulæ, & similes*. Ex terrestribus, *caprea, lepus*. E mansuetis & cicuribus, *pulli gallinacei assi, extremæ suum partes*. Ex aquaticis, *cancri fluuiales*. Oua etiam assata prosunt. Olerum rarus sit vsus. Quæ vero eis exhibentur, acriora sint, & extenuandi calefaciendique vi prædita: velut est *apium, petroselinum, daucus, eruca, pulegium, brassica, allia cocta, cepæ, porri capitati*. A leguminibus vero abstinendũ Victus ratio cõmunis. Panis.

C in totum. Pro liquamine vtantur aceto cum pipere, cinnamomo, & similibus. Sales sint ex *fœniculo, hyssopo, rosmarino, apioque compositi*. In potu tantum præbendum, quantũ ad frangendam aliquo modo sitim sufficit: supra modum enim incommodat hydropicis plurimus potus. Bibendum autem vinum tenue, & quod vrinam ciet. Dulcia vero vina, & mulsum, vitanda. Acetum vero mirifice illorum sitim restinguit. Porro maximam quoque ciborum partem in cœna accipiant. Plurimos fructus, & secundas mensas vitent. Concedendæ tamen *nuces, amygdalæ, mala punica, palmulæ, vuæ passæ, pyra cocta, & caricæ*. Omnia tamen sumant moderate, nec quotidie. Lectus non valde mollis sit, præsertim eorum qui anasarca laborant. Substernantur autem herbæ resiccantes, velut Sales. Potus.

D est *pulegium, calamintha, origanum, & similia*. Mirum est enim, quantum huiusmodi resiccent per somnum: vt constet, iam quosdam frumenti aceruis obuolutos & absconditos, a somno surrexisse firmos. Exercitationes etiam, si æstas & dies serenus fuerit, in sole fiant, capite tamen velato. Sin frigus sit, in domibus per subiectum ignem concalefactis, aut iuxta ignem. Expedit vero in primis equitatio, & huc atque illuc in sella circumferri. Ceterum pedibus si per vires laborantis fieri potest, deambulare multum, & quandoque currere, quam gestari, satius est. Obuoluendi etiam ægri in pellibus sole vstis, aut in arenam calidam defodiendi. Post exercitia, sudores per lintea asperiora extergantur. Optime quoque conducit, si quotidie ter quaterve frictione vtantur. Hæc enim meatus conuenientes aperit, humores quoque desiccat, extenuat, atque dissicit. Exercitatio.

E Valde itaque celeriter & sudores elicit plurimos, & carnem cogit. Perfricãdi vero sunt manibus aridis, aut ex sale in aqua aut oleo calefaciente trito. Posthæc cum aqua aluminosa, aut sulphurea, aut salsa lauandi. Nonnullis enim qui anasarca correpti fuerunt, & huiusmodi balneis assueuerunt, ea ipsa ad deterendum morbum, tum ad habitum valentiorem reddendum suffecerunt. Atque hactenus victus rationem speciebus aquæ inter cutem communem commemorasse satis sit. Quantum vero ad curandi rationem attinet, omnium hydropicorum commune remedium statim initio est, humoris redundantis vacuatio. Hæc vero nunc per venæ sectionem, nunc per purgantia, & per ea quæ vrinam mouent medicamenta perficitur. Quæ autem speciatim huic vel alteri cõuenit speciei, in sequentibus docebimus capitibus, in quibus particulatim singularum curationes prosequemur. Curatio cõmunis.

F

De anasarca. Cap. XXXIII.

IN anasarca quidem totius corporis moles, & vniuersa caro, *vt dictum est*, instar spongiæ madida & laxa apparet, atque adeo totum corpus intumescit, ac mortuo simile euadit. In ea curandi ratio a sanguinis detractione auspicanda, vbi scilicet mali origo ex suppressis hæmorrhoidib. aut mẽsibus existit, aut ab alia plethorica caussa incepetit, Signa. Curatio. Venæ sectio.

& virtus atq; ætas permiserint. Eius rei testis est *lib. 4. victus acuto. commen. 104.* Galenus, A
vbi sic scriptum reliquit: *Sola anasarca interdum sanguinis detractione indiget, quum scilicet ex retentione hæmorrhoidum, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita sit plethorica caussa, inceperit.* Idem etiam Paulus, qui ad verbum sua ex Galeno transcripsit, *libro tertio cap. 48. tradit.* Quod commemorandum nobis esse duximus, ne quis nos in omni anasarca sanguinē mittendum esse præcipere putet. Eleganti autem similitudine, Galenus loco iam citato vtitur, dicens: *Propter plenitudinem prope accedente calore natiuo ad exstinctionem, ei vt igni contingit.* Vt enim appositis lignis tum humidis, tum multis prope exstinguitur, nisi quis multitudinem sustulerit: sic & in frigidiore ob copiam sanguine vbi calor natiuus fere extinguitur, sanguinis missio præsentissimum remedium est. Hac namque ratione B
plenitudo quæ infestat exhauritur, & languentis natura exonerata alacrior fit, & mali caussa minuitur, ac deinde minore negotio redit sanitas. Licet enim ex sanguine frigidiore nascatur, & frigiditatis ratione illa non indigeat, tamen quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illum affectum facile superet rationi consentaneum est. Prauis humoribus per sanguinis missionem detractis ac vacuatis, ad purgantium medicaminum præsidia veniendum. Quod si tamen extenuatione ac humorum ad expulsionem præparatione opus sit, decocta & alia quæ supra in capitibus *De iecoris tum imbecillitate tum obstructione dicta sunt*, exhibeantur. In quem sane vsum etiam serapia ex absinthio, intybo satiuo latifolio, eupatorio, e calamintha, hyssopo, & byzantino propinanda. Purgantia vero medicamanta simplicia sint, rhabarbarum & C
agaricum. Composita autem, catapotia *de rhabarbaro, de hiera simplici, de agarico, & similia.* Initio etiam hiera picra conueniet, quod hæc ipsa obstructiones auferat, ac visceribus robur addat. Cauendum igitur vnice erit, ne validiora, quæque nullum robur iecori adiiciunt, medicamenta purgantia exhibeantur. Quin infestans humor sensim & paulatim per leuiora medicamenta educendus. Semel enim & confertim vacuantes, mirifice vires deiicimus, iecurque refrigeramus. Singulis igitur septimanis aluus subducenda, semperque a mitioribus ad valentiora sensim transeundum. Conuenit itaque antidota diaphœnicon, & indi in hac hydropis specie. Præclare etiam purgat, radix sambuci in vino decocta. Prodest itidem & ebuli radix: eadem namque D
vtrarumque vis est. Porro reliquo curationis tempore, quo purgantibus medicamentis abstinet, exhibenda quæ iecori robur addunt: quorum multa supra vbi qua ratione eiusdem tum imbecillitas, tum obstructio curanda essent docuimus, dicta sunt: & quæ vrinam mouere possunt. In quem vsum non absurde antidotus *diarrhodon abbatis, aromaticum rosaceum, dialacha, diacurmuma, pastilli de eupatorio, rhabarbaro, absinthio, theriaca, & similia exhibebuntur.* Ceterum vnice proderit hoc medicamentum, quod habet: *Specierum diacurcumæ, dialachæ, vtrarumque scrupulum vnum. Specierum diatrionsantalon, diarrhodon abbatis, vtrarumque drachmam dimidiam. Specierum aromatici rosacei, scrupulum vnum. Rhabarbari selecti, drachmam dimidiam, Seminum intybi satiui latioris, melonum, fœniculi, singulorum scrupulos duos. Absinthij, chamameli, cassuthæ, singulorum scrupulum vnum. Nucis moschatæ, iunci odorati, spicæ nardi, singulorum scrupulum dimidium. Sacchari candidissimi, vnciam vnam. Misceantur singula, fiatque tritura.* Mirifice quoque confert hoc, quod E
accipit: *Seminum carei, fœniculi, anisi, singulorum scrupulos duos. Seminum cumini, & hyperici, vtriusque scrupulum vnum. Seminum ammeos, petroselini, dauci, smyrnij, singulorum drachmam dimidiam. Radicum iridis & asari, vtriusque drachmam vnam. Absinthij, scrupulum vnum. Glycyrrhizæ, drachmam vnam. Sacchari æquale omnibus pondus. Commixtis singulis formetur tritura.* Et sane danda opera, vt in anasarca magis sint sicca, quam humida medicamenta, propter totius videlicet corporis habitum aquosiorem. Porro extrinsecus plane adhibenda sunt ea medicamenta, quæ humores desiccare possunt, vt sunt cataplasmata, emplastra & vnguenta, aliaque quibus desiccandi facultas inest. Conuenit ita cataplasma ex *hordeacea farina, fabaceaque, fœnograeco, radice ebuli, baccis lauri, absinthio, & origano in vino decoctis confectum, & toti ventris capacitati impositum.* Item *stercus bubulum* F
conuenienter resiccatum, non inepte cum posca, aut oxymelite imponitur, infarcta ac superinfusa sulphuris quarta parte. Caseus quoque recens multum coaguli habens, optime ad omnes tumentes partes impositus facit. Denique stercoris columbini & caprini, buphthalmi, & chamæmeli æquales partes tusæ, in acerrimo aceto & melle coctæ adhibeantur.

Purgatio.

Purgantia simplicia.

Radix sambuci.

Robur addentia iecori, & vrinam mouentia.

Tritura.

Alia.

Extrinsecus quæ admouenda medicamẽta.

Cataplasma.

A Emplastris insuper vtendum ex *fermento, caricis, nitro, iride, meliloto, saluia, pulegio, cardamomo, sulphure viuo, baccis lauri, staphyde agria, sale ammoniaco, mastiche, thure, abrotano, aristolochia rotunda, fimo columbino, cum oxymelite compositis.* Verum cerata pinguia & resinosa, vtpote quæ inflent, & tumores, eo quod difflationem impediunt, distendant, vnice vitanda sunt. Debent tamen crura, manus, aliæque corporis partes in tumorem sublatæ in sole, aut iuxta ignem, hoc medicamento crebro inungi, quod habet: *Vnguenti Agrippæ, unc. vnam. Axungiæ suillæ, vnciam vnam & dimidiam. Farinarum seminis lini, fœnograeci, fabarum, hordeaceæ, sing. drachmas duas. Seminum altheæ, nigellæ, dauci, sing. drach. vnam & dimidiam. Sulphuris viui, drachmas tres. Boli armenij, drachmas duas. Radicis iridis,* B *drachmas duas & dimidiam. Aluminis scissi, thuris, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Euphorbij, drach. vnam. Oleorum irini, liliorum alborum, chamæmelini, sing. vnciam vnam & dimidiam.* Cum cera quod satis est, fingatur vnguentum, quo liquefacto ad prunas, creberrime partes tumidæ illinantur. Quæ ad victus rationem attinent, ea ex præcedenti capite sunt petenda. Vnguentū.

De ascite. Cap. XXXIV.

IN ascite venter totumque abdomen intumescit, eoque concusso, talis auditur sonus, qualem vter aqua non omnino plenus reddere solet. Reliquæ vero partes corporis, superiores præcipue, minime inflantur. Victus ratio in hac aquæ inter cutem specie sit ex montanis auiculis, & aliis concoctu facilibus, & bonum procreantibus succum, *vt* C *dictum est supra capite trigesimosecundo.* Curandi ratio a purgantium medicamentorum vsu auspicabitur. Sint autem talia, qualia capite præcedente commemorauimus. Reliqua vero omnia superat brassica marina, quam *Soldanam* & *Soldanellam* hodie vocant, in potu assumta. Hæc enim in educenda hydropicorum aqua mirificum ostendit effectum: ita vt non pauci solius eius vsu sanitati sint restituti. Dantur ex ea drachmę duæ, plus aut minus, pro corporis diuersitate, in vino, aut lactis sero. Conferunt etiam plurimum catapotia de *sagapeno, & drachma dua aut tres succi radicis iridis, adiecta sacchari vncia vna.* Clysteres etiā adhibendi acres, nisi venter sua sponte humescat: tunc enim exsiccare ipsum magis conuenit. Inter alios autem is potissimum commendatur, qui habet: *Florum daphnoidis, drach. duas. Radicis polypodij, agarici, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Cassuthæ,* D *drach. tres. Decoquantur in vino aut aqua, donec tertia pars absumatur.* Dein accipe *iuris decocti colati, lib. vnam. Benedictæ laxatiuæ vocatæ, vnciam dimidiam. Antidoti Indi, drach. duas & dimidiam. Mellis rosacei, vnciam vnam. Olei rutacei, chamæmelini, irini, sing. unc. vnam. Salis fossilis, drach. vnam & dimidiam. Commisceantur omnia, & fiat clyster.* In eundem vsum *colocynthis, cartamus, baccæ lauri, semen anisi, ammi & carei, ruta, radix cucumeris syluestris, aliis quibusdam adiectis, si videbitur, decoqui possunt.* Post prædicta auxilia, vētri vniuerso aliquod ex præscriptis cataplasmatis, & emplastris imponatur. Adhibeantur etiam inunctiones, vrinam, & sudores mouentia auxilia, atq; exercitia, de quibus ante copiose diximus. Ceterum ventris punctio, & aquæ in ventre retentæ emissio, qua nonnulli vtuntur, cōfert, si fiat priusquam iecoris sanguinē efficiēs facultas penitus emortua fuerit. Iecoris enim E munere pereunte, aqua quoties emissa fuerit, denuo generatur.

Signa. Victus. Curatio. Brassica marina. Soldanella. Clyster. Punctio ventris.

De tympanite. Cap. XXXV.

IN hoc vitio venter inflatur, distenditurque, & concussus tympani sonitum edit: reliquæ vero corporis partes emaciantur. Victus rationem prioribus speciebus similem requirit, in ea tamen præcipue vitanda sunt omnia flatuosa. Exercitia etiam multa, & sitis ingens ægrotantibus strenue succurrūt, auxiliaturque. Curationis initium a purgantibus medicamentis, quorum copiam in superioribus inuenient studiosi, esto. Ceterum non temere etiam clysteres, quibus flatus discutiendi facultas inest, infunduntur, qualis est qui accipit: *Radicum apij, fœniculi, vtriusque vnc. vnam. Seminum anisi,* F *fœniculi, dauci, smyrny, petroselini, cumini, sing. drach. duas. Carei, drach. tres. Rutæ, asari, foliorum ebuli, meliloti, sing. manipul. vnum. Bulliant in aqua ad tertias, dein accipiantur iuris decocti colo transfusi, vnc. duodecim. Hiera picra, benedictæ laxatiuæ, vtriusque vnc. dimidia. Antidoti de baccis lauri, drach. tres. Oleorum rutacei & anethini, vtriusque vnc. vnam & dimidiam. Salis, drach. vnam & dimidiam. Commisceantur, fiatq; clyster.* Danda quoq; sic affectis sunt q̄ vrinā mouent, atque iis quæ flatus discutiunt tam intrinsecus q̄ extrinsecus vtendū, quorum

Signa. Victus. Curatio. Clyster.

Sacculi. copiam in capite De coli doloribus studiosi reperient. Venter certe quotidie *panico, milio, sale, furfuribus, folijs rutæ, seminibus apij, fœniculi, anisi, cumini, chamæmeli floribus, cinere calido, sacculis insutis*, fouendus. A

Ceratum. Potest & hoc imponi ceratum, quod habet: *Florum chamæmeli, meliloti, sing. drach. vnam & dimidiam. Mentastri, satureiæ, asari, sing. scrup. vnum. Seminum anisi, fœniculi, rutæ, cumini, dauci, sing. drach. vnam. Cardamomi, scrup. dimidium. Myrrhæ, castorij, vtriusque scrup. vnum. Olei rutacei, vnc. tres. Olei anethini, vnc. vnam & dimidiam. Resinæ & ceræ quod satis est, fiat ceratum.*

Cucurbitulæ. Cucurbitulæ præterea leues, cum multa flamma, crebro toti ventri infixæ mirifice conducunt. Venter denique aspero linteo tantisper dum rubor excitetur, perfricandus.

Morsuli. Intrinsecus vtendum antidotis *dianisi, diacumini, & e lauri baccis: vel ista quæ habet, Specierum dianisi, diacumini, vtriusque scrup. vnum.* B *Specierum antidoti de baccis lauri, drach. vnam. Specierum diagalangæ, drach. dimidiam. Seminũ anisi, carei, dauci, fœniculi, sing. scrup. dimidium. Foliorum rutæ, seminum apij, smyrnii, sing. scrup. vnum. Sacchari, vnc. sex. Dissoluti in stillatitiis liquoribus fœniculi & apii, formentur morsuli.* Reliqua remedia ex capite *De coli doloribus* petenda.

De renibus cruentam vrinam excernentibus. CAP. XXXVI.

Caussæ. RENum nonnunquam vitium accidit, in quo tenue sanguinis serum mingitur. Fit vero propter renum imbecillitatem, vrinam subinde secernere nequeuntium. Aut propter dilatationem & amplitudinem osculorum, ex vena caua vrinam ad renes excolantium. Quum enim ampliores ac patentiores meatus fuerint, quiddam etiam ex sanguine venæ, emittũt, aliaq; itidem crassa. C Sæpe etiam renes iuxta circuitus quosdam sanguinem excernunt, simili modo vt ex hæmorrhoidibus fieri consueuit. Quidã denique sanguinem ex renibus excernũt, propter venæ rupturam in renibus factam: veluti contingit iis qui graue onus leuarũt, aut valde saltarunt, aut ex alto ceciderunt, aut aliud quippiã tale violentum pertulerunt. Aliquando autem & ob acres e supernis defluentes humores erosio venarum euenire solet.

Signa. Porro si malum propter renum imbecillitatem accidat, sanguis qui excernitur, serosus admodum est. Sin propter osculorum amplitudinem, tum nihil dolent. Si certis circuitibus excretio sanguinis fiat, tum vel plenitudo totius corporis, aut consuetorum exercitiorum neglectus, aut membri cuiusdã resectio præcessit. D Quod si ob venæ rupturam eueniat, tũc sanguis copiosissime excernitur. Sin ab erosione, tunc sensim & paulatim excernitur, dolorque renes excruciat.

Curatio vrinæ cruentæ ab imbecillitate renũ, aut vasorũ eius amplitudine. Curabis itaque eam cruentæ vrinæ excretionẽ, quæ propter renum debilitatem, aut amplitudinem osculorum vrinas ad renes excolantium accidit, quiete, cibis adstringentibus, potione vini nigri, & aliis quæ in capite *De cruento sputo* sunt comprehẽsa. Ab iis vero potissimum quæ vrinam cient, & a coitu omnino abstinendum. In potu autem præter ea quæ capite iam citato dicta sunt, exhibendum *symphyti maioris radicis* decoctum, *& tragacantha in vino nigro macerata.* Sistit etiam sanguinis ex renibus eruptiones *cornu ceruini drachma vna ex vino. Foliis item salicis trita cum vino, lysimachiæ succus, lapidis hæmatitis drachma vna, radicis spinæ albæ, & polygoni decoctum. Bolus denique armenius, drachmæ pondere sumptus. Serapium rosaceum, myrtinum, pastillo de succino, de terra lemnia, & de spodio nominati.* E *Ouillum præterea lac vnice commendatur, si ieiuno vnciæ quatuor, quibus drachma vna boli armenij commixta sit, propinetur.*

Localia. Extrinsecus autem renibus & lumbis imponantur ea quæ ad sanguinis per sputum reiectiones, & in capite *De dysenteria*, aliisque sanguinis eruptionibus descripta sunt, & quæcunque vna cum eo quod adstringunt & siccant, robur etiam addere possunt: qualia sunt *rubi folia, & quercus, glandes, myrti baccæ, malicorium, balaustia, & similia.* Posthæc habitus corporis cibis boni succi, lacte, & auicularum carnibus, suillis quoque, at macris, reficiendus est, vt vniuersum corpus ad pristinas vires reducatur, & renes corroborati proprium munus obeant, & serosum humorem a sanguine secernant atque excolent.

Curatio vrinæ cruentæ per circuitũ euenientis, aut propter venę rupturam, aut erosionem. Ceterum si renes secundum circuitum sanguinem excernunt, aut propter venæ rupturam, aut erosionem acrium e supernis defluentium humorum, tunc statim vena quæ in cubito est eiusdem lateris secanda erit. F His quidem qui per circuitus sanguinem excernunt, paulo ante circuitum, reliquis vero statim a principio. Sanguinis tamen detractionem partiri melius erit, vt paulatim eius reuulsio & auersio fiat. Loci autem circa renes spongiis posca imbutis cooperiantur, aut lanis succidis cum rosaceo & aceto. Post hæc vnguenta, emplastra, & cerata locis paulo ante

citatis

A citatis descripta, imponantur. Commode quoque cucurbita adhibetur, præsertim si suspicio sit phlegmonem adesse in iis, qui ob venæ rupturam sanguinē mingunt. Conueniunt etiam potiones supra in capite *De sputo cruento* commemoratæ. Æger interea etiam a salsis, & acribus omnibus arcendus. Vbi vero iam sanguinis excretio cessauerit, victus ratione vtendum est, vnde non multus sanguis gignatur, maxime in iis qui per circuitum excreuerunt. Supernæ quoque corporis partes assidue exercendæ. In iis vero qui ob venam ruptam sanguinem mingunt, si exulceratio in locis relinquatur, ipsam post sanguinis suppressionem curabimus per ea quæ in capite *De renum exulceratione* dicentur.

B

De renum phlegmone. Cap. XXXVII.

Renes plurimis de caussis phlegmone corripiuntur. Nam vt humores corrupti, & plagæ, & attritiones, & medicamentorum potiones phlegmonem eorūdem procreant: præsertim autem equitationes assiduæ & vehementes. Accedit ægris dolor pulsatilis retro iuxta primam dorsi vertebram, paululum supra spurias costas. Dolor vero sursum vsque ad iecur distendit, præsertim dextro rene male affecto. Deorsum vero vsque ad vesicam & pudendum, lumbosque & coxendices, pectinem item & femora. Consequitur etiam stupor propinqui cruris, & neque recta erigi possunt, neq; pedibus ingredi. Et siue sternutatio, siue aliqua alia concussio irruat, vehementi dolore lancinantur. Frigent eorum extrema, & magis suræ ac pedes. Adest vrinæ emittendæ difficultas, minguntque assidue ac laboriose: initio quidem tenuia & aquosa, in quibus nihil subsidet: phlegmone vero in peius proficiente, rubicundiora: deinde etiam crassa & mucosa, adsuntq; febres vehemētes. Quod si amplius phlegmone augescat, hæc omnia fiunt vehementiora. His accedit nausea, & stomachi morsus, vomitusq; bilis. Quidam vero ipsorum vsque ad animi deliquium anguntur, & exsudant. Sistitur ipsis venter adeo vt inflentur, & assidue ructus emittant. Sequitur fastidium vehemens, & quibusdam continuæ fiunt exacerbationes, quibusdam vero per interualla. In vniuersum autem ventris egestio, & vrinę multæ excretio dolores ipsos præcedunt. Ægrum in lecto mollissimo decumbere oportet: ac primo die a cibo abstinere, non tamen in multos dies inediam extendere. Vrinæ enim puriores & acriores per inediam redditæ, vehementissimos morsus infligunt. Itaque in principio sorbitionibus tenuibus morsus lenientibus nutrire oportet, vt est ptisanæ succus, aut hordei alica. Malua etiam inter olera summe confert. Potus sit aqua, in qua parum cinamomi vulgaris decoctum sit. Quid multa? victus ratio sit tenuis, & talis qualis in aliis phlegmonibus. Quod ad curandi rationē attinet, initio statim detrahēdus sanguis est. Secāda v. erit vena, *Galeno in lib. De ratione curandi per sanguinis missionem teste*, quæ in poplite est, aut certe quæ iuxta malleolos, idque in crure e directo renis laborantis. Interdum etiam, eodem auctore, misso ex cubito sanguini auscultant, vbi videlicet recens fuerit phlegmone, & reuulsione magis opus erit, copiaque sanguinis affuerit. A venæ sectione ad localia vocata progrediendum medicamenta, cataplasmata videlicet, fomenta, linimenta, emplastra, & similia quæ mediocrem refrigerandi & leniendi vim obtinent, *ex oleis rosaceo, vitellis ouorum, cotoneorum, chamæmelino, farinis hordeacea, fabacea, fœnograeci, lini semine, & similibus, quæ in capitibus De iecoris & lienis phlegmone dicta sunt, parata.* Quod si per ea quæ extrinsecus admouentur, dolor non leuabitur, cucurbita lumbis ac iliis est adhibenda, & fissuris impactis plurimus sanguis est extrahendus. Deinde spongiarum fotu vtendum, & aliis quæ dolorem leuare possunt. Cauendum autem vnice, ne hoc tempore ea quæ vrinam mouent medicamenta bibenda dentur, Galeno etiam nostro monitore, qui *libro decimotertio Ther. meth.* ne id ipsum fiat, studiose & diligenter prohibet: oblædunt enim vehementer, mordaces humores phlegmone obsessis partibus inducendo. Cauendum quoque a purgantibus medicamentis erit initio phlegmonis. Clysteribus tamen mollibus, potissimum si venter nihil deiecerit, ex *malua & mercurialis decocto, aut seminis lini, & fœnograeci, aut succo ptisanæ confectis, adiecto oleo violaceo, aut chamæmelino, vtendum.* Verum cauendum, ne magna copia infundatur, quod alias intestina, repleta & distenta renes comprimāt. Ceterū vbi perfecte iam sedata ac cōcocta fuerit phlegmone, id quod cognoscit omnimoda doloris remissione, tunc etiā per vrinam

Margin notes: Caussæ. Signa. Victus. Curatio. Localia. Letters C, D, E, F.

prouocantia purgandum erit. A concoctis enim phlegmonibus vrinæ prodeunt multæ & crassæ, ac in iis quod subsidet bonum est, atque adeo morbum prorsus iudicat. Quæ autem sint medicamenta vrinam mouentia, diximus *libro secundo De compos. medic. cap. 7.* Potissimum vero inter olera conferunt fœniculum, apium, & pastinacæ probe percoctæ. Quod si vero per prædicta medicamenta malum non propellitur, & neque dolor, neq; febris, neq; grauitas horum vsu conquieuerint, vrinæque difficultas ac freques stillicidium ægrum molestauerit, pus hac in parte colligi indicium est. Tunc itaque quam celerrime suppurationem ac puris eruptionem adiuuare oportet. Qua in re spongiæ aqua & oleo assidue imbutæ proderunt, fotus gratia admotę. Eundem etiam vsum cataplasmata præbent, quæ ex farina hordeacea, furfuribus, ficubus pinguibus, althea, & similibus supra *in capite De iecoris phlegmone dictis*, constant. In solium quoque ex emollientibus herbis, malua, althea, chamæmelo, lini semine, fœnograeco, paratum, descendere summe confert. Quod si vero perfecta iam suppuratione (id quod cognoscitur, si febres & dolores minores fuerint, grauitatis autem sensus circa renem laborantem remanserint) ruptura moretur, in potu exhibenda quæ vrinam ducunt, vt est fœniculi, pulegii, origani, & similium decoctum. Hæc enim rumpunt interdum suppurationem, & pus per vrinam expurgant. Quod si autem vsus illorum nihil contulerit, acribus clysteribus aluus subluenda erit, veluti *cucumeris syluestris radicis decocto & diluto vel alliorum, vel raphani.* Macerare autem hęc in muria oportet, parumque olei admiscere, quo infusa lubrica reddantur. Hęc sane per clysterem infundenda, iubendique ægri vt plurimo tempore apud se detineant. Consueuerunt enim sæpe ipsam suppurationem rumpere, vna cum hoc quod ventrem emolliunt. Remorantem quoq; rupturam iuuat cuminum cum passo, ruta cum vino mulso. Porro ruptura facta, carunculæ paruę, oblongæ cum vrina excernuntur. Et si maligna fuerint vlcera, humores fœtidi, liuidi & mucosi: si vero benigna, pus ipsum album, ęquale, leue, & absq; odore graui, ac paucum excernitur. Post puris eruptionem lac cum melle prębendum, & alia quę in capite *De renum vlceribus* commemorabuntur.

Suppurationis notæ. Signa perfectæ suppurationis. Rupturæ factæ indicia.

A B C

De calculo renum. Cap. XXXVIII.

D

Renum calculis profectæ ætatis homines frequentius, quam pueri apprehenduntur. Caussæ autem generationis horum calculorum sunt assiduæ cruditates, vnde humoris crassi & terrei multitudo coaceruatur, & ardor igneave circa renes caliditas, quæ humores adassans, eos cogit, & in lapidem indurat, ad modum toforum qui in aquis reperiuntur, quæ in æreis, præsertim balneorum, vasis coquuntur. Consistunt autem lapides in renibus iuxta ventriculos ipsorum, aut parui, aut maiores: & aliquando quidem pauciores, aliquando autem plures, & magnitudine, & forma, & colore, & asperitate inter se differentes. Nigri enim, & subalbidi & pallidi reperiuntur. Accedit ægris grauis in renibus dolor, aculeique infixi sensum prębens, tumore tamen nusquam foris apparente. Spina ægre flecti potest. Crus quod e directo est renis laborantis ob nerui a vertebris lumborum orti compressionem stupet, adest fastidium & vomitus. Vrina circa obturationis principium propter obstructionem pauca, & aquosa mingitur. Postea vero perfecta earum suppressio contingit, aluusque nihil excernit, verum promptitudines multas ad egerendum facit. Excernitur autem aliquādo sanguis, propter violentiam calculorum, præsertim asperiorum. Vrinam etiam arenosam subsidentiam habet, potissimum vbi lapis ex renibus fuerit emotus. Quas singulas fere notas Hippocrates *libro sexto Epid. par. 1. aph. 5.* iis complexus est verbis: *Interim dolor grauis, quando cibo replentur, inuadit, pituitamque vomunt. Quum vero dolores intentiores fuerint, æruginosa: atque tum leuiores quidem fiunt. Dolore autem leuantur, quando cibo vacui fuerint. Arenæ rufæ subsident, cruentaque mingunt. Stupor cruris, quod e directo est.* Hæc ille. Porro leues & rotundi facile excernuntur: non item, qui alia quacunque forma præditi sunt: maxime tamen oblongi & asperi difficulter excernuntur. Ceterum quum lapis in renibus obturatus vehementissimos dolores intulerit, ne scilicet sanguinis multitudo intensione & dolore in laborantem particulam procumbat, in corpore plenitudine affecto & robusto, confestim poplitis vena, *iuxta Hippocratis loco iam citato consilium*, incidenda erit, eius nimirum cruris quod stupet, & e directo renis laborantis est. Qui vero caco-

Caussæ. Lapidum differētiæ. Signa. Curatio.

E F

A cacochymia vitiosoue humore ægri laborant, iis purgatio redundantis succi conuenit. Neque sane hæc omittenda est, nisi aliud quidpiam id fieri prohibeat. Id quod etiam Hippocrates iubet, dum iuuenes elleboro purgandos esse docet. Quod si vero sectionem venæ, aut purgationem adhibere minime licebit, aluum per clysteris infusionem eluere oportet. Quod tum maxime faciendum erit, vbi multa in intestinis excrementorum copia fuerit. Cauendum tamen vnice erit, ne sint validiores, atq; adeo ne aliunde humorum copiam ad intestina trahāt, ne meatus vrinarii angantur & comprimantur: sed sint tales, quæ duntaxat excrementa in intestinis detenta vacuare possint, vt est is qui habet: *Maluæ, altheæ, mercurialis, trichomanis, parietariæ, singulorum manipulum vnum. Sisymbrii cardamines, manipulū vnum & dimidium, Seminum petroselini, apii, fœniculi, lini, singul. drachmas tres. Radicis acori, vnciam vnam & dimidiam. Furfuris, vnciam vnam.* Ebulliant in aqua iustæ quantitatis ad tertias, & subinde colo transfundantur, accipianturque *iuris decocti, vncias vndecim. Casiæ fistularis, vnciam vnam. Hieræ picræ, vnciam dimidiam. Mellis rosacei colati, vnciam vnam & dimidiam. Oleorum anethini, rutacei, chamæmelini, singulorum vnciam vnam. Salis, drachmas duas. Commixtis omnibus fiat clyster.* Nulla tamē ratione committendum, vt clysteribus, aliis fere omnibus remediis neglectis, vt plerique medicorum hodie faciunt, assidue vtamur, sed bis aut ter: sic tamen, ne vltra consuetum tempus retineantur. Retenti enim diutius quam par est, compressionem atque angustiam renum, ac vrinariorum meatuū efficiunt, *vt copiosius lib. 2. Paradoxorum. cap. 15. diximus.*

Venæ sectio. Purgatio.

Clyster.

B

Clysteribus crebriorib^9 non vtendum.

C Porro excrementis alui expurgatis, quæ laxare meatus possunt medicamēta, adhibenda erunt. In quem sane vsum hoc vnguento renum & lumborum regio inungenda erit, quod accipit: *Oleorum anethini, amygdalarum dulcium, vtriusque drachmas duas. Olei chamæmelini, drachmā vnam & dimidiam. Adipis gallinacei, anserini. vtriusque drach. duas. Butyri salis expertis, drachmam vnam. Ceræ quod satis, fiat vnguentum molle.* Insessionibus quoque vtendum ex decocto *calaminthes, origani, sisymbrii cardamines, brassicæ, foliorum altheæ, maluæ, & similium.* Aut æger in solium tepidum aquæ dulcis frequenter demittendus. Fomenta item ex *furfuribus cum foliis altheæ decoctis loco dolenti admota mirifice conferunt.* Cataplasmata quoque ex *farina tritici, seminibus lini & fœnograci, lupinorum, peucedani radice quam minutissime trita, & chamæmelo parata.* Bonum est, & panem passo decoctum circa lumbos ac ventrem imponere. Neque temere quidem fecerit, qui cataplasmata & alia paulo ante commemorata vesicæ & pectini adhibuerit. Oportet vero coaceruatim alia super alia cataplasmata adferre, priusquam scilicet primum frigescat. Siquidem frigus contrahit & constringit, atque adeo in renibus & vrinariis meatibus lapidem retinet, eiusque exitum impedit. Quod si non lubet totidem cataplasmatis vti, calefactorio alio extra contegere oportet, ne refrigerentur: id quod commode fieri potest per sacellos, aut alia vaporatoria quæ cataplasmati imponuntur. Hæc interdum, idque non raro, ad lapidis per vrinam eiectionem sufficere solent. Quod si vero malum non abegerint, ea etiam, quæ vrinam cient, bibenda dabis. Vrinam autem multam hæc quæ sequuntur ducunt: *acorum hypericum, petroselinum, oreoselinum, lithospermum, ammi, dauci semen, & fœniculi, asarum, radix bryoniæ, & rubia tinctorum, cortex radicis capparis, asparagus, & iis similia.*

Laxantia meatus. Vnguentū.

Insessiones.

Cataplasmata.

D

Vrinā ducentia.

E His autem admisceantur ea, quæ deducūt ad renes: vt sunt *radix peucedani, bryoniæ, apium, & radicula. Item quæ calculos in renibus confringunt, & atterunt: sium scilicet, adiantum, bdellium, agni seu viticis semen, rusci radix, saxifraga, betonica, damasonii radix, ciceris iusculum, radix cyperi, lithospermum, tecolithos (lapidem iudaicum officinæ vocant) xanthium, altheæ semen, & radix, pruni gummi, vermes terreni cocti, & ex marinis spongiis lapilli.* Horum singula partim decocta, partim tenuissime trita præbeto bibenda. Ceterum ea quæ vrinam cient, ac lapidem frangunt, tunc exhibere conuenit, quum vehementes dolores remittunt: id quod accidit, lapide iam transmoto, & e sede sua agitato. Quod si tamen obfirmati ac vehementer impacti sint in renibus lapides, plurimus potus vitandus, itemque ea quæ vrinam ducunt. Nam cum secum excrementorum non contemnendam copiam ad renes deducant, fit vt meatus vrinarios obstruant, & calculorum e renibus transitum impediant. Fomentis autem & cataplasmatis, insessionibusque renes & meatus vrinarii, vt dictum est, relaxandi. Venter quoque per infusa leuia vacuandus, ne vrinarii meatus comprimantur. Post hæc vero doloribus aliquantulum lenitis, cucurbitæ etiam vtiliter ipsis adhibentur, & præsertim pressius affixæ, phlegmone videlicet id non im-

Deducentia ad renes.

Quando vrinam ciētia & lapidē frangentia adhibenda.

F

pediente. Adeo enim coaceruatim transmouent sæpe cucurbitæ ipsos lapides, vt repente dolores supprimant, lapide nimirum in vesicæ amplitudinem transuecto. Quapropter in principio superne a rene cucurbitæ sunt affigendæ, & ad inguina attrahendæ oblique secundum meatuum vrinariorum situm. Porro delati ex renibus in vesicam lapides, & præ magnitudine circa collum vesicæ detenti, sæpe in extremum periculum ægrum deducunt, tum propter dolorum acumen, tum quod vrinam excernere non permittunt. Decubitus igitur formam in talibus moliri oportet, ita vt supini collocentur, & longe altiores coxarum vertebras habeant. Deinde multiformiter eos commouere, quo omnibus machinationibus adhibitis lapidem ex ipso vesicæ meatu excidere faciamus: post vero ægros iubere, vt alacriter vrinam eiiciant, & ea eiecta sinere. At vero vbi lapis non fuerit eiectus, rursus mouere, atque hoc ipsum sæpe repetere. Quod si hac ratione nihil profecerimus, catheter instrumentum proliciendæ vrinæ aptum immittendum, eoque lapis a collo vesicæ propellendus, & vrina educenda. Post vero per portiones lapidem in amplitudine vesicæ exsistentem confringere per medicamenta conuenientia annitemur. Si vero ex vesica quidem accidat calculus, iuxta medium autem meatum ipsius pudendi offirmetur, & vulnerando exulcerationis periculum inducat, aqua calida paulatim ab alto pudendorum partibus, donec rubore suffundantur, instillanda: aut pudendum in oleum calidum quod relaxandi vim obtinet, demittendum. Decoctum etiam quoddam ex iis quæ vrinam ducunt, plurimum exhibendum est, iubendusque æger, vt multam vrinam congreget, eamque postea excernat, ac diligentius expellat. Ita enim detractus lapis celeriter excidere consueuit. Quum vero neque hoc modo eum extrahere licebit, secandum erit pudendum, vulnusculo superne iuxta glandis magnitudinem incusso. Inferne enim secare non expedit, quãdoquidem fere semper in fistulam proficit, ac postea per ipsam fissuram vrina excernitur. Lapide tandem amoto præseruare hominem, ne rursus renes lapide infestentur, oportet. Maximi autem ad lapidis generationem præcauendũ momenti est cibus boni succi, concoctu facilis, & moderatus. Quare cauere sibi ab omnibus cibis duræ substantiæ conuenit, & quæ ægre manducatione atteruntur. Exercitia etiam mediocria sint, rarusque omnis generis leguminum frumentaceorumq; vsus: casei maxime lactis, & quæ ex ipso præparantur obsoniorum: vini denique nigri, copiæ carnium, & omnium summatim crassi succi, nimisque calidorum & acrium. Eos autem quos calculus afflixit, admonere oportet, vt a cœna sæpius vomant, & absinthium assidue bibant: & certis temporibus, si quidem sanguis abundare videatur, venam secẽt: aut si vitiosi humores coaceruentur, conuenienti ipsorũ temperamento purgatorio medicamento vtantur. Oportet etiam ipsam aquam per omnem victum esse purissimam & percolatam. Vinum item tenue, album, neque valde vetus: hoc enim vrinæ ciendę idoneum. Vrinam quoque cientibus tum cibis tum medicamẽtis vtendũ. Quare indies pastinacam admodum percoctam, fœniculum, sium, pulegium, & similia edere oportet. Inter medicamenta vero is puluis multæ est efficaciæ, qui habet *Radicum fœniculi, asparagi, œnanthes, singulorum drach. vnam. Radicis rubiæ tinctorum, scrup. vnũ. Radicis aristolochiæ rotundæ vocatæ, altheæ, vtriusque drach. vnam. Glycyrrhizæ rasæ, drachmas duas. Lapidis e spongiis marinus, tecoliti, hoc est iudaici, vtriusq; scrupulum vnum. Seminum ammeos, dauci, petroselini, saxifragæ candidæ, fœniculi, anisi, lithospermi, singulorum drach. dimidiam. Seminum melonum & citruli excorticatorum, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Seminis halicacabi drach. dimidiam. Helxines seu parietariæ, maluæ, vtriusque drachmam vnam. Polii montani, adianti, pulegii, asari, singulorum drachmam dimidiam. Sanguinis hircini arefacti & præparati, drach. vnam. Bdellii, ammoniaci, vtriusque drach. dimidiam. Oculorum cancri, cinnamomi selecti, iunci odorati, singulorum scrpulos duos.* Contusa omnia redigantur in puluerem minutissimũ, de quo detur pondus drachmæ vnius quarto quoque die, aut singulis septimanis in aurora ex vino tenui. Porro sanguinis hircini, cuius in prædicto puluere mentio fit, præparationem tradit Aetius *lib. 11. cap. 12.* Plura alia remedia dicemus *in cap. de calculo vesicæ.*

Lapis si circa collum vesicę detẽtus fuerit.

Præseruatio a lapide.

Puluis ad calculosos renes.

A B C D E F

De vlceribus renum. Cap. XXXIX.

Caussæ.

RENUM vlcera accidunt propter venarũ, quæ in iis sunt, rupturam. Item suppurationẽ phlegmonis, & acres ac mordaces humores huc delatos. Deprehendũt renes

exulcerati

A exulcerati dolore in lumbis cum grauitate, & sine impedimẽto vrina redditur, id quod
in vesicæ vlceribus non fit. Vrinæ quoque pus commixtum reperitur, carnosis particu- Signa.
lis, aut pilis innatantibus iuxta Hippocratis sententiam, qui ita scriptum reliquit: *Si san-*
guinem aut pus mingant, aut renum, aut vesica exulcerationem significat. Et statim post hæc: 4. Aph. 75.
Quibus in vrina crassa exsistente caruncula, parua aut veluti capilli vna exeunt, his a renibus excer-
nuntur. Permistum vero etiam cum vrina in vesicæ vlceribus pus est, sed dolor ipse, mox
locum, vnde illud procedit, demonstrat. His itaque apparentibus æger cruditates vitet Victus.
& satietatem. Ne quid igitur crudum in cibo accipiat, & neque quod ægre concoqui-
tur, aut facile corrumpitur, aut inflationes parit. In primis autem ab iis abstineat, quæ
facile acescunt. Item omnia acria & feruentia, & quæcunque bilem gignere possunt:
B vt est sitis, multa abstinentia, inedia, labor, ira, solicitudo, exercitatio, vigilia, & immo-
dica condimenta. Vitanda vero maxime erit immodica equitatio, & omnis vehemens
concitatio: non minus tamen iis perpetuum ocium, & balneorum assiduitas. Vten-
dum pane recenti, & decenter apparato. Carnibus volucrium montanarum, hœdis
quoque, & similibus teneram carnem habentibus. Piscibus saxatilibus, squamosis, in
craticula assis. Cancri præterea fluuiales, sorbitio ex ptisana, & amylum cum lacte co-
ctum mirifice confert. Dandum & lac ouis permixtum, iusculumque gallinaceum pin-
gue. Oua etiam sorbilia per se conueniunt. Ex oleribus autem *malua, intyba, rumices, por-*
tulaca & lactuca conducunt. Omnia tamen hæc cocta. crudi enim nihil, vt dictũ est, æger
sumere debet. Et fructibus vua passa nõ incommoda est, & nuces pineæ: amygdalæ et-
C iam, decorticatæ tamen, & probe mundatæ. Multus potus, & meracior vitandus. A fri-
gidæ quoque potu in totum abstinendum. Frigidum enim, vt ait Hippocrates, vlceri-
bus inimicum. Pro potu vtatur vino diluto, ac parum adstringente: aut lac caprinum, 5. Aph. 20.
aut ouillum, aut amygdalinum bibat. Coitus non solum vlceribus, verum etiam omni-
bus aliis renum malis infestissimus, potissimum vbi senes, & natura imbecilliores eo vsi
fuerint. Vitanda ea, quæ vrinam ciunt. Balnei, vt dictum est, rarus sit vsus. Naturales ve-
ro, & sponte natas aquas experiri non inutile fuerit, maxime aluminosas, sulphureasq;.
Frigida lauare commodissimum est: supra modum enim vlcerationes ægre sanabiles
tum externas, tum internas destruit. Conferent etiam naturales aquæ post matutinam Curatio.
deambulationem potatæ. Curandi ratio, vbi propter acres & mordaces humores vlce-
D ra renum accidant, ab eorundem humorum vitiosorum & erodentium purgatione au-
spicanda. Qui vero sic afficiuntur, eos vomitu quoque vacuare oportet. Non autem ad Vomitus.
vitiosos duntaxat humores vacuandos confert vomitus, verumetiam si quis singulis
mensibus audacter vomuerit, is renum vlcus, & quicquid inde mali accidere potest, dis-
soluet: humorum siquidem motum in contrarium auertet. Sunt etiam interea propi- Morsus obtundentia
nanda medicamenta, quæ morsus acrium humorum obtundunt, vt est *malua, intybum,* Medicamenta.
rumex, portulaca, semen melonum, cucumeris, & cucurbitæ, serapium violaceum, rosaceum, nym-
phea, & eorundem sacchara. Ceterum vitiosis humoribus vacuatis, aqua mulsa bibenda, aut Purgatio vlceris.
decoctum fœnograeci cum melle, aut cucumeris, aut maluæ, aut melonum semen cum
hydromelite. Lac præterea cum melle præbendum, recens mulctum & calidum: ad
E vlcera enim purganda conducit. Serum item caprinum, decoctum hordei, vuarum
passarum, & glycyrrhizæ: quæ quidem, perinde atque eius succus, mirifice confert.
Quum vero iam purgata & munda fuerint vlcera: quod inde tibi palam fiet, si neque
tectorium vlceri obductum cum vrina excretum apparet, neque pus excretum est fœ-
culentum, sed subalbum, leue, æquale, & paucum: tunc ea quæ resiccant, adstringunt,
& glutinant medicamenta adhibeantur. In quem sane vsum datur bolus armenius, Glutinantia.
gummi, tragacantha, amylum, terra lemnia, & similia alibi commemorata. Præter ce- Puluis.
tera tamẽ mirifice confert is puluis, qui accipit: *Terra lemniæ, boli armenii, vtriusque drach-*
mam vnam & dimidiam. Tragacanthæ, spodii vsti, vtriusque drachmam vnam. Amyli, nucum
pinearum tostarum, vtriusque drachmam dimidiam. Seminum lini, cucumeris repurgati, melo-
F *num, singulorum drachmas duas. Seminis apii, scrupulos duos. Sanguinis draconis.* Conterantur
singula, inque puluerem redigantur tenuissimum, de quo dentur quotidie ægrotanti
drachmæ duæ cum lacte recens mulcto. Porro extrinsecus quæ renes exsiccare ac Renes exsiccantia & roborantia.
roborare possunt, admoueantur emplastra, cerata & vnguenta ex oleis rosaceo, myr-
tino, farina hordei, thure, mastiche, rosis purpureis, similibusque composita, quorum

formulas e superioribus petent studiosi. Plura remedia alia infra in capite *de vlceribus vesicæ* recensebimus. A

De Diabete. Cap. XL.

Diabetes quid. διαβήτης.

DIabetes *diuturnum est vitium circa renes consistens, multam sitim induces: vnde quoque διψακὸν Græci idem vitium nominant: vna cum hoc quod quicquid bibitur, simul vt & quale assumtum est, per vrinam redditur.* Quidam hoc vitium, *vt testatur Galenus capit. vltimo libri de symptomatum differentiis*, vrinæ fluorem, & ὑδρωπα εἰς ἀμίδα, id est, aquam inter cutem ad matulam vocant. Origo ipsius ex retentricis renum facultatis imbecillitate contrahitur, attractricis vero tāto robore, vt totum corpus ob immodicum calorem exhauriat. Immodicus itaque calor, vt renes attrahant efficit, idem vero relaxando retentricem ipsorum facultatem, dissoluit. Renum itaque proprium malum Diabes exsistit, quo videlicet imodice humorem appetunt ægrotantes, ipsumque propter debilitatē retentiuæ in eis facultatis continere non possunt, sed eum aceruatim in vesicam excernunt. Concomitatur ægros pertinax sitis, neq; vlla satietas ex alicuius liquoris exhibitione contingit: ideoq; assidue potum assumere coguntur, propterea quod citissime per vrinam expellatur id quod ingestum est. Viscera etiam ægrotantibus vri videntur, intumescunt lumbi, testes, & coxæ. Quod si amplius adhuc mordens caliditas in visceribus augeatur, superior venter corrugatur, & venæ in ipso eleuantur, vniuersum habitum gracilem habent, & tabes totius corporis grauis accedit. Ceterum curationis scopus in iis consistit, vt humorum acredinem obtundamus, sanguinemque, ac cum eo pexmixtum serosum humorem ad motum tardiorem reddamus, & renum intemperiem corrigamus. Mox itaque vbi cœperit vitium, nondum ad perfectionem progressum, optimum est gibberi venam secare, reuulsionis gratia, & moderate sanguinē auferre. Vtendum etiam mediocriter vrinam cientibus, quæ vitiatum, inque renes imbibitū humorem expurgent. Quod si vero inueteratum sit malum, neque venæ sectione vtendum, neque quicquam quod vrinam mouet exhibendum. Hæc enim corporis tabem & colliquationem, quæ sponte sua in hoc malo accidit, accelerant. Concidunt enim inueteratis vires, & ex venæ sectione totū corpus acrius redditur, & vrinam cientia in ipsis multiplicant, augentque malum. Maximum vero ac præcipuum eius vitii remedium est, vt quod potum est, statim remoueatur. Sic autem per quam frigidus potus ipse, quandoquidem reliqua etiam victus ratione frigidiore vti conueniat. Cibi igitur exhibendi boni succi, quique difficulter commutari possunt, & mordacitate careant, aut qui mordacitatem & acrimoniam obtundere valeant: vt sunt oua sorbilia, alica ad sorbitionis modum apparata, carnesque porcinæ macræ plurimum coctæ. Neque vero incommode exhibetur eis caseus recens compactus, salis expers: & lac per silices, aut ferrum ignitum scissum, seroso ademto humore. Pro sorbitione etiam, ptisanæ succus frigidus probatur. Ex oleribus autem *intybum, lactuca, & portulaca.* Ex fructibus *pyra, poma, mala punica.* Inter pisces, saxatiles conueniunt. Vinum bibendum rufum, crassum, aqua amplius dilutum, ad salsuginosorum humorum, qui sitim inferunt, prolutionem. Vinum enim corporis temperaturam ad dulcorem permutat. In potu quoque exhibendus succus malorum granatorum, succus medicatus e ribes, aut oxyacantha. Quod ad medicamentorum rationem attinet, polygoni seu sanguinariæ succus recte ipsi, ex vino nigro propinatur. Symphytum item, palmularumque & baccarum myrti, pyrorumque decoctum. Serapia rosaceum, myrtinum, & similia. Pastilli quoque e spodio, ex polygoni succo, aut vino nigro propinandi. Extrinsecus hypochondriis, lumbis, & pectini illitiones, cataplasmata & cerata refrigerātia adhibenda: qualia sunt quæ ex aceto rosaceo, *polenta, lactuca, lenticula, palustri, parietaria, foliis vitis, portulaca, & similibus conficiuntur.* In quem etiam vsum proderit inunctio, *ex oleis, rosaceo & myrtino: aut illitio e succo solani, aut pampinorum vitis facta.* Farina quoque hordeacea, aceto & rosaceo subacta, cataplasmatis modo hypochondriis imponenda. Vtendum denique hoc emplastro, quod habet: *Farinæ hordeaceæ vnciam dimidiam. Pampinorum vitis extremitatum salicum, bursæ pastoriæ, singul. manipulum dimidium. Corticum granatorum, drachmas duas & dimidiam. Portulacæ, manipulum vnum. Seminis cotoneorum, drachmam vnam. Rosarum purpurearum, manipulum vnum & dimidium.* Ebulliant singula in aqua

Caussæ. (B) Signa. Curatio. (C) (D) Victus. (E) Medicamenta. Localia. (F) Emplastrū.

A aqua, donec ad mellis crassitudinem, perueniant. Deinde addãtur *olei rosacei, unciæ duæ, Olei myrtini, uncia una. Denuoque bulliant, & fingatur emplastrum.* Ex iam commemoratis potest fieri ceratum, adiectis *hypocisthide, acacia, bolo armenio, resina & cera.* Porro sudores quoque excitandi erunt, vt scilicet vitiosi humores ad exsudationem vertantur. Optima vero est in dolio facta ex herbis aut aliis rebus calidis euaporatio ad sudandum, eo modo facta, vt caput extra dolium promineat. Vel vas aqua calida plenum pedibus ægrotantis, inque lectulo decumbentis admoueatur, atque sudor eliciatur. Sudorum euocatio.

De vesica calculo. CAP. XLI.

B GEnerantur in vesica lapides pueris frequentius, quam ætate prouectis: voraces enim sunt pueri, & perpetui motus, ac cibis vtcunque oblatis & nociuis vtuntur, neque horam cibum capiendi seruant certam & ordinatam. Quinetiam priusquam prior assumtus cibus concoquatur, alium ingerũt, ideoq; cum vehementius a cibo moueantur, fit vt crudus & incoctus in venas cibus distribuatur. Mollia autem cum sint adhuc illorum corpora, & quæ facile cedant, ob id obturationem circa renes non perferunt. Quum vero crassissima vrina in vesicę amplitudinem perferatur, ibidem veluti fex vini & limus aquæ subsistit, ac postea propter caliditatem, qua pueri præditi sunt, desiccata & firmata lapidescit, id quod extrinsecus etiam in aquis suapte natura calidis, & in vasis in quibus quotidie calefit aqua, accidere conspicimus. Hinc est quod aquæ impuræ, C & multo limo refertæ, item quæ duriores & vehementer frigidæ sunt, lapidis in vesica generationem adiuuant. Duæ itaque potissimæ generationis lapidis in vesica caussæ sunt, crassities vrinæ, & puerorum calor. Quod Hippocrates etiam *lib. 6. epid. par. 3. aph. 11.* iis verbis innuere voluit, *Considerandum*, inquit, *an a mictione facta concretio pueruliis magis, eo quod calidiores sint, accidat.* In cuius quidem sententiæ explicatione quæ annotauimus in nostris commentariis, sane multa ad institutum facientia reperient studiosi. Error vero quorundam qui perpetuo lapidem vesicæ a renibus initium capere putãt, iam dictis Hippocratis verbis exploditur. Experientia etiam cõstat, multos pueros calculo vesicæ laborare, qui renum lapide antea nũquam affecti sunt. Quare Fernelium, & eos, qui huius sententiam sequuntur, in errore versari notius est, quam vt pluribus a nobis D ostendi debeat. Pruriunt laborantes calculo vesicæ crebro, & vrinas crudas mingunt, & subalbidas, sedimentum arenosum, atq; contrectant pudenda, quę etiam intenduntur, ac continuo ad mingendũ vrgentur, stillicidioque vrinæ vexantur. Curatio huius vitii eadem fere est, quæ renum quum calculo laborant. In eo tamẽ diuersa, ꝙ validiora requirant medicamenta lapidis vesicæ: & ꝙ vesicæ adhibenda sunt, quæ renibus alias admouerentur. Lapides autem in vesica oborti, iis potissimũ medicamentis atteruntur, *semine nimirum & radice fœniculi, smirnii, granis pæoniæ nigris, artemisia, chamæmelo, altheæ radice & semine, sio, adianto, rumicis radice, lapidibus spongiarũ, tecolitho, litospermo, rusci radice & semine lapide, q ab ægris cũ lotio eiectus est, trito & potato semine xanthii, cortice capparis abrotoni semine, hyacinthi, violæ albæ, apii, petroselini, & aliis iis similib. quæ vrinã ciere possunt, & quæ in* E *capite de renũ calculo sunt cõmemorata.* His coniungendũ laudatissimũ remediũ, passer troglodytes, qui minimus passerculus est, iuxta sepes & muros victũ quæritans, vt *Aetius & Paul. tradunt*, caudã semper subrectã & albo colore retro interpunctã habẽs: iuxta summũ alæ lineamentũ cinerei coloris. Hic sane totus sale conditus, & crudus in cibo sũmtus, morbum perfecte sanat. Calculos enim iam creatos per vrinam expellit, in posterumque generari prohibet. Sanguis denique hircinus ad calculos tum renum, tum vesicæ præsens remedium est. Nam præexsistentes soluit, atque per vrinam excernit, & vt alii amplius non generentur prohibet, ac dolorem sedat. Præterea si vesicæ lapides per vrinæ meatum excerni haud possunt, sed illic sunt obturati & impacti, atque adeo F vrinę suppressionem efficiũt, ægrum supinum decumbere oportet, ita vt coxarum partes magis sursum vergant, indeque huc atque illuc multiformiter commouere, quo ex meatu excitat lapis, post vero ita adhuc supinum & positu sursum vergentem mingere iubere. Si vero neque sic excernere queat, per catheterem instrumentum vrinam prolectare: deinde ea, quæ lapidẽ in vesica atterere valent medicamẽa exhibenda. Quod si neque per hæc curatio procedat, ad sectionem veniendum erit. Lapide igitur hac vel

Pueri lapide vesicæ magis laborant quam renum.

Caussæ.

Error quorundam refutatus.

Signa.

Curatio.

Lapides in vesica atterentia.

Passer troglodytes.

illa ratione exacto, victus ratio constituenda est eiusmodi, ne subinde renascatur, quam A in capite *de lapide renum* descripsimus.

De sanguinis ex vesica eruptione, & grumis eiusdem. Cap. XLII.

Caussæ. Signa. RVmpi nonnunquam in vesica venam accidit, atq; tum partim quidem sanguis foras mittitur, partim vero intus condensatur. Sanguine vero condensato, & grumis iam coactis, æger animo linquitur ac pallescit, pulsusq; exiguos & obscuros & densos habet, mœrore angitur, refrigeratur, viribusque destituitur. Quum vero grumus aliquando in vrinarium meatum inciderit, tum is etiam vrinæ exscretionem supprimit. Curatio. Porro quam celerrime, velut etiam in aliis sanguinis eruptionibus, auxilium ferre oportet. Quapropter si nihil prohibeat, venam in gibbero secare, partita sanguinis detractione conuenit, vt hac ratione sæpe & paulatim sanguis detractus reuellatur. B Ægri vero in decumbendo sursum versus collocentur, & coxendicibus ipsorum leuandis, & simul refrigerandis spongiæ posca imbutæ subdantur. Extremæ quoque partes constringendæ, & pecten exspongiis posca imbutis irrigandus. Vrgente malo summe prosunt cucurbitulæ iliis ac lumbis affixæ. Post irrigationes cataplasmatis ex poligono, rubo, plantagine, balaustiis vtendum. Item ceratis ex *hypocistide, acatia, boloarmenio, terra lemnia, sanguine draconis, & iis similibus in capitibus, de sanguinis sputo, & dysenteria commemoratis.* Vesicæ infundendus polygoni, plantaginis, aut millefolii succus, commixtis *acacia, boloarmenio, pastillis e spodio, & similibus.* Insessus etiam ex consimili materia constructi conueniunt. Nam & posca, & lentisci decoctum, itemque rubi, ac similium eis conuenit. C Sanguinem educentia medicamēta. Danda quoque in potu medicamenta eductioni sanguinis apta, vt sunt *rheum ponticum tenuissime tritum, & pæoniæ grana rubra duodecim, terra lemnia, hippuris, centaurii magni radix, thuris cortex, & similia.* Grumos sanguinis dissoluentia. Ceterum quibus sanguis in vesica in grumos cogitur, primum tentandum est vt medicamentis conuenientibus dissoluatur ac diffundatur. In potu itaque præbenda est artemisia, elichrysum, absinthium, abrotonum, ramenta vitis, raphani semen, leporis aut hœdi coagulum, vnumquodque cum oxymelite. Imo ipsum oxymeli per se exhibitum, mirifice prodest: grumos enim dissoluit, vt subinde paulatim cum vrina prodeant. Extrinsecus autem balnea, vnguenta, irrigationes, & alia quæ relaxandi vim obtinent adhibenda, quæ sane singula ex capite, *de renum calculo* Ceratum. sunt petenda. Præter cetera vero ceratum hoc plurimum confert, quod accipit: D *Oleorum liliacei & chamæmelini, vtriusque vnciam vnam & dimidiam. Calaminthæ, cumini, foliorum* Ambar subalbidum. *sambuci, singulorum drachmas tres. Bituminis iudaici, ammoniaci, vtriusque drachmas duas. Coaguli leporis, drachmas tres. Abrotani, farinæ seminis fœnograeci, vtriusque vnciam dimidiam. Ambar subalbidi, sperma ceti vocant, drachmam vnam.* Cum resina & cera quod satis est, fiat ceratum, quod pectini imponatur. Quod si hoc modo nihil proficias, sed vrina supprimatur, necessitatem inducet catheteris adhibendi. Per quem vbi vrinam eduxerimus, rursus quæ dicta sunt in potu exhibeamus, & extrinsecus quæ grumos dissoluant admoueamus. Si vero neque sic grumi dissoluantur, ad sectionem haud secus, quam vesica calculo laborante veniendum.

De phlegmone vesicæ. Cap. XLIII. E

MOrborum qui circa vesicam oboriuntur grauissimus, & maxime mortalis phlegmone exsistit. Signa. Consequuntur ægros hæc signa. Febri acuta infestantur, vigilant, delirantes aliena loquuntur, vomunt biliosa pura, & vrinam reddere non possunt. Durus fit pecten, & pubes cum vehementi dolore, & egerendi appetentia, veluti in tenesmo fieri solet. Quod vero egeritur tenue est, & subsidentiam non habet. Aliquando etiam inflationes sequuntur, & aluus adstricta est, intestino recto a phlegmone vesicę cōpresso. Curatio. Sic laborantibus, si nihil aliud prohibeat, citra cunctationem venam poplitis secato, vel ex malleolis sanguinem detrahito. Victus quoque rationē, perinde atq; in aliis phlegmonibus, tenuem adhibeto. Vino denique abstinendum, atq; aqua in qua parum cinnamomi decoctum sit vtendum. F Extrinsecus ea sunt adhibenda, quibus leniendi ac mitigandi dolores potestas inest. Quapropter oleo in quo anethum, lini semen, interdum etiam ruta & althæa incocta sint, vesicæ locus irrigandus. Frigida autem & reprimentia medicamenta prorsus admouere non oportet: idq; primum, quod vesica nerуosa admodum sit. 5. Aph. 28. frigidum enim, Hippocrate teste, inimicum neruis. Dein, ꝙ frigida

occludant

A occludant & stringant, atq; adeo vrinæ suppressionem, quæ huic vitio sua sponte accidit, augeant. Postremum, quod frigida, ne humores phlegmonem efficientes discutiantur aut concoquantur, prohibeant. Quare potius mediocriter calida sunt admouenda, quæ quidem dolorem leuare possunt, vrinæ fistulam & meatum laxare, atque phlegmonem discutere. Clysteribus quoq; lenibus ac mollibus aluus subluatur, & post stercorum eductionem oleum anethinum, aut tale aliquod, leniendi doloris gratia iniiciatur. Præstet autem & papaueris calycem simul cum oleo incoquere, & adipem anserinum aut gallinaceum recẽtem in ipso oleo eliquatum simul infundere. In vehementiori dolore solutam in oleo anethino drachmam vnam pilularũ de cynoglossa infundere oportet: aut opium cum myrrha & croco lanę illitum in podicem indere. In deco-
B ctũ itẽ seminis lini, fœnugræci radicis altheæ seminis dauci, & similium insideat æger, admoneaturque quo in aqua decocti desidens mingat. Vesica enim non satis robusta est ad amplectendam expellendamque vrinam: quare ipsum ęgrum, aut aliquem ex adstantibus scite ac placide pectinem premere oportet, neque id vltra modum, ne dolor inde intẽdatur. Ceterum post clysteres & insessus, fomentis etiam per aquam calidam, & oleum in vesicis bubulis aut aliis vasculis semiplenis admotis, vtendum: aut sacculis, *vt in cap. de pleuritide est ostensum.* Quod si neq; sic vitium cesset, cucurbita vna cum scarificatione locis afflictis affigenda erit. Porro abstinendum ab iis, quæ vrinam vehementer citant, potioque multa vitanda. Vbi euidens declinatio apparuerit, ad ea quibus discutiendi & emolliendi vis inest, de quib. iam sæpe dictum est, transeundum. Catheteris
C immissione vesica phlegmone laborante non facile vtendum, in viris potissimum: cum enim non nisi laboriose immitti queat, dolores exacuit, & plegmonem auget, verum in mulieribus ipsum adhibere nihil absurdum: breuis enim ipsis vrinæ meatus exsistit, & recta situs: vt citra dolorem hoc molimen admittant. Si vero vrinæ suppressæ periculum admodum vrgeat, necessario in viris etiam ad catheteris vsum confugimus: non sane quod mali molestiam tollat, sed vt potius vrgentem vrinæ suppressionem corrigat, & a præcipiti periculo liberet. Post vrinæ prolectationem rursus ad auxilia, quæ dolorem leuant, veniendum, vsquequo phlegmone soluatur aut suppuretur. Solet autem sæpe phlegmone repente solui, erysipelate iuxta cutis superficiem oborto, & permanente, neq; rursus intro recurrente. Imo & vrina multa eiecta sæpe iudicatũ est malum. Ni-
D hilominus tamen etiam si hæc apparent, iisdem remediis insistere oportet: quandoquidem vt plurimũ tensione perfecta cõtinua oborta, cõtinuæ exacerbationes fiunt, & mali cõstitutio diuturna. At vero vbi periculosæ accessiones cessarint, & morbi cõstitutio iam fuerit inueterata, ad vnguenta quæ humores ex profundo euocant, & transferunt, & ad emplastra, quæ cutem rubefacere possunt, transeundum est. *De quibus alibi diximus.*

Clysteres. | Fomenta. | Catheteris immissio.

De vlceribus vesicæ, & eius ceruicis. CAP. XLIV.

Exulceratur vesica aut propter abscessum, aut tuberculum quod præcessit, aut rupturam, aut fluxionis erosionem, aut aliam similẽ ob caussam. Ægros comitatur dolor vesicæ acutus omni quidẽ tẽpore mictionis, & excretionis puris. Et vbi sordida fuerint vlcera, fœculenta simul excernuntur, & mucosa, & quæ crassam subsidentiam instar
E farinæ habent. Interdum autem & pelliculæ tenues instar foliorum & lanarum cum vrina excernuntur. Si vero serpendo depascant vlcera, subcruenta excernuntur, & saniosa, & fœtentia. Ad hæc accedunt difficultas emittendæ vrinæ, & pudendi arrectio ac petulantia. Dolor vero non solum cum vrinæ meatus fuerit exulceratus, sed & quum in profundo exulceratio consistit. Cognoscetur autem num in profundo exulceratio sit, aut iuxta vrinæ meatũ, fistulamue, ex eo, quod si in amplitudine vesicæ fuerit, dolor circa pubem consequatur. Sin iuxta ceruicem vesicæ vlcera exsistant, tempore mictionis tantum, & maxime vbi mingere inceperint ac desierint, dolor sentitur: atque id amplius contingit, si vrina sit acrior. Qui hoc vitio affliguntur, ii aut assidue decumbunt, aut erecti stare nequeunt, neque reclinati quiescunt. Ab immenso
F ac continuo dolore febribus, vigiliis & colliquatione perimuntur, alii quidem citius, alii tardius. Ceterum insanabilia, aut saltem curatu difficilima sunt vesicæ vlcera, tum quia ipsa neruosa est, tum etiam, quia vlcera eius vrina, quæ natura acris est, assidue contingat, atque adeo erodat, nec glutinare permittat. Etsi enim plurima excernitur vrina, tamen vniuersa vesica vacuari non potest, sed semper ex vrina quippiam in ipsa relin-

Caussæ. | Signa. | Insanabilia, aut saltem curatu difficilima cur vesicæ vlcera.

quitur, quod assidue vlcera contingit. Imo cum vrinæ copia vacuatur, tum vesica contrahitur atq; concidit: vt quod in ea relictum est quantumuis exiguum, idipsum omnes eius partes contingit. Verum cum sæpe etiam præter exspectationem quædam eueniant, cura aggredienda est, per quam, si nihil aliud certe accessorii dolores minuentur. A

Curatio. Lactis potus.

Primum igitur persuadendum est laboranti, vt decumbat, & in lecto quiescat, idque maxime vbi febres simul adsunt. Deinde remedia febribus intermittentibus adhibenda. Maximum vero hic fuerit lactis præsertim asinini, aut caprili, pauco ad recto melle potus, neq; post vllum aliud remedium secundo loco id habendum. Nam & asperitates lenit, & vlcerationes eluit, malumque extergit. Reliqua vero victus ratio talis sit, qualis ea quæ in renum exulceratione adhibetur; per medicamenta etiam ægrum consolalari oportet, ne vrina acris generetur, quæ mordeat & irritet vlcera. Et si quidem cum B phlegmone exulceratio consistat, cataplasmata ex lini semine, & fœnugræco, aliaque quæ supra in capite *de vesicæ phlegmone* dicta sunt, apta erunt. In hunc vsum in vesicam, *Paulo auctore*, mulsa dilutissima infundenda est, vel lac cum paulo mellis, aut cum cucumeris semine, seu candido oui liquore, tum pompholyge. Porro si exulceratio pascendo serpat, subadstringentia extrinsecus imponenda sunt medicamenta, atque hæc quidem calida, vt scilicet ob calorem partes circum dolitantes leniendo iuuent, ob potestatem vero ipsorum vicinos locos exulcerationem depascere prohibeant. Sunt autem

Adstringentia medicamenta.

adstringentia medicamenta, *gallæ, malicorium, alumen, acacia, hypocisthis, & similia, sæpe antea & alibi nobis commemorata.* Vtendum etiam iis, quæ per catheterem infunduntur medicamentis. Infundendum autem exulceratis, atq; adeo exasperatis locis lac recens mulctum, aut optimum rosaceum tepidum. Si vero nihil horum adsit, aqua dulcissima tepida assidue infundenda, mordacitatis potissimum tempore instante. Per sedem quoq; C ptisanæ succus, aut decoctum ex *semine lini, cucumeris decorticati, fœnugræci, malua, aut lac cum rosaceo infundendum.*

Decubitus forma eius cui clyster adhibetur.

Porro vbi clysterem adhibere vis, ei qui vesicam habeat affectam, non supinum ipsum decumbere oportet: non enim permittit vesica infusum intra transire, vtpote recto intestino incumbēs: verum in genua pronum reclinare hominem oportet: atq; ita infusum adhibere. In hac enim situs figura vesica secedit, & intestinum laxat quo infusum assumere queat. Frequenter autem & in aquam calidam desideat æger, & in decocta relaxantia: nam hæc dolores leniunt. Atqui vbi vlcera iam pascendo serpunt, per catheterem in vesicam iniicienda sunt, quæ depastionem sistere D possunt: vt sunt *acacia, hypocisthis, terra lemnia, bolus armenius, & alia paulo ante commemorata.* Quod si vero sordida sint vlcera, medicamēta infundenda sunt, q̃ expurgādi & abstergendi facultatem obtinent: velut est *mulsa dilutissima, vel lac cum paululo mellis, vel cum cucumeris seminis decorticato.* Si vero acrimonia consequatur, & mordacitas, lac recens mulctum cum optimo amylo infundatur, aut Pompholyx plurib. aquis elota & exsiccata, atq; subinde cū lacte diluta. Cū vero exgurgata fuerint vlcera iuuare oportet vt ad cicatricē perducantur, atq; id per insessus adstringētes, & eiusdē facultatis emplastra, fomēta, & irrigationes. Ceterum si multo tēpore exulceratio duret, quemadmodū magna ex parte accidit, tunc sane & exacerbationes, & interualla, siue remissiones ægros apprehendunt. Quare in exacerbationib. quidem cataplasmata & irrigationes leniendi vim E habentia admoueantur. Remissionis vero tempore, iis quæ malum destruere possunt vtendum. Pectini itaq; rubefacientia ac sinapismi imponantur, ac victus ratione viribus reparandis idonea æger vtatur. Quod si non mansuescat vitium, crustas circa pubem infligere oportet, aut per medicamenta, aut per ferrum, sinereq; vt multo tempore vlcera se per effluxionem expurgent.

Dolorem leuantia medicamenta.

Non inepte vero medicamenta dolorem leuantia in potu exhibueris, si vehementes instent dolores. In hunc sane vsum, prǽter cetera q̃ alibi produximus, conueniunt pastilli de halicacabo cū opio. Plurimum etiam exulcerationis dolorem mitigāt *semen cucumeris, maluæ, papaueris albi, tragacanthæ, amylum, nuces pineæ, & amygdalæ.*

Mixtura.

Potest itaq; hoc medicamentum exhiberi, quod accipit: *Sachari violacei, vncias tres: Seminis maluæ, drach. duas. Quatuor seminum frigidorum maiorum, sing. drachmam vnam. Glycyrrhizæ rasæ, drach. vnam & dimidiam. Gummi, scrup. duos. Boli armenii, drach. dimidiam. Pastillorum e terra lemnia, drach. vnam. Cum serapio e glycyrrhiza vnitatem coeant.* De eo F quotidie in aurora exhibeatur quantitas nucis auellanæ. Porro in vesicam quoq; iniicienda, quæ dolores leuant, & exulcerationem sanant medicamenta.

De stillicidio vrinæ. Cap. XLV.

A Στραγγουρία Græcis, *stillicidium vrinæ* Latinis dicitur: & nihil aliud est, quam *vbi paulatim & guttatim vrina destillat, atque assiduam ad mingendum irritationem facit.* Accidit propter vrinæ acrimoniam, vel exulcerationem vesicæ, vel abscessum iecoris aut renum, qui ruptus, pure ad vesicam translato, propter acrimoniam eiusdem, assiduam ad mingendum irritationem inducit. Porro acrimoniam esse caussam iudicabis, si vrinæ biliosiores sint, totusque corporis habitus, vel etiam reliquæ notæ, bilem testantur, & mordacitas circa vesicam contingat. Vesicæ autem exulcerationem, perinde atque renum & iecoris abscessum ex notis in superioribus commemoratis cognosces. Si itaque ob acrimoniam vrinæ stillicidium accidat, tum sane exsuperantem vitiosum humorem B quam celerrime purgare oportet. In quem vsum præter ea, quę iam sæpe dicta sunt, mirifice confert serum lactis cum casia fistulari, aut aliud medicamentum, quod bilem educit. Humore bilioso vacuato, cibis contemperantibus, & acrimoniam obtundentibus vtendum: vt est *ptisanæ cremor, malua, lactuca, portulaca, viola, cucumeris ac melonis semina, & eiusmodi, nempe aqua hordei, aut palmularum, siue radicis glycyrrhizæ decocto.* Ab omnibus autem acribus & salsis omnino abstinendum, vino præterea, exercitiis, ira, & tarda comestione: hæc enim omnia bilem in corpore acervant. Piscibus vtendum saxatilibus, & balneo aquæ dulcis, quod mirifice humores vitiosos contemperare solet. In potu plurima aqua dulcis calida exhibenda, aut decoctum hordei, cum serapiis violaceo & rosaceo. Vinum vero, vt dictum est, non præbendum, nisi dulcius, & dilutum. Opti- C mum est etiam ipsum lac calidum potatum. In summa, quod ad victus attinet rationem, vtendum cibis humectantibus, ac aluum emollientibus iusculis. Oleribus igitur lactuca, buglossa, malua, & portulaca vescendum. Ceterum æger assidue ad mictionem cogendus. Si enim acre recrementum diutius in vesica moretur, partes ipsas erodit, & exulcerat. Quinetiam ad obtundendam humorum acrimoniam medicamentum, quod in fine capitis præcedentis descripsimus, porrigendum. In eundem vsum præbendum decoctum *glycyrrhizæ, cum serapio violaceo, nenupharino, & intybaceo,* aut puluis ille qui habet: *Seminum melonis excorticati, citruli, cucumeris, sing. drach. tres. Seminum cucurbitæ, portulacæ, lactucæ, singul. drach. duas. Rosarum purpurearum, drach. vnam. Succi glycyrrhizæ, glandium, vtriusque drach. vnam & dimidiam.* Terantur singula, & fiat puluis tenuissimus, de D quo detur quotidie pondus *drach. vnius* & dimidiæ in aurora, ex serapio e glycyrrhiza, aut zulapio violaceo, aut rosaceo. Supra modum etiam conducit terebinthina resina, lota in aqua stillatitia rosacea, aut intybi, nucis ponticæ magnitudine, aliquando duarum triumue accepta. Hæc enim, *vt testatur Galenus lib. 5. de tuenda sanitate,* non solum aluum citra noxam soluit, atque adeo acres humores ab vrinariis meatibus auertit, verum etiam viscera, renes potissimum, abstergit. Et fuerunt qui huius tantum vsu sanitatem recuperant. Non parum etiam prosunt clysteres ex decocto hordei, maluæ, violarum, altheæ, foliorum salicis, nympheæ, & aliis supra commemoratis parati, adiectis casia fistulari, sacharo, & oleis violaceo & rosaceo. Quod si vero acrimonia adhuc augeatur, etiam per colem lac ipsum cum amylo in vesicam iniiciendum. In eum etiam vsum E decoctum papaueris albi iniicere oportet. Extrinsecus pubes oleis, violaceo, nympheæ, adiecta succi semperuiui exigua quantitate inungenda. Si vero stillicidium vrinæ ob vesicæ exulcerationem, aut aliam corporis partem male affectam, & se per vrinam expurgantem accidat, manifestum est illis priorem curam deberi, sic tamen vt præsens malum haud negligatur. Curationes autem vniuscuiusque partis ex propriis locis ac capitibus studiosis petendæ erunt.

Strangu-ria. Caussæ. Signa. Curatio. Victus. Puluis. Terebinthina resina. Clysteres.

De difficultate vrinæ. Cap. XLVI.

Δυσουρία Græcis, *vrinæ difficultas* Latinis appellatur. Et est vitium, in quo vrina ægre & difficulter excernitur. Fit ob vesicæ imbecillitatem, atque adeo frigidam eiusdem intemperiem, quæ actionem eius lædit. Interdum etiam propter pituitosos atque F adeo crassos humores vesicæ ceruicem obstruentes accidit. Frigidam intemperiem, si a caussa extrinseca facta est, ex ægri sermonibus cognoscere oportet, & vrinæ tenuitate & albore. At si præter alborem etiam crassities in vrina appareat, pituitosus humor censendus est qui vesicæ ceruicem, vt dictum est, obstruxit. Frigida intemperies per ea, quę calefaciunt curatur. Cibis itaque calefacientibus vtendũ, vino quoq; calido, & odora-

Dysuria. Caussæ. Signa. Curatio frigidæ intemperiei.

mentis condito. Medicamentis præterea vrinam cientibus, vt est *pastinaca probe cocta, fœniculum, apium, asparagus, hypposelinum, & similia.* Vrinam etiam commode cient cancri, & herinacei terreni. Carnem enim illorum exsiccare oportet, & drachmæ pondus in potu accipere. Aromatum deniq; decocta in potu exhibenda, aut antidota ex iis confecta, atque adeo ab illis denominata. Præter alia vero summe conferunt antidotus ex aniso, diacalaminthes, dialachæ, & diacurcume. Theriaca quoque in potu data mirifice conducit. Extrinsecus pectinem oleis calidis, *rutaceo, nimirum, anethino, irino, liliaceo, scorpionum, & de castoreo fouere oportet.* Admouenda etiam fomenta, & sacculi ex *chamæmelo, abrotono, betonica, artemisia, ruta, calamintha, sabina, & similibus herbis compositi.* Ægrum etiam oportet in prædictarum herbarum decoctum desidere, ac imum ventrem contegere, & calefacere. Interdum etiam proderit per sedem earũdem herbarum decoctum, oleis admixtis calidis infundere. Si vero frigidus & pituitosus humor difficultatem vrinæ fecerit, tunc oxymelite vtendum erit, & decoctis hyssopi, pulegii, origani, thymi, & similium supra sæpe commemoratorum. Item vsus sit quoque fomentorum, irrigationum, & sacculorum calidorum, de quibus paulo ante, & in præcedentibus capitibus, diximus. Proderit etiam in cacochymia totius corporis, pituitam purgantia exhibere medicamenta. Præterea siue crassus humor, siue calculus, siue grumos, siue aliud eius generis obstruens vrinæ transitum impediat, catheterem indere ex vsu est, nisi particulæ, quod supra etiam monuimus, phlegmone impediat.

Fomenta. A

Curatio pituitosi humoris obstruentis. B

De suppressione vrinæ. Cap. XLVII.

Ischuria. 1. Caussa. C

Ἰσχουρία Græcis, *suppressio vrinæ* Latinis, vitium est, *in quo ægris in totum vrina supprimitur, ac cohibetur.* Accidit hæc interdum propter vesicæ imbecillitatem, ea quæ in ipsa continentur arcte complecti ac exprimere nequeuntis. Interdum etiam obstructo inferiori eius meatu, aut a crassis humoribus, aut lapide impacto. Nonnunquam vero superuenire solet vel a phlegmone, vel scyrrho, vel alio quopiam tumore præter naturam, angustiorem reddente meatum, vel etiam omnino obstruente. Quandoq; etiam ob carunculam, aut callum in meatu natum. Sanguis quoque in grumos concretus in vesica, suppressæ vrinæ caussa exsistit. Pus item per ipsam vesicam a renibus, aut iocinore, aut alia quapiam superiori parte excretum, vrinæ suppressionem efficit, perinde atque humor, crassus atque lentus. Accidit etiam interdum propter obtusum vesicæ sensum, vt non reddatur vrina, citra tamen expultricis facultatis læsionem, vbi scilicet proprii eius nerui patiuntur. Sic Galenus cuidam, torpẽte ob affectos neruos vesicæ sensu, suppressam fuisse vrinam tradit. Quum enim inter dormiendum non sentiret homo vesicam impleri, ipsa extensa, nihil excernere potuit. Sic sanis etiam quibusdam accidit, aut vrgentibus negotiis, vel in concionibus, vel senatu, vel foro, vel conuiuio: tum enim retenta longo tempore vrina, extenditur vesica, atque vrina cohibetur, contractrice facultate læsa propter immoderatam tensionem. Imo quantum ipsius vesicæ amplitudo repleta circumtenditur, tanto angustior seipso fit meatus. Quæ omnia fusius prosequitur Galenus *lib. 1. de locis affectis, cap. 1. & lib. 6. cap. 4.* Ceterum si propter vesicæ imbecillitatem fit vrinæ suppressio, ex iis quæ frigidam eiusdem intemperiem notis monstrant, cognoscitur. Si a crassis humoribus ex victus ratione quæ præcessit, deprehenditur. Siquidem in otio educatus multis cibis, qui crassos & lentos humores generare possunt, vsus est. Si a lapide, ex notis quæ supra in peculiari eius capite dictæ sunt, agnoscendum. Si a phlegmone, aut alio tumore, dolore, febre, ac visu dignoscitur. Vbi ob carunculam aliquam, aut callum suppressio vrinæ orta fuerit, ex præcedentibus vlceris notis, & ex eo quod traiecto cathetere vrina vacuatur, intelligi potest. Immissus etiam catheter in ea videlicet meatus parte, vbi antea vlcus esse coniiciebatur, dolorem mouet, fractaque sub cathetere carne sequuntur cum vrinæ excretione & cruor & carnis fragmenta. Si grumi obturationẽ fecerint, sanguinis præcessit excretio & effluxio. Vbi vero pus obstruxit, ex præcedentium notitia scire licebit. Nam vel vesica, vel renes antea vitio aliquo laborauerunt, per quod tale tantum que pus colligi potuerit: aut in parte aliqua renibus superiore fuit abscessus, quo erupto pus in renes, & subinde in vesicam transsumtum est. Reliquæ caussæ e sermonibus ægrotantis possunt cognosci. Curandi ratio pro caussarum diuersitate variatur. Si enim propter vesicæ imbecillitatem vrinæ suppressio contingat, calefacientia, vt in ca. præcedenti est dictũ, adhibenda erunt. Omnino enim fri-

Margin: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. D

Signa. E F

Curatio. Si propter vesicæ imbecillitatem.

A nim frigida intemperies, quæ actionem vesicæ deiicit, amouenda. Si autem a crassis & lentis humoribus vrinæ retentio oriatur, fomentis, insessionibus ac cataplasmatis ex herbis calidis & incidendi facultate præditis compositis, similique victus ratione curanda erit. Præter ea autem quæ in capite præcedenti de vrinæ difficultate commemorata sunt, ad vitii amolitionem vnice confert hoc vnguentum, quod habet: *Oleorum scorpionis, nardini, liliacei, sing. drach. tres. Sagapeni, bdellii, opopanacis, sing. scrup. duos. Pinguedinis ansegis, anatis, vtriusq; drach. dimidiam. Radicis helenii, scrup. duos. Pulegii, calaminthæ vtriusque drach. dimidiam. Dissolutis gummi in vino, cum cera quod satis est, fiat vnguentum.* Vesicæ etiam iniiciendum per syringam oleum scorpionum, aut liliaceum, aut aliud quod crassos humores dissoluere ac incidere potest. Si a lapide aut grumis suppressa vrina fuerit,

Si ob crassos & lentos humores.

Vnguentum.

Si a lapide aut grumis.

B curatio ex propriis capitibus petenda erit. Lapis enim qui meatum vrinarium obstruit, e loco mouendus, quemadmodum dictum est *cap. 41.* huius libri. Grumi vero dissoluendi, vt dictum est, *cap. 42.* Si propter phlegmonem vel alium tumorem præter naturam vrina supprimitur, curatio itidem ex propriis petenda capitibus erit. Quod si ob carunculam aut callum retenta vrina fuerit, balnea, & alia remedia relaxantia, ac vrinæ fistulam dilatātia admoueantur, quorum formulas ex capite *de calculo renum* petantur. Quod si ita non procedat, ad catheterum vsum confugiendum, perq; hoc ipsum instrumentum immissum vrinæ prolectandæ. Si propter obtusum vesicæ sensum vrina supprimatur, irritando admonere ac excitare eius actionem oportet, & per insessus, fomenta, & alia calida medicamenta, quæ torporem eius auferre possunt succurrendum. Vitanda

Si propter tumores præter naturam.

Si propter carunculam aut callum.

Si propter obtusum vesicæ sensum.

C tamen sunt vnice ea, quæ vrinam mouent, ne scilicet copia eius vesica distendatur, atq; adeo contractrix eius facultas lędatur. Nitro pręterea, aut pediculo viuo, vrinario meatui imposito, aut alio quod excretoriam vesicæ facultatem irritare potest, vrina prolectanda. Excretoria etiam facultate affecta, *Galeno lib. 1. de affectis locis, cap. 1. teste*, æger sic figurandus, vt decliuis sit ceruicis vesicæ positus, ac manibus supra pubem admotis, vrina sensim, comprimendo tumorem præter naturam, expellenda. In sanis autem, quum ob negotiorum importunitatem vrina diutius retenta vesicam imbecillam ac debilem reddiderit, auxiliari ipsi oportet ambabus manibus supra pubem, *vt iam comprehensum est*, admotis, & vrina sensim ac paulatim exprimenda.

Si in sanis retenta fuerit.

De exulceratione pudendi. Cap. XLVIII.

D Naturalium ac pudendorum vlcera citra phlegmonem oborta, tam externa, quam interna medicamentis indigent, quæ vehemēter & citra morsum resiccant, quod partes illæ corporis sint humidiores, & excrementis per eas expurgandis parata: cuiusmodi sunt *charta combusta, anethum, aridum vstum, & aloe arida in puluerem redacta*, quo sane remedio vix aliud præsentius reperies. *Radix* etiam *pistolochiæ*, quam vulgus herbariorum *rotundam* appellat *aristolochiam*, pręsens exulceratis pudendi remedium adfert. Porro inter composita medicamenta hoc est efficacissimum, quod habet: *Aloes iocinorariæ, drach. duas. Gallæ, drach. vnam & dimidiam. Sanguinis draconis, boli armenii, pompholygis, sing. drach. vnam. Radicis pistolochiæ, drach. dimidiam. Myrrhæ, scrup. vnum. Gummi arabici vocati, drach. duas. Aluminis vsti, drach. dimidiam.* Contritis omnibus fiat puluis subtilis, qui par-

Aloe arida.

Puluis eximius.

E tibus exulceratis inspergatur. Quod si humidiora ac sordidiora vlcera fuerint, primum *dilutiore mulsa*, mox *lacte caprino* abstergantur. Quo peracto, puluere iam dicto vtendum, aut *lapide hæmatite*, aut *malicorio*, aut *lemnia terra*, in puluerem redactis. Si simul phlegmone accesserit, hæc primum remouenda erit, linteis *in aqua stillatitia rosarum purpurearum, aut solani, aut aizoi, aut portulacæ, adiecto oui candido*, madefactis, & loco laboranti admotis. Reliqua remedia ex aliis petenda capitibus erunt.

Abstersio vlceris.

Phlegmone remotio.

De Priapismo. Cap. XLIX.

Priapismus, *auctore Galeno libro 6. de affectis locis, capite 6. & 13. meden. method.* est, quum genitale membrum & in longitudine, & in latitudine augetur, nullo stimulante ad libidinem aut desiderio, aut acquisito calore. Quod si pudendi accidat palpitatio, tunc

Priapismus.

F Satyriasis dicitur. Appellationem autem hoc vitium accepit a Priapo, quem suapte natur huiusmodi pudendum habentem finxerunt & pinxerunt homines impii. Fit hoc vitium, *vt eodem in loco testatur Galenus*, vel ob arteriarum ora immodice patentia, vel vaporosum spiritum in fistuloso neruo ortum. Crebrius tamen ora arteriarum patentia sequitur. Quippe facilius est hæc distendi, quam flatuosum spiritum in neruo

Satyriasis.

Caussæ.

fistuloso generari. Nam calefactis lumbis, par est vt arteriæ calidiores reddantur, & magis etiam pateant ipsorum ora: quamobrem non exiguam tunc spiritus essentiam in fistulosum neruum effundunt, qui paulatim impletus colem extendit, ita vt tota ipsius essentia in fistuloso neruo consistere videatur. Aliquando vitium hoc accidit iis, qui longo tempore præter consuetudinem a concubitu abstinent: atque hoc potissimum iis euenit qui plurimo sanguine abundant, & nō student vt multa exercitatione sanguinis abundantia dissipetur, vt *copiosius loco iam citato Galenus ostendit.* A

Signa. Qui hoc vitio laborant, perinde atque ii qui distensione neruorum correpti sunt dolent: inflatum enim & distentum pudendum conuulsionis modo afficitur. Sic conuulsi celeriter pereunt, nisi confestim eis auxilium feratur. Quum vero moriuntur, ventre inflantur, & frigidum exsudant.

Curatio. Curandi ratio pro caussarum diuersitate variatur. Si enim propter patentia arteriarum ora, atque adeo earundem caliditatem vitium accidat, protinus vena secta sanguinem mittere conuenit. B Quod etiam faciendum erit, vbi vitium hoc comprehendit eos qui sanguine abundant, & longo tempore præter consuetudinem Venere abstinent. Secanda vero est vena nigra, quam mediam etiam vocant, non autem poplitis: quod hæc ad pudendum sanguis fluxum magis deducat: illa vero ab eodem magis sursum trahat. Vtendum quoque victu tenui, & a vino abstinendum. Cibum autem exhiberi frumentaceum paucum, atque omnino nihil inflantem, & sitim indicere, potuq; aquæ vti conuenit. Exercitium, frictioq;, spiritibus recte discutiendis adhibentur.

Clyster. Vacuationem etiam per vomitum moliri expedit. Aluum autem obturatam & adstrictam clysteri non admodum acri, qualis est, qui ex *betæ, maluæ, & mercurialis decocto fit*, submollire oportet. C A purgantibus autem medicamentis in totum abstinendum, ne deorsum trahantur humores. Eadem de caussa cauenda quoq; quę vrinæ ciendæ facultatem habent.

Summa curationis. In summa annitendum, vt ea medicamenta adhibeantur, quæ redundantiam, vacuare, & sursum trahere, atq; adeo a pudēdo auertere humores possunt. Quod si diutius vitium durat ac prorogatur, cucurbitulæ cum scarificatione affigendæ sunt. Si vero plenitudo adfuerit, hirudines adhibendæ. Lumbis vero quæ euidenter refrigerant imponenda, vt est *solanum, portulaca, hyosciamus, & semperuiuum.* Necessario etiam pudendū, & intercapedo inter anum & pudendum ex aliquo succo & liquore herbarum leniter refrigerante illinitur. Optime autē facit in ipsis ceratū ex rosaceo optimo apparatum, & frigida aqua sæpe elutum, si tum pudēdo, tum lumbis imponatur. D Eius autem cerati, quod liquidum vocatur, constructionem docet Galenus *lib. 1. de simp. med. facul. cap. 6. Et lib. 10. Ther. Meth. cap. 9.*

Ceratum liquidū. Ceratum. Ceratum hoc conferet, quod habet: *Ceræ albæ decies in aqua frigida lotæ, quartam vnam. Succi semperuiui, drach. duas.* Commixta redigantur in formam cerati. Quid multa? adhibenda, atq; in potu etiam exhibēda ea medicamenta, q̄ semen exstinguere possunt. De quibus copiose in *cap. sequenti de profluuio seminis* dicemus.

Decubitus qualis sit. Porro supino cubitu conquiescere nociuū, at in latus decumbere ipsos ex re est. A spectaculis vero & narrationibus, ac cōmemoratione eorum, quæ ad Venerem excitāt, penitus sunt arcendi. Si vitium hoc ob vaporosum spiritum in fistuloso neruo natum accidat, ad eiusdē dissolutionem tota curatio conuertenda erit. Quare ad caput de curatione inflationis ventriculi, & coli doloris flatuosi recurrendum, illic n. remediorū copiam reperire est. E

De seminis profluuio. CAP. L.

Gonorrhœa. Γονοῤῥοία Græcis *seminis profluuium* Latinis dicitur. Vox hæc composita est, ex γονή, quæ *semen* significat, & ῥεῖν, quod est *fluere.* Est enim seminis præter voluntatem, citraque pudendi tentiginem excretio.

Caussæ. Fit propter retentricis in vasis seminariis facultatis imbecillitatem, aut ob aliud vitium, quod seminariorum vasorum partes eodem modo, quo expultrix secūdum naturam facultas mouet: veluti in comitialibus, & aliis violentiorib. conuulsionibus cōtingit. Oboritur autem aliquando etiam ex seminariorum vasorum fluxione.

Signa. Semen quod profluit aquosum est, tenue, citra coeundi appetētiam, &, vt plurimum quidem, citra sensum, quandoq; vero cum voluptate quadam promanat. Corrumpitur hoc vitio affectis sensim vniuersum corpus, ac gracilescit, præsertim circa lūbos. F Consequitur & debilitas multa, non ob seminis multitudinē, sed ob locorū principatum. Et si pudendo non intento euenerit, retentricis in seminariis vasis imbecillitatē sequitur. Si vero intento pudendo contigerit, cōuulsioni quodammodo simile malum erit. Non viris tantum, sed & fœminis vitium hoc accidit, & in fœminis quidem ægre tollitur.

A tollitur. Curandi ratio communis est cum ea, quæ in omni fluxione adhibetur. Primum igitur in quiete, pauco cibo, atq; aquæ potu ægros adseruare oportet. Deinde etiam lũbos & pubem contegere lanis vino & rosaceo, aut melino madefactis. Neq; vero ineptæ sunt spongiæ posca imbutæ. Sequentibus vero diebus cataplasmatis, emplastris & vnguentis ex *palmis, cotoneis, acacia, hypocisthide, rhoe & similibus*, supra sæpe commemoratis, vtendum est. Insessibus quoque adstringentibus ex *rubi*, *plantaginis*, *myrti*, & id genus aliorum decoctis paratis vti oportet. Decoquenda vero prædicta in vino austero, aut etiam aqua. Ciborum qui ægre corrumpuntur, & difficulter permutantur, & resiccandi vim habent vsus sit. Vitent summo studio alimenta flatulenta. Dandum etiam cum cibis ac potu, *agni seu viticis, & cannabis semen, præsertim tostum: ruta item semen & folia, lactucæ* B *semen & caules, ac nymphea radix*. In potu vero quotidie pro aqua communi, aqua in qua ferrum sæpe exstinctum est, prębeatur. In summa, acrium rerum vsum, & multi vini potum, & olerum exhibitionem vitare oportet, victusque ratio vniuersa resiccatoria & adstringens constituenda est. Ea quoq; medicamenta, quæ semen exstinguunt, propinanda, vt est *agni semen tostum & perfrictum. Folia item & eius flores, Venerem cohibere creduntur, non comesta tantum, sed & in potu sumta, & substrata. Portulaca comesta, & lactucæ semen potatum, & nymphea radix & semen in cibo accepta, semen refrigerando exstinguunt*. Ruta vero comesta calore suo semen corrumpit. De quibus Galenus *lib. 5. de simp. med. facul. cap. 23*. Calaminthamautem assidue edentes, generandi potentiam amittunt: id quod similiter & violæ albæ semen facit. Ceterum aqua fabrorum ferrariorum, in qua ferrum sæpe exstinctum C est, assidue potata, citra molestiam imminuit semen. Porro ex iam commemoratis medicamentis simplicibus varia componi remedia possunt, hæc in primis tritura, quæ accipit: *Specierum diacumini, diacalaminthes, vtriusq; drach. vnam & dimidiam. Seminis agni, rutæ, vtriusq; drach. vnam. Calaminthæ, drach. duas. Seminis lactucæ, portulacæ, vtriusq; drach. vnam. Sachari æquale omnium pondus*. Misceantur singula, & fiat tritura, de qua *drach. vna, aut drach. vna, & dimidia* in vino austero diluto exhibeatur. Optimum quoq; esse censetur, laminam plumbeam lumbis supponere: multum enim refrigerare consueuit. In his vero qui plumbi duritiem ferre non possunt, consulere oportet, vt ex prædictis paulo ante herbis quasdam arefactas sibi substernant. Ad quem vsum pręter ceteras viticis folia, ruta, calamintha, & rosa ipsa commendatur. Prosunt enim hæc, absque id, quod renes læ- D dant. Vehementes namq; refrigerationes eorum, quæ lumbis subduntur, renes iniuria afficiunt. Præterea stratum ipsum nõ valde molle sit. Decubitus vt plurimũ in latus fiat, euitata forma decubitus supina, ne lumborum arteriæ inde calefiant. Post prima autẽ morbi tempora exercitiis ęgrũ cõmittere oportet, quib. totum corpus, & pręsertim partes laborantes, confirmentur. Bonum etiam fuerit, si nihil aliud impediat, ad frigidam lauationem defugere, quæ omnem morbum ex fluxione ortum abigere consueuit: idque maxime, si medicamentaria aliqua qualitate aqua sit prædita. Conuenit item per interualla quædam iis, quæ rubefacere, eaq; quæ in profundo sunt ad superficiem transferre possunt, vti. Omnem insuper de rebus Venereis cogitationem excludere oportet.

Curatio.

Semen exstinguentia.

Tritura.

Lamina plumbea.

De iis qui re Venerea vti non possunt. CAP. LI.

E QVi mariti exsistunt, & re Venerea vti, ac debitum vxoribus exigentibus persoluere cupiunt, ignaua vero & impotentia membra, propter frigidam qua laborant intẽperiem, aut aliam ob caussam pudendi resolutionem efficientem, obtinent, ii infernas partes exercere debent: & cibis calefacientibus, inflantibus, nec non seminis gignendi facultate præditis, bonumq; succum generantibus, carnibus nimirum gallinarum, caporum, perdicum, phasianorum, iuuenum columbarum, auicularum montanarum, sturnorum, passerum maxime gallorum testiculis, & similibus vti. Edulia vero non solum bene nutrientia, sed etiam flatuosa ipsis cõueniunt, vt est cicer, faba, bulbi, porrum, pastinacæ radix & semen, nuces pineæ, amygdalæ dulces, rapi semen, & id genus alia. Oua item perdicis, ad Venerem ignauos excitant. Vinum bibant odoratum, rubeum, & F ab aquæ potu abstineant. Dormiant in mollibus lectis, legantq;, quæ ad coitum cohortantur, aut lectionibus assideant. Naturalia continuo ex oleis, vnguentis, aliisq; calefacientibus medicamentis confricent. In quem vsum hoc vnguento vtẽdum, quod habet: *Olei liliacei, vnc. vnam & dimidiam. Olei e castorio, vnc. dimidiam. Piperis, nigellæ, pyrethri, singul. scrup. vnum. Myrrhæ, drach. dimidiam. Euphorbii, grana tria. Ceræ, quod satis est*, fiat vnguentũ.

Caussæ.

Victus.

Vnguentum.

Simplicia medicamenta coitum concitantia.

Antidotū liquidum.

Ceterum medicamentis etiam, quæ seminis copiam efficiunt, ac calefacere possunt, vtendum. Inter simplicia hæc potissimum coitum concitant, *eruca, sinapi, nasturtium hortense, vrticæ, & lini semen, ari, radix, piper, satyrium, orminum, anisum, scylla, orchis*: cuius quidem maior bulbus cum lacte potatus tentiginem cit, minor vero cum aqua potatus tentiginem remittit: fœniculum & anethum. Testes vulpis sicci triti bibiti, innocuam & minime vanam membri tentiginem faciunt. Partes etiam scinci renes amplectentes, ad tentiginem pudendorum excitandam bibuntur. Præterea pudendum cerui aridum vrito, & de eo pondus drachmæ vnius ex vino meraciore præbe. Inter composita hoc medicamento vti licebit, quod accipit: *Antidoti dianthon, pleres archon, diagalangæ, singul. drach. tres. Diasatyrion, drach. sex. Nucum pinearum, amygdalarum dulcium, pistaciorum, singul. drach. duas. Satyrii, drach. vnam. Radicis ari, scrup. vnum. Seminum erucæ, vrticæ, nasturtii hortensis, singul. drach. vnam & dimidiam. Scinci, drach, dimidiam. Nucis Indicæ, drach. vnam. Piperis longi, zingiberis, vtriusq; drach. vnam & dimidiam. Scobis pudendi ceruini, scrup. vnum. Serapii e mentha, & sachari quantum ad excipiendum satis est*, fiat antidotum liquidum, de quo ante cœnam, aut ieiunis per se, vel ex vino detur pondus drachmæ vnius, aut duarum.

De Ramice. Cap. LII.

Cele, Ramex, Hernia. ἐντεροκήλη. βουβωνοκήλη. ὑδροκήλη. σαρκοκήλη. ἐπιπλοκήλη. ἐπιπλοεντεροκήλη. κιρσοκήλη. Caussæ.

Κήλη Græcis, *ramex* & *hernia* Latinis, *ruptura* barbaris medicinæ scriptoribus dicitur, variisque fit modis, ac varias propter adiectiones accipit appellationes. Si enim peritonæo rupto intestina in scrotum deoluuntur, ἐντεροκήλη Græcis, *ramex* autem *intestinorum* Latinis vocatur. Quando vero intestina supra inguinibus hærent, βουβωνοκήλην Græci, *ramicem* autem *inguinis* Latini nominant. Quod si ociosus & aquosus aliquis humor in parte aliqua membranarum scrotum implicantium colligitur, ὑδροκήλη Græce, *ramex aquosus* Latine dicitur. Quū vero intra testium tunicas dura increscit caro, σαρκοκήλην Græcis, *carnosus ramex* Latinis nūcupatur. Quid multa? ramicis genera nomenclaturam semper a rebus opplentibus accipiunt. Proinde si omentum in scrotum descendat, ἐπιπλοκήλη, hoc est, ramex omenti, vocatur. Si intestinum quoq; delabatur, Græce ἐπιπλοεντεροκήλη, id est, *omenti intestiniq; ramex* nominatur. Ita vbi venæ, quæ testiculos nutriunt, varicum more dilatantur, & vltra modum repletæ glomerantur, Græci vitium hoc κιρσοκήλην, hoc est, *varicosum ramicem*, appellant. Ramices intestinorum & inguinis fiunt, vel quod peritonæum plus æquo extenditur, vel quod rumpitur. Vtrunq; vero ex violenta quadam occasione præcedente, nempe ictu, aut saltu, aut clamore, aut immensæ molis sublatione accidit. Aquosus vero ramex, quandoque ex occulta, quandoque ex manifesta contingit caussa. Ex occulta quidem, quando adauctis vasis in scroto contextis, aquosus humor propulsus, & sanguini permixtus ad eas partes decubuerit. Ex euidenti autē, quum propter ictum collisis aut fractis vasis, sanguis subinde alimenti ratione defluens, in aquosam serosamque substantiam mutatur. Colligitur autem humor vel intra tunicam erythroidem, vel exterius inter ipsam & tunicas adiacentes: vel in peculiari tunica tanquam in quadam vesica, comprehenditur. Carnosus sane ex latente caussa nascitur, testiculo fluxionem experto, induratoque, aut ex ictu, aut imperita post ramicis succisionem curatione. Reliquorū ramicum caussæ ex eorundem descriptionibus patent. Notæ vtriq;, intestinorum nimirum & inguinis ramici, communes sunt. Conspicuus enim in scroto aut inguine tumor est, qui in exercitiis, itinere, spiritus retentione, aliisq; occasionibus maior, quam prius euadit: cōpressus tarde quidem recurrit, celeriter autem rursus deoluitur. Peculiaria ramicis ad extensionem relati indicia sunt, quod non vniuersim, sed particulatim temporis spatio, & ob caussas quaslibet intestinum deoluatur, tumor æquabilis & profundus appareat, intestino quod deolutum est peritonæo constricto. Ex ruptura facti ramicis signum est proprium, quod vniuersim ab initio intestinum deoluatur, idq; ob caussas violentas duntaxat: tumor immensæ magnitudinis, inæqualis, & per summa protinus in cute emineat, quod scil. intestina extra peritonæum elabantur. Aquosi ramicis cōmunis nota est tumor dolore vacans, firmus, ac stabilis in scroto, quacunq; tandē occasione non euanescens, sed in iis, qui modicū continent humorē cedens: in illis qui copiosum habent, non item. Ac in quib. erythroides tunica humore distenta est, tumor rotūdus paululū, & oui modo lōgiusculus apparet. His testiculus in conspectū nō venit, vt qui vndequaq; sit implicitus. Si extra erythroidē membranā sub darto habet, per pauca corpora sublabit, testiculusq; intra notas tactui occurrit.

Signa.

A B C D E F

At si

A At si humor ex superuenienti coierit, propter contractionem ex omni parte & rotunditatem, tumor alterius testiculi imaginem exhibet. Et cum aquosus humor exstiterit, tumor concolor pellucet: cum fœculentus, aut sanguineus, aut rubicundus, aut liuidus apparet. Cum vero in vtraq; scroti parte hæ apparuerint notæ, duplicem ibi ramicem cognosces. Carnosum ramicem color vbiq; sui similis cũ duritia subsequitur. Si autem tumor in scirrhum coalescat, nullus nec color, nec sensus adest. Si maligni referat naturam, dolor vrget punctorius. Ceterum ramicem intestinorum & inguinum curamus hunc in modum. Ægro resupinato diductis cruribus intestina sensim reducere, atque reducta deinceps idoneis ligamentis retinere oportet. At si loca scroto aut inguini adiacentia vehementissimis doloribus cum phlegmone affligantur, torminaque & flatus B superuenerint, atque adeo intestina reductioni minus obtemperent, emollientia, ac phlegmonem doloremque leuantia, & flatus dissoluentia fomenta, linimenta, balneaque adhibeantur: qualia sunt quæ ex malua, chamæmelo, anetho, seminibus lini, fœn græci, carei, anisi, cumini, & similibus componuntur. Lana quoq; succida vino & oleo madefacta, loca doloribus exagitata foueantur. Reductis intestinis, conandum, vt eadem idoneis vinculis retineantur, impositis primum ceratis aut emplastris constringentibus ac glutinantibus, quale est hoc, quod habet: *Picis naualis, masticbes, vtriusq; drach. tres. Thuris, drach. duas. Hypocisthidis, sarcocollæ, acaciæ, sing. drach. vnam & dimidiam. Lapidis hæmatitis, sanguinis draconis, aloes, singul. drach. duas. Boli armenii, symphiti radicis, gallarum, malicorii, singul. drach. tres. Visci quercini, drach. vnam & dimidiam. Aristolochiæ vtriusq; drach. duas.* C *Rhois, balaustiorum, vtriusque drach. vnam. Sepi hircini, drach. duas. Resinæ terebinthinæ, & ceræ, quod satis est. Gummi prius in aceto aut vino dissolutis* formetur ceratum, quod in pelle arietis impositũ alligetur, nec ante diem septimum soluatur. Interea æger in lecto triginta diebus maneat, & a cibis flatuosis abstineat, vinoq; copiosiore, motu vehementi, cursu, saltu, clamore, & id genus aliis. Interea autem bibat hoc decoctum, quod accipit: *Saniculæ vtriusque, solidaginis sarracenicæ, ophioglossi, pedis leonis, eupatorii, numulariæ, singul. manipulum vnum. Polygoni, clematitis, daphnoidis, prunellæ, plantaginis maioris, singulorum manipulum dimidium. Radicis symphyti maiusculi, bistortæ, pentaphylli, cynoglossi officinarum, vtriusq; drach. dimidiam. Radicis geranii sexti generis, drach. sex. Seminis myrti, drach. tres. Balaustiorum, drach. duas. Foliorum lauri, drach. vnam & dimidiam. Ebulliant in vino rubeo & aqua iusta quantitatis,* D *donec tertia pars absumta fuerit. Dein colo transfundantur, & sachari adiectione ius decocti dulce reddatur, purificeturque, & fiat potio suauis, de qua quotidie in aurora dentur vnc. quatuor.* Porro annitendum vnice ne aluus indurescat. Si enim nimio conatu stercora excernere necessum fuerit, simul etiam intestina iterum prolabentur. Vtendum quoque apta & conuenienti deligatura, vt antea monuimus, idque tum præcipue, vbi occasio aut necessitas motum exigit. Ceterũ ramex aquosus per ea quæ calefaciunt, & exsiccant medicamenta curandus, e quorũ numero sunt farina fabacea, lauri baccæ, lini semen, dauci, altheæ, nigellæ, & id genus alia, quæ in capite *de ascite, & reliquis aquæ inter cutem generibus*, enumerauimus. Porro chirurgicam prædictorum aliorumque omnium ramicum curandi rationẽ e Paulo Ægineta petent studiosi, qui eandem copiose tradit *li. 6. c. 62. & sequenti-* E *bus.* Nã eam iis in libris tractare nõ est nostri instituti, quare ad vteri vitia ꝑgrediemur.

Ramicis intestinorum & inguinum curatio. *Ceratum.* *Victus.* *Decoctũ glutinans.* *Ramicis aquosi curatio.*

De suppressis mensibus. Cap. LIII.

Supprimuntur mulieribus menses vel naturaliter, vel præter naturam. Si naturaliter, hinc deprehendemus potissimum, quod mulier nulla inde molestia vel totius corporis, vel vteri afficiatur. Ætatis itaq; ratione plurimis mẽses quartodecimo anno fluere incipiunt, paucissimis ante decimumtertium, vel duodecimum, plerisq; autem post quartumdecimum erumpunt: vt plurimumq; purgatio ad duos tresue dies, pluribus ad quinque, aliis ad septem vsq; perdurat. Desinunt vero aliis anno quinquagesimo, aut quinquagesimoquinto, paucis autem ad sexagesimum vsq; extenduntur. Steriles etiam mulieres, in vtero habentes, & saltatrices, naturaliter non purgantur. Nam quicquid in F eis est excrementi, exercitationis vehementia absumitur. Et vt summatim dicam, mulieres calidioris temperaturæ, validisque exercitiis vtentes, & agrestes, parum aut nihil purgantur. Nonnunquam vero menses præter naturam, ob nimiam scilicet crassitiem aut gracilitatẽ supprimi solent. Pingues enim reliquis magis exsangues sunt, minimasq; & angustas venulas habent, quique illis inest sanguis paucissimus, fere in pinguedinem

Caussæ. *Quibus naturaliter menses supprimantur.* *Quibus præter naturam menses detinentur.*

transit. Graciliores vero ob diuturnum aliquem morbum extenuatæ, nihil prorsus superuacui sanguinis continent. Præterea menses non profluunt, quibus sanguis vel crassus, vel lentus, vel per alia loca delatus ac vacuatus fuerit, verbi gratia per nares, aut sedem. Aliis etiam, quod e thorace sanguinem multum eiectauerint: Aliis, quod e dissecta vena plurimum sanguinis promanauerit, menses suppressi sunt. Sed & reliqua excretionum genera idem sæpe effecerunt, vt sudoris multitudo, assidui vomitus, alui profluuia, ac pustularum omne genus, quæ in cute efflorescunt. Præter caussas nunc commemoratas non raro etiã menses detinẽtur propter acutos maximosq; morbos & alimentorum vel paucitatem, vel multitudinem. A paucis enim alimẽtis paululum quippiam confestim exspirat atq; exhalat: a copioso autem meatus obstruuntur, & menstruorum excretio intercipitur. Atq; eas ob caussas maxime menses supprimuntur toto corpore laborante, & affecto. Detinentur autem non minus, vbi vterus ipse peculiari vitio conflictatur: id quod ei accidit, interdum propter frigidam aut calidam eiusdem intemperiem. Nonnunquam etiam propter callum in ore vteri obortum, aut carnis excrescentiam, aut pinguedinis copiam purgatio menstrua impeditur. Quibusdam etiam statim ab initio membrana quædam circa vteri collum aut orificium adnascitur, quemadmodum iis accidit, quæ *imperforatæ* appellantur. Aliis cicatrices vlcerum, quæ in vtero antecesserunt, vasorum ora, a quibus sanguis in vterum ferebatur, obstruxerunt. Quibusdam post aborsum vteri ore exulcerato, ac deinceps ad cicatricem ducto, coitio vel compactio superuenit, quæ præterquam, quod alias omnes vteri transpirationes prohibet, sanguinis etiam excretionem moratur. Curæ denique pertinaces, metus immodicus, & ingens mœror, menses intercipiunt. Suppressos menses vniuersi corporis grauitas, nausea, fastidiũ, & horridi quidam discursus, quales iis quę cõceperunt accidunt, consequuntur. Præterea dolores circa lumbos, fœmora, collum, sinciput, & oculorum fundamenta exsistunt. Item febres continuæ, & vrinæ nigricantes, cum rubra quadam sanie, perinde ac si quis aquæ, in qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt, fuliginẽ miscuisset. Nonnullis etiam vrina aut difficulter redditur, aut omnino supprimitur. Caussarum diuersitas partim ex habitu totius corporis, partim etiam, idq; magna ex parte, de sermonibus ægri cognoscitur. Frigidioris tamen intemperaturæ mulieres ex iis potissimum dignoscere licebit, quod somnolentiores sint, & ad omnem motum segniores, ac colore candidiores, ac veluti plumbei coloris, vrina deniq; aquosa, & ceteris signis, quæ iam sæpe supra dicta sunt. Pituitam quoq; assidue exscreant, interdum etiam pituitosos humores euomunt. Calidioris autem temperaturę indicia, iam cõprehensis plane contraria sunt. Plenitudinis notæ, præter alias, q̃ ex *præcedentib. capitibus* colligẽdæ sunt, eiusmodi potissimum esse solent, vt quę hac ipsa laborant mulieres menstruorum tempore magis grauentur, doloresq; vehemẽtiores circa lumbos & pubem sentiant, venæq; illis in tumorem insignem attollantur. Ceterũ curandi ratio pro caussarũ diuersitate variatur. Si n. frigida vteri intemperies mensiũ profluuium impediet, cum cõtrariis, hoc est, calefacientibus, tũ cibis, tum medicamentis, abigenda erit. Cibos itaq; calidos exhibere oportet, vinumq; fuluũ, odoratum, & antiquum. Exercitia quoq; præscribenda, & alia, quæ corpus calefacere possunt admouenda, quorum aliqua paulo post subiungemus. Valent autem præter alia, *pulegium, thymus, calamentum, abrotonum, dictamnus, radix iridis, casia, acorus, asarũ, & sauina, e quib. decocta & fomenta parari possunt.* Vinũ etiam merum calidum, post balneũ ieiunis propinandum. Sumendis aũt iis medicamentis tempora maxime idonea sunt, alterum quidem cum purgationis tempus appetit, alterum post balneum, fomentationem, aut inunctionem si protinus scil. biberit, vt calido adhuc & soluto corpori medicamentum occurrens vires suas efficacius ostendat. Quod de temporibus consilium Medici, nisi accurata diligentia obseruent, frustra nõ raro in eliciendis mensib. laborant. Porro calidiores & plurimũ exercitatæ mulieres, curatione quidem haud egerẽt: rectius n. & consultius foret ad integram sanitatẽ tuendam, eam victus rationem præscribere, a qua mulieris corpus ita desiccaretur, vt menstruæ purgationis nõ indigeret, sed hoc conceptioni aduersaretur, neq; n. concipiũt, q̃ non purgantur. Caussa ergo cõceptionis, & quoniam omnes fere mulieres inconsulto victitant, purgationes sunt necessariæ. Quare conuenit curationem quoq; subiicere, qua menses ob calidã intemperiem intercepti euocantur. Mulieres itaq; calidiores, & quæ plurimũ exercitantur,

Imperforatæ. Signa. Frigidioris temperaturæ. Calidioris. Plenitudinis. Curatio intemperiei frigidæ. Tempora sumendorum medicamentorum. Calidioris temperaturę curatio.

A B C D E F

A tur, quam maxime humectare oportet vberiore humidioreque cibo ac potu: quales ptisanæ & alicæ sorbitiones sunt, & qui e carnibus *agni, hædi, ac piscibus teneras carnes habentibus, auibus altilibus, lacte: oleribus, lactuca, cucurbita, & e fructibus, ficubus recentibus parantur.* Vino autem vtendum iis candido, non admodum antiquo, & diluto. Balneis quoque aquarũ dulcium: & vt in pauca rem contraham, victus ratione quæ hecticis adhibetur. Porro si plenitudinis ratione, qua mulier laborat, menses detinentur, & nihil aliud prohibeat, a sanguinis missione curandi ratio auspicetur. Secanda vero vena malleoli aut poplitis, idque non ante statum mensium tempus. Neque etiam inutile erit, si cruribus cucurbitulæ affigantur. Vacuato sanguine potiones, quæ menses mouere possunt, fomẽtationes, balnea, inunctiones, & alia, quæ paulo post subiiciemus admouẽda. Sin ple- Vitiosorum succorũ curatio.
B nitudo nulla fuerit, sed qui mensium profluuia morantur humores crassi ac pituitosi fuerint, initio victus ratio extenuans præscribenda, aliaque medicamenta, quæ prædictos humores incidere, & ad expulsionem faciliores efficere ac præparare possunt exhibenda, cuiusmodi est hoc decoctum, quod habet: *Radicum acori, iridis, petroselini, asparagi, sing. vnc. vnam. Seminum apii fœniculi, rusci, anisi, dauci, ammi, vrticæ, singul. drach. vnam. Calaminthæ, absynthii, vtriusq; manipulum semis. Origani, abrotoni, artemisiæ, pulegii, asari, sing. manipulum vnum. Hyssopi, manipul. vnum & dimidium. Cinnamomi electi, drachmam vnam.* Decoquantur singula in aqua iustæ quantitatis, donec tertia pars absumta fuerit. Dein colo transfusis, sacharo adiecto iuri decocti dulcedo concilietur, & albo oui purificetur, adiectis *serapii de calamintha, de hyssopo, & de marrubio, sing. vnc. vnam & dimidiam*, fiatque Decoctũ.
C potio, de qua quotidie in aurora detur pondus vnciarum quatuor. Ea exhausta purgatorium aliquod sumatur medicamentum, quale est *hiera picra, diaphœnicon & indi compositio, catapotia de agarico, e benedicta, aut iis similia.* A purgatione mulieres sunt exercendæ, potissimum deambulationibus, & inferiorum partium frictionibus. Præterea fomentationes & balnea ex chamæmelo, artemisia tenuifolia, mentastro, & aliis, quæ in decocto præcedenti commemorauimus parata, adhibenda. Inunctio quoque fiat hoc vnguento, quod accipit: *Oleorum liliacei, rutacei, vtriusque vnc. vnam. Artemisiæ tenuifoliæ, pulegii, calaminthæ, singul. scrup. vnum. Radicis iridis, scrup. duos. Hyssopi, origani, vtriusque scrup. tres.* Cum cera quod satis est, fiat vnguentum. Posthæc medicamenta, quæ detentos menses euocant protinus, propter caussam supra dictam, exhibenda: qualia sunt *myrrha,* Purgatio. Exercitia. Fomentationes. Vnguentum. Menses euocantia.
D *castoreum, bacca lauri, rubea tinctorum, piper, saluia, ruta, sauina, dictamnum, casia, & aliæ quæ paulo supra, & alibi a nobis comprehensa sunt.* Vnice autem hoc confert, quod habet: *Castorei, drach. vnam. Mentastri in puluerem redacti, drach. dimidiam. Vini veteris, aut mulsæ vnc. quatuor.* Misceantur singula, & a balneo propinetur calidum. Benefacit etiam decoctum pulegii, artemisiæ, rutæ, cumini, dauci, saluiæ, anethi, ammi, fœniculi, inulæ, & similium. Calamintha quoq; in puluerem redacta pondere drachmarum duarum. Aut sauina pondere vnius drachmæ in vino, aut mulsa, pota plurimum confert. Mirifice deniq; conducunt pastilli e *myrrha.* Absynthite autem vinum per totius curationis decursum bibendum. Pessis etiam in vterum demissis, necessitate ita exigente, vtendum, qualis est is qui accipit: *Triphera magna opii expertis, drach. vnam. Farinæ, erui, nigellæ, rubiæ tinctorum, arte-* Medicamentum præstans. Absynthite vinum. Pessus.
E *misiæ, pulegii, singul. scrup. vnum & dimidium. Succi rutæ, vnc. duas.* Commixtis omnibus fingatur pessus, qui cum lana vel gossipio subdatur. Et hic qui habet: *Myrrhæ, bdellii, styracis, singul. drach. vnam. Calaminthæ, abrotoni, absynthii, sing. drach. vnam & dimidiam. Radicum acori, rubiæ tinctorum, vtriusque drach. vnam. Seminis nigellæ, rutæ aridæ, baccarum lauri, sing. scrup. duos. Sauinæ, drach. vnam. Castorei, scrup. dimidium.* Redigantur singula in puluerem subtilissimum: & cum melle, aut triphera, aut mithridatio antidoto, quod satis est excipiantur, & fiant pessi, qui mulieris pudendo inserantur. Mitiores pessi fiunt ex *anserino, vel gallinaceo adipe, sacharo rubeo, & pauco croco*, quibus parum *herbæ mercurialis* contusæ adiicitur, aut tantundem *artemisiæ*, vel *sauinæ*, & *pulegii* quandoque. Ac si validioribus opus erit, *myrrham, bdellium, galbanum, styracem, aristolochiam, rubiam tinctorum, abrotonum, cala-* Alius.
F *mintham, resinam, terebinthinam,* & eiusmodi adiicienda sunt, iisdem prius contusis, ac serico linteo, aut lineo tenui ad formam digiti humani inuolutis. Metrenchytis quoque vtendum. In quem vsum vtero infundimus olea calida, nempe irinum, *liliaceum, laurinũ,* & similia. Suffitis etiam ex *styrace, galbano, thure, bdellio, radice aristolochiæ, artemisia, garyophyllis, cinnamomo, & similibus paratis vtendum.* Quorum formulas in libris nostris *de med. comp.* Metrenchytæ. Suffitus.

monstrauimus. Euaporandus denique vterus odoratis rebus, *maiorana, serpillo, calamintha, chamæmelo, pulegio, artemisia, radice iridis*, & similibus in olla decoctis: quam operculo perforato operire oportet, arundinemque aut alium canalem foramini insertum vndique circumlinere, vt deinde sedens mulier excepto canali foueatur. Proderit etiam, vt mulier huic decocto vsque ad vmbilicum insideat, & inde pessos paulo ante memoratos sibi admoueat. Pinguiores mulieres victus ratione curabimus extenuante, exercitiis velocibus, aliisque medicamentis, quæ exilius corpus reddere possunt: vt est *assidua ventris deiectio, vnguenta euaporandi vim habentia, & similia, quæ copiose traduntur a Galeno nostro lib. 14. Ther. meth. cap. 15. & lib. 6. de tuenda sanitate.* Quæcunque vero propter gracilitatem non purgantur, siue id per morbum, siue alia ratione acciderit, eas primo reficere oportet, & corpori carnem per conuenientem victus rationem, aliaque medicamenta, quæ Galenus *loco iam citato* recenset, restituere. Si enim carnosæ euaserint, bona spes erit menses sua sponte erupturos esse. Quod si tamen non euenerit, tunc potionibus, fomẽtis, & aliis medicamentis supra commemoratis eos euocabimus. Si vero menses propter aliquod vteri vitium non profluxerint, principio malum, quod detentorum mensium caussa, fuerit curabimus: quo curato, deinceps ad mensium prouocationem progrediemur. Curatio vero vitiorum vteri e suis locis petenda erit.

Obæsarũ curatio. Extenuatarum curatio. Curatio earũ quæ propter vteri vitiũ non purgantur.

De redundantibus mensibus. CAP. LIV.

REdundare menses in mulieribus dicimus, quando vltra consuetum tempus purgationis magna copia effluxerint. Tempus autem, id est, duratio mensium purgationis, nullum statum ac ordinatum est. Multis enim ad duos tresue dies, haud paucis vsq; ad quintum profluit: aliis etiam, *vt dictum est*, ad septimum vsque. Rarissime ad duodecimum vsq; purgantur. Accidit autem, menses supra modum profluere, propter aperta aut fracta vasa, vel magna, vel parua. Aperiuntur autem vsu calidarum rerum, & erosione. Immodicæ etiam purgationes mulierib. oboriuntur, interim ob partus grandiores, quæ plerunq; etiam sponte sua cessant. Crebro autem post aborsus vehementi laborant profluuio, & præceps interdum periculum affert. Amplioribus vasis ruptis aut apertis, confertim sanguis promanat. Minoribus vero apertis, sensim, nec magna copia profluit. Ab erosione, si accidit, non solum paulatim, verum etiam cum maximo dolore effluit. Porro quum immodice profluxerint menses, color fœdus consequitur, pedes molli tumore attollũtur, corporis robur prosternitur, vitiatur ciborum, tum appetitus, tum concoctio: atq; in totum omnia, quæ immodicam sanguinis vacuationem, siue ex hæmorrhoide, siue alio quopiam sanguinis fluore euenientem sequi consueuerunt. In primis igitur artus & extrema corporis, incipiendo ab alis & inguinibus, vinculis excipere oportet. Cucurbitulas etiam, leues, magnas, subter mammillas, iuxta Hippocratis sententiam affigere, conuenit. Cibis quoq; & potionibus austeris, atq; adstringentibus vtendum est, vt est oriza, & similes. Assis autem potius quam elixis vescatur ægra: carnibus maxime, quibus suapte natura desiccandi facultas inest, vt auium montanarum, & agrestium animalium. Motu & vino abstinendum, ac pro eo adstringente aliqua potione aqua pluuiali, in qua ignitum ferrum fuerit exstinctum, vtendum, aut posca non quidem frigida, sed tepida. Ouum item sorbile. Porro adstringentia etiam medicamenta simplicia in potu propinanda, qualia hæc sunt: *balausthium, hypocisthis, acacia, corallia, lyciũ, terra lemnia, galla, polygonum, symphytum vtrunq;, hæmatites, calyces glandium, plantago, oxyacantha, & similia.* Composita sunt serapia, *rosaceum, myrtinum, pastilli e succino, & terra lemnia.* Mirifice autem in constringendis mensibus valent hæc catapotia, quæ accipiunt: *Terræ lemniæ, boli armenii, thuris, masticHes, gallarum, sing. scrup. duos. Sanguinis draconis, hæmatitis, vtriusque scrup. vnum. Cornu ceruiui vsti, drach. vnam. Hypocisthidis, acaciæ, coralliorum rubeorum, sing. drach. dimidiam. Balaustiorum, rosarum purpurearum, vtriusq; scrup. duos. Succini, scru. vnum.* Excipiantur serapio myrtino, & formentur catapotia, de quibus *pondus drachmæ vnius, aut drachmæ vnius & dimidiæ propinetur.* Extrinsecus loca oleis, rosaceo, myrtino, cotoneorum, & vino austero foueantur, adhibeanturq; vnguenta, emplastra, cerata, & epithemata adstringentia, qualia multa supra in capitibus *de dysenteria, diarrhœa & lienteria dicta sunt.* Insessus etiam ex decocto paulo ante commemoratorum medicamentorum parati conueniunt. Vti etiam debemus iis, quæ per *metrenchytas* vtero infunduntur. In quem vsum mirifice commendatur succus plantaginis, quo se Galenus quatuor conti-

Menses quando redundãt. Caussa. Signa. Curatio. 5. Aph. 50. Medicamenta menses constringentia. Catapotia. Localia. Insessus. Metrenchytæ. Succus plantaginis.

A continuis diebus delatum ab vtero sanguinem cum nullo alio præsidio sisti posset, suppressisse scribit. Quantitas autem iniicienda, ad cyathi mensuram accedat. Idem possunt *succi polygoni, aut solani, aut hypocisthidos, aut acaciæ, aut similes iniecti.* Pessulorum quoq; vsus non contemnendus, inter quos is potissimum laudatur, qui habet: *Thuris, balaustiorum, gallarum, sing. drach. vnam. Gummi arabici, acaciæ, succini, cornu ceruini vsti, sing. drachmas duas. Seminis plantaginis, myrtillorum, sing. scrup. vnum. Boli armenii, scrup. duos.* Redigantur singula in tenuissimum pollinem, & lana rosaceo intincta excepta, in mulieris pudendum immittantur.

De fluore muliebri. Cap. LV.

B VTeri fluor, qui Græcis ῥοῦς γυναικεῖος dicitur, *totius corporis expurgati diuturna est destillatio.* Talem vero speciem id, quod euacuatur, repræsentat, qualem humor in corpore superans. aliud enim rubrum, veluti sanguinis ichor, saniesue: aliud candidum, quod pituitæ soboles est: pallidum aliud, quod biliosum: aliud vero aquosum, quod quidem serosum est. Atqui si sanguis purus, sicut in venarum dissectione efferatur, attēdendum accurate est, ne quædam in vtero erosio sit excitata. His notis fluor deprehenditur. Loci continue madent humoribus, colore variantibus: laborans decolor est, cibum non sentit, eumque fastidit, obambulando difficulter spirat, oculos habet prætumidos, nūc cum dolore, nunc etiam citra illum, aut cum exulceratione, aut sine illa, aut inflammata vlceratione, aut sordida, aut pura. Caussarum vero diuersitatem, ex colore eorū, quæ promanant, vt dictum est, dignosci licebit. Quod si rubro fluore mulier vexabitur initio, vbi ætas & alia permiserint, ad sanguinis missionem vertamur oportet. Siquidem multa incommoda sequerentur, si confestim sanguinis impetum localibus remediis reprimere conaremur: hydrops nimirum, neruorum vitia, aut oris ventriculi, aut capitis. Ablationem vero sicut in iis, quæ sanguinem exereant, partiri oportet, vt paulatim prolixiori tempore auersio fiat. Secanda vero in gibbero vena erit. Post hæc summitates corporis vinculis deligandæ, & ea omnia admouenda, quæ in contrarium fluxum auertere possunt. Quare conueniunt remedia omnia, quæ capite præcedenti a nobis dicta sunt. Victus ratio vniuersa sit astringens, & crassitudinem inferēs. Potus sit aqua, aut in virium defectu, vinum crassum & adstringens. Ceterum fluore albo, aut seroso infestante, initio quidem resistendum non est, vt aliena e corpore excernantur. Neque etiam præter rationem erit, quandoquidem id, quod effluit, a pituita ortū habeat, si medicamētum, quod pituitam purgat, adhibeatur. Toti quoque corpori auxilia quę exsiccant, quum vitium ipsum humidum sit, admouenda. Exercitationes itaque, superiorum præcipue partium, & frictiones conducunt. Carnes etiam quibus desiccandi facultas inest, vt aues montanæ, & agrestia animalia, deligendæ. Initio etiam mali, ea possunt exhiberi medicamenta, quæ crassos humores extenuāt, & subinde per vrinam educunt: vt sunt *asarum, fœniculum, apium, & iis similia iam sæpe commemorata.* Transacto principio vtero moderate adstringentia applicanda, vt sunt rosaceum & cotoneorum oleum, & alia præcedenti capite comprehensa. Abstergentibus etiam medicamentis vtendum, ne scilicet ab humore effluente vlceratio fiat. Quare aqua calida iugiter serosus humor abluendus. Post abstersionem sordium, *oleum rosaceum, aut melinum, aut myrtinum illinendum.* Pari ratione, vbi pallido fluore mulier laborauerit, initio non resistendum, sed medicamento bilem educente corpus purgandum. Dein reuulsioni studendum, aliisque medicamentis adstringentibus vtendum, nō neglectis etiam abstergentibus, quibus maxime propter effluentis humoris acrimoniam indigemus. Porro vbi fluor accesserit, a veloci deambulatione, a frictionibus abdominis & lumborum multis, ab esu acrium, a calefacientibus & iis quæ vrinā mouent, diu abstinere oportet.

ῥοῦς γυναικεῖος. Caussæ. Signa. Curatio rubri fluoris. Victus ratio. C D Curatio albi & saniosi. E Curatio pallidi & biliosi fluoris.

De vteri suffocatione. Cap. LVI.

F SVffocatio seu strangulatus vteri nihil aliud est, *nisi eiusdem ad superiora retractio.* Gręcis ὑστερικὴ πνίξ, quasi *vterina præfocatio* dicitur. Fit Galeno *libr. 6. de affectis locis, cap. 5. teste,* ob tensionem, quæ creatur a plenitudine, quæ ad menstruorum retentionem sequitur. Neque enim veluti animal errabundum, alias ad alium locum discurrit in mulieribus vterus, sed ab extensione retrahitur, ideoq; fit vt tum intestina, tum ventriculum, item etiam septum transuersum cōprimat, & spirationis difficultatē inducat. Accidit

Strangulatus seu suffocatio vteri. Caussa.

etiam non raro, eodem teste, propter cohibitum semen. Nonnunquam etiam ob refrigerationem, quæ vtero tempore quo menstruæ effluxerunt purgationes euenit. Interdum etiam ob difficilem quempiam aborsum, vel vbi quis sanguinis eruptionem ab vtero repente sistere properauerit. Comitatur hoc vitio laborantes quum accessio propinqua est, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, faciei pallor, aspectus mœstus. Quum vero iam instat suffocatio, inclinatio ad somnum, desipientia, detentio instrumentorum sensus, vox obmutescit, cruraq; cõtrahuntur. Pulsus parui ac debiles fiunt, sæpe etiam penitus abolentur. Nonnullis quoq; spiratio, quæ ab ore ac naribus prodit, manente tamen ea, quæ in arteriis fit, in totum intercipitur. Quum remittet vitiũ, corpus firmari incipit, rubescere malæ incipiunt, oculi attolli & aperiri: Humiditas etiam quædã a locis muliebribus tactu perceptibilis excurrit, ac intestina immurmurãt, ipseq; vterus paulatim laxatur, atque sic ipsis mens, sensus, & motus redit. Ceterũ malum hoc iuxta circuitus mouetur, perinde atque epilepsia: idque nimirum vtero, vt dictum est, repleto aut seminali, aut alia quæ in eo putrefit materia. Vbi autem vterus sua ipsius ratione laborauerit, pro quantitatis vel qualitatis ratione, tamen menstruorum tum seminis, alias aliæ symptomatum species oriri solent. Etenim lædente caussa vniuersum corpus refrigerare potente, adeo vehementer infrigidatur corpus, vt spiratio & arteriarum pulsus sensu deprehendi nequeat. Quæ si vel crassa fuerit, vel acris, conuulsiones: si vero atræ bilis naturam habuerit, mœstitiam inducet: quemadmodũ animi quoque defectiones, & fortes extensiones, & refrigerationes, & stomachi vexationem sequi consueuerunt. Superuenit id mali genus omni quidem tẽpore, sed præcipue hyeme & autumno. Eoque magis corripiuntur iuniores, & ad Venerem procliues, steriles, præsertim si vi medicamentorum tales factæ fuerint. Præterea multæ se a malo hoc recolligunt, nonnullæ vero in ipsis accessionibus subito, aut saltẽ intra paucas horas pereunt: id quod accidit, vbi pulsus crebriores & inordinati fiunt, ac subinde in totum abolent. Postremo frigidus & modicus humor superficiem irrorat. In accessionibus igitur extrema deligare oportet, cumq; deligationibus crura tota, ac vniuersum corpus perfricare, & veluti animo deficientes recuperare. Ægrotam autem ceruice & scapulis accliuioribus collocare oportet, fœmoribus vero & inguinibus decliuioribus. Naribus fœtida admoueantur, verbi gratia, *fœniculus lucernæ nuper exstinctus, plumæ præsertim perdicanæ, aut lanæ laciniæque combustæ, solia calciamentorum, aliorum aut ceparum cortices: capilli, præsertim si ipsius ægrotæ fuerint, cremati: vel capræ cornu combustum, pix super carbonib. eliquata, galbanum, bitumen, castorium, & alia eiusmodi.* Reliquis deficientibus, matulam ex veteri lotio naribus adhibere licebit, aut pannos sulphuratos veteres combustos. Inferius autẽ pudenda ex odoratis suffiantur, *styrace nimirum, aloes ligno, cinnamomo, garyophillis, & similibus.* Cucurbitulas quoque inguinibus & imo ventri, nequaquam vero super vmbilicũ, cum multa flamma, & leues affigere conuenit. Confestim autem accedente accessione fomenta, ac sacculi calefacti imo ventri ac pectini imponẽdi, quib. vix aliud in huius mali accessione præsentius auxilium reperies. Parabis autem eosdem ex *artemisia vtraque, origano, betonica, chamæmelo, calaminthа, absinthio, pulegio, seminibus lini, & smyrnii, atque id genus aliis.* Quod si accessio prolongetur, etiam quæ flatibus educendis conducunt, supponere oportet, quorũ omnium formulas & nomina e capitibus de vẽtriculi inflatione, & coli doloribus, petent studiosi. In vterum quoque tum vnguenta & olea odoratissima infundere oportet: vt est *amaricinum*, & quod *spicaceum* hodie appellatur, *irinum*, & similia. In hæc etiam obstetrix digitos intingat, atque subinde vsque ad vteri os immittat, leniter & multum defricans, vt eo irritamento crassus humor excernatur. Præterea mulier etiam maximis vocibus excitetur, propriumque nomen inclametur. Hoc etiam tempore ea sunt admouenda, quæ sternutationes excitant: vt est *struthium, castoreum, piper & similia.* Sunt qui insessionibus ex decocto *baccarum foliorumque lauri, pulegii, calaminthæ, artemisiæ, marrubii, sauinæ, altheæ, chamæmeli, serpilli, iridis, aristolochiæ, & fœnogræci paratis vtendum esse putent.* Insessionum tamen tempore cerebri curam non omittemus, sed rosaceo & aceto caput irrigabimus. Ego tamen fomẽtis & sacculis potius quam insessionibus vtẽdum esse iudico, præsertim quum vt plurimum, quamuis velis maxime, insessionibus in hoc vitio locus non sit. Vbi accessio quieuerit, ad vomitum cogantur. Omnes enim vomitus leuat, sed eas præsertim quæ a cibo infestãtur. In tertio die, lumbis &

Marginalia: Signa. — Curatio. — Quæ in accessione facienda. — Sacculi. — Quæ post accessionẽ statim agẽda.

A bis & aliis cucurbitulæ cum scarificatione applicentur. A septimo die purgatione vtendum ex hiera de colocynthide, aut catapotiis de agarico. mox ad castorii potionem veniendum, quod iugiter potum ab hoc vitio protinus liberat. Dandum autem singulis diebus ad *drachmæ vnius pondus*, interdum cum mulsa, interdum cum artemisiæ decocto, nunc cum vino tenui. Hoc sane tempore potius quam in accessione, vt dictum est, insessionibus & pessis emollientibus ex adipe anserino, styrace, mastiche, amoniaco, & similibus compositis vti licebit. Vterus quoque iis, quæ calfaciendi, flatumque educendi vim obtinent, suffiendus. Sit autem huius potissimum suffitus vsus, qui habet: *Pastillorum galliæ & aliptæ moschatæ, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Styracis, drachmas tres. Garyophyllorum, maceris, vtriusque drachmam vnam. Ligni aloes, scrupulos duos. Cinnamomi* B *selecti, foliorum lauri, vtriusque drachmas duas. Ladani, vnciam vnam & dimidiam. Trita in pollinem excipiantur stacte, & informentur pastilli pro suffitu.* Cibo interea & potu paucis admodum contenta sit mulier, totaque victus ratio exsiccatoria sit. Atque hæc curatio in huius vitii accessionibus adhibenda. In totius vero corporis restitutione, potissimum vbi malum diuturnum fuerit, plerunque a sanguinis missione inchoandum, præsertim si menstruæ purgationes detineantur. Deinde ad purgationem ex hiera picra transeundum. Peracta vacuatione, cucurbitulæ leues quidem, sed cum plurima flamma affigendæ, & violenter detrahendæ. Interdum etiam loca scarificāda, & scarificata sale inspergenda, deinde conuenientibus medicamentis ad cicatricem ducenda. Nec inutiliter sinapismi, & dropaces ex *euphorbio, pyrethro, pipere & synapi* constructi applicantur. Non C parum etiam recta victus ratio opitulatur, nempe deambulationes matutinæ, gestationesque vel in curru, vel in naui, vel iumento. A gestationis motu vociferatio, & lectio clara & concinna vtilis est. Vnctio præterea, frictio, & ex conuenientibus interuallis repetita, eisdem conueniet. Balneum aquæ dulcis rarius, & non nisi sordium abstergendarum gratia admittēdum. Balneis autem naturalibus vti optimum est, atque adeo postremum quasi confugium. Præ ceteris autem conueniunt, quæ sunt in Badenia, Marchionis. Porro si ob cohibitum semen vteri præfocatio euenit, post sedatam accessionem, ea quæ semen corruptum ex vtero deducunt medicamenta adhibenda erunt.

Castorii potio. Pastilli pro suffitu. Victus ratio. Totius corporis curatio. Victus. Si ob cohibitū semen accidit.

De vteri procidentia. Cap. LVII.

D PRocidere vterum dicimus, *quando ita euertitur, vt exterius emineat.* Neque enim vterus, vt imperiti suspicantur, a suis solutus propaginibus totus prolabitur & excidit: nam si ita procideret, restaurari haud posset. Quanquam autem vterus raro procidat, nihilominus tamen multæ sunt procidentiæ eius caussæ. Ab alto enim delapsa mulier, si in coxas deciderit, membranis quæ vterum continent, ac vicinis partibus connectunt, ruptis, eo vitio corripitur. Accidit etiam nonnunquam, vt in difficili partu procidat vterus, propter secundæ scilicet violentā extractionem, quam vterus qui illi adhæret, sequitur. Nonnunquam propter negligentem aut inartificiosam fœtus, præsertim mortui, extractionem. Præterea ob ictum, vel immensi ponderis eleuationem, vel animi vehementiorem perturbationem, filiorum nimirum interitum, aut hoE stium accessum, vel ob periculosam nauigationem, aut eiusmodi aliquā caussam, omni eo quod in toto corpore concretum est soluto, atque adeo vtero quoque simul prolapso. Interdum etiam hoc vitium citra iam dictas caussas accidit, tota corporis mole soluta propter resolutionem, aut partium, membranarum scilicet & musculorum, imbecillitatem: id quod senescentibus maxime euenire solet. Procidit sæpe vterus propter humoris plurimi ac tenacis defluxum, partuumque frequentiam laxatis ac solutis appendicibus. Procidit autē potissimum secundum os eius, & quod procidit ouo struthiocameli simile est, maioris tantum & minoris ratione differens. Notis pluribus nihil opus est, quod caussarum diuersitas partim ex corporis constitutione, partim etiam de ægrotantis, & assidentium sermonibus cognosci queat. Quum vitium F adhuc recens est, studendum vt vterus inseratur, ac in suum reponatur locum. Siquidem initio repositioni prompte paret, & locatus perseuerat, præcipue si ætas conuenerit. Nam in prouectioribus vterus quidem reponitur, sed rursus qualibet leui caussa relabitur. Conuenit igitur, si in recto intestino feces & stercora dura fuerint, vt clysteri educantur. Simili modo si in vesica lotium collectum fuerit, per cathete-

Procidentia vteri. Caussæ. Signa. Curatio.

rem euocetur, vt vndiquaque vterus sit liber. Euenit enim alias, vt eorum detentione vterus, qui inter vtrunque, rectum inquam intestinum & vesicam medius statuitur, compressus, & intra locorum angustias coactus, in prolapsu suo impediatur, ne repelli & in proprium situm reduci queat. His autem rite peractis, ægram supinam figurare oportet, vt coxas habeat sublimiores, poplites flexos, cruribus inuicem dilatatis & diuaricatis: deinde prolapsam vteri partem *oleo tepido, vel butyro, vel maluæ, althea, fœnograci, seminis lini, aut similium decocto* affatim fouentes, conuolutam lanam præparabimus, figura ex crassitudine sinui muliebri proportionalem, tenui & puro linteo exterius circundatam: ac deinceps in succum acaciæ, vel hypocisthidis vino dilutis mersam vtero inseremus, & citra violentiam ac sensim totum, quod procidit sursum torquebimus, quoad integer in sinu tumor excitetur, & vterus in proprium reponatur locum. Deinde alium lanæ sapsum vino adstringente imbutum superponemus. Extrinsecus autem pubem spongia in posca expressa operiemus. Mulier vero iacebit extensis adaptatisque inuicem cruribus, vt alterum alteri incumbat. Tutius tamen erit pedes simul vinciri, fasciam vsque ad genua deducendo. At si prolapsus vterus temporis diuturnitate intumuerit, plurimoque humore infartus fuerit, ita vt tumor reductionem impediat, betarum decocto irrigabimus: deinde acetum circumfundemus, salemque tenuissimum inspergemus: & vbi detumuerit, sicut dictum est, reponemus. Deinde cucurbitæ cum flamma copiosiore, vmbilico & vtriusque ilibus affigendæ. Naribus odorata iugiter admouenda, inferne vero quæ grauem odorem habent. Tertio die lana adhuc in sinu persistente, mulier in vino nigro austero, modice tepido, aut in decocto myrti, rubi, malicorii, radicis bistortæ, & similium insidebit. His peractis, rursus supina accliuibus coxis locabitur, sublataque e sinu priori lana, altera in locum prioris eodem medicamento madefacta imponitur. Cataplasmata etiam & emplastra extrinsecus imo ventri ex palmulis, malicorio, lenticula, & similibus composita imponantur. Cerata etiam *ex mastiche, ligno aloes, laudano, thure, iunco odorato, acoro, nuce moschata, gummi, tragacantha, & eiusmodi medicamentis parata conueniunt.* Singulis vero tribus diebus hæc vsque ad perfectam curationem permutentur. Toto etiam curationis tempore mulier motum, & ea quibus sternutatio excitatur, euitet. Ceterum vterus ab infernis, fœtidis rebus suffiendus est: naribus autem odoratissima, *vt dictum est*, sunt adhibenda, quod is odorata sequatur, fœtida contra refugiat. Cibi etiam boni succi, & vina odorata offerenda. Venter etiam liniendus ac lubricandus, ne si cum difficultate sit egerendum, simul vterus procidat. Cauendum tamen vnice, ne venter nimium subducatur: exsoluitur enim, elaxanturque propinquæ partes, & vteri loca procidunt. Porro, si pars vteri prolapsa temporis diuturnitate propter incuriam putruerit, obque assiduam vrinę irrigationem & sordes inhęrentes exulcerata fuerit, amputandum, aut inurendum, quod inutile fuerit, nullius metu periculi. Constat enim, Pauli etiam testimonio, totũ vterum, eo quod computruerat, ablatum fuisse, ac mulierem superuixisse.

A B C

Victus. D

De Mola. Cap. LVIII.

Mola quid. E

Mola cur dicta.

Caussæ.

Signa.

Μύλην, hoc est, *molam*, Aetius & Paulus vocant *induratum tumorem, interim in vteri ostiolo, interim in toto ipso prominentem, ad tactum fere lapidosum*. Galenus autem *libr. 14. Ther. meth.* molam definit esse *carnem informem*. Paulus adiicit *tunicis vuluæ adherescentem, ac fœtus modo in lucem edi.* Nomen a difficultate motus accepit, quam sane quæ hoc vitio premuntur mulieres sentiunt. Informis vero recte dicitur, *quod nullius animalis formam habeat*. Fit a seminis muliebris, & plurimi sanguinis menstrui crassi in vteri cauitate retentione & affluxu, quem calor immodicus cogit, ac in carnis formam transmutat. Consequitur hoc vitium tumor durus cum hypochondriorum contractione, corporis gracilitate, decoloratiore, appetentiæ deiectione, mensiumque suppressione. Item in hoc vitio mammillæ intumescunt, vt conceptionis veræ quibusdam per initia suspicio suboriatur. Temporis vero progressu discernuntur: molam enim punctionis sensum inferens: dolor subsequitur, nec in ea motus vllus, sicut in cõceptione percipitur. Nonnullæ vero præbent aquæ inter cutem suspicionem, a qua tamen vitium hoc distinguitur, quod tumor durus sit, neque sicut in hydrope manuum aut digitorum impulsu cedat, aut excauetur, aut tympani modo sonum edat. Nonnunquam tamẽ tempore procedente

F

A cedente secur refrigeratur, & hydrops superuenit. Vitium hoc magna ex parte insanabile est, nisi initio remedia adhibeantur. Vtcunque tamen accidat, curatio negligenda non est, sed omnia quæcunque conuenire videbuntur, adhibenda. Primum vero omnium alimenta boni succi offerenda, ac vini potione vtendum moderata. Mulier vehementi motu non vtatur, is enim fluxionem commouet: sed potius gestationibus, deambulationibus, & balneis. Pedes quoque decumbendo elatiores habeat. Interea vbi plenitudo affuerit, vena gibberi incidenda erit, ac subinde purgatione per catapotia fœtida vocata vtendum. Corpore vacuato, cataplasmata, fomenta, insessiones, pessi, vnguenta, & cerata quæ relaxandi vires habent, admouenda: qualia sunt, quæ ex *althea, malua, chamæmelo, meliloto, fœnograeco, semine lini, & similibus parantur.* In hunc vsum non aliena erit vnguenti dialtheæ, aut emplastri diachilon simplicis admotio. Vel adhibeatur hoc quod accipit: *Olei amygdalarum dulcium, drachmas tres. Olei liliacei, drachmas duas & dimidiam. Pinguedinis anseris & gallinæ, vtriusque drachmam vnam & dimidiam. Lenti cremoris seminis lini & fœnograeci, vtriusque drachmam vnam. Ammoniaci, bdellii, vtriusque drachmas duas. Radicis altheæ, seminum nigellæ & dauci, singulorum scrupulos duos.* Ceræ quod satis est, fingatur vnguentum, gummi in vino prius dissolutis. Pessi quoque subiiciendi ex *butyro, adipe porcino, medulla ceruina, passulis, caricis pinguibus, seminis lini & fœnograeci, confecti.* Posthæc, quæ menses euocare possunt, propinanda medicamenta. In quem quidem vsum præter ea quæ in cap. *de suppressis mensibus* commemorauimus, conuenit hoc medicamentum, quod habet: *Specierum diacinnamomi, diagalangæ, diacumini, singulorum drachmam dimidiam. Specierum diambar, scrupulum vnum. Specierum dialacha, scrupulum dimidium. Cinnamomi selecti, hyperici, calami odorati, asari, radicis acori, seminis anisi, singul. scrupulum vnum. Seminis rutæ, zingiberis, artemisiæ, marrubii, dictamni, saluiæ, singulorum scrupulum dimidium. Sacchari dissoluti in liquoribus stillaticiis artemisiæ & hyperici*, quod satis est: fingantur morsuli, de quibus quotidie pondus duarum aut trium detur drachmarum. Proderit etiam hunc subiicere pessum, qui habet: *Radicum asari, acori, rubiæ tinctorum, singulorum drachmas duas. Seminum rutæ, nigellæ, vtriusque drachmam dimidiam. Maioranæ, nucis moschatæ, garyophyllorum, baccarum lauri, sing. drachmam vnam. Sauinæ, scrupulum vnum. Castorei, euphorbii, vtriusque scrupulum dimidium.* Tusis & cribratis iis, quæ opus est, cum terebinthina resina formentur pessi. Quid multa? vtendum medicamentis relaxantibus & dissoluentibus sanguinem concretum: Sic enim plurima sanguinis atri & grumescentis exscretio sequetur. Mirifice etiam ad huius vitii amolitionem, potissimum vbi diuturnum fuerit, vti confert balneis naturalibus, & per se natis, quibus dissoluendi ac discutiendi facultas inest. Porro multa etiam remedia huc ex capitibus *de aqua inter cutem*, transferenda erunt.

Victus. Curatio. Localia. Vnguentũ. Pessi. Morsuli. Pessus.

B C D

De phlegmone vteri. Cap. LIX.

VTerus plurimis de caussis phlegmone corripitur, nempe ictu, mensiũ retentione, abortu, vlceratione, cõcubitu metas rationis excedente, sellæ nimis duræ insessione, longissima, intensissimaque deambulatione, sæpe etiam transpiratione, propter frigus, prohibita. Comes phlegmones vteri est febris acuta, dolor capitis, pubis & lumborum, & radicis oculorum: brachialis, digitorũ & colli conuulsio, & in aduersum declinatio: stomachi ex cõsortio dolor, oris vteri conniuentia: pulsus exigui crebrique. Si languida fuerit phlegmone, haud valida prædicta symptomata erunt, maioriq; dolore vterus afficietur. Sin vehemens, & ipse totus pulsatilẽ dolorẽ percipit, omniaq; symptomata vehementiora erunt. Vniuerso aũt vtero phlegmone laborante vndiquaq; dolebit: parte vero eius aliqua phlegmone obsessa, in ea dolor magis intẽditur. Nã si posteriora ipsius phlegmone corripiuntur, dolor lumbos magis vexabit, durumque stercus detineur, quod tum rectum intestinum admodum comprimatur. Si anteriora, dolor pubem occupat, & vrinæ stillicidium aut difficultas, vesica expressa, excitatur. Lateribus autem phlegmonem expertis, inguina tenduntur, & crura grauantur, ac difficulter mouentur. Quum autẽ os vteri phlegmone affligit, in abdomine dolor est, digitoque immisso os occurrit durum, rigidum, clausum & feruidum. Initio itaq; curationem aggressi, si neque ætas, neque habitus corporis, neq; anni tempus obstiterit, neq; phlegmone post aborsum, aut immensam sanguinis vacuationem superuenerit, venam po-

Caussæ. Signa. Curatio.

E F

plitis aut malleoli secabimus: idque ex Galeni traditione, qui in libro *de curandi ratione per sanguinis missionem*, vteri phlegmonem a venis in crure sectis magis, quam in gibbero iuuari scribit. Nam venæ illæ non solum ab vtero reuellunt, verũ etiam vacuant, quod in omnibus internis phlegmonib. maxime requiritur, *vt alibi copiosius diximus*. Ægram subinde in domicilio obscuro, & moderate calido seu tepido collocabimus, quietem imperantes, ac crura eius ab omni motu prohibentes. Deinde artus & extrema perfricabimus, vt fluoris ad vterum impetum auertamus. A
Victus. In cibo, qui quantitate modicus sit, vtendum ptisanæ cremore, & ouis sorbilibus, vno tamen die interposito. Potu vini abstinendum, ac pro eo vtendum iure decocti cinnamomi, aut aqua calida. Aluus quoque, præcipue vbi sua sponte non deiecerit, leuibus & emollientibus clysteribus eluenda, & vacuanda.
Localia. Extrinsecus lana ex oxyrhodino madefacta, pubi & lumbis imponenda. *Palmulæ quoq;, aut mala cotonea, in vino austero decocta, & rosaceo admixta, admouenda.* Item *succus semperuiui, vinum austerum, farina hordei, balaustia, & mali granati cortex.* Cataplasmata etiam ex farina *seminum lini, fœnograci, meliloto, plantagine, lentibus, polygono, portulaca, sedo, & similibus composita, adhibenda*: idque potissimum, si erysipelatis naturam phlegmone sortita sit. Lana denique cum *rosaceo, aut melino oleo, aut succo portulacæ, aut sedi madefacta, in vteri sinum immittenda.* At vbi phlegmone declinare ceperit, ad ea veniendum, quæ quadantenus remittendi discutiendique vires habeant. Ægrotam igitur in *fœnograci, altheæ, seminis lini, maluæ, interdum etiam artemisiæ, marrubii, & saluiæ decocto*, vsque ad lumbos sedere iubebimus. Pubi quoque & lumbis *hordeaceam farinam cum fœnograco, & semine lini in mulsa elixatam, aut caricarum decoctum* illinemus. Pessi quoque subiiciendi ex *butyro, medulla ceruina, adipe anserino, gallinæ, & similibus parati.* Vbi curatio processerit, varius magis cibus & leuior vtilis erit. Et quidem in manifesta declinatione ad balneum etiam ducantur ægrotantes, vinumque aquosum maxime & tenue detur. B C

De inflatione vteri, Cap. LX.

Caussæ. INflatur vterus ex frigore, vel humoribus in eo corruptis, vel ex abortu, vel difficili partu ostiolo eius conniuente, aut grumo in ipso obstruente. Flatus vero sæpe in concauo ipsius spatio colligitur, sæpe in sinu, qui sensui patet, nec raro in rarioribus sensuique non patentibus partibus corporis ipsius vteri.
Signa. Vitium hoc sequitur tumor imi ventris cum duritie & dolore punctionis sensum inferente, qui vsque ad septum transuersum & stomachum peruenit: ac nihilominus vtrinque in lateribus extenditur, sæpeque alteri inguini, interdum vtrique, interdum & vmbilico lumbisq; ac pectini dolor communicatur, cui caput quoque assentitur. Nonnunquam flatus per muliebre pudendum erumpit, & ab ægra percipitur. Si itaque flatus in vteri cauitate collectus fuerit, murmura & sonitus quidam in corporis flexu audiuntur, quales intestinis accidunt, quæ torminibus vexantur, impulsuque digitorum sonus tympani modo redditur. At vbi flatus in rarioribus vteri meatibus continetur dolores vehementiores, ac curatu difficiliores infestant. D
Curatio. Auxiliatur huic malo primum, nisi ætas, regio & anni tempus obstiterint, corporisque plenitudo si affuerit, sanguinis missio, inedia, & purgatio ex hiera picra Galeni.
Localia. Quibus peractis, fomentis & inunctionibus ex oleo rutaceo, aut oleo in quo anethum decoctum sit, vtendum. Insessionibus præterea ex decocto *rutæ, pulegii, calaminthæ, marrubii, artemisiæ, altheæ, & similibus paratis.* Cataplasmata quoque adhibenda ex *semine apii, fœniculi, carei, cumini, smyrnii, dauci, anisi, lolii farina, & similibus.* Vtero etiam infundenda, quæ laxandi, flatusque discutiendi vires habent, vt est *oleum rutaceum, ammi, origani, & paulo ante commmemoratorum decoctum.* Et si flatus grumorum caussa includantur, post prædictorum, insessionum maxime vsum, obstetrix digitum prius perunctum in pudendum muliebre inserat, ac grumum sensim ac leniter dissoluat & educat. Quod si diutius se vitium prorogauerit, ad efficaciora remedia veniendum erit. Quare vtendum E
Ceratum. linimentis, emplastris & ceratis paulo vehementioribus, quale est quod habet: *Abrotoni, origani, calaminthæ, singul. drach. duas. Seminis agni, scrup. duos. Centaurii minoris, drach. vnam. Seminum carei, ammi, vtriusq; drach. dimidiam. Casiæ, scrup. vnum. Bdellii, ammoniaci, vtriusque drach. vnam & dimidiam. Oleorum rutacei & anethini, vtriusque vnc. vnam.* Cum cera & terebinthina resina, quod satis est, informetur ceratum, quod vtero adhibeatur. Interdum etiam vsque ad dropaces ac sinapismos progrediendum. Cucurbitæ F

etiam

A etiam locis in ambitu leues, & quæ violenter auellantur, affigendæ. Nam hæ incantamenti cuiusdam simile, vt nunc sæpe dictum est, efficiunt. Interdum etiam scarificatio adhibenda est. Omninoque iis vtendum, quæ vim habent ex alto in summum euocandi. Alimenta quoque attenuantia, & flatum discutientia exhibere oportet, necnõ medicamenta quæ idem possunt, vt dianisi & diacumini, ac diacalamenthæ antidota, & alia quæ in capite *de ventriculi inflatione* exposita sunt. Victus.

De vteri exulceratione. Cap. LXI.

EXulceratur interdum vterus propter difficilem partum, aut fœtus extractionem, aut eiusdem corruptionem, aut ex acribus medicamentis, aut fluxione, aut absessibus disruptis. Hoc vitio affecti in laborante parte dolorem punctorium percipiunt, atque ex interuallis fœtidi saniosique humores ab vlcere sordido excernuntur, ceteraque signa consequuntur male habenti vtero peculiaria, vt capitis, & præcipue sincipitis, tenontum, radicisque oculorum dolor, qui ad manum etiam fundamenta & digitos vsque protenditur, ac reliqua quæ in capite *de phlegmone* prædiximus. Vlcus itaque in conspectum veniens, specillo oriculario deprehenditur. Altum vero & reconditum, ea quæ excernuntur indicabunt. Humor enim diuersus excernitur. Phlegmone quidem obsesso vlcere, paucus, cruentus, aut fœculentus, cum magno dolore. Sordido autem exsistente, copiosior, & sanies cum minori cruciatu. Depascente vero, fœtidus, niger, cum doloribus vehementioribus. Porro vbi cum phlegmone fuerit vlcus, venæ sectione & aliis medicamentis ad illam scriptis vtendum. In reliquis medicamentis purgantibus, maxime si corpus vitiosis redundet humoribus, vtendum. Deinde adhibenda quæ reprimunt humorum defluxum atque calidam intemperiem corrigunt, vt est succus aut liquor stillaticius portulacæ, plantaginis, bursæ pastoriæ, & similes iam sæpe expositi. In sordido subinde expurgantium medicamentorum vsus erit, vt est ptisanæ cremor cum melle, mulsa cum decocto radicis iridis, aristolochiæ absinthii, aut agrimoniæ. Ea vero, quæ depascunt efferanturque vlcera, equino vel asinino lacte recenter mulso abluenda sunt. Lacti vero mel admiscendum, & iridis radix. Hæc quidem, si vlcera conspicua fuerint, illinuntur: sin profunda infunduntur per metrenchytas. Vbi vlcera probe purgata fuerint, iis quæ ad cicatricem ducunt vtendum, primo quidem mitioribus, postea efficacioribus. Placet in primis ceratum Aetii, quod habet: *Ceræ albæ, vnciam vnam. Rosacei optimi, vncias tres.* Hæc super carbonibus liquato, & quadantenus subinde refrigerato, tum in mortarium coniicito, lacteque muliebri, aut asinino, aut caprino recens mulcto, cum pistillo diluto, quousque totum abescat. deinde effuso priori lacte nouum imponito, ac rursus subigito. postea croci circiter scrupulum vnum adiicito. Quod si maiorum mitigationem quæsieris, addito *rosacei olei, vncias duas. Adipis & medullæ anseris, vtriusque vnciam dimidiam.* Licebit & pro rosaceo melinum admiscere. Hoc ceratum abdomini & coxis imponendum. Siquidem eius facultas per latentes meatus in vterum traducetur. Possunt etiam eius farinæ medicamenta vtero iniici, vt est *decoctum malicorii, rosarum, malorum cotoneorum, rubi, myrti, rhois coriarii, bistortæ, bursæ pastoriæ, acaciæ, hypocisthidis ex vino adstringente.* Ad hunc locum transferenda sunt medicamenta e superioribus libris, ex capitibus *de vlceribus renum, vesicæ & virgæ.*

[Margin: B; Caussæ. Signa. C; Curatio. Localia. Repurgantia medicamenta. D; Ad cicatricem ducentia. Ceratum. E]

De phimosi vteri. Cap. LXII.

Φίμος καὶ φίμωσις, obturatio seu coarctatio est in ore aut ceruice vteri, qua ea loca tam angusta redduntur, vt non amplius semen admittant: vel si admiserint, non retineant. Ob callosam enim duriciem contrahi nequeunt. Interdum tamen semen admittitur, & intra angustissimum os vteri continetur, atque inde fœtus concipitur, conceptus vero prægnanti moriendi occasionem affert, quum propter nimias locorum angustias efferri nequeat. Fit autem phimos in ore vteri, aut ex præcedenti vlceratione, aut durata illic phlegmone. Signis ad mali cognitionem nihil opus est: de sermonibus enim ægrotantis, & tactu facilis est deprehensio. Curatio ipsa fit fomentis relaxantibus & emollientibus, itemque cataplasmatis & insessionibus simili facultate præditis. Fomenta itaque ex hydreleo & fœnigræci decocto adhibenda sunt. Pessis etiam vten-

[Margin: Phimosis. F; Caussa. Signa.]

dum quæ relaxando emolliunt, vt est is qui ex œsypo, nitro, & resina terebinthina conficitur. Quid multa? ad huius vitii amolitionem, & vt satis aperiatur vterus, vtendum medicamentis emollientibus, *malua nimirũ, althea, nigella, fœnograeco, lino, ammoniaco, bdellio, resinis, adipibus, & similibus, e quibus cerata, emplastra, pessi, & omnis generis localia medicamenta componi possunt.* Quod si vitium inueterauerit, suffimentis vaporibusque aromatum vtendum. At vbi iam loca tactui molliora offeruntur, tunc spongiam aridam funiculo appensam intra locorum angustias, dilatandi gratia imponemus. Quæ si exciderit, aliam crassiorem immittemus. Quare plures diuersasque spõgias exarentes præparatas habere oportebit. Postea aliquod medicamentum ex alumine elaterio, melle exceptis, paratum, spongiæ imponendæ illinendum, vt scilicet locus apertior fiat. A

Quod si postea sublata spongia locus non satis apertus videbitur, phlegmoneque propter erodentia medicamenta admota superuenerit, infrascriptum medicamentum spongiæ illinetur, quod habet: *Olei irini vnciam vnam. Resinæ terebinthinæ, drach. duas. Adipis anserini, drachmam vnam. Radicis iridis, thuris, vtriusque drachmam dimidiam. Ceræ quod satis est, fiat vnguentum.* Porro si in phlegmone vehemens fuerit, pro irino violaceum aut rosaceum sumatur. Vbi phlegmone cessauerit, & locus apertus fuerit, ceratum ex oleo rosaceo & adipe anserino confectum spongiæ illinemus, & in eo vsque ad cicatricem obductam persistemus, locum solidiorem paulatim reddentes. Spongia tamen vsque ad perfectam curationem nunquam non imponenda, ne os vteri rursus coalescat. B

Vnguentũ.

De sterilitate remouenda. Cap. LXIII. C

Caussæ.

STerilitas aut viri, aut mulieris ratione accidit. A viro est, cum semen eius vel calidum, & veluti torrefactum: vel frigidum, tenue, aquosum, languidum, quale decrepitorum est: vel crassius quam oportet emittitur: vel quod viri semispadones sint, penemque breuissimum habeant, vt in vuluæ recessum semen iaculari nequeant. Quod etiam interdum nimia obœsitate contingit. Obœsi enim tam ventricosi euadunt, vt semen ad profundiores vteri partes iaculari non possint. Mulier vero sua ipsius ratione non concipit, quod vterum habeat vel calidum & igneum, vel frigidum & humidum, vel squalentem & aridum. Nam, vt Hippocrates ait: *Quæcunque frigidos & densos vteros habent, non concipiunt: exstinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque siccos magis & torrefactos: nam ex defectu alimenti corrumpitur semen.* Ceterum crassæ admodum & obœsæ haud concipiunt. Cuius rationem Hippocrates iis verbis reddit: *Quæcunque*, inquiens, *præter naturam crassæ, non concipiunt vtero, iis omentum os vteri comprimit, & prisquam extenuentur, non concipiunt.* Graciles denique & macilentæ non concipiunt: aut si concipiunt, statim abortiunt, *eodem Hippocrate teste*, qui sic scriptum reliquit: *Quæcunque præter naturam tenues exsistentes, vtero gerunt, abortiunt priusquam crassescunt.* Quædam etiam non concipiunt, eo quod vterus earum debilis est, vel angustus, vel breuis: aut quod vasa eius obstructa, & clausa sint, aut cicatricis superuentu excæcata: aut quod vteri ceruix in obliquum ducatur: aut quod os eius nimis angustum, vel nimis amplum sit. Sed & inuiti concubitus, inanes & steriles magna ex parte sunt. amor enim genituram conciliat: ideoque fœminæ amantes crebèrrime pariunt. Ætas etiam vel iunior, vel prouectior conceptum impedit. Propterea nunc primum pubescentes a Venere arcere oportet, ita vt vir trigesimum annum, mulier decimumoctauum attingat. Præcipue vero inepta mulieris forma sterilitati occasionem præstat. Fœcunda enim mulier habere debet proceritatem corporis moderatam, lumborum, & pectinis latitudinem, nates eminentes, commodam alui molem, thoracem angustum, mamuillas amplas. Signa quibus caussarum diuersitas cognoscitur, hæc sunt. Calidius viri temperamentum facile ex pilorum copia, nigrorum potissimum in partibus genitalibus, & omnibus quæ circumstant, a supernis quidem vsque ad media fœmora deprehenditur. Petulca etiam est hæc temperatura, & prona ad libidinem, statim vero satiatur. Frigidius temperamentum monstrant partes circumpositæ testibus glabræ. Neque etiam hoc temperamento præditi, ad libidinem proni sunt. Vteri vero caliditas ex reliqui corporis caliditate cognoscitur, quodque pauca menstrua, & cum dolore deferuntur, vt genitalia interdum mulieris exulcerentur. Sed & quæ educuntur, nigriora sunt. Hanc etiam temperaturam insignis salacitas, & totius corporis siccitas sequitur.

5. Aph. 26. D

5. Aph. 46.

5. Aph. 44.

E

Signa calidę temperaturæ.

Frigidæ. F

A sequitur. Frigidiorem vteri temperaturam monstrat menstruorum suppressio, stupor in pube, lumbis & crurib. obortus. Veneris etiam vsum aspernantur, & os vteri contractum habent, hoc temperamento præditæ. Humiditatis vero vitio fœcunditatem frustrari indicat, si in coitu humore admodum perfundantur, & si iis fuerint tenuia, copiosaque menstrua. Siccitas contrariis plane deprehenditur notis. Reliquæ caussæ partim visu, partim de sermonibus ægræ, vt aliorum cognoscuntur. Communiter quidem ambobus, viro scilicet & mulieri, congruit vniuersum corpus conseruare probe temperatum, laboris, cibi, balnei, & reliquorum omnium mediocritate. Viri igitur, qui propter deprauatam viuendi rationem semen corrumpunt, ad magis compositum salubrioremque victum conuersi, genituræ fœcunditatem acquirunt. Mulier autem neque ingenti labore defatigetur, neque prorsus ociosa sit: hoc enim superuacuis excrementis molem corporis replet: illud vero sanguinem desiccat, & purgationes absumit. Potu & cibis concoctu facilibus vtatur, & quos ventriculus probe superet atque conficiat. Illud vero potissimum circa rectam viuendi rationem est obseruandum, vt nec vir, nec mulier obœsi reddantur. Qui enim tales fuerint, liberis procreandis inepti sunt, eo quod genitalibus mutuo se contingere non possunt, & paucum semen emittant. Porro conuenit etiam, vt iis qui liberis procreandis operam dare cupiunt, quædam consueta, esuque aut potu grata ante cibum offerantur, quæ Veneri excitandæ & semini generando aptissima sint, qualia exsistunt, quæ calefaciunt mediocriter, *Galeno libro quinto, de simpl. med. facult. capite 20. teste*, & inflant. Vinum itaque in hunc vsum, modice sumtum, aquæ præfertur. *Sine enim Cerere & Baccho*, vt ille ait: *friget Venus*. Ex oleribus vtendum *eruca, orminio, erysimo, & aliis quæ in capit. de iis qui re Venerea vti non possunt, commemorauimus*. Ruta, calamintha, & menta omnino vitanda sunt. Calamintha enim & menta, etsi plurimum semen, languidum tamen & imbecillum gignunt. Ruta vero prorsus corrumpit. Ceterum vbi mulier vitio quodam humorum non concipiat, eas purgante medicamento vacuare, & proba victus ratione emendare expedit. Peculiariter vero mulieribus conuenit, curam eorum, quæ sunt circa vterũ, quam fieri potest, maximam habere, & vt iis menses sine omni impedimento promanent. Quum igitur propinqua est per menses purgatio, cibi potusque quantum fieri potest mediocritatem curæ habebunt, & quippiam ex iis, quæ menstruam purgationem irritare & stimulare possunt, assumẽt, vt sunt olera odorata & acria, gingidium, fœniculum, apium, smyrnium, & similia, quorum copiam ex capite *de suppressis mensibus* petes. A purgatione menstrua, optimum & opportunissimum concipiendi tempus est. Quoniam, *vt testatur Hippocrates noster*, post menstruam purgationem iam dextra, iam vero sinistra vteri pars aperta est. Porro vteri intemperiem frigidam per fomenta, cataplasmata, suffitus, & alia quibus calefaciendi vis inest, corrigere oportet: vt sunt quæ ex *artemisia, pulegio, saluia, ruta, aniso, cumino, acoro*, & similibus parantur. Castoreum etiam bibere proderit, & semina odorata, cuminum, anisum, iuniperi quoque fructum, & alia quæ in capite *de suppressis mensibus* dicta sunt. Calidiorem vero vteri intemperiem, per ea, quæ refrigerant & humectant, emendabimus: cuiusmodi sunt olera quidem *lactuca, malua, cucurbita, portulaca, atriplex, & iis similia*. Vinum bibendum tenue, album & dilutum. Proderit sic laborantibus somnus, & dulcium aquarum balnea. Lumbis etiam ac pubi refrigerantia adhibenda sunt, vt *solani succus rosaceo admixtus*, qui etiam lana exceptus in vteri sinum vtiliter imponetur. Quæ ob vteri humiditatem non concipiunt, iis victus siccior vtilis est. Exerceri etiam eas plurimum oportet, ac in superioribus corporis partibus perfricari, vacuationisque & auersionis gratia interdum pransas, interdum ieiunas vomere, & cibi parsimonia exsiccari, carnesque ætate vigentium animalium tostas comedere, vinumque potens & meracius, sed parcius bibere. Arida præterea fomenta crebro adhibenda. Profuerit & vuluæ adstringentia apponere, qualia sunt *rosarum, foliorum rubi, gallarum, rhois obsoniorum, myrti, polygoni, malicorii, & similium decocta*. Id autem nisi totum antea corpus purgatum sit, faciendum minime erit. Sicciorem vero vterum contrariis curare oportet, balneis aquarum dulcium, inunctione, & alimentis humectantibus. Vino diluto, non nimis veteri. Quod si a crassioribus humoribus concipere mulier impediatur, siquidem rodentes fuerint, mulierem probe purgare conuenit hiera picra, sero lactis: & victu exquisitiori, cibisque boni succi vtendum. Pitui-

[Margin notes: Curatio viro & mulieri communis. — B — C — Curatio mulieris cacochymia laborantis. — D — 6. epid. part. 7. aph. 24. — Curatio frigidæ intemperiei vteri. — Curatio calidioris intemperiei. — E — Humiditatis. — F — Sicciotis. — Curatio humorũ crassiorum.]

tosos vero humores laboribus plurimis, sudoribus, vomitu, vel per inferna purgatione absumere oportet, aliaque omnia quæ in capite *de suppressis mensibus* commemorata sunt, quæ nihil attinet hic membratim recensere. Iam vero flatus quoque in vtero concepti fœcunditatem impediunt. Quibus primum parciore cibo medebimur, deinde quæ flatus discutiunt medicamentis, vt est *cuminum, ruta, anethum, apii semen, & similia quæ in capite de vuluæ inflatione, & alibi dicta sunt.* Ea autem partim potanda, partim extrinsecus adhibenda sunt. Clausum ac conniuentem vterum aperiemus iniectis clysteribus odoriferis, fomentisque & insessionibus ex *fœnograco, semine lini, malua, & id genus aliis, supra in capite de phimosi vteri etiam commemoratis.* Postea ad validiora progrediendum, *artemisiam nimirum, calamintham, pulegium, & maioranam.* Quibus os vteri nimirum hiat, iis victus aridus, fomenta sicciora, medicamenta adstringentia, qualia sunt *gallarum decoctum, rubi radix, myrtus, & eiusmodi in curatione humidioris intemperiei recensita, conueniunt.* Postremum peruersiones vteri emollientibus fomentis dirigemus: id enim fomenta maxime possunt. Sed & mollientes pessuli vtiliter supponentur. Præcipue vero pulegii & artemisiæ decocta, & castorium e posca bibitum, vtero auerso conferre solent. Paulus tradit, tum Venerem a tergo exercitam ad concipiendum conducere. Nos hic generatim atque per capita tantum curandi rationes perstrinximus. Particulares enim curationes, e propriis petendæ sunt capitibus.

Curatio flatuum. Clausi vteri. Aperti vteri. Peruersionis.

A B

De difficultate partus. Cap. LXIIII.

C

Difficilis partus aut vitio parientis, aut fœtus, aut secundarum, aut extrinsecus aduenientium accidit. Parturientis quidem, si crassa obœsaque sit, aut animo pusillo, & dolorum imperita: aut vterus totus exiguus fuerit, aut phlegmonem vteri, aut alterius partis habuerit, aut alio quouis morbo laborauerit: aut naturaliter imbecilla sit, vt fœtum propellere nequeat, aut ante tempus pariat. Item si os ceruicis vteri fuerit obliquum, aut eidem caro aliqua propter vlcus quod præcessit adnata sit. At fœtus vitio, si vel inusitatæ magnitudinis exsistat, vel exiguus & modicæ grauitatis, vel magni capitis, vel mẽstrosus (verbi gratia) biceps, tricepsue: vel mortuus, qui nihil opis parturienti præstet, aut intumescat: aut viuus quidem, sed imbecillis, vt foras non possit progredi. Vel si gemmini vel plures fuerint, & repente omnes simul collo vteri impingantur. Vel si figuram naturæ aduersam & contrariam obtineat. Naturalis siquidem figura fœtus prodeuntis est. Prima quidem in caput, manibus super fœmoribus porrectis & extensis, & capite in neutram declinante, sed recta ad os vteri directo. Proxima huic, vbi in pedes manibus super vtroque fœmore extensis, recta defertur. Aliæ omnes præter has duas a natura abhorrent: vt si caput in dextram aut sinistram vteri partem inclinat: vel si altera aut vtraque manus exseritur, cruraq; interius a se inuicem diducũtur. Aut si fœtus altero pede prodit, altero interius retento. Aut si duplicatus alicui vteri parti innititur. Ob secundas partus redditur difficilis, si aut non auellatur ob crassitiem, aut priusquam opus sit propter tenuitatem abrumpatur. Tunc enim humor in vtero collectus ante congruum tempus excernitur. quare pudenda sine humore, siccaque in ipso partus tempore manent, cum necessaria est humiditas, quæ exitum lubricum & facilem fœtui præbeat, atque adeo præ siccitate ægre fœtus elabitur. Ab externis etiam caussis pariendi difficultas oritur: a frigore nimirũ, quod vterum densat, & meatus angustiores reddit: aut calore immodico, qui vires dissoluit. Caussæ quidem externæ laborãtis, & assistentium sermonibus cognoscuntur. Imbecillitas vero parientis, veluti pinguedo, ex corporis habitu facile deprehenditur. Ex morbis etiam præcedentibus prompte imbecillitatis notitiam, & nonnullorum aliorum vitiorum veniemus. Fœtus imbecillitas ex debili ac tarda motione cognoscitur. Qui si mortuus fuerit, a motu prorsus cessat, ventris frigiditas adest, atque dolor iuxta vmbilicũ grauis. Spiritus exhalatur fœtidus, facieiq; color prauus. Magnitudo autem fœtus ex parentum corporis constitutione, ac ventris parientis mole coniicitur. Crassities secundæ inde colligi potest, ꝙ prædictorum signorum nullum adsit, & parturiens robusta, facilisque fœtus motus sit. Porro quod ad curandi rationem attinet, variatur quidem iuxta caussarũ diuersitatem. Obœsam itaque mulierem in lectulo pronam, hoc est in caput propendentem, & vultu in terram

Naturalis figura fœtus prodeuntis. Signa. Curatio obesæ.

D E F

A in terram deiecto, figurare oportet, flectentem inclinătemue genua ad fœmora, quo vterus ad abdomen tendens, e directo oris sit. Digitis vero pinguedinibus (verbi gratia) *butyro, oleo, axungia anatis, gallinæ, & similium delinire os vteri oportet, & sensim dilatare.* Timidæ vero addendus animus. Inexpertam autem dolorum partus admonere, vt validissime spiritum comprimat ac contineat, & ad ilia validiore conatu protrudat. Si autem difficilis partus ex adstrictione, stupore, aut veluti fœtus adarctatione oriatur, relaxatione succurrendum erit, infundendo largiter oleum dulce & calidum. Item decoctum fœnogræci, aut maluæ, aut seminis lini, aut etiam oua, quod leniendi facultate prædita sint. Dein & pubem cum abdomine & lumbis prædicto decocto, aut alio relaxante medicamento fouere oportet. Prodent etiam insessionibus calidis & euaporationibus, tum aere domus ad caliditatem vergente, tum infusionibus, & illitionibus ex
B oleis tactu & virtute calidis, cataplasmatisque conuenientibus vti. Quod si neque febris, neque quippiam aliud obstiterit, balnea relaxantia adhibere oportet, mouereque patientem gestatione in sella, in aere mediocriter calido. Nonnulli & in iis corporis quassationibus violentis vtuntur. Quod si aliqua debilis fuerit, & difficilem partum ob resolutionem habeat, densantibus & contrahentibus, atque cum quæ reficiunt, & robur addunt cibis & potionibus refocillanda: quales sunt insessiones, & aspersiones ex *myrto, pampinis vitis, malis punicis, rosis, aceti odore, & illitione ex vino, oleo rosacco mixto frigido.* Vbi infans præmagnus fuerit, ei adhibenda quæ dilatare & laxare os vteri possunt. Si vero ex præternaturali fœtus figura difficilis partus contingat, ad naturalem quantum
C possibile fuerit, ducendus est figuram, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, partim in rectum agendo. Et si manus pesue præmittitur, non attrahere membro prehensum oportet: magis enim firmatur ac impingitur: vel luxatur, vel abrumpitur: sed digitis humero vel coxæ fœtus innixis, rursus id quod prominet in conuenientem locum diducere. Porro si cum oris vteri compressione, totius infantis indecora fuerit figura, sursum prius ipsum ab vteri ore sublimem detrudere consilium est, deinde prehensum iterum ad os dirigere. Si autem gemini, aut terni, pluresue fuerint, ac ceruicem vteri obsederint, reliquos propellere ad fundum vteri oportet, & eum, qui magis paratus videbitur, prius educere. Verum si non procedat, quod infans mortuus sit, aut caput nimis magnum, vel aliam ob caussam, ad fœtus extractionem seu sectio-
D nem, quam Græci ἐμβρυουλκίαν appellant, veniendum est. Eam autem copiosissime Aetius *libro decimo sexto, capite vigesimo tertio*, & Paulus *libro sexto, capite septuagesimo quarto;* tradunt. Neque enim manualem curandi rationem docere instituimus. Porro si fœtus tunica, seu secunda crassior fuerit ac solidior quam vt rumpi possit, dissecanda erit. Quibus autem humor in tunicis contentus, ante congruum tempus effluxerit, ita vt loca exaruerint, ouorum albuminibus cum maluæ aut fœnogræci decocto excolato, aut prisanæ cremore tepido perfundemus. Medicamentum vero quod in vniuersum omnes difficulter parientes iuuat, est hoc quod habet: *Cinnamomi electi, drachmas duas. Myrrhæ, casiæ ligneæ vocatæ, vtriusque scrupulum vnum. Succini candidi, drachmam vnam & dimidiam. Poliorum dictamni cretensis, drachmam vnam.* Terantur singula, & fiat puluis sub- Puluis optimus ad difficultatem partus.
E tilissimus, de quo in vino odorifero detur pondus drachmæ vnius. Porro fœtu excusso, frequenter accidit, vt secunda in vtero firmiter adhærescat. Quod si euenit, tum interdum os vteri apertum, interdum clausum reperitur, secundaque ipsa nonnunquam vteri fundo adhuc coniuncta, nonnunquam seiuncta est. Si itaque os vteri diductum fuerit, & secunda quæ inibi relicta est alicui parti vteri orbiculatim, ac pilæ modo conuoluta inhæserit, facile educitur. Secundæ eductio. Manu siquidem sinistra calida, pinguique illita in fundum demissa, secundam sublabentem extrahere oportet. Si autem fundo vtero sit connexa, demissa simili modo manu calida, & pingui inuncta apprehensam secundam trahemus: non tamen in rectum, ne vterus procidat, neque violenter admodum, sed leniter ac placide, primum in obliquum deducemus, huc atque illuc cir-
F cumagentes, deinde paulo validius attrahemus: hoc enim pacto obsequuntur, & a connexu soluuntur. Quod si vuluæ os clausum fuerit, perfusionibus vtemur, & sinistræ manus digitis leniter aperire, & paulatim dilatare conabimur. Quod si non successerit, mulieris pubi fomenta, perfusiones, vnguentaque emolliĕtia & relaxantia adhibere conuenit. Si robusta fuerit, eo tempore etiam sternutamĕta ex castoreo, pipe-

re, & similibus confecta naribus admouenda. Hinc est quod Hippocrates 5. *Aph.* 49. A sic scriptum reliquerit: *vt secunda procidat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito, & os.* Potiones denique ex earum numero, quæ menses prouocant, propinandæ. Quæ quidem omnia primo aut altero die peragenda sunt. Præterea suffitu vtendum, decoctis in olla *artemisia, iride, sauina, pulegio, calamintha, dictamno, & similibus*, olla sellæ supposita, cui mulier vestimentis vndiquaque circumsepta insideat. Postea si os vteri apertum inuenerimus, manu inserta, secundam sicut prædictum est, educere enitemur. At si non obediat, dilaceranda non est, haud multis enim postea diebus putrefacta, & in saniem soluta excidet. Quia vero odoris grauitate & caput replet, & stomachum putrefacta euertit: odoramenta iugiter suffienda sunt, quæ huiusmodi vitiis aduersantur, & secundam subducunt. Ad quos vsus excellunt, *cardamomum, bdellium cum sauina, thus, styrax, ladanum,* B *lignum aloes, & id genus alia.* Lapis etiam Gagates per fistulam, quæ ori vteri subditur suffitus, mirabiliter prodest. Conueniunt & simpliciora ex iis, quæ menses ducunt, *artemisiæ decoctum, & lauri bacca cum vino mulso.* Pessulos item conficito ex *myrrha & cyclamino, cum oleo mixtis.*

Odoramenta.

De Ischiade. CAP. LXV.

Ischias.

Ischiadici.

Caussa.

Ἰσχίας Græcis proprie dicitur *dolor grauissimus, qui circa iuncturam, quam Græci ἰσχίον, Latini coxam appellant, accidere solet.* Vitium hoc Latinis *ischias*, atque *coxendix*, & qui eo affliguntur, *ischiadici* nominantur. Barbari *sciaticam*, & eo laborantes *sciaticos* vocant. Fit propter crassum pituitosumque humorem, qui in coxarum articulo concretus insidet. C Ideoque ischiadis generationem non parum adiuuant assiduę cruditates, & immodicus rei Venereæ vsus. Aliquãdo etiam deambulationes concitatiores, & hæmorrhoides suppressæ, & vomendi consuetudo intermissa, & purgationes menstruæ, aut etiam aliæ familiares ac consuetæ excretiones impeditæ, exercitiorumq; neglectus. Hæc n. singula pituitosi humoris copiam conciliare possunt. Antecedit autem, & quasi auspicatur hoc vitium, aliquando quidem vicinorum musculorum dolor, & maxime lumborum. Aliquãdo vero ab ipsa coxa initium fit. Iam vero etiam contingit, vt coxæ dolore sublato, circa poplitem solum afflictio hæreat: aliis autem iuxta talum, quibusdam vero totum crus æqualiter dolore afficitur. Multis item dolor circa inguina figitur, & tum sane vesica ipsa molestiam transsumens, vrinæ difficultatem inducit: & tunc maxime D totum crus a coxendicibus vsque ad calcaneum dolorem perfert. Initium autem curationis fiat ab affligentis humoris vacuatione. Et si quidem humoribus ex æquo omnibus redundarit corpus, præ aliis omnibus remediis vena secanda in poplite, aut malleolo externo, si a laborante loco vacuare: sin vero auertere magis volueris in gibbero, *Galeno libr. 10. de compos. med. secundum locos cap. 2. teste*: idque in latere affecto. Nam interdum ischias vna die per hanc ex cruribus vacuationem curatur. Sin pituitoso atque crasso humore corpus refertum fuerit, a purgatione eius humoris auspicabimur curationem. In quem quidem vsum clysteres crebri exhibendi erunt, in hunc vel similem modum parati, quique habent. *Centaurii minoris, saluiæ, verbasculi odorati, rutæ, chamæpityos, singulorum manipulum vnum. Radicis acori, vnc. vnam.* E *Stichadis, drach. tres. Seminum anisi & fœniculi, vtriusque drach. duas & dimidiam. Agarici optimi, drach. duas. Radicis polipodii, drach. quinque.* Decoquantur singula in aqua iustæ quantitatis ad tertias. Dein accipiantur iuris decocti, *vnciæ tredecim hieræ picræ, vnc. dimidiam. Antidoti indi maioris, drach. duas. Olei liliacei, vnc. duas. Olei rutacei, vnc. vnam. Vitellos ouorum duos, salis, drach. vnam & dimidiam.* Commixtis omnibus fiat enema. Auxiliantur etiam ischiadicis vomitiones, atque magis vtique quam vacuationes infernæ per ventrem, vt quæ humorem deorsum repentem appellant. Eliciendi itaque sunt vomitus in principio, statim ab accepto cibo. Postea vero etiam vomitoria medicamenta, initio facto a mediocribus. In quibus autem vehemens humorum coactio, densatioque, quæ ægre dissolui potest, a Medicis intempestiue acribus F medicamentis vtentibus facta est, iis cucurbitula quam maxima cum scarificatione affixa auxiliatur. Ceterum medicamentis fluxum reprimentibus, in ischiade non vtemur. Quum enim in profundo coxa sita sit, sanguis ex vicinis & ambientibus venis ac musculis ad illam pellitur. Mitigatoriis igitur in principio medicamentis opus

Signa.

Curatio.

Clyster.

Vomitus.

Cucurbita magna.

Adstringentibus medicamentis in Ischiade non vtendum.

est

A est in hoc dolore, quæ neque refrigerent multum, neque vementer calefaciant. Vt enim ea, quæ refrigerant, ad coxam impellunt: sic quæ vehementer calefaciunt, aliam amplius materiam ex adiacentibus partibus attrahunt. Porro post venæ sectionem, aut per purgantia medicamenta vacuationem ad acria medicamẽta, non ante, veniendum est. Si enim quis prius quam corpus vacuet, acria medicamenta ad laborantem particulam adhibeat, ægre curabile vitium reddet, vtpote multitudine ibidem indissolubiliter condensata. Præter alia enim crassa & viscosa fit, & ob acrium medicamentorum caliditatem & siccitatem non dissimile quidpiam assationi perpetitur. Affectum itaque locum primum ex oleo rutaceo irrigare oportet. Postea vero efficaciora admouenda medicamenta, quæ scil. sensim calefaciant, & humores ex alto ad superficiem trahere queant, vt sunt *oleum vulpinum, de piperibus, costinum, iuniperinum: vnguenta aregon, martiatum, & agrippæ. Item saluia, ruta, folia lauri, sambuci, ebuli radix, pulegium, sauina, opopanax, bdellium, ammoniacum, & similia.* Ex quibus subinde fomenta, vnguenta, emplastra, & cerata componi possunt. Principio itaque spongia in decocto iuniperi, aut saluiæ, aut foliorum sambuci madefacta, loco laboranti iterum atq; iterum imposita, hoc subinde vnguento vtendum erit, quod habet: *Vnguenti martiati, drach. tres. Oleorum irini, liliacei, vtriusque vnc. dimidiam. Succi rutæ, & chamæmepityos, vtriusque drach. duas. Mellis, drach. vnam & dimidiam. Saluiæ, pulegii, piperis, singulorum drach. dimidiam. Pyrethri, staphydis agriæ, vtriusque scru. vnum.* Ceræ quod satis est, fiat vnguentum. Proderit etiam huius cerati vsus, quod accipit: *Oleorum costini, vulpini, vtriusque vnc. duas & dimidiam. Olei de piperibus, vnc. dimidiam. Opopanacis, bdellii, styracis, singulorum drach. tres. Radicis bryoniæ, nitri, foliorum sambuci, singulorum drach. duas. Fumariæ Aetii (rotundam hodie aristolochiam nominant) rutæ, vtriusque unciam vnam & dimidiam. Euphorbii, scrup. vnum. Gummi in acerrimo dissoluantur aceto, vt cum resina terebinthina & cera quod satis est, fiat ceratum.* Quod si vitium adhuc remoretur, clysteribus denuo vtendum erit: & deinceps cucurbita quam maxima cum plurima flamma coxæ affigenda, vulnusculis etiam altioribus per scarificationem impactis. Quod si vero neque sic vitium finitur, ad purgationem vomitum, & alia, quæ supra dicta sunt, redeundum erit. Quibus peractis, ad dropaces & sinapismos, adeoque ad adurentium medicamentorum vsum veniendum. Inter quæ non postremum obtinet locum herbæ iberidis radix recens, æstate effossa, & diligenter tusa, ac veteri axungia modica excepta, articulo coxæ, ac vniuerso cruri imposita & alligata. Idem etiam folia possunt. Sic vero admota incumbere sinito, mulieribus quidem non infra duas horas, viris autem horis quatuor, si possibile sit idipsum perferre. Excitat enim tumores cum ardore & rubore, vt sinapismus facere solet. Postea in balneum inducito ægrotantem, in quo vbi modice exsudauerit, in solium ob feruorem mordacius desidere iubeto, idq; fortiter perferre cogito: morsum enim cum ardore initio inferre consueuit: deinde educito: ferme enim semper, *Aetio attestante*, quamuis ab aliis fuerint importati, sua sponte pedibus ingredientes exibunt. A balneo ad oleum multum, vinum paucum admodũ admisceto, & conquassata illinito: ac humore cum aspero panno deterso, crus ipsum cum leuissimis lanis cooperito. Et sane cõsueuit hoc præsidium nullo alio inde auxilio indigere. Quod si tamen aliquãdo vestigium vitii relinquatur, vicenis diebus interpositis, rursus eodẽ præsidio vtaris. Interiectis tamen dieb. ceratum paulo ante descriptũ imponi potest. Porro inter medicamenta adurentia hoc etiam locum nõ postremum obtinet, quod habet: *Mellis anacardini, fermenti, vtriusq; drach. vnam. Cantharidum abiectis alis, drach. duas. Aceti quod satis est: misceantur.* Et hoc quod accipit: *Euphorbii, nitri, vtriusq; scrup. duos. Saponis, calcis viuæ, vtriusq; drach. vnam. Mellis anacardini quod satis est; vt ad mellis cõsistentiam omnia commixta redeant.* Cęterũ victus ratio sit eiusmodi, vt cibus mediocriter tenuis existat, & cõcoctu facilis. Exercitia sint deambulationes, cõtinuæ flexiones, saltationes, & cursus. Aluũ semper probe solutã habere expedit. Quod si vero vitiũ longius durauerit, nec prædictis medicamẽtis propulsari poterit, vstionẽ in trib. aut quatuor locis adhibere oportet, ad eum quidem modum quẽ docet Paulus *lib. 6. cap. 76. & Aetius lib. 12. cap. 3.*

[Margin: B, C, D, E, F; Actiorũ vsus quãdo conueniens. Vnguentum. Ceratum. Caustica. Victus.]

De Podagra & arthritide. CAP. LXVI.

PODAGRA & arthritis vitia eiusdem speciei sunt. Differunt itaque non toto genere, sed locis laborantibus. In vtroq; n. articulorũ est imbecillitas, & humor a natura alienus ad hos ipsos confluens. Quod si in pedib. hæc constiterit fluxio, podagra apellatur. Sin Podagra.

Arthritis. reliquos artus occupauerit, ἀρθρῖτις Græcis, hoc est, *articularis morbus* nominatur. Hoc vitium interdum repente irruit, æqualiter per omnes articulos dispersum. Vt plurimum vero clanculum & paulatim fluxus irruere solet. Alteri enim cuipiam magni digiti pedis articulum dolor inuadit: aliis vero calcanei extremum. Rursusq; aliis cauum pedis, aut ex calciamenti, aut ex consimilis rei affrictu. Initium podagra a pedibus sumit, vnde etiam nomen sortitum est, paulatim ad genua procedit, ad coxendicum item ac fœmorum iuncturas, deinde ad manus, singulis articulis particulatim affectis. Qui vero extreme ab hoc vitio apprehunduntur, iis & spinæ vertebræ & costarum iuncturæ, & genæ dolent, aliquibus autem & guttur: neq; est aliqua ossium connexio, quæ ab hoc vitio sit immunis. Caussæ. Generatur autem a cruditatibus assiduis, & ebrietatibus, vini fortioris, præsertim si ieiunus id faciat, potione, immodico rei Venereę vsu, vehementi & concitatiore deambulatione, statione diutius extracta, equitatu crebro, cõsuetarum excretionum suppressionibus, ac familiarium exercitiorum intermissionibus. Mœrores autem, curę, vigiliæ, & reliquæ animi perturbationes, non hoc modo vitium suscitant, sed & noxios quoque succos procreant. Nonnunquam etiam colicus dolor perperam curatus, caussa cur arthritis sequatur, esse solet. Quod palam testantur ea, quæ *libro 4. par. 4. Aphorismo 3.* Hippocrates. scribit Hippocrates in hunc modum: *Cuidam intestinum colum vocatum, simulatque articulari morbo detinebatur, dolore vacabat. Postquam vero ab eo sanatus est vitio, plus doluit.* Cuius quidem sententiæ vberiorem explicationem in nostris commentariis offendent studiosi. Ceterum vt plurimum habilitas ad hoc genus vitii a parentibus in filios ac posteros propagatur. In vniuersum autem amplius omnium crudorum humorum copia vitii huius caussa exsistit. Humores tamen superantes, qui se iuncturis inserunt, vel sanguinei sunt, vel biliosi, vel pituitosi, vel melancholici. Interdum etiam ex humorum commistione vitium contrahitur. Signa. Porro caussæ externæ facile de sermonib. ægri aut assidẽtium cognoscuntur. Sanguinei defluxus. Humorum autem discrimina iis notis deprehendere licebit. Sanguineus quidem humor si multus fuerit, plenitudinem efficit & tumorem ingentem, non venarum modo, sed totius partis affectæ circa cutem, eumque rubentem. Qui hoc vitio affliguntur, neq; refrigerantia, neq; calefactoria valde præsidia adhiberi sustinent, & assidue exacerbantur, quandoquidem assidue & æqualiter sanguinis defluxus cõtingit. Vrinæ eorum fuluæ sunt, & mediocri præditæ crassitudine. Venæ etiam in his copioso suscepto sanguine replentur, & in tumorem attolluntur. Ætas vero apta huic vitio iuuentus. Edulia item boni succi, & copiose nutrientia præcesserunt, neglectusq; exercitiorum. Tempus vero, in quo affliguntur maxime ægrotantes, est ver ipsum. Biliosi. Porro biliosum defluxum color cutis sufflauus ostendit. Interdum vero rubor cum flauo permiscetur colore, vbi videlicet flaua bilis sanguini commixta est. Item caloris sensus, dolorisq; lancinantis modo acris. Humor quoq; in cutem subito sine euidenti tumore erumpens. Refrigerantibus medicamentis sic afflicti gaudẽt & iuuantur, a calidis autem offenduntur. Febris in ipso accessionũ statu accedit, validaq; siti conficit. Vrina eorum subfulua, quandoq; etiam acris. Curæ autem ingentes, & iræ, & vigiliæ, & fatigationes, & in summa, victus ratio bilem procreans, præcedere solent. Ætas, temperamentum, & tempus, calida & sicca, ad eum defluxum apta sunt. Pituitosi defluxus. Quod si pituitosa sit fluxio, ad digitorum impressionem cauus fit tumor, sublaxus & moderatus. Color membri male affecti candidus. Ætas hoc modo magis afficitur senilis, temperamentum humidũ & frigidũ, in consimili aeris statu, & tempore hyberno. Vrina tenuis est & aquosa, pręceditq; otium, & victus ratio, quæ pituitosum humorem progignit. Si autem salsa fuerit pituita, pruritus maximus & mordacitas partes laborantes infestat. Melancholici humoris influentis. Si ex melancholico succo fuerit fluxus, quod raro tamen contingit, color tumoris nigrior est. Ætas quæ magis hunc fluxum generat, est vigoris inclinatio. Temperamẽtum item frigidum & siccum, tempus autumni, regio frigida & sicca, aeris consimilis status, victusq; atram bilem gignens. Curatio sanguinei humoris. Porro cum sanguinei humoris fuerit influxus, protinus sanguis mitti debet, non solum semel, sed iterum atq; iterum, detractione paulatim repetita. Si enim venæ sectione omissa, repellentibus medicamentis fueris vsus, magni mali auctor eris: ex ignobilibus enim partib. ad principes, & vitæ necessarias repulsus irrues. Quapropter summe necessaria est sanguinis in sanguineis influxionibus vacuatio, pręsertim in his qui sanguine redundant. Secanda est autẽ vena in brachio inferne e directo cruris inflexione infestati.

A Quod si vero manus dextra dolore afficietur, venam in dextro crure secamus iuxta poplitem, aut talos, aut plantam pedis. Habet enim miram vim vena e directo membri affecti, *Galeno & Aetio lib. 12. cap. 23.* testibus secta. Quod nos alibi etiam copiose demonstrauimus. Tum vero potissimum sanguinis missio tētanda erit, cum quempiam vitium hoc primum inuadere cœpit. Qui enim sæpius huiuscemodi defluxione sunt conflictati, plus noxæ quam auxilii ex sanguinis detractione sentiunt, præsertim si corpore sint imbecillo ac frigido. Post missionem sanguinis laboranti particulæ remedia adhibere oportet, quæ neque valde refrigerant, hæc enim humores cogunt ac condensant: neq; immodice calefaciunt, hæc siquidem caloris ratione ad partes laborantes plus attrahunt. Quapropter aceto veteri cum rosaceo locum affectum rigare oportet, præsertim B si in alto hærere dolorum caussa videatur. Etenim acetum propria sua tenuitate vsque in altum progressum expeditam rosaceo viam exhibet, quod natura sua lenire dolores potest. Si vero in superficie dolor consistat, per vini & olei vsum magnopere iuueris: æstate quidem tepidorum, hyeme vero calidorum. Deinde cataplasmatis quoque vtendum, quæ dolores lenire possunt, absque hoc vt fluxiones prouocent, ex farina fœnograeci, hordeacea, fabacea, lupinorum chamæmelo, & similibus. Oportet autem, vt ea semper calida omnino sint: id quod commode fieri potest, si assidue permutentur, & lana forinsecus contegantur. Non parum proderit & hoc medicamentum, quod habet: *Lactis caprini, aut ouilli, vnciam dimidiam. Vitellos ouorū duos, olei rosacei, vnciam vnam. Croci, drachmam dimidiam. Medullæ panis, quod satis, vt recipiat cataplasmatis formam.* Hæc itaque terantur, C donec vniantur, & vnita tandem membro dolenti imponantur. Potest quoque ex oleo rosaceo, aceto, resina, cera, galbano, ammoniaco, thure, croco, & similibus componi emplastrum, aut ceratum. Tale enim repulsoriam vim, propter crocum & acetum tum obtinet: concoctoriam vero, discussoriam & moderate siccantem, rursus propter crocum & aliorum commixtionem. Ceterum cibos ei adhibere oportet, qui extenuant, & parum nutriunt: quales sunt olera. Carne autem, nisi volucrium montanarum, prorsus abstineant. Piscibus vtantur saxatilibus. Vinum si fieri per intemperantiam ægrotantium potest, ex toto circumcidendum: nam hæc fere vnica ratio est, qua sanitas consequitur. Quam cum ex millibus vix vnus sequatur, nihil mirum, paucos admodum esse qui ab hoc vitio hodie liberentur. Fuisse autem qui abstemii ab hoc vitio sese asse- D uerint notius est, quam vt a me pluribus dici debeat. Non est igitur cur nostri temporis Chymici, homines indoctissimi, & ad fallendos tantum miseros nati ac nugis egregie instructi, nobis obiiciant, methodica ista curandi ratione, quam Hippocrates, Galenus, & alii veteres posteritati memoriæ prodiderunt, nullos plane curari podagricos. Quomodo enim hæc ipsa eos curaret, qui illam despectui habeat, & voluptatibus suis obsequi magis in animum induxerunt suum. Quum igitur Galeno etiam viuente, & medicinam faciente, hoc nomine multi curari non potuerint, quid mirum si hodie in ista victus rationis corruptela, nullus fere curetur. Non est tamen quod impostores illi sibi persuadeant, de suis arcanis: quæ recte ita appellantur, quod neque a se neque ab aliis intelligantur: hoc vitii genus curare queant. Testatur enim quotidiana experien- E tia, quod nullo recte curant, sed eos vel mox interimunt, vel fucata curatione lactant: vt paulo post, redeunte morbo, magis excarnificent, aut in deteriorem morbum coniiciant? Hortor igitur omnes, qui ad rerum gubernacula sedent, vt a somno profundo excitati, in hos nebulones, tanquam humanæ vitæ pestes, grauiter animaduertant, & prorsus cōculcent. Quod ni fecerint, Deo in extremo iudicio rationem reddituri sunt grauissimam. In vicem vini vtendum aqua, in qua cinnamomū, anisum, aut similia decocta sint, aut certe ea potione, quæ hodiernis temporib. ridicula atq; insulsa voce, *Hippocras* nominatur. Eius confectionem petent studiosi e cap. *de resolutione*. Fructus & Venerem diligenter caueant ægrotantes. Aluū præterea facile solubilem, ac sua sponte deiicientem habere eosdem oportet. Quod si tamē officio suo parum recte fungatur, sim- F pliciori aliquo clysteri eluatur. Vbi vero propter bilis influxum dolores excitantur, tūc iis communis scopus humoris affligentis est vacuatio, quæ tum per vomitum, tum per ventrē fieri debet. Per medicamenta itaq; bilem ducentia cōfidenter purgandi sunt sic afflicti. Deinde vsq; ad vigorem apponenda medicamēta, quib. refrigerandi & adstringendi facultas inest; qualia sunt, quæ ex *semperuiuo, rosis viridibus, rumice acuto, solano, plantagine*, & similibus, iam sæpe commemoratis apparantur. In hoc influxus genere

Localia.

Cataplasmata.

Victus.

Cur pauci hodie a podagra liberentur.

Biliosi fluxus curatio.

nonnunquam propter doloris vehementiam, iis quæ stuporem inducere possunt vtendum medicamentis. A

Stupefacientia.

In quem quidem vsum conuenit adhibere medicamentum, quod paulo ante descripsimus, ex *lacte caprino, medulla panis, croco, & ouorum vitellis* constans, cui *seminis papaueris, drachma dimidia, aut opii, drachmam dimidiam, aut plus, aut minus, pro ratione doloris admixtum sit*. Prosunt etiam in eundem vsum *cicutæ folia; & hyosciami, imposita & adhibita*. Sed animaduertendum erit, vt cum in feruentibus doloribus ad stupefacientium vsum fuerimus coacti, postea refoueamus partes per ea, quæ calefaciunt. Nisi enim idipsum fecerimus, debiles & intemperatas atque adeo perpetuo fluori obnoxias partes reddemus, & vt in actionibus facile offendantur efficiemus. Calorifica vero sunt, origanum, satureia, sinapi, piper, & id genus alia. Porro adiuuare etiam oportet sudorum exclusionem, corpus calefaciendo & fricando, ita tamen, ne locos affectos contingamus. B Præbenda denique in potu ea, quæ vrinam cient. Nam talia bilem per vrinam vacuant. Soporem quoque inducentia, quod fluores ab ipsis resiccentur & sistantur: atque id maxime, si post corporis purgationem exhibeantur, conferre solent.

Victus.

Cibi illis dandi refrigerantes, non tamen humectantes: humiditas enim auget fluxionem. Famem & inediam ne tolerent: nam bilem acriorem reddunt. Ex fructibus, vtantur pomis adstringentibus & mespilis, aliisque quæ refrigerant, & simul fluxus cohibent. A vino prorsus, vt priores, abstineant.

Pituitosi fluxus curatio.

Qui ob pituitæ influxum ægrotant, horum curationem a pituitæ vacuatione auspicari oportet. Euacuatur autem humor pituitosus per vomitus, nihilominus tamen & inferne per ventrem. Vtilior vero in hoc vitio per inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus: & multo magis, si iuxta omnes corporis articulos fluxus constiterit. C Familiarior enim pituitæ via, & minus periculosa per intestina exsistit. Si enim in superiorem ventrem violenter attracta non vacuetur, periculum inducit. Quapropter tutius est, vt ad infernam excretionem ducatur. Ante tamen purgantia medicamenta, ea quibus incidendi & extenuandi facultas inest exhibenda, vt hac ratione ad purgationem crassi humores præparentur, & idonei reddantur. Si vacuatio per purgationes fieri haud potest, tum inedia ac fame vtendũ est ad plures dies.

Pituitosi famem facile ferũt.

Qui n. natura pituitosi sunt, eam facile & citra noxam tolerare possunt. Nam pituita in iecore contenta ex dimidio, coctus sanguis exsistens, in fame & inedia concoquitur, & in optimum sanguinem mutata in venas rapitur, partibusque corporis alimentum præbet.

7. Aph. 60.

Hinc recte ab Hippocrate dictum est: *Corporibus carnes humidas habentibus, famem adhibere conuenit. Fames enim corpora siccat.* D Vtendum etiam frictionibus discussoriis ampliusque efficacioribus clysteribus, & medicamentis vrinam cientibus. Ceterum extrinsecus medicamenta, quæ dolores leniunt, & quæ discutere ac moderate resiccare possunt, adhibenda, de quib. paulo supra diximus. Illis vero in morbi principio aliqua quibus adstringendi potentia est, commiscenda. A principio autem solis discutientibus vtendum. Mansuetissimum vero hoc, quod habet: *Altheæ folia cocta trita, tum per se, tum cum polline aut hordacea farina imposita. Radix præterea eiusdem cocta in aqua mulsa trita, & imposita confert*.

Vnguentum.

Et hoc vnguentum, quod accipit: *Oleorum laurini, & irini, vtriusque vnc. vnam. Adipis suilli, veteris butyri, vtriusq; drach. tres. Medullæ ceruinæ, drach. duas. Resinæ terebinthinæ, drach. quinq; Galbani in aceto dissoluti, drach. vnam. Hyssopi, radicis altheæ, seminis fœnogræci, singulorum scrup. duos.* E Ceræ, quod satis est, fiat vnguentum.

Victus.

Porro quæ ratione nutrimenti præbentur edulia, natura sicciora sint, & minus nutriunt: vt est *oryzæ succus, auena, & eiusmodi.* Carnes tamen auium montanarum assæ iis haud incommodant. Cappares ex aceto mulso mirifice prosunt. Vinum autem præbeatur quam minimum, interualli tempore, tenue, fuluum & vetus. Qui melancholici humoris fluxionibus molestantur, ii venę sectione, aut purgatione sunt vacuandi. Venæ quidem sectione, quando sanguis melancholico succo infectus est. Purgatione vero, quãdo melancholici sunt ægrotantes. Si vero ambo hęc simul redundarint, non vnum aliquod ex prædictis adhibere suffecerit, sed prius secta vena, deinde medicamẽto purgãte vtendũ. Quod ipsum & in aliis vitiis duplici vacuatione indigentibus faciendum erit, vt *in lib. 2. Paradoxorum nostrorum abunde monstrauimus*. F In principio autem morbi, & in ipso vacuationis tempore, reprimentibus & simul sensim calefacientibus vtendum est. Post vacuationem vero iis, quæ leniter calefacere, attenuare, & discutere possunt, de quib. supra satis superq; dictum est.

Tophorũ curatio.

Ceterum quoniam tophi & duri tumores, subinde in articulis creantur, modo

propter

A propter humoris qui ad eos decubuit crassitiem, terrestremq; duritiem: modo propter immodicum discutentium & resiccantium medicamentorum, sine eorum quæ molliendi facultate pollent mistura: ideo ad eos remouendos iis, quæ in cap. de lienis duritia a nobis producta sunt, medicamentis vtendum. In primis vero confert vetustissimus acerrimusque caseus, cum suillæ carnis præpinguis & veteris decocto contritus & impositus. Ad hoc malum conducunt etiam *ficus triti & impositi*. Item *althea bis cocta, auena, vrtica, bryoniæ radix, bulbi, aneti, abrotoni, buphthalmi, marrubiique folia, cum pice & sulphure viuo permixti. Admiscendi etiam adipes, suillus, caprinus, vitulinus, & anserinus. Medullæ item omnes, & alia quæ emolliendi vi prædita sunt*. Balneum sane, ne id quidem silentio transeamus, post phlegmonum remissionem omnibus podagricis commodissimum exsistit. Dum lauãt,

An balneum conducat podagricis.

B spongiæ aceto & sale permixtis madefactæ, locis laborantibus circumponendæ, vt a fluxione immunes permaneant. Lauare autem eos non semel tantum, sed iterum atq; iterum in aere per omnia moderato oportet. In aqua tamen calida nõ diutius morandum. Consultissimum itaq;, vt aqua calida perfundantur. Vtile quoq;, vt totum corpus linteis siccis perfricetur. Præterea curati a podagra, hac se ratione a podagra deinceps tuebuntur. Si primum bis in anno, vere nimirum & autumno, modo nihil sit quod idipsum prohibeat, sanguinem large detraxerint. Deinde si iisdem temporibus, & crebrius etiã, medicamentis purgantibus vsi fuerint. Porro cibis, vt etiam aliquid demant, & a satietate sibi caueant, necesse erit. Vtendum autẽ cibis concoctu facilibus, & qui promte in partes corporis distribuantur, excrementisque vacent. Vino aut prorsus abstinendum, aut

Quomodo quis a podagra se tueatur.

C parce admodum vtendum. Exercitiorũ creber sit vsus, idq; ante cibum. Labores enim, vt *Hippoc. noster prucipit*, cibos præcedant. Et vt rem vniuersam in pauca contraham, qui a podagra immunes esse cupiunt, hoc vt breuissimum, ita & saluberrimum Hippocratis præceptum secum reputent: ἄσκησις ὑγιῆς, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Quod est: *Sanitatis studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.* Somnus etiam & Venerea, *vt idem docet*, sint mediocria. Quod ad præsidiorum partem attinet, sal minutim in oleo tritus, & articulis affrictus, omnes qui se ab hoc vitio vindicare volunt, magnifice iuuat, nisi præter modum sicca intemperie sint præditi: eoq; illitu & mane & vesperi per totum vitæ curriculum vtendum est. Caussam eius rei exponit Galenus *lib. 2. de simp. medica. facul. cap. 14.*

6. Epid. par. 4. Aph. 28.
6. Epid. par. 24. Aph. 26.

D

LEONHARTI FVCHSII DE SANANDIS FEBRIBVS, LIBER IV.

De Diaria. CAP. I.

DIARIA febri, quæ Græcis ἐφήμερος dicitur, ea est, quæ vnicam habet accessionem, vno vt plurimum die, ex ipsius saltem natura, circumscriptam. Desistit enim post primam accessionem, nec integrum diem excedit, si quis eam recte tractet, idque propter materiam, in qua subsistit, nempe spiritum, qui facilime discutitur. Hinc recte a Galeno *li. 1. de ratione curandi* ad Glauconem *simplicissima*

ἐφήμερος quid.

E vocatur, quod scil. breuissima, placida, minimeque maligna sit. Quare quæcunq; vel per Medicorum ignorantiam, vel ægrorum intemperantiam, vel ministrantium errorẽ in eiusmodi febre cõmissa, in aliud ipsam genus transferunt, ea non suæ naturæ ratione eueniunt. Est autem Galeno *lib. 9. Ther. meth. auctore*, duplex diaria: Vna, quæ simpliciter & citra adiectionẽ sic appellatur, hæc quidẽ vltra vnius naturalis diei spatiũ, hoc est, horas vigintiquatuor, nõ extrahitur. Altera, q̃ cum adiectione plurium dierũ diaria nominatur. Galeno loco citato, *Synochus non putrida, vt sequenti cap. dicemus*, appellatur. Hæc in tertiũ vsq; diem extenditur. Neq; est cur quispiam miretur hanc febrẽ dici diariam, cũ tamẽ de substantia eius, diariæ vocabulum non sit: in triduum n. *vt iam dictum est*, extrahitur. Quũ n. proprio, atq; adeo conuenienti nomine careat, clarioris simulq; breuioris

Simplicissima febris diaria.

Diaria duplex.

Diaria simpliciter.

Diaria plurium dierum cur diaria dicta.

F doctrinæ gratia, non obstante q̃ nomen aduersetur, cum natura huic eadem sit, q̃ aliis diariis, vnicam namq; duntaxat accessionem obtinet, rectissime diaria nominatur. Siquidem præter tria prima febriũ genera, quorũ vnũ est in quo spiritus seu vapor plus iusto incalescit: alterum in quo humor putrescit: & tertium in quo solidæ corporis partes febrilem calorem, vt habitum susceperunt: quartum excogitare atque statuere genus

Sinochus non putrida.

Tria prima genera febriũ.

Caussæ. necesse esset, si non sub diaria complecteretur. Oritur diaria febris, quum absque vlla putredine spiritus præter naturam incalescit & succenditur. Id quod multis modis accidit: nempe ob cutis constipationem seu densitatem, quæ solitum effluuium vaporum & spirituum cohibet: quod quia calidum acreque est, ideo febrem gignit. Propter lassitudinem ac vehementem fatigationem, itemque vigilias, cruditatem, tristitiam, timorem, iram, curas animi vehementes, vstionem a sole, refrigerationem, famem, ebrietatem, adenum tumores, aliaque similia, quæ spiritus accendere possunt. Signa. Signa vero quibus deprehenduntur diariæ, duplicia sunt: quædam enim omnium diariarum communia: Cõmunia quædam autem particularia. Communia quidem sex numero exsistunt, quorum vtique 1. primum est pulsus. Omnes autem diariæ, *Galeno lib. 3. de prædictionibus e pulsibus auctore*, in magnitudinem celeritatem, frequentiamque, quantum in ipsis est, pulsus mutant. Exquisite vero seruant eam, quæ secundum naturam est æqualitatem, mollitiem, 2. & ordinem. Alterum signum commune, vrina est, quæ eam omnino, quæ secũdum naturam se habet imitatur, aut a naturali statu parum deflectit. Vrina secundum naturam. Vrina vero secundum naturam, colore quidem subrufa, & substantia mediocris, in qua, quod residet candidum, le-3. ue, ac æquale est. *Tertium*, est caloris qualitas, quæ in omnibus diariis febribus suauis & 4. mitis exsistit. *Quartum*, solutionis modus. Siquidem singulæ soluuntur in halitum, qui 5. sensum effugit: aut copiosos vapores, vel madores, vel sudores suaues. *Quintum*, defectus malorum symptomatum: verbi gratia, vehementis doloris capitis, & ventriculi, & aliarum partium, fastidii ciborum, inquietudinis sitis inexplebilis, & id genus aliorum. *Sex-6. tum*, quod omnes diariæ a caussa extrinseca, quam primitiuam hodie Medici appellant, oriuntur. Quæ singula fusius explicat Galenus *libr. 1. ad Glauconem, cap. 2. & libr. 1. de differ. feb. cap. 7.* Nec non *libr. 2. de iudiciis, cap. 13.* Particularia signa vigiliarũ. Porro signa quibus quæuis diaria particulatim cognoscitur, hæc sunt. Qui ex peruilegiis febricitant, hos vitiosus color sequitur, & faciei tumor, grauisq; oculorum motus: vix enim palpebras attollunt: humiditas palpebrarum, pulsusq; exigui. Siquidem vigiliæ, cum concoctionem impediant, *Hippocrate lib. 2. de victu acut. morb. aphor. vlt teste*, humorum ac vaporum crudorum copiam pariunt, innatum calorem imminuunt, corpusq; resoluunt: vnde consequitur vitiosus color, faciei tumor, palpebrarum humiditas, earumq; mouendarum difficultas. Per vigilias enim cerebrum sensusq; instrumenta assidue exercentur, vnde plus facultatis & spiritus animalis absumunt: quibus tandem resolutis, & in actiones obeundas insumtis, vitales spiritus antequam integram elaborationem sint experti, assidue alliciunt. Quid multa? vigiliç naturam a coquendi munere auocant: quocirca magnam cum in reliquo corpore, Lassitudinis. tum in cerebro cruditatem relinquunt. Ceterũ fatigatis animalis facultatis instrumentis, caput imbecillius redditur, vnde cruditas, & natiui caloris imminutio sequuntur. Ex quibus rursus fiunt vitiosus color, tumor faciei, palpebrarum humiditas eorumque motus grauitas: scilicet resoluta facultate, & vaporis humorisq; copia degrauante. Curæ & mœroris. Curæ & mœroris signa, corporis macies, ex mœrore luculẽtior, ex curis obscurior. Quoniam in mœrore intro reuocantur spiritus, vbi facile ob loci caliditatem accenduntur & discutiuntur, humorq; in vapores dissipatur: vnde corpus temporis spatio exsiccatur, emaciaturq;. In curis vero ac cogitationibus ad caput feruntur, in quo minus ob caloris penuriam, quam in interno corpore absumuntur. Minus enim ob loci frigiditatẽ inflammantur, & resoluũtur. Proinde corporis habitum minus exsiccant, ac extenuant. Oculorum quoq; cauitas & ariditas vtrunq; affectũ significant. Sed in curis & cogitationib. minor, quia spiritus & humores minus absumuntur. In mœrore aũt maior, ob loci caliditatem, spiritum & humores resoluentem. Insueta quoq; decoloratio quædã hos affe-Iracundiæ. ctus sequitur, scil. cute ipsa natiuo calore. Qui per iracũdiam furoremue febricitant, iis neq; oculorũ cauitas adest, neq; vitiosus faciei color: sed magis oculi prominere videntur, scil. delatis eo spiritib. ipsos distẽdentibus. Hac ratione facies nõ decoloratur, sed rubet, vt in quam spiritus & humor cõfluat. Cũ iis calor e corporis ꝓfundo foras emergens, nõ Animi perturbationum. solũ illuc, sed ad vniuersam cutẽ fertur, vnde pulsus magnitudo perseuerat. Sic reliquarũ etiam diariarum ex animi perturbationib. natarũ signa, e pulsu maxime petenda sunt. Tristitiæ. In tristitia enim spiritus intro feruntur, sed non affatim, ibiq; coarctantur, ac velut suffocantur: nec rursus vt in iracundia foras sparguntur, sed sese accendũt, ac consumunt, vnde temporis progressu humiditas absumitur, & virtus consopitur, obruitur, desesque

A sesque redditur. Eam ob rem pulsus parui fiunt, languidi, rari, quia neq; necessitas vrget, neq; valida facultas est. In timore recenti celeriter intro velut ad suā scatebrā mouentur sanguis & spiritus, mens quoq; conturbatur. Natura enim cōmoto, atq; vt sibi prouideat sollicita, modo huc, modo illuc impellit spiritus, qui motu accenduntur: vnde fiunt pulsus celeres, vrgente scilicet necessitate. Mens vero concitata, inæquales ac vibratos reddit. In inueterato autem dissipatis spiritibus, virtuteque languescēte, pulsus quales in tristitia esse monstrauimus, redduntur. Qui ob solis vstionem æstumque febricitant, iis cutis sicca est & calida, vt quam suo contactu solis ardor exsiccauit ac calefecit. His caput deuri videtur, propter spiritus accensos. Oculi rubicundiores, venæque iis in oculis, temporibus, fronte, & tota facie interdum extenduntur. Timoris. Vstionis solis.

B Qui ex frigore febricitant, ii grauedinibus & destillationibus corripiuntur, quod scilicet frigus constringat, & intra cutem fumosa excrementa detineat. Cutis denique eorum minus calida, corpusque totum maiorem præ se fert humorem, quod solitus effluxus frigore cohibeatur. Præterea nullus in facie squalor, eandem ob caussam. Quibus lassitudo febrem attulit, iis cutis aridior quam in aliis diariis redditur, quod scilicet exercitatio corpus exsiccet, eiusque humiditatem exhauriat. Pulsus quoque iis dissimiles sunt. Supra modum enim exercitati & defatigati paruos, ob virium imbecillitatem, obtinent pulsus. Qui autem exiguos labores subierunt, quod iis nondum vires collapsæ sint, magnos. Qui ob temulentiam aut famem diaria corripiuntur, ii ad dignotionem nullis notis indigent, de sermonibus enim ægrotantium eius- Lassitudinis. Temulentiæ & famis.

C modi caussæ deprehendi possunt. Qui ex adenum tumoribus febricitant, pulsus habent maximos: quia vrget necessitas, id est, febrilis calor, necessitatique morem gerit facultas. Hinc celeres etiam & crebri sunt. Pulsus quoque his est æqualitas, quod mouendi instrumentum non sit impeditum neq; obstructione, neque humorum vel vaporum aerium abundantia, neque compressu, nisi sit admodum ingens phlegmone. Calor iis multus, & a vigore statim humor quidam ex alto corpore ad cutem fertur calidus, sed tamen suauis. Fit enim a materia benigna, quod nihil acrimoniæ eiusmodi febres habeant, cum solus bubonis calor, non etiam fumus putris ad cor permeet. Facies his omnino rubicunda, ac tumida, propter caloris abundantiam. Et vrinæ subalbæ apparent, quia materia quæ vrinas coloratiores reddere debebat, ad bubonem Bubonum seu adenum tumorem.

D translata est, & quia caloris suauitas sanguinem vltra modum non calefecit, ideo nec bilem, quæ vrinæ colorem addit, procreauit. Curandi ratio diariarium febrium per victus rationem perficitur, cuius quidem in omnibus diariis simpliciter nominatis communis scopus est; *Galeno lib.8. Ther. meth. cap.2. teste*, vbi cibi boni succi, & concoctu faciles, ac distributioni idonei præbeantur. Vstis quidem a sole, & iratis, qui refrigerent & humectent. Refrigeratis, qui minus nutriant, & moderate calefaciant. Vigiliis, aut tristitia, aut nimia confectis cura, qui humectant pariter ac somnum conciliant: vt a siccitate, quæ ab iis iniuriis illata est, vindicentur, præterea vt vires recreent. Qui ex fatigatione febrem contraxerunt, iis tantum cibi permittendum, quantum concoquere possunt: semper enim vitanda cruditas est. Siquidem Victus.

E labore dissipata corporis substantia, vberiore cibo, & concoctu facili reparanda est. Modum autem cibi sumendi metiri oportet viribus, ætate, naturali temperamento, & consuetudine ægrotantis. Præterea tempore anni, regione, & id genus aliis. Ceterum in quibus corporis temperatura calidior & siccior est, hos in primo statim accessionis insultu cibare oportet. Nisi enim quis hanc naturam statim cibet, ocyssime in ea diaria febris in putridam & acutam mutabitur, *vt Galenus lib.10. The. method. cap.5. copiose ostendit.* Tenuiter vero præcipue sunt alendi, qui ex bubone laborant, vt in quibus substantia corporis deperdita non sit. Vinum omnibus propemodum diariis proprie & simpliciter nominatis febribus confert, album colore, & substantia tenue. Nam præter id quod concoctionem iuuat, vrinas etiam & sudores, Vinum dandū diariis.

F *Galeno libro 8. The. meth. cap.3. teste*, elicit. Sed vigiliis, mœrore, & cura afflictis vberius concedendum, vtpote quibus magna copia spirituum sit exhausta, quos vinum facillime & celerrime reparat. Quibus tamen caput dolet, siue vigilarint, siue alia occasione affecti sint, a vino sibi temperare debent, vt quod facile caput tentet. Atqui excandescentia ac furore febricitantibus tuto vinum, nisi omnino a perturbatione

quieuerint, haud datur, vt in quibus spiritus & sanguis maxime ferueant. A vino e- A
iam, qui ex bubone seu adenum tum re febricitant, donec is solutus sit, arcendi sunt:
non tam quod febri sit inutile, quam quod bubonis curationem remoretur. Auget
enim humorum in laborantem locum defluxum, proinde & phlegmonem, qua
Curatio. ratione & febrem. Curare autem oportet omnes diarias simpliciter dictas, Gale-
no teste, balneis. Quapropter omnes qui iis febribus laborant, in primæ accessionis
Non in omnibus diariis eodem modo, nec eisdem balnei partibus vtendum. inclinatione in balneum ducendi sunt. Non omnes tamen eodem modo, nec eis-
dem balnei partibus vti debent. Nam qui bubonibus febrem contraxerunt, vtili-
ter in aere balnei immorantur, tum quod cutem rarefaciat, tum vaporem e corpo-
re foras eliciat. Nec ægrotos siccitate lædit, quemadmodum eos qui ex lassitudini-
bus, vigiliis, curis, & aliis animi perturbationibus febricitant. Siquidem quum iam B
ab iis caussis resiccatum sit corpus, ab aere balnei arcendi sunt, ne noxam augeant.
Igitur in balneo aquarum dulcium calente diutius versari possunt, vt amissam hu-
miditatem eius madore resarciant. Postea vero oleo copiosiore tepido, cui nihil ad-
strictionis insit, mollibus manibus fricari debent. Hæc enim frictio humectat, laxat,
Frictio mollis. solidas partes emollit, & quæ in corporis meatibus detinentur, discutit. A solis vstio-
ne febricitantes, protinus ab initio refrigeratione, & crebrioribus balneis aquæ dul-
cis, solaque exigui olei perfusione, citra frictionem, quod hæc ipsa calorem exci-
tet, curare decet. Sin autem quæ refrigerant capiti admota, rosaceum & omphaci-
num quod salis expers est, aliaque quorum *libro 1. capit 3.* mentionem fecimus. Hæc
quidem primum frigefacta, deinceps lana sunt excipienda, ac in sublime suspensa, C
manu expressa sincipiti instillanda: idque assidue, donec febris inclinauerit. Postea
in balneum æger ducendus. Si quis ex frigore febriat, is quoque ad balneum in ac-
cessionis remissione ducendus est, caputque ante & post balneum irino, & nardi-
no oleo, aut simili fouendum. Calefacientibus enim & constipationem amolienti-
bus medicamentis indigent, qui hac de caussa febricitant. Qui ob famem diaria
febre laborant, inclinante accessione statim ad balneum ducendi sunt, plurimo-
que oleo dulci ac tepido perfusi, molliter perfricandi, diutiusque in calidi solii aqua
continendi, vt scilicet siccitas quam fames corpori conciliauit, olei & balnei humi-
ditate corrigatur. Vbi a balneo egressi fuerint, vires cibis conuenientibus reficien-
dæ, deinde rursus ad balneum ducendi. Vbi denuo exierint, balnei perturbatio- D
ne sedata, aqua calida propinanda: mox ptisanæ cremor exhibendus, & interdum
Ius album. lactuca assumenda, piscesque saxatiles ac molli carne præditi ex albo iure comeden-
di. Quod quale fuerit veteribus, *Galenus libr. 4. de tuenda sanitate, & libr. 3. de Ali-*
Si a cruditate. *mentorum facul. capite De piscibus molli carne præditis*, ostendit. Si propter cruditatem fe-
bris diaria euenit, considerandum in primis erit, num aluus lubrica sit, an adstricta.
Si lubrica erit, & ea tantum quæ corrupta fuerunt, vacuata esse videbuntur: tum la-
uandum, tũ nutriendum in remissione febris erit: sed non, nisi prius quę iis sunt iuxta
ventriculum prospexerimus. Sin ita copiosa inanitio aut prius facta sit, aut nunc et-
iam duret, vt virtus ægrotantis defessa sit, satius est omissa lauatione cibare, sed pro-
spicientes prius iis quæ circa ventriculum sunt. Prospicietur autem laborantibus E
modo vacuatio non amplius duret, irrigatione ventriculi ex oleo & absinthio, aliis-
Tepida ventriculi robur dissoluunt. que quæ supra, *lib. nimirum 3. cap. De ventriculi imbecillitate*, dicta sunt. Ea vero quæ ven-
triculo imponuntur, abunde calentia sunto. Nam quæ tepida sunt, ea omnia ventri-
culi firmitatem dissoluunt. Si autem venter omnino adstricta est, contrectatis hypo-
chondriis, mox toto ventre, considerandum est num cibus in gracile intestinum,
aut colum descenderit. Quod si alimenta adhuc in ventriculo persistant, conetur
æger plurima tepida aqua epota, immisso digito aut penna, totum quod infestat ac
grauat euomere. Deinde fouere oportet hypochondria, & quiescere. At vbi iam ad
intestina alimentum descenderit, iubendum vt decliui facie ac ventriculo recum-
bant, venterque fouendus, ac somnus conciliandus: is enim mirifice cruditatem con- F
Somnus cõcoquit. coquit. Post somnum ad educenda alui excrementa glans supponenda, aut leui cly-
steri aluus mouenda, *quemadmodum copiosius Galenus lib. 8. Ther. meth. cap. 5. docet.* Qui ex
adenum tumore febrem contraxerunt, ii ne Medicum quidem, vt ceteri propemo-
dum omnes qui diaria laborant, quid faciendũ sit interrogant. Tamen vlcus in primis
quod

A quod bubonem attulit, curandum est, ea quidem ratione, quam Galenus *in libris De medendi ratione* docuit. Declinante autem accessione lauandi sunt. Tenui præterea victu nutriendi, quod in iis corporis substantia non sit deperdita. Arcendi quoque a vino, non tam quod febri sit inutile, quam quod bubonis curationem remoretur. Auget enim humorum in laborantem partem defluxum, proinde & phlegmonem: qua ratione & febrem. Hæc quidem ad curandi rationem febrium diariarum simpliciter dictarum sufficiant.

De diaria plurium dierum. Cap. II.

EDiariarum numero est etiam, quæ plurium dierum nominatur, non alia quidem ratione, quam quod in tertium vsque diem extenditur. Alio nomine synochus non putrida vocatur. Diariam vero veteres hanc febrem appellauerunt, quod eiusdem cum diariis simpliciter dictis naturæ sit. Quippe post primam accessionem, si modo quis eam recte tractet, desistit. Merito itaque inter diarias connumeratur, nihilque obstat quod eius accessio vltra vnum protendatur diem, *quemadmodum cap. præcedenti fusius a nobis dictum est.* Oritur hæc febris ex densatione seu stipatione meatuum cutis. Densatio autem ipsa, *Galen. lib. 9. The. meth. cap. 1. teste*, vel obstructis exilibus meatibus, vel conniuentibus, vel etiam corpore ipso moderatius densato: id quod a frigore, aut qualitate vel balnei, vel medicamenti affatim acerba & adstringente, sole feruente, & aliis quæ cutem siccare valent, euenire solet. Quia vero propter stipationem fumida ac fuliginosa excrementa intra corpus detinentur plurima; foras autem quod de iis effluit perexiguum est, fit vt hoc nomine febris accendatur. Hæc *primum* tactu deprehenditur, neque enim densitas exercitatum tactum latere potest. In iis enim cutis durior & compactior sentitur. Caloris etiam motu hæc febris cognoscitur, vt qui primo occursu mitis ac suauis sit: postea vero si diutius admotam manum contineas, acrior. Nam per adstrictæ cutis exiguos meatus halitus paucus exhalat, qui foras calorem fert, proinde mitis esse sentitur. Spacio autem temporis impositam manum magis ac magis calefacit, ita vt sensim auctus acrior appareat. *Tertio* ex vrina deprehenditur, quæ neq; consistentia, neque colore a naturali multum est aliena. Sanguis enim nõ admodum feruet, neq; bilis multa quæ vrinã coloratiorẽ reddat, gignitur. *Quarto* ex mole corporis, quæ manet, & non concidit, quod cutis densitas vaporis ac humoris resolutionem impediat. Proinde neq; oculi caui sunt, neq; aridi: sed prominentiores ac humidiores, quam pro naturali constitutione, visuntur. *Quinto* ex pulsu, qui æqualis, maximus, celer, frequens, & vehemens exsistit. Qui ita laborant, iis, modo recte curare velis, sanguinis missio adhibenda erit: tantumq; sanguinis detrahendum, quantum vires tolerant. Pro certo quoq; habendum, nisi iis qui hoc per naturam sunt habitu, vt corpus ex abundantia ad transpirationem inhabile habeant, id adhibeatur præsidium, fore vt vel suffocentur, vel certe syncope omnino periclitentur, nisi eos vel virium robur, vel plurimus sudor, vel largum sanguinis profluuium a morte vindicet. Corpore per sanguinis missionem vacuato, non multo post cibos & medicamenta ex iis quæ detergunt, exhibebis. Quæ autem in febribus hoc præstant, in alimentorum ratione, *vt attestatur libro 8. The. meth. cap 4. Galen.* sunt ptisana & mulsa: in medicamentorum vero, *oxymeli*, & quæcunque incoquere in mulsa licet, ceu *calamintha, & hyssopum, & origanum, & serpyllum, & iris, & apium.* Verum hæc omnia iusto sunt calidiora, ideoq; febres accendunt, ita vtique vt vinum. Oxymeli autem solum nec febres accendit, & strenue deterget, sic vt ea quæ glutinosa crassaque sunt dissoluat, & meatus obstructos liberet. Ex hoc victu obseruabis, quantum de febrili calore minuitur. Etenim si tertio die mane videris minimum esse quod de febri relinquitur, ac neque putredinis humorum in pulsu nota subsit, neq; in vrina cruditatis suspecta vero hora qua primo die febris occupauit, extra meridiem sit, audacter hominem quam ocyssime lauabis, longe ante sextam horã. Abunde tamen sit, si intra tertiam horam lauationem compleueris. Ad eundem modum & si decimam horã suspectam habueris, vsque ad septimam laues licet: quum tres æquinoctiales horas, quatuorve inter balneum accessionisq; tempus interponi, abunde sit satis. Vbi in balneo corpus incaluerit, dulci prius oleo tepido vnctum, ac moderatissime frictum, mox detergeri extrinsecus, abluiq; debet. Moderatissime vero detergent tum erui farina,

Marginalia: Diaria plurium dierũ. Synochus non putrida. — Caussa. — Signa. 1. 2. 3. 4. — Curatio. 5. — Detergentia. — B, C, D, E, F

tum hordei, tum fabarum. Præterea *mulsa*, quæ sit aquosa, magis autem quam hæc *iris*, *& panacis radix*, *& aristolochia*, *& mulsa*, quæ mediocri est mixtura: veluti etiam hac magis quæ est meracissima. Fit hæc vbi mixta melle exigua est aqua, sic vt liquatum mel exiguos cutis meatus facile ingredi possit. Hac magis detergent tum spuma nitri, *nitrum ipsum*, tum *aphonitrum*. Est autem & sapo ex iis quæ maxime detergere valent. Porro post balneum, præter aquam quæ parum apii incoctum in se habet, nihil est ægrotanti offerendum: licet quod inter balneum & suspectas horas spacium erit, trium fore horarum coniiciamus. Si vero circa vesperam, aut duabus horis citius accessio inuadet, tum lauisse mane liceat, tum cibasse, sed tantum ptisanæ cremore. Deinde si suspectæ horæ nihil afferant, & lauare rursus, si velit, licet, & cibare, vrina tamen & pulsu consideratis. Sin aliquid eueniat, & conferendum, id est, cum accessione, quæ primo die inciderat, & tum vrinæ considerandæ sunt, tum etiam pulsus. Quæ omnia profecto mediocria apparebunt, vbi exigua relinquitur obstructio. Quare ipsum & lauabis quarto die, & cibabis, ad iam dictas considerationes spectans: sperabisque nihil quinto die superuenturum. At si magna obstructio facta sit, ea febris ex diarium genere non erit.

A

B

De synocho putrida. CAP. III.

Synochos febris.

Σύνοχος Græcis Medicis, *Galeno libro 9. Ther. method. cap. 2. auctore*, est febris, in qua vna accessio ab initio ad finem perpetuo manens, in multos dies porrigitur. Vel est, *quæ omni mutatione magna vsque ad iudicium caret*. Hinc commodissime Latinis *continens* nominatur. Quanquam vero vna est idea seu species eiusmodi febrium, a qua synochos eas appellant, tamen natura earundem non est simplex, vnaque. Quædam enim illarum nullam prorsus putredinis notam habent, quas ex diariarum febrium genere esse, capite præcedente monstrauimus, nominarique synochos non putridas diximus. Quædam vero manifestam habent putredinis notam, ideoque synochi putridæ vocantur: de quibus in hoc agemus capite. Barbaram sectantes medicinam, has *synochos*, illas vero *synochas* dixerunt. Galenus autem & Græci alii, *vt commemoratum est*, vtrasque sub nomine synochi complexi sunt. Ceterum febrium continentium tres sunt differentiæ. Nam quædam illarum a principio ad finem vsque æquali magnitudine ac vehementia perdurant. has Græci ὁμοτόνους & ἀκμαστικὰς, hoc est, *in eodem vigore permanentes*, vocant. Quædam vero semper augentur, & exiguum aliquid adiiciunt, eas Græci ἀναβατικὰς & ἐπακμαστικὰς, id est, incrementum suscipientes, aut inualescentes nominant. Quædam paulatim diminuuntur & decrescunt, quas Græci παρακμαστικάς, hoc est, *decrescentes*, appellant, *quemadmodum fusius loco paulo ante citato, & lib. 2. De differ. feb. capite 2. & lib. 2. De iudiciis, cap. 6. Galenus docet*. Synochus seu continens putrida fit, vbi in omnibus vasis, maximis potissimum, quæ circa alas & inguina sunt, æqualiter omnes putrescunt humores. Quod quidem euenire solet, quando a vehementi stipatione, qui intra corpus est febrilis calor cohibetur. Quæcunque enim calida & humida sunt, difficilemque transpirationem habent, ea prompte putrescunt. Quare hoc genus febris nec in gracilibus, nec iis qui raro sunt corporis habitu, nec in frigido corporis temperamento, nec in frigida ætate excitatur: sed plurimum in iis, qui sanguine abundant, & tum ætate, tum natura, tum acquisititio temperamento calidi sunt: ac præcipue carnosis ac corpulentis, & denso corpore præditis, aut etiam calidis excrementis refertis. Qui ita febricitant, iis pulsus est maximus, vehemens, celer, frequens, & æqualis. Constitutio substantiave arteriæ, nec durior quam pro natura est, nec mollior: celeritatis tamen frequentiæque eo peruenit, quo febris ipsa magnitudinis. Atque hæc quidem indicia illa cum synocho citra putredinem, communia obtinet. Priuatim vero ei putredinis notæ insunt, idque tum in vrina, tum pulsu, tum caloris ingrata qualitate, *de quibus copiosissime tractat Galenus lib. 1. De differentia febrium, capit. 1.* Curandi ratio, haud secus atque in synocho non putrida, a missione sanguinis auspicanda. Et virtute quidem valida existente, nulloque alio insigniter repugnante, sanguis vsque ad animi deliquium auferendus. Maximum enim hoc, vbi valentes vires sunt, *Galen. lib. 9. Ther. method. cap. 4. teste*, synochi seu continentis febris remedium est. Primum namque in contrarium statim agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Vt vero corpus refrigeretur, nemo quod vel ipsis ægris, vel quod

Continens.
Synochus duplex.
Non putrida.
Putrida.

C

Synochorum seu cõtinentium tres differentiæ.

ὁμότονοι, ἢ ἀκμαστικοί.
ἀναβατικοί ἢ ἐπακμαστικοί.
παρακμαστικοί.

D

Caussa.

E

Signa.

Curatio.

F

Sanguinis missio ad animi deliquium.

A quod naturæ quæ animantes gubernat iucundius, vtiliusque sit inuenire potest. Deinceps in eiusmodi corporibus necessario superuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio. Quas res statim a toto corpore madores, sudoresve excipiūt. Optimum igitur factu est, statim non numero dierum, sed vni virium robori in febribus illis attentum esse: quippe quod si seruatum est, non solum sexto, septimove, sed etiam sequentibus dieb. sanguis est mittendus. Quod si vero curare aliquando infirmum cogeris, cui nō solum antea secandæ venæ remedium prætermissum est, sed nunc quoq; vel per Medicorum ignorantiam, vel ipsius laborantis propinquiorumve eius timiditatem procedente tempore sanguinem mittere prohiberis, ad frigidam exhibendam accedes: sed diligenter ante discernens, quantum ex ea nocumentum cōtingere pos- B sit. Nam si id aut exiguum erit, aut nullum, offerenda potui est quæ prorsus sit gelida, quantū ægro bibere libet. Quinimo magis id audebis, si frigidę potioni insueuerit. Sin magnum timetur incōmodum, ab hac quidem abstinendum, atq; aliis auxiliis quibus obstructio eximatur, & abundantia vacuetur, & feruor febris deferbeat ac sedetur, vtendum. Porro incommoda quæ frigidam potionem intempestiue, immodiceq; exhibitam sequuntur, in iis consistunt, primum quod lentos crassosq; humores, siue obstructiones, siue putredinem, siue phlegmonem, siue qualis erysipelas, aut scyrrhum, aut œdema est affectus creauerint, attenuari digeriq; prohibet. Quoties igitur ex iis febris accenditur, ad eorū vacuationem frigida non conducit: ad præsens tamen non paruum adfert leuamē, ꝓpterea ꝙ iam accensam febrē exstinguit. Verum quū caussa C eius adhuc permaneat, aliam denuo febrem accendi necesse est, atq; ea quę præcessit, nonnunquam difficiliorem, propterea quod densatum ex frigida corpus est. Atque hæc vna incommodi species est minime contemnenda. Altera est, ꝙ multas laborantis imbecillas particulas, siue ita se ex naturali intemperie habeant, siue ex vitio adscititio, frigida lædat. Sic compertum est, aliis gulam adeo vehementer esse læsam, vt vix deglutirent, quemadmodū eius rei historiam elegantem recenset Gal. *lib. 7. The. meth. cap. 8.* Aliis ventriculum, vt vix concoquerent. Aliis ipsum ventriculi os, aut iecur, aut colum, aut pulmo, aut septū transuersum, aut renes, aut vesica, aut tale quippiā aliud a frigido percussum, ad propriam actionem infirmum est redditum. Nonnullis autem ex intēpestiua immodicaq; eius potione, non multo interposito tēpore, nec postmo- D dum, sed ilico difficultate spirandi & conuulsione & tremore corripiuntur, ac toto, vt semel dicam, neruoso genere læduntur. Vt igitur in paucarem contrahamus, quibuscunque in principe particula tumor aliquis phlegmatodes, aut œdematodes, aut scyrrhi naturam obtinens constiterit, iis frigidam offerre non oportet. Sed nec iis quibus obstructio, putredinis humor non coctus, incommodat. Quod si vero euidentes percipis absque iam dictis tumoribus coctionis in vrina notas, neque pars aliqua temperamento adeo frigido fuerit donata, vt in hanc noxa procumbat, audacter frigidam dabis. Quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iam humores aggreditur, ita vt qui vtiles sint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat: inutiles vero vel per ventrem, vel per cutim eiiciat. Quod si etiam fri- E gidæ assuetus æger fuerit, maiori cum fiducia frigidam exhibebis, ipsa scilicet experientia iam edoctus, omnia viscera eius occursum familiariter tolerare. Omnino namque si quod frigidum adeo esset, vt ab hac offenderetur, per sanitatis tempus euidenter offensam suam ostendisset. Nulla vero per sanitatem particula quicquam ab hac læsa, nec etiam inter febricitandum quicquam læderetur. Vbi namque nonnulli aquæ frigidæ potioni non assueti, tamen propter ardentem febrem eam bibere coacti nullum incommodum senserunt: multo profecto minus eorum qui assueuerunt, quisquam lædi debet, cui etiam pro munimento maximo accedit ipsa caloris copia. Hinc namque quum in vasorum sinibus plurimus contineatur, vtpote tum aerea in his substantia, tum etiam succis omnibus inflammatis, quantum a frigido F patitur refrigeratus, tantum rursus calefaciendo in ipsum agit. Ideoque minus tuta iis, qui exiguum sanguinem, carnemque obtinent, frigidæ potio est. Celeriter namque ad solidas animalis partes peruenit, nulli quod eius vim frangat occurrens. Eo etiam fit, vt hecticæ febres nec perinde eam quæ prorsus sit gelida, nec multam desiderent, ceu quæ extenuatis omnino, exiguique sanguinis corporibus incidant.

Frigida quādo exhibenda.

Frigidæ incommoda.

Quibus frigida non exhibenda

Continentium febriũ duo maxima remedia.

Ex iis itaque quæ iam dicta sunt, omnibus perspicuum fit, continentium febrium A maxima remedia esse hæc duo, sanguinis detractionem, & potionem aquæ frigidæ. Verum illa nullo non tempore, modo vires sustineant: hæc, quum & in pulsu, & in vrinis coctiones euidentes cernuntur notæ, febris autem maxima est. Attendendæ vero cum venæ secandæ indicationibus sunt, tum quæ eam præcedunt, tum vero quæ sequuntur. Nam si præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre venæ sectionem iubebis, quantum satis facere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descendant videbitur. Sin sequeretur necessario vacuatio quæpiam, tantum illi de superante relinquendum, quantum est per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu, ipse satis fore videbitur, qui solus quod requiris vacuet, B naturæ rem omnem permittes: sin minus, tantum ipsi detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur quod postules, *quemadmodum copiosius Galenus libro 9. The. method. capite 5. docet*. Victus autem ratio in iis febribus hæc potissimum sit. His quibus vena secta est, post duas a sectione horas ptisanæ cremorem exhibebis, quietemque imperabis. Vbi vero a somno excitati fuerint, rursus ptisanæ cremor præbendus. In hac victus ratione vsque ad tertium diem persistendum. Animaduertendum autem, in synochys febribus tum alendos esse ægros, quo tempore saniali consueuerunt, & vbi maius leuamen sentiunt: ita enim alimentum facilius ferent. Quod si vtique vires robustæ fuerint, & vigor morbi statim expectetur, tenuissimo victu vtendum erit. Sin contra vires imbecillæ fuerint, haud sine ingenti dispendio victus te- C nuis exhibetur. Ergo in cibis offerendis virium robur diligenter perpendendum erit. Plura qui de huius generis febrium curatione scire desiderat, Galenum loco paulo ante citato legat.

In cruditate ciborum non mittendus sanguis.

Victus ratio.

Quando cõtinente, febre laborantes sunt alendi.

De continuis Febribus. Cap. IIII.

Febris continua.

Febris σύνοχος & συνεχής differunt.

In quo σύνοχος & συνεχής conueniant.

Febris Latinis *continua* Græcis autem συνεχὴς dicta, est, quæ non antequam ex toto fuerit soluta, ad infebricitationem desinit, remissionem tamen aliquam sensilem in singulis accessionibus obtinet. Vnde omnibus perspicuum fit, σύνοχον καὶ συνεχῆ, hoc est, *continentem* & *continuam* febres inter se differre. Siquidem in synocho continenteve nulla fit feruoris remissio, donec desinere incipiat. Synechès autem, siue continua in singulis accessionibus remissionem sensilẽ habet. Item synochus vnicam dũ- D taxat accessionem obtinet, synechys vero plures. Ceterum conueniunt hæc febrium genera in eo, quod neutrum horum ad infebricitationem peruenit. Græci quidem Medici, vt hanc, quam diximus, statuerent differentiam, solœcismum committere potius voluerunt, quam formam istarum febrium sine nomine relinquere. Quippe Græcis συνεχὴς ὁ πυρετὸς recte dicitur, non autem συνοχός. Porro continua febris fit, vbi vnus duntaxat humor intra vasa putrescit. Suntque huius febris, pro putrescentis in venis humoris diuersitate, differentiæ tres. Nam si flaua bilis intra vasa putrescit, tertianam continuam, quæ alio nomine Græcis καῦσος Latinis vero ardens appellatur, efficere solet. Sin pituita putrescit in venis, quotidiana continua generatur. Si vero melancholicus humor, quartana continua nascitur. Quare eiusdem generis sunt cum E intermittentibus: cum tertiana quidem exquisita intermittente, tertiana continua, quod scilicet perinde atque illa tertio quoque die accessionẽ habeat. Quotidiana cõtinua, cum quotidiana intermittente, quod nimirum singulis diebus accessionem obtineat. Quartana continua, cum quartana intermittente, quia quouis quarto die inuadat. Differunt tamen etiam ab inuicem, non obstante quod eo qui vtrasq; facit humore communicent, duplici ratione. vna, quod in continuis humor putrefactus intra vasa, *vt comprehensum est*, continetur: in intermittentibus autem per singulas corporis partes dispergatur. Altera, quod intermittentes ad infebricitationem desinant. Impetu enim delationis ipsæ per seipsas expurgantur. Continuæ autem ad infebricitationem non perueniunt, nisi ex toto fuerint solutæ. Proinde nullum certius indi- F cium febrium continuarum est, quam quod nulla earum ad infebricitationem perueniat, donec de integro & prorsus desierit. Alia signa sunt illis cum intermittentibus communia. Exquisita enim ardens febris omnes alias exquisitæ tertianæ intermittẽtes notas seruat: hoc tantum discrimine varians, quod neque cum vigore inuadit, neq; in quie-

Caussa.

Differentiæ continuarũ febriũ tres.

Ardens febris siue causus.

Continuæ eiusdem generis cum intermittentibus.

Continuarum & intermittentium differentiæ.

Signa.

A in quietem desinit. Pari ratione quæ singulis diebus accessionem habet, exacerbaturve, omnes exquisitæ quotidianæ notas præ se fert: sed quod haud intermittit, hac re a quotidiana intermittente differt. Simili modo & ea quæ quarto quoq; die accessionem obtinet, quartanæ exquisitæ notas retinet, sed ad quietem non peruenit. Porro quum continuas febres ex putridarum genere esse, ex iis, quæ diximus constet, necesse erit, vt qui illas commode curare volet, putredinem primum inhibeat. Ita duæ statim se indicationes exhibent, quarum altera a febri, altera vero a putredine sumitur. Atque a febre rursus duæ, scilicet vt portio febris quæ iam accensa est, percuretur: quæ vero in generatione est, inhibeatur. Aliæque duæ a putredine, vt & quod putredinis iam factum est, sanemus, & quod in generatione adhuc est, sistamus. Quod B in generatione est, id perspiratio impedita facit. Ita ab hac quoque duæ aliæ indicationes nascentur, tum vt quod retentum est vacuetur, tum quod retinendum est prohibeatur. Prohibebitur autem iis præsidiis, quæ obstructioni medentur. Huius rursus obstructionis, quod iam occupauit sanandum est: quod futurum est, arcendum. At curabitur quidem id obstructionis quod iam factum est, per ea, quæ obstructione liberant. Propulsabitur quod futurum est, si effluxum obstruentium humorum compescuerimus. Vnde satis liquet, quod vltima in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id omnium primum in curatione esse peragendum. Quum igitur particulatim rem expendentibus quinque sunt in febribus continuis, a quibus indicationes colliguntur, febris nimirum, putredo, impedita perspiratio, obstructio, humorum ob- C struentium copia, a postremo curatio auspicanda erit. Copia itaque humorum obstructionem efficientium requirente vacuationem, principio si valida fuerit virtus, tempus & ætas, atque alia consentiant, sanguinem mittere oportet. Mittendus vero tum magis sanguis erit, quando vniuersum corpus plus solito tumet, aut venæ eminētes ac distentæ sunt. Ea nanq; sanguinis abundantiam significant. Vacuata multitudine, ad alterius, puta obstructionis, curationem accedendum, medicamentisque quibus obstructio tollitur vtendum. Quoniam vero horum pleraque calida sunt, metuendum ne tum putredinem, tum febrem augeant, itaque iis quæ citra calorem ab obstructione liberare possunt, vtendum. Qualia autem hæc sint, diximus supra, capite nimirum huius libri secundo. Vbi vero quæ obstruunt detersa & dissecta sunt, D per aluum, vrinas, ac sudores ea vacuare tentandum. Quum vero materiæ quæ hæc efficiunt calidæ sint, necesse est tum putredinem, tum febrem augeri. Quare quoad licet id agendum, vt quæ minus calefaciat materia deligatur: aut si qua inuenire potest quæ non calefaciat, quemadmodum in hoc casu balneum, vtique ea petenda est. Balneum vero idipsum posse, Galen. *libr 3. De tuenda sanit. capite 3.* iis verbis diserte docet. *Dulcium calefactarum aquarum si temperatæ sint, vis calida & humida est: sin tepidiores sint, humida & frigida.* Et paulo post: *Balneum si probe adhibeas, duras, tensasque partes emollit, excrementum, liquamentumque si quod intus ad cutem hæret, euocat.* His peractis, & detersis iis quæ cuti impacta fuerunt, adeoque obstructione ac impedita transpiratione amota, ad putredinis curationem veniendum est. Quocirca hoc tempore inprimis vires roborare, E quo & putredinem superent, & humores concoquant, studebimus. Putredinem quoque sanabimus, si id quod corruptum est, omni ratione vacuabimus. Quod reliquum est, moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exquisitam mediocritatem reducemus, ac vacuationem eorum per vrinam, deiectiones alui, vomitum, ac sudores moliemur. Vltimo ad febris curationem progrediendum, quæ quidem per refrigerantia fieri solet. Omnis enim febris, qua febris est, humectatio refrigeratioq; remedia sunt. Quo vero modo horum quodq; recte fieri debeat, partim antea dictum est, partim in sequentibus commemorabitur. Porro in febribus continuis, quibus morbi vigor non longius septimo futurus est, & vires validæ sunt, ætasque consentit, exquisitus omnino & tenuis victus instituendus est. In quibus vero longius septimo totius mor- F bi vigor erit, aut virtus imbecilla est, per initia quidem liberalius, instante vero vigore parcius, vigente morbo tenuissime cibare oportet. Postea rursus semper vberius, eodem modo cibum augendo, quo ante vigorem minuebatur, *quemadmodum sectione 1. Aphoris. Hippocrates docet.*

Curationis methodus.

Quinq; sūt res a quib. in febribus continuis indicationes colliguntur.

Venæ sectio.

Obstructio vt sananda.

Balneum refrigerat.

Putredinis curatio.

Victus ratio.

De ardente febre. CAP. V.

A

Caussa. ARDENS febris, quæ καῦσος Græcis, *vt præcedente capite ostensum est*, dicitur, e continuarum est genere. Et fit quidem, quando flaua bilis in venis putrescit. Eiusdem itaque generis est, cum exquisita tertiana intermittente, eo quod ab eodem quo ipsa humore nascatur. Differt tamen etiam ab eadem, quod videlicet in hac flaua bilis per vniuersum feratur corpus: in ardente autem febre idem humor in vasis vna cũ sanguine continetur. Hinc fit, quod in ardente febre singulæ accessiones ad infebricitationem non perueniant. Quando vero in iis bilis vehementius agitatur, & a natura inualescente impellitur, tunc rigor superuenire solet, & febris ipsa soluitur. Quod Hippocrates iis verbis significauit: *Qui ardente, inquit, febre correptus est; si rigor successerit, a morbo liberatur.* De cuius quidem sententiæ explicatione copiosiore, vide nostros in hunc librum conscriptos commentarios. Dignoscitur febris ardens iis notis. Lingua eorum, qui hac febre laborant, arida est, crassa, aspera, & nigra, ventriculi erosio, sitis intolerabilis, vigiliæ, nonnunquam etiam delirium. Alui deiectiones liquidæ, & pallidæ. Quas singulas notas Hippocrates *libr. 4. Vict. acutorum, aphorismo 4.* complexus est. Hac febre laborantes decumbant in loco frigido, ad suauem auram exposito, a qua purus difflетur aer: culcitra etiam molli, quæ frequenter sternenda est. Stragula tenuissima sint, & minime sordida, quæ assidue mutentur: habeatque lectus insignem latitudinem, vt ad diuersas subinde partes membra calefacta transferri commode queant. Tum aer ignauior flabello excitetur. Cibi offerendi sunt, quibus refrigerandi & humectandi vis inest, vt est *lactuca, cucurbita, oxalis, cremor ptisanæ, & eiusmodi.* Potus sit aqua, in qua parum cinnamomi decoctum sit, aut omphacium. Si æger assueuerit, aut aliud nihil impediat, post cibum frigidam deglutiendam dato, cochlearis vnius aut duorum mensura. Vel cum decocto hordei misceantur *zulapia violaceum, rosaceum, & iis similia.* Succo præterea rosarum stomachus recreandus, aliæque refrigerationes machinandæ, virentibus *vitis, rosarum, nymphea, violarum foliis & floribus solum sternendo; & aquam frigidam sæpius irrigando, riuulos aquarum moliendo, quæ ex propinquo suauiter instrepant, vt in superioribus sæpius est a nobis dictum.* Quod ad curandi methodum spectat, initio statim venam incidere oportet, modo ætas, tempus, virtus, & alia permiserint. De quibus copiose Galenus *libro primo ad Glauconem, capite 13.* disserit, & *in libro De curandi ratione per sanguinis missionem.* Hinc est, quod, *sectione 1. Aphorismorum commentario 23.* ita scriptum reliquerit: *In ardentissimis febribus, si vsque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris exstinguitur, plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanat.* Thorax & stomachus subinde palmulis cum rosaceo, aut oleo cotoneorum, *Aetio teste,* aut nympheæ tritis fouendus. Conueniunt & alia medicamenta refrigerantia, vt sunt *palmites triti, intybum, polygonum, lactuca, oxalis, folia vitis, & similia.* Sudariolum quoque tenue complicatum, oleoque & aqua calentibus madefactum, stomacho & thoraci applicandum: id enim febrium ardorem mirum in modum sedat. Lana quoque quantum manu capitur, aqua & rosaceo calefactis imbuta, e sublimi in thoracem expressa, feruoris vehementiam facile obtundit. Hæc autem calida esse oportet: nã tepida membrorum vigorem exsoluunt. Nec temere etiam in febribus ardentissimis acetum admiscebis. Epithemata vero & reliqua refrigerãtia medicamenta, in principiis & incrementis accessionum non sunt admouenda. Hoc nãque tempore corporis affectus adhuc ambigit, & calor viscera obsidet: quapropter frigida adhibita calorem in profundum repellendo, maioris nocumenti occasionem præstant. Igneus enim calor intus repressus, vehementiori rursus ardore excitatur. In vigore itaque accessionum, calore iam per vniuersum corpus explicato, hæc frigida commode admouebuntur: tum enim residuum caloris præter naturam circa viscera adhuc hærens, prompte exstinguetur. Hinc ægri melius spirare incipiunt, & leuiori siti infestantur. Quidam etiam rorido efflante vapore deliniti, somnũ capessunt. Epithemata vero, quibus in iis febribus vtendum erit, habeant *stillaticiorum rosarum & lactucæ liquorum, singulorum vncias tres & dimidiam. Stillaticii vtriusque intybi satiui liquoris, singulorum vnciam vnam & dimidiam. Aceti optimi, vnciam vnam. Santalorum trium, singulorum vnciam dimidiam. Acidi citri succi, vnciam dimidiam.* Commixtis omnibus

Margin notes: Ardentis a tertiana differentia. — 4. Aph. 58. — Signa. (B) — Victus ratio. — (C) — Curatio. — (D) — Localia. — Tepida mẽbrorum vigorem exsoluunt. (E) — Refrigerantia quo tẽpore admouenda. — (F) — Epithema.

A omnibus fiat epithema. Porro vigore morbi instante, & nullo eorum, *quæ supra capite tertio dicta sunt* prohibente, syncera frigida iam tuto exhibeatur. Quod si timor, quamuis minimus, obstiterit, primam potionem refractam propinabimus. Refrangetur autem in hunc modum. Sumito temperatæ *aquæ cyathum vnum, cui quinque synceræ frigidæ admisceto*, & sic suspectis corporibus præbeto. Quid multa? in ardentium febrium curatione horum alterum fieri necesse est, vt aut biliosi humores excernantur, aut iidem exstinguantur. Excernuntur autem per sudores, vomitiones, & aluum. Exstinguuntur vero potu frigidæ, quo sane sæpissime ex toto ardentissimæ febres curantur Ceterum *balneum aquæ dulcis* iis solum conuenit, qui citra tumorem ad phlegmonis, aut erysipelatis naturam tendentem ardenti febre laborant. Quod si B vero concoctionis notæ in vrinis appareant, multo magis competet. Aeger autem qui in ardentissima febre frigido vti cupit solio, sit iuuenis, moderatoque corporis habitu, *vt Hippocrates etiam monet*. Nec id facere in animum inducat, nisi æstatis tempore, ac anni constitutione calida, inque febris vigore, & sit quoque frigidæ lotioni per sanitatem assuetus. Moderatiori vero exsistente febre, robustaque virtute, simul cum coctionis indiciis, solium aquæ dulcis & temperatæ sufficit, ac confert. Ex vnctionibus, *oleum chamæmelinum*, præsertim vbi aer ambiens frigidus sit, conducet. Ceterum materiæ copiam, ex qua ardentibus febribus competentia remedia componuntur, sequentia capita suppeditabunt.

Frigida quando exhibenda.

Balneū quibus confert

5. Aph. 42.

Vnctiones.

De exquisita tertiana intermittente. Cap. VI.

C TERTIANA febris intermittens exquisita, ex flaua bile per sensiles corporis partes delata, & sui ipsius naturam puram sinceramque seruante oritur. Quapropter, quum ex bile sincera, nullique alteri humori permixta procreetur, exquisita medicis dicta est. In biliosioribus natura corporibus consistit, & vigenti ætate, tempore æstiuo, calidis & siccis regionibus, similique aeris constitutione, vita etiam laboribus, vigiliis, curis, intensis cogitationibus, ac solis feruoribus dedita & exposita. Hæc etiam statim ab initio, inque singulis accessionibus rigorem vehementem affert: qua vna quidem ratione ab ardente febre, *vt supra est ostensum*, differt. A quartana vero rigore in hoc distat, quod corpus pungere, ac veluti vlcerare videatur, quum quartana refrigerationem habeat simillimam ei quæ hyberno tempore sentitur. Ter-D tianam itaque febrem non contingit fieri sine rigore vehementi, pungente ac vulnerante carnem. Quartana vero, neque primo statim die cum rigore inuadit vehementi. Nam progrediente ipsa, atque aucta, vna quoque rigor augetur, sensusque ægrotantium non est quasi eorum, qui punguntur, sed potius qui refrigerantur, & veluti ad ossa vsque molestantur. Est & in tertiana pulsuum exactus ordo & æqualitas, qui tamen ad vehementiam ac magnitudinem atque frequentiam in accessionum incremento excitantur. Præterea in vigore, etiam sitim inuehit, ac hominem exurit, vt abiectis vestibus æger denudetur, ampleque & frequenter spiret, exsuffletque veluti flammam, frigidamque potandā efflagitet. Calor æqualiter subinde per totum corpus diffunditur, nihiloq; magis thorax quā extrema calent. Et vbi manum in-E ieceris, primo quidem contactu calor plurimus ac mordax occurrit, veluti cum vapore quodam erumpens: non multo tamen postea a manu remanente vincitur. Bilis denique vomitio superuenit, aluusque soluitur, & biliosum mingunt, subruffum, sufflauumque, & moderate crassum. Vrina quoque statim nubeculam albam, aut sublationem laudabilem habet. Ruffiore autem exsistente vrina, neque suspensione, neque nubecula in primo circuitu apparentibus, febris ad septem circuitus extendetur. Præterea ad infebricitationem desinit, vbi accessionis spacium horarum æquinoctialium ad summum duodecim durauerit. Nam hoc tempus longissimum est in veris tertianis. Breuior vero aliquando prædicto spacio temporis accessio, in eo quod magis ac minus plurimam habens differentiam, ob quantitatem videlicet, aut quali-F tatem ipsius bilis, aut propter laborantis vires, aut propter præsentem eo tempore corporis laborantis affectum. Febrem igitur quæ intra duodecim horas terminatur, exactam tertianam nominamus: quæ vero diuturniorem accessionem habet, ea non tertiana exquisita, sed extensa vocatur *quemadmodum Galen. libr. 2. De differ. febri, capite 8. fusius monstrat.* Quod si quotidie febris cum vehementi rigore inuadit, & cum aliis

Caussa.

Exquisita tertiana cur dicta.

Signa.

Tertianæ rigor quo distet a rigore quartanæ.

Duplicis tertianæ notæ.

tum vrinarum, tum mulsuum, tum ceterorum notis quas diximus, duplex tertiana nuncupatur. Quæ singula signa copiosius prosequitur Galenus *libr. 1. ad Glauco. cap. 5. & libr. 2. De differ. feb. capite 3. & libro secundo De iudiciis capite 3.* Ceterum exquisitam tertianam, quæ ex sincera flaua bile commota constat, quoad fieri maxime potest, humectare & refrigerare oportet. Quippe is humor inter omnes alios qui in corpore sunt, *Galen. cap. 5. lib. De inæquali intemperie, teste,* calidissimus & siccissimus exsistit. Æger itaq; decumbat in loco frigido ad auram suauem, *vt cap. huius libri tertio etiam dictum est, exposito.* Arcenda quoq; turba a domo est, vt quæ halitu calefaciat: solum spargatur frequēter aqua frigida, *liquore rosarum stillaticio, violarum item & similium.* Humi sternantur *folia salicum, vitis flores rosarum, violarum, nymphea, & id genus aliorum.* Cibis vtantur ægrotantes, quibus refrigerandi & humectandi vis inest. Tantum vero de iis dari debet, quantum optime concoqui potest. Ex oleribus quidem *atriplex, blitum, malua, lactuca, cucurbita, lapathum, intybum, & id genus alia.* Ex aliis autem *cremor ptisanæ, & sorbitio ex alica.* Ex piscibus vero saxatiles. Hi enim præter id, quod refrigerant & humectant, boni sunt succi, ac facile concoquuntur. Ex volatilibus quæ molli sunt carne, vt sunt *gallinacei perdices, columbæ, & passeres iuniores, phasiani, & similia.* Quæ vero talia non sunt, eorum alæ, vt quæ ob crebram exercitationem excrementis vacant: & gallorum gallinaceorum testiculi & suum pedes, quia exercitati excrementis carent: ac cerebra, præsertim si rite coquantur. Porcellorum quoque si liquefactas coctura carnes præbueris, nihil nocebis: ita n. facilius a ventriculo conficiūtur. Sed & oua sorbilia, id est, quæ tantummodo incalescunt, permittuntur, præsertim eorum vitelli: ii enim, *Galeno & Paulo testibus,* facilius quam album concoquuntur & mediocriter refrigerant. Ex fructibus gustari conceduntur, qui non omnino ad concoquendum difficiles sunt: vt sunt *cerasa, pruna mora.* Abstinendum autem a melle, vt quod facile in bilem vertatur, *sinapi, salsamentis, & omnibus acribus.* A vino autem, priusquam morbus concoquatur, omnino arcendus æger. Bibat autem interim aquam in qua parum cinnamomi decoctum sit. Vel hoc vtatur potu, qui habet: *Zulapii violacei, vncias quatuor. Aquæ in qua parum cinnamomi sit decoctum, libram vnam.* Commisceantur inuicem, & de altero in alterum vas sæpius transfundantur. Vbi vero concoqui cœperit morbus, dandum erit initio vinum tenue, paucum, & aquosum. Liberalius vero, vbi in propinquo est morbi solutio. Hæc quidem victus ratio multorum est, non omnium, ad coniecturam tradita & exposita. Qui enim molliter non educantur, sed duram vitam agunt, ac robusti sunt, iis tenuior victus instituendus est, nempe ptisanæ cremore vsque ad febris iudicium contenti sint. Quod ad somni rationem attinet, in accessione non est dormiendum, sed vigilandum potius: vt scilicet sanguis & spiritus, adeoque caloris natiui ad interiora motio impediatur, inque contrarium, & ad exteriora trahatur: alias enim febres vix dissoluuntur, & ad consistendi tempus tardissime perueniunt, fluxionesque multiplicantur. Finita accessione, somnus non improbatur. Exercitia, & omnes alii vehementes motus fugiendi, ne cum Herodico, cuius *libro sexto, Epide.* meminit Hippocrates, ægrotantes interficiamus. Animi deturbationes, ira potissimum, timor, mœsticia, & similes longe absint. Ceterum non solum iam dicta victus ratione, sed & medicamentis quæ refrigerare & humectare possunt, vti oportet. Initio autem ad bilis feruorem restinguendum, caloremque mitigandum hoc decocto vtendum, quod accipit: *Florum violarum, boraginis, rosarum rubearum singulor. manipulum vnum. Florum nymphea, manipulum semis. Intybi satiui vtriusque, lactucæ, singulorum manipulum vnum & semis. Passularum repurgatarum, vnciam vnam. Prunorum damascenorum numero vndecim. Seminum intyborum satiuorum, lactucæ portulacæ, cucurbitæ, singulorum vncias tres. Radicis cichorii, drach. sex.* Coquantur singula in *duabus libris aquæ fontanæ, quoad tertia pars absumta fuerit.* Dein colo traiiciantur, & sachari adiectione ius decocti dulce reddatur, alboque oui purificetur, additis *serapii de intybo satiuo latifolio, & zulapii violacei, vtriusque vncias duas & dimidiam.* Commixtis omnibus fiat potio, de qua singulis diebus in aurora ieiuno detur *pondus vnciarum quatuor & dimidiæ.* Quod si æger delicatior est, & a potione abhorret, sumat quotidie ex hoc medicamento, quod habet: *Sacchari violacei, boraginis, rosacei, nymphea, cichorii, singulor. vnciam dimidiam. Antidoti e prunis damascenis citra diacrydion, drach.*

Marginal notes: Victus. — Oua sorbilia. — Potus. — In accessionibus haud dormiendū — Para. 3. Apho. 24. — Curatio — Decoctum concoquēs bilem. — Mixtura.

A *drachmas septem. Diarrhodon abbatis, unciam unam. Specierum diatrionsantalon, uncias duas. Zulapii violacei quod satis est ad excipiendum*, fiat mixtura. Summouenda præterea caussa, quæ febrem attulit, id quod fit vbi biliosus humor vacuatur. Eum itaque qui ad stomachum repit, per vomitum educere oportet. Hic vero qua ratione sit ciendus, in superioribus libris est expositum. Eum autem qui deorsum fertur, per alui excretionem elicere conuenit: quod quidem etiam sponte interdum in exquisita tertiana fieri solet. Quare qui tum rhabarbarum exhibent Medici nequaquam, quod nonnulli faciunt, reprehendendi sunt. Siquidē illud abunde bilem flauam primum educit & edomat, postea vero vi sua adstrictoria partes corporis inter purgandum læsas, ventriculum potissimum & intestina, roborat. Neque enim natura, alia de caussa hanc ei facultatem indidit, quam vt a purgatione roborat. Quapropter hæc adstrictio quæ minime vehemens est, febrem haud lædit. Vomitiones vero eliciuntur maxime accessionis initio, *vt auctor est Galenus, libro cui titulus est: Quos nam purgare oporteat, quibus medicamentis, & quando.* Nam eo tempore natura illuc bilem producere solet: quemadmodum in remissione ad infernas partes, aut ad cutem. Igitur per id tempus molles ac leues clysteres iniiciendi, tum quod facile bilis educatur, tum eius acrimonia quæ intestina molestat atque mordicat, clysteris lenitate frangatur. Talis vero est is, qui accipit: *Maluæ foliorum violæ purpureæ, lactucæ, mercurialis, intybi satiui vtriusque singulorum manipulum vnum. Seminis portulacæ, melonum, singulorum drachmas duas, & semis. Coquantur in aqua iusta quantitatis, donec tertia pars absumatur. Colo traiiciuntur, & iuri decocti* C *ipsius adiiciantur, casiæ fistularis recens extractæ medullæ, vnciam vnam. Olei violacei, vncias tres. Salis communis vnciam vnam & dimidiam.* Commixtis omnibus fiat clyster. Per vrinam quoque & sudores bilis exigenda præsertim si illuc natura feratur. Quod recte fiet medicamentis quæ vrinam cient, non tamen omnibus, sed quæ citra exsiccationem id præstare possunt. Vrina quoque potionibus, in quibus apium & anethum maduerunt, prouocanda. Et si concoctionis notæ apparebunt, iam tuto absinthium exhibebis, quod alioqui summum est ventriculi remedium, vbi hunc bilis infestauerit: si præsertim ex ipsius coma, quantum sufficiat, accipiens, in melicrato maceraueris. Bilem enim per aluum ex ventriculo purgat, ex venis vero per vrinas. Sudorem vero hoc vel simili medicamento euocabis quod accipit: *Radicum apii, asparagi, cichorii, singulorū vn-* D *ciam dimidiam. Seminum petroselini, fœniculi, rusci lybistici, singulorum drachmas duas. Cicerum nigrorum, drachmas tres. Anethi, manipulum semis. Coquantur singula in aqua fontana iustæ quantitatis ad tertias, dein colo traiiciantur, & sacchari adiectione ius decocti dulce reddatur: additis oxymelitis compositi vnciis duabus*, fiat potio. Aut singula prædicta redigantur in puluerem, & de iis qualibet vice drachma vna, aut drachma vna & dimidia, cum tribus oxymelitis simplicis vnciis exhibeantur. Hæc autem medicamenta quæ sudorem eliciunt, in accessionis declinatione, aut die in qua æger a febre liber est, propinentur. In hunc vsum etiam non parum confert inunctio ex oleis chamæmelino, anethino, & id genus aliis. Balnea denique calida ex aqua dulci & potabili prosunt duplici nomine, tum quia aliquid bilis euocent, tum etiam quia sua qualitate pluri- E mum iuuent. Nam huiuscemodi balnea, *vt etiam libro tertio De tuendi sanitate testatur*, humectant, & potentia refrigerant. Balnea vero ex aquis marinis, salsis, nitrosis, & sulphurosis, plus quidem bilis educunt, sed multo minus quam potabiles prosunt. Præstat autem neque ipsa vtilia dicere, quandoquidem plus exsiccando obsint, quam vacuando iuuent. Semper autem oportet contrarias qualitates, *Galenus ad Glauconem teste*, illis quæ præter naturam inualuerunt opponere: quum hoc multo commodius sit, quam quouis modo vacuare. Ex quibus sane verbis satis liquet, Galeno parum placere, in exquisita tertiana vacuationes, præsertim eam quæ fit sanguinis missione, & vehementer purgante medicamento. Nec me latet hoc loco esse qui merentur, imo me non obscuris verbis suggillent, quod in tertiana exquisita sanguinis missionem F parum probem. Et pro suæ opinionis confirmatione locum Galeni *ex libro methodi medendi 11. capite 14.* male tamen intellectum producunt. Quod vero locus ille ipsorum opinioni non patrocinetur, in enarratione huius loci in nostris commentariis, & *infra capite præsentis libri 12.* prolixe ostendimus, vt opus non sit eius explicationem hic repetā, & inserā. Sunt enim id genus purgātia omnia medicamēta facultate calida. Quū

Vacuatio.

Vomitio.

Clyster.

Vrinam mouentia.

Absinthium.

Sudorem eliciens.

Balneum aquæ dulcis.

Sanguinis missio, vehemensq; purgatio in tertianis exquisitis, parum Galeno probantur.

vero febris hæc omnium calidissima sit, ideo refrigerari & humectari potius deside- A rat, quam vehementer purgari. Alias autem vacuationes magis permittit, præsertim vbi humorem natura expellere tentat. Iuuanda quoque natura est, vbi ex se sola opus perficere non potest. Quod vero ad balneum attinet, hic plane in eo scopus sit, vt corpus madeat & humectetur. Icciro neque nitrum, neque salem, neque sinapi inspergere oportet, ac calente oleo plurimum perfusos ægros ad aquam perducere ac proluere conuenit. Et si in eo natare velint, iis quamdiu possunt permittendum est. Et qui balneis delectantur, si etiam bis die lauare permiseris, nihil peccabis. Sed illud in memoria habeto, vt id opportune fiat. Si enim iam concoctionis signa appareant, tunc etiam si frequentius laueris, nihil erraueris, *vt Galenus loco antea citato perspicue docet.* B

Balneum.

De tertiana notha. CAP. VII.

Caussa. Signa.

TERTIANA notha seu spuria fit, quando bilis maxima ex parte pituitæ miscetur. Hinc est, quod non singulæ notæ, vt in exquisita, puræ ac sincerioris bilis naturā præ se ferant. In ea etiā tempus accessionis duodecim horas excedit, neq; vt exquisita septenis circuitibus iudicatur. Tardius denique in hac ipsa spuria tertiana coctionis signa apparent, neque tantus in eius vigore calor. His omnibus accedit, quod non finitur, vt exquisita, sudoris copia. Quare victus ratio in hac febre non sit in vniuersum quæ refrigeret ac humectet, vt in tertiana exquisita, sed quæ aliquam calefaciendi & incidendi vim assumat. Bilis enim in ea crassior, neque adeo calida exsistit. Hac igitur laborantibus plurimum prodest ptisanæ succus, cui iniectum piper sit, & C mulsa in qua coctum sit hyssopum, origanum, & nardi spica potui danda. Sorbitiones etiam concoctu faciles dandæ sunt. Porro quum accessionis tempus longius sit, atque adeo integrum diem duret, non sane quotidie, sed alternis tantum diebus cibum exhibere oportet. Hac enim ratione cauebimus, ne a suo munere auocetur natura, adeoque morbus augeatur. Prospiciendum autem vnice erit, ne morbus augeatur neue ægrotantis vires, quas conflictare diutius oportet, deiiciantur. Difficile vero est vtrunque seruare, quod inedia quantum ad morbi concoctionem prodest, tantum vel amplius etiam vires offendit. Cibo autem quantum ægrotantis robur augent, tantum concoctiones impediunt. Proinde inedia vtendum, vbi valentiores fuerint vires & morbus concoctu difficilis. Largiore autem cibo, vbi vires fuerint imbecilliores, ne- D que morbus concoctu contumax. Potus sit aqua in qua parum cinnamomi, & aliquid hyssopi aut origani decoctum sit. Quies conducit, exercitia vero nocent. Hæc enim naturam ac calorem natiuum, qui crudam materiam intus concoquere debet, foras euocat. Quod ad curandi rationem attinet, si sanguinem mittere oporteat, neque hoc omittendum, sed ab initio statim, adhibita ætatis, temporis, regionis, habitus corporis, & similium quæ sanguinis missionem vel suadent, vel ab ea dehortantur distinctione: tantumque sanguinis detrahendum, quantum præsens exigit status. Statum autem præsentem intellige tum ægri, tum morbi. Æger enim si viribus valet, sanguinis missionem admittit: sin minus, respuit. Si morbus ex humorum copia constat, sanguinis missionem exposcit, non quidem mediocrem, sed pro eius copia. Verum quā- E do diu duraturus est morbus ob cruditatem, mediocriter extrahendus est, vt in finē morbi vires seruentur. Clysteres quoque non admodum molles, vt inertem materiam euocent, aluo indantur, qualis est qui habet: *Maluæ, mercurialis, foliorum violæ nigræ, origani, hyssopi, singulorum manipulum vnum. Seminis cartami drachmas tres.* Coquantur omnia in aqua iustæ quantitatis. Colato iuri adiiciantur *benedictæ laxatiuæ nominatæ, hieræ picræ, singulorum drachmas tres. Mellis rosacei, drachmas sex. Olei violacei, chamæmelini singulorum vnciam vnam & dimidiam. Salis vulgaris, drachmas duas.* Fiat clyster. Exhibenda quoq; decocta, quibus insunt quæ citra plurimam calefactionem & exsiccationem incidere, & vrinam ciere possunt. Cuiusmodi est quod accipit: *Radicum apii, fœniculi, cichorii sing. vnc. vnam. Intybi satiui vtriusq;, origani, hyssopi, sing. manipul. vnum. Lactucæ,* F *manipulum vnum & dimidium. Seminum quatuor frigidorum communium sing. drach. vnam. Seminis fœniculi & apii singulor. drachmam vnam & semis. Coquantur in aqua lib. duabus, donec tertia absumatur pars.* Ius colo expurgatum sacchari adiectione dulce reddatur, ouique albuminib. purificetur. Dein addantur *serapii acidi simplicis, mellis rosacei colati, oxymelitis*

Victus.

Curatio. Venæ sectio.

Clyster.

Decoctum.

sim-

A *simplicis sing. unc. una & semis*, & fiat potio, de qua quotidie in aurora dentur unciæ quatuor. Posthæc, quæ placide ventrem subducunt, medicamenta sunt exhibenda, vt est *dilutum rheubarbari, vehementer expressum*, vt liquor in qua maceratum est, aliquid etiam adstrictionis in se recipiat, ob caussam præcedenti capite expositam. Item antidotus e psyllio, diaphenicon, & alia eiusmodi, quæ per se aut aliis admixta, bilem vna cum pituita educere possunt: qualia multa in superioribus *libris, & lib. 2. De comp. medica. annotauimus*. Post septimum diem decoctum absinthii iugiter dandum est. Multos quoq; iuuit oxymeli per se potum. Vomitus autem a cibo adeo iis febribus inueteratis vtilis est, vt multi *Galeno lib. 1. ad Glauc. teste*, hoc vno præsidio curati sint. Febris enim diuturnitas multa in stomacho excrementa pituitosa parit, quibus vomitu reiectis, a febre B vindicantur. Hypochondria quoque calidis fouenda sunt medicamentis, vt scilicet flatus qui ea distendunt, per illa discutiantur. Inter reliqua vero hoc potissimum conuenit, quod recipit: *Florum chamæmeli, meliloti, anethi, singulor. manipulum vnum. Absinthii, manipulum dimidium. Rosarum rubearum, manipulum vnum. Seminum lini, fœnigræci, singular. drachmas tres*. Ebulliant omnia in aqua sufficienti ad tertias. Dein spongia in hac intrigata hypochondria foueantur. Proderit quoq; ventriculum hoc, aut simili vnguento mungere, quod accipit: *Oleorum mastichini, rosacei, chamæmelini, sing. drach. tres. Caryophyllorum, drach. vnam & dimidiam. Ceræ quod satis est*, fiat vnguentum. Porro balneum in hac febre ante concoctionis signa salutare non est, quia crudos humores, intus coquẽdos, ad cutem euocat, obstructionemq; auget.

Purgatio.

Vomitus.

Fomentum.

Vnguẽtum.
Balneum.

C

De quartana. CAP. VIII.

ALTERVM genus febrium intermittentium est exquisita quartana, quæ ex solo melancholico humore putrescente generatur. Hæc quidem non statim primo die cum rigore inuadit vehementi, sed talis est, qualis iis, qui vehemẽti gelu frigescũt. Progrediente autem ipsa & aucta, vna etiam rigor augetur, inualescitque quotidie vsque ad totius morbi incrementum, sensusque eius non pũgentis stimulantisve cutem, sicut in tertiana exquisita, sed vehementem algorem inducentis, & tanquam ossa frangentis exsistit. Pulsus admodum raros & tardos in principio accessionum obtinet. Quum vero viget, vel adhuc etiam augetur, necessario veloces & crebri fiunt. Seruatur tamen & tunc natiua ipsius tarditas & raritas, si accedentem velocitatem D atque frequentiam in accessionibus consideres. Verum caloris motus, incrementum, & vigor tertianis febribus contraria sunt. In ea enim paulatim humor veluti lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquod huiuscemodi corpus frigidum & siccum succenditur. Vbi vero aliqua ex eo flamma fuerit accensa, nihil fumidum aut a se incõbustum in accessione relinquit. Atque idcirco in humore lõgiores sunt cessationes, quam in pituita, atque intermissio exquisite pura videtur: quoniam hic quicquid atræ bilis fuerit accensum, exhauritur atque dispergitur. Bilis præterea flauæ vomitus quartanam haud comitatur. Vrinæ tanquam per crassiorem materiam excolatæ sunt tenues, albæ, & aquosæ. Adhæc in autumno potissimum incipit, erraticis superuenniens febribus. Ceterum inspicienda & laborantis natura, seu temperamentum, E victus ratio quæ antecessit, regio, ætas, & alia eiusmodi. Si enim frigida & sicca fuerint, tunc certius quartanam futuram sperabimus, potissimum vbi eo tempore quartanæ febres populariter vagabuntur. Quartana laborantes per initia moderate leniterque tractandi, neque vllo vehementi medicamento, aut vacuatione irritandi. Quippe humor qui quartanam efficit, tractui est contumax. Ægre igitur inter initia, & antequam concoctus sit, trahens medicamentum sequitur: idque propter suam crassitiem ac frigiditatem, & quod vias angustas, per quas illi transeũdum est, obstruat, *quemadmodum Galenus in libello cui titulus est. Quos nam purgare oporteat, quibus medicamentis, & quando, copiosius docet.* Tamen si sanguis admodum exuperare videatur, tum is erit auferendus. Et si secta vena sanguis niger & crassus, qualis maxime in F lienosis conspicitur, profluat, audacter mittendus est. Nam huius magna copia extracta, natura reliquo humori concoquendo superior euadet, febremque breuiorem reddet. Secanda autem vena in gibbero sinistræ manus interna, lienarem vocant, vel media. Hæc enim vena ex liene maxime, qui in febre quartana affici solet, vacuat humorem melancholicum. Si vero tenuis ac flauus appareat, statim est supprimen-

Caussa.
Signa.

Quare in quartana longiores cessationes.

Curatio.

Venæ sectio.

Victus ratio. dus. Eiusmodi namque humor inutilis non est, sed crassum ac frigidum humorem, tum sua substantia, tum qualitate emendat. Victum instituere conuenit optimum, eum nimirum, qui minime flatuosus sit, bonumque succum generet. A suillis itaque carnibus arcendi sunt ægri, atque ab omnibus aliis eduliis quæ viscida & tenacia sunt, tardeque exire solent. Ab omnibus denique quæ corpus refrigerant & exsiccant. Vtendum est volatilibus montanis boni succi: quæ autem in paludibus degunt insalubres sunt, & excrementis scatent, crassumque humorem gignunt. Piscibus autem saxatilibus, & qui molli carne, tenacitate carente, præditi sunt, vtendum. Salsa vero ac sinapi in hisce febribus cibis sunt adhibenda, vt crassos & glutinosos humores incidant & extenuent, superuacuamque humiditatem depascantur. Vino vtendum est albo, tenui, & mediocriter calido. Hoc enim sua tenuitate humoris B melancholici crassitudinem extenuat, caloris autem mediocritate corpus humore melancholico refrigeratum modice calefacit, coctionemque iuuat, & vrinam prouocat. A frictionibus autem & deambulationibus, aliisque consuetis studiis, non sunt penitus arcendi. Hoc est, permittenda quidem hæc sunt, sed minus tamen quam per sanitatem. Neq; tam crebro, tamque vehementer fricare, deambulare, aliterque corpus exercere licet, quam per sanitatem: quod alias obstructionis, vt dictum est, periculum immineat. Sed si moderate hæc adhibeantur, idque in intermissione febris, & longe ab accessionibus, excrementa vacuabunt, & alia commoda a *Galeno libr. 2. De tuen. sani exposita*, adferent. A balneis tamen, si possunt, omnino abstinere debent, solis contenti frictionibus. Nam etsi quatenus calefaciunt prosint, tamen quatenus C foras euocant, obstructionis periculum afferunt, præsertim vbi corpus excrementis redundat. Et si breuis quartana sit, minimeque violenta, non male per accessionum intermissiones, id est, diebus inter accessionem mediis, ægroti ad solitas exercitationes se transferent. Ceterum venter, si omnino fieri potest, consuetis alimentis, vel puris, vel medicamentosis emolliendus: aut clysteribus primum mollioribus, deinde acrioribus. Sensim enim augenda est eorum vis, prout sensim febris materia coquitur. Nam per initia, vt dictum est, leniter has febres tractare oportet. Exemplum mollium ex præcedente capite petes. Paulo vero acrior est hic, qui accipit: *Maluæ, chamæmeli, mercurialis foliorum violæ nigræ, singul. manipulum vnum. Foliculorum senæ, radicis polypodii, singulorum drachmam dimidiam. Hæmioniditis, manipulum vnum & dimidium. Coquantur* D *omnia in aqua sufficienti ad tertias. Iuri per colum transfuso admisceatur medullæ cassiæ fistularis, vncia vna. Antidoti diasenæ laxatiuæ, vncia dimidia. Olei communis, vnciæ tres. Mellis rosacei. salis fossilis, drachma vna, fiat clyster.* Interpositis quibusdam diebus, medicamentum quod *diatrionpipereon* vocatur, & *diospoliticum*, dandum est. Hæc enim quia vehementer calefaciunt, non quotidie sunt adhibenda. Quorum quidem componendorum ratio & vtilitas, ex 4. *Gale. De sani. tuen. lib.* petenda est. Recte autem fecerint ægrotantes, si solum piper cum aqua quotidie biberint, *Galeno lib. 1. ad Glauc. auctore.* Calefacit enim, & flatuosi spiritus crassitudinem soluit, & quæ in hypochondriis sunt congesta cruda concoquit, & extenuat. Datur autem commodissime in iusculis, & condimentis, vel conseruis conuenientibus. Hæc quidem per initia vsq; ad vigorem peragenda E sunt. Quod si in morbi vigore ægrotus iam esse videatur, tunc tenuiori quam ante vel post victu vtendum est: statimque longa quies imperanda est, ne natura circa morbi materiã concoquendam occupata, a suo munere auocetur. Dein de prouidẽdum visceribus, quæ distendi solent tum viscosi, tum crassi humoris, ac spiritus etiam flatulenti copia, quibus resolutis atque vacuatis, emollescunt ac laxantur. Illinenda igitur quæ mollire & laxare possunt: vt sunt quæ ex *farina hordeacea, semine apii, iridis radice, ruta*, & iis similibus componuntur vnguenta. Inter cetera vero sinistrum hypochondrium hoc vnguento illinendum erit, quod habet: *Olei de capparibus, drachmas tres. Oleorum irini, amygdalini dulcis singulorum drachmas duas. Seminis apii, cumini, radicis iridis singulorum scrupulum vnum. Ceræ quod satis est, fingatur vnguentum.* Posthæc vtendum medicamentis F quæ ciendi vrinam vim obtinent, antea vero nequaquam. Si enim priusquam viscera ab obstructione libera sunt, ea adhibueris, humores (calida nanq; sunt) secum rapiunt, obstructionemq; augent. In hunc sane vsum mulsa ꝓpinanda, in qua anethum, aut ruta, aut apium decoctum sit. Si cõcoctionis notæ apparuerint, mox purgantib. medicamentis

Marginal notes: Balnea. — Intermissiones. — Clysteres. — Piper. — Visceribus quomodo prouidẽdũ. — Vnguentũ. — Vrinã ciẽtia — Purgatio.

A mentis vtendum est, quæ melancholicum succum educunt, idque non semel tantum, sed sæpius, si res ita exigere videatur. Semel enim ea educi non potest, quando tam vehemens medicamentum, quod vniuersum hunc humorem tractui contumacem semel purget, corpus sustinere non queat. Formulas autem horum medicamentorum ex *libr. 1. capite De melancholia*, petes. Præter alia tamen Aetius laudat vinum dulce infusum in cauitatem colocynthidis, sic tamen vt illi admisceatur quippiam apii, aut dauci, iucunditatis gratia. A cibo vero vomitus est ciendus, si nihil prohibeat, veratro albo, primum cum raphano permixto, *vt in superioribus est ostensum*. Quod si parum aut nihil effecerit, veratrum ipsum per se dandum. Et si quispiam ab elleboro abhorreat, hoc aut simili vti licebit, quod recipit: *Succi raphani, aut eius liquoris stil-* Vomitus.
B *laticii, vncias quatuor. Oxymelitis simplicis, vncias duas.* Misce, ac tepidum bibendum exhibe. Qui vero vomere nequeunt, per inferiora purgandi sunt. Tales autem sunt, qui pressum angustumque thoracem obtinent. A purgatione dandum medicamentum e viperis, quod theriacam vocant, aut quod illi facultate simile sit: quale est quod ex liquore cyrenaico conficitur, capitque *liquoris cyrenaici, myrrhæ troglodyticæ, piperis, æquales partes.* Seorsum trita rutæ succo colliguntur, in pilulasque finguntur. Dantur oboli pondere. Qui autem per initia morbi, aut omnino ante vigorem, aliquod ex iis medicamentis dederunt, ex simplici quartana sæpe duplicem, aut sine dubio maiorem ac difficiliorem: ex duplici vero triplicem, aut omnino ambas maiores difficilioresq; reddiderunt.

C *De quotidiana.* CAP. IX.

QVOTIDIANA febris intermittens ex pituitæ putredine, per sentientes corporis partes a natura detrusa, ortum habet. Græcis ἀμφημερινὸς dicitur, *quod scilicet singulis diebus accessiones facit.* Quod si vero priuatim vitrea pituita, quæ aliarum omniũ frigidissima est, ex dimidio putrefiat, hoc est, si non tota ipsius substantia æqualiter, sed aliquæ ipsius partes putruerint, aliquæ vero non, *Epialon febrem* appellatam excitat: in qua ægri febricitant simul & rigent; atque eodem tempore in omnibus corporis partibus vtrumque, calorem nimirum & frigus immodicum, sentiunt. Siquidem partes humoris putredinem nondum expertæ, per omnes venas, aut etiam reliquum corpus sparsæ rigorem creant: putrefactæ vero, febrem accendunt. Ce- Caussa. Amphimerina. Epialos febris. Signa.
D terum quotidiana haud quaquam cum rigore primo statim die inuadit, sed progressu temporis refrigeratio potius quam rigor occupat. Pulsus, quum primum accessio fit, inordinatus est & inæqualis, tardus, paruus ac debilis. Neque etiam in augmento velocitas motus, magnitudo, atque vehementia quotidianæ adsunt. Calor illi non tam acris ac vehemens, vt in tertiana: neque enim adurit, neque denudari corpora, & vestitum iactari cogit, neque multum & crebro spirare compellit, ac veluti flammam ex ore efflare, vel frigidam expetere, sed humidus & fumosus, cum multo vapore cõmixtus est. Ægre quoque accenditur, ac longum consumit tempus, dum inualescendo peruenit ad summum. Minime denique qui sic febricitant sitiunt, quod scilicet non duntaxat lingua, sed & vniuersum corpus in hac febre humidissimum sit. Vrinæ
E in quotidianis vel albæ, tenues, & aquosæ: vel crassæ aut turbulentæ. Nullus omnino sudor in primis diebus erumpit, neque vnquam exacta febriendi quies attingitur. Occupant fere decem & octo horarum spacium. Vomitus etiam pituitosi iis accedunt: & quæ per aluum excernuntur frigidiora, humidiora, crudiora, aquosiora, & pituitosiora sunt. Ceterum quotidiana febris humidas, pituitosasve naturas maxime infestat. Anni quoque tempore humidiore, hyeme præsertim, humida ex frigida constitutione, senili ætate, & puerili. Hinc est quod Galenus adolescentem biliosum & natura siccum, nunquam hoc febre correptum se vidisse scribit. Ex grandioribus vero, qui pituitosi magis, ac corporis habitudine crassa sunt, vitamque agunt ociosam, gulæ indulgentes, & ebrietati debiti, crebro balneis, maximeque a ci-
F bo vtentes, quotidiana facile capiuntur. Quas singulas certe fusius *libro 1. ad Glauconem cap. 7. & libro 2. De differ. feb. cap. 4. & libr. 2. De iudiciis capite 5: Galenus prosequitur.* Victus ratio in hac febre in vniuersum sit incisoria & extenuans: ideoque ad ea nunc capita lectori recurrendum erit, in quibus qualis hæc sit victus species, a nobis est abunde commemoratum. Primis quidem diebus, hoc est, quando cruditatis adhuc signa Victus ratio.

apparent, pituita incidenda est, & meatus obstructi detergendi. Ideoque oxymelite est vtendum, vtpote quod strenue detergit, glutinosa incidit, & meatus ab obstructione liberat: & iis quæ vrinam mouent, vt scilicet pituita iam extenuata expeditius per meatus transire ac vacuari possit. Conueniet itaque decoctum e radice *apii, petroselini, iridis, fœniculi, & id genus aliis antea sæpissime commemoratis, cum serapiis acido composito melle rosaceo, e duabus radicibus vocato, & aliis quibus incidendi & extenuandi inest facultas.* Circa vigorem de ventriculo, maximeque eius ore, habenda est solicitudo. Prospiciendum igitur illi est iis, quæ foris admota robur addunt, cuiusmodi sunt mastiche, nardus, absinthium, & id genus alia. Quapropter ante cibum hoc vtendum vnguento, quod accipit: *Oleorum mastichini, absinthitis, nardini, singulorum drachmas duas & dimidiam. Mastiches, caryophyllorum, ligni aloes, singulorum scrupulum dimidium. Cinnamomi, scrupulum vnum.* Cum cera quantum satis est, fingatur vnguentum, quo ventriculi regio inungatur. Confirmato ventriculo, vomitus imperandus est, *primo sumto raphano, dein cibis assumtis,* præsumtus enim cibum subleuat, proindeque vomitionem faciliorem reddit. Post medicamentis quæ pituitam eliciunt, vtendum est, tunc enim pituita, vtpote concoctionem experta, opportune purgatur. Qualia vero sint eiusmodi, ex præcedentibus libris patere cuilibet potest. Atque hæc pro quotidianæ febris, quæ raro admodum accidit, curatione dixisse satis sit.

Vnguētum. A B

De hectica febre. Cap. X.

Hectica quid. Hectica vnde dicta.

HECTICA febris appellatur, quando calor præter naturam non solum in spiritibus & humoribus, sed iam partibus etiam solidis consistit: Hectica vero dicta est, vel quod firma, fixa, & stabilis sit, difficulterque soluatur, quemadmodum habitus: vel quoniam habitum corporis complexa sit. Sic enim vocare consueuerunt solidas corporis partes, eas humidis distinguentes. Hæc certe dolorem nescit, & qui ea detinentur, nequaquam febricitare se existimant: neque enim calorem percipiunt, quum vniuersæ ipsis particulæ æqualiter sint excalefactæ, *vt copiosius in libello De inæquali intemperie Galenus ostendit.* Febris autem hectica duplici modo generatur. Primum quidem magna ex parte ab ardentibus febribus, quæ adeo protrahuntur, vt longitudine temporis humorem in corpore cordis contentum absumant, vel etiam si copiosius adhuc subsistat. Illæ vero non tantum hecticæ sunt, sed etiam μαρασμώδεις, hoc est, tabidæ. Quæ autem manente adhuc humiditate generantur, vbi corpus cordis occupauerint, hinc maxime accenduntur, haud secus quam lucernæ flamma ex ellychnio. Atque hæc vna quidem febris hecticæ generatio. Reliqua est, quum statim inuaserint, similem primum sui ortum diariis facientes aut ex mœrore, aut ira, aut lassitudine nimia, vna cum solis feruore natæ. Hasce autem febres non est admodum difficile curare. At quæ ex ipsis in tabem marcoremve, qui Græcis μαρασμὸς dicitur, ex Medicorum inscitia peruenerunt, vbi iam exquisite consistunt, & non adhuc incipiunt, has non modo curare difficile, imo etiam impossibile est. Earum enim natura calida & sicca est, vt tale aliquid patiatur cor, quale *lucernæ funiculus,* quum plurimum perustus fuerit. Nam qui ita torrefactus est, frangitur & dissoluitur, atque ex ariditate continuitatem admittit, adeo vt etiam si copiosum superinfundas oleum flamma abundantior non possit accendi. Semper enim parua & imbecilla in ipsa palpitat, ac continue fit minor, donec ex toto exstinguatur. Talis quidem est febris quæ omnino μαρασμώδης, hoc est, *tabida* exsistit. Hectica vero, quæ in marasmum incidit, cognitu promptissima atque facillima exsistit. Nam priusquam pulsum atque calorem tactu perpendas, videbis oculos immodice concauos, veluti quibusdam quasi scrobibus reconditos, exhausta iam vniuersa in ipsis humida substantia, ita vt ossium quibus palpebræ cohærent, eminentiæ conspiciantur. Sordes quidem in ipsis aridæ apparent, & quidam squalidus affectus, qualis maxime inest his qui toto die sub solis ardore iter longum per puluerem fecerunt. Flos etiam ille vitalis periit, cutisque in fronte arida distensaque est. Palpebræ frequenter veluti somnolentæ conniuent. Verum malum eorum somnus non est, sed potius vigilandi impotentia. Contabuere quoque carnes, quæ in temporibus sunt, vt collapsa videantur, & concaua loca. Quid enim aliud præter ossa & cutem solam habent? Nam si denudatum

C D μαρασμός. E Signa. F

A datum ventrem inspexeris, neque intestinum, neque viscus vllum super esse tibi videbitur. Hypochondria sursum ad thoracem conuelluntur. Quod si eos tangere libeat, cutis quidem apprime est arida: quam si digitis apprehendens extenderis, instar corii cuiusdam consistit. Pulsus tenuis, durus, debilis, & frequens. Caliditas quum primum manus admouetur, debilis est: paulo post acris, & rodens erumpit, & magis quum amplius tangendo immoraberis. Maxima quoque erit hæc & minime anceps nota: adhibito cibo calor incenditur, pulsusque magnitudine & velocitate intenditur. Tamdiu vero hectica febris dicetur, quamdiu natiua humiditas reseruatur. Vbi autem ambigitur, ne nihil amplius humoris supersit, absoluta iam tabes est, quæ Græcis μαρασμὸς vocatur. Hecticas vero febres priusquam ad tabem deueniant, omni conatu refrigeremus. Summa itaque curationis in refrigerando ac humectando collocatur, tam iis quæ extra admouentur, quam iis quæ intra sumuntur. Aer igitur inspiratus frigidus sit & humidus. Et si natura talis non sit, arte paretur, *vt dictum est supra capite 6. De tertianæ curatione.* Cibis vtendum iisdem viribus præditis, *ptisanæ* nimirum *cremore, pane modico in aqua frigida macerato: carnibus hœdi, phasianorum, volucrium montanarum, testiculis gallorum, carnibus caporum, ouis sorbilibus, caseo recenti salis experte: piscibus saxatilibus, lactuca, intybis, cucurbita, spanachia, malua, & similibus: cerasis, prunis, malis punicis, melonibus, ficubus, & eiusmodi.* Lac etiam mirifice iis prodest, modo alia febris ab humorum putredine orta non complicetur. Quæ vero ad huius exquisitam exhibitionem sunt necessaria, vt alia multa huic instituto conuenientia, C tradit Galenus *libr. 7. Ther. method. capite 6.* Potus sit aqua frigida, præsertim si ea assuetus est æger, moderate sumta, aut aqua in qua parum cinnamomi sit decoctum, aut vinum aquosum ac tenue. Conuenit denique hecticis sæpius die cibum accipere, vt nimirum hac ratione caueant, ne vna vice magnam ciborum copiam, quam virtus inualida vincere haud potest, ingerant. Motum immodicum, & quicquid vires resoluere potest, deuitent. Ceterum medicamenta purgantia illis, quos hectica affligit, non sunt propinanda: calidiora enim atque vehementiora sunt, quam quæ illis conuenire queant. Sed si aluus plus æquo adstricta sit, lenibus & refrigerantibus ac humectantibus clysteribus, adiecta medulla casiæ fistularis, hanc eluere oportet. Intra corpus ea exhibeantur medicamenta, quibus refrigerandi & humectandi vis inest: qua- D lia inter composita hodie vsitata sunt serapia, *violaceum, ex intybo satiua, acidus, oxysaccharon, & similia.* Item *antidota, diarrhodon abbatis, diatragacanthæ, diapapaueris, & id genus alia.* Ex simplicibus, *succi & liquores stillaticii lactucæ, portulacæ, intybi satiuæ, & papaueris.* Inter ea vero quæ foris admouentur, balnea huic malo obnoxiis quouis tempore idonea sunt. Balnea nimirum aquarum dulcium, ad quæ sane æger in lectulo, aut sindone deportari debet, sintque in singulis angulis qui sindonem ferant quatuor. Aquam vero solii temperatissimam esse oportet: in ea etiam moderate commorandum ne se, quippiam e propria humiditate hauriatur, tantũ abest vt in ea sudare debeat. Sunt qui in aqua balnei herbas, nempe violas, maluas, lactucas, flores intybi, papaueris, & iis similes: alii pedes vitulinos, & capita agnina, quoad ossa carnibus separen- E tur, coquunt. Cauendum etiam, ne capiti eius, *Galeno libro decimo Ther. method. capite decimo teste,* quicquam infundatur, quum sit satis id quoque bis terue, cum toto corpore in aqua mergi, demissa mediocriter deorsum sindone, ac rursum per quatuor iuuenes qui eum portant, leuata. Mox hinc eductus, in frigidam semel totus tingatur, ne vel breuissimo quidem spacio illic moratus. Hectica vero laborantes, qui ad balneum accedunt, Galeno loco iam citato attestante, nisi in frigidam sint immissi, nihil iuuantur. Protinus autem vbi extractus fuerit, alter paratam habens sindonem ipsi iniiciat, ac deinde aliam. Tum in lectulo collocatus, primum spongiis detergeatur, deinde mollibus linteis. Nec committent, qui eum detergebunt, vt violentius eum contrectent, sed quoad fieri potest blandissime. Quid multa? eam sane curam & dili- F gentiã, si fieri potest, omnino in balnei vsu adhibeant, quam Galenus loco paulo ante citato requirit. Posthæc oleis frigidis, & aliis humectantibus inungendus erit. Inter cetera vero hoc conuenit, quod accipit: *Olei violacei, vnciam dimidiam: Olei de cucurbita drachmas tres. Butyri recentis & salis expertis pinguedinis porcinæ, drachmam vnam & dimidiã.* Misce, & fac linimentum, quo vniuersum vngatur corpus. Vel adiiciantur *lenti succi*

μαρασμός. Curatio

Victus.

Clysteres.

Balneæ.

Linimentũ.

Oleum rosaceum. *tragacanthæ, drachmas duas. Medulla cruris vitulini, drachmas tres.* Ceræ quod satis est, fiat vnguentum. Valet quoque *oleum violaceum, amygdalarum dulcium, de papauere, & rosaceum*, quod *Galenus libro tertio De simplicium med. facultat. capite 16 teste*, arentia corpora mirifice humectare potest. Vbi vnctus fuerit, ac vestibus amictus, rursus super lectulo aut sindone in domum vbi cibatur, reducendus ac nutriendus erit. Proderit etiam cor atque iecur epithematis refrigerare & humectare, qualia sunt quæ habent: *Stillaticii violarum liquoris, nymphea, & lactucæ singulorum vncias tres. Aceti optimi, vnciam dimidiam. Rosarum purpurearum, santalorum omnium, singulorum drachmam vnam. Specierum diamargariton, drachmam dimidiam. Caphuræ, grana tria. Croci, scrupulum dimidium.* Misceantur, & fiat epithema, quod cordis regioni adhibeatur frigidum. Aliud recipit *stillaticii lactucæ liquoris, vncias duas. Aceti, vnciam vnam. Specierum diarrhodon abbatis, drachmā vnam & dimidiam. Rasuræ eboris, drachmam dimidiam. Caphuræ, scrupulum dimidium.* Misceantur, fiatque epithema, quod iecori admoueatur. Conferunt etiam hecticis medicamenta, quæ dolore suo refrigerant & humectant, vt sunt *nymphea flores, caphura, viola, rosa & eiusmodi.* Plura quoque ad curationem hectices conducentia reperient studiosi *in capite De tabe.* Et in sananda hectica hoc vnice studendum, vt corpus non solum per ea, quæ intra corpus sumuntur, refrigeremus & humectemus, verum etiam per ea, quæ extrinsecus admouentur, per olei potissimum inunctionem. Quantum enim hoc ipsum foris adhibitum ad corporis ac virium conseruationem & reparationem conducat, celebri Pollionis Romuli exemplo docemur. Hunc nanq; centesimum iā annum excedentem, *vt auctor est Plinius libro 22. cap. 24.* quum diuus Augustus hospes interrogaret, *qua nam ratione vigorem illum animi corporisque custodisset*, respondit: *Intus mulso, foris oleo.*

Epithema cordis.

Epithema iecoris.

Odoramenta.

Pollio Romulus.

A

B

C

De hemitritæo, seu semitertiana. CAP. XI.

QVANQVAM varia sint genera compositarum febrium, *vt patet ex capite septimo libri secundi De different. febrium & capite 9. & 10. libri secundi. De iudiciis Galeni:* nos etiā summatim ea *capite 26. nostri Compendii* indicauimus: tamen de ea hoc loco duntaxat agemus, quæ ex tertiana intermittente, & quotidiana continua componitur, & Græcis ἡμιτριταῖος dicitur, non alia certe de caussa, quam quod tota eius natura dimidia parte alterutram prædictarum febrium habeat. Vt scilicet hoc genus febris complicatæ sit instar exempli, ad cuius similitudinem omnes aliæ febres compositæ curentur. Fit itaque hemitritæus, vbi putrescens pituita putrefactæ bili admiscetur. Constat tertianam cum rigore inuadere, quotidiana cum refrigeratione extremitatum. Quare quæ & ambarum mixtura constat, horrorem inducit, qui rigore quidem minor est, maior autem ac vehementior refrigeratione, adeoq; iis simul confusis neutrum vere eminet. Generatur autem duplici modo: vel enim duæ accessiones statim ab initio inuicem iunguntur, simulq; cōgrediuntur, vel seorsim singulæ accedunt. Vbi igitur tertiana præpollet, magis horrifica febris efficietur, & rigoris etiam nonnihil in progressu accessionis assumit, adestque omnino calor maior & ardentior, & bilis vel vomitu, vel deiectione pellitur, aut humidus vapor exhalat. Quando altera pituitosa superat, perfrictiones quidem summa exercent, pauci vero horrores: neq; tamen sitis, neque ardor in iis affligit. Quum pares magnitudine sunt tertiana intermittens, & quotidiana continua, insultus quidem accessionis cum horrore accidit. At quum ex pituita proueniens febris præcelluerit, submissiones pulsuum fiunt, & horrores. Si vero calidior præualeat, subito incalescunt. Talis sane est exquisitus hemitritæus, ex æquiualente duarum febrium, puta tertianæ intermittentis, & quotidianæ continuæ temperatura proficiscens. Non exquisitus vero, vel ob bilem largiorem, vel pituitam caussatur *quemadmodum fusius nos sect. 4. aphoris. commentar. 43. & libr. 2. De different. febr. capite 8. tradit Galenus.* Ex prædictis quiuis intelligere potest, quæ in hac febre sit curandi ratio. Nam quum hemitritæus exquisitus ab æquiualente commixtione duarum febrium, tertianæ scilicet & quotidianæ constet, curatio quoque adhibenda est tū tertianæ tum quotidianæ ex æquo conueniens. In non exquisito autem, quum vel bilem largiorem vel pituitam habeat, pro humoris excessu variatur etiam curatio ipsa. Si enim flaua bilis sit superior, præsidiis maxime vtemur, quæ in tertianæ exposuimus curatione. Sin pituita, iis quæ in quotidianæ curatione comprehensa sunt. In summa, ei quod

Hemitritæus quid.

Caussa.

Signa.

Exquisitus hemitritæus.

Non exquisitus hemitritæus.

Curatio.

D

E

F

A quod maxime vrget incumbendum: ita tamen, ne alterum prorsus negligatur. Quapropter nihil opus est hoc loco, remedia quibus hæc febris demolitur percensere, quum quiuis ea pro humorum diuersitate & natura promtius ex capitibus de tertianæ ac quotidianæ curatione discet. Quod si itaq; quis primum simplicium febrium curationes exacte cognouerit, nullo labore etiam compositas curabit. Simplicium enim curatione perspecta, promtissimum cuiuis erit compositas curare, vt hoc nomine non sit opus de compositarum febrium curatione seorsim scribere.

De pestilentia. CAP. XXII.

QVVM multorum hodie passim recentiorum Medicorum de pestilentia scripta exstent, iique omnes propemodum pestem inter febres connumerent, quod hãc
B nunquam sine febre adeoq; simplicem esse putent, idq; non sine maximo errore, ideo eius definitionem, quatenus per se morbus est, & simplex, subiicere placuit, quę est eiusmodi. *Pestis quæ Græcis, λοιμός, vel νόσημα λοιμῶδες, ἢ λοιμικὸν dicitur, est lues perniciosa, contagiosa, ex aere, qui per os aliosque corporis meatus inspiratur; pestilente seu venenoso orta, quæ vno eodemque tempore homines promiscue inuadit.* Vnde omnibus palam fit, luem hanc morbum esse a tota substantia corpori nostro contrarium, ideoque non nisi alexipharmacis ac medicamentis tota substantia veneno pugnantibus curari posse, *vt infra plenius ostendetur* Pestem autem sine febre esse posse, Galenus *libro 9. de simpl. medica. facul. in capite de bolo armenia testatur*, vbi pestem interdum diserte omnino sine febre esse: παντάπασι ἀπύρετον εἶναι scribit. Experientia quoque constat, quod in sæuissimis pestilentiis de
C repente, sane alioqui homines concidant, nulla in ipsis exsistente putredine, adeoque febre. Atque id euenisse in peste quæ suo tempore Parisiis grassata est, Ioannes Andernacus in eo, quem nuper *de peste* germanica lingua scripsit libello etiam testatur: In quo quidem, præter aliorum Medicorum imperitorum sententiam, pestem sine febre esse posse manifestis verbis ait. *Sed quum ea de re alibi egerim plenius, non est cur nunc prolixius de ea disseram: sed satis sit, si breuiter, vt in aliis quoque vitiis corporis fecimus, caussas, indicia, & curandi rationem indicauerimus.* Pestilentiæ caussas potiores Galenus *lib. 1. De differentia febrium, cap. 5.* duas esse tradit. *Vnam*, aerem vitiatum pestilentem ac putridum. *Alteram*, humores corporis vitioso victu collectos, & ad putrescendum paratos, quum leuem aliquam occasionem ad febris origi- Caussæ.
D nem & venenositatem ab aere ambiente acceperit animal. In pestilenti itaq; constitutione, inspiratio maxime caussa est, sine qua diu animal prorogare vitam haud potest, cur homines peste corripiantur. Magna enim ex parte incipit ex inspiratione aeris ambientis, siue ea per os, siue alios corporis meatus fiat, a putrescibili euaporatione vitiati. Putredinis autem principium est, vel cadauerum multitudo non crematorum aut humatorum, vt in bellis accidit: vel ex aliquibus lacubus, aut paludibus æstiuo tempore euaporatio. Contingit vero quandoque, præcedere ambientis aeris immensam caliditatem. Quum igitur aeris temperatura a naturali habitu ad immodicam caliditatem & humiditatem conuersa fuerit, pestilentiam sequi necesse est. Hinc est quod Galenus *lib. 1. De tempe. cap. 4.* omnium aeris temperamentorum pessi- Putredinis principium vnde.
E mum id esse quod humidum & calidum est, scribat. Non raro etiam prauitas victus humores, vt comprehensum est, qui sunt in corpore putredini obnoxios reddit, adeoque caussa exsistit, cur eiusmodi corpora pestilentia corripiantur. Et tunc sane ii potissimum laborant pestilentia, qui praua victus ratione vtuntur, atque adeo omni genere superuacuorum pleni sunt. Proinde mirum videri non debet, si interdum vnus aliquis ex multis, quod rarissime tamen accidit, aere nondum in totum pestilente, hoc morbi genere corripiatur. Quicunque enim probe victitant, & redundantiis vacant, ii quidem nequaquam, aut certe minimum, aere etiam ipso vitiato mali sentiunt, ac facile ad naturalem habitum reuertuntur. Hinc facile est respondere iis qui quærunt, quomodo eueniat, vt non omnes ex æquo pestilen- Temperamentum aeris calidũ & humidũ pessimũ est. Cur vnus interdum aliquis aere nondum pestilentẽ hac lue inficiatur.
F tia corripiantur, quum tamen aerem pestilentem inspirare singuli cogantur. Prima enim cur aliqui illæsi maneant hæc caussa est, quod superuacua humiditate pleni non sunt, & moderatis tum victu tum laboribus vtuntur, ac corpus bene spirabile est. Altera caussa est, quod corpora non sint æqualiter affecta. Quum enim corporum affectus dissimiles sint ac multiformes, quidam facile vincuntur, & promtissi- Quare non nulli a pestilentia illæsi permaneant.

me patiuntur, a caussa efficiente: quidam vero insuperabiles sunt, ac omnino non patiuntur, aut difficulter. Quare qui præpotenti caussæ quoad eius fieri potest aduersantur & renituntur, pestilentia non capiuntur. Qui iis contrarii sunt celerrime hanc patiuntur, & maxime illa laborant. Siquidem maxima portio generationis morborum est, corporis quod patietur habilitas. Nulla enim caussa sine eius quod patitur habilitate efficere aliquid potest. Alioqui omnes qui sub æstiuo sole commorantur, aut qui nimio motu vtuntur, aut vini potu grauantur, aut excandescentes, aut tristitia affecti febricitarent, *quemadmodum copiosius libro primo, De differ. feb. cap 4. Galenus ostendit.* Tamen interea non negamus, quin interdum propter scelera & flagitia hominum Deus diras pestilentias immittat, quibus delictorum nostrorum grauitatem punit. Exstant enim eius rei multa perspicua in prophetis testimonia, apud Ezechielem præsertim, qui *cap. 5.* ita scriptum reliquit: *Ecce Hierusalem, pro eo quod sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque te confringam, & non parcet oculus meus, nec miserebor. Tertia pars tui peste morietur, & fame absumetur in medio tui, &c.* Ceterum tempora quibus potissimum naturali lege grassatur pestilentia, finem æstatis & autumni esse initium constat. Tum enim aer atque hominum corpora multis de caussis ad putrefactionem sunt magis habilia, quas in enarratione Aphorismi noni, sectionis tertiæ, ordine exposuimus. Signa futuræ pestilentiæ multa & varia a recentioribus commemorantur, inter quæ *primum*, est temporum anni mutatio. *Alterum*, crebra in aere phænomena, potissimum autumni tempore. *Tertium*, vbi exanthemata nedum pueros, verum etiam adultos crebro affligunt. *Quartum*, frequentes autumni tempore venti meridionales & occidentales. *Quintum*, aer autumno tenebrosus & turbidus, minans pluuiam, cum tamen nihil pluat. *Sextum*, si prægnantes ex leui quauis occasione abortiunt. *Septimum*, quando æstate a pluuia subito magna ranarum in tergo cinericiorum, in ventre autem luteorum, aut alterius diuersi coloris comparuerit copia. *Octauum*, numerosa insectorum, vermium, & reptilium multitudo. *Nonum*, quadrupedum & natatilium interitus. *Decimum*, auium e nidis suis, illic oua sua relinquentium, profugium. *Vndecimum*, annonæ caritas. *Duodecimum*, quod omnium certissime pestilentiam præsagire videtur, est calida & humida totius anni constitutio. Notæ autem quæ hominem iam pestilentia esse correptum demonstrant, plurimæ quoque esse solent. *Primum*, autem est, si exteriora frigent, interiora vero ardent. *Secundum*, totius corporis grauitas, lassitudo, segnities, & difficultas spiritus. *Tertium*, capitis dolor, & grauitas. *Quartum*, animi anxietas & tristitia. *Quintum*, propensio mira ad somnum magna ex parte, interdum enim vigiliæ ac deliria molestant. *Sextum*, oculorum aspectus toruus ac varius. *Septimum*, appetentiæ deiectio. *Octauum*, sitis immensa, & creber vomitus. *Nonum*, oris amaritudo & siccitas. *Decimum*, pulsus frequens, exiguus, & profundus. *Vndecimum*, vrina magna ex parte est veluti iumentorum turbida crassa, & fœtida. Quanquam interdum hæc a sanorum vrina non multum abesse videtur. Quapropter ex ea aliarum notarum imperiti facile decipiuntur, nihil mali suspicantes propter vrinæ colorem bonum. *Duodecimum*, quod omnium est certissimum, si post aures, aut sub alis, aut circa inguina potissimum bubones, sine manifesta aliqua caussa, aut in aliis etiam partibus carbunculi subito oriantur. Verum quum exoriuntur, naturæ robur præ se ferunt, vt quæ adeo sit valida ac potens, vt venenum e corpore pellere conetur. Partes quoque corporis præ aliis laborantes, & a se venenatos humores protrudentes demonstrant. Quippe in ceruice si apparuerint, cerebrum potissimum laborare ostendunt. Si sub alis, cor: si vero in inguinibus, iecur. Quod Hippocrates etiam *libro 6. Epid. sect. secunda, aphor. 4.* iis significare verbis voluit: *Abscessus, veluti bubones, signa sunt earum partium vnde extuberant.* Verum quum non semper appareant bubones: quod tamen perniciosissimum esse solet, quod naturam tum imbecillam esse, nec venenatos humores expellere posse significat: ad alia etiam signa, *quæ paulo ante sunt exposita*, respiciendum erit. Porro si iam comprehensa signa apparuerint, aut suspitio sit ægrum pestilentia correptum esse, nequaquam, aut pestilentissimus apud omnes fere Medicos mos hactenus inoleuit, primo sanguis mittendus est, sed confestim antidotum siue elexiterium aliquod dandum, & quod tota sub-

Marginal notes: Diuinitus etiam pestilentiæ interdum immittuntur. — Tempora quibus potissimum pestilentia grassatur. — Signa vitiati aeris. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. — Signa hominem esse peste infectũ demonstrātia. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. — Bubones exorti quid portendant. — Curatio.

Section letters: A, B, C, D, E, F

A substantia pestilentiæ veneno aduersatur, quodque illud ad se trahit, & a corde quo repere cœpit, reuocat, opprimit, mutat, alterat, & expellit. Hæc enim Galeno *lib. 5. de simpl. medica. facul. cap. 17. teste*, alexiteriorum actio est. Nisi enim antidotus veneno mox restiterit, humores adeo mutabi-, vt æger sanitatem recuperare nequeat. Nec est cur initio aliquem quo minus a sanguinis missione abstineat, Galeni auctoritas moueat, qui *lib. 11. medendi methodi cap. 15.* ita scriptum reliquit: *Optimum est in febribus venam incidere non modo continentibus, sed etiam omnibus aliis, quas putrescens humor concitat: vbi præsertim nec ætas, nec vires prohibent. Leuata namque qua corpus nostrum regit natura, exonerataque eo, quo velut sarcina premitur, haud ægre quod reliquum est vincet.* Nam is locus Galeni, *vt propemodum omnes faciunt*, non est simpliciter de omnibus febribus putridis inaudien- B dus, alias in tertianis singulis, etiam exquisitis, itemque in febribus putridis e cruditate natis, sanguis mittendus esset, quod tamen cum Galeni sententia ex diametro pugnat. Siquidem *lib. 1. ad Glauconem cap. 9.* vbi ex professo tertianæ exquisitæ curationem tradit, non solum sanguinis missionem, verum etiam reliquas omnes vacuationes in ea febre, tanquam parum commodas, negligendas esse suadet & hortatur, inquiens: *At contraria qualitas, ei quæ præter naturam excedit, semper opponenda est, quum id longe commodius sit, quam quomodo libet vacuare.* Quibus vtique verbis Galenus manifestissime innuit, alterationem, quæ per contraria perficitur medicamenta, in tertiana exquisita plus conferre, quam quouis modo, verbi gratia, vel per venæ sectionem, vel per purgationem, vacuare. Cui sententiæ ratio quoque ipsa subscribit, quæ est C eiusmodi. Exquisita tertiana quā minimum ea, quæ fit per sanguinis missionem vacuatione eget, quod inter putridas fere simplicissima, & breuissima, per se ipsam ad vigorem & iudicium properet. Nam, *vt Hippocrates sect. 4. apho 59. ait*, tertiana exquisita septenis circuitibus, quum tardissime, iudicatur. Non est igitur cur magna præsidia, qualis est venæ sectio, exposcat. Præterea tertiana exquisita in biliosis temperamentis, & calidissimo cœli statu plurimum accidit, vt hoc quoque nomine sanguinis missionem haud desideret. Humor insuper qui in ea febre putrescit, non modo obstructiones non facit, sed factas potius recludit. Proinde si aliqua in biliosis corporibus obstructio accidat, sicut leuior erit, ita minus operæ vt tollatur requirit. Denique humor qui in exquisita tertiana putrescit, extra vasa est, adeoque venæ sectio- D ne educi nequit. In febre autem putrida e cruditate nata non esse mittendum sanguinem, Galenus *capitibus 6. & 10. libri de curandi ratione per sanguinis missionem* expressis verbis docet, dicens: *Vbi crudi humores in corpore exuperant, & iam febris corripuit, sanguinem nequaquam mittes.* Nisi igitur sibi quispiam pugnantem facere velit Galenum, vt fateatur non in omnibus febribus putridis de ipsius sententia mittendum esse sanguinem, necesse est. Quod autem in citato loco non de omnibus putridis febribus Galenus loquutus sit, sed de iis tantum, quæ ex obstructione quam plenitudo, & immodica vitiosorum humorum copia excitauit, natæ sunt, metipse Galenus confirmat, *qui libr. 8. meden. methodi cap. 4.* in diariis ex obstructione procreatis, sanguinem mittendum esse hortatur, etiam si nulla plenitudinis signa adsunt, eiusque rei caussam mox subiicit, E inquiens: *Quia plurimo vitioso succo vna cum sanguine vacuato, tutum est iis quæ obstructiones soluunt, vti. Si enim obstructionibus liberandis priusquam vacuaueris studeas, metus est ne ipsas magis impingas.* Si igitur in obstructione ex multis vitiosis humoribus citra plenitudinem nata, sanguis vt mittatur, *Galeno suadente*, necesse est, quanto magis in ea quæ ex plenitudine procreatur mittendus erit? Præterea quod Galenus in eo loco vbi optimum esse scribit, *in omnibus febribus putridis sanguinem mitti*, de iis duntaxat putridis febribus, quæ e plenitudine ortæ sunt, inaudiendus sit, ratio quam ipse mox subiicit, luculentissime monstrat, quum inquit: *Leuata namque, qua corpus nostrum regit natura, exonerataque eo, quo veluti sarcina premitur, id est, plenitudine: haud ægre quod reliquum est vincet.* Siquidem plenitudo naturam sua copia sic premit, vt non facile putredinem, nisi plenitu- F do prius sublata fuerit, expellere queat. Hinc est quod *lib. 10. meden. metho. cap. 2.* Galenus inter alia sic scribat: *Obstructionum ipsarum alia est, quæ ex plenitudine, alia quæ ex qualitate humorum, qui scilicet, aut lenti, aut crassi sunt, incidit. Præfertur autem inter remedia in ea, quā plenitudo facit, sanguinis missio. In ea quæ ex humorum qualitate consistit, attenuantium vsus.* Vt ex iam dictis clarum sit, Galenū prædicto loco nō simpliciter de omnibus putridis

Galeni locus enarratus.

Ratio. 1. Tertiana exquisita sanguinis missionem non requirere. 2. 3. 4.

In febre putrida e cruditate nata non mittendus sanguis.

De quibus febribus putridis Galenus locutus sit.

Obstructionum duo genera.

febribus, sed iis tantum quæ ex obstructione quam plenitudo, aut multi succi vitio si procreantur, natæ sunt, loqui. Nec impedit quod hic nonnulli obiiciunt, multis videl. nostra ætate exquisita febre tertiana correptis, magna vtilitate, esse detractum sanguinem, eosq; protinus febre liberatos. Contra illos qui hoc auxilium neglexerunt, magnas, & vix expugnabiles febres incidisse. Sed facilis & expedita est responsio. Nã constat hodie, ob immensam hominum crapulã, ac creberrimam ebrietatem, rariores videri tertianas exquisitas: at si incidunt, suspectæ certe nobis esse debent, q ob plenitudinem, q̃ ex largiore victu contraxerunt ægrotantes, ortæ sint. Vt mirum non sit tum sanguinis missionem, vtpote illis maxime necessariam, conferre. Quapropter quum hoc nostro seculo, ob crapulã, cui fere omnes obnoxii sunt, singulis propemodum febribus putridis plenitudo coniuncta sit, cõsentaneum est, vt illis sanguinis missio plurimum conferat. Sed vt tandem ad institutum redeamus, quum Galenus *supra citato loco*, de iis tantum febribus putridis quæ ex obstructione, & quidem citra veneni permistionem, natæ sunt loquatur, *vt iam ostensum est*, non debet ab imperitis quibusdam Medicis locus ille ad pestilentiales detorqueri febres, vtpote quas constat non ex interna obstructione, sed potius externa caussa, nempe venenati pestilentisve aeris attractione & inspiratione, ortas esse. Pestilentem autem aerem dicimus eum, qui e putridis exhalationibus: siue cadauera hominum, aliarumve animantium putredinem hanc exspirent, siue cænosi quidam lacus, vel stagna, vel paludes, siue viscera terræ: aut ex terris & mortiferis spiritibus quos *Charoneæ scrobes* exhalant, contaminatus est. Has vtique Galenus modo exhalationes putridas, quod reuera tales sint, eisque aer inquinatus sit: modo putridam qualitatem, quia similiter aer contaminatus sit: modo pestis semina, quod ex ipsis hæc oriatur, eaque in aere versentur: nunc vero calorem putridum, quod exhalationes calidæ exsistant, vocat. Quinetiam putredo illa calida, venenum calidum, & magis quidem proprie, dici potest, quod non secus atq; alia quædam calida venena calefaciat, putrefaciat, & interimat. Hinc est, q *lib. 1. de diff. feb. ca. 7.* pestilentiales febres non immerito inter putridas recenseat, quãdoquidem aer ille putridus ac pestilens intra corpus receptus, mox, nisi antea ægrum interficiat, calefaciat, putrefaciatque, & venenata sua qualitate interimat. Quanquam vero pestilentialis febris putrida est, tamen quia admistã sibi venenatã qualitatem obtinet, ideo inter initia nunquam, sicut quædam aliarum putridarum febrium genera, sanguinis missionem, secus atque hactenus magna Medicorum pars arbitrati sunt, admittit, idque multis ac variis de caussis, quas ordine commemorabimus. Harum autem prima hæc est, quod Galenus *in libris de theriaca ad Pisonem*, vbi ex professo de pestilentib. constitutionibus agit, sanguinis missionis non meminit, & solam theriacã hoc vitio correptis profuisse, nec vllum aliud præsidium ei resistere potuisse dicit. Accedit, quod alii etiam veteres Medici Græci, iique omnium præstantissimi, de pestis curatione scribentes, sanguinis missionis nullam mentionem faciant, sed solius tantum antidoti, quod scilicet tota substantia, & innata sibi quadam proprietate veneno aduersetur, eiusque vires aut obterat, aut hebetet, aut foras excernat. Quemadmodum enim illi veneno quod morsu canis, aut ictu scorpionis, ac serpentis, aut alterius feræ venenatæ eiaculatum, corpori illapsum est duplici ratione occurrebat: vna quidem, vt virus iniectum antequam altius irrepens viscera tangeret, conuenienti antidoto coercerent, eiusque perniciem retunderent, hebetarent, aut prorsus conculcarent: altera vero, vt venenum ea parte qua intrauit, appositis cucurbitulis cum multa flamma, & circumstantibus locis altioribus vlcusculis scarificatis, aliisque tractoriis remediis adhibitis, ne particulatim insinuaretur, foras reuocarent: pari profecto ratione in curatione pestis in hanc vnam quoque curam incubuerunt, vt primum, & mox inter initia morbi, neglecta prorsus sanguinis missione, antidotum darent, non ignorantes moram in hoc morbi genere esse periculosissimam, quandoquidem venenum pestilens paruis momentis, si ei antidotus non restiterit, adeo mutare humores possit, vt homo deinceps sanitatem recuperare haud nequeat. Dein vt per sudorem, & extrinsecus emplastris, aliisq; medicamentis attractoriis buboni impositis, venenum e corpore euocarent, operam dederunt. Proinde quũ non solum ratione, verum etiam experientia cognouerint iam dictã curandi rationẽ in omni veneno vel hausto, aut ab

Obiectio diluitur.

Cur febre tertiana correptis hodie sanguis mittatur.

Pestilens aer.

Semina pestis.

Cur Galenus pestilentiales inter putridas recenset.

Multæ ac variæ caussæ, cur in peste non sit mittendus sanguis. Prima ratio.

A B C D E F

A aut ab aliqua fera corpori iniecto, atque etiam pestilentia ipsa, esse omnium optimam & expeditissimam, vtpote per quam ocyssime veneni vis retunditur, & ne viscera petat impeditur, & foras excernetur, vnam & eandem tam veneni, quam pestilentiæ esse curandi rationem memoriæ posteritatis prodiderunt, vt ceteri quoque ipsam arriperent, ac sectarentur. Atque hinc est, quod neque Hippocrates, neque Galenus peculiarem librum *de pestilentia curandi ratione* posteritati reliquerint, quod hanc haud secus atque reliqua venena curandam esse docuerint. Quare odio omnium digni sunt nostri seculi Medici, qui hac ipsa curandi ratione contempta, & posthabita: quum tamen ei prosper successus nunquam non responderit, & felicissima fuerit: Arabum, hominum magna ex parte indoctissimorum, potius curandi rationem, qua a-

B liquot hominum myriadas interfecerunt, sequi voluerunt. *Altera* ratio cur vena inter pestis initia secanda non sit, hæc est: Quum de Hippocratis *1 aph. 1.* sententia, occasio propemodum omnibus in morbis, potissimum vero in letalibus ac venenatis, præceps sit, danda in primis Medico opera erit vt hanc nulla prorsus ratione negligat, quod hac semel temere amissa & præterita, fieri non possit, vt a pestis quæ tanquam bestia aliqua furiosa impetũ maximum in hominem facit, violentia æger vindicetur. Negligatur autem tum in hoc morbi genere curandi optima occasio, quum inter eius initia priusquã antidotum detur, sanguis mittitur. Nam interea temporis dum antidoti exhibitio ꝓtrahitur, veneni vis inualescit, ac cor ipsum occupat, seq; in totũ corpus diffundit, paucisq; iis horis eiusdem humores alterat, putrefacit, & inficit, vt ho- Altera.

C mo sanitatem postea cõsequi nequeat. Quum igitur mora, & occasionis neglectus ægro nõ solum periculum creet, verum etiam illũ in certissimum mortis discrimen cõiiciat, & necẽ afferat, Medico nequaq̃ in antidoto exhibẽdo cunctandum, verũ, posthabita sanguinis missione, quã primum aliquem peste correptum animaduerterit, ad antidoti q̃ innata sibi proprietate veneni ac putredinis vim frangere põt exhibitionẽ, vt præcedenti quoq; ratione dictũ est, ei confugiendum erit. Quod ni fecerit, sed antea venæ sectione vsus fuerit, haud dubie, vt quotidiana etiam experientia confirmat, cõplures ista sua peruersa curandi ratione interficiet. Hinc est q̃ Andernacus et, vir sane doctissimus, & cõplures alii nostræ ætatis Medici nõ verentur disertis verbis affirmare plures qui pestilentia laborarunt, sanguinis missione, q̃ antidotis ab initio vsos,

D periisse. *Tertia* ratio qua sanguinis in peste missio repudiatur ac ꝓfligitur, eiusmodi est. Quum Galenus, & omnes in arte medica præstantes viri in eo consentiant, sanguinis missione nõ esse vtendum, nisi in eiusdem redundãtia ac plenitudine quæ obstructionem efficit: aut vbi nulla etiã plenitudine præsente, metuendum sit, ne propter ictum, aut dolorem, aut partium imbecillitatẽ phlegmone procreetur, vt *cap. 8. libri de curand. ratione per sang. missionem plenius a Galeno docetur*: nulla vero iam dictarum caussarum in peste subsit, perspicuum hinc omnibus euadit, in ea sanguinis missione opus non esse. Si enim iam dictis nõ expensis, nihilominus iis qui peste conflictantur sanguis detrahitur, ægroti vires nõ parum minuuntur ac debilitãtur. Quum enim sanguis in eo nõ redundet, adeoque secundum naturam se habeat, & ad nutritionẽ necessarius sit, nec Tertia.

E inter huius morbi initia adhuc sit, valde saltem alteratus, putridus, & infectus, fieri nõ potest quin vires eius detractio plurimũ labefactet, & ita sane illas deiiciat, vt postea veneno aduersari, illudq; frangere, obtundere, ac vincere nequeant. Huc accedit, q̃ venenum pestilens per se cordi, totiq; corpori adeo est infestum, vt nihil æque ac illud eius vires deiicere possit. Quum igitur vires hominis pestilentia conflictantis duplici ratione, e sanguinis, nimirum minime necessaria, sed modis omnib. noxia, missione: & item pestilenti veneno, ita labefactentur, deiiciantur, ac concidant vt postea veneno resistere nulla ratione possint, non immerito ea de caussa omnes a sanguinis missione, quæ ab initio eius morbi fit, tanquã ab ea re vnde certa mors speranda sit, abstinebunt. Quare nõ temere factum est, *vt Galenus passim*, omnibusq; in morbis, præsertim letalib. Cornarii error detectus.

F ac pestiferis, virtutem maxime respiciendam esse moneat, quod scil. ea labefacta, de ægri salute actum sit. Vt errare toto cœlo necesse sit Cornariũ, qui in suo libello quem de peste inscripsit, asserere ausus est, quanquam virium ratio nusquam negligenda est, tamen hic minus habenda est, quasi vero parum referret peste correptos validos aut imbecilles esse, quum ex iis quæ diximus, omnibus mente ac ratione præditis

constet, venenum nec obteri, nec hebetari, nec frangi, nec excerni sine virium robore posse. Quod quum ita se habeat, non est cur in Cornarii consilio acquiescamus, & inter pestis initia venam secemus, sed mox nullaque prorsus interposita mora, & priusquam a sanguinis missione, & veneno vires ægri frangantur ac imminuantur, antidotum, quod a tota substantia, & innata quadam proprietate pestilens virus oppugnare, obtundere, ac foras excernere queat, demus. Quod ni factum a nobis fuerit, more imperitorum Medicorum, qui hactenus venæ sectionem antidoto in vniuersum omnes præmiserunt, multorum salutē prodemus, & neci trademus. *Quarta ratio* cur in præsenti morbo sanguinis missione initio vtendum nō sit, hæc est. Sanguine, & spiritu eidem permisto, per venæ sectionem vacuatis, eaq; ratione vniuerso sanguine concitato ac vehementer commoto, venenum extrinsecus nos circumfundens, & eiusmodi in nos demissa pernicies, in pulmonem, cor, & venas inanitas facilius permeat, penetrat, maioreque ferocia inualescit, sanguisque promtius labem contrahit. Quemadmodum enim venenum quod corpus nostrum ingressum est inter initia vno in loco in alto nimirum corporis aliquandiu quiescit, nec admodum mouetur, minusq; corpori molestum est: ita idem vena secta sanguineq; emisso commotum ac cōcitatum, sese latius diffundit, & penitius in venas penetrat, ac sanguini se insinuat, ægrumq; magis molestat ac vexat. Natura enim ita comparatum est, & quotidiana idipsum experientia confirmat, caussam motā, quiescēte esse molestiorē. Siquidem noxium quiescens, nō raro consuetudine nobis familiare efficitur. Quod etsi Gal. *lib. 2. de sympto. caussis cap. 7.* abunde mōstrauit, tamen vt clarius idipsum cognoscatur, exemplis aliquot rerum externarum ostendere haud grauabimur, quorum illud primum esto. Si in aquā quiescentem ac minime perturbatam pauxillum fellis inieceris, id quidem spatio temporis, loco suo hæret, nec mox cū aqua ipsa permiscetur. Quod si vero quispiam aquā hanc cōmouerit atq; agitauerit, tum statim fel sese hinc inde diffundit, ac per totam diffluit aquā, eamq; amaram efficit. Pari modo flamma exigua mota & sufflatione solicitata, mox in ingentē ignem euadit. Nonne formicæ aceruo terræ in quo delitescunt immoto ac quiescente, & ipsæ quiescunt? Si quis vero illū perturbet, mox magno numero formicæ erumpent, & ei qui aceruum cōmouit molestæ erunt. Quēadmodum igitur omnis caussa mota, quiescente est molestior, *vt dictum est*, ita venenū pestilens aliquo modo quiescens, venæ sectione agitatū ac concitatum, magis sese in corpus diffundit, & in vasa elicitur, adeoq; ægrum magis vexat, & molestat, ac ipsius vires minuit, atq; ita inficit, vt illum interire necesse sit. *Quinta* ratio, qua ostenditur sanguinem inter pestis initia & ante datum antidotū non esse mittendum, eiusmodi est. Quanq̄ pestilens venenum extrinsecus in nos demissum, nisi antidotum mox datū eidem restiterit, omnia ea quib. se insinuat, putrefacit, inficit, ac corrumpit, adeoq; febrem etiā putridam excitat: etsi ab aliis putridis febribus, vtpote veneni permistione ac coniunctione destituta, diuersam: atq; hoc nomine necesse sit in ea etiam putredinē esse, tamē non est cur ob id venæ sectio tum locum habere possit. Quippe vt nulla alia putredo, ita multo minus pestilens, sanguinis detractione curari potest aut debet. Nam veluti *lib. 11. metho. meden. cap 9.* Galenus testatur, putredo omnis tribus rationibus curatur, & e corpore expellitur, nempe per vrinam, alui deiectionem, & sudorem. Quum vero inter hos modos tres, primis duobus natura in veneni expulsione, si probe excretiones suas instituat, haud vtatur: neque Medicus, vt qui naturæ minister est, hos vsurpare debet, quod sine maximo ægri incommodo & periculo fieri non possit, vt putredo cui venenum admistum est, in vētriculum & intestina, aut vesicam detrudatur, trahaturve. Quapropter tertius modus Medico arripiendus erit, dandumq; ab eo antidotum aut medicamentum, quod vtrunq; venenum nimirum & putredinē, si qua adest, per sudorem excernere ac pellere potest, ac modis omnib. sanguinis missio omittenda illi erit, vt quæ corporis vires labefactet ac minuat, nec putredinē multoq; minus venenum, pellere, vt ostensum est, queat. *Sexta*, & omnium efficacissima, cur sanguinis missione inter initia in hoc morbo vtendum non sit ratio eiusmodi est. Natura quidem in pestilentia venenum, & alia noxia semper quidem foras conatur expellere, bubonibus, tuberculis, pustulis, & tumorib. excitatis, quare per venæ sectionē introrsum, & venas reuocari ac retrahi non debent. Qua quidem de re infra plura dicemus.

Marginal notes: Quarta. — Caussa mota quiescente molestior est. — Aliud. — Quinta. — Nulla putredo sanguinis missione curatur. — Putredo tribus rationib. curatur. — Sexta.

Margin letters: A B C D E F

A cemus. *Septima* ratio priori non minus efficax hæc est. Quum in confesso sit apud omnes medicinæ peritos, illique vnanimes seuere prohibeant ne vno die geminæ vacuationes: quæ saltem alicuius momenti sint, & altera earundẽ, vt hoc in loco sanguinis missio, inutilis fuerit: corpori adhibeantur, quod nimirum illis eiusdem vires mirifice imminuantur, labefactentur, ac deiicientur: quanto magis ne id fiat in pestifero hoc morbo, in quo quam primum pestilens virus in corporis vires impetum facit, quod illis tota substantia aduersetur, eas frangit ac minuit, summopere cauendum erit. Quum enim aduersariorum etiam confessione, neque venæ sectio, neque per sudorem expulsio vltra naturalem diem, & viginti quatuor horas extrahi debeat, vt geminæ iam dictæ vacuationes intra nominatum iam tempus breue admodum perficiantur necesse est. Quis vero est tam stupidus, quis tam mentis rationisque omnis expers, vt non intelligat iis duabus vacuationibus intra breue hoc temporis spacium sese excipientibus, vires, quibus venenum ipsum per se satis insidiatur, easque obterit, frangit, ac minuit, omnino deiici & exstingui, vt ne tantillum veneni ferociæ aduersari queant? Proinde fieri nequit vt æger, nisi validissimis viribus fuerit, ex hoc morbo conualescat. Si igitur extra hanc rationem nulla esset alia, tamen sufficere deberet, vt aduersarii relicto veteri ac maxime pernicioso errore, sanguinis missione deinceps inter huius morbi initia penitus abstinerent, & veram legitimamque veterum curandi rationem sectarentur. Sed sunt hodie, qui vtique fateantur, iam quidem, de errore moniti, curandi rationem semper ab antidoti exhibitione incipiendam esse, tamen post eius potionem nihilominus prodesse, vt sanguis etiam mox mittatur. Respondeo, nequaquam. Nam sanguinis missio nunquam nisi coniuncta plenitudine, facienda erit, vt paulo post dicemus. Sanguinem autem nisi plenitudo adsit, non esse detrahendum, caussa est, quod sanguis tum non redundet, veluti ratione tertia ostensum est: & quod venis sanguinis detractione vacuatis, venenum in totum diffundatur corpus, vt ratione quarta dictum est: & quod eadem vires onere non leuentur, vt postea plenius monstrabitur: & quod hac ipsa putredo non curetur, vt ratione quinta ostendimus. *Postremo*, quod altera vacuationum, quæ scilicet sanguinis missione fit, inutilis est, & alteri quam antidotum efficit, plane contraria. Hæc enim foras pellit venenum, illa vero idipsum intro, hoc D est, in venas eliciat, & in contrarium reuocat, vt infra fusius dicetur. Quapropter ne vna alterius motum impediat, vno tempore fieri non debent. Quum itaque iam abunde nobis demonstratum sit, veteres Græcos Medicos, eosque longe peritissimos, neque in peste, neque in aliis venenis, extrinsecus in corpus eiaculatis, sanguinis missione vsos fuisse: sed ne intempestiua & longiori mora occasionem agendi negligerent, ac interea venenum ad cor permearet, & per venas diffusum humores putrefaceret, inficeretque initio curationis mox antidotum quod ipsius vires frangeret, obtunderet, hebetaret, & iam dicta omnia impediret, dedisse, idque ideo quod inter initia eius morbi sanguis, neque redundet, neque adhuc putridus, corruptus, ac veneno infectus, sed adhuc bonus sit, adeoque extractus vires non leuiter minuat, commotusque ac concitatus promtius labem contrahat, latiusque se diffundat, & si etiam nunc sit corruptus ac putridus, tamen venæ sectione putredo curari nequeat, sed tantum per sudorem educendus sit, neque faciendum esse putarint, vt breuissimo tempore binis vacuationibus vires corporis ita labefactarent & exstinguerent, vt deinde veneno resistere, illudque vincere haud posset: danda & nobis opera erit, vt tantorum virorum exemplo, sanguinis missione posthabita, quam primum quis pestis semina se hausisse senserit, nulla prorsus interposita mora, antidotum demus. Quemadmodum igitur pestilens vires sua malitia ac putredine, tanquam bestia aliqua ferocissima, maximo impetu hominem petit, totaque sua substantia ei aduersatur, illumque inficere, tandemque interficere conatur: ita vicissim ei à Medico confestim apponendum erit antidotum, quod itidem tota sua substantia, & insita quadam proprietate, veneni virulentiam & impetum frangere, obtundere, hebetare, & foras per sudorem excernere, naturamque in expulsione eiusdem, bubone excitato, iuuare possit. Quod si vero accidat, vt antidotum humores pestilentes, ac putredine, venenataque infectione cor-

Margin notes: Septima. (beside line 1); Epilogus. (beside "vna alterius motum"); section letters B, C, E, F in left margin.

ruptos non excernat, tamen eosdem nihilominus sine sudore mutare & alterare potest. Ceterum si huic morbo magna coniuncta sit plenitudo, cum virium robore, ægerque ætate florens, morbusque adhuc in initio sit, mittitur, perinde atque in aliis febribus putridis e plenitudine natis, sanguis sine periculo poterit, ita tamen vt ante sanguinis detractionem horis fere decem aut duodecim antidotum æger sumat, ac sudet, postque sudorem tum cibis, tum medicamentis idoneis vires reficiantur, indeque æger aliquid virium resumat. Buboni præterea, si is apparet, attractoria & conuenientia medicamenta sunt imponenda, quæ veneni ad interna reuulsionem impediant. Quibus omnibus peractis, eo quidem in latere, vt hactenus quoque factitatum est, in quo bubo excitatus est, vena incidatur. Sin bubo nullus adest, ex eo latere mittatur sanguis, vbi maior grauitas esse apparet. Hac quidem venæ sectione plenitudo tollitur, & obstructioni medetur, calorque febrilis minuitur. Sed hic haud dubie pro excusando suo errore aduersarii dicturi sunt, *quandoquidem in eo, quem iam commemorasti casu, in hoc latere in quo bubo exortus est venam incidere liceat, cur igitur tu nos qui idem facimus, & sanguinem non nisi ægro adhuc valido detrahimus, erroris accusas?* Hæc præterea, inquiunt, sanguinis missione corpus quo premebatur onere ac sarcina, leuamus, ac viribus suppressis opem ferimus. Sed facilis & expedita est responsio, non enim eos damnamus simpliciter quod venæ sectionem vsurpant, sed potius quia illud intempestiue, & præter necessitatem, inque hoc morbo, in quo haud conducit, adhibent. Intempestiue quidem, quia ante antidotum: citra vero necessitatem, quia inter initia statim sanguis nondum corruptus & infectus, sed adhuc bonus est: nec si iam putrefactus sit, sanguinis detractione, veluti iam aliquoties diximus, curari queat. Vires insuper onere oppressas non leuant, sed detracto sanguine easdem non solum imbecilliores reddunt, sed & venis vacuatis veneno occasionem præbent, vt latius iam & expeditius per totum corpus diffundi possit. Quæ quum omnia paulo supra copiosius a nobis demonstrata sint, non est cur nunc denuo longius repetamus. Instant alii, qui præ cæteris sibi practicorum nomen magno supercilio sibi arrogant: sic enim illi eos appellant qui assidue medicinam faciunt, quique omnium exercitatissimi videre, & ab omnibus habere volunt: in hunc quidem modum. *Sanguinem,* inquiunt, *in peste inter initia esse detrahendum, hinc omnium maxime liquet, quod pestis nunquam sit citra internam aut externam phlegmonem, nemo autem est qui ignoret, immo in confesso est apud omnes solidioris medicinæ peritos, inter phlegmonum initia eum qui ad certum aliquem corporis locum præter naturam confluit, sanguinem per venæ sectionem a laborante loco esse reuellendum & vacuandum: cur igitur non eadem ratione in peste sanguinem vitiatum & infectum initio statim morbi a corde in contrarium reuellere & vacuare licebit?* Respondeo, argumentum quidem hoc procederet, si omnia essent in peste paria, & si nunquam non pesti internam phlegmonem coniunctam esse aduersarii demonstrassent. Verum quum omnia sint dissimilia, hoc ipso sane argumento suo perspicue docent, quam longissime absint ab eo quo de summe gloriantur nomine, immo ne principia quidem medicinæ adhuc teneant. Principio namque quod illi pro confesso assumunt, nempe pestem nunquam sine interna vel externa phlegmone esse, nemo sanæ mentis facile puto illis concedet, quandoquidem falsissimum sit, & cum quotidiana experientia quod illi affirmant ex diametro pugnet. Quum enim sæpe sine externa glandularum phlegmone pestis hominem occupet & inuadat, quãto magis idipsum citra internã fieri potest. Non cõiungi autẽ internam phlegmonem cum peste, nisi rarissime, hinc colligi potest. Verisimile namq; non est vt vno & eodem tempore aliquẽ tum pestis, tum interna phlegmone inuadat. Quum enim natura hoc tempore quo pestis aliquem inuasit tota in eo sit, vt venenum ac putredinẽ ab illo cõtractam expellat, fieri vix posset, quin sanguinem redundantem tum ad princeps aliquod membrũ, verbi gratia cerebrũ, cor vel iecur, aut ad aliam quampiam partem decumbentẽ, vna cum veneno eiiceret exteneretve, & externam aliquam in glandulis phlegmonẽ excitaret. Atq; hinc est, ꝙ hanc excretionem Hippoc. ἀπόστασιν, id est, *abscessum*, nominet, quemadmodũ *lib. Epid. 6. sect. 2. apho. 4.* vbi ita scriptũ reliquit. *Abscessus, velu ti bubones signa & indicia sunt earum partiũ, quæ germina, siue propagines (græce βλαστήματα eidem appellantur) habent.* Hoc est *glandularũ tumores interna viscerũ habitudinẽ indicant, quorũ germina*

Marginalia: Quando vena in peste incidenda. — Obiectio. — Responsio. — Alia obiectio. — Responsio. — A B C D E F

A *mina & propagines sunt*. Glandulæ enim sunt velut publica viscerũ totiusq; corporis sen-
tina, in quam a bene habita natura horum eluuies & excrementum detruditur, ideoq;
viscerum & internorum membrorum laborantium indicationem ac significationem
præ se ferunt. Quum itaq; excrementum hoc ad glandulas, velut ex interno penu de-
mittatur, facilis ex bubone de viscerũ habitudine, ac tota vitiosorum humorũ mole æ-
stimatio exsistit. Recte igitur id excretionis genus abscessus dicitur, q; scil. noxia, reli- Abscessus.
cta iam quã prius obsidebant parte, in aliam abscedãt. Priuatim quoq; ἀπόστασις κατ' ἀπόθεσιν, ἀπόστασις
id est, abscessus per repositionẽ, Hippocrati dicitur, q; per eam noxia ab vna in aliam κατ' ἀπό-
partem reponantur ac transferantur. Præterea si interna phlegmone pesti perpetuo θεσιν.
coniungeretur, tunc ægri, perinde atq; in aliis id genus phlegmonibus, maximos in
B laborante loco dolores perciperent, q; tamen nequaquã aut certe quam rarissime ac-
cidit. Et si aliquando euenit, vt quispiã simul phlegmone interna & pestilentia infeste-
tur, tamẽ is nunq̃ aut rarissime curatur, sed plerunq; & fere semper, nisi robustissimis
virib. fuerit æger, interimitur. Proinde quũ res ita se tum habeat, vt de curatione fere
nulla spes Medico ostẽdatur, consultissimũ est, vt in Gal. consilio acquiescat, nullumq;
remedium sic affecto adhibeat. Nam, vt ille *lib. 11. med. meth. ca. 9.* ait, in quo desperata est Desperatis
omnino salus, imprudentis cõsilii fuerit, apud vulgum infamare præsidia, quæ multis non sunt re
fuere saluti. Accedit, q; hac ratione Medicus non solum aliis, qui tamẽ iuuare possent, media adhi
contempta & suspecta remedia reddat, sed famæ quoq; suæ pessime cõsulat, vt qui ægro benda.
mortuo, passim ab omnib⁹ fere traducatur, ac si illum interfecerit, necisq; illius auctor
C fuerit, credatur. Quod vero casu iam dicto salutis nulla spes supersit, in caussa est, quod
quiuis duorum morborũ per se, citra alterius cõplexum, satis potens sit, vt ægrum neci
tradat. Accedit, q; quisq; paruis momentis curandi rationem ꝓpriam ac suã, eamq; o-
mnium difficillimã, requirat. Quod si igitur Medicus vel rogatus, vel alia quadam de
caussa eiusmodi ægrum curandum aggrediatur, id præmissa solemni protestatione fa-
ciat, & principio antidoto dato, ac paucis horis interiectis, viribusq; antea recreatis &
refectis, sanguinem mittat, ex vena, quæ e directo locum laborantem respicit. Si vero
vires ægri imbecilliores sunt, quam vt venæ sectionem perferre possint, cucurbitulæ
potius affigendæ erunt; aliaque, prout morbus postulat, peragenda. Præterea supra
producto argumento aduersarii satis indicant, quale inter pestem & phlegmonem sit
D discrimen se nondum tenere. Siquidem, vt cap. 2. libri de inæquali intemperie attesta- Phlegmone
tur Gal. phlegmone fit vbi calida fluxio, id est, sanguis calidus copiosius, in aliquã cor- vt fit.
poris partem præter naturam confluit, venasq; & arterias ita oppletac distendit, vt in Calida flu-
iis contineri amplius nequeat, sed partim per ipsarum ora, partim per tunicas, veluti xio.
colatum foras transmittitur, & vacua spacia quæ inter partes similares sunt implet, tu-
moremq; efficit. Quare rectissime fit si in interna hac phlegmone statim inter initia,
& eo in latere in quo dolor sentitur, sanguis mittitur, apertaq; vena a parte ad quam
cõfluere cœpit, in contrarium reuellitur. In peste autem quæ nequaquã ex copiosioris Pestis.
sanguinis affluxu, sed potius ex venenati aëris inspiratione fit, vena secanda haud erit,
quod nulla tum eius in corpore fit redundantia, adeoq; ex ipsius detractione multæ, &
E non contemnendæ noxæ sequantur. Proinde quum sanguis in pestilentia præter na-
turam ad aliquam corporis partem non confluat, & inter initia adhuc bonus sit, nec si
putredo in eo nascitur, venæ apertione educi & sanari possit, vt in superioribus mon-
stratum est, falsissimum fit quod non sine maxima ignorantiæ suspitione de reuulsio-
ne per sanguinis missionẽ inter initia faciendã afferunt argumentũ. Fatemur quidem,
& inficias ire non possumus, in pestilentia reuulsione vtendũ esse, atqui nõ per sangui-
nis detractionem, sed aliis plane rationib. duabus, quarum vtiq; prima fit per antidota
siue medicamenta quæ venenũ a corde attrahunt ac reuellunt, obtundunt, alterant,
vel per corporis meatus sudore expellũt: altera vero: quandoquidẽ constet Medicum
in extrudendis noxiis naturã, cuius minister est, modo recte motus suos instituat, per-
F petuo sequi debere, hæc vero pestilens venenum a principib. ac nobilib. membris ad
ignobilia, nempe glandulas, vt plurimum protrudat, & in eis bubonem excitet: per
emplastra, & alia medicamenta quæ extrinsecus buboni imposita venenum e corpo-
re trahunt, & naturæ expulsionem iuuant, perficitur. Atq; hinc omnibus tam peritis,
quam imperitis clarissime innotescit, quam crassus, manifestus, atqui perniciosissi-

mus sit error, se bubone pestifero aliqua in corporis parte iam apparente, in eadem A perinde atque in internis phlegmonibus, vena inter initia aperiatur. Nam quum natura iam tota sit in eo, vt venenum e corpore eiiciat, immo magna ex parte etiamnum illud extruserit, tamen tanta est horum asinorum, practicorum dicere volui, ruditas ac stupiditas, vt nihilominus naturæ institutum & actionem impedire atque interturbare, venenum præterea per eam venæ sectionem rursus in corpus inque venas reuocare, ægrumque haud secus, quam si gladio illum iugularent, interficere non vereantur. O cæcos homines, o insignes carnifices, cur non exoriuntur Catones qui de hac vestra crassissima inscitia condignas sumunt pœnas? Cur non hoc Hippocratis dictum: *Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit, eo per conferentia loca educere conuenit:* expenditis? id enim facile vos vestri erroris commonefaceret. Quum enim B natura vbi vicerit, pestilens venenum perpetuo per bubones & sudores e corpore pellat, quæ vestra est tum cæcitas, tum audacia, ac contumacia, vt illam non imitemini, sed eius actionem pertinaciter, ac citra omnem pudorem per sanguinis missionem impedire non timeatis? Quemadmodum enim in phlegmonibus internis sanguis in corpore redundans, & aliquam in partem præter naturam confluens illisq; sese accumulans per venæ sectionem alio, & in contrarium reuellitur & foras educitur: ita quoque virus pestilens quod a natura & medicamento iam expellitur & eiicitur, per sanguinis missionem vestro consilio adhibitam, rursus intro in venas vacuatas reuocatur, & in contrarium trahitur. Accedit, quod hæc ipsa sanguinis detractio eorum etiam medicamentorum quæ buboni imposita sunt actionem, penitus interturbet. C Vt enim illa venenum foras trahere & e corpore educere conātur: ita vos per sanguinis detractionem, illud rursus ab eo loco in corpus reuellere studetis. Proinde hinc conspicuum fit, quam impudenter vobis practicorum, vt loqui vobis consuetudo est, nomen arrogetis, quum carnificis potius appellatio vobis competeret, quādoquidem hac venæ sectione ægrotantis vitam, haud secus atq; carnifex hominis iugulum, gladio petatis. Ex iis igitur quæ hactenus a nobis dicta sunt, nulli non perspicuum euadit, quod non ideo per sanguinis missionem reuellendum, quod natura extrinsecus bubonem excitauit, sed cōtra potius naturæ impetus a Medico iuuandus, & venenum foras per conuenientia præsidia trahendum, atque e corpore educendum sit. Nec est cur hoc loco nobis denuo insultent, dicentes. Quum vobis licere putetis, vt in peste D cui obstructio coniuncta est, sanguinem mittatis, idem profecto inde vobis, quod nobis accidat, nempe quod per sanguinis missionem venenum rursus intro reuoceris. Respondeo, minime gentium. Nam in obstructione quæ pesti complicatur non statim inter initia, & priusquam antidotus aliqua exhibita fuerit, quod vos perpetuo facitis, sanguinem detrahimus, sed tum, vbi prius antidoti præsidio veneni vis sopita, alterata, & magna ex parte, aut tota fuerit eiecta & excreta, & æger abunde sudauerit. Accedit, quod per sanguinis missionem qua nos vtimur, redundans duntaxat sanguis educatur, a quo velut onere quodam, natura grauata fuit. Leuata igitur hoc pondere natura, virtus nequaquam, quemadmodum per vestram venæ sectionem, deiicitur, sed validior redditur. Quod si vero plus æquo sanguinis etiam educatur, ta- E men non est cur venenum a bubone reuelli, & rursus ad interiora trahi queat: quandoquidem ne id fiat, medicamenta buboni imposita, & foras vehementer trahentia idipsum impediant. Quid multis opus est verbis? nihil eorum quæ vestram venæ sectionem sequuntur incommoda, nostram, modo iam dicto adhibitam, sequi possunt, quod vtriusque ratio diuersa sit, vt antea monstratum est. Quare passim vos impingitis, vt nulla plane vobis euadendi reliqua sit via ac ratio. Ceterum vt ad institutum vnde digressi sumus redeamus, indicatio curandi in hoc morbo, quæ sane omnium praua est, & a morbi substantia sumitur, non nisi medicamenta quæ eidem tota substantia aduersantur, primum omnium esse adhibenda abunde insinuat. Vt mirari subeat Andernacum, qui in libello supra citato, pestilentiam nullam habere F curandi indicationem scribere ausus est, quum tamen prima in omnibus curandis morbis indicatio, ab ipso morbo petatur, Inter antidota vero quæ multa & varia sunt, vnice laudatur, id quod *Electuarium de ouo* dicitur, quo olim Maximilianus, optimus & prudentissimus Imperator, vsus est. Hoc cur omnibus propemodum aliis præferam, fecit

[Margin notes: 1. Apho. — Obiectio. — Responsio. — Electuariū de ouo. Maximilianus Imperator.]

A fecit mirabilis eius affectus, quem sæpe in multis ægrotantibus ostendit, & quod sit paratu facile, & legitima habeat quæ eius compositionem ingrediuntur simplicia: excepta nuce vomica quæ ne hodie quidem satis cognoscitur, & pro qua radix petasitæ indi debet, & radice dictamni albi, pro qua melius est vt *folia veri dictamni*, quæ nunc bene haberi possunt, vsurpentur. Licet & radix illa venenis aduersetur. Datur prædictum electuarium iis qui prouectioris sunt ætatis, pondere drachmæ vnius. Iunioribus autem interdum scrupuli duo sufficiunt. Diluitur autem in stillaticio rosarum, aut intybi, aut scabiosæ vocatæ liquore. Est & huius medicamenti vsus non contemnendus in præseruando, si quotidie ex eo sumatur pondus grani vnius, vel duorum hordeaceorum, aut magnitudine pisi. Plurimum confert etiam huius potionis Potio.
B sumtio, quæ habet: *Theriaces Andromachi, scrupulos duos. Antidoti Mithridatis, scrupulum vnum. Boli armenii præparati, scrupulum dimidium. Liquorum stillaticiorum rosarum, scabiosæ & buglossi, singulorum vnciam vnam.* Quanta vero sit boli armenii in pestilentia abigenda vis & potestas, *libr. 9. De simplici medicamentorum facultate* abunde docet Galenus, qui in magna peste, quæ Romæ grassabatur, quotquot hoc medicamentum biberunt, celeriter sanatos esse scribit. Quare debet huius medicamenti, pestis tempore, maximus esse vsus. Præterea non parum auxilii affert & hic puluis, qui accipit: *Foliorum dictamni veri, radicis tormentillæ nominatæ, radicis pimpinellæ, zedoariæ, gentianæ, radicis betonicæ altilis (quam hodie officinæ corrupta voce tunicam appellant) singulorum vnciã dimidiã. Boli armenii præparati, vnciã vnam. Terræ lemniæ, drachmas tres. Aloes iecorariæ, myr-*
C *rhæ, singulorum vnciã dimidiã. Croci drachmã vnam. Mastiches, drachmas duas.* Terantur omnia subtilissime, & fiat puluis: De quo ægrotanti detur pondus drachmæ vnius in stillaticio rosarum, aut oxalidis liquore. Plura in præsentia alexiteria haud commemorabimus, quod iis omnium recentiorum, qui de peste aliquid memoriæ prodiderunt, libri referti sint. Infra tamen, vbi de præseruandi ab hoc malo ratione agemus, aliqua prædictis adiiciemus. Sumto igitur aliquo prædictorum medicamentorum, æger, in lectum calefactum, mollibus linteis stratum & adornatum, stragulisque probe tectum & munitum, vt illic quatuor, aut quinque, aut pluribus horis, pro virium ratione, sudet, reclinetur. Quod si vero hac lege ægro sudor non eliciatur, pedibus ægrotantis lateres ad ignem calefacti subiiciendi. Hi namque suo calo-
D re promte sudorem mouebunt. Toto autem hoc tempore quo æger sudat, vnice cauendum erit, ne dormiat, edat, aut bibat. A sudore purissimis linteis sudor diligenter abstergendus. Dein e lecto, si lubet, aut potest, æger surgat, aeremque extraneum vitet. Aer autem cubiculi in quo æger decumbit, cum odoratis rebus ac fragrantibus suffimentis quotidie quater aut quinquies emendetur, ac repurgetur. Cubiculum autem præstat mutare: quod vnius cubiculi aer, ex assidua habitatione ægri plurimum vitiatus, emendari facile non possit. Cubiculi autem aer in quod transfertur æger, prius suffimentis corrigatur. Qualia vero hæc esse oporteat, paulo post dicemus. A sudore duabus aut tribus horis, pro viribus, facto iusculum gallinaceum ægrotanti offerendum: idque subinde sæpius fiat. Sensim enim & paulatim reficien-
E dus æger erit. Quapropter illi confert sæpe comedere, at parum admodum. Et qui hac ratione cibantur, ceteris citius conualescent. Carnibus quoque pullorum gallinaceorum cum oxalide, aut limonum succo, aut omphacio coctis huic vti licebit. Æger etiam primo die omnino a somno confabulationibus ministrantium, dehortationibus strepitu, frictione extremorum, aurium, nasi, & pilorum vellicatione, arcendus erit. Ad quod institutum non inutile erit, spongiam acerrimo aceto imbutam naribus admouere. In vehementiori siti, licebit vsurpare hanc potionem, quæ accipit: *Zulapii violacei, vncias tres. Serapii ex acido citrii succo, vnciam vnam & dimidiam. Serapii de intybo satiuo vncias duas. Decocti oxalidis, scabiosæ, & florum buglossi, vncias decem, vel tantundem liquoris eorundem stillaticii.* Commisceantur, & fiat potio. Licebit etiam vt aquæ, in
F qua hordei parum decoctum sit, *succum rosaceum, aut oxalidis, aut limonum, vel omphacium admisceas, & potus vice exhibeas.* Ceterum exhibenda medicamenta, potissimum si vires inualidæ fuerint, quæ cor, aliasque corporis partes in corpore principatum habentes roborant & confortant: quale est quod habet *sachari violacei, rosacei, buglossacei, singulorum vnciam vnam & dimidiam. Boli armenii præparati, drachmã vnam. Coralliorum*

Bolus armenius.

Puluis optimus.

Sudor.

Quid à sudore faciendum.

Aeris correctio.

Cibus quando exhibendus.

Somnus quibus rebus arcendus.

Potio.

Medicamẽta roborantia.

Antidotus liquida.

Epithema. *rubeorum, scrupulum vnum. Corticum mali citrii, drachmam vnam & dimidiam. Caphuræ scrupulum dimidium. Cum serapio de acido citrii succo, quod satis est,* fiat antidotus liquida. Cordis etiam regioni, maxime vbi iuxta thoracem adhuc subesse æstum senserit æger, epithema hoc imponendum, quod habet: *Liquoris stillaticii rosarum, buglossi, oxalidis, singulorum vncias quatuor. Specierum antidoti e gemmis, drachmam vnam. Ligni aloes, santalorum rubeorum, corticum mali citrii in puluerem redactorum, ossis cordis ceruini, singulorum scrupulum dimidium. Croci, grana sex. Commixtis omnibus fingatur epithema.* Animaduertendum tamen, vt epithemata non nisi calefacta adhibeantur. Postquam autem refrigerantur, statim sunt remouenda: tum enim meatus constringunt, ægro tantique molestiam haud exiguam afferunt. Quocirca sacculis præstat vti, cordialibus nominatis, qualis est qui accipit: *Florum rosarum rubearum, nymphea, violarum, singul. drach. duas. Santalorum omnium, corallii albi & rubei, spodii, margaritarum sing. drach. tres. Cinnamomi, charyophyllorum, ossis cordis ceruini, ligni aloes, corticum citrii mali, croci, singulorum scrupulum vnum. Seminis oxalidis, scrup. duos. Caphuræ, grana quatuor.* His omnibus tritis in puluerem, formentur sacculi duo quadrati e serico, & alternis vicibus calefacti applicentur. Porro vnice studendum etiam erit, vt venenati humores ad locum vnde bubones emerserunt, appositis cucurbitulis, aut medicamentis aliis trahendi vim obtinentibus alliciantur: quale est hoc quod accipit: *Ficuum pinguium numero sex. Vuarum passarum, vnc. dimidiam. Salis fossilis, drach. duas. Mellis, vnc. vnam. Cum oleo chamæmelino ad emplastri formam reducantur, quod calefactum buboni imponatur.* Aut eiusmodi, quod plurimum ab omnibus commendatur. Accipe e cepis, quæ maxima est, eiusque capite amputato, totam perforato, & Andromachi theriaca comple, adiectis rutæ vel saluiæ succis. Quo quidem peracto, foramen, quod in capite cepæ est luto obturetur, & cepa igni admota torreatur. Vbi satis tosta videbitur, cortices eius auferantur, & subinde in mortario contundatur, donec emplastri consistentiam nacta videatur, ac buboni imponatur. Nec est, quod te Gentilis, Valesci, & nonnullorum aliorum auctoritas moueat, cur minus theriacam bubonibus imponas. Neque enim, vt illi toto cœlo errantes putauerunt, a se propulsando theriaca, aliudve huic simile alexiterium medicamentum, agit: sed potius ad se trahendo, *vt supra libro primo capite De conuulsione, ex Galeni monumentis abunde monstrauimus.* Valet etiam hoc emplastrum, quod ad suppurationem bubonis plurimum conducit. Habet *farinæ fœnograeci, seminis lini, florum chamæmeli, singul. vnc. dimidiam. Radicis altheæ, liliorum alborum, singul. drach. dimidiam. Ficus sex numero. Foliorum dictamni veri drachmas tres. Radicis phu, drachmas duas. Seminis sinapi, drachmam vnam & dimidiam. Fimi columbini, vnc. dimidiam. Oleorum chamæmelini, liliacei, singulorum vnciam vnam & dimidiam.* Redigantur in formam emplastri, aut pultis consistentiam. Laudatur & hoc quod accipit: *Emplastri diachylon simplicis, vncias duas. Ammoniaci, galbani, singulorum vnciam vnam. Contusis omnibus, ad emplastri consistentiam redigantur.* Ceterum si prædictis admotis bubo sua sponte non rumpatur, imponendus subinde fimus anserinus in oleo vulgari, aut chamæmelino dissolutus. Hæc de curatione eorum qui pestilentia correpti sunt, dixisse satis sit. Nunc quo pacto aliquis se a pestilentia, quæ certum quendam infestat locum, præseruare, ac munire debeat, breuiter quoque exponemus. Quum vero initio huius demonstrauerimus, pestilentiam non fieri nisi ex pestilentis ac putridi aeris inspiratione, satis constat, nullum esse fuga ipsa præsentius remedium. Neque enim vlla alia aeris pestilentis euitandi ratio est, quod inuitis etiam nobis hauriendus sit aer, nisi in locum aliquem vbi minime vitiosus est aer, sed optimus plane concesserimus. Quod eo citius magisque faciendum erit, quo malum ipsum contagioni magis est obnoxium, quemadmodum certe quotidiana experientia abunde testatur. Fugiendum etiam longius, in eum nimirum locum, vbi, vt comprehensum est, aer adhuc purus omnique vitio destitutus esse deprehenditur. Nec ab eo loco nisi tardissime est redeundum domum. Hinc non temere vulgo dici solet, pestilentiæ tempore plus opis & auxilii præstare tria hæc aduerbia, cito, longe, & tarde, quam tres, optime etiam instructas medicas officinas. Quare quibus commode per officia licet, ii nulla ratione se induci patiantur, vt in aere pestilente morentur. Quod nisi fecerint, se præsenti mortis periculo temere exponent. *Nã, vt Gal.* ẽt *in li. De theriaca ad Pisonẽ* attestatur, *pestis tanquã & ipsa exsistat quadã belua, haud paucos interim, verũ ciuitates quo-*

Margin notes: Sacculus. Localia. Emplastrũ. Aliud. Error Gentilis & Valesci. Aliud emplastrum suppuratorium. Aliud. A pestilentia præseruatio. Fuga optimum remedium.

que

A *quae totas depascens, male conficit. Quippe praua quadam aeris ad corruptionem prompta mutatio efficitur: & homines quum respirationis necessitate periculum euitare nequeant, ipsum aerem, veluti venenum quoddam ad se per os attrahunt.* Quamobrem etiam, ait, *Hippocratem illum multis modis admirandum, laudo, qui luem illam ex Aethiopia Graecos inuadentem non aliter curauit, quam aeris mutatione, alteratione que ne talis amplius inspiraretur. Quum igitur ignem per totam Athenarum vrbem incendi iussisset, non simplicem lignorum materiam, verum serta floresque suauissimos alimentum ipsius esse consuluit, vnguentaque pinguissima & odorifera ipsis superfundi, vt aerem purum hoc modo redditum, homines in mali subsidium inspirarent.* Haec ille. Quem locum Galeni ideo recitaui, vt perspicue hinc omnes intelligerent, loci mutationem & alterationem praestantissimorum Medicorum omnium B testimonio inter remedia pestilentiae primum obtinere locum. Sed non latet, esse quosdam hoc tempore morosos sane homines, & plane Stoicos, qui clamitent, piis & Christianis hac in parte non esse Medicorum consiliis obtemperandum. Quippe Christianorum esse vt mortem non metuant quidem, tantum abest vt illis fugere liceat. Belli mehercules homines, qui hoc a nobis exigunt, quod nemo sanctorum, imo ne Christus ipse, quem exhorruisse mortem sacrae testantur literae, praestare potuit. Et quod exhorruerint, nihil mirum quidem, quum omnibus a Deo sit insitum, vt vitam tueantur, mortem fugiant. Hinc D. Paulus *ad Ephes. 4.* scriptum reliquit: *Nemo vnquam suam ipsius carnem odeo habuit, imo eam potius nutrit, ac fouet.* Exhorruisse autem, imo declinasse mortem sanctos, multis scripturae exemplis ostenditur. C Abraham metu mortis, Saram vxorem suam appellare sororem voluit, *Genesis 20.* Iacob mortem exhorrens, Esau fratrem fugit in Mesopotamiam. Dauid vitam seruare cupiens, Saulem & Absalonem filium fugit. Elias propheta audacissimus, post occisos prophetas Baal, minis Isebelis reginae territus, in desertum fugit. Moses quũ quaereretur a rege Aegyptiorum, fuga in Midiam sibi vitaeque suae consuluit. Verum dicent hoc loco morosi illi, exempla nunc producta non docent, mortem quam pestilentia affert, sed eam, quae persecutiones sequitur, fugiendam esse. Quibus vicissim respondeo, *mortem esse mortem, e quacunque caussa ortam.* Deus inter cetera supplicia famem etiam, vt quae mortem affert, numerat: quam si fugere licet, cur non etiam pestilentiam? Famẽ autem fugisse Abrahamum, Isaacum, & Iacobum, notius est, quam D vt longius a me demonstrari debeat. Quod si nulla supplicia diuinitus inflicta fugere licebit, certe Turcam, aliosque tyrannos, quos tamen flagella Dei esse constat, persequentes nemo Christianus fugere debet. Peccant igitur, qui oppida & pagos his aduentantibus deserunt. Pari ratione domo aliqua conflagrante nemo excurret, nemo etiam ad sopiendum incendium accurret: nam & ignem inter supplicia a Deo immissa numerandum esse, nemo inficias ibit. Incident praeterea vndas, nunquam natione sibi consulet, sed aquam veluti Dei supplicium sibi adimere vitam aequo patietur animo. Parte denique aliqua corporis vulnerata, aut fracto osse, nemo Christianus chirurgi operam requiret: Dei enim supplicium perferet. Nemo frigora, vtpote Dei supplicia, arcebit vestibus, & id genus aliis rebus ad ea propulsanda necessariis vtetur. E Quid multa? nemo Christianus vllo remedii genere aduersus vllum morbum hac ratione vti audebit, quod nullum sit genus morbi inter supplicia a Deo immissa non connumerandum. Non debere itaq; mortem metuere pios, ita intelligendum erit, non debere illos metu mortis despõdere animum, nõ debere etiam vt deuitent mortem non concessis mediis vitatq; peccare: in summa, in morte non debent desperare. Sed exstãt ea de re doctissimorum nostri aeui theologorum Lutheri & Brentii libelli, in quibus Stoicorum illorum somnia pulchre refutantur: quorum ego hac in re iudicia pluris facio, quam centum aliorum. Quid multa? fugere mortem nemo potest, quandoquidem mori omnibus statutum sit. Pestem tamen fugere, vtpote alios cõtagiosos morbos, elephantiã, morbum gallicũ, & id genus alios licet. Quare hanc aliasq; F illorũ obiectiones missas facio, & ad institutũ reuertor. Si vero certis ac iustis de caussis, vt fugias, tibi haud licuerit, tum prima cura sit, vt domus, in qua tibi cõmorandũ est omni foetore careat, & a sordib. atq; spurcitia sit aliena. Fenestrae eiusdem clausae sint, dieb. potissimũ nebulosis ac pluuiosis, ne pestilẽs aer ingrediatur. Quod si tamẽ aperire vis, cura vt sint versus orientẽ aut septentrionem constitutae; idq; fiat a sole iam ali-

Aduersus quosdam morosos theologos.

Pii quomodo mortem non metuere debeant.

quot horis orto. Raro, & non nisi cœlo sereno, in publicum prodeundum: neque id A etiam, nisi prius sumta antidoto, quæ a contagione conseruare valeat. In ædibus quotidie succendendus ignis e lignis quercinis, iuniperinis, tamaricis, lauri, aut similibus, quo aer in iis vitiatus corrigatur, purgeturque. Quippe miram esse ignis vim ad aeris putredinem emendandam, Hippocratis exemplo, quod paulo supra produximus, abunde docemur. Viuis etiam carbonibus sequens puluis crebro inspergatur, qui habet: *Rosmarini manipulum dimidium. Saluiæ, betonicæ, absinthii, maioranæ, origani, singulorum Manipulum vnum.* Terantur omnia subtilissime; & fiat puluis. Vel ille, qui accipit: *Baccarum iuniperi, vnciam vnam. Myrrhæ, drachmas tres. Thuris, mastiches, singulorum drachmas tres & dimidiam. Radicis garyophyllatæ, seu benedictæ vulgo vocatæ, drachmam vnam. Rutæ, vnciam dimidiam. Corticum cupressi, drachmam vnam & dimidiam. Radicis angelicæ satiuæ, lauandulæ, singulorum drachmas duas.* Tritis omnibus fiat puluis. Pauperes ligna iuniperina fissa, aut baccas ipsas carbonibus ignitis imponant. Ditiores ligno aloes, aut puluere galliæ moschatæ, garyophyllorum, & similium vtantur. Dum in publicum prodire necessitas cogit, hanc aut similem odoratam pilam secum circumferant, quæ habet: *Ladani, drachmas tres. Styracis calamitis, drachmas duas. Cinnamomi, maceris, garyophyllorum, nucis moschatæ, singulorum drachmam vnam. Ligni aloes, scrupulum vnum. Spicænardi, scrupulum dimidium. Myrrhæ, mastiches, thuris, singulorum drachmam dimidiam. Moschi, ambaris, singulorum grana tria. Trita & cribrata stacte, stillaticio maioranæ liquore sufficientibus madefiant, & excipiantur, fingaturque pila odorata, pomum hodie vocant.* Æstatis tempore aer frigidis rebus depuretur, floribus nimirum rosarum, violarum, nympheæ, pampinis, foliis salicis, & id genus aliis. Pauimentum etiam stillaticio rosarum liquore, item *oxalidis*, similibus irroretur, aut aqua frigida cui aliquid aceti commixtum sit. Iuuat etiam odorare *rosas, acetum, caphuram, santala, & eius generis alia.* Vel hanc pilam, quæ accipit: *Ladani, vnciam dimidiam. Styracis calamitis, drachmas tres. Florum nympheæ, rosarum, violarum, singulorum drachmam vnam. Corticis mali citrii, drachmam vnam & dimidiam. Santalorum omnium e singulis, drachmam dimidiam. Maceris, cinnamomi, singulorum scrupulum vnum. Mastiches, drach. vnã. Papaueris candidi, succi semperuiui, scru. dimid. Ambaris, moschi sing. grana duo.* Trita excipiantur stacte, liquore stillaticio rosarum, fiatque pila odorata. Ceterum quum Galenus *libr. 1. differ. febr. cap. 4.* vnam & primam quidem eorum, qui a pestilentia tuti esse cupiunt, curam fore tradat, vt corpus quam maxime superuacuis atque excrementis vacet, & optime spiret, nihil certe æque, fugiendum erit, ac nimia cibi & potus ingestio ingurgitatiove. Cibis igitur in vniuersum facilis concoctionis, & bonum procreantibus sanguinem, ac putrefactioni minime obnoxiis vtendum. Qui quales particulatim sint, ex Galeni libris *De alimen. facult.* & cibis boni & mali succi discendum erit. Quare de singulis seorsim hoc loco differere, superuacaneum esse iudico. Semper quoq; cibis, quibus hoc tempore vescimur, aliquid aceti admiscendum erit, aut *acidus alius quispiam succus, omphacium nimirum, aut citrii mali, aut limonum, arantiorumque vocatorum succus.* Æstatis tempore oleribus vtendum, *buglosso, intybis, oxalide, & lactuca. Hyeme saluia, petroselino, apio, maiorana, melissophyllo, & hyssopo.* Fructibus omnibus abstinendum, nisi acidi fuerint: vt sunt *mala punica, citria, limones, arantia, & iis similia, quibus vti expedit.* Potus sit vinum tenue & aquosum. Caueat sibi quisque a meracioris potu, & musto. Quid multa? tota victus ratio sit refrigerans & desiccans. Exercitio itaque non vtendum, nisi mediocri, Galeno etiam *libr. 1. De differ. febr. capite 5. teste*: & in loco temperato, atque aere prius per medicamenta ac suffimenta purificato & emendato. Cauendæ igitur choreæ publicæ, item cursus, saltationes, & quicquid est eius generis exercitii quod crebram aeris inspirationem requirit. Quapropter hac etiam de caussa pestilenti tẽpore choreas magistratus, publico edicto proposito, vetare debet. Quippe experientia ipsa satis docet, multos dum choreas agerent infectos hac lue, mortem oppetiisse. Somnus, vigilia, vt omnia alia, sint moderata. Dormiendum vero in cubiculo bene obturato ac clauso, ne scilicet pestilens aer ingrediatur, cuius subinde aer suffitu aliquo mane & vesperi purificetur ac corrigatur. Linteis vtendum puris ac mundis, & aliquandiu cum rebus odoriferis repositis. A somno vbi experrectus fueris, prima hæc cura sit, vt corpus a superuacuis exoneres. Vnice vero cauendum tibi erit, ne aluũ vllo tem-

Marginal notes: Suffimenta (beside "duximus"); Pila odorata (beside "tam pilam"); C (beside "rata, pomum"); Pila alia odorata (beside "Styracis"); Victus ratio (beside "stacte"); D (beside "differ. febr."); E (beside "petroselino"); Exercitium (beside "si mediocri"); Choreæ publicæ cauendæ (beside "choreæ publicæ"); F (beside "Somnus"); Excretio (beside "cura sit"); B (beside "go vocatæ").

A tempore adstrictam habeas. Proinde si sua sponte quotidie non deiecerit, catapotiis Rufi vocatis, aut molli clysteri, aut glandibus in hoc paratis irritabis. Corpore a redundantiis tum per aluum, tum vesicam repurgato, medicamentum aliquod sumendum, quod a pestilentiæ contagione munire potest, qualia multa paulo post commemorabimus. Et si propter occupationes necessarias in publicum prodeundum erit, *zedoariã, aut angelicæ, aut pimpinellæ radicem* commanducabis, aut *rutam* odorabis: mirifice enim huius odor pestilenti auræ aduersatur. Coitus, immoderatus præsertim, vnice fugiendus. A coitu sese quisque ab aere publico & infecto contineat. Balnea, publica potissimum, in vniuersum, veluti præsentissima venena, detestanda, quod nimirum apertis horum calore corporis meatibus, aer pestilens promtissime sese in pro-

Rutæ odor pestilenti auræ aduersatur. Venus. Balnea.

B funda corporis recipiat. Qui priuato balneo vti volunt, ii sese ab egressu eiusdem ab aere vitiato diligentissime muniant. Consultius tamen est vt frictionibus domi, & in aere emendato vtamur, quam balneis. Caput tamen lixiuio, cui *asarum, maiorana, lauendula, rosmarinus, betonica, saluia, chamæmelum*, & id *genus alia incocta sint*, singulis septimanis lauandum. Ceterum iuuenibus, & qui sanguine abundant, pestilente tempore appetente venæ sectione vtendum erit. Neque semel tantum, modo nihil aliud impediat, sed iterum atque iterum sanguinem educere interdum illis maximum ad tuendam sanitatem, & vt a peste præseruentur, momentum affert, quod corporis habitum nonnihil refrigeret, & ad commoderationem caloris ducat. Purgandum quoque re ipsa poscente, corpus medicamentis purgatoriis nominatis, idque vere præser-

Venæ sectio. Purgatio.

C tim & autumno, *iuxta Hippocratis sententiam*. Qualis vero esse debeant, e præcedentibus libris cuiuis patet. Nos enim hic capita tantum istarum rerum attingimus. Quod ad animi peturbationes attinet, *tristitia, ira, odium, timor, grauiores curæ*; & quicquid est cogitationum seueriorum, fugienda omnia. Gaudio & hilaritate mediocribus vtendum. Nunc reliquum est, vt præter sanguinis missionem & purgationem, ad alia medicamenta, quæ ab hac lue tueri ac immunes conseruare possunt, progrediamur. Inter quæ sane primum locum obtinent catapotia Rufi nominata, vel pestilentialia, vel communia, quæ habent: Aloes iecorariæ partes duas, croci orientalis, myrrhæ, vtriusque partem vnam. Cum vino albo, aut cum stillaticio scabiosæ liquore fingantur catapotia. De quibus quotidie sumatur scrupulum vnum, plus aut minus pro ætatis

Animi perturbationes. Præseruantia vocata medicamenta. Catapotia Rufi.

D & virium ratione. Quanquam autem hanc compositionem omnes hodie officinæ *pilulas Rufi* nominant, tamen ab ea quam olim Rufus memoriæ prodidit, differt, atque alia est. Quippe Rufi compositio crocum non habet, sed pro eo potius guttam ammoniacam recipit. Præterea ea quam Rufus composuit, potio est, non catapotium, *vt satis liquet ex libro secundo capite 35. Pauli Æginetæ*, ibidem enim hanc describit. Ceterum catapotia quibus vulgo vtuntur officinæ, propter aloen & myrrham, vtpote quæ putrefactioni plurimum aduersantur, miram quandam aduersus pestiferæ luis contagionem efficaciam habere constat, ideoque minime contemnenda sunt. Licebit autem & sequentibus vti pilulis, quæ accipiunt: *Aloes iecorariæ, drachmas tres. Myrrhæ, drach. vnam & dimidiam. Agarici præparati drach. vnam. Croci orientalis, drach. dimidiam. Boli*

Cõpositio Rufi. Pilulæ.

E *armenii præparati scrup. vnum. Seminis mali citrii, scrupulos duos. Mastiches, scrupul. dimidium. Radicis pimpinellæ, drachmam dimidiam. Cum stillaticio rosarum liquore fiant ex drachma vna pilulæ tredecim.* De quibus vna, vel duæ sumendæ. Potest etiam vsus esse illius medicamenti, quod officinæ *Electuarium de nucibus* appellant. Accipit *iuglandinum numero viginti. Ficuum pinguium numero quindecim. Rutæ, manipulos duos. Absinthii, parthenii, cotulam fœtidam vocant, scabiosæ, singulorum manipulum vnum. Radicis aristolochiæ longæ, vnciam dimidiam. Radicis aristolochiæ rotundæ vulgaris, vnc. vnam & dimidiam. Radicum tormentillæ, petasitis pimpinellæ, dictamni vulgaris, sing. vnc. duas. Foliorum dictamni veri, manipul. vnum. Baccarum lauri, drach. tres. Cornu cerui vsti, drach. duas & dimidiam. Maceris, myrrhæ, boli armenii, terræ lemniæ veræ sing. drach. tres. Salis marini, drach. vnam & dimidiam. Florum buglossi mani-*

Electuariũ de nucibus appellatum.

F *pulum vnum. Corticum mali citrii, vnciam dimidiam.* Contusa ac trita omnia accipiantur; vnciis duabus mellis despumati, fiatq; medicamentum liquidum, in modũ ecligmatis. Valet quoque plurimum is puluis, qui habet: *Foliorum dictamni veri, vnciã dimidiam. Radicum zedoariæ, betonicæ altilis, pimpinellæ, tormentillæ sing. drach. dimidiam. Corticum citrii mali, drach. tres. Terræ lemniæ, drachmas sex. Boli armenii, vnciam vnam. Myrrhæ selectæ, aloes ie-*

Puluis.

torariæ. singulorum vnciam dimidiam. Croci, drachmam dimidiam. Mastiches, drach. vnam & dimidiam. Radicis glycyrrhizæ, drachmam vnam. Scabiosæ, oxalidis, singulorum drachmas tres. Santalorum purpureorum, drachmam vnam. Ramentorum eboris, antheræ, sing. drach. dimid. Ossis cordis ceruini, coralliorum rubeorum, singulorum scrupul. duos. Caphuræ, grana tria. Tritis omnibus in pollinem, fiat puluis. Si lubet, ex iis conficies orbiculos, aut morsulos cum sacharo, & liquoribus stillaticiis rosarum & scabiosæ, & de iis quotidie drachmæ vnius pondus exhibebis, plus aut minus, pro ætate & viribus. Commendatur quoque vnice bolus armenius cum aceto sumtus, *vt supra est commemoratum.* Item *theriaca, mithridatis antidotus*, & id genus alia, quorum passim est copia apud eos qui de hac lue aliquid memoriæ prodiderunt. Nos hic finem dicendi de hoc genere vitii facimus. Extant enim cōplurium doctorum virorum in Italia, Gallia, & Germania non pauci de pestilentia commentarii, vnde varia remedia excerpere omnibus licebit.

Bolus armenius.

A

B

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM, Liber V.

De phlegmone. CAP. I.

Inflāmatio φλεγμονὴ bifariam sumitur. Generatim

QVAM latini aliqui, licet parum proprie *inflammationem*, Græci φλεγμονὴ nominant. Vox autem φλεγμονὴ illis bifariam sumitur. Generatim, pro omni calido & dolorifico, cum feruore, tumore: vt plane tum idē quod φλόγωσις, hoc est *efferuescentia*, ac *inflammatio* significet. Sic sane herpetes, erysipelata & carbunculi, phlegmones dicuntur, qua in significatione ab Hippocrate & aliis veterib. vox est vsurpata. Proprie autem phlegmone, est tumor ex sanguine copioso in locum aliquem præter naturam confluente factus, supra feruorem efferuescentiāve rubens, dolens, durus, & tactu renitens. Quod copiosius tradit Galenus *libr. 13. Ther. meth. ab initio statim.* Nos hoc loco de phlegmone, quæ proprie sic appellatur, & in externis partibus oboritur (nam de internarum partium phlegmonib. superiorib. libris actum est) disseremus. Fit hæc ipsa a sanguine bono, & crassitie mediocri, qui in particulam aliquam vniuersim influit, atque propter copiam impactus inhæret: id quod propter vulnera, fracturas, contusiones, luxationes, vlcera, & id genus alia quæ dolorem cōcitare, & fluxionem accersere possunt, euenit. Phlegmone in particula aliqua orta, vehemens dolor vrget, nisi eiusmodi sit quæ sensum omnino difficilem habuerit: pulsus in profundo molestus accidit, tendiq; prorsus ac frangi particula apparet, & vehementem calorem persentit, vt quasi comburi videatur, vnde & refrigerari desiderat. Talisq; rubor per summa viget, qualis ex balneis aduenit, aut ex igne, aut quouis alio modo calefactis. Renixus partis tangenti eam, pro tensionis modo. Quæ singula fusius loco *iam citato, & libro primo ad Glauconem capite 1.* Galenus prosequitur. Quum itaque phlegmone particulam quampiam, sine manifesta potissimum caussa præcedēte, obsederit, principio totum corpus euacuare oportet, præsertim vbi hoc sanguine plenum fuerit, & valida vis laborantis, tempusque anni, regio, ætas & id genus alia nō impedierint. Quod si itaque in inferiore aliqua parte, verbi gratia genu, phlegmone constiterit, tum sanguinis euacuatio ex superioribus partibus facienda. Incidere itaque oportet in gibbero venam aut interiorem, aut mediam: nisi alterum crus malis scarificare, aut in eo venam pertundere. Si vero aliqua pars superior patitur phlegmonem, per inferiora sanguis est educendus. Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit. Debet tamen reuulsio fieri secundum rectitudinem, *Galeno in libro De curandi ratione per sanguinis missionem teste.* Post venæ sectionem, partem phlegmone laborantem perfundere ac illinere oportet medicamentis, quæ id quod influit repellere sint idonea: & quod iam in male affectam partem se recepit, vacuare queant, quæque robur iis quæ laborant partibus addant. Qualia vero sint medicamenta quæ idipsum præstent, in superioribus libris sæpe a nobis expositum est. Galenus quidem mirifice commendat poscam, *oxycraton* Græci vocant: nempe spongiam hoc ipso perfusam & imbutam, parti phlegmone laboranti imponendo. Item cataplasmata ex semperuiuo & mali punici cortice in vino decoctis, & rhoe ac polenta compositum, si non vehemens vrgeat dolor. Repellit enim id, quod influit, adstringēdo, atq;

Proprie.

Caussa.

Signa.

Curatio

Venæ sectio.

Localia.

Cataplasmata

C

D

E

F

A do, atque id quod continetur exsiccando vacuat, & partes adiacentes vtroque nomine corroborat. Si vehemens dolor fuerit, cataplasmata ex plantagine, lente, solano, pane, & oleo rosaceo imponenda. Paulo vero ante, supra particulam male affectam, spongiam vino austero, aut aqua frigida madefactam apponere oportet. Melius vero fuerit, si aliquid aceti admisceatur. Quod si pus se in particula ostenderit, cataplasmata imponenda erunt, quæ suppurationem iuuant: vt sunt *farina triticea, seminis lini & fœnograci, butyrum, pinguedo porcina, radix althea, & similia in superioribus libris sæpe admodum commemorata.* Suppuratione facta, quod ex doloris, febris, & caloris remissione coniectamus, secare, atque pus vacuare conuenit. Eo vacuato, vulnus abluere & abstergere oportet melicrato vel oxycrato, vel vino & mulso. Imponendum vero, si (Suppurantia.) (Sectio, Abstersio.)
B adhuc phlegmone aliqua affuerit, cataplasma ex lente, aut oleum rosaceum cum luteis ouorum, aut aliud quod phlegmonem arcere potest. Si vero sine phlegmone fuerit, aliquod ex iis medicamentis quæ emplastica vocantur, & glutinantia, imponendum: vt est *amylum, cerussa, pompholyx, malicorium, æs vstum, & eiusmodi.* De quibus copiose disserit Galenus *libro 2. ad Glauconem & 3. Ther. method.* Nos hic capita tantum rerum attingemus, quod de iis fere omnibus in præcedentibus libris a nobis copiosius sit dictum.

De herpete. CAP. II.

QVVM flaua bilis non naturalis sola, & nullo infecta humore excreta in aliquam particulam decumbit, vitium *herpes* vocatur. Quæ si substantia crassior acriorque fuerit, totam cutem ad subiectã vsq; carnem exulcerat, appellaturq; *herpes exedens.* Si vero tenuis & minus acris calidaq; fuerit, exiguas pustulas milio similes per summã cutem excitat, ob eamq; similitudinẽ, *miliaris herpes* nuncupatur. Fit herpes, *vt dictum est*, ex flaua bile. Miliarem tamen, Gal. *li. 14. Th. meth.* ex bili, quæ pituitæ aliquid admixtũ habet, procreari tradit. Signa ex paulo ante dictis patent. Quod ad curandi rationẽ attinet, initio vtendũ victus ratione frigida & humida, perinde atq; in febre tertiana. Vino in totũ æger abstineat, & pro eo bibat aquã, in qua *cinnamomum vulgare* exigua portione decoctum est. Corpus etiã medicamento aliquo, quod bilẽ ducit, vacuandum, de quib. sæpe in præcedentib. libris est dictũ. In miliari autẽ vtendũ medicamento, *Galeno loco iã citato teste*, quod mixtæ est facultatis: quod sc. bilẽ simul & pituitã educat. Cor- (Herpes.) (C) (Exedens herpes.) (Miliaris herpes.) (Caussa.) (Signa.) (Victus ratio.) (Purgatio.) (Localia.)
D pore itaq; prius purgato, mox ea, quæ influentẽ humorẽ reprimunt, repelluntq; medicamenta particulæ laboranti imponenda. Sed hic diligenter considerãdum erit, quod nõ omnino similis cura particulæ laborãti in hoc vitio adhibeatur. Nã qui exedẽtes sunt herpetes, refrigerari quidẽ desiderant similiter aliis herpetib. nõ tamen ea ferunt medicamenta, quæ præter id quod refrigerãt, etiã humectant: sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiã maxime exsiccant: non igitur vel lactucã, vel polygonum, neq; ex stagnis lentem, vel psyliũ, vel portulacã, vel serin, vel sempiuuũ, vel tale aliquid quod refrigerare possit atq; humectare, apponere oportet. Neq; vnquam etiam fidas spongiæ frigida aqua perfusæ, neq; solano: quamuis refrigerandi atq; vna exsiccandi vim habet sed mediocrẽ: illi vero maiorẽ quam solano adsit, expetunt siccitatẽ. Igitur initio cataplasmata ex capreolis vitis, foliis rubi, plantaginisque applicanda erunt. Postea vero lens his miscetur, interim & mel & polenta. Plurimũ quoq; cõmendatur liquor, qui e vitis caudice sua sponte, aut ignis vi expressus exudat. Ipsas autem partes exulceratas, hoc vel simili medicamento illinere conuenit, quod habet: *Citinorum, gallæ, vtriusque drach. tres. Myrrhæ, thuris, aloes, sing. drach. duas & dimid. Aluminis fisci, drach. duas. Radicis aristolochiæ rotundæ vulgaris, drach. duas & dimid. Calaminthæ, drach. vnã & dim.* Trita vino subaustero excipiantur, & fingantur pastilli, qui dissoluti cum aqua mellis illinantur. Valet etiã medicamentũ, quod ex bolo armenio, & terra lemnia, stillaticio rosarũ liquore, & aceto exceptis, cõponitur. Mirifice vero confert hoc, quod fit ex lana veteri succida & illota, in olla cõbusta donec nigrescat & ardeat: quæ subinde in puluerem (E) (Cataplasmata.) (Pastillus.)
F redacta, cum stillaticio rosarum liquore dissoluitur, vt quasi atramenti scriptorii formam habeat, & pluma illinitur bis in die. Herpetes vero, qui exedentes non sunt, ii expurgato prius corpore, medicamentis quæ reprimunt, vt cõprehensum est, curantur. Vberiorem curandi rationem tradit Gal. *lib. 14. Ther. meth. & lib. 2. ad Glauc.* Satis itaque sit, locum nunc monstrasse.

De erysipelate. Cap. III.

Erysipelas quid. Ignis sacer. Caussæ. Signa.

ERYSIPELAS Græcis, *Ignis sacer* Latinis, *Galeno libr. 2. ad Glauc. teste*, geminum exsistit, non exquisitum, & exquisitum. Non exquisitum quidem, est tumor ex feruente, tenuiq; sanguine conflatus. Vel est ex sanguine & flaua bile, calidioribus quam oporteat, mixta fluxio. Caussæ ex iis, quæ diximus abunde patent. Erysipelas phlegmone calidius est, magisq; colorem flauum pallidum ve refert. Et si tetigeris, facile sanguis subterfugit, rursusq; illabitur exquisite tenuis, & aspectu rubidus, non tamen dolet veluti phlegmone: neque vt aliqua phlegmones species pulsum, aut compressionẽ aut tensionem similem inuehit. Tumor etiam exiguus in cute potius consistens, quã alte descendens adest. Sed accidit vt interdum valde parum infestet, ac tum præsertim, quando per solam cutem diffusum fuerit, nihil inferiorem carnem molestans. Et hoc quidem sæpius euenit, atque hoc est exquisitum erysipelas. Proinde quod attingit subiectam carnem, neque ex sola tenui bile consistit, neque simplex est erysipelas, verum iam affectus permixtus ex erysipelate atque phlegmone. Exuperant autem in ipso quandoque propria erysipelati symptomata, atque hoc vitium a iunioribus Medicis *Erysipelas phlegmonosum* nominatur. Nonnunquam vero phlegmones, & tunc ipsum nominant *phlegmonem erysipelaceam*. Quod si neutrius symptomata manifeste exuperauerint, sed æqualia apparuerint, tunc erysipelas & phlegmone mixta esse dicuntur, veluti clarius *in Institut. nostris docuimus*. Curatio partim victus ratione, partim medicamentis perficitur. Victus ratio sit talis, qualem in febribus & similibus calidis vitiis supra descripsimus. Quum vero vitium hoc geminum curationis scopum, nempe vacuationem & refrigerationem habeat: inter initia vero si sanguis in eo, *Aetio etiam attestante*, abundauerit, adeoque erysipelas non exquisitum fuerit, ac vehemens feruor affuerit, vena secanda erit. Si in facie fuerit eiusmodi erysipelas, vena in gibbero humeraria dicta incidenda. Si autem inferiores collo partes erysipelas tale patiuntur, interior, quam iecorariam vocant, vena secanda: vt media, si neutra harum apparuerit. Si in cruribus fuerit vitium, itidem in gibbero vena interior, sed eiusdem lateris incidenda. At si quid sanguinis missionem impediat, aut erysipelas exquisitum fuerit, hac prorsus, *Galeno etiam lib. 14. med. meth. cap. 3.* suadente, omissa, purgatione potius vtendum ex medicamento quod bili ducẽdæ idoneum est: quale certe est *Rhaindicum, barbarum* officinis vocatum, quod ad domandam bilẽ efficax, *Actuario auctore*, exsistit. Idq; maxime faciendum, vbi bilis flaua redundarit. Plurimum etiam prosunt clysteres in hunc vel similem modum parati, qui accipiunt: *Maluæ, foliorum violæ nigræ, lactucæ, intybi vtriusq; singul. manip. vnum & dimidium. Mercurialis, manip. vnum. Seminum cucurbitæ, melonum, portulacæ, singulorum drach. duas. Florum nymphea, manipul. vnum. Hordei, vnciam vnam. Coquantur omnia in aqua sufficienti ad tertias, iuris colati libræ vni admisce medullæ casiæ fistularis, vnc. vnam. Hieræpicræ, vnc. dimidiam. Olei violacei, vncias duas. Olei nymphea, vnciam vnam. Salis vulgaris, drachmam vnam & dimidiam*, & fiat clyster. Post totius corporis vacuationem reprimentibus auxiliis vtendum. Refrigerabimus itaq; particulam affli-ctam, liquoribus stillaticiis *solani, semperuiui, portulacæ, psyllii, hyosciami, lactucæ, & intyborum, aut succis eorundem. Valet etiam lenticula palustris, & ceratum liquidum ex aqua frigida, cuius confectionem tradit Galenus libr. 1. De simpli. med. facult. cap. 6. Et copiosius libr. 10. Ther. meth. capite 9. Item polenta cum aliqua prædictarum herbarum parti afflictæ imposita confert*. Quæ autem illinuntur medicamenta refrigerantia, frequenter admodum immutanda sunt, vt quousque refrigerandum sit cognoscere liceat. Refrigerationis enim terminus, *Galeno libr. 14. Ther. method. teste*, ipsa coloris mutatio est. Etenim quod exquisitum & purum erysipelas est, statim cum hoc quiescit. Quod enim non purum est, sed iam quodammodo phlegmonodes, si plusculum refrigeres, liuidam cutem præfert. Sin ne sic quidem quis desistat, nigricat, potissimum in senili corpore: sic vt quædam ita refrigeratorum, ne discutientibus quidem medicamentis ad perfectionem sanentur, sed scirrhosus quidam tumor in particula relinquatur. Ergo satius est, vbi laborantis particulæ alteratum colorem videris, a refrigerantibus ad contraria transire, priusquam vel liuida, vel nigra prorsus fiat. Vbi itaque feruor ægrotantis particulæ iam desiit, refrigerantibus admiscenda sunt discutientia medicamenta, idq; priusquam liueat. Quare cum confert stillaticius liquor solani, commixtus stillaticio liquori

Exquisitũ erysipelas.

Erysipelas inflãmatũ. Inflãmatio erysipelacea. Curatio.

Venæ sectio

Purgatio.

Clysteres.

Reprimẽtia

Refrigerationis terminus.

Discutiẽtia mixta refrigerantibus

A quori chamæmeli. Imponendū etiā cataplasmata ex farina hordei & fœnogræci, & id genus alia. Quod si iā liuor occupauerit, incisa cute cataplasma superponēdū est, perfundendusq; locus plurimum quidem ex aqua calida; sed & marina aqua & muria interim conducet. Quinetiam ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, vel acetum, vel oxalme misceatur. Erysipelati autem phlegmonoso, & phlegmoni erysipelati, mixta quantū fieri potest curatio adhibenda, semperq; illi quod exuperat magis resistendum; non tamen prætermissa ea quæ a mixto præstatur indicatione. Sicuti autē subinde erysipelati admiscetur phlegmone, ita etiam aliquando œdema: ac vocatur, quod ex ambobus tum est conflatum, erysipelas œdematosum: non secus, quam vbi ex refrigerando durum ægreq; resolubile redditur, vocabitur erysipelas scirrhosum. In quib. curatio ipsa, veluti in omnib. compositis, mixta administratur. Erysipelas œdematosū Erysipelas scirrhosum

B

De carbunculo. CAP. IIII.

CARBVNCVLVS, qui Græcis ἄνθραξ dicitur, fit, *cum sanguis crassus & feruescens & impense calidus in aliquam particulam decumbens, cutim exusserit.* Errant itaque recentiores, qui anthracem & carbunculum diuersa esse vitia putant, *vt copiose libro 2. Paradox. capite 18. demonstrauimus.* Arabum placita sectantes, *prunam* & *ignem persicum* nominant hoc vitium. Incipit hoc plerunque a pustula: aliquando vero, licet raro, & sine hac. Ceterum inter initia, quibus hoc instat vitium, scabunt particulam omnino. Mox oritur pustula quædam maiuscula, qua rupta vlcus cum crusta gignitur. Sæpe vero non vna oritur scabētibus pustula, sed multæ exiles, veluti milii semina, crebræ in particula residentes. Quibus perruptis, similiter crustosum vlcus prouenit, quale ferramenta candentia excitant. Crusta vero ipsa modo cineris colorem præfert, modo nigrorem. Omnibus præterea his circumposita caro in summam peruenit inflāmationem, non tamen colore aspicitur erysipelatis, imo qui adhuc phlegmones colore sit nigrior, veluti si plusculo rubro minus misceas nigri, qualis certe bituminis, aut picis color est. Quod autem necessario febricitent, qui ita sunt affecti, idque non minus, imo magis quam illi quibus erysipelatosa est phlegmone; id vtique latere neminem potest. Curatio incipienda ab incisa vena, & adhibenda sanguinis vacuatio, si nihil obstet, vsque ad animi defectum. Inciditur autem vena partem afflictam e directo respiciens, atque pro eius situ nunc humeraria, nunc interior, interim etiam media, & ea quæ in malleolis est secatur. Quinetiam scarificare eiusmodi tumores post sanguinis missionem, alienum non sit. Sint autem incisiones mediocribus altiores, profundioresve, propter infestantis humoris crassitudinem. Sunt qui ipsas incisiones salsa aqua calente statim perfundunt, ne in illis sanguis coeat, concrescatve, sed foras egrediatur. Imponi vero sibi laborans particula, quod ad inflammationem feruoremve spectat, refrigerantia desiderat. Ceterum propter humoris crassitudinem atq; malitiā, nec fluxionem auertere poteris: & si quando id feceris, aliud quippiam quod in alto sit corpore, offendes, atqui nec affluere is humor permittendus est, quin potius inquirenda remedia sunt, quæ cum modice reprimendo etiam discutere possint. Tale profecto est cataplasma quod ex plantagine conficitur, tum quod ex biscocta lente, scilicet miscentibus his nobis micā panis qui in clibano sit coctus. Esto autem panis nec omnino a furfure purus, nec nimium eius habens. Siquidem qui omnino purus est, eius substātia in cutis meatibus hærere est apta. Furfuraceus autem crassiorum est partium. Super ipsum vero vlcus, valens aliquod medicamentum, quod vehementer exsiccet, cuiusmodi est *pastillus Andronis*, vel *Polyidæ*, qui describitur a Galeno *libro 5. De compos. med. κατὰ γένη*, vel is pastillus quem supra *in capite De herpete* produximus, adiecto chalcanthi scrupulo. Liquari autem debent cum vino aliquo dulci, ad sordium strigmenticiamve crassitudinem. Item radix dracunculi, vel aristolochiæ, vel silphii liquor, singula ex aceto illinenda. Quæ autem reliquis adhiberi vlceribus solent, nempe quæ concoquant & pus moueant, ea nunc adhibenda non sunt, quando ita particulæ putredinem foueris. Porro partes adiacentes quæ consortii lege afficiuntur, succidis lanis ex liquore stillaticio rosarum, aceto, & bolo armenio irrigandæ. At vt radicitus carbunculos euellas, dirimasque ab adiacentium commercio, malum punicum acidum minutatim concisum in aceto coques: vbi intabuerit, in leuorem dete-

Carbunculus. Anthrax. Caussa. Signa. C Curatio. D Venæ sectio Scarificatio Localia. E Cataplasmata. F Pus mouentia non adhibenda. Adiacentes partes munientia medicamenta.

res, linteoque illitum impones. Cum vero siccescit, aceto humectabis. Cessante vero iam inflammatione & feruore, vlcus ac cicatricem similiter reliquis vlceribus perduces. Id quod fiet, si primum adhibitis iis quæ expurgant medicamentis, glutinãtia imposueris, quale est hoc vnguentum, quod habet: *Olei rosacei, vncias duas. Cerussæ, plumbi vsti, lithargyri, singulorum scrupulum vnum. Rosarum purpurearum, scrupulos duos. Radicis symphyti maioris, balaustiorum, boli armenii, singulorum scrup. dimidium. Succi semperuiui, scrupulum vnum. Ceræ candidæ quod satis est*, fiat vnguentum. Inter simplicia vero medicamenta plurimum laudatur symphytum inter duos contritum lapides, quod diuino quodam miraculo carbunculum sanare dicunt. Miranda etiam referunt de herba vulgo *Scabiosa* vocata. Ceterum crustas adimunt, *butyrum recens*, *axungia porci*, & id genus alia pinguia. A

Vnguẽtum glutinans.

B

De Gangræna. Cap. V.

Gangræna quid.

GANGRÆNA Græcis non est, nisi partis, quæ ex magnitudine phlegmones fit mortificatio, nondũ tamen integre facta, & iam confirmata. In gãgræna itaq; pars nondum mortua est, nec sensu priuata, sed emoritur, atq; ad exstinctionem tendit. Eius vitii tanta vis est, vt nisi ocyssime succurras, facile pars laborans mortis habitum repræsentet: hoc est, promptissime vitæ, sensus, & motus exstinctionem contrahat. Vbi vero membrum ipsum languens perfecte, & in totum emortuũ, sensuq; ac vita destitutum fuerit, tum hoc vitium non amplius gangræna, sed σφακελὸς Græcis, Latinis *Sideratio*, recentioribus *Esthiomenon* vocatur. Differunt etiam alia ratione *gangræna* & *sideratio*, quod scilicet gangræna carnosis tantum partibus & vasis: sideratio vero ossibus etiam innascatur. Ceterũ absolutã hanc laborantis partis corruptionẽ, sensus penitus auferentem, vulgus *ignem sancti Antonii* appellat. Fit autẽ gangræna & sideratio, quando vel parti vitalis denegatur facultas, vel quando in magnis phlegmonibus natiuus calor perit & exstinguitur, perinde atq; exigua flamma a maximo igne. Cognoscuntur iis notis: *Color floridus, qui in phlegmonibus adfuerat, in ipsis exstinguitur.* Deinde dolor & pulsus recedunt, non finito adhuc affectu, verum sensu iam emortuo. Vnde membrum mox nigrum conspicitur: molle quoque & putridum, fœtoremque expirans, cadauerosum efficitur. Quum constet sanguinis copia generari gangrænam, eius curandi præcipuus scopus erit, vt celerrime, qui in laborante impactus est particula sanguis, & cuius occasione emoritur, scilicet arteriis ob loci angustiam sese dilatare nequeuntib. vacuetur & exsiccetur. Fit autem larga illa sanguinis ita impacti ex laborãte parte vacuatio, vel vena incisa, si quæ amplior, ac turgens circa eandẽ partem cõspicitur: vel vniuersa cute, vna cum subiecta carne excisa: vel multis profundisq;, vel frequentibus & altis scarificationibus incidenda. Alii ad eundem finem sanguisugas admouent, & venas minores proximas aperiunt. Verum profundæ illę ac frequentes sectiones aut scarificationes, ad eius vitii curationem sunt multo efficaciores. Ceterum pro affectus magnitudine vel maximæ sectiones fiunt, vel incisuræ vtræq; frequentes: illa vbi putredini vitium vicinus est, hæc vbi tantũ putrescere incipit. Quo enim vitium maius est, eo maiore remedio indiget. Proinde altis plagis multisq; cutem ac totam ei subiectam carnem, si vitium ad ossa perueniat, vulnerabimus: sin minus, solis scarificationibus ac simplicib. incisuris vtemur. Vbi autem abunde sanguinem ex altis illis incisuris emanare permiserimus, locus aqua salsa abluendus erit, vt sanguis crassior, & qui alioqui ibidem concresceret, foras egrediatur. Deinde medicamentum aliquod quod ad putria facit vlcera, hoc est, quod putrefactionem prohibeat ac dissolnat, imponendum. Cuiusmodi est *farina eruina, aut loliacea*: vel si harum facultas non sit, *fabacea ex oxymelite*: atque ipsum *oxymeli* per se. Quippe hæc sua siccitate pus & putrilaginem absumunt ac detergent: frigiditate vero, quod nondum vitiatum est roborant, & a putredine arcent. Vbi vero iam ipse veluti feruor subsederit, ac vitii furia sese remiserit, *vnguentum* id quod vulgo *Ægyptiacum* dicitur, ex flore æris, alumine, melle, & aceto, ad æquas portiones mixtis & coctis compositum, superimponendum erit. Hoc enim putrefactionem prohibet ac discutit, putrefactum quoque ac corruptum ab integro & sano adhuc dirimit, & decidere cogit. Denique crustam inducendo, quod sanum est conseruat, ac tuetur. Quod si valentius atque efficacius vsurpare medicamentum velis, adiiciendus prædictus sal est: aut si vitium magis

σφακελὸς.

Caussa.

Signa.

Curatio.

C D E F

Putrefactionem prohibentia.

Vnguentũ Ægyptiacũ

A gis adhuc increuerit, aliquem ex pastillis Andronis, Polyidæ, aut Pasionis exquisite ac curiose tritum admiscere oportet. Probatur in ea re ante omnia *arsenicum* quod vocant *sublimatum purũ* aut *correctum*, idque vel in puluere, vel ex vino dissolutum, aut linamento, aut xylo exceptum, inter sanum & corruptum applicatum. Hoc enim confestim vitium sistit, & id quidem sine dolore. Quod si necessitas exigat, specillo separandum est sanum a corrupto. In eiusmodi autem medicamentis adhibendis, vt res securius tractetur, naturam corporis ægroti attente considerare oportet. Nam, vt *Galenus etiam libro 2. ad Glauconem attestatur*, rustici corpus quod natura durum est, vehementissima efflagitat remedia: muliebre vero molle, imbecilliora. Infantis quoque vel pueri, & virile corpus, quod quidem album sit & molle, ac balneis assuetum, & inexercitatum, mollia exposcit medicamina. Consideranda insuper est partium quæ male affectæ sunt, nedum totius corporis, natura, quando id, quod iam computruit, abscindis, aut circumcidis. Quædam enim sunt partes, quæ citissime putrescunt, si negligenter curentur: aliæ vero tardiuscule. Quædam item medicaminum vires ac beneficia tardius sentiunt, aliæ citius. Porro si nihilo magis vitium his causticis medicamentis constiterit, vri id quod est inter integrum ac vitiatum locum, debet. Solent vero hæc auxilia omnia nihil interdum proficere: atque tunc vnicum, tamen, vt Celsus inquit, miserum auxilium est, membrum quod paulatim emoritur, abscindere, vt cætera pars corporis tuta sit. Nam quod computruit, veneni in modũ suo contactu quod adhuc sanum & integrum est, inficit ac corrumpit. Si quando autem C putrefactam huiusmodi atq; emortuã partem abscideris, vel quod in membro quopiã computruit vsque ad sanum corpus concideris, eam quæ veluti radix est, sanæ & integræ parti adiunctam, ob maiorem securitatem candenti ferro adurere conuenit. Ita enim celeriter sanguinis profluuium compesces, & putredinem arcebis. Facta vero adustione porri succo, vel sale cum porro vtendum est, vel aliquo ex iis pastillis, quos paulo ante diximus. Hæc enim siccant, & stringunt putredinem, atq; humorum affluxum prohibent. Vbi vero his remediis adhibitis, tibi cessare putredo videbitur, vt crustæ medicamentis adurentibus, vel ignito ferro inductæ citius decidant, cataplasmate vtendum est ex pane vel hordeacea farina, vel triticea, ex hydrelæo incocta. Item medicamento, quod cephalicum vocant, ex melle illito. Hæc enim detergendo, crustam a subiecta carne resoluunt. Quinetiam medicamentum quod *tetrapharmacum* dicitur, præterea & *Macedonicum*, pus mouendo & emolliendo, crustas a subiectis partibus diducunt: quemadmodum etiam omnia quæ ad suppurationem perducunt. Panis quoq; cum apio, aut ocimo intritus crustas a sanis partibus citra erosionem detergendo, rumpit ac separat. Sic & iris, vel radix panacis, aut aristolochiæ, aut acori cum melle. In mollibus autem corporibus abunde facit erui farina, cum melle aut thure. Solent etiam vulgo ad resoluendas crustas vti butyro, aut alio quouis pingui. Vbi crusta deciderit, locum aceto abluunt, postea sequens emplastrum admouent, quod recipit: *mellis selibram, vitellos ouorum crudos tres, aut quatuor numero, farinæ hordei, selibram.* Hæc miscentur in formam emplastri. Post biduum vero vel triduum, vt melior fiat E purificatio, huic emplastro adiici possunt drachmæ decem myrrhæ selectæ. His rite peractis, huiusmodi vlcera ad sanitatem perducenda sunt medicamentis, quæ carnẽ producunt, & cicatricem inducunt.

Crustas a partib. exustis soluẽtia

Emplastrũ.

De impetigine. CAP. VI.

IMPETIGO, Græcis λειχὴν dicitur, *vitium cutis est, quod celeriter in scabiem & lepram, quam Græci sic nominant transit.* Sunt qui cutis asperitatem interpretentur. Fit ex tenui acrique sanie, crassioribus aliis commixta. Vitium est insuauissimum, & pruritum inferẽs, & circumtensionem, & periculum non minus. Proserpit enim aliquando per totam faciem, & oculos ipsos contingit. In curandi ratione, diligenter ea quæ mitior est, a fera impetigine, quæ mentagra etiam dicitur, & recens ab ea quæ longiore tempore durauit, discernenda. Siquidem quæ recens ac mitis est, curatu facilior est, quam ea quæ F diuturna & fera exsistit. Principio autem curationis, si plenitudine laboret corpus, sanguinis missio adhibenda. Sin minus, purgatio quæ tenues & crassas sanies purget, exhibenda. Supra modum vero confert hæc potio, quæ habet: *Florum violarum, buglossi, melissophylli, singul. manipul. vnum. Glycyrrhizæ rasæ, vnciam vnam. Prunorum damascenorum*

Impetigo. λειχὴν. Caussa. Signa. Curatio. Mentagra.

Purgatio. Potio purgans.

numero duodecim. Oxyphœnicon, vnciam vnam. Seminum melonum, cucurbitæ, cucumeris, citruli, decorticatorum singulorum drachmas duas. Fumariæ, manipulum vnum & dimidium. Radicis polypodii, foliorum senæ, vtriusque drach. sex. Corticum myrobalanorum flauorum, cæruleorum, vtrorumque vnciam dimidiam. Agarici optimi, drachmas duas. Rhabarbari scenitici vocati selecti, drach. vnam & dimidiam. Spicæ nardi, grana sex. Zingiberis, drachmam dimidiam. Decoquantur in aqua iustæ quantitatis, donec dimidium absumatur, & ea quæ decocta sunt per integram noctem simul persistent, postea colo transfundantur, adiectaque sacchari conuenienti quantitate ius decocti dulce reddatur, & subinde in eo diluantur antidoti hamech & diaphœnicon vtriusque drachmas tres. Fiatque potio, de qua quotidie in aurora exhibeantur vnciæ quatuor. A

Localia. Corpore vacuato, ad localia progrediendum erit, quapropter si recentes fuerint impetigines, parietariæ folia cum aceto trita illinenda: aut ammoniacum cum parietariæ succo in aceto tritum, illinendum. Idem facit *brassicæ succus*, aut quod ex eius caule dum aduritur destillat, illitum. Confert etiam plurimum cortex *radicis oxylapathi* commanducatus, & illitus. Puerorum impetigines, hominis saliua continue defricta curantur. His etiam opitulatur gummi pruni illitum. Et linimentum hoc, quod accipit: B

Linimentū. *Resinæ terebinthinæ in stillaticio liquore rosarum lotæ, vnciam vnam. Olei rosacei, vnciam dimidiam. Ouorum lutea duo; succi duorum malorum arantiorum dulcium.* Commixtis omnibus fiat linimentum. Vbi vero iam diu durauerint, impetigines, tum valide siccantia, & abstergentia, *Galeno lib. 5. De compositione medicament. κατὰ τόπους teste*, requirunt. Quare illis viticis folia cum aceto trita & illita prosunt, aut asphodeli radix in aceto decocta & trita, si affricetur. Probatur etiam ad impetigines hoc vnguentum, quod habet:

Vnguentū. *Resinæ terebinthinæ in stillaticio rosarum liquore lotæ, vnciam vnam. Olei rosacei, vnciam dimidiam. Butyri recentis, axungiæ porcinæ, vtriusque drachmas tres. Sulphuris viui, drachmas duas & dimidiā. Nitri, drachmam vnam & dimidiam. Aluminis facticii, zucharinum vocant, drachmam vnam. Salis fossilis drach. vnam. Seminis staphydis agriæ, lithagyri, vtriusque scrupulos duos. Vitellos oui duos.* Ceræ quod satis est, fingatur vnguentum. Aetius *lib. 8. cap. 16.* inter multa alia hoc vnice commendat, quod habet: C

Vnguētum. *Picis siccæ, resinæ colophoniæ, radicis ellebori albi triti, olei rosacei, ceræ singul. partes æquales*, fiat vnguentum, *vel vt Aetius vocat*, emplastrum liquidum.

Aliud. Verum vbi vitium iam stabile factum fuerit, & medicamentorum molimini resistit, vtendum erit excoriatoriis, quale est quod accipit:

Excoriatorium. *Lithargyri, nitri, æris vsti, foliorum viticis sing. drach. vnam. Chalcanthi, scrupul. vnum. Sulphuris viui, ellebori albi, vtriusq. drach. dimid. Æruginis, scrup. duos.* Vnumquodq; per se contere, deinde simul contusa oleo rosaceo & cera excipe, ac in vnguenti formā redige. Post excoriatoria, medicamenta, quæ vlcera repurgant, admouenda. Vlcerib. autem repurgatis, vtendum iis quæ glutinant medicamentis, quorum aliqua supra commemorauimus D

De scabie. CAP. VII.

Scabies. Caussa. Signa. SCABIES, quæ Græcis ψώρα dicitur, *summæ cutis asperitudo est, pruriens, in qua corpus paulatim absumitur.* Originem ex atra bile ducit, aut pituita salsa, crassa ac lenta, vt *testatur Galenus libro 2. De sympt. caussis, capite 10.* Scabies summam corporis cutem exedit variasque figuras habet, ac furfurea magis ex se corpuscula edit.

Victus ratio. Principio vero opus est, vt conuenienti victus ratione vtantur ægrotantes, quapropter a cibis atram bilem generantibus, aut salsam pituitam, abstineant: qui quales sint, in *capite De cancro* dicemus. Vtantur vero potius iis quæ facile concoquuntur, & bonum procreant sanguinem. Vinum bibant tenue & antiquum, aquosum tamen. E

Curatio. Curandi ratio, si corpus plenum fuerit, a venæ sectione auspicabitur. Incidenda autem erit vena media, & tantum sanguinis educendum, quantum ægrotanti ex re esse videbitur, aut quantum vires ferent.

Purgatio. Sin minus, purgatio ex iis quæ atram bilem ducunt, est exhibenda. Præter decoctum autem in capite præcedenti positum, & ea, quæ *in capite De melancholia* commemorauimus, mirifice prosunt catapotia de fumaria, & hæc quæ accipiunt:

Catapotia. *Aloes iecorariæ, drachmas duas. Corticum myrobalanorum flauorum, drach. duas & dimidiam. Folliculorum senæ, agarici optimi, epithymi, sing. scrup. vnum. Fumariæ scrupul. duos. Dacrydii scrupul. dimidium. Tragacanthæ, rosarum purpurearum, vtriusq. drach. dimidiam.* Cum stillaticio liquore fumariæ fiant catapotia, de quibus detur *pondus drachmæ vnius, plus aut minus*, pro ætatis ac virium ratione. F

Balneum. In salsæ pituitæ abundantia catharticum imperiale, & antidotum hamech summopore valebunt. Corpore vniuerso vacuato, vsus esse poterit *balnei aerei*,

A *aerei, aut aquæ dulcis, in qua tamen radix oxylapathi, fumaria, scabiosa, beta oxalis, & id genus alia, quæ in capite De pruritu commemorabimus*, decocta sint. Reponi quoque in sacculos debent *farinæ lentium, fabarum, hordei, & furfures, & cum iis abstergi totum corpus*. A balneo æger in lecto stragulis opertus sudet. Extrinsecus ad solem, vel in balneo, quæ illinuntur fere eadem sunt, quæ supra *De impetigine* diximus. Inter simplicia vero potissimum ad eum vsum adhibentur *staphis agria, lupini, sulphur viuum, cicer, lilii radix, & lutea ouorum*. Inter composita hoc vnice conducit, quod habet: *Resinæ terebinthinæ instillaticio liquore rosarum lotæ, vncias duas. Oleorum rosacei, costini, vtriusque vnciam dimidiam. Sulphuris viui drachmas tres. Seminis staphidis agriæ drachmam vnam. Salis fossilis, drachmam vnam & dimidiam. Lutea ouorum tria, butyri recentis, vnciam vnam*. Commixtis omnibus fiat linimentum. B Smegmata quoque ex solis *lapathis, oxylapatho* præsertim, mirifice conferunt ad scabiei amolitionem.

Localia. Vnguentum.

De pruritu. Cap. VIII.

Prvritvs, est *scalpendi assidua cupiditas*. Hic vero senibus maxime accidit. Contrahitur ex prauo humore, qui nimirum biliosus, atque adeo acris, aut pituitosus, putris salsusve est. Vitium de ægri sermonibus promte dignoscitur. Humorum vero pruritum efficientium diuersitas, ex ætate, temperamento, victus ratione, anni tempore, regione, & reliquis iis similibus agnoscitur. Si plenitudine corpus simul laboret, a sanguinis missione curatio ipsa auspicabitur. Sin cacochymia tantum affuerit, medicamenta exhibenda quæ redundantem vitiosum succum educunt. Corpore i- C pso vacuato, ad externam curationem diuertemur. Lauandum itaque prorsus ieiuno est, nonnunquam & modico cibo sumto iterum lauãdum: quippe vitium hoc vix inhumescit. Detergitur autẽ fœnogræci, aut betarum, aut furfurum, aut maluæ, aut altheæ, aut hordei decocto. Præter hæc valent farinæ etiã fabacæ, vel lupinorũ. Si inueterauerit vitium, lauatio similiter quidem conuenit. Fomentum autẽ ex *saluia, myricæ, herbæ mercurialis, origani pulegii, baccarum lauri, cucumeris syluestris radicis decocto, & oxalme* fiat. Potest & linimentorum supra commemoratorum vsus esse. Ad pruritus etiã mirifice confert, si nucum iuglãdium corticis vnc. vna, sulphuris viui tãtundem, cum apii succo terantur: & cum iis in balneo corpus affatim defricetur. Hoc enim solum, Paulo teste, multis tum scabiosis, tum pruritu detentis, abunde fuit. Apium etiã per se D viride tusum, infricatumq; in balneo, vehementer auxiliatur. Smegmata quoq; ex lapathi radicib. in aceto coctis, confici possunt.

Pruritus. Caussa. Signa. Curatio. Balneum. Smegmata.

De exanthematis. Cap. IX.

Ἐξανθήματα Græcis sunt *tumores sponte in cute florentes*. Sic dicti, quod turgentium ad florem gemmarum in plantis modo tumeant. Hippocrates *tertio Epid. libr.* ἐκθύματα, ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, hoc est, ab erumpendo; quod scilicet sponte e cute erumpant, in eaque floreant, vocauit. Plinius *papulas*, & interdum etiã *pituitæ eruptiones* nominat. Interpretes aliquot Latini *pustulas* appellant. Sunt autem duplicia exanthemata, quædam enim sublimia, quædam vero lata. Sublimia, ab iis, qui barbaram sectantur medicinam, *Variolæ* nuncupantur. Germanis autem, **Kindsblattern**. Lata & humilia, Barbaris *Morbil-* E *li*, Germanis, **die Kindsflecken** appellãtur. Procreantur autem ex crassis & cuti impactis humoribus. Sublimia tamen a calidiore & tenuiore humore fiunt, lata vero, a frigidiore & crassiore. Totum autem hoc genus exanthematum nascitur, natura corporis profundum expurgante. Quare paucissimi admodum sunt, modo ad legitimã ætatẽ perueniant, qui hoc malum effugiant. Non ignoro autem vulgo appellari morbillos, quæ Galeno & aliis Græcis *exanthemata sublimia*: & Variolas quæ illi *lata exanthemata* nominant: quanquam parum recte, *quemadmodum sect. 2. sexti Epidemicon aphor. 18. copiose demonstrauimus*: Ad quem quidem locum, ne eandem rem cum maximo aliorum fastidio, sæpius repetamus, nunc lectorem ablegamus. Exanthematum eruptionẽ grauia quædam symptomata sequuntur, vehemens nimirum dorsi capitisq; dolor, diffi- F cultas spiritus, pruritus narium & aurium, febris, punctiones vniuersi corporis, pãdiculationes, & oscitationes crebræ. Vbi iam egrediuntur, initio facies maculas quasdã ostendit, quæ vel in sublime tolluntur, vel in latum extenduntur. Sublimia itaq; exanthemata, cutem in tumorem manifestum attollunt, atq; exulcerãt, pruritumq; excitant. Lata exiguũ admodum tumorem efficiunt, neq; tamen exulcerant, neq; etiam

Exanthemata. ἐκθύματα. Papulæ. Pituitæ eruptiones. Duplicia exãthemata. Sublimia. Variolę. Lata. Morbilli. Caussæ. Signa.

pruritum excitant, quod scilicet in latitudinem extenta difflentur, humorq; ea faciens acris non sit. Quod etiã Hippocrates in Aphorismis testatur, dicens: *Lata exanthemata non admodum pruriunt*. Postquam vero iam eruperint, raucedo vocis, dolorque in faucibus ac gingiuis accidit. Porro difficilis exanthematum fit eruptio & progressus iis, quorum cutis crassa & densa exsistit. Difficilior autem semper latorum est exitus, vtpote quæ ex crassiorib. vt dictum est, ac tenacioribus humoribus oriuntur, atq; adeo hoc nomine non facile cutẽ penetrare possunt. Quare si accedit cutis etiã densitas plerunq;, intus detentis exanthematis, moriuntur. Contra pauci admodũ, modo in victus ac curandi rationib. error absit, in sublimiũ exanthematum eruptione pereunt quum ex tenuiorib. humoribus, ac prompte erumpentib. generentur. Exanthemata etiam magna ex parte infantib. eueniunt & iuuenib. rarissime senibus. Meliora ex iis sunt rubei coloris: deteriora, imo pessima, quę atrum, aut viridem præ se ferunt colorem. In curandi ratione diligenter ad ætatẽ est respiciendum. Si enim infantib. erumpere per cutem cœperint exanthemata, cauendum vnice ne naturæ motus impediatur. Quare initio aerem deuitare frigidum oportet, is enim cutem densat, atque adeo exanthematum eruptionẽ prohibet. Versentur autem potius in eo, qui mediocriter calidus est. Corpus etiam vestib. aut stragulis ab iniuria aeris frigidi probe muniatur. Cauendum tamen ne, quod vulgus facere solet, supra modum calidis hypocaustis, aut nimiis tegumentis ac stragulis syncope accersatur, atq; adeo æger suffocetur. Infantes ipsi neq; pleniore, neq; nimis tenui cibo alantur. Et si venter illorum nõ respondeat, tunc melle quod cibo additur aut resina terebinthina ciceris magnitudine mouẽdus. Vehementiora enim medicamenta, ne adultis quidẽ danda, tãtum abest vt pueris conuenire queant: prompte enim dysenteriam concitant, potissimum in sublimioribus exanthematis, quorum generatio ex acribus est humoribus. Quod si natura probe excreuerit exanthemata, nullũ sane facescere negotium oportet, iuxta hoc Hippocratis: *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere oportet*. Sunt tamen, qui infantes inuoluant pannis rubris aut puniceis, vt ad crebrum illius aspectum & intuitum ad exteriora, atque adeo summã cutem ferantur humores. Qui vbi euocati fuerint, facile discutiuntur. Quod si tamen natura in expellendis humoribus tardior, ut imbecillior esse apparet, hoc, aut simile decoctum, quod obstructiones tollit, exhibendum erit, quod habet: *Radicum apii, fœniculi petroselini, sing. vnciam dimidiam. Seminum anisi, asparagi, rusci, singulor. drachmas duas. Caricarum numero sex. Calaminthæ, manipulum vnum*. Coquantur in aqua sufficienti, donec medietas absumatur. Iuri per collum transfusi, & sachari adiectione dulci admisceantur *serapii acidi simplicis, vnc. tres*, & fiat potio, de qua detur quotidie mane & vesperi pondus, vnciæ tres, plus aut minus pro ætatis ratione. Si adulti corripiuntur exanthematis, initio curationis, si corpus plenum fuerit, sanguis mittendus, idque faciendum antequam appareant exanthemata. Si vero humorum copia in alto cõstiterit, purgatio primum tentanda est. Nam si hac neglecta prius discutere aggrediaris, obstrues ipsos potius, quam per cutẽ vacuabis. Sin autẽ nulla in alto deliteant humorũ superuacua, per cutem vacuare oportet, & non procul attrahere, per aluũ, aut vomitũ vacuationem molitus: sed humorum qui cuti impacti sunt, curationem medicamentis quæ excalfaciunt & discutiunt, experiaris: idq; maxime, quũ lata sunt exanthemata. A frigido enim admodum & crasso humore hæc ipsa orta sunt. Quã quidem curãdi rationem Hippocrates etiam ipse *libro sexto Epid. par. 2. Aphorismi decimioctaui* probat, vbi ita scriptum reliquit: *Latæ pustulæ, quales hyeme Simon habuit, non admodum pruriunt. Hic sane quum ad ignem inungeretur, vel calida lauaretur, iuuabatur. Vomitiones non expediebant. Puto vtique eum qui calidis abunde fouisset, huic prodesse potuisse*. Quibus sane verbis manifeste innuit Hippocrates, humores crassos ad cutem repentes non esse per medicamenta ad profundum corporis trahendos, sed per cutem potius, calidis tum fomentis, tum medicamentis vacuandos. Quæ autẽ sint eiusmodi, in superioribus libris sæpe est dictum. Porro si post eruptionem exanthematum oculi male afficiantur, liquor stillaticius rosarum, in quo parum succi semperuiui, aut portulacæ, aut licii sit dissolutum, instillandus erit. Faucium vero & oris noxæ medendum compositione diamoron, & id genus aliis medicamentis, suo loco expositis. Reliqua curandi ratio,

Marginalia: 6. Aph. 5. — Latorũ exãthematũ eruptione multi moriuntur. — Curatio infantium. — 1. Aph. 20. — Decoctum. — Curatio adultorum. — Hippocrates.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A tio, quæ post plenam exanthematum apparitionem requiritur, in desiccando sita est. Quare humectatio omnis externa absit.

De ambustis. Cap. X.

Corporibus quæ ab igne, aut feruente aqua exuruntur, tria accidunt symptomata, dolor, bullæ seu pustulæ, & exulceratio. Igitur ambusta igni, πυρίκαυτα vocant Græci, indigent medicamentis quæ moderate abstergunt, absque eo quod euidenter calefaciant, aut refrigerent. Protinus ergo inhibendas pustulas terra quæuis leuis, cimolia præsertim, in teneris quidem corporibus cum aqua, in durioribus autem cum aceto non admodum acri, aut posca madefacta, illinenda. Sunt qui præferant eam terram quæ sub vasis aquariis reperitur, si cum albo oui excipiatur. Cimolia stil-
B laticio etiam rosarum liquore excepta, mirifice confert. item ouum integrum crudum statim impositum, lana molli exceptum præclare facit, pustulasque excitari prohibet. Etenim refrigerat leuiter & citra rosionem desiccat. Idem efficit atramentum scriptorium illitum, aut thus aqua dilutum, vel lens cocta tritaque, vel eruum illitum. Betæ etiam folia cruda contusa, postea elixata, & cum vino illita conducunt. Item hederæ folia in vino decocta, & illita. Alumen item omne cum aqua & oui albo. Santala etiam trita, & cum stillaticio rosarum liquore excepta, adiecto succo semperuiui, prodesse plurimum possunt. Itidem valet bolus armenius illitus. Locus autem, qui vstionem patitur, manu contingendus non est: quare medicamenta ipsa penna illinenda sunt. At ex aqua feruente vstionibus priusquam pustulæ oriantur amian-
C tum scissile, (*alumen plumosum* vocant officinæ) tritum cum aceto illinitur, aut fel taurinum cum aqua copiosiore liquatum inungitur aut bulbi liliorum, aut hyacinthorum cum rosaceo triti, & in sordium spissitudinem coacti delinuntur. Porro pustulæ si fuerint excitatæ, principio ne frangito. Si vero persistant, frangito cum acu, vt aqueus humor effluat, alias enim partes subiacentes corrumpit, & exedit. Partibus exulceratis adiantum aridum, leuigatumque, aut myrti folia combusta, pertritaq; insperguntur. Laudatum est remedium, *vnguentum candidum* vocatum cum succo semperuiui, & id quod in capite *De carbunculo* descripsimus.

Curatio ambustorum igni πυρίκαυτα.

Curatio vstionum ex aqua feruente.

Pustularum curatio.

Exulcerationis.

Laudanum quid.

De formica, verruca & clauo. Cap. XI.

Formica, quam Græci μυρμηκίαν vocant, *tumens & callosa, magnaque ex parte rotunda*
D *est excrescentia, colore nigricans, latiore basi, & in cute sessilis, quæ in scalpendo & attritu mordentis formicæ sensum efficit, vnde etiam nomen accepit.* Græci enim μύρμηκα formicam vocant. Verruca vero, quæ Græcis ἀκροχορδὼν dicitur, itidem exigua est cutis excrescentia angustiore tamen basi, ac pensilis, vt chordæ nexu suspensa esse videatur. Hæc autem dum abscinditur, longe maiorem sanguinis quantitatem, quam suæ paruitati congruat, reddit. Clauus rotundum est tuberculum, clauorum capiti simile, quod plerunque in calcaneis & pedum plantis nascitur, in gradiendo afferens dolorem & impedimentum. Græcis ἧλος nominatur. Generantur ex humoribus frigidis & crassis, pituitosis atque melancholicis. Signis non est opus ad dignoscendum, sed prompte ex iis, quæ diximus, discernuntur. In curandis iis tumoribus, cauendum initio erit æ-
E grotanti ab omnibus iis, quæ frigidos & crassos humores procreare possunt. Dein corpus purgandum medicamento, quod pituitam, aut melancholicum educit humorem, aut vtrosque. Corpore purgato, ad localia veniendum erit, inter quæ sane medicamenta maxime laudatur *liquor tithymali, aut fici arboris illitus. Elaterium quoque cum sale infricatum, eos tumores tollit. Thus item cum aceto, hircinum fel, nitrum cum vrina pueri Venerem non experti. stercus ouillum, aut hircinum; cum aceto illitum. Valet etiã ærugo cum sulphure ignem non experto combusta; & ocimi folia cum chalcantho; item ruta cum nitro & pipere.* Verum antequam prædicta medicamenta apponuntur, euelli debent verrucæ, maximæ potissimum, id quod bifariam fit. Vel enim pilo equino iuxta basim excipiuntur, qui quotidie magis atque magis constringitur, donec e corpore decidant. Vel circum-
F scarificatæ, scalpro radicitus eximuntur. Nonnulli ne rursus succrescant, candenti ferro vtuntur. Galenus *libro 14. The. meth. capite 17.* Romæ fuisse quendam tradit, qui verrucas & formicas ore sanauit. Formicas enim certa primum labiorum applicatione, ceu suctu ad se traxit, atque a radice euulsit: deinde primorib. apprehensam dentibus, totam simul exemit. Sed, vt idem scribit, scalpro ad myrtacei folii speciem forma-

Formica. μυρμηκία.

Verruca. ἀκροχορδὼν.

Clauus.

Caussæ. Signa.

Curatio.

Localia.

Euulsio verrucarum.

to, & ferramento eo quod *scolopomachærion* Græci vocant, quispiam manibus exercitatus, facile eas excidet, quum propriis lineamentis a circumposita cute circũscripta discernantur. Est autem scolopomachærium Græcis non nisi cultellus acutus, vel pali instar erectus. Nam σκόλοψ illis est acies & acumen, μάχαιρα vero culter siue gladius. Æque vero & valente aliqua penna, quales sunt veterum gallorum, anserum, & aquilarum, circulo formicæ imposita, ipsam educimus. Debebit porro pennæ concaua fistula esse formicæ crassitudini par, vt eam vndique prorsus constringat. Quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsat, celerrime ita formicam etiam cum ipsa radice totam educet. Constat vero, & quod finis ipse pennæ quæ eam circulo secabit, non tenuis modo, sed etiam acutus & firmus esse debebit. Abscindere ab iis tantum radicem versus oportet, quatenus reliquæ partis fistula complecti formicam possit. Sane ex ipsa statim abscissione, si modo scite fiat, etiam acumen ipsi comparabis. Ceterum sunt & alia medicamenta ad tollendos prædictos tumores idonea, quale est quod habet: *Fecis vini vstæ, calcis viuæ, æruginis, singulorum partes æquas, cum vrina pueri impuberis exceptas.* Hoc medicamento statim decidere formicas, Oribasius memoriæ prodidit. Et quod accipit, *æruginis, auripigmenti, sandarachæ (arsenicum rubeum vocant) salis ammoniaci, singulorum drachmam vnam.* Redacta in puluerem cum liquore tithymali excipiantur, & in calycibus glandium, aut nucum auellanarum putaminibus verrucis & formicis clauisq; imponantur, ne scilicet circumiacentes partes erodant. Vbi deciderint, communis curatio vlcerum adhibeatur. Mirifice autem prodest *millefolii, & geranii species*, quam *herbam Roberti* hodie vocant.

Scolopomachæriũ. Medicamẽta ad tollendas formicas.

De vitiligine. CAP. XII.

VITILIGINIS, quæ cutis est vitium, duæ sunt species. Vna enim λευκὴ dicitur, *quæ nihil aliud est, nisi coloris ad albidius mutatio.* Latinis *vitiligo alba* nominari potest. Arabibus autem *Alboras* vocatur. Altera vitiliginis species ἀλφὸς Græcis appellatur, cuius generatio eiusdem cum leuce modi est: non tamen omnino in profundo caro in ea patitur, sed summa tantum cutis, & veluti squamulæ quædam vitiligines ipsæ infixæ adhærent. Et hæ quidem duplices sunt, albæ & nigræ: faciuntque duplicem alphum, album & nigrũ. Auicenna & Arabes alii, hoc vitium *Morphæam* nuncupant: & eam quoque duplicem esse statuunt, albam & nigram. Leuce a viscoso, glutinosoque sanguine contrahitur. Galeno siquidem *libro tertio De symptomatum caussis, cap. 5. teste*, cum pituitoso viscosoque sanguine diutius caro alitur, caro quidem manet adhuc, sed mutatur eius differentia, & in aliam speciem conuertitur: & media caro fit inter eam quæ sanguine prædita est, & eam, quæ sanguine caret. Atque quum talis exsistat, accidit vt ne tentet quidem postea affluens sibi alimentum in rubentis carnis speciem transmutare: haud aliter quam polypis, locustisque accidit. Hac occasione, ipsa tota quam celerrime & alba & pituitosa euadit, quando & ipsa alimentum in ruborem posthac transmutare non potest: & id quod influit pituitosum est. Qualis enim protinus ab initio & locustarum & ostreorum fere omnium caro est, talem ex transmutatione acquirunt ii, qui leuce infestantur. Iam alphi haud diuersum (vt dictum est) a leuce habent generationis modum: Verum per hos non tota caro afficitur, sed cutis duntaxat superficies, veluti squamis quibusdam inspergitur. Atque albi quidem ex pituita, nigri vero ex melancholico humore proeunt. Leuce tam alte in corpus penetrando radices agit, vt & pili in ea cani, & lanugini similes enascantur. In alpho, vt comprehensum est, squamulæ quædam affixæ cuti inhærent. Porro in curatione leucæ, initio omnia fugienda erunt, quæ sanguinem glutinosum ac pituitosum procreare possunt. Deinde cum non quælibet leuce curationem recipiat, notas ipsius tales habeto. Acu per summa leucæ puncta, sed cute non penitius, si sanguis emanauerit, sanabilis est: sin lactea humiditas, desperata est. Vel panniculo laneo asperiore infricata cutis, siquidem rubicundior euaserit, medicinæ locus est: sin idem color remanet, non consanescit. Et quæ plura loca corporis obsidet leuce, difficilius tollitur, quam quæ pauca deturbarit. Item vetustior, quam recens, minus in medicina spei habere censenda est. In curabili itaque leuca statim exhibenda medicamenta quæ glutinosos humores extenuare possunt, vt est hyssopus, calamintha, anisum, oxymeli, & id genus alia, quæ *in præcedentibus libris,* primo

Vitiligo. Leuce. Alboras. Alphos. Alphos duplex. Caussæ. Signa. Curatio leucæ.

A *primo potissimum, cap. De dolore capitis ex pituita*, dicta sunt. Deinceps quæ eosdem purgare valent medicamenta exhibenda. Corpore purgato, ad localia veniendum medicamenta: quare leucæ, hoc vel simili medicamento affricandæ. Fici folia viridia macerato in aceto: sit autem aceti tantum, vt ea superet, & penitus contegat: deinde contusa & trita cum sufficiente calce viua misceto, & locis prius extersis, in sole illinito, vsquequo lentigini similem imaginem ipsa leuce induat, atque deinde fici succum recentem supra istam illitionem inducito, ipsamque leucem solam aliquandiu confricato, & ne vicinas partes exulceres obseruato: Egregie enim auxiliatur. Laudatur & hoc quod in eum paratur modum: *Iuglandium nucum immaturarum & adhuc acerbarum exteriorem corticem viridem detrahito, & fici nigræ syluestris ramulos amputato, adhac li-* Localia.

B *thargyrum conicito, ac cum aceto coquito terito, & ad vnguenti formam reducito, idque ipsum in sole illinito.* In decoquendo etiam hordei grana septem addito. Hinc enim sufficientis decoctionis signum habebis, vbi videlicet hordei grana cocta videbis. Fortiora iam dictis sunt, sulphur viuum, veratrum, sandaracha, chalcanthum, alumen rotundum & scissum, ventres cantharidum, sal ammoniacum, nitrum, & id genus alia, e quibus vnguenta confici possunt, quale est hoc quod habet: *Sulphuris viui, nitri, vtriusque drach. duas. Aluminis scissi, rotundi, ellebori albi, drach. vnam. Salis ammoniaci, drach. dimidiam. Farinæ lupinorum, drach. duas & dimidiam.* Redacta in puluerem cũ vnguento flauo, *citrinum* vocant, quod satis est excipiantur. Porro cutis prius quã medicamenta adhibeantur, nitro defricanda erit. Sunt etiam, qui prius acu transfixa purgant, quoad cruor ema- Vnguentũ.

C net, antequã medicamenta illinant. In alphis curandis victus ratio sit, quæ neq; pituitã, neque atram bilem in corpore aceruet. In albo igitur, principio quæ pituitam educunt medicamenta: in nigro, quæ melancholicum humorem vacuãt, exhibenda sunt. Corpore vacuato, vtrique cõmune prodest auxilium, elota calx aqua soluta, aut dracunculi, aut ari radix, cum aceto illita. Simili modo vtrumq; veratrum eisdem efficax est. Item lupinorum amarorum decoctum superfusum, eorumque farina ex aceto vel oxymelite illita. Capparis quoque radicis cortex cum aceto, liliique radix cum melle, cepa ex aceto in sole, peruncta. Alia quoque medicamenta, quæ paulo supra commemorauimus admota, plurimum adiumenti afferre solent. Curatio alphi.

De œdemate. CAP. XIII.

D Οἴδημα Galeno, & aliis post eum Medicis Græcis, est tumor mollis, laxusve, & doloris expers. Barbaris, *corrupta* & inepta voce, *Vndimia* dicitur. Nonnullis ineptius multo, *zimia*. Fit ex substantia pituitosa, aut spiritu vaporoso. Signa iam fere dicta sunt. tumor enim adest mollis, qui si summis prematur digitis, cedit, fossulamque reddit, nec amotis digitis resilit, sed prementis vestigium retinet, colore albus, qualis in pedibus ac cruribus eorum quos aqua intercus vexat; & in tabidis, & aliis qui malo corporis habitu (καχεξίαν Græci vocant) laborant, prouenire solet. Verum in illis periculosis affectibus, œdema quidem symptoma est, nulla propria præcipuaque curatione indigens. Sola enim frictio ex oxyrhodino, cum nonnunquam ex sale & oleo, vel etiam ex sale iniecto oxyrhodino ipsum sistit. Quum vero propter pituitam Oedema quid. Caussa. Signa. Curatio.

E particulæ influxam œdema constitit, duplex eius curandi scopus erit. Alter, vt humores partem occupantes vacuentur: alter vero, vt fluxio restringatur, reprimaturve. Quare initio corpus purgetur medicamento, quod pituitam ducit. Eo vacuato, quæ reprimunt, & siccandi simul ac discutiendi facultatem obtinent medicamenta, adhibenda sunt: vt est spongia, aqua quæ parum aceti habuerit imbuta, cum ligamento leuiter stringente imposita, quæ ab inferiori parte incipiens supra finiat, vitium abigit. Esto autem spongia, modo conductura sit, recens: hæc enim plus exsiccat, atque discutit, Gal. *lib. 11. De simpl. med. facul. teste.* seruat enim etiamnum eam quam a mari accepit facultatem. Aceti etiam in posca sit tam moderata temperatura, vt possit ipsam quispiam bibere. Quæ autem ex ea plus aquæ continet, in prin- Spongia recens.

F cipio adhibenda est, maxime in mollibus corporibus. Quæ vero hac fortior fuerit, in robustis & duram habentibus cutem, & quæ ad primam spongiæ appositionem non iuuantur. Quod si spongiæ nouæ occasio non est, hanc detergebis abluesque nitro, & aphronitro, & lixiuio. Quod si sub his œdema non subsidat, vbi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis adiicies, ac nouam spongiã admouebis, atq; tum (vt præscriptum

est) deligetur ab inferiore sursum. Sit autem arctatio mediocris, ac primæ quidem A fasciæ inflectiones, quæ scilicet inferne incipiunt, magis arctandæ: quæ deinceps, sunt remittendæ: ceterum non adeo, vt laxa sit aliqua deligationis pars. Curationis siquidem intento in œdemate, vt diximus, mixta est: vna quidem, vt eius substantia dissoluatur: alia, ad constringendum & congregandum. Quod si diuturnum œdema fuerit, œdema prius oleo inungens, deinde spógiam ex lixiuio impones, atque stringes vehementius. Discutit etiam ac comprimit œdemata quælibet terra illita, tum lutatis satiua. In discutiendis etiam œdematis mirifice conducit emplastrum diachylon, & oxycroceum nominatum. Sic etiam emplastrum ex *radice altheæ, liliorum alborum, malua, acantho, oxylapatho, senecione, semine lini*; & iis similibus compositum, miram in discutiendis œdematis vim obtinet. Cocta autem & subacta, & cum axungia vel butyro B myxta, in formam emplastri rediguntur.

De inflationibus. Cap. XIV.

Inflatio quid. Inflationũ ab œdemate differentia.

INFLATIONES Græci ἐμφυσήματα vocant, tumores sunt, qui ex flatulento spiritu in aliqua parte coaceruato geniti sunt. Differunt autem ab œdematis, quod illa, *Galeno etiam libro 14. Ther. method. cap. 7. attestante*, ex pituitoso humore ortum habent. Proinde prementibus nobis cedunt, digitique admodum alte in ipsa descendunt. Inflationes vero ex flatuoso spiritu collecto, vt comprehensum est, nascuntur alias sub cute, alias sub membranis quæ ossibus circundantur: aut musculos viscerumve aliquod includunt. Porro colligitur aliquando non parum etiam in ventriculo & intestinis, itemque in medio spacio horum, & peritonæi. Differunt quoque hæ ab œ- C dematis, quod & pressæ digitis non retinent vestigium, & sonitum veluti tympanum reddunt. item quod in cauitate sensibili continentur, atque hac nonnunquam

Caussa.

maxima. Caussa autem flatulenti spiritus, qui & flatus dicitur, est caloris natiui imbecillitas, qui humidam materiam sensili transpiratione discutere non potest. Quapropter suscitat quidem vaporem ex humida materia, sed eum haud ob suam imbecillitatem discutit. Quemadmodum copiosius *lib. 3. De symptomatis caussis* Galenus monstrat. Quod si cum caloris imbecillitate adsit meatuum per quos flatus euaporatur, densitas, inflatio maior erit. Signa inflationum sunt, tumor tactui renitens, cum

Signa.

lucido quodam splendore, sonum, vt vter, vel tympanum, dum percutitur, reddens. Adhæc persæpe sentitur flatus per vniuersum corpus, modo huc, modo illuc dis- D

Curatio.

currens, ac dolorem tensionis pariens. Quum igitur tria hæc, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum densitas inflationem generent, curationis ipsius scopus erit caloris substantiam roborare, vaporem extenuare & meatus recludere. Porro posteriora duo, nempe densi corporis rarefactionem & crassi spiritus extenuationem, iisdem omnino medicamentis & præsidiis assequimur, extenuantibus nimirum & calefacientibus, magis aut minus, pro laborantium partium densitate vel varietate, & vaporum quoque crassitudine vel tenuitate. Pro horum namque differentia facultas medicamentorum quæ admouentur, intendi & remitti debet. Itaque raræ partes, & vapor seu spiritus non admodum crassus, minus: densæ vero, & vapor multa crassitie præditus, magis ex tenuantibus, & calidis egent. Caloris autem E substantia si periit, aut imminuta est pro ratione iacturæ eius resarcienda erit. Si vero alterata fuerit, ad mediocritatem reducenda. Quod si dolor cruciat, ad anodyna transeundum est. Principio itaque in curatione eius vitii vnice curandum, vt æger ab omnibus iis quæ flatus generare possunt tum cibis, tum potionibus abstineat. Vtendum autem potius calidis & siccis, item attenuantibus, ac flatum discutientibus. Concoctrix quoque facultas odoratis & flatum discutientibus medicamentis, vt sunt diacuminum, diacalaminthes, odoratum rosaceum, & id genus alia, quæ *in libro 3. in capite De inflatione ventriculi dicta sunt*, roboranda erit. Extrinsecus ventriculus ex milio, aut sale, vt crudo lini semine fouendus est: si quidem dolor mediocris sit. Sin vehemens, vtendum est oleo tenui quod rutam incoctam habeat, aut aliquod calido- F rum seminum, cuiusmodi sunt cumini, apii, & petroselini. Quibus si non sedetur dolor, cucurbita magna cum longa flamma, sine scarificatione ventri affigenda est, ita vt vmbilicum complectatur. Quod si artubus & musculis qui sub cute, aut etiam membranis, quæ ossa vestiunt, oriatur inflatio, si citra dolorem sit, liquor aliquis tenuissi-

A tenuissimarum partium, cuiusmodi est lixiuium spongia noua exceptum, imponi debet. Sin dolor quoque vrget, vngenda pars oleo est, quod relaxandi ac remittendi vim habet. Incidunt porro eiusmodi affectus, vbi vel musculus, vel membrana quæ os circuit, est contusa. Ac super membranam quidem quæ os ambit, antedicta imponenda est spongia. Ad musculos vero, medicamentum quod magis mitiget, est adhibendum. Quo fit, vt ad hos solo lixiuio non vtamur, sed immissa ei tum sapa, tum pauculo oleo. Satius autem fuerit in principio non addidisse lixiuium, sed sapa cum vino & exiguo oleo vti, ac quod mediocre sit olei adiicere. Vbi mixta sunt, modice excalfacere, ac lanam succidam ipsis imbutam imponere. Vbi œsypus præsto non est, aliquid cerati quod ex œsypo componitur, recte admiscueris. Debent enim contusi musculi leni- B ri medicamento, cui mixta sit facultas: quippe quæ simul concoquat, discutiat, & modice adstringat. Quippe si nihil habet adstrictionis aliquando phlegmonas, in plethoricis maxime corporibus, auget. Quæ singula longius Galenus *libro 14. Ther. method. cap. 19.* prosequitur. Quid vero faciendum sit, si inueterauerit inflatio, Galenus ibidem monstrat. Ceterum si huiusmodi flatulentus spiritus fumosus fuerit, malus, corruptus, & a materia venenata excitatus, cum dolore intolerabili, & vehementi calore, per membra discurrens, nullum tutius ac melius consilium dari potest, quam quod vbi in parte quapiam substiterit, pars ipsa protinus infra supra que deligetur, ac in medio nouacula, vel ferro candente tumor aperiatur, ita vt facile vapor ille venenosus egredi possit. Deinde hilans plaga implenda erit aloe, & bolo armenio ex rosaceo & a- C ceto dissolutis. Transactis vero diebus tribus aut quatuor, vulnus carne implendum erit, & ad cicatricem perducendum.

Contusorũ musculorũ remedia.

Si flatuosus spiritus venenatus fuerit.

De scirrhis. CAP. XV.

SCIRRHVS *exquisitus est tumor præter naturam sensus ac dolores expers, & durus.* Non exquisitus vero, non omnino insensibilis est, difficulter tamen sentit. Scirrhus igitur qui sensu prorsus vacat, sanari non potest: qui ægre sentit, facilem curationem non admittit, nec tamen prorsus incurabilis. Fit, *Galeno libro Therapeuticæ methodi 14. cap. 3. teste*, ex humore glutinoso, & crasso, qui particulis induratis impactus, soluti contumaciter repugnat. Interdum statim ab initio consistit, augeturque. Magna vero ex parte Medicorum imperitia euenit, qui erysipelata & phlegmones vehementer re- D frigerant, & adstringunt. Signa iam dicta sunt in scirrhi descriptione, nempe tumor durus, & valenter renitens, colore inter rubrum & nigrum medio. Inchoante itaque scirrho, & quempiam adhuc imbecillum sensum seruante, curationem adhibere conuenit. Curandi vero eius communis indicatio est, vt quod præter naturam in particula est, totum vacuetur, vniuerso tamen prius, si res ita exigat, vacuato corpore. Modus tamen vacuationis eius proprius est. Nam detergere id vbi contumaciter inhæret, oportebit. Quod si quis iis quæ vehementer trahunt discutiuntque medicamentis vacuare tentet, nec iis quæ humectant & excalfaciunt molliat ac liquet, huic paucis primis diebus egregie processisse curatio videbitur: ceterum quod de affectu restabit, id insanabile erit. Siquidem toto quod in eo tenuium partium E erat discusso, quod reliquum est, veluti lapidosa concretio linquetur. Quippe etiam qui in articulari morbo visuntur calli, ex humore crasso glutinosoque proueniunt, quando is non paulatim est discussus, sed violentis medicamentis totus simul siccatus. Hac igitur de caussa ad scirrhosos affectus, nullum vehementer excalfaciens siccansve medicamentum est aptum, sed ea tantum, quæ cum emolliendo discutere commode possunt. Huius generis sunt omnes medullæ atque adipes. E medullis autem primas tenet *ceruina, & vitulina.* ex adipibus commendantur *anserinus in volucrum, leoninus vero in quadrupedum genere* præstat. At gallinaceus post anserinum sequitur, & pardinus leoninum, ac deinde vrsinum & taurinum. At caprinus crassior & siccior prædictis est, magisque hircinus. Inter resinas terebinthina & laricina F eligendæ. Emollit etiam *ammoniacum thymiama, & bdellium vtrumque, magisque Scythicum*, quanto videlicet est humentius. Pari modo & *styrax* qui humentior est, sicco vtilior est. Eiusdem generis etiam sunt *butyrum, althea radix*, & alia quæ supra in *capite De lienis duritia* commemorauimus. E quibus vnguenta & cerata componi possunt, *vt ibidem monstrauimus.* Ceterum inter curandum male affectam particulam, calido oleo

Scirrhus quid?

Caussa.

Signa.

Curatio.

Emollientia.

fouere oportet, & glutinosa medicamento postquam apposita fuerint, nunquam remouere, priusquam sponte decidant. Imo si etiam lauandus sit æger, omnino permittenda sunt. A balneis tamen medicamentosis ac sponte natis, prorsus abstinendum. Hæc enim huic malo plurimum aduersantur. Quid multa? quo pacto scyrrhus relictus in aliqua parte corporis sit curandus, eleganti historia Galen. *lib. 2. ad Glauc. cap. 9.* docet, quam illic studiosi legere possunt. Præterea cum membrorum alia rariora sint naturaliter, alia densiora, etiam vacuationem eorum diuersa specie remedia postulare est necessum. Hac igitur de caussa tum in tendonibus, tum in ligamentis, quum scirrhosa fuerint, satius est ei curationi, quam per mollientia molimur, aliquid incidentium admiscere. Ex quorum numero vel in primis acetum est. Interim vero & in aliis partibus, quas scirrhus afficit, eo vtimur. Verum in tendonibus & ligamentis in hunc modum. In aceto acerrimo candentem igni lapidem exstinguere oportet, ac si quidem haberi potest, pyriten: sin eius copia non datur, molarem. Deinde ascendente post infusum lapidi acetum vapore calido, in hoc dimoueri scirrhosum ligamentum vel tendo debet, atque exinde rursus medicamentum, quod molliat, imponi. Multi enim hoc modo curationis perfecte sanati sunt, vt fere magicum opus, *Galeno attestante*, videretur. Initio tamen oleo, non aqua, quotidie omnino laborantem particulam perfundere oportet. Esto autem id oleum haudquaquam adstringens, sed plane tenuium partium, cuiusmodi *Sabinum* est. Incoquimus autem oleo interdum *fœnogræcum*, *anethi comam*, aut *altheæ*, ac *syluestris cucumeris* radicem. Ceterum curatio, quæ per acetum administratur, vtilis est vitio iam adulto, & quum præparata iam sub mollientibus pars fuerit. Siquidem aceti vis, modo quis ea modice & debito tempore vtatur, salutaris eiusmodi affectibus est, ceu crassos humores dissecans, ac resoluens: sin vel immoderatius, vel in tempore non idoneo, tenuiores partes violenter absumens, id quod reliquum est lapidescere facit. Sed & si quis eo diutius vtatur, substantiam ipsam neruorum attingit. Ob id igitur nec sæpe, nec inter initia, nec longo tempore, medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta & tendones vtendum. At in liene, & carnosis musculi partibus scirrho affectis, tutus eius est vsus. Quippe raræ sunt naturaliter hæ partes, nec est, quod metuas, ne quis neruus eius vi lædatur. Ac ammoniaco quidem thymiamate cum aceto, etiam non pauci lieni imponentes vtuntur, ad luti scilicet crassitudinem, quod ex vtrisque est mixtum, redacto. Vtendum autem eo tum maxime erit, cum per emollientia medicamenta antea scirrhosus tumor mollitus est: hoc namque tempore aceto liquatum ammoniacum maximum vsum præstat. Sufficit autem eo vno altero ve die vsos, rursus ad mollientia reuerti. Ac rursus his pluribus dies vsos, denuo ad medicamen quod ex aceto fit redire, siue id ammoniacum, siue quid aliud habeat eorum quæ molliunt. In medio tempore etiam radice altheæ in adipe anserino, aut gallinaceo, aut suillo liquata, & cataplasmatis more imposita vti licebit. Syluestris etiam maluæ folia cum aliquo supradictorum tusa proficiunt. Quæ singula copiosius prosequitur Galenus *libr. 14. The. meth. & 2. ad Glauconem.*

Scirrhorũ in tendonibus & ligamentis curatio.

Aceti vis.

De Strumis. CAP. XVI.

Strumæ. STRVMÆ, quas Græci χοιράδας vocant, sunt *glandulæ induratæ*. Vel (*vt Galenus lib. 13. The. meth. definit*) sunt scirrhosiores glandularum phlegmones. Barbari *scrofulas* vocant. Scrofulæ. Scrofæ enim, id est, sues colla habent glandulosa, & magna ex parte strumosa. Fiunt magna ex parte in collo, alis, & inguinibus, quod iis locis glandulæ vasis substratæ collocentur. Differunt strumæ inter se, magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & vasorum complicatione. *Magnitudine*, quoniam quædam paruæ, quædam magnæ, quædam maximæ, quædam mediæ. *Natura*, quod aliæ mites, aliæ malignæ sint. Mites sine phlegmone & dolore, cum mediocri duricie apparent. Neque enim molles sunt, sicut steatoma: neque duræ, sicut scirrhus: sed mediam quandam inter hæc tactus proprietatem obtinent, tumoremque omnino circumscriptum, rotundum, æqualemque efficiunt. Malignæ vero, phlegmones, pulsantesque dolores inuehunt, tumoremque inæqualem præ se ferunt, in quo vasa prominent, cõtrectatuq; manuum efferantur. *Loco* præterea differunt, quoniam quædam in posterioribus colli partibus, quædam in obliquis, quædam circa guttur oriuntur. Item quædam superficie-

Differentiæ strumarũ. Magnitudine. Natura. Mites. Malignæ. Loco.

A ficiem statim sub cute, quædam prope magna nobiliaq; vasa penitiores partes occupăt: *ortu*, quod quædam quasi suspensæ, quædam insertæ oriantur. Ac suspensæ quidem huc illuc facile mouentur: insertæ vero subnituntur, validiorum corporum impetum tolerantes. *Multitudine*, quod morbo vna, modo plures generentur. *Vasorum complicatione*: quædam enim venas arteriasque implicatas habent, quædam prorsus non habent. Oẽs autem suis membranis includuntur, perinde atque steatomata, atheromata, & meliceſides. Generantur perinde atque scirrhi, ex crassis & glutinosis humoribus. Notis ad vitii huius cognitionem nihil opus est: sensibus enim, visu nimirum, & tactu, statim deprehenditur. Paruæ strumæ maioribus facilius curantur, sicut mites & blandæ phlegmone obsessæ. Malignæ vero, sanari nõ possunt. Quum enim omnes huiusmodi strumæ cancerosæ ac vasis refertę sint, dum curantur per manum, curationi non cedunt: & dum curantur, erumpendi sanguinis periculum afferunt, præterquam quod quum plerunque penitiores inueniantur, minime abscindi possunt: vasa enim nobilia tanquam radices obtinent. Sed pro loci ratione, superficiariæ profundis curatu faciliores sunt.

Ortu. *Multitudine.* *Vasorũ cõplicatione.* *Caussa.* *Signa.* *Curatio.*

B (margin mark at "gmone obsessæ")

In curatione etiam strumarum diligenter glandularum scirrho affectarum natura consideranda. Sunt enim quædam, quæ in medio vasorum spacio consistunt, & quod ibidẽ scissum & diductum est implent, atque adeo eius diductionis pro firmamento sunt. In iis cum earum haud magnus animantibus vsus sit, curandi ratio est, vt totum quod vitiatum est, scalpello exscindatur, vel medicamentis putrescere cogentibus. Quę autem sit ratio excidendi, non est nostri instituti docere. Eam tamen luculenter admodum tradit Aetius *libro 15. capite 5.* & Paulus *libro 6. capite 35.* Præterea sunt quædam glandulæ, quæ vel saliuam, vel lac, vel genitale semen, ad hæc quæ pituitosum quendam humorẽ in mesenterio, vel faucibus, vel larynge generant. Harũ certe maior est vsus. Ideo quũ in scyrroso affectu sunt, non aliter quam reliquę partes quæ scyrro laborant, sunt sanandæ. Corpore itaque primum per ea medicamenta, modo ætas & alia permittant, quæ crassos & glutinosos humores educunt, vacuato, ad emollientia primum, deinde vero ad discutientia progrediendum. De emollientibus satis copiose capite præcedenti est dictum. Inter discutientia laudatur priuatim farina lupinorum, ex oxymelite cocta & illita. Bouillum item stercus aceto incoctum & illitum. Probe etiã discutit strumas calx viua, melle, vel oleo irino, vel adipe suillo excepta. Valet etiam hoc ceratum quod habet: *Sulphuris, seminis nasturtij & vrticæ, singul. drach. duas. Nitri, drach. vnam & dimidiam. Myrrhæ, galbani, ammoniaci, sing. drach. vnam. Olei veteris, vnc. tres cum dimidia.* Cum cera & resina terebinthina quod satis est, informeturceratũ. In pus conuersas strumas rumpit loliacea farina cum fimo columbæ, & semine lini vino incocta. Ceterum struma laborantibus aluus reddi facilis debet, tenuisq; victus adhiberi. Quare ab omnibus crassos generantibus succos abstineant. Bibant vinum tenue, & album. Fugiăt potionem aquæ frigidæ, ac turbidæ. Deniq; iis assidue vomitus prouocari debet, & per os illis pituitam educere oportet, atq; caput exsiccare.

Glandularum natura cõsideráda. *Vacuatio.* *Discutientia.* *Ceratum.* *Victus.*

(Margin marks: C at "sit ratio excidendi"; D at "illita. Bouillum".)

E

De abscessibus. Cap. XVII.

ABscessus, qui Græcis ἀποστήματα vocantur, vitia sunt, *in quibus a se ipsis, quæ prius iungebantur partes, abscedunt.* Spacium igitur in medio vacuũ necesse est fieri, quod materiam aliquam aut flatuosam, aut humidam, aut ex vtraque mixtam contineat. Male itaque nonnulli recentiores Medici apostematis & phlegmones nomina confundant, quum sint diuersa inter se vitia. Fit abscessus ex vaporoso spiritu, aut humida materia, vt dictum est, aut vtraq; mixta. Quocunq; autem modo abscessus fiant, id spatium quod abscedentes partes interiacet, humoribus illum efficientibus impletur. Qui si diutius aliquando maneant, in varias formas mutantur. Etenim lapidibus, arenis, testis, lignis, carbonibus, luto, strigmento, amurcæ, fęci, multisq; id genus aliis similia sæpe in abscessibus contenta deprehenduntur.

Abscessus qui? *Recẽtiores male apostematis & phlegmones nomina cõfundunt.* *Caussæ.*

F Priuatim tamen abscessus, in quo pulti similis continetur humor, *Atheroma* dicitur. Qui vero mellis substantiam referentem in se humorem habet, *Melliceris* nominatur. Abscessus autem in quo veluti adeps est, steatoma appellatur. Signa ex iis quæ iam dicta sunt, abunde patent. Porro curantur abscessus vacuata, quæ in spacium abscessit materia. Quoniam autem ex varia est, *vt modo diximus*, ideo non eadem ratione omnes vacuãtur. Nã si in sinu minime, pfundo tenuis & pauca

Atheroma. *Meliceris.* *Steatoma.* *Signa.* *Curatio.*

materia resoluiq; idonea contineatur, cutisq; rara sit, discutientibus molienda curatio est. Sin ob humoris crassitudinem aut copiam, cutis densitatem, & abscessus altitudinē discuti non possit, ad suppurationem transeundum est: vti in phlegmonibus, maxime quæ in abscessum iam versæ sunt. In quibus vero abscessibus nulla ob crassitudinem nec discussionis, nec suppurationis spes relicta est, vt in steatomatis vno præsidio vtimur nempe excisione: quemadmodum in aliis, quibus pus ac alia materia discuti nō potest. Nonnulli enim abscessus solā manus curationem efflagitant, in quibus scilicet materia propter crassitiem nec discuti, nec putrescere potest. Quidam vero tam sectionem, quam suppurationem addmittunt, vt in quibus humor suppurari quidem potest, sed ob crassitiem, aut lentorem discuti non potest: cuiusmodi est: atheroma. Alii triplicem curationem nempe discussionem, suppurationem, & sectionē recipiūt: quales sunt qui ex tenuioribus constant humoribus, sed non vt toti discuti possint. In iis vero abscessib. qui in alto corporis constiterunt, ac potissimum in visceribus, medicamēta q̄ ex aromatis componuntur, maxime sunt vtilia: vtpote quorum vis collectum humorē tum in habitum resoluat, tum digerat. Sunt profecto & alia eius generis non pauca, quorum laudatissima sunt tum antidotus quæ ex viperis componitur theriacen vocant; & quod ex cretica calamintha est compositum, a Galeno *lib. 4, De tuenda sanitate cap. 6.* descriptum. Priuatim vero meliceridas dissipat hoc emplastrum, quod accipit: *Passularum detractis vinaceis, lib. vnam. Cumini minutissime triti, vnc. tres. Omnia simul in mortario subacta conficito, & alligato.* Et hoc, quod habet: *Salis ammoniaci, lithargyri, cerussæ, sing. lib. vnā. Ceræ, terebinthinæ, galbani, opopanacis, sing. vnc. vnam. Rubricæ sinopicæ, vnc. sex. Aceti, vncias septem, & semissem. Lithargyrum, cerussam, & salem ad exactum leuorem tritum simul decoquito, deinde rubricam prius ex aceto tritam inijcito, & cum vniuersa liquabilia, postremo omnibus simul confectis, & ratis opopanacem & galbanum aceto soluta admisceto, & vtere.*

Meliceridū curatio.

Ceterum si medicamentis adurentibus cute superposita prius denudare expedit: e quorum numero, Paulo attestante, simplicius quidem est quod constat *calce viua, sapone, & lixiuio.* Aliud magis varium, quodq; reconditum diu seruari potest, capit *Calcis viuæ, drach. quatuor. Fecis vini combustæ, nitri liquidi tosti, singul. drachmas duas. Rubricæ sinopicæ, drachmam vnam.* Terantur in lixiuio, & vbi ad mellis crassitiem reducta fuerint, ter feruefacito, vt mediocrem consistentiam habeat, & pixide plumbea reponito, lixiuium super destillans, ne nimis cito exarescat. Ergo circumfusam cutem eiusmodi medicamentis crustam inducentibus, primum abrumpito. Postquam vero crusta deciderit, exedentia exhibeto. Erodit autem valide citra vellicationē & morsum quod habet: *Squamæ æris, drachmas quatuor. Sandaracæ, arsenicum rubrum nominant, drach. duas, Ellebori nigri, drachmas duas, cum rosaceo vtitor.* Sed quæ adiacent atq; in ambitu sunt partes omnes, prius cerussa cum oleo delinito. Verum vbi tales abscessus sectione curare voluerimus, in ea quidem curatione siue pultaceus, siue melleus, siue adiposus, siue cuiusdam alterius substantiæ humor in eis contentus fuerit, vnus scilicet nobis scopus perpetuus est, nimirum vt tunicam qua humor concluditur, auferamus. Sed dum hoc molimur, impense cauēdum est, ne temere membrana vulneretur, aut dilaceretur, vnde humor qui in ea continebatur effusus operationem impediat, & portio ipsius relinquatur. Si enim dissecta tunica, ac humore perfuso tenuior subsederit, difficulter admodum tunica excoriari curariq; poterit. Si vero humoris aliquid relictum fuerit, periculum est, ne morbus reuiuiscat & renascatur. Quod si tale aliquid incidit, melius est non consuere, & exedentibus medicamentis supra commemoratis, aut consimilibus reliquias absumere.

Erodentia.

De cancro Cap. XVIII.

Cācer quid.

Cancer est *inæqualis, liuescens, aspectu teter, & cum dolore, tumor.* Nomen accepit a cancro, quemadmodum enim in isto pedes ex vtraque parte sunt corporis, ita in hoc vitio venæ oppletæ, & in ambitu tensæ, cancri animalis pedibus omnino sunt similes. Fit in omnibus humani corporis partibus, sed sæpius in fœminarum mammis, quæ a natura purgationem non habent, quod raræ & laxæ sint, ac crassissimam melancholici humoris materiam promte excipiant. Generatur ex melancholico humore feruescente: qui si acrior existit, exulcerationem etiam efficit. Sunt enim duæ supremæ cancrorū differentiæ. Nam quidam eorum vlcere carent, & ii ab omnibus fere antiquis occulti appellantur. Quidam etiam exulcerantur. Tumor is magis quam phlegmone nigricat, sed

Caussa.

Occulti cācri.

Signa.

A sedita vt tantam caliditatem non experiatur. Venæ quæ in ambitu sunt, intumescunt,
intenduntur que, cancri animatis pedum, vt diximus, modo. quoniam vero a profun-
do inutilis sanguinis multitudo attrahitur, ideo varicosæ venæ redduntur. Color can-
cri cinericius, ad purpuram vergens, subliuidus: ac spectantibus quidem mollis appa-
ret, tangentibus vero durissimus. Pungentes etiam dolores ac late diffusos infert. At si
exulceretur, iugiter erodit, & profundum suffodit, nec sisti potest, saniemque emittit
quocunque ferarum veneno nequiorem, copia & odore abominandam. Hoc vitium
per sui initia, priusquam in membro figatur, curari potest. Sed vbi in molem satis insi-
gnem attollitur, insanabile efficitur, nemoq; illud sine manus opere curabit. Idipsum
autem accidit propter succi crassitiem, qui nec repelli, nec discuti potest, nec totius
B corporis purgationi cedit. Mitiora etiam remedia contemnit, vehementioribus vero
irritatur, excandescitque. Incoantes itaque cancros prohibere ne augescant, id q́ prin- Victus ratio.
cipio fit commoda victus ratione, in qua vitanda sunt omnia melancholicũ succum ge- Curatio.
nerãtia, vt sunt *carnes bubula, ceruina, leporina, salsæ, fabæ, lẽtes, caseus, & eiusmodi quæ in capite
de melancholia sunt commemorata.* Vtendum vero vberrime ptisanæ cremore, malua, atri-
plice, beta, & huiusmodi elixis, piscibus saxatilibus, auibus vniuersis, præter eas, quæ in
aquis versantur: carnibus gallinæ, hœdi, luteis oui, & similibus concoctu facilibus, &
sanguinem bonum procreantibus. Bibendum vinum tenue, album, nec valde anti- Venæ sectio.
quum. Interea etiam temporis humorem, vnde vitium natũ est, illico vacuare oportet.
Vacuatio autem primum tentanda est sanguinis. Quare, modo ætas & virtus permise- Purgatio.
C rint, vena incidenda in gibbero media. Mox purgatione vtendum, per initia quidem
ex simplicioribus petita, cuiusmodi est epithymum pondo vnciarum quatuor in sero
lactis mulsaue exhibitum. Deinde vero compositorum aliquo, quæ in capite de melan-
cholia recensuimus. Purgantia vero medicamenta tertio quoq; die offerenda sunt, vt
scilicet melancholicus humor, qui in venis collectus est, & cancro generationẽ dedit,
sic sensim, atque ex interuallo vacuetur, quandoquidem vniuersum simul vacuare vix
datur. Vtẽdum etiam ante purgationem, in iis potissimũ qui a crebra potionum sum-
tione non abhorrent, decocto præparãte, quod in eodem loco commemorauimus. Si
hæmorrhoides in viris, quibus emanare consueuerunt, suppressæ sunt, recludantur. In
D mulieribus autem menses euocare oportet. Posthæc humorem, qui in partẽ decubuit Localia.
repellere vel discutere: adhæc particulam ne quid humorum redundantiæ ad eã con-
fluat, firmare oportet. In hunc autem vsum conuenientissimus est succus solani, linteo
duplici in eo tincto positus. Extrinsecus lana molliuscula & ipsa succo illo imbuta cir-
cumdatur, cura adhibita, ne hæc siccescat, succo continenter superinfuso. Quod si no-
luerit ægrotans medicamento adeo humido illiniri, cum presertim domum exit ad
consueta negotia peragenda, hoc vnguento erit vtendum, quod habet: *Olei rosacei, vn-* Vnguentũ.
*cias duas. Succi e fructu solani hortensis expressi, vnciam vnam & dimidiam. Cerussæ lotæ, plumbi
vsti & loti, vtriusque scrupulos duos. Litargyri, drachmam dimidiam. Thuris drachmam vnam.
Pompholygis, drachmam dimidiam. Ceræ albæ, quantum satis, fingatur vnguentum, quo locus labo-
rans quotidie illinatur.* Licebit interdum adiicere lemniũ sigillum, & bolum armenium,
E & succũ semperuiui, vel vuæ acerbæ, in plumbeo mortario, cum plumbeo pistillo vsq;
ad glutinis consistentiam subacta. Porro quantum valeat plumbi facultas, præsertim
combusti & eloti, in omnibus cancrosis affectibus, satis nouerũt, qui de hac re aliquan-
do periculum fecerunt, & qui attente quæ Gal. *de plumbo in lib. 9. de simpl.* scribit, legerũt.
Nec parũ prodest cancri vsti cinis cum cadmia lota inspersus, vel in cerato illitus. Panis
etiam cum symphyto apponẽdus, ita quantitatẽ moderando, ne aggrauet. Folia quoq;
altheæ elixa per se, aut cum pane commixta, illinenda. Item rosæ, melilotum, papaue-
ris semen cum passo trita, & paululum decocta, ac subinde cum luteis ouorum subacta
applicanda. Porro assidue etiam hoc vitio correptis danda sunt medicamenta, quæ ve-
nenatis aduersantur, vt est theriaca, & antidotum mithridaticum. Vlceratis cancris, vt Cancri vlcerati curatio.
F obiter hic moneamus, quum *lib. 7.* curam hanc copiose simus tractaturi, quia cõstet il-
los medicamentis & manuum tractatione exacui & irritari, ideo placidissima medica-
menta sunt imponenda, quale est hoc vnguentum, quod habet: *Olei rosacei, vnc. tres. Adi-* Vnguẽtum.
*pis porcini. ℥. j. Lithargyri, vnc. dimidiam. Vitellos oui assos quinque numero. Ceræ albæ quod satis;
fiat vnguentũ.* Quod si vlcus dolore vacauerit, adiicito etiã iridis, myrrhe, aristolochiæ,

singul. drach. vnam. Hoc itaque vnguento cancer illinendus. Cōmendatur etiam succus solani & plantaginis, admixto puluere auripigmenti, si iis locus laborans illinatur, & linteum in iis madefactum superponatur. Ceterum si quando cancrum per chirurgiam curare audebis, cœpisse quidem a vacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi vero totum quod vitiatum est, prorsus excideris, sic vt nulla supersit radix, sines effluere sanguinem, nec propere eum inhibebis: imo premendo potius vicinas carnes: exprimes ex his crassiorem sanguinem: mox aliis vlceribus similiter curabis. A

Cancri per chirurgiam ablatio.

De Elephantia. Cap. XIX.

Ελέφας, καὶ ἐλεφαντίασις vniuersi corporis cancer est. Sic vocatum vitium hoc, quod corio elephantis, cutis in eo persimilis videatur. Nam maculis quibusdam ad atrum colorem vergentibus inficitur, inæqualiterque aspera, crassa, & veluti squamis fœda, liuens, ferinaque redditur. Vnde satis liquet, elephantiasim a lepra Arabū nihil differre, *vt demonstrauimus lib. 2. Parad. c. 16.* Dicitur etiam *Satyriasis, Gal. lib. de caussis morb. c. 5. teste*, quod facie, qui sic laborant, satyris similes sint, *vt inf. dicemus*. Quin & alacritas vehemens ad coitum ipsis adest, quemadmodum de satyris fertur, quod scilic. semine abundent. largior siquidem ipsius generatio in seminariis vasis ob materiæ crassitiem accidit. Vocatur etiam *Leontiasis*, quod frons ægrorum cum quodam tumore laxior reddatur, ad similitudinem pellis flexilis superciliorum leonis. Est autem graue vitium, & prope ex eorum numero, quæ incurabilia exsistunt. Et graue quidem est ipsi ægro, intolerabile autem conspicientibus, vtpote qui ipsum omnino auersantur, adeo vt pleriq; ex ægri necessariis & domesticis, ipsius conuersationem deuitent. Et sane malum est cum eis conuersari, inquinatur enim aer, quem inspirando attrahimus, ex vlcerū fœtore, & ex vitiata spiritus exhalatione. Origo vitii est ex atra bile, quæ ex crasso & fœculento sanguine, aut flaua bile nimium vsta procreatur, aut pituita salsa. Quare hoc ipso magis corripiuntur, qui ex praua victus ratione crassum & viscosum ac melācholicum sanguinem aceruāt. Consequitur eos, qui obnoxii futuri sunt huic vitio, segnities, spiratio tarda, spirandi difficultas, motus difficilis, assidua constrictio alui, vrinarum, veluti sunt iumentorum lotia, excretio, respiratio grauis & fœtida, ructus continui, qui etiam ipsis ægris aliquid molestiæ addunt, appetitus non obtusi, impetus in Venerem intensus. Iam vero vbi ad cutem progressum fuerit vitium, primum malæ crassiores fiunt, & mentum dilatatur, deinde rubescunt, non florido, sed liuido colore. Capilli etiam capitis magna ex parte rari fiunt, pilique superciliorum decidunt. Nasus fit simus, aures erosæ, labra crassa, vox rauca, & sub lingua venulæ varicosæ fiunt, nigrescuntque, quod signum est, etiam viscera ipsa in simili constitutione esse, eiusmodi plane qualis in porcis quibusdam circa interna videtur, quæ grandinis nomine insignitur. Quandoque vero & per omne corpus eminentiæ apparent, & præsertim iuxta summā frontem ac mentum. Corpus præterea ipsorum magnum esse videtur, & cuiusdam intolerabilis grauitatis eis sensus adest. Pusillanimes fiunt ad omnia. Quidam porro ex eis admodum eorum qui strangulantur, maxime circa somnos, afficiuntur. Quanquam vero vitium hoc fere incurabile sit, tamen humanum est, *vt ait Aetius*, & plenū beneuolentiæ signum, in extremis etiam malis vsq; ad experimentum procedere, ad difficultatem eorū compescendam. Principio itaque victus ratio eiusmodi præscribenda. A somno membra eorum plurimum & leniter manibus contrectari debēt. Deinde curandum, vt aluus excrementa deponat. Post hæc deambulent, aut gestationibus committantur, & clamore exerceantur, aut frictionibus aliisue generibus exercitationum vtantur. Sudore subinde, quem illinc contraxerunt, absterso, adipe vrsino, aut vulpino illinantur: qui si non adsint, caprino aut taurino, aut pro iis aliquis ex volucrum genere, aut butyrū recens sumatur. Pauxillo temporis interposito, cum fœnograeci aut ptisanæ succo, qui parū ammoniaci cum aceto liquefacti ammixtum habeat, perfundantur, atque ita lauacro vtantur. Nociuum enim est vitio, si quis non lauet. Commoda sunt etiam arida fomenta, & post sufficientem ex dictorū vsu exsudationem, natationes in mari, aut sulphurulentis & aluminosis aquis. Fomenta vero parabuntur ex fumaria, origano, scabiosa, oxylapatho, chamæmelo, meliloto, mentastro, & similibus. A balneo detersi, ad acrimoniæ & mordacitatis curationem ex oleo myrteo, rosaceo, aut mastichino cum aceto & vicino conquassatis illinan-

Elephantiasis a lepra Arabū nihil differt.
Satyriasis.
Elephantici cur ad Venerem alacriores.
Leontiasis.
Caussa.
Signa.
Victus ratio.
Balneum.

B C D E F

A illinantur. Aut decocto aliquo eorum quæ adstringunt, plantaginis scilicet, aut betæ, aut helxines, perfundantur. Optimum est & butyrum recens illitum. Post lotionem & extersionem per tenera linteola, ad horæ dimidium quiescant: deinde aqua tepida hausta sponte vomant, digitis in os, aut pinnis demissis. Postea modico interuallo temporis interposito, vinum absinthites, aut ex origano confectum bibant, non infra heminæ mensuram, & paulo post cibus eis apponatur. Cibus autem erit panis hordeaceus, aut triticeus recens. Inter olera, *beta, lactuca, malua, lapathum, sisarum, porrum, brassica binis aquis edulcata, & capparis*. Recte etiam ipsis datur ptisana, oua sorbilia, alica lota, lac cum melle. Carnibus auicularum montanarum vtantur, & hœdorum, gallinarum, caporum, & iis similibus. Piscibus molli carne præditis. Ex fructibus conueniunt ficus & vuæ arefactæ, pyrum coctum in aqua mulsa. A reliquis fructibus omnino abstineant. Deuitent etiam legumina omnia, salita, & acria. Bis cibum capere præstat, quam semel se replere. Prandium simplicissime paretur: cœna magis varia sit. Potus sit vinum tenue, album & aquosum. Aut aqua in qua parum cinnamomi decoctum sit. Vino forti & vinoso, perinde atq; Venere, per totum morbi curriculum abstinent. Somnus porro diurnus nociuus, nocturnus aptissimus. Post longum a cœna interstitium, deambulatio lēta ac sensim facta, commoda est, vt cibi eo melius descendant. Quod ad curandi rationē attinet, protinus inter initia sanguis mitti debet, & magis vere, in quo potissimum hoc vitium nascitur, & intenditur. Reuiuiscit enim inde aliquo modo insitus calor, & sensibiliter corpus ipsum alleuatur. Auferendus autem particulatim ex vtroq; gibbero, ac incidenda interna aut media quæ in gibberis existit vena. Habendus etiam modus est in vacuando, in multo enim prauo ac vitiato sanguine parum quiddam boni sanguinis inest. Post sanguinis detractionem, nouem decemve diebus interpositis, aluus interne subducatur. Quibus vero medicamentis purgandum sit corpus, in *capite De melancholia, & aliis quibusdam*, vbi de vitiis cutis egimus, dictum est. Post dies autem aliquot sero lactis vtendum, ex eoq; non minus tribus acetabulis, neq; vltra quinq; accipiendū, *Aetio & Paulo testibus*. Admiscendum est illi aliquid *scammoniæ, epithymi, vel senæ*: ita vt hæc ipsa cum modico sero ieiunis prębeamus, atq; deinde ipsum serum paulatim exhibeamus. Hac purgatione frequenter vtendum est. Omnino namq; conandum est, vt omnem corporis habitum ab hoc vitio occupatum liquefaciamus, aliumq; quendā veluti ex integro regeneremus. Idipsum vero fiet, si per interualla oportune purgationes adhibeantur, & cibi apponantur, qui facile cōcoqui & distribui possint. Deinceps vomitus cieatur a cibo, aut ieiunis a radiculis. Postea ad veratrum perueniendum. Post hæc autem virium refocillatrice victus ratione vtendum est, ac medicamentis quæ summam cutē desiccent, adstringantq;. Leues igitur cucurbitulæ ori ventriculi, & hypochondriis vtrinque affigentur. Et primo quidem auxiliorū circuitu hoc modo perfecto, rursus ad principium reflectendum est. Et venæ quidem sectio videtur, vt quæ plus noxæ quam præsidii esset allatura, ab hiera vero principium purgandi sumatur: & reliqua deinceps ordine facienda, velut prædictum est, ter & quater in anno eodem ductu repetito. Malignum enim & difficulter recens vitium est, quapropter plurima cura opus est, ne in peius euadat. Quod vero vitium hoc hodie raro aut nūquam curatur, multę sunt caussę, quarum hæc præcipua est, quod eo laborantes methodica & cōuenienti curandi ratione, nec ea quidem tempestiue vtantur. Siquidem medicorum operam non requirunt, nisi vbi vitium iam confirmatum fuerit, & vniuersam corporis substantiam occupauerit, ac omnem curationem respuit. Vt odio omniū digni sint nostri temporis Chymici, homines imperiti, nebulones, & impostores pessimi, quos Hippocratem, Galenum, & id genus alios methodi auctores carnifices vocare nihil pudet, quū tamen constet ipsos potius hoc nomine esse appellandos, vt qui suis mendaciis, imposturis, compilationibusque maximis totum mundum excarnificent, ac suis arcanis, non nisi a Satana mendaciorum patre, excogitatis illorumque animis instillatis, nō solum plebeiis, verum etiam magnatibus ac principibus impudenter fucū faciunt, ac fumos suos vendunt, digni vt hoc nomine, veluti fumi venditores, fumo necentur, vt alibi copiosius diximus. Ceterum theriaca ex viperis Andromachi mirifice prodest, & quasi compendium totius curationis est, si post purgationes per modica interualla præbeatur, & ea cutis etiam oblinenda. Mirabile quoq; elephantiæ remedium viperarū esus existit, *vt testatur Gale. li. 2.*

Cibi.

Deambulatio.

Curatio. Venæ sectio.

Purgatio.

Viperarum esus.

B C D E F

Viperarum præparatio. *ad Glauc. cap. penult.* Eas autem hoc modo apparatas edere oportet. Primũ quidẽ capite amputato, & cauda vsq; ad digitos quatuor, & detracta pelle, & omnibus interaneis exemptis, corpus ipsarũ aqua bis aut ter lotum, in olla instar anguillarum coquitur, aqua quidem sufficiente affusa, & oleo modico cũ porro & anetho. Liquet autem, quod carnes sint decoquendæ, donec molles reddantur. Post sufficientem cocturam, iusculũ moderato sale condiatur, atq; ita ægro in sole desidenti exhibeatur, capite tamen probe velato. Neq; vero semel tantum aut bis viperas edere satis est, sed sæpe id fiat, quum extra periculum sit, & insuper commoditatem afferat. Sint autem viperæ recens captæ & ex humectioribus locis accipiantur. Nam quæ iuxta mare, aliaq; salsa loca degunt, vehementer siticulosæ exsistunt. Viperarum autem esus mirifice conferre elephantia correptis, multis historiis *lib. 11. De simpl. med. fac. c. 2.* Galenus comprobat. Porro extrinsecus, in balneo potissimum, medicamenta quæ extergunt & repurgant, sunt adhibenda. vt est *nitrum, sulphur viuum, pumex, testa sepiæ, nigella, rumex acutus*: quæ interdum arida affricari possunt. Aut trita cum aceto, aut rosaceo oleo, aut masthichino, corpori illinenda sunt. Prosunt etiam ea medicamẽta, quæ supra *in capite De impetigine* dicta sunt. Præterea tuberosi tumores efferati & inflammati in facie, illinantur cum succis plantaginis, polygoni, portulacæ, lycio, hypocisthide, aloe, & similibus. Si autem non fuerint inflammati, vtendum est iis remediis, quæ supra *De impetigine & scabie* dicta sunt. A B

Extrinsecus quæ admouenda.

De morbo gallico. Cap. XX.

Morb. gallicus quid. MOrbum quem vulgus modo *Gallicum*, modo *Hispanicum*, modo *Neapolitanum* vocat, esse nouũ omniq; æuo priore incognitũ, alibi demonstrauimus. Detestandus sane morbus, vt qui a malignis quibusdam pustulis incipiens, pudenda plerumq; deinde reliquas corporis exteriores partes ingrediatur: doloresq; circa articulos & ossa, noctu præsertim, excitet, & abscessus duros, in pessima vlcera, quæ ossa quoq; plerunq; vitiãt, post longum tempus desinat. Fit a caussa externa, nempe ex contagio quod interdũ e solis osculis, interdum vero e consuetudine fœdæ mulieris, aut vteri contrahitur. Fit etiam a plenitudine: & ab humoribus quatuor a sua naturali temperie, ad malignam conuersis. Cognoscitur hoc vitium, si primũ circa pudenda pustulæ crustosæ, siccæ, & lenta interdum sanie stillantes exoriant. In fronte præterea, & circa radices capillorum in capite pustulæ, tumoresve diuersi coloris efflorescere incipiunt, modo citra vllum adhibitum medicamẽ exsiccata & decidẽtia, modo hinc inde repullulãtia. Capitis præterea adest grauitas, cũ colli & humerorum cruciatibus, qui tẽporis progressu ad brachiorũ, & crurum articulos descendunt, atq; de nocte magis, quam die affligunt. Adueniunt item cũ doloribus tumores prȩter naturam in articulis, qui difficile discutiunt, ac tarde admodum suppurantur. Sæpius quoq; in nodos, & durities transeunt. In palato, & circa oris intimos angulos nigræ & fœtidæ excitantur pustulæ. Fauces quoq; & lingua in hoc vitio non raro exulcerantur. Porro in curatione morbi Gallici spectandum initio erit, nũ recens sit morbus, aut iam diu ægrotantes afflixerit. Si enim recens fuerit, leuioribus sæpe tollitur remediis. Quod si itaq; vitium hoc non ita pridem se ostentauit, medicus curet vt in aere mediocriter calido degat æger, nec permittat vt se ventis, prȩsertim borealibus, temere exponat. Quod si talem natura habere haud potuerit, vt odoramentis, & suffumigiis conuenientibus eiusmodi efficiatur, curabit. Cibi omnes sint boni succi, facilisq; concoctionis: & vitentur omnia salsa, duræ carnis, & quæ lentum, frigidum, ac crassum succum generant, quæq; flatulenta exsistũt. Præterea acri ad caput euaporãtia, & supra modum calida, sanguinem inflammantia, & adurentia. Vino vtatur pro potu albo ac tenui. Exercitium, somnusq; sint moderata. Coitum tamen, durante maxime curatione, fugiat æger. Nam præter alia multa, quæ intempestiue factus secum adfert incommoda, in hoc vitio articulorum dolores vehementer auget. Perturbationes animi, ira scilicet, furor, tristitia, metus, solicitudo, & id genus aliæ, deuitandæ sunt. Quod si corpus eius, qui hoc vitio recens laborare cœpit, plethoricum existit, modo ætas, anni tempus, & alia non impediant, vena secanda erit in gibbero media. Si vero corpus nõ fuerit plethoricum, sed potius cacochymũ, prauaq; maxime pituita refertum, purgatione per aluum vtendum, præmissa tamen conuenienti præparatione, hoc est, meatibus prius reseratis, & humorib. crassis attenuatis. Vtendũ itaq; aliquot diebus hoc decocto, C D E F

Caussa.

Curatio morbi gallici recẽtis.

Victus ratio.

Venæ sectio.

Decoctum præparans.

quod

A quod habet: *Florum violarum, boraginis, buglossi, singul. manipul. dimidium. Fumariæ, scabiosæ, hemionitidis, vel in eius indigentia aspleno,* quod vulgus *Ceterachium* nominat: *Casuthæ, eupatorij, cichorij, singul. manipulum vnum. Folliculorum senæ, drach. duas & dimidiam. Seminis anisi, fœniculi, rusci, singul. drach. duas. Vuarum passarum, glycyrrhizæ repurgatæ, singulorum drachmam vnam. Corticum myrobalanorum cepulorum, flauorum, singulorum, drachmam dimidiam. Prunorum numero quinque. Polypodij, drachmas sex. Thymi, epithymi, singulorum drachmam vnam & dimidiam.* Coquantur in aqua iustæ quantitatis quoad dimidium eius absumatur. Deinde colo transfundantur, & saccharis adiectione ius decocti dulce reddatur, albisq; oui purificetur, additis *oxymelitis simplicis, serapij e fumaria, singulorum vnciis duab.* Fiatq; potio, de qua singulis diebus mane & vesperi dentur vnciæ quatuor & dimi-

B diæ. Humoribus ad vacuationem præparatis, & meatibus reseratis, purgatoriũ aliquod propinetur medicamentum, quale est quod accipit: *Antidoti Indi. hamech, singulorũ drachmas duas & dimidiam. Antidoti e sena solutiui, drach. vnam & dimidiam. Decocti paulo ante descripti, vncias tres.* Cõmisceantur, & fiat potio purgatoria. Potest etiã horũ catapotiorũ esse vsus: *Pilularum e fumaria, e hermodactylis, aggregatiuarum, singulorum scrupulum vnum. Agarici in pastillos redacti. scrupulũ dimidiũ. Dacrydij, grana duo.* Cum stillatitio fumariæ liquore fingantur catapotia numero quindecim. Dentur in aurora. Quod si multa est cacochymia, sæpius iam dicta reiterare medicamẽta expedit. A purgatione corporis, scapulis, brachiis, natibus, & femoribus cucurbitulæ cum scarificatione sunt admouendæ. Tum etiam prodest adhibere ξηρολουσίας, hoc est, *balnea sicca*, quæ ad proliciendum sudorẽ,

C & reliquias vitiosorum humorum educendas sunt aptissima. Sæpius autem iis vtendum est, interuenientibus tamen certis dierum aliquot interuallis. Et quo die vsurus est balneo æger, eo hanc potionem mane præsumat, quæ habet: *Radicum apij palustris, petroselini vulgaris, fœniculi, singulorum vncia vna. Seminis rusci, asparagi, lebistici vulgaris, singulorum drachmas tres. Mentastri, calamenti, abrotani, singulorum manipulum vnum & dimidium.* Coquantur in duabus aquæ fontanæ libris vsq; ad tertias. Dein colo transmittantur, & saccharo sufficiente ius dulce reddatur, & purificetur albis ouorum. Iuri decocti addatur: *Serapij acidi simplicis, oxymelitis compositi, singulorum vncias duas.* Fiat potio, de qua mane dentur, *vnc. quatuor.* Hac certe ratione morbus Gallicus, qui nuper cœpit, sanari facilime poterit. Quod si vero is morbus iam longo tẽpore corpus infestauit, ad ligni vsum,

D quod Barbara gens, quæ nobis illud transmittit, vernacula lingua *Guaiacum* appellat, cõfugiendum erit. In cuius certe vsu, principio curandum, vt optimum deligatur. Ex eo autem optimum censetur, quod recens satis, neque admodum vetus & cariosum existit. Tale autem est, quod igni impositum ob resinaceos fauos, quibus interius nigrũ meditullium discriminatur, citius accenditur, & flammas agit. Laudatur item, quod buxeo est colore, sed nigrescens. Item quod in gustu præter adstringentem saporem, etiam leniter linguam erosione mordicat. Præparatur autem hunc in modum. Lima, vel torno, aut alio instrumento in frusta quantum licet tenuissima comminuitur, aut in scobem redigitur. Dein desculpta frusta, aut elimatam scobẽ in aqua fontana selectissima & pura decoquere oportet, in vase vitreato. Singulis autem libris pulueris ligni, vel

E in scobem redacti triplum aquæ adiicere conuenit, in qua diem & noctem maceratur, dein ad prunas vel lentum ignem horis amplius sex, aut ad tertias, vel paulo plus, iuxta morbi indigentiam, magna cura & attenta custodia decoquitur. Aliqui plus, vel minus aquæ addũt. Semper autẽ inter coquendum glutinosa & lenta spuma detrahenda, quæ vlceribus, & pustulis ac tumorib. illinitur, aut affricatur, aut linimẽtis excepta imponitur. Sic decoctum vbi percolatum fuerit, in ampullam vitream defunditur, & medicata vocat aqua: Germanice, das starck wasser. Quod ex prima ligni bullitione post colo expressum decoctũ relinquitur, cum tripla portione claræ aquæ rursus lento igne bullitur, donec quarta aquę pars consumta fuerit. Hoc tenue decoctũ Germanice, das klein oder

F gering wasser/ nominat, quo loco vini in prãdio & cœna vtendũ. Purgato itaq; prius ægrotante modo paulo supra dicto, sequẽti die mane in aurora sumendum decoctũ primum medicatum pondere vnciarũ quatuor, aut alia quãtitate cõuenienti, spacio a precedente cœna septẽ aut octo horarum, bibendumq; calidum. Dein stragulis & vestibus bene contectus, in lecto se per tres horas cõtineat, & sudet, si fieri potest, æger. Postea surgẽs, & excremẽtis vndiq; probe expurgatis, leuiter & pedetẽtim in cubiculo obam-

Purgatio.
Catapotia.
Cucurbitulæ.
Balneum siccum.
Potio mirifice conueniens pustularum eruptioni.
Morb. gallicus inueteratus quo modo curandus.
Ligni Guaiaci vsus docetur.
Optimum Guaiacum quod?
Præparatio Guaiaci.
Spinę vsus.
Medicata aqua.
Decoctum tenue.
Vsus medicati decocti.

bulet, fenestris & rimulis, hyeme præsertim, vndiquaque bene obturatis & occlusis, ne A
a vẽto, vel frigore meatus corporis obstruant. A potu decocti assumto, sex horis prandiũ tenue apparet, in quo præter panis vncias quatuor, aut quinq;, aut summũ sex, & pullũ gallinaceum elixum in aqua, nihil conceditur. Panis autem sit bene fermentatus & coctus, modiceq; salitus. Potus sit decoctum tenue, & secundũ. A prandio leniter in cubiculo aut hypocausto obambulet, vel in sella sedens se contineat, cũ amicis & familiarib. iucundos & hilares miscendo sermones, instrumentis musicis & dulcibus sonis sese oblectet, fabulas, & alia ludicra ac iocularia legat. Aut aleæ, alterive ludo iucundo operam det, caueatq; sibi a somno diurno. Quod si propter dolores nocturnos, aliasq; caussas insomnes accedant noctes, in die parum dormiat, sed non statim ab assumto cibo. Nam is somnus qui cibum statim excipit, fumosis exhalationibus caput replet, destillationesq; B
parit. Septem horis a prandio peractis cœnet æger. In qua non plus q̃ in prandio sumẽdum: imo si caput defluxionibus obnoxium habet æger, cœna multo leuior & minor sit prandio. Duabus a cœna horis, modo & ordine quo supra eãdem decocti medicamẽti mensuram assumat ægrotus calidam, & post leuem in cubiculo ambulationẽ lecto se ad dormiendum cõponat æger. Idq; per sequentes triginta vel quadraginta dies, iuxta assidentis Medici consilium, faciendum. Prædicta tñ omnia poterũt vel augeri, vel minui, prout vires ægroti, & morbi ratio postulabũt. Hinc aliqui præter panem, pruna Damascena, vuas passas, amygdalas, pistacia sacharo operta nihil exhibẽt ægrotanti. Sed peritus Medicus facile quid hac in parte faciendũ sit cognoscet, vtpote cui perspectum est, vnam atq; eandẽ victus rationem omnibus non competere. Sustinent a. magis inediam C
pituitosæ tẽperaturæ, & humidæ, minus omnium biliosæ & siccæ. In victus vero rationẽ consuetudo, ętas, regioq; maxime consideranda veniunt. Quapropter Germani nostri, & alii homines ad septentrionem inclinãtes, ꝓpter ambientem aerẽ paulo quam in aliis calidis regionibus frigidiorem, quũ vehementius appetant, & melius concoquãt, pluri & copiosiore etiam alimẽto indigent. Liberalius igit in vsu etiam Guaiaci cibandi sunt, non tantum regionis, sed & cõsuetudinis nomine. Minus enim etiã per sanitatem, quã ceteri populi, Germani tẽperantes sunt. Quod quũ parum hactenus a multis medicis, præsertim vero ab indoctis Empiricis, vnam atq; eandem victus rationẽ omnibus corporibus præscribẽtibus, animaduersum sit, nihil mirũ, plerosq; ex tenui & exquisito illo victu, & vehementioribus per Guaiaci decoctum trãspirationibus ac vacuationibus, ac- D
cedentibus vigiliis, & immensis doloribus, virtutem mirifice prosternentibus, in hecticas febres, & marasmum deductos esse. Suspecta itaq; esse debet Germanis nostris tenuior ille & exquisitior victus, præsertim vbi biliosus ac melancholicus sit sanguis, q humectantibus cibis ad temperamentum reducendus erit. Sed hac de re in præsentia satis est dictum. Nam exstant hodie aliorum de morbi Gallici curatione, & quidem multorũ libri, qui eandem copiosissime tractant, vt nihil attineat me esse longiorem. Ceterum sunt vt hoc obiter dicam qui hodie in curatione huius morbi nõ solum ligno Guaiaco, verum etiam radice Chinæ, & salsa parilla non infeliciter vtuntur. Eorum tamen sententiam, qui inunctiones, ex argento viuo, & id genus aliis confectas vsurpant, probare non possum. Nam etsi vitiũ hoc tollunt, tamen ita corporis vires perturbant, vt non ita mul- E
to post in longe deteriores morbos labantur, vt alibi plenius monstrauimus.

Quando cœnandũ.

Vna & eadẽ victus ratio in vsu Guaiaci non omnibus cõpetit.

Germani liberalius cibandi.

INSTRVMENTA TELIS ATQVE INFIXIS ALIIS rebus extrahendis idonea, & necessaria.

Vum ea quæ in sequentibus libris, proximo præsertim capite tradent, nisi aliquot instrumentorũ cognitionem habeamus, intelligi nequeãt, operæpretiũ me facturũ iudicaui, si aliqua saltem quib. res extraneæ nostris corporibus infixæ extrahunt, hoc loco percensere. Quũ n. multa ac varia admodũ sint, tñ sat erit horũ nos in præsentia septẽ, q̃ apud Chirurgos sunt v- F
sitatiora, magisque communia, genera connumerasse. Quorum vtique:

Forceps dẽticulata.

Primum est forceps, seu vt vulgo loquunt, tenacula denticulata, instar limæ capita habens. Atq; huius tria quidẽ sunt genera, vt ex formulis, quas paulo post subiiciemus, patebit. Harum omniũ vsus ad spinas, aspera & pungentia officula, aculeos quoq;, & mucrones infixos, aliaq; id genus acuta euellenda, idoneus ac vtilis est.

Secundum

A *Secundum*, est forcipis genus denticulatę, quod in modũ rostri auis est confectum. Hinc a nonnullis Rostrum coruinum appellatur. Aliis vero, rostrum serpentium. Rostrum coruinum.

Tertium, est forceps in modum cannæ siue arundinis, aut scriptorii calami concaua, quam vulgo tenaculam cannulatam nominant, ad globos educẽdos, & sagittas spiculis einctas, quas vulgares chirurgi barbatulas vocant, extrahendas accommoda. Forceps cõcaua.

Quartum, est terebellum inuersum, quod ad extrahendum ferrum infixum, tubulum seu cauum arundine seu hastili vecuum habens, est idoneum. Qippe in ferri infixi tubulum immissum, ferrum apprehendens, leuiter id ipsum, ferro sequaci, educit Terebellũ inuersum.

Quintum, est terebra in longũ porrecta, directa nuncupata, dilatãdis ac ampliandis ossibus, quibus tela firmiter inhærent, apprime idonea. Terebra directa.

B *Sextum*, est excisorius culter, ad amplificanda in carne accepta vulnera, quo facilius infixa eximantur, vtilis. Excisorius culter.

Septimum, est propulsorium nominatũ instrumentum, quod certe geminum est. Vnum solidum, siue surdum, quod propulsorium mas appellatur. Alterum cauũ, quod propulsorium fœmina dicitur. His duobus tela protrudimus, donec ab altera parte apprehendi, & extrahi possint. Propulsorium. Mas. Fœmina.

FORMVLÆ INSTRVMENTORVM, QVARVM MENTIONE fecimus modo, quæ telis extrahendis idonea sunt, ex Tagaultio desumi possunt.

Adiiciam aliqua alia neotericis vsitata Gallis.

C

Qua arte fracta in vulnere sagittæ sint extrahendæ.

QVod si forte telum fractum in vulnere sic relictum fuerit, vt forcipibus commemorãdis comprehendi nequeat, eliciendum, extrahendumque tum venit rostro gruino vel coruino, & aliis mox depingẽdis idoneis instrumentis. Qđ si hastile se iuxta ferrum abruperit, adeo vt gruino nostro prehendendi sui ansam non præbeat, terebello glandium illice in sclopetorum vulneribus depicto defigẽdum & abducendum veniet, nam si eiusmodi terebello defigendi se in plumbum vis inest, multo & in lignum magis. At si ferrum multis sulcis fuerit cuspidatum, cuiusmodi fere esse solet, Anglicanis sagittis, tum si fieri potest, instrumento ad id apto, vltra partem impellendum est:
D nempe qua tendebat. Nam si qua venit retrahatur, periculum non leue imminet ruptionis laniatusque vasorum & neruorum ab ipsis tanquam hamatis sulcis. Quare satius est e regione, qua nempe tendebat ferrum, sectionem moliri, hacque ipsi exitum, si quidem compẽdio id fiat, aperire. Sic enim & tutius & facilius detergetur vulnus & consolidabitur. Contra vero si qua tendit ferrum os aliquod oppositum habeat, vel multorum musculorum & densæ carnis obicem, vt contingit in femore, crure, & brachiis nonnunquam, tum non qua tendit compellendum ferrum est, sed potius qua venit dilatato instrumentis idoneis, vulnere, neruis & maioribus vasis ex anatomes peritia vitatis, retrahendum & foras reuocandum est. In eam igitur rem dilatatorium cauum in vulnus immittatur. Hoc ferri gemini sulci, & tanquam hami comprehendan-
E tur. Hinc rostro gruino stringatur ferrum arctius, sicque demum vna & eadem opera illa omnia extrahantur, vt sequenti deformatione indicatur.

Quando qua tendebat ferrum extrahendum.

Quando qua venit ferrum extrahendũ.

Dilatatorium parte interna cauum, cum rostro gruino hamatum ferrum tenente.



Instrumentorum extrahendis sagittarum & telorum ferramentis, quæ in vulnere, hastili vacua relicta sunt idoneorum, deformatio. A



Hoc cochlea, qua in cannulam eius inditur, opera diducitur.

Hoc compresso manubrio diuaricatur. B

Forfices cochleati cum rostro coruino. Illi quidem cochleæ opera diduci & contrahi solent, ad sagittarum telorumq́; ferramenta abducenda, hoc vero loricarum orbiculi nexiles in corpus vna cum telo impressi & relicti eximuntur. C

Vncus extrahendis loricarum orbiculis nexilibus, & aliis peregrinis corporibus, quæ tanquam fibula & vnco subnecti, stringi & comprehendi poterunt extrahendis idoneus: cuius etiam in vulneribus sclopeto illisis vsus esse poterit.



D



Quod si forte seu sagittæ seu lan-
ceæ, seu cuiusuis alterius teli sulca-
tum multipliciter ferrum in parte
aliqua corporis, vt femore aut cru-
re relictũ hæserit, cum hastilis por- E
tione frustulatim seu assulatim ab-
rupta, tum oportebit Chirurgum
excisoriis forcipibus hastile supra
frustra comprehensum exscinde-
re, moxque fornicibus dentatis fer-
rum extrahere, vt ex præsenti figu-
ra patet.

F

A LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS VVLNERIBVS, LIBER SEXTVS.

De vulneribus in vniuersum CAP. I.

VLnus, quod Græcis τραῦμα dicitur, *Galeno lib. 3. Ther. method. capite 1. teste*, est solutio continuitatis ex vulnerãdo in carnosa parte relicta. Auicennæ interpres, & recentiores fere omnes, *plagam* appellant. Huius quidem caussæ censentur, quæcunq; extrinsecus aduenientia vulnerare, perforare, incidere, abrumpere, ac contundere valent. Vulnerant autem, perforant, ac incidunt, quæcunq; acuta sunt, & morsum inferre possunt: vt est gladius, & animalia pungentia, aut mordentia. Abrumpunt, quæ violenter distendunt: contundunt autem, grauia. Notæ vulnerum non aliunde petendæ sunt, quam ex iudicio sensus, sed visus maxime. Porro nedum vulneris, sed omnium solutionum continuitatis, *Galeno capite 90. Artis medicæ attestante*, communis curandi indicatio, est vnitio. Hæc autem prima & generalis indicatio a duobus perficitur, nempe a natura, tanquam a præcipuo agente, & caussa effectrice, adiuta suis viribus & conuenienti alimento: & a medico tanquam ipsius naturæ ministro. Vt autem Medicus propositum sibi curationis finem, nempe vnitionem, tandem assequatur, quinque sunt necessaria. Primo, vt quæ extrinsecus incidunt, atque ne vulneris labra coire possint impediunt, amoueantur. Verbi gratia, si ossis aliqua particula pungens & aspera, aut telum aliquod, aut sagitta, vel mucro, vel spina, vel harundo sit quæ intercidit, adeoq; vulneris labra coire haud patiatur, vbi satis diducta fuerint labra vulneris digitis, aut vulsella, vel forcipe, aut alio id genus instrumento, prout res expostulat, apprehensa, leuiter & citra dolorem euelli debet. Ceterum extrahendorum telorum, quæ infixa corporibus intus hærent, duplex est modus: vnus quidem per attractionem, alter vero per protrusionem, seu impulsionem. Attractio fit ab ea parte maxime, qua venit telum, sed interdum etiam ab ea in quam tetendit. Protrusio autem, fit in partem oppositam ei, cui infixum est. Horum autem modorum indicationes desumendæ sunt tum ab ipsis telorum generibus, tum ex illis sedibus, in quas illa penetrauerunt. Proinde tela quæ iaciuntur ac vibrantur, magna ex parte vel oblonga, & angusta, cuiusmodi sunt sagittæ: vel lata, vel rotunda, vt plumbea glans: aut angulosa, nempe triangula: aut trisulca, hoc est, tribus ex partibus acie prædita: aut spiculis cincta, quę vulgo barbulata appellant: nonnulla spiculis carent. Quod si itaq; telum oblongum est & angustum, cuiusmodi, vt diximus, sagitta est, & facile corpori infigitur, & altissime insidit. Sæpius igit͂ alia parte, q̃ qua venit, hoc est, antrorsum, sagitta educenda est: præsertim vbi spiculis cingitur, quæ magis laniant si retro, quam si contra trahant. Sed inde aperta via, caro diduci debet, ferramento ad similitudinem facto Græcæ literæ ψ. Item si ex alia parte vulnus aperit͂, laxius esse debet, quam vt telo postea transeunte amplificetur. Deinde vbi apparuerit, si mucroni arundo inhæret, propellenda est sagitta, donec ex altera parte apprehendi, & extrahi possit. Si iam illa, arundo in quam seu hastile decidit, solumq; intus ferrum est, mucro vel digitis apprehẽdi, vel forcipe, atq; ita educi debet. Neq; alia ratio extrahendi est, vbi ab ea parte qua venit, hoc est, retro, euellere tibi consilium est. Nã nouacula, aut scalpello ampliato vulnere, quo facilius ea sequatur, quoq; minor phlegmone oriatur: q̃ maior quidẽ fit, si ab illa ipsa sagitta dum redit, corpus laniatur: aut arundo si inest, euellenda est: aut si ea non est, ferrum ipsum. Porro eximetur ferrum vel terebra inuersa, in tubulum immissa: vel forcipe, qua dentes atq; eorũ radices euelluntur: vel ferramento, quod a telo extrahendo βέλυλκον Græci vocant, aut alio quopiam instrumento ad id accommodo. Nonnunquam etiam carnes prius incidentes, si vulnus instrumentum haud recipit. Quod si spicula apparuerunt, eaq; breuia & tenuia sunt, forcipe ibi comminui debent, vacuumque ab his telum educi. Aut si ea maiora valentioraq; sunt, fixis scriptoriis calamis, *vt libro septimo capite 5. Celsus consulit*, contegenda sunt, ac ne quid lacerent, sic euellenda. Alii spicula ipsa forcipibus seu tenaculis, vt vocant, cannulatis apprehendunt, atq; ita telum eximũt. Quod si telũ spiculis vtroq; versum spectantib. cinctum in neutrã partem sequat͂, iuxta ipsum alia incisione patefaciendus locus est, nisi vena, aut tale aliquid impediat. Nã summa cura cauendum, ne neruus,

Margin notes: Vuln' quid. — Plaga. — Caussæ. — B — Signa. — Curatio. — C — Quæ extrinsecus vulneribus incidunt, vt amouenda. — Primum in curatione vlcerũ necessarium. — Tela e corpore vt extrahenda. — Attractio. — Protrusio. — Telorum differentia. — D — Telum oblongum & angustum vt extrahẽdum. — E — βέλυλκον. — F

vena maior, aut arteria incidatur. Quod si horum aliquid detectũ fuerit, excipiendum hamo retuso est, abducendumque scalpello. Vbi autem satis incisum est, ferrum vndiquaque explicatum modeste, ac sine vlla vulsione tollendum est. Quidam etiam spicula eiusmodi fixis calamis, seu exiguis arundinibus, prius contegunt, ne quid lacerēt: deinde ita euellunt, ea scilicet parte, quæ eductioni magis congruere videbit. Latum vero telum si conditum est, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti vulneri, ipsi quoq; ingens vulnus adiiciamus. Euellendum ergo est genere quodam ferramēti, quod Dioclis βέλυλκον Græci vocant, quoniam auctorem Dioclem habet, quem inter priscos maximosque Medicos fuisse memoriæ proditum est. *Tertium* quoddam telorum genus est rotundum, aut angulosum, vt plumbea glans, lapis, aut simile aliquid, quod ex funda, aut bellicis tormentis mittitur, & perrupta cute integrum in corpus defigitur, ac intus insedit. Tela autem huiusmodi intus condita esse, his notis deprehendes. Moles aspera, atq; inæqualis, si contrectetur, subesse sentitur. Plaga seu diuisio non omnino in rectum tendit, sed & maior etiam ac amplior apparet. Caro item contusa liuidaq; cernit. Dolor prȩterea cum grauitate quadam infestat. In omnibus iis latius vulnus aperiendũ, idque quod inest, ea qua venit, aut vncis, aduersave scalpelli parte, aut vulneratio specillo recipendum est: aut denticulata forcipe, si fieri potest, & eam vulnus admiserit, extrahendum. Quod si telum infixum sic intus latet, vt nullo modo reperiri queat, aut nō satis commode extrahi, tantisper dimittendum est, donec natura ipsum protrudat, aut manifestet. Aut si telum aliquod infixum primis conatibus commode ac salubriter euelli non possit, sic eousque admittere debes, donec circumposita caro emarcescat, putrescatque. Deinde intermissum opus aggredere, telum ipsum quod infixum est, modo huc, modo illuc agitando, ac manibus vel forcipibus leuiter ipsum contorquendo. Ita enim leuius multo ac facilius telum extrahes. Interdum vero tela infixa integra intus cicatrice obducto vulnere, citra aliquam noxam diu delituerunt. Post longiore temporis spacio, partem eam abscessu occupante ac dirupto exsiliere: quo facto vulnera statim ad sanitatem perducta sunt, ea illis curatione adhibita, quæ illis debetur vulneribus, quamque iam edocebimus. Atque hactenus de indicatione ea diximus, quæ a telorum sumitur differentiis. Nunc eam, quæ a laborantibus petitur sedibus, persequemur. Sedes autem in quas tela penetrarunt, vel caro sunt, vel ossa, vel articulus. Atque in iis quidem partibus, vel alte telum insedit, vel in summo duntaxat hæret, vel saltem non admodum alte, & citra medium infixum est. Adhæc vel membrum vnum duntaxat telo ictum est, vel particulæ plures simul confixæ sunt, ita vt particula vna telo traiecta, alteri affigatur. Quocirca si in summa carne telum impactum est, aut certe magnas venas, & loca neruosa non transiit, nihil melius est, quam qua venit id euellere. Similiter etiam quod alte infixum est, obiectæ vero partes, id est, quæ ex aduerso respondent, si conuulnerentur, vel ex sanguinis profusione, vel ex aliorum membrorum consensu, & consortii lege periculum inuehant, euulsione qua parte infixum est, eximi debet. Illud autem digitis, vel ipsius teli arundine, seu hastili, quod plerunque ligneum est, inferri tubulum immisso, extrahendum. In quibus vero alte telum in carne infixũ est, & plus est, hoc est, longius spatium, per quod telo reuertendum, quam quod perrumpendum est, iamque venas neruosque id pertransiuit: breuiter, cum parum admodum integræ carnis ex aduersa parte superest, neque aliquid obstat, quo minus contra mucronem incisio commode fieri possit, melius est aperire quod superest, eoque propulsatu telum educere. Nam & propius petitur, & tutius euellitur, & in maiori mēbro, si medium mucro transit, facilius sanescit quod peruium est, quia vtrinq; medicamēto fouetur. Protrudi autem debet vel hastili ipso, si inhæreat: vel si exciderit, propulsorio instrumento, cauo quidem vel solido, quod surdum quidam vocant, prout res exigit. Porro si telum acumen habeat: quod specillo deprehendimus, propulsorii instrumēti fœminam: si vero tubulum seu concauitatem habuerit, marem demittemus, atque ita ferrum inserto instrumēto protrudemus, quoad educi facilime possit. At si in opposita, seu vlterius telum processerit, nec ea parte ipsum possit extrahi, qua infixum est, diuisis iis quæ opposita sunt, per illa ipsum eximemus, vel euellentes, *vt dictum est*: vel per eam partem in inquam tetendit, vt modo diximus, propellētes: summa cura, vti paulo ante monuimus, semper habita, ne vel neruum, vel tendinem, vel maiorē venā, aut arteriam inci-

Latũ telum quomodo educendũ. Dioclis βέλυλκον. Rotundum telum vt extrahēdũ. Signa.

Sedes laborãs in telorum extractione vt cõsideranda.

Si telum in summa carne hæret.

Si telum in opposita processerit.

Si telũ ossi inhæsit.

A B C D E F

A incidamus. Si telum ossi inhæsit, non nisi attrahendo ipsum eximere tutum est. Eo autem vsq;, Celso loco supra citato attestante, donec is locus laxetur, qui mucronem momordit, & tum vel manu, vel forcipe telum extrahendum est. Quæ ratio in dentibus quoque eiiciendis est: & vix vnquam ita telum non sequitur, sed si morabitur, excuti quoque ictum aliquo ferramento poterit. Quidam tenaculis, vt vocant, seu forcipibus alligant arcum, quem vulgo balistam nominant: & laborante bene stabilito, intensum ipsius instrumenti neruum seu chordam remittunt, & ita telum extrahunt. Quod si telum altius in osse desederit, quod cognoscimus, si firmiter id infixum nulla vi moueatur, aut labet: excisorio cultro, osse quod iuxta est, exempto, aut etiam terebra, si crassum sit, prius perforato, telum ipsum extrahemus. Sunt qui ab eo foramine, quod Celsus faciendum esse suadet, terebra facto ad speciem literæ 4 contra telum os excidunt, sic vt lineæ quæ diducuntur, ad telum spectent. Quo quidem facto, id necesse est labet, & facile auferatur. Quod remedium vltimum est. Alii terebra in rectum ac longum porrecta, quæ illis directa vocatur, ossis percussi rimas conniuentes, & telum infixum mordicus prehendentes, diducunt, atq; ita facile quod infixum est, extrahunt. Inter duo ossa, si per ipsum articulum telum proruperit, circa vulnus duo membra, ita monente Celso, fasciis habenisve deliganda, & per has in diuersas partes diducenda sunt, vt tendones, ligamenta, & neruos distendant. Quibus extentis, laxius inter ossa spacium est, vt sine difficultate telum recipiatur. Sed illud quoq; videndum est, sicut supra aliquoties

Si telum altius in osse demersum sit.

B

Directa.

Si telum in articul. se inter duo. ossa demerserit.

C monuimus, ne quis neruus, aut vena, aut arteria a telo lædatur, dum extrahitur, eadem scilicet ratione quæ supra posita est. At si plures particulæ confixæ fuerint, hoc est, si membrum aliquod telo traiectum, alteri affigatur, verbi caussa, brachium thoraci, aut crura inter se, hoc modo faciendum est. Si non per totum vtrumq; membrum penetret sagitta aut hasta, eam ab exteriore parte, perinde atq; in vno fieri consueuit, apprehensam extrahemus. Sin penitus ambæ partes trāsfixæ fuerint, dimidia ligni parte serra resecata, eas ligni partes quam facilimo fieri poterit modo, sigillatim euellemus. Porro si venenato quoq; telo vulnus factum est, iisdem omnibus, si fieri potest, etiam festinantius actis, adiicienda curatio est, quæ vel epoto veneno, vel a serpente, vel a quouis alio venenato animante ictis adhiberi solet. Ceterum quod ad chirurgiam attinet, totam carnem, quæ veneno iam mutata est, siquidem fieri potest, præcidemus. Agnosces autem eam, quod a sana carne admodum diuersa sit. Pallida enim supra modum, subliuida, & veluti mortua apparet. Sin carnem totam a veneno immutatā circumcidere nō possis, haud alienum erit circa vulnus scalpello incidere, hoc est, scarificare, quo plus vitiati sanguinis extrahatur. Dein venenum admota vulneri cucurbitula, extrahendum est. Si cucurbitula nō est, tum quodlibet simile vas, vitrum nimirum, aut tale aliquid, quod idem queat. Si ne id quidem est, quod tamen vix accidere potest, homo vilis aliquis adhibēdus est, qui vulnus exsugat. Sed illud ante attendendum, ne is qui vulnus exsuxerit, aliquod in gingiuis, aut palato, aliave oris parte vlcus habeat: hoc namque pacto & ipse tutus erit, & tutum hominem vulneratum præstabit. Siquidem venena, Celso lib. 5. c. 27. teste, non gustu, sed in vulnere nocēt. Verum priusquam hæc aggrediamur, telū ipsum, vti docuimus, eximendum erit. Atq; hactenus, methodus de telis e corpore eximendis tradita est. Porro spinæ, piscium officula, lapides, vitri fragmenta, surculi, ossium frustula, aliaq; pungentia & acuta, denticulatis forcipibus sunt euellenda, aut medicamentis ad hoc paratis & vtilibus. Inter quæ hoc præstantissimum & efficacissimum esse putatur, quod recipit: *Fermenti, mellis optimi, propolis, singulorum vncias tres. Visci quercini, vnciam vnam. Ammoniaci, vnciam dimidiam. Olei, vnciam vnam cum dimidia.* Ex iis omnibus conficiatur emplastrum, quod loco cui fixum intus inhęret, superponatur. Radix etiam arundinis per se, *Dioscoride attestante*, concisa, aut cum melle contusa, & apposita, infixa sine dolore extrahit. Sunt & pleraq; alia præter iam dicta, quæ vim habent cuspides & surculos extrahendi, & infixa euellendi: cuiusmodi sunt *aristolochia, anagallis, dictamnus, sagapenum, oxyacantha, narcissus, ranæ combustæ, simacum carnes, & id genus alia.* Atq; hæc de primo quod ad vulneris vnitionem est maxime necessarium, dixisse satis sit: ad secundū ita nobis progrediendum erit. Secundum autem quod in curatione vulnerū necessariū est, vt dissidentes seu distantes partes coniungamus, id quod per orarum adductionem, seu labiorum vulneris inuicem distātium attractionem, & applicationem assequemur,

Si plures particulæ confixæ fuerint.

Si venenato quis telo ictus est.

D

E

Medicamēta ad infixa extrahenda accōmoda. Emplastrū.

F

Infixa extrahent a.

Dissidentiū cōiunctio.

partem ipsam læsam quam fieri poterit lenissime tractando. Dissidentium namq; coniunctionem seu agglutinationem, necessario præcedit oratum adductio. Quæ autem diducta sunt, in idem adducuntur, *Gal. lib. 3. The. method. cap. 4. teste*, aut vinculo ex duobus initiis circundato, aut sutura, aut fibulis, quas Græci ἀγκτῆρας vocant, impositis, aut horum quibusdam, aut omnibus. Quod si vulnus, vt supposuimus, simplex sit, hoc est, solum continui in carne solutio, cum quo neq; affectus vllus, neq; symptoma vllum adsit, nec valde magnum sit, sola fascia orbiculatim circundata, diductas partes committere oportet. Ita enim vulnus proculdubio coibit, & citra aliquam aliam extrinsecus adhibitam curam coalescet. Huius autem coitionis & coalescentiæ effectrix caussa, sola natura est. A

Vulnus simplex.

At si magnum vulnus sit, adeo vt diductæ partes in totum, atq; exacte prædicta deligatura committi nequeant, suturis ipsæ adducentur. Deinde vbi sic deligatæ, aut suturis adductæ fuerint, glutinatoriis præsidiis vtemur, quæ collectam humorum subluuiē desiccare, & cōsumere queant: aliam vero ne influat, ꝓhibere. Plaga vero ea sui potissimū debet, quæ in molli parte accepta est, maximeq; si discussa auris ima est, *vt lib. 5. c. 26. Celsus ait*, vel imus nasus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter: vix enim iis partib⁹ deligaturam vulnus admittit. Si vero in carne vulnus est, hiatq;, neq; in vnum oræ facile attrahunt̃, sutura quidem aliena est: imponendæ v. fibulæ sunt, quæ oras paulum tñ contrahunt, quo minus lata postea cicatrix fit: fere autem fibulæ latius esse patiuntur. Atq; hactenus de secundo ꝙ chirurgo in curando vulnere simplici faciendum est, diximus. *Tertium* quod in curando prędicto vulnere medico ꝓponitur, est, vt diductorū oræ ita vt in vnum per adductionē coactæ & cōmissæ sunt, conseruentur, & maneant. Conseruabuntur a. optime huiusmodi extrema, quæ in vnū coacta sunt, iisdem fere auxiliis, quib. & in idē adducta sunt, nempe, decenti ligatione, apposito membri situ, & suturis, si necessariæ videbunt̃. Porro bifariam simul manent, & agglutinantur, *Gal. lib. 3. The. method. cap. 4. teste*, quæ commissa sunt: alia enim per se, alia ope aliorum subsistunt ac manent. Per se quidem, quæcunq; secum concrescunt, ac coalescunt: aliorū ope, vt ea quæ colligantur, & glutino aliquo tenētur, ac quæ cōcrescant coalescantve, omnino mollia naturaliter sint oportet. Talis sane est tum caro ipsa, tum quæcunq; carnea ex ipsa constitutione sunt. Quæcunq; vero dura siccaq; sunt, eorum diuisæ partes coire simul nequeunt, alienū enim terminum nequaquam admittunt: sed glutinum aliquod vinculumve, quo commissa maneant, requirūt. Nunc quomodo vulnus ligari conueniat, primum docebimus. Deligaturæ autem modi seu differentiæ tres sunt. Vna dicta agglutinatoria, barbaris incarnatiua nominatur, recentibus tū vulnerib. tum fracturis accommodatur. Debet autem fascia in hoc genere deligaturæ a duobus initiis versus mediū eiusdem circumuolui, & principiū deligaturæ fieri ex parte aduersa loci vulnerati, ducēdo atq; iniiciendo alterū fasciæ principium versus partē superiorem membri, alterū versus inferiorem. Ea vero latitudine esse debet fascia ipsa, Celso lib. 5. cap. 26. attestante, vt semel iniecta, non vulnus tantū, sed vsq; ad aliquid vtrinq; ēt oras eius comprehendat, quātum videbitur necessariū. Si ab altera parte caro magis recessit, ea melius attrahitur. Si æque ab vtraq;, trāsuersa cōprehendere oras debet: aut si id vulneris ratio non patitur, media primū iniicienda est, & tum in vtramq; partem ducatur. Ceterū arctior esse debet ligatura super locum læsum, q̃ in partib. adiacentib. Cauendū tamen semper est, ne vel nimis arcta, vel nimis laxa sit. Quando quidem quæ laxior est, non continet: quod autem non continetur, elabitur. Ad vero quod vehementius est adstrictum, dolorem premendo excitat, & proinde fluxionem proritat, & phlegmonem accersit, quandoque etiam gangrænam. Danda igitur opera est, *vt Galenus lib. 6. Ther. method. cap. 5. ait*, vt vitato ambarum incommodo, vtriusque fruamur commodo. Id fiet, si quod nimium est declinabimus. Ergo nec adeo arctare deligaturam debebis, vt iam comprimat: nec adeo remittere vt laxa sit. Porro extrema fasciæ acu assuenda sunt. Nam nodus, inquit loco citato Celsus, vulnus lædit nisi tamen longe est. Et si necessitas desideret, plures fasciæ iniiciantur, & modo qui supra dictus est, reuoluantur. Itaq; hoc deligādi modo vulneris labra ad amussim committuntur: & quo minus circa vulnus excitetur phlegmone, cuius rei inprimis cura habenda, prohibetur. Hæc de prima ligaturæ differentia. Secunda deligaturæ differentia, expulsoria vocatur: ea antiquis vlceribus & sinibus, quos cauernosa vlcera nominant, proprie dicata est, hoc enim

B

Cōmissorū cōseruatio. 3. C

Bifariam coniuncta manere quæ committuntur.

D

Deligaturæ tres modi 1. Agglutinatoria.

E

F

2. expulsoria.

A enim commodi præstat in illis, quod a fundo ad os collectam humorum colluuiem extrudit: & ne quid amplius in locum laborantem confluat, valide ꝓhibet. Hæc autem fit, fascia ab altero tãtum principio reuoluta, incipitq; ab inferiore parte membri laborãtis, vbi arctior esse debet. Ab hinc ad superiorem partem facta circumuolutione, eam paulatim soluendo, dispensatur: si saltem os per quod sanies emanat, ad superiorem partem porrectum sit. Interdum enim inferius spectat. Per partem vero superiorem intellige eam, quæ versus cor, aut iecur, vasorum radice, spectat. Radicem autem vasis, *Galeno li. 5. The. method. cap. 3. teste*, priorem eius partem, quæ iecinori propior est, vel etiam cordi. Huiusmodi quidem deligatura adaptari solet partibus inæqualibus, id est, quæ non B sunt æqualis crassitudinis, cuiusmodi sunt tibiæ, scindendo fasciam ipsam, singulo quoque palmi interuallo: & eam valide acu assuendo, ab ea parte maxime, quæ gibba est: laxe autem, a parte altera dorsali. Hoc autem genus deligaturæ vtilissimum est, vt diximus, in antiquis vlceribus, varicibus, & tibiarum inflationibus. Tertium deligaturæ genus, retinens, eo quod medicamenta retineat, dictum, accommodatur membris in quibus arctatio fieri nequit. neque alia deligatura, vt in collo, & in ventre, atque in omnibus abscessibus, & affectibus dolorificis. Hæc perficitur linteolo seu fascia vnicum finem, seu caput habẽte: vel quæ sit multorũ capitum seu brachiorum, prout res exigit. Atq; eius deligaturæ principiũ, super laborantem locum iniicietur, & in parte opposita, vel nodus, vel potius sutura fiet. Talis autẽ deligatura leniter & citra dolorẽ, quũ appetet C tempus, solui debet. Quod si linteola nimis adhæreant, ea tantisper vino madefacito, donec facile separari possint: fascia vero ad vulnus deligandum, lintea aptissima est, *Gal. lib. 5. Ther. method. cap. 4.* quæ nec nimium mollis, nec nimium dura sit. Quæ enim mollis nimium est, & algæ ritu fragilis, nõ tuto continet. Quæ vero dura nimis est, premendo offendit. Sit igitur ex panno veteri, non tamen nimis detrito, suaui, leni, & mundo. eaq; latitudine & longitudine, quam natura partis desiderat. Vt si humerus tibi deligandus sit, fasciam quæ latitudinem sex digitorũ habeat, assumes. At si femur, quinq;: si tibia quatuor: si brachium, trium digitorum. Si vero digitus ligari debeat, vnius digiti latitudine fascia assumenda erit. Eius vero longitudo sit, pro ratione numeri iniectionũ, hoc D est, pro necessitate reuolutionum. Hactenus de modo deligandi. Nunc de qualitate & modo suendi. Triplex a. in vulneribus sutura fieri solet. Vna agglutinatoria, quam barbari incarnatiuam vocant, quæ vulneribus in molli parte acceptis competit, quorum labra sic dissident, vt sola deligatura in vnum adduci nequeant, & quibus nihil iam extraneum inter ipsas oras intercipitur. Sed & recentia esse debent vulnera, quibus hoc genus suturæ accommodatur: vel saltem si vetera fuerint, ac dura, callosaque labra habuerint, per scarificationem, aut cutis ablationem sanguine emisso, renouata. Hæc a. quinq; fit modis. *Primo* filo forti, æquali, & læui, cuiusmodi est sericum, in communib. saltem vulneribus, primum punctum faciendo, in medio diuisionis vulneris, deinde alterum in medio spacio vtriusq; lateris, & ita deinceps ꝓcedẽdo, vt inter duo quæcunq; puncta, punctum intercedat, donec vulneris labra rite commissa fuerint. Itaq; neq; ni- E mis rara, neq; nimis crebra sutura esse debet. Si enim nimis rara est, non continet: si nimis crebra est, vehementer afficit. Quia quo sæpius acus corpus trãsiuit, quoq; plura loca iniectũ vinculum mordet, eo maiores phlegmones, *Celso libro 5. capite 26. attestante*, oriuntur. Sic igitur sutura oras iungat, vt ne ipsæ quidem inter se ex toto contingant: quo scilicet, si quid intus humoris concreuerit, sit qua emanare, ac effluere possit. Solent autem communiter vnius digiti transuersi spacium inter iniecta vincula relinquere. Porro acus longa ac læuis esto, cuspide triangulari: cauda vero excauata, vt in ea filum recondatur, & transitum acus non remoretur. Ceterum cannula habeatur fenestrata, cui incumbat ac innitatur altera pars labii vulneris, ne scilicet huc atque illuc euagetur, dum acus intermittitur: & vt per fenestellam videri possit, quando acus pertransierit. F Atque vbi iam acus traiecta fuerit, vna cum filo trahatur: sed interim vulneris labrum, quod prope filum est, specillo huic parti applicato, veluti fulcimento & adminiculo innitatur, ne dum filum extrahitur, labrum etiam consequatur. Ligetur autem primo duabus inuolutionibus, secundo vna duntaxat, deinde filum scindatur aliquantulum remote a nodo. Secundo, fit sutura agglutinatoria acubus, aut pinna cum acu introducta. Hac autem vtimur in magnis vulneribus, & profundis, in quibus labra plurimum

Pars superior.

Radix vasis.

3. Deligatura retinens.

Sutura vulnerum triplex.

Agglutinatoria.

Modi quinque suturæ agglutinatoriæ.

Primus.

Acus qualis esse debeat.

Secundus.

inter se distant. Atque tot numero acus imponendæ sunt, cum filo in eas intromisso, A quot necessariæ videbuntur. Filum autem circa eas reuoluendum est, eo modo quo mulierculæ facere solent, dum suas acus super manicas aut capitia asseruant: atque hoc modo relinquuntur vsque ad vulneris coalescentiam. *Tertio* modo, fit sutura agglutinatoria dicta, veruculis æqualibus ex stupis vehementer contortis, & gracilibus, ad modum scriptorii calami, vel festucæ, longitudine fere medii digiti. Quod si velimus suturam longo tempore perdurare, pinna seu scriptorius calamus, loco stuparum assumi debet: fit autem ad hunc modum. Vtraque vulneris ora traiici debet, acu filum ducente. Deinde facto per idem foramen recursu, ex ea parte qua venerat, recipienda est: sic quidem, vt ansa vna remaneat ea parte qua remeauit. In qua alterum veruculi extremum imponendum erit. Postea fines amborum filorum, euntis nimirum & redeuntis B constringito, & super alterum veruculi caput ligaturam facito, ibique fila rescindito, & veruculum hoc pacto vsque ad perfectam vulneris coitionem relinquito. Quarto, agglutinatoria sutura fit fibulis, disiunctas atque hiantes vulneris oras committentibus. Sunto autem fibulæ ipsæ vel maiores, vel minores, pro ratione partis vulneratæ: ab vtraque vero parte recuruæ, figaturque hamus vnus in altero vulneris labro, & versus alterum ducatur, in quo & alter hamus infigatur, vt facere solent qui pannos tundendo apparant. Hæ autem fibulæ, quibus hiantis vulneris oras sic contrahimus, nullam vim desiderant, sed eatenus vtiles sunt, quatenus cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur. Quinto modo, deductæ vulneris oræ committuntur, pannis vtrinque admotis, C qui figuram triangularem referant, & ea sint magnitudine, quæ membro læso congruere videatur. Qui suturæ modus in iis maxime locis conuenit, in quibus volumus cicatrices facta vulneris agglutinatione, non apparere, vt in facie. Panni autem eiusmodi, viscoso linimento, ac pertinaciter adhærente oblini debent, quod recipiat puluerem sanguinis draconis, thuris, & mastiches, sarcocollam, picem, & pollinem, id est, farinam volatilem molendinariam. Quæ omnia cum candido oui liquore subigi debent, & in vnitatem redigi. Atque vbi linimenti formam ea iam induerint, supra dictos pannos extendi debent, qui vtrinq; postea ad latera vulneris, ad pollicis vnius distantiam supra vulneratam partem agglutinandi sunt. Vbi autem hæc panni frustula sic linimento oblita desiccata fuerint, ingeniose, & vt oportet, consui debent. Quo facto vulne- D ris labra coibunt, & agglutinabuntur. Altera sutura sanguinem supprimens, vel suppressoria sanguinis, fit acu filum trahente, traiectis oris vulneris vtrisque per modum reuolutionis, vti pelles consui solent. Ea autem vtimur, quando alia non datur vti, propter magnum prorumpentis sanguinis impetum, accepto in venis vulnere. Sed & hæc vtilis est ad transeunda intestina, quum sauciata sunt: ad membranas quoque vulneratas, & loca carne destituta. Verum non admodum tutus est hic consuendi modus. Quandoquidem disrupto puncto vno, cetera relaxantur. Sutura tertia labiorum in vnum adductorum cōseruatrix, fit vt reliquæ, verū non æque arcta esse debet. Eo enim duntaxat nomine fit, vt simul maneant, q̄ commissa sunt, tantisper dum vulnus coaluerit. Competit autem huiusmodi sutura vulneribus in carne, aut molli parte acceptis, in quibus E magna facta est dilaceratio, & carnis amissio. Hac enim facto vnionis diuortio, seiunctæ partes in vnum adducuntur, quo citius coalescant. His etiam vulneribus recte accommodatur, e quibus in posterum aliquid extrahendū est. Illud autē de suturis ac fibulis in vniuersum diligenter obseruandum est, vt illis nunquā vtamur, antequam vulnus intus purgatum sit: nisi quum magna sanguinis profusio supprimēda est, ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur. Id enim & in pus vertitur, & phlegmonem mouet, & glutinari vulnus prohibet. Sed ne linimentum quidē, q supprimendi sanguinis caussa inditū est, inibi relinquendum est: nam id quoq; inflammat. Comprehendi vero sutura vel fibula, non cutem tantū, sed aliquid etiā ex carne, vbi suberit hæc, oportebit, quo valentius inhæreat, neq; cutē abrumpat. Vtraq; optima est, *Celso loco iā sæpe citato attestāte*, ex acia mol- F li, non nimis torta, quo mitius corpori insidat. Sed neq; rara nimis, neq; nimis crebra, ob superius adductas rationes, sutura aut fibula iniicienda est. Neutra etiā vim vllā desiderat, sed eatenus vtilis est, qua cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur. Ceterum tunc appetit tempus remouendæ suturæ, quū ea, quē desideramus effectum p̄stiterit. Modus autem remouendę talis est. Specilli caudam, id est, angustum mucronē, filo supponito, filumq;

Margin notes: Tertius. — Quartus. — Quintus. — Puluis. Pollē quid? — Suturæ modus secūdus — Suturę modus tertius. — Tēpus remouendæ suturæ. Modus.

A filumq; ipsum mox abscindito. Postea latum ipsius specilli mucronẽ, labro vulneris per quod filum educitur, superponito. Ita enim pulcre vitabis, ne quid filum euellendo laceretur. Porro locus nunc exigit vt de puluillis, qui vulgarib. chirurgis plumaceoli, Germanis Meitzel nominantur, aliquid obiter dicamus: hi enim ad multa vtiles sunt, quandoquidem dissolutas ac diductas partes fulciunt & comprimunt: partis q̃ suæ vnionis diuortium patitur, natiuum calorẽ fouent, & conseruant. Deniq; a graui molestoq; vinculorum ac fasciarum pondere, vulneratã particulam tuentur. Fieri autẽ quondã solebãt ex pluma inter duos pannos candidos & mundos cõsuta, vnde & nomen illi a veteribus inditum est. Verum quoniã eos subinde mutare, & innouare, q̃ valde molestũ erat, cogebat necessitas, magis postea placuit eiusmodi puluillos ex stupis canabinis conficere, præsertim diligenter ac studiose pexis, emundatisq;. Fiunt etiã interdũ ex lana vel xylo, quod cotonem appellant. Pleriq; a. hodie loco puluillorum, panniculos admouent læues, id est, non asperos, duplicatos, aut triplicatos: alii vero spongiam adaptant. Porro duo, vel tres, pluresve, prout res expostulat, apponuntur. Quandoq; quidem sicci, ac nullo madentes liquore: nonnunquam vero imbuti oui candido, vel vino, vel posca: aliquoties etiam oleo, p affectus ratione. Inueniuntur autem huiusmodi puluilli triplicẽ obtinere figuram. Alii enim triangularẽ, alii rotundã, alii vero quadratam habent. Qui figura constant triangulari, glutinandis vulnerib. sunt dicati. Ita vero disponi debent. Vnus ex vtroq; latere orarum seu labrorum vulneris cõstituat, ita vt super plagã inter se iungantur lateribus. Qui rotundam habent figurã, sicci aliis superponuntur, natiui caloris particulæ læsæ conseruãdi gratia, & vt saniosam, pluuiem, ac sordidos ichores in se recipiant. Sed qui quadrati sunt, ideo apponuntur, vt partem læsam a fasciarum & vinculorum iniuriis vendicent. Sunt autẽ penicilla, & linamenta, turundas barbari ac tentas vocant, maximo vsui in curandis vulneribus: proinde vt de iis, quoque hoc loco aliquid dicamus, necesse erit. Vtimur autem illis octo modis. *Primo*, quum vulnera vel amplianda sunt, vel detergenda, vel quum aliquid ab eorum fundo vacuandum est: vt in profundis vulneribus, in quibus necesse est alibi vulnus aperire, vt ex fundo, & sinu ipsius ichores, hoc est, saniosę colluuies, inibi collecti vacuentur. *Secundo*, illis cogimur vti in cauis vulneribus, in quibus necessaria est carnis amissæ recuperatio. *Tertio*, in vulneribus ab aere alteratis, & sordidis, quæ detersione egent. *Quarto*, in vulneribus contusis. *Quinto*, in vulneribus quæ cum phlegmone, aut quouis alio tumore præter naturam fatigant. *Sexto*, in vulneribus quæ per morsus fiunt. Talia namque vulnera non sunt festinanter agglutinanda, & ad cicatricem perducenda. Quin potius longo tempore aperta, & hiantia manere debent. Omnis enim feræ morsus, *vt testis est lib. 5. cap. 27. Celsus*, quoddam virus habet, quod foras semper euocandum est, non intro repellendum, nec occluso vulnere intus relinquendum. Sed de iis fusius *suo* dicemus *infra loco*. *Septimo*, penicillis & linamentis vtimur vulneribus, in quibus persanandis circa ossa manus admouenda est. *Octauo*, in vulneribus quæ iam vetustate in vlcera defluxionibus scaturẽtia degenerauerunt. In omnibus vero aliis vulneribus inducendæ cicatrici studemus, absq; linamẽtis. Animaduertendũ a. est, in iis nõ exiguam esse diuersitatem pro ratione finis, propter quem admouentur. Fiunt enim interdũ ad detergendas, vt comprehẽsum est, vulnerum sordes. Atq; tum ex panni non asperi, & pręsertim veteris laciniis, vel floccis euulsis formãtur. Nonnunquam vero ideo in vulnus immittuntur, vt ipsum hians & apertum maneat. Ac tunc quidem ex stupis bene pexis, & a sordibus rite emundatis, vel ex prædicti panni frustulis efformantur: vel etiam ex xylo, *cotonẽ* Latini vocant. Sed & ex canna ænea, vel argentea perforata fiunt penicilli ad eundem finem: vt verbi gratia, in naribus ad aeris inspirationem: & in altis vulneribus vt sanies, & purulenta colluuio, per hanc velut emissarium ferat, & foras egrediatur, non autem intus retineatur. Quãdoque etiam linamenta & penicilla vulneribus inserunt, vt ipsis os magis dehiscat, & amplietur: fiuntq; tunc ex spongiolis vehementer compressis, & intortis, aut ex radice gentiana. Hæc enim dum multum humorẽ, quo scatet vulnus, combiberint, turgescũt, & ita magis hians vulnus reddunt. Ceterum forma linamentorum æqualis esse debet, penicillorum vero inæqualis, in modum clauiculi lignei, quem Latini *impagem* vocant, ne scilicet intro labantur. Hæc autem aliquoties quidem sicca, quandoq; vero quopiam delibuta vnguento admouentur, prout res ipsa exigit. Quartũ quod in curãdo simplici

Marginalia: B (at "gebat necessitas"); C (at "iungantur lateribus"); D (at "cauis vulneribus"); E (at "linamẽtis"); F (at "plietur"). Puluillorũ vsus. Puluillus quid? Ratio nominis. Materia puluillorũ. Xylon. Numerus. Figura. Triangulares. Rotundi. Quadrati. Penicillum & linamentum quid? Vsus penicillorum. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Vsus & materia linamentorum. Xylon. Impages. Substantiæ læsæ partis cõseruatio.

vulnere medico proponitur, est vt læsæ partis substantiã conseruet, ac prohibeat ne ipsa dolore, vel phlegmone, aut aliquo alio prauo symptomate, quod vulneribus accidere solet, infestetur. Hunc autem scopum assequimur, admotis emplastris, & linimentis ex oui candido, & aliis huiusmodi refrigerantibus vt est ceratum liquidum, *Galeno lib. 6. ca. 5. teste*, primis saltem diebus factis. Postea vero vino adstringente particula perfundenda, & figura aptissima collocanda est. Talis autem est, *Galeno loco iam citato attestante*, quæ maxime a dolore abest, & in qua æger diu immotus perseuerare potest. Apertio quoque, & ea interdum ex aduerso in vulnerata parte molienda est. Necessaria etiam nonnunquam sanguinis missio, item & purgatio, *vt mox docebimus*. Omni autem recens facto vulneri, nisi in ventre sit, ex ipso statim, *Hippocrate in libro De vlceribus, & Galenus lib. 4. Ther. meth. cap. 6. testibus*, sanguinem plus minusve effluere expedit. Quippe hoc modo phlegmone minus tentabitur tum vlcus ipsum, tum quæ circum posita loca sunt. Quum itaque medicum imitatorem esse oporteat non naturæ solum, quod Hippocrates monet, sed etiam eorum quæ quum sua sponte eueniant, conferunt: in recenter autem acceptis vulneribus, præsertim magnis, & præualidis, expedit sanguinem effluere: hic certe si minime, vel minus quam par est effluxit, quod deest, ipsi adiicias oportet, sanguinẽ scilicet ex vena detrahendo. Trifariam autem vulnera, vt & reliqua omnia vitia, magna grauiaque, *Galeno vbi supra capite sexto teste*, redduntur: nempe vel propter laborantis partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinẽ, vel propterea q̃ sunt cacoerhe, i. maligna: cuiusmodi sunt omnia in articulis accepta vulnera. Hęc enim doloris, vigiliarum, cõuulsionis, & delirii periculum adferunt: quod scilicet ibi tendones, & nerui, & carne vacua atque ossea loca sunt. Vulneris igitur magnitudo, vna cum virium robore, mittendum sanguinem indicat: quanquam qui vulneratus est, prorsus redundantiæ sanguinis expers sit. Sanguis vero in recentibus & nuper acceptis vulneribus, nõ solum ne pars læsa, aut circum posita loca, aut comprehensum est, phlegmone tentetur: sed vt impetum quoq; ruentis sanguinis cohibeamus, & nimium profluuium impediamus, detrahitur. Hi enim præcipui sunt mittendi sanguinis in recenter illatis vulneribus scopi. Ceterum si perpetuum est, quod ab Hippocrate didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam reuellendamve esse: fixum vero iam in laborante particula vacuandum esse, vel ab ipsa particula quæ affligitur, vel a maxime vicina: in promtu nobis & de sanguinis detractione colligere nunc est, quod in principio hæc e longinquo, postea ex ipsis exulceratis partibus, *vt lib. 13. Thera. method. cap. 6. & lib. 2. ad Glauconem, & cap. 19. libri De curandi ratione per sanguinis missionem Galenus fusius docet*. Quid autem per longinqua intelligendum veniat, & quando ex longinquis, & quando ex maxime longinquis sit mittẽdus sanguis, alibi luculenter exposuimus. Modum vero seu quantitatem vacuationis, tũ ex redundantię modo, tum ex copia sanguinis qui e vulnere effluxit, inuenire oportet. At hæc ex ætate, natura, tempore anni, regione, & cõsuetudine, & ante hęc ex ipsa laborantis virtute. Qualis a. vena secanda sit, ex laborante particula discitur. Si enim vulnus in capite, collo aut facie acceptum sit, humeralis in gibbero, vel manu secanda est. Si vero partes collo inferiores vsq; ad renes & vmbilicũ vulneratæ sunt, interiorem q̃ vulgus medicorum basilicã vocat, incidere vtile est. Quod si vero partes quæ renibus inferiores sunt vulneratæ fuerint, quę venę per poplites aut malleolos decurrũt secandæ erunt. Ac perpetuo quidem in omnibus siue reuellere, siue vacuare volueris, vena quæ e directo est, & cum laborante parte rectitudinem habet, incidenda erit, *vt a nobis copiosissime in commentariis, quos in libellum Gal. de Curandi ratione per sanguinis missionem exarauimus, monstratum est*. Porro si vulneratus aluo adstricta fuerit, ea indita glande, aut iniecto clysteri subducenda est: vel casia fistulari, aut manna, aut oxyphenico, aut aliquo eiusmodi leniente medicamento deuorato, citanda. Quod si vero vitiosi in vulnerato corpore subsit redundantia, vel vulnus præualidum sit, puro etiamnum existẽte corpore, & cacochymia experte, iam dictis leuibus auxiliis nequaquam contentus eris, sed fortioribus pharmacis purgationem per aluum molieris. His autem pręsertim vulneribus, *Hippocrate in libro de vlceribus teste*, quæ in capite sunt accepta, item quæ in ventre & articulis, purgatio per aluum vtilis est. Præterea iis in quibus periculum est ne siderentur, corrumpanturve. Præterea in iis quæ fiuntur, & exeduntur, & quæ serpunt, & reliquis quæ vlcera diuturna reddunt, etiam quæcunque deliganda sunt: hoc est, adeo magna

Marginalia: De sanguinis in vulneribus missione. — Vulnera trifariam magna. — Modus vacuationis. — Interior vena. — De purgatione in vulneribus molienda.

Margin letters: A, B, C, D, E, F

A magna sunt, vt suturis indigeant, aut si non his, certe deligatura. Purgatio itaque, *vt attestatur libro quarto Ther. method. cap. 6. Galenus*, vulneribus duabus potissimum de caussis suscipitur, nempe vel propter redundantiam alterius cuiuspiam humoris, vel propter vim morbi. Ceterum potiones vulnerariæ ex symphyto geraniis quibusdam plantagine, lycopsi, sanguisorba, sanicula dicta, pede leonis, ophioglosso, bistortaque appellatis hodie herbis, & id genus aliis confectæ, tum commodissime exhibentur, quum spes est certa, citra alia auxilia has posse vulnera glutinare. Postremum & quintum, quod in curatione vulnerũ est obseruandum, victus ratio existit. Vulneratis itaq;, primis septẽ diebus, intra quos vt plurimum a febre & phlegmone securi esse solent, victus tenuis, & par-B cus, frigidus quoq; & humidus, præsertim si iuuenes & plethorici fuerint, atq; ambiens aer calidus, præscribendus erit. A carnibus duris, & valentibus magnis piscibus, & prauum succum generantibus, pane non fermentato, male subacto, & improbe cocto, eos arceto. Allia, cepas, sinapi, salita, & acria omnia ne gustent vulnerati. Perdicibus, pullis gallinarum, auiculis, & id genus aliis concoctu facilibus, & bonum sanguinem procreantibus vescantur. Ex oleribus lactuca, portulaca, & boragine. Vini vsus omnibus vsq; ad septimum interdictus esto: nisi ex largo sanguinis profluuio, viribus destituti fuerint. Tunc enim ante vllam curationem vino reficiendi sunt. Transacto autem die septimo illis, si nihil aliud obstiterit, citra noxam vinum modicum, & aqua multa dilutum, exhiberi potest. Nam si ad hunc vsq; diem nec phlegmone tententur, nec dolore afficiant, C in posterum tuti erunt. Aquã in qua parum cinnamomi coctum sit interea temporis bibant. Breui & frugali cœna vtantur. Vt quiescant iubeto. Optimum enim illis medicamentum quies est, moueri vero & ambulare alienum, iis potissimũ qui in inferioribus partibus vulnus acceperunt. Venerem summopere vulnerati fugiant. Iram item, contentionem, & omnes vehementes animi motus. Ceterum vbi vulneratus a phlegmone fuerit assertus, pleniore victu vti potest. Vtatur igit͂ tũc generosiore aliquo vino, & carnibus probum succum generantibus, ac vires refocillantibus. Atq; hactenus vulneris in vniuersum curationem prolixius etiam tradidimus, vt scilicet vlcerum generalem curationem eo breuius subinde sequenti libro nobis tractare liceat.

De potionibus vulnerariis.

Victus ratio.

D *De vulneribus magnis in superficie acceptis, & minime profundis.*

Cap. II.

Horum vulnerum caussæ ex ægri relatione patebunt. Notis ad dignotionem nullis opus est: oculis enim intueri possunt. In horum autem curatione hoc inprimis attendendum, vt sanguinis inprimis profusio inhibeatur. Quod sane tum faciendum est, vbi moderatius aque affatim effunditur. Moderata namq; sanguinis ex recenter accepto vulnere vacuatio, non parum sæpe multis profuit: quandoquidem & phlegmonas, & obstructiones, & febrem subinde fieri prohibuit. Quæ quidem symptomata vulneribus, nisi diligenter prouideris, superuenire, ipsiusque agglutinationem & curationem magnopere impedire consueuerunt. Atq; hoc est Hippocratis *in libello De vlceribus præ*-E *ceptum*, quod & a Gallo *lib. 4. Ther. method. cap. 5.* & refertur & approbatur. *Fit enim*, inquit Hippocrates, *effluente sanguine vulnus siccius, proinde sanius*. Quod si vero tantus fuerit ruentis sanguinis impetus, vt cum iis quę sistendo sanguini in vulneribus admoueri solent, cohiberi nequeat, iis supprimendus remediis erit, quæ in capite *De venarum vulneribus* postea dicemus. Dein si prædictorum vulnerum oræ sola deligatura, vinculo scilicet, *vt Galenus lib. 3. Ther. method. cap. 4. interpretatur*, ex duobus initiis circundato, nec adduci, nec committi possunt, sutura aut fibulis coniungendæ erunt. Atq; hac sola partium dissidentium coniunctione vulnus glutinatur. Sunt tamẽ hodie, qui in hoc agglutinando vulnere, hoc vtuntur puluere quem labiorum vulneris agglutinatiuum, & su-F turæ conseruatiuum nominant. Recipit *boli armenij, terræ lemniæ, singulorum drah. sex. Thuris, mastiches, sarcocollæ, singulorum drach. duas & dimidiam. Myrrhæ, aloes, singulorum drach. vnam & dimidiam. Tragacanthæ pistæ, sanguinis draconis, singulorũ drach. vnam. Farinarũ hordei, & fabarum, singulorum drach. dimidiã.* Verum interim vnice cauendũ erit, ne vel pilus, vel oleum, vel quidpiam aliud in medio adductorum labrorum vulneris interuenerit. Nam tunc eiusmodi vulnus sola dissidentium partium coniunctione glutinari non potest. Hæc enim quæ ita interiacent, *Galeno etiam lib. 3. Therapeuticæ methodi c. 4. attestante*,

Caussæ. Signa. Curatio.

Puluis cicatricis vulneribus aptus.

Cauendũ ne quid labris vulneribus intercidat.

iam vnionem dispescunt, & earum quæ copulandæ sunt partium coalitum impediunt. A
Ex prædictis vero singula cum oui candido liquore agitari possunt, donec in corpus vnum coeant, quod glutinis instar lentescat. Postea vero stupis leuibus excipiendũ erit medicamentum, & ita vulneri admouendum: supra quod & aliæ stupæ solo oui candido imbutæ, & intra pannum lineum eodem madefactum liquore inuolutæ, apponẽdæ sunt. Sed & supra vulnus nulla alia intercedẽte materia, pannus aliquis tenuis prædicto imbutus liquore, admoueri debet, ne scilicet dum remouentur stupæ, suturæ iam facta puncta abrumpant, aut dilacerent. Quod si etiam loca adiacentia vulneri rosaceo inungantur, lęsam particulam ita a dolore & phlegmone vindicabis. Ceterum quæ cruento vulneri primum apposita sunt, ante diem tertium, aut quartum remoueri non debent, nisi forte dolor aliquis vehemens superueniat, aut symptomata aliquod molestum incidat. B Porro si post quartum diem transactum vulnus nõ coaluerit, vino aliquo adstringente, eoque calente abluendum erit. Deinde stupæ prædicto vino imbutæ & expressæ, supra vulnus ipsum apponendæ & alligandæ erunt, quas & quotidie mutare oportebit. Intra enim dies paucos hoc modo vulnus agglutinabitur, & persanabitur. Recte itaq; & decenter primo puluis prædictis cum candido ouorum liquore adhibetur. Hic enim & sanguinis profluuium infrenat, atq; inhibet, dolorem sedat, & phlegmonem creari vetat. Quod vero vinum omnis vulneris, qua vulnus est, optimum medicamentum sit, Galenus *loco paulo ante citato, & lib. 4. Ther. meth. cap. 5.* luculenter admodum ostendit. Quippe vulnus omne, qua vulnus est, siccari atque adstringi desiderat. Atqui vinum subausterum & adstringens, hæc duo commoda præstat vulneri: igitur optimum eius medicamentum. C Vulnera itaq;, *vt Hippocrates etiam in lib. de Vlceribus docet*, madefacere, & abluere vino oportet. Post quam sane ablutionem infra scriptum puluerem, qui efficax est, inspergere vulneri oportet. Recipit *myrrhæ, drach. tres. Aloes hepaticæ, drachmas quatuor. Thuris, drachmas duas.* Misceantur, & fiat puluis.

Cruẽtis vulneribus admota quãdo remouenda.

Vinũ vlcerib. & vulneribus optimum.

Puluis optimus.

De vulnere profundo, & recondito, citra amissionem substantiæ, in carne accepto. CAP. III.

VVlnus quod in profundum penetrat, & reconditum est, sutura & decenti deligatura subinde curationem recipit. Si vero hoc modo curari non põt, propterea quod partes quæ disiunctæ sunt, exacte ad imum vsq; ob nimiam diuisionis profunditatem, D sibi coniungi nequeant: vel potius, quia in fundo collecta sit sanies, aut pus, cui nullus pateat effluxus, ipsum per effluxionem, Galeni sequentes consilium, curabimus. Ipsam autem effluxionem, tum ex eiusdem, tum ex contrarii loci diuisione, & situ seu figura partis accommoda moliemur. Porro situm partis vulneratæ accommodum, seu congruentem situs figuram intellige, qua vulneris hiatus & orificium semper deorsum spectat, fundũ v. sursum ita vt sanies ex ipso vulnere prona & libere effluat. Proinde si vulneris figura non ad superiora, sed ima potius vergit, nec sutura, nec fibulis, nec deligatura, partes disiunctæ ad amussim cõmitti, ac sibi applicari possint, atq; in profundo sistat sanies: nisi prius ad effluxũ vitiati humoris sectionem feceris, nihil vnquam ꝓficies, siue carnem generare, siue agglutinare volueris. E Vbi vero conuenientem positionis figuram vulnus in laborante parte seruauerit, siue id ex natura vulneris, siue de industria contingat, sectione noua opus non est, *vt lib. 2. ad Glauconem, cap. 14. Galenus copiosius docet.* Verbi gratia, si in coxa figura sinus ad ima vergit, & sinus ipse versus genu terminatur, os vero altius, circa mediã nimirũ femoris regionem cõsistit, molle ceruical popliti laborantis subiiciendũ, vt inferiorem situm habeat inguen, q̃ genu. Hac enim cõueniente positionis figura in læsa parte obseruata, facile per os sanies & purulenta colluuies elabunt, & effluunt. Quod si igitur hac conuenienti situs figura, laborans particula collocari non possit, nec ex vulnere ipso sanies elabi, ex aduerso sectio molienda erit, vt scilicet illi effluxus pateat. F Effluxus v. moliendi duplicem rationem, Galenus *lib. 3. Ther. method. ca. vlt.* esse tradit: alias scilicet tota cauitate dissecta, alias in fundo tãtum aperta. Quando vero harum alterutra sit ineunda, docebit tum locorũ ipsorum natura, tum v. vlceris magnitudo. Si namq; ea loca dubiam, seu fallacem, ac periculosam sectionem faciant, & vlcus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin contra se habeant, præscindere seu diuidere præstat. Deligatio vero eius incipiat quidem, vt dictum est, superne, finiatur infra,

Vulnus quando per effluxionẽ curandum.

Sectio in parte opposita quãdo facienda.

Effluxus moliendi duplex ratio.

vbi scilicet patet effluxus. Sectione etiam facta, aliquod medicamentum repurgans leui
A stupa, aut panno exceptum imponi potest, & bis die mutari.

De cauo vulnere. CAP. IV.

IN cauo vulnere non modo ipsa periit cuticula, quam Græci ἐπιδερμίδα vocant, verum etiam reliquę cutis suppositæ natura vniuersa, & subiectæ carnis portio aliquando nō exigua. Quo fit, vt geminus in eo curandi finis sit propositus, *Gale. lib. 3. Ther. method. ca. 2. attestante*, vnitio scilicet, & impletio: sicuti etiam duplex est affectus, nempe vulnus, quod est vnitatis solutio, & cauitas, quæ ex amissa aliqua animalis propria substantia est contracta. Proinde continui diuortium vnitionem, cauitas repletionem desiderat. Verum enimuero quoniam in proposito vulnere vnire, quæ dissident, non possumus, nisi prius cauitatem impleuerimus, ordinem curationis a cauitatis impletione ordiri necesse est. Particulares autem indicationes, ex quibus inuenire licet quæ cauitatem vulneris implent, sunt quatuor. *Prima*, ex ipsius vulneris substantia sumta, nobis insinuat carnem eandem specie cum ea quæ periit regignendam esse. Impleri enim non poterit quod cauum est, nisi substantia omnino similis ei quæ periit regignatur. Atqui carnis gignendæ materia sanguis bonus est, *Galeno libro iam citato cap. 3. teste*: opifex vero, seu effectrix caussa, ipsa natura. Erit autem sanguis qui influit, & ex quo regignenda caro primordium habeat, bonus, si nec qualitate, nec quantitate vitiosus fuerit. Sed nec satis etiam hoc loco fuerit naturam dixisse, nisi etiam quorum natura, sit adiectum, & vbi. Constat itaq; subiectorum corporum, quibus superinduci debet caro, naturam ipsam gignendæ carnis opificem esse. Opificis autem rationem natura subiectarum partium, quibus restituenda est caro, habere non poterit, nisi iustum & minime vitiatum calidi, frigidi, humidi, & sicci temperamentum obtineat: si quidem ex horum temperatura, cuiusq; corporis natura consistat. In omni igitur cauo vulnere, duo illa primū sunt consideranda: nempe q̄ subiectum est, iustane temperie sit, id est, an secundum naturam se habeat: & præterea sanguis qui influit, bonus ne, an modicus sit. Fingamus igitur & sanam esse partem subiectam, atq; afflictam: & sanguinis confluxū citra vllum vel in qualitate, vel quantitate vitium. Porro his ita se habentibus, nihil est præterea quod obstet, quo minus prima carnis generatio prospere contingat, idq; nullius externi medicamēti ope. Quippe caussis ambabus vnde nascitur præsentibus, nulloque extrinsecus quod impediat obstante, non potest prohiberi carnis generatio. Verum in ipsa primæ carnis generatione duplex prouenire excrementum necesse est: alterum quidem crassius, alterum vero tenuius. Quod in vulneribus tenuius est, Græcis ἰχὼρ, Latinis *sanies* nominatur. Quod vero crassum est, sordes. Ac ex tenui quidem excremēto, vulnus humidū redditur: ex crasso, sordidum. Eoq; duplicibus medicamētis eget, vtiq; vt humidum est, siccantibus: vt sordidum, expurgantibus. Ergo quum nullo vnquam tempore natura cesset, certe nec tempus vllū erit, in quo nō ambo hæc in cauo vulnere colligant. Quare nec tēpus vllum erit, in quo non vtrunq; medicamenti genus desideretur: vtiq; quod siccet, & quod expurget. Verum non satis adhuc fuerit, cuiusmodi quidem genere esse medicamentum debeat, inuenisse: sed & species aliqua inuenienda est, q̄ eiusmodi vulneri sit commoda, & statuto ordine graduve circumscripta, vt carnē producere possit. Quippe quod super hunc fuerit, ita vt non modo humoris qui influit, redundantiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem populet: id refici carnem, ceu materiā eius absumens, prohibebit. Proinde præsenti negotio aptissima sunt, *thuris lachryma, hordeacea, & fabacea, & erui farina*. Item *iris, aristolochia, cadmia, panax, & pompholyx*, q̄ vulgo *tutia* dicitur. Omnia vero hæc tum maioris minorisve discrimine inter se dissident: tum alia eorum simplices qualitates vincentes habent, alia compositas. Siquidem *aristolochia* & *panax*, tum ceteris plus siccant, tum natura magis calent. Hordeacea, fabarumque farina, multo his minus siccant, nec vllum calorem obtinent. Thus modice calet, minus tamen illis siccat, adeo vt quasdam corporum naturas omnino non siccet. *Erui farina, & iris, horū atq; aristolochiæ, & panacis, medium locum tenent, vt loco paulo ante citato Galenus fusius mōstrat*. Altera indicatio curandi caui vlceris, tum ex totius corporis, tū ex particulæ laborantis tēperamento sumta, insinuat nobis medicamenta vel calidiora, vel frigidiora, vel humidiora, vel sicciora, ipsi vulneri esse admouenda. Duæ itaq; sunt primarum in-

[Margin letters B, C, D, E, F beside the text.]

[Margin notes: ἐπιδερμίς. — Geminæ in curando cauo vulnere indicationes generales. — Quatuor indicationes particulares. Prima. — Hypothesis — In carnis generatione duplex prouenit excrementum. Sanies. Sordes. — Medicamēta carni producendę apta. — Secunda.]

dicationum differentiæ: quarum vna ab eo quod secundum naturã se habet, altera vero ab eo quod præter naturam sumitur. Quod secundum naturam se habet, sui custodiam indicat, & propterea quæ similia sui sint, postulat. Quod vero præter naturam est, sublationem sui, eoq; contraria requirit. Perit enim quidq; in contrarium, & a contrario. Igitur vulnus quidem, quia præter naturam est, quo est humidius, eo sane medicamento quod magis siccet, indiget. Corporis vero natura, propterea quod secundum naturã est, quanto est humidior, tanto quod minus siccet, medicamentum postulat. Proinde si qua sunt in diuersis corporibus vulnera, quib. par sit humiditas: quod in licciore corporis temperamento consistit, vtiq; magis siccari postulat: quod in humidiore, hoc sane minus, quo natura naturæ interest. Siquidem productam carnem, ei quæ præfuit, similem esse oportet. Vbi igitur pristina siccior fuerit, nouellã quoq; sicciorem fieri conueniet. Quare vberius hæc siccari postulat, quanto magis sicca fuerit, tanto quod admouetur medicamentum, magis siccam facultatem habere debebit. At in humidiore natura, tanto rursus iis quæ minus siccent medicamentis est opus, quanto caro ipsa minus est sicca. Quo fit, vt thus, quod cum temperatis & mediis naturis consentit, in quibusdã tum vlceribus, tũ naturis, pus quidem mouet, carnem non ꝓducit: in quibusdam etiam carnem producit. In humidiore namq; natura siccare, & pro ducere carnem põt, in sicciore non potest. Pręterea in modice humidis vulnerib. carnem efficere potest, quod scilicet moderate desiccet. In iis vero quæ præhumida sunt, prorsus non potest, quod scilicet non satis desiccet. Quæ singula Gal. in eo, quem supra citauimus loco, fusius ꝓsequitur. *Tertia* indicatio, ab iis quæ coniugata & annexa dicuntur sumta, insinuat nobis inueniendum esse remedium, quod proportione, & statuto quodam ordine, ipsis affectib. qui simul cũ ipso vulnere incidunt, respondeat: illosq; ipsos affectus prius summouendos esse, q̃ ipsum vulnus carne implere tentemus. Itaq; si intẽperies vulneri accesserit, atq; vulnerata caro, vel prius etiam ex quauis occasione, vel ipso vulnerationis tẽpore, iusto calidior, frigidiorq; est effecta: vtiq; medelã exigit quæ nõ modo moderate siccet, sed etiam in tantum calefaciat, refrigeretve, in quantum subiecta caro a naturali suo habitu recessit. Fieri enim nequit, vt in vlcere vel carnis productio, vel sinus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio recte vnquam cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat. Quocirca legitimi vulneratarum partium temperamenti, quoties eas vel carne implere, vel glutinare, vel cicatrice inducere studes, maior tibi solicitudo erit. Cõgruis itaq; & oportunis auxiliis aduersus illos, qui cum vulnere incidũt, affectus, pugnare oportet, priusquam vulneris ipsius curationem aggrediamur. Veluti igitur si phlegmone vna cum vulnere esset, nemo vulnus ipsum vel carne implere, vel glutinare vel cicatrice inducere, attentare debet, priusquam illa discussa sit. Ad eundem modum etiam, si citra phlegmonem sola subsit intemperies, nullum horũ fore prius putabimus, quam illa sit sanata. Quod si igitur hæc ita se habent, sicuti profecto habent, inspiciatur etiam conuenit & circundantis nos aeris temperies. Siquidem veluti medicamentum quoddam is quoq; corporib. nostris forinsecus incidẽs, vbi immodicus calore vel frigore est, sanationem remorat. Danda igitur opera est, vt medicamẽta excessui eius occurrant. Ideoq; Hippocrates, in calidioribus anni temporibus, iis, quibus frigidior facultas sit, medicamentis vtitur, calidiorib. per frigidiora. Adeo, inquit, perpetuo verum est illud theorema. Quæ singula Gale. *libro. 3. Therapeuticæ methodi, capite 8.* copiosius prosequitur. Quarta indicatio in sanando cauo vulnere obseruanda, a contrarietate indicationum sumitur: non quidem earum quæ in diuersis temporibus perficiuntur, sed earũ quæ in vno eodemq; tempore ipsius curationis subinde offeruntur. Vt exempli gratia, si ægri temperamentum iusto sit humidius, particula vero ipla quæ laborat, siccior: aut contra, si hæc sit humidior, & totius temperamẽtum siccius. Pari modo in calore, & frigore, quod contrario temperamento sit pars cum toto. Diuersa sane in his est ea, quæ a patiente particula accipitur, indicatio, ab ea quæ ex ægri sumitur natura. Proinde hæc quã nunc tractamus indicatio, insinuat nobis medicamenta vel humidiora, vel sicciora, vel calidiora, vel frigidiora, aut prout res postulabit, media ac temperata, deligenda esse, quæ ipsi vulneri admoueant. Ponamus igitur, totum corporis laborãtis temperamentum humidius esse, eoq; medicamenta desiderare quę minus siccent: ipsam vero ægram particulã ex earũ numero esse quæ sicciores sint, qualia sunt ea quæ minus sunt carnosa: cuius

Tertia indicatio.

Circundãtis nos aeris temperies cõsiderãda.

Quarta.

Hypothesis.

A cuius generis sunt quæ circa digitos & articulos habentur: præterea quæ circa aures, & nasum, & oculos, & dentes sunt: ac vt semel dicam, vbi crebræ cartilagines, & membranulæ, & ligamenta, & nerui sunt: adeps vero, & caro vel omnino nulla est, vel perquam exigua. Quare si quanto ægri temperamentum medio temperamento est humidius, tãto particula iusto sit siccior; nec adiiciendũ, nec detrahendũ medicamẽto quicquã est, sed tale adhibendũ, quale si vulnus in medii tẽperamenti particula consisteret. Sin siccior debito particula fuerit, quam corporis temperamentũ iusto est humidius, vtiq; in tantum intendi siccitatem medicamenti cõueniet, quantum particulæ temperamentum, totius temperamentum excedit. Veluti si quatuor numeris pars vulnerata medio temperamento siccior sit, ægri vero natura gradibus tribus humidior: manifeB stum est, particulam q̃ nunc vulnerata est, vno gradu siccius desiderare medicamẽtum, q̃ pars quæ sit temperata. Sed vt hæc omnia coniectura accipiunt & cognoscunt, ita diligentẽ in hominum naturis, & medicamentorũ facultatibus contemplantis exercitationẽ postulãt. Non est autem, quod de indicationibus, quę a calido & frigido sumunt, dicamus, quandoquidẽ ad portionẽ dictorũ intelligi possunt. Quare certe singula Galenus copiosius *lib. 3. Ther. method. cap. 9.* docet. Ex iam dictis omnibus liquido patet, huic qui probe & certa methodo cauũ curare vulnꝰ voluerit, theorematis opus esse. Quippe non modo de corporis natura meditatus sit oportet, quisquis commode & ex arte sanare vulnus eiusmodi studet: verum etiam diligenter speculationem omnem de medicamentis didicisse tũ sicci humidiorisq; corporum temperamenti notas callere: ad hæc tũ C ambientis tẽperiem, q̃ vtiq; tum ad pręsentes status, seu anni tempora, tum vero regiones extenditur, tũ partium naturę, tum indicationũ inter se pugnantium cõtrarietatem considerare. Sed pro Deum immortalem, magna pars hodie medicorũ, Thessalũ illũ impudentissimum nugatorem, imitantes, ista nec norunt, nec inquirere volunt. Quin potius imperiti sutoris exemplo, vno calopodio, vt in pverbio est, omnes calceant, nullo naturarum, aut partium, aut id genus aliorum facto discrimine. Ceterum hoc modo in cauo curando vulnere recentiores chirurgi vtuntur. Stata iam sanguinis profusione, & laborante parte a phlegmone & dolore vindicata, vino calente vulnus abluunt: Mox ipso abluto ac desiccato, puluerem aliquem carnẽ regenerantem, aut vnguentum aliquod sarcoticum carnemve generans admouent. Proinde linamenta iis sarcoticis imD buta, aut conspersa, in sinum vulneris demittunt. Post hæc stupas aridas, vel quæ vino maduerint, superponunt. Ac demum quæ medicamenta ad probe continere possit deligaturam adhibent: atq; æstate bis, hyeme semel duntaxat auxilia eiusmodi permutãt. Porro medicamenta quę vulnerum cauitates implent, mediocriter citraq; morsum abstergentia & siccantia sunt, *vt lib. 3. Ther. method. cap. 4. fusius Galenus monstrat.*

In imperitos medicos.

Communis chirurgorũ praxis.

De æquali, siue impleto vulnere. Cap. V.

VBi vulnus purgatum impletumq; carne fuerit, *æquale* tunc, *planum* atque *impletum* nominatur. Hoc autem cicatrice tantum induci postulat. Hãc igit tum regignere, tum sibi vnire oportet. Ad cicatricem vero quod iam impletum est perducit ex gignẽE da cute, quæ ex subiecta creatur carne. Atqui quum ex semine ortum habeat cutis, talis omnino qualis erat quæ periit, prorsus restitui non potest: simile tamen quiddam cuti, & quo deius officium suppleat, restitui potest, non tamen plane cutis. Quando igitur vt cutis regeneretur fieri omnino nequit, quod superest, efficere tentandum: nempe instaurare aliquid, quod cuti deperditæ simile sit, & carni veluti aliquod naturale tegumentũ existat. Id est enim vulnus iam impletum, planumq; redditũ ad cicatricẽ ducere. Huius a. efficiẽdi hæc est ratio. Portio quæpiã subiectæ carnis nuper genitæ, & restitutæ, ea sc. quæ summotenus euidenter apparet, sic alteranda est, vt non amplius caro permaneat, sed veluti cutis euadat. *Quo pacto igitur*, inquies, *alterabitur*? Profecto alicuius alteF rantium qualitatũ ope. Ergo quoniam cutis carne ipsa tum siccior est, tum etiã densior, si carnem siccabimus & adstringemus, cuti etiam persimilem reddemus. Et hæc quidẽ est medicamẽti q cicatricẽ inducit summa. Verũ ea non satisfacit, nã & glutinatoria tũ siccabant, tum adstringebant, sicuti & ea quæ cicatricem inducũt. Adiiciendũ ergo est, quo ordine siccare debeant medicamenta q̃ cicatricem inducunt. Id autẽ ex ipsa rerũ substãtia facile inuenies. Nam quoniam inglutinatione vulnerũ siccandũ q cõstuit est,

Æquale vulnus.

Methodus inducendæ cicatricis.

Cutis eadẽ specie cum ea quæ periit, regigni nõ potest.

quo videlicet pars laborãs superuacuis vacet: in cicatrice inducenda nõ modo q̃ influit, verumetiã humor qui in ipsa subiecta carne continet, est cõsumendus. Quo fit vt multo pfecto siccius q̃ cicatricem inducat, q̃ quod agglutinet, medicamentũ esse conueniat. Tres itaq; gradus desiccantium medicamentorũ in curatione vulnerum necessario statuendi sunt. Sarcoticorum n. id est carnem regignentium, facultas ex primo ordine est desiccantium. Agglutinatoriorum, secundo vel tertio ordine resiccat. Cicatricem inducentium facultas, prædictas superat. Nam hæc non modo eius quod præter naturam est redundantiam consumũt, verumetiã ei, q̃ secundum naturam est aliquid deradunt. Priusquam igit vulnus cicatrice possumus obducere, eo vsq; resiccanda caro est, donec calli similitudinem induerit, & cuti similis euaserit. Quod sane per se, primario, ac proprie, hoc est, peculiari facultate, medicamenta effecerint, quæ adstringendi modice facultatem habent: & eiusmodi quidem vt plurimum frigida sunt & sicca. Cuius generis sunt, *galla immatura, malicorium, id est, mali punici seu granati cortex, balaustium, fructus spinæ Aegyptiæ, vel eius loco acatia, rhus, sumach officinæ vocant, & eius generis vniuersa, quæ modice adstringunt atque desiccant.* Ex accidente tamen, & secundo carnem alterando, & calli instar indurando cicatricem etiam inducunt calida medicamenta, q̃ carnem detrahere, ac colliquare sunt nata, & Gal. *li. 5. simpl. ca. 14.* καθαιρετικὰ, hoc est, detractoria, dicuntur. Vt sunt *chalcitis, vitriolum album* nominant hodie, *æs vstum non lotum, æris squama, & mysi: atramentum flauum officinis dicitur: & fissum alumen quod plumosum officinæ vocãt.* Hæc certe vere primario, & per se cicatricem inducentibus multo sunt valentiora. Mysi quidẽ, & chalcitis præcipue. Mitior autem æris squama, atq; hoc etiam mitius æs vstum: q̃ etiamsi lauabis, vtiq; minus mordens medicamentum habebis. Vnde si quãdo iis vti ad cicatricẽ inducendam in aliorũ penuria cogimur, parcissime ipsis vtemur. Largius enim admota mordicant, colliquantq; carnẽ, & vlcus cauum efficiunt. Summũ igit tantũ specillum, hoc est, specilli cuspidem, in ea ad exactissimũ læuorẽ tusa dimittemus, ac post velut tenuissimũ quendã pollinem partibus q̃ cicatrice induci postulant, leuiter eas contingẽtes imponemus. Quod si illa etiam aduras, vt minus acria, sic ad cicatricẽ inducendam reddes magis apta. Si vero etiam laues adhuc fient mitiora: *quemadmodũ lib 3. Ther. meth. cap. 5. & 6. copiosissime tradit Galenus.* Deformes atq; indecoræ cicatrices teneræ quidem adhuc, & recentes emendantur admoto diachylo, aut lithargyro nutrita. Lithargyrus autem nutrita dicitur, vbi tenuissime teritur, ex aceto & rosaceo diu exercetur in mortario, vt quidam volunt, plumbeo. Modus est, vt inde crassior fermentetur & exsurgat. Cicatrices nigras tollunt *oleum in quo radix brioniæ tum candidæ, tum nigræ incocta sit, dũ succum reddat impositum. Calaminthæ ex vino cocta, argenti quoq; spuma cũ rosaceo albo lota.* Crassiores vero & iã inueteratæ reparant *oleo balsamite apposito, vel radice cucumeris syluestris trita, & admota.* Quod si iis, aut similibus non tollantur, id totum quod supereminet atq; excrescit, cultro rasorio rescindendum est, vel cauterio admouendum. Atq; ita quidem faciendum esse, recentiores chirurgi censent.

Tres desiccantiũ medicamentorũ gradus. Sarcoticũ. Glutinatorium. Cicatricem inducens. Per se, & primario.

Malicoriũ.

Cicatricem ex accidẽte inducentia.

Cicatrices vt in vulneribus corrigendæ. Lithargyrus nutrita.

De vulnere supercrescentem carnem habente. CAP. VI.

QVemadmodum cauum vulnus morb. est ex eo genere, quod in magnitudine partium indecenti ac vitiata spectatur: ita vt vulnus quod supercrescentem carnem obtinet. Et vt vulnus cauum non vnũ est vitium, sed pariter cauitas & vulnus: ita vulnus supercrescentem habens carnem, non vnus est morbus, sed simul caro supercrescens, & vulnus. Prior itaq; morbus, qui instrumentarius est, nempe magnitudo vitiata, primam indicationem, quæ veluti meta est inueniendorum remediorum, nobis insinuat, ipsius scilicet redundantis, & supra modum excrescentis carnis ablationem. Alter vero morbus, qui vtrisq; partibus, tam similaribus quam compositis communis est, nempe soluta vnio, coniunctionẽ indicat. Porro ipsa agglutinatio, seu dissidentium coniunctio, vti & carnis generatio, naturæ quidem opera perficitur. At supercrescentis carnis detractio nullum quidem naturæ opus est, sed solis medicamentis, seu medicamentorum quæ vehementer siccant, & natura acria sunt, ope perficitur. Huius generis sunt atramentũ sutorium, quod Græcis *chalcanthum*, officinis *vitriolum* dicitur, *spongia, radix asphodeli, hermodactyli, stupæ minutim incisa, linamenta e panniculo carpta muria acriori imbuta & resiccata, vnguentum viride, & id genus alia tum simplicia, tum composita.* Ceterum id perpetuo fideli teri-

A retinendum memoria erit, pro diuersitate temperamentorum, tum corporum, tum partium eiusdem, varianda esse remedia. Eadem enim medicamenta quibusdam naturis carnem excrescentem insumunt, aliis vero cicatricem inducunt, aliis glutinatorio minus præstant. Quippe medicamenta, quæ carnem minuunt, proxima sunt, tum iis, quæ valenter detergunt, tum iis, quæ cicatricem inducunt. Sic vt non pauci interim per errorem medicamentum, quod carnem minuat, vel pro eo, quod sordem deterget, vel pro eo, quod cicatricem inducit, accipiant. Exempli gratia, *mysi & chalcitis*, quæ inter ea, quæ cicatricem inducunt numerantur, si naturæ humidæ applicantur, potius carnem demunt, quam cicatricem inducunt. Adde quod inter ea, quæ tenellam carnem vulneribus supercrescẽtem colliquant & absumunt, quædam valentiora sunt, quædam B imbecilliora, & mediocria. Quocirca nonnulla mediocres carnes redundantias excedunt. Alia vero carnis immodicas excrescentias minuunt, & vsque ad penitiora crustis obducunt. Cuius generis est, quod recipit *calcem viuam, squama æris, & manna thuris pares modos*. De quibus omnibus copiosius *lib. 3. Therapeuticæ methodi cap. 6. & lib. 5. simplicium, cap. 15.* Galenus differit. Nos etiam infra, *lib.* nimirum *7. cap. 5.* vberius de iis dicemus.

Carnis detractoria medicamenta.

De vulnere contuso, & cum alio præter naturam affectu coniuncto, & implicito, CAP. VII.

VUlneris, vt *in superioribus est dictum*, simplicis, sanatio mediocris siccatio est. At vulneris, quod cum aliquo præter naturam affectu cõiunctum est, eius curatio, vt vulneris solius non est, sed prior illius affectus, qui cum vulnere cõsistit, secunda vero ipsius C vulneris. Nam siue phlegmone quæpiam, siue nigritia, siue erysipelas, siue œdema vulneratam carnem obsederit, primum eius molienda curatio est. Verum quod vulnus interim non solum non commode curatur, sed multo etiam maius redditur, id neminem latet. Proinde siue contusa fuerint circumposita vulneri loca, seu phlegmone, aliusue tumor præter naturam in his constiterit, propria eius affectus sanatio inuenienda nobis est: illud pro certo habentibus, fieri non posse, vt vulnus sanetur, nisi locus in quo constitit prius sit sanatus. Ceterum quum hi affectus præterquam quod vulnera ipsa ad malitiam præparant, fluxionem etiam in vnum locum dolentem concitant, ideo etiamsi corpus nec sanguine, nec vllo vitiorum succo redundet, tamen prout res exigit, vel venæ sectio, vel purgatio adhibẽda erit. Posthæc ad topica seu localia remedia veni- D endum. Quocirca recte in contuso, cruciante, & phlegmonoso vulnere feceris, si statim per initia, purgato iam corpore loca circumiacentia illineris vel *rosaceo*, vel *myrtino oleo*: vel vnguento, quod constat *bolo armenio, oleo & aceto*. Supra vero dolentem partem oleum aliquod admouendum, quod vel leniendi, vel molliendi, vel maturandi, vt res exigit, vim habeat. Ponamus igitur carnosam aliquam particulam telo, tum cæsam, tum contusam esse: huic sane de Hippocratis *in libello de vlceribus sententia*, medendum est, vt quam celerrime suppuret. Necesse est enim carnes sic contusas putrescere, ac in pus verti. Vbi vero putrefactæ in pus versæ fuerint, liquari, & tandem nouam carnem nasci oportet. Adde quod hac curandi ratione obseruata, minus *eodem Hippocrate attestante*, phlegmone vrgebitur caro ipsa sic cæsa, contusaque. Duo itaque scopi in curan- E do contuso vulnere nobis proponuntur, nempe suppuratio, & nouæ carnis generatio. Porro quum pus fiat cum aliqua putrescentia, & omnia, quæ putrefiunt ex calido & humido, sic afficiantur, certe quæ calefaciunt humectantque hisce contusis vulneribus, adeoque omnibus affectibus, quibus pus moueri expedit, admouenda erunt. Cuiusmodi sunt *maluæ coctæ, radix althea, tetrapharmacum*, quod Celso *libro 5. cap. 19. teste*, ex *cera, pice, resina, & seuo taurino vel vitulino* constat: panis triticeus, hordei farina *ex aqua & oleo*, item panis *ex aqua & oleo*: præterea fomentum multæ aquæ calidæ. Hæc enim & similia omnia, quæ sic calefaciunt & humectant, celerrime pus mouent. De quib. copiosius agit *libro 4. Therapeuticæ methodi, cap. 5.* Et *libro 5. simplicium, cap. 5. & 8. Galenus*. Inter composita vero medicamenta hoc, quod sequitur ad suppurationem in proposito vulnere pluri- F mum conducit. Recipit *radicis althea, cucumeris syluestris, singulorum vnciam dimidiam. Origani syluestris seu vulgaris, hyssopi, singulorum manipulum semis. Florum chamæmeli, seminis lini, singulorum pugillum vnum. Ficus pingues sex, vuas passas pari numero. Vna bulliant, ac tandem iis pressis, ac diligenter tusis, adde galbani, myrrhæ, stactes (styracem liquidum vocant) œsypi, singulorum drachmam vnam & dimidiam. Sanguinis draconis, adipis porcini, singulorum vnciam di-*

Affectus vulneri coniunctus primo sanãdus.

Vulneris contusi curatio.

Pus mouentia. Tetrapharmacum.

Malagma

Emplastrum. *midiam*, formetur malagma. Conducit haud parum etiam hoc quod in emplastri formam redactum est. Accipit *foliorum maluarum & violarum, singulorum manipulum vnum. Radicis althea, libram semis. Decoquantur in iure carnium absque sale, postea subigantur in mortario, & cribro incernantur.* Ex cribatura, cum prædicto decocto, & farina hordei ac tritici, quantum satis esse videbitur, fiat emplastrum solidum, siue malagma: addendo *butyri, & olei communis, singulorum vncias tres. Vitellos duorum ouorum, & croci momentum.* Hoc autem, vt & præcedens malagma, super vulnus, & contusam carnem imponendum est. Vulneri autem medicamentum ex terebinthina resina, & ouorum luteis compositum, imponendum. Ceterum perducto ad suppurationem vulnere, his quæ pus mouent relictis, ad purgãtia & detergentia transeundũ erit: vt sunt *tincta in melle linamenta, vel succo apii, & id genus alia.* In omnibus vero eiusmodi vulneribus recte inditur penecillus *melle rosaceo, aut vnguento Apostolorum nuncupato, imbutus.* Supra autem id purgans detergensque medicamentum aridæ stupæ imponendæ sunt, adaptandaque est deligatura, quæ admota medicamenta probe retineat, donec perfecte expurgatum vulnus fuerit. Tum demum vero purum vulnus est, quum rubet, ac nimium, neque siccum, neque humidum est. Ac quodcunque sensu caret, quod non naturaliter sentit, quod nimium aut aridum, aut humidum est, quod aut pallidum, aut albidum, aut liuidum, aut nigrum est, id purum non est. Purgato, vt decet, vulnere, ipsum carne implere oportet, qui secundus erat in curando hoc contuso vulnere scopus. Carnem igitur modo, quo dictum est, generare oportet, & iam impletum vulnus ad cicatricem perducere. Quem scopum facile assequeris, si penicillum indies paulatim imminueris. Ita enim solius naturæ opera, ac citra vllum medicamentum vulnus carne implebitur, & cicatrice obducetur. Quod si caro contusa multum esset dilacerata, & sutura vtilis videretur, consuatur laxa quadam sutura labra retinente. At si labra vulneris ab ambiente alterata fuerint, ac dura, callosaq; appareant, scalpello illa, modo alius nullus obstiterit affectus, corium amouẽdo renouare oportebit, deinde cõsuere. Porro si cæsa contusaq; caro enumeratis modo auxiliis ad suppurationem perduci non possit, videaturq; in gangrænam, ac partis corruptelam degenerare: quod ex tarda difficilique maturatione, & fusco, liuido, & nigro loci laborantis colore deprehendes, vnguentum Ægyptiacum nominatum, aut aliquod aliud simile medicamentum, quod ad eiusmodi corruptionem & mortificationem sit idoneum, protinus erit admouendum. Quod si alia quædam symptomata, vel affectus huic contuso vulneri superuenerint, vt dolor, phlegmone, aut quiuis alius tumor præter naturam, aduersus illa congruis, *de quibus suo dicemus loco*, remediis pugnandum erit.

Detergentia. — Puri vulneris notæ. — Gangrænæ signa.

A — B — C — D

De Ecchymosi. Cap. VIII.

Ecchymosis quid. ECchymosis, siue ecchymoma, sanguinis subter cutem effusio & coitus est, adeoque solutæ continuitatis genus, quod, *vt lib. 4. Ther. meth. cap. vlt. testis est Galenus*, vna cum contusione, ruptioneue incidit. Adeo vt non fuerit ab instituto alienum, si propter affinitatem, quam cum contuso vulnere obtinet, hoc loco de eo malo agamus. Incipit itaque interdum hoc vitium cum sola contusione, citra carnis musculosæ in profundo hærentis corpore ruptionem, ex violento, verbi gratia, ictu, vel graui casu. Aliquando vero cum sola ruptione, absq; etiam carnis contusione consistit, veluti quum motu quopiam valente & confertim facto citra graue aliquod extrinsecus incidens, caro disrumpitur. Nonnũquam etiam cum vtroq;: vt quum graui, ac duro quopiam corpore, quod extrinsecus superciderit, vel casu ab alto, non modo carnosæ musculorum partes, sine cutis diuortio contunduntur, sed etiam ex distentione violenta, & confertim facta abrumpuntur. Tunc n. venis exiguis, in ea sic contusa ac rupta carne, diuortium expertis, sanguis exsilit, vnde ipsa ecchymosis sub cute collecta nascitur. Fit aliquando etiam ecchymosis ex oris vasorum apertione, quam ἀναστόμωσιν Græci appellant: & ex ea, quæ iisdem διαπήδησις, id est exsilitio, vel *transmissio*, aut *subsultus*, dicitur. Porro anastomosis, *Galeno libro 5. Therap. method. cap. 2. teste*, accidit propter tum vasis imbecillitatem, tum sanguinis qui ad os impetu ruit, copiam. Adhæc ob acrem quampiam, quæ illi extrinsecus incidit, qualitatem. Diapedesis vero, ex tunica ipsa rarefacta, sanguine autem tenuato oritur. Accidere præterea interim potest & ex gracilium vasorum ore aperto. Ex iam dictis palam fit, sub ecchymosi cõplecti etiam ea, quæ Græcis ὑπώπια, Latinis *sugillata* vocantur.

Caussæ. — διαπήδησις. Anastomosis vnde excitatur. — Diapedesis vnde oritur. — Species ecchymomatis. — Sugillata.

E — F

A cantur. Item *liuores ex ictu prouenientes*, Græcis ὑπωπιάσματα nominantur, Latinis vero *vibices*. Ecchymomatis autem apparentes notæ sunt, mollis tumor, & tactui cedens, liuidus, & magna ex parte dolore vacans. Propter vnitatem vero solutam affatim factam, interdum etiam dolores, & ob sanguinis in profundo concursum abscessus nonnunquam insequuntur, qui tamen magna ex parte per halitum digeruntur. Ecchymoma vero, quod cum contusione accidit violenta, periculo non vacat. Solet enim frequenter, si negligatur, non modo afflictæ particulæ, sed & corporis totius corruptionem afferre. At si in contusione, quæ cum ecchymosi consistit, cutis a carne seiuncta maneat pendula, raro vel nunquam agglutinatur. Proinde satius est, eam præscindere, & exsiccantia medicamenta admouere, vel absque deligatura locum sic relinquere. Aer namque ambiens cutis ipsius instaurationem non mediocriter adiuuat. In curanda vero ecchymosi, initio fluentem ad laborantem locum materiam auertere & vacuare conuenit. Quod optime fit venæ sectione, quemadmodum omnes artis periti testantur. *Secundo*, dolorem sedare, & laboranti parti, ne fluxionem excipiat, robur adferre, rebus frigidis, & adstringentibus eam perfundēdo atq; illinendo, oportet, in quem vsum oui candidum rosaceo permixtum, loco dolenti & laboranti admouendum. *Tertio* sanguis ipse totus, qui subter cutem effusus est, dissipandus ac resoluendus: idque confestim priusquam ingruerit, & in grumos iam coierit. Quod factu quidem non difficile erit, si & sanguis effusus tenuis, & prope summam cutem, non autem in profundo situs fuerit. Quod si discuti non possit, tum infrascriptis discutientibus medicamentis, tum scarificationibus educendus erit. Et si nihil iis profeceris, affectus is more abscessuum curandus erit. Quocirca sanguinis sic per contusionem ruptionemque subter cutem dispersi dissipatio, & vacuatio, propria est ecchymomatis curatio. Hinc est, quod in fine *quarti Ther. method. libri* Galenus sic scriptum reliquerit: *Sane ecchymosis omnis vacuationem pro remedio curationis indicat. Quare calefacientibus huic, & modice siccantibus medicamentis est opus. Quippe quæ vehementer siccant, discutiunt illa quidem in principio euidentius, quam quæ sunt imbecilla: ceterum nonnihil ipsius vitii scirrhosum, curatuque difficile relinquunt.* Curandum vero est, vt ruptis, quæ in profundo hærent corpore, hæc tum vires habeant magis intentas, tum ipsa magis acria, magisque incidentia sint: tum, vt semel dicam, tanto efficaciora, quanto magis a cute ad profunda ecchymosis recessit. In talibus sane, nec cucurbitæ vsus sit inutilis: id enim instrumentum ad violentum attractum a Medicis est excogitatum. Verum enimuero quoniam tunicæ venularum, ex quibus sanguis exsiliit, contusæ sunt, per initia sane, *vt Galeno libr. 5. de compos. medic. local. cap. 1. & Paulo etiam visum est*, nonnihil adstringentium iis, quæ discutiunt, admiscere oportet. Contusæ enim venularum tunicæ aliquam densationem requirunt, vt ad naturalem suum statum reducantur, & ne noua materia ob dolorem attracta ad locum contusum delabatur. Quandoquidem si solam discutientem facultatem haberet medicamentum initio admotum, non modo id, quod effusum est, discuteret, sed & per contusionem aliquid sanguinis, qui in contusis venis continetur, extraheret. Quando vero in naturalem statum venulæ redierint, tum ad sola discutientia medicamenta citra vllam adstrictionem venire tempestiuum est. Porro in quibus sic modice adstringentium quiddam, nec non per halitū digerentium miscere conuenit, perspicuum est, imbecilliora primū debere assumi, validiora autem inueteratis, & iis, quæ nigrescunt, admoueri. Ad inueterata itaque ecchymomata, Paulo etiā auctore, radicula illitu prodest: quippe discutit ea, vbi erodere inceperit. Vel ipsius radiculę succus, cum micis panis inductus. Ex moderate discutientibus sunt, quæ vino, melle, & sale constant. Itē quæ ex farina hordei, calamintha, & vino conficiuntur. Quæ ceram & cuminū accipiūt, quæq; ex chamæmeli floribus, meliloto, stichade, & cumino in vino decoctis componuntur. Præterea, quæ ex maluis, furfure, absynthio, cumino, aut anetho, aqua vel vino incoctis fiunt. Item, quæ ex farina hordei, & fœnigræci, & croco, aqua incoctis constant. Solent & potiones quædam parari, quæ si assumantur, sanguinem concretum, & extra vasa effusum dissipare ac resoluere creduntur. Cuius generis est ea, quæ constat bdellio, costo, centaurio, & serapio acido, & huic aliæ quædam consimiles, in casu ab alto, offensione, & violento membrorū tractu, ac distentione offerri consueuerunt. Quum vero totum ecchymoma discussum fuerit, siccare iam vehementius id, q; ruptū est, permittitur, ac deligatura coniungere, omnia-

Vibices. Signa ecchymoseos. Curatio. Propria ecchymomatis curatio. Moderate discutientia. Potiones.

que in summa, facere, quæ vt vlcus coalescat efficiant. Ergo si discussum celeriter totum ecchymoma sit, facile coalescit ipsa caro. Sin longiore spatio, sordes multa subnascens, medium inter vlceris labra spatium occupat, ita vt iam coire ruptio non possit. Atque inde adeo fit, vt qualibet leui de caussa nos hæc sui admoneant. Nam siue quis obriguit, siue parum concoxit, siue febri laborauit, siue se vehementius fatigauit, eiusmodi particulis illico dolet. Non enim in idem coire eruptionis labra, sed tantum prope sunt admota. Quo fit, vt leuis occasio ea facile separet, & medium locum superuacuo humore repleat. Et quid quæso aliud quam assidue nouũ ecchymoma his gignitur, & primo illi, quum videlicet primum caro est rupta, persimile? nisi quod nunc ex tenui magis sanie constat, quũ a principio e sanguine ecchymoma esset: ideoq; facilius etiam nunc, quam intra initia discutitur. Quæ singula etiam Galenus *cap. vlt. libri Ther. method. 4.* docet. A B

De vulnere ex morsu vel ictu animantium tum venenatorum, tum rabidorum. CAP. IX.

Morsus ictusue animantium duplices. Venenati. Non venenati. Signa.

MOrsus ictusue animantium duplici constant differentia: alii enim sunt venenati, alii minime. Venenati dicuntur, qui a virulẽtis feris inferuntur, vt sunt serpentes, canes rabiosi, scorpio, mus araneus, & id genus aliæ feræ. Non venenati sunt, qui ab animantibus non ita virulentis infiguntur, cuiusmodi sunt canes domestici, simia, homo, sues, equi, & similes. Porro venenatos morsus aut ictus sequentibus notis deprehendes. Vulnus infixum valide dolet, punctionis & mordicationis sensus vehemens in afflicta parte persentitur. Vulneris atque laborantis loci color perit, ac mutatur: aut enim rubet atque inflammatur, aut liuet, vel nigricat. Laborans grauibus angitur molestiis, ac totus ardet. Præterea vniuersum eius, qui ictus est corpus ita nonnunquam obstupescit, vt tangentem non sentiat. Verum nihil fere in iis perpetuum est. Neque enim dolor semper vehemens adest, aut atrociter molestans in omnibus eiusmodi ferarum ac bestiarum venenosarum ictibus aut morsibus: sed in quibusdam satis remissus est, vt in morsu canis rabiosi. Virulentorum autem omnium animantium morsus generalis & communis medendi ratio gemina, Galeno *lib. 13. Therap. method. cap. 7.* teste, indicationem habet, nempe liquoris virulenti vacuationem, & eius quod dolorem creat alterationem. Virus autem eiaculatum vacuant, tũ excalefactoria medicamenta omnia, tum quę citra calefactionem vehementer trahunt: veluti & cucurbitulę, & cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur. Sunt autem & qui ore suo virus extrahunt, ægræ videlicet particulæ admoti, ipsumq; vulnus labiis complexi. Huc sane pertinet & cauterium, & medicamẽta, quæ cauteriis similiter crustam efficiunt. Atq; omnia totam eius, quod infestat substantiam exinaniunt. Alterum auxiliorũ genus est eorum, quæ qualitatem per contrariam qualitatem alterant: scil. exhibentibus nobis, si vehementem calorem æger vel in ipso demorso loco, vel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerantia. Sin frigus sentiat, calefacientia. Proinde primis statim diebus (deinceps enim frustra adhibentur: quod virulentam illam materiam, quæ iam ad intima penetrauit satis euocare nequeant) quæ venenum extrahunt atq; eliciunt medicamẽta, admouenda erunt. Prius tamẽ supra vulnus, membrum id quod vel morsum, vel ictum est, deligandum erit: non tamen vehementer, ne torpeat. Hac enim deligatura impedies, ne tam subito virus interna subeat. Quod si itaq; leuior morsus ictusue est, oris suctio apprime conuenit. Homo igit aliquis statim adhibendus est, qui vulnus exsugat. Sugentẽ vero ieiunũ nõ esse, sed & cibum sumsisse, & vino os colluisse, necesse est: postea exiguum olei in ore continens, ictum exsugat, & exspuat venenum. Cauere etiam oportet, ne qui vulnus id exsucturus est, internam aliquam oris partem exulceratam habeat. Siquidem venena, *vt supra ex Celso retulimus*, non gustu, sed in vulnere nocent. Sed & locus ipse priusquam exsugatur, spongia in poscam calidã immersa, fouendus, ac proluendus erit. Alii vulnus abluendum aqua censent, in qua coctum sit chamæmelum, & syluestris lapathi radix. Sunt qui gallinarum, aut aliarum quarundam auium podicem vulneri admouent ad virus exsugendum. Quod si quæ applicatæ fuerint volucres moriantur, venenum extractum esse suspicantur. Posthæc vero cinis aceto subactus pro cataplasmate imponatur. Maxime ad hanc rem conducit cinis sarmentaceus, id est, ex lignis vitis: vel ficulneus, aut laurinus. Qui si non adsit, eo qui haberi potest, vtendum est: diligẽtia ad hoc potissimum adhibita, vt phlegmone in loco excitetur, & materiæ ad morsum euocentur. Morsibus vero aut ictibus venenatis magnis ac vehementioribus commode illi- C D E F

Curatio. Virus vacuantia. Membrũ demorsum supra vulnus deligãdum. Oris suctio. Medicamenta magnis morsibus congrua.

A deillinuntur cepæ, cum sale, & ruta, sinapi quoque & animalium quorundam stercora. Item iuglandes nuces, cum alliis, tam syluestribus, quam satiuis coctis tritis, & cum fermento, oleo, sale & melle mixtis. Emplastra quoque, & cataplasmata ex dictamno, & aliis medicamentis calefactoriis, quæ vehementem trahendi vim habent, apparata. Plurima enim ex iis non modo virus ipsum potenter eliciunt, sed & vulneris oras latas & hiantes seruant. Neq; enim permittendum, vt hæ cito coeant, aut committantur. Præter opinionem autem facit, Aetio attestante, theriace Andromachi emplastri modo imposita. In magnis quoque, ac vehementioribus, tum ictibus, tum morsibus potens est hoc subsequens emplastrum, quod acrioris est potentiæ. Recipe *galbani, sagapeni, opopanacis, assæ, fœtidæ vocatæ, myrrhæ, piperis, sulphuris, singulorum semunciam. Stercoris columbini, & anatis, singulorum vncias duas. Calaminthæ, mentastri, singulorum vnciam vnam.* Dissoluantur gummi in vino, & in vnum misceantur omnia cum melle, & oleo antiquo, & fiat emplastrum. Præterea in vehementiori morsu cucurbitulam cum largiori flamma ad vulnus affigito. Sed antea circumstantia loca altioribus vlcusculis scarificato, quo scilicet plus vitiati sanguinis extrahatur; & vt hac lege prohibeatur, ne venenum membratim insinuetur. Si cucurbitula non est, tum quodlibet simile vas, vitrum verbi gratia, quod idem possit, admoueatur. Optime autem auxiliantur, si statim in principio post amotas cucurbitulas, super vulnus imponantur & conuoluantur animalia parua discerpta, & per medium diuisa, intus adhuc calentia: veluti sunt gallinaceus pullus, sed mas præsertim, hœdus, agnus, & porcellus. Sic vero calida eorum statim caro percusso loco imponenda est, vt pars interior corpori iungatur. Venenum enim exsugunt, & dolores leniunt. Fere autem inter cetera animantia magis prosunt *gallinarum pulli*: quippe qui calidiore natura sunt præditi, argumento quod deuoratum insigne virus eliquent, & aridissima quæq; semina consumant. Item nonnũquam harenas lapillosq;, quos faucibus insinuarint dissoluunt. Proinde animantis caloris spiritus ictæ partis impetum capessens, venenum extrahit. Quinetiam vstio, aduersus virulentos morsus, quum locus neruosus non est, & tuto inuri potest, expeditissimum censetur auxilium, vtpote quum ignis cetera viribus præstet: simul quod virus domet, ipsiusq; vires hebetet, & penitus ferri, hoc est, ad intima illabi non patiatur: simul quod pars ignem experta, deinceps non vilem, nec indecoram loci instaurationem efficiat, manente diutius exulceratione. Præstat etiam interdum membrum, quod a virulenta fera ictum est, præcidere & amputare. Sic memoriæ prodidit *libro 3. de laborantibus locis cap. 7.* Galenus vinitorem quendam a vipera morsum, vbi feram agnouisset, confestim læsum digitum sibi falce abscidisse, atque in totum sic periculo liberatum fuisse. Porro ei vulneri quod expertum ignem non est, ea medicamenta, quæ vehementer exedunt, quæque adurunt, & crustas vlceribus inducunt, adhibenda. Et animaduertendum ex eo tempore, quũ crustæ, quæ vel per ignem, vel adurentia medicamenta inductæ sunt deciderint, ne vulneris oræ coalescant, & cicatrice obducantur. Apertas enim longiori esse tempore conuenit, quo virosa materia semper effluat, non autem intus contineatur, & ad intima se insinuet. Id autẽ promte præstabit vulneribus indicium *salsamentum, & syluestre allium detritum; item cepæ, & id genus alia.* Si vero ante legitimum tempus cicatrices committantur & coeunt, manum postulabunt. Quare eas diducere, carnemque scalpello circinare, aut iterum inurere expediet. Vbi autem legitimum tempus præteriit, vulnus ad cicatricem perducendum erit. Atque hæc est communis morsus ictusue animantium venenatorum medendi ratio. Peculiarem vero singulorum venenatorum vulnerum curationem ex Dioscoride, Aetio, Paulo, Celso, & id genus aliis auctoribus petant studiosi. De iis enim hoc loco, quod rarissime accidant, scribere superuacaneum iudicamus. Prætermissis igitur aliis omnibus, de eo tantũ, quod a rabido cane infertur, agemus: quod hoc animal frequens, & plane domesticum sit.

(Margin notes: Medicaméta magnis morsibus congrua. — Emplastrum. — Cucurbitula. — Vstio. — Membri de morsi amputatio. — Vulnera ex virulẽto morsu in longũ tempus prorogãda.)

De morsu canis rabiosi. Cap. X.

F QVum canis animal sit, quod domi homines alunt, & rabie sæpius corripiatur, adeoque tale, a quo difficile sibi cauere possit homo, ideo reliquis feris venenatis prætermissis, de vnius rabiosi canis curatione dicemus. Et quia periculũ maximum ac ineuitabile hominẽ a cane rabioso manet, ideo notas quibus is dignosci queat, initio exponemus. Rabiosus canis potum & escam auersatur, *Dioscoridis etiam libro 6. cap. 35. nobis suffragante*

(Margin note: Canis rabiosi notæ)

testimonio: siti premitur, neque tamen bibit: anhelat plurimum, idque exserta lingua: A
aures inclinat, largam spumantemque pituitam naribus & ore proiicit. Mutus præterea in totum est, & veluti insanus, vt ne domesticos quidem agnoscat. Torue, & solito tristius intuetur, in omnes passim sine latratu irruit, & æque feras hominesque, tam familiares quam ignotos mordet. Vbi autem momorderit, protinus nihil infestum infligit, præterquam ex vulnere dolorem. Progressu autem temporis morbus ille, qui ab aquæ metu ὑδροφοβία appellatur, exoritur. Miserrimum sane morbi genus, *vt Celsi verbis vtar*, in quo simul æger siti, & aquæ metu cruciatur. Porro magna ex parte circa quadragesimum fere a morsu diem, solet hic morbus ingruere, quibusdam & post sex menses: aliis proditum est post septem obuenisse. Sunt & qui post annum vnum, vel etiam duos interdum a morsu impresso, morbũ hunc erumpere testentur. Narrant & aliquos post B
septimum annum hoc aquæ metu fuisse tentatos. Quo fit, vt qui a cane rabido morsi sint, non valde tuti esse videantur. Non enim stato definitoq; tempore post morsum aquæ pauor exoritur. Quum itaq; non confestim a morsu huiusmodi aquæ metus homines inuadat, quidam decepti canem qui momorderat non fuisse rabie percitũ arbitrati sunt, & proinde vulneri cicatricem inducere properarunt. Atq; hoc pacto ipsimet huius mali auctores, sibi perniciem attulerunt, dum scilicet huic malo caussam dederunt. Hac autem vsus probatione atq; experientia, facile deprehendes, rabiosus sit canis, necne, qui momordit. Iuglandibus nucibus concisis, & accurate tritis, vulnus diligẽter obstruito, & postea circumligato: sequenti die ablatas, gallinaceo aut gallinę in cibo apponito. Ac primum quidem non attingent: fame autem vrgente, si eas vorauerint, rem attentius considerato. Nam canis qui momordit, si non fuerit rabiosus, sospites, ac superstites aues, quæ nuces illas deuorauerint, permanebunt: sin contra rabie correptus fuerit, postera die peribunt. Atq; tunc ad vulneris dilatationem properandũ erit, iterumq; post paucos dies eadem experientia vtendum: & si non perierint gallinacei, tunc vulnus ad cicatricem perducemus, nullum iam veriti periculum. Si itaq; rabiosus canis fuerit, cucurbitula virus eius extrahendum. Deinde si locus neq; neruosus sit, vulnus id exurendum. Si vri non potest, sanguinem homini mitti, vt *Celsus lib. 5. ca. 27. testatur*, si quidem plenitudine laboret, non alienum. In summa, omnia ea agenda, quæ in superiore capite sunt exposita. Quidam post rabiosi canis morsum protinus, vt Celsus loco citato scribit, in balneum mittunt, ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vlcere adaperto, quo magis ex eo quoque virus destillet, deinde multo meracoque vino excipiunt. Quod omnibus venenis contrarium est. Solet autem ex eo vulnere vbi parum occursum est, aquæ timor nasci. Quo quidem malo oppressis vnicum remedium, *Celso attestante*, est, nec opinantem in piscinam non ante ei prouisam proiicere. Et si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere. Si habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aqua satietur. Sic enim simul & sitis, & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum, neruorum distensio absumat. Id ne incidat, a piscina protinus in oleum vel solium calidum dimittendus est.

ὑδροφοβία.

Rabiosi canis morsus probatio.

Curatio.

Aquæ timoris curatio.

De vulnere cum sanguinis profusione ex venis & arteriis. CAP. XI. E

HActenus de vulneribus, quæ carnosis partibus incidunt, diximus: nunc de iis, quæ in arteriis & venis fiunt, vulneribus agemus. Profluit autem ex vena vel arteria sanguis, aut tunica earum diuisa, aut reserato earum ore. Fluor autem sanguinis ex diuisione tunicæ venarum, aut arteriarum, sunt *vulneratio, contusio, ruptio, erosio*. Quæ autem vulnerant, ea sunt acuta, atq; ad secandum habilia: cuiusmodi sunt *sagittæ, & gladii*. Quæ cõtundendo soluunt, ea grauia, duraque sunt: vt lapides, aut quæpiam grauis moles. Quæ rumpunt, omnia id tensionis interuentu faciunt. Idem & intensior actionis vehementia, succi abundantia, non vtique virium respectu, sed quæ quum a vase suo non continetur: etiam casus ab alto, & graue quippiam durumque incidens. Erosio autem venis arteriis intrinsecus saltem accidit, ex succo aliquo cui mordens natura insit: vt est *flaua* F
bilis, vel atra superassata. Ex iis itaque manifestum euadit, quod venæ & arteria vulnerari non possunt, quin cutis & caro vulnerentur. Signum venæ atque arteriæ incisæ, est sanguinis profusio. Quod si sanguis cum impetu, ac saliendo profluat, & tenuis ac flauus feruensque appareat, arteriam diuisam esse significatur. Si vero crassior & nigrior conspiciatur,

Caussæ.

Signa.

A spiciatur, ac quiete sine pulsu & citra saltum effundatur, indicium est ipsum à vena effluere. Quum vero sanguinis profusio sit periculosa (nisi enim supprimatur, mortem adfert ineuitabilem) ideo in eius curatione celeritate opus est. Quinque autem potissimum sanguinis profusio sistitur. Primum iis, quæ fluxionem auertunt, tum reuellendo, tum deriuando. Ex iis autem, quæ sanguinis profluuium auertunt, tam a venis, quam arteriis sanguinem fundentibus, quædam id efficiunt citra vllam extra corpus vacuationem, alia vero cum vacuatione. Citra vacuationem fluentem e vasis sanguinem auertunt, & alio trahunt, cucurbitulæ leues, hoc est, citra scarificationem, & cum flamma admotæ. Item frictiones, & ligaturæ seu vincula, primum in propinquioribus partibus, dein in remotioribus adhibita. Cum vacuatione autem auertitur, atque ad alias partes conuertitur sanguis, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus, vena in ea parte incisa, quæ e directo profusioni respondet, quæque ipsis partibus sanguinem fundentibus coniuncta est. Vbi autem paululum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rursus modicum quid detrahes, post iterum atq; iterum pro laborantis viribus, *quemadmodum fusius lib. 5. Ther. method. capite 3. Galenus docet.* Secundo, sanguis profluens infrenantibus, atque fluxionem intercipientibus sistitur. Horum quædam hunc sistunt incrassando, ac inspissando: vt sunt *lentes, oriza, cotonea, & in vniuersum omnes fructus adstringentes.* Alia stupefaciendo, veluti aqua frigida, tum epota, tum circa locum ex quo profluit sanguis proiecta, & adfusa, non autem supra vulnus ipsum. Vulneribus namque, *Hippocrate attestante*, frigidum mordax. Sed & posca, & vinum acerbum, aliaque quęcunque vel adstringendi, vel postremo refrigerandi vim habent. Item syncope, seu animi deliquium, vtpote propter sanguinis ad interiora reuocationem totum corporis habitum refrigerans, affluere sanguinem prohibet. Quæ singula *loco nuper citato, cap. 5. Galen. copiosius* docet. Et ante eum Hippocrates, qui *lib. 6. Epid. par. 7. aph. 3. ita* scriptum reliquit: *Sanguinem e venis & arteriis promanantem sistunt, animi deliquium, figura alio tendens, interceptio, linamenti in orbem conuolutio, appositio, & deligatura.* His peractis, adeoque sanguinis confluxu auerso, atque aliorsum translato, tertio ipsius vulneris labra in idem adducenda sunt nostrarum manuum opera: vbi sic ad manum vulnera se exhibent, tum per deligaturam, tum vero per ea remedia, quæ refrigerant & adstringunt. Neque enim suere possumus arteriæ venæue vulnera, veluti dicerent, qui nullam a vulneratæ partis substantia naturaque indicationem sumi aiunt. Non erit itaq; absurdum, si vulneri puluis adstrictorius aspergatur, & stupæ oui candido liquore, & puluere aliquo adstringente imbutæ superimponantur. Quibus rite peractis, membrum laborans deligendum erit, & situ apposito collocandum. Appositus autem vulneratæ partis situs est, *Galeno loco citato teste*, vt dolore pars vacet, & sursum spectet. Si vero vel prona spectet, vel doleat, nō solum profluuium non sistetur, sed etiamsi non sit prouocabitur. Obstruetur, occludeturue etiam sanguinem fundentis vasis osculum, & sanguine ipso concreto, seu in grumos conuerso, & iis, quæ foris illi imponuntur. Grumosus enim sanguis osculum vasis fundentis sanguinem obstruit. Possunt autem superimponi, tum carnosæ ipsæ, quæ circa vulnus sunt partes, tum in nonnullis vulneribus ipsa cutis, ad hæc quæcunque ipsi comminiscimur. Ea sunt linimenta, & medicamenta ea, quæ idcirco, quod ex lenta crassaque substantia consistant, meatus obstruunt, Græci ἐμπλαστικὰ vocant. Linamentis autem vtendum primum siccis: deinde si hæc parum proficiunt, aceto, vel iis medicamentis, quæ sanguinis supprimendi facultatem habent imbutis ac madefactis, supraque spongiam ex aqua frigida expressam imponito, ac manu superposita eam comprimito, vel alligato, & post hæc membrum apposite, *vt dictum est*, collocato. Medicamentorum autem emplasticorum, & lenticia sua meatus obstruentium, sanguinemque sistendi vim habentium optimum est, quod a Galeno in *libro toties citato, cap. 4.* describitur, & accipit: *Thuris partem vnam aloes, partis vnius semissem.* Mox autem quum vtendi tempus instat, tantum huius pulueris cum oui candido subigendum, quātum mellis reddat crassitudinem. Hoc dehinc leporis mollissimo pilo excipitur, deinde tum vasi ipsi, tum vulneri toti liberaliter imponitur. Alligandum autem id forinsecus fascia ex tenui linteo, cuius fasciæ primi quatuor quinqueue amplexus ipsi profluenti vasi iniicientur. Ab hinc vasis radicem versus ducentur, in quibus videlicet partibus radicem versus ducere licet. Licet autem fere in omnib. pręterquam cerebri membranis.

[Margin notes: Curatio. — Quinque sanguinis profusio sistitur. — Auertentia. 1. — Cucurbitulæ leues. — Infrenantia. 2. — 5. Aph. 20. & 23. — Vulnera occludentia. — Venarum & arteriarum vulnera sui nequeūt. — Situs vulneratæ partis appositus. — Localia remedia. — ἐμπλαστικά. — Medicamenta emplastica.]

Section letters in margin: A, B, C, D, E, F.

Radix vasis. Puluis.

branis. Radicem autem vasis, cum Galeno vocamus priorem eius partem, quę vel iocinori propior est, vel etiam cordi. Hæc in collo ab interiore ist parte, in manibus & cruribus a superiore. Laudatur & hoc medicamentum, quod recipit: *Boli armenii, sanguinis draconis, thuris, aloes, succo citrina, pares portiones.* Terantur in puluerem: qui apponitur, vt comprehensum est. Ceterum medicamentis iam dictis admotis, ante tertium diem deligatura soluenda non erit. Vbi autem tertio die solueris, si tuto adhuc medicamentum emplasticum vulneri adhæret, aliud rursus super ipsum accommodabis, ac veluti linamentum id quod ex pilis factum inhęsit madefaciens, deligabis ita vt initio deligasti. Sin prius sua sponte reiecerit linamentum radicem vasis digito blande comprimens, ne videlicet quippiam confluat, hoc quidem suspensa manu ac sensim adimes, atque alterum impones. Adhunc modum quod carne obducetur, ac munietur vas curare debebis, vtique a principio ad finem vsque particulam supinam seruans. Sit tamen figura situs mediocris. Vitandum enim, ne dolor incidat, ac rursus profluuium excitet: quum nihil sit quod profluuium magis quam dolor proritet, & phlegmonas augeat.

4 Crustam inducentia.

Quarto, sanguinis e vasis excretio sistitur per medicamenta, quæ crustam efficiunt, ἐσχαρωτικὰ Græcis vocantur. Quippe hanc quoque ceu septum quoddam huiuscemodi vulneribus veteres excogitarunt. Maxima vero necessitas vel crustificis medicamentis, vel ignitis ferramentis, *Galeno citato in loco teste*, vtendi est, vbi ex erosione putrescentis alicuius profluuium sanguinis concitatur. Hic certe modus sistendi sanguinem perficitur, tum candentibus ferramentis, tum medicamentis crustam inducentibus, quibus cum calore adstringendi facultas est coniuncta. Cuius generis sunt *chalcanthos, misy, & chalcitis, siue iis vstis siue inustis vtaris.* Quæ autem ex calce viua, id est, non exstincta conficiuntur, valentiora quidem his sunt: ceterum quia adstingendi vim non habent, crustæ quæ ab ipsis fiunt, citius decidunt. Hærent autem diutius, quæ ab adstringentibus. Quod vtique est longe vtilius, quando ita prius nascitur in imo earum caro, efficiturque profluenti vasi velut operculum. Vnde nec nosmet præcipites esse, veluti nonnulli sunt, ad crustas detrahendas oportet, vbi profluuii sanguinis periculum imminet. Si enim properes illas detrahere, tantum inde accidit interdum sanguinis profluuium, vt vix cohiberi queat. Quocirca adustio facienda est ferramentis vehementer ignitis, & valenter in profundum adactis, quo crassæ ac profundæ crustæ fiant, quæ nec facile separentur, atque decidant. Hinc sunt, qui crustificis omnibus præferunt *arsenicum*, vt vocant, *sublimatum*, idque ideo, quod protinus omnem sanguinis profusionem sistat, & altam, ac diutius hærentem crustam indicat.

Crustæ non temere detrahendæ.

Arsenicum sublimatū.

5 Præcisio vasorum.

Quinto, sanguis sistitur, si totum vas sanguinem fundens per transuersum præciditur. Huius autem necessitas, *vt loco iam sæpius citato testatur Galenus*, in iis maxime incidet, quæ ex profundo loco recte assurgunt, præsertim per angustas, vel principes partes. Quippe ita retrahitur ex vtraque parte, pars vtraque, celaturque, ac integitur superiacentibus corporibus vulnus. Post hæc puluis aliquis sanguinem cohibens vulneri inspergendus, & stupæ vel spongia medicamentis facultatem supprimendi sanguinem habentibus imbuta superalliganda erit: & figura particulæ vulneratæ accommoda, adhibenda. Tutius tamen est, vinculum seu funiculum vasis sanguinem fundentibus iniicere. Proinde si alia auxilia profluuium compescere nequeant, vasa nudanda sunt, & hamulo apprehensa, mox funiculo aliquo gracili, vt filo serico, excipienda, ac fortiter stringenda sunt. Post medicamentum agglutinans vulneri apponendum erit, & membrum fasciis, vt oportet deligandum, situque apposito collocandum. Vinculum autem radici vasis iniiciendum erit. His peractis, implendum carne vulnus quam primum est, priusquam funiculus a vase decidat. Nisi enim producta caro prius locum, qui circa præcisam arteriam est impleuerit, si locus aliquis vacuus superfuerit, vtique quod Græci ἀνεύρυσμα dicunt, comitatur. Vbi itaque vas vinculo es complexus, aut ferramentis ignitus vsus, illudque tibi curationis propositum restat, vt quæ circa vulneris labra sunt carne impleas, iisdem omnino medicamentis vtendum erit, quæ in caui vulneris curatione sunt dicta. Sicciorib⁹ autem medicamentis, vt hoc etiam adiiciamus, eget arteria, quam vena, quanto ipsa est suapte natura siccioris temperamenti, quam vena: quemadmodum hæc omnia Galenus copiosissime *libr. 5. Ther. methodi, præsertim eius capit. 7.* prosequitur.

Arteria sicciorib quā vena medicamentis eget.

Depun-

A *De punctura nerui, seu punctim vulneratis neruis.* Cap. XII.

NErui, *Galen. libr. 6. Ther. method. attestante*, quandoque punctim, quandoque cæsim
vulnerantur. Eorundem quoque vulnera interdum sine contusione, interdum
vero cum contusione accepta sunt. Ex puncturis autem quædam hiant, atque apertæ
sunt: quædam cœcæ atque occlusæ manent, adeo vt earum ora sic conniueant, ac inter
se coeant, vt conspectum effugiant. Quarum omnium vulnerationum causæ sunt ea, Caussæ.
quæ incidunt, pungunt ac penetrant, & contundunt. Neruis autem vulneratis aut pun- Signa
ctis, ex sentiendi, quod obtinent, acumine, phlegmone, & ingens dolor accidit. Qua-
re & febres conuulsiones iis oboriuntur: quibusdam & delirium, ob neruorum cum ce-
B rebro consensum. In nerui autem puncti, *de quo in hoc capite præcipue agimus*, curatione, Curatio.
neque vnitionem moliri statim oportet, neque coacta, siue in vnum coniuncta con-
seruare. Quin potius vulnus apertum, inglutinatumque custodire. Itaque infixa dunta-
xat, si quæ neruis inhæserint, extrahenda, & oblæsæ particulæ substantia seruanda. Ce-
terum qua ratione infixa sint euellenda, *capite primo, huius libri abunde est expositum.* Par-
tis vero ipsius laborantis, hoc est, puncti nerui substantia optime seruabitur, si & dolo-
ri, qui ob exquisitum & excellentem laborantis partis sensum vehementissimus exci-
tari solet, sedulo, ac mature occurramus, & phlegmonem fieri prohibeamus. Quæ sa-
ne duo necessario, nisi obstiterimus, nerui puncturam consequuntur, & subinde con-
uulsionem accersunt. Proinde vt geminum hunc scopum assequamur, hoc est, dolo- Victus ra-
C rem ac phlegmonem prohibeamus, primum necesse erit, vt is cui neruus punctus est, tio.
victu extreme tenuissimo vtatur. Locus etiam, in quo ille cubabit, tepidus esse debet,
quum frigidus neruis maxime aduersetur, calidus vero phlegmonem accersat. Le-
ctulus vero mollis sit. Sed & pars icta certa ratione collocari debet. Optimum etiam
est, laborantem quiete vti: moueri enim & ambulare, nisi sanis, alienum est. In quie-
te igitur, ac lectulo molli hominem continere oportet. Secundo loco materiam, quæ Materiæ
doloris ratione ad laborantem locum confertim confluere potest, subtrahere opor- confluentis
tet. Qua quidem in re Galeni nobis omnino sequendum consilium, qui *libro sexto, Ther.* subtractio.
method. capite secundo, iubet in nerui punctura totum corpus sanguinis missione inanien-
dum esse, vtique si virtus robusta fuerit, & nihil aliud obstiterit, etiamsi nulla adsit in la-
D borante corpore sanguinis redundantia. Morbi enim magnitudo, ac doloris vehe- Sanguinis
mentia, corpore etiam nequaquam plethorico exsistente, hoc genus auxilii plerun- missio.
que, *vt copiose capite octauo, libri de curandi ratione per sanguinis missionem Galenus ostendit*, de-
siderat. Porro in hac per sanguinis missionem vacuatione, partium rectitudo & con-
sensus, vt alibi fusius docuimus, semper seruandus erit. Quod si vero vitiosis humoribus Purgatio.
corpus refertum sit, protinus, *eodem Galeno teste*, illud congruo medicamento purgan-
dum erit. Leuis etiam frictio recte adhibetur, sed his partibus, quæ a vulnere longius
absunt. *Tertio loco* dolorem plane sedare, & æruginosam saniem educere oportet. Qua- Doloris se-
propter quę vulneri imponuntur medicamenta ad vtrumq; sint comparata, tum vt do- datio.
lorem mitigent, tum vt exitum saniei patefaciant. Tutius vero fuerit etiam in neruis Puncturæ
E acu, aut pexillo, aut quopiam tali compunctis, præsertim si in altũ punctura descende- dilatatio.
rit & cõspectum effugiat, cutem in vulneris orificio aperire, ac latius incidere, quo me-
lius sanies effluat, & commodius ad profunditatem loci, medicamentorum vires per-
ueniant. Porro aliis cultro rasorio, aliis vero cauterio cutem ipsam aperiendam esse,
magis placet. Galenus in id genus puncturis, orificium duabus in cutem sectionibus re-
ctis diuidere, *lib. 3. de compos. medic. generalium* præcipit. Proinde nisi oræ angustiorum e-
iusmodi punctuum aperiantur, conuulsionis periculum imminet: quod scilicet obcæ-
cato ita cutis vulnere, nihil a profundo extrorsum exspiret. Facta autem cutis apertio-
ne, mox vulnus exsiccandum est aliqua substantia tenui, ac modice excalefaciente, ad-
eoque citra dolorem exsiccante: quum sola hæc ex profundo trahere saniem, neque
contracta, neque demorsa particula, possit. Cuius quidem generis est oleum Sabinum,
F præsertim vetus, quod tanquam vtilissimum ad præsentem curationem *libr. 6. Therapeu-*
ticæ methodi, & 3. de compositione medicamentorum generalium Galenus deligit. Vitandum
autem omnino est oleum crudum, & quod adstringẽdi vim habet, cuiusmodi est *oleum*
myrtinũ, tribus saltem primis diebus. Hoc enim per halitum non digerit, sed obstruit, &
perspiratum prohibet. Præstat igitur neruos punctim ictos tenui oleo, & adstrictione

Frigida neruis non adhibenda. prorsus carente, perfundere: quale dulcissimum est, quod longe melius erit, si duos aut tres annos transegerit. Sed neque Sabinum etiam ipsum oleum, quamuis sit tenuissimum, aut aliud quoduis simile, frigidum admouendum est, calens: frigidum namque, praeterquam quod neruis aduersatur, *Hippocrate attestante*, tenues quoque meatus obstruit, & ipsos angustiores efficit: calidum vero discutit, ac dilatat, doloresque magis demulcet. Si vehemens dolor laborantem discruciat, oleum ex vitellis ouorum commode administratur. Eandem ob caussam Galenus saepe vsus est terebinthina resina, per se quidem in pueris, ac mulieribus & generatim iis qui molli essent carne: cum euphorbio vero emollita, in duris corporibus. Non secus autem & propoli, non per se modo, verum etiam cum euphorbio ipsam molliens, vsus est. Quod si durior esset, cum tenui quopiam oleo. Quin & sagapeno in duris corporibus vsus est Galenus, vtiq; cum oleo & terebinthina id miscens. Sed & opopanace ad eundem modum, quo & sagapeno. Mihi vero & lacryma, inquit Galenus, Cyrenaica non inutilis fore videtur, si quis emplastrum ex ea faciat, cuiusmodi est, quod nos ex *Euphorbio* composuimus. Verum, inquit, nondum id experientia, *quemadmodum reliqua omnia*, comprobauimus. Quippe praecedere oportet eam, quę a vera methodo proficiscitur, remediorum inuentionem: huic vero experientiam, ad certiorem etiam fidem subscribere. Siquidem ex tali methodo etiam sulphur, quod neque ignem expertum, neque lapidosum sit, sed omnino tenuium partium, ei, cui neruus vulneratus esset, conducturum sperauimus, tantum eius tenui oleo miscentes, dum quod ex vtrisque mixtum erat sordium haberet crassitudinem. In valentioribus vero durioribusque corporibus etiam si ad mellis crassitudinem redigas, sic quoque iuueris. Nam id quoque experientia comprobatum est. Recenset etiam alia quaedam remedia ad institutum nostrum accõmoda loco citato Galenus, quae apud eundem reperire licet. Inter multa vero alia emplastrum se ex cera, resina, terebinthina, pice & euphorbio composuisse refert, quo plurimi sua aetate Medici felici successu vsi sint. Recipiebat autem ex cera partem vnam: ex terebinthina & pice, vtriusq; partis vnius dimidium: sic vt quod ex vtrisque conflaretur, cerae par esset: ex euphorbio vero cerae partem duodecimam, etiam plus aliquando, vbi scilicet valentius efficere esset in animo. Licet autem interim & plus sit, quod ex terebinthina & pice confit, quam cera, licet rursus & alterum eorum tantum cerae admiscere. Quin etiam in penuria terebinthinae resinae abietinam, aut lariceam cõmode admiscebimus. Emplastro vero aliquo ex prius memoratis apposito, lanam mollem oleo calente madefactam supra decenter alligabis, *quemadmodum lib. 6. Ther. method. & 3. de compositione medicament. generalium Gal. monstrat.* Porro si puncto neruo, vel quouis modo vulnerato, aut etiam cõtuso, cõuulsio acciderit, aut eius metus saltem ingruat, protinus caput, collum, atque vniuersam dorsi spinam, oleo liliorũ vel costino, laurino, spicato, vel ex pulegio, vel communi, addito castorei & euphorbii momento, fouebis. Quod si in superioribus partibus, vt manu, vel brachio, id genus vulneris neruus acceperit, praeter iam cõmemoratas partes, axillas quoque vbertim calenti oleo delinies. Si vero punctus, aut quouis modo vulneratus neruus, ex iis sit, qui in cruce habentur, inguina, pubem, & loca vicina, largo statim oleo imbues, per vniuersam spinam ad collum & caput vsque ascendendo. Sed & tendones, & ligamenta, ac loca ipsa vulneri vbiuis illato propinqua eodem modo fouebis. Inter alia vero multa praesidia, hoc probatur vnguentum, quod accipit *olei moschati, muscellinum vocant officinae, vnciam vnam. Petrolei nominati, semunciam. Olei communis, butyri, singulorum vncias quatuor. Cerae, vnciam vnam. Stiracis calamithae, stiracis rubrae, singulorum drachmas duas & dimidiam. Mastiches, olibani, lachrymae hederae, sing. vnc. vnam & dimidiam.* Ex iis omnia quae liquescere possunt, igni admoueantur. Alia vero trita & in puluerem redacta illis remisceantur, postremo addatur styrax, & fiat vnguentum: ex quo moderate calefacto ceruix, & vniuersa spina, vt comprehensum est, inungatur. Ceterum neruorum vulneribus, maxime punctim inflixis, perperam a principio curatis, maxima omnino phlegmone, & putredo superuenit. Ergo quum nerui vulnerati sic iam phlegmone tentantur, & putrefiũt, farinam hordeaceam, aut fabaceam, aut potius eruinam, in aqua lixiua, aut oxymelite, vel serapio acido decoctam, loco phlegmone occupato, & putrescenti statim illinere oportet. Non autem triticeam farinam, aut eius generis cataplasmata, quae particulam putrem efficiunt: imo vero neque aquam

Margin notes: 5. aph. 18. — Doloris sedatio. — Remedia per methodum inuẽta experientia confirmare debet. — Emplastrũ Galeni. — Conuulsionis praeuiso. — Vnguentũ. — Si nerui vulnerati phlegmone occupentur, aut putrescant.

A que aquam calidam adhibebis. Hæc enim tametsi reliquis phlegmonibus est accommodatissima, vt quæ eas valde mitiget, vulneratis tamen neruis est infestissima. Ab humectantibus namque, & calefacientibus medicamētis, putredo huiusmodi affectibus comparatur. Quod si vehemens phlegmone cum maximo dolore infestauerit, eruinam farinam, aut fabaceam, cum optima sapa, addito paucissimo aceto, decoctam, illinito, prius tamen laborante parte oleo calido affatim perfusa. Tanta vero interdum ex eiusmodi puncturis, & neruorum vulneribus oboritur putrefactio, vt candenti ferro, vel caustico aliquo medicamento, cuiusmodi est *Aegyptiacum*, eam adurere cogamur. Quo autem pacto ceteris quæ vulnera sequuntur symptomatis, vt sunt *resolutio & syncope*, sit medendum, ex prioribus libris discendum erit.

Aqua calida vulneratis neruis infestissima.

B

De neruo cæsim vulnerato. Cap. XIII.

SI neruus non punctim, sed plane cæsim vulneratus fuerit, diligenter considerandum est, *Galeno libr. 6. Ther. method. cap. 3. teste*, quo pacto facta sit vulneratio: *vtrumne per transuersum neruum, an per longitudinem eius: tum vero, quantum incumbentis seu praiacentis cutis diuisum sit.* Adhæc spectandum etiam est, *num totus neruus dissectus sit, an non ex toto præcisus.* Eiusmodi namque vulnerum differentiæ curandi rationem non parum euariant. Quapropter si cutis quæ incumbit sectio non satis pateat, ampliori diuisione aperienda est, vt supra etiam monuimus. Proponatur igitur primum, satis esse cutis C adapertum, non ita tamen hiare vulnus, vt neruus ipse incisus sensui nudus adhuc appareat. Sane huiusmodi nerui scissura siue per longitudinem, siue per transuersum facta diuisio sit, vltra communes tres in punctura nerui obseruandos scopos, tres adhuc alios obtinet. *Primus* est, vt in loco vulneris magis decliui linamentum aliquod molle, blande imponatur. *Alter*, vt aliquod medicamentum anodynum, seu mitigatorium, neruis dicatum, vulneri superponatur. *Tertius*, vt lana mollis succida, vel oleo calente delibuta, desuper blande alligetur. Ergo non ita exquisite vulneris oræ committendæ sunt, & glutinandæ, quin emissarium aliquod relinquatur, per quod collecta sanies effluere queat. Hæc enim si in profundo retineatur, neruis putrefactionem & corruptionem inducet, atque ita etiam conuulsionem accerset. Eam ob rem profuerit, D primis saltem diebus, linamentum aliquod molle ex terebinthina, oui luteo, & croci momento illitum loco vulneris, vt dictum est, decliuiori molliter immittere, donec nullum amplius phlegmones, aut conuulsionis periculum sit. Medicamentum autem his neruorum, ac etiam tendinum vulneribus, cæsim non punctim acceptis expeditissimum, apprimeque idoneum esse ab omnibus creditur, quod vnguentum ex vermibus vulgo vocatur. Recipit vero *centaurii minoris, cynoglossi, plantaginis minoris, pilosellæ nuncupatæ, consolidæ maioris & minoris, singulorum manipulum vnum. Lumbricorum, seu vermium terrestrium, libram semis. Olei communis, libram vnam, & semis.* Subigantur simul, & ita septem diebus fermententur. Deinde illis addantur *sepi arietis a pellibus emundati, libra vna. Picis nigræ, resinæ, singulorum quarta vna. Ammoniaci, galbani, opopanacis in aceto* E *dissolutorum, singulorum drachmæ quinque.* Simul omnia lento igne decoquantur vsque ad vini & aceti consumtionem, & colentur. Vbi vero hæc pene refrixerint, adde *terebinthinæ quartam semis. Thuris, mastiches, sercocollæ, singulorum drachmas tres. Croci, drachmas duas. Spatha agitentur in mortario*, & fiat vnguentum. Porro longe alia multa medicamenta, paratu etiam facilia, hisce neruorum diuisionibus valde accommoda referũtur a Galeno *libr. 3. de compositione medicamentorum generalium, & sexto Ther. method.*. Cuiusmodi est quod ex *oxymelite, fabarum farina, vel eruorum, vel lini, vel ciceris, vel lupinorum amarorum, vel hordeacea farina cataplasma conficitur.* Item, *pix liquida fermento temperata, atque vulneri imposita. Eruorum quoque, aut alia ex prædictis farina, fermento permixta. Imo & interim fermentum ipsum solum.* Quin etiam F *oxelæum solum quod caleat, modo acetum abunde acre & vetustum sit. Propolis quoque recens, liquida, & pinguis vulneri imposita, sæpe præsidio fuit, interim quidē per se, interim fermento cōmixta.* His itaq; presidiis ad neruorũ vulnera tam in agris, q̃ in vrbib. felici admodũ successu Gal. sæpe vsus est: nō solũ in iis quos iam phlegmone ꝓhenderat, sed etiã protinus ab initio. In sũma, oportet medicamēta omnia quæ neruorũ vulnerib. tam cæsim, q̃ punctim inflictis ex vsu futura sunt, ea pollere facultate,

Vnguentũ ex vermibus.

Qualia in vniuersum medicamēta esse debeant, neruorum vulneribus accommoda.

quæ & modice calefacere, & citra dolorē exsiccare queat. Tum ea, vt dictum est, sub- A
stantiæ quoque esse natura, quæ ex alto saniem atque humores educere, & discutere valeat. Atque ex iis minus molesta esse consueuerunt, quæ liquida sunt. Super eiusmodi vero medicamenta lana mollis succida, vel oleo calente respersa apponenda est, & leniter obstringenda. Ceterum quoniam frigus tum omnibus, tum vero maxime neruorum vulneribus infestissimum est, plurimum conferet lanam ipsam superpositam permanere calidam, siue oleo tantum, siue oxelæo quoque imbuta fuerit. Hoc fiet si aliæ lanæ siccæ vellera, aut panni calidi subinde mutati extrinsecus circumponātur, & æger intra tectum, si modo hyems fuerit, ad quintum vsque, vel septimum morbi diem sese contineat. Nam si eo vsque phlegmone non tentetur, vacetque prorsus dolore, & nullam sentiat tensionem, in posterum, *Galeno attestante*, tutus erit. Atque hæc de neruo cæ- B
sim vulnerato generatim dicta sunt, siue per transuersum, siue per longitudinem seu directum neruus diuisus sit. At si neruus per transuersum vulneratus sit, nō tamen ex toto præcisus, maior conuulsionis metus impendet, phlegmone scilicet a dissectis fibris ad integras & non sectas succedente & communicata: ceterum cōuulsione ab ipsis non sectis excitata. Huic sane prius memoratis præsidiis quam citissime occurrendum est. Ergo in quiete omnino, & strato mollissimo continendus æger est, plurimoque oleo affatim & assidue inguina, spina axillæ, collum, & caput perfundendum. Ceterum in hoc vulnere *Gal. lib. 6. Ther. meth. cap. 3. auctore*, sanguis largius mittendus est, & victus tenuior adhibendus, quam in neruo per longitudinem inciso. Quod si conuulsio iam C
superuenerit, & nulla conuenientium medicamentorum vi remittatur, reliquæ fibræ quæ integræ remanserant, præcidi debent. Si enim totus neruus præcisus sit, nullum quidem præterea conuulsionis periculum sequetur, mutila tamen particula manebit. Verum læsio: quam mors, potius optanda. Porro si transuersa hæc diuisio, tam insigniter alta in músculo facta sit, vt deligatura nihil prodesse possit, non dubitabis musculi distantes inuicem partes, præsertim si, vulnus recens fuerit, suturis altioribus contrahere: cura tamen semper adhibita, ne ab acu neruus, vel tendo cōpungatur. Carnosa namque ipsa musculorum pars, dum acu suitur, periculo vacat. Nerui vero aut tēdines, non mediocri periculo consuuntur. Quod exemplo gladiatoris cuiusdam Gal. *lib. 3. de comp. med. generalium*, copiosius monstrat. Has autem suturas in eiusmodi vulnere ideo non superficietenus, sed altius moliri conuenit, neq; in imo sunt, inglutinata dehiscant. Re- D
liqua vero quæ ad vulneris curationem attinent; hic quoque sunt eadem, etiamsi totus neruus præcisus sit. In solo itaque per transuersum accepto vulnere, eodemq; insigniter alto, quum deligatura nihil prodesse potest, ex sola sutura curatio absoluitur. Etenim in vulneribus iuxta membri longitudinē factis, deligatura vulnerati musculi partibus inuicem contrahendis sufficit Galeno. Porro sutura decenter facta, biduo consutum vulnus vouendum erit rosaceo, in quo lumbrici terrestres prius decocti fuerint: ac supra puluis aliquis qui suturam contineat aspergendus erit, cui parem ipsorum lumbricorum desiccatorum & contritorum portionem, si lubet, adiicies. Quidam enim memoriæ prodiderunt, eiusmodi terræ intestina contrita, neruisque diuisis imposita, E
protinus mirum in modum prodesse, *vt libr. simpl. 11. Gal. refert.* Sunt qui & centaurium arefactum, & contritum etiam inspergunt. Medicamen enim est admodum desiccatorium, mordacitatis expers: quodque si glutinatoriis & desiccatoriis miscetur, vlcera maligna sanat. Sed de huius stirpis facultatibus *lib. 7. simpl.* plura Galenus tradit. Nudato autem neruo, omne curationis consilium huc tibi dirigendum est, vt minima cum rosione sicces. Proinde si neruus non punctim, sed plane cæsim vulneratus fuerit, cute etiam quæ incumbebat diuisa, adeo vt vulnus appareat, nullum iam supra memoratorum medicamentorum, quæ ex euphorbio, ac similiter acribus emplastri specie fiunt, applicabis. Nudatus enim neruus vehementem ipsorum vim ferre nequit, ita vt quum interposita cutis erat, tulit. Optime igitur eo casu feceris, si & calcem, & pompolygem, F
thutiam officinæ appellant, ac metallica omnia, resinas quoque, olea, miel & ceram, quę eiusmodi medicamentis nudato neruo ac diuiso apprime idoneis miscenda sunt, elueris: quo scilicet citra rosionem vllam sint siccatura. Quippe medicamentis omnibus, *vt lib. 6. Therapeuticæ methodi, cap. 3. & lib. 9. simplicium testis est Galenus*, quæ lateris, acris, mordensque humor eluendo detrahitur. Tunc igitur præstantissimum erit, calcem æstatis

Nerui per trāsuersum cæsi curatio.

Historia de gladiatore in femore vulnerato. Suturæ cur altiores esse debeant.

Centauriū.

Nerui cæsim vulnerati & nudati curatio.

Nudatus neruus vehementem medicamētorum vim ferre non potest.

A æstatis tempore, in diebus canicularibus sub sole aqua salubri atque dulcissima sæpius elotam, & exsiccatam, plurimo optimoque oleo rosaceo admixtam apponere. Congruit & hoc casu medicamentum quod a pompholyge, vt dictum est, elota fit, largiore itidem, ac probatissimo rosaceo salis omnino experte solutum liquatumue. Salubre quoque medicamentum est, quod ex melle optimo sub emplastri specie componitur. Solui vero id etiam rosaceo oportet, quod tum reliquis conditionibus sit optimum, tum salis omnino expers, vt scilicet minima cum rosione siccet. Si vero robustus sit qui vulnus accepit, & cui sit corpus a superuacuis humoribus mundum, in hoc fas est etiam valentioribus remediis nonnullis vti, vt pastillis seu trochiscis ex Polyida auctore, *lib. 5. De compositione medicamentorum generalium a Galeno descriptis*, sapa calida solutis, & in linamentum illitis.

B Id autem vel inprimis semper habendum curæ est, ne quid ex iis quæ vulnus contingent, frigidum sit: quandoquidem ipsa laborans particula, & sensilis maxime est, & principum partium potissimum principi, cerebro nimirum, continua, & temperamento suo frigida. Quorum omnium occasione, & ex facili a frigido offenditur, & suam offensam cerebro impertit.

Nihil frigidum nudato neruo ēd mouendū.

Ceterum eiusmodi vulnus oleo perfundendum non est, præsertim quum nunc commemoratis pastillis curatio suscipitur. Nam oleum illorum viribus aduersatur, & sordidum vlcus reddit. Neque enim parum interest, nudone neruo oleum, an per interpositam cutem admoueas. Abluēda igitur a vulnere sanies est, molli lana specillo circumuoluta, in sapa tepida intincta, & mox expressa. Quod si omnia bene atque ex animi sententia succedant, etiam vino dulci, non acri

C & mordaci, vulnus madefacere citra periculum licebit. Vulnere autem iam pene ad cicatricem ducto, vtile etiam fuerit album, tenue, & quod multam aquam tolerare nequit. Aquæ vero vsum, ob caussam prius commemoratam, sicuti & relaxans cataplasma in eruo nudato semper deuitabis. Blande quoque ac suauiter vulnus, si necessitas vrget, detergebis vnguento ex vermibus facto, vel aliquo alio detersorio medicamento, quod recipiat probatissimum mel, terebinthinam, & farinam hordei, aut fabarum. Postquam autem neruum denudatum contexeris, linamenta extrinsecus circumducere oportet, ex medicamento, *inquit Paulus*, quod angustiis vulneribus faciat: nempe eo quod ex euphorbio præparatur, aut fimo columbino, sed ita vt etiam sanas partes ampliter comprehendat.

D

De nerui constitutione. Cap. XIIII.

NEruorum contusio eandem habet cum carnium contusione generationem. Signa vero ex ægroti narratione cognoscuntur. Contusis autem neruus, vbi cum hoc vna cutis contusa exulcerataque est, medicamenta postulat, quæ partes per contusionem a se dissidentes contrahere, constringereque sunt apta. Si vero absque cutis contusione neruus contusus sit, huic auxilia quibus euocandi ac discutiendi facultas insit, adferenda sunt.

Caussa. Signa. Curatio.

Contuso igitur neruo, si cutis simul contundatur, & vlceretur, fabarum lomentum oxymelite dilutum, aut si magis siccare voles, eruinam farinam cum sapa, & modico aceto illines. Quod si amplius adhuc siccare desideras, irim quoque illyricam, vel eam quam vulgo florentinam vocant, immittes.

Si cum neruo cutis cōtusa sit.

E Recentiores in hoc affectu per initia rosaceum cum oui candido liquore admouent, & mitigato dolore laborantem particulam vino tepefacto fouent, quod crassæ sit substantiæ, & adstrictionis particeps. At si vna cum contusione dolor infestet, liquidam picem cataplasmati e farina fabarum adiicies: & vbi simul bene decoxeris, calens medicamentum applicabis. Vniuersi autem corporis curatio eadem est cum ea, quam paulo ante docuimus. Verum si neruus quidem contusus sit, cutis vero nihil quod sensui appareat, a natura recesserit, oleo calente discussorio, quale *anetinum* est, & *rutaceum, irinum* quoque, continue locum irrigabis perfundesque sæpissime, & lana oleo imbuta fouebis, ac totius corporis cutā prædictis similem adhibebis.

Si citra cutem neruus cōtusus sit.

Porro si neruus totus sit præcisus, metus præterea nullus instat

F conuulsionis, mutila tamen particula manebit, præsertim si dissectus neruus insignis magnitudinis fuerit. Curatio vero eius communis est cum ea, que aliorum est vlcerum.

Si neruus totus sit præcisus.

LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS VLCERIBVS, LIBER SEPTIMVS.

A

De vlcere simplici, & quod solum consistit. Cap. I.

Vlcus quid?

Lcvs, quod Græcis ἕλκος dicitur, est *solutio continuitatis citra vulnerationem, in carnosa parte relicta.* Vlcus vero simplex, *Galeno lib. 3. Therapeuticæ methodi cap. 4. teste*, est carnosæ particulæ diuisio, citra vllius portionis amissionem. Vlcus autem quod solum consistit, est, cui nec affectus vllus simul adest, nec symptoma. (Caussæ.) Caussa vlcerum est cacochymia, hoc est, succorum vitium, qui corporis ipsius particulas arrodere, & tandem corrumpere possunt. (Signa.) Signa vlcerum, perinde atque vulnerum, e sensus, visus præsertim, iudicio, petenda sunt. B (Curatio.) In vlcerum autem curatione duo nobis spectanda proponuntur: nempe, num vlcus simplex & solum sit, ipsumque adeo per se, aut cum alio quopiam vno affecto, multisue consistat. De eius autem, quod solum est, & simplex, curatione hoc loco dicemus. Omne itaque vlcus, qua vlcus est, vnam communem habet curandi indicationem. Siquidem, *vt Galen. lib. 4. Therapeuticæ methodi cap. 5. testis est*, vlceris, qua vlcus est, sanatio, mediocris siccatio est. Principio itaque necessarium est, vt humores prauos ac vitiosos, quibus laborantis corpus refertum est, quique in partem vlceratam influunt, vacuentur, corrigantur, & fluxionem ipsam intercipiendo auertantur. Auxilia autem, quibus humorum vitium commode tollitur ac corrigitur, sunt, purgatio, & proba victus ratio. De quibus iam C sæpe in præcedentibus est dictum libris. Fluxiones vero intercipiuntur ligaturis, perfusionibus, epithematis, item vnguentis ex bolo armenio, & aliis refrigerantibus, ac adstringentibus. Quum igitur exulceratis partibus influit succus, nec multo plus iusto, nec multo deterior fit, auerti hunc regerique conueniet, adstrictis scilicet, refrigeratisque iis particulis, quæ ante exulceratæ sunt. Incoanda quoque deligatio est a laborante ipsa particula, deducendaque versus sanam. Talis enim deligatura meatus adstringit, per quos materia ad vlceratas particulas influit. Quod si sisti compescique medicamentis influxus nequeat, caussa eius inuestiganda est, atq; hæc prius adimenda. Ac si quidem ob partis, quæ fluxum recipit, imbecillitatem id fiat, huic nimirum medendum est. D Deinde vbi corpus iam a vitiosis humorib. abunde purgatum fuerit, & humorum influxus cohibitus, ad vlceris curationem, hoc est, vnitionem, quæ per siccantia fit medicamenta, progrediendum erit. Dictum autem est de hoc copiose supra *lib. 6. cap. 1. & 2.* Quare ne eadē identidem vbiq; repetenda sint, ex iis locis, quæ ad rem præsentem attinent, requirenda erunt. (Caui vlceris curatio.) Hactenus vlceris simplicis, & quod solum cōsistit, curationem breuiter perstrinximus. Nunc reliquum esset, vt caui vlceris curationem subiiceremus. Verum quum caui vlceris curatio a caui vulneris curatione nihil differat, e superioribus hæc ipsa petenda erit. Nam *capit. 4. prædicti libri* hanc ipsam copiose tractauimus.

De vlcere cum intemperie. Cap. II.

(Signa.) Complicatur interdum cum vlcere intemperies carnis calida, frigida, sicca, vel humida. E Quod calidior, quam par est, aut frigidior caro fuerit, partim colore, partim tactu, partim laborantis sensu agnosces. Quippe alias calorem sentire se fatentur, alias manifestum frigus in particula, gaudentque vel frigidis medicamentis, vel calidis. Et aliis quidem rubor leuis insidet, aliis calor magis albicat. *Sicca*, si squalens siccaque videtur caro, intemperies cognoscitur. *Humida* vero, si humidior quam pro naturali habitu caro fuerit. (Curatio.) Quæcunque autem partes vlceratæ per intemperiem aliquam a naturali habitu recesserunt, eorum sanationem per quæ cōtraria viribus sunt, fieri omnino est necesse, calidam vtique intemperiem refrigerando, frigidam calefaciendo, siccam humectando, humidam siccando. Squalentem igitur & siccam carnem, aqua temperata fouens humectansque corriges. F Quoties autem eo remedio vteris, esto tibi perfusionis humectationisque meta, vt quum primum rubescit, attolliturq; particulæ moles, tum desinas. Quippe si vltra perfundas quod attraxisti, id discuties: itaque nihil profeceris. Quinetiam medicamentorum humectandi facultas plenior esto, quam in sana carne præceptum est. Si vero humidior caro fuerit, contraria ratio ineunda est, ac medica-

A medicamentorum facultas ad ficcius transferenda, aqua vero nullatenus admouenda. Imo si lauandum vlcus videtur, vinum, aut posca, aut decoctum cuiusquam herbæ præparandum. Quod si frigidior humidiorque locus sit, calefaciendo pariter ac siccando, & in aliis ad eundem modum vincentem videlicet qualitatem contraria semper oppugnans. Atque vbi intemperiei affectum iam sanaueris, deinde etiam exulcerationis affectum sanabis. Non aliter plane nunc curata intemperie, quam si citra vlcus incidisset. Quo manifestum fit, non esse vlceris, sed intemperiei propriam, omnem eiusmodi curationem, quæ tamen vlceris ipsius sanationem omnino præcedere debet. Siquidem fieri non potest, vt in vlcere vel carnis productio, vel sinus cauitatisue impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio recte vnquam cedat, nisi subiecta caro pro B naturali modo se habeat, *quemadmodum lib. 3. Ther. meth. cap. 8. Galenus copiosius docet*. Hæc autem recte se habuerit, si proprium temperamentum tueatur. Ergo si exulcerata caro iusto calidior, frigidiorue effecta fuerit, vtique medelam exigit, quæ in tantum calfaciat refrigeretue, in quantum ipsa a naturali suo habitu recessit. Subiecta namque carnis affectus, causæ rationem obtinet ad id quod efficitur. Quippe ex hac, & per hanc tum quæ dissident glutinantur, tum quæ caua sunt carne implentur. Itaque temperatam esse subiectam carnem ad vlcera tum glutinanda, tum carne implenda, prorsus oportet. Non est autem necesse, vt de curatione intemperierum longiorem instituamus sermonem, quum in præcedentibus etiam libris de corrigendis imtemperiebus sæpe dictum sit.

C

De vlcere cum tumore particulæ. Cap. III.

AD eundem sane modum & partium, quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ sunt, prius sanandus tumor est: fieri enim non potest, vt vlcus manente tumore ad sanitatem perducatur. Quapropter omni studio laborandum est, ne phlegmone, aut quiuis alius tumor in loco vlcerato excitetur. Quod si tamen id prohiberi non potest, remediis dicatis curari debebit, vlcere interim non neglecto. Quæ autem omnis præter naturam tumoris curandi ratio sit, libro quinto abunde expositum est. Nunc quantum eius rei coniunctum cum vlcerum curatione est, obiter ac breuiter D tractabitur. Compendiaria autem obsessarum phlegmone partium, vlceratarum curatio, *Galeno libro quarto Therapeuticæ methodi, capit. quinto, teste*, per id genus præsidia obitur, quæ sane vel affectum prorsus summouent: vel si quid exiguum quod supputet reliquerint, alterum medicamentum acre, quod educere pus queat, requiritur: vel si tenuis circumposita cutis sit, velisque celerius explicatum ægrum, sectio petenda est. Quod si cataplasmate ex hordei farina, aqua & oleo, quod calefaciat humectetque, illinantur partes vlceratæ, quæ phlegmone infestantur, lenientis tractatio est, non medentis, & aduersus malum pugnantis. Id enim non ex prima ratione fit, hoc est, non vt remedium affectus, sed vt symptomatis mitigatio exsistit. Siquidem ipsius phlegmones remedia, *vt auctor est in libro de vlceribus Hippocrates*, sicciorum sunt virium. Proinde si phlegmone vlcera obsideat, vsus esse debet medicamentorum quæ desiccant, atque E phlegmonem arcent. Ex liquidis igitur, Paulo attestante, laudatissimum est vinum adstringendi facultate præditum, deinde posca. Si vero sordes quoque cum phlegmone occupent, mulsa diluta conuenit. Ex iis autem medicamentis quæ siccandi potestate prædita sunt, communiter quidem conferent phlegmonibus dicata, quæ libro quinto descripta sunt, si oleosa aeriaque excipias. Priuatim vero hoc proficit. Malum punicum dulce, vino incoctum tritumque illinitur. Mirabile nimirum, & multiplici vsu commendatum est remedium. Facit enim tum ad capitis, tum naturalium vlcera, tum etiam ea quę toto corpore excruciant, oculorumque phlegmonas. Quod de phlegmone diximus, id etiam de reliquis tumoribus præter naturam, ac symptomatis intelligẽdum venit. Si itaque erysipelas, aut eiusmodi quippiam vlceri accesserit, iis vtendum e- F rit præsidiis quæ aduersus illa superius scripta sunt. Quod si vero dolor (nam & is vnum est ex symptomatis quæ vlcerum curationem remorantur, & impediunt) aliquis vehemens vlceratæ parti incidat, protinus hic aut tollendus erit, aut saltem quoad licebit demulcendus. Dolor enim, præsertim vehemens, vires prosternit & fluxionem proritat, adeoque vlceris ipsius curationem prohibet. Proinde tametsi quæ vlceratis parti-

Phlegmonosi vlceris curatio.

Malum punicum, dulce.

Vlcus cruocians.

bus vt dolor sedetur admouentur, vlceri aduersantur, tamen quia ex vehementi dolore A plerunque laboranti imminet periculum, & propriam vlceris curationem moratur, neglecto ad tempus vlcere, dolori tanquam ei quod magis vrget, primum maximeque intendendum est. In complicatis namq; affectibus, id ex quo primum maximeq; homini imminet periculum, quodque magis accelerat & vrget, primum curari atq; tolli debet. Quibus autem præsidiis dolor mitigatur, in præcedentibus libris copiose est dictum.

In complicatis affectibus quid faciendum.

De vlcere contuso. CAP. IV.

VLcera omnia, *Galeni loco citato, & Hippocratis testimonio*, præter ea, quæ contusa sunt, siccari debent. In iis enim, quæ cum cõtusione facta sunt, quam celerrime pus mouendum. Siquidem necesse est carnes sic contusas putrescere, vt noua tandem caro gignatur. Pus autẽ ipsum, siue carnis contusæ suppuratio, cum aliqua putrescentia fit. Porro quæ putrefiũt omnia, ex calido & humido sic afficiũtur. Proinde fit, vt ea, quæ calefaciunt & humectant, omnibus his affectib. quibus pus moueri expedit semper admouenda sint. Hordei namq; farina ex aqua & oleo temperata, item panis ex aqua & oleo, preterea fomentum multæ calidæ aquæ, tetrapharmaci vis, omnia denique, quæ calefaciunt & humectant, celerrime pus mouent. Ceterum tetrapharmacum, cui non contemnendus plane auctor, Cornelius Celsus, primas mouendo puri tribuit, constat pice, resina, cera & adipe. Vsus tempore oleo, vel butyro subigitur. Pix fit mollior, resina fricta, vel colophonia: quæ in teneris corporibus oleo molliri potest: cera pinguis, adeps in mollibus corporibus vel suillus, vel vitulinus: in durioribus taurinus vel hircinus fit. C Cataplasma quoque, quod ex farina triticea in aqua & oleo temperate ac mediocriter cocta constat, ad pus mouendum non inutile est. Celeriter enim, quæ digestioni non cesserunt, ad suppurationem perducit. Siquidem & calorem habet nostro calori persimilem, nempe temperatum & mediocrem: & ratione farinæ & olei, quæ lentoris quippiam habent, quo meatus obstruendo partis calorem natiuum discuti prohibent, vi emplastica præditum est. Quæ duo maxime in maturantibus & pus mouentibus medicamentis desiderantur. Laudatur etiam cataplasma ex *radicum altheæ, & caricarum dulcium ac pinguium decocto, quod mellis crassitudinem repræsentet, & farina triticea compositum.* Accipienda autem prædicti decocti, libra vna. *Farinæ triticeæ, libra semis.* Incoquantur simul, & in formam cataplasmatis reducantur. Est & puri mouendo apprime idoneum, D quod habet *corticis radicis altheæ, radicis lilii, senecionis, foliorum maluæ, singulorum manipulum vnum. Farinæ triticeæ, quartam vnam. Farinæ seminis lini, vnciam vnam. Axungiæ suillæ recentis, libra semis.* Coquantur herbæ in aqua, quantum satis esse videbitur, & tundantur cum reliquis in mortario, fiatque cataplasma. Vulgo quoque nota est medela e *cepis, cineribus coctis.* Mirabile & hoc ad suppurandum, quod accipit *ceræ, terebinthinæ, medullæ cerui, adipis vituli, anserini, bubuli, butyri recentis, mellis optimi, olei rosacei, myrrhæ, singulorum vnciam vnam.* Myrrha cum melle subigitur, & prunis leuiter incoquitur, ex quo reliqua adiecta sedulo misceantur.

Pus mouentia.

Tetrapharmacum.

Cataplasma suppuratoriũ

De carne in vlceribus supercrescente, quam hypersarcosin Græci nominant, tollenda. CAP. V. E

MOrbus is, quem Græci ὑπερσάρκωσιν vocant, *ex eo genere est, quod in quantitate magnitudine ue partium spectatur: ex quo etiam genere & cauitas exsistit.* Veluti igitur vlcus quod cauum, appellant, non vnum est vitium, sed pariter & cauitas & vlcus: ita vlcus, quod supercrescentem carnem habet, non vnum est vitium, sed simul caro supercrescens, & vlcus. Indicat autem magnitudo, quæ præter naturam est, primam indicationem, ipsius scilicet exsuperantis ablationem. Atque hæc sola medicamentorum ope perficitur, non opera naturæ: contra quam in carne restituenda aut glutinatione se habet. Hæc enim naturæ ipsius sunt opera, medicamentis tantum, quæ actioni eius obstant, summouentibus. At supercrescentis carnis detractio, nullum quidem naturæ opus F est, sed medicamentis perficitur, quæ vehementer siccent. E quorum sane numero, *Paulo lib. 4. cap. 43. teste*, sunt: *Diphryges inspersum, aut cataplasmatis instar inductum: item squama æris, omniaque testacea combusta. Erinacei præterea vtrique, tam terrestres quam marini, cum toto corpore cremati.* Verum hæc non admodum eximie, sed modice a mediocriter duntaxat pur-

A xat purgant, & supercrescentia compescunt, *vt lib. 5. simpl. cap. c. 14. & 15. Galenus fusius docet.* Asiæ vero petræ flos longe validius id muneris obit: atque hoc magis adhuc *sori, chrisocolla, chalcitis, misy.* Quæ si combusta fuerint, minus vellicantur, ac rodunt: item *æris flos.* Ceterum ærugo his adhuc omnibus valentior est. Sales autem cremati, carnes cum humore flaccidas consumunt ac liquefaciunt. Sic etiam linimenta e panniculo discerpta, muria acriori imbuta, & denuo resiccata atque imposita, mediocres carnium super crescentias liquefaciunt atque exedunt. At maximas carnium excrescentias ad vsque penitiora crustis obducunt, Faustiani pastilli triti atq; inspersi. Item medicamentum quod recipit calcis viuæ, id est, aqua nō exstinctæ, squamæ æris, & mannæ, quæ mica est thuris concussu seu attritu elisa, pares modos, hoc est, æquales partes. Faustini autem pastilli habent, *auripigmēti, drachmas duodecim. Sandarachæ, quæ est rubrum auripigmentum, & a natura magis excoctum, drachmas sex. Calcis viuæ, drachmas octo. Chartæ combustæ drachmam vnam. Baccarum myrti succo vel decocto excepta, in pastillos redigito.* Ad hoc institutum vsitatum admodum est *Aegyptiacum vnguentum.* Ceterum dum hæc caustica atq; erodentia admouentur medicamenta, partes quæ in circuitu sunt, refrigerantia desiderant: ne scilicet in partem ex rosione vlceratam calore, & dolore humorum fluxio aduocetur. Deinde crustæ vlceribus inductæ resoluendæ erunt, & vlcus ad sanitatem perducendum.

Calx viua. Manna. Faustiani pastilli. Sandaracha quid?

B

De vlcere cum duricia, & labrorum decoloratione. Cap. VI.

C QVum labra vlceris tantum decolorata, duraue plusculum fuerint, exscindenda ad sanam vsque carnem, *Galeno libr. 4. Ther. meth. cap. 2. auctore,* sunt. Alii eiusmodi labra scarificanda esse præcipiunt, & ab eis sanguinem, admotis etiam cucurbitulis extrahendum. Sanguine autem quod satis esse videbitur educto, spongiam siccam, hoc est, nullo liquore madentem, ac postea etiam medicamenta quædam resiccātia superimponere iubent. Nec ab Hippocratis instituto hæc curandi ratio abhorret. Hic enim quum vel liuidum, vel nigrum, vel rubrum conspicitur vlcus, scarificandum, ac sanguinem emittendum esse docet. Mox spongiam sicciorem magis, quam humidiorem, hoc est, siccam potius quam humefactam, superimponendam. Post hæc vero etiam siccantia remedia applicanda. Ab his, si res postulet, rursum sanguinem auferendum

D Ac mox iterum talia peragenda, donec omnino parta sanitas sit. Quod si labra vlceris dura callosaque appareant, etiam ea excidenda monet. Quum vero amplius progressus huiusmodi affectus est, deliberatio incidit, excidendum ne omne id sit, quod præter naturam visitur, an spacio potius curandum. Proculque dubio est, ægri animum hoc casu consulendum esse. Aliqui enim longiori tempore curari citra sectionem malunt: aliqui quiduis subire, dummodo citius sanētur, sunt parati. Ceterum excidere res est promptissima: maius vero quippiam, atque artis egens, medicamentis sanare.

De vlcere cum varicibus complicato. Cap. VII.

E VAricum supra exulceratum locum exsistentium occasione, contumax ad sanandum sæpe vlcus redditur: quod scilicet ex iis humiditas aliqua ad exulceratas partes defluat. Eas igitur, *vt testis est loco paulo ante citato Galenus,* prius sanare oportet, vt deinde mox vlcus sanemus. Igitur varices, qui cruribus, & alibi quam in testiculis prouenire solent, hoc modo ex Hippocratis, Aetii, & Pauli sententia curantur. Primum in cute, vasi elato, seu venæ in fastigium tumefactæ, hoc est, varici, adiacente simplicem sectionem scalpello per longitudinem facito: ita tamen leuiter, vt venam sic in verticem elatam non diuidas, & scalpello penetres, sed sola cutis incidatur. Ducta sic leuiter in cute sectione, oras vulneris hamulis diducito, & membranulas cultro ad ramicem aquosum accommodo, sensim ac blande excoriato. Mox vena detecta, nudataue, & a circumiacentibus corporibus vndiquaque explicata, eam vulsella, aut obtuso hamo attrahito, ac suspensam teneto. *Deinde* acum duplex linum, seu lineum funiculum duplicem trahentem subiicito, subterue transmittito, linique habenulam amputato, sic vt duo funiculi efficiantur. *Tum* venam dilatatam, non aliter quam in venæ sectione fieri solet, scalpello per medium diuidito, ac sanguinis quantum satis esse videbitur, detrahito. *Deinde* altero funiculo superiorem vasis partem constringito, cureq; eleuato, san-

Varicum curatio.

F

guinem qui in ipso apparebit, mannum expressione vacuato. Quod vbi factum fuerit, A venam ab altera parte lino altero rursus deuincito. Partem vero illam venæ, quæ inter duo vincula est, vel statim exscindito, vel manere sinito, vsque dum putrefacta sua sponte cum funib. excidat. Peracto opere sicca linaméta in vlcus inserenda sunt, splenium vino cui oleum adiectum sit, madens superi imponendum, ac deligandum. Tum linamentis medicamento aliquo ad pus faciendum apto imbutis, curatio persequéda erit, cetera, quæ reliquis vlceribus communia sunt peragendo. Sed interim quies ægro imperanda, seruato accliuo membri decubitu, ne si decliue iaciat, humores ad ipsum confluant. Pranso autem magis quam ieiuno, & parum pleno, potoque item concalefacto, & vt Paulus *lib. 6. cap. 82.* suadet, loto, dieque calido potius, quam frigido, venã eiusmodi secabis, atque ex ea sanguinem mittes. Hæc enim omnia sanguinem in venis crassiorem dissoluunt, effluxuique aptiorem reddunt. Proinde si varix crus, vt magna ex parte solet, occupauerit, loto prius homine funiculum superiori femoris regioni circumdato, ac vt inambulet iubeto. *Deinde* venam ita repletam atramento scriptorio, aut collyrio notato, iuxta eius sitũ trium digitorũ spacio, aut paulo ampliori interposito. Postea reclinato seu decumbente ægro, crusque ipsum extendente, alterum vinculum paululum supra genu iniicito, ac mox qua atraméti nota est, sectionem facito, & reliquam curationem, vt supra dictum est, prosequitor. Quidam ex veteribus, funibus siue vinculis minime vtebantur: sed venã, vel statim vbi a carne absoluta erat, & vndequaque nudata, exscindebant: vel ab imo etiam adhærentem, violenter extrahendo abrumpebant. *Alii* vero vstionem eligentes, digitalibus interuallis innixa cauteria vasis admouent. Atque vbi crusta deciderit, vlcusque incarnatum, & cicatrix inducta fuerit, locum roborant. Verum omnium tutissimus chirurgiæ modus est, quem supra exposuimus. Porro varices in imo ventre suborientes consimiliter tractandi sunt. Illi item, qui in temporibus exsistunt, ea ratione, quam in exemtione vasorum Paulus *lib. 6. cap. 5.* docuit, tolluntur.

Si varix crus occupauerit.

B

Varicis euulsio.

C

De verminoso vlcere. Cap. VIII.

Vermes interimentia.

VT vermes qui in vlceribus procreantur arceas, primum quidem est, *Paulo lib. 4. cap. 42. attestãte*, vt humiditatem putredinemq; eorum opificẽ tollas. Proinde vermes in vlceribus exortos interficiunt, & putredinem simul auferunt, succus & decoctum absinthii, & eupatorii, vel centaurii, vel marrubii, calaminthæ quoq; succus iugiter instillatus, atque id genus multa, quæ etiam aurium vermes enecant. Priuatim autem ad vermes, qui vlcera infestant, commédatur Archigeni & Theodoro, medicamentum, quod accipit *cerussæ & polii parem mensuram, cum pice liquida illitum.* Conducit etiam magnopere linamentum saliua ieiuni hominis illitum, & applicatum. Hoc etiam vermes in auribus perimit, & concolores cicatrices, vt *Aetius testatur*, reddit.

D

De vlcere dirupto, & cum ossis corruptione complicato. Cap. IX.

VLcerum nonnulla obducta cicatrice, postea tempore haud ita multo interiecto, denuo phlegmone tentantur, rursumque sua sponte, & per se rumpuntur, atque a sua continuitate recedunt. Osse enim quopiam subtracto male affecto, hoc est, vitiato & corrupto, circundata ac superiacens caro, ex facili quidem interdum ad cicatricem ducitur, & sana ex toto ad vnguemque restituta esse videtur: verum cursu humoris valido, paulatim ex osse in alto contabescéte ac putrescente, tum phlegmone, tum pus oboritur, quod cicatricem lacerat, ac dirumpit. Ceterum vitiati ac corrupti ossis signa hæc sunt. Primo fere pingue fit, deinde vel nigrum, vel cariosum. Quænam igitur horum vlcerum curatio erit? Certe eatenus exsiccare, quatenus squama ossis exciderit. Ossium autem squamæ facile excident, si siluestris papaueris, & fici arboris foliis cum polenta leuigatis, atque ex vino illitis, ipsius ossis sinus concauos repleueris: aut alteri siue hyoscyami semen, & atramentum sutorium pari pondere contrita imposueris. Sed & peucedani radix contrita, subito squamas ossium remouet, ac separat. Squamas etiam ossium breui detrahit, & nouam probamque carnem desuper renasci facit medicamentum hoc, quod recipit: *Aristolochiæ, iridis, myrrhæ, aloes, corticis panacis, terrae eretriæ adustæ, scoriæ æris, corticis pini, singul. æquas portiones.* Melle omnia excipiantur, & in emplastri formam redigantur. Oportet autem ante omnia, vitiatum & corruptum os nudare,

E

Ossis vitiati signa, Curatio.

Quæ ossiũ squamas excedere faciant.

F

Emplastrũ.

A nudare, vlcere exciso: & si latus eius corrupti ossis vitium est, quam vlcus fuit, carnem subsecare, donec integrum os vndique pateat. Osse autem sic nudato, totum id quod pingue & corruptum est, candente ferramento semel iterumue, vt res exigit, admoto adurendum est, vt ex eo statu secedat. Aut certe eradendum, donec aliquid cruoris ostendatur, quæ integrioris & minime corrupti ossis nota est. Neque alia facienda sunt, vbi caries nigriciesue in summo osse est. Siquidem id vel paulo diutius eodem ferramento adurendum, vel radendum est. Porro qui radit hæc, *Celso teste*, adaucter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturius desinat. Finis est, quum vel ad album os, vel ad solidum ventum est. Albo namque finiri ex nigritie vitium, soliditate quadam ex carie manifestum est. Accedere etiam cruoris aliquid integro, supra dictum

B est. Ceterum si caries alte descendit, per terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. Simul enim post hæc & resoluetur ab inferiore osse quodcunque vitiatum est, & is sinus carne replebitur, & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet exscindi. Sed quod totum vitiatum est, totum eximendum est. Si inferior pars integra est, eatenus, hoc est, vsque ad subiectam partem ossis integram, quod corruptum est, exscindi debet. Sunt qui post abrasionem cauterium admouendum esse suadent, nec immerito sane. Nam si corruptela ossis ex humiditate excrementosa & superuacanea ipsius ossis substantiam labefactante ortum habet: vt certe magna Si caries alte descendat.

C ex parte habet: nullum præsentius aut tutius remedium excogitari potest, ipsa vstione. Hęc enim decenter admota, & cito & tuto, in summo quoq; & in alto, haud secus quam ignis ipse, desiccat. Post vstionem vero ferro candente factam, rosaceum calefactum infundunt. Alii post vstionem cauterio, *vt dicunt*, actuali decenter factam, rosaceum oui candido liquore, permixtum, tribus primis diebus admouent: triduo vero alio sequente, albuminis loco luteum oui rosaceo commiscent. Postea butyrum cum melle rosaceo infundunt. Vstio.

De vlceribus ægre cicatricem admittentibus, & malignis. CAP. X.

VLcera, quæ ægre ad cicatricem ducuntur, Græcis δυσεπούλωτα nominantur. Quæ vero ægre sanabilia, dolosa, maligna, contumacia, & rebellia sunt, iisdem κακοήθη vocan-

D tur. Multæ autem & variæ sunt caussæ, quæ eiusmodi malignorum, contumacium, atq; ægre sanabilium vlcerum coitionem & sanationem remorantur & impediunt. Nempe fieri aliquando potest, vt labra exulceratæ partis callosa & dura, caussa sint quo minus sanescat vlcus. Potest etiam caussa esse intemperies, vel quæ citra tumorem præter naturam in vlceratis partibus consistit, vel quæ cum tumore quidem aliquo coniuncta sit. Potest & varix superiacens, vel iecur, aut lien male affectus, aut imbecillitas ægræ partis, quæ ipsa quoque intensa quædam est intemperies, vlceris curationem in multos menses protrahere. Quinetiam vitiosus in toto corpore succus maxima caussarum est, quæ incommodare vlceribus possunt, & ea diuturna contumaciaque efficere. Signis ad vitii cognitionem nullis est opus, vtpote quod tempus ipsum abunde prodat. Dysepulota quæ. Cacoethe. Caussæ.

E Quod si vero eiusmodi vlceribus ægre cicatricem admittentibus, maleficis, contumacibus atq; inueteratis mederi velis, necesse est caussas, quæ illa creant, primum summoueas atque abscindas, deinde maligni vlceris curationem aggrediaris. In morbis namque omnibus nedum vlceribus, in quibus effectrix caussa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio est. Magna igitur attentione inspiciendum venit, num corpus totum plethoricum vel cacochymum exsistat, vel lien, aut iecur male afficiatur: vel labra vlceris dura & callosa sint. Item num aliqua insignis subsit partis vlceratæ intemperies, aut etiam varix aliquis superiacens fuerit, cuius occasione ad sanandum contumax vlcus redditur. Ergo si vniuersum corpus plethora vel cacochymia laboret, prius expurgare, vacuareq; illud expedit, quam medicamentum vlceri admoueas. Si vero lien, Signa. Curatio. Ab effectrice caussa, si adhuc manet, inchoanda curatio.

F aut iecur male afficiatur, his prius prouidere, deinde ad vlcus curandum venire oportet. Ad eundem modum, & varices, qui sæpe supra exulceratum locum sunt, prius, vt supra docuimus, tollendi sunt, deinde mox vlcus sanandum. Intemperies quoque atque imbecillitas, quam sæpe insignis quædam parit intemperies, antea quam ad vlceris curationem accedamus, corrigenda erit. Breuiter ei quod fluxionis in vlceratā partem

decumbentis est caussa, atque ægre sanabile vlcus reddit, prouidendũ, ac si fieri potest, A
medendum prius erit. Deinde maligni ipsius vlceris & contumacis curationem aggredi oportebit. Malignorum autem & difficulter cicatricem recipientium vlcerum curationis summus scopus est, valida citra demorsum exsiccatio. Hæc enim ab aliis vlcerib. hoc vno dissident, quod medicamenta citra demorsum atq; erosionem vehemẽter exsiccantia desiderant. Quæ enim mordendo vlcus, & manifestam in eo exasperationem excitando, dolorem inferunt, fluores, hoc est, humores vlceratis partibus influentes, irritant, & phlegmonem concitant. Talis igitur medicamentorum materia, quoad eius fieri potest, ad talia vlcera inuenienda est, vnde vlcus citra mordicationem & dolorem siccescat. Vt autem validam vlcerum exsiccationem assequaris, duo tibi scopi proponuntur. *Vnus*, vt id quod influit regeras, repellasue, si saltem qui vlceratis partibus influit B
succus, nec multo plus iusto, nec multo deterior sit. *Alter*, vt quod laboranti parti inhæret, infixumque est, discutias. Atque ea contrariæ vires præstant. Siquidem influxum reprimunt, quæ adstringunt medicamenta. Digerunt, discutiuntue impacta, iamq; excepta, quæ trahendi potestate prædita sunt. Porro, quæ adstringunt, vt plurimum exasperant, atque hac occasione molesta sunt. Trahentia vero ac digerentia ex alto humiditates, non citra acrimoniam id efficiunt. At acrimoniam dolor aliquis necessario sequitur, vlceratam partem molestans. Proinde propter dolorem, quem exasperantia rodentiaq; concitant, humores vlceratis partibus influentes irritari, & vlcus phlegmone obsideri, exedique contingit. Vnde omnibus patet, prædictis vlceribus malignis præsidia non ita promte inueniri posse. Quid igitur agendum erit, vt talia vlcera ad inte- C
gram perducantur sanitatem? Deligenda sane medicamenta erunt, quæ vtraq; facultate, nempe adstrictoria & discutiente, polleant, atque ita quod influit repellant: quod vero iam laboranti parti inhæsit, discutiant. His itaque mista facultate præditis medicamentis, vlcera, de quibus agimus, citra erosionem demorsumue desiccabis. Ceterum tametsi medicamentum ex ambobus compositum, erodente puta & adstringente, necessario validum exsistat, sordes tamen & humiditatis copia id genus vlceribus incumbens, veluti propugnacula quædam vlceratis particulis facta, rosionem valentibus medicamentis adimunt, soluuntque. Porro artificio hac in re vti potius, quam experimento inniti debebit Medicus: quod nimirum rationalis Medicus sciat, vlcus non alia medicamentorum virtute curari, quam dum laborans pars eam siccitatem consequatur, D
quam in naturali statu sita possidebat. Quod factum intelligimus, vbi neque tennis amplius sanies influat, neq; pus producatur. Eo autem peruenient, quo dicebamus modo siccescentia, hoc est, adstricta, discussaque. *Dein* vbi sicca quidem fuerint, verum sordida adhuc appareant, detersoriis medicamentis repurgantur. Ceterum quum manifesto constet omnibus in artis operib. exercitatis, rationem sine operum exploratione probabilem non esse, Medicus diligenter attendere debet, quem effectum medicamentum vlceri adhibitum, quotiescunque ipsum soluerit, in vlcerata particula præstiterit, quantum scilicet humiditatis in vlcere desiccauerit: vel si etiam sordes adsit, quantum inde absterserit. Sed & animum intendere oportet, vtrum vlcus carne, quæ subest exesa ac colliquescente, sordidum euaserit: an quia medicamẽ sordibus auferendis aptum E
requirat, impositum vero tale non sit: id quod Medicis etiam bonis existimatis, *Galeno attestante*, nonnunquam imposuit, ac nostris quoq; chirurgis adhuc quotidie imponit. Vbi enim vlcus post vnam aut alteram medicamenti appositionem sordidius conspexerint, statim non cogitantes an id ex rosione medicamenti acciderit, ad abstersorium valentius acriusq; se conferunt: vnde iterum vlcus erosum ex æquo sordidum, vel etiam magis adhuc altera solutione visitur. Carne enim a medicamẽto colliquata, id fœdatur. Nam ita in prauam saniem degenerat. Quicquid autem in his ipsis tenuioris substantiæ est, a medicamento difflatur: reliquum ibidem vlceribus infixum sordes ipsis redditur. Ceterum quum sit ampla latitudo vtrinque in eo, quod alterum vlcus altero magis minusque difficulter cicatricem admittat, malignumque sit, corporaque omnia quibus F
mederi cogimur, non eandem omnino temperaturam habeant, sed alia vitioso succo, alia plethora laborent, quædam dura & robusta sint, quædam vero tenera & mollia, atque adsentiendum insigniter habilia: fieri non potest, vt vno eodemq; medicamento omnibus indifferenter prædictis vlceribus quæuis corpora occupantibus medeamur: sed

Malignorum vlcerum summus curationis scopus.

Diligenter inspiciendum vnde sordes in vlcere enata sit.

A sed, tantum sanantium medicamentorum esse numerum oportet, quantus ipsorũ quoque vlcerum exstiterit. Quapropter in curandis eiusmodi vlceribus ægre sanabilibus, supposita eorum natura, & maiori cuiusq; minoriue a naturali habitu recessu, laborantis, cuiusq; corporis affectus diligenti animaduersione considerandus erit. Deinde cuiusque medicamenti, tam simplicis quam compositi vis & facultas adamussim discenda: quæ scilicet desiccant, non tamẽ vlceris detergent sordes: item quæ abstergunt quidem, non tamen probe desiccant: ac quæ vtrunq; etiam possunt efficere. Sed & accurate prospiciendum est, ex quoto quodq; medicamentum ordine exsistat: hoc est, an imbecillum, an moderatum, an validum. Atq; in vnoquoq; ordine maioris minorisue ratio attendenda erit, *vt copiosius libr. 4. de compositione medicamentorum generalium Galenus* B *monstrat.* Expressam igitur mentionem eorum ex loco Galeni iam citato faciemus, quæ vehementer, quæ moderate, & quæ obscurius exsiccant, a metallicis, quibus etiam terræ species adnumerantur, exorsi. Siccant itaq; modice, lemnium sigillum, siue vt hodie vocant, terra sigillata, & cadmia, quam climiam barbari appellant, præsertim, quæ spõte sua nascitur. Hæc autem pluribus diebus sub canis feruore ex aceto trita, aut vino plane giluo, & substantia pellucido, facultatem acquirit magis siccantem. Quod si ex acri aceto teratur, siccataq; reponatur, valde etiam magis commode inspergitur. Valentius cadmia medicamentum est chalcitis, quæ species est vitrioli, vt alibi demonstrauimus, combusta, eodemq; modo, vt cadmia trita, atq; in puluerem redacta, & postea exsiccata. Nam cruda, hoc est, ignem non experta, tanta pollet efficacia, vt iam crustas indu- C cat. Lotam igitur ipsam, deinde tunsam habere satius est. Lota enim quam vsta minus desiccat, tum longe melior est, minusque mordax. Persimile medicamentum est ærugo cremata, quæ vulgo viride æris nominatur. Quæ autem ignem non experta est, fortissimum medicamen est, sicuti chalcitis. Verum hæc nonnihil etiam adstringit, & eo multo magis chalcanthum, quod inter metalla maxime siccat. Mysi autem & sori chalcitidi genere cognata sunt, ex vna, vt ita cum Galeno dicam, radice producta: tenuius tamen mysi apparet, tum minus mordax & vrens: crassius sori est, & vtrisque siccat imbecillius. Stibi, siue stibium, vulgo *antimonium vocatum*, magis quam sori desiccat & adstringit. Porro *diphryges* appellatum *medicamentum*, vlceribus ægre humiditatis vitio ad cicatricem venientibus aptissimum est. Valide enim desiccat, tametsi modice mordax sit. Ad- D hæc præter acrem tum qualitatem, tum facultatem vim habet adstrictoriam. Quodlibet etiam alumen vlcera exquisite desiccat, & generose adstringit. Vnde nemo solis iis ad vlcera vtatur, sicut nec cruda chalcitide, & ærugine: vsta vero & hęc mysi, vtilia sunt: vt elota morsum quidem remittunt, verum minus siccant. Sunt & alia præter hæc iam commemorata plurima adhuc simplicia medicamenta, quæ malignis curandis vlceribus idonea sunt: vt est *sarcocolla, chrysocolla, plumbum vstum, ferri squama, æris squama, lapis specularis, & multa alia, quæ loco prius memorato Galen. ordine percenset.* Ex iam itaque dictis, & aliis a Galeno ibidem commemoratis simplicibus medicamentis, varias remediorum formulas, nempe cerata, vnguenta, emplastra, & pulueres confici possunt, quæ ad eiusmodi maligna, & ægre ad cicatricem venientia vlcera mire proficiunt. Commen- E datur autem inter cetera hoc, quod recipit *cadmiæ, aluminis, chrysocollæ, singul. partes octo. Floris æris, qui sponte ex ære prosilit, & æruginis vstorum, singul. partem vnam. Gummi cupressi, partes quatuor. Ceræ olei rosacei, aut myrtini*, quantum satis esse videbitur: fiat vnguentum. Porro quum vnum omnibus medicamentum, *vt sæpe iam monuimus*, commode adaptari non possit, tutiorque sit lenium medicamentorum vsus, mordacium vero periculosior, optimum erit ex loco Galeni *paulo supra citato*, quæ sint composita mitiora, quæ item validiora & potentiora, discere. Ingens enim ibidem eorundem est catalogus: quem vt hoc loco insererem, superuacaneum mihi visum est.

Siccantiã modice simplicia. Chalcitis. Ærugo. Stibi. Composita. Vnguentum.

De vlcere exedente. Cap. XI.

QVod si vlceris malitia adeo crescat, vt non modo vlceratas atque corruptas carnes, F sed etiam sanas absumat depopuleturque, vlcus iam depascens exedensue, Græcis *νομὴ Galeno libr. 5. Ther. method. cap. 4. teste*, quod pergere pascendo ab ægris particulis ad eas, quæ integræ sunt, atque harum semper aliquid ægris adiicere soleat, nuncupatur. Excitantur autem eiusmodi vlcera a prauis humoribus, sed præsertim biliosis, acribus, & mordacibus, qui propter adustionem malignitatem acquirunt. Atque hæc ma-

Vlcus exedẽs quod νομή. Caussæ.

Curatio. gna ex parte oriuntur post herpetas, & prurientes pustulas, quas acris & biliosus humor excitauit: atque etiam post vulnera, quæ mordacibus medicamentis exacerbata atque irritata fuere. Ceterum ad perfectam sanationem vt perducantur eiusmodi vlcera, triplici egent auxiliorum genere: nempe victus ratione proba, & conuenienti purgatione, quæ prauo & acri succo, erosionemque in laborante particula excitanti sit accommoda, & localibus remediis. De victus ratione iam sæpe in præcedentibus libris dictum est, ideo vt ea repetamus nihil attinet. Purgationem autem recte instituęs, si quis humor redundet in corpore cognoueris. Inuenies tum ex vlceris ipsius symptomatis, tum ex notis quas totum corpus præ se fert, cuius maxime generis sit is, qui redūdat humor. Facta redūdantis humoris vacuatione, ad curationē particularis affectus, hoc est, ipsius arrodentis vlceris, deueniendum erit, quæ quidem per localia vocata remedia perficitur. Ergo si particulam exulceratam atq; arrosam, supra modū calefactam videris, ipsam statim frigidis adstringentibus desiccantib. refrigerabis. Commode autem feceris, si vlcus ipsum, & particulam totam vlceratam aqua aluminosa ablueris: hæc enim ablutio magno vsui talibus vlceribus esse solet, quod scilicet influentes humores potenter repellat, & siccandi facultatem obtineat. Poteris etiam laborantem locum irrigare liquore stillatitio plantaginis & rosarum, vel aqua in qua candens ferrum exstinctum sit: aut etiam decocto *cyperi, myrobalanorum, cupressi, plantaginis, malicorii, balaustii, & consimilium*. Vt autem ab iniuria influentium humorum vlcerata particula vindicetur, optimum fuerit circumiacentes partes vnguento ex *bolo armenio* illinere. In medio vero vlceris, puluis aliquis, qui vim desiccandi habeat apponendus erit, qualis est, qui ex *lithargyro, vsto plumbo, pompholyge, stimmi, ære combusto, corallio, lapide hæmatite, & spodio lotis componitur*. Item *sidiis, myrobalanis, & id genus aliis*. Præterea pannorum laciniæ *in linamenta formata, siue splenia vnguento albo illita, aut vnguento quod sextam partem lithargyri recipit, vel vnguento, quod diapompholygos nuncupatur supra vlcus ipsum imponendæ sunt*. Ceterum supra eiusmodi pulueris ac linamenta vlceri imposita, puluillus aliquis, quem *plumaceorum* vocant, posca aquosa imbutus, adhibendus erit. Deinde conueniens deligatura, quam *exprimentum* nominant. Guido a Cauliaco in talibus vlcerib. solebat post lotionem absque vllo alio adhibito auxilio ponere laminam plumbi tenuē perforatam, in qua virtus argenti viui, cum liquore stillatitio plantaginis erat infixa, & ligare deligatura exprimente. Itaque tria hæc, plumbum, aqua aluminosa, & deligatura decenter facta, miram ac fere incredibilem vim habent in sanandis eiusmodi vulneribus. Porro deligaturam talem esse conueniet, quæ ad vsum magis quam ad elegantem formam conducat. Hoc autem duobus modis fit: nempe vel vnico vinculo, seu fascia vna, vel duabus. Proinde si vna tantum fascia fuerit, principio eius versus superioris vlceris partem statuto nectenda erit, siue sura, siue genu, siue malleolus, siue cubitus, siue manus summa, aut alia quæuis particula laborauerit. At si duabus fasciis vti malueris, altera a parte laborante, hoc est, ab ipso vlcere, ad superiorem regionem feretur: altera deorsum prius ducetur, mox in superiore parte desinet, eo videlicet loco, quo prior incepit. Ceterum præter reliqua commoda, quæ ex hac deligatione proueniunt, illud etiam accedet, quod vlcera, quæ ob rotunditatem coalescere nequeunt, oblonga reddentur. Solutio autem non singulis diebus, sed alternis facienda est. Neque in solutione vlcus aqua inspergendum, sed molli linteolo puro & sicco sanies detergenda. Quod si partes vlceri adiacentes iam phlegmonodes quippiam repræsentent, platysmati, hoc est, linteo lato cui emplastrum illitum est, exterius plurimo spatio liquidum medicamentum illinere oportet: quale est Galeni *phœnicinum*, hoc est, e palmulis confectum: vel aliquod simile, non quocunque contigerit dilutum, sed vino adstringente, quantum imbibi poterit. Sitque oleum, quod adiicitur, refrigerans & adstringens, cuiusmodi sunt *myrteum* & *melinum*. Quod si hæc non adsint, omphacium nominatim adhibebis. At si durities circa partes vlceri adiacentes apparuerit, ipsum phœnicium oleo veteri, aut ricinino, quod officinæ oleum de cherua nominant, diluendum est. Tutiusque fuerit, superpositæ regioni quodpiam ex medicamentis repellentibus liquidis adhibere: quo, si quid vel prauum, vel plusquam par est influit, regeratur. Atque id maxime, quum in crure vlcus obortum, superpositam venam varicosam habet. Quæ dum magna est, ac sanguinem, nec colorem rubrum, nec probum, sed atriorem & melancholicum continere videtur, ex-

scin-

Margin notes: Victus ratio. Purgatio. Localia remedia. Puluis exsiccatorius. Deligatura qualis sit. Soluenda quando deligatura. Platysma quid.

A scindenda auferendaque est. Ceterum si vlcera eiusmodi admota medicamenta contemnant, indiesque magis atque magis erosio serpat, & augeatur, corpus subinde a vitiosis humoribus repurgandum erit, ac materia ipsa depascens atque arrodens, inustione seu actuali cauterio absumenda & desiccanda veniet: modo laborans id auxilii tutum atque vtile, ceterisque aliis longe præstantius, non reformidet ac renuat. Quod si ferrum candens ob timiditatem, aut delicatam nimis naturam pati, atque admittere noluerit, medicamenta acriora, & quæ ignis vires habeant admouebis: cuiusmodi sunt pastilli Andronis, Musæ, aut Pasionis, a Galeno *libr. 5. de compos. medic. generalium cap. 19.* descripti. His etiam atramentum scriptorium magna vtilitate admouetur. Quod si hæc parum profecerint, arsenicum, quod *sublimatum* nominant, modica tamen quantitate, B tuto adhiberi potest. Locus autem ambiens, hoc est, circumpositæ vlceri partes, interim refrigerantibus perpetuo muniendus erit, ne tam vehementibus admotis præsidiis, fluxio irritetur. Porro si ne his quidem tam potentibus auxiliis vitium aliquando victum fuerit, nec erosio ipsa depascens quouis modo sisti possit, membrum amputare oportet.

De sordido & putri vlcere. Cap. XII.

VLcus sordidum, quod Græcis ῥυπαρὸν dicitur, est, quod crassiore illo ac viscoso recremento, quod *sordem* appellant, scatet. Putre autem est, ex quo vapor aliquis graueolens, & cadauerosus exspirat, & attollitur, persimilis illi, qui a putrescentibus ac corruptis iam carnibus exhalat. Ac tale etiam recentiores *fraudulentum* apellant. Huius si C malitia vlterius progrediatur & serpat, in sphacelum, quem vulgus *Esthiomenum* vocat, degenerat, & homini vitam adimit. Horũ vero vlcerum caussæ sunt praui & crassi humores, sanguinis naturam quodammodo referentes, hoc est, sanguinei, qui feruore quodam velut ebullientes, venenositatem atque malignitatem quandam induiscuntur. Et hæc quidem magna ex parte carbunculos maleficos, abscessus, & vulnera male curata consequuntur. Signa ex vtriusque definitione innotescent. Ceterum talium vlcerum curatio consistit in proba victus obseruatione, de qua iam sæpe est dictum: & vacuationibus commodis, quibus corpus vniuersum ab excrementis, atque a natura alienis humoribus expurgatur. Vbi autem iam purum ab excrementis vniuersum corpus tibi apparuerit, tum laborans ipsa particula, hoc est, vlcerata cucurbitulis, scarificatio- D nibus, hirudinibus, atque fotibus a corruptis ac deprauatis succis ipsam occupantibus vindicanda erit. Posthæc vero propriam ipsius vlceris curationem aggrederis. Sordes igitur primo tibi abluenda erit, aut mulsa, aut marina aqua: vel si eius copia non est salsa. Deinde mundificandum vlcus vnguento, quod vulgo *Apostolorum* dicitur, aut eo, quod *Ægyptiacum* nominatur. Posthæc, quidam desuper adhuc esse admouendum monent, quod mundificet, ex *succo absynthii, rosaceo melle, myrrha, & farina hordeacea* compositum: & circumiacentes vlceri partes vnguento ex bolo armenio illinunt, ac supra cetera prædicta puluillos ex canabinis stupis studiose pexis, aut ex lienis pannis læuibus, posca aquosa imbutos apponunt atque alligant. Si vero sordes in putredinem, aut corruptionem degenerant, locus abluendus erit posca, aut aqua ci- E neris, vel saponis. Deinde emplastrum ex carnibus *piscium salsorum, farina probi, & aristolochia longa*, non autem *rotunda, & scylla, omnibus ex vino coctis, & cum melle mixtis*, super accommodandum est. Ad hoc sane institutum sequens medicamentum, vtpote multa experientia comprobatum, plurimum confert. Habet autem *tragacanthi rubri, vnciam vnam. Calcis viuæ, aluminis, corticis granatorum, singul. drachmas sex. Thuris, gallarum, singul. drachmas quatuor. Ceræ & olei, singul. quantum satis fuerit.* Et hoc, quod accipit, *vitrioli partes duodecim. Chalcitidis, partes decem. Tragacanthi partes nouem.* Coquantur in aceto, & ex eis fiat linimentum. Ac semper quidem vnguentum ex bolo in ambitu vlceris, *vt supra monuimus*, apponito. Desuper vero stupeos puluillos, posca madefactos. Porro si vlcera eiusmodi depascentia putridaque, eousque feritatis & malitiæ F deuenerint, vt partes adiacentes magis atque magis semper erodant, ac sine modo in illis corruptelam excitent, vehementissimis medicamentis, qualia supra in curatione malignorum vlcerum recensuimus, indigebunt. Imo vero frequenter inustiones, atque etiam excisiones illis erunt necessariæ: ita vt quicquid vitiatum ac corruptum est, prorsus exstirpetur, & viua ac sana duntaxat caro relinquatur, quam ex natiuo

Sordidũ vlcus. Putre.

Esthiomenum.

Caussæ.

Signa.

Curatio.

Linimentum.

ipsius colore, & sanguinis bonitate facile deprehendes. Inter cetera vero medicamenta acria, quæ viuum a corrupto separant, & in hoc affectu celebrari solent, omnium præstantissimum atque efficacissimum quotidiana experientia deprehenditur *arsenicum*, quod *sublimatum* vocant. Hoc enim confestim vitium sistit, & id quidem sine dolore. Quod si medicamentis eiusmodi vitium non cesserit, membrum tali depascente ac putrido vlcere laborans cogimur abscindere, vt reliqua pars tuta sit. Id autem miserum atque extremum præsidium nunquam tentandum est, nisi vbi cetera nihil proficiunt, & vitio prorsus victa sunt. A

Arsenicũ sublimatum.

De profundo & cuniculoso vlcere. CAP. XIII.

Cuniculosum vlcus quid.

VLcus cuniculosum, quod alii *cauernosum* appellant, cuius orificium strictum & angustum est, profunditas vero in latum se diffundit, & sensum effugit, multosq; anfractus seu cuniculos modo rectos, modo obliquos, citra tamen duritiem & callum habet, dicitur. Græci hoc ipsum κόλπον, Latini *sinum* nominant. Fit, cum adiacens vlceribus cutis diutius subiectis corporibus non coalescit, glutinaturque. Huius autem multæ ac variæ sunt differentiæ, ex cauernarum magnitudine, situ, figura, ac numero desumtæ. Aut enim breues sunt, aut alte penetrãtes, iuxta carnem desinentes: aut ad ossa, vel cartilaginem subeuntes, sursum, deorsum, vel ad latus tendentes, recti aut flexuosi, simplices ac duplices, triplicesue. Caussæ eiusmodi sinuum sunt abscessus, siue suppurantes affectus tardius dissecti, & vulnera perperam curata. Pus namque longo nimis spatio in suppurato abscessu, aut in profundo vulnere, quod non rite expurgatur, retẽtum ac delitescens, malignitatem, & veluti acrem atque erodentem quandam naturam acquirit: & tandem cuniculos molitur, qui difficile admodum carne impleri, ac glutinari queant. Ad laborantem namque particulam, quæ iam imbecillitatem contraxit, vndique ex circumiacentibus ac vicinis partibus, imo vero & ab vniuerso corpore, superuacanei humores confluunt, atque ita ægre sanabile redditur vlcus. Differentiæ cuniculorum deprehenduntur specillis, siue contis argenteis, vel plumbeis, aut alia consimili materia factis, in ipsos cuniculos leuiter & blande immissis. Item minutis quibusdam atque exilibus radicibus, & cereis candelis, necnon & coloratis quibusdam iniectionibus. Dolor vero materiæ, quæ ab ipsis sinibus egreditur, qualitatem eius manifestẽ mõstrat. Si enim tenuis fuerit, & loturæ carnis persimilis appareat, calidam esse haud temere eam iudicabit. At si candida visitur & serosa haud dubie frigida erit. Sed & puris bonitas & paucitas, doloris quoque ac tumoris, qui prius aderant priuatio, sinum carne impleri & glutinari demonstrant. Si vero contraria his adfuerint, glutinationem nequaquam adhuc nobis fieri indicant. Ceterum siue magnus, siue paruus, aut breuis, vel altus, aut iuxta superficiem consistens, simplex, vel duplex, triplexue fuerit sinus, eadem semper est eorum curandi ratio. Ac si vel sursum, vel deorsum, vel ad latus, vel intro ad ossa tendit, curationem variat. Quum enim sursum tendit, facile per eius os saniosa colluuies, atque ipsum pus effluit, adeoq; non multum negotii Medico in sanando facesset. Quum vero deorsum vergit, intus retentum pus, aut sanies, contiguas partes erodit. Quare nisi facto ex aduerso emissario, nihil omnino profeceris, siue carnem generare, siue glutinare velis. Quum autem ad latus declinat, aut sursum vergit, aut intro fertur: sed ita locari laborans pars potest, vt libere sanies aut pus e sinu effluere possit: incisione ex aduerso facta opus non est. Quum vero sinus deorsum vergit, aut ad latus declinat, vel intro fertur, vt situm laboranti parte commodum dare non licet, quo sanies atq; pus libere effluat, nihil promouebis, vt dictum est, nisi prius collectioni purulẽtæ effluxum molitus fueris. Porro saniosæ & purulentæ illi colluuiei, bifariam effluxum moliri poteris: nempe vel facto tantum in imo sinus vulnere, vel tota cauitate dissecta. In imo, seu radice sinus fit sectio, si vlcus magnum fuerit, & locus totus sine periculo secari non potest. Præstiterit autem semper, si nihil obstiterit, totam ipsius sinus cauitatem dissecare, quam ex aduerso plagam facere. Ita enim facilius, ac citius multo ad sanitatem vlcus perducetur. Tota igitur cauitate dissecta, ellychniis & pannorum laciniis in linamenta formatis, congruisque medicamentis sic expurgandus atque resiccandus sinus erit, vt tandem caro regignatur, cauitas impleatur, & ad perfectam sanationem, modo quo *libr. 6. cap. 4. de cauo vulnere docuimus*, perducatur. Ceterum priusquam ex aduersa parte diuisio fiat, purulenta colluuies sinenda est magna satis copia in fundo ipsius sinus colligi, quo

κόλπος. Sinus. Differentia. B

Caussæ.

C

Signa.

D

Curatio.

E

F

A gi, quo sinus parietes magis attenuentur: atque ita melius specillum, supra quod sectio fieri debet, in cauitatem demittatur, sinu scilicet ex puris copia distento, & ampliore facto. Specillum autem ipsum, quod sic in sinum immittitur læue, hoc est, minime asperum esse debet, ac vnctuoso aliquo, vt citra dolorem immitti possit, illitum. Ad hæc parte posteriore perforatum esse decet in modum acus, vt in eo imponi possit ceto aliquis, *vt vocant*, ex canabinis stupis, aut aliqua gracili fascia, aut certe funiculo quopiam molli, vt canabino, factus. Incisione autem facta, dolor qui per eam excitatus est, sedandus erit: & impetus profluentis sanguinis, oui candido, atque aliis id genus supprimendę sanguinis profusioni dicatis auxiliis compescendus. Post hæc autem cento alius, quando opus erit, detergente aliquo medicamento imbutus, indendus erit: atq; vt id commodius fiat, alteri, qui sinum adhuc occupat, aut assuetur, aut alligabitur. Poterunt & ellychnia seu linamenta mundificatiuo aliquo imbuta in sinum ipsum imponi, superq; atque in ambitu adhibenda sunt, quæ mox infra dicemus. Porro si neq; in imo sinuosi vlceris plaga cõmode fieri possit, neq; cauitas tota dissecari, sinus totus eluendus erit collutionibus, primum quidem detersoriis, si inhærens pus, vel saniem subesse suspicaris. Deinde carnem generantibus, postea vero ad glutinans medicamentum transeundum erit. Proinde Galenus *libro 2. ad Glauconem cap. 14.* sinum ipsum nunc melicrato, hoc est, mulsa sola, nunc quidem puro vino, nunc vero mulso eluendum esse monet. Ad detergendum itaque, expurgandumque sinui inhærens pus, mulsa præferenda est. Pręsertim in sinu cuius os deorsum spectat, per quod pus & sanies libere effluant. Huius namque C sinus profunditatem totam, ad glutinationem aptam, *Galeno ibidem attestante*, sola reddere potest iniecta mulsa. Ad purgandum vero simul & roborandum, vbi scilicet aliqua adhuc leuis cuiusdam sordis derelictæ suspicio est, vel ipso etiam Aetio auctore, mulsum deligimus. At vbi carnem iam in sinu mediocriter regenitam omnino puram esse coniecerimus, & glutinationem quærimus, vino puro subadstringente sinum ipsum eluemus. Vinum enim eiusmodi, quod medium est inter dulce & adstringens, leuiter glutinat. Si autem cruentus fœtidusque sit humor, qui e sinu excernitur, oxymeli ceteris præstat. Alii sinum, præsertim maligniorem & vehementer sordidum, detergent ac eluunt aut lixiuio, aut marina aqua, aut etiam aluminosa, quæ in hoc affectu præstantissima est. Hæc enim præterquam, quod potenter sordes abluit, a parte quoque laborante fluxionem arcet, ac repellit. Alii vnguentum Ægyptiacum cum aqua & melle liquatum, in sinum eiusmodi detersionis & corrigendæ malignitatis gratia immitti iubent. Galenus quoque vbi sinus ipse, aut situs, aut alterius cuiusuis occasione sordidior aut humidior est, medicamenta, quæ valentius, quam mulsa desiccent, & detergant, admouenda esse suadet: quale est *medicamentum ex combusta charta compositum*, quod ad hunc modum temperatur. *Squamæ, gallæ, myrrhæ, singulorum pondo drachmas octo. Sandarachæ, arsenici, elaterii, singulorum pondo drachmas quatuor. Thuris, pondo drachmas tres. Chalcanthi, tantundem. Chartæ, quantum satis est ad inducendum colorem.* Debet autem exigua eiusmodi medicamenti portio largo rosaceo misceri, quo & eius vehementia remittatur, & per angustum foramen in profunditatem sinus per fistulam aut æneam aut corneam, recto ductus foratam possit iniici. Iniecto autem medicamento, vlceris os linamento concerpto claudendum est, ne id refluat. Nisi enim diutius maneat, exsiccare non poterit. Ceterum si vlcus sinuosum calidam intemperiem sibi adiunctam habuerit, non alienum fuerit ipsum abluere aqua mulsa recenti, in qua lenticula, hordeum, rosæ, & balaustium incocta fuerint. Si vero frigidam sibi adiunctam intemperiem habuerit, mulsa in qua marrubium, absynthium, pimpinella vocata, & myrrha incocta sint, eluendum est. Porro vbi sic ab omni sorde puros sinus effecerimus, carne replentibus medicamentis, si caui saltem fuerint, deinde glutinantibus, & tandem cicatricem inducentibus, similiter reliquis vlceribus, vtendum erit. Quæ autem carnem generent, glutinent, & cicatricem inducant medicamenta, copiose admodum *libro 3. Therapeuticæ methodi, cap. 2. & 4.* docet Galenus. Ergo si cauus sinus carnem requirat, primum medicamenti, quod ex charta combusta constat, aridi paululum cum multo rosaceo inseri conuenit. Deinde capto linamento os obturari. Inde emplastrum Isis, aut Machærionis, aut simile quoddam vna cum rosaceo cerato liquidiore solutum iniicitur. Vbi mediocriter carne repletus est sinus aliquod ex glutinantibus medicamentis, non vehementer siccantibus,

Medicamenti ex combusta charta cõpositio.

Si cauus sinus carnem requirat.

adhibendum est, quod crescentem tenellam carnem blande & sine morsu cogat, non A
aliter ac recens ac si cruentum vulnus curaretur. Curatur autem hoc mollibus, blandis,
Enhæma medicamenta. minimeque dolorem excitantibus medicamentis: qualia sunt *enhæma* vocata Græcis,
quorum facultas est coniungere, & diuisas partes glutinare, vt in pristinam vnitatem
Medicamentum glutinās. particula reducatur. Horum autem multa sunt, quæ loco citato Galenus commemorat.
Ceterum sequens medicamentum, quod in frequenti apud chirurgos vsu est, miram in glutinandis vlceribus vim habet. Accipit *decocti hordei, libram vnam. Mellis rosacei, vncias tres. Sarcocollæ, drachmas duas. Myrrhæ, thuris, singul. drach. vnam. Vini odoriferi, vncias sex. Coquantur omnia simul vsque ad tertias.* Quibus adiici potest aliquando aliquid aloes.
Ceterum post glutinantis medicamenti impositionem, sola spongia noua ex mulso,
Modus deligandi sinus post glutinatorii medicamenti impositionem. iuxta Galeni consilium circumponenda est, quam fieri potest mollissima. Eius autem B
deligatura a sinus fundo incipiat, & eius ore finiat. Fasciarum vero spiræ siue circumflexus, sinus profundum sine dolore arctent, ac paulatim vsque ad os eius elaxentur: eidemque indatur medicamentum molle, circumducto forinsecus emplastro ad os ipsius sinus forficibus disciso, vt sanies effluere possit. Effluet autem e sinu sanies, supposito aliquo alio paruo emplastro ad solutionem vsque: quam tertio quoque die faciens, hoc ipsum tanquam operculum circumpositum auferes, relicto eo quod totum ambit sinum medicamento. Tertio autem quoque die, aut certe citius aut tardius, prout res efflagitabit, demenda spongia est, ac paruum quod superpositum erat emplastrum, vt si qua humoris colluuies in ore sinus collecta sit, vacuetur: exploremusque, an altæ sinus partes coaluerint, an minime, quod ex manante sanie deprehendetur, si scilicet C
ea vel multa, vel pauca, cocta vel cruda sit. Proinde altas ipsius partes coaluisse demonstrat pus coctum ac paucum, præsertim si neque in ipso sinu dolor sentiatur, nec tumor appareat, sed locus totus æquabilis sit, siccus ac doloris expers. Quumque spongiam rursus imposueris, rursusque ad alligaueris, postero vel tertio die, vt dictum est, soluito semper linteolum sinus ori admotum permutans, quod eodem emplastro illitum totum os ambitu cingat. Neque vero omnino appressum esse debet, sed ita vt per id tota sanies vacuari possit. Itaque quum secundo vel tertio quoque die, vt comprehensum est, spongia, vel paruum emplastrum eximitur, considerandum multane an pauca, cruda an cocta materia ad os vlceris affluxerit. Deinde expers ne sit, an particeps doloris
locus laborans: & an tumor remanserit, aut diminutus sit. Altas enim sinus partes coiisse, *vt dictum est*, testatur pus coctum ac paucum, pręcipue si dolor & tumor non adsint. D
Contra multum & crudum, & fœtore, ac loci humiditate, dolore & tumore, nondum coaluisse significant. Neque vero, si primo vel secundo die tenuis quædam sanies ex sinu manet, de glutinatione omnino desperandum est. Sæpe enim vis medicamenti laboranti particulæ admoti, ex ipsa cute & subiecta carne tenuem humiditatem vehemēter exprimit, quoties eius qui curatur corpus ita affectum est, siue ex natiua intemperie, siue mala victus ratione. Hac humiditate expressa, loca mediocriter siccata glutinantur. Quod si tertio, aut quarto ab initio die sanies cruda in ore apparuerit, scito sinum non esse glutinatum. Quare laboranti loco medicamentum quod vehementer quidem exsiccet, sed nec mordeat, nec cutem contrahat, circumponendum est. Cuius- E
Cirrhum medicamentum. modi est medicamentum Galeni, quod a fuluo colore cirrhum dicitur, ex concoctis metallicis, oleo ricinino, & aceto sine cera confectum. Cuius compositionem & vsum *lib. 2. de compos. medic. generalium Galenus docet.* Exsiccat enim vehementer, idq; sine morsu. Atq; hanc curandi rationem sinuosi vlceris Galen. *lib. 2. ad Glauc. copiosius docet.* Guido a Cauliaco iubet post glutinantis medicamenti impositionem, emplastra desuper esse imponenda, & pannos aliquo quod habeat, vt verbo illius vtar, rectificare illa, illitos. Cuiusmodi sunt, emplastrum quod a palma Græcis φοινίκινον appellatur. Item emplastrum nigrum vel flauum cum gallis, & mel coctum cum puluere thuris, myrrhæ, & aloes: vel quædam horum, vel omnia simul: & vinum adstringens crassum. Postea ligare præcipit. Paucis vero interiectis specillum imponendum esse canulatum, sic enim loquitur, aut duplicatum, vt pus continuo effluere queat: & spongiam super orificium esse ponendam docet, vt pus sugendo extrahatur. Spongia namq; ideo circumdatur & al- F
Spongia qualis esse debeat. ligatur, vt exsiccet, manansq; e sinu pus excipiat, alioqui partem erosurū, aut pruritum excitaturum. Imbuta autem mulso spongia sit, vt detergeat: mollis, ne asperitate lædat:

A dat: noua vero, vt aqua marina adhuc imbuta laborantem partem desiccet. Ceterum quum sinus non sit nisi cauum vlcus, ordo curationis postulat, vt a cauitatis impletione ordiamur. Ideo omnia, quæ *lib. 6. de caui vlceris curatione* dicta sunt, hic etiam consideranda veniunt. Spongia qualis esse debeat.

De Fistula. Cap. XIV.

F*istula*, siue *fistulosum* vlcus, a sinu seu cuniculoso vlcere nihil differt, nisi quod anfractuosos ac sinuosos meatus, callosos & duros habet. Est itaque fistula, quam Græci *σύριγγα* nominant, arctus oblongusque, & callosus sinus, aliquatenus indolens, qui magna parte ex abscessibus parum dextre curatis oritur. Quum enim quis sinum ex abscessu exortum statim curet, callo obducitur, durusque temporis progressu fit, nec conglu- Fistula quid. Caussa.

B tinare ipsum cum sibi subiectis est possibile. Atque sunt fistularum multiplices differentiæ, quas omnes Celsus *libro 5. cap. 28.* recenset. Fistularum autem dignotiones hæ sunt. Simplicesne sint, an in plures partes diducantur, cognoscitur ex modo puris. Cuius si plus fertur, quam quod simplici spatio conuenit, plures sinus callosos esse manifestum est. Quumque fere iuxta sit caro & neruus, & aliqua neruosa: quales fere tunicæ, membranæque sunt: genus quoque puris docebit: num plures sinus intus diuersa corporis genera perroserint. Siquidem ex carne pus læue, album, copiosius fertur. At ex neruoso loco, coloris quidem eiusdem, sed tenuius & minus. Ex neruo pingue, & oleo non dissimile. Sed & ex aliis notis, quam ex pure, deprehenditur nerui fistula, nempe dolore: stuporis enim punctionisque sensum incutit. Deinde motus qui ab eo neruo Differentiæ. Signa.

C perfici solet, deterior apparebit. Sed in specilli attractu molestus acutusque sensus redditus rem manifestissime indicabit. Porro si locum erodente fistula, vena suberit, plurimus, & is crassus sanguis effunditur. Sin arteria aperiatur, tenuis & flauus cum multo spiritu, stridoreque exibit. Ante omnia autem demitti specillum in fistulam conuenit, vt quo tendat, & quam alte perueniat, scire possimus. Simul etiam protinus, humida, an siccior sit, quod extracto specillo patet. Si vero os in vicino est, id quod disci potest sic, iam necne eo fistula penetrauit quatenus nocuerit. Nam si molle est, quod vltimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est. Si vero magis id renititur, ad os ventum est. Ibi deinde si labitur p specillum, nondũ caries est: si non labitur, sed æquali innititur, caries quidem, verum adhuc leuis est. Si inæquale quoque & asperum subest, ve-

D hementius os exesum est. At cartilago vbi subhæsit, ipsa sedes docet, peruentumque esse ad eam ex renixu patet. Ceterum si obliquæ fuerint fistulæ flexumque aliquem, vel plures habuerint, vt specilli apex progredi nequeat, virgulam, vel ex nigro, vel albo plumbo conflabimus, aut ceream potius candelam assumemus, qua iter pertentemus. Quum enim flexilis admodum sit, ad fistulæ figuram accommodabitur. Porro fistulæ si altius penetrant, vt ad vltimas demitti collyrium non possit, si tortuosæ atque anfractuosæ sunt, si multiplices, maius in manu quam medicamentis præsidium est: minusq; operæ est, si sub cute transuersæ feruntur, quam si rectæ intro tendunt. Expedita quoq; curatio est in fistula simplici, recenti, intra carnem: adiuuatque ipsum corpus, si iuuenile, si firmũ est, inimica, contraria his sunt. Itemque si fistula os, vel cartilaginem, vel ner- Curatio.

E uum, vel musculos læsit, si articulum occupauit, si vel ad vesicam, vel ad pulmones, vel ad vuluam, vel ad grandes venas, arteriasue, vel ad inania, vt guttur, stomachum, thoracem, penetrauit. Ad intestina quoq; eam tendere semper periculosum, sæpe pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus vel ægrum, vel senile, vel mali habitus est. Ægre etiam consanescit in ano fistula, quæ orificio caret: tum quæ delitescit, & in os terminatur, multifariamque fissa est. In curandis autem fistulis in primis genus victus conueniens, & quod substantia & qualitate caussis, quæ fistulæ glutinationem impediunt, aduersatur, summe est necessarium. Deinde vt corpus vniuersum a superuacaneis & noxiis humoribus, illis tamen prius, si ita res exigat, expulsioni paratis, idoneo medicamento purgante vacuetur. Mox potionibus roborandis & desiccandis interioribus

F partibus accommodis, fistula ad glutinationem præparetur. Tametsi vero multæ ad hoc institutum vtiles a variis auctoribus descriptæ sint, duæ tamen pręcipuæ, quæ in frequenti vsu, & felici successu sunt, a recentioribus Medicis inuentæ sunt. Prior accipit *eupatorii, agrimoniam vulgus Medicorum vocat, partes tres. Plantaginis partes duas. Foliorum oliuæ partem vnam.* Scindantur minutim, & contundantur, postea in vino albo coquan- Potiones fistulis idoneæ.

tur, & fiat colatura, de qua singulis diebus sub auroram cyathus vnus exhibeatur. Altera, habet *filicis maris, partes tres. Gentianæ, partes duas. Centaurii minoris, partem vnam.* Coquantur in vino albo, & fiat potio, quæ vt prior administretur. Optimum autem fuerit, si in prædictis decoctionib. nonnihil ligni Guaiaci aliquot horis maceretur, postea moderato igne leuiter decoquatur, & ex colatura, quantum Medico satis esse videbitur, ægrotanti mane bibendum offeratur. Quod vero ad localia medicamenta attinet, primum quidem fistulæ orificium, si non satis hiet, & nimis strictum fuerit, imo vero & sinus ipse fistularis vsque ad fines eius, si fieri commode possit, dilatari debet. Ergo si nec aduri ferro, nec incidi commode possit fistula, & eius os, aut sinus totus, siue vnus ac simplex, siue multiplex fuerit, non satis late pateat, immisso collyrio aliquo, seu specillo ampliari ac dilatari debebit. Materia autem ad conficienda collyria, dilatandis fistulis idonea, sunt radices *gentianæ, aristolochiæ, bryoniæ, & dracontii maioris, aut ari.* Sed inprimis huic negotio accommoda sunt frusta spongiæ contorta, & valide compressa. Ex iis igitur fiant collyria, siue penicilli, altera quidem parte tenuia altera, paulo crassiora. Atque ea parte, qua tenuia sunt, demitti oportet in fistulam, sed filo semper appenso, vt tutius, si altius descenderint, & promtius, si nimis hæreant, extrahi possint. Demittantur autem horis duodecim, aut certe longius aut breuius, donec scilicet satis dehiscat fistula. Ceterum orificio fistulæ atque eius sinu sufficienter dilatatis secundo loco ipsius destructio prorsus molienda est. Id autē trifariam fieri consueuit. Primum medicamentis acrioribus & callum exterentibus. Callos autem, *Galeno, Paulo, Aetio, & Celso testibus*, elidunt atque exscindunt, radix *sphondilii*, officinæ Germaniæ nostræ *Brancam vrsinam* vocant, circumrasa, & fistulis imposita. Item *veratrum nigrum*, duobus tribusue diebus insertum idem præstat. Adhæc *amurca cocta, & in collutionem adhibita.* Ad idem *elaterium terebinthina exceptum* in collyrio cogito, imponitoque. Vel *laserpitii radicis succum* infundito. Id quod sequitur, etiam, *Paulo attestante*, exterit. Habet *æruginis, drach. duodecim. Ammoniaci, drach. duas.* Excepta aceto in longum inducuntur, & fiunt *penicilla.* In communi vsu apud recentiores chirurgos sunt penicilla siue collyria ex pastillis asphodelorum, quorum descriptio ex antidotariis vocatis petenda est. Item ex *calce & sapone.* Adhæc quæ arsenico illinuntur penicilla, neminem vnquam fefellerunt. Si vero fistulæ multos, & valde confractuosos altosque cuniculos habent, ita vt in eos collyria eiusmodi, prout res exigit, indi non possint, eadem ex aceto aut liquore aliquo ad rem accommodo, per auricularium clysterem intro infundenda sunt, vt scilicet per omnes multiplicis ipsius fistulæ anfractus perferantur. Mirifice vero in antiquis fistulis, & admodum callosis, sequens iniectio prodest, quæ accipit: *Vnguenti AEgyptiaci, semunciam. Mercurii sublimati, drachmam dimidiam. Lixiuii, vncias quatuor. Aquæ, rosarum, vncias duas. Arsenici, scrupul. vnum. Liquoris stillaticii plantaginis, vncias quatuor.* Bulliant vsque ad tertias. Iniecto medicamento fistulosi vlceris os linamento concepto, aut quouis alio claudendum est, ne refluat. Nisi enim aliquamdiu maneat, nullum effectum effatu dignum præstare poterit. Si autem duplices, aut multiplices eiusmodi fistulæ sint, sic tamen vt breues, intraque carnem sint, eadem etiam medicamenta, quæ callos elidunt, arida in calamum scriptorium coniicienda sunt: isque ori fistulæ aptandus est, inspirandumque, vt ea medicamenta intus compellantur. Aut eadem ex vino liquanda. Si vero longior & transuersa fistula est, demisso specillo contra principium huius incidi commodissimum est, & collyrium vtrumque demitti. Aqua fortis chymistarum, saltem prima, in eiusmodi tortuosis, atque labyrinthi modo flexuosis fistulis, mirifice prodest. Alter abolendi fistulas modus est, qui primum per incisionem totius cauitatis fit, deinde per adustionem, quæ vel caustico medicamento vel ferro candenti & ignito inducitur. Ceterum, quæ in magnas arterias, vel neruos, vel tendines notatu dignos, aut membranam costas succingentē, aut aliquam principalem particulam deueniunt, vel nequaquam, *vt in superioribus etiam libris monuimus*: vel certe cū multa artificiosaq; diligentia, ac prudētia attingendæ sunt. Reliquis vero hunc in modū manū admoliemur. Primū quidem tentabimus, an rectæ sint vel obliquæ, demisso intro specillo, vel cerea candela. In quibus autem duæ pluresue oræ habentur, quæ specillo aut cōsimili instrumento tentari minime possunt, ita notantur. Clystere in sinū per vnum os liquorem compellimus, exq; transitu eius

Localia.

Trifariā fistula destruitur.

Callos exterentia.

Pastilli asphodelorum.

Si fistula longior & transuersa fit.

A B C D E F

A tu eius reliqua ora facile deprehendimus, vna ne, quæ multas oras habet, an multæ sint fistulæ. His ita exploratis, si in summo fuerit sinus, atque is angustus, specillo demisso explicandus est, supraque id accommodata figura, scalpello incidendus. Idem faciendum, si plures se quasi ramuli ostendunt. Vbi ad fines fistulæ ventum est, diuisio vlceri imponenda sunt specilla, oui candido liquore imbuta, quæ labra solutæ continuitatis distendant, & inuicem coire non sinant. Postera die locus adurendus erit, vel ferro candente, vel caustico, seu adurente aliquo medicamento, nempe vel puluere asphodeli, vel arsenico, vel consimili alio, quod facultatis sit vrentis. Alii *hydrargyrum*, id est, *argentum viuum sublimatum* admouent, quo efficitur, vt nihil corruptum, nihil callosum, nihil denique, quod prҿter naturam sit, in vlcere remaneat, quod non omnino desiccetur, elidatur, & absumatur. At si non summa occupauerint fistulæ, & sub cute non transuersæ ferantur, sed rectæ intro tendant, vbi quam profundissime potest, & quatenus licet, incisus fuerit sinus, orbiculatim totum callum, modo qui nuper dictus est, si fieri possit, auferemus. Quod si aliquid ex eo relictum fuerit, adurente id medicamento absumemus. Si autem multum sit, quod ex callo remansit, nec medicamento cedat, candentibus ferramentis adurendum est. Superponenda vero sunt, atque in circuitu semper admouenda, quæ refrigerent, & reprimant. Nam fere, quæ circa fistulam sunt, *Celso teste*, aliquid habent phlegmonis. Signum autem quo dignoscimus medicamentum acre atque adurens suum affectum, quod satis est, induxisse, est vlceris elatio sine tumefactio, ac trium dierum mora, vt communis vsus habet. Adusta itaque, & vt oportet resiccata fistula, mitigatorio aliquo medicamento primis diebus vtendum, vt oleo cum oui luteo mixto. Deinde ea, quæ crustas ferro ignito, aut adurente medicamento inductas resoluunt ac deiiciunt, admouenda: cuiusmodi est butyrum, aut aliquod aliud simile pingue ac vnctuosum. A quorum vsu non prius desistito, quam crustæ deciderint, & in pus conuersæ fuerint. Mortificatæ autem fistulæ euidens argumentum est, quum pus quod ante multum & crudum apparuerat, nunc paucum & coctum visitur. *Tertius* modus abolendi fistulas est, qui fit per incisionem citra vstionem, cum calli euulsione. Facta itaque, vt ante proditum est, incisione vsq; ad fines, seu fundum ipsius fistulæ, callus totus vel vnguibus, vel acie scalpri, vel rasorio cultro, id est, nouacula detrahi debet, ita vt locus, seu sinus ipse purus, & ab omni sorde mundus appareat, quod D viuæ ac probæ carnis præsentia deprehenditur. Et hæc vera est fistulæ curatio, quam statim, si nihil obstiterit, aggredi debemus, quoties fistula nobis sananda, & abolenda proponitur. Ceterum dilatata fistula, atque in totum abolita, detergentibus si quæ sordes adhuc superfit, & carnem generantibus medicamentis vtendum. Ergo callo fistulæ eliso atque absumto, si sordes aliqua subsit, mulso, vel aqua in qua eruum coctum sit, sic vt huic quoque mellis paulum adiiciatur, locum abluito, vel sequenti medicamento repurgandis fistulis, post remotum callum longe accommodatissimo vtendum, quod habet: *Terebinthinæ in aqua vitæ, vt vocant, ablutæ, vncias tres. Succi apii, succi cynoglossi, singulorum drachmas sex. Mellis rosacei colati, sesquiunciam. Aristolochiæ rotundæ, drachmas duas. Farinæ lupinorum, semunciam.* Coquantur succi & terebinthina cum melle rosaceo, E vsque ad medietatis succorum consumtionem, deinde reliqua commisceantur. Si prædicto medicamento abstersorio *myrrhæ, sarcocollæ, radicis aridæ peucedani, & iridis*, singulorum momentum adieceris, optimum sarcoticum carnemue generans medicamentum effeceris, modo ex eo linamentum aut penicillus illinatur. Aliud, Aetii *libro.14.* experimento comprobatum, callum exterens, & carnem generans. *Radicum liliorum crematarum cinere* fistulam repleto, & callus excidet: quo ablato, *Elxinam* cissampelosὸ maiorem herbam sumito arundinibus se implicantem, flore candido, foliis hortensi smilacis similibus: qua arefacta, vsta, & trita, fistulam repleto, & caro in ea procreabitur. Sequens quoque medicamentum fistulam agglutinat, insigniter desiccat, & laboranti parti robur addit. Accipit *aquæ vitæ, vncias duas. Vini Chii, maluaticum vocant, vnciam vnam. Mellis rosacei, drachmas decem. Myrrhæ, radicis peucedani tritæ, vtriusque drachmas duas. Sarcocollæ, aloes hepaticæ, vtriusque drachmam vnam & semissam.* Misceantur, deinde bulliant omnia ad ignem moderatum vnico feruore, & per oricularium clysterem, quam syringam vocant, in fistulam iniiciatur. Plura remedia alia apud Aetium, & alios reperies auctores.

Argentũ viuũ sublimatum.

Si fistulæ sub cute intro tendant.

Mortificatæ fistulæ signũ.

Vera fistulæ curatio

Medicamentum fistulas repurgans & detergens.

Elxinæ cissampelos mena quam nos volubilẽ maiorem vocamus.

De cancro exulcerato. CAP. XV. A

Cancrorum, qui citra exulcerationem fatigant, curationem *lib. 5.* tradidimus. Nunc itaq; de iis tantum, qui exulcerati sunt, differemus. Caussas a quib. cancri excitantur, ibidem etiam exposuimus. In cancro autẽ exulcerato, vt de signis aliquid dicamus, præter *dolorem, duritiem, tumoremque*, vlcera erosa, ac inæqualia conspiciuntur, plurima ex parte sordida, labris prætumidis, aspectu horrenda, & concreta humorum colluuie nigrata. Quod si itaq; eiusmodi affectus manus operam desiderat, a vacuatione humoris melancholici curatio auspicanda est. Deinde *totum carcinoma*, si locus patiatur, prorsus rescindendum, sic vt nulla supersit radix: sinendumque vt sanguis effluat, nec statim is inhibendus. Immo pressis vicinis partibus, crassus ac melancholicus sanguis exprimendus. Postea aliis vlceribus similiter curandus, vt *libr. 14. Ther. method. cap. 9. copiosius Galenus* docet. Sunt qui exciso carcinomate, & crassiore sanguine ex circumstantibus partibus expresso, ferramentis igni flagrantibus locum adurunt. Alii vero a sectione & vstione, quæ fit ignito ferramento abstinentes, corrosione valida ex adurentibus medicamentis facta vitium hoc totum exstirpant & destruunt. Porro medicamenta eiusmodi si quando adhibenda sunt, valentis admodum facultatis esse debent. Tanta n. est huius vitii malignitas, vt mitiora plane contemnat remedia. Inter cetera vero præstantissimum ac tutissimum in hoc malo auxilium Guidoni prædicatur, arsenicũ sublimatum. Ceterum magna locorũ circumstantium, interim dũ admouetur, cura semper habẽda est, nescil. ea ipsa phlegmone, atq; humorum cõfluxu, occupentur. Quod incommodũ facile euitabis, si partes illas vicinas & carcinoma cingentes, bolo armenio illeueris. Sed tñ iusta quantitate adhibẽdum arsenicum. Vbi autem effectũ, quẽ desideras præstiterit, quod ex loci inflatione siue tumore, & mora triduana deprehendes, dolor mitigandus erit, & crustæ casus, modo quo supra docuimus, procurandus. Cancro vero sic penitus exstincto, ac radicitus exstirpato, vlcus ipsum quod remansit, similiter aliis cauis vlceribus curabis. Carcinoma autem prorsus exstinctum agnosces, si proba & sana caro apparuerit, si & nulla virulenta proluuies se in parte laborante ostenderit, nullaque amplius graueolentia eorum, qui proxime astant nares offenderit. Ceterum soli illi cancri vlcerati curationem, quæ vstione vel sectione fit admittũt, qui in summa corporis parte hærent, quiq; adeo laborantes fatigant & molestant, vt ipsi vltro chirurgi manum efflagitent: & simul in talibus consistunt partibus, quas resecare & exurere vna cum radicibus possis. Proinde si in penitioribus corporis partibus constituti sunt cancri exulcerati, aut in talibus quidem, quas nec adurere, nec exscindere vna cum radicibus possis consistũt, vel si loca principibus membris vicina occupẽt, vel laborans ob vitium imbecillitatem tale curationis genus sustinere non possit: aut forsan, quia nimis timidus sit & pusillanimis, extrema hæc remedia subire nolit: adhæc si ex hac curãdi ratione deterius aliquod malum sequeretur: breuiter, si periculum ex sectione aut vstione timetur, nec curari aliter malum possit, satis fecerimus, si hunc augeri prohibeamus, proba in primis victus ratione, & commodis vacuationibus, solisque leuibus & quasi adblandientibus medicamentis vtentes. A vehementibus vero & acribus, quibus vitium hoc veluti crabro irritatur & excandescit, prorsus abstinentes. Ergo imperanda ægris talis victus ratio est, quæ tenuis sit, bonumque & minime melancholicum succum generet. Quod si ob iecoris caliditatem & siccitatem excedentem prohiberi non possit, quin crassus & melancholicus in corpore sanguis procreetur, cibis refrigerantibus & humectantibus erit vtendum, quibus iecoris intemperies paulatim emendetur. Conueniunt itaque tum ptisanæ cremor, *Galeno libro 2. ad Glauconem teste*, lactisque serum vinum, paucissimum & aquosum, pisces saxatiles, atque omnis generis aues, præterquam palustres. Ex oleribus malua, atriplex, bleta, cucurbita, & id genus alia. Acrium esus, & repletio omnis vitanda. Sed & crassior ille, qui in venis colligitur succus ex interuallo vacuandus erit, interdum purgante medicamento: interdum, nisi quid prohibeat, venæ sectione. In mulieribus quoque, siquidem liceat per ætatem, menses euocandi: atque etiam in viris hæmorrhoides proritandæ, si modo eas pati consueuerint. Loco autem laboranti imponenda remedia sunt, quæ dolorem leniunt, & ita ipsum firmare possunt, vt nihil redundantiæ humorum amplius excipiat: quæ item refrigerent & exsiccent, minime vero, mordeant aut irritent. Cuiusmodi sunt *solani succus, vel liquor eius stillatitius*, cum succi

Caussæ. Signa. Curatio. B C D Qui nam cancri vlcerati vstionem aut sectionem desiderent. Victus ratio. E Vacuatio. F Localia.

copia

A ſucci copia non eſt: plumbum vſtum & elotum, vnguentum album, vnguentum ex lythargyro & plumbo vſto: item medicamentum, quod *ex pompholyge, vel chalcite conſtat, aut aliis id genus metallicis vſtis & elotis.* Aquæ etiam, vt vocant, camphoratæ, ſimiliter & ſucci in plumbeo mortario ducti, huic vitio efficaciſſime admouentur. Laminæ quoq; plumbeæ maximo & pene incredibili vſu cancris ipſis exulceratis ſuperinducuntur. Modus autem vſus ſucci ſolani talis eſto. Solani ſucco linteum molle duplicatũ imbuito, & laboranti loco imponito. Extrinſecus lanam molliuſculam eodem ſucco madentem linteo circumdato: atque hæc ne ſicceſcant, eo ſucco ſubinde irrigato. Hoc remedium loco dolenti inductum, ſine dolore ac moleſtia, *Paulo atteſtante*, exulceratis cancris ſubuenit. Valet & hoc vnguentum ad vlceratos cancros, quod habet *lithargyrum & B ceruſam in plumbea pila cum oleo roſaceo tantiſper contrita, dum plumbi colorem, quod ex iis fit acquiſiuerit.* Aliud quod magnopere probatur. Recipit *plumbi vſti & eloti, pompholygis, thuris, ſingulorum vnciam dimidiam. Abſinthii, vnciam vnam. Olei roſacei, libram dimidiam. Ceræ, vnciam vnam & dimidiam. Succi ſolani, quod ſufficit, ad vnguenti craſſitudinem.* Inſigniter etiam leniunt, ſolanturque plurimum in ipſis exacerbationibus, & cruciatus tempore, aut *malua althæa, in mulſo ſubacta, liquefactaue, & roſacei paululo læuigata, inſtarque cataplaſmatis illita.* Cataplaſma denique ex ficubus aridis, *melilotho, thure, napo*, diligenter cum oleo contuſis.

Modus vſus ſucci ſolani.

Vnguentũ.

C LEONHARTI FVCHSII DE MEDENDIS FRACTVRIS ET LVXATIONIBVS, LIB. OCTAVVS.

De fracturis in vniuerſum. CAP. I.

Vandoquidem duobus libris præcedentibus de ſoluta continuitate, quæ carnoſis & mollioribus corporis partibus accidit, abunde ſatis diximus, ordinis ratio iam poſtulat, vt de ea, quæ in durioribus, adeoq; oſſibus euenit, hoc eſt, de fractura & luxatione differamus. Ac primum quidẽ de fractura agemus. Eſt autẽ fractura Gal. *lib. 6. Ther. meth. c. 5.* atteſtante, omnis D vnitionis, ſiue continuitatis, quæ in oſſe fit, ſolutio, Græciſque proprio nomine κάταγμα dicitur. Recentiores tamen chirurgi *fracturam* vocare conſueuerunt, ſolam eam oſſis diuiſionem, quæ ſine inciſione a violentia quadam, vt ruptura extrinſecus accidente, aut re quæ contundit, fieri ſolet. Vulnus vero oſſis appellãt, præciſionem enſe, aut quopiam alio ſimili in profundum penetrante factam. Nos Gal. ſecuti, vtramq; diuiſionem fracturæ appellatione complectimur. Ceterum primariæ fracturarum duæ ſunt differentiæ, aliæ namq; ſimplices, aliæ vero compoſitæ. Ex ſimplicib. quidem aliæ ſunt, quæ fracti oſſis partes iam prorſus ſepararunt, eaſq; Græci καυληδὸν, id eſt, caulium fractorum ſpecie, *Gal. vbi ſupra teſte*, factas dicunt. Hæ etiam a iunioribus ῥαφανηδὸν & σικυηδὸν, hoc eſt, *raphani & cucumerum ſimilitudine facta* appellantur. Patet vero eiuſmodi diuiſionem per E tranſuerſum eſſe factam. Aliæ vero per longitudinem fiunt. In iis quidem non omnino ſeparantur a ſe partes, ſic affecti oſſis, ſed veluti per rectitudinem finduntur. Hoc genus Græci σχιδακηδὸν, id eſt, *aſſulatim, ſeu aſſeris modo*, fieri dicunt. Præter has ſunt, quæ a iunioribus Græcis εἰς ὄνυχα, id eſt, *inſtar vnguis, aut ad vnguis formam* fieri affirmantur, quum ſcilicet in aliqua parte rectæ ſunt, in extremo tamen lunatæ euadunt. Quæ etiam καλαμηδὸν, *Paul. lib. 6. c. 89. teſte*, appellantur. Aliæ ἀλφιτηδὸν, hoc eſt, *ad farinæ vel pollinis ſimilitudinem*, quum ſcilicet os in multas tenues partes confringitur? quæ ipſa, καρυηδὸν, id eſt, *nucatim, aut nucis in ſimilitudinem* facta, a quibuſdam vocatur. Aliæ κατὰ ἀπόθραυσιν, id eſt, *iuxta refractionem ſeu abruptionem*, quũ pars oſſis per ſumitatis rupturam, ſeu ſuperficiei abruptionem detrahit, ita vt pars ea, quæ detracta eſt & receſſit, ſuperemineat, vt fere fit, quum F ſquamula ab oſſe reſoluitur. Atq; hæ fracturarum differentiæ ambitioſe, *vt Galeni verbis vtamur*, a medicis Hippocrate iunioribus, iis propriis nominibus appellatæ ſunt. Breuiter autem, de Galeni ſententia duæ ſunt tantum fracturarum ſimplicium differentiæ, a quibus curandi indicationes ſumuntur, nempe quæ per trãſuerſum, & quæ per longitudinẽ fit. Compoſitę ex ſimplicibus facile cognoſcuntur. Iuniores medici morborum

Fractura quid.

κάταγμα.

Differentiæ. Simplices.

καυληδὸν. ῥαφανηδὸν & σικυηδὸν.

σχιδακηδὸν. εἰς ὄνυχα.

καλαμηδὸν. ἀλφιτηδὸν.

καρυηδὸν. κατὰ ἀπόθραυσιν.

Compoſitę.

& symptomatum cum ossium continuitatis solutione, compositas fracturæ differentias esse non recte statuerunt: proprie enim loquendo differentiæ non sunt. Nam quod consistere seorsum & per se potest, *Galeno lib 3. Ther. method. cap. 10. attestante*, id nullius vnquam erit differentia. Vulnus autem, phlegmone, gangræna, & id genus alia seorsum, & per se consistere possunt. Sunt namque corporis nostri affectus quidam præter naturam. Dolor autem & pruritus, ex symptomatum sunt genere: proinde veræ fracturarum differentiæ non erunt. Caussæ fracturarum internæ nullæ sunt, omnes autem externæ, quicquid videlicet contundere vel diuidere ossa potest. Quæ contundunt, ea dura grauiaque, & mole non exigua sint oportet, vehementique impetu deferri ac irruere. Ossa diuidunt, quæ vulnerando incidunt: item casus ab alto, præsertim si ossa sicciora sint, nec admodum crassa. Fractura quoque interdum accidit ex circumtortione in luctantibus. Id quod in lignis quoque, quæ a nobis ipsis contorquentur, videre licet. Si enim lignum aliquod neque magnum, neque validum, sed paruum & imbecillũ supra femur positum ex vtraque parte deorsum vehementer manibus vrgeas, statim id in medio frangi conspicies. Signa autem ossis fracti, præsertim per transuersum, atque in artubus hæc fere sunt. Tactu ossis partes disiunctæ, separatæue ac variæ reperiuntur, membri figura inæqualis percipitur: dum membrum dimouetur, & manu varie tractatur, ossa colliduntur, & veluti crepitus quidã ex ea collisione auditur. Pars afflicta contacta dolet, corpus membro fracto haudquaquã iniri potest: caussæ præterea quæ frangunt, aut contundunt, præcesserunt. In osse vero quod per longitudinem fractum est, substantiæ eius crassities non naturalis tactu percipitur. Cetera signa non adsunt, nisi q. dolor & inæqualitas iudicio sensus etiam deprehenditur. In curandis autem fracturis finis seu scopus saltem primus vnitio est. Quod si is per laborãtium partium siccitatem perfici non possit, restat alter: qui est, vt alterius cuiusdã interuentu disiunctæ ossis partes glutinentur. Quod si nec ipse comparabilis aduertitur, insanabile esse vitium dixeris. Quod igitur coalescere nequeat tam durum os, quam id quod in iuuenibus & adolescentibus, viris, multoque magis in senibus cernitur, id profecto vel cuiuis patere potest. Quæcunque enim concrescere ac coalescere debent, omnino mollia humidaque sint naturaliter oportet. Quæ igitur dura siccaque sunt eorum diuisæ partes coire simul nequeant, sed glutinum aliquod vinculumue, quo comissa maneant, requirunt. Itaque potest certe illud os tantum vnitionem per se, & nullius alterius interuentu recipere, quod abunde molle est: cuiusmodi in puerulis cõspicitur. In adultis vero & siccioribus corporibus, separatæ fracti ossis particulæ, non per se vnquam, sed substantia duntaxat quapiam interueniente, ceu glutino quodam, ferruminari, colligariq; secum possunt. Interuenit autem ea substantia, quoniam omnis particula sibi familiare trahit alimentum: os autem crassius ac terrenum magis quam aliud quoduis nostri corporis membrum, alimentũ ad se allicit, exsugitque. Quod itaque ex hoc proprio & maxime idoneo ossis alimento redundat, & in labris fracturæ concrescit, suo ipsius interuentu ossis extrema dura licet ac sicca glutinat. Vocatur autem corpus Græcis πῶρος, Latinis vero *callus*: qui vt mediocritatem in crassitie & tenuitate, duritie etiam & mollitie seruet oportet. De quo quidẽ *infra latius* dicemus. Ceterum videamus, quomodo vnitionem assequi valeamus, initio sumpto ab ea fractura, qua per transuersum os frangitur, quod scilicet hoc fracturæ genus sæpius incidat. In hac itaque fracturæ differentia curanda, primum est opus, vt fracti ossis partes recte committantur, & in naturalem situm coaptentur, quum autem in ea partes fracti ossis sic a se dissideant, vt e directo non iaceant, clarum est, primum id esse agendum, vt in directum agantur. Sane eum sitũ habuerint, si quis ea quæ sic dissident, integræ partis exemplo vsus, in contrarium adducat. A qua nimirum certissima indicatio transpositionis eorũ erit. Fieri enim potest, vt tum prorsum, tum retrorsum, tum in hanc partem membri, tum in illã facta translatio sit. Quæcunque igitur retrorsum magis sunt acta, ea prorsum impelli conuenient. Nec minus alteram quoque fracti ossis partẽ modice ad contrarium retrudi. Contra quæ prorsum sunt emota, hæc rursus ipsa quidem retrorsum, reliquam vero partem sensim duci prorsum. Eodem modo, & eorum, quæ ad dextrã sunt detorta, medicatio est, si ad sinistram ducuntur: contraque eorum quæ ad sinistram, si mutentur ad dextram: semper scil. altera parte modice in contrarium acta. In directum itaque agi, non est nisi in pristinam figuram

Margin notes: Caussæ. — Signa. — Curatio. — Πῶρος. — Fractura per trãsuersum quomodo curanda. — In directũ agi.

Section letters: A B C D E F

A figuram naturalemq; situm reduci. In reductione igitur fracturæ aliqui præcipiunt, inprimis membrum fractum, si ossa suis sedibus exciderint, aliudq; super aliud efferatur, decenter intendendum esse. Deinde os depressum attollendum, & eleuatum deprimẽdum, atq; ita quatenus fieri licet sine dolore, donec fracti ossis fines recte concurrant, & in naturalem situm coaptentur. Cauendum autem semper est, ne immoderatius cõfractum membrum extendatur. Immoderata n. distentio in duris præsertim & siccis corporibus vehementes dolores, febres, conuulsiones, & resolutiones interdum inducit. Quin etiam per eam diuelli ac disrumpi musculorum ac neruorũ fibras aliquando contingit. Proinde summa in hac re prudentia est opus. Igitur ægro in sedili locato, vel resupinato potius, ministris duob. iubebimus, huic supra fracturam, illi infra digitos circũ-

Modi reducendi ossa fracta.

Immoderata distentio.

Æger quo modo collocandus.

B ponant, atq; sic tensionem perficiant. Quod si valentiore opus sit intensione, nõ solum manibus, sed etiam habenis aut funib. intendere aggrediemur. Ergo duos funes æquales confracto membro circumdamus, vnum supra fracturam, alterum infra: atq; vni ministro ad ægrotantis caput consistenti, alteri iuxta pedes capita funium tradentes, iubebimus in diuersa membrum perfractum distendere. Vbi paulo longius, quam naturaliter esse debet membrum vis fecit, distentio remittenda est, ac tum demum ossa manib. in suam sedem compellenda. Ossis autem repositi certum indicium est, dolor sublatus. Alius modus fracta ossa reducendi in suum locum, & naturalem sitũ per distentionem, ab Hippocrate in libro De fracturis traditur, qui etiam a Paulo *lib. 6.* refertur. Sed hic, quem retulimus, modus longe facilior, & magis ad manum est, atq; in frequentiore vsu.

Distentio quando remittenda.

C Oportet igitur aut manibus ipsis, vtiq; si confractum membrum exiguum est, aut vinculis impositis, si maius est, & validiore tractu opus sit, retrorsum trahere ossa ipsa, vt e directo committantur, exactaq; eorum coniunctio fiat, sic vt pristinam vnionem imitentur. Postea vero quam abunde retracta fuerint, & nullus amplius supersit metus, ne se in adducendo contingant, tum in directum opponere, vinculaq; relaxare, ac musculis ĩpsis diductorum in idem commissionem permittere opus est. Interim vero te ipsum quoque, qui operi pręes, manibus subseruire expedit: ac sicubi aliquid paulum subsultat ac prominet, corrigere atque formare. Ceterum in adducendis sic contrario motu partibus, ne aliquæ frangantur ossium exstantiæ, non læue periculum est. Non enim veluti in serra desectis visitur, læuis est semper vtriusq; partis finis. Nam si illæ frangantur, non

Ossium exstantiæ haud frangendæ.

D poterunt adamussim secum coaptari fracti ossis fines, tum quia forsan fragmenta inter partes vniendas inciderint, tum etiam quod quidpiam ossium forte extra ceciderit, & comminutum perierit, vnde spatia inter applicata simul ossa maneant inania, in quæ sanies collecta, atque temporis tractu putrescens, totum pariter membrum secum corrumpet. Atque hæc tractandæ fracturæ ratio omnibus propemodum confractis artubus conuenit, vbi præsertim ossa fracta suo loco exciderint, aliudque super aliud effertur. Neque enim semper, dum franguntur ossa, suis sedibus moueri contingit, sed interdum fracta in suo loco, & naturali situ remanent. Quod ante omnia, *vt Celsus admonet,* considerari debet. Et sunt certæ notæ, quibus id discrimen deprehenditur. Nam si suis sedibus mota sunt, resima apparent, punctionisque sensum exhibent, ac tactu, *vt dictum*

Notæ ossis fracti, & sua sede moti.

E *est,* inæqualia sunt. Vbi vero loco suo non exciderunt, nihil prædictorum adest. Festinandum vero est, vt in tempore ossa fracta, & suis sedibus mota, reponantur. Si enim primis diebus reposita non sunt, haud leue phlegmones periculum subest. In qua quidẽ & difficile, & periculose vis neruis & tendinibus adhibetur. Atque hæc primo loco agenda. *Secundo* annitendum, vt ossibus probe iam coaptatis, & e directo admotis, eorundem positura seruetur, & exquisite coniuncta maneant. Siquidem nequaquam prohibere poteris, quin diuisa eiusmodi ossa, quæ sic effinxeris, & adamussim secum coaptaueris, sua sede moueantur, & rursus dissideant, si laborans quoquo pacto, vel vigilans, vel dormiens membrum fractum dimoueat. Vnice itaq; curandum, vt perfractum membrum prorsus immotum consistat. At si ipsi quidem ægrotanti, vt quietudini membri

F prospiciat, permiseris, vigilans fortassis probe id curauerit, at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igitur nõ dormientis modo hominis, sed etiam ad desidendũ itemq; quũ cubile resternitur surgentis, eorũ quæ rite formata & exquisite coniuncta sunt, positura seruetur, tuta deligatura complecti fracturam oportet, quæq; fracti ossis partes secũ coarctare ad amussim possit. Tuta a. nõ erit deligatio, si vel nimis arcta, vel nimis laxa

Deligaturæ modus. fuerit. Per laxiorem namque ossibus moueri licet, per arctiorem vero ac vehementius A adstringentem, & alimenti in locum laborantem distributio prohibetur: & dolor, qui humorum in ægram partem affluxus euocat, & phlegmonas creat, excitatur. Danda igitur opera est, vt vtrunque declinemus excessum. Constrictio igitur mediocris esto, tum nostri sensus, tum ipsius ægrotantis iudicio. Ac si quidē æqualis esset crassitudinis membrum quodque, vtique latissima fascia commodissima esset, vtpote quæ totum æqualiter continenterque ex omni parte fractum os complecteretur. Sed quoniam id non est, quod deest nobis ex fasciarum latitudine circuituum numero pensabimus, vt in artubus ipsis, qui omnium maxime fracturæ per transuersum factæ expositi sunt. In talibus namque vtilior est angusta deligatura, quam valde lata & remissa. Quippe quæ nec rugas, vt ea quæ latiore fascia fit, contrahat, & totius membri cui circumdata est, B cutem contingat. Ea igitur vsque augere tibi fasciæ latitudinem licet, quoad nulla eius pars laxior efficiatur. Ceterum in eiusmodi deligatura, quæ fracturis, in medio præsertim brachii, vel tibiæ, aut femoris exsistentibus adhibetur, duab. fasciis lineis, mollibus ὑποδεσμίδες. iuxta Hipp. dogma opus est: quas ille peculiari nomine ὑποδεσμίδας, id est, *subligamina*, seu *subfascinationes*, appellat. Primæ fasciæ initiū super fracturam iniici debet, ac circa eam bis terue conuoluta, sursum versum ferri, & quasi in cochlea serpere, atque illic desinere. Id tamen perpetuo obseruandum est, vt multum partis sanæ fascia hæc cōplectatur. Ita enim fiet, vt & firmius reposita ac cōformata ossa contineantur, & magis a laborāte loco in vicinas partes humores elidantur: magisque ne hi a superiori parte eo defluant, impediatur. Altera etiam super fracturam incipere debet, priori aduersa: deorsumque, C vbi primos complexus super fracturam fecit, tendere: atque inde iterum reducta, in superiore parte vltra priorem fascium desinere. Quocirca dimidio longior priore esse debet. Terminus autem longitudinis earum fasciarum nō vnus ac certus statui potest, sicuti nec etiam latitudinis, sed pro magnitudine fracturæ, & præfracti membri crassitie vtraque dimensio varianda est. Hipp. tamen *in lib. de med. offic. & lib. de fracturis*, trium aut quatuor, aut quinque, aut sex cubitorum longitudinem, digitorum vero totidem latitudinem constituit. Cubiti vero & digiti intelligēdi sunt eius qui deligatur, nempe vel viri adulti, vel pueruli. Hæc autem duplicis deligaturæ ratio ex ipsa rei natura desumitur. Siquidem duo hæc prima lintea fracturam muniūt, ac stabiliunt, nec phlegmonem D oriri sinunt. Ab integris enim ad laborātem partem sanguinis confluxum arcent, & quod iam collectum in ea est, exprimunt. Prior namq; deligatura quod in læsa parte continetur, ad superposita loca expellit atq; elidit: quod vero ex iis in locum perfractum confluit, repellit. Altera vero primis quidem complexibus quos, vt dictū est, super fracturæ locum facit, itemq; dispensatione deorsum tendēte, quædam ad inferiora extrudit: quædam, ne quid ex iis in locum fracturæ confluat, prohibet. Reliquis vero deinceps complexibus, quib. videlicet ab infimis partibus sursum versus recurrere diximus, vt eodem scil. loco cum priore fascia secunda desinat, tum ad superiora repellimus, tum confluxum ab iis prohibemus. Porro priusquam fasciis huiusmodi fractura deligatur, vnus aut alter panniculus lineus candido oui liquore & rosaceo delibutus, nudo membro non temere a recentioribus chirurgis accommodatur, ea quidem magnitudine, vt etiam aliquid E sanæ partis comprehendat. Sunto autem eiusmodi fasciæ duæ prælongæ, nempe quatuor, aut quinque, aut sex cubitorum, & trium quatuorue digitorum latitudine, aqua aut potius posca madefactæ, & postea expressæ, præsertim si fractura phlegmone vacet, recensq; sit. Si vero dolor vehemens, aut phlegmone adest, lanis tenuibus mollibusque, aut stupis leuibus oleo vel posca imbutis membrum contegendum est, & non ita arcte deligandum. Satis enim fuerit, vt tūc deligatura adhibeatur, quæ & membrum vtrumque fulciat, & admota medicamenta ad hæc symptomata profliganda idonea contineat. Ceterum quum hæ duæ primæ deligaturæ ad ambos hos quos diximus vsus, nempe ad fracturæ munimentum, & vt phlegmone excitare prohibeatur, non satis adhuc faciant, præsertim solæ, ad earum quidem tutelam, & fracturæ stabilimentum Hippo- F crates excogitauit remedium, vt scilicet splenia, seu plagulæ vna cum exterioribus fasciis, quas ἐπιδέσμους, id est, *superligamina* vocat, desuper adhiberentur. Splenia itaque eiusmodi duarum primarum fasciarum, quas ὑποδεσμίδας appellat, firmamenta sunt. Ne autem phlegmone suscitetur, medicamento quopiam ex iis, quæ phlegmonum iniurias arcent,

Margin notes: Cubitus & digitus. — ἐπίδεσμοι. Splenia cur adhibētur.

A arcent, vti censet. Quale nimirum est ceratum liquidum, quod a Galeno. *libr. decimo, Ther. meth. cap. 9.* describitur. Quod si vero ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit, neque ceratum, neque rosaceum tuto admouetur, quod scilicet hæc vlcus tum sordidum, tum putre efficiant: sed in vicem eorum puluelli prælongi nigro & adstringente vino imbuti, superiniiciendi erunt. Porro vbi decenter sic confractum membrũ deligaueris, de apposita repositionis ipsius figura maxima tibi solicitudo habenda est. Siquidem sub alia figura membrũ perfractum deligare, in aliã vero mutare ac reponere, non dolorem modo excitare potest, verumetiã ossa intorquere. Necesse enim est mutata figura alios musculorum tendi, ac velut contractos rotundari, alios vero solui ac remitti. Vbi autem tendũtur, tum premi eos a deligatura est necesse, tum ex compres-

B sione ipsa dolere. At vbi tensio remittitur, quo loco deligatura est laxa, ibi fracturam fulcimento destitui oportet. Ceterum appositissima fuerit in ossium fractorum repositione, sicuti etiam in retractione & coaptatione, & deligatione partis, figura, quæ a dolore maxime abest, & in qua æger immotus diu persistere possit. Hæc enim rectissima est, & membro maxime naturalis, ac fere consueta. Rectissimam autem partis figuram cum Galeno vocamus, quæ venas, arterias, & musculos quam rectissimos habet. Proinde angulosa figura, quæ ἐγγώνιος Græce dicitur, brachio quidem naturalis est: cruri vero, quæ paulo minus porrecta est. Hæc namque rectissima est, & a dolore maxime aliena. Est autem figura angularis, *Galeno libro primo, Fractu. comment. 11. & libro secundo, de mo-*

C *tu musculorum, & lib. 3. de medici officina, comment. secundo, teste*, in qua brachium cum cubito rectum efficit angulum. Quo plerunq; positu eos qui dolore afficiuntur, si diligenter inspexeris, manus tenere deprehendes. Porro vt dolor vitetur, quum ad quietem reponitur membrum, nõ modo naturalis habitus cuiuis instrumento est vtilis, verumetiam consuetudo quoque nonnihil conducere videtur. Ergo vt apte membrum perfractum & decenter ligatum reponatur, ea situs figura illi inuenienda est, quæ & naturalis est, & consueta, & a dolore maxime aliena. Vt autem in hac figura imotum prorsus membrum persistat, recentiores Chirurgi secundum deligaturam protinus, ferulas etiam circumponunt, ipsas quidem constringentes, pront sensus & tumor ex phlegmone, si qua adsit, postulat. Veteres autem, vt Hippocrates & alii, a die tan-

D tum septimo, vel etiam nono & vndecimo, ferulas accommodabant. Verum non inconsulte fit, si statim etiam ab initio post deligaturam ferulæ iniiciantur, modo nimis premendo dolorem non excitent, aut phlegmonem accersant, vel præsentem exacerbent. Quæ igitur a principio adhibentur, non eo nomine vt adstringant, sed vt adaptationis figuram contineant, & ossa in suam sedem reposita vtrinque fulciant, accommodantur. Quocirca primis diebus quum phlegmones diuitandæ consilium vincit, tutum non est, perfractum membrum ita ferulis premere. Quum vero nullus iam amplius futuræ phlegmones metus est, vt ea quæ prius discussa, membrum aliquanto gracilius quam pro naturali habitu apparuerit, (quod intra septimum diem fere solet contingere) tum licebit ferulas circumponere, & eas vt fracturam stabiliant, vali-

E de satis adstringere. Ferularum itaque vsus idem est, qui & plagularum, seu spleniorum, nempe vt fractum os contineant, & deligationem stabiliant ac firment. Sunto autem ferulæ leuigatæ & planæ, æquabiles: id est, neque in latus, neque in superiorem aut inferiorem partem distortæ: in summis partibus, id est extremitatibus, resimæ, id est, leniter derasæ ac retusæ minores hinc inde quam deligatio est: & ea parte crassiores, id est latiores & valentiores, qua fractura erupit. Quorum omnium rationem exponit Galenus *libro tertio, Hippocrates, de medici officina, commentar. duodecim*, quas consulto nunc præterire volumus. Modus autem & ratio adhibendi ferulas, talis esto. Splenia triplicia aut quadruplicia oleo delibuta super fascias similiter atque æqualiter, si membrum in crassitie fuerit æquale, circundato. Si vero inæquale, partibus magis concauis per splenia repletis, membrum vndique æquale ferulis accommodandis

F efficito. Deinde ferulas lana aut stupa mediocriter inuolutas in orbem, non minore quam vnius digiti spacio inter se distantes, fracturæ circumdato, easque leniter ac moderate constringito. Sed in hac ferularum accommodatione summopere cauendum, quatenus fieri potest, ne articulus aliquis, & præcipue interior flexus pars, ab eis attingatur. Vlcera siquidem in ipsis nonnunquam, & neruorum phlegmones pa-

Ceratum liquidum.

Repositionis aptissima figura.

Rectissima figura quæ?

ἐγγώνιος.

Figura angularis.

Ferulæ quãdo in fracturis circumponendæ.

Ferularum vsus.

Mod' ac ratio adhibendi ferulas.

riunt. Proinde iuxta articulos ipsos deligatione aliquanto breuiores, tenuiores, laxiores, & magis flexibiles ferulas esse oportet, quemadmodum valentiores qua fractura excidit atque inclinat. Ceterum si nulla prurigo, nulla phlegmone, nulla suspecta exulceratio, nullusue dolor adest, & ossa recte commissa fuerint, fracturaque recte procedat, sic manere ferulas & ligamenta, ad decimum vsque diem, vel quintum & decimum, aut etiam vigesimum vtile est. Si vero in membro perfracto præter solitum cooperto, vel dolor excitetur, vel pruritus creetur, vel eius quod iam infixum fracturæ est perspiratio prohibeatur, propter quam non modo noxius pruritus quibusdam accidit, sed etiam erosa a saniei acrimonia nonnunquam cute, exulceratio concitatur, non temere feceris, si tertio quoque die, vt iussit Hippocrates, deligationem solueris, & membrum ipsum aqua temperata perfuderis ac foueris. Hac enim perfusione & acrem atque erodentem saniem discuties, & dolorem mitigabis, ac prurigini pulcre medeberis. Porro quum nec ferulis, nec deligatione, nec figura situue membri apposito diuisæ ossis partes, tametsi exacte atque admussim coniunctæ fuerint, citra glutinum aliquod vinculumue coire ac concrescere possunt, maxima calli gignẽdi sollicitudo habenda est. Ad hunc igitur gignendum cogi concrescereque aliquid proprii ossium alimenti crassi terrenique oportet, vt dictum est, quod in labris fracturæ coalescit. Ipsum igitur nec eluendum, nec foras euocandum est, sed sinendum. Crassa autem hæc terrenaque substantia ex genuino maximeque idoneo ossis alimento redundans (quę propria est calli materia) diem circiter duodecimum, aut decimum quintum ab ossis fractura fere gigni atque accrescere incipit, vt aliqui recentiorum testatum reliquerunt. Huius autem generatio, quæ in aliis citius, in aliis vero tardius aduenit, iis fere deprehenditur notis. Dolor qui prius aderat, sedatur, nullus amplius phlegmones, aut tumoris alicuius præter naturam metus est, in perfracto membro bonus ac natiuus color efflorescit. Præterea vniuersa victus ratio callo gignendo accommodata, talis esto. Cibi qui boni succi sint, & multum nutriunt, nisi vulnus adsit, exhibeantur. Sed & quæ offeruntur alimenta talia sunto, ex quibus prouenire succus soleat non tantum bonus, sed etiam tenax, ex quali maxime expedit callum fieri. Quippe quum ex serosa ac tenui humiditate gigni prorsus nequeat, ex crassa vero, sed quæ fragilis sit, ac pinguitudinis expers, gigni quidem poterit non segniter: ceterum tempore siccescens friabilior, atque ita fractioni obnoxius redditur. Proinde callo gignendo conueniunt oriza, panis similagineus, frumentum triticeum tam diu in aqua coctum, donec instar pultis efficiatur. Ad hæc pedes, ventres, & capita animalium, sed præsertim hædi & veruecis. Hæc enim & multum alunt, & crassi & tenacis succi sunt. Circa initium fracturæ vsque dum callus gignitur (quod fere circa decimum diem contingit) ægrum tenuissime cibato. Cibi namque subexiles, *vt censuit Hippocrates*, & non validæ materiæ tunc satis sunt. Venam interdum, quum scilicet res postulat, secato, & per ventrem superuacua expellito. Carne & vino vsque ad decem dies, *ex Hippocratis præscripto*, abstineto. Post hoc tempus, vinum crassum & adstringens audacter concedito. Magnitudo calli nec minor quam par est, nec maior iusto sit, sed mediocritatem ad vnguẽ seruet. Qui enim iusto maior est, dolorem musculis inuehit: qui minor est, hic ossa parũ tuta reddit. Breuiter igitur, calli magnitudo ea sit, quæ & ossibus tuto vinculo sit, nec musculos tamen comprimat. Attendendum vero diligenter est, vt vel promoueatur, si minor iusto proueniat: vel inhibeatur, si immodice crescat. Vtrumque autem vitium corrigitur perfusionis quantitate & qualitate, ciborum etiam ac medicamentorum quæ extrinsecus apponuntur, facultate. Nam dum nimis siccantur ossa, callus ægre prouenit. Expedit igitur ita resiccatis ossibis, tertio vel quarto die mediocri quantitate calidam aquam infundere: hanc metam finiendæ perfusionis habentes, quum carnes in rubrum tumorem attolluntur. Atque in iis quidem priusquam subsidere incipiant, desistendum est. Contra vbi discuti quid volumus, non prius est desistendum, quam quę ex perfusione intumuit, subsidat. Si vero humiditas abundantior calli generationem impediat, ibi hanc siccare conuenienti deligatura & perfusione aquæ, quæ vel minima omnino sit, vel plurima conabimur. Quippe minima quum prius desistat, quam aliquid confluat, & qui in superficie sunt humores per halitum digerit, & qui in alto sunt modice liquat. Expedit autem ita solui liquarique ea, quæ per deligaturam sunt expellenda.

Calli generatio.

Callus quibus notis generari deprehenditur.

Victus callo gignẽdo aptus.

A lenda. Plurima vero perfusio plus discutit, quam attrahit: atque ita commodat superfluæ humiditati. De cibo, adeoq; victus ratione, iam supra est dictum. Ex medicamentis vero quæcunq; emplasticam substantiam habent, cuiusmodi est emplastrum, quod ex pice conficitur, ac modice calefaciunt, ea callos tum promouent, tum vero augent. Alimentum enim copiosius in locum perfractum attrahunt, sicuti & moderatæ aquæ temperatæ perfusiones, & idoneæ frictiones. Quæ vero discutiendi vim obtinent medicamenta, ea callos maiores iam factos imminuunt. Si vero nec augere callum, nec minuere studes, sed eo sicut vltro prouenit es contentus: medicamento aliquo enhæmo, id est, quæ cruentis vulneribus adhibentur, vtere: quæ quum modice siccent, etiam coagulari ac concrescere mediocriter callum faciunt. Quum recens adhuc callus est, medicamentis valde adstringentibus, Paulus vtendum esse censet, cõpressamque admodum deligationem adhibendam, lamina plumbea etiam interdum imposita. Hæc enim calli excrescentiam mire reprimit, ac imminuit. Huic rei efficaciter quoq; subuenit, *Celso teste*, multa leuisque ex oleo; & sale, & nitro, membri perfrictio, plurimusque ex aqua salsa fotus. Posthæc malagma, quod discutiat imponendum, adstrictiusque alligandum esse admonet: imo vero oleribus, & præterea vomitu vtendum. Siquidem per hæc vt existimat, cum carne callus quoque extenuatur. Confert etiam eidem aliquid de sinapi, cum ficu, in alterum par membrum imponere, donec id paulum erodat, atque euocet materiam. Atque vbi is tumor extenuatus, & qui nimius supercreuerat callus ad mediocritatem redactus fuerit, rursus ad ordinem vitæ C reuertendum erit. At si lapideus solidusve callus, qui sic immodice increuit, euasit, aperta ibi cute derâdendus est: parsq; eius eminens scalpris, & terebris etiam, si res exigat, admotis, excidenda est. Ceterum solent aliquando in fracturis diuersa inter se ossa conferuere, & membra distorta callo firmari, difficultate functionum obeundarum haud exigua subsequente. Quod vbi contingit, & breuius membrum, & indecorum fit, & si capita acutiora sunt, assiduæ punctiones sentiuntur. Ergo vbi perfracta ossa sic conferbuerunt, & perperam ferruminata sunt, si tener saltem adhuc callus est, & non vltra sex menses radices egerit, frangere rursus, & dirigere ea oportet. Id autem hoc fit modo. Calida aqua multa, vel decocto aliquo emolliente diebus aliquot id membrum fouetur; & ex cerato liquido perfricatur, aut emplastro ex althæa, vel cataplasD mate ex caricis pinguibus, alijsque medicamentis callum soluentibus contegitur. Deinde facta sufficienti emollitione, modo quem supra exposuimus a ministris duobus intenditur: & interea Medicus pertractans ossa, vt callo adhuc tenero exsistente, manibus ea diducit, compellitque id quod eminet in suam sedem. Et si parum valuit ab ea parte, in qua os se inclinat, inuolutam lana regulam obiicit, atq; ita deligando assuescere iterum vetustæ sedi cogit. Nostræ ætatis chirurgi male ferruminatum os, in fractura non admodum diuturna, diebus plus minus quindecim primum emolliunt. Deinde id in diuersa extendi iubent: & genu vehementer impulso, iterum frangunt: quod tamen vetustiores Medici non probarunt. Mox fracti ossis fines ad amussim secum coaptant, ac, vt supra exposuimus, curant. Si vero perperam ferruminatum E os vetustas iam occupauit, ac callus vehementer obduruit, satius est manum illi non admoliri. Quicunque enim id rursus frangere aggressi sunt, post vehementes cruciatus in extrema discrimina laborantes adduxerunt, adeo vt pauci admodum eorum qui hoc tormenti genus perpessi sunt, mortem euaserit. Quocirca melius est, eum qui sic laborat, claudicantem aliquot adhuc annis superstitem fore, quam post talem tantumque cruciatum miserrime inter manus crudelis chirurgi occumbere. Quod si tamen laborans, & qui illi assident amici, importunis precibus te compellant, vt ossis eiusmodi male ferruminati, & cuius callus iam obduruit ac inueterauit, curationẽ suscipias, in angusto spem esse vbi coram illis præfatus fueris, opus aggreditor. Summam igitur cutem, & carnem callo superiacentem rasorio cultro aut scalpello dextre F ac prudenter secato, magna cura habita, ne nerui musculive lædantur: deinde ossium quæ non recte coaluerunt glutinationem excisoriis scalpris dissoluito, mox vero eorum sic diductorum fines secum ad amussim coaptato, ita vt pristinam vnionem quoad licebit, imitentur. Demum cetera fiant quæ supra scripsimus. Ceterum fracturæ quædam supra definitum naturæ tempus sine callo interdum permanent: quod ob

Male ferruminati ossis curatio, de sententia recentiorum chirurgorum.

Cur fracturæ diu sine callo interdum permaneant.

varias caussas solet accidere, nempe vel ob assiduas solutiones, vel ob immodicas superfusiones, vel ob intempestiuum motum, vel ex fasciarum multitudine: nonnunquam etiam quia totum corpus non sufficienter alitur, quo in casu membrum quoq; ipsum gracilius euadit. Oportet igitur cum aliis, tum præcipue maciei corporis occurrere: quod commode fiet, si vel calidis admotis materiam ad membrum perfractum euocemus, vel alimentum copiosius subministremus, & balnea reliquasque animi voluptates adhibeamus. Porro eorum, quę iam callo firmantur, indicio esse cum alia, tum illud præcipue potest, si fasciolæ cruentæ conspiciuntur, nullo in parte oborto vulnere. Quod ideo fortasse accidit, quoniam calli dum coit substantia, in ossium cauernosos meatus perrumpens, sanguinis guttas aliquot inde extrudit, exprimitq;. A

Fasciolæ cur cruentę conspiciuntur.

Atq; hæc de pori generatione dicta sufficiant. Postremum vero, vt symptomatum quę fracturam sequuntur correctionem subiiciamus necesse est. Hæc autem fere sunt, dolor, phlegmone, pruritus, vulnus, & gangræna. Si dolor aut phlegmone adsit, deligationem, si iam facta est, statim soluito, & lanam, oleum, & acetum, congruaq; id genus alia auxilia parti dolenti, atque phlegmone occupatæ admoueto. Sed neq; priusquam hæc sedata fuerint, vel deligaturam adhibeto, vel ferulas circumponito, nisi duntaxat eatenus vt membrum fulciant, & vt impositum medicamentum contineant: hoc est, laxe admodum. Si noxius pruritus accidit, & erosa a saniei acrimonia cute exulceratio concitatur, aquæ temperatæ tantum superinfundere oportet, quãtum ad euocandam eiusmodi saniem est satis. Hoc quidem Hippocratis & Galeni cõsilium fuit. Recentiores autem chirurgi aquam salsam infundi præcipiunt, aut albo vnguento, vel eo quod vocant vulgo *populeum*, membrum illini, & deligari. Quum ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit, siue statim ab initio id factum sit, siue postea a chirurgo inductum, vt ossium fragmenta, & ea præsertim quæ pungunt, eximãtur, siquidem sanguis profundatur, hunc prius aptis remediis sistito. Si phlegmone oriatur, præsidiis ad eam efficacibus vtitor. Si carnes contusæ sint, partem laborantem, vt gangrænæ periculum euitetur, scarificato. Quod si gangræna quoq; ipsa, aut alia quæpiam serpens putredo iam occupauit, conuenienter occurrito. At si nihil horum adfuerit, neq; magna ossis pars nudata sit, hamulis suturisque vsi, his medicamentis, quæ cruentis imponuntur, medebimur, prius tamen fragmentis ossium euulsis. Ceterum deligatio fracturæ eiusmodi cum vulnere factæ, hoc modo adhibenda erit. Orbiculares fasciæ partibus vulneris vtrobiq; hoc est, ab vtraq; vlceris parte, iniici debent: oblique vero supra ipsum vulnus in longitudinem collocandæ sunt, sic vt decussim ad literæ X similitudinem, iuxta hiatũ occlusio ex omnibus fiat. Hippocrates tamen a prima statim circumuolutione, fascia latiore totum vlcus cõprehendit, ita vt nulla eius pars nuda relinquatur. Itaq; si sordidum adhuc vulnus est, expurgantia medicamenta, quãdo opus est, impones. Si purum, carnẽ producentia, linteolis illita, aliamq; vsu comprobatam materiam adhibebis. Hippocrates tamen statim ab initio picatum ceratum, q ceram in rosaceo, aut oleo colliquatam, & picis siccæ aliquantulum assumit, supra vulnus in linteolis adhibet. At Galeno auctore, vtilius a tertio die, quũ ea, quæ in vlcere sunt, concoquat, adhibetur. Si æstiuum tẽpus est, *Hippocrate attestante*, splenia vino frequenter sunt irrigãda: sin hyemale, lanæ multæ succidæ ex vino & oleo superimponendæ sunt. Lanarũ namque superpositione, & olei commistione refrigerationis vehemẽtia, quæ in huiusmodi affectibus conuulsionis periculum interdum affert, obtunditur. Vino autẽ madefactæ plagulæ, ob vinũ reprimendi vim obtinent. Ceterum vbi purgata vlcera fuerint, aliqui ferulas iniiciunt, aliqui vero etiam ab initio ipsas accommodant, vlceris locũ euitantes, & prout necessitas ac vsus tulerit, ipsas modo constringunt, modo remittunt. Sed hæc curandi ratio Hippocrati non probatur. Hic enim pluribus tantum & latioribus fasciis, ferulas, ne videlicet comprimendo lædant, similiter & omnino canales reiiciens, deligaturam in eiusmodi fractura quæ cum vulnere incidit, fieri iubet, laxius scilicet, quam si ea plago non esset, ita vt affulcitæ quidem, non compressæ tamen fasciæ ipsæ esse videantur. Ita namque numero fasciarum efficietur, vt laxæ quoque æque contineant. Ac satius quidem est sæpius circuire, quam astringi. Sed & in eas fascias multiplices ingerendum subinde oleum est calidum, & vinum: magisq; vbi cum vulnere fractura a principio incidit, exquisitiore victu vtendum, vulnus calida aqua fouen-

Symptomatum correctio. B

Doloris.

Pruritus.

Vulneris. C

D

E

F

A fouendum, frigusque omni ratione vitandum, & transeundum ad medicamenta quæ puri mouendo sunt idonea, maiorque vulneris quam ossis ratio habenda. Quod autem ad ferularum rationem attinet, sic statuendum erit. Quum fractura cum vulnere interdum in longitudinem membri contingit, tunc ex vtraque vulneris parte ferulas etiam ab ipso curationis principio circumdare licitum esto. Quum vero transuersum vulnus euasit, idque si maius sit, ferulas statim ne imponito. At si squamula aliqua ex osse resoluitur: id quod ex eo colligi potest, quod & copiosior, & tenuior humor profluit, & caro circa vulnus laxa & mollis effecta intumescit: deligatura laxiore vtendum est, ne scilicet pus intercludatur, sed effluere facile queat: frequentiusque, *vt consuluit Hippocrates*, religandum, quoad os recesserit, ferulæque nequaquam apponendæ. Vbi B vero vel hamulo, vel quopiam alio eiusmodi instrumento squamam euulseris, deligatura iterum validiore membrum adstringendum. Præterea per totum id quo vulnus curatur tempus, medicamentum aliquod ex iis quæ phlegmonem arcent, linamentum continens vulneri incumbet: & simplices fasciæ iniicientur, quæ singulis curationibus resoluentur; quum aliæ supra dictæ remaneant. Inter hæc autem si quod paruum fragmentum ossis eminet, id si retusum est, in suam sedem reducendum: sin acutum, ante acumen eius longius est præcidendum: si breuius, lauandũ, & vtrinq; scalpro limandum, tum ipsum recondendum est: ac si id manus facere non potest, vulsella, quali fabri vtuntur, iniicienda est; recte se habendi capiti ab ea parte, qua sima est: vt ea parte, qua gibba est, eminens os in suam compellat sedem. Si id maius est, & C membranulis fragmenta cinguntur, sinere oportet ea sub medicamentis resolui, idq; os, vbi nudatum est, abscindere: quod maturius faciendum est, potestque ea ratione & os coire, & vulnus sanescere. Nonnunquam etiam in magno vulnere euenit, vt fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum ceteris coeant. Quod hinc quoque ex modo fluentis humoris colligitur, quo magis necessarium est sæpius vulnus soluere, atque nutrire. Sequitur vero vt id os per se post aliquot dies excidat, quum tam misera antea conditio vulneris sit, tamen id interdum maius diutiusq; facies. Sępe enim integra cutis osse abrumpitur, protinusq; prurigo & dolor oritur. Quæ soluere, si accidit, maturius oportet, & fouere aqua per æstatem frigida, per hyemem egelida; deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibusdam velut aculeis carnem D vexat: quo a prurigine & punctionibus cognito, aperire id melius, eosque aculeos pręcidere necesse habet. Reliqua vero curatio in vtroque hoc casu eadem est, quæ vbi ictus protinus intulit puro iam vulnere, *vt copiosius Celsus lib. 8. cap. 10. prosequitur*. Ac de transuersis quidem fracturis hæc satisfaciant. De longis vero, quæ non tam crebro cõtingunt, reliqua omnia ad eundem se habent modum: ceterum comprimendæ hæ magis, *Galeno lib. 6. Ther. method. cap. 5. attestante*, in ipso fracturæ loco sunt: tum quod recessit, retrudendum introrsus est. Ac de fractis quidem ossibus hactenus in vniuersum dictum sit. De particularibus autem fracturis *caluariæ, narium, aurium, maxillarum, clauicularum, costarum, spinæ dorsi, humeri, brachii, femoris, crurum, & digitorum*, vt aliquid subiiciamus, non esse necessarium iudicamus, quandoquidem harum omnium curationes E Paulus *in sexto, a capite 90. vsq; ad 111. & Celsus lib. 8. a capite 4. vsq; ad 11.* compendiose admodum tradiderint, adeoq; nostram hac in re operam anteuerterint. Ad luxationes itaq; progrediemur.

Ferulæ quãdo in fractura cum vulnere adhibendæ.

Fracturarũ in longitudine curatio.

De luxationibus in vniuersum. Cap. II.

QVVM luxationes fracturis proximæ sint, ordinis ratio expostulare videtur, vt de iis generatim nunc disseramus. Est autem luxatio, *articuli e natiuo positu, seu proprio sinu in alienam atque insolitam sedem prolapsus, quo voluntarius impeditur motus*. Græcis ἐξάρθρημα vocatur. Huius vero, *vt Paulus lib. 6. cap. 111. testatur*, nullæ aliæ differentiæ habentur, præter eam quæ ex maioris minorisq; ratione sumitur. Quum enim articulus sua sede in totum exciderit, communi generis vocabulo Græcis ἐξάρθρημα dicitur. Si autem F e compagibus suis paululum duntaxat emotus est, aut vsque ad sinus supercilium prolapsus, Græcis παράρθρημα, nobis *subluxatio*, nominatur. Hoc fere innuere etiam videtur Celsus, quum *lib. 8. cap. 11.* inquit, ossa duobus modis suis sedibus moueri. Nam modo quæ iuncta sunt inter se duntaxat dehiscunt, vt quum latum scapularum os ab humero recedit, & in brachio radius a cubito, vel potius vlna, & in crure tibia a sura, vel fi-

Luxatio quid.

Differentiæ.

ἐξάρθρημα. παράρθρημα.

bula, atque etiam interdum saltu calcis os a talo, quod raro tamen fit. Modo articuli suis sedibus excidunt. Vertebræ namq; & articuli propemodum omnes, tametsi validis ligamentis comprehendantur, sæpius tamen suis sedibus elapsi decidunt: aut vi scilicet expulsi, aut aliquo casu nerueis ligamentis vel ruptis, vel infirmatis, faciliusq; in pueris & adolescentulis, quam in robustioribus. Itaq; modus posterior, exarthrema: prior vero quo tantum ossa dehiscunt, & suis ex toto sinibus haudquaquam prolabūtur, pararthrema appellatur. Præter has tamen posterioris ætatis Medici & chirurgi multas alias excogitarunt, quæ reuera differentiæ non sunt, sed potius quidam præter naturam affectus, aut horum symptomata. Caussæ luxatorum ossium, & a sua sede motorum quædam sunt extrinsecus ingruentes, vt casus, percussio, violenta & incongrua membri alicuius extensio, aut distorsio. Quædam vero intrinsecus eueniunt, vt cum mucosus aliquis & pituitosus humor in articulis aceruatur, qui articulationis ligamēta primum madefacit, deinde laxiora reddit, & tandem ob eius multitudinem sua sede os ipsum protrudit. Luxatio deprehenditur mala partis laborantis compositione: in ea quippe tumor præter naturam ea parte qua os prorumpit, & sinus insolitus ea qua recessit, manifesta apparent. Item a dolore, quo luxationem sequitur, & a motus laborantis partis difficultate, aut priuatione. Ceterum vna communis omnium luxationum curandi indicatio est, nempe luxati articuli, & suo loco moti in propriam & naturalem sedem reductio. Quod vt consequamur, luxatum membrum decenter extendendum est, adeoque id os, quod suo loco excidit, ab ea parte, in quam prolapsum est, in contrariam partem impellere oportet, atq; in germanum suum sinum reducere, vt sinus seu insolita cauitatis vacuitas impleatur. Non est vna eademque in omnibus extendendi ratio, sed alia atq; alia, pro natura scilicet luxatæ partis, proutq; nerui ac tendines valent, aut ossa huc illucve sederunt. Modo enim manibus solis, modo habenis ac funibus iniectis, *vt 1. libro expositum est*, vtendum: modo vero quædam alia machinamenta, quale est *glossocomon*, adhibenda sunt, vt *ex libris De fractis & luxatis Hippocratis discere licebit*. Glossocomi vero hæc est effigies.

Caussæ. Signa. Curatio.

Galenus *libro 7. De vsu par. Et in secundum Hippoc. de fracturis librum com. 64.* huius instrumenti descriptionem tradit.

Tam ad femur, quam ad tibiam fractam.



Posthæc

A Posthæc membrum quod excidit, & iam repositum est, vt non amplius deinceps sua sede prolabatur, sed inibi continenter persistat, curandum. Repositus igitur articulus modis omnib. statim firmandus ac roborãdus est. Firmabitur aũt optime, si rosaceo perlinatur, ac postea pãnus aliquis lineus gracilis, vetus, & leuis rosaceo delibutus, ipsi applicetur. Deinde si stupæ leues, & panni multiplices ouorum cãdido imbuti superaccommodentur, & postremo si fasciis posca madentibus pro ratione particulæ longis latisq; subligetur. Quinetiã ferulæ ex corio, aut densa papyro factæ, si necessitas postulet, circumdãdę sunt. Cauenda vero semper est vehemẽtior adstrictio, ne phlegmone moueat. Quibus rite apparatis, membrũ in figura ei maxime naturali, atq; a dolore alienissima, ad quietem reponendum est. Nec vero ante diem septimũ, aut etiam B decimum, si nullũ symptoma prauum accesserit, ipsum soluere oportet, sed ita sinere. Nihil vero incõmodaueris, si dum legitimo tempore soluitur, & secundo curatur aqua modice calida foueris. Hic enim fotus tunc gemina ratione ꝓdest. Nam & dolorem, si quis adsit, demulcet: & quod in laborante particula noxium cõceptum est, discutit. Vbi aũt ita vt res exigit, luxatum membrũ foueris, mox huic emplastrum adhibebis, ꝗ constet *polline, id est, farina volatili, puluere rubro communiter appellato, & albo oui, in vnũ corpus redactis.* Posthæc vero membrum strictus deligandum erit. Ad eundem quoq; modum vetus omnis luxatio, & quæ spatio temporis callo iam obduruit, nõ modo fotum eiusmodi aquæ simplicis calidæ, qui in hac re plurimum confert, anteq̃ reducatur, desiderat: sed et eum qui fit ex decocto *maluæ, altheæ, fœnograeci, atq; id genus aliorum,* ꝗ scil. C molliat, laxet, discutiat, & membrum extensioni aptius efficiat. Recentes vero luxationes, & quæ nuper inciderunt, eius naturæ fotus tanquam sibi haud parum incommodantes auersantur & respuunt. Hi enim calefaciendo ac humectando relaxant, & dissoluunt, vnde pars ipsa afflicta imbecillior redditur, & ad recipiendã fluxionẽ pronior. Proinde & phlegmoni opportuna efficitur, & luxati membri sinus superflua humiditate oppletur. Hinc consequitur, vt articulus in natiuo suo sinu diu persistere nequeat, sed lubricus ac subterfugiens delabatur. Neq; etiam panni impense calidi mẽbro recenter luxato admoueri debent, ne videl. fluxionem euocent, & phlegmonem eo loci excitent. Quin potius eos cerato refrigeratorio, aut vino aliquo austero imbutos adhibere conuenit. Ceterum luxato membro, ita vt dictum est, in suam sedem D reducto, firmatoq;, & ad quietem conuenientem figura qua decet reposito, ipsum a dolore & phlegmone vindicandum est. Quod si consequi studueris, humorum in partem laborantem influxum modis omnibus prohibebis. Si enim fluxione tentetur, & dolorẽ statim persentiscet, & phlegmonem experietur. Quæ duo incommoda tum in luxatis, tum etiam fractis maxime vitanda sunt. Hæc autem deuitabis, si quæ roborãt & repellunt luxatæ parti apposueris. Si præterea tenuem ab initio probamq; victus rationem ægro imperaueris illiq; venam, si nihil ꝓhibeat, secueris: & aluum, si opus est, purgante medicamento subduxeris. Vtroq; enim auxilii genere fluxionem a laborante particula auertimus. Verum enimuero, si anteq̃ curationẽ auspiceris, luxata pars iam dolore infestetur, aut phlegmone occupetur, nõ prius eã in locum suum, a E quo excidit, reponere tentabis, q̃ dolor finitus fuerit, & phlegmone cõquieuerit. Si .n. mẽbrum dolore aut phlegmone affectũ, distendẽdo lacessiueris, periculum est, ne cõuulsio, aut aliud prauum symptoma suscitetur. Proinde quicquid suo motum est loco, ante phlegmonem reponendum est, *vt recte de Hippocratis sententia Celsus lib. 8. cap. 11. præcipit.* Si vero illa occupauit, tum conquiescat, haudquaquã enim lacessendum est. Vbi finita est, tentandum est in his membris, quæ id patiuntur. Oportet autem phlegmonem ipsam atq; dolorem leuare succida lana ex aqua & oleo moderate calido, acetiq; momento, superinposita. Si vero febris etiam accessit, & ossa quæ suis locis mota sunt, validis plenisq; musculis & tendonibus contineantur, curiosius omnia facienda sunt: sed maxime quæ ad victus rationem, venæ sectionem, & purgationem attinent. Porro F sedato dolore, & finita omnino phlegmone, pleniore victu laborans refici potest, cibisq; vti bonis, ac vino modice. Ac sub finem quidem curationis, si e sententia res cesserit, luxatum membrum perfusione decocti rosarum, absinthii, & musci albi quercini roborabis. Peracto fotu, oxyceroceum imponi potest. Sed tum ad vsus quoque suos, id membrum sensim ac suauiter promouere oportet. Motus enim, vt in dolore atque

Aquæ calidæ fotus cõmoda.

Puluis ruber.

Luxatio cū vulnere.

phlegmone, noxius, sic alias luxato, præsertim iam obfirmato, saluberrimus. Ceterum A si luxatis ossibus vulnus quoq; accessit, multa diligentia, ac etiam prudentia est opus. Dum enim hæc reponuntur, ingens periculum, nonnunquam etiam mortem inferunt. Nam quum ex distensione adiacentes nerui & musculi inflammantur, dolores validi, conuulsiones, & acutæ febres oboriuntur, atq; hoc præsertim in gibbero, genu, superioribusque articulis magis. Quanto enim principalibus membris luxati cum vulnere articuli viciniores sunt, tāto maior timor est. Sed eo quoq; grauius periculum concitatur, quo maius membrum est, quove validioribus neruis aut musculis continetur. Ideoq; humeris femoribusq; metus mortis est. Ac si reposita ossa sunt, spes, *ait Celsus*, nulla est. Non repositis tamen, nonnullum periculum est. Eoq; maior in vtroq; timor est, quo propius vulnus articulo est. Eam ob rem Hippocrates *in libro De luxatorum fractorumve ossium coaptatione*, horum repositionem, valentioremque deligaturam omnino auersatur, soliusque phlegmonem abigentibus, & mitigantibus præsidiis per initia vti iubet. Sic enim, inquit, *ipsis superesse licebit*. Itaq; nihil tuto reponi posse præter digitos, plantas, & manus dixit: atq; in his quoque diligenter esse agendum, ne præcipitent. Verum ne digitus quidem, in quo minimum vt malum, sic etiam periculum est, reponi debet, nisi ante phlegmonem, aut postea quū iam vetus est res. Porro quod ipse in solis digitis faciendum consulit, id nos in reliquis quoque articulis facere aggrediemur, ac statim quidem inter initia dum pars adhuc phlegmone vacat, prolapsum cum vulnere articulum mediocri intensione (validam enim citra periculum perferre non potest) reponere tentabimus. Quod si iuxta animi institutum euenerit, C in sola ratione, quæ phlegmonem arcet, persistemus. Si vero phlegmone aliqua, aut conuulsio, aut quippiam ex supradictis reposito osse acciderit, rursus id, si modo sine vlla vi potest, suo loco protinus expellendum est. At si hoc quoque discrimen metuamus, (non enim phlegmone laborans articulus sine vi fortasse cedet, & sua sede iterum propelletur) satius fuerit per initia in maioribus quidem membris, vt femoribus & humeris, supersedere, ac repositionem differre. Vbi vero phlegmone quieuerit, id autem fit communiter post septimum nonumve diem, præfati etiam periculum apud necessarios ægrotantis, quod ex repositione futurum sit, tum quod si non reponatur debilem ea parte hominem & claudum prorsus fore, conabimur tuto & sine vlla violentia, os in suam compellere sedem. Vlceris vero curationem eandem quæ proposita est in fracturis cum vlcere, administrabimus. Omne præterea membrum, quod cum vulnere loco motum, neq; repositum est, sic, *Hippocrate & Celso auctoribus*, iacere conuenit, vt maxime cubantem iuuat: tantum ne moueatur, neve dependeat. Quod si luxatio cum fractura, sine tamen vulnere, euenerit, communi ratione membrum extendendum est, ac manibus conformandum: *vt in simplicibus fracturis superiore capite docuimus*. Si vero etiam vulnus accedit, rursus ab iis quæ de fracturis cum vulnere, & luxationibus etiam cum exulceratione incidentibus, priuatim a nobis dicta sunt, congrua repetenda curatio est. Sed, vt vno verbo singula complectamur, si cum fractura luxatio incidit, hæc primum, si fieri potest, illa vero secundo curanda erit. At si ante fracturæ administrationem luxatum commode reduci non possit, fracturam ipsam E primum curabimus: deinde cum fractura callo iam obfirmata fuerit, luxationis curationem aggrediemur. Quod si luxatio inueterauerit, & ob temporis spacium callosa inibi durities contracta fuerit, ea decocto maluæ & altheæ perfundenda est, deinde vnguento dialtheæ vocato illinenda. Posthæc emplastrum quod *diachylon magnum* nominatur, superimponendum erit: vel eius loco, lana succida, viscillagine quapiam emolliente delibuta. Ad hoc etiam efficax habetur, *cortex radicis altheæ in aqua decoctus, & cum axungia, vel anserino pingui subactus*, vt quasi malagmatis lentor contrahatur. Loco itaq; sub his sufficienter emollito, luxatum in suam sedem reducendum est. Et de luxatis quidem hactenus in vniuersum dictum sit. De particularibus enim fracturis cōpendiose scripserunt Paulus *in sexto, a capite 112. vsq; ad finem libri:* & Celsus *in octauo, a cap. 11. vsq; in libri illius finem*. Ad eos itaq; auctores lectorem ablegamus. F

Luxatio cū fractura.

Libri VIII. de fracturis & luxatis, Finis.

A

LEONHARTI FVCHSII PARADOXORVM MEDICINÆ LIBER PRIMVS.

Procemium.

NEMO est, qui nesciat, eum minime bonum artificem esse posse, qui sua instrumenta ignorauerit. Proinde haud conueniet, fabrum lignarium, aut serram, aut asciam ignorare: quemadmodum nec sutorem subulam, aut sarctorem forficem. Quod si itaq; in manuariis illis artibus, omnes eum ridendum esse putant artificem, qui artis eius, cuius se peritum esse iactat, materiam non satis perspectam habuerit: quanto magis ridendi erunt hi, qui hodie Medicos sese esse profitentur, quum tamē medicæ materiæ, quæ illis in persanandis ægris instrumenti vice esse debet, prorsus ignari sint? Qui enim probe mederi possent, quibus auxiliorum materia penitus, vel magna ex parte, incognita exsistit? Quomodo autem non incognita esset, quum ferme nemo Medicorum nostra tempestate sit, qui simplicium medicamentorum cognitionem Seplasiariis illis, hominibus rudibus & ἀναλφαβήτοις pene, non committat? Indignum enim existimant esse Medico, eiusmodi rebus operam nauare: quasi cuiusque simplicis medicaminis nosse effigiem, non Medicorum, sed pharmacopolarum munus sit. Ipsi interim in scholis magna pompa desides manent, de lana caprina disceptantes, & inanibus disputatiunculis tempus temere terentes, nec vel semel tantum cogitant, quo pacto veteres imitentur, qui haud quaquam aspernati sunt altissimos perreptare montes, densissimas peragrare sylvas, longinquas terræ regiones petere, ad intima etiam terræ viscera penetrare, quo exactam medicæ materiæ notitiam assequerentur. Sic Dioscoridem, vt ipsemet in primi libri sui prologo testatur, ob inge ac indefessum materiæ medices cognoscendæ a prima iuuenta studium per multos remotissimos mundi tractus peragrasse constat. Ita & Galenum ob vnius terræ Lemniæ veram cognitionem in Lemnum enauigare non piguit. Nostri itaque temporis Medici curam omnem & studium lucri caussa instituentes, atque hunc tantum sibi rerum agendarum scopum proponentes, vt breui efficiantur diuites, laborem quam in materia medica exacte cognoscenda veteres adhibuerunt, plane inutilem esse censent, vt quibus abunde a Seplasiariis remediorum copia suppetet, quum tamen vix vna aut altera planta qua vtuntur, genuina sit, adeoque de his nihil apud illos nisi nomen supersit. Verum esse quod dicimus multæ hodie plantæ ostendere possunt: potissimum autem Endiuia, Bedeguar, Eupatorium & aliæ quædam. Nam quisque pene peculiarem habet herbam, quam ignaris Medicis pro vera Endiuia, Spina alba, aut Eupatorio vendat. Neque mirum admodum inter se dissentire Seplasiarios, vt qui nullam aliam herbarum notitiam, quam eam quæ a stolidissimis mulierculis tradita est, habeant, a quibus certe, vtpote indoctis & deliris, boni nihil expectare possunt, vt quæ errorem potius errore cumulent. Quum itaque vita hominum hodie plane Seplasiariorum manibus concredita sit, nihil mirum est, si multo plus periculi sit a medicamento, quam a morbo. Vtcunque vero medicæ materiæ nostri seculi Medici ignari sint, falsisque & adulteratis pro veris & genuinis vtantur, adhuc tamen illis se, haud secus quam olim Æsculapius Tyndaridam, quamplurimos ad vitam reuocare, si diis placet, & regiam Plutonis, quod olim de Galeno dictum est, depopulari credunt. Quantum autem fallantur primus hic Paradoxorum liber satis monstrabit, vt qui illorum in materia medica errata non tantum indicabit, sed & optimorum auctorum scriptis, adde etiam rationibus firmissimis, funditus explodet, ita & nihil sit quod posthac in erroris defensionem prætexere queant. Proinde veritatis amore flagrantes hortor, quo singula hæc nostra candido animo expendant, quando nihil sit in iis quod non in horum commodum produxerimus, discantque veterum (oro) potius in exacte perscrutanda medica materia sectari studium & diligentiam, quam nostræ ætatis Medicorum inertiam, vt qui nullum plane sibi cum herbis, aliisque medicamentis simplicibus negotium habendum esse censeant, sed eo omnibus neruis tendunt, quo multis commessationibus, assentationibus & id genus scurrilitatibus, familiares fiant, atq; adeo plus pecuniarum emungere possint.

B C D E (margin letters)

Boni artificis est, vt suæ artis instrumēta cognita habeat.

Nostri temporis medici simpliciū cognitionē Seplasiariis cōmittunt.

Dioscoridis cognoscendæ medicæ materiæ studium.

Seplasiarii quā herbarū notitiā habeant.

Aloen per se ora venarum non aperire, neque sanguinem ciere, quemadmodum multi Serapionis, Mesuesq; peruerso dogmate seducti opinantur: sed eadem potius occludere, atq; sanguinem vndecunq; fluentem sistere.

F

CAP. I.

NE hæc paradoxorum tractatio nulla via ac ratione procedat, atq; adeo confusionem quandam pariat, semper hunc dicendi ordinē obseruare conabimur. Primū verba eorū qui errādi occasionē nostræ ætatis Medicis dederūt, bona fide, nihilq; illo-

Ordo tractandi Paradoxa.

rum immutatis verbis recitabimus: idq; ideo, ne quis data opera illa deprauasse, & secus quam illi scripserint retulisse nos dicere queat. Deinceps veterũ, Hippocratis & A
Galeni potissimum, aliorumq; optimorum autorum scriptis, ac locorũ collatione, horum sententiã falsam esse demonstrabimus. Neq; n. in medicina, omniq; alio disciplinarum genere, aliunde certius, quã ex autorum locorumq; collatione, ac diligenti illorum obseruatione, veritas indagari potest. quod ita inter se passim collatis locis, non tantum quid vere senserint auctores certo sciatur, sed etiãsi perperam quædam ab Arabibus in libros suos digesta sint, ea ex Hippocratis, Galeni, Dioscoridisq; collatione possint corrigi. Cũ itaq; ex accurata auctorũ, locorũq; qui in iis sunt collatione, veritas optime rimetur: summo studio & nos curauim⁹, vt id quod præter vulgi ac Arabũ, eosq; sequentiũ opinionẽ adstruximus, multorum probatissimorum scriptorũ collatione ratum ac firmum faceremus. Post hac ratione quoq;, si ita necessitas tulerit, addita, B
quod sentimus roborabimus. Postremum ad Montui annotationes, si quas habet, obiter diluendas, sermonẽ conuertemus. Quod itaq; ad præsens hoc paradoxon attinet, animaduertendũ Serapionem palã ausum fuisse docere *Aloen ora venarum aperire*, etsi diuersum omnes veterum libri clament. Neq; mirum herbarium illum rudem, qui ne tot quidem plantarũ, quot ad modicã saltem cœnã satis esse possent, notitiam habuit, tam absurda docere, quando haud secus de illis quã, vt dici solet: cæcus de colore iudicet. Perpetuo n. eorum, ex quib. sua transcripsit sententiã sectatur. Non est tamẽ, quod ob id prorsus abiiciendum esse illum censeã. Quum n. complura ex Dioscoride & Galeno ad verbum descripserit, hoc saltem nomine retinendus erit, vt interdũ in locis C
dubiis & iniuria temporis corruptis ad ipsum recurrere, & veræ lectionis vestigia in eo intueri liceat. Verba vero eius, quib. falsam suã inculcat sententiam, habentur *in c. 201.* operis sui *de medicamentis simplicib.* inscripti, vbi ex Pauli Aeginetæ, si Diis placet, sententia ita scribit: *Aloe aperit ora venarũ, quæ in ano sunt.* Quam n. iniurius fuerit Paulo, qui ne per somniũ quidem idipsum cogitauit, facile constat iis, qui diligenter eius scripta excusserunt, quando euidentissimum sit, ꝑ totum illius librum nihil tale de Aloe scriptũ esse. Vnde discant velim studiosi, Arabib. in citandis Græcis parum fidei adhibendum esse, ꝙ nonnunquã illis tribuant, quæ scripsisse nusquã cõperimus. Id autem cur fecerint, hæc in primis ratio est, quod singula ex iis libris, qui e Græca in Arabicã linguam translati fuerunt, transcripserint, quos certe genuinum auctorum sensum, minime referre in confesso est, vt quibus multa præter Græcorum mentem per interpretes adiecta, multa etiam omissa sint. Verum quod asserimus esse deprehendet, qui vel vnam D
veterum librorum Galeni ad Glauconem versionẽ cum Græco & αὐτογράφῳ exemplari conferre voluerit. Proinde quum Arabum volumina e Græcis traducta multis additamentis referta sint, nihil mirum hoc loci a Serapione, vt qui non ex proprio fonte aquas hausit, sed alienis pastus est erroribus, Paulum perperam citatum. Ceterum Serapionem sequitur Mesue, omnia enim sua ex illo & Auicenna desumsit, ideoque iis veluti ducibus passim vtitur. Is enim *cap. 1. sui de simp. med.* libri inter cætera sic ait: *Aloe aperit orificia venarum, apertione sanguinem manare faciente.* Et paulo post: *Nocet hæmorrhoidibus & ano.* Falsos vero esse vtrosque experietur, qui dogma hoc erroneum, cum veterum sententiis de vi aloes proditis, contulerit: hi namque vno omnes ore aloen cõtrariam potius vim, adstringendi nimirum & hæmorrhoidas sistendi, habere affirmant. Diosc. siquidem *li. 3. c. 24.* ita de aloes facultatibus disserit: ἀλόη δύναμιν ἔχει στυπτικήν, καὶ μεθ' ὕδατος ψυχροῦ πινομένη αἵματος ἀναγωγὰς ἐπέχει, αἱμοῤῥαγίας τε ἵστησι τὰς ἐξ αἱμοῤῥοΐδων, hoc est, *Aloe vim habet adstringẽdi, & cũ aqua frigida pota sanguinis excreationes cohibet.* Gal. quoq; lib. *6. de med simp. fac.* haud aliter aloes vires depingit, inquiẽs ἀλόη ἐστὶ τὸ φάρμακον κόλπων κολλητικόν, ἰᾶται δὲ δυσεπουλώτων τῶν ἑλκῶν, καὶ μάλιστα τὰ καθ' ἕδραν τε καὶ αἰδοῖον, id est, *aloe medicamen est quod sinus glutinat: sanat vlcera, quæ ægre ad cicatricem duci possunt, & maxime, quæ in ano sunt & pudendo.* Et libro quinto *th. meth. c. 4.* E
vbi profluuii sanguinis curationẽ ex professo tractans, vim mirã in sistendo sanguine aloe inesse iis verbis indicat: ἄριστον ἁπάντων ὧν οἶδα φαρμάκων, ᾧ καὶ πρὸς τὰς ἐκ μηνίγγων αἱμοῤῥαγίας ἀσφαλέστερον χρῆσθαι, τὸ λεχθησόμενον ἐστι. λιβανωτοῦ τὸ μέρος ἓν, ἀλόης ἡμίσει μεμίχθω μέρει. κἄπειτα τῆς χρείας ἐπιστάσης, ᾠοῦ τῷ λευκῷ φυράσθω τοσοῦτον τὸ πλῆθος ὡς μελιτώδη σύστασιν ἔχειν, εἶτ' ἀναλαμβανέσθω τοῦτο λαγωαῖς θριξὶ ταῖς μαλακωτάταις, κἄπειτα τῷ ἀγγείῳ καὶ τῷ ἕλκει παντὶ πλεῖστον ἐπιτιθέσθω, hoc est: *Optimum omnium, quæ noui, medicamentorum, quo etiam ad cerebri membra narum sanguinis eruptiones tutissime vti licet, est quod nunc dicetur. Thuris pars vna aloes parti dimidiatæ misceatur, & deinceps quum vtendi tempus instat,* F

Collatio locorum ad intelligendos probe auctores mire vtilis.

Serapion rudis atq; herbarum imperitus.

Arabib. in citandis Græcis parum fidendum.

Arabum volumina e Græcis traducta multis additamentis referta.

Mesue Serapione veluti duce vtitur.

Aloes vis.

A *stat, tantum huius cum oui candido subigatur, vt mellis crassitudinem reddat, dehincque leporis mollissimis pilis excipiatur, & tum vasi ipsi, tum toti vlceri imponatur.* Quod sane medicamentum, vt obiter moneam, Auicen. quoque ipse *Fen.17.Can.3. capite 9.* in sistendis hæmorrhoidibus probat. A iam dictis, quicquid nugetur Serapion, non dissentit Paulus *lib.7.* ita scribens: *aloe inflammationem prohibet: vlcera quoq;, quæ ægre ad cicatricem perducuntur, sanat, præsertim quæ circa sedem & pudenda sunt.* Inter Latinos etiam omnium euidentissime Arabum de aloe sententiam explodit Plin. *lib.27.cap.4.* ita scribens: *aloe sanguinis excreationes si modicæ sint, drachmæ pondere ex aqua: sin minus, ex aceto pota sedat. Vulnerum quoque sanguinem, & vndecunque fluentem sistit per se, vel ex aceto. Alias etiam est vulneribus vtilissima, ad cicatricem perducens. Eadem inspergitur exulceratis genitalibus virorum, con-* B *dylomatis, rimisque sedis, alias ex vino, alias ex passo, alias sicca per se, vt exigit mitiganda curatio, aut coercenda. Hæmorrhoidum quoque abundantiam leniter sistit.* Subscribit prædictorum auctorum de vi aloes sententiæ inter Arabes princeps Auic. *cap.67.Can.2.* dum inter alia sic scribit: *aloe quando ponitur cum vino super hæmorrhoidas & rimas ani, tunc sanguinem ex eis manentem sistit.* Sanat quoque vlcera ani & virgæ cum vino illita: ita vt mirari satis non queam, qua impudentia ausus fuerit Montuus in Mesues sententiam pertrahere Auicennam, quum illi ex diametro pugnent. Sed solet hoc hominum genus perdite auctorum abuti testimoniis, quo fuco saltem aliquo suam inscitiam occultant. Hinc eadem impudentia Mosen illum Ægyptium citat, quasi suæ nonnihil faueat sententiæ, quum tamen *vigesimosecundo suorum Aphor. libro*, ne verbo quidem meminerit, alo- C en ano officere posse, sed contrarium potius, quod sc. sinus veteres, potissimum, qui in ano sunt, sanet, docuerit. Neq; Auenzoar, quod sciam, hanc quam Serapion ac Mesue tradunt, aloe facultatem inesse scribit. Quicquid tamen sit, ex iam dictis sole clarius fit errare vehementer, veterumq; placitis reclamare in vniuersum omnes, qui aloen per se ora venarum aperire, anoq; officere affirmant. Neq; obstat, quod interdum assumta aloe, sedis venas aperiri cernamus: id n. nō per se, sed ex accidenti, quia videl. acres humores, qui sua acrimonia ani venas aperiūt, facit: id quod & alia quædam medicamēta possunt, quēadmodum Gal. *lib.6.aphor. comm.47.* docet; vbi atra bile vexato homini ex acrium humorum purgatione sedis venas posse aperiri, his verbis monstrat: συνέβαινε δὲ τούτῳ διὰ τῆς καθάρσεως ἄμφω ταῦτα χρηστὰ, τό τε καθαίρεσθαι τὰ περιττὰ, καὶ τὸ τῇ δριμύτητι τῶν ἐκκενουμένων ἀναστομωθεῖσαν ἐπὶ D βραχὺ τὴν αἱμοῤῥοΐδα, συνεκκενῶσαι τι καὶ αὐτὴν αἵματος μοχθηροῦ. quod est: *Homini huic expurgatione ambo hæc optima eueniunt, quod scil. superuacua expurgantur, & quod ex acrimonia eorum, quæ excernuntur, paulatim aperitur os venæ, quā hæmorrhoidam vocant, vt & ipsa sanguinē vitiosum simul excernat.* Proinde perperā aloes virib. tribuunt Serap. & Mesue, quod acribus excrementis, idipsum sua acrimonia agentib. magis tribuendum erat. Sed obtrudet hic quispiā dogmatis Serap. assertor. *Si huiusmodi vis non magis Aloe adest, quā reliquis medicamentis acres humores purgantibus, qui factum est, vt Aloe potius quam alia eiusmodi medicamenta sedis venas aperire credita sit?* Respondeo cum Manardo nostro, nulla alia caussa hominum mentes occupasse hoc dogma, nisi quod frequentius Aloe, quam alio quouis purgatorio medicamento vtantur. Plerumque enim omnes, qui subducendæ alui, vel ventriculi ex- E purgandi gratia medicamento purgatorio opus habent, ad catapotia ex Aloe confecta, tanquam ad sacram anchoram confugiunt. Adeoque factum est, vt quod ab excrementis ab aloe motis fieri viderunt, id genuina quadam ac natiua malitia illius, & per se factum esse crediderint. Parum autem erat hoc credere, nisi & erroneum hoc dogma mundo libris editis patefacerent, ac pro vero obtruderent. Præterea neq; obest nostræ sententiæ Iacobi de Partib. cauillatio, quam hodie multi, tanquam aheneū quendam murū, ad tuendam falsam illorum sententiam arripiunt, qui adstringendi vim quidem Aloen habere fatetur, quum extrorsum admota fuerit: aperiendi vero venas, quum intro in corpus sumta fuerit. Nam statim a Dioscoride & Plinio exploditur, quorum vterque in potu etiam sumtam Aloen sanguinem profluentem compe- F scere tradunt. Et Plinius certe, vt penitus aduersariorum ora, ac elabendi passim vias obstrueret, vndecunque profluentem sanguinem sistere posse dixit. Ceterum iam ad Sebastiani Montui obiectiones diluendas accingamur: is enim errori Serapionis atque Mesues patrocinaturus, cæcam (ita enim vocat) proprietatem obiicit, quasi Aloe occulta quadā essentiæ ꝓprietate, & minime manifesta qualitate sedis venas rese-

Montui in citandis auctoribus impudētia.

Aloe ex accidenti vt alia quædā medicamēta, sedis venas aperit.

Cur aloen potius quā alia medicamenta sedis venas aperire creditā sit.

Iacobi de Partibus cauillatio diluitur.

Ad Montui obiectiones respondetur.

Aloe proprietate ea non aperit venas.

raret, alioque noceret, & hoc pacto sese omnem reprehensionem euitare posse arbitratur. Atqui fallitur, ἐν τῇ πάσῃ ὁδῷ ἀφαμαρτάνει, bonus ille senex: si enim Aloe insita quadam totius substantiæ proprietate venarum ora aperiret, tunc semper in catapotiis, aut alio quouis modo deuorata idipsũ efficeret: id quod tamen nemo sanæ mentis dicere potest, quum contrarium quotidiana experientia monstret. Quod vero semper quoties assumeretur sedis venas reseraret, ita colligi potest. Quemadmodum n. medicamenta purgantia substantiæ proprietate perpetuo humores sibi familiares attrahunt, *vt in sequentib. clarius docebimus*, verbi gratia *Scammonium bilem, Cnicus pituitam*: ita aloe nunquam non ob insitam sibi proprietatem venarum ora aperiret. Nam quum ipsius substantiæ aperire venas insitum sit, vt Montuus delirare videtur, fieri nequit, vt non perpetuo quoties sumta fuerit, hoc ipsum agat. Vel dicat diuersitatis rationem Montuus, & in suam nos pertrahet sententiam. Sed dicet fortassis, aloen venarum ora aperire posse, non quum intro in corpus sumta, sed quum extrinsecus sedis venis illita fuerit, tum enim maxime idipsum cæca illa proprietate efficere posse. Quantum autem hoc veritati, optimorumq; auctorum sententiis aduersetur, ex iis, quæ paullo ante diximus, clarum esse potest. Pugnare vero non tantum rationi, verumetiam experientiæ omnibus paulo eruditioribus in confesso est. Qui nanq; extrinsecus admota aloe venas aperiret, quæ Auicenna etiam, qui Montuo & eius farinæ Medicis numinis instar habetur, auctore, citra erosionem valde exsiccat? Quum itaq; non erodat, & vehementer etiam exsiccet atq; adstringat, qui per Deum immortalem venarum ora aperire posset? Insuper quum a Galeno & Paulo inter ea medicamenta, quæ vlcera ea, quę ægre ad cicatricem ducuntur, sanant, aloe connumeretur, quomodo inter ea, quæ erodendo aperiunt venas, collocari potest, quum omnia ἐπουλωτικά, hoc est, quæ cicatricẽ inducunt, *eodem Galeno lib. 5. de compositione medi. per genera auctore*, cum eo, quod citra erosionem adstringunt, magis etiam exsiccant? Nulla itaque nec ratione, nec experientia, quæ tamen duo sunt apud omnes homines instrumenta, *teste Galeno lib. 1. ther. metho. capite 3.* quæ fidem his, quæ recte inuenta sunt, faciunt, cæcam illam suam aperiendi ora venarum in aloe proprietatem Montuus probare potest. Iterum instat Montuus, ac velut adamantinum & inexpugnabile argumentum producens, ita colligit: *Idem medicamentum persæpe contrarias obtinet vires, aloe igitur & constringere & aperire ora venarũ potest.* Fatemur quidem plerisque medicamentis contrarias, tum qualitates, tum facultates inesse, id quod luculenter Galen. *lib. 3. de simpli. medic. facultaltatibus capite 13.* ostendit. Ita aloen adstringendi sistendive potestate præditam esse concedimus, nihilominus tamen & per inferna bilem excernere, ac ventrem etiam subducere posse dicimus, quemadmodum Galenus *libro iam citato c. 14.* in eum modũ scribens testatur: θαυμάζεται δὴ καὶ ταῦτα πρὸς τῶν πολλῶν, καὶ νομίζουσιν ἄλογον ὑπάρχειν, εἰ στῦφόν τι σῶμα καθαίρειν πέφυκεν, οἷον ἀλόη, id est: *Sane permultos huius rei admiratio detinet, remque rationis expertem absurdamque existiment, si corpus quodpiam adstringens purgare queat, veluti aloe.* Quibus sane verbis Galenus manifeste innuit, aloen & adstringere & purgare per inferna corpus posse, id quod & nos fatemur. Inesse vero huic vim quandam reserandi & constringendi venarum ora, *vt Sebastianus Montuus putat*, id est quod constanter negamus, nec perpetuo, vtcunque se excruciet, probare poterit. Et vt finem tandem faciamus, si Galenus, quem omnia a Dioscoride de simplicium medicamentorum facultatibus prodita diligentissime excussisse, ac per experientiam, num vera essent comprobasse constat, vim talem, quæ venarum ora reseraret, in Aloe esse cognouisse, hanc certe silentio non præteriisset, id quod eum in Coriandro, prunis Damascenis, & plerisque aliis fecisse notum est. Diuersam autem quum in ea esse facultatem, nempe adstringendi venarum ora, experientia explorauerit, factum est, vt & illius constanter in suo *de simplicibus medicamentis* libro meminerit. Non est itaque, cur quempiam Montui annotationes in diuersum rapiant, leuioris enim momenti sunt, quam vt tot tantorumque auctorum quos produximus, testimonia, rationesque quas hic opposuimus euertere queant. Quod si vero quispiam ea de re plura scire desiderat, is nostras aduersus Puteanum ac Montuum scriptas apologias legat. In iis n. multa institutum conducentia reperiet.

Aloen etiã extrinsecus admotam sedis venas non aperire.

Aloe erosionis expers.

Duo instrumenta quæ iis quæ recte inuenta sunt, fidem faciunt.

Quibusdã medicamẽtis cõtrariæ insunt qualitates.

Galenus ea quæ a Dioscoride prodita sunt diligenter explorauit.

Aloen melli commixtam non minus, imo plus purgare, contra Auicennæ & Mesues erroneam sententiam.

CAP. II.

A ADVERSATVR nostræ sententiæ Auicenna *capite 67. Canone secundo*, in hunc modum scribens: *Permixtio ipsius cum melle, minuit virtutem eius, adeo vt forsan non soluat attrahendo.* Quem veluti ducem sequitur Mesue *libr. sui de simplicibus medicamentis capite primo*, sic scribens: *Aloe mixta cum melle est minoris solutionis.* Verum quantum a veritatis tramite aberrent vtique, nemo sani cerebri est, qui nesciat: non enim rationi tantum & experientiæ, sed & veterum auctorum sententiæ plane, quod asserunt, contrarium est. Quum enim melli suapte natura vis subducendi aluum insit, qui fieri posset, vt non idem magis alteri, quod similem vim obtinet additum efficeret? Mel autē per se subducere aluum, in primis Hippocrates *libro de affectibus* testatur, dicens: τὸ μέλι
B ξὺν μὲν τοῖς ἄλλοις ἐσθιόμενον καὶ τρέφει καὶ εὔχροιαν παρέχει, αὐτὸ δὲ ἐφ᾽ ἑωυτοῦ λεπτύνει μᾶλλον ἢ κομίζει, καὶ γὰρ οὖρα ἐξάγεται καὶ ὑπὸ χωρεῖ ἐπὶ μᾶλλον τοῦ μετρίου, hoc est: *Mel cum cæteris comestum nutrit, coloremque corporis bonum reddit: solum vero potius attenuat quam reficiat, lotium enim cit, supraque modum purgat.* Diosc. quoq; *libr. 2. cap. 73.* in hunc modum scribens: ἔτι μέλι τὸ ὠμὸν φυσῶδες, κοιλίας τε βηχὸς ἐρεθιστικόν, quod est: *Mel crudum inflat, aluum quoque ac tussim proritat.* Et Galenus *lib. 3.* de alimentorum facultatibus iis verbis: μέλι δὲ λεπτομερὲς ὑπάρχον, ἐξ ἀνάγκης ἔχει καὶ δριμύ, διὸ πρὸς ἔκκρισιν ἐπεγείρει τὴν γαστέρα id est: *Quandoquidem mel tenuium partium est, necessario etiam acre sentitur, ideoque aluum ad excretionem proritat.* Et paulo post εἰ χωρὶς ὕδατος μίξεως ἐκλείχοι τις τὸ μέλι μόνον, ἧττον μὲν τρέφει, μᾶλλον δὲ ὑπάγει τὰ κατὰ τὴν γαστέρα, hoc est: *Si citra aquæ admixtionem mel purum per se quis delingat, nutriet quidem minus, sed alui excrementa magis deiiciet.* Paulus quoque *libro primo capite 96. Mel coctum*, ait, *magis alit, quam aluum subducat: crudum contra.* Id quod *&* *libro 7.* repetit. Vtitur & *capite 6.*
C *libri primi* solo melle ad puerorum deiiciendum aluum, cum ita scribit: *Porro si pueri, infantisue aluus adstricta fuerit, mel cibo adiectum dabis.* Alexander quoque *Aphrod. sectione 2. probl. 66. mel crudum abstergere & purgare, coctum vero alere tantum posse*, docet. Ex quibus omnibus abunde liquet, mel per se quidem aluum deiicere posse, idque adeo magis, si non coctum crudumve fuerit. Quod vero aloe melli addita aluum plus subducat, satis ex Dioscor. liquet, qui nulla alia caussa mel addere docet, nisi vt hoc pacto plus excrementorum deiiciat. Verba Dioscor. quæ habentur *libr. 3. cap. 24.* hæc sunt: μετὰ ῥητίνης δὲ καταπινομένη, ὕδατος, ἢ μέλιτος ἑφθοῦ ἀναληφθεῖσα κοιλίαν λύει. quod est: *Deuorata cum resina aut cum aqua vel melle cocta sumta, aluum soluit.* Id quod & Plinium fecisse constat qui *lib. 27. capite 4.* de aloe ita tradit, *Deuorantur pilulæ cum mellis decocto, aut terebinthina resina ad purganda interiora.* Aloe addita melli plus purgat.
D Hac ratione & Gal. *libr. 7. Ther. method. capite 11.* hieram picram, in cuius confectione cētum aloes drachmæ sunt, melle esse excipiendam suadet, vt scilicet aluum magis deiiciat: id quod verba eius de hac ipsa luculenter admodum demonstrant: ἔνιοι δ᾽ ἀποτίθενται τὸ φάρμακον ἀναλαμβάνοντες ἀπηφρισμένῳ μέλιτι, καὶ γίνεται μὲν οὕτω μονιμώτερον, ἧττον δὲ ῥώννυσι τὴν κοιλίαν, καὶ μᾶλλον ὑπάγει, id est: *Sunt qui reponunt medicamentum id excipientes despumato melle, & fit ita quidem durabilius, sed minus ventrem roborat, & magis subducit.* Psellius quoque *libro primo de ratione victus capite de iis quæ ventrem citant*, Fœnogræco, Damascenis, itemque aliis, vt aluum magis deiiciant, mel adiici præcipit. Inter cætera enim ita ait: *Fœnigræci ius ex melle coctum, inde potum aluum subducit secum agens in intestinis humores. Mel admixtum parum esse oportet, ne vel-*
E *licet.* Et paulo post: *Damascena quoque humida & arida melle confecta, madefacta vt plus teneant mellis, mansaque solitaria. Si bis mellis compositio absorbeatur, plus subducit, quam si dulce vinum potites.* Ita vt sole iam clarius sit tam Auicennam quam Mesuen infantiliter lapsos esse, quod Aloen melli commixtam minus purgare docuerint, quum & ratio & veterum auctoritas diuersum monstret.

Aloen stomacho & iecinori non nocere, vt falso plerisque Auicenna & Mesue persuaserunt.

CAP. III.

AVICENNA alteram tantum sententiæ nostræ partem *cap. 66. 2. Canon.* impugnat, dum sic inquit: *aloe obstructiones hepatis aperit, sed ipsum tamen lædit.* Mesue autem v-
F trisque contradicere non veritus est: nam *capite 1. sui de simp. med. libri* ita scribit: *aloe conturbat, dolorem ventris faciens, & nocet stomacho & hepati.* Nemo tamen vsque adeo lippis est oculis, qui vtrunq; falli non videat, quando ne vnus quidem ex veteribus classicisque scriptoribus sit, qui non diuersum docuerit. Dioscorides n. tam amicam stomacho aloen esse tradit, vt si mixta sit aliis medicamētis quæ purgādo sunt, ea min⁹ noxia sto- Aloe neque stomacho neq; iecori nocet.

macho reddat. Verba Dioscoridis *libr. 2. capi 37.* hæc sunt: μιγὲν τοῖς ἄλλοις καθαρτικοῖς ἧσσον κακοστόμαχα ποιεῖ, id est: *aloe aliis commixta medicamentis purgatoriis, præstat ut minus stomachum infestent.* Apertius idipsum Galenus *libr. 6. de simp. med. facultat.* docet, in hunc de aloe scribens modum: καὶ γὰρ εὐστόμαχόν ἐστι τὸ φάρμακον, εἴπερ τι καὶ ἄλλο, hoc est: *Nam & gratum est stomacho medicamen, ut si quid aliud.* Et Paulus libro 7. *Est*, inquit, *aloe stomacho valde grata, ut si quid aliud.* Et libro eodem, capite quarto: *Quum medicamenta corpus purgantia omnia stomacho noxia sint, sola ventriculo amica & utilis est aloe.* Quibus subscribit etiam Oribasius in medicinæ Compendio, dicens: *aloe vehemens quidem catharticum non est, stomacho autē aptissimum.* Psellius quoq; *lib. 1. de victus ratione*, aloen inter ea, quæ stomachum cōfirmāt recenset iis verbis: *Maxime conducibilia stomacho absynthium & aloe.* Nec dissentit Plinius qui *lib. 27. c. 4.* scribit: *Confirmat stomachum aloe, adeo ut nulla vis contraria infestet.* Grata autē est stomacho aloe haud aliter, quam absynthium, Gal. *lib. 6. de simp. med. fac. auctore*; quia aliquam adstrictionem obtinet. Quum vero veteres aloen stomacho siue ventriculo gratum esse medicamentum scribunt, de ea non simpliciter, sed quatenus est medicamentū purgans loquuntur, ut ex verbis illorum satis liquet, & nos idipsum fusius in apologia nostra aduersus Puteanū ostendimus. Quod autē iecur non offendat, probat Gal. ad Paternianum, qui cum oxymelite datā aloen stomachicis & hepaticis magnū adiumentum afferre scribit. Paulus etiam *lib. 7.* docet, quum Dosithei catapotia iecoraria aloes unc. unā accipere ait. Et cum, *Plinio teste*, loco iā citato, aloe in regio morbo, qui plerunq; iocinoris vitio oritur, utiliter bibatur, fieri haud potest, ut iocinori nocere queat. Hinc mirū admodum est Auic. in eam deuenisse opinionē, quum tamen & ipse fateatur, aloen iocinoris obstructionibus & arquato morbo esse perutilem. Atqui perplures eiusmodi contradictiones, ut ex sequentibus perspicuum fiet, in Auic. libris inueniuntur, ut certe hoc nomine tyronibus medicinæ nondum exacto iudicio præditis valde suspectus esse debeat, præsertim in *secundo suo Canone.*

Aloe iecur nō offendit.

Auicennæ libri multis contradictionibus obnoxii.

Rhabarbarum nostrum & vulgare, in plerisque a veterum Rheobarbaro differre, atq; adeo diuersum esse.

Cap. IIII.

Ambigua discutiēda.

QVVM de rebus disceptantibus id unice cauendum sit, ne qua vox illis ambigua imponat: nam alias non raro fieri solet, ut alter alterum non intelligens, acerrime inter se de lana caprina rixentur, & in immensum temere sermo progrediatur: animaduertendum erit, ne nominum quempiā ignorantia fallat, Rheobarbarum nostrū seu vulgare esse id, quo passim nunc ad subducendam, nobilium præsertim, aluū Medici utuntur. Veterum vero, quod Dioscorides, Plinius, Galenus, & qui his etiam vetustiores sunt, describunt. Quemadmodum autem veteres suum variis nominib. vocant, Dioscorides enim interdum *Rheon*, interdum *Rhian*, aliquando *Rhaponticum*, Galenus *Rheum* & *Rha*, Plin. *Rhacoma*, Celsus *radicem ponticam* appellat, ita Punici *Rauedseni*, & vulgus Medicorum *Rheubarbarum* nominant. Rheobarbarum vero quo nunc passim officinæ utuntur, differre ab eo, quod veteres depingunt, quicquid nostræ tēpestatis garriant Medici, nullibi rectius nisi ex notis, quæ illi ab utrisq; tribuuntur, colligitur. Veterum nimirum Rha, Dioscoride *li. 3. c. 3. teste*, γεννᾶται ἐν τοῖς ὑπὲρ Βόσπορον τόποις, ὅθεν καὶ κομίζεται. ῥίζα μέλαινα, κενταυρείῳ τῷ μεγάλῳ ἐοικυῖα, μικροτέρα μέντοι καὶ ἐρυθροτέρα, ἄοσμος, χαύνη, ὑπόκουφος, id est, *nascitur in iis, quæ supra Bospororum sunt regionibus, unde etiam affertur: radix nigra. Centaurio magno similis, sed minor & magis rubens, sine odore, laxa, & parum leuis.* Nec dissentit Galenus, vel quisquis eius libri auctor fuit, *capite 228. libr. de simplici med. ad Paternianum*, qui *Rheon his verbis* describit: *Radix est magna & nigra, laxa, leuis, inodorata, gustu calefaciens, & leniter adstringens.* Libro quoque *octauo de simplici med. facultatibus.* Rha tum laxitatem tum leuitatem in se habere scribit. Iam dictis subscribit *Plin. lib. 27. cap. 11.* in hunc modum loquens: *Rhacoma affertur ex his, quæ supra Pontum sunt, regionibus, radix Costo nigro similis, minor & russior paulo sine odore, calefaciens gustu & adstringens.* Rheubarbarum autem a nostris vocatum, & quod hodie in frequenti Medicorum usu est, alios a priori natales habet, ex meridionalibus nanq; regionib. ad nos fertur, non aquilonaribus, ubi Bosporus, & Rha fluuius, qui radici huic nomen dedit, exsistunt. Nullum denique cum Costo nigro, ut antiquorum, similitudinem habet. Adde, quæ solo a veterum Rheobarbaro discernere nostrum sufficiens nota est, vulgare & quo hodie utimur, habere odo-

Rheobarbarum vulgare.

Rhabarbarū veterum

Nomina varia.

Rhebarbari.

Locus natiuus Rhabarbari veterum.

Natales nostri Rheubarbrai.

Rhabrabaro nomen vnde inditū

A odorem vehementem, veterum autem plane sine odore esse. Præterea grauitatem in vulgari commendat Mesue, veteres contra leuitatē. Accedit, quod veteres suo Rheobarbaro nullam purgandi vim inesse scripserint, in quem tamen vsum, ætatis nostræ Medici suum, & recte quidem, plurimum valere dicunt. Sed obtrudet quispiam, *nihil mirum esse Rhabarbarum iam siccum odorum esse, veteres autem de viridi ac recenti locutos esse, quod odore plane caret, haud aliter quam alia quædam, quæ humiditate superflua obtundente, donec ea resoluatur, absque odore perseuerant.* Obiectioni huic pulchre per historiam respondet reconditæ eruditionis vir IO. MANARDVS, *libro suarum epistolarum medicinalium 8.* atque se à Sigismundi regis Sarmatarum Medicis didicisse, in eo bello, quod contra Moschos strenue gesserat idem rex: Rheon inuentum fuisse, quod etsi vulgari satis B quidem simile esset, penitus tamen inodorum fuerat, in eoque omnes veterum notæ deprehensæ sunt: fuitque procul dubio id Rheobarbarum, quod veteres pingunt. Ceterum veteres suum Rheobarbarum non ad alui purgationem, sed ad alios plerosque vsus adhibuisse, manifestius est, quam vt probari debeat: neque enim Dioscori: neque Plinius, neque etiam Galenus, in vniuersis suis operibus, quæ hodie exstant, ad aluum subducēdam Rheobarbaro vsi sunt: sed quum huic maximam & præcipuam adstringendi vim adscripserint, in contrarium potius vsum adhibendum esse præceperunt, atque adeo sanguinem exspuentibus, cœliacis, & dysentericis conferre dixerunt. Aetius quoque, qui sub Constantino Magno vixit, *sermone 9. cap. 47.* inter ea, quæ adstringendo ventrem cohibent, rheon ponticum recenset. Quin etiam constat nec Auic. C *in cap. 585. secundi Canon.* Rheobarbaro purgandi potestatem tribuisse, sed diuersam potius: id quod & Fen. *16. Canon. 3. Tract. 1. capite 4.* vbi Rheubarbarum inter medicamenta aluum cohibentia enumerat, & in plerisque aliis locis facit. Et certe veteres suo esse vsos ad cohibendam aluum testatur Abenrois Cordubensis, qui *lib. 5. Collect.* Galenum & alios Medicos Rheobarbarum ventrem constringere scripsisse ait, notans in hoc eosdem, tanquam falsa dixissent. Sed ignorauit impia illa bestia, Galenum atque alios veteres diuersum a suo habuisse Rheobarbarum, ita vt non immerito illi alios etiā effectus tribuerint. Ex iis itaque omnibus notum fit, nostrum hodie Rheubarbarum ab antiquorum differre, quod hoc ad aluum deiiciendam, nunquam vsi fuerint. Atqui hic reclamat Montuus: atque Pauli auctoritate, veteres quoque Rhabarbaro ad D ventris sanorum purgationem vsos esse probare nititur. Pauli locus est *in li. 1. c. 43.* vbi ita scribit: *Aluum soluebant, iubentes iam dormituros resinam therebinthinam, quæ oliuæ magnitudinem æquaret, deuorare.* Quod si magis citare voluerimus, paulum radicis ponticæ miscebimus. Sed meminerit velim, nos de antiquis, inter quos Paulus Aegineta, vt qui longo post Galenum & Plin. tempore vixerit, cōnumerari non potest, locutos esse. Neq; n. mirum Paulum, vt alios recentiores Medicos, ad contrarios vsus Rhabarbarum adhibuisse, vt cuius tēpore, Rheubarbarū, quo hodie vtimur, innotescere mūdo cœperit: quū Medicis, qui ante illum fuerunt, quemadmodū in Corollario suo Hermolaus quoq; testatur: plane incognitū fuerit. Vixit autē Paulus post Oribasium Iuliani archiatrum. Hinc deceptus Paulus, haud aliter quam Abenrois, ac multi alii hūc E sequentes Medici, idem Rhabarbarum, quod suo tēpore inuentum erat, cū Rha veterum esse putauit, atq; adeo tam antiquorum instar restringendi facultatem, iam vero recentiorum modo, aluum subducendi huic inesse existimauit. Proinde factū est, *vt cap. 1. lib. 1.* ad reprimendum prægnantium vomitum, & *li. 7.* ad dysenteriæ curationē vsus sit, cum tamen in vtrisq; affectibus purgatoria adhibere medicamenta, *vt post dicemus,* minus consultum sit. Pari modo ad veterum Rheobarbarum respexit libro eodem, cum ex professo Rhabarbari vires describens, hoc ipsum sanguinem exspuētib. cœliacis, & dysentericis prodesse scribit. Fuisse autem notum Paulo Rheubarbarum nostri temporis, satis ex tribus illis compositionibus, quibus *libr. 7. cap. 11.* ad podagram vtitur, liquet. In illis enim *rheubarbaricum* instar Arabum, alias autem *Rha,* & *radicem* F *ponticam* nominauit. Primæ compositioni nomen *Diacorallion* est. Secundæ, *Antidotus Agapeti.* Tertiæ, *Antidotus Atados.* Quarum descriptiones qui scire cupit, a nobis iam citatum Pauli locum petat.

Rhabarbarum veterū purgandi facultate caret.

Obiectio.

Ioann. Manardus.

Veteres suū Rhabarbarum ad aluī purgationē non adhibuerunt.

Montui annotatiuncula diluitur.

Paulus Aegineta inter veteres non connumerari debet.

Nostrum Rheubarbarum Paulo notū fuit.

Casiam Arabum & recentiorum, à veterum atque Græcorum Casia aliam ac diuersam esse. CAP. V.

Nicolaus Leonicenus

NISI Nicolaus Leonicenus, vir dignus, cui medicinæ studiosi multum tribuant, me monuisset, fuisse quosdam ex Medicis iunioribus tantæ inscitiæ, vt cortice Casiæ fistulæ Arabicæ ad citanda menstrua vterentur, quum Græcorum vti potius, ex Dioscoridis ac aliorum Grecorum Medicorũ sentẽtia, debuissent, nunquã in numero Paradoxorum hoc ipsum, quod iam tractamus, collocassem. Neq; n. mihi persuasissem vnquã, esse tam stupidi animi Medicos, qui nescirent Arabum a Græcorũ Casia esse diuersam. Esse autem aliã Arabũ a Casia antiquorũ, in primis vtriusq; descriptio monstrat: quas nondũ satis rẽ agnoscentes conferre poterunt, & quod dicimus, sole meridiano clarius deprehendent. Arabũ nimirũ partim in India, partim in Ægypto nascitur, folio Iuglandis, siliquas habet prælongas ac teretes vtrinq; fastigiatas, duos fere pedes proceras, carne intus nigra, gustu prædulci, sed plane medicato, ligneis distinguentib. mẽbranis, & ossib. siliquarum intercursantib. Græcorũ vero, *Gale. in lib. de Theriac. ad Pisonem auctore*, rubescit, & rosam exspirat, sicut etiã dulcem gustum præfert, fistulis plena, & vinum narib. obolens, & aromatum modo vehementer odorata. Differre easdem etiam vsus vtriusq; manifestat. Arabum n. & quæ hodie in officinis venditur, ad leniendam aluum pulchre conducit: id quod Græcorum non facit: ea n. vrinam atq; menses cit, aliasq; vires a priori diuersas habet. Proinde quũ veterib. Græcis plane incognita fuerit ea, de qua Arabes scribũt: neq; n. Galenus, neq; etiam Dioscorides eius mentionem faciunt: consultũ erit, vt si quando in libris Græcorum Casiam fistulam legere contingat, ne pro ea alteram, de qua Arabes atque recentiores agunt, capiamus. Prodesset itaque quo aliqua in iis nominandis certa haberetur differentia, quo Arabum, siliquam Ægyptiam, aut *Casiam catharticen*, Græcorum autem Casia fistulam aut odoratam appellaremus. Est enim, vt diximus, vehementer odorata. Vnde liquet Casiam, qua hodie passim officinæ vtuntur, ligneamq; nominant, non esse eam, quam Dioscorides & Græci alii describunt; illa enim tetra, inodora, & penitus nihil cum vera Casia commune habet, quam Dioscorides *lib. 1. c. 12*, ait esse ἔγκιῤῥον, εὔχρουν, κοραλλίζουσαν, στενὴν λίαν, μακρὰν καὶ παχεῖαν τοῖς συριγγίοις πλήρη, δηκτικὴν ἐν τῇ γεύσει, καὶ σύφουσαν μετὰ ποσῆς πυρώσεως, ἀρωματίζουσαν, οἰνίζουσαν τῇ ὀσμῇ, id est, *rubescentem, boni coloris, Coralio lapidi similem, per quam angustam, longam & crassam, fistulis plenam, mordentem pungentemue in gustu: & cum aliquanto feruore adstringẽtem, aromatum modo odoratam, vinique odorem referentem.* In eundem modum eam describit Galenus in *libro de theriaca ad Pisonem* dicens: ἡ δὲ κασσία καλλίστη κιῤῥᾶται καὶ ῥοδίζουσα, ὥσπερ καὶ ἡδύ τι γλυκὺ ἐν τῇ γεύσει ποιουμένη, συριγγώδης τε οὖσα, καὶ οἰνίζουσα, καὶ πολὺ τὸ ἀρωματίζον ἔχουσα. hoc est, *Casia laudatissima rubescit & rosam spirat sicut etiam dulcem gustum inter gustandum refert, fistulis plena, & vinum obolens, & aromatum modo vehementer odorata.* Oribasius etiam *libr. 2. de simplic. facult.* scribit, eligendam esse Casiam, quæ rubea sit, boni coloris, Coralio similis, angusta, nitida, valde longa, & crassa in fistulis, in gustu erodens, cum feruore multo adstringens, aromatum modo odorata. Neque dissentit Plinius *libro duodecimo, capite 19.* vbi probandam tradit eam, quæ recens maxime, & quæ sit odoris mollissimi, gustuque quam maxime feruens, potius quam lento tepore leniter mordẽs, colore etiam purpureo. Hic referre placet, quod dum hæc scriberem contigit. Simplicium medicamentorum nõ imperitus, Georgius Ellingerus, pharmacopola Nurnbergensis, Casiã, quam ipse veram esse putabat, mihi ostendit: quæ nihil minus quam casia erat: etsi enim rubescens, & Cinamomo nostro per omnia similis colore videbatur: tamẽ quia nullum plane odorem præ se ferebat, Casiam veram fuisse non credo, sed aliquam potius pseudocinamomi speciem. Laudo tamẽ viri ardens in perquirendis simplicib. studium, quod hodie omnes ferme reliqui Germaniæ Seplasiarii contẽnunt. Quod si homo ille literis ingeniũ excolere voluisset, potuisset certe rẽ herbariã nõ parũ iuuare. Ceterũ quũ vera Casia tenuitate corticis, odore, & gustu Cinamomo, quod hodie hoc nomine passim venditur, simile sit, factũ est, vt quidã mentitũ hoc Cinamomũ, Casiã verã esse dixerint. Quod si vera est, duplum eius ponderis, *Dioscoride & Galeno in succedaneis testibus*, pro vero Cinamomo vti licebit. Proinde quum nihil in Casia nostra, quod cum vera conuenire possit, deprehendatur, haud immerito quis pseudocasiam esse putabit, quod miræ cũ illa sit similitudinis, neq; n. gustu acris, neq; etiam odorata est. Minime vero mirũ esse debet nostri temporib. mentitam vendi Casiam, quum itidẽ & Galeni sæculo, quemadmodum ipsemet in *libro de Theriaca ad Pisonem* testatur, factum sit. Hodie

Casia Arabum.

Casia lignea vera caremus. Casia vera qualis.

Georg. Ellingerus.

Quidã pseudocinamomum nostrum Casiam veram esse putant.

A B C D E F

A Hodie tamen afferri cœpit Casia; quæ tum acris tum odorata est, qua officinæ Medicorum pro vera Casia vti possunt.

Mannam Arabum, atque nostræ tempestatis Medicorum, a Manna Græcorum & veterum esse plane diuersam.

CAP. VI.

NE vocum cōfusio ambiguitasque nobis temere concertandi occasio sit, animaduertendum per Arabum ac moderniorum Mannam, nos intelligere eam, qua hodie ad principum aluum molliendam Medici vtuntur. Per Græcorum autem Mannā quæ a Dioscoride non simpliciter, sed cum additione μάννα λιβάνου dicitur, accipiendam esse volumus. Differre autem inter se, ex vtriusque descriptione manifestum fit. B Arabum enim, *Mesue teste*, ros est super arborum herbarumque folia cadens. Græcorum vero nihil aliud est, quam mica thuris concussu elisa, quam Latini veteres non solum *Mannam*, sed & *pollinem thuris* aliquando dixisse constat. Auctor Plinius, qui *lib. 12. c. 14.* ait: *Micas thuris concussu elisas Mannam vocamus.* Vniuersa enim thuris substantia in antiqua medicina trifariam diuisa fuit, in thus nimirum, corticem thuris, & eiusdē Mannam siue pollinem: adeoque veteres Græci & Latini voce hac Manna in thuris mica pollineue tantum vsos esse constat. Porro diuersas esse inter se mannas iam dictas, ex earundem quoque viribus perspicuum fit. Arabum nanque molliendi potestatē habet, id quod diutina iam experientia comprobatum esse, nemo est, qui nesciat. Græcorum cōtrariam potius vim habere in primis testatur Dioscorides *li. 1. c. 8.* ita scribēs: C μάννα λιβάνου δύναμιν ἔχει τὴν καὶ ὁ λιβανωτός, quod est, *Mānā thuris vim eandem, quam thus habet.* Thus autem adstringendi potestate, & cruenta glutinandi vulnera esse præditum, ex *cap. 78.* eiusdem libri Dioscoridis satis liquet. Mannam quoque adstringere docet Galenus *libro 5. therap. capite 4.* ita scribens: ἐστὶ στυπτικώτερον μὲν φάρμακον ἡ μάννη τοῦ λιβανωτοῦ hoc est, *Māna medicamentum quidem est, quod magis quam thus adstringit.* Et *13. ther. meth.* Μάννη, inquit, ἐστὶ ἀπόσεισμα λιβανωτοῦ, τὸ φάρμακον ὑπὸ στύψεως μετρίας ὀλίγης, καὶ κατὰ τοῦτο, ἐστὶ αὐτοῦ τοῦ λιβανωτοῦ πρὸς ἔνια βέλτιον. ἐκεῖνος γὰρ ἐκ τῆς πεπτικῆς δυνάμεως ἐστὶ μόνης, ὡς ἂν μὴ μετέχων στύψεως. καὶ μᾶλλον ὁ λιπαρώτερος ἐν αὐτῷ, ἐστὶ τῇ χροιᾷ λευκότερος. ὥσπερ γὰρ τοῦ ξανθότερος ξηραντικώτερος ἐστί. τῇ δὲ μάννῃ καὶ φλοιοῦ τοῦ λιβανωτοῦ μέμικταί τι σμικρὸν, ἀφ᾽ οὗ τὸ στύφειν ἔχει, id est; *Manna thuris concussio seu purgamentum, medicamentum quidem est adstrinctione modica præditum, atque hoc etiam nomine thure ipso ad nonnulla vtilius. Thus enim puris tantum mouendi potestatem obtinet, vtpote nullam adstringendi vim habens. Magisq; id facit, quod pinguius in eo est, & magis albicans: sicuti etiam quod flauum ex eo magis est, validius siccat. Mannæ vero corticis thuris paululum etiam admixtum est, vnde scilicet adstringendi vim habet.* D Vtitur & alias non raro in glutinandis vulneribus manna Galenus. Vnde iam satis constat errare Mesuen, quod tribus in locis Galenum de Manna tanquam medicamento aluum subducente citet. Vnus est in capite *de Manna*, vbi Galenum Mannam cum Scammonia permiscuisse scribit. Alter *in capite de Scammonia*, vbi denuo Galenum Scammoniam cum sextuplo Mannæ miscuisse asseuerat. Tertius in *Antidotario suo*, vbi de medicinis purgatoriis agens, confectionem quandam de Manna ex Galeni inuentione describit. Euidentissimum nanque est, Galeni temporibus medicamentum hoc sub Mannæ nomine in vsu Medicorum non fuisse. Hinc vehementer etiam aberrauit E Petrus Crinitus *libro 25. capite 7.* de honesta disciplina, pertinaciter admodum diuersas has Mannas vnam esse contendens, quemadmodum Ioannes Manardus noster *in primo epistolarum medicinalium libro* luculenter ostendit. Ceterum hæc non ita accipiant studiosi, quasi Galeno rem illam Mannam Arabibus dictam, plane ignotam fuisse putem, sed quod hoc nomine illi non appellatam esse velim. Notissimam enim illi fuisse paulo post monstrabimus, at non sub voce Manniæ, sed sub voce mellis aerei. Hinc olim ita scripsimus: *Si vlla eius apud Galenum antiquosque mentio fuit, certe non sub Manna, sed potius sub voce mellis aerei fuit.* Cur autem ita scripserim, In caussa fuit Cordubensis ille Abenrois, qui post tempora Galeni in vsum Medicorum venisse Mannam tradidit. Proinde cum ad manum tum sua lingua loquens Galenus nouerat, satis esse duxeram F vtcūque indicasse. Quare non opus erat Montuo sua illa annotatione, qua mel aereum ab Arabum Manna nec forma, nec viribus differre probare nititur: id enim nunquam negauimus: sed quia tum ad manum non erat græcus Galenus, hoc ipsum efficacibus argumentis ostendere non potuimus. Inculpandus sibi potius erat Auerrois ille impius, qui vt alias fere semper, ita & hoc loco nugatus est. Neq; ab errore vindicare potest

Manna Arabum.
Manna Græcorum
Substantia thuris trifariam olim diuisa.
Vires vtriusq; Mānæ.
Mesue perperam Galenum de Māna citat.
Petri Criniti error.
Galeno Māna etiam Arabum cognita fuit.
Montuo respondetur.

Arabes ea ex auctoribus citant quæ nusquã in illis inueniuntur.

Mesuen suum, quod ait, *multa adhuc esse opera Galeni, quibus hodie careamus, quæ tamen Arabibus lecta sint.* Nam vt supra quoque monuimus, quod ea nonnunquam citent Arabes quæ in auctoribus nusquam inueniuntur, nulla alia caussa est, nisi quod plura per interpretes adiecta sint, quæ in Græcis exemplaribus minime habeantur. Et quid multis moror? satis constat & in aliis citandis auctoribus, quorum tamen integra exstant opera, parum fidum inueniri Mesuen, id quod ex annotationibus doctissimi viri Ioa. Manardi quisque discere poterit. Non passim etiam credendum esse in suis aphorismis Ægyptio illo Mosi, in confesso est, quod sua non ex Græcis, sed Arabicis libris, in quibus notha ac spuria multa inserta sunt, desumserit. Sed iam quod polliciti sumus, nempe Mannam Arabum Galeno sub mellis aerii nomine cognitam fuisse, ostendere pergemus. A

Mel aerium ab Arabum Manna nõ differt.

Arabũ manna quid?

Mel itaque aerium seu roscidum, nec forma, nec viribus ab Arabum differre Manna, collatis vtriusque descriptionibus euidentissimum erit. Proinde Arabum Manna, *Mesue auctore*, est ros supra plantas & lapides cadens, cuius materia est vapor, qui eleuatur, cui accidit digestio & maturatio in aere, quando est æqualis & secundus lætis aspectibus. Diuersificatur autem secundum diuersitates rerum super quas cadit. Et cadens super plantas suscipit de virtute plantarum, & est cum permixtione particularum, foliorum, & florum. Educit quoque choleram cum facilitate. Hactenus Mesues verba depromsimus, quæ etsi barbara sint, immutanda autem esse minime duximus, ne quis alium me sensum illis malitiose tribuisse dicere posset. B

Mel aerium quid.

Mel vero aerium, *Galen. libr. 2. de alimentorum facultatibus teste*, γίνεται μὲν ἐπὶ τοῖς φύλλοις τῶν φυτῶν, ἔστι δὲ οὔτε χυλὸς αὐτῶν, οὔτε καρπὸς, οὔτε μόριον, ἀλλ' ὁμογενὲς μὲν τοῖς δρόσοις, οὐ μὴν οὔτε συνεχῶς, οὐθ' ὁμοίως ἐκείναις γίνεις δαψιλές, οἶδα δέ ποτε θέρους ὥρᾳ, πλεῖστον ὄντων ἐπὶ τοῖς τῶν δένδρων καὶ θάμνων, καὶ τινων βοτανῶν φύλλοις εὑρεθέν, ὡς ὑπὸ τῶν γεωργῶν λέγεσθαι παιζόντων, ὁ Ζεὺς ἔβρεξε μέλι. προηγεῖτο δὲ νὺξ μὲν εὔψυχρος, ὡς ἐν θέρει. θέρους γὰρ ἦν ὥρα τηνικαῦτα. θερμὴ δὲ καὶ ξηρὰ κρᾶσις ἀέρος ἐπὶ τῆς προτεραίας. ἐδόκει τοίνυν τοῖς δεινοῖς περὶ φύσιν, ἐκ τῆς γῆς τε καὶ τῶν ὑδάτων ἀτμὸν ἀκριβῶς λεπτυνθέντα καὶ πεφθέντα αὐτὸς τῆς ἡλιακῆς θερμότητος, ὑπὸ τῆς ἐπιγινομένης ἐπὶ τῇ νυκτὶ ψύξεως ἀθροισθῆναι πιληθέντα. παρ' ἡμῖν μὲν οὖν σπανίως φαίνεται τοῦτο γινόμενον. ἐν δὲ τῷ ὄρει τῷ Λιβάνῳ καθ' ἕκαστον ἔτος οὐκ ὀλίγον, ὥς τε ἐκπετάσαντες ἐπὶ γῆς δέρματα, καὶ σείοντες τὰ δένδρα δέχονται τὸ ἀπορρέον ἀπ' αὐτῶν, καὶ χύτρας, καὶ κεράμια πληροῦσι τοῦ μέλιτος, ὀνομάζουσι δ' αὐτὸ δροσόμελι τε καὶ ἀερόμελι. πρόδηλος μὲν οὖν ἡ ὕλη τῆς γενέσεως τοῦ μέλιτος, ὁμογενὴς οὖσα τῆς δρόσοις. εἰς ἀρετὴν δὲ καὶ κακίαν αὐτοῦ φαίνεται τι προσέρχεσθαι παρὰ τῶν φυτῶν, ἐφ' ὧν τοῖς φύλλοις ἀθροίζεται. καὶ διὰ τοῦτο γίνεται κάλλιστον. ἔνθα πλεῖστοι θύμοι καὶ τινες ἄλλαι θερμαὶ καὶ ξηραὶ τῇ κράσει βοτάναι τε καὶ θάμνοι. λεπτομερέστερον τοιγαροῦν ἐστι μέλι, τὸ γινόμενον ἐν τοῖς τοιούτοις φυτοῖς. λεπτομερὲς δ' ὑπάρχον ἐξ ἀνάγκης ἔχει καὶ δριμύ. διὸ αὐτὸς ἔκκρισιν ἐπεγείρει τῇ γαστρί. C quod est: *Fit quidem in plantarum foliis, neq; tamen succus earum, neq; fructus, neq; pars est, sed eiusdem cum rore generis, non ita tamen assiduo, nec copiose prouenit. Memini vero aliquando in æstate super arborum fruticum, herbarumque folia mellis quamplurimum repertum fuisse, vt ludentes rustici dicerent, Iupiter melle pluit. Præcesserat autem nox, vt per æstatem, satis frigida: nam tum anni æstiuum tempus erat, pridieque calida & sicca fuerat aeris constitutio. Quamobrem peritis naturæ interpretibus halitus e terra atque aquis prodeuntes, solis calore exacte attenuati ac cocti, a frigore secuta noctis in vnum coacti & densati videbantur. Sed apud nos raro id accidit, in monte autem Libano quotannis persæpe, adeo vt expansis super terram velleribus, mel a concussis arboribus decidens excipientes, ollas ac fictilia plena referant, vocantque id roscidum mel aut aerium. Proinde liquet materiam, ex qua mel generatur, rori congenerem esse. Videtur autẽ & ex plantis, in quarum foliis mel colligitur, boni maliue quidpiam posse acquirere. Ideoque laudatissimum in locis Thymo aliisque herbis ac fruticibus sicci temperamenti prædense consitis inuenitur quia tenuioribus partibus constet mel in huiusmodi plantis collectum. Quoniam aut tenuium partium est, necessario etiam acre sentitur, ideoque aluum ad excretionem proritat.* Hactenus Galeni verba recensuimus, quæ si cum Mesues paulo ante adductis verbis contuleris, ita certe quadrare vocatæ hodie Mannæ videbis, vt committere, nisi omni iudicio destitutus sis, non queas, quin eandem rem esse fatearis. Hinc consulto fecerint rei Medices studiosi, vt si quando apud Galen. mellis aerii mentio fiat, pro ea *Mannam Arabum* capiant, perinde atq; si Mannæ vox apud eundem reperiatur, pro ea thuris concussu elisas micas sumant. D E

Verum & Græcorum Eupatorium nec Auicennam, nec Mesuen cognouisse, quum tamen a vulgatissima & omnibus hodie notissima herba Agrimonia appellata, nihil differat. CAP. VII.

Auicẽnæ de Eupatorio sententia.

IGNORASSE Eupatorium Græcorum Arabes, Auicennam præsertim atq; Mesuen ex eorundem libris manifestissimum fit. Nam hanc si cognitam habuissent, nunquã in ea describenda tam varii fuissent. Auic. enim Eupatorium *2. Can. cap. 244.* herbam esse aromaticam scribit, habereq; folia Cannabis, & florem Nenupharis. Mesue autem F

libro

A *libro suo de simplicibus*, Eupatorium foliis Centaureæ minoris, floribus subcitrinis, longitudinis paucæ constare tradit. Ignorasse vero Eupatorium Græcorum, ceterisque errandi occasionem præbuisse, tam manifestum est, vt probatione egere non videatur. Et vt reliqua silentio transigam, quæ (oro) Centaurii minoris foliis cum Cannabinis similitudo? aut quæ colori albo cum subluteo conuenientia? Constat enim, *Dioscoride teste*, Nymphæam, quam nostri *Nenuphar* vocant, candidos habere flores. Et vt colorem, qui in altera Nymphæa luteus est, negligamus, minime verum est quod ait Auicenna, *Eupatorii florem similem esse Nenupharis floribus, quod tam exiguus sit, vt vel Nenuphari, vel huius floribus collatus, nullam plane similitudinem habeat.* Præterea qui rem ad vnguem vsque explorare cupit, antedictas Arabum descriptiones veterum descri-
B ptionibus, Dioscoridis maxime quam paulo post subiiciemus, conferat, & hallucinatos esse sole clarius deprehendet. Ceterum Eupatorium verum, & quod veteres tum Græci, tum Latini depingũt, esse eam herbam, quam hodie vulgus Medicorum *Agrimoniam* barbaro vocabulo nominant, ex notis, quas illi Dioscorides ac alii Græci ac Latini tribuunt, euidenter constat. Quæ autem a Dioscoride *lib. 4. cap. 38.* illi notæ adscribuntur, hæc sunt: εὐπατόριον πόα ἐστὶ φρυγανώδης, ῥάβδον ἀναφέρουσα μίαν, λεπτὴν, ξυλώδη, ὀρθὴν, μέλαιναν, ὑπόδασυν, πηχυαίαν, ἢ καὶ μείζονα, φύλλα δὲ ἐκ διαστημάτων ἐσχισμένα μάλιστά που εἰς ε΄ μοίρας, ἢ καὶ πλείους, τοῖς τῆς πενταφύλλου, ἢ καννάβεως μᾶλλον ἐοικότα, καὶ αὐτὰ δὲ ὑπομέλανα, πριονωδῶς ἐξ ἄκρων ἐντετμημένα, σπέρμα δὲ περιπέφυκεν ἀπὸ μέσου τοῦ καυλοῦ, ὑπόδασυ, κάτω νεῦον, ὡς ἐν τοῖς ἱματίοις ἐνισχεθὲν ξηρανθὲν id est: *Eupatorium herba est fruticosa, vnã efferens virgam, tenuem, lignosam, rectam, nigram, hirsutam, cubitalem, interdum maiorem: folia habet per in-*
C *terualla partibus diuisa quinq; & aliquando pluribus, quinq; folii vel cannabis potius foliis similia, nigricantia, & serræ modo in extremitatibus incisa. Semen a medio caule enascitur, pilosum, deorsum spectans, vt siccatum vestibus hæreat.* Porro notæ huic a Plinio traditæ, prædictis similes sunt, quas *libro 25. cap. 6.* eiusmodi esse tradit: *Eupatoria regiam auctoritatem habet; caulis lignosi nigricantis; hirsuti, cubitalis, aliquando & amplioris: foliis per interualla quinquefolii; aut cannabis per ambitum incisis quinque partito, & ipsis plumosis radice superuacua.* Nunc veritatis studiosus viuam Agrimoniæ effigiem his notis accommodet, & nulla erit, quæ huic non competat. Est enim huic virga tenuis, & vbi adoleuerit lignosa, recta, plumosa, nigra, folia per interualla pendentia, serræ modo incisa: semen quoque pilosum & deorsum spectans, vestibus siccatum hærens. Hinc consulto fecerint pharmacopolæ, si
D posthac Eupatorio Græcorum vsuri, pro eo Agrimoniam acceperint. Nõ temere autem passim adiicimus Græcorum. Siquidem aliud ab illo fuit, quod Mesues filius: aliud item quod Auicenna delineauit, vt ex prædictis patet. Singulorum vero notas, ac eorundem discrimina *in primo nostrorum de stirpium historia commentariorum tomo* luculẽter ostendimus. Pudet igitur Medicorum quorundam, qui adhuc hodie in clarissima luce caligantibus oculis veritatem intuentur, huicq; præfracto animo contradicunt: in quorum certe numero Montuus est, qui suam temeritatem & in Dialecticis inscitiam, nunquam apertius, quam in annotatione septima prodidit. Is n. Arabib. suis patrocinaturus, infantiliter argumenta a simplicium medicamentorum descriptionibus, a Dioscoride aliisq; veteribus traditis ducta, inefficacia esse contendit, quod nõ
E ex genere & differentia essentiæ, sed ex genere & accidentibus, quæ adesse abesseque præter subiecti corruptionem possint, constent. Ignorat autẽ Montuus, quod non omnia accidentia adesse vel abesse possunt, sed sunt quædam, quæ sæpe ita hærẽt in substantiis, vt reipsa nunquam separentur, quæ a Dialecticis natiua dicũtur, quod natura subiecto insint, vt calor igni, durities lapidi, radicis, caulis, foliorũ, florumque formæ, herbis. Et cum huiusmodi accidentia substantias alioqui nobis ignotas euidenter admodum ostẽdant, (per hæc res enim inter se omnes, veluti maluam ab asphodelo, cygnum a coruo discernimus) plurimum certe momenti habebit definiendi forma ex genere & accidentib. collecta. Modus nanq; humanæ cognitionis ferme ex multis accidentibus vnam quandam substantiæ imaginem colligit, quemadmodum Homer[9]
F fecit, vbi *strabis oculis, acuminato capite, gibbosis humeris, garrulitate scurrili* Thersiten fuisse scribit. Deniq; cur argumenta ducta a definitione, ex genere & accidentibus, inefficacia essent, cum fere vbiq; differentias rerum per accidentia circumloquamur? Neque enim multa propria nomina differentiarum exstant. Errat itaq; toto cœlo Montuus,

Nymphæa.

Eupatoriũ verum.

Eupatorii descriptio.

Agrimoniæ vocatæ effigies.

Seplasiarii Agrimonia pro Eupatorio vero vtantur.

Montui in dialecticis inscitia.

Nõ omnia accidentia adesse vel abesse præter subiecti corruptionẽ possunt.

Definiendi forma ex genere & accidentib. plurimum momenti habet.

Differẽtias rerũ per accidentia circumloqui mur.

Gal. ab iniuria vindicatur.

A quod herbarum descriptiones a veteribus traditas fallaces esse ait, cum nulla certior cognoscendi herbas ratio tradi aut excogitari possit, quam, vt ad veterum, Dioscoridis præsertim, qui reliquos omnes superasse ab omnibus creditur, descriptiones confugiamus. Nam hac ratione agnoscendi herbas ablata, nunquam ad exactam eorundem cognitionem perueniemus. Præterea impudenter hallucinatur Montuus, iniuriamq; Galeno facit, quod hunc ideo simplicium medicamentorum formas figurasve non depinxisse asserit, quoniam fallaces admodum putauerit. Non enim hoc nomine earundem figuras perscribere abstinuisse se Galenus ipse *libr. 6. de simplicium medicamentorum facultatibus*, testatur, sed quod post Dioscoridem, qui, *eodem etiam teste*, omnium perfectissime hoc præstitit, denuo idipsum aggredi minime necessarium existimauit. Verba eius habentur capite de abrotono, vbi sic scribit: ταύτης τῆς πόας οὔτε τὴν ἰδέαν χρὴ γράφειν, ἐπὶ τοσούτοις τε καὶ τοιούτοις ἀνδράσι quod est: *Herbæ huius nec speciem formamve scribere post tot tantosque viros oportet*. B

Dioscorides optimus herbarum pictor.

Referendum autem ad veteres materiæ medicæ scriptores, Dioscoridem præcipue, quorum omnium capite præcedenti meminit. Et certe post Dioscoridem iterum pingere herbas minime necessarium Galenus esse putauit, quod ita rem illam absoluerit, vt nemo hactenus repertus sit, qui descriptiones suas tanquam falsas reprehendere voluerit.

Locus Plinii explicatur.

Præterea Plinium quoq; in sententiam suam pertrahere Montuus conatur, at frustra: neque enim is *lib. 25. cap. 2.* herbarum descriptiones fallaces esse inquit, sed picturam ex coloribus tam numerosis, præsertim in æmulatione naturæ, fallacem esse docet. Neque enim natura, vtcunq; quis numerosos colores inter se misceat, satis imitari aut exprimi potest. C

Herbarum formas certius sermone quam pictura exprimi.

Proinde longe melius est, vt verbis etiã herbarum formas, quam pictura tantum exprimamus: certius enim sermone, qua pictura, quod conamur assequemur: multum enim, *vt Plinii verbis vtar*, degenerat transcribentium sors varia. Quare ceteri sermone eas tradidere. Quibus sane verbis Plinius nihil aliud indicare voluit, quam multo consultius esse etiam verbis, quam pictura tantum, quemadmodum quidam fecerunt herbarum effigies exprimere. Atq; adeo probe facimus, dum ad veterum, Dioscoridis maxime, qui vnus hodie pro multis est, descriptiones, tanquam ad sacram anchoram, in agnoscendis herbis confugimus.

Soli mutatio internoscendis herbis non admodum incõmodat.

Neq; obest, quod propter soli diuersitatem subinde mutentur: ea enim quum in quãtitate tantum mutatio sit, non tanta esse potest, vt veterum notis adhibitis internosci non queant. Caueant ergo studiosi, ne Montui ineptiis seducantur, quando tales sunt D quas quisque paululum saltem iudicii nactus, non solum oppugnare, sed etiam penitus interimere queat. Quid autem de Dioscoride, & picturis, quas hodie constat esse multo, quam olim fuerint, meliores ac veriores, *in præfatione in nostros de stirpium historia commentarios* clarius & copiosius diximus.

Eupatorium Græcorum non habere vim purgatoriam, secus atque id quod a Mesue describitur, veteres omnes vno ore affirmare.

Cap. VIII.

Mesues apud nostræ ætatis medicos auctoritas.

LVBENS in iis erratis, quorũ Mesue occasionem dedit, recensendis versor, vt quẽ sciam a quibusdam, imo ferme omnibus nostri seculi Medicis, ita admirari, vt neminem de simpliciũ medicamentorũ facultatib. exactius scripsisse putent, atq; adeo E illius nomini ita se manciparunt, vt hunc non solum nocturna diurnaq; manu versandum, sed & prorsus ediscendum esse clamitent: & quod æque detestandũ est, illum, vt qui reliquos omnes, si diuis placet, in hoc scribendi genere vicerit, adhuc hodie in tãta bonorum auctorum copia, in publicis scholis enarrandum, ac suis auditoribus non solum ediscendum, sed plane deuorandum, tanquam omni errore vacuum, ꝓponunt:

Megastomos.

Id quod superioribus annis Ingolstadii factitasse μεγάλαυχον illum, magnum Thrasonem, & insignem σπερμόλογον, compertum habemus, quem huic auctori ita addictum esse constat, vt citius Christum, veritatem ipsissimam, quam illum mendacii insimularet, imo quod horrendum est, & penitus abominandum, citius Christo diuinitatem, F quam Mesue auctoritatem suam detraheret. Sed valeat Cyclops ille cum vniuersa sibi similium turba, digni enim sunt, qui perpetuo cum Gryllo, instar suum, sterquilinio delectentur: nos Mesues verba ex suo *de simplicium medicamentorum libro*, Eupatorio vim purgatoriam tribuentia, subiiciem⁹. *Eupatoriũ*, inquit, *solutione educit choleram & phlegma facile.*

A *facile.* Non autem habere eam vim Eupatorium, præter experientiam, omnes tam Græci, quam Arabes alii consentiunt. Dioscorides enim *lib. 4. cap. 38.* contrariam potius in eo vim prædicat iis verbis: σπέρμα καὶ ἡ πόα μετ' οἴνου πινόμενα δυσεντερικοῖς καὶ ἑρπετοδήκτοις ὠφελεῖ. quod est: *Semen & herba cum vino pota, dysentericis, & a serpentibus morso opitulantur.* Id quod & Galenus facit, *libro 6. de med. simp. facult.* in hunc modum scribens: μετέχει δὲ καὶ στύψεως βραχείας, δι' ἣν καὶ τόνον ἐντίθησι τῷ σπλάγχνῳ. hoc est: *Inest itidem ei & adstrictio quædam, per quam robur visceri addit.* Et Paulus certe Ægineta *lib. 7.* adstrictoriam vim illi inesse quoque affirmat, perinde atque Oribasius: quorum sententiam Plinius *lib. 25. cap. 6.* etiam confirmat, ita scribens: *Semen Eupatorii dysentericis in vino potum vnice auxiliatur.* Et inter Arabes Auicenna *cap. 244. Can. 2.* illiniri vlceribus, quæ ægre cicatricem contrahunt, darique

B in potu cum vino ad sananda intestinorum vlcera, Eupatorium suadet. Cui Serapion *capite 77.* quoque subscribit, adeo vt manifestissimum sit, neminẽ vel ex Græcis vel Arabib. præter vnũ Mesuen fuisse, q. Eupatorio purgandi potestatẽ adscriberet. Neque hodie est, qui experientia se cõperuisse, talem in Eupatorio Græcorũ esse vim, dicere ausit, ita vt merito tot ꝓbatissimorum sententiis atq; experientiæ ẽt innixi, statuamus Mesue Eupatorium, ab eo, q. Græci & veteres alii descripserunt, diuersum esse, nec vllam purgandi vim habere. Mesue aũt Eupatorio suo recte purgandi vim tribuit, q. illã habere posteriorũ etiam experientia comprobatum sit. Reprehensione igitur dignus est Mesue, q. Eupatorium suum a Græcorũ Eupatorio diuersum esse diserte nõ indicarit, adeoq; doctissimis etiã viris, Leoniceno, Manardo, & aliis, tenebras effuderit, *vt*

C *fusius 1. nostrorum de stirp. hist. commentar. tomo* monstrauimus.

Eupatoriũ non habere vim purgandi.

Arabum placita in depingendis herbis non esse sectanda, vel vnam radicem quam hodie sub Turbit nomine officinæ vendunt, argumento esse: hanc enim tam varie atq; ambigue depingere, vt impossibile sit diuinare quid per illam intellexerint. CAP. IX.

STVDIOSIS summa diligentia obseruandum, quo in bonos peritosque eius artis, quam discendam sibi proposuerunt, auctores incidant. Nam Gal. *li. 1. de facul. natur. capite 14. teste,* ὅτῳ γὰρ ἂν ἕκαστος πρώτῳ περιτύχῃ διδασκάλῳ, τοιοῦτος ἐγένετο, μὴ περιμείνας μηδὲν ἔτι παρ' ἄλλου μαθεῖν. id est: *Quali quisque præceptori primum incidit, talis euasit, nihil præstolatus ab alio etiam didicisse, adeo* ὡς οὐδὲν θαυμαστὸν ἐπίσης τοῖς ἀληθέσι τὰ ψευδῆ τιμᾶσθαι. hoc est, *vt minus mirum sit, si ab iis falsa cum veris*

D *pari precio censeantur.* Id certe consilium si nostræ ætatis Medici sequi voluissent, non esset cur hodie in tanta errorum, maxime in iis quæ ad simplicium medicamentorum cognitionem attinent, caligine versarentur. Plerique enim omnes Arabes potius quam Græcos sequi voluerunt, quum tamen nulli magis inter se dissenserint: ideoque factum, vt & nos haud aliter quam illi nobis non constemus, & clausis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnemus. Dissensisse vero inter se Arabes, radix Turbit vocata indicio est: aliter enim de ea Serap. aliter autem Mesue tradidit. Serapionis siquidem hæc de *Turbit cap. 320.* sententia est: *Turbit,* inquit, *est planta quæ nascitur in littoribus maris, in locis scil. quos mare cooperit, quando crescit, quando vero est quietum, nõ tangit eos. Non enim nascitur intra aquam maris, nec est multum longe ab ea, & nisi quando mare turbatur, & cre-*

E *scit, & non tangit eam: habet folia similia foliis plantæ, quæ dicitur Arasatis (legendum autem Isatis, vt paulo post ex Dioscoride patebit) nisi quia sunt crassiora eis, & habet stipitem longum duobus palmis, diuisum in summitate. Et dicunt quidam, quod flos eius mutat colorem suum ter in die, quia mane est albus, & in meridie declinat ad colorem purpureum, in vesperis vero fit rubens. Radix eius odorifera, alba, quæ quando masticatur, calefacit linguam.* Quæ si vera Serap. sententia est, a Tripolio Turbit nihil differt: quicquid enim Serapion Turbit, hoc itidem Tripolio Dioscorides tribuit, cuius hæc *lib. 4. cap. 16.* de Tripolio verba sunt: τριπόλιον φύεται ἐν τοῖς παραθαλασσίοις τόποις, οὓς ἐπικλύζει ἡ θάλασσα καὶ ὑποχωρεῖ, οὔτε δὲ ἐν ξηρῷ, οὔτε ἐν θαλάσσῃ. φύλλα δὲ ἔχει ἰσάτιδι παραπλήσια, παχύτερα δέ· καυλὸν σπιθαμιαῖον, ἄνωθεν ἐπεσχισμένον. τούτου ἱστορεῖται καὶ ἄνθος τρὶς τῆς ἡμέρας μεταβάλλειν τὸ χρῶμα, πρωῒ μὲν λευκὸν, κατὰ δὲ τὴν μεσημβρίαν πορφυρίζον, ὀψὲ δὲ φοινικοῦν. ῥίζα λευκὴ, εὐώδης, θερμαντικὴ γευομένῳ. id est, *Tripolium in maritimis nascitur locis, quæ allidit mare, recedensque dimittit; neq; vero in arida, neq; in mari: Folia habet*

F *Isatidi similia, crassiora tamen: caulem dodrantalem, in summo diuisum: Flos eius fertur ter quotidie mutare colorẽ: mane enim candidus, meridie purpureus, vespere puniceus conspicitur. Radix illi alba, odorata, gustu calida.* Dioscoridi subscribit Plin. *lib. 26. c. 7.* in hunc modũ scribens. *Tripoliũ in maritimis nascitur saxis, vbi allidit vnda, neq; in mari, neq; in sicco; folio Isatis crassiore, palmo alto, in mucrone diuiso, radice odorata, crassa, calidi gustus.* In hoc aũt vehemẽter errat Plin. quod

Periti artis quam discẽdam nobis proponimus auctores legendi.

Arabum inter se dissensio.

Serapionis de Turbit sententia.

Turbit Serap. est Tripolium.

Tripolii descriptio.

Plin. Tripolium cum Polio confundit.

Tripolium eandem herbam cum Polio esse putat. Hinc est, quod Polii foliis assigna- A
uerit miraculum, quod Tripolii floribus veterum auctoritate debetur. Sic enim *lib. 21.*
cap. 7. de Polio scribit: *Folia eius mane candida, meridie purpurea, sole occidente cærulea aspiciun-*
tur.

Pandectarii error.

Ex iam dictis etiam Pandectarii immensus error agnoscitur, qui in suis mendacis-
simis Pandectis duo facit capita, vnum de Tripolio Dioscoridis, alterum vero de Tur-
bit Serapionis, quasi Turbit apud Serapionem aliud sit a Dioscor. Tripolio: id enim
falsum esse ex prædictis euidentissimum est.

Mesues de Turbit sententia.

Ceterum Mesuen aliud a Serapionis
Turbit descripsisse, ex eiusdem verbis innotescet: ita enim Turbit suum depingit:
Turbit est radix herbæ, cuius folia sunt sicut folia Ferulæ, minora tamen: & est ex habentibus lac.
Quorum certe nihil in Serapionis Turbit cernere licet: folia enim hæc Isatidis, quæ
Plantagini similia sunt, habet: illa autem *Ferulæ*, quæ *Fœniculi* foliis accedunt. Quod si B
vero Ferulæ folia habuerit Turbit, ex iis quæ lac habent, *vt ait Mesue*, esse non potest:
nam si lac habet, tum vel aliqua specierum Tithymalorum, vel radix Pityusæ erit.

Septem species Tithymalorum.

Quum autem septem sint Tithymalorum species, *Dioscoride libro 4. capite 155 auctore*,
nulla tamen ex his Ferulæ similia folia, qualia Turbit Mesuës habeat, fieri non potest,
vt illarum aliqua Turbit eiusdem esse queat. Nullam vero Tithymalorum speciem

Turbit Mesue non est Pityusæ radix.

Ferulæ foliis constare, Dioscoridem diligenter excutienti patebit. Singularum enim
specierum descriptiones afferre superuacaneum esse duxi. Neq; etiam Turbit a Mes-
ue descriptum Pityusæ radix esse potest, siquidē hæc non Ferulæ, sed Piceæ folio con-
stat, *quemadmodum lib. 4. capite 156. testatur Dioscorides*, qui Pityusam φυλλαρίοις ὀξέσι, λεπτοῖς, ἐγκε-
κλιμένοις, ἐμφερέσι τοῖς τῆς πίτυος. quod est, *foliolis acutis, tenuibus, Piceæ similibus vestitam esse* scribit. C

Pityusa apud Serapionem Scebram dicitur.

Quibus accedit, quod Pityusa apud Serapionem non *Turbit*, sed *Scebram* nuncupa-
tur, idquod palam fiet, si quis vtriusque descriptiones contulerit. Denique Mesues
Turbit non potest esse, vel Lathyris, vel Peplion, vtraque licet inter lactarias a Diosco-
ride connumeretur herbas, quod vtriusque radix a Dioscoride inutilis esse censeatur.

Lathyris quid.

Et certe Lathyris ea est herba, quæ hodie *Cataputia minor*, barbaro vocabulo dicitur.

Turbit nostrum non est Serapionis.

Qui iam fieri posset, vt quid esset Turbit, ex tam diuersis ambiguisque Arabum pla-
citis, nostræ ætatis Medici scire possent? Non enim esse Serapionis Turbit, quo nunc
passim officinæ vtuntur, vel ex eo manifestum fit, quo radix illa, quam Serapion de-
pingit odorata est, ea autem, qua nos vtimur, odore penitus caret, tantum abest vt

Turbit nostrum non est Mesues.

Serapionis Turbit dici possit. Neque Mesues esse poterit Turbit, quoniam, vt doctis- D
simus Ioannes Manardus ex nonnullis fide dignis se audiuisse scribit, ex planta acci-

Turbit vnde.

pitur, quæ Myrti folio, & minime ferulæ constat: ita vt nihil mirum sit nostræ ætatis
Medicos ignorare, quid sit radix, quam sub Turbit nomine officinæ vendunt, præ-
sertim cum Græci, ad quos tanquam ad sacram anchoram in iis dubiis cōfugiendum
erat, de ea radice sub nomine Turbit nihil scripserint: barbara enim vox est, & a po-
sterioribus Medicis, ob vehementem forte, quam habet in mouenda aluo turbatio-
nem, sic appellata. Neque obstat, quod apud Dioscoridem capite de Pityusa hæc ver-
ba ἣν καλοῦσι τυρπὲθ inserta sunt, nam ea ab aliis adiecta esse argumento est, quod in nullis
Græcis aut Latinis vox *Turbit* legitur codicibus. Proinde si verum est, quod Ioannes
Manardus se audiuisse dicit, nimirum quod planta eius radicis, quam *Turbit* hodie E
nominamus, folium Myrti habeat, interque lactarias herbas refertur, certe aliqua Ti-
thymalorum species erit, non tamen ex earum septem numero, quæ a Dioscoride cō-
memorantur, sed ea quam hodie Cretensem Tithymalum appellant, *vt abunde tomo*
tertio nostrorum de stirp. histor. commentariorum monstrauimus, vbi iconem eius subiecimus,
& vniuersam historiam luculenter exposuimus. Ceterum Turbit Mesue, quod feru-
læ folia, vt dictum est, obtinet, vt a Turbit communis vsus diuersum est: ita a Thapsia
Dioscoridis non differt, quemadmodum *loco iam citato pluribus*, & iis quidem effica-
cissimis, argumentis demonstraui, vt opus non sit hic denuo referre.

Prudenter facturos Medicæ artis studiosos, si Mesuen Rheubarbaro, Epithymo, Scammonio, Polypo-
dio, & Euphorbio exhibitionis præscribentem pondus, haud sectati fuerint. F

Cap. X.

Rheubarbari pondus.

Ex multis aliis medicamentis, in quorum præscribendis ponderibus Mesue aber-
rasse videtur, pauca hæc enumeranda delegimus, quod cetera ex Manardi margi-
neis in hunc auctorem annotationibus studiosus quisque venari queat. Rheubarbari
itaq;

A itaque dosis a Mesue præscripta est, vt potio eius infusi seu macerati sit a drachmis duabus & semis vsque ad drachmas decem, triti autem ad quatuor: quæ nimirum quantitatis nimis excellit, nec est hodie sane mentis Medicus, qui tantam portionem exhibeat, adeo vt multa confutatione nihil opus sit. Præterea pulueris Epithymi drachmas septem exhiberi posse Mesue statuit, cum tamen veteres multo minorem quantitatem præscripserint. Dioscorides enim quatuor tantum drachmas concedit: cuius hæc lib. 4. capite 168. de Epithymo verba sunt: πινόμενον δὲ σὺν μέλιτι, κάτω καθαίρει φλέγμα καὶ χολὴν μέλαιναν, ἰδίως ἁρμόζον ἐπὶ μελαγχολικῶν καὶ ἐμπνευματουμένων ὀξυβάφου πλῆθος ἕως ὁλκῶν Δ σὺν μέλιτι καὶ ἁλσὶ ὀλίγῳ ὄξει. *Potum cum melle pituitam bilemque nigram per inferna purgat, priuatim melancholicis & inflatis accommodatum acetabuli mensura vsque ad drachmas quatuor, cum melle saleque ex aceto modico.* Oribasius quoque in compendio suo vix drachmas tres transcendit, ita scribens: *Dabis cum vino duplici penso drachmas tres & adhuc amplius, & cum melle salis admiscebis cochlearum medium.* Paulus tamen Aegineta lib. 7. dandas esse drachmas quinque Epithymi cum lactis hemina contritas permittit. Plinius *libro 26. capite 8.* ad sex vsque drachmas progreditur, dum in eum scribit modum: *Aluum soluit a quatuor drachmis ad sex, cum mellis exiguo salisque & aceti.* Auicenna autem *cap. 229. 2. Canonis*, potionem Epithymi quatuor esse aureos præcipit; adeo vt nemo sit præter vnum Mesuen, qui ad septem vsque drachmas progredi ausus sit. Proinde consultum erit, vt quinq; tantum, vel summum sex, idque in paucissimis, drachmas concedamus. Ceterum in Scammonia dosim esse a quinque granis ad duodecim scribit Mesue, cum tamen Dioscorides dare integram drachmam, imo obolos quatuor non timeat: id quod verba eiusdem, quæ scribit libro quarto capite 165. liquido monstrabunt: δύναμιν δ' ἔχει, ait, ὁ ὀπὸς λυφθεὶς σὺν μελικράτῳ ἢ ὕδατι πλῆθος Δ ἢ τετρωβόλου καθαίρειν κάτω χολὴν καὶ φλέγμα. εἰς δὲ τὸ λῦσαι τὴν κοιλίαν ἀρκέσουσιν ὀβολοὶ β' hoc est, *vim habet Scammonii liquor cum mulsa aut aqua pura drachmæ vnius aut obulorum quatuor pondere per inferna bilem & pituitam purgare. Ad soluendam vero aluum bini oboli satis sunt.* Animaduertendum autem binos obolos esse scrupulum vnum, id quod præter alios in suo de ponderibus & mensuris carmine, Rhemnius his versibus indicat:

Epithymi dosis.

B

Scammoniæ pōdus.

C

Obolus quid.

Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores.

Ita vt lapsus sit Angelus Politianus, vir alioqui doctus, *epistolarum suarum libro 10.* dum scrupulum Latinis dictum, ὀβολὸν Græcis nominari contendit: ὀβολὸς enim dimidius tantum scrupulus est. Sed nihil opus in re manifesta pluribus verbis. Vt igitur ad institutum redeamus, Paulus etiam Ægineta *libro 7.* febre carentibus, & stomacho non imbecillis, Scammonii pondus obolorum quatuor cum zingibere exhibendum docet. Et *in Compendio suo* Oribasius drach. integram exhiberi posse asserit. Id quod non ideo dixerim, quod tantam hodie de Scammonio quantitatem exhiberi posse putem, atque adeo Scythicis illis Medicis patrociner, sed vt ostendam, Scammoniam, qua hodie vtimur, non esse genuinam: nisi enim adulterina foret, tuto ea quantitas quæ a veteribus præscripta est, dari posset. Adulterinam autem esse quiuis experitur, qui illam cum notis vel a Dioscoride, vel a Mesue traditis contulerit. Omnium autem videtur esse deterrima, quā *Syriacam* & *Iudaicam* appellat Dioscorides, quæ quoniam lacte tithymali vitiata est, fit vt genuina sit multo in purgando violentior: nam Plinio teste, strangulat sumta. Scio tamen quendam qui scrupulum integrum, (& (ni fallor) plus etiam, sine noxa hauserit. Non est autem vt ideo diuersum Græcorum Scammonium ab Arabum esse credamus, quemadmodum Symphorianus Campegius *in horto suo Gallico, libello ex pluribus antea ab ipso editis congesto*, leuibus & nullius momenti argumentis persuadere nititur. Quemadmodum enim Dioscorides ceteris quod ex Mysia Asiæ deportatur, & Plinius Colophonium atque Prienense præposuit, ita Mesue Antiochenum. Denique vt illi Iudaicum & Syriacum damnant, ita hic Corascenum. Nemo autem est, qui nesciat Colophonē, Prienen, Antiochamq; conterminas esse regiones. Colophon enim Ioniæ, Priene vero & Antiochia Cariæ ciuitates, *Ptolameo lib. 5. cap. 2. tab. 1. Asiæ teste*, exsistunt. Corasceni autem quantum ex Serapione colligere licet, nihil aliud est quam Syria, ita vt dubium non sit tam Græcos quam Arabes vtrūque cognouisse Scammoniū. Conueniunt quoq; in hoc vtriq; auctores, quod plantæ vnde Scammonium extrahitur, eadem folia assignant. Dioscorides namq; hederacea

D Politiani error.

Scammonia qua hodie vtimur non est genuina.

E

Scammonium Græcorum ab Arabum Scammonio non esse diuersum contra Symphorianum Campegiū.

F Colophon, Priene, Antiochia.

& triangularia, Mesue vero instar sagittæ alatæ. Quis est vero qui nesciat hederæ folia angulosa esse, & sagittæ eius cuius Mesue meminit formam habere? Huc accedit quod Serapio in descriptione Scammoniæ Dioscoridis & Galeni de Scammonia verba citet, quod nunquam facturus erat, si Arabum a Græcorum diuersa fuisset Scammonia. Sunt & alia multa quæ vtrisque descriptionibus collatis, quadrare videntur. Proinde non erat cur Manardum atque me ignorantiæ insimularet Campegius, neq; enim verum est quod ille scribit, Scammoniam Arabum esse de genere peculiari lactariorum, & de ea Græcos nihil scripsisse; sed tantum de ea quod in Colophone nascitur: nam, *vt iam diximus*, Scammoniam Syriacam, quæ lacte Tithymalorum adulteratur, tam Græci quam Arabes cognouerunt: & ad hanc certe pondus Mesues referendum erit, nã Antiochena seu Asiatica maiori quãtitate deuorari potest. Quod verum esse testatur Auicenna, qui *cap.636. Can.2.* ita scriptum reliquit: Scammonia in regionibus diuersificatur, ita enim eius interpres loquitur: adeo quod ego viderim in quibusdam Medicorum libris exhibitionem eius plurium ponderis. Quibus sane verbis Auicenna significare voluit Scammoniam in diuersis regionibus nunc validioribus, nunc vero infirmioribus virib. nasci. Non est igitur quod ob vires vehementiores, aut imbecilliores genus, sed duntaxat pondus mutet. Errat ergo potius Campegius, quod Scammonium in Colophone tantum nasci putat, cum in Mysia Asiæ, Priene & Antiochia etiam nascatur. Hactenus de Scammonio. Porro Polypodii dosim scribit Mesue esse vsque ad aureos quatuor: at satis constat vnciam integram parum purgare, id quod multa confutatione non eget. De Euphorbio vero, ex Dioscorid. auctoritate, scribit eiusdem aureum vnum sumtum interficere. Quo siquidem in loco, vt alias sæpissime, in Mesue requiritur fides: neq; enim vsquam hoc ipsum Dioscoridem scripsisse legimus. Imo Paulus Ægineta *lib.7. cap.4.* Euphorbii drachmam vnam cum melle decocto potam, pituitam quidem, impensius vero aquas, educere docet. Serapion vero & Auicenna *cap.236. sec. Canon.* non vnum aureum, sed drachmas tres interficere dicunt. Idem quoq; Auicenna *Fen.1. cap.3. tract.5. cap.7. de curatione incubi*, drachmæ vni Euphorbii, Scammonii drachmæ 3. partem, & quartam colocynthidos addere præcipit. Quod non ideo dixisse putent studiosi, quasi tantam quantitatem exhibendam esse suadeam, sed vt haberent veritatis cultores, si quando necessitate ita vrgente Mesues præscriptum excesserint, quod impudentibus calumniatoribus obtruderent.

Manardus ab iniuria vindicatur. — Campegii error. — Polipodii pondus. — Euphorbii pondus.

Centaurium maius Mesuen, Auicennam in hoc vt plerisq; aliis secutum, præter antiquorum exemplum, cum minore confundere ac vires vtriusq; indiscriminatim commiscere: minus quoque non sine magno errore, maiori præferre.

Cap. XI.

Maius Centaurium confundere Mesuen cum minore, non aliunde certius nisi ex eiusdem verbis sciri potest, quæ *in libro suo simplicium medicamentorum* in hunc modum scribit: *Centauria alia maior, alia minor, inter quas distinguuntur proprietates notæ. Minor melior est in omni re, cuius flores & crura habent colorem citrinum palearem, & melior pars plantæ sunt flores & semina ipsius. Et melius tempus collectionis eius est principium æstatis. Calidæ complexionis & siccæ in secundo est, & est composita ex partibus terreis adustis, in parte dantibus ei amaritudinem, & ex non adustis cum permixtione aquositatis, a quibus inest ei stypticitas. Et est in ea de dulcedine aliquid a partib. aereis. Et in ipsa est ex acredine aliquid a partibus igneis. Et amaritudo in ea plus est stypticitate ipsius, & stypticitas plus dulcedine & acredine, & acredo in ipso est remissa sine mordicatione. Quare est ex maxime curantibus vulnera. Imo ipsa est abstersiua, exsiccatiua, consumtiua superfluitatum, & solutiua ventris. Et quando superfluit purgatio, ex ea solutione educit sanguinem: aperit enim orificia venarum, apertione sanguinem manare faciente.* Hactenus Mesues verba recensuimus, quæ ex *cap.102. secundi Can. Auic.* esse desumta intelliget quisquis capita hæc inter se conferre voluerit. Vtrunque autem in Auicennam & Mesuen Centaurium maius cum minori confudisse, ex iam adductis verbis monstrabimus. Neq; obstat, quod primo vterque idem in maius atq; minus diuidit, mox enim obliti diuisionis, vtriusque proprietates atq; vires indiscriminatim miscent, horumque historiam confusissime tractant, id quod ex sequentibus euidentissimũ erit. Nam vt omnia ordine excutiamus, falsum est quod vterq; minus Centaurium maiori prætulit: id enim præter antiquorũ auctorum exemplum eos fecisse constat, qui cuiq; suas

Mesue de Centauria sententia. — Centauriũ minus maiori non præferendum.

A ſuas vires ſeorſim tribuerunt, nec vnum alteri prætulerunt, alia enim in re vtraque melior. In eo tamen minus a maiori vincitur; quod minoris radix Dioſcorid. & Galeno auctoribus plane inutilis ſit, id quod apertis verbis vterque monſtrauit. Dioſcorid. iis ῥίζα ἄχρηστος: Galenus illis, κενταυρίου τοῦ μικροῦ μὲν ἡ ῥίζα παντάπασιν ἄπρακτος. hoc eſt: *Centaurii minoris radix plane inefficax eſt.* Et plinius *libr.25. capit.6. Centaurium*, inquit, *minus radice tenui & ſuperuacanea.* Nec diſſentit Paul. qui *lib.7.* ita ſcribit: *Centaurii minoris radix ignaua plane & inefficax eſt.* Adeo vt inſigniter errent, qui minoris radicem vſui Medico hodie accommodent. Falſum quoque eſt, quod ait Meſue, *flores Centaurii minoris habere colorem citrinum & paleārem*: vt enim res ipſa & Dioſcorides teſtatur, flores eius colorem in puniceo purpureum referunt, taliſque plane, quod ad formam ſuam attiB net, flos eſt, qualis *Lychnidis.* Denique veritate carere videtur, quod vterque in principio æſtatis legendas eſſe herbas ſcribit, quum Dioſcor. auctore, minus Centaurium non niſi ſemine prægnans legendum ſit, quod certe in æſtatis principio fieri non poteſt. Hinc eſt, quod Plinius in autumno colligi velit. Ceterum confundunt deinceps vtriuſque qualitates: nam quod ineſſe Centaurio amaritudinem & ſtypticitatem ſcribunt, hoc de minori intelligendum venit. Teſtis Galenus, qui de eo, *lib.7. de ſimplicium medicamentorum facultat.* ita tradit: κρατεῖ ἐν αὐτῷ ἡ πικρὰ ποιότης ὀλίγης ἔχουσα στύψεως μετὰ... quod eſt: *Vincit in eo qualitas amara, paululum habens & adſtrictionis.* Dioſcorides quoque radicem γευομένῳ ἐμφαίνουσαν πικρίαν ait, Hinc eſt, vt propter amaritudinem aliqui *Fel terræ* dixerint: quod indicat Plinius loco iam citato, inquiens: *Hoc Centaurium noſtri Fel terræ vocant,* C *propter amaritudinem ſummam.* Quod vero paulo poſt Meſue & Auicenna ſcribunt, *Centaurio ineſſe dulcedinem cum acredine, hoc ad maius tantum referendum erit.* Teſtis iterum Galenus vbi ſupra, ita ſcribens: κενταυρίου τοῦ μεγάλου ἡ ῥίζα κατὰ μὲν γεῦσιν δριμεῖα πως ἅμα καὶ στύφουσα φαίνεται μετά τινος βραχείας γλυκύτητος, id eſt: *Centaurii magni radix guſtu quidem acris ſimul adſtringenſque apparet cum leuicula dulcedine.* Et Dioſcor. lib.3. cap.7. in hunc modum de Centaurio maiori loquens: ῥίζα παχεῖα, στερεά, βαρεῖα, ἕως πήχεως δύο, μεστὴ χυλοῦ, δριμεῖα μετὰ ποσῆς στύψεως καὶ γλυκύτητος, hoc eſt: *Radix illi denſa, ſolida, grauis, longitudine ad bina cubita, ſucco plena, acris cum adſtrictione aliqua & dulcedine.* Plinius quoque loco antea citato: *Radix*, inquit, *vaſta, rubeſcens, tenera, fragiliſque, ad bina cubita, madida ſucco, amara cum quadam dulcedine.* Porro quod ſequitur in contextu Meſues, *In ea eſt acredo remiſſa ſine mordicatione,* de minori intelligendum eſt: D hoc enim, *Galeno auctore,* φάρμακον ἄπυρον δήξεως, id eſt: *medicamentum expers mordicationis eſt.* Sed cum ait, *eſt ex maxime curantibus vulnera*; id minori adaptandum erit Centaurio. Hæc enim herba, Dioſc. referēte, χλωρὰ καὶ καταπλασσομένη τραύματα κολλᾷ, ἀνακαθαίρει ἕλκη παλαιὰ καὶ ἀπουλοῖ, quod eſt: *Virens adhuc tuſa & illita vulnera conglutinat, vetera quoque vlcera & purgat, & cicatrice obducit.* Et ad minus eſſe referendum clarius indicat Galen. ita ſcribens: τὰ τε μεγάλα τραύματα κολλᾶται κατὰ τὴν ἐπίθεσιν τῆς πόας αὐτῆς ἔτι χλωρᾶς, καὶ τὰ παλαιὰ δὲ καὶ δυσεπούλωτα τῶν ἑλκῶν ἐπουλοῦται ... id eſt: *Vlcera magna herbæ ipſius recentis illitu glutinantur, & vetuſta, quæque ægre ad cicatricem perduci queunt, cicatrice eodem modo vtentibus obducuntur.* Quod vero tandem ſubiicit Meſue, imo ipſa eſt abſterſiua, exſiccatiua, conſumtiua ſuperfluitatum, & ſolutiua ventris, iterum minori Centaurio veE teres tribuunt, nam de eo ita Dioſcorides ſcribit. ἀφεψηθεῖσα δὲ καὶ καταπινομένη ἄγει κατὰ κοιλίαν χολὴν καὶ παχέα, id eſt: *Si decocta deuoretur, per aluum biliosa & craſſa ducit.* Id quod & Galenus facit, inquiens: τὸ δ' ἀφέψημα τῆς πόας ἐνιέασί τινες ἰσχιαδικοῖς, ὡς ἄγον χολώδη τε καὶ παχέα, καὶ διὰ τοῦτο καθαῖρον... hoc eſt. *Decoctum herbæ quidam Iſchiadicis infundunt; ceu bilioſa & craſſa ducens, nam & talia purgat.* Paulus quoque *lib.7. Decoctum* ait, *herbæ iſchiadicis iniectum, bilioſa quadam educit.* Et in cap.4. eiuſdem libri: *Centaurium minus,* inquit, *quoniam bilem craſſaque purgat, coxendice laborantibus peculiariter ſuccurrit.* Sequitur in Meſue: *Et quando ſuperfluit purgatio, ex ea ſolutione educit ſanguinem.* *Aperit enim orificia venarum. apertione ſanguinem manare faciente.* Quod ſane iidem de minori Centaurio inaudiendum erit, nam de eo ſic tradit Dioſc. ἐγκλυζόμενον τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐστὶ τῶν ἰσχιαδικῶν ἁρμόδιον, ἄγει αἷμα καὶ κουφίζει quod eſt: *Decoctum eius* F *iſchiadicis conuenientiſſime infunditur, ſanguinem educens, doloremque leuans.* Et Galenus: ἐπὶ δὲ ... ὅταν ἰσχυρότερον ἐνεργήσῃ ὡς αἱματώδη κενοῦν, ὠφελεῖ μᾶλλον. hoc eſt: *Quum adeo vehementer operabitur vt cruenta euacuet tunc plus proderit.* Paulus quoque de eodem ita ſcribit: *Nonnunquā vero tam violenter operatur, vt & ſanguinem euacuet, atq; tū quidē magis proderit.* Animaduertendū autem, Centauriū ſanguinolenta educere, nō quia ex propria natura ſeu natiua, quadam

Minoris Centaurii radix inutilis.

Quando colligendū Centauriū.

Fel terræ Centauriū cur dictum.

Centauriū minus ſanguinem educere poteſt.

Centauriū qua ratione ſanguinem educat.

proprietate venas aperiat, sed vt quodlibet aliud facit, dum violentius operatur: acrimoniæ enim atq; mordacitatis, vt *antea diximus*, expers est, quam adesse oportet iis quæ venas aperiunt. Vtinam vero Mesue tam oculatus in aloe, quam hic in Centaurio fuisset: nam etsi ille indiscriminatim de maiore ac minore Centaurio scribens, maioris acrimoniam in minus quoque transferre videatur, non vsque adeo tamen in illo, sicut in aloe cæcutiuit, vt scilicet educere sanguinem aut aperire venas simpliciter, sed cum superflue purgat, dicat: Quod si itaque hæc de aloe eius quoque fuisset sententia, non erat cur a nobis reprehenderetur. Insuper in recensendis Centaurii viribus mirum in modum vtriusque facultates confundit Mesue, id quod ex iam dictis, & ex veterum collatione quiuis deprehendet. Et si cui ingenium ista conferendi deerit, is Manardi margineas in hunc auctorem annotationes adeat, & quod asserimus, verissimum esse comperiet. Proinde nihil apertius, quam Mesuen vtriusque Centaurii & historiam & facultates confudisse, ita tamen vt nemo, licet oculatissimus sit, eas citra veterum collationem discernere, & cuilibet suas adaptare queat. Horum denique confusio effecit, vt hodie Centaurium maius omnibus incognitum sit, atque adeo in officinis, solius minoris vsus exsistat, vt hoc saltem nomine suspecta nobis Arabum Medicorum lectio esse debeat, quod horum inscitia multarum herbarum, maxime earum quæ in quotidiano Medicorum vsu sunt, cognitio interciderit. Sed faxint superi, vt vel tandem sero cum Phrygibus sapiamus.

Centauriũ maius hodie omnibus incognitum.

Arabes ferme omnes, non sine magna inscitiæ nota, Armenium lapidem cum Cyaneo, quem Lazuli vulgo vocant, confundere.

Cap. XII.

Armenius lapis.

QVEM lapidem Plin. aliique Latini *Armenium*, Gal. autem *Armeniacum*, hunc Arabes barbarique *Armenum* vocant. Et quẽ hi, maxime Serapio *lazulum*, Græci *cyanum*, Theophrastus *cyaneum*, Latini *cæruleum* appellant. Hos autẽ cõfundere Arabes, eorundem de iis verba satis monstrabunt. Inter hoc enim princeps Auic. *cap. 57. secundi Can.* ita de lapide lazuli scribit: *Virtus eius est, sicut virtus eius, quo adhæret aurũ, debilior parum est.* Et Serapion: *Virtus eius est similis virtuti glutinis auri, nisi quia ipse est debilior eo, quæ tamen veteres non de lazulo seu cyaneo lapide, sed de armenio potius scribunt:* Dioscorides namque *lib. 5. cap. 59.* ita de armenio dicto lapide tradit: τὰ αὐτὰ ποιεῖ τῇ χρυσοκόλλῃ, πλὴν τὴν δύναμιν μόνον λειπόμενον αὐτῆς. id est: *Eadem quæ chrysocolla præstat, viribus tamen ea infirmior.* Id quod & Plin. *lib. 35. cap. 6.* facit, inquiens: *Armenia mittit, quod eius nomine appellatur: lapis hic quoque chrysocollæ modo operatur.* Sequitur de lapide lazuli in Auicen. *Inest ei virtus eradicatiua, putrefactiua, & abstersio eius cum acuitate & stypticitate pauca.* Quem imitatus Abenrois ait: *Minuit humores calidos, eo quod abstergit, & cum eadem habet stypticitatem.* Et Mesue: *In ipso,* inquit, *est acuitas non vacuata stypticitate aliqua.* quæ itidem debentur armenio lapidi, Galen. *lib. 9. de simpl. med. facul. teste,* vbi ita scribit: Ἀρμενιακὸν δύναμιν ἔχει ῥυπτικὴν ἅμα βραχείᾳ δριμύτητι, καὶ στύψει βραχυτάτῃ. quod est: *Armeniacum vim habet extergentem cum leuicula acrimonia, & leuissima adstrictione.* Confirmat idem Paulus *libro 7.* ita scribens: *Armeniacum abstergendi virtute cum leui acrimonia, & exigua adstrictione preditum est.* Pergit Auicenna in lazuli viribus enarrandis, dicens: *Bonos efficit pilos palpebrarum, & prolongat eos, & est vltimum, sicut dicitur in illo, propter proprietatem, quæ est in ipso, & dicitur propterea, quia ipsum euacuat humores malos, prohibentes oriri pilos.* Mesue: *Conseruat & prolongat pilos, & generat eos in palpebris.* Serapion: *Facit nasci pilos in palpebris.* Abenrois: *Puluerisatus super palpebras, facit nasci pilos.* Et iterum: *Ideo facit oriri pilos, quia remouet humores calidos, & reducit membrum ad pristinam complexionẽ.* Quæ nimirum vis non lapidi lazuli seu cyaneo, sed Armenio a probatis scriptoribus tribuitur. Dioscorides namque ita de illo scribit: ἔστι δὲ καὶ πρὸς ἐν βλεφάροις τριχῶν αὐξητικόν. hoc est, *facit ad pilos in palpebris alendos.* Et Galenus subscribit Dioscor. in hunc modum: αὐτὸ δὲ καθ' αὐτὸ λειώσαντες καὶ χνοώδες ἐργασάμενοι χρῶνται ξηρῷ πρὸς αὔξησιν τῶν ἐν τοῖς βλεφάροις τριχῶν, ὅταν ὑπὸ δριμύτητος χυμῶν τινὲς μὲν ἐκπίπτωσιν αὐτῶν, τινὲς δ' ἀναυξεῖς, καὶ ἄτροφοι γίγνονται. τὰς γὰρ δριμύτητας ταύτας ἐπιδαπανῶσαι εἰς τὴν κατὰ φύσιν ἕξιν ἐπανάγει τὸ μόριον. quod est: *Ipso per sese ad pollinis leuorem redacto vtuntur sicco ad pilorum in palpebris incrementum, nempe vbi præ humorum acrimonia partim excidunt, partim vero nec crescunt nec aluntur. Siquidem de pastis his acrimoniis, in bonum naturæ habitum pars reducitur.* Et paulus inquiens: *Prodest itidem ad pilorum in palpebris incre-*

Cæruleus lapis.

Facultates lazuli lapidis ex Arabum sententia.

A *incrementum*. Ceterum quod Auicenna tandem lapidi lazuli inesse vim eradicatiuam & putrefactiuam scribit, id ceteri etiã Arabes eum sequẽtes faciũt. Mesue enim adustiuũ, vlceratiuum, putrefactiuum, & incisiuum lapidem hunc esse ait. Serapio vero, habere virtutem adustiuam & putrefactiuam inquit. Et in hoc probe scribunt, nam & ea facultas peculiaris est huic lapidi, qui Arabibus *lazuli*, Græcis vero *cyaneus* dicit', ideoq; veteribus etiam cognita. De eo enim Dioscorides libro 5. cap. 60. in hunc scribit modum: κυανὸς δύναμιν ἔχει κατασταλτικὴν, καὶ μετρίως σηπτικὴν, ἐσχαρωτικὴν τε καὶ ἑλκωματικήν. Id est, *cyanus vim habet reprimentem, mediocriter putrefacientem, crustas gignentem, & exulcerantẽ.* Vnde luce meridiana clarius fit, Auicennã & Arabes alios indiscriminatim de vtroq; scripsisse lapide, eorumq; facultates mirum in modum confudisse. Et nisi id ipsum fateantur aduersarii, B Auicennam Arabesq; ceteros in grandius erratum incidisse conuincemus, nimirum q in vno eodemq; capite sibi pugnantia scripserint. Si namque de vno tantum lapide tractant, quomodo conueniunt, hunc simul habere facultatem detrahendi & alendi pilos? facultate enim detractrice nullo pacto alit & producit pilos, sed eosdem magis detrahit & radicitus exstirpat. Præterea, vt & hoc obiter moneam, si lapis lazulus seu cyanus vim putrefacientem & exulcerantem habet, quemadmodum vno ore omnes tam Græci q̃ Arabes fatentur, quo pacto ab exitiali sese rursus errore tuebuntur Arabes, qui ad purgandam atram bilem hunc lapidem deuorandum esse docent? Et sunt hodie non pauci, qui hos imitantes illum hoc nomine, fere quotidie deglutiendum præbeant. Nullius autem veterum auctoritate sese tueri possunt, quando nemo ex Græcis veteribus aucto- C ribus lapidem cyaneum bilis atræ purgandæ gratia deuorari docuerit. Neq; Arabum ea in re sufficere potest auctoritas, quando sole clarius fit, hos duorum inter se lapidum proprietates ac facultates miscuisse. Sed nec rationem illis suffragantem habent, cum euidentissimum sit, medicamenta putrefacientem & exulcerantem vim habentia, qualem cyaneus lapis obtinet, sine magno nocumento deuorari non posse. Id quod Galenus *lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 20. & sequenti*, multis ostẽdit, docetque medicamenta, quæ erodendo & putrefaciendo nos necant, genere, non qualitate, deleteria esse dicta: & quanto diutius in corpore morantur, tanto magis agere nata esse. Atqui dicet quispiam, *fateor cyanum non lotum erosione non vacare, quod si tamen bene abluatur, multum iuuat, & vel nihil, vel parum lædit.* Huic respondemus, nos quidem fateri, quod cyaneus D lotus multum noxiæ facultatis amittat, decebat tamen Arabes, vt id diserte suis in scriptis indicarent. Tamen cum illi, maxime Serapio & Mesue, expressis verbis non loto, hanc facultatem sine noxia purgandi facultatem tribuant, non est, cur se ab errore vindicare possint. Huc accedit, quod per ablutionem vniuersa malitia vix remoueatur. Quum enim putrefacientem simul vim cyaneus lapis obtineat, difficile est vt illam crebra lotione prorsus abigere queas. Proinde, etiam si bene abluatur, tamen putrefaciendi vim omnem vix eximes. Proinde consultius erit, si atræ bili expurgandæ armenium potius lapidem, & hunc quidem præparatum, & sæpius ablutum, adhibuerint, nam is sine omni molestia per inferna illam purgare potest. Testis est Alexander Trallianus *libro primo cap. 22.* in hunc modum scribens: *Nobis sane helleborum album armenius lapis bo-* E *nitate præcedere videtur, si ex eo conficiatur vt debet potio. Quod vtiq; præsidium nostra ætate nuper admodum compertum est: quapropter a veteribus medicis minus celebratum, sed a nobis & alijs compluribus fœliciter vsurpatum, hellebori vsum propter discrimen antiquauit. Lapidem vero armenium, qui viribus, sat scio, helleboro non cedit, quoniam omni vacat periculo & molestia caret, non iniuria prætulimus. Habet autem is, non tam per inferna, quam per superna, vim purgandi minime vulgarem. Ad quem vsum etiam illotus adhiberi debet. Exhibendi autem sunt iusta dosi plus minus, pro robore quidem languentis, scrupuli terni aut quaterni.* Hactenus Alexander. Itaque caueant posthac studiosi, ne Arabibus nimium fidant, neve lazulum lapidem illotum, deuorandum facile nisi robustissimis exhibeant, cum alias satis magna medicamentorum meliorum atram bilem purgantium copia præsto sit. Quod si tamen omnino mor- F bo id postulante, & virium robore suadente, hunc propinare quis ægro voluerit, non nisi bene & sæpius, nempe duodecies, Tralliano teste, lotum exhibeat hortor. Hinc est, quod in catapotiis suis ex iam dictis lapidibus compositis, non nisi lotos hodie vsurpent Medici.

Immensus Arabum error.

Lapis cyaneus ad purgandam atram bilem minime dandus.

Obiectio.

Responsio.

Ablutio lapidis cyanei nõ omnem malitiam aufert.

Armenius lapis per inferna purgare atram bilem potest.

In describendis Cicuta & Napello herbis non solum ancipitem fuisse, sed & earundem vires miscuisse Auicen. ita vt verisimile admodum sit, illum vtramq; ignorasse. A

CAP. XIII.

Auicenna minime medicinæ princeps.

HActenus Mesues recensendis erratis occupati iam ad Auicennæ, quem hodie, si diis placet, vniuersæ medicinæ principem statuunt, errores nonnullos indicãdos stylum vertamus, vt ex iis saltem paucis quid in cęteris fidendum sit homini, intelligãt, deprehendantque quantis in tenebris versentur, qui singula eius hominis scripta absq; omni delectu, quasi ex veritatis sacrario pronuntiata excipiunt. Nihil autem mirum illum tam frequenter lapsum esse, quum aliorum tantum, vt omnes fere Arabes, transcriptor fuerit: adde, quod eorum, quæ scripsit nullam habuerit experientiam, regem B enim fuisse constat, qui curandis ægrotis operam non dedit. Sed vt hominis in rebus medicis ignorantiam demonstremus, ad institutum redeũtes, quam ambigue, quamq; confuse de cicuta & napello scripserit, videamus. Primum autem omnium sciendum *sucaram* Arabibus eam esse herbam, quam Latini *cicutam*, Græci vero κώνειον appellant, id quod præter Sera, vtriusq; desctiptio pulcre monstrat. Auic. namq; *cap. 671. 2. Canon.* sucaram ita depingit: *Crus*, inquit, *huius plantæ est, sicut crus ferulæ, & habet florem album, & semen sicut anisum.* Dioscorides autem *lib. 4. cap. 73.* in hunc modum: κώνειον καυλὸν ἀνίησι γονατώδη, ὡς μάραθρον μέγαν. φύλλα δὲ νάρθηκι ἐμφερῆ, στενότερα δὲ καὶ βαρύοσμα, ἐπ' ἄκρων δὲ ἀποφύσεις καὶ σκιάδια, ἄνθος ὑπόλευκον, σπέρμα ἐμφερὲς ἀνίσῳ λευκότερον. id est: *Cicuta caulem geniculatum profert, fœniculi modo grandem: folia ferulæ similia, angustiora tamen & grauiter odorata: in cacuminibus adnascentes ramulos & vmbellas habet. Florem subcandidum, semen aniso simile, sed candidius.* Ex quibus sane descriptionibus collatis nemo non videt, sucaram eandem cum cicuta herbam esse. C

Sucaram quid? Cicuta.

Auicenna regulus fuit.

Atqui Auicenna tanquam sibi parum constans, mox in eodem capite sucaram folia cucumeris, aut mandragoræ habere tradit, diciq; a quibusdam euphorbium inquit. Fen. *quoque 6. Can. 4. tract. 1. sum. tert. cap. 6.* cicutam esse hyoscyamum nigrum ait, id quod manifestum fiet, si ea signa, quæ ab Auicenna tribuuntur ei, qui hyoscyamum nigrum hausit, cum iis, quæ ab Diosc. adaptantur, his, qui cicutã biberunt, contulerimus. Neq; remedia, quæ in cicutæ potione laudat Dioscorides, alia sunt ab his, quæ cõtra hyoscyamum nigrum Auicenna tradit. Auicennæ verba hæc sunt: *accidunt ex eo præfocatio & frigus extremitatum, & tensio vehemens præfocans, & tenebrositas visus, & forsitan non videt aliquid, & destruit imaginationem, & infrigidat extrema, deinde conuellit, & præfocat, & interficit.* D *Cura: Administra in primis clysteres, & vomitum, & ventris solutionem, deinde da in potu de vino puro aliquid, post aliquid quoniam est magni iuuamenti cum eo quod bibit & absinthium, & detur in potu piper cum vino similiter castoreum & ruta.* &c. Quæ singula Dioscor. lib. 6. cap. 11. cicutæ tribuit, in hunc modum scribens: κώνειον ποθὲν ἐπιφέρει σκοτώματα καὶ ἀχλὺν ὥστε μηδ' ἐπ' ὀλίγον βλέπειν, λυγμόν τε καὶ διανοίας παραφοράν, καὶ ψύξιν ἄκρων. ἐπὶ τέλει δὲ σπώμενοι πνίγονται, στάσιν λαμβάνοντος τοῦ κατὰ τὴν ἀρτηρίαν πνεύματος. κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων διὰ τῶν ἐμέτων αὐτὸ κομιούμεθα. ἔπειτα κενώματι χρησάμενοι τὸ εἰς τὰ ἔντερα παρολισθηκὸς ἐκκρινοῦμεν, καὶ τότε ὡς ἐπὶ μέγιστον βοήθημα ἐπὶ τὴν ἀκρατοποσίαν παραγενόμεθα, διδόντες μεταξὺ διάστημα, ἐν οἷς πιεῖν διδόμενον βοηθεῖ γάλα ὄνειον ἢ ἀψίνθιον μετὰ πεπέρεως, καὶ οἴνου καὶ καστορίου καὶ πηγάνου. quod est: *Cicuta pota vertigines, oculisq; caliginem affert, ita vt nec parum etiam videre liceat: singultum itidem, mentis alienationem, & extremarum corporis partium refrigerationem: postremo conuulsi strangulantur, suppresso in arteriis spiritu. Inter initia itaq;, vt in reliquis, vomitionibus eam excutiemus: dehinc vacuatione vsi, quod ad intestina prolapsum est excernamus: iam veluti ad efficacissimum remedium meracas vini potiones deueniemus, dantes per interualla, in quibus asininum lac potui datum, aut absinthium cum pipere, vino, castoreo, & ruta proderit.* Quæ E certe omnia satis indicant, quam ambiguus in depingenda cicuta fuerit Auicenna.

Napellus Auicenna.

Sed non minus quam cicutam ignorasse Auicennam Napellum, hinc colligere licet, quod hunc haud aliter quam illam diuersis non modo nominibus, sed & descriptionibus notificauerit. Fen. p. *sexta, Can. quarti, tractatu primo, cap. 2.* Napellũ sub Alfarfas nomine venenũ esse scribit, quod interficit hominẽ, non a. interficiens turdos. *Et cap. 503.* F *Canonis secundi*, coturnices ex eo cibari, & minime mori ait. Quod certe Galeno *li. 3. de simpl. med. facul. ca. 17. teste*, nõ Napello & Turdis, sed Cicutæ & Sturnis adscribendũ erit. Verba Galeni, quib. hoc ipsũ docet, hęc sunt: τὸ κώνειον ἄνθρωπον μὲν ἀναιρεῖ τῇ τε τῶν πόρων ἐμφράξει, καὶ τοῦ πλήθους τῆς θερμότητος, καὶ τῇ ῥώμῃ τῆς τῶν ἀρτηριῶν. ὅλως ἰσχυρὸν ἔτι πρὸς τὴν καρδίαν ἀφικνούμενον, οὐκ ἀναιρεῖ δὲ

ψᾶρας

A τοὺς ψᾶρας ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις αἰτίοις ἰσχόμενόν τε καὶ βραδῦνον, καὶ φθάνον ἐν τῷ χρόνῳ προπεφθῆσθαι καὶ προπαρασκευάζεσθαι καθάπερ ἑστίᾳ τινὶ τῇ καρδίᾳ πρὸς θερμαινόμενον ὡς ἔξω τὸ ξύλον. quod est: *Hominem quidem Cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinem, calorisq; multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum etiamnum ad cor pertingens. Sturnos vero ob caussas contrarias haud interficit, vt puta quum & retineatur & cunctetur, ac sese temporis tractu concoqui præpararique a corde tanquam a foco incalescens sinat, non secus ac ligna extrinsecus.* Idem etiam testatur *libro 3. de temper.* dicēs: τὸ κώνειον τῷ ψαρὶ μὲν τροφή, φάρμακον δ' ἀνθρώπῳ, id est: *Cicuta sturno nutrimentum est, homini venenum.* Et Alex. Aphrodisæus *in proœmio suorum problematū* inquiens: *Cicuta sturni vescuntur, quæ toxica hominibus esse certum est.* Vnde manifestissimū fit, ignorasse Napellū Auicennā, quod id sc. huic tribuat, quod veterū auctoritate Cicutæ potius debet. Sed vt rem aper- Napellus Auicennæ a Cicuta non differt.
B tius videant aduersarii, nonne Auic. loco antea citato ex Galeni sententia refert, quæ ibidem de Napello scribit? Maxime sane: sed de Cicuta esse intelligendum, iam ex Galeni verbis demonstrauimus, ita vt euidentissimum sit, Napellum Auicennæ a cicuta Galeni non differre. Id verum esse, historia etiā illa, quam de Napello ibidem narrat Auicenna, pulcre indicat. *Fuit quædam anus*, inquit, *suscipiens in principio rei de Napello rem paruam, deinde non cessauit vti eo, donec assuefacta est eo natura, & audacter vsa est eo, & nihil nocuit ei.* Hactenus ex Galeni sententia Auicenna: eandem enim historiā refert Gal. *lib. 3. de simpl. med. facul. ca. 17.* in hunc modū scribēs: κατὰ τὸν αὐτὸν οἶμαι τρόπον καὶ τὸ κώνειον ἀνθρώπους μὲν ἀναιρεῖ τῷ φθάνειν, ψᾶρας δὲ τρέφει τῷ βραδύνειν. ἀναιρήσει δὲ οὐδὲ ἄνθρωπον ἂν ὀλίγον ληφθείη. καὶ τοῦτο καὶ ἡ Ἀττικὴ γραῦς ἔδειξεν, ἧς ἅπαντες μνημονεύουσιν. ἀπ' ἐλαχίστου μὲν ἀρξαμένη κωνείου, προελθοῦσα δὲ ἀλύπως ἐπὶ πλῆθος ἱκανόν, ἐξ-
C ἀρχῆς μὲν γὰρ ἐκινήθη τὸ βραχὺ δι' αὐτὴν τὴν ὀλιγότητα, τῷ δ' ἐθισμῷ σύμφυλον ἐγένετο. id est: *Ad eundē arbitror modum, Cicuta hominem quidem celeritate distributionis interficit, sturnos autem tarditate ipsa nutrit. Quod si vero exiguum quiddam sumatur, mortem homini nequaquam inferet: id quod anus Athen. experimēto docuit, cuius apud omnes percelebris memoria est. Etenim ea ab exigua Cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam: principio enim paucum exiguitate ipsa deuictum est, at consuetudo naturale reddidit.* Vbi rursus perspicuum fit, Napellū iuxta Auicennæ sententiam a cicuta diuersum non esse. Quanquam ne id dissimulem, Auicennæ verba paulo ante citata de Veratro siue Elleboro etiam intelligi possunt. Siquidem Galenus *lib. 3. de temperamentis cap. 5.* disertis verbis testatur, *Coturnici Elleborum esse nutrimentum, homini vero medicamentum,* vt hoc nomine Auicennæ Napellus idē etiā
D cum Elleboro sit, adeoq; Proteo mutabilior, aut Chymæra. Sed mox alibi mutata sententia Napellum eundē cum toxico facit. Signa namq; quæ is *Fen 6. iam citati libri, Sum. 2. cap 1.* huic, qui Napellum hausit, tribuit, eadem sunt iis, quæ a Dioscoride traduntur de illis, qui toxicum biberunt, quemadmodū collatis vtriusq; verbis dilucide patebit. Auicennæ de Napello verba hæc: *Napellus est ex deterioribus, & accidit potanti ipsum, vt apostementur labia ipsius & lingua eius, & frequentes fiunt super ipsum vertigo & syncopis, & ex eo raro euadunt, ex eiusque succo tinguntur sagittæ.* Diosc. autem lib 6. capite 20. de toxico illa: τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὠνομάσθαι ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. παρακολουθεῖ δὲ τοῖς πεπωκόσι χειλέων καὶ γλώττης φλεγμονή, μανία τε ἀκατάσχετος, ποικίλας ἐπιβάλλουσα φαντασίας, ὡς καὶ διὰ τοῦτο δυσιάτους εἶναι ἐν ταῖς θεραπείαις. σπανίως δὲ καὶ σώζονταί τινες τῶν πεπωκότων. quod est: *Toxicum ex eo nominari videtur, quod Barbarorum sagittæ eo illiniebantur. Sequitur potantes labiorum & linguæ inflammatio, furorq; in-*
E *coercitus, varias inducens imagines, ita vt hoc nomine vix sanari possint, raroq; qui hauserunt euadant.* Ceterum idem veneni genus paulo post, *cap. nimirum 29.* corrupto vocabulo *Tusompro Toxicon* appellat, cuius se quoq; naturam & curationem ignorare dicit, oblitus q̃ antea sub Napelli nomine de eo scripserit. Et mirum profecto est, cum illi eosdem tribuat effectus, quos paulo supra Napello assignarat, eum veneni huius naturam latuisse. Atqui solet homo ille passim obliuisci eorum, q̃ antea scripsit, aut postea scripturus erat, adeo vt omni cerebro destitutum fuisse hunc ipsum merito quis suspicari queat: nam q̃ alias fieri potuisset, vt tam pugnantia nusquam non scriberet? Hic adesse cupio medicos mordicus tenentes Auicen. quo idolum illud suum, in quod ita iurarunt, vt ne latū qui-
F dem digitum ab illo discedendum putent, tueantur, videantq; quam concinno ordine vastum illum suum Canonem consuerit. Certe si pleraq; eius hominis loca diligentius excusserint, non ordinem & lucem, sed potius confusum chaos, ac tenebras plane Cimmerias in hoc Canone inuenient. Argumento erunt Napellum & cicuta, quas nimirū plantas, earumque facultates ita confudit, vt nescias quid per vtrasque intellexerit.

Auicenna napellum eundem cū toxico facit.

Auicenna eorum quæ scripsit parū memor est.

Napellum.

Napellum, lethale homini in cibo aut potu venenum, ad leucen, quam albaram nominat, abigendam, perperam & non sine capitali errore ab Auicenna propinatum esse. A

CAP. XIV.

AVicenna *cap. 503. secundi Can.* vno eodemq; loco, vt fere solet, sibi pugnantia tradit. Primum enim Napellum esse venenum perniciosum ait, destruens bibētem se. At paulo post veluti oblitus eius, quod antea dixerat, subiungit: *Delet albaras linitum & bibitum.* Non vero sine magno errore docet, Napellum, ꝙ præsentissimum esse venenū, sui ipsius testimonio constat, in potu deuorandū. Nam etsi quid per Napellum intellexerit Auic. certo sciri non possit, vt præcedenti paradoxo diximus: tamen euidentissimum est, interdum per illum cicutam, interdum etiam toxicum & elleborum nigrum intellexisse, id quod supra abunde satis monstrauimus. Siue autem cicutam quis dixerit, siue toxicum, tamen non est vt in potu exhiberi tuto possit. Nam Diosc. *libro quarto cap. 73. teste*, κώνειον ἐστὶ καὶ τῶν φθαρτικῶν κατὰ ψύξιν ἀναιροῦν id est: *Cicuta inter lethalia connumeratur venena, frigiditate enecans.* Hinc est, quod & illam in numero venenorum *libro 6.* collocet. Plinius etiam *lib. 25. cap. 13.* hanc inter venena lethifera recenset, dum inquit: Cicuta venenū est, publica Atheniensium pœna inuisa. Quis vero est, qui nesciat, toxicum esse tam lethale venenum, vt si quis sub ea arbore, vnde colligitur, dormiat, aut cibum accipiat, moriatur? Et sane, qui id genus veneni hauserunt, *vt supra ex Diosc. auctoritate diximus*, raro euadunt: vnde satis liquet, quod bibi non debeat. Sunt autem, qui per Napellum Auic. Aconitum Græcis & Latinis dictum intellexisse velint: quod si verum est, certe fatendum erit, Auicennam de vna eademq; re tanquam diuersa duobus capitibus scripsisse. Fen. enim *6. Can. 4. Sum. 2. tract. 1. cap. 1.* de Napello, quod iuxta illorum sentētiam Aconitum est, agit: & post *cap. 23.* de strangulatore *adip*, id est, lupi, & strangulatore leopardi, nihil ab Aconito differentibus, iterum tractat. Nihil autem differre, primum ex nomine liquet. Vt enim ille duplicem strangulatorem facit, vnum lupi, alterum leopardi: ita Græci duplex Aconitum, vnum quod lupos interficiat λυκόκτονον, alterum vero ab enecandis pardis παρδαλιαγχὲς vocatum. Dein vtriusque tam notæ, quam curationes, pulcre monstrant, non esse diuersum Aconitum a strangulatore Auicennæ. Nos breuitati cōsulentes, curationes tantum conferemus. Auicenna vbi supra ita de curatione strangulatoris scribit: *Oportet vt tu properes ad faciendū ipsum vomere cum eis quæ scis. Deinde clysteriza ipsum, & postea da in potu sicut origanum montanum, & prassium, & rutam, & absinthium, aut detur in potu olei balsami drachma vna in vino: & melius vinum est illud, in quo exstinctū est ferrum, & argentum, & aurum, &c. nam reliqua quisque conferre poterit.* Dioscoridis vero libro sexto cap. 7. de Aconiti curatione hæc sunt verba: δι' ἐμέτων ἐκκομισθῆναι δεῖ τὸ φάρμακον, ἢ καὶ διὰ κλυστῆρος καταχθῆναι τὴν κοιλίαν. χρησόμεθα προποτισμῷ, ὀριγάνῳ, ἢ πρασίῳ, ἢ ἀψινθίου ζέματι μετ' οἴνου ἀψινθίτου. ἁρμόζει δὲ αὐτοῖς καὶ ὀποβαλσάμου ὁλκὴ < α σὺν μέλιτι, ἢ αὐτὸς ὁ σίδηρος, ἢ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος διάπυρος ἐν οἴνῳ σβεσθέντα. hoc est: *Venenum vomitionibus educere, aut clystere per aluū deycere oportet. Vtimur inter arcentes potus origano, ruta, marrubio, aut absinthij decocto, cum vino absinthite. Prodest etiam opobalsami drachma cum melle. Item vinum in quo ferrum, aurum, argentumve candens exstinctum fuerit.* Quapropter illorum sententiam, qui Napellum Auicennæ eundem cum Aconito esse volunt, vt olim probauimus, ita hodie penitus refutamus, cum manifestum sit per Napellum cicutam, aut elleborum nigrum, aut toxicum intellexisse Auicennam. Per Napellum autem Auicennam etiam Elleborum nigrum intellexisse, *tomo primo nostro de stirp. historia commentariorum capite de Aconito*, euidentissimis argumentis ostendimus. Manardus etiam in *epist. 3. lib. octaui medicinalium epistolarum*, Napellum esse id, ꝙ toxicū vocant Græci, testatur. Sed fac, Napellum esse Aconitum, adhuc tamen in potu nō esse exhibendum, constanter asserimus. Dioscoride namq; *li. 4. ca. 71 teste*, primum Aconiti genus κτείνει παρδάλεις καὶ ὗς καὶ λύκους καὶ πᾶν θηρίον κρεαδίοις ἐντιθέμενον καὶ παραβαλλόμενον, quod est: *Enecat pardos, sues, lupos, ferasq; omnes carnibus inspersum, & illis obiectū.* Alterius autem ad venationes luporum vsum esse docet iis verbis, χρῶνται πρὸς τὰς τῶν λύκων θήρας, ἐντιθέντες κρέασιν ὠμοῖς, βρωθεῖσαι γὰρ ὑπὸ τῶν λύκων ἀναιροῦσιν αὐτούς. i. *Ad luporū venationes vtūtur radicib. crudis eas inserentes carnib. quæ a lupis deuoratæ illos enecāt.* Si itaq; lupos & pardos fortissimas feras interimūt, cur nō multo magis hominē? Sed neutrū in potu esse sumēdū clarꝰ Gal. *l. 6. de sim. med. fac.* indicat, ita de 1. genere Aconiti scribens. ἀκόνιτον ἢ παρδαλιαγχὲς σηπτικῆς καὶ ἀντιπτηρὶν δυνάμεώς ἐστι,

Quid Auic. per Napellum intellexerit. B

Strangulator apud Auic. ab Aconito nihil differt. C

D

Napellus non est Aconitum. E

Aconitum in potu nō sumendū. F

ἰδίας

A ὅθεν αὐτὸ φυλακτέον ἐν ἐδέσματι λαβεῖν ἢ πότῳ. πρὸς μέντοι τὸ ἀποσῆψαι πρᾶγμα τὴν ἐκ τοῦ στόματος ἢ καθέδραν ἐπιτήδειον ἐστι. hoc est: *Aconitum seu Pardalianches putrefacientis & venenosæ facultatis est. Itaque in cibo potuq; fugiendum: attamen ad putrefaciendum quadam extra os & sedem aptum est.* De altero sic: ἀκόνιτον ἢ λυκόκτονον ἐστι μὲν παραπλησίας θατέρῳ δυνάμεως, ἰδιαίτερον λύκους ἀναιρεῖν πέφυκεν, ὥσπερ ἐκεῖνο παρδάλεις. hoc est. *Aconitum siue Lycoctonum similis alteri facultatis est, sed peculiariter lupos interficit, sicut illud pardos.* Galeno subscribit Paulus libro 7. dicens: ἀκόνιτον τὸ μὲν παρδαλιαγχὲς σηπτικῆς καὶ δηλητηρίου δυνάμεώς ἐστιν, ὅθεν αὐτὸ οὐ ληπτέον. ἔξωθεν μέντοι ἐπὶ τῶν σαπῆναι δεομένων σαρκῶν χρηστέον αὐτῷ. τὸ δὲ λυκόκτονον, τῆς αὐτῆς ὂν τῷ προτέρῳ δυνάμεως, ἰδίως τοὺς λύκους ἀναιρεῖ ὥσπερ ἐκεῖνο τοὺς παρδάλεις. id est: *Aconitum quod Pardalianches cognominatur, putrefacientem & lethalem vim habet, quam ob caussam intro non assumendum, foris tamen in carnibus, quas putrefacere oportet, vtendum eo:*
B *Quod vero Aconitum Lycoctonon vocatur, eandem cum priore vim habet: peculiariter autem lupos enecat, quemadmodum illud pardos.* Plinius quoque *libro vigesimoseptimo, capite secundo*, omnium venenorum ocyssimum Aconitum esse scribit: nec est præter Auicennam, qui ad delendas albaras in potu propinandum Aconitum vnquam dixerit. Atqui hic aduersatur Montuus, Plinium obtrudens, qui loco iam citato, *scorpionum ictibus aduersari Aconitum in vino calido datum*, inquit. Cui ita responsum velim, me non ignorare Plinium ista tradere, idque ex Theophrasti auctoritate, qui *libro nono de historia plantarum cap. 19.* de Aconito sub Thelyphoni nomine ita scribit: χρήσιμον δὲ πρὸς σκορπίου πληγὴν πινόμενον. quod est: *Potum contra scorpionum ictus prodest.* Sed ob id Aconitum ad delendas albaras seu leucen esse bibendum, adhuc constanter negamus. Nam si ea natura est A-
C conito, veluti Plinius scribit, vt hominem occidat: nisi inuenerit, quod in homine perimat, quomodo in ea vitiliginis specie, quam leucen nominant, in qua certe veneni nihil est, ad potandum propinari potest? In potu itaque datur Aconitum, at minime in vitiligine, sed vbi in corpore venenum est, cum quo solo, *vt Plinii verbis vtar*, colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hæc pugna est, cum venenum in visceribus repererit. Mirumque exitialia per se ambo cum fuerint, duoq; venena in homine commoriantur, vt homo supersit. Quare Auicennam suum Montuus tueri non potest, quod non sine extremo sumentis incommodo Napellus ad delendas albaras in potu dari queat. Potuisset itaq; hanc vt alias omnes annotationes suas omisisse, quando parum frugis, vtpote frigidissimæ, lectori attulerint.

Montui obiectio refellitur.

Quando Aconitum intro assumi potest.

D

Radicis Pentaphylli succum minime pernitiosum, quemadmodum Auicenna somniauit, sed potius contra lethalia venena admodum efficacem esse.

CAP. XV.

VErba Auicennæ, quibus radicis Pentaphylli succum tanquam exitiosum damnat, habentur *cap. 554. secundi Can.* vbi in hanc sententiã scribit: *Succus radicis eius est medicina perniciosa.* Errare autem toto cœlo Auic. cuiuis constat, qui veterum de hac planta scripta, diligentius excusserit. Nemo enim ex veteribus Auicennæ opinioni subscribit, sed huic vno ore omnes reclamant. Etenim Diosc. *lib. 4. cap. 39.* ita de radice Pentaphylli tradit: χυλὸς τῆς ῥίζης ἁπαλῆς ποιεῖ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι καὶ πνεύμονι πάθη καὶ τὰ θανάσιμα. q; est. *Radicis*
E *teneræ succus contra iocinoris pulmonisq; affectus & lethalia venena facit.* Idem etiam *lib. 6. ca. 20.* radicem Pentaphylli contra toxica efficacem esse, his verbis ostendit: ἰδίως δ' ἐπ' αὐτῶν ἁρμόζει καὶ ἡ τῆς πενταφύλλου ῥίζα ὁμοίως λαμβανομένη. id est: *Priuatim vero ijs conuenit Pentaphylli radix similiter sumta.* Loquitur autem de illis, qui toxicum hauserunt. Cui Paulus *lib. 5. cap. 54.* subscribit, inquiens: *Peculiariter autem contra toxicum valet Pentaphylli radix eodẽ modo pota.* Plin. quoq; *lib. 25. ca. 9.* Pentaphylli seu quinq; folii radicem aduersus venena valere testatur iis verbis: *Aduersus serpentes bibitur eius radix, quæ sparganton vocatur, ex vino albo.* Quẽ etiam sequitur Apuleius ille Madaurensis *ca. 2. sui libri*, quem de herbarũ virtutibus conscripsit, ad morsum serpentis quinquefoliũ potã & contritam, mire vtilẽ esse tradens.
F Proinde nemo est, nisi Leberide cæcior sit, qui non hallucinari Auic. videat. Id quod eo libentius studiosis inculcamus, vt vel tandem ab Auic. desciscant, discantque huius decreta non nisi exacto adhibito iudicio esse imitanda. Neq; enim tantam esse Auicennæ auctoritatẽ volumus, vt radicem salutarẽ admodum & contra venena potentẽ, faciat lethalem. Quod si animaduertissent superioris seculi Medici, nunquã Pentaphylli radicem in vsu medico tanquã pernitiosam abhorruissent. Sauonarola n. celebris sua ætate

Pentaphylli radicis succus non exitiosus.

Auicennæ placita non temere imitanda.

Medicus, quemadmodum Leonicenus vir, & de literis, & de re medica optime meritus scribit, radicem Pentaphylli non alio nomine in quartana propinare non ausus fuit, nisi quod damnaretur a Principe. Iacobus quoq; de Dondis, vt idem scribit, Auic. au-ctoritate seductus, huius radicem inter venena numerauit. Discant itaq; studiosi bonorum virorum periculo in tempore sapere, vt medicinam ex puris fontibus potius, quam ex turbidis lacunis hauriant, nec eo dementiæ perducantur, vt cum Auicenna errare malint, quam cum eruditis ac bonis viris recte sentire. A

Harmel Arabibus non cicutam, sed rutam potius syluestrem alteram significare, vtcunq; Auic. ac huius sequaces reluctentur, veterum omnium testimonijs euidentissimum esse. CAP. XVI. B

VErba Auicennæ, quibus Harmel non esse rutam syluestrem asserit, habentur *Fen. 6. Can. 4. tract. 3. cap. 33.* vbi in hunc modum scribit: *Ruta syluestris non est Harmel, vt quidam existimauerunt.* Quæ vtique verba multis non solum medicis, sed & pharmacopolis errandi occasio fuerũt, vt passim *Harmel* pro *Cicuta* interpretati sint. Ita interpres Abenrois *quinto Colliget.* non sine maximo errore *Harmel* pro *Cicuta* interpretatus est: nec animaduertit, quod hoc loci Abenrois, Harmel calidam & siccam in tertio ordine esse dicat. Cicuta autem veterum omnium testimonio, quemadmodum paradoxo 14. diximus, inter venena frigiditate nimia enecantia numeretur. Fuerunt etiam non pauci pharmacopolæ, qui falsa ista interpretatione seducti, semper pro Harmel Cicutam in vsum Medicum arripuerint. Testatur id vetustum admodum Antidotarium, quo annis multis ad conficienda medicamenta vsus est pharmacopola Onoltzbachensis, in quo passim *Harmel* pro *Cicutæ* semine interpretatum erat, nec animaduertit errorem, donec per me tandem monitus fuit. Accessit tandem multorum errorum sator Matthæus Syl-uaticus, quem Pandectarium alio nomine vocant, qui *Harmel* cum aspiratione apud Arabes scriptum *Cicutam*, sine vero aspiratione *rutam syluestrem* significare scripsit. Id certe quod non solum non verum & minime otiosum, vt Montuus arbitratur, sed omnium mendacissimum ac otiosissimum est, quod veterum sententię, adde Arabibus etiam ipsis, ex diametro pugnet, nec vlla ex hac distinctione doctorum concordia fieri possit. Nemo enim eruditorum vnquam Harmel cum aspiratione pro Cicuta interpretatus est, sed vno ore omnes rutam esse syluestrem affirmarunt. Testis est Diosc. qui *lib. 3. cap. 49.* ita scribit: καλοῦσι δὲ τινὲς πήγανον ἄγριον ἄρμαλα, id est: *Vocant autem nonnulli rutam syluestrem Harmala.* Et Galenus lib. 7. de simpl. med. facult. dicens: Μῶλυ τινες τοῦτο πήγανον ἄγριον ὀνομάζουσιν. ἔνιοι δὲ ἄρμαλαν, quod est: *Moly quidam rutam syluestrem vocant, nonnulli Harmalan.* Esse autem idem Moly cum ruta syluestri altera, docet in *8. libro de simp. med. facult.* Galenus ita scribẽs: ὁ δ' ἐν τοῖς ἔμπροσθεν λόγοις μῶλυ, καὶ βησασὸν ἔφαμεν ὀνομάζεσθαι, εἴη ἂν καὶ αὐτὸ πήγανον ἄγριον. Hoc est: *Quod superius moly & besanum nominari diximus, & ipsum vtiq; fuerit ruta syluestris altera.* Non est vero, vt quispiam hic moly Homericum intelligat, quod ab eo, quod alio nomine ruta syluestris altera dicitur, plane diuersum est, pingiturque seorsim a Dioscor. Paulus quoq; Ægi. *lib. 7.* rutam syluestrem alteram alio nomine vocari harmalam his verbis ostendit: *Moly quod quidam rutam syluestrem nominant, nonnulli vero harmalan, Syri besanum.* Inter Arabes deniq; Serapion *cap. 275.* harmel pro ruta syluestri interpretatur, alioq; nomine moly dici ait. Auicen. quoq; *cap. 340. secundi Can.* harmel esse rutam syluestrem alteram fatetur, id quod proprietates, quas illi tribuit, abunde monstrãt: eædem enim sunt cum illis quas rutæ syluestri alteri inesse Diosc. Galenus, ac alii veteres scribũt. Ait enim: *Harmel est incisiua & subtiliatiua, est bona dolori iuncturarum, & sciaticæ, cum desuper illinitur: trita cum melle & vino & felle gallinarum & aqua fœniculi, est conueniens debilitati visus: prouocat vrinam & menstrua, & confert colicæ ventosæ.* Quas nimirum facultates omnes rutæ syluestri veteres etiam assignant. Dios. enim loco iam citato in hunc modum de illa scribit: πήγανον ἄγριον πινόμενον ὠφελεῖ ἰσχιαδικοῖς. κινεῖ δὲ καὶ καταμήνια. τὸ σπέρμα ἁρμόζον ἐστὶ πρὸς ἀμβλυωπίας μετὰ μέλιτος λεαινόμενον καὶ οἴνου καὶ χολῆς ἀλεκτοροειδῶν, κρόκου τε καὶ μαράθρου χυλοῦ. hoc est: *Ruta syluestris coxendicum doloribus prodest, menses mouet. Semen cum melle, vino, gallinaceo felle, croco, & fœniculi succo tritum, ad oculorum hebetudinem vtile est.* Galenus autem libro 7. ἡ δύναμις αὐτοῦ λεπτομερής ἐστι καὶ θερμὴ κατὰ τὴν τρίτην ἀπόστασιν, ὅθεν καὶ τέμνει τοὺς παχεῖς χυμοὺς καὶ διαφορεῖ. καὶ ἐπ' οὔρησιν προτρέπει, id est,

Pandectarius errorũ seminator.
Montuus refellitur.
Harmel ruta syluestris.
Moly idem cum ruta syluestri.
Moly Homericum.

A id est, *vis eius tenuium est partium, & calida in tertio ordine, vnde & crassos humores dissecat & digerit, & vrinam mouet.* Et libro octauo, πήγανον τὸ ἄγριον τέμνειν καὶ διαφορεῖν ἔχει τοὺς παχεῖς καὶ γλίσχρους χυμοὺς, διὰ δὲ τὴν αὐτὴν δύναμιν καὶ δι' οὔρων κινεῖ, καὶ μὲν δὴ καὶ λεπτομερής ἐστι, καὶ ἄφυσον, διὰ τοῦτο πρός τε τὰς ἐμπνευματώσεις ἁρμόττει. quod est: *Ruta syluestris incidere atque digerere crassos lentosque humores potest, ob eandem vim & vrinas mouet, quin & tenuium est partium, flatusque exstinguit, quare ad inflammationes competit.* Galeno subscribit Paulus iis verbis: *Ruta syluestris tertiæ est classis calfacientium cum partium tenuitate: vnde crassos & tenaces humores incidit ac discutit, vrinamque mouet.* Porro harmel apud Abenroen descriptio ac proprietates in vniuersum cum iam dictis conueniunt: inquit enim: *Harmel calida & sicca est in tertio ordine, incidit humores crassos, prouocat vrinam & menses, valet dolori coxendicum, pituitamque purgat.* Ita vt euiden-

B tissimum sit vtrorumque, tam Græcorum quam Arabum, testimonio, harmel cum aspiratione, imo vtcunq; scribatur, perpetuo significare rutam syluestrem alteram. Nec ab re passim adiecimus alterã dictionẽ. Quũ n. geminæ sint Rutæ syluestres, *vt tomo tertio nostrorum de stirp. historia commentariorum ostendimus*, ea quæ Harmel nominatur, altera earum exsistit. Præterea quum ruta syluestris crassos lentosque humores, *vt iam ostendimus*, incidere & discutere possit, manifestum est, eam commodius ad catapotiorum fœtidorum & de hermodactylis confectionem adhiberi quam cicutam: non enim alio nomine deuorantur, nisi vt crassos lentosque humores educant: id certe quod cicuta non potest, cum eosdem sua frigiditate & humiditate potius crassiores & magis lentos

Cicuta ad Catapotiorum confectionē non debet adhiberi.

C reddat, atque ita membris & articulis impingat & infarciat, & nulla vi aut omnium difficilime eximi possint. Atqui hoc loci Montuus obluctatur, non omnem cicutam frigidam & humidam, adeoque lethalem esse dicens, sed quandam vtpote terrestrem calidam & siccam exsistere, quam etiam intra corpus salubriter adhiberi posse, recentiorũ medicorum, præsertim Conciliatoris auctoritate ait. Mirum autem Montuum ita delirare, vt me tam nullius momenti argumentis a concepta iam olim sententia deturbari posse existimet. Satis compertum habeo, recentiores Cicutæ duo facere summa genera, vnum aquaticæ frigentis & humentis naturæ, alterum terrestris calidæ & siccæ. Sed quoniam qui hoc scribat, sententiamq; illorum confirmet, auctorem nullum idoneum proferunt, quid est, cur non hallucinatos esse, vt fere solent, constanter dicamus? Nec

Montui ad notatiunculæ respōdetur.

Cicutæ nō duo sunt genera.

D enim Conciliator tantus est, vt huic errori patrocinari possit, quem constat in multis aliis ita turpiter errasse, vt conturbatoris potius nomen, quam conciliatoris meruerit. Quid multis moror? quum nemo ex veteribus aut probatissimis scriptoribus Cicutam, quod frigida & humida sit, facile intra corpus adhibendam censuerit, quid est, quod recentiorum quorundam temere excogitatis nugis in tantum moueamur, vt cicutam calidam & siccam dicamus, cum tamen constet, nulla alia ratione Gal. *lib. 5. de simplicium medicamentorum facultate cap. 18.* Cicutam in potu damnasse, nisi quod frigida & humida sit? Verba eius subiiciemus: ὅσα γε πλῆθος inquit, ὑγρότητος ἔχει ψυχρὰ, ὥσπερ καὶ τὸ κώνειον, οὐκ ἀγαθὰ πιόμενα. quod est: *Quæ frigida quum sint, humiditatis item copiam obtinent, ceu cicuta, ea potu non sunt vtilia.* Non ab re autem paulo ante a nobis dictum, facile intra corpus adhibendam

Conciliator conturbator potius dicendus.

E censuerit. Si enim Cicuta intra corpus adhibetur, id necessitate quadam compellente fit, quæ cogit, vt interdum etiam opium propinetur deuorandum. Sic Galenus quidem *lib. 10. de compo. med. localium cap. 3.* in vesicæ exulceratione ad mitigandum eius dolorẽ, Cicutam ex Andromachi sententia bibendam præbet. Insuper prædictis fidem faciũt, quod nec Dioscorides, diligens herbarum scriptor, duplicem Cicutam, quarum altera simpliciter frigida, altera vero calida sit, *quemadmodum Conciliator facit*, ita vt sole clarius sit, recentiorum de duobus cicutæ generibus commentum, esse omnium frigidissimum. Sunt quidem duo Cicutæ genera, *vt tomo 2. nostrorum de stirp. hist. commentariorum monstrauimus*, tamen neutra earum simpliciter calida exsistit, sed tantum alterius collatione, nempe maioris, quæ plus minore refrigerat. Sunt etiam duo Cicutæ gene-

F ra, *vt ibidem docuimus.*

Ladanum, vel, vt Barbari, addita litera, loquuntur Laudanum, non ex Hedera, perinde vt Auicenna somniat, sed Cistho potius frutice, quem Ladam alias nominant, colligi. CAP. XVII.

AVicennæ verba, quibus Ladanum ex hedera prouenire statuit, habentur *capite 432.* A *secundi Can.* vbi in eum scribit modum: *Laudanum est humiditas pendēs in pilis caprarum pascentium, & barbis earum, cum pascunt plantam, quæ nominatur Cusus.* Et in cap. 173. eiusdē Can. de Cuso, vbi ita inquit: *vna quidem specierum eius est, quæ nominatur laudanum, & cusus quidem in radice est Laudanum.* Cusum autem vtrobiq; pro cissum corrupto vocabulo interpres dixit: κισσὸς vero Græcis, *hedera* Latinis vocatur. Sed ne quis Auicennæ patrocinari possit, ac dicere cusum corrupte haud aliter, quam apud Serap. *cap. 42.* pro cistho positum, facit quod vterq; alias cussum pro hedera seorsim describit, & Auicenna in *capite de Cuso*, haud secus quam in capite de *Laudano* vtriusque herbæ vires miscuit, ita vt euidentissimum sit, Auicennam cisthon herbam ladaniferam non satis compertam B habuisse, nec illam a cisso, hoc est, hedera, secernere potuisse, sed nominis vicinitate deceptum, quæ cistho debentur, ad cisson transtulisse: id quod perspicuum fiet, caput de Cuso apud Auicennam, cum capite de cistho apud Dioscoridem conferenti. Quod vero pingue illud, quod a lada herba, quæ κίσθος Græcis dicitur, *laudanum* appellatur, hircorum barbis adhærescens, non de cisso seu hedera, sed de cistho colligatur, in primis Dioscorides lib. 1. ca. 119. testatur, ita scribens: ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἶδος κίσθου, καλούμενον ὑπ' ἐνίων λῆδον, θάμνος κατὰ αὐτὰ τοφυόμενος τῷ κίσθῳ, μακρότερα δὲ τὰ φύλλα ἔχει καὶ μελάντερα, λιπαρίας τινὰς κατὰ τὸ ἔαρ ἐπισπώμενα, ὧν φύλλων ἡ δυνάμις συπτικὴ καθέστηκε, ποιοῦσα πρὸς ὅσα καὶ ὁ κίσθος, γίνεται δ' ἐξ αὐτοῦ τὸ λεγόμενον λάδανον· τὰ φύλλα γὰρ αὐτοῦ νεμόμεναι αἱ αἶγες καὶ οἱ τράγοι, τὴν λιπαρίαν ἀναλαμβάνουσι τῷ πώγωνι γνωρίμως, καὶ τοῖς μηροῖς προσπλαττομένην διὰ τὸ τυγχάνειν ἰξώδη, ἣν ἀφαιροῦντες ὑλίζουσι καὶ ἀποτίθενται ἀναπλάσσοντες μαγίδας. hoc est: *Alterum quoq; cisthi genus est, ladon a nonnullis appellatum, frutex similiter cistho nascens, oblongiora tantum & nigriora folia habet, quæ verno tempore quiddam contrahunt, foliorum eius vis adstringens, omnibus quibus & cisthus accommodata. Fit ex eo, quod ladanum dicitur. Folia eius cum pascuntur capræ, hircíq;, pinguitudinem conspicue barba carpunt, & suo lentore femoribus adhærescentem reportant, quam depectentes colant, coguntque in offas, & recondunt.* Et Galenus *lib. 7. de simpl. med. facult.* in hunc modum loquēs: κίσθος ἢ λάδανον, ἐν μὲν τοῖς θερμοτέροις χωρίοις ὄντος ὁ κίσθος γεννώμενος, οὐχ ἕτερος ὢν τῷ γένει τοῦ παρ' ἡμῖν, τὸ δὲ καλούμενον λάδανον ἐξ αὐτοῦ γίγνεται. quod est: *Cisthus aut ladanum. In calidis regionibus hic cisthus proueniens, non alius exsistit genere, quam qui apud nos nascitur. Verum ladanum quod vocant, ex eo colligitur.* Galeno subscribit Paulus *libro septimo*, inquiens: λάδανον ἀπὸ κίσθου τοῦ λάδανος λεγομένου γίνεται, ἔστι δὲ ἐν κύπρῳ. hoc est: *Ladanum e cistho, quam ladana vocant, prouenit: est autem in Cypro.* Diosc. quoque Cyprium Ladanum veluti ceteris præstantius laudat. Si itaque ladanum optimum in Cypro nascitur, fieri non potest, vt ex hedera, quæ, si Theophrasto grauissimo auctori credimus, in Cypro non nascitur, proueniat: adeo vt toto cœlo erret Auic. qui hoc ipsum ex hedera colligi tradit. In hunc errorem, vt in alios multos, Pandectarius quoque incidit, & vt Auicennam suum tueretur, hæderę nomen aliquanto, quam reliqui, fusius accepit, omnemq; herbam, qua capræ libenter vescuntur, ab edendo hederam appellari posse stolidissime dixit. Neq; Plin. ab hoc errore immunis fuit, sed perinde atque Auic. vtriusque herbæ historiam confudit, quemadmodum Nic. Leonicenus, reconditæ eruditionis vir, *in suo, quem de Plinij erroribus conscripsit, libro,* abunde satis indicauit. E

Auicenna Cisthon herbam nō satis compertam habuit.

Ladanum de cistho colligitur.

Pandectarii error.

Plinii erratum.

Nicolaus Leonicenus.

Auicennam Volubilis maioris facultates cum Hederæ proprietatibus confundere notius ferme esse, quam vt demonstrari debeat.

Cap. XVIII.

DEscriptio maioris Volubilis apud Auicennam habetur *capite 735. secundi Can.* vbi in hanc sententiam scribit: *Lac Volubilis magnæ abradit pilos, & interficit pediculos. Folia funis pauperum recentia conuenientia sunt vlceribus magnis, & consolidant ea decocta in vino, & ex eis emplastrum factum superimpositum adustioni ignis, & proprie cum cerato. Destillatur succus eius in aurem dolorosam, & confert vlceribus antiquis.* Has autem facultates ab Auicenna Volubili maiori tributas, hederæ deberi in vniuersum omnes testantur veteres: in primis F Dioscorides li. 2. cap. 168. ita docens. τὸ δὲ δάκρυον κισσοῦ ψιλοῖ τρίχας, κτείνει φθεῖρας ἐπαλειφόμενον. καταπλάσσεται δὲ τὰ φύλλα πρὸς πᾶν ἕλκος ἑψηθέντα σὺν οἴνῳ. καὶ καταπλασσόμενα καὶ τὰ καύματα κακοήθη θεραπεύει. ὁ δὲ χυλὸς τῶν φύλλων, καὶ τῶν κορύμβων ὠταλγίας καὶ πυορροοῦντα ὦτα σὺν ἐλαίῳ ἰᾶται. i. *Hedera lachryma depilat, illita pediculos enecat.* (Hic aduerte Auicennam aut eius saltem interpretem ineptissime *lac* pro *lachryma* reddidisse.) *Folia in vino decocta omnium vlcerum generi illinuntur. Ambusta quoq;*

A *quoque, etiamsi malefica sint, illita sanant. Foliorum vero & corymborum succus dolentibus auribus & purulentis cum oleo medetur.* Et Galenus li. 7. de simpl. med. facult. in eum modum scribens: τὸ δάκρυον κισσοῦ φθεῖρας κτείνει, καὶ τρίχας ψιλοῖ. ὁ δὲ χλωρὸς, ἑψηθέντων τῶν φύλλων σὺν οἴνῳ, καὶ τῶν μεγάλων ἑλκῶν ἐστὶ κολλητικὸς, καὶ τῶν κακοηθευμένων ἰατικός. τὰ δὲ ἄνθη αὐτοῦ ἰσχυρότερα πῶς ἐστιν, ὡς μετὰ κηρωτῆς λειούμενα τοῖς πυρικαύτοις ἁρμόττειν. ὁ δὲ χυλός ἐστι μὲν καὶ ἔρρινον φάρμακον, καὶ τὰ χρόνια δὲ τῶν ὤτων ἰᾶται ῥεύματα καὶ τῶν ἑλκῶν τὰ παλαιὰ κατὰ τὰ ὦτα. quod est: *Lacryma hederæ pediculos interimit, pilis nudat. Viridis autem, folijs eius in vino decoctis, vlcera grandia conglutinat, quæque maligna sunt sanat. Flores vero quodammodo valentiores sunt, vt ad læuorem redacta cum cerato ambustis prosint. Præterea succus medicamentum est quod naribus infunditur, & vetustis aurium fluxionibus, & quæ in his sunt vlceribus medetur.* Galeno in septimo subscribit Paulus his verbis: *Lacryma hederæ pediculos in-*
B *terficit, & pilis nudat. Viridia eius folia in vino decocta vlcera conglutinant, ambustis conducunt. Succus medicamentum est, quod naribus infusum caput purgat, tum vetustas aurium fluxiones sanat.* Iam dicta confirmant, quæ *libro 24. capite 10.* in hunc modum scribit Plinius: *Succus hederæ tædia narium graueolentiamque emendat. Infunditur etiam purulentis auribus aut dolentibus cum oleo. Illinitur decocta in vino omnium vlcerum generi, etiamsi cacoethe sint. Lacryma eius psilothrum est, phthiriasimque tollit, & ambustis illinitur vtiliter cum cera.* Quare neminem esse puto, nisi lapide stupidior sit, qui non aperte videat, Auicennam hederæ facultates, non sine magno errore, Volubili maiori tribuisse: ita passim herbarum inter se vires miscet Auicenna, vt nihil certi ex hoc auctore, studiosus decerpere possit. Proinde animaduertendum Volubilem maiorem aliam esse ab ea, quæ simpliciter hedera vocatur, Ex Auicenna nihil certi decerpitur.
C herbam, illam nimirum quam Græci *helxinen* aut *cissampelon*, hoc est, *vitealem hederam* nominant. Hæc plurimo quidem lacte manat, & aluum haud secus quam scammonia citat, quam Dioscorides *libro quarto capite 42.* iis verbis describit: ἑλξίνη, ἣ καὶ κισσάμπελον, ἔχει φύλλα ὅμοια κισσῷ, ἐλάττονα δὲ καὶ κλωνία μικρὰ περιπλεκόμενα ὅπου ἂν τύχοι. φύεται δὲ ἐν φραγμοῖς καὶ ἀμπελῶσι καὶ σίτῳ. δύναμιν δὲ ἔχει τῶν φύλλων ὁ χυλὸς πινόμενος λυτικὴν κοιλίας. id est: *Helxine quæ & cissampelos dicitur, folia hederæ similia habet, minora tamen, ramusculos quoque paruos amplectentes quicquid contigerint. Nascitur vero in septis, vineis & frumento. Succus foliorum potus vim habet aluum subducendi.* Et mirum admodum vtrumque interpretem, Ruellium & M. Virgilium, hoc caput tanquam adulterinum in Diosc. omisisse, cum tamen constet antiquorum, Galeni præsertim & Pauli testimoniis, duas esse helxinas dissimilis inter se naturæ: id quod & idem M. Virgilius in suis fatetur annotationibus, vnam quæ hodie *pa-* Tam Ruellius quam M. Virgilius caput de cissampelo præter rationem omiserunt.
D *rietaria*, alteram quæ *Volubilis* appellatur.

Sucutum neque semperuiuum, neque mandragoræ speciem esse, quemadmodum Auicenna putat, sed eam potius herbam, quam veteres symphytum petræum nominant.

CAP. XIX.

QVam varium se in sucuti descriptione exhibuerit Auic. probe intelliget, qui eiusdem de illo placita diligenter expenderit. In capite namq; *642. secundi Can.* ita scribit: *Sucutũ quid est? Dicitur quod est semperuiua, & dicitur quod est species seminis mandragoræ, & dicitur aliud.* Et rursus Fen. *10. Can. 3. tract. 3. cap. 6.* de sputi sanguinis curatione in hunc mo-
E dum: *Sucutum est semperuiua, & scripsit vir quidam in suis aggregationibus esse calamenti speciẽ, nascentem inter lapides.* Quid, per Apollinem oro, certi ex his descriptionibus medicæ professionis studiosi venentur? Nihil equidem: nam quid cognitionis conferre queat Auic. quimetipse ignorauit, quid *sucutum* esset? Ignorasse autem id tot de illo diuersæ eius sententiæ declarant: compertam enim sucuti naturam si habuisset, in referendis aliorum sentẽtiis minime contentus fuisset, sed tandem in re tam dubia pronuntiasset, & suam etiam sententiam interposuisset. Proinde resipiscerẽt velim, qui adhuc hodie Auic. tanquã idolum aliquod exosculantur, nec vllo pacto huic esse contradicendum Auicenna Sucuti naturã ignorauit.
F putant, cum tot erratis eius libros, secundum præsertim, refertos esse constet, vt multo consultius esset hunc penitus interiisse, quam vt tot bonis viris auctoritate, qua hũc plurimum valere arbitrantur, imponeret. Discant igitur ex hoc aliisq; erroribus, quã varius sit, & vertumno quouis inconstantior Auic. vt vel tandem pudeat tam inconstãtis magistri esse discipulos. Sed ad institutum reuertentes sucutum neq; semen mandragoræ, neque etiam calamenti esse speciem, sed eam potius herbam quam Diosc. & alii Græci Sucutum a Symphyto petræo nihil differre.

ſymphytum petræum nominant, demonſtrabimus. Id quod facilimum erit, ſi vtriuſq; A
deſcriptiones contulerimus. Auic. ſiquidem in loco *ſecundi Can.* antea citato hæc ſub-
iungit verba: *Sucutum eſt duarum ſpecierum, quarum vna eſt petroſa, & alia non petroſa. In ipſa
eſt humiditas calida temperata, & ſubtilitas & inciſio, & habet odorem ac dulcedinem quandam, &
aqua eius attrahit ſputum, & aggregando partes carnis in vaſe facit rem vnam. Decoctio eius ſanat
aſperitates pectoris & gutturis, & prohibet ſputum ſanguinis, & cum aqua mellis mundificat pul-
monem, confert vlceribus inteſtinorum & abraſioni, & ruptura inguinis, & doloribus renum, &
retinet fluxum ſanguinis menſtrui.* Quæ ſane deſcriptio in vniuerſum cum deſcriptione
ſymphyti petræi quadrat, quam tradit Dioſcorides lib. 4. capite 10. dicens: Σύμφυτον πε-
τραῖον φύεται ἐν πέτραις. τὸ δ' ὅλον ἐστὶ ξυλῶδες καὶ εὐῶδες, γλυκύ τε πρὸς τὴν γεῦσιν, καὶ πτυέλου προκλητικόν· τοῦτο ἑψηθὲν B
σὺν μελικράτῳ καὶ ποθὲν, ἀνακαθαίρει τὰ ἐκ πνεύμονος. σὺν οἴνῳ τε ἑψηθὲν, πίνεται πρὸς δυσεντερίαν, καὶ ῥοῦν γυναικεῖον
ἐρυθρόν. καὶ νεφριτικοῖς σὺν ὕδατι δίδοται. ἁρμόζει καὶ ταῖς βρόγχου τραχύτησι. κολλᾷ καὶ νεότρωτα καὶ ἐντεροκήλας ἀποκρατεῖ
καταπλασσόμενον. καὶ τὰ κρέα συμπέκλει ἑψόμενα σὺν αὐτοῖς. hoc eſt: *Symphytum petræum naſcitur in petris,
totum eſt lignoſum, odoratum, guſtu dulce, ſaliuamque ciens. Decoctum in aqua mulſa & potum,
quæ ſunt in pulmone purgat, in vino vero decoctum ad dyſenteriam, rubraque fœminarum proflu-
uia, & renum malis ex aqua datur, gutturis quoque aſperitati prodeſt, vulnera recentia congluti-
nat, inteſtinorumque ramices illitum cohibet, carnes quoque, cum quibus decoquitur, coaleſcere facit.*
Neque diſconueniunt, quæ de ſymphyto ſcribit Galenus lib. 8. de ſimpl. medic. facult.
in hũc modum. Σύμφυτον πετραῖον ἐξ ἐναντίων σύγκειται δυνάμεων. ἔχει μὲν γάρ τι καὶ τμητικὸν, ᾧ καὶ τὸ περιε-
χόμενον ἐν θώρακι καὶ πνεύμονι πῦον ἐκκαθαίρειν πέφυκεν. ἔχει δὲ τι καὶ συνακτικὸν, ᾧ καὶ πρὸς τὰς ἐξ αἵματος ἀναγω- C
γὰς ἐπιβοηθεῖ. καὶ τρίτην ἐπ' αὐτοῖς ὑγρότητά τινα θερμὴν οὐκ ἄκρως, δι' ἣν καὶ γλυκὺ φαίνεται γευομένοις, καὶ ἡδὺ
πρὸς τὴν ὄσφρησιν. τὰς ἐν ἀρτηρίᾳ τραχύτητας ἰᾶται. κατὰ δὲ τὴν ἐξ ἁπασῶν τῶν εἰρημένων δυνάμεων μίξιν ἅμα τε
καὶ διαφορεῖν ἱκανόν ἐστιν καὶ συνάγειν καὶ σφίγγειν τὰ σώματα. καὶ διὰ τοῦτο καὶ ταῖς ἐντεροκοιλίαις ἐπιτίθεται, ὅσοι δ' αὐτὸ καὶ πρὸς
δυσεντερίαν, καὶ ῥοῦν ἐρυθρόν ἕψοντες ἐν οἴνῳ διδόασιν, ὡς ξηραίνοντι τε καὶ συνάγοντι χρῶνται. καὶ ὅσοι πρὸς νεφρίτιν, ὡς
ἐκκαθαίροντι καὶ τέμνοντι. id eſt: *Symphytum petræum ex contrariis conſtat viribus: habet enim ſe-
candi vim quampiam, qua collectum in thorace & pulmone pus expurgare poteſt: habetque etiam
quandam contrahendi vim, qua eiectionibus ſanguinis ſauxiliatur: & tertia ad eas ineſt humiditas
quædam non immodice calida, per quam guſtantibus dulce apparet, & odoratu iucundum: arteriæ a-
ſperitates ſanat. Porro ſecundum omnium dictarum virium miſtionem ſimul digerere abunde poteſt,
ſimulq; corpora contrahere conſtringereque: proinde inteſtinorum ramicibus imponitur. Qui ipſum* D
*in vino decoctum ad muliebre exhibent profluuium, vtuntur tanquam deſiccante & contrahente.
Qui vero ad nephritin, tanquam expurgante & incidente.* Galeno ſubſcribit Paulus in 7. di-
cens: *Symphytum petræum ex contrariis conſtat facultatibus. Habet namque vim ſecandi, quâ
nimirum in thorace, pulmone & renibus pus expurgat. Quandam etiam contrahendi, qua ſangui-
nis excreationibus, rubris fœminarum fluxionibus, & enterocelis medetur. Adhæc omnia calidã
quandam humiditatem habet, qua ſitim exſtinguit, & arteriæ aſperitates.* Prædictis accedunt
quæ ſcribit Plin. *li. 27. capite 6.* in hunc modum: *Alum nos vocamus, Græci Symphyton pe-
træum, naſcitur in petris, ideoque petræum cognominatum, vtiliſſimum lateribus, renibus, tormi-
nibus pectoris, pulmonibus ſanguinem reiicientibus, faucibus aſperis. Vulneribus ſanandis tanta
præſtantia eſt, vt carnes quoque cum coquuntur conglutinet addita, vnde & Græci nomen impoſue-
re.* Quæ ideo nobis ordine recenſenda fuerunt, vt ex iis luce meridiana clarius cerne- E
rent veritatis auidi ſectatores, ſucutum cum ſymphyto idem eſſe, id quod præter vtri-
uſque deſcriptiones, quæ in vniuerſum conueniunt, nomen etiam ſatis indicat. Corru-
pto enim vocabulo *ſymphytum ſucutum* appellauit Auic. Proinde cum is error, in quem
lapſus eſt Auic. ex linguæ inſcitia ortus ſit, conſultum erit omnibus, qui medicinæ ope-
ram daturi ſunt, vt illam non niſi linguarum, Græcæ præſertim, peritia inſtructi acce-
dant, nam ita multas errorum occaſiones ſubterfugere poterunt, in quas alias impro-
uidi incident.

Medicinæ ſtudioſi græcæ linguæ peritia prædit[i] ſint.

*Ignoraſſe populum arborem Auicen. cum ex ambigua eius de illa ſententia, tum et-
iam quod calidam eſſe in ordine tertio ſtatuit, colligi.*

Cap. XX. F

Populus arbor Auicēnæ incognita.

AVuicennæ populum arborem fuiſſe ignotam, indicio primum eſt, quod illam *in
ſecundo Can.* diuerſis capitibus ſub aliis atque aliis nominibus tanquam rem diuer-
ſam deſcribit: quod certe nunquam feciſſet, ſi huius formam atque naturam probe
per-

A perspectam habuisset. Ter enim de vna hac arbore diuersis locis tractat. Primum *cap. 344.* sub hauri Romani nomine, vbi quid haurum, cui *achirosa* respondet: quam sane dictionem corruptam esse constat, ac pro ea αἴγειρος scribẽdum, quæ dictio Græcis *nigram populum* significat. Dein *cap. 510.* sub nucis Romanæ nomine idem facit, id quod verba illic scripta, quæ a prioribus in nullo differunt, nisi quod pro *achirosa* hic *aceusex* habetur, satis monstrant. Tertio *in cap. 351.* simpliciter sub hauti nomine populum describit arborem, vbi etiam ea, quæ de alba & nigra populo a Diosc. Galen. & aliis veteribus diuersis dicuntur capitibus, vno capite confundit, viresque harum non sine magno errore miscet. Nam cum scribit, *aureum ex fructu ipsius arboris conferre sciaticæ, & succum foliorũ* [Auicenna vtriusque populi facultates cõfundit.]
B *eius tepefactum destillatum in aurem sedare dolorem, item aureum ex fructu eius destillationi vrinæ conferre, ex eius fructu cum melle fit alcohol, & est confortatiuum oculi, & aureum ex fructu eius cũ aceto post purgationem mẽstruorum, prohibere impragnationem, omnia ad populum albam referenda sunt.* Has enim eius esse facultates in primis Dioscor. li. 1. cap. 100. docet, ita scribens: λεύκης τοῦ δένδρου ὁ φλοιὸς ποθεὶς ὅσον οὐγγία μία πλῆθος ἰσχιάδας ὠφελεῖ καὶ στραγγουρίας. ὠφελεῖ καὶ ὠταλγίας ὁ χυλὸς τῶν φύλλων χλιαρὸς ἐνσταζόμενος. τὰ δὲ κατὰ τὴν ἐκβλάστησιν τῶν φύλλων σφαιρία λεῖα μετὰ μέλιτος ἐγχριόμενα ἀμβλυωπίας θεραπεύει, καὶ τὰ φύλλα δὲ πινόμενα μετὰ κάθαρσιν σὺν οἴνῳ ἀτόκια εἶναι ἱστορεῖται. id est: *Populi albæ cortex potus vnciæ vnius pondere ischiadicis ac vrinæ stillicidio prodest. Foliorum quoque succus tepens instillatus aurium dolores iuuat. Piluiæ in prima foliorum germinatione trita & cum melle illitæ oculorum hebetudini medentur. Folia denique cum vino post purgationem pota sterilitatem facere produntur.* [Populi albæ vires.] Necnon Plinius *libro 24. capite octauo* dicens: *Cortex potus ischiadicis & stranguriæ prodest,*
C *foliorum succus calidus aurium dolori.* Quod vero in capite paulo ante citato scribit Auicenna, *emplastrum factum ex folijs romanæ cũm aceto conferre dolori podagræ, & fructum eius prodesse epilepsiæ, ad* nigrã referendũ populũ erit: Ita enim de ea Dioscor. lib. 1. c. 104. tradit: αἰγείρου τὰ φύλλα μετ᾽ ὄξους καταπλαττόμενα ποδαγρικὰς ὀδύνας ὠφελεῖ. ὁ καρπὸς δὲ μετ᾽ ὄξους πινόμενος ἐπιληπτικοὺς ὠφελεῖ. quod est: *Populi nigræ folia cum aceto illita podagricos dolores iuuant, semen vero potũ cum aceto, comitialibus vtile est.* Et Plinius loco iam citato, *Populus nigra,* inquit, *efficacissima habetur, quæ in Creta nascitur: comitialibus semen ex aceto vtile, folia podagris in aceto decocta imponuntur.* Vnde euidentissimum fit, Auicennam contra veterum sententiam vtriusq; populi facultates indiscriminatim miscuisse, adeo vt hinc quoque discere liceat hunc ipsum sua nullo penitus ordine vtcunque sese obtulerunt congessisse. Ceterum ignoras- [Auicennæ sua sine ordine congessit.]
D se naturam Populi arboris Auicennam inde etiam colligi potest, quod hanc *cap. 344. & 510.* calidam in tertio ordine esse dicat, licet *ca. 351.* æqualem esse in caliditate, & ad paucam declinare siccitatem scribit; id quod & in Carabe, de quo sequenti paradoxo dicemus, facit: adeo nunquam non sibi similis, *hoc est,* Proteo ipso magis varius est Auicenna. Non esse autem calidam in tertio ordine populum nigram, testatur Galenus *libro sexto de simpl. med. facultatibus* ita scribens: αἰγείρου τὰ μὲν ἄνθη θερμὰ δύναμιν ἐστιν ἐκ τῆς πρώτης ἀποστάσεως ἀπὸ τῶν συμμέτρων. ἐν δὲ τῇ κατὰ τὸ ξηραίνειν τε καὶ ὑγραίνειν διαφορᾷ βραχὺ τῶν συμμέτρων καὶ μέσων ἀποκεχώρηκεν ἐπὶ τὸ ξηρότερον. ἐστὶ δὲ καὶ λεπτομερῆς μᾶλλον, ἢ παχυμερής. καὶ τὰ φύλλα αὐτῆς ὁμοιωμένα πως ἐστὶ τοῖς ἄνθεσιν, πλὴν εἰς ἅπαν ἀσθενέστερά τε καὶ ἀπρακτότερα. καὶ ἡ ῥητίνη δ᾽ αὐτοῖς ὁμοία τοῖς ἄνθεσι δυνάμεώς ἐστι, καὶ θερμότερα. τὸ δὲ σπέρμα λεπτομερέστερόν ἐστι καὶ ξηραντικώτερον τῆς ῥητίνης, καὶ τῶν ἀνθῶν, θερμὸν δὲ οὐ πάνυ, id est: *Aegiri flores calidi quidem sunt in primo recessu a temperatis, & in differentia quæ habetur in siccan-* [Populus nigra non in tertio ordine calida.]
E *do & humectando, paulum quiddam a temperatis ac medijs ad siccius deflexerunt: sed & subtiliorum potius quam crassiorum sunt partium. Et folia quoque ipsius quodammodo floribus similia sunt, nisi quod ad omnia imbecilliora, minusque efficacia. Sed & resina eius floribus similem facultatem obtinet, atque etiam calidiorem. Porro semen tum resina, tum floribus, & subtiliorum est partium & exsiccantius, non tamen admodum calidum.* Quæ ideo longius a nobis repetita sunt, vt hinc studiosi verum Populi nigræ, omniumque eius partium temperamentum, quandoquidem Auic. nihil certi ea de re statuat, agnoscerent. Nec est, quod nobis quisquam veterem Galen. traductionem, quæ calidam in tertio ordine asserit, obtrudat: nam cum illa ex Arabica lingua traducta sit, id quod Barbara & Arabica capitibus pas- [Vetus Galeni traslatio qualis.]
F sim præfixa nomina, adde multa etiam, quæ in Græco non habentur exemplari, illi addita, abunde monstrant, exigua huic fides adhibenda erit, maxime quod constet versionem illam non semel tantum, sed fere singulis capitibus multifariam deprauatam esse, quemadmodum perspicuum erit, si quis illam cum Græcis contulerit. Non esse autem legendum in tertio recessu, sed in primo potius, omnium maxime fidem

Paulus Galeni simia. facit Paulus Ægin. Galenum passim ita referens, vt Simia eius dici cœperit, qui *li. 7.* de A
Populo nigra ita scribit: *Aegiros excalfacit in primo temperatorum ordine, siccat vero mediocriter, estq; partium tenuium. Verum quæ ex ea stillat resina, floribus paulo calidior est.* Præterea natura ipsa arboris ad tantum caliditatis gradum illam non posse extolli, satis indicat. Qui enim sapor, quis odor, quę denique qualitas tam præcellentis hanc esse caliditatis indicio esse potest? neq; enim valde odorata, neq; eximio aliquo sapore prædita est, sed dum gustatur, primum quidem modice adstringit, postea amaritudinem quandã subobscuram inuehit, olfaciẽti quid non insuaue, verum exiguum id omnino repræsentat: quæ certe singula non excedere primum a calefaciendo ordinem argumento existunt. Quod si quis etiam via regia, quam in libris *de simpl. med. facul.* Gal. ostendit, incedens, B
illam in corporibus & temperatis & ægris experiri voluerit, non admodum calefacientem inueniet. Quum itaq; ex iam dictis satis constet populum nigram primum caliditatis ordinem non excedere, quid obstat, cur non intrepide Auicennam errasse pronunciemus?

Carabe quod Græci electrum, Latini autem succinum vocant, non esse Populi nigræ lachrymam, veluti Auicenna & alij quidam fabuloso seducti errore, docent. CAP. XXI.

AVicenna *cap. 351. secundi Can.* Carabe gummi arboris Hauri esse docet iis verbis: *Gummi quod ex hac arbore romana est, Carabe dicitur.* Et rursus cap. 374. vbi Carabe historiam ex professo tractat, idem facit, dum, *Carabi gummi arboris, quæ nux romana vocatur, esse*, inquit. Manifestum vero ex præcedentibus, Haurum romanum, seu nucem romanam, Arabibus nihil aliud esse quam Populum nigram. Auicennam sequitur Serapion, qui *cap. 266. sui de simpl. med. temp.* Carabe Hauri romani gummi esse scribit, idq; ex Galeni sententia, quem tamen constat nullam de electro succinoue mentionem fecisse: ita passim in citandis Græcis, illorum auctoritate abutuntur Arabes. Ea autem de succino sententia, ex fabula quadam hominum mentes irrepsit, qua Heliades Phaetontis sorores fratrem mensibus quatuor fleuisse, ac tandem iuxta Padum in Populos arbores illius desiderio conuersas, pro lachrymis molle succinum iugiter stillare ferunt. Hanc certe Ouidius *lib. 2. metamorph.* multis iisdemq; elegantissimis versibus descripsit, inter quos & illi leguntur. D

Haurus Romana nux. C

Fabula Heliadum.

Mater tunc truncis auellere corpora tentat,
Et teneros manibus ramos abrumpit, at inde
Sanguineæ manant tanquam de vulnere guttæ.
Parce precor mater, quæcunq; est saucia clamat,
Parce precor, nostrum laceratur in arbore corpus,
Iamq; vale, cortex in verba nouissima venit.
Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Refertur & a Diodoro Siculo *lib. 6. de fabulosis antiquorum gestis*, iis verbis: *De electro quidam veteres fabulas scripsere haud dignas fide, & quæ a posteris reprehensæ sint. Nonnulli enim tum poetæ, tum historici tradunt Phaetontem solis filium, quum puer esset petysse a patre, vt vnicũ diem solus currum regeret. Illo assentiente, sumto curru, quum equorum fræna regere nequiuisset, ab equis contempto puero, extra solitum cursum esse currum delatum, & primo cœlum equorum errore incensum, circulumque qui Galassia dicitur, exinde factum, deinde magnam combustam orbis partem. Quare commodum Iouem fulmine Phaetontem tradunt peremisse, solemq; in pristinum redegisse cursum. Phaetontem in fontibus eius, qui nunc est Padus, olim Eridanum dicebant, decidisse. Eius mortem Nymphas fleuisse sorores, dolorisq; magnitudine mutata in Populos fuisse versas: has annis singulis eodem tempore educere lachrymas, e quibus electrum fiat, reliquum splendore superans.* E F
Hactenus Diodorus. Fabulosum autem hunc errorem non tantum Arabes, sed & ex Græcis plurimi, *vt Arist. cap. 70. de admirandis in natura*, secuti sunt, & inter Medicos Paulus maxime Ægineta, qui *lib. 7.* ita scribit: *Populi arboris lachryma est electrum, prope flumen Eridanum, vt aiunt, ex ea destillans congelascit colore auri.* Nihil autem miri in tam variis scriptorum de succini prouentu sententiis deceptum fuisse Paulum, qui in Græcia

Paulus Aegineta in succino deceptus.

viuens

A viuens, vbi terrarum succinum generaretur videre non potuit: quapropter communem multis opinionem sequi voluit. Plurimi tamen fuere qui fabulam hanc damnauerunt, veluti est Diodorus Siculus *loco iam citato*, & Herodotus *libro tertio.* Nemo autem veterum fere, vbi nasceretur succinum certius, quam Plinius, fidissimus naturæ interpres, indicauit, qui *li 37. c. 2.* varias de illo cōmentitias explodens sentētias, in hūc modum scribit: *In succinis caussam ne deliciæ quidem adhuc excogitauerunt. Occasio est vanitas Græcorum diligentiæ. Legentes modo æque perpetiantur me de ortu eorum, cum hoc quoque interfit vitæ, scire posteros quicquid illi prodidere mirandum. Phaëtontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores Populos, lachrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: & electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit elector. plurimi* B *Poetæ dixere, primique, vt arbitror, Aeschylus, Philoxenus, Nicander. Euripides, Satyrus: quod esse falsum Italiæ testimonio patet. Diligentiores eorum Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Qua appellatione nullas vnquam ibi fuisse certum est. Nec vero vllas ibi appositas esse, in quas quicquam cursu Padi deuehi possit. Nam quod Aeschylus in Iberia, hoc est, in Hispania, Eridanum esse dixit, eundemque appellari Rhodanum, Euripides rursus, & Apollonius in Adriatico littore confluere Rhodanum & Padum faciliorem veniam facit ignorati succini, in tanta orbis ignorantia. Modestiores, sed æque falsum prodidere, in extremis Adriatici sinus rupibus inuiis arbores stare, quæ canis ortu hoc effunderent gummi, &c.* nam varias aliorum quamplurimorum de succino sententias recenset, quas ne longiores simus, missas facimus. Capite autem tertio; post falsas multorum opi- C niones, huius ortum certius monstrat, sic dicens: *Certum est gigni in insulis septentrionalis oceani, & a Germanis appellari glessum, itaque & a nostris vnam insularum ob id Glessariam appellatam; Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente Austrauiam a Barbaris dictam. Nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, vt gummi in cerasis, resina pineis. Erumpit humoris abundantia, densatur rigore vel tempore autumnali. Cum intumescens æstus rapuit ex insulis, certe in littora expellitur, ita volubile, vt pendere videatur, atque considere in vado: quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id succinum appellantes. Pineæ autem arboris esse indicio est pineus in attritu odor, & quod accensum tedæ modo ac nidore flagret. Affertur a Germanis in Pannoniam maxime prouinciam. Inde Veneti primum, quos Græci Henetos vocant, rei formam fecere, proximi Pannoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum.* Hæc ille. Glessaria.

D Plinio subscribit Solinus capite trigesimotertio in hunc modum: *Glessaria dat succinum, quod Germani gentiliter vocant glessum. Qualitas materiæ istius summatim antea; Germanico autem Cæsare omnes Germaniæ oras scrutante comperta est arbor pinei generis, cuius medulla autumni tempore succino lachrymat. Succum esse arboris de nominis capessas qualitate. Pinum vero vnde sit genitum; si vsseris, odor indicabit. Precium operæ est ire longius, ne Padaneæ syluæ credantur lapidem fleuisse. Hanc speciem in Illyricum Barbari intulerunt. Quæ cum per Pannonica commercia vsu ad transpadanos homines foret delata, quod ibi primum nostri eam viderant, ibi & natam putauerunt.* Cornelius autem Tacitus succini prouentum melius tenens in li. *de situ, moribus & populis Germaniæ, tradit* Esluorum gentes mare scrutari, & solos omnium succinum, quod ipsi Glesum vocant, inter vada atque in ipso litto- E re legere. Glesum autem olim appellarunt, quod instar vitri pelluceat, nam Germani vitrum Glaß nominant. Sunt autem *Eslui*, vel vt Rhenanus legit *Aestyi*, qui hodie *Pruteni* seu *Borussii* vocantur, apud quos nunc vt olim succinum colligitur, cuius nuper magnam copiam multiiugæ eruditionis vir Martinus Girbigus, Illustrissimi Principis Alberti Marchionis Brandenburgensis & Borussiæ ducis archiatros, pro amicitiæ nostræ iure ad nos transmisit. Abundare autem hanc oram Borussiæ succino notius est quam vt multa demonstratione egeat: quum enim velut peninsula sit, ob sinuosos maris flexus, terramque spaciose in freta excurrentem, fit vt vi tempestatum in hanc succinum adueha tur. De qua re multa quoque scribit Erasmus Stella Libonothanus *libro primo, de Borussiæ antiquitatibus.* Proinde aberrare omnes F constat, qui ex populo arbore iuxta Eridanum fluuium succinum colligi putāt, quum Plinio & experientia ipsa docentibus, potius in Borussia regione, a qua procul abest Eridanus, proueniat. Neque Dioscoridi, vt obiter moneam, ea quæ tum ferebatur fama, ex populi resina succinum durari probatur, ex quo inquit, ferri id & narrari, id quod etiam Marcellus Virgilius monuit. Dioscoridis autem hæc sunt verba: ἱστορεῖται δὲ

Glesum succinū quare dictum.
Eslui siue Aestii qui.
Martinus Girbigus.
Borussia.
Dioscoridi fabula de succino nō probatur.

δὲ τὸ ἐξ αὐτῶν δάκρυον κατὰ τὸν ἠρίδανον ποταμὸν καταφερόμενον πήγνυται, καὶ γίνεται τὸ καλούμενον ἤλεκτρον. quod est: *Fertur lachrymam ex iis quæ in Padum amnem defluit, durari ac densari, fierique quod electrum vocant.* Eo nanque quod ait, *fertur*, insinuat se id commentum non probare, quod vulgo dicebatur succinum esse populi arboris lachrymam in Eridanum defluentem, illicque induratam. Ceterum vniuersam Succini historiam fusius & verius, quam Plinius *in nostris commentariis in nonum Galeni librum de simplic. medicam. facultat.* tradidimus. Eo igitur lector recurrat. Quam incognitum vero fuerit Carabe Auicennæ, facile d...t et qui pugnantes eius de huius temperamento sententias expendere velit. Capite enim *374. secundi Canonis*, Carabe parumper esse calidum statuit: id quod & in libello de *viribus cordis tract. secund.* facit, calidum in primo, & siccum in secundo dicens. Mox vero pro sua inconstantia subdit, *Opinio tamen est quod sit frigidum.* Capite vero 344. eiusdem Canonis, *Carabe gummi calidissimum esse* docet, quod capite 510. iis confirmat verbis: *Eius gummi est vltimum in calefaciendo.* Quod ideo diximus, vt iterum Auicennæ inconstantiam Medicæ artis studiosis indicaremus, quo ita sibi facilius prouiderent ne in hunc auctorem imparati inciderent, neq; illum magno suo & aliorum periculo sibi imitandum temere proponerent.

Carabe Auicennæ incognitum.

Haud recte Auicennam & Mesuen herbam Mezereon, quæ a Græcis Chamelæa dicitur, inter lactariorum genera connumerare, ac cum Thymelæa confundere: multa quoq; quæ Chamælconti debentur, nominis vicinitate deceptos Chamelææ tribuere. Cap. XXII.

Errasse toto cœlo in Mezereon descriptione Auicennam, Arabesque reliquos, eorundem verba pulchre commonstrant. Auicenna enim *capite 467. secundi Canonis*, Mezereon ita depingit: *Mezereon est lacticinium magnum quod est duorum modorum: vnum eorum est magna habens folia & spissa, & hoc est deterius amborum: & quod nigrum est, perniciosum exsistit. Melius Mezereon est, in quo sunt folia plurima, & similia foliis oliuæ, & subtiliora: est acutum excoriatiuum, & eius acrimonia est vehemens.* Nec aliter Mesue *in suo de simplicib. med. libro* illam describit, dicens: *Mezereon est planta vocata apud Persas rapiens vitam, cuius stirpes eleuatur super terram circiter cubitos duos, & eius folia sunt similia foliis oliuæ sed maiora, & producit grana nigra in magnitudine fructus myrti. Est & planta lacticiniorum maiorum, cuius species sunt plures. Est enim quædam magna habens folia & subtilia. Est & parua habens folia sicut oliuæ folia & spissa nimis: & est folia habens crispa & aspera, & ex eis aliud est colorem habens viridem, & aliud habens colorem subnigrum.* Hinc animaduertendum omnium primum, Mezereon eam esse herbam, quæ Græcis *Chamelæa* vocatur, id quod præter Serapionem, qui Mezereon Græcis Chamelæam dici ait, huius descriptio quoque aperte demonstrat, hæc enim probe cum iis, quæ iam ex Arabum sententia retulimus quadrat. Chamelæam vero Dioscorides li. quarto c. 162. ita pingit: χαμελαία κλῶνας μὲν ἔχει σπιθαμιαίους, ὁ δὲ θάμνος φρυγανώδης. φύλλα ἔχει ἐλαίᾳ παραπλήσια, λεπτότερα δὲ καὶ πυκνὰ καὶ πικρὰ δάκνοντα τὴν γεῦσιν, καὶ χαράττοντα τὴν ἀρτηρίαν. quod est, *Chamelæa adodrantales ramos habet, frutex surculosus, folia oleæ similia habet, tenuiora tamen, frequentia & amara, gustum mordentia & arteriam scarificantia.* Quam sane descriptionem pulchre cum eo Mezereon, quod melius ab Auicenna, a Mesue autem minus dicitur, quadrare videmus, adeo vt nemo dubitare possit Mezereon Arabum, Græcorum Chamelæam esse. Porro hoc demonstrato, nemo non videt errare Arabes, quod inter lactarias herbas Mezereon connumerant: nullus enim ex veteribus Chamelæam, quæ nihil aliud est quam Mezereon, vt diximus, inter herbas, quæ lac habent, collocauit; id quod patet Dioscoridem, Galenum, & alios eius farinæ auctores diligenter excutienti. Etsi ex genere lactariorum esset, aliqua certe Tithymalorum species, aut alia quædam lactaria herba, a veteribus, Dioscoride præsertim, descripta esset, id tamen quod affirmare nemo potest, quod nulla illarum descriptio Mezereon competere queat. Quod autem Arabes, Mesue præcipue, Mezereon seu Chamelæam cũ Thymelæa confuderint, ex illorum verbis quoq; demonstrabimus. Nam cum Mesue ait, eius stipes eleuatur super terram circiter cubitos duos, & producit grana nigra in magnitudine fructus myrti, ad Thymelæam certe referendum erit, de qua *lib. 4. cap. 163.* ita scribit Diosc. θυμελαία ῥάβδους δὲ ἀνίησι καλὰς καὶ πολλὰς ὅσον διπήχεις, φύλλα χαμελαίᾳ ὅμοια, ἐν μέσῳ αὐτῶν ὁ καρπὸς, ὡς μύρτου μικρὸς στρογγύλος, id est: *Thymelæa ramos edit speciosos & multos binum cubitorum. Folia Chamelææ similia, inter quæ fructus paruus*

Mezereon Græcis est Chamelæa.

Mezereon inter lactarias herbas non connumeranda.

Arabes Chamelæam cũ Thymelæa confundũt.

A *paruus Myrti in modum rotundus.* Sunt & alia quædam, quæ Thymelææ debentur, vt in annotationibus Manardi in Mesuen videre licet. Insuper multa Mezereon seu Chamelææ tribuisse Arabes, quæ Chamelæonti conueniant, rursus ex iis, quæ illi scribunt, ostendi potest. Nam quod eius plures faciunt species, vnum album, alterum vero nigrum dicentes, hoc plane ad Mezereon non attinet, neque enim album & nigrum Chamelææ sunt differentiæ, sed Chamæleontis diuersæ omnino ab hac plantæ, cuius quidem duo esse genera, vnum nigrum, alterum album Dioscorides & omnes veteres testantur. Chamelææ vero simplicem tantum speciem faciunt, adeoque omnes Chamæleonta album & nigrum sui generis herbas a Chamelæa diuersas esse statuunt. Confundit quoque proprietates Chamæleontis nigri cum Mezereon seu

Arabes Chamelææ quæ Chamæleõti debentur tribuerunt.

B Chamelææ facultatibus Auicenna, dum ita scribit: *Omnes species administrantur ad morpheam, & Albaras, & ad lentigines linitæ exterius, & quandoque admiscetur ei sulphur. Colluitur os cum decoctione eius, & proprie decoctionis nigri. & sedatur dolor dentis.* Has enim proprietates deberi Chamæleonti nigro, auctor est Dioscor. *lib. 3. cap. 10.* in hunc modum de eo scribens: δύναται ἡ ῥίζα λεία μιγεῖσα αὐτῇ χαλκάνθου ὀλίγου, καὶ κεδρίνου ἐλαίου, καὶ ὀξυγγίου ψώρας ἐξάγειν. σμήχει δὲ καὶ λειχῆνας θείου καὶ ἀσφάλτου συλλαβοῦσα καὶ συνεψηθεῖσα ὄξει καταχριομένη. διακλυζόμενον δὲ τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ὀδονταλγίας παύει. hoc est: *Radix trita addito exiguo atramento sutorio, cedrino oleo, & axungia scabiem abigere potest. Abstergit etiam impetigines cum sibi sulphur & bitumen asciuit, & cocta in aceto illinitur.* Decoctum eius, si eo colluantur dentes illorum dolorem mitigat. Et Gal. *libr. 8. de simp. med. facul.* dicens: χαμαιλέοντος ἡ ῥίζα τοῦ μὲν μέλανος ἔχει τι δηλητήριον, ὅθεν ἔξωθεν ἡ χρῆσις αὐτοῦ πρὸς ψώρας, καὶ λειχῆνας, καὶ

C ἀλφοὺς, καὶ ὅλως ὅσα ῥύψεως δεῖται id est, *Chamæleontis radix, nigri quidem, letale quiddam obtinet, vnde foris vsus eius ad scabiem adhibetur, & impetigines, & vitiligines, & in summa, quæ detersionem postulant.* Quibus Plin. quoq; *lib. 22. c. 18.* subscribit inquiens: *Radicib. earum lichenes curatur cum sulphure & bitumine vna coctis. Comanducatis vero dentes mobiles, aut in aceto decoctis. Succo scabiem etiam quadrupedum sanant.* Paulus etiam Ægineta *lib. 7.* Chamæleonti nigro facultatẽ detergendi ea, quæ in summa cutis superficie sunt, tribuit. Quod vero subiũgit Auicenna, omnes species Mezereon administrantur cũ melle ad sordida vlcera, & eradicant cortices, vere de Chamelæa dictum est, nam has illi inesse facultates Dioscor. his verbis innuit: ἀναλαμβανόμενα λεῖα τὰ φύλλα μετὰ μέλιτος ἀνακαθαίρει τὰ ῥυπαρὰ ἕλκη, καὶ ἐσχαρωμένα. quod est: *repurgant cum melle trita folia vlcera sordida, & quæ crustas contraxerunt.* Nec dissentit Gal. *li. 8. de sim. med. fac.* ita scribens: χαμελαία τὴν πικρὰν ἐπικρατοῦσαν ἔχει ποιότητα, διὸ καὶ τὰ ῥυπαρὰ λίαν ἕλκη, καὶ ὅσα με-

D γίστας ἐσχάρας ἔχει, μετὰ μέλιτος ἀνακαθαίρειν δύναται. id est: *Chamelæa vincentem habet qualitatem amaram quamobrem admodum sordida vlcera, & quæ maximas habent crustas, cũ melle purgare potest.* Et consonat Paulus inquiens: *Chamelæa detergendi facultate prædita est, quocirca vlcera sordida, & quæ crustas habent, cum melle expurgat.* Ceterum quæ sequuntur apud Auicen. in capite de Mezereon, ea Chamæleonti albo conueniunt, veluti cum ait, *educere lumbricos & ascarides in decoctione calamenti montani, item conferre hydropisi, & vrinæ difficultati, cũ aqua deniq; & oleo interficere mures, canes, & porcos.* Id quod in primis testatur Dioscorides, de Chamæleonte albo ita scribens: ἡ ῥίζα ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος, ἄγει ἕλμινθα πλατεῖαν, λαμβάνεται δὲ σὺν οἴνῳ αὐστηρῷ μετὰ ὀριγάνου ἀποζέματος, καὶ ὑδρωπικοῖς δὲ ἐπιτηδείως δίδοται ὁλκὴ σὺν οἴνῳ, ἰσχναίνει γὰρ αὐτούς. καὶ πρὸς δυσουρίαν τὸ ἀφέψημα αὐτῆς πίνεται, ἀποκτείνει καὶ κύνας καὶ ὗς καὶ μύας σὺν ἀλφίτῳ πεφυραμένη καὶ ὑδρελαίῳ διεθεῖσα. quod est, *Radix oxybaphi mensura pota, latos lumbricos pellit. Bibitur autem in vino austero cum Origani decocto. Hydro-*

E *picis commode drachma cum vino datur, etenim extenuat eos. Decoctum eius contra vrinæ difficultatem bibitur. Canes, sues & mures cum polenta subacta, vel aqua & oleo madefacta necat.* Et confirmat Galenus *libro octauo* simplicium dicens: ἡ δὲ τοῦ λευκοῦ χαμαιλέοντος ῥίζα πρὸς ἕλμινθας πλατείας δίδοται, πλῆθος ὀξυβάφου μετ᾽ οἴνου αὐστηροῦ, προσφέρουσιν αὐτὴν καὶ τοῖς ὑδερικοῖς. id est: *Radix albi Chamæleontis potui datur mensura oxybaphi contra lumbricos latos. Exhibent etiam cum vino austero aqua intercutem laborantibus.* Eadem quoque post Galenum Paulus in septimo tradit. Præterea pari errore Auicenna *Fen. sexta Canon. quarti tract. 1. sum. 2. capite 7.* ad Mezereon, seu *vt ibidem ipsemet interpretatur,* Chamelæam transfert, quod Galenus, Paulus atque alii Chamæleonti nigro tribuunt. Nemo enim illorum Chamelæam inter venena, Auicennæ instar, connumerat, sed Chamæleontis nigri potius radicem, id quod Galeni

F verba supra citata pulchre monstrant. Omniũ autem apertissime Paulus, qui in hunc modum scribit: *Intro & in corpus sumta, venenosa & letalis creditur nigri Chamæleontis radix.* Porro haud aliter quam Auicenna Chamelææ cum Thymelææ & Chamæleontis viribus confundit Mesue, quemadmodum perspicuum fiet huius placita cum veterum

Chamelææ inter venena connumerari non debet.

Plantarum facultates ex Arabib. discere periculosum.

scriptis conferenti. Nos tamen, cum id abunde Manardus noster in suis in Mesuē annotationibus præstiterit, superuacaneum esse duximus ista denuo ad exemplum præcedentium conferre. Hinc iterum discant studiosi, quam periculosum sit ex Arabib. auctoribus plantarum discere vires, qui ita singulas confundunt, vt impossibile sit nō capitaliter eum errare, qui illos sequi voluerit. Præstaret hoc nomine illorum decreta plane esse exstincta, imo auctores ipsos vna cum illis radicitus perditos. Ergo sane Arabum auctorum lectionem nunquam ita medicinæ initiatis perniciosam esse antea, vt hodie, credidi, indies enim magis atq; magis quantum illis incōmodare possint animaduerto, quapropter mitius quam par erat etiam illos olim a me tractatos esse fateor. Iam multo acerbius tractandos arbitror, vt hoc pacto posteris saltē consulatur, ne Arabica illa lupanaria incidant improuidi. Et certe me illorum hostem futurum esse B omnium acerrimum publice omnibus denūcio, maioriq; conatu quam hactenus vnquā cœpi illorum castra oppugnare pergam, neq; desinam, modo vita Dei benignitate supersit, donec castris penitus exuero. Quis n. has pestes in vitam humanam diutius grassari pateretur? nemo sane, nisi qui homines, Christianos præsertim, omnes ablatos iri cupiat. Ad fontes potius pergamus, illicq; aquā puram nullis inquinamentis perturbatam hauriamus. Exemplo nobis sit Mezereon, seu, vt Græci vocant, Chamelæa, cuius facultates vt confusissime tradiderunt Arabes ita breuissime ac omnium dilucide Græci. Quid n. breuius, quid deniq; magis perspicuum quam hæc Dioscor. verba, quibus in hunc modum Chamelæam depingit? ταύτης τὰ φύλλα κάτω καθαίρει φλέγμα καὶ χολὴν, μάλιστα ἐν καταποτίῳ λαμβανόμενα, μιγνυμένης διπλασίου ἀψινθίου πρὸς ἓν μέρος τῆς χαμελαίας. ἀναλαμβάνεται δὲ ὕδατι ἢ μέλιτι εἰς καταπότια. οὐ πέττεται δὲ ἐν κοιλίᾳ, διαχωρεῖται γὰρ οἷα λαμβάνεται. ἀναλαμβανόμενα λεῖα τὰ φύλλα μετὰ μέλιτος ἀνακαθαίρει τὰ ῥυπαρὰ ἕλκη καὶ ἐσχαρωμένα, C hoc est: *Eius folia pituitā bilemq; per inferna purgant, maxime in catapotio deuorata, vni Chamelææ partis, duab. Absinthii mixtis. Conformentur autē aqua aut melle in pilulas. Hæc vero in ventre non conficiuntur, sed qualia sumta fuerunt excernuntur. Reliqua quæ sequuntur, supra a nobis interpretata sunt.*

Auicennam Calamentum cum Origano confundere, atq; vtriusq; vires promiscue docere.

Cap. XXIII.

CALAMENTVM Auicennam confundere cum Origano testantur ea, quæ scribit *capite 158. secundi Canonis*, in hunc modum: *Calamentum aliud est fluuiale, & aliud montanum, simile Hyssopo in sapore, & similiter folia eius sunt ei similia. Et est alia species eius* D *quæ nominatur Albauium. Et est quædam species eius quæ vocatur Calamentum hirci, & virtus eius est sicut virtus aliorum acris, & montanum est fortius fluuiali.* Quibus sane ex verbis euidētissimum fit cuiuis saniore mente prædito, Auicennā toto cœlo errare, imo vix verbū vnum proferre quod non veritati repugnet. Verū quidē est, Calamentū aliud esse fluuiale, aliud vero montanum: in hoc enim Nicandrū sequi videtur, qui in theriacis suis duo tantū Calaminthes genera, aquaticū alterū, montanum vero alterum facit. Falsum autem quod montanum Hyssopo similia folia habere dicit, nam id, Dioscoride auctore, Ocymi potius folia habet. Proinde genera Calamenti recte constituisse certum est, perperam autē illis Hyssopi folia, quæ Origano debentur, adaptauit, quēadmodū Dioscorid. docet *li. 3. c. 30.* origanū ita depingens: ὀρίγανος ἡρακλεωτικὴ φύλλον ἔχει ἐμφερὲς ὑσσώπῳ. σκιάδιον δὲ οὐ τροχοειδὲς, ἀλλ' ὥσπερ διῃρημένον. καὶ ἐπ' ἄκρων τῶν ῥάβδων τὸ σπέρμα οὐ πυκνόν, ἡ δὲ ὀνῖτις καλουμένη λευκοτέρα τοῖς φύλλοις ἐστὶ, καὶ μᾶλλον ἐοικυῖα ὑσσώπῳ. τραγορίγανος θαμνίσκος ἐστὶν, ὀριγάνῳ ἢ ἑρπύλλῳ ἀγρίῳ ὅμοιος τὰ φύλλα καὶ τὰ κλωνία, E id est: *Origanum Heracleoticum folium habet Hyssopo non dissimile, non tamen vmbellam in rotæ speciem orbiculatam, sed veluti multifidam ac diuisam. Semen illi in summis virgis haud quaquam densum. Quæ vero Onitis appellatur, candidioribus est foliis, & Hyssopo magis similis. Tragoriganum frutex est exiguus, Origano aut serpillo syluestri foliis & ramulis similis.* Ex quibus vtique verbis Auicennæ, error liquido sese prodit, quod scilicet Calamintham cum Origano ita miscuerit. Vt nisi quis oculatissimus sit, hæc genera discernere possit. Manifeste tamen hallucinatur cum Calamentum hirci tertiam facit speciem, cum nemo veterum Tragocalamintham, sed potius Tragoriganum descripserit, nec F inter Calaminthes, sed Origani species, cōnumerarit. Id quod Plin. quoq; facit *lib. 20. c. 17.* post Heracleoticū & Onitin, Tragoriganū syluestri serpillo similem inter Origani species recensens. Quod vero deinceps ait, virtus eius est sicut virtus aliorum acris, iterum, ad Calaminthæ respexit species, harum enim omnia folia gustu feruentia &

A acria ſunt, Dioſcoride teſte, cuius hæc de Calaminthes ſpeciebus verba ſunt: πάντων τὰ φύλλα γευσαμένῳ πυρωτικὰ ἰσχυρῶς καὶ δριμέα. Non ſolum autem formas Origani & Calaminthæ cõfundit Auicenna, ſed & illarũ vires promiſcue atq; indiſcriminatim docer, id certe q vno atq; altero exẽplo monſtrabimus: neq; n. ſingula referre opus erit, ſed poterit ſtudioſus ſuo Marte illorũ inſtar reliqua conferre, ac iudicare. Inter cetera de Calaminthæ virib. ſic ſcribit Auicenna: *Fit Balneatio ex decoctione montani ad pruritum & ſcabiem, & quandoque ſeparatur icteritia & confert hydropiſi, quando comeditur cum ficubus. Et ſolutione educit choleram nigram, & confert vlceribus oris, & extrahit ſuperfluitates ex vtriſque naribus.* Quæ ſingula Dioſcorides Origano, & minime Calaminthæ tribuit, ita ſcribens: ὀρίγανος ἐστι θερμαντική. ἁρμόζει πρὸς τὰ σπάσματα καὶ ῥήγματα καὶ ὑδρωπικοὺς μετὰ σύκου βιβρωσκομένη. ξηρὰ δὲ ποθεῖσα ὀξυβάφου πλῆθος σὺν μελικράτῳ μέλανα κατὰ κοιλίαν ἄγει. κνησμοὺς δὲ καὶ ψώρας καὶ ἰκτέρους τὸ ἀφέψημα αὐτῆς ἐν λουτρῷ ὠφελεῖ. ὁ δὲ χυλὸς αὐτῆς χλωρᾶς ὢν καὶ παρίσθμια καὶ κιονίδας καὶ ἄφθας θεραπεύει. καὶ διὰ ῥινὸς ἄγει σὺν ἐλαίῳ ἰρίνῳ ἐγχυματιζόμενος. hoc eſt: *Origanum* B *calefacit. Ruptis, conuulſis & hydropicis cum ficu comeſtum prodeſt. Aridum acetabuli menſura potum in aqua mulſa, atros humores per aluum ducit. Ad prurigines, ſcabies, morbum regium, decoctum eius in balneo confert. Succus etiam virentis tonſillas, columellam, & oris vlcera ſanat. Et per nares trahit cum Irino oleo infuſus.* Idem facit Plin. *lib. 20. cap. 17.* dicens: *Ruptis, conuulſis medetur origanum cum panacis radice, Hydropicis cum fico, aut cum hyſſopo, acetabuli menſuris decoctum ad ſextam. Item ſcabiem, pruriginem, in deſcenſione balnearum. Succus naribus infunditur. Tonſillis quoque & vuis medetur, oris vlceribus. Aluum mollit acetabuli menſura.* Præter has facultates ſunt & aliæ quas Auicenna Calamentho adſcribit, quæ tamen Tragorigano conueniunt, quales ſunt ſedare nauſeam, extenuare lienem, conferre ſto- C machi doloribus & conturbationi: teſtis eſt Dioſcor. qui de Tragorigano ita ſcribit: εὔθετος σπληνικοῖς πινομένη μετ' ὄξους. τοῖς ἀποσιτοῦσι καὶ κακοστομάχοις καὶ ὀξυρεγμιῶσι δίδοται. καὶ ἐφ' ὧν ἀλυσμὸς καὶ ναυτία καὶ θέρμη ὑποχονδρίων παρηκολουθεῖ. quod eſt: *Lienoſis cum aceto bibere cõfert. Cibum faſtidientib. ſtomacho male affectis, & acida ructantib. datur. Item quib. maritima iactatio, nauſea, & præcordiorum æſtus accidit.* Sunt & non paucæ apud Auic. capite citato proprietates, quæ veræ Calaminthæ, quã Nepetã Romani vocant, conueniunt, quales ſunt illæ: *Quando bibitur, aut ex eo fit emplaſtrum, confert punctura vermium venenoſorum: eius decoctio prouocat vrinam & confert ſpaſmo, & dilatationi anhelitus, dolori pungitiuo ventris, & cholericæ paſſioni & rigori. Et quando præmittitur & bibitur cum vino, expellit venena mortalia, interficit vermes: & quando comeditur & bibitur poſt ipſum aqua caſei diebus continuis, confert elephantiæ.* Has enim ad Cala- D mintham attinere Dioſ. *lib. 3. cap. 36.* his verbis docet: πινομένη δὲ καλαμίνθη καὶ καταπλασσομένη ἀρήγει ἑρπετοδήκτοις, ἄγει δὲ καὶ οὖρα τὸ ἀφέψημα πινόμενον. βοηθεῖ δὲ καὶ ῥήγμασι, σπάσμασιν, ὀρθοπνοίαις, στρόφοις, χολέρᾳ, καὶ ῥίγει. καὶ πρὸς τὰ θανάσιμα προπινομένη ποιεῖ σὺν οἴνῳ. καὶ ἰκτέρους ἀποκαθαίρει. ἕλμινθας, πλατείας σὺν ἁλσὶ καὶ μέλιτι πινομένη, ἑφθή τε καὶ ὠμὴ τρωγομένη. ὠφελεῖ καὶ ἐλεφαντιῶντας ῥοφηθεῖσα, ἐπιπινομένου ὀῤῥοῦ γάλακτος. quod eſt: *Calamintha pota & illita demorſis á ſerpentibus opitulatur. Decoctum eius potum vrinam pellit. Ruptis quoque, conuulſis, & non niſi recta ceruice ſpirantibus, torminibus, choleræ, rigoribuſque auxiliatur. Præpota in vino contra venena facit regiumque morbum expurgat. Lumbricos ventris tineas vocatos, cum ſale & melle pota enecat. Haud ſecus elixa crudaque ſi teratur. Elephanticos comeſta iuuat ſi ſerum lactis ſuperbibatur.* Dioſcoridi etiam ſubſcribit Galenus, cuius ſententiam quia nimis prolixa, adferre nolui: nec longiore etiam demonſtratione opus fuit, cum ex iam dictis euidentiſſimum ſit Auicennam cum Origano confudiſſe Calaminthã. E Demonſtratum n. abunde eſt nõ de ſola Calamintha hoc capite ſcripſiſſe Auic. quod illic multa ſint, quæ Origano etiam conueniant, neq; interpretis incuria atq; inſcitia factum eſt, vt pro Origano Calamintham tranſpoſuerit, quod ibidem haud pauca ſint quæ ex Dioſco. auctoritate Calaminthæ veræ tribuantur. Proinde cum tanta ſit apud Auic. ac reliquos Arabes in depingendis herbis, earumq; facultatibus inconſtantia, conſultiſſimum erit ſtudioſis, vt quicquid illi de ea re ſcripſerunt, tanquam mendacia pernicioſiſſima ſuſpecta habeant, nec vnquam attingant: præter enim nugas & ipſiſſimam confuſionem nihil inde reportabunt.

Auicenna Origani & Calaminthę vires confundit.

Auic. Calaminthæ tribuit, quę Tragorigano debẽtur

Nepeta.

Arabum de herbarum facultatib. placita mera mendacia.

F *Auicennam Thapſiæ tribuere, quæ Ixiæ veneno conueniunt, nulli fere non inconfeſſo eſſe, adeoq; illum vtriuſq; naturam non ſatis perſpectam habuiſſe.*

Cap. XXIIII.

NE cui vocabulorum imponat ambiguitas, animaduertendum, omnium primum Auicennam *Teſiſia* ſeu *Teſific* corrupta voce eſſe vſum pro *Thapſia*, id quod ex vtri-

Thesisic apud Auic. quid.

usque descriptione ac viribus satis innotescet. Auicenna, nanq; ita de suo Tesific *c. 710. secundi Can.* scribit: *Est mundificatiua, solutiua, & maturatiua. Et est ex eis, quæ attrahunt vehementer & violenter ex profundo corporis. Facit nasci pilos & confert alopitiæ valde. Prodest occultationi sanguinis, sed non dimittitur super ipsam præter horam. Similiter confert vestigiis, panno, & albaras. Inungitur cum compressione super mollificationem neruorum, & super podagram, & super iuncturas frigidas. Confert sputo saniei, & difficultati anhelitus, dolori amborum laterum, & proprie dolori ipsorum, vel cum oleo antiquo linita, & vt emplastrum superposita. Adiuuat ad exspuendas superfluitates linita.* Dioscorides vero haud aliter de Thapsia libro quarto capite 147. scribit, inquiens: δύναμιν δὲ ἔχει καθαρτικὴν ὅ, τε φλοιὸς τῆς ῥίζης καὶ ὁ χυλός. κέκτηται δὲ καὶ μετασυγκριτικὴν δύναμιν ὅ, τε ὀπὸς καὶ ἡ ῥίζα, πάντων μάλιστα τῶν ἰσοδυναμούντων, ὅπου τι δεῖ ἐκ βάθους ἑλκύσαι, ὅθεν ἀλωπεκίας καταχριόμενος ὁ χυλὸς, ἢ ἡ ῥίζα χλωρὰ προσεμβομένη δασύνει, ὑπώπιά τε αἴρει καὶ πελιώματα λεία ἡ ῥίζα ἢ ὁ χυλὸς σὺν λιβάνῳ τῷ καὶ κηρῷ ἴσοις. δεῖ δὲ μὴ πλέον δυεῖν ὡρῶν ἐᾶν. αἴρει δὲ καὶ ἔφηλιν σὺν μέλιτι καταχρισθεὶς καὶ λέπρας ἀφίστησι, φύματά τε ῥήσσει μετὰ θείου καταχριόμενος ὁ χυλός. χρησίμως δὲ καταχρίεται καὶ ἐπὶ τῶν χρονίας ἐχόντων διαθέσεις περὶ πλευρὸν ἢ πνεύμονα, ἢ πόδας, ἢ ἄρθρα. ἁρμόζει δὲ ἡ δι᾽ αὐτῆς κάθαρσις πάθεσιν ἀσθματικοῖς, πλευρῶν ἀλγήμασι χρονίοις καὶ ἀναγωγαῖς. quod est: *Tam cortex radicis, quam succus, purgandi vim habent. Succus deniq; pariter & radix facultatē possident ex alto euocantem, omniū maxime quæ pares cū eis vires adepta sunt, vbi eximo quidpiā trahendū est. Vnde succus illitus, aut radix recens confricata, alopecias explet. Radix aut succus cū æquis thuris ceræq; portionib. suggillata, liuoresq; tollit. Oportet autē non plus binis horis dimittantur. Vitia cutis in facie cum melle illitus emendat. Lepras pellit. Tubercula quoq; disiicit cum sulphure peruntctus succus. Vtiliter in diuturnis laterum, pulmonum, pedum, articulorumque affectibus illinitur. Eius purgatio conuenit suspiriosis, diuturnis laterum doloribus reiectionibusq;.* Gal. etiam *li. 6. de simpl. med. facult.* Thapsiam inter ea medicamenta, quæ ex alto vehementer trahunt recenset. Eius verba hæc sunt: θαψία δριμείας ἐστὶ καὶ ἰσχυρῶς θερμαντικῆς δυνάμεως σὺν ὑγρότητι. ἕλκεται γὰρ ἐκ βάθους βιαίως. καὶ αὐτὸ διαφορεῖ τὸ ἑλχθὲν, quod est: *Thapsia acrem ac valenter excalfacientem facultatem, cum humiditate coniunctam habet, quam ob rem ex alto violenter trahit, & quod traxit discutit.*

Thapsia vehementer ex alto trahit.

Id quod & Paulus in septimo facit, ita vt euidentissimum sit Thapsiam eandem cum Thesisia Auicennæ esse. Ceterum quod Græcis Ixias est, id Auicennæ Aldibic dicitur, quemadmodum ex eorum quæ vtrique de iis scribunt, collatione patet. De Aldibic enim Auicenna *Fen. 6. Can. 4. tract. 1. sum. 2. capite 33.* ita scribit: *Si quis bibit Aldibic, accidunt illi rugitus in ventre & punctura absque fluxu ventris & vertigo. Cura: Oportet vt in potu dentur aqua & mel, & euomat ea, & clysterizetur clysteri leui, & confert ei sumere in potu absinthium cum melle, & syrupum acetosum. Et illud quod appropriatur cum decoctione rutæ.* De Ixia vero Dioscor. libro sexto capite 21. ita: ἰξίας ἐν τῷ πίνεσθαι βορβορυγμούς τε καὶ ψόφους μετὰ λειποθυμίας ἐπιφέρει δίχα τοῦ προχωρεῖν τι. βοηθεῖ δὲ αὐτοῖς μετὰ τὸ ἐξεμέσαι τὸ πλεῖον ἢ μετὰ τὸ τὴν κοιλίαν λυθῆναι πινόμενον ἀψινθίας ἀπόβρεγμα σὺν οἴνῳ πολλῷ ἢ ὀξυμέλιτι, πηγάνου τε ἀγρίου σπέρμα. id est. *Ixias inter potandum intestinorum strepitus & tumultum affert, nec quicquam tamen secedit. Post vomitionem multam, aluumque solutam, auxiliatur aqua in qua absinthium maduerit, cum vino copioso, aut aceto mulso pota, rutæque syluestris semen.*

Aldibic, Ixias est Græcorum.

Vnde iterum constat Aldibic Auicen. nihil esse aliud, quam Ixiam Græcorum. Animaduertendum tamen multa esse in Auicenna hoc loci, vt passim alias, deprauata, vt dum *erucæ* pro *rutæ* legitur, *vaporetur* pro *potetur*, vt abunde patebit ea, quæ Diosc. scribit, diligenter expendenti, ita vt hodie non exstet Auicenna auctor perniciosior, quando vix paginam in illo offendere liceat, in qua non insignis error committatur.

Auicenna vix auctor alius perniciosior.

His itaque sic habentibus, manifestum erit, Auicennam Thapsiam cum Ixia confundere, quod illi tribuat, quæ huic conueniat. Vniuersi nanque effectus, quos ille *Fen. 6. Can. 4 tract. 1. sum. 2. c. 13.* Thesisiæ adscribit, pares sunt iis, quæ Dioscorides Ixiæ assignat. Verba Auicennæ subiiciamus: *Thesisia est gummi rutæ montanæ, & quandoque sentitur in sapore eius, sicut sapor albedarungi. Accidit illi qui bibit eam, retentio eorum omnium, quæ currunt ex vtriusque viis, & apostematur lingua, & accidunt strepitus & inflatio, & adustio in gutture. Cura est vt properet & euomat & sumat in potu syrupum acetosum, & infusionem absinthii, & ex eis, quæ nota sunt apud eos, sicut bezahar.* Quibus sane verbis nemo non videt, Auicennam Thapsię tribuere, quod Aldibic, quæ Ixias est, ex eiusdem auctoritate conuenit. Cuius rei Diosc. etiam testis est, qui loco antea citato ita scribit ἰξίας δὲ ὃς καὶ οὐλόφονος καλεῖται ἐν τῷ πίνεσθαι ὄζει ὠκίμου κατὰ τὴν ὀσμὴν καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν ἐμφαίνει. ἐπιφέρει δὲ γλώσσης φλεγμονὴν ἤχυρόν, καὶ τὰς ἐκκρίσεις ἐπέχει πάσας, βορβορυγμούς τε καὶ ψόφους μετὰ λειποθυμίας ἐπιφέρει δίχα τοῦ προχωρεῖν τι. βοηθεῖ δὲ αὐτοῖς μετὰ τὸ ἐξεμέσαι τὸ πλεῖον, ἢ μετὰ τὸ τὴν κοιλίαν λυθῆναι πινόμενον ἀψινθίας ἀπόβρεγμα σὺν οἴνῳ πολλῷ ἢ ὀξυμέλιτι. Hæc verba paulo ante interpretati sum⁹, ideo vt denuo iterentur nihil op⁹ est. Paul. certe Ægin. *li. 5. c. 47.* haud aliter quā Diosc. Ixiæ assignat, quod Thapsiæ Auic. dū ait: *Ixias, quæ vlophonō quoq; vocatur, inter potandum*

A *tandum ocymo quiddã ſimile guſtu & odore refert. Valentẽ linguæ inflammationẽ facit, omnia etiã excrementa ſupprimit, & cum animi deliquio inteſtinorũ ſtrepitum & tumultũ excitat, nec quicquã tamen excernitur. Opem adfert poſt vomitionem, aut alui deiectionem, cum largiore vino, aut oxymelite, aqua in qua abſinthium maduerit pota,* ita vt nihil clarius ſit quam Auic. cum Ixia confudiſſe Thapſiam, atq; adeo vtriuſq; vires ac naturam ignoraſſe. Si enim Thapſiæ naturam ſatis perſpectam habuiſſet, nunquam certe illam eſſe ſylueſtris rutæ gummi ſcripſiſſet, id tamen quod non ſolum vno in loco. ſed variis facit, præſertim *cap. 710. ſecũdi Can. & Fen. 6. Can. 4.* toties iam citati. Minime autem Thapſia alio nomine ruta ſylueſtris, ſed ferulæ potius ſylueſtris, aut ferulago dicitur. Teſtis Dioſc. qui ita ſcribit: θαψία ῥωμαῖοι φερουλάγω, οἱ δὲ φέρουλα συλβέστρις, ὅτι τῇ ὅλῃ φύσει ἐοικεν νάρθηκι quod eſt: *Thapſiam Romani ferulaginem,* (Thapſia nõ eſt ſylueſtris rutæ gummi. Thapſia alio nomine ferula ſylueſtris dicitur.)

B *alii ferulam ſylueſtrem, quod tota natura ferulæ ſimilis ſit, appellant.* Porro ignoraſſe Thapſiam Auic. inde etiam colligi poteſt, quod ſibiipſi in Theſiſia contradicit. In ſecundo enim Can. docet, quod in radice eius, & corticibus ipſius, & lachryma eius, eſt ſolutio; id quod & Dioſcoridem, *vt ſupra annotauimus,* feciſſe conſtat, *Fen. vero 6. Can. quarti* cõtrarium plane tradit, nempe quod accidat ei, qui Theſiſiam bibit, retentio eorum omnium, quæ currunt ex vtriſque viis. Quis autem tam ſtupidi eſt animi, qui retentionem & deiectionem excrementorum contrarios eſſe effectus non intelligat? Sed quid multis moror? ſi Auicenna Thapſiam ab Ixia veneno ſecernere potuiſſet, nunquam ſibi tam pugnantia docuiſſet. Hic rurſus monitos eſſe volo medicinæ ſolidioris ſtudioſos, quo ſibi vel hinc etiam cauere diſcant, ne Auicennæ decreta, tanquam Del- (Auicenna ſibiipſi in Theſiſia cõtradicit.)

C phica quædam oracula ſuſpiciant, id quod magna hodie ineruditorum Medicorum pars facit, quod vniuerſa fere illius ambigua & inter ſe mire pugnantia ſint. Neq; eſt, cur de illo mirentur: tranſcriptor enim cum aliorum tantummodo fuerit, ſingula vera, falſa, ſine iudicio & nullo habito delectu, vtcunque ſeſe obtulerunt corraſit, nec aliud ſtuduit, niſi vt Canonem ſuum ad iuſti voluminis magnitudinem deduceret, non animaduertens, quomodo temere conſarcinati centones ſibi reſponderent, perinde ac ſi cæcis ea, quæ collegerat, eſſet obtruſurus. (Auicennæ vniuerſa fere decreta ambigua & inter ſe pugnantia.)

Herbas quatuor, Alſinen videlicet, Helxinen, Anagalliden, & Myoſotida, natura & figura plurimum diſtantes, Auicen. vno eodemq; capite ſub Auriculæ muris appellatione, confudiſſe.

D

CAP. XXV.

AVICENNAM iam dictas quatuor herbas confundere, ex eiuſdem verbis, quæ *capite 18. ſecundi Canonis* ſcribit, monſtrabimus. *Auricula,* inquit, *muris eſt herba; cuius virtus ſecundum Galenum propinqua eſt virtuti herbæ, qua vitrum abſtergitur.* Quibus ſane verbis Auicenna herbam Alſinen dictã depingit, quæ helxini vitrea extergenti vaſa, ſimiles vires obtinet. Teſtis eſt Gal. qui *lib. 6. de ſimpl. med. fac.* Alſinen ita deſcribit: ἀλσίνη ὁμοίαν ἔχει καὶ αὐτὴ τὴν δύναμιν τῇ ἑλξίνῃ, ψύχουσάν τε καὶ ὑγραίνουσαν. quod eſt: *Alſine ipſa facultatem helxines habet, nempe refrigerantem & humectantem.* Dioſc. quoq; qui *lib. 2. capite 172.* ita tradit: ἀλσίνη καθόλου δύναται τὰ αὐτὰ τῇ ἑλξίνῃ, id eſt: *Alſine in vniuerſum eadem, quæ helxine poteſt.* Quibus ſubſcribit, Paulus in ſeptimo dicens: *Alſine vires omnino æquales habet ei, quæ dicta eſt Helxine.*

E Et Plinius *lib. 27. cap. 4.* inquit: *Alſine emendat omnia, quæ Helxine, ſed infirmius.* Per herbam vero, qua vitrum abſtergitur, Auicennam intellexiſſe Helxinen, notius eſt, quam, vt demonſtrari debeat, illam enim in extergendis vitris eſſe valentem omnes teſtantur veteres, in primis Galenus, qui *lib. 6. de ſimp. med. fac.* de Helxine in hunc modum ſcribit: τοῦ ῥύπτειν ἐναργῆ πεῖραν παρέχεται καὶ ἐπὶ τῶν ὑαλίνων σκευῶν. quod eſt: *Euidens extergendi experimentum præbet & in vaſis vitreis.* Nec aliunde certe Vrceolaris, ſeu, vt vulgo nominatur *Vitriola,* dici cœpit, niſi quod extergendis vrceolis, vaſiſque vitreis, experimẽto eſſe efficax inuenta ſit. Ceterum poſt iam citata verba Auicenna ita inquit: *Et hoc nomen conceſſum eſt duabus herbis, quarum vna eſt, quam nominat Galenus.* Quæ quidem verba vera ſunt: interdum enim tot mendaciis veritatem etiam inſerere voluit: nam auriculæ muris no- (Helxine vitra abſtergit. Vitriola.)

F men alſini quoque herbæ ab auctoribus tribuitur, quod folia murium auribus ſimilia habeat. Ita Dioſc. ἀλσίνη, οἱ δὲ μυὸς ὦτα. id eſt: *Alſinen non nulli auriculam muris vocant.* Et Gal. ἀλσίνη ἢ μυὸς ὦτα, hoc eſt, *Alſine, aut auricula muris.* Paulus deniq; *Alſine, quã aliqui Græcorum auriculam muris nominant.* Plin. quoq; *Alſine, quã quidam Myoſoton* appellant. Licet aũt auriculæ muris alſini cũ ea verba, quæ proprie *Myoſotis* dicitur cõmune ſit, tamen differunt

adhuc natura & figura, quando constet illam refrigerare, hanc vero calfacere. Sequitur apud Auicennam: *Et altera quam nominauit Dioscorides, & existimauit quod sit similis Volubili, nisi quia habet minora folia.* Quæ verba neque de Myosotide, neque de alsine nuncupata intelligi possunt, quod neutra illarum Volubili, neque in foliis, neq; in flore similis sit. Quare vt ad aliam quandam herbam ab iis diuersam referantur, necesse est. A

Cissampelos.

Ad nullam vero aliam rectius, quam ad eam, quæ Helxine aut *Cissampelos* Græcis, Latinis *Conuoluulus*, nostris *Volubilis* maior, vt *paradoxo 18. diximus*, vocatur, referri poterit: huius enim folia Hederæ, quam hic per Volubilem intelligit, similia sunt, minora tamen: id quod testatur Dioscorides *lib. 4. cap. 42.* dicens: ἑλξίνη ἡ κισσάμπελος, ἔχει φύλλα ὅμοια κισσῷ, ἐλάττονα δὲ. quæ verba supra per nos interpretata sunt. Quare secundam quoque herbam, Helxinen scilicet, ab Auicenna esse descriptam hoc capite de auricula muris monstrauimus. B Sed vt & tertiam illic depictam esse ostendamus, age quæ in Auicenna subsequuntur excutiamus. Ait autem: *Et est herba expansa super faciem terræ, paruos habens stipites, & azulinos flores, cuius semen semini Coriandri similatur, & est calida.* Quibus vtique verbis non Auriculam muris proprie nominatam, sed Anagallidis alteram potius speciē, quæ cæruleum errorem habet, describit. Duo enim esse Anagallidis genera, flore tantum distantia. Dioscorides *libro 2. cap. 167.* in hunc modum scribens testatur: τῆς ἀναγαλλίδος δισσὸν εἶδος ἐστὶ διαφέρον τῷ ἄνθει. ἡ μὲν γὰρ κυάνεον ἔχουσα τὸ ἄνθος, θήλεια λέγεται. ἡ δὲ τὸ φοινικοῦν, ἄῤῥην. θαμνία δὲ ἐστὶ κεχυμένα ἐπὶ γῆς, φύλλα ἔχοντα ἐπὶ τετραγώνῳ καυλίῳ μικρὰ, ὑποστρόγγυλα, ὅμοια τοῖς τῆς ἑλξίνης. καρπὸν σφαιροειδῆ. id est. *Duo sunt Anagallidis genera; quæ flore tantum distant. Nam quæ cæruleo flore est, fœmina dicitur: quæ vero puniceo, mas. Frutices sunt in terra iacentes, foliis in quadrangulo caule paruis, subrotundis, ad Helxines folia accedentibus: semine rotundo.* C Plinius quoque *lib. 25. cap. 13.* duo eius genera facit, ita scribens: *Duo genera Anagallidis. Mas flore phœniceo, fœmina cæruleo, non altiores palmo, frutice tenero, foliis pusillis, rotundis, in terra iacentibus. Nascuntur in hortis & aquosis.* Ex quibus liquido apparet Auicennam alteram etiam Anagallidis speciem sub hoc capite Auriculæ muris descripsisse. Quod vero deinceps ait Auicenna: *Inquit Musaihach, iuuamentum eius est iuuamentum Absinthii,* non ad Anagallidas, sed ad eā herbam quæ proprie *auricula muris* nominatur, referendum erit: huic enim perinde atque Absinthio vis enecandi lumbricos inest, id quod Paulus etiam Ægineta *libro 4. capite 57.* docet, vbi inter alia etiā præsidia lumbricos enecantia, *Auriculæ muris herbæ decoctum* quoque enumerat: ita vt euidentissimum sit, Auicennam vno eodemque capite quatuor herbas, natura & figura plurimum differentes, miscuisse: primum enim, vt retulimus, quæ Alsini, dein quæ helxini, tertio, quæ Anagallidis speciei, & postremum quæ Myosotidi conueniunt, narrauit. D Differre autem non tantum natura, sed & figura prædictas herbas testantur vno ore veteres, Dioscorides, Galenus, Paulus, Plinius atq; alii, qui seorsim & formas & facultates illarum pingunt atque exprimūt, id certe quod minime fecissent, si easdem & natura & forma diuersas non esse agnouissent. Quin etiam Auicenna ipse *cap. 33. secundi Canonis*, oblitus, quod antea eius proprietates in Auricula muris tractauerat, seorsim de Anagallide tanquā ab illa diuersa egit. Cur vero in hunc errorem inciderit Auicenna, nullo alio nomine factum est, nisi quod nomen Auriculæ muris omnibus his quatuor herbis a quibusdam ob foliorum similitudinem inditum sit; E nam & Helxine seu conuoluulus, vt in Myosotide tradit Dioscorides, a nonnullis *auricula muris* dicta est, id quod & Anagallidi accidit; sunt enim qui adhuc hodie eandem hoc nomine appellent. Cum itaq; videret vno omnes appellari nomine, putauit, vt erat materiæ medicæ plane ignarus, easdem nec natura nec forma inter se distare. Porro iam dictarum herbarum etiam facultates confundit, Helxini enim tribuit, quod Anagallidi debetur, id quod ita Collige. Capite *de auricula muris* inter cætera sic scribit: *illa quam nominauit Dioscorides, extrahit spinas & surculos.* Antea demonstrauimus, eam herbam, quam paulo ante etiam nominasse Dioscoridem, & Volubili similem esse dixerat, esse Helxinen seu Cissampelon, cui certe ea facultas extrahendi surculos minime conuenit, sed Anagallidi potius, *quemadmodum in capite proprio de anagallide metipse docet Auicenna.* F Nec dissentit Diosc. qui loco paulo supra citato de Anagallide ita scribit: ἀμφότεραι σκόλοπας ἐπισπῶνται. id est: *Vtraque surculos aculeosve extrahunt.* Et Galenus *libro 6. de simpl. med. facul.* in hunc modum scribens: ἔχουσί τι καὶ ὑπόθερμον, ἑλκτικὸν, ὥς τε καὶ σκόλοπας ἐπισπᾶσθαι. quod est: *Habent nonnihil caloris, & quandam trahendi facultatem, adeo vt*

Duo Anagallidis genera.

Auriculæ muris nomen quatuor herbis inditum.

Anagallis extrahendi surculos facultatem obtinet.

infixa

A *infixa corpori extrahant.* Paulus quoque in septimo iam dicta confirmat iis verbis: *anagallis vtraque admodum abstergendi vim obtinet, caloris vero nonnihil continet, & trahendi potentiam, adeo quidem vt surculos corpori inhærentes euellat.* Talem sese passim medicinæ magistrum exhibet Auicenna, vt consultissimum sit eius scripta ex omnibus scholis esse explosa, hodie præsertim in tanta veritatis luce, & optimorum librorum, Medicorumque copia.

Ignorasse Auicennam, Serapionem, Pandectariumq; Isatim herbam, quam illi Nil & Nilech appellant, variam & ancipitem eorundem de illa sententiam satis indicare. CAP. XXV.

HERBAM Isatim, quam nostra ætas Guadum nominat, esse eam, quam Arabes *Nil*, siue *Nilech*, & *Indicum* vocant, vtriusque descriptiones collatæ pulchre mon-
B strant. Serapion namq; *capite 47.* Nil siue Indicium ita pingit: *Est de ipso domesticus & syluestris.* Et domesticus est ille, quo tinctores vtuntur, cuius folium est simile folio Plantaginis, nisi quia est magis viscosum, & fortioris nigredinis, & habet stipitem longitudinem brachii vnius habentem. Sed agrestis assimilatur domestico, nisi quia foliũ eius est maius, simile folio lactucæ: habet ramos longos, plures, graciles, cum multis ramulis, color quorum tendit ad rubedinem, & in summitatib. ramorũ sunt vaginulæ multæ similes linguis, & est in eis semen, & habet florem paucum, subtilem. Dioscor. vero lib. 2. cap. 74. Isatim iis describit verbis: ἰσάτις ἥμερος ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται, φύλλον ἔχει ἀρνογλώσσῳ ἐμφερές, λιπαρώτερον δὲ καὶ μελάντερον, καυλὸν δὲ ὑπὲρ δίπηχυν, ἰσάτις δ᾽ ἀγρία παραπλησία ἐστὶ τῇ ἡμέρῳ· αὕτη φύλλα ἔχει μείζονα πρὸς τὰ τῆς θριδακίνης, καυλοὺς δὲ λεπτοτέρους, πολυσχιδεῖς, ὑπερύθρους, ἔχοντας ἐξ ἄκρου ὥσπερ θυλάκια γλωσσοειδῆ πολλὰ, ἀποκρεμάμενα, ἐν
C οἷς τὸ σπέρμα. ἄνθος μήλινον, λεπτόν. quod est: *Isatis domestica qua lanarum tinctores vtuntur, folium habet Plantagini simile, verum pinguius, nigriusq;. Caulem autem duobus cubitis altiorem, Isatis vero syluestris satiuæ similis existit. Folia habet maiora ad lactucæ folia accedentia, caules tenuiores, multifidos, rubentes, in cacumine folliculos linguarũ quandam effigiẽ referentes, multos pendulosq; habentes, in quibus semen. Florẽ luteum, tenuem.* Quæ sane descriptiones ita quadrant, vt nemo non, nisi talpa cæcior sit, videat, Nil siue Indicum eandem esse cum Isatide herbam, id certe, quod ex facultatibus etiam, quas suo Nil aut Indico tribuunt Arabes, abunde colligi potest: plane enim cum iis quæ Græci Isatidi assignant conueniunt. Auicenna namque *cap. 516. secundi Canonis*, hos effectus Nil ascribit: *Est, inquit: stypticũ, & prohibet fluxum sanguinis & quod est domesticum exsiccat fortiter sine mordicatione, & detumescere facit apostemata, & confert exituris malis in membris duris. Conuenit Erysipilæ, & vlceribus putridis. Confert*
D *spleni, & proprie syluestre.* Et Auerrois de Indico, quod idem est, in hunc modum tradit: *operationes suæ sunt vt consolidet vulnera, quæ sunt in membris duris, etiamsi sint in extremitatibus musculorum, & abscindit fluxũ sanguinis, & valet multum vulneribus fistulatis. Sed syluestre valet multũ contra oppilationẽ splenis.* Eosdem vero effectus Isatidi suæ tribuit Gal. *lib. 6. de simpl. med. fac.* in hunc scribens modum: ἰσάτις ἡ μὲν ἥμερος ᾗ οἱ βαφεῖς χρῶνται ξηραντικῆς ἰσχυρῶς ἐστὶ δυνάμεως, οὐδέν τι δακνούσης· ἐστὶ γὰρ πικρά τε ἅμα καὶ στυπτική· ταύτῃ τοι καὶ τὰ μεγάλα τραύματα τῶν σκληρῶν σωμάτων κολλᾷ, κἂν ἐν ταῖς τῶν μυῶν ᾖ κεφαλαῖς. καὶ τοῖς τῶν αἱμορραγούντων ὠφελίμως ἐπιπλάττεται, καὶ τοὺς οἰδηματώδεις ὄγκους θαυμαστῶς διαφορεῖ, ἅμα καὶ ἀποσίττει, καὶ πρὸς πάντα τὰ κακοήθη ἕλκη θαυμαστῶς ἀνθίσταται, κἂν σήπηται, κἂν διαβιβρώσκηται. ἡ δὲ ἀγρία ἰσάτις καὶ τοῖς σπληνικοῖς ὑπάρχει χρήσιμος. id est: *Isatis domestica quidẽ, qua vtũtur tinctores, facultatis est valenter exsiccantis, nondũ tamen mordentis: est enim simul amara & adstringens. Proinde magna vulnera corporum duorum*
E *glutinat, etiam si in capitibus musculorum fuerint: & sanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter illinitur, tumores ædematodes mirifice digerit simul ac reprimit, & aduersus omnia vlcera maligna mirabiliter resistit, etiam si putrescant, etiamsi exedantur.* At Isatis syluestris lienosis quoque vtilis existit. Galeno subscribit Paulus in 7. & Dioscorides loco ante citato dicens: δύναται τὰ φύλλα καταπλασσόμενα πᾶν οἴδημα διαφορεῖν, καὶ φύματα καὶ ἔναιμα τραύματα κολλᾶν, αἱμορραγίας τε στέλλειν, καὶ φαγεδαινικά, καὶ ἕρπητας, ἐρυσιπέλατά τε σηπεδόνας θεραπεύειν. hoc est, *Folia illita, tumores omnes discutere possunt, & tubercula, cruenta vulnera conglutinare, sanguinis eruptiones sistere, exedentia, ignes sacros, & putrescentia vlcera sanare. Ita vt euidentissimum sit ex iam annotatis, Nil Arabum nihil esse aliud, quam Isatim Græcorum.* Ceterum ignorasse Auicennam, Serapionem, Pandectariumque, Nil ipsum, vtcunque ex Græcorum sen-
F tentia illud descripserint, indicio est, quod tam ancipites in illo depingendo fuerunt. Serapion namque paulo ante adducta notificatione non contentus aliorum etiam de eo sententias affert, quas certe improbare debuisset, si herbam Nil dictam probe cognitam habuisset. Verba autem Serapionis hæc sunt: *Et est arbustum puluerulẽtum, eleuatur cum stipide suo longitudine vnius brachii, & habet germina ramorũ, & in summita-*

Auicenna & Serapion Nil ignorauerunt.

te sua est flos, sicut flos Coriandri. Et rursus ex Isaac sententia: *Est planta habens folium longum coloris quasi azutrini, plus quam folium Salicis, & assimilatur folio Phaseoli, sed est maius eo.* Quis itaque ex tot diuersis descriptionibus non putet ignorasse Nil Serapionem? Ignorasse autem & Auicennam Nil, ex eo etiam colligitur. Primum, quod etsi illud haud aliter, quam Dioscorides loco citato descripserit, nihilominus tamen *cap. 297.* iterum idem depingit, ac tingere capillos ait, quem tamen effectum Isatidi nemo ex veteribus tribuit. Vt itaque reprehensione non caret bis temere de vna eadem herba verba fecisse, ita etiam suspicionem auget, vt credamus, Auicennam Isatim nō agnouisse, maxime cum illi peregrinas facultates adaptet, quæ neque Galenus, neque etiam Dioscorides, Pliniusque illi inesse testentur. Præterea haud cognouisse Isatim Pandectarium abunde eius verba monstrant: dum in hunc modum scribit: *Nilech Arabice dictum, a Græcis Vesme, a Latinis autem Indicum.* Nam vtcunque verum sit ab Arab. Nilech dici, falsum tamen est a Græcis *Vesme* appellari, cum ea dictio perinde atque prior Arabica vel plane barbara sit. Denique Isatim ab Aberoe vocari Indicum concedimus, verum ab eo diuersum est non tantum Græcorum, sed & Latinorum Indicum: Dioscorides enim *lib. 5. cap. 61.* Indicum inter lapides connumerans ita de eo, tradit: τοῦ δὲ λεγομένου ἰνδικοῦ λίθου, τὸ μὲν αὐτοφυῶς γίνεται, οἱονεὶ ἐκβρασμα ὂν τῶν ἰνδικῶν καλάμων, τὸ δὲ βαφικόν ἐστιν ἐπανθισμὸς πορφυροῦς ἐπιφερόμενος τοῖς χαλκείοις, ὃν ἀποσύροντες ξηραίνουσιν οἱ τεχνῖται. quod est. *Indici nominati lapidis, vnum genus quidem sua sponte nascitur, tanquam spuma Indicis harundinibus exiens. Alterum infectiuum dictum est, veluti flos purpuræ innatans cortinis, quem detrahentes artifices siccant.* Inter Latinos autem Plinius *lib. 33. cap. 6.* de Indico haud aliter quam Diosc. scribit, dicens: *Ab hoc maxima auctoritas Indico. Ex India venit harundinum spuma adhærescente limo, cum teritur nigrum. At in diluendo mixturam purpuræ caeruleiq; mirabilem reddit. Alterum genus eius in purpurariis officinis innatans cortinis.* Ita vt nemo non videat Latinorum etiam Indicum a Nil seu Isatide esse valde diuersum. Denique non perspectam habuisse Pandectarum Isatim herbam vel hinc etiam sciri potest, quod is Osatidem (nam ita corrupte pro Isatidem dixit) & *Borith* Grece, Arabice *Agisdo.* Latine autem *Lanariam*, vel *herbam fullonum*, eandem herbam faciat: quando in confesso sit Lanariam herbam ab Isatide esse aliam, nimirum eam quam Græci *Struthion*, Latini vero *radiculam* seu, vt iam dictum est, *Lanariam*, eo quod illa fullones in purgandis lanis vtuntur, nominant. Quid multa? omnibus perspicuum est Isatim Arabibus non satis cognitā fuisse, id quod & ante nos indicauit Nicolaus Leonicenus, vir multa eruditione, & exquisito iudicio præditus, quem eo magis laudandum existimamus, quod primus fuerit, qui Mediocrum errata incessere, ac mundo prodere tentauerit.

Isatim Pandectarius ignorauit.

A

B

Græcorum & Latinorum Indicum ab Arabico diuersum.

C

Lanaria ab Isatide diuersa.

D

Iuiubas & Sebesten fructus, qui Græce pariter atq; Latine Serica & Myxa vocantur ad leniendam aluum veteres Græcos perinde atq; Auicennam & vniuersam Arabum scholam vsos non fuisse. Cap. XXVII.

Iuiubæ Grecis Serica & zizipha dicuntur.

IVIVBAS esse fructus, quos Galenus Græci *Serica*, & Latini *Zizipha* Syriaca pruna nominant, notius est, quam, vt demōstratione opus sit. Vnus enim Serapio idipsum abunde docet, qui *cap. 87.* illas Zufaizef, corrupto sane vocabulo pro *Zizipha*, vocari ait, Galenumque in *lib. de alimentis* de iis scribentem citat, quod pauci sint nutrimenti, & digestionis duræ: id quod facit *lib. 2.* de Sericis agens, vt paulo post videbimus. Ceterum Iuiubas ad varios vsus in vniuersum Auicenna & Arabes omnes accommodant, quemadmodum liquet ex *cap 371. sec. Can. Auicennæ*, vbi ita de iis scribit: *Cōferunt acuitati sanguinis calidi, pectori & pulmoni.* Et existimant quidam, quod conferunt dolori renum & vesicæ. Auicennæ subscribunt Abenrois & Razes: is tamen parum etiam clarificare sanguinem, id quod & vno omnes ore hodie fatentur Medici, addit. Falsos autem esse Arabes in primis testatur Galenus *lib. 2. de alimentorum facultatibus*, in hanc sententiam de Sericis scribens: οὐδὲ τούτοις ἔχω τι μαρτυρῆσαι πρὸς ὑγείας φυλακὴν ἢ νόσων ἴασιν. ἔδεσμα γὰρ ἐπὶ γυναικῶν τε καὶ παιδίων ἀκρατῶν(?) ὀλιγότροφόν τε καὶ δύσπεπτον ὑπάρχον, ἅμα τῷ μηδ' εὐστόμαχον εἶναι. τροφὴν δηλονότι καὶ αὐτὰ δίδωσιν ὀλίγην τῷ σώματι. id est: *Ne his quidem quid ad tuendam sanitatem morbosve profligandos valeant, testis esse possum. Nam ab insolentibus & effrenatis pueris ac mulierculis cibo duntaxat appetuntur. Imbeciliter nutriunt, & difficulter concoquuntur, cumq; hoc stomacho inutilia sunt. Sed ipsa scilicet exiguum etiam corporibus dant alimentum.* Quibus vtique verbis in vniuersum Arabum de Iuiubis placita damnat, quod neque ad tuendam sanitatem, neq; morbos profligandos,

Iuiubæ fructus esse penitus inutiles.

E

F

A dos, vllum eorum esse posse vsum expertus sit, adeo vt Arabum post Galenum medicā tractantium experimentum nobis obiici non queat. Si enim Galenus diligentissimus omnium medicæ materiæ facultatis explorator, nihil in iis, quod vel ad sanitatem tuendam, aut morbos curandos conduceret, explorari potuit, non est cur credamus, Arabes idipsum inuenisse, qui ne vmbram quidem Galeni, quantum ad eruditionis & ingenii acumen atque perspicacitatem attinet, assecuti sunt. Galeno subscribit Plinius, non ille naturalis historiæ scriptor, sed huic posterior, Valerianus Medicus vocatus, *lib. 4. de re med. cap. 40.* de Ziziphis dicens: *Zizipha modicum cibum corpori præstant, licet illis saporis nonnulli gratia lenocinetur.* Habent tamen plurima incommoda, ægre concoquuntur, sitim accendunt, prægrauant stomachum, difficillimum reddunt offi-

Montui obiectio exploditur.
Arabes Galeno ingenii acumine impares.
Plinius Medicus.

B cium ventris. Quinetiam Auicenna ipse *capite iam citato* Galeni sententiam probat, & suam acerrime damnat, suoque sese, vt dicitur, iugulat gladio, inquiens: *Sermo quidem in eis bonus est ille, quem dixit Galenus: non reperi Iuiubas in conseruanda sanitate, & remouenda ægritudine aliquid operantes, sed reperi eas difficilis digestionis, & pauci nutrimenti.* Præterea ex iam dictis perspicuum fit, insigniter falli iuniores Medicos, Razim imitantes, Iuiubas ad purificandum sanguinem, seu, vt illi loquuntur, ad sanguinis mundificationem, & aluum leniendam, passim adhibentes, cum tamen fieri non posset, quandoquidem ventriculo inutiles sint, difficulterque concoquantur, vt sanguinem purificent: crassiorem certe multo quam antea fuerit reddunt, tantum abest vt puriorem facere possint. Id quod verum esse Auicennæ etiam illorum principis testimonio

Iuiubæ sanguinem nō purificant.

C conuincemus, qui ita in capite de Iuiubis inquit: *Ingrossant sanguinem, & idipsum viscosum faciunt.* Et illorum existimatio, qui putant, quod ipsæ clarificent sanguinem & lauent eum, est existimatio corrupta, ad quam ego non declino, & nutrimentum earum & digestio sunt difficilia. Quid per superos oro his verbis apertius? ita vt mirari non satis possim, qui factum sit, vt conniuentibus oculis hunc locum pertransierint, cum tamen assidue Auicennam, præ illo omnibus aliis contemtis auctoribus, in manibus habuerint. Manifestissimum itaque est, errare in vniuersum Iuniores, quod Iuiubæ fructui aliquem esse in sanguine purgando, & aluo leniendā vsum docent, quum tamen constet quicquam ad eadem conducere posse. Facultates autem nonnullæ quas illi fructui tribuunt, foliis radici & cortici potius eius arboris Iuiubas ferentis conue-

Nonnulla quæ foliis, radici & cortici tribuenda erant, Arabes perperā ad fructum referunt.

D niunt, vt est mitigare tussim, & ad vesicæ dolores prodesse. Testis eius rei Plinius ille Valerianus est, dum libro paulo ante citato in hunc modum scribit: *Folia tamen ipsa contrita & imposita splenèticos & hydropicos adiuuare certissimum est. Radicis & corticis eadem virtus habetur quorum succus ex melle coctus tussim mitigat, cum mero mixtus iecori medetur, vesicam leuat vrina largiori.* Quomodo autem Galeni, Pliniique & Arabum sententiæ inter se pugnantes conciliandæ sint, *tomo primo nostrorum de stirpibus commentariorum in historia Ziziphi* monstrauimus. Ad hunc igitur locum, ne idem nobis sæpius dicendum sit, lectorem amandamus. Verum hic nobis aduersatur Montuus, ac suam temeritatem pulchre prodit, telluris ratione simplicium med. commoditates effectusq; commutari dicens, vt liquet de Persica planta in Ægyptum translata: atq; adeo in Galeni

Montui ridendum somnium refellitur.

E patria Iuiubas seu Zizipha vsui Medico inutilia fuisse fatetur, nostras autem hodie salutares. Quomodo enim in Pergamo tantū inutiles fuisse Iuiubas afferre potest Montuus, quasi illic solum & nusquam alibi medicinam professus sit Galenus, quum tamen constet, illum varia perlustrasse loca, & in Italia etiam, Roma nimirum ciuitate, omnium tum maxima, ægrotis curandis operam dedisse? Quare easdem, quas Montuus, ipse etiam agnouit Iuiubas, illasq; iuste, vtpote inutiles expertus, damnauit. Et ne id transeamus, merito accidit Montuo, vt dum Arabes suos ab errore vindicare nititur, ipse in errorem alium incideret, vt recte sibi illud occini possit: τὴν χάρυβδιν ἐκφυγὼν, τῇ σκύλλῃ περιέπεσεν. Neque enim Persica planta, vt ille putat, in Ægyptum translata pristinas interficiendi vires amisit, sed Persea potius, quæ a Persica arbore diuersa est. Testis

Persica differt a Persea.

F est Dioscorides, qui seorsim de vtraq; scribit, id quod Galenus etiam facit. *Libro* enim *7. de simpl. med. facult.* de Persica agit, in 8. autem de Persea. & in *lib. 2. de alimentorum facultatibus* iterum seorsim de vtraque tractat. Quod vero Persea fuerit, quæ in Ægyptum translata vires amiserit, testantur quæ scribit Dioscorides lib. 1. cap. 155. περὶ περσέας, in hunc modum: ταύτην δὲ ἱστοροῦσιν ἐν Περσίδι ἀναιρετικὴν εἶναι, μετατεθὲν δὲ εἰς Αἴγυπτον ἀλλοιωθῆναι &

Persea in Ægyptum translata vires interficiendi amisit.

ἐδώδιμον γενέσθαι. quod est: *Prodiderunt quidam hanc arborem in Perside letalem esse, translatamque in Aegyptum mutata natura edendo factam esse.* Et Galen. lib. 2. de ali. fac. dicens: εἶδον καὶ τοῦτο τὸ φυτὸν ἐν ἀλεξανδρείᾳ, τῶν μεγάλων ὂν καὶ αὐτὸ δένδρων. ἱστοροῦσι δὲ τὸν καρπὸν αὐτοῦ μοχθηρὸν οὕτως ὑπάρχειν ἐν πέρσαις, ὡς ἀναιρεῖν τοὺς φαγόντας. εἰς αἴγυπτον δὲ κομισθέντα ἐδώδιμόν τε γενέσθαι παραπλησίως ἐσθιόμενον ἀπίοις καὶ μήλοις, ὧν καὶ κατὰ τὸ μέγεθός ἐστι. id est: *Hanc quoque plantam in Alexandria vidimus, quae ipsa etiam magnis arboribus est annumeranda. Tradunt huius apud Persas fructum tantae perniciei esse, ut edentes interimat. In Aegyptum vero translatum in esculentum mitescere, & pirorum malorumque modo, cum quibus & magnitudine conuenit, esitari.* Ita vt nemo non videat impudenter hoc loco hallucinatum esse Montuum. Sed ad Sebesten fructum sermonem vertamus, quem certum est Myxum, vel Myxam Graecis & Latinis dictum esse: id enim in primis Auicenna docet, qui Sebesten alio nomine *Mulzeita* dici *cap. 464. secundi Canonis* scribit: quam sane dictionem corruptam esse ac barbaram manifestum est, ac pro illa *Myxa* potius legendum. Mxam vero fructum esse arboris, testatur Paulus *lib. 7.* de eo ita scribens: *Myxa arboris cuiusdam fructus est, prunis quidem longe minor.* Et cum omnibus in confesso sit Sebesten a Myxa non differre, mihi tempus in eius rei probatione conterendum non esse censeo, quod illud nobis *tomo secundo nostrorum de stirpium historia tomo* abunde monstratum sit, ad huius itaque vires explicandas descendamus. Huic autem eas Auicenna loco citato adscribit: Sunt, inquit, quasi temperatae, sunt lenitiuae, leniunt enim pectus & guttur, sedant sitim, leniunt ventrem. Cuius rei grauis & minime contemnendus testis est Plinius ille Medicus, qui *libro 4. cap. 57.* de Myxa in eam sententiam scribit. Hoc genus manifeste stypticae virtutis apparet & frigidae, quamuis plurima illi de frigore siccitas decoquat. Verum & ardores febricitantium exstinguit, ore compressum, & sitim mitigat, & in cibo sumtum stomachum erigit, solutioni vētris obsistit. Quum autem huic sententiae non solum Arabes, sed & recentiores Graeci reclament, ac quotidiana Medicorum experientia contrarium doceat, non cur illis omnibus vnius Plinii, & auctoris nondum satis noti auctoritatem anteferamus, quod fieri potuerit, vt Myxorum nomine alium a Sebestinis fructum intellexerit. Paulus Aegineta quidem expressis verbis Myxum facultate pruno arbori simile esse tradit.

Sebesten Graecis Myxa.

A

B

C

Nostrae aetatis Medicos herbam veteribus Pedem coruinum appellatam, ob ambiguam de illa Auicennae sententiam, a nostra sic hodie vocata esse diuersam prorsus ignorare.

D

Cap. XXVIII.

Ambigua Auicennae de Pede coruino sententia.

VT ignorasse Auicennam Pedem coruinum, aliisque errandi occasionem praebuisse dicamus, ambigua eius de hac herba sententia facit. *Capite* siquidem *567. secundi Canonis*, de Pede coruino in hunc modum differit: Radix huius herbae cum decoquitur confert solutioni antiquae. Et dixerunt Paulus & alii quod confert colicae, & efficit operationem Hermodactylorum absque nocumento. Et *Fen. 22. Canonis 3. tract. 2 cap. 8.* in podagrae curatione iterum ex Pauli sententia ita scribit: Et dixerunt quidam quod Pedi coruino inest operatio Hermodactylorum, & non est eius nocere stomacho. In quibus vtique verbis verum est quod radicem Pedis coruini decoctam solutioni antiquae conferre docet, eam enim facultatem veteres vno omnes ore suo Coronopodi, hoc est, pedi cornicis, inesse testantur. Primum autem omnium Dioscorides *lib 2. cap. 17.* Coronopoda hoc pacto describens: κορωνόπους ἀφόμηκες βοτάνιον κατὰ τοῦ ἐδάφους ἐστρωμένον, κατεσχισμένα ἔχον τὰ φύλλα· λαχανεύεται δὲ καὶ τοῦτο ἑφθόν. ῥίζαν λεπτὴν ἔχει, στυπτικήν, ἐσθιομένην πρὸς κοιλιακοὺς ποιοῦσαν. hoc est: *Coronopus oblonga herbula est per terram strata, fissis foliis. Idonea est esui olerum modo cocta. Radicem habet tenuem, adstringentem, mansam coeliacis conferentem.* Galenus quoque *lib. 7. de simpl. medicament. facultatib.* idem tradit, dicens: κορωνόποδος ἡ ῥίζα πιστεύεται κοιλιακοὺς ὠφελεῖν ἐσθιομένη quod est: *Coronopodis radix coeliacis prodesse creditur manducata.* Cui Paulus quoque libro septimo subscribit, & Plinius *libro 22, capite 19.* iis verbis: Coronopus oblonga herba est cum fissuri. Seritur interim, quoniam radix praeclare facit coeliacis in cinere tosta. Ceterum falsum est quod Auicenna ex Pauli sententia Pedem coruinum colicae conferre scribit, nusquam enim id dixisse Paulus, quod sciam, offenditur. Error autem iste ex deprauato codice ortus esse potest, qualem Albanus Torinus etiam & Ioannes Guinterius habuisse videntur, dum Coronopoda ad colicos dolores conducere apud Paulum transtulit, cum ex Galeni verbis paulo ante citatis euidentissimum sit, non coli-

Coronopodis facultas.

E

Pes cornicis colico dolori non confert.

F

A colicis, sed cœliacis prodesse Coronopoda. Falsissimum præterea est quod coruinum Pedem efficere operationem Hermodactylorum sine nocumento ait Auicenna: cum enim Hermodactylorum radici mira in cienda aluo vis sit, Pes autem cornicis adstringentem potius facultatem, vt iam ostendimus, habeat, fieri non potest vt easdem operationes efficere queant. Hermodactylos vero in cienda aluo esse efficaces testatur, *lib. 7.* Paulus, in eam sententiam scribens: *Hermodactyli radix purgandi vi prædita est, tum per seipsam, tum decoctum eius.* Atque falsum est, quod ex Pauli sententia affert Auicenna, *Pedem coruinum Hermodactylorum habere operationem, & non nocere stomacho:* nullibi enim hoc dixisse Paulum certum est. Errat, itaque toto cœlo Auicenna, quod Pedi coruino herbæ tribuit, quod confectioni διακορωνοπόδων, id est, *ex pede corui-*

B *no*, dicta Pauli auctoritate tribuendum erat. Is enim *lib. 3. cap. 78.* ita inquit: *Sed ex Coronopede confectionem vtiliorem asseruit Alexander, quam eam quæ fit ex Hermodactylo, vt quæ eandem euacuationem efficiat, & æque dolorem mitiget, cum hoc quod nihil obest stomacho.* Vtriusque autem confectionis descriptiones scire si desideras, Paulum illas tradentem in 7. consulito. Ex his igitur omnibus probatum satis arbitror, Auicennam herbam Coronopoda, hoc est, *Cornicis pedem* veteribus nominatam ignorasse: nisi enim ignorasset, nunquam tam ambigua, imo pugnantia etiam de huius viribus tradidisset. Ambigua autem eius descriptione factum est, vt nec hodie Coruini pedis rectam notitiam habeant Medici. Herba enim illa, quam nostri temporis Medici *Pedem Coruinum* appellant, longe alia est ab ea, quam veteres eodem nomine vocarunt: id quod non in-

C telligentes quidam, mirum in modum decepti sunt. Haud enim aliter, quam Paulus, herbam olim *Pedem cornicis* vocatam ad podagrica medicamenta adhibuit, ita & illi hodie sic appellatam admiscere non veriti sunt. Hinc Leonicenus exquisiti iudicii vir, Medicum se quendam nouisse tradit, qui ex radice pedis coruini, nonnullis aliis additis, pillulas conficere solitus erat, easque podagra affectis deuorandas, non sine maximo eorum, qui accepere periculo, propinabat. Nec a tam periculoso medicamento Medicus ille abstinuit, donec per Leonicenum de errore conuictus fuit. Herba autem, quæ hodie ab officinis & herbariis *Pes Coruinus* appellatur, ea esse videtur, quæ olim Græcis βατράχιον, Latinis vero *Ranunculus*, quod inter eius frutices frequentes inueniantur ranæ, nominabatur. Perinde enim, vt solo tactu pedis coruini nostris vocatæ pustulæ

D attolluntur in manibus, ita & Ranunculi appositione corpora humana exulcerantur. Testis eius rei est Dioscor. qui *lib. 2. capite 163.* omnibus quatuor Ranunculi speciebus vim exulcerandi, & crustas gignendi habere scribit iis verbis: δύναμιν δὲ ἔχει τὰ φύλλα καὶ οἱ καυλοὶ ἁπαλοὶ καταπλασσόμενοι ἑλκωτικὴν καὶ ἐσχαρωτικὴν μετὰ πόνου quod est: *Folia & caules teneri illiti exulcerandi & crustas cum dolore excitandi vim habent.* Galenus quoque *libro 6. de simpl. medic. facul.* ita scribens: βατράχιον τέσσαρας μὲν ἔχει τὰς κατ' εἶδος διαφοράς. πάντα δὲ δριμείας ἰσχυρῶς ἐστι δυνάμεως, ὡς ἑλκοῦν μετὰ πόνου. ἀλωπεκίας ὠφελεῖ πρὸς ὀλίγον χρόνον ἐπιτεθέντα. χρονίζοντα γὰρ οὐκ ἐκδέρεται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐσχαροῦται τὸ δέρμα. ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα τοῦ καυλοῦ, καὶ τῶν φύλλων ἔργα χλωρῶν καταπλαττομένων id est: *Batrachion seu Ranunculus quatuor habet speciatim differentias. Omnia vero vehementer acrem possident qualitatem, adeo vt cum dolore exulcerent. Alopecias iuuant pauco tempore admota. Nam si diutius inhæreant, non excoriatur solum ipsa cutis, sed & in crustam vritur. Atque hæc omnia caulis & foliorum sunt*

E *opera, si imponas virentia.* Subscribunt Galeno Paulus, & Plinius *lib. 26. cap. 13.* inquiens: *Ranunculum vocamus quem Græci Batrachion: genera eius quatuor; omnibus vis caustica, si cruda folia imponantur, pustulasque vt ignis faciunt.* Proinde cum sub vno nomine *Pedis coruini* veteres & iuniores hodie Medici duas viribus diuersas herbas innuant, consultissimum erit, ne quid detrimenti ex duarum eiusdem appellationis herbarum diuersitate non animaduersa accidat, vt posthac *Pedem coruinum*, quæ *Ranunculus* est, exulcerandique vim habet, in catapotiis deuorandum non exhibeant. Cur vero Paulus ac alii quidam suam olim *Coronopoda* medicamentis podagricis admiscuerint, nullo alio nomine factum esse arbitror, nisi vt humorum ad articulos defluxum, adstringendi siquidem facultate prædita est, compesceret.

Pes cornicis non habet operationem Hermodactylorum.

Auicennæ perperam Coronopodi tribuit quod Diacoronopodii confectioni tribuendum erat.

Pes coruinus nostri temporis.

Leonicenus.

Pes coruinus Ranunculus est herba.

Coronopoda cur Paulus Podagricis medicamentis miscuerit.

F *Sanguinem draconis vulgo dictum non esse Sideritidis herbæ succum, vt Serapio, illumque hodie* [illegible] *sequentes Medici perperam arbitrantur.* CAP. XXIX.

SERAPION *c. 331. sui de simplicibus medicamentis libri*, de sanguine draconis ita tradit: *Demalochoden*, id est, sanguis draconis, Dioscorides: Quidam hanc plantam Sidrichis

Serapionis de sanguine draconis sententia.

& Egilos: ita enim illic mendose pro Sideritin Achilleam legitur: nominant, & est planta habens virgas longas vnius palmi, aut plus, similes fusis quibus filatur, super quas sunt folia parua, similia foliis Coriandri, quorum color vergit ad rubedinem, & habet viscositatem & odorem fortem, non tamen malum, sed prope odorem medicinarum, & in summitatibus ramorum sunt coronæ rotundæ, & flores albi in principio natiuitatis eorum, in fine vero fiunt aurei, & nascetur in terra bona culta. Et paulo post ex Constantini auctoritate: Succus, inquit, huius plantæ dicitur sanguis draconis. Ex quibus verbis dilucidum fit, Serapionem sanguinem draconis nihil aliud esse putasse, quam eius herbæ succum quæ Græcis a ferro, quoniam glutinandis vulneribus apta, præcipuum in bello haberet vsum, Sideritis Achillea dicta est: ita vt plane corrupta sint duo hæc in Serapione Sidrichis & Egilos vocabula, atque pro illis legendũ sit: vti dictum est: Sideritis & Achilleos, id quod omnium maxime eius herbæ quæ *lib.4.cap.32.* apud Dioscoridem habetur, descriptio monstrat, quæ ita cum Serapionis notificatione quadrat, vt ne verbo quidem variare videatur. Ea aũt sic habet: ἀχίλλειος, καλοῦσι τινὲς καὶ τὴν ἀχίλλειον σιδηρῖτιν. φέρει δὲ ῥαβδία σπιθαμιαῖα ἢ καὶ μείζω, ἀτρακτοειδῆ, καὶ περὶ αὐτὰ φυλλάρια λεπτὰ, ἐκ πλαγίων ἐντομὰς ἔχοντα πυκνὰς, προσεμφερῆ κορίῳ, ὑπόπυρρα, γλίσχρα, πολύοσμα, οὐκ ἀηδῆ, φαρμακώδη δὲ τὴν ὀσμήν, σκιάδιον ἐπ' ἄκρου περιφερὲς· ἄνθη λευκὰ καὶ χρυσίζοντα. φύεται ἐν ἐργασίμοις τόποις. quod est: *Achilleos, aliqui Achilleon Sideritin nominant. Dodrantales virgas aut maiores fusorum figura fert, & circa has tenuia foliola in lateribus crebras incisiones habentia, Coriandro similia, subruffa, tenacia, multum odorata, non insuauia, medicamentosa vero in odore. Vmbella in cacumine rotunda. Flores candidi, & aurum æmulantes. Nascitur fœcundo solo.* Hactenus Dioscorides.

Nostræ tempestatis Medicorum de sanguine draconis opinio.

Serapionem sequuntur omnes fermæ nostræ ætatis Medici, ac vno omnes ore statuunt sanguinem draconis vulgo dictum Sideritidis herbæ succum esse. At cum nemo ex veteribus ex ea herba succum talem exprimi aut destillare scribat, certum est in vniuersum & Serapionem & reliquos hunc imitatos, falsos esse. Neque enim Dioscorides vel verbo eius rei meminit, neque enim Galenus, qui in 8. *de med. simpl. facul. libro* hanc herbam describit, succum eiusmodi inesse tradit, nunquam certe silentio præt eriturі, si verum esse deprehendissent, quod temere asserere Serapion voluit. Sed obgannit hic Montuus, ac more suo pueriliter admodum obluctatur, argumentum ab auctoritate Dioscoridis negatiue ductum inualidum esse dicens, pulchre suam in dialecticis ignorantiã interim prodens. Quis enim est qui nesciat argumentum ab auctoritate etiam negatiue ductum valere interdum? veluti cum in sacris disputamus, vbi omnia a scripturæ auctoritate pendent. Vt quum hodie cum impiis Sophistis nobis incumbit digladiatio de iustificatione, mox ad scripturæ auctoritatem nobis confugiendum erit, ac strenue pronũciandum sola nos fide iustificari, hoc est, solius misericordiæ propter Christum fiducia nos iustos coram Deo reputari, & minime propter nostra opera, aut nostras virtutes. Cuius rei locuples testis est diuus Paulus *in epistola ad Romanos cap.3.* ita scribens: *Iustitia vero Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes eos qui credunt.* Et paulo post: *Arbitramur igitur fide iustificari hominem absque operibus legis* Hinc cum scriptura iustificationem fide acceptam ferr, probe argumentum ab auctoritate eiusdem negatiue ductum valebit, si in hunc modum quis colligat: *Sacra scriptura iustificationem operibus non tribuit,* ergo *opera non iustificant.* Pari ratione & in aliis quibusdam disciplinis argumentum ab auctoritate negatiue ductum non semper irritum exsistit. Verbi gratia, hoc loci si ita colligas: *Dioscorides, qui Galeno lib.6. de simplic. med. facult. teste, omnium perfectissime tractatum de materia medicamentorum confecit, & Sideritide Achillea non colligi succum, qui sanguis Draconis hodie dicitur, tradit:* ergo *Serapion non tanta herbarum, quanta ille præditus cognitione, diuersum tradens errat.* Hinc vbi tanta alicuius scriptoris fuerit auctoritas vt multis aliis opponi possit, qualis certe in materia medica omnium testimonio Dioscoridis est, licebit haud aliter, quam in sacris ab huius auctoritate negatiue etiam ducere argumenta, quandoquidem ad huius scripta, reliquorum omnium placita, tanquam ad Lydium lapidem, probanda erunt. Non itaque irritum argumentum erit, vt Montuo os plane obstruamus, si sic colligas: *Eupatoriũ Dioscoridis eas notas, quas herba hodie Eupatoriũ dicta habet, minime obtinet:* Ergo *nostri seculi Eupatoriũ nõ est verum ac genuinũ Græcorum Eupatorium.* Ceterum si Sideritis herba a Dioscoride non descripta fuisset, & huic plane incognita mansisset, tũ certe argu-

Montuii in dialecticis ignorantia ostenditur. Argumentum ab auctoritate negatiue ductum interdum valere, maxime in sacris.

Quando ab auctoritate negatiue liceat argumentum ducere.

A argumentum negatiue ab illius auctoritate dictum inualidum penitus esset. Vt non valet argumentum, *Dioscorides non meminit Sideritidis, nullas* igitur *vires habet.* Aut ita: *Dioscorides Sideritin herbam non depingit, minime* igitur *ex eo succus, quem sanguinem Draconis appellant, colligitur.* Sed quid multis moror? Fateatur oportet Montuus, vtcunque ringatur, me neque hic neque alibi solius Dioscoridis auctoritate, quamuis, *vt iam demonstrauimus,* ad probationem sufficere posset, vsum esse, sed simul Galeni, Pauli, Plinii, ac aliorum probatissimorum Medicorum adiunxisse testimonia, ita vt rectius ferme huiusmodi argumenta a testibus, quam vnius auctoritate ducta esse videantur. Proinde quicquid garriat bonus ille senex, probare tamen nunquam poterit, sanguinem Draconis herbæ Siteritidis esse succum, quandoquidem succus ex Achillea Dioscoridis, vel Siteritidis Achillæ Galeni expressus, sanguinis colorem non referat. Non tamen inficias imus, imo constanter affirmamus, Serapioni sanguinem draconis, non esse nisi nominatam iam herbam. Quod nos etiam *primo nostrorum de stirpium commentariorum tomo* in Achillæ historia, quam plurimis atque efficacissimis rationibus demonstrauimus. Quare Achillæ herbæ succum Serapio sanguinem draconis appellare haud debuisset. Quinetiam nec Auicenna ipse sanguinem Draconis 2. Canone ex professo tractans, eius herbæ aut alterius succum esse docet, sed rubeum esse succum simpliciter scribit. Neque ego reluctor, vt succum esse non credam. Vt credam enim mihi persuasit Aloisius Cadamustus Venetus Patricius, qui *cap. 4. suæ nauigationis,* Sanguinem draconis lachrymam arboris cuiusdam Africanæ esse tradit. Nam *æstato,* inquit, *anni tempore arbores ferro sauciant, quæ vbi sunt incisæ; anno sequenti gummam emittunt per incisiones. Gumma vero ahenis decocta & defæcata, sanguis efficitur, quem appellant Draconis. Eius arbor producit fructum cerasi instar mense Martio, gustu eximium, coloris veneti, quemadmodum copiosius lib. 1. de medic. compositione cap. 10. monstrauimus.* Hinc etsi succum esse arboris vel herbæ Sanguinem draconis esse fatemur, succus tamen Sideritidis non erit: neque enim hæc herba fructum instar cerasi producit, nec vllus veteram eiusmodi rubrum succum illam effundere memoriæ prodidit. Ceterum duplex esse genus eius, quod sanguinem draconis in officinis appellant quibusdam videtur, alterum *rubens,* quod illi syncerum nec adulteratum, ac Cinnabarim Dioscoridis esse cum Leoniceno putant, quod eo tam pictores quam Medici ipsi, haud aliter quam olim Cinnabari vtantur, quodq; in picturis proprie sanguinem reddat, & antidotis, medicamentisq; vtilissimum sit. Præterea quod hoc non minus care, quam Cinnabaris vendatur. Atqui horum sententiam probare non possum, quod Dioscorides suam Cinnabarim inter metalla recenseat, minimeq; succum ex arbore vel herba expressum dicat. Accedit quod is sanguis draconis qui illis sincerus esse videtur, & in officinis quibusdam prostat, care haud vendatur, & satis magna copia afferatur, secus atq; Dioscoridis Cinnabaris, quæ magno constabat, & tam pauca afferebatur, vt versicoloribus pictorum lineis vix satisfaceret. Quapropter alterum hoc officinarum sanguinis draconis genus, aut liquor ille Africanus, aut certe is qui ex herba exprimitur, quæ hodie vulgo sanguis draconis appellatur, de qua in nostris de stirp. hist. commentariis copiose scripsimus. Porro alterum sanguinis draconis genus, de quo prædicti scribunt atrum, inque orbem quasi circumactum, compressum tamen, & in globum non assurgens, non est nisi sanguinis draconis genus factitium & adulteratum. Siquidem ex hircino sanguine, bolo armenia, & Sorborum succo constat.

Margin: Aloisius Cadamustus. — Duplex sanguinis draconis genus. (Margin letters B, C, D, E.)

Cenabrium vulgo vocatum, a Cinnabari veterum diuersum esse.

CAP. XXX.

Cenabrium vulgo hodie dictum inter venena recenseri, notius est quam vt demonstratione opus habeat. Inter venena enim Antonius ille Guainerius collocat, adeo vt inter ea medicamenta quæ intra corpus adsumuntur, ob veneni quod habet maleficium referri non queat. Factitium namque est, & a Chymistis ex argento viuo & sulphure conficitur. Argentum autem viuum a Dioscoride ac aliis veteribus inter venena connumerari nemo est qui nesciat. Veterum autem Cinnabaris duum est generum. Vna quidem a Theophrasto & Galeno descripta, quæ non est nisi Minium natiuum. Hæc perinde atque recentiorum Cenabrium, venenatum est. Altera vero Dioscorides, de qua *libro 5. de materia medica cap. 100.* ita scriptum reliquit,

Margin: Cenabrium nostrum venenum est. — Cinnabaris antiquorũ, est alterum sanguinis draconis genus. (Margin letter F.)

τὸ κιννάβαρι κομίζεται ἀπὸ Λιβύης, πιπράσκεται δὲ πολλοῦ, καὶ τοσοῦτόν ἐστιν ὡς μόλις ἐξαρκεῖν τοῖς ζωγράφοις εἰς τὴν ἐν ταῖς γραμμαῖς ποικιλίαν. ἔστι δὲ καὶ βαρύχρουν, ἢ βαθύχρουν, ὅθεν ἐνόμισάν τινες αὐτὸ εἶναι αἷμα δράκοντος. id est: *Cinnabaris ex Africa defertur, magno venditur, tamque exiguum est vt vix variandis pictorum lineis sufficiat. Densum, nec dilutum colorem reddit, vnde quidam sanguinem esse draconis illam existimauerunt.* In quibus vtiq; verbis præter illa quæ iam retulimus, Dioscorides vulgarem quorundam etiam opinionem, quā Plinius etiam *lib. 33. cap. 7.* secutus est, damnat, Cinnabarim veram saniem draconis elisi, elephantorum in pugna commorientium pondere, permixto vtriusq; animalis sanguine, esse dicentium. Mansit autem id nominis ex commento Cinnabari olim inditum, vsque ad Dioscoridis tempora. Quamuis vero Dioscorides ipse quid sit Cinnabaris, tanquam forte sibi non satis cognitum, taceat, tamen quia eius ab illo inter metalla mentio fit, suspicio oritur vt metallicum quiddam esse credamus. Quinetiam Abenrois quinto collig. *cap. 43.* sub nomine sanguinis draconis inter metalla Cinnabarim collocat. Adeoque de re cuius natalem locum non vidimus, nec certi aliquid accepimus pronunciare non libet, donec alii vel nos certius quid de illa compertum habuerint. Quæ vero medica Cinnabaris vis sit, Dioscorides loco supra citato indicat iis verbis: δύναμιν δὲ ἔχει τὸ κιννάβαρι τὴν αὐτὴν τῷ αἱματίτῃ, ἁρμόζει εἰς ὀφθαλμικὰ, πλὴν ἐπιτεταμένως, μᾶλλον γὰρ στύφον ἐστὶ καὶ ἴσχαιμον, καὶ πυρίκαυστα καὶ ἐξανθήματα ἀναληφθὲν κηρωτῇ θεραπεύει. quod est: *Vim habet Cinnabaris Hæmatitæ lapillo eandem. Conuenit ad oculorum medicamenta, verum efficaciore vi. Magis enim adstringit, & sanguinem cohibet. Ambustis & papularum eruptionibus cerato excepta medetur.* Vnde satis etiam dilucidum fit Cenabrium hodie nominatum, quum longe alias vires habeat, & plane venenatum sit, a Cinnabari Dioscoridis diuersum esse. Distat etiam ab ea, cuius Theophrastus & Galenus mentionem faciunt, quod illa natiua sit, Cinnabrium autem hodie vocatum factitium, *vt alibi fusius docuimus.* Proinde diligenter attendant Medici si quando in antiquorum libris Cinnabarim scriptam offenderint, ne pro illa, nominis similitudine decepti, aliam adhibeant, quam eam, quæ a quouis auctore designata est. Atque id maxime in Nicolai compositionibus est obseruandum, qui Cinnabarim interdum etiam pro *Rubia*, interim quoq; pro *Symphyto* vsurpare solet.

Plinii erronea sententia.

Vis Cinabaris.

A

B

C

Myrtum syluestrem non ferre fructum quem Arabes Cubebam vocant, vt impudenter admodum commentus est Serapion.

D

Cap. XXXI.

Serapionis de Cubebis sententia.

SERAPION *cap. 278.* sui de simplicibus medicamentis libri, ita de cubebis statuit: *Cubebe est myrta agria, id est, myrtus syluestris: est planta habens folia similia foliis myrti domesticæ, nisi quia sunt latiora eis, & summitates eorum sunt acutæ, sunt summitas lanceæ, & habet fructum rotundum aliquantulum depressum, & latum, inter folia eius repertum, qui quando maturuerit, vergit ad rubedinē, & intra ipsum est granum triangulatū, & habet ramulos similes ramis plantæ dictæ Laros, egredientes ab vna radice, difficile frangibiles, longos circa brachiū vnum, foliis plenos. Radix eius est similis radici quæ dicitur gramen.* Iuxta quam vtiq; Serapionis descriptionem, cubebæ nihil aliud sunt, quam fructus eius plantæ, quam Græci μυρσίνην ἀγρίαν, id est, *Myrtum syluestrem*, & ὀξυμυρσίνην, hoc est, *Acuminatam myrtum* nominant, quod eius apud Dioscoridem descriptio plane cum illa quam hic affert Serapion, conueniat. Dioscorides siquidem *lib. 4. cap. 137.* Myrtum syluestrem ita pingit: φύλλον μυρσίνῃ ἔχει ὅμοιον, πλατύτερον δὲ, λογχοειδὲς, ὀξὺ ἐπ᾽ ἄκρῳ, ἐφ᾽ οὗ δὲ καρπὸν στρογγύλον ἐν μέσῳ δὲ τῷ πετάλῳ προσφερῆ, ἐρυθρὸν ἐν τῷ πεπαίνεσθαι, ἔχοντα τὸ ἐντὸς ὀστῶδες, κλωνία λυγοειδῆ, πολλὰ ἐκ τῆς ῥίζης αὐτῆς δύσθραυστα, ὅσον πήχεως, φύλλων μεστὰ· ῥίζαν τῇ ἀγρώστει, γευομένῳ στρυφνὴν, ὑπόπικρον. quod est: *Folium myrto simile habet, latius tamen, lanceæ figura, in summo acutum. Fructum fert rotundum, in medio folio dependentem, cum maturuit rubescentem, osseo intus nucleo. Ramulos vitilium modo lentos, numerosos a radice exeuntes, fractum contumaces, cubitales, foliis plenos. Radicem Gramini simile, gustu acerbam & subamaram.* Proinde luce clarius est Serapionem non sine pudendo errore docuisse, Cubebas Myrti syluestris esse fructus. Myrtus enim syluestris longe alia ab ea, quæ Cubebas fert, planta exsistit, nimirum illa quam Plin. *lib. 23. cap. 9.* & Latini alii *Ruscum* nominant. Nostræ ætatis Medici corrupto vocabulo *Bruscum* dicunt: eius quoq; seminis sub hoc nomine frequens hodie in officinis vsus exsistit. Myrtum autem syluestrem esse eandem cum Rusco restatur etiā Dioscorides, qui περὶ μυρσίνης ἀγρίας in hunc modum scribit, ῥωμαῖοι ῥοῦσκουμ καλοῦσι.

Myrti syluestris descriptio.

E

Ruscus plāta, quam Bruscum hodie literæ vnius adiectione vocant.

F

A μυάκανθαν id est, *Romani Ruscum vocant.* In aliquibus locis, vt scribit Marcellus Florentinus, scopæ ad purganda pauimenta ex hoc frutice fiunt. Pueri quoque rubentes baccas ex foliis eius decerpentes, ceu coraliis per ludum se illis ornant. Rustica etiam plebs in carnario suspendit, tueturq; eo a murium iniuriis pernas, & casei sui fiscellas: neque enim acuminata in cuspidem foliorum eius cacumina, penetrare animalia illa audent: quam ob caussam μυάκανθα, id est, *Murinam spinam*, dictam fuisse apparet. Sed quid multa? Cubebas non esse fructus Oxymyrsines, argumentum euidentissimum est, quod Cubeba semen odoratum sit, fœtent autem siluestris Myrti baccæ, dum recentes sunt. Præterea ossea in iis duritia, in Cubebis vero Arabum nihil tale, quod sint tenuia sarmenta, virgultis Cinamomi similia, Græcis καρπήσια dicta. Ceterum quamuis B Dioscorides nusquam Cubebarum, quod sciam, mentionem faciat, tamen vt ex iis quæ in Serapione post ea quæ iam dicta sunt sequuntur, & ab Auicenna secundo scribuntur Canone, manifestum fit, Galenus ipse id quod Cubebas vocant Arabes, Carpesium appellauit. De Cubebis enim ex auctoritate Galeni Serapion sic tradit: Est medicina similis Phu in sapore suo & virtute, nisi quia est subtilior multum. Et ꝓpter hanc caussam fit aperitiua oppilationum quæ sunt in corpore toto, & prouocat vrinã, & mundificat renes a lapide qui generatur in eis. De Carpesio vero Galen. *lib. 7. de sim. med. facult.* in hunc modum: καρπήσιον ὅμοιον μέν ἐστι τῷ καλουμένῳ φοῦ, κατά τε τὴν γεῦσιν, καὶ τὴν δύναμιν, ἐπὶ πλέον δ' ἐστὶ λεπτομερές. διὸ καὶ μᾶλλον ἐκείνου ῥύπτει τὰς τῶν σπλάγχνων ἐμφράξεις, καὶ οὖρα κινεῖ, καὶ νεφροὺς ἐκκαθαίρει λιθιῶντας, quod est: *Carpesium simile est vocato Phu, gustu & facultate, sed plus habet tenuitatis. Proinde* C *magis eo etiam viscerum obstructiones extergit, & vrinam mouet, renesque calculis degrauatos expurgat.* Et Paulus in septimo quoque hoc pacto: *Carpesium odoratum aromaticumve est, & tenuium partium. Extergit igitur viscerum obstructiones, & vrinas cit, renes etiam calculis prægrauatos expurgat.* Ex quibus omnibus satis dilucidum est, Cubebas apud Arabes aliud nihil esse, quam apud Galenum atq; Paulum Carpesium: id quod declarant etiam ea quæ cap. 138. secundi Canonis, Auicenna scribit dicens: Cubebe quid est? Eius virtus est similis Phu (vbi perperam interpres rubeæ transtulit.) Est aperitiua, subtilis, ad acuitatem decliuis, neque peruenit ad hoc vt loco cinamomi ponatur. Quando tenetur in ore clarificat vocem. Est fortis in aperiendis oppilationibus. Mundificat vias vrinæ & prouocat arenulas, & extrahit lapidem renum & vesicæ. Nam vt aliqua prius D non dicta excitiamus, Carpesium non eatenus esse tenuium partium, vt liceat loco cinamomi, si non ad manum sit, vsurpare, sicut Quintus faciebat, iis verbis Galenus testatur: οὐ μὴν εἰς τοσοῦτόν γε λεπτομερές ἐστιν, ὡς αὐτῷ κινναμώμου χρῆσθαι μὴ παρόντος, ὥσπερ ὁ Κόϊντος ἐχρῆτο. Carpesium autem si ore teneatur claram vocem facere posse; exemplo Bernardi Iustiniani, in Corollario testatur Hermolaus, adeo vt clarum sit, Carpesia Græcorum a Cubebis Arabum nihil differre. Non autem temere a nobis adiectum est Arabum: id enim factum est vt officinarum excluderemus Cubebas, quæ a Carpesio sunt diuersæ, & quia rotundi piperis tum formam, tum saporem referunt. Hippocrati *libr. 2. de mulieribus* piper Indicum, vel medicamentum Indicum oculorum nominantur, vt plenius *tomo secundo nostrorum de stirp. commentariorum in historia Cubebarum* ostendimus. E Eo igitur lectorem ablegamus.

Murina spina.

Galenus Cubebas Carpesia appellat.

Galeni de Carpesio sententia.

Alibium non esse herbam Eryngium, vt Pandectarius putat, sed eam quam Græci Bubonion, Latini autem Inguinariam nominant.

Cap. XXXII.

SATIS sit hoc loco ex multis Pandectarii erroribus vel vnum hunc attigisse, nam si singula eius hominis errata prosequi vellem, iustum certe volumen conficere opus foret, quando vix pagina sit quæ non immensum erratum habeat, ita vt monitos cupiam omnes veritatem ex animo sitientes, ne temere mendacissimi hominis nugis fidem adhibeant. Verum vt rem paucis expediam, animaduertendum Arabibus Aliben vel Alhaliben nihil aliud esse quam Inguen, aut abscessum qui in inguinibus, F Græci Bubonem vocant, fit. Hinc Alibium ea herba quam Græci Bubonium, Latini autem Inguinariam nominant, quod inguinibus, quæ Bubones illi appellant, prosit, dicitur. Id quod testatur Galenus *lib. 6. de simpl. med. facul.* sic scribens: βουβώνιον, ἢ ἀστὴρ ἀττικὸς ὀνομάζεται μὲν ἀπὸ τοῦ πιστεύεσθαι βουβῶνας ἰᾶσθαι καταπλαττόμενόν τε καὶ περιαπτόμενον. hoc est: *Boboniũ, aut Aster atticus, nuncupatũ est ita, quia creditum est bubonas sanare tum illitum, tum inguini adalligatum.*

Pandectarii liber erroribus scatet.

Aliben quid.

Alibium.

Et Paulus Ægineta in septimo dicens: ὁ δὲ ἀστὴρ ἀττικὸς ὃν ἔνιοι καὶ βουβώνιον διὰ τοῦτο καλοῦσιν, ὅτι οὐ μόνον καταπλαττόμενον, ἀλλὰ καὶ περιαπτόμενον ὠφελεῖν βουβῶνας πεπίστευται. id est: *Aster Atticus, alii Bubonion vocant, non ob id tantum quod illitum, sed etiam quod suspensum bubonibus opitulari creditur.* Identidem Plinius *lib.27.cap.5.* docet iis verbis: *Aster ab aliquibus Bubonion appellatur, quoniam inguinum præsentaneum remedium est.* Ex quibus omnibus probatum satis arbitror, Alibium Arabum a Bubonio Græcorum, & Latinorum Inguinaria non esse diversum, quicquid nugator insignis Pandectarius garriat. Descriptionem Bubonii videre licet apud Dioscoridem *libro iam citato*, nihil enim necesse est, descriptione ad eam rem, quam conamur ostendere, cum nomen vtriusque satis indicet, herbas inter se esse haud dissimiles. A

Herbam vulgarem Boraginem hodie dictam, veterum exsistere Buglossum, adeoque hanc pro illo ad medicinæ vsum esse adhibendam. B

Cap. XXXIII.

Boraginem herbam nostræ ætatis herbariis appellatam, veterum esse *Buglossum*, multi ante nos viri eruditi docuerunt: verum cum adhuc paucos esse videam, qui idipsum credant, aut ab inueterato errore recedere velint, operæ precium me facturum existimaui, si quod illi dixerunt, hic denuo repeterem, vt vel tandem iterum atque iterum moniti resipiscant. Boraginem autem nostram non differre ab antiquorum Buglosso, primum omnium descriptio eius, quam tradit Dioscorides *libro 4. cap.119.* monstrat, quæ ita nostræ Boragini quadrat, vt in nullo ab illa discrepare videatur. Ea autem sic habet: βούγλωσσον ἔοικε δὲ φλόμῳ. φύλλον χαμαιπετὲς, τραχὺ καὶ μελάντερον, ὅμοιον βοὸς γλώσσῃ. id est. *Buglossum Verbasco simile est. Folium in terram depressum, asperum, nigrius, linguæ Bubulæ simile.* Quis vero tam lippis est oculis, qui non nostram hic Boraginem, & minime Buglossam describi cernat? Folia enim Boraginis Verbasco similia sunt, atque multo quam Buglossæ nostræ, quæ longiora exsistunt, latiora. Hinc est, quod M. Cato *cap.40. sui de re rustica Operis*, ramorum insitionem ex professo tractans, surculum Lingua Bubula, seu Buglosso obtegere si pluat, docet, ne aqua in librum permeet: voluitque in operiendo insitæ stirpis rotunda sectione, rotundiore atque latiore potius folio, quale Boraginis est, quam longiore & angustiore, quale Buglossa habet, vti. Præterea Boraginis folia humi depressa ferme iacent, & in terram inclinantur, Buglossæ vero surgunt, & in altum tendunt. Adde, quod Boraginis folia aperta sint, Buglossæ contra modice hirsuta & mollia. Albicant denique buglossæ folia boraginis autem nigricant, ita vt singula Diosc. iam numerata indicia boragini in vniuersum conueniant, & minime buglossæ. Porro herbam boraginem a nostræ ætatis Medicis esse antiquorum buglossum, vsus etiam, quem hodie in medicinis habet, satis declarat. Omnes enim Medici, vulgus quoque ipsum, boraginem in vinum proiectam, aut potui datam, lætitiam generare dicunt, id quod ex æquo veteres suo etiam buglosso tribuunt: ita enim de illo Diosc. tradit. βούγλωσσον ἐμβληθὲν εἰς τὸν οἶνον εὐφρόσυνον δοκεῖ εἶναι. quod est: *Buglossum in vinum deiectum lætitiam animi facere creditur.* Cui subscribit Galen. *lib.6. de fac. simpl. med.* in hunc modum: βούγλωσσον ὑγρὸν καὶ θερμόν ἐστι τὴν κρᾶσιν· ὅθεν καὶ τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνης αἴτιον εἶναι πεπίστευται, hoc est: *Buglossum humidæ calidæque temperiei est: itaque vinis iniectum, lætitiæ seu hilaritatis caussa esse creditum est.* Et Paulus in septimo iis verbis: βούγλωσσον ὑγρόν πως καὶ θερμόν ἐστι τῇ κράσει. ὅθεν τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνην ποιεῖν λέγεται quod est: *Buglossum humidum & calidum est temperamento, quamobrem vino immissum lætitiam ac animi voluptatem efficere dicitur.* Nec dissentit Plinius libro vigesimoquinto capite octauo dum sic scribit: Iungitur huic Buglossus Boum linguæ similis, cui præcipuum quod in vinum deiecta animi voluptates auget, & vocatur Euphrosynon. Errorem hunc Medicorum agnouit etiam Franciscus Marius Grapaldus, in suo Lexico ita scribens: Buglossus & satiua est, quam Boraginem triuiales vocant, & syluestris. Latini ab asperitate linguam bubulam vtranque appellauere. Calida est & humida: cardiacis auxiliatur in cibo sumta, sanguinem purgat, & hilaritatem inducit. Flores eius in conditura & medicina peculiarem gratiam habent. Ipsa vero in vino deiecta animi voluptates auget. Hinc εὐφρόσυνον Græci dixere, quasi *lætificantem*: nam εὐφραίνειν, est *lætari*, εὐφροσύνη *lætitia*, & εὐφρασία *exultatio*. Error vero ille Medicorum quod Pseudobuglosso pro genuino vtuntur, peruetustus admodum est, quando Auicennæ temporibus etiam grassari cœpe-

Borago nostra ab antiquorum Buglosso non differre.

Boraginis in medicina vsus.

C

D

E

F

A cœperit. Proinde *capite 438. secundi Canonis* suæ ætatis Medicos notat, quod non vero Buglosso vterentur, sed alio, quod non easdem cum illo facultates & commoditates haberet. Cum itaque ex iam dictis euidenter demonstratum sit Boraginem nostram veterum esse Buglossum, prudenter admodum facient Medici, sicubi Buglossum veterum in vsum Medicum adhibuerint, vt pro illo Boraginem nostram potius quam illam quæ vulgo Buglossa appellatur, & Græcorum Echion est, acceperint. Id quod si fecerint, sentient & secuturas quas illi adscribunt antiqui facultates.

Sandaracam Arabum & hos ipsos sequentium, a Sandaraca Græcorum & Latinorum non solum forma, sed viribus etiam esse diuersam.

Cap. XXXIV.

B ARABVM Medicorum schola Sandaracam gummi quoddam esse credit. Testis est Serapion, qui *cap. 57. sui de simpl. medicamentis libri* de illa sic tradit: Sandarax est vernix gummi. Et paulo post ex auctoritate Isaac: Est gummi, inquit, citrini coloris, simile Karabe, sed non est ita durum sicut Karabe, & est in eo parum amaritudinis, & affertur a terra Christianorum. Arabes vulgus Medicorum sequitur, ac Sandaracam haud aliter quam illi gummi, quod Vernix dicitur, esse putant. Contra Græci & Latini auctores suam Sandaracam inter metallica recensent, duplicemque faciunt: vnam fossilem, quæ in aurariis & argentariis metallis reperitur. Hanc teste Dioscoride *lib. 5. cap. 77.* conuenit esse κατακορῆ πυῤῥὸν, εὔθρυπτον, εὔλειόν τε καὶ καθαρὸν, κινναβαρίζουσαν τὴν χρόαν, ἔτι δὲ θειώδη ἀποφορὰν ἔχουσαν. quod est: *affatim ruffam, friabilem, planam, puram, Cinnabaris colore, sul-*
C *phurisque virus redolentem.* Quod Plin. etiam lib. 34. cap. 18. confirmat, sic de Sandaraca scribens: inuenitur in aurariis & argentariis metallis: melior quo magis ruffa, quoque magis sulphuris virus redolens, ac pura friabilisque. Alteram fictitiam & adulterinam, quæ ex Cerussa in fictile coniecta, ac super carbonibus quoad colorem rubrum ducta fuerit crematur. Testis Vitruuius lib. 7. suæ architecturæ libro dicens: Cerussa cum in fornace coquitur, mutato colore ad ignem incendii Sandaraca fit. Hanc ipsam Gal. *lib. 9. de sim. med. fac.* Sandycem appellari testatur, ita scribens: καιόμενον δὲ ψιμύθιον εἰς τὴν καλουμένην σάνδυκα μεταβάλλεται. id est, *Cerussa adusta in Sandyca quam vocant transit.* Plin. tamen *lib. 35. cap. 6.* Sandycem aliter fieri vult, vtpote si hæc ipsa torrea, æqua parte rubrica admixta. Differre itaq; forma inter se Arabum & Græcorum Sandaracā ex iam
D dictis probatum satis arbitror, quod hæc metallis, illa vero gummi annumeretur. Viribus autem inter se quoque differre quis est qui dubitet? quum enim diuersæ res sint, fieri non potest vt in vniuersum æquales facultates habeant. Vix enim vnquam res duas forma & substantia differentes inuenias, quarum vires non aliquo modo discrepent. Verum cum Arabes Sandaracæ quam illi depingunt, omnia ferme tribuant, quæ Græci suæ etiam adscribunt, videntur omnium euidentissime esse lapsi, quod gummi acceptum ferunt, quæ metallo potius, veterum omnium testimonio, debentur. Ea vt rem apertius cognoscant studiosi, ecce vires ab vtrisque illi auctoribus assignatas conferemus. Inter Græcos certe Dioscorides de viribus Sandaracæ ita tradit: δύναμιν ἔχει καὶ ὄπλησιν τὴν αὐτὴν τῷ ἀρσενικῷ. θεραπεύει δὲ καὶ ἀλωπεκίας ἀναληφθεῖσα ῥητίνῃ, καὶ λεπροὺς ὄνυχας σὺν πίσσῃ ἀφίστησι, καὶ πρὸς φθειριάσεις σὺν ἐλαίῳ ποιεῖ, φύματά τε σὺν στέατι διαφορεῖ. ἁρμόζει καὶ δὲ πρὸς τὰ ἐν ῥινὶ καὶ στόματι ἕλκη, καὶ πρὸς τὰ λοιπὰ
E ἐξανθήματα σὺν ῥοδίνῳ, καὶ πρὸς κονδυλώματα. δίδοται καὶ ἐμπυϊκοῖς σὺν οἰνομέλιτι, καὶ ὑποθυμιᾶται σὺν ῥητίνῃ καὶ πρὸς παλαιὰν βῆχα διὰ σίφωνος ἑλκομένου τοῦ ἀτμοῦ διὰ στόματι. φωνήν τε ἀποκαθαίρει ἐκλειχομένη σὺν μέλιτι, καὶ ἀσθματικοῖς σὺν ῥητίνῃ καταπότιον δίδοται. id est: *Vim vstionemq; eandem auripigmento habet. Resina excepta alopecias sanat. Cum pice scabros vngues eximit. Contra phthiriasin cum oleo prodest. Tubercula cum adipe discutit. Ad narium orisque vlcera efficax est: & cum rosaceo ad ceteras papularum eruptiones, & condylomata. Datur ex mulso purulenta excreantibus. Suffitur quoque cum resina aduersus veterem tussim, per fistulam vapore eius in os attracto. Vocem expurgat cum melle delincta. Suspiriosis cum resina in pilula datur.* Galenus paucis vires eiusdem complexus ita inquit: Σανδαράχη καυστικῆς ἐστι δυνάμεως ὥσπερ τὸ ἀρσενικὸν ὀνομαζόμενον. hoc est: *Sandarace vrentis est facultatis, ceu Arsenicum quod vocant.* Eadem Paulus quoque in septimo scribit. Nec inter Latinos dissentit Plinius,
F in hanc sententiam scribens: *Valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere. Summa eius dos septica. Explet alopecias ex aceto illita. Additur oculorum medicamentis. Fauces purgat cum melle sumta. Vocem lympidam & canorum facit. Suspiriosis tussientibusque iucunde medetur, cum resina terebinthina in cibo sumta.* Easdem profecto facultates Sandaracæ suæ tribuit Auicenna *cap. 627. secundi canonis*, vbi sic scribit: *In ipsa est stypticitas & proprietas retinendi sanguinem;*

Sandaraca quid secundum Arabes.

Sandaraca Græcorum.

Sandaraca alio nomine Sandyx dicitur.

Etiam a Sādaraca Arabum discrepat.

Sandaracæ vires.

& luctatores ipsa vtuntur vt leues & fortes fiant, & non incurrant difficultatem anhelitus. Desiccat fistulas quando cum ea suffumigatur. Eius fumus prohibet catarrhos. Fluxum denique sanguinis & asthma humidum sua exsiccatione arcet. Id quod & Serapion facit, vt patet sua legenti. Nemo autem miretur, quod Arabes in plerisque assignandis Sandaracæ facultatibus a Græcis Latinisq; discordent: nam cũ variæ res veteribus vno Sandaracæ vocabulo designentur, illi vnam esse putantes, iam huius, iam alterius, secundum diuersos auctores ex quibus sua desumserunt, facultates huic tribuere: atque adeo factum vt iam Sandaracæ tanquam metalli, nunc vero vt gummi proprietates promiscue, & confusim descripserint. Immensæ autem inscitiæ nota est, quod Arabes suam Sandaracam gummi esse statuunt, neque tamen, cuius arboris sit, interim explicant. Nostri certe seculi Medici Iuniperi arboris gummi esse asserunt. Ridiculum autem est, & erroneum plane, quod iidem gummi illud Iuniperi simpliciter Vernicem nominant, cum Vernix sit gemina, sponte nata scilicet, & facticia. Sponte autem nata non est nisi lachryma siue gummi Iuniperi. Facticia vero est ea, qua pictores & fabri lignarii vtuntur, dum ea colores imbutos tingunt, vt pertinacius hæreant. A vernice autem, *Vernigo*, quæ alio nomine sandaraca etiam, & ab Aristotele in *7. de historia animalium, ca. 22.* ἐριθάκη vocatur, longe alia res sit. Testis eius rei Plinius exsistit, qui *lib. 11. cap. 7.* in hunc modum scribit: Præter hæc conuehitur erithace quam alii sandaracam, alii cerinthum vocant. Hic erit apum dum operantur cibus, qui sæpe inuenitur in fauorum inanitatibus sepositus: & ipse amari saporis, sed plenus humoris cibus. Gignitur autem rore verno, & arborum succo, gummi modo. In quibus sane verbis Plin. & nomina & formam Erithaces pulchre expressit. Nomen autem Erithace Græcis idem est quod Latinis Vernigo. Vtrumque autem nominis sortita est sandaraca illa, quam Ceraginem Theodorus appellat, a vere, in quo, vt ex Plinio docuimus, nascitur, ἔαρ namque *Ver* Græcis dicitur. Verum esse q; asserimus docent ea quoque quæ in Corollarii sui cap. 115. scribit non contemnendæ auctoritatis vir Hermolaus, sic dicens: Cerinthus & Rhitacen, siue vt Aristoteles Erithacen significat, quæ & sandaraca appellatur, & a Dioscoride Cerantthemos, ex arborum succo, gummi modo genita, & verno rore: vnde vernigini quoque vulgo nomen. Erithacen describit Marcus Varro *lib. 3. rei rusticæ, cap. 16.* iis verbis: Etiam paucæ extra ostium aluei obturant omnia, qua venit inter fauos spiritus, quam ἐριθάκην appellant Græci. Et paulo post: Erithacen vocant quo fauos extremos inter se conglutinant, quod est aliud melius propoli. Ex quibus omnibus satis monstratum est, Arabum Sandaracam, vtpote gummi, a Græcorum, quod metallum est, plurimum differre. Denique non satis scire nostræ ætatis Medicos, quid sit hoc genus medicaminis quo hodie pro sandaraca vtuntur. Si enim Iuniperi gummi est, eas vtique in medicina vires habebit, quas ipsi recentiores Græci assignant, & nos in nostris de stirp. historia commentariis indicauimus. Nec obstat quod Plinius *lib. 13. cap. 11.* Iuniperi gummi ad nihil vtile esse scriptum reliquit. Fieri enim potuit, vt Plinii ætate eius gummi vsus ignotus fuerit, qui tandem posterioribus Græcis innotescere cœpit: quod in multis etiam aliis accidisse constat. Sin vernigo, quam Erithacen Græci nominant, erit, eas certe vires quas illi vel Græci, vel Latini tribuunt, obtinebit. Suo itaq; errori renuncient, vel saltem a sandaraca abstineant, donec quotuplex Sandaraca sit plenius cognoscant.

Sandaracæ nomine variæ res veteribus designantur. Iuniperi gummi. Vernix gemina. Vernigo quid. Erithace seu Sandaraca. Erithace quid.

Saccharum antiquorum a vulgari hoc nostro, quod nunc voce parum deflexa barbaro vocabulo zuccarum appellamus, esse diuersum, & a Sale Indo, contra Gentilem & Herculanum, nihil differre.

Cap. XXXV.

Saccharum antiquorũ.

NE alicui nominum confusio imponat, animaduertendum per saccharum antiquorum nos intelligere rem illam quæ sub hoc nomine a Diosc. Galeno, Plinio, ac aliis eiusdem ætatis scriptoribus descripta est, quæ certe nihil aliud est nisi mellis species, quamobrem fit vt & inter mella de hac ipsa loquantur. Dioscorides siquidem *lib. 2. capite 73.* ita de saccharo scribit: καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον εἶδος ὂν μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ. εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων, ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλί, καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδοῦσι καθάπερ οἱ ἅλες, hoc est: *Vocatur & quoddam saccharum mellis genus exsistens in India & felici Arabia concreti. Inuenitur super arundines sali concretione sua simile, dentibus salis instar fragile.* Cui consentit Galenus libro

A *libro 2. de simplicium medic. facult.* sic dicens: τὸ σάκχαρ δὲ καλούμενον, ὥσπερ ἐξ ἰνδίας καὶ τῆς εὐδαίμονος ἀραβίας κομίζεται, πήγνυται μὲν ὡς φασὶ ἐπὶ καλάμοις. ἔστι δὲ καὶ αὐτὸ μέλιτος εἶδος, quod est: *Sed ut Sacchar, ut vocant, quod ex India atque felici Arabia conuehitur, calamis, ut aiunt, concrescit. Est vero & ipsum mellis species.* Hunc Paulus etiam sequitur, & mel esse Sacchari e felici Arabia portatum ait. Plinius quoque libro duodecimo capite octauo, a iam dictis nihil variat, in hunc modum scribens: Saccharum & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile. Amplissimum nucis auellanæ magnitudine ad medicinæ tantum usum. Quibus subscribit etiam Alexander Aphrodisieus *lib. 2 probl. 74.* in eam sententiam scribens: *Quod Sacchar Indi appellant, mellis coagulum est, sole cogente rores, conuertenteque ad mellis dulcedinem,* B *quam idem in monte etiam Libano fieri certum est. Fit Sacchar id proximum salis glebulis candidum, fragile: vim quoque tergendi & purgandi melli similem habet.* Ex quibus sane verbis euidentissimum fit, Saccharum antiquorum nihil aliud esse quam mellis speciem, adeoque eadem sane est materia mellis apum, Mannæ & Sacchari, ita ut parum admodum, quemadmodum ex Alexandro Aphrodisiei dictis colligitur, a nunc vocata Arabum Manna differat Saccharum. In hoc autem differre videntur, quod Manna supra alias plantas, & aliquando supra petras, variis in regionibus reperitur. Saccharum autem in felici tantum Arabia & India in arundinibus, maioribus frustis maiorique duritia, ob vehementiores illic solis radios, aptioraque ad id tolerandum arundinum folia, coagulatur. Hinc fit, quod non perinde, ut Manna, aluum leniat, quando & inter vocatas C hodie Mannas, hæ magis subducere aluum videntur, quæ sunt liquabiliores. Ceterum diuersum esse Saccharum antiquorum iam dictum ab eo, quo hodie zuccarum appellant, satis patebit, ubi quid zuccarũ sit, explicauerimus. Est itaq; nostrũ zuccarũ, quo hoc tempore utimur, succus a propriæ generis planta bene contrita expressus, calore ignis plus minusve excoctus, coactus, & defæcatus. In zuccarum vero tanto candidius ac durius euadit, quanto plus concoctionis defæcationisque sustinuerit. Proinde primum plantam arundini similem excoquunt, deinde flaua pars secernitur, & zuccarum existit. Hoc iterum coqui potest, atque ita candidius fit & cõcretius. Quod si tertio coquatur, maxima in eo & candoris & densitatis fit accessio. Quartum & quintum quoque concoqui solet, donec specie aluminis scissilis fere translucat, D hocque genus Candidum, seu, ut hodie loquuntur, *Candum*, atque *Taberzeth* barbaris vocabulis, nominant. Proinde ut olim Saccharum, quod ex India & felici Arabia deferebatur, suapte natura, quia sic nimia solis excandescentia obdurauerat, candidum erat, & dicebatur: ita nostrum *zuccarum Candi* res factitia est, ex zuccaro quater vel quinquies excocto, maioris quæstus faciendi gratia per seplasiarios Venetos confecta. Hi harundines etiam immittunt, ut supra has videri possit conglobatum. Gosipio denique inuoluunt ut naui ex orientalibus regionibus aduectum putetur. Esse autem plantam quandam unde zuccarum exprimatur, abunde testantur ea quæ scribit Manardus noster, immensæ & eruditionis & experientiæ vir, *libro suarum Epistolarum medicinalium 2.* se scilicet a Lusitanis & Siculis cognouisse plantam, a qua Zuccarum ex- E primitur, humectis locis proprio semine seri, exteriore quidem specie arundini magnæ similem, interiore substantia valde dissimilem. Pulposam enim esse, grauem, mollem, & succi plenam, quum arundo sit econtrario leuis, dura, & vacua. Ex quibus omnibus apertius fit, quam ut iterum in dubium vocari debeat antiquorum saccharum a Zuccaro nostro esse omnino diuersum. Antiqui enim sacchari materia mel ac ros exsistit, noui autem Zuccari plantæ succus: quæ certe ita distant, ut planta ab aqua. Accedit quod forma utrorumque etiam diuersa sit. Dioscorides enim ac alii veteres suum saccharum quoad consistentiam ac concretionem salis modo dentibus fragile dicunt. Plinius gummi instar candidum esse etiam scribit. Nostrum contra priusquam excoquatur, colore potius nigricans & subflauum, quam candidum exsi- F stit: nec dentibus perfringitur, sed per succum deglutitur. Efficiens quoque nostri primum est forma ipsa plantæ, secundum artifex calore ignis coquens & defæcans, & demum in hanc, quam videmus, metæ formam in ligneis quibusdam vasculis deducens. Veterum vero saccharum noctis primo frigus agglutinant, dehinc superueniens solis calor obdurat. Nostrum insuper Zuccarum plantæ pulpa, in Sicilia & Canariæ in-

Saccharum antiquorũ a zuccaro hodie vocato differre.

Zuccarum quid.

Zuccarum candidum.

Zuccarum candi res factitia.

Manardus.

Cadamustus Venetus.

fulis, continet, effigie tantum arundini similis. Hinc Cadamustus Venetus capite A sexto suæ nauigationis, sacccharea harundineta in Medera insula Canariæ proxima esse scribit, non quod arundines sint, sed quod illarum speciem effigiemve præ se ferant. Verba eius hæc sunt: Quoniam vero hæc insula frequentioribus irrigatur fluminibus, memoratus princeps sacchareum harundinetum ibi plantari iussit; ex quo sacchari quam plurimum legit. Inde veniunt scitissima Sacchara toto orbe præcipua, primæ decoctionis, nec non mixta, & quantum ex aliorum relatu colligere potui, indies meliora Sacchara sperant, quoniam ea insula temperie cœli meliore Saccharum suapte natura gignit: nam ea qualitas est plagæ illius quæ Cypri & Siciliæ. Animaduertendum autem quod dicat Sacchara primæ decoctionis, quibus verbis iterum innuit Zuccarum hoc quod ex Medera affertur non esse tale, nisi per decoctionem. B Confirmat hoc ipsum Brocardus monachus, qui inter alia in terræ sanctæ descriptione ita inquit. Crescunt ibi cannæ molles, ex quibus colligitur Saccharum: Habent enim hæ cannæ medullam quandam humidam in modum Sambuci, quæ in peluim expressa, atque in æneis caldariis decocta, optimum efficitur Saccharum. Antiquorum vero in India & Arabia tantum felici in arundinibus, & illarum foliis gignitur. Hoc ad medicinæ tantum vsum, vt ex Plinio didicimus, accommodabatur: nostrum autem ad dapes suauissimas faciendas adaptatur, adeo vt nullum magnificum iam sit epulum quod non multo sic Zuccaro conditum. Nam qui hoc tempore Principum ac potentiorum sunt ὀψαρτυταὶ vel *coqui*, iuxta prouerbium, nullum ferculum corrumpi Zuccaro existimant. Porro vtriusque etiam vires illa inter se differre declarant. C Antiquorum namque Dioscor. teste, [illegible] id est: *aluo idoneum est, & stomacho vtile:* nostrum thoraci potius quam ventriculo accommodum experimur. Antiquorum denique Galeno & Paulo testibus, οὐ διψῶδες, hoc est, *sitim non afferens*: nostrum autem non minorem sitim, quam mel ipsum excitat: quod certe quotidiana confirmat experientia. Matthiolus quidem hoc loco meam suggillat interpretationem, quod vel linguæ græcæ ignorantia, vt multi suspicantur, vel nimio alios reprehendendi studio factum esse constat. Quod vero Saccharum antiquorum sitim non afferat, & cum melle collatum, non minus illo, vt Matthiolus censet, sitim excitet, e verbis Galeni fit manifestissimum, qui simpliciter dixit illud οὐ διψῶδες εἶναι, id est, *sitim non afferre*, mellis nulla facta mentione. Paulus quoque d sertis verbis ait, D [illegible] οὐ διψῶδες [illegible]. Quare frigida sit Matthioli cauillatio necesse est. Cum itaque antiquorum & nostrum saccharum non solum materia, sed & forma, efficiente, loco, viribusque varient, quis tam præfracte contentiosus erit, vt posthac non differre dicat? Insuper saccharum antiquorum a sale Indo, vt Auicennæ enarratores somniarunt, non differre, ostendit in primis antiquissimus medicinæ scriptor Archigenes, id Salem Indicum, & harundineum mel vocans. Paulus quoque Ægineta *lib. 2 capite 54.* ex Archigenis auctoritate Salem Indicum non diuersum esse a Saccharo innuit, dum ad asperam linguam plurimum conferre scribit, id quod omnium maxime descriptio eius indicat quam ille ponit, ita dicens: ἅλς ὁ ἰνδικὸς χροιᾷ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλὶ, γεύσει δὲ μελιτώδης id est: *Sal Indicus colore quidem & concretione communi sali nihil dissidet, gustu autem melleus.* E Quibus vtique verbis euidenter admodum ostendit, Salem Indum, quandoquidem mellis instar gustanti dulce appareat, a Saccharo antiquorum, quod & substantia & gustu huic simile est, nihil distare. Paulum sequitur Auicenna *Fen. 1 Can. 4. tract. 2. cap. 23.* de asperitate linguæ febricitantium, vbi inter cetera sic scribit: Aut teneat in ore suo salem, qui asportatur de India, & est in colore salis, & dulcedine mellis. Et sumat de eo secundum quod dixit Archigenes, quantitatem fabæ vnius. Quid multis opus est verbis? manifestum est veteres, Græcos potissimum, Saccharum appellasse Salem Indum, quod scilicet sua concretione sal simile esset, candoremque ac friabilem in eo siccitatem, & cum dilueretur humore aliquo liquefactionem, instar salis, ostenderet. Plura in suis epistolis ea de re Manardus habet. F

Sacchari Antiquorum facultates cum zuccari viribus conferuntur.

Saccharum a sale Indo distat.

Num vero Galenus, ac alii veteres Græci ac Latini, hodie etiam vsitatum Saccharum cognouerint, libro primo de compositione medicamentorum capite decimo, luculenter ostendimus.

Memi-

A *Memithe Arabum neque esse Chelidonium, neque Papauer cornutum, vt Medici nostri seculi putant, sed id potius quòd Dioscorides & alii veteres Glaucium appellant.* CAP. XXXVI.

VARIA de Memithe nostræ ætatis Medicorum est sententia. Quidam enim sunt qui Chelidonium esse interpretantur, in quorum albo Gerardus Cremonensis, & alii quidam exsistunt. Sunt nonnulli qui *Papauer Cornutum*, Græci μήκωνα κερατῖτιν vocant, esse contendant. Hoc modo quoties olim Razem prælegerat, Wolfgangus Peisserus, magni tum nominis Medicus, barbaræ tamen medicinæ sectator interpretatus est. Verum ex æquo omnes deceptos fuisse notius pene esse puto quam vt demonstratione egeat. Primæ enim sectæ Medicos Chelidonium esse existimantes falsos fuisse B inde satis liquet, quod in confesso sit apud omnes Arabes, Memithen temperamento suo esse frigidam. Ita Auicenna *cap. 381. Canon. 2.* Memithes naturam frigidam & siccam in primo ordine esse statuit. Serapion quoque haud aliter quam Auicenna cap. 224. sui libri de temperamentis simplicium, ex Galeni auctoritate Memithen frigidã esse asserit. Quem & Abenrois sequitur, illam in primo caliditatis ordine collocans. Razes quoque in libro suo de simp. med. frigidam esse dicens. Si itaq; verum est, vt est sane, Memithen esse frigidam, fieri non potest vt sit Chelidonium, quod calidæ facultatis, teste Galeno libro 8. de simp. medic. facult. exsistit: Is enim de illo ita scribit: χελιδόνιον ῥυπτικῆς ἰσχυρῶς ἐστὶ καὶ θερμῆς δυνάμεως. quod est: *Chelidonium extergentis vehementer & calidæ facultatis est.* Galeno subscribit Paulus in septimo, calidum esse secundum tertium a meC dio excessum dicens. Inter Arabes Razes quoque calidum esse docet. Proinde errasse Gerardum & eius sequaces satis liquet. Seducti autem sunt nomine Memite ac Memire vicinitate, quorum hoc Arabibus Chelidonium, illud vero Glaucium significat. Vel quia descriptio Memithe apud Auicennam & Serapionem in plerisq; cum Chelidonii maioris descriptione conueniat, veluti est succus crocei coloris, cum amaritudine aliqua & odoris grauitate, hæc namque singula Chelidonii succo. Alterius sectæ asseclas Memithen Papauer cornutum esse asserentium, lapsos esse abunde innotescet, vbi primum quæ Græcis & Latinis herba sit quam Arabes Memithen appellant, demonstrauimus. Est autem Græcis Memithe nihil aliud quam Glaucium, id quod vtriusque descriptio satis indicat. Serapio loco antea citato Memithen iis verbis deD pingit: Memithe est succus herbæ eiusdem nominis, quæ est similis in foliis suis herbæ speciei papaueris dicti ceratidis, id est, cornuti, nisi quia est in ea humiditas adhærens manui, & est propinqua terræ, & habet grauem odorem, & habet multum succum, & color succi eius est similis color croci. Quæ sane descriptio per omnia cum notificatione Glaucii, quæ est apud Dioscoridem *libro 3. capite 92.* conuenit. Ea autem talis est: Γλαύκιον χυλός ἐστι βοτάνης κατὰ Ἱεράπολιν τῆς Συρίας γεννωμένης. ἔοικε δὲ αὐτῆς τὰ φύλλα τῆς κερατίτιδος μήκωνος, λιπαρώτερα δὲ καὶ χαμαίζηλα, καὶ βαρύοσμα καὶ πικρότερα ἐν τῇ γεύσει. χυλὸν δὲ ἔχει πολὺν κροκίζοντα. quod est: *Glaucium succus est herbæ, quæ ad Hierapolim Syriæ nascitur. Folia eius Cornuto papaueri similia sunt, pinguiora tamen, & in terram depressa, odoris tetri, & gustu amariora.* Præterea descriptio Memithes apud Auicennam etiam satis indicat, Glaucium nihil a Memithe differE re. Nam quæ de Memithe Auicenna scribit, ea quoque de Glaucio Galenus tradit. Auicennæ siquidem hæc de Memithe sententia est: *In ipsa est amaritudo & substantia aquea & terrea, & non est vehemens, sed sicut lacunarum. Stipticitatem habet multam, & sanat erysipelam non fortem.* Galeni autem *lib 6. simpl.* de Glaucio illa: ἡ κρᾶσις αὐτοῦ σύνθετος ἐξ ὑδατώδους καὶ γεώδους οὐσίας, ψυχρῶν μὲν ἀμφοῖν, οὐ μὴν ἄκρως, ἀλλ' οὕτως ὡς ὕδωρ κρηναῖον. στύφει μετρίως ἀηδῶς, ἀλλὰ καὶ ψύχει σαφῶς οὕτως ὥστε θεραπεύειν μόνον ἐρυσιπέλατα πολλάκις ὅσα γε μὴ ἰσχυρά. id est: *Mistura eius composita est ex aquea terreaque substantia, vtraque sane frigida verum non summe, sed ceu aqua fontana. Adstringit cum quodam fastidio: tum adeo manifeste refrigerat, vt solum sæpe erysipelata, vtique si valentia non fuerint, curet.* Quid multis opus? Quæ in Serapione paulo supra dicta, ex Galeni & Dioscoridis sententia sequuntur, euidentissime docent Memithen cum GlauF cio eandem esse, ita vt nemo sit, nisi sensu plane destitutus fuerit, qui non sentiat, & videat verum esse quod dicimus. Ceterum si Memithe Glaucium est, fieri non potest, vt Papauer cornutum, quæ diuersa a Glaucio herba est, exsistat. Et mirum certe hactenus nihil profecisse Dioscoridem, qui *lib. 4. cap. 60.* errorem hunc, vt pote seculo etiam suo multorum animis insedentem, explosum cupiens, de Papauere cornuto sic

Variæ de Memithe nostri seculi Medicorum sententiæ.

Memithe non est Chelidonium.

Memithe non est papauer cornutum.

Memithe Græcis & Latinis Glaucium dicitur.

scribit: ἔνιοι δὲ ἐπλανήθησαν νομίσαντες ἐκ ταύτης τὸ γλαύκιον γίνεσθαι διὰ τὴν τῶν φύλλων ἐμφέρειαν. hoc est: *Falsi sunt nonnulli foliorum similitudine, Glaucium ex hoc Papaueris genere fieri existimantes.* Plinius quoque errorem hunc *libro 20. cap. 19.* indicauit, dum post cornuti Papaueris notificationem ita inquit: *Quidam hoc genus Glaucium vocant.* Et post eum Hermolaus in suo Corollario *cap. 99.* ita scribens: Hinc temperatur collyrium, quod Medici Diaglaucium vocant, in quod recentiores Papauere cornuto vtuntur, aut etiam Chelidonio maiore, vt nihil profecerit Dioscoridis attestatio in mentione Papaueris illius, cum alioquin magno periculo hac parte hallucinentur, quod Chelidonii & Papaueris eius natura erodendo sit, Glaucii multo mitior, & refrigerando fere. Propterea collyrium ex illo iumentorum oculis adhiberi solet, ex Glaucio humanis. Proinde sicubi posthac in Arabis Memithes mentio incidat, Medici non Chelidonium maius, aut cornutum Papauer, sed Glaucium potius intelligant. A B

Herbam Lichenen Græcis dictam, Platearium præter omnem rationem Hepaticam, quasi hepati conferat, nominare quando id nominis Eupatorio Græcorum potius, veterum testimonio, conueniat.

CAP. XXXVII.

Platearii de Hepatica sententia.

PLATEARIVS herbam *Hepaticam* ita pingit: *Hepatica est herba crescens in aquosis & lapidosis, habet folia minuta, terræ lapidibusque adhærentia.* Et dicitur *Hepatica*, quia præcipue est hepatis iuuatiua. Platearium secutus est Pandectarius & alii quidam, qui hanc herbam contra lienis hepatisque valere obstructiones, eiusque morbos omnes dixerunt. Quantum vero ea in re decepti sunt, pulchre monstrabimus, vbi primum herbam *Hepaticam* Serapioni, Plateario, & aliis dictam, ab ea quam Dioscorides, Galenus, Plinius, atque alii *Lichenen* nominant diuersam non esse ostenderimus. Minime autem differre inter se *Lichenem* & *Hepaticam* vtriusque descriptio satis probat: quæcunque enim Serapion de Hepatica scribit, eadem omnia Galenus de Lichene quoque tradit. Serapio namque de Hepatica ita: *Hepatica, inquit, nascitur in lapidibus humectis, & cadit super eam ros, & est similis lenticulæ aquæ. Et virtus eius prima infrigidat infrigidatione pauca, & desiccat. Et secunda abstergit, quoniã ipsa acquirit abstersionẽ & desiccationem a lapide, & infrigidationem ab aqua. Et tertia prohibet impetiginem, & apostemata calida.* Galen. autem *lib. 7. de simp. med. facult.* de lichene in hunc modum: λειχὴν ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν, ἔστι μὲν οἷον βρύον τι, τῷ γένει δ' ἂν ὀρθῶς ὀνομάζοιτο τῶν φυτῶν· ὠνομάσθη δ' οὕτω δοκεῖ διὰ τὸ λειχῆνας θεραπεύειν· ἔστι δὲ ῥυπτικῆς τε ἅμα καὶ μετρίως ψυχούσης δυνάμεως, ξηραντικῆς μέντοι κατ' ἄμφω. τὸ μὲν δὴ ῥυπτικόν τε καὶ ξηραντικὸν ἀπὸ τῆς πέτρας ἴσχει. τὸ δὲ ψυκτικὸν ἀπὸ τοῦ ὑδατώδους. ἐπὶ γὰρ ταῖς ὑγραῖς καὶ δυσώδεσι πέτραις φύεται. τὸ δ' ἐκ τῶν τοιούτων οὐσιῶν συγκείμενον, ἀφλέγμαντον ὑπάρχειν οὐδὲν θαῦμα. quod est: *Lichẽ qui in petris nascitur, est velut muscus quidã, sed recte ex plantarum genere censeri potest. Porro ita nominatus videtur, quod lichenas curet. Extergentem habet ac modice refrigerantem facultatem, vtranque vero resiccantem. Atque abstergentem quidem atq; exsiccantem a petra obtinet, refrigerantem vero ab humore aqueo: nascitur enim in humidis & grauiter olentibus saxis. Porro quod ex talibus componitur substantiis, aduersum esse phlegmone nihil mirum est.* D

Hepatica Græcis Lichen dicitur.

Imo quæ apud Serapionem ex Dioscoridis auctoritate de Hepatica scribuntur, manifeste indicant hanc esse Lichenem. Serapion namq; ita ait: Quando fit emplastrum cum ea, abscindit hæmorrhagiam, & sedat apostemata calida, & curat impetiginem, & conficitur cum melle, & confert icteritiæ, & sedat apostemata linguæ. Quæ certe ex Dioscoride esse desumta nemo non videt, qui *libro 4. cap. 50.* in hunc modum Lichenem depingit: λειχὴν ὁ ἐπὶ τῶν πετρῶν, οἱ δὲ βρύον καλοῦσι. βρύον ἐστὶ προσπεφυκὸς ταῖς ἐνδρόσοις πέτραις. τοῦτο καταπλασθὲν αἱμορραγίας ἵστησι, καὶ φλεγμονὰς παραιτεῖται, καὶ λειχῆνας θεραπεύει. ὠφελεῖ δὲ καὶ ἰκτερικοὺς μετὰ μέλιτος διαχριόμενον· στόματος δὲ καὶ τῆς γλώσσης ῥευματισμοὺς παραιτεῖται. hoc est: *Lichen qui in saxis, aliquibus Muscus appellatur. Muscus est roscidis petris adhærens. Hic illitus sanguinis profluuia sistit. Inflammationes arcet, & impetigines sanat. Iuuat regio morbo correptos cum melle inunctus. Oris & linguæ defluxiones inhibet.* Ex iis descriptionibus omnibus inter se collatis euidentissimum fit, Hepaticam non esse aliam herbam præter eam, quæ a Græcis Latinisque Lichen dicitur. Quod si verum est, vt est vtiq; satis dilucidum est, *Hepaticam* id nominis non assecutam, quod Hepati prosit, quemadmodum Platearius somniat, quod iis effectus, neque a Dioscoride, neque a Galeno, aut aliquo alio veterum, adde, neque etiam Serapione ipso, Licheni tribuatur. Lege Paulum Aeginetam & Plinium ipsum lib. 26. cap. 4. vbi Lichenem describit, & nusquam Licheni eam facultatem illorum testimonio inesse comperies. Quod si vero quis Lichenem herbam iecinori prodesse ea ratione E F

Lichen iecori non prodest.

A tione quod morbo regio, qui hepatis vitio prouenit, affectis conferat, contenderit, huic ita responsum volo: Lichenem herbam non intro sumtam ad tollendum regium morbum, sed extrinsecus potius adhibitam efficacem esse; idque non alia ratione, nisi quia extergendi facultate prædita sit, qua vt impetigines, ita & cutis fœditatem in regio morbo obortam auferre potest. Proinde si qua herba propter insignem iuuandi iecur facultatem hoc nomine insigniri meretur, ea certe Eupatorium Græcorum erit, quæ Hepatorium & Hepatitis Dioscoride etiam teste dicta est, quod hepati non parum prosit: ita enim Dioscorides de eadem libro quarto, capite 38. scribit: τὸ δὲ σπέρμα ἢ πόα μετ' οἴνου ποθεῖσα ἡπατικοῖς ὠφελεῖ. id est: *Semen aut herba in vino pota, iocinorosis confert.* Et Galenus *libro 6. de simpl. med. facult.* in eam sententiam: τὰς κατ' ἧπαρ ἐμφράξεις ἐκκαθαίρει.
B μετέχει δὲ καὶ στύψεως βραχείας, δι' ἣν καὶ τόνον ἐντίθησι τῷ σπλάγχνῳ id est: *Obstructiones iecoris expurgat. Inest ei itidem & adstrictio quadam, per quam robur addit visceri.* Quare quod Eupatorio debetur; Licheni, quam *Hepaticam* vocant, tribuendum non erit. Sed hic nobis reclamat Montuus, ac suis ficulnis copiis nobiscum congredi audet, dicens, aliquot simplicium medicamentorum effectus, & permulta alia quæ priscos latuerunt, posteriores reperisse. Fatemur quidem multa esse hodie in Medicorum frequenti vsu, quæ veteribus incognita fuerunt, vt est *Casia Arabum*, & alia nonnulla, nec ea esse inutilia ob id dicimus quod priscos ignorata sint, quis enim eo stultitiæ progrederetur? Negamus autem constanter quod illarum herbarum quæ veteribus cognitæ fuerunt, nouos hodie, ac ab illis ignoratos, inuenerint effectus. Nam, vt supra quoque diximus, tantam
C experientiam nostri sæculi Medici nondum consecuti sunt, vt gloriari possint se quicquam iis medicamentis, quæ Galeno ac veteribus aliis cognita fuerunt, addidisse, inuenisseque in iisdem, quod veris illis ignotum fuerit. Non est itaque par argumentatio, veluti Montuus dialecticæ rationis non satis peritus putat, si quis ita colligat: Arabum Casia Galeno incognita fuit, ad leniendam igitur aluum inutilis. ac si quis in hunc modum argumentetur: Hepatica a Dioscoride ac aliis veteribus probe cognita, ac sub Lichenes nomine descripta, nullas iisdem auctoribus iuuandi iecur facultates habere inuenitur, iecori igitur minime confert. Prima siquidem colligendi ratio plane inutilis est & inualida, quod argumentum ab eius auctoritate qui rem illam de qua testari debeat ignorauit, deductum inefficax sit, quemadmodum supra etiam
D multis docuimus. Altera vero argumentandi ratio valida admodum exsistit, quod ab eius auctoritate deductum sit, qui rem de qua testatur absolutissime agnouerit & perfecerit. Nec tantum ab vnius Dioscoridis, sed multorum aliorum recta cognitione herbarum præditorum auctoritate deductum est, adeo vt hoc genus argumenti a testium numero quoq; ductum videri possit. Quare cum suis ineptissimis argumentis Montuus sese in angulum aliquem tutum recipiat, nam talia sunt quæ in planitie ac in aperto consistere non possunt. Et vt id silentio non transeamus, nemo inficias ibit herbam Lichenem, Hepaticam ideo dici posse, quod iecoris fibræ similis sit, & idcirco ita nominatam primum ab Herbariis arbitror, donec Platearius & alii quidam succedentes, aliam quandam & erroneam eius nominis caussam confinxerint.

Eupatorium Hepatorium quare dictum.

Montui annotatio cōfutatur.

Multa hodie in frequenti sunt Medicorū vsu veteribus incognita.

Quando argumentum ab auctoritate ductū valeat, & quando minus.

Lichen cur Hepatica primum dicta.

E *Phaselum non a Phasiolo, sed a Phaseolo legumine, quod Dolichum alio nomine vocant, diuersum penitus esse.*

CAP. XXXVIII.

MVLTI nostræ ætatis raræ eruditionis viri, Phaselum cum Phaseolo, non sine magno errore confundunt. Inter quos certe Marcellus Florentinus, Dioscori. interpres, exsistit, qui *98 lib. 2 eius auctoris caput* περὶ φασιόλου, de phaseolo quidem non recte inscribit, φασίολος namque Dioscoridis, a *Phaselo* est diuersus; vt post ostendemus: errat etiam quod in commentariis Dolichon esse eundem suspicatur, cum Smilax eiusdem hortensis sit, vt ex sequentibus patebit. Nullam denique inter Phaselum & Phaseolum diuersitatem faciunt Copus, & Albanus Torinus, Pauli Æginetæ interpretes, *cap. 79 lib. 1.* vbi tamen idem auctor manifeste Phaselos a Phaseolis distinguit,
F hos dolichos alio nomine, illos autem Phaseolos tantum vocans. Proinde diligenter admodum animaduertendum quid auctores Græci Phaselum, quidq; Phaseolum nominauerint. E nullo autē idipsum rectius discemus, quā e Galeno, qui libro primo de alimentorum facultatibus eorundē leguminum cognitionem exacte tradit, locés illa

Marcelli Florentini error. φασίολος.

non nomine tantum, sed & natura diuersa esse. De Phaselis autem & Ochris ita scribit: A
καὶ ταῦτα τὰ σπέρματα καθάπερ καὶ τὴν τῆλιν ὕδατι προαποβρέχοντες οἱ ἄνθρωποι, μέχρι τοῦ φῦσαι ῥίζαν, ἐσθίουσι πρὸ τῆς ἄλλης τροφῆς, ὑπαγωγῆς ἕνεκα γαστρὸς ἐναποβάπτοντες γάρῳ. τρόφιμον δ' ἔχει τὸν χυμὸν ὅταν ἀναδοθῇ, πεφθῆναι μᾶλλον τήλεως. καὶ ἰατρικὸν οἶδα κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἰατρικὴν τέχνην ἐξασκοῦντα, καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὄψῳ χρώμενον ἐπὶ τῶν τεττάρων μόνοις τούτοις, τήλει λέγω καὶ φασήλοις, καὶ ὤχροις, καὶ θέρμοις, ἥπτετο δέ ποτε καὶ τῶν ἐκ τῆς Μεμφίδος ἐλαιῶν, καὶ λαχάνων, καὶ καρπῶν ὀλίγων ὅσοι χωρὶς ἑψήσεως ἐσθίονται. προὔκειτο γὰρ αὐτῷ μηδὲ πυρὸς ἀνάπτειν. ὑγιαίνων τε οὖν ἐν ἅπασιν ἐκείνοις τοῖς ἔτεσι, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἕξιν καθ' οὐδὲν ἧττον χείρονα τῆς ἐξ ἀρχῆς ἔχων. νυνὶ δὲ περὶ τῶν ὤχρων τε καὶ φασήλων εἰς εἰπὸν ἔτι καὶ τοῦτο προσκείσθω. μέσως πώς ἐστιν ἐδέσματα ταῦτα εὐχύμων τε καὶ κακοχύμων, εὐπέπτων τε καὶ δυσπέπτων, βραδυπόρων καὶ ταχυπόρων, φυσωδῶν τε καὶ ἀφύσων, ὀλιγοτρόφων τε καὶ πολυτρόφων. id est: *Hæc semina donec radix pullulet, non secus ac Fænumgræcum homines exonerandi ventris gratia ante alios cibos esitant, in aqua præmacerantes, garo post intingentes. Succum habent alibilem quum in corpus digeritur, & facilioris quam fænumgræcum concoctionis. In Alexandria iuuenem quendam noui artis medicinæ exercitio deditum, qui per quatuor annos singulis diebus his duntaxat fructibus; phaselis, fænograco, ochris, & lupinis pro obsonio vtebatur, degustans interdum & oliuas ex Memphitide, & oluscula quædam, fructusque paucos, quos citra decoctionem esse licet. Nam decretum illi erat ne foco quidem uti: Omnibus ergo illis annis sanus permansit, nec villa ex parte habitu corporis deteriore tum, quam ab initio, esse visus est. Nunc iis, quæ de Ochris ac Phaselis dicta sunt ista quoque addantur. Hæc edulia, inter ea quæ bonum succum, & ea quæ prauum gignunt, inter concoctu facilia & difficilia, tarde citoque transeuntia, flatulenta; & flatum leuantia, parum alentia & multum, medium quodammodo locum obtinuerunt.* B Quibus verbis Galenus Phaselorum naturam pulchre expressit, nimirum aliquo modo ad aluum subducendam conferre dicens, & maiorem quoque quam fœnogræcum alendi facultatem habere: Id quod etiam testatur Paulus Ægineta *lib. 1. cap. 79.* in hunc modum scribens: Phaseli si macerentur donec radices proueniant, atque ex garo ante cibum sumatur, C ventrem subducunt, atq; magis quam fœnumgræcum alunt. Et multo clarius Psellus lib. 2. de ratione victus ita scribens: Phaselos & Ochros aqua aspergunt quo ad radicem germenq; ediderint, & inter reliquum cibum manducant ad citandam aluum. Garo immersa nutriunt, succumq; hæc generant, cum bene concoquuntur. Meliora fœnogræco, mediaq; sunt ante bonum & malum succum, siue concoquantur siue minus, & inter tarda & celeria meatu, multum nutrientia & parum. Neq; multum dissentit Dioscorides *lib. 2. cap. 98.* sic scribens: φασίολος φυσώδης, πνευμάτων κινητικός, δύσπεπτος. ἑψηθεὶς δὲ χλωρὸς καὶ ἐσθιόμενος κοιλίας μαλακτικός, πρὸς δὲ ἐμέτους εὔθετος, quod est: *Phaseolus inflat; spiritus cit, ægre concoquitur. Viridis coctus in cibo sumtus aluum emollit, & ad vomitiones vtilis, e quibus vtique verbis sole meridiano clarius fit, Phaselum cum Phaseolo eandem esse.* Nam quæ Galenus Phaselo, ea Dioscorides Phasiolo tribuit. Ceterum Galenus post Phaseli naturam, dolichorum quoque facultatem iis verbis explicat, D

Phaseoli seu Dolichi.

τὸ τῶν δολίχων ὄνομα γέγραπται μὲν ὑπὸ τοῦ Διοκλέους μετὰ τῶν ἄλλων ὅσα τῶν τρεφόντων ἡμᾶς σπερμάτων ἐστὶν ὀνόματα. γέγραπται δὲ καὶ τῷ περὶ διαίτης Ἱπποκράτους. ἡγοῦμαι δ' αὐτοὺς οὕτως ὀνομάζειν τὸ σπέρμα τοῦ κηπευομένου φυτοῦ, καλουμένου δὲ νῦν ὑπὸ τῶν πολλῶν κατὰ τὸν πληθυντικὸν ἀριθμὸν διττῶς. ἔνιοι μὲν γὰρ λοβούς, ἔνιοι δὲ φασιόλους ὀνομάζουσιν αὐτοὺς διὰ τεττάρων συλλαβῶν τὴν φωνὴν προφερόμενοι, καὶ διὰ τοῦτο ποιοῦντες ἕτερον ὄνομα τοῦ διὰ τριῶν συλλαβῶν λεγομένου φασήλου. id est: *Dolichorum nomen a Diocle post aliorum quoque seminum nos alentium nomina recensentur. Inuenitur etiam scriptum in libro Hippocratis de ratione victus. Opinor autem satiuæ plantæ semen sic eos nominare, quod nunc a multis plurali numero dupliciter appellatur: Quidam enim lobos, id est siliquas, quidam phaseolos quatuor syllabis proferentes vocant, atq; ita aliud nomen a Phaselo faciunt, quod tribus syllabis pronunciatur.* Ex quibus sane verbis dilucidum fit, & olim inter phaselum & phaseolum, tanquam legumina diuersa, magnam fuisse E differentiam, phaseolosq; alio nomine Dolichos dictos fuisse. Quale autem genus leguminis sit phaseolus, ex iis satis liquet quæ paulo post ex Theophrasti sententia, quam refert libro octauo, capite tertio scribit, sic dicens: ὁ δόλιχος ἐὰν παρακαταπήξῃ τις ξύλα μακρά, ἀναβαίνει καὶ γίνεται κάρπιμος. εἰ δὲ μή, φαῦλος καὶ ἐρυσιβώδης. ἐκ δὲ τοῦ παραπηγνύναι κελεύειν ξύλα μακρά, καὶ μὴ γινομένου τούτου, φάσκειν ἐρυσιβώδεις αὐτοὺς ἀποτελεῖσθαι, τεκμήραιτ' ἄν τις τὸν λόγον αὐτοῦ περὶ τῶν νῦν καλουμένων φασιόλων τε καὶ λοβῶν. αὐτοὺς δὲ λοβοὺς ὀνομάζει τὰ περιέχοντα τὸ σπέρμα τῶν τοιούτων ὀσπρίων, ὁποῖόν ἐστι φακός, καὶ ὄροβος, πισὸς καὶ κύαμος, καὶ θέρμος. ὥσπερ γὰρ τὰ σιτηρὰ σπέρματα περιέχουσιν οἱ ἀστάχυες, οὕτω τὰ νῦν εἰρημένα οἱ λοβοί, καὶ τούς γε δολίχους καὶ αὐτοὺς οἱ λοβοὶ περιέχουσι. καὶ κατὰ τοῦτο οἶμαι τὸν ὅλον καρπὸν ὑπὸ τῶν νῦν ἀνθρώπων ὀνομάζεσθαι λοβούς, ὥσπερ ἀστάχυας ὅλους σιτηροὺς καρπούς. id est: *Dolichus adacto longo palo consurgit, & fructum gerit: sin hoc adminiculo careat, vitiosus fit, & rubigine tentatur. Quoniam enim ligna oblonga affigi iubet, neque id fiat æruginosum euadere ait, coniectura sumi potest, de nunc vocatis phasiolis & lobis sermonem eum facere. Lobi autem ab eo appellantur* F *ea, quibus semen huiuscemodi leguminum, qualia sunt lens, eruum, pisum, faba, lupinus, concluditur. Quemadmodum enim frumentacea semina suis spicis, ita iam dicta lobis, id est siliquis continentur, qui ipsi lobi dolichos quoque continent: atque ex eo totum fructum a nostræ tempestatis hominibus lobos appellari crediderim, veluti spicas integros frumentaceos fructus.* E quibus clarum

A rum sit, Dolichos ea esse legumina, quæ a Serapione & adhuc hodie phaseoli rubentes vulgo dicuntur: nam non aliter & illi crescunt, in altumque surgunt, quam dolichi ipsi. Ratio denique nominis cur Lobi dicantur a Galeno, illic explicata est. Varia enim esse nomina phaseolorum satis constat. Dolichi enim dicuntur, teste Paulo loco antea citato, qui ait: οἱ δὲ φασίολοι οἱ καὶ δόλιχοι καλούμενοι. quod est, *Phaseoli qui & dolichi nominantur.* Vocantur etiam Græcis lobi, & Latinis siliquæ. Præterea quum Phaseolos Dioscoridis, a Phaselis Galeni nihil differre, ab eiusdem vero Phaseolis multum abesse demonstrauerimus, necessarium erit hos sub alio quodam nomine ab illo esse descriptos, neque enim legumen tam vulgare prætermisisse credibile est. Quapropter animaduertendum Phaseolos Galeni & Serapionis, Dioscoridem sub Smilacis hortensis no- Phaseoli rubei. Varia Phaseolorum nomina. Phaseolos Dioscorides sub Smilacis hortensis nomine descripsit.

B mine descripsisse, id quod ex vtriusque descriptione tam manifestum erit, vt nemo, nisi talpa cæcior sit, negare possit. Lobia, quæ corrupte Lubia vocat, seu Phaseolos, Serapion cap. 81. ita depingit: *Habent folia similia plantæ quæ dicitur cussus, nisi quia sunt maiora, & ramuli eius sunt subtiliores, similes foliis adhærentes, herbis quibus approximantur, & elongantur multum, donec fit vmbraculum sub eis, & habent vaginas similes vaginis Fænograci, nisi quia sunt longiores eis, & pinguiores, & interius videntur quasi vacuæ diuersi coloris, quia quædam trahunt ad albedinem, & quædam ad ruborem. Et comeditur huiusmodi fructus elixus. sicut comeduntur asparagi, & prouocant vrinam, & faciunt somnia mala.* Smilacem aût hortensem Dioscorides lib. 2. c. 132. in hunc modû: Σμίλαξ κηπαία, ἧς ὁ καρπὸς λόβια. φύλλα ἔχει κισσῷ ὅμοια, μαλακώτερα μέντοι. καυλοὺς δὲ λεπτοὺς, ἕλικας περιπεπλεγμένους τοῖς παρακειμένοις θάμνοις. αὐξανομένη τε ὑφ' ὕψος ὥς τι καὶ σκηνοποιεῖσθαι, καρπὸν δὲ φέρει ὅμοιον τήλει, μακρότερον δὲ καὶ ἐπισημότερον, ἐν οἷς σπέρματα ὅμοια νεφροῖς, οὐκ

C ἰσόχροα, ἐκ μέρους δὲ ὑποπυρρίζοντα. λαχανεύεται δὲ ὡς ἑφθὸν ὁ καρπὸς ἑψόμενος σὺν τῷ σπέρματι ὡς ἀσπάραγος. οὐρητικὸς αὐτὴ καὶ δυσόνειρος: quod est: *Smilax hortensis; cuius semen Lobia id est, Silicula, a nonnullis vocatur, folia habet Hederæ, molliora tamen, caules tenues, & capreolos vicinis fruticibus circumuolutos; qui tantum adolescunt vt tentoria effingant. Fructum Fænogræco similem profert, longiorem tamen, & corpulentum in quo semina renibus similia, nec colore æquali, verum ex quadam parte leniter ruffescentia. Fructus cum semine instar olerum coctus, asparagi modo manditur. Vrinam cit, & grauia somnia facit.* Quam certe descriptionem si cum Serapionis descriptione contuleris, videbis plane in nullo discordare, ita vt euidentissimû sit Phaseolum esse Smilacem hortensem. Et vt finem tandem faciam, iam satis ostensum est, phaselos a Phasiolis nihil, a phaseolis autem non tantum nomine, sed & natura viribusque differre: Smilacis hortensis descriptio.

D phaseli namque aluum ducunt, phaseoli vero vrinam mouent, ac tumultuosa somnia faciunt, id quod Auicenna quoque *capite 253.* confirmat, phaseolorum humorum pituitosum esse, & grauia parere somnia dicens, ita vt nemo posthac Medicorum phaseolos, a phaselis differre non videat.

In Cantharidum exhibitione alas, tanquam reliquis earundem partibus magis exitiosas, minime esse abiiciendas, sed, iuxta Galeni placita, totas potius ingerendas.

Cap. XXXIX.

NEMO est qui nesciat nostræ tempestatis Medicos in vniuersum omnes præcipere, in Cantharidum vsu caput atque alas proiiciendas esse, idque Arabum consilio factum, qui passim in exhibendis Cantharidibus caput & alas abiicere docent. Ita

E Razes *libro 9. ad Almansorem, capite de mingendi difficultate*, cantharides quarum alæ & capita abscissa fuerunt, admiscere præcipit. Auicenna quoque *Fen. 19. Can. 3. tract. 2. cap. 8.* cantharidum corpora abscissis alis & capitibus ad vrinam mouendam conferre ait. Sed errasse illos eorumque sequaces in primis Dioscorides docet, qui *libro secundo cap. 53.* alas Cantharidum maleficio earundem aduersari inquit. Verba eius hæc sunt: οἱ δὲ τὰ πτερὰ αὐτῶν καὶ πόδας τοῖς πιοῦσιν αὐτὰς ἀντιφάρμακον ἀνέγραψαν. id est: *Quidam pennas pedesque contra potarum veneficia remedio esse tradiderunt.* Apertius autem eorundem errorem explodit Plinius *lib. 29. cap. 4.* sic scribens, *Ipsarum Cantharidum venenum in qua parte sit, non constat inter auctores.* Alii in pedibus & capite existimant esse, alii negant. Conuenit tamen pennas earum auxiliari, in quacunq; parte sit venenum. Hinc cum euidentissimum sit alas ve- Alæ cantharidum non abiiciendæ. Montui annotatio refellitur.

F neficio Cantharidum remedium esse, scripsimus olim pedes potius quam alas proiiciendos esse, quod auctoribus de pedibus nondum, quemadmodum de alis, conueniat. Non est itaq; quod Montuus doceat, non semper pedes esse proiiciendos, cum id nunquam dixerim, sed tantum hoc asserere voluerim, consultius esse in Cantharidum vsu pedes quam alas proiicere, id quod iam multis probauimus. Ceterum totas Cantharides totas ingerendas esse Galeni testimonio.

potius esse ingerendas, quam citra alas, testatur grauissimus auctor Galenus, qui *lib. II. de simpl. med. facult.* ita de Cantharidib. scribit: εἷς δέ τις τῶν ἡμετέρων διδασκάλων ἐνέβαλεν αὐτῶν ὀλίγον εἰς οὐρητικὸν φάρμακον. ἔνιοι δὲ μόνα τὰ πτερὰ καὶ τοὺς πόδας ἐμβάλλουσιν, ἃ δὴ καὶ ἀλεξητήρια φασὶν εἶναι τοῖς τὰ σώματα πιοῦσιν αὐτῶν. ἔνιοι δ' ἔμπαλιν. ἡμεῖς δὲ ὅλας ἐμβάλλομεν. quod est: *Quidam præceptorum meorum earum paulum quiddam in medicamenta vrinam mouentia solet inijcere. At quidam solas alas & pedes iniiciunt, qui aiunt esse remedia iis qui corpora ipsorum bibissent.* Id quod & in commentario centesimo decimoquarto libri quarti de victus ratione in morbis acutis facit, vbi inscitiam Medici cuiusdam Hippocratem non recte intelligentis notat, qui corpora potius Cantharidum quam caput, pedes & alas exhibere non sine summo ægrotantis exitio voluit. verba Galeni hæc: Ταύτην τις ἀγνοοῦς τὴν ῥῆσιν ἰατρὸς τολμηρὸς, ἀφελὼν τὰ προειρημένα μόρια τῶν κανθαρίδων ἔδωκεν ὑδρωπιῶντι, καὶ μετὰ μίαν ἡμέραν ἀποστήματι σχὼν ὁ ἄνθρωπος εἰς τὴν γαστροκνημίαν, εἶτα μετὰ τρεῖς ἄλλας, τμηθεὶς ὑπ' αὐτοῦ πλείστου ῥυέντος ὕδατος, ἔδοξέ τι θεραπεύεσθαι, συνεστάλη γὰρ ἐν τῷ παραυτίκα τὸ πλεῖστον τοῦ παρὰ φύσιν ὄγκου, ἀλλ' ὅμως ἀπέθανεν οὐ μετὰ πολλὰς ἡμέρας. ἐπετίμησεν δή τις τῷ ἰατρῷ κακῶς φάσκων δεδόσθαι τὰ σώματα τῶν κανθαρίδων, ἐχρῆν γὰρ ἀφελόντα τὰ σώματα δεδόναι πιεῖν τὴν κεφαλὴν καὶ τοὺς πόδας καὶ τὰ πτερά, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ κατὰ τὸ βιβλίον εἰρημένον. οὐκ ὀκνήσας οὖν ὁ εὔτολμος ἰατρὸς, ἐπ' ἄλλου πάλιν δέδωκεν οὕτως, εἶτ' ἀποσκήμματος ὁμοίως κατὰ τὸν μηρὸν γενομένου καὶ τμηθέντος αὐτοῦ μετὰ πολλὰς ἡμέρας, ἀποθανεῖν συνέβη καὶ τοῦτον. hoc est: *Quidam dictionem haudquaquam intelligens audax Medicus, prædictas partes a cantharidibus abiecit, deditque hydropico, cui quum a primo die abscessus in sura comparuisset, post tres alios dies sectus est, effusaque copiosa aqua, curatus esse visus est, quod plurima pars tumoris præter naturam statim ad moderationem redacta sit: veruntamen non multis post diebus obiit. Quam ob caussam Medicum quidam increpauit perperam datam esse Cantharidum corpora inquiens, etenim propinanda ablatis corporibus tum caput, tum pedes, tum alas idque esse quod in dictione libri diceretur. Quare non cunctatus audax ille Medicus, alteri ita propinauit, moxque facto similiter in femore abscessu, sectoque multis post diebus, hominem mori contigit.* Ex quibus iterum satis liquet corpora Cantharidum sola, citra alas præsertim, pedes, & capita, non esse exhibenda: ita vt vehementer errent qui dictas partes abiiciunt: nihilq; mirum si vsus earundē male cesserit. Præterea cum vis illarū, teste Dioscoride libro iam dicto, sit erodere, vlcerare, caloremq; elicere, curandum vt iis tantum medicamentis misceantur quæ extrinsecus admota psoras, lepras, ac septa quædam sanant. In interiore autem vsu plane suspectæ sint, nam iis qui hauserunt Cantharides, *Dioscoride lib. 6. cap. 1. teste*, ab ore ad vesicam cuncta eroduntur, ac cum lotio subinde sanguinem emittunt. Proinde cum multa alia sint medicamenta quibus vrinam ciere datum sit sine noxa, caueant hortor a tam periculoso medicamento Medici, ne infelicem quorundam audaciam secuti, multos neci tradant. De legitimo autem Cantharidum vsu plura etiam libro 1. de compositione medicamentorum capite decimoquinto diximus.

Cur vsus cātharidum Medicis nostræ tempestatis male cesserit. Cantharides in vsu interiore suspectæ.

Mumiam vocatam non solum esse humanorum cadauerum tabidam saniem, vt multi crediderunt, sed id etiam quod Pissasphalton Dioscorides nominat.

CAP. XL.

NEMO hodie ferme est Medicorum qui non pertinaciter credat Mumiam tantum humanorum cadauerum saniem, aloe & myrrha commixtam & e sepulchris effluentem esse: idq; vt crederent effecit in suis synonymis Razes, qui de Mumia ita tradit: *Mumia res est quæ inuenitur in terris vbi mortuorum corpora aloe condiuntur, a quibus humor mortui cum aloe mixtim resoluitur.* Razim secutus est interpres Serapionis cap. 283. præter tamen huius, vt paulo post monstrabimus, mentem, ita scribens: *Mumia sepulchrorū cum aloe & myrrha, & quod admiscetur eis ex humiditate corporis humani.* Hos duces tandem vniuersus & Medicorū & pharmacopolarum chorus sequi cœpit, Mumiamque hanc vnicam, tanquam rem preciosam admirari, in vsum medicum adhibere, cum tamen vera, iuxta etiam illorum sententiam, haberi vix possit, timorq; sit nē impostores quidam æmulam illius, accepta scilicet e patibulo, aut rota tortrice cadauerum sanie, coruorum stercoribus pro aloe & myrrha, commaculata, conficiant, ac aliis pro vera vendant. Et eousq; etiam processit pharmacopolarum stoliditas, vt non saniem tantum cadauerum venalem exponant, sed tota etiam corpora in vulgi admirationem, tanquam aliquod ex septem illis orbis spectaculis, ostendunt. Quod quidem damnandum non erat, modo abiectis ossibus ipsis, saniem tantum cum aloe & aliis commistam in vsus medicos adhibuissent. Ceterum, vt Mumia iam dicta, & hodie etiam sola a plurimis tum Medicis, tum pharmocopolis vsurpata, artificialis est: ita quoq;

Razis de Mumia sententia.

Pharmacopolarum mira stoliditas.

A quoque præter hanc alia est natiua, Serapioni & Auicennæ Mauritanis cognita, quæ Dioscoridi & Plinio Pissasphaltus nominatur. Serapion siquidem *cap. 283. sui de simplicium temperamentis libri*, Mumiam iis verbis, ex Dioscoridis sententia, describit: *Est in terris qua dicuntur Acolonia, (Apollonia legendum) descendit namque ex montibus qui ducunt flumina, cum aqua, & eiicit eam aqua fluminis in ripis, & est coagulata, & fit sicut cera, (gleba scribendum) & habet odorem picis & asphalti mixtorum.* Quibus vtique verbis Serapion ita euidéter Dioscoridis Pissasphalton innuit, vt nemo, nisi talpa cæcior sit, hoc ipsum non videat. Verba enim Dioscoridis lib. 1. cap. 93. quibus Pissasphalton depingit, hæc sunt: καλεῖται δέ τις καὶ πισσάσφαλτος. γινόμενη ἐν Ἀπολλωνίᾳ τῇ πρὸς Ἐπιδάμνῳ, ἥ τις ἐκ τῶν κεραυνίων ὀρῶν συγκαταφέρεται τῇ τοῦ ποταμοῦ ῥύμῃ, καὶ ἐκβράσσεται κατὰ τὰς ἠιόνας, βωλοειδῶς συμπεπηγυῖα, ὄζουσα πίσσης μεμιγμένης ἀσφάλτῳ. quod est: *Vocatur & quoddam bituminis genus Pissasphaltus: nascitur ad Apolloniam circa Epidamnum,*
B *Id ex Ceraunijs montibus fluminis impetu rapitur; & in littora eructatur glebarum modo coactum, mistam bitumini picem redolens.* Ex quibus verbis quisque Serapionis Mumiam nihil aliud quam Dioscoridis Pissasphalton esse intelligit. Meminit & Pissasphalti; Galen. *lib. 11. de simpl. med. fac.* quod in Apollonia Epiri, & per alia id genus loca multa aquis sponte nascentibus ceu spumam quandam innatantem reperiri ait, & molle quidem esse dum innatat, postea vero resiccatum pice sicca durius effici. Neque alia est Mumia quam *secundo Canone, cap. 478.* describit Auicenna iis verbis: *Mumia quid est? Ipsa est in virtute picis & asphalti commixtorum, & naturis vtrorumque.* Adeo vt satis mirari non queam, quo pacto acciderit vt tam assidui Auicennæ lectores iamdudum errorem hunc non deprehenderint. Atqui tam stupida est quorundam
C Medicorum nostri seculi credulitas, vt ab eo quod semel sibi persuaserunt, recedere non velint nec possint, ideoque factum vt vanissimum hoc de vnica Mumia commentum per tot annos mordicus tenuerint. Curent igitur hortor vt potius natiuam Mumiam siue Pissasphaltum in vsum medicum reuocent, ne vulgus officinas nostras, in quibus sanies cadauerum pro medicamento venditur, tanquam ipsissimas carnificinas, ac vulturum potius quam hominum tabernas, abhorreat, fugiat, & miseris modis exsecretur. Quis enim, nisi ex anthropophagorum sit albo, remedium id non fastidiat? Abstineant itaque ab horrendo hoc & modis omnibus vulgi iudicio exsecrando medicamento hortor, quandoquidem, eas facultates quas illi hodie tribuunt, natiua Mumia multo efficaciores habeat. Nec est cur Arabibus, Razi præ-
D sertim, addicti Medici, odiosius nobis repugnent, vt vsitatam hactenus Mumiam ex officinis nostris, & plane e medio tollamus, quum aliam, adeoque veram, pro illa demonstremus: nempe Pissasphaltum, quæ hodie magna copia affertur, & a Stugardianis Seplasiariis venalis pro vera Mumia vsurpatur. Hic silentio inuoluere non possum, me olim a Georgio Tanstettero Collimitio viro doctissimo deceptum fuisse, qui pro vera Mumia & Pissasphalto ad me olim rem misit, quam tribus fere miliaribus ab Inspruck inueniri, & germanice Tirschenblut aut verius Dursenblut, id est, Gigantum sanguinem, vocari scripsit, quæ non erat nisi Gagatis lapis. Nam dura est & lapidem duritiæ donata, colore nigra, aliqua ex parte læuis, nec Picis modo liquescit, guttasque de se fundit si igni admoueatur, sed trita in puluerem redigi potest, accensa-
E que bitumen redolet, omnesque adeo Gagatis lapidis notas a Dioscoride traditas refert. Contra Pissasphaltus pinguis est, ignique admota, aut manibus tractata liquescit ac mollescit, guttasque de se fundit, ac mistam bitumine picem redolet, *vt fusius libro primo de comp. medicamentorum cap. 20. diximus*, ad quem locum lectorem nunc remittimus. Ceterum vt & quam facultatem vera Mumia obtineat Medici perspectum habeant, sciant illam nullas alias, nisi picis & bituminis habere vires, nam vt illorum nomina, sic & facultates possidet. Testis est Diosc. qui capite 92. primi libri ita scribit: ἡ δὲ πισσάσφαλτος δύναται ὅσα πίσσα καὶ ἄσφαλτος μιγεῖσαι, hoc est, *Pissasphaltos omnia, quæ pix & bitumen mixta simul, potest.* Id quod confirmat etiam Auicenna, qui loco paulo ante citato, Mumiam picis & bituminis vires naturamque habere dicit. Pix vero, arida præser-
F tim, *Dioscoride lib. 1. cap. 88. teste*, calefactoriam vim habet, emollit, pus mouet, tubercula & furunculos discutit, vlcera replet. Vulnerariis præterea medicamentis commode miscetur. Gal. lib. 8. simplicium leprosos vngues eximere cum cera mistam, lichenesq; detergere, duros & crudos tumores omnes concoquere posse ait. Ad eaque o-

Officinæ pharmacopolarum, vulturum potius taberna.

Georgius Tanstetter.

Picis vis.

Bituminis facultas.

omnia humidam valentiorem esse: aridam vero picem, tametsi ad hæc quidem deterior sit, glutinandis tamen vulneribus magis congruere. Bitumen autem, *Dioscoride lib. 1. cap. 92. auctore*, inflammationes arcere potest, glutinat quoque, emollit & discutit. Vuluarum procidentiis strangulationibusq; appositum, olfactum & suffitum prodest. Comitiales morbos suffitu, Gagatis lapidis instar, deprehendit. Menses cum vino & castorio potum cit. Prodest diutinæ tussi, anhelantibus, & suspiriosis, serpentium morsibus, coxendicum & laterum doloribus. Datur deuorandum cœliacis. Cum aceto potum sanguinem concretum dissoluit. Dysentericis cum ptisana liquefactum infunditur. Destillationes suffitu sanat. Dentium dolores oblitum mitigat. Calfactum cum farina hordeacea, cera, & nitro illitum, podagris, articulorum doloribus, lethargicisque confert. Et vt summatim Galen. *libro 11. de simpl. med. facul.* inquit: *Bitumine vtimur & ad glutinationes vulnerum cruentorum, & ad alia omnia quæ exsiccari debent cum modica calfactione.* Plinius *lib. 24. cap. 7.* breuibus Pissaphalton depingit sic scribens: *Est & Pissaphaltos, mixta bitumini pice, naturaliter ex Apolloniatarum agro.* Quidam autem ipsi miscent præcipuum ad scabiem pecorum remedium, aut si fœtus mammas læserit. Has itaque facultates vera mumia, quæ Pissasphaltos est, veterum testimonio habet. Porro nonnulli e familia Arabum Mumiam non sine magno errore cum succo Cyrenaico, qui ex Silphio, quod Romani Laserpitium vocant, colligitur, confundunt, vt videre licet apud Serapionem, vbi Aben Mesuah Galenum Mumiam inter oculares medicinas referentem his verbis citat: *Galenus memorauit eam in Almayemur quando locutus est de soda in libro quarto, & dixit quod ex medicinis oculorum sunt quædam calidæ acutæ, sicut mumia, & asa, & serapinum, & euphorbium, & vniuersaliter omnis medicina quæ calefacit fortiter, absque eo quod faciat in oculo asperitatem.* Euidentissimum autem est, Galenum hoc loco nullam Mumiæ mentionem fecisse, id quod eius verba abunde demonstrant, quæ sic habent: περὶ τῶν δριμέων. ἐναντιωτάτη δὲ τῇ τούτων ὕλῃ κατὰ γένος ἐστὶν ἡ τῶν δριμέων ὁποῖον ὅ τε κυρηναῖος, καὶ μηδικὸς, καὶ σαγαπηνὸς, καὶ εὐφόρβιον, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἡ τῶν θερμαινόντων σφοδρῶς ἄνευ τοῦ τραχύνειν: quod est: *Contrariissima autem genere exsistit prædictorum materia, ea quæ acrium est succorum, veluti Cyrenaici, Medici, Sagapeni, euphorbii, & vt summatim dicam; eorum qui valenter sine exasperatione calefaciunt.* Ex quibus verbis satis clarum est Mesuah κυρηναῖος dictionem perperam pro Mumia vertisse. Proinde cum Arabes suæ Mumiæ multas facultates, quæ Cyrenaico debentur, assignauerint, prouidos esse cupio Medicos, ne illas Mumiæ veræ inesse credant. Hic iterum expendant studiosi, quantum Arabum inscitia, illosque mordicus tenentium morosa imitatio pristinæ ac veræ medicinæ incommodarit: vtinam autem illorum nugas nunquam introspexissent maiores nostri, aut saltem non tanti fecissent, nam ita minus hodie errorum haberet medicina.

Arabes Mumiam cum Cyrenaico succo confundunt.

Arabum inscitia pristinæ medicinæ multum incommodauit.

Medicamentum purgans detrahendis humoribus esse simile, contra Mesuen, illumque sequentes Medicos.

Cap. XLI.

Multis hactenus Mesue errandi occasio fuit, eo quod *libro primo Canonum vniuersalium capite primo*, intentionis primæ medicamentum purgans attrahendis humoribus minime simile esse scripsisset. Verba eius subiiciemus: *Medicina,* inquit, *laxatiua non est sic, quia simile attractiuum huius, vel eradicatiuum, sed quia tale.* Sed quantum a veritate deuiet, monstrant ea quæ scribunt veteres, in primis Hippocrates, qui in libro de natura humana in hunc modum scribit: τὸ γὰρ φάρμακον ἐπήν ἐσέλθῃ ἐς τὸ σῶμα, πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτῷ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων, ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει. hoc est: *Pharmacum cum corpus intrauerit, primo id quod omnium maxime sibi secundum naturam cognatum atque simile est, in corpore agit, exinde reliqua trahit & purgat.* Probat autem idipsum eleganti comparatione dicens: ὡς γὰρ τὰ σπειρόμενά τε καὶ φυόμενα, ὅταν εἰς τὴν γῆν εἰσέλθῃ, ἕλκει ἕκαστον τὸ κατὰ φύσιν ἑωυτοῦ ἐὸν ἐν τῇ γῇ, ἔνι δὲ καὶ ὀξὺ καὶ γλυκὺ καὶ πικρὸν καὶ ἁλμυρὸν καὶ παντοῖον· πρῶτον μὲν οὖν καὶ πλεῖστον εἵλκυσεν εἰς ἑωυτὸ ὅτι ἂν ᾖ αὐτῷ κατὰ φύσιν μάλιστα, ἔπειτα δὲ ἕλκει καὶ τὰ ἄλλα. τοιοῦτον δή τι καὶ τὰ φάρμακα ποιεῖ ἐν τῷ σώματι. id est: *Quemadmodum enim semina & stirpes terram ingressæ, sibi quæque quod in terra idoneum ac naturale est trahunt, vel acre, vel dulce, vel amarum, vel salsum, vel quodcunque. Primum igitur & plurimum quod ipsis maxime secundum naturam sit trahunt, post alia quoque trahunt. Tale quid & medicamenta in corpore faciunt.* Quibus verbis aperte docet Hippocrates medicamenta haud aliter quam plantas ac semina similem atq; proprium humorem trahere, quemadmo-

Mesue erronea de medicamento purgante sententia.

Medicamentum purgans attrahendis humoribus simile.

A admodum multis etiam Galenus in commentariis super Hippocratem de natura humana, sectione prima, libri secundi de elementis, vbi sententiam hanc Hippocratis enarrat, ostendit. Id quod etiam facit libro de naturalibus facultatibus primo, vbi theorema hoc, quanque animantis particulam familiare nutrimentum attrahere, ex professo tractat, pluribusque contra Asclepiadem disputans argumentis probat, medicamentum omne humorem sibi conuenientem ac similem trahere. Idem agit per totum ferme librum, quem de medicamentorum facultate inscripsit, Asclepiadarum Erasistrationumque argumenta graphice diluens. In libro quoque de Theriaca ad Pisonem obiter, valde tamen perspicue, idem hoc docere conatur. Nusquam vero clarius medicamentum purgans attrahendis humoribus esse simile docet, quam *lib.*
B *de simpl. med. facul 3. cap. 23.* vbi in hanc scribit sententiam: δέδεικται ἡμῖν ἐν τοῖς τῶν φυσικῶν δυνάμεων ὑπομνήμασιν, ὡς οἰκειότητι τῆς ἐν ταῖς οὐσίαις ποιότητος αἱ ἑλκτικαὶ συντελοῦνται, καὶ διὰ τοῦθ᾽ ἔνια τῶν καθαρτικῶν φαρμάκων ὅταν ἀποτύχῃ καθαίρειν, τινὰ μὲν αὐτῶν τοῦ μηδὲν βλάπτειν τὸ σῶμα, καὶ τροφὴ γίνεται τοῦ ζώου, τινὰ δὲ εἰς τὸ φθαρτικόν τε καὶ δηλητήριον ἐκτρέπεται. πάντως μὲν γὰρ ὁμοιότητά τινα ἔχει τὸ καθαῖρον φάρμακον ἑνί γε τῶν ἐν ἡμῖν χυμῶν, οὐκ ἐξ ἅπαντος δὲ ἐπιμέμικταί τις αὐτῷ δηλητήριος δύναμις. ὥστ᾽ οὐδ᾽ ἐξ ἅπαντος ἀδικήσει μὴ καθῆραν, ἀλλὰ πεφθήσεταί τε καὶ γεννήσει τοιοῦτον χυμὸν, οἷον αὐτὸ ἦν ἑλκτικόν. quod est: *Ostensum est nobis in commẽtariis de naturalibus facultatibus, quod qualitatum quæ in substantiis sunt proprietate attractiones perficiantur. Idcirco purgantium medicamentorum, vbi forte purgatione frustrantur, quædam extra quam quod noxam corpori nullam afferunt, etiam alimentum homini præbent. Alia vero in corruptionem, ac venenum vertuntur. Prorsum enim medicamentum purgans vel cum vno saltem humorum, qui in corpore sunt nostro, similitudinem obtinet. Non autem perpetuo permista est vis venenosa: quamobrem nec perpetuo, licet non*
C *purget, incommodabit, verum coctionem accipiet, talemque producet humorem, qualem trahere natum erat.* Et rursus capite sequenti subiicit ἕπεται δὲ τῷ δόγματι τούτῳ, καὶ τὰ καθαίροντα φάρμακα τοῖς μὲν ἑλκομένοις χυμοῖς ὑπάρχειν οἰκεῖα, δραστικώτερα δὲ πως εἶναι τῶν ἑλκόντων, καθάπερ καὶ ἡ μαγνῆτις λίθος τοῦ σιδήρου. σιδηρίζει μὲν γὰρ καὶ αὐτὴ, κἂν τοῖς τοῦ σιδήρου μετάλλοις εὑρίσκεται, καὶ δεινῶς αὐτῷ προσέοικεν τὴν ἰδέαν, ἀλλ᾽ ἰσχυροτέρα πως ἐστὶν, ὡς ἕλκειν μᾶλλον ἢ ἕλκεσθαι. καὶ μὴν δὴ καὶ τὸν κνῆκον οὐκ ἀπιστητέον εἶναι φλεγματώδη, ὡς ἐν τῇ χροιᾷ δείκνυσιν, ἀλλ᾽ ὑπὸ θερμότητος ἰσχυρότερος φλέγματος, ὡς ἕλκειν μᾶλλον ἢ ἕλκεσθαι. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ὁ κνίδιος κόκκος, ἀλλ᾽ ἐάν ποτε νικηθείη ὑπὸ τοῦ σώματος ἡμῶν (συμβαίνει δὲ κνίκῳ μὲν συνεχῶς τοῦτο, τῷ κόκκῳ δ᾽ οὐ πάνυ τι, διὰ τὴν ἰσχὺν) ἀντὶ τοῦ καθαίρειν, γίνεται τροφὴ, καθάπερ ὁ ἐλλέβορος ὄρτυξιν ἀεί. quod est: *Ad quod dogma sequitur purgantia medicamenta detrahendis humoribus esse familiaria, verum quæ attrahunt, quodam modo esse efficaciora valentioraque, sicut Magnes lapis ferro quippe qui adferri naturam accedat, inque ferri metallis reperiatur, eique magnopere specie persimilis sit, verum fortior est quodam modo, vt attrahere sit aptior, quam attrahi. Quin*
D *nec Cnicum quoque a pituitæ natura alienum esse diffidendum est, vti colore suo præ se fert, sed tamen calore ipso quam pituita valentior est, vt trahere quam trahi magis par sit. Ad eundem modum granum Cnidium, si quando forte a corpore nostro vincatur (id quod sæpius Cnico vsu venit, rarius autem grano Cnidio, nimirum ob robur) vice purgationis alimentum efficitur, velut veratrum semper Coturnicibus.* Quibus verbis argumentum etiam, quod subobscure innuere videtur, Mesue diluitur, quod eiusmodi est: Si similitudo in caussa esset, cur medicamentum humorem attraheret, tunc perinde humor traheret medicamentum, quemadmodum hoc ipsum humorem. Quamobrem namque humor medicamentum non trahit, caussam esse Galenus ait, quia medicamenta humoribus efficaciora sunt, adeoq; trahunt, & non attrahuntur. Sed hic forte quispiam Galenum sibi

Quare humor, quandoquidem similis medicamentum non trahat.

E pugnantia scripsisse clamabit, vt qui *libro quarto de simplicium medicamentorum facultatib. capite vltimo* diserte dicat, ex colore nihil posse de facultatibus ac qualitatibus medicamentorum definiri: libro autem eiusdem Operis tertio capite iam citato ex colore quod Cnicus sit substantia pituitosus posse dignosci tradit. Verũ si recte expendantur eius verba, nulla in illis contradictio erit. Nam verum est, quod ex colore sciri non possit, num medicamentum calidum sit, an frigidum. Ex eodem autem cognosci potest, num medicamentum hac vel alia substantia prædita est. Nec pugnant inter se quod idem Galenus dicit, Cnicum similitudine totius substantiæ trahere pituitam scribit: & Cnicum ideo trahere magis quam trahi, quod calore ipso quam pituita valentior sit. His enim verbis non negat Cnicum similitudine totius substantiæ pituitam trahere, neque affirmat id manifesta potius qualitate, nempe calore,
F fieri: sed illis potius quod caloris vim tractoriam Cnico insitam nonnihil iuuet, innuit. Quid multis opus? firma stat veterum sententia, quod medicamenta purgantia attrahendis humoribus similia sint: dissimilia enim si essent, tum eosdem potius repellerent, atq; a se ipsis quam longissime fugarent, quam ad se traherent: cuius tamen

Montui argumenta confutantur.

contrarium quotidiana nos, rerum magistra, experientia docet. Sed hic iterum obluctatur Montuus, atque pro sua in rebus Dialecticis acrimonia ita ratiocinatur: Si similitudo caussa esset quare purgatorium medicamentum humorem traheret ferrum, *vt inquit Auicenna 4. primi*, certe ferrum attraheret, quando illi dominaretur, & aurum itidem aurum traheret, vbi sua quantitate illi præualeret. Cui obiectioni non est cur respondeamus, quandoquidem Galenus loco iam citato illam funditus explodat, sic scribens: ἀλλ' ἐπεὶ δὴ καὶ τὰς ὁλκὰς ταῖς τῶν οὐσιῶν ὁμοιότησιν ἐδείξαμεν γίγνεσθαι (δέδεικται γὰρ πολλάκις ὡς ἐν ταῖς καθάρσεσιν ὁλκὴ τοῦ οἰκείου τοῖς καθαίρουσι φαρμάκοις ἐστὶν, οὐ πάντων ὁμοῦ τῶν χυμῶν ἀλλοίωσις) ἀναγκαῖον ὁμοιότητά τινα ταῖς οὐσίαις ὑπάρχειν ἀμφοτέραις, τῇ τε τοῦ καθαίροντος, καὶ τῇ τοῦ καθαιρομένου. ἐπεὶ τοίνυν τὸ καθαιρόμενον ἐστὶ φλέγμα, πάντως δή που καὶ τὸ ἕλκον ἀνάγκη φλεγματῶδες ὑπάρχειν. φλεγματῶδες δ' εἶπον χρῆναι ὑπάρχειν τὸ ἕλκον, οὐκ αὐτόχρημα αὐτὸ φλέγμα. τὸ γὰρ ὁμοιότητα, ταῖς οὐσίαις ὑπάρχειν ἔφαμεν, οὐ ταυτότητα, τοὐναντίον γὰρ ἅπαν. οὔτε σίδηρος σίδηρον, οὔτε σὰρξ ἕλκει σάρκα. ἀλλ' ἡ μὲν σιδηρῖτις λίθος τὸν σίδηρον, ἡ δὲ σὰρξ τὸ αἷμα. διαφέρει γὰρ οἶμαι τὸ ταὐτὸ καὶ τὸ ὅμοιον. φλέγμα μὲν γὰρ φλέγματι B ταὐτόν, καὶ κνῆκος κνήκῳ, φλέγματι δὲ ὅμοιον κνῆκος, οὐ μὴν ταὐτόν γε. id est: *Posteaquam attractiones substantiarum fieri similitudine ostendimus (demonstratum enim subinde est, in purgationibus attractionem esse eorum quæ purgantibus medicamentis similia, haud vero omnium simul succorum alterationem) similitudinem inesse quandam vtrisque substantiis & eius videlicet quod purgat, & eius quod purgatur, necesse est. Porro quum quod purgatur, pituita est, quod trahit, pituitosum sit oportet. Pituitosum autem esse oportere quod trahit diximus, non autem plane pituitam. Etenim similitudinem inesse substantiis diximus, non identitatem: contrarium enim in vniuersum. Nam neque ferrum attrahit ferrum, neque caro carnem, sed lapis sideritis ferrum, caro sanguinem. Differunt enim, mea quidem sententia, idem & simile. Quippe pituita pituitæ eadem est, & cnicus cnico: similis autem pituitæ cnicus, non tamen idem.* Similia enim sunt, quæ iisdem qualitatibus C prædita sunt. Quod capite octauo suarum categoriarum confirmat Aristoteles, qui similia & dissimilia per solas qualitates dici ait. Vt proprie loquendo similitudo non sit nisi differentium rerum eadem qualitas. Recte igitur Galenus ait, simile & idem differre. Nam in iis quæ similia sunt, circumstantiæ aliquæ dissimiles reperiuntur: in iis vero quæ eadem sunt nequaquam. Proprie itaque loquendo ferrum ferro idem est, quod nulla dissimilitudinis circumstantia in duobus ferris appareat, non autem simile. Nec ab re adiectum nobis est proprie, quod scilicet vulgari & communi loquendi ratione etiam ea quæ eadem sunt, sæpe similia dicantur, vt quum ouum ouo, lac lacti non esse magis simile affirmamus. Quæ enim hac ratione similia inuicem dicuntur, non secundum insitam familiaritatem, seu qualitatem, sed iuxta D ἰδέαν, vt Galeni verbo vtar, id est, formam siue speciem, similia sunt. Ouum enim ouo forma simile, itidem ferrum ferro, absinthium absinthio. Qua vtique loquendi ratione & ego olim contra Montuum disputans vsus sum. Plura vero ad erroneam Mesuæ sententiam refutandam conducentia in commentariis nostris super libros Galeni de simplicium medicamentorum facultatibus diximus. Proinde ad Montui rationem non sequitur, quod ferrum traheret ferrum, quia ferrum non simile, sed & idem ferro est.

Similitudinem non identitatē substantiis inesse oportere.

Medicamētum purgās non per manifestas qualitates attrahit.

Quod vero deinceps ait Montuus, medicamentum purgans non attrahere humorem, quod huic secundum manifestam qualitatem simile sit, plane ridiculum est: quis enim est qui nesciat idipsum de manifestis qualitatibus non esse intelligendum? qui enim ita fieret vt Cnici semen, quod tertii est ordinis E calefacientium, pituitam quæ frigida exsistit, attraheret: Quare non opus erat cur Paulum Aeginetam in testem asciseeret. Mentitur vero insigniter, quod Mesuen Hippocrati & Galen. non dissentire ait, cum constet Mesuen simpliciter negare, nullo habito ad occultas aut manifestas qualitates respectu, medicamentum purgans humoribus attrahendis esse simile. Atqui bonus senex instar sui magistri Auicennæ, a quo medicinam doctus est, simul calidum & frigidum spirare solet: iam enim similes humores medicamentis purgantibus, iam autem dissimiles esse fatetur. Hinc post multa quibus præter necessitatem occultam proprietatem ostendere conatur, ita colligit: *Omnis actio fit a contrario, vt declarat Aristoteles primo de generatione & corruptione: Humores autem attractio a solutiua medicina actio est. igitur attractio illorum a contrario, ac conse-* F *quenter a dissimili fit.* Quæ argumentandi ratio quam pulchre procedat, quisque mediocriter saltem eruditus intelligere potest. Nam hac ratione colligere licebit, nullam inter id quod nutritur & alimentum ipsum, esse similitudinem: quod omnium falsissimum est, quemadmodum ex libro 3. de temperamentis Galeni liquet, vbi in hunc modum

Nō omnis actio fit a contrario.

A modum ſcribit: τῶν ζώων ἕκαστον οἰκείαις τρέφεται τροφαῖς, οἰκεία δ᾽ ἐστὶν ἑκάστῳ τροφὴ πᾶν ὅτι ἂν ἐξομοιωθῆναι δύναται τῷ τρεφομένῳ σώματι: χρὴ τοίνυν τὴν ὅλην οὐσίαν τοῦ τρέφοντος, ὅλῃ τῇ τρεφομένου φύσει κοινωνίαν τινὰ καὶ ὁμοιότητα κεκτῆσθαι. quod eſt: *Omne animal conueniente ſibi nutritur alimento, conueniens autem cuique alimentum eſt, quicquid aſſimilari corpori quod nutritur, poteſt. Oportet igitur toti nutrientis ſubſtantiæ, cum tota nutriti natura communio aliqua, ſimilitudoque ſit.* Proinde ſic colligamus: *Omnis actio fit a contrario: alimenti autem in nutritione attractio eſt actio: igitur alimentorum attractio fit a contrario.* quod omnium falſiſſimum eſt. Attractio enim alimentorum nõ a contrario, ſed ſimili fit: eſt enim, vt diximus, inter alimentum, & id quod alitur, alimentumq; ad ſe trahit, ſimilitudo quædam, veluti ſupra etiam ex Hippocratis comparatione de ſeminibus & plantis monſtrauimus. Quid itaque ad Ariſtotelis, quo Montuus vtitur, dictum

Attractio alimentorum a ſimili.

B reſpondeamus? hoc nimirum, Montuum hoc loci abuſum eſſe tanti philoſophi teſtimonio, neq; enim ille vnquam dixiſſe offenditur, etiamſi totum illum περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς librum perluſtres, omnem actionem a contrario fieri. Et vt rem penitus habeant ſtudioſi, in cap. 7. eius libri Ariſt. duas veterum recenſet ſententias, quarum prima dicit, ὡς τὸ μὲν ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου πᾶν ἀπαθές ἐστι. hoc eſt, *quod nullum ſimile a ſimili quicquam patitur.* Altera Democriti exſiſtens contrarium plane ſtatuit, nempe ὅμοιον εἶναι τό τε ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον. id eſt, *tum agens tum patiens ſimilia eſſe*, atque adeo vna ſecta actionem a contrario, altera autem a ſimili fieri dixit. Vtraſque autem improbat Ariſtotel. tanquam veritati nõ ſatis conſonas, cum ea quæ agunt & patiuntur talia exſiſtere oporteat, vt quodammodo ſimilia, & quodammodo diſſimilia & contraria ſint. Ita Cnicus agit in pituitam, hanc ſcilicet

Ariſtotelis dictum vt intelligendum.

C attrahens, quod huic partim ſimilis, partim diſſimilis exſiſtat. Similis quippe ſecundum ſubſtantiam, quia pituitoſus eſt: diſſimilis autem ſecundum qualitatem manifeſtam, eo quod pituita frigida Cnicus autem calidus ſit, huicq; adeo fit, vt Cnici manifeſtus calor inſitam ſibi tractricem facultatem, vt paulo ante dictum eſt, iuuet. Errat itaq; Montuus quod ſimpliciter omnem actionem a contrario fieri putat, cum hanc ſententiam Ariſtoteles vt a veritate alienam penitus impugnet. Proinde ipſe fallitur, Ariſtoteles non recte intelligens, potius quam Manardus aut ego, qui ita, Dei benignitate, Galeni placita ac dogmata tenemus, vt Montuo in hoc probe tractando præceptores eſſe non detrectaremus. Reliqua quæ prodncit, οὐδὲν πρὸς διόνυσον, ob id neceſſe non eſt, vt illa diluamus. Nos hic ſimplicium medicamẽtorum paradoxis colophonem imponemus, quod alibi de iis multa dixerimus, & quod facile quiſque ad illorum

D exemplum reliqua, etiam ſuo Marte ſcrutari ac colligere poſſit, atq; compoſita aliquot, in quibus a vulgi ſententia diſſentimus, attingemus.

Theriacam, cuius vix hodie verum exſtat nomen, eos quos veteres pollicentur effectus noſtro ſeculo non præſtare, quod multa huius confectionem conſtituentia, nedum a Pharmacopolis, ſed a Medicis etiam ignorentur.

CAP. XLII.

NEMO eſt qui neſciat hodie nobiliſſimam illam Andromachi antidotum, corrupto paſſim nomine Thiriacam, a Thiro nimirum ſerpente Arabibus nominato dici, cum Theriaca rectius diceretur, ita enim veteres nominandam eſſe voluerunt,

Theriaca vnde dicta.

E Galeno in libro de Theriaca ad Piſonem teſte: οὐχ ὅτι πρὸς τὰ ἀπ᾽ αὐτῶν δήγματα ἁρμόζει καλῶς, ἀλλ᾽ ὅτι καὶ αὐτὰ τὰ θηρία λοιπὸν ἐν τῇ σκευασίᾳ μιγνύμενα ἔχει. id eſt, *non ſolum quod ferarum morſibus probe conueniat, ſed etiam quod feræ ipſæ deinceps in confectura miſceantur.* Cuius certe miri a veteribus traduntur effectus, vt videre licet apud Galenum in libris de Theriaca ad Piſonem & Pamphilianum, ita vt vix morbus fuerit cui non commode adaptari potuerit. Atque hinc factum vt γαλήνη etiam Græcis dicta ſit, non ſane a Galeno Medico, vt Nicolaus Præpoſitus vulgo vocatus negatur, ſed a tranquillitate, quam ægrotis afferre ſolet. Teſtis Andromachus qui ita ſcribit:

Miri apud veteres Theriacæ effectus.

Theriaca cũr galene dicta.

ἱλαρὴν μὲν ἐπικλείουσι γαλήνην,
εὐδίην, ᾗ κυανέη οὐκ ὄθεται λιμένων. id eſt:

Dicitur hæc Graiis hilare ſimul Eudios, atque galene. Quæ verba Gal. explicat deinceps,

F in eam ſententiam ſcribens: γαλήνην δὲ αὐτὴν ἐν τοῖς προκειμένοις ἔπεσιν ὁ Ἀνδρόμαχος διὰ τοῦτο οἶμαι κέκληκεν, ἐπεὶ δὴ ὥσπερ ἔκ τινος τῶν κακῶν τῶν παθῶν χειμῶνος, καθάπερ τινὰ γαλήνην τὴν ὑγείαν τοῖς σώμασιν ἐργάζεται. quod eſt: *Galenen itaque ipſam in propoſitis verſibus Andromachus arbitror ideo vocauit, quoniam ceu ex quadam affectuum tempeſtate trãquillitatem quandam, ipſam nempe ſanitatem corporib. conciliat.*

Theriaca hodie pristinos effectus amisit.

Amisisse autem nostra tempestate pristinos effectus iam dictam antidotum nihil mirum, multa enim sunt ad compositionem eius necessaria medicamenta, quæ penitus ad nos non afferuntur, vel si afferuntur aut adulterina, aut plane nedum Medicis, sed & seplasiariis ipsis incognita sunt. Nam vt a vipera initium sumamus, quis est Arabum ac iuniorum decretis hodie addictus, qui illam agnoscat? tam varia enim imo inconstantia de hac ipsa produnt, vt nemo sit qui certi quidpiam ex illis colligi ac venari queat, quemadmodum videre licet apud Leonicenum *in libro de Dipsade & aliis serpentibus. Item in libro de Thiro seu Vipera.* Est itaque Vipera serpentis genus, quod Græcis, ἐχίδνα, Arabibus Thirus, nominatur. Arabes autem nomen generis speciei tribuerunt: cum enim vipera θηρίς, hoc est, feræ species sit, illi tamen pro Therio, corrupto & ex Græcorum lingua detorto vocabulo, Thirum dixerunt. Quod vero Thirus Arabum ab Echidna Græcorum Latinorumque vipera nihil differat, vnus Serapion docet: quæcunque enim is *cap. 448. sui de simplicium temperamentis libri* de Thiri carne ex Galeni & Diosc. sententia scribit, hæc omnia de Vipera dicta esse vtrorumque scripta conferens manifeste comperiet. Proinde vehementer errant qui Thirum aliud a Vipera animal esse credunt, cum in nomine tantum, nulla autem reipsa sit diuersitas. Hinc Trochisci siue pastilli e Thiro a Trochiscis e vipera nihil differunt. Est autem viperarum in Italia magna copia, vulgoque dicitur Marassus, nomenclatura nec barbara, nec citra rationem excogitata. Quippe a Marsorum populis nomine ducto, qui id genus serpentis olim maxime consectabantur, circumferebantque. Testis eius rei, ne quis nullo auctore confictum putet, Aulus Gellius *lib. noct. atti. 16. cap. 11.* in hunc modum scribens: *Gens in Italia Marsorum orta fertur a Circes filio Marso: propterea Marsis hominibus, quorum duntaxat familia cum externis cognationibus nondum etiam permistæ corruptæque sunt, vi quidam genitali datum, vt serpentium virulentorum domitores sint, & incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula.* Gellio subscribit Plinius *lib. 7. cap. 2.* Marsos itidem a Circes filio ortos esse, & naturalem illis vim quandam contra serpentes inesse dicens. Et Virgilius *libro Aeneid. 7.* sic scribens:

Viperam Arabes non satis cognitam habuere.

Viperæ quid.

Thirus a vipera non differt.

Viperarum in Italia magna copia.

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliua,
Archippi regis iussu fortissimus Vmbro,
Vipereo generi & grauiter spirantibus hydris,
Spargere qui somnos, cantuque manuque solebat,
Mulcebatq; iras, & morsus arte leuabat.

Syllius quoque Italicus lib. 8 eadem de Marsis cantat, ita dicens:

Hæ bellare acres norant, ac Marsica pubes,
Et bellare manu, & Chelydris cantare soporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.

Idem denique testatur Galenus *lib. 11. de simpl. med. facult.* qui se Marsos Romæ viperas venantes interrogasse scribit, num quid haberent signi, quo genus dipsadum & viperarum discernerent. Marsos autem interrogauit, tanquam eius rei peritos, ac quotidie manibus viperas tractantes. Inde discere possunt nostræ ætatis Medici, quanto hactenus fuerint in errore versati, qui Thirum seu Viperam ex terris admodum calentibus aridisque, ex Ææegypto nimirum & Arabia petierunt, quum tamen in Italia hunc haberent serpentem, multo peregrinis & Memphiticis meliorem. Hinc nisi ad Theriacorum orbiculorum seu pastillorum confectionem veram illam & genuinam viperam adhibuerunt, id quod hactenus factum esse vix crediderim, non est cur pristinos illos effectus sperare debeant. Sed fac veram adhibitam esse viperam, quæ adhuc in Hedychroo magmate, quod sic a coloris iucunditate ac hilaritate dictum est, sunt medicamenta simplicia, quæ a nemine ferme hodie probe agnoscũtur? qualia sunt Aspalathus, Calamus aromaticus, Xylobalsamum, Phu, Cinamomum, Amomum, Casia, Rhaponticum, Myrrha, & alia quędam, ita vt nec illorum ratione genuini effectus sperari queant. Aspalathum enim fruticem quotusquisq; est qui agnoscat? Hunc certe Auicena in descriptione Trochiscorum Alindaracon, ita enim Hedychroon appellat, Darsisahan nominat, quemadmodũ & Serapion capite 26. de simplicium med. temperamentis facit, vt patebit conferenti caput hoc de Darsisahã, cum capi-

Hedychroon vnde dictum.

Aspalathus frutex hodie ignotus.

A capite Dioſcoridis de Aſpalatho. Nicolaus autem, apud quem ſumma atque præcipua noſtra tempeſtate in componendis medicaminibus, ſi Diis placet, fides eſt, trochiſcos Alındaracon, vocat trochiſcos diacoralli, magno nimirum errore pro Aſpalatho Corallos ponens, cum nemo ſit qui neſciat Aſpalathum longe a Corallis diuerſum eſſe. Variant & in pleriſque aliis ab Henychroi confectione prædicti Nicolai trochiſci, adeo vt veræ Theriacæ adaptari non mereantur. Sunt qui Darſiſahan ſeu Aſpalathum, ex quorum numero Serapionis interpres exſiſtit, arborem granati ſyluestris eſſe putarint, ita vt nihil mirum ſit in tanta Arabum auctorum, eorundemque interpretum diuerſitate, nō fuiſſe qui quid eſſet Aſpalathus intelligerent. Aſpalathus vero *Dioſcoride lib. 1. cap. 19. teſte*, nihil aliud eſt quam frutex lignoſus, multis ſpinis horrens,

Nicolai error. Trochiſci Alındaracon.

B qui naſcitur in Iſtro, Niſyro, Syria, & Rhodo. Ceterum Calamus aromaticus, quem paſſim officinæ venalem habent, non videtur eſſe is quem Matthiolus eſſe Acorum cenſet, vt tomo altero noſtrorum de ſtirpium hiſtoria commentario, monſtrauimus. Differt vero ab eo, mea quidem ſententia quem Dioſcorides ac alii veteres deſcribunt, nam ille radix potius quam calamus eſſe apparet. Huc accedit, quod notæ quas Dioſcorides illi tribuit, noſtro non conueniant: eſt enim, *vt lib. 1. cap. 18. ait.* κιῤῥὸς, πυκνογόνατος, καὶ εἰς πολλοὺς σχινδαλμοὺς θραυόμενος, γέμων ἀραχνίων τὴν σύριγγα, ὑπόλευκος, ἐν δὲ τῇ διαμασήσει γλισχρὸς, στυπτικὸς, ὑπόδριμυς. hoc eſt, *ruffus, geniculatus, & in multas aſſulas fractus, fiſtulis aranearum plenus albicans, in mandendo glutinoſus, adſtringens & ſubacer:* cum noſter in multis diſcrepet. Nec Xylobalſamum, quod in officinis proſtat, verum eſt Xylobalſamum, quod Dio-

Calamus aromaticus officinarū non videtur eſſe genuinus.

Calami veri notæ.

Xylobalſamum hodie verum in officinis non proſtat.

C ſcoride auctore fuluum, odoratum, opobalſamum ſpirans exſiſtit, cum noſtrum plane inodorum ſit. Phu deniq; quæ herba ſit hodie ita multis ignoratur, neq; enim Valerianæ noſtræ per omnia apud Dioſc. Phu hiſtoria reſpondet. Phu namq; caulis, quēadmodum Dioſcorides ſcribit, λεῖος καὶ τρυφερὸς, id eſt, læuis & tener mollisve exſiſtit. Flores etiam Narciſſi floribus ſimiles. Valerianæ contra caulis anguloſus ac duritiem nonnullam præ ſe ferens, neque flores Narciſſo ſimiles. Cinamomum verum ad nos non adferri, ante nos indicauit Manardus noſter libro ſuarum epiſtolarum medicinalium ſexto, idipſum ex Galeni de Antidotis libris probans. Et Dioſcoridem expēdenti facile animum ſubit ſuſpicio ex tot generibus Cinamomi non optimū ad nos inuehi. Neq; mirum hodie Germanis hoc modo imponi, quum conſtet Galeni temporibus idipſum quoq; factum eſſe, quemadmodum ipſe in libro de Theriaca ad Piſo-

Phu non videtur eſſe Valeriana.

Cinamomum verū ad nos non affertur.

D nem indicat. Quid multis opus eſt? ſi quis noſtrum Cinamomum cum eo quod bonitate alia omnia antecedit, commiſerit, facile quod aſſerimus verum eſſe comperiet. Eſt autem præſtantiſſimum omnium Cinamomum, Galeno loco iam citato teſte, τεφρῶδες τῇ χροιᾷ, πάνυ τῇ ὀσμῇ κάλλιστόν τε καὶ ἥδιστον, καὶ τῇ γεύσει δριμὺ, καὶ δηκτικὸν λίαν, καὶ διαμασώμενον πηγανίζειν δοκεῖ. quod eſt. *Cinerium colore, odore longe optimum ſuauiſſimumq;, & guſtu acre, & admodum mordax manſumq;, rutam præ ſe ferre videtur.* Quæ quomodo noſtro Cinamomo quadrare in vniuerſum poſſint non video, nihil enim minus quam rutæ odorem commanducatum refert. Amomum quod in officinis venditur, nihil minus eſt quam id quod Dioſcoridi deſcribit *lib. 1. cap. 14.* hoc enim λευκὸν, ἢ ὑπέρυθρον, βοτρυῶδες, βαρὺ, σφόδρα εὐῶδες, ἄτερ εὐρῶτος, καὶ δριμὺ, δάκνον τὴν γεῦσιν, ἁπλοῦν τὴν χρόαν, καὶ οὐ ποικίλον. id eſt, *candidum, vel ſubrubrum, racemoſum, graue,*

Cinamomum quod præſtantiſſimum.

Amomum noſtrum non videtur eſſe genuinum.

E *odoratum vehementer, ſine carie, acre, guſtu mordens, ſimplici colore & minime vario.* Noſtrum e regione nec odoris argumento, nec alia ratione huic reſpondet. Caſiam vero quā nūc officinæ vtuntur non eſſe veram quā Dioſcorides ac alii eius farinæ ſcriptores deſcribunt, diximus parodoxo quinto. Monet vero Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem, vt in hac diiudicanda ſoliciti ſimus: quod inexpertis frequenter imponere ſoleat, eſſe enim pſeudocaſiam, mirum quam germanæ ſimilem, ſed odore minus grato coarguitur. Rhaponticum veterum ab eo quod hodie in vſu habetur fuiſſe diuerſum, paradoxo quarto oſtendimus. Myrrha quam paſſim obtrudunt ſeplaſarii, non eſt vera & optima illa Myrrha, quæ vt Dioſcorides refert *libr. 1. cap. 75.* eſſe debet ψαθυρὰ, κούφη, ὁμόχροος πανταχόθεν, καὶ ἡ ἐν τῷ κλασθῆναι ἔνδοθεν λευκὰς, ὀνυχοειδεῖς, ἔχουσα διαφύσεις λείας, μικροβώλος τε καὶ

Caſia lignea eſt.

Rhabarbarum noſtrū a veterum diuerſum.

Myrrha Seplaſiariorū non genuina.

F πικρὰ, εὐώδης, δριμεῖα, hoc eſt, *fragilis, leuis, vndique concolor, & quæ confracta internas quaſi vngues candidas & leues diuiſiones oſtendat, minutis glebis, amara, odorata, & acris.* Quibus notis vt noſtra reſpondeat, videant qui adulterinam eſſe nondum perſuaſum habent. Hactenus ſimplicia medicamenta Hedychroi confectionem ingredientia, quorum hodie exactam cognitionem non eſſe demonſtrauimus, obiter attigimus,

Piper longum verum ad nos non asportatur.

iam alia quædam, quæ scilicet Theriaces compositionem constituunt, prosequamur, A quorum itidem vt prædictorum nostra ætate certa notitia nondum habetur. Ea sunt Piper longum, Opobalsamum, Scordion, Nardus, Iunci odorati flos, Dictamnus, Petroselinum Macedonicum, Quinquefolii radix, Rubrica Lemnia, Thlaspi; & alia multa quæ breuitatis gratia omittere placuit. Quod ad piper enim attinet longum, vix credibile est, verum ad nos asportari, quod in illo dolos fieri certum sit. Testis eius rei Galenus est, qui ad Pisonem ita scribit: εἰκὸς δέ σε καὶ τὴν ἐπὶ τοῦ μακροῦ πέπερι γιγνομένην πανουργίαν μὴ ἀγνοεῖν. ἀνεπλάσαντες γάρ τινες αὐτὸ ἴσον τῷ ἀληθεῖ ἔχειν τὸ μῆκος, καὶ ἐνθέντες αὐτῷ τοῦ πυρέθρου, ἢ τοῦ νάπυος ὀλίγον, οὕτω τῷ δηκτικῷ τῆς γεύσεως πλανῶσι τὸν γευόμενον. quod est: *In pipere oblongo dolos fieri te ignorare haud est verisimile. Siquidem nonnulli adulterantes ipsum æqualem cum germano longitudinem habens, pyrethri vel sinapi modico indito, ita gustus mordacitate gustantem fallunt.* Quod si vtique Galeni temporibus sic adulterari piper longum contigit, quid mirum si hodie in tanta mercatorum copia, ac insatiabili auri similiter accidat? B

Opobalsamum ad nos non affertur.

Opobalsamum certe ad nos non affertur, vel si affertur, syncerum non est, multis enim modis Dioscoride teste adulteratur. Argumento est quod is qui ad nos asportatur, colore, odore, & substantia longe a vero distat, qui πρόσφατος, τῇ ὀσμῇ εὔτονος, καὶ εἰλικρινής, καὶ μὴ προσοξίζων, διάδυτος, λεῖος, στύφων, καὶ δάκνων μετρίως τὴν γλῶσσαν. id est: *Recens est, odore firmo & syncero, non ad acorem vergens, citissime penetrans, leuis adstringens, & modice linguam mordens.* Quid multa? si opobalsamum germanum Theriaces confectioni adhiberetur, certe totius antidoti precium præuerteret. Duodecim enim drachmas, præter id quod in Hedychroi confectionem inditur, tota Andromachi compositio recipit. Scordion qui agnoscat paucos esse hodie credo: neque enim est allium syluestre, vt quidam non sine magno errore existimant. C

Scordion nemo hodie agnoscit.

Habet autem is error inde originem. Σκόροδον Græcis Allium significat, hinc σκόρδιον allium syluestre esse putabant, idque non modo in Theriacam, sed in plures quoque alias compositiones adhibeant. Inde factum vt non solum herbam ipsam Scordion dictam amiserunt, sed vt vocis ipsius significatum, huius loco allium syluestre nominis similitudine decepti accipientes, cum tamen Allium syluestre, quod alio nomine ὀφιοσκόροδον, hoc est, *Anguinum* allium vocatur, a Scordio herba plane diuersum sit.

Allium syluestre a Scordio differt.

Et mirum certe est cum Scordion folio Trixaginis seu Chamædryos, non Allii descriptum legerint, cur in eum errorem imprudentes lapsi sint. Scordion namque huncin modum Dioscorides *lib. 3. cap. 117.* describit: σκόρδιον φύεται ἐν ὀρεινοῖς τόποις καὶ ἑλώδεσι, φύλλα ἔχον ἐοικότα χαμαίδρυϊ, μείζονα δὲ καὶ οὐκ οὕτως ἐντετμημένα τὴν περιφέρειαν, ποσῶς τῇ ὀσμῇ σκοροδίζοντα, στυπτικὰ δὲ καὶ πικρὰ κατὰ τὴν γεῦσιν, καυλία δὲ καὶ τετράγωνα, ἐφ' ὧν ἄνθος ὑπέρυθρον. hoc est: D

Scordii descriptio.

Scordion in montanis locis & plaustribus nascitur, folia Chamædryos seu Trixaginis habens, maiora tamen, nec sic in ambitu diuisa, Allium aliquo modo redolentia, adstringentia, & gustu amara. Caules quadrangulos, in quibus flos subrubescens. Mira autem huius contra venena vis est, sordidaque vulnera purgat. ita vt Galeno libro primo de antidotis teste. γέγραπται ὑπό τινων ἀνδρῶν ἀξιολόγων πολέμου τινὸς ἀτάφων ἡμέρας πλείοσι γενομένων, ὅσα τῶν σωμάτων ἐπὶ σκορδίου κατὰ τύχην ἔκειτο, πολὺ τῶν ἄλλων ἀσηπτότερα διαμεῖναι, καὶ μάλιστα αὐτῶν ἐκεῖνα τὰ μόρια τοῦ σώματος ὅσα τῆς πόας ἔψαυε τοῦ σκορδίου. id est: *A fide dignis auctoribus proditum sit corpora eorum, qui in prælio ceciderant, diuque insepulti iacebant, quæcunque sors tulit vt supra Scordion decumberent, diutius incorrupta putredinique minus obnoxia mansisse, secundum eas præsertim partes quæ herbam ipsam attigerant.* E

Nardi spica caremus.

Nardi spica nos carere quidam arbitrantur, nam inquiunt quam passim hodie officinæ habent, ea inodora est, cum vera perquam odorata sit, & Cyperum redoleat. Proinde quum ea quæ ad nos vehitur sit odoris valde ingrati, fieri non potest, vt vera spica esse queat.

Iunci odorati flore destituti sumus.

Ita & Iunci odorati nos flore destitutos esse multi putant, qui Squinantum, sic enim barbari Schœnum nominant, in officinis venale festucas potius quam flores esse dicunt, nulla penitus odoris suauitate præditas, ita vt nomen saltem odorati iunci satis indicet, inquiunt rem diuersam esse quod officinæ Squinatum appellant.

Dictamno vera caruimus.

Dictamno porro vera nos hactenus caruisse vel inde satis liquet, quod ea herba quæ nostra ætate hoc nomine insignita fuit, & flores & semen producat, cum germana Dictamnus his plane careat. Testis est Dioscor. qui *lib. 3. cap. 33.* de ea ita scribit: δίκταμνος πόα ἐστὶ Κρητική, δριμεῖα, λεία, ὁμοία γλήχωνι. μείζω δὲ καὶ γναφαλώδη τὰ φύλλα ἔχει, καὶ ἐρυώδη τινὰ ἐπίφυσιν. οὔτε δὲ ἄνθος, οὔτε καρπὸν φέρει. quod est: *Dictamnus Cretensis herba est, acris, leuis, Pulegio similis, maioribus tamen foliis, tomentosis, & lanugine quadam obductis. Neque florem, neque semẽ profert.* Dioscoridi subscribit Plin. *li. 25. c. 8.* in hũc F

modum

A modum scribens: *Dictamnum ostendere, vt indicauimus, vulneratæ eo statim decidentibus telis.* Non est alibi, quam in Creta, ramis prętenue, pulegio simile, feruens & acre gustu: foliis tantum vtuntur. Flos nullus ei est, aut semen, aut caulis: radix tenuis & superuacua. Deniq; Dictamnum in Creta tantum nasci præter Plinium Virgilius quoq; *12. Aeneid.* ita canens indicat:

Dictamnus in Creta tãtum nascitur.

Tum Venus indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem folÿs, & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.

B Cum itaque ex veterum testimoniis vera dictamnus tam flore quam semine careat, nostra hæc vulgaris pseudodictamnus sit, vtpote istis maxime abundans, oportet. Et cum in Creta tantum nascatur, fieri non potest, vt passim in Germania producatur. Veram tamen Dictamnum me vidisse apud pharmacopolam Georgiũ Ellingerum puto, cuius equidem folia multa lanugine obducta erant. Præterea Petroselini semẽ, quod miscendum Theriacæ iussit Andromachus, non est id quod passim in hortis nascitur, & nusquã nõ venale habetur, sed quod in Macedonia prępruptis locis prouenit, quod Diosc. teste *lib. 3. cap. 71.* σπέρμα ἔχει ἐοικὸς ἄμμι, εὐωδέστερον δὲ καὶ δριμὺ, καὶ ἀρωματίζον. hoc est: *Semen habet ammi simile, odoratius tamen, acre, & aroma olens.* Lemnia rubrica, quam hodie terram sigillatam vo-

Dictamnus vera flore & semine caret.

Petroselinũ verum non habemus.

C cant, quæ in officinis iam habetur, nec facie nec viribus germanæ æqualis existit: illa enim alba quædam terra esse apparet, cum hæc rubra sit, q; ex collo in Lemno, Galeno teste, qui totus colore fuluo est, accipiatur, vnde & Lemnia rubrica appellata est. Lemnia siquidem quod ex Lemno insula cõportetur, dici cœpit. Animaduertendum vero, rubricam Lemniam alio nomine etiam dici terram Lemniam, aut sigillum Lemnium, id quod *nono de simp. med. facult. libro* Galen. iis verbis docet. τοιοῦτον γάρ τι καὶ μετὰ τὴν λημνίαν γίνεται γῆν, ἣν μίλτον ὀνομάζουσιν, ἔνιοι λημνίαν, καὶ τινες ἄλλοι σφραγίδα λημνίαν, διὰ τὴν ἐπιβαλλομένην αὐτῇ σφραγίδα τῆς ἀρτέμιδος ἱεράν. quod est: *Tale quiddam & in Lemnia terra fit, quam cognominant quidam rubricam Lemniam, & alÿ quidam sigillum Lemnium, ob impressum videlicet illi sigillum Dianæ sacrum.* Adeo vt commentitium plane sit, quod scribit Dioscorides *libro quinto capite 63.* Lemniam terram caprino sanguini permistam incolas cogere in pastillos, & imagine ca-

Lemnia rubrica nõ est germana. Sigillum Lemnium.

Dioscoridis in terra Lẽnia erratũ.

D præ signare. Quem errorem etiam Galenus cum aliarum rerum ad medicinæ vsum necessarium, tum huius præsertim terræ diligentissimus vestigator, libro iam citato iis verbis explodit: *Ceterum quum & apud Dioscoridem & alios quosdam scriptum legissem, Lemniæ terræ hircinum misceri sanguinem, atque ex luto quod ea mistione conficiebatur, sacerdotem Lemnia sigillatum conformare, tum consignare, cupiebam profecto, & ipse mistionis modum inspicere atque symmetriam. Itaque quemadmodum in Cyprum nauigaram videndorum quæ in ea sunt metallorum gratia, & in cauam Syriam Palæstinæ partem profectus fueram, bituminis & aliorum quorundam inspiciendorum caussa, ita nec in Lemnum enauigare piguit, vt quantum sanguinis terræ admisceretur conspicerem. Nam quum iterum Romam pedestri peterem itinere per Thraciam & Macedoniam, prius a Troade Alexandræa in Lemnum adnauigans, nactus illic nauem quæ ad*

E *Thessalonicam cursum destinabat. Conueniebam autem cum nauclero, vt in cursu Lemno appelleret. Et sane ille præstitit, sed non ad eam ciuitatem ad quam oportebat. Antea enim nescieueram duas esse in Insula ciuitates, sed credebam, vt Samus, Chius, Cos, Andrus, Tenus, & omnes adeo quæ in Aegæo sunt mari, vnam duntaxat ciuitatem habent toti insulæ cognominem, ita & Lemnum nominis sui vnam habere ciuitatem. Porro vt ex naui descenderam, intellexi ciuitati nomen esse Myrina: nec in regione ciuitatis illius aut Philoctetis templum esse, aut sacrum Neptuni collem, sed in altera quæ vocaretur Hephæstias: nec ciuitatem eam Myrinæ esse propinquam. Quumq; me nauclerus exspectare non posset, distuli, vt quum Roma in Asiam redirem, tunc Hephæstiada viserem: id quod feci prout speraueram & proposueram. Nam vbi ex Italia in Macedoniam traiecissem, eamq; pene totam pedestri itinere pertransiissem, peruenissemq; Philippos, quæ ciuitas est fini-*

F *tima Thraciæ, inde ad mare descendi, quod proximum aberat cẽtum viginti stadÿs, primumq; Thasontransmisi, distantem plus minus ducentis stadÿs: atque illinc in Lemnum septingentis, ac rursum ferme septingentis in Alexandream Troada traieci. Ac proinde sane ex industria tum de nauigatione, tum de stadÿs adscripsi, vt si quem eadẽ quæ me caperet Hephæstiada visendi cupiditas, cognitio eius situ, sic nauigationem institueret. In tota namq; insula Lemno orientem spectat Hephæstias,*

occidentem vero Myrina. Et quod a poeta dictum de Vulcano est, qui Græce dicitur ἔφυγε, *Decidit* A *in Lemnum, propter collis naturam occasionem sumpsisse fabulam crediderim. Apparet enim combusto similimus tum colore ipso, tum etiam quia nihil in eo nascitur. In hunc itaq; collem sacerdos quo tempore ego ad insulam accesseram, egressa, certo quodam tritici hordeiq; numero in terrā coniecto, alijsq; quibusdam pro religione patria perpetratis, plaustrum totum terra impleuit, atque vbi in vrbem conuexisset, quo dixi modo, illas fama hominum adeo celebratas Lemnias sphrāgidas præparabat. Visum ergo mihi erat percontari, numquid vnquam antea hircinum sanguinem huic misceri solitum memoriæ proditum accepissent. Quo audito omnes in risum soluti sunt, nec ij sane quiuis ex vulgo, sed viri oppido quam eruditi cum in alijs, tum præcipue in vniuersa patriæ historia.* Hactenus Galeni verba recensuimus, quę ideo prolixius tractanda duxi, vt inde nostræ ætatis Medici Galeni in iis rebus quæ ad Medicum necessariç erant, vsum exquisitam diligentiā agnoscerent, quo & ipsi in iis rebus vestigandis, pari opera ac studio vti velint, nec perpetuo, B vt hactenus fecerunt, illas ipsas negligere, & Andabatarum more clausis oculis aduersus morbos pugnare. Confectionem porro terræ Lemniæ Galenus hoc modo fieri tradit. Terram hanc sacerdos cum patrio quodam honore sumens, haud mactatis animalibus, sed tritico atq; hordeo piamenti gratia terræ redditis, in vrbem comportat: quam deinde aqua maceratam, atq; in lutum redactam, vbi valenter conturbauit, paulumque inde quiescere siuit, aquam quæ supernatat, aufert, & mox quod sub ea est lutum tollit, ac reliquum duntaxat quod ad imum subsedit, lapidosum scilicet & arenosum, relinquit vt inutile ac superuacaneum. Porro lutum illud pingue vsq; eo desiccat, dum mollis ceræ consistentiam accipiat, huiusq; acceptis exiguis periculis, sacrum Dianæ signum imprimit, ac postea rursum in vmbra siccandum reponit, donec omnem plane humiditatem C amittat, fiatq; illud medicis omnibus cognitum medicamen Lemnium sigillum. Sic enim quidam illam cognominant ob impressum illi sigillum: ceu etiam nonnulli ob colorem Lemniam rubricam appellitant. Non prætereundum est & hoc quod libro primo de antidotis scribit Galenus: καλεῖν αὐτὴν ἄμεινον οὐ μίλτον, ἀλλὰ γῆν. ἔστι γάρ τις λημνία μίλτος ἐν τῇ μίλτῳ γεννωμένη πρὸς ἄλλας χρείας ἐπιτήδειος, οὐ μὴν εἰς ἃς ἡ καλουμένη λημνία σφραγίς. hoc est: Præstat ipsam vocare non rubricam, sed terram: est enim Lemnia quædam rubrica in Milto nata, ad alios vsus, quam ad quos Lemnium sigillum, accommodata. Rubricam hanc Dioscorides μίλτον σινωπικὴν vocat, a Lemnia siquidem, quæ terra potius dicitur, hoc modo distinguens. Thlaspin postremo pauci hodie sunt Seplasiarii qui agnoscant. Notæ autem, D Dioscoride lib. 2. ca. 142. auctore, vt & alii obseruare hanc plantā possint, eiusmodi sunt: Βοτάνιόν ἐστι στενὸν τοῖς φύλλοις ὡς δακτύλου μῆκος, πεπτωκόσιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἀκροσχιδέσιν, ὑπολιπάροις· καυλὸν δὲ λεπτὸν ἀνίησι, διασπιθαμιαῖον, ἀποφυάδας ὀλίγας ἔχοντα, καὶ περὶ ὅλον αὐτὸν καρπὸς ὑπόπλατυς ἐξ ἄκρου, ἐν τῷ σπερμάτιον ἐμφερὲς καρδάμῳ δισκοειδές, οἱονεὶ ἐντεθλασμένον, ἐξ οὗ καὶ τὸ ὄνομα ἔσχηκε. ἄνθος δ' ὑπόλευκον. ἐν ὁδοῖς καὶ τοίχων καὶ ἐπὶ θριγκῶν φυόμενον. σπέρμα δριμύ. q. est: *Herbula est angustis folijs, ad digiti lōgitudinem, super terram iacentibus, in summo scissis, subpinguibus. Caulem tenuem, duorum palmorum emittit, adnascentias paucas habentem, & citra ipsam totam fructus in summo modice latus, in quo semen exiguum Nasturtio simile, disci figura, veluti conquassatum, vnde & nomen inuenit. Florem subalbum. Nascitur in vijs, sepulcris, sepibusq;. Semen acre.* Eodem modo describit Thlaspin Plinius *lib. 26. ca. 13.* cuius verba in priore editione citauimus, hic autem breuitatis ratione habita omittemus. Porro non tacendum, Auicennam in descriptione Theriaces Andromachi, non E sine pudendo errore pro Thlaspeos nomine, Siseleos posuisse. Hactenus monstrauimus, multa esse medicamenta simplicia ad Theriaces germanæ compositionem necessaria, quorum hodie exacta cognitio plane perierit: non quod omnia quæ ignorentur recensuerimus, multa enim studio prætermisimus, paucis tantum ostensis, vt ex illis saltem intelligeremus, Theriacam nostra tempestate pristinos effectus præstare non posse. Si etenim ἡ ἑνός τινος κακία πολλάκις διαφθείρει τὰ πάντα, hoc est: *vnius cuiusdam medicamenti vitium omnia subinde corrumpit*, vt in libro de Theriaca ad Pisonem ait Galenus, qui nobis spes esset tot hodie simplicia medicamenta seplasiariis ignorantibus, vt confectio illa recte paratetur? Vtinam autem ad Barbarorum, Arabumque lupanaria non F deflexissemus, sed a Græcis potius fontibus medicamenta hausissemus, ita enim Theriaca optima hodie non careremus. Sed satis ea de re. Porro quæ hactenus de medicamentis Theriacæ structuram ingredientia commemorauimus, non sic accipi volo, quasi hodie sic quoque sentiam, & de illis perinde atque tum quum hæc scripsi, statuam,

Confectio terrę Lemniæ. Morbus.

Terra potius quam rubrica Lemnia dicenda.

Thlaspi hodie penitus ignoratur.

Auicennæ error.

Siqui-

A Siquidem multa ex iis, quum illa scriberem, prorsus medicis & Seplasiariis incognita, hodie sunt notissima, vt est Dictamnus, Thlaspi, & multa alia. De plerisq; etiam nunc secus quam olim sentio. Quare qui scire cupit quid hodie de singulis iam ordine commemoratis sentiam, is nostros de comp. med. libros, & commentarios de stirpium historia inscriptos adeat. Hinc enim facile nostram de iis omnibus sententiam cognoscet.

Syrupũ, vt vocant, de Eupatorio, eos quos Mesue pollicetur effectus, praestare nõ posse: quod multa huius compositionem ingrediantur medicamenta, quæ Seplasiarijs prorsus ignota sint.

Cap. XLIII.

B COmpositio Syrupi de Eupatorio apud Mesuen hæc est: *Radicum apij, Fœniculi, Endiuiæ, singulorum vncias 2. Glycyrrhizæ, Schœni, Cuscutæ, Absinthy, Rosarum, sing. drachmas 6. Capillorum Veneris, Bedeguar, Florum Buglossæ, Anisi, Eupatorij, singulorum drachmas 5. Rauedseni, Masticis, sing. drachmas tres. Spicæ, Asari, folij, singulorum drachmas duas. Coque in aq. libris 8. donec tertia eius pars consumatur, & cum libris 4. Sacchari, & succi Apij, & endiuiæ idonea quantitate, fiat Syrupus.* Quis vero est tam caligantibus oculis, qui non videat multa hic a Mesue recenseri, quorum hodie nulla apud Pharmacopolas est exacta cognitio? Et, vt aliqua ex iis attingamus, quis est, qui hoc tempore Endiuiam, quæ intybi species est, agnoscat? Alia enim est, qua in Italia, alia qua in Germania vtuntur nunc Pharmacopolæ, & vix est hodie Pharmacopola, qui non propriam ostendat. Et, quod mirum C admodum est, scio, qui pro Endiuia herbam accipiant, quæ hodie *Cardus Mariæ* nominatur, idq; maximo errore. Passim tamen iam pro Endiuia lactuca syluestri vtuntur, id quod lactis liquor qui in ea est, satis indicat. Schœno denique, hoc est, odorato iunco, seu, vt nostri nominant, Squinanto, nos carere nonnullos, paradoxo præcedenti monstrauimus. Sed quid de Bedeguar dicam herba, in qua Pharmacopolę nostri magis varii quam hydra exsistunt, neq; quisquam illorum, quid Bedeguar sit, certo agnoscit? Vnus esse Chamæleontem album, alter Chamæleontem nigrum, hic Cardopaciã vulgo dictam, ille aliam quandam spinam esse ait, neq; est, qui non peculiarem afferat. Proh cæcitatem nostram! qui in tam manifestis cæcutimus. Quis enim est, qui non videat Bedeguar Arabum nihil aliud esse, quam eam herbam, quam Græci ἄκανθαν λευκὴν, Latini vero *Spinam albam* vocant? nemo sane nisi qui talpa cœcior sit. Nam ita Bedeguar descriptio D apud Serapionem cum descriptione Spinæ albæ apud Dioscoridẽ conuenit, vt eandem herbam esse euidentissimum sit. Descriptio autem Bedeguar apud Serapionem *capite 99.* hæc est: *Bedeguar nominatur Acanthis leuce, & est in Græco spina alba. Nascitur in montibus, & habet folia similia Chamæleonti albo, nisi quia sunt strictiora & albiora, & super ea est simile borra, & sunt spinosa & habet stipitem longum duobus brachijs, in crassitudine digiti pollicis, vel plus: color eius est vergens ad albedinem, & super summitates eius sunt capitella spinosa similia ericio marino, nisi quia sunt minora & oblonga, & flos eius est coloris purpurei, & semen eius est simile grano cartami, nisi quia est rotundius eo.* Spinæ vero albæ *libro tertio cap. 19.* apud Dioscoridem illa: ἄκανθα λευκὴ φύεται ἐν ὄρεσι καὶ ὑλώδεσι τόποις. φύλλα ἔχουσα χαμαιλέοντι λευκῷ ἐμφερῆ, στενότερα δὲ καὶ λευκότερα, ὑποδάσεα, ἀκανθώδη. καυλὸν ὑπὲρ δύο πήχεις δακτύλου τοῦ μεγάλου ἢ καὶ μείζονος πάχος, ὑπόλευκον, κενὸν ἔνδοθεν. ἐπ' E ἄκρου δὲ αὐτοῦ κεφαλὴ πρόσεστιν ἀκανθώδης, ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἐμφερής, πλὴν ἐλάσσων καὶ ὑπομήκης. ἄνθη πορφυρᾶ, ἐν οἷς τὸ σπέρμα ὡς κνίκου, στρογγυλώτερον δέ. quod est: *Spina alba nascitur in montibus & syluosis locis, folia albo Chamæleonti similia, angustiora tamen & candidiora, aliquantum hispida, & aculeata. Caulem supra bina cubita altum, digiti magni aut pollicis crassitudine, subalbum, intus cauum. In cacumine eius caput adest spinosum, Echino marino simile, attamen minus & oblongum. Flores purpurei, in quibus semen ceu Cnicus, sed rotundius.* Ex his itaque descriptionibus sole clarius fit Bedeguar a spina alba non differre: id quod si verum est, vt est sane, neque Chamęleon albus, neque niger esse potest, quod diuersæ a spina alba herbæ sint, seorsimque a Dioscoride diuersis capitibus descriptæ. Ceterum qualis sit herba hodie spina alba *in nostris de stirpium historia commentarijs diximus.* Herba vero quæ hodie *Cardus Mariæ*, germanice F Vehdistel, appellatur, non est nisi *Leucacantha* diuersa a spina alba, *vt altero tomo commentariorum de stirpium historia monstrauimus.* Ceterum pro Buglossa, nisi quis boraginem sumserit, vitiosa confectio erit. Qualiter in Eupatorio passim omnes hallucinentur Medici, *in paradoxo septimo diximus:* omnes enim herbam esse putant, quæ vulgo *Kunigundis* herba dicitur, cum ea, nec Græcorum, nec Mesuæ, sed potius Auicẽnæ sit Eupatorium,

Confectio Syrupi de Eupatorio.

Endiuia vera incognita.

Endiuia nõ est cardus Mariæ.

Bedeguar qualis herba.

Spina alba. Bedeguar descriptio.

Spinæ albæ notificatio.

Bedeguar est spina alba.

Pro Buglossa accip ẽda Borago.

Eupatoriũ.

est Agrimonia nostra. Folium hodie ignotũ.

vt primo nostrorum de stirp. historia comment. tomo docuimus. Si itaque Mesue Eupatorium A praecipuum, quod huius Syrupi compositionem ingreditur, & vnde illi nomen inditum est, ignoratur, quid de eius facultatibus sperare possent ægrotantes? Folium prætereа, quod Græcis pariter & Romanis *Malobathrum* appellatur, hodie ignotum est, nec eo propter pretii immensitatem vti licet. *Est autem hoc, Dioscoride libro I. capite II. teste, cum nigredine quadam candicans, non facile fragile, odore sensum feriens, & odoris suauitate diutius permanens, & Nardum gustu referens.* Has certe notas nostrum Folium non habet, adulterinum enim est, neque mirum quod germanum ex India afferri debeat. Scribit & Manardus se toto vitæ suæ tempore vix vnicum videre Folium potuisse. Proinde si tot medicamentorum syrupi de Eupatorio compositionem constituentium cognitio nos B latet, qui eos, quos Mesue pollicetur, effectus præstare posset? Quare Mesue Eupatorium adhibeant, aliaq; in eorum locum, quæ haberi non possunt, succedanea accipiant, vbi hoc genere syrupi posthac vti voluerint. Hic libro primo colophonem imponemus, quod superuacaneum esse putamus, plurium medicamentorum compositorũ confectiones, in quibus hodie multa desiderantur, indicare, quando quiuis ad priorum exemplum, agnitis tantum simplicibus illa cognoscere, atq; adeo tandem has etiam emendare possit. Et hic certe vnicus est modus, quo hodie Pharmacopolarum ignauiæ mederi licebit, vt scilicet nostratium herbarum viribus probe agnitis, peregrina & exotica medicamenta, ea maxime, quæ nobis suspecta & non exacte cognita sunt, abiiciamus, & in illorũ locum, alia, quæ indies oculis conspicere datum est, substituamus. Nam C quot hodie neglectæ iacent herbæ, vno hoc nomine, quod omnib. cognitæ sunt, & pedibus fere calcantur, quarum tamen mira vis medica exsistit? Has itaq; ambabus manibus arripiamus, & exotica prorsus, vel, si non licet omnia, saltem nonnulla, quæ nobis non satis cognita sunt, remoueamus. Sed ea de re alias forte multa.

Pharmacopolarum ignauiæ vt medendũ.

LIBRI PRIMI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII PARADOXORVM MEDICINÆ, LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

Simpliciũ medicamẽtorũ cognitio ad rectã medendi rationem vtilis.

Vum ad rectam medendi rationem perdiscendam non parum momenti simplicium D *medicamentorum cognitio afferat, quemadmodum Galenus in libro, quem de medendi ratione inscripsit, multis in locis testatur, primo siquidem libro paradoxa quædam, quæ quantũ in materia medica exacte cognoscenda Arabes olim, ac nunc nostri seculi Medici aberrarint, demonstrarunt, produximus, vt hac scilicet ratione solidæ medicinæ studiosis viam quandam præstrueremus, qua ad simplicium medicamentorum veram cognitionem peruenirent, atq; adeo expeditius medendi methodum aggredi possent. Secundus autem hic, quẽ auspicamur, liber, paradoxa nonnulla habebit, quæ ad caussas morborum, eorundemq; curandi veram rationem attinent, in quibus a frequentissimis illis vulgarium medicorum opinionibus recedimus, ita vt ex his ipsis iterum discere queant veritatis studiosi, quantum a prisca & germana medendi ratione nostræ tempestatis desciuerint Medici, vbi quisq; sibi peculiarem in medendo magistrum ac ducẽ imitandum proponit, citra omnem methodum quicquid ille præscripserit adhibens.* E *Nemo enim sanæ mentis nescit maximam hodie medicorũ partem nõ antea curãdis ægrotis manus admouere, nisi vbi prius remedia ab ijs, quos practicos, rectius meo iudicio πρακτοράς nominant, sine omni delectu & iudicio emendicarint: satis enim esse arbitrantur, vbi remediorum magnum aceruum miseris obtulerint ægris, magniq; vsus medicos se esse censent, quoties semper aliquid noui moliri videntur, nescientes alterum alteri impedimento esse, & hoc pacto non raro in longius tempus protractum iri morbum. Longe itaq; consultius esset, si methodo curare vellent, morborum inprimis naturam eorumque caussas inquirerent, e quibus tandem curationis indicationes, haud aliter quam Gale. in suis de medendi methodo libris docuit, eruẽdæ essent, quæ deinceps pulcre remediorũ inueniendorum rationem, sine prædictorum auctorum ope & subsidio, ostenderent.* F *Cæcis persimiles sunt eiusmodi doctorculi, quibus nisi dux quispiam, qui iter commonstret, contigerit, nusquam progredi possunt. Et accidit plerunq; vt cæcis illis cæcus dux obtingat, atq; adeo vtrique in foueam incidant. Hos certe Medicos ab aliorum præscriptione ne latum quidem vnguem recedentes, Manardus noster apposite Medicos ex commentario dixit, quod scilicet non in pectore & mente, sed in chartis & membranis sua*

Quæ in secundo hoc libro tractabuntur.

Nostri Medici a prisca ac medendi ratione desciuerunt.

Morborũ caussæ primum inquirendæ.

Medici nostri seculi cæcis similes.

Medici ex cõmẽtario.

A *sua remedia ac curandi rationem sepositam habeant: neq; enim mederi morbo sciunt, nisi nomine prius habito, proprio eius capite a libris remedia requirant. Nemo autem me hæc dicere putet quasi ad libros plane non esse recurrendum existimem, atque adeo in totum reyciendos medendi rationem præscribentes auctores velim, id quod superioribus annis Morophrastus quidam (ah Theophrastus dicere volui) docere ausus fuit: absit enim vt in eam dementiam deducar: sed vt monerem ne se, tanquam cæci essent, a nudis nominibus illuc duci patiantur veluti ad iudices, & vt ea quæ apud illos legunt ad examen rationis vocent, nec illorum placitis tanquam Delphicis oraculis passim obtemperent, sed illa potius ad suas indicationes prosequendas exigant. Neque enim adeo nos scriptorum, Arabum potissimum, nominibus mancipare conuenit, vt posthabita ratione, solis eorum auctoritatibus innitamur. Id autem quam necessarium, quamque vtile fuerit, probe paradoxa nostra quæ hoc libro tractamus monstrabunt: euidenter enim nostræ ætatis Medicos, Arabum ac iuniorum decreta in medendi ratione sectantes, toto cælo errare docent. Quare ea diligenter expendant, vt ad illorum exemplum reliqua quoque medicorum placita, quæ hic non attingimus examinare possint: neq; enim omnia quæ in dubium vocari possunt prosequi animus est, sed pauca saltem, atq; ea sane quæ quotidie fere inter medendum accidunt.*

Theophrastus Paracelsus.

B

Non esse nisi duo tantum caussarum salubrium genera, externam scilicet & internam, vel vt hodie loquuntur, primitiuam & antecedentem, contra Auicennam, totumque iuniorum medicorum cœtum, coniunctum enim in morbis Galenum ne somniasse quidem.

Cap. I.

C AVicenna *Fen. 2. Canonis primi, Summa 1. doct. 2. ca. 1.* tria esse caussarũ morbificarum genera his verbis innuit: Caussæ dispositionum corporis sunt tres, *primitiuæ*, *antecedentes*, & *coniunctæ*. Exemplum coniunctæ caussæ putredinem in febribus esse inquit. Auic. in sua Isagoge sequitur Ioannitius Monachus ita de caussis scribens: Modi occasionũ infirmitatẽ facientium sunt tres, Nam aliæ sunt quæ vocantur primitiuæ, q̃ exteriꝰ accidunt corpori, vt calor & frigus. Sunt & antecedentes, quæ admouentur intrinsecus in corpore, vt repletio & inanitio. Sunt & aliæ quæ vocantur coniunctæ, q̃ cum adsunt, adest infirmitas, & abeuntibus his infirmitas abest, vt putredo in febribus. Ioannitium deinceps forte ꝙ Monachus fuerit, illum numinis loco colentes: sacrosancta namq; iis temporib. fraterculorum illorum auctoritas fuit: imitati sunt omnes in vniuersum medici recentiores, easdem in suis libris cuiuis morbo assignantes. Errare autem illos vehe-

Auicennæ & illum sequentium erronea de caussarũm generibus sententia.

D menter studiosi videbunt, vbi definitionem, quam illi caussæ coniunctæ adscribũt, falsam & mendacẽ esse demonstrauerimus. Neq; enim Putredo, vt Ioannitius & Auicẽna, ꝙ se falso Galen. gloriãt esse interpretem, sentiunt, febris caussa cõiuncta exsistit, si enim esset, tunc putredine amota calor quoq; febrilis amoueret̃: quod non fit, nam si fieret tũc infrigidatio, vltima nimirũ in curatione febris medici operatio, esset superuacanea, q̃ tamẽ Galenus, vt necessariã valde post deuictam putredinẽ, adhibendã esse passim admonet. Præsertim *v. c. 89. artis paruæ*, vbi ita scribit: Eadẽ ratione in aliis tribus intemperaturis, vnum commune præceptũ obseruauimus, vt vnamquamq; prius, q̃ efficit caussam rescindamus, deinde ita ad illam quę ab eadẽ caussa facta est, ægritudinem accedamus. Quibus vtiq; verbis generatim Galenus semper caussam morbũ facientem primũ re-

Putredo nõ est caussa coniuncta febris.

E scindendam esse docet, ab ea v. & ęgritudinem a caussa factam: ita vt euidentissimum sit caussam morbi immediatam, quã coniunctam nostri appellant, auferri posse morbo adhuc remanente, quod tamen definitioni eius repugnat. Sic post rescissam putredinem, quæ febris putridæ caussa efficiens est, remanet calor febrilis accensus in corde, & per arterias ac venas in totum corpus diffusus, qui tandem quamprimũ per refrigerãtia extingui debet. Hunc sane ordinẽ in curanda febre putrida Galenus etiam *li. 11. ther. met. ca. 4.* obseruat, ita scribens: *Fieri non potest vt febris sanetur, nisi inhibita prius putredo sit. Quare summouenda putredo ipsa primum, mox febris sanari debebit.* Et *lib. 8. ca. 1.* sic dicens: *Itaq; si iam præsens febris est, sed caussa, quæ eam excitauit iam desiit, huc tantum sanandæ eius consilium dirigetur, vt refrigeretur.* Et rursus *li. 11. cap. 10. Hoc vero tempore*, inquit, *etiam vires roborare, quo*

Caussa cõiuncta potest amoueri adhuc remanente morbo.

F *& putredinem superent, & succos concoquant, studebimus.* Quod vero febris ipsius iam accensum est, id refrigerabimus. In auxiliorum enim inueniendorum ordine, vltima est quæ ab hac sumitur indicatio, quamuis alia ratione sit prima, quippe cum a febri cœperit inueniendorum præsidiorũ nunc methodus. Quibus vtiq; verbis Galenus manifeste docet, quod in ordine pręsidiorum vltima indicatio sit remouere febrem per refrigerãtia,

post amotam putredinem. Euidentissimum itaq; est si febris putrida putredinem haberet caussam coniunctã, tunc ea amota, id n. definitio vrget, submoueretur & morbus, & minime necessarium esset, iuxta Galeni consilium, ad iam factæ febris curationẽ Medicum venire. Proinde errant Auicenna ac Ioannitius, illosq; imitantes Medici, putredinem caussam coniunctam febris statuẽtes, cum iuxta Galeni dogma, nec febris putrida, nec alii morbi caussam coniunctã habeant, sed ipsimet lęsarum actionũ caussæ cõiunctę sint. Et cum illa caussa, quam coniunctã vocant, sæpius amoueatur, morbo adhuc remanente, quemadmodum de putredine demonstrauimus, falsam esse definitionẽ quã illi afferunt oportet, dicentem caussa coniuncta semota, amoueri & morbum. Quod vero crediderint Galenum in morbis statuisse caussam coniunctã, nulla alia ratione factum est, nisi q; librũ de definitionibus, & eum qui Introductio seu Medicus appellat, Galeni esse existimauerunt, in quib. sane caussæ cõiunctæ mentio fit. Sed eos libros esse spurios nemo hodie nescit, idq; alias non raro in nostris lucubrationibus testati sumus, q; in iis multa sint, quæ cum Galeni placitis ex diametro pugnent. Et certe in Græco exemplari vterq; liber inter νόθα, & Galeno falso adscripta, enumeratur. Non esse autem Galeni legitimum librum Introductorium euidentissimum fiet, si quis definitionẽ quã illic caussam cõiunctam notificare studuit, intimius expenderit. Sed verba auctoris, quisquis ille fuerit, subiecimus. συνεκτικὸν, inquit, αἴτιόν ἐστιν, οὗ παρόντος, πάρεστι καὶ τὸ νόσημα, καὶ ἐξαιρουμένου, λύεται, ὡς σκόλοψ, καὶ βέλος. quod est: *Caussa coniuncta siue continens est, quæ cum præsens est, eius quoque morbus adest, quum vero tollitur, etiam morbus euanescit, vt spina & telum.* Quæ quidem notificatio nulli grauioris auctoritatis Medico, tantum abest, vt Galeno medicorum κορυφαίῳ adscribi queat, congruit, quod in propatulo falsum sit, quod hic in exemplo pfertur. Quis enim nescit euulso telo infixum vulnus adhuc remanere? Vulnus autem esse morbum actionemq; vitiare omnibus in confesso est: continuitatis enim solutio exsistit. Iisdem pene verbis auctor libri definitionum caussam describit cõiunctam, dicẽs: συνεκτικὸν αἴτιον, ὃ παρὸν μὲν παροῦσαν φυλάττει τὴν νόσον, αἰναιρούμενον δὲ συναναιρεῖ, ὡς ὁ ἐν κύστει λίθος. id est: *Caussa coniuncta est quæ quum præsens est, præsentem quoque morbum custodit, quum vero tollitur, morbum quoq; simul tollit, vt lapis in vesica.* Quam itidem definitionem haud aliter quam priorem piaculum sit in Galenum auctorem referre, quod manifeste falsum sit, lapidem in vesica in caussarum numero collocari posse, quum morbus sit, actionem enim lædit. Quicquid enim primo actionẽ vitiat, morbus sit oportet. Et Hippocrates quidẽ inter morbos puerorũ *3. aph. 62.* lapidem vesicæ recenset. Ita plane in apertissimis cæcutimus: neq; mirum, q; nullus nobis constitutus ac proprius loquendi de rebus medicis modus sit, qualem veteres obseruasse videmus. Hi namq; duo tantum caussarum morbificarum genera esse statuunt, externam videlicet & internam, siue vt nunc loquuntur, primitiuam & antecedentem. Idipsum fecisse Galenum legimus *lib. 1. ther. method. cap. 8.* dum in eam sententiam scribit: τέταρτον δ' ἐπὶ τοῖσδε γένος τιθέσθω, τὸ τῶν νοσωδῶν αἰτίων. καὶ τούτων τὰ μὲν ἐν αὐτῷ τῷ ζώου τῷ σώματι συνιστάμενα, προηγούμενα καλείτω. τὰ δ' ἔξωθεν προσπίπτοντα προκαταρχοντα. hoc est: *Quantum vero ab iis genus statuito, quod sit morbificarum caussarum. Atque harum, quæ quidem in ipso animalis corpore consistunt, antecedentes nominet: quæ vero extrinsecus accidunt, primitiuas.* Et in lib. *de morborum caussis* ita scribens πάλιν οὖν ἐπανελθόντες ἐχώμεθα τῶν προκειμένων. ἦν δ' οἶμαι προκείμενον ἑκάστου τῶν ἁπλῶν νοσημάτων εἰπεῖν τὰς προηγουμένας αἰτίας, ἄχρι καὶ τῶν προκαταρκτικῶν. οὐδὲν γὰρ χεῖρον τοῖς οὕτω διῃρημένοις τὰς προσηγορίας τοῦ σαφοῦς ἕνεκα ἀκολουθῆσαι. τὰς μὲν δὴ κατ' αὐτὸ τὸ ζῶον, εἴτ' οὖν διαθέσεις, εἴτε καὶ κινήσεις παρὰ φύσιν, αἰτίας ὀνομάζουσι προηγουμένας νοσημάτων. τὰ δ' ἔξωθεν προσπίπτοντα, καὶ ἀλλοιοῦντα καὶ μεταβάλλοντα μεγάλως τὸ σῶμα, προκατάρχοντά τε καὶ προκαταρκτικὰ καλοῦσιν αἴτια. quod est: *Redeamus igitur ad id quod propositum nobis erat. nempe, vt singulorum simplicium morborum explicemus, tum antecedentes, tum primitiuas caussas: neq; enim fuerit absurdum, dilucidioris doctrinæ gratia, eas huiusmodi nominib. distinguere. Eas siquidem, quæ in animali ipso consistunt, siue affectus, siue motiones præter naturam, caussas nominant morbos antecedentes. Quæ vero extrinsecus adueniunt, & vehementer alterant, immutantq; corpus, eas primitiuas appellant.* Ex quibus omnibus luce clarius fit, Galenum inter morbificas caussas, coniunctam non numerasse. Et quod ea penitus fuerit eius sententia, en adamantino hoc ipsum argumento euincemus. In arte medicinali *cap. 78.* ita scribit: τὴν ἤδη γεγενημένην τε καὶ οὖσαν νόσον ἰᾶσθαι χρὴ· τὴν δὲ οὔπω μὲν οὖσαν, ἐσομένην δὲ, ἐκ τῆς κατὰ τὸ σῶμα διαθέσεως κωλῦσαι γενέσθαι. τῆς γινομένης δὲ τὸ μὲν ἤδη γεγονὸς ἰᾶσθαι. τὸ γενησόμενον δὲ, κωλῦσαι γενέσθαι. κωλυθήσεται τῆς διαθέσεως, ἀφ' ἧς γίνεσθαι πέφυκεν, ἀναιρεθείσης. ὀνομάζεται δὲ ἡ τοιαύτη διάθεσις αἰτία προηγουμένη. γεγονυῖα δὲ νόσος ἤδη, θεραπευθήσεται τῆς διαθέσεως, ὑφ' ἧς πρώτης ἡ κατὰ φύσιν ἐνέργεια βλάπτεται, λυθείσης ἣν περ δὴ καὶ φαμὲν αὐτὴν εἶναι τὴν

Morbi caussa cõiuncta carent.

Liber de definitionib. & Introductorius spurii.

Euulso telo morbus remanet.

Lapis in vesica morb. non autem caussa exsistit.

Duo tantũ caussarum genera.

Caussæ antecedẽtes. Caussę primitiuæ.

A νόσου οὐσίαν. id est: *Morbum iam factum atque existentem curare oportet: sed qui nondum quidem adest, futurus autem, is ne ab eo, qui in corpore est, affectu fiat, prohibendus. Eius vero, qui adhuc fit, quod quidem iam factum est, curare oportet. quod autem futurum, prohibere ne fiat. Prohibebitur autem sublato eo affectu, a quo fieri natura aptus est. Nominatur vero talis affectus caussa antecedens. Morbus autem iam factus curabitur, postquam affectus is, a quo primum, quæ secũdum naturam est, actio læditur, solutus fuerit, quem quidem & ipsum morbi essentiam esse dicimus.* In quibus verbis ita euidenter suam de caussa antecedente & morbo ipso sententiam declarat, vt nihil clarius dici potuerit. Primum enim affectum illum, a quo morbus fit, caussam antecedentem appellat. Affectum autem, qui actionem vitiat, morbum nominat: ita passim

B sibi similis est Galen. Alibi enim, præsertim lib. 1. & 2. ther. meth. & libro de sympt. diff. caussam & morbum ipsum, non secus quam hoc loco distinguit, sic dicens: ἐπειδὴ τὸ νόσημα διάθεσίς τις ἦν παρὰ φύσιν τὴν ἐνέργειαν βλάπτουσα, τῆς νόσου δ' αὐτῆς ἐνδέχεταί τινα προηγεῖσθαι διάθεσιν ἑτέραν παρὰ φύσιν μὲν καὶ ταύτην, οὐ μὴν κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον βλάπτουσαν τὴν ἐνέργειαν, ἀλλὰ διὰ μέσου τοῦ νοσήματος, τὴν τοιαύτην διάθεσιν οὐ νόσημα καλέσομεν, ἀλλ' αἰτίαν προηγουμένην. hoc est: *Quum morbus affectus quidam sit præter naturam, lædens actionem, fierique possit vt morbum ipsum alter præcedat affectus, qui & ipse quidem sit præter naturam, neque tamen suapte ratione, neq; per se, sed interueniente morbo lædat actionem, hunc affectũ non morbum, sed caussam quæ morbum antecedit, vocabimus.* Si itaq; affectus is qui morbũ facit, caussa antecedens dicitur, quis iam caussæ cõiunctæ locus sit nõ video, nisi is affectus sit, qui actionẽ vitiat: at ita a morbo nihil differet, q̃ dictu absurdissimũ est, idem enim eiusdem respectu & morbus & caussa esse non potest. Verissimum igitur est

Idẽ eiusdem respectu & morbus & caussa esse non potest.

C quod dicimus, Galenum caussam cõiunctam in morbis ne somniasse quidem, quod secundum huius sententiã affectus actionẽ impediens morbus sit, & minime caussa morbi. Proinde non immerito a nobis taxatur Auicenna, quemadmodum Montuus putat, qui hoc loci iterum ineptire, ac sua contra nos somnia producere non veretur: hic enim cum Galeni se interpretem faciat, debuit ab eo quem interpretatus est, non tam leuiter, & præter omnem rationem dissentire, maxime cum *Fen. secundo, Can. 1. doct. 1. capite secundo* morbum haud secus quam ille descripserit, affectum esse actiones impedientem dicens. Ceterum iniuriam mihi a Montuo fieri, quod librum Introductorii & definitionum me inter Galeni cõmentarios numerasse ait, nemo est, modo lucubrationes meas obiter saltem legerit, qui ignoret, ita vt apertum mendacium multa confutatione non

D egeat. Verum cum Montuus ex caussæ coniunctæ descriptione sequi non videat illam a morbo magna ex parte nihil differre, atq; adeo esse affectum actionem lædentem, etsi hoc ipsum antea demonstrauerimus, tamen denuo, quod videre non potest, plenius ostendemus. Si caussa cõiuncta est, q̃ cũ adest, simul adest & morbus, & quæ si abest, morbus quoq; abest, tunc nihil differt ab affectu, a quo primum ea, quæ secundum naturam est, actio læditur, nã vt ex Galeni verbis paulo ante ex arte medicinali citatis liquet, morbus iam factus aufertur, vbi affectus ille, qui certe nihil aliud est nisi ipsa morbi essentia, vel morbus ipse, tollitur. Adeoq; sequitur affectum illũ qui morbum seu affectum illum a quo actio impeditur, creat, non dici caussam coniunctã, sed antecedentem, & is etiam remanente adhuc morbo tolli põt, vt supra de putredine monstratũ est. Quare vel caussam coniunctam Auicenna & sui sequaces abnegent, vel vitiatam actionem, q̃ Galenus

Caussa cõiuncta a morbo nihil differt.

E improbat, morbũ esse statuant oportet. Animaduertant hic oro studiosi, quam parum sibi constet Montuus, dum alibi negasse, alibi statuisse Galenum caussam coniunctam impudenter mentiens ostendere conatur, cum tamen cõstet, nullibi locorum caussam coniunctam in morbis statuisse Galenum. Et proh pudor, q̃ demẽtia est asserere humorem putrescentem febris caussam esse mediatam, calorem a. in corde succensum continentem seu immediatã, quũ vtrumq; falsissimũ sit? Putredo enim immediata caussa febris est. Ex putredine enim, vt ait Galenus de morborũ caussis, calefiũt tum corpora reliqua omnia, tum maxime semina, & stercora. Calor autẽ ille immodicus non caussa immediata est, sed ipse morbus, qui scil. actionẽ impedit. Piget me in tam puerilibus refel-

Montuus sibi non cõstat.

Putredo caussa febris immediata.

F lendis occupatũ esse debere, præsertim cum sexagenarius illa deblateret senex. Porro nullam esse in morbis caussam coniunctã latenter innuit Montuus, cum morbũ rem permanentem facit, id q̃ ita monstramus: Rerum permanẽtium non sunt caussæ cõiunctæ, morbi sunt res permanentes, non habẽt igitur caussas coniunctas. Non esse autẽ rerum permanentium caussas cõiunctas, inde satis liquet, quod nõ possunt simul cũ suis caussis

Rerum permanẽtium non sunt caussæ coniunctæ.

auferri. Morbos autē esse res permanentes, fatetur Montuus ipse, & idem docet etiam Galenus. Morbi enim affectus sunt. Affectus autem, vt ait Galenus lib. de symptom. differ. constans & permanens est. Imo *lib. 2. method. medendi cap. 3.* disertis verbis, sanitatem & morbum ex constantium & permanentium numero esse ait. Morbus autem qui adhuc fit, nō dicitur morbus iuxta Galenum, sed pathos, vt videre licet loco iam citato, & lib. 2. ther. metho. Falsum præterea est quod Montuus caussam coniunctam in morbis Galenum *lib. 1 de sympto. caussis* statuere ait, neq; enim vllibi eius meminit. Morbum quidem symptomatis esse caussam coniunctam illic statuit, id quod nos etiam fatemur. Septimo quoque aphorismorum. *com. 30.* caussæ quidem coniunctæ mentionem facit, at non vt morbificæ, sed tantum vt spumosæ pituitæ. Sic & in libro de pulsibus caussæ cōiunctæ mentio fit, quod pulsus vtpote ex fientium numero, habere caussas coniunctas indubitatum sit. Proinde parum quid dicatur hoc loco animaduertit Montuus, nobis enim de morbificis, huic vero de quarumuis rerū caussis coniunctis sermo est. Stat itaq; firma adhuc sententia Galeni, nullam plane in morbis esse caussam coniunctā, quicquid Arabes, ac barbarissimi illorum sectatores nugentur. Fatemur autem iuxta definitionē, morbum actionis læsæ quæ symptoma est, caussam cōiunctam dici posse. Perinde enim vt morbo posito, actio quoq; læsa ponitur, ita illo remoto, & hæc etiam remouetur. Atqui morbi ipsius plane nullam esse caussam coniunctam constanter affirmamus. Exquisitiorem & copiosiorem eius rei tractationem studiosi in eo libello quem de caussa continente edidimus, & in eo etiam, quē filius meus Fridericus, aduersus Iacobum Schegkium scripsit, reperient.

Medicos iuniores repletionis species confundere, neque quod turpe admodum est, easdem recte definire. CAP. II.

Nostræ tēpestatis medicorum repletionis diuisio erronea.

NOstrę ætatis Medici duplicem faciunt repletionem, vnam quidem ad vasa, alteram vero ad virtutem nominantes. Quæ ad vasa fit, alio nomine repletionē in quantitate appellant: eam vero quæ ad virtutem, in qualitate repletionē vocant. Quæ in quantitate fit Plectoriam, ita enim loquuntur, alio nomine dicunt, quemadmodum eam quę in qualitate fit, Cacochymiam. Plectoriam seu repletionem in quantitate describunt esse, vbi omnes simul humores sua quantitate excedunt, aut vnus tantum. Cacochymiā autem vbi humores sua qualitate tantum, puta caliditate vel frigiditate, humiditate aut siccitate exsuperant. Hæc quidem iuniorū de repletione sententia est, q̄ quam erronea sit satis cōstabit, vbi primū quid repletionis nomine intelligendum sit explanauerimus.

Repletio quid. πλῆθος. πλεονεξία.

Repletionem hoc loco magis generatim inaudire oportet, q̄ vt cum plenitudine coincidere possit, quam Galenus πλῆθος καὶ πληθώραν nominat, vt sit eadem cum ea q̄ Hippocrati, & Galeno πλεονεξία, latinis redundantia dicit. Id quod ideo monendum esse duxi, ne scil. quis temere me postea cacochymiā inter species repletionis enumerantē ignorantiæ arguere, ac plane obtrudere Galenū queat, hanc neq; plenitudinem, neq; plethorā vocari posse in libro de plenitudine asserentē. Lōge enim alia nobis ratione hoc loco de repletione sermo fit, quam Gal. illic de plenitudine, quam duplicē tantum facit, quemadmodum *in li. de curandi ratione per sanguinis missionē, & com. 17. secund. aphor. tomi.* Neq; n. simpliciter de eo quod redundat in eo libro agit, sed tantū de plethora plenitudine, quę est humorū in animātis corpore abundātia, vel vasa extendens, vel vires grauās. Adeoq; repletio generalius multo quā plenitudo vocabulū est, q, hoc ad plethoram, & ad vires, multitudinem tantum, illa vero vltra iam dicta, ad qualitatis redundantiam & cacochymiam quoq; genus sit. Quare repletionē hoc loco de omni eo quod in corpore redūdat dictum esse, genusq; ad plenitudinē exsistere, atq; idem quod redundantia significare, & minime cū illa in significato coincidere intelligamus, atq; ex veterū sententia eam ita

Repletio duplex.

diuidamus. Repletio seu redundantia duplex est, vna in quantitate, altera in qualitate. Repletio in qualitate, in qua nuda qualitas citra humoris affluxum iustā mensuram excedit. In quantitate vero, vbi cibi potusue, aut humoris in corpore tanta est quantitas, vt nobis molestiam exhibeat, vel morbum aliquem cōciliet. Hęc duum est generum. Vna quidem cibi, quæ Græcis πλησμονὴ, Latinis satietas vel saturitas dicitur. Atq; hæc vtiq; gemina est, ad vasa scilicet, & ad vires. Altera autem humoris, quæ Græcis vt cōprehensum est, πλῆθος καὶ πληθώρα, Latinis plenitudo & multitudo vocatur. Repletio vero siue redundantia

A dantia in quantitate iterum diſſecari poteſt in eam, quæ cacochymia dicitur, & eam quę plenitudo. Plenitudo rurſus duplex, vna ad vaſa, altera ad vires. Et hæc ſane optima eſt repletionis diuiſio, nihil a Galeni ac aliorum veterum dogmate varians. Cacochymia autem, quæ Græcis nihil aliud ſonat, quam ſuccorum vitium, a Gal. lib. 13. the. meth. ca. 3. iis verbis deſcribitur: ὅταν ἤδη ξανθῆς χολῆς, ἢ μελαίνης, ἢ φλέγματος, ἢ ἰχῶν ὀῤῥωδῶν ὑγρῶν μεστὸν γένηται τὸ σῶμα, κακοχυμίαν οὐ πληθώραν καλοῦσι τὴν τοιαύτην διάθεσιν. quod eſt: *Vbi vel flaua bili, vel nigra, vel pituita, vel ſeroſis humoribus refertum eſt corpus, eum habitum cacochymiam, & non plethoran nominant.* Plenitudinem vero ita definit: ὅταν μὲν ὁμοτίμως ἀλλήλοις αὐξηθῶσιν οἱ χυμοὶ, πλῆθος τοῦτο καὶ πληθώραν ὀνομάζουσι. id eſt: *Quando æquabiliter inter ſe ſucci adaucti ſunt, id & plenitudinem, & plethoran, ſeu ſuccorum redundantiam vocant.* Si itaque ſucci ita æquabiliter adaucti fuerint, vt

Plenitudo duplex.

Cacochymia quid.

Plenitudo ſeu multitudo quid.

Ad vaſa.

Ad vires.

B lata vaſorum ſpatia diſtendant, tum plenitudo ſeu multitudo ad vaſa dicitur. Vbi autem illorum extuberantia tãta eſt, vt vires grauare poſſit, tunc multitudo ſeu plenitudo ad vires appellatur. Adeoq; altera plenitudo locum continentem reſpicit, altera vero vires. Eius quæ locum continentem reſpicit, tanta oportet copia ſit, vt omnino ferri nequeat: eius autem quæ vires, tanta vt grauet. Proinde quemadmodum, qui onus geſtat, non protinus, vbi grauatur ac fatigatur, iam cecidit, & victus ab eo eſt, ad eundem modum ſi virtus a plenitudine grauatur, fieri poteſt, vt nondum ægrotet. Haud aliter in libro de plenitudine iam dictas repletionis ſpecies deſcribit Galenus, dum ita ſcribit: μόνη εἴποτε πλεονάσει ἡ ὠχρὰ, καὶ ξανθὴ προσαγορευομένη χολὴ, καθάπερ ἐν ἰκτερικοῖς, οὐκ ἔτι πλῆθος, οὐδὲ πληθωρικὴ διάθεσις, ἀλλὰ κακοχυμία τὸ τοιοῦτον πάθημά ἐστι. κατὰ ταῦτα δὲ καὶ ἐπὶ τῆς μελαίνης χολῆς καὶ τοῦ φλέγματος. ὅταν δὲ, ὡς

C εἴρηται πρόσθεν, ἢ βάρος, ἢ ὄγκος ὑπὲρ τὸ κατὰ φύσιν ᾖ, πληθωρικὴ μὲν ἡ τοιαύτη διάθεσις εἴρηται. hoc eſt: *Si ſola pallida bilis, quam & flauam nominant, aliquando ſuperauerit, vt in regio morbo laborantibus, non adhuc plenitudo, neque plethoricus affectus, ſed cacochymia huiuſmodi vitium eſt. Hoc pacto in atra bile & pituita dicendum. Vbi vero, vt antea dictum eſt, vel grauitas, vel tumor ſupra naturam ſit, plethoricus quidem talis affectus dicetur.* Ex quibus omnibus conſtat, multifariam in repletionum ſiue redundantiarum nominibus aberraſſe iuniores. Primum enim repletionē ſiue redundantiam cum plenitudine confuderunt, quod minime faciendum erat, quum hæc ſpecies, illa vero genus ſit. Deinceps, quod cacochymiam inter plenitudinis ſpecies collocarint, quam tamen plethoram, vt antea oſtendimus, non eſſe liquet. Hallucinantur quoque, quod plethoran eſſe definiunt, vbi vnus humor abundat, cum ex iam dictis manifeſtum ſit, plethoram ſeu plenitudinem fieri, vbi æquabiliter ſucci ad-

Iuniores in repletionū nominibus multifariã errauerunt.

D aucti ſint, quod non ita intelligēdum erit, quaſi eo pacto adauctos eſſe oporteat, vt vnus alium proportione non excedat: ſed quod increuiſſe omnes neceſſe ſit, ſi plethoræ nomen mereri debeant. Proinde nihil obſtat, ſi vnus ex illis proportione exceſſerit reliquos, modo omnes adaucti ſint: & id ſane ὁμοτίμως dictio, quæ æquabiliter interpretatur, hoc loco ſignificat. Teſtis huius rei Gale. eſt, qui *in li. de plenitudine* ſic ſcribit: πλεονεξία δέ ἐστι τὸ πλῆθος τῶν καθ' ὅλον τὸ σῶμα τοῦ ζώου χυμῶν. οὔτ' οὖν τῶν κατὰ μέρος ὄγκων, οὔτε κακοχυμίας ἀκούειν χρὴ ποθεῖν ἐν τῷ λόγῳ τῷδε τὰς ἰδέας, ἀλλ' ὅταν ἤτοι κατὰ τὴν ἀρχαίαν ἀναλογίαν αὐξηθῶσιν ἅπαντες, ἤ τινα βραχεῖαν ὑπεροχὴν ἐξ αὐτῶν εἷς λάβοι. τὸ μὲν οὖν αἷμα παμπόλλην ὑπεροχὴν δύναται λαβεῖν, ἐν ταῖς πληθωρικαῖς διαθέσεσι, τῶν δὲ ἄλλων χυμῶν οὐδείς. id eſt: *Plenitudo eſt humorum in animantis vniuerſo corpore abundantia. Neq; igitur particularium tumorum, neq; vitioſi ſucci ſpecies in hoc ſermone audire deſiderandum eſt, ſed cum v-*

ὁμοτίμως.

E *niuerſi iuxta priſtinam proportionem increuerint, vel exiguum quendam exceſſum vnus inter eos acceperit. Itaq; ſanguis in plethoricis ſtatibus vehementer poteſt præcellere, aliorum humorum nullus.* Ceterum cum fere ſemper contingat in plethoricis diſpoſitionibus, vt vnus aliquis humor ceteros excedat, docet eodem lib. Galenus plenitudinis ſpecies ita diſtinguere: τὰς δὲ ἰδέας, inquit, τοῦ πλήθους ὅταν γε ὁμαλῶς ἐκτεταμένον εἰς ὅλον τὸ σῶμα ᾖ, κατὰ δὲ διαιρεῖσθαι. ἐξέρυθρον μὲν γὰρ τὸ τοῦ αἵματος πλῆθός ἐστιν, ὕπωχρον δὲ τὸ τῆς ξανθῆς χολῆς. ἐπὶ δὲ τὸ λευκότερον ἐκτρέπεται τοῦ κατὰ φύσιν, ὅταν τὸ φλέγμα κρατεῖ, καθάπερ ἐπὶ τὸ μελάντερον, ἣν ἡ μέλαινα χολή. καθ' ἕκαστον δὲ τῶν εἰρημένων συνηυξῆσθαι χρὴ τὸ αἷμα. quod eſt: *Ipſas plenitudinis ſpecies, cum totum corpus æqualiter humoribus diſtentum fuerit, hoc modo diſtinguere oportet. Rubicunda ſiquidem ſanguinis plenitudo eſt, ſubpallida vero, flauæ bilis.*

Plenitudinis ſpecies, vt diſtinguēdæ.

F *Albeſcit ſupra naturalem habitum quum pituita excedit: quemadmodum nigreſcit, vbi atra bilis ſuperat. In ſingulis autem commemoratis ſanguinem ſimul coauctũ eſſe oportet.* Proinde ſi ſanguinem ſemper ſimul coauctũ eſſe in plenitudine oportet, fieri non poteſt, vt vnus tantum humor plethoram ſeu plenitudinē, ſicut iuniores exiſtimauerũt, facere poſſit, quũ ſanguini oēs humores alii cõmixti ſint. Quapropter vbi vnus tantũ abundat humor, tum

cacochymia dicitur, quemadmodũ Galenus post verba iam citata docet, & paulo supra A eius sententia adscripta est. Sed hoc loco posset quispiam in hũc modum iam dictis obstare. Fateor quidem neq; solam pituitam, neq; vtramq; bilem solas, plenitudinem dici posse: solus autem sanguis vehemẽter adauctus, ita vt venæ amplius distendi nõ possint, plethora dicenda est. Cui ita responsum volo. Licet tantum sanguinis incremẽtum, *vt testatur Gal. in lib. de plenitudine*, vt venę distendi amplius non possint, exacte loquendo, plethora dicenda non sit, sed πολυαιμία, πληθώρα γὰρ πλεονεξία χυμῶν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι συνισταμένη. i. *Plethoria enim humorum in toto corpore redundantia est*, vt idem ait: atq; adeo si humorum est abundantia, non vnius erit: contingit tamen interdum, vt in sanguine solo plethoræ generatio statuatur, idq; dum fit, sanguinis copiam per excellentiam dictam esse putandum erit, non segregando, vt diximus, reliquos humores, qui simul cum illo in venis B continentur, cumque eo pariter abundant. Nunquam enim syncerus in venis sanguis continetur. Proinde idem est dicere humores, & sanguinem abundare. Testis est Galenus, qui libro iam sæpius nominato ita inquit: ἀδύνατον οὕτως ἀκριβὲς αἷμα ποτὲ περιέχεσθαι κατὰ τὰς φλέβας, ὡς μηδὲν αὐτῷ μήτε χολῆς ἐμφέρεσθαι, μήτε φλέγματος, μήτε ὀῤῥώδους ἰχῶρος. ὅθεν ἐγὼ κἂν τοῖς ἔμπροσθεν ἠξίουν ὡσαύτως ἀκούειν, εἴτε τοὺς χυμοὺς πλεονάζειν, εἴθ' αἷμα φήσαιμι. τοῦ γὰρ ἀμίκτου καὶ καθαροῦ τῶν ἄλλων ὑγρῶν αἵματος οὐδέποτε ἐν ταῖς φλεψὶ περιεχομένου. quod est: *Fieri non potest tam exacte sanguinem vnquam in venis contineri, vt nihil vel bilis, vel pituita, vel serosa saniei inferatur. Vnde & ego in superioribus idem intelligi volo, siue humores, siue sanguinem abundare dixerim: quippe immixtus, & ab alijs humoribus syncerus sanguis nunquam in venis detinetur.* Ex iam dictis & Montui delira- C mentis occurri potest, dum in plethora humorum omnium non ex æquo semper abundantiam esse contendit, quod in ea sanguis vehementer præcellere possit, Galeno teste, aliorum humorum nullus. Nam nihil obstat quin phlethora dici possit, etiamsi vnus humor reliquis antecellat, vt antea abunde demonstrauimus: satis enim est vt omnes ex æquo, hoc est simul, & non vnus tantum auctus sit. Cur autem sanguis in omnibus plethoricis statibus præcellat, nulla alia ratio est, nisi quod is semper reliquis humorib. vt recte in problematis Aphrodiseus asserit, largior sit. Hinc cum omnes increscunt humores, quid mirum si sanguis, vtpote copia sua ceteros vincens, in plethora vehementer præcellat. Proportio enim eius ad reliquos humores nunquam non maior existit. Quid multis opus est? in plethora non ita ex æquo se habent humores, vt omnium D æqualis sit copia, semper enim sanguis largior, dein pituita, tertio bilis flaua, & postremo atra, sed quod secundum iam dictam proportionem omnes simul augeri & increscere contingat. Vnus enim tantum si redundauerit, tum non plethora, sed cacochymia vocatur. Ita nemo nõ videt nihil plane illorum, quę diximus, intellexisse Montuũ, minimeq; falsum esse, vt ille impudenter contendit, in plethora ex æquo seu simul omnium humorum abundantiam esse. Porro errant iuniores Medici, quod in cacochymia humores tantum sua qualitate molestare putant, cum satis constet eosdem etiam sua quantitate nocere, vt de flaua bile in morbo regio affectis liquet. Alia vtiq; est repletio in qualitate ab ea quæ cacochymia dicitur, veluti ex supra dictis satis manifestũ est. Nec minus errant, dum cacochymiam repletionem ad virtutem nominant, quando E antea ostensum sit cacochymiam non posse simpliciter dici plenitudinem, multo minus ad virtutem, ita vt plane ab illa differat. Hactenus itaq; ex Galeni ac veterum sententia repletionum nomina, quæ a nullo hactenus ita explicata esse constat, enarrauimus, idq; non ab re, quod iis ipsis exacte cognitis, cuiq; etiam sua curatio facile adhiberi queat. Redundantia enim in qualitate, alteratione tantum, manente adhuc substantia, curatur. Cacochymia vero purgatione, quæ cuiq; superanti succo sit accommoda. Plenitudo seu plethora tum sanguinis missione, tum frequenti balneo, & aliis quibusdã, quæ a Galeno *lib. 13. the. meth. cap. 3.* enumerãtur. Vnde iterum abunde dilucidum fit, cacochymiam a repletione in qualitate, & ab ea quæ ad virtutem dicitur, differre, diuersas namq; curationes habent. Vnius autem & eiusdem morbi diuersa curatio esse non potest. Sed ea de re satis, plura enim ad hanc rem pertinentia *lib. 2. Institutionum nostrarum sect. 6. cap. 1.* diximus. F

Obiectio diluitur.

πολυαιμία quid.

Nunquam syncerus sanguis in venis continetur.

Montui obiectiones diluuntur.

Sanguis reliquis humoribus largior.

In cacochymia humores non tãtum sua qualitate molestant.

Repletionũ curationes.

Quandocunq; vtriuq; auxilijs, & vena scilicet sectione, & purgatione opus erit, tum venam potius incidendam ante purgationem, quam purgandum ante venæ sectionem esse, contra omnium ferme hodie medicinam facientium sententiam.

CAP. III.

Nemo

A NEmo fere nostra tempestate Medicorum est, qui non tam in iis, quos a morbis præseruare, quam in illis quos a iam correptis curare studet, venam ante purgationem incidendam esse confidenter consulat. Et eousq; animos vulgi etiã hoc irrepsit dogma, vt nullus hodie sit qui non idipsum sequi tuto posse sibi persuaserit: tantum inueterata, etiamsi pessima sit, consuetudo potest. Quantum autem ea in re aberrent, probe nouit quisquis veterum scripta paulo intimius cognouit. Neq; enim illos venam post purgationem incidisse, sed plane contra purgationem post venę sectionem adhibuisse, modo vtrisq; opus fuerat, legimus. Ita Hippocrates *lib. 4. de rat. victus in morbo acuto, aphor. 18.* vbi morborum, qui primum sanguinis egent missione, deinde ab ea purgari expostulãt, catologum recenset, fecisse cõstat. Nam illic sic scribit: οὐ δύνανται λύεσθαι ἤν τις πρότερον ἐπιχειρέῃ φαρμακεύειν, ἀλλὰ φλεβοτομίη τῶν τοιῶνδε ἡγεμονικόν ἐστιν. ἔπειτα δὲ ἐπὶ κλυσμῶν ἤν μὴ μέγα καὶ ἰσχυρὸν τὸ νόσημα ᾖ. εἰ δὲ μὴ, καὶ ὕστερον φαρμακείης δεῖ, δέεται δὲ καὶ ἀσφαλείης καὶ μετριότητος μετὰ φλεβοτομίην φαρμακείης. id est: *Solui non possunt si quis primum purganti medicamento vti aggressus fuerit, nam venæ sectio in his præferenda venit. Deinde ad clysterem procedendum, si magnus & vehemens fuerit morbus. Si vero non, & postea medicamento opus sit, sane id post sanguinis missionem secure & mediocriter adhibendum.* Mox autem rationem subiungit, dicẽs: ὁκόσοι καὶ τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων εὐθέως ἐπιχειρέουσι λύειν φαρμακείῃ, τοῦ μὲν ξυντεταμένου καὶ φλεγμαίνοντος οὐδὲν ἀφαιρέουσιν, οὐ γὰρ ἐνδιδοῖ, ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. τὰ δ᾽ ἀντέχοντα τῷ νοσήματι καὶ ὑγιεινὰ συντήκουσιν. ἀσθενέος δὲ τοῦ σώματος γιγνομένου, τὸ νόσημα ἐπικρατέει. ὁκόταν δὲ τὸ νόσημα ἐπικρατήσῃ τοῦ σώματος, τὸ τοιόνδε ἀνήκεστως ἔχει. hoc est: *Quicunq; ea quæ inflammantur statim inter morborum initia medicamento soluere conantur, ij ab distenta inflammataq; parte nihil auferunt, non enim affectus, vtpote crudus, remittitur dissipaturve; ac ea quæ morbo aduersa & sana sunt, colliquescunt, ductoq; ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.* Præterea nunquã non Galenus, vbi & venæ sectione & purganti medicamento opus fuit, ad sanguinis missionem ante medicamentum peruenit, id quod luce clarius videbit qui quartum eiusdem de tuenda valetudine librum diligenter perlustrabit: Hic enim lassitudinis species curare docens, non semel, sed iterum atq; iterum a sanguinis detractione auspicatur, dein quoq; aluum medicamento deiicit. Sed ne quis a nobis excogitatum putet, ecce verba Galeni subiiciemus: ἂν μὲν ὀλίγον ὑπάρχῃ τὸ χρηστὸν αἷμα, πλεῖστος δ᾽ ἄλλος τις χυμὸς, ἀφίστασθαι τῆς φλεβοτομίας. ἂν δ᾽ οὗτος μὲν ὀλίγος ᾖ, δαψιλὲς δ᾽ ὑπάρχει τὸ αἷμα, θαῤῥούντως χρῆσθαι ταῖς φλεβοτομίαις. εἶθ᾽ οὕτως ὡς εἴρηται πρόσθεν ὑπάγειν γαστέρα, πρός τε τὸ πλῆθος ἀφορῶντα, καὶ τὴν ἰδέαν τοῦ πλεονάζοντος χυμοῦ. quod est: *Siquidem bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus plurimus, vtique in his a detractione sanguinis abstinendum est. Sin ijs quidem exiguus fuerit, sanguis vero copiosus, audacter incidenda vena est. Dein aluum, vt dictum est, deijcere oportet, ratione habita de abundantis succi copia, pariter & specie.* Et paulo post: μάλιστα μὲν οὖν ὡς εἴρηται ἐχρῆν τοῦ αἵματος ἀφελόντα, καθῆραι τὸν τεῦθεν ἐκεῖνον τὸν χυμὸν, ὃς ἂν ἐπικρατεῖν φαίνεται. μὴ προσιεμένου δὲ τὴν τοῦ αἵματος ἀφαίρεσιν, αὐξῆσαι τὴν κάθαρσιν. id est: *Maxime ergo, vt dictum est, detrahere primo de sanguine oportet, dein succum illum educere qui superare videtur. Non sustinente autem homine sanguinem sibi detrahi, augeri deiectionem.* Idem quoque faciendum docet in suis commentariis quos in sextum Hippocratis Epimion librũ edidit. In his enim comment. quinto de venæ sectione & purgatione loquẽs ita scribit: εἰ δ᾽ ἀμφοῖν αὐτὸς ἄνθρωπος δέοιτο τῶν βοηθημάτων, ἔνδηλόν ἐστιν ὡς ἀπὸ φλεβοτομίας ἀρκτέον ἐστί. hoc est: *Si homo vtrisq; auxilijs opus habuerit, tum manifestum est quod a venæ sectione auspicandum sit.* Quid oro iis verbis apertius? quid denique receptum iam dogma magis impugnat, atq; explodit? Verum vt & ratione nostram sententiam firmemus, videant quid ea de re auctor eius libri, qui de renum affectuum dignotione & medicatione inscribitur, statuat. Is enim etsi Galenus non fuerit, apparet tamen fuisse vir apprime doctus, veterumque, Hippocratis præsertim, diligens imitator. Scribit vero in hũc modum: εἰ δὲ οἱ τέσσαρες χυμοὶ πλεονάζουσι, πρότερον φλέβα τέμνειν πρὸ τῆς καθάρσεως, ἢ καθαίρειν πρὸ τῆς φλεβοτομίας. quod est: *Si quatuor humores iuxta abundauerint, potius vena incidenda ante purgationem est, quam purgandum ante venæ sectionem.* Et subiungit mox rationem dicens: ἐπειδὴ εἰ προκενώσομεν διὰ φλεβοτομίας τὸ σῶμα τὸ καθάρσιον διδόμενον εὑρίσκει τὰς φλέβας, καὶ τὰς ἀρτηρίας, καὶ τὰς κενὰς χώρας μὴ πεπληρωμένας, καὶ διέρχεται ἀκωλύτως ἐπὶ ὅλον τὸ σῶμα, καὶ ἕλκει τοὺς χυμούς. καὶ ῥᾴση γίνεται ἡ κένωσις αὐτῶν διὰ τὴν εὐρύτητα τῶν ἀγγείων καὶ τὴν χύσιν καὶ λεπτότητα τῶν χυμῶν. εἰ δὲ πεπλήρωται ἀπὸ τοῦ αἵματος τὰ ἀγγεῖα, καὶ δώσεις καθάρσιον, οὐ δύναται διελθεῖν διὰ τὴν πλήρωσιν, ἀλλ᾽ ἕσταται, καὶ οὐδὲν ποιεῖ, ἢ κακῶς ποιεῖ ὃ ποιεῖ. quod est: *Quandoquidem quum sanguinis missione corpus primo vacuatum est, medicamentum purgans exhibitum, venas & arterias, inanesq; corporis regiones inuenit minime oppletas, quo fit vt absq; vllo impedimento in totũ corpus dimanet, succosq; attrahat: facilima quoq; fit earũdẽ per vasorũ latitudinẽ seu spatia, fusionẽ, & tenuitatẽ succorũ, euacuatio:*

Secanda vena ante purgationem.

Margin letters: B, C, D, E, F

Nam si vasa sanguine repleta sint, & purgatorium dederis medicamentum, non poterit A
ꝑpter plenitudinẽ in corpus differri, sed subſtat, & nihil efficit, aut id quod efficit, male efficit. Hac siquidem ratione nihil efficacius esse poteſt, nam ita aduersariorum sententiam expugnat, vt nullus plane sit qui contra mutire audeat, aut queat, etiamsi maxime id facere cupiat. Et mirum certe admodum eſt, cur nõ Auicennæ ea in re consiliũ secuti fuerint, quem tamen in aliis tanquã ducem optimum sequuntur, qui *Fen. 1. Can. 3. tract. 1. ca. 29.* de canonibus vniuersalibus idem etiam docuit, quod veteres iam docuisse mõstrauimus. Inter reliqua enim sic inquit: Etsi alii etiam dominentur humores, tamen ab ea incipimus, quoniam phlebotomia eſt communis humorum euacuatio. Cogitent itaq; nostri seculi Medici, quanto hactenus in errore versati sint, dum passim omnibus maxime iis, quos ab imminenti morbo præseruare studuerunt, purgationem ante venæ sectionem adhibendam esse docuerunt, & resipiscant tandem, iuxtaq; veterum præscriptum ac veram medendi rationem, sanguinis missione primum, vbi nimirum vtrisque præsidiis opus erit, vti discant. B

In internorum viscerum phlegmonibus tutius rectiusq; e directo, quam in opposito latere, contra Arabum, ac recentiorum ferme omnium sententiam, venam secandam esse, idq; non modo vacuandi, sed & reuellendi gratia faciendum.

Cap. IV.

AVicenna loco præcedenti, capite citato, communissimi eius erroris, quem omnes fere hodie medicinã exercentes sequunt̃, auctor fuisse videtur, dum venæ sectionẽ in contraria doloris parte fieri debere suadet. Hunc & alii Arabes veluti ducem imitati sunt, illosq; superioris ætatis Medici ex æquo omnes, licet nonnihil diuersi inter se fuerint, id quod horum scripta abunde teſtantur. Quantum autem a vera medẽdi ratione aberrarint, conspicuum fiet, vbi veterum Græcorũ medicorũ ea de re sententiam ꝓducemus, rationibusq; Arabum tandem opinionem explodemus. Breuiores autẽ erimus, quod fusius, imo ita copiose vt nihil desiderari possit, in apologia noſtra contra Hieremiã Thriuerum Brachelium illã & aliis multis locis confutauerimus. Peruersam itaq; hanc Arabum, recentiorumq; sententiã, in internorum viscerum phlegmonibus venã ex opposito latere secandam esse, in primis explodunt ea, quę de curatione pleuritidis & peripneumoniæ scribit Hippocr. *lib. 4. de rat. vict. in morb. acu. aph. 67.* dicẽs: ἢν μὲν ὀδύνη ἄνω πειραίνῃ πρὸς κληῖδα, ἢ περὶ μαζὸν ἢ βραχίονα, τέμνειν χρὴ τὴν ἐν τῷ βραχίονι φλέβα, τὴν εἴσω, ἐφ' ὁπότερον ἂν ᾖ τῶν μερῶν κατὰ τόδε. id eſt: *Si dolor sursum penetrauerit ad clauiculam, mamillam, vel brachiũ, internam brachij venã secare oportet, ab ea videl. parte quæ dolore fuerit affecta. Et in li. primo de morbis*, vbi itidem de iam dictis affectibus agit, in eum modum scribens: ξυμφέρει τὴν φλέβα ἀποσχάσαι τὴν ἐν τῇ χειρὶ, τὴν σπληνίτιν καλεομένην, ἢ τὴν ἡπατίτιν, καθ' ὁποτέρην ἂν εἴη τὸ νόσημα, καὶ οὕτως ἡ ὀδύνη μαλακωτέρη γίνεται τοῦ πλευροῦ τε καὶ τῶν ἄλλων, id eſt: *Lienarem vocatã venam, vel iocinoralẽ in manu secare cõfert, qua morbus fuerit, sicq; dolor lateris & aliorum lenitur. Quod autẽ his locis in pleuritide & peripneumonia faciendum suadet, hoc in sexto epidemion, aphor. 7.* in omnibus doloribus simpliciter esse tentandum docet, nimirum ex proximis loco dolenti venis sanguinem detrahendum fore. Verba eius hæc sunt: ὀδυνέων τὴν ἐγγύτατα κοιλίην καθαίρειν, αἵματος δὲ κοιλίην διαιρεῖν. hoc ẽ: *Dolorum proximum ventrem purga, sanguinis vero ventrem seca.* Quare autem non ex distantioribus venis, vt quidam temere docent, sanguinem mittendum docuerit, nulla alia ratio eſt, nisi ea, quam Galenus in libro de artis conſtitutione affert, ita dicens: ἡ γὰρ τῶν ἐγγυτάτων τε καὶ κοινῶν τῷ πεπονθότι μορίῳ φλεβῶν κένωσις ἀρίστη τε καὶ ῥάστη. quod eſt: *Quoniam ex proximioribus & communibus laborantis partis venis, vacuatio optima & facilima.* Atqui ne quis hic dicere queat, verum esse euacuationis ratione ex proximioribus venis sanguinem detrahendum esse, reuulsionis autem gratia ex diſtantioribus, aut saltem parti laboranti opposita: age demonſtremus & eam venæ sectionem, quæ reuellendi etiam caussa fit, e directo locis laborantis faciendam esse. Galenus siquidem *libro secundo ad Glauconẽ ca. 7.* euidẽtissime vtrumq; euacuationis gen⁹ per cõmunes fieri debere venas ꝓcipit, dũ sic scribit: τῶν μὲν ἐπιρρεόντων ἡ ἀντίσπασις, οὕτω γὰρ ὁ Ἱπποκράτης ὀνομάζει, τῶν δ' ἤδη κατειληφότων τὸ μόριον ῥευμάτων ἡ παροχέτευσις ἴαμα. ἄμφω δὲ τὰ εἴδη τῆς κενώσεως διὰ τῶν κοινῶν ποιεῖσθαι κελεύει φλεβῶν. διὸ ἂν τὰς ἐκ μήτρων ἀντισπάσεις, εἰ τὴν ἐν ἀγκῶνι τέμνοις φλέβα, ἢ παρὰ τοὺς τιτθοὺς σικύας προβάλλοις, ἢ εἰ τὰς χεῖρας θερμαίνοις τε καὶ ἀναλείφαις καὶ διαδήσεις. παροχετεύσεις δὲ τὰς ἐν ἰγνύαις ἢ σφυροῖς διαιρῶν, καὶ σικύας μηροῖς προσβάλλων, καὶ θερμαίνων, καὶ φιατρίβων καὶ διαδήσων τὰ σκέλη. καὶ εἰ μὲν δεξιὰ μήτρα πεπόνθοι ἐκ δεξιᾶς χειρὸς καὶ σκέλους ἀπάγων τὸ αἷμα, τῆς τε ἀριστερᾶς

Apologia cõtra Brachelium.

C D E F

A πεπονθότας ἐκ τῶν ... κατ' εὐθὺ καλῶν. τὸ γὰρ κατ' ἴξιν ἐστὶ αὐτὸ Ἱπποκράτους λεγόμενον αὐτὸ τοῦτ' ἐστὶ τὸ κατ' εὐθύτητα. τέμνειν δὲ τὰς ἔνδον φλέβας, αὗται γὰρ ἐγγυτέραι τε τῶν πεπονθότων μορίων, καὶ μᾶλλον κατ' εὐθύ. Id est: *Fluentium humorum reuulsio, sic enim Hippocrates nominat, eorum autem qui iam membrum obsederunt, deriuatio medela est. Vtrunque vero euacuationis genus, per communes venas fieri præcipit. Veluti in vtero in contrarium trahes, si eam quæ in gibbero est venam secueris, aut mammillis cucurbitas apposueris, vel manus concalfeceris, fricueris, & ligaueris. Deriuabis si eas quæ in poplitibus aut talis venas diuiseris & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, fricueris & ligaueris. Et siquidem dextra vteri pars laborauerit, ex dextra manu aut crure sanguinem detrahes. Si vero sinistra, a membris quæ illi e directo sunt.* Quod enim ab ipso Hippocrate κατ' ἴξιν dicitur, hoc ipsum est secundum rectitudinem. Interiores autem venas incidere oportet, hæ enim viciniores magis e dire-
B cto sunt afflictis membris. Ex quibus Galenus verbis luce clarius fit tam in deriuando quam in reuellendo eas quæ e directo sunt venas secandas esse. Et in libro de curatione per venæ sectionem, in pleuritide reuulsionem e directo factam ei quæ ex opposito fit multis nominibus anteponit, dum ita scribit: ἐν μὲν γε καὶ ἐπὶ τῶν πλευριτικῶν ἡ κατ' εὐθὺ τῶν πασχόντων πλευρῶν φλεβοτομία, τὴν ὠφέλειαν ἐναργεστάτην ἐπιδείξατο πολλάκις. ἡ δὲ ἐκ τῆς ἀντικειμένης χειρός, ἢ πάντως ἀμυδράν, ἢ μετὰ χρόνον. ὀδύνας τε πολλάκις ὀφθαλμῶν ἰσχυροτάτας ἐν τῷ ὥρας μιᾶς ἔπαυσεν ἡ κατ' εὐθὺ φλεβοτομία τῆς ὠμιαίας καλουμένης φλεβὸς τεμνομένης. quod est: Quin & in pleuriticis quæ e directo laborantibus lateris sanguinis missio efficacissimam sæpe vtilitatem attulit. Ex opposita autem manu, aut omnino obscuram, aut post temporis interuallum. Ad hæc oculorum persæpe grauissimos e directo venæ, quam humeralem nominant, sectio intra horæ vnius spatium compescuit. Quæ vtique Galeni verba ita nostri seculi medicorum prosternunt sententiam,
C vt nihil sit quod aduersus ea obiicere queant. Experientia namque, qua Galenus omnes reliquos vicit medicos, quod in vrbe Roma hominum multitudine refertissima, artem ipsam exercuerit, docet, eam quæ e directo fit venæ sectionem multo maiorem, quam eam quæ ex opposita fit manu, vtilitatem adferre. Hinc libro iam citato ita post verba iam dicta inquit: οὕτω ἐν ἀρχῇ ... τάχιον ἐνίοτε τὴν ὠφέλειαν αἱ κατ' εὐθὺ τῶν πασχόντων μορίων φλεβοτομίαι φέρουσιν, ὥστε καὶ τοὺς πάσχοντας αὐτοὺς καὶ τοὺς οἰκείους αὐτῶν ἐκπλήττεσθαι πολλάκις. quod est: *Sic efficax interdum celereque remedium, quæ e directo laborantibus partibus venæ secantur afferunt, vt & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant.* Idem quoque Galenus *libro decimotertio, ther. capite octauo*, vbi phlegmones in iocinore curationem ex professo tractat, e directo sanguinem mittendū docet. Sed præstat verba eius subscribere, quæ talia sunt:
D ἀντισπαστέον οὖν ἅμα καὶ κενωτέον τὸ φερόμενον ἐπὶ τὸ ἧπαρ αἷμα τῇ φλεβοτομίᾳ κατὰ τὸν δεξιὸν ἀγκῶνα, τὴν ἔνδον φλέβα τέμνοντας, ἐπεὶ κατ' εὐθύ τε καὶ εὐρείας ὁδοῦ τῇ κοίλῃ καλουμένῃ κοινωνεῖ. quod est: *Igitur tum reuellendus pariter atque euacuandus qui ad iecur fluit sanguis est, interna in dextro gibbero incisa vena, propterea quod & e regione, & ampla via cum vena quæ caua dicitur, societatem habet.* Et paulo post, vbi venæ sectionis pro partium ratione electionem tradit, ita inquit: ἄμεινον οὖν ἐπὶ τὴν ῥῖνα παράγειν ἀρχομένων τῶν κατὰ τὸ στόμα μορίων φλεγμαίνειν. οὕτω δὲ καὶ φλέβα τέμνειν ἐν μὲν τούτοις ἐπιτηδείαν τὴν ὠμιαίαν ἐν χειρί. εἰ δὲ ταύτης μὴ φαινομένης τὴν μέσην. εἰ δ' ἧπαρ ἢ θώραξ ἢ πνεύμων ἢ καρδία, τὴν ἔνδον. ἐπὶ δὲ συνάγχης πρώτας μὲν τὰς ἐν χερσί, δευτέρας δὲ τὰς ὑπὸ τὴν γλῶτταν. τῶν δὲ κατ' ἰνίον πασχόντων καὶ τὴν ἐν ἀγκῶνι μέν, οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τὴν ἐν τῷ μετώπῳ. ἐπὶ δὲ νεφρῶν καὶ κύστεως ἰδίᾳ τε καὶ μήτρας τὰς ἐν τοῖς σκέλεσι, μάλιστα μὲν τὰς κατὰ τὴν ἰγνύαν. εἰ δὲ μή, τὰς παρὰ τὰ σφυρά. ἀεὶ δ' ἐπὶ πάντων τὰς κατ' εὐθύ. τοῦ μὲν ἥπατος ἀρχομένου φλεγμαίνειν, τὰς ἐν τῇ δεξιᾷ χειρί. τοῦ δὲ σπληνός, ἔμπαλιν. hoc est: *Satius igitur vbi partes quæ in ore sunt phlegmone corripi cœperint, deriuare ad nares. Pari modo venam quoque vbi hæ partes sic affe-*
E *ctæ fuerint, incidere humeralem in manu. Et si ea non cernitur, mediam. Vbi vero iecur, pectus, pulmo aut cor ita laborat, internam. In angina autem primas in manibus, secundas eas quæ sub lingua. At iis quæ in occipite sunt sic afflictis, etiam eam quæ circa cubitum est, necnon eam quæ habetur in fronte. Renibus vero & vesica, pudendo & vtero sic habentibus, eas quæ in cruribus sunt, potissimum autem quæ circa poplitem. Sin minus, eas quæ iuxta malleolos. Perpetuo vero in omnibus quæ e directo est: vbi iecur phlegmone laborare inceperit, quæ in dextra sunt manu: vbi lien, contra.* E quibus verbis iterum dilucidum fit errare eos qui in principio phlegmonum venam quæ e directo est incidendam esse negant, cum aperte hoc loco bis Galenus principii inflammationis meminerit, in eoque venam eiusdem lateris incidendam esse docuerit. Galeno accedit Alexand. Trallian *libro primo, capit. 14.* sic scribens: *Noli reuellendi caussa, aliam quam in laborante parte venam incidere. Verum si parte dextra dolor magis excruciat, eo-*
F *dem statim latere vena ter quaterue, vt dixi, non copiose soluenda est.* His itaque testimoniis iuniorum sententiam satis superque improbatam putamus: neque est ex Græcis auctoribus quispiam, quod sciam, præter Aetium Amidenum, qui illorum sententiæ accedat. Nihil autem mirum hominem Syrum Arabico errore fuisse infectum, maxime

Maior ex venæ quæ e directo est sectione quam oppositæ vtilitas.

In principio inflammationum e directo mittendus sanguis.

cum aliquot annis post Galeni tempora vixerit. Sunt enim qui sub Constantino Magno, qui etiam sub Theodosio iuniore, quod verisimilius est, & qui sub Iuliano ipsum A

Oribasius Iuliani archiatros.

vixisse putant. Quod si verum est, contemporaneus Oribasii fuit, qui eius Cæsaris archiatros fuit, quemadmodũ epigramma hoc, quod in quarto libro habetur epigrammaton, testatur:

Ἰητὴρ μέγας οὗτος Ἰουλιανοῦ βασιλῆος
Ἄξιος εὐσεβίης δῖος Ὀρειβάσιος,
Εἶχε γὰρ οἷα μέλισσα σοφὸν νόον. ἄλλοθεν ἄλλα
Ἰητρῶν προτέρων ἄνθεα δρεψάμενος.

Id est:

Magnus Iuliani Medicus qui Cæsaris olim,
Diuino cultu dignus Oribasius, B
Hinc animo sapiens apis instar carpere flores
Nouit, quos Medicus priscus vbique tenet.

Reliquum est vt & ratione sententiam nostram firmemus, quam tamen aduersarii plane nullam, aut omnium frigidissimam habent. Incidendam itaque in internorum viscerum phlegmonibus venam esse quæ e directo est, & minime eam quæ in distantissimis, aut opposita parte doloris, hac ratione ostendi potest.

Medico ad id quod magis vrget respiciendum.

Quum in omni medendi ratione medico ad id quod magis vrget respiciendum sit, vt scilicet idipsum quamprimum fieri potest tollat, debet certe in omnibus internorum viscerum phlegmonibus omnium maxime animum aduertere, vt humorum defluxum, impetumque, dolorem ac tensionem immensam in parte ęgra facientes, amoueat: nam nisi id C ipsum fecerit, dolor semper auctior fiat necesse est, eoque aucto maior quoque humorum copia confluat oportet.

Dolor fluxiones irritat.

Nam *Galeno cap. 95. artis Medicæ teste*, ὀδύνη πᾶσα παροξύνει τὰ ῥεύματα. quod est, *Dolor omnis fluxiones irritat.* Et lib. ther. meth. 3. cap. 4. τὸ ὀδυνώμενον ἐρεθίζει τὸ πλεῖον ἐπιῤῥεῖν. hoc est: *Quod dolet plus vt affluat efficit.*

Quo pacto ne fiat dolor prohibebit Medicus.

Tum autem humorum defluxum dolorem ac tensionem in parte ægra procreare prohibebit, vbi non solum humorum impetum in contrarium auertet, sed etiam plurimum, & celeriter a phlegmone vacuabit. Id vero faciet, si venam quæ parti laboranti e directo est, quæque cum ea communitatem habet, pertulerit. Ita in pleuritide internam venam quæ e directo est Galenus secandam monet, quod hæc partem eam quæ phlegmone laborat non solum plurimum & celeriter vacuet, verumetiam ab ea reuellat. Verba eius *lib. secundo de vict. rat. in morb.* D *acut. comment. 10.* hæc sunt: ἄνω μὲν οὖν τῆς συμπαθείας διασημαινούσης, φλέβα χρὴ τέμνειν ἐν ἀγκῶνι τὴν μᾶλλόν τε καὶ θᾶττον ἀπὸ τῆς πεπονθότος μορίου δυναμένην ἀντισπάσαι τε καὶ κενῶσαι τὸ αἷμα. id est: *Cum igitur superiorum partium condolentia signum fecerit, venam in gibbero secare eam oportet, quæ sanguinem laborante parte & magis & velocius tum reuellere, tũ vacuare possit.* Et paulo post: γινώσκεις τὰς κενώσεις ὅθεν ἂν γένωνται ἀναδιδομένας μὲν εἰς τὸ σῶμα τῶν ζώων ὅλον, οὐ μὴν οὔτε ταχέως, οὐδ᾽ ὁμοίως ἐξ ἁπάσης φλεβός. ἡμεῖς δὲ καὶ ταχέως καὶ μᾶλλον τῶν ἄλλων μορίων κενῶσαι σπεύδομεν τὸ φλεγμαῖνον, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ὀξέων νοσημάτων. ὅπερ ἡ ἔσω φλὲψ ἡ ἐν ἀγκῶνι ποιεῖ, καὶ πολὺ μᾶλλον, ὅταν τὴν ῥοπὴν ἄνω τὸ πλεονάζον αἷμα φαίνηται ποιούμενον. ἢ καὶ τὰ τοῦ θώρακος ἐστὶν ὑψηλὰ πεπονθότα. quod est: *Vacuationes quidem vndecunque fiant ab vniuerso animalium corpore euacuare nosti, quanquam neque celeriter, neque similiter ex omni vena. Nos vero partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter tum quam ceteras partes plus, præsertim in acutis morbis, vacuare contendimus. Quod sane interna gibberi vena facit, multoque magis vbi sanguinis redundantia ad superiora vergere videatur,* E *aut superiores thoracis partes laborant.* Quid multa? in omnibus internis phlegmonibus quoniam multum & celeriter a parte afflicta vacuandum est, ideo vena quæ e directo est, & cum ea parte communitatem habet, inter initia etiam secanda, quod illa non tantum celerrime euacuet, sed & in contrarium defluxus impetum vertat.

Humorum impetus in phlegmonibus secundum rectitudinem fit.

Ceterum cum in phlegmonibus humorum impetus fere nunquam non secundum rectitudinem fiat, veluti parte 2. sexti epid. 7. Hippocrat. demonstrat, dicens: κατ᾽ ἴξιν πλευρέων ὀδύναι, καὶ ξυντάσιες ὑποχονδρίων, καὶ σπληνὸς ἐπάρσιες, καὶ ἐκ ῥινῶν ῥήξιες, καίτοι καὶ τὰ συναγχικὰ ἐρυθήματα. id est: *Secundum rectitudinem fiunt laterum dolores, præcordiorum distentiones, lienis tumores, sanguinis ex naribus eruptiones, & anginæ rubores.*

Medicus naturæ motũ obseruet.

Conuenit maxime Medico motum hunc naturæ obseruare, vt scilicet sciat, promtius per id latus humores phlegmonem procreantes, & reuelli F & vacuari posse. Proinde vena potius quæ e directo loci laborantis est quam opposita incidenda venit. Per illam enim sanguis qui nuper defluxit, neque adhuc vehementer adhæsit affixusue est, remeabit in ea loca a quibus in partem ægram delatus

A est, eoque ablato calor quidem & tensio, atque adeo dolor ipse, vt diximus, mitigabitur, quod ita scilicet sanguis confluens celeriter admodum & vacuetur; & in contrarium reuellatur, id certe quod opposita vena non potest: Hæc enim etsi totam humorum molem in se conuertere valeat, imbecilliter tamen & non nisi tardissime hoc ipsum facit. Quoniam autem in phlegmonibus internis plus à loco afflicto quam à reliquis partibus vacuandum erit, & quam fieri potest celerrime, fit vt venam quæ è directo est præ ea quæ ex opposito, deligamus. Aduersi enim lateris vena secta, nulla nec euacuatio nec retractio à loco affecto fieri potest, nisi tardissima, quam certe Medicus non sine magno ægrotandis periculo exspectabit. Præterea si in phlegmonibus humorum motus secundum rectitudinem fit, certum est B in opposita aut distantissima parte sanguinem non nisi optimum vacuari, in cuius locum vitiosus qui in afflicto est latere paulatim surrogatur, periculumque est ne reliquum quoque qui nondum vitiatus est inficiat. Et mirum certe admodum est, cur in pestilentibus bubonibus ne idipsum accideret, cauerint, vnanimisq; ac concordibus suffragiis venam, quæ è directo est secandam constituerint, & non itidem in internis phlegmonibus contingere timuerint, quum haud aliter quam illic venenum ab affecto loco in illæsam partẽ trahatur, ita hic sanguis vitiosus. Sed cæci sunt ac cæcorum duces, vt nihil mirum sit, cur vtriq; in foueã cadant. Porro laudat Galenus *lib. 3. de crisib. cap. 4.* sanguinem in lienis & hepatis inflammationibus per directum ex naribus profluentem, tanquam eo qui ex opposito sit longe meliorem: ita enim ait:

In inflammationibus celerrime à loco affecto vacuandũ.

In apposita parte secta vena bonũ tantum sanguinem vacuat.

C λύουσι δ' ἱκανῶς καὶ τὰς τοῦ ἥπατος, καὶ τὰς τοῦ σπληνὸς φλεγμονὰς αἱμοῤῥαγίαι διὰ ῥινῶν, ἐπειδὰν ἅμα πυρετοῖς ὀξέσι φλεγμαίνῃ τὰ σπλάγχνα, καὶ πάσας δὲ τὰς καθ' ὑποχόνδριον φλεγμονὰς τὰς θερμὰς καὶ ὀξείας ἡ διὰ ῥινῶν αἱμοῤῥαγία κρίνει, χρὴ καὶ κατ' εὐθυωρίαν αἱμοῤῥαγεῖν, ἐκ δεξιοῦ μὲν μυκτῆρος ἐφ' ἥπατι τι, καὶ τοῖς κατὰ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον, ἐξ ἀριστεροῦ δὲ ἐπί τε σπληνὶ καὶ τοῖς ταύτῃ μορίοις, hoc est: *Soluit autem sufficienter lienis & iocinoris phlegmones sanguinis è naribus profluuium, quum hæc viscera vna cum acutis febribus habent phlegmones. Et omnes quæ sub hypochondriis fiunt calidæ & acutæ phlegmones, fluxu sanguinis narium finiuntur indicanturve. Oportet autem per directum sanguinem fluere, ex dextra quidem nare iocinore, affecto, & locis quæ sub dextro hypochondrio positis. Ex sinistra vero nare liene & quæ illic partes sunt, afflictis.* Quod si itaque in naturæ iudicationibus, atque superuacuorum expulsionibus ad latus oppositum fluere sanguinem non est bonum, secundũ vero directum bonum, veluti Galenus, Hippocrates, & experientia quoque ipsa docet. D Quare non etiam Medicus, qui naturæ minister est, vt cap. 86. artis medicæ testatur Galenus, in suis reuulsionibus & euacuationibus naturam imitetur; quæ certe in suis expulsionibus optimam semper per directum facit vacuationem: Hinc Galenus quoque in libro de ratione curandi per sanguinis missionem ab exemplo naturæ reuulsionem atque euacuationem per venæ sectionem, quæ è directo fit, ea quæ ex opposito est multo commodiorẽ esse docet, cum in hunc modum scribit: ὅσοις κατ' ἴξιν αἱμοῤῥαγεῖ, μεγίστην ὠφέλειαν ἐπιφέρει τοῖς νοσοῦσιν, τὸ δὲ κατ' ἴξιν ὅτι κατ' εὐθὺ λέγει, πᾶσι ὁμολόγηται, σαφῶς αὐτῷ κεχρημένου πολλάκις ἐνθάδε τοῦ διὰ τοῦ σημαινομένου τῇ κατ' ἴξιν φωνῇ, τὰ δὲ ἀνάπαλιν αἱμοῤῥαγοῦντα μηδὲν ὠφελεῖν, ἀλλὰ καὶ βλάπτειν ἐνίοτε, τῷ καταλῦσαι τὴν δύναμιν ἄνευ τοῦ τὸ πάθος κουφίσαι· οὔτε γὰρ ἐπὶ σπληνὶ μεγάλῳ μυκτὴρ δεξιὸς αἱμοῤῥαγήσας, οὔτε ἀριστερὸς ἐφ' ἥπατι φέρει τινὰ ὠφέλειαν. * ἐν τάχει δείκνυσι, ἐπὶ δὲ τοῖς ἀνάπαλιν, οὐκέτι. δεξιοῦ μὲν οὖν αἱμοῤῥαγοῦντος μυκτῆρος, ἡ κατὰ τὸ ὑποχόνδριον τὸ δεξιὸν ἐγκειμένη σικύα σαφῶς ἵστησιν ἐν τάχει τὴν αἱμοῤῥαγίαν, ὥσπερ καὶ ἡ κατὰ τὸν ἀριστερὸν
E αἱμοῤῥαγοῦντος ἀριστεροῦ· καὶ φλεβοτομίας δὲ χάριν ἀντισπάσεως, ἐπὶ μὲν ταῖς κατ' εὐθεῖαν αἱμοῤῥαγίαις, ἐν τάχει δείκνυσι σαφῆ τὴν ὠφέλειαν. quod est: *Quibuscunque eruptio sanguinis secundum rectitudinem accidit, summum commodum ægrotantibus adfert. Quod autem* κατ' ἴξιν, *pro eo quod est secundum rectum dicit, omnibus in confesso est, cum aperte hac voce vtatur sæpenumero in hoc significato. Quibus vero contra sanguis erumpit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quod scilicet vires citra vitii leuamen deiiciat atque exoluat. Non enim in liene tumente ex dextra nare erumpens sanguis, nec in iecore ex sinistra, aliquam fert vtilitatem: sed reuulsio in directum adhibita euidentem vtilitatem celeriter ostendit, quæ autem contra nequaquam. Dextra igitur nare sanguinem erumpentem, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula clare celeriterque sistit, sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpentem. Porro reuulsionis caussam, si venam seces in iis*
F *quæ è directo fiunt sanguinis eruptionibus, velociter conspicuam videbis vtilitatem.* Quibus vtique verbis Galenus euidentissime monstrat Medicum in suis euacuationibus & reuulsionibus, naturæ motum, atque in eiusdem expulsionibus impetum sequi debere, qui si bonus est, semper in directum fit. Hac ratione & venæ sectio, quæ è di-

Medicus naturæ minister.

*Hic nemo non videt quædam in contextu deesse, ea scilicet quæ antiquus Latinus interpres habet. ἀλλὰ καὶ ἡ κατ' ἰθὺ ἀντίσπασις τὴν ὠφέλειαν ἐναργῆ.

Κατ' ἴξιν quid significet.

recto fit loci laborantis commendatur, quod celeriter & reuellat & euacuet: damnatur autem quæ ex opposito fit, quod scilicet vires, bonum euacuans sanguinem, citra morbi leuamen, ab eo enim nihil aufert, deiiciat. Hunc sane locum eo libentius hic tractauimus, quod illum Brachelius in sua contra nos disceptatione deprauare nititur, cui quandoquidem tum cum responderemus, ad manum non erat exemplar Græcum, non in vniuersum forte satisfactum est. Ob id hoc loco genuinam plane lectionem subscribere placuit, vt inde studiosi quantum à veritate aberret Brachelius, agnoscere possint. Ita enim vt hic legitur, esse legendum, antiquus certe interpres aperte monstrat. Deesse autem aliqua, verba ἐν τοίχει δεικνύει, & quæ sequuntur, satis indicant: nam nisi aliqua præmiseris, penitus superuacanea & nullum sensum præ se ferentia manebunt. Minimè igitur tota ea pars, sed reuulsio quibus in directum adhibetur euidentem vtilitatem, adscititia est, vt putat Brachelius, sed tam necessaria vt omitti citra totius contextus deprauationem non queat. De duplici enim reuulsione eo loci Galenus loquitur: vna est quæ fit per cucurbitas, altera per venæ sectionem: ad quarum primam pulchrè quadrat illatio illa: *Dextra igitur nare sanguinem erumpentem, &c.* Hæ quidem rationes inpræsentiarum sufficiant, nam plures aliæ adduci possent, quas consulto prætermittimus, quod hic locus à multis eruditis viris ante nos etiam tractatus sit diligentissime. A nullo autem diligentius quam à Petro Brissoto homine ad miraculum erudito, quem vtinam Deus nobis diutius esse superstitem voluisset. Scripsit post nos ea de re quoque lectu digna Hubertus Barlandus, quem & ipse consulere poteris, vbi hæc nostra tibi non omni ex parte satisfecerint. Porro hic copias suas producit Montuus, atque pulchre suam in rebus medicis inscitiam prodit, dum nescio qualiter detortis Hippocratis verbis Arabum placita ac recentiorum opinionem roborare nititur. In primis autem locum Hippoc. in *libro de natura humana* obtrudit, vbi ita scribit: ἐπιτηδεύειν δὲ χρὴ τὰς τομὰς ὡς προσωτάτω τέμνειν ἀπὸ τῶν χωρίων ἔνθα ἂν αἱ ὀδύναι μεμαθήκωσι γίνεσθαι, καὶ τὸ αἷμα συλλέγεσθαι. οὕτω γὰρ ἂν ἥκιστα ἥ τε μεταβολὴ γίγνοιτο μεγάλη ἐξαπίνης, καὶ τὸ ἔθος μεταστήσαις ἂν ὥστε μηκέτι εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον συλλέγεσθαι. hoc est: *Danda opera est, vt quam longissime à locis vbi dolor esse & sanguis cogi didicit, venarum incisiones fiant, sic enim haud magna repente mutatio fiet, & consuetudinem mutaueris, ne amplius eo loci sanguis coeat.* Hanc etiam sententiam in libro de ossium natura iisdem plane verbis repetit, tantum abest vt Hippocratis esse negemus. Mirum autem tam delirum esse Montuum, vt mihi nudis iis Hippocratis verbis satisfactum esse putet, cum ne syllaba sit quæ mihi aduersetur. Cum enim nobis contentio sit, in internorum viscerum phlegmonibus è directo venam secandam esse, quod illic non solum reuellendi, verum etiã euacuandi necessitas sit, ipse Hippocratem affert longe alia de re loquentem, nempe de præseruatione à doloribus, morbisq; aliis nondum præsentibus, sed futuris adhuc, in quibus certe cum reuellendi tantum intentio est, nihil prohibet, imo commodissimum est, quam longissime a locis dolori obnoxiis incisionem fieri. Loqui autem Hippocratem de præseruatione a morbis & doloribus, euidenter verba hæc, *sic enim consuetudinem mutaueris, ne amplius eo loci sanguis coeat*, demonstrant. Et Galenus *in expositione eius sententiæ*, vbi sic scribit: ὅτι μὲν τομὰς εἴρηκε τῶν φλεβῶν ἃς ἐν συνηθεῖ προσηγορίᾳ φλεβοτομίας ὀνομάζομεν, ὀρθῶς ἤκουσαν οἱ ἐξηγηταί, καὶ γὰρ ὁμολογοῦσι πάντες τοῦτο, ὅτι δὲ οὐ διωρίσατο πότερον ὀδυνωμένων ἤδη τῶν μορίων ἀξιοῖ πόρρω τὴν ἀντίσπασιν γίνεσθαι τῶν ἐπιρρεόντων χυμῶν, ἢ κατὰ τὸν τῆς ὑγείας χρόνον, ἐν τούτῳ μέμψαιτ' ἄν τις αὐτῷ. ἐμοὶ δ' οὖν δοκεῖ μᾶλλον ἐνθάδε τῶν ὑγιαινόντων εἰρῆσθαι, βουλομένου τοῦ γράψαντος ταῦτα, προσεθίζειν εἰς ἄλλα μόρια φέρεσθαι τοὺς πλεονάζοντας χυμούς. hoc est: *Quod quidem incisiones venarum dixit, quas consueto nomine phlebotomias nominamus, recte interpretes intellexerunt, in hoc enim vniuersi consentiunt. Quoniam autem vtrum à iam dolentibus membris existimet procul fieri reuulsionem humorum confluentium, an in tempore bonæ valetudinis, non definiuit, in hoc vtique ab aliquo accusabitur. Mihi autem videtur de his, qui adhuc recte valent potius dixisse, quod ita qui hæc scripsit voluerit redundantes humores, vt ad alias corporis deferantur partes, assuefacere.* Proinde cum nobis sermo sit de iis qui iam ægrotant, & minime de illis qui adhuc valent, nihil adductæ per Montuum sententiæ nobis obesse possunt. Deniq; iniuriam facit Montuus, quod solo autoritatum numero me contra Arabum sententiam contendere nega-

Locus Galeni explanatur.

Petrus Brissotus.

A negatur, cum constet non solum numero auctoritatem, sed & rationibus firmissimis nos esse superiores. Vanum quoque est quod olim homines non sic, vt hodie, in victu deliquisse existimat, ob idque plethoricis dispositionibus minus tentatos, vt hoc nomine recte venam quæ e directo loci laborantis est, secandam præceperint. Nam, vtcunque Hippocratis tempore verum sit, Galeni tamen seculo, qui idem in omnibus libris docet, verum esse non potest: cuius tempore quanta fuerit compotandi consuetudo, nemo non nisi qui libros eius non degustauit, ignorare potest. Nonne in primo ther. metoth. libro conqueritur neminem esse qui præ inexplebilibus voluptatum deliciis veritatis studio ac inquisitioni deditus sit? Non exiguum enim numerum esse inquit eorum, qui vesperi omnes ad symposia colliguntur: vbi postB quam vino se implerunt, non lyra citharaue, aut aliud musicum instrumentum circumfertur, sed nec sermones vlli habentur, quales in symposiis agitari solere veteres prodiderunt, nec aliud honestum quicquam, imo inuicem sibi propinant, & de magnitudine poculorum certant, vtpote inter quos optimus censetur, non qui plurimis instrumentis musicis, aut etiam sermone Philosophico vti nouit, sed qui multos eosque maximos calices exsiccauit. *In comment. quoque 28. sexti aphorismorum*, propter immodicum sui seculi ocium, & victum intemperantem eunuchos podagra laborasse fatetur. Quid multa? satis ex Athenæo perspicuum fit Græcos fuisse bibacissimos. Hinc quod veteres eam quæ e directo est in pleuritide & aliis phlegmonibus internis venam secandam docuerint, non ideo factum est, vt Montuus putat, quod eoC rum seculo homines in victus ratione non deliquerint. qui enim alias Galenus, cuius tamen tempore haud secus quam hodie intemperantissimo victu vsi sunt, hoc dogma inculcare sine inscitiæ nota potuisset? Quare longe alia subsit ratio opportet, quam Montuus somniauit, ea scilicet quod Galenus ac alii veteres ad id quod magis vrget respexerint, atque adeo non tantum reuellere, sed & euacuare a loco affecto voluerint. Hic præterire non possum, quin ad Ioannis Agricolæ, amici optimi, in Galenum annotata nonnihil respondeam: is enim *lib. 13. cap. 2. ther. method.* etsi manifeste nihil statuat, latenter tamen sese in aduersariorum sententia adhuc esse, vel saltem hærere, ne nostram penitus amplecti queat, indicat: Nec puto ægre feret si eius coniecturas confutauero, quandoquidem nec ego ægre tulerim Brachelii contra me D iudicium attulisse, cui tamen apologia quadam per me responsum esse non ignorabat. Vellem tamen penitus siluisse Agricolam, ita enim plerisque errandi occasio non fuisset, neque mihi ab illo dissentiendi ansam præbuisset. Boni itaque pro candore suo sat scio consulet, quandoquidem veritate viro bono nihil esse antiquius compertum habeat, si & nostram de iis argumentis quæ producit sententiam attulerimus, vt scilicet hac lege multis qui eiusmodi argumentis in contrariam duci sententiam potuissent, consulatur. Locus igitur Galen. quem adfert Agricola, quemque contra me in sua disceptatione affert Brachelius, quod manu laborante scarificanda crura sint, & altero crurum male habente, reliquum, nihil nobis aduersatur, vt multis in apologia nostra comprobauimus. Nobis enim de venæsectione, Galeno de scaE rificatione sermo exsistit. Nobis de internorum viscerum inflammationibus contentio est, Galenus autem de externis, manuum nempe & crurum, loquitur. Phlegmone interna magnus adeoque acutus morbus est, externa contra paruus, ac periculo vacans. Aliter autem tractandos esse morbos magnos, aliter exiguos quis est qui nesciat? Hinc cum Medici studium in internis phlegmonibus in hoc vno situm sit, vt celeriter & plurimum non solum a loco afflicto reuellat, sed & vacuet: fit vt ad venam quæ e directo est, secandam, sibi festinandum sit. In externis contra humores in partem ægram decumbentes, ex vna parte in aliam traducere æque ignobilem, reprimentia quoque medicamenta adhibere, ac digerentia quæ suppurationem prohibere possunt, quamuis neque ex suppuratione, etiamsi superuenerit, aliquod pericuF lum ratione dignum imminet, licebit. Cum itaque tum quouis modo humorum impetum ad laborantem partem sistere liceat, loco laborante neglecto, satisque sit vtcunque ab afflicta particula reuellere, posthabita euacuatione, potest Medicus a distantioribus etiam, & ex opposito, sanguinem detrahere. Neque Manardi ratio, quam adfert Agricola, ad firmandam aduersariorum sententiam satis ponderis ha-

Galeni seculo compotandi mos inoleuit.

Græci bibacissimi.

Obiectio Brachelii & Agricolæ diluitur.

Aliter magnos aliter exiguos esse tractandos morbos.

bet. Ignoscat autem velim Manardus, vt sibi Galeni manes ignoscere precatur quamuis hodie in ea sententia perseuerare illum non putem, neque enim vt metipse scribit, vllius commentaria in ea materia sibi videre dum hæc scriberet contigit, quæ forte hunc aliter & sentire & scribere coegissent. Nemo itaque est qui simultaneam sanguinis vacuationem non esse cauendam doceat, vbi æger illam sufferre non poterit: rarissimum autem est vt tantum sanguinis auferatur, vt inde virtus deficiatur, maxime vbi inter initia phlegmonis adhibita fuerit, namque tum multa copia sanguinis adhuc non confluxit. Sed fac tantum esse sanguinis qui in phlegmone continetur, ac extra duci debet, vt non semel citra ægri periculum educi queat, an non tum contraria patienti lateri vena reuulsionis potius gratia quam euacuationis sanguinis in tumore contenti, secanda? Minime: nam ad id primum quod maxime vrget respiciendum erit: plus autem vrget sanguis qui in partem laborantem præter naturam confluit, atque huic iam affixus est, quam in opposito est latere. Ob id igitur quam ocyssime fieri potest sanguis is, qui in laborante est latere, & reuellendus & euacuandus erit per venam, quæ è directo est. Sed dices, immodicam hanc euacuationem æger ferre non potest, ideoque cauenda. Fateor quidem. Ergo ex opposito latere sanguis est detrahendus? Nullo pacto. Quid igitur faciendum? Præstat tum non semel quantum conuenit extrahere, sed in vices partiri. Ita enim docet Galenus *libro de ratione curandi per sanguinis missionem*, sic scribens: ὠφελεῖ ἰσχυρῶς σπλῆνα κακοπραγοῦντα κένωσις αἵματος ἐξ ἀριστερᾶς χειρός· ἄμεινον δὲ μὴ ἅπαξ ἐκκενοῦν τὸ σύμμετρον, ἀλλ' εἰς δύο μερίζειν ἡμέρας. id est: *Multum iuuat lienem afflictum sanguinis ex sinistra manu detractio. Præstat autem non semel quantum conuenit extraxisse, sed in duos id partiri dies satius est.* Et iterum, *eodem libro:* ἄμεινον ἐστὶ ἐὰν μηδὲν ἐπείγῃ τὴν πρώτην ἀφαίρεσιν ἐλλιπεστέραν ποιησάμενον, ἐπαφαιρεῖν αὖθις, εἰ δὲ βούλοιο καὶ τρίτον, ἐφ' ὧν οὖν ἐστι κενώσεως μὲν χρεία πολλῆς, οὐκ ἰσχυρὰ δὲ ἡ δύναμις, ἐπὶ τούτων προσήκει τεμαχίζεσθαι τὴν κένωσιν. hoc est: *Præstat, nisi quid vrgeat priori missione minus detrahere, iterumque eam repetere, imo si lubet & tertio. Vbi ergo multa vacuatione opus est, verum vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit.* Porro in pleuritide pestilentiali, hoc est, vagante & perniciosa, sanguinem magis per tali, quam alterius venæ sectionem longissime à membris principalibus posse distrahi constanter negamus, nam tum bonus sanguis potius, quam vitiosus detrahitur, atque adeo vires vna euacuantur, inque locum optimi sanguinis paulatim descendit, atque surrogatur malignus, imo ad iecur in corpore principatum habens, deducitur. Præterea mulieri cui menstrua purgatio defecit, aut viro cui consueta sanguinis per ani venas cessauerit vacuatio, nihil prohibemus, venam in cruribus secare, modo a loco affecto prius, quod influxit per venam, quæ è directo est, reuulsum fuerit atque vacuatum. Quod autem Galenus in vtroque casu, Vere crurum venas secuit, id cautelæ gratia, vt ait Manardus, hoc est, vt ab imminenti morbo præseruaret hominem, factum esse fatemur. Ita & comitiali & vertiginoso morbo laborantibus venas cruris secare suadet, non quidem, vt a loco afflicto euacuet, sed vt ab illo reuellat, atque adeo ab imminenti morbo tueatur. Et cum hæc sit reuulsio, vt ita dicam, præseruatiua, licet tum a distantissimis partibus sanguinem detrahere, vt diximus antea, & in nostra apologia ad nauseam vsque inculcauimus. Nobis autem non de præseruatione ab phlegmonibus internis disceptatio est, sed de illarum iam præsentium curatione. Quomodo denique Galenus ex contrario latere in pleuritide venæ sectionem non vituperat, cum illam parum, vel non nisi post tempus iuuare dicat? Quis tam sine mente esset, vt collatis duobus aureis, si dicat alterum, parum vel nihil valere, non meliorem eligat: Pari ratione cum ex brachio, quod è directo est, venæ sectio semper euidentem vtilitatem afferat, quis est qui illam non præ ea quæ opposito fit, quæ parum & raro admodum conducit, eligat? Ceterum cur cruris vena per rectum sita non sit secanda, ratio nulla alia est, nisi quod non multum & celeriter, quod summe necessarium in internis phlegmonibus exsistit, a loco laborante reuellit & euacuat, quemadmodum paulo ante etiam dictum est. De manu patiente inter initia confutati nis abunde diximus. Non cessat hoc quo Hippocratis ac Galeni euacuandi intentio: nam dato corpora esse imbecilliora, vt eas vacuationes semel ferre non queant, tamen licebit partiri in his, vt antea docuimus, euacuationem, donec su-

Præstat interdum euacuationē partiri.

Galenus venæ oppositæ sectionem in pleuritide vituperat.

A nec ſuperuacuum vniuerſum extraxerimus. Porro quomodo non negligenda vtilitas alterius brachii venam ſectam ſequetur, cum obſcuram admodum, & non niſi poſt temporis interuallum apparentem dicat Galenus? Neq; etiam ea venæ ſectione, quæ ab eodem fit latere ſecurior eſt, quod ſcilicet timor ſit ne vitioſus ſanguis de affecto latere in alterum traducatur. Et qui ſecurior eſſe poſſit, cum id quod vehementius vrget hoc pacto negligatur, & plus afflictum locum dolore remanente confluat? Sed hæc ad Manardi argumenta confutanda ſufficiant, quæ certe hodie a ſeipſo confutata eſſe nihil dubito. Brachelii obiectiones quas Agricola produxit non opus habent vt refellantur, quando in noſtra aduerſus hunc apologia idipſum abunde præſtiterimus. Quod ſi quis paulo exquiſitiorem & pleniorem huius quæſtio-
B nis explicationem requirit, is Inſtitutiones noſtras, & commentarios quos in librum de curandi ratione per ſanguinis miſſionem Galeni ſcripſimus, legat. Ibi enim pleraque loca rectius explanauimus.

Parcam ſeu diminuentem materiam, euacuationem, minorationem hodie barbaro vocabulo nominant, concoctioni humorum, niſi turgeant non eſſe prætermittendam, contra multorum hodie medicinam exercentium ſententiam.

Cap. V.

C OMNIBVS in confeſſo eſt qui noſtra tempeſtate ſcribentium Medicorum libros medendi rationem præſcribentes legerunt, in locis quamplurimis, imo nunquam non vbi euacuationis mentio fit, de minoratione in principio morborum adhibenda ab illis verba fieri, putantibus hanc in quouis morbo euacuatione indigente commode adhiberi poſſe. Quantum autem decepti ſint, quiſque facile deprehendet, qui veterum, Hippocratis præſertim, ſcripta paulo diligentius excuſſerit. Nam is vnus errorē hunc vulgo receptum ſatis explodit, dum *1. aph. 22.* ita ſcribit: πέπονα φαρμακεύειν καὶ κινεῖν μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢν μὴ ὀργᾷ, τὰ δὲ πολλὰ οὐκ ὀργᾷ. quod eſt: *Concocta medicari & mouere, non cruda oportet, neque in principiis, modo non turgeant, plurima vero non turgent.* Si igitur humores crudi, qui in aliqua corporis parte firmati ſunt, nullo
D penitus pacto mouendi ſunt, conſequitur, nec eoſdem parca illa vacuatione educi licere, neque enim citra motum eorundem minoratio fieri poteſt. Manifeſtiſſimum itaque minorationi ante concoctionem non eſſe locum. Teſtis eius rei exſiſtit Galenus *libro quarto, de tuenda valetudine*, in hunc modum ſcribens: εἰ κατά τὸν ἄνθρωπον ὑπάρχει αὐτῷ κοπώδει σώματι, τὸ μὲν αἷμα τὸ χρηστὸν ὀλίγον, οἱ δ' ὠμοὶ χυμοὶ πάμπολλοι, μήτε φλεβοτομεῖν, μήτε καθαίρειν, μήτε γυμνάζειν, ἀλλὰ μηδὲ κινεῖν ὅλως, μηδὲ λούειν, αἱ μὲν γὰρ φλεβοτομίαι τὸ μὲν χρηστὸν ἐκκενοῦσι, τὸ δὲ μοχθηρὸν ὅπερ ἐν ταῖς πρώταις μάλιστα φλεψὶ ταῖς καθ' ἧπάρ τε καὶ μεσάραιον ἀθροίζεται, πρὸς ὅλον ἐπισπῶνται τὸ σῶμα. κάθαρσις δ' ἐνδεῖ τῶν τοιούτων στρόφους τε καὶ δήξεις ἐργάζεται καὶ λειποψυχίας σὺν τῷ μὴ κενοῦν ἀξιολόγως, οἱ γὰρ ὠμοὶ χυμοὶ πάντες ἀργοὶ καὶ δυσκίνητοι διὰ τὸ πάχος τε καὶ τὴν ψυχρότητα. προσεμφράττουσιν οὖν ἁπάσας τὰς στενὰς ὁδοὺς, δι' ὧν χρὴ τὸ κενούμενον ἐν ταῖς καθάρσεσιν ἐπὶ τὴν γαστέρα παραγίνεσθαι, καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν, οὔτ' αὐτοὶ κενοῦνται, καὶ τοὺς ἄλλους ἐμποδίζουσι, τοῦτο μὲν οὖν ἐφ' Ἱπποκράτους διὰ βραχυτάτου παρῄνηται ῥήματος εἰπόντος. πέπονα φαρμακεύειν μὴ ὠμά.
id eſt: *Si in eodem homine, in laſſo corpore ſanguis bonus exiguus ſit, crudi humores plurimi,*
E *huic nec ſanguis mittendus, nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum. Quippe inciſa vena bonum ſanguinem emittit, malum vero qui in primis maxime venis circa iecur, & quod meſenterium vocant colligitur, in totum attrahit corpus. Deiectio autem in talibus tormina & roſiones creat, animique deliquia, cum eo quod nec notatu quippiam dignum educit, quando crudi omnes ſucci, pigri, atq; ad motum inepti, propter craßitiem & frigiditatem ſint. Quo fit, vt omnes anguſtas vias obſtruant, per quas id, quod medicamentum vacuat, ferri ad aluum debeat, acciditq; hac ratione, vt neq; ipſi educantur, & aliis ſint impedimento.* id quod ſane Hippocrates breuiſſima illa ſententia admonuit, dicens: *Concocta medicamento tentanda eſſe non cruda.* Hinc eſt quod & libro De iis quos oportet purgare, & qualibus medicamentis purgantibus, & quando, humores crudos ante coctionem
F nullo pacto mouendos eſſe doceat iis verbis: τοὺς καθ' ἕν τι μόριον ἐστηριγμένους οὔτ' ἄλλῳ τινὶ βοηθήματι χρὴ κινεῖν, οὔτε φαρμακεύειν πρὶν πεφθῆναι. τηνικαῦτα γὰρ καὶ τὴν φύσιν ἕξομεν βοηθοῦσαν τῇ κενώσει. φαίνεται γὰρ αὕτη μετὰ τὰς πέψεις, διακρίνουσά τε τοὺς χυμοὺς, ἀποθεμένη τε τὸ περιττὸν ἐν ᾧ δὴ καιρῷ καὶ κρίσεις γίνονται; hoc eſt: *Qui in parte certa corporis fixi ſunt ſucci, hoc antea quā concoquantur, nullo alio auxilio mouere, neq; medicamentis tentari oportet: tunc enim naturam ipſam habemus euacuationi adminiculantem: videtur ſiquidem*

Minoratiō ante cōcoctionem locum non habet.

Crudi humores non mouendi.

& ipsa post coctiones humores secernere, & superuacua expellere, quo in tempore fiunt iudicationes. A
His accedit, quod medicamentum materiam diminuens imbecille admodum sit, atque adeo crudis humoribus ac copiosis exsistentibus præualere non possit, alias enim a debiliori in fortius fieret actio, quod naturæ impossibile est, ideoque illos tantum mouet, nec educit, ita vt necessario magna totius corporis turbatio sequatur. Proinde consultissimum est iuxta Hippocratis ac Galeni consilium, non solum non diminuere crudos adhuc humores exsistentes, sed ne mouere quidem. Quod si tamen turgeant humores, licet illos quidem circa principia euacuare, nondum etiam concoctis: ὀργᾶν δὲ χυμοὶ λέγονται, *teste Galeno libro iam citato,* ὅταν ἐν κινήσει σφοδροτέρᾳ γενόμενοι, καὶ μεταῤῥέοντες ἀπὸ μορίων εἰς μόρια, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ νοσήματος ὀχλῶσι τὸν ἄνθρωπον ἀλγοῦντες καὶ ταράσσοντες καὶ ἡσυχάζειν οὐκ ἐπιτρέποντες. quod est: *Turgere autem humores dicuntur, dum motu vehementiore correpti, ab vna parte in aliam transfluunt, infestantque ac dolore afficiunt statim ad morbi initia hominem, turbantque ac quiescere non permittunt.* B Verbum autem *turget,* Hippocrates ab animalibus quæ ad coitum properant, transtulit, quum naturali concupiscentia moueantur ad seminis genitalis excretionem. Quando igitur in toto corpore similis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem superfluitatum, vel si non in toto corpore, saltem in partibus principalioribus, tale quid consueuit Hippocrates per verbum, turgere, significare. Tales itaque humores statim euacuare, quum mouentur, transfluuntque, non exspectata aliqua concoctione, expedit. Proinde vt in longis morbis, Galeno teste, comment. 24. primi aphorism. semper oportet exspectare coctionem, ita in acutis, cum turgent, etiam ab initio possumus vti medicamentis purgantibus. Hinc Hippocrates ait: ἐν τοῖσι ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι, τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι. id est: *In acutis morbis raro, & in principiis, medicinis purgantibus vti oportet.* C Ob id quum humorum de vna parte in aliam transfluxus non nisi raro accidat, plerumque autem hi per vniuersum morbi tempus vno tantisper loco quoad concocti tandem soluantur resideant, præstat illos non tantum non minuere, sed ne mouere quidem donec coquantur. Sed obluctatur iis quæ diximus hoc loco Montuus, atque vacuationem quæ morbi materiam minuit, non turgentibus etiam humoribus ante concoctionem ex Hippocratis & Galeni sententia adhiberi posse probare nititur. Primum autem ad id euincendum, *aphorismum 29. secundæ sectionis* producit, vbi Hippocrates ita inquit: Quum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue. Qua sane sententia quid ostendere velit Montuus non video, neque enim quicquam nostræ aduersatur sententiæ: D fatemur enim aperte circa morborum initia mouendum esse, si quid mouendum videtur. Tum autem mouere licet ante concoctionem, quum morbi incoant, quumque humores turgent. Proinde iis verbis, Si quid mouendum videtur, dilucide Hippocrates insinuat, non in quouis morbo circa principia esse euacuandum, sed tunc quando humores instabiles sunt, & de vna parte in aliam transfluunt. Et nisi hanc particulam adiecisset, & simpliciter pronuntiasset, morbis inchoantibus mouendos esse humores, sibi ipsi pugnantia scripsisset, quandoquidem paulo ante cruda non esse mouenda dixerat. Galenum deinde affert, qui in iam citati aphorismi enarratione ita inter cetera scribit: Circa initia illorum morborum, in quibus speratur ægrotum conualiturum, tentandum maiora afferre remedia: de quibus Hippocrates dixit: Si quid videtur mouendum, moue. E Sunt autem hæc maxime, venæsectio, nonnunquam vero & purgatio, quorum nihil oportet morbo iam consistente adhibere: vt enim in libro de crisibus manifestauimus, coctiones tunc maxime fiunt. Vt igitur hæc citius eueniant, melius est circa principia euacuare, quo minorem iam factam materiam, facilius possit natura concoquere. Quibus vtque Galeni verbis probare conatur, licere ante concoctionem materiam morbi minorem facere, quasi nos simpliciter negaremus nunquam ante coctionem diminuente materiam euacuatione vti licere, quum tamen fateamur interdum licere, quando scilicet morbus valde acutus fuerit, ac humores turgent. Nam vt *4. aphorism. 10.* ait Hippocrates, Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθήμερον· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν. quod est: *Medicari in valde acutis si materia turget, eadem die oportet. Tardare enim in talibus malum est.* F Statim itaque in iis facienda euacuatio, antequam videlicet robur corporis dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, aut ad aliquod membrum principale, hi qui per corpus vagantur humo-

ὀργᾶν quid.

Turgere quid.

Montui argumenta refelluntur.

Hippocratis locus expenditur.

A humores, decumbant. Quid multa? Galenum non de iis morbis, in quibus crudi admodum humores, inque loco fixi sunt, locutum esse, inde colligi potest, quod venæ sectionis & purgationis meminit, quorum remediorum neutrum, vt supra etiam ex Galeni *in libro de tuenda valetudine* sententia diximus, morbis prædictis adhiberi potest. Locutus itaque est de acutis morbis, quibus venæ sectio peculiare est remedium, vt *quarto de victus ratione in morbis acutis 16.* testatur Hippocrates, dicens: τὰ δὲ ὀξέα πάθεα φλεβοτομήσεις, ἢν ἰσχυρὸν φαίνηται τὸ νόσημα, καὶ οἱ ἔχοντες ἀκμάζωσι τῇ ἡλικίῃ, καὶ ῥώμη παρῇ αὐτέοισι. id est: *In acutis affectibus sanguinem detrahe: si vehemens videatur morbus, & ægrotus ætate floreat, roburq; illi aderit.* De acutis autem locutum esse morbis inde etiam manifestũ fit, quod ait, Nonnunquam vero & purgatio: neq; enim semper purgatio accommodũ
B in morbis acutis remedium est, vt Hippocrates etiam in aphorismis indicat, dicens: In acutis affectibus raro, & in principiis medicinis purgantibus vti oportet, & hoc cum præmeditatione faciendum. Cum igitur fateamur, diminuente materiam vacuatione in acutis morbis, in quibus humores turgent, vti posse Medicum, nihil plane iam dicta Galeni sententia nobis aduersari potest. Vacuationem autem diminuentem materiam eam intelligas, quæ tantam humorum molem educere potest, vt humores posthac turgere desinant. Quod si enim talis fuerit, quæ parum, aut nihil plane educat, quum maiorem in humoribus turbationem excitet, consultius erit penitus illam negligere, quam magno ægri detrimento adhibere. Reliqua, quæ producit, nulla confutatione egent, nihil enim nobis pugnant. O-
C ptandum erat igitur validiora attulisse Montuum argumenta, quibus suam roborare opinionem ac stabilem facere putauit. Plura de hoc paradoxo reperient studiosi in commentariis nostris super Hippocratis *aphorismos sectione prima, commentar. vigesimosecundo.*

Non esse ætate etiam consistentes tam sanos quam ægros, vt multi hodie Medicorum facere consueuerunt, immodicis medicamentis purgatoriis excarnificandos, multo minus infantes.

CAP. VI.

NEMO est qui nesciat, Medicorum hodie quorundam tantam esse inscitiam, vt in quouis morbo deiectoria medicamenta commode & citra noxam exhiberi
D posse existiment. Quinetiam eousque illorum processit temeritas, vt si quispiam bona adhuc etiam valetudine vtens, vel leuissime saltem in victu deliquerit, mox huic deuorandum pharmacum adhibeant. Neq; quouis tempore aliud in ore habent illi, carnifices verius quam Medici, nisi hoc vnum, purgatione opus erit, quasi vnico hoc remedio quibuslibet morbis succurri queat, non animaduertentes quanta sit noxa, quæ ex crebra medicamenti sumtione subsequi solet. Quare diligenter admodum cauendum ne integra adhuc valetudine præditis temere pharmaca exhibeamus. Hippocrate enim 2. aphor. 36. teste, οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καθαιρόμενοι ἐκλύονται ταχέως. id est: *Qui salubritatem corporis habent, per medicamenta purgati cito exsoluuntur.* Et mox sequenti: οἱ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες. quod est: *Qui be-*
E *ne se habent corpore, difficulter ferunt medicationes.* Quum enim medicamentum purgans, proprium quidem attrahere humorẽ appetat, vel flauam scilicet bilem, vel atrã, aut pituitam, aut aquosam superfluitatem, illis vero non presentibus, sanguinẽ colliquet, ac carnes, vt ex ipsis proprium attrahat humorem necesse est. Sed obiiciet hic sciolus quispiam: dicens: Fateor quidem bene habentes non facile medicamentis esse purgandos, verum cum indies in corpore multa superuacaneorũ fiat generatio, expedit crebra alui subductione illa euacuare, ne si plus æquo redundauerint morbum procreent. Cui ita responsum volo: Non opus esse ob eam quæ quotidie in corpore aceruatur superfluitatem crebra purgatione, sed sufficit vt singulis diebus collectam, exercitiis expurgemus, interdum etiam per balneas, aliosq; euacuationis modos edu-
F camus. Testis est grauissimus auctor Galenus, qui *3. aphor. 15.* in hunc modum scribit: ἐν μὲν τοῖς αὐχμοῖς διαφορεῖται τὰ περιττὰ ὑγρά. κατὰ δὲ τὰς ἐπομβρίας ἔνδον τοῦ σώματος ἀθροιζόμενα σήπεται, πλὴν εἴ τις αὐτὰ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἀθροιζόμενα ἐκκαθαίρει τοῖς γυμνασίοις. οὐ μεγάλη γὰρ ἡ διὰ τῶν βαλανείων κένωσις, καὶ μόνον σχεδόν τι τῶν κατὰ τὸ δέρμα· τὰ δ' ἐν τῷ βάθει κατεσπαρμένα τῇ τε σαρκὶ καὶ τοῖς σπλαγχνικοῖς ὀργάνοις, οὐκ αὐτάρκως ἐκκενοῦται διὰ τῶν βαλανείων, ἡ μὲν οὖν διὰ τῶν καθαιρόντων φαρμάκων ἡ κένωσίς γε τῶν περιττῶν ἐπιτήδειος, μεγάλως τι γὰρ δεομένοις χρήσιμος καὶ διὰ χρόνου

μακρῶν, αἱ δὲ τῶν ὁσημέραι γινομένων ἐν τῷ σώματι περιττωμάτων κενώσεις, ἐλάττους εἰσὶν ἢ κατὰ φαρμάκου καθαίροντος ἐνέργειαν. εἰ δὲ καὶ βουληθείη τις αὐτοῖς χρῆσθαι δὶς τοῦ μηνὸς, ἢ πάντως γε ἅπαξ, εὐλαβούμενος ἀθροισθῆναι πολλὰ τῶν περιττωμάτων, κακώσει τὸ σῶμα μετὰ καὶ τοῦ μοχθηρῷ προσεθίζειν ἔθει: hoc est: *In siccitatibus superuacaneæ humiditates discutiuntur. Per imbres autem intra corpus collectæ putrefiunt; nisi quis singulis diebus congregatas exercitiis expurget. Quæ enim fit per balneas euacuatio modica est, & solum ea ferme quæ circa cutem sunt euacuat. Quæ autem in profundo per carnem, & partes solidiores dispersæ sunt superfluitates, haud sufficienter per balnea euacuantur. Neque tamen ea quæ fit per purgantia medicamenta superuacaneorum vacuatio, idonea est, nam valde indigentibus; & ex longis interuallis vtilis est. Eorum vero quæ quotidie generantur in corpore superuacaneorum euacuatio, minor est quam vt exigat purgatis medicamenti operationem. Quod si vero quispiam voluerit bis mense, aut semel saltem ea vti, veritus ne superuacaneorum multitudo aggregetur, præter id quod nocebit, corpora etiam in malam consuetudinem trahit.* Quid (oro) his verbis apertius est? ita enim hodie medicantium peruersi medendi rationem damnant, vt nemo sit qui illos non toto cœlo aberrare videat. Neque enim, vt solent, quibusuis temere, & quocunque tempore purgantia medicamenta esse exhibenda monent, sed indigentibus tantum, & ex longis interuallis. Qua ergo ratione se tuebuntur qui leuiculam ob caussam, quam vel victus recta ratione vincere queas, mox deuorandum medicamentum propinant? Quo denique pacto ab errore se vindicabunt, qui non semel aut bis, quod tamen Galenus reprehendit, sed quauis hebdomada catapotia deglutienda iis, qui integra adhuc fruuntur valetudine, exhibent? Multo itaque consultius erit vt hoc potius conentur, quo vitiosorum humorum, superuacaneorumque multorum generationem recta victus ratione aliisque modis prohibeant, quam vt semper tot immodicis purgationibus sanos iuxta ac ægros excrutient. Id quod Galenus etiam probat *lib. 2. de natur. facultat. capit. 8.* vbi contra Erasistratum disputans ita scribit: Ταῦτ' οὐκ ἂν ἠγνόει τὸν Ἐρασίστρατον, εἴπερ καὶ κατ' ὄναρ ποτὲ τοῖς ἐκ τοῦ περιπάτου συνέτυχεν, ὥσπερ οὖν οὐδὲ τὰ περὶ τῆς γενέσεως τῶν χυμῶν, ὑπὲρ ὧν οὐδὲν ἔχων εἰπεῖν, ἀλλ' οὐδὲ μέχρι τοῦ μετρίως πιθανοῦ, οἴεται παρακρούεσθαι, σκηπτόμενος, ὡς οὐδὲ χρήσιμος ὅλως ἐστὶν ἡ τῶν τοιούτων ἐπίσκεψις: ἆτε ὦ πρὸς Διὸς, ὅπως μὲν τὰ σιτία κατὰ τὴν γαστέρα πέπτεται χρήσιμον ἐπίστασθαι, πῶς δ' ἐν ταῖς φλεψὶν ἡ χολὴ γίνεται περιττὸν, καὶ τῆς κενώσεως ἄρα φροντιστέον αὐτῆς μόνης, ἀμελητέον δὲ τῆς γενέσεως, ὥσπερ οὐκ ἄμεινον ὑπάρχον μακρῷ τὸ κωλύειν αὐτὴν ἐξ ἀρχῆς γεννᾶσθαι πλείονα, τοῦ πράγματα ἔχειν ἐκκενοῦντας. Id est: *Hæc minime ignorasset Erasistratus, si vel per somnium aliquando cum peripateticis fuisset versatus, æque vt ea neque quæ ad generationem succorum pertinent, De quibus quum quod diceret nihil haberet, ne quod mediocriter quidem probabile esset; fallere se putat; dum inutilem prorsus esse id genus contemplationem prætendit. Sed nunquid per Iouem quæso quemadmodum cibi concoquantur in ventriculo scisse est vtile, quemadmodum autem in venis bilis fiat est superuacuum, ac solius vacuationis eius habenda est ratio; generationis eius nulla cura? ceu non longe satius sit prohibere ab initio; ne multa gignatur, quam solicitos esse & occupatos de vacuanda.* Proinde oportet & nostræ ætatis Medicos, si non Erasistratii magis quam Galeniani esse gaudent, de non generandis prauis humoribus potius solicitos esse, quam de crebra illorum per medicamenta purgantia vacuatione, quibus nonnunquam ægrotantium misere perdunt. Hunc accedit, quod cum haud modica morborum pars ex indigentia seu inanitione oriatur, non decet certe quouis momento ad exhibenda medicamenta purgantia tam procliues esse Medicos, quando hos ipsos repletione potius quam vacuatione curare conueniat, id quod Hippocrates quoque faciendum esse monet, dum *2. aphorism. 22.* ita inquit: ἀπὸ πλησμονῆς ὅκοσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται, καὶ ὅκοσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονὴ, καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις: hoc est: *Quicunque morbi ex saturitate fiunt; curat euacuatio, & quicunque ex vacuatione; refectio, & aliorum contrarietas.* Denique cum Hippocrate auctore in libro de flatibus: ἰητρική ἐστι πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, quod est: *medicina sit appositio & detractio*, diligenter curandum vt Medicus iis apponat quæ deficiunt, auferat autem ab illis tantummodo quæ redundant, neque temere vni tantum, vt ferme hodie fit, intentus sit. Sed quid dicam? scio esse hodie, qui nedum immodica exhibendo medicamenta delinquunt, verum in eam etiam sæuitiam prorumpunt, vt ne infantes quidem ab hac carnificina immunes esse permittant. Scythæ profecto aut carnifices verius quam Medici, quod contra omnium tum veterum, tum recentiorem decretum in adhibendis medicamentis purgatoriis ætatem non animaduertunt. Neque enim frustra est quod

Neq; bis neq; semel mense purgatione vti licet.

Errant qui sæpius catapotia deglutienda præbent.

Haud modica morborum pars ex indigentia.

A B C D E F

1. aphor. 16.

Aut.*aphorism.16.* magnus ille Hippocrates in purgationibus admonet: ἐπιβλέπειν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους, ἐν ᾗσι δεῖ ἢ μή. hoc est, *inspicere oportere & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniant aut non.* Nullo autem pacto esse purgandos pueros, multo minus infantes, in hunc modum scribens *lib. 9. cap. 16. ther. meth.* Galenus ostendit: ἡ τῶν παιδίων οὐσία ῥᾷστα διαφορεῖται καὶ σκεδάννυται, διότι πασῶν μέν ἐστιν ὑγροτάτη, ψυχροτάτη δὲ οὐδὲ μιᾶς. ὥστε που χρῄζει κενωτικοῦ βοηθήματος, ἐξ αὑτῆς ἔχουσα τὸ κενοῦσθαι σύμφυτον. quod est: *Puerorum substantia omnium facilime digeritur ac dissipatur, propterea quod est omnium humidissima, nulla vero frigidior, ita vt vacuante remedio aut præsidio non opus habeat, cum ex seipsa obtineat, vnde naturaliter vacuetur.* Si itaque nullo plane vacuante auxilio pueri opus habent, igitur nec purgatione, quæ post venæ sectionem potissima exsistit. Atqui dicit quispiam, quid itaque faciendum si infanti aut puero aluus nimium adstricta fuerit? nam citra periculum nisi subuenias,

Pueri non purgandi.

B aluo hoc pacto adstricta, durare non poterunt. Curandum vbi lactentes adhuc fuerint, vt nutrix aut animal cuius lacte infantes vescuntur aliquid quod subducendi aluum vim habeat, assumat. Ita enim Galenus *libro tertio de alimen. facult.* faciendum suadet, dum ita inquit: ἀλλὰ κἂν αἰγὸς ἤ τινος ἄλλου ζώου νεμηθέντος σκαμμωνίαν, ἢ τιθύμαλλον ἐν τροφῆς μέρει προσενέγκηταί τις γάλα, ῥυήσεται πάντως ἡ γαστὴρ αὐτῷ. hoc est: *Si capra aut alterius cuiuspiam animalis scammoniam aut tithymallum depasti lac cibi loco quis sumat, omnino aluus illi profluxura est.* Idipsum vero ab Hippocrat. didicit, qui *5. part. 6. epi. 34.* in eum modum scribit: γυνὴ, αἲξ ἐλατήριον ἢ σικύον ἄγριον βεβρωκυῖαι, καὶ παιδίοισι κάθαρσις. quod est: *Mulier, capra cucumerum syluestrem comedentes, pueris purgatio.* Quod si vero ablactati fuerint, glande supposita aluus citari potest. aut mel, vel resina terebinthina cibo adiicitur, id quod Paul. Ægineta *lib. 1. capit. 6.* iis verbis fa-

Infantium aluus vt subducenda.

C ciendum docet: Porro si pueri aluus adstricta fuerit, mel cibo adiectum dabis: quod si ne sic quidem deiicit, resinam terebinthinam, quæ ciceris quantitatem æquat, adiicies. In tantum certe veteres Medici nonnullos nostro seculo hoc titulo sese vendentes superarunt, vt si illos cum his ipsis conferre volueris, meros latrones præ illis dixeris. Nihil autem mirum tales hodie oberrare passim Medicos, cum, vt Plin. *lib. 29. cap. 1.* inquit, nulla lex sit quæ inscitiam capitalem Medicorum puniat, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt, medicoque tantum hominem occidisse summa impunitas est, quando hercule in hac artium sola eueniat, vt cuicunque Medicum se profitenti statim credatur. Verum dignum admodum est vt vulgo, quando non nisi laruatos illos exoptet Medicos, tales quales deside-

Medicorũ nostri seculi latrocinium.

D rat contingant, vt scilicet similes habeant labra lactucas. Minime vero manifaciendum esset sic desipere vulgus, nisi simul maxima principum & magnatum pars etiam eo insaniæ deuenisset, vt non nisi indoctissimos eosque infantissimos, adde quoque moriones ipsissimos ad curam valetudinis suæ adsciscerent. Neque admiratione dignum puto, si indoctis hodie plerunque principibus, & nulli rei penitus nisi compotationibus ac venationibus deditis, indocti contingant Medici, ὅμοιον γὰρ, Aristotele *lib. 8. moralium* teste ὁμοίου ἐφίεται. id est, *Simile enim appetit simile.* Et vt omnis eruditionis Oceanus Homer. quoque Odyss. ϛ. inquit: αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον, hoc est: *Semper Deus similem ducit ad similem.* Proinde quum docti in aulis principum plerunque ludibrio habeantur, neque enim adulari nouerunt, quæ vna ars vere aulicos facit, fit vt hi qui gar-

Vere aulici qui.

E riendo, iactando, pollicendo, nugando, mentiendo, adulandoque plurimum possint, omnium sint gratissimi. Hinc merito stultis principibus multo stultiores obtingunt Medici, qui probe illos non solum expilatos, sed & excarnificatos ᾅδῃ ἀποδίδονται.

Catapotia vehementius trahentia, pilulas nostri vocant, non nisi ieiuno, & ei qui probe concoxit esse exhibenda, contra omnium ferme hac tempestate medicantium sententiam.

Cap. VII.

Notum omnibus esse puto, qui tenuiter saltem nostræ ætatis Medicorum libros degustarunt, in vniuersum omnes catapotia ea, quæ vt ex capite vehementius

F trahant exhibentur, non nisi vnam alteramue post cœnam horam, contra omnium veterum sententiam ac rationem quoque ipsam deuorandam esse docere. Non enim nisi ieiuno, aut ei qui probe iã concoxit, esse exhibẽda medicamẽta purgãtia, in quorũ numero & catapotia sunt vehementia, in primis monstrat Hip. *2. de vict. ratione in morb.*

Medicamẽta purgantia ieiunis exhibenda.

acut.13. ita scribens ἐπεὶ καὶ κατὰ λόγον ἐν μέσῃ τῆς καθάρσεως μὴ διδόναι ῥοφήν, id est: *Quoniam rationi consentaneum est in media purgatione sorbitionem dandam non esse.* Cur autem apparente iam purgationis initio a sorbitione abstinendum esse vetuerit, nulla alia ratio est, vt Galenus in comment. indicat, nisi quod alias purgantis medicamenti operatio exoluatur. Si itaque timor est ne iam cœpta etiam purgatione si quid sorbitionis sumtum sit, operatio purgantis medicamenti imbecillior reddatur, cur non multo magis idem inter initia timendum, vbi longe facilius est medicamenti vim obtundere? Quapropter ieiuno certe danda medicamenta purgantia, ne scilicet multitudine ciborum in stomacho operatio medicamentorum impediatur, id quod facile fit, quum natura iam concoquendis cibis occupata sit. Testis est Paulus Ægineta, qui *li 7. cap 6.* in hunc modum scribit: Summatim in omni purgatione efficaci, medicamentum homini quem certa prius victus ratione alueris, ieiuno, & ei qui probe concoxerit trades, ac somno quoad in totum purgatus fuerit, arcebis, motu mediocri si fieri potest adhibito, cibo omni & potu abstinere vsque ad consummatum purgationem compelles. Quinetiam Auicenna ipse, quem tamen vnum se vt ducem optimum sequi putant, haud aliter quam Paulus ac alii veteres, *Fen. 4. primi Canon. cap. 5.* prohibet, ne quid post medicamenti purgatorii sumtionem vel cibi vel potus sumatur, ne scilicet facultas medicamenti iisipsis obruatur, atque adeo imbecillior fiat. Verba eius hæc sunt: Qui medicamentum sumsit, non debet comedere neque bibere donec pharmacum suum perficiet officium. Proinde quemadmodum diligenter cauendum ne medicamenti operatio per subsequentes cibos aut potus imbecillior reddatur, ita summe cauendum, quo neque ciborum concoctio per subsequentia medicamenta purgantia interturbetur. Hinc Paulus *libro iam citato capit. 4.* Aloen etiam medicamentum ceteris minus nocens, post cibum non esse exhibendam docet. Sed præstat verba subscribere: Bilem, inquit, flauam optime educit aloes denarius cum melicrato matutino tempore exhibita: nam qui vesperi eam propinant, vel post cibum, lædunt, quoniam alimentum distrahit corrumpitque. Si ergo Aloe, quæ, vt eodem loco Paulus, & alibi Diosc. & Galen. scribunt, inter omnia purgantia medicamenta sola amica & vtilis est stomacho, ea ratione ne nutrimentum distrahatur post cibum exhiberi non debet, multo minus catapotia illa fortia, quæ non Aloen tantum, verumetiam alia multo hac vehementiora in se continent medicamenta, exhibere licebit. Discedant itaque a peruersa illa consuetudine Medici, qua nondum perfecta concoctione medicamenta purgantia propinare didicerunt, nam hoc pacto concoctio non solum impeditur, sed & nutrimentum ita distrahitur, vt conuenienter membra nutriri non queant, & potius tempore matutino vbi perfecta penitus concoctio exsistit exhibeant, ea enim lege illorum operatio probe perficietur, & quicquid noxium est omnium facillime attrahetur. Sed tanta est illorum hominum pertinacia, vt vel citius mori eligant, quam ab eo cui assueuerũt vel latum digitum recedere velint. Plura vero ad institutum facientia *lib. 2. Institutionum nostrarum sect. 5. cap. 18. & lib. 3. de compo. medicamentorum cap. 9.* diximus, vbi etiam quæ catapotia, & in quo effectu sumere ante vel post epulas liceat indicauimus.

Præter omnem rationem nostrates solo decocto pisorum post epota medicamenta purgantia abluendi abstergendiue gratia vti.

Cap. VIII.

QVemadmodum non probo penitus post epota medicamenta purgantia abluendi vi præditis non vti, ita nec laudo si post quodcunque medicamentum purgatorium adhibeantur. Perinde enim vt non conuenit, quemadmodum auctor est Hippocrat. semper purgante sumto medicamento a sorbitione cremoris ptisanæ abstinere, sed illum interdum sorbuisse salutare est, ita & abluere nonnunquam confert, nonnunquam vero minime. Quando autem ptisanæ cremorem vtile sit sorbere post epotum medicamentum, & quando minus, pulchre Galen. super Hippocrat. *de rat. vict. in morb. acut. lib. 2. comment. 12.* in hunc modum scribens indicat: καὶ ἄλλως μὲν χρὴ προνοεῖσθαι τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς, ὃ δὴ καὶ στόμαχον ὀνομάζουσιν, ὡς διαμένειν ἀβλαβὲς ἐν ταῖς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων πόσεσιν, μάλιστα δ᾽ ὅταν ἐπὶ τῶν πυρεττόντων δίδοται. ἐκ τοιοῦτον αὐτὸ μὲν γὰρ τὸ καθαρτικὸν φάρμακον, ὡς ἂν ὀλίγον ὂν, εἰς τὸν πυθμένα τῆς κοιλίας ἀφικνεῖται, κατὰ δὲ τὴν δίοδον ὁ στόμαχος ὅσον τε ὑψηλότερον τῆς γαστρὸς, οὐ μόνον τῆς ποιότητος τοῦ καθαίροντος φαρμάκου, ἀλλὰ καὶ τῆς οὐσίας προσιζούσης ἐν τῇ διόδῳ.

A τῇ διόδῳ μεταλαμβάνων μεγάλως βλάπτεται. χρήσιμος, οὖν ὁ χυλὸς τῆς πτισάνης ἐπιρροφούμενος, ὡς ἂν ἀποῤῥύψῃ μὲν & καταστύψαι κατὰ τὸ προσπεπλασμένον ἐν τῇ διόδῳ ἐν... , ἐπικεράσαι δὲ καὶ ὑπαλλάξαι τὴν ἐνέχοιδαν τοῖς μορίοις ποιότητα τοῦ φαρμάκου. Διὰ ταῦτα μὲν οὖν ἐπὶ τῇ τοῦ καθαρτικοῦ πόσει κελεύει πτισάνης ἐπιρροφεῖν. ἀρξαμένης δὲ γίνεσθαι τῆς καθάρσεως, οὐκέτι βούλεται διδόναι τῆς πτισάνης, εὐλαβούμενος ἐκλυθῆναι τὴν ἐνέργειαν τοῦ καταποθέντος φαρμάκου. quod est: *Maxime quidem ori ventris, quod & stomachum vocant, vt in ipsis purgantium medicamentorũ potibus illæsum maneat, prouidere oportet, præsertim vbi febrientibus tale quidpiam propinatur. Namque purgans medicamentum ipsum tanquam exiguum, ad ventris fundum peruenit, dumque transit, stomachus & quæcunque sublimior pars non qualitatem medicamenti purgantis modo, verum & substantiæ quæ in transitu adhæret aliquid assumens, vehementer læditur. Ptisana igitur cremor absorptus commoditatẽ affert nempe, & detergere & deorsum trahere quod via adhæret, & qualitatẽ medicamenti quod his partibus adhæret, tũ temperare, tũ permutare potest. Ob eas* Quãdo sorbendum.

B *igitur caussas à purgantis medicamenti potu, ptisanam supersorberi præcipit. Sed vbi purgatio cœpit, ab ea esse abstinendũ præcipit, purgantis medicamenti operationem exsolui veritus.* Quæ sane verba repetit *in libro De iis quos purgare oporteat, quibusq; medicamentis, & quo tempore.* Discenda vero inde erit vera abluendi ratio, vt scilicet non quouis tempore, nec post quodlibet medicamentum epotum abluamus, sed tum solum quando nondum purgatio cœpit, & non nisi vbi timor est, ne illæsum os ventriculi, quemadmodum in febribus fieri contingit, permaneat. Errant itaque nostræ tempestatis Medici, qui non nisi vbi iam cœperit purgatio, ac venter bis aut ter deiecerit, abluunt, etiamsi nulla stomachi mordicatio apparuerit, cum potius ante purgationis initium id faciendum esset, quod alias medicamenti purgantis operatio obtundatur. At- Quando abstinẽdũ à sorbitione: Quando abluendũ.

C qui non tantum hac ratione delinquunt, verum etiam in hoc quod solo decocto pisorum ad abluendum vtuntur, cum omnium veterum ac probatissimorum scriptorum testimoniis constet illa exigua duntaxat abstergendi vi prædita esse: id quod satis aperte monstrat Gal. *lib. 1. de alimentorum facult. de pisis*, in hunc modum scribens: παραπλήσιον δὲ κατὰ τὴν ὅλην οὐσίαν ἔχουσι κυάμοις, ἐσθιόμενοί τε κατὰ τοὺς αὐτοὺς τρόπους αὐτοῖς, ἐν δυοῖν τοῖν διαλλάττουσιν, ὅτι τε φυσώδεις ὁμοίως οὐκ εἰσὶ τοῖς κυάμοις, ὅτι τε τὴν ῥυπτικὴν δύναμιν οὐκ ἔχουσι, καὶ διὰ τοῦτο βραδυπορώτεροι τῶν κυάμων κατὰ γαστέρα εἰσίν. hoc est: *Simile quid tota substantia pisa cum fabis obtinent, nec alio quam illæ modo comeduntur. Duo tantum sunt in quibus euariant, non enim similiter ac fabæ inflant, nec abstergunt, ideoque segnius quam illæ per aluum secedunt.* Verum hoc loco nobis minime tacendum erit, quod Galenus per hæc verba, τὴν ῥυπτικὴν δύναμιν οὐκ ἔχουσι. id est: *abstergendi* Pisa nõ abstergunt.

D *facultatem non habent*, pisis haud omnino, vt alicui apparet, omnem abstergendi facultatem adimit, sed minus duntaxat ea quam fabas abstergere docet. Non enim simpliciter pisa haud abstergere dixit: sed collatione cum pisis facta, illa non similiter vt fabas detergere dixit. Hanc autem esse legitimam iam dictorum verborum Galeni sententiam manifestissimum fit ex iis, quæ ille *in libello de cibis boni & mali succi* scribit, inquiens: τῷ πίσῳ τὸ μὲν ἄφυσον ὑπάρχει, τὸ δὲ ῥυπτικὸν οὐκ ἴσον τῷ κυάμῳ. Hoc est: *Pisum flatulentum non est, sed fabæ æqualem extergendi vim non habet.* Sed plura ea de re, *in historia Pisi tomo 3. nostro de stirp. commentariorũ* diximus. Quod si itaq; quis abluentibus vti commode voluerit, potius idipsum decocto cicerum agat: ὑπάρχει γὰρ & ῥυπτικὴ δύναμις αὐτοῖς. *vt libro primo de alimentorum facult.* Galenus ait: ἐπιπλέον ἢ τοῖς κυάμοις, ὥς τε τινὰς ἐξ αὐ-

E τῶν καὶ τοὺς ἐν νεφροῖς συνισταμένους λίθους ἐναργῶς θρύπτειν. id est: *Inest enim ciceribus abstergendi vis potentior quam ipsis fabis, adeo, vt quædam species contractos in renibus calculos euidenter frangant.* Licebit & hac ratione vti hordei decocto, quod & ipsum, Dioscoride teste, abstergendi vi præditum sit.

Febricitantes, tertiana præsertim exquisita correptos febre, immodicis medicamentis purgatoriis non esse excarnificandos, vt pleriq; hodie faciunt, cum alterantibus vti interdum satis sit.

Cap. IX.

F MVLTI sunt hac tempestate Medici, qui non satis arbitrantur esse semel in febribus, tertiana etiam exquisita, medicamentum purgans exhibuisse, nisi id iterum atq; iterum deuorandum ꝓpinarint, idq; nulla veterum autoritate, nec ratione, quæ alicuius saltem momenti sit, confisi, ita vt hos ipsos errare hac medendi ratione omniũ euidentissimum sit. Sed vt idipsum clarius studiosi deprehendere possint,

primum veterum testimoniis ostendemus quam suspectas illi euacuationes, immo- A dicas maxime, quæ per medicamenta purgantia ac alia auxilia in febribus fiunt, habuerint. Galenus siquidem *lib. 2. artis curat. ad Glauconem*, tertianæ exquisitæ curationem ex professo tractans, hanc ipsam primum omnium quanto magis fieri potest, refrigerare oportere ac humectare docet: nā contrariorum cōtraria remedia esse. Flauam enim bilem humorē inter omnes, qui in corpore sunt aridiorē sicciorem q; exsistere. Posthæc tanquam ad minus necessariā, quam sit prior, indicationē, bilis scilicet excretionem, respicit, admonens nō immodicis medicamentis ad eam educendam opus esse, cum interdum ad ventriculū repat, atq; tum per vomitum educi possit, interdum autē ad inferiora vergat, & tunc per aluum subduci queat, hoc quod sponte plerunq; fieri solet. Quod si vero non fiat, ventrē mollibus clysteribus exinaniendum B monet, adeo vt immodica per medicamēta purgatoria vacuatione minime opus sit. Non esse autē opus multa vacuatione, ipse mox aquarū marinarum & salsarū exēplo monstrat, sic scribēs: τὰ λουτρὰ θαλάττια καὶ ἁλμώδη, καὶ νιτρώδη, καὶ θειώδη πλεῖον μὲν ἀπάγει τῆς χολῆς, πολὺ δ' ἧττον ὠφελεῖ τῶν ποτίμων. ἄμεινον δ' εἰπεῖν οὐδ' ὠφελεῖν αὐτά, μειζόνως βλάπτοντα ταῖς ποιότησιν ἢ βοηθοῦντα ταῖς κενώσεσιν. ἐγὼ γοῦν οἶδά τινα κίβδηλον λογισμῷ τοῖς διὰ χρῆσθαι λουτροῖς ἀναπεισθέντα, εἶτα ξηρανθέντα τὴν ἕξιν τοῦ σώματος, εἰς τοσοῦτόν τε διαφθαρέντα ὥστε μαρανθεὶς ἀπέθανεν. ἐπέτεινε δ' αὐτῷ καὶ ἡ ἄλλη πᾶσα δίαιτα πρὸς τὴν κίνησιν τῆς χολῆς: ἀεὶ γὰρ χρὴ ποιότητας ἐναντίας τῇ κρατούσῃ παρὰ φύσιν ἀντεισάγειν, ὡς πολὺ τὸ βέλτιον τοῦτο τοῦ κενοῦν ὁπωσοῦν: ὅπερ οὐδ' αὐτὸς ἐγίνωσκεν, οὐδ' ἑτέρων ἐμάνθανε λεγόντων. hoc est: *Marina balnea, salsa, nitrosa, atq; sulphurea, plus quidem bilis educunt, sed multo minus iis quæ ex potabili aqua fiunt, prosunt. Præstat vero neq; ipsa vtilia dicere, quandoquidem plus qualitate nocent, quam euacuationibus iuuent. Equidem noui quendam corrupto iudicio hisce balneis vti persuasum, deinde extenuato corporis habitu, ad tantam venisse perniciem, vt tabe consumtus* C *interiret. Reliqua quoq; victus ratio ad bilem exercendam illi adaugebatur. Semper vero oportet contrarias qualitates illis quæ præter naturam inualuerunt, opponere, cum hoc multo melius sit, quam quomodo libet euacuare. Atqui neq; hoc ipse nouerat, neq; ab aliis docentibus didicerat.* In quibus sane verbis Galenus periculo cuiusdam qui inscitia Medici periit nos admonet, ne in tertiana exquisita immodicis euacuationibus studeamus, sed id potius conemur, vt contrariis qualitatibus, quæ habitum corporis corrigere possunt, febrem oppugnemus, id quod multo præstantius est, quā hac aut alia ratione vacuare. Quod si itaq; balnea aquæ salsæ, marinæ, nitrosæ & sulphureæ tantum huic cuius Galenus meminit, obfuerunt, vt tabe tandem absumptus perierit: cur non idem periculum purgatoria medicamenta, immodica præsertim, quæ non tantum qualitate sua, quā- D do omnia id generis sint potentia calida, verumetiam vacuatione nimia nocent adferrent? Huc respexit etiam in aphorismis Hippocrates, dum *1. sectione 24.* præcipit, in acutis morbis raro, & non nisi cum præmeditatione multa, esse purgantibus medicamentis vtendum. Et in compendio Oribasius in eam sententiam scribens: Crudi exsistentes humores antequam incipiant generare morbos, caute sunt vacuandi, iam autem febrientes nullo modo. Inter Latinos etiam Cornelius Celsus *libr. 1. capite 11.* nunquam, inquit, in aduersa valetudine medicamentum eius rei caussa recte datur, nisi vbi iis morbus sine febre est. At vbi febres sunt, satius est eius rei caussa cibos potionesq; assumere, qui simul & alant, & ventrem molliant. Ceterum inedia calidis & siccis corporibus, *Galeno lib. 10. ther. meth. cap. 5. teste*, maxime est noxia. His autem E qui in calida & sicca æstate febre laborant, quæ scilicet ex vstione, aut labore immodico, aut vigiliis, aut comprehensis iam animi motibus sit contracta, non tantum noxia est, sed si quicquam aliud plane perniciosa, quippe vel in febres ardentes ex ea incidunt, a quibus nisi prius mors occupet, in hecticas migrant, atq; ab iis in marasmū, vel protinus ardentibus præteritis in hecticas. Quapropter si calidas & siccas naturas tantū malum ob inediā sequitur, cur idē non ab immodicis medicamentis, quæ subinde multo magis quam inedia corpus exhauriunt, contingeret? Et scio ipse quosdā qui hoc pacto deducti ad tabē perierunt. Præterea quum tertianæ, & aliarum ex putredine humorum natarum febrium, curationis duplex sit indicatio, vna quę humores febres efficientes, altera vero quæ febres ipsas respicit, semper Medico ad febres F magis quam ad humores respiciendum, quod calor humoribus noxiis vehementior sit, atq; adeo magis etiam vrget. Proinde ad contrariā opponendam qualitatē magis animum aduertamus oportet, quam vt euacuemus. Ita Paulus Ægineta *lib. 2. cap. 20.* tertianæ exquisitæ tanquam morbo originem a bile flaua habenti, humectantibus

& re-

A & refrigerantibus medicamentis in primis occurrendum esse statuit, nec non & cum eiusdem effectus victus ratione, Tandem si quid sese in ventrem recipit, & tanquam in sentinam confluit, id vel per vomitum, vel per inferna euacuandum. Diximus autem supra sæpe sua sponte aluum, ea quæ ad inferiora repunt, in tertiana exquisita deducere, ita vt non semper opus sit purgante ad hanc rem medicamento. Quare quemadmodum immodicis medicamentis purgantibus vacuare febricitantes semper noxium est, ita interdum semel ea adhibuisse vtile exsistit, id quod fit si maior est noxiorum humorum euacuatione vtilitas, quam ex purgantibus medicamentis consequitur detrimentum, quemadmodũ dilucide in prima sectione aphorismorum Hippoc. *com. 24.* in hunc modum scribens Galenus indicauit:

B κίνδυνος οὐ μικρὸς ἐν ὀξεῖ νοσήματι κακῶς φαρμακεῦσαι, τῷ πάντα μὲν τὰ καθαίροντα φάρμακα θερμὰ ταῖς δυνάμεσιν εἶναι, δεῖσθαι δὲ τὸν πυρετόν, ᾗ πυρετός ἐστι, κατὰ τὸν ἑαυτοῦ λόγον, οὐχ ὅπως τῶν θερμαινόντων καὶ ξηραινόντων, ἀλλὰ τῶν ἐναντιωτάτων αὐτοῖς, τοῦτ᾽ ἔστι τῶν ὑγραινόντων τε καὶ ψυχόντων. οὔκουν οὐδ᾽ αὐτῆς ἕνεκα τῆς πυρώδους θερμασίας ἡ κάθαρσις ἡμῖν παραλαμβάνεται, ταύτην γὰρ ἴσμεν ὅσον ἐφ᾽ ἑαυτῇ βλαπτομένην, ἀλλὰ τῶν ἐργαζομένων αὐτὴν ἕνεκα χυμῶν, χρὴ τοίνυν μείζονα τὴν ὠφέλειαν ἐκ τῆς τῶν λυπούντων χυμῶν κενώσεως γίγνεσθαι τῆς βλάβης, ἣν ἐξ ἀνάγκης βλάπτεται τὸ σῶμα πρὸς τῶν καθαιρόντων φαρμάκων, ἔστι δὲ ἡ ὠφέλεια μείζον, ἐὰν ἀλύπως τε καὶ πᾶς ὁ βλάπτων καὶ λυπῶν ἐκκενωθῇ χυμός, hoc est: *Periculum non minimum in morbo acuto perperam medicamento purgante vti, quod omnia id genus medicamenta facultatibus calida sint. Febris vero quatenus febris est, & sui ratione, nedum calefacientibus atque exsiccantibus, sed potius contrariis, hoc est, humectantibus & refrigerantibus egeat, Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem adhibemus, hanc enim scimus sui ratione nocituram, sed propter humores illam efficientes, Quare maiorem oportet ex*

C *noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quam id quod necessario consequitur ex purgantibus medicamentis detrimentum. Est autem vtilitas maior, si absque molestia omnis humor noxius & infestans euacuetur.* Quibus vtique verbis Galen. etiam admonet, non temere febricitantes esse purgandos, quod id plerumq; non sine magno ægrotantis periculo fieri possit. Quod si tamen purgandi necessitas interdum incumbat, videndum tum, vt ita purgemus, quo ex euacuatione maius incommodum, quam detrimentum, sequatur, id quod fiet, si lenibus, & sine molestia euacuantibus medicamentis vsi fuerimus. Hinc manifestum est in febribus, tertiana maxime exquisita, non facile medicamẽta purgantia esse adhibenda, quod ferme semper natura sua sponte humorem febrem efficientem vincat atq; educat. Si tamen ita contingat, vt

D natura humorẽ integre vincere non queat, satis erit vbi leuioribus eam medicamentis iuuerimus. Et hoc inter Arabes etiam faciendum suadet Abenrois, qui *lib. 7. coll. cap. 11.* sic scribit: Hæc febris si fuerit exquisita tertiana, erit secura & absq; periculo. Et scimus certo, quod natura vincet hunc humorem, & ob id non debemus hunc medicamentis attractoriis mouere, sicut est scammonia, eo quod rectificando illã quantum possumus, membris principalibus inducet noxam, atq; adeo virtutem imbecilliorem reddit, auget quoq; calorem febrilem, suamq; siccitatem. Et si aliud non induceret nocumentum, nisi surgendi & decumbendi conatum, modicum non inueniretur, quia temperamentum inde magis calefit & debilitatur. Sed apparente signo concoctionis, non est malum dare aliquam medicinam attractoriam, in hunc modum, vt des ea quæ habent lenire materiam & humectare. Diligenter igitur in

E febribus animaduertant Medici, vt plus in humectando & refrigerando, quam nimium vacuando sint occupati. Hic iterum cum ridicula sua annotatione in medium prodit Montuus, ac ostendere conatur licere in tertiana exquisita exhibere medicamenta purgantia, id tamen quod nunquam negauimus, satis enim constat, vt ex iam dictis etiam colligi potest, nonnunquam in tertiana quoq; exqusita purgantium medicamentorum vsum vtilem esse. Nos vero immodicum & minime necessarium illorum vsum damnamus, nec vlla nisi fuerint lenia, adhibere commode posse adserimus. Potuisset vtiq; & hanc omisisse annotationem, vt alias omnes Montuus, nam nihil habet quod nobis aduersetur.

Alterationi potius quã vacuationi studendum. Montuo respondetur.

F *Quum veterum omnium testimoniis ad febrium curationem balneo nihil vtilius sit, inique facere hodie Medicos, quod febricitantibus illo interdicunt.*

CAP. X.

QVOD nostra tempestate magna Medicorum pars in eam dementiam prolapsi sunt, vt febricitantes in vniuersum omnes, tertiana etiã correptos febre a balneo

prorsus arcent, nulli acceptum ferendum nisi vni Razi, qui *tractat. 10. cap. 4.* de tertianæ cura ita scribit: Cum febris ægrum dimiserit, adhuc eodẽ regimine quo prius post febrem per tres dies erit regendus. Quibus transactis pullina caro aut hœdina danda est. Interim tamen à balneo & sole & vino abstinendus est. Quod si de laconio intellexit Razes, nihil illi aduersamur. Si vero de balneo aquæ dulcis, nihil decreto illo mendacius. Quicquid tamen sit, euidentissimum existit nostræ ætatis Medicos etiam ab aquæ dulcis balneo prohibere febricitantes, id quod erroneum esse multorum veterum testimonium euincimus. Primum omnium Hip. qui *1. aph. 17.* ita scribit: αἱ ὑγραὶ δίαιται πᾶσι τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, quod est: *Victus humidus febricitantibus omnibus confert.* Quod si ergo in vniuersum humidus victus febricitantibus vtilis est, consequitur, & balneum aquæ dulcis eisdem conferre, quandoquidem illud non solum humectet, sed & refrigeret, vt testatur Hippoc. *lib 2. de rat. vict.* dicens: ὕδωρ πότιμον ὑγραίνει καὶ ψύχει. id est: *Dulcis aqua humectat & refrigerat.* Galenus quoq; *lib. 10. therap. meth. cap. 7.* solium aquæ dulcis inter remedia quæ extrinsecus admota corpus refrigerant, & humectant, recenset, inquiens: ἔξωθεν μὲν οὖν προσπίπτει τόν τε περιέχοντα ἡμᾶς ἀέρα, καὶ ὅσα δυνάμει φαρμάκων ὑγραίνειν τε καὶ ψύχειν πέφυκεν, καὶ τρίτον πρὸς τούτοις ὑδάτων γλυκέων λουτρόν. id est: *Extrinsecus corpori accedunt tum aer ipse qui nos ambit, tum medicamenta quæcunq; humectandi refrigerandiq; vim obtinent, & tertium præter hæc dulcis aquæ solium.* Et *libr. 3. de tuenda valetud.* vbi sic ait: ἔστι δὲ τῶν γλυκέων ὑδάτων θερμῶν ἡ δύναμις, εὐκράτων μὲν ὄντων ὑγρὰ καὶ θερμή, χλιαρωτέρων δὲ γινομένων ὑγρὰ καὶ ψυχρά. θερμοτέρων δὲ τοῦ δέοντος ἀποτελεσθέντων, θερμὴ μὲν, οὐκέτι δ' ὁμοίως ὑγρά. hoc est: *dulcium calfactarum aquarum, si media temperie sint, vis calida & humida est: sin tepidiores sint, humida & frigida: quod si iusto calidiores fiant, calida quidem, sed non perinde humida.* Ex quibus verbis Medicus non solum balnei vim, sed & applicandi in febribus modum discere potest, vti scilicet tepidum sit, si vt infrigideret atq; humectet voluerit. Balneũ aquæ dulcis humectare & refrigerare Alexand. quoq; Trallianus *lib 3. cap. 43.* docet, ita scribens: Nouimus quippe & experti sumus balnea dulcis aquæ frigorificam & humectantem obtinere facultatem. Si itaq; balneum, maxime vbi tepidum fuerit, refrigerare & humectare potest, cur febricitantibus non suo tempore, cum qualitate sua febrium naturæ in vniuersum aduersetur, adaptari queat, non video. Quod autem in omnibus fere febribus balneo commode vti liceat, ordine iam quodam demonstrabimus. In diariis siquidem febribus, quas ephemeras Græci vocant, vtile esse balneum docet Galenus *lib. 1. cap. 2. ad Glauconem*, sic de curatione illarum scribens: χρὴ ἐπὶ τὰ λουτρὰ ταχέως ἄγειν αὐτούς, καὶ τὴν ἄλλην τὴν συνήθη δίαιταν. id est: *Oportet siquidem eos confestim ducere ad balnea, atq; ad consuetam victus rationem.* Id quod & *lib. 8. therap. meth. cap. 3.* facit, dum ita de diariarum curatione scribit: ἄγειν μὲν ἤδη τὰ λουτρὰ χρὴ πάντας ἐν τῇ παρακμῇ τοῦ πρώτου παροξυσμοῦ. hoc est: *Quippe in prima accessione inclinante ducendi in balneum omnes sunt.* Ex quibus verbis tempus quoq; balnei insinuat Galenus, οὐ μὴν ἁπλῶς γε, vt paulo post ait: καιρὸς τοῦ πυρέττοντας λούειν, ἀλλ' ἐν τῇ παρακμῇ παροξυσμοῦ quod est: *Non enim quouis tempore febricitantes lauandi sunt, sed in accessionis remissione.* Lauandos præterea esse diaria febre correptos Paulus etiam Ægin. *libro secundo, cap. 16.* docet. Et Alexand. Trallianus *libro 5. cap. 1.* præsentissimam febribus diariis curationem balneum esse inquit. Ceterum quod in putridis febribus etiam conferat balneum, *libro 10. & 11. ther. meth.* Galenus multis in locis ostendit, præsertim autem *capit. 10. libr. 10.* vbi balneum febribus per se & ex accidente vtile esse scribit. Nam cum vacuatio excrementorum sub cute detentorum illis vtilissima sit, certum est in balneo necessario ob æqualem per omne corpus calorem, exiguorum meatuum rarefactionem fieri, atque adeo cutim laxari, & sic quæ detenta sub hac fuerunt vacuari, balneumque sic per se, quandoquidem vacuat prodesse. Quia vero densatam atque coarctatam cutim ipsam, vt superuacua illic educi queant, laxat, fit vt ex accidenti refrigeret. Tempus autem lotionis eodem quoque loco Galenus monstrat esse febris inclinationem, & putridorum humorum concoctionem. Hinc est quod in libro quoque de tabe febribus putridis balneum esse vtile statuit, at non nisi post concoctionem: Verba eius hæc: τῶν μὲν οὖν ἐπὶ χυμοῖς σηπομένοις ἀναπτομένων πυρετῶν μετὰ τὴν πέψιν τῶν χυμῶν ἴαμα βαλανεῖόν ἐστι. quod est: *Febrium quidem ex putredine humorum accensarum, balneum post humorum concoctionem adhibitum,* reme-

A B C D E F

Balneum aquæ dulcis humectat & refrigerat.

Diariis balneũ cõfert.

Quando lauandi febricitantes.

Putridis febribus balneum conducit.

A *remedium est.* In intermittentibus vero febribus esse balneum vtile satis liquet, qui Galenum *libr. 1. therap. meth. ad Glauconem*, ita de tertiana exquisita scribentem legit: λουτρὰ δὲ θερμὰ δι' ὕδατος ποτίμου, τὰ μέν τι κενοῖ τῆς χολῆς ἀπάγοντα. τὰ δέ τι καὶ τῇ ποιότητι μεγάλως ὀνίνησιν, ὑγραίνει γὰρ καὶ ψύχει κατὰ δύναμιν ὅσα τοιαῦτα λουτρά. id est: *Balnea calida ex aqua potabili prosunt, tum quia bilis aliquid educunt, tum etiam quia qualitate sua plurimum iuuant, humectant enim ac potentia refrigerant.* Et paulo post: τοὺς δὲ φιλολουτροῦντας οὐδ' εἰ δὶς τῆς ἡμέρας λούειν ἐθέλοις ἁμαρτήσεις, ἀλλ' ἐν καιρῷ μάλιστά σοι τοῦτο μεμνήσθω, εἰ δὲ καὶ πέψεως τῆς νόσου σημεῖα φαίνοιτο, κἂν εἰ πλεονάκις λούσεις, οὐκ ἂν ἁμάρτοις. hoc est: *Et qui balneis admodum delectantur, si etiam bis in die lauare permiseris, non aberrabis, sed illud semper in memoria habeto, vt in tempore id faciant. Si vero etiam coctionis morbi signa apparuerint, tunc etiam si sæpius laueris, nihil delinques.* Quibus vtique verbis indicare videtur Galenus, etiam ante concoctionem morbi in tertiam febri exquisita

B eos qui delectantur semel aut bis tuto lauari posse: coctionis autem notis apparentibus etiam si ter aut sæpius quis lotus fuerit, nihil obesse. In tertiana vero notha balneum quoq; expedit, at nō nisi vbi coctionis signa apparuerint. Hinc est q̃ ita scribat: ἐν δὲ ταῖς οὐκ ἀκριβέσι τριταίοις οὐδὲ λούειν εὐθὺς κατ' ἀρχὰς ἀγαθόν, ἀλλ' ἡνίκα ἂν φαίνηται ἤδη τὰ σημεῖα τῆς πέψεως. Idem hoc quod iam ex Galeni sententia diximus docet Paulus *libr. 2. cap. 20. & 21.* In quartana denique non solum Hippocrates *lib. 2. & 3.* de morbis balneum probat, sed & Galenus *lib. 1. ad Glauconem.* Denique *in libro de tabe* inquit: τοῖς ἑκτικοῖς μόνοις μὲν συνισταμένοις χωρὶς ἐπιπλοκῆς τινος ἑτέρου πυρετοῦ, πᾶς χρόνος ἐπιτήδειος εἰς αὐτὸ λουτρόν. quod est: *Hecticis solis sine quidem alicuius alterius febris complicatione constitutis, omne tempus ad balneum idoneum exsistit.* Item docet *libr. 10. cap. 10. therap. method.* Sed oportet vt prorsus ci-

C tra laborem æger in balneum super lectulo deportetur, ne vires resoluantur. Auicenna denique in febribus balneum non raro probat, quem mirum est cur hic vt principem suum non sectentur. Inter Arabes etiam balneum febribus vtile esse statuit Abenrois, qui *7. coll. cap. 10.* ita scribit: *Et scias quod balneum in declinatione febrium collaudatur, quoniam superfluitates euacuat subtiles. Adeo vt mirari satis non possim, cur nostra ætate medicinam exercentes in vniuersum omnes, tertiana etiam exquisita correptos, febricitantes à balneo arceant.* Sed tantum ex Valesco colligere licet, id nulla alia ratione fit, nisi quod hodie arbitrantur sudorem in fine accessionis factum sufficere. Sed verba Valesci subiiciamus, quæ scribit *lib. 7. cap. 7.* in eum modum: *Antiqui post digestionis signa balneabant in aqua dulci tepida, & valet eis, vt vult Galenus.* Iam autem

D dicunt vulgares, quod vera, breuis est terminationis, ideo nunc tales non ponuntur in balneo, sed sufficit eis quod sudent in fine paroxysmorum. Quibus sane Valesci verbis quid stultius, quid denique magis ridiculum esse posset, non video. Etenim si balneum febricitantibus, vt fatetur, vtile est, quid est cur non adhibendum putet? neque enim pius, multo minus Medicus censeri debet, qui commoda ægrotanti auxilia denegat. Risu præterea dignum est, quod tertiana exquisita correptos ideo non balneandos esse existimat, quia breuissima sit, quasi Hippocratis ac veterum seculo non itidem breuis fuerit tertiana, quum tamen *4. aphorism. 59.* scribat ita: τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι τὸ μακρότατον. id est: *Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, iudicatur.* Nemo tamen veterum hoc nomine tertiana laboran-

E tibus balneo interdixit. Stultissimum autem est, quod ait hodie a balneo prohibendos esse, quia in accessionis fine sudent. An non Hippocratis Galenique temporibus sudarunt quoque febricitantes Valesce? an naturæ ordinem inuersum suspicaris? Videant itaque studiosi quam ficulna sit Valesci & aliorum, qui hunc imitantur ratio, vt puer pene illam refellere possit. Quapropter probatissimos potius medicæ rei scriptores, quam frigidos illos sophistas sequantur veritatis amatores moneo: e quibus præter sterilem ac inconcinnam loquacitatem, nihil plane fructus sperare possunt.

In intermittentibus febribus balneū vtile.

In tertiana notha balneum expedit.

In quartana balneandum esse. Hectica correptis balneum prodest.

Ridicula Valesci ratio.

Valesci ratio exploditur.

Flauam bilem tenuesq; succos vt facilius ex corpore educantur non indigere vt crassiores reddantur, quemadmodum præter omnem rationem Auicenna credidit.

F

Cap. XI.

AVICENNA *Fen. 1. Can. 4. tract. 2. cap. 7.* de intentione ad curationes vniuersales febrium putredinis inter cætera sic scribit: *Non euacues materiam indigestam in*

calido aut frigido, nisi propter necessitatem. Et non auscultes virum qui existimabat, quod intentio in digerendo est subtiliare, & humor calidus est subtilis, quare non est necesse vt subtilietur. Res enim non est sicut dixit, imo intentio in digerendo est æquare substantiam materiei, ita vt fiat præparata ad expulsionem facilem, & subtile inhibitum, & crassum fixum & viscosum adhærens totum illud non est præparatum ad expulsionem facilem, imo est necessarium vt inspissetur subtile, & subtilietur spissum paulatim, & incidatur viscosum. Hactenus Auicen. qui iam adductis verbis pulchre suam in rebus Medicis inscitiam prodit, nam ostendere conatur bilem flauam, haud aliter quam pituitam crassam ac tenacem indigere concoctione antequam euacuetur. Concoctionem autem bilis esse, si crassior quam antea fuerit reddatur, tumq; eandem facilius educi ait. Notat præterea Abenroen, qui *lib. 7. cap. 9. de cura febrium putridarum.* Hunc errorem Auicennæ perstringit atq; explodit, dicens: *Auicenna*, inquit, *quod exspectare debemus digestionem, eo quod digestio humoris subtilis est eius ingrossatio & grossi est eius subtiliatio, tamen medicinæ laxatiuæ citius & facilius expellunt humores subtiles quam grossos.* Quare vt veritatis studiosi aperte videant quam deliret Auicenna, quamq; recte sentiat Abenrois, age rem penitius trutinemus, verbaq; Auicennæ ordine confutemus. Falsum est, imo sensui communi repugnat, humorem tenuem vt facilius per medicamenta ex corpore educi possit, crassiorem reddi debere, atque adeo concoqui. Ita in febribus a flaua bile ortis non opus est vt bilem ipsam per syrupos aut alia medicamenta crassiorem reddamus, quo per purgantia medicamenta facilius educi queat: antea namque bilis flaua ac alii humores quoniam tenues, ad educendum satis parati sunt. Quanto enim humor tenuior est, tanto vt educatur aptior est, magisque naturæ aut medicamento obsequitur, quod facillime & sine omni impedimento, angustos corporis meatus transire possit. Hinc recte Galenus *libro 14. therap. method. cap. 17.* in hunc modum scribit: ἔνθα μὲν τῆς ξανθῆς χολῆς αἱ κενώσεις ἑτοιμότεραι, τὸ δὲ φλέγμα, καὶ μάλιστα ὅσον αὐτοῦ παχύτερόν τε καὶ γλισχρότερόν ἐστιν, ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ μέλαινα χολή, δυσκόλως ἐκκενοῦται, καὶ διὰ τοῦτο δεόμεθα καθαίροντος φαρμάκου, κατὰ δὲ τὸν ἕρπητα, ἐπειδὴ λεπτός ἐστιν ὁ τὸ πάθος ἐργαζόμενος χυμός, ἀρκεῖ καὶ λαπάξαι γαστέρα διὰ τῶν ἐπιτυχόντων. id est: *Flauæ quidem bilis vacuatio facilis est, pituita vero ac potissimum eius quæ crassior glutinosiorq; est, itemque nigræ bilis, difficilior, ideoq; purgantis medicamenti ope indigent. In herpete vero quoniam tenuis humor qui id vitium creat, abunde est etiam aluum leuiter soluisse.* Quibus sane verbis Galenus in vniuersum ita Auicennæ sententiam explodit, vt prolixiori confutatione non opus sit: Si enim tenuis humor ita ad vacuandum promptus facilisque est, vt non nisi alui lenitione egeat, cur ergo vt crassiorem reddamus illum necesse est? quando humor quanto crassior glutinosiorque fuerit, tanto ad vacuandum difficilior erit. Facilis itaque ad vacuandum ob tenuitatem quum sit bilis flaua, fit vt semper sumto medicamento purgatorio eum humorem qui medicamento naturali quadam propinquitate coniunctus, atque adeo similis est, attrahendo sequatur. Eius rei testis est Hippocrates, qui *in libro de natura humana* ita scribit: τὸ φάρμακον ὁκόταν ἐσέλθῃ ἐς τὸ σῶμα, πρῶτον μὲν ἄγει ὃ ἂν αὐτέῳ κατὰ φύσιν μάλιστα ᾖ τῶν ἐν τῷ σώματι ἐνεόντων. ἔπειτα δὲ καὶ τὰ ἄλλα ἕλκει τε καὶ καθαίρει. ὁκόταν οὖν πίῃ τις φάρμακον ὅ,τι χολὴν ἄγει, πρῶτον μὲν χολὴν ἐμέει, ἔπειτα δὲ καὶ φλέγμα, ἔπειτα δὲ ἐμέουσι καὶ χολὴν μέλαιναν, τὰ αὐτὰ πάσχουσι καὶ ὑπὸ φαρμάκων τῶν τὸ φλέγμα ἀγόντων· πρῶτον μὲν φλέγμα ἐμέουσι, ἔπειτα ξανθὴν χολήν, ἔπειτα μέλαιναν. id est: *Quum medicamentum corpus intrauerit, primum id quod omnium maxime sibi secundum naturam cognatum in corpore est, agit, exinde & reliqua trahit atque purgat. Quando itaq; quis medicamentum assumpserit, quod bili mouendæ est, primum bilem, mox pituitam, dein bilem quoq; atram euomit. Idem accidit iis qui pituitam cientia medicamenta sumunt; primum enim pituitam, statim bilem flauam, post hanc atram reiiciunt.* Neque Galenus in commentariis super hæc verba Hippocratis aliam rationem, quare post peculiarem humorem illico bilis trahatur, affert, nisi quod ea ad educendum omnium facillima sit. Sed præstat verba subscribere, μετὰ τὸ κενωθῆναι τὸν οἰκεῖον τοῦ καθαίροντος φαρμάκου χυμόν, ἐφεξῆς αὐτοῦ πρῶτος ὁ τῶν ἄλλων εὐαγωγότατος ἕπεται. μετ᾽ ἐκεῖνον δὲ ὁ τὴν δευτέραν ἐν τούτῳ τάξιν ἔχων. quod est: *Postquam familiaris purganti medicamento humor vacuatus fuerit, deinceps illum primo qui omnium aliorum ductu facillimus est sequitur, post quem qui illi ordine proximus exsistit.* Et quod humores tenues non egeant vt crassiores fiant, vel inde etiam colligi potest. Hippocrates *4. aphoris. 10.* medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die suadet. Turgere autem constat, quando in vehementi sunt motu, atque ab vna parte ad aliam transfluunt: id certe quod fieri non potest nisi vbi humores tenues atque biliosi fuerint, crassi enim atque tenaces humo-

Humor tenuis non est vacuationi ineptus dũ mobilis est.

A B C D E F

A humores meatus corporis pertransire non possunt, atque adeo in aliqua parte corporis firmati manent. Si itaq; tenues exsistentes nisi prius crassiores fiant educi non possunt, quare Hippocrates illos eadem die purgantibus medicamentis esse vacuandos monet? Respondeat hic Auicenna, aut quispiam eius hominis patronus, rationemq; afferat cur tenues humores Hippocrates, omnesq; alii veteres sine præparatione, vel vt Auicennæ more loquar, sine concoctione, hoc est, absq; eo crassiores fiant, mox educendos docuerint. Nullam certe aliam efficaciorem quam vacuandi facilitatē, quæ & ex parte humoris vacuandi, nec non impellentis naturæ se tenet, afferre poterunt. Quod enim tenue est, mobile quoq; sit oportet, ita vt hoc nomine facilius per medicamenta trahi posse nemo non videat. Recte itaque Hippocrates B & veteres alii crassos tantum atque tenaces humores, quique aliqua corporis parte firmati sunt, antequam vacuentur præparatione egere scribunt, neque aliquis præter Auicennam in eam insaniam delapsus est, vt bilem præparatione, vel vt ipse appellat, concoctione indigere putauerit. Hæc enim cum semper acutos morbos, teste Galeno *7. aphor. comm. 32.* faciat, & in acutis morbis, vt idem *2. aphor. comm. 24.* docet, circa principia statim, primo videlicet die medicamentis purgantibus sit vacuandum, fit vt nihil necesse sit hunc fieri crassiorem. Ex his igitur omnibus satis probatum est, tenues humores non indigere vt crassiores fiant, quo ductu faciles sint, cum quanto tenuiores sint, tanto promtius trahentia medicamenta sequantur. Hinc Galenus *libro 2. aphor. 9.* vbi de humoris præparatione agit, crassitiem duntaxat C & viscidıtatem corrigi oportere docet: illam quidem, eo quod crassus humor motui ineptus sit, ac per angustos meatus transmitti nequeat: hanc vero, quoniam quæ suo lentore adhærent, auelli haud facile possint. Hac ratione motus & integrum de extenuante victu librum conscripsit. Porro iam Auicennæ rationes, quibus vt in eam deueniret sententiam motus est, expendamus. Intentio, inquit, in digerendo est æquare substantiam humoris, materiei, hoc est medicamento, vt fiat præparata ad expulsionem facilem. Quibus verbis se in eo esse errore, in quo *libro 1. cap. 41.* Mesuen quoq; versari diximus, indicat, medicamentum scilicet purgans attrahendis humoribus non esse simile, quod quam veritati ex diametro pugnet, multis ibidem ostendimus. Cum itaque medicamentorum purgantium naturam atque operationem D ignorarit Auicenna, nihil mirum, si tam vana ac friuola ratione seductus sit. Non enim opus est, æquare humores medicamento, cum illa antea attrahendis humoribus similia sint. Neque enim attractiones substantiarum sine similitudine fieri possunt, *vt in naturalem facultatem commentariis demonstrauit Galenus.* Proinde cum quodlibet non trahat nisi sibi familiare ac simile, nihil ad faciliorem a medicamentis expulsionem opus est illis ęquare humores attrahendos, cum antea iisdem similes sint. Nisi forte *æquare* dixit pro *præparare humorem*, vt facilius a medicamento trahi possit. Nam ita nihil absurditatis eius haberet oratio, modo non adiecisset eam esse vbi bilis crassior reddatur. Sin secus æquare verbum vsurpauit Auicenna indocte admodum ad medicamenta retulit, quod ad humores tantum referendum erat. Cur E namq; tenues humores difficilius a natura expelluntur, non medicamentorum fit ratione, sed ideo quia humores tenues ab vna parte in aliam transfluunt, atq; adeo cum in continuo sint motu, & natura eo tempore veluti furiis agitata, haud recte motus suos instituere ac dirigere possit, fit vt ab illa superari non facile queant. Ob id igitur opus est quopiam manum porrigente, atq; ad excretorios meatus humores agitatos dirigente, atq; adeo illico medicamentum purgans adhibendum, quod humores sic turgentes familiaritate sua attrahat, id quod omnium facilime fit, eo quod tenuitate sua prompte per angustos venarum meatus ferri possint. Sed inquit Auicenna, *Subtile facile membris immergitur, vel,* vt ipse loquitur, *imbibitur, ideoq; difficulter educitur.* Respondeo, minime. Nam qua facilitate immergitur, eadem quoq; educitur: immergitur F autem nullo alio nomine, nisi quia tenuis; eadem igitur de caussa rursus a trahente medicamento facile educitur. Inefficaces igitur sunt iam dictæ Auicennæ rationes, vt aliæ multæ, quas vtcunq; tanquam possibiles, etsi omnium maxime impossibiles sint, confingit atq; imaginatur. Verissimum enim est: quod de eo scribit

Auicennæ rationes refelluntur.

Non opus est æquare humores medicamento.

Obiectio diluitur.

in libr. de vrinis Theophilus, hunc quidem magnum Medicum atque Philosophum fuisse ratione, sed inexpertum: id quod Matthæus de Gradi *cap. 3. suorum in nonum Razis librum comment.* ita interpretatur: *Magnus fuit ratione, hoc est, multas effinxit rationes, quæ tamen experientiæ omnium rerum magistræ maxime aduersabantur.* Vel, vt verbis eius vtar, *quæcunque per rationem sibi visa fuerunt possibilia, illa tanquam verba concessit, etsi nunquam in rerum natura fuerint, sint, nec futura erunt.* Quibus verbis quid verius dici possit non video, ita enim Auicennam deliniant, vt nullus pictor, quantumuis ingenio & arte pollens, adde ne Apelles quidem, hunc certius exprimere potuisset. Quisquis enim eius hominis scripta diligenter excusserit, inueniet illum passim eiusmodi friuolis ac temere excogitatis rationibus vti. Qui vero exquisitiorem huius paradoxi explicationem requirit, & quę inter concoctionem & præparationem humoris sit differentia certius cognoscere satagit, is *capita 19. & 20. libri secundi Institutionum nostrarum sect. 2.* legat. Nunc præstat, vt ad alia pergamus.

Capitale esse pleuriticis lenticulam ex aceto dare, id quod tamen facere Auicennam contra omnium veterum præscriptum, constat.

Cap. XII.

Auicennæ in reb. Medicis inscitia.

NVSQVAM ferme apertius, quam hoc loco, inscitiam suam in rebus medicis prodit Auicenna, dum lentes ex aceto, cibum pleuriticis conuenientem esse tradit. Et certe ob vnum hunc errorem meritus est, cur doctis omnibus suspectus haberi debeat. Sed verba eius subiiciamus, quæ scribit *Fen. 10. Canon. 3. tractat. 5. cap. 3.* dicens: *Et maximi quidem erroris est, in potu tribuere infrigidantia vehementia, nisi in factis ex cholera. Et non dentur in potu infrigidantia styptica & cibi eorum sint sicut lentes cum acetositate & similibus.* Quæ vtiq; verba quam erronea sint, imo quam ex diametro sibi pugnent, facile experietur, quisquis illa paulo diligentius excusserit. Porro vnicum post venæ sectionem Medici in pleuritidis curatione studium esse debet, vt sputum celeriter facileq; exscreetur, id enim omnium maxime ad sanitatem recuperandam conducit, cuius rei locuples testis est Hippocrat. *2. præsagiorum 43.* sic scribens: πλεύμονος δὲ ἐν πᾶσι τοῖσιν ἀλγήμασι τοῖσι περὶ τὸν πλεύμονα καὶ τὰς πλευρὰς ταχέως τε ἀναπτύεσθαι καὶ εὐπετέως, συμμεμιγμένον τε φαίνεσθαι τὸ ξανθὸν ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ· εἰ γὰρ πολλῷ ὕστερον μετὰ τὴν ἀρχὴν τῆς ὀδύνης ἀναπτύοι τὸ ξανθὸν ἐὸν ἢ πυῤῥὸν ἢ πολὺν βῆχα παρέχον, ἢ μὴ ἰσχυρῶς ξυμμεμιγμένον, κάκιον γίνεται. quod est: *In omnibus pulmonis costarumque doloribus, vt sputum cito facileq; screetur necesse est, flauumq; cum sputo vehementer commixtum appareat. Etenim si multo post doloris initium aut flauum, aut rufum, aut multam tussim inferens, aut non admodum permixtum exspuitur, deterius est.* Et 1. *de ratione victus in morbis acutis 27.* in hunc modum scribens: αὗται γὰρ ὀδύναι ἐν τοῖσι πλευριτικοῖσιν αὐτίκα παύονται αὐτόμαται, ὅταν ἄρξωνται πτύειν τι ἄξιον λόγου καὶ ἐκκαθαίρεσθαι. hoc est: *Dolores siquidem pleuriticorum illico sua sponte desinunt, vbi aliquid effatu dignum tum exspuere, tum expurgare cœperint.* In prima deniq; sectione *aphor. 12.* vbi sic inquit: ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται ἀρχομένου, βραχύνει, ἢν δὲ ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. id est: *In pleuriticis si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat, si vero postea appareat, producit.* Cum itaque in omni dolore costarum vtile sit celeriter exscreari sputum, probe facit Auicenna quod refrigerantia & adstringentia pleuriticis neque in cibo neque in potu exhibenda esse monet, hæc enim ne sputum facile screari possit impediunt. Errat autem insigniter, ac sibiipsi pugnantia dicit, quod lentes cum aceto & similibus illis exhibendas docet; nam hæ quia adstringunt, faciunt vt ægre difficileque sputum screetur, id quod certè ægrotanti summum exitium affert. Adstringere vero lentes in primis Hippocrates *4. de ratione victus in morbis acutis 88.* sic scribens tradit: φακὸς στύφει καὶ ταραχὴν ἐμποιεῖ. quod est: *Lens adstringit, turbationemque facit.* Et Dioscorides quoque *libro secundo, capite 117.* φακὸς δύναμιν ἔχει στυπτικὴν scribit. Galenus quoque *lib. 8. de simpl. medic. facult.* Idipsum confirmat ita scribens: φακοὶ στύφουσι μὲν οὐκ ἰσχυρῶς. θερμότητος δὲ καὶ ψύξεως ἐν τῷ μέσῳ καθεστήκασι, καὶ μέντοι καὶ ξηραίνουσι κατὰ τὴν δευτέραν τάξιν· αὐτὸ μὲν οὖν αὐτῶν τὸ σῶμα ξηραίνει, καὶ ἵστησι γαστέρα. hoc est. *Lentes valenter adstringunt, medium tenent caliditatis & frigiditatis: desiccant tamen in secundo ordine. Ipsum itaque earum corpus desiccat, & sistit ventrem.* Proinde cum adstringant vehementer lentes, non debent pleuriticis in cibum adhiberi, ne scilicet sputum quo minus ex-

Sputi facilis exscreatio in pleuritide.

Lentes pleuriticis non exhibendæ.

Lentes adstringunt.

A nus exſcreari queat prohibeant, atq; adeo ægrum ſuffocent. Id quod omnium diligentiſſime Galenus quoque *lib. 1. de victus ratione in morb. acut. comm. 27.* monuit, dicens: ὁ τὴν φακῆν δεδωκὼς ἰατρὸς ἐσκευασμένην δι' ὄξους ἐνθάδε τῷ πλευριτικῷ τελέως ἤδη παρηκμακότι, ὡς μηδενὸς ἄλλου δεῖσθαι ἢ ἀναπτύσεως τῶν πεπεμμένων, εἰκότως ἔδοξεν αὐτὸς γενέσθαι θανάτου τῷ κάμνοντι πνιγέντι διὰ τῆς ἐπιούσης νυκτός, ἀλλὰ φακῆν οὐδ' ἂν δοίη τῶν ἐχόντων νοῦν. id eſt: *Lentem ex aceto confectam pleuritico in ea morbi declinatione, qua nihil aliud quam coctorum exſpuitione indigebat, qui exhibuit Medicus, non immerito ægrotanti ipſi, qui ſequenti nocte ſuffocatus eſt, mortis occaſio fuiſſe viſus eſt: imo lenticulam nemo qui mentis compos fuerit dederit.* Quibus ſane verbis exemplo indocti cuiuſdam Medici, quem etiam Auicenna temere ſectatus eſt, nos deterrere conatur, ne lentes ex aceto confectas pleuriticis exhibeamus, maxime in eiuſdem declinatione, ne coctorum exſpuitionem adſtringente illarum vi prohibeamus, ſed potius iuxta Hippocr. conſilium B vnum hoc conemur, vt ea quę humectent, mediocriterq; incidant, adhibeamus, atq; adeo ea quæ in thorace ſunt ſuperflua ad exſpuitiones præparemus: ita enim, vt ait ibidem Hippocrat. αἱ καθάρσιες πολλὸν τελεώτεραι εἰσὶν, καὶ ἔμπυοι ἧσσον γίνονται, ἢ εἰ ἄλλως τις διαιτῴη. καὶ αἱ κρίσιες ἁπλούστεραι, καὶ εὐκρινέστεραι, καὶ ἧσσον ὑποστροφώδεες. id eſt: *Purgationes longe perfectiores ſunt, minuſq; purulenti fiunt, quam ſi quis aliter cibaret. Inſuper iudicationes ſimpliciores, facilioreſq; fiunt, & minus morbi reuertuntur.* Hinc iterum diſcant ſtudioſi, quam periculoſum ſit ita addictum eſſe Auicennæ placitis, id quod multi hodie faciunt, vt piaculum ducamus ab illis vel latum vnguem diſcedere. *Historia.*

C *Omnium exitioſiſſimum eſſe, veterumq; placitis maxime aduerſum, dyſenteria affectos purgantibus excarnificari medicamentis.*

Cap. XIII.

NOSTRÆ ætatis Medicos in dyſenteria medicamenta propinare purgantia, notius eſt, quam vt demonſtrari debeat: nemo enim eſt, qui practicas, vt vocant, illorum legerit, qui idipſum ignorare poſſit. Sunt enim, qui diaprunis ſolutiuũ, & electuarium de ſucco roſarum exhibendum eſſe ſuadent, in quorum albo Marcus Gatinaria exſiſtit. Omnes autem quotquot hodie fere exſtant rheubarbarum exhibẽt, ſaltem torrefactum, in eoq; ſe exemplũ veterum imitari exiſtimant. Verum quam capitaliter ex æquo omnes errent, tam veterum ſcriptis, quã rationibus aliquod oſtenD demus. Non eſſe itaq; purgandos dyſenteria correptos in primis Hippoc. in libro de morbis qui extra, monſtrat, vbi dyſenteriæ curationẽ ex profeſſo tractans nihil medicamentorum aluum ſubducentium exhibet, ſed ventrem cum lacte tantum decocto diluendum eſſe docet. Lac autẽ cum marinis maxime lapillis decoctũ fluctiones alui ſiſtere Dioſc. *lib. 2. cap. 77.* ſcribit. Quin etiam Alex. Trallianus *lib. 3. cap. 21. de curatione dyſenteriæ*, principio lactis decocti trium cyathorum menſuram potui dandam ſuadet. Galenus etiam in *libr. 9. de compoſitione medicaminum per ſingulas corporis partes*, in curatione dyſenteriæ ne verbo vno purgantium medicamentorum meminit, ſed vniuerſam curationem adſtringentibus medicamentis abſoluit. Neque id temere facit, memor enim eſt eius quod ſcribit *lib. 13. ther. meth. cap. 3.* in hunc modum: E οὔκουν οὐδ' ὅταν ἤτοι κατὰ τὴν ἕδραν, ἤ τι τῶν πλησίον μορίων ἀρχὴ φλεγμονῆς γίγνηται, γαστέρα λαπάξεις, ὥσπερ οὐδ' εἰ κατὰ κύστιν ἢ αἰδοῖον ἢ νεφρούς, οὐρητικὰ φάρμακα καταπίνειν κελεύσεις. οὐδ' εἰ γυναικὶ κατὰ μήτραν ἢ αἰδοῖον ἔμμηνα κινήσεις, ἀλλ' ἐπὶ τὰ πορρωτάτω τὴν ἀντίσπασιν ἀεὶ ποιοίης. quod eſt: *Neque igitur cum vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones fit, aluum deiicies. Neque cum in veſica, pudendo vel renibus cœpta eſt, medicamenta quæ vrinas prouocent bibenda dabis. Neq; ſi mulieri in vtero vel pudendo inſedit, menſes prouocabis, ſed ad alias partes quæ maxime longinq; ſunt, ſemper auerſionẽ facies.* Et paulo poſt: ἀνθελκτέον χρὴ τὸ ἀρχόμενον ῥεῦμα, πορρωτάτω τοῦ πεπονθότος, οὐχ ἕλκειν ἐπ' αὐτό. κατὰ τοῦτον οὖν τὸν λόγον οὐδὲ γαστρὸς οὐδ' ἐντέρων ἀρξαμένων φλεγμαίνειν, ὑπηλάτῳ χρῆσθαι προσήκει. hoc eſt: *Longiſſime a tentata fluxione parte auellere, nequaquã ad eam trahere oportet. Hac itaq; ratione, nec ſi ventrẽ, aut inteſtina phlegmone occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deiiciat, vti cõuenit.* Quibus F verbis Galenus aperte innuit, ad membra phlegmone aut fluxione tentata non eſſe trahendum, ſed potius longiſſime auertendum. Quum vero in dyſenteria inteſtina non tantum fluxione, ſed etiam vlceratione, phlegmone tentata ſint, non conuenit, vt ad illa plus humorum per medicamenta purgantia trahamus: ita enim non ſolum vlceratio inteſtinorum vehementior fit, ſed totus humorum impetus huc fertur, *Dyſenteria correpti nõ purgandi.*

atque adeo intestina tandem frustatim per aluum excernuntur. Hinc rectissime *lib.* A *1. ad Glauconem, cap. 13.* scribit Galenus: dicens: ἀλλ' οὐδ' εἰ μετὰ διαῤῥοίας ὁ πυρετὸς εἴη, χρήζει τινὸς ἄλλης κενώσεως, ἀλλ' αὐτάρκης αὕτη, κἂν μὴ κατὰ λόγον ᾖ τοῦ πλήθους, ὅσοι γὰρ τῶν τοιούτων ὡς πλείονος χρῃζόντων ἀφαιρέσεως, ἢ διὰ τοῦ αἵματος ἀπάγειν ἐτόλμησαν, ἢ τὴν γαστέρα κινεῖν: ἔτι μᾶλλον ὀξεῖς κινδύνους ἐπήνεγκαν. hoc est: *Sed neq; si fuerit febris cum profluuio alui, alia est opus euacuatione, verum hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione. Quicunque enim iis plura adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt.* Quod si ergo in alui tantam cum febre profluuio Gal. medicamentum purgans exhibere abhorruit, cur non multo magis in dysenteria cauebimus, ne idipsum adhibeamus. Sequitur namq; illa maior ad intestina humorum decursus, & tandem ob crebras alui deiectiones animi quoq; defectus, cui malo antea quoq; qui dysenteria laborant, satis B obnoxii sunt, quemadmodum *loco iam citato* testatur Galenus, sic scribens: λειποθυμοῦσι γὰρ ἐπί τε χολέραις καὶ διαῤῥοίαις, καὶ δυσεντερίαις καὶ λειεντερίαις. id est: *Animo deficiunt & in morbo cui choleræ nomen est, & in profluuis ventris, & dysenteriis.* Paulus deniq; Ægin. *li. 2. ca. 42.* cõmuniter vtẽdum esse in dysenteria ait iis, quæ in aliis præter naturam exeretionibus comprehensa sunt, hoc est, adstringentibus medicamentis, nec per vniuersum hoc caput alia nisi restringentia remedia recenset. Id quod etiam facit Aetius *serm. 9. cap. 45.* Et Alexander Trall. *loco paulo ante citato.* Cornelius quoq; Celsus *libr. 4. cap. 10. de dysenteriæ curatione*, omnia ea, quæ exulcerationem concitare possunt, fugienda esse admonet, atq; illico ab adstringentibus curationem orditur, dicens: *Oportet in primis quiescere, siquidem omnis agitatio exulcerat, deinde ieiunum sorbere vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit adiecta.* C Et paulo infra: *Si vetustior morbus est, ex inferioribus partibus tepidum infundere oportet, vel ptisanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatum, vel medullam ceruinam.* Quod si igitur ex Celsi sententia omnia, quæ exulcerationem mouere nata sunt, procul abiicienda erunt. Quid Deum immortalem remotius abesse debet, quam medicamentum purgans, quod attractrice sua facultate immensam acrium ac pungentium humorum molem ad exulcerata iam intestina deducit? Hinc auctor libri Dinamidiorum *cap. 4.* recte dixit, dysenteria affectos per medicamenta purgationi ineptos esse. Idem quod iam citati auctores, docet etiam Auicen. ipse, quem vtinam iuniores Medici in his potius vbi recte & cum veteribus sentit, quam in illis vbi falsa inculcat, sequi voluissent, ita enim hodie melius audirent qui passim medica D tractant. Fen. namq; *16. Can. 3. tractat. 2. cap. 7. de cura vlcer. intestinorum* ita scribit: *Etsi fuerit necessaria vacuatio propter humoris malitiam, vtere ea cum timore & cautela, & stude ne solutiuum vehementer noceat vestigio & vlceri, imo sit sicut myrobalanus, & rectifica ipsum cum eo, quod miscetur ei ex eis, quæ sunt sicut dragacanthum & similia.* Si itaque mirobalanus ex Auic. sententia, quibus non vulgaris inest vis bilis feruorem exstinguendi, sine alio medicamento glutinandi facultate prædito exhibere dysenteria correptis non licet, quid de purgantibus medicamentis & rheubarbaro, quod certe inter illa non postremum locum habet, sentiendum erit? At dicent *quod rheubarbarum in dysenteria propinamus*, id nõ sine exemplo veterum fit, nam & Galen. *lib. 9. de compositione medicinalium per singulas corporis partes*, theopõtico seu rheubarbaro, quod idem est, vsum E esse constat. Diosc. etiam rheubarbarum vnice conferre dysenteriæ docet. Respondeo, verum esse veteres rheubarbaro in dysenteria vsos, atqui rheubarbarum illorũ ab hoc nostro diuersum erat, *vt lib. 1. cap. 4. monstrauimus*: huic enim aluum subducendi facultas inest, illi suum in contrarium plane vsum adhibebant. Errat itaq; rursus insigniter Montuus, quod veteres rheubarbarum ad contrarios vsus adhibuisse scribit: euidentissimum enim est ad vnum tantum vsum, nempe vt adstringerent, adhibuisse, quapropter ad dysenteriæ curationem rhabarbarum veterum benefacere nõ negamus. Quod autem aluum simul etiam subducat, minime concedimus. Nec obstat Pauli Æginetæ autoritas, qui inter veteres non numerandus venit, neq; de veterum rhabarbaro quod ille scribit intelligendum est, sed de nostro quo hodie vtimur, F quod Pauli temporibus in vsum Medicorum iam primum veniebat, *quemadmodum loco iam citato diximus.* Atqui hic errori suo patrocinantes dicunt, *etsi rhabarbaro purgandi facultatem inesse negare nobis non liceat, tamen vt nonnihil etiam adstringat post se, illud torrefiat oportet.* Quibus ita responsum volo. Fateor nonnihil ablatum iri de rhabarbari purgandi

Dysenteria laborantes animo deficiunt.

Auicenna dysenteriæ curationem recte tradit.

Paulus inter veteres non connumerandus.

A purgandi virtute dum assatur: quod autem adhuc de illa remanet tantum exsistit, vt ad perdendos dysentericos sufficere possit, id quod quotidiana etiam nos experientia docet. Lupus namq; vtcunq; cicur est, lupus tamen permanet: ita rheubarbarum vtcunq; torrefiat, rhabarbarum tamen manet, nec purgandi facultates suas penitus amittit. Quum itaq; dysenteria correpti purgandi non sint, *vt iam ostendimus*, ideo nec etiam torrefactum Rheumbarbarum tuto illis dari potest. Nam, *vt Galenus lib. 9. simpl. testatur*, relinquitur in eo, vt omnibus aliis vstulatis, ἐμπύρευμα, id est, ignitio quædam, quam per ablutionem abstergere oportet. Præstaret igitur non costum exhibere. Quum enim Mesuæ etiam testimonio, Rhabarbarum sit tantum amarum & adstringens, atq; minime acre, vstum, vt Galenus *libro 1. de simplicium medicamentorum* B *facultate capite primo*, auctor est, acrimoniam assumit, adeoq; exulceratis intestinis magis nocet. Quid multis opus est? si dysenteria correptos quis probe curare voluerit, veteres imitetur oportet, qui vnum hoc studebant, vt primum abstergerent, ac dein mox exulcerata intestina glutinarent, nam hæc vera dysenteriæ medendi ratio est. Erroneam vero hodie medentium methodum plane fugiat, quæ purgantia medicamenta adhibenda docet, nam ipsissima ægrotantis mors est, id quod non pauca hodie multorum sic interfectorum exempla monstrant. Et nisi nominibus parcendum esse mihi imperassem, aliqua hic insererem, vt saltem aliorum periculo quidam sibi cauere discerent.

C

Colico cruciatu tentatos validis medicamentis purgantibus, vt hodie multi faciunt, non esse purgandos.

CAP. XIV.

MVLTOS hodie Medicorum in cholico affectu valida exhibere medicamenta purgantia non aliunde certius nisi ex practicorum, vt vocant, quos imitantur, libris deprehendere licet: passim enim electuaria Indi & diaphœnicon coli doloribus correptis propinanda esse docent, quarum tamen compositionem turbit, scammonia, aliaq; similia medicamenta ingrediuntur. Quantum vero à vera medendi ratione aberrent vel hinc colligi potest, quod magnam humorum, valida sua vi, copiam ad ventriculum, atq; dein ad intestina trahunt, qui illa plus subinde distendunt, atq; adeo coli dolorem auctiorem reddunt. Is autem eo vehementior fieri solet, quo D maior illic obstructio fuerit, quod tum vna cum exerementis, humorum quoq; per purgantia medicamentorum attractorum multitudo in intestinis detineatur, quod sane non sine magno dolore & periculo ægri accidit. Quare consultum est medicamenta exhibere ea quæ humoribus noxios tantum educere, nec aliunde alios attrahere possunt. Testis Galenus *lib. 12 ther. meth. cap. 7.* vbi ex duabus historiis docet fortia medicamenta colicis nō esse exhibenda. Vna est de quadragenario quodam, qui cum colo laboraret, non modo nihil a fomentis tum humidis tum siccis leuatus, sed nec cataplasmatis nec clysteribus ex rutaceo oleo, castoreo, melle cocto cum pipere confectis, verū potius exacerbatus est. Cum igitur mordentes succi in tunicis intestinorum immersi dolorē facerent, hiera picra non semel, sed iterum atq; iterū ex mo- E dicis quibusdam interuallis vacuatus, prorsus sanatus est. Altera de iuuene quodam qui nō raro ante colico cruciatu affectus fuerat, accepto scammoniæ succo purgatus est. Cum autē bene largiterq; fuisset vacuatus, aliaq; multa, quæ ibidē Galenus recenset, adhibita fuissent, post deinde per circuitus similis rediit cruciatus. Audiens autē eius symptomata Galenus, intellexit noxam ex scammonia, quæ aliquid a toto corpore ad loca ventris detulit, in illis maxime intestinis ꝓcubuisse, quæ prius etiam imbecilla fuerant. Ex quibus sane historiis nemo nō videt Galenum diligenter monere, ne colico affectu laborantibus purgātia medicamenta, fortia præsertim, ꝓpinemus, quod inde æger nihil leuetur. Hinc vt cautos faceret Medicos, ne simili noxa ægros afficerent, *lib. 1. de affec. loc.* modū, quem in adhibendis medicamentis purgantibus, F his qui coli cruciatibus detinentur obseruare debent, præscribit, dicens: Non est dubium quin possint ea exhiberi, quæ educunt humores ex intestinis, nec aliunde alios attrahunt, Paulus denique Ægin. *lib. 3. cap. 43.* curationem coli doloris ex professo tractans, medicamentorum purgantium nullam penitus mentionē facit. Aetius quoq; *serm. 9. cap. 29. & sequenti*, haud aliter quam Galenus nullum nisi hierā picrā

Quare colica affectis purgantia medicamēta non exhibenda.

medicamentum coli doloribus affectis dandum esse statuit. Auctor etiam *libri Dinamidiorum cap.4.* omnes coli doloribus affectos ad purgationes ineptos esse affirmat. Porro cum morbus in intestinis, iisque crassioribus sit, magis a clysteribus quam epotis medicamentis præsidia petenda erunt. Id quod testatur Galenus etiam *libr.6. de affect. loc. cap.2.* sic dicens: διαφέρει δ' οὐ σμικρὸν εἰς τὴν θεραπείαν ἐγνῶσθαι τὴν ἕλκωσιν ἐν τίνι μέρει τῶν ἐντέρων ἐστίν. αἱ μὲν γὰρ ἐν τοῖς ὑψηλοτέροις, ὑπὸ τῶν καταπινομένων φαρμάκων ὠφελοῦνται. αἱ δ' ἐν τοῖς ταπεινοτέροις, ὑπὸ τῶν ἐνιεμένων ὠφελοῦνται. id est: *Conducit non modice ad curationem, nosse in qua intestinorum parte consistat vlcus. Nam si in superioribus intestinis est, ab epotis medicamentis iuuantur. Si vero in humilioribus clysterem subiicere magis conuenit.* Proinde quemadmodum in dysenteria locus affectus diligenter scrutandus est, ita & in coli affectibus, nam is mox rectam medendi rationem indicat. Cum itaque in coli cruciatibus locus affectus in humilioribus sit intestinis, conuenit illos potius per clysteres, locum affectum facile pertingentes, quam epotis medicamentis curare, quæ non solum non statim affectum locum pertingere possunt, verum etiam magnam secum vbi illuc peruenerint malorum humorum ex toto corpore copiam deducunt. Id quod etiam inter Arabes vidit Auicenna, qui *Fen.16. cap.3. tract.4. cap.1. de cura colicor.* ita scribit: *Et accidit interdum, vt medicinæ attrahentes ex corpore attrahant ad intestina humores malos alios, & quandoque attrahunt humores puros, quare aggregantur excoriatio & colica simul, & hoc est ex nocumentis mortalibus.* Et iterum: *Ex eis in quibus non est conuenientia, est vt festinatio sit in dando potu solutiuum desuper. Ipsum enim est fortasse vehementis virtutis, & humores & squibala sunt plures. Cumq; conuertitur ad eos humor desuper, fortasse non inuenit penetrationem, & perducit regimen ad dolorem maximum.* Summa summarum, Auicenna per totum ferme caput hoc vnum agit, vt a fortibus pharmacis deterreat. Caueant igitur studiosi, ne temere in coli doloribus fortia propinent medicamenta purgantia, quod inde haud modica ægrotantibus pericula immineant.

In coli affectibus locus affectus diligenter scrutandus.

Indocte admodum contraque veterum exemplum agere iuniores hodie Medicos, qui neglectis omnibus fere aliis remediis, in medendo renum calculo, assidua tantum clysterium iniectione vtuntur.

Cap. XV.

Esse hodie quamplurimos, qui mox in renum lapide ad clysterium iniectionem, neglectis venæ sectione, fomentis humectantibus & relaxantibus, aliisq; remediis, festinent, nemo est qui nesciat. Et scio qui vno die sexies aut septies iniecerint clysteres. Quantum autem a vera medendi ratione deuient, facile deprehendent, qui nocumentum, quod ex frequenti clysterium iniectione accidit, paulo diligentius expenderint. Cum enim quantitate sua intestina extendant, fit vt renum vasa & vrinales viæ per quas lapidi ad vesicam transitus est, in angustum redigantur atq; coarctetur, atq; adeo dolor quē lapis excitauit non solum auctior fit, sed lapidis quoq; transitus impeditur. Id quod tum citius fieri solet, vbi valida cōmixta sibi habuerint medicamenta purgantia: ea enim humorum molem ad ventriculum aut intestina attrahendo deducentia, maiorē illic distentionem atq; dolorem faciunt. Quæcunq; enim vel dolent, vel tenduntur, per vehementes & acutos dolores ad se materias accersunt. Proinde dolor semper plus affluere facit, meatusq; omnes tandem ita comprimuntur, vt non solum lapis, sed & clyster, magno ægrotantis & periculo & cruciatu, aliquot diebus detineantur. Nam scio ipse, quibus ad tertium vsque diem detenta sint. Proinde longe alia medendi renum lapidi ratio sequenda erit, si modo ægrum non plane perdere, aut non sine magnis cruciatibus curare velimus, Non quod in vniuersum clysterium vsum damnandum esse censeam, nam contingit & illis locum esse, nempe vbi in intestinis multæ excremētorum superfluitates fuerint. Testis est auctor libri, qui de renum affectus dignotione & medicatione inscribitur, sic dicens: κενοῦμεν καὶ τὴν κάτω διὰ κλυστῆρος, ἵνα μὴ τοῦ κώλου καὶ τῶν λοιπῶν ἐντέρων θλιβομένων καὶ βαρυνομένων θλίβηται καὶ πιλοῦται νεφρὸς, καὶ πλεῖον ὀδυνᾶται, δῆλον δὲ ὅτι ἐπ' ἐμφράξει κάτωθεν πολλάκις παροξύνεται ὁ νεφρὸς, ἰδὼν ἄλλως ἐν ὑγρῷ ὀδύνην τῷ ἐμμυθεῖσιν νεφριτικήν, ἢ ὅτι ἐπὶ τῇ κενώσει οὐκέτι θλίβεται νεφρὸς, ἢ ὅτι οὐ γεννᾶται πνεύματα ἐκ τῆς κάτωθεν, ἃ ὀφείλοντα τρέχειν ἐπὶ τὸν νεφρὸν, ὡς εὐθὺ θλίβουσι καὶ διατείνουσιν αὐτόν. quod est: *Vacuamus etiam per clysterem excrementa, ne colo & reliquis intestinis constrictis & grauatis vna quoq; ren laborans stringatur comprimaturque,* atque

Clysterium vsus quando in calculo probandus.

A *atque amplius sic doleat. Quippe manifestum est stercoris obstructione renes plerunque exaspe-rari, vt compertum sit enematis iniectione renalem dolorem esse mitigatum, vel quod ab ea vacuatione ren non sit amplius compressus, vel quod ex stercore nulli postea flatus generati sint, qui in renes potuerint impingere, quibus comprimeretur distenderetúrque imbecillis iam exsistens.* Proinde vbi Medicus multa in intestinis excrementa esse cognouerit, poterit balanis (suppositoria nostri vocant) aut clysteribus, sed modicæ quantitatis, & ex eorum decoctis quæ vtilia sunt confectis, aluum subducere. Id quod & faciendum esse suadet idem auctor iam citati libri sic scribens: ἀλγηδόνων μὲν ἐξαίφνης εἰς νεφρὸν, ἢ κατ᾽ ὀλίγον εἰσβαλλουσῶν διὰ τὰς εἰρημένας πρόσθεν αἰτίας, εἰ μηδὲν ἐστὶ τὸ κωλῦον, κλύζειν αὐτίκα τὴν κοιλίαν, δι᾽ ἀφεψήματος ἰσχάδος, τήλεως, ἀριστολοχίας, καὶ τῶν ὁμοίων. καὶ εἰ μὲν κενωθείη δεόντως, ἔσω ὄντος. εἰ δὲ μὴ, δὶς καὶ τρὶς καὶ πολλάκις χρὴ κενοῦν ἐνέμασι, καὶ διὰ τῶν προσφόρων καὶ οἰκείων τῇ τοῦ κάμνοντος φύσει, ἵνα μὴ πιέζωνται οἱ νεφροὶ καὶ οἱ οὐρητῆρες. Id est: *Doloribus quidem*
B *repente siue pedetentim in renem incursantibus ex commemoratis iam caussis, illico nisi quid prohibeat aluum decocto aliquo eleuemus, sicut caricarum, fœnogræci, aristolochiæ, & similium: Et si vacuatum satis est, bene vertit, sin minus, bis ter aut amplius enemate vacuare oportet, sed ex eorum decoctis quæ conducibilia sunt & familiaria naturæ ægrotantis, ne renes & vrinales viæ angantur.* Quibus vtique verbis diligenter monet, quo Medicus in exhibendis in renum calculis clysteribus multa vtatur prouidentia: nam etsi excrementa illis in intestinis detenta vacuare expediat, atque etiam necesse sit; cauendum tamen ne ex iis rebus fiant quæ in caussa erunt; vt renes & vrinæ meatus angatur. Modicæ quoque quantitatis sint, satis enim erit si stercora indurata emollire aluumque lenire queant, nec aliunde ex corpore ad intestina humores trahant. Id
C quod faciendum etiam docet Auicenna *Fen. 18. Canone tertio, tractatu secundo, capite decimonono* sic dicens: *Et si fuerit constrictio aliqua naturæ, tunc de rectioribus rebus est extrahere fæcem cum suppositorio, aut cum clysteri non magno, qui coartet & dolorem faciat, imò suppositorium amabilius est mihi. Et in lenificatione naturæ est alleuiatio plurima, & sedatio doloris, & non est semita ad administrandum catharticum, ipsum enim lædit & nocet per illud, quod facit descendere desuper.* Hinc recte admodum *libro sexto capite secundo, de affectis locis* Galenus inquit: παρηγοροῦνται τοῖς χαλαστικοῖς ἐνέμασιν οἱ κωλικοὶ παροξυσμοὶ, μᾶλλον τῶν νεφριτικῶν. quod est: *Colicorum cruciatus multo magis, quam nephriticorum lenientibus mitigantur clysteribus.* Quasi dicat, raro admodum clysterium esse debere vsum in nephriticis,
D quod non perinde vt in coli doloribus prosint. Hoc nomine factum, vt nec Hippocrates *in libro de morbis*, qui intus, vbi calculi curationem ex professo tractat, clysterium vtpote raro conducentium, vnquam meminerit. Ea ratione etiam Alexandrum Trallianum nihil de illorum iniectione præcepisse puto. Cum itaque clysterium vsus in renum lapide non admodum nisi vbi excrementa multa in intestinis fuerint, probetur, non debent quouis tempore Medici ad illorum iniectionem festinare, sed conuenit etiam alia experiri præsidia. Si enim æger iuuenis robustusque, & detractioni sanguinis assuetus fuerit, optimum remedium erit venæ poplitis sectio, nec eo sane præsentius excogitari potest. Cum enim ob sanguinis ad renes defluxum meatus coartentur, vacuato qui circa renes est sanguine, distensio
E atque adeo dolor ipse aufertur, meatusque dilatantur, vt expeditior ad vesicam lapidi transitus sit. Hinc auctor *libri de renum affectus dignit. & med.* ita scribit: ἀλλὰ μηδὲ αἷμα, ἢ ἕτερον χυμὸν πλεῖον τοῦ δέοντος ἐᾶν ἐν τῷ σώματι εἶναι, ἵνα μὴ τὰ πολλὰ ἀγγεῖα τοῦ νεφροῦ, τεινόμενα ὀδυνήσωσι πλεῖον. τὸ γὰρ ὀδυνώμενον, καὶ θερμαινόμενον καὶ τεινόμενον προσκαλεῖται τὰς ὕλας, διὰ τὰς σφοδρὰς καὶ ὀξείας ὀδύνας. Id est: *Sed & neque sanguinem aut alium succum plus æquo relinquere in corpore par est, ne multa hinc renis vasa distentia plus doloris concilient.* Quæcunque enim dolent, vel calefiunt, vel tenduntur, per vehementes & acutos dolores ad se materias accersunt. Proinde cum origo venæ poplitis, origini venæ, quæ peculiariter alit renes coniuncta sit, fit vt ea vacuata, dilatatis iam vndique circa hos vasis, facilior lapidi descensus fiat, & omnium ocyssime ad excretionem propellatur. Cuius rei locuples etiam testis est Paulus
F Ægin. qui *lib. 3. cap. 45.* in hunc modum scribit: *Dolorum præterea sæpenumero placuit sanguinis oportuna detractio, ocyssime ad excretionem propellendo calculum.* Experientia quoque cognoui eius venæ sectionem in hoc morbo non pœnitendam afferre vtilitatem. Porro prodest etiam interdum humectantia, relaxantia, & mitigantia, adhibere medicamenta, atque balnea aquæ dulcis. Id quod multis docet auctor libri

In calculos quæ præsidia experiri conueniat. Venç poplitis sectio.

Topica remedia.

iam multoties citati *de renum affect. dig. & med.* Et Alexand. quoque Trallian. *lib. 3. capit. 34.* sic scribens: *Inter ipsam statim morbi accessionem relaxantia & mitigantia medicaminum auxilia adhibe.* Verum balnea ceteris cunctis vtilitate præstant, quoniam dolores sedare pariter & morbo mederi assolent. Vbi vero lauerit ægrotus, locus affectus oleo chamæmelino perungendus est, inque solio multum ac diu perfricandus. A Idem docet Paul. Ægin. *lib. 3. cap. 45.* Et Razes *lib. 9. ad Almansorem, cap. 74.* ita dicens: *Cum in renibus fuerit lapis, æger balneum aquæ dulcis frequenter ingrediatur, & renes, & ilia ex oleis inungantur. Posthac vtendum etiam iis erit medicamentis, quæ vrinam mouere, calculosque atterere possunt, quorum omnium copiam docet Aetius ac alii iam citati auctores.* Iam dictam vero medendi rationem vnico aphorismo complexus est Hippocrates, *sect. libro sexto, epid. 5.* ita scribens: ἐς νεφρὸν ὀδύνη βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου ἐμέουσι γὰρ φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζωσιν ἰώδεα, καὶ ῥάους μὲν γίνονται. λύονται δὲ ὅταν σίτου κενωθῶσι, ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίσταται. αἱματώδεά τε οὐρέουσι, νάρκη μηροῦ τοῦ κατ' ἴξιν. ἐλινύειν οὐ ξυμφέρει, ἀλλὰ γυμνάζεσθαι, μὴ ἐμπιπλᾶσθαι, τοὺς νέους ἐλλεβορίζειν, ἰγνύην τάμνειν, οὐρητικοῖς καθαίρειν, λεπτύνειν, καὶ ἁπαλύνειν, B quod est: *In renem dolor grauis, quando cibo replentur pituitam quidem vomunt, cum vero dolores abundauerint æruginosa, & leuiores fiunt. Soluuntur cum cibo vacuantur, arenulæ rufæ subsident, cruentum mingunt, stupor eius femoris quod e directo est. Quiescere non confert, sed exercitari, non impleri, iuuenes veratro purgare, poplitis venam incidere, vrinam mouentibus purgare, attenuare & mollire.* Cuius quidem sententiæ vberiorem explicationem videre licet in nostris in hunc librum Hippocrat. commentariis. Eandem ferme curandi methodum præscribit in libro de internis affectibus, vbi sic ait: τῷ ὀπῷ τῆς σκαμμωνίης, ἢ αὐτῇ τῇ ῥίζῃ, πυριήσας πρόσθεν δὲ ἅπαν τὸ σῶμα, ὑποκαθῆραι. τῇ δὲ ὑστεραίῃ τοῦ ἀπὸ ἐρεβίνθων λευκῶν χυλοῦ ὑποκαθῆραι δύο χοεῦσιν. ἅλας δὲ παρεμβαλὼν διδόναι πίνειν. μετὰ δὲ ταῦτα ποτοῖσι καὶ βρωτοῖσι καὶ λουτροῖσι μελετᾶν, διδοὺς τὰ αὐτὰ ἃ τῷ στραγγουριῶντι δίδοται φάρμακα. ὁκόταν δὲ ἡ ὀδύνη πιέσῃ, λούειν πολλῷ καὶ θερμῷ. καὶ χλιάσματα προστιθέναι ὅπη πονέει C μάλιστα id est: *Prius vbi corpus foueris, scammoniæque succo vel eius radice subter purgato. Postridie ciceris albi succum, salem immiscens, duobus congiis propinato. Postea cibo, potu, balneisque curato, medicamenta dato quæ stillicidio vrinæ laboranti dari solent. Cum vero dolor presserit, multa calida lauato, & calefacientia locis quæ maxime dolent apponito.* Proinde imprudenter hodie agunt, qui ceteris ferme omnibus præsidiis neglectis, in calculo renum medendo assidua clysterium iniectione tantum vtuntur, cum illarum nō nisi vbi multa in intestinis detenta sunt excrementa vsus sit, adeo vt mirari satis non possim cur Montuus hic annotare voluerit, ad renum calculum curandum benefacere etiam clysteres, cum id in vniuersum non negauerim, sed immodicum ac intempestiuum D illarum vsum tantum damnauerim, hoc quod & ipse facit. Potuisset itaque facile hic quiescere, ac vacuas chartas temere non commaculare, quod sciret se mecum eadem sentire. Sed voluit aliquid vtcunque consarcinatum producere, ne prorsus tacuisse videretur.

Elephantiasin & Lepram morbos aliter apud Arabes Medicos, aliter apud Græcos accipi, contra multorum hodie sententiam.

Cap. XVI.

Elephantiasin & lepram aliter ab Arabibus aliter a Græcis describi, non aliunde certius, nisi ex collatis illorum descriptionibus deprehendetur: id enim vbi factum fuerit, nemo non videbit verum esse, quod asserimus. Inter itaque Arabes pri- E mas tenens Auicenna Fen *23. Can. 3. tract. 1. ca. 16.* Elephantiasin in eum depingit modum: *Elephantia est additio in pedibus secundum modum, qui accidit in venis varicum, quare ingrossat pedem cum æqualitate sua.* Haud aliter describit eandem Razes *lib. 9. cap. 93.* sic inquiens: *Elephantiasis est, cum pedis crassities augeri videtur, & color obfuscari, venæ quoque quæ vites vocantur, apparere cœperint.* A iam citatis non dissentit Auenzoar *lib. 2. cap. 26.* sic de illa scribens: *Et accidit cruribus crassitudo præter naturam, quæ dicitur elephantia, & hoc ideo quia assimilatur cruribus elephantis in crassitudine.* Hos deinceps imitati sunt recentiores omnes, ac elephantiasin haud secus quam illi, pro morbo in quo pedes supra modum intumescunt, acceperunt, ita vt elephantiasis iuxta horum sententiam non aliud sit nisi pedum tantum morbus. Quam vero diuersus sit morbus iis, quem F sub eodem elephantiasis nomine describunt Græci, facile experietur, qui illorum de hoc morbo sententiam diligentius rimatus fuerit. Inter quos certe nemo hoc mali genus accuratius quam Aetius ipse descripsit, qui *sermon. 13.* ita de ea tradit: *Elephantiasis a quibusdam leontiasis, ab aliis satyriasis appellatur. Elephantiasis quidem a ma-*

Elephantia Arabum.

Elephantiasis Græcorum.

A *a magnitudine & diuturnitate affectionis nomen accepit, imo & propter cutis asperitatem quæ in quibusdam succedere consueuit. Leontiasis autem vocatur quum frons ægrorum cum quodam tumore laxior redditur, ad similitudinem pellis flexilis superciliorum leonis. Satyriasis vero dicitur propterea quod malæ faciei iisdem cum rubore attolluntur, & musculis maxillaribus veluti conuulsionem patientibus, mentum ipsum dilatatur, quemadmodum etiam ridentibus euenire solet, similitudine quadam ad picturas satyrorum. Quin & alacritas ad coitum ipsis adest, quemadmodum & de satyris fertur. Est autem grauis morbus, & prope ex eorum numero qui incurabiles exsistunt. Et grauis quidem est ipsi ægro, intollerabilis autem conspicientibus, vtpote qui ipsum omnino aduersantur, adeo vt & plerique ex necessariis & domesticis ægri ipsius conuersationem deuitent, etenim suspicionem de se præbet malum tanquam sit contagiosum. Atque*

B *ego sane malum esse affirmo cum ipsis conuersari, inquinatur enim aer quem inspirando attrahimus ex vlcerum fœtore, & vitiata spiritus exhalatione.* Hactenus Ætii verba recensuimus, in quibus non solum quale genus morbi sit elephantiasis, sed & nomina eiusdem explanantur. Constat autem cuiuis verba iam citata probe expendenti elephantiasin non esse alium morbum, quam eum, quem nostræ tempestatis Medici ex Arabum traditione *lepram* vocant. Is namque morbus, quem lepram hodie vocant, haud secus quam elephantiasis ex eorum prope numero est, qui incurabiles exsistunt. Grauis etiam ægro est, & intuentibus intolerabilis. Contagiosus præterea est, adeo vt qui lepra affecti sint, cum aliis conuersari tuto non queant. Nihil vero differre elephantiasin Græcorum a lepra Arabum, certius, nisi ex

Elephātiasis Gręcorū est lepra Arabū.

C vtrorumque auctorum collatione sciri non potest. Galenus siquidem *libro de tumoribus præter naturam* elephantiasin sic describit: *Elephas quoque melancholicus affectus est, originem ex sanguine melancholico ducens, tempore vero atra bilis sanguine copiosior redditur, quando tali morbo obnoxii grauiter olent, & aspectu sunt ingrato, quibusdam ipsorum hulcera quoque accedunt. Hoc malum dum incipit, satyriasmum vocant, quia satyris similes facie redduntur.* Et in libro de caussis morborum in hunc modum: ἐλέφας ὀνομαζόμενος καὶ ἡ φθὶρ φανερῶς ἐξαλλάττουσι τὴν μορφήν. σιμοῦται μὲν γὰρ ἡ ῥίς, καὶ τὰ χείλη παχέα, καὶ ἀπεξυσμένα τὰ ὦτα φαίνεται, καὶ τὸ σύμπαν ὅμοιοι τοῖς σατύροις οἱ ἐλεφαντιῶντες γίγνονται. hoc est: *Quippe morbus qui elephas nominatur, atque tabes ipsa plane formam immutant. Etenim nasus simus, labra crassa, aures acuminatæ in elephantiasi videntur, atque in totum sic laborantes satyris similes sunt.* Paulus Ægineta *libro quarto capite primo,*

D haud aliter, quam supra Ætius elephantiasin, vbi iam superauerit, incurabilem, atque cancrum totum occupantem corpus esse ait. Sed verba eius subiiciemus: *Si cancer vnum tantum corporis membrum infestans, Hippocr. sententia incurabilis est, quanto magis elephas, qui cancer est totius corporis, immedicabilis erit?* Eadem itaque, quæ ex Galeni & Pauli sententia de elephantiasi dicta produximus, Auicenna de lepra tradit. Fen. namque 3. Canon. 4. tract. 3. cap. 1. ita scribit: *Lepra est infirmitas mala, proueniens ex sparsione choleræ nigræ in corpore toto, quare corrumpitur complexio membrum, & forma ipsorum, & figura eorum, & fortasse corrumpitur in fine eius ipsorum continuitas, ita vt corrodantur membra, & cadant casu qui fit ab vlceratione, & est sicut cancer communis toti corpori.* Razes quoque *lib. 5. cap. 35.* lepram morbum esse scribit vulnerantem mem-

E bra, ac eorum corrumpentem figuras. Auenzoar etiam *lib. 2. cap. 12.* lepram esse cancrum pessimum ortum in corporibus hominum tradit. Ita vt ex iis euidentissimum sit lepram Arabum ab elephantiasi Græcorum nihil distare: vbicunque enim Paulus elephantiasin habet, hic Auicen. aut eius interpres lepram transtulit. Id quod manifestissime indicant verba eius, quæ loco paulo ante citato scribit in hunc modum: *Et cum cancer, qui est lepra vnius membri, sit de illis quibus non est sanatio, quid dicemus de lepra quæ est cancer totius corporis?* Quæ sane verba si cum iis quæ antea ex Pauli sententia diximus contuleris, videbis euidenter, quod contendimus verum esse. Idem Auicen. eodem capite ita de lepra scribit: *Et quando aggregatur caliditas aeris cum malitia cibi, & eius essentia est ex genere piscium, & carne salita, & carne*

F *crassa, & carnibus asinorum & lentibus, proculdubio est vt eueniat lepra sicut multiplicatur in Alexandria.* Quæ vtique verba ex 2. lib. artis curat. ad Glauconem desumta sunt, vbi de elephantiasi sic scribit: ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παμπόλλη ἡ γένεσις αὐτοῦ διὰ τὴν δίαιταν ἐστιν. ἀθήραν γὰρ ἐσθίουσι, καὶ φακὴν καὶ κοχλίας, καὶ ταρίχη πολλά. τινὲς δὲ καὶ ὄνεια κρέα, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, παχὺν καὶ μελαγχολικὸν γεννῶντα χυμόν. ἄτε δὲ θερμοῦ τοῦ περιέχοντος ὄντος, καὶ ἡ ῥοπὴ τῆς φορᾶς αὐτῶν πρὸς τὸ δέρμα γίνεται. quod est. *In Alexandria vero*

plurimum generatur ex victus ratione. Comedunt enim farinam elixatam & lentem, & cochleas, & plura salita. Nonnulli ex ipsis carnes asininas, & alia eiusmodi quæ crassum & atræ bilis humorem generant. Nam cum aer ambiens calidus sit, humorum motus versus cutem agitur. Ceterum Auicen. eodem quoque capite lepram alio nomine leoninam dici scribit, vnde iterum liquet eam ab elephantiasi non differre, nam & hanc ita vocari paulo supra ex Aetio demonstrauimus. Idem Auicen. *cap. 4. eiusdem loci* de cura lepræ ita scribit: *Et scias, quod caro viperæ, & illud, in quo est virtus eius, est de nobilioribus medicinis ei. Elixatio autem viperæ est, vt sumatur vipera abscissis extremitatibus, mundificata a visceribus, deinde elixetur cum porris, & anetho, & sale pauco, decoquatur cum aqua donec dissoluatur.* Quæ iterum Auicen. verba desumta sunt ex Galeni libro iam citato, vbi de elephantiæ curatione sic scribit: ἐπὶ δὲ τῶν ἐλεφαντιώντων ἡ τῶν ἐχιδνῶν ἐδωδὴ θαυμάσιόν ἐστι φάρμακον. χρὴ δὲ ἐσθίειν αὐτὰς οὕτω σκευάζοντας, ὡς τοὺς θηριοτρόφους Μάρσους ἑώρακας. πρῶτον μὲν ἀποκοπτομένης τῆς οὐρᾶς καὶ τῆς κεφαλῆς ἄχρι δακτύλων τεττάρων, εἶτα τῶν ἔνδον ἁπάντων ἀφαιρεθέντων, καὶ τοῦ δέρματος ἐκδαρέντος, εἶθ' ὕδατι τοῦ σώματος αὐτῶν περιπλυθέντος, ἐπὶ δὲ τῶν ἐλεφαντιώντων ἐν λοπάσι παραπλησίως ταῖς ἐγχέλυσι σκευάζοντες διὰ λευκοῦ ζωμοῦ. γίνεται δὲ οὕτως. ὕδατος μὲν δαψιλοῦς ἐμβληθέντος, καὶ ἐλαίου βραχέος, καὶ σὺν αὐτῷ πράσου καὶ ἀνήθου. πρόδηλον δ' ὅτι μέχρι τοσούτου τὰς σάρκας τῶν ἐχιδνῶν ἀφεψεῖν προσήκει μέχρις ἂν ἀκριβῶς γένωνται μαλακαί. hoc est: *His qui elephantiam patiuntur, in viperarum esu est mirabile auxilium. Ita vero conditas eas comedere oportet, quemadmodum vidisti Marsos, qui feris venenatis nutriuntur. Capite quidem primum abscisso, & cauda, vsque ad digitos quatuor, deinde omnibus interaneis exemtis, cute etiam videlicet ademta, aqua dein corpus ipsarum abluatur. In his autem qui elephantiasi laborant, in olla anguillarum modo, per album ius præparantes. Fit autem hoc modo: Aquæ abunde, & olei paucum in ollam funditur, & cum hoc porrum & anethum adiicitur. Liquet autem quod viperarum carnes sunt decoquendæ donec exquisite molles reddantur.* Repetiit iam dicta Aetius ser. 13. capit. 123. dicens: *Mirabile elephantiasis remedium viperarum esus exsistit, eas vero hoc modo apparatas edere oportet. Primum quidem amputato capite & cauda, & detracta pelle, exemtisque interioribus visceribus omnibus, caro aqua pura bis ac ter lota, in olla instar anguillarum coquitur, aqua quidem sufficiente affusa, & oleo modico cum anetho & porro.* Viperæ denique carnes vbi condiuntur ceu anguillæ, nempe oleo, sale, anetho, porro, & aqua, contra elephantiasin vtiles esse, *libro vndecimo, capit. secundo de simplic. medica. facult.* docet Galenus, idemque tribus elegantissimis historiis monstrat, quas, quia prolixæ sunt, impræsentiarum omittere volui. Ex quibus omnibus satis demonstratum est, eum morbum, quem *elephantiasin* Græci nominant, ab eo, quem Arabes *lepram* vocant, non differre. Quinetiam inter Latinos Cornelius Celsus *libro tertio capite vigesimoquinto de elephantiasi*, haud aliter, quam Græci, loquitur, dum sic ait: *Ignotus pene in Italia, frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem* ἐλεφαντίασιν *Græci vocant, isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur, ita vt ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas, crebrosque tumores habet. Rubor harum paulatim in atrum colorem conuertitur. Summa cutis inæqualitas, crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit, os, suræ, pedes intumescunt.* Quibus equidem verbis nihil aliud quam morbum illum, qui hodie lepra dicitur, describere Celsum nemo non videt. Plinius haud secus atque Celsus *libro vigesimo sexto capite primo*, elephantiasin depingit, dicens: *Diximus elephantiasin ante Pompei Magni ætatem non accidisse in Italia, & ipsam a facie sæpius incipientem. In nare prima veluti lenticula, mox inualescente per totum corpus maculosa, variis coloribus, & inæquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura, ceu scabie aspersa, ad posterum vero nigrescente, & ad ossa carnes apprimente, intumescentibus digitis in pedibus manibusque. Ægypti peculiare hoc malum. Ita vt Latinorum elephantiasis a lepra Arabum non diuersa sit.* Neque temere dictum est, *Arabum*, lepra enim Græcorum diuersum morbi genus ab eo, quem Arabes sic vocant. Arabum enim lepra dirum ac horrendum morbi genus est, nec ab elephantiasi, vt diximus, quæ carnem interdum depascit, & ad ossa vsque ingreditur, differt. Græcorum autem facilis est morbus, ac scabiei adeo similis, vt vix ab ea discernatur, solamque cutem occupat, id quod in primis testatur Hippocrates *in libro de affectibus*, in hunc modum scribens: λέπρη, καὶ κνησμὸς, καὶ ψώρη, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφὸς ὑπὸ φλέγματος γίνονται. ἔστι δὲ τὰ τοιαῦτα αἴσχεα μᾶλλον ἢ νουσήματα id est: *Lepra, pruritus, scabies, impetigo, vitiligo, pituita gignuntur, potiusque corporis turpe quia sunt*

A B C D E F

Lepra Græcorum diuersa est a lepra Arabum.

A *ſunt quam morbi.* Hippocrati ſubſcribit Galenus libro de tumoribus dicens: ἔστι δὲ καὶ ψώρα καὶ ἡ λέπρα μελαγχολικὰ πάθη μόνου τοῦ δέρματος, ὡς εἴγε κἀν ταῖς φλεψὶ καὶ τῇ σαρκὶ γίγνοιτο, καρκῖνος ὀνομάζεται. quod eſt: *Pſora & lepra melancholici cutis tantum affectus ſunt, nam ſi in venis & carne proueniant, cancri vocabulum ſortiuntur.* Paulus quoque Ægineta a iam dictis nihil diſſentit, dum *libro 4. cap. 4.* ſic inquit: *Lepra pariter & pſora communis quædam ſummæ cutis ſcabrities ſeu aſpredo eſt, cui ſane pruritus corporiſque lenta conſumtio accedere conſueuit, ex atra bile vtraque originem trahens. Sed lepra profundius circularibuſque eroſionibus, corporis cuticulam depaſcit, & piſcium inſtar ſquamulas ex ſe remittit. Pſora vero ſuperficiem tantum varia eroſione lædit, furfuraceaque magis quam ſquamoſa ex ſe corpuſcula edit.* Auctor denique libri, cui titulus introductorius ſeu Medicus eſt, lepram haud aliter quam iam citati auctores B deſcribit, dum inquit: λέπρα πάθος μὲν καὶ αὐτὴ δέρματος ἐπὶ τὸ λευκότερον καὶ τραχύτερον τρεπόμενον. ἡ δὲ τραχύτης οἷον ψιδρακίων ἐπανιστάντων. ἡ δὲ ψώρα ἐστὶν ἑλκωδεστέρα. id eſt: *Lepra cutis eſt vitium, dum ſcilicet ipſa candidior aſperiorque fit. Aſpredo vero veluti pſidracia emergentia. Pſora autem ſeu ſcabies exulcerata magis exſiſtit.* Cum itaque lepra Græcorum morbus ſit facilis, ac cutem tantum, vt ex iam dictis patuit, occupans, euidentiſſimum fit eundem a lepra Arabum eſſe diuerſum, qui morbus ingens, aſpectu etiam turpis eſt, vehementem cruciatum excitans, nec ſolam cutem, ſed & carnem & oſſa plerunque vitians. Quod ſi vero quiſpiam obiecerit, *lepræ nomen in ſacris literis pro graui accipi morbo*, id quod & Montuus facit, adeoque non tantum cutis eſſe vitium, neque enim alias a reliquis hominibus ſeparare eo affectos morbo Moſis lex præcepiſſet, huic ita reC ſponſum volo: Nobis hic non eſſe contentionem quid ſacræ aut Hebræorum literæ de lepra ſtatuunt, ſed potius quid Medici Græci de hoc morbi genere ſcripſerint indicare conamur, eſſe nimirum lepram Græcorum a lepra Arabum, qui lepram vocant quod Græci elephantiaſin, admodum diuerſam. Quamuis ſi quis etiam caput decimumtertium Leuitici rectius expendat, lepram in cute vitium tantum fuiſſe videbit, maxime inter initia, & haud aliter quam in ea vitiliginis ſpecie, quam λεύκην Græci nominant, pilos albos apparuiſſe. Hinc eſt, quod Auguſtinus etiam lepram coloris eſſe vitium, non valetudinis aut integritatis ſenſuum atq; membrorum eſſe ſcribat. Neque mirum eſt, cur Moſes ſeparare lepra correptos a reliquis hominibus præceperit, contagioſus namque morbus fuit, perinde atque hodie ſcaD bies, etſi ſcabies forte tolerabilior ſit. Ridiculum autem, imo puerile admodum eſt, quod ſcribit Montuus, *in Græcorum Euangelio inter præcipua Chriſti miracula lepræ ſanationem recenſeri, igitur non facilem eſſe morbum lepram Græcorum.* Mira ſane ſequela, quam vel puer etiam explodere poſſit: neque enim Euangelicæ literæ obſunt, cur minus apud Græcos facilis fuerit morbus lepra, niſi forte Montuus Euangelium Græcorum nominet, quod a natione Græcis ſcriptum ſit, quo nihil ſtultius dici poſſet, cum conſtet ab Euangeliſtis, quos certe Matthæum maxime, & Ioannem Hebræos fuiſſe nemo neſcit, conſcriptum eſſe, idque literis Græcis. Nihil igitur ad rhombum, quod Euangelicæ literæ lepræ ſanationem inter miracula Chriſti commemorant; nam cum Iudæi fuerint, quos a lepræ contagio ſanauit Chriſtus, quibus vtique hoc E mali genus exoſum erat, quandoquidem a reliquorum conſortio eo affectos ſegregabat; nihil mirum, ſi miraculum illis viſum ſit. Etſi enim cutis tantum vitium fuerit, non tamen facile abigi, maxime vbi radices paulo intimius egiſſet, potuit, ita vt merito etiam eius ſanationem inter miracula commemorarint Euangeliſtæ. Quid autem ad Græcos attinet, quod in Iudæa factum eſſe nemo non nouit? Potuit etiam fieri, nam non anxie reluctor, vt aliud fuerit morbi genus, de quo ſacræ literæ & Euangeliſtæ mentionem faciunt, quam id, de quo Medici Græci ſcribunt, adeo vt Montui argumentum ſit plane inefficax: aliud enim Euangelium eſſe Hebræorum, aliud Græcorum, aliud Latinorum ſomniat, quod quam ridiculum ſit, nemo ſanæ mentis ignorat. Vnum enim Euangelium eſt Græco ſermone conſcriptum, quod ad F omnes cuiuſque nationis homines ſpectat. Euangelicas tamen hiſtorias ſingulas in Iudæa factas eſſe, quandoquidem Iudæis tantum Chriſtus miſſus ſit, vt prædicaret, euidentiſſimum eſt, adeo vt de lepra Hebræorum in Euangelio tantum mentionem fieri certum ſit, neque ob id conſequi poſſit lepram etiam de qua Græcorum Medici ſcribunt, inter grauiſſimos morbos eſſe connumerandam. Falſiſſimũ præterea eſt,

Montui obiecta diluuntur.

quod lepram interdum pro cutis vitio, interdum etiam pro elephantiasi accipi A
apud Græcos ait, idque exemplo satyriasis ostendere conatur, ita colligens: *Quemadmodum satyriasis iuxta Græcos diuersos denotat affectus, ita & lepra.* Quis autem nisi plane amens sit, illam sequelam admitteret? Fateor quidem verum esse, satyriasin diuersos denotare affectus, elephantiasin scilicet, & pudendi præter naturam erectionem: nam id abunde Græcorum testantur scripta. Quod vero itidem de lepra dici possit, constanter nego. Nam producat vnum saltem testimonium ex Græcorum Medicorum libris, quod lepram elephantiasin esse vocari ue, astruat Montuus, & victum me fatebor. Tantus est ergo dialecticus Montuus, vt sequelas eas etiam admittat, quæ omnium maxime pugnare videntur si rectius expendas. Sed verum esse puto, quod vulgato iactatur prouerbio, *Bis pueri senes*: anxie enim laborat in eo, vt ostendat saty- B
riasin significare diuersos affectus: id quod tamen nemo it inficias: at ne vno quidem verbo, quod omnes eruditi negant, lepram cum elephantiasi apud Græcos nonnunquam coincidere, probare studet. Verum valeat cum suis deliramentis ac ficulneis argumentis Montuus, discatq; interim vel meliora proferre, vel penitus silere.

Morbum quem vulgo Gallicum vocant, non esse eum quem Græci Lichenem, Latini vero Impetiginem appellant, sed nouum potius & veteribus incognitum.

Cap. XVII.

INiurium me sibi fecisse hoc loco conqueritur Symphorianus Campegius, quod in ea sententia illum esse suspicatus sim, quasi Gallicum morbum nō differre a liche- C
ne seu impetigine putauerit, cum tamen omnium notissimum sit idipsum *in lib. 2. cap. 12.* Aggregatoris Lugdunensis eum astruxisse. Et certe nisi librum hunc ad se pertinere negabit, fateri cogetur hoc, quod scripsimus se sensisse. Titulus enim capitis idipsum satis monstrat, qui sic habet: *De lichene seu mentagra siue pudendagra, quam nostri Neapolitanum morbum vocant, Itali vero Gallicum.* Quibus verbis quid (oro) apertius esse potest? Asserunt enim, lichenem nihil aliud esse, quam eum morbum, quem hodie quidam *Neapolitanum*, aliqui vero *Gallicum* vocant, ita vt mirari satis non possim, quare se sic non sentiisse ausus fuerit negare Campegius. Confinxit denique nescio quā annotationem, eamque passim suis libris inseruit isto lemmate. *Hoc capite respondet dominus Symph. Campegius Leonardo Fuchsio, qui eum de pudendagra siue morbo Gallico immerito* D
reprehendit. Quibus verbis iterum satis monstrat, se in ea esse sententia, vt mentagram a morbo Gallico nihil differre putet. Præterea quæ ibi contra me annotauit, plane ad institutum nihil faciunt. Mihi contentio est morbum gallicum non esse lichenem: ille theologum agens ostendere conatur iram esse Dei, id quod nemo negauit. Optarem certe eiusmodi næniis bonas chartas non commaculari. Mendacii itaque arguendis nobis potius venit Symphorianus, qui non tantum mihi, sed & Leoniceno iniurius exsistit. Leoniceno siquidem, quod hunc lichenem a morbo gallico nihil differre docuisse asserit, cum tamen idem in libro de morbo gallico edito eam opinionem quæ morbum gallicum esse lichenas astruit, penitus explodat. Mihi porro, quod me morbum Gallicum ab impetigine diuersum non facere putat, E
cum tamen constet confutationes meas legenti, me ab ista sententia fuisse olim, vt hodie sum, alienissimum, vt qui docuerim lichenas non esse morbum Gallicum, sed eum potius qui *impetigo* Latinis dicitur. Scio autē quid deceperit Campegium: præpositionem *is* in themate ad lichenem referendam, ad Gallicum morbū retulit perperam. Atqui erroris sui eum monuisse confutatio mox sequēs potuit, ita vt mirum sit, cur hoc loco in nostris legendis tam negligens fuerit, cum alias non raro totas paginas, imo folia etiā integra, in sua transferre e nostris solitus sit. Sed vt hæc missa faciamus, ad institutū reuertentes monstremus, quam turpiter errēt, qui morbū Gallicum vocatū eundē cum lichene putent. Nouus cum sit morbus is, quē hodie Gallicum aut Neapolitanū nominant, fieri non potest vt lichen dicatur. Lichenas enim F
seculo etiam Hippoc. fuisse constat, harum namq; *in tertia parte aphor. 20.* inter vernales morbos meminit, & *in lib. de morbis*, multisque locis aliis. Quapropter recte censet Plin. qui *lib. 26. cap. 1.* lichenem morbum non Italiæ modo, verumetiam vniuersæ prope Europæ ante Cl. Tiberii Cæsaris principatum incognitum fuisse scribit.

A Etsi autem toti prope Europæ incognitus fuit lichen, nullo tamen modo Hippocrati, vt qui eius tam crebrã mentionẽ fecerit, quemq; multis annis ante Tiberiũ e viuis excessisse constat. Verum igitur est, quod paucis ante Tiberii principatum in Italia cognitus fuerit, quod in medio eius principatu a quodam Perusino equite Romano, qui quæstorius scriba Romæ erat, ex Asia aduectus sit. Antea quoq; nondũ Rom. imperio ad exteras nationes ꝓpagato nomine carebat, donec Medici Greci, qui vrbem Romanam frequentare cœperunt, hunc morbum suæ linguæ vocabulo lichenẽ nominantes, illustriorem pluribusq; notum fecere. Meminit lichenum Diosc. Galenus, Paulus, & quotquot sunt Græci alii Medici, ita vt morbus Gallicus dici non possit. Is enim anno à Christo nato M.CCCCXCIII. apud Neapolim primum irrepsit. Nomen vero inde sortitum est, quod in Gallorum exercitu, qui illic Caroli regis sui auspicis belligerabat, apparuit prius quam vsquã alibi. Hac occasione Galli ominosam à se appellationem amolientes non Gallicum hunc, sed morbum Neopolitanũ vocarunt. Peruicit tamẽ consuetudo, vt *Gallicus* vulgo dicatur: Quare λειχὴν Græcis aliud à Gallico morbi genus est, cutis scilicet vitium & aspredo, Latinisq; *impetigo* nominatur. Fiunt autem lichenes, *teste Paulo lib. 4. cap. 3.* mixtis sanieb. tenuibus, & acribus, cum aliis crassis humoribus, & celeriter in lepram, & psoram, scabiemue transeunt. Lichenem esse cutis aspredinem testatur quoq; auctor libri definitionum, dicens: λειχὴν ἐπιτραχύτης ἐπιφανείας μετὰ πολλῆς κνησμοῦ id est: *Impetigo est summa cutis cũ multo prurítu asperitas.* Autor quoq; introductorii quisquis tandem ille fuerit, lichenẽ inter cutis affectus recenset, iis verbis: ὁ δὲ λειχὴν πάθος μέν ἐστιν αὐτοῦ τοῦ δέρματος, διττὸν δὲ εἶδος λειχῆνος, ὁ μὲν ἥμερος καὶ πρᾳότερος, ὁ δὲ ἄγριος καὶ χαλεπώτερος. ἀφίστανται δὲ ἐπὶ τούτων καὶ λεπίδες τοῦ δέρματος καὶ ὁ ὑπὸ τὰς λεπίδας τόπος ἐπερυθρότερος καὶ ἴσχνος ἑλκωμένου φαίνεται. quod est: *Impetigo quidem ipsa cutis vitium exsistit. Eius autem duæ sunt species, vna tolerabilis mitiorq; est, altera fera, difficiliorque. Squamulæ in his ex summa cute descendunt, sub quibus locus rubicundior, fereque exulceratus apparet.* Impetiginem vero eum esse morbum, quem Græci lichenem appellant, in primis testatur Cassius Felix, sic scribens: *Impetigines Græci lichenas dicunt nascuntur ex melancholico humore, rotundo schemate, in superficie cutis, cum ingenti pruritu.* Et confirmat idipsum Cælius Aurel. *lib. 1. Chronic. cap. 3.* ita de lichenibus equorũ loquens: *Sunt squamulæ anteriorum crurium sub armorum partibus in ipsis animalibus natæ, has Græci lichenas vocant nos vero impetigines.* Porro lichenas esse impetigines, vel inde satis liquet, quod singula ferme remedia, quæ à Paulo Græcisq; aliis lichenibus accommodantur, eadẽ etiam a Latinis quibusdam ac Arabibus autoribus impetigini adaptantur. Et vt vnum atq; alterum referamus, Paulus Ægineta *lib. 4. cap. 3.* lichenas puerorum saliua humana perfricandas esse docet, id quod & Serenus Samonicus *cap. 10.* in impetigine faciendum suadet iis carminibus:

Si vero vitium est quod ducit ab impete nomen.
Hoc matutina poteris cohibere saliua.

Id quod & Auicen. facit *Fen. 7. Canon. 4. tractat. 3. cap. 4.* ita de impetiginis curatione scribens: *De medicinis quidem singularious eius est saliua hominis ieiuni, & illud, quod residet super dentes eius.* Paulus denique eodem loco folia capparis, sulphur cum aceto, & alia multa remedia lichenum recenset, quæ singula quoque ab Auicenna, non tamen sine multa corruptione, enumerantur. Proinde euidentissimum est ex iam dictis, Latinis esse impetiginem, quod Græcis *Lichen*, neque est hodie inter Latinos interpretes, qui non Lichenem impetiginem vertat. Cornelius tamen Cels. *libro 5.* lichenas papulas vertit, id quod inde colligi potest. Quemadmodum auctor Introductorii duas lichenum species facit, quarum altera mitis, altera autem fera sit, ita quoque Celsus papularum duo esse genera statuit, vnam mitem, alteram vero ἀγρίαν, id est, feram. Et vt prima a Cassio Fœlice describitur esse figura rotunda, in superficie cutis, cum ingenti pruritu & asperitate, ita Celsus primum genus esse vitium in quo per minimas pustulas cutis exasperetur, & rubeat, leuiterque rodatur, & maxime rotundum incipiat, eademq; ratione in orbem procedat. Præterea, vt Paulus lichenibus, & Auicenna impetigini ieiuni hominis saliua medentur, ita & Celsus leuem pabulam si ieiuna hominis saliua quotidie defricetur sanari ait, vt hinc manifestum sit pabulas Celsi a lichenibus Græcorum nõ differre. Habet autem libro iam citato Celsus caput quoddam de impetigine, quæ

Gallicus morbus quando primum orbẽ irrepsit.

Lichenes Latine impetigines.

Cornelius lichenas pabulas vertit.

Impetigo apud Celsum est lepra Græcorum.

certe non est ea, de qua Arabes scribunt, nec cum lichene eadem, sed potius cum lepra Græcorum, id quod hinc colliges. Paulus lichenas celeriter in lepram transire scribit. Celsus itidem de pabulis, quas in impetiginem verti inquit; docet iis verbis: *Quæ minus rotunda est, difficilius sanescit: nisi sublata est, in impetiginem vertitur.* Nullum deniq; in Celso de lepra caput est, adeo vt hanc sub impetiginis nomine descripsisse non leuis suspicio sit. Sed sunt præter iam dicta alia multa, quæ Celsum hoc capite lepram Græcorum depinxisse argumento esse possunt; quæ lubens prætereo. A

Montui postrema annotatio refellitur.

Ceterum hic postremum cum Montuo ineunda pugna erit, qui iterum insulsa, imo stolidissima annotatione sua probare nititur, morbum Gallicum dici posse lichenas, quandoquidem a symptomatibus morborũ nomina interdum mutuari liceat. Quapropter ita colligit: *Morbo Gallico affectos lichen magna ex parte concomitari solet, morbus igitur Gallicus lichen dici potest.* Validum plane argumentum, quod vel puer infringere posset ita colligens: *Coli dolores paralysis magna ex parte sequi solet, coli igitur dolor paralysis dici potest.* Vel ita: *Pulmonis phlegmonem non raro, Hippoc. teste, phrenitis sequitur, pulmonis ergo phlegmone phrenitis dici potest.* Quibus argumentis quid per Apolloro insultius? quid magis ridiculum? Tanta est Montui in dialecticis ignorantia, vt plane minima eius artis principia non calleat. Perperam deniq; Galenus & Auicenna citat Montuus, cum ait, ex illorum sententia aliquando a symptomatibus morborum mutuari licere nomina: quasi dicat, *si nomen morbi proprium ignoratur, tum licet eum sui symptomatis nomine appellare.* O senem delyrum, quid hic confusionis non faceret Galenus? Absit autem vt Galenum, artis Dialecticæ, quæ a confusione maxime abhorret, tam ignarum fuisse putemus. Vt vero Montui inscitiam hic studiosi clarius agnoscant, locum Galeni, quo abutitur, breuibus explicemus. Is *in 2. ther. meth.* diuersitatẽ nominum, quæ morbis imposuerunt ipsorum primi auctores, indicare volens, inter cetera scribit, quibusdam ab ipso symptomate indita esse nomina, in quorum numero Ileos, hoc est, conuoluulus, ab ipso recensetur. Huic enim morbo a circumactione doloris in intestinis, qui illum sequitur, nomen impositum est. Nam εἰλεῖσθαι Græcis *circumagi* & *circumuolui* significat. Tinesmos quoq; morbus est, cui a symptomate, quod inducit, nomẽ impositum est, nempe ab assidua desidendi cupiditate & conatu, τείνεσθαι enim Græcis *conari* est, & *ire contendo.* Talis etiã Dyspnœa, hoc est difficultas spirandi, & Spasmus, id est conuulsio, morbi sunt: huic enim a cõuellendo nomen inditum est σπάω namq; conuello Græcis significat, illi autẽ a spirandi difficultate, quam affert, πνέω enim spiro est, δυς autẽ particula adiecta difficultatem indicat. Mens itaq; Galeni loco citato est, quod morbis quibusdã a symptomatis, quæ faciunt, sint imposita nomina: minime autẽ quod liceat morbos eorum nominibus appellare, in quos interdum commutantur: nã alias atram bilem, aliquando hæmorrhoides dicere licebit, quod absurdissimum erit. Ita passim Montuus in citando Galeno frequens est, at illorum, quæ affert, plane nihil intelligit. Quiescat itaq; iam & senectutis suæ dies in ocio trãsigat, illudq; mussitet. Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet. B C D

Locus Galeni explicatur.

Τείνεσθαι.

Non esse diuersa morborum genera Prunam seu ignem Persicum, Carbunculum atq; Anthracem, vt multi medicorum hodie putant, sed vnum potius eundemq; diuersis his designari nominibus morbum. E

Cap. XVIII.

Svnt non pauci inter recentiores hodie Medici, qui prunam ignemue persicum, carbunculumq; ab anthrace diuersum esse malum putent, differreque ea ratione potissimum anthracẽ a carbunculo, quod anthrax fiat ex materia maligniore & magis adusta, quam sit ea ex qua carbunculus generatur. Hac nimirum opinione ducti, de iis in diuersis, tanquam morbis differentibus, capitibus egerunt. Ex horum sane numero Valescus existit, homo vt tum tempora ferebant non indoctus, qui in tantum tamen desipuit, vt nomini Græco Latinam daret deriuationem, anthracem nimirum ab antro, id est fouea, deducens, quod foueam scilicet faciat, non intelligens ἄνθραξ Græcam esse dictionem, neq; aliud nisi id quod Latini carbunculum nominãt, significare. Cur autem boni illi viri in hunc errorem, vt inter anthracem atq; carbunculum seu prunam differentiam statuerẽt, lapsi sint, Arabes, quorum lectioni nimiũ addicti fuerunt, occasionẽ dederunt. Inter hos namq; Rhazes *in libro Diuisionũ cap. 133.* F

Valescus perstringitur.

de igne

A de igne persico, mox autem *cap. 135.* de anthrace seorsim scripsit. Proinde illum secuti diuersos esse morbos putantes, diuersis quoque capitibus de iis tractarunt. Quod autem anthrax à carbunculo nihil differat, vel iis qui primis saltem labris Græca degustarunt notum esse potest. Nam vbicunque Latinus interpres carbunculum habet, ibi de anthrace agere Græcum auctorem constat? Exemplo nobis sit Galenus, qui *libr. 2. artis curation. ad Glauconem* ita de anthrace loquitur: ὅταν τὸ ἐπιρρέον αἷμα θερμὸν ἱκανῶς ᾖ καὶ παχύ, καθ' ὅτι ἂν μόριον ἀθρόον ἐπιρρυῇ, τοῦτο καυστικὸν ἕλκος ἐσχάραν ἔχον ἐργάζεται, τὸ περιέχον δ' αὐτοῦ πᾶν εἰς φλεγμονὴν ἐξαίρει, ζέουσάν τε καὶ δεινῶς ἐπώδυνον. ὀνομάζεται δὲ τὸ τοιοῦτον πάθος ἄνθραξ. quæ verba interpres ita vertit: *Quum sanguis influens calidus sufficienter exstiterit & crassus, quodcunque membrorum subito occupauerit, hoc comburendo facit vlcus crustam habens. Quicquid vero circumiacet, in inflammationem leuat, & efferuescentem grauemque dolorem infert.* Vocatur autem huiusmodi affectus carbunculus. Et libro de tumoribus præter naturam, vbi sic scribit:

Anthrax à carbunculo nihil differt.

B αἱ μὲν γάγγραιναι καὶ οἱ ἄνθρακες ἐπειδὰν οἷον ζέσῃ τὸ αἷμα ἐγγύς τε τῆς φλεγμονῆς διακαύσῃ τὸ δέρμα, ταῦτ' ἄρα ἐστὶ σὺν ἐσχάρᾳ γίγνονται καὶ φλύκταιναι προηγοῦνται τοῦ ἕλκους, ὥσπερ ἐν τοῖς πυρικαύστοις, ὀξύτατόν τε πυρετὸν ἐπιφέρουσι καὶ κίνδυνον ὑπόγυιον ἀμφὶ τῇ ζωῇ. quod ita vertendum: *Gangrænæ & carbunculi sunt, quum sanguis veluti ferueat, fereque vt phlegmone cutem adurat. Crusta quoque in iis oritur, & pustulæ vlcus præcedunt similes iis, quæ ambustis fiunt, quæ febrem acutissimam inferunt, & imminens vitæ periculum.* Ex quibus omnibus manifestum fit anthracem penitus à carbunculis nihil differre. Præter id enim quod passim anthrax pro carbunculo interpretatur, contextus etiam verborum satis docet carbunculum seu anthracem à pruna, igneue persico minime diuersum esse. Quemadmodum enim Galenus 2. ad Glauconem carbunculum

C describit, ita Auicen. *Fen. 3. Canon. 4. tractat. 3. capit. 9.* prunam seu ignem persicum. Ait autem: *Hæc duo nomina fortasse absoluta sunt super omnem pustulam corrosiuam, vesicantem, adurentem, facientem accidere escharam, qualem facit accidere combustio.* Et paulo post: *Et fortasse non erit illic pustula omnino, imo incipit in primis pruna, & totum illud incipit cum pruritu sicut scarificationes.* Amplius quandoque vesicat ignis persicus aut pruna, & currit ex ea aliquid sicut currit a cauterisato cum combustione, & est locus cineritii coloris niger. Quæ verba etsi nonnihil deprauata videantur, sunt tamen desumta ex capite decimo, *libro 14. ther. meth.* vbi sic de carbunculo scribit: ἄρχεται δὲ τὰ πολλὰ μὲν ἀπὸ φλυκταίνης, ἐνίοτε δὲ καὶ χωρὶς ταύτης. ἀλλὰ κνῶνταί γε πάντως ἐν ἀρχῇ τὸ μόριον, εἶτ' ἀνίσταται φλύκταινά τις, ἧς ῥηγνυμένης ἕλκος ἐσχαρῶδες γίνεται, πολλάκις δ' οὐ μία φλύκταινα γεννᾶται κνωμένων, ἀλλὰ πολλαὶ μικραὶ καθάπερ τινὲς κέγχροι, ἅπασι δὲ ἕλκος ἐσχαρῶδες γίνεται, ποτὲ μὲν τεφρώδους, ἐσχάρας, ποτὲ δὲ μελαίνης.

Anthrax ab igne persico seu pruna nihil distat.

D hoc est: *Incipit hoc plerunque a pustula, aliquando vero & sine hac. Ceterum inter initia scabunt particulam omnino, mox oritur pustula quædam, qua rupta vlcus crustosum gignitur. Sæpe vero non vna oritur scabentibus pustula, sed multæ exiles veluti milii semina. Omnibus tamen crustosum fit vlcus, modo crusta ipsa cineris colorem præferente, modo nigrorem.* Ex excerpta videri possunt ex *25. libr. 4.* Pauli Æginetæ, vbi de carbunculis seu anthracibus ita loquitur: *Quandoque sine pustula emergunt, particulam quibus hoc malum instat ab initio omnino scabunt, vnde pustula nunc vna oritur, qua rupta, vlcus cum crusta gignitur, nunc plures etiam tenues milii magnitudine erumpunt, disruptisque iis crustosum redditur vlcus, similiter iis omnino, quæ cauterio adusta fuerunt, quandoque cinereo colore crusta apparente, quandoque vero atro.* Vnde iterum satis liquet quatuor his nominibus, an-

E thrace, carbunculo, pruna, igneque persico, vnum eundemque morbum significari. Id quod & antiquus Galeni interpres non ignorauit, qui caput decimum *lib. 14. therap. method.* de anthrace, pruna, igne persico, & carbunculo inscripsit. Nihil autem distare a pruna & igne persico carbunculum, & eorundem etiam curationibus abunde declarari potest. Nam quam curationem Galenus ac Paulus anthraci seu carbunculo adhibendam docent, eandem Auicenna ac alii Arabes prunæ & igni persico quoque accommodant. Galenus siquidem *lib. 14. cap. 10.* de anthracis curatione in hunc modum loquitur: καὶ μὲν δὴ ἐστὶ ὡς ἀπὸ φλεβοτομίας ἀρκτέον ἐστὶ τῆς ἰάσεως, οὐκ ἄδηλον εἶναι νομίζω τοῖς μεμνημένοις ὅσα περὶ φλεβοτομίας εἴρηται κατὰ τὴν τῶν πυρετῶν θεραπείαν. οὐκ ἄδηλον δ' οὐδ' ὅτι μέχρι λειποθυμίας ἐπ' αὐτῶν ἡ κένωσις γιγνομένη, μειζόνως ὠφελήσει πλὴν εἰ μή τι τῶν ἄλλων τι παρείη τῶν κωλυόντων

F φλεβοτομεῖν. hoc est: *Sed & incipiendam ab incisa vena curationem esse, id quoque neminem latere puto, qui præsertim meminerit, quæ in curatione febrium de sanguinis missione diximus. Nec illud obscurum, sanguinis vacuationem quæ ad animi defectum vsque sit adhibita, magis*

his etiam cellaturam, niſi tamen aliud quid obſtet ex iis, quæ venam incidi vetent. Paulus quoque Ægineta haud ſecus medendum carbunculo, loco prædicto docet: dicens: *Medendum itaque iiſipſis niſi omnino perpuſilli ſint, ſanguinis ſecta vena detractione, ad animi vſque deliquium auferendo.* Idem ſane remedium quod prædicti auctores Auicenna prunæ igniq; perſico accommodandum docet iis verbis: *Neceſſaria eſt phlebotomia vt euacuetur ſanguis cholericus, & quando ægritudo eſt timoroſa, tunc neceſſarium eſt ipſam approximare ſyncopi* Quæ verba, quod ad venæ ſectionem attinet, pulchre cum Galeni & Pauli ſententia quadrant: variant autem multum ſi ad cauſſam carbunculi, quam latenter hic Auicenna inſinuat iis verbis, & euacuetur ſanguis cholericus, reſpexeris: neq; enim a bili carbunculum Galenus in ſecundo ad Glauconem fieri ait, ſed a ſanguine craſſo, fæculento a feruente, id quod & Paulus docet, dum generari carbũculum inquit, cum referbuerit ſanguis, copioſiore atra bile abundans. Porro ſi pruna a bile flaua generatur, vt Auicenna ſomniauit, quomodo hic curationis modus iis quæ alibi ſcribit, conueniat non video. Paſſim enim ſanguinem bilis eſſe frenum clamat, & Canone primo cauendum eſſe admonet, ne immodica ſanguinis miſſione ægrum ad humorum bilioſorum ebullitionem perducamus. Quapropter iuxta huius in aliis locis placita, in morbo ex bili ſanguineue bilioſo procreato, venæ ſectio non competit, vel ſaltem non tanta, quæ ad animi defectum perducat. Hinc falſum in vniuerſum ſit oportet quod dixit Auicenna, prunam ex ſanguine bilioſo generari, cum potius ex craſſo, fæculentoq; ſeu melancholico fiat. Id quod Auicenna quoque ſibiipſi contradicens, *Fen. 3. Canon. 4. tractat. 1. cap. 1.* fatetur, ſic ſcribens: *At vero ex ſanguine craſſo malo fiunt ſpecies exiturarum malarum. Nam ſi eius malitia vehemens fiat, & ipſius aduſtio, proueniet eryſipela, & veniet combuſtio & cruſta, & deterior ea eſt ignis perſicus.* Ceterum non eſſe diuerſum carbunculum a pruna, teſtantur & reliqua, quæ de illius curatione Græci tradunt. Galenus namque *14. therap.* ſic de illo inquit: καὶ μὴν καὶ ἀποσχάζειν τοὺς τοιούτους ὄγκους ὅπου γε προφλεβοτομήσας οὐκ ἀνεπιτήδειον. ἔστω δὲ βαθύτεραι τῆς συμμέτρου αἱ ἀμυχαί, διὰ τὸ πάχος τοῦ λυποῦντος χυμοῦ. quod eſt: *Quin etiam ſcarificare eiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſsionem, alienum non ſit. Sunto autem inciſiones mediocribus altiores, propter infeſtantis humoris craſsitudinem.* Quem ſecutus Paulus ita ait: *Poſt vero ſanguinis e vena miſsionem, ſcarificationibus incumbere altioribus neque alienum fuerit neque abſurdum, ob humoris craſsitudinem.* De prunæ autem curatione Auicenn. in hunc modum: *Et fortaſſe eſt neceſſe & proprie in pruna facere ſcalpellationem profundam, vt egrediatur ſanguis malus conſtrictus in ea qui eſt in natura veneni.* Et non fiat illud quando materia eſt decliuis ad choleram. Ex quibus iterum innoteſcit, carbunculum a pruna non differre. Animaduertendum autem raro admodum fieri vt Auicen. veritatem ſyncere doceat, ſemper enim adtexere ſomnia ſolitus eſt, id quod vbi factum fuit, mox hunc in ſcopulum impegiſſe certum eſt. Exemplo erit nobis hic locus, in quo ſane pulchre cum Galeno & Paulo ſibi conuenit ab initio, in fine autem dum ait, Et non fiat illud quando materia eſt decliuis ad choleram, iterum ad priorem reſpicit errorem, putatq; prunam ex bili flaua poſſe procreari, id quod paulo ante confutauimus. Adeoque merito bonis omnibus ſuſpectus eſſe debet Auicenna, quod fere nunquam non falſa veris permiſceat, quæ nemo niſi acri iudicio præditus ſit diſcernere queat. Et mirum certe admodum eſt tam timidum in carbunculo fuiſſe Auicen. vt dum materia declinaret ad choleram, profundam ſcarificationem prohiberet, cum tamen capite ante hoc ſexto, de cura formicæ, ex Galeni ſententia exſtirpare formicam cum aliquo quod ſit ſicut embuba, & extremitas pennæ aut alterius rei, cuius extremitas ſit acuta, quã poſſibile ſit deglutire formicam, docuerit. Quæ tamen exſtirpatio formicæ ſi diligenter inſpiciatur, multo eſſe quam ſcarificatio violentior deprehendetur. Quare ſi hanc timuit Auice. quando materia erat decliuis ad choleram, multo magis tale aliquid facere formidare debuerat in morbo cuius materia non tantum ad bilem decliuis, ſed mera bilis, vt ipſe putat, exſiſtit. Errat autem hoc loco Auicen. falſoq; Galenum citat, qui id præſidii non ad carbunculum, ſed myrmecias potius, vt ſequenti capite dicemus, accõmodauit. Sed vt ad nauſeam vſq; oſtendamus prunam ſeu ignẽ perſicum ab anthrace carbunculoue non differre, en alia quæ in Auicenn. de prunæ curatione ſequuntur, cum iis quæ Galenus & Paulus de carbunculi medela ſcribunt, confe-

Pruna ex ſanguine craſſo fit.

Auicennæ doctrina raro ſyncera.

A conferemus. Inquit igitur Auic. Cura autem localis necessaria est, vt sit sicut cura erysipelæ. Verum non oportet vt sit linimentum vehementis infrigidationis sicut in erysipela, quoniam materia ad crassitiem decliuis est, & quoniã ipsa est taliter, quod non tolerat vt redeat parum ex ea ad interiora, quoniam materia est venenosa. Et non licet vt administrentur ea quæ sunt vehementis stypticitatis iterum, nã illa materia est tardæ resolutionis, imo oportet vt administres medicinas exsiccatiuas, in quibus est infrigidatio & resolutio quædam cum expulsione, sicut emplastrum quod fit de arnoglossa & gallis, & lentibus, & plane plurimi furfuris. Galenus vero *lib. 14. therap. method.* in hunc modum: αὐτοῦ δὲ τοῦ πεπονθότος μέρους ὅσον μὲν ἐπὶ τῇ φλογώσει τῶν χυμῶν, τῶν ψυχόντων ἐστὶ χρεία. διὰ δὲ τὸ πάχος τοῦ χυμοῦ, καὶ μέντοι καὶ τὴν κακοήθειαν, οὔτ' ἀποτρέψεις ποτὲ ῥᾳδίως καὶ εἰ τούτου ποτὲ τύχοις, ἑτέρου τινὸς ἐν τῷ βάθει βλάψεις, οὐ μὴν οὐδ' ἐπιρρεῖν αὐτῷ συγχωρητέον ἐστίν. ἀλλ' εὑρίσκειν φάρμακα, μετὰ τοῦ μετρίως ἀποκρούειν
B καὶ διαφορεῖν δυνάμενα. τοιοῦτον δ' ἐστὶ τό τε δι' ἀρνογλώσσου κατάπλασμα, καὶ τὸ δι' ἑφθῆς φακῆς, ἄρτου κλιβανίτου μιγνύντων ἡμῶν αὐτοῖς ὅσον ἁπαλόν quod est: *Imponi vero sibi laborans particula, quod ad inflammationem spectat, refrigerantia desiderat. Propter autem humoris crassitudinem atq; etiam malitiam neq; fluxionem auertere poteris. Et si quando id feceris, aliud quippiam quod in alto sit corpore offendes. Atqui nec affluere is permittendus est, quin potius inquirenda remedia sunt, quæ cum modice reprimendo, etiam dirigere possint. Tale profecto est tum cataplasma, quod ex plantagine conficitur, tum quod ex cocta lente, scilicet miscentibus his micam panis qui in furno sit coctus.* Paulus ita: Ipsa parte vero afflicta, reprimentibus, modice & discutientibus vtamur, cuiusmodi est cataplasma ex plantagine, & lente elixa, sumendo panis in furno cocti micam. Ex quibus iterum clarum est, quod pruna nihil ab anthrace differat: quæcunque enim
C Auicenna de prunæ curatione tradit, ea ex capite de carbunculi curatione Galeni transtulit, ita vt toto cœlo errare manifestum sit eos qui iam dictis vocabulis diuersa morborum genera significari putauerunt.

Auicennam erysipelas, formicas, myrmeciam, ignemq; persicum, morbos natura distantes, eorundemq; curationes turpiter admodum confundere.

Cap. XIX.

TRES nominatos morbos, illorumq; curationes confundere Auic. dilucidum erit, si quis ea quæ de iis horumq; curatione scribit, cum veterum ea de re placitis contulerit. Quod enim ad erysipelas attinet, clarum est illud confundere cum for-
D mica miliari, *Fen. namq; 3. Can. 4. tract. 1. cap. 4.* inter cæteras erysipelatis notas sic scribit: Et peruenitur quandoq; ex caliditate erysipelæ ad hoc vt comburat cutẽ, & eius virulentia vesicat. Quarum vero; posterior nota Herpeti, vel vt ipse loquitur formicæ miliari ex Gal. *in lib. 2. ad Glauconẽ sententia*, qui ideo sic nominatã scribit, quoniã in hoc affectu pustulæ paruæ ac multæ per summam cutem similes miliis excitantur, potius conuenit. Id quod & Paulus testatur, qui *libr. 4. cap. 20.* in hunc modum scribit: Si vero tenuis bilis, minoreq; acrimonia fuerit, & calore exiguas pustulas milii seminibus similes in summa cutis superficie excitauerit, miliaris herpes à similitudine nuncupatur. Idem Auic. *cap. 1. citati loci* ita scribit: At vero à sanguine crasso malo fiunt species exiturarum malarũ. Nam si eius malitia vehemens fiat, & ipsius adustio, perueniet
E erysipela: ita enim interpres ipsius loquitur: & veniet combustio & crusta. Quibus nimirum verbis nothas anthracis seu ignis persici, erysipelati tribuit: nam vt capite præcedenti ex Galeni autoritate diximus, anthrax est qui ex sanguine crasso & fæculento procreatur, quiq; comburendo vlcus cum crusta facit, adeo vt manifestum iam sit Auic. erysipelas non tantum cum herpete miliari, sed etiã carbunculo confundere. Neq; vero notas tantũ, sed curationes quoq; prædictorum morborum confundit. Inter reliqua enim Auic. de cura erysipelatis hæc scribit: Et si fuerit erysipelas super cutem, curetur ex scoria plumbi, cum vino pontico bullito cum foliis siclæ bullitæ cum vino. Quod sane remedium Paulus Ægin. vnde Auic. desumsit, non ad erysipelas, sed ad herpeta miliarem accommodat. Verba eius subiiciemus: Aliud ad pu-
F stulosum herpeta: Recrementum plumbi ex vino austero contritum, mox illinitur, superiniiciuntur folia betæ in vino decocta. Præterea quæ iam citata apud Auic. verba sequuntur, satis etiã monstrant, quod curatio erysipelatis illic herpeti potius exedenti conueniat. Inquit enim: Et curetur cum eo in quo est resolutio & exsiccatio fortis cum infrigidatione. Quis est vero qui nesciat, nisi qui tritum illud in medicina

principium ignorat, contraria contrariis curantur, erysipelati morbo calido & sicco fortiter exsiccantia non competere, sed magis herpeti exedenti? Huic autem conuenire exsiccantia testatur etiam Galenus, qui *lib. 2. artis cur. ad Glauc.* ita scribit: A τοὺς δ' ἕρπητας τὰ μὲν περὶ τὴν τοῦ σώματος ὅλου κένωσιν ὁμοίως τοῖς ἐρυσιπέλασιν ἰᾶσθαι προσήκει· τὰ δὲ περὶ τὴν αὐτοῦ τοῦ πεπονθότος μέρους, οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἅπαντας. οἱ γὰρ ἀναβιβρωσκόμενοι ψύχεσθαι μὲν ἐθέλουσιν, ὡσαύτως τοῖς ἄλλοις ἕρπησί τε καὶ ἐρυσιπέλασιν· οὐ μὴν ὅσα γε σὺν τῷ ψύχειν καὶ ὑγραίνειν φάρμακα πέφυκε ταῦτά γ' ἔτι φέρουσιν, ἀλλὰ μόνα τῶν ψυχόντων προσίενται τὰ ξηραίνειν μάλιστα δυνάμενα. quod est: Herpetes autem quantum ad totius corporis vacuationem attinet, vt erysipelata curare oportet. Quantum vero ad ipsius particulæ patienits locũ, non omnino similis cura adhibetur. Nam qui exedentes sunt, refrigerari quidem desiderant, similiter aliis herpetibus & erysipelatis. Non tamen ea ferunt medicamenta, quæ præter id quod refrigerant, etiam humectare natura apta sunt, sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiam maxime exsiccare possunt. Idem etiam confir- B mat Auicenna capite septimo, de formica corrosiua, seu herpete exedente, in eum scribit modum: » Via autem secundum quam curatur formica, est, vt quæ ex ipsa est » corrosiua, alienetur ab humectatione, quam administrasti in erysipela, humectatio » enim non est conueniens vlceribus. Item curationem erysipelatis confundit cũ curatione herpetis miliaris iis verbis: Et illud est sic, sumatur lanæ veteris adustæ non lotæ pondus drach 12. & semis, carbonis de cortice arboris pini tantudẽ, ceræ drach. 20. scoriæ plumbi drach. 11. sepi caprini veteris abluti cum aqua drach. 15. olei myrthini vncias 5. Hoc enim præsidii Paulus ad curationem herpetis miliaris vtile esse scribit libro quarto capite vigesimo sic dicẽs: Lanæ veteris illotæ circa facem tedamne adustæ drach. 12. cum dimidia, ceræ, drach. 25. recrementi plumbi, oxybaphi drac. C semissem, seui caprini curati, & aqua abluti drach. 24. olei myrthini vnc. 5. Ceterum Auicenna formicæ corrosiuæ, seu herpeti exedenti adhibet remedia, quæ ex veterũ auctoritate erysipelati debentur. Sic enim ait: Et administra in principiis eius post sicut lactucam & nenuphar, & semperuiuam, & volubilem, & portulacam. Quibus sane verbis aperte innuit, remedia refrigerantia & humectantia in principio curationis formicæ corrosiuæ competere: at non sine maximo errore, & suiipsius contradictione: nam paulo ante docuerat, quod ea quæ debetur erysipelati humectatio, in curanda formica corrosiua, seu herpete exedente sit fugienda. Quod D autem prædicta medicamento non herpeti exedenti, sed erysipelati conueniant, confirmant ea quæ scribit Gal. *lib. 2. ad Glauconem*, sic de herpetis curatione scribens: μὴ τοίνυν μήτε θριδακίνην αὐτοῖς, μήτε πολύγονον, μήτε τὸν ἀπὸ τῶν τελμάτων φακὸν, ἢ τὸν ἕλειον λωτὸν, ἢ ἀνθύλλιον, ἢ ψύλλιον, ἢ ἀνδράχνην, ἢ σέριν, ἢ ἀείζωον, ἤ τι τῶν οὕτως ὑγραίνειν τε καὶ ψύχειν δυναμένων προσφέρειν, ἃ τοῖς ἐρυσιπέλασιν ἦν οἰκεῖα. Id est: Non igitur vel lactucam, vel polygonum, neque ex stagnis lentem, aut palustrem lotum, vel anthyllion, vel psyllium, vel portulacam, vel serim, vel semperuiuũ, vel tale aliquid q, humectare atq; refrigerare possit apponendũ, quæ erysipelatibus erant opportuna. Itaq; ex iam dictis satis constat Auicennã erysipelas pro formica seu herpete, & è regione formicam pro erysipelate, non sine multa confusione accepisse: siquidẽ quæ erant erysipelatis remedia refrigerantia & humectãtia, ea formicæ corrosiuæ adaptauit: quæ vero formicæ competebant, exsiccantia nimirum, hæc ad E erysipelas retulit. Tantus vbiq; confusionis magister Auicenna. Cæterum iam non semel, sed iterum atq; iterum monuimus formicã corrosiuam apud Auicennam ab herpete exedente nihil differre, id enim vtriusq; curatio satis monstrat. Auicenna tamen, & alii quidã Arabes, formicæ nomine mirum abusi sunt, nam non tantum herpetes hoc nomine, sed & myrmecias, natura multũ differentes, appellarunt, cũ tamẽ μυρμηκία proprie Latinis formica sit. Ita enim vocata est, quod in scalpendo & attritu mordentis formicæ sensum faciat. Testis est Paulus Ægin. *lib. 4. cap. 15.* Quod autem Auic. sub formica non solum herpetas, sed & myrmecias complexus sit, argumento sunt verba eius, quæ cap. 7. de cura formicæ seu herpetis scribit in hunc modum: *Et Galenus quidem dixit esse conueniens vt sumatur aliquid sicut embuba, & ex extremitate pennæ,* F *aut alterius rei cuius extremitas sit acuta, quam possibile sit deglutire formicam: deinde penetret in circuitu eius vsque ad profundum cum acuitate sua, deinde eradicentur formicæ, cum radice sua.* Quod certe remedii nullo herpetum, Galeno teste, sed myrmeciis potius debetur. Is enim *libro 14. therap. method. de curatione myrmeciarum* sic scribit:

Auic. erysipelæ curationem cõfundit cum herpetis miliaris.

ὡσαύτως

A ὡσαύτως δὲ καὶ διά τινος ἰσχυροῦ πτεροῦ περιτιθεμένου κυκλοτερῶς τῇ μυρμηκίᾳ ποιούμεθα τὴν ἄρσιν αὐτῆς. χρὴ δὲ σύμμετρον ἔχειν δηλονότι τὴν ἑαυτοῦ κενὴν σύριγγα τὸ πτερὸν τῷ πάχει μυρμηκίας, ἵνα τε πανταχόθεν αὐτὴν ἀκριβῶς σφίγγῃ. κἄπειτα περιστρέψαι μετὰ τοῦ κάτω βιάζεσθαι, ταχιστά τε γὰρ ἂν οὕτω καὶ σὺν αὐτῇ ῥίζῃ τὴν μυρμηκίαν ὅλην ἐκβάλλεις. ꝙ est: *Aeque autem & valente aliqua penna circulo myrmeciæ imposita, ipsam educimus. Debet porro pennæ fistula esse myrmeciæ crassitudini par, vt eam vndique prorsus constringat, quæ postea circumacta, ac simul deorsum impulsa, celerrime ita myrmeciam cum ipsa radice totam educet.* Hunc sane modum curandi myrmecias ipsemet etiam Auic. docet *Fen. 7. Can. 4. tract. 3. cap. 13.* nec tamen ad Gal. auctoré refert. Sed sic solet Galenum citare Auicen. vt illum, vbi maxime opus sit, prætermittat, vbi vero reticere, citet. Neq; mirum, eiusmodi n. fere omnia sunt placita Auicennæ, vt in his fides desideretur. Porro nõ minorem nobis in pruna seu igne
B Persico confusionem peperit Auic. neq; n. quid sit ignis Persicus, aut qua ex caussa procreatus, ex illius scriptis satis sciri potest. Interdum namq; illum ex sanguine crasso & melancholico generari scribit, *vt Fen. 3. Can. 4. tract. 1. cap. 1.* vbi sic ait: *At v. a sanguine crasso malo fiunt species exiturarum malarum: nam si eius malitia vehemens fuerit & ipsius adustio, proueniet erysipela, & eueniet combustio & crusta, & deterior est ignis Persicus.* Aliquando ex bile flaua originem ducere insinuat, *vt capite 16.* vbi ita de curatione prunæ scribit: *Necessaria est phlebotomia, vt euacuetur sanguis cholericus.* Per id enim, ꝙ ait, sanguis cholericus, latẽter innuit, prunæ caussam esse bilem flauam. Ad hæc ignẽ Persicum nunc idem morbi genus, vt sane est, cum pruna facit, veluti Fen. 3. Can. 4. tract. 1. cap. 9. vbi in hunc modum scribit: *Hæc duo nomina absoluta sunt super omnem pustulam corrosiuam, vesicantem, adurentem,*
C *facientem accidere escharam, qualẽ facit accidere combustio & cauterium.* Interdum autẽ diuersum etiam a pruna esse tradit, vt facit capite eodẽ, dum ita inquit: *Ignis Persicus vehemẽtius cholericus, & pruna vehementius melancholica.* Nonnunq̃ etiam ipsum ad formicã corrosiuã transfert, sicut cum eodem loco ait: *Et quandoq; absoluitur nomẽ ignis Persici de illis, super quod est illic pustula de genere formicæ, comestiua adurens, vesicans, in qua est aliquid ambulans.* Interdũ vero cum formica miliari confundit, veluti cum capite iam citato sic inquit: *Et quandoq; sunt cum formica speciebus & miliaris malæ febres vehementis caliditatis perniciosæ.* Quib. verbis satis indicat, iuxta suam sentẽtiam ignem Persicum & formicã miliarẽ parum aut nihil differre. Proinde parum referre existimat, vtrũ ignis Persici vel formicæ miliaris signa manifestet. Euidentissimum itaq; ignẽ Persicum Auic. nõ satis cognitum fuisse, neq; n.
D alias tã ambigua de illo scripsisset. Id quod probe expendãt cupio nostri seculi Medici, vt tandem intelligere possint, quantum in Auic. libris sit tenebrarum, quantæ etiam nõ admodum eruditis errandi illic occasiones occurrãt: vix enim pagina, in qua homo hic sibi recte constet, & non ex diametro pugnantia scribat, vt hoc nomine mirari satis non queam, qui factum sit, vt illum anteactæ ætatis Medici principem suum statuerint. Atqui conueniebat forte, vt cœcis militibus dux cæcus obtingeret.

Auicennam perperam omnibus Bubonibus indiscriminatim remedia reprimentia adhibere, cum ijs tantum qui ab humoribus non malignis ortum habent, conueniant.

Cap. XX.

E NE ex ignotis sermo noster procedat, animaduertendum Althohoin Auicennę esse id, quod Græcis βουβὼν dicitur, id ꝙ in primis testantur verba eiusdem, quæ scribit *Fen. 3. Can. 4. tract. 1. cap. 17.* ita dicens: *Antiquissimi antiquorum nominauerunt eam nomine, quod translatum est in Arabico Althohoin, omne apostema exsistens in membris glandinosæ carnis, aut albi.* Quemadmodum n. Auic. althohoin glandularum esse phlegmonem docet, ita etiã Gal. *l. 2. ad Glau.* bubonem, sic nimirum inquiens. ἔστι γὰρ ὁ μὲν βουβὼν καὶ τὸ φῦμα, καὶ τὸ φύγεθλον ἀδένων παθήματα, βουβὼν μὲν ἡ φλεγμονή. quod est: *Sunt quidem bubon, phyma, & phygethlon, glandularum seu partium laxarum vitia. Bubo sane phlegmone.* Quin etiã Paulus *lib. 4. capite 22.* scribit, *bubonem glandularum adenumq; vitium esse.* Constat autem antiquos Græcos, omnium
F generum præter naturam tumores in quacunq; corporis parte factos bubones vocasse. Paulatim deinde ad certa aliqua genera contracta vox fuit, priuatimq; dicti bubones, qui aut offensa ꝓpinqua parte, aut vlceribus aliis, aut doloribus, sine periculo in glandulis excitant, aut qui in febribus pestilẽtibus præsenti periculo in inguinibus, alis, colloq; ingruere solẽt. Cũ itaq; satis ex iam dictis manifestum sit *Althohoin* Auic. nihil aliud esse,

Althohoin quid.

βουβὼν quid.

nisi id, quod Græci bubonē nominant, certum est, eundem errare cum *cap. 18.* iam citati A
loci, vbi de curatione pestilentialium bubonum agit: sequenti enim capite, cuius titulus est, *de apostematibus accidentibus in glandulis*, tradit curam bubonum non pestilentialium, sic scribens: *Althohoin vero ipsum & quod currit cursu eius de eis, quæ nominata sunt, curetur in principio cum eis, quæ constringunt & infrigidant cum spongia infusa in aqua & aceto, aut in oleo rosarum, aut oleo de pomis, & arbore masticis, aut oleo de myrtho, ista fiunt in principio.* Paulus siquidem multo aliter, quam Auicenna, iuxta duplicem bubonem, suam curationem distinxit. In primo enim, qui ex humoribus non malignis oritur, refrigerantibus atque adstringentibus medicamentis vtitur. In secundo vero, in quo humores venenati sunt, refrigerantibus & reprimentia remedia plane negligit. Sed verba B
eius subiiciamus: *Verum priores bubones inter initia statim, quemadmodum quæuis phlegmone, præsidiis refrigerantibus & adstringentibus auertuntur, veluti spongia ex posca imposita, vel lana ex vino, & oleo acerbo, vel rosacco, vel melino, vel lentiscino, vel myrthino imbuta.* Porro in febribus, vel in humorum malignitate, auersanda ac fugienda sunt, refrigerantia & reprimentia, ne rursus retrusa in profundum descendat materia, sed a discutiendi facultate præditis confestim auspicandum est. Sic Galenus *libro 14. ther. meth.* vbi carbunculi curationem tradit, refrigerantia & valde reprimentia cauenda esse monet. ἐπεὶ δὲ τοῦ πεπονθότος μέρους ὅσον μὲν ἐπὶ τῇ φλογώσει τῶν χυμῶν, τῶν ψυχόντων ἐστὶ χρεία. διὰ δὲ τὸ πάχος τοῦ χυμοῦ, καὶ μέντοι καὶ τὴν κακοήθειαν, οὔτ᾽ ἀποτρέψεις ποτὲ τὸ ῥεῦμα. καὶ εἰ τοῦτο ποτὲ τύχοις, ἑτέρωθι ἐν τῷ βάθει βλάψεις. quod ē: *Imponi autem sibi laborans particula, quod ad inflammationem spectat refrigerantia desiderat. Ceterum propter humoris crassitudinem, atque etiam malitiam, nec fluxionem auertere poteris. Et si quando id feceris, aliud quippiam, quod in alto sit corpore offendes.* Ita & nostræ ætatis Medici in vniuersum omnes bubonibus pestiferis nullo pacto refrigerantia reprimentiaque medicamenta, sed calida potius & digerentia discutientiave adhibent, intelligentes contrariis præsidiis ad interiora penitus humorum impetum verti. Mirum igitur est, cur Auicen. præceptum id quod *Fen. 1. Can. 1. doct. 1. cap. 1.* inculcat, neglexerit, quo monet, omnibus phlegmonibus adhibenda esse ab initio quæ refrigerare atque reprimere possint medicamenta, demtis iis, quæ sunt de materiis, ita enim loquitur, quas principalia membra expellunt. Quis est autem qui nesciat bubones pestilentes a membris D
principatum in corpore habentibus emergere? Neque enim temere Hippoc. *2. part. 6. epid. 4.* ait: αἱ ἀποστάσιες, οἷον βουβῶνες, σημεῖον μὲν τῶν τὰ βλαστήματα ἐχόντων. hoc est: *Abscessus, veluti bubones, signa sunt eorum membrorum a quibus suppullulant.* Siquidem qui a cerebro emergunt, in collo apparent, qui vero a corde, sub alis, quemadmodum ii qui ab hepate, in inguinibus. Proinde nunquam his reprimentia ac refrigerantia medicamenta adaptare licebit, quod alias ad ea membra, quæ in alto sunt constituta, quæque principatum gerunt in corpore, humores maligni detrudantur, quod non sine magno ægri periculo, imo certissima morte fieri solet. Hinc iterum satis liquet, Auicennam sua fere omnia vtcunque sine omni iudicio & delectu corrasisse, quando omnibus ex iam dictis constet, ea remedia, quæ bubonibus a non malignis humoribus ortis debentur, pestiferis adhibuisse, adeo vt eius Canon merito confusissimum chaos dici possit. E

Cœnam non in vniuersum, vt fere omnes nostræ ætatis Medici docent, prandio minorem esse debere, sed vt plurimum pleniorem.

Cap. XXI.

NEmo est, qui hodie medendi methodum præscribentium libros vel a limine salutauit, qui nesciat vulgatum atque tritum hoc illis esse decretum, vt nunquam non prandio cœna minor sit. Quantum vero aberrent, facile deprehendet qui rem altius expendet. Cœnam enim in omnibus, demtis iis, qui morbis nocturnis & catarrhis F
seu destillationibus affliguntur, prandio pleniorem esse conuenit. Qui enim iam nominatis corripiuntur morbis, horum cœna omnino modica sit, tenuis, sicca, ac præter aliorum morem, noctemque præueniens oportet, vt ingruentibus scilicet morbis, natura ab omnibus aliis muniis libera, vnius morbi concoctioni operam nauare queat. Sunt & qui consueuerunt minus in cœna ciborum assumere, quam in prandio, horum certe

A certe consuetudo non temere etiam immutanda erit. τὰ γὰρ ἐκ πολλοῦ χρόνου συνήθεα, *vt ait Hippocr. 2. Apho. 50.* κἂν ᾖ χείρω τῶν ἀσυνήθων ἧσσον ἐνοχλεῖν εἴωθε. hoc est: *Quæ enim ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solēt.* Cur autem in aliis omnibus plenior cœna salubrior sit, multa in caussa sunt. Primum autem omnium noctis mox accedens frigiditas, quæ extrinsecus circumstans calorem natiuum in profundum secedere, & hoc nomine fortiorem fieri cogit, ita vt necessario ciborum tum melior fiat concoctio. Et certe idem potest noctis frigiditas, quod alias anni tempus hybernum, aut regio frigida potest. Horum enim vnumquodque calorem natiuum adaugere potis est. Testis Hip. qui *l. 6. epid. to. 6.* sic inq̃t, ὁ ἐν ψυχρότερος ἐν ψύχει ὥρῃ καὶ χώρῃ ἐνθερμότερος ἔσται. quod est: *Perfrigidior in tempore, & regione frigidis, percalidior erit.* In 1. aph. 15. quoque ventres hyeme B & vere natura calidissimos esse asserit. Deinceps est somnus, qui cœnam subsequitur, hic enim mirum in modum concoctionem adiuuat, τὸ δὲ αἷμα ἐν ὕπνῳ εἴσω μᾶλλον φεύγει, *vt testatur Hipp. 6. epid. tom. 5. aph. 29.* id est: *Sanguis enim in somno ad interiora magis refugit.* Cum itaque sanguis, cumque eo calor natiuus per somnum ad interiora secedat, quid mirum si calor auctus fortiorem concoctionem ciborũ efficiat? Hinc rectissime Hip. *lib. 6. epid. to. 5. aph. 10.* dixit: πόνος τοῖσιν ἄρθροισι καὶ σαρξὶ, σῖτος, ὕπνος σπλάγχνοισι. hoc est: *Labor articulis & carnibus, cibus vero ac somnus visceribus prodest.* Somnum quoque optime cibum concoquere testatur Galenus *libro primo de Sympt. caussis* ita scribens: ἔοικεν οὖν ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ παντὶ τῷ κατὰ τὸν ὕπνον ἀναπαύεσθαι μὲν ἡ ψυχικὴ δύναμις, ἐνεργεῖν δὲ ἰσχυρότερον ἡ φυσική. τεκμαίροιο δ' ἄν τις τῷ κεκμηκυῖαν αὐτὴν ὑπνωσάντων ἀναῤῥώννυσθαι, καὶ μάλισθ' ὅταν ἐπὶ τροφῇ συμμέτρῳ κοιμηθῶμεν, ἔτι τε ἐπὶ τῷ πέττεσθαι τὴν τροφὴν ὑπνούντων κάλλιστα καθ' ὅλον τοῦ ζώου τὸν ὄγκον, οὐκ ἐν γαστρὶ μόνον. quod est: *Itaq; toto hoc tempore quo* C *quis dormit, animalis facultas quiescere, naturalis vero validius agere videtur. Cuius rei coniecturam ex eo facies, tum quod ipsa si quando laborauerit, post somnum robustior euadit, idq; maxime, cum a modico cibo somnum admittimus, tum etiam quod per somnum cibus optime concoquitur, non solum in ventriculo, verumetiam per vniuersi corporis habitum.* Cui subscribit quoque Paulus Æg. *lib. 1. cap. 97.* dicens: *Somnus est animalium facultatum quies, ab vtili humore cerebrum madefaciente proueniens: hunc qui rite capessit, multa consequuntur commoda, cibos enim conficit, humores digerit.* Quod autem hac ratione plenior cœna esse debeat, testatur Gal. vel quisquis tandem eius libri auctor fuit, *in lib. de dissolutione continua*, in hanc sententiam scribens: *Antiqui cœnam prandio præferebant, præcipientes plus ciborum in cœna sumēdum esse, ob caloris circa interiora aggregationem noctis frigiditate, & per somnum factam. Calor namque in* D *somno ad interiora corporis reuocatur, eademque calefacit, perinde vt in vigilia contrarium plane accidit.* Id quod Hippocrates etiam *epid. 6. tom. 4. aph. 12.* iis verbis indicauit: ἐμφανέως ἐγρηγορὼς θερμότερος τὰ ἔξω, τὰ ἔσω δὲ ψυχρότερος, καθεύδων τὰ ἐναντία. quod est: *Plane vigilans calidior circa exteriora, frigidior vero circa interiora. Dormiens contra.* In cuius aphorismi explicatione nonnulla etiam in nostris commētariis produximus, quæ ad institutum facere possunt. Sed hic reclamabunt quidam, plenioremque cœnam ideo damnabunt, quod pleno ventriculo ingrata sit quies, atque adeo somnus minus conueniens. His ita responsum volo: *Nemo est tam sine sensu communi, qui nesciat inter cœnam & somnum aliquid temporis interuenire debere, neque quemadmodum in brutis, nullam aliam nisi vorandi ac mox dormiendi vicissitudinem esse, quum omnium Medicorum consensu consultum sit, vt inter cœnam & somnum aut* E *hora aut amplius intersit.* Neque etiam est, vt pleniorem cœnam quis eam esse putet, quã multa ingeruntur tanta voracitate, vt vix spirare liceat; & periculum sit, ne vel crepant, qui ita sese replent, sed frugalem potius, talem tamen, in qua plus quam in prandio absumitur ciborum. Quod si tamen hic parum peccatum fuerit, melius certe id quod admissum est in cœna, quam in prandio fertur, quod somnus post cœnam non diu subsequens, facilius delictum quam vigilia quæ prandium concomitatur, corrigat. In somno enim, vt diximus, calor interiora petit, & quæ illic sunt, cibis concoquendis solis vacat. Interdiu vero ad exteriora protrahitur; neque iis quæ intus sunt prospicere potest, adeo vt verissime dixerit Hippocrates 2. vict. acut. 59. ἀγρυπνίη ἰσχυρὴ πόμα καὶ σιτία ὠμὰ καὶ ἀπεπτότερα ποιέει. F hoc est: *Vigilia vehemens cruditatem incoctionemque ciborum tum potionis efficit.* Porro cur cœnam prandio plenior ē esse oporteat & hæc ratio est, quod rara admodum exsistat corporis facultas, quæ paulo liberalius prandium spatio vel quinque vel sex horarũ, quod fere inter prandium & cœnam interest, conficere possit. Quantũ autem incommodi adfert, si quis nondum plane concocto eo, quod prius ingestum fuit, aliud ingerat

Quare cœna prandio plenior esse debeat.

Somnus cibum concoquit.

Plenior cœna quæ.

hinc manifestum est: morbum enim facit ὅκου ἂν γὰρ τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων, vt ait Hipp. 2. aph. 17. εἰσέλθῃ τοῦτο νόσον ποιεῖ. id est: *Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit.* Et si quis denuo obiecerit, vtcunq; somnum a cœna differamus, tamē quando fieri nō possit, quin ad somnū cōuersis, q̄ materia tū ad interiora tēdat, caput impleat: huic Gal. quidē respōdebit, qui *lib. 4. aph. 67.* ita scribit. καὶ μέντοι καὶ ὥσπερ ἐπὶ τῇ τροφῇ κατενεχθέντες εἰς ὕπνον πληροῦνται τὴν κεφαλὴν, οὕτω κἂν ταῖς πληθωρικαῖς διαθέσεσιν οἱ ὕπνοι πληροῦντες αὐτὴν βαρύνουσι τὸν ἐγκέφαλον. καὶ οἱ ὕπνοι δὲ δηλονότι διὰ παντὸς ἂν ἔβλαπτον, ὅσον ἐπὶ τὸ συρρεῖν εἰς τὸ βάθος τε καὶ τὰ σπλάγχνα τὴν ὕλην, εἰ μὴ τῷ τῆς πέψεως λόγῳ πλέον εἶχε τὸ τῆς ὠφελείας, ὑπὲρ τὸ τῆς βλάβης ἐστὶν ἐκ τῆς ἔσω ῥοπῆς. hoc ē: *Et quidē sicuti a cibo ad somnū cōuersis impletur caput, sic in plethoricis affectib. somni ipsum replētes aggrauāt cerebrū. Et somni videlicet semper nocerēt, quatenus ad p̄fundū & viscera materia cōfluit, nisi coctionis ratione plus afferrent vtilitatis, quam sit damnum, quod ex motu ad interiora consequitur.* Et hæc ad vulgarem multisque communem errorem explodendum sufficiant, quod alibi plura etiam ea de re dixerimus. A B

Pultem ex auena confectam, non sine magno errore & periculo ægri, a nostræ ætatis Medicis febricitantibus, ac alijs eiusmodi morbis correptis, exhiberi.

Cap. XXII.

Auenatum. Confectam ex auena pultem, *auenatum* hodie passim nominant, non tantum in febribus, sed omnibus ferme morbis a nostrę tempestatis medicis dari notius est, quā vt multis demonstrari debeat: nihil enim æque in ore habent, atq; hoc, detur illi auenatum, cui parum aceti commixtum sit. Et dispeream si hodie in albo Medicorum esse reputetur, qui non mox ascitus ad ægrum auenæ pultem comedendā præscribat, præsertim si febrib. eiusmodi æger correptus fuerit. Quantū a. a recta victus ratione, atq; adeo medendi methodo aberrent, facile iudicabūt, qui auenæ tēperamentum atq; facultatē expenderint. Quod enim ad temperamēti rationē attinet, euidentissimū est eius pultis esum febricitantibus non competere: iis enim Hippocrate teste. *1. aph. 16.* victus humidus confert: auena vero non tantum sicca, sed calida quoq; exsistit, adeo vt hoc nomine veteres eius pulte ad cohibendam aluum etiam vsi sint. Testis est Diosc. qui *li. 2. cap. 104.* ita scribit: πόλτος δὲ ἐκ τοῦ βρώμου γίνεται σταλτικὸς κοιλίας, i. *Ex pulte auenæ aluus sistitur.* Cui subscribit Paulus Ægineta *li. 1. ca. 79.* iis verbis: *Auena calida est, & siccandi vim habet, exiguiq; alimenti est.* Et lib. 7. in hunc modum: *Auena similem hordeo vim obtinet, desiccat autē; & mediocriter sine mordicatione digerit. Adstringit quoq; nonnihil, quo fit, vt ventris diarrhœas persanet.* Quæ sane verba desumta sunt ex *libro sexto Gal. de simp. med. fac.* vbi ita scribit: βρῶμός ἐστι μὲν ἕν τι τῶν ὀσπρείων, ἀλλ' ὡς φάρμακον ὁμοίαν ἔχει δύναμιν κριθῇ. καταπλασσόμενον γὰρ ξηραίνει καὶ διαφορεῖ μετρίως καὶ ἀδήκτως. ἔστι δὲ καὶ θερμότερον ἀτρέμα τῇ κράσει, καὶ τι καὶ στύψεως ἔχον, ὥς τε καὶ τὰς κατὰ γαστέρα διαῤῥοίας ὠφελεῖν. hoc est: *Auena vnum ex leguminibus est, verum vt medicamentum similem hordeo vim habet. Nam illitum desiccat & digerit mediocriter, & sine morsu. Temperiem autem habet paulo calidiorem, ac nonnihil adstrictionis obtinet, vt ventris profluuia iuuet.* Calefacere etiam auenam *in libro primo de aliment. facultatib.* Galenus testatur in hunc modum, περὶ βρώμου scribens: τοῦτο τὸ σπέρμα πλεῖστόν ἐστιν ἐν ἀσίᾳ καὶ μάλιστα κατὰ τὴν ὑπερκειμένην περγάμου μυσίαν, ἔνθα καὶ τίφαι καὶ ὄλυραι πάμπολλαι γίγνονται. τροφὴ δ' ἐστὶν ὑποζυγίων, οὐκ ἀνθρώπων, εἰ μὴ ποτὲ ἄρα λιμώττοντες ἐσχάτως ἀναγκασθεῖεν ἐκ τούτου τοῦ σπέρματος ἀρτοποιεῖσθαι. θερμότητος δ' ἱκανῶς μετέχει καὶ τροφὴν ἐλάττονα παρέχει τῷ σώματι. quod est: *Hoc semen in Asia perfrequēs est, & potissimum in Mysia quæ Pergamo superiacet, vbi & typhæ & olyræ vberrimus est prouentus. Iumentorū magis pabulum quā hominū, nisi vtiq; aliquando extrema fames hoc quoq; seminis in panes corrogare cōpellat. Multū calefacit, & minus quoq; corpus enutrit.* Ex quibus omnib. satis liquet, auenam febricitantibus nullo pacto cōuenire, primum quod calefaciat, deinceps a. q̄ ventrē cohibeat, quādo nihil æque illis obsit, ac nō semper apertam habere aluum. Quid multa? cum contraria contrariis curentur, non potest febricitantibus exhiberi commode puls auenæ, quod illa scilicet calida & sicca sit, atque adeo febris naturæ persimilis. Et quid opus est eiusmodi legumine ægros in cibo vti, quum, *Galen. teste*, iumētorum magis pabulū, quam hominum exsistat. Plinius quoq; scribit *li. 18. ca. 17.* quod frumenti vitium sit, ideoq; latenter Germaniæ populos notat, ac de barbarie incusat, quod auenę pultem edant, neq; alia pultę viuant. Hinc antiqui tantum extrinsecus eius farinam aut panem illinebant, & rarissime nisi ad sistendam aluum intra corpus adhibebāt. C D E F

Auenæ tēperamentū.

Auena febricitantibus non cōuenit.

Id

A Id quod ex antea dictis abunde intelligi potest, & ex *cap. 25. lib. 22.* Plinii, vbi illius meminit prolixius. Sed tanta est hodie medicorum inscitia, imo cœcitas, vt nihil horum animaduertant.

LIBRI SECVNDI FINIS.

LEONHARTI FVCHSII PARADOXORVM MEDICINÆ, LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.

B *QVanto olim in honore habita sit anatome, vel hinc satis liquet, quod illam clarissimi quique non modo philosophi aut Medici, sed & patritij etiam, & primæ notæ viri, magna industria cognoscere studuerint. Testes sunt locupletissimi Flauius Boethus Romanorum consul, qui, vt Galenus libro primo anatomicarum administrationum scribit, tam anatomicæ speculationis amore flagrabat, quam mortalium, qui vixerunt vnquam, nemo alius: in cuius etiam gratiam libros iam dictos Galenus composuit. Sergius denique Paulus Romanorum præfectus, vir, vt ait Galenus, tum rebus, tum disciplinis philosophicis per omnia præcipuus, anatomen haud minori quam Boethus studio vt exacte perdisceret ambiuit, neque non raro, vbi consectiones ostenderet Galenus, adfuit. Quo autem illam studio sectati fuerint Philosophi, vel vnus Plato, inter hos facile princeps, qui in Timæo nihil maiori studio agit, quam vt* Anatomes laus.
C *singulas corporis partes explicet: & post eum eius discipulus, quanquam mirifice in ipsum ingratus, etiam Aristoteles satis monstrare potest, quem libro primo de historia animalium humani corporis partes, earumque nomina docere simul & scribere non puduit. Cum itaque tot viri & rebus bellicis, & doctrina celebres, anatomes amore & immensa eiusdem vtilitate compulsi quaslibet corporis partes tanta diligentia agnoscere conati sint, quanto magis medicis laborandum erit, vt hanc partem medicinæ recte perdiscant, quæ ad accuratam artis cognitionem nihil est quod æque conducere possit. Hæc enim singularum partium situm, figuram, magnitudinem, vsum, colorem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, contactum, processus deinde singulorum, & recessus, & siue quid inseritur alteri, siue quid partem alterius in se recipit, perdocet. Neque enim cum dolor intus incidit, scire quid doleat eum, qui qua parte quodque viscus intestinumve situm sit, non cognouerit, possibile est. Ne-*
D *que curari id quod ægrum est potest ab eo, qui quid sit ignorat. Et cum per vulnus alicuius viscera patefacta sunt, eum, qui sanæ cuiusquam partis fabricam & constitutionem haud nouit, quid integrum, quid corruptum sit nesciat oportet. Præterea quomodo tela extrahemus, continuata diuidemus, putrifica vitia & abscessus secemus, si vbi neruus aut musculus insignis situs sit, vbi arteria aut vena grandior, ignoremus? Hinc vere in arte medica cap. 74. Galenus dixit:* δῆλον ὡς ἐν τοῖς ἀδήλοις τῇ αἰσθήσει μεγάλα συντελεῖ πρὸς διάγνωσιν ἥ τε τῶν ἐξ ἀνατομῆς φαινομένων γνῶσις, ἥ τε τῶν ἐνεργειῶν τε καὶ τῶν χρειῶν εὕρεσις. ὅς τις οὖν διαγνωστικὸς εἶναι βούλεται τῶν ὡς εἴρηται νῦν ἐσφαλμένων σωμάτων, ἐν ταῖς ἀνατομαῖς αὐτὸν γυμναζέσθω, κἂν ταῖς τῶν ἐνεργειῶν τε καὶ χρειῶν εὑρέσεσι. id est: *Constat quod plurimum ad eorum quæ latent sensum confert cognitionem, ea quæ ex sectionis inspectione habetur peritia, & operationem atque vsus inuentio. Quicunque igitur facultatem dignoscendi corpora lapsa consequi cupit, oportet ipsum in sectio-*
E *nibus ac operationum & vsuum inuentionibus exercitari. Quam diligenter autem hanc partem medicinæ tractauerit Galenus, tot eius ea de re conscripti libri probe testantur. Eo autem maiori studio anatome perdiscenda erit, quo plus momenti in præsagijs exacta partiũ cognitio habet. Solemus enim non raro ex ea qua in parte corporis morbus sit præsagire, quemadmodum Galenus in libris de locis laborantibus pulcre docet. Proinde si corpus cartilagineũ quod secundum asperam arteriam est, bronchion appellant, aliquando tussiendo exspuatur, maximum vlcus in pulmone esse iudicamus. Sic quoque cum intestini tunicam per dysenteriam deiectam anatomes peritus conspexerit, sitque latitudine & crassitudine ijs, quæ a tenuioribus soluuntur, multo maior, non ab re vlcerationem in crassis intestinis consistere prædixerit. Quid multis moror? anatome velut medicinæ fundamentum existit,*
F *quo sublato reliqua omnia corruere necesse est. Atque hinc est quod illam Hipp. Galenus, ac alia veterum medicorum familia tantopere excoluerint. Atqui, proh dolor, hoc seculo tanta est Medicorum socordia, imo temeritas & insania, vt hanc tanquam ad medicinæ cognitionem plane non conducentem penitus negligant atque contemnant, ita vt timor sit nonnullos etiam esse, qui principalium viscerum regionem non satis perspectam habeat. Hi autem hactenus in temporum infelicitatem, qua pauci, qui recte anatomica traderent fuerunt, culpam reijcere potuerunt: iam vero emerso Galeno*

& alijs quibusdam hunc secuti, qui anatomen exactissime conscripserunt, ac posteris legendam reliquerunt, non est, cur de eius partis ignorantia quis se excusare queat. Adigant illos ad accuratius anatomica discenda multorum etiam eruditorum virorum, hac in parte commissa errata, quorum aliqua hoc tertio libro attingimus, vt saltem ex ijs reliqua etiam expiscari discant, atque adeo alieno periculo prudētiores fiant. Id quod accidet, si non modo ex librorum lectione assidua, verumetiam sedula inspectione, & oculata fide, cuiusq; corporis humani partis speciem accurate perdidicerint. Sed de laudibus anatomes plura in nostra Epitomes de fabrica humani corporis præfatione produximus. Quam vt in singulis sequentibus paradoxis iudicandis & legendis considant studiosi hortor. In ea enim singula, quæ ad anatomen & corporis dissectionem attinent, accuratiori diligentia & copiosius tractauimus. A

Sex tantum numero esse intestina, ideoq; a Cornelio Celso, Auicenna, ac alijs quamplurimis, falso pyloron seu portonarium vulgo vocatum, inter intestina connumerari. B

Cap. I.

VT eo clarius veritatis studiosi in eum, quem diximus errorem, magni etiam nominis viros incidisse agnoscant, operæpretium me facturum arbitratus sum, si omniū eorum, præsertim qui ceteris nonnihil præstare visi sunt, verba ordine subiicerem, primumq; Celsi, qui vnus hodie inter Latinos Medicos nobis exstat, sententiam depromerem. Is *lib. 4. cap. 1.* in hunc modum de pyloro scribit: *Inde ima ventriculi pars paulūlum in dexteriorem partem cōuersa, in summum intestinum coarctatur. Hanc iuncturam* πυλωρὸν *Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes ea, quæ excreturi sumus, emittit. Ab ea ieiunum intestinum incipit.* Quibus vtiq; postremis verbis Celsus euidenter admodum innuit, pyloron esse primum intestinum, atq; adeo a duodeno nihil differre. Si enim ab ima illa parte ventriculi mox ieiunum incipit intestinum, a duodeno, quod proximum ante ieiunū est intestinum, nihil differat necesse est. Eius sententiæ fuit quoq; Auic. ipse, quemadmodum verba eius, quæ scribit *Fen. 16. Can. 3. tract. 1. cap. 1.* aperte monstrant, vbi sic ait: *Et intestinum duodenum continuatum est fundo stomachi, & habet orificium sequens stomachum, & nominatur portonarius.* Quibus verbis abunde liquet, Auicennam portonarium a duodeno non distinguere, nam ait duodenum fundo stomachi esse continuatum, ita vt iuxta huius sententiam inter stomachum & duodenum plane nihil mediet. Auicennā sequitur Valescus *lib. 4. cap. 22.* ita de intestinorum dissectione disserens: *Sunt ergo tria intestina tenuia, & ista sunt superiora. Primum vocatur portonarium siue duodenum.* Vbi Valescus quoq; idem duodenum cum portonario facit, & inter intestina connumerat. Id quod facit et Ioannes Matthæus de Gradi, *in suis super nonum Razis librum commentarijs cap. 11.* dicens: *Primum intestinum dicitur duodenum, quia est longum, extensum longitudine duodecim digitorum in transuerso, & huius intestini orificium primum terminatum ad stomachum, vt ad fundum eius, dicitur portonarium.* In quib. liquido apparet Matthęum haud aliter quam Auicen portonarium facere partem duodeni, eius scil. orificium. In eadem opinione hæret Alexan. Benedictus, Celsum in hoc, vt aliis multis, imitatus, qui *li. 2. suæ anatomes cap. 8.* ita inquit: *Huic (ieiunum intelligit) demum ea parua iunctura alligata est a media fere ventriculi parte, parum in dexteriorem partem conuersa,* πυλωρὸν *Græci vocant, quoniam portæ modo in inferiores partes, quæ excreturi sumus emittit, ceterisq; intestinis arctius. Ad hanc portam, fellis meatus pertinet vnus. Eadem de caussa hæc duodecim digitorum mensuram continet.* Ex quibus verbis bis lapsum esse Alexandrum constat. Primum quod pyloron a duodeno non distinguit, sed inter intestina connumerat. Deinceps quod pyloron nomen suum apud Græcos ideo sortitum esse asserit, quoniam portæ modo per partes inferiores ea quæ excreturi sumus, emittat. Neque enim in hunc finem intestina præsertim tenuia, a natura facta sunt, vt per ea excrementa alui inferioris emittantur, sed potius vt sint instrumēta deductionis alimēti, vel eius quod in chylon versum est in venas. Testis ē Gale. *li. 4. de vsu partiū c. 17.* sic scribens: ὅτι δὲ οὔτε τῆς τῶν περιττωμάτων εἰς τὸ πρόσω φορᾶς ἕνεκεν, οὔτε πέψεως, ἀλλὰ τὸ πᾶν εἰς τὰς φλέβας ἀναλαμβάνεσθαι τὸ κεχυλωμένον ἐν τῇ κοιλίᾳ, παρεσκεύασαι τὰ ἔντερα, μαθεῖν ἔνεστι. πρώτῳ μὲν τῷ μηδενὶ τῶν ζώων ἀπομένην αὐτὴν τῶν ὀργάνων οἷς ἀποπατεῖ κατασκευασθῆναι. καίτοι γ' οὐκ ἦν ἀδύνατον εὐθὺς εἰς τὴν ἕδραν καλουμένην τὸ κάτω πέρας αὐτῆς ἐκτετάσθαι. δευτέρῳ δὲ τῷ παμπόλλας τῶν ἐντέρων τὰς ἕλικας ἐν τοῖς πλείστοις ζώοις γενέσθαι. καὶ τρίτῳ τὸ μηδ' ἂν ἐκπεφθῆναι τῆς γαστρὸς τὴν τροφήν, εἰ μὴ τελέως πεφθῇ. τὸ μὲν δὴ μὴ συναφθῆναι ταῖς ἕδραις τῶν ζώων τὰς γαστέρας, ἐνδείκνυται σαφῶς, ἕτερον μὲν εἶναι δεῖν ὄργανον πέψεως σιτίων, ἕτερον δ' ἀναδόσεως. id est: *quod autem neq; gratia delationis superfluitatum prorsum, neque concoctionis, sed vt totum id quod in chylon succumve in ven-*

Alexandri Benedicti geminus lapsus.

C D E F

A *ventriculo versum est, in venas trãssumatur, præparata sunt intestina, hinc discere licet. Primo quidem quod in nullo animali constructus est ventriculus, ea tangens instrumenta, quibus excrementa expurgat, quamuis non erat impossibile mox ad vocatum anum finem ventriculi inferiorem extendi. Secundo autem quod permultæ intestinorum inuolutiones in plurimis animalibus factæ sunt. Tertio quod non ante emittitur de ventre cibus, quam perfecte cõcoctus sit. Hoc itaq; scilicet nõ copulari ventriculos animalium ano, indicat aperte, alterum quidem oportere esse instrumentum concoctionis, alterum autem distributionis.* Ex quibus Galeni verbis clarum est, intestinorum reuolutiones non alia caussa factas esse, nisi vt quantum alimenti concoctum est diligenter distribuatur, atq; adeo intestina non instrumenta lationis superfluitatũ, sed distributionis potius
B alimenti sunt. Rectius itaq; pylorus sic nominatus est, quod veluti ianitor quidam iustus nulli, antequam in chylum redactum sit & concoctum, concedat ad inferna transitum. Testis est Galen. qui libro iam citato in hunc modum scribit: ὅτι πρῶτον μὲν ἀτρέπτους καὶ σκληροὺς ὄγκους καὶ μεγάλους ἐνίοτε καταπίνει τὰ ζῶα, καὶ χρὴ πρὸς τὴν τούτων δίοδον εὐρεῖαν ὁδὸν τετμῆσθαι τὴν διὰ τοῦ στομάχου. κάτωθεν δ' ἔμπαλιν οὐδὲν χρὴ περιέναι μέγα καὶ σκληρὸν, καὶ ἀχύλωτον, καὶ ἄπεπτον, ἀλλ' οἷον πυλωρός τις δίκαιος ἡ στενότης ἐστὶ τούτου τοῦ πόρου, μηδενὶ πρὶν χυλωθῆναί τε καὶ πεφθῆναι συγχωροῦσα παρέρχεσθαι ῥαδίως κάτω. quod ẽ: *Quia moles non tritas, & duras, magnasq; aliquando deglutit animal, ad harum ingressum amplam viam præparari eam quæ per os ventriculi oportet. Inferne vero econtrario nullum oportet transire magnũ, durum, non versum in chylum, sed velut ianitor quidam iustus est huius pori angustia, nulli antequã in chylum redactum sit & concoctum, concedens facilem ad inferna transitum.* Ex quibus clarum fit, chylum iam probe concoctũ per pyloron ad inferiora intestina non ideo diduci, vt
C excernatur, sed potius vt intra corpus per intestinorum reuolutiones diutius detineat, vt tandem ex eo quæuis membra alimentum suum habere possint. Ceterum pylorum seu portonarium barbaris dictum non esse intestinum atq; adeo cum duodeno eundẽ, sed ab illo potius segregatum, testatur Galenus *libro septimo anat. administr.* ita scribens: ἀπὸ μὲν τοῦ κυρτοῦ τῆς γαστρὸς αὖθις ἀρχόμενος ἄχρι τοῦ πυλωροῦ τε καὶ τῆς τῶν ἐντέρων γενέσεως. id est: *A gibbo ventriculi iterum incipiens vsq; ad imam ipsius partem, quam Græci* πυλωρὸν *vocant, & intestinorum originem.* Quibus verbis satis innuit pyloron non esse in numero intestinorum, sed ab eo intestina suam habere originem, ita vt illico post pylorum primum intestinorum quod *duodenum* dicitur, incipiat. Est itaq; duodenum non pars pylori seu fundi ventris, sed aliquid aliud huic connexum. Id quod Galenus etiam confirmat, qui *lib. 4. de vsu partium*
D sic scribit: τὸ κατὰ βραχὺ μὲν ἀπὸ τῆς τοῦ στομάχου καταφύσεως ἀνευρύνεσθαι σαφῶς αὐτοῦ τοῦ φαινομένου διδάσκοντος μέρος τι πρόμηκες ἀποτεταμένον αὐτῆς ὑπάρχειν τὸν οἰσοφάγον. οὐ κατὰ βραχὺ δὲ ἀλλ' ἀθρόως ἐκ τοῦ πυθμένος ἐμφύεσθαι τὸ ἔντερον, ὡς ἂν οὐκ αὐτοῦ σώματος τῆς κοιλίας μόριον ὑπάρχον ἀλλ' ἕτερόν τι συμφυὲς αὐτῇ. hoc est: *Ex eo quidem quod paulatim ab oris ventriculi explantatione amplificatur, aperte res ipsa apparens docet, partem ventriculi aliquam prælongam supertensam exsistere æsophagum: Ex eo autem quod non paulatim, sed repente simul ex fundo ventris explantatur intestinum, non exsistere partem corporis ipsius ventriculi, sed aliquid aliud connexum ei, declaratur.* Nec alia ratione duodenum alio nomine ἔκφυσιν, id est, *exortum* nominauerunt, nisi quod ex pyloro oriatur. Et Galenus loco iam citato duodenum inter ieiunum intestinum, & fundum ventriculi seu pylorum situm esse scribit. Id quod & in lib. 2. de temperamentis facit, vbi sic ait: ὁ πόρος τὴν χολὴν εἰς τὴν γαστέρα τὸ ἧπαρ ἐξερεύγεται, τοῖς μὲν διπλοῦς ἐστι, τοῖς δὲ ἁπλοῦς. τὰ πολλὰ μὲν οὖν ὁ ἁπλοῦς ἐστιν, εἰς τὰ μεταξὺ πυλωροῦ
E τε καὶ νήστεως ἐμφυόμενος, ὃ δὴ γαστρὸς ἔκφυσιν ὀνομάζουσιν. quod est: *Meatus per quem iecur bilem euomit in ventriculum, aliis geminus est, aliis vnicus. Ac plurimũ quidẽ vnicus is est in id intestinum, quod exitus fundi ventriculi, & ieiuni medium est, insertus, quod quasi ex ventriculo exortum vocant.* Galenum ita sentire testatur et Cælius *lib. antiq. lect. 2. ca. 44.* in hunc modum scribens: *Sciendum a Galeno pylorum seu portonarium, vt recentiores vocant, inter gracilia non numerari intestina, sed ex illis primum vocat Galenus* ἔκφυσιν, id est: *exortum, quia ex pyloro primũ exoriatur, aut dodecadactylon, seu, vt nunc dicimus, duodenum, a digitorum mensu duodecim. Omninoq; pylorum in imo stomacho foramen accipit, cui primũ adnectitur intestinum.* Ex quib. omnib. dilucidum fit, pyloron a duodeno plane diuersum esse ac ventriculi & minime intestinorum
F esse partem. Ipsemet etiã Auicena vbi supra sex numero esse intestina ait, *primũ duodenũ, secundum ieiunum, & deinceps reliqua commemorans,* portonarium illis non annumerat. At qui dicet forsitan quispiam, *quid conducit scire a duodeno differre portonarium? videtur cõtentio esse de nomine tantum, nihil frugis adferens.* Huic responsum volo, non inutile esse scire a duodeno differre pyloron, nam ita rectius theorema de bilis ad intestina meatu tractari ac intelligi potest, vt sequenti capite patebit.

Duodenũ intestinũ.

Obiectio diluitur.

Biliosam superfluitatem non ad ieiunum intestinum, quemadmodum Auic. putauit, neque ad pyloron, vt alij quidam opinantur, sed ad duodenum potius confluere. A

Cap. II.

Auicennæ de bilis meatu erronea sententia.

AVicenna *Fen. 16. Can. 3. tract. 1. cap. 1.* de ieiuni intestini dissectione ita scribit: *Et portio alia abluitur ab eo ad illud quod est sub eo de intestinis, quoniam cholera citrana venit ex felle ad hoc intestinum, & est pura non permixta, quare est fortitudo ablutionis vehementer commouens virtutem expulsiuam cum mordicatione, propterea quod lauat & adiuuat ad expellendum ad inferiora per hoc quod commouet expulsiuam.* Quibus vtique verbis Auicenna satis innuit meatum illum, qui a vesica fellis biliosam ad intestina superfluitatem defert, ieiuno implantatum a natura esse intestino. Quam sententiam Valescus etiam sequitur, qui *lib. 5. ca. 1.* B ita scribit: *Cistis fellis habet duos poros, vnus illorum dirigitur ad medium hepatis, & alius dirigitur ad fundum stomachi. Et ab isto vnus ramus descendens diuiditur in duas partes, quarum vna dirigitur ad intestinum ieiunum, vt expresse ponit Auic. 14. tertij tract. 1. cap. 1. Et alia pars mittitur ad intestinum colon, vt ibi faciat stimulationem.* Sunt alii quidam, in quorum numero Alexander Benedictus exsistit, qui meatum illum ad pyloron peruenire arbitrantur. Libro enim *suæ anatomes, 2. cap. 8.* ita de pyloro scribit: *Ad hanc portam fellis meatus pertinet vnus.* Id quod cap. 15. apertius iis docet verbis: *Huic bini meatus sunt, alter in medium iecoris deriuat, quo bilis attrahitur vel effunditur interdum, alter euidentior ad* πυλωρὸν, id est *ianitorem defertur.* Errare autem omnes euidentissimum est ex iis, quæ anatomes peritissimi scriptores tradunt: inter hos enim Galenus, earum rerum diligentissimus inquisitor, *lib. 5.* C *de vsu partium* idipsum satis monstrat, ita scribens: πρώτη πάντων ἐντέρων ἡ νῆστις ὑποδέχεται τὴν ἐν τῇ γαστρὶ χυλωθεῖσάν τε καὶ πεφθεῖσαν τροφήν. ἡ θέσις δ' αὐτῆς πλησίον τοῦ ἥπατος, ἀγγείων δὲ παμπόλλων ἐστὶν ἐν αὐτῇ στόματα, τό τε χολῶδες περίττωμα μικρὸν ἀνωτέρω, κατὰ τὴν ἐκ τῆς κοιλίας ἔκφυσιν οἱ χοληγοὶ πόροι καταφέρουσι. id est: *Primum omnium intestinorum ieiunum suscipit in chylum versum & concoctum in ventriculo cibum. Situs autem eius est prope iecur, vasorum vero multorum in eo sunt ora. Adhæc biliosam superfluitatem paulo superius, secundum ipsum ex ventriculo exortum, bilis ductores meatus deferũt.* Et paulo post sic dicens: μεμνημένος δή μοι διαπαντὸς, ἄκουε τῶν ἐφεξῆς. ἄρχομαι γὰρ δείξειν ὃ μικρῷ πρόσθεν ἀνεβαλλόμην εἰπεῖν, ὑπὲρ τοῦ χολώδους περιττώματος, ὡς εἰς τὴν ἐκ τῆς γαστρὸς ἔκφυσιν ἄμεινον ἦν αὐτὸ συρρεῖν. quod est: *Memor igitur horum semper, audi quæ deinceps sequuntur. Incipio enim ostendere quod paulo* D *ante suspendebam ac differebam dicere, de biliosa superfluitate, quod ad ventriculi exortum melius erat eam confluere.* Id quod *& in lib. de temp. 2.* facit, vbi sic scribit: τὰ πολλὰ μὲν πόρος ἁπλοῦς ἐστιν, εἰς τὰ μεταξὺ πυλωροῦ τε καὶ νήστεως ἐκφυόμενος, ὃ δὴ γαστρὸς ἔκφυσιν ὀνομάζουσιν. id est: *vt plurimum quidem vnicus est meatus, in id intestinum, quod pylori & ieiuni medium est insertus, quod quasi ex ventriculo exortum nominant.* Et libro sexto anatomicarũ administrationum ita dicens: ὄψει δ' εὐθέως ἂν ἀκριβῶς ἔχειν τοῖς κατὰ τὰς πύλας χωρίοις, καὶ τὸν ἐκ τῆς χοληδόχου κύστεως πόρον εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς τῶν ἐντέρων ἐκφύσεως ἀφικνούμενον, οὐ πολλῷ κατωτέρω τοῦ πυλωροῦ καλουμένου. hoc est: *Mox vtique accurate se habere portarum regionem spectabis, meatum etiam ex bilis vesica ad intestinorum exorti initium peruenientem non multo inferius quam pylorus vocatus habetur.* Ex quibus omnibus satis ostensum est, meatum bilem ad intestina deferentem non ieiuno, sed duodeno implãtatum esse, a quo sane satis superque in ieiunum quod huic proximum est descendit, adeoque pro- E prio meatu minime eget. Testis est Galenus *libro quinto de vsu partium* in hunc modum scribens: Διὰ μὲν γὰρ τὸ πλῆθος τῶν ἀγγείων, καὶ τὴν ἐγγὺς τοῦ ἥπατος θέσιν, καὶ τὸ πρῶτον δέχεσθαι τὰ πεφθέντα, καὶ κενῷ τῷ ἥπατι παρέχειν, πλείστη τε καὶ διὰ ταχέων ἡ ἐξ αὐτῆς ἀνάδοσις γίνεται. διὰ τὸ πλησίον εἶναι πρώτης τοῦ χολώδους περιττώματος εἰς τὸ ἔντερον ἐμπτώσεως, ἡ τῆς ἐνεργείας αὐτῆς σφοδρότης αὔξεται. *Propter multitudinem vasorum, & proximam iecoris positionem, & quia primum suscipit ea quæ concocta sunt, & quia hepati vacuo ea præbet, plurima & citissima ex ipso ieiuno fit distributio. Propterea vero, quia propinquum est primæ illapsui & fluxui biliosæ superfluitatis ad intestinum, actionis eius vehementia augetur.* Vnde iterum satis liquet, meatum illum deferentem ad intestina bilem non ieiuno, sed duodeno, implantatum esse: huic enim illapsui Galenus ieiunum propinquũ esse ait, ita vt bilis pura, & nondum superfluitatibus aliis permixta, facile a duodeno quod pro- F ximum est, ad ieiunũ fluere queat. Hinc Galenus haud procul a prædictis verbis rationem affert nullam aliam, cur ad exortum eiusmodi meatus implantatus sit, nisi quod ita ex eo facile etiam ad reliqua intestina vt purgaret quæ illic sunt crassa & viscosa, descenderet bilis, nec externo aliquo indigerent auxilio. Sed præstat verba eius subiicere: ἦν δ' αὐτῶν ἐστιν ἴαμα μόνον, ἡ τῶν παχέα καὶ γλίσχρα διαιρεῖν τε καὶ τέμνειν καὶ ἀπορρύπτειν δυναμένων προσφορά. ταῦτ' οὖν τῆς

Cur meatus biliosus duodeno implantatus.

βοηθείας

A εὐθέως ἐξ ἀρχῆς ἡ φύσις αὐτοῖς προυνοήσατο τὸν δριμὺν καὶ ῥυπτικὸν τοῦτον χυμὸν, ὃν ἐχρῆν πάντως ἐκκενοῦσθαι τοῦ σώματος οὐκ ἐπὶ τὸ πλησίον τῆς ἕδρας ἔντερον, ἀλλ' εἰς τὴν πρώτην ἔκφυσιν, πρὸς τὸ μηδὲν τῶν ἐφεξῆς δεηθῆναί ποτε τῆς ἔξωθεν ἐπικουρίας. q. est: *Vna ipsorũ est sanatio sola, oblatio scilicet eorum, quæ crassa & viscosa diuidere, incidere, abstergere, expurgareq; possunt. Hoc ergo auxilium mox a principio natura ipsis prouidit, acrem & abstersorium hunc humorem, quem oportebat omnino euacuari a corpore, non ad intestinum, quod est prope anum, sed ad primum exortum demittens, vt nullum inferiorum intestinorum externo vnquam indigeret auxilio.* Satis itaq; probatum est, ad duodenum primum omnium biliosam confluere superfluitatem, deinceps autem ad reliqua quoq; intestina.

Meatum bilem ad intestina deferentem non in omnibus geminum esse, vt Mundinus ac alij quidam arbitrantur, cum paucissimis quibusdam exceptis, omnibus reliquis vnicus sit.

B

Cap. III.

Mundini de bilis meatu falsa opinio.

MVndinus in sua anatome de bilis meatu in hanc sententiam scribit: *Alter magnus ramus vadit ad intestinũ duodenum, vt vidisti: & iste bifurcatur, quia ab ipso paruus ramus ramificatur, qui vadit ad fundum stomachi ad confortandam digestiuam, & iste fuit paruus, vt expulsiuam superflue non stimularet.* Istud verum est, vt in pluribus. Aliquibus vero iste ramus est maior eo, qui vadit ad intestinum prædictum. Cui etiam subscribit Razes *lib. 1. cap. 19.* dicens: *Fel super hepar locatum duos similiter poros habet, quorum vnus ad hepatis cõcauitatem, alter vero in partes separatur, quæ ad superiora tendunt intestina, & ad fundum stomachi.* Eius quoque sententiæ Valescus exsistit, vt ex verbis præcedẽti capite citatis satis liquet, & oẽs ferme

C recentiores, eandẽ enim singuli cantilenam occinunt. Verum quantũ a veritate deuient, satis ex his, quæ ea de re Galenus scribit, manifestum fiet. Neq; mirũ vnũ Galenum tot opponi scriptoribus, cum nemo illo in scrutandis iis, quæ ad anatomiam spectãt, diligentior fuerit, quemq; nihil posteris, nisi quod sedula inspectione, & oculata fide, non tantum in mortuis, sed etiam in viuis resecandis, canum & simiarum maxime, corporibus cognouerat, tradere constat. Is itaq; *lib. 2. de temperamentis* euidẽtissimis verbis, meatum bilem ad intestina euomentem non semper esse geminũ, vt iam dicti auctores sentire videntur, sed vnicum vt plurimum testatur, sic dicens: ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν ἐμπέπτωκε καὶ ἀνατομικόν τι θεώρημα, ὅπερ ἀγνοῦντες ἔνιοι τῶν ἰατρῶν, ἀποροῦνται δεινῶς ἐπὶ τῇ διαφωνίᾳ τῶν συμπτωμάτων, ἀγνοοῦντες ὡς ὁ πόρος ὁ τὴν χολὴν εἰς τὴν γαστέρα τὸ ἧπαρ ἐξερεύγεται, τοῖς μὲν διπλοῦς ἐστι, τοῖς δ' ἁπλοῖς, ὡς καὶ πᾶσι τῶν τετραπόδων ζώων ἀνατομαῖς ἔστι θεάσασθαι. τὰ πολλὰ μὲν οὖν ἁπλοῦς ἐστιν εἰς τὸ μεταξὺ πυλωροῦ τε καὶ νήστεως ἐκφυόμενος, ὃ δὴ γαστρὸς

D ἔκφυσιν ὀνομάζουσιν. ἢ διπλοῦς γενόμενος, εἰς μὲν τὴν ἔκφυσιν ἐμβάλλει θατέρῳ στόματι τῷ μείζονι, θατέρῳ δὲ τῷ μικροτέρῳ κατὰ τὸν πυθμένα, μικρὸν ἀνωτέρω τὸ πυλωροῦ. σπανιώτατα δὲ τὸ μὲν ἄνω μέρος αὐτοῦ, ποτὲ μεῖζον εὑρίσκεται, τὸ κάτω δ' ἔλαττον. ἀλλ' ἐφ' ὧν γε μεῖζόν ἐστιν, ἐπὶ τούτων ἡ γαστὴρ ἐφ' ἡμέραν ἐμπίμπλαται χολῆς οὐκ ὀλίγης, ἣν ἐμεῖν τε δέονται πρὸ τῶν σιτίων, καὶ βλάπτονται κατασχόντες. οἷς δὲ παντελῶς ἁπλοῦς ἐστιν ὁ πόρος, εἰς τὴν νῆστιν ἡ χολὴ τούτοις σύμπασα καταρρεῖ. Id est: *Sed incidit hoc loco speculatio quædam, quæ ad corporum dissectionem pertinet, quam aliqui medicorum ignorantes, ex symptomatum dissonantia magnopere anguntur, dũ ignorant meatum illum, per quem iecur bilem in ventriculum euomit, alijs geminum esse, alijs vnicum, id quod in quadrupedum dissectionibus videre licet. At plurimum quidem vnicus is est, in id intestinum quod pylori & ieiuni medium est, quod quidem ventriculi exortum nominãt, insertus. Vel si geminus meatus sit, in duodenum exortumve maior, minor autem in fundum ventriculi paulo supra pyloron inseritur. Rarissime autem superior pars maior, inferior minor. Ceterum quibus maior est, ijs in ven-*

E *triculum quotidie non exiguum bilis effunditur, quam & euomant ante cibos oportet, & nisi id faciant, læduntur. Quibus autem vnicus est omnino meatus, his tota bilis confluit in ieiunum.* Quibus verbis Galenus in vniuersum illorum sententiam explodit, qui indiscriminatim omnib. bilis quoque meatum ventriculi fundo insertum esse adserunt: plurimum enim vnicus tantum est duodeno implantatus, paucissimis autem geminus. Ob id si geminus adsit, naturæ nonnihil aberrantis peccatum est, haud aliter quam cum natura sex producit digitos. Et si aberrare hoc modo naturam contigerit, tunc certe consultius est maiorem meatum duodeno inseri, minorem vero ad ventriculi fundum transmitti. Si enim maior ad ventriculi fundum pertingat, tunc a multa flaua bili, quæ quotidie in ventri-

F culum effunditur, expultrix facultas irritata frequenti vomitione hominem illum excruciat, nec potest hoc vitii vllis corrigi remediis, adeo vt verissime deploratæ conditionis homines, quibus id mali accidit, appellari queant. Talem autem fuisse constat hunc, de quo Gal. capite 74. artis medic. sic scribit: ἕτερον δ' ἐθεασάμην φλεγματικὸν μὲν ὅλην τὴν ἕξιν, ἐμοῦντα δὲ ἑκάστης ἡμέρας χολὴν ὠχράν. ἔγνων οὖν χρῆναι καὶ τὰ διαχωρήματα αὐτοῦ θεάσασθαι, καὶ

ὀλιγιστὸν εἶχε χολῆς. ἐτεκμηράμην οὖν τούτῳ τὸ χολῶδες ὑγρὸν ἐξοχετεύοντα πόρον οὐ μικρὰν ἑαυτοῦ μοῖραν εἰς τὸν πυλωρὸν τῆς γαστρὸς ἀποπέμπειν, ὡς ἐπ' ἐνίων φαίνεται ζώων. hoc est: *Alterum quidem vidi, cuius totius habitus pituitam præ se ferebat, quotidie tamen bilem pallidam euomentem. Censui igitur inspicienda aluii excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam deprehendi eum meatum, qui biliosum euomit humorem, non minimam eiusdem partem ad imum ventriculi pyloron seu ianitorem effundere, vt in quibusdam apparet animalibus.* Proinde ex iam dictis abunde claret, meatum bilem ad intestina deferentem plurimũ vnicum esse, in paucissimis autẽ geminum. Quod si vero geminus sit, maior ad duodenum, minor ad ventriculi fundum pertingit. Accidit tamẽ vt & maior ad ventriculum perueniat, at rarissime. Friuola autem, imo ridicula, ac cachinnis multis explodenda ratio est, quã Mundinus ac alii recẽtiores confinxere, quare opus sit alterum meatum pyloro inseri, vt scilicet concoctionẽ ventriculi bilis eo defluens adiuuet, cum illam potius interturbet, cogatq; cibũ pellere deorsum, antequam plene & perfecte concoquatur. Hinc non negligẽtiæ naturæ adscribendum, quod meatum bilem ad ventriculum deferentem non fecerit, sed prouidẽtiæ potius eius ac benignitati, quæ modicum commodum quod ex hoc meatu erat cõsecuturus ventriculus, magnum euitare malum voluit, crebram videlicet ciborum euomitionem. Cuius rei locuples testis est Galenus qui libro quinto de vsu partium in hunc modum scribit: οὔκουν σμικρὸν, οὐδὲ τὸ τυχὸν, ἡ φύσις εἰς ὑγίειαν τοῖς ζώοις ἐκ τῆς ἐπικαίρου καταφύσεως τοῦ χοληδόχου πόρου προὐνοήσατο. τί δὴ οὖν οὐκ εἰς τὴν κοιλίαν αὐτοῦ τινα μοῖραν ἐνέφυσεν, οὐκ ὀλίγα γε καὶ αὐτὴν ἀποτίκτουσαν τὰ τοιαῦτα περιττώματα; ταύτῃ καὶ μᾶλλον οἶμαί σε θαυμάσειν αὐτῆς τὴν πρόνοιαν. ἡμεῖς μὲν γὰρ ἀπερισκεπτότερον αἱρούμεθα τὸ λυσιτελοῦν, εἰ καὶ τύχοι ποτὲ μειζόνως εἰς ἕτερα βλάπτειν πεφυκὸς, ἢ ὠφελεῖν εἰς ἃ χρῄζομεν. ἡ φύσις δ' οὐ καθ' ἓν τῶν αὐτῆς ἔργων ἀπερίσκεπτος, οὐδ' ὑπὸ ῥαθυμίας ἐνίοτε μεγάλα κακὰ αἱρουμένη δι' ἔλαττον ἀγαθὸν, ἀλλ' ἀκριβεῖ μέτρῳ τὸ ποσὸν ἐν ἑκάστῳ κρίνουσα, πολλαπλάσιον ἀεὶ τὸ χρηστὸν ἀποτελεῖ τοῦ μοχθηροῦ. εἰ μὲν γὰρ οὐδὲν ἔμελλε μέγα λυπήσειν εἰς τὴν κοιλίαν ἡ ξανθὴ χολὴ καταρρέουσα, κακῶς ὑπορεῖται τῆς ὠφελείας ἡ φύσις, ἣν ἐκ τοῦ ῥύπτειν ἐφ' ἡμέρᾳ τὸ γλίσχρον περίττωμα παρέχειν ἂν ἡμῖν ὁ χυμὸς οὗτος. εἰ δὲ τοῦτο μὲν οὕτω μικρὸν, ὡς διὰ τῆς ἔξωθεν ἐπικουρίας ἱκανῶς ἐπανορθοῦσθαι δύνασθαι, τὰ δ' ἑπόμενα τούτῳ καὶ τηλικαῦτα τὸ μέγεθος ἦν, ὡς ἄρδην ἀνατρέπεσθαι τὸ τῆς γαστρὸς ἔργον, οὐκ οἶδα πῶς ἀχαριστότερος οὐκ ἂν εἴη τις εἰς τὴν οὕτω προνοησαμένην ἑαυτοῦ φύσιν, ἢ τῶν δικαίων ἐπαίνων φθονερώτερος, εἰ δέον ὑμνεῖν αὐτὴν, ὁ δὲ καὶ προσεγκαλοίη. τίς γ' οὖν ἀγνοεῖται ξανθῆς χολῆς τὴν δύναμιν ἱκανῶς δριμεῖαν ὑπάρχουσαν δάκνουσάν τε καὶ ῥύπτουσαν ἅπαντα; τίς δ' ἀποκρίνας ποτὲ κάτω πλείονα τὸν χυμὸν τοῦτον, οὐκ ᾔσθετο προηγησαμένης ἐν τοῖς ἐντέροις δήξεως; τίς δ' οὐκ οἶδεν ὡς ἐμέτου χολώδους ἄλλα τέ τινα παθήματα καὶ καρδιαλγίαν δῆξις οὖσα τοῦ στόματος τῆς γαστρὸς ἐξ ἀνάγκης προηγεῖται; καὶ μὴν εἰ γινώσκεται πᾶσιν ἡ τῆς ξανθῆς χολῆς δύναμις, οὐ χαλεπὸν ἐξευρεῖν, ὅτι πᾶν ἀνατρέψει τὸ τῆς γαστρὸς ἔργον, εἴπερ εἰς αὐτὴν συρρέοι. καθ' ὃν γὰρ λόγον ἄκρατος ἐμπίπτουσα τοῖς πρώτοις ἐντέροις ἐρεθίζει δάκνουσα καὶ κωλύει μένειν ἐν αὐτοῖς τὴν τροφὴν, οὕτω καὶ τὴν κοιλίαν εὐαισθητοτέραν ὑπάρχουσαν τῆς νήστεως, ἠνάγκαζεν ἂν ἀποθεῖσθαι τὴν τροφὴν κάτω πρὶν πεφθῆναι καλῶς. ἄπεπτα γὰρ ἐκκρίνουσιν αἱ σφοδραὶ δήξεις τὰ σιτία. quod est: *Nõ igitur parũ neq; cõtingenter natura ad sanitatẽ animalib. ex decẽti applicatione meatus bilẽ suscipiẽdis puidit. Cur a. nõ ad vẽtriculũ inseruit eius meatus aliq̃ partẽ, quũ non paucas & ipse gignat huiusmodi superfluitates? Hinc & magis, puto, miraberis eius puidẽtiam. Nos n. magis temere eligimus quod confert, quãuis interdum soleat magis nocere alijs, quã conferre ijs, quibus egemus. Natura autẽ ne in vno quidẽ suo opere temeraria est, neq; per negligentiam quandoque magnum malum eligit, propter minus bonũ, sed exacta mensura quantitatem in vnoquoq; discernens, quod multifariam vtile est, praui respectu, semper efficit. Si enim nulla magna molestia debebat afficere bilis flaua in ventriculum influens, male neglexit commoditatem natura, quam abstergendo quotidie viscosam superfluitatem nobis humor ille præbuisset. Si vero hoc quidem commodum ita paruum est, vt per auxilium extrinsecus allatum sufficienter corrigi possit, mala vero, quæ sequuntur influentem ventri bilem tam magna sunt, vt funditus euertatur operatio ventriculi, nescio qualiter non erit aliquis admodum ingratus erga naturam, quæ ita illi ipsi prænidit, aut valde inuidus iustarum laudum, si quam deceret laudare, eam incuset. Quis deniq; ignorat flauæ bilis vim satis acrem exsistere & mordentem, abstergentemque omnia? Quis autem excernens aliquando inferne copiosum hunc humorem, non sensit præcedere intestinorum mordicationẽ? Quis vero non nouit, quod vomitum biliosum, tum alia quædam vitia, tum mordicatio oris ventriculi necessario præcedit? Et nimirum si ab omnibus flauæ bilis virtus agnoscitur, non difficile est inuenire totum ventriculi opus subuerti, si ad illum confluxerit. Qua enim ratione bilis pura primis intestinis incidens, irritat mordicans, & prohibet ne in eis maneat cibus, eadem & ventriculum, vt qui exactiore sensu sit præditus quam ieiunum, cogeret vtiq; quo cibum deorsum pelleret, priusquam bene concoqueretur. Incocta enim excernunt cibaria valida mordicationes.* Hanc Galeni sententiam confirmant etiam ea, quæ scribit Auicenna, iuniorum medicorum numen & idolũ, dum *Fen. 15. Can. 3. tract. 1. ca. 1.* ita inquit: *Et pluribus hominib. est meatus vnus cõtinuus cũ duodeno.* Et paulo post: *Et nõ fuit creata in plurib. fellib. via ad stomachũ, vt lauarẽtur humiditates*

A *cum cholera, sicut lauantur humiditates intestinorum, nisi quia stomachus læditur per eas, & patitur nauseã, & corrũpitur digestio in ipso, per illud quod miscetur cibo de humore illo.* Quid multis opus? eam bilis ad fundum ventriculi venientis commoditatem, quam Mundinus & sui sequaces fingunt, quo cõcoctionem eiusdẽ iuuet, neq; Auicenna *Fen. 1. Can. 1. doct. 4. ca. 1.* vbi rem hanc ex professo agit, neq; quisquam ex veteribus probat, sed illam potius explodunt: ob id tanquam commentum omnium frigidissimum plane deridendum erit. Qui enim paruus igniculus illi membro calefaciendo esset necessarius, cui tot fornaces, omentum scilicet, iecur & lien, & ipsum præterea cor, fons ac principium natiui caloris, suum impartiuntur calorem? Hinc recte Galenus *li. 3. de natural. fac.* viscera, quæ
B ventriculo adiacent, tanquam magno lebeti plures ignis foci, a dextris quidem iecur, a sinistris lienem, superne cor, & transuersum septum & eleuatum & assidue motum, his etiam amplius omentum, quod prædicta tegit, ingentem quandam ciborum, qui in illum assumti sunt, alterationem facere scribit. Quapropter quandocunque meatus is ad ventriculum pertingit, naturæ errato, & minime eiusdem prouidentia fieri manifestum est.

Ieiunum non eandem quam rectum intestinum habere rectitudinem, quemadmodum Razes, Mundinus, ac alij quidam putant.

Cap. IV.

RAzes *lib. 1. cap. 16. de dissectione intestinorum*, in eam scribit sententiam: *Gracilium au-*
C *tem primum est intestinum, quod ori inferiori stomachi continuari inuenitur, quod duodenum nominatur.* Hoc autem sequitur aliud intestinum, quod vocatur ieiunum: quæ duo intestina erecta stant, & in longitudinem extenduntur corporis. Cui subscribit in sua anatome Mundinus, sic dicens: *Ieiunum ita vocatur, quia plurimum reperitur vacuũ in bene dispositis. Et caussa suæ vacuationis est duplex, scilicet rectitudo eius, nam rectum est sicut intestinum vltimum.* In qua sentẽtia & Cornelius Celsus esse videtur, qui *li. 4. ca. 1.* ita scribit: *Ab ea ieiunum intestinum incipit, non ita implicitum.* Hunc autem sequitur Alexãder Benedictus, qui *lib. 2. ca. 8. suæ anatomes* ad verbum fere Celsi sententiam exprimit, dicens: *Intestinum est quod ieiunum nominant, non ita vt reliqua implicitum.* Quibus vtiq; verbis singuli iam citati auctores falsissime de ieiuno protulerunt, quod verissime de duodeno dicere potuerũt: hoc enim haud secus quam postremum intestinum circumuolutionibus caret.
D Testis est Galenus, qui *lib. 5. de vsu partium* in hunc modum scribit. εἰ δέ γε συνῆπτο τῷ πυθμένι τῆς κοιλίας ἡ νῆστις, αἱ κατ' ἐκείνην ἂν ἕλικες οὐ σμικρὰν στενοχωρίαν εἰργάζοντο. ταῦτα δὴ προορωμένη, τὸ πρῶτον ἁπάντων ἔντερον τὸ τῇ γαστρὶ συνημμένον, οὐκ εἰς ἕλικας εὐθέως ἐπέκαμψεν, ἀλλ' εἰς τοσοῦτον προήγαγε κατὰ τῆς ῥάχεως ἐκτεταμένον, εἰς ὅσον ἔμελλεν ἱκανὴν εὐρυχωρίαν παρέξειν τοῖς προειρημένοις σώμασιν, ἐφεξῆς δ' ἐκείνῳ ἑλίττεται καὶ κάμπτεται, καὶ καλεῖται τὸ μέρος τοῦτο τῶν ἐντέρων νῆστις, ὅτι διὰ παντὸς εὑρίσκεται κενὸν, οὐδὲ τοὐλάχιστον ἐν ἑαυτῷ τροφῆς περιέχον. ὅσον δὲ μεταξὺ ταύτης τε καὶ τοῦ πυθμένος τῆς κοιλίας ἀνέλικτον ἔμεινε, δι' ἣν εἴπομεν αἰτίαν, ἔθος τοῦτο τοῖς ἀνατομικοῖς ἀνδράσι τὴν εἰς τὸ ἔντερον ἔκφυσιν ὀνομάζειν. quod est: *Si v. copulatũ esset fundo ventriculi ieiunum, circumuolutiones eius haud modicam ibi efficerent angustiam. Hæc igitur præuidens natura, primum omnium intestinum, quod vẽtriculo est coniunctum, non ad circumuolutiones anfractusve confestim flexit, sed eatenus produxit ipsum in dorso extensum, quatenus debebat sufficiens spatium præbere prædictis corpori-*
E *bus. Deinceps autem circumuoluitur & flectitur, vocaturq; hæc pars intestinorum, ieiunũ, eo quod semper inuenitur vacuum, neq; minimum quidem cibi in se continens. Quantumcunq; vero inter hoc & fundum ventris non circumuolutum permansit, propter caussam nobis dictam, consuetudo est dissectioni corporis operam nauantibus viris, intestinum hoc exortum nominare.* Ex quibus Galeni verbis non solum duodenum anfractibus carere manifestum fit, sed etiam ieiunum conuolui in orbes, minimeq; rectum esse cõuincitur. Id quod *libro etiã sexto anat. admin.* Galenus sic scribens indicat: κατακάμπτεται πολυειδῶς εἰς ἕλικα ἀγγείων παμπόλλων πλῆθος ἔχουσαν, ὅπερ ὀνομάζουσι νῆστιν, ὅτι κενὸν ἀεὶ τροφῆς εὑρίσκεται. id est: *Multifariam cõuolui in orbes anfractusve vasorum complurium serie contextos, quod ieiunum nominant, quia semper inane est.* Auicen. quoq;
F *Fen. 16. Can. 3. tract. 1. ca. 1.* idem ostendit, sic dicens: *Et pars intestini quod sequitur duodenum, nominatur ieiunũ, & in hac parte est initium circumuolutionis & circuitionis.* Auctor etiam librorũ *de iuuamentis membrorum*, neq; enim Galeni est, sed alterius cuiusdam, qui librum Galeni *de vsu partium* in cõpendium redigere voluit, *lib. 6. ca. 2.* iam dictis cõsentit, in hũc scribens modum. *Et prouidentia creatoris indigentia illarũ venarum & neruorum loco amplo nõ posuit in primo intestino inuolutiones, sed locauit ipsum recte extensum super dorsum. Et cum istud*

intestinum pertransit ad paruam remotionem inuoluebatur, & pars inuoluta ex intestino dicitur ieiunum. Itaq; sole clarius, Razem ac Mūdinum hallucinatos esse, quod ieiunum circumuolutionibus plane destitutum scripserint. Neq; Mundinum suum Carpus ille Bononiensis ab errore vindicare potest, dicens, *id intestini parte superiore esse rectum, inferiore vero implicitum.* Nam rectum in vniuersum Mundinus stare ait. Razes etiam rectum esse sicut vltimum intestinum, quod tam superiore quam inferiore parte anfractibus caret, esse asserit. Ita pauci Arabum & recentiorum fuerunt, qui anatomica recte tradiderūt, sed fere omnes in scribendis anatomicis turpiter lapsi sunt. Proinde diligenter admonitos velim studiosos, vt Galeni & aliorum, qui nostra ætate anatomen illustrarunt, libros diligenter perlustrent. Et certe nulla alia caussa factum est, vt tot in anatome hodie cōmittantur errata, nisi quod Græcorum veterum libris prioris seculi Medici caruerint, quos hodie renascentibus vndique bonis auctoribus, Dei benignitate, Vesalius & alii sarcire conati sunt. Vtinam autem omnia veterum anatomica haberemus, ita enim aliorum opera facilius careremus. Quam multa vero horum perierint, ex libro Galeni, quem *de propriis libris* scripsit, sciri potest.

Carpus Mūdinum ab errore vindicare non potest.

Galeni anatomici libri diligenter perlustrandi.

Ad ileon siue tenue intestinum non plures pertingere venas, quam ad vllum aliud intestinorum, id quod tamen Mundinus præter veritatem asserit.

CAP. V.

MVndinus de ileo inter cetera sic scribit: *Ad ipsum perueniunt plures venæ mesaraicæ, quam ad aliquod aliud intestinum.* Mundini sententiæ subscribit Carpus, qui de ileo in eum scribit modum: *In isto intestino sunt plures mesaraicæ, quam in aliquo alio propter suam longitudinem.* Sed quantum a vero deuiauerit vterq;, facile deprehendet, qui veterum, Galeni maxime, ea de re sententiam paulo diligentius excusserit, tum enim ad intestinum, quod ieiunum nominant, multo plures quam ad ileon venire venas intelliget. Is enim li. 6. admin. anat. ita scribit: τούτῳ δ' ἐφεξῆς ἐστὶ τὸ λεπτὸν, καὶ κατὰ μὲν τὴν οὐσίαν ταυτὸν τῷδε. διαφέρον δὲ τῷ τε μήτε κενὸν εὑρίσκεται, μήτε τοσούτων ἔχειν ἀγγείων πλῆθος. id est: *Inde tenue intestinum est, substantia huic simile. Differt autem, quod neq; vacuum reperiatur, neq; tot vasis scateat.* Quibus verbis aperte admodum testatur Galenus, ieiunum vasorum multitudine vincere ileon, quod non tot sicut ieiunum vasis scatet. Id quod confirmat *libro quinto de vsu partium*, sic dicēs πρώτη πάντων ἐντέρων ἡ νῆστις ὑποδέχεται τὴν ἐν τῇ γαστρὶ χυλωθεῖσάν τε καὶ πεφθεῖσαν τροφήν. ἡ θέσις δ' αὐτῆς πλησίον τοῦ ἥπατος, ἀγγείων δὲ παμπόλλων ἐστὶν ἐν αὐτῇ στόματα. quod est: *Primum omnium intestinorum ieiunum suscipit in chylum versum & concoctum in ventriculo cibum. Situs autem eius est prope hepar, vasorum vero multorum sunt in eo ora.* Sic & *lib. 6. ther. meth. cap. 4.* ieiunum multo plures habere venas innuit, dum ita ait: εὐίατα μὲν οὖν τὰ παχέα τῶν ἐντέρων, δυσιατότερα δὲ τὰ λεπτά. παντάπασι δὲ ἀνίατος ἡ νῆστις, διάτε τὸ πλῆθος καὶ τὸ μέγεθος τῶν ἀγγείων, καὶ τὸ λεπτὸν καὶ νευρῶδες τοῦ χιτῶνος. hoc est: *Crassa quidē intestina facilia sanatu sunt, ecōtrario difficilia quæ tenuia sunt. Ieiunū tamē omnino incurabile est, tū ppter multitudinē magnitudinēq; vasorum, quod tunica eius prætenuis neruosaq; sit.* Auctor deniq; librorū *de iuuamentis membrorum lib. 6. cap. 2.* idem astruit, dicens: *Intestinum ieiunum est propinquum hepati, ac pertingunt ad ipsum multarum venarum ora. Et bilis flaua defluit per suos meatus in primum, quod super ipsum est. Et quia istud propinquissimum hepati inter omnia membra, quando hepar caruerit cibo, & fuerit vacuatum ab eo, capiet eum ex propinquiore sibi loco, scilicet, ab intestino ieiuno, & a venis cum attractione.* Sed nemo apertius Mundini errorem confutat quam Auic. qui *Fen. 16. Can. 3. tract. 1. cap. 1.* in eam scribit sententiam: *Et nominatur hoc intestinum ieiunum, quoniam ipsum inuenitur secundum plurimum vacuum & inanitum, & caussa in hoc est connexio duarum rerum, quarum vna est, quoniam illud quod attrahitur ad ipsum de multitudine chyli, velociter separatur ab eo, portio namq; eius attrahitur ad hepar, quoniam plures venarum mesaraicarum continuatæ sunt huic intestino: quoniam hoc intestinum est ppinquius hepati, quam aliæ intestina. Et non est in aliquo intestinorum de ramis mesaraicæ, quantum est in eo.* Ex quibus omnibus abunde liquet, & testium multitudine, rationeq; ipsa, de errore conuictos esse & Mundinum & huius interpretem Carpum. Ieiunum enim intestinum cum iecori valde vicinum sit, fieri non potest quin vasorum ad ipsum pertingentium multitudine reliqua omnia vincat intestina.

Stercora seu alui excrementa in ventriculo non generari, vt Auicenna ac alii nonnulli hunc sequentes sentire videntur.

CAP. VI.

A AVicen.*Fen.16.Can.3.tract.1.cap.1.de intestinorum anatome* in hunc modum scribit. *Penetranti in meri non attribuitur ex virtutibus naturalibus nisi virtus vna. Penetrans autem in intestino, primo patitur a duabus virtutibus, quarum vna est expulsiua, quæ est in stomacho, & altera est attractiua, quæ est in intestinis, & adiuuat eam fæx, quæ prouenit propter summam cibi, & fit facilis propter illud expulsio per viam temperatæ amplitudinis.* Quibus verbis postremis manifeste Auic. satis innuit se in ea esse sententia, vt fæces seu stercora in stomacho generari putet: euidenter enim ait, *vt attractiua duodeni & aliorum intestinorum, fæcem a stomacho expulsam attrahi.* Quæ etiam verba Gentilis enarrans, ita fæces ab intestinis trahi, sicuti a vesica vrinam scribit. Cum tamen Gal. *in lib.4. de vsu part.* & multis etiam aliis locis, testetur, intestina nullam plane attractricem habere facultatem, quod scilicet villis re-
B ctis, per quos attractio fit, careant. Præsertim vero *lib.3. de fac. natu.* vbi sic scribit: ἑκάστῳ μὲν τῶν ἐντέρων στρογγύλαι καθ' ἑκάτερον τῶν χιτώνων αἱ ἶνές εἰσι, περιστέλλονται γὰρ μόνον, ἕλκουσι δ' οὐδέν. ἡ γαστὴρ δὲ τῶν ἰνῶν τὰς μὲν εὐθείας ἔχει, χάριν ὁλκῆς, τὰς δὲ ἐγκαρσίας ἕνεκα περιστολῆς. quod est: *Singulis quidem intestinis circulares in vtraque tunica fibræ sunt. Contrahuntur enim duntaxat, nec quicquam trahunt. At ventriculus alias fibrarum rectas habet, quibus scilicet trahat, alias transuersas, quibus constringat.* Auicen. opinionem sequitur Iacobus Forliuiensis, *qui 2. particula aphor.* quærens in quo loco corporis fæx vel egestio suam recipiat formam, ita scribit: *Stercoris forma substantialis in corpore naturaliter disposito, & debite recto acquiritur in stomacho. Separatio autem & depuratio fæcis a chylo, & accidentalium dispositionum acquisitio, quibus fæx a chylo discernitur, acquiritur in intestinis.* Quibus vtique verbis manifestissime indicat, stercora suam
C formam substantialem seu essentiam prius in stomacho, ac deinde accidentalem, hoc est, figuram & colorem in intestinis acquirere. Quod si enim in intestinis per depurationem atque separationem tantum, a chylo, vt *ipse inquit*, fiunt stercora, certo certius est eorundem essentiam in ventriculo prius esse procreatam, alias namque a chylo iam segregari non possent. Cuius sententiæ quoque fuisse videtur Alexan. Benedictus *lib.2.cap.7.* vbi scilicet ait, *excrementa in colo intestino diutius immorari, atque ibi quandam effigiem suscipere.* Verum falsum docere omnes, quis est qui vel a limine medicinam solidam salutauerit, qui nesciat? Satis enim constat, quouis tempore in sanitate integra fruentibus hominibus secundum vtrasque formas in intestinis generari stercora per alterationem, quæ ad substantiam terminatur. Materiam quidē, ex qua fit stercus, in ven-
D triculo gigni fatemur, nondum tamen esse stercus dicimus, donec ad tenuia intestina proueniat: perinde vt materiam vrinæ in ventriculo ex cibis & potibus generari concedimus, nec tamen vrinam adhuc esse dicimus, donec in renibus formam suam substantialem recipiat. Quod autem non in ventriculo, sed in tenuibus magis intestinis generetur stercus, testatur Gal. qui *lib.3. de fac. nat.* sic scribit: δέδεικται γὰρ ἐν τοῖς πρόσθεν, ὡς οὐδὲν εἰς τὴν ἐναντίαν ἀθρόως μεθίσταται ποιότητα. πῶς οὖν ὁ ἄρτος αἷμα γίνεται, πῶς δὲ τὸ τεῦτλον, ἢ ὁ κύαμος, ἢ τι τῶν ἄλλων, εἰ μὴ πρότερόν τινα ἑτέραν ἀλλοίωσιν ἐδέξατο, πῶς δ' ἡ κόπρος εὐθὺς ἐν τοῖς λεπτοῖς ἐντέροις ἀθρόως γεννηθήσεται, τί γὰρ ἐν τούτοις σφοδρότερον εἰς ἀλλοίωσιν ἐστὶ τῶν κατὰ τὴν γαστέρα; πότερον τῶν χιτώνων τὸ πλῆθος, ἢ τῶν γειτνιώντων σπλάγχνων ἡ περίθεσις, ἢ τῆς μονῆς ὁ χρόνος, ἢ σύμφυτός τις ἐν τοῖς ὀργάνοις θερμασία. καὶ μὴν κατ' οὐδὲν τούτων πλεονεκτεῖ τὰ ἔντερα τῆς γαστρός. τί ποτ' οὖν ἐν μὲν τῇ γαστρὶ νυκτὸς ὅλης πολλάκις μείναντα τὸν ἄρτον, ἔτι φυλάττεσθαι βούλονται τὰς
E ἀρχαίας διασώζοντα ποιότητας. ἐπειδὰν δ' ἅπαξ ἐμπέσοι τοῖς ἐντέροις εὐθὺς γίγνεσθαι κόπρον, quod est: *Monstratum namque supra est, nihil in contrariam qualitatem totum simul migrare. Ergo quomodo sanguis ex pane: quomodo ex beta fabaue, aut reliquis id genus, nisi hæc alteram prius mutationem sint adepta? Iam quomodo in tenuibus intestinis confestim stercus fiet? Quid enim in his efficacius ad alterationem exsistit, iis quæ sunt circa ventriculum? Num tunicarum numerus, an circumpositorum viscerum vicinitas, an moræ spatium, an innatus quidam in instrumentis calor? Atqui nullo horum superant intestina ventriculum. Cur igitur vbi panis tota sæpe nocte moratus est in ventriculo, etiam seruari eum volunt, ac pristinas suas qualitates tueri, vbi semel intestinis incidit, statim effici stercus?* Quibus sane verbis Gal. abunde monstrat, stercora in tenuibus fieri intestinis, non quidem per separationem atque deputationem a chylo, vt Forliuiensis putat, sed
F per alterationem potius quæ ad substantiam terminatur: oportet enim vt prius alteram quandam mutationem quam stercus fiant, adipiscantur, id quod iterum eodem libro testatur Gal. ita scribē̄s: οὐ γὰρ δὴ τά γε σιτία τὴν ἀρχαίαν ὑπαλλάττει ποιότητα ταχέως οὕτως, ὥστ' ἐπειδὰν ἐμπέσῃ τοῖς λεπτοῖς ἐντέροις εὐθὺς εἶναι κόπρος, id est: *Nō enim profecto cibi ipsi adeo celeriter priorem qualitatem deponūt, vt protinus, postquam in tenuia intestina descenderint, stercus fiant.* Quasi dicat: *opus esse & in tenuibus intestinis mutatione prioris qualitatis, vt stercus fiant.* Ita vt plane con-

mentum sit in stomacho generari stercora. Galenus denique *lib. 5. de vsu partium corporis humani* rationem indicans, cur ieiunum intestinum dictum semper vacuum exsistat, inter cetera sic scribit: σφοδροτέρας δ' ἐνεργείας προσγίνεται μήπω τῆς χολῆς μεμιγμένης τοῖς περιττώμασιν, ἀλλ' ἐπιρρεούσης ἀκράτου κατ' αὐτοὺς τοὺς χιτῶνας τῶν ἐντέρων, καὶ δακνούσης αὐτὰ, καὶ πρὸς τὴν ἔκκρισιν ἐρεθιζούσης, hoc est: *Vehementior vero actio efficitur, quando bilis nondum permixta est excrementis, sed adhuc circumfluit pura secundum ipsas intestinorum tunicas, mordetque ipsa & ad excretionem excitat.* Si vero bilis, quæ adhuc ab excrementis pura est, ad ieiunum confluit, quomodo verum esse potest stercora seu excrementa in ventriculo procreari? Hinc Auicennam quoque sibi contradicere necesse est, quum loco iam sæpius citato probat secundum in ordine intestinum semper vacuum reperiri, quia videlicet cholera citrina venit, ad hoc intestinum pura, hoc est impermixta fæcibus, ita enim Auicennæ interpretes exponunt. Nam si fæx, iuxta huius alibi sententiam, chylo commixta trahitur ab intestino duodeno, a quo statim descendit ad sequens intestinum ieiunum nominatum, quomodo poterit cholera citrina pura, hoc est, impermixta fæcibus, peruenire ad intestinum ieiunum, in quo inuenit fæces chylo commixtas, sicuti & in aliis sequentibus? Neque enim possunt dicere integram fæcum a chylo separationem fieri in intestino, duodeno nominato, qui asserunt fæces chylo permixtas vsque ad monoculum & colon quoque peruenire. Præterea stercus in ventriculo non gigni, vel inde colligi potest. Si enim in ventriculo generaretur stercus, tunc homo quotidie vomeret stercus, quotidie etiam singultiret, haud aliter quã ileosus, cui eiusmodi symptomata nulla alia caussa eueniunt, nisi quia stercus ad ventriculum ascendit. Testis Hippocrates *7. aphor. 10.* sic inquiens: ἐπὶ εἰλεῷ ἔμετος ἢ λύγξ. quod est: *In ileo vomitus aut singultus.* Et Galenus in eius sententiæ explicatione, sic scribens: ἐν τοῖς εἰλεοῖς οὐδὲν ὑπέρχεται κάτω. καὶ τοῦτό ἐστιν ἴδιον ἀχώριστον τοῦ πάθους, ἔμετος δὲ οὐκ ἀεὶ σύνεστιν, ἀλλ' ὅταν ὀλεθρίως ἔχωσι. καὶ εἰ πλέον δὲ στραγγαλοῦνται. καὶ κόπρος αὐτοῖς ἐπανέρχεται καὶ λύζουσιν. id est: *In ileis nihil exit per inferiora, & hoc est proprium inseparabile affectus. Vomitus autem non semper adest, sed quando exitiales sunt. & si vehementius distorqueantur, stercus eis ascendit, atque singultiunt.* Proinde si eiusmodi symptomata stercus ab intestinis ad ventriculum ascendens efficere potest in ileo, quid prohiberet, cur non eadem efficeret in ventriculo procreatum? Porro si in ventriculo stercus generaretur, minime necessarium foret, vt in ileo stercus ad proximiores superiacentium intestinorum partes expelleretur ad ventriculum, adeoque totum tenue intestinum pertransiret, si prius suã habuisse in eo generationem. Sed quid opus in re manifesta temere verba fundere, cum nemo hodie sit paulo eruditior, qui non errare Auicennam suosque ea in re sequaces intelligat.

Mesenterium falso a quibusdam inter intestina connumerari, quum peculiare potius ab iis membrum sit.

CAPVT. VII.

MAcrobius *libr. 1. de somnio Scipionis*, mesenterium inter intestina iis verbis connumerat: *Intestina principalia tria, quorum vnum dissipium vocatur, quod ventriculum, & cetera intestina secernit: alterum medium, quod Græci* μεσεντέριον *dicunt.* Quem imitatus est Alex. Benedictus *lib. 2. suæ anatomes c. 8.* sic scribens: *Graciliora deinceps intestina ventriculo annexa sunt. Horum primum quod tenuius vocatur, in sinus tortuosos vehementer implicitum est & orbes, & intestino quod medium Latini, Græci* μεσεντέριον καὶ μεσοντέριον *vocant, singuli connectuntur.* Ex quibus vtique verbis manifestum fit, vtrunq; mesenterion inter intestina Benedictum numerare, cum tamen omnium consensu sex tantum intestina sint, & recenset illa Galen. *lib. 5. de vsu part. hum. corporis* in hunc modũ: πρῶτον μὲν τὴν ἔκφυσιν, δεύτερον δὲ τὴν νῆστιν, τρίτον δὲ τὸ λεπτὸν ἔντερον, καὶ τέταρτον τὸ τυφλὸν, καὶ πέμπτον τὸ κῶλον, καὶ ἕκτον τὸ ἀπευθυσμένον. id est: *Primum est exortus, secundum ieiunum, tertium tenue intestinum, quartum cæcum, quintum colum, sextum rectum.* Et *lib. 6. de anat. administ.* hoc pacto: πρῶτον μὲν οὖν ἡ ἔκφυσις. μετὰ δὲ ταύτην ὅπερ ὀνομάζουσι νῆστιν, ὅτι κενὸν ἀεὶ τροφῆς εὑρίσκεται. τούτῳ δ' ἐφεξῆς ἐστὶ τὸ λεπτόν. ἐπὶ τούτῳ δ' ἐστὶ τὸ τυφλὸν καλούμενον. εἶτα τὸ κῶλον. ἐφ' ᾧ κατὰ πέρας ἄχρι τῆς ἕδρας ἐκτέταται τὸ ἀπευθυσμένον ὀνομαζόμενον ἔντερον. hoc est: *Primum itaque exortus. Ab hoc quod ieiunum nominant, quia semper inane est. Inde tenue intestinum est. Deinceps cæcum appellatum. Postea colon. Ab hoc in extremo rectum intestinum ad sedem vsque porrectum est.* In quorum sane catalogo mesenterii nulla penitus mentio fit, neque mirum cum peculiaris quædam ab intestinis corporis pars sit, illa ipsa dorso alligans copulansue. Quare mesen-

A re mesenterion nomen non ideo apud Græcos sortitum est, quod sit medium intestinum, quādoquidem in numero intestinorum non habeatur, sed potius quod in medio intestinorum collocatum sit, adeoque nomen illi a situ factum est. Vocatur autem alio etiam nomine *mesaræon*, q̄ omnes, quæ ad ipsum ex iecore ferūtur venas, cum adiacentibus arteriis & neruis, circumquaque ambiat & complectatur. Vtriusque rei locuples testis est Galen. qui *lib. 6. de anat. administ.* ita scribit: τὸ μεσεντέριον ὃ καὶ μεσάραιον ὀνομάζουσιν, ἀπὸ τῶν συμβεβηκότων αὐτῷ τὰς προσηγορίας ἀμφοτέρας θέμενοι. μεσεντέριον μὲν ἀπὸ τῆς θέσεως. μεσάραιον δὲ ἀπὸ τῆς οἰκείας οὐσίας. μέσον τε γὰρ τέτακται τῶν ἐντέρων, καὶ πάσας τὰς ἐξ ἥπατος εἰς αὐτὸ καταφερομένας φλέβας, ἅμα ταῖς παρακειμέναις ἀρτηρίαις τε καὶ νεύροις ἐν κύκλῳ περιλαμβάνει, καθάπερ ἕκαστον τῶν ἐντέρων. quod est: *Mesenterion quod etiam mesaræon appellant, vtroque nomine ab accidentibus ipsi indito, mesenterio quidem a situ, mesaræo autem a peculiari substantia, nam & medium inter intestina situm est, & omnes venas ex iecore in ipsum descendentes vna cum vicinis arteriis & neruis in orbem complectitur, quemadmodum intestina singula.*
B Ita & Mundinus mesenterion ab intestinis distinguit, quemadmodum omnes alii, qui anatomica scripserunt, vt omnium sit euidentissimum aberrasse Benedictum, quod inter intestina mesenterium numerauerit. Libentius autem eius hominis errata refero, ne scilicet huius auctoritas improuidis imponat. Scio enim eius libellum omnium hodie in manibus versari, quod nemo præter hūc ex recentioribus elegantiæ studiosus fuerit, qui anatomica tractauerit.

Venas nullas per quas fœtus in vtero vrinam emittit, in suminis seu abdominis extremam cutim terminari, quemadmodum, præter omnem rationem & sensum, Mundinus & Alexander Benedictus docent.
C

Capvt VIII.

MVndinus de anatomia ventris inferioris inter cetera in eam sententiam scribit: *Quarto est pars quæ vocatur sumē, infra vmbilicū per quatuor digitos, & est pars in qua venæ quedā terminantur ad cutim, per quas pueri in matrice exsistentes emittunt aquositatē.* Et ideo, vt dicit Auicenna, tales venæ & talis pars notior est in non natis quam in perfectis, vt ego monstraui multoties. Quam Mundini sententiam, sequitur etiam Alexander Benedictus *in lib. 2. cap. 3. suæ anatomes*, ita scribens: *Pars quæ infra vmbilicum situm habet, sumen dicitur, ab antiquis abdomen, venas pretenues habet, subter cutem dispersas, quibus in vtero conce-*
D *ptus aquas emittit.* Quæ sane sententia quam erronea sit, mox ostendemus, vbi primum, quid sit sumen explanauerimus. Sumen anatomicis id est, quod Græci ἐπιγάστριον, Latini *abdomen* appellant. Est autem ea pars, quæ a pube sursum versus ad præcordia peruenit. Et complectitur in se ilia, vmbilicum, & ventrem imum, id quod testatur Galenus *lib. 2. aphoris. comment. 35.* sic scribens: ἦτρον δὲ ἰδίως ὀνομάζει τὸ κάτω χωρίον τῆς γαστρὸς, ὅσον ἐστὶ μεταξὺ τοῦ αἰδοίου καὶ τοῦ ὀμφαλοῦ, ὡς εἰς τρία ταῦτα διαιρεῖσθαι τὸ σύμπαν ἐπιγάστριον, τὸ ὑποχόνδριον, τὰ ἐπὶ τὸν ὀμφαλὸν, καὶ τὸ ἦτρον, id est: *Imum ventrem proprie nominat partem ventris imam, quæ vmbilicum ac pudenda interiacet. Ita vt in hæc tria totum abdomen diuidatur, in ilia, ad vmbilicum attinentia, & ventrē imum.* Mundinus vero & Alexand. abusi vocabulo suminis seu abdominis, eam partem, quæ digitorum quatuor spatio infra vmbilicum est, dixerunt, atque totius vocabulum perpe-
E ram parti accommodarunt. Quibus iam expensis, facile erroneā illorum de vrinæ fœtus in vtero emissione sententia explodi potest: nemo enim est, qui Galenum paulo diligentius excusserit, qui nesciat porum quendam esse secundum vmbilicum vrachum dictum, qui ex fundo vesicæ fœtus exportat vrinam ad membranam alantoidea nominatam. Sunt enim fœtui vndique membranæ circumpositæ, quemadmodum pulcre Galen: *lib. 15. de vsu part.* monstrat, ita scribens: ὅσα δὲ περὶ τὸ κυούμενον ἔτι ζῶον ἡ φύσις φιλοτεχνεῖ διαπλάττουσά τε καὶ τροφὴν καὶ πνεῦμα παρὰ τῆς μητρὸς ἐπάγουσα, καὶ χώρας τοῖς περιττώμασιν εὐτρεπίζουσα, χαλεπὸν μὲν ἑρμηνεῦσαι σαφῶς. ὀφθέντα γε μὴν ἀκριβῶς διὰ τῶν ἀνατομῶν εὐθέως ἀναγκάζει θαυμάζειν τὸν θεασάμενον. ὅλῳ μὲν γὰρ αὐτῷ πανταχόθεν ὑμὴν περιβέβληται λεπτὸς. ὃν ἄμνιον ὀνομάζουσιν, ἐκδεχόμενος τὸν οἷον ἱδρῶτα τοῦ κυουμένου, τούτῳ δ᾽ ἔξωθεν ἕτερος ἐπίκειται λεπτότερος, ὃν ἀλλαντοειδῆ προσαγορεύουσιν. εἰς τὴν κύστιν αὐτοῦ συντετρημένος ἀθροίζων
F ἐν ἑαυτῷ καὶ οὗτος ἄχρι τῆς ἀποκυήσεως τὸ οἷον οὖρον τοῦ κυουμένου. τούτοις δ᾽ ἔξωθεν ἐν κύκλῳ περιβέβληται τὸ χορίον, ἅπασαν ὑπαλεῖφον ἔνδον τὴν μήτραν, ὡς μηδαμόθεν ψαύειν αὐτῆς τὸ ὑποκείμενον, καὶ διὰ τούτου μέσου συνάπτεται τῇ μήτρᾳ τὸ κυούμενον. ἐφ᾽ ἑκάστῳ δὴ στόματι τῶν εἰς τὰ ἐντὸς τῆς μήτρας ἡκόντων ἀγγείων. δι᾽ ὧν πέρ καὶ τὸ καταμήνιον εἰς αὐτὴν ἐφέρετο, γεννᾶται παρὰ τὴν κύησιν καινὸν ἕτερον ἀγγεῖον, ἀρτηρία μὲν ἐπὶ τῷ τῆς ἀρτηρίας στόματι, φλὲψ δὲ ἐπὶ τῷ τῆς φλεβὸς ὥστ᾽ εἶναι τὸν ἀριθμὸν ἴσα τὰ γινόμενα τοῖς εἴσω τῆς μήτρας περαίνουσι στόμασι. συνδεῖ δὲ αὐτὰ πρὸς ἄλληλα λεπτὸς μὲν, ἰσχυρὸς δ᾽ ὑμὴν. ἔξωθεν τε περιφυόμενος ἅπασι τοῖς ἀγγείοις, καὶ τῶν ὑστερῶν τοῖς ἐν τοῖς μέρεσιν ἐμφυόμενος οὗτος ὁ ὑμὴν. μικρὸν μὲν δὴ τῶν ἀγγείων ἕκαστόν ἐστιν ἵνα πρῶτον ἐκφύεται τῆς μήτρας, οἷον δένδρων ῥιζῶν τῶν εἰς τὴν γῆν καθηκόντων

Sumen

περάτων. προελθόντα δ' ὀλίγον εἰς ταὐτὸν ἀλλήλοις ἔρχεται κατὰ συνδυασμόν, κἄπειθ' ἓν ἐξ ἀμφοῖν γενόμενον πάλιν A ἐκείνων ἕκαστον ἑκατέρῳ τῶν ὁμογενῶν εἰς ταὐτὸν ἀφικνεῖται. καὶ τοῦτο οὐ παύεται γινόμενον ἄχρις ἂν εἰς δύο μεγάλα συναχθῇ πάντα τὰ σμικρά, καθάπερ τινὰ πρέμνα ἐκφυόμενα τῷ κυουμένῳ διὰ τοῦ κατὰ τὸν ὀμφαλὸν χωρίου, τέτταρα γὰρ οὖν ἐνταῦθα τὰ πάντ' ἐστὶν ἀγγεῖα, δύο μὲν ἀρτηρίαι, δύο δὲ φλέβες. quod est: *Quæcunque circa id animal quod vtero adhuc geritur, natura machinata est, tam confirmando, quam nutrimentum & spiritum ad matricem inducendo, & loca excrementis apta præparando, difficile quidem est liquido exponere. Sed quando videntur exacte per dissectiones, videntem mirari mox cogunt. Toti enim ipsi fœtui vndique membrana circumposita est tenuis, quam agnion vocant, suscipiens id quod est veluti sudor fœtus. Huic autem foris alia superiacet tenuior, quam allãtoidea nuncupant, in vesicam eius perforata. Aceruat vero in seipsa etiam hæc vsque ad partum, id quod est velut vrina fœtus. His autem extrinsecus in circuitu apposita est secunda, totam subiungens sublinensue internam vteri partem, vt* B *nulla parte tangi queat a subiacentibus, & per hanc mediam fœtus matri copulatur. In vno quoque enim ore peruenientium intra matricem vasorum, per quæ & menstruum in ipsa ferebatur, aliud vas tempore quo fœtus vtero gestatur, generatur, arteria quidem in ore arteriæ, vena vero in ore venæ, vt sint ea quæ generantur numero æqualia oris, quæ intra vterum finiuntur. Colligat autem ea inuicem subtilis, sed tamen fortis membrana, extrinsecus circumplectens omnia vasa: est vero hæc eadem membrana internis quoque vteri partibus inserta. Vnumquodque autem vasorum, vbi primo ab vtero explantatur, paruum, quales sunt arborum radicum extremitates, quæ terram pertingunt. Procedentia vero paululum in eandem coitionem conueniunt, ac deinceps vnum ex ambobus factum, rursus quodlibet illorum in idem alteri quod eiusdem generis est peruenit, idque non cessat fieri, quousque in duo magna conueniant omnia illa parua, quæ tanquam stipites quidam fœ-* C *tui per locum, qui in vmbilico est, inseruntur. Quatuor igitur sunt illic vniuersa vasa, duæ scilicet arteriæ, & venæ totidem.* Ex quibus Galeni verbis abunde liquet, porum illum lotium fœtus ex vesica efferentem, vna cum aliis vasis, non in lumen, sed in vmbilicum inseri. Est vero is meatus in medio iam dictorum vasorum situs, Vrachusque dicitur, quemadmodum testatur Galenus *lib. eodem*, sic dicens:

Vrachus.

τέτταρα τοίνυν ἐστὶ τὰ προειρημένα κατὰ τὸν ὀμφαλόν, δύο μὲν ἀρτηρίαι, δύο δὲ φλέβες, μέσον ἑαυτῶν ἔχοντες τὸν οὐραχόν, οὕτω γὰρ ὀνομάζειν ἔθος τοῖς ἀνατομικοῖς, τὸν ἐκ τοῦ πυθμένος τῆς κύστεως πόρον ἐξοχετεύοντα τὸ οὖρον εἰς τὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν εἰρημένον ὑμένα τὸν ἀλλαντοειδῆ. καλεῖται γὰρ οὕτως ἀπὸ τῆς πρὸς τοὺς ἀλλᾶντας ὁμοιότητος κατὰ σχῆμα. ἀλλὰ τῶν τεττάρων ἀγγείων τῶν περὶ τὸν οὐραχὸν ἐκ μὲν τῶν ἄνω μερῶν αἱ φλέβες εἰσίν, ἄνω γὰρ αὐτὰς εὐθέως ἰέναι βέλτιον ἦν, ὡς ἐπὶ τὸ ἧπαρ. ἐκ δὲ τῶν κάτωθεν αἱ ἀρτηρίαι, καὶ γὰρ καὶ κάτω ταύτας φέρεσθαι ταῖς πλευραῖς τῆς κύστεως ἀποχουμένας ἦν ἄμεινον. id est: *Quatuor igitur per vmbilicum præ-* D *dicta sunt vasa, duæ scilicet arteriæ, & venæ totidem in medio sui habentes vrachum, ita enim dissectoribus nominare consuetudo est meatum, qui ex vesicæ fundo vrinam ad paulo ante dictam membranam alantoidea exportat. Vocatur autem ita a similitudine formæ siue figuræ, quam ad farcimina habet. Atqui vasorum quatuor, quæ circa vrachum sunt, superioribus partibus venæ sunt: sursum enim versus hepar, mox ire melius erat, inferioribus vero arteriæ, deorsum enim has ferri lateribus vesicæ inuehendas consultius erat.* Alantoidea denique membranam suscipere fœtus vrinam, clarius testantur ea quæ sequuntur, vbi sic scribit: τῶν δ' ἄλλων δυοῖν ὁ μὲν ἀλλαντοειδὴς ὀνομαζόμενος, ὃν εἰς τὴν κύστιν ἔφαμεν συντετρῆσθαι κατὰ τὸν οὐραχόν, εἰς ὑποδοχὴν οὔρου παρεσκευάσθη. βέλτιον οὖν μακρῷ μὴ κατὰ τὸ αἰδοῖον οὐρεῖν τὸ κυούμενον, ἀλλ' ὡς νῦν ἔχει, κατὰ τὸν ὀμφαλόν, ἐπειδὴ γὰρ ὅλον αὐτὸ περιείληφεν ὁ ἄμνιος ὀνομαζόμενος ὑμήν, ἕτερον εἶδος ὑγροῦ ἐκδεχόμενος, οὐκ ἦν εὔλογον ἀναμίγνυσθαι τὸ τοιοῦτον τῷ οὔρῳ. ἐναργῶς γὰρ φαίνεται τὸ κατὰ τὸν ἀλλαντοειδῆ πρὸς τὸ λεπτότερον τ' εἶναι, καὶ ξανθότερον τοῦ κατὰ τὸν ἄμνιον. ἔτι καὶ δριμύτερον ὑπάρχει, E ὡς καὶ τὴν ὄσφρησιν ἀνιᾶν καὶ πλήττειν ἀνατεμνόντων τὸν ὑμένα. τὸ μὲν οὖν ἐν ἱδρῶτος λόγῳ κατὰ τὸν ἄμνιον ἀθροιζόμενον, ἐν κύκλῳ περικέχυται τῷ κυουμένῳ, μηδὲν βλάπτειν αὐτοῦ τὸ δέρμα δυνάμενον. ἰδίᾳ δ' ἀπῆκται. τοῦ δὲ καὶ ἀποκεχώρισται τὸ οὖρον, οὔτε τοῦ δέρματος, οὔτε τῶν κατὰ τὸ χορίον ἁπτομένων φλεβῶν, ὅπως μηδὲν ὑπὸ τῆς δριμύτητος αὐτοῦ πλησιάζοντα βλάπτοιτο. quod est: *Aliarum vero duarum, quæ alantoides nominatur, quam perforatam esse per vrachum ad vesicam diximus, ad vrinæ susceptionem præparata est. quum sit multo melius non per pudendum vrinam fœtum reddere, sed sicut nunc habet per vmbilicum. Postquam enim totum ipsum fœtum complectitur membrana nominata amnios, aliam speciem humoris suscipiens, non erat rationabile eam humoris speciem vrinæ commisceri. Euidenter enim humoris, qui intra alantoidea est, & tenuior & magis flaua esse apparet eo qui intra amnion est. Adde quod & acrior existit, vt etiam dissecantium hanc membranam odoratum molestet & offendat. Quod igitur in sudoris ratione intra amnium aceruatur, in circuitu fœtui circumfusum est, nequaquam cuti eius nocere potens.* F *Seorsum vero abacta & separata est a fœtu vrina, neque cutem, neque venas quæ sunt per secundam attingens, ne vrinæ vicina ipsius acrimonia lædantur.* Quod autem hactenus de vasis membranis, & vracho multis diximus, complexus est Galenus, in libro de fœtuum formatione, in hunc modum scribens: τά γε μὴν ἀγγεῖα τὰ κατὰ τὸ χορίον στενότατας μὲν ἔχει τὰς ἀρχάς, δι' ὧν ὡς ἔφην

ἡνων-

A ἥνονται τοῖς πέρασιν τῶν κατὰ τὴν μήτραν ἀγγείων, ἀποχωροῦντα δ' αὐτῶν, εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ἀφικνεῖται, τρόπον ὁμοιότατον ταῖς ῥίζαις τῶν φυτῶν. ὡς γὰρ ἐπ' ἐκείνων ἐκ πολλῶν καὶ λεπτῶν παρ' ἀλλήλαις συνιόντων ἕτεραι ῥίζαι παχύτεραι γεννῶνται, κἀκείνων αὖθις ἀλλήλαις ἑνωμένων ἕτεραι, καὶ τοῦτο γινόμενον παύεται μέχρις ἂν ἅπασαι τελευτήσωσιν εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ πρέμνου, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον αἱ κατὰ τὸ χόριον ἀρτηρίαι καὶ φλέβες συνιοῦσαι πρὸς ἀλλήλας ἑτέρας γεννῶσιν ἑαυτῶν εὐρυτέρας, ἐξ ὧν ἀλλήλαις συνιουσῶν, εἶτα γινομένων αὖθις ἄλλας, καὶ ταῦτο πάνυ πολλάκις αὐταῖς συμβάντος, εἰς δύο μὲν ἀρτηρίας δύο δὲ φλέβας ἡ πάντων τῶν κατὰ μέρος ἀγγείων κεφαλαιοῦται σύνοδος, ὧν ἐν τῷ μεταξὺ γεννᾶται τις πόρος εἰς τὸν πυθμένα τῆς κύστεως τοῦ κυουμένου συντετρημένος, ὃν οἱ δεινοὶ ἐπὶ τὰς ἀνατομὰς ὀνομάζουσιν οὐραχόν, τὸ δ' ἕτερον τοῦ πόρου τοῦδε στόμα χωριζόμενον τῶν τεττάρων ἀγγείων εὐρύνεται κατὰ βραχύ, λεπτὸν ὑμένα παραπλήσιον, ἀλλαντι τὸ σχῆμα γεννῆσαν, ἐπιτεταμένον ἔξωθεν ἑτέρῳ τοιούτῳ, ᾧ περιέχεται τὸ ἔμβρυον. ὀνόματα δὲ τοῖς δύο τούτοις ὑμέσιν οἱ ἀνατομικοὶ τέθειται. τῷ μὲν ἀπὸ τοῦ σχήματος ἀλλαντοειδεῖ, θατέρῳ δὲ τῷ περιέχοντι τὸ ἔμβρυον ἀμνίῳ ταῦτα μὲν ἔξωθέν ἐστι τοῦ κυουμένου. hoc est: *Vasa quidem, quæ in secunda exsistunt, angustissima habent*
B *initia, per quæ, vt dixi, extremitatibus vasorum, quæ in vtero sunt, vniuntur. Vbi vero ab eo discedunt, inter se in idem redeunt, haud aliter quam plantarum radices. Quemadmodum enim in his ex multis iisque tenuibus inuicem coeuntibus extremitatibus, radices aliæ crassiores nascuntur, & rursus illis inter se vnitis aliæ, & hoc fieri non cessat, donec vniuersæ in trunci principium finiantur, ita & in secunda arteriæ atque venæ inuicem coeuntes, alias ipsis latiores generant, ex quibus inter se coeuntibus deinceps alias rursus producunt, eoque multoties ipsis contingente, omnium particulatim vasorum coitio in duas arterias, totidemque venas colligitur, quorum in medio meatus quidam gignitur in fundum vesicæ ipsius fœtus perforatus, quem in dissectionibus celebres vrachum nominauerunt. Alterum autem huius meatus os, a vasis quatuor segregatum paululum dilatatur iuxta membranam tenuem, figuram farciminis generantem, extrinsecus altera tali circundatam,*
C *qua fœtus complectitur. Duabus vero iis membranis dissectionis periti nomina fecerunt, illi quidem a figura alantoidi, alteri autem fœtum complectēdi animo. hæc quidem extrinsecus fœtum ambiunt.* Ex quibus verbis iterum claret, vrinam fœtus per meatum vrachium in membranam alantoidem aceruare, & minime per venas in extremam suminis cutem finientes. Neque autem temere, vt obiter dicam, humorem hunc natura vsque ad partus tempus in dicta membrana detinet, sed vt tum perfuso collo vteri, fœtus facilius excidat, quemadmodum docet Galenus *lib. 15. de vsu partium corporis humani*, in eum modum scribens: προσέρχεται δὲ καὶ ἄλλη τις χρεία τῶν ὑγρῶν, τοῖς δὲ κοινὴ κατὰ τὴν ἀποκύησιν τοῦ ζώου γινομένη ῥᾷον ἐκπίπτειν τοῦ τῆς μήτρας αὐχένος τὸ κυούμενον, ὑγρότητι πολλῇ τεγγόμενον, ὀρυγνυμένων, ἐξ ἀνάγκης τηνικαῦτα τῶν ὑμένων, οὐ μόνον γὰρ εἰς ὀλίσθον συμβάλλεται τοῖς ἐμβρύοις ἡ ὑγρότης, ἀλλὰ καὶ τὸν αὐχένα τῶν μητρῶν ἕτοιμον εἰς τὸ διαστέλλεσθαι μέχρι πλείστου παρασκευάζει, βρεχόμενος γὰρ ἀπὸ τῶν προειρημένων ὑγρῶν, μαλακώτερος γίνεται, καὶ ῥᾷον διαστέλλεται. μεγίστη
D δ' ἀπόδειξις τοῦ λεγομένου τὸ κατὰ τὰς μαίας ἐπειδ' ἂν φθάσαν ἀθρόως ἐκρυῇ τὸ ὑγρόν, αὐτὰς ἀναγκάζεσθαι μιμουμένας τὴν φύσιν, ὑγρὰς τινὰς ὑγρότητας ὑπὲρ τοῦ διαβρέξαι τῶν μητρῶν τὸν αὐχένα. quod est: *Accedit autem & alia quædam vtilitas humoribus iis communis in parturitione animalis facta, scilicet vt fœtus a collo vteri facilius excidat, humiditate multa perfuso, huius tunc necessario ruptis membranis. Non solum namque ad lubricitatem partui humiditas illa confert, sed etiam collum vteri vt plurimum dilatetur, promptum efficit. Perfusum enim a prædictis humoribus, mollius est, & facilius dilatatur. Maxima autem eius quod dicimus demonstratio est, quod obstetrices postquam ante partum hic humor effluxerit, naturam imitantes coguntur habere nonnullas humiditates, quibus collum vteri perfundant.* Sed dicet hic quispiam, *qui fit, vt cum collum vesicæ meatum habeat, non tamen fœtus per id meat, sed tota in vmbilicum & vrachum vrina transit? oportet enim quum ex vtraque par-*
E *te vesica effluxiones exitusue habeat, non magis per vrachum quam per collum vrinam efferri.* Huic Galenus loco citato ita respondet: Διελὼν τὸ προκείμενον τῆς κύστεως περιτόναιον ἅμα ἄμφω ποίει, τὸν μὲν ὀμφαλὸν ἀνατεῖναι, τὸ δ' ἐν τῇ κύστει περιεχόμενον ἐκθλίβειν περιλαμβάνων τῇ χειρί. θεάσῃ δὲ τὸ οὖρον ἐκρέον εἰς τὸν ἀλλαντοειδῆ διὰ τοῦ κατὰ τὸν ὀμφαλὸν πόρου. καὶ μὲν δὴ καὶ εἰ θλίψεις πάλιν αὐτὸν τὸν ἀλλαντοειδῆ, πληρώσεις τὴν κύστιν. εἶτ' αὖθις τὴν κύστιν θλίβων, πληρώσεις τὸν ὑμένα, καί σε τὸ γινόμενον αὐτὸ διδάξει, τότε τὴν εὐθύτητα καὶ τὸ μέγεθος τοῦ κατὰ τὸν ὀμφαλὸν πόρου φθάνον ἐκεῖν ταύτῃ τὸ οὖρον. ἥτε γὰρ εὐρύτης ἡ κατὰ τὸν οὐραχὸν πολλαπλασίος ἐστὶ καὶ κατὰ τὸν αὐχένα. τότε ἴσως εὐθύτητος οὐδὲ παραβάλλεσθαι δίκαια. σκολιὸς μὲν γὰρ ἱκανῶς ὁ τῆς κύστεως αὐχήν, εὐθὺς δ' ἀκριβῶς ὁ οὐραχός. id est: *Dissecans vesicæ propositum peritonæum simul ambo faciet, vmbilicum quidem extendat, & quod in vesica continetur manu comprehendens exprimat. Videbis vero vrinam in alantoidea per meatum, qui in vmbilico est, effluentem: & si quidem rursus ipsam alantoiden*
F *compresseris, vesicam implebis: & rursus vesicam comprimens, membranam implebis. Id autem quod accidit, te docebit, quod propter rectitudinem & magnitudinem meatus qui in vmbilico est, prius hac ratione vrina effluat. Amplitudo enim quæ in vracho est, multo maior quam quæ in collo vesicæ. Ea vero quæ sunt rectitudinis, vt comparentur iniusta sunt. Obliquū enim sufficienter vesicæ collum, rectius vero vrachus.* Ex iis itaq; abunde monstratum est, Mundinum toto ab-

errare cœlo, quod venas vrinam fœtus in vtero efferentes ad suminis cutem finiri do- A
ceat, cum non per venas, sed meatum potius, qui in medio venarum & arteriarum si-
tus, in vesicam fœtus pertingat. Et si venę ad suminis cutem desinentes vrinã efferrent,
vnde, rogo, hæ venæ suminis vrinã haurirẽt? an ex emulgentib. tales venæ in sumen vri-
nã traducerent, quod nunquam compertum est? Et si sic etiã haberet, qua oro, vi aquosus il-
le humor a sanguine, quem simul cõmixtum emulgentes deferunt, secerneretur? Fru-
stra certe sic renum constitutus vsus esset, qui eius rei gratia, vt lib. 4. de vsu partiũ cor-
poris humani testatur Gal. facti sunt, quo aquosam superfluitatẽ attrahant, nec vlla alia
pars est, cui hæc facultas secernẽdi aquosum humorẽ a sanguine insita sit, quã renibus.
Si itaque non ex emulgentib. vrinam suminis venæ hauriunt, tum ex renibus hauriant B
necesse est, & plures tunc meatus vrinarii, οὐρητῆρας Græci vocant, quam vnus ex singu-
lis renibus emergent, quod falsum tamen esse conspecta renum structura, & sua ipsius
Mundini ea de re decreta testantur. Quod si ergo nec ex renibus vrinam hauriunt, ex
meatibus vrinariis hauriant oportet. Inseruntur itaque multa hæ seminis venæ pertu-
sis in multa foramina vreteris, quod nec vnquam visum est. Neque enim natura com-
mittit, vt tot foraminibus exitioso periculo adscitas vreteras pertundat. Si autem ne-
que ex vreteris seu meatibus vrinariis vrinam hauriunt, igitur ex vesica, & sic quoque
in idem periculum hominem natura cõiiceret, quod ex crebra vasorum insertione at-
que perforatione vesicæ sibi immineret. Esto autẽ, hoc periculum a natura neglectum
sit, quo, per superos oro, tot venarum ora vrinam deferentur, forte etiã alantoida tam
crebro perforabunt, quod tamen consilium a natura alienissimum exsistit, quæ disper- C
sa vasa ad vnum instituta finem, omnia circa eorundem in membrum aliquod ingres-
sum, in osculum vnum semper colligit vnitque, veluti in porta iecoris, & in inuolucro
exteriori fœtum in vtero complectenti, videre licet. Errat itaque Mundinus, multis-
que secum errandi occasio fuit, quod venas ad suminis extimam cutem pertingentes
vrinam fœtus in vtero delitescentis efferre docuerit, cum per meatum potius peculia-
rem ad membranam alantoidea nominatam efferatur, illicque vsque ad parturitionis
tempus detineatur, quemadmodum pluribus forte quam oporteat verbis demonstra-
uimus. Prolixius autem hanc rem tractare placuit, partim quod pauci sint hodie, qui
vere de ea scripserint, partim etiam vt commonefacerem studiosos, ne temere Mun-
dino aliisque eius farinæ auctoribus crederent, sed ex Galeno, tanquam optimo eius D
rei artifice, dissectionis notitiam haurirent, non neglecta tamen crebra partium cor-
poris inspectione, oculataque fide, sine qua auctorum lectio parum aut nihil ferme pro-
derit. Exquisitorem membranarum fœtum inuoluentium tractationem *in Instit. nost.
lib. 1. sect. 5. cap. 13.* studiosi reperient.

*Vterum non habere septem sinus seu cellulas, vt Mundinus præter omnem verita-
tem astruit, sed duos tantum, idque in homine.*

CAPVT IX.

E

MVndinus in anatome vteri sic scribit: *Figura matricis est quadrangularis cum quadam rotunditate, habens collum longum in parte inferiori. Per talem figuram habet distinctionem septem cellularum:* Et paulo post: *Concauitas vero eius habet septem cellulas, tres in parte dextra, & tres in parte sinistra, & vnam in summitate, vel in medio eius. Et istæ cellulæ non sunt, nisi quadam concauitates in matrice exsistentes, in quibus potest sperma coagulari.* Mundinum sequitur Valescus *libro sexto, capit. nono*, in eum modum scribens: *Quamuis matrix non habeat nisi vnam concauitatem, tamen secundum longum in qualibet medietate eius reperiuntur tres cellulæ, & vna in medio, & sic sunt in ea septem cellulæ.* Quæ sane sententia quam erronea sit, facile
deprehendet, qui oculis vterum humanum intueri voluerit, quique ea, quæ veteres F
de huius sinibus tradidere, expendere curauerit: de aliorum enim animalium vtero
nobis hic contentio non est, vt quam plures quam duos habere sinus probe scimus.
In homine vero non esse nisi duos sinus, testatur Hippocrates *in libro de natura fœtus*,
ita dicens: Δίδυμα δὲ γίνονται ἀφ' ἑνὸς λαγνεύματος. ἔχουσιν αἱ μῆτραι κόλπους συχνοὺς καὶ γαμψούς. τοὺς μὲν τη-
λοτέρω

A λοτέρω, τὰς δὲ πλησιαιτέρω τῶ αἰδοίυ, καὶ τὰ πολύγονα τῶν ζώων πλείους ἔχει κόλπους τῶν ὀλίγα κυεόντων. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ πρόβατα θηρία τε καὶ ὄρνεα. ὅταν δὲ ἡ γονὴ τύχῃ σχισθεῖσα εἰς δύο κόλπους ἀφικομένη, καὶ αἱ μῆτραι δέξονται τὴν γονήν, οἱ κόλποι τε μὴ ἕτεροι πρὸς τὸν ἕτερον χαλάσῃ, ἡ χωρισθεῖσα ἐν ἑκατέρῳ κολπῷ ὑμενοῦται, καὶ ζωοῦται τῷ αὐτῷ τρόπῳ ὥσπερ καὶ τὸ ἓν οὗ εἵνεκεν εἴπομεν. ὅτι δὲ ἀφ᾽ ἑνὸς λαγνεύματος δίδυμα γίνεται, ἱστόριον τὸ δέ ἐστι κύων καὶ ὗς καὶ ἄλλα ζῶα ὅσα ἀφ᾽ ἑνὸς λαγνεύματος τίκτει καὶ δύο, καὶ πλείονα. καὶ ἕκαστον τῶν ζώων ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἐν κόλπῳ καὶ ὑμένι ἐστί. ὧδε δὲ καὶ τῇ γυναικὶ ἀπὸ μιῆς μίξιος γινόμενα τὰ παιδία, ἑκάτερον ἐν κόλπῳ καὶ χορίῳ ἐστί. καὶ τίκτει τῇ αὐτῇ ἡμέρῃ ἀμφότερα, καὶ πρότερον θάτερον χωρέει ἔξω καὶ τὸ χορίον αὐτοῦ. hoc est, *Gemelli vero vno coitu gignuntur. Multos sinus habent vteri, variosque, partim longius, partim propius pudenda. Quaque animalia plurima generant & pariunt, plures habent sinus, quam qua pauciora: similiter oues, feræ, & aues. Cum vero genitale semen in duos sinus diuiditur, vterusque suscipit, nec sinus alter*
B *in alterum demiserit, diuisum in vtroque sinu membranam obducit, similique modo, quo &, vt diximus, animatur. Quod autem vno coitu gemini creentur, comprobant canis, sus, cæteraque animalia, quæ vno coitu duos vel plures catulos pariunt. Nam vnusquisque suo sinu conditur, suaque membrana conuelatur. Sic & mulier vno coitu duos pueros enititur, vnumquemque suo sinu, suaque membrana conuolutum, vtrosque autem eodem die parit, primumque vnus suaque membrana prodit.* Et paulo post: ἐς ὁκότερον ἂν τῶν κόλπων τύχῃ ἡ γονὴ παχυτέρη καὶ ἰσχυροτέρη ἐσιοῦσα, κεῖθι ἄρσεν γίνεται. ἐς ὁκότερον δ᾽ αὖ ὑγροτέρη καὶ ἀσθενεστέρη, κεῖθι θῆλυ γίνεται. ἢν δ᾽ ἐς ἄμφω ἰσχυρὴ εἰσέλθῃ, ἄμφω ἄρσενα γίνεται. ἢν δὲ ἀσθενὴς ἐς ἄμφω, ἄμφω θήλεα γίνεται. id est: *Siquidem crassum robustumque genitale semen in quemcunque sinum intrauerit, mas illic gignitur: si vero contra humidius & inualidius, fœmina. Si autem sinus vtrosque semen validum intrauit, mares vtrique erunt, sin in-*
C *ualidum, vtraque fœmina generabuntur.* Quibus sane verbis Hippocrates aperte monstrat, duos tantum in hominis vtero esse sinus, licet in animalibus multa generantia, plures reperiantur. Id quod etiam testatur Galenus, qui *lib. 14. de vsu partium* in eam sententiam scribit: τοῦτον μὲν οὖν στόμαχον ἕνα, τὸ δὲ κύτος τῶν ὑστερῶν οὐχ ἓν ἡ φύσις ἐποίησεν, ἀλλ᾽ ἐν μὲν τοῖς ὑσὶ καὶ ἄλλοις τισὶ πλείων κυΐσκεσθαι δεομένοις, παμπόλλους κόλπους ἐδημιούργησεν. ἀνθρώπῳ δὲ καὶ τοῖς ὁμοίοις, ὥσπερ ὅλον ἐστὶ τὸ σῶμα, δίδυμον ἀριστεροῖς τε καὶ δεξιοῖς, οὕτω καὶ τῆς ὑστέρας κόλπος, ὁ μὲν ἐν τοῖς δεξιοῖς, ὁ δ᾽ ἐν τοῖς ἀριστεροῖς τέτακται. quod est: *Itaque collum hoc vnum quidẽ, sinuosam autem cauitatem vteri natura non vnam fecit, sed in suibus quidem & aliis nonnullis multa concipere seu in vtero ferre indigentibus, permultos creauit sinus. In homine vero & similibus, sicut totum corpus geminum diuisumque dextris & sinistris est, sic & vteri sinus, vnus quidem in dextris, & alius in sinistris est.* Et mox postea ita: προνοουμένη γὰρ ἡ φύσις, ὅπως ἂν μὴ ζώου τι γένος ἀφανισθείη μηδενός, ὅσα διὰ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν, ἤτοι βραχυ-
D χρόνια τελέως, ἢ φορὰ τοῖς ἰσχυροτέροις ἔμελλε γενήσεσθαι, τούτοις ἅπασιν ἴαμα τῆς συνεχοῦς φθορᾶς ἐξεῦρε τὴν πολυγονίαν. ἔστι μὲν δὴ καὶ τοῦτο θαυμαστὸν ἔργον τῆς φύσεως. ἁπάντων δ᾽ ἂν οἶδ᾽ ὅτι θαυμάτων ἐπέκεινα σοι δόξειεν ἥκειν τὸ πλῆθος τῶν κόλπων ἰσάριθμον γενόμενον τοῖς τιτθοῖς. οὐ γὰρ ἔτ᾽ ἐγχωρεῖ λέγειν ἐν ταῦθα τοῖς σοφισταῖς, ὡς ἄλογος αἰτία καὶ τύχη τις ἄτεχνος ἀνθρώποις μὲν δύο τῶν μητρῶν τοὺς κόλπους ἐδημιούργησε, παμπόλλους δὲ ταῖς ὑσί. τὸ γὰρ ὅσος ἐκείνων ἀριθμός, τοσοῦτον γενέσθαι καὶ τῶν τιτθῶν, ἀπάγει τὴν γνώμην τῆς αὐτομάτου γενέσεως. id est: *Natura n. prouidens ne aliquod genus animalis destruatur, quæcunque propter corporis imbecillitatem, vel parum duratura prorsus, vel cibo fortiora erant futura, omnibus iis remedium crebræ corruptionis inuenit, plurium generationem. Est autem & hoc mirabile naturæ opus. Vltra vero omnia, scio, mirabilia tibi peruenire videbitur multitudo sinuum, numero æqualis facta mamillis. Non enim hic etiam dicere licet sophistis, quod caussa irrationalis, & fortuna quædam inartificiosa, hominibus quidẽ duos*
E *vteri sinus, plurimos vero suibus creauit. Hoc namque quotus est sinuum numerus, tantum fieri & mamillarũ numerum sententiã fortuitæ generationis tollit.* Et paulo post: ὥσπερ γὰρ αἱ μῆτραι δύο γεγόνασι ταῖς γυναιξίν, εἰς ἕνα περαίνουσαι τράχηλον, οὕτω καὶ τιτθοὶ δύο τῆς καθ᾽ ἑαυτὰς ἑκατέρας μήτρας, οἷον ὑπηρέτης τις ἀγαθός. οὕτως γοῦν καὶ Ἱπποκράτης ἔλεγε, γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαζὸς ἰσχνὸς γένηται, δίδυμον ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκεται. καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δ᾽ ὁ ἀριστερός, τὸ θῆλυ. οὕτος γὰρ ὁ λόγος ἐκείνῳ συνάδει, ἔμβρυα τὰ μὲν ἄρρενα ἐν τοῖς δεξιοῖς, τὰ δὲ θήλεα ἐν τοῖς ἀριστεροῖς. hoc est, *Sicut enim duo vteri mulieribus facti sunt, in vnum collum finiti, sic & mammæ duæ in iis cuilibet vtero vna veluti ministra quædam existens. Ita & Hippocrates dixit, mulieri in vtero habenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterum abortit: & siquidem dextra gracilis fiat, marem, si vero sinistra, fœminam. Hic enim sermo consonat cum illo: Fœtus mares quidem in dextris, fœminæ ve-*
F *ro in sinistris.* Ex quibus omnibus clarum est, duos tantum vteri muliebris esse sinus, quod illos mammis numero æquales esse opporteat: quemadmodum etiam Auicenna. *vigesimo primo, 3. tractatu 1. capit. 1.* docet, sic scribens: *Et habet matrix in omnibus duas concauitates.* Loquitur autem de mulieribus, id quod verba præcedentia satis indicant. Iam dictis subscribit quoq; Lactantius *in lib. de opificio Dei. ca. 12.* ita inquiens: *Item in fœminis vterus in duas se diuidit partes, quæ in diuersum diffusæ ac reflexæ circumplicantur, sicut*

arietis cornua. Quæ pars in dextrum torquetur masculina est, quæ in sinistrum fœminina. Quapropter euidentissimum est aberrare Mundinum, huncque sequentes sophistas, quibus septem in vtero cellulæ placent, ternis in dextra, sinistraque constitutis, vna tantum in meditullio composita, quod totidem sint in vnoquoque animali quot mammæ. Nihil refert autem, sinus, cellulas, siue concauitates dices, nam omnibus iis idem significatur, vt ex Mundini verbis abunde liquet. Ceterum de vteri finibus, & vniuersa eiusdem historia & fabrica clarius & verius in Epitome nostra *de fabrica humani corporis* tractauim*, ad quam nunc, vt in ceteris omnibus anatomicis paradoxis, lector vt recurrat, hortor. A

Septum transuersum, quod Græci diaphragma nominant, non prorsus carne carere, quemadmodum Alexander Benedictus, Plinium in hoc secutus, sentire videtur. B

CAPVT. X.

PLinius *lib. 11. cap. 37.* de diaphragmate in hunc modum scribit: *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur, quod Græci phrenas appellauerunt. Omnia quidem principalia viscera, membranis propriis, ac velut vaginis inclusit prouidens natura. In hac fuit & peculiaris caussa vicinitas alui, ne cibis supprimeretur animus. Huic certe refertur accepta subtilitas mentis, ideo nulla est ei caro, sed neruosa exilitas.* Quem secutus est Alexander Benedictus, *lib. 3. suæ anatomes cap. 3.* ita de diaphragmate scribens: *Septum transuersum sub pulmone collocatum est, cinctum alii appellant, veteres quoniam cordi prætenduntur, præcordia dixere, diaphragma alii.* Plato vero phrenas ceu prudentiæ participes menteque coniunctas, vnde quidam mentis subtilitatem accipi putauere, ideo ei nulla caro est, sed neruosa exilitas. Errant autem vtrique duplici nomine, primum quod diaphragmati nullam prorsus inesse carnem tradunt: secundo quod eidem mentis subtilitatem acceptam referri dicunt, quod tamen falsum esse Aristoteles, & omnes Peripatetici contendunt. Quod ad primum attinet, diaphragmati scilicet carnem nullam inesse, cum Galeni Medici omnium doctissimi, ac in dissectionibus membrorum exercitatissimi placitis pugnat, qui *libr. 7. de vsu partium corporis humani* septum transuersum musculum esse tradit iis verbis: τῶν φρενῶν ἡ μὲν ἴδιος οὐσία μῦς ἐστιν. id est: *Phrenon quidem substantia propria musculus est. Si itaque musculus est, carnem habeat necesse erit, nam hoc ipsum propriæ naturæ euincit ratio, cum musculus aliud nihil sit, nisi caro neruis intexta.* id quod testatur Galenus *libr. 1. de vsu partium corporis humani*, ita scribens: ἐπειδὴ οὐδεμία σὰρξ ἐξ ἑαυτῆς αἴσθησιν ἐκέκτητο, καὶ ἦν ἄτοπον ἀντιληπτικὸν ὄργανον ἀναισθήτῳ σκεπάζεσθαι μορίῳ, τῶν εἰς ὅλας τὰς χεῖρας ἄνωθεν ἰόντων νεύρων οὐ σμικρὰν μοῖραν, εἰς τὰς σάρκας αὐτὰς κατέφυσεν. ἀλλ' ἐπεὶ τοῦτο ἐγένετο, μύες εὐθὺς αἱ σάρκες ἦσαν. hoc est: *Quoniam vero nulla caro ex seipsa sensum acquisiuit, & absurdum erat instrumentum apprehensorium insensili tegi particula, neruorum ad totas manus desuper venientium, nō paruam portionem, natura ad carnes ipsas deriuauit. Sed cum hoc factum esset, musculi mox carnes fuerunt.* Clarius autem *lib. 2.* idipsum indicat, vbi in eum modum scribit: ὅτι δ' αἱ σάρκες μόρια τῶν μυῶν εἰσιν, ἅπασι μὲν εἴρηται σχεδὸν τοῖς ἀνατομικοῖς, ὥσπερ οὖν καὶ ἡμῖν ἐν τοῖς περὶ κινήσεως αὐτῶν. quod est: *Quod vero carnes musculorum partes sint, ab omnibus fere qui in dissectionibus periti fuerunt,* quemadmodum & a nobis in libris de motibus ipsorum dictum est. Et paulo post: τὸ δ' ὁμολογούμενόν τε ἅμα καὶ φαινόμενον ἐν ταῖς διαιρέσεσιν, ἀρκεῖ πρός γε τὰ παρόντα, τὸ τὰς σάρκας ἐν τῇ τῶν μυῶν οὐσίᾳ περιέχεσθαι. hoc est: *Id vero quod confessum est, & apparet simul in resectionibus, ad præsentia sufficit, nempe carnes in musculorum substantia contineri.* In libro denique *2. de temperamentis* Galenus carnem perpetuo musculi esse partem scribit. Verba eius hæc: πρώτη μὲν ἡ κυρίως ὀνομαζομένη σὰρξ, ἣν οὐκ ἂν εὕροις καθ' αὑτὴν οὐδαμόθεν τοῦ σώματος, ἀλλ' ἔστιν ἀεὶ μόριον μυός. hoc est: *Prima quidem quæ proprie caro appellatur, quā nusquā in corpore per se inuenies, sed est perpetuo musculi pars.* Inter Arabes etiam Auic. *Fen. 1. Can. 1. doct. 5. Sum. 2. c. 1.* musculum carnē habere testatur, dum ita scribit: *Musculus est membrum ex neruo & ligamento, & eorū villis, & carne implente, & panniculo cooperiente compositum.* Razes quoq; *lib. 1. c. 3.* idem docet iis verbis: *Musculum itaq; ex carne, & neruo & ligamento componi dicimus* Inter recentiores etiā Mundinus in sua anatome diaphragma non ex omni parte carne carere iis verbis ostendit. *Tertius panniculus est diaphragma, qui etiā dici pōt musculus, cuius situs est in thorace, in fine pectoris & costarum, altior existēs in parte anteriore quā posteriore. Nam quantū ad eius partē carnosam, est cōtinuatum cum cartilaginib. costarū mendosarū.* Ex quib. sane omnib. satis monstratū est, diaphragma seu septum transuersum, antiqui phrenas appellarunt, esse carnosum, aliqua scilic. eius parte,

A parte, ea præsertim qua costis admouetur. Et in hoc a reliquis musculis distat, qui in medio carnosi, in extremis autem partibus neruosi sunt. Quod Aristoteles etiam satis indicat, qui *lib. 3. de part. anim. cap. 10.* in eam sententiam scribit: ἔστι δὲ τὸ διάζωμα πρὸς μὲν τὰς πλευρὰς σαρκωδέστερον τὸ ἰσχυρότερον, κατὰ μέσον δ' ὑμενωδέστερον, οὕτω γὰρ πρὸς τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν τάσιν χρησιμώτερον. διότι δὲ πρὸς τὴν θερμότητα τὴν κάτω, οἷον παραφυάδες εἰσὶ, σημεῖον ἐκ τῶν συμβαινόντων. ὅταν γὰρ διὰ τὴν γειτνίασιν ἑλκύσωσιν ὑγρότητα θερμὴν καὶ περιττωματικὴν, εὐθὺς ἐπιδήλως ταράττει τὴν διάνοιαν καὶ τὴν αἴσθησιν. διὸ καὶ καλοῦνται φρένες, ὡς μετέχουσαί τι τοῦ φρονεῖν. αἱ δὲ μετέχουσι μὲν οὔ, ἐγγὺς δ' οὖσαι τῶν μετεχόντων, ἐπίδηλον ποιοῦσι τὴν μεταβολὴν τῆς διανοίας, διὸ καὶ λεπταὶ κατὰ μέσον εἰσὶν, οὐ μόνον ἐξ ἀνάγκης, ὅτι σαρκώδεις οὔσας κατὰ τὰ πρὸς τὰς πλευρὰς, ἀναγκαῖον εἶναι σαρκωδεστέρας ἀλλ' ἵν' ὀλίγης μετέχωσιν ἰκμάδος. σαρκώδεις γὰρ οὖσαι καὶ εἶχον καὶ εἷλκον ἂν ἰκμάδα πολλὴν μᾶλλον. quod est: *Est hoc septum circa costas quidẽ carnosius, media autem sui parte membranosius, ita enim & ad robur, & ad extensionem commodius est. Contra calorem se ab infernis efferentem, hoc veluti propagi-*
B *nem esse argumentum ex iis quæ plerunque accidunt. Vbi enim propter vicinitatem attraxerint humorem calidum atque excrementitium, continuo mentem, sensumque plane perturbant. Quamobrem phrenes appellantur, quasi participes prudentiæ sint: atqui nullatenus participes sunt, sed quia propinquæ sunt iis, quæ vim obtinent illam, hinc mentis mutationem aperiunt. Quare tenues parte sui media sunt, non modo de necessitate, quod cum carnosæ sint parte sui costis admota, carnosiores esse necesse sit, verumetiam vt minus vaporis excipiant. Nam si carne pleniore constarent, copiam vaporis & haberent, & traherent. Septum autem transuersum non esse destitutum carne ocularis inspectio clarissime monstrat, vt euidentissimum sit, eos qui diuersum statuunt, hanc corporis partem nunquam vidisse.* Ex quibus Aristotelis verbis dilucidum fit, primum septum transuersum non penitus sine carne esse: deinceps nullius rationis particeps esse phrenas, sed
C sic a Græcis antiquis nominatas, quod adiaceant & vicinæ sint his, quæ facultatem illam obtinent, cordi scilicet, cui iuxta Aristotelem, & Peripateticos mentis subtilitas accepta refertur, ita vt manifestissimum sit, & Plinum & Alexandrum Benedictum vtroque errare nomine, quod scilicet nullam plane diaphragmati carnem inesse dixerint, & quod huic mentis subtilitatem seu prudentiam acceptam retulerint. Nam etsi cor minime prudentiæ sedes sit, quemadmodum Hippocrates, vel quisquis tandem eius auctor fuit, *in libro de morbo sacro* contendit, non tamen ob id phrenes erunt, sed cerebrum, id quod Hipprocrates loco iam citato iis verbis probat: *Cerebrũ in homine propterea multum posse duco, quod nobis, si valet, interpres sit eorum, quæ per aerem fiunt. Prudentiam autẽ ei aer præbet. Oculi autem, aures, lingua, manus, pedes, tanquam ministri, quæ cerebrum cognoscit perficiunt.*
D *Tantum enim quodque corpus sapit, quantum aeris suscipit, prudentiam siquidem cerebrum nuntiat. Cum enim homo ad sese aerem trahit, primo cerebrum petit, sicque per reliquum corpus aer aspergitur, sed vigorem vimque suam in cerebro relinquit, & quicquid erat prudens notitiamque habens. Nam si corpus prius quam cerebrum petierit, dignotionem in carnibus venisque relinqueret, cerebrumque si calidus adhuc existat non sincerus, sed carnium sanguinisque humiditate commistus, adeoque nequaquam purus perueniet, quare dico cerebrum prudentiæ nuntium & interpretem esse. Præcordia vero casu quodam legeque decora nomen hoc nanciscuntur, non natura. Quam vero vim præcordia habeant, vt sapiant & cognoscant, ignoro, nisi cum quis insperato gaudeat, vel tristetur, tum saliunt, tristitiamque præ tenuitate præbent, & quod in corpore maxime tenduntur, sinusque nullos habent, quibus bonum vel malum accedens suscipiant, sed ab vtroque horum*
E *ob naturalem imbecillitatem perturbantur. Siquidem nihil prius quam cetera quæ in corpore sunt sentiunt, quare frustra hoc nomen caussamque habent, quemadmodum & quæ in corde aures dicuntur, nihil ad auditũ conferunt. Corde vero quidam nos sapere dicunt, quoniam hoc prius molestiam curamque sentit, quod non ita habet, quare conuellitur quidem haud aliter quam præcordia; quinetiam magis, quoniam de toto corpore venæ eo simul tendunt, illicque clauduntur. Quare si quis labor molestiaue homini accidat, sentit. Necesse enim est corpus molestia affectum horrere, atque extrahi. Quod etsi summopere quis lætetur, idem patitur, quoniam cor præcordiaque hoc præcipue sentiunt. Prudentiæ autem vtraque expertia sunt, sed cerebrum horum omnium auctor est & caussa. Porro septum transuersum non esse destitutum carne, ocularis inspectio clarissime docet, vt dubium non sit, eos qui contrarium statuunt, hanc corporis partem nunquam oculis suis conspexisse. Et*
F *quum a veteribus inter musculos censeatur, fieri nequit, vt carne careat.*

Perperam Alexandrum Benedictum in trium ventriculorum cordis assertione defendere Aristotelem, cum plurimum duo tantum sint.

Capvt. XI. A

ARistoteles variis in locis librorū *de historia animalium* tres esse cordis sinus seu ventriculos asserit, nimirum *ca. 17. lib. 1.* in verbis: ἡ δὲ καρδία ἔχει μὲν τρεῖς κοιλίας, μεγίστην μὲν ἐν τοῖς δεξιοῖς, ἐλαχίστην δὲ τὴν ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, μέσην δὲ μεγέθει τὴν ἐν τοῖς ἀνὰ μέσον. quod est: *Cor ventriculos tres habet, maximum quidem in dextro latere, minimum autem in sinistro, medium magnitudine inter sinistrum & dextrum.* In cap. etiam *3. libr. 3.* indiscriminatim omnia in vniuersum animalia tres habere vētriculos pronuntiat, sic dicens: ἔχουσι δ' αἱ πᾶσαι μὲν καρδίαι κοιλίας ἐν αὐταῖς, ἀλλ' αἱ μὲν τῶν σφόδρα μικρῶν ζώων, μόλις φανερὰν τὴν μεγίστην ἔχουσι. τὰ δὲ μέσα τῷ μεγέθει τῶν ζώων καὶ τὴν ἑτέραν. τὰ δὲ μέγιστα πάσας τὰς τρεῖς. ἔτι δὲ τῆς καρδίας τὸ ὀξὺ ἐχούσης εἰς τὸ πρόσθεν καθ' εἴρηται πρότερον, ἡ μεγίστη μὲν κοιλία ἐν τοῖς δεξιοῖς καὶ ἀνωτάτω ταύτης, ἡ δὲ ἐλαχίστη ἐν τοῖς ἀριστεροῖς, ἡ δὲ μέση μεγέθει τούτων ἐν τῷ μέσῳ ἀμφοῖν. ἀμφότεραι δὲ αἱ δύο πολλῷ ἐλάττους εἰσὶ τῆς μεγίστης. συντέτρηνται μέντοι πᾶσαι αὗται πρὸς τὸν πνεύμονα, ἀλλ' ἄδηλοι διὰ σμικρότητα τῶν πόρων, πλὴν μιᾶς. hoc est: *Habent intra se corda omnia sinum ventriculumue triplicem, sed minutissimorum animalium qui maximus est vix conspici potest. Mediocrium animalium secundus etiam conspicuus est, maximorum omnes tres perspici possunt. Et cum priorem in partem cor suo mucrone spectet, vt dictum est, maximus sinus dextrum, supremumque suscipit situm, minimus sinistrum, mediocris medium. Qui autem maximus inter eos est, hic longe reliquis ambobus amplior est. Omnes tamen ad pulmonem parui sunt, sed propter exiguitatem meatuum latent, vno excepto.* Aristotelem sequitur Auicenna *Fen. 11. Can. 3. tract. 1. capit. primo*, tres quoque in corde ventriculos esse statuens. Alexander etiam Benedictus *cap. 13. libr. 3. suæ anatomes*, tres esse in corde ventriculos contendit. Ac Aristoteli inibi patrocinari cupit, at quam feliciter ex his, quæ dicemus, dilucidum fiet. Et hi duo tantum sunt, quod sciam, ex omnibus fere qui Aristotelis sequi sententiam temere voluerunt. Errare autem Aristot. vel vnus Galen. qui in dissectionum peritia Aristot. longe superauit, vt qui illo etiam posterior fuerit, ac omnia quæ ab eodē scripta sunt, diligenter excusserit examinaueritque, abunde docere potest, qui euidentissimis argumentis hanc passim Aristotelis sentētiam conuellit exploditque, vt qui in dissectionibus animalium probe conspexerit, non esse æqualem in cunctis ventriculorū cordis multitudine. In lib. siquidē *6. de vsu par.* ita scribit. πλῆθος μὲν δὴ τῶν κοιλιῶν τῆς καρδίας οὐκ ἴσον ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶν, ἀλλ' ὅσα μὲν ἐξ ἀέρος εἰσπνεῖ διὰ φάρυγγος καὶ ῥινῶν καὶ στόματος κοιλία. εὐθὺς μὲν καὶ πνεύμων τούτοις ἐστὶν, εὐθὺς δὲ καὶ τῆς καρδίας ἡ δεξιά. τοῖς δ' ἄλλοις ἅπασιν οὔτε πνεύμων ἐστὶν, οὔτε ἐν τοῖς δεξιοῖς τῆς καρδίας εὐρύτης οὐδεμία. συναπόλλυται γὰρ ἀεὶ τῷ πνεύμονι δύο ταῦτ' ἐξ ἀνάγκης, ἥ τε φωνὴ τοῦ ζώου, καὶ ἡ δεξιὰ τῆς καρδίας κοιλία. κἀν τῷδε δῆλον εἰς ὅσον ἑκάτερον αὐτῶν ἥκει χρείας, ἡ μὲν γὰρ δεξιὰ κοιλία τοῦ πνεύμονος ἕνεκα γέγονεν, ὁ δὲ πνεύμων αὐτὸς ἀναπνοῆς τε καὶ φωνῆς ἐστὶν ὄργανον. οὔκουν ὀρθῶς Ἀριστοτέλης διῃρεῖτο περὶ τοῦ πλήθους τῶν ἐν τῇ καρδίᾳ κοιλιῶν, εἰς μέγεθος καὶ μικρότητα τοῦ σώματος ἀνάγων αὐτῶν τὸν ἀριθμόν. οὔτε γὰρ τοῖς μεγίστοις ζώοις ἅπασι τρεῖς, οὔτε τοῖς ἐλαχίστοις ἐστὶ μία, τὴν αὐτὴν γὰρ ἀκριβῶς ἔχει κατασκευὴν καρδίας ἵππος ὁ μέγιστος, ἐλαχίστῳ στρουθῷ, κἂν εἰ μῦν ἀνατέμοις, κἂν εἰ βοῦν, κἂν εἴ τι τῶν ἄλλων ζώων, κἂν εἴ τι μικρότερον ἔτι μυὸς, ἢ μεῖζον βοὸς, ἅπασιν αὐτοῖς ὅτ' ἀριθμὸς ἴσος ὁ τῶν κοιλιῶν, ἥ τ' ἄλλη κατασκευὴ τῆς καρδίας ἡ αὐτή. οὐ γὰρ εἰς μέγεθος ἀποβλέπουσα καὶ σμικρότητα σώματος ἡ φύσις ἐξαλλάττει τῶν ὀργάνων τὴν ἰδέαν, ἀλλ' ἡ τῆς ἐνεργείας διαφορὰ σκοπὸς αὐτῇ γίγνεται τῆς κατασκευῆς, αὐτὰς δ' αὖ πάλιν τὰς ἐνεργείας, τῇ πρώτῃ χρείᾳ μετρεῖ. quod est: *Multitudo itaque ventriculorum cordis non in cunctis animalibus æqualis est, sed quæcunque aerem inspirant per fauces, & nares, & os, his mox quidem & pulmo est, & dexter cordis ventriculus. Reliquis autem vniuersis, neque pulmo est, neque in dextris aliqua cordis amplitudo, semper namque cum pulmone simul pereunt necessario hæc duo, animalis vox, & dexter cordis ventriculus. In hoc vero manifestum est ad quantum vsum vtrunque ipsorum peruenit, dexter enim ventriculus pulmonis gratia factus est, pulmo autem ipse respirationis & vocis instrumētum est. Haud recte igitur Arist. ventriculorum cordis multitudinē distinxit, ad magnitudinē & paruitatem corporis numerum eorum reducens. Neque enim maximis quibusque animalibus sunt tres, neque minimus est vnicus: eandem enim cordis constructionem exacte habet maximus equus cum minimo passere. Et si murem dissecueris, aut bouē, aut aliquod aliorum animalium, vel quod minus etiam mure, vel maius boue sit, his omnibus æqualis est ventriculorum numerus, & reliqua cordis constructio eadem. Neque enim natura magnitudinem & paruitatem corporis respiciens, instrumentorum formam permutat, sed actionis differentia huic scopus & intentio fit. Ipsas autem rursus actiones primo vsui commensurat.* E quibus vtique verbis nemo non intelligit aberrasse Aristot. quod indiscriminatim omnibus animantibus tres esse cordis ventriculos asseruerit, cum ventriculorū numerus nō in omnibus æqualis sit. Quidam enim dextrum ventriculum non habent, veluti sunt ea quæ pulmone carent: id quod etiam oculata in dissectionibus fides abunde docet, ita vt ad Arist. confutandā sententiam non multis opus sit verbis. Proinde satis mirari non possum, cur Alexander Benedictus

(Margin letters: B, C, D, E, F)

A dictus iniuste Galenum Aristotelem perstrinxisse, cum eundem à veritate deuiasse o-
mnibus fere notum sit. Sed putat hominem per tot secula laudatissimum fas non esse
de errore accusare, immemor sane eius dicti, quod ad Aristotelem auctorem refertur,
Amicus Socrates, amicus Plato, magis amica veritas. Si Aristot. superiorum omnium placi-
ta, Platonemque summum tum Philosophum atque præceptorem suum, vbi a veritate
sibi aberrare visus est, conuellere ausus fuit, cur non pariter Galeno & nobis, eundem
hallucinantem perstringere licebit? Neque potest eum ab errore vindicare Alexandri
de auribus cordis commentum, neque enim sinistram aurem, sinistrum esse ventricu-
lum admittimus, cum ventriculi sint in ipso corde, aures vero ex vtraque parte cordis,
haud aliter quam in capite animalis, emicent. Testis Galenus loco iam citato, sic scri-
B bens: ὠνόμασται δ' οὕτως οὐκ ἀπὸ χρείας, ἢ ἐνεργείας τινὸς, ἀλλὰ ἀπὸ μικρᾶς ὁμοιότητος, ὅτι τῆς καρδίας ἑκατέρωθεν ὥσπερ
κεφαλῆς τοῦ ζώου πρόκειται τὰ ὦτα. id est: *Nominantur vero aures, non ab vsu aut aliqua actione, sed a
modica similitudine, quoniam scilicet vtrinque cordi, perinde atque capiti animalis aures, adiacent.*
Id quod etiam lib. 7. anat. administ. iis docet verbis: νυνὶ δ' ἐπὶ τὰ τῆς προκειμένης πραγματείας
ἴδια μετέλθωμεν, ἀπὸ τῶν ὤτων ἀρξάμενοι τῆς καρδίας, ἃ καθ' ὁμοιότητά τινα τοῖς κυρίως ὀνομαζομένοις ὠσὶν ἐκάλεσαν
οἱ πρόσθεν. ὡς γὰρ ἐκεῖνα παραπέφυκεν ἑκατέρωθεν τῇ κεφαλῇ, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ταῦτα τῇ καρδίᾳ. νευρωδέστερά
τε καὶ δερματωδέστερα φαινόμενα σαφῶς αὐτοῦ τοῦ τῆς καρδίας σώματος. id est: *Nunc autem ad propositi operis pe-
culiaria digrediamur, ab auribus cordis auspicati, quas ad similitudinem quandam aurium proprie
dictarum maiores vocarunt. Vt enim illæ capiti vtrinque annexa sunt, ita & hæ cordi neruosiores
ac magis cuticulares ipso cordis corpore manifesto apparent.* Et paulo post cordis auriculas extra
ventriculos ipsius consistere Galen. scribit. Errat denique idem Alexander, quod au-
C res tantum in cadauere conspici posse putat, atque adeo qui eas in corde posuerunt, ca-
daueris tantum posituram considerasse, quasi Galenus singula quæ de anatome tradit,
non tam in viuis quam in mortuis contemplatus sit. Quoties enim se viuam dissecuisse
simiam, quę hominis figuræ proxima est, scribit, eo tantum nomine vt singula ad ana-
tomes cognitionem necessaria exactius rimaretur? Non is fuit Galenus, qui anatomen
ex libris tantū, & ex aliorū scriptis didicerit, qualē Alex. hunc aliorum non solum sen-
tentiam, sed & verba imitantem, fuisse constat. Qđ vero in maximis etiam animantib.
nulla fiat ob magnitudinem in corde differentia, atque adeo in iis etiam non nisi duo
cordis sint ventriculi, testātur ea quę Gal. *lib. 7. anat. administ.* in eum scribit modum: πᾶσι
μὲν γὰρ τοῖς ζώοις ὡσαύτως ἡ καρδία ὑπάρχει. μηδεμίας διὰ μέγεθος ἐν αὐτοῖς γιγνομένης διαφορᾶς, ὡς Ἀριστοτέλης οἴε-
D ται, σαφεστέρα δ' ἡ θέα κατὰ τὰς μεγάλας ἐστὶ καρδίας. καὶ γὰρ οὖν καὶ τὸ κατ' αὐτὴν ὀστοῦν, ὃ τοῖς μεγάλοις ζώοις ὑπάρχειν νομίζου-
σι, καὶ τούτοις οὐ πᾶσιν, ἐν πᾶσι μέν ἐστι καὶ τοῖς ἄλλοις, οὐ μὴν ὀστοῦν πάντη ἀκριβῶς, ἀλλὰ χόνδρος. θαυμαστὸν δ' οὐδὲν ἐπὶ τῶν
μικρῶν ζώων ἀγνοεῖσθαι τελέως, αὐτὸ τοῖς ἀγυμνάστοις ἐπὶ τὰς ἀνατομὰς, ὅπου γε καὶ κατὰ μεῖζον λανθάνει πολλάκις αὐτούς.
καὶ τί λέγω τὰ μείζω; μεγίστου γοῦν ἐλέφαντος ἔναγχος ἐν ῥώμῃ σφαγέντος, ἠθροίσθησαν μὲν ἐπὶ τὴν ἀνατομὴν αὐτοῦ πολλοὶ
τῶν ἰατρῶν, ἕνεκα τοῦ γνῶναι πότερον ἔχει δύο κορυφὰς, ἢ μίαν ἡ καρδία, καὶ δύο κοιλίας, ἢ τρεῖς. ἐγὼ καὶ πρὸ τῆς ἀνατομῆς αὐ-
τοῦ διετεινόμην εὑρεθήσεσθαι τὴν αὐτὴν κατασκευὴν τῆς καρδίας ταῖς ἄλλαις πάσαις τῶν ἐξ ἀέρος ἀναπνεόντων ζώων, ἅπερ ἐφά-
νη καὶ τῆς διαιρεθείσης, εὗρον δὲ ῥαδίως καὶ τὸ κατ' αὐτὴν ὀστοῦν, ἅμα τοῖς ἑταίροις ἐπιβαλὼν τοὺς δακτύλους. οἱ δὲ ἀγύμνα-
στοι μὲν ἐλπίζοντες δὲ εὑρίσκειν, ὡς ἐν μεγάλῳ ζώῳ, τὸ μὲν φαινόμενον ἐπὶ τῶν ἄλλων ὑπέλαβον οὐδὲ ὁ ἐλέφαντος καρ-
δίαν ἔχειν ὀστοῦν, ἐγὼ δ' ἠμέλησα μὲν αὐτοῖς δεικνύειν, τῶν δ' ἑταίρων γελώντων ἐφ' οἷς ἑώρων ἀναισθήτους ἐκείνους διὰ τὴν
ἄγνοιαν. οὐ τὲ πως παρακαλεσάντων δὲ μὴ δεικνύειν, ὑπέσχον τὴν δεῖξιν. ἀρθείσης μέντοι τῆς καρδίας ὑπὸ τῶν τοῦ Καίσαρος
μαγείρων, ἔπεμψά τινα τῶν γεγυμνασμένων ἑταίρων περὶ τὰ τοιαῦτα παρακαλέσαντα τοὺς μαγείρους ἐπιτρέψαι τὸ
κατ' αὐτὴν ὀστοῦν ἐξελεῖν, καὶ οὕτως ἐγένετο. καὶ παρ' ἡμῖν ἐστὶ νῦν οὐ σμικρὸν μὲν ὑπάρχον τῷ μεγέθει, θαυμαστὴν καὶ παρέ-
E χον ἀπιστίαν τοῖς ὁρῶσιν, εἰ τηλικοῦτον ὀστοῦν ἐλάνθανε τοὺς ἰατρούς. οὕτω ἄρα καὶ τὰ μέγιστα τῶν ἐν τοῖς ζώοις μορίων λανθάνει
τοὺς ἀγυμνάστους, καὶ θαυμαστὸν οὐδὲν ἄλλα τε πολλὰ καὶ τὰς ἀνατομὰς Ἀριστοτέλη διαμαρτεῖν. καὶ ἡγεῖσθαι τρεῖς ἔχειν κοι-
λίας ἐπὶ τῶν μεγάλων ζώων τὴν καρδίαν. ὅτι μὲν οὖν ἀγύμναστος ὢν ἐν ταῖς ἀνατομαῖς ἐσφάλη περὶ τὴν τῶν μορίων εὕρεσιν,
οὔτε θαυμάζειν χρὴ, καὶ συγγινώσκειν αὐτῷ προσήκει. ὅπου γὰρ οἱ τὸν ὅλον ἑαυτῶν βίον ἀναθέντες τῇ θεωρίᾳ ταύτῃ, καθά-
περ Μαρῖνος, ἥμαρτον πολλὰ, τί χρὴ νομίζειν συμβαίνειν τοῖς ἐξαίφνης μὲν ἐπ' αὐτὴν ἐλθοῦσι, πεισθεῖσι δ' οἷς πρῶτον οὐκ
εἶδον, ὡς μηκέτι ἐπιχειρῆσαι δεύτερον ἰδεῖν; quod est: *Omnibus enim similiter animantibus cor inest, quum
nulla ob magnitudinem in ipsis sit differētia, sicut Aristoteles autumat: sed clarior in magnis cordibus
est speculatio quoniam & ipsorum os, quod magnis inesse animalibus arbitrātur, atq; his non omni-
bus, etiam aliis natura concessit, haud tamen os vniuersis exactum, sed cartilaginem. Nullum vero
miraculum, est in minutis ipsum animantibus consectionum rudes penitus ignorare, quū & in gran-
F diori frequenter ipsos lateat. At quid dico in grandioribus? Nuper Elephāto maximo Romæ iugulato,
pleriq; Medici ad ipsius dissectionē conuenerant, discendi gratia, duosne cor haberet vertices, an 1. &
ventriculos ne 2. aut 3. Ego aūt vel ante ipsius consectionē asserebam, eandē cordis struct[ur]ã cum aliis
omnibus animaliū aerem spirantium inuentum iri, quæ etiam ipso diuiso apparuerunt. Itē [o]s ipsius si-
ne negotio reperi, vna cum familiaribus digitos admolitus. At in exer[c]itati sperantes id, quod in*

aliis animantibus apparet, ceu in magno se inuenturos, ne elephanti quidem cor os habere putabant. A
Ego autem ostensurus ipsis eram, nisi familiares risissent, quod attonitos illos ac sensus expertes propter loci ignorantiam conspicerent, & quum adhortarentur ne indicarem, subticui. Corde vero a Caesaris coquis exemto, misi aliquem ex familiaribus in huiusmodi exercitatis, rogatum coquos, vt os ipsius eximi sinerent, atque sic factum est. Seruatur idem apud nos etiam hodie eximiae adeo magnitudinis, vt ab iis qui intuentur, nullo modo credi queat tantum os Medicos latuisse. Ita sane & maxime in animantibus particularum, inexercitatis ignorantur. Ac miri nihil est, si praeter alia multa etiam in anatomis Aristoteles errauerit, qui triplicem sinum cor habere in magnis animalibus existimat. Quod igitur in consectionibus parum exercitatus circa partium inuentionem errorem commiserit, neque mirandum est, & condonare homini conuenit: quum enim qui totam suam vitam huc speculationi dedicarunt, quemadmodum Marinus, in plerisque falsi sunt, quid existimandum est iis accidere, qui repente ipsam adierint, persuasi ea quae prius non viderunt, vt denuo inspicere non aggrediantur? B Hactenus Galenus, cuius vtique verba, etsi prolixa admodum sint, eo tamen libentius recitaui, quod sola ad Aristotelis sententiam explodendam sufficere videbantur. Quod si tamen exactiorem eius rei disputationem scire cupis, lege quae in anatomicis scripsit Galenus & voti compos efficieris. Ceterum Galeni sententiam confirmat Hippocrates *in libro de corde*, sic scribens: ἡ καρδίη δύο γαστέρας ἔχει διακεκριμένας ἐν ἑνὶ περιβόλῳ, τὴν μὲν ἔνθα, τὴν δὲ ἔνθα. ἡ μὲν γὰρ ἐν τοῖς δεξιοῖσιν ἐπὶ στόμα κέεται ὁμιλέουσα τῇ ἑτέρῃ φλεβί. αὕτη ἥδε καὶ πάμπαν εὐρυκοίλιος καὶ λαγαρωτέρη πολλῷ τῆς ἑτέρης, οὐδὲ τῆς καρδίης νέμεται τὴν ἐσχατιήν. ἡ δὲ ἑτέρη κέεται, ἡ ὑπένερθεν μὲν μάλιστα καὶ κατ' ἰθυωρίην. μάλιστα μὲν μαζῷ ἀριστερῷ. στόματα δὲ αἱ τέοισιν οὐκ ἀνεώγασιν, εἰ μή τις ἀποκείρῃ τῶν οὐάτων τὴν κορυφήν, καὶ τῆς καρδίης τὴν κεφαλήν. ἣν δ' ἀποκείρῃ φανήσεται καὶ δισσὰ στόματα ἐπὶ δυσὶ γαστέρεσιν. C id est: *Cor duos sinus ventriculosque vtrinque discriminatos habet circuitu & vallo vno, quorum vnus in parte dextra os versus positus est, qui cum vena vna communicat. Quin & hic latior est ac mollior multo quam alter, nec in vltimam vsque cordis partem penetrat. Sinus vero alter superne recta, & contra sinistram mammam situs est. Ora autem horum non patent, nisi quis aures & caput cordis praecidat: quae si praecidantur, patent, geminaque in singulis sinibus ora sunt.* Et Cornelius Celsus lib. 4. cap. 1. iis verbis: *Huic cor annexum est natura musculosum, in pectore sub sinisteriore mamma situm, duosque quasi ventriculos habet.* Iulius quoque Pollux *secundo Onomastici*, duos tantum in corde sinus agnoscit. Inter Arabes Abenrois *primo Collig. cap. 24.* duas tantum cordis cauitates, & vtique amplas esse statuit, in dextra vnam, in sinistra alteram. Quinetiam Razes *lib. 1. cap. 14.* cor duos magnos habere ventriculos tradit, quorum vnus in dextro est latere, & alter in sinistro. D Quid multa? sensu deprehensum est, indiesque adhuc in dissectionibus deprehenditur, duos tantum cordis esse ventriculos, vt errasse Aristotelem, eumque sequentes omnium euidentissimum sit. Nec valet quorundam hic ex Auicenna desumta concordia, qui Galenum ventrem medium foueam appellasse tradunt. Nam liber hic, ex quo ista desumsit Auicēna, non est Galeni, sed alterius cuiuspiam Arabis, qui multa ex Galeni commentariis anatomicis trāscripsit. Est autem liber hic de anatomia viuorum inscriptus, in quo sic scribitur: *Duo sunt in corde vētres, & fouea, quae est quasi meatus quidam inter ventres, & non est venter.* Et rursus in eodem libro de cordis anatomia in hunc modum: *Cor autem habet tres distinctiones siue folliculos ad modum quarundam busarum, in quarum parte suprema recipitur aer, in infima sanguis, in media quae fouea appellatur, acris & sanguinis commixtio, & spirituum generatio, vnde ille locus in corde dicitur minera spirituum.* E Ex hoc siquidem libro Auicennam, quae *Fen. 11. Can. 3. tract. 1. cap. 1.* scribit, desumsisse constat, quemadmodum verba eiusdem abunde testātur. Non esse autem hunc librum Galeni, vel hoc vno argumento colligi potest. Auctor libri quisquis ille fuit, Galenum non semel, sed iterum atque iterum citat, quod minime factum fuisset, si Galeno auctore conscriptus hic liber fuisset. Quid enim attineret seipsum in testem vocare? Extremae certe esse dementiae quis diceret, si tale quid commisisset Galenus. At ita insaniunt hodie, qui citra iudicium temere quosuis libros ad optimos quosque auctores referunt, quos certe si hodie viuerent, neutiquam agnoscerent, quandoquidem ne vmbram quidem illorum referrent. F Porro exquisitiorem ventriculorum cordis tractationem *libr. 5. Epitomes nostrae de fabrica humani corporis, capit. 10.* inuenient studiosi.

Aristotelis in anatomicis errores multi.

Gulam nullos habere musculos motui deglutionis deseruientes, quemadmodum Auicenna ac alii nonnulli putant, quando motus ille sit plane naturalis, atque adeo musculis minime egeat.

CAPVT

A

Capvt XII.

NE alicui vocabulorum ignorantia imponat, animaduertendum, gulam Latinis esse id, quod Græci οἰσοφάγον, Arabes *meri* vocant. Huic itaque corporis parti latenter musculos inesse innuit Auicenna, dum illi motum voluntarium in plerisque locis tribuit. Neque enim voluntarius motus fit nisi a musculis, id quod testatur Galen. *lib. 1. de motu musculorum* ita scribens: ὄργανα κινήσεως τῆς καθ' ὁρμὴν οἱ μύες εἰσίν, id est: *Instrumenta motus voluntarii musculi sunt. Et in lib. 1. de vsu partium corporis humani*, omnes voluntarios motus a musculis fieri docet. Id quod & Razes confirmat *lib. 1. cap. 3.* sic dicens: *Omne membrum quod voluntario mouetur motu, musculum habet, quo mouetur.* Quod vero Auicenna meri voluntarium tribuat motum, eius aperte monstrant verba, quæ *Fen. 1. Cano. 1. doct. 6. cap. vltimo*, ita habent: *Et similiter transglutiendi operatio duabus completur virtutibus: vna est attractiua naturalis, & altera est attractiua voluntaria. Et prima quidem suam complet operationem per villum, qui secundum longitudinem protenditur, qui est in ore stomachi & isophagi: & secunda completur operatio per villum lacerti transglutiendi.* In eandem fere sententiam de duabus virtutibus, altera naturali, altera animali, adiuuantibus deglutitionem loquitur idem Auicenna *Fen. 16. Can. 3. cap. 1.* dicens. *Et secunda caussa est quod penetranti in meri non attribuitur ex virtutibus naturalibus nisi virtus vna, quamuis voluntas adiuuet ipsum ex parte vna, & est attractiua: adiuuat ergo aperiendo viam & dilatando ipsam.* Clarius multo circa finem eiusdem capitis in meri esse musculos ostendit, dum ita inquit: *Et non mouetur aliquod horum membrorũ, quæ sunt via cibi per lacertos, nisi duo extrema, scilicet caput, & est meri, & guttur, & inferius, & est sicteris.* Si itaque per lacertos meri mouetur, quid est cur etiam illic motum voluntarium esse dicamus? Idem denique Auicenna *Fen. 9. Can. 5. cap. 8.* tertiam speciem suffocationis apostemosæ in lacertis intrinsecis meri fieri scribit, inquiens: *Aut erit in lacertis intrinsecis meri, & quæ sequuntur ipsum, & stringit anhelitum.* Ex quibus omnibus Auicennæ locis a nobis iam citatis manifestissime colligitur, eundẽ voluisse meri habere lacertos, hoc est, musculos, in ea enim significatione interpres vtitur, atque ita moueri ipsum nõ modo ex vi sua naturali, sed etiam animali seu voluntaria, quæ per musculos ceu instrumenta operatur. Errorem hunc Auicennæ statuentis, meri intrinsecos habere musculos, sequitur Iacobus Forliuiensis *in enarratione aphoris. 34. quartæ Hipp. particulæ*, vbi quatuor anginæ species enumerans, tertiam numero illam cõstituit, quæ in lacertis intrinsecis meri fieri solet. Quamuis eo loci Forliuiensis bis aberret, primum quod falso meri intrinsecos musculos assignet, deinceps etiam quod perperam tertio præsagiorum Hippocratem & Galenum *in 4. de locis affectis libro*, de eiusmodi anginæ specie intrinsecos gulæ musculos occupante loquentes, citet, cum tamen neque Hippocrates neque Galenus ibidem illum enarrans, neq; etiam de affectis locis libro, vbi quatuor anginæ species recẽset, quicquam de tali specie, in qua gulæ intrinseci musculi phlegmone afficiantur, loquantur. Sequutus est & hunc errorem Alexander Benedictus, dum *lib. 5. suæ anatomes. cap. 18.* musculos gulæ, haud aliter quam epiglottidi & tracheæ arteriæ tribuit. Verum a veritate aberrasse omnes satis constat, si motum deglutitionis probe expẽdimus: is enim cum plane naturalis sit, hoc est virtute fibrarum, quæ deglutitionis tempore in se contrahuntur, & hac cessante relaxantur, factus, fieri non potest, vt ex naturali & animali seu voluntario compositus sit. Cum itaqne voluntarius non sit, nulli ad eum afficiendum musculi necessarii sunt, sed villis seu fibris tantum, quas ἶνας Græci vocant, per quas facultas attractiua naturalis suam actionem exercet, opus erit. Testis satis locuples exsistit Galenus, qui *lib. 3. de facultatibus naturalibus* deglutitionem per facultatem ventriculi attractricem, ope fibrarum seu villorum fieri monstrat. Sed præstat eius verba subiicere: καὶ μὴν δύο χιτῶνας ἡ γαστὴρ ἔχει, πάντως ἕνεκά του γεγονότας, καὶ διήκουσιν οὗτοι μέχρι καὶ τοῦ στόματος. ὁ μὲν ἔνδον, οἷος ἐστὶ κατὰ τὴν γαστέρα τοιοῦτος διαμένων. ὁ δ' ἕτερος ἐπὶ τὸ σαρκωδέστερον ἐν τῷ στομάχῳ τρεπόμενος. ὅτι μὲν οὖν ἐναντίας ἀλλήλαις τὰς ἐπιβολὰς τῶν ἰνῶν ἔχουσιν οἱ χιτῶνες οὗτοι, τὸ φαινόμενον αὐτὸ μαρτυρεῖ, ὁ μὲν ἔνδον εὐθείας ἔχει τὰς ἶνας. ὁλκῆς γὰρ ἕνεκα γέγονεν, ὁ δ' ἔξωθεν ἐγκαρσίας ὑπὲρ κατὰ κύκλον περιστέλλεσθαι. ἑκάστῳ γὰρ τῶν κινουμένων ὀργάνων τοῖς σώμασι κατὰ τὰς τῶν ἰνῶν θέσεις αἱ κινήσεις εἰσίν. ἐπ' αὐτῶν δὲ πρῶτον τῶν μυῶν, εἰ βούλει, βασάνισον τὸν λόγον, ἐφ' ὧν καὶ αἱ ἶνες ἐναργέσταται, καὶ αἱ κινήσεις αὐτῶν ὁρῶνται διὰ σφοδρότητα.

F

μετὰ δὲ τοὺς ἐπὶ τὰ φυσικὰ τῶν ὀργάνων ἴθι, καὶ πάντως ὄψει κατὰ τὰς ἶνας κινούμενα. καὶ διὰ τοῦθ' ἑκάστῳ μὲν τῶν ἐντέρων στρογγύλαι καθ' ἑκάτερον τῶν χιτώνων αἱ ἶνες εἰσί. περιστέλλονται γὰρ μόνον, ἕλκουσιν δ' οὐδέν, ἡ γαστὴρ δὲ τῶν ἰνῶν τὰς μὲν εὐθείας ἔχει χάριν ὁλκῆς, τὰς δ' ἐγκαρσίας ἕνεκα περιστολῆς. ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς μυσὶν ἑκάστης τῶν ἰνῶν τεινομένης τε καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἑλκομένης αἱ κινήσεις γίγνονται, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ἐν τῇ γαστρὶ τῶν μὲν ἐγκαρσίων ἰνῶν τεινομένων, ἔλαττον ἀνάγκη γίγνεσθαι τὸ εὖρος τῆς περιεχομένης ὑπ' αὐτῶν κοιλότητος, τῶν δ' εὐθειῶν ἑλκομένων τε καὶ εἰς αὐτὰς συναγομέ-

των οὐκ ἐνδέχεται μὴ οὐ συναιρεῖσθαι τὸ μῆκος. ἀλλὰ μὴν ἐναργῶς φαίνεται καταπινόντων συναιρομένων καὶ τοσοῦτον ὁ λά- A
ρυγξ ἀνατρέχων, ὅσον ὁ στόμαχος κατασπᾶται. καὶ ὅταν γε συμπληρωθείσης τῆς ἐν τῷ καταπίνειν ἐνεργείας, ἀφεθῇ τῆς τά-
σεως ὁ στόμαχος, ἐναργῶς πάλιν φαίνεται καταφερόμενος ὁ λάρυγξ. ὁ γὰρ ἔνδον χιτὼν τῆς γαστρὸς ὁ τὰς εὐθείας ἶνας ἔχων, ὁ
καὶ τὸν στόμαχον ὑπαλείφων, καὶ τὸ στόμα τοῖς ἐν τοῖς μέρεσιν ἐπεκτείνεται τοῦ λάρυγγος. ὃν οὐκ ἐνδέχεται κατασπώμενον αὐ-
τὸν ὑπὸ τῆς κοιλίας, μὴ οὐ συναπεσπᾶσθαι καὶ τὸν λάρυγγα. quod est: *Atqui ventriculus duas habet tunicas,
quæ omnino alicuius gratia sunt conditæ, pertinguntque hæ etiam vsque ad ipsum os. Quæ interior
est qualis in ipso est ventriculo, talis persistens: altera ad carnosiorem speciē in gula conuersa. At quod
contrarias inter fibrarū dispositiones hæ tunicæ habeāt, ipsa rei euidentia testatur. Quæ interna est, in
directū porrectas habet fibras, vt quæ trahendi caussa sit instituta. Externa transuersas, quo circulo
contrahant. Quippe singulorum quæ mouentur instrumentorum corpora, pro fibrarum positura mo-
tus habent. Primum autē si placet, in musculis ipsis sermonē examina, in quibus tum fibræ ipsæ, tum* B
*motus propter vehementiam euidentissime cernuntur. A musculis ad naturalia instrumenta te con-
feras licet, omnino videbis ea per fibras moueri. Itaque etiam singulis intestinis circulares in vtraque
tunica fibræ sunt, contrahuntur enim duntaxat, nec quicquam trahunt. At ventriculus alias fibra-
rum rectas habet, quibus scilicet trahat, alias trāsuersas, quibus constringat. Tanquam enim in mu-
sculis dum fibra quæque intenditur, atque ad principium retrahitur, motus eorum obitur, itidem in
ventriculo dum transuersæ fibræ tenduntur, latitudinem contentæ inter ipsas cauitatis minorem fie-
ri est necesse. Rectæ vero dum trahuntur ac in seipsas coguntur, fieri nequit, vt non minuatur longitu-
do. At vero deglutientibus nobis liquido cernitur larynx simul sublata sursumque in tantū currens,
quantum gula deorsum trahitur. Quumque completa iam deglutiendi functione retenderit se gula,
luculenter descendere cernitur summa arteria seu larynx. Siquidem interna ventris tunica quæ re-* C
*ctas habet fibras, quæ tum gulam intrinsecus vestit, tum os ipsum, ea super internis laryngis partibus
extenditur: itaque fieri nequit, quum ipsa a ventriculo deorsum trahitur, vt nō simul larynx attra-
hatur.* E quibus verbis Galeni euidentissimū fit, motum deglutitionis nō per musculos,
sed fibras potius fieri, atque naturalem & minime voluntarium esse. Proinde meri seu
gula musculi potius ministerium in animalibus præstat, quam vt per musculos moueа-
tur. Id quod Gal. etiam docet *lib. 1. de motu musculorum*, sic scribens: εἰ δὲ καὶ ὁ στόμαχος τῆς γα-
στρὸς, ὃν οἰσοφάγον ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ, αὐτός τε μῦς ἐστι, καὶ τὰ τοῦ μυὸς ἔργα τοῖς ζώοις ὑπηρετεῖ, εἴη ἂν καὶ οὗτος ὁ μῦς, οὔτε
εἰς τένοντα, τελευτῶν, οὔτε ὀστοῦν συγκινῶν. id est: *Quod si etiam stomachus ventriculi, quem œsophagum,
hoc est, gulam vocabant veteres, musculus est, & musculi officia animalibus ministrat, erit vtique &
hic musculus, neque in tendonem desinens, neque os simul mouens.* Iam dictis accedit, quod Gal. D
nusquam in suis anatomicis libris, neque etiam in aliis, vbi de musculorum varietate
agit, musculorum gulæ mentionem facit. Sed neque Auicenna *Fen. 1. Can. 1. Doc. 5. Sum.
secunda*, vbi ex professo de omnibus omnium membrorum musculis tractat, quicquam
de meri musculis refert, sed tantum gutturis musculos commemorat, quos deglutitio-
nem iuuare inquit. Ita nec Aliabas *tertio theorices suæ* vllum de lacertis meri verbum fa-
cit, sed solum de gurgulionis, hoc est, faucium, lacertis mentionem facit. Atqui differ-
re fauces a gula seu meri nemo est qui nesciat. Quinetiam Alex. Benedictus, immemor
eorum, quæ alibi scribit *lib. 3. cap. 17.* haud secus quam Galenus, gulæ naturalē quandam
facultatem tribuit, qua deglutitionis modus per villos & minime musculos perficitur.
Ait ita: *Gula duplici membrana, varioque villorum ordine constat: altera stamine per latitudinem
procedente cibū expellit, qui cum attrahitur cedit, nec læditur: altera vero interior, deorsum trahit* E
villorum oblongo stamine cibum, ea vis καθελκτικὴ dicitur. Ex quibus liquido apparet, gulæ nul-
los inesse musculos deglutiendi functionem perficientes, nam nisi ita esset, frustra illos
fecisse naturam quis dicere posset: ad quē enim alium vsum hos ipsos natura, nisi vel ad
attrahendum, vel expellendum cibum dedisset? Verum cum villorum fibrarumue hoc
opus sit, musculi frustra creati sint necesse erit. Quare nullo pacto intrinsecos gulæ mu-
sculos admittant studiosi, cum & veterum placitis, ac rationi adeoq; oculari inspectio-
ni ipsi ex diametro pugnet. De musculis vero laryngis, quos illi inepte admodum, &
non sine risu gulæ assignarunt, *lib. 2. Epitomes anatomicæ nostræ* diximus, ad quam nunc
lectorem ablegamus.

Viam vocis ac spiritus tracheam, id est, asperam arteriam dictam non esse interiorem, F
neque cibi & potus, gulam nominatā exteriorem, vt Alex. Bened. asserere ausus fuit.

CAPVT XIII.

ETsi exemplaria anatomes Alex. Benedicti recens excusa per auctorem ipsum, aut
amicum forte quendam, emendata sint, tamen quando constat, priora exemplaria
adhuc

A adhuc multorum in manibus esse, quæ semidoctis errandi occasionem exhibere possunt, commitere nolui, quin hunc ipsum errorem ab Alexandro commissum, ne scilicet alicui hominis auctoritas imponeret, impugnarem. Scio enim quam mordicus plerique hodie Medici auctorem hunc teneant, quem tamen lapsum esse quamplurimis in locis euidentissimum est. Is itaque *lib. 3. cap. 8.* de binis iam nominatis viis primum ita scribere ausus fuit: Binæ, inquit, ab oris faucibus canaliculæ coeunt, quarum altera breuior, interiorque est, τραχεῖαν ἀρτηρίαν Græci, Latini *spiritalem fistulam* appellant. Altera vero longior, exteriorq; est, οἰσοφάγον Græci & στόμαχον, Latini *gulam & cibalem fistulam* vocant. Quibus verbis contra naturæ positum, gulam in anteriore colli parte, tracheam vero in posteriore collocat. Gulam namque, qua cibus potusque deuoratur, esse viam B interiorem seu posteriorem, tracheam vero arteriam exteriorem, in homine viuo citra etiam dissectionem dignosci potest. Eam autem olim Alexandri fuisse sententiam, exemplar Plinianum, quod suis auspiciis in publicum prodiit, quodque tanquã emendatissimum passim defendere conatur, pulchre testatur, in quo *lib. 11. cap. 27.* in hunc modum legendum esse contendit: *Sub ea minor lingua, quæ nulli oua generantium, opera eius gemina duabus interpositæ fistulis. Interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens, hanc operit in epulando epiglossis, spiritu ac voce illac meante, ne si cibus ac potus in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera exterior est, appellatur sane gula, qua cibus atque potus deuoratur.* Quod si itaque aliter quam verba iam citata præ se ferunt, sensisset, nunquam C passus fuisset exemplar, vt aliis omnibus, vt ipse putabat, castigatus, eam lectionem continens, in publicum prodire, multo minus tueri hanc lectionem in animum induxisset. At locum hunc Plinii deprauatum in sua editione, quam nuper ex elegantissima Frobenii officina accepimus, linguarum ille antistes Erasmus Roterodamus pro ingenii sui acrimonia ita restituit: *Sub ea minor lingua epiglossis appellata, nulli oua generantium opera eius gemina, duabus interposita fistulis. Exterior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne spiritu ac voce illac meante; si potus cibusue in alienum deerrauerit tramitem, torqueat. Altera interior est, appellatur sane gula; qua cibus atque potus deuoratur.* Sic autem esse legendum in primis testatur Aristoteles; qui *lib. 1. de historia animalium c. 12.* de duabus his viis ita scribit: αὐχὴν δὲ τὸ μεταξὺ προσώπου καὶ θώρακος. D καὶ τούτου τὸ καὶ πρόσθιον μέρος λάρυγξ, τὸ δὲ ὀπίσθιον στόμαχος. τούτου δὲ τὸ μὲν χονδρῶδες καὶ πρόσθιον δι' οὗ καὶ ἡ φωνὴ καὶ ἀναπνοὴ, ἀρτηρία. τὸ δὲ σαρκῶδες στόμαχος ἐντὸς πρὸ τῆς ῥάχεως. id est: *Collũ vero inter thoracẽ & faciem est. Huius quidẽ pars prior guttur, posterior aũt gula. Quantũ vero colli ipsius cartilagineũ priorem situm obtinens vocem transmittit & spirationem, id arteria nominatum est. At quantum interius carnem spinæ praiacet, gula.* Et lib. 3. *de partibus animalium c. 3.* in hunc modum: Κεῖται δὲ ἔμπροσθεν τοῦ οἰσοφάγου ἡ ἀρτηρία. hoc est: *Ante gulam arteria posita est.* Cornel. quoque Celsus *lib. 4. c. 1.* iam dicta confirmat, sic dicens: *Deinde duo itinera incipiũt, alterũ asperam arteriã nominant, alterũ stomachum. Arteria exterior ad pulmonẽ, stomachus interior ad ventriculũ fertur.* Cui etiã subscribit auctor introductorii iis verbis: Δύο τοίνυν πόροι ἀρχόμενοι ἀπὸ τῆς τοῦ στόματος εὐρυχωρίας, ὁ μὲν κατὰ τὸ ἔμπροσθεν τοῦ τραχήλου τέτακται, καὶ καλεῖται βρόγχος ἢ τραχεῖα ἀρτηρία, ὁ δὲ στόμαχος. διαπέμπει δὲ τὸ πνεῦμα ἡ τραχεῖα ἀρτηρία εἰς τὸν πνεύμονα. ὁ δὲ στόμαχος ἐνδοτέρω τοῦ βρόγχου ὤν, πρὸς τοῖς σπονδύλοις τοῦ τρα-E χήλου. quod est: *Duo igitur meatus siue itinera a lato oris spacio incipiunt, alterum iuxta priorem colli partem asperam arteriam nominant, alterum gulam. Aspera autem arteria spiritum pulmoni transmittit. Gula vero interior arteriæ exsistens, ceruicis vertebris annexa est.* Sic itaque legendo verba Plinii, vt legenda esse demonstrauimus, a grauissimo etiam errore alio vindicatur Plinius. Nam si ne prohibitiua particula præponatur verbis illis si potus, & nõ prioribus, legendo ne si spiritu, illud sequetur absurdum, asperam arteriam eodem temporis momento & opertam & apertam esse, quod impossibile erit. In epulando enim operitur ac clauditur, spiritu autem & voce meante aperitur. Ea enim a minore lingua operta, neque vocem, neque spiritum per eam transire possibile est. Hæc itaque ad præsentis errati confutationem sufficiant, neque enim quod res in propatulo sit, F pluribus probationibus eget.

Alexandrum Benedictum, præter veterum exemplum, pharynga cum aspera arteria confundere.

Caput. XIV. A

Confundere Alexandrum tracheam arteriam cum pharynge verba eiusdem satis indicant, quæ scribit *lib. 3. suæ anatomes ca. 8.* sic dicens: *Binæ ab oris faucibus canaliculæ coeunt, quarum altera breuior interiorq́; est, τραχεῖαν ἀρτηρίαν ἢ φάρυγγα Græci, Latini guttur vel spiritalem fistulã appellant.* In quibus sane verbis errat Alexan. primum quod tracheam arteriam alio nomine vocari ait *pharynga*, q̃ tamen nemo veterum, proprie locutus, asserere ausus est. Deinceps quod *pharynga* guttur interpretetur, cum id nominis laryngi potius cõueniat. Proinde cum & alii multi *pharyngis & laryngis* Græcis, *fauciumque & gutturis* Latinis vocabulis, hodie abutantur, necessarium erit, vt hoc loco genuinum earundem vocum vsum studiosis indicemus. Animaduertendum itaque proprie loquendo, B pharynga nihil aliud esse Græcis, nisi id spacium, quod gulam & guttur præiacet, Latinisque *fauces* nominantur. Guttur autem ea pars est, quæ veluti caput seu initium est asperæ arteriæ, Græcisq; λάρυγξ dicitur. Testis Gal. *lib. 7. de vsu part. corporis humani* ita scribens: ὧδε μὲν ἔχει φύσεως ἡ ἀρτηρία τοῦ πνεύμονος ἡ ἐκ τῶν βρογχίων συγκειμένη. καλεῖν γὰρ οὕτω τοῖς ἰατροῖς τοὺς χόνδρους αὐτοῦ, ὥσπερ γε καὶ ὅλην μὲν βρόγχον, καὶ κεφαλὴν τὸ ἄνω πέρας αὐτοῦ, ὅπερ δὴ καὶ λάρυγξ ὄνομα. id est: *Hæc quidem est natura arteriæ pulmonis, quæ ex bronchiis consistit. Vocare enim ita Medici eius cartilagines consueuerunt, quemadmodum & ipsam totam bronchum. Superiorem autem eius extremitatem caput, quæ vtique etiã guttur nominatur.* Et rursus *libr. 8.* πρῶτον καὶ κυριώτατον ὄργανον τῆς φωνῆς, ᾧ λάρυγξ ὄνομα, τὸ ἄνω πέρας ἐστὶ τῆς τραχείας ἀρτηρίας. quod est: *Primum & principalissimum vocis instrumentum, cui guttur nomen est superior asperæ arteriæ finis exsistit.* Idem etiam testatur *lib. 6. de tuenda valetudine*, iis verbis: τὴν δ' εἰς τὸ στόμα φορὰν τῶν περιττωμάτων ὑποδέχεται στόμαχός τε, καὶ ἡ τραχεῖα ἀρτηρία, καλοῦσι δ' αὐτὴν καὶ βρόγχον, ἢ τὸ συνάπτον τῷ στόματι πέρας ἰδίως, ὀνομάζεται δ' λάρυγξ ὄργανον φωνῆς ὑπάρχον. C hoc est: *Excrementorum in os decursum tum gula excipit, tum aspera arteria, appellant hanc Græci & bronchum, aut etiam summa eius pars, quæ ori coniungitur. guttur autem nominatur, vocis instrumentum exsistens.* Proinde cum λάρυγξ nihil aliud sit, nisi asperæ arteriæ caput, consultum erit, vt passim hæc dictio in Græcis auctoribus obuians pro *gutture* interpretetur. Pharynga vero seu fauces esse sedem gulæ & gutturi præiacentem omnium maxime testantur ea, quæ Galenus *in commentatione aphorismi 34. tomi quarti aphorismorum* scribit, sic dicens: ἀλλ' ἥγε πνὶξ ἐπὶ στενοχωρίᾳ μὲν γίγνεται πάντως, ἡ στενοχωρία, δὲ ἤτοι πεπληρωμένης τῆς μεταξὺ τοῦ θώρακός τε καὶ πνεύμονος χώρας, ἢ τῶν σηράγγων τοῦ πνεύμονος, ἢ τινος φλεγμονῆς περὶ τὸ σπλάγχνον ὅλον οὔσης, ἢ κατὰ τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ἢ τὴν οἷον κεφαλὴν αὐτῆς, ἣν ὀνομάζουσι λάρυγγα. καὶ ποτε κατά D τὴν προκειμένην εὐρυχωρίαν ταύτης ἧ τοὔνομα φάρυγξ ἐστι, πνίγεσθαι πέφυκεν, οὕτως οὖν καὶ Ὅμηρος ἔφη, φάρυγγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι. τὴν προκειμένην εὐρυχωρίαν στομάχου καὶ λάρυγγος ὀνομάζων φάρυγγα, id est: *Strangulatio omnino ex angustia fit. Angustia autem vel repleta intermedia regione, quæ inter thoracem & pulmonem est, aut pulmonis cauernis, vel aliqua phlegmone totum viscus occupante, vel asperam arteriam, vel eam partem quæ est veluti caput eius, quam nominant guttur. Quæ etiam phlegmone in præiacenti spatio quod fauces appellant, aliquando facta strangulare solet. Nam & Homerus ita nominauit, inquiens: Per fauces autem vinum erumpebat, frustaque humana. Spacium illud laxius, quod gulam & guttur præiacet, fauces nominans.* Ex quibus Galeni verbis liquido constat, quid Græci vtroque vocabulo, & laryngis & pharyngis intellexerint, præsertim autem quid Homerus *Odysseæ primo* Cyclopis temulentiam depingens, *pharyngos* E voce significare voluerit, nempe spacium id, quod ante gulam & guttur est. Quod si itaque, *vt Alexander somniat*, Homerus per pharynga asperam arteriam intellexisset, certe iuxta Homerum, potus per tracheam arteriam primum ad pulmonem deflueret, nisi enim illuc primum migraret, per illam euomi non posset. Atque adeo in ea sententia esse Homerus, in qua Plato olim fuit, deprehenderetur, potum nimirum ad pulmonem primum, & minime ventriculum ipsum delabi, quod certe de tanto vate, quem haud temere *Oceanum eruditionis* appellant, suspicari alienissimum sit, quandoquidem tale quid ne per somnium quidem cogitauerit. Quare pharynx aliud a trachea arteria erit, nempe spatium illud, *vt diximus*, quod gulam & guttur præiacet. Id quod præter iam dicta testantur etiam ea, quæ *lib. 4. de affectis locis cap. 6.* Galenus scribit, dicens: φάρυγγα F ὀνομάζω τὴν ἔνδον τοῦ στόματος χώραν, εἰς ἣν ἀνήκει τότε τοῦ στομάχου καὶ τὸ τοῦ λάρυγγος πέρας. quod est: *Fauces voco internum oris locum, vbi simul conueniunt, & gulæ & gutturis partes extremæ.* Et *lib. 3. præsagiorum* aphorismum 18. explicans, vbi in hunc modum scribit: ὅτι φάρυγγα τὴν προκειμένην χώραν στομάχου τε καὶ λάρυγγος ὀνομάζει δῆλόν ἐστι. hoc est: *Vt fauces præiacentẽ gulæ & gutturi locum appellet, perspicuum est.* Ex quibus omnibus clarum est, pharynga seu fauces locum esse, ad

quem

A quem tam summum asperæ arteriæ, quam gulæ pertingit, adeo vt errare Alexandrum, qui hunc a trachea arteria non distare putauit, omnium euidentissimum sit. Atqui non latet, Galenum inter initia *lib. 8. de vsu partium corporis humani* scribere, *tracheam arteriam pharynga æquiuoce illi, quæ est ante larynga seu guttur nominari.* Verba eius hæc: πρῶτον καὶ κυριώτατον ὄργανον τῆς φωνῆς, ᾧ λάρυγξ ὄνομα, τὸ ἄνω πέρας ἐστὶ τῆς τραχείας ἀρτηρίας, ἣν δὴ καὶ φάρυγγα καλοῦσιν, ὁμωνύμως τῇ πρὸ τοῦ λάρυγγος. hoc est: *Primum & principalissimum vocis instrumentum, cui guttur nomen est, finis superior asperæ arteriæ exsistit, quam vtique pharinga nominant æquiuoce cum ea pharynge quæ gutturi incubat.* Quibus verbis certe latenter indicat quorundam errorem, qui abusi vocabulorum proprietate tracheam arteriam æquiuoce faucium, quæ ante guttur sunt, nomine appellauerunt. Quod autem laryngem siue guttur interdum etiam
B φάρυγγος nomine donarint veteres, id nulla alia de caussa factum est, quam quod larynx pharyngis dignissima pars sit. Vtroque autem in genere, masculino nimirum & fœminino, φάρυξ nonnunquam pro larynge vsurpatur, vt parum valeat Suidæ distinctio, qui in masculino genere φάρυγγα *guttur*, in fœminino autem *fauces* significare tradit. Nam Galenus *lib. 2. de simpl. medic. facul. cap. 12.* φάρυγγα in fœminino genere pro larynge accepit. Sed nos hic illos nihil moramur, qui de genuino, proprio ac vsitato pharyngos significato loquimur. Quapropter si proprie loqui curauerimus, quemadmodum in membrorum dissectionibus maxime conuenit, semper in Græcis auctoribus pharynga, dissectionem corporis ex professo docentibus per dictionem Latinam *fauces* interpretemur. Nec nos offendat Plinius, qui *lib. 11.* summum gulæ *fauces* vocari dicit, nam
C in plerisque: præsertim in anatomicis, vocabulorum etiam proprietatem neglexit. Eadem ratione & laryngis vocabulum, per *guttur* reddamus, non animaduertentes, quomodo alii vsi sint, ita enim proprie iam dictis vtimur vocabulis. Tolerabilior certe Alexandri fuisset sententia, si tracheam arteriam *larynga* vocari dixisset, ita enim partis vocabulum toti accommodasset, larynx enim suprema arteriæ pars est. Extra igitur dissectionis tractationem veteres laryngem interdum φάρυγγα nominarunt. Quapropter Alexander Benedictus anatomica tractans, hæc duo nomina diuersas significantia partes confundere haud debuisset.

Magno & impudenti errore Alexandrum Benedictum bronchum cum larynge
D *confundere.*

Caput XV.

Alexander *lib. 3. c. 18. suæ anatomes* bronchum iis describit verbis: *Bronchus*, inquit, *in suprema parte situs est, pelliculare membrum, musculosum, cartilaginosumque vt argutius sit, in quod percussus spiritus, sonus aut vox ipsa perfectius elidatur.* Quæ sane descriptio broncho minime conuenit, id enim membrũ pelliculare, musculosum, neruosum, cartalaginosumque, præcipuum vocis, de quo ipse loquitur, instrumentum, non bronchus a Græcis, sed bronchi caput seu larynx nominatur, *quemadmodum capite præcedente diximus*: Bronchus.
adeoque errare Alexandrum euidẽtissimum est, quum bronchus nihil aliud sit, quam aspera alio nomine vocata arteria. Id quod testatur Galenus ab initio *lib. 7. de anatomica*
E *administratione*, ita scribens: ἕτερον δὲ γένος ἀρτηριῶν, ἃς ὀνομάζουσι τραχείας, ἐν τραχήλῳ μὲν μία μεγίστη, καθ' ὅλον δὲ τὸν πνεύμονα ταύτης ἀπονεμήσεις πολλαί. τῷ δ' ἄνω πέρατι τῆς εἰρημένης ἐν τραχήλῳ μεγάλης ἀρτηρίας, οἷον κεφαλή τις ἐπίκειται μόριον ὁ προσαγορευόμενος λάρυγξ. ὀνομάζεται δὲ καὶ τοῦτο πρὸς τῶν νεωτερικῶν ἀνατομικῶν βρόγχου κεφαλή, διότι καὶ αὐτὴν τὴν τραχεῖαν οὐ μόνον οὕτως, ἀλλὰ καὶ βρόγχον καλοῦσι. id est: *Alterum genus arteriarum est, quas nominant asperas. In ceruice quidem vna maxima, quæ frequenti ramorum serie pulmones adit. Superiori dictæ in collo grandis arteriæ extremo veluti caput quoddã incumbit particula guttur appellata. Dicitur autem hæc etiam a recentioribus anatomicis bronchi caput, eo quod & ipsam totam asperam arteriam non ita solum, sed bronchum quoque nuncupant.* Idem docet ab initio *7. lib. de vsu par. cor. humani*, vbi ita scribit: διὰ τί τρίτον αὐτοῖς ἀγγεῖον ἡ φύσις ἔζευξε τὸ ἀπὸ τῆς φάρυγγος ὁρμώμενον, ὃ τινὲς μὲν τραχεῖαν ἀρτηρίαν, ἔνιοι δὲ βρόγχον ὀνομάζουσι, νῦν εἰρήσεται. hoc est: *Cur autem eis natura coniunxit tertium a faucibus prodiens vas, quod quidam asperam arteriam, quidam autem*
F *bronchum nominant, nunc dicetur.* Et rursus eodem libro: *Nominatur autem, sicut & ante diximus, non hoc nomine solum, sed etiam bronchi caput, quoniam & ipsam arteriam asperam bronchum appellant.* Idem docent loca, quæ capite præcedenti *ex septimo, de vsu partium corporis humani, & sexto, de tuenda valetudine libris* citata sunt, quæ repetere in præsentiarum superuacaneum esse duxi. Ex his omnibus sole clarius fit, broncho Græcis nihil aliud

esse, quam id corporis membrum, quod alio nomine *asperam arteriam* nominant, & nequaquam larynga seu guttur dictum, quemadmodum Alexander Benedictus putat. A
Proinde cum Alexandro bronchus a gutture nihil distet, non aliud iis verbis, bronchus in gutturis suprema parte situs est, videtur dicere, quã guttur in suprema parte gutturis situm est, aut larynx in laryngis suprema parte sita est, quo certe nihil ridiculosius dici posset. Quod vero larynx siue guttur præcipuum vocis sit instrumentum, multis Galen. *lib. 7. de vsu partium corporis humani* ostendit, præsertim cum sic scribit: ὅτι δ' ὁ χόνδρος οὗτός ἐστι τὸ πρῶτον τῆς φωνῆς ὄργανον, ὁ λάρυγξ δεικνύσθω σοι μάλιστα. καλεῖται δ' οὕτω τὸ συνάπτον τῷ φάρυγγι τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν μόριον. ὃ δὴ καὶ προπετὲς φαίνεται κατὰ τὸν τράχηλον, καὶ ψαυόντων σκληρόν ἐστι, καὶ ἀνατρέχει καταπινόντων, οὗτος οὖν ὅτι μὲν αὐτὸ τὸ πρῶτόν τε καὶ κυριώτατόν ἐστι τῆς φωνῆς ὄργανον, ἐν τοῖς περὶ τῆς γενέσεως αὐτῆς δέδεικται γράμμασιν. id est: *Quod autem cartilago hæc primum vocis instrumentum est, vel guttur tibi maxime ostendat.* B *Vocatur vero ita particula ea, quæ faucibus asperam arteriam coniungit. Hæc vtique prominens apparet in collo, tangentibusq́ dura sentitur, & deglutientib. recurrit. Hanc igitur ipsam primũ & maxime præcipuum vocis esse instrumentum, in lib. de generatione vocis demonstratũ est.* Sunt autem laryngi, & aliæ quædam particulæ ad edendam vocem necessariæ, quemadmodum *loco iam citato* Galenus ostendit, & *lib. 1. de affectis locis*, vbi partes illas quoque enumerat, ita dicens: τῆς φωνῆς αὐτῆς ἴδια μόρια ταῦτ' ἐστι, συνελόντι μὲν εἰπεῖν, ὁ σύμπας λάρυγξ. κατὰ μέρος δ' ἑρμηνευόντων, οἵ τε τρεῖς αὐτοῦ χόνδροι, καὶ οἱ κινοῦντες αὐτοὺς μύες τρεῖς, ἅμα τοῖς ἀπ' ἐγκεφάλου νεύροις. ἔτι τε πρὸς τούτοις ἡ ἔνδον τοῦ λάρυγγος ἐπιγλωττίς, ἥπερ ἐστὶ τὸ κυριώτατον ὄργανον τῆς φωνῆς. αὕτη γὰρ ὑπὸ τῶν μυῶν ἀνοιγομένη τε καὶ συναγομένη τελείως ἐργάζεται τὰς φωνάς. quod est: *Proprie vocis ipsius partes, summatim quidem loquendo, totum guttur. Si vero particulam explicare volueris, sunt tres cartilagines, & totidem has* C *mouentes musculi, quibus accedunt nerui a cerebro demissi. Et prætcrea in gutture ligula, hæc maxime proprium vocis instrumentum est: etenim cum moderate & aperitur & committitur, vocem efficit.* De qua ligula sequenti capite multa. Et discant hinc iterum studiosi, quam necessarium sit in omni disciplina propria rerum nosse vocabula.

Perperam Alexandrum Benedictum epiglottidem cum ligula, quam glottida Græci vocant, confundere, & epiglottidi musculos tribuere, qui proprie loquendo laryngi gutturiue potius tribuendi erant.

Caput XVI.

D

Ligula quid.

NE aliquem vocabulorum moretur ignorantia, sciendum γλωττίδα seu *ligulam* nihil aliud esse, quam laryngis rimam, quam duo tertiæ cartilaginis laryngis processus, in media laryngis cauitate pingui membrana obducti constituunt, præcipuum vocis instrumentum. Sic dicta a ligularum similitudine, quæ ex duabus arundinum laminis inuicem compactis tibiis accommodantur. Non est igitur, nisi ad membrum, quod in regione interna gutturis situm est, linguæ fistulæ persimile, non solum ad edendam recte vocem, sed etiam spiritus comprehensionem, necessarium. Id quod testatur Galen. *lib. 7. de vsu partiũ corporis humani* ita scribens: *In regione laryngis gutturisue interna, per quam intro & foras spiritus fertur, locatum est quoddam corpus, neque substantia, neque figura simile alicui alii eorum, quæ in toto animali.* Assimilatur quidem linguæ alicuius fistulæ, maxime si E
infernam & supermam eius partem spectaueris. Vt autem vocem edat animal, indiget omnino etiam ea spiritus latione, quæ ab infernis repente simul erumpit. Indiget autem nihilominus quam hac, etiam strictiori qui est secundum guttur transitu. At non simpliciter strictiori, sed qui paulatim quidem ex amplo ad strictum adducatur, paulatim rursus ex stricto amplificetur. Quod exacte efficit corpus, quod hoc sermone exprimimus ac enarramus, γλωττίδα, hoc est, linguam gutturis nomino.

Epiglottis.

Ἐπιγλωττὶς autem operculum est dictæ iam laryngis rimæ siue ligulæ impositum, ne quid inter epulandum in alienum delabatur tramitem, cauens. Sic vero non alia de caussa nominata est, quam quod ligulæ, quæ, vt diximus, γλωττὶς vocatur, incumbat. Cuius rei testis est loco paulo ante citato Galen. qui ita scribit. F τὴν ἐπιγλωττίδα προμηθῶς ἡ φύσις οἷον ἐπίθημά τι περιέθηκε τῷ κατὰ τὸν λάρυγγα στόματι, ἑστηκυῖαν μὲν ὀρθὴν ἐν τῷ πρόσθεν ἅπαντι χρόνῳ, καθ' ὃν ἀναπνεῖ τὰ ζῶα, καταπίπτουσαν δ' ἐπὶ τὸν λάρυγγα καταπινόντων ὁτιοῦν. quod est: *Epiglottida non sine prouidentia natura velut operculum quoddam ori gutturis præposuit, stantem quidem rectam toto priori tempore quo animalia respirant, cadentem vero supra guttur quodcunque deglutientibus.* Id quod confirmant etiam ea quæ de epiglottide scribit auctor introductorii, ita dicẽs: ὁ μὲν βρόγχος προκείμενος ἐν τῷ καταπίνεσθαι

A πίνεσθαι τὴν τροφὴν προσανατρέχων ἐπιπωματίζεται ἀκριβῶς τῇ ἐπιγλωττίδι, ἥτις πέφυκεν ἐκ τῆς ῥίζης τῆς γλώττης, ἡ δ' ἐπιγλωττὶς οὐ μόνον τὸ στόμα ἐπιπωματίζει. ἀλλὰ καὶ τὴν τροφὴν, τὴν ὑπὸ τῆς γλώττης οἷον ὑπὸ πτύου ἀναλελειμμένην, διαπορθμεύει ὥσπερ γέφυρα ἐπὶ τὸν στόμαχον, ὑπὲρ τὸ στόμα τοῦ βρόγχου ὑπερθεῖσα αὐτήν. id est: *Trachea arteria adiacens dum cibus deuoratur recurrens epiglottide, quæ ex radice linguæ producta est, operitur. Hæc aũt non solum os aperit, sed cibũ a lingua velut ventilabro purgatũ, ori ipsius arteriæ superimposita pontis modo ad gulam transmittit.* In hunc vsum a natura esse creatam epiglottida, testantur etiam ea, quæ scribit Alexander *libro tertio, cap. 18. suæ anatomes*, ita inquiens: *Gutturi epiglottis sub ipsis faucibus quoddam operculum linguæ postremæ annexum accommodauit, ne quid cibi potusue in alienum delabatur iter, quoniam spirandi meatus intercluduntur.* Quum igitur duæ & inter se diuersæ sint corporis partes glottis seu ligula & epiglottis, perperam fecisse B Alexandrum Benedictum *libro tertio, suæ anatomes, capit. 18.* constat, quod illas inter se confuderit, atque vnam & eandem esse statuerit, dicens: *Miro igitur opere id operculum constitutum est, quod linguam minorem Galenus vocat, eam ob caussam duabus apposita est fistulis, vt per vices aperiat, & integat.* Alexandro autem imposuit deprauata codicis Galeni lectio. Huic quoque membro aliquot musculos tribuit *lib. 5. cap. 18. suæ anatomes*, dum sic scribit, *In epiglottide, gutture ac gula 32. sunt musculi.* Quibus verbis etsi nõ manifestet quot epiglottidi, quot gutturi, quotque gulæ tribuat musculos, tamen cum per guttur, vt supra diximus, asperam arteriam & eius superiorem partem, larynga dictam, intelligat, ipsius quidem arteriæ erunt musculi quatuor, laryngis vero viginti: totidem enim huic membro Galenus *libro septimo, de vsu partium corporis hum.* assignat his verbis: *Mouetur* C *autem guttur a musculis secundum suam quidem propriam compositionem duodecim, secundum communionem vero, quæ ei est cum adiacentibus ab aliis octo.* Et paulo post: *Propter hoc ipsum autem & communes trium cartilaginum musculi facti sunt decem numero, primo quidem duo dicti, qui anteriores partes copulant, & claudunt magnam gutturis cartilaginẽ. Qui vero consequenter duo sunt, eas quæ per profundum. Aliorum vero sex, quatuor quidem aperiunt aritenoide cartilaginem, reliqui vero duo claudunt. Quibus adiutores duo musculi transuersi pluribus animalibus sibi inuicem inniti, basin stringunt tertiæ cartilaginis. Hi igitur omnes musculi in gutture continentur, nulli adiacentium instrumentorum copulati. Alii vero octo musculi colligantes ipsum corporibus quæ sunt in circuitu, alterius motus sunt duces, per quem totus spiritalis meatus amplificatur & contrahitur.* Cum itaque viginti sint gutturis seu laryngis ex Galeni sententia D musculi, & quatuor arteriæ, tunc simul iuncti erunt viginti quatuor: octo ergo supererunt epiglottidi tribuendi, nullos enim habere gulam antea monstrauimus. Nemo autem vnquam ex probatis scriptoribus totidem epiglottidi musculos assignauit. Si qui enim huic musculos tribuunt, duos tantum tribuunt, qui propemodum teretes, & ex media interiori ossis vel referentis sede explantati, radici epiglottidis siue laryngis operculi inseruantur. Atque duobus iis musculis munus id concreditum est, vt epiglottidem cibis potuque depressum, denuo eleuent. Secutus est autem in hoc Razem, qui *lib. 1. cap. 3.* eandem quoque sustinet sententiam, dum ita scribit: *Musculi qui gulam & epiglottim mouent sunt triginta duo.* Atqui præstat, vt nullos plane epiglottidi, præter duos iam dictos, musculos tribuamus, quum alios non habeat præter illos, qui eam depres-E sam rursus alleuant. Neque obstat quod Auicenna *Fen. 1. Can. 1. doct. 5. Sum. 2. c. 11.* epiglottidi musculos tribuat. Is enim per epiglottidem non operculum laryngis, sed larynga siue guttur intelligit, id quod aperte eiusdem testatur descriptio, quæ sic habet: *Epiglottis est membrum cartilaginosum, creatum vt sit vocis instrumentum, quod ex tribus compositum est cartilaginibus.* His enim verbis plane larynga depingit, vt videre licet apud Galen. *libr. 7. de vsu partium corporis humani*, vbi sic scribit: *Constat autem larynx ex tribus magnis cartilaginibus, quarum maxima est anterior, quam & tangimus, foris quidem cõuexa, intus autem concaua, scuto maxime similis. Secunda vero cartilago quanto minor est prima, tanto maior est quam tertia, internis quidem partibus locata est, qua stomachus subsidet. Tertia cartilago in angustum valde transitum desinit, quemadmodum prolixius ibi Galenus differit.* Quare euidentissi-F mum est Auicennam, vel huius interpretem per epiglottidem non laryngis operculum, sed guttur intellexisse. In quem etiam errorem multi hodie recentiorum lapsi sunt, qui abutentes vocabulo, per epiglottim passim larynga siue guttur, & interdum etiam ligulam accipiunt. Qui certe merito reprehendendi sunt, quod proprietate vocabulorum neglecta, perspicue de rebus loqui non valeant, atq; adeo fit, vt ambiguitate

Auicen. per epiglottim larynga intelligit.

Vocabulorũ proprietas non negligenda.

vocum multis errandi occasionem præbeant. Discant igitur moneo veritatis studiosi A propria rebus suis adhibere vocabula, ita enim citra difficultatem quod expetunt addiscent, eademque facilitate reliquos post docebunt.

Cerebrum naturam aduersus cordis calorem non esse molitam, veluti Alexander Benedictus, Aristotelem in hoc secutus, putat.

Caput XVII.

ALexandri sententia habetur *lib. 4. cap. 2. suæ anatomes*, vbi inter cetera de cerebro sic scribit: *Cerebrum omnium frigidissimum est pro cordis temperamento. solet enim natura* B *semper moliri contra cuiusuis exuberantiam auxilium per coniunctionem rei aduersæ, vt excelsum alterum altero compescat. In vniuerso enim corpore frigiditas ad temperandum naturalem calorem a natura data est, quod tactu percipitur & ratione intelligitur, sanguinis enim nihil habet.* Quibus sane verbis aliud non innuit, nisi quod cerebrum gratia caloris, qui circa cor est, a natura factum opinetur: secutus in hoc Aristotelis erroneam sententiam, quam prodit *lib. 2. de par. animalium, cap. 7.* sic scribens: ὁ μὲν γὰρ ἐγκέφαλος ψυχρότατον τῶν ἐν τῷ σώματι μορίων. ἀεὶ γὰρ ἡ φύσις μηχανᾶται πρὸς ἑκάστου ὑπερβολὴν βοήθειαν τὴν τοῦ ἐναντίου παρεδρείαν, ἵνα ἀνισάζῃ τὴν θατέρου ὑπερβολὴν θατέρον. διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν πρὸς τὸν τῆς καρδίας τόπον καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θερμότητα μεμηχάνηται τὸν ἐγκέφαλον ἡ φύσις. τούτου χάριν ὑπάρχει αὐτὸ τὸ μόριον τοῖς ζώοις, τὴν φύσιν ἔχον κοινὴν ὕδατος καὶ γῆς. καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἔναιμα ἔχει πάντα ἐγκέφαλον. τῶν δὲ ἄλλων οὐδὲν ὡς εἰπεῖν, πλὴν ὅτι κατὰ τὸ ἀνάλογον οἷον ὁ πολύπους, ὀλιγόθερμα πάντα διὰ τὴν ἀναιμίαν. ὁ μὲν οὖν ἐγκέφαλος εὔκρατον ποιεῖ τὴν ἐν τῇ καρδίᾳ θερμότητα καὶ ζέσιν. C hoc est: *Cerebrum omnium partium corporis frigidissimum est, solet enim natura semper emoliri contra cuiusuis exsuperantiam auxilium per coniunctionem rei aduersæ, vt excessum alterius altero compenset, & moderetur. Idcirco aduersus cordis sedem & calorem, cerebrum natura molita est. Et ea de caussa pars ista animalibus iuncta est, naturam obtinens aquæ & terræ communem. Atque ob eam rem cerebrum omnia sanguine prædita habent, ex ceteris nullum fere nisi per proportionem, vt polypus, parum enim caloris obtinet omne id genus propter sanguinis priuationem. Cerebrum igitur calorem feruoremque cordis moderatur, & temperiem affert.* Erroneam autem esse vtriusque sententiam vel situs maxime cerebri satis demonstrat: cum enim locus alterans parti alteranti proximus sit oportet, fieri non potest, vt ex tanto interuallo, præsertim densis D ac tutis duorum ossium sepimentis interpositis, frigiditatem suã cerebrum ad cor perfundat. Id quod fusius docet Galenus *lib. 8. de vsu partium corporis humani* in eũ modum scribens: τὸ οἴεσθαι τῆς ἐπὶ τὴν καρδίαν θερμασίας ἕνεκα γεγονέναι τὸν ἐγκέφαλον, ἀναψύχοντά τε αὐτὴν, καὶ εἰς μετριότητα κράσεως ἄγοντα, παντοίως ἄτοπον. οὔτε γὰρ ἂν οὕτω πόῤῥω τῆς καρδίας ἡ φύσις ἔταξεν αὐτὸν, ἀλλ᾽ ἤτοι πάντη περιέβαλεν ἂν ὥσπερ καὶ τὸν πνεύμονα, ἢ ἐν θώρακί γε πάντως κατέθετο, οὔτ᾽ ἂν τῶν αἰσθήσεων ἁπασῶν τὰς ἀρχὰς εἰς αὐτὸν ἀνήρτησεν. ἀλλ᾽ εἰ καὶ τοσοῦτον παρεῖδεν, ὡς καὶ πόῤῥω τάξαι, καὶ τὰς αἰσθήσεις συνάψαι μηδὲν δέον ἀλλ᾽ οὔτι γε διπλοῖς ἂν περιβόλοις οὕτως ἀσφαλέσι καὶ πυκνοῖς διετείχισε, τῷ μὲν τὸ κράνιον ὅλον, τῇ δὲ τὸν θώρακα περιθεῖσα. ἢ εἰ καὶ ταῦτα παρεῖδε. τὸν γοῦν τράχηλον οὐκ ἂν εἰς τὸ μέσον ἀμφοῖν φέρουσα κατέθετο. καὶ ταῦτα ἐν τοῖς θερμοτάτοις ζώοις, καὶ τοῖς καρχαρόδουσιν ὀνομαζομένοις ἱκανῶς μακρόν. ἐν δὲ δὴ τοῖς πτηνοῖς ἔτι καὶ μᾶλλον. ὥστ᾽ ἴσον ἀφεστάναι τῆς καρδίας τοῖς ποσὶ τὸν ἐγκέφαλον. ὅμοιον γὰρ τοῦτό γε τὸ δόγμα τῷ φάσκειν ἕνεκά γε τῆς καρδίας τὰς πτέρας γεγονέναι. καὶ μήσοι δοκεῖν μετοῦ γελοίου χάριν οὕτως εἰπεῖν, ἀλλ᾽ ἂν ἀκριβῶς σκοποίης θᾶττον ἐκ τῶν πτερνῶν εἰς τὴν καρδίαν ἀφίξεταί τις ψύξις, ἢ ἐκ τοῦ ἐγκεφάλου. εἰ γὰρ καὶ πορρωτέρω τετάχθαι δοκοῦσιν ἐπί γε ἀνθρώποις, οὐ γὰρ δὴ ἐν ἅπασί γε τοῖς ζώοις, ἀλλ᾽ οὔτι τοσούτοις διπλοῖς ὀστῶν περιβόλοις. E οἷον ἀσφαλέσι τείχεσιν. ἐν μὲν γὰρ τοῖς κάτω μέρεσιν μόνοις, οὐκ ἔστιν ὀστεῖνος ὁ θώραξ, ἀλλ᾽ ὑμενῶδές τε καὶ μυῶδες σῶμα, τὸ διάφραγμα καλούμενον, ἐνταυθοῖ τέτακται, διαπέμπειν ἑτοιμότατον ψύξιν. οὐ μὴν οὐδ᾽ ἢ τῇ λόγῳ ψυχρὰς εὕροις ἂν τὰς πτέρας τοῦ ἐγκεφάλου. τοῦτο γὰρ καὶ μηδὲν, ἀλλὰ τό γε διηνεκὲς τῆς κινήσεως ἱκανὸν ἐκθερμαίνειν, ἵνα παραλείπω τὸ πλῆθός τε καὶ μέγεθος τῶν ἐν αὐτῷ φλεβῶν καὶ ἀρτηριῶν, ὧν οὐδέν ἐστι θερμότερον ἐν ζώου σώματι μόριον, ἀλλὰ καὶ τὸ σκέπεσθαι διτταῖς μήνιγξι. καὶ μετὰ ταῦτα σκληροτάτῳ τε ἅμα καὶ πυκνοτάτῳ καὶ παχυτάτῳ ὀστῷ. τοιοῦτον γὰρ τὸν κατὰ τὴν βάσιν αὐτοῦ, δι᾽ οὗ πάντως ἡ ἐπὶ τὴν καρδίαν ὁδὸς τῆς ψύξεως. ἡ γὰρ δὴ διά γε τῆς κορυφῆς, καὶ ταῦτα τήν γε ἐν αὐτῷ θερμασίαν ἐξ ἀνάγκης ἐπαυξήσει, καὶ τῆς καταψυμένης ψυχρότητος, τὴν ἐπὶ τὴν καρδίαν ὁδὸν ἀμήχανόν τε καὶ παντελῶς ἄπορον ἐργάζεται. id est: *Opinari gratia caloris, qui in corde est, factũ esse cerebrum, vt scil. id refrigeret, & ad moderatã temperiem ducat, omnino est absurdum. Nequaquã n. natura ipsum tam longe a corde locasset, verũ aut id vndequaq; cordi circumposuisset, perinde atq; pulmonẽ, aut in thorace omnino posuisset: neq; etiam sensuum omnium principia idipsum cerebrũ locasset. Sed tametsi neglexisset,* F *vt illud procul a corde locaret, & contra quam decuit sensus ei affixisset, non tamen demum binis septis ita munitis & densis ea fulsisset, huic quidem cranium totum, illi autem thoracem circumponens. Si vero & hæc contempsisset, collum tamen nequaquam in medio amborum posuisset. Adde quod hæc in calidissimis animalibus, & asperos dentes habentibus satis parua sint. In volatilibus autem adhuc negligentius se gessit, vt quibus æqualiter distent a corde pedes & cerebrum.*

Aristotelis erronea sententia.

Legendũ τοῖς πόδας καὶ.

Simile

A *Simile enim est hoc placitum, ac si diceretur, gratia cordis factos esse calcaneos. Neque putet quis me gratia derisionis ita dicere, nam si diligenter intenderit, citius a calcaneis ad cor aliqua perueniet refrigeratio, quam a cerebro. Licet enim longius locari videantur in hominibus, non tamen in omnibus animalibus, sed neque duobus ossium septis velut tutis muris prohiberentur. In solis namque infernis partibus non est ossosus thorax, sed membranosum ac musculosum corpus, septum transuersum vocatum, ibi locatum est, ad frigiditatem immittendam promptissimum. At vero neque minus frigidos inuenies utique calcaneos quam cerebrum, hoc enim etsi nihil est, continuus tamen motus sufficiens est excalfacere: vt interim omittam multitudinem & magnitudinem venarum & arteriarum quæ in eo sunt, quibus nulla est calidior in corpore animalis particula. Sed & quia cooperitur duabus membranis, ac præter hæc osse durissimo, densissimo, & crassissimo,* B *tale enim est id quod in basi eius iacet, per quod omnino refrigerationis ad cor via ablata est, non enim vtique per cacumen hæc caliditatem, quæ in eo est, necessario augebunt, viam frigiditatis ad cor impossibilem, & quæ inueniri haud queat, operabuntur.* Ex quibus sane verbis satis liquet, ob remotam a corde positionem, itemque ob alia, quæ obstant, fieri non posse, vt cerebrum cordis caliditatem moderetur. Et quid attinet cor a cerebro refrigerari, cum id abunde possit respiratio, quæ quidem frigidum aerem inspirat, feruentesque fumos halitusue exspirat? Mirum autem est, Aristotelem Hippocratice & vere de respiratione alibi sentientem, hoc loci quod alias recte dixit, oblitum esse. Sed diceret forte quispiam, aerem cerebro multo esse calidiorem, proinde quum parcius, C quam conuenit, cor ab eo refrigeretur, auxilio egere, quod a cerebro, vtpote frigidiori, præstetur. Huic cum Galeno respődemus, ita loqui aut sentire nullos, nisi qui excedentia veritatem loquuntur, aut ea quę apparent, ignorant. Cerebrum enim nunquam non aere calidius multo esse inuenitur, si fractum alicuius caput manu contrectemus. Et qui fieri posset, vt aer cerebro calidior esset, cum incisis cranio aut huius membranis citissime festinemus, summeque caueamus, ne perfrigeretur ab ambiente aere cerebrum? Quod si itaq; aer cerebro calidior esset, nequaquam ab eo refrigeraretur, cuius tamen contrarium, æstate etiam ipsa, vbi omnium maxime calet aer, experimur. Porro cum omni calido ad sublime sit impetus, cor cerebrű, quod sibi superpositum est, magis calefaciet, quam cerebrum cor. Quid multa? monstro siquidem simile erit, si cerebrum longissima sane & calidissima, perq; multos in medio obices, infrigidare potest, D proxima autem & minus calida, sibique congenita ac applicata, veluti est membrana tenuis, similiter afficere haud potest. Calidam autem esse tenuem membranam, vt quæ plurimas in seipsa venas & arterias habeat, & quæ semper tota pulset, id quod nequaquam absque feruente caliditate efficitur, nemo sanę mentis negare potest. Quare & Aristotelem, huiusque æmulum Alexan. Benedictum, errare necesse est, *quemadmodum fusius loco prænominato Gal. ostendit:* cerebrumque nulla alia ratione factum a natura exsistit, nisi vt neruorum principium & vniuersorum sensus instrumentorum, motusque voluntarii dux esset.

PERORATIO.

E Hæc habui studiose Lector, quæ in præsentiarum de paradoxis Medicinæ dissererem, nulla siquidem glorię cupiditate ductus, nec vllis liuoris stimulis agitatus, sed tantum veritatis amore huc pertractus. Quid enim gloriæ ex aliorű sugillatione sperarem, vnde plus odii ac inuidiæ quam laudis venari licet? Fieri n. non potest quin obsequium amicos, vt ille ait, veritas autem odium pariat. Neq; est quod spe lucri in eum scribendi campum me diuertisse quispiam temere suspicetur, quando probe expertus sim, quantam inde annis aliquot & rerum & fortunarum iacturam fecerim. Dum n. omnes alii ampliandæ rei familiaris ac dignitatis ratione habita, vt summis honoribus afficiantur, & quam ditissimi euadant student, huncq; solum sibi rerum agendarű scopum proponunt, vnus ego in Germania fere indagandæ veritati, posthabitis omnibus, operam nauans, præter multorű odia, ac rei familiaris tenuitatē & inopiam ipsam nihil exspe- F cto. Neq; interim tamē in hoc campo pugnare pigebit, modo aliqua inde ad studiosos cōmoditas perueniat. Poinde mordeāt, sugillent, vulnerēt, dilacerent etiā, nunquam tamen dum viuam in acie pro veritate stare detrectabo. Vltima deniq; experiri potius quam signa turpiter deserere mecű constitui. Quare laborē hunc nostrű boni consulas, & si non per omnia tibi satisfactum fuerit, conatum saltem quæso, quando in magnis

& voluisse sat sit, donec meliora obtingant probato. Spero enim futuros post hac multos, qui & eruditione & dicendi facultate nos longe superabunt. Hi itaque ea quæ a nobis omissa, aut non pro dignitate tractata sunt, in lucem proferent, maiorique dicendi copia illustrabunt. Cuius rei euidentissimum nobis exemplum nuper præbuere viri eruditissimi, Petrus Franciscus Paulus, & Leonardus Grachinus, quorum opuscula Arabes atque barbaros Medicos suis depingentia coloribus, dum paradoxa hæc nostra absoluissemus, typographorum opera in lucem prodierunt: in quibus certe multa sunt, quæ his, quæ hic docuimus, fidem facere possunt. Multa denique quæ nos prodere distulimus, iam pridem tamen mussitauimus, veluti est aquarum destillatarum commentum, quod sane vt inutile, ac præter omnem rationem excogitatũ, multis iam annis neglеximus, parum curantes quantum a multis nostræ tempestatis Medicis probetur, admireturque. Sunt & plura alia, quæ viri iam nominati in studiosorum gratiam illic docuerunt, quæ ad exactam medendi rationem probe cognoscendam nõ parum momenti afferunt. Quapropter & erudita illa opuscula omnibus modis tibi commendata esse velim. Et faxint superi, vt ex hac noua Academia multi indies eiusmodi libelli prodeant. Tu vale, & conatum nostrum æqui bonique facito.

Aquarum destillatarũ fraus.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN OPERIBVS Dn. LEONHARDI FVCHSII CONTENTORVM.

NVMERVS PRIOR OPERIS PARTES, posterior paginas designat.

A

cam-

F.

H.

I.

M.

Medica-

N.

O

pissa-

Q.

R.

S.

FINIS.